2. 4. 183

2 Θ P. 4

MAXIMA BIBLIOTHECA VETERVM PATRVM, ET ANTIQVORVM SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM.

PRIMO QVIDEM A MARGARINO DE LA BIGNE,
in Academiâ Pariſienſi Doctore Sorbonico, in lucem edita.

DEINDE CELEBERRIMORVM IN UNIVERSITATE COLONIENSI Doctorum ſtudio, plurimis Authoribus, & Opuſculis aucta, ac hiſtoricâ methodo per ſingula ſæcula quibus Scriptores quique vixerunt, diſpoſita.

HAC TANDEM EDITIONE LVGDVNENSI,
ad eandem Colonienſem exacta, novis ſupra centum Authoribus, & Opuſculis hactenus deſideratis, locupletata,

ET IN TOMOS XXVII. DISTRIBVTA.

Huic etiam Editioni acceſſerunt INDICES QVATVOR *præclari, in hac tàm multiplicium Scriptorum vaſtiſſimâ collectione verè faces, & ut quis ad ipſorum lectionem introducatur, utiliſſimi, imò omninò neceſſarij.*

I. AVTHORVM ALPHABETICVS, ipſorum ætates, & ſcripta indicans.
II. CLASSICVS, Authores per materias de quibus egerunt, exactè diſtribuens.
III. SYNOPSIS appellatus, operum omnium Authorum analyſim continens, & argumenta exhibens.
IV. GENERALIS materiarum ampliſſimus.

Conſule quæ de his indicibus in ipſorum frontiſpicio, circa eorum utilitatem, & uſum prænotata ſunt.

TOMVS DECIMVSTERTIVS,

Continens Scriptores ab ann. Chriſti 700. ad ann. 800.



LVGDVNI,
Apud ANISSONIOS.
M. DC. LXXVII.
ÇVM APPROBATIONIBVS, ET SVPERIORVM PERMISSV.

SERIES AVTHORVM, ET OPVSCVLORVM, QVÆ HOC SÆCVLO OCTAVO ſeu TOMO XIII. BIBLIOTHECÆ MAXIMÆ VETERVM PATRVM comprehenduntur.

ALTHELMVS, vel ut alij legunt ADEHELMVS, ſive ADELMVS *Schireburgenſis apud Occidentales Saxones in Anglia Epiſcopus*; ſcripſit diverſa Opuſcula, quæ enumerant Trithemius, Poſſevinus & alij; ex quibus extant fol.1. De laude Virginum carmine heroico Lib. unus; De octo principalibus vitiis eodem carminis genere liber unus, per Henricum Caniſium ex Monaſterij ſancti Galli Bibliotheca editi. Poëtica nonnulla per Martinum Delrio S.I. edita extant fol.22. Ænigmatum liber fol 27. De laude Virginitatis, ſoluta Oratione, liber unus fol.30. Vide plura de eo apud Pirſeum de Scriptoribus Angliæ.

S. GERMANVS *Conſtantinopolitanus Patriarcha* vixit temporibus Leonis Iſaurici, à quo ob cultum Sanctarum imaginum depoſitus, & in exilium actus, nonagenario major mortuus eſt, die 12 Maij anni circiter 740. Scripſit multa ex quibus nunc extant folio 51 Theoria rerum Eccleſiaſticarum. Fragmentum aliquod contra hæreſes ad Anthimum folio 61. Quatuor Orationes in Deiparam Virginem Mariam Interprete P. Combefis O. P. fol.62. Sunt tamen viri docti qui pleraque ex jam recenſitis Opuſculis cum Gretſero atque Allatio tribuant Germano alteri juniori Patriarchæ C. P. Arſenij ſucceſſori, qui ſub Alexio Comneno floruit initio ſæculi 12. Vide de aliis ejus operibus P. Labbe S. I. tom.1. Diſſertationum in Bellarminum verbo Germanus Patriarcha C.P.

S. BONIFACIVS natione *Anglus*, *Archiepiſcopus Moguntinus* & *Martyr*, de quo multa Baronius tom.9. Annalium, ſcripſit Epiſtolas multas quæ unà cum Epiſtolis aliorum ad ipſum S. Bonifacium extant fol.70. Per Nicolaum Serrarium S. I. editæ & notis illuſtratæ. Ejus quoque ſtatuta quædam edita ſunt tom 9. Spicilegij Domni Lucæ Dachery O. B.

PAVLVS *Diaconus* ſcripſit diverſa Opuſcula, quæ recenſet Trithemius. Ex iis extant fol.160. De geſtis Longobardorum libri ſex. Hiſtoria Miſcella, de qua vide quæ ante illam prænotata ſunt ex Caniſio, fol.200. Libellus de Epiſcopis Metenſibus ibid. fol.329. De aliis operibus ejuſdem Pauli, vide Labbe S. I. tom.2 in Bellarminum, verbo Paulus Diaconus, & præcipuè in appendice ad eundem tomum. Vide etiam in Supplemento hujus Bibliothecæ ſeu tom.27. fol.484. verbo, Paulus Diaconus,, &c.

MARCVS *Epiſcopus Idruntis* floruit ut vult Coccius anno Chriſti 750, ſcripſit hymnum in magnum Sabbathum, qui extat fol.333.

ANASTASIVS *Abbas*, diverſus ab Anaſtaſio Sinaita, quem Henricus Caniſius ſuſpicatur illum eſſe, cujus meminit Damaſcenus initio libri de Triſagio, &

Baronius anno Chriſti 479, ſcripſit librum contra Judæos, qui ab Henrico Caniſio editus extat fol.333.

INCERTI cujuſdam Authoris, qui videtur vixiſſe circa tempora Damaſceni, Collectanea contra Severianos, à Caniſio edita extant fol.349

ETHERIVS *Vxamenſis in Hiſpania Epiſcopus*, & BEATVS *Presbyter*; ſcripſerunt adverſus Elipandum Archiepiſcopum Toletanum libros duos, qui à Petro Steuartio Profeſſore Ingolſtadenſi editi extant fol. 353, de quibus vide initio prænotata, & quæ tam de Etherio quam de Beato habentur in Martyrologio Hiſpanico ad diem 19 & ad 25 Februarij.

AMBROSIVS *Autpertus*, ſive *Ansbertus*, *Monachus Ordinis S. Benedicti*, ac deinde *Abbas Monaſterij S. Vincentij ad Fontes Vulturni fluvij in Samnio ſiti*, qui floruit tempore Deſiderij Longobardorum regis, (id eſt anno circiter 770) ut ipſemet loquitur ad calcem ſui operis, & ut ex Paulo Diacono libro ſexto de Geſtis Longobardorum cap.40 diſcimus, necnon ex Chronico S. Vincentij de Vulturno, cujus excerpta publicavit Ducheſnius tom.3, in quibus dicitur obiiſſe Autpertus anno Chriſti 778 Indictione 2, & in Beati Petri Eccleſia digno ſepulchro locatus, cum Abbatiam illam rexiſſet anno uno menſibus duobus & diebus 25. ſcripſit diverſa opuſcula ut author eſt Trithemius & Sigebertus, ex quibus extant Commentaria in Apocalypſim diſtincta in libros decem fol.403, quod opus propter facilitatem ipſum intelligendi ſpeculum parvulorum vocavit.

ORDO ROMANVS de divinis Catholicæ Eccleſiæ officiis, quem octavo ſæculo ſcriptum eſſe exiſtimant Melchior Hittorpius & Jodocus Coccius, extat fol.639, cui in fine adjungitur Expoſitio Miſſæ tranſcripta ex venerandæ vetuſtatis codicibus. Item qualiter quædam orationes & cruces in *Te igitur* agendæ ſint.

ANONYMI narratio de miraculo ad venerandam Domini noſtri Jeſu Chriſti imaginem facto. Extat fol.750. ex editione P.Combefis O. P. vide initio prænotata.

ANONYMI alterius narratio de miraculo quod contigit tempore quo Perſæ Vrbem Conſtantinopolitanam obſederunt, beatâ interim Dei genitrice illam incolumen conſervante, fol.752. Interprete P. Combefis O. P.

BIBLIO

BIBLIOTHECÆ VETERVM PATRVM ET SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM,

Seculum Octauum.

S. ALTHELMI SCHIREBVRNENSIS apud Occidentales Saxones Epiſcopi.

LIBRI DVO CARMINE DESCRIPTI:

PRIMVS De laude Virginum.
ALTER De octo principalibus vitiis.

Nunc primum ex membranis m. ſ. celeberrimi Monaſterij S. Galli editi.

AD LECTOREM.

VENERABILIS Beda *lib. 5. hiſtor. Angl. cap 19.* Anno Dominicæ incarnationis ſeptingenteſimo quinto, Rex Nordan Humbrorum, defunctus eſt, cui ſucceſſit in imperium filius Ofredus. Huius regni Antiſtes occidentalium Saxonum Heddi cœleſtem migrauit ad vitam. Quo defuncto Epiſcóparus prouinciæ illius in duas parochias diuiſus eſt, vna data eſt Danieli, altera Aldhelmo, cui annis quatuor ſtrenuiſſime præfuit; ambo & in rebus Eccleſiaſticis, & in ſcientia Scripturarum ſufficienter inſtructi. Denique Aldhelmus cum eſſet adhuc presbyter & Abbas Monaſterij, quod Maildui vrbem nominant, ſcripſit iubente Synodo ſuæ gentis, librum egregium aduerſus errorem Britonum, quo vel Paſcha non ſuo tempore celebrant, vel alia complura Eccleſiaſticæ caſtitati & paci contraria gerunt: multóſque eorum qui occidentalibus Saxonibus ſubditi erant Britones, ad Catholicam Dominici Paſchæ celebrationem huius lectione perduxit. Scripſit & de virginitate librum eximium, quem in exemplum Sedulij geminato opere, & verſibus hexametris, & proſa compoſuit. Scripſit & alia nonnulla, vtpote vir vndecunque doctiſſimus. Nam & ſermone nitidus, & Scripturarum (vt dixi) tam liberalium, quam Eccleſiaſticarum erat eruditione mirandus. *Hæc Beda. Qui plura ſcire volet de S. Aldhelmo, is legat Epitomen vitæ apud Sur. tom. 3. 25. Maij. Molanus in notis ad Vſuar. Martyrol. hæc ex Catalogo Britannico.* S. Eguinus (*ſunt qui Eugenium vocent*) VVicciorum Epiſcopus, ſeu, vt vocant, Vigorneníium, compoſuit vitam Aldhelmi Epiſcopi Schireburienſis, quæ nunc Saliſburia dicitur; obiit anno 716. Sanctus Oſmundus Neuſtrius, Epiſcopus Saliſburienſis, ſcripſit eiuſdem vitam; deceſſit anno 1099. Faritius Thuſcus victurus chartis commendauit Aldhelmi

A vitam. Claruiſſe fertur anno 1110. Et Guilhelmus Malmeſburiæ Benedictinus ſcri E
pſit vitam Aldhelmi Durotelli, ſeu Baldunij (Malmeſburiam oppidum nunc vo
cant) Epiſcopi Saliſburienſis, qui incipit : Beatus Aldhelmus Saxonica. *Hæc apud*
Molanum. Trithemius lib. 2. de viris illuſtr. ordin. S. Benedicti, cap 33. Aldhelmus Abbas
Maildubenſis in Sco[illegible], & poſtea Epiſcopus Occidentalium Saxonum ſub Cantua
rienſi Archiepiſcopo, vir deuotus & ſanctus, atque in diuinis Scripturis ſæcularibúſ-
que doctrinis valdè eruditus, proſa & carmine valentèr excellens : cum adhuc eſſet
Abbas, iubente Synodo gentis ſuæ, ſcripſit aduerſus errorem Britonum, quod vel
Paſcha ſuo tempore non celebrarent, vel alia plura agerent, paci & conſuetudini
Eccleſiæ contraria : quo volumine multos ad concordiam Eccleſiaſticæ vnionis re
duxit. Scripſit etiam inſigne volumen de Virginitate Sanctorum, metro lib. 2. &
quaſdam ad diuerſós Epiſtolas, &c. *quæ ibid. Trithem. quæque fuſius repetit lib. 1. de ſcript.*
Eccleſ. vbi iidem Adelmum vocat, quem alij Aldelmum, & Althelmum. Aldhelmus ipſe in fine
libri proſaici de laude Virginitatis promittit hoc carmen his verbis : Quemadmodum inta-
B ctam virginitatis gloriam rhetoricis relatibus fauorabiliter venerari nitebar, ſic iden- F
tidem, ſi hoc carneum animæ ergaſtulum, ante fatis, vt dicitur, crudeſcentibus, caſſa-
bundum non obicrit, ac dura Parcarum quies ac ferreus lethi ſomnus palpebrarum
conuolatus non tricauerit, hereicis Hexametrorum verſibus eiuſdem præconium
pudicitiæ ſubtiliter comere, Chriſto cooperante, conabor, & velut iactis iam rhe-
toricis fundamentis, ac conſtructis proſæ parietibus, cum tegulis trochaïcis, & da-
ctilicis tegularum imbricibus, firmiſſimum culmen cœleſti confiſus ſuffragio impo-
nam. *Hæc Aldhelmus. Qui item carmine ſcripſit ænigmata, quæ Martinus Delrius ſocietatis*
IESV, *vir eruditiſſimus publicauit, vna cum monoſticho, quod per coniecturam etiam S. Althel-*
mo tribuit : de qua tamen coniectura, quid ſentiam, dixi tom. 1. Antiquæ lectionis, in Appendice
fol. 2. Delrius teſtatur in eodem m.ſ. codice Leodicenſi extare hoc carmen :

De laude virginum & octeno calculo vitiorum,

C *(ſic enim appellari in calce operis) atque dicatum eſſe Maximæ Abbatiſſæ, præfatione illa, quæ in-*
cipit : Metrica tirones nunc promant carmina caſtos. Quod commodum monuit. Nam in noſtro G
m. ſ. Codice hæc præfatio, ſine vllo titulo, à reliquo carmine S. Althelmi ſeparata fuit, quibuſdam
aliis interiectis. Eſt autem huius præfationis acroſtichis, & teloſtichis, ſicut & primus & vltimus
verſus antiſtrephon : ita vt ſiue ſurſum ſiue deorſum & quocunque retrogrado ordine decurras,
ſemper hi duo verſus redeant, primus nempe & vltimus, qui & ipſi retrogradi ſunt. Et ad hoc
quadratum retrogradum alludens, ait :

Et laudem capiat quadrato carmine virgò.

Primæ enim literæ, ſi decurrendo perlegantur, efficiunt primum hunc verſum :

Metrica tirones nunc promant carmina caſtos.

qui verſus ſi antiſtrephon ſeu retrogradis literis legatur, dabit verſum vltimum :

Sotſac animrac tnamorp cnunſe norita cirtem.

quem item verſum ſiue aſcendendo ſiue deſcendendo, ſicut & primum : item & acroſtichin & te-
loſtichin decurras, ſemper exibit verſus antiſtrephon, mirabili ſanè euentu & ingenio : ſi quis ta-
D *men in his ingenium miratur; Ego miror laborem. De reciprocis huiuſmodi verſibus Sidonius lib 9.* H
epiſt. 14. Interrogas per pugillatorem, quos recurrentes aſſeram verſus, vt celer explicem, ſed ſub
exemplo. Si nimirum ſint recurrentes, qui metro ſtante, neque literis loco motis, vt ab exordio ad
terminum, ſic à fine releguntur ad ſummum. Sic eſt illud antiquum :

Roma tibi ſubito motibus ibit amor.

Sole medere pede, ede, perede melos.

Hæc Sidonius, & plura alia quibus varia antiſtrephonta exequitur. Publilius Optatianus Por-
phyrius (quem aliqui perperam pro illo impio Philoſopho Porphyrio acceperunt) in Panegyrico,
quem Conſtantino M. ſcripſit, vſque ad ſtuporem habet huiuſcemodi antiſtrephonta. Neque non
mirari poſſum Rabani de S. Cruce labores huius generis. Extant Fortunati tria eiuſcemodi acro-
ſtichidum laborioſiſſima ſchemata de S. Cruce, quæ doctiſſimus Brovverus primum publicauit.
Vide quæ de retrogradis notauit Matthæus Raderus in optimis commentariis in Martialem, lib. 2.
ep 86. Vide de S. Althelmo Baron. tom. 8. annal. & tom. 9. Item in notis ad Mart. Rom. 25. Maij.

A

S. ALTHELMI PRÆFATIO.

Ad Maximam Abbatiſſam.

METRICA TIRONES NVNC PROMANT CARMINA CASTO S
E t laudem capiat QVADRATO CARMINE virg O
T rinus in arce Deus, qui pollens ſecla creaui T
R egnator mundi, regnans in ſedibus alti S
I ndigno conferre mihi dignetur in æthr A
C um Sanctis requiem, quos laudo verſibus iſti C
A rbiter altithronus, qui ſeruat ſceptra ſupern A
T radidit his cœli per ludum ſcandere lime N
I nter Sanctorum cuneos, qui laude perenn I
R ite glorificant moderantem regna tonante M
O mnitenens Dominus, mundi formator & aucto R
N obis pauperibus confer ſuffragia cert A
B E t ne concedas trudendos hoſtibus iſtin C
S ed magis exiguos defendens dextera tanga T
N e prædo pellax cœlorum claudere lime N
V el Sanctos valeat noxarum fallere ſcen A
N e ſua ſtrophoſis toxicam detrudat in atra M
C onditor à ſummo quos Chriſtus ſeruat Olymp O
P aſtor ouile tuens ne poſſit tabula rapto R
R egales vaſtans caulas bis dicere pup pu P
O mnia ſed cuſtos defendat ouilia iam nun C
M AXIMA præcipuum quæ geſtas Numine nome N
A ddere præſidium mater dignare precat V
N am tu perpetuum promiſiſti lumine lume N
T itan quem clamant ſacro ſpiramine vate S
C uius per mundum iubar alto ſplendet ab æ E
A tque polos pariter replet vibramine fulme N
R ex Regum & Princeps populorum dictus ab æu O
M agnus de magno, de rerum regmine recto R
I llum nec terræ, nec poſſint cingere cœl I
N ec mare nauigerum ſpumoſo gurgite valla T
C A ut Zonæ mundi; quæ ſtipant æthera celſ A
C larorum vitam, qui caſtis moribus iſti C
A uxiliante Deo vernabant flore perenn I
S anctis aggrediar ſtudiis dicere paupe R
T anta tamen digne ſi pauper præmia proda T
O mnia cum nullus verbis explanet apert E
S OTSAC ANIMRACT NAMORP CNVNSENORITA CIRTE M

INCIPIT LIBER ALTHELMI DE LAVDE VIRGINVM.

OMnipotens genitor mundum ditione gubernans;
Lucida ſtelligeri qui condis culmina cœli,
Nec non telluris formas fundamina verbo:
Pallida purpureo pingis qui flore vireta:
Sic quoque fluctiuagi refrenas cærula ponti,
Mergere ne valeant terrarum littora lymphis,
D Sed tumidos frangunt fluctus obſtacula rupis:
Aruorum gelido qui cultus fonte rigabis,
Et ſegetum glumas nimboſis imbribus auges,
Qui latebras mundi geminato ſidere demis;
Nempe diem Titan, & noctem Cynthia comit.
Piſcibus æquoreos qui campos pinguibus ornas;
Squamigeras formans in glauco gurgite turmas:
Limpida præpetibus, ſic comples aera cateruis,
Garrula quæ roſtris reſonantes cantica pipant:
Atque creatorem diuerſa voce fatentur.
Da prius auxilium, clemens; vt carmina poſſim
Indita Sanctorum modulari geſta priorum:
Vt prius & proſa laudabat litera caſtos,
Sic modo heroicam ſtipulentur carmina laudem.
Vt * faſti ſeriem memini dixiſſe priorem,
Et dudum promſit voto ſpondente libellus.
Non rogo ruricolas verſus; & commata Muſis
Non peto Caſtalidas metrorum cantica Nymphas

* *m ſ. in marg. ad eſt libri.*

Quas dicunt Helicona iugum ſeruare ſupernum, E
Nec precor, vt Phœbus linguam ſermone loquacem
Dedat, quem Delo peperit Latona creatrix
Verſibus infandis nonum quem dicere dignor,
Vt quondam argutus fertur dixiſſe Poeta,
Pandite nunc Helicona Deæ, cantuſque mouete;
Sed potius cupiat precibus pulſare Tonantem,
Qui nobis placidi conferat oracula Verbi,
Verbum de verbo peto, hoc Pſalmiſta canebat,
Corde Patris genitum, quod proles vnica conſtat,
Quo pater omnipotens per mundum cuncta creauit.
Sic patris & prolis dignetur Spiritus almus
Auxilium fragili clementer dedere ſeruo.
Eſt namque in deitate manens ſubſtantia ſimplex;
In deitate manet, & ſubſiſtentia triplex,
Proprietas ergo credatur nomine trinu,
Maieſtas vero dicatur nomine ſimplo.
Namque fides cogit perſonas credere ternas.
Sed natura Dei, cæli præclara creatrix,
Omnia regnando diſpenſat ſecula ſimplex. F
En promiſſa nouo ſcribantur carmina verſu;
Garrula virgineas depromat pagina laudes,
Colaque cum pedibus pergant, & commoda ternis;
Dactylus excepto decurrat fine metrorum,
Spondæi quintam contemnat ſyllaba partem:
Vltima ſic trochei concludat litera verſum,
Extremus iugiter qui gaudet calce teneri.
Sic ternis pedibus properent epigrammata metri,
Nec tibi difficile prorſus quidquam arbitror eſſe,
Qui crebris vicibus naturæ iura relaxas,
Nam nobis rudibus veterum monumenta librorum
Vocibus humanis fantem teſtantur aſellam,
Garrula quæ pridem bombos à fauce rudebat,
Deuoraturus populum cum pergere vates
Vellet, & inſontem verborum ſternere telis.
Plus igitur conferre mihi te poſſe fatebor;
Quin me terrenam dignaris condere formam,
Et brutum inſpiras vitali flamine pectus;
Qui corda ingeniis ornas, & labra loquelis, G
Nec quidquam vt nullus ſermonum plectra reſoluat,
Et fidibus citharæ moduletur carmina Chriſto:
Si vero quiſquam chordarum reſpuit odas,
Et potiora cupit, quam pulſet pectine chordas!
Quis Pſalmiſta pius pſallebat canticus olim,
Ac mentem magno geſtit modulamine paſci.
Et cantu gracili refugit contentus adeſſe:
Maxima millenis auſcultans organa flabris,
Mulceat auditum ventoſis follibus iſte,
Quamlibet auratis fulgeſcant cætera capſis.
Quis poterit digne rerum myſteria noſſe,
Aut abſtruſa Dei gnaro cognoſcere ſenſu?
Torridus altaris ni ſumptus forcipe carbo,
Calculus ait ardens emundet ſpurca labella,
Quo Cherubin quondam purgauit labra Prophetæ,
Vt merito deinceps cœleſti famine flagrans
Egregius doctor Verbi cluſtella reſoluat,
Et noxas populi ſcripturæ torribus vrat,
Quatenus ad Chriſtum conuertat dogmate plures, H
Ruricolas mutans ad cœli regna phalanges.
Humani generis triplex diſtantia fertur,
Quæ modo per mundum triquadro cardine degit,
Et ſtudet in terris mercari regna Tonantis.
Denique nonnullos ſortitur vita iugalis,
Qui recte viuunt conceſſa lege tororum,
Et præcepta Dei toto conamine mentis
Conſeruare ſtudent thalami ſub iure manentes.
Poſtæc caſtorum gradus alter, & ordo ſecundus
Subſequitur: nupti, qui iam connubia ſpernunt,
Ac indulta ſibi ſcindunt retinacula luxus,
Lurida linquentes ſpurcæ conſortia carnis,
Vt * caſtis proprium conſcruent moribus æuum:
Dum complexa prius thalamorum vincula rumpunt.
Tertia virgineis fulgeſcit vita lucernis,
Cuius præcellit prælatos infula titus.
Mundani luxus calcans ludibria falſa

A
Virginitas ſummo virtutum vertice * paret,
Dum ſoror Angelicæ conſtet caſtiſſima vitæ:
In qua non regnat fallax petulantia ſæcli:
Sed potius certat carnem frenare rebellem,
Spiritus, vt terras poſſit compeſcere noxas,
Et facious ſcelerum ſuperans explodat * inorme,
Quæ plerunque ſolent ferratas vincere mentes:
Quamlibet exiſtant prædura cotis adinſtar.
His igitur gradibus pandit regnator olympi
Aulæ cœleſtis valuas, & limina vitæ:
Quos numero ſupra * ternos iam diximus ante.
His quoque fœcundas largitur ſemine fruges,
Quas pia perpetui prædixit gloria regni,
Gliſcere ſulcati per ſqualida iugera ruris,
Sanctis centenos meritorum iure maniplos,
Virginibus iugiter fecunda ſorte ſpopondit,
Qui falſas mundi contemnunt pectore pompas:
Fœtida calcantes ſpurcæ contagia carnis.
B
At vero decies ſenas de ceſpites ruris
Fruges deprompſit cœlorum gaudia Chriſtus,
Quos proprie caſti carpunt de rore maniplos,
Qui modo diſrumpunt conoubia nexa thororum,
Et demuot proprias deuota mente lecebras,
Mundanæ licita ſpernentes gaudia pompæ.
Sic demum decies metens ex æquore garbas,
Ternas accipiet, qui vincla iugalia nectit,
Nec penitus calcat licitæ commercia vitæ:
Sed magis in mundo ſobolem generare nepotum,
Progeniemque libens exoptat gignere ſtirpis.
Quapropter cuncti quos flammat cura pudoris,
Et quorum integritatis amor præcordia pungit
Spiritus, ac caſta coniungunt fœdera carnis:
Dum diuina docet duplam ſententia vitam.
Corporeis nam anima præfertur geſtibus alma,
Idcirco iugiter mentis monarchia regnet,
Vt non inſultent animam phantaſmata carnis,
Nec vincat dominam ſtolido vernacula geſtu;
Aut vnquam regnet contemptu ſerua ſuperbo.
C
Nunc igitur raros decerpant carmina flores,
E quis Virgineas valeant fabricare coronas;
Quid, plus cœlicolas iuuat in certamine noſtro,
Quam integritatis amor regnans in pectore puro?
Namque pudicitiæ ſuperos præconia paſcunt:
Cui licet in terris, ſtirpis generamina ſurgant,
Attamen in cœlis virtutum culmina ſcandit,
Virginitas caſtam ſeruans ſine crimine carnem,
Cætera virtutum vincit præconia laude;
Spiritus altithroni templum ſibi vindicat almus.
Taliter immunis flagrat ſi corde voluntas:
Sanctus Apoſtolicæ cecinit dum ſermo loquelæ:
Neſcitis quod templa Dei ſint ilia veſtra.
Spiritus in vobis habitat iam iure Tonantis:
Quæ temerare nefas eſt, & maculare piaclum.
Virginitas fulget lucens, vt gemma coronæ,
Quæ caput æterni præcingit ſtemmate regis;
Hæc calcat pedibus ſpurcæ conſortia vitæ:
Funditus extirpans petulantis gaudia carnis.
D
Auri materiem fului, obrizúmque metallum
Ex quibus ornatur præſentis machina mundi,
Glarea de gremio producit ſordida terræ.
Sic caſta integritas auri flauentis imago
Gignitur è ſpurca terreni carne parentis.
Vt roſa puniceo tincturas murice cunctas
Coccineóſque ſimul præcellit rubea colores.
Pallida purpureas vt gignit glarea gemmas,
Puluerulenta tegit quas ſpurci glebula ruris:
Vt flos flaueſcens ſcandit de cortice corni
Tempore vernali, dum promit germina tellus:
Dactylus vt dulcis frondenti vertice palmæ
Truditur & ſicco præſtabit ſtipite prolem:
Vnio de concha vt ponti ſordente niteſcens
Naſcitur, & proprio matrem præcellit honore;
Squalidus vt ſablo ſpreti ſub ceſpite ruris,
Bractea flauentis depromit fila metalli.
Vt bino ſena claudam paradigmata verſu:

Sic ſacra Virginitas cœlorum grata colonis
Corpore de ſpurco ſumit primordia vitæ.
E
Vinea frugiferis vt conſtat gloria campis,
Pampinus immenſos dum gignit palmite botros,
Vinitor exſpoliat frondentes falcibus antes:
Sidera præclaro cedunt vt lumine Soli,
Luſtrat dum terras obliquo tramite Titan,
Cuncta ſupernorum conuincens aſtra polorum:
Sic quoque Virginitas quæ ſanctos indita comit,
Omnia ſanctorum tranſcendens præmia ſupplex,
Integritas quoque virtutum regina vocatur.
Iungitur angelicis cum caſta ſponte maniplis,
Hæc, inquam, virtus cœleſti munere pollens,
Aurea flammigeris præſtat crepundia gemmis.
Virginitas fulget velut rubea purpura regum,
Qua regnatores funguntur iure togati
Integritas animæ regnans in corpore caſto
Flos eſt virgineus, qui neſcit damna ſenectæ.
F
Nec cadit in terram ceu fronde liguſtra * fatiſcunt.
Cernite fecundis vt vernent lilia ſulcis,
Et roſa ſanguineo per dumos flore rubeſcat.
Ex quibus ornatus qui vincit forte palæſtris,
Accipit in circo victor certamine, ſerta.
Haud ſecus integritas deuicta carne rebelli,
Atque nefandorum proſtratis ſtrage cateruis,
Pulchras geſtabit Chriſto regnante coronas.
Quamuis integritas ornetur laude metrorum,
Atque pudicorum crebreſcat vita per æuum.
Non tamen æterno fraudantur munere Chriſti,
Qui conceſſa colunt licitæ connubia vitæ,
Non ergo argenti ſqualeſcit ſpreta libella,
Vncia bis ſenis quam penſat lancibus æqua,
Quamuis auratis præcellat, fibula pullis:
Amplius aut certè flaueſcant petala fulua.
Nec laterna tibi vileſcat vitrea, virgo,
Tergore vel * raſſo, & lignis compacta ſalignis,
Seu membranarum tenui velamine facta,
Quam libet ærata præcellat forte lucerna,
Aut furuas lichnus illuſtrans luce latebras.
G
Pallida nec Lunæ ſpernantur lumina noctu,
Cœrula dum fuſcat tenebris nox ſecula furuis
Plus licet ex centro Titan fibramina fundat:
Cum nimbi fugiunt, & feruet torridus æther,
Nec putei laticem & ſpernendum ducimus altum,
Antlia quem ſurſum ſolet exantlare ciſternis,
Quamuis præcipua præcellant flumina fontis,
Frigida quem gelidis progignit glarea lymphis.
Mergula nec penitus nigris contemnitur alis,
Ingluuiem ventris ſquamoſis piſcibus implens,
Garrulus aut etiam vileſcit graculus ater,
Qui ſegetum glumas, & læti ceſpitis occas
Depopulare ſtudet, carpens de meſſe maniplos:
Quamquam verſicolor flaueſcat penna pauonis,
Et teretes rutilent plus rubro murice cycli,
Cuius formoſa ſpecies, & fulua venuſtas
Omnia fabrorum porro molimina vincit.
Sic caro, mirandum fatu, pulueſcere neſcit,
H
Vt referunt nobis veterum documenta virorum;
Quod ſignum, & ſpecies eſt virginitatis amandæ,
Quæ calcare ſolet deuota mente nefandas
Spurcitias mundi ſpreta putredine carnis.
Punica * neu granis temnuntur mala rotundis,
Quæ circum ſimplo cortex velamine cingit.
Quanquam palmeti præcedant dulcia poma
Nectaris, & mellis mulſos imitantia guſtus.
Sic inquam integritas fama veneretur in æuum:
Vt tamen electos, qui nectunt fœdera nuptis,
Et iuſte viuunt caſtorum iure thororum,
Carpere non cupiat ſcrophoſo pagina rictu:
Præſertim antiquæ cum narrat litera legis,
Illuſtrem Patres vitam duxiſſe priores,
Qui ventura Dei prompſerunt flamine ſancto
Dona ſalutaris dum Chriſtus ſecla beauit.
Helias vates, quem * terna volumina regum
Inſignem memorant virtutum ternia fretum,

Marginal notes: * al. ſororum. — * enorme. ſor. à leg. vt ap. Hor. in Sat. — * al. terno. — * m. ſ. faleſcunt. — * ſ. raſo. — * Helias * m. ſ. gloſſa tot. incorporata non in margine quatuor.

A Virgo ſacer fuerat fama per ſæcula notus.
Plurima quapropter terris miracula geſſit,
Atque arcana Dei verbis oracula prompſit,
Quæ ſeries libri promulgat famine claro.
Nam geminos quondam cœleſti fulmine fretus,
Iuſſerat arſuros flammas perferre focorum,
Penticotarchos atque viros, ad funera centum
Truſerat implentes pariter præcepta tyranni.
Quique quater denis, & binis menſibus actis,
Aſtriferum clauſit quadrato cardine cœlum,
Aridus vt nullis roraret nubibus æther,
Atque negarentur latices morientibus herbis,
Nec ſitiens pratum caperet nutrimina lymphæ.
Tunc iterum nutu nimborum obſtacula rupit,
Vt fluerent imbres vbertim ex æthere furuo,
*m. ſ gleſceret. * Gliſceret & rurſus fœcundo germine tellus,
Pabula denſa ferens vulgo vernantibus aruis.
Arbiter æternos quem iuſſit ſcandere bigis
Aurea cœlorum penetrantem culmina vatem
B Soſpes qui nunquam ſenſit diſcrimina mortis.
Cætera per mundum ceu geſſit turba parentum,
Atque futurorum geſtura eſt turba nepotum,
Sed manet in templis paradiſi hactenus heros.
Henoch. Heliam colit, vt ſuperis in ſedibus Henoch,
Quem rapuit quondam diuina potentia cœli,
Lurida ne mundi pateretur damna nefandi.
Idcirco ſimul ad belli certamina cruda
Contra Antichriſtum geſtant vexilla Tonantis.
Omnia de nigris ſurgent cum corpora buſtis
Clauſæ per campos & tumbæ ſponte pateſcunt,
ſ. ſalpinx. Dum * ſalpix crepat, & clangit vox clara tubarum,
Aduentante Deo, qui cunctis præmia penſat,
Seu pia perfectis, ſeu certe ſæua profanis,
1. Heliſ. Sic quoque famoſis decorauit ſæcula ſignis
Virgineo flagrans Heliſeus flore Propheta.
Aurea hunc bombis naſcentem bucula vatem
Signauit, quoniam deſtruxit ſacra Deorum:
Munere quem duplo ditabat Spiritus almus:
C Lauta ſupernarum qui confert munia rerum,
Singula perſanctas cumulans chariſmata mentes;
Excitat horrenda conſtrictum morte cadauer,
Quamuis iam lethi ſopitum forte fuiſſet,
Aſt pueros ſtolidos, ſanctum qui carpere vatem
Et laniare ſtudent bomboſa voce frementes
Tradidit vrſorum mandendos rictibus vltro,
Caluitiem capitis ſcurrarum more loquentes.
Sic Deus horrifera Sanctos vlciſcitur ira,
Et merito plectit peccantes verbere ſæuo.
2. Hier. Hieremias bino pollebat munere clarus,
Quamlibet innumeris eſſet ditiſſimus heros
Virtutum donis, quas Chriſti gratia confert.
Hunc pia virginitas ornabat flore pudoris,
Sed tamen, vt dixi, duo maxima munia conſtant,
Integris rurum ſeruantem legibus æuum:
Atque ſuperna Dei vatem præſagmina ditem,
Cœlitus implebant, vt noſſet clauſa latebris,
Et reſerare poli poſſet penetralia ſenſu:
Quem Devs ex vteri ſacrauit matrice mundum
D Ante præſentis quam noſſet lumina vitæ,
Vt foret affatim promens oracula vatis:
De quo cœleſtis fatur ſententia patris
Quod dudum, quam naſcatur de viſcere matris,
Sactificaretur præſtanti munere virgo.
Mittitur interea mox vaticinare Propheta,
Dæmonis vt regnum, nec non & ſceptra tyranni
Diruat in mundo fretus virtute Tonantis,
Et regnum cœli deſtructa fraude maligni,
Ædificet, planteteque, reſtaurans ſceptra polorum.
Conſpicit & geminas vernanti culmine virgas,
Quæ ſignant ſpeciem populorum forte duorum:
Nec non & totidem corbes ex ordine cernit:
Sed tamen æquiparans interpretatio plebes
ſ. Portendit. * Protendit geminas per ſacramenta vetuſtas.
Scriptorum veterum liquido monumenta teſtantur,
3. Dan. Quod Daniel ſemper virgo floreſceret almus,
Qui nobis normam ſacratæ virginitatis E
Imbuit, & ſpeculum vitæ monſtrauit alumnis.
Certius idcirco promulgat tempora Chriſti
Omnibus antiquis præſaga voce Prophetis,
Annorum numeros, explanans ordine recto
Nantiat in mundo noſtri cunabula regis,
Iam quadringentis annorum curſibus, atque
Bis nouem ſcribens ætatum luſtra fuiſſe,
Donec proditet Chriſtus regnator in orbem.
Porro diſſeruit verax ſermone futura:
Quatuor in mundo regnorum ſurgere ſceptra,
Vt prius in ſtrato truculentus imaginis altæ
Diuerſis vidit tam * præſagire metallis. *m. ſ præſagare.*
Denique frondoſo regnator ſtipi.. robur
Imperio fretus vidit de ceſpite creſcens,
Cuius tangebant præcelſa cacumina nimbos,
Et ſub qua volucrum turmæ, & genus omne ferarum,
Dulcia de ramis carpunt alimenta ciborum,
Arbore ſed procera ſignatum iure tyrannum.
Mox intellexit præſago pectore vatis, F
Cuius cœleſtis continuit ſceptra poteſtas,
Tempora torquerent donec ſeptena ſuperbum,
Vt merito fugiens dumoſis ſaltibus erret.
Et dum deſpexit terrentis flagra tonantis,
Squalidus hirſutus peteret myrteta luporum,
Quadrupedum ſocius factus ſine mente tyrannus.
Hic quoque deſtruxit Beli delubra nefandi,
Flaminibus ſcelerum mortis diſcrimina pulſis
Atque ſacerdotes populo ſub fraude ſacelli.
Tempore ſic alio vincens virtute draconem
Horrendus atram iactabat faucibus offam,
Dum glutit piceam crudelis beſtia maſſam,
Ilico rumpuntur multatæ viſcera belluæ.
Hunc Devs horrenda ſemper tutatur ab ira,
Quamlibet expertus toleret tormenta malorum
Denique non trepidat fretus cœleſtibus armis,
Sæuos * beluarum rictus, morſuſque leonum, *m. beluarum.*
Quamuis incluſus ſæuis tortoribus eſſet,
Egregius vates foueam retruſus in atram.
Virginitas caſtum ſic ſeruet ſemper amicum, G
Terrica contemnens millenis damna periclis.
Sic quoque virgineis redolentes floribus olim *4. Tres pueri.*
Tres pueri pariter ſeruarunt iura pudoris,
Aurea ſpernentes ſtolidi ſimulacra tyranni.
Qui turmas vulgi ſurdum, mutumque metallum
Imperio terrente iubet venerarier omnes:
Cum tuba rauciſonis reboat clangoribus alte;
Fiſtula cum citharis reclamans æthera pulſat,
Sambuca ſalpicibus reſpondet muſica crebris:
Vt genibus flexis &, curuo poplite plebes,
Aurea per campos orarent idola regis.
Sed tamen Hebræa ſpernens ludibria pubes
Cernua non flectit ſimulacris colla nefandis:
Inſpirus idcirco fornacis torre ornatur
Puberibus caſtis vt cultum ſuggerat ardor,
Dum furibunda pios nodarent vincla lacertos,
Extemplo nexus combuſſit flamma feroces,
Sed ſacra ſanctorum non quibat membra cremare, H
O mirum dictu! pueros quod flamma camini.
Torribus innocuis diro ſub carcere coxit.
Verum virginitas ſpreuit tormenta * rogorum, *gl. ſtatur ad marg. pyrarum.*
Scintillante fide dum feruent corda virorum,
Angelus ignicomis nam ſanctus ſcandit ab aſtris,
Torrida cum gelidis ſedans incendia flabris.
Carbonumque globos extinguens imbre ſuperno.
Sed priſcos tantum cur Patres pagina prodat, *5. Ioann. Baptiſt.*
Limpida quos celebrant veterum monumenta librorum
Cum rudis antiquam præcellat gratia legem,
Saluator clemens quia ſæcula cuncta beauit?
Virginibus vates tum primo exempla Ioannes
Edidit affatim ſacro ſpiramine plenus,
Qui Dominum * obtruſus ſenſit genitricis ab aluo *ſ. abſtruſus.*
Pignus cœlorum terris geſtante Maria.
Hic erat in ſaltu ſiluestria pabula mellis,
Atque locuſtarum mandens corpuſcula frugi

A Cætera nec terræ contempſit fercula pompæ.
Hunc Gabriel patri ſanctus prædixerat ante,
Dextris altaris promens oracula vati,
Thuribulum aurato cum ferret forte * ſacello. *m. ſ. ſacello forſitàn ſacerdoti.
Sed cum forte foret felix præcurſor adultus,
Atque prophetali iam maturefceret æuo,
Prædicat aduentum Chriſti paranymphus in orbe,
Plures conuertens ſacro ſermone cateruas.
Namque ſaluiferum mundus Baptiſta Tonantem
Diluit æquoreis mergens in gurgite lymphis.
Accipit inde latex mox munera ſacra ſalutis,
Plurima quadratum quæ nunc ſparguntur in orbem,
Dum populi paſſim baptiſmi dona capeſſunt.
Sic fulſit felix virgo Baptiſta Ioannes,
Nuntius & Domini dictus præcurſor in æuum.
Quem genuit ſero patris veneranda propago,
Quamuis fœcundo caruiſſet corpore mater,
B Iam dudum & ſterili matris algeſceret aluo.
Nullus erat potior muliebri viſcere natus
Ni medicus mundi, proles generata Tonantis,
Idcirco mundus mundum ſine labe piacli
Abluit, & laticis Chriſtum ſub flumine tinxit.
Humida fluctiuagis ſacrantem cærula ponti,
Fontibus & vitreis donantem munera paſtis
Dum veteri redeunt iterum ad cunabula vitæ.
Tunc linquente Deo torrentum marmora glauca,
Ac ripas luſtrante piis cum paſſibus amnis
Alta ſupernorum patuerunt clauſtra polorum:
Æthera celſa tonant dum fatur Rector Olympi,
Compellans ſobolem verbo currente per æthram:
Hic eſt ecce meus dilectus filius, infit:
Quem mihi complacuit totum regnare per orbem.
Cœlitus ad Chriſtum deſcendit ſpiritus almus
Præpetis adueniens iam per ſimulacra columbæ.
Hæc auis idcirco confertur flamine ſacro
Sola caret quoniam crudelis felle veneni,
C Cætera quarum ingens ſtomachatur turma volucrum,
Mitia ſed geſtat candeſcens ilia præpes.
Plurima pro Chriſto patiens tormenta propheta
Carceris illuuiem, & furuas ſine luce latebras
Pertulit atrocis damnans connubia regis,
Qui conſanguinei diſrupit fœdera fratris,
Germani thalamum inceſtans ſine iure thororum.
Acriter idcirco compeſcit voce tyrannum:
Non metuens furibunda necis tormenta nefandæ:
Protinus effuſo rubuerunt ſanguine lances,
Dum caput * abſciſſum populi ad conuiuia vectant, *ſic m. ſ. ſcribit.
Quod regina ferox per natam fraude popoſcit
Scenica virgineo monſtrantem ludicra ſaltu.
Sic igitur Chriſtum ſignauit ſanguinis oſtro,
Horrendum ..... medicantem vulnere vulnus,
Dum crucis in patulo ſuſpenſum ſtipite pœnas
Cogeret inſontem violentia ferre reorum.
Sed tamen optatam ſenſerunt ſæcla ſalutem
Dum Deus ad Herebi vagas deſcenderet vmbras,
D Ferrea vectiferæ fracturus limina valuæ
Ærea portarum quaſſauit clauſtra terrarum
Vt Pſalmiſta prius præſaga voce canebat.
Paſſurum mundi promens In calce tonantem.
6. S. Ioannes Euang. Promere nunc nitor ſacrum ſermone Ioannem,
Qui fuit accubitor Chriſto gratiſſimus almo,
Pectore de ſacro ſorbebat flumina doctor:
Imbribus æternis ſitiens ingurgitat aluum:
Florida qui caſte ſeruauit tempora vitæ,
Horreſcens penitus falſæ commercia carnis.
Plurimus idcirco deuulgans ſemina famæ
Virtutum rumor latum crebreſcit in orbem.
Non igitur ſpeciem per ſingula ſermo retexit,
Sed genus explanat ſalebroſo pagina verſu.
Suſcitat interea ſopita cadauera letho,
Quæ gelidæ strictim nodabant vincula mortis,
* Dedidit obtutum cæcorum lumina tangens, *m. ſ. dedit.
Claudos firmatis mox iuſſit pergere plantis:
Harmoniam ſurdi ſumpſerunt aure ſonoram;
Nec non & muti ſoluebant labra loquelis.

Sanatis manibus conceſſit viuere mancos: E
Atra venenorum non ſenſit damna nigrorum:
Quamuis lethiferos ſorberet faucibus hauſtus.
Sic legimus priſco vulgatum tempore Saulum,
Imperiis procerum qui Chriſti dogmata * tempſit. 7. S. Paulus *m. ſ. deſpexit mendoſè.
Alma beatorum contorquens membra virorum,
Dum priſcæ voluit legis regnare latebras,
Et Chriſto patrios veterum præponere ritus.
Vertitur interea mutato nomine ſanctus
Paulus Apoſtolicæ meruit præconia famæ,
Infula virgineo * quem floret ſacra pudore, *f. cui.
Quamuis dudum iam damnaret carcere tetro
Membra cateruarum ſeruantûm fœdera Chriſti.
Sed Devs excelſus qui mutat corda reorum,
Traxit ouem egregiam ſæua de fauce luporum,
Qui plerunque tetros furua nigredine coruos
Veſtit io albentes glauco ſine felle columbas;
Dum ſceleratorum clementer crimina laxat, F
Candida virtutum concedens dona ſacrarum.
Quem pater ingeminans alta bis clamat ab arce,
Tunc ruit in faciem proſtrato poplite Pavlvs,
Stipatus tenebris, & clari luminis expers,
Quamuis cæcatus ſentiret damna pupillæ:
Aſt tamen è cœlo vidit fulgeſcere Solem,
Pectora qui ſemper luſtrauit luce ſerena.
Hic erat egregius doctor mundique magiſter,
Barbara conuertens doctrinis agmina ſacris.
Quadrupedis vituli Lucas formatus ad inſtar, 8. S. Lucas.
Lucida diuino ſcripſit qui dogmata libro,
Septuaginta patrum ſcribens & nomina ſeptem,
E quibus omnipotens regnorum gloria Chriſtus
Gignitur, & noſtræ ſumpſit cunabula carnis.
Quem ſacra virgineis ornabant ſerta coronis,
Quatuor & decies cum ſeptem degeret annos,
Progeniem Domini narrans ab origine prima.
Dum Chaos abſtruſum, & torpens confuſio rerum G
Tetrica terrificis rexiſſet ſæcla latebris,
Theſauroſque poli reſeraret claue paternos:
Donec quadrati præpollens conditor orbis,
Florida ſub nimbis formaſſet ſæcla ſupernis.
Hic medicus dudum ſanabat vulnera carnis,
Putrida fibrarum procurans vlcera fotu.
Vberius deinceps animarum crimina ſontum,
Et ſcelerum facinus, quæ mentis vulnera patrant,
Diſcipulus Pauli ſcripturæ dogmate dempſit.
Denique poſt mortem ſacratis oſſibus ornat
Sedem Auguſtorum, qua nunc monarchia mundi
Poſt Romæ imperium ſub cœli culmine regnat
Roma ſacerdotem Clementem tempore priſco 9. S. Clemens.
Edidit, & merito cui dat clementia nomen:
Quem Deus æthrali ditauit gratia gratis,
Dum ſe virgineo ſeruaret munere mundum
Hoc genuit pignus cœleſtis ſemine verbi:
Et baptizandi tribuit cunabula ſacra,
Petrus Apoſtolicæ qui culmen præſidet ædis.
Nam factum iugiter doctorem dogma docentem, H
Atque ſuperna Dei crebro præcepta ſerentem
Diſcipulus fidis deuotus paſſibus æquat.
Contigit idcirco longæuos forte parentes,
Et proprios pariter germanos viſere fratres,
Quos Petrus Chriſti clarus piſcator in orbe
Retibus angelicis raptos ex æquore mundi
Secum felices ad cœli ſidera vexit.
Tempore quo clarus fulſit regnator in orbe 10. S. Syluester.
Cui Conſtantinus cenſebant ſæcula nomen:
Sylueſter Romana degebat Præſul in vrbe
Sanctus Apoſtolicæ qui rexit culmina ſedis.
Plurima hic fecit virtutum ſigna ſacerdos,
Quæ modo per mundum chartis inſerta leguntur.
Denique ſquamigerum vinxit virtute draconem
Fortia ferratis conſtringens vincla catenis:
Qui prius è crypta funeſtu flamine ſpirans,
Romani regni vexabat iure cateruas;
Dum contempſerunt Chriſto famulariet vnà;
Natricis horrendi cultum præſtare putantes:

A Sed cum ſtrinxiſſet belluam collaribus arctis
Morbida peſtiferi compeſcens flabra draconis,
Ciuibus exoritur mox exultatio lætis:
m. ſ. dilituit. Beſtia * delituit quæ pridem ſæuire ſolebat:
Idcirco ſtatim baptiſmi gratia fulgens
Cœlitus illuxit Romanis arcibus vt ſol.
Hic Conſtantini curauit lurida membra,
Horrida leproſis explodens vlcera ſquamis:
Dum regnatorem Chriſti ſub gurgite tinxit.
Quapropter Roma fregit delubra ſacelli
Priſca neſandorum contemnens fana Deorum,
Et potiora rudis ſectatur culmina templi,
Qua Saluatoris ſignata cruore coruſcant,
Perpetuoſque Dei produnt per ſæcla triumphos,
Sic mundum propriis ornabat moribus amplum,
Dum regem Romæ correxit dogmate Chriſti.
m. ſ. de dasculus. Porro conflictum geſſit * didaſcalus idem
Contra bis ſenos certantes arte Magiſtros,
Qui pignus mundi fallaci voce negabant.
B Dum mediatoris ſpernebant vota vocantis,
Lucida perpetuæ qui pandit lumina vitæ.
Quapropter cunctos fretus cœleſtibus armis
Vicerat extemplo voti certamine compos:
m. ſ. molossum. Ac velut aduerſus frendentes ore * moloſſos
Fruſtra qui ſuperas implent latratibus auras,
Ferrea ſcripturæ direxit ſpicula miles:
Dum conſternata mox omnes terga dederunt,
m. ſ. nicromans. Excepto Zambri, qui tunc * necromantica fretus,
Ignarum populum ſcrophoſa fraude fefellit,
Dum magus in taurum pellax ſine voce ſuſurrat,
Corruit in terram quadrupes ſpiracula linquens.
Vaſtus tum vulgi clamor ferit æthera nimbi.
Sed tamen intrepidus Dominum Syluester adorat,
Vt plebs quam Chriſtus precioſi ſanguinis oſtro
Reddidit immunem ſublata fraude maligni,
Tetro haud fallatur falſi phantaſmate Zambri.
Mox igitur tauri proſtratum morte cadauer
Suſcitat exſertis abſoluens vincula nodis,
C Et mitem armento fecit ſuccedere taurum.
Tunc populi paſſim clamabant voce Tonantem,
Laudantes Dominum cœperunt dicere grates,
Hic fuit, vt fertur, comes integritatis adeptus,
m. ſ. supernam. Donec * ſupremam claudebat tempore vitam.
Rex Conſtantinus quondam præſagia certa,
Atque futurarum rimatur ſomnia rerum
Culcitra dum plumis Auguſti ſterneret artus,
Cernens matronæ rugoſæ ſorte figuram
Vidit in cataſi deformem fronte vetuſta,
Cernua quæ graditur tremulis agitata lacertis.
Inſuper hanc mortis iam ſors multaret acerba,
Imperat illuſtris regni ſermone ſacerdos
Syluester Conſtantinum decrepita membra
Suſciret: vt vetulæ rurſus cum ſoſpite vita
Tunc Regis precibus ſurrexit bella puella,
Quam prius effigies turpabat torua ſenectæ.
Et licet ante ſitu torperet morte cadauer,
Fit tamen extemplo formoſa puerpera vultu:
Quam rex contemplatur ouans cum ſtemmate comit
D Tempora præcingens * aura flauente coronat,
f. auro. Et peplo chlamydis, nec non cycladibus ornat:
m. ſ. gestat. Vt regina * gerit rubicunda crepundia collo.
Talis erat ſpecies formoſæ Virginis alma.
Tunc Helena docens regem ſermone futura:
Sic ait Auguſto, depromens omina ſomni:
Hæc tua ſemper erit, lethi calceque carebit,
Vltima in diris cum flagrent ſæcula flammis.
Cumque tyro foret Auguſtus perterritus alto
Pallidus euigilat ſomni formidine captus.
Conglobat in cœtum diſertos arte ſophiſtas,
Gymnica qui iactant ventoſo dogmata fatu:
Quos rogat vt rerum ſibi fata latentia ſoluant,
Quæ dudum in ſtratis ſignant arcana futura;
Sed cum forte nihil ſtolido ſermone referrent:
Plurima ſed falſis finxiſſent friuola verbis:
Tunc rex frugales ieiunans caſtigat artus,

Atque dies ſeptem declinat fercula pompæ; E
A Chriſto Domino poſcens oracula pandi.
Nox ruit, & tetro mundum velamine vellat,
Nec non & furuis terram complectitur alis,
Tum ſopor in ſtrato regales occupat artus.
Cui ſyluester, ait, pandens myſteria rerum.
Femina, quam torua creuiſti luce vetuſtam,
Quæ tibi horrebat multum ſqualente ſenecta,
Vrbs eſt quam vulgo Byzanti nomine dicunt: *Eandem visionem refert Gunth. Pariſienſis in hiſt. Conſtantinop. cap. 16 supra fol. 37?*
Conſtantinopolis poſt hæc vocitetur in æuum:
Nomine nempe tuo geſtet per ſæcla triumphos.
In qua murorum præcelſa cacumina quondam,
Nunc proſtrata ſolo veteraſcunt arce ruenti
Mœnia marceſcunt, & propugnacula nutant,
Quæ quaſſat caries, & frangit feſſa vetuſtas.
Sed te conſeruare mea præcepta iubebo.
Cornipedis ſpina vectus per ſqualida rura,
Cuſpide vexilli ſcrobem ſulcare memento,
Labara ſic equitans per terram trudito dextra,
Quatuor infindens directo tramite ſulcos,
Per quos erectis caſtrorum turribus altis, F
Mœnia murorum reſtitues imbrice rubra:
In qua regnabit proles, proleſque nepotum,
Sicut regnabat Patrum numeroſa propago,
Quorum progenies, & aui glomerantur auorum.
Iam fuit Heſperiæ famoſus laude ſacerdos 11. *S. Ambroſius.*
Ambroſius Chriſti complens præcepta benigni
Spiritus, & caſtæ ſeruauit fœdera carnis,
Qui nomen gerit Ambroſiæ de nectare ductum:
Hic tener in cunis quondam dum paruulus eſſet:
Magna futurarum geſſit ſpectacula rerum.
Namque examen apum numeroſis forte caterui
Contexit faciem pueri, mirabile fatu:
Quæ licet horrenda ſtiparent labra cohorte,
Non tamen infantis ſenſit diſcrimina corpus.
Sic crebris vicibus replebant ora iacentis,
Atque catervatim rurſum remeare ſtudebant.
Poſthæc ætherios repetentes agmine nimbos
Viribus humanis certant abſcedere porro.
Hæc pater Ambroſius ſtupuit miracula cernens, G
A quo ſortitur nomen ſic inclyta proles.
Hoc nempe examen quo Sancti labra redundant,
Dulcia mulſorum portendit verba fauorum,
E quibus affatim dulceſcunt pectora plebis.
Lucida digeſſit venerandus opuſcula doctor,
Cum ratione pia pandens ab origine prima,
Qualiter hunc mundum ſumma prudentia Patris
Tempore præſentem tunc per bis terna dierum
Fecerit æterno diſponens ſæcula nutu.
Hæc inquam docuit ſermone crebro ſacerdos,
Plures perducens ad cœli regna phalanges.
Garrula Martini nunc prodat litera laudem, 12. *S. Martinus.*
Quam celebrat totus quadrato cardine mundus.
Hunc pater omnipotens nondum baptiſmate lotum
Nec balſamorum ſacris chriſmatibus vnctum,
Tempore nocturno cœleſti laude beauit,
Dum ſtipem * mancis, & peplum ferret egenis, *m. ſ. manſis.*
Chriſto deuotus cum iam * catechumenus eſſet. H *m. ſ. catacuminus.*
Quis vero ſtudeat diſerto famine fretus,
Omnia virtutum chartis deſcribere ſigna,
Quanta Deus dederit deuoto dona clienti?
Sæpe ſalutifero correxit dogmate pagos,
Vt ritus vellent magis extirpare nefandos,
Atque creatorem regnantem credere Chriſtum.
Nam paganorum deſtruxit fana profana,
Iure tyrannorum ſternens delubra reorum:
Et mox antiqui confracta fraude ſacelli
Fabricat altithroni venerandus templa ſacerdos.
Sic quoque famoſam frondenti ſtipite pirum,
* Qua proceres ſtolidi tunc turificare ſolebant. *cui ſoleri gi.*
Heu ſcelus, in verubus torrentes exta bidentum:
Diruit, vt populum non fallat cultibus error.
Surgere ter fecit defuncta cadauera letho,
Terrica terrentis dirumpens tartara mortis:
Nec non ægrotis impendens munia vitæ.

A Lurida debilium fomentat membra virorum.
Quamlibet expertus non eſſet vulnera ferri
Vnquam, nec rubro rotaret ſanguine martyr,
Aut etiam diris arſiſſet torribus ignis:
Attamen illuſtrem meruit confeſſio palmam:
Dum mens parata fuit mortis diſcrimina ferre.
Hic præſul iugiter permanſit virgo perennis
Donec ætheriam miles migraret in aulam,
Angelicis vectus cæli ad conuexa cateruis,
13. *S. Gregor. Nazianz.* Temporibus priſcis venerandos Græcia Patres
Edidit, ex quorum numero celeberrimus extat
Gregorius felix, fama ſuper æthera notus
Quem Deus edocuit mundam ſeruare pudorem
Corporis, & caſtæ coniungere fœdera mentis.
Tempore nam quodam geminas per ſomnia cernens
Virgineo vidit fulgentes flore puellas,
Quas ille aſpiciens torquis obtutibus horret,
Femineos quoniam non geſtit cernere vultus,
Tum Sanctum placidis compellant vocibus ambæ
B Ne, grauiter iuuenis deuotas ſperne puellas,
Neuque indignatus vultum contemne ſororum,
Dum tibi perpetuo fratris copulamur amore.
Nam nobis mundum tribuiſti in corde ſacellum,
Quo iocundantes ſemper lætabimur ambæ.
Frater amicitia nunquam fraudabere noſtra.
Altera virginitas fœcundo flore vocatur:
Altera geſtabit ſolers ſapientia nomen.
Et ſumus angelicis miſſæ de ſedibus ſithuc,
Vt tecum maneant noſtræ conſortia vitæ.
14. *S. Baſil.* Baſilius quondam doctorum maximos auctor
Condidit egregiam diuino dogmate legem:
A qua proceſſit liberæ normula vitæ,
m. ſ. libelli. Vergere quæ nullum laxat ſub pondere ſæuo,
Trutinat electos, ſed iuſtæ lance libellæ,
Vocibus alternis reddens oracula ſanctis
Qualiter ornetur verax concordia fratrum.
Et iuſtæ iugiter fulgeſcant fœdera mentis.
Nec non diſerto digeſſit famine librum,
C Prima * creatarum pandentem ſemina rerum,
m. ſ. creaturarum. Quoque potentatu quadratum conderet orbem,
Materiam mundi diſcernens ordine rector
m ſ. deuexi. Aurea * deuexi dum format ſidera cœli.
Hinc nobis oritur mundi naſcentis origo,
Cuderet vt ſummus rerum molimina princeps.
Hic ſe virgineum prodit ſeruaſſe pudorem,
Taliter affirmans profecto famine præſul.
Feminea præceps cognoui corpora nunquam,
Nec tetigi penitus muliebres turpiter artus.
Non tamen immunis vocitabor nomine virgo.
15. *S. Antoni.* Edidit inſignes tellus Memphitica patres,
m ſ. ſrata. Lucida perpetuæ mercantes munera vitæ.
E quorum numero pollebat ſorte beata
Nomine famoſo felix Antonius auctor,
Summa ſupernorum conquirens regna polorum.
Hic primus docuit cultores ordine ſanctos
Squalida per ſaltus peterent vt * rura locorum
In quis contemplatiuos decerpere fructus
Poſſent: & iugiter Domino famularier alto.
D Hic ioquam mouit cœlorum regna merentes,
Spernere delicias, & mundi linquere gazas:
m ſ. diuexa. Ardua ſectari, nec non * deuexa cauere
Dum calles gemini diſpari tramite tendunt:
Vnus in ætherios per cœli culmina campos;
Alter ſic Herebum luſtrat ſine fine profundum.
Cuius clarificam qui malunt noſcere vitam,
Qualibus in mundo ſignis effulſerit almus:
Quoque modo ſpurcas curarit corpore clades,
Dira ſalutifero reſtaurans vlcera fotu.
Qualiter vt medicus populorum peſtibus obſtans
Morbida ſanatis renouaret viſcera fibris,
16. Non pigeat prorſus ſeriem ſpectaſſe libelli,
S. Paulus Eremita. In quo ſcribuntur virtutes illius amplæ.
Haud ſecus & Paolus ſignis ſuper æthera notus,
m. ſ. ... unt. Omnibus & regnis * quæ luſtrant lumina Phœbi
Per deſerta fuit quo non præſtantior alter
Tendit ad æterna ſelix habitacula miles. E
Hunc gener infidus ſtrophoſo fallere geſtu
Moluit inſontem, diſrumpens fœdera pacis:
Idcirco fugiens quærit ſub rupe latebras,
Donec tortoris ſæui tormenta * fatiſcunt. *m. ſ. faeſcunt.*
Et rurſus placido lætetur tempore mundus:
Quem nutrit in crypta palmeti dactylus arcta,
Et fruitur foliis pro aprico tegmine pepli.
Nam ſitis ardorem demebat gurgite fontis,
Quem mox, vt genuit, telluris glarea glaucum
Rurſus in obliquum latices * effuderat, antrum, *m. ſ. effuderat.*
Aliger * tam præpes gracili nutrimine farris *ſ. hunc.*
Pauerat in ſpecu palmæ ſub frondibus altis;
Cui famulabantur ſpreta feritate leones,
Atque lupi * rapidos iuſſit miteſcere rictus: *ſ. rabidos*
Vixerat in terris cœleſti munere fretus,
Vndecies denos, & tres feliciter annos,
Tum demum ætherеis ſtipatus iure cateruis,
Iuit ad æterni caſtus conſortia regni,
Percepturus in excelſo noua gaudia victor.
Nec non eximia virtutum gratia fretus F
Plurima patrauit deſerto ſigna ſtupenda 17. *S. Hilarion.*
Hilarion felix famoſo nomine dictus,
Quem præſens crebro mundus rumore celebrat.
Dum cupidus geſtit normam æquiparare magiſtri,
Et ſimulare ſuam * perdicula patris. *In m. ſ. per deſiderabatur.*
Hic ſtricta corpus frenabat lege petulcum
Torrida laſciuæ demens incendia carnis.
Quique * titillantis ſpernit primordia luxus, *m ſ. titulantis, mendoſe.*
Prima iuuentutis calcans ludicra ſeuere
Claruit Ægypto, quod ſtrictum carmine pando.
Nam gipſum miſeros quod dudum faucibus atris
Sorbuit indigenas flammis combuſſit * enorme, *m ſ. inormem.*
Dum rogus ingenti lignorum fomite flagrans
Reptantem in prunas conſumpſit torre chelydrum.
Denique cum pelagi montanis fluctibus olim
Æquora per vitreos bulliſcent turbida campos,
Priſcaque turgeſcens non noſſet litora pontus,
Cœrula fluctiuagis ſed regnant molibus alta,
Dum proprias ſpernunt ſpumoſis fluctibus oras. G
Tunc omnes pariter glomerantes agmine denſo,
Contra fluſtra ſenem ſiſtebant turgida ſanctum.
Et fidum tremuli patronum tire rogabant,
Auxilium miſeris vt ferret ciuibus vltro.
Ille crucis pingens pariter ſignacula ſulcat,
Horridus in cumulum ſalſarum fluxus aquarum,
Concreuit porro ſurgens ad ſydera cœli,
Mox furibunda maris compreſſit cœrula ſæui.
Sic miles Chriſti frænabat marmora ponti,
Vt merito ſancti non vnquam fama * fatiſcat. *m. ſ. fateſcat.*
Sic quoque in Ægypto fertur vixiſſe Ioannes, 18. *S. Ioannes Eremita, Ægypt.*
Accola deſerti vitam ſine crimine ducens.
Qui ſtrictis proprium nodabat nexibus æuum,
Carne à laſciua vincens ergaſtula mentis,
Conſeruans geminum iuſto moderamine pondus,
Dum diuina docet duplam ſententia vitam,
Quam rector debet iuſta diſcernere lance,
Atque gubernandum carnis cognoſcere motum.
Hunc famoſa rudem replebat gratia vatem, H
Vt poſſet clauſas rerum reſerare latebras,
Clancula virginea pandens myſteria claue.
Tempore nam quodam per ſomnum femina ſenſit
Munere virtutum quam pleno præditus eſſet,
Scilicet optatam dum ſumpſit carne medelam.
Quamlibet ante gemens geſtaret corde querelam.
Imperium mundo florens, cum Roma teneret,
Atque gubernaret regnorum ſceptra per orbem,
Temporibus fauſtus Benedictus claruit iſdem, 19. *Benedictus.*
Quem Deus Aſconiæ clemens indulſerat auctor:
Vt populum Domini vadentem tramite recto
Ferret ad æterni ductor veſtigia regni:
Quem prius abſtruſus ſæuis anfractibus error
Traxit ad inferni torrentis tartara nigra.
Sæpe tyrannorum contriuit templa priorum;
Qui Dominum lucis tenebroſo corde negabant.

Mox

A Mox ibi defigens victricia ſigna ſalutis,
Sic miles Chriſti deuicto hoſte triumphat,
Baſilicam Domino reſtaurans æde renata.
Quis modus, aut numerus, vel certe calculus index
Explanare valet virtutes illius amplas,
Quæ modulum, & numerũ excedunt pro mole geſtorum.
Namque cadaueribus reddebat lumina functis,
Quæ gelidæ mortis per vim fortuna necarat.
Auditu ſurdos,& claudos greſſibus ornat.
Ægrotos vegetat membrorum viribus augens.
Dæmonis arma fugans, nec non & ſpicula frangens,
Hoſtibus exploſis reſtaurat ſaucia corda.
Nam capiſterium rimarum fragmine ruptum
Innouat, vt nutrix lacrymarum flumina fudit.
Peſtiferum calicem, qui mortis pocula cinxit,
Porrecta rupit dextra per ſigna ſalutis.
** m. ſ. prolapſum.* Sic etiam chalybem * prolapſam gurgite, Gothi
** certamine.* Ad proprios iterum iuſſit remeare lacertos.
Primo qui ſtatuit nouæ * certamina vitæ,
Qualiter optatam teneant cœnobia normam,
B Quoque modo propter directo tramite ſanctus,
Ad ſupera ſcandens cœlorum culmina cultor;
Cuius præclaram pandens ab origine vitam
Gregorius præſul chartis diſcripſerat olim,
Donec æthralem felix migraret in arcem.
Huius alumnorum numero glomerantur ouantes;
Quos geris in gremio fœcunda Britannia ciues,
A quo iam nobis baptiſmi gratia fluxit,
Atque magiſtrorum veneranda caterua cucurrit.
30. Quid memorem geminos * . . . . fœdere fratres,
S. Geruaſ. & Protaſ. Reddentes animas aſtris, & corpora terris.
** lacuna eſt in m. ſ.* Purpureo paſſum venerantes ſanguine Chriſtum,
ſed gemmato leg. Martyres effecti rubuerunt carne cruenta:
Quique vicem reddunt Domino,vt Pſalmiſta canebat:
Ecce ſalutarem calicem per pocula mortis
Accipiunt pariter pergentes tramite Chriſti:
Quos ſimul inuenit ſanctus monſtrante beato
Ambroſius Paulo pulſantes carne ſepulta
Saxea quadratis quos condit tumbula foſſis.
C Hos pia virginitas comebat flore ſuperno
Angelicis ſemper quæ conſtat cara cateruis:
Vnus Geruaſius, nec non Protaſius alter,
Imperio veterum ſortita vocabula geſtant.
31. Præſul erat quondam Narciſſus ſorte vocatus
S. Narciſſ. Virtutum meritis redolens, vt nomine florens,
Quem ſimul ornabat polleſcens munere duplo
Pontificatus apex cum Virginitatis honore,
Claruit idcirco celebri rumore per orbem,
Dum vitæ meritis fulcitur dogma loquelæ.
Nam fontis laticem oleo pingueſcere fecit;
** m. ſ. graſſ.. ſ. graſſis.* Et liquida * craſſis mutauit flumina guttis:
Denique cum tempus feſtis paſchalibus aptum
Annua Chriſticolis renouaret vota per orbem,
Quæ ſolet vberius Chriſti celebrare triumphos;
Cætera quam celebrent anni ſolemnia feſta,
Tunc oleum in vacua defecit lampade vitri,
Et lychnus fumans furuis obturpuit vmbris,
Pendula cum nulla flammaret luce lucerna.
D Mox fontana iubet Narciſſus flumina lymphæ
Fidens in Dominum,ſacros haurire miniſtros.
Et complere cauum cum glauco gurgite vitrum.
Funditur interea per cunctas vnda lucernas,
Sic exorcizans lychnos benedixit aquoſos.
Iamque latex lucens flammas paſcebat edaces;
Papirus in medio radiabat lumine centro
Clarius, & multo quam fomes pinguis oliui,
Aut certo in vitro ſplendens aruina *
** ſerrſa.* Mox vulgi * cuneus cernens miracula rerum,
** m. ſ. ſum…* In commune Deo grates,laudeſque frequentat.
** ſtrophis forte per ſtrophas.* Non tulit hanc fauſtam graſſator creſcere famam!
Qui genus humanum * ſtrophoſis * eludere certat.
** elidere m. ſ.* Concilium * glomerant cum trino teſte nefandum!
Qui ſcelus horrendum concinnat crimine falſo,
Præſulis vt famam ſerpentis dente laceſſant,
Atque venenata ſanctiui cum fraude ſugillent!

E quorum numero procedens primitus vnus, E
Quamuis iuraret, pellaci fraude fefellit. ** m. ſ. glomerant.*
Ignibus * ſic atris, & flammis fomite farſis ** ſ. h. e.*
* Conflagrem penitus, ſi fatu friuola fingam. ** m. ſ. confragem.*
Alter ſubſequitur, ſtrophoſam ferre querelam:
Taliter ad turmas infit cum voce procaci:
Sic mea non peteant regali corpora morbo,
Quod verum promit iurans ſententia factum.
Tertius eſt teſtis proferre pectore queſtus,
Et iuramenti nodoſis vincla catenis
Nititur imprudens verbis conſtringere falſis.
Sic mea non tenebris nigreſcant lumina furuis,
Glaucoma nec penitus lippos ſuffundat ocellos,
Adſertor verax ſi fingam famina falſa.
Propterea exilium voluit perferre ſacerdos,
Inuidiæ maculam fugiens declinat iniquam.
Sic pater in ſaltu fertur vixiſſe remotus,
Contemplatiuos carpens ſub monte maniplos;
Dum ſolus ſoli Chriſto famularier optat,
Lubrica fallentis conculcans gaudia ſæcli.
Mox igitur punit præfatos vitio teſtes: F
Qui Sacramentis concinnant friuola falſis, ** m. ſ. conflagrat.*
Et temerare ſtudent inſontem crimine vatem.
En, late torrenti teſtis * conflagrat iniquus,
Primus qui labris contorſit tela nefandis,
Præſulis vt vitam fuſcarent verba maligna.
Culmina celſa crepant ignitis vſta fauillis,
Atque propinquorum turmas combuſſerat ardor.
Sic quoque crudeſcens multabat pœna ſecundum;
Morbo regali plectendo lurida membra,
Donec putreſcens prodiret pectore flatus.
Tertius orbatus geminis ſub fronte feneſtris,
Limpida dum tenebris clauduntur lumina tetris.
Hic ergo aſpexit tremulus tormenta priorum,
Qualiter altithronus pellaces plecteret * aſtus, ** m. ſ. aſtus.*
Horrendi ſceleris ſcenam patefecit opacam.
Machina detegitur cæcis fruſtrata * ſtellis: ** ſ. legēd. ſuuelis.*
Et reus, in tantum lachrymarum flumina fudit;
Irrigat & falſis oculorum fontibus ora,
Donec ocellorum caruiſſet luce pupillæ.
Sic vindicta reos plectebat trina Tonantis, G
Vſque fugam vitæ cum mors bacchatur acerba.
Arbiter æternus dum ſontum crimina punit,
Alma ſacerdotis pandit præconia caſti.
Nec minus interea ſtupuit Memphitica tellus 32.
Rumores Patrum ſub cœli culmine claros: *S. Alexander & D. Athanaſ. Epiſcopi.*
E quis ortus erat felix Athanaſius olim,
Cuius Alexander ſanctiſſimus extitit altor.
A quo victus erat tortum qui ſchiſma docebat
Arrius infauſtus ventris dum viſcera fœda
Turpiter egeſſit ruptis extalibus ani,
Quæ caua per cryptas complebant antra latrinæ.
Sanctus Alexander miſſæ ſolemnibus actis,
Cum celebrarentur ſacræ libamina menſæ,
Aſpicit infantum ponti per littora turmas,
Myſtica dona Dei ludo ſimulare ſtupendo.
Vidit nempe procul quod ſic Athanaſius illo
Tingeret infantes baptiſmi gurgite merſos,
Ceu foret antiſtes ſacrato more dicatus.
Talia ſigna ſacrum portendunt eſſe futurum, H
Proſpera quod rerum liquido fortuna declarat.
Hoc geſtum ludis apicum ſed ſeria firmant,
Almus Alexander cum vitam funere clauſit.
Poſt hæc ſucceſſit florens Athanaſius æuo:
Qui gregis excubias vt paſtor ouile tuetur:
Contra beluarum fraudes, ictuſque luporum,
Qui luſtrare ſolent mandras,& ſepta bidentum.
Hic ergo præſul ſtolidorum dogmata demens,
Sæuos ſchiſmaticos & mille pericula perfert.
Quem iidem ſchiſmatici ſpiſſa fallente caterua;
Infamare ſtudent, fingentes friuola falſa,
Dum regi monſtrant euulſum carne lacertum,
Et loculo geſtant vulgi ad ſpectacula truncum,
Quod magico ſtolidi dicunt phantaſmate geſtum,
Turpiter Arſenium ſic fantes corpore mancum;

Qui dudum extiterat librorum tramite lector.
Tum iubet Auguſtus vatem Conſtantius almum
Piotinus arceri porro de finibus iſtinc.
Sed ſecus euenit, quam machina ſtraba putabat,
* Præfatus lector dum * fraudem prodidit atram.
Tunc pius antiſtes detecta fraude maligna:
En, inquit, ſanam lectoris cernite dextram:
Nec non neruoſam cuncti ſpectate ſiniſtram.
Tum nouus inſonti crebeſcit laude triumphus:
Quando ſacerdotem noſcunt ſine crimine ſanctum.
Æmulus obſtupuit; fraudis dum ſcena pateſcit.
Buxeus ô quantos obtexit pallor inertes,
Seu certe quoſdam rubiæ confuſio frontis.
Sic rea, ſuffragante Deo, commenta fariſcunt.
Sed contrita totis extollit vipera cæphal .
Et rurſus ructat terrum de fauce venenum.
Namque alia ſanctum nituntur fallere fraude.
Fœmina nempe procax ſtrophis inſtructa nefandis,
Inſimulare ſtudet ſtupiorum crimine vatem.
Sed dicto citius verborum ſpicula pellis
Presbyter obtundit mœchum molimine vincens,
Quem probroſa manus ſtrictim fallentis oburcat.
Sed tamen antiſtes Chriſti teſtudine fretus,
Æmula ſæuorum vitat figmenta virorum,
Delituit ſenis annorum curſibus, intra
Ciſternæ * labrum deſcendens vſque profundam:
Quæ lymphis vacua præſtabat tecta tigilli:
Qua latuiſſe ferunt luſtris voluentibus ipſum,
Cerneret vt nuſquam radiantem lumine Phœbum,
Iuſtitiæ vero ſolem ſeptemplicis, & re
Quem ſacra per * biblos deſcripſit litera lautos,
Pectoris intuitu deſiſtit cernere nunquam.
Garrula nunc Babylæ depromat chartula palmam:
Plurima Pontificis pandens præconia clari,
Qui gregis excubias, & caulas vallare bidentum
Imbutus fuerat conſcripto dogmate bibli,
Dirorum contra morſus, rictuſque luporum.
Princeps imperium * qui Romæ rexerat amplum,
Imo triquadrum diſcrero * limine mundum:
Non cunctante gradu cum ſanctæ limina valuæ
Vellet adire ferox, ſtropha ſtimulante malignum,
Tum pius Auguſtum caſtigans voce ſuperbum
Increpat antiſtes contempto ſtemmate regis,
Flatu defendens ſacri veſtibula templi,
Præcipit audacter maculatum cæde cruenta,
Abſidam Eccleſiæ pullis non tangere palmis.
Ducitur auguſtam quapropter præſul ad aulam,
Vt vi ex verborum ſtrabo cum rege loquatur:
Impius extemplo venerandum cogere pœnis
Chriſticolam cœpit conſtrictum nexibus arctis,
Vt ſupplex veterum oraret figmenta Deorum,
Delubris, ſtatuis libans holocauſta litaret,
Quod flamen fœlix vt ſpurca venena recuſat,
Nec blandimentis inclinat colla ſacellis.
Tum tres infantes germano fœdere functos,
Quos pius imbuerat ſcripturæ dogmate Præſul,
Imperat Auguſtus lentis vexare flagellis:
Quatenus inflictis nuiatent pectora flagris,
Quæ prius obſtiterant regi parere nefando.
Sed tamen infantum non cedunt corpora pœnis,
Quin magis horrendas vincunt præcordia virgas,
Quamuis ſanguineos fudiſſent verbera riuos,
Crudaque per teneras rotarent vulnera pulpas.
Tunc demum capital perpeſſus forte ſacerdos,
Æthera * glauca petit deuicta morte triumphans,
Nec non inueſtes, ſurſum migrante magiſtro:
Hoc eſt ephœbi, quos rubris ſerta roſetis
Ornabant pariter cœlorum culmen ouantes
Angelicis cuncti penetrabant cœtibus altum.
Quis valet Vrbani laudes ſermone polito
Fari ſanctorum ſub cœli culmine clarus,
Qua croceos Titan radios diffundit in orbem,
Dum luſtrat latum reflexo tramite mundum.
Sed tamen egregios depromens garrula ſcabro
Incipiet celebrare viros nunc pagina verſu:

Quos materna ſimul matris enixa gemellos E
Edidit in mundo ſortitos nomina dupla.
Quorum alter Coſmas, Damianus dicitur alter
Imbuit hos pariter ſæcli doctrina, medelam,
Nec non diuina præſtauit gratia gratis,
Vt poſſent fibris putres explodere peſtes,
Atque ſalutiferam morbis impendere curam
Artibus horrendas pellentes corpore clades.
Mutos, & mancos, claudos, ſurdoſque repertos,
Luſcos, ac * ſtrabos, qui torta luce fruuntur. * m. ſ. ſtrambos.
* Blæſos, ac * balbos, qui ſcæuis verba loquelis *m. ſ. bleſſos, ac baluos.
Fantes corrumpunt: & * quidquid debile fertur. * quid mancum eſt in m. ſ.
Cœlitus inſtaurant Chriſto donante ſalutem:
* Sic lucem carnis trudunt medicamine ſpurcæ. *m ſ ſeq.
Nec tamen eximio virtutum munere dites,
Auri fallentis geſtant marſupia * farſa: * farta.
Sed loculos nummi calcant, vt tetra venena,
Omnia donantes gratis pro ſtipe ſuperna.
Princeps interea mundi, qui ſceptra regebat,
Martyres edictis multat crudelibus atrox. F
Tum geminos pelagi prædictos gurgite fratres
Merſerat in pontum fretos virtute Tonantis:
Algida ſed vitreis miteſcunt æquora fluſtris,
Dum dicto citius ſanctos ad litora vectant.
Sic compreſſa ſali ſacra virtute poteſtas,
Turgida fluctiuagis ſopiuit cærula campis,
Dextera dum patris portum patefecit in vndis:
Impius idcirco cernens vexilla tropæi,
Altera gorgoneis molitur damna venenis.
Nam truculenta ferox flammarum pabula torret,
Et Sarmentorum fornacem fomite farcit,
In quam * flagrantem ſacros detrudere iuſſit, *m. ſ. fraglantem.
Vt rogus inſontes prunarum torre cremaret
Artus, quos dudum turgeſcens gurgite pontus
Mergere non quibat lympharum fluctibus atris.
Sic facula flammæ fornacis fomite friget:
Vt miles Chriſti neglecto turbine flammæ
Redderet ingentes pro vita ſoſpite grates.
Ceu ſalamandra focos ſolet inſultare * pyrarum, * m. ſ. pyrorum.
Quamuis congerie glomeretur forte rogorum. G
Tunc crucis in patulum coguntur ſcandere robur,
Atque pharetrarum denſas ſufferre ſagittas.
Mox ſator æternus qui ſanctos iure triumphat,
Spicula tortorum confregit dira reorum.
Exin martyrij ſumpſerunt ſerta cruenta,
Ad conuexa poli migrantes culmina celſi.
Nec meminiſſe moror præconia clara Chryſanti, 25. S. Chryſantus.
Quem merito mundus famoſa laude frequentat.
Hunc igitur genitor florentem tempore puto,
Tradidit inueſtem rectorum forte Magiſtris: * f. indocilis.
Vt puer * indolis librorum diſceret artes,
Quis mundana colit ſtolido ſapientia ſenſu,
Qui fuit, vt fertur, donatus mente ſagaci,
Arduus ingenio, & prudens pectore puber.
Poſthæc illuſtris dum ſacra volumina lector
Auribus hauſiſſet cœleſti grammate ſcripta,
Protinus antiquæ cnntemnens dogmata ſectæ,
Falſa vetuſtarum calcauit friuola legum,
Et dicto citius, nactus rudimenta fidei,
Flagitium ſceleris baptiſmi diluit vnda: H
Mox publice Chriſtum paganis prædicat vltro,
Dira ſuperbarum ſpernens tormenta minarum.
Tum genitor ſobolem naturæ iura reſoluens
Truſerat in * tenebras concluſi carceris atras, * m. ſ. tenebris.
Magnopere metuens fiſci decreta nefandi,
Inſuper & capital tremulus formidat acerbum.
Sed cum mens viuens ferret tormenta libenter,
Mox aliam genitor concinnans machina ſcænam.
Lubrica mundanis admouit gaudia pompis,
Serica purpureis præbens velamina peplis,
Quæ moritura facit * fœtoſo viſcere bombix, *m. ſ. fœtoſa viſcera.
Induit egregium precioſa veſte nitentem.
Tum iuſſu patris conuiuia larga puellæ,
Deliciáſque ferunt, epulas, luxúſque culinæ,
Veſtibus ornatæ variis, & fronte venuſta

A Talibus vt pompis miles molleſceret audax:
Ferrea quis crebro cedant præcordia virum,
Sed tamen armatus Chriſti teſtitudine tiro,
Oſcula virgineis deſpexit lubrica labris,
Nec penetrare ſinit ſtuprorum ſpicula pectus.
*m. ſ. iaculatus. Sed procul excuſſit * iaculatas fraude ſagittas.
*vatis m. ſ. Non ſicut cecinit ſponſali carmine * vates;
Mellea tunc roſeis hæreſcunt labra labellis,
Dulcia ſed Chriſti lenteſcunt labra labellis.
Venit ad extremum virgo certamen adulta,
Daria veſtalis formoſa fronte rubeſcens;
Aurea cum glaucis quam comit lunula gemmis.
Nititur hæc iuuenem Veneris conſtringere nexu,
Quatenus ad thalami flectat connubia mentem.
Hæc phalerata fuit facundis freta loquelis.
*diſerti m. ſ. Denique * diſerti ſtupuerunt forte Magiſtri,
Virginis ingenium biblorum famine cultum.
Nempe tenax ſcripti fuerat, veloxque legendis
Sed ſecus euenit Fortunæ caſus opacæ:
B Dum pius oppoſuit fatis contraria fata.
Daria quæ dudum ſeruabat numina Veſtæ,
Credidit altithronum cæli qui ſceptra gubernat,
Facundis virgo verbis conuerſa Chryſanti.
Tunc ſimulata tori fingunt conſortia fatu,
Moribus & caſtis viuunt concorditer ambo,
Vt ſpurcum penitus vitarent pectore næuum,
Et maculam Veneris pullam cum corde fugiſſent.
Poſthæc baptiſmi ſacratis tinguitur vndis,
Quatenus exuuias ſpoliaret mente vetuſtas,
Et noua de liquido ſumatur gurgite lodix.
Tum virgo veterum ſpreuit documenta librorum,
Et ſequitur Chriſti quadratis dogmata biblis.
Quis poterit vulgi tantas numerare cateruas,
Quantas exemplis egerunt credere Chriſto?
Traditur idcirco pœnis torquendus acerbis,
Septuaginta viri quem denſo milite ſeruant,
Herculis in fano, ni forſan thura litaret.
Tunc miles cœpit dirus vexare negantem
C Athletam Domini fretum virtute ſuperna,
Vdis & crudis neruorum nexibus angens,
Torrida flammantis laturum caumata ſolis.
Sed puncto citius laxantur lora lacertis,
Omnipotente Deo teſtes ſoluente nefandas.
Et ſuras iterum cipporum vincula claudunt,
Cruraque cum rigidis nectebant turgida lignis.
Extemplo cippum findit regnator Olympi,
Quamuis hunc ſtolidi cæcata mente ligarent.
*m. ſ. hic. Lotia * tunc lictor crudelis ſpargere iuſſit,
Sacros humectans artus humore putenti,
Qui liquor, vt dicunt, atrum phantaſma fugabat,
Dum vernam Domini ſperat necromantia fretum,
Sed putor ambroſiam fragrabat nectare ſuauem.
Exin tortores buculam deglubere biſſa
Mandant, vt crudo ſtringantur tergore membra
Martyres, ardentem paſſuri lumine ſolem:
Torrida ſed Titan, compreſſit fulmina frendens,
Vt nulla inſontis ferrent incendia membra.
Tunc reciproca virum claudunt ergaſtula ſacrum,
D Arcta catenarum conſtringunt vincla lacertos.
Nec non & collum nectunt cum crure gemello:
Ecce repente pios nodatos arbiter artus
Eripit & chalybis mox ſtricta ligamina rupit.
Porro cum Sanctum nodoſo vimine miles
Cederet infauſtus, rubro qui ſanguine gaudet;
*pro virgis. Sed mirum dictu, * ſceptrorum flagra beatus
Ictibus argutis Martyr non ſenſit acerba,
Quin imo vt plumæ molleſcunt vimina Sancto
Lenia ceu viridis lenteſcit papyrus amne;
Claudius his ſignis compunctus credidit vltro,
Septuaginta viros conuertens dogmate claro,
Fecit baptiſmi purgari gurgite merſos.
Quapropter rubro perfuſos ſanguinis oſtro,
Miles ad æthereum fauſtus perduxit olympum:
Quos ſimul obſtruxit felix ſpelunca ſepultos,
Lucida perpetuæ viſuros præmia vitæ.

His conuexa poli merito luſtrantibus alta, E
Daria cum duro patitur tormenta Chryſanto,
Impiger aſt ille ſtrictus molimine ferri
Truditur in tenebras latrus carceris atras,
Lurida quo putridis fluxerunt ſtercora ripis,
Nectare ſed fœtor cedit, ceu luce latebræ.
Traditur interea ſceleratis Daria ſcortis:
Proſtibulum mœchæ penetrans ſine crimine ſæuæ,
Sed leo de clatris rugibundus mittitur arctis,
Virgineos artus tutos ſeruare puellæ:
Si quiſquam cuperet ſanctum temerare pudorem,
Geſtibus obſcœnis contrectans corpus honeſtum:
Arcam ceu quondam probroſus contigit Oza,
Protinus oppeteret confuſus fronte petulcus,
Rictibus & rabidi corroſus dente leonis
Vltricem pœnam ſentiret morte ferina:
Tunc demum Auguſti qui Romæ regna gerebat,
Decreta rubras ſumpſerunt morte coronas,
Et ſimul * inſcripta pauſant * ſablone ſepulti, *ſ. inſcriptio.
Quos ſimul in vita vexauit pœna cruenta, F
Credimus vt fauſtis glomeratos iure cateruis *ſ. ſabulone.
De gremio tumuli, cum tellos ſponte dehiſcet,
Et genus humanum tumbis emerſerit atris
Suſcitet ad requiem, mundum dum laxat habenis.
Tempore tranſacto ſanctam gentilibus armauit *i.e. S. Iulianum.
Eccleſiam Chriſti tempeſtas ſæua cruentans,
Martyribus ſacris mortis diſcrimina mille
Conglobat, inſontes torquens ſine crimine culpæ.
Vt miles Chriſti ſtricto mucrone negaret,
Impia tortorum cum ferret flagra malorum.
Hos inter, quidam Iulianus nomine Martyr,
Horrida ſanguineis * .... certamina pœnis.
Quem pater ad ſcholam, cum primo gliſceret æuo,
Prodidit, vt tomis dialectica dogmata rerum,
Et ſimul rhetoricas biblorum diſceret artes.
Mox igitur iuueni veterum documenta librorum,
Quamuis in tenero pulcher pubeſceret æuo,
Limpida diſcipulus ſcripſit ſcholaſticus * aſtu, *ingenio. vt notat gloſſator ad marg.
Cum pater ſobolem vetulus vidiſſet adultam,
Nititur * indocilem claris natalibus ortum
* Flectere cum precibus, thalamorum vt iura capeſſat, G
Quatenus inde foret poſt ſucceſſura nepotum *m. ſ. indolem.
Progenies, mallet ſi ditem ducere ſponſam. *m. ſ. flectero.
Flagitat inducias ſeptem ſufferre dierum,
Quatenus hoc ſpatio pulſaret voce Tonantem;
Subnixis precibus rogitans oracula * Diui, *ſ. Dini.
Certius vt quiret Chriſti cognoſcere nutum.
Denique tranſacto venerandus tempore puber;
Lecto ſopitus cum ſomno membra dediſſet,
* Orama per noctem cernebat rite ſupernum; *ὅραμα m. ſ. vel. Orama.
Cœleſtes fatus ſic felix auribus hauſit:
Protinus è ſtrato feſtinat ſurgere miles,
Ne metuas iuuenis ſortiri dote puellam,
Dulcia ne rigidus frangas decreta parentum.
Sed tamen hanc ſociam ſanctam ſeruare memento,
Quæ tibi cum mero copulatur corpore virgo,
Namque pudicitiæ comes indefeſſa manebit.
Multa mihi populi ſeruibunt millia paſſim,
Quæ veſtris credent Cœlorum ſceptra loquelis.
Interea iuuenis patris præcepta faceſſit, H
Et ſimulata tori ſpondens connubia matris,
Accipit ornatam gemmis, auroque puellam.
Attamen altithronus quadrati conditor orbis,
Pacta tutatur ſponſum cum virgine caſtum,
Propria fuſcarent vt nunquam crimine membra,
Luxuriam carnis frænantes ilibus almis,
Præſertim pia cum Chriſtus præcordia pungens,
Per ſomnum moneat caſtum ſeruare pudorem.
Nam bibli ſeriem, quam rex dixerit olympi,
In thalamo cernunt, aurato grammate ſcriptam,
In qua virginitas ſeruari ſancta iubetur.
Exin * vernarum fundant cœnobia Chriſti, *m. ſ. vernarū fundant cœnobia.
Normam iuſtitiæ qui ſeruant tramite ſcripto.
Virginibus quoque condunt guguſtia cellæ,
Quas licet inferior ſexus diſcriminet ordo,

Non tamen inferior virtutum cardo ſequeſtrat.
In quîs nempe decem monachorum millia florent,
Cantibus aſſiduis, & pſalmis carmine crebro.
Sic famulabantur * iugiter, noctéſque, dieſque,
Viribus infractis pulſantes atria cœli
Aſtriferi, precibus dum luſtrant limen olympi.
Interea veteris ructantur fauce draconis
Atra venena, ſacras Chriſti torquentia turmas,
Tum miles Chriſti nodoſo fuſte flagella
Suſtinet immerito conſtrictus nexibus arctis.
Flagraque * cum crepitu præſultant cæde cruenta.
Donec purpureo torarent ſanguine riui.
Sic ſequitur Dominum deuóta mente miniſter,
Ad ſuperas arces anguſto tramite tendens,
Vt prius anguſto tendebat calle Magiſter,
Sanguine purpureo demens peccamina mundi,
Dum prius in patulum dignatur ſcandere lignum.
Tum luſcus tortor ſenſit detrimenta pupillæ,
Martyris afflictus flagris, & ſtipitis ictu.
Mox monophthalmi reſtaurat lumina martyr:
Quamuis Pontifices fani, ludibria paſſi
Reddere non poſſent euulſam ſtipite lucem.
Inſuper excelſum forti compage ſacellum
*———ſimul ſtabant ſimulacra metallis,
Diruit ad fundum ſternens molimina priſca.
Non Mars vulnificus, qui belli ſemina ſpargit
Rancida gorgoneis inſpirans corda venenis
Delubri ſtatuis potuit ſuccurrere parmis:
Nec Venus, aut Veneris prodeſt ſpurciſſima proles.
Aurea ſternuntur fundo ſimulacra Mineruæ,
Quamque deam ſtolidi dixerunt arte potentem:
Nec Bacchus valuit, cui frondent palmite vites,
Vt referunt falſo veterum figmenta librorum,
Numine nutantes fani fulcire columnas.
Sed titubant templi tremebundis marmora cruſtis,
Et ruit in præceps teſſellis fabrica fractis.
Neptunus fama dictus regnator aquarum:
Qui regit imperium ponti turgentibus vndis,
Falſas effigies, quas glauco marmore ſculpunt,
Aurea ſeu fulua quas ornant petala fronte,
Haud valuit veterum tunc ſuſtentare deorum.
Alcides fertur Centauri victor opimus,
Flammea qui preſſit latronis flamina Caci,
Quamuis fumoſis ructaret flabra loquelis.
Herculis in crypta ſed torquet dextera * clauam,
Nec tamen in templo rigida virtute reſultat,
Quæ famulus Chriſti ſupplex oramina fudit.
Vulcanus * carax, quem fingunt igne potentem,
Torrida flammigeris moderantem fulmina frænis
Funditur: occubuit fraudatus torre rogorum,
Sic quaſſata ruit ſimulacris machina lapſis,
Vt veterum narrat verax hiſtoria rerum:
Cum geminam flamen prolem peccare videret,
Nec tamen aſperitas patris compeſceret vlla,
Plecteret aut ſontes crudeſcens vltio natos,
Acriter idcirco exarſit vindicta Tonantis:
Quatenus arca Dei diræ poſt funera ſtragis,
Ducta per Azotos ſimulacrum ſterneret altum:
Tunc ruit in frontem confracto poplite Dagon,
Et caput infandum funeſtos liquerat artus,
Quod vulſum ex humeris ciues in limine cernunt.
Aurora in fuluis dum luxit lutea bigis,
Et croceum iubar in quadrum flaueſceret orbem,
Ac roſeos patulis radios infunderet aruis,
Spinaque cum trunca membrorum parte remanſit,
Haud ſecus in diuos, quorum caſſata poteſtas,
Ad fundum cecidit, ſæuit regnator olympi,
Expers vt nullus diri diſcriminis eſſet,
Ceu ſtyli ſeries præſenti grammate pandit,
Sic quoque terga dedit caſſato numine Phœbus.
Qui fuit infauſti Saturni filius atrox,
Iupiter ingentem quem pompant carmina vatum,
Hic patris imperium, quod fantur opuſcula priſca,
Contra naturam pulſo ſpadone capeſſit,
Tum miſer in Latio demptis genitalibus exul
Delituit, nati vitans diſcrimen acerbi. E
Nec Pluton prodeſt, qui tetris tartara ſceptris
Rexit, & inferni furua regnauit in aula:
Hic Cereris ſobolem nigrantes vexit ad vmbras
Sed Regina ſequi matrem Proſerpina nolle,
Fertur in antiquis falſato grammate biblis.
Nec Pan Arcadiæ, quem gens colit exta litando,
Plurima dum verubus torrebant viſcera flammis,
Contulit auxilium fani fundamine fracto.
Machina celſa labat, dum culmina fracta fatiſcunt.
Nec glus lenteſcens * morum mœnia pangit, *f. diuerorum.*
Nec durus ſcopulus calcis compage quadratur:
Sed ſimul exhauſta veterum virtute Deorum,
Inſuper Auguſti quaſſata mole ſacelli,
Diruit in cinerem vindex cenſura Tonantis;
Vt precibus martyr ſupplex cum voce popoſcit,
Quatenus altithronum, lauta qui regnat in arce
Poſſent clarificis pagani credere ſignis.
Vnica tunc ſoboles Præfecti credidit vltro,
Dum pia fructiferis pandit præcordia verbis,
Martyris amplexus felix oracula puber. F
Tunc ſimul in latebras truduntur carceris atras.
Quadam natorum putreſcens forte cadauer
Turpiter introrſus bulliret vermibus atris:
Sed tamen inſontum complentur nectare nares,
Olfactum Ambroſiæ ſpirantes forte ſupernum.
Nec lucis radius linquens ergaſtula ceſſit,
Limpida ſed tenebras arcebant lumina furuas,
Sic Deus in Sanctis alma virtute triumphat.
Tum cuſtos cernens rerum miracula tanta
Credidit altithronum ſaluantem ſæcula regem.
Baptiſmum nactus ſtipatur milite denſo,
Qui prius excubias ſeruabant carceris atri.
Imperat interea multatum morte cadauer
Surgere, de nigris anima redeunte latebris,
Quod prius obuoluens conſtrinxit faſcia nexu:
Mortuus euigilat diſrumpens tartara tetra?
Tunc precibus turmæ vaſto crepitante tumultu
Hortantur iuuenem vero depromere fatu,
Qualiter exanimis furuæ veſtibula valuæ,
Infernique nigras poſſet penetrare latebras: G
Et rediuiuus item ſplendentem cernere ſolem,
Edidit extemplo lethi decreta reſurgens,
Poſthumus angelica prodens ſuffragia turbis.
En iterum ſancti ſtropha ſtimulante draconis,
Martyres in cupas merguntur fomite farſas,
In quibus atra picis maſſa flagrauerat ardens,
Nec non ſulphureas ructant incendia flammas,
Et ſarmentorum comburunt pabula pagi,
Donec in æthereas flamma prorumperet oras.
Sed tamen inſontes, Chriſti ſuffragia vallant,
Licia tunc digitos oleo madentia nectunt,
* Qui mox ignis edax flammis combuſſit acerbis: ** qua*
Non tamen excuſſit Sanctorum torre lacertos. ** lege dipſas pro inferno ſerpente.*
En iterum * gypſas ſpiris ſinuata malignis,
Cætula peſtiferis extollit colla venenis:
Martyres ad theatrum truduntur veſte ligati,
Rictibus vt rodant Sanctorum membra leones:
Nec non mandibulas vrſorum ferre cruentas H
Cogeret inſontes tortorum pœna lacertos.
Sed ſecus euenit Sanctis victoria palmæ:
Beſtia Sanctorum labris veſtigia tinxit,
Obſequium præbens, prædas oblita recentes.
Sic, mutante Deo, miteſcunt corda ferarum, ** Aldhelmus lib. de Virgin. c. 28 Pro comata cola & melliris verſuum Epigrammatibus inculcabit.*
Quamuis ſtultorum torpeſcant corda virorum.
Vt quondam vates * cola cum comate promſit.
Edidicere truces prædam ſeruare leones.
Poſt hæc martyrij mereantur ſerta cruenta,
Lucida ſtelligeri ſcandentes culmina cœli,
Ad quorum tumbas gelidæ poſt funera mortis
Corpore calloſo dein venere leproſi,
Qui ſimul in ſacro baptiſmi gurgite merſi,
Spiritus, & carnis ſumpſerunt corde medelam.
Antiquo fuerat famoſus tempore quidam 26. *S. Amos Eremita.*
Legitime Chriſto famulans vernaculus alto,

A Quem genuit mundo clarum Nilotica tellus,
Sacra pudicorum quærentem lucra virorum,
Quem vocat Ægyptus crebris rumoribus Amos,
Plurima hic geſſit virtutum ſigna ſacerdos,
Qui fuit in Nitriæ frondoſis accola dumis,
Squalida deſerti procurans iugera ruris.
Hic locus ex Nitro ſortitur Nitria nomen,
Creditur interdum quod nomen ſæcula gignunt.
Cauſa fortunæ ſi his confidere fas eſt,
Si fors aut fatum, ſeu conſtellatio quidquam eſt,
Si Parcæ nulli parcentes fila gubernant,
Mortali vitæ fuſoque rotante minantur,
Quod veluit in collo tereti vertigine * molam.
Sed magis arbitror, quod ſic errata reorum
Nitria purgauit, ſicut corpuſcula nitro
Sordibus expurgata malis, & læta niteſcunt.
Hic quondam offendit turgentem tempore Nilum;
Qui fœcunda rigat fluſtris Memphitica regna.
Nam tranſire volens optata lintre carebat:
B Sed ſpoliare vetat carnem verecundia frontis,
Corpore ne nudo temeraret iura pudoris.
Tum dicto citius ſpumantes litore lymphas
Pinniger vt præpes transfertur cœlitus vltra,
Piſcifer vt dudum momenti tempore vates
Angelico raptu luſtrabat Chaldea regna,
Vt vernam Domini nutrirent cruſtula farris.
Ecce puer quidam laceratus dente moloſſi,
Atque venenato perpeſſus vulnera rictu,
Vertitur in rabiem fraudatus mente ſagaci:
Ferrea quem ſtrictis nectebant vincla catenis;
Bacchatur quoniam vagabundis paſſibus amens:
Idcirco prolis luxerunt fata parentes,
Et veneranda petunt flentes oracula Sancti:
Vt miſeri cladem, & vulnus ſanaret acerbum.
Quem conſulta ferunt tali cum voce dediſſe.
Reddite nunc viduæ ſublatum fraude iuuencum,
Et ſoſpes ſobolès vobis comitatur amanda.
C Olli mirantur quod noſſet clancula furta,
Quæ prius abſtruſis credebant geſta latebris:
Tum genitor gaudens gratatur ſoſpita nato,
Actutum ſæuis reddens direpta rapinis.
Sic fors euenit, verax vt voce ſpopondit:
Tempore mox alio dolium deferre popoſcit,
Quod duo vouerunt: alter ſed vota fefellit.
Idcirco gelida conſtrictum morte camelum
m. ſ. g'i pum. Perdebat * gibbum, quo vaſcula ferre pepercit;
Soſpite perfruitur ſed verax altera ſella,
Quo promiſſa ſeni compleuit vota benignus.
Hunc vidit ferri felix Antonius olim,
Linqueret egregius cum carnis vincula miles,
Angelicis turmis ad cœli ſidera vectum,
Pulchraque perpetuæ penetrantem limina vitæ
82. *S. Apollonius Eremita.* Tempore iam priſco fuit Apollonius almus.
Edidit hunc ſignis clarum Nilotica tellus,
Hic erat in quadrum vulgatus laudibus orbem,
Præbens exemplum quingentis fratribus æquum;
Et pubertatis deſertum tempore quærit.
D Nam ter quinquennis mortales aufugit vltro
** Gloſſ. notat 40. annis.* Hic * octena ſimul conuerſans luſtra peregit.
Centies exorans nocturnis ferme latebris,
Et totidem vocibus ſic geſſit forte diurnis.
Vt genibus flexis, & curuo poplite patrem
Cernuus oraret fretus pietate Tonantis.
Stuppea cui fuerant pepli velamina texti,
Donec degebat nunquam paſſura ſenectam,
Claruit idcirco celebri rumore coruſcans.
Nam pagana procul vulgi cultura manebat,
Qua ſtetit antiquo delubrum more dicatum:
Inde ſacerdotes crebro ſimulacra ferentes,
Bacchantum ritu longis anfractibus errant.
Taliter vt vidit, dementes forte cohortes,
Fanorum ſtatuam per gyrum ferre nefandam.
Tum fixis genibus pulſabat voce Tonantem:
Et mox ſtare facit bacchantes agmine turmas
Funditus vt nullus cum plantis pergeret vſquam:
Sed cuncti pariter, velut ænea ſigna rigebant. E
Torrida * flagrantis perpeſſi lumina ſolis, ** m. ſſ. a glacm.*
Dum plus æſtiuo torrebit tempore Titan.
Interea damnum dum norunt vnde fuiſſet,
Credula doctrinæ ſpondent præcordia verbis,
Myſtica cœleſtis ſumentes dona lauacri,
Æmula ſi precibus diſrumpat vincla ſacerdos;
Paſſibus vt * properis trames per rura pateſcat; ** m. ſ. pro-ſperis.*
Et poſſint ſolito pergentes calle meare:
Ille moras rupit fundens oramina ſurſum,
Dum crebris vicibus celſum pulſabat Olympum.
Sic fator arcitenens diſſoluit compita clauſa,
In tantum vt cuneus votorum compos abiret,
Purgatus maculis baptiſmi gurgite ſacro,
Idola fracta friians, & mox in fruſta reſoluens.
Lis quandam pacem crudeſcens rupit honeſtam,
Inter credentes, qui Chriſtum corde fatentur,
Et diffidentes, qui Chriſtum fraude refutant:
Nam Bellona ferox infecit corda venenis, F
Arma cruenta ferens turbauit fœdera pacis:
Procedunt acies denſa ſtipante caterua,
Horridus exultat crudo certamine Mauors,
Cornua rauca ſonant, & ſalpix claſſica clangit,
Dum ſtimulant Martem bomboſa voce phalanges:
Tum celer aduenit præfatus forte ſacerdos,
Qui pacare ſtudens belli certamina ſæua,
Nititur accenſam fraudis reſtinguere flammam,
Et necis horrendæ ſtolidum ſedare tumultum.
Sed quidam Incentor bacchatur mente maligna,
Qui caput, & Princeps, ac pugnæ ſignifer atrox
Extiterat dicens, ſe nunquam pignora pacis
Malle, terram donec perpetret funere mortem.
Tunc ait audacter depromens fata futura:
Sic tibi contingat lethi fortuna cruenta,
Ceu verbis optas, crudeli calce caſurus.
Solus nempe necem cernes moribundus acerbam,
Soſpite cum reliqui vita funguntur ouantes,
Sed tibi poſt funus non præbet terra ſepulchrum; G
Beſtia ſed rabidis diſcerpet rictibus atrox,
Et volucrum pariter truncatum roſtra * laceſſent. ** m. ſ. laceſſunt.*
Sic fuit, vt verax fatur ſermone ſacerdos:
Funere tranſacto rectum ſablone cadauer,
Rurſus mane vident, rumpente crepuſcula luce;
Belluis effoſſum funeſto corpus ab antro,
Et volucrum rictus artus laceraſſe nefandos.
Tum paſſim populi credebant eſſe Prophetam,
Dum celer effectus rerum ſpectacula pandit.
Omnes certatim qui farris thura litabant:
Lurida culturæ linquunt ſimulacra vetuſtæ,
Limpida mundantis ſectantes dona lauacri.
Hic pater illuſtris celebrans ſolemnia Paſchæ,
Vndique deſerti turmas adſciſcere iuſſit,
Atque cateruatim cuneum glomerare fidelem.
Poſthæc exactis miſſæ concentibus omnes,
Fercula dum ſolitæ peterent paupercula menſæ
Veſcuntur pariter ſicco nutrimine farris;
Nec non faſciculis, quos hortus tempore verno, H
Germinat ex gremio, cum gliſcit gramine tellus,
Tum pius alloquitur tali cum voce cateruas.
Credula ſi vere geſtamus pectora fratres,
Nunc precibus Dominum cœli qui regnat in arce;
Et regit imperium mundi dum ſceptra gubernat,
Pulſemus pariter, ſolamina digna * petentes, ** m. ſ. rite petentes mendoſe.*
Quatenus impendat index alimenta miſellis,
Nempe die feſto laxantur fræna rigoris.
Ecce dapes lautas; & munera larga ciborum,
Ante fores antri cernunt, mirabile fatu.
Hæc geſtant geruli, quos vnquam nemo videbat,
Quamuis Ægypti luſtraſſet paſſibus arua.
Punica * mela vident, granis ſcitiſque referta, ** Gr. τὰ μῆλα.*
Botros, & ficos, & plures ordine tortas:
Cernitur hic etiam palmeti dactylus alti,
Et mel lenteſcens cerarum machina clauſum,
Atque faui croceum diſtillans flumine nectar,
Et ſimul vberim candeſcens lacte coloſtrum.

A His geſtis, geruli properant abſcedere rurſus.
Aſt olli Chriſto cœperunt reddere grates:
Fercula qui dapibus largus compleuit opimis:
ponto forte legendum. Vſque diem * penti, quem dicunt nomine, coſten.
Sic Deus omnipotens, qui cuncta latentia noſcit,
Deliciis proprios tantis paſcebat alumnos.
Iam famis Ægypti multauit clade cohortes;
Ecce cateruatim denſis venere maniplis,
Vt pariter miſeri peterent alimenta ciborum.
Tum tres expendit ſportas cum pane refertas,
Quas prius exoratis palma benedixerat alma,
Bis binis exin nutriuit menſibus omnes,
Vt nunquam penitus farris fragmenta negaret,
Nec tamen exhauſtis ceſſaret ſportula cruſtis.
Sic quoque naturam pinguis cumulauit oliui,
Vt quondam Helias legitur cumulaſſe Propheta,
m ſ. liquorum modo. Lenticulæ craſſum fœcundans ore * liquorem.
Ecce ſacerdotis pandam præconia lauti,
B Mentio dum ſancti pulſat penetralia cordis,
29. S. Hieron. Cuius quadratum crebreſcit fama per orbem,
Atque per extremas fulget prudentia metas:
Qui fuit interpres, & cuſtos virgo pudoris,
Hebrea Romanis vertens oracula verbis.
Nam rudis, & priſcæ legis patefecit abyſſum,
m ſ. bargina m. dobſe. Septuaginta duo recludens * pagina biblos,
Quos nunc ſacratis deſcribit litera chartis.
Inſuper elicuit tractatus iure ſtupendos,
Atque Prophetarum commentis clancula certis,
Dicta retexebat pandens myſteria rerum.
ſtidis. Inclytus hic conſtat * ſcedis per ſæcla Magiſter,
Quæ nunc per mundum ſcribuntur rite quadratum.
Et licet illuſtris lectorum norma per orbem
Euſebio genitore ſatus, ceu prodidit idem,
Enumerans veterum vulgata volumina patrum,
Ex quo Saluator noſtræ cunabula carnis
Sumpſerat in terris emundans crimina ſæcli:
Quando crucis gabulum ſacrato corpore ſcandit,
C Et genus humanum pollutum fraude maligni,
Vulnera perpeſſus purgarat ſanguine rubro.
Quis tanto ſtudio geminarum ſtamina legum,
Aut tam ſolerter rimari nititur vnquam?
Ceu meditatus erat ſacros didaſcalus idem,
Vt Pſalmiſta canit, nocteſque dieſque libellos.
Æmulum idcirco pollutus peſte liuoris
Rictibus horrendis vatem lacerarat eundem,
Faucibus inuidiæ ſic gloria carpitur atris,
ſic legend. vide Non. Et laus almorum * mulcatur fraude malorum.
Namque canes crebro ſtipant latratibus a rum,
Vndique vallantes denſa cingente coron.
Aſt ille infeſtos diſpergit dente moloſſos,
Et voti compos ſaltu regnauit in alto.
Iam nunc almorum deſcripta laude virorum,
Candida virginitas Paradiſi cara coloris,
Quis dedit, vt mundus celebret præconia vaſtus,
Supremis donec ſoluantur ſæcula flammis?
Dum colles vt cera fluunt, ſaltuſque fatiſcunt:
D Imo poſt mundam cum eſſet cyclus Olympi,
Clarius ante thronum Sanctorum ſerta niteſcunt.
Tempus adeſt ſacras metris vulgare puellas:
Qualiter integritas virtutum culmen adeptis
Virginibus dederit niuidas geſtare coronas.
Delicias ſæcli quæ temnunt corde profanas.
Fœtida pomparum linquentes gaudia ſontum,
Vt Dominum lucis deuota mente ſequantur,
Agnum, virginea ſpiſſis cum forte cateruis
Stipat in æthereo cœlorum culmine turma,
Et grex cum paſtore pio gratabitur albus,
Purpureis vernant qua campi floribus arua.
Et lupus horrendis non frendet dentibus atrox.
Paſcua oes norunt crudelis damna latronis:
Sed paucis igitur perpes concordia regnat.
30. S. Maria virgo. Nunc igitur caſto veneror rumore MARIAM.
Verſibus egregiam nitor laudare puellam,
Cui mundus merito celebrat præconia totus,
Quæ fuit Iſrael claro de germine gentis,
Deſponſata proco fœcunda puerpera virgo. E
Sed Davs omnipotens quadrati conditor orbis,
A quo proceſſit præſentis machina mundi:
Cui ſecreta patent ex alto culmine cuncta:
Quique abſtruſa ſuo perluſtrat lumine terra,
Virginis intemerata videns præcordia caſtæ,
Maluit vt prolem peperiſſet virgo ſupernam,
Sordida quæ veniens demſiſſet crimina mundi,
Dum delubra dedit Chriſto, atque ſacella pudoris.
Mox genuit verum lumen de lumine patris,
Exueret mundum vt furua caligine Chriſtus
Qua genus humanum tetro torpebat in orbe,
Vſquequo clarifici luxerunt lumina Solis,
De quo iam dudum cecinerunt verba Prophetæ.
Hæc inquam virgo cœleſti pignore fœta,
Edidit ex aluo ſaluantem ſæcula regem,
Imperium mundi ſolus qui iure gubernat,
Vt dudum angelico diſcit virguncula fatu:
Cum pater altithronus Gabriel miſiſſet ab aſtris. F
Hæc fuit, egregius quam promit carmine * vates, *m ſ. vacon.*
Qui Solymis quondam diues regnauit in aruis,
Hortus concluſus florenti vertice vernans,
Fons quoque ſignatus cœleſti gurgite pollens,
Nec non & turtur tremulus, cui præſcius infit
Angelus: en ſobolem generabis virgo perennem,
Atque puerperium paritura puerpera gignes.
Filius altithroni fauſtus vocitetur in æuum.
Spiritus è cœlo veniet ſanctiſſimus in te,
Virtus ecce tuo confert vmbracula cordi:
Patris obumbrabit te virgo celſa poteſtas.
Quo dicto, matris turgeſcunt viſcera fœtu
Qui genitus mundum miſeranda labe reſoluit,
Atque crucifixus ſcelerata piacula demſit.
Porro Cæciliæ viuacem condere laudem 31. S. Cæcilia V. & M.
Quæ valeat digne metrorum pagina verſu?
Quæ ſponſum proprium conuertit dogmate ſancto,
Mellea carnalis contemnens ludicra luxus.
Baſia dum potius dilexit dulcia Chriſti,
Candida præ pulchris complectens colla lacertis, G
Quamuis harmoniis præſultent organa multis,
Muſica Pierio reſonent & carmina cantu;
Non tamen inflexit fallax præcordia mentis
Pompa profanorum, quæ nectit retia ſanctis,
Ne forte properet paradiſi ad gaudia miles.
Taliter interea compellans vocibus infit,
Dum ſecreta petunt conceſſa lege thororum.
Angelus en, inquit, ſuperia tranauit ab aſtris:
Hic me, patronus, cœleſti fœdere fulcit,
Vt nequeam prorſus quidquam carnalis amare.
Namque meum iugiter conſeruat corpus in æuum,
Vt nullus valeat ſpurco ſuccenſus amore,
Contrectare mea probroſo crimine membra:
Sed mox angelicis vlciſcens vindicat armis,
Qui me pollutis nituntur prendere palmis.
Sic deuota Deo conuertit femina ſponſum:
Nec non & leuirum ſoluens errore vetuſto,
Donec credentes ſumpſiſſent dona lauacri,
Facti municipes in ſummis arcibus ambo, H
Martyres effecti carnis tormenta luentes.
Sicilia tellus, quam vallant cærula ponti 32. S. Agatha.
Fluctibus, & rabies pulſat per ſæcula ſalſis,
Edidit Agathen, Chriſti famulatibus aptam,
Accola quam Siculus famoſa laude frequentat.
Quæ ſe diuinis ſubdebat cultibus vltro.
Namque pubertatis florebat tempore Chriſto,
Diuitias mundi conculcans mente caducas,
Omnia ſæclorum mox ornamenta relinquens,
Et ſequitur Dominum deuota iuuencula Chriſtum.
Quis vero pœnas verbis enarret acerbas?
Aut mortis valeat clades effarier actis,
Quas tunc in teneris perfert virguncula membris?
Horrida vulnifici patitur diſcrimina ferri,
Quod caſtum lacerat corpus mucrone cruento,
Pectora virgineis fraudantur pulcra papillis,
Purpureuſque cruor ſtillans de carne fluebat.

Sic

A Sic quoque carnifices torrebant igne puellam,
Virgineos artus aſſantes torribus atris.
Sic dicto citius perdebat flamma vigorem,
Ignibus innocuis exurens membra puellæ.
Nec fuit in pœna ſimplex vexatio carnis,
Sed triplex potius, torquet ſtrictura lacertos.
* m. ſ. Dū * Tum togus ardeſcens, & rubræ fragmina teſtæ,
Nec non & rigidi crudelis ſectio ferri,
Membra cruentabat ſpurcò ſine crimine culpæ.
Tum pater omnipotens deuotæ virginis altor,
Arcibus æthereis defixit lumina terris,
Femineum in dolis gaudens ſpectare triumphum;
Mox dedit auxilium clemens auditor egentum,
Fortior vt fieret truciter torquentibus illam.
Poſthæc martyrij mercatur ſanguine ſertum,
Perpetuas regni ſumens ex carne coronas.
Denique poſt obitum, ſignorum non vacat expers,
Quamlibet in tumbe pauſarent oſſa ſepulcri,
B Et ſacer aſtrifera gauderet ſpiritus arce.
Tempore nam quodam ferueſcens ignibus Ætna,
Torrida flammiuomis trudebat ſulphora riuis,
Tunc ruit in præceps ambuſta cacumina linquens,
Congeries lapidum, liquefactaque viſcera montis,
Tum Siculus cultor flammarum fulmina cernens,
Ignibus oppoſuit ſanctam cum corpore tumbam,
Et dicto citius ſopiuit damna focorum:
Vnde Trinacriæ tellus exultat in æuum.

33. S. Lucia. Cum ſtolidi proceres, qui mundi regna regebant,
Martyres immerito multata carne necarent,
Seu potius fuſo decorarent ſanguine ſanctos.
Paſtutos inter fuerat virguncula quædam,
Lvcia, quæ Dominum dilexit ſedula Chriſtum,
Quam de ſtirpe bona, & claris natalibus ortam,
Nonnulli iuuenes thalamis adſciſcier optant.
Sed ſacrata Deo fœdus ſponſale reliquit,
Mores ob caſtos, & cœli regna lucranda.
Hæc matrem monuit feſſam languore cruento,
C Tangeret vt tumbam, qua clauſum virginis almæ
Agathæ corpus placida ſub morte quieuit,
Femina ceu quondam fluxu vexata cruoris
Occulte Chriſtum tetigit, quam fimbria pepli
Curauit medicans, Domino donante ſalutem.
Sic igitur genitrix ſancta virtute ſepulcri
Claudebat patulas extemplo credula fibras:
Vt nunquam flueret venarum riuulus vltra,
Et dicto citius ſiccaret ſanguinis vnda.
Tunc proles cœpit verbis narrare parenti,
Quod vellet Chriſto iugiter ſeruire pudica,
Atque thorum ſponſi mallet contemnere virgo,
* dares ſer. inferendum. Aurea gemmatæ linquens crepundia pompæ,
Vtque peregrinis* ...... ornamenta procorum,
* His eraſi ſūt duo verſus in m. ſ. Pauperibus ſtipem tribuens, & munera mancis.
....
....
Theſauroſque ſuos ſub cœli conderet arce.
Filia mox matrem fatu correxit amico,
D Credula virgineis pandentem pectora verbis,
Vt ſimul efferrent dites patrimonia Chriſto.
Quod dum compertum vulgi ſermone crebreſcit,
Atque fatigantur ſacris rumoribus aures.
Tetrica mox ſponſi feruent præcordia felle,
* m. ſ. mal do..., et virginea Gorgoneis infecta malis *, pro virgine dempta,
Quam ſibi Saluator ſponſam copularat adultam,
Sanguinis arrhatam conquirens dote puellam.
Igneſcunt populi lymphatica corda furentis,
* m. ſ. rigatur. * Ringitur & conſul dira Paſchaſius ira,
Dum altercaretur crudus cum voce tyrannus,
A Chriſto ſponſam nitens auferre venuſtam.
Cum nec ſermonum ſtimulis cedebat acerbis:
* m. ſ. ara. * Nec blanda flecti lenonum fraude valebat,
Quamlibet ad terrum traheretur fune lupanar,
* m. ſ. atq. boues pariter ſis veſtib. a. * Atque Boues pariter traxiſſent reſtibus almam.
Quanquam tortores aſſarent igne tenellam,
In quo nigra picis, nec non & pinguis oliui
Flumina terrifico crepitabant torre pyrarum,

Vt magis horrorem ſentiret virgo beata, E
Plurima dum flammis augerent pabola pagi.
Sed cito vexantis cedebat machina pœnæ.
Innocuis prunæ coxerunt membra fauillis,
Defenſante Deo, flammaſque fugante rogorum,
Tunc igitur morbo mentis cruciatus acerbo,
Non tulit opprobrium iudex à virgine factum:
Candida ſed rigido violauit viſcera ferro.
Purpureus cruor extemplo de carne manauit,
Nec tamen exultat ſæuus de morte tyrannus.
Nec gratatur ouans cæſa pro virgine Chriſti:
Sed ſicuti nexis ſtringebant colla catenis,
Nodatis merito nectentes brachia vinclis:
Sic reus aduenit Romanam conſul ad vrbem,
Vt vindicta grauis noxam puniret anormem, * m. ſ. in-ormem.
Dum cruor inſontis, cum ſontis ſanguine fuſo,
Vlciſcebatur digne pro talibus auſis.
Sic quoque Iuſtinam modulabor carmina caſtam, 34. S. Iuſtina
Antea virgineo lucrantem regna pudore,
Quæ terrena thori diſrupit vincla iugalis, F
Florida mundanæ calcans commercia vitæ.
Hanc procus illuſtris prauo ſuccenſus amore,
Nectere non ceſſat verborum retia fruſtra:
Vt ſibi forte foret dotalis virgo per æuum,
De qua poſteritas eſſet ventura nepotum.
Sed cum tale nefas * geſtaret mente malignus, * m. ſ. geſtirat.
Nec tamen inſontem poſſet peruertere fallax,
Virginis aut fibras cœcis incendere flammis,
Nititur egregiam magicis maculare venenis.
Tunc famoſus erat Cyprianus fraude nugaci,
Doctus in horrenda ſceleratorum arte magorum,
Qui tunc auxilium ſpondebat ferre petenti
Plurima ſchematiſans iacta molimina menti,
In tantum, vt diris certaret dæmonis armis.
Quos magus aſſidue ſtrophoſus miſit ad almam,
Vt pia pulſarent ſtimulis præcordia ſtupri.
Sed cum virgo Dei ſpreuiſſet friuola carnis:
Lurida terrorum confringens tela latronum,
Credidit altithronum ſaluantem ſæcula Chriſtum, G
Ad Dominum tota conuerſus mente fidelis,
Pœnituit tandem magus idola ſpurca relinquens,
Expertus virgo quid poſſet ferre pericli,
Quæ nunquam valuit ſuperari mille nocendi
Artibus, inceſti ſed fugit crimen iniquum.
Poſthæc imperio regeret cum Claudius orbem,
Impius edictis ſanctos crudelibus vrgens,
Heu ſcelus! vt Chriſtum damnati voce negarent,
Nolentes autem ſectari ſcita tyranni,
O quam dura necis grauiter tormenta luebant,
Tunc Iuſtina ſuum ferro ſupponere collum,
Sanguinis aut riuos non horret fundere fibris.
Sic geminis felix ornatur virgo triumphis,
Martyra cum roſeis rubuit veneranda coronis.
Candida virgineis florebat femina ſertis,
Cum qua martyrij meruit vexilla cruenti,
Crudus Athleta Dei Cyprianus fuſo cruore.
Sicque poli pariter ſcandebant ſidera Sancti,
Vt prædira necis pariter tormenta tulerunt. H
Eugeniam porro claris natalibus ortam, 35. S. Eugenia.
Gemmam virgineo rutilantem ſtemmate rubram,
Quis digne indoctus metrorum verſibus vſquam
Ruſticus explanet? cuius præconia paſſim
Lætus concelebrat ſub cœli cardine mundus,
Atque ſupernorum reboat concentibus aula.
Denique baptiſmi nondum cunabula ſacra
Suſcipiens, Chriſtum miro veneratur amore,
In tantum, vt proprios dempſiſſet femina crines;
Cæſarie ſpreta ſumens ſignacula Chriſti,
Ac ſexum ſimulans, poſſet tonſura virilis
Hac ratione rudi ſic occultare latentem.
Namque crucem Domini ſyncera mente virago
Gratulabunda vehens * baſterbam linquit inanem, * Gloſſator ad marg. veniculum.
Pergere cum pueris aſtus quod arte refellit,
Vt remeare queat prudens per deuia virgo.
Paſſibus & properis Sanctorum limina luſtrat,

A Pontificemque petens baptiſmi lucra capeſſat.
Protinus ad ſedes venit baſterna relictas,
Quam vt creuere ſimul ſpretam remeare parentes,
Pectora ferratis riguerunt marcida curis.
Plurima tunc etiam Fortunæ caſibus acta
Turma Propinquorum queſtus è pectore promit,
Salſaque palpebris effundit flumina luctus,
Triſtia rorifluis humectans imbribus ora.
Tunc bino ſpadone fuit comitata virago,
Suſpicio vt nullam poſſet generare querelam.
Hanc Deus inſontem pius auxiliator egentum
Clementis dextræ clypeo protexit inermem,
Vt cecinit dudum famoſus carmine vates:
Nam mentita fuit ſtrophoſis lingua loquelis,
Criminibus ſtupri nitens damnare puellam;
Sed patet omnipotens, qui cuncta latentia noſcit,
Virginis intactæ noluit monſtrare triumphos,
Auctorem ſceleris populo præſente reuincens.
Sicut matrona ſtimulis agitata malignis,
B Illuſtrem Chriſti famulam ſermone procaci
*m. ſ. præſcindens. Deformare ſtudet, naturæ iura * recidens;
Sic iterum infelix, plebis vallante corona,
Magna cachinnantum pateretur ludicra vocum,
Plecteret & merito vultus confuſio noxam:
Vt nunquam dicant gentes vbi eſt DEVS eorum.
36. S. Agnes. Floruit in mundo quædam virguncula Chriſti,
AGNÆ cui nomen priſci dixere parentes;
Inclyta hæc fuerat fragrans virtute pudoris,
Ætatis decimus nec non & tertius annus
Fluxerat in terris cum primo gliſceret æuo,
Illuuiem mundi contemnens corde nefandam,
Sed procus illuſtrem præfecti filius AGNAM,
Qui famoſus erat, regali faſce togatus,
Subnixis precibus thalamis adſciſcere niteoſ,
Aurea cum rubris offert crepundia pannis:
Nec non argenti ſpondendo plura talenta,
Nititur intactam donorum fallere viſco,
Sicut auem nectit nodoſis retibus auceps.
C Sed mox lethiferam ſenſit virguncula cladem,
Crebrius hauriret ſi ſpurcas ore loquelas,
Aut pulſaretur probroſis virgo labellis,
Muſcipulam metuens ſpreuit ſermone petulcum.
Nam ſponſam potius ſpondebat ſe fore Chriſti,
Virgineo ſemper ſeruantem fœdere corpus,
Qui ſe rite ſubarrauit cum dote Fidei,
Annulus & cuius ſacrauit membra puellæ.
Plurima quapropter patiens diſcrimina virgo,
Pertulit in terris inſons ergaſtula tetra.
Sed pius adſpectans certantis bella puellæ
Arbiter horrendas diſcuſſit carceris vmbras,
Et clarum è cœlo lumen de lumine fudit,
Virginis vt tenebras non ferrent lumina furuas.
Truditur ad tetrum ſcortorum caſta lupanar,
Quatenus inceſti fuſcetur crimine virgo,
*vitie-tur. Almaque probroſis * notetur vita loquelis,
Quæ infirmare ſtudent vernarum nomina Chriſti,
Vt lacerare ſolent latrantes fauce moloſſi.
D Tunc Prucus aduenit denſa comitante caterua,
Garrula verboſis contorquens ſpicula labris,
Quod ſua deſpiceret caſtis connubia votis.
Sed Deus inſontes qui ſemper iure triumphat,
Iræ cœleſtis punit mucrone reatum.
Nam dicto citius crudeli funere vitam
Liquerat horrendi contingens tartara Ditis,
Qui ſanctam voluit maculoſo lædere geſtu.
Mox igitur precibus diſrupit vincula mortis,
Pallida purpureo reſtaurans membra colore.
Quæ mulſata prius torpebant frigore lethi,
Quatenus inde forent laudis præconia Chriſto,
Vnde prius fuerant ſpurcis ludibria verbis.
Nam Conſtantinam ſanauit tumba ſepulcri,
Et ſarcophagus qua pauſant membra puellæ.
Vt merito poſſet regnantis filia Regis,
Æterno regi regum qui regnat in æthra,
Reddere magnificas pro vita ſoſpite grates.

Virgo dicata DEO florebat tempore priſco, E
Nomine hanc Theclam veteres dixere parentes, 37. S. Thecla.
Quæ conuerſa fuit ſacrato dogmate Pauli,
Et Chriſtum ſequitur connubia pacta relinquens.
Virginitatis amor flagrans in corde puellæ
Dulcia mundanæ ſpreuit conſortia vitæ,
In qua fundauit cœleſtis gratia mentem,
Sæcula quam penitus nunquam mollire valebant.
Durior vt ferro foret ad tormenta cruenta.
Hanc pater, & genitrix pactis ſponſalibus, ambo
Ad ſtirpem generis ſatagebant dedere * nuptis. *nuptum ſ. leg.
Sed mens virgineis ardeſcens torrida flammis,
Gurgite mundano perfuſa tepeſcere neſcit.
Quamuis verborum rorarent imbre parentes
Sicut nimboſis ſtillabant æthera guttis.
Propterea focus, & flagrans accenditur ignis,
Vulcanus late feruebat torribus atris,
Vt virgo felix ferret tormenta rogorum,
Conſumptura piam falſo ſine crimine carnem.
Tali femineam ſontes molimine ſpinam
Excruciare ſtudent, membratim quatinus oſſa, F
Si fieri poſſet, vacuarent cruda medullis.
Sed Deus æterna defendit ab arce puellam,
Vt voti compos flammas euaderet ignis.
Truditur ad rictus virgo laceranda * leonum *m. ſ. leo-pum.
Diris verò dant muliebres morſibus artus
Beſtia ſed ſacrum non audet carpere corpus
Defenſante Deo deuotæ membra puellæ:
Dum teneræ carni non vſquam ſponte pepercit:
Sic ſator electis cum mundi ſcammate certant,
Aurea cœleſtis largitur præmia regni.
Hæc ſuprema ſuæ decorauit tempora vitæ,
Purpureo ſanctam perfundens ſanguine carnem,
Martyr perpetui dum ſcandit lumina cœli.
Eulaliam proſæ vulgatam laudibus olim, 38. S. Eulalia.
Metrica nunc ſtudeant venerari carmina ſanctam,
Quæ mortale nihil vano dilexit amore:
Nec quidquam in mundu ſatagit præferre Tonantis
Sed cunctas pariter pompas contempſit opimas,
Funditus vt ſpretis cœni ſqualentis ad inſtar G
Deliciis gazæ ſequeretur libera Chriſtum.
Hæc thalami luxus, & gaudia blanda thororum,
Atque caducorum ſurtem deſpexit honorum:
Quatenus in cœlis caſtæ virtutis amator
Arbiter omnipotens impendat præmia vitæ,
Qui ſolet aſſiduis caſtos * ornare triumphis, *m ſ ar-mare.
Militibuſque ſuis portam reſerare per æthram:
Dum vincunt Sancti fallentis præmia mundi,
Atque coronatis geſtant vexilla maniplis.
Tempore Gothorum fuerat virguncula quædam, 39. Scholaſtica.
Quæ proprium ex ſchola ſumpſit Scholaſtica nomen:
Hanc Deus vbertim cœleſti munere ditat,
Aurea virgineo lucrantem præmia voto.
De qua hoc præcipuum vitæ tumuſculus almæ
Diuulgare ſolet, latus qua tenditur orbis,
Quod fratrem ſibimet germano fœdere iunctum,
Subnixis precibus geſtit compellere virgo,
Quatenus acciperent ſacrarum dulcia noctum
Fercula librorum, & ſancti conuiuia verbi, H
E quibus affatim ſaturantur pectora plebis,
Atque ſaginantur ſanctorum corda virorum.
Sed fidus precibus frater non flectitur vllis,
Quin imo ſanctam contempſit voce ſororem.
Tum virgo Chriſtum pulſabat voce benignum,
Vt ſibi dignetur vulnus ſanare doloris.
Mox igitur cœlum nimboſo turbine totum,
Et conuexa poli nigreſcunt æthere fuluo,
Murmura vaſta ſonant flammis commiſta coruſcis,
Et tremuit tellus magno * tremebunda fragore; *ſ. fremebunda.
Humida rorifluis humectant vellera guttis,
Irrigat & terram tenebroſis imbribus aër,
Complentur valles, & larga fluenta redundant.
Tunc manſit volens, qui pridem ſponte negauit
Quod germana petit deplorans anxia curis.
Sic Deus auſcultat deuota mente rogantes,

A Quamlibet à nullo ſolandi verba capeſſant,
40. S. Conſtantina. Nobilis in Roma vixit pulcherrima virgo
Conſtantina, nouæ præbens ſpectacula vitæ,
Omnibus integre qui conuerſariet optant,
Lurida linquentes veteris contagia vitæ.
Hæc inquam virgo cœleſti freta patrono,
Contemſit mundum ſelix cum flore virentem,
Arida ceu paleæ proiecta peripſema ſqualent.
Vtque magis ſtupeas, rumorem aduerte parentum.
Nam pater auguſte regnorum ſceptra gubernans,
Imperium mundi, Chriſto regnante regebat,
Qui Conſtantinus nomen ſortitur in æuum.
Hic ſobolem ſanctam miro dilexit amore,
Dum Vitæ merito late præconia curſant,
Quam pater intactam ſummus ſub dote ſpopondit,
Felix virgineis cum iam pubeſceret annis.
Namque proco fuerat, quo non præſtantior alter,
(Regibus exceptis,qui mundum iure gubernant)
Deſponſata probo, pactis ſponſalibus arthæ.
B Sed Devs integram ſatagens ſeruare puellam,
Satrapæ mentem ſtimulis compungit acutis,
Funditus vt pompas ſæcli ſpreuiſſet opimas,
Mallet & immunis regi famularier alto,
Deliciis mundi quam opulentis degere diues.
Cui ſic euenit miranda ſalutis origo,
Tempore nam quodam diris exercitus armis
Scythicus adueniens denſa ſtipante caterua,
Hoſtis innumeris Thraciam vaſtabat inhertem.
Tum gener auguſti vallatus milite paruo
Mœnibus incluſus, mox propugnacula ſcandit,
Armis diffiſus ſæuo graſſante tumultu,
Eſſet vt horrenda crudeſcens mortis imago,
Et deſperatus torperet miles in vrbe.
Tunc conſul Paulo, nec non hortante Ioanne,
Ocyus excelſo deuotus vota ſpopondit,
Vt Saluatori reliquum ſeruiret in æuum,
Chriſticola clarus, delubra vetuſta relinquens,
Si populi ſtrages, & ſæua pericla duelli
Protinus auferret ſolita clementia Chriſti,
C Temperiem reddens diſcuſſo turbine belli.
Quæ cum dicta forent ſpondentis voce ſequeſtra,
Extemplo, Chriſti ſenſit ſolatia prætor,
Cœlicolis ſuperis mox defendentibus vrbem,
Æmula dum paſſim vertetunt terga phalanges,
Pace ſalutiferis populum ſtipante coronis.
Denique cum voti remeaſſet compos ad vrbem
Compta triumphorum ſortitus ſabbata Princeps,
Inclyta Romanis reuehens ex hoſte trophæa,
Seruorum decies quingentos liberat heros.
Hoc eſt, vernarum famulantia millia quinque,
Participes faciens Romanis ciuibus omnes.
Nec petit Auguſtum pactam ſibi reddere ſponſam,
* m. ſponſans. Coniugium penitus famoſum ſponte * recuſans:
Spreuit opum nodos, mundique reliquit habenas
Vt pauper Chriſtum miles ſequeretur egentem,
* Iam factis complens * . . . . . ſcripta docentis.
Vota vouere Deo reddentes debita pacta.
Sic Devs omnipotens famulam protexit amantem,
D Vocibus aſſiduis pulſantem regna Tonantis,
Vt ſe ſeruaret ſator integritatis amator,
Lurida linquentem ſæui colludia luxus.
Plures nam Chriſto conuertit dogmate turmas,
Exemplo ſimul, & celebri rumore coruſcans.
Vberius pandunt geminæ quod forte ſorores,
Attica, & Artemia prætoris ſanguine cretæ,.
Quem Galicanum vocitabant ſæcula priſca:
Præfatas cuius ſoboles regina monebat,
Virgineum caſtis vt ſeruent geſtibus æuum,
Florida quæ pariter meruere trophæa pudoris,
Dum mundum linquunt tranſacto tempore vitæ,
Et fauſte properant ad cœli ſidera ſurſum.
41. S. Euſtochium. Nec minus interea Romæ tiruncula Chriſti
Floruit Euſtochium, venerandæ filia Paulæ,
Inſula quam nitidæ comebat caſta iuuentæ,
Legibus angelicis ſeruantem iura pudoris.
Quamuis Blæſillam lecti fortuna ſororem E
Nectetet ad thalami copulam, tædaſque iugales,
Vincula comptorum paſſuram blanda thororum.
Attamen ereptum ſic luxit ſponſa pudorem,
Cum vir mundanæ clauſiſſet lumina metæ:
Plangere ceu ſolet ablatum matrona maritum,
Anxia dum queritur ſingultu funera ſponſi.
Hos igitur threnos, quos mundi fata faceſſunt
Lethifer & morbus crudeli calce laceſſit
Euſtochium lacrimis virgo non ſenſit amaris
Mellea mundani temnens contagia luxus.
Aſpidis vt morſum ſpernebat baſia buccis,
Dulcia ſed Chriſti compreſſit labra labellis,
Oſcula dum ſupero defixit limpida ſponſo,
Vt cecinit quondam famoſo carmine princeps,
Qui ſceptrum regni Solymis erexit in aruis,
Perſonam Chriſti, ſponſali dramate ſumens.
Sic inquam voti vixit virguncula compos,
Vt merito fama reliquum celebretur in æuum,
Cum ſacer interpres conſcripſit opuſcula plura.
Qui rudis, & veteris digeſſit famina legis, F
Hebrea Romulidis vertens oracula linguis, S. Hieronymus.
Nec non argolicas Italo ſermone loquelas,
Idem tranſlator biblis opulentus opacis
Tranſtulit in latium peregrina volumina pandens,
Theſauroſque ſimul librorum forte Pelaſgos
Edidit in lucem, quos pagina texerat vmbra,
Clauibus Auſonia verbis cluſtella reſoluens.
Tomum præterea comptum ſermone polito
Ad famulam Chriſti ſcripſit didaſcalus idem,
In quo pinguntur caſtæ præconia vitæ,
Qualibus integritas ornetur candida ſertis,
Immunes artus ſeruans ſine ſorde petulca.
Sic ſoboles Paulæ degit lectiſſima virgo,
Donec ſupremam clauſiſſent ſecula metam
Aurea tum propere penetrarat regna polorum
Spiritus, ad ſuperas anima remeante cateruas.
Hic quoque metrorum crebreſcat laude per orbem, 42. S. Demetriade vide
Demetriadis honor ſacratæ virginis almus.
Quam licet Europæ fauſtis natalibus ortam G
Plurima cum denſis celebrarent agmina turmis, S. Hieron. epiſt. ad Demetriadem virg.
Punica ſceptra tamen præconia ſancta ſtupeſcant,
Virginis egregiam vultu mirantia famam.
Sicut enim lychnus modii non clauditur vmbris,
Summa ſed potius fulgeſcens arce locatur,
Omnibus vt radiet clara cum luce coruſcans;
Sic ſacrata Deo, caſto virguncula ſexu,
Vixerat in terris cœleſti freta patrono.
Inclyta hæc fuerat generoſa ſtirpe parentum,
Nobilibus titulis vitæ cunabula ſumens.
Sed tamen ante Devm multo generoſior extat,
Virtutum meritis rutilans,vt gemma coronæ,
Pulcra comis, ciriiſque decens. & candida vultu,
Fronte capertabat frugalis virgo Tonantis,
Hanc opulenta ſibi certatim turma Procorum,
Formoſam ſpecie, thalamis adſciſcere geſtit,
Plurima dum, felix ditis patrimonia gazæ
Poſſidet,obryzum, ac gemma fulgente metallum,
Ac ſegmentata fulgebat veſte virago.
Innuba ſed voluit dotales linquere pompas, H
Et ſuperi potius ſponſi lenteſcere labris,
Suauia compreſſis impendens oſcula buccis.
Nam nuper legi facundo grammate biblum,
Virginis eximiam qui ſcribit commate vitam,
Vt precibus genitrix ſubnixis ſancta popoſcit,
Cum pia trans pontum pulſaret certa * Magiſtrum, *S. Hieronymum.
Scriberet vt ſoboli doctrinam rite ſupernam,
Qualiter in cordis theſaurum condat acerra
Virgineum, ſeruans ſtupri ſine ſorte pudorem.
Tempore quo rigidos ſæui tormenta tyranni 43. S. Anaſtaſia.
Athletas Chriſti cogebant ferre cruenta,
Tres ſimul illuſtres ſumſere . . . . . ſorores,
Splendida purpureis plectentes ſerta coronis,
Dum ſimul integritas candens & paſſio rubra,
Virginibus Chriſti cumulabant præmia dupla,

A Quartum per proſam deſcripſi nomina dudum.
Impius Auguſtus qui Romæ ſceptra regebat,
Has Chriſti famulas ſupremi fallere geſtit,
Plurima ſacratis promittens dona puellis:
Si mallent omnes conſortes eſſe Procorum
Nobilium pulchra fungentes dote virorum.
Si vero nollent ritum complere iugalem,
Mox tormenta iubet ſanctas perferre puellas,
Liuida paſſuras ſtrictis ergaſtula clauſtris,
In quibus exiguæ caperent nutrimina cruſtæ.
Sed tamen inſontes felix Anaſtaſia vernas
Paſcere non ceſſat præbens alimenta miſellis,
Quæque ſtipem quæſtus: ſimul & patrimonia gaza
Martyribus confert, mortis diſcrimina paſſis.
Illius idcirco diuulgant ſæcula famam,
Et rumor laudis perpes crebreſcit in æuum,
Quæ contempta ſui ſpreuit patrimonia ſponſi,
Et ſequitur Dominum neglecta ſorte mariti.
Pertulit idcirco pœnas matrona cruentas,
B Quas nunc in chartis biblorum digerit ordo,
Et legitur felix deſcriptis paſſio ſcedis,
Annua dum redeunt celebrandis tempora feſtis.
Denique prædictas germana mente ſorores,
Diri tortores ducunt è carcere cæco,
Quas ſimul adſpiciens formoſis vultibus, atrox
Præſes Dulcitius ſpurco ſuccenditur igne,
Luxuriæ ſtimulis cæco correptus amore.
Plurima tunc pellax ſpondebat dona puellis,
Si mallent animo nutum complere nefandum.
Sed famulas Chriſti protexit parma pudoris,
Spicula luxuriæ ſpernentes corde profanæ.
Sed nocturna quies cum feſſos occupat artus,
Dulcia dum famulæ cecinisſent carmina Chriſto,
Odis Pſalmorum pulſantes oſtia cœli:
Audet atrox ſanctam ſpurco flammatus amore,
Audacter cellam ſtolidis irrumpere plantis.
Sed præſtante Deo cæcatur corde malignus,
Baſia cacabis dum ſtultus tradidit atris:
C Sic ollis niger; & furua ſartagine teter,
Per totam noctem præſes diluditur amens,
Defenſante Deo, ſacraſque tuente puellas.
Egreditur tandem infelix gurguſtia linquens,
Quem ſcelerum ſocij nequeunt cognoſcere fronte,
Sed procul abſcedunt vaſto crepitante tumultu,
Linquentes larnam, furuum phantaſma putabant.
Nam proprias acies furor cæcabat iniquus;
Vt ſolus nebulam ſtrophæ non noſſet adulter,
Cernere quam reliqui quirent ſine fraude maligna.
Tum petit Auguſti demens ſuffragia quæſtu,
Vindicet vt flagris veruatum crimina ſontum.
Quo viſo proceres denſa ſtipante corona,
Cum colaphis cedunt, & lento vimine flagri,
Vt procul effugeret facies laruata nefandi.
Ducitur ad propriam famulis comitantibus aulam,
Moxque clientelæ reſonant ſingultibus ædes,
Dum cernunt dominum picea fuligine pictum.
Autumat incaſſum fretas virtute magorum
D Hoc ſibi * claſma tetrum ſacras geſtaſſe puellas, ** ſ. phaſma.*
Idcirco peplis iuſſit fraudare beatas,
Paſceret obſcœnos vt nudo corpore viſus:
Quos prius in latebris fraudis phantaſma fefellit.
Sic Devs ex alto, qui ſanctos iure triumphat;
Cum forti famulas dextra defendit inermes,
Vt nullus membris poſſet auferre cyclades.
Venit ad extremum princeps Siſinnius atrox,
Vt famulas Chriſti, ſi nollent thura litare,
Nec delubrorum ritus offerre profanos,
Inſontes pariter crudeli morte necaret.
Sed nullus valuit ſanctas terrore minatum,
Quamuis centenis plagis incumberet atrox,
A Chriſti cultu mentes diſcludere fixas.
Tum geminas mandat flamma crepitante cremari,
Quæ ſic orantes potius, quam damna ferentes,
Angelicis vitis ad cœli ſidera ſcandunt.
Tertia ſed ſequitur cuneum viſura ſupernum,
Tramite diſſimili tendens ad præmia vitæ: E
Spicula dum patitur longis exempta pharetris,
Vulneribus crebris occumbens ſaucia virgo,
Purpureuſque cruor tenera de carne cucurrit.
Præterea geminas diuulgat fama ſorores, *44. S. Rufina, & Secunda.*
Romæ ſortitas primæ cunabula vitæ.
Nomine nempe prior felix Rufina vocatur,
Altera poſterior floris ætate, Secunda.
His pater * Aſterius nec non Aurelia mater, ** m. ſ. Auſterius.*
Nobilium pulcra Conſulum dote Procorum.
Sed tamen illuſtres ſponſalia iura recuſant,
Cunctaque fallentis mundi patrimonia ſpernunt,
Vt ſponſi thalamis cœli qui regnat in arce,
Iungantur iugiter, quo floret pulchra iuuentus, ** m. ſ. ſcul-cata.*
Et nunquam aggreditur rugis * ſulcata ſenectus.
Harum igitur ſponſi, neglecto tramite Chriſti,
Errorum anfractus ſalebroſo calle ſequuntur.
Quamuis ante fidem geſtarent pectore puram.
Idcirco ſponſæ temnentes iura Procorum,
Vrbis Romanæ linquunt faſtigia celſa,
Vt tempeſtatem tranquilla mente neſcirent, F
Quam rea ſponſorum concinnant famina ſponſum.
Namque petunt pariter Baſternis prædia nota,
Quæ procul in Thuſciæ felices parte tegebant.
Sed rurſus Romam ſponſis prodentibus, ambæ
Miſſis militibus propere ducuntur ad vrbem,
Squalores pariter paſſuræ carceris atros.
Tunc Rufina ſoror dictis parere nefandis
Renuit, vt vetitum fanis offerret honorem.
Cæditur idcirco cum lentis femina flagris,
Vt ſoror adſpiciens molleſcat mente Secunda
Verbera dira pati cum ſanctos cerneret artus.
Sed ſecus euenit, quam tortor credidit atrox,
Dum nutabundis non fatur virgo loquelis.
Nam conſtanter ait, nunquam tremebunda Secunda:
Adfer cuncta ſimul nobis tormenta cruenta: ** m. ſ. vibice. ſ. ibice.*
Ignes, & macheras & rubras * vibice virgas,
Reſtes, & fuſtes, & dura grandine ſaxa,
Cœrula ſanguineis harpagans vulnera riuis,
Quot tu pœnarum genera crudeliter infers,
Aſt ego tanta feram victo tortore tropæa, G
Quot tu concinnas crudi diſcrimina lethi
Tot nos in ſupera numerabimus arce coronas.
Tunc iterum carcer laternæ luminis expers,
Paſſuras claudit fumoſo ſtercore pœnam:
Sed ſplendor lucis radiantis ab axe polorum
Fumas exſtinguit latebroſi carceris vmbras,
Et fœtor fimi, vt thuris fragrantia ſpirat.
Poſthæc in thermas ambuſto torre calentes
Ambas trudebant diuino numine fretas.
Sed tamen in thermis crepitantes fomite flammas
Protinus exſtinxit cœleſti rore poteſtas,
Artus virgineos ſic tegit parma pudoris,
Vt nihil innocuis læſa eſſet caro fauillis,
Sed fax, & fomes, & dempto pruna rigore,
Nequicquam ardentes ſopito torre tepebant.
Tum famulas tortor ſacratas imperat atrox
Pondere cum ſcopuli collum conſtringere nexu,
Alueus vt Tiberis merſiſſet gurgite glauco,
Quas prius exuſti non audent vrere torres: H
Sed famulas Chriſti nectebant cœrula fluctu,
Frigida cum vitreis ſtupuerunt flumina fluſtris,
Ad ripas remeans rurſus cum ſoſpite vita, ** m. ſ. planœ carina.*
Corpus virgineum damnat ceu * plana carina,
Tunc iuſſu rigidi truculento principis æque
Sanguine purpureo ſanctarum membra rubeſcunt,
Ambæ martyrii mercantes ſerta cruenti;
Nec non virgineos ſumpſerunt iure triumphos,
Rura relinquentes cœlorum regna capeſſunt,
Quamuis oſſa tegat tellus, & tumba ſepulcri
Artus includat pro Chriſto funera paſſos,
Donec ſcintillans exuræ ſæcula carbo.
Attamen ad cœli ſcandunt ſpiracula ſedes,
Abſque chaoo denſis geſtantia labbara turmis.
Quando cateruatim vallant cœleſte tribunal.

A 41. *S. Anatolia, & S. Victoria.*

Tempore quo Decius triquadrum rexerat orbem,
Militibus Chriſti mortis diſcrimina patrans;
Extitit in Roma binarum ſorte ſororum
Fama præcipuis pulſans rumoribus aures;
Quas nullus poterat tormentis vincere tortor:
Quamlibet inſontes multaret cæde cruenta,
Vt vitæ auctorem reflexa mente negarent.
Altera de geminis felix Anatolia dicta:
Altera ſed geſtat verum Victoria nomen.
Has igitur ſponſis claris natalibus ortis
Ad prolem generis ſatagunt adiungere nuptas.
Sed mens virgineis ambarum torrida flammis
Stuppas luxuriæ combuſſit torre pudoris,
Spurcitias mundi contemnens corde caducas.
Diuitias ſpargunt, ſimul & patrimonia dantes
Aurea purpureis calcant crepundia gemmis,
Cunctaque pauperibus mox ornamenta miſellis
Nil ſibi ſeruantes, vendunt pro ſtipe ſuperna.
Nuntius è cœlo pinnatus labitur alto,
B Flammeus aſpectu, niueo candore coruſcus,
Sceptrorum lumen dextra geſtabat in alma:
Ambas alloquitur tali cum voce puellas.
Nunc procul à veſtro pallorem pellite vultu,
Pectore nec pauido quatiens timor ilia pulſet;
Dum vobis thalamus paradiſi ſede locatur,
In quo perpetui nunquam conſortia ſponſi
Deficient penitus, ſed gaudia longa manebunt,
Si vos virginitas comes indefeſſa tuetur.
Tunc ambæ ſeruant caſtæ conſortia vitæ,
Angelus vt dederat ſancti præcepta pudoris,
Vſque fugam vitæ cum mors in limine latrat,
Marcida depopulans vitali pectora flatu.
His igitur geſtis tinguntur ſæua Procorum
Pectora letifero zeli maculata veneno,
Dum cernunt amplum ſponſas expendere cenſum.
Interea Romam linquens Victoria virgo,
Exul in exilium tribunali ducitur vrbis,
Quo draco funeſtus ructabat flamina ventris;
C Limpida lethiferis corrumpens aera venenis,
In tantum, vt ciues vaſto crepitante tumultu,
Linquere iam mallent pollutam flatibus vrbem,
Exoſi latebram, qua horrens bellua latebat.
His igitur miſeris ſpondebat Victoria virgo,
Credula ſi Domino pandant præcordia Chriſto,
Liuida peſtifero linquentes idola cultu,
diplam pro dipſada, leg. Vt dicto citius truculentam flumine * gypſam,
Quæ turmas vulgi multabat ſtrage cruenta,
Pelleret e populo, dum mallent credere Chriſto.
Quod dum ſponderent concordi voce cateruæ,
Ilico ſquamigerum proturbat virgo chelydrum,
Et procul in vacuas iuſſit reptare ſalebras.
Mox draco crudelis ſermonum pondere preſſus,
Deſerit obſcurum ſquamoſa pelle ſigillum.
Sic virgo felix æthrali freta triumpho,
Ingentem explodit ſancta virtute colubrum,
Vt nunquam vlterius ſerpens irrumperet antrum,
Sed procul abſcedens incultis exulat aruis,
f. dipſad. D Iuſſerat vt * gypſam verbo torrente migrare,
Ciuibus impendens expulſo natrice palmam.
Tunc rogitat ciues felix vernacula Chriſti,
Quatenus in crypta ſibi natrix vnde nefanda
Aufugit, pariter dignentur condere cellam:
Mox veneranda Dei ſupplex vt virgo popoſcit,
Inſuper & decies ſenas iunxere puellas;
Quæ precibus crebris laudarent voce Tonantem,
m. f. re-cta. Odis Dauidicis modulantes carmina * ſancte
Tunc Procus Eugenius delubri flamine fretus,
Thurificare iubet, munuſque offerre Dianæ.
Alma ſed imperium ſpreuit complere nefandum,
Idcirco macheram ſtricto mucrone vibrabat
Crudelis tortor fundendo fluenta cruenta,
Virgineos artus conſecrans ſanguine rubro.
Mox interfector ſenſit diſcrimina palmæ,
Arida marceſcens dum torpet dextra lacerto:
Irrupet expertus calloſo corpore lepram,
Verminibus & ſcatens, efflauit flamen in auras. E
Sic quoque famoſis, felix Anatolia ſignis
Claruit, exilium ſæui perpeſſa tyranni.
Conſulis en ſobolem conſtrictam nexibus arctis,
Expertem ſenſus cum bruta mente vagando,
Hoſtibus exploſis reſtaurat pectus anhelum,
Quorum ore rudi diuerſis peſtibus ægros
Conglomerant pariter ſtipantes agmine ſanctam;
Ollis optatam reddebat virgo ſalutem;
Nec non & morſum, qui toruam carmine gypſam
Irritat vt Sanctos crudelis bellua laceros,
Dentibus horrendis, & rictu rodat aperto,
Extemplo curat diſrumpens vincla chelydri,
Qui prius in ſpira morſum glomerauit inertem:
Idcirco curſim feſtinat credere Chriſto,
Agnoſcens propriam tanta virtute ſalutem,
Inſuper & meritum cumulauit ſanguinis oſtro;
Præmia ſumpturus cum cœli cœtibus almis.
Candida poſt ſequitur cum binis martyra ſertis;
Integritas niridam, nec non & paſſio rubram
Plumabant pariter mactæ virtute coronam. F

Althelmi Epiſcopi incipit de octo principalibus vitiis.

Digeſtis igitur Sanctorum laudibus almis:
Quorum rumores ſub cœli culmine flagrant;
Reſtat, vt ingentes depromant carmina pugnas;
Ex vitiis procedentes, virtutibus atque,
Virginibus Chriſti, quæ cœli regna negabunt,
Florida luciflua claudentes limina portæ,
Ni virtute Dei procul eliminata fatiſcant,
Et fugiant furuas Chriſto trudente ſub vmbras:
Ecce cateruatim glomerant ad bella phalanges,
Iuſtitiæ comites, & virtutum agmina ſancta.
His aduerſantur vitiorum caſtra maligna,
Spiſſa nefandarum quæ torquent ſpicula rerum,
Æmula ceu pugnat populorum pugna duorum, G
Dum vexilla ferunt, & clangit claſſica ſalpix,
Ac ſtimulant Martem legionum cornua cantu.
His inquam denſo virtutes agmine plures
Occurrunt vitiis geſtantes bellica ſigna.
Caſſida cum thoracis nec non ancile duelli,
Et macheram verbi, peccati monſtra necantem,
Se in ſpatium pariter portant ad prælia mundi.
Virtutes quoque parmarum teſtudine ſumpta,
Sæua profanorum contundunt tela ſparorum.
Virginitas igitur quæ calcat crimina ſtupri,
Quam non deturpat peccati ſæua cicatrix,
Contra bellantes ſtudeat certare cateruas.
Octenoſque duces, quibus hærent agmina ſæua,
Viribus armatis nitatur vincere virgo.
Nec ſolum prodeſt tyrones ſternere ſtupri,
Et macerare ſuam crudeli vulnere carnem:
Cætera ni fuerint vitiorum crimina ſeptem,
Ad diram proſtrata necem graſſantibus armis:
Vt populus Domini liquit Memphitica ſceptra;
Humida cum ſiccis peruadens cærula plantis, H
Et quater annorum compleuit tempora dena,
Hoc eſt, octeni ſpatioſa volumina luſtri,
Vtque quo promiſſæ telluris regna capeſſat.
Sed plebs Ægypti rubro ſub gurgite merſa,
Quæ turmas fluſtris denſas perdebat aquoſis:
Ingluuiem ventris iuſte ſignare poteſtur.
Quapropter prauas expugnans Virgo cohortes;
Hanc peſtem primo diram certamine vincat,
Quam ſequitur ſcelerata phalanx, luxuſque ciborum,
Ebrietaſque ſimul, nec non & crapula cordis,
Ingluuiem dapibus quæ ſemper paſcit opimis,
Sed gula, quæ dulcis lucratur fercula victus,
Et geſtit ſaturare ſui penetralia ventris,
Ac ſtomachum farcire ſtudet præpinguibus extis;
m. f. almus mundo. Ieiunij validis pellax proſternitur * armis.

A Nam protoplaſtus, quem rex formauit olympi,
1. Ruriculamque rudem palmis plaſmauerat almis,
Gula. Pectora fœcundans cœleſti flamine vitæ,
Iam dudum cecidit proſtratus fraude guloſa,
* m. ſ. gloſſator notat deuoratorē Dum vetitum ligni malum decerperet * ambro,
A quo peſtiferum gliſcebat ſemen in orbe,
Vnde ſeges ſpiſſa ſpurcis ſuccreuit ariſtis,
Ebrietas animos ſolet eneruare virorum.
Nam ſator & mundi regnator poſt cataclíſmum,
Cum genus humanum multarent æquora fluſtris,
Paſtinat in ſcrobibus frondenti palmite vitem,
Atque bibens nectar nudabat turpe veretrum.
Proles vt ſtolide rideret voce procaci,
Quod probrum cupiunt fratres velare paternum,
Tertius & primus pepli ſub veſte tegentes.
Si Bacchus valuit venerandum cogere vatem,
Vt deuoraret ſobolem, & genus omne nepotum,
Dicens, Sit famulus Canan maledictus in æuum.
Nunc potius metuit defruti pocula virgo,
Æthralem linquat ne victrix forte coronam.
B Ebrius ad vitæ ſe neſcit tendere callem
Loth quoque qui largus ſceleratos vixerat inter,
Hoſpes hoſpitibus præbens vmbracula tecti,
Dapſilis & tribuens cunctis ſolamina victus:
Cum ſcortatores, & molles corde cynædos,
Qui Sodomæ facinus patrabant more nefando,
* quos ſ. diſideratur. Cœrula ſulphureis torrent * flumina flammis,
Nonne ſator ſobolem ſtupro cognouit adultam,
Ebrius in thalamo natarum neſcius errans?
Quod ſcelus infandum patraret crimine nunquam,
Ni mero madidus neſciret iura thororum.
Quid memorem ſapæ temulentum nectare Nabal.
Qui genus extorris, nec non & nomen auitum
Ebrius exprobrat, ſtolida cum voce cachinnans.
Et ni matrona prudens, fore damna marito
Peruigili ſenſu noſſet ventura maligno,
Heu quantos demens ſeu quales ſtragis aceruos,
A rege ſpreto pateretur lentus in aula!
Vt nullum paries mingentem lotia noſſet,
C Ante Aurora rubrum quam lumen ſpargeret aruis,
Idcirco hanc belluam ſtudeat ſuperare virago.
Ne balena vorax valoas explodat olympi
Spiritus vt nequeat paradiſi ſcandere ſceptrum.
Dura quidem iugiter virtutes bella faceſſunt,
Ingluuiem contra, vincentem ferrea corda.
Sed tamen integritas ieiunis viribus obſtat,
Frangantur dapibus ne propugnacula mentis.
Nectaris idcirco contemnit pocula mulſa,
Atque opulenta fugit pro Chriſto fercula virgo,
Virginitas felix, queat inſeruire Tonanti.
2. Exin certamen ſtuprorum bella ſecundum
Luxuria. Blanda cient caſte Chriſto famulantibus alto.
Verum virginitas ſcortorum caſta lupanar
Conculcat pedibus cœni fœtentis ad inſtar:
Ex hoc naſcuntur monſtro turpiſſima verba,
Nec non ſcurrilitas, & ſcœuo ludicra geſtu,
Friuolus, & fallax amor, ac petulantia luxus.
O quantos, qualeſue viros, & laude celebres,
D Hæc Bellona ferox ſub triſtia tartara truſit!
Virgineum demens ſtrophoſa fraude triumphum!
Non ſic egregium virtutis perdere palmam
Forma venuſtatis valuit compellere Ioſeph,
Qui dominam ſpreuit nectentem retia luxus,
Et ſtuprum fugiens pepli velamina liquit:
Idcirco felix meruit Memphitica ſceptra,
Quem ſolus celebrem terrarum prædicat orbis.
Quid referam Iudith generoſa ſtirpe creatam,
Proſtibulum regis temnentem pectore puro,
Et ſtuprum ſceleris calcantem corde profanum,
Ciuibus idcirco mortis diſcrimina paſſis,
Caſta cruentatum geſtauit fulua tropæum,
Integrum ſeruans deuota mente pudorem.
Sic vitium carnis polluta ſorde tenatis
Integritas almo contemnit caſta triumpho,
Æmula virgineis proturbans bella ſagittis,
Lurida proſtibuli ne poſſit ſerpere virus E
In fibras fragiles ſuccenſis torre medullis.
Poſt philargyria producit tertia bellum, 3.
Interpretatur vitium quod forte cupido. Auaritia.
Hæc ductrix pugnæ ſtipatur milite denſo.
Non ſola graditur per publica ſtrata pedeſtria,
Arma cruenta ferens, & ſpicula lita veneno.
Hæc comites prauos, itidem mendacia mille,
Fraudes & fures, ac falſis friuola geſtis,
Appetitus turpis lucri, & periuria inepta,
Atque rapinarum maculatos crimine quæſtus,
Conglobat in cuneum cum falſis teſtibus ardens;
Vt Pſalmiſta canit lacrymans delicta reorum,
Semper auarities numis ſeruire volentum,
Theſaurizat, & ignorat, cui congreget illa.
Paulus Apoſtolico promulgat famine Doctor,
Cunctorum cauſſam conſtans eſſe malorum.
Hoc vitium idcirco conetur frangere virgo,
Dum facinus vaſtum loculi geſtator auarus
In Dominum lucis ſtropha patrauerat atra, F
Credita qui tabidis furtim marſuppia palmis
Compilat, & ſtipem cupidus clam fraudat egentum.
Vltio quapropter lethali calce reatum
Vindicat, & furem crudeli verbere plectit:
Qui regem cœli redimentem ſæcla cruore
Vendidit argenti cæcatus munere demens.
Nec non Hebrææ gentis regnator auarus,
A quo florigerum fraudatur vinea Naboth
Coniuge crudeli * ſcidam ſcribente nefandam. * μ ſ. ſcedam.
Hoc ſcelus amborum ſtrophoſo crimine geſtum
Caſtigat ex ſuperis proſpectans arcibus vltor.
Namque cruenta canes linxere fluenta tyranni,
Qua dudum occubuit ſcopolorum grandine vaſta,
Innocuus princeps, qui nullum læſerat armis.
Iezabel vero quæ tomum ſcripſit ad vrbem,
Atque probos Domini multauit dira Prophetas,
Acriter horrendi diſcerpunt dente moloſſi,
Membraque purpureo tabo perfuſa ruebant.
Sic quoque quaſſaris Princeps ſub mœnibus vrbis, G
Perdidit aurati vitam per lucra metalli.
Tale fuit lethum miſerorum forte clientum,
Quos ſimul . . . . . . ſaxorum turba terebat.
Cum Domini populus muri pinnacula ſeptem
Denſo vallaret cuneo fulgentibus armis.
Salpicis & clangor, nec non & claſſica ſiſtri
Horrendum incuſſere metum per corda virorum.
Mox euerſa ruunt vrbis faſtigia fractæ,
Quæ dudum ſteterant ſeptenis arcibus amplæ.
Aurea ſic cupidus cumulans crepundia quæſtu,
Farcit egens iugiter fuluo numiſmate ſaccum:
Et tamen expleri rabies ambuſta negatur.
Ceu laris accenſi crepitant incendia flammis
Amplius, & quanto fuerint augmenta rogorum,
Tanto plus ſitiunt vt torris fomite flagrent,
Sic igitur cupidus nec non infernus, & ignis
Conferri poſſunt terno paradigmate rerum.
Aſt vero quartam trux congregat ira cateruam, 4.
Quæ ſemper furibunda cupit diſcrimina belli: Ira.
Et ciet ad pugnam mentes diſcordia fratrum, H
Dum copulata * pie diſrumpit fœdera pacis. * ſ. pia.
Ex hoc naſcuntur cædes cum ſtrage nefandæ
Et clamor vocis, ſimul indignatio frendens.
Sed moderata geſtat certam patientia terram,
Atque cruentatum ferro fractura cerebrum,
Iræ bacchantis ſtrepitum compeſcit * anormem, * m. ſ. inormem.
Vincere ne valeat Furiarum maxima mentes,
Quamuis Gorgoneo ſtridat maculata cruore,
Atque venenatis mordendo ſibilet hydris.
Dum caput ex Erebo nigricantis filia Noctis
Tollit, & in mundum Stygiis emerſa latebris,
Suſcitat Alecto ſcæuas ad ſcandala mentes:
Hæc ſolet ad bellum ferratos ducere contos,
Horrida facturos animabus vulnera Sanctis. 5.
Noſtras ni Dominus mentes defendit inermes. Triſtitia
Triſtitiæ quinto graſſantia bella tumultu ſeu deſperatio.

A *Triſtitia ſeu deſperatio.* Virtutum muros,& propugnacula frangunt,
Tironeſque Dei vexant crudelibus armis.
Quanquam puſillanimes trux deſperatio mentes
Opprimit incautum obtentu rancoris amari:
Bellator Chriſti ſed mox vmbone retundit,
Geſtans triſtitiæ pariter genus omne mucronum,
Quæ mentem ſtimulare ſolent, ne forte fatiſcat.
Hunc morbum ægroti medicantur gaudia cordis
Spiritus & læto moderans præcordia geſtu,
Nec rigor, & rancor mentis penetralia turbent,
Vt nequeat Chriſti ſecurus viuere miles.
Frangatur potius mox deſperatio mœſta,
Ne ruat in præceps, mentiſque ſtatura labatur:
Si firmo careat noſtri fundamine Chriſti,
Qui ſemper tremulos tutatur gratia gratis
Et nullum patitur lethali vulnere labi,
Ne deſperatus medicantem ſpreuerit æger.
In geminas iſtud nomen ſe findere partes
Creditur,& duplici dirimuntur tramite cauſſæ.
B Vna ſalutaris tendens ad limina lucis,
Altera mortalis penetrans ad tartara tetra,
De qua nos Dominus ſaluare dignetur ab arce.
6. *Acedia. ſ. Accedia.* Hinc aciem ſextam torpens Accidia ducit,
Otia quæ fouet,& ſomnos captabit inertes,
Importuna ſimul verborum friuola fontum,
Inſtabilis mentis geſtus, & corporis actus,
Inquietudo ſimul ſtipatur milite denſo.
Peruigil hanc peſtem calcat Conſtantia mentis,
Quæ creta Chriſti geſtit defendere vitam,
Hoſtibus exploſis ſecura pace potitur.
Spiritus ille vagus cupit, vt mens otia quærat,
Occupet & ſtudium iam ſomnolentia ſenſum,
Sedula ſollicitum pulſet ne lectio pectus:
Lumina nec vigilum ſcripturæ tramite tendant.
7. *Cenodoxia ſeu vana gloria.* Septimus inſequitur denſis exercitus armis,
Quam peſtem priſci dicunt Cenodoxia Græci,
Vana quod in Latium transfertur,gloria,nomen:
Hæc protoplaſtum pellexit fraude colonum,
C Dirum perſuadente ſcelus fautore malorum,
Tales ex atro dum rupit pectore voces:
In quacunque die vultis decerpere fructum,
Mox patefacta fiunt veſtratis lumina frontis,
Nec non diuini vobis comitantur honores.
O quam falſa latro ſpondebat friuola mendax,
Vt conceſſa rudis fuſcaret munera vitæ,
Nonne ſatis foret, vt quadro cum cardine mundus,
Quem vertigo poli longis anfractibus ambit,
Viſibus humanis ſeruiret rite per æuum,
Inſula terrenos ni cœli comat alumnos?
Heu ſcelus, heu facinus, miſeris mortalibus ortum!
Et hoc ex vana præſertim gloria fictus,
Haud meruit princeps ſpe circumuentus inani.
Ex hoc gignuntur vitiorum fomite clades:
Lethiferi primum verbi contentio præceps.
Inde hereſis gliſcit, nec non iactantia creſcit,
His quoque congreditur præſumptio trux nouitatum,
Sed tiro infracta tectus teſtudine Chriſti,
Horrida vulnifici detrudit ſpicula ferri.
D 8. *Superbia.* Octauam cumulat . . . . . . ſuperbia turmam,
Militibus Chriſti torquentem pila piacli,
Quæ glomerare ſtudet ventoſa fraude maniplos,
Et graditur ſemper faſtu comitata maligno,
Dumque pedes pergit per mundi crimina fallax,
Sed criſtata caput quaſſat ſub nubibus atris.
Nam plerunque probos propriis proſternere telis
Nititur, & ſtrages alienis factitat armis.
Naſcitur atra frutex ex iſta radice frondens,
Et nemus vmbroſum diro de ſemine ſurgit.
Primo, contemptus procerum præcepta docentum,
Dum mentis typhus ventoſo pectore turget,
Nec non inuidiæ peſtis progignitur inde,
Quæ ſolet æquales tumido contemnere faſtu,
Atque ſatellitibus ſpretis regnare ſuperba.
Namque per inuidiam lethalia ſceptra vigebant,
Dum prædo pellax, & tetræ mortis amator,
Auctorem generis ſtropha pellexit inani, E
Scanderet ad ſuperas arces ne turba nepotum.
Sic quoque liuoris tabo corruptus enormi,
Splendida germani dirupit fœdera frater,
Pinguia quia primus * combuſſerat exta bidentum, ** in ſeb- barr-ae.*
Deſpiciente Deo crudelis munera Cain.
Inde praua ſeges gliribus denſeſcit * acerbis, ** acerbum m. ſ.*
Sanguine purpureo dum ſæuus rura cruentat
Inde ſuperbarum naſcuntur murmura vocum,
Et crimen cordis dicto patere negantis,
Ac lacerans homines * trux detractio linguæ. ** truculi ferie.*
Cætera quæ dudum numerauimus agmina ſeptem,
Inter mortales terrena ſtirpe creantur.
Aſt vero monſtrum, de quo nunc pagina fatur,
Principium ſumpſit ſuper alta cacumina cœli,
Angelicus princeps, & protus lucifer æthræ,
Ex aquilone ſuum dum ſublimare tribunal
Geſtiit, & Domino ſimilem ſe fraude ſpopondit.
Iamque nouem lapidum forma phaleratus amœna,
Contra creatorem fruſtra turgeſcere cœpit, F
Dum ſcelus horrendum tetro ſub pectore verſat,
Vt Dominum propriis æquaret viribus audax,
Lucifer idcirco deſerto climate cœli,
Nigra ſatellitibus ſtipatus Tartara fuſit.
Cœlicolas iſta proſtrauit bellua ſuperbos
Qui prius angelica fulſerunt luce coruſci,
Sedibus & ſuperis florebant ſorte beata.
Tertia ſtellarum rueret dum portio præceps,
Lucida bis tantum manſerunt ſidera ſurſum.
Peſtiferum natrix ructans de fauce venenum,
Denique ſi potuit cœli maculare cateruas,
Plus ſe terrenus mundani cultor agelli,
Hic metuat multo * gypſam lacerare ſuperbam. ** dypſam*
Talia monſtra poteſt humilis ſuperare ſatelles,
Qui tumido neſcit mentis turgeſcere typho,
Atque ſuperborum conculcat crimina morum.
Ne quidquam integritas famam & præconia captat,
Si cordis peplum corrodens tinea ſulcat:
Si mentis gremium ventoſa ſuperbia farcit,
Fruſtra virginitas laudem rumoribus aptat. G
Culmina celſa valet humilis conſcendere virgo,
Si ſequitur Chriſtum formam qui præſtat alumnis;
Et mundi maculas purgarat ſanguine fuſo.
Sed me materiæ moles,ceu ſarcina grandis
Deprimit, vt cunctas non poſſit charta coronas
Prendere virgineas, operis ſed plurima reſtant
Perficienda, eidem malunt qui noſcere ſenium;
Ingeniique ſui nolunt torpeſcere cotem,
Non aciem cotis ſcabra rubigine perdunt,
Otia * nec propriam linquunt obtundere mentem; ** non.m.ſ*
Quin potius ſacros verſant ſub pectore libros,
Crebro ſcrutantes præſcripta volumina legum,
Quæ ſuperant mellis mulſum dulcedine, guſtum
Flauentiſque faui,cecinit quod carmine vates.
Sic lector libri ſolers, & gnarus amator,
Nititur electos ſcripturæ carpere fructus,
Vt pecus agreſtes ex * prato vellicat herbas, ** prato, forſan.*
Nocturnis recubans, quas rurſus ruminat horis.
Sed ſus cœnoſis volutabri ſordibus aptus, H
Dum ſtratis recubans porcaſter pauſat obæſus
Iuncis,& ſtipulis, nec non filicumque maniplis.
Ante dies, inquam, quamquam mihi Quintilis ardens,
Sextilis aut etiam protelent tempora terris,
Deficiet, totam quam poſſim pandere famam,
Virginibus caſtis fantem præconia laudis.
Nec valet immenſum perfecte forte pudorem,
Garrula raucisono complecti pagina verſu:
Quamuis millenis collaudent ora loquelis,
Sicut folligenis reſpirant organa fibris,
Muſica conciſis, & clamant barbita bombis.
Vinea parua mihi flauentes protulit vuas,
Quamuis in gracili vernaret pampinus aruo.
Vnde pudicitiæ carpens de palmite botros,
Ocyus expreſſi metrorum paucula muſta,
Non tamen arbitror quod aceſcant prorſus in æuum,

Aut

A Aut dentes ſtridant in potu forte bibentûm,
Ni fallax caupo ſtrophas infundat aquoſas,
Qui ſolet interdum mercantes fallere lymphis,
Dum ſtudet in cupis defruti perdere nectar.
Taliter adſtipulans natos de vitæ tacemos,
E quibus in prælo plantis contunditur vua.
Iam tempus cogit currentes claudere verſus,
Ruſtica magnificis condentem carmina ſanctis,
Terminus æquoreo dum venit margine metri,
Ponti ſpumoſas vt nauta transfrerat vndas,
Maxima per modicam emenſus cœrula lintrem,
Attigit optatum laſſus de gurgite littus,
Turgida ventoſis deponens carbaſa malis,
Antennaſque ſimul ſoluens de parte rudentum,
Anchora fluctiuagam nunc ſiſtat metrica barcham,
Vt ſaltem in portu quaſſatus nauita fluſtris,
Ad requiem tendens, optata ſorte fruatur.
Hos igitur pauper ſupplex obſecro patronos,
B Virgineis proprium comentes actibus æuum,
Et famulas Domini precibus pulſabo miſellus,
Integritate ſua quæ Chriſti regna merentur,
Limpida ſtelligeri ſcandentes culmina cœli,
Vt Dominum pulſent clamoſa voce Tonantem,
Qui ſolet indignis vltro miſereſcere vernis,
Conuerſiſque reis noxarum ſoluere vincla,
Quatenus ante diem, qui vitæ lumina claudit,
Nec non ante diem qui mortis limina pandit,
Cuncta piaclorum ſoluantur geſta meorum,
Et quodcunque mali geſſit laſciua iuuentus,
Deleat æternus, cœlorum gloria, Chriſtus,
Clementer veniam tribuens, peccata remittat,
Actibus, aut dictis..... ſola noxia ſenſit,
Sic mihi dignetur Sanctorum ſumma poteſtas,
Præmium miſero deuotum ferre viciſſim,
Quos ego virgineo deſcripſi carmine metri,
Vt minime lateant caſtorum ſerta per æuum,
Qualiter ex propria meruiſſent carne coronas.
C Sed vos virgineis comis quos infula ſertis,
Hoc opus, aduerſus querulos defendite ſcurras,
Repræhenſorum claudentes labra loquentûm,
Cum tamen haud metuam ſcurrarum dicta legentûm,
Qui malunt vatum ſcidas lacerare canentum,
Dum furuas verbi quærunt in luce tenebras,
Planaque rimantur rorras per tuta ſalebras:
Litera ſi titubet, vel certe ſyllaba nutet,
Si genus, aut numerus, vel caſus ab ordine cedat;
Si perſona triplex maneat, duplexque figura:
Quinquies excurrant verborum tempora rite.
Nec tamen emendant titubantis gramma poëtæ,
Sed ſemper cupiunt ſcriptoris carpere chartas.
Vt caper hirſutus rodit cum dente racemos,
Floribus euacuans frondenti palmite vites,
Qui quondam vexit populi, in deſerta, piaclum;
Sanxerunt veteris quod ſcita voluminis alma.
Talia ſed timidus dictorum tela paueſcat,
Qui propriis nunquam confidit belliger armis:
D Caſſida nec capiti diſcit prætendere metri,
Nec ſpinata lorica noſcit defendere proſæ:
Armet ſed dextram capulus, ceu parma ſiniſtram,
Cruraque non careant ocreis, nec femina ferro,
Ne timeat ſcriptor torrentis ludrica linguæ.
Nam tremulos terret nocturnis larua latebris,
Quæ ſolet in furuis ſemper garrire tenebris,
Sic quoque maſcharum facies criſtata faceſſit,
Cum laruam, & maſcam miles non horreat audax,
Qui proprio fretus præſumit fidere geſtu:
Cum ſit digeſtus ſanctorum ſexus vterque
Alta ſupernorum qui ſcandunt arua polorum:
Octenuſque ſimul peccati calculus atri
Expoſitus gracili verborum claue patenter;
Quem DEVS â noſtro detrudat pectoris antro;
Et procul in furuas emigret luce latebras.
Nunc in fine precor, proſam, metrumque legentes,
Hoc opus, vt cuncti rimentur mente benigna,
Dum patulis luſtrent textum ſub fronte feneſtris:

...B hic, ...ſupra, ...ne Au- ...rē pro- ...dem ...gumē- ...m tra- ...ſſe.

Quod geminum conſtat diſcretis forte libellis, E
Vt mihi cum precibus peccati vincla reſoluant,
Et precium libri pendant otamine crebro,
Quatenus ætherium qui ſeruat regmine regnum,
Principio, vel calce carens, & temporis expers,
Cui dedit, aut dempſit nil, mundi longa vetuſtas,
Arbiter æternum mihi iam miſereſcat in æuum.
Qui lætabuntur per cœli culmina ſancti,
Atque cateruatim laudabunt voce Tonantem;
Patriarchæ primo, qui gentis germina ſacræ,
Et ſobolem, ſtirpémque tidem genuêre nepotum,
Per turmas pariter procedunt agmine denſo,
Et regnatoris ſtipant ſublime tribunal,
Illic & vatum lætatur turma priſcorum,
Quæ quondam cecinit noſtri cunabula Chriſti,
Cum reſtauraret labentia ſæcla redemptor,
Expurgans veterum clemens monumenta malorum.
Illic Martyribus * foreſcit vita perennis, F
Vulnere qui diro quærebant præmia macta,
Purpureo patulum mercantes ſanguine regnum,
Quo confeſſorum gaudebant agmina ſancta,
Quamlibet expertes effuſi ſanguinis eſſent:
Sed tamen egregiam meruit confeſſio palmam.
Illic virginibus, qui linquunt lurida carnis
Gaudia terrenæ, confertur gloria regni,
Dum decies denis modulantur millibus odas,
Et quater vndecies conclamant carmine Chriſto,
Agnum ſectantes, qui quondam ſanguine rubro
Sordida peccantis ſæcli * dicta piarat.
Cum his cœlicolæ fauſta ſorte fruuntur,
Atque coronati geſtant vexilla tropæi,
Quique cateruatim denſis cœleſte tribunal
Millibus in gyro vallabant ſidera ſupra,
Vltimus in requiem diuino munere fretus,
Adduci merear, Chriſto regnante per æthram.

* *f. floreſcit.*

* *maledicta.*

G

S. ALDHELMI

PRISCI OCCIDENTALIVM Saxonum Epiſcopi,

POETICA NONNVLLA.

E VETERE MANVSCRIPTO Codice per R.P. Martinum Delrio Societatis IESV *Presbyterum exſcripta.*

Cum nonnullis Eiuſdem notulis.

PRÆFATIO DE VITA B. ALDHELMI. H

BEATVS Aldhelmus Epiſcopus Occidentalium Saxonum obiit anno Domini DCCIX. Scripſit multa teſte Trithemio, mihi in vno membranaceo codice Abbatiæ D. Laurentij, ſiti ad mœnia Leodicenſia, reperta ſequentia, *carmen monoſtichum*, quod omnino mihi perſuadeo Aldhelmi eſſe ex verſ. 17.

Octenas ſtudens vitiorum vincere turmas. *

Peculiare enim huic ſcriptori octo vitia recenſere caſtitati noxia, quorum pugnam cum octenis virtutibus deſcripſit in carmine, de virginitate Sanctorum circa finem: & meminit initio ferme libri, *de laude virginitatis:*

2. Repperi quoque carmen illud, *de laude virginum & octeno calculo vitiorum*; Sic enim in calce operis vocatur; cuius promiſſio extat in fine libri proſaïci, *de laude virginitatis*, his verbis; Porro quemadmodum in-

* *Imò poëma iſtud eſt ſancti Columbani & habetur tomo præcedenti ſimo ſæculo ſeptimo,*

A tactæ virginitatis gloriam rhetoricis relatibus fauorabiliter venerari nitebar, ſic identidem, ſi hoc carneum animæ ergaſtulum, ante fatis, vt dicitur crudeſcentibus, caſſabundum non obierit, ac dura Parcarum quies ac ferreus lethi ſomnus palpebrarum conuolatus non tricauerit, heroïcis hexametrum verſibus eiuſdem præconium pudicitiæ ſubtiliter comere Chriſto cooperante conabor, & veluti iactis, iam rhetoricis fundamentis, ac conſtructis proſæ parietibus, cum tegulis trochaicis & dactilicis tegularum imbricibus, firmiſſimum culmen cœleſti confiſus ſuffragio imponam, &c. Carmen autem hoc dicat Maximæ Abbatiſſæ, initium præfationis eſt,

Metrica tyrones nunc promant carmina caſtos.

Operis vero.

Omnipotens genitor mundum ditione gubernans:

Finis vero.

Cum his cælicolis qui ſancta ſorte fruuntur,
Atque coronati geſtant vexilla trophæi
Quique catervatim denſis cœleſte tribunal
B *Millibus in gyro vallabant ſidera ſupra:*
Vltimus in requiem diuino munere fretus
Adduci merear Chriſto regnante per æthram.

In hoc opere eadem ferme repetit, quæ proſa prius oratione dixerat; carminibus plus minus ter mille; quæ prolixitas operis me non permiſit tranſcribere, ſed & proſa illa oratio longe terſior eſt, & penſiculatior, quam carmen. Si quid tamen in hoc fuerit, quod illi elucidandæ queat conducere, adſcribam in his catalectis.

3. Continebat codex ille membranaceus opus eiuſdem, vt vno loco præfert *Aldelmi*, vt alio *Althelmi* (quæ verior ſcriptura) ænigmatum, cui præmittuntur duæ præfationes, quas cum ipſo opere tibi nunc lector dabo.

B. ALDHELMI EPISCOPI Occidentalium Saxonum,

C

ÆNIGMATA.

Primus Prologus.

ARbiter, æthereo iugiter qui regmine ſceptra
Luciſluumque ſimul cœli regale tribunal
Diſponis, moderans æternis legibus illud;
Horrida nam multans torſiſti membra Behemoth,
Ex alto quondam rueret dum luridus, * arce, (*Corr. axe.)
Limpida dictanti metrorum carmina præſul
Munera nunc largire: rudis quo pandere rerum
Verſibus * ænigmata queam clandeſtina fatu. (*for. ænigmata.)
Si Deus indignis tua gratis dona rependis,
Caſtalidas nymphas non clamo cantibus iſtuc.
Examen * neque ſpargebat mihi nectar in ore, (*Nec examen apum, ſpargat mihi n. in o.)
Cinthi ſic nunquam perluſtro cacumina, ſed nec
In Parnaſſo procubui, nec ſomnia vidi.
Nam mihi verſificum poterit Deus addere carmen
Inſpirans ſtolidæ pia gratis munera menti.
D Tangit ſi mentem, mox laudem corda rependunt
Metrica: nam Moyſen declarant carmina vatem
Iam dudum * ceciniſſe celebris vexilla tropæi (*Cecinit.)
Latè per populos inluſtria, qua nitidus Sol
Luſtrat ab oceani iam tollens gurgite * l (*lumen. Corr.)
Et Pſalmiſta canens metrorum carmina voce
Natum diuino promit generamine Numen
In cœlis prius exortum, quam Lucifer orbi
Splendida formaris fudiſſet lumina ſæclis.
Verum ſi fuerint * bene hæc ænigmata, verſu (*bona.)
Exploſis penitus næuis & ruſticitate,
Ritu dactilico recte decurſa, nec error
Seduxit vana ſpecie molimina mentis;
Incipiam potiora: ſui Deus arida ſerui,
Belligero quondam qui vires tradidit Iob,
Viſcera perpetui roris * ſi replear hauſtu. (*Corr. ſic.)
Siccis nam laticis duxiſti cautibus amnes
Olim, cum cuneus tranſgreſſo marmore rubro
Deſertum penetrat: cecinit quod carmine Dauid. E
Arce poli genitor ſeruas qui ſæcula cuncta
Soluere iam ſcelerum noxas dignare nefandas.

Prologus Secundus.

SYmphoſius poëta metricæ artis peritia præditus, occultas ænigmatum propoſitiones exili materia ſumtas, ludibundis apicibus legitur ceciniſſe, & ſingulas quaſque propoſitionum formulas, tribus verſibus terminaſſe. Sed & Ariſtoteles Philoſophorum acerrimus, perplexa nihilominus ænigmata proſæ locutionis facundia fultus argumentat. Quamobrem noſtræ exercitationis ſollicitudo horum exemplis inſtincta, & commentis adinuentionum, componere nitebatur, & velut in quodam gymnaſio, prima ingenioli rudimenta * exercitari cupiés, (*Exercitare.) vt venire poſſit deinceps ad præſtantiorem operis materiam: ſi tamen prius hæc mediocria metricæ definitionis regulis minime caruerint; * tripertitamque ſyllabarum (*tempo longa, breues, communes.) differentiam iuxta perpendiculum ſcandendi ritè ſeruauerint. F Denique prædicta ænigmatum capitula primitus quaternis verſiculorum lineis digeſta; ſequentia vero, iuxta quod ſe occaſio componendarum rerum exhibuit, quinis aut ſenis, vel etiam ſeptenis metrorum verſibus & eo amplius carminantur: quibus indeſinenter, ſecundum poëticæ traditionis diſciplinam, cola, vel commata, ſeu penthimemerim & eptimemerim adnectere, progreſſis binis aut ternis pedibus procuraui: alioquin dactilici hexametri regulæ legitima æquitatis lance currentes, lubricis ſyllabarum greſſibus vacillarent. Porro quod eadem muta * inſenſibilium rerum natura, de qua ænigma clanculum & latens propoſitio, componitur, quaſi loqui & ſermocinari fingitur: hoc & in ſacris literarum apicibus inſertum legitur: quia nunquam rationabilis creatura inrationabilium geſtu & voce fungitur. (*Ænigmatum.) Quemadmodum in libro Iudicum diuerſa lignorum genera articulata voce loquentia Monarchiam quæſiſſe refertur. *Ierunt*, inquit, *ligna vngere ſuper ſe Regem*: vbi ſigillatim ſicut ſupra iam diximus, ficus & vitis ſimulque oliua, & ad extremum rhamnus igne proprio flammiſque voracibus Libani cedros conſumpturus, G iuxta ritum humanæ locutionis profari perlubentur. Et Pſalmiſta omnia ligna ſiluarum exultaſſe, & flumina manuum plauſibus luſiſſe, campoſque gratulabundos extitiſſe, ab * animali ad animale metaphoricè retulit, & illud poëticum: (*ab animali ad inanimale.)

Mater me genuit, eadem mox gignitur ex me.

& * quod è mutis ac brutis ratiocinationis argumenta (*quot.) requiruntur cum etiam * ſapientis ſimul cunctorum retro regum, & deinceps naſciturorum, in Eccleſiaſte frequenter ſtolidiſſimorum perſonis vtatur, dicens; (*Corr. ſapientiſſimus.) *Quid nabet homo amplius iumento aut ſapiens ſtulto* & cætera ſimilia. Hæc diximus, ne quis forte nouo nos & inuſitato * diſcendi argumento, (*Corr. inuſitato dicendi.) & nullis quaſi priorum veſtigiis ſtrato prædicta ænigmate ceciniſſe arbitretur. Et vt euidentius harum rerum ratio clareſceret, legitimos ſepties quaternos metrorum pedes, quibus vniuerſa non ſolum principalia octo genera progrediuntur, verum etiam ſpecies, quæ ex eadem ſtirpe pullulantes centuplis metrorum frondibus contexuntur, ſubdidimus, H & ſingulis quibuſque pedibus tantum exemplorum copiam accumulantes, quantum ad præſentis opuſculi normam, pro euidentioris indicij gratia, ſufficere credidimus. Et quod præceſſores celeberrimi vniformi nominis exemplo propalaſſe noſcuntur, nos eorundem veſtigia enixius indagantes vberiorem exemplorum formulam enucleauimus: Et * qualiter quo pacto longæ & breues ſyllabæ vel (*aliquid hic deeſt.) etiam communes vtrobique competentes, quas Græci *δίχρονα* dicunt, ſagaciter diſcriminentur. Ex hac enim triplici ſyllabarum diſtinitione potius, * qua de fonte à (*Corr. quam d. f. aut montes. *prolus.) monte Muſarum, de quibus Perſius Flaccus, *Nec fonte*, inquit, *labra * prolui caballino, Nec in bicipiti ſomniaſſe Parnaſſo memini me.* Omnis metrorum ratio monſtratur, & qui verſus monoſcemi, qui pentaſcemi, * quidecaſcemi, cum viginti quatuor temporibus, excepto ſi trocheo terminentur, ritè dictantur. (*quinquedecaſc.) Hac tripartita deſcri-

prionis

A prionis normula omnis Heroici hexametri verſificatio, vel cæſuratum ſcanſio principaliter conſtat: licet ſynalephanum quædam conglutinatio, & exploſa collitionis additamenta crebro apud poëtas lyricos, & ſatyricos neceſſitate metri interponantur, quæ maxime ex vocalibus literis vel ſyllabis in ſemiuocali terminatis gignuntur. Has vtraſque Iunius iuuenalis quinto Satyrarum libro, vnius verſus tenore ſimul eliſit dicens:

Innumabilis.

Omenta vt video nullum diſcrimen habendum eſt.

Scanditur, *omen* (Spondeus) *tat vide* (dactylus per ſynalepham *onul* (Spondeus) *lumdiſ.* (Spondeus) *crimen ha* (dactylus) *bend eſt* (Spondeus per ſynalepham) Rurſus idem Liricus lib. III.

** Corr. exuuuio truncus adfixa tropæis, ſcanditur ita Bello. rex cubi. Lucanus.*

*Bellorum * exenbia truncus adfixa tropais.*

Scanditur ita, *rex cubi*, per ſynalepham, *atrun, cus ad fixa tro, pæis.* Sic Anneus Lucanus Cordubenſis poëta, vno verſu lib. VIII. bis eliſit dicens:

Quare agite eorum comites properemus in orbem.

Rurſus idem lib. X. ait;

B

Hinc ergo inſultant pedites via nulla ſalati.

** Nom in m. ſ. ſuperſcribi. Synalepha. Proſper. Sibylla. * Corr. æternæ. Phocas.*

Vnde Paulus Quæſtor eliſit *m.* litteram ita;

Tartaream in ſedem ſequitur nona nupta maritum.

Item Proſper.

Cœleſtem ad patriam tendens cognoſce vocantem.

Hæc eadem * ſynalepha verſibus Sibyllæ poetridis continetur, quæ ait:

*Tunc illi * aterna ſpecies pulcherrima regni.*

* Foccas quoque Grammaticus primo verſu ſynalepham explodit,

Ars mea multorum eſt quos ſecula priſca tulerunt.

Virgilius lib. XI.

Oceanum interea ſurgens aurora reliquit.

** Synalepham & ecl. Virg.*

Idem lib. XII. Æneidos in vno verſu * Synalepham vel eclypſin comprehendit ita;

Nunc repeto Anchiſes fatorum archana reliquit.

Scanditur enim ita, *Nunc repet-Anchi-ſes fa-torar-chanare-liquit.* Sed hos duos metaplaſmos ſæpe ambiguitas ſcandendi conturbat, quos differentia dirimit, Si prior vocalis exploditur erit ſynalepha, ſi poſterior fuerit exploſa, erit eclypſis. Sicut in nouiſſimo verſu libri regum tantum legitur.

C

Liber Regum.

Purpureis maior Perſarum ſede tyrannis.

Virgil.

Virgilius item libro quem Pædagogum prætitulauit,

Carmina ſi fuerint te iudice digna fauore,

*Reddetur * titulis purpureuſque nitor.*

** Si manus aſtinas poteris conuoluere ſurdas,*

** Aut caluas hinc operire nuces.*

** titulus. * ſin manu. * Aut caluas pueris h. o n.*

ſyllabam eliſit dicens:

Durum iter & vita magnus labor.

Arator.

Et Arator ſubdiaconus primo verſu terminalem genitiuum ſyllabæ diſploſit dicens:

Mœnibus vndoſis bellorum incendia cernens,

Et infra elegiaco verſu ſubiunxit,

Inque humeris ferimur de renelante pius.

. Itaque has duas metaplaſmorum ſpecies ex numero XIV. explanare niſus ſum, quia per omne corpus poëticorum librorum ſitis frequenter inſertæ, & niſi ſagaci ſubtilitate præcognitæ fuerint, diuerſa impedimentorum obſtacula ſcandentibus generare ſolent. Idcirco diuerſos verſus metrorum ad ſynalephæ metaplaſmum congruenter cateruatim congeſſimus, quatenus his perſpectis, nullum deinceps exploſæ colliſionis chaos latebroſum cum fractæ ſinalephæ baratro lucem ſcandentis confundat.

D

B. ALDHELMI ÆNIGMATVM LIBER.

TETRASTICA.

I. De Terra.

Altrix cunctorum quos mundus geſtat in orbe
Nuncupor, & merito; * quæ nunquam pignora tantum

** mī doſa valde.*

Improba ſic lacerant maternas dente papillas;
Prole virens æſtate, tabeſcens tempore brumæ.

E

II. De Vento.

Cernere me nulli poſſunt, nec prendere palmis:
Argutum vocis crepitum cito pando per orbem.
Viribus horriſonis valeo confringere quercus.
Nam ſuperos ego pulſo polos, & rura peragro.

III. De nube.

Verſicolor fugiens cœlum terramque relinquo:
Non tellure locus, mihi non parte polorum eſt.
Exilium nullus modo tam crudele veretur:
Sed madidis mundum faciam frondeſcere guttis.

IV. De Natura.

Crede mihi non vlla manent ſine me moderante:
Et frontem faciemque meam lux nulla videbit.
Quis neſcit ditione meâ conuexa rotari!
Alta poli, Soliſque iubar, Lunæque meatus?

F

V. De Iride, vel arcu cœleſti.

Taumantis proles priſcorum famine fungor:
Aſt ego prima mei generis rudimenta retexam.
Sole * ruber genitus ſum partu nubis aquoſæ:
Luſtro polos paſſim, ſolos non ſcando per auſtros.

** rubra.*

VI. De Luna.

Nunc ego cum pelago fatis communibus inſto
Tempora reciprocis conuoluens menſtrua cyclis,
Vt mihi luciſluæ decreſcit gloria formæ,
Sic augmenta latex cumulato gurgite prodit.

*VII. **

** ſupp. de fortuna.*

Facundum conſtat quondam cecinisse poëtam,
Quo Deus & quo dura vocat fortuna ſequamur.
Me veteres falſo * Dominam vocare ſolebant:
Sceptra * regens mundi dum CHRISTI gratia regnet.

G

** vt Ennius qui ... ram.*

VIII. De Sale.

Dudum lympha fui ſquamoſo piſce redundans;
Sed natura nouo fati diſcrimine ceſſit,
Torrida dum calidos patior tormenta per ignes.
Nam cineri facies niuibuſque ſimillima fulget.

IX. De Vrtica.

Torqueo torquentes, ſed nullum torqueo ſponte.
Lædere nec quenquam volo, niſi prius ipſe reatum
Contrahat, & viridem ſtudeat decerpere caulem:
Feruida mox hominis turgeſcunt membra nocentis.

*X *.*

** De Heliotropia, ſoliſequa.*

Sponte meâ naſcor fœcundo ceſpite vernans,
Fulgida de croceo flaueſcunt culmina flore:
Occiduo claudor, ſic orto ſole pateſco.
Vnde prudentes poſuerunt nomina Græci.

H

XI. De puerpera geminos enixa.

Sunt mihi ſex oculi, totidem ſimul auribus exſto;
Sed digitos decies ſenos in corpore geſto;
Ex quibus ecce quater denis de carne reuulſis;
Quinquies at tantum video remanere quaternos.

XII. De adamante lapide.

En ego non vereor rigidi diſcrimina ferri,
Flammarum nec torre cremor; ſed ſanguine capri
Virtus edomiti molleſcit dura rigoris.
Sic cruor exſuperat, quod ferrea maſſa paueſcit.

** Corr. Edomiti virtus.*

XIII. De moloſſo.

Sic me iamdudum rerum veneranda poteſtas
Fecerat vt domini truculentos * perſequor hoſtes.
Rictibus arma gerens bellorum prælia patro:
Et tamen infantum fugiens mox verbera vito.

** Corr. perſequar.*

A

XIV. De poliadis. *

* m. ſ. explicat, id eſt, de follibus fabrorum.

Flatibus alternis vexor cum fratre gemello.
Non eſt vita mihi, cum ſint ſpiracula vitæ.
Ars mea gemmatis dedit ornamenta metallis:
Gratia nulla datur mihi, ſed capit alter honorem.

XV. De Bombicibus.

Annua dum redeunt texendi tempora telas,
Lurida ſetigeris replentur viſcera filis,
Móxque geniſtarum frondoſa cacumina ſcando,
Vt globulos fabricans cum fati ſorte quieſcam.

XVI. De barbito.*

* Pro organo poſuit.

* clangunt.

Quamuis ære cauo ſalpinctæ claſſica * clangent,
Et cytharæ crepitent, ſtrepitúſque tubæ modulentur
Centenos tamen eructant mea viſcera cantus.
Méque ſtrepente ſtupent mox muſica corda fibrarum.

B

XVII. De Pauone.

Pulcher & excellens, ſpecie mirandus in orbe,
Oſſibus & neruis & rubro ſanguine cretus,
Cum mihi vita comes fuerit, nihil aurea forma
Plus nitet; & moriens nunquam mea pulpa putreſcet.

XVIII. De Salamandrâ

Ignibus in medijs viuens non ſentio flammas,
Sed detrimenta rogi penitus ludibria faxo:
Nec crepitante foco, nec ſcintillente fauillâ
Ardeo, ſed flammæ flagranti torre tepeſcunt.

XIX. De luligine

Tunc cernenda placent noſtræ ſpectacula vitæ:
Cum grege piſcoſo ſcrutor maris æquora * maris,
Cum volucrum turmâ quóque ſcando per æthera pennis,
Et tamen æthereo non poſſum viuere flatu.

C

* mendoſa eſt inſcriptio. ænigma totum mutilum & viciosum, ſuſpicor eſſe de bulla aquea quæ in mare, vel aëra pueri impellunt flatu.

*XX. * De pernâ.*

En geminis naſcor Proponti cærula conchis,
Vellera ſetigero producens corpore fulua.
En chlamydem pepli nec non & pabula pulpæ
Confero, ſic duplex fati perſoluo tributum.

PENTASTICHA.

I. *

* m ſ. notat eſſe genus maximæ oſtrei ex ea veſtes conficii.

Nos Athlante ſatas ſtolidi dixere priores:
Nam ſeptena cohors eſt, ſed vix cernitur vna.
Arce poli gradimur, nec non ſub Tartara, terræ
Furuis conſpicimur tenebris, & luce latemus.
Nomina de verno ducentes tempore * piſca.

* Vergilliis.

* priſca.

II. De murmicoleonte.

Dudum compoſitis ego nomen geſto figuris
Ve leo, ſic formica vocor ſermone Pelaſgu,
Tropica nominibus ſignans præſagia duplis
Cum roſtris auium nequeam reſiſtere roſtro;
Scrutetur ſapiens gemino cur nomine * fingor.

D

* fingar.

* De ape.

III. *

Mirificis formata modis, ſine ſemine cretar
Dulcia florigeris onero præcordia prædis
Arte mea crocea flaueſcunt fercula regum.
Semper acuta gero crudelis ſpicula belli,
Atque carens manibus fabrorum vinco metalla:

IV. De Limâ.

Corpore ſulcato, nec non ferrugine glauca
Sum formata, fricans rimis informe metallum
Auri materias maſſaſque polire ſuëta,
Plana ſuperficie conſtans, aſperrima rerum.
Garrio voce carens rauco cum murmure ſtridens

V. De Luſcinia.

Vox mea diuerſis variatur pulchra figuris;
Rauciſonis nunquam modulabor carmina roſtris;
Spreta colore tamen, ſed non ſum ſpreta canendo.

E

Sic non ceſſo canens fato terrente futuro.
Nam me bruma fugat, ſed mox æſtate redibo.

VI. De Trutinâ, quæ momentana dicitur,

Nos geminas olim genuit natura ſorores,
Quas fugiret rectæ legis cenſura gubernat.
Tempore perſonas, & ius ſeruare ſolemus.
Fœlix in terra fieret mortalibus æuum,
Iuſtitiæ normam ſi ſeruent more ſororum.

VII. De Natrice.

Me caput horrentis fertur genuiſſe Draconis.
Augeo purpureis gemmarum lumina fucis:
Sed mihi non dabitur rigidâ virtute poteſtas;
Si prius occumbat ſquamoſo corpore natrix.
Quam ſummo ſpoliër capitis de vertice rubra.

F

VIII. De magnete.

Vis mihi naturæ dedit, immo creator olympi,
Id quo cuncta carent veteris miracula mundi.
Frigida nam chalybis ſuſpendo metalla per auras,
Vi quadam ſuperans ſic ferrea fata reuinco.
Mox adamante Cypri præſente potentia fraudor

IX. De Gallinaceo.

Garrulus in tenebris rutilos ceciniſſe ſolebam
Auguſtæ lucis radios & lumina Phœbi.
Penniger experto populorum nomine fungor,
Arma ferens pedibus, belli diſcrimina faxo;
Serratas capitis geſtans in vertice criſtas.

*X. De * Conticulo.*

* In glo. m. ſ. Coticulum à cote.

Frigidus ex gelido prolatus viſcere terræ.
Duriciem ferri quadrata fronte polibo:
Atque ſenectutis vereor diſcrimina nunquam
Mulcifer annorum numerum ni dempſerit * ignis.
Mox rigida ſpecies molleſcit torribus atris.

G

* Mulcifer qui cuncta mulcet.

* igni.

XI. De Minotauro.

Sum mihi diſſimilis vultu membríſque biformis;
Cornibus armatus, horrendum cætera fingunt
Membra virum, fama clarus per Gnoſſia rura.
Spurius incerto * creta genitore creatus,
Ex hominis pecudiſque ſimul cognomine dicor.

* In Creta.

XII. Lebes

Horrida, curua; rapax, patulis fabrica metallis.
Pendeo; nec cœlum tangens terramve profundam,
Ignibus ardeſcens, nec non & gurgite feruens:
Sic geminas vario patior diſcrimine pugnas,
Dum latices lymphæ tolero flammaſque feroces

XIII. Mirifillon.*

* Latinè millefolium.

Prorſus Achiuorum lingua paritérque latinâ
Mille vocor viridi *folium* de ceſpite natum.
Idcirco decies centenum nomen habebo,
Cauliculis florens quoniam ſic nulla fruteſcit
Herba per innumeros telluris limite ſulcos.

XIV. De arcâ librariâ.

H

Tum mea diuinis complentur viſcera verbis:
Totáque ſacratos geſtant præcordia biblos:
At non ex iiſdem nequeo cognoſcere quicquam;
Infœlix fato fraudabor munere tali,
* Dum demunt diræ librorum lumina parcæ.

* Cord. dum.

* for. Nam.

HEXASTICHA.

I. De aqua.

Quis non obſtupeat noſtri ſpectacula fati,
Dum virtute fero ſiluarum robora mille;
Aſt * arcus exilis mox tantea geſtamina rumpit.
Nam volucres cœli nanteſque per æquora
Olim ex me ſumſerunt * primordia vitæ.
Tertia pars mundi mihi conſtat iure tuenda.

II. De cancro, qui nepa vocatur

* Nepa mihi nomen veteres dixere latini.
Humida ſpumiferi ſpacior per littora ponti,
Paſſibus oceanum retrograda tranſeo verſis.

* Non pedariam modo legem, ſed & ſcorpii cum cancro confundit.

A
Et tamen ætherius per me decoratur olympus
*metuls.
Dum * ruber in cœlo & billeno ſydere ſcando.
Oſtrea quem * metuit diris perterrita ſaxis.

III. De Tippula.

*ſublata.
Pergo ſuper latices plantis * ſuſſlata quaternis,
Nec tamen in lymphas vereor quod mergar aquoſas:
Sed pariter terras & flumina calco pedeſtris
Nec natura ſinit celerem natare per amnes,
Pontibus aut ratibus fluuios tranſire feroces
Quin potius pedibus gradior ſuper æquora ſiccis.

IV. De Leone.

Setiger in ſiluis armatos dentibus apros,
Cornigeróſque ſimul ceruos licet ore rudentes
Contero, nec parcens vrſorum quaſſo lacertos.
Ora cruenta ferens; morſus, rictúſque luporum,
Horridus haud vereor, regali culmine fretus.
Dormio nam patulis non claudens lumina gemmis.

V. De Pipere.

* Rugoſo.
Sum niger exterius, * rogoſo cortice tectus,
B
Sed tamen interius candentem geſto medullam.
* Delicias.
* Dilicias, epulas regum, luxúſque ciborum,
*à Batuo, formanis.
Ius ſimul & pulpas * battutas condo culinæ.
Sed me ſubuixum nulla virtute videbis,
Viſcera ni fuerint nitidis quaſſata medullis.

VI. De puluillo.

Nolo fidem frangas licet irrita dicta putentur,
Credula ſed noſtris pande præcordia verbis.
Celſior & ſuperas poſſum turgeſcere nubes,
Si caput aufertur mihi toto corpore dempto:
At vero capitis ſi paſſus mole grauabor,
Ima petens iugiter minorari parte videbor.

*VII. De * Stucione.*

* Struthione. Corr.
Grandia membra mihi plumeſcunt corpore denſo,
Par color accipitri, ſed diſpar cauſa volandi.
Nam ſumma exiguis non trano per æthera pennis,
Sed potius pedibus ſpacior per ſqualida rura,
Ouorum teretes præbens ad pocula teſtas.
Affrica Pœnorum me fertur gignere tellus.

C

VIII. De Sanguiſuga.

*for. latiſcum.
Lurida * per latices cœnoſas luſtro paludes.
Nam mihi compoſuit nomen fortuna cruenta.
Rubro dum bibulis veſcor de ſanguine buccis.
* Carco geminiſq. Corr.
Oſſibus & pedibus * geminíſque carebo lacertis,
Corpora vulneribus ſed mordeo dira triſulcis,
Atque ſalutiferis ſic curam præſto labellis.

IX. De columbâ.

*; Corr. plecteret æquore.
Cum Deus infandas iam * pecteret æquora noxas
* Corr. lymphis.
Abluerétque ſimul ſcelerum contagia * nymphas:
* ego præcepti expleui iura parenti.
Prima * præcepti compleui iura parenti
Portendens fructu terris venire ſalutem.
Mitia quapropter ſemper præcordia geſto,
Et fœlix præpes nigro ſine felle manebo.

*X.**

* de piſce. ſupp.
Me pedibus manibúſque ſimul fraudauerat almus
Arbiter, immenſum primo dum pangeret orbem.
Fulcior haud volitans veloci præpetis alâ,
Spiritus alterno vegetat nec corpora flatu,
D
*alludit ad ſidus Piſcium.
Quamuis * in cœlis conuexa cacumina cernam,
Non tamen vndoſi contemno marmora ponti.

*XI.**

*De bono.
Arida ſpumoſis diſſoluens faucibus arua
*vicenis.
* Bis binis bibulus potum de fontibus hauſi.
Viuens nam terræ glebas cum ſtirpibus imis
*feraces. fer.
Niſu virtutis validæ diſrumpo * feroces:
At vero linquit dum ſpiritus algida membra,
Nexibus horrendis homines conſtringere poſſum.

XII. Cæcus natus.

Iam referam verbis tibi, quod vix credere poſſis,
Cum conſtet verum, fallant nec friuola mentem.
Nam dudum dederam ſoboli munuſcula grata
Tradere quæ nunquam poterat mihi quilibet alter,
Dum Deus ex alto fraudaret lumine claro,
In quo cunctorum gaudent præcordia dono.

XIII. Clypeus.

De ſalicis trunco, pecoris quoque tergore raſo
Componor, patiens diſcrimina dura duelli. E
Semper ego proprio geſtantis corpore corpus
Conſeruabo, viri vitam ne dempſerit orcus.
Quis tantos caſus, aut quis tam plurima lethi
Suſcipit in bello crudelis vulnera miles?

SEPTENIS VERSIBVS
COMPREHENSA.

*I. De * De elemento.*

* Corr. elementis. ſub. literarum.
NOs * deni & ſeptem genitæ ſine voce ſorores;
Sex alias nothas non dicimus adnumerandas
* for. Dena.
Naſcimur ex * ferro rurſus ferro moribundæ
* ſci. ſtilo, ſeu graphio.
Nec non & volucris penna volitantis ad æthram:
Terni nos fratres incerta matre crearunt.
Qui cupit inſtanter ſitiens audire dicentes,
Tum cito prompta damus rogitanti verba ſilenter. F

II. De Ciconiâ.

Candida forma nitens, necnon & furua nigreſcens.
Eſt mihi dum variâ componor imagine pennæ:
Voce carens tremulo * nam faxo crepacula roſtro. *faxo crepitac. Corr.
Quamuis ſquamigeros diſcerpam dira colubros
Non mea lethiferis turgeſcunt membra venenis:
Sic teneros pullos prolemque nutrire ſueſco
Carne venenatâ, retroque cruore draconum.

III. De Loricâ.

Roſcida me genuit gelido de viſcere tellus.
Non ſum ſerigero lanarum vellere facta,
Licia nulla trahunt, nec garrula fila reſultant,
Nec * non croceâ ſeres texunt lanugine vermes, * dele nō.
Nec radiis carpor, duro nec pectine pulſor:
Et tamen en veſtis vulgi ſermone vocabor.
Spicula non vereor longis exempta pharetris.

IV. De Locuſta.

Quamuis agricolis non ſim laudabilis hoſpes. G
Fructus agrorum viridi de ceſpite libros
Carpo cateruatim, carpens de ſtipire raris.
Cor mihi ſub genibus: nam conſtat * carcere ſeptum. * quia valde anguſtum.
Pectora poplitibus ſubduntur more rubetæ.
Iam dudum celebris ſpolians Nilotica regna,
Quando decem plagas ſpurcâ cum gente luebant.

V. De Nycticorace.

Duplicat ars geminis mihi nomen rite figuris
Nam partem tenebræ retinent, partemque volucres.
Raro me quiſquam cernet ſub luce ſerenâ:
Quin magis aſtriferas ego nocte fouebo latebras.
Rancisono medium crepitare per aëra ſueſcens,
Romuleis ſcribor biblis ſed voce Pelaſga,
Nomine nocturnas dum ſemper ſeruo tenebras.

VI. De Cimiphe.

Corpore ſum gracili ſtimulis armatus acerbis.
Scando cateruatim volitans ſuper ardua pennis,
* Sanguinea ſumens prædas mucrone cruento, *Corr. ſanguineas.
Quadrupedum parcens nulli,* ſum ſpicula trudo H
Setigeras pecudum ſtimulans per vulnera pulpas. * Corr. dum.
Olim famoſus vexans Memphitica rura.
* Namque totos penetrans taurorum ſanguine veſcor. *hic verſ. ponendus eſt quarto loco.

VII. De Fuſis.

In ſaltu naſcor ramoſa fronde vireſcens:
Sed natura meum mutauerat ordine fatum,
Dum veho per colum teretem vertigine molam.
Tam longâ nullus Zona præcingitur heros.
Per me fata virum dicunt decernere Parcas.
*Ex quo conficitur regalis ſtragula pepli. *hic verſ. quartus ordine legendus.
Frigora dura viros ſternent ni forte reſiſtam.

IX. De Cucuma.

Credere quis poterit tantis ſpectacula cauſis.
Temperet, & fatis morum contraria fata?
Ecce larem, laricem quoque geſto in viſcere ventris,
Nec tameo vndantes vincunt incendia lymphæ,

A
Ignibus * haut terris ſiccantur flumina fontis:
Fœdera ſed pacis ſunt flammas inter & vndas.
Malleus in primo memet formabat & incus.

*Corr. aut.

X. De Heſpero, ſeu Veſpero.

Tempore de primo noctis mihi nomen adhæſit.
Occiduas mundi complector carmine partes,
Oceano Titan dum corpus tinxerit almum,
Et polus in glaucis deſcendens voluitur vndis:
Tum ſequor in vitreis abſcondens lumina campis
Et fortunatus ſubito * mi tollor ab æthrâ
Vt furuas lumen noctis depelleret vmbras,

* for. ſubito mox toller.

XI. De pugione.

Me terræ * gremiis formabat primitus arte,
Materia trucibus proceſſit cætera tauris,
Aut potius putridis conſtat fabricata capellis.
Nam domus eſt constructa de tergore ſecto,
Nec non & tabulis quas findunt ſtipite raſis.
B
Per me multorum clauduntur lumina letho,
Qui domini nudus nitor defendere vitam.

* Corr. gremium. verſ. autẽ huius ænigmatis repoſui ſuo ordine. nam 4 & 5. membranaceo erãt 6. 7.

XII. De * Famfalucâ.

De madido naſcor rorantibus æthere guttis
Turgida, concreſcens liquido de flumine lapſu;
Sed me nulla valet manus vdo gurgite nantem
Tangere, ni ſtatim rumpantur viſcera tactu
Et fragiles tenuis flatus diſcedat in auras.
Ante catenatim per lymphas duco cohortes
Dum plures ortu comites * patiuntur eodem,

* Sic vocat bullam, quæ fit in aqua.
* ſpaciantur.

XIII. De Mola.

Nos ſumus æquales communi ſorte ſorores,
Quæ damus ex noſtro cunctis alimenta labore.
Par labor ambarum, diſpar fortuna duarum
Altera nam currit, quod nunquam altera * geſtit.
Nec tamen inuidiæ ſtimulis agitamur acerbis.
C
Vtraque quod mandit, quod ruminat ore patenti
Comminuens, reddit famulans ſine fraude * maligni.

* in marg. geſſit.
* maligna. Corr.

XIX. De Spelta.

De terris orior candenti corpore ſpelta
Et niue fœcundâ, Vulcani torre rigeſcens;
Carior & multo quam cætera * ſcuta duelli,
Necatamen in medio clypei ſtat ferreus vmbo.
Me ſine quid prodeſt dirorum parma virorum?
Vix artus animæque carerent tramite mortis,
Ni forſan validis reſtragaret viribus orco.

* videtur ludere in pelta, & ſpelta.

XV. De Fonte.

Per caua * telluri dum ſerpo celerrimus antra
Velox venarum gyrans anfractibus orbes:
Cum caream vitâ, * ſenſu quoque funditus expers,
Quis numerus capiat, vel quis laterculus æquet
Vitâ viuentum generem quot millia partu?
D
His neque per cœlum rutilantis ſydera ſphæræ,
Fluctiuagæ ponti nec compenſantur arenæ.

* telluris. Corr.
* Corr. ſenſus.

XVI. De malo arbore.

Fauſta fui, prima mundi naſcentis origo
Donec proſtratus ſuccumberet arte maligni:
Ex me tunc priſcæ ſucceſſit cauſa ruinæ,
Dulcia quæ rudibus tradebam mala colonis.
En iterum mundo teſtor remeaſſe ſalutem,
Stipite de paruulo dum penderet arbiter orbis,
Et pœnas lueret ſoboles veneranda Tonantis:

* Corr. ſtipite de par. penderet.

XVII. De Ficulneâ.

Quis prior in mundo deprompſit tegmina veſtis.
Aut quis clementer miſerum protexit egenum?
Irrita non referam verbis nec friuola fingam:
Primitus in terra proprio de corpore peplum,
Vt famâ fertur, produxi, frondibus altis:

E
Carica me curuat dum maſſis pabula præſtat
Sedulus agricola, brumæ quas tempore mandit.

XVIII. De Ellebro.

Oſtriger in aruo vernabam frondibus hirtis
Concilio ſimilis ſic cocti murice rubro,
Purpureus ſtillat ſanguis de vertice guttis.
Exuuias vitæ mandenti tollere nolo,
Mitia nec penitus ſpoliabunt mente venena:
Sed tamen inſanum vexat dementia cordis
Dum rotat in gyro vecors vertigine membra.

XIX. De Camelo.

Conſul eram quondam Romanus, miles, eques,
Arbiter imperio dum regni ſceptra regebat:
Nunc onus horrendum conuectant corpora gibbi,
Et premit immenſum truculentæ ſarcina molis.
Terreo cornipedum nunc velox agmen equorum,
Qui trepidi fugiunt mox quadrupedante meatu
Dum trucis aſpectant immenſos corporis artus.

ludit in camillus & camelus.

F

OCTONIS VERSIBVS COMPREHENSA.

I. De Pugillaribus.

MElligeris apibus mea prima proceſſit origo,
Sed pars exterior creſcebat cætera ſiluis:
Calceamenta mihi tradebant tergora dura.
Nunc ferri ſtimulus faciem poſcindit amœnam,
Flexibus & ſulcis obliquat ad inſtar aratri:
Sed ſemen * ſegeti de cœlo ducitur almum,
Quod largos generat millenâ fruge maniplos:
Heu tam ſancta ſeges diris extinguitur armis:

* Id eſt ſanctis eruc gl.

II. De Igne.

Me pater & mater gelido genuere * rigore,
Fontibus è ſiccis dum mox rudimenta vigebant,
Quorum vi propriâ fortunam vincere poſſum;
G
Cum * nil in latices mea poſſint vincere fata:
Sed ſaltus, ſcopulos, * ſtagni, ferríque metalla
Comminuens penitus naturæ iura reſoluam.
Cum me vita fouet, ſum clari ſyderis inſtar:
Poſt * hæc & fato victus, pice nigrior exſto.

* rigori.
* Corr. nihil.
* Corr. ſtanni.
* poſt-a ſed fato.

III. De * linamento vel candela.

Materia duplici palmis plaſmabor apertis,
Interiora mihi candeſcunt viſcera lino,
Seu certè gracili iunco ſpoliata niteſcunt:
Sed nunc exterius flaueſcunt corpora flore
* Quæ flammáſque focóſque larem fumantia fundunt:
Et crebro lachrymæ ſtillant de frontibus vdæ.
Sic tamen horrendas noctis exſtinguo latebras,
Reliquias cinerum mox viſcera torta relinquunt.

* gloſſulâ adſcripta huic libro e-quen...; linamentum à lino, quod antea erat in candela, melius lichinum vel ellichinium vocaſſet.

IV. De Aquila.

H
Armiger infauſti Iouis & raptor Ganimedis.
Quamquam pellaces * cantarent carmine vates;
Non fuctam præpes quo fertur Dardana proles
Sed magis in ſummis cignos agitabo fugaces.
* Arſanteſque grues proturbo ſub ætheris axe.
Corpora dum ſenio corrumpit feſſa * vetuſtas,
Fontibus in liquidis mergentis membra madeſcunt,
Poſt hæc reſtauror præclaro lumine Phœbi.

* cantarunt. Corr.
* ardeas, colla vel voces eleuantes ſic gloſſula ... ad ... cum ... ſic.
* vetuſtas. Corr.

V. De penna ſcriptoria.

Me pridem genuit candens onocrotalus albam
Gutture qui patulo ſorbet in gurgite lymphas.
Pergo per albentes directo tramite campos,
Candentique viæ veſtigia cærula linquo,
Lucida nigratis fuſcans anfractibus arua.
Nec ſatis eſt vnum per campos pandere callem
Semita quin potius milleno tramite tendit,
Quæ non errantes ad cœli culmina vexit.

VI. Salpynge.

Sum cauæ, bellantum crepitu quia corda ciebo
Vocibus horrendis ſtimulans in bella cohortes.
Idcirco reboans tanto clamore reſulto,
Quod nulla interius retundant viſcera vocem:
Spiritus in toto ſed regnant corpore flabra.
Garrula me poterit nunquam ſuperare cicada,
Aut arguta ſimul cantans luſcinia ruſcis;
Quam linguâ propria dicunt Achalantida Graij.

VII. De Taxo.

Semper habens virides frondenti in corpore crines,
Tempore non vllo viduabor tegmine ſpiſſo
Circius & Boreas quamuis, & flamina Cauri
Viribus horrendis ſtudeant euertere frondes:
Sed me peſtiferam fecerunt fata reorum,
Cumque venenatus gliſcit de corpore ſtipes,
Lurcones rabidi quem carpunt rictibus oris
Occido mandentum mox plura cadauera letho.

VIII. De Coloſſo.

Omnia membra mihi plaſmauit corporis auctor,
Nec tamen ex eodem membrorum munia ſumpſi,
Pergere nec plantis, oculis nec cernere poſſum.
Quamquam nunc paruulæ conſtent ſub fronte feneſtræ
Nullus anhelanti procedit viſcere flatus.
Spicula nec geminis nitor torquere lacertis.
Heu fruſtra factor confinxit corpus enorme
Totis membrorum dum fraudor ſenſibus intus.

** IX. De muſtelâ.*

Diſcolor in curuas deflecto membra cauernas
Pugnas exercens dirâ cum gente draconum,
Non ego dilecta * turgeſca prole mariti;
** turgeſco. Corr.*
Nec fœcunda viro ſobolem ſic edidit aluus,
Reſiduæ matres vt ſumunt ſemina partus,
Cum magis ex aure * pregnantur viſcera flatu.
** pregnātur. Corr.*
Si vero proles paritur diſcrimina mortis,
Dicor habere rudem componens arte medelam.

X. De ariete.

Sum namque armatus * rigoſis cornibus horrens.
** ſetoſis, forte vel rugoſis.*
Herbas aruorum bucceis decerpo virentes,
Et tamen aſtrifero procedens agmine ſtipor
Culmina cœlorum quæ ſcandunt celſa cateruis:
Turritas vrbes capitis certamine quaſſo
Oppida murorum proſternens arcibus altis:
Induo mortales contorto ſtamine pepli:
Littera quindecima præſtat quod * pars domus exſto.
** paries nempe.*

NOVENIS VERSIBVS COMPLEXA.

I. De hirundine.

ABſque cibo plures degebam marcida * menſes,
** à Septēbri vſque ad Martium.*
Sed ſopor & ſomnus ieiunia longa tulerunt:
Pallida purpureo dum * gleſcunt gramine ruta.
** for. gliſcunt.*
Gárrula mox crepitat rubicundum carmina guttur.
Poſt teneros fœtus & prolem gentis adultam
Sponte mea fugiens obſcuras quæro latebras.
Si vero quiſquam pullorum lumina lædat;
Adfero compertum medicans cataplaſma ſaloris,
Quærens campeſtrem proprio de nomine florem.

II. Vertigo poli.

Sic me formauit naturæ conditor almus,
Luſtro * teres tota ſpacioſis ſæcula cyclis,
** tota teres. Corr.*
Latas in gremio portans cum pondere terras;
Sic maris vndantes cumulos & cærula claudo.
Nam nihil in rerum natura tam * celer eſſet.
** celere form.*
Quod pedibus pergat, quod pennis æthera tranet,
** quam. Corr.*
Accola nec ponti volitans per cærula ſquamis.
Nec rota per gyrum * qua trudit machina lymphæ.
Currere ſic poſſent, niſi ſeptem ſidera tricent.
** niſi ſeptē planeta celerē rotationē impedirent.*

III. De Arcturo.

Sydereis ſtipor turmis in vertice mundi,
Ebeda famoſo geſto cognomine vulgi,
In gyro volucros iugiter non vergo deorſum,
Cætera ceu properant cœlorum lumina ponto.
Hoc * dono ditar quam ſum proximus axi.
** dono ditor quoniā ſum prox.*
Qui * Ripæis Scythiæ prælatus montibus errat,
** Ryphois ſcythia qui laxi mons. er.*
Vergilias æquans numeris in arce polorum,
Cui pars inferior ſtygia letheáque palude
Fertur & * ferni fundo ſuccumbere nigro.
** Corr. inferni.*

IV. Criſmal vel Criſmarus.

Alma domus veneror diuino munere plena;
* Vuluas ſed nullus reſerat, nec limina pandit,
Culmina ni fuerint * aulis ſublata quaternis,
** Sic appellat ampullā, qua ſacrū Chriſma cōtinetur.*
Et licet exterius rutilent de corpore gemmæ,
Aurea dum fuluis flaueſcit bulla metallis:
** valuas, Corr.*
Sed tamen vberius ditantur viſcera, craſſa
** Sic vocat quatuor repoſitoria.*
Potis qua ſpecies * flagrat pulcherrima Chriſti.
** fragrat Corr.*
Candida ſanctarum ſic floret gloria rerum
Nec trabes in templo ſurgunt, nec tecta columnis.

V. De Caſtore.

* Hoſpes præruptis habitans in margine ripis,
** ponendū hoc carmē quarto loco.*
Non ſum torpeſcens, otis ſed belliger armis
Quin potius duro ſuſtento membra labore,
Groſſaque proſternens mox ligna ſecuribus vncis;
Humidus in fundo tranat qua piſcis aquoſo,
Sæpè caput proprium tingens in gurgite mergo,
Vulnera fibrarum, nec non & liuida tabo
Membra medens, peſtemque luemque reſoluo necantem.
* Libris conroſis & cortice veſcor amaro.
** melius quinto loco legeretur hic verſus.*

*VI. * Muriceps.*
** id eſt felis.*

Fida ſatis cunctas conſeruans peruigil ædes;
Noctibus in furuis cæcas luſtrabo tenebras
Atris haud perdens oculorum lumina * mantris;
Furibus inuiſis, vaſtant qui farris aceruos,
Inſidiis tacitè diſpono ſcandala mortis,
Et vaga * vernatrix rimabor luſtra ferarum
** Venatrix. Corr.*
Nec volo cum canibus turmas agitare fugaces,
Qui mihi latrantes crudelia bella * ciebant.
** ciebant.*
Gens exoſa mihi tradebat nomen habendum.

VII. Cribellus.

Sicca pruinoſam crebris effundo feneſtris,
Candentemque niuem iactans de vertice furuo.
Et nos omnis amat quamuis ſim frigida nimbo
Denſior & nebulis late ſpargatur in aula.
Qua ſine mortales graſſantur funere * leti
** lethi Corr.*
* Et qua ditati contemnunt limina ditis.
** male in m. ſ. hic verſus ſuprimo loco ponebatur.*
* Sic animæ pariter dum vita fereſcit
Liquitur * in primis nunquam torrentibus hæc nix.
** nō deſui & mutilus verſ.*
Sed, mirum dictu, magis indureſcit ad ignem.
** Corr. in pruinis.*

*VIII. * fundibulum.*
** id eſt funda.*

Glauca ſeges lini vernans ex æquore ruris.
Et tergus mihi tradebant primordia fati:
Bina mihi conſtant torto nam brachia loro,
Ex quibus immenſum trucidabam mole * tyrannum,
** Goliam.*
Cum cuperent olim gentis ſæuire phalanges.
Plus amo cum tereti bellum decernere ſaxo,
Quam durius * pugnans ferrata cuſpide contis.
** alias nam.*
Tres digiti totum verſant ſuper ardua corpus:
** pugnā.*
Erro caput circum, tenues & tendor in auras.

IX. Calix vitreus.

De rimis lapidum profluxi flumine lento
dum frangunt flammæ ſaxorum viſcera dura,
Et laxis ardor fornacis ardet habenis.
Nunc mihi forma capax, glacieque ſimillima lucet.

Nempe

A

X. Scrofa prægnans. *

Nunc mihi ſunt oculi biſſeni in corpor: ſolo
Bis ternumque caput, ſed * cetera membra gubernat.
Nam gradior pedibus ſubfultus bis duodenis,
Sed nouies deni ſunt & ſex corporis vngues.
* Sinzias numero pariter ſimulabo peſtres,
Populus, & taxus, viridi quoque fronde ſalicta
Sunt inuiſa mihi, ſed fagos glandibus vncat,
Fructiferas i idem florenti vertice quercus
Diligo, ſic * numeroſa ſimul non ſpernitur ilex.

** loquitur de grauida quinq; ſucculo. * videtur aliquid deeſſe. * totus iacet in mente.*

*X I. * Ebulus.*

Sabuchus in ſilua putris dum fronde rubeſcit
Eſt mihi par foliis, nam gleſco ſurculus aruis,
Nigros baccarum portans in fronte corimbos.
Quem medici multum ruris per terga virentem,
Cum ſcabies morbi pulpas iouaſerit ægras
Luſtrantes orbem crebro quæſiſſe feruntur.
Cladibus horrende dum vexant viſcera * tabo,
Ne virus ſerpat poſſim ſuccurre lepræ,
Sic olidas hominum reſtaurans germine fibras.

** Corr. pomoroſa. * ramarus eſt, proprie tua hederarum. * tabes.*

B

DENIS ET PLVRIBVS INCLVSA.

I. De Corno.

Dum genus humanum truculenta fluenta necarent,
Et noua mortales multarent æquora cunctos.
Exceptis raris, gignunt qui ſemina ſæcli;
Primus viuentum perdebam fœdera iuris
Imperio patris contemnens ſubdere colla
Vnde puto dudum verſu dixiſſe * poëta;
Abluit in terris quicquid deliquit in vndis,
Nam ſobolem dapibus nunquam ſaturabo ciborum,
Ni prius in pulpis plumas nigreſcere cernam.
* Littera tollatur, poſt hæc ſine prole manebo.

** Pſalmiſta. * ſcā prima ſublata, ornus. id eſt orbus.*

II. Cuppa vinaria.

In plures debrians impendo pocula Bacchi,
Vinitor expreſſit quæ flaueſcentibus vuis.
Pampinos & viridi genuit de palmite botris
Nectare cauponis complens ex vite tabernam.

C

Sic mea turgeſcunt ad plenum viſcera muſto:
Et tamen inflatum non vexat crapula corpus,
Quamuis * hoc nectar centenis hauſerit vrnis.
Proles ſum terræ gleſcens in ſaltibus altis.
Materiam * cuneis findit ſed cultor agreſtis,
Pinos etetreos * altos & robora ferro.

** Et hoc. * cuneis. * altas. Corr.*

III. Lucifer.

Semper ego clarum præcedo lumine lumen
Per cælum gradiens obliquo tramite flector:
Signifer & Phœbi luſtrat qui limpidus orbem.
Eoas partes, * admodum iubar inde meabit
Finibus Indorum cernunt qui lumina primi
O fœlix olim ſeruata lege Tonantis.
Heu poſt hoc cecidi protenus mente ſuperbus,
Vitio quapropter funeſtum perculit hoſtem.
Sex igitur comites mecum ſuper æthera ſcandunt,
Gnarus quos poterit * biblis pandere lector.

** ad medium. * è biblis.*

D

IV. Palma arbor.

Omnipotens rector nutu qui cuncta creauit.
Qui dedit in mundo tam victrix nomen habendum.
Nomine nempe meo floreſcit gloria rerum,
Martyribus necnon dum vincunt prælia mundi
* Et dita cæleſtis prenſant & præmia vitæ,
Frondigeris tegitur bellantum turma coronis,
Et viridi ramo victor certamine miles.
In ſummo capitis denſeſcit vertice vellus,
Ex quo multiplicis torquentur tegmina pepli
Sic quoque mellifluis eſcarum paſco ſaginis,
* Nectare per populos tribuens alimenta ciborum.

** Edita Corr. * ſ. Nodarum.*

V. Pharos.

Puppibus in celſis qua tundunt cærula cautes
Et ſalis vndantis turgeſcunt æquora ponti;
Machina me ſummis conſtruxit molibus amplam.
Nauigeros calles vt pandam claſſibus index.

E

Non maris æquoreos luſtrabam remige campos,
Nec ratibus pontum ſulcabam tramite flexo
Et tamen immenſis errantes fluctibus * actos
Arcibus excelſis ſignans ad littora duco,
Flammiger imponens torres in turribus altis,
Ignea brumales dum condunt ſidera nimbi.

** Aſtut, id eſt quam vbi potius, acta.*

VI. Monoceros.

Collibus in celſis ſæui diſcrimina Martis
Nil vereor, magis ſed fretus viribus altos.
Belliger impugnans elefantes vulnere ſterno,
Quamuis venator fruſtra latrante moloſſo
Garriat * artifer terier contorquens ſpicula ferri.
Heu fortuna ferox, quæ me ſic arte fefellit?
Dum trucido grandes & virgine vincor inermi,
* Nam gremium pandens mox pulchra puerpera prodit,
Et voti compos cellam deducit ad vrbem.
Indidit ex cornu nomen mihi lingua Pelaſga.
Sic itidem * propria dixerunt voce Latini.

** Confunditur cum rhinocerote, cuius tardinem vero verſuum in m. ſ. præpoſterum correxi. * arciferi conterens. * en. * prendit.*

VII. Sol & Luna.

F

Non nos Saturni genuit ſpurciſſima proles
Iuppiter, immenſum fingunt quem carmina vatum:
Nec fuit in Delo mater Latona creatrix.
Cinthia non dicor, nec frater Apollo vocatur.
Sed potius ſummi genuit regnator Olympi,
Qui nunc in cælis excelſæ præſidet arci.
Diuidimus mundum communi lege quadratum,
Nocturnos regimus curſus, & frena dierum.
Ni ſoror & frater vaga ſæcula iure * gubernant
Heu chaos immenſum fuſcaret cuncta latebris,
Vtraque nunc Erebi regnarent Tartara nigri.

** vniuerſum. * gubernarent. Corr.*

VIII. Scintilla.

Quæ res in terris armatur robore tanto,
Aut paribus fungi nitatur viribus audax?
Parua mihi primo conſtant exordia vitæ,
Sed gracilis grandes ſoleo proſternere letho:
Quod lethum proprij geſtant penetralia ventris,
Nam ſaltus nemorum denſos pariterque fruteta,
Piniferoſque ſimul montes cum molibus altos,

G

Truxque, rapaxque, feroxque, * ſub æthere ſpargo
Et minor exiſtens gracili quam corpore Sciniphs.
Frigida dum genitrix dura generaret ab aluo
Primitus ex vtero producens pignora gentis.

** lacuna & qui ſequuntur verſ. melius collocarentur poſt ternium. * lignum.*

IX. Crabro.

Aëra per ſudum nunc binis remigo pennis
Horridus, & groſſæ depromo murmura vocis
Inque cauo denſis conuerſor ſtipite turmis.
Dulcia conficiens propriis alimenta cateruis.
Et tamen humanis horrent hæc pabula buccis.
Sed quicunque cupit, diſrumpens fœdera pacis
Dirus commaculare domum ſub culmine querno,
Exemplo * ſocians in bellum clamo cohortes;
Dumque cateruatim ſtridunt, & ſpicula tradunt,
Agmina diffugiunt iaculis exterrita diris.
Inſontes hoſti ſic torquent tela nocenti
Plurima, quæ conſtant terris infecta venenis.

** ſocias.*

X. Scylla.

H

Ecce moloſſorum nomen mihi fata dederunt.
Argolicæ gentis ſic promit lingua loquelis,
Ex quo me diræ fallebant carmina Circes
Quæ fontis liquida maculabat flumina verbis,
Crurąque cum coxis, pulpas cum poplite bino
Abſtulit, immiſcens crudelis verba virago.
Pignora nunc pauidi referunt vlulantia nautæ
Tonſis dum tradunt claſſes, & cærula findunt
Vaſtos verrentes fluctus graſſante procella.
Palmula quæ remis ſuccurrit panda per vndas:
Auſcultare procul quæ latrant inguina circum.
Sic me pellexit dudum Titania proles,
Vt merito viuam ſalſis in fluctibus exul,

** liquidi fontis. Corr.*

X I. Elephantus.

Ferratas acies & denſo milite turmas
Bellandi miſeros ſtimulat quos vana cupido,
Dum maculare ſtudent armis pia fœdera regni.
Salpix & ſorbet ventoſis flatibus auras,

A Sæuaque clangentis reboant dum claſſica ſiſtri,
** verſus hic in m. ſ. perperã ſequenti poſtponebatur.*
Cernere non pauidus didici trux munera Martis.
Quanquam me turpem naſcendi fecerit auctor
Editus ex aluo dum ſumpſi munera vitæ;
Ecce tamen morti ſucceſſit gloria formæ
Lethifer in fibras dum ſerpit finis apertas.
Bractea non auri fuluis precioſa metallis,
Quamuis gemmarum conſtent ornata lucernis,
** for me. * for. ſiue cur ne palpebras tradere ſomno.*
Vincere * non quibunt faleratum floribus vnquam.
Me flecti genibus feſſum natura negauit
Poplite * ſeu curua palpebris tradere ſomnos.

XII. Nox.

** infecũdum.*
Florida me genuit nigrantem corpore tellus.
Et * nihil fœcundum ſterili de viſcere promo:
** Carmina: nam canunt. Eumenides noctis filiæ.*
Quamuis Eumenidum narrantes * carmine vates
Tartaream partu teſtentur gignere prolem:
Nulla mihi conſtat certi ſubit intia partus.
Sed modo quadratum complector cærula mundum.
Sæcula dum luſtrat lampas Titania Phœbi
Eſt inimica mihi, quæ cunctis conſtat amica.
B Diri latrones me ſemper amare ſolebant,
Quos gremio tectos inter defendere ſueſco.
** ſcilicet famam.*
Vergilium conſtat * catam cecinisſe ſororem,
Monſtrum horrendum, ingens, cui quot ſunt in corpore plumæ
Tot vigiles oculi ſubter, mirabile dictu.
Tot linguæ, totidem ora ſonant, tot ſubrigit autes.
Nocte volat cœli medio, terræque per auras,
Ingrediturque ſolo & caput inter nubila condit.

XIII. .*

** creatura forte. Corr. culmina.*
Conditor æternis fulſit: qui ſæcla columnis,
Rector regnorum frenans & * fulmina lege,
Me variam fecit primo dum conderet orbem.
Peruigil excubiis nunquam dormire iuuabit,
Sed tamen extemplo clauduntur lumina ſomno.
** Iam. * Corr. ego. * laruula Corr.*
* Nam Deus vt propria mundum ditione gubernat,
Sic * ergo complector ſub cœli cardine cuncta.
Segnior eſt nullus, quoniam me * larbula terret,
Setigero ruſſus conſtans audacior apro.
C Nullus me ſuperat cupiens vexilla triumphi
** id eſt niſi. * fragrantior. * Corr. olida ceni. * inter lineas. Quod. * alia manu correctum interim. compſo. * horna.*
* Ni Deus æthrali ſummus qui regnat in arce.
Prorſus odorato ture * flagrantior halans
Olfactum Ambroſiæ, necnon creſcentia glebæ.
Lilia purpureis poſſum connexa roſetis
Vincere, ſpirantis nardi dulcedine plena:
Nunc * olido geni ſqualentis forde putreſco.
Omnia quæque polo ſunt ſubter & axe reguntur.
* Dum patet architenens conceſsi iure guberno.
Groſſas & graciles rerum * compreſſo figuras.
Altior en cælo rimor ſecreta tonantis,
Et tamen inferior terris terra Tartara cerno.
Nam ſenior mundo præceſsi tempora priſca;
Ecce tamen matris * horno generabor ab aluo.
Pulchrior auratis dum fulget fibula bullis;
Horridior rhamnis, & ſpretis vilior algis.
Latior en patulis terrarum finibus extto,
Et tamen in media concludor parte pugilli.
Frigidior brumis, necnon cadente pruina,
D Cum ſim Vulcani flammis torrentibus ardens.
* Dulcior * in palato quam lenti nectaris hauſtus.
Dirior & ruſſus quam glauca abſinthia campi.
Mando dapes mordax lurcorum more Cyclopum,
** Animal vel angeli.*
Cum poſsim * iugiter ſine victu viuere fœlix:
Plus pernix aquilis, Zephiri velocior alis,
Necnon accipitre properantior, & tamen horrens
* * Lumbricus & limax & tarda teſtudo paluſtris,
** ſcopulorum for. * cui Corr.*
Atque fimi ſoboles ſordentis cantarus ater
Me, dicto citius, vincunt certamine curſus.
Sic grauior plumbo * ſcopurum pondera vergo:
Sum leuior pluma cedit * cur tipula lymphæ.
Nam ſilici denſas fundit quia viſcere flammas
Durior aut ferro, roſtis, ſed mollior extis.
Cincinnos capitis nam geſto cacumine nullos.
Ornent qui frontem pompis, & tempora ſetis;
Cum mihi cæſaries volitent de vertice criſpæ,
Plus calamyſtratis ſe comunt quæ calamyſtro, E
Pinguior en multo ſcrofarum * exungia gleſco, *
Glandiferis iterum referunt dum corpora fagis,
Atque ſaginata lætantur carne ſubulci:
Sed me dira fames macie torquebit egenam, ** Orbe.*
Pallida dum iugiter dapibus ſatiabor opimis
Limpida ſum fateor Titanis clarior * orbi, *
Candidior niuibus dum ningit vellere nimbus;
Carceris & multo tenebris obſcurior atris,
Atque latebroſis ambit quas Tartarus vmbris.
Vt globus aſtrorum plaſmor teres atque rotunda,
Sphærula ſeu pilæ, necnon & forma criſtalli:
Et verſa vice protendor ſeu ſerica penſa
* In gracilem pannum porrecta ſeu ſtamina pepli. ** Porrecta in gracilem pannum ſeu ſtamina.*
Senis ecce plagis latus qua panditur orbis
Vlterior multo tendor, mirabile fatu;
Infra me ſupraue nihil per ſæcula conſtat;
* Ni rerum genitor mundum * ſermone coërcens. ** hoc eſt niſi.*
Grandior in glaucis quam ballena fluctibus atra,
Et minor exiguo ſulcat qui corpora verme F
Aut modico Phœbi radiis qui vibrat atomo.
Centenis pedibus gradior per gramina ruris.
Et penitus nunquam per terram pergo pedeſter,
Sic mea prudentes ſuperat ſapientia Sophos,
Nec tamen in biblis docuit me littera diuis,
Aut vnquam quiui * quid conſtet ſillaba, noſſe. ** qui Corr.*
Siccior æſtiuo torrentis caumate ſolis,
Rore madens iterum plus vdo flumine fontis.
Saltior & multo tumidi quam marmora ponti,
Et gelidis terræ lymphis inſulſior erro.
Multiplici ſpecie cunctorum compta colorum,
Ex quibus * ortatur præſentis machina mundi; ** Corr. ornatur.*
Lurida cum toto nunc ſim fraudata colore.
Auſcultate mei credentes famina verbi,
Pandere quæ poterit gnarus vix ora magiſter,
Et non diffidens non tetur friuola lector;
Sciſcitor inflatos quo fungar nomine Sophos?

G

SANCTI ALDHELMI Occidentalium Saxonum Epiſcopi, de laudibus Virginitatis.

LIBER.

Reuerendiſſimis Chriſti Virginibus, omnique deuota germanitatis affectu venerandis, & non ſolum corporalis pudicitiæ præconio celebrandis, quod plurimorum eſt: verumetiam ſpiritalis caſtimoniæ gratia glorificandis, quod paucorum eſt: Hyldelichæ, regularis diſciplinæ, & Monaſticæ conuerſationis magiſtræ; ſimulque Iuſtinæ ac Cuthurgæ, nec non Osburgi, mihi Contribulibus neceſſitudinum nexibus conglutinata Aldgida, ac Scholaſticæ Hidburgæ, & Berrgidæ, Eulaliæ, ac Teclæ, rumore ſanctitatis concorditer Eccleſiam ornantibus; Aldhelmus, ſegnis Chriſticolæ cruciis, & ſupplex Eccleſiæ vernaculus, optabilem perpetuæ proſperitatis ſalutem.

Additæ ſunt correctiones Ioann. Meurſii hoc anno 1608. quæ indicantur in margine has literas M.

H

CAP. I.

IAMDVDVM ad Pontificale proficiſcens conciliabulum, fraternis ſodalium catervis comitatus, Almitatis veſtræ ſcripta meæ mediocritati allata ſatis libenter ſuſcipiens erectis ad æthera palmis, immenſas Chriſto pro ſoſpitate veſtra gratulabundus impendere grates curaui, quo ſtilo non ſolum Eccleſiaſtica promiſſorum votorum fœdera, quæ fida pollicitatione ſpopondiſtis, vbertim claruerunt; verum etiam melliflua diuinarum ſtudia Scripturarum ſagaciſſima ſermonum ſerie paruerunt. Cumque ſingulos Epiſtolarum textus recitans pernicibus pupillarum obtutibus ſpecularer, atque naturali quadam (vt mihi inſitum fertur) latentium rerum curioſitate contemplarer, vberri

A

mamque verborum facundiam, ac virginalem vrbanitatis diſertitudinem magnopere admirarer: En (inquam) ineffabili gratulatur tripudio ille ſuperi regnator Olympi & rector cœli, cum taliter Catholicas Chriſti vernaculas (immo adoptiuas regenerantis gratiæ filias) ex fœcundo Eccleſiaſticæ conceptionis vtero, ſpiritualis verbi ſemine progenitas, per maternam viderit ſollicitudinem, diuinis dogmatibus erudiri, ac velut ſagaces Gymnoſophiſtas ſub peritiſſimo quodam Agonotheta palæſtricis diſciplinis & gymnicis artibus in gymnaſio exerceri. Qui laborioſi certaminis coronam & olympiaci agonis triumphum difficillimis propriæ exercitationis viribus nauiter nanciſcuntur. Ita duntaxat, vt alius ſtrenua athletarum luctamina cum æmulo ſinuoſis laterum flexibus deſudans; in meditullio ſcommatis flagrante delibutus lubrici liquoris nardo, ſolerter exercere ſtudeat. Alius iaculorum catapultas, & ſagittarum ſpicula de abſtruſis pharetræ latibulis depromens, non vt paſſiuus laſciuus oculorum obtutus libere per æthera relaxat; ſed vt certus pupillarum conſpectus demonſtrat pando ſtrepente arcu, & neruo ſtridente ad deſtinatum indeclinabiliter dirigit locum.

B

Alius anhelantium in ſtadio curſorum plantis fidens pernicibus. De quibus egregius agoniſta, & diuini ſermonis dogmatiſta,

1.Cor 9. 42.

omnes (inquit) currunt, vnus tamen accipit brauium; turmas ludi participes & laboris conſortes ſuperans victoriæ palma fortunatus fœliciter perfruitur. Alius cum caterua contribulium phalerato vectus cornipede, quem calcaribus cruentatum, & flagris cæſum, aureis comunt ornamenta lupatis. De quo facetus poëta; *Quadrupedante putrem curſu quatit vngula campum*. Pernici**t**er implicans orbes orbibus, ſpacia terrarum metitur. Alius claſſicis nautarum cohortibus ſtipatus, & denſis nauigantum agminibus circumſeptus per vitreos Oceani gurgites

M. Poëteſcuia.

agens Liburnicam aut lintrem inſtanter hortante proreta, & crepitante nauclero porticulo ſpumoſis algoſiſque remorum tractibus trudit. Et quidem vniuerſa hæc quæ per gymnoſophiſtas exerceri depromſimus, inter ſcholares ſecularium diſciplinas apud veſtri diſcipulatus induſtriam, non exterioris hominis motibus aguntur, ſed interioris hominis geruntur geſtibus.

G

Siquidem, microcoſmum; id eſt minorem mundum; ex duplici & genuina materiæ ſubſtantia conſtare, veſtræ ſagacitatis ſolertiam non arbitror latere: quin potius ſicut exterioris hominis natura, qui in propatulo formatus viſibiliter conſpicitur, haud difficillime deprehendi poteſt: Ita interioris qualitatem, qui cœleſti afflatus ſpiraculo (iuxta 2. capitis Geneſeos relatum) creditur, à veſtra prudentia membratim & particulatim ſubtiliter inueſtigatam reor. Etenim celeberrimus ille Chriſti nominis gerulus, ad exemplum militiæ Chriſtianorum, agonem protulit gymnicorum dicens:

1.Cor. 9. 25.

& illi quidem vt corruptibilem coronam, vos autem incorruptam; & alibi: *non quaſi aërem verberans*, & quamuis gymnicorum exempla, qui agilitate corporis theatrales populi pompas, & præconia circenſium adipiſcuntur, rite congruant ad comparationem eorum qui per ampla Scripturarum ſtudia decurrentes ſagaciſſimam animorum induſtriam, & viuacis ingenij qualitatem aſſidua lectionis inſtantia exercere noſcuntur: attamen ſolertiſſimæ apis induſtriam prædictis exemplorum formulis

D

coaptari poſſe, vberrima rerum experimenta liquido declarant, quæ roſcido faceſſente crepuſculo, exorto limpidiſſimi Solis iubare, denſos exemplo tripudantium turmarum exercitus per patentes campos gregatim diffundit.

CAP. II.

MOdo melligeris caltarum frondibus ſeu purpureis maluarum floribus incubantes multa nectaris ſtillicidia guttatim roſtro decerpunt, & velut lento caricæ defruto, quod regalibus ferculis conficitur, auida viſcerum receptacula certatim implere contendunt, modo flaueſcentis ſaliculas & croceata geniſtarum cacumina circumuallantes fertilem prædam numeroſis cruribus & coxarum oneribus aduehunt, quibus cerea caſtra conficiunt: Modo teretes hæderarum corymbos, & leuiſſimos florentis tiliæ ſurculos conſtipantes multiformem fauorum machinam anguloſis, & opertis cellulis conſtruunt.

E

Cuius artis molimen egregius poëta Metrica facundia fretus catalectico verſu creditur cecini ſſe; cum diceret: *Cerea gemmatis flaueſcunt mella caniſtris*. Et infra brachy catalecto ſine colopho: *Collucentque ſuis aurea vaſa fauis*. Nam quemadmodum examinaria feneſtrarum foramina & anguſta aluearii veſtibula cateruatim per turmas egreſſæ arborum ramos & prata populantur: eodem modo veſtrum, ni fallor, memoriale mentis ingenium per floruleuta ſcripturarum arua late vagans, bibula curioſitate decurrit. Nunc diuina priſcorum Prophetarum oracula certis aſtipulationibus iamdudum Saluatoris aduentum vaticinantia enixius inueſtigando; nunc antiquarum arcana legum ab illo mirabiliter digeſta, quæ bis quinis Memphitica regna ſæuiſſimis plagarum afflictionibus crudeliter percuſſiſſe, & rubicundi tumentes Oceani gurgites ac reciproca ſpumantibus pelagi luſtra, Sacroſancti tactu viminis ex colubro nuper transfigurati in ſimulachro maceriæ altrinſecus ſequeſtraſſe; & poſt cœleſte colloquium cornutis vultibus incredulum fugaſſe vulgus deſcribunt, ſollicita intentione ſcrutando; nunc quadri-

F

fariam Euangelicæ relationis dicta myſticis Catholicorum patrum commentariis expoſita, & ad medullam vſque ſpiritualiter enucleata, & quadriformis Eccleſiaſticæ traditionis normulis ſecundum hiſtoriam, allegoriam, tropologiam, anagogen digeſta ſolerter indagando; nunc

4. Scriptura ſenſus.

priſcas hiſtoriographorum fabulas & chronographorum ſeriem; qui fortuitas præteritorum permutationes temporum tenaci memoriæ nexu tradiderunt rite rimando; nunc grammaticorum regulas & orthographorum diſciplinas tonis & temporibus trutinatas, pedibus poëticis compactas per cola & commata, hoc eſt, per penthemimerin, & heptemimerin diremptas; imo centenis metrorum generibus ſequeſtratim diſcretas ſagaciter inquirendo. Apis, inquam, propterea peculiaris caſtimoniæ priuilegium, pudiciſſimæ virginitatis typum & Eccleſiæ

Apis eſt typus Eccleſia virginis.

portendere ſpeciem indubitata ſcripturarum authoritate adſtipulatur. Quæ florentes ſaltuum ceſpites ineffabili præda depopulans, dulcia nardorum pignora, neſciens coniugij illecebroſa conſortia, fœtoſa quadam ſuauiſſimi ſucci, de balſamo concretione producit. Eccleſia vero bis acuto Teſtamentorum mucrone, hominum vitaliter corda tranſuerberans, hæreditariam legitimæ æternitatis ſobolem caſto verbi fœcundat ſemine.

G

Illud etiam commemorandum de apum concordi ſodalitate, & theatrali quodam ſpectaculo ſtupendum autumo, Vltroneum videlicet voluntariæ ſeruitutis affectum, quem erga ſuorum obſequia principum exercere noſcuntur. Nonne ſub huiuſcemodi contemplationis intuitu omnis monaſticæ conuerſationis diſciplina & regularis cœnobiorum inſtitutio, ſimillima collatione declarantur? Quamdiu enim antiquas inhabitare ſedes, & exigua fouere tuguria graciliſſimis contexta viminibus ſeu cauatis conſuta codicibus, illa, quæ inter cæteras magiſtratus officio fungitur decreuerit nulla ex immenſa multitudine, fugitiuis diſcurſibus & laſciuis volatibus per æthera vagatur. Aſt ſi certis exiſtentibus cauſis & cogente peregrinandi neceſſitate, illa, cui conſulatus vice regimen cæterarum commiſſum eſt, externa quærere regna maluerit: nuſquam apud mortales videas extorrem propria pulſum patria,

H

tam denſis exercituum agminibus, tamque ſpiſſis legionum cohortibus conſtipari; ita prorſus vt multo libentius ob reuerentiam principis ad incolarum peregre proficiſcatur, quam domeſticis aſſueta deliciis & vernacula contenta quiete in cellulis commoretur. Quid enim in rerum viſibilium videri valet natura, quod tam ingenti ſtudio actoris ſui præcepto pareat, & regis imperium implere contendat? vt merito propter intactæ virginitatis typum, & ſpontaneum deuotæ ſubiectionis famulatum, quo exemplum obedientiæ mortalibus in valle lachrymarum degentibus præbet, præ cæteris creaturis nectareum conficiat edulium, & mulſæ dulcedinis alimoniam flaueſcenti cæterarum gurguſtio recondat; quæ non modo cuncta deliciarum fercula, & piperatas pulmentorum ſaginas præcellat, omneque fragrantis Ambroſiæ, thymiama, ac nardi ſpirantis olfactum vincat: verum etiam,

vt omiſſa ſpecialitate ad generalitatẽ ſermonis oratio decurrat, vniuerſam mundanæ ſuauitatis dulcedinem, opulentique luxus exquiſita ſuperet oblectamenta & virgulti hauſtum defruti deſpiciat.

III. IGitur ſi ſanctæ virginitatis gloria, Angelicæ beatitudinis germana creditur, & pulchra ſupernorum ciuium ſodalitas merito pudicitiæ prædicatur; debitis attollenda eſt præconiis. Quæ inter cæteras virtutum infulas ſummi principatus ſceptra & regnandi monarchiam gubernare dignoſcitur, ſiquidem & humanis faucibus & mortalium palato omne quicquid iucundum ac delectabile illatum ſentitur, mellitæ dulcedinis guſtum admodum incomparabiliter præcellit. Ita diuina maieſtas (quod tamen cum pace, & reuerentia Sanctorum loquar quondam iugalitatis nexibus fœderatorum) omnibus generalium virtutum gradibus, quæ in catalogo chariſmatum enumerantur, ſpeciale virginitatis priuilegium prępoſuit. Cuius rei ſatis euidens indicium conſtat, dum à ſummo cœlorum faſtigio veneranda Dei proles deſcendens, ouem erroneam redemptura, & drachmam perditam quæſitura, aluum incontaminatæ puerperæ virginali puerperio prædictæ, ſine periculo perpetuæ puritatis & diſpendio caſtitatis intraret. Ob hoc etiam reor, quod ſacer Dominici pectoris accubitor, & quartus paradiſi gurges, qui potiſſimum ſeptenas Eccleſias Aſiæ inexhauſtis dogmatum imbribus irrigauit, ſpecialem Diuinæ dilectionis prærogatiuam ac priuatam amoris munificentiam ante cæteros Apoſtolos Chriſti præconio promeruerit. Quia Chriſto, qui eſt cupidus caſtitatis amator & zelotypus ſanctimoniæ iuformator grata virginitatis libamina, oblationis ſpontanea deuotione litarat. Quamobtem verax medicus dum vulnera facinorum & cicatrices criminum conſiderans, quibus animæ ægrotorum crudeli ſtrage ſternebantur, ſaluberrimum componeret malagma, fibriſque virulento ſpiritalis nequitiæ poculo lethaliter infectis, cœleſtis medicinæ antidotum vitaliter propinaret, ac verticem gabali ſcandens ſexta ſabbathi, hoc eſt paraſceue, pateretur, maternæ memor venerantiæ diſcipulo inter diſcrimina perfidorum militum euentus rerum præſtolanti genitricem pie præcipit tuendam, vt non inconuenienter carmine rythmico dici queat! Chriſtus paſſus patibula, atque lethi laribula, virginem virgo virgini commendabat tutamini. Is poſtmodum labentibus temporum luſtris à Domitiano, qui per idem tempus ſceptris imperialibus fretus, ſæua tormentorum ſupplicia orthodoxæ fidei cultoribus irrogabat extorris in Pathmo relegatus ſepties vicena & quaterna virginum dulciſonis melodiæ concentibus canticum rude canentia, raptus in aromate cætus eos auſcultare & caſtis obtutibus contemplari meruit, de quibus dictum eſt: Virgines enim ſunt & ſequuntur agnum quocunque ierit. Cæteri fideles audituri: Iſti ſancta modulaturi ſunt carmina, & cum agno pariter per auguſtam æthralis regni gloriam graditurі. Nec tamen virginalem pudicitiæ gloriam immenſis laudibus accumulantes, & ad exemplum rigidæ conuerſationis & ardui formam propoſiti animos militantium Chriſto inſtigantes immaculata matrimonij contubernia, & legitimum legalis thori connubium, (ſicut ſchiſmaticorum deliramenta garriunt) ſpernendum ducimus. Quod abſit à Catholica Eccleſiarum fide; præſertim cum pro certo nouerimus priſcis temporibus Patriarchas diuinæ ſanctionis præcepto coniugij fœdera ſeruantes ſupernæ gratos maieſtati extitiſſe, & ſacroſancti Spiritus chariſmate refertos futuræ incarnationis cunabula Propheticis præſagiorum vocibus vaticinaſſe, vt eſt illud: non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de fœmoribus eius, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium; & reliqua, quod millena teſtimoniorum congerie liquido probari & experiri poteſt. Sed etiam furuo facelſente veteris inſtrumenti vmbraculo, & clare coruſcante Euangelij gratia tantum inter virginitatis flores & iugalitatis mores diſtare dicimus, quantum diſtat oriens ab occaſu. vnde quidam Catholicorum floridam virginitatis gloriam explanans de iugalitatis ſtirpibus oriundam ſub figura tropi, ita eleganter exorſus, lego (inquit) de terra aurum, de ſpina roſam, de concha margaritam.

CAP. IV. *Virginitatis laudibus non vituperari Matrimonium Catholici.*

NOn enim ſplendida meri argenti ſpecies turpiter deformatur quamuis obrizum rutilantis auri metallum præferatur. Neque marmoris candidi venuſtas detrimentum decoris patitur, cum formoſior rubentis gemmæ pulchritudo prædicetur, aut lanea filorum ſtamina ex glomere & panniculis reuoluta negligenter vileſcunt, etiamſi bombycinum, purpuræ peplum & ſerica imperatorum trabea potius fulgeſcat. Nunquid mala punica citri granis, quæ rubentibus referta & ſimplo librorum tegmine contecta contemptibilem naturæ calumniam perpeti putantur, licet melliſluos palmæ dactilos & mulſum Nectaris Nicolaum longe incomparabiliter præſtare cedamus. Nequaquam ſcabræ incuditis commoditas, ſeu rigida tundentis mallei duritieѕ, vel rubiginoſæ forcipis ac forficis tenacitas ſpreta deſpicitur: quanquam baltheus bullifer & diadema regni ac diuerſa ornamentorum gloria, ex iiſdem præfatis ferri inſtrumentis confecta & fabricata præferatur. Neque teres lunaris globi circulus iacturam propriæ pulchritudinis patitur, licet luculentus limpidiſſimi Solis ſplendor triquadram mundi rotam clarius illuſtrare credatur. Nunquid profundus putei latex, aut gelida ciſternæ lympha, quam anthlia (hoc eſt, rota hauritoria) exanthlamus parui pendenda putamus: quamuis reciproca puriſſimi fontis redundantia præcellere, & perpetuos ducturum decurſus crebris ac celſis arcuum fornicibus in edito ſublimatus tubo cataractiſque vorantibus præſtare videantur, non enim furua voracis mergulæ factura confunditur, & atra corporis creatura contemnitur, licet verſicolor pauonis gloria tereti circulorum rotunditate præcellat, cuius pennæ pulchritudo nunc crocea qualitate flaueſcit; aut purpurea venuſtate rubeſcit, nunc glauco coloris virore fulgeſcit, aut flaua auri ſpecie ſplendeſcit. Huius decoris dignitas aut fruſtra virginali formulæ comparata reliqua mundi crepundia contemnit; & phalerata ſæculi ornamenta paruipendit. Siquidem B. Auguſtinus in libro ciuitatis Dei, quod pulpa pauonis imputribilis naturæ ſit, experimentis ſe comprobaſſe teſtatur. Non arborum ſiluestrium natura, foliorumque infœcunda viriditas, aut ſucculentus herbarum terreſtrium cauliculus contemnitur, cum purpurei & rubicundi flores ex ipſis lignorum ramuſculis exorti, ſeu vernantis prati oluſculis progeniti pulchrius rubeſcant & ſuaui odoris fragrantia dulcius redoleant, cum conſtat ex floribus ſecutura fructuum emolumenta exuberante reditu & multiplici quæſtu mirabiliter matureſcere. Frondentia vero ſurculorum folia & ſpiſſos palmitum pampinos ceſſante librorum ſucco mirabiliter marceſcere, & torrido aduentante autumni feruore in modum denſiſſimæ ſtragis cateruatim cadere. Non inquam, laudandæ virginitatis ſublimitas quaſi præcelſa variis in edito rupis promontorio poſita ſplendeſcit, vt arcta coniugij continentia, qui ſecundus eſt gradus, omnino inferius ſpreta vileſcat ſeu legitimæ iugalitatis fœcunditas ob liberorum poſteritatem ſumpta nobiliter ſqualeſcat, nec in comparatione huiuſcemodi bonum dehoneſtari video, ſed quod melius eſt propenſius laudari cenſeo. Et tamen plerunque (proh dolor) immutatis ordinibus verſa vice contingere ſolet, vt inferioris vitæ gradus vſquequaque paulatim proficiens, ſuperiorem tepide torpentem præoccupet, & acerrimæ ſtimulo compunctionis inſtigatus, dudum ſuperiorem, voti compos, victorem anticipet, & qui exiſtimabatur præteritæ conuerſationis negligentia poſterior, deinceps Diuinæ charitatis flamma ſuccenſus exiſtat anterior, Euangelicæ reminiſcens ſententiæ: Cui multum dimittitur, multum diligit, & qui contempta mundi blandimenta velut quiſquiliarum peripſemata ſpuens à carnalibus, luxus lenocinia refutans in ſancto propoſito ſucceſſor exiterat ſumpto viriliter caſtæ conuerſationis tyrocinio initium militiæ horrendum gehennæ tartarum contremiſcens, & æternæ vitæ deſiderio flagrans gratuita Chriſti gratia fretus cum ſudoris induſtria efficiatur anteceſſor, quod illis duntaxat in vtroque ſexu lachrymoſis luctuum ſingultibus lugubriter lamen-

M. phraſis.

tandum

A

Animi elatio & ſecuritas ſæpe perdit virginem.

tandum, & cum profundo præcordiorum ſuſpirio querelosis queſtibus flebiliter ingemiſcendum autumo. Qui tumido elationis ſupercilio inflati deſolationis carnis integritate gloriantur, dum illi periculoſo ſæculi naufragio & graſſante diræ tempeſtatis turbine, velut inter Scyllam Siciliæ & baratrum voraginis nauigantes ad portum cœnobialis vitæ feſtinantes, licet aliquantulum quaſſatis cymbæ compagibus Chriſto gubernante fœliciter peruenerunt. Iſti vero cum integris animæ ratibus & ſaluo incontaminati corporis lintre ſine diſcrimine ſcopulorum ſanctæ conuerſationis habitum petentes, tanto minus lamentorum fletibus incumbere geſtiunt & lachrymarum imbribus vultum rigare contendunt, quanto ſe nullis næuorum maculis deformatos, nullo ſæcularis ſcoriæ atramento fœdatos fuiſſe confidunt. Illi eo magis roſcidis oculorum fontibus & palpebris ſtillantibus mœſtam faciem humectare iugiter non deſinunt, quo ſe quædam vetita & legis auſteritate interdicta, ex mundi conſortio illicite perpetraſſe meminerunt, iſti vero quia ſe cœlibes, caſtos, & ab omni ſpurcitiæ ſentina funditus immunes arbitrantur, fiducia virginitatis inflati arrogan- ter intumeſcunt, & nequaquam crudeliſſimam ſuperbiæ balenam cæterarum virtutum deuoratricem humilitatis auxilio declinant.

B

CAP. V.

Lucifer cum eſſet virgo periit ſuperbia.

Nam in conflictu octo principalium vitiorum, licet vltima ponatur; tamen quaſi atrox regina tyrannicæ poteſtatis imperium, & dominandi monarchiam præ cæteris ſibi vſurpare dignoſcitur, quia ſine ancipiti ambiguitatis ſcrupulo veraciter credendum eſt, quod prius lucifer paraſitorum ſodalibus inflatus, Apoſtatarum ſatellitibus glomeratus in profundum ſuperbiæ barathrum, & tetrum elationis tumidæ tartarum caſſabundus corruiſſet; quam protoplaſtus recentis Paradiſi colonus & totius terreſtris creaturæ, quam teres vertigo cœli in modum rotantis fundibuli circungirat rudis poſſeſſor lucis ambronibus & labris lurconibus vetitam deguſtans alimoniam, in gaſtrimargiæ voraginem crudeliter cecidiſſet. Quod ſi Angelica ſupernorum ciuium celſitudo elationis tantum ſupercilio turgeſcens beato cæterorum tubernio, & Deificæ contemplationis participio priuabitur, quanto magis gracillima mortalium fragilitas, ſi de propriis meritorum emolumentis, vt inflata veſica intumuerit, & de virginali caſtimonia, quaſi ſpeciali ſanctimonia rumuſculos κενοδοξίας cœperit, à cœleſtis ſponſi triclinio infœliciter fraudabitur, idcirco virginibus Chriſti, tyrunculis Eccleſiæ contra horrendam ſuperbiæ beſtiam ſimulque contra has virulentorum ſeptenas vitiorum belluas, quæ rabidis molaribus & venenoſis genuinis; inermes quoſque ac virginitatis lorica ſpoliatos pudicitiæque parma exutos atrociter diſcerpere nituntur, lacertoſis viribus dimicandum eſt, & quaſi aduerſus ferociſſimas barbarorum legiones, quæ manipulatim tyronum Chriſti teſtudinem ſtrophoſa baliſta quatere non ceſſant, ſpiritalis armaturæ ſpiculis & ferratis virtutum venabulis nauiter certãdum ac nullatenus timidorũ more militum horrentem belli & claſſicæ ſalpictæ muliebriter metuentium, ſæuiſſimis hoſtibus ſcapularum terga pro ſcutorum vmbonibus ſegniter præbeamus. Quin potius cœnobialis militiæ pugiles frontem vexillo crucis armatam audaciter æmulorum agminibus offerentes; & armorum inſtrumenta bellica, quæ pugnator egregius enumerat, hoc eſt, diuini machæram verbi & loricam fidei inextricabilem, cum tuta pelta protecti contra ſpiritualium nequitiarum mille nocendi artes pertinaciter portantes, à Chriſto remuneratore noſtro debitum victoriæ triumphum percepturi, in ſupernis ſedibus & cœleſti gloria gratulabundi fœliciter tunc tripudiabimus, ſi nunc aduerſus principatus leuiathan & poteſtates tenebrarum mundique rectores ceu bellatores Dominici pertinaciter pertinacibus repugnantes in fronte duelli fortiter dimicemus.

Huius exemplo moneantur virgines, & coniugati.

C

D

CAP. VI.

De principalibus vitiis.

Primitus, vt dixi, principalium bis quaternos vitiorum duces, quibus Cerethi criminum & Phelethi facinorum cum horrendo belli apparatu mancipantur diuino freti ſuffragio vincere laboremus, qui contra tyronum Chriſti catervas & bellicoſas virginum cohortes truculentis inimicorum exercitibus cum innumera ſtropharum phalarica & denſis deceptionum telis infatigabiliter certare non ceſſant, quamuis ſæpe patrocinium Chriſto præſtante, ſuorumque phalanges militum cum prædeſtinatæ palma victoriæ cohortante, turpiter terga fugacia vertant. Sed proh dolor, non eſt tuta indeptæ pacis proſperitas, neque acquiſitorum ſecura triumphorum fœlicitas, aut inflexibile & diuturnum fallentis fortunæ trophæum. Nam hoſtes, qui putabantur vſque ad internecionem ſuprema ſtrage truciter abtruncati, & aptatis euentuum ſucceſſibus fœliciter ſuperati, denuo verſa vice, victores ad importunum prælium prouocant, arma cruenta capeſſunt, bellum horrendum inſtaurant, rediuiua certamina voti compotibus inſtruunt. Quamobrem primo importunus gaſtrimargiæ draco, qui peſtiferum præuaricationis virus rudibus florulentis telluris colonis de venenoſa fauce lethaliter euomuit, frugalitatis abſtinentia explodatur. Ad extremum vero truculentus ſuperbiæ natrix, qui beatam cœli familiam & almæ ciuitatis municipes lugubriter conturbauit, de latebroſis animæ noſtræ receſſibus & clandeſtinis præcordiorum latibulis eliminatus, procul diuino terrore trudatur. Quemadmodum Hebræorum Phalanx duodecies quinquagenis expeditionum militibus, & peditum turmis procedens auido Pharaonis exercitu rubri maris gurgitibus ſubmerſo, & profundis pelagi fluctibus ſuffocato, per quem gaſtrimargia figuratur, ſeptem gentes Chananæorum, quæ ſeptenos vitiorum cuneos typice obumbrabant, crebra internecionis ſtrage ambitionis orci faucibus tradidit, terramque repromiſſionis quamdiu Decalogi ſanctionibus non refragabatur duodecim tribubus ſorte territorij diremptam fœliciter incoluit, ſicque paternæ generationis proſapia per atauos, & tritauos futuræ poſteritatis, nepotibus & pronepotibus legitimæ hæreditatis iure perpetuo poſſidendam dereliquit.

E

Gula.

Superbia.

F

Pharaone ſubmerſo, ſeptem. Chananæorum gētes deleri, eſt, caſtigata gula, cætera mortalia peccata facile profligari.

CAP. VII.

G

M. conſpirati.

Catholica Eccleſia parochia.

H

Caſſianus Maſſilienſis parochiæ Archimandrita.

Aſt vero ſi veſtræ ſagacitatis peruigil ſollicitudo ſolerter noſſe deſiderat, quantæ legionum turmæ prædictis ſpiritualium nequitiarum ducibus & tetris tenebrarum principibus famulentur, quot tyrannici militonum commanipulares humanæ naturæ nocituri ſubſequantur; quot ſceleratorum ſatellites ad impugnandam noſtrorum aciem conſpicati & fidei propugnacula ſubruenda manipulatim conglomerentur; & quomodo eiuſdem nefandæ militiæ tam calones & gerres cum lixarum cœtibus ad inferiorem gradum pertinentes, quam ſatrapæ & proceres flagitioſum ſibi eorundem ſpirituum tribunatum vindicantes, certis vocabulorum proprietatibus nominatim nuncupentur. Qui prophanos allophilorum exercitus in centuriis & millibus Iſraëlitas in vertice montis Gelboë conglobatos inſtanter hortantur ad bellum, id eſt, inuiſorum horrenda vitiorum agmina, quæ contra Catholicam Eccleſiæ parochiam cum ducibus ſibi prolatis gregatim ingruere moliuntur, venenatiſque piaculorum ſpiculis, & adita facinorum framea, non ſolum ſegnes ſauciant, verum emeritos Chriſti milites interdum virulento caſtitatis vulnere lethaliter proſternunt, vt non immerito intellectualis Dauid, id eſt, flos virginei de radice Ieſſe deſcendens, populis Eccleſiæ vitiorum ſtrage cateruatim cadentibus carmen funebre & canticum lamentabile, quod Epicedion, & Epitaphion vocatur, compatientis affectu lugubriter componat. Hæc inquam, ſi veſtræ curioſe ſollicitudinis ſolertia plenius animaduerti maluerit, non modo X. collationes patrum à Caſſiano Maſſilienſis parochiæ Archimandrita peculiariter dictanti facundia prædito digeſtæ patenter propalabunt: verum etiam Gregorius ſedis Apoſtolicæ præſul à quo rudimenta fidei & baptiſmi Sacramenta ſuſcepimus libr. moralium X X X. per allegoriam luce clarius elimauit; ſed nos de flagitioſis VIII. vitiorum radicibus, vnde reliquorum pernicioſa facinorum fruteta, velut ſpiſſa virgultorum vimina lentis frondibus ſuccreſcunt, ea potiſſimum cauſa diſceptare coëgit, quod nonnulli edito virginitatis faſtigio ſublimati, & pudicæ conuerſationis arcibus exaltati, ſecundum caſtitatis gradum ac ſi contem-

ptibilem

A

ptibilem ſibique longè diſparem arbitrantes, cæterorum præconia ſe incomparabiliter tranſcendere confidunt, illud quodammodo obliterantes & poſt tergum ponentes, Omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur. Si enim nobis incontaminata Mariæ virginitas incarnatum Dei verbum cœleſti puerperio peperit, tamen, emenſo vnius quadrageſimalis circulo, Anna filia Phanuel propheriſſa eundem redemptorem Sacroſancti Spiritus præſagio vaticinabatur. Et ideo vterque gradus in Diuinæ natiuitatis exordio virginibus & viduis conſecratus clareſcit, quatenus centenæ frugis copia vbertim locupletantis nequaquam ſexagenis manipulorum faſciculis ditatum iactanter paruipendere præſumat, ne occaſio corporeæ virginitatis vulnus in mente gignat elationis, aut remedium ſoſpitatis fomitem nutriat perditionis. Deflenda namque eſt calamitas, ſi alma humilitatis materia, qua reliquarum incrementa virtutum ſalubriter conſeruantur, ſanctæ virginitati retinaculum ſuperbiæ aut tendiculam elationis connectat; ſi theriaca vel antidota, quæ lethiferum virus auferre ſolent, immutatis ordinibus detrimenta ſalutis exiſtant. Econtrario autem nonnulli beatæ vitæ æmulatores, qui ab ipſo naſcentis infantiæ rudimento in ſummo virginitatis propoſito infatigabiliter perſeuerare non deſiſtunt, & ſine aliquo puritatis offendiculo indiſrupta pudicitiæ repagula ſine tenus fœliciter ſeruare contendunt, & tamen ita diuinæ dilectionis ſtimulo compunguntur, & ſcintillante superni ardoris facula inflammantur, vt quotidie de mundi calamitate tranſlatus è corporis ergaſtulo emigrare inhianter geſtiant, & ad cœleſtem paradiſi patriam ſe quantocius properare frugalitatis parſimonia prodant. Dum ſitticiis Pſalmodiæ cantibus & * ſalſis lachrimarum fontibus ardens mentis deſiderium diſſimulare nequeant, ac propter crebra compunctionis ſuſpiria imis præcordiorum ilibus prolata grauiter ingemiſcant. Sicque theoricæ vitæ oblectamento ſuauiter ſatiantur, & nectario contemplatiuæ dulcedinis edulio ſaginantur, vt nullus in practicæ conuerſationis ſtudio, quam actualem vocitamus, etiam commiſſa fletibus diluens normam vitæ æquipatare valeat. His igitur talibus, qui huiuſcemodi virtutum ſupplemento, & morum ſanctitate virginibus gloriam accumulare noſcuntur, cedit omnis continentium eminens magnitudo, cedit omnis coniugatorum ſublimis celſitudo. Quamobrem nullus hanc ſolam puritatis prærogatiuam ſine cæterarum adiumento virtutum ſufficere ſibi ad capeſſendam plenè perfectionem confidat, & quaſi hac tantum ſeruata abſque reliquorum conflictu vitiorum feriatus, & ſecurus exiſtat: quinimo ne ſingularis generoſæ virginitatis nobilitas etiam minus compta vileſcat, reſiduo præceptorum legalium ſuffragio fulciatur, & multimoda mandatorum varietate decenter decoretur, vt iuxta pſalmographi ſententiam quaſi regina à dextris Diuinæ maieſtatis in veſtitu deaurato radians, & circumamicta meritorum varietate reſplendens ſupernis comitata cohortibus iugiter adſiſtere, & inſeparabili Angelicæ ſodalitatis collegio perfrui mereatur. Alioquin incompta virginitatis induſtria, ſine reliquarum adminiculo virtutum non opulenta Eccleſiaſticæ ſegetis vbertate, cum centenis meritorum manipulis ditabitur. Sed infructuoſa & infœcunda ſterilitate marceſcens cum fatuis virginibus extinctas lampades geſtantibus multabitur. Siquidem cortinarum ſiue ſtragularum textura, niſi panniculæ purpureis imò diuerſis colorum varietatibus fucatæ inter denſa filorum ſtamina vltro citroque decurrant, & arte plumaria omne textrinum opus diuerſis imaginum thoracibus perornent: ſed vniformi coloris fuco ſigillatim confecta fuerit: liquet profecto quomodo nec oculorum obtutibus iucunda, nec pulcherrimæ venuſtati formoſa videbitur. Nam & cortinæ veteris delubri non ſimplici & ſingulari tincturæ genere ſplenduiſſe leguntur; ſed ex auro, hyacintho, purpura, bis tincto cocco, ſiue vermiculo cum byſſo retorto, diſpari mutice, fulſiſſe deſcribuntur. Sed quid de fucorum muricibus ſubtiliter comminiſcimur? en ipſius auri obryza lamina, quod cætera argenti & electri ſtannique metalla præcellit, ſine topazio & carbunculo, & rubicunda gemmarum gloria vel ſuccini dracontias quodammodo vileſcere videbitur. Has vero diſtinctas colorum varietates, & metallorum ſpecies pro augendis, & amplificandis pudicitiæ meritis aſſumptas per Allegoriæ regulam rimamini, & myſticis patrum explanationibus per typicum tropologiæ ſcrutinium ſcrutamini.

Status viduarũ clareſcit in Chriſti natiuitate.

Lachrymabile eſt ſi Virginitas ſuperbia ſit cauſa.

B

Vera virgines.

M. Salſis.

C

Sola virginitas non ſufficit ad ſalutem.

Virgines fatuæ.

D

Cortina Templi Iudaici quid ſint.

E

CAP. VIII.

IGitur vera & non friuola delicatæ virginitatis gloria & non falſa humilitatis tutela tuetur, & quaſi tenerrima nobilis infantiæ laſciuia duro diſciplinæ pædagogio refrænetur, & quia incaſſum de ſola pudicitia mens extollitur, quæ elationis iaculo vulneratur, & fruſtra ſpiritus de integritatis gratia gratatur, ſi mens arrogantiæ ſpiculo ſauciatur. Denique plerumque, vt experti ſumus, caſtitatis conſcientia elationis pulſatur κενοδοξίᾳ, & vnde ſe adeptæ ſanctitatis merito præſtantiorem cæteris in Eccleſia fidelibus opinatur; inde debito recompenſationis emolumento fraudabitur, & laborioſi certaminis palma priuabitur. Non enim omnes bis quinas virginum cateruas cœleſtis ſponſi thalamo recipiendas, & pari tripudio in cœleſti gloria gratulabundas Euangelicus ſermo ſpopondit, ſed illas tantum quæ coruſcis pudicitiæ lampadibus & lychnis oleo caſtimoniæ conflagrantibus, ſponſalia ſeruantes decreta, ſuperno tripudianti ſponſo fœliciter occurrere merebuntur. Qua de re operæpretium videtur vt prius nequitiæ gramina & elationis fruteta funditus euellantur, & vberrima arboris maliferæ plantaria florenti fronde fœcundentur. Quatenus extirpatis vitiorum fomitibus & erutis paſſionum radicibus, fructiferos virtutum ſurculos paſtinare Chriſto plantare poſſimus. Ergo nequaquam carnalis integritas comprobatur, niſi conſors ſpiritualis caſtimonia comitetur. Vnde vas electionis vt ſit, inquit, ſancta & corpore & ſpiritu: in Apoſtolicis manifeſtatur vocibus, quod ſola carnalis pudicitiæ immunitas cœleſtis regni clauſtra reſerare nequeat, & ſolitaria nequaquam Paradiſi valuas recludere valeat, quæ Cherubin romphæa verſatili & flammifera, concluſiſſe, recapitulatio Geneſeos originaliter declarat, niſi vtrinque duplex ſanctimonia concorditer candeſcat. Vnde idem, macero, inquit, corpus meum & ſeruituti redigo, videlicet ne caro contra ſpiritum tyrannica poteſtate contumaciter inſoleſcat, & proteruo libertatis faſtu intumeſcens, legitimæ ſeruitutis iugo ſubdere colla contemnat. Ergo pura incontaminatæ virginitatis perſeuerantia, Deo mancipatur, indefeſſa cogitationis inſtantia, & è diuerſo effrænatæ iugalitatis libertas efficitur ſecuræ immunitatis captiua paupertas.

Hanc bipartitam vitæ qualitatem hoc modo egregius prædicator dirimit: diuiſa eſt, inquit, mulier: virgo & innupta cogitat quæ ſunt Domini, quomodo placeat Deo: nam quæ nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, vt placeat viro. Reuera grande conſtat interuallum & lata ſpacioſæ intercapedinis differentia, inter diuinæ dilectionis munificentiam, & infimi amoris diligentiam. Vna ſe Angelicæ caſtitatis comitem ſorte gratulatur: Altera, ſe maritalis laſciuiæ fomitem lætatur. Iſta collum lunulis, & lacertos dextralibus ornari, ac gemmiferis digitorum annulis comi concupiſcit: illa pulcherrimo fulgentis pudicitiæ cultu ſplendeſcere, & auratis virtutum monilibus rutilare, ſimulque candidis meritorum margaritis decorari deſiderat. Iſta tortis cincinnorum crinibus calamiſtro criſpantibus delicate componi, & rubro coloris Bleichæ ſtibio genas ac mandibulas ſtatim fucare ſatagit: illa inculta armiculorum Cæſarie, & negligenter ſqualente capillatura, cum palma virginitatis coronam gloriæ in capite profert. Iſta ſtolidis ornamentorum pompis infruticans ad inſtar illius mulieris aureo calice proſtibuli poculum lethiferum propinantis, quam Apocalypſis ſuper beſtiam ſediſſe deſcribit, compoſita, pulchrum pariter, & pernicioſum cernentibus ſpectaculum præſtat: illa caſtæ conuerſationis documenta, & ſupernorum ciuium exemplar æmulari cupientibus, monſtrare non ceſſat. Igitur futuræ Angelicæ vitæ celſitudo ab illæſæ virginitatis ſectatoribus ac ſectatricibus iocundum Deo in vaſe fictili theſaurum geſtantibus, iam quodammodo violenter anticipatur (licet vltroneis affectibus ſponte præoccu-

F

Caſtitas corporalis & ſpiritualis.

1. Cor. 7.

Gen. 3.

G

Virginũ & Maritata comparatio.

H

Apoc. 17.

Matt. 11.

petur)

A petur) quia regnum cœlorum vim patitur, & violenti ra-
Luc. 16. piunt illud. Liquet nempe quod arctiſſima ſit violentia &
difficillima rerum conditio, vt homo quem materna fœ-
cunditas genus natiuitatis matrice in mundum edidit,
ſpretis naturæ legibus indiuiduis, Angelicæ caſtitatis co-
1.Cor.15. mes exiſtere cogatur antequam ſuprema Reſurrectionis
gloria horrendæ mortis imperium in tetra tartara trudat,
& incorruptibile hoc induat incorruptionem. Mirum
in modum, terreni cœlibes, ſuperni cœlites fieri com-
Luc.20. pelluntur. Vnde Dominus noſter factioſam Phariſaicæ
tentationis calumniam, veræ reſponſionis argumento
confutans explodit: In reſurrectione, inquiens, non nu-
bent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli in cœlo. O
præclara virginitatis gratia, quæ velut roſa ſenticoſis ex-
orta ſurculis purpureo flore rubeſcit, & nunquam defe-
ctu diræ mortalitatis marceſſit: & licet moribundæ car-
nis feſſa fragilitas fatiſcat, & propinquante fati termino
cernua curuaque vetuſtate ſeneſcat; hæc ſola in modum
iocundæ pubertatis vſquequaque vireſcit, & iugiter ado-
1.Cor.7. leſcit. De virginibus, inquit Apoſtolus, præceptum
B Domini non habeo: vt potioris ſit meriti munus quod
Munus potioris meriti virginitas. libero ſpontaneæ voluntatis arbitrio offertur quam
quod violenti præcepti rigido imperio complendum
iubetur. Olim cum quadra mundi latitudo nondum fœ-
cundæ ſobolis proſapia repleretur, Diuina taliter ſanxe-
Gen. 1. & 5. runt edicta: Creſcite & moltiplicamini, & replete ter-
ram. Nunc vero eiuſdem regis decreta pro temporum
qualitate mutantur, & aliter legem promulgare putatur:
Matt. 19. qui poteſt, inquit, capere capiat. Hæc quidem humanæ
Virginitas quomodo teneri poſſit. fragilitatis præſcius oon tigido præcepti ſtimulo, ſed cle-
menti ſuggeſtionis conſilio ſuadere videtur, vt ſinguli
quique libero voluntatis arbitrio & electionis examine
præditi facultatem virium experiri queant, qualitatem-
que propria virtute indagantes longamimem patientiæ
laborem tolerare ſtudeant, cuius muneris beata poſſeſſio
cum propria virtutis induſtria ſpecialiter à Chriſto im-
Matt.19. portunis precibus impetratur, ipſo atteſtante: Non om-
nes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt; ergo
cum diuina indulgentia eoucordet humana diligentia, &
C in id quod fideli prece inſtanter poſcimus, congruis quo-
que operum effectibus concurramus, deinceps à vero
agonotheta curſum certaminis contemplante, fidenter pa-
tientiæ palmam præſtolantes: quam proculdubio finito
agonis tempore tunc percipere merebitur, qui nunc pro
virginitate ſeruanda nequaquam laſſeſcere videbitur, ita
vt deuictis æmulorum hoſtibus dulcem melodiam hym-
2.Tim.4. niſta modulaturus proclamet & Apoſtolicæ iubilationis
tripudio carmen triumphale gratulabundus decantet: Bo-
num certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſerua-
ui: de cætero repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam red-
det mihi Dominus in illa die iuſtus iudex.

CAP.IX. *Virginitatis, caſtitatis, & coniugij comparatio.* PORro tripartitam humani generis diſtantiam ortho-
doxæ fidei cultricem Catholica recipit Eccleſia, ſicut
in quodam volumine Angelica relatione refertur, quo-
modo virginitas, caſtitas, iugalitas tripartitis gradibus
ſeparatim differant: quæ ſicut trifaria diſparis vitæ quali-
tate ſigillatim ſequeſtrantur, ita diſcretis meritorum or-
dinibus tripliciter dirimuntur, Angelo hoc modo alter-
D narim diſtinguente. Vt ſit virginitas, aurum; caſtitas, ar-
gentum: iugalitas, æramentum. Vt ſit virginitas, diui-
tiæ; caſtitas, mediocritas: iugalitas, paupertas. Vt ſit vir-
ginitas, pax; caſtitas, redemptio: iugalitas, captiuitas.
Vt ſit virginitas, ſol; caſtitas, lucerna: iugalitas, tenebræ.
Vt ſit virginitas, dies; caſtitas, aurora: iugalitas, nox. Vt
ſit virginitas, regina; caſtitas, domina: iugalitas, ancilla.
Vt ſit virginitas, homo; caſtitas, ſemiuiuus: iugalitas,
corpus. Vt ſit virginitas, purpura; caſtitas, rediniua: lu-
galitas, lana. Omnia hæc non ſunt extra palatium, ſed
aliter ſedet in carruca præfecturæ dignitas, aliter mulio-
**ſtimulo.* num vilitas, qni pedibus * continet mulas, & tamen ſub
vno imperatore militare noſcuntur, &c. Cuius differen-
tiæ argumento coniici & colligi datur, quod virginitas
ſit, quæ ab omni ſpurcitia carnali illabata, ſpontaneo cœ-
Virginitas quid. libatus affectu pudica perſeuerat. Caſtitas vero, quæ pa-
ctis ſponſalibus ſortita matrimonij commercium, regni
cœleſtis cauſa contemnit, Iugalitas, quæ ad propagan- E
dam poſteritatis ſobolem, & liberorum procreandorum
gratia licitis connubij nexibus credatur. His igitur tribus
graduum ordinibus, quibus credentium multitudo in
Catholica florens Eccleſia diſcernitur, Euangelicum pa- Matt.13.
radigma, centeſimum, ſexageſimum & triceſimum fru- Marc.4.
ctum, iuxta meritorum mercimoniam ſpopondit; licet
quidam centeſimi fructus manipulos Euangelicis noua-
libus vbertim pullulantes & granigera ſpicarum glumula
germinantes, martyribus ſacrum pro Chriſtianæ confeſ-
ſionis titulo cruorem ritu riui rotantis deputare ſoleant.
Sed ne forte propriæ diſputationis verboſa garrulitas aut
garrula verboſitas firmo Scripturarum fulcimento ca-
rens, à quolibet criminetur: purpureos pudicitiæ flores
ex ſacrorum voluminum prato decerpens, pulcherri-
mam Virginitatis gloriam, Chriſto faciente, contexere
nitar.

HElias vates, virginitatis gratia decoratus & ſpiritu CAP.X.
afflatus Prophetico, cœli clauſtra & nimborum *Helias virgo.*
obſtacula precibus patefecit, geminoſque militum pen-
tecotarchos, cœleſtis foci fulmine flagrantes, & ſuper- F
nis arſuros incendiis, crudeli flamma combuſtos extor- 4Reg.1.
ruit, qui & deinceps vt poëta Heroico hexametro
refert;

Aurea flammigeris euectus in aſtra quadrigis.
Sidereum penetrauit iter:

& infra, *humanam metam non contigit aui.*

Sublatus in cœlum in quadam ſecreti climatis regio-
ne diuturna membrorum vegetatione vitaliter degens:
hactenus generali mortis debito caruiſſe dignoſcitur,
quam cuncti violentis naturæ legibus addicti, & primæ *Mortis vectigal.*
præuaricationis nexibus aſtricti, quaſi ineuitabile vecti- 4.Reg.3.
gal & fiſcale tributum pendere coguntur. Heliſæus vero *Heliſæi natiuitas, virginitas, & miracula.*
eiuſdem Heliæ duplo ditatus ſpiritu, & gemina præditus
gratia, in cuius exortu aurea quadrupes in Galgalis bom-
boſæ vocis mugitum reboaſſe deſcribitur, ſignificans ido-
lolatriæ lapſum & ſimulachrorum ceremonias exploden-
das: Nonne propter pudicitiæ virginalis infulam, magi-
ſtri fretus melote, enormem Iordanis gurgitem diremit,
impuberes petulanter naturæ ludibrio, vati inſultantes, G
rabidis vrſinæ ferocitatis rictibus tradidit, cadaueri geli-
dæ mortis faucibus ſuffocato, etiam ipſe letho ſopitus vi-
talem reddidit ſpiritum? En S. Heremias ad exemplum *Hieremiæ virginitas.*
virginalis materiæ in propatulo nobis occurrit, qui an-
tequam maternis ederetur partubus beata prædeſtinatio-
ne Domino dicatus, & ab ipſa rudi cunabulorum teneri-
tudine virginitati conſecratus, de quo Diuina promul- Hier.1.
gat ſententia: Antequam procederes de vulua, ſanctifica-
ui te, pulchro videlicet virginitatis præſagio: is, inquam,
quantum Propheticæ dignitatis gratia enituerit, fulſerit,
floruerit, quis vrbana verborum facundia fretus enarrare
ſufficiat? Daniel vero præſago nominis vocabulo iudi- *Danielis virginitas.*
cium Dei ob indaganda ſecretorum arcana, ab Archan-
gelo ſæpe vir deſideriorum vocitatus, vſque ad ſupre-
mam fugacis vitæ clauſulam gratiſſimum ſpontaneæ vir-
ginitatis munus velut fragrantis incenſi Thimiama, patri
ſpirituum vltroneus obtuliſſe memoratur. Is denique non-
dum clangente Euangelica buccina, qui poteſt capere ca-
piat: immunis tamen ab omni ſpurcitia carnali, & ſecu- H
rus ab illecebrarum colludio pudiciſſimus extitiſſe liqui-
do declaratur; cui pro viciſſitudine caſtitatis repenſanda
præ cæteris mortalibus abdita pateſcunt; & myſticis Sa-
cramentorum operculis clauſa, cœlitus reſerantur. Quis
enim Prophetarum ventura vaticinantium, quorum men-
tes gratuita ſacroſancti flatus gratia inſpirans, præſagis
virtutum muneribus affluenter fœcundabat, vberius &
manifeſtius de Diuina incarnatione oraculorum ſeriem
texuiſſe dignoſcitur? Decies namque ſeptenis annorum
hebdomadibus quo ſupputationis latereulo, numero
CCCCXC. anni calculantur, ſaluatrix ſuperni ducis na-
tiuitas præfiguratur. Quique ſtatuam quaterno metallo-
rum genere fabrefactam, totidem regnorum ſæcula ſig-
nantem, angulari duorum Teſtamentorum lapide, de
collis cacumine, ſine viri vola, hoc eſt, mortali comple-
xu abſciſo, minutatim ac membratim exponit percuſſam.

A Arborem quoque ſpiſſis virgultorum ramuſculis pullulantem, & fructiferis ſtipitum viminibus florentem, cuius immenſæ proceritatis celſitudo polo tenus, in altum porrecta ſubrigitur, congrua interpretationis coniectura explanat, qua ſub cono ſublimi verticis pennigeras volucrum turmas præpeti volatu nimborum obſtacula penetrantes, ſimulque multimodas ferarum naturas quadrupedante curſu per orbem luſtrantes ſumptuoſa populorum alimonia vbertim paſcebat, donec cœleſti numine nutabunda crudeliter corrueret, & ſupernæ poteſtatis inſtrumento lugubriter ſuccīſa procumberet. Ac per ſeptem annorum circulos, luxuriante foliorum viriditate & maliferis ſurculorum frondibus fraudaretur: Prophetica relatione digeſſit, nec non terrificos palmæ cœleſtis articulos, flexis literarum apicibus in quadrata parietis pagina caraxatis, id eſt, ſcriptis, tyrannici potentatus ruinam & regalis monarchiæ diſcrimen portendentes ſub trina verborum ſignificatione, hoc eſt, Mane, Techel, Phares, quod interpretatum dicitur: numerauit, penſauit, diuiſit ſagaciter expoſuiſſe memoratur. Ea tempeſtate etiam tres B pueri auſ'a ab Hebræorum ſtirpe progeniti, & in tranſmigratione Babyloniæ ad Chaldæos abducti, nequaquam carnalis copulæ voluptatibus operam dediſſe leguntur, ſed in arctæ ſpontaneæ virginitatis propoſito permanſiſſe memorantur, quamuis importuna Iudæorum garrulitas, friuola falſitatis deliramenta confingat, aſſerens nequaquam eoſdem puberes, aut præfatum collegam externæ peregrinationis participem ſpadones extitiſſe, qui ſecundo eunuchorum gradui Euangelica veritatis adſtipulatione deputantur. Hi denique in tantum paternæ traditio-

3. Puerorum virginitas.

nis regulam & diuinæ ſanctionis cenſuram ſeruaſſe ſcribuntur, vt etiam ad obtinendam integritatis & continentiæ gloriam, opulentas regalium ferculorum delicias & principalis alimoniæ pulmentum in tenerrima pubertate contempſerint, & vilibus tantum leguminibus vitam ſuſtentare contenti laſciuam iuuentutis petulantiam refrænarint. Quamobrem inerme Chaldaici regnatoris ſimulachrum, quod Coloſſei ſimulachri ſublimitatem cen- C tenis ac ſeptenis pedibus in altum porrectam bis tricena cubitorum proceritate vincebat: licet horrendus ſalpicum clangor increpuiſſet, & muſica ſambucorum harmonia perſultans. Simulque flammiuoma camini incendia fomite ſarmentorum ſuccenſa terribiliter arderent, flexis poplitibus ſuſpicere refragabantur, & pro inflexibili rigidæ mentis conſtantia, Angelico fulti ſuffragio ambuſtas malleoli machinas, crepitanteſque clibani globos fide inuicta vicerunt.

CAP. XI. Sed quid in veteribus viris, quibus priſcæ legis licentia nuptiales thalamorum copulas pro nepotum proſapia & poſterorum progenie propaganda clementer indulſit, Theſaurum virginitatis ex amuſſi inquirentes, velut apes de diuerſis pratorum floribus, flauentium fauorum machinas tenaci glutine ſarcientes, morarum vincula nectimus, & vitam temporum terimus? Cum etiam in rudibus & neotericis Catholicæ fidei ſectatoribus poſtquam latebroſa prioris inſtrumenti latibula funditus euanuerunt, & limpida ſequentis Teſtamenti luminaria per gratiam Euangelicæ prædicationis craſſæ noctis caligi- D nem illuſtrantia, in triquadro terrarum ambitu diffuſius ſpargerentur, innumera beatæ virginitatis exempla affatim exuberarint, & vbertim ſuppeditante abundent vel miniſtrent, quibus hæc paucula, quæ ad memoriam, venerant, carptim & curſim congeſſimus, quo facilius cunctis votiuum integritatis munus mercantibus, in propatulo potenter clareſcat, quibus authoribus edita pudicitiæ proceritas, velut præſtantiſſimus omnium virtutum ſtatus ſeu quadrati rotundus obeliſci globus ad tantum perfectionis faſtigium, & Diuinæ contemplationis culmen in altum ſurrexit, vt merito ſextum Euangelicæ beatitudinis gradum conſequi credatur, de quo Euangeliſta tropicus florentis paradiſi latex, quem Ezechiel vultu declarat humano, ita congruenter adſtipulatur: beati mun-

Math. 5. do corde, quoniam ipſi Deum videbunt. O quam limpida virginalis pudicitiæ pupilla coruſcat. O quam ſplendida piæ caſtitatis acies illuſtrat, quas nec carnalis illece-

E bræ caligo obtundit, nec ſpineæ obſcœnitatis glaucoma ſuffundit, quo plerunque (horrendum dictu) etiam perfectorum palpebræ grauiter groſſeſcunt, & qui putabantur pudicitia præditi, dum ſæpe humanum fallitur iudicium, quaſi ſcotomaticorum lumina tetris tenebris obducantur. A qua fœtida impuritatis ſentina animarum liburnicas lugubriter ſubmergente, veraciter immunes fore creduntur, qui glorioſa non fictæ puritatis palma perfecte potiuntur, & cum caterua caſtæ vexillationis victricia vexilla vehente per portas cœleſtis Hieroſolymæ gregatim gradituri, ante Angelicum cœleſtis theatri conceſſum, & terribile tribunal iudicis ſingulorum facta iuſta diſcretionis lance librantis, virginalis triumphi tropæum & illæſa caſtitatis labara læti geſtabunt. Ioannes, ſacer

D. Ioann. Baptiſta virginitas.

materna nondum editus matrice, Propheta, veteris Inſtrumenti meta, & prima (rudi duntaxat regnante gratia aſperrima pœnitudinis lima) vox verbi ſalebroſos complanans anfractus, præco regis ſaluberrimum Chriſti diuulgans aduentum, ſupernæ prolis paranymphus, primitiuæ diſpenſans Eccleſiæ rudimentum; nonne pro in- F tegritate caſtimoniæ, totius caſtitatis auctore (patente voce) per æthera tonante, & Spiritu in ſimulachro aliris deſcendente in Iordanis gurgite tinctum, mundus mundum, & virgo virginem baptizaſſe deſcribitur, atque torrido caſtitatis ardore flagrans, vetitos thori hymenæos, olidarumque polluta nuptiarum contubernia aperiens aſperrimæ inuectionis ſeueritate coërcuit, huius rei gratia putidos ergaſtuli ſqualores libenter latuns & purpureo carnis cruore rubris fibrarum riuulis decurrente ſacram Redemptoris paſſionem, myſtici ſpiritus agminibus portendit? Ioannes quadripertitæ ſcriptor hiſtoriæ, & veracis Euangelicæ relationis tetrarcha, quem Saluator (vnica mundi redemptio, & conſeruandæ caſtitatis alma præfiguratio) propter virginalis pudicitiæ gloriam inter cæteros peculiariter pio diligebat affectu, miris virtutum ſignis per totum orbem claruit. Etenim vimina virgultorum ſilueſtria è frondoſis nemoribus allata, mutauit in obrizum flauentia auri metallum. Teretes quoque ſcrupulorum glareas & rotundos ſcruporum lapillulos, de are- G noſis littorum ſabulis adductos, contra creaturæ ritum in rubicundas gemmarum congeries ſuperna fretus poteſtate facillime conuertit. Nec non diſperſa gemmarum fragmina, quæ decepta Germanorum ſimplicitas, ſecundum ſtudioſiſſimi ſophiſtæ monita, ad ſpectaculum vulgi minutatim in fruſta fricabat, in priſtinum reformauit ſtatum: ſed etiam matronam, quam ſuprema ſors gemina mortis mulctauerat vrna, turbis pauperculorum ſubnixa prece poſcentibus, quos ſumptuoſa erogatæ ſtipis alimonia ſuſtentabat oratione ſequeſtra, de lethiferо ſopore ſuſcitauit: cumque furibunda paganorum ferocitate crudeliter cogeretur, vt mortiferum poculi hauſtum, in quo dirorum virulentus graminum ſuccus, ſimulque truculenta regulorum & aſpidum venena, ad quæ quadrupedis rubetæ & ſpalagi peſtifera confectio humanæ naturæ nocitura addebatur, potando conſumeret, præmiſſo Chriſti

M. Labore id eſt labaro.

laboro tutus, Chriſti vexillo armatus, nec venenata draconum detrimenta tremebundus extimuit, nec horrida mortis diſcrimina pallidus expauit: gemina quoque defunctorum cadauera, quos lethalis viſus crudeli mortis exi- H tio pernicitet proſtrauerat, in priſtinum vitæ ſtatum reſtituit: & ſic in caſtitate florens, vſque ad cygneam vetulæ ſenectutis caniciem fœliciter permanſit. Nonnulli vero eundem non generali morte defunctum, ſed ſpeciali ſomno ſoporatum in ſarcophago vitaliter quieſcere contendunt, pro eo quod Saluator dixerit: Si ſic eum volo manere donec veniam: præſertim cum de ſepulchri tumba puluis ebulliat, & quaſi reciproco ſpirantis flatu in ſuperficie antri ſenſim ſcaturiat. Dydimus quondam Dominicæ reſurrectionis incredulus negator, ſed viſis vulnerum cicatricibus credulus prædicator, qui Eoæ tripertitas Indiæ prouincias ſereno Euangelicæ prædicationis lumine illuſtrauit, execranda ſacellorum luſtramenta, & inepta pontificum flaminia funditus euacuauit, cum pudicos thalami conſortes inſtruens, de virginitatis laudibus talia loqueretur: Habetis enim integritatem, quæ eſt omnium

A

regina virtutum: Eſt fructus perpetuæ vitæ virginitas, bonorum Angelicorum & omnium bonorum poſſeſſio, virginitas victoria libidinum, trophæum fidei victoria de inimicis, & vitæ æternæ ſecuritas. En Apoſtolicæ clãgor buccinæ velut tonitruali fragore cõcrepans, deuotas virginum mentes ad integritatis cultũ cohortatur, dum eam immẽſis tumorum laudibus proſequitur. Paulus dudum Saulus, vas electionis, typicus Beniamin crepuſculo deuorans prædas, veſperi dirimens manubias, qui Pythoniſſam per ſpiritum ſupra fallitatis friuola vaticinantem, & ob hoc ſumptuoſas procerum opulentias affluenter cumulãtem, gazíſque queſtuum delirioſas affatim locupletantem, mutæ taciturnitatis valuam labris procacibus opponere, imperio terrente coegit; quique (mirum dictu) quater ſenas in fundo maris profundo ſoſpes, pertranſegit horas, atque quinquies quadragenas acerrima crudelitatis tormenta vna minus accepit: Nonne ob puræ integritatis prærogatiuam,

B

tertium polum peragrans, ſupernorum ciuium arcana caſtis obtutibus contemplatur, & cœleſtis militiæ abſtruſa ineffabili rerum relatu rimatur, licet relatio quam dicunt de Paulo in naue aureas deflorentis paradiſi delitias eundem adiiſſe garriat. Sed vas diuinum vetat Catholicæ fidei ſeſquipedas plus quippiam, quam Canonicæ veritatis cenſura promulgat, credere, & cætera Apocryphorum deliramenta velut horriſona verborum tonitrua penitus abdicare & procul eliminare, orthodoxorum patrum ſcita ſcriptis decretalibus ſanxerunt.

Gen. 49.
Scripta Decretalia D. Ioca Capitas & Reliquia.

Lucas præſagi vituli ſimulachro ſignatus, & tertius Euangelicæ prædicationis hiſtoriographus, qui apud Antiochiam medicinale cataplaſma procurans primo purulentas corporum valetudines & ægrotas viſcerum fibras, ac deinde ſpiritales animarum incommoditates, torrido dogmatum cauterio, ſeu diuini verbi phlebotomo ſalubriter ſanabat, vſque ſeptuagenarium ac quartum ætatis annum illibatæ caſtitatis comes pudiciſſimus permanſiſſe memoratur. Igitur cum generale mortis debitum naturæ

C

ſuprema ſorte perſoluerit, Conſtantino orbis gubernante monarchiam, oſſa illius ad tutelam regni Romanorum Conſtantinopolim tranſlata leguntur.

CAP. XII.
Clementis Romani pudicitia.

Clemens cœleſtis clauicularij primus ſucceſſor, & ſecundus Romanæ Eccleſiæ diſpenſator, (quanquam nonnulli Linum & Anacletum in Pontificatus regimine nequicquam ſine cauſa præferant) quod cœlibatus caſtimoniam etiam antequam ſalutifero lauacri baptiſterio merſus, ab originali piaculo purgaretur, medullitus dilexerit ipſe propriis literarum apicibus propalam teſtatur, dicens: Ego Clemens in vrbe Roma natus, à prima ætate pudicitiæ ſtudium geſſi. Ergo ſi quod præſtantiſſimum eſſe conſtat in cunctis virtutum gradibus, & mortalium naturæ difficillimum nondum regeneratus ſibi vſurpans tantopere * taxauerat, quanto magis credere fas eſt, cum poſt accepta fidei rudimenta ſpreto gentilium ritu, dum per prouincias Petrum ſequeretur diuini verbi ſemina ſerentem & propagines Euangelicæ vitis credentium ſcrobibus paſtinantem, atque Simoniæ lethiferas nec non Romanæ labruſcas radicitus extirpantem, plenius ac perfectius conſeruauiſſe, qui deinceps Itinerarium Petri voluminibus digeſtum luce clarius elimauit, Ruffino in Latinum ex Græcorum Bibliothecis vertente: Syluester qui apud Romam Pontificalis cathedræ ſuſcepit ſacerdotium, per omnes Europæ prouincias & florentis Auſoniæ parochias, quam glaciales Alpium ſaltus præruptis ſcopulorum cautibus cingunt, ſignis miraculorum crebreſcentibus claruit: ſiquidem incontaminata corporis pudicitia fretus, & iugi abſtinentiæ parſimonia præditus ad letiferum Romæ draconem in clandeſtino cryptæ ſpelæo latitantem, qui virulentis faucibus & peſtifero ſpiritus anhelitu æthera corrumpens miſerrimum populum atrociter vexabat, per centenos latebrarum gradus introrſum deſcendiſſe fertur, & eandem miræ magnitudinis beſtiam (cui paganorum decepta gentilitas ad ſedandam furoris veſaniam, fanaticæ luſtrationis ſpurcalia, thurificabat) inextricabili collario conſtrictam, perpetuæ vltionis animaduerſione perenniter mulctauit, & Romam fallacis idololatriæ cultricem, à funeſto victimarum ritu, Euan-

** for. dilexerat.*

D

D. Clementis Rom. Itinerarium Petri.

B

gelicis aſſertionibus & ſignis pariter coruſcantibus correxit. Illud etiam non omittendum reor, in quo præcipuum conſeruatæ caſtitatis documentum declaratur: videlicet quod Imperatoris Conſtantini diuturna valetudo & elephantioſa corporis incommoditas, accepto baptiſmatis ſacramento ſtatim ab eodem ſalubriter dicto citius curata eſt, & tam interioris hominis quam exterioris geſtus per cœleſte cataplaſma duplici medicamine ſine tricarum obſtaculo eſt ſanatus. Præterea abſurdum fore ſuſpicabar ſi celeberrimum illud ſpectaculi genus per totos mundi cardines vulgatum, taciturnitatis ſilentio oppilatum vileſceret, & à noſtris literarum apicibus intactum deliteſceret; in quo triumphantis Chriſti victoria, & Syluestri certantis caſtimonia geminæ laudis præconio crebreſcunt. Nam Conſtantino orbem gubernante ad ſynodale Concilium populis cateruatim confluentibus duodenos Iudæorum præceptores & Phariſæorum Rabbites dira diſputationum ſpicula contra Chriſti tyronem truciter torquentes, diuino confiſus clypeo confutauit. Idem quoque Præſul, omnium Conſtantini rerum latentium præſagia portendens, mira ſagacitate prudenter patefecit. Siquidem Imperator in ciuitate quæ Byzantium vocabatur, cum membra ſopori dediſſet, & debitum naturæ ſolueret, apparuit ei in viſione nocturna quædam anus ſatis decrepita, etiam pene mortua, quam imperante Syluestro ſuſcitare orando iubetur. Orante autem Conſtantino illa anicula ſurrexit & facta eſt iuuencula pulcherrima velut rubicundo venuſtæ pubertatis flore rubeſcens: quæ cum caſta contemplatione regalibus placuiſſet obtutibus induit eam chlamydem ſuam, & diadema auro obryzo gemmiſque purpureis ornatum poſuit ſuper caput eius: Helena autem mater eius dicebat ei: Hæc tua erit & non morietur, niſi in fine mundi. Igitur expergefactus Imperator, futurarum ignorantia rerum acriter arctatur, donec per ſimplam in hebdomada intercapedinem, corpore frugalitatis parcimonia macilento, rurſus in ſoporem ſoluitur: cui vir venerabilis Sylueſter, 7. die Ieiunij ſui adeſt, iterum ei in viſione dicens: Anus decrepita, eſt hæc ciuitas in qua moraris nomine Byzantium, cuius muri iam pro vetuſtate conſumpti ſunt, & pene omnia mœnia eius corruerunt: aſcende itaque illum equum tuum, in quo baptizatus in albis ſediſti in vrbe Roma, & Apoſtolorum & martyrum limina circuiſti, & hunc aſcendens, tene Labarum tuum, quod ſigno Chriſti ex auro & gemmis eſt pictum. Hoc Labarum tenens in dextra tua, dimitte frænum equi vt quocunque duxerit Angelus Dei, illuc eas. Tu autem fixam cuſpidem Labari in terra ſic trahe, vt ſemitam faciat tranſitus ſui, per quam ſemitam extrui facias muros, & hanc veteranam ciuitatem & pene mortuam in iuuenculam ſuſcitabis, & tui nominis vocabulum ſuſcitabis, ita vt reginam illam facias omnium vrbium. Erit enim in ea nomen Domini Ieſu Chriſti magnificum, & erunt in ea templa Dei ad honorem omnium ſanctorum conſtructa, & filij tui poſt te, & filij filiorum tuorum regnabunt in ea. Euigilans autem Conſtantinus ſtatim ad Eccleſiam perrexit, indicanſque Epiſcopo ciuitatis viro ſancto nomine Siſamino, ſomnium quod prius viderat, & offerens Deo munera, & communicans ſacramentum Dominicum, aſcendit equum, & perrexit quo eum duxit Angelus Domini, atque per ſemitas Labari, fundamenta creuerunt. Appellata eſt autem ciuitas Conſtantini, quod Græco ſermone interpretatur Conſtantinopolis vſque in hodiernum diem. Igitur Sylueſter tranſacto pontificatus officio & conſummato vitæ curriculo, cum palma virginitatis ſcalam Iacob aſcendens, Angelorum cœtibus admiſcetur, & beato ſupernorum conſortio fœliciter perfruitur.

Conſtantinus Magnus à S. Syluestro baptizatur & ſanatur.

F

Conſtantini Magni ſomnium de extruenda Conſtantinopoli.

G

H

Ambroſium vero ſuperni nectaris Ambroſia redolentem, ſub taciturnitatis velamento deliteſcere non patiar: cuius melliſluam dogmatum dulcedinem, & puræ virginitatis prærogatiuam pulchra præſagia portendebant. Siquidem infantulus cum in cunis ſupinus quieſceret ex improuiſo examen apum ora labraque ſine periculo pauſantis compleuit, ingrediendique & egrediendi per

A

tenera pueruli labra certatim vices frequentabant. Ac demum genitore Ambroſio euentum rei præſtolante & Verna, quæ altrix infantis erat, ne abigerentur imperante, ſupernis cœli climatibus per æthera volitantes cateruatim mortalium viſus aufugiunt. Qualis autem vel quantus idem Patriarcha virtutum gloria & miraculorum ſignis effulſerit, neminem reor expertem, niſi qui geſta conuerſationis illius à Paulino viro venerabili digeſta non didicerit.

CAP. XIII.

Voronici Pont. virginitas, & miracula.

NEc pudeat Chriſti cœlibes ſtrictis pudicitiæ legibus laſciuam petulantiam coarctantes corporeoſque titillationum geſtus veluti domitos bigarum ſubiugales, ferratis calcaribus refrænantes, reminiſci Voronici pontificis, quem antequam regenerantis gratiæ vulua parturiret, & ſacroſancti baptiſmatis rudimenta cognoſceret, in Catechumenorum gradu & Competentium ſtatu

B

ſtipem pauperculis porrigentem, argentumque egentibus erogantem, cum nocturnæ membra quieti dediſſet, cœleſte beauit oraculum: quique pro adepta integritatis corona & fauſta virginitatis infula, quas velut regale diadema ac geminatas crepundiorum lunulas, indefeſſis viribus metatenus ſeruare ſatagebat, miris virtutum ſignis effulſiſſe memoratur. Etenim Catechumeni cadauer, quem dira, vt dicunt fortunæ ferocitas & parcarum graſſatrix non vlli parcentum atrocitas, imo gelidæ mortis inclementia, regenerantis gratiæ ſacramento priuatum, perniciter oppreſſerat de porta mortis rediuiuum erexit ad limina vitæ. Alios quoque binos crudeli mortis meta mulctatos, & optatis vitæ manubiis ſpoliatos de latebroſo lethi barathro & trucis Tartari tormento voti compos reduxit ad ſuperos. Procerum frondentis pini ſtipitem veteris paganorum ceremoniis deputatum, quamuis obliqua reclinem curuatura crebri accolarum bipennes certatim ſuccidèrent, intrepidus nutabundum aſpexit & fragore horriſono caſſabundum contempſit: fallaces Anatholij nebulonis præſtigias, quas

C

Anatholium Magus.

liuidorum fraudulenta æmulorum factio mille nocendi artibus armata, oſtenſo fallacis pepli ludibrio audacter ingerebat præpollente meritorum gratia funditus fateſcere, & procul vt ridiculoſum phantaſma euaneſcere fecit. Priſcorum delubra paganorum à cementario poliſſimis compacta petris, rubriſque regularum imbricibus tecta, mortalium diffidens adminiculo, & Angelorum fretus ſuffragio (qui baſtati & ſcutati, famulo Dei præſidium laturi veniſſe leguntur) ſolotenus diruta quaſſauit, euertit, deſtruxit. Gregorius Nazianzenæ Eccleſiæ gubernator, apud Athenas (quas per idem tempus rumigerula Grammaticorum gloria & clandeſtinum Academicæ diſputationis ſophiſma polluebant, cæteris incomparabilius eruditus & Baſilij in Philoſophicis dogmatibus condiſcipulus ſicut XI. Eccleſiaſticæ liber hiſtoriæ manifeſtat, cum à rudis infantiæ teneritudine, corporalis illecebræ contemptor, & zelotypus caſtitatis amator exiſteret, pulchræ viſionis aromate, ſomno ſopitus clementer ſolatur, cui propter virginalis pudoris propoſitum &

Gregorij Nazianzeni ſomnium.

D

gymnicum Philoſophiæ ſtadium, in gemino fœminei ſexus ſimulacro, Caſtitas & Sapientia per ſoporem apparuiſſe deſcribuntur, & hoc modo ſecurum ad integritatis coronam cohortantes alloquuntur: Altera enim ex nobis ſapientia, altera caſtitas dicitur: & miſſæ ſumus à Domino tecum habitare, quia iocũdum nobis, & ſatis mundum in corde tuo habitaculum præparaſti: cuius ſomnij coniecturam colligi fas eſt, eundem huiuſcemodi meritorum munificentia præditum, illæſæ puritatis coronam vſque ad metam ſortis ſupremæ, indefeſſis viribus vſquequaque cuſtodiſſe: præſertim cum de illo cautum ſit, quod nec eius vita aliquid probabilius & ſanctius, neque eloquentia clarius & illuſtrius, neque fide purius & rectius, neque ſcientia plenius & perfectius inueniri poteſt: quod Ruffinus mira verborum vrbanitate præditus, in prologo Apologetico plenſus expoſuit. Baſilius pontifex & celeberrimus Cappadox, Athenis æque vt præfatus collega Rhetoricis ſophiſmarum edoctus diſciplinis, qui regularem monaſticæ conuerſationis normam reciprocis ſciſitationibus, & vicaria literarum relatione reſpondens:

Eiuſdem laudes.

E

luce clarius ad liquidum digeſſit: nec non ἑξαήμερον, id eſt, opera ſex dierum, que in Latinum tranſlata leguntur, mira eloquentiæ diſertitudine fretus edidit. Si, inquam, quod integritatis gratia incorruptus corporaliter floruerit, ex ipſius elogica ſcriptione coniecturam capeſſo, ita proſequentis & fœminam non cognoſco & virgo non ſum. Vetus quippe conſuetudo peritorum eſſe fertur concionatorum, qui pro roſtris in edito ſtantes popularibus cateruis concionantur, vt ſic in diuerſæ conclunis cuneo & diſpari ſexu, ceu propriæ ita interdum alienæ reminiſcantur perſonæ, atque attonitis auditoribus ignariſque auſcultatoribus arcana mentis ipſorum recludentes, & abſtruſa præcordiorum reſerantes, facundi ſermonis claue patefaciant. Hoc ergo concionandi genere præfatus Antiſtes ſermocinari creditur, qui nequaquam extrinſecus carnalis tantum pudicitiæ immunitatem ad promerendas ſtrenuæ integritatis infulas idoneam fore ratus eſt; niſi

F

ſpiritus quoque caſtimonia, cuius imperio indomata corporalis laſciuiæ petulantia refrænatur, adſit. Sicut Verna ne contumaciter inſoleſcat, matronæ nuribus mancipatur, vt intrinſecus contubernali ſoliditate concorditer adhæreſcat.

CAP. XIV.

EXtitit quidam pontificali dignitate decoratus merito Fœlix & nomine, qui cum pro fidei conſtantia à tortoribus torqueretur, & horrendis carnificum cruciatibus agonizans martyrizaretur, exclamaſſe fertur: gratias tibi ago Chriſte, quod * annos in ſæculo virginitatem meam cuſtodiui. Antonius cœleſtis aratri ſtiuarius, & Euangelici ſeminis ſator, à quo primitus per Ægyptum fertilis Cœnobiorum ſeges germinauit, vnde poſtmodum Memphitica tellus, quam Nilus reciprocis fœcundat fluentis, millenos animarum manipulos in fructiferis Eccleſiæ noualibus pullulantes protulit, quos Angelici meſſores (cum figura mundi in ictu & atomo euanuerit, & enormia creaturarum elementa in melius commutata claruerint)

** Deeſt numerus annorũ. D. Antonius cœnobiorum Pater.*

G

ſequeſtratis loliorum faſciculis, in inexhauſta cœleſtis regni horrea, cateruatim aduectabunt: nonne propter egregiam animæ pudicitiam ineffabili virtutum gratia præditus, vſque ad ſupremos terrarum cardines percrebuit, & plenius de eius virtute miraculorum, Athanaſius Alexandrinus antiſtes, ſimplo volumine patefecit Euagrio in Latinum transferente. Paulus itidem inclytus & patria celeberrimus, quia fallaci genere cæcæ cupidinis & phylargyriæ deceptus, contra iura naturæ proditus & publicatus eſſet, à primæuo pubertatis tyrocinio Memphiticæ deſerta penetrans ſolitudinis, qua carnalis ſpurcitiæ blandimenta fatiſcunt, & mundani luxus oblectamenta vileſcunt horrendos belluarum barritus & truculentos leonum fremitus, accedentis fidei defenſiculo fretus, intrepidus contempſerat conſuta duntaxat palmarum plecta, & perdulci dactylorum ſagina ſqualidum ſuſtentans corpuſculum, naturæ debitum ſoluit. Nonne propter florentis pudicitiæ caſtimoniam fine tenus inextricabili repagulo conſeruatam bis ſenis temporum luſtris: id eſt

Pauli Eremitæ pudicia.

H

vicies terna annorum intercapedine, buccellam cruſtulæ ſemiplenam, quam penniger præpes indefeſſis famulatibus, & reciprocis volatibus, hiulco aduexerat roſtro, vſque ad decrepitam vitæ ſenectam inexhauſtam gratulabundus accepto ferre promeruit? Hilarion opinatiſſimus Palæſtinæ ſolitudinis accola, Ethnicis parentibus idolorum culturæ deditis oriundus, roſa (vt dicitur) rubicunda de ſpinetis nata, florens ea tempeſtate qua prædictus Antonius per Ægyptum celebri fama vulgabatur, claruit: cuius vitam Hieronymus cœleſtis Bibliothecæ egregius cultor, vniuerſorumque Interpretum præſtantiſſimus tantis opinionum rumuſculis extollit, vt Homerum quoque ſi ab Inferis emergeret, vel inuidere materiæ dicat, vel ſuccumbere: qui ob integritatem caſtimoniæ conſeruandam, mortalium contubernia declinans, primo pubertatis tempore ſqualſentem eremi vaſtitatem luſtraturus, prius pene contemplatiuam quam practicam (contra rerum naturam) rudis habitator exercuit vitam, laſciuam ætatis petulantiam famelica frugalitatis parſimonia crudeliter caſtigans. Ego te, inquit, Aſelle, faciam vt non calcitres, non te hordeo alam, ſed paleis, & fame con-

A

ficiam. Quapropter innumeris miraculorum prodigiis coruſcans, antiquis æquiparabatur Patriarchis: ſiquidem horrendum ſquammoſo corpore draconem, quem Boam vocabant, ex eo quod tantæ enormitatis exiſteret, vt boues virulentis mandibularum dentibus trucidans, guloſa ventris ingluuie voraciter ſoleret glutire, & non ſolum armenta & pecudes, ſed agricolas quoque atque bubulcos & ſubulcos ad ſe tractu ſui ſpiritus abſorberet (ô ſuperi talem terris auertite gypſam,) arenis orationum extinxit hoc modo: pyram ſtipinim in edito conſtructam & flammantibus ſcandulis ſuccenſam, præfatum miræ magnitudinis Baſiliſcum vulgo ſpectante ſcandere terrificę iuſſionis imperio compellens, ſquammigeras coſtarum crates rigidamque ſpinæ curuaturam prunis coquentibus extorruit, & aſſantibus titionum globis & reciprocis volatibus crudeliter comburens, plebem à letiferis beſtiæ flatibus eripuit.

Iuxta Epidaurum Dalmatiæ municipium.

B

Nec non etiam feruentis fruſtra & ſpumantis cataclyſmi ſocias, cæruleas maris vndas, cum proprios egrederentur terminos & quaſi diuinæ poteſtatis cenſura, diluuij irruptionem minarētur, ac ſi in antiquum Chaos omnia redire cogerentur: Accolæ Epidauritani eundem Dei famulum contra frementes fluctus & ſalſas gurgitum moles, inexperto compulſi errore oppoſuerunt: qui cum terna patibuli ſignacula in glarigeris ſulcaret ſablonum litoribus mirum dictu, quomodo turgeſcēs Pontus in cumulum creuerit, & in quanta proceritate vt murus glacialis ante eum ſteterit. O quanta eſt pudicitiæ virtus, quæ bacchantis belluæ rabiem humillima prece compeſcuit, & tumentem æquoris inſaniam indulta poteſtate compreſſit! Danielis Prophetæ factum æquiparans in dracone, & legiſlatorem æmulans in æquore. Ioannes verò Niloticæ ſolitudinis eremita, qui Theodoſio mundi monarchiam gubernante, quaterdenos annorum circulos in practicæ conuerſationis ſtudio deſudans (quam Martha Lazari germana, votiuum Chriſti humanitati obſequium præbens præfigurat) miro deuotionis feruore exegit, ac demum quinquies biluſtris temporum circulis in remoto deliteſcens tugurio, theoricam Anachoreſeos tranſegit vitam.

Luc. 10.

C

Ioannis Anachoretæ nonogenarij virginitas.

In hoc intelligi poteſt puræ virginitatis munus illibatum vſque ad nonagenariam decrepitæ vetuſtatis ſenectam ſeruauiſſe, quod Chiliarcho Tribuno militum importunis precibus de coniugis incommoditate ſuppliciter conſulta flagitante, & vt ſe inuiſendum aditi pateretur, intentione rigida reſpondiſſe fertur, ſibi nunquam moris fuiſſe videre mulieres, & præcipue ex quo in illius rupis Monaſterio ſe concluſiſſet: idcirco pro adeptæ integritatis chlamyde, quam Angelicæ puritatis lineamento velut domeſtica ſoliditate adſciſcebatur, futura Propheticæ diuinationis oracula, quæ reliquos latuerant mortales præſago afflatus ſpiritu expertus eſt.

CAP. XV.

D

NEc prætereundum arbitror beatæ memoriæ Benedictum, quem ab ipſis infantiæ cunabulis ita fortunatum vocabuli præſagium poſcebat, vt penitus aliter in propoſito diuinæ religionis viuere nequiret, quam propriæ appellationis dignitas & cœleſtis *εὐλογίας* prærogatiua permitteret. Nam gratuita ſupernæ liberalitatis munificētia cum adhuc puer polleſceret, & ſecundis meritorum ſucceſſibus per auguſtum Heſperiæ regnum late crebreſceret, haud fruſtra fœlix vocabuli priuilegium participauit cum Aduocato & Redemptore noſtro. De quo lactantes Euangelici, conſona vocis harmonia pſallentes concorditer cecinerunt: Benedictus qui venit in nomine Domini. Cuius rei regulam, noſtra quoque mediocritas (authentica veterum auctoritate ſubnixa) in ſacroſancta Palmarum ſolemnitate, binis claſſibus, canora voce concrepans, & geminis concentibus Oſanna perſultans, cum iucundæ iubilationis melodia concelebrat.

Matth. 21. Marc. 11. Sacroſancta palmarum ſolemnitas.

Igitur præfatum Chriſti tyronem, propter incorrupta & iugiter ſtellantia immarceſcibilis pudicitiæ ſeruata dona S. Trinitatis tutela protectum, Prophetica ſigna ſequebantur & ſuperna miracula cœlitus comitabantur. Siquidem poſt dirruta ſimulacrorum ſacella & diſſipatas fanaticæ gentilitatis cæremonias, quæ vitam veritatis expertem, Fato & Geneſi gubernari futura, iuxta Mathematicorum conſtellationem arbitratur: bis ſena conſtruxiſſe Cœnobia ſcribitur, in quibus opulenta ſanctæ conuerſationis ſacra & copioſa animarum emolumenta orthodoxis vbertim acquiſita Chriſto prouenerunt, quas Dominicæ gnarus cultor vineæ, velut matureſcentes palmitum botros, ac rubicundos ſarmentorum racemos, Euangelica falce ſuccidēs, & refertis fiſcellis onuſtiſque corbibus ad prælum calcandos & Eccleſiæ torcularibus regulariter exprimendos aduexit, vt temulenta defœcati nectaris defruta apothecis cœleſtibus recondēda, & Angelicis cauponibus committenda fœliciter inferret, quatenus ſupernorũ conuiuia, huiuſcemodi muneribus de terreno nundinarum mercatu allatis, gratulabunda glorificarentur.

E

Magna eſt igitur puritati, prærogatiua, quam ſi quis amittere per vim compellitur, ſi ob hoc, humanum exoſus conſortium communi vita ſponte caruerit, apud CXLIV. millia virginale carmen canentia in cœleſti contubernio gratulabitur glorioſus. Quod Euſebius Græcorum hiſtoriographus, virgines Deo deuotas feciſſe teſtatur, quæ ſe pro integritatis pudicitia conſeruanda, rapaci gurgitis alueo, per præceps immerſerunt: vnde quidam patrum; propria (inquit) manu perire non licet, abſque eo, vbi caſtitas periclitatur.

Euſebius Eccleſia. Hiſt. lib. 8. cap. 24.

F

Abſque eo,] *Hoc, tanquam Oratorio more dictum, forſan excuſari poteſt: alioqui, quacunque de cauſa aliquis occidat ſe ſemper eſſe peccatum mortale, niſi fiat ex inſpiratione Dei, vt Samſon, & quædam ſanctæ mulieres, quarum memoria in Eccleſia celebratur; reſpondet D. Thom. 2. 2. q. 59. art. 3. 2. q. 64. art. 5. q. 124. art. 1. 2. &c.*

CAP. XVI.

O Mirandum negocium & propemodum inueſtigabile decretum: cæteris facinorum flagitijs, quæ mundi ſtatum lugubriter conturbant, cum quiſpiam mancipari inuitus cogitur, & ſpreto libertatis arbitrio ratum ſcelus perpetrare compellitur: ſi ſub prætextu cauendi noxam & declinandi delicta, quolibet exitij genere, vim vitæ crudeliter intulerit: extraneus ab Eccleſiæ ſocietate inter biothanatos reputabitur: qua de re conijcitur, quam precioſa ſit ſupernis municipibus pudicitiæ generoſitas, quam nec illud abolere & obliterare quolibet pacto poteſt, quod perfectorum merita ludificari, & cuncta virtutum genera euacuare valet.

H

Vnde Malchus pater, paternæ ſeueritatis violentia, ſimulque materna grauitate, qui ſucceſſiuæ poſteritati conſulebant cum ad carnale conſortium cogeretur, caſtitatis obtentu & regni cœleſtis cauſa contemnere decreuit: ſed cum ob cognatæ propinquitatis curam accepto conuerſationis feruore paulatim tepeſceret, & à torrido cœnobialis vitæ rigore inſtinctu ſtrophoſi hoſtis diſceſſurus ſenſim refrigeſceret, à Saracenis prædonibus & Iſmaëlitis graſſatorib. obuia quæque atrociter vaſtantibus, captus, vt ſeruilis verna famulari iuberur, iuſto valde iudicio, vt qui interdictum repetebat poſtliminium, ſeruiret vt vile mancipium: & qui Sodomitanũ pereuntis fœminæ diſpendium minime pertimeſceret, prolixæ ſeruitutis detrimentum & inuiſum heri famulatum atrociter ſentiret: & dum aratri ſtiuam (poſt tergum reſpiciens) negligenter regeret, ruptis ſulcorum glebulis iugerum occa nugaciter deperiret: cumque ibidem optatæ caſtitatis inſignibus quæ in genitali ſolo ſeruauerat, cedere reſtricta machera torqueretur maluit mucrone transfoſſus crudeliter occumbere, quam pudicitiam veram profanando, vitam defendere: nequaquam animæ periculum pertimeſcens, ſi integræ virginitatis ſtatus effuſione ſanguinis ſeruaretur.

Malchi Caſtitas.

G

Præterea beatæ memoriæ Narciſſum tam virginalis pudicitiæ priuilegio præditum, quam pontificalis infulæ auctoritate decoratum, ſub ſilentij latibulo deliteſcere non feram, cuius vita adeo ſignis & miraculorum prodigiis coruſcantibus claruit, vt contra rerum naturam, liquentis elementi qualitatem ſoli Deo mutabilem, orationũ armatura fretus in aliud genus conuerteret: ſiquidem in Vigiliis Paſchalibus quando reciprocis annorum circulis anaſtaſis Dominica ſolitæ ſolemnitatis tripudio celebratur, fortuito contigit, vt lychnis de lampadibus Eccleſiæ, pinguis olei liquor opportunus deeſſet. Tum vir Deo deditus liquidas fontium lymphas exorcizans, & ſacræ benedictionis vbertate fœcundans, ſtupendo virtutis ſpectaculo pingueſcere fecit;

Narciſſi virginitas.

Vigilia Paſchales.

A

ita duntaxat, vt latex lucernarum fundibulis infuſus, in olei craſſitudinem perniciter verteretur, & papinus in cētro poſitus velut fomes pruina vel ſeuo madefactus, ſolito clarius luceſceret. Verum antiquus humani generis grauator, pro tanta rumoris prærogatiua qua Catholicorum laudes crebreſcunt, obliquo liuoris zelo ſuccenditur, vt tam fauorabile viri Dei præconium falſis ſuſpicionum argumentis nutabundum elideret. Nam ſtrophoſi fallaciarum fabricatores ſatis probroſum facinus & inauditum crimen aduerſus eum in cathedra peſtilentiæ ſedentes ſub tribus teſtibus fallaciter periurantibus concinnant, vt pſalmiſta chirographatur: Inſurrexerunt in me teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi: quorum vnus itane late crepitante torreretur, veraciter ſe fari teſtabatur. Al'us i : ne virulenta regiæ peſtis incommoditate popularetur. tertius ita: ne gemellis oculorum obtutibus orbaretur. Ita Narciſſus Deo confiſus nequaquam apologeticam, vt ſontes & inſontes ſolent, defenſionem exquirit, ſed Pontificalis cathedræ apicem hac occaſione inuenta relinquens, abſtruſam eremi vaſtitatem petiit, & friuola æmulorum machinamenta, concinnataſque factiones fugiens, deleuit. Porro fallaces teſtium perſonas, quæ presbyteros contra Suſannam muſſitantes æmulabantur, vltrix diuini potentatus cenſura, eiuſdem cladibus, quibus periurantes ſe deuouerant, crudeliter percuſſit. Quorum primus cum omni domeſticæ ſodalitatis clientela & propinquæ neceſſitudinis contribulibus, in proprij domatis tegulo vltricibus flammarum globis conflagraſſe memoratur. Secundus à triplici ſummitate cerebri, plantatenus morbo regio turgeſcens, vt tum demens & impudens procax imprecatus fuerat, fœtidum exhalauit ſpiraculum. Tertius infœlicem ſodalium fortunam animaduertens, omnis concinnati facinoris piaculum, ſera pœnitentia, cunctis auſcultantibus in propatulo patefecit, tantiſque lamentorum ſingultibus & tam raucidis fletuum quæſtibus lachrymabundus lugubriter fleuit, vt gemellis pupillarum luminibus funditus fraudaretur, vnde cautum eſt: mihi vindicta & ego retribuam dicit Dominus. Quid referam ſanctæ recordationis Athanaſium, cuius rumigerula meritorum gloria, & florigeræ pudicitiæ præconia quanquam ſpecialiter apud Alexandriam & Ægyptum clareſcerent, per totius tamen mundi cardines, vbi fides Catholica fructiferis palmitibus frondeſcit, longe lateque percrebuit; cuius altor & dogmatiſta B. Alexander Alexandriæ pontifex, ab ipſa cunabulorum teneritudine extitiſſe memoratur, tam notariorum characteres, quam grammaticorum periodos, cola & commata affabiliter inſtruendo: qui videlicet Alexander poſtquam Arrij ſchiſmatici iura, in abſtruſum latrinæ cuniculum turpiter defluxerant, Eccleſiæ triumphali trophæo ſublimatur. Sed quid mirum ſi Athanaſius in ſummo graduum faſtigio chariſmatum gratia polleſceret, cum etiam tenerrima ætatula infantis nequaquam præſago indolis prodigio caruerit, ſed puerilis ludorum geſticulatio Pontificalem futuri Præſulis authoritatem portenderit? Etenim peractis Miſſarum Sacramentis, conſpicatur Alexander ingentes puerorum catervas in marinis littorum glareis ſacerdotalem Athanaſio contuliſſe reuerentiam, & quoſdam Catechumenos & Competentes ab eodem myſtico baptiſmatis officio regeneratos extitiſſe: quod ſcænico ludorum ioco geſtum, decretis ſynodalibus ſerio confirmatum eſt. Igitur Athanaſius poſt obitum Alexandri ſumpto Eccleſiæ Præſulatu, quantas hæreticorum machinas excuſſerit, quot fraudulentas ſchiſmaticorum ſtrophas pertulerit, quas aduerſus inſontem ſubdola factione concinnabant, 10. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ liber à Ruffino charaxatus, adſtipulatur. Ita prorſus, vt Conſtantio Auguſto qui Orientis imperij ſceptra gubernabat, euulſum cadaueris lacertum, & in ſarcophago delatum oſtenderent, quem ab Athanaſio magicæ fraudis necromantia de Arſenij corpore ſublatum fallaciter retulerunt. Quapropter imperator commentis hæreticorum lenocinātibus illectus, & probroſis factionibus deceptus, in Concilio Præſulum inconſulto condemnari præcipit. Verum Arſenius, qui quondam in pulpito Lectoris officio fungebatur, omnem concinnati ſceleris ſcænam prodidit, & ſacrum Flaminem à tam flagitioſis facinoribus immunem eſſe declarauit. O quantus quoſdam attritæ frontis pallor ob detectum ſceleris reatum, tremebundos arguit: & è diuerſo, quorundam vultus, purpureus genarum rubor velut ſtibio depinxit, cum in Concilio valentem ac ſoſpitem ſpecularentur, quem abſciſſis neruorum nexibus mancum & debilem rebantur. Verum huiuſcemodi ſancta victoria confutati, aliud argumēti genus molientes comminiſcuntur, vt proſtituta pellex virum caſtiſſimum, proſtibuli ſtupro quo penitus à pubertate incorrupto corpore caruit, inſimulare procaciter machinaretur: quæ, cum vniuerſum falſæ garrulitatis inceſtum velut fœdam Melancholiæ nauſeam de receſſibus falſi pectoris euomuiſſet, ſtatim per Timotheum presbyterum, quem nefandis vlnarum gremiis procax obuncabat, apologetica verborum veritate quaſi fixa peltarum teſtudine defendit. Veruntamē æmulorum veſaniæ cedens, quod contra virum Dei, inuidia torquebantur: profugus longe proficiſcens exulat, adeo vt ſeptem annorum intercapedine in arida ciſternæ latebra deliteſcens, nequaquam limpido ſolis radio potiretur, ſed mens Deo dedita, cote durior, ferro fortior, adamante rigidior, omnes calamitatum inſectiones, quas clandeſtina liuidorum conſpiratio hoſtiliter irrogabat, inflexi cordis conſtantia æquanimiter perferebat.

ſ. papinum, ar…

Pſal 20.

Euſeb. Eccleſiaſtic. Hiſt. lib.6.c.8.

B

C

Rom.12.

D. Athanaſij Hiſtoria.

D

Myſteria ſacramenta.

E

F

CAP. XVII.

QVid beatum Babylam loquar, quod Dominici gregis excubias, & Mandras Eccleſiæ aduerſus truculentam Tyrannorum rabiem, velut contra ferinam luporum ferocitatem, non more mercenarij, ſed ſolertia paſtorali tuebatur. Cum eſſet ſummi Pontificatus infula præditus, Numerianum Auguſtum interfectorum cruore contaminatum, non permiſit Baſilicæ ſacrarium intrando, pollutis pedibus profanare; ſed acerrimæ caſtigationis cenſura à ſacris Eccleſiæ liminibus funeſti regis introitum arcebat: nequaquam damna rerum formidans, vel vitæ diſpendium tremebundus & pallidus expauit: tunc ad palatinas ducitur Zetas & imperialis Hypodromi veſtibulum, quatenus cum rege funeſto reciprocis conflictibus & alternis vicibus diſputans altercaretur: ſed mentem Deo dicatam nec minarum ferocitas reflectit, nec blandimentorum lenitas demulcet, vt à Catholicæ fidei perpendiculo ad tortas ſimulacrorum cæremonias verteretur: mox imperante Auguſto calumniam Pontificis, & infamiā Cleri, boias in collo, & compedes in cruribus nectunt. Inſuper exquiſitis pœnarum machinamentis ſacratiſſimos viuentis hoſtiæ artus acriter dilacerant: nec non & tres germani pueri, quos Babylas ſub diſciplinæ pædagogio regulariter inſtruendos acceperat, ad Regis præſentiam ſimul introducuntur; quos Imperator mira fidei conſtantia munitos, cum verborum argumentis fallere nequiret, cruentis verberum ictibus vapulare præcipit. Cernens autem furibundus princeps inuictam paruulorum conſtantiam percunctatur venerandum Præſulē, vtrum filij ſui veraciter eſſent. Qui reſpondiſſe legitur: Filij mei vere ſunt ſecundum Deum, mulierem autem coram Deo meo non cognoui, ex quo natus ſum. Tum ſanctus Babylas decollandi ſortitus ſententiam, cum tribus alumnis capite truncatur, & rubris venarum riuulis ſacratur. Sed & operæ pretiū reor, vt celeberrimos ſpiritalis militiæ bellatores, & cœleſtis medicinæ archiatros Coſmam, & Damianum, nequaquam ab hiſtorica virginum relatione dirimentes, velut indignos cæterorum conſortio, ſequeſtremus: quos in ſuperno Hieroſolymæ municipatus prædeſtinatos, & æternalis literaturæ albo deſcriptos, cum prædictis commanipularibus, lætabundos eſſe, fiducialiter confidimus. Temporibus namque Diocletiani & Maximiani, Olympiade ſexageſima ſeptima, cum edictis crudelibus Catholicæ fidei cultores, quos Chriſticolas & Crucicolas nuncupabant, ad thurificandum ſtatuis Ethnicorum cogerentur; nolentes apoſtatare, capitalem compulſi ſunt ſubire ſententiam. Prædictos Chriſti tyrunculos religioſa genitrix gemellos enixa erat, in pubertatis autem primordio, inſtrumentis medicinalibus imbuti tam valetudines hydropicorum & melancholias viſcerum, quam incommoditates animarum per cœleſte cataplaſma

G

H

S. Babylæ virginitas & Martyrium.

Chriſtiani à Paganis appellati, Crucicolæ.

curabant.

A curabant. Viſum cæcis, ſcilicet & malagma monophthalmis impertiendo: mutis taciturnitatis valuam reſerando, ſurdorum auribus harmonias rerum reſtaurando, balbis & blæſis rectitudinem loquelæ largiendo, claudos & mācos incolumitati priſtinæ reſtituendo, energumenos & ſcotomaticos meritorum gratia refocillando, ipſos etiam fortunæ caſibus oppreſſos ad ſuperos reuocando. Verumtamen huiuſcemodi virtutum munificentia præditi, non philargiriæ commercio, ſed gratuita liberalitate optatam ægrotantibus ſoſpitatem contulerunt Euangelico concordantes oraculo: gratis accepiſtis, gratis date. (Matth. 10.) Interea prædictorum tempeſtate perſecutorum, cum ſancti Martyres, vt oues occiſionis, cruentis carnificum mucronibus mactarentur, & nequaquam cōſternari, Eccleſiarum athletæ, velut in ſancta mane palæſtrarum luctarentur: (SS. Coſmæ & Damiani virginitas & Martyrium.) quantis & qualibus præfati Confeſſores, Liſia pro tribunali ſedente ſuppliciorum machinamentis torquerentur, quis referre ſufficiat? Si quidem ligatis lacertis, & connexis ſurarum artubus, in profundo pelagi fruſtra demerſos, ſed Angelico fultos ſuffragio, efferа fluctuum ferocitas contingere non audens, illæſos littoribus reſtituit. B Ruſus truculentus Præſes, tam claro ſanctorum tyronum triumpho confuſus & confutatus, eoſdem in clibanum plurimo ſarmentorum fomite ſuccenſum, & diuerſis ceſpitum titionibus crepitantem truciter trudi præcipit. Aſt illos velut ſerpentes Salamandras, quas naturaliter torrentes prunarum globi, vſtare vel cremare nequeunt, flagrantis camini incendia non combuſſerunt: exindè eculei tormento vexatos, & gibalo patibuli ſuſpenſos, inſuper diris ſagittarum ictibus obrutos, Angelicum protexit patrocinium: ad vltimum decollationis ſortiti ſententiam, cum palma virginitatis, triumpho martyrij agonizarunt.

CAP. XVIII.

NEc meminiſſe pigeat inclyti militis Chriſti, Chryſanti: quem pater ab Alexandria proficiſcens, Romæ Gymnoſophiſtis, & Rhetoribus traditum, cunctis liberalibus literarum ſtudijs erudiri fecit. Erat enim vt fertur, tam ardentis ingenij & capacis memoriæ, vt quidquid lectitando & ſcrutando enixius rimaretur, velut viſco C glutinatum præpropere in præcordijs puerilibus lenteſceret, & tenta ſagacis animi conclaue, radicatum hæreſceret: igitur conſummatis grammaticorum ſtudijs & philoſophorum diſciplinis,* quæ 7. ſpeciebus dirimuntur, id eſt, Arithmetica, Geometrica, Muſica, Aſtronomia, Aſtrologia, Mechanica, Medicina: cum ad ſacratiſſimas Euangeliorum aquas veniſſet, quantocius cuncta Stoicorum argumenta & Ariſtotelicas Categorias, quas X. prædicamentorum generibus diſtinxit, dicto citius deſpexit, dum ſolerter animaduerteret, quantum cœleſtis Philoſophiæ dogma mundi diſciplinam, & mortalium commenta præſtaret: cumque regenerantis gratiæ vulua conceptus fœtoſis Baptiſterij partubus editus, in venerādis Eccleſiæ cunabulis nutriretur, exemplo poſt rudimenta fidei, neophytus diſcipulus, efficitur dogmatiſta præcipuus, & Dominum Chriſtum Dei filium, nequaquam perfidorum diſcrimina pertimeſcens, cunctis publica voce propalat. Quod genitor affinium, & contubernalium relatione vbi comperit, eundem filium contra iura naturæ, latibulis carceralibus arctandum, & famis inedia macerandum includit. D Alioqui & proſcriptionem rerum, & patrimonij iacturā, inſuper capitale diſcrimen perhorreſcebat, ne ab Imperatoribus locuples gazarum opulentia, cum vitæ eius detrimēto funditus fiſcaretur. Ergo cum animaduerteret Chryſantum acerbitatem pœnarum libenter laturum, iam non tormentorum ſupplicio, ſed blandimentorum lenocinio natū flectere nititur, & auferens illum de ergaſtulo ſquallente, oloſericis & bombycinis indutum veſtibus miſit in triclinium, vbi pulcherrimę virgines precioſis compte cycladibus delicias & ſumptuoſa ferculorum conuiuia præpararent, effrænatos lætitiæ cachinnos & iocoſos ludorū amplexus miſcentes, vt in talibus blandimentis ferrea iuuenis præcordia molleſcerent: ſed vir Deo deditus nec mulſa epularum ſagina ſuperatur, nec formoſa virginum venuſtate à propoſiti rigore reflectitur, ſed mollia puellarum labra, vt nociua viperarum venena declinat, paruipendens Epithalamij elogium in quo cantum eſt:

Mellea tunc roſeis hæreſcunt labia labris.

E Deinde quidam de contribulibus hortantur patrem, vt filius blandis connubij nexibus nodaretur, & illecebroſo matrimonij lenocinio vinceretur. Tunc Daria virgo Veſtalis ſatis pulchra, & eleganti forma, gemmis auroque radians ad Chryſantum procaciter ingreditur, vt militem Chriſti tam vrbana verborum facundia, quam phalerata colli crepundia, ad thalami copulam inclinarent. (SS. Chryſanti & Dariæ caſtitas & Martyrium.) Sed ſecus ceſſit quam rati ſunt: oritur namque inter eos ſatis prolixa ſermonum concertatio, & reciproca ſententiarum diſputatio, eo quod Daria dialecticis artibus imbuta, & captioſis ſyllogiſmi concluſionibus inſtructa fuiſſe ferebatur; ita vt diſertiſſimi oratores, tam ſagax virginis ingenium alterno experiri conflictu vererentur. Quid plura? tandem vir vitæ venerabilis, non fraudis argumento, ſed ratiocinationis documento, in reciprocis conflictibus victoriæ palmā adeptus, eandem Dariam iam Catholicæ fidei ſacramenta credentem ſuſcipit, & ſimulato Hymenæi cōmercio ſimul conuerſatur, donec ſalubris lauacri latice luſtratur: F mox relictis Dialecticorum diſciplinis, quibus dudum in gymnaſiis ſtudio exercebatur, Canonicis ſcripturis & commentis ſpiritalibus inſtruitur. Nec laterculo dinumerari, nec calculo computari vllatenus valet, quanta multitudo promiſcui ſexus, idolorū magiſterio, è fanatica Delubrorum ſuperſtitione ad fidem Catholicam cateruatim cōfluxerit. Huius rei gratia B. Cryſantus iubente Claudio Tribuno, a xx. militibus diuerſo pœnarum cruciatu torquendus traditur, niſi Amphytrioniadæ, id eſt, Herculi, Ethnicorū ritu thurificare conſentiret: tunc milites pertinaciter refragantem, vdis & crudis neruorum nexibus crudeliter vinciūt, vt in torrido ſolis caumate ſenſim ſiccātibus neruis, vim ſtrictuæ ferre nequiret: ſed in puncto temporis, dira vinculorum ligamina cœleſti nutu enodātur. Item in nodoſi cippi clauſtrum, viri Dei tibias & ſuras aſtringunt: & ſtatim rigentis cippi duritia, inuiſibili contrita poteſtate ad nihilum redigitur, ſed milites magicis putantes præſtigiis, geſtum, putentiſſimis illum infundunt lotij odoribus, quibus arbitrantur cuncta Chaldæorum & Hierophantarū phantaſmata, ſimulque ariolorū, & magorum machinas euaneſcere: H ſed fœtentis lotij luſtramentum, in fragrantem veſtitur ambroſiam, & in roſarum nectaris conuertitur odorem. Tunc iuſtam buculā imperant deglubere, vt recentis corij cruditate, nuda martyris membra cingerentur, quatenus ſub flagrantiſſimo ſolis ardore in ciuitate Birſæ truciter torreretur: ſed Chriſti ſuffragio fretus, expers periculi & ſoſpes euaſit. Mox ferrea catenarum nexibus collum cum lacertis & ſuris ſimul aſtringentes in atram ergaſtuli latebram illum coniiciunt: ſed perniciter ſtricta ligamina, vt ſtuparum putamina rumpuntur, & velut limpidiſſimo laternæ lychno, tenebroſa caligo fatiſcit. Ad vltimum, cum virgulis & nodoſis viminibus cruenta carnificum ſæuitia cæderetur, ſceptrinæ virgæ, quæ prius nodoſa duritie rigebant, pluma molliores, & papyro effectæ ſunt leuiores. Hæc tanta prodigia cernens Claudius Tribunus obſtupuit & corde compunctus cum LXX. militibus & omni familia, & vernacula clientela, vna cum paraſitis, & ſodalibus credidit in Dei filium ſaluantem ſæcula Chriſtum. G Et ſtatim omnes Baptiſmatis vnda regenerati, purpureas Paradiſi coronas fuſo fœlici cruore capeſſunt, quorum ſancta cadauera in cuniculo ſubterraneo pariter humata quieſcūt, in ſupremo examine ſurrectura in gloriam. His ad cœlum migrantibus ſuperſtites Chryſantus, & Daria reciprocis cruciatibus ſigillatim arctabantur. Ille in latebroſum lacunæ latibulum, vbi cloacarum cuniculi putores ſtercorum eiecerunt, ferro conſtrictus mittitur: ſed putor & caligo, luce ſerena & odoramentis fugantur nectareis. Iſta ad proſtibula ſcortorum & meretricum contubernia truditur, quo leo de latebris Amphitheatri ad tutelam ſacratæ Virginis, Dei nutu dirigitur, vt ſi quis petulcus inceſtator, & laſciuus ſcortator vagabundis geſtibus lupanar ingredi voluiſſet ferinis rictibus ſugillaretur: ſed congeſta virtutum copia, interdum efficitur verborum inopia. Nam ingenti miraculorum mole victus, breuitatis compendio plura prætereo. Poſt hæc decreto Numeriani Auguſti pariter in vna crypta martyrizantes occu-

A buerunt, in conſortio ſanctorum ſimul percepturi præmia meritorum, ſicut ſimul participes extiterunt perceptorum tormentorum.

CAP. XX. *Iuliani martyris virgini-.*

POrro virginalem Iuliani martyris gloriam ſub clandeſtino taciturnitatis latibulo deliteſcere non patiar qui temporibus Diocletiani, & Maximiani, nobili proſapia oriundus fuit: quem cum parentes in primæuo pueritiæ rudimento florenté, tam Dialecticæ artis compotem, quã Rhetoricæ artis participem feciſſent, pædagogus quoque & didaſcalus, traditum, multimodis Philoſophorum diſciplinis imbuiſſent, etiam in tenero pubertatis rudimento adultum parentes animaduerterent, cumq; amatorem Catholicæ fidei, ſacriſq; Eccleſiæ liminibus adhærentem, necnon ergãſtula Confeſſorum crebro frequẽtantem compeririſſent: pertimeſcebãt magnopere, ne ſi vnicum pignus ob religionis prærogatiuam & ſanctæ conuerſationis habitũ, illorum ſtirpe priuarẽtur, & ipſo, quin optatæ generationis hæredibus futuriſq; nepotum oeporibus fraudarentur. B Idcirco puerũ vt Patriarcha, lachrymabilẽ depromerẽt querimoniam, canos ſuos cum dolore ducentes ad inferos: ſubnixis precibus & inauditis blandimentorum hortamẽtis inflectere nitebantur, vt ad tædas & copulæ conſortiũ ferreos affectus, imo adamante duriores, inclinaret: ad argumentum etiam hortandæ ſuaſionis, Apoſtolicis vtuntur oraculis quibus ait; *volo iuuenes nubere, filios procreare, nullam dantes occaſionẽ maligno*: quibus ita reſpõdiſſe ſcribitur; nec voluntatis, nec ætatis eſt tempus, vt faciam quæ hortamini. Item cum perſeuerarent pertinaciter in precibus, ait: Nec promittẽdi mihi eſt facultas, nec negandi poteſtas, quod hortamini Dei mei poteſtati committo. Vnius tamen hebdomadis inducias à parentibus popoſcit, vt nutum ſupernæ maieſtatis argumentis euidentibus experiretur, qua peracta intercapedine, ſomno ſopitus vidit Chriſtum in oromate dixiſſe: Exurge ne timeas, nec ſuaſiones verborum vel voluntatem parentum horreſcas: Accipies enim coniugem quæ te non à me ſeparet, ſed per te virgo perſeueret, & infra: multi iuuenes, & virgines per veſtram C doctrinam, vel vitam cœleſti exercitui probabuntur. Suſcipitur igitur in thalamo beata virgo, vocabuli præſagio, Baſiliſſa; hoc eſt, regina: formoſa frontis effigie, ſed formoſior cordis caſtitate. Venuſta, inquam, lineamentis corporalibus, ſed plus venuſta ſuatim, cycladibus compta ſpiritualibus. O quãta caterua credentium in vtroque ſexu, fœtidas facinorũ cloacas calcitrans, & putida vitiorum volutabra abominans, illorum magiſterio ad fidem Catholicam conuerſa, cum martyrij trophæo triumphans agonizauit? Siquidẽ plura Monachorum ergaſteria in celeberrimo municipio Alexandri quæ eſt metropolis Ægypti, opitulante Chriſto cõſtruxẽre: in quibus militum Chriſti, circiter X. millia ſub diſtricto Iuliani regimine conuerſantia, & nequaquã à ſanctæ religionis tramite per obliquos anfractus dextra leuaque declinantia regulariter vixerunt. Baſiliſſa vero Deo dicata, bis quingentenos ſanctæ meſſis manipulos Euangelicæ prædicationis falce metens in area D tortoris triturandos, & horreis cœleſtibus condendos inuexit. Poſtremo cum effera perſecutorum rabies in ſacroſãctos Eccleſiæ tyrones feralibus edictis, & ferocibus tormentorum cruciatibus truciter ingruẽs graſſaretur, & Catholicæ fidei propugnaculum ſæcularis argumenti baliſta quaſſatum, atrociſq; machinæ arietibus ſubrutum funditus euertere moliretur: quis ſtyli textu effari valeat, quanta Iulianus cum cæteris commanipularibus, & eiuſdẽ propoſiti ſodalibus martyrizãdo perpeſſus ſit? Marciano Præſide in alto tribunalis culmine, vel theatri pulpito concionante, nodoſis faſtibus & cruentis maſtigiis, ſine reſpectu pietatis flagellatus a cultura Chriſti flecti nequiuit; quinimo pupillam percuſſoris euulſam, qui ſibi crudeliter flagrorum vibices irrogabat, quamuis vt magis ac magis putenti lotio humectaretur, inſtaret; incolumem reſtituit. Inſuper nefandas ſimulacrorum effigies pluſquam quingentas, quibus pontifices delubrorum libamina litantes, bacchantum ritu thurificabant, ad ſolum diruit, quaſſauit euertit. Item Iulianus cum iuuenculo filio præſidis Eſſembo Hiteitallo, qui neophytus, & nuper ad fidem conuerſus fuerat, in fuodum ergaſtuli profundum retruſus, vbi E fœtida damnatorũ cadauera diuturno tẽporis interuallo, horrida vermiũ examina ebulliebant, ſqualoris nauſeã perpeſſus eſt: ſed verſa vice pietas diuina (quæ ſuorũ ſemper reminiſcitur militũ) pro fœtenti ſterquilinio, olfactũ ambroſiæ, & nectaris fragrantiã, carceris illuuiẽ tolerantibus cum luce lympida clementer contulit. Hæc tanta prodigia milites ad excubias Confeſſorum deputati, cernẽtes: ſpreta phanaticæ ſuperſtitionis cultura, orthodoxorũ phalangibus adglomerãtur. Interea defuncti cadauer prolixis faſciarum ambagibus connexum, nondũ in ſarcophago terra humatum, flagitante præſide, fuſis ad polum precibus ſuſcitauit. Qui omnem iſthinc eundi tragœdiam, & illinc redeundi clementiam attonitis ſpectatoribus reſurgens de Tartari profundo patefecit. Igitur vrgente muneratorum decreto, ſancti martyres in Circi ſpectacula terdenis cuparum gremiis includuntur, quæ intrinſecus atræ picis maſſa, & bituminis fomite ſulphuriſq; fœtore replẽtur, farciũtur, & extrinſecus ſuppoſitis crepitantis rogi torribus, & F ſarmentorum faſciculis conflagrantibus ſuccenduntur. In tantum vt flammantis pyræ cacumina obeliſci proceritatem, ſed tamen & rotundum ſpheræ apicem triginta cubitis in conum præcellerẽt. Sed tamen de torrente incendio ſuperna poteſtate cõpreſſo triumphabiles viri, velut obrizum rutilans, ſpectãte Circi caterua in publicum proceſſere. Exin reciproca tortoris nefandi ferocitas, quæ ſẽper inſontum pœnis paſcitur, & fuſo ſanguine ſaginatur, athletis, & agnothetis Chriſti magna martyrij merita cumulauit. Dum liciis olei liquore delibutis digitorum articulos & palmarum pollices obuoluerent, ſimulq; pedũ allo- ces truciter adnecterent: ſed liciorum filis flamma cõbuſtis athletas Dei, in ſcammate mundi, ritu paleſtrico agonizãtes à fumigabundis flammarum globis immunes diuina tutela protexit: verum hac Confeſſorum Chriſti victoria confutatus, in Amphitheatrum Sãctos ferreis collariis cõnexos cruentus carnifex imperat duci, quatenus patefactis cauearum ciſteliis, & apertis clatrorum obſtaculis, vrſorũ genuinis carperentur & leonum rictibus roderentur. G Sic ſtolida Præſidis præcordia Deoq; inuiſa, ſpes paſcebat inanis, dum furibunda ferarum rabies, & guloſa belluarum ingluuies cœleſti nutu compreſſa, contra oblatam prædam lictare non audens: inultas faucium gurguliones oppilauit, vt poëta de Propheta: *M. allites.*

Et didicere truces prædam ſeruare leones.

Ad vltimum beatus Iulianus cum cæteris commilitonibus ſtricta machæra crudeliter percuſſus, & rubicundo cruoris riuo perfuſus fœliciter occubuit. Ad horum venerabiles ſarcophagos cum decem leproſi, quos dira cutis calloſitas elephantina tabe deturpãs, non particulatim, ſed membratim maculauerat, illico ad ſecundæ natiuitatis gratiam in baptiſterio regenerati, qui in ſubanis, & ſindonibus baiulabantur ægroti, ſanctorum meritis ſoſpites & voti compotes ſalubriter abſcedunt. *M ſabanis.*

CAP. XX.

H *Amos Anachoreta.*

AMos primus Nitriæ famoſus, accola cum à parẽtibus inuitus ad nuptiarũ commercia cogeretur, ne inuitus pudicitiæ palma priuaretur, magis magiſq; inuiſi oblatam matrimonij ſorte, ac ſi ſquallentis cœni cõtagia vel venenatum aſpidis morſum refragabatur. Hic ergo Amos generoſa proſapia oriundus fuit, & præpollenti gazarũ affluẽtia ſumptuoſaq; patrimonij opulentia, apud Ægyptũ celebris habebatur, huius ergo parẽtes amantiſſimã ſobolem cum adultã, & iam pubeſcentem in annis iuuenilibus deprehenderent, quaſi ſecuturæ poſteritati conſulentes, ad nuptiales thalami copulas, licet magnopere refragãtem inuitãt. Quorum obſtinatã importunitatẽ cum refutando fruſtrari non poſſet, ſimulata matrimonij cohabitantia, intus, anulo ſubarratam ſortitur virgũculam, quam in abſtruſo thalami cubiculo clãdeſtinis verborũ hortamentis ad pudicitiæ præmia perſuadet: cuius precibus & monitis obſecundans, ad ſummũ virginitatis faſtigiũ anhelat: qui prolixa temporũ intercapedine, pariter in caſtimonia Deo tãtum teſte vixiſſe referuntur, & in rigido ſanctæ conuerſationis propoſito, cum virtutũ incremẽtis vſquequaq; proſperabantur, ſub quorũ magiſterio, ad Chriſti fidem, & cõtemptũ mundi numeroſa vtriuſq; ſexus caterua confluxit, cumq; ſecundis meritorum ſucceſſibus in practica polleſ-

ceret,

A ceret, horrentem Eremi vaſtitatem aggreſſus, Theoricam Anachoreſeos exercuit vitā, & infinitis à vero remuneratore virtutum prodigiis donatur. Nam quidam iuuēculus rabidi moloſſi rictibus in væſaniam verſus, ſtrictus catenarum nexibus, ad eum deductus, actutum incolumitati priſtinæ donatus eſt; ſed eā condirione prius interpoſita, vt paupereculæ direpta & depeculata bona muliereculæ redderētur. At illi ſtropham in abdito perpetratā Prophetica virtute propalatā cognoſcentes, ea quæ fraude abegerant, ſponte reſtituunt. Sed & illud ſtrictim, & ſummatim commemorādum, quod duo quidam, dolium ſe viro Dei delaturos ſpoponderūt, è quibus alter dum pollicita fefelliſſet, obeuntē gibboſum amiſit camelū: alius promiſſa cōplens, aſello ſoſpite perfruitur. Quanta vero pudicitiæ virtus, ex hoc manifeſtius liquebit, quod vir Dei dum Nilotica gurgitis fluenta tranſire ſatageret, & ſpoliare ſe melotæ amiculis erubeſceret, ne pudibūdi corporis nuditas & indecēs obſcœnitas caſtos offēderet obtutus, extemplo in citeriorem aluei marginem diuina virtute tranſlatus legitur: &

B ne hoc incredibile videatur, memēto qualiter Abacuc diſcifer, meſſorū fercula è Iudæa ad Chaldæos, Angelico fretus officio, in pūcto tēporis perniciter detulerit, & in leonum lacum rugientiū per tanta terrarū interualla, famelicum Dei Prophetā affatim pauerit, & vbertim ſaginauerit. Huius itaque Amos ſpiritum Antonius Eremita, cum carnalis ergaſtuli vinculis enodaretur, à cœleſtis militiæ manipulo aſtriferis inferri cœlorum orbibus conſpexit.

CAP. XXI.

TEmpore ſceleſtiſſimi Iuliani, qui ab Eccleſiaſtico Clericatus gradu diſcedēs, & à recto Religionis tramite errabundis anfractibus exorbitans, ritu gētilium lugubriter apoſtatare cœperat, fuit quidam apud Thebaidā virtute venerabilis Apollonius nomine, qui anno ætatis quintodecimo vaſtæ ſolitudinis ſecreta penetrans, & mortalium contubernia ſubterfugiens delituiſſe fertur, haud procul à veterrimo delubro, in quod Redēptor noſter ingreſſus (quem nefanda Antipatri proles inſectabatur) omnes ſimulacrorum toracidas ad ſolum cernuas diruit, ſecū-

Iſa. 19. C dum præſagum Eſaiæ vaticiniū: Ecce dominus ſedet ſuper nubem leuem, & veniet in Ægypto, & cōmouebūtur manufacta Ægyptiorum a facie eius, & cadēt in terram. Nubes, inquit, leuis: caſtiſſimū videlicet Mariæ virginis gremium, humanæ corruptionis ſpurcitiis, & virili complexu carens, præfigurat. Deniq; præfatus Dei famulus octonis tēporū luſtris; hoc eſt, quaterdenis annorū curriculis horrorē deſerti non laſſabundus, ſed indefeſſis viribus tolerās, quingentorū circiter monachorū Archimādrita, & rector extiterat: qui ob præclarā virginitatis gloriā multis miraculorum ſignis & prodigiis coruſcans, centies diurnis, & totidem nocturnis horarum ſpaciis Deum interpellās,

Apollonius Archimandrita Colobiū. genua curuo poplite flexiſſe ſcribitur: cuius Colobiū, cum de ſtuppæ ſtamine, vel potius putamine, ſine pompulenta pannuncularū varietate ordiretur, ſindonis peplum ex tereti filorū glomere fuſoq; nerū radiis ſtridētibus & pectine pulſante texebatur, quæ longiuſcule illo inter ſerta deliteſcente, per tot temporū volumina penitus nunquā vetuſtate extricabantur, cuius alimonia imo parſimonia tam frugalis fuiſſe ferebatur, vt potius viridibus herbarum faſ-

D ciculis, & recentibus hortorum oluſculis ſic veſceretur, quaſi condito culinæ pulmentario potiretur, cum tamen cocturam aut aſſaturam alimentorum in focularibus præparatam ad edulium, refutaret. Hic aliquando cum Iulianus tyrannidem, & apoſtaſiam pariter arripuiſſet, & non modo in clericali gradu conſtitutos; ſed etiam monachica profeſſione fungentes ad militiæ cingulum cogeret, à centurione in ergaſtuli latibulum truditur, ſed intempeſtæ noctis conticinio Angelus limpidiſſimo lucis radio reſplendens, tremebundis cuſtodibus clauſtra carceris reſerans, virum Dei de latebroſis lacunæ ſqualoribus eripuit. Quadam die Apollonius, cum iter carperet, gentilium turmas circumquaque cum ſimulacro debacchantes, orationum vinculis, quaſi radicitus fixas ſub diuo & torrido ſolis caumate immobiles manere fecit, ne vſquā aut aliorſum vlterius progredi valerent, ſed cum comperiſſent tem per virum Dei geſtam, illico miſſis legatis ſpoponderunt, ſi eis facultas abeundi daretur, omnes ſpretis cæremoniarum cultuuis, ſe fidem Catholicam credituros, & friuolam ſimulacri effigiē in fruſta fracturos, aut in fauillam & cinerem crematuros, quod ita geſtum rerum probauit euentus. Lis aliquando propemodum ſatis cruenta inter duos populoſos credentium & incredulorum pagos gerebatur: fortuito caſu contigit, vt præfatus vir Dei armatas peltarum teſtudine cateruas iamq; ſtrictis mucronibus alternatim ſe iugulaturas offenderet, qui cum verbis pacificis cōfuſam vtriuſque vulgi ſimultatem magnopere mitigare niteretur, & exortam furentis cunei crudelitatem ſedare tentaret: quidam bellicoſus incentor & fautor certaminis, ac crudeſcentis ſignifer duelli fertur bacchanti & furibundo ſtrepitu reſtitiſſe, dicens ſe ſpreta pace ſequeſtra lethotenus pugnaturum. Tunc ſanctus: optata, inquit, tibi verbi fortuna contingat: Cæteris violati fœderis plaſma concorditer reconciliātibus ſolus vltricem cruentæ mortis vindictam exſoluat: inſuper nefandum cadauer nequaquam, vt cæteros mortales, ſepulcri ſarcophagus receptet; ſed volucrum roſtris laceretur, & beſtiarum rictibus corroſum communi ſepultura careat. Ita vero cruenta ſorte F

euenit vt Propheticus ſermo prædixerat. Tēpore quodam, cum ſacroſancta paſchalis ſolemnitas intra ſpelcum celebraretur, & plures ad viri Dei ſpeluncam velut examen ad aluearium pro feſtiuitate frequentanda certatim glomerarentur; qua peracta ſolitæ frugalitatis dapibus ſaginantur (id eſt, ſiccis & pauculis panum cruſtulis, & ſale aſperſis olerum ſaliculis) tum fuſis precibus, Dei patrocinium fideliter implorans: & dicto citius, pro foribus veſtibuli tantas deliciarum affluentias (gerulis quos nunquam nouerant geſtantibus) ſolita pietate Chriſtus famelicis ſuis tam vbertim contulit, vt vſq; ad Pētecoſten, quæ ſeptenis hebdomadarū curriculis calculatur, diuinitus allata epularum ſtipe quotidie affatim paſcerētur. Quod autem cœleſtis munificentiæ ſtipendium potius quam humanæ liberalitatis xenium fuerit; certiſſimis experimentis colligitur, quod fructuoſum eulogiæ munuſculum ab ignotis allatū eſt paraſitis & tempore præpoſtero; id eſt, ventali non autumnali, diuinitus impendebantur mala punica, & mala granata cum palmeti dactylis (quos nicolaos vocant) ficus, vuas, & palatas (id eſt, ſiccarū caricarum maſſas) cum nouerimus, vinearum & palmitum propagines vere quidē frondeſcere & floreſcere, ſed Autumno racemis turgentibus & botris flaueſcētibus miteſcere ac matureſcere. Cōtigit aliquando, dum calamitoſa fames atrocitate in promiſcuum Ægypti vulgus graſſaretur; plures ad eum cateruatim, ſtipis gratia, confluxiſſe. At ille tres ſportulas cruſtulis & tortellis refertas, vnius diei tātum interuallo; fratribus, victus alimoniam præbituras; fertili benedictione fœcundans, famelicis vulgi turmis exhibuit, quæ quaternis menſibus cum panis copia plebis inopiam refocillātes, ab imminentis famis inedia & diſcrimine defenderunt: hoc idem de farris ſimila & polline, ſimulq; craſſa olei pinguedine feciſſe memoratur. In priori quidem miraculo corbes, & fiſciles imitatus Euangelicos: In ſecundo autem, lecitbum olei, & pugillum farinæ ab Helia Propheta fœcundæ benedictionis vbertate refertos æquiparat. 3. Reg. 17

Sacroſancta paſchalis ſolemnitas.

G

H

CAP. XXII.

EXpletis igitur licet ſummatim maſculini ſexus exemplis, qui nequaquam nutabundo integritatis fundamento, ad inclytas itidem ſecundi ſexus perſonas, quæ in ſanctæ virginitatis perſeuerantia inflexibili mentis rigore vſquequaque durauerunt, verborum greſſibus gradatim ſpaciantes, ab eiſdem pulcherrimos pudicitiæ flores fœliciter carpere contendamus, quatenus ad beatitudinis coronam illo clementer adminiculum patrocinij præſtante, qui virgo ex virginis aluo naſciturus protoplaſti piacula expiauit, & totius mundi ſtatum profugatis tenebrarum principibus beauit. Inextricabili plecta plumemus: & quemadmodum pridem ex vtraque Teſtamentorum ſerie principalis ſexus exempla caſtitati congruentia congeſſimus, cui potiſſimum præ cæteris virtutum chariſmatibus virginale propoſitum ſuperni atria paradiſi & cœleſtis regni veſtibula patefecit. Eodem modo in fœmini ſexus proſapia, ſicut infra experimento adſtipulabimur, vberrima pudicitiæ documenta ſolerter enucleare nitamur.

A En vt ſupra retulimus beata Maria, virgo perpetua, hortus cõcluſus, fons ſignatus, virgula radicis: gemmula floris, aurora Solis, nurus patris, genitrix & germana filij, ſimulq; ſponſa ac fœlix vernacula, ſanctarum ſocrus animarum, ſupernorum regina ciuium, columba inter LX. reginas & bis quadragenas pellices, propter perenne puritatis priuilegium, obſidem ſeculi, Monarcham Mundi Rectorem Poli, Redemptorem ſoli, Archangelo pronunciante, Paracleto obumbrante, præcordiis tripudiantibus, fœliciter ſuſcipere meruit. Verũ mihi de Mariæ perpetua virginitate quæ ante ſacri ſermonis receptaculum virgo fauorabilis extitit & poſt cœleſtis puerperij præconium, virgo fauorabilior permãſit, ſollicite ſcribenti repente ad memoriam rediit. Quomodo Cæcilia virgo ſacratiſſima indulta iugalitatis conſortia, ac pacta proci ſponſalia obtentu caſtitatis refutans, velut purgamenta laudabilis ſpiritus feruore contempſerit, deſpexerit, reſpuerit, quæ licet organicis quinquagenis & ter quinis ſonorum vocibus concreparet harmonia, ac ſic letiferos Syrenarum cõcentus cum inexpertos quoſq; ad vitæ pericula pellexerint, ſub prætextu integritatis ſurdis auribus auſcultabat. Quamobrem procum B proprium & futurum (ſi virginitatis fortuna pateretur) leuitum, à ſuperſtitioſa delubrorum cultura conuertens, baptiſmatis fonte renatos viſibiliter Angelicis perfrui conſpectibus fecit, quibus cœlicola ab aſtris deſtinatus, candidis ac purpureis contexta ſerta floribus obtulit: iſtis, inquiens, coronas immaculato & mundo corpore cuſtodite, quia de Paradiſo Dei eas ad vos attuli.

Cæcilia virginitas.

Agatha. Sed & celeberrimus virginis Agathæ rumor ea tempeſtate longiuſcule crebreſcens, cum Diocletianus Imperator auguſtæ poteſtatis monarchiam gubernans, truculenta tormentorum edicta orthodoxæ fidei cultoribus irrogabat, totam Siciliæ prouinciam penetrauit: cuius integritatis caſtimoniam nec mẽbrorum crudelis dilaceratio, nec lictorum atrox vexatio præpedire, nec varia teſtularum fragmina infringere, vel torrida carbonum incendia vllatenus vincere valuerunt. Quin potius Adamantinus ſcopulus contra illata carnificum tormenta ferro fortior C indurruit; cuius contra documenta, & non fictæ veritatis indicia, Siculus indigena & Cathanenſis oppidi municeps cõcorditer adſtipulantur; Qui cum Æthnæ montis incendia fauillis late ſcintillantibus bullirent, ſulphureiſq; flammarum globis feruida torrentum flumina in præceps currentia crepitarent, ſacram ſarcophagi cymbam, qua virginale corpuſculũ claudebatur, quaſi turris obſtaculum, & muri propugnaculum, ruituris ignium imbribus oppoſuerunt, & mox horrendos ſocorum ardores obuia quæque crematuros, & liquefactas ſcopulorum congeries voraturos, dicto citius, cum virginis ſuffragio ſopierunt.

CAP. XIII.

Mihi quoque operæpretium videtur, vt ſanctæ Agathæ rumores, caſtiſſimæ virginis Luciæ præconia ſubſequantur: quas præceptor & pædagogus noſter Gregorius, in Canone quotidiano, quando Miſſarum ſolemnia celebrantur pariter copulaſſe cognoſcitur, hoc modo in catalogo Martyrum ponens; *Fœlicitate, Anaſtaſia, Agatha, Lucia*: quatenus nequaquam literarum ſerie ſequeſtrentur; D quæ contribuli populo apud Siciliam genitæ ſimul cœleſti gloria gratulantur. Etenim ſicut Cathanenſe municipium præ cæteris Trinacriæ vrbibus, Agathæ martyrio fœliciter coronatur; ita famoſiſſimæ Chriſti tyrunculæ Luciæ prærogatiua Syracuſæ opidũ Siciliæ proſperis ſucceſſibus ſublimantur. Quæ genitricem prolixa valetudine fatigatam; & meritis Agathæ à riuo cruoris curatam, cum alternatim confabularentur huiuſcemodi precibus interpellans: Per ipſam, inquit, te deprecor, quæ te ſeruauit: ne tu mihi ſponſum nomines, nec de mea poſteritate fructum immortalitatis inquiras, ſed omnia quæ mihi eunti ad corruptionis meæ authorem hominem moriturum eras datura, da mihi eunti ad integritatis meæ authorem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Matre igitur conſentiẽte, fit rerum repentina diſtractio, arcarum ciſtellæ reſerantur, mancorum marſupia replentur, ſponſalia erogantur, crepundia & cœli comparantur triclinia, ac dum carnale diſſipatur patrimonium, ſpiritale exercetur mercimoniũ. Verum pro huiuſmodi negotio ſponſus iracundiæ facibus

Canon in Miſſarũ ſolemnijs.

E inflammatus, Paſchaſius conſul tribunitia poteſtate fretus, facti angore afficitur, eo quod Chriſti tyruncula, nec ſermonum ſeueritate caſtigata, nec lenonum fallaci lenocinio tradita, à rigido virginitatis propoſito penitus inflecti valuit; quamvis reſtibus conſtrictam ad deteſtabile proſtibulum, & inuiſum lupanar ſcortorum trudere niterentur ſanctam: ſed ab omni Magorum machina illæſam, & haruſpicum ſuperſtitione incontaminatam Chriſti tutela protexit. Poſtremo furibundus Conſul flammiuomis aſſandam torribus tradidit; ita vt atræ picis & reſinæ fomẽtum cum ſcintillante oleo, rogorum incendia cumularent. Sed hæc diuinæ poteſtatis imbribus ſopita dicto citius tabuerunt: Igitur beata Lucia ſaluo pudoris ſignaculo, & conſummato vitæ curriculo glorioſum Martyrij triumphũ meruit, dum mucrone confoſſa, maluit purpureum ſanguinem fũdere, quam pretioſam pudicitiam perdere. Nec tamen cruentus carnifex obeuntem virginem gratulabũdus conſpexit, ſed catenarum nexibus conſtrictus, & ab omni F Trinacria vt barbarus prædo vel crudelis Archipyrata ſpretus eſt; cumque ad vrbem Romulidum rigidis collaribus prægrauatus duceretur, à Romano ſenatu capitalem ſortitus ſententiam, præbuit lugubre ſpectaculũ. Denique Iuſtina iuſtitiæ vernacula, ab orthodoxis non contemnẽda virgo, cum Diocletianus Imperij ſceptris infœliciter fungeretur, quanta vel qualia apud Antiochiam pro virginitate ſeruãda pertulerit, quis mediocri fretus ingenio expedire ſe poſſe glorietur, cum ſignorum & prodigiorum geſta quæ literarum apicibus inſerta leguntur, diligenter dicant, quod eam neque procus ab integritatis arce detrudere, nec magica maleficiorum necromãtia vllatenus vincere valuerunt; ſed omnis præſtigiarum ſcæna, quam callido phantaſmate falſi nebulones ſchematizarũt, vt fumus euaneſcens diſpatuit, vt cæra liqueſcẽtis emarcuit, vt vmbra fatiſcens dicto citius diſſoluta eſt: Hanc (inquam) cum Cyprianus, qui per idem tempus haruſpicum celeberrimus, & poſt Zoroaſtrem & Simonem, Magorum præſtantiſſimus fuiſſe memoratur, adhibitis Leuiathan argumentis ſtrophoſiſq; deceptionum muſcipulis, ad thalami G copulam & maritale conſortium flectere nequiret, illico per caſtiſſimã Iuſtinæ virginitatem, qua omnes virtutum contrariarũ machinas eliminauerat, inuictum Chriſti trophęũ & ineluctabile brauium, licet paganus prudenter intellexit: ita vt actutum Eccleſiaſtico Exorciſmo cathechizatus & parturiẽtis gratiæ vulua in baptiſterio regeneratus fuerit, & vbi verba vice ſupernorum Sacramentorum cœlitus efficerentur impauidus prædicator, qui fuerat peruicax fidei reſtigator: ſicque per ſeptenos Eccleſiæ gradus paulatim proficiens, ad ſummum Pontificatus apicem fœliciter perueniret; Iuſtina vero non ſolum integritatis gloria fine tenus fauorabiliter prædita permanſit, verum etiam ad capeſſendam paſſionis palmam ãdamãte durior, diuerſis tormentorum cruciatibus macerata non ceſſit, quia inuictæ mentis fundamina nequaquam arenoſis ſabulonum glareis, vltro citroq; nutabunda ſubdiderat; ſed editam aulæ ſtructuram, vt ille ſapiens, quem Euangelicum deſcribit H oraculum, robuſtiſſimæ petræ impoſuerat: quæ dum crudis neruorum flagris truciter cæderetur, & crebris palmarum concuſſionibus exalaparetur, tandem in ſartaginem ferream ſæuo & pice crepitantem, vt in tanto tormento tenerrima virgo torreretur ſcandere iuſſa eſt. Sed Chriſtus clementia ſua ſolita, qua mediocribus conſulens & contritis corde, vltro miſereri ſcit; flammantis foci poteſtatẽ compreſſit, & ad inclytam nominis ſui gloriam virgineos artus ab ingruenti ſartaginis exitio potenter protexit: poſtremo Imperatore vltroneos Dei martyres ergaſtuli ſqualloribus cruciante, & edictis crudelibus ad delubrorum cæremonias cogente, ſententiam decollationis accipiens, vna cum Cypriano (non iam necromantia freto ſed Pontifice) ſacroſancto cruoris oſtro purpureſcit.

S. Iuſtina.

7 Eccleſiæ Gradus ſiue ordines.

* *Lapſus eſt S. Aldhelmus communi errore Græcorum, cum certum ſit Cyprianum illum, qui è mago martyr euaſit longe diuerſum eſſe à Cypriano Epiſcopo Carthaginenſi. Vide Romanum martyrologium 14. & 26. Septembris, & notas Baronij vtroque loco.*

Quid

A CAP. XXIV. QVid vero beatam Eugeniam loquar perennis pudi-
citiæ ſertis coronatam,& floridæ virginitatis vexillo
armatam. Quæ cum literis liberalibus imbuta, omnes Phi-
loſophorum ſyllogiſmos & Epicuri ſectas atque Ariſtotelis
argumenta didiciſſet, à Philippo parte interpellata, & à
proco generoſis orto natalibus ad nuptias petita, ob po-
tiorem virginitatis gloriam, vt ſpurca ſterquilinia ſpreuit,
vt proiecta peripſema contempſit, vt caccabatum furuæ
fuliginis attramentum exhorruit, & ad maternum ſanctæ
Militia Cœnobialis. Eccleſiæ gremium ſpreto baſternæ vehiculo,& relictis pa-
taſitis pediſſequis, geminis tantum comitata ſpadonibus
perrexit: ibique baptiſmatis Sacramentum perceptura, ac
cœnobialis militiæ tyrocinium non muliebriter quæſitu-
ra, raſis cincinnorum criniculis ſub tonſura maſculini ſe-
xus ſanctorum cœtibus aggregatur, & militonum cater-
uis ſaluo pudoris ſignaculo adſciſcitur. Quam cum omnis
parentelæ pia propinquitas & familiaris clientelæ dome-
B ſtica ſolicitudo fortuitis ademptam caſibus arbitraretur
& velut Proſerpinam (vt poëtarum figmenta ferunt) à Plu-
tone raptam, lachrymoſis ſingultibus lugubriter lamenta-
retur: ſtatim à Pithonibus & haruſpicibus vana falſitatis
deliramenta garrientibus, qui ſibi præ cæteris mortalibus
fruſtra latentium rerum peritiam adplaudunt, ſtolida con-
ſulta popoſcit: verum illis friuola confingentibus,& quæ
Prophetica veritate carerent; ſolita Saluatoris clementia
ciuitatem in monte poſitam (hæc non ſatis cohærent:) &
lychnum ſub modio coruſcantem, clam diuiſus deliteſce-
re non patitur, dum infamis calumniæ improperio, laten-
tis pudicitiæ præconium propalatur: quamuis author in-
tegritatis virginale munus clanculis occultare latebris
deliberaret,& diuinæ duntaxat maieſtatis notitiæ (cui ab-
dita ſecretorum arcana produntur) cognitum eſſe vellet.
Nam cum in Eugeniam falſum ſtuprum & lupanaris in-
ceſti piaculum Melantia, nigro nominis præſagio tradu-
cta, matronalis pudicitiæ obliuiſcens,& quam laſciuæ ob-
C ſcænitatis ludibria, carniſque incentiua illecebroſis ſtimu-
lis agitabant fallaciter impingere molitetur: velut ferra-
to apologeticæ defenſionis clypeo retúdens ſtrophoſæ ac-
cuſationis catapultas de falſitatis pharetra prolatas, in ip-
ſos, à quibus diriguntur, retorſit, quod textus libelli Euge-
niani vberius explanat: quemadmodum antiquitus Su-
ſannam cum fabricatores falſitatum potius quam presby-
teri populorum, quos adulterinæ titillationis calor inceſti
crimine cruentabat, diſſona ſermonum procacitate falla-
citer inſimulare machinarentur, denſis dirìſque lapidum
imbribus obruti crudele mortis ſpectaculum præbuerunt,
vt merito Pſalmographi ſententia vtriuſque proſperis vi-
tæ ſucceſſibus hiſtorialiter quadrare congruè videatur,
Pſal. 26. quamuis de Redemptore ſecundum anagogen vaticina-
tum credatur: Inſurrexerunt in me teſtes iniqui,& men-
tita eſt iniquitas ſibi, & quaſi pro hac calumniarum con-
tumelia, quam inſontes à fallacibus tulerant, apta viciſſi-
tudo ſequatur, Pſalmiſta ita promulgante: credo videre
bona Domini in terra viuentium.

D CAP. XXV. SEd operæpretium videtur vt glorioſum illuſtris Agnæ
exemplar, cœlibes integritatis æmulatores & carnalis
ſpurcitiæ contemptores minime lateat: quinimo eiuſdem
virginalis propoſiti participibus & caſtæ ſodalitatis con-
ſortibus innoteſcat, quæ pro integritate ſeruanda, omnem
ornamentorum gloriam à Procopio præfecti filio obla-
tam, quatenus oblata impetraret connubia, vt lurida fœ-
tentis cloacæ volutabra contemnés, huiuſcemodi reſpon-
ſa reddidiſſe fertur: Diſcede à me fomes peccati, nutri-
métum facinoris, pabulum mortis, quia iam ab alio ama-
tore præuenta ſum, qui me annulo fidei ſuæ ſubarrauit:
circundedit me vernátibus atque coruſcantibus gemmis,
induit me cyclade auro texta, cuius pater fœminam ne-
ſcit, cuius mater virgo eſt, cui Angeli ſeruiunt, cuius pul-
chritudinem Sol & Luna mirantur. Et licet huius rei gra-
tia ad iniuſtum lupanar, vbi ſcortorum deteſtanda obſcœ-
nitas bacchatur, & frontoſa mœ charum impudentia tur-
piter ſtupratur, ad infame dedecus natalium, propriis exu-
ta veſtibus truderetur, tamen coruſco immenſi luminis
ſplendore vallata, Angelicis fruitur conſpectibus & peplis
donatur dominicis. O quanta eſt furibundæ virginitatis
ferocitas: & è diuerſo, quanta eſt reconciliati pudoris B
pietas. Nam cum præfatus obſcœnitatis amator flammis
carnalibus ſuccenſus, lupanarium ſodalibus aggregaretur,
vt virgini ſacratiſſimæ ſpurca lenocinij ludibria labris
procacibus irrogaret, cœleſtis iræ mucrone perniciter
perculſus occubuit,& veluti Oza, Arcam Teſtamenti (vbi
virga pontificalis quæ frondverat, & vrna aurea cœleſti
Manna referta, ſimulque Tabulæ Decalogi literis ſulcatæ
recondebantur) prophanis manibus contingere non me-
tuens, illico immaturæ mortis vindictam exſoluit: ſed rur-
ſus potiorem Dei gloriam, vt inſultatores Catholicæ fidei
qui cogitauerunt conſilium quod non potuerunt ſtabilire,
balbis buccarum labellis obmuteſcerent,& porcinus Pa-
ganorum ſtrepitus contra Eccleſiæ caſtitatem ſpumoſis
dentibus acriter grunnire deſiſteret: eundem rediuiua ſoſ-
pitate ſubnixum, de Inferni voragine reduxit ad limina vi-
tæ,& mox purpureo cruoris rubore perfuſa, immaculatam
virginitatis victimam Chriſto offerens, martyrizauit. Illius
tumba in Cæmeterio poſita grauiſſimā Conſtantinæ vir- F
ginis valetudinem, cuius mentioném infra caraxauimus,
velut cœleſti medicamine, totam incolumitati priſtinæ re-
ſtituit. Teclam quoque,& Eulaliam præterire incommo-
dum duxi: quatú Tecla, deuota Chriſti virgo, cum deſpon-
ſata primo pubeſceret æuo, & caſtis pudicitiæ moribus
nódum lauacri Baptiſterio renata adoleſceret; audita egre-
gij Dogmatiſtæ doctrina, de integritatis dono diſſerentis;
nec maternis coacta blandimentis, nec proci cópulſa pre-
cibus, ad thori contubernia,& nuptialia triclinia, quæ ante
theatrales ſpectaculi clatros cruétis carnificum manibus,
vt pudicitiæ præmio priuaretur enixè nitétibus allata fue-
runt, potuit adduci, ſed indiſrupta caſtitatis crepundia,&
pretioſam virginitatis ſtolam inter ſeueros leonū rugitus,
& feroces vrſinæ rapacitatis rictus (Chriſto patrocinium
præſtante) inuiolabilem conſeruauit, & ſæue crepitantes
enormium rogorum torres, ſemiuſtas pyrarum faculas
cœleſtis elementiæ fontibus reſtinctas, incolumis ac ſoſ-
pes fœliciter euaſit. Eulalia vero duplici prędita triumpho,
& gemino ornata trophæo curſum conſummatura, & fi- G
dem ſeruatura cœleſti inſcribitur albo. Nam poſt virgini-
tatis gloriam, qua carneæ cloacæ ſpurcitias exhorruit, &
nuptialis copulæ contubernia ſpreuit, ad glorioſam mar-
tyrij palmam peruenit fœliciter.

Porrò Scholaſtica, ac Chriſtina, ſimulq; Dorothea apud
Cæſaream oriundę in prouincia Cappadociæ, licet diſpari
ſæculorum ſerie ſequeſtrarentur, pari tamen integritatis
gratia à Chriſto coronabantur. Quarum prima ſub cófeſ-
ſionis titulo, licet cruentæ paſſionis occaſio defuiſſet, in
conſortio Catholicorum laudabiliter degebat & in tam
præcelſo puritatis faſtigio, vt cum vnicus germanus, quem
ſubnixis precibus vnius noctis intercapedine importune
popoſcerat, obtemperare pertinaciter reluctaretur: ſtatim
profuſis lachrymarum fontibus ſerenitatem ætheris in
procellarum turbines commutás,& tonitrua fragore hor-
riſono orbem trementem terrentia conciuans, ſimulque
igniferas fulminum coruſcationes eliciens, mirum mundo H
ſpectaculum exhibuerit. Secunda autem in tantum diuinæ
charitatis faculis accenſa (etiam antequam Baptiſmi ru-
dimenta ſuſciperet) fuiſſe memoratur, vt ſtatim ab vnde-
cimo ætatis anno, phanaticæ ſuperſtitionis contemptrix
& ſupernorum decretorum cultrix extitiſſe narretur; cuius
pater, in Palatio, Magiſtri militum officio fungens, cum
eandem ſobolem ſuam liberalibus ſophiſmatum diſcipli-
nis imbueret: turrem minaci proceritate in edito porre-
ctam, eidem erexit. In qua cum bis ſenis puellis iuxta ri-
tum indigenarum, mutis diis vt adoleret, & holocauſta
thurificaret, à patre cultuuis delubrorum dedito inconſul-
tè cogeretur, ſed cum ſe ab vnica filia merito ſpretum cō
periſſet, & deauratas ſimulacrorum effigies, Iouis ſcilicet
& Apollinis, ſimulque Veneris ſtuprorum amatricis, mi-
nutatim in fruſta confractas animaduerteret; illico di-
uerſa tormentorum genera eandem filiam vexatura,
cruentus carnifex & truculentus parricida potius
quam pius pater, crudeliter machinatur. Veruntamen
mens Deo dedita, nec olidos ergaſtulorum ſqualores hor-
reſcit, nec ſcopulum collo connexum, & marinis gurgiti-

bus

A bus immerſum pauefcit,nec ſudibus crudeliter membra tenerrima cædentibus molleſcit,nec venuſti capitis deformatione, quamvis flaua Cæſaries raderetur & per publicum decaluata traheretur ſtatum cordis inclinat.Nec torrida fornacis incendia, Chaldaici regnatoris machinas æquiparátia,obſtupuit:nec venenatos aſpidum ictus quas Marſi incantationũ carminibus irritabant,pauefacta puella pertimeſcit,imò hæc omnia,Chriſto patrocinium præſtante, ſaluo pudoris theſauro fœliciter ſuperat. Poſtremo geminis ſpiculorum vulneribus ſauciata,& purpureo perfuſa cruore pro Chriſto martyrizauit. Tertiam vero cum Sapricius orthodoxorum cruentus carnifex,non ſolum ad nuptias, ſed ad nefandas quoque Idolorum culturas & ineptas Gentilium cæremonias cogere nequiret: confeſtim furibundus, cataſtarum crudelitatem exercuit,liuidas palmarum vibices exhibuit, torrentes lampadarum flammas applicauit. Duabus quoque fœminis, quæ nuper à fide naufragauerant, & à Chriſti Conſortio apoſtatauerant,eandem tradidit deprauandam;ſed verſa vice, earundem B probroſas Apoſtatarum cicatrices, pœnitudinis medicamento ita ſalubriter curauit, vt ſtatim ordine præpoſtero doctricem propriam ad Martyrij palmam præcederent. Verum cum egrederetur crudele prætorium, Theophylus cum Cachinnanti cauillatione flagitauit,vt de Paradiſo ſponſi cœleſtis,ad quem properare fatebatur, grata fructuum munuſcula mitteret:quod cum cõtumelia Prolatum,in veritate completum eſt. Nam pridie quam pateretur,& cruentis mucronibus truncanda ſubderetur, tria Mala cum purpureis totidem roſis ad eundem Theophylum deſtinaſſe deſcribitur,qui huius rei gratia propriè occaſionem ſalutis adeptus, rubicundis Martyrij ſertis eſt coronatus.

Theophylus gentilis cõma in martyrũ.

Conſtantia integerrimæ virtutis virago, filia Conſtantini, qui per idem tempus tripartiti mundi monarchiam proſperis ſucceſſibus gubernaſſe noſcitur, nónne cunctas propemodum Romanorum Prætorum filias, omnemque pene generoſam fœmineam ſobolem ac pulcherrimam C paupertatis indolem, famoſæ virginitatis rumores ad culturam Chriſtianæ religionis & coronam caſtitatis incitauit, ſermone ſuaſit, exemplo inſtiganit: Ita duntaxat, vt vnamquamque ſpreto nuptiali thalamo & maritalis luxus commercio, cœleſtis ſponſi amplexus enixius ſatagere, & inter virgines ſapientes cum lampadibus properare, ducta crebro ſuſpiria faterentur: quod plenius de conuerſatione illius ſcripta opuſcula produnt,cuius rei Attica & Arthemia illibatæ virginitatis & pudicitiæ florentis virgines ſatis declarant. Quarum genitore Gallicano, dum Conſtantinus Conſtantij filius in Britannia ex pellice Helena genitus ſceptris imperij potiretur, nullus in Romana Monarchia præſtantior extitit, & quem ſolum præ omnibus Tribunitiæ poteſtatis, & procerum magiſtratibus digniſſimum ratus eſt,cui Conſtantiam regali proſapia genitam propter ſecundos bellorum euentus & proſperos triumphorum ſucceſſus,nuptiali dote ſu barraret, & ad copulæ contubernium, ſi rerum ratio pateretur, deſponſaret. Qui D & eruta radicitus paganorum cultura ad fidem Catholicam conuerſus eſt,& ſolus ea tempeſtate Schyticæ gentis impetum, quæ cum infinito belli apparatu à Circio proficiſcens Thraciarum prouincias populabatur,perferre potuiſſe tradebatur.

Helena Conſtantini mater.

CAP. XXVI.

His igitur præfatis virginum catervis,nequaquam Euſtochiæ & Demetriadis virtutum rumuſculus, qui paſſim per Europam crebreſcens diffunditur, à noſtris literarum ſcedulis & apicum pictariolis excludatur: quarũ prior fauorabilis filia Paulæ, & Beatæ Bleſſillæ Germana, adeo apud Occidentis imperium ſolerti ingenio prædita claruit, vt in orthodoxorum Bibliothecis, vbi ſagaciſſima Hieronymi Commentaria reconduntur, ſiquidem ſexies, ternáve,terſena in Eſaiæ vaticinium volumina,ad eandem virginem deſcribuntur:ſed & reſidua Canonica commentariola ſcripturarum, præfatus diuinæ legis Interpres, & matris & virginis compulſus Induſtria, ſudans enarrauit: quæ vniuerſa ſigillatim commemorare pertæſum eſt,quod veſtræ ſagacitatis Philoſophiam per patentes librorum campos curioſe vagantem nequaquam deliteſcere reor: cui etiam exhortatorium de virginitate ſeruand inſigne E edidit opuſculum. Secundam vero nobili ſtirpis proſapia oriundam, in tantum vagabunda rumorum præconia extollebant, vt etiam tranſmarinis literarum characteribus imbuta, vſque ad ſummum virtutis, virginalibus meritorum gradibus conſcenderit. Siquidem flagitante eiuſdem genitrice, volumen prolixa & lepida ſermonum ſerie digeſtum, ad præfatam Chriſti tyrunculam, citra mare dirigitur,in quo rudimenta vitæ illius caraxantur ita: *Scribendum eſt igitur ad Demetriadem virginem Chriſti, virginem nobilem, virginem diuitem, & quod his maius eſt, ardore fidei nobilitatem, diuitiáſque calcantem*, & infra: *quæ ſummo loco nata in ſummis opibus, ſummiſque deliciis nutrita, tantis támque variis vitæ huius blandimentis velut tenaciſſimis quibuſdam vinculis irretita; ſubito eruperit, cunctáque ſimul bona corporis, animi virtute mutaris*: & poſt pauca: *meminit enim, inquit, quas Mundi opes reſpuerit, quas denique contempſerit vitæ præſentis illecebras, quibus voluptatibus renunciauerit*, rurſus ante calcem voluminis, F cum ſupremi examinis exemplum, terroremque iudicantis,qui æqua diſcretionis bilance ſingulorum facta trutinabit,eleganter exponeret,ita exorſus eſt, *recens factum eſt, quod ipſa vidiſti cum ad ſtridula buccinæ ſonum Gothorúmque clangorem, lugubri oppreſſa metu domina orbis Roma contremuit*, & infrà: *ſi ita, inquit, mortales timemus hoſtes & humanam manum, quid faciemus cum cœperit clangor & terribilis tuba intonare de cœlo, & ad illam Archangeli vocem omni buccina clariorem totus ſimul remugiet mundus, tunc tu iuſtorum choris & ſanctis comitata Virginibus in ſponſi obuiam obuolans, &c.*

D. Hieronymi, de virginitate ſeruanda opuſculũ.

Glorioſas itidem paſſiones trium germanarum Chioniæ & Irenis atque Agapæ quæ ſub confeſſionis titulo & ſanctæ virginitatis præconio pari tripudio triumpharunt, ruſticis ſaltem ſchedarum apicibus caraxemus: quarum celebrandis rumoribus longe latéque crebreſcentibus, Diocletianus, ea tempeſtate ſceptris imperabilibus infœliciter functus, prædictas Chriſti pediſſequas accerſiri G præcepit, & eis, ſi à Chriſtianæ religionis cultura apoſtatarent,& à recto fidei tramite exorbitantes,nefandæ gentilitatis charybdibus naufragarent, palatinas pollicetur infulas,& opulenta ſpondet patrimonia, ſi mallent mundi matrimonia. Quæ cum opulentam mundi gloriam, & lenocinantis vitæ præſentis illecebras non diſſona ſententia recuſarent:illico vrgente nefandi graſſatoris imperio, eaſdem ſanctæ Eccleſiæ pediſſequas in latebras lacunæ diri tortores detrudunt;quibus beata Anaſtaſia ne famelicæ frugalitatis parſimonia deficerent, alimoniæ ſtipendium & ſtipis edulium exhibens lacunæ liminibus, libenter erexit. Exin prædictæ ſorores, Dulcitij, Diocletiani Satrapæ inſidiis,vt thurificarent torquendæ traduntur. Quarum formoſam vultus venuſtatem, non ſtibio confectam, vel calamiſtro cirris criſpantibus adeptam, ſed ingenitam Præſes petulans contemplans, ſtatim oculorum lenocinio captus, in luxum labeſcit, vt cera ante larem liqueſcit, & in tantum videlicet cæco carpitur igne,& clandeſtinis inflammatur flammulis, vt intempeſtæ noctis conticinio, C cellam in qua præfatæ virgines pſalmodiæ cõcentum celebrabant, violenter irrumpere non vereretur, vbi cuncta ſupellex & numeroſa cocorum vtenſilia ſeruabantur. Mox furiis correptus, cœpit quaſi lymphaticus vel freneticus, denigratos lebetes & furuiores fuligine cacabos complecti, retraſq; ſartagines baſiare, in quibus diu ſtrophoſi authoris inſtinctu debacchatus, & ridiculoſo ludibrio lætificatus abſcedit,& nequaquam effecta, ſed affecta voluntate, tam corporis habitudine cacabatus, quam mentis morbo maculatus egreditur, & velut æthiopica nigritudine fuſcatus, à propriis paraſitis & domeſticis clientibus non agnoſcitur: cumque palatij veſtibulum cacabatus irrumpere, enixo conamine niteretur, vt Imperatori de irrogata vernarum calumnia flebili ſingultu querimoniã ederet, alij lentis viminibus cædentes, alij palmis & pugillis colaphiſantes nonnulli vt atrum nebulonis phantaſma exſufflantes in faciem, procul eliminant: ductus itaque ad domum ſuam ſuorum manibus vernarum, lamentantis clientelæ ſtrepitu lugubriter excipitur autumans in caſ-

Dulcitij libido in virgines martyres ludificata.

M. Procul eliminare.

ſum

A ſum quod à Chriſti tyrũculis magica necromãria ludifi-
caretur. Tunc ergo vt contritus coluber linguis triſulcis
ſibilans,rurſus ſublime tribunal ſcandit,vt ſanctas viragi-
nes propriis exuras cycladibus,obſcœnæ cupiditatis ſpur-
citia ſuccenſus, & petulantis laſciuiæ facibus inflamma-
tus, luxurioſis obtutibus contemplaretur: ſed peplorum
amicula ſceleratis manibus membratim detracta nequa-
quam à ſanctis artubus ſpoliari valuerunt. Denique Dul-
citius præſes cum omnibus machinamentorum inceptis
fruſtraretur, & quicquid virgunculis moliri deliberaret,
caſſaretur: imperante Diocletiano comes Siſinnius præfa-
tas Dei famulas recrudeſcente pœnarum atrocitate ve-
xandas accepit. Tunc ſpurcas Delubrorum cæremonias
exhibet quaſi Lupercalia & Compitalia celebrando, vel
Pœnalia & ſua veraualia turificando,ſeu Turalia & Ni-
ctelia litando furibunda numina reconciliarent, & Deo-
rum fauorem repropitiarent: cuius execrandum impe-
rium cum implere pertinaciter refragarentur,duæ ex illis
in torrida crepitantis pyræ incendia truſæ, vna pharetra-
B rum ſpiculis ſauciatæ,cum Virginitatis palma & Marty-
rij corona Paradiſi præmia poſſeſſuræ, & cum CLXIV.
millibus virginalem melodiam modulaturæ,ad Chriſtum
pariter penetrauerunt. Præterea imperantibus Auguſtis, Va-
leriano & Galerio, cum feruor torridæ perſecutionis &
ardor crudelitatis acrius incanduiſſet, & cœleſtis militiæ
manipulares,quæ pro confeſſione fidei nequaquam (for-
midoloſorum more luctatorum) palæſtram certaminis
horruerunt cruentis carnificum mucronibus necarentur:
duæ germanæ virgines vocabulo Ruffina & Secunda ge-
neroſis oriundæ natalibus perſecutorum rabiem pauliſper
declinantes ad prædiolum ſuum in Tuſciæ partibus vehi-
culo properabant: illico ſponſis earum prodeuntibus ad
apoſtaſiæ cloacam, velut Moloſſi ad vomitum, elapſis
Chiliarcho cum equeſtri turma inſequente, Romam ad-
M. ad vomitum relapſi, Chiliarcho. ducuntur, putrido ſqualentium ergaſtulorum latibulo
mancipandæ, & ſubſannantis garnaturæ ludibriam latu-
ræ. Poſthæc Ruffina cum duriſſimis verberum ictibus
cæſa, & flagrorum vibicibus cruentata in conſpectu fu-
C rentis Satrapæ vapularet: Secunda conſtanter ait: applica
ignes,ſaxa,gladios,flagella,fuſtes & virgas,quot tu pœnas
intuleris, tot ego glorias numerabo; quot tu violentias
irrogabis,tot ego Martyrij computo palmas. Mox in la-
tebroſo carceris fundo, qui fumigabundus fœtentiſſimis
fœtoribus horrebat,ſanctæ virgines includuntur,ſed furua
caligo cœleſti ſplendore fugatur, & ex putrido latibulo
velut thimiama,& nardi piſtici fragrantia redolet. Rurſus
in ardentes termarum vapores torrendæ, inclementer ia-
ctari imperantur,ſed illæſa membrorum venuſtate ſoſpi-
tes emerſiſſe leguntur. Verum cruenta tortorum ſeueritas
reciprocis vicibus toties eliſa & labefacta,nec miteſcere,
nec miſereſcere nouit. Siquidem famulas Dei ingentis
ſcopuli mole connexas in medio Tyberis alueo ſine miſe-
rationis reſpectu mergi iuſſit, ſed vndarum gurgites dan-
tes gloriam Deo ab infidelibus denegatam ſanctas virgi-
nes riparum marginibus incolumes reſtituunt. Vnde Sa-
trapa,tanta rerum prodigia obſtupeſcens ſcribitur dixiſſe:
D Iſtæ aut magica arte nos ſuperant, aut virginitatis in eis
ſanctitas regnat. Poſtremo capitalem ſortitæ ſententiam
Angelicis euectæ cateruis cum vexillo Virginitatis ad
cœli ſydera ſcandunt. Nec prætereunda cenſeo ſanctarum
virginum Anatoliæ & Victoriæ præconia,quorum rumo-
res & prodigiorum priuilegia per totos mundi cardine
longiuſculè crebreſcunt,dum ſcedarum apicibus quando
rotante anni circulo natalitia earundem Catholicæ cele-
branti in pulpito Eccleſiæ recitantur. Igitur regnante
Decio effrenata tortorum ferocitas contra bellatores
Chriſti crudeliter exarſit, prædictas virgines nulla perſe-
cutorum rabies, nulla pœnarum acerbitas ab integritatis
arce detrudere valuerunt, ſed omne patrimonium & or-
namentorum gloriam tam diſcriminalia capitum & pe-
riſcelides crurum, quam olfactoriola nardi & crepundia
collo gemmiferis lunulis pendentia, ad ſtipem mancis &
M. matricularium. matricularis prodiga liberalitate contulerunt. Quo com-
perto procorum præcordia furibundis veſaniæ facibus
inflammantur: dum vniuerſi facultatum reditus, & copio-

E ſa quæſtus ſtipendia ad Agapem pauperculis mendicanti-
bus venirent. Tunc Eugenius & Aurelius, qui ſponſi
earum futuri fore credebantur fraudulentorum conſilio
& diſſimulatione Regio Imperatoris pittacio imperãt,vt
ab vrbe Roma, ad propria prædia ducerentur, ne fortè ſi
pro Chriſtianæ religionis titulo eas accuſantes publica in-
ſimulatione propalarent, poſſeſſiones earum & agrorum
fundi fiſcali iure proſcriberentur. Ducta eſt itaque Beata
Victoria præſago vocabulo verè Chriſti victoria in Tri-
bulano territorio, vt ibidem exiliata famis copia & cibi
inopia tangeretur. Ea tempeſtate contigit, vt vniuerſi
municipes quorum municipatus in Tribulano munici-
pio fuerat, virus & flatum ſquammoſi draconis non fe-
rentes ſpreto oppido vagabundis meatibus paſſim diſper-
gerentur. Quibus S. Victoria,ſi relictis deorum ſtatuncu-
lis & abdicatis delubrorum lupercalibus vltro Deum
colerent, ſpopondit ſe virulenta ſpumantis baſiliſci ſpira-
cula procul pulſaturam, & vrbem incolumitati priſtinæ
reddituram. Nam propter venenata horrentis chelidri fla-
F bra calamitoſum vulgus ingenti ſtrage cateruatim truci-
dabatur,parentes præpoſtero ordine immatura pignorum
funera cernentes flebilibus orbitatis quæſtibus acriter
arctabantur. Tunc patronus ciuitatis generaliter ex per-
ſona promiſcui ſexus cunctos puellæ oraculis credula
præcordia pandere pollicetur. Si truculenta gipſæ crude-
litas, quæ lethiferam miſerandis ciuibus luem inferebat,
longius arceretur. Tum ſacra virgo Angeli fulta ſuffragio
cum turbis populoſè ad ſpectandum manipulatim con-
fluentibus, ducitur ad draconis ſpelæum,concrepante iam
pullorum plauſu & ſonante gallicinio & nequaquam
formidoloſis geſtibus tremebunda, nec meticuloſis pal-
loribus nutabunda latitantem alloquitur beſtiam. In no-
mine,inquit,Ieſu Chriſti Domini noſtri exi huc draco ne-
quiſſimè,& da honorem Deo,vade vbi non habitant ho-
mines: paruit draco dictis, & curſu rapidiſſimo fugiens
abſceſſit. Illa vero ingreſſa latibulum belluæ, flagitat po-
pulum iam periculi expertem,vt ſibi oratorium in eadem
crypta ſtruant, & puellulas ad patrocinium rite impen-
G dant quibus imperio parentibus lxx. virgunculæ diuino
ſeruitio ſubiugatæ coniona melodia dulciter hymnizan-
tes & Pſalmorum concentus ſuauiter concrepantes Vi-
ctoriæ exemplis & monitis hæreſcunt. Porro Eugenius
procus eius emenſo triennio Capitolij flaminem enixa
prece popoſcit, vt miſſo ſtatunculo Dianæ cogeret Vi-
ctoriam apoſtatico ritu thurificare,illa nefandum facinus
execrata & gerulum ſimulachri exoſa, ictu gladij interi-
mitur. Nec tamen cruentus carnifex victoriam de Vi-
ctoria nactus eſt ſed mancus,manu arida, & elephantica
cutis calloſitate purulentus vermibus ſcaturiẽs putridum
exhalauit ſpiritum. Anatolia vero in exilium truſa ſigno-
rum miraculis crebreſcens præfatam ſociam in virtutibus
æquiparauit. Execrata enim filium conſulis energume-
num rigidis catenarum nexibus aſtrictum expulſo habi-
tatore,dicto citius curauit,quo rumore clareſcente & lar-
uatos,& comitiales ac cæteras valetudines, priſtinæ ſani-
tati reſtituit. Sed & Marſum, qui virulentas matrices ad *M. matrices.*
ſacræ virginis læſionem incantationum carminibus irri- CAP. XXVII.
tabat, vt poëta ait, Frigidus in pratis cantando rumpi- H
tur anguis,diris ſpiris inuolutum perniciter eripuit. Tunc
B. Anatolia cum ſtaret in oratione erectis ad ſidera pal-
mis, & fuſis ad polum precibus euaginato enſe capulo
tenus per vtraque latera adacto cum virginitatis trium-
pho rubra martyrij ſerta fuſo ſanguine ſortitur.

SEd quid mirum iam radio coruſcãre gratiæ,poſtquam
virgo virginem ſancto puerperio peperit,cuius princi-
patus ſuper humeros eſſe perhibetur,ſi Eccleſia virginibus
redundet, ſicut cœlum ſideribus reſplendet, cum etiam
caſtiſſimum Ioſeph legalia veterum volumina immenſis
præconiorum laudibus celebrent,quem ab ingruẽti mul-
tiformium calamitatum diſcrimine,quas non ſolum liui-
dorum conſpiratio germanorum fraternum nequaquam
exoſa parricidium intendebat;verum etiam obſcœna fal-
lentis dominæ friuola matrimonialis pudicitiæ oblita
machinabantur, quandiu puræ virginitatis comes & le-
nocinantis proſtibuli cõtemptor extiterat,illæſum diuina

tutela

A rutela protexit, futurorúmque prodigiorum arcanis imbutum, & ſignorum portentorúmque præſagio cæteros mortales latentium mirabiliter inſtructum, prophetica quadam vaticinatione inſpirauit, vt non immerito à limpidiſſimis Solis ac Lunę luminaribus ac reſiduis ſtellarum ſideribus, ſimulque ſecundis manipulorum faſciculis ſomno ſopitus, adorari venerarique videretur, dum in pulcherrimo pubertatis decore & formoſi vultus florens venuſtate formoſiore fretus virginitate, ſtrophoſam muliebris audaciæ muſcipulam paruipendens, callidæ deceptionis decipulam declinauit, ſimulque fraudulenta fœmineæ titillationis lenocinia ac blanda ſermocinationis incitamenta, velut lenteſcente nectaris defruto, ſeu mulſæ mellitæ potationis oblectamenta, atrum veneni virus infundentia, & incautos quoſque ſine lorica fidei armaturaque militari, raptos truculenter ad tartarum trudentia ſpreuit, vicit, contempſit, & cum palma virginitatis aufugit: qui licet arcta ſordentis ergaſtuli latibula, B & tetrum tenebroſi carceris ſquallorem propter egregiam pudicitiæ puritatem pateretur, attamen clandeſtinæ caſtitatis cognitor Deus, cui ſecreta patent, & quem abſtruſa non latent pro incontaminata adoleſcentis continentia eidem Memphiticæ gentis gubernacula tradidit, & florentis imperij moderamen commiſit.

David quoque opinatiſſimus Regum, ſub ipſo pubertatis tyrocinio illibata virginitate præditus antequam copula matrimonij & connubij nexu innodaretur, nonne argutis fibrarum fidibus limphaticum mitigabat, & impenſa ſoſpitatis gratia freneticum curauit, dira procul tetrorum exploſa ſpirituum veſania, quique etiam ætate tenellus lacertis validis frementum mandibulas leonum [l. Interim. d. vero lectio vulgata.] [de]cerpſiſſe, durorumque ictus vrſorum fruſtatim confregiſſe, & enormem Allophylorum gigantem criſta caſſidis, ac thorace indutum, ocreis & phalarica armatum æreaque vmbonis parma protectum, ſaxis tantum tereC tibus fundibula frenis ſingulariter congrediens obtruncaſſe deſcribitur. Ergo licet vita illius vſque ad metam mortis probabilis extitit, vtpote, qui ſolus nepotum & pronepotum piacula proprij prærogatiua meriti abolere potuiſſet, vt in Baſileon de Regibus priſcæ legis cenſuram præuaricantibus ſæpe cautum eſt: Non extinguam ſcintillam Dauid; tamen relicto virginitatis ſtatu Vrias inſons interimitur. Berſabeæ illegitimo iugalitatis vinculo fœderatur, & pro hac temeritate expianda cœleſtis iræ mucrone proles primogenita percutitur: licet inquam, vterque Patriarcha, quandiu aura æthera & vitali flamine veſceretur, ſupernæ maieſtati gratiſſimus extiterat, aſt tamen poſt carnalis conſortium copulæ, de vtroque minora virtutum præconia crebreſcunt.

[C]AP. XVIII.

SAmſon ille Nazarenus ab ipſa gracillima cunabulorum ætatula Domino ſeptenis crinibus ſacer, antequam fraudulentis Dalilæ complexibus caperetur & perfidi pellicatus ſtupro eneruiter deceptus illecebroſis leD nocinij nexibus nodaretur: nondum ferro dempta cincinnorum cæſarie, quantis miraculorum ſignis & virtutum rumoribus omni ſæculo vſque ad id tempus inexpertis effulſiſſe deuulgatur? Igitur ſicut ſupra retulimus per Hieremiam & Danielem cæteroſque eiuſdem propoſiti conſortes & florentis pudicitiæ ſodales futura incarnati Verbi virginitas myſticis ſacramentorum obumbrationibus figurabatur: ita per Abel inſontem mitis innocentia & paſſio: per Melchiſedech vero ſupernæ poteſtatis pontificium & cœleſtis infulæ flaminium præſignabantur; quorum prior, vt altius repetens ab origine pandam, propter dignitoſam innocentiæ palmam, & originalis patientiæ titulum, ſpreto fraterni libaminis ſacrificio, rata & grata diuinis conſpectibus holocauſtomata, primus mortalium offerre promeruit, & huius rei gratia à perfido & nefando fratre inextricabile germanitatis vinculum contra ius diuinum & fas humanum rumpente crudeliter cruentatus futuram in fine ſæculorum pij redemptoris noſtri paſſionem purpureo pretioſi ſanguinis oſtro præfigurauit. Aſt vero Melchiſedech inchoantis tertia ſæculi ætate florens, & primus ſummi ſacerdotij digniE tate ſubnixus, ac præclaro pontificatus apice præditus, per idem tempus orta Regum ſimultate patriarchæ cum cccxviij. vernaculis famoſum reportanti trophæum, & poſt enormem caterua rum ſtragem cum fratruele numeroſas Sodomorum reducenti prædas obuians, nonne pro ſanctitate conuerſationis typica perſona panis merique libamina litaturus Redemptoris typice perſonam præfigurans obtulit, vt merito de Chriſti ſacerdotio quo geminam obtulit victimam Dauidica concinunt oracula: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, cuius paterni geniminis proſapia & maternæ generationis propago: ignota ſæculis gemini partus naturæ deliteſcit. Idipſum Apoſtolo atteſtante, ſine patre, ſine matre, ſine genealogia: quamuis vulgata Hebræorum traditio hunc fuiſſe arbitretur Sem primogenitum Noë; tritauum Abrahæ & Nachor, & Aaron, ſed plurimum differt inter ambiguas Pharisæorum traditiones & elucubratam ſacræ Scripturæ definitionem, Apocryphorum F enim nænias & incertas friuolorum fabulas nequaquam catholica ceptat Eccleſia. [M accepiat.]

Sed ad propoſitum reuertar. Ornetur, inquam, beata virginitatis integritas non exterioris hominis formoſa venuſtate, ſed interioris religioſa caſtitate. Si enim exterior pretioſo indumentorum comptus ornatu ſæculariter gloriatur, fruſtra interior de pulchritudine propria inaniter gratiatur, cum vas electionis generali ſententia quaſi ſpeciali refragetur: mihi inquiens, abſit gloriari, niſi in cruce Domini, vt quid enim ſæculi pompulenta vanitas in catholica Chriſti baſilica intromitteretur, ob quam rem virgines Chriſti cœnobij famulatu conuerſantes, ornamentis veſtium delicatis decorari ſatagunt. Nonne Acham filius Acharmi, qui de anathemate municipij ſeptem murorum ambitu vallati pallium coccineum, & ligulam auri ſibi vſurpans contra decretum ducis clandeſtina fraude ſubripuit, cum totis parentelis ac contriG bulibus & domeſticis clientelæ ſodalibus ſaxorum imbribus obrutus horrendum mortis ſpectaculum Hebræorum phalangibus præbuit. Per allegoriam vero opidum Hiericho cum ſeptiformi murorũ obſtaculo typum mundi cum ſeptenis ſæculorum millibus deſignaſſe priſcorum patrum decreta ſanxerunt, non ergo ruituri vetita mundi ornamenta purpureæ pretioſis tincturæ muricibus colorata alumnis cœnobij vernaculis Chriſti virginibus Eccleſiæ contra Apoſtolica ſtatuta & legalia ſcita rite ac regulariter congruere queunt. Siquidem paſtor gregis Dominici & ianitor cœleſtis aulæ, de quo poëta, Clauiger æthereus portam qui pandis in æthra. Ita authoritate principali & authentico pontificatu promulgat. Sit mulieri non exterior ornamenti, aut auri, aut veſtis cultus, ſed cultus cordis. Vnde Gregorius peruigil paſtor, & pædagogus noſter, inquam, qui noſtris parentibus errorem tetræ gentilitatis abſtulit, & regenerantis gratiæ normam tradidit, cum Euangelicum explanaret dictum: Ecce qui mollibus veſtiuntur in domibus Regum ſunt, adH iunxit. Nemo ergo exiſtimet in ſtudio veſtium peccatum deeſſe, quia ſi hoc culpa non eſſet, nequaquam Petrus Apoſtolus per epiſtolam ſuam fœminas à pretioſarum veſtium appetitu compeſceret, dicens: non in veſte pretioſa. [Vernaculis. Sic initio libri dixit Catholicas Christi vernaculas. M.]

Quod ſi hoc culpa non eſſet, nullo modo Ioannem Dominus de veſtimenti aſperitate laudaſſet? penſate quæ culpa ſit, hoc etiam viros appetere, à quo curauit paſtor Eccleſiæ & fœminas prohibere; euidens namque, vt mihi videtur, & inexcuſabilis arrogantiæ probrum & oſtentationis indicium ex eo declaratur, quod ibi pretioſis & coloratis veſtibus indui deſiderat, vbi à nullo valet videri; vnde Beatus Cyprianus de virginibus loquens: quid, inquit, ornata, quid compta procedit, quaſi maritum aut habeat, aut quærat? & infra ſubdidit; Neque enim virginem fas eſt ad ſpeciem formæ ſuæ comi, aut de carne & eius pulchritudine gloriari, cum Apoſtolus dicat: mihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri IESV-CHRISTI; nulla ergo ſit in illis cura, magis quam aduerſus carnem colluctatio & vincendi corporis ac domandi obſtinata certatio. Ornamentorum enim ac ve-

ſtium

A ſtium inſignia & lenocinia formarum, non niſi proſtitutis ac impudicis fœminis congruunt, & nullarum fere pretioſior cultus eſt, quam quarum pudor vilis eſt. In Apocalyp. mulier illa amicta erat pallium purpureum & coccineum: fugiant caſtæ virgines & pudicæ inceſtarum cultus, habitus impudicarum, lupanarium inſignia, ornamenta meretricum, & alibi: Cæterum inquit: Si tum te ſumptuoſius comas, & per publicum notabiliter incedas, oculos in te iuuenum illicias, ſuſpiria adoleſcentum poſt te trahas, concupiſcendi libidinem nutrias, ſpirandi fomenta ſuccendas, & vt, ſi ipſa non pereas, alios tamen perdas, & velut gladium te & venenum videntibus exhibeas, excuſari non potes, quaſi mente caſta ſis & pudica: redarguit te cultus improbus & impudicus ornatus, nec computari iam potes inter virgines CHRISTI, quæ ſic viuis, vt poſſis adamari. Hactenus Cyprianus. Nunquid ille conditor ac creator omnium DEVS hirſutas bidentum lanas & ſetoſa veruecum vellera non potuit rubro conchylij ſanguine aut cruento vacciniorum ſucco
B inficere, ſeu certe purpureis tincturæ muricibus naturaliter colorare, ſi hoc noſtris vſibus commodum & vtilitate profuturum ſolerti præſcientia præuidiſſet, vt illud veraciter impleretur, quod per ironiam a Poëta fœliciter cãtatum eſt: Nec varios diſcet mentiri lana colores: Ipſe ſed in pratis aries, iam ſuaue rubenti Murice, iam croceo mutauit vellera luto, Sponte ſua ſandix paſcentes veſtiet agnos. Et quid ille de quo dictum eſt: Qui viuit in æternum, creauit omnia ſimul, cum conderet orbem originaliter creare nequiuerit. Nec mortalium induſtria ſtolidis ac ſuperfluis adinuentionum argumentis addere & amplificare contendat. Vnde inclytus item Cyprianus Punicorum pontifex, inquit: neque enim DEVS coccineas, aut purpureas oues fecit, aut herbarum ſuccis, & conchyliis tingere, & colorare lanas docuit.

Nam quippiam rerum viſibilium plaſtam humanæ naturæ neceſſarium omnipotentem reliquiſſe infectum catholicæ fidei regula refragatur. Sed quid mirum; ſi Apoſtolorum oracula & iuriſperitorum ſcita præfatas friuo-
C lorum nænias abominantur, cum etiam gentiles gentilibus & paganis pagani quaſi ridiculoſum ſubſanantis gannaturæ opprobrium leguntur improperaſſe hoc modo? cum infami prouerbiorum elogio cachinnantes ac cauillantes: Vobis picta croco & fulgenti murice veſtis, Et tunicæ manicas & habent redimicula mitræ. Iudith filia Merari poſt obitum Manaſſe, ſumpto viduitatis theriſtro & ſpreto ſponſali peplo blanda procorum lenocinia contemnens, nondum reſultantibus Apoſtolicæ ſalpicis clangoribus: Dico innuptis & viduis, bonum eſt illis, ſi ſic permanſerint: quaſi candens lilium pia caſtitate floreſcens, atque à publicis conſpectibus deliteſcens, in cœnaculo ſolario pudica conuerſabatur, cum horrendum Aſſyriorum principem, qui innumeris manipulorum militibus equitatu & peditatu gloriantibus orbem trementem terruit ab ira comitante circumuenire moliretur, haud ſecus decipiendum credidit, nec aliter obtruncandum rata eſt, niſi cum natiua vultus venuſtate, ornamentis etiam corporalibus caperetur, de qua in LXX. tranſlatoribus ſcri-
D ptum eſt: Induit ſe veſtem iocunditatis ſuæ, & impoſuit periſcelides & dextralia, & annulos, & omnia ornamenta ſua, & compoſuit ſe nimis in rapinam virorum: Et non noſtris aſſertionibus, ſed ſcripturæ aſtipulationibus ornatus fœminarum rapina virorum vocatur. Verum quia hoc in orta Betuliæ obſidione pro contribulibus doliturа compatientis affectu, non caſtitatis defectu feciſſe: Idcirco ſalua pudoris reuerentia celebre meticuloſis municipibus trophæum, & inclytum oppidanis trepidantibus triumphum teſte tyrannico capite & conopæo reportauit. Necnon in Prou. Salom. mulier illa procax & pertinax, ſynagogæ typum obumbrans, quæ virum proprium integro plenilunio reuerſurum ſpopondit ornatium meretricio & luxuum lenocinitate vecordem iuuenem pellexiſſe, & fraudulento verborum oblectamento deceptum lugubriter elicuiſſe deſcribitur, vt merito quaſi bos ductus ad victimam cæcæ cupiditatis petulantia captus nefandum proſtitutæ lupanar aggredi minime vereretur,

Affectu feciſſet, idcirco. M.

Ornatu luxu lenocinante. M.

E ignorans quod ad vincula ſtolidus traheretur, donec transfigat iecur eius, velut ſi ales perniciter feſtinet ad laqueum. Pudet fere quorundam frontoſam elationis impudentiam & comptam ſtoliditatis inſolentiam; quæ in vtroque ſexu non ſolum ſanctimonialium ſub regimine cœnobij conuerſantium, verumetiam Eccleſiaſticorum ſub ditione pontificali in clero degentium contra canonum decreta & regularis vitæ normam deprehenduntur vſurpatæ, ob id ſolum, vt cruſto interducto, phalerataque venuſtate, carnalis ſtatura comatur, ac altitudo corporea membratim ac particulatim perornetur. Nam cultui gemini ſexus huiuſcemodi conſtat, ſubucula byſſina, tunica hyacinthina, tunica coccinea, capitium & manicæ ſericis, clauatæ gallicula rubricatis pellibus ambiuntur, antiæ frontis & temporum cincinni calamiſtro criſpantur, pulla capitis velamina candidis & coloratis mauortibus ceduntur, quæ vittarum nexibus adſutæ talutenus prolixius dependunt & vngues ritu falconum, accipitrum, ſeu cer-
F te ad inſtar caluanorum acuuntur, quos naturaliter ingenita edendi neceſſitas inſtigat obunca pedum ſuſcinula, & rapaci vngularum harpagine alites & ſorices crudeliter inſectando graſſari.

Verum ne forte proteruorum inſolentiam & traductam indiſciplinatorum arrogantiam, qui malunt negligenter diſſimulari quam clementer increpari, obliqua liuoribus inuidia criminemur, aut ſtrophoſæ ſugillationis ludibrio rogemur, huiuſcemodi diſputatio nequaquam vlterius protelletur, ſed competenti clauſula maturius terminetur: ne dum malagma medicamenti purulentis proteruorum vulneribus, quærimus rigida conuitiorum flagra virulentaſque aſperæ inuectionis maſtigias ab æmulis atrociter illatas, experiamur. Et tamen non magnopere moueor quamlibet aduerſus ſtipulatorem veritatis ſuatim liqueſcant ac contra inſectatorem tumentis iactantiæ grauiter ingemiſcant: Quia meliora ſunt vulnera diligentis, quam oſcula odientis, leuius quippe ferenda eſt deuoti vibex amici liuida, quam adulatio fallax inimici. Vnde prouer-
G bium dicitur, lingua ſeruatrix vitium peccantis acerbat. Et delectatum crimine laude ligat: & infra; Libera, inquit, ſit potius vox correctoris amici, Serpere nec fibris cæca venena ſinat. Quamobrem ab omnibus generaliter indulgentiæ veniam non difficulter impetrandam reor, quia neminem ſpecialiter ſeueritas caſtigando exacerbauit. Nam Paſſiua plurimorum generalitas nequaquam iure lacerari debet, vbi ſpecialis ſingulorum proprietas culpari non valet, multum quippe genus & ſpecies, hoc eſt, generalitas & ſpecialitas ab inuicem differunt. Sed de intactæ virginitatis gloria dictum propemodum ſuperſtlue, de peplorum amiculo rethoricamur, cum de pudicitiæ tantum præconio temporis pauliſper reliquarum rerum negotiis prout gratuita Dei gratia ſuppeditarit, philoſophari decreuimus. Omne etenim puræ virginitatis priuilegium potius in ſolo liberæ mentis præſidio ſeruatur, quam incerto carnis caſtello continetur; & & magis inflexibili vltroneæ voluntatis arbitrio ſalubriter tur, quam coacto corporis famulatu ad nihilum re-
H digitur: vnde Auguſtinus Hipponenſis pontifex elegante proſæ ſententia promulgat, dicens: Ita non amittitur corporis ſanctitas manente animi ſanctitate, & iam corpore oppreſſo; ſicut amittitur corporis ſanctitas violata animi puritate etiam corpore intacto: quod Proſper per cola & commata mellitis verſuum Epigrammatibus inculcauit, dicens:

Mens illaſa nihil violato in corpore perdit.
Inuitam carnis vulnera non maculant.
Nec crimen facti recipit, non mixta voluntas
Velle magis facinus, quam tolerare nocet.
Sic autem ad cordis penetralia cuncta recurrunt,
Vt plerunque animus, ſit ſine carne reus,
Quod ab intacto ſubmotum eſt corpore, ſolus
Concipit, & tectus motibus intus agit.

Denique Priuatus Punicorum Præſul: Virginitas, inquit, carnis, corpus intactum. Virginitas animæ, fides incorrupta. Item Proſper inquit.

A

Carnis virginitas intacto corpore habetur,
Virginitas animi eſt intemerata fides:
Qua ſine corporeæ nil prodeſt cura pudoris,
Sed mentis puteæ auget vtrumque bonum.

Igitur digeſto pulcherrimæ virginitatis libello, licet mediocriter vrbano, ſtylus iam finem flagitat, & dictandi tenor terminandus eſt, quia illuſtris concionator tempus inquit loquendi, & tempus tacendi. Non enim aliud quodlibet munuſculum plus ratum & gratum virginibus Chriſti fore credideram, quam vt pudicis pudicitiæ præmia promerentur, & mundis munditiæ munera mirtentur.

CAP. XXIX.

FAteor charitati veſtræ quod hoc opuſculum, licet minuſculum, paſtoralis curæ ſarcina grauatus, negotiorumque terrenorum ponderibus oppreſſus, ita perniciter, vt ſategiſtis dictare, vobiſque deſtinare, nequiueram, quia ſecuræ quietis ſpatium & moroſam dictandi intercapedinem ſcrupuloſa Eccleſiaſtici regiminis ſolicitudo denegabat, & tumultuans ſæcularium ſtrepitus obturbabat. Otium namque clandeſtinæ quietes ſecretæ ſolitudinis largam ſcribendi materiam dictantibus, affatim conferunt. Sicut è contrario, verboſa garrulorum loquacitas, & infeſta ſæculorum negotia quæ temptibilibus Eccleſiæ Apoſtolus diſpenſanda præcipit, violenter auferunt. Non enim vt Origenes inclytus Græcorum didaſcalus, qui tertio ineunte ætatis luſtro omnes propemodum philoſophorum diſciplinas, hoc eſt Arithmeticam, *Geometriam, Muſicam, Aſtronomiam, & Mechanicam in pubertatis principio perfectè conſummauit, dictandi tenorem notariis excipientibus vſurpare præſumpſimus. His ergo de cauſis epiſtolarum veſtrarum debita viciſſitudo, quaſi quampam dilationis obſtaculo tricabatur. Quæ in eorum fœnus votorum hactenus infectum arguebam præſertim, vt dixi, diuerſarum rerum diſtentionibus feſſæ mentis ceruicem graui faſcis ſarcina deprimentibus. Hæc moroſa tricatio euenit, vt pollicita codicilli reſcriptio tanto temporis interuallo diutiſſime protelaret. Rimoſa namque fragilis ingenij barca, diræ tempeſtatis turbine quaſſata, licet laborante lacertorum remigio optatum ſilentij portum ſero attigiſſet. Sed tamen noſtræ ruſticitatis ſtipulatio ſuperno Chriſti patrocinio freta fiducialer confidit, quod noſtrarum carbaſa antennarum proſperis ventorum flaminibus ſinuata, quaſi inter ſcyllas ſolœciſmi & barbariſmi barathrum indiſruptis rudentibus fœliciter transfertauerunt, ſcopuloſas quoque labdaciſmi colliſiones, & moytaciſmi voragines incautos quoſque ſine grammaticorum gubernaculo repertos, ad erroris naufragia truciter trudentes minime perhorruerunt. Porro quemadmodum intactæ virginitatis gloriam rhetoricis relatibus fauorabiliter venerari nitebar, ſic identidem, ſi hoc carneum animæ ergaſtulum ante fatis, vt dicitur, crudeſcentibus caſſabundum non obierit, ac dura Parcarum quies & ferreus lethi ſomnus palpebrarum conuolatus non tricauerit, heroicis hexametrorum verſibus eiuſdem præconium pudicitiæ ſubtiliter comere Chriſto cooperante conabor: & velut iactis iam Rhetoricis fundamentis, ac conſtructis proſæ parietibus cum tegulis trochaicis & dactilicis metrorum imbricibus firmiſſimum culmen cœleſti confiſus ſuffragio, imponam. Veruntamen, promiſſum ſequentis Eulogiæ munuſculum, non aliter me ſpopondiſſe, mementote intorpens noſtræ mediocritatis ingenium, quod quaſi fricis fuluis fauillarū cineribus coopertis, ſi non fuerit ſciſcitandi aut ſcribendi fomite ſuccenſum, frigenti tempore tabeſcit. Iteratis totidem Epiſtolarum ſcriptis inſtigare dignemini, quod præcedentem libelli textum nequaquam lepida vrbanitatis facundia digeſtum, fidenter impetrare mereamini. Etenim fruſtra ſequentis opuſculi ſarcina deſudans laborioſis oneribus laceſſere nitar, niſi præcedentis Scripturæ ſtylum veſtræ ſagacitati fore ratum experiar, potiſſimum cum metrica leporis elegantia & Rhetoricæ diſertitudinis eloquentia tantum altrinſecus diſcrepant, quantum diſtat dulcis vappa à merulento temeto.

B

C *Barca. N.*

D

E CAP. XXX.

HActenus igitur formoſæ virginitatis ſpeciem, & venuſtum pudicitiæ vultum componens, diuerſis virtutum coloribus, quaſi fucorum floribus depinxit; quemadmodum ſolent nobilium artifices imaginum & regaliū perſonarum pictores deauratis petalis thoracidas ornare, & pulcherrima membrorum lineamenta fabrefactis vultibus decorare; tum tamen iidem opifices plerumque turpi natura corporis deformes & contemptibiles exiſtant, magiſque iconiſma regale compto ſtamine depictum laudatur, quam deſpectabilis perſona pictoris veneratur: qua de re Sedis Apoſtolicæ præſulem reor dixiſſe: pulchrum depinxi hominem pictor fœdus, alioſque ad perfectionis littus dirigo, qui adhuc in delictorum fluctibus verſor. Orate Chriſti tyrunculæ, vt ſit mihi præſentis opuſculi rata recompenſatio, veſtrarum precum frequens collata viciſſitudo, meique laboris & ſudoris fiat fulcimentum veſtræ interceſſionis adiumentum, vt qui propria meritorum qualitate & fidei fragilitate tremebundus ac nutabundus vacillare videor, robuſtiſſima patrociniorum veſtrorum columna fretus, fœliciter ac firmiter fulciri merear: * & flagitiorum ſarcinam triſte piaculi pondus deprimit, veſtrorum potens meritorum ſuffragium benigna pietate clementer ſuſtentet: quatenus in ſancta ſynaxi, cum veneranda Monaſticæ claſſis caterua vniuarſitatis creatori modulata orationum holocauſtomata flexis poplitibus concorditer obtulerit, meæ contemptibilis perſonæ, iuxta quod veſtra vota deuota ſpoponderunt reminiſci dignetur, vt & noſtra vobis ſupplicantibus iuxta pſalmographi ſententiam oratio dirigatur, ſicut incenſum in conſpectu diuinæ maieſtatis thurificarum, quod porrectarum eleuationi manuum ſimulatur; & ſacrificio ſerotino æquiparatur: vnde ſacra materteræ Domini ſoboles primus Heliæ pontifex, cum Euangelij ſplendor auroreſceret, & iubar lucis æternæ rutilaret. Orate, inquit, pro inuicem vt ſaluemini; & infra in exemplo ſubdidit, multum valet deprecatio iuſti aſſidua. Siquidem oppido frequens oratio quaſi arx editiſſima, & inextricabile propugnaculum contra venenatas æmularum anſatas fore creditur, Orantem pro nobis beatitudinem veſtram, alma Trinitas, vna deitatis ſubſtantia, & trina perſonarum ſubſiſtentia totius mundi Monarchiam gubernans, ab alto cœli culmine iugiter tueri dignetur. Valete ô flores Eccleſiæ ſorores, monaſticæ alumnæ, ſcholaſticæ Chriſti margaritæ, paradiſi gemmæ, & cœleſtis patriæ participes. Amen.

Petalis M.

F

** forte, & quem flagitiorum ſarcina.*

Ælia.

G

SANCTI PATRIS NOSTRI, Germani, Confeſſoris, ex Cizicenſi Epiſcopo, Patriarchæ Conſtantinopolitani, &c. Theoria Rerum Eccleſiaſticarum.

H

De ſancti Germani ſanctitate, eruditione, pleriſque ab eo rebus geſtis, tum etiam litterarum monumentis multa ex idoneis auctoribus proferent tibi nota ad Romanum Martyrologium 12. Maij, & Annal. Eccleſ. tom. 9. Claruit ſub Leone Iſaurico, inter ſanctos nomine eius Menologio & Martyrologio inſcripto.

Ex Bellarmino de Scriptorib. Eccleſiaſt.

S. Germanus Epiſcopus Conſtantinop. vixit temporibus Gregorij II. Papæ & Leonis Iſaurici Imperatoris hæretici. Multa propter ſacras imagines, & fecit egregie, & pertulit fortiter: tandem nonagenarius in exilio mortuus eſt anno Dom. 730. Scripſit multa, extat nunc Theoria rer. Sacrarum. Extant etiam epiſtolæ tres Græcæ, & tres Latinæ eiuſ-

dem

A *dem S. Germani in Concil. Nicæno ſecundo, art. 4. quarum tertia valde prolixa eſt, quibus epiſtola præponitur Epiſtola Gregorij Papæ II. ad Germanum. Extat etiam ex Henr. Caniſ. tom. 3. antiq. Lect. fragmentum orationis eiuſdem de hæreſibus.*

Eccleſia templi. ECCLESIA eſt templum Dei, Delubrum ſanctum, domus orationis, congregatio populi; corpus Chriſti; nomen eius, ſponſa Chriſti euocans populos ad pœnitentiam, & ad preces, aqua ſancti baptiſmatis eius purgata & ſanguine pretioſo abluta, & ſponſæ ornatu decorata, & ſancti Spiritus vnguento obſignata, iuxta propheticum ſermonem; *Vnguentum euacuatum tibi nomen eſt*; & *ad odorem vnguenti tui curram*: quia veluti vnguentum ſuper capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron, quod deſcendit in oram veſtimenti eius. Aliter, Eccleſia eſt terrenum cœlum, in quo ſupercœleſtis Deus inhabitat & inambulat; typum referens adfixionis in cruce, & ſepulturæ & reſurB rectionis Chriſti; glorificata ſupra tabernaculum teſtimonij Moyſis: in Patriarchis præfigurata, in Apoſtolis fundata; in qua propitiatorium eſt & Sancta Sanctorum: in *Eccleſia fundata in throno ſanctorum reliquiarum Sanctorum.* Prophetis prænunciata, in hierarchis exornata, in martyribus conſummata, & in throno ſanctarum eorum reliquiarum fundata. Aliter; Eccleſia eſt domus diuina, vbi myſticum vitæ ſacrificium celebratur; & interiora ſacrarij, & ſancta ſpelunca, vbi ſepulchrum & menſa nutrix animarum & viuifica: quæque in ea margaritæ diuina dogmata ſunt doctrinæ Domini ad ſuos diſcipulos. Semanter eſt veluti typus clauorum, quibus perfoderunt manus & pedes Domini, & vim ſuam exerit in fines orbis terrarum. Aliter: Semanterium obſcure ſignificat Angelorum tubas, & excitat pugiles ad bellum aduerſus *Exod. 19. 10.* inuiſibiles hoſtes. Baptiſma eſt ſicut Deus præcepit Moyſi, inquiens: *Cum deſcenderis ſanctificare populo huic, ſanctifica eos, & abluant veſtimenta ſua, & adſtent parati ad aſcendendum in montem ad me.* Et rurſus per Eſaiam Pro*Iſa. 1.* C phetam ait Dominus Deus; *Lauamini, mundi eſtote, auferte malitias ab animis veſtris; & si fuerint peccata veſtra vt coccinum, tanquam niuem dealbabo.* Et rurſum *Ioan. 3.* idem Dominus ait: *niſi quis natus fuerit per aquam & ſpiritum, non poteſt ingredi regnum Dei.* Et ſuis Apoſto*Matth. 28. 19.* lis annunciabat dicens; *profecti in mundum vniuerſum, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & ſancti Spiritus.* Baptizati autem ſumus per mortem ipſius Chriſti, & reſurrectionem eius. Nam per immerſionem in aqua & emerſionem, triplicemque inundationem, triduanam ſepulturam & reſurrectionem ipſius Chriſti repræſentamus & confitemur: prætcrea etiam ipſum fuiſſe baptizatum in Iordane ab Ioanne. Vngi oleo baptizatos, eſt inſtar olei quo reges & ſacerdotes & Prophetæ vngebantur; vt etiam Chriſtus vnctus eſt, tanquam *Chriſtus vnctus vnctione incarnationis.* rex & ſacerdos, vnctione incarnationis. Eſt quoque ad id ne poſſit diabolus nos ſuperare peccati mortis potentia; quæ eſt mors, ex tranſgreſſione Adam in nos delapſa. Aqua myſtice nobis declarat myſticum lauacrum aquæ & D ignis ſancti Spiritus ad purgationem ſordium peccati noſtri & inueſtigationem regenerationis, & vitæ æternæ reſtitutionem: per quod baptiſma; adoptionem filiorum conſecuti, liberati ſumus à ſeruitute & poteſtate Diaboli, & accepimus libertatem gratiæ filij Dei: in quo nos ſanctificatos & purgatos aqua & ſpiritu, Deo admouit & *Ioan. 17.* Patri, inquiens: *Pater iuſte, ecce ego & paruuli quos mihi dediſti, ſanctifica eos in nomine tuo quos dediſti mihi vt ſint & ipſi ſanctificati, & noſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum,* vt ſint ipſi hæredes regni mei. De quibus ait Pater: *Inhabitabo in eis, & inambulabo: & ero eis in Deũ, & ipſi erunt mihi in populũ ſanctificatũ in regale ſa*2. *Cor. 6. d.* *cerdotium.* Sanctus autem ſpiritus confirmat promiſſiones, tanquã teſtis fidelis & irreprehẽſibilis, plenã in nobis fiduciam procreans. Vide ſanctã inſcriptionẽ. Etenim ſanctam Trinitatem in modum libelli præſcribit Spiritus ſanctus, veluti lingua Dei & Patris, *& calamus Scribæ, velociter* *Pſal. 44.* *ſcribentis*; ſculpens ſcilicet in ſignificationem Chriſti, non per atramentum & chartam, ſed per vnguenti lituram, &

E veluti in libro nouo, tabulis cordium fidelium crucem Chriſti inſculpens, quemadmodum ait Propheta. *Et ſcripſi legem meam*, ait Deus, *in cordibus eorum, & imprimam eam in fronte eorum, vt ſignatum ſit in ipſis lumen vultus* *Hier. 31. Heb. 10. 16.* *mei; & ſint ipſi celebres in vniuerſa terra*: oſtendens, nos & hæredes regni ſui; & filios legitimos, & cohæredes ipſius, ſi modo & demus operam conſeruare ſanctum baptiſma incolume, & ſignaculum ſaluum. Concha eſt, iuxta illam in Bethleem ſpeluncam vbi natus eſt Chriſtus, & iuxta ſpeluncam vbi ſepultus eſt quemadmo*Marc. 15.* dum ait Euangeliſta Marcus. *Erat ſpelunca inciſa ex petra, & illic poſuerunt Ieſum.* Eccleſia vero eſt, vbi myſticum illud ac vinum ſacrificium fit, & interiora ſpeluncæ, vbi ſepultura collocata eſt pro eo intra ſacrarium. Concha autem altaris: tranſlatio eſt crucis: turres, ſigna; idcirco vtraque rationabiliter ponuntur in facie ſacrificantium: ſancta menſa eſt vice loci ſepulturæ; in quo poſitus eſt Chriſtus, in qua proponitur verus & cœleſtis panis, quod eſt myſticum & incruentum ſacrificium, qui mactatus, carnem ſuam & ſanguinem in cibum & potum vitæ æF ternæ propoſuit fidelibus. Eſt quoque ipſa Dei ſedes in *Myſticum & incruentũ Sacrificium.* qua ſupercœleſtis Deus qui ſuper Cherubim vehitur, corporis forma requieuit: in qua menſa vt etiam in myſtica illa ſua cœna, in medio Apoſtolorum ſuorum ſedens & accipiens panem & vinum, dicit ſuis diſcipulis & Apoſtolis: *Accipite, manducate, & bibite ex eo, hoc enim eſt corpus meum, & ſanguis meus.* Præfigurata autem eſt in legali *Matth. 26.* menſa vbi Manna erat, quod eſt Chriſtus qui de cœlo deſcendit. Sancta Menſa eſt vice menſæ Chriſti cum diſcipulis: & quæ in ea ſunt Margaritæ, diuina ſunt dogmata doctrinæ Chriſti ad Diſcipulos. Ciborium eſt, vbi eſt *Ciborij myſteriũ in Altari.* crucifixio, vice loci vbi crucifixus eſt Chriſtus: vicinus enim erat locus & foſſa vbi ſepultus eſt. Verum quia compendio inducitur crucifixio, ſepultura & reſurrectio Chriſti, in Eccleſia ita collocarunt. Eſt item, & ſecundum Arcam *Chriſtus ſacrificatus & oblatus in Altari.* illam teſtamenti Domini, in qua dicuntur Sancta Sanctorum & eius ſanctificatio, in qua præcepit Deus fieri duo Cherubim vtrinque tornatilia. Nam, *Cib*, eſt arca, *Orium*, illuminatio Domini aut lumen Dei. Altare, eſt Propitiatorium in quo offerebatur pro peccato; iuxta ſanctum mo G numentum Chriſti in quo altari victimam ſe Chriſtus obtulit Deo & Patri, per oblationem corporis ſui; vt Agnus immaculatus & vt pontifex & filius hominis offerens & oblatus in myſticum & incruentum ſacrificium, & rationalem hoſtiam fidelibus immolatus, per quam participes efficimur æternæ vitæ & immortalis: quem Agnum præfigurauit in Ægypto Moſes ad veſperam, & ſanguine eius exterminatorem Angelum auertit, ne neci traderet populum. Ad veſperam enim, ſignificat quod & ad veſperam mactatus eſt verus Agnus mundi, qui tollit peccatum cruce ſua Chriſtus: *Etenim paſcha noſtrum pro nobis* *1. Cor. 5. 7.* *immolatus eſt Chriſtus.* Altare eſt & dicitur præſepe; & ſepulchrum Domini. Altare eſt, & dicitur ad exemplum, ſupercœleſtis & ſpiritalis altaris, in quo typo referũt ſpiritales & miniſtratorias hierarchias immaterialiũ & ſupernarum poteſtatum, & terreni & materiales ſacerdotes, & aſſiſtentes & miniſtrantes Domino in æternum: quare & H tales, ſint oportet vt ignis flagrans. Nam ſerie ſupercœleſtium, & terrenorum ordine, Filius Dei & iudex vniuerſorum, leges tulit.

Gradus, ſubſellij locus eſt & ſedes; in quo vniuerſorum rex Chriſtus præſidet cum ſuis Apoſtolis, & ad eos ait, *Matt. 19. 28.* *ſedebitis ſuper duodecim ſedes, iudicantes duodecim tribus Iſraël*: ſedes enim dicitur, prædicatio fidei, in qua prædicatione confidentes, docuerunt, & per eam accipiunt remunerationem prædicationis ſupercœleſte regnum; quia cathedra illic non eſt: ſubindicat vero & ſecundum eius aduentum quo venturus eſt in gloria ad iudicandum viuos & mortuos; reddens ſingulis ſecundum opus eorum, & ad omnem mundum iudicandum, vt ait Propheta: *illic ſederunt ſedes in iudicium, ſedes ſuper domum Dauid.* *Pſal. 121. 5.*

Coſmites, ad exemplum legalis & ſancti Coſmij, indicans crucifixi Chriſti ſignaculum, per crucem ornatum. Columellæ ſiue thoraces ſeparantes gradum à reliquo templo, monſtrant: exterior quidem pars templum

A

quouſque ingreditur, & vbi ſiſtit populus ad orandum, proficiſcens; pars autem interior ſiue gradus ſignificat Sancta Sanctorum, in quæ ſoli ſacerdotes & comites eorum intrent. Cancelli, locum orationis deſignant, quouſq; extrinſecus populus accedit; intrinſecus autem ſunt Sancta Sanctorum, ſolis ſacerdotibus peruia. Sunt autem reueta ad piam memoriam, cancelli ænei, ne quis ſimpliciter & temere ingrediatur. Ambo figuram lapidis ſancti monumenti deſignant: quem Angelus cum euoluiſſet ex oſtio monumenti, proclamabat reſurrectionem Domini vnguentiferis mulieribus. Eſt autem iuxta Prophetam dicentem: *In monte campeſtri tollite ſignum, aſcende qui euangelizaris, & exalata vocem*: mons eſt enim, in loco campeſtri & æquabili poſitus. Orientem verſus precari, traditum eſt, vt & reliqua ab Apoſtolis Sanctis, & ita res habet, propterea quod ſpiritualis Sol iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter, in terra apparuit in orientis Solis ſenſibilis, partibus, vt Propheta inquit, *Oriens nomē eius eſt*: & rurſum, *Adorate Dominum qui aſcendit in cœlum cœli ſecūdum Orientem*: & *Adorabimus in loco vbi ſteterunt pedes eius*: & iterū *ſtabunt pedes Domini ſuper montem Domini oliuarum ad Orientem*: hæc aiunt Prophetæ. Propterea etiam quod nos denuo Paradiſum in Edem expetimus & ſpeculamur ab Oriente, recuperatum iri expectantes, & etiam recipientes ortum illum lucis apparituræ in Domini ſecundo aduentu & regeneratione.

Iſa. 40. 9. — *Orationis ad Orientem myſteria.* — Zach. 6. 12. — B — Pſalm. 67. 34. — Pſalm. 131. 7. — Zach. 14. 4.

Genuum flexus in oratione, quid ſignificet.

Genu non flectere ſancto die Dominico reſurrectionis, ſignificat lapſuum noſtrorum erectionem factam per triduanam Chriſti reſurrectionem. Non flectere genu, ad Pentecoſtem vſque; eſt, ſeptem dies poſt ſanctum Paſcha per ſeptem multiplicatos continere dies Pentecoſtes: nam ſepties ſeptem faciunt quadraginta nouem; & Dominico addito fiunt quinquaginta. Tonſura capitis ſacerdotis, & rotunda eius pilorum media ſectio; vice coronæ eſt ſpineæ quam Chriſtus geſtauit. Duplex corona circumpoſita capiti ſacerdotis; ex capillorum ſignificatione, imaginem refert venerandi capitis Apoſtoli Petri: quod, cum miſſus eſſet ad prædicationem Domini & magiſtri, ei tonſum eſt ab iis qui eius ſermoni non credebant, vt illuderetur ab ipſis; eique magiſter Chriſtus benedixit, & infamiam in honorem, illuſionem in gloriam conuertit; & poſuit ſuper caput eius coronam, non ex lapidibus pretioſis, ſed lapide & petra fidei eius fulgeſcentem ſuper aurum, topazium, & lapides precioſos. Vertex enim ornatus, & corona duodecim lapillorum, Apoſtoli ſunt: Petra vero, ſanctiſſimus Apoſtolus eſt, primus hierarcharum Chriſti.

Corona ſacerdotalis quid ſit. — C — *S. Petrus vertice tonſus in coronam, ab impiis.* — *S. Petrus primus Hierarcharum Chriſti.*

Talare ſacerdotii quid ſignificet.

Stola ſacerdotis; eſt, ad exemplum Talaris Aaron, id eſt veſtimentum, quod ſacerdotale eſt indumentum; ad pedes vſque, honorabiliſſimum. Eſt autem ignea ſpecie, iuxta Prophetam dicentem, *qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem ardentem*. Et rurſum, *quis iſte adueniens ex Edom?* Edom enim ſonat terrenum, aut electum, aut rubrum, Deinde ſubdit: *rubedo veſtimentorum eius, ex vinea Boſor, ad quid tua rubra ſunt veſtimenta, & indumenta tua tanquam torcularis calcati?* Quod indicat tinctam Chriſti ſtolam carnis, in ſanguine; in eius immaculata cruce, Itemque quia etiam coccineam chlamydem geſtauit in paſſione Chriſtus, demonſtrant Pontifices, cuius Pontificis ſint ſatellites. Exutos autem zonis Sacerdotes, deambulare in caſulis; id ſignificat, Chriſtum in crucem abeuntem ita geſtaſſe crucem ſuam.

D

Sacerdotes, ſtolis ornati ad inſtar Seraphim.

In ſupremis illis ſplendoribus intelligentium cœleſtium miniſtrorum, Prophetarum, & hierarcharum; ſunt presbyteri 24. & Diaconi 7. Presbyteri, ad imitationem ſunt Seraphicarum poteſtatum, ſtolis vice alarum contecti; duabus autem alis labiorum, hymnum illum voce cantantes, & tenentes diuinum & ſpiritualem carbonem, Chriſtum prehenſione manus manifeſto geſtantes. Diaconi vero ad typum Angelicarum poteſtatum, tenuibus tenuium horariorum alis, vt adminiſtratorij Spiritus, in miniſterium miſſi, præcurrunt. Ac primum tunica quæ alba eſt, diuinitatis ſplendorem indicat, & ſacerdotis ſplendidam conuerſationem. Lora tunicæ quæ ſunt ad manum, ſignificant vinculum Chriſti, vinctum enim eum abduxerunt ad Caipham Pontificem & Pilatum. Lora quæ ſunt tranſ-

Diaconorum tunica albo quid indicet. — *Lora tunica Diaconalis.*

E

uerſa, ſanguinem ſignificant, qui fluxit ex latere Chriſti in cruce. Peritrachelion, eſt faſciola qua producebatur à Pontifice vinctus, & tractus in anteriorem partem per collum Chriſtus, ad patiendum ipſe proficiſcens. Epitrachelij dextra pars, denotat arundinem quam dederunt illudentes, dextræ Chriſti. Læua pars, crucis eſt geſtatio ſuper humeris eius.

Peritrachelion Epitrachelium.

Caſula Sacerdotalis.

Zona qua præcingitur, declarat maieſtatem quà Chriſtus regnans, magnifica dignitate diuinitatis præcinctus eſt, & vndique ornatus. Caſula denotat coccineam purpuram, quam Ieſu, illudentes, geſtandam impij dederunt. Eſt etiam ſtola Baptiſmi.

Humerale.

Humerale eſt Pontificis, ad exemplum ſtolæ Aaron, quam geſtabant legales Pontifices, ſudariis longis læuo humero circumponentes, ad ſignificandum iugum mandatorum Chriſti. Humerale autem quo Epiſcopus circumdatur, ſignificat ouis pellem, quam errantem cum Dominus inueniſſet, ſuper ſuis humeris aſſumpſit, & cum iis quæ non errauerant recenſuit. Habet autem & cruces, quia Chriſtus ſuper humero ipſe quoque geſtauit crucem ſuam. Præterea etiam qui volunt ſecundum Chriſtum viuere, ſuper humeris tollunt crucem ſuam. id eſt, afflictionem, ſymbolum enim afflictionis, crux eſt. Monachalis habitus, eſt ad imitationem cultoris & quaſi ciuis deſerti ac Baptiſtæ Ioannis: quia indumentum eius erat ex pilis cameli, & zona pellicea circum lumbos eius. Radi vero toto capite, ad imitationem fit ſancti Apoſtoli Iacobi, Dei fratris, & Pauli Apoſtoli, & reliquorum.

Monaſticus habitus. — F — *S. Ioannes Baptiſta, ciuis deſerti. Apoſtolor. raſura.*

Anabolæa. Cuculla.

Anabolæa autem, ea referunt anabolæa quæ gerebant veſtimenta cucullæ, prout ait Apoſtolus: *crucifixus eſt mihi mundus, & ego mundo*. Mantile declarat tenui ſua ſimplicitate alatam & volantem conuerſationem, imitatione Angelica, prout Angelicus habitus dicitur.

Othone cum qua miniſtrant Diaconi, deſignat Chriſti humilitatem quam demonſtrauit cum pedes ſuorum ablueret. Enchitium quod eſt in zona, linteum eſt quo manus extérſit ſuas: & Enchitium habere in zona, typum refert extergentis manus, & acclamantis: *Innocens ego ſum*.

G — *Enchitii.*

Ade cranium in monte caluariæ.

Oblatio quæ fit in armario: denotat Caluariæ locum in quo crucifixus eſt Chriſtus, in quo aiunt ſitam eſſe caluariam primi parentis Adam, oſtendit autem fuiſſe monumentum prope locum vbi crucifixus eſt. Præfiguratus eſt autem Caluariæ hic locus, in Abraham, quando ſuper vno montium, Dei iuſſu, altare ex lapidibus conſtruxit, & ligna ſtrauit, impoſuitque filium ſuum, & obtulit arietem pro eo in holocauſtum, ita & Deus Pater, principio carens & antiquus ille dierum, filium ſuum principio carentem, poſtremis temporibus incarnatum ex virgine Deipara ex lumbis Abraham, iuxta promiſſionem iuriſiurandi quod fecit cum eo, ita vt pro genere humano non pepercerit filio ſuo chariſſimo & vnigenito, ſed pro nobis omnibus tradiderit eum: ac paſſus eſt quidem homo in carne, ſed impatibilis permanſit in diuinitate. Etenim Chriſtus proficiſcens ad crucem ſuam, geſtauit crucem, & pro ariete immolatum eſt corpus eius immaculatum, vt agnus mactatus lancea per latus eius transfixa, & Pontifex factus vt filius hominis, & offerens ſeipſum, & oblatus ad ſubuehendos peccatores multos. Et mortuus quidem eſt, vt homo, reſurrexit vero vt Deus, ex quo ſupramundanam gloriam habuit apud Deum & genitorem. Oblatio autem panis repræſentat corpus Domini affixum propter ſalutem noſtram qui ſumus fideles.

H

Panis ſanctificatus.

Panis propoſitionis ſanctificatus indicat purgationem mundi, & eximias diuitias bonitatis & clementiæ Dei, in eo quod Filius Dei homo factus eſt, & ſeipſum propoſuit hoſtiam & oblationem, & corpus ſuum, redemptiuam propitiationem pro mundi vita & ſalute, aſſumens totam maſſam humanæ naturæ abſque peccato, oblatus autem, vt primitiæ & holocauſtum ſelectum Deo & Patri pro genere humano, quemadmodū ait: *Ego ſum panis qui de cœlo deſcendi: qui manducat hunc panem viuet in æternum*. De

Ioan. 6.

quo

A

quo etiam ait Propheta Hieremias; *Venite, & immittamus lignum in panem eius*: oſtendens lignum crucis, in quo corpus eius infixum. Lancea, vice eſt eius quæ latus Domini punxit. Lancea expurgari, ſignificat illud: *tanquam ouis ad occiſionem ductus eſt, &c.*

Diſcus; lectica eſt in qua corpus Domini componitur, à Sacerdote & Diacono qui ſunt Ioſeph & Nicodemus. Vinum autem declarat ſanguinem ex latere Chriſti fluxum; eſt autem & myſticum vinum, quod dedit diſcipulis in cœna. Aqua vero demonſtrat eam quæ fluxit ex latere Chriſti, & per calorem, ſignificat feruorem ſancti Spiritus: per albedinem vero, ſinceram fidem.

Aqua calida in Miſſa. Iuxta ritum Græcorum, quem etſi Humbertus Sylua candida

Vinum ſimul & aqua, ſunt egreſſi ex latere eius ſanguis & aqua: quemadmodum ait Propheta, *Panis ei dabitur ad cibum, & aqua ei ad potum potabilem.* Nam vice lanceæ quæ punxit Chriſtum in cruce, à Longino, eſt hæc lancea. Panis & poculum, proprie & vere, ad imitationem myſticæ illius cœnæ in qua Chriſtus accepit panem & vinum, & dixit: *Accipite manducate, & bibite ex eo omnes, hoc enim eſt corpus meum & ſanguis*: oſtendens ſe nos participes feciſſe mortis, & reſurrectionis, & gloriæ ſuæ.

B

in diſputatione contra Nicetã improbet, propter quorundam Græcorum præpoſterã hunc ſeu ritus cauſam adhibitã At cum morem in Græcia tolerat Romana Eccleſia, nec in eo vertendum

Oblatio autem, quæ & panis, & benedictio, & primitiæ dicuntur, ex qua Dominicum corpus diſſecatur ad typum ſemper virginis & Deiparæ ſumitur, quæ ſecundum beneplacitum Patris, & voluntatem filij ſui & Verbi, & aduentum diuini Spiritus, vnum ſanctæ Trinitatis, Filium Dei & Verbum recipiens in ſe, perfectum Deum & perfectum hominem peperit: vt autem ruſum ſuperſubſtãtialis Deus, carne ex ea aſſumpta in vna hypoſtaſi, perfectus erat Deus & homo, ſimilis nobis abſque peccato, ita & dominicum corpus tanquam ex quodam vtero & carne corporis virginalis (toto pane, inquam, benedictionis & oblationis) à Diacono, vt magna Eccleſia à maioribus accepit, diſſecatur ferro quodam quod lanceam appellant, tametſi nondum tempus eius eſt: & ita peculiari quadam hypoſtaſi, ex medio eius aufertur. Diaconus tamen qui id efficit, præparatum cum eo qui conficiendus eſt dominicus ſanguis, in conuenienti paſſionis tempore, per viuifici ſpiritus aduentum; dimittit ea in Protheſi, orationem adiungente ſacerdote. Ipſe vero qui diuinum corpus diuidit, Diaconus, à benedictione, Angelum imitatur, qui Virgini *Aue* annunciauit. Nec mirandum, etiam ſi ſacerdotes id ſecent; nam ad conſuetudinem magnæ Eccleſiæ recipiendum. Ita igitur dimittitur diuinum corpus in Protheſi, tanquam in Bethleem vbi natus eſt Chriſtus cuius egreſſus, ab initio, à diebus ſeculi: ſimulque etiam tanquam in Nazareth: Inſuper quoque conuerſationis in Capernaum, locum; Protheſis ipſa explet. Ideo enim in prœmiis prædiximus; vnum eorum quæ nunc figurantur, duobus aut tribus eorum quæ tum fiebant, abſolui & referri. Et vt ſummatim dicam; annorum triginta tempus ante baptiſmum & conuerſationes, Protheſis explet. Calix autem, eſt loco vaſis quod recepit effuſum ſanguinem puncti immaculati lateris, & manuum & pedum Chriſti vnguenti defluxum.

C

eum eromma Græcanici ſchiſmatis.

Oblationis variæ nomina.

Crateris ſeu calicis myſteria.

Cratera ſalutare poculum eſt, quod dedit diſcipulis ſuis in cœna. Poculum ruſum eſt ad exemplum crateræ quam deſcribit proprie, ſiue ſapiẽtia, ſiue Filius Dei: miſcuit ſuum ſanguinem loco vini illius, & appoſuit in ſancta ſua menſa, dicens omnibus; *Bibite ex eo omnes*: pro vino illo mixto in remiſſionem peccatorum & in vitam æternam. Crateras etiam interpreteris licet mammas Deiparæ; ſalutare lætitiæ poculum, & tutelare ac conſeruatorium totius generis mortalium. *Armarium.* Vbi præſentatio perficitur; pro Caluariæ loco eſt. Corporale, ſignificat ſindonem in qua inuolutum eſt Chriſti corpus, cum è cruce deſcenſum eſt, & in monumento collocatum. Et ſuperius diſci velamen, indicat ſindonem qua inuoluerunt corpus Domini. Diſci velamentum eſt pro ſudario quod erat ſuper facie, circuntegens illam in ſepulchro.

D

Deiparæ vbera ſunt conſeruatorium generis humani. Armarium. corporale, & velamina. Velum.

Velum, ſiue aer, eſt & dicitur eſſe vice lapidis quo muniuit Ioſeph monumentum, quod obſignauit tabella cuſtodiæ. Ecce cruci Chriſtus eſt fixus, ſepulta vita eſt, munitum eſt ſepulchrum. Et ſtatim thuribulum ſubindicat humanitatem Chriſti, ignis, diuinitatem, & fragans fumus indicat illum bonum odorem ſancti Spiritus præcedentem: nam thymiater, eſt (ſi interpretari velis) fragantiſſima lætitia. Incenſum autem repræſentat aromatã illa quæ offerebant ſepeliendo Domino; & myrrhas & thus Magorum, pura eſt precatio bonorum operum, ex quibus fragrantia procedit, vt ait Apoſtolus; *Chriſti bonus odor ſumus.* Agnoſcite igitur, omnes ſacerdotes qui ſacro altari aſſideris, & incruentam victimam ſacrificatis; quod viuas paſſiones Chriſti annuncietis. Conceditur itaque tempus à pontifice, Sacerdoti inchoaturo diuinam Myſtagogiam: id autem tempus, repræſentat prædictum tempus voce Prophetæ Eſaiæ, quando naſciturus eſſet præcurſor Ioannes, & ad nos Chriſtus peregrinaturus. Sacerdos autem initium diuinæ Liturgiæ faciens; imaginem refert Ioannis præcurſoris & Baptiſtæ, prædicationem inchoantis & & inquientis, *Pœnitentiam agite, prope enim eſt regnum cœlorum*: & baptizantis omnes accedentes.

Thuribulum.

E

Incenſum

Sacerdotes incruentam Victimam ſacrificãt.

Diaconi, ſunt paſtores: Sacerdotes, Angeli.

Diaconus. *Benedic Domine.* Sacerdos *Benedictum regnũ Patris & filij, & Spiritus ſancti.* Ita primum ordinationem habet orationẽ ad Deũ, quæ Doxologia dicitur. Itaq; ante omnem orationem & ſacram commemorationem, Sacerdos gloriam Dei celebrat. Quid igitur ter Dei nomen nuncupat; non ſemel duntaxat? non enim, *Benedictus Deus*: aut, *Benedictum Dei regnum*: ſed perſonis diſtinctis; *Benedictum regnum* (inquit) *Patris, & Filij, & ſancti Spiritus*: quia per incarnationem Domini, primum didicerunt homines, tres eſſe perſonas. Huius autem incarnationis Domini myſtagogia eſt, quæ hic peraguntur; vnde in prœmiis eorum, oportebat prælucere & prædicari Trinitatem. Et à ſuperioribus illis Poteſtatibus glorificatur Deus, tribus ſanctificationibus: & ab omnibus regnum Chriſti benedicitur, qui vi & potentia diuinitatis ſuæ inferos ſpoliauit, & nos liberauit. *Amen*: vere; aut, fiat. His autem verbis: *In ſæcula ſæculorum*: fumum ciuitatis Babylonis aſcendere ſignificatur, quod ſanguinem ſeruorum ſuorum de manu Babylonis requiſiuit: & eius habitatores puniendo; beneficiis affecit, exciſione peccati peracta. Diaconus. *In pace Dominum precemur*: poſt doxologiam autem; petitionem memorat: nam *quid oremus vt oportet, neſcimus*: & ne multiloqui ſimus, docet nos quæ de oratione ſentienda ſunt.: in pace ſcilicet orandum eſſe, neque prius profeſſis, neque gratiis Deo actis; quia cum dixit pacem, illa quoque complexus eſt, ſi quis accurate conſiderare velit. *Pro ſuperna pace*; nunc docet primum petendam cœlitus pacem, & animarum ſalutem. Ita enim nos Chriſtus petere iuſſit: tranquilla mente preces noſtras exhibeamus. *Sanctiſſimæ immaculatæ, &c.* Actorum omnium Sanctorum memores: alter alterum, & vitam noſtram omnem, cum bonis noſtris operibus Deo commendemus.

Doxologia

F

Homines per Chriſti incarnationem primum didicerũt Trinitatem.

G

Antiphona, ſunt Prophetarum prædictiones prænunciantes aduentum Filij Dei ex Virgine, ſuper terram, & clamantes, *Deus noſter ſuper terram viſus eſt, & decorem induit*: id eſt incarnationem eius manifeſtantes, quam nos ſuſcepiſſe & didiciſſe per miniſtros & oculatos teſtes Verbi, Apoſtolos profitemur. Sciendum autẽ eſt, initio omnis officij matutini & veſpertini, primum veteris teſtamenti cantari Pſalmos, deinde nouæ gratiæ cantica; veteri nimirum præcedente, cuius legiſlator hic natus extremis diebus oracula fudit, vt omnes intelligant vnum & eundem Deum ac Dominum eſſe qui has & illas leges ſanciuit Chriſtus.

Antiphona quid ſignificent in Eccleſia myſteriis.

Antiphonum primum; bonum eſt confiteri Domino. Opera noſtri cordis enarrare Domino, bonum eſt. *Et pſallere nomini tuo altiſſime*: Cantando dicere, quos tibi hymnos offerimus, oportet. *Ad annunciandum mane miſericordiam tuam & veritatem tuam per noctem*: Vt manifeſto narremus quomodo miſericordiam conſecuti ſumus, & contra omne peccatum opponamus veritatem tuorum factorum. *Quia rectus Dominus Deus noſter.* Quoniã verax eſt Dominus Deus noſter. *Et non eſt iniquitas in eo*: & nullum mendacium aut falſitas apud Deum. *Etiam atque etiam in pace Dominum deprecemur*: iterum atque iterum intenta & quieta mente Dominum deprecemur. Cum voce pronunciando; *quia tua eſt potentia, & tuum regnum,*

Non eadẽ ſunt Antiphona, Liturgia præſanctificatorum.

A *& poteſtas, & gloria, Patris & Filij & Spiritus ſancti, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum; amen:* Quia tua eſt dominatio & regnum omnium viſibilium & inuiſibilium: & propterea nos qui ſuper terram ſumus, gratiarum actionem omnes & gloriam indeſinenter tibi referimus, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. *Amen*, eſt, Vere; aut, fiat.

Antiphonum ſecundum.; Dominus regnauit, decorem indutus eſt: Dominus regnauit, in cœlis; & fidelem populum ſibi vindicauit proprio ſanguine ſuo, & egreſſus eſt ad debellandum diabolum. *Etenim firmauit orbem terrarum qui non commouebitur:* Firmauit orbem terrarum Eccleſiam; in fide ſua, & portæ inferorum non præualebunt ei. *Teſtimonia tua confirmata ſunt vehementer; domum tuam decet ſanctitudo Domine.* Ea quæ tu paſſus es, credita ſunt in mundo; populum tuum decet gratia tua in æterna ſæcula.

Coniunctum autem eſt extremo primi Antiphoni, hoc: B *Interceſſionibus Deipara ſerua nos:* cuius rei gratia, niſi ad confirmanda omnino quæ prius dicta ſunt, de typo ſemper Virginis; quod eius ipſa dux eſt miniſterij, & veræ diſpenſationis?

Secundi vero Epihymnium; *Interceſſionibus ſanctorum tuorum:* quoniam enim pro ſalute animarum & venia lapſuum, diuinam celebramus Myſtagogiam; merito tanquam ſuperiorem Dei matrem omnibus Sanctis, aut etiam ipſis ſupercœleſtibus Poteſtatibus, in ſupplicatione primam appellamus; deinde eos qui complacuerunt eius Filio.

Troparium autem quod ad finem Antiphoni ſecundi dicitur, quod eſt; *Vnigenitus Filius & Verbum Dei; &c.* opus eſt Ioſeph & Nicodemi. Tollentes enim Dominum vt ſepelirent eum, eo ſunt initiati vt à venerãdo & viuifico corpore Domini, & diuinitate in eo inſeparabili. Nonnulli aiunt idem Troparium enunciatum fuiſſe diuina ſorte à Rege Iuſtiniano, quod valde etiam ſymbolis Chriſti natiuitatis quadrat. Is enim (inquit) natus vnigenitus Filius & Sermo Patris initio carentis cum ſit; recepta propter noſtram ſalutem incarnatione ex ſacra Deipara, im- C mutabili manente diuinitate & inconfuſa, vnus eſt de ſancta Trinitate, homo factus & lubens crucifixus; qui & in ſancto illo Hymno conglorificatur à ſpiritalibus & cœleſtibus Poteſtatibus. Nam nulla facta egreſſione aut ſeparatione à Paternis finibus, deſcendens incarnatus eſt: ipſe eſt qui ſeruat nos. Diaconus; *Etiam atque etiam in pace.* Sacerdos, elata voce. *Quia bonus & hominum amans Deus es, & tibi gloriam referimus, Patri & Filio & Spiritui ſancto nunc.* Bonus & hominum amans es, dicimus; quia Filium tuum in mundum, propiciationem miſiſti. Propterea gloriam & gratiarum actionem tibi referimus: id eſt; offerimus, nunc & ſemper & in ſæcula,

Chriſtus vnus eſt de ſancta Trinitate.

Antiphonum III. Venite exultemus Domino: Agite dum impleamur omni gaudio, in Domino. *Iubilemus Deo ſalutari noſtro:* Deprecemur cum lachrymis Deum noſtrum Ieſum. *Præoccupemus faciem eius in confeſſione, & in Pſalmis iubilemus ei.* Et ante aduentum eius, cum deprecemur, & pſallentes ſupplicemus ei. *Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus ſuper omnem terram:* Magnus D Deus eſt Ieſus Chriſtus, quemadmodum Apoſtolus inquit, cum ait; *Magni Dei & Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti qui dedit ſemetipſum pro nobis;* & in omnes gentes regnauit, & regnabit per fidem ſuam. *Quia non repellet Dominus plebem ſuam, quia in manu eius omnes fines terræ, & altitudines montium eius:* Fidelis populus ſcilicet, & reliqui Prophetæ. *Quoniam ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud:* Quoniam ipſius eſt omnis multitudo hominum: & ipſe prius fabricauit eos, & rurſum in baptiſmate ſuo renouauit eos. Et aridam manus eius formarunt: & cor omnium hominum creauit Spiritus ſanctus eius, in lauachro incorruptibilitatis.

Introitus Euangelij, aduentum indicat Filij Dei & ingreſſum eius in hunc mundum; vt ait Apoſtolus: *Cum induxerit* (nimirum Deus & Pater) *Primogenitum* & vnigenitũ *ſuum in orbem terrarum*, ait, Et adorent eum omnes Angeli eius.

E Deinde oſtendente etiam Pontifice per ſtolam ſuam, carnis Chriſti ſtolam rubram & ſanguineam quam geſtauit immaterialis ille & Deus, vt purpuram tinctam ex immaculato ſanguine Deiparæ; & quod aſſumpſit errabundã ouem ſuper humeros ſuos, & pellem Adameæ maſſæ; Paſtor ille bonus paſcens Iſrael in virga crucis ſuæ; in faſciis inuolutus, & poſitus non in præſepi brutorum ſed in menſa rationali hominum, quem in natiuitate ſua celebrarunt hymnis Angelorum exercitus dicentes; *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax, in hominibus bona voluntas.* Et; *vniuerſa terra adoret te, & pſallat tibi* ac omnibus ſubaudiẽtibus ait: *Venite adoremus & procidamus ei; ſerua nos fili Dei.* Primum ei flectamus genu vt obnoxij, & tunc veniam ab eo petamus, eorum quæ ipſi debemus, & prędicemus eius aduentum patefactum nobis in gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti. Aliter de Introitu. Cenſeo enim oſtenſionem in Iordane & patefactionem Chriſti & Dei noſtri, ingreſſu Pontificis obſcure deſignari: nam eatenus, etiam ſi aderat Pontifex, at nondum manifeſtus & notus; neque in me- F dio ſtabat, & ſupernaturalia & eximia myſteria celebrabat; ſed tempus opportunum nactus Sacerdos, quaſi præcurſor pœnitentiæ baptiſma conficiebat: qui cernens Pontificem ingredientem, loco migrat, tantum non illud ipſũ; tacitum ſecum ratiocinans quod & Ioannes dixit; *illum oportet creſcere, me autem minui:* ac ſtatim cedit Pontifici, vt maiora myſteria perficiat: qui & ait; *Quoniam ſanctus es Deus noſter.*

Ter ille ſanctus hymnus; ita quidem eſt, quemadmodũ illic quidem Angeli dixerunt: *Quam magnificata ſunt opera tua Domine;* Et, *Gloria in excelſis Deo.* Hic vero vt Magi dona Chriſto offerentes, fidem, ſpem, & charitatem, quaſi aurum, thus, & myrrham; Incorporeorum canticum vociferantes fideliter & dicentes, *Sanctus Deus* Deus (inquam) Pater; Sanctus fortis, filius & Sermo; quod fortem illum noſtrũ aduerſarium diabolum vicit, & irritam eius fecit potentiam; per crucem, qui poteſtatem habet mortis; ac vitam & robur & poteſtatem nobis dedit calcandi ſuper eum. *Sanctus immortalis,* Spiritus ſanctus, viuificus, per quem omnis creatura viuificatur, & in ſtatu permanet, ac G clamat inquiens; *Miſerere noſtri.* Conſolator ille Spiritus ſanctus & veritatis, qui ſacrificium conſummat, & ſemper adiuuat filios Eccleſiæ, & miſeretur, & per baptiſmum immortalitate donat. Aliter. *Sanctus Deus* id eſt, Pater qui eſt, & fuit, & erit; qui olim Moſi oraculum fudit, inquiens; *Ego ſum ille qui ſum,* qui voluit vitulum mactare propter vos. *Sanctus fortis:* Filius & ſermo Dei, qui erat in principio apud Deum, per quem omnia facta ſunt; & vitulus ille qui ſemper volens ipſe, mactatur, & ſemper viuit. Per iſta autẽ; *Erat in principio apud Deum, per quem omnia facta ſunt:* ſimulque; *Vitulus qui ſemper mactatur volens, & ſemper viuit & permanet;* immortalitatem ſignificat eius qui in ſe complectitur omnium eorum quæ ſunt, & initium, & media, & poſtrema.

Hymnus ter-ſanctus.

Chriſtus, eſt Vitulus qui, volens ſemper mactatur.

Aliter. *Sanctus fortis:* Filius & ſermo Dei: fortis quidem, quaſi fortitudo Dei, ſapientia & poteſtas; prout ait Apoſtolus, filius & ſermo Dei, *fortis* & potens, & viuens, efficaxque & magis *ſecans quam gladius ancepſ*, &c. *Sanctus immortalis* ſignificat, eum qui in ſe complectitur ini- H tium omnium quæ ſunt & finem. Dicitur autem, *Ter ſanctus* à ternario: quia congruunt etiam ſingulis trium Perſonarum vnius deitatis, hæc tria ſancta: Vnaquæque enim & Sanctus eſt, & Fortis, & Immortalis. Natura enim & eſſentia, tribus, vna eſt; nomen commune, vnum diuinitatis; etiamſi vnaquęque perſonarum trium, Deus nominatur perfectus. In his autem breuibus verbis præclare licet intelligere illud quoque quod à magno Theologo ita dictũ eſt: Diuiditur n. indiuiduè (vt ita dicam) & connectitur diuiduè: & alibi, idem; Simul atque vnum intelligere incipio, trium ſplendore vndique colluſtror; vix dum inchoans tria diuidere, ad vnum referor. Verum ne quis teſtimonia hæc Ter-ſancti audiens, arbitretur, Ter-ſanctum inchoaſſe à Chriſti & Dei noſtri humanitatis aſſumptione. Iampridem enim à diuiniloquis Prophetis, myſtice Spiritus prędictus erat. Huius enim typum & eloquia videns ac declarans Dauid, pacis verbis eum repræſentat, *Sicut* (inquiens)

Vnaquæque perſona Trinit. Sanctus eſt.

A *anima mea ad Deum, fontem viuum* : & alibi, *verbo Domini cœli firmati ſunt, ſpiritu oris eius, omnis virtus eorum* : & alias, *in lumine tuo videbimus lumen*. Ille autem ab Eſaia enunciatus Seraphicus Hymnus, & Ter ſanctus, in vnam dominationem colligens & deitatem, quid diſcriminis habet ab hoc noſtro Ter-ſancto quem canimus?

Quod autem aſcendat in conſeſſum pontifex, & obſignet populum, id eſt, Filium Dei impleturum in carne noſtra miniſterium ſuum, ſublatis manibus ſuis benedixiſſe ſanctis ſuis diſcipulis, dicentem eis. *Pacem relinquo vobis*: oſtendentem, eandem pacem & benedictionem mundo, Chriſtum per Apoſtolos ſuos dediſſe. Aliter Signaculum quod Pontifex facere ſolet in fine Ter-ſancti in complementum & tanquam obſignationem Prophetarum qui de Chriſto vaticinati ſunt, deſignatur: nam eius aduentus per carnem ſigillum fuit rata faciens & confirmans quæ illis prædicta fuerant, vt vera: ipſum enim, & in initio diuinorum operum, generis humani in reformatione ordinem tenet. Ordo enim, ait Theologus Gregorius, optimus eſt, à Deo inchoare, & in Deo finire. Pontifex, Dominus eſt: Thronus, Virgo: Sedere autem eſt, Filium ſuam carnem quam geſtauit, & ouem quam ſuper humeros aſſumpſit (quod deſignatur ſuperhumerali) quæ eſt Adamea maſſa, ſuſtuliſſe ſupra omne imperium, & poteſtatem, & dominationem ſuperiorum Virtutum, & obtuliſſe Deo & Patri. Quem enim ille deificabat, hic deificabatur: hæc eſt aſſumptio quam propter dignitatem offerentis & puritatem oblati, admittebat ipſe Deus & Pater, quaſi hoſtiam & oblationem acceptabilem pro humano genere: ad quem ait Dauid: *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis*: id eſt, Pater Filio, qui ſedet in dextra parte throni maieſtatis eius in excelſis. Hic eſt Ieſus Nazarenus, pontifex futurorum bonorum.

Orati… [illegible]

B

Lectio Epiſtolæ.

Poſt Ter-ſanctum hymnum legitur liber Apoſtolicus, & ait Diaconus: *Attendamus, auſcultemus, auribus percipiamus omnes cum tranquilla mente in Sapientia*. Pſalmus Dauid, ſermo Dei ſanctus & dilectus, annunciat quæ ſunt Patris quæ ſunt abſcondita.

Paulus teſtis oculatus ſermonis.

C

Quod proponitur rurſum, indicat Prophetarum ſacram manifeſtationem & prædictionem aduentus regni Chriſti: qui quaſi ſatellites præcurrentes & clamantes, *Qui ſedes ſuper Cherubim, appareto & veni ad ſeruandos nos*, &c. *Deus ſedet ſuper throno ſancto ſuo*. Et teſtis oculatus & miniſter ſermonis, Paulus, clamat prædicans Dei regnum, & inquiens: *Chriſtus adſiſtens pontifex futurorum bonorum per amplius, &c.* Cum quo clamat quoque Ioannes Baptiſta, *qui poſt me venit, eſt agnus Dei tollens peccatum mundi*, ipſe nos ſanctificabit in ſpiritu & igne, & medius inter vos ſtetit. Poſt id autem, & Apoſtolorum vocatio, & eorum deſignatio declaratur Actuum ipſorum & epiſtolarum lectione.

Et hymnus… Alleluia. [illegible]

Alleluia clamat Dauid, & ait: Deus noſter manifeſto veniet, & ignis coram ipſo præcedet. *Apparuerunt fulgura* Euangeliſtarum *eius* orbi terrarum. Hebraica enim lingua, eſt, *Al*, venit, apparuit, *El*, Deus, *Ia*, laudate & celebrate viuentium Deum. Aliter. *Al*, Pater: *El*, Filius: *via*, Spiritus ſanctus. *Alleluia*, Deus fortis, potens laus Dei, laudate Deum qui eſt. *Alleluia*, laus Deo qui eſt. Aliter, *Alleluia*, diuinam laudem ſignificat trifariam, propter tribus perſonis diſtinctā Patris, Filij, & ſancti Spiritus ſingularem deitatem. Aliter. *Alleluia*, Præco Euangelij vociferans Dominus venit. Aliter. Laudate, celebrate. Dicunt autem Angelos hac voce celebrare Deum, veluti Cherubim, dicendo, *Sanctus*: idque ſancti patres tradiderunt qui id audierunt, quemadmodum Eſaias e Cherubim. Etenim ſtatim thuribulum ſubindicat humanitatem Chriſti; ignis, deitatem: odoratus fumus indicat bonum odorem ſancti Spiritus præcedentem, incenſum enim eſt fragrantiſſima lætitia.

D

Euangelium in Miſſa.

Sapientia, ſermo Dei: Recti audiamus ſanctum Euangelium: id eſt, erigamus mentes noſtras cum operibus à terrenis & intelligamus bonorum declarationem. Euangelium eſt aduentus filij Dei, quo apparuit nobis, non iam per nebulas & ænigmata loquens nobis, vt aliquando Moſi per voces & fulgura, & tubas, ſonitu & caligine, & igne, in monte; aut olim Prophetis, per ſomnia: ſed manifeſto vt homo vere apparuit, & viſus eſt nobis vt mitis & quietus Rex qui prius deſcendit, vt pruina in vellus ſine ſtrepitu: & vidimus gloriam eius, gloriam tanquam vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis: per quem locutus eſt nobis Deus & Pater, ore ad os, & non per ænigmata, de quo Pater cœlitus teſtatur, & ait, *Hic eſt filius meus ille dilectus*, Sapientia, Sermo, & poteſtas, in Prophetis dictus, & prædicatus nobis: in Euangeliis manifeſtatus, vt quotquot receperint eum & crediderint in nomen eius, accipiant poteſtatem qua filij Dei fiant, quem audiuimus, & vidimus oculis noſtris, ſapientiam & ſermonem Dei hunc eſſe omnes credentes, clamamus, *Gloria tibi Domine*. Deinde rurſus Spiritus in lucida nube obumbrans, nunc per hominem clamat: Attendamus. *Attendite* hoc eſt, ipſum audite, Matthæus, ſi vis interpretari, mel eſt: Marcus, vinum: Lucas, lac: Ioannes oleum. E

Quatuor euangelia ſunt ad exemplum quatuor ventorum vniuerſalium, Subſolani, Fauonij, Auſtri, Aquilonis: F hi enim exiſtunt ad mundi conſtitutionem: vniuerſales vero dicuntur, propter alios octo ex aduerſo ſpirantes. Et aliter, quatuor Euangelia ſunt & quatuor vniuerſales venti, iuxta quadriformia animalia, dico ſane Cherubim illa in quibus ſedet vniuerſorum Deus, ex quibus conſtat, ſedentem ſuper Cherubim, Deum, & continentem hoc vniuerſum, patefactum dediſſe nobis quadriforme Euangelium, idque vno Spiritu contentum: quatuor enim facies habent, ac facies eorum, imaginem referunt adminiſtrationis Filij Dei. Primum enim animal (aiunt) leoni ſimile eſt, denotans efficaciam eius & principatum & regnum. Secundum, ſimile vitulo, ſacrificium & ſacerdotalem ordinem indicans. Tertium, habens faciem hominis, aduentum eius ſecundum hominem, manifeſto perſcribens. Quartum, ſimile aquilæ volanti, ſancti Spiritus aduolantem largitionem declarans. Igitur & euangelia his conformia ſunt, in quibus inſidet Chriſtus. Nam aquila quæ eſt, ſecundum Ioannem Euangelium, quem habet à Patre principatum eius & glorioſum generationem enarrat, inquiens: *In principio erat Verbum*. Et, *omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt*. Taurus, quod eſt ſecundum Lucam Euangelium, cum ſacerdotalem ſpeciem præ ſe ferat, à Zacharia ſacerdote incenſum offerente incipit, inquiens, *Poſtquam multi conati ſunt retexere narrationem*: *&c.* Iam enim ſaginatus vitulus pro inuentione iunioris pueri mactandus erat. G

Bos appetibile iecur ſignificat. Varius vero equus, Lucas, vt qui magis eloquenter & varie geſta Domini tractarit. Matthæus vero, humanam eius generationem concionatur, inquiens, *Liber generationis* IESV CHRISTI, *&c.* IESV CHRISTI autem natiuitas ſic habet: hominis ergo conformationem refert hoc Euangelium. Homo quod rationis eſt particeps. Homo, quod eius capite continetur, Latini dicunt, rationabile, Græci Phroneſin & logoreta, prudentiam & orationis vſum: Arabes ſiue Saraceni, Elaphacar, elacil, elrzinum. Fuluus igitur equus Matthæus, vt qui humanitatis aſſumptionem Domini diſerte expoſuerit. Leonis ſpecie, Marcus, à Prophetico ſpiritu ex alto adueniente, hominis initium fecit, inquiens, *Initium Euangelij* IESV CHRISTI, *vt ſcriptum eſt in Prophetis, ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam*: volatilem imaginem Euangelij, his verbis oſtendens. Leo, animal thymicum eſt, id eſt, ad iram pronum, Latini dicunt, iraſcibile. Et taliter Thymicum, fortitudinem & timiditatem ſignificat, Latinis, iraſcibile, Saracenis, Elgadab, enigde, velgibem. Et aliter. Variegatus, equus, Marcus, vt qui floribus diſtinctius Euangelium ſcripſerit: Ioannes, aquila vt qui ſpiritale. Et aliter. Aquila, anima eſt. Et aliter, albidus equus, Ioannes, aquila, vt qui candidius vniuerſam laudationem peruulgarit. Cæterum ipſe ſermo Dei, Patriarchis ante Moſem diuine & glorioſe colloquebatur. Qui erant in lege, iis ſacerdotalem ordinem tribuit: Poſtea autem homo factus, donum ſancti H

A Spiritus in vniuerſam emiſit terram, tegens nos ſuis alis. Qualis igitur operatio Filij Dei, talis & animalium forma, talis & Euangeliorum ſtilus. Quatuor enim formas animalia habent, habet totidem & Euangelium, & operatio Domini: & ob id, quatuor generalia teſtamenta, humanæ naturæ data ſunt: vnum quidem in diluuio, de arcu; ſecundum Abrahamo, de ſigno circoncilionis; tertium eſt, legiſlatio per Moſem; quartum eſt, Euangelij IESV CHRISTI Domini noſtri. His vero ſic habentibus, vani ſunt omnes & imperiti, inſuper etiam temerarij qui abrogant idæam Euangelij, & ſiue plures ſiue pauciores quam quæ dictæ ſunt, circunferunt Euangeliorum facies; partim vt qui plura quam veritas habet extuliſſe videantur, partim vt qui diſpenſationes faciant irritas.

Poſt diuinorum Euangeliorum lectionem, preces & petitiones habitæ ad Cherubicum vſque hymnum: Chriſti & Dei noſtri doctrinam tribus annis, indicant, & eorum qui ad baptiſmum ſe applicarunt, inſtitutionem: ad quod, hos ſermonum potentia & miraculorum efficacia pertrahebat, quando etiam Cathecumeni, & nondum admiſſi ad Chriſti myſteria: foras migrant.

B

Sali radiis puriorem eſſe debet manum, qua Chriſti corpus contrectat.

Quæ vero interea fiunt preces, pro ipſis fiunt Cathecumenis, fidelibus, & ipſo pontifice. Intelligentes enim ſancti Patres, qualem eſſe neceſſe ſit animam & manum eius qui contrectaturus eſt immaculatiſſimum corpus Chriſti Dei noſtri, quodque puriorem ſolaribus radiis hanc eſſe oporteat, preces pro eorum venia per humanitatem futura, expoſuerunt. *Miſerere noſtri Deus pro tua magna miſericordia*: magna miſericordia, Filius, Dei & Sermo, quem in mundum miſit propiciationem Pater.

Chriſti aduentus futurus anno mundi 1500. ſecundum opinionem ſancti Germani quæ tamen vt aliorum patrum eadem de re ſententia expenditur P. Maluenda Theologo Dominicano lib. 1. de Antichriſto c. 28. 29. 30.

Quod pontifex obſignet populum, id ſubindicat futurum aduentum Chriſti, anno ſexies milleſimo quingenteſimo fore, ex ſupputatione digitorum ſignificante ſexies milleſimum quingenteſimum. Id & Hypolitus è Roma, & ſanctus Cyrillus dicunt in libris ſuis de Antichriſto, anno ſexies milleſimo quingenteſimo futurum aduentum fore. Itemque Chryſoſtomus.

Quia miſericors & hominum amans Deus exiſtis. Quotquot eſtis Cathecumeni procedite. Cathecumeni exeunt, vt diuino baptiſmate, & Chriſti myſteriis non initiati, de

C

quibus ait Dominus: *Alias oues habeo quæ non ſunt ex hoc ouili*, & cætera. *Orate Cathecumeni Dominum.* Non initiati non baptizati, quique confeſſione veſtra notati eſtis. Non initiati, imperiti, qui nondum participes eſtis diuinorum myſteriorum: non baptizati, qui nondum per baptiſmatis lauacrum illuminati eſtis, qui confeſſi eſtis & adhuc obnoxij mulctæ eſtis. Acclamat, vt omnes orent remiſſionem conſequi, & viuificam Hoſtiam per baptiſmum. *Fideles oremus pro Cathecumenis*: Illuminati & malorum immemores, quique ſuſtinetis & iniuriam condonare, & iniuriis benefacere: orate pro Cathecumenis, id eſt, pro nondum initiatis, vt ait Apoſtolus: *Vos potentes, impotentium onera portate. Inſtituat eos verbo veritatis.* Doceat eos de Seruatore, quam propter nos humilitatem aſſumpſit. *Reuelet eis Euangelium iuſtitiæ*: Patefaciat manifeſtationem bonarum rerum. *Vniat eos cum ſancta ſua Catholica & Apoſtolica Eccleſia.* Impertiat eis viuificum Sacrificium. *Cathecumeni, capita veſtra Domino inclinate*: nondum initiati, ſenſus & corda pura Domino inclinate:

Viuificum Sacrificium.

D

nondum initiati, ſenſus & corda pura Domino tribuite. *Vt & ipſi nobiſcum glorificent venerabile, &c.* Vt illuminati, & remiſſionem, & myſticum ac viuum ſacrificium adepti, glorificent nobiſcum, te Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum.

Corporale in Liturgia quid ſignificat.

Corporale, ſignificat, ſindonē, in qua inuolutum eſt corpus Chriſti de cruce deſcenſum, & in monumento poſitum. *Quotquot eſtis Cathecumeni accedite*: Omnis non illuminatus & non initiatus. quique etiamnum eſt in reatu, feſtinate, venite, illuminamini, & ad animarum nutricem menſam propius accedite, & eum qui ſacrificatur, puris cordibus & animis aſpicite: vtque fideles ſitis & non amplius Cathecumeni, etiam atque etiam intente & cum tranquilla mente oremus. Cherubicus hymnus demonſtrat per Diaconorum prægreſſionem, & Flabellorum, ſiue Seraphicarum alarum adumbrationem, inſpectionem, & ingreſſum Sanctorum & iuſtorum omnium vna ingredientium coram Cherubicis poteſtatibus, & Angelicis exercitibus, & Choris incorporeis, & immaterialibus ordinibus inuiſibiliter præcurrentibus, & hymnos dicentibus, & comitantibus quaſi ſatellitibus ante magnum Regem Chriſtum qui proficiſcitur ad myſticum Sacrificium, & manibus materialibus geſtatur: cum quibus & Spiritus ſanctus vna procedit à fronte, ad incruentum Sacrificium & rationabile myſterium, quæ ſpiritaliter contemplamur in igne, & incenſo, vt vapore fumi fragrantis: igne quidem, deitatem, vapore fumi fragrantis, ſignificante aduentum eius, accedente inuiſibiliter & odore bono nos exhilarante. per myſticam & animalis ſacrificij ac incruenti latriam & holocauſtum.

Animarum nutrix menſa.

Hymnus Cherubicus.

E

Chriſtus ad myſticum Sacrificiũ proficiſcitur.

Myſteriũ rationabile.

Animalis Sacrificij myſtica latria.

Chriſti deſcenſio ad inferos.

Quinetiam intelligentes Poteſtates, & cœtus Angelorum, videntes, per crucem & mortem Chriſti, conſummatam eius diſpenſationem, tandemque & de morte victoriam habitam, & ad inferos deſcenſionem, & triduanam reſurrectionem, & eius aſcenſionem, nobiſcum clamant inuiſibiliter, *Alleluia.* Intuere intelligentes Pote-

F

ſtates, venientes cum pretioſis muneribus (id eſt corpus Domini IESV) Caluaria, ad ſepulchrum vſque, nobiſcum inuiſibiliter acclamant hymnum Cherubicum, *Alleluia.* Iezechiel enim ait: *Et Cherubim ſtabant à dextris domus dum ingrederetur vir indutus ſtola, & nubes repleuit aulam interiorem & diſceſſit gloria Domini à Cherubim in ſubdialem partem domus, & impleuit domum nubes, & aula repleta eſt ſplendore gloriæ Domini.*

Eſt autem ſancta menſa, ad imitationem ſepulturæ Chriſti, qua Ioſeph ſublato corpore de cruce inuoluit ſindone munda, & aromatibus ac vnguentis ipſum vnctum exportauit cum Nicodemo, & ſepeliuit ipſum in monumento nouo exciſo ex petra: quod eſt exemplum ſancti monumenti illius, altare & Catharefium, in quo poſitum eſt ſanctum & omnino immaculatum corpus, quæ eſt ſancta menſa, Aliter. Sacrorum tranſlatio à Protheſi, corporis (inquam) Dominici, & ſanguinis, & eorum ingreſſus ad altare, & Cherubicum, à Bethania in

G

Ieruſalem, Domini introitum ſignificat. Tunc enim plurima turba & Hebræorum pueri tanquam Regi & victori mortis hymnum referebant ſenſibiliter: ſpiritualiter autem Angeli cum Cherubim, Ter-ſanctum reddiderunt hymnum: ac ſceptra ac romphæas, vt inſignia Regis proferunt Diaconi. Flabella vero typum referunt Cherubim. Cherubicus vero hymnus qui canitur, admonet omnes hinc & ad finem vſque ſacri officij, attentiorem mentem habere, omiſſa inferius omni de rebus ad vitam tuendam pertinentibus ſollicitudine, quaſi Regem magnum per communionem excepturos.

Flabella Diaconorum.

Sacrorum ad ſanctam menſam depoſitio, imitationem habet temporis cœnaculi tum crucifixi: paulo poſt autem eadem, & crucis elationem, & ad finem, ſepulturam deſignat & reſurrectionum, & illinc aſſumptionem. Vt enim ne ſingulatim rerum geſtarum eo tempore, tempus, occaſionem, & locum diſtinguentes ſancti Patres, adhuc etiam tranſlationum aliarum, & altarium, plurium indigerent, indeque culpabile Eccleſiæ myſterium exiſteret, quidnam conſiderant aut faciunt? profecto quod valde magnificum & præclarum, ac in eis inhabitante ſpiri-

H

tu dignum opificij diuini modum imitati ſunt, quatenus homini licet imitari conficereque diuina: atque vt cœlum, quod ſupra ſacram menſam eminet laquearium conficiunt: vt totam terram præfiniunt, quod à quatuor columnis eius quod ciborium appellatur, concluſum aut circunſcriptum ſacrum ſolum, in quo completur & propheticus ſermo, inquiens: *Operatus eſt ſalutem in medio terræ Deus*: niſi enim ita fuiſſet actum, quomodo qui in India perficiunt magnum hoc myſterium, & credunt illud corpus Chriſti & Dei eſſe noſtri, crucifixum & ſepultum, & reſurgens, hanc ſalutem in medio terræ dicerent Dominum operari? quomodo item fideles Veneticas inſulas inhabitantes, idem ſenſu conſeruato reciperent, omnibus confitentibus, in Hieroſolymis circunſcriptum eſſe ipſiſſimum medium terræ? Aut omnino, quia continium

Ciborii.

Indi perficiũt myſterium, & credũt illud eſſe Chriſti corpus.

Veneticas inſulas quæ habitans idem credunt.

Medium terra Hieroſolymis.

cœli

A cœli & terræ cum ſancta menſa ſit, & item in medio cœleſtis orbis ſubſiſtat, & medium columnarum quæ ſunt in circuitu tabellæ, ſtatione teneat locum, vbi eacunque fuerit, in medio terræ ſalutem fieri demonſtrat: vbi & omnia quæ paſſionis ſunt, Chriſtus ſubit, proditionem, iudicationem, quæ ante crucem, quæque poſt crucem acta ſunt. Merito igitur ſancti Patres, ita perfici hæc & offerri cenſuerunt.

Diſcus.

Diſcus eſt vice manuum Ioſeph & Nicodemi, qui funus Chriſto celebrarunt. Diſcus eſt autem, vbi Chriſtus infertur, ſi velis interpretari, cœli orbis indicans in parua circunſcriptione ſpiritualem Solem, Chriſtum in pane viſum. Poculum eſt vice vaſis illius quod accepit ſanguinem emiſſum ab immaculato latere puncto, & precioſos à manibus & pedibus defluxus. Poculum rurſum eſt ad exemplum crateræ illius quam deſcribit propriè Sapientia ſiue Filius Dei: Miſcuit enim ſanguinem ſuum vice vini illius, & propoſuit in ſancta menſa, inquiens omnibus; Bibite ſanguinem meum, pro vino mixto vobis, *in remiſſionem peccatorum* & in vitam æternam. Chriſtus, Dei ſapientia & virtus, ſuam carnem ædificauit, ex virum non experta caſta Matre & Virgine, præpurgata anima & corpore: *& Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis*, & ſubfulſit columnas ſeptem, ſancti Spiritus ſeptenarium donum, quemadmodum ait Eſaias, *Requieſcent enim ſuper eum ſeptem Spiritus*; id eſt, ſeptem operationes Spiritus: in quibus ſunt aduerſa vitiis totidem. Mactauit ſuas victimas, prophetas ſuo tempore interſectos ab infidelibus pro veritate, & clamantes, *Propter te morti addicimur tota die, reputati ſumus quaſi oues occiſionis.* Et miſcuit in cratera ſuum vinum inſuper ſancta Virgine ſuam deitatem vniens carni, vt vinum merum. Seruator enim genitus eſt ex ea inconfuſe, & abſque coniuge Deus & homo & parauit ſuam menſam, agnitionem ſanctæ Trinitatis quæ annunciatur: miſitque ſuos ſeruos in vniuerſum mundum, qui inuitarent omnes gentes ad agnitionem Dei, & mentis indigis ait, nondum adeptis ſancti Spiritus gratiam, *Venite, comedite meum panem, & bibite vinum quod miſcui vobis:* diuinam ſuam carnem, & ſanctum ſuum ſanguinem dedit nobis Chriſtus edendum & bibendum in remiſſionem peccatorum. Diſci velamentum eſt, pro ſudario quod ſuper eius facie erat, circuntegens ipſam in ſepulchro. Velum (id eſt, Aër) Etiam dicitur vice lapidis quo munitum eſt à Ioſeph monumentum, quem obſignauit Pilati cuſtodia. Ecce crucifixus eſt Chriſtus, ſepulta eſt vita, munitum eſt ſepulchrum, obſignatus eſt lapis.

Chriſtus in pane viſus. Chriſti ſanguis vaſe exceptus.

B

Chriſti mater præpurgata corpore & anima.

C

Diſci velamentū.

Ablutio manuum in Miſſa, quid ſignificet.

Ablutio manuum eſt vice eius qui ſe lauit, & *Innocens ſum*; vociferatus eſt. Nobis autem ſacerdotibus innuit, vt puri conſcientia, mente & cogitatione (quæ ſunt manus animarum noſtrarum) cum timore & manſuetudine & clementia omni accedamus ad ſanctam menſam.

Lauabo inter innocentes manus meas: Addam puris ſacerdotibus duas naturas meas: animæ manus dico, lauabo in caſtitate. *Et circundabo altare tuum Domine:* quia ſemper Deo aſſidere debemus nuſquam ad libidinoſum peccatum irruentes. Et aliter: ſeruiam tibi, & communicabo cum fideli populo. *Vt audiam ego vocem laudis tuæ:* Acclamationem innuit horum verborum, *Tua de tuis tibi offerentes.* Et aliter. Lectionem (inquit) hanc Audiam & docebo eam populum, ſcilicet fidelem, & audientes cuſtodiemus ſimul mandata tua. *Et narrabo omnia mirabilia tua:* myſticas (inquam) orationes humanitatis. *Domine dilexi decorem domus tuæ*; de Eccleſia, ait: decor autem Eccleſiæ, fidelis populus eſt. *Et locum tabernaculi gloriæ tuæ*, caſtum vterum virginis dicit, in qua habitauit. Et aliter: *locum vbi tu inhabitas.*

D

Supplicatione expleta pro illatis precioſis donis, ait, *Sanctiſſima, immaculata, ſuperbenedicta Domina noſtra Deipara, præcurſoriſque, & Apoſtolorum, & omnium Sanctorum vitam & facta recordati, ita & nos alter cum altero commendentes, vitam noſtram vniuerſam cum Sanctis commendamus Deo cum operibus bonis: per miſerationes Vnigeniti tui Filij, cum quo benedictus es in ſæcula ſæculorū:* per compaſſionem Filij tui, quam habet in nos, benedicimus te cum ſancto Spiritu, nunc & ſemper, & in ſæcula.

E

Pax omnibus: concordiam, & dilectionem, & eundem ſenſum, inter nos inuicem coaleſcentes, Domini imitationem ipſi arripiamus, pacem ſuam relinquentis, & dantis, & exclamantis, quietam mentem omnes habeamus. *Et ſpiritui tuo*: id eſt, tecum vnionem indiuiduam da nobis, vt ſpiritu pacem agitantes, inſeparabiles ſimus. *Diligamus inuicem:* Animos, alij aliorum coniunctione copulantes, & ita poterimus audacter & libere frui propoſita menſa.

Hoc, *Diligamus alij alios:* ſignificat & charitatem in omnes, & in ſeipſos inuicem, & Dei futuram concordiam, & ſenſuum tranſitum, & ſpiritalium patefactionem, & ſancti ſymboli fidei, & nouam diuini myſterij ſucceſſionem.

Ianuas, ianuas; in ſapientia: cogitationes mentium noſtrarum tollamus à terrenis operibus & cogitationibus. *Attendamus in ſapientia:* id eſt, in Filio & Verbo Dei, & ad intelligentiam diuini ſymboli à ſanctis & diuinis patribus expoſiti, in Dei Eccleſia attendamus, id eſt, *Credo in vnum Deum, Patrem omnipotentem:* ac volentes & intelligentes, cum quieta mente accedamus ad myſticum & viuificum ſacrificium.

F

Cur fidei Symbolū, in Miſſa recitatur.

Diuinum orthodoxæ fidei ſymbolum dici conſtitutum eſt, vt ex hoc notum ſit omnibus, vnum è ſancta Trinitate, Vnigenitum Filium & Sermonem Patris initio carentis, ipſum propter noſtram ſalutem hominem factum fuiſſe carne ſumpta ex ſancta Virgine, crucifixum, & ſepultum, & reſurgentem. Nos diuino iuſſu his ritibus vtimur, vt non verbis dumtaxat, ſed & operibus in perpetuum ſalutem noſtram operantes, ita appareamus viuentes ſimul & conuerſantes. Ac paſſiones quidem, carne hunc ſuſtinuiſſe confitemur, impatibilem vero huius conſeruatam fuiſſe deitatem. Simulque vt pronunciatione diuini huius Symboli, & ignorantes & imperiti audientes hoc, dum canitur, perpetuo recognoſcant pronunciata myſteria fidei, & multorum auribus non audita.

Diuino iuſſu, ritibus in Miſſa vtimur.

Fidei pronunciata myſteria.

G

Ianuarum autem clauſio, & ſupra has veli explicatio, vt in monaſteriis aſſolent, & per eum qui Aër appellatur, diuinorum velatio: noctem (vt arbitror) illam indicat, in qua diſcipuli proditio proceſſit, & ad Caipham abductio, & ad Annam præſentatio, & falſa teſtimonia, & proculdubio illuſiones, & colaphorum incuſſiones, & alia quæ tum temporis contigerunt. Quam ob rem enim aliam, hoc velamē Aër nominatus eſt, quàm omnino quia occultatus ab eo tenebroſus aër dictæ noctis deſignatur? quando & Petrus ille magnus pro foribus ſtans, interceſſione agniti Pontifici diſcipuli introductus eſt in aulam: vbi & ancilla ei occurrens, & qui ad pyram aſtabant intuentes, carpebant, & reliqua conſecuta ſunt ei, quæ ad præcipitium abnegationis perpulerunt: quod qui lapſum admiſerit minor cadat quam vt aut efferatur, aut glorietur. Sublato autem Aëre, & Velo contracto, ianuiſque apertis, tempus matutinum illud innuitur, quando abduxerunt ipſum, & tradiderunt Pontio Pilato præſidi.

Ianua, quo myſterio, apud Græcos claudantur dum ſacrificatur.

H

Accedit Sacerdos, conuerſatus cum angelicis Poteſtatibus, non iam quaſi in terreno loco ſtans, ſed in cœleſti altari, coram formidabili altari, throno Dei aſſiſtens, contemplatur magnum & inenarrabile & inueſtigabile Chriſti myſterium. Gratias agit, concionatur de reſurrectione, obſignat fide ſanctæ Trinitatis: accedit albis veſtitus Angelus, lapidem è monumento manu reuoluens, ſpecie præ ſe id ferens, clamans voce tremula, & per Diaconum prædicans triduanam reſuſcitationem! & extollens velum, clamat Diaconus, inquiens; *ſtemus honeſte, ſtemus cum timore.* Ecce primus dies! *Attendamus ſanctæ oblationi:* Ecce dies ſecundus! *In pace offerentes:* Ecce tertius dies! Et aliter: *ſtemus honeſte:* Mentes noſtras firmas habentes, audiamus myſticum & viuificum ſacrificium. Populus conclamat reſurrectionis Chriſti gratiam: *Oleum pacis, ſacrificium laudis.* Sacerdos vero docet populum, quam per gratiam Chriſti dilicit tri-

nam

A *Conſubſtantialis Trinitas.*

nam Dei cognitionem: *Gratia ſancta & conſubſtantialis Trinitatis ſit cum omnibus vobis.*

Alij ſacerdotes proferunt ita: *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & charitas Dei Patris, & communicatio ſancti Spiritus ſit cum omnibus vobis.* Populus vna confitetur & orat, inquiens: *Et cum Spiritu tuo.* vt ſuperius diximus, ita agamus. Vel ita: ſi egerimus vt ſuperius diximus; gratia & charitas Domini cum omnibus nobis. Ipſe enim propter charitatem ſuam quam in nobis demonſtrauit, Filium ſuum in mundum miſit, & corpus eius propiciationem in viuum ſacrificium dedit, & ſanguinem eius in ſalutare poculum lætitiæ. Deinde ſacerdos oculos attollens in ſupernam illam Ieruſalem ſupercœleſtem, in qua ſtantes erant pedes noſtri ante lapſum, in atriis tuis Ieruſalem, in montem ſanctum eius clamat: *Aſpicite; ſurſum habeamus corda.* Omnes teſtificantur, inquientes; *habemus ad Dominum.* Sacerdos: *Gratias agamus Domino.* Videte; *ſurſum habeamus corda:* à terrenis, tollamus ſenſus ad ſupernum Regem, & eius placita faciamus. *Gratias agamus Domino:* nimirum qui dedit ſemetipſum, pretium redemptionis pro nobis & mutuum gratiis agendis hymnum Domino reddamus; & vice ſalutis qua ſeruati ſumus, gratiarum actionem & gloriam reddamus Domino. *Dignum & iuſtum eſt;* ait populus.

Sacrificiũ viuum.

Surſum corda.

B

Velum.

Velum dicitur propter Apoſtolum inquientem, *habemus fiduciam in introitu Sanctorum in ſanguine Ieſu Chriſti, quo renouauit nobis viam ſalutis nouam & viuentem per velamen, id eſt, carnem ſuam, magnus ſacerdos in nomine Dei.*

Deinde progreditur ſacerdos cum fiducia ad thronum gratiæ Dei, cum veraci corde, in plenitudine fidei conferens ſermones cum Deo, & ſolus cum eo colloquens; non iam per nubem, vt aliquando Moſes in Tabernaculo teſtimonij, ſed reuelata facie, gloriam Domini, oculis cernens: ac ſanctæ Trinitatis diuina cognitione & fide initiatur, & ſolus cum ſolo Deo myſteria loquitur, myſteria annuncians in myſteriis, occulta ante ſæcula & à generationibus: nunc autem manifeſtata nobis per apparitionem filij Dei, quæ nobis enarrauit Vnigenitus Filius qui erat in ſinu Patris. Vt enim locutus eſt Deus Moſi inuiſibiliter & Moſes Deo: ita & ſacerdos in medio duorum Cherubim ſtans in propitiatorio, & ſe concutiens propter intolerabilem & inſpectabilem Deitatis gloriam & ſplendorem, cœleſtem cultum mente cernit, & initiatur vitæ principis & ſingularis principatus ſuperſubſtantialis Trinitatis, diuina illuminatione & doctrina de Deo & Patre, quod principio carens & ingenitus ſit. De Filio & ſermone, quod vna principio carens & conſubſtantialis & genitus ſit: de Spiritu ſancto: quod coëternus ſit & connaturalis & procedens: quæ eſt Trinitas ſancta, ſecundum hypoſtaſeon (id eſt; perſonarum) inconfuſam æternitatem, ſecundum naturæ vnitatem indiuiduam, & inſeparabilem vnam deitatem, & regnum, & gloriam. Atque mente cernit, & elata voce canit Seraphicarum Poteſtatum ter-ſanctam gloriæ celebrationem, ipſorum Cherubim obumbrantium; & Seraphim vociferantium: cum quibus clamat, *Victoria Hymnum canentia.* Deinde populus vice Cherubicarum virtutum & quadriformium Animalium clamant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Sabaoth:* id eſt, ter-ſanctus & vnus Deus virtutum. *Oſanna in excelſis, benedictus, qui venit in nomine Domini, Oſanna;* eſt, ſerua obſecro, vt ait; *qui venit in nomine Domini, victoria hymnum canentia: Canentia,* ad Aquilam; *vociferantia,* ad bouem; *clamantia,* ad leonem; & *dicentia,* ad hominem pertinet. Rationalis homo pro Cherubicis Virtutibus; & quadriformia animalia vociferantur, *Sanctus, Sanctus, Sanctus:* hoc eſt, ter ſanctus & vnus Deus Virtutum: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Sabbaoth. Sanctus quidem Pater, vt præcipue ſanctus & beatus, illa enim & ſola beata natura Dei. Sanctus Filius, vt ſermo Dei & character hypoſtaſeos eius, & effigies exemplaris, & ſigillum immobile, & incommutabilis natura: Filius quidem, vt ex ipſo (ſcilicet ex Patre) natus impatibiliter, vt Verbum ex mente:

C

Deus Moſi loquutus inuiſibiliter.

D

& quod per ipſum facta ſunt omnia viſibilia & inuiſibilia, iuxta Apoſtolum. *Sermone enim Domini, cœli firmati ſunt,* vt ait Dauid. Sanctus vero & Spiritus ſanctus qui à Patre procedit & in Filio requieſcit & ſanctificat omnia, & opera perficit, non perficitur, ſanctificat, non ſanctificatur.

E

Quemadmodum enim Sol fons & cauſa radij & illuminationis eſt, ac per radium nobis illuminatio communicatur, & ipſa eſt quæ nobis prælucet, & à nobis participatur; ita ſane & Deus & Pater, fons eſt & cauſa Filij: & Sanctus Spiritus; Spiritus à Patre procedens per Filium communicatur & manifeſtatur. Verbum autem *Dominus*, vnit Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum & vnum eſſe tria demonſtrat. *Ter ſanctus,* Seraphim dicunt, complentes gloriæ celebrationem his verbis, *Dominus Sabaoth.* Singularem naturam ponentia ſanctam Trinitatem, vt & ab ipſis nobis teſtificatum ſit *ſanctum* Seraphim: nos vero fideles, Patrem, & Filium, & ſanctum Spiritum, in quo perfectionem accepimus, cum Angelis ſentientes, tacitè theologamur, eſt enim in perſonis Trinitas, vnus vero Deus cui pſallimus. *Benedictus qui venit in nomine Domini. Oſanna in excelſis.* Hebraïcum ita habet: Oſanna Adonai; Aſdina, Baruch; pater, Abbath; Semma, Deniam, Sabbaoth. Deus virtutum qui voluit mactari vitulum ſaginatum, & vitulus qui ſemper mactatur volens, & ſemper viuens: qui perficit opus myſtici ſacrificij, & ſemper aduentans per baptiſmum: ſanctus es Rex ſæculorum, & omnis ſanctimoniæ dator. Tu es omnium potens, qui ſancta obſignas dona: ſanctus vero & vnigenitus tuus Filius Dominus noſter IESVS CHRISTVS, ante ſæcula ex te ineffabiliter genitus: ſanctus autem & Spiritus tuus, totus ſanctus, ſcrutans omnia, etiam profunda tua qui Deus es, per quem vniuerſa quæ in cœlo & ſuper terram ſunt, ſanctificantur.

Græcis patribus & lingua idiomate idem omnino ſignificat, cauſa & principiũ ac latinis patres, vt fatentur patrẽ eſſe principiũ filij, ita cauſã eſſe F *filij, non admittunt, ob præclaras rationes quas S. Thomas collegit 1. p. q. 33. a. 3.*

Chriſtus volens mactatur, & ſemper viuens viuitur.

Flabella Diaconorum.

Flabella vero & Diaconi, indicant Seraphim ſex alis prædita, & multioculorum Cherubim effigiem. Etenim ſupermundanorum & ſupercœleſtium ſupermundanam & ſpiritalem ordinationem pariter & terrena imitantur. Etenim quadriformia animalia, mutuis cantibus alia ab aliis viciſſim excipientia clamant: primum quidem animal ſimilitudine referens leonem, clamat; *Sanctus:* ſecundum ſimilitudinem vituli referens, clamat, *Sanctus:* tertium ſimile aquilæ, clamat, *Sanctus:* quartum ad ſimilitudinem hominis, clamat, *Dominus Sabaoth*; tribus ſanctificationibus, in vnam deitatem coëuntibus, dominationem & poteſtatem: quemadmodum Propheta contemplatus eſt, *Vidi Dominum ſuper throno ſedentem excelſo & elato, & Seraphicas poteſtates in circuitu adſtantes: & de voce, impleta eſt domus, fumo.* Illud autem, *miſſum eſt vnum è Seraphim, & habebat carbonem in manu, quem forcipe ab altari excepit:* ſignificat ſacerdotem tenentem ſpiritalem carbonem (Chriſtum) forcipe manus ſuæ, in ſancto altari, & ſanctificantem & purgantem accipientes & participantes. Etenim in cœleſtia & non manu facta & Sancta ingreſſus eſt Chriſtus, & apparuit in gloria coram Dei & Patris facie, pro nobis factus pontifex magnus, penetrans cœlos: & habemus ipſum aduocatum apud Patrem, & propiciationem pro peccatis noſtris, vtpote cuius ſanctum & coæternum corpus nobis coagmentatum ſit, & precioſus ſanguis redemptionis precium pro nobis omnibus, quemadmodum ipſe ait: *Pater ſanctifica eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, vt ſint & ipſi ſanctificati in veritate: ac volo vt vbi ego ſum, & hi ſint, & contemplentur gloriam meam, quod dilexerim eos, vt dilexiſti me ante conſtitutionem mundi.*

Terrena G *imitantur cœleſtium ordinationem.*

Iſa. 6.

H

Ipſe dixit; Hoc eſt corpus meum, hic ſanguis meus: Ipſe & Apoſtolis iuſſit, & per illos vniuerſæ Eccleſiæ: hoc facere: *Hoc* (enim ait) *facite in meam commemorationem.* Non ſane id facere iuſſiſſet, niſi vim induturus fuiſſet vt id facere liceret. Et quæ eſt deprecatio? Spiritus ſanctus, virtus quæ ex alto, Apoſtolos armauit, vt eis à Domino dictum fuerat; *Sedete in vrbe Ieruſalem donec induti ſitis virtute ex alto.* Hoc opus, eſt eius ingreſſus; non enim ſemel egreſſus, in poſterum dereliquit nos, ſed

Chriſtus in Apoſtolis non iuſſiſſet toti Eccleſiæ facere corpus ſuũ, niſi virtutem hoc faciendi, fuiſſet illos induturus.

Luc. 24. 49.

eſt

A

eſt nobiſcum & erit in perpetuum ? & in æuum hoc, per manum ſacerdotum & linguam, myſteria conficit; ac non ſanctum Spiritum dumtaxat miſit Dominus noſter, vt maneat nobiſcum; ſed & ipſe pollicitus eſt ſe manſurum nobiſcum; *vſque ad conſummationem ſeculi.* At Paracletus inconſpicuus adeſt, quia ipſe corpus non geſtauit: Dominus vero conſpicitur, & tangi ſe patitur per tremenda ſacra myſteria, vt qui noſtram naturam acceperit, eamque geſtet in ſecula. Hæc ſacerdotij virtus, hic ſacerdos, non enim ſemel cum ſe obtulerit & ſacrificarit, ſacerdotio defunctus eſt: ſed hoc perpetuo, noſtrum miniſterij munus obit; quo & aduocatus eſt pro nobis apud Deum per æuum. Propterea nulla fidelibus de ſanctificatione donorum dubitatio ſupereſt, neque de aliis Sacramentis, an ſecundum propoſitum & preces Sacerdotum compleantur.

Chriſtus per tremenda Myſteria, videri ſe & tangi patitur.

Fidelibus nulla ſupereſt dubitatio de ſanctificatione donorum & aliis Sacramentis.

Quid vero (quiſpiam dicat) de diuinis Flabellis quæ tenent manus Diaconorum, & ab ipſis verſantur derepente, quaſi in animi conſternatione, vſque ad precationem Dominicam? Ac temerarium quidem eſt adhuc de his pronunciare: verum quia ſemel ad præceptum mandari obſecundauimus; age, de his quoque dicamus, quæ Deus dederit: ſiquidem & aliis probentur, Deo gratia habeatur; non enim omnino vituperabilia (certo ſcio) neque extra dogmata fidei orthodoxæ Chriſtianorum. Dicimus igitur, ſemper & inſeparabiliter adfuiſſe Virtutes cœleſtes vna cum Domino Chriſto: præcipue vero in illa nocte qua traditus eſt. Eæ igitur cernentes abductionem ad Caipham, præſentationem coram eo, falſa teſtimonia, alaparum incuſſiones, in eum exſcreationes, colaphorum inflictiones, ludibrium illud Iudæorum, militum coccineum indumentum, ſpineam coronam; cum riſu coniunctas geniculationes, aliaque omnia tum quæ diuinorum Euangeliorum hiſtoria enarrat, tum quæ propter multitudinem fortaſſe prætermiſſa ſunt; in ſingulis quæ fiebant, admirantes & ſtupentes longanimitatis & patientiæ magnitudinem, velantes ſuas facies ſe auertebant, & iterum Domini majeſtatem reuerentes, ad ſe redibant, id autem faciebant vſque ad eius exaltationem in cruce. Extremum enim corporis paſſionum, & dedecoris quod inde prouenit, crux fuit; quæ gloria potius eſt, ac non dedecus; hæc enim eſt initium operationum & virtutum diuinarum. Hinc enim ille mundanus terræmotus, trium horarum ſpacio tenebræ ſuper vniuerſam terram, atque veli & petrarum diſruptio, & monumentorum patefactio; præterea etiam mortuorum reſurrectio, & quæcunque in inferos deſcendens Seruator egit: & propterea in ipſo crucifixionis loco cum eſſet Chriſtus, ſtuporis & admirationis ſpecies diuinæ illæ Poteſtates depoſuerunt; hincque omnia conuitia quæ crucem anteceſſerunt, & illuſorij honores quos exhibuerunt, & irriſiones, patientem magis tetigiſſe quam ſpiritales illas diuinas poteſtates perſpicuum fit.

B

Flabella Diaconorum.

Angeli ſemper adfuerunt Chriſto.

Angeli in ſingula Chriſti paſſionis momenta, ſtupebãt.

C

Crux Chriſti fuit initiũ diuinarũ virtutum.

Angeli ſtupore deſierunt cũ exaltatus fuit Chriſtus in cruce.

Deinde rurſus Sacerdos recitat Deo & Patri, aſſumptionis humanitatis myſteria, ex ſancta Virgine & Deipara ineffabilem generationem, conuerſationem & habitationem in mundo, crucem, mortem, eius ad inferos deſcenſionem, vinctorum illic liberationem, triduanam & ſanctam à mortuis reſurrectionem, aſſumptionem in cœlos, à dextris Dei & Patris ſeſſionem, ſecundum & futurum eius glorioſum reditum ad nos. Et rurſum inſtitutione ſacrorum eruditus; appellat Deum ingenitum; hoc eſt, Deum & Patrem, & vterum, ante Luciferum & ante ſecula filium gignentem, vt ait: *ex vtero ante Luciferum genui te.* Et rurſus obſecrat vt conficiatur myſterium Filij eius, & fiat ſiue tranſmutetur ipſe panis & vinum in corpus & ſanguinem Chriſti & Dei, & impleatur hoc, *Ego hodie genui te.* Vnde & ſanctus Spiritus, beneplacito Patris, & voluntate Filij inuiſibiliter præſens, ſubmonſtrat diuinam confectionem, & manu ſacerdotis obſignat, & tranſmutat, & conficit propoſita ſancta dona in corpus & ſanguinem Domini Iesv Christi qui dixit, *Pro ipſis ego ſanctifico meipſum; vt ſint & ipſi ſanctificati.* Quo pacto; *qui edit meam carnem & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in eo.* Vnde nos qui diuinorum myſteriorum ſumus inſpectores; & participes immortalis vitæ, & diuinæ naturæ communione donati, glorificabimus magnum & incomprehenſibile & inueſtigabile myſterium diſpenſationis filij Dei: glorificanteſque clamamus *tuá de tuis tibi offerentes:* de tuó corpore & ſanguine, qui dixiſti, *Hoc facite in meam commemorationem.* Quod eſt, quæ nobis per ſanctos tuos Apoſtolos tradidiſti, ea tibi offerimus propter noſtram ſalutem. Populus: *Te hymnis celebramus Deum & Patrem. tibi benedicimus Filio & Verbo: tibi gratias agimus ſancto Spiritui, Domine Deus noſter: Trinitas in vnitate, & vnitas in Trinitate,* conſubſtantialis & indiuidua, admirabiliter habens & diſtinctionem perſonarum, & vnionem vnius naturæ deitatis. Etenim quod pronus Sacerdos diuinam Myſtagogiam faciat, id declarat, eum inuiſibiliter cum ſolo Deo colloqui. Vnde & diuinam lucis apparitionem cernit, & ad ſplendorem gloriæ conſpectus filij Dei, exhilareſcit, & ſe ſubtrahit timore & verecundia, quemadmodum Moyſes cum Deum vidit in monte, ignis ſpecie, perterrefactus receſſit & occultauit faciem ſuam, reuerebatur enim percipere à gloria Dei faciem. *Præcipue ſanctiſſima, immaculata:* Oportet vt nos Dominam huius vniuerſi laudemus, & illam Angeli ſalutationem enunciemus.

D

Spiritus S. tranſmutat dona, in Chriſti corpus & ſanguinem.

Ioh. 6.

E

Chriſtus per Apoſtolos nobis tradidit myſterium.

Sacerdos pronus peragit Myſtagogiam.

F

Deipara Domina huius vniuerſi.

Tua ex tuis: Deus ſecundum imaginem ſuam formauit nos: quod eſt, ſecundum ſanctitatem, iuſtitiam, & poteſtatem: nos vero tranſgreſſi, ſerui facti ſumus Pharaonis, aſperi heri. Veniens itaque Dominus noſter Iesvs Christvs redemit nos proprio ſanguine, & induit nos nouo homine, ac precioſum ſuum corpus & ſanguinem nobis dedit inquiens: *Hoc facite in mei recordationem,* nos enim memores eius mandati, Antitypa (id eſt, configuralia) offerimus, inquientes, *Tua ex tuis, tibi,* &c. ſpiritaliter, quæ eſt primigenia noſtra dignitas: nimirum quod ex imagine Dei habemus iuſtitiam, ſanctitatem, poteſtatem. Iuſtitiam, vt neque patiamur, neque faciamus iniuriam: ſanctitatem, vt iniuriam inferentes perpetiamur, & iniuriis cedamus, vel potius iis benefaciamus; omnibus autem in rebus, is hymnis celebrandus eſt vt Deus & Dominus huius vniuerſitatis.

Antitypa.

G

Signantur autem diuina dona, vt aduentus & glorioſa ſancti Spiritus præſentia tranſmutet & faciat, ex pane quidem, ipſum precioſum corpus Domini noſtri Iesv Christi, ex eo autem quod eſt in calice; ipſum precioſum ſanguinem magni Dei & Seruatoris noſtri Iesv Christi, qui effuſus eſt pro mundi vita & ſalute: & vt participantibus ex eo, fiat in remiſſionem peccatorum & vitam æternam.

Hoc autem præcipue: id eſt, O mater caſta, lumine carentes typos & præteritas vmbras Verbi contemplantes, quæque in eis ſunt, occluſis foribus, lumen veritatis refulgens glorificamus, tuo vero vtero digne benedicimus. *Et pro vniuerſorum cogitationibus.* Populus: *Et omnium vniuerſorum.*

Fiat autem & memoria apud Deum pro defunctis, & ſpiritibus & omni carne: vt qui mortuorum & viuentium poteſtatem habeat, & dominetur ſupercœleſtibus & terrenis & ſubterraneis: & vt Rege Chriſto præſente, & vt ſancto Spiritu omnes adhortante viuentes atque vita functos ad illic moram trahendam, & requieſcendum in Domini & Dei noſtri Iesv Christi occurſum, vt congregentur & præoccupent faciem eius, & audiant voces laudis eius; vt omnium quærant in infernis animarum ſolutis vinculis per mortem & reſurrectionem Chriſti. Ipſe enim excitatus eſt à mortuis, primitiæ & primogenitus factus dormientium, & omnibus viam aperiens reſurrectionis à mortuis, ad immortalem & beatam vitam refocillans eos qui in ſpe reſurrectionis eius dormierunt. Conuocantur autem omnes eorum animæ cum Prophetis & Apoſtolis & martyribus, vt vna ingrediantur & recumbant cum Abraham & Iſaac & Iacob, in myſtica menſa regni Dei.

Qui ſint fructus

H

memoriæ quæ fit pro defunctis in Liturgia. Requies corporũ defunctorum.

Et da nobis, ore vno & corde vno glorificare & laudare honorificentiſſimum; Supplicamus tibi; ore vno vnoque corde, vt te verbis glorificemus; ita ſane & vnum ſpiritum

&

A & vnum animum da nobis, vt coniuncti charitatis vinculo poſſimus cum fiducia frui propoſita menſa, & fiamus diuinis myſteriis digni, glorificantes & hymnis celebrantes precioſiſſimum & magnificum nomen tuum, ô Pater & Fili & Spiritus ſancte. *Et ſint miſericordia magni Dei & Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti cum omnibus nobis:* Sic faciamus vt ſuperius diximus; miſerationes Dei erunt cum omnibus nobis. Miſericordia Dei Chriſtus eſt, qui propter nos & quia noſtri miſerebatur, à magno Deo miſſus eſt; & qui tradidit ſemetipſum, propter nos & miſertus eſt: qui enim in vnitatem fidei, & communicationem ſancti Spiritus coiuimus, per diſpenſationem eius qui pro nobis mortuus eſt & excitatus & ſedet in dextra Patris, non amplius ſuper terram ſumus; ſed in throno Dei, Regi aſſiſtimus in cœlis vbi Chriſtus eſt, quemadmodum ait ipſe: *Pater iuſte ſanctifica eos in nomine tuo quos dediſti mihi, vt vbi ego ſum & illi ſint mecum, & contemplentur gloriam quam dediſti mihi*, quod dilexerim B eos, *quemadmodum me dilexiſti:* omnes vero qui adoptionem in filium accepimus, & cohæredes Chriſti per gratiam eius ac non ex operibus noſtris facti ſumus, habemus Spiritum Filij Dei in cordibus noſtris cuius gratiam & efficaciam contemplans ſacerdos clamat & ait: *Abba Pater cœleſtis, dignare nos cum fiducia indemnabiliter audere inuocare te & dicere: Pater noſter qui es in cœlis:* Vere pater omnium noſtrum eſt, & omnes (vt vocis etymon indicat *) ſeruat: ac ſi quidem voluntatem eius facimus, Pater eſt noſter: ſin minus cuius opus facimus, is eſt pater. Et aliter: Patrem cum vocas? vt filius vitam tuam inſtitue, vt gratus ſis & placeas ipſi tuo Patri qui in cœlis eſt. Quis enim ſub mundi Principe tenebrarumque inferarum potente militans, & in filium ei adoptatus malis operibus; audeat, Auctorem omnium bonorum ac Dominum, dicere patrem? certum eſt quod hic non Dominum Sabaoth vocat Patrem; ſed aduerſum eius etiam opera facit. Aliter. Patrem dicis (ô homo) Deum, præclare dicis; eſt enim pater & auctor omnium C noſtrum: ſed feſtina ea obire munia quæ tuo placeant Patri. Si vero mala opera facis; perſpicuum eſt, te, diabolum inuocare patrem: ipſe enim eſt præſes malorum, quocirca feſtina hunc effugere, & bono patri tuo & procreatori tuo placere. *Sanctificetur nomen tuum.* Nomen eſt Filij Dei, quod inuocatum eſt ſuper nos. Chriſtus enim eſt, & nos Chriſtiani, & nomen eius in nobis inuocatur. Profecto vere ſanctus eſt Deus: at nos ſupplicamus, vt nomen ſuum in nobis ſanctificet; quod eſt opus noſtrum rationi conſentaneum, ſanctum & omnino purum facit corpus noſtrum vt irreprehenſum inueniatur in die defenſionis. Ecquid enim non eſt ſanctus Deus? profecto ſanctus eſt: ſed hoc ais: In me *ſanctificetur nomen tuum* vt videant homines bona opera mea, & te glorificent Patrem & factorem meum. *Adueniat regnum tuum:* Regnum Dei, Spiritus eſt ſanctus, quemadmodum ait; *Regnum cœlorum intra vos eſt.* Spiritui enim ſancto cum Patre & Filio regnare conuenit, qui ſanctificat & illuminat ſpiritales & Angelicas poteſtates, & cœleſtes exercitus, & omnem hominem venientem in mundum & credentem in nomine Patris & Filij & ſancti Spiritus. Vere Rex terræ, viſibilium & inuiſibilium: ſed quemadmodum cum ciuitas circundata eſt ab hoſtibus, requirit à Rege auxilium, ita & nos circundati ab aduerſariis poteſtatibus & peccatis, quærimus ab eo auxilium vt nos liberet. Regem appellas? fias vt ſpiritualis miles vt placeas Regi qui te in ſuum exercitum allegat. Et quidnam? non eſt Rex Deus? quod aduenturum eſt regnum eius? certe Rex omnium eſt: at quemadmodum ciuitas circundata, vt ſupra dictam. Et alio modo. Cum Propheta dicat; *regnauit Deus ſuper gentes* præterito tempore vt futuro vſus, huius rei gratia vociferamur, *Adueniat regnum tuum* ſuper nos qui gentes ſumus, Domine *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra:* Voluntas Dei & Patris, diſpenſatio Filij eius eſt. Angeli in cœlo, in concordia & conſenſu ſunt; ita quærimus & nos in charitate non ficta viuere: quodcunque vis ac requiris, in cœlo fit: in terra vt id fiat; facias oportet.

* Πατὴρ enim dicitur quaſi πάντα τηρῶν, hoc eſt, omnes conſeruans.

Matt. 6.

Pſal 46. 9.

E Senſus eſt eiuſmodi: Domine quemadmodum fit in cœlo voluntas tua; & ſunt omnes Angeli in pace, nec eſt in eis qui pellat & qui pellatur; neque qui affligat & affligatur. Neque qui bellum aggrediatur & qui ſuſtineat; ſed omnes in profunda tranquillitate glorificant te: ita & in nobis hominibus qui ſumus in terra, *fiat voluntas tua*; vt omnes gentes vno ore & vno corde glorificemus te factorem & noſtrum omnium Patrem.

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie: Panis quotidianus, eſt Chriſtus, qui eſt: ante fuit, & manet in ſecula; qui ſe voluntario præbet edendum, & ſine conſumptione permanet ſemper, vt det vitam mundo. Quem per baptiſmum accepimus; petimus vt ſemper accipiamus, habeamus, & comedamus; petimus naturæ noſtræ conuenientem, vt nos eo ſimus contenti; vt ne pauperes facti & fame tabeſcentes, ad blaſphemias conuertamur; aut ſupra modum abundantes efferamur, & à te proiiciamur. Panem ſi quæras, aurum ne cumules: ſin tibi deeſt & priuaris; id admoneat te, vt quæras. Quotidia- F num panem accipere poſtulamus, quia homines omnes ex duabus naturis coaleſcunt; animo (inquam) & corpore; propterea vtrique congruum panem petimus. Nam panis quidem corporis, hic panis eſt quo veſcimur; panis vero animi, ſermo Dei eſt. Aperi, fili, os tuum, & frequentius Dei ſis memor, quam reſpires.

Chriſtus voluntariò præbet edendum.

Et dimitte nobis debita noſtra: Condona nobis peccata noſtra quemadmodum nos delinquentibus in nos, dimittimus: ac, ſi ita facimus, ipſe quoque nobis ſic faciet. Remiſeriſne cuipiam quære; an fratrem ab inimicitiis ſolueris, apud te conſidera; quod ſi adhuc mali accepti recordaris, quam remiſſionem quæris? Eorum quæ dicimus hic ſenſus eſt Domine *dimitte nobis debita noſtra:* id eſt; peccata noſtra & lapſus, *ſicut & nos dimittimus* omnibus delinquentibus in nos; fratribus noſtris, tam liberis quam ſeruis, & omnibus ſubditis nobis. Hæc dicens, ô homo; an ita facias, tecum reputa, quia terribile eſt incidere in manus viuentis: ac te corrigens & emen- G dans, conuerte ad Deum & Patrem & factorem tuum.

Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo: nos, Domine, omni ſupplicio, ſumus digni, & ſupplicamus tibi ne tradas nos in manus inimiciſſimorum hominum, & malorum dæmonum, ad puniendos nos: ſed tu Domine, nos, erudiendo caſtiga; quia perinde eſt tua clementia, atque caſtigatio tua. Quid enim? inducitne hominem in tentationem? abſit! non enim Deus eſt auctor malorum: ſed obſecramus eum, vt per multas ſuas miſerationes non ſinat nos in tentationem incidere. Domine ſi quærat nos Satanas, vt cribret quemadmodum frumentum; vt etiam ſanctos tuos Apoſtolos quæſiuit, ſed non obtinuit; aut vt veterem illum Iob: ne des ei poteſtatem in nos, quinetiam ſi malignus homo velit nos tentare; ne tradas nos eius voluntati, ſed rege nos tegumento alarum tuarum.

Dei caſtigatio non inducit nos in tentationem.

Quoniam tuum eſt regnum & virtus & gloria, Patris & Filij & ſancti Spiritus: in tua eſt enim poteſtate & domi- H nio, miſeratio, & ſalus, mors & vita, ô Pater, & Fili & Spiritus ſancte, nunc, & ſemper, & in ſecula. Domine quoniam tuum eſt regnum, ne ſinas nos formidare aliud regnum, neque potentiam, neque dominationem. Et tametſi ſuppliciis digni ſumus propter peccata noſtra; tu nos quomodo vis punito, & ne tradas nos in manus hominum, incidemus autem in manus tuas: quia talis eſt magnitudo tua qualis & miſericordia tua, Pater omnipotens.

Pax omnibus: quietam & ſedatam mentem habeamus omnes. *Capita noſtra:* cogitationes noſtras cum operibus, Deo acceptas feramus, deprecantes vt propoſita munera in bonum complanet, in vſum & commodum cuiuſque. Gratias autem agimus: Dei gratia & miſerationibus & benignitate Filij tui in homines. Deinde clamat Sacerdos, omnibus inquiens: *Quia ego homo ſum, affectionibus, veſtri ſimilis, non cognoſcens cuiuſque veſtrum opera:* videte igitur vt ſanctificati ſitis, quia Chriſtus cuius participes eſtis futuri, ſanctus Deus eſt, & in ſanctis recumbit.

A

Sancta ſanctis: Immemoribus malorum, & mundis corde dignatur Deus largiri ſancta. Sanctos ait eos qui à praua conſcientia mundati ſunt, & in ſancta fide ſincere credunt. Populus fatetur & ait: *Vnus Sanctus, vnus Dominus Ieſus Chriſtus in gloriam Dei Patris*: Amen. Vnus ſanctus & Deus immunis ab omni peccato; Dominus noſter Ieſus Chriſtus, cum Deo Patre & S. Spiritu, ipſi gloria in ſæcula. Deum ait, qui in Trinitate celebratur.

Contegi autem alis talem ac talem theſin, ad exemplum eſt illius viſionis quæ Dei ſpeculatoribus apparuit. Aut potius quod per ternariam illam ſanctificationem, obſcure numerus perſonarum innuitur; & item; vnitas poteſtatis & naturæ & deitatis per vnitatem dominationis. Glorificatur etiam his tribus, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, trium perſonarum ſanctitas: rurſum cernitur, dominatio vnius naturæ & celebratur. Nimirum Deus in Trinitate, tribus Seraphicis ſanctificationibus glorificatur, in vnam coëuntibus & conuenientibus dominationem naturæ & deitatis. Sanctificationum autem ternio, tres perſonas innuit: & dominatio vnitas eſt vnius poteſtatis & naturæ. Itaque contegi alarum compage; deitatis id quod ignotum eſt & occultum, ſubindicat. Cum enim ait, *ſancta ſanctis*: hoc ait de mundis & ſanctis. Sanctorum, non peccatorum ſed bonorum operum copia eſt ac abundantia.

B

Eleuationis corporis Chriſti in miſſa, myſterium.

Eleuatio autem in altum venerandi corporis; repræſentat crucis elationem, & mortem in ea, & ipſam reſurrectionem. Quod autem ſubleuet ſacerdos diuinum panem, & ſignum crucis ter faciat in aëre cum venerabili & viuifico pane; id innuit; vna quidem crux quæ ſurſum deſignatur, ſanctificatum ſupernum æthera monſtrat; media, aerem; infima quæ fit infra & prope diſcum, terram in qua viuificum illud Chriſti corpus ſepultum eſt. Quod autem in calice faciat crucis ſignum idque tertium, ſanctificatum indicat, quatuor finibus terminatum vniuerſum mundum, à diuina per carnem aſſumptam diſpenſatione, & ab ipſa viuifica paſſione Chriſti Dei.

Signum crucis cum viuifico pane factum in miſſa quid ſignificet.

C

Myſterium ſigni crucis quod in calice fit.

Et Chriſtus Ieſus cruci affixus, ad occidentem erat intuens, eius vero venerandarum manuum, altera ad meridiem, altera in ſeptentrionem erat extenſa. Hoc autem, ad orientem, prout ait quidam, *Deus a Theman veniet*: quia ipſe eſt ſpiritalis ſol iuſtitiæ, &, *Oriens nomen eius* & propterea quod illinc expectamus æternam requiem & reſurrectionem.

Chriſtus crucifixus, occidentem intuebatur.

Quod autem tres fiant cruces, id ſanctæ Trinitatis myſterium ſignificat. Paſſus eſt filius & ſermo Dei, beneplacito coæterni Dei & Patris, cooperatione ſancti Spiritus: ob id & populus clamat; *vnus ſanctus, vnus Dominus Ieſus Chriſtus*: ſanctum & Dominum inquiens, eum, qui in Trinitate celebratur & glorificatur Deus. Nam ſanctificationum trina repetitio tres perſonas ſignificat & innuit. Quod autem ſubleuet diuinum panem ſolum; i. quia ipſe eſt Rex Dominus, & ipſe eſt caput, vt Apoſtolus ait alia autem veneranda dona, membra ſunt Chriſti, & corpus Chriſti; id eſt, venerandi corporis Chriſti Dei. ille enim eſt ſolus in quo figuratur & monſtratur diuina & viuifica paſſio eius, qui eſt immolatus pro mundi vita: quandoquidem ipſe ſolus diuinus panis mactatur, & vt agnus immolatur: alia vero diuina dona, lancea non diſſecantur in modum crucis lancea adhibita, ſed vt membra & partes corporis particulatim diuiduntur & mactantur. Igitur panis ille diuinus ſanctificatione participans communicat & aliis precioſis donis; ſimiliter & calici communicat ſanctificationem & gratiam.

D

Diuinus panis mactatur.

Poſt eleuationem; ſtatim partitio diuini corporis fit; verum enimuero tametſi in partes diuiditur, indiuiduum & inſectum, in ſingulis partibus ſectorum totum agnoſcitur & inuenitur. Tametſi enim corruptionem ſubiit morte; at eius caro in inferis non ſenſit corruptionem. Tunc & adfertur aqua calidiſſima in exiguo lebete; ac ex ea temperant quæ diuinæ menſæ propoſita ſunt, ſiue crateræ, ſiue pocula ſint; vt veluti ex viuente procedant diuino latere, vtraque calore referta: ita ſane & aqua calidiſſima tempore communionis iniecta abſolutum typum myſterii explet percipientium mammam poculi (quaſi ipſo vitam porrigente) latere contracto. Hæc etiam ianua quædam eſt ad Trinitatis fidem & cognitionem percipiendam; idque magnus ille Ioannes ac theologus repræſentat, tribus his teſtibus ſalutaris fidei & virtutis, ſermonem confirmans. *Tres (inquit) ſunt teſtificantes, ſpiritus, aqua, ſanguis* & tres in vnum coeunt. Communio autem ſignificat etiam illam, ante paſſionem, in myſtica cœna communicationem panis & noui poculi de quo ait Saluator noſter: *Non amplius ex eo bibo, donec bibero illud nouum in regno Patris mei*: quod & bibit poſt reſurrectionem, extraneo quodam ſimul & nouo modo: non enim quaſi tum temporis, corpus opus haberet alimenti; ſed pertinet ad plene docendos Apoſtolos de reſurrectione.

Chriſti corpus in ſacrificio indiuiduum licet diuidatur.

Calidiſſima aqua vſus & myſterium in ſacrificio iuxta ritum Græcani-

E

in Eccleſia.

1 Ioan. 5.

Quod autem ſacerdos ſolum diuinum panem percipiat abſque ſanguine; deinde poſtea diuinum ſanguinem ſumat: nihil aliud indicat quam ſanguinolentum adhuc eſſe diuinum agnum à diuina & vitali mactatione, & ſpiritali ſacrificio; quam Sacerdos fecerat myſtice in Protheſi. Oratio poſt communionem Sacerdotis; *Præparaſti in conſpectu meo menſam ex aduerſo omnium tribulantium me*: ſuper cœleſtem menſam inquit, myſterium immortale: menſam; immaculatum corpus. *Vnxiſti oleo caput meum*: Oleum dicit gratiæ ſancti Spiritus *Et calix tuus inebrians me, quam præclarus*, immortalem potum dicit diuini ſanguinis. Et aliter. Calicem, precioſum ſanguinem. Et illud: *vt inhabitem ego in domo Domini in longitudinem dierum*; in ſupernam Ieruſalem: Domus; cœlum, & Eccleſia & Sion.

F

Cum timore Dei & fide & charitate, accedite ad Chriſtum Deum & Regem noſtrum: Igitur habeamus oportet timorem & charitatem tempore myſteriorum, & cum fide accedamus: quia etſi innumeras ſcilicet iuſtificationes habeamus, & iniuriarum immemores ſimus, nihil ex eis ſalutis (inquit) percipere poterimus: propterea & timorem habeamus oportet & charitatem tempore ſacrificiorum, nihil enim iuſtitiæ aliud memorauit, quam charitatem. Ipſe enim vnigenitus Filius & Sermo Dei, pacis conciliator omni credenti eſt; ac precioſum ſuum corpus & ſanguinem cum timore & fide largitus eſt.

Myſteriorum tempore charitatem ac timorem habere oportet.

Iuſtitia noſtra aliud nihil quam

G

charitas, in ſacrificio deſideratur.

Recti quia accepimus partem intaminatorum; immortalium id eſt; recta cogitatione cum operibus ſtemus qui percepimus, & ei meritas gratias agamus quod dignatus ſit vt nos guſtauerimus diuina myſteria, & in regeneratione cum eo habitemus. Amen. Aliter. Nos qui communione viuifici ſacrificij aut ſubſtantiæ lætamur, à terrenis ad cœleſtia mentem dirigamus & digne ei placeamus, quia dignatus eſt nos participes facere precioſi Corporis & Sanguinis ſui; quorum vtinam nos omnes compotes fiamus; & in regeneratione, viſione Dei, per eius gratiam. Quid vero eſt Regeneratio; ſecundo generari & renouari. Sublatio autem relictarum ſanctarum Reliquiarum; aſſumptionem Domini ac Dei noſtri ſubinnuit. Suffitus autem poſtremus, gratiam etiam ſancti Spiritus, per inſpirationem, datam Apoſtolis poſt reſurrectionem.

H

Quæ autem habetur, à Pulpiti tergo Oratio: quaſi ſigillum eſt omnium petitionum, ac ſumma ordine repetita congruens primis & precioſioribus epilogis. Quum enim vniuerſa diuina res ſacra, primario pro Offerentibus & propter quos acceſſerunt, perficiatur; deinde & pro omnibus percipientibus: idcirco ſub finem, ſeriem adiungit cuiuſque congruam orationis quæ pronunciata ſit. Quoniam enim nonnulli eorum qui foris adſtant, in dubitationem ſæpe veniunt ambigentes & inquientes. Quiſnam eſt ſcopus & ſenſus ac vis orationum quas minutatim Sacris præfectus ſacerdos recitauit; & deſiderant notitiam quandam etiam earum aſſequi: ideo diuini patres, quaſi omnium ſummam, per preces poſtulatorum indicem in hac incluſerunt; docentes qui requirunt, quaſi ex fimbria veſtimentum.

Virginalis autem corporis typus, participatio benedictionis & oblationis, frangitur quidem vt panis, diſtribuitur autem vt ineffabilis benedictionis communicatio communicantibus cum fide: vt oblatio autem plena ſanctimoniæ offerentibus, & ſanctis viciſſim offertur: & ita à communicatione immaculati corporis; qui ex ea natus eſt Chriſtus Deus noſter, & precioſi ſanguinis ſanctificatio

A *Ex diſtributione panis Corporis Deiparæ in miſſa, fidelibus accedit benedictio.*

& adoptio filiorum, Fidelibus repræſentatur. Spiritalis antem benedictio, & alia bonorum ſuppeditatio, Chriſtianorum ex diſtributione panis corporis Deiparæ fit & creditur. Ac ille Dei ſpectator Moſes, olim ſanguinibus hircorum ac vitulorum aſpergebat populum inquiens; *hic ſanguis Teſtamenti Domini eſt.* Chriſtus vero & Deus, proprium Corpus & proprium ſanguinem effudit, & miſcuit noui Teſtamenti calicem, inquiens; *hoc eſt Corpus meum & ſanguis meus, quod frangitur, & qui effunditur in remiſſionem peccatorum; ita quotieſcunque editis panem, & Calicem hunc bibitis, mortem, & reſurrectionem meam confitemini:* & ita in poſterum, cum tali cogitatione veſcimur pane & poculum bibimus vt Carnem & ſanguinem Filij Dei; mortem & reſurrectionem confitentes Domini noſtri IESV CHRISTI; cui gloria in ſæcula.

B

EX NARRATIONE SANCTI PATRIS Germani, Oecumenici Patriarchæ ad Anthimum Diaconum, de ſacris Synodis, & quænam quovis tempore Apoſtolicæ prædicationi hæreſes ſuccreuerint.

TVnc vel paulo ante (videlicet ante Origenem) cum magnus pater noſter & miraculorum effector Gregorius de his inquireret; admiranda dogmatis huius doctrina ei patefacta eſt; quando diuam Virginem & Deiparam Mariam, & Ioannem Virginem Apoſtolumque manifeſte vidit, oſtendentes ei, eorum, quæ inueſtigabat, accuratam cognitionem. Hæc eſt illa apud omnes decantata doctrina, quæ à patris diuinitate exorſa. Vnus, ait, Deus, pater Verbi viuentis, ſapientiæ ſubſiſtentis; potentiæ, & propriæ figuræ. Simul etiam docet eiuſdem
C
gloriæ ac maieſtatis cum Patre & Filio eſſe Spiritum ſanctum, & in ſanctiſſima Trinitate nihil creatum, aut ſubditum, aut introductitium reperiri, quaſi prius quidem non fuerit; poſtea autem introductum ſit: increatam vero, & ſemper immortalem eſſe Trinitatem perſpicue & diſerte edoctus ipſe (Gregorius) edocet.

SANCTI PATRIS NOTRI Germani Archiepiſcopi Conſtantinopolitani.

D

ENCOMIVM IN SANCTAM Deiparam. Quando triennis præſentata eſt in templo, ac in Sancta ſanctorum à ſuis parentibus illata.

ECce alius quoque celebris conuentus, ac Matris Domini læta feſtiuitas: Ecce irreprehenſæ ſponſæ proceſſio: Ecce quo primùm Regina deducitur comitatu: Ecce ſignum certiſſimum futuræ ipſius gloriæ: Ecce clariſſima diuinæ gratiæ ipſam obumbraturæ primordia: Ecce eminentis eius puritatis ſplendidiſſimum ſpecimen. Vbi enim non ſæpe ſed ſemel duntaxat quot annis Sacerdos ingrediens, myſticum cultum exhibebat; illic ea, in ſacris gratiæ penetralibus aſſiduè verſatura; offertur. Quis tale quid vnquam cognouit? Quis vidit, vel audiuit, noſtrâ, maiorúmve ætate, fœminam, in interioribus ſanctorum Sanctis oblatam eſſe; ac quibus vix acceſſus viris conceſſus eſſet; in iis illam habitare, ac enutriri? Nonne manifeſtum hoc argumentum, rerum maximarum, nouarumque poſtea in ipſâ deſignandarum? Nonne apertiſſimum ſignum? Nonne indicium ſeſe vltrò prodens.

E

Oſtendant nobis qui contra ipſam linguas ſuas mouent, videntque tanquam non videntes, vbi tale quid vnquam viderint? Nimirum, puellam ex voto, eamque triennem intra tertium templi velum, tanquam donum omni reprehenſione vacans, oblatam, illic aſſiduè habitaturam; quamque diuites plebis deprecentur; ac virgines ſolemni pompâ deducant; quam cum facibus ardentibus præmittant; ſacerdoteſque ac Prophetæ ſupinis manibus ſuſcipiant? Quomodo ergo noluerunt intelligere? Quomodò videntes prima, poſtremis fidem non habuere? Quomodò cùm noua hæc, miraque anteà iam in ea conſpexiſſent, iis quæ poſteà ſucceſſerunt, contradixere? Neque enim nequicquam, aut fortuitò prima hæc ei acciderunt, ſed omnia velut exordium poſteriorum fuerunt. Alioquin dicant nobis, quid apud ſe fruſtra ſapientes ſunt, quamobrem etſi etiam aliæ pepererunt ſteriles, nullius tamen puella in Sanctis ſanctorum fuerit vnquam oblata, atque à Prophetis ſuſcepta? Nonne qui hæc talia ac tanta in ipsâ tunc contemplabantur, meritò dicere potuerunt, quod poſtea alij eiuſdem cum ipſis ſententiæ, de filio illius protulere: *Quis putas puer iſte erit?* Planè.

Pſal. 44. v. 13.

F

Luc. 1. v. 66. Id in Ioannem d Bapt.

Sed illi quidem alienam opinionem ſecuti, perditionis ſemitam inſiſtant, atque in barathrum, quod ipſi ſibi effoderunt, incidant: nos autem peculiaris Dei Populus, Sacerdotes pariter atque Principes; ſæculares ac Monachi; ſerui ac liberi; opifices ac agricolæ; plantarum ſatores ac piſcatores; iuuenes ac ſenes; viri ac mulieres: venite; alacriter ad Deiparam accedamus, inque ea deſignata prouidè diuina Sacramẽta inſpectemus: quomodò, inquam, ſacratiſſima Virgo à ſuis hodiè parentibus, per Sacerdotes in templo præſentetur: quomodò animarum Domini templum, in templo inanimi collocetur: quomodò Propheta ſuis ipſe manibus eam ſuſcipiat, ac ſacris penetralibus inferat, nihil indignatus, neque eius parentibus dicens; nolle ſe totius hanc rem nouitatis præſtare, ac puellam in Sancta ſanctorum introducere, vt in illis aſſiduè commoretur, atque inhabitet, vbi ipſe ſemel tantùm in anno iuſſus eſſet intrare: Nihil, inquam, tale Propheta locutus eſt: ſed velut præuidens quod futurum erat, quippe qui Propheta eſſet: omninò expectans eam, præſtulanique, ſicut poſt eum, Symeon eiuſdem Filium, totâ eam ſuſcipit alacritate.

G

Tum amplexatus, in hæc fortè verba matrem alloquitur, in manibus puellam tenens: Vnde tibi genus, ô mulier? Qui mores tui, quiſve ſcopus huius tui facti? Cumque ſimile exemplum, quod ſequi poſſis, non habeas, quomodò ipſa ſola, primaque nouum hoc ac inauditum facinus aggreſſa es? Tune puellam in ſacra penetralia, eorum communicaturam religionem inferas? Quid ſpectas? Quid animo propoſitum eſt? eloquere. Ego, inquit, Anna Prophetæ, illa nomen à gratiâ habens, Sacerdotali proſapiâ orta ſum, ex tribu Aaronitica, Propheticâ ſtirpe atque Regiâ. Nam Dauidis ac Salomonis, reliquorumque deinceps ramus exiſto: ſed & cognata ſum Eliſabeth coniugis tuæ. Poſtquam autem deinde, ex Dominicæ præſcripto legis, viro coniuncta fuiſſem, inuenta ſum ſterilis, manſique multum tempus ſine prole. Nullum itaque calamitatis meæ remedium inueniens, ad ſolum rerum omnium potentem, quique in rebus etiam difficillimis, viam, nobis, rationemque oſtendit, Deum confugi: atque os meum enixè ad eum aperiens, cum gemitu cordis, ac lachrymis clamaui, in hæc verba dicens; *O Domine Domine, qui mœſtas, ac dolore oppreſſas animas celerrimè exaudis, cur me à maiorum meorum naturâ diſcrepare voluiſti; Cur me parabolam, fabulamque in familiâ meâ poſuiſti; ac commotionem capitis in tribu meâ; Cur me tuorum Prophetarum execrationibus obnoxiam oſtendiſti, dando vterum ſterilem, ac arentia vbera; Cur mea velut ſterilis*

H

Annæ oratio ex Iacobi Apocrypho.

Pſal. 43. v. 14.

A

rilis munera non accepta feciſti; Cur menetis ſubſannationem; ſubditiſque deriſum, ac probrum vicinis fieri reliquiſti; Reſpice Domine: exaudi Domine: miſerere Sancte. Fac me ſimilem volatilibus cœli; beſtijs terræ, piſcibus maris: nam & illa gignendi vim habent coram te, ô Domine. Ne, Altiſſime, brutis ipſis animantibus deterior appaream, quam creaſti ad imaginem tuam, ac ſimilitudinem.

Anna pro futurâ prole votum.

Iacobi 1. v.17.

Hæc dicens, ac iis ſimilia, adieci: *Tibi Domine, gratitudinis ergo, omnino donum voueo oblaturam, quam mihi dederis prolem, vt maneat in ſanctuario tuo, tanquam ſacrum donarium, munuſque pretioſiſſimum, abs te mihi, perfectorum datore liberaliſſimo donorum, conceſſum.*

Hæc ego in horto meo ſub dio oculis in cœlum defixa, manibus autem pectus tundens, ad Deum, qui in cœlis eſt, clamabam. Coniux autem meus, ſolus omnino in monte agens, ac quadraginta ieiunans dies, ſimilia Deum comprecabatur: atque ita tandem clemens Dominus, ac ad miſerandum promptus: amborum inflexus precibus, Angelum ſuum mittit, qui nobis huiuſce filiæ meæ conceptionem annuntiaret. Statim ergo iubente Deo, natura fœtum ſuſcepit: neque enim ante gratiam diuinam auſa erat ſuſcipere, Verùm cùm illa prior ingreſſa eſſet, matrix hactenus clauſa portas ſuas aperuit, ſuſceptumque à Deo pignus apud ſe retinuit, donec eiuſdem voluntate, quod conceptum erat in lucem prodiit.

B

Ioachim cum ſuâ cum Annâ preces, Mariam impetrant.

Pſal.65. v.14.

Maria ex voto ſeruatur.

Idcirco igitur, ablactatâ iam puellâ, *vota mea reddo Deo, quæ diſtinxerunt labia mea; oſque meum locutum eſt, in tribulatione meâ.* Propterea etiam virginum agmen cum facibus coëgi: Sacerdotes conuocaui; congregaui cognatos; in hæc verba vniuerſos alloquens: Congratulamini mihi omnes, quia hodie mater pariter, offerenſque effecta fui; non vt terreno regi filiam offeram (nec enim decet) ſed vt Regi cœleſti, tanquam eius munus ac donarium ſiſtam. Iam ergo accipe, Propheta, Dei mihi munere conceſſam filiam; atque inducens, planta in monte ſanctificationis; in præparato habitaculo Dei; nihil anxiè inquirens, donec ei, qui illam huc vocauit, viſum fuerit finem accipere quæ ad ipſam ſpectant.

C

Pſal.77. v.54.

Pſal.32. v.14.

Zacharias allocutio ad Annam; tùm quæ ad Mariam.

His Zacharias ſermonibus auditis, ſtatim Annæ reſpondit: Benedicta radix tua, ſummè veneranda: glorioſus vterus tuus, viro amata: prægglorioſa tua oblatio, Deo dilecta. Tum puellam ſummo gaudio tenens, in Sancta eam ſanctorum alacriter infert; hæc forte ad ipſam dicens; Adeſdum meæ plenitudo prophetiæ: hunc ades Domini ordinationum perfectio, ades obſignatio eius teſtamenti; ades ipſius conſiliorum finis: ades declaratio eius ſacramentorum; ades vniuerſorum ſpeculum Prophetarum: ades collectio malè diſſonantium: ades coniunctrix olim diſſidentium: ades firmamentum in terram nutantium: ades inſtauratio iam veteratorum: ades ſplendor in tenebris iacentium: ades nouum maximè ac diuinum donarium, ades Domina terrigenarum omnium; ingredere in Domini tui gloriam; hactenus quidem in eam quæ in terris eſt, ac calcari poteſt; paulò autem poſt, in ſupernam illam, ac hominibus inacceſſam.

D

Atque ita meritò Sacerdos puellam allocutus, eam intus depoſuit loco congruo, ac quo præfinitum erat. At illa exultans, geſtienſque, tanquam in thalamo, ita in templo Dei gradiebatur: triennis quidem, vt ætatem ſpectes; vt autem gratiam, ſummè perfecta ac conſummata, tanquam vniuerſorum Deo ac moderatori præſcita, prædeſtinataque, atque electa.

Anno 12. deſponſatam habet Ioſephus.

Manſit autem in ſanctorum penitiſſimis penetralibus, ambroſiis dapibus ab Angelo nutrita, ac ſacro potata nectare, ad alteram vſque ætatem; tumque Dei nutu, ac conſilio Sacerdotum, datur ſors ſuper eam, Ioſephque vir iuſtus ſorte victor exit, ac ſacram hanc virginem diuinâ diſpenſatione à Dei templo, ipſiuſque Sacerdotibus accipit, ad ſerpentem illum malorum auctorem decipiendum; ne tanquam puellam adhuc, integram eam adoriretur, ſed tanquam deſponſatam præteriret. Fuit igitur caſtiſſima Virgo in domo Ioſeph fabri, ſummo illi vniuerſorum fabro, ac conditori Deo ſeruata, quovſque ſacramentum illud diuinum, ante ſæcula omnia abſconditum in eâ perficeretur, atque ex illâ Deus mortalibus ſimilis efficeretur. Cæterùm id alterius operis ac temporis eſt ad hoc opportuni: nobis autem nunc ſermo, ad id quod propoſitum eſt reuertatur, diemque ſolemnis huius deductionis in præſentiarum proſequamur.

E

Deipara in Mariâ acclamatio ac ſupplicatio.

Abi igitur Deipara Domina, abi in tuam hæreditatem; incede in atriis Domini exultans ac gaudens: alta illic, ac virens, ſancti in te Spiritus quotidie aduentum expectans; ac Altiſſimi obumbrantem virtutem, tuique Filij conceptionem, vti tibi Gabriel acclamaturus eſt: atque iis, qui tuam celebrant feſtiuitatem, tuum impende auxilium, ac protectionem, tutamenque: tuis ſemper interceſſionibus, ab omni eos libera neceſſitate ac periculis: grauibuſque morbis, ac omnis generis calamitatibus, futuràque iuſtà tui Filij comminatione: Colloca verò vt Domini mater in voluptatis loco, vbi lumen, ac pax, ſummaque deſiderabilium impertitio: *Fiantque muta labia doloſa, quæ loquuntur aduerſum te iuſtam, iniquitatem in ſuperbia, & contemptu*: ad nihilum redigatur eorum imago in tuâ ciuitate: confundantur, & deficiant, pereantque, ac ſciant, quia nomen tibi Domina. Tu enim ſola Dei Genitrix, altiſſima ſuper omnem terram: nos verò te, diuina Sponſa, fide benedicimus, deſiderioque honoramus, ac timore adoramus, ſemper te exaltantes, ac veneratione beatam prædicantes: Beatus quippe reuerâ è viris pater tuus, & beata ex mulieribus mater tua: beata domus tua: beati noti tui: beati qui te viderunt: beati qui tuâ vſi ſunt conſuetudine: beati qui tibi miniſtrarunt: beata loca, quæ calcaſti: beatum templum, in quo oblata fuiſti: beatus Zacharias, qui te vlnis excepit: beatus Ioſeph, qui te ſibi deſpondit: beatus lectus tuus: beatum ſepulchrum tuum. Tu enim ſummus honor es, ſummum præmium, ac ſumma celſitudo.

F

Pſal 30. v.19.

Pſal.72. v.20.

Pſal.82. v.18.

G

Sed ô Domina, ſola tu meum ex Deo ſolatium: diuinus ros in me exiſtentis æſtûs: exareſcentis cordis mei diuinitùs affluentes guttæ: tenebricoſæ animæ meæ ſplendidiſſima lampas: itineris mei deductio: meæ debilitatis virtus: nuditatis meæ veſtimentum: mendicitatis meæ diuitiæ: inſanabilium vulnerum meorum medicina: lacrymarum mearum extinctio: gemituum meorum ceſſatio: calamitatum depulſio: dolorum leuatio: vinculorum ſolutio: meæ ſpes ſalutis, exaudi preces meas; miſerere meorum gemituum; ac ſuſcipe lamenta mea: miſerere mei; meis tu inclinata lacrymis, miſericordiæ in me viſceribus, tanquam benigni Dei, ac clementis parens inflectere; aſpice, atque annue ſupplicationi meæ: imple animæ meæ ſitibundum deſiderium: meque meæ cognatæ atque conſeruæ in manſuetorum terrâ, in tabernaculis iuſtorum, in ſanctorum regione coniunge: tuque vniuerſorum patrocinium, gaudiumque, ac læta iucunditas, dignare quæſo, ſimul me cum ea lætari, in gaudio illo vere ineffabili, nati ex te Dei ac Regis, thalamoque eius incorrupto, ac deliciis perpetuis, nullâque ſatietate oblectantibus, inque ipſius regno occaſum neſciente, ac interminabili. Ita Domina mea, ita meum refugium; vita ac auxilium meum, armatura ac gloriatio; ſpes mea, ac robur meum. Da mihi vnâ cum illâ perfrui inenarrabilibus ac incomprehenſis Filij tui donis in cœleſti illa manſione. Habes enim, noui, parem cum voluntate facultatem, tanquam Altiſſimi parens: quam etiam ob rem audeo, atque confido. Ne ergo meâ frauder expectatione, puriſſima Domina; ſed eius compos efficias, ô Dei ſponſa, quæ altiori ſupra rationem ratione, vniuerſorum expectationem peperiſti, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, verum illum Deum ac Dominum: quem decet omnis gloria, honor, adoratio, cum æterno Patre, ac viuifico Spiritu, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum: Amen.

H

A

EIVSDEM,

In ſanctiſſimæ Dei Genitricis Annuntiationem.

VEnerandæ huius regaliſque collectæ, lucidam ac prægloriosam memoriam, populi, tribus, ac linguæ; omniſque hominum ſtatus ac dignitas: nec non feſti amans conferta multitudine collectus ampliſſimus hic cœtus, ac peculiaris populus, exultabundo nunc animo ſpiritaliter celebremus: auguſtâque, ac plena maieſtate cantica, ortæ Dauidico ſtemmate Reginæ, omni diligentiâ contexamus; ac vernam ſolemnitatum ſolemnitatem, feſtamque maximè lucem ſpei noſtræ, *in inſigni die ſolemnitatis* noſtræ, conſtituamus. Verè namque hodiè ſpiritales Virtutes de cœlo proſpexerunt, ac nobiſcum tertigenis...... in quâ animata, honorabiliſque, ac regia ciuitas, munita ſemper honeſtatur.

B

Aue gratiâ plena, vrna manna habens tota aurea, tabernaculumque purpuræ reuerâ opere, quod nouus ille Beſeleel, auro intextum, variumque effinxit. Aue gratiâ plena, vndique rutilans nubes Dei baiula, fonſque perennis vniuerſis aquas effluens. Aue gratiâ plena, thronus ille excelſus & eleuatus vniuerſorum Creatoris ac redemptoris, manuque omnia complectentis atque fouentis, tum quæ in cœlo, tum quæ in terrâ. Aue gratiâ plena, animatum templum magnificæ gloriæ eius, qui noſtræ ſalutis cauſa, homo factus eſt, ac induit carnem. Aue gratiâ plena vitam ferens, eumque alens, qui alit: ac ei lac potum præbens, qui olim è petrâ mellis fontes eduxit. Aue gratiâ plena, *mons Dei, mons pinguis, mons vmbroſe*, mons non cæſe mons in oculis omnium poſitæ. Aue gratiâ plena, exultatio animæ, vndique vniuerſi ſummè decora veneratio: omnium peccatorum mediatrix verè bona. Aue gratia plena, afflictorum ianua, teque ſincero corde Dei Genitricem confitentium protectio tremenda. Aue gratiâ plena, quæ benignum Dominum, inque humanum propenſiorem genus, pro humani generis communi ſalute pepeniſti. Aue gratiâ plena, Chriſtianorum omnium mirabile, ac quod facilè afficiatur, refugium; omnique magnificâ ſpecie ſublimius ſpectaculum. Verùm hæc quidem nos exiliſſimi, ex ſcripturâ diuinitùs inſpiratâ edocti, indignis labiis ad cœleſtem ſponſam, Reginamque, ac Dei genitricem ſumus prolocuti: nunc autem, deſideratiſſimi, ſupereſt vt ad diuinam Archangeli Gabrielis ſalutationem veniamus, ac audiamus quid omni carentem reprehenſione adiens, fauſtæ afferret annuntiationis.

C

Annunciationis hiſtoria dramaticè enarrata.

Angelus. Audi glorioſa: arcanos Altiſſimi ſermones percipe: *Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius* IESVM. Te iam, vt aduenientem ſuſcipias, accinge, veni enim vt tibi annuntiarem, quæ ſunt abſcondita, ante mundi conſtitutionem.

D

Deipara. Abi ab vrbe ac patriâ meâ; ô homo, abi, citoque meum domicilium relinque. Procul à meis veſtibulis aufuge, qui mihi loqueris, nolique eiuſmodi nuntium meæ perferre humilitati.

Angelus. Antiquum conſilium implere volens; ac hominis errore decepti miſereri, qui clemens ac miſericors eſt, clementi bonitate fieri homo dignatus eſt: Quid ergo iam tu gratiâ plena, meam non recipis ſalutationem?

Deipara. Video tuam, adoleſcens, omnium colorum gratiis ſpecioſæ formæ tuæ venuſtam ſpeciem, ac figuræ radiantem adſpectum: audioque ex te ſermones, quos nunquam audiui; ſubitque ſuſpicio, vt ne ad decipiendam adueneris.

Angelus. Scias palam, animoque perſuaſum habeas, me magis te obſtupuiſſe, cùm tuam diuinis affuſam gratiis pulchritudinem ſpectarem: ac te iam videns, mei Domini gloriam mihi videor adſpectare.

Deipara. Linguã, quam non noueram, audiui: vidi faciẽ, quam nunquam videram; cur ergo tota prorſus contremiſcens non obſtupeſcam; quæ nimirum iuſtum habeam ſponſum, nec omninò cum extraneo ſermones miſcere conſueuerim?

E

Angelus. Suſcipe nuntij gaudium dignum auditu, ac tibi congruentiſſimam laudationem: qui enim *ex te naſciturus eſt, Filius Altiſſimi vocabitur*: tuuſque idem ſanctificatæ filius, exuperanti bonitate portabitur. Luc. 1. v. 35.

Deipara. Timeo, tremoque tuos eiuſmodi ſermones; ac exiſtimo veniſſe, vt me tanquam Euam aliam decipias. At ego nihil Euæ illi ſimilis ſum. Cur verò etiam puellam ſalutas, quam nunquam videris?

Angelus. Euangelizo tibi gaudij nuntium: euangelizo partum cogitatu maiorem: euangelizo excelſi Regis inenarrabilem aduentum. Fortè verò etiam, 1 quam purpuram tenes, regiam præſignat dignitatem. 1

Deipara. Ex quo mihi hæc annuntias, nec annuntiare deſinis, dicam tibi iam, non habere me fidem eiuſmodi tuo nuntio. Veniſti enim vt Virginale meum decus extingueres, meóque ſponſo moleſtiam faceres. Luc. 1. v. 36.

F

Angelus. Zacharias Propheta, ac tuæ cognatæ Eliſabeth chariſſimus coniux, certam te à tuâ reddet incredulitate. Ad eam ergo vade, vt ex illo noueris, quæ illi accidêre.

Deipara. Par ſummè ingenuum, ac reprehenſione carens, Ioachim & Anna parentes mei exiſtunt: qui ergo eorum ego germen, culpæ maculam aſciſcam? Quis videat, ac certam faciat fidem, nihil Mariam laſciuè egiſſe? Luc. 1. 34.

Angelus. Cùm mei ſermones ſuo tempore conſummati fuerint, tunc myſterij incomprehenſibilis virtutem intelliges: tunc meorum verborum euentum ſcies.

Deipara. Quæ ex domo & familiâ Dauid genus ducam, quomodò horrendis eiuſmodi, ac cœleſtibus Sacramentis inſeruire habeam? ac quomodò IESVM illum ſanctum, qui ſedet ſuper Cherubim, ſuſcipere valeam?

Angelus. Thronus Dei baiulus, regaliſque cœleſtis Regis ſella appellaberis; quòd Regina ac Domina, Regiſque terreni filia; regiâque ſpecie, ac maieſtate prædita ſis.

G

Deipara. Quâ ego ratione thronus efficiar Altiſſimi, tu mihi expone, qui me alloqueris, quóve modo intrectabile illud Sole ſplendidius lumen, caro lutea contrectatura ſit. Quæ, Adoleſcens, nuntia prædicas, impoſſibilia exiſtunt.

Angelus. Quorſum, quamobremque, ac quâ gratiâ, meo tandiu nuntio incredula fuiſti, ô glorioſa? ac quandiu non morem geres Angelo ad te de cœlo miſſo? Nec enim ego ſum qui Euam decepi.

Deipara. Vidi tuam multâ ſpecie venuſtam faciem; verbaque tua, multâ plena admiratione, audiui, qualia nemo audiuit vnquam: quocirca non poſſum nuntium eiuſmodi ſuſcipere.

Ratio à Patribus mulcata, dilatè tractatè aſſerta à Maria.

Angelus. Quanquam te mea percellit forma; noui tamen fore, vt verba oris mei, tibi gaudij cauſa futura ſint teque deinceps beatam dicent cœlum & terra.

H

Deipara. Quomodò ſciam conſummanda eſſe quæ mihi dicis, quæ ſim virgo neſciens thalamum, ac carnalis voluptatis dedecore caream: Sum namque ancilla Domini, qui creauit me.

Angelus. Dicam tibi apertè, fore vt etiam Elizabeth cognata tua per hoc tempus filium pariat in ſenectute ſuâ: multique gaudeant, ac admirentur in eius natiuitate: Vocabitur enim nomen eius Ioannes.

Deipara. Acceptis à me muneribus, diſcede à me, qui me alloqueris: ſiue namque Angelus es, ſiue homo, haud reuerâ ſcio. Habitu Angelum video, aſpectuque hominem conſidero.

Angelus. Nunquid verò cùm in Sanctis ſanctorum eſſes, non vidiſti me, ô benedicta? Plane vidiſti, exque igneâ meâ manu cibum accepiſti. Ego enim ſum Gabriel, qui ſemper aſſiſto in conſpectu gloriæ Dei.

Deipara. Sponſum habeo caſtum, ſanctumque, ac iuſtum, fabrilem doctum artem: eumque timeo, vt ne tecum, qui extraneus ſis, inueniat miſcentem ſermones, atque id maximè ſine arbitris.

A *Angelus.* Nunc cœpi dicere; plenus ſum æternorum verborum : dicam deinceps : Dominus ex te naſciturus *Luc. 1. v. 32.* eſt; Rex ille regum, *regnabitque ſuper domum Iacob, & regni eius non erit finis.*

Deipara. Nunc anima mea turbata eſt, nec ſcio quid terribilem hanc reputem viſionem. Puto enim vera fore tua verba; ac Ioſeph me traditurum in eorum manûs, qui hæc iudicant.

Angelus. Nouum videtur, ac ſtupore dignum, ô glorioſa, quòd me adhuc, à tantis celſitatibus ad te nuntium, habeas ſuſpectum : me enim magis, vt Dei futuram Matrem te reuereri oportet, regiamque tuam horrere ac ſtupere dignitatem.

Deipara. Sunt ergo noua, ac plena ſtupore, quæ nuntias : aduentuſque tuus, ſermones tuos prodit, ac mores: Veniſti enim in meas ædiculas, ac adiſti, cùm nihil præmonuiſſes : vt ancillam fortè reputans, non vt Dominam.

Angelus. Tota prorſus munda, omnique carens reprehenſione, miror vt tandiu meis verbis incredula ſis, ô gratiâ plena. B En Rex gloriæ, vt puto, adhuc loquente me, in te Reginâ inhabitauit.

Deipara. Qui viri expertem Virginem ſalutas, talibuſque verba innuptæ puellæ ingeris, omninò noſti quid res habeat : quando nimirum, ac vnde, & *quomodò mihi* iam *erit iſtud, quoniam virum non cognoſco?* *Luc. 1. v. 34.*

Angelus. Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi : Ideoque quod naſcitur, Sanctum, vocabitur Filius Dei. Ne timeas Maria, inueniſti enim gratiam apud Deum.

Deipara. Veniſti de cœlo Sacramentum allaturus multis dubiis implicatum; ac Spiritûs ſancti mihi pollicens aduentum. Qui verò non magis huic tuæ nouæ annuntiationi fidem abnegem; cedo tu, qui me alloqueris?

Angelus. Abiice Virgo mentem incredulam: iam enim, vt puto, conſummati ſunt ſermones mei; tuuſque vterus tumorem portat; ac niſi per te ſteterit, *non erit impoſſibile apud Deum omne verbum.* *Luc. 1. v. 36.* C

Deipara. Germen ſum Dauidicâ radice ortum, timeoque ne quo modo mihi quoque alieni cubilis inexpectatum ſuperueniat opprobrium: neque iam Sacerdotis ſancta lamina prodar.

Angelus. Saluatorem Dominum enixura es, ac vnum Trinitatis viuificæ; eriſque mundo gaudij cauſa ineffabilis, qualis vtique, nullus Angelus, vel homo auctor vnquam fuit: & erit nomen tuum benedictum.

Deipara. Dic quæſo, iuuenis, quomodò Saluatorem, vt dicis, enixura ſim. Planè in ſtuporem vertuntur intellectrices pariter Angelicas virtutes, Archangelorumque, ac multis oculis præditorum flammeos ordinum principatûs, quæ fauſta annuncias.

Angelus. Oblectamentum, ac planè dulcedo ſunt, quæ loqueris, ô glorioſa : quamobrem etiam tibi dicam: Non ex voluntate carnis, ſed ex voluntate diuinâ, ac aduentu Spiritûs ſancti erit tuus partus.

D *Deipara.* Quis Ioſephum, certiorem faciet, non ex viri me voluntate, ſed ex Spiritûs ſancti illapſu concepiſſe? ſiquidem à ſæculo inauditum eſt, virginẽ innuptá peperiſſe.

Angelus. Sub tuæ miſericordiæ viſcera humanum omne confugiet genus; luteaque omnis lingua beatam te dicet; ac nomen tuum in omni generatione & generatione celebrabitur; quòd per te Dominus, lumen illud mundi, ſit naſciturus.

Deipara. Qualis ego ac quanta exiſto? cumque ex terrâ ortum habeam, quomodò fiet vt vniuerſum humanum genus ad me confugiat? ac quomodò Chriſtum mundi lumen vlnis complectar? quomodò autem Sol ille occaſum neſciens, ab ſpiritali Lunâ portandus eſt?

Angelus. Serenum lætumque aſſume vultum, ô glorioſa : Fies namque cœlum, ac templum Dei capax, tabernaculumque Dei animatum; ſeptem firmamentis capacius pariter, ſublimiuſque, ac mirabilius.

Deipara. Horreo noui mei partûs inuſitata encænia : timeo autem etiam Ioſephum, nec ſcio quid iam mihi eueniet. Operæ ergo mihi pretium eſt, vt in domum Zachariæ ad cognatam meam vadam.

Angelus. Chriſtianorum omnium efficieris commune E propitiatorium : ideóque rurſum congruam tibi acclamo vocem, *Gratiâ plena : Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* *Luc. 1. v. 28.*

Deipara. Quæ regiam feram ſpeciem, fuerimque nutrita in meæ regiâ Bethlehem, ac in Sanctis à puero ſine crimine, honeſtéque vixerim, ſimque hactenus virgo, quomodo mater audiam mei Filij.

Angelus. Scrutatus diligenter Altiſſimus mundum vniuerſum, nec ſimilem tui matrem inueniens, omninò vt voluit; vt beneplacitum fuit, ex te ſanctificatâ, pro illó ſuo in humanum genus propenſiori affectu, homò fiet.

Deipara. Pſallens Dominum laudabo, *eò quòd reſpexerit humilitatem ancillæ ſuæ : Ecce enim amodò beatam me dicent omnes generationes :* populuſque Nationum iugiter laudabit me. *Luc. 1. v. 48.*

Angelus. O Virgo, cœleſtis cauſa gaudij : delectabile admirandumque domicilium, ac mundi vniuerſi propitiatorium; ſola verè in mulieribus benedicta; ad myſticum iam, ſecretioremque Chriſti aduentum præparare. F

Deipara. O iuuenis, cœleſtis paranymphe gaudij; qui ex incorporeis, ac beatis Spiritibus veniſti, ac cum luto fabularis; quandiu te feram, quandiu verò non hos ſermones deſines loqui? *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* *Luc. 1. v. 38.*

Atque hæc quidem omni digna laude, ac beata Virgo; ſeu bis quoque myſtica magis, atque congrua. diſſerebat : Verùm ſi lubet, deſideratiſſimi, etiam audiamus quid ad eam Ioſeph ille iuſtus loqueretur.

Maria ac Ioſeph dialogiſmi, vbi eam prægnantem inueniſſet. *Ioſeph.* Immaculatam accepi te è domo Domini; teque virginem impollutam domi reliqui : quid hoc quod nunc video; matrem inexpectatò, non virginem? dic Maria; mihi citò quid res habeat, edicito.

Deipara. Immaculatam, vt ais, me domi reliquiſti; rurſumque, puto, impollutam me inueniſti : quippe quæ ab infantiâ oderim tunicam carnis ſordibus inquinatam; G ac in quâ ne veſtigium vllum turpis libidinis ſit.

Ioſeph. Time Maria tribunal iudicis, ſeuerum, inquam, illud concilium: Iudæorum nimirum Synagogæ, quod decipi nequit, iudicium; mihique palam edicito; ne me celaueris, quæ ſunt euentura.

Deipara. Tribunal ac iudicium incommutabile futuri æui, ô Ioſeph, time, vbi ipſi quoque tremunt Angeli, qui nunquam peccauere: de terreno autem rege ac tribunali, nulla tibi ſit ratio.

Ioſeph. Scriptum eſt in lege Moyſi hoc modo : *Si quis inuenerit virginem, & vim faciens concubuerit cum illâ, dabit homo ille patri puellæ quinquaginta didrachmata :* Quid ergo ad hæc facies? *Deut. 22. v. 28.*

Deipara. Scriptum eſt in Prophetis : *Dabitur ſignatus liber viro ſcienti literas, & dicet : Non poſſum illum legere :* certè enim vt puto, prophetia hæc de te dicta fuit. *Iſa. 29. v. 11.*

Ioſeph. Prode Maria, meæ domûs inſidiatorem : produc in medium eum, qui ſtuprum fecit, vt fabrili gladio H eius auferam caput, eò quod ille meos probro affecerit canos; ſitque futurum, vt me deinceps duodecim tribûs Iſraël ſubſannent.

Deipara. Iuſtus es, ac ſine crimine : ac veriſimile puto, vt Deus meus tibi reuelet, quæ mihi euentura ſunt; ipſumque in ſomnis oſtendat, quem inſidiatorem dicis. Ego enim non conſueui ad illius celſitatem prouehi.

Ioſeph. Citiùs excede domo, atque ad nouum amatorem abi. A modò non alam : non comedes menſæ meæ panem, eò quòd triſtitiam probrumque, loco gaudij, canis meis intuleris.

Deipara. Modicum, ô Ioſeph, expecta, nec me occultè à domo tuâ amandaueris; eò quod non moris ſit peregrè diuerſari, nec ſciam neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram : nec planè nouerim quò iam eam, aut ad quem confugiam.

Ioſeph. Quæ vitæ ac mortis media poſita ſis, mihi

A Maria edicito quid res habeat. Quiſnam ille ſit, qui me eſt deprædatus. Declara mihi eum, qui tecum eſt congreſſus. Expone cuiuſnam ille exiſtat dignitatis: dic quâ ſit ortus ciuitate, vt eò me conferens, hominem ad nihilum redigam.

Deipara. Viuit Dominus, quia munda ſum, & virum non cognoſco: qui enim mihi apparuit, Angelus Domini, vt quidem arbitror, hominis habitu fuit: ac reuerenter modeſteque velut ab ſpatio aliquo exurgens, ſtanſque, ſic meam ſubmiſsè allocutus eſt humilitatem.

Ioſeph. Veniet ſuper te; quin & ſuper me ſene, violatarum nuptiarum crimen, inexpectataque ſpretio ab iis, qui hæc iudicant: amboſque deinceps coarguet, tametſi nolimus, redargutionis aqua.

Deipara. Audiſti etiam Eliſabeth Zachariæ coniugem, ac cognatam meam, circiter tempus hoc, præter ſpem Prophetam concepiſſe, ac Præcurſorem. Niſi enim eſſet Propheta, haudquaquam exultando, Dominum in
B me abſconditum adoraret.

Ioſeph. Miror de te, ac vehementer ſtupeo; ſcioque latè nomen tuum filiis Iſraël celebratum eſſe; ac Adonaï Dominus ad nihilum rediget, quòd à Spiritu ſancto, exque ſacro domicilio ad cuſtodiam te accipiens, virginem non ſeruauerim.

Deipara. Tribulationis me dies comprehendit, exque ſuſpicione mihi eſt impactum crimen: vrgetque ſponſi inquiſitio; ac accuſat, quam prolem in vtero geſto; quique Angelus mihi dixit *Aue*, fortè abſconditus eſt; nec iam ſcio quid cogitem.

Ioſeph. Vidi tuum vteri priùs ſanctificari partum, totuſque omninò contremui. Nam rogo, quo te loco occultabo; ac vbi te prodam? quaue ratione Iudæorum concilium latere queam? Abi ergo à domo meâ; citò abi.

Deipara. Ecce pellis me, Ioſeph, à tuâ domo, nec ſcio iam quò pergam. Reuertar in domum ſacri ſanctuarij; an ad parentes redeam? At quâ facie in eos aſpiciam?

Ioſeph. Quanquam taceam ego tuum peccatum, at
C lapides clamabunt: Sanctaque ſanctorum exertâ conteſtabuntur voce, quòd te ad cuſtodiam à delecto eius acceperim Sacerdote, nec virginem tamen ſeruauerim.

Deipara. Occultabo me deinceps in vnâ aliquâ ſpeluncâ meæ Bethlehem, ac expectabo legitimum mei partûs tempus; ſciamque quiſnam ex me naſciturus ſit. Fore enim ſpero vt Dominus reſpiciat humilitatem meam.

Ioſeph. Dic mihi palam, quiſnam ille peregrinus ac viator fuerit, qui in domum nihil indicando aduenit, velut quis explorator, præſertim me abſente, ac cùm intra muros vrbis Nazareth non eſſem.

Deipara. Cùm hydriam accepiſſem, vt irem ad fontem haurire aquam ad potum, ingreſſa eſt vox ſilentio in
Omnia ex Iacobi hiſtoria. aures meas dicens: *Aue gratia plena: Dominus tecum.*

Ioſeph. Num verò ex auditu concepiſti? A ſæculo non eſt auditum, vt virgo viri expers ex ſolâ verborum voce aliquando conceperit: nec patres noſtri nobis annunciarunt, eiuſmodi aliquid factum eſſe in diebus antiquis.

D *Iſa. 7. v.14.* *Deipara.* Nunquid non ſcriptum eſt in Prophetis: *Quia virgo concipiet in vtero, & pariet nobis puerum?* Num potes dicere Prophetas eſſe mentitos? iam falleris, ò Ioſeph, nimiſque inſanis.

Ioſeph. Nunc Maria dicam, Euæ te veſtigia matris tuæ fuiſſe ſecutam. Verùm illa quidem paradiſi domicilio pulſa fuit, quòd ei ſuſurranti aures aperuiſſet: tu autem à domo meâ tanquam rea exturbaberis.

Deipara. Nunc tanquam alienigena quidam, ac accuſator congreſſus increpaſti; non quaſi Reginam alloqueretis: clamque è ciuitate in ciuitatem perſequeris: quid verò deinceps excuſans reſpondeam?

Ioſeph. Nouitate turbabit partus, vt quidem puto, nedum me, ſed & Angelos, & homines, nec ij habebunt fidem. Quis vnquam audiuit Virginem puerum peperiſſe? maximè nullâ viri conſuetudine.

Deipara. Turbabunt te ſcio verba hæc, nouitate; mentemque tuam myſtici partus mirabile Sacramentum in ſtuporem vertet: haud tamen ego illatæ mihi calamitatis cauſa fui, quippe quæ ab infantiâ Domino Creatori meo ſeruire conſueui. E

Ioſeph. Nonne tibi dixi, vt mihi eum oſtenderes qui domui meæ eſt inſidiatus; teque ipſe liberarem ab hoc crimine? Nonne dixi, vt citò ad amatorem tuum abires. Quid ergo deinceps ſpe præſumis?

Deipara. Non noui liquidò quibus ille moretur locis. Nam & ego reuerâ ipſum inuenire vellem: gratiis omnibus temperatam lubens eius aſpicerem pulchritudinem, ac ſermones cum eo miſcerem: quippe cùm mihi ille *Aue* dixerit, agamque modò in triſtitiâ.

Ioſeph. Quomodò non inhorreſcam, ac facie confundar, quòd te Virginem è domo Domini accipiens, non te ſeruauerim? Quomodò autem deinceps offeram Deo meo, ac legalem pro more implebo conſtitutionem?

Deipara. Crede Dei Prophetis; nec te adeò abundantiori conſumas triſtitiâ. Inuenies enim hæc in eis ſcripta: *Iſai. 7. v.14.*
Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabunt nomen eius Emmanuel.

F

Ioſeph. Sacerdotalis virga, vt à domo orationis te aſſumerem ad cuſtodiam, mihi perſuaſit: teque poſteà domi benè prorſus compoſitam, toſaque honeſtate reliqui: quidni ergo Maria, donec mea abſentia, operaque complerentur expectaſti?

Deipara. Viuit Dominus, alieni ſordes thori, ac carnalis labem deſiderij ignoro: niſi quòd iterum tenens purpuram, Angelicam vocem audiui mihi dicentem: *Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum.* *Luc. 1. v.30.*

Ioſeph. Semel adhuc in domo meâ ſuſtine modicum, eò quòd profeſſionis tempus Auguſti Cæſaris nunc imperantis aduenit. Nam & ego, vt meam te coniugem profitearis vereor, propter Dauidicam maximè cognationem.

Deipara. Conſeruabo ergo ſermones tuos in corde meo, adhucque modicum ſuſtinebo in domo tuâ; ac expectabo tempus profeſſionis, ac partûs diem, donec tributa penderimus Auguſto Cæſari; Auguſto, inquam, Romani nunc Imperij habenas moderanti. G

Ioſeph. Fortè Angelus erat, qui mihi apparuit in ſomnis, ac mihi dixit: *Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in eâ natum eſt, de Spiritu ſancto eſt. Pariet autem Filium, & vocabis nomen eius* IESVM. *Matth. 1. v.20.*

Deipara. Forſan Domine mi ille erat, qui mihi acclamauit *Aue*. Cæterùm quod ſupereſt, ſpeluncam para, ac quære obſtetricem Hebræam de Gente noſtrâ, ſeruabitque illa myſterium, ac pro more mihi miniſtrabit. *Hæc quoque omnia ex Iacobi libro, alius verò Patribus agnita.*

Ioſeph. Planè is qui mihi apparuit, tum locum, tum ſpeluncam ſubindicabit: tu verò Maria pannos præpara. Siue autem Propheta, ſiue Rex exiſtat, qui eſt naſciturus; hoc verò ſcimus, *quia Nazaræus vocabitur.* *Matth. 2. v.23.*

Deipara. Exiſtimo fore vt Rex appelletur, is, qui eſt naſciturus: Scriptum enim eſt in Prophetis: *Gaude vehementer filia Sion: prædica filia Ieruſalem: Ecce Rex tuus venit tibi iuſtus & ſaluans.* *Zachar. 9. v.9.*

Ioſeph. Qui in ſomnis mihi reſpondit, Ipſe nobis poſthæc euentura declarabit. Porrò etiam Herodem timeo, ne quo fortè nunciante, natum apud nos Filium inquirat. H

Deipara. Apparebit ſignum in cœlo: nam ſcriptum eſt in Prophetis: *Orietur ſtella ex Iacob, & exurget homo de Iſraël, & percutiet duces Moab.* *Num. 24. v.17.*

Ioſeph. Falsâ heri ſuſpicione deceptus, ſpeciei tuæ ac pulchritudini impegi crimen: nunc autem de alto certior effectus, excuſabo pariter, ac reuerenter adorabo tuam magnificentiam; tuumque nomen benedicam.

Sancti Patris noſtri Germani Archiepiſcopi Conſtantinopolitani, in omni veneratione proſequendam S. Dei Genitricis Dormitionem.

SERMO I.

QVi debitor eſt, continuis canticis beneficum celebrat. Saluandus cliens, ſui Saluatoris præſidium non

A neſcit. Qui minus habet, quàm vt dignas reipsâ vices re-
ferre poſſit, verborum ſaltem officio protectorem deme-
reri probat. Quamobrem ipſe quoque, ô Deipara, quæ
ſupra rationem ac cogitatum, rerum prodigio nouarum
mirabilia adepta ſis, audeo laudare. Tibi vtique aſſum-
1 ptâ fiduciâ, 1 tuæ illius vocis in exultatione ſubmitto ver-
ba. Reſpice in humilitatem ſerui tui: exalta os humilis;
deſiderióque ſitientem laudare te, beatâ imple bonorum
tuorum adeptione, vt tuo auxilio animum dirigente, non
confundar, ô Domina, magnificare te. Tu enim meritò
Luc. 1. 48. dixiſti fore, vt te omnes hominum ætates beatam dicant:
te, inquam, quam nemo condignè magnificare poſſit:
quæ ſemper anguſtam ac præcipitem laudatorum tuo-
rum animi paupertatem, commiſerationis affectu, proſe-
quaris. Quid primùm dicam; quidve ſecundo loco enar-
randum temittam? Tuæne in carne cum hominibus
2 conuerſationis laudes celebrem; an 2 migrationis in ſpi-
B ritu quâ ſomno viuis exceſſiſti, gloriam, plauſu excipiam?
Angeli communi hominum rectores præfecti. Sunt ambo hæc tremenda: horrendum vtrumlibet. Ve-
rùm ſermo quidem enarrandis ceu tranſitu triumphis
tuis poſitus erit; proceſſu autem hodierni argumenti,
præclaræ tuæ ac glorioſæ, ô Deipara, migrationis, canti-
cum inchoauerit. A terrenis migrantem, liquet aſcendiſ-
ſe cœleſtia: cæterùm neque olim eras cœleſtium expers,
neque migrans exceſſiſti à terrenis: quando etiam ſubli-
miores cœleſtibus ordinibus ſedes petiſti; terreniſque
creaturis altior apparuiſti. Planè enim, ô Deipara, cùm
cœlos decoraſti, tum terram Immenſum illuſtraſti. Cœ-
los quidem, quia mox vt humanum genus fuit condi-
tum, iuſſi ſunt Angeli vt eorum vitæ tutores agerent, at-
que præfecti; quo eſſent ductores, gubernarentque, at-
que in immobili fidei in Deum propoſito, cuſtodirent.
Deut. 32. v. 8. Nam, inquit, *Conſtituit terminos Gentium, ſecundum nu-
merum Angelorum Dei.* Et, *Immittet*, inquit, *Angelus Do-
Pſal. 33. v. 8. mini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Cùm au-
Ab idololatriâ tem miſeri homines, errori tunc ac idolorum cultui vi-
tam agerent, ac victimarum nidore contaminarent aë-
C rem, etiam Angeli ab humanâ ſe, ſpernentes abiunxe-
auerſati homines, per Mariæ partû eis conciliati. runt conſuetudine; ſuumque Deus ab illis viciſſim ab-
ſtulit Spiritum ſanctum. At vbi ipſa nouiſſimis tempori-
bus, Verbum illud Dei & Patris, *quod erat in principio*,
peperiſti; ab eo ſtatim partu, etiam Angelorum exerci-
tûs è cœlis aſpexerunt, laudum canticis celebrantes ex te
Ioan. 1. v. 2. natum Deum; adiectamque in altiſſimis gloriam cla-
Luc. 2. v. 14. mantes, pacem in terram aduenisſe vociferati ſunt; vt non
amplius nominetur inimicitia medij parietis Angelos in-
ter ac homines, cœlumque & terram: ſed conſona vitæ
ratio, vnaque mutuo reſpondens ab Angelis ac homini-
bus glorificatio, vni trinoque ab vtriſque Deo offeratur.
Sed & Pater, vnigeniti Filij ſui, corporali ex te ſine pa-
tre conceptui teſtimonium perhibens, in ipſum clamat:
Pſal. 2. v. 7. *Ego hodie genui te.* Rurſumque; *Ex vtero ante luciferum
Pſal. 109. v. 3. genui te.* O verba plena theologiâ! Siquidem enim
priuſquam ex te matre Virgine naſceretur, vnigenitus ex
Deo Filius erat, quomodo Pater ad eum ait: *Ego hodie
3 genui te?* Vtique; liquet vocem *hodie*, non diuinitatis
D Vnigeniti recentem ſignificare exiſtentiam, ſed eius ad
4 homines adſtruere corporalem præſentiam, ac aduentum.
Spiritum ſanctus Incarnationis auctor. Cæterùm illud, *genui te*, diuinam in Patre Spiritûs ſancti
rationem principij, ac coagendi vim ſubſtantialem oſten-
dit. Quia enim Spiritus ſanctus non eſt alienus à Patre,
ille autem ex Patris beneplacito ac miſſione, in te habi-
tauit Virgine & Matre, eius ſibi Pater vendicat actio-
nem, ac ſuam facit: Quamobrem Filij ſui corporalem ex
te proceſſionem nouam molitus Pater cum Spiritu ſan-
cto: *Ego hodie*, inquit Filio, *genui te.* Illud quoque: *Ex
vtero ante luciferum genui te*; eandem ingerit fidem, ac
Locus Pſalmi in vtramq; Chriſti Natiuitatem aſſumptus. veritatem: Hoc eſt; ſignificat, cùm ſæculis anteriorem
deitatis in Vnigenito certam exploratámque cum Patre
coæternam ſubſtantiam; tum eius in carne ſub finem
temporum, ex te ſemper Virgine, naturalem illam ve-
ramque, non apparentiâ conſiſtentem, humanationem.
Quippe vterum lucifero antiquiorem nominauit ſcriptu-
ra, proceſſionem, quâ Sol ille ſæculis antiquior, idem-
que terrenus, natus eſt, quo oſtendat, ante creatum om-

ne, vel quod oculis ſubiectum eſt, vel quod ſpiritale ocu- E
lis non ſubeſt, Vnigenitum ex Patre ſine principio, tan-
quam Lumen de Lumine, natum eſſe: ac rictum vteri
nomine, tuum deſignauit ventrem, vt & carnalem ex te
Vnigeniti aduentum ſignificaret. Nam eâ voce, *ante luci-
ferum*; noctem illam indicat, antequam diluculum eſſet.
Rectè verò diem, *luciferum* vocat; quia enim intempe-
ſtæ noctis ſilentio, iis qui ſedebant in tenebris, lumen
peperiſti; *ante luciferum*; ac præmaturonam horam tui
partûs dixit. *Paſtores enim*, inquit, *erant in regione eadem
vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis.* Eiuſmodi eſt, ô
Deipara, quæ per te gloria cœleſtibus acceſſit. Siquidem
enim iam acceſſerat, haudquaquam Angeli, quod olim
glorificatum eſſet, *Gloria in altiſſimis* cantico celebra-
rent, cùm ineffabilis tui puerperij tempus aduenisſet.
Quàm verò etiam terrenorum genus illuſtratum eſt! Ho-
mo etenim per tuam immaculatam carnem cœli ciuis
euaſit, ac paſtores commixti ſunt Angelis. Angeli qui- *Addo coniectura.*
dem, [inferius ſe ad nati infantis humilitatem inclina- F
runt; homines verò,] ad ſupernam Dei, ac glorificatam
ſubuecti ſunt dignitatem: hoc eſt, æternam Patris ad Fi-
lium, ac ante ſæcula conſubſtantialitatem, quæ eſt nati-
uitate, non creatione, ſapienter didicerunt. Ex quo igi-
tur, ſanctiſſima Dei Mater, cœlum, atque adeò terra, per
te decorem habuerunt; qui fieri potuit, vt migrando, tuâ
homines inſpectione orbatos desereres? Enimuerò, abſit,
vt ita ſentiamus. Quemadmodum enim in mundo hoc
agens, haudquaquam hoſpes eras cœleſtis conuictûs; ita
neque poſtquam migraſti, ab hominum in ſpiritu con-
uerſatione alienata es: quando etiam tuo illo ampliſſimo
ſinu geſtando Deo, altiſſimi Dei capax cœlum effecta es;
ſpiritaliſque nihilominus ei terra fuiſti appellata, ob obſe- *Maria in*
quium carnis ei ſubminiſtratæ. Atque adeò facili inde *cœlum*
nobis ſuademus coniecturâ, cùm Deo prorſus contuber- *migrans,*
nalem fuiſſe, dum in mundo verſareris, tumque ab hu- *nō deſeris*
manis tranſlatam, eos nunquam deſeruiſſe qui in mundo *exiſtentes*
eſſent. Inſtamus nihilominus, verbiſque importuni ſumus, *in terra,*
qui fideli te mente venerari conſueuimus: quamobrem *eis ſuppe-*
non & ipſi id tantum boni conſecuti ſumus, vt tuâ in G
corpore frui mereremur conſuetudine? Idcircò etiam ma- *ſpiritu*
gis ter beatiſſimos eos prædicamus, qui tui accolatûs *præſens.*
ſpectaculo delectati ſunt, vt qui te, Matrem Vitæ, com-
munem ſecum vitam ducentem habuerunt. Cæterùm, ve-
lut etiamnum corporaliter inter nos, atque in humanis
agens ambules; ſic tuâ quotidie viſione, animorum no-
ſtrorum oculos delectas & afficis.

Etenim quâ ratione cum antiquioris ætatis hominibus
in carne conuerſabaris, eâ quoque nobiſcum ſpiritu ha-
bitas; tuaque illa, quâ nos foues, multa protectio, tuæ
nobiſcum conſuetudinis index eſt: tuamque vniuerſi au-
dimus vocem; vniuerſorumque vox, auditûs tui aures
pulſat: quique à te pro tuâ in nos protectione cognoſca-
mur, tuam ſemper auxiliatricem agnoſcimus protectio-
nem: Nihil enim illa, animam inter ac corpus diuiſio,
tuam, ac ſeruorum tuorum dignationem prohibere poſ-
ſit. Haud quippe dimiſiſti, quibus fuiſti ſaluti: haud abs H
te congregatos dereliquiſti: nam ſpiritus tuus ſemper vi-
uit; nec caro corruptionem ſepulchri ſuſtinuit. Omnes Luc. 24. v. 16.
viſitas, tuaque, Dei Mater, inſpectio in omnes exiſtit:
adeoque, quanquam tenentur oculi noſtri ne te videa-
mus, ô ſanctiſſima, lubens tamen in medio omnium ha-
bitas, teque ipſam, dignis te diuerſimodè manifeſtas. Ni-
hil enim caro, tui ſpiritûs virtuti ac efficaciæ officit; quip-
pe tuus ille ſpiritus vbi vult ſpirat; qui nimirum mundus Ioan. 3. v. 8.
ſit ac vacans materiâ; incorruptus ac incontaminatus,
ſanctique Spiritûs ſodalis, ac Vnigeniti Deitati delectus,
ſpiritus. Tu iuxta quod ſcriptum eſt, *Speciosa es*; tuum- Cant. 1. v. 15.
que illud corpus virginale, totum ſanctum eſt, totum ca-
ſtum, totum Dei domicilium; vt ideò quoque à reſolu-
tione in puluerem deinceps ſit liberum; quod quidem
ceu humanum, ad ſummam incorruptionis vitam ſit im-
mutatum; ſitque nihilominus ipſum incolume ac præ- Act. 2.
glorioſum; conſummatæ vitæ, ac inſopotabile: quate- v. 26.
nus impoſſibile erat, vt mortuorum ſepulcro clauſum te-
neretur, quod vas Dei ſuſcepturum eſſet, ac ſanctiſſimæ

A Vnigeniti Deitatis animatum templum, idcircò verò, te,
Deipara, nobiſcum credimus obambulare. Verè etenim,
verè, etiam iterum grati animi dicam exultatione: quan-
quam ab humanis migraſti, haud tamen à Chriſtiano-
rum gente receſſiſti. Non es elongata à mundo hoc exo-
leſcente, patris tu incorruptionis vita; ſed iis, qui inuo
cant te, propior accedis: inueniris ab iis, qui te fideliter
Sap. 6. v. 13. exquirunt: quæ planè, ſpiritus vitæ iugiter ſpirantis, ac
corporis à fluxione liberi, ac incorruptibilis, exhibitio-
nem haud obſcuram habent. Nam quomodo carnis te
diſſolutio in cineres, ac puluerem potuiſſet redigere, quæ
humanum genus à mortis corruptione, per Nati ex te aſ-
Quamobrem. Maria mortua ſit. ſumptam carnem, liberaſſes? Migraſti ergo ab huma-
nis, vt horrendæ incarnationis, ſolidâ veritate, nullâ ap-
parentiâ conſtans, confirmatum pateſceret Sacramen-
tum; vt inquam, tuo illo à temporaneis, ac ſæculo diſ-
ceſſu, qui ex te natus eſt Deus, perfectus nihilominus ex
verâ Matre crederetur proceſſiſſe Filius, quæ nimirum
B neceſſitatum naturæ legibus ſubiaceret, diuinæ iuſſionis
definitione, ipſoque ad mundi vitam conceſſo tempore
ſollicitante: cuius corpus, vt vnius haberet reliquarum
mulierum, eóque communis hominum mortis occur-
ſum vitare nequiuiſſes: quo etiam modo Filius tuus, ac
Deus vniuerſorum, ob noſtrum, vt ita dicam, vniuerſi
Hebr. 2. v. 9. generis mortuum hominem, ſimilem & ipſe carne, gu-
ſtauit mortem: mirabilia planè operatus, cùm in ſuo
ipſius ac viuifico ſepulchro, tum in tuo dormitionis vi-
tam ſuſcipiente monumento: vt ea, amborum quidem
corpora veritate ſuſceperint, haudquaquam verò corru-
ptionem induxerint. Neque enim fieri poterat, vt quæ
Rationes ſuſcitata breui à morte Maria. Dei capax vaſculum eſſes, emortuum corpus corrum-
pente diſſolueres puluere. Quia enim is, qui in te fuerat
exinanitus, Deus erat à principio, ac vita ſæculis anti-
quior; vtique par quoque erat, vt Vitæ Mater, Vitæ pa-
riter contubernalis fieret; dormitionemque ſomni inſtar
ſuſciperet; ac migrationem, haud ſecus atque experge-
C factionem, ceu Vitæ parens, ſubiret. Vti enim chara pro-
les propriam quærit ac deſiderat parentem, atque parens
viciſſim cum prole amat verſari; ita & te, quæ prolis
amantibus in Filium tuum ac Deum viſceribus prædita
eſſes, congruum erat redire ad Filium; parque viciſſim
erat, vt pro eâ, quam Deus ad Matrem haberet amoris af-
fectionem, ſuam ſibi contubernalem, conſuetudine do-
nans, adiungeret. Sic portò rebus caducis emortua, ad
immortales æternorum demigraſti manſiones, vbi Deus
inhabitat; cum quo pariter ipſa agens, Dei Genitrix, ab
eius conuerſatione non diſcedis. Quippe ei, ô Deipara,
corporalis domus, quâ quieſceret, es effecta; ipſeque vi-
ciſſim, ô laudatiſſima, domus requietionis migranti effi-
Pſal 131. v. 14. citur: *Hæc* enim, inquit, *requies mea in ſæculum ſæculi:*
hoc eſt, caro, quam is ex te, ô Deipara, induit; quâ in-
dutus, ne dum præſenti ſæculo apparuiſſe creditus eſt, ſed
& eſt futurum, vt eadem ipsâ, veniens iudicare viuos &
Act. 1. v. 11. mortuos indutus appareat. Ergo te, vt quæ æterna ei re-
quies eſſes, à corruptione liberam, ad ſe aſſumpſit; ſuis
D te, vt ita dicam, & affatibus & viſceribus volens propiùs
affixam: idcirco, quicquid ab eo quæris, id ille, filio-
rum lugenti ſortem, tribuit; ac ſi quid petis ab eo, di-
uinâ implet virtute: qui eſt benedictus in ſæcula:
Amen.

E I V S D E M,

In beatam ſanctiſſimæ Dominæ noſtræ Deiparæ, ſemperque Virginis Mariæ dormitionem.

SERMO II.

CEſſent indocti veſanique hæreticorum ſermones:
Pſal. 39 v. 17. Iniqua eorum labia obturentur. *Exultent & læten-
tur ſuper te omnes quærentes te,* ô Deipara; *& dicant ſem-
per; Magnificetur Dominus,* qui pro debitu, *diligens*
magnificare nomen tuum: *Os* enim Chriſtianorum *me- E*
ditabitur iuſtitiam tuam, ac virginitatem; *tota die lau- Pſal. 34 v. 28.*
dem ſanctitudinis partûs tui. *Viderant pauperes,* per te, *di- Pſal. 68.*
uitias bonitatis diuinæ; Viderunt, atque dixerunt: *Mi- v. 31.*
ſericordiâ Domini plena eſt terra. Peccatores, per te *Deum Rom. 2.*
exquiſierunt, & ſalui facti ſunt: dixeruntque & ipſi: *Niſi v. 4.*
quia Dominus, carnem de Virgine ſumens, *adiuuiſſet nos; Pſal. 32.*
paulominus habitaſſent, 1. in demortuorum omnia deuo- *v. 5.*
rante *inferno*, occidentes *animæ noſtræ.* Potens igitur ad *Pſal. 93. v. 17.*
ſalutem auxilium tuum, ô Deipara, nec alterius cuiuſ- 1
quam apud Deum commendationem requirens. Tu
enim reuerà, veræ es Vitæ parens: Tu fermentum refor-
mationis Adæ: Tu opprobriorum Euæ liberatio. 2 Illa 2
pulueris mater, tu Luminis. Illius vulua, corruptio; tuus
vterus, à corruptione immunitas. Illa mortis demoratio
& ſedes; tu, à morte tranſlatio. Illa palpebrarum in ter-
ram demiſſio, tu inſomnis vigilantium gloria. Proles il- *Gen. 3.*
lius, dolor, tuus Filius, omnigenum gaudium. Illa vt *v. 19.*
terra, in terram ceſſit; tu, & nobis peperiſti Vitam & ad
vitam rediiſti; vitamque, poſt etiam mortem, homini- F
bus conciliare potuiſti. *Tua magnitudinis non eſt finis.* Te *Pſal. 144. v. 3.*
cogitandi, nulla ſatietas; nec tui illius vitali ſomno tran-
ſitus 3 velut ſubrepens ſenſus, ac ſe in hominum inſi- 3
nuans animos, damnum afferat: Nam & tutela tua im-
mortalis eſt; & interceſſio, vita & protectio perpetua.
Niſi enim tu præires, nemo ſpiritalis euaderet; nemo in
Spiritu Deum adoraret. Tunc enim ſpiritalis factus eſt *Ioan. 4.*
homo, cùm tu, Deipara, Spiritûs ſancti habitaculum ef- *v. 24.*
fecta es: Nemo Dei cognitione repletus eſt niſi per te, ô
ſanctiſſima. Nemo ſaluus niſi per te, ô Deipara. Nemo
periculorum expers niſi per te, Virgo parens: 4 Nemo 4
redemptus niſi per te, Dei Mater: 5 Nemo donum per 5
miſericordiam conſecutus, niſi per te, ô digna quæ Deum
caperes. Quis enim tantopere peccatores defendit? Quis
adeò 6 nihil emendatis, ſponſionem prætendens patroci- 6
natur? Quiuis enim eorum, qui etiam auxilio eſſe poſ- *Luc. 13.*
ſent, parabolicæ ficûs excidium in nobis metuens, ſupli- *v. 6.*
cationem Deo pro nobis offerre detrectabat; vt ne inutili G
promiſſione, latâ ſententiâ, non admittenda ſponſio vi-
deretur. Tu autem, quæ maternâ in Deum authoritate
polleas, etiam iis qui enormiter peccant, eximiam re-
miſſionis gratiam concilias. Non enim potes non exau-
diri, cùm Deus, vt veræ ac intemeratæ Matri ſuæ, quo ad
omnia, & per omnia, & in omnibus, morem gerat. Hinc
meritò, afflictus quiſque ad te confugit: Infirmus, tibi
adhæret: Bello petitus, te hoſtibus opponit. Tu *Indigna- Pſal. 77.*
tionem, & iram, & tribulationem, immiſſionem per Ange- v. 49.
los malos, transfers; iuſtaſque minas, ac condig-
næ ſententiam condemnationis, 7 quæ Filij tui nomine 7
appellatum populum, impenſiùs diligas, auertis. Hinc
& populus tuus Chriſtianus, perpendens rerum ſuarum
ſtatum, fidenter tibi ſuas ad Deum, perferendas preces
committit. Indubiè fore ſperat, vt exoret ac flectat, ô
ſanctiſſima, 8 ob factum olim periculum, & multitudi- 8
nem tuorum in nos beneficiorum; quodque ſæpius ſup-
plicando, vt benignè annueris, adigat. Quapropter, quis H
non beatam te deprædicet? Spectaculum, Angelorum
intelligentiâ maius; omni præſtantem miraculo, ſum-
meque nouam hominum felicitatem; Chriſtianorum
Gentis ſuſcepitionem; peccatorum frequens aſylum; quæ
per horas ſingulas Chriſtianorum ore verſeris? Simulat-
que enim tremore correptus fuerit Chriſtianus aliquis,
aut pedem ad lapidem offenderit, illicò tui nominis præ-
ſidium inuocat. Quare vt quis nullâ requie, te laudibus
celebret, non exiſtimat ſe celebrare; qui magis inſatia-
bili affectu celebrare incipiat. Nemo enim ſatis pro dig-
nitate celebrare poſſit. Qui te ſemper magnificare deſide-
rat, iugi tuâ glorificatione, debitum in te ſuum apud ſe
repetit. Cùm enim multorum debitor nihil poſſit repen-
dere, accumulas gratiarum actionem, quemadmodum
ipſa tutelam & protectionem accumulas. Quia enim illa
donum eſt optimum quod finem non habeat, iugi affi-
cientem beneficio, velut à principio, gratiarum actione
demeretur. Quis enim te, admiratione non habeat, Spem
immutabilem; Protectionem immobilem; ſtatum per-

A fugium ; Semper vigilem deprecationem ; Perennem ſa-
lutem ; Auxilium ſtabile ; Patrocinium inconcuſſum ;
9 Murum inexpugnabilem ; Theſaurum voluptatum 9 ;
Hortum irreprehenſibilem ; Arcem tutam ; Vallum vn-
dique munitum ; Validam auxilij turrim ; Portum tem-
peſtate iactatorum ; Malaciam perturbatorum ; Peccato-
rum vadem ; deſperatorum adductionem ; Exulum reuo-
cationem ; Pulſorum , poſtliminiò reuerſionem ; Aliena-
10 torum conciliationem ; 10 Damnatorum commendatio-
nem ; Maledictorum benedictionem ; Rorem ſquallentis
animæ ; Stillam irriguumque , confectæ ac tabeſcentis
Iſai.66. v 14. herbæ : Per te enim inquit ſcriptura, *oſſa noſtra ſicut her-
ba germinabunt* : Agni & Paſtoris Parentem , omnium-
Pſal 18. v.10. que bonorum palam conciliatricem. Tua omnia , admi-
randa ſunt, *vera ; iuſtificata in ſe ipſum* ; omniaque *de-
ſiderabilia. ac dulciora ſuper mel & fauum. Nam & ſerui
tui ea deſideramus ; in illis deſiderandis* , ex te, *retributio
Pſal.106. v 43. multa. Quis tuas miſericordias intelliget ?* Enimvero , ſat
B tibi ad laudem, ô admirabilis, quod non poſſimus dignis
encomiis res tuas celebrare. Magnam à Deo , ad trium-
phum celſitatem adepta es , quod tuâ ex carne , populum
ei Chriſtianum comparaueris ; quodque id quod ſimilis
tecum eſſet naturæ , diuinæ eius expreſſæque imaginis
Rom.8 v. 26. conforme reddideris. Quare , *benedictum nomen tuum in
Pſal.71. v.16. ſæcula.* Vincit ſolem lux tua : Superat creata omnia, tuus
honor & dignitas : Præ Angelis maior excellentia tua. *Tu
Iob 11. v 8. cœlo excelſior* ; Sed & cœlo cœlorum expanſior , ſepti-
moque cœlo, 11 quod ceu ex ſcripturæ , Sanctus quidam
11 aſtruit. O cœlum ſupra octauum , & ſi quod vlterius
octauo , cœlum dici poteſt ! Benedicta tu in generatio-
Baſil.He-xam, hom.3 nibus generationum : Sed & in te , benedictionem con
ſecutæ ſunt omnes tribûs terræ : Nullus enim locus eſt,
Luc. 1. v 48. vbi non honori habearis. Neque vlla tribû, eſt , ex quâ
Deo , per te , fructus non germinauerint ? vt & Gentes,
Gen.12. v.3. quæ te vſu ſæculi non cognouerunt , ipſæ etiam 12 tem-
pore placito beatam te, Dei Genitrix Virgo , ſint prædi-
12 cturæ. Tuo enim Filio veniente *iudicare orbem terra-
C rum in iuſtitia , videbunt & plangent* , qui te Deiparam,
2.Cor.6. v.2 confiteri credentes noluerunt : tumque demum perſpi-
Pſal.79. v.9 cient, quanto ſe theſauro, peruerſo ſanè conſilio , defrau-
Zach.12. v.10. darunt. Nobis itaque Chriſtianis, teque Deiparam Chri-
ſtianâ fide venerantibus , ſtabilis tutelæ tuæ miſericor-
diam exhibe, Etenim Dormitionem tuam, ô Deipara, iu-
re vitam arbitramur ; teque ſpiritali quadam ratione no-
bis contubernalem , credimus : Cumque adeò ingruerit
calamitas , tuum quærentes præſidium , liberamur : rur-
ſum verò fauſtâ , gaudiique oboriente die , eam ipſa con-
cilias : ac poſtquam in omnibus noſtri ſollicita es, nobiſ-
cum te agere perſuaſum habemus. Quemadmodum enim
ſiticuloſus ad fontem properat , ſic & fidelis omnis ani-
ma, tota æſtuans accurrit, tuo implenda auxilio. Ac ite-
13 rum , quemadmodum anhelitu hauſtus aër 13 animalem
hominibus olfactum afflat ; ita & te , Orthodoxi omnis
Chriſtiani flatus , ac ſpiratio , ore profert ac enuntiat.
Nec enim tantùm ab aëris haurimus oblectatione, quan-
D tùm à tui nominis haurimus protectione : adeò vt in
14 Chriſto , ac te impleatur quod ſcriptum eſt : 14 *Reſpira-
Thren. 4.v.20. tio narium noſtrarum es tu ; in tegumento tuo & vmbra vi-
uemus.* Quodnam enim aliud hominum genus à Chri-
ſtianis, id tantùm obtinuit gloriæ ? Tam illuſtri fuit exi-
ſtimatione ? Angeli cœleſtibus glorientur habitaculis,
nos , inceſſu ſanctorum templorum tuorum , feſtis delе-
ctamur. Vt enim illud quondam Salomonis templum,
cœlum in terris adumbrarit ; quàm nos potiori iure, cùm
ipſa effecta fueris viuum Chriſti templum, Eccleſias tuas
& templa , velut terreſtres cœlos ſumus clamari ? Stella-
rum claræ faces loquuntur in firmamento cœli : corpo-
reſque tuarum, ô Deipara, imaginum ducti colores, tuo-
rum nobis donorum largitionem ceu ſtellanti fulgore
coruſcant. Sol & Luna vnius axem circuli illuminant ;
at domus omnis , & ciuitas , regioque, tuum , ex tui nati
lumine , ſplendet lumen. Quapropter beatus homo , etſi
peccator, quòd tuam adeptus per naturam cognationem,
Pſal 127. v.2. etiam diuinæ, per te, naturæ particeps inuentus ſit : *Bea-
tus* reuerâ, & benè illi fuit : Imò , *& erit benè* : non enim

deficies ; iis qui vſque ad finem auxilium tuum obtinere E
meruerint. 15 Faceſſat in te mors, ô Deipara , quòd vi- 15
tam mortalibus produxeris. Faceſſat in te ſepulchrum,
quando inexplicabilis ſublimitatis diuinum facta es fun-
damentum. Faceſſat puluis ; noua quippe informatio es ;
quod iis , qui in limo luti corrupti eſſent ; Domina facta
ſis. Te igitur, vnà nobiſcum verſari certâ confitemur fide.
Niſi enim noſtra in eo eſſet poſita conſolatio ; deficeret
præ tui deſiderio ſpiritus noſter. Quomodo 16 autem iux- 16
ta ſcripturam, fide intelligimus aptatos cœlos ; ita & te, Hebr.11. v.3.
etiam à migratione corporis , accedentem nobis comi-
tem , velut oculis conuerti credimus. Non enim tantùm
dolet anima , cùm à corpore auellitur , quantus dolor eſt
te priuari , ô immaculatiſſima. Hinc , iuxta ſcripturam,
Etſi corpus tuum dormit , cor tamen tuum vigilat : Et Cant.5. v.2.
quanquam ineuitabilem humanæ conditionis mortis ne-
ceſſitatem ſubiiſti, non tamen dormitabit, autve dormiet,
nos cuſtodiens oculus tuus. Non enim teſtibus caret tuus
tranſitus ; nec dormitio tuæ falſi quicquam habet. Enarrat F
cœlum gloriam eorum , quæ in te tunc concurrerunt :
Terra , eorum repræſentat veritatem : Nubes, honorem
quem famulatu exhibuerunt , clamant. Denique Angeli,
17 quod id temporis ſatellitium ſtiparet, annuntiant : Vt 17
nimirum Apoſtoli , ad te Ieroſolymam conuenerint,
quemadmodum etiam Habacuc Propheta , horâ vnâ , in
nube raptus , ſurripiente Angelicâ dexterâ, 18 ex partibus 18
Orines, Iudeáque, Babylone Perſidis , ad lacum Danielis
præſto fuit. Enimverò , vt gutta vna nihil mari adiicit,
neque pauperis crumena, diuitis theſaurum euacuat ; ita
nemo tuarum celſitudinem laudum oratione ſatis extu-
lerit. Habes planè, ipſa à te propriam laudem, quòd Dei-
para effecta ſis. Non enim quia hoc tantùm , exponente
ſcripturâ , *auribus noſtris audiuimus* : neque iterum *quia
patres noſtri* , hoc *nobis* veriſſimè narratione *annuntiaue-
runt* , Deiparæ appellationem ſortita es , ſed quia ipſum
opus quod es operata in nobis, propriè & verè , nihilque 30
gratificante linguâ, & orthodoxè, 30 Dei, te, Matrem, ab G
ipſis rebus confirmat. Ideoque par erat, vt ne reuerâ, cor-
pus illud tuum quod vitam ſuſcepiſſet , mortiferâ corru-
ptione inuolueretur : ac verò , vt & ſepulchrum , velut
hominis propriam maſſam ſuſciperet ; vtque te, vitæ con-
ſummatione , à tuâ ipsâ vitâ migratione ad cœleſtia ; mo-
numentum quidem tuâ carne oſtenderetur vacuum; tuus
verò ſpiritus inueniretur ab humanâ conuerſatione inſe-
parabilis; inuiſibili eius virtute, qui ex te Virgine natus eſt
Chriſtus Deus noſter , cui gloria in ſæcula. Amen.

Ex Anonymo de Imagine dictâ Romanâ · Regio Cod.

GErmanus vir inſignis virtute ; vir multâ iuris erudi-
tione , multâque ſapientiâ egregiè excultus , atque
ad omne bonum opus comparatus, Cyzici primùm, tum
propter præſtantem illam virtutem, ac ſapientiam ; quin H
& propter donorum Spiritûs affluentes diuitias , vrbis
Conſtantinopolis thronum decorauit , anno ſecundo Im-
perij Anaſtaſij Artemij , coactus acquieſcere ſedis illi
tranſlationi. Ad annos autem quatuordecim ac menſes
ſex in Patriarchali agens ſede , ac veritatis ſermonem re-
ctâ fide docens , ſat multos ſcripſit ſermones ad commu-
nem vtilitatem , quibus pios demereretur : ſed & varios
hymnos edidit , laudandis Sanctis ; ac cantica, admiran-
dis diuinæ gratiæ celebrandis operibus, quibus ille huma-
ni generis ruinam de integro reparaſſet.

A

EPISTOLÆ

SANCTI BONIFACII

Martyris, Primi Moguntini Archiepiſcopi Germanorum Apoſtoli: pluriumque Pontificum, Regum, & aliorum, nunc primum è Cæſareæ Maieſtatis Viennenſi Bibliotheca luce, donatæ.

Per

B

NICOLAVM SERARIVM, Societatis IESV *Presbyterum, SS. Theol. Doct.*

DEVTERONOM. XXXII.

Memento dierum antiquorum:

Cogita generationes ſingulas:

Interroga Patrem tuum,

C

& annunciabit tib:

Maiores tuos, & dicent tibi.

Ex Bellarmino de Scriptorib. Eccleſiaſt.

S. Bonifacius natione Anglus Archiepiſcopus Moguntinus, & Martyr, vixit temporibus Gregorij ſecundi, & tertij, & Zachariæ Pontificum Romanorum, & obiit annno 755. Scripſit epiſtolas multas, quæ extant. De eius rebus geſtis vide Cardin. Baron. tomo 9. Annal. ad annum 755.

SANCTI BONIFACII

Martyris, & Archiepiſcopi Moguntini Primi epiſtolæ.

D

EPISTOLA I.

VVinfredus Nidhardo.

Chariſſimo ſodali & amico dilectiſſimo quem mihi nec temporalis caducum auri munus, nec mellitate per blandimenta adulantium verborum faceta vrbanitas aſciuit: ſed ſpiritalis neceſſitudinis famoſa affinitas immarceſſibili cathena charitatis nuper copulauit, Nithardo VVinfredus ſupplex in CHRISTO IESV *perpetuæ ſoſpitatis ſalutem.*

Vvinfred.

HVMILIBVS mediocritatis meæ apicibus illuſtrem pubertatis tuæ indolem precor, frater chariſſime, vt te ſapientiſſimi *Salomonis* ſententiæ minime recordari pigeat, dicentis. *In omnibus operibus tuis memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* Et alibi. *Currite, dum lucem* (vitæ) *habetis, ne tenebra* (mortis) *vos comprehendant.* Quia cuncta velociter tranſitura ſunt inſtantia: & in æternum manſura cito aſfutura: & vniuerſa mundi huius preſioſa ſiue in ſpecie auri & argenti, ſiue in ſtellantium varietate gemmarum, vel in luxurioſorum ciborum aut comptorum veſtimentorum acquiſita diuerſitate ſimillima collectione rerum, vt vmbra prætereunt, vt fumus fatiſcunt vt ſpuma marceſcunt, iuxta veridicam pſalmographi ſententiam dicentis: *Homo ſicut fœnum dies eius, & ſicut flos agri, ita florebit*, & alibi. *Dies mei ſicut vmbra declinauerunt: & ego ſicut fœnum arui.* Et hac de re vniuerſi aurilegi ambrones apoto grammaton agiis fruſtratis afflicti inſeruire excubiis, & fragilia aranearum incaſſum ceu flatum tenuem, ſiue puluerem captantia tetendiſſe retia dignoſcuntur: quia iuxtà Pſalmiſtam, *Theſaurizant, & ignorant, cui congregent illa*, & dum exactrix inuiſi Plutonis, mors videlicet, cruentatis crudeliter frendens dentibus in limine latrat, tum tremebundi, & omni ſuffragio deſtituti animam pariter precioſam, & fallacem gazam, cui auari diu noctuque ſollicite inſeruiebant, ſubito amittentes perdent: & exinde diabolicis rapti manibus, teterrima ſubeunt clauſtra herebia, æterna luituri ſupplicia. His autem omnibus, abſque ſcrupulo falſitatis, ita ſe habentibus, precibus charitatis interlitis obnixe flagitantibus te implorare procuro, vt his vniuerſis veraciter perſpectis, reſuſcitare feſtines gratiam ingenij naturalis, quæ in te eſt, & liberalium literarum ſcientiam, & diuini intellectus flagrantem ſpiritualiter ignem aquoſo luto & humido terrenæ cupiditate puluere non extinguas: ſed memor pſalmographi de beato viro ſententiam proferentis. *In lege Domini fuit voluntas eius die ac nocte.* Et alibi. *Quomodo dilexi legem tuam Domine! tota die meditatio mea eſt:* Et Moyſis in Deuteronomio. *Non recedat liber legis de ore tuo: & meditaberis in ea diebus & noctibus omnibus.* Non profuturis aliarum rerum obſtaculis porro ſbolitis, ſtudium ſacrarum literarum mentis intentione ſequi nitaris, & inde glorioſæ ac veræ pulchritudinis venuſtatem acquirere, id eſt, diuinam ſapientiam, quæ eſt ſplendidior auro, ſpecioſior argento, ignitior carbunculo, candidior cryſtallo, pretioſior topazio: & ſecundum ſanctionem ingenioſi concionatoris, omne precioſum non eſt ea dignum. Quid enim, frater Chriſtiane, à iuuenibus decentius quæritur? aut quid à ſenibus demum ſobrius poſſidetur, quam ſcientia ſcripturarum ſacrarum, quæ, ſine vllo naufragio periculoſæ tempeſtatis, nauem animæ noſtræ gubernans, deducit ad amœniſſimi littus paradiſi, & ad perpetua ſuperna gaudia Angelorum, de quibus ſupra dictus Sapiens dixit. *Sapientia vincit malitiam. Attingit ergo vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. Hanc amaui, & exquiſiui à iuuentute mea, & exquiſiui ſponſam mihi aſſumere, & amator factus ſum formæ illius: generoſitatem illius glorificat contubernium Dei habens, ſed & omnium Dominus dilexit illam, doctrix eſt enim diſciplinæ Dei.* Propterea ſi Dominus omnipotens voluerit, vt aliquando ad iſtas partes remeem, ſicut propoſitum habeo, per viam ſpondeo me tibi in his omnibus fore fidelem amicum, & in ſtudio diuinarum ſcripturarum, in quantum vires ſuppeditent deuotiſſimum adiutorem.

Vale frater, florentibus
Iuuentutis cum viribus:
Vt floreas cum Domino
In ſempiterno ſolio
Qua martyres in cuneo
Regem canunt æthereo
Prophetæ Apoſtolicis
Conſonabunt & laudibus:
Nithardo nunc nigerrima
Imi Coſmi contagia
Temne fauſte tartarea
Hæc contra hunc ſupplicia
Altaque ſuper æthera
Rimari petens agmina
Dominum qua ſemper choris
Verum canunt Angelicis.

E Eccleſ. 7. v. 40. Ioan. 12. v. 35. *V. Ambulate.* *collatione.* Pſal. 102. v. 15. *l. florebit. V. ſic efflorebit* *inf. epiſt.* 26. Pſal. 101. v. 12. *I ἀπὸ τῶν γραμμάτων.* F Pſal. 38. v. 7. Pſal. 1. Pſal. 118. v. 97. Deut. 6. v. 7. Ioſ. 1. v. 8. G Eccl. 1. v. 8. Prou. 31. v. 15. *mag. ſobrius.* Sap. 7. 30. c. 8. v. 1. 2. 3. 4. *V. amator f.* H

A

Qua Rex Regum perpetuo
Ciuet ditat in ſaculo
Iconiſma ſic Cherubin
Vt & geſtes cum Seraphin
Editus Apoſtolorum
Filius Prophetarum
Summa ſede vt gaudeas
Vnaque ſimul fulgeas
Excelſi regni præmia
Lucidus captes aurea,
Inque throno athereo
Chriſtum laudes præconio.

EPISTOLA II.

BONIFACIVS AD BVGGAN ABBATISSAM.

B

VENERANDÆ AC DILECTISSIMÆ Sorori Buggan; Bonifacius, qui & Vuinfrethus ſeruus ſeruorum Dei optabilem in Chriſto charitatis ſalutem.

O Soror chariſſima, poſtquam nos timor Chriſti & amor peregrinationis longa & lata terrarum ac maris intercapedine ſeparauit, multorum relatu audiui tempeſtates tribulationum, quæ tibi in ſenectute Deo permittente, superuenerunt. Mœrore contriſtatus ingemui, reputans quia poſtquam quietem contemplatiuæ vitæ quærendo, maiores monaſteriorum ſollicitudines abieciſti, frequentiores & validiores tribulationes occurrerunt. Nunc autem, ſoror veneranda, tribulationibus tuis compatiens, fraternas & hortatorias, & conſolatorias, beneficiorum tuorum, & antiquarum amicitiarum memor, litteras ad te tranſmitto, rogans vt mente non excidat ſententia Veritatis, qua dixit: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Et verbum ſapientiſſimi Salomonis. *Quem diligit Deus, corripit. & flagellat omnem filium, quem recipit.* Et Pſalmographi ſententia. *Multa tribulationes iuſtorum, & de his omnibus liberabit eos Dominus.* Et alibi. *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit.* Et recordare Apoſtolicæ ſententiæ, qua dixit. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Et alibi. *Gloriamur in tribulationibus, ſcientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero ſpem, ſpes autem non confundit.* De iſta ſpe, ſoror chariſſima, ſemper gaude & lætare, quia non confunderis: & tribulationes mundanas toto mentis anniſu contemne, quia omnes milites Chriſti vtriuſque ſexus, tempeſtates & tribulationes infirmitateſq; huius ſæculi deſpexerunt, pro nihiloq; duxerunt, Paulo atteſtante, qui ait: *Quando infirmor, tunc potens ſum.* Et alibi. *Quis nos ſeparabit à charitate Christi? tribulatio? An anguſtia? An fames? an nuditas? An periculum? An perſecutio? an gladius? (ſicut ſcriptum eſt, quia propter te mortificamur tota die: aſtimati ſumus, ſicut oues occiſionis) ſed in his omnibus ſuperamus propter eum qui nos dilexit,* qui Pater & amator caſtæ virginitatis tuæ, qui te primæuo tempore iuuentutis tuæ, paternæ dilectionis voce, ad ſe inuitans. *Filiam,* vocauit, dicendo per Prophetam. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui: quia concupiuit Rex ſpeciem tuam.* Ipſe eſt qui modo in ſenectute tua laboribus & tribulationibus ſpeciem & pulchritudinem animæ tuæ decorare & adornare deſiderat. Tu autem, chariſſima, de futura hæreditate patriæ cœleſtis, in ſpe gaudens, contra omnes aduerſitates ſiue cordis ſiue corporis, ſcutum fidei & patientiæ oppone, vt Chriſto ſponſo cooperante turris euangelicæ ædificium, quod in bona iuuentute cœpiſti, in ſenectute bella ad gloriam Dei perficias, vt cum Chriſto veniente, cum ſapientibus virginibus, lampadem cum oleo fulgentem obuiam portare merearis. Interea intimis obſecro precibus, vt, memor promiſſionis antiquæ, pro me orare digneris, vt Dominus, qui eſt redemptor noſter & ſalus omnium, de iſtis multifariis periculis animam meam eripiat in fructu ſpiritali. Vale in Chriſto.

C
Luc. 21. v. 19.
Prou. 3. v. 11. ſecundum 70. & D. Paul. Hebr. 12. v. 6.
Pſal 7. v. 10.
Pſal. 50.
Act. 14. 22.
Rom. 5. 5.

D
2. Cor. 12.
Rom. 8. 35. & ſeq.
Pſ. 43. 23.
Pſal 44. 11.
V. decorē tuum.

E
I in obuiam.

EPISTOLA III.

EPISTOLA SANCTI BONIFACII EPISCOPI AD DANIELEM Epiſcopum.

Domino dilectiſſimo DANIELI Epiſcopo, BONIFACIVS ſeruus ſeruorum Dei, optabilem, in CHRISTO, charitatis ſalutem.

F

COnſuetudo apud homines eſſe dignoſcitur, cum aliis triſte & oneroſum quid acciderit, anxiatæ mentis ſolatium vel conſilium ab illis quærere, de quorum maxima amicitia, vel ſapientia, & fœdere confidunt. Eodem modo & ego de paternitatis veſtræ probabili ſapientia & amicitia confidens, vobis feſſæ mentis anguſtias expono, & veſtræ pietatis conſilium & ſolatium quæro. Sunt enim nobis, iuxta decretum Apoſtoli, non ſolum *foris pugnæ, & intus timores:* ſed etiam intus pugnæ ſimul cum timore, maximè per falſos ſacerdotes & hypocritas, qui & Deo aduerſantur, & ſibi perduntur, & populum per plurima ſcandala & varios errores ſeducunt, dicentes populis, iuxta dictum Prophetæ. *Pax pax & non eſt pax:* & ſemen verbi quod de ſinu Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ ſumptum, & nobis commendatum, ſeminare aliquantulum ſtudemus, illi cum lolio ſuperſeminare, & ſuffocare nituntur, vel in herbam peſtiferi generis conuertere. Et quod plantamus, non irrigant vt creſcat, ſed euellere ſtudent, vt marceſcat: offerentes populis, & docentes nouas ſectas, & diuerſi generis errores: quidam abſtinentes à cibis, *quos Deus ad percipiendum creauit.* Quidam melle & lacte proprie paſcentes ſe, panem & cæteros abiiciunt cibos: Quidam autem affirmant (quod plurimum populo nocet) homicidas vel adulteros in ipſis ſceleribus perſeuerantes, fieri tamen poſſe Dei Sacerdotes. Populi autem, iuxta dictum Apoſtoli, ſanam doctrinam non ſuſtinent, ſed coaceruant *ſibi Magiſtros ſecundum ſua deſideria prurientes auribus.* Nos quidem patrocinatus auxilium in palatio Francorum quærentes, à talium corporali communione abſtinere & ſegregare iuxta præceptum canonum non poſſumus; niſi hoc tantum, quod per ſacra miſſarum ſolemnia in ſacris myſteriis corporis & ſanguinis Domini, cum eis non communicauimus: ſed & conſilium & conſenſum eorum deuitamus. Nam cum talibus, & cum paganis, & cum permixta & cum plebeia multitudine noſtri labores & pugnæ foraſticæ videntur eſſe: intimæ vero, quando quis de gremio matris Eccleſiæ Presbyter, vel Diaconus, Eccleſiaſticus vel Monachus diſcedit à fide & veritate: tum deinde prorumpit cum paganis in contumelias filiorum Eccleſiæ, & eſt obſtaculum horrendum Euangelio gloriæ CHRISTI. De his namque omnibus, vt ſine detrimento animæ, curſum miniſterij implere poſſimus, inprimis apud DEVM paternitatis veſtræ interceſſionem quærimus: & intimis, per DEVM, obſecramus precibus, vti pro nobis intercedere dignemini, vt pius laborantium conſolator DEVS inter tales turbines diuerſarum cauſarum animas noſtras illæſas & ſanas à peccatis cuſtodire dignetur. De ſupra dicta autem dictorum ſacerdotum communione ſalubre conſilium veſtrum audire & exaudire inhianter deſidero. Nam ſine patrocinio Principis Francorum, nec populum regere, nec Presbyteros vel Diaconos, Monachos vel ancillas DEI defendere

C. bortroſum.
2. Cor. 7. 5.
Ier. 6. 14. c 8. 11.

G
1. Tim. 4. v. 3.
Proprio corrector Anonymus.
Al. pro pans.
2. Tim. 4. v. 3.
ſuſtinebunt coacerbans.

H
C. talibus I. omnibus.
C. intimi, ſcilicet timores.
I. interium.
C. ſ. erit.
Nd. abeſt à C. eſt in I.

A poſſum, nec ipſos paganorum ritus & ſacrilegia idolorum in Germania, ſine illius mandato & timore, prohibere valeo. Cur autem ad illum de iſtis cauſis auxilium quærens peruenero, à talium communione abſtinere canonice nullatenus corporaliter poſſum, niſi tantum à conſenſu illorum. Nam ego de illa communione culpam timeo, quia recolo me, ordinationis meæ tempore, iuxta præceptum Gregorij Papæ, iuraſſe in corpore ſancti Petri, talium communionem me declinaturum, ſi eos ad viam Canonicam conuertere nequiuerim. Sed iterum timeo maius damnum de prædicatione, quam populis impendere debeo ſi ad Principem Francorum non venero. De iſtis quid Paternitas veſtra triſti & dubitanti filio decernere & iudicare & mandare ad conſilium voluerit, indicare dignemini. Mihi enim maxima ex parte ſegregatus ab illis eſſe videor, ſi ab illis, voluntatis conſilio, & conſenſu, Eccleſiaſtico miniſterio vbi canonici non ſunt, abſtinuero. Præterea Paternitatis veſtræ clementiam de vno ſolatio peregrinationis meæ intimis precibus diligenter rogare velim, ſi præſumam; id eſt vt librum Prophetarum, quem venerandæ memoriæ Vuynbertus Abbas & Magiſter quondam meus, de hac vita ad Dominum migrans dereliquit, ſex Prophetæ in vno corpore, claris & abſolutis litteris, ſcripti reperiuntur, mihi tranſmittatis. Et ſi hoc Devs cordi veſtro facere inſpirauerit, maius ſolatium vitæ meæ ſenectuti, & maius vobis mercedis præmium tranſmittere non poteſtis. Quia librum Prophetarum talem in hac terra, qualem deſidero, acquirere non poſſum: & caligantibus oculis minutas ac connexas litteras diſcere non poſſum. Et propterea de illo libro ſupradicto rogo, quia tam clare diſcretis & abſolutis litteris ſcriptus eſt. Interea per Forthereum Presbyterum litteras & parua munuſcula, propter indicium puræ charitatis, tranſmitto vobis: id eſt, caſulam non holoſericam, ſed caprina lanugine mixtam & villoſam ad tergendos pedes dilectionis veſtræ. Nuper quoque reuelante Presbytero qui à veſtra præſentia ad Germaniam venit, corporalem orbitatem vobis contigiſſe cognoui: ſed vt vos, Domine, melius ſcitis, qui, vel per quem dixit: *quem Deus diligit, corripit*; & cætera. Et Paulus Apoſtolus. *Quando infirmor, tunc potens ſum, & virtus in infirmitate perficitur.* Et Pſalmigraphus. *Multæ tribulationes iuſtorum* & reliqua. Habes, Pater mi, ſicut Antonius de Didymo fertur dixiſſe, oculos, quibus poteſt Deus videri, & Angeli eius, & ſupernæ Hieruſalem glorioſa gaudia ſpeculari. Et propter hoc, de ſapientia & patientia tua confidens, credo quia hoc Deus ad perfectionem virtutum, & ad augmentum meritorum tibi dediſſet: & vt eo magis ſpiritalibus oculis ea conſpicias & deſideres, quæ præcipit & diligit Dominus, & eo minus reſpicias vel concupiſcas, quæ non amat, ſed interdixit Dominus. Quid enim ſunt, iſto periculoſo tempore, corporales oculi, niſi, vt ita dicam, maxima ex parte, veraciter feneſtræ peccatorum? per quas aut peccata, & ad peccantes aſpicimus: aut, quod peius eſt, ad nos ipſos flagitia conſiderantes & concupientes contrahimus. Valere ſanctitatem veſtram, & pro me orate in Chriſto diligenter opto.

[Margin: *Sed, iterũ abeſt à C. eſt tn l. & illic pro ma rru, eſt magis. l. timeſiemin.* — B — *Vbi ſex.* — C — *C. corporalis orb. Prou 3. 11. 1. Cor. 12. Pſ 1. 7. v. 20. D Hier. epiſt. ad Caſtrutium.* — *Reſponſio Damalis* — D — *infra erit lib. 2.*]

EPISTOLA IV.

Reuerendiſſimo fratri Deal-vno, iam dudum magiſtro LVL indignus Diaconus, ſine prærogatiua meritorum, Diaconatus officio fungens, optabilem in Domino ſalutem.

Almitatis tuæ clementiam intimis precibus flagito, vt meæ mediocritatis carinam fulcire digneris tuis almis oraminibus, quatenus tuarum orationum interceſſionibus, ſeu pelta protectus, ad portum ſalutis peruenire merear, & piaculorum meorum in hoc terreno ergaſtulo veniam conſequi, ſicut iam præterito anni circulo, per Deneuualdum fratrem noſtrum literarum mearum portitorem, deprecatus ſum. Ergo vilium munuſculorum tranſmiſſio ſcedulam iſtam comitatur non tam digna quam deuota mente directa. Similiter obſecro vt mihi Aldhelmi Epiſcopi aliqua opuſcula, ſeu proſarum, ſeu metrorum, aut rythmicorum, dirigere digneris ad conſolationem peregrinationis meæ, & ob memoriam ipſius beati Antiſtitis: & mihi per aliqua verba tuæ affabilitatis, indica, quid de iſtis valeat precibus tua fraternitas perficere, quæ inhianter audire ſatago. Bene valentem te & proficientem in proſperitate dierum, & intercedentem pro me exopto longis temporibus.

[Margin: *Seu abeſt. C. l.* — E]

Fama eſt fictilibus cœnaſſe Agathoclea Regem,
Atque abacum Samio ſæpe oneraſſe luto.
Fercula gemmatis cum poneret aurea vaſis,
Et miſceret opes pauperiemque ſimul
Quærenti cauſam reſpondit, Rex ego qui ſum
Sicaniæ, figulo ſum genitore ſatus.
Fortunam reuerenter habe, quicunque repente
Diues ab exiguo progrediere loco.

[Margin: *Quorſum iſti, hoc loco Auſony verſus.*]

EPISTOLA V.

Dominæ dilectiſſimæ Chriſtique religioſiſſimæ Abbatiſſæ Kanebadæ, Regalis proſapiæ generoſitate præditæ. Den. & L. & B. filij tui ac vernaculi ſempiterna ſoſpitatis ſalutem.

[Margin: F — *Deneuualdus Lul. B. Poſt non in C. C. vſque.*]

Agnoſcere cupimus almitatis tuæ clementiam, quia te, præ cæteris cunctis feminini ſexus, in cordis cubiculo, cingimus amore, quod poſt genitoris, & genitricis, & aliorum propinquorum noſtrorum obitum ad Germanicas gentes tranſiuimus: & quod in venerandi Archiepiſcopi Bonifacij monaſticæ conuerſationis regula ſuſcepti, ipſiuſque laboris adiutores ſumus, in quantum naturæ paupercula vilitas præualet. Nunc itaque ex intimis præcordium illis, ſuppliciter flagitamus, vt digneris nos habere in tuæ ſacræ congregationis communione, & noſtram lintrem procelloſis fluctibus huius mundi fatigatam, tuorum oraminum præſidio ad portum ſalutis deducere, & atra contra piaculorum ſpicula, parma tuæ orationis protegere non recuſes, ſicut nos quoque pro tuæ celſitudinis ſtatu, diuino ſuffragio, ſingulis momentis deprecantes ſumus. Hoc vero ſi corporibus præſentes fuiſſemus, flexis genuum poplitibus, & ſalſis lachrymarum imbribus rogitantes diligenti petitione ſperamus poſſe impetrari: & nunc abſentes hoc idem obnixis precibus poſtulamus. Illud etiam ſcire deſideramus tuæ ſagacitatis induſtriam, quod ſicut noſtrum contingit huius Bretānicæ telluris ſceptra viſitare, quod nullius hominis obedientiam & inſtitutionem antea quæſiuimus, quam tuæ beneuolentiæ ſubiectionem qui in te firmiſſimam ſpem mentis noſtræ poſitam habemus. Similiter obſecramus vt puerulos duos noſtros Beiloc & Man, quos ego Lul, & Pater noſter liberos dimiſimus, Romam deſtinantes & auunculo noſtro commendauimus, pro mercede animæ tuæ, & ſi liberi arbitrij ſint, & illorum voluntas ſit, & in tua poteſtate ſint, nobis tranſmittere per harum litterarum gerulos ſtudeas: & ſi aliquis eis prohibere vellet iter pergendi ſine iuſtitia, deprecamux vt eos defendere digneris. Parua quoque munuſculorum tranſmiſſio ſcedulam iſtam comitatur: quæ ſunt tria, id eſt thuris, & piperis, & cinamomi permodica xenia, ſed omni mentis affectione deſtinata. Huius muneris magnitudinem vt non conſideres, ſed ſpiritalis charitatis amorem attendas, poſcimus. Illud etiam petimus, vt ruſticitatem huius epiſtolunculæ emendes, & nobis aliqua verba tuæ dulcedinis non tenuas dirigere, quæ inhianter audire gratulabundi ſatagimus. Vale viuens Domino æuo longiore, & vita feliciore, intercedens pro nobis.

[Margin: *C. noſtra.* — G — *C. quoque licet. C. præſenti.* — H — *C. aut de popoſc. C. epiſtiume.*]

EPISTOLA VI.

Vniuerſis reuerendiſſimus Coepiſcopis venerabilibus Presbyteris candidatus gratia Diaconibus, Canonicis, Clericis, vero gregi Chriſti prælatis Abbatibus ſeu Abbatiſſis humillimis,

A *miſſimus, & pro Deo ſubditus Monachis, conſecratis, & Deo deuotis virginibus, & cunctis conſecratis ancillis Chriſti imo, generaliter omnibus Catholicis Deum timentibus de ſtirpe & proſapia Anglorum procreatis, eiuſdem generis vernaculis, vniuerſalis Eccleſiæ Legatus Germanicus, & ſeruus ſedis Apoſtolicæ, Bonifacius, qui & Vuynfrethus, ſine prærogatiua meritorum nominatur Archiepiſcopus, humillimæ communionis & ſinceriſſimæ in Chriſto charitatis ſalutem.*

FRaternitatis veſtræ clementiam intimis obſecramus precibus, vt noſtræ paruitatis in orationibus veſtris memores eſſe dignemini, vt liberemur à laqueo venantis Satanæ, & ab importunis & malis hominibus, & ſermo Domini currat & clarificetur, & vt precibus pietatis veſtræ impetrare ſtudeatis, vt Deus & Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui *vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem Dei venire*, conuertat ad Catholicam fidem corda paganorum Saxonum, & reſipiſcant à Diaboli laqueis, à quibus capti tenentur, & adgregentur filiis matris Eccleſiæ. Miſeremini illorum, quia & ipſi ſolent dicere de vno ſanguine, & de vno oſſe ſumus? recordantes, quia adpropinquat via vniuerſæ terræ, & nemo in inferno confitebitur Domino, neque mors laudabit eum, & ad propinquat via vniuerſæ terræ. Et ſcitote quod in hac prece, duorum Pontificum Romanæ Eccleſiæ adſtipulationem & conſenſum & benedictionem accepi. Agite nunc de hac obſecratione noſtra, vt mercedis veſtræ præmia in ſuperna curia Angelorum clareſcant, & creſcant. Vnitatem & communionem dilectionis veſtræ valentem ac proficientem in Chriſto Creator omnipotens æternaliter cuſtodiat.

(1.Tim.2) (B) (C. obſecratione.)

EPISTOLA VII.

C *Reuerendiſſimæ & in Chriſto cariſſimæ Eadburgæ Abbatiſſæ. N. indignus & exiguus Diaconus perennem Domino ſalutem.*

ALmitatis tuæ clementiam intimis obſecro precibus, vt mei memor eſſe digneris in tuarum ſacroſanctis orationum ſubſidiis, ſicut mihi per reuerendum fratrem noſtrum N. tua benigna charitas concedens promiſit. Hoc etiam, obnixa prece flagito, vt meæ fragilitatis nauem, quæ quotidie præſentis mundi procellarum turbinibus quatitur, tuæ ſtabilitatis ſuffragio fulciatur, vt, contra antiqui hoſtis venenata ſpicula, oraminum tuorum frequente iuuamine muniar. Parua munuſcula tuæ venerandæ dilectioni tranſmiſi, id eſt, vnum graphium argenteum, & ſtoracis, & cinnamomi partem aliquam, quatenus ex his minimis cognoſcas allata munera tuæ ſalutationis quam grata mihi ſunt; & ſi quid mihi per gerulum horum apicum, qui dicitur Ceola, vel per alium quemlibet imperare volueris, ſcit charitas illa quæ inter nos eſt copulata ſpiritali germanitate, id meam paruitatem totis niſibus implere velle. Interea rogo, vt mihi litteras tuæ dulcedinis deſtinare non deneges. Bene valere te deſidero, & ſanctis ſucceſſibus proficere in Chriſto optamus.

(V. Voſſatur.) (D)

EPISTOLA VIII.

AD ECBERTHVM EPISCOPVM.

(L. Heriberi.)

Dilectiſſimo ac reuerendiſſimo fratri Ecbertho Archiepiſcopo Bonifacius ſeruus ſeruorum Dei, Legatus Germanicus Sedis Apoſtolicæ: ſincerum in Chriſto ſpiritualis germanitatis ſalutem.

CHaritatis tuæ muneribus & libris ſuſceptis, erigens ad ſupera palmas magnas omnipotenti Deo gratias egi, qui mihi longe peregrinanti talem inuenire conceſſit amicum, qui mihi & in rebus terrenis adiutorium, & in ſpiritalibus, oratione & vnitate communionis, diuinum ſolatium tranſmiſit. Nunc autem intimis præcordiorum precibus almitatis tuæ clementiam obſecro, vt veſtræ fraternitatis ſynodo, vna cum ſeruis Dei mecum laborantibus adunatus eſſe merear: & ſis mihi conſiliarius, & adiutor in inquirendis & inueſtigandis regulis Eccleſiaſticis iudiciorum Dei: & vt me non ludiuaga ſermonum voce, ſed ſerie rogantem ac dicentem eſſe ſcias; & me non arrogantem, vel ſuperbum ac proprio iudicio plus iuſto placentem æſtimes. Nam Catholica & Apoſtolica Romana Eccleſia, quando indignum ac vilem prædicatorem ad prædicandum Germaniæ erroneis vel paganis gentibus direxit, præcepit mihi ex auctoritate Romani Pontificis, ſi alicubi viderem inter Chriſtianos pergens, populos erroneos vel Eccleſiaſticas regulas mala conſuetudine deprauatas, vel homines per inuiam à Catholica fide abductos, ad viam ſalutis ſinuitare & reuocare totis viribus niterer. Hoc præceptum ſeruare cupiens, admonitoriam vel precatoriam epiſtolam Ethelbaldo Regi Mercionum, cum conſilio & conſenſu Epiſcoporum, qui vna nobiſcum ſunt, tranſmiſi, quam præſentare fraternitatis tuæ obtutibus iuſſi, vt ſi quæ in ea prauè poſita ſint, emendes, & quæ iuſta ſunt, ſale ſapientiæ tuæ condias, & auctoritate confirmes; & ſi radicem aliquam flagitiorum, de quibus in illa epiſtola contra Regem Mercionum diſputatum, in gente tua germinare velle videas, ſicut prouidus & ſapiens colonus, cum falce dominicæ auctoritatis in tempus præcidas, & radicitus euellas, ne dum floruerit, fiat ex vinea Sodomorum vitis eorum, & propago eorum ex Gomorrha, & ſit fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile. Inauditum enim malum eſt præteritis ſæculis, &, vt ſerui Dei gnari ſcripturarum dicunt, in triplo vel in quadruplo Sodomitanam luxuriam vincens; vt gens Chriſtiana contra morem vniuerſæ terræ, imo contra præceptum Dei deſpiciat legitima matrimonia, & adhæreat inceſtis luxurioſis adulteriis, & nefanda ſtupra conſacratarum & velatarum fœminarum ſequatur. Præterea, vt mihi de opuſculis Bedan Lectoris aliquos tractatus conſcribere, & dirigere digneris: quem nuper, vt audiuimus, diuina gratia ſpirituali intellectu ditauit, & in veſtra prouincia fulgere conceſſit, & vt candela; quam vobis Dominus largitus eſt, nos quoque fruamur. Interea ad indicium charitatis, fraternitati tuæ direxi exemplaria Epiſtolarum ſancti Gregorij (quas de ſcrinio Romanæ Eccleſiæ excepi, quæ non rebar ad Britanniam veniſſe. Et plura item ſi mandaueris, remittam, quia multas inde excepi) & corporale pallium, & villuſam vnam ad tergendos pedes, cum laueris, ſeruorum Dei. Valere Beatitudinem tuam & ſacris virtutibus proficere in Chriſto optamus.

(E) (l. me &) (l. aut prop.) (F) (l. Arbit.) (Deut. 32. 32. 33.) (G)

EPISTOLA IX.

AD HVETBERTHVM ABBATEM.

(H)

Dilectiſſimo ac reuerendiſſimo fratri Huetbertho Abbati, & vniuerſis fratribus ſanctæ congregationis eius Bonifacius exiguus ſeruus ſeruorum Dei in Chriſto fraternæ charitatis ſalutem.

FRaternitatis veſtræ pietatem intimis obſecramus precibus, vt nos inter feras & ignaras gentes Germaniæ laborantes, & grana Euangelica plantantes veſtris ſacroſanctis orationibus adiuuemur; & precibus ſanctitatis veſtræ in nobis ſæuus Babylonicæ ardor reſtinguatur flammæ, & ſparſa ſulcis ad fructum multiplicata ſurgant ſemina, quia iuxta dictum Apoſtoli: *Neque qui plantat, neque qui rrigat eſt aliquid: ſed Deus, qui incrementum dat, vt detur nobis ſermo in apertione oris, & ſermo Domini currat, & clarificetur.* Intereа rogamus, vt aliqua

(1. Cor. 3. 7.) (Eph. 6. 19.) (2. Theſ. 3. 1.)

A de opuſculis ſagaciſſimi inueſtigatoris ſcripturarum Bedæ Monachi, quem nuper in domo Dei apud vos vice candelæ Eccleſiaſticæ ſcientia ſcripturarum fulſiſſe audiuimus, conſcripta nobis tranſmittere dignemini. Et ſi vobis laborioſum non ſit, vt cloccam vnam tranſmittatis. Ad indicium quoque intimæ charitatis, ſericeſiesnia capitula ſicut hic vocant, direximus, quæ petimus licet digna non ſint, vt pro memoria ſuſcipiatis. Alma Trinitas & vna diuinitas fraternitatem veſtram, & hic ſanctis virtutibus proficientem, ac valentem augeat & cuſtodiat, & in futura beatitudine inter ſplendida Angelorum agmina gaudentem remunerando glorificet.

EPISTOLA X.

BONIFACIVS HEREFRIDO PRESBYTERO.

B

Dilectiſſimo ac reuerendiſſimo fratri Herefrido Presbytero Bonifacius ſeruus ſeruorum Dei æternam in Chriſto charitatis ſalutem.

ALmitatis tuæ clementiam intimis obſecro precibus, vt in tuis ſacroſanctis orationibus mei memor eſſe digneris: & iam ſic narrantibus & à te venientibus iam feciſſe fraternitatem tuam, & facturam eſſe non dubito, vt ſancti Iacobi Apoſtoli ſententia in nobis impleatur, qua dixit: *Orate pro inuicem, vt ſaluemini. Multum enim valet deprecatio iuſti aſſidua.* Præterea nos octo Epiſcopi, qui ad vnam ſynodum conuenimus, quorum nomina ſubter annotauimus, in commune te, frater chariſſime, deprecamur, vt verba admonitionis noſtræ Ethelbaldo Regi Mercionum interpretando & recitando annuncies: & eo modo & ordine, quo ad te ſcripta tranſmittimus, ſolicite enumerando & prædicando illi indicaueris. Audiuimus enim, quia, pro timore Dei, perſonam hominis non timeas: & quod ſupra dictus Rex aliquantulum quibuſdam temporibus audire dignetur tua monita. Et notum ſit charitati tuæ, quia hæc verba admonitionis noſtræ ad illum Regem propter nihil aliud direximus, niſi propter puram charitatis amicitiam, & quod de eadem gente Anglorum nati & nutriti hic per præceptum Apoſtolicæ ſedis peregrinamur, bonis & laudibus gentis noſtræ lætamur & gaudemus: peccatis autem eius, & vituperationibus tribulamur & contriſtamur. Opprobrium namque generis noſtri patimur, ſiue à Chriſtianis, ſiue Paganis dicentibus, quod gens Anglorum ſpreto more cæterarum gentium, & deſpecto præcepto Apoſtolico, imo Dei conſtitutione, legitimas vxores dedignetur habere: & hinnientium equorum conſuetudine, vel rudentum aſinorum more, luxuriando & adulterando omnia turpiter fœdet & confundat. Igitur ſi hoc ſcelus maximum verum ſit, frater chariſſime, rogamus omnes communiter ſupra dictum Regem, vt ſemetipſum cum populo corrigat, ne tota gens cum Principe hic & in futuro pereat: ſed vt vitam propriam emendando & corrigendo, exemplis ſuis vniuerſam gentem propriam ad viam ſalutis dirigat, & vnde peccatum antea contraxit, inde mercedem mereatur æternam. Præterea partem thymiamatis, & ſabanum pro benedictione & ſigno puræ charitatis tibi direximus. Sanctis operibus florentem, & probatis moribus proficientem fraternam dilectionem tuam atque bene valentem ſancta Trinitas æternaliter cuſtodiat.

Iacob. 5.

C

1. Cor. 7. Epheſ. 5. Matth. 5. & 19.

D

E

EPISTOLA XI.

BONIFACIVS PETHELMO.

Dilectiſſimo ac reuerendiſſimo fratri, à me diligendo Pethelmo Coepiſcopo Bonifacius exiguus ſeruus ſeruorum Dei optabilem in Chriſto charitatis ſalutem.

PAternam ſanctitatis veſtræ clementiam intimis obnixe flagitamus precibus, quia nobis opus eſt periclitantibus, vt veſtris Deo dignis orationibus adiuuemur: quia Germanicum mare periculoſum eſt nauigantibus; veſtris precibus, & Deo gubernante ad æternæ tranquillitatis littus, ſine macula vel damno animæ perueniamus: & dum cæcis proprias tenebras ignorantibus, & aſpicere nolentibus lumen Euangelicæ veritatis offerre nitimur, tenebris propriorum peccaminum non inuoluamur, & non in vacuum curramus, aut cucurriſſemus: ſed veſtris interceſſionibus fulti ad æternitatis lumen immaculati & illuminari tendamus. Præterea parua munuſcula pro indicio charitatis vobis direximus, id eſt, corporale pallium albis ſtigmatibus variatum: & villoſam ad tergendos pedes Dei ſeruorum; quæ petimus, vt pro memoria accipere non dedignemini. De vna quoque re veſtrum conſilium, & reſponſum audire deſideramus. Affirmant ſacerdotes per totam Franciam & Gallias, nec non & Romani, maximi criminis reum eſſe hominem, qui in matrimonium acciperet illam viduam, cuius ante filium in baptiſmo adoptiuum ſuſcipiebat. Quod peccati genus, ſi verum eſt, hactenus ignorabam: & nec in antiquis canonibus, nec in decretis Pontificum Patres, nec in calculo peccatorum Apoſtolos vſquam enumeraſſe cognoui. Qua de re ſi vſpiam aliquid in Eccleſiaſticis ſcriptis diſputatum inueniſſetis, nobis indicare curate: & quid vobis videatur noſſe vellemus. Soſpitatem veſtram ſanctis virtutibus proficere in Chriſto, & longo tempore valere te cupio in Chriſto.

F

Gal. 2. 2. Phil. 2. 16.

L. Corporale, pallium album ſtigmatum, variatũ & villoſum.

1. L. & probu.

Vide inf. ep. 13. & 2.

Prim in Chriſto, non in L.

G

EPISTOLA XII.

AD ETHELBALDVM REGEM ANGLORVM.

Domino reuerendiſſimo & dilectiſſimo Ethelbaldo Regi Mercionum Bonifacius ſeruus ſeruorum Dei intimæ charitatis ſalutem.

OBſecramus Celſitudinis tuæ clementiam, vt iſtum miſſum meum, nomine Ceola, præſentatorem harum litterarum in neceſſitate noſtra, & itineris ſui, & in quocunque illi neceſſitas contigerit, ſolatium præbere, & adiuuare dignemini: & mercedem pro eo & à Deo habeas de miſſis noſtris, qui præterito anno ad vos venerunt, quia eis in omnibus adiutorium, vt referebant, præſtitiſtis. Interea pro ſigno veri amoris & deuotæ amicitiæ, direximus tibi accipitrem vnum, & duos falcones, duo ſcuta, & duas lanceas. Quæ rogamus, licet digna non ſint munuſcula, tamen pro charitate benedictionis ſuſcipere digneris: *Finem loquendi omnes pariter audiamus: Deum time, & mandata eius obſerua.* Petimus quoque, vt ſi per alterutru nuntium verba noſtra ad præſentiam tuam ſcripta peruenerint, auditum tuum accommodare digneris, & ſolicite audire cures. Vale in Chriſto.

L. Aethel.

L. Ceola.

H

Eccl. 12. 13.

BONIFACIVS AD EADBVRGAM ABBATISSAM.

Aureo ſpiritalis amoris vinculo amplectenda & diuino ac virgineo charitatis oſculo ſtringenda ſorori Eadburga Ab-

A *batiſſa Bonifacius Epiſcopus Legatus Romanæ Eccleſiæ in Domino ſalutem.*

DIlectionis veſtræ clementiam intimis imploramus precibus vt pro nobis apud auctorem omnium intercedere dignemini. Vt non ignoretis cauſam huius precis, ſciatis quia noſtris peccatis exigentibus, conuerſatio peregrinationis noſtræ variis tempeſtatibus illiditur. Vndique labor, vndique mœror, foris pugnæ, intus timo-
1.Cor.7.5. Ioan.1 & 2. *Lu ſtrantes.*
res. Super omnia grauiſſimum; quod vincunt inſidiæ falſorum fratrum malitiam infidelium paganorum: Rogate ergo pium defenſorem vitæ noſtræ, & vnicum ſalutare laborantium refugium, Agnum Dei, qui abſtulit peccata mundi, vt nos inter talium luporum cubilia luſtrans dextera ſua protegente, illæſos cuſtodiat, vt vbi debuerunt eſſe ſpecioſi pedes portantium lucernam pacis Euangelicæ, non inueniantur tenebroſa errantium Apoſtatarum veſtigia ſed magis pater piiſſimus, accinctis lumbis noſtris, perficiat lucernas ardentes in manibus noſtris, & illuminet corda Gentilium ad contemplandum Euangelium
B
gloriæ Chriſti. Interea precor, vt intercedere pietas veſtra pro iſtis Paganis, qui nobis ab Apoſtolica ſede commiſſi ſunt, dignetur, vt eos Saluator mundi ab idolorum cultura eripere dignetur, & aggregare vnicæ matris Eccleſiæ Catholicæ filiis, ad laudem & gloriam nominis ſui, *qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Vale.

EPISTOLA XIV.

BONIFACIVS EADBVRGÆ ABBATISSÆ.

Dilectiſſimæ ſorori, & iam dudum ſpiritualis clientelæ propinquitate connexæ Eadburgæ Abbatiſſæ Bonifacius ſeruus ſeruorum Dei perennem in Chriſto ſalutem.

C
CHariſſimam ſororem remunerator æternus iuſtorum operum in ſuperna lætificet curia Angelorum, quæ Sanctorum librorum munera tranſmittendo, exulem Germanicum ſpirituali lumine conſolata eſt, quia qui tenebroſos angulos Germanicarum gentium luſtrare debet, niſi habeat lucernam pedibus, & lumen ſemitis ſuis verbum Domini, in laqueum mortis incidet. Præterea de charitate tua diligenter confidens obſecro; vt pro me orare digneris, quia peccatis meis exigentibus, periculoſi
Pſ.112.5. Eph 6.19. 2.Theſ. 3.1.
maris tempeſtatibus quatior, rogans, vt ille qui in altis habitat, & humilia reſpicit, indulgens flagitia, præſtet mihi verbum in apertione oris mei; vt currat & clarificetur inter gentes Euangelium gloriæ Chriſti.

EPISTOLA XV.

BONIFACIVS NOTHELMO.

D
Nobis dilectiſſimo ſummi Pontificatus infula prædito Nothelmo Archiepiſcopo, Bonifacius exiguus ſeruus ſeruorum Dei, optabilem in Chriſto æternæ charitatis ſalutem.

ALmitatis veſtræ clementiam intimis obſecro precibus, vt mei in veſtris ſacroſanctis orationibus memores eſſe dignemini: & nauem mentis meæ variis Germanicarum gentium tempeſtatum fluctibus quaſſatam, precibus veſtris, in portu firmæ petræ ſtabilire ſtudeatis: & vt communione fraterna non aliter, quam vt mihi venerandæ memoriæ anteceſſor veſter Berthunaldus Archiepiſcopus exeunti à patria conceſſit, vobiſcum adunatus ſim nexu ſpiritali & glutine charitatis coniunctus: ſimiliter cum fraternis comitibus peregrinationis meæ, Catholicæ fidei vnitate, & ſpiritalis amoris dulcedine, ſemper ſociatus eſſe vobis merear. Similiter & diligenter obſecro, vt illius Epiſtolæ, qua continentur, vt dicunt, interrogationes Auguſtini Pontificis ac prædicatoris primi Anglorum, & reſponſiones ſancti Gregorij Papæ exemplar mihi dirigere curetis, in qua inter cætera capitula
B
continetur, quod in tertia generatione propinquitatis, fidelibus liceat matrimonia copulare: & vt ſcrupuloſa cautela diligenter inueſtigare ſtudeatis, ſi illa conſcriptio ſupra dicta Patris noſtri ſancti Gregorij comprobetur, an non. Quia in ſcrinio Romanæ Eccleſiæ, vt affirmant ſcriniarij, cum cæteris exemplaribus ſupra dicti Pontificis quæſita non inueniebatur. Præterea de vno peccato com-
l.L. ſcriniarij.
miſſo veſtrum conſilium audire deſidero, quod cuidam homini, in matrimonio concedendo, neſcientes commiſi. Quod hoc modo contigit. Homo quidam, ſicut multi ſolent, alterius filium de ſacri baptiſmatis fonte eleuans adoptauit ſibi in filium, cuius matrem poſtea viduatam duxit vxorem, quod Romani peccatum eſſe aſſerunt, &
ſupr. ep. 11. *infr.* 22.
capitale peccatum: ita vt in talibus diuortia facere præcipiant: & affirmant, regnantibus Chriſtianis Imperatoribus, illius matrimonij ſcelus capitali ſententia multandum, vel peregrinatione perpetua delendum: vt ſi hoc in
F
catholicorum Patrum decretis, vel canonibus, vel etiam in ſacro elogio pro tam magno peccato computatum eſſe
L. eloquio.
inueneritis, indicari mihi curetis, vt & ego intelligendo cognoſcam, cuius auctoritatis ſit in illo iudicio: quia nullatenus intelligere poſſum, quare in vno loco ſpiritualis
L. auctoritatis.
propinquitas in coniunctione carnalis copulæ tam grande peccatum ſit, quando omnes in ſacro baptiſmate
L. carnalis grande.
Chriſti & Eccleſiæ filij & filiæ, fratres & ſorores eſſe comprobemur. Similiter rogo, vt mihi ſtudeatis indicare, in quoto anno ab incarnatione Chriſti, prædicatores primi miſſi à ſancto Gregorio ad gentem Anglorum veniſſent.

EPISTOLA XVI.

BONIFACIVS CVIDAM.

G
Reuerendiſſimæ ac dilectiſſimæ ancillæ Chriſti N. Bonifacius ſupplex ſeruus ſeruorum Dei, in Chriſto ſinceram charitatis ſalutem.

CHaritatis veſtræ clementiam intimis obſecramus precibus, vt pro nobis peccatoribus apud Dominum intercedere curetis: quia multis & variis tempeſtatum turbinibus concuſſi & quaſſati ſumus ſiue à Paganis, ſiue à falſis Chriſtianis, ſeu à fornicariis Clericis, ſiue à pſeudoſacerdotibus: & maxime, vt timemus, noſtris meritis exigentibus, tribulamur: Sed vt conſolemur, & eripiamur orationibus veſtris, deprecamur: & confidimus in Domino IESV, quia per orationes veſtræ dilectionis, & veniam peccatorum, & tranquillitatem tempeſtatum inuenire
Iacob.5.
mereamur: quia fidelis promiſſor Iacobus Apoſtolus dixit: *Confitemini alterutrum peccata veſtra, vt ſaluemini. Multum enim valet deprecatio iuſti aſſidua.* Et Ioannes Euan-
Epheſ.5.15.
geliſta in prima Epiſtola ait: *Scimus quoniam audit nos, quicquid petierimus: Scimus quoniam habemus petitiones quas poſtulamus ab eo.* Et quia iam de hoc ipſo ante deprecatus ſum, rogo vt non indignemini eo quod raro petere
H
non debeo, quod ſine intermiſſione ſemper fieri deſidero: quia quotidiana tribulatio diuina ſolamina fratrum ac ſororum me quærere admonet: Præterea, quia timemus eaſdem tentationes Satanæ ibi eſſe, quæ hic ſunt, ſecun-
1.Cor. 15.58. Ib.c.16.13.
dum dictum Apoſtoli: *Stabiles eſtote, & immobiles, abundantes in opere Domini ſemper, ſcientes quod labor veſter non eſt inanis in Domino.* Et alibi, *Vigilate, & ſtate in fide, viriliter agite, & confortamini, omnia veſtra in charitate*
Matth.5.
fiant. Et ſi egeſtas tangat, dicti Euangelici nolite obliuiſci, *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælo-*
Luc.21. Pſ.9.19.
rum. Si tribulatio veniat, memores eſtote veritatis dicentis: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras:* Et in Pſalmo: *Patientia pauperum non peribit in finem.* Si infir-
2.Cor.12.10.
mitas corporis, Pauli Apoſtoli ſententia proferatur, qui dixit: *Quando infirmor, tunc potens ſum & virtus in infirmitate perficitur.*

A

EPISTOLA XVII.

BONIFACIVS QVIBVSDAM MONACHIS.

Chariſſimis filiis Tatuuino & VVigberto Presbyteris, Bernhardo & Hiedde, Hunfrido, & Stirme, Bonifacius ſeruus ſeruorum Dei, perennem in Domino ſalutem.

l. Zedde. L. Naufrido.

PAterno amore dilectionem veſtram obſecro, vt eo maiore cura monaſterialis normam vitæ cuſtodire ſtudeatis, quo pater veſter VVigberthus defunctus eſt. VVigbertus Presbyter & Mengingordus Diaconus regulam veſtram vobis inſinuent, & ſpeciales horas, & curſum Eccleſiæ cuſtodiant, & cæteros admoneant, & magiſtri ſint infantium, & prædicent verbum Dei fratribus. Hiedde ſit præpoſitus, & ſeruos veſtros admoneat, & Hunfridus adiuuet illum, vbicunque ſit opus. Stirme in coquina ſit. Bernhardus operarius ſit, & ædificet domunculas veſtras vbi opus ſit, & de omnibus vbicunque vobis neceſſe ſit, inſinuet. Tatuuinum Abbatem interrogate, & quodcunque vobis inſinuet, hoc facite: Et vnuſquiſque ſtudeat, ſecundum vires ſuas, & proprios mores in caſtitate conſeruare, & in communi vita vos alterutrum adiuuare, & in fraterna charitate permanere, vſque ad præſentiam reuerſionis noſtræ in Dei voluntate: & tunc ſimul laudantes Dominum in omnibus ei gratias agamus. Valete in Chriſto.

l. abeſt cura vel nomen ſimile. L. maiori mora. L. Meginorarum. L. Hedde. L. Naufrido.

B

EPISTOLA XVIII.

BONIFACIVS AD IAMMVLVM.

Reuerendiſſimo & dilectiſſimo Filio Iammulo Archidiacono Bonifacius exiguus ſeruus ſeruorum Dei amabilem in Chriſto æternæ charitatis ſalutem.

C

SÆpe ſpiritalis charitas iungit, quos corporaliter longa intercapedine disiungit. Et hæc non minima peregrinationis ærumna eſſe dignoſcitur, quod amicus amicum, quem ardenter diligit, longè disiunctum triſtis & mœrens memorat, & aduerſantem inimicum prope tribulatorem & moleſtum difficulter patitur. Vtinam te, frater, peregrinationis huius conſolatorem prope habeam, tuo ſancto conſilio vtar, conſolatione gaudeam, aſpectu charæ faciei læter, & ſancta exhortatione reficiar. Sed quia hoc fieri vitæ mortalis conditio, & rerum ratio non permittit, faciat vera charitas, ſolum & maximum quod concedit & præcipit Deus. *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, &c.* Amet in Deo veraciter abſentem, quem corporaliter præſentem tenere nequit. Et ſic ſanctus Auguſtinus dixit: Licet vnus ſit in Oriente, & alius in Occidente, conglutinati charitate nunquam ad inuicem ſeparantur. & Saluator mundi: *In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis inuicem.* Ergo iuxta Iacobum, qui dixit: *Oratio fidei ſaluabit infirmum.* Et poſt pauca: *Orate pro inuicem, vt ſaluemini*; Oremus pro inuicem, vt ſaluemur: & pietas Domini, quæ nos in terra ſeparauit, gaudentes in cœlorum culmine congreget.

Ioan. 15. 12.

D

Ioan. 13. 35.

Iacob. 5.

EPISTOLA XIX.

BONIFACIVS AD ETHIBALDVM REGEM MERCIONVM.

Domino chariſſimo & in Chriſti amore cæteris Regibus præferendo inclyta Anglorum imperij ſceptra gubernanti Ethibaldo Regi, Bonifacius Archiepiſcopus Legatus Germanicus Romanæ Eccleſiæ, & VVenera, & Burckart, & VVerbeth, & Abel, & VVilibald Coepiſcopi perennem in Chriſto charitatis ſalutem.

E

L. Athelb. L. Vuithbert.

COnfitemur coram Deo & ſanctis Angelis, quia quamcumque proſperitatem veſtram video, & opera bona, Deo coram & hominibus per nuncios fideles audiuimus, quod inter gaudentes, & pro vobis orantes, læti gratias agimus Deo, poſtulantes & obſecrantes Saluatorem mundi, vt vos ſoſpites & in fide ſtabiles, & in operibus coram Deo rectos, in Principatu Chriſtiani populi, longo tempore cuſtodiat. Quando autem aliqua dilectionis veſtræ iniuria de ſtatu regni veſtri, vel euentu bellorum facta, aut quod maius eſt, de ſalute animæ periculoſum damnum perpetratum per auditum ad nos vſque peruenerit, mœrore & triſtitia nos cruciat: quia gaudio veſtro in Dei voluntate congaudemus, & aduerſitate contriſtamur. Audiuimus enim quod eleemoſynarum plurimum facias, & in hoc congratulamur, quia qui eleemoſynas minimis fratribus indigentibus tribuunt, iuxta veritatem Euangelicam, in die iudicij clementem ſententiam à Domino audituri ſunt, dicente: *Quamdiu feciſtis vni ex minimis meis fratribus, mihi feciſtis. Venite benedicti. Venite benedicti patris mei: poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.* Audiuimus quoque quod furta & iniquitates, periuria, & rapinas fortiter prohibeas, & defenſor viduarum & pauperum eſſe dignoſcaris, & pacem ſtabilitam in regno tuo habeas. Et in hoc quoque laudantes Deum gauiſi ſumus, quia ipſa veritas & pax noſtra quæ eſt Chriſtus, dicebat: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.*

F

Matt. 25. 40. & 34.

Eph. 2. 14. Matth. 5. 9.

Sed interim vna malæ æſtimationis fama de vita pietatis veſtræ ad auditum noſtrum peruenit, qua audita contriſtati ſumus, & illam optamus non fuiſſe veram. Multis enim narrantibus compertum eſt nobis, quod nunquam legitimam in matrimonium vxorem duxiſſes, quod a Domino Deo ab ipſo mundi primordio conſtitutum eſt, & per Apoſtolum Domini Paulum præceptum & intimatum, illo docente, *Propter fornicationem autem vnuſquiſque ſuam vxorem habeat, & vnaquæque virum ſuum.* Nam ſi hoc, cauſa caſtitatis & abſtinentiæ, facere voluiſti, vt ab vxoris coniunctione pro timore & amore Dei abſtinuiſſes, & hoc verum & impletum coram Deo comprobaueris, & in hoc gaudemus, quia non eſt reprehenſibile, ſed magis laudabile. Si autem quod abſit, vt multi dicunt, nec legitimam accepiſti vxorem, nec caſtitatis abſtinentiam pro Deo ſeruaſti, ſed, libidine dominante, in ſcelere luxuriæ & adulterij, famam gloriæ tuæ coram Deo & hominibus confuderis, in hoc valde contriſtamur, quia & in conſpectu Dei flagitium, & coram hominibus famæ veſtræ confuſio eſſe dignoſcitur. Et adhuc, quod peius eſt, qui nobis narrant, adiiciunt, quod hoc ſcelus maxime cum ſanctimonialibus, & ſacratis Deo virginibus per monaſteria commiſſum ſit. Nam hoc peccatum duplex eſſe non dubium eſt. Vt verbi gratia dicamus; Cuius vindictæ reus ſit puer apud Dominum ſuum, qui vxorem Domini ſui adulterio violauerit, quanto magis ille, qui ſponſam Chriſti, creatoris cœli & terræ, putredine ſuæ luxuriæ & libidinis commaculauerit, dicente beato Paulo Apoſtolo, *An neſcitis, quia corpora veſtra templa ſunt Spiritus ſancti.* Et alibi. *Neſcitis, quia templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus. Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Et iterum idololatriæ ſeruituti adulteros & fornicatores in ſermone & numero peccatorum iungit dicens: *An neſcitis, quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt; Nolite errare, neque fornicarij, neque idolis ſeruientes, neque adulteri, neque molles neque maſculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt.* Apud Græcos enim & Romanos quaſi blaſphemiam Domino irrogaſſet qui hoc reus ſit, vt proprie de hoc peccato ante ordinationem interrogatus, ſi reus inuentus fuerit,

C. inter. l. iterum. L. exiſtimaremus.

G

L. intermινatâ

1. Cor 7. 2.

H

1. Cor 6. 19. & c. 3. 17.

1. Cor. 6. 9.

A vt cum velata & conſecrata Domino Nonna concubuiſſet, ab omni gradu Dei ſacerdotij prohibetur.

Propter hoc, fili chariſſime, ſollicite conſiderandum eſt, quanti ponderis hoc peccatum eſſe iudicetur, ante oculos æterni Iudicis, quod facientem inter idololatriæ ſeruos conſtituit, & diuino myſterio altaris abiicit licet autem, peracta pœnitentia, reconciliatus ſit Deo. Corpora enim per votum propriæ ſponſionis, & per verba Sacerdotis Deo conſecrata, templa Dei eſſe per ſacram Scripturam dicuntur. Et ideo violatores illorum, filij perditionis, iuxta Apoſtolum, eſſe dignoſcuntur. Princeps autem Apoſtolorum Petrus, luxurioſos libidine prohibens dixit: *Sufficit enim præteritum tempus*, & reliqua, vſque *mortuos*. Et, *pretium ſcorti vix vnius panis eſt: mulier autem viri pretioſam animam capit*. Et alibi. *Non grandis eſt culpa cum quis furatus fuerit. Furatur enim vt eſurientem impleat animam, deprehenſus quoque reddet ſeptuplum. Qui autem adulter eſt, propter cordis inopiam perdet animam ſuam.*

1. Cor. 3. 17. & c. 6. 9.
1. Pet. 4. 3. 4. 5.
C. I. L. T. eſt pretiũ.
Prou. 6. 26.

B Longum eſt enim enarrare quanti ſpiritales medici, huius peccati venenum & horrendum vituperabant, & terribiliter prohibebant, quia pene omnibus peccatis grauior & deterior eſt fornicatio, & veraciter dici poteſt laqueus mortis, & puteus inferni, & vorago perditionis. Propterea obſecramus & obteſtamur, fili chariſſime, clementiam tuam per Chriſtum filium Dei, & per aduentum eius, & regnum ipſius, vt ſi hoc verum ſit, quod in iſto ſcelere verſaris, & vitam tuam pœnitendo corrigas, & purificando emendes. Et memor eris, quia indecens eſſe comprobatur, vt imaginem Dei, quæ in te creata eſt, per luxuriam ad imaginem & ſimilitudinem maligni diaboli conuertas. Et tu, quem non propria merita, ſed larga pietas Dei Regem ac Principem multorum conſtituit, teipſum ſeruum maligno ſpiritui per luxuriam conſtituas. Quia iuxta dictum Apoſtoli, Quodcunque peccatum fecerit homo, huius ſeruus eſt. Non ſolum à Chriſtianis, ſed etiam ab ipſis Paganis in opprobrium & verecundiam deputatur, quia ipſi Pagani verum Deum ignorantes, naturaliter

Eod. c. v. 30.
Rom. 6. 17.
2. Pet. 2. 19.

C quæ legis ſunt, & quod ab initio Deus conſtituit, cuſtodiunt in hac re; quia propriis vxoribus matrimonij fœdera ſeruantes fornicatores & adulteros puniunt. Nam in antiqua Saxonia, ſi virgo paternam domum cum adulterio maculauerit, vel ſi mulier maritata, perdito fœdere matrimonij adulterium perpetrauerit, aliquando cogunt eam propria manu per laqueum ſuſpenſam vitam finire, & ſuper buſtum illius incenſæ & concrematæ corruptorem eius ſuſpendunt: aliquando, congregato exercitu fœmineo, flagellatam eam mulieres per pagos circumquaque ducunt, virgis cædentes & veſtimenta ei abſcindentes iuxta cingulum, & cultellis ſuis totum corpus eius ſecantes & pungentes, minutis vulneribus cruentatam & laceratam de villa ad villam mittunt, & occurrunt ſemper nouæ flagellatrices, zelo pudicitiæ adductæ, vſque dum eam aut mortuam, aut vix viuam derelinquunt: vt cæteræ timorem adulterandi, & luxuriandi habeant, & VVinedi, quod eſt fœdiſſimum & deterrimum genus hominum, tam magno zelo matrimonij amorem mutuum ſeruant,

Ioan. 8. 34.
Rom. 2. 14.
C. I. ſimbri.
C. I. vſq; ad.
I. ap. Perſas.

D vt mulier, viro proprio mortuo, viuere recuſet; & laudabilis mulier inter illas eſſe iudicatur, quæ propria manu ſibi mortem ingulit, vt in vna ſtrue pariter ardeat cum viro ſuo. Sic ergo Gentiles, qui Deum neſciunt, & legem non habent, iuxta dictum Apoſtoli naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt, & oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis. Præterea, fili chariſſime, cum tu Chriſtianus & verus Dei cultor eſſe cognomineris, ſi in iuuentute adoleſcentiæ tuæ putredine luxuriæ inquinatus, & fœtore adulterij inuolutus, & voragine libidinis, quaſi puteo inferni demerſus fueris, iam tempus eſt, vt memor Domini tui à Diaboli laqueis reſipiſcas, & à fœtore luxuriæ ſordidatam animam laues. Iam tempus eſt vt pro timore Creatoris tui tale piaculum iterare & maculare vltra non præſumas. Tempus eſt, vt multitudini pereuntis populi parcas, quæ ſequendo exempla peccantis Principis, cadebat in puteum mortis, quia quantoſcunq; vel per bona exempla ad vitam cœleſtis patriæ contrahimus, vel per mala exempla ad perditionem ſequentes præibimus, de tantis

C. I. ſpin.
C. I. Cum ergo.
Rom. 2. v. 14. & 15.
I. non iterum.

E proculdubio ab æterno Iudice vel pœnas vel præmia accepturi ſumus. Si enim gens Anglorum, ſicut per iſtas prouincias diuulgatum eſt & nobis in Francia & Italia improperatur, & ab ipſis Paganis improperium eſt; ſpretis legalibus connubiis, luxuriando & adulterando ad inſtar Sodomitanæ gentis, fœdam vitam vixerit, de tali commixtione meretricum æſtimandum eſt degeneres populos, & ignobiles, & furentes libidine fore procreandos: & ad extremum vniuerſam plebem ad deteriora & ignobiliora vergentem, & nouiſſime nec in bello ſæculari fortem, nec in fide ſtabilem, & nec honorabilem hominibus, nec Deo amabilem eſſe venturam, ſicut aliis gentibus Hiſpaniæ, & prouinciæ, & Burgundionum populis contigit, quæ ſic à Deo recedentes fornicatæ ſunt, donec Iudex omnipotens talium criminum vltrices pœnas per ignorantiam legis Dei, & per Saracenos venire, & ſæuire permiſit. Et notandum, quod in illo ſcelere aliud immane flagitium ſubter latet, id eſt, homicidium, quia dum illæ

L. prai- mus C. I prohibimus ſpernimus.

F meretrices ſiue monaſteriales ſiue ſæculares male conceptas ſoboles in peccatis genuerint, eas ſæpe maxima ex parte occidunt, non implentes CHRISTI Eccleſias filiis adoptiuis, ſed tumulos corporibus, & inferos miſeris animabus ſatiantes.

C. I. & ſæpe.

Præterea nunciatum eſt nobis, quod multa priuilegia Eccleſiarum & monaſteriorum fregiſſes & abſtuliſſes inde quaſdam facultates. Et hoc ſi verum eſt, peccatum grande eſſe dignoſcitur, teſtante ſacra Scriptura, quæ ait: *Qui abſtulerit aliquid patri vel matri, & dicit, hoc non eſt peccatum, homicidæ particeps eſt.* Pater noſter ſine dubio Deus eſt, qui nos creauit, mater noſtra Eccleſia, quæ nos in baptiſmo ſpiritaliter generauit. Ergo qui CHRISTI pecunias & Eccleſiæ fraudabit vel rapiet, homicida ante conſpectum iuſti Iudicis eſſe deputabitur. De quo quidam ſapientium dicebat. Qui rapit pecuniam proximi ſui, iniquitatem facit: qui autem pecuniam Eccleſiæ abſtulerit, ſacrilegium facit.

Prou. 28. 24. *r. ſubtrahit.*

G Et dicitur quod Præfecti & Comites tui maiorem violentiam, & ſeruitutem Monachis & Sacerdotibus irrogent, quam cæteri ante, Chriſtiani Reges feciſſent. Igitur poſtquam Apoſtolicus Pontifex ſanctus Gregorius ab Apoſtolica ſede miſſis prædicatoribus Catholicæ fidei, gentem Anglorum ad Deum verum conuertit, priuilegia Eccleſiarum in regno Anglorum intemerata & inuiolata permanſerunt vſque ad tempora Ceolredi Regis Merciorum, & Oſredi Regis Deirorum & Berniciorum. Hi duo Reges, hæc duo peccata maxima in prouinciis Anglorum, diabolico inſtinctu, ſuis exemplis ſceleratis contra præcepta Euangelica & Apoſtolica Saluatoris noſtri, publice facien-

H da monſtrauerunt, & in iſtis peccatis commorantes, id eſt, in ſuperſtitione & adulterio Nonnarum, & fractura monaſteriorum iuſto iudicio Dei damnati, de culmine regali huius vitæ abiecti, & immatura & terribili morte præuenti, à luce perpetua extranei, in profundum inferni, & tartarum abyſſi demerſi ſunt. Nam Ceolredum præceſſorem venerandæ Celſitudinis tuæ, vt teſtati ſunt, qui præſentes fuerant; apud Comites ſuos ſplendide epulantem malignus Spiritus, qui eum ad fiduciam damnandæ legis Dei ſuadendo pellexit, peccantem ſubito in inſaniam mentis conuertit; ac ſine pœnitentia, & confeſſione furibundus, & amens, & cum diabolo ſermocinans, & Dei ſacerdotes abominans de hac luce ſine dubio ad tormenta inferni migrauit. Oſredum quoque Spiritus luxuriæ fornicantem, & per monaſteria Nonnarum, ſacratas virgines ſtuprantem, & furentem agitauit, vſque quo ipſe glorioſum regnum & iuuenilem vitam, & ipſam luxurioſam vitam contemptibili & deſpecta morte perdidit.

C. I. vſq; quod. f. v. qui quead.

Quapropter, fili chariſſime, caue tibi à fouea, in quam vidiſti coram te alios incidiſſe. Caue tibi à iaculis antiqui hoſtis, per quæ propinquos proprios coram te vulneratos cadere vidiſti. Attende tibi à laqueo inſidiatoris, in quo notos & commilitones tuos videbas ſtrangulatos, & præſentem vitam & futuram perdere. Noli talium ad perditionem exempla ſequi. Tales enim, iuxta Prophetiam ſacræ Scripturæ, ſunt, *qui anguſtiauerunt iuſtos, & qui abſtulerunt labores eorum*, in die iudicij dicturi ſunt:

Sap. 5 1. Ibb 5. 6. & ſeq.

A *v. ſol intelligentiæ.*

Errauimus à via veritatis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis. Et ſol non eſt ortus in nobis, & viam Domini ignorauimus: & quid nobis profuit ſuperbia? aut quid diuitiarum iactatio contulit nobis? Tranſierunt omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuncius præcurrens: & tanquam nauis quæ pertranſit, cuius non eſt veſtigium inuenire: aut tanquam auis tranſuolans in aëre. Et poſt pauca: *Sic & nos nati continuo deſiuimus eſſe in malignitate namque conſumpti ſumus. Talia dixerunt in inferno ii qui peccauerunt, quoniam ſpes impij tanquam lanugo eſt quæ à vento tollitur: & tanquam ſpuma gracilis, quæ à vento diffuſa eſt, & tanquam memoria hoſpitis vnius diei prætereuntis.* Et alias.

Ecc. 18. 8.

Numerus dierum vitæ hominis, ſi multum; centum anni, quaſi paruula gutta, de magno mari deputatus eſt. Hæc enim omnia, ſecundum auctoritates ſacræ

Iacob. 1. 10. & 11.

Scripturæ, rerum collatione ſimillima ſunt. Sic & Iacobus frater Domini & Apoſtolus de impio diuite diſputans dixit: *Sicut flos fœni tranſibit, Exortus eſt enim ſol cum ardore, & areſecit fœnum, & flos eius decidit, & decor vultus eius deperiit, ita & diues in itineribus ſuis marceſcet.* Et

B Matt. 16. 26.

ipſa Veritas in Euangelio proponens, dixit: *Quid enim proderit homini, ſi mundum vniuerſum lucretur animæ vero ſuæ detrimentum patiatur?*

EPISTOLA XX.

BONIFACIVS AD BVGGAN ABBATISSAM.

Dominæ dilectiſſimæ & in amore Chriſti omnibus cæteris fœminei ſexus præferendæ ſorori Bugan, Abbatiſſæ, Bonifacius exiguus indignus Epiſcopus, in Chriſto ſalutem.

NOtum ſit tibi, ſoror chariſſima, de illo conſilio, quo me indignum per litteras interrogaſti, quod ego tibi

C

iter peregrinum nec interdicere per me, nec audenter ſuadere præſumo. Sed quod viſum eſt dicam. Si enim ſolicitudinem, quam erga ſeruos Dei & ancillas, & monaſterialem vitam habuiſti, propter acquirendam quietem & contemplationem Dei dimiſiſti, quomodo debes nunc ſæcularium hominum verbis & voluntatibus ſeruire cum labore & tædioſa ſolicitudine? Melius eſſe mihi videtur, ſi propter ſæculares, in propria, libertatem quietæ mentis habere nullatenus poſſis, vt per peregrinationem, libertatẽ

L. Vuethburga. Inſ. ingol. 76.

cõtẽplationis, ſi volueris & poſſis, acquiras; quemadmodũ ſoror noſtra VVietberga faciebat, quæ mihi per ſuas litteras intimauit, quod talem vitam quietam inueniſſet iuxta limina ſancti Petri, qualem longum tempus deſiderando quæſiuit. De iſto autem tuo deſiderio illa mihi mandauit (quia de te ad illam ſcripſi) vt expectes, donec rebelliones & tentationes, & minæ Saracenorum, quæ apud Roma-

L. vt ſi.

nos nuper emerſerunt, conquieuerint, & quoadvſque illa, Deo volente, ſuas litteras inuitatorias ad te dirigat. Et hoc mihi optimum videtur eſſe: & præpares tibi neceſ-

D

ſaria itineris, & ſuſtineas verbum eius, & poſtea, quod pietas Domini iuſſerit, facias. De conſcriptione autem ſententiarum, de qua rogaſti, peccatis meis indulgere debes: quia propter inſtantes labores, & itinera continua, adhuc perfecte conſcriptum quod rogaſti, non habeo: ſed

l. habeo.

cum impleuero; ad præſentiam dilectionis tuæ tranſmittere curabo. De muneribus namque, id eſt, veſtimentis, quæ miſiſti, gratias agentes, Deum omnipotentem rogamus, vt tibi præmium remunerationis æternæ cum Angelis & Archangelis in alto cœlorum culmine reponat. Obſecro igitur per Deum ſororem chariſſimam, imo Matrem ac Dominam dulciſſimam, vt aſſidue pro me orare digneris; quia pro peccatis meis, multis tribulationibus fatigor, & multo maiore mentis tribulatione & ſolicitudine, quam corporis labore conturbor. Fidem inter nos antiquam nunquam deficere ſcias. Vale in Chriſto.

EPISTOLA XXI.

E

BONIFACII AD EADBVRGAM ABBATISSAM NOTABILIS Epiſtola.

Beatiſſimæ virgini, imo dilectiſſimæ dominæ Eadburgæ, monaſticæ normulæ conuerſationis emeritæ, Vuinfredus exiguus in Chriſto Ieſu intimæ charitatis ſalutem.

L. Cadburga. L. Hildelida.

ROgabas me, ſoror chariſſima, vt admirandas viſiones de illo rediuiuo, qui nuper in monaſterio Milburgæ Abbatiſſæ mortuus eſt, & reuixit, quæ ei oſtenſæ ſunt, ſcribendo intimare & tranſmittere curarem, quemadmodum iſtas veneranda Abbatiſſa Hebelida referente didici. Modo ſiquidem gratias omnipotenti Deo refero, quia in hoc dilectionis tuæ voluntatem eo plenius liquidiuſque, Deo patrocinium præſtante, implere valeo, quia

F

ipſe cum ſupra dicto fratre rediuiuo, dum nuper de tranſmarinis partibus ad iſtas peruenit regiones, locutus ſum, & ille mihi ſtupendas viſiones, quas extra corpus ſuum raptus in Spiritu vidit, proprio expoſuit ſermone.

C. l. violentia.

Dicebat quippe, ſe per violentæ ægritudinis dolorem corporis grauedine ſubito exutum fuiſſe; & ſimillimũ eſſe collatione, veluti ſi videntis & vigilantis hominis oculi denſiſſimo tegimine velentur, & ſubito auferatur velamen, & tunc perſpicua ſint omnia quæ ante non viſa & velata, & ignota fuerunt; ſic ſibi, abiecto terrenæ velamine carnis, ante conſpectum vniuerſum collectum fuiſſe mundum, vt cunctas terrarum partes, & populos, & maria ſub vno reſpectu contueretur, & tam magnæ claritatis & ſplendoris Angelos eum egreſſum de corpore ſuſcepiſſe, vt nullatenus præ nimio ſplendore in eos aſpicere potuiſſet, qui iocundis & conſonis vocibus cane-

Pſal 37. L. ſubleuanus me.

bant: *Domine ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me.* & ſubleuabant me in aera (dixi) ſurſum,

G *l. ſubter leuabant.*

& in circuitu totius mundi ignem ardentem videbam, & flammam immenſæ magnitudinis anhelantem, & terribiliter ad ſuperiora aſcendentem: non aliter pene, quam vt ſub vno globo totius mundi machinam complecteretur, niſi eam ſanctus Angelus, impreſſo ſigno ſanctæ

C. L. complectentẽ.

crucis CHRISTI, compeſceret: Quando enim in obuiam minacis flammæ ſignum crucis CHRISTI expreſſerat, tunc magna flamma ex parte decreſcens reſedit, & iſtius flammæ terribili ardore intolerabiliter torquebar, oculis maxime ardentibus, & ſplendore fulgentium ſpirituum reuerberatis, donec ſplendidæ viſionis Angelus manus ſuæ impoſitione caput meum quaſi protegens tangebat, & me à læſione flammarum tutum reddidit. Præterea referebat, illo in temporis ſpatio, quo extra corpus fuit, tam magnam animarum migrantium de corpore multitudinem illuc, vbi ipſe fuit, conueniſſe, quam totius humani generis in terris non fuiſſe antea exiſtimaret: innumerabilem quoque malignorum ſpiri-

H

tuum turbam, nec non & clariſſimum chorum ſupernorum Angelorum affuiſſe narrauit: & maximam inter ſe

l. dicendo quodd.ã. L. dicente quodd.ã. l. Aliud.

miſerrimos Spiritus & ſanctos Angelos de animabus egredientibus de corpore diſputationem habuiſſe, Dæmones accuſando & peccatorum pondus grauando: Angelos vero releuando, & accuſando: Et ſe ipſum omnia audiſſe flagitiorum propria peccamina quæ fecit à iuuentute ſua, & ad confitendum aut neglexit, aut obliuioni tradidit, vel ad peccatum pertinere omnino neſciebat, ipſius propria voce contra illum clamaſſe, & eum diriſſime accuſaſſe, & ſpecialiter vnumquodque vitium, quaſi ex ſua perſona in medium ſe obtuliſſe, dicendo quodam: Ego ſum cupiditas tua, qua illicita frequentiſſime & cõtraria præceptis Dei concupiſti: Quodam vero ego ſum vana gloria, qua te apud homines iactanter exaltaſti. Alio: Ego ſum mendacium, in quo mentiendo peccaſti. Alio: Ego ſum otioſum verbum, quod inaniter locutus fuiſti. Alio: Ego viſus, quo videndo illicita peccaſti. Alio: Ego contumacia & inobedientia, qua ſenioribus

A ſpiritalibus inobediens fuiſti. Alio : Ego torpor & deſidia in ſanctorum ſtudiorum neglectu. Alio : Ego vaga cogitatio, & inutilis cura, qua te ſupra modum ſiue in Eccleſia, ſiue extra Eccleſiam occupabas. Alio : Ego ſomnolentia, qua oppreſſus tarde ad confitendum Deo ſurrexiſti. Alio : Ego iter otioſum.Ego ſum negligentia & incuria qua deteotus erga ſtudium diuinæ lectionis incurioſus fuiſti, & cætera his ſimilia omnia, quæ in diebus vitæ ſuæ in carne conuerſatus peregit, & confiteri neglexit.

Multa quoque, quæ ad peccatum pertinere omnino ignorabat, contra eum cuncta terribiliter, vociferabantur. (C.l. vociferabat.) Similiter & maligni Spiritus, in omnibus, vitiis conſonantes, accuſando, & duriter teſtificando, & loca & tempora nefandorum actuum memorantes, eadem, quæ peccata dixerunt, conclamantes probabant. Vidit quoque ibi hominem quendam, cui iam in ſæculari habitu degens vulnus inflixit, quem adhuc in hac vita ſupereſſe referebat, ad teſtimonium malorum ſuorum adductum, cuius cruentatum & patens vulnus, & ſanguis ipſe pro-

B pria voce clamans improperabat & imputabat ei crudele effuſi ſanguinis crimen, & ſic cumulatis & computatis ſceleribus & antiquum hoſtem affirmabant eum reum peccatorem iuris eorum & conditionis indubitanter fuiſſe. E contra autem (dixit) excuſantes me clamitabant paruæ virtutes animæ, quas ego miſer indigne & imperfecte peregi. Quædam dixit : Ego ſum obedientia, quam ſenioribus ſpiritalibus exhibuit. Quædam : Ego ſum ieiunium, quo corpus ſuum contra deſiderium carnis pugnans caſtigauit. Alia : Ego pura oratio, quam effundebat in conſpectu Domini. Alia : Ego ſum obſequium infirmorum, quod clementer ægrotantibus exhibuit. Quædam : Ego ſum pſalmus, quem pro otioſo ſermone ſatiſfaciens Deo cecinit. Et ſic vnaquæque virtus contra æmulum ſuum peccatum, excuſando me, clamitabat : &

C has illi immenſæ charitatis Angelici Spiritus magnificando, defendentes me, affirmabant. Et iſtæ virtutes vniuerſæ valde auctæ, & multo maiores & excellentiores mihi eſſe videbantur, quam vnquam viribus meis digne perpetratu fuiſſent. (l. alta L. macta.)

Intereà referebat ſe quaſi in inferioribus, in hoc mundo vidiſſe igneos puteos horrendam eructantes flammam plurimos, & erumpente terra terribilis flammæ ignes volitaſſe, & miſerorum hominum Spiritus in ſimilitudine nigrarum auium, per flammam plorantes & vlulantes, & verbis & voce humana ſtridentes, & lugentes propria merita, & præſens ſupplicium, conſediſſe paululum, hærentes in marginibus puteorum : & iterum eiulantes cecidiſſe in puteos. Et vnus ex Angelis dixit : Paruiſſima hæc requies indicat, quia omnipotens Deus in die futuri iudicij his animabus refrigerium ſupplicij, & requiem perpetuam præſtiturus eſt. Sub illis autem puteis adhuc in inferioribus, & in imo profundo, quaſi in inferno inferiori, audiui horrendum & tremendum, & dictu difficilem gemitum, & fletum lugentium animarum. Et dixit ei Angelus: Murmur & fletus, quem in inferioribus audis illarum eſt animarum, ad quas nunquam pia miſeratio (Infra de iis dē viſionibus a' a epiſtola eſt.)

D Domini perueniet : ſed æterna illas flamma ſine fine cruciabit.

Vidit quoque miræ amœnitatis locum, in quo pulcherrimorum hominum glorioſa multitudo miro lætabatur gaudio ; qui eum inuitabant, vt ad eorum gaudia, ſi ei licitum fuiſſet, cum iis gauiſurus veniret, & inde miræ dulcedinis fragrantia veniebat ; quæ beatorum halitus fuit ibi congaudentium ſpirituum, quem locum ſancti Angeli affirmabant, famoſum eſſe Dei paradiſum. Nec non & igneum piceumque flumen bulliens & ardens miræ formidinis & teterrimæ viſionis cernebat ; ſuper quod lignum pontis vice poſitum erat ; ad quod ſanctæ glorioſæque animæ ab illo ſecedentes conuentu, properabant, deſiderio alterius ripæ, tranſire cupientes, & quædam non titubantes conſtanter tranſibant : quædam vero labefactæ de ligno cadebant in tartareum flumen : & aliæ tingebantur quaſi toto corpore merſæ : aliæ autem ex parte quadam veloci ad genua, quædam vſque ad genua medium : quædam vero vſque ad aſcellas : Et tamen vnaquæque cadentium multo clarior, ſpecioſiorque de flumine in alteram aſcendebat ripam, quam prius in piceum bulliens cecidiſſet flumen. Et vnus ex beatis Angelis, de illis cadentibus animabus dixit. Hæ animæ ſunt, quæ poſt exitum mortalis vitæ, quibuſdam leuibus vitiis non ad purum abolitis, aliqua pia miſerentis Dei caſtigatione indigebant, vt Deo dignæ offerantur. Et citra illud flumen ſpeculatus muros fulgentes clariſſimi ſtuporis ; ſtupendæ longitudinis, & altitudinis immenſæ ; & ſanctos Angelos dixiſſe : Hæc eſt enim illa ſancta & inclyta ciuitas cœleſtis Hieruſalem, in qua iſtæ perpetualiter ſanctæ gaudebunt animæ. Illas itaque animas, & illius glorioſæ ciuitatis muros, ad quam poſt tranſitum fluminis feſtinabant, tam magna immenſi luminis claritate & fulgore ſplendentes eſſe dixit, vt reuerberatis oculorum pupillis, præ nimio ſplendore in eos nullatenus aſpicere potuiſſet. (C.l. aliorum.) E (L. genua media. F. genu medium vel & medium. L. axillas. C.l. Hac.)

Narrauit quoque ad illum conuentum, inter alias, veniſſe cuiuſdam hominis animam, qui in Abbatis officio defunctus eſt, quæ ſpecioſa nimis & formoſa eſſe viſa eſt, quam maligni Spiritus rapientes, contendebant ſortis eorum & conditionis fuiſſe. Reſpondit ergo vnus ex choro Angelorum dicens : oſtendam vobis cito, miſerrimi Spiritus, quia veſtræ poteſtatis anima illa probatur non eſſe. Et his dictis, repente interuenit magna cohors candidarum animarum, quæ dicebant : ſenior doctor noſter fuit iſte, & nos omnes ſuo magiſterio lucratus eſt Deo : & hoc pretio redemptus eſt, & veſtri iuris non eſſe dignoſcitur, & quaſi cum Angelis contra dæmones pugnam inirent, & adminiculo Angelorum eripientes illam animam de poteſtate malignorum ſpirituum liberauerunt. F

Et tum increpans Angelus Dæmones, dixit : Scitote modo, & intelligite, quod animam ſine iure rapuiſtis : & diſcedite miſerrimi Spiritus in ignem æternum. Cum vero hæc dixiſſet Angelus ilico maligni Spiritus leuauerunt fletum magnum in momento, & quaſi in ictu oculi, pernici volatu iactabant ſe in ſupra dictos puteos ignis ardentis, & poſt modicum interuallum emerſi, certantes in illo conuentu iterum de animarum meritis diſputabant. (C.l. nihil.) G

Et diuerſorum hominum in hac vita merita commorantium, dicebat ſe in illo tempore ſpeculari potuiſſe : & illos qui ſceleribus obnoxij non fuerunt, & qui ſanctis virtutibus freti propitium omnipotentem Deum habuiſſe noſcebantur, ab Angelis ſemper tutos ac defenſos ; & iis charitate & propinquitate coniunctos fuiſſe. Illis vero, qui nefandis criminibus, & maculatæ vitæ ſordibus polluti fuerunt, aduerſarium ſpiritum aſſidue ſociatum, & ſemper ad ſcelera ſuadentem fuiſſe. Et quodcunque verbo vel facto peccauerunt, hoc iugiter, quaſi ad lætitiam & gaudium, aliis nequiſſimis ſpiritibus in medium proferens manifeſtauit, & quando homo peccauit, nequaquam malignus Spiritus ſuſtinuit moram faciens expectando donec iterum peccaret : ſed ſigillatim vnumquodque vitium ad notitiam aliorum ſpirituum offerebat, & ſubito apud hominem peccata ſuaſit, & illico apud dæmones perpetrata demonſtrauit.

Interea narrauit ſe vidiſſe puellam quandam in hac terrena vita molentem in mola, quæ vidit iuxta ſe alterius nouam colum ſculptura variatam, & pulchra ei viſa fuit, & furata eſt illam. Tunc quaſi ingenti gaudio repleti quinque teterrimi Spiritus hoc furtum aliis in illo referebant conuentu, teſtificantes illam furti ream, & peccatricem fuiſſe. Intulit quoque : fratris cuiuſdam ; qui paulo ante defunctus eſt ; animam triſtem ibi videbam, cui antea ipſe in infirmitate exitus ſui miniſtraui, & exequias præbui, qui mihi moriens præcepit, vt fratri illius germano, verbis illius teſtificans, demandarem, vt ancillam quandam, quam in poteſtate communiter poſſederunt, pro anima eius manumitteret. Sed germanus eius, auaritia impediente, petitionem eius non impleuit : & de hoc ſupra dicta anima per alta ſuſpiria accuſauit fratrem infidelem, & increpans grauiter querebatur. Et ſimiliter teſtatus de Ceolredo Rege Mercionum, quem illo tamen tempore, quo hæc viſa ſunt, in corpore fuiſſe non dubium eſt. Quem, vt dixi, videbat angelico quodam vmbraculo contra impetum dæmoniorum, quaſi libri H (L. ut ib gula. C. exequia. f. obſequia.)

A

alicuius magni extenſione, & ſuperpoſitione defenſum. Ipſi Dæmones anhelando rogabant Angelos, vt ablata defenſione illa, ipſi permitterentur crudelitatis eorum voluntatem in eo exercere. Et imputabant ei horribilem ac nefandam multitudinem flagitiorum, & minantes dicebant, illum ſub diriſſimis inferorum clauſtris claudendum, & ibi, peccatis promerentibus, æternis doloribus cruciandum eſſe. Tunc Angeli ſolito triſtiores facti dicebant: Proh dolor! quod homo peccator iſte ſemetipſum plus defendere non permittit, & ob ipſius propria merita nullum ei adiutorium poſſumus præbere. Et auferebant ſuperpoſiti tutaminis defenſionem. Tunc dæmones gaudentes & exultantes, de vniuerſis mundi partibus congregati, maiori multitudine, quam omnium animantium in ſæculo fieri exiſtimaret, diuerſis vero tormentis inæſtimabiliter fatigantes lacerabant. Tum demum beati Angeli præcipiebant ei, qui hæc omnia extra corpus ſuum raptus, ſpiritali contemplatione vidit, vt ſine mora rediret ad proprium corpus, & vniuerſa, quæ illi oſtenſa fuerunt, credentibus & intentione diuina interrogantibus manifeſtare non dubitaret: inſultantibus autem, narrare denegaret: & vt cuidam mulieri, quæ inibi in longinqua regione habitabat, eius perpetrata peccata per ordinem exponeret, & ei intimaret; quod omnipotentem Deum potuiſſet per ſatisfactionem repropitiare ſibi, ſi voluiſſet. Et vt cuidam Presbytero Buggam iſtas ſpiritales viſiones cunctas exponeret: Et prius ea quemadmodum ab illo inſtructus foret hominibus pronuntiaret. Propria quoque peccata, quæ illi à ſpiritibus immundis imputata fuerunt; confeſſa, ſupradicti Presbyteri iudicio emendaret: & ad indicium Angelici præcepti, Presbytero teſtificati, quia iam per plurimos annos zonam ferream circa lumbos, nullo hominum conſcio, amore Domini cogente, habuerat. Proprium vero corpus dicebat, ſe dum extra fuerat, tam valide perhorruiſſe, vt in omnibus viſionibus nihil tam odibile, nihil tam deſpectum, nihil tam dirum fœtorem euaporans, exceptis dæmonibus & igne flagranti, videret, quam proprium corpus: & fratres eius conſeruos, quos intuitus eſt exequias corporis ſui clementer exhibere, ideo perhorruit, quia inuiſi corporis curam egerunt.

At hoc loco in C. ſordidata ac ſugitiui erant littera aſſixa erat chartula, ſic: Hæc epiſtola vbi eſt deſcripta quia non poteſt legi. *L. animantium.* *C. aſtimaret.* *l. nihil.* *l. conſcio.* *ſ. nec primo eo quam ab. L. & ſuſta.* *l. L. quia non.*

B

C

Iuſſus tamen ab Angelis primo diluculo redire ad corpus, qui primo gallicinio exierat de corpore. Rediuiuo autem in corpore, plena ſeptimana nil omnino corporalibus oculis videre potuit: ſed oculi veſicis pleni frequenter ſanguine ſtillauerunt. Et poſtea illa de Presbytero religioſo, & peccatrice muliere ſicut ei ab Angelis manifeſtatum eſt, ita illis profitentibus verum eſſe probauit. Subſequens autem & citra ſcelerati Regis exitus quæ de illo viſa vera fuerunt, eſſe proculdubio probauit. Multa alia & his ſimilia referebat ſibi oſtenſa fuiſſe, quæ de memoria labefacta per ordinem recordari nullatenus potuiſſet. Et dicebat ſe poſt iſtas viſiones mirabiles tam tenacis memoriæ non fuiſſe vt ante fuerat. Hæc autem quæ te diligenter flagitante ſcripſi, quod tribus mecum religioſis & valde venerabilibus fratribus in communione audientibus expoſuit. Qui mihi in hoc ſcripto adſtipulatores fideles teſtes eſſe dignoſcuntur. Vale veræ virgo vitæ, vt & viuas Angelice Rectori te & rumore regnes ſemper in æthere CHRISTVM.

L. obſequia. *l. gallicinio.* *ſ. conſeruo.* *L. fuſci plene.*

Bar p. 14. Locus de prauatus forte ſic, D *veræ virgo vitæ vt & viuas Angelica, rectore tonante & regnes ſemper in æthere Chriſto.*

EPISTOLA XXII.

BONIFACIVS DVDDO ABBATI.

Dilecto filio Duddo Abbati Bonifacius, qui & Vuinfredus ſeruorum Dei ſeruus optabilem in Chriſto charitatis ſalutem.

Eccl. 9. 14. Vinum nouum amicus nouus. MEmorem te eſſe, fili chariſſime, deſidero ſapientis cuiuſdam ſententiæ, qua dixit. *Serua antiquum amicum*, vt antiquæ amicitiæ quam in pueritia iam olim cœpimus & ſeruauimus, in ſenectute non obliuiſcaris: ſed recorderis patris tui iam nunc decrepiti & membris omnibus ad viam vniuerſæ terræ vergentis. Et licet parum doctus præceptor fuiſſem, tamen tibi omnium deuotiſſimus, vt ipſe teſtis es, eſſe ſtudui. Illius deuotionis memor, iam ſenis, Germanici tempeſtatibus maris vndique quaſſantibus fatigati miſerere. Hoc eſt, vt orationibus ad Deum fuſis, me ſubleuare ſtudeas: & in ſanctis ſcripturis adiuuare, maxime in ſanctorum Patrum ſpiritalibus tractatibus, quia ſpiritalis tractatus, magiſter legentium ſacrum eloquium eſſe dignoſcitur. Rogo vt mihi, in adiutorium diuinæ ſcientiæ, partem tractatus ſuper Apoſtolum Paulum, qui mihi deeſt, mittere digneris. Habeo enim ſuper duas Epiſtolas tractatus, id eſt, ad Romanos & ad Corinthios primam: ſimiliter quidquid in ſacro ſcrutinio inueneris, & mihi vtile eſſe arbitreris, & me latere vel ſcriptum non habere æſtimes, inſinuare, ſicut fidelis filius, licet ruſtico Patri, & reſcripta beatitudinis tuæ dirigere digneris: & ſi tibi placuerit, vt ſemper ambo inter nos, ita faciamus. Et quidquid tibi filius meus Eoba Presbyter geruſus literarum mearum verbo indicauerit de matrimonio commatrum, quarum in baptiſmo filios ſuſcepimus, in ſcripturis quære, vnde iudicetur capitale peccatum eſſe apud Romanos. Et ſi alicubi in ſcripturis Eccleſiaſticis de hoc peccato diſputatum aliquid repereris, mihi manifeſtare non dubites. Valere dilectionem beatitudinis tuæ, & proſperis ſucceſſibus proficere in Chriſto optamus.

E

L. ſcrinio.

F

Sup. 12. 15.

EPISTOLA XXIII.

Reuerendiſſimo fratri, & ſpiritalis germanitatis propinquitate connexo, Bonifacius, exiguus ſeruus ſeruorum Dei, perennem in Chriſto charitatis ſalutem.

CLementiam fraternitatis veſtræ intimis flagitamus precibus, vt noſtræ mediocritatis memores intercedere dignemini, quia peccatis noſtris exigentibus periculoſi maris tempeſtatibus vndique quatimur: rogantes vt ille, qui *in altis habitat, & humilia reſpicit*, indulgens flagitia, præſtet nobis verbum *in apertione oris noſtri, vt currat & clarificetur* inter gentes Euangelium gloriæ Chriſti.

G

Pſ. 112. 6. Epheſ. 6. 19. 2 Theſſ. 3. 1.

EPISTOLA XXIV.

Venerando fratri Aldherio Abbati Bonifacius, exiguus ſeruus ſeruorum Dei in Chriſto ſalutem.

CHaritatis veſtræ clementiam medullatis, & intimis præcordiorum obſecramus precibus, vt in veſtris ſacroſanctis orationibus, intercedendo noſtri memores eſſe dignemini, & almitatis veſtræ precibus imploreris, vt pius Dominus, qui cauſa eſt peregrinationis noſtræ nauem fragilitatis noſtræ, ne fluctibus Germanicarum tempeſtatum ſubmergatur, dextera ſua protegente & gubernãte, illæſam cuſtodiendo ad cœleſtis Hieruſalem litus tranquillum perducat. Salutate omnes fratres ſanctæ congregationis veſtræ, noſtros in Deo chariſſimos, in oſculo dilectionis ac deuotionis noſtræ. Commendamus ſcilicet & nos veſtris orationibus, vt ſiue viuentes, ſiue morientes, veſtræ communioni charitatis ſociemur, & vt hoc ita firmetur deuotione fraternæ charitatis à vobis iuxta voluntatem clementiæ veſtræ promereri volumus, in quantum poteſtas profectum attribuerit. Petimus quoque, vt pro Germanicis gentibus idolorum culturæ deditis intercedere curetis: rogantes Dominum, qui pro totius mundi ſalute proprium ſanguinem fudit, & *vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, vt eas ad agnitionem Creatoris, & ad gremium matris Eccleſiæ conuertat. Similiter, vt pro dormientium fratrum animabus, qui nobiſcum laborabant in Domino, orationum adiuuamina, & Miſſarum ſolemnia celebrare faciatis precamur,

H

C. gentis dolorum.

1. Tim. 2. 4.

quorum

A *Oratio pro defunctis. Miſſa.*

quorum nomina gerulus harum literarum demonſtrabit. Valere beatitudinem veſtram & ſanctis ſucceſſibus proficere in Chriſto diligenter optamus.

EPISTOLA XXV.

BONIFACIVS QVIBVSDAM MONIALIBVS.

I. Leogbaia. Badde. I. Deda

Venerandis & amandis chariſſimis ſororibus Leobgutha & Tecla, nec non & Cynehilda, & omnibus in Chriſto diligendis ſororibus vobis cohabitantibus æternæ charitatis ſalutem.

OBſecro, & præcipio quaſi filiabus chariſſimis, quemadmodum vos iam inceſſanter facere, & feciſſe, & facturas eſſe confidimus, vt veſtris orationibus crebris Dominum deprecemini, vt *liberemur*, iuxta dictum Apoſtoli *ab importunis & malis hominibus. Non enim omnium eſt fides.* Et ſcitote, quia Deum laudamus, & tribulationes cordis noſtri dilatatæ ſunt, vt Dominus Deus, qui eſt refugium pauperum, & ſpes humilium, de neceſſitatibus noſtris & de tentatioibus huius ſæculi nequam eripiat nos, vt ſermo Domini currat, & clarificetur glorioſum Euangelium CHRISTI, vt *gratia Domini in me vacua* non fiat. Et quia vltimus & peſſimus ſum omnium Legatorum, quos Catholica & Apoſtolica Romana Eccleſia ad prædicandum Euangelium deſtinauit, vt omnino ſine fructu Euangelij ſterilis non moriar, & vacuus filiorum & filiarum numero non reuertar, ne de abſcondito talento, Domino veniente, reus eſſe iudicer, nec peccatis exigentibus, vice laboris pro mercede, vltionem infructuoſi laboris accipiam ab eo, qui miſit me. Multi enim (quod peius eſt) quos oues in futuro iudicio ad dexteram CHRISTI ponendos fore cenſebam, verſa vice, putidæ & petulcæ, & ad ſiniſtram ſtatuendæ capellæ eſſe dignoſcuntur. Et pietatem Domini precamini, vt Spiritu principali confirmet cor meum Deus, qui me indignum paſtorem in populo vocari voluit, vt lupo veniente, more mercenarij non fugiam: ſed exemplo boni paſtoris, agnos pariter cum matribus, Eccleſiam ſcilicet Catholicam cum filiis & filiabus ſuis, contra hæreticos, & ſchiſmaticos, vel hypocritas fideliter ac fiducialiter defenſare ſtudeam. Præterea, *quia dies mali ſunt, nolite eſſe imprudentes, ſed intelligentes quæ ſit voluntas Dei. Quamobrem vigilate, & ſtate in fide, & viriliter agite, & confortamini. Omnia veſtra cum charitate fiant:* & iuxta Euangelium, *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Et recordamini ſanctorum Apoſtolorum & Prophetarum, quia multum laborauerunt in Domino: ideo adepti ſunt præmia ſempiterna. Et iuxta Pſalmiſtam. *Multæ tribulationes iuſtorum, & de his omnibus liberabit eos Dominus:* & iuxta Euangelium, *quia qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.*

Margin: B *2. Theſ. 3. 2. Pſal 9. 111.* — *1. Cor. 15. 10.* — *Matt. 25. 25.* — C *Pſal. 50. Ioan. 10.* — *Epheſ. 5. 16. V. ſerti. 1. Cor. 16 13. C. 1. L. cōfortamini & ſt. Luc. 21. 19. Pſ. 33 20. Matt. 10. a. & c. 24 13.* — D

EPISTOLA XXVI.

Bonifacius ſeruus ſeruorum Dei Griponi filio Carlo optabilem in CHRISTO ſalutem.

OBſecro & adiuro pietatem veſtram per Deum Patrem omnipotentem, & per IESVM CHRISTVM filium eius, & per Spiritum ſanctum; per ſanctam Trinitatem, & vnitatem Dei vt ſi tibi Deus poteſtatem donauerit, vt adiuuare ſtudeas ſeruos Dei ſacerdotes Presbyteros qui ſunt in Thyringia, Monachos & ancillas CHRISTI defendere contra Paganorum malitiam, & adiuuare Chriſtianum populum, vt eos Pagani non perdant vt ante tribunal CHRISTI mercedem habeas perpetuam. Et cognoſcite, quod memoria veſtra nobiſcum eſt coram Deo, ſicut & pater veſter viuus & mater iam olim mihi commendarunt. Deprecamur Deum Saluatorem mundi, vt dirigat viam veſtram, & vitam ad ſalutem animæ veſtræ, vt in gratia Dei ſemper hic & in futuro ſæculo permaneatis. Interea mementote: filij chariſſimi, quia iuxta vocem Pſalmigraphi: *Omnis homo ſicut fœnum dies eius, & ſicut flos agri ita florict*: Et Apoſtolus ait: *totus mundus in maligno poſitus eſt*: & item in Euangelio veritas dixit: *Quid enim prodeſt homini, ſi lucretur vniuerſum mundum; animæ vero ſuæ detrimentum patiatur.* Et iterum in Euangelio de gloria iuſtorum. *Ecce fulgebunt iuſti ſicut ſol in regno patris eorum.* Et Paulus Apoſtolus de beatitudine vitæ æternæ: *Quod oculus, non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quod præparauit Deus diligentibus ſe.* Facite ergo, filij vt mercedis veſtræ præmia in alto cœlorum culmine clareſcant, & creſcant. Valere vos in longitudine dierum in CHRISTO optamus.

Margin: E *Pſ. 102. ſup epi. 1. 1. Io. 5. 19.* — *Matt. 16. & Luc 13. 43. 1. Cor 2. 9.*

EPISTOLA XXVII.

BONIFACIVS AD NONNVLLOS DILECTOS.

F

Dilectiſſimis Filiis Geppan, & Eoban, Tatuuino, & Vaygberto, & omnibus fratribus ac ſororibus noſtris, Bonifacius ſeruus ſeruorum Dei, in CHRISTO pura charitatis ſalutem.

L. Tatuino Vuixi. I. Vuigb.

NOtum ſit charitati veſtræ, & gratias agite Deo quia cum proſperitate venientes ad limina beati Petri Principis Apoſtolorum, gratantes nos cum gaudio Apoſtolicus Pontifex ſuſcepit, & de legatione noſtra læta reſponſa reddidit, & conſilium & præceptum dedit, vt iterum ad vos reuertamur, & in cœpto labore perſiſtamus. Nunc autem hic expectantes ſacerdotum conſilium, vel ſynodi conſultum, adhuc ignoramus, quando hoc fieri faciat Apoſtolicus Pontifex: Sed eo finito, Deo volente, & vita comite, ad veſtram præſentiam feſtinabimus. Hoc autem ſcientes, nos cum fraterna charitate, & fidei vnitate expectate, alter alterius onera portantes, & ſic adimplebitis legem CHRISTI & gaudium noſtrum renouabitis. Valete in CHRISTO, & orate pro nobis.

Margin: *L. concilium. C. Synodus conſultū vt ſenatusconſultū. L. hic f.* — G — *Galat. 6.*

EPISTOLA XXVIII.

BONIFACIVS EADBVRGÆ ABBATISSÆ.

Reuerendiſſimæ ac dilectiſſimæ ſorori Eadburgæ Abbatiſſæ, Bonifacius exiguus ſeruus ſeruorum Dei optabilem in CHRISTO charitatis ſalutem.

I. Eadb. — H

DOminum omnipotentem, retributorem & remuneratorem omnium bonorum operum deprecor, vt tibi in cœleſtibus manſionibus, & in æternis tabernaculis omnium beneficiorum tuorum, quæ mihi præſtitiſti æternalem mercedem & in ſuperna curia beatorum Angelorum reſtituat. Quia ſæpe ſiue ſolamine librorum, ſiue veſtimentorum adiumine; pietas tua triſtitiam meam conſolata eſt. Sic & adhuc deprecor, vt augeas quod cœpiſti, id eſt, vt mihi cum auro conſcribas epiſtolas Domini mei ſancti Petri Apoſtoli ad honorem & reuerentiam ſanctarum ſcripturarum ante oculos carnalium, in prædicando: & quia dicta eius, qui me in hoc iter direxit, maxime ſemper in præſentia cupiam habere, & ad ſcribendum hoc quod rogo, Eoban Presbyterum deſtino. Fac ergo ſoror chariſſima, de hac petitione noſtra, ſicut benignitas tua de cunctis precibus meis ſemper ſolebat, vt & hic opera tua, ad gloriam cœleſtis patris, aureis litteris fulgeant. Valere in Chriſto, & ſanctis virtutibus ad meliora conſcendenda proficere opto.

A

EPISTOLA XXIX.

BONIFACIVS REGENBERTHO.

Chariſſimo Filio Regenbertho Præfecto, Bonifacius ſeruus ſeruorum Dei, in Domino æternam ſalutem.

L. feciſſe ref.

DIgnitatis tuæ clementiam obſecramus precibus, vt hunc miſſum litterarum mearum Romam pergentem propter reſponſa Eccleſiaſtica, & orationum cauſa, per veſtros fines conſeruatum tranſire permittatis & eum adiuuare in propriis neceſſitatibus dignemini, ſicut prioribus miſſis noſtris feciſtis, vt mihi reuerentes referebant. Agite ergo de hac petitione, vt merces veſtra coram Deo creſcat, & multiplicetur. Valete in Chriſto.

B

EPISTOLA XXX.

IDEM DENEHARDO PRESBYTERO.

Bonifacius ſeruus ſeruorum Dei Denehardo Presbytero in CHRISTO ſalutem.

MAndo tibi, chariſſime, de præſente puero Athalere, ſi illi neceſſitas, in ſua cauſa contingat, vt eum adiuuare ſtudeas, ſicut ingenuum hominem: & ſic pro illo promittas amicis eius, non quaſi pro ſeruo & ego ſic comprobaui, quia deſponderi ſibi diſponet coniugem, vt non timeat, quod ſeruus ſit. Vale in Chriſto.

C

EPISTOLA XXXI.

BONIFACIVS LEOBGYTHÆ.

Veneranda Chriſti famula & charitate ſinceriſſima perenniter continenda Leobgytha, Bonifacius ſeruus ſeruorum Dei, optabilem in CHRISTO ſalutem.

NOtum tuæ ſit ſanctitatis dilectioni, quia frater & compresbyter noſter nomine Torthat nobis referebat, quod à te precibus ſuis impetraret, vt puellæ cuidam doctæ laborem, ſi noſter conſenſus licentiam tribuiſſet, tempore imperes aliquanto. Quapropter ſecundum quod dilectio tua pro ſuæ mercedis augmento de hac re conſultum putauerit, noſtram conſentire & fauere voluntatem indubitanter agnoſce. Vale in Chriſto.

ſ. imponere.

D

EPISTOLA XXXII.

EPISTOLA CAROLI.

Dominis ſanctis & Apoſtolicis in Chriſto patribus Epiſcopis, Ducibus, Comitibus, Vicariis, Domeſticis ſeu omnibus agentibus, iunioribus noſtris, ſeu miſſis decurrentibus, & amicis noſtris illuſtris vir Carolus maior domus bene cupiens veſter.

COgnoſcatis qualiter Apoſtolicus vir in Chriſto Pater Bonifacius Epiſcopus ad nos venit, & nobis ſoggeſſit, quod ſub noſtro mundeburdio vel defenſione eum recipere deberemus. Quod ita nos gratanti animo hoc feciſſe cognoſcite. Proinde nos taliter viſi, fecimus ei manum noſtram roratam dare vt vbicunq, vbi & vbi ambulare videtur, cum noſtro amore vel ſub noſtro mundeburgio & defenſione quietus vel conſeruatus eſſe debeat, in ea ratione, vt iuſtitiam reddat, & ſimiliter iuſtitiam recipiat. Et ſi aliqua cauſatio vel neceſſitas ei aduenerit, quæ per legem definiri non potuerit, vſque ad nos quietus vel conſeruatus eſſe debeat, tam ipſe, quam qui per ipſum ſperare videntur, vt ei nullus vllam contrarietatem vel damnationem aduerſus eum facere non debeat, niſi vt omni tempore ſub noſtro mundeburdio vel defenſione quietus, vel conſeruatus reſidere debeat. Et vt certius credatur, manu propria ſubterfirmaui & de annulo noſtro ſubterſigillauimus.

E

C. I. quàm ipſe.

l. ſigillauimus.

EPISTOLA XXXIII.

DANIEL EPISCOPVS OMNIBVS CHRISTIANIS.

F

Piiſſimis ac clementiſſimis Regibus, Ducibus, vniuerſis reuerendiſſimis & dilectiſſimis Epiſcopis, religioſis necnon Abbatibus, Presbyteris & ſpiritualibus filiis CHRISTI nomine conſignatis Daniel Dei FAMVLORVM FAMVLVS.

DVm vniuerſis fidelibus deuotione ſinceriſſima Dei mandata ſunt obſeruanda, quantum ſit hoſpitalitatis munus quamque acceptabile Deo humanitatis officium viantibus exhibere, ſanctis ſcripturis atteſtantibus demonſtratur, dum & beatus ABRAHAM propter hoſpitalitatis miſericordiam ſanctorum Angelorum præſentiam ſuſcipere meruit, & venerando eorum colloquio perpotiri. LOTH quoque per huiuſmodi myſterium pietatis, de Sodomorum flammis ereptus eſt. Saluauit cum hoſpitalitatis gratia de flammarum interitu, mandatis cœleſtibus obſequentem, ita & veſtræ dilectioni proueniet ad ſalutem, dum horum portitorem religioſum Presbyterum, Denique omnipotentis famulum ſuſcipientes VVYNFRITHVM charitatem ei quam Deus & diligit & præcipit, exhibetis. Recipientes Dei ergo famulos, cum recipitis, cuius maieſtati deſeruiunt *omnia* ita pollicenti. *Qui vos recipit, me recipit.* Hæc itaque cum cordis deuotione facientes, Dei mandata peragitis, & de diuinæ promiſſionis oraculo confidentes, mercedem apud eum habebitis ſempiternam. Incolumem eminentiam veſtram ſuperna gratia cuſtodiat.

Hebr. 13.
Geneſ. 18
Geneſ. 19

G

C. ſuſcipientem.
l. Dei omnia non in C. I.
Matth. 10.
Mar. 9.

EPISTOLA XXXIV.

Intima dilectionis amore quamuis indignus N. in Domino triquadri orbis quadrifaria regna magno moderamine diſponente N. ſoſpitatis ſalutem.

H

PVto enim cognoſcere, amantiſſima ſoror, quod in diuinis ſæpe contum legitur oraculis appropinquante iam mundi fine, & ſtatuæ ex quaternis metallorum generibus quondam fabrefacta ruitura, hydram quoque ſemper nouis minantem ſibilis, & ſcyllam cum hæreditariis catulis non ceſſantem latrare. Miluus quoque ad ima, columbaque ad feneſtras ſuas volitat. Quamobrem, chariſſima, licet longiuſcule à te meritorum æqualitate diſtem, vicinus tamen circa tuam frequens memoriam quotidie conor adeſſe, obſecro vt ſis memor verborum noſtrorum, quæ pariter pepigimus, quando profectus fueram. Vale viuens æuo longiore, & vita feliciore interpellans pro me. Hæc pauca ad te ſcripſi non arroganter mea commendans, ſed humiliter tua depoſcens & ceu propriæ germanæ nuper nactæ Vale.

Daniels.
C. mouet ſ. bionem.

C. alta.

In cælo flagrans iam iuſtis vita perennis,
Qua ſanctis ſemper fulgebunt lumine pulchro
In regno patris, ceu clarus Titan in orbe

Atque

A *Atque per anguſtam Hieruſalem voce tonantes*
C. ducentes. *Sic Dominum ſemper laudant ſine fine canentes,*
Et ſanctas pariter concinnant ore per auras
C. nob. is *Hic iugiter celebrant excelſo carmina* CHRISTO
Vitioſus *Quem chorus martyrum ſic ſimul omnis adorat*
verſus. *Multum de Domino gaudens, de pectore multum*
C. an. Ir. *Effundens laudes grates hominique Deoque*
C. gratulans. *Lætior ora modis attollens placida miris*
Crede mihi quia te ſummo complector amore.

C. cura. *Vale* CHRISTI *virguncula,*
C. conti. nere. *Mihi cura magnopere,*
Tibi laudes contexo
Teque rogo cum tremore
Vota redde cum feruore
C. minatione. *Quæ pepigimus pariter.*

CHRISTI *nempe iuuencula*
Atque gnara in opere
B *Atque grates ingemino*
Agna CHRISTI *pro amore*
Altiſſimo in æthere
Memora o tenaciter.

EPISTOLA XXXV.

EPISTOLA BVGGÆ AD BONIFACIVM.

Venerando Dei famulo & plurimis ſpiritalium charismatum ornamentis prædito Boniſacio ſiue Vuinfredo dignissimo Dei Presbytero Bugga vilis vernacula perpetuæ charitatis ſalutem. C. perpetuæ.

NOtum ſit almitatis tuæ auctoritati, quod gratias omnipotenti Deo referre non deſino, eo quod tibi, vt ſcriptione beatitudinis tuæ agnoui, multipliciter C miſericordiam ſuam tribuit, & te tranſeuntem per ignotos pagos piiſſime conduxit. Primum, Pontificem glorioſæ ſedis ad deſiderium mentis tuæ blandiendum inclinauit, poſtea inimicum Catholicæ Eccleſiæ Rathbodum coram te conſternauit: demum per ſomnium ſemetipſo reuelauit, quod debuiſti manifeſte meſſem Dei metere, & congregare ſanctarum animarum manipulos in horream C. I. horreum. Regis cœleſtis. Idcirco eo magis confiteor, quod nulla varietas temporalium viciſſitudinum ſtatum mentis meę inclinare queat à propoſita charitatis tuę cuſtodia, ſed ardentius vis amoris in me caleſcit, dum pro certo cognoſco, per orationum tuarum ſuffragia ad portum alicuius quietis perueniſſe. Ideo iterum humiliter moneo, vt interceſſionũ tuarum ſtudia pro mea paruitate Domino offerre digneris, quatenus ſua gratia me faciat incolumem cum tuis protectionibus. Sciatque ſimiliter charitas tua, quod paſſiones Martyrum, quas petiſti tibi tranſmitti, adhuc minime potui impetrare: ſed dum valeam, faciam. Et tu chariſſime, dirige meæ paruitati ad D conſolationem, quod per dulciſſimas litteras tuas promiſiſti, id eſt congregationes aliquas ſanctarum ſcripturarum. Similiter depoſco, vt ſanctarum miſſarum oblationes offerre digneris pro anima mei propinqui, qui In miſſarum ſacr. præ ceteris charus erat, cui nomen erat N. Et per eundem portiorem tibi nunc tranſmitto quinquaginta ſolidos, & pallium altaris, quia maiora munuſcula minime potui adipiſci. Sed mihi hæc ſunt cum maxima charitate directa, licet ſint parua in ſpecie. Vale in hoc ſæculo ſanctè, & in charitate non ficta.

EPISTOLA XXXVI.

LEOBGITHA BONIFACIO.

E

Domino reuerendiſſimo, & ſummæ dignitatis inſula prædito Boniſacio atque in CHRISTO *chariſſimo & mihi affinitatis propinquitate connexo, Leobgytha vltima leue iugum* CHRISTI *portantium famula, perennem ſoſpitatis ſalutem.* c. 36. I. Leobgidæ.

ROgo tuam clementiam, vt memorare digneris prioris amicitiæ, quam iam dudum cum patre meo copulaſti, cuius vocabulum eſt *Tinne* in occiduis regionibus qui nunc ante octo annorum curriculum ab hac luce ſubtractus eſt, vt pro anima illius preces offerre Deo non renuas: nec non & matris meæ memoriam commendo tibi, quæ eſt cognominata *Ebbe*, quæ tibi, vt melius noſtri, conſanguinitatis nexibus copulatur, & adhuc laborioſe viuit, & diu valide ab infirmitate oppreſſa eſt. Ego vnica filia ſum ambobus parentibus meis. F Et vtinam, licet ſim indigna, vt merear te in fratris locum accipere, quia in nullo hominum generis mei tanta fiducia ſpei poſita eſt mihi, quanta in te. Hoc paruum munuſculum mittere curaui, non vt dignum eſſet tuæ almitatis aſpectu, ſed vt memoriam paruitatis meæ retineas, nec longa locorum intercapedine obliuioni tradas: quinimo veræ dilectionis ligatura reliquum nodetur in æuum. Hoc, frater amande, enixius efflagito, vt tuarum orationum pelta muniar contra hoſtis occulti venenata iacula. Illud etiam peto, vt ruſticitatem huius epiſtolæ digneris emendare, & mihi aliqua verba tuæ affabilitatis, exempli gratia mittere non recuſes, quæ inhianter audire ſatago. Iſtos autem ſubter ſcriptos verſiculos componere nitebar ſecundum poëticæ traditionis diſciplinam, non audacia confidens, ſed gracilis ingenioli rudimenta excitare cupiens, & tuo auxilio indigens. Iſtam artem ab *Eadburga* magiſterio didici, G quæ indeſinenter legem diuinam rimari non ceſſat. Vale ſup. ep. 21 viuens æuo longiore, vita feliciore, interpellans pro me.

Arbiter omnipotens, ſolus qui cuncta creauit f. flagrans
In regno patris, ſemper qui lumine fulget.
Qua iugiter flagrans, ſic regnet gloria CHRISTI
Illæſum ſeruet ſemper te iure perenni.

EPISTOLA XXXVII.

CENE AD BONIFACIVM EPISTOLA.

Venerando Pontifici Boniſacio CHRISTI *amatori Cene indigna ſalutem.*

IAm fateor tibi chariſſime, quia licet te corporalibus oculis raro intuear, quod te tamen ſpiritalibus luminibus cordis iugiter aſpicere non ceſſo. Et hæc parua H munuſcula magis indicia charitatis ſunt, quam vetuſtæ C. mobi... ſanctitatis digna ſint. Et hoc tibi notum facio, quod vſque ad finem vitæ meæ, te ſemper in meis orationibus recordor. Et te rogo per creditam amicitiam, vt meæ paruitati fidelis ſis, ſicut in te credo: & vt me in tuis orationibus adiuues, vt Deus omnipotens vitam meam ſecundum ſuam voluntatem diſponat. Et rogo, vt ſi vnquam aliquis tuorum ad hanc prouinciam veniat, vt meam paupertatem interpellet & ſi in aliqua re vel carnalis commodi vel ſpiritalis adminiculi vel tibi, vel alicui tuorum poſſim adiuuare, vt mihi indicet: & ego ad magnam ſalutem animæ meæ credo, vt ſecundum vires meas imperium tuum atque iuſſionem adimpleam. Vale ſemper in Domino.

A

EPISTOLA XXXVIII.

C. Epiſtola Eangythi.

EPISTOLA EANGYTH ABBATISSÆ AD BONIFACIVM.

C. l. liliorum. *Benedicto in Domino in fide ac dilectione venerabili Vuin-*
fritho, cognomento Bonifacio, Presbyteratus priuilegio
prædito, & virginalis caſtimoniæ floribus velut lilio-
rum ſertis coronato, nec non doctrina ſcientiæ erudito,
L. C. adburg. *Eangyth indigna ancilla ancillarum Dei, & nomine*
Abbatiſſa, ſine merito, functa, & vnica filia eius
Heaburg, cognomento Bugge, in ſancta Trinitate
æternam ſalutem.

AD referendas gratias amplitudinis & dilectionis,
B quam tranſmarinis litteris, per gerulum ſcedarum
pietatis tuæ, tranſmiſiſti, nullus oris noſtri ſufficie
ſermo. Gratulandum eſt, ſi vera laus eſt, qua laudatæ
ſumus: timendum eſt valde, ne magis vituperatio ſit
non merita laus, quam laudatio. Amantiſſime frater,
ſpiritalis magis quam carnalis, & ſpiritalium gratiarum
I. C. magnificatus. munificentia magnificate, tibi ſoli indicari voluimus, &
Deus ſolus teſtis eſt nobis, quas cernis interlitas lachry-
L. inter literas lachrymas. mis, quod multis miſeriarum molibus, velut grauiſſima,
ſarcina aut preſſura premente, depreſſæ ſumus: & ſecula-
rium rerum tumultibus tanquam ſpumoſi maris verti-
L. veras. ces veriunt, &, velut vndarum cumulos, colliſas ſaxis,
C. ...mormem. quandu ventorum violentia & procellarum tempeſtates
ſæuiſſime in orbem euripum impellunt, & cymbarum
C. l. duratur. carinæ ſurſum immutatæ, & malus nauis deorſum deii-
citur. Haud ſecus animarum noſtrarum nauiculæ ma-
l. ſurſum & m. n. d. immutatur. gnis miſeriarum machinis, & multifaria calamitatum
quantitate quatiuntur, & velut veritatis voce de Euan-
C haud. gelica domo dicitur: Deſcendit pluuia, venerunt flu-
Matth. 7. mina, flauerunt venti, & impegerunt in domum illam,
C & reliqua. Igitur primum omnium ponitur, & ſuper
C. l. aliqua. omnia illa, quæ exterius accedunt; memoria innume-
rabilium concatenatio criminum, & nullius boni ple-
L. omnia plurima pon. & ſequuntur omnia alia, quæ illa exterius accendūt. na & perfecta fiducia: & non tantum recordatio anima-
rum noſtrarum ſed (quod difficilius eſt & multo gra-
uius) vniuerſarum commiſſarum animarum promiſcui
ſexus & ætatis; & quod multorum mentibus & diuer-
ſis moribus deſeruituræ, & poſtea ante ſublime tribunal
Chriſti rationem reddituræ non ſolum pro manifeſtis
peccatis geſtorum, ſiue dictorum; ſed ſimul pro oc-
C. l. L. grauius quod & multorū. cultis cogitationibus, quæ homines latent, Deo tantum
teſte, & cum ſimplici acie aduerſus duplicem, & cum
decem millibus aduerſus viginti millia ductum ductu-
Luc. 14. tæ: & accliuis animabus noſtris additur interea dome-
C. l. L. ad deus. ſticæ rei difficultas & diſputatio diuerſarum diſcordia-
rum, quas ſeminat omnium bonorum inuiſor, qui rancida
corda virorum inficit malitia, & inter omnes homines
ſpargit, maxime per monaſticos, & monachorum
contubernia. Et ſcit quia potentes potenter tormenta
D patiuntur. Augit præterea paupertas & penuria rerum
Sap. 6. 7. temporalium, & anguſtia ceſpitis ruris noſtri, & infe-
ſtatio, quia accuſamur apud eum ab his, qui nobis, in-
uident, vt quidam ſapiens ait: *faſcinatio & inuidia ob-*
Sap. 4. *ſcurat multa bona.* Similiter ſeruitium Regis, & Re-
ginæ, Epiſcopi, & Præfecti, & poteſtatum & Comi-
mitum, quæ omnia enumerare longum eſt, & facilius
poſſunt mente tractari quam ſermone. Additur his om-
nibus amiſſio amicorum, & contribulium caterua pro-
pinquorum & conſanguineorum turba. Non habemus
filium, neque fratrem, Patrem, aut patruum, niſi
Infra ponitur eius nomen. d. l. propter ipſum mi... tantum vnicam filiam penitus deſtitutam omnibus cha-
ris in hoc ſæculo, præter vnam tantum ſororem eius, &
matrem valde vetulam, & filium fratris earum, & illum
valde infelicem propter nos, abſque ipſius meritis, &
quia Rex noſter eius gentem multum exoſam habet: &
nullus eſt alius, qui noſter ſit neceſſarius: ſed diuerſis E
caſibus tranſtulit illos Deus. Alij eorum obierunt in pa- L. propter ipſum, multis amantiam.
trio ſolo, & corpora eorum in terræ puluere ſqualente
requieſcunt iterum reſurrectura in die neceſſitatis, quan-
do beſilis tuba concrepabit, & humanum genus atris C. l. concrepat emergerent.
tumbis emerget, rationem redditurum: & Spiritus eo-
rum Angelicis vlnis euecti regnaturi cum Chriſto, vbi
omnis dolor deficiet & inuidia fatiſcet, & fugiet dolor,
& gemitus à facie ſanctorum. Aſt alij patriam reliquerunt,
& æquoreis campis ſe crediderunt, & ſanctorum
petiuere Apoſtolorum limina Petri & Pauli, & multo-
rum Martyrum, Virginum, atque Confeſſorum, quo-
rum numerum & nomina Deus ſcit. Pro his omnibus,
& huiuſcemodi cauſis, quæ vix vno die enumerari C. tabebit.
poſſunt, quamuis, vt dicitur, Quintilis aut Sextilis
tempora protelent æſtatis; tædet nos vitæ noſtræ, &
pene nobis pertæſum eſt viuere. Omnis homo in ſua
cauſa deficiens, & in ſuis conſiliis diffidens quærit ſibi
amicum fidelem, in cuius conſiliis confidat, qui in ſuis
diffidat, & talem fiduciam habeat in illo, vt omne ſe-
cretum ſui pectoris pandat & aperiat: &, vt dicitur; F
quid dulcius, quam habeas illum cum quo omnia poſſis
loqui, vt tecum? & ideo duntaxat pro his omnibus
miſeriarum neceſſitatibus, quos laciniſo ſermone enu-
merauimus, nobis neceſſarium fuit, vt quæreremus
amicum fidelem, & talem, in quem confidamus melius
quam in noſmetipſos, & qui dolores noſtros, & miſe-
rias, & paupertates, ſuas deputaret, & compatiens no-
bis fuiſſet, & conſolaretur nos, & ſuſtentaret eloquiis
ſuis, & ſaluberrimis ſermonibus ſubleuaret. Diu quæſi-
uimus, & confidimus, quia in te inuenimus illum ami-
cum, quem cupimus & optauimus & ſperauimus. Et ſi Daniel 14.
nobis Deus dediſſet; vt per Angelum ſuum (ſicut Aba-
cuc propheram, cum prandiis in lacum leonum ad *Da-* C. Ambac.
nielem vatem miſit: & *Philippum* vnum de ſeptem dia- Daniel 6. & int. 4.
conibus ad Eunuchum) in iſtas terras, & in illam pere-
grinationem poſſemus peruenire, vbi habitas: & ſi li- Act. 8.
cuiſſet nobis viua verba ex ore tuo audire, quam dulcia
faucibus meis eloquia tua Domine ſuper mel & fa- Pſ. 118.
uum ori meo! Sed quia hoc noſtris meritis non merui-
mus, ſed longo interuallo terræ mariſque, & multa- G
rum prouinciarum terminis diuidimur, tamen pro hac
fiducia ſupra memorata, notum tibi facere volumus,
frater *Boniface*, quia multum temporis fluxit, ex quo C. Bonifacius.
deſiderium habuimus, ſicut plurimi ex neceſſariis noſtris
& cognatis, ſiue alienis, quo quondam vrbis dominam C. dominam quæ.
Romam peteremus & ibi peccatorum noſtrorum veniam
impetremus, ſicut alij multi fecerunt, & adhuc faciunt,
& ego maxime, quæ ætate prouectior ſum, & multo
plura in vita mea commiſi, & perpetraui. Et huius meæ C. l. fuit. meſſ. iuis.
voluntatis atque propoſiti mihi conſcia fuit VVale Ab-
batiſſa quondam mea; & mater ſpiritalis, & vnica fi-
lia. Adhuc in annis iuuenilibus fuit, & huius rei deſi-
derium quærere neſciuit. Sed quia ſcimus, quod multi
ſunt, qui hanc voluntatem vituperant, & hunc amorem
derogant, & eorum ſententiam his aſtipulationibus af-
firmant, quod canones ſynodales præcipiant quod vnuſ- C. aſtipulationibus.
quiſque in eo loco, vbi conſtitutus fuerit, & vbi votum
ſuum vouerit, ibi maneat, & ibi Deo reddat vota ſua:
Sed quia vniuerſi diuerſa voluntate viuimus, & nobis H
incerta res & occulta Dei iudicia ſunt, ſicut ait Prophe-
ta: *Iuſtitia tua ſicut montes Dei iudicia tua abyſſus mul-* Pſ. 35. v. 7.
ta, & eius ſecreta voluntas & diſpenſatio in hac re no-
bis valde occulta eſt: Pro his ergo incertis atque occul-
tis ambæ te ſupplices atque proſtratis vultibus flagita-
mus, vt ſis nobis Aaron, id eſt, mons fortitudinis, ora- Num. 16.
tionum tuarum nos ſuffragio fulcias, & dirigas thuri-
bulum deprecationum tuarum, ſicut incenſum in con-
ſpectu diuinitatis, & eleuatio manuum tuarum compa-
retur ſacrificio veſpertino. Vere enim confidimus in
Deum, & eius clementiam exoramus, vt per ſupplica-
tionem oris tui, & orationes medullatas, oſtendat no-
bis per te, quod nobis profuturum & vtile iudicauerit,
ſiue in patrio ſolo viuere, vel in peregrinatione exulare.
Similiter poſtulamus pietatem tuam, vt tua reſcripta

trans

A trans pontum dirigere digneris, & reſpondeas, quæ in his chartis exarauimus ruſtico ſtylo & impolito ſermone, quia nullam fiduciam habemus ad eos, qui in faci· gloriantur & non in corde de tua fide & charitate in Deum & dilectione in proximum, & illum fratrem ſupra memoratum ſine nomine, neceſſarium amicum noſtrum Dene VValdum, ſi Deus diſponat, vel decreuerit, vt dirigat viam eius in illas partes terræ, & peregrinationem illam, in qua habitas, tu illum charitate & dilectione ſuſcipias: & ſi voluntas eius vel deſiderium flagitat cum tua benedictione & gratia & eulogia dirigere digneris ad venerabilem fratrem, nomine Bertheri, Presbyteratus gratia decoratum & confeſſionis titulo notatum, qui diu incoluit illam peregrinationem. Vale, frater ſpiritalis fideliſſime atque amantiſſime, & ſincera & pura dilectione dilectus & proſperis ſucceſſibus polle in Domino dilecto. Amicus diu quæritur, vix inuenitur, difficile ſeruatur. Ora pro nobis, vt non noceant nobis noxarum crimina amara.

C. I quibus in his falſis exarauimus.
C. I. apud.
2. Cor. 5. 18.
C. I. decorato notato.

B

EPISTOLA XXXIX.

Claro atque cariſſimo Dei miniſtro Lullæ, Ingalice indignus Presbyter tuus, tamen per omnia deuotus famulus in Domino optabilem ſalutem.

Litteræ namque prudentiæ tuæ, & munera largitatis tuæ ad me viſione directa peruenerunt, quibus diligenter lectis & conſideratis, poſt præmiſſam pacificam ſalutationem, ſi bene intellexi, inſinuaſti nobis erga vos diuerſas moleſtias & tribulationes quæ ſæpe ſolent in hoc mundo occupare ſeruos Chriſti ſecundum Apoſtoli ſententiam: *Omnes qui pie volunt viuere in Chriſto, perſecutionem patiuntur:* contraque omnia tentamenta, orationum noſtrarum, qualiacunque ſunt, adminicula humiliter poſtulaſti, quod & omnis congregatio noſtra pro veſtra ſoſpitate ſedulo ad Dominum preces fundere ſtuduit, & nunc amantiſſime Diacone, quia vicem reſcribendo eruditionis tuæ ſcripsi, propter paruitatem ingenioli mei, digne debitum perſoluere non potui; tamen ſcio quia vera *charitas omnia ſuſtinet.* Hæc pauca verba ruſticitatis meæ cum minimis munuſculis, id eſt, quatuor cultellos noſtra conſuetudine factos, & calamiſtrum argenteum, & mappam vnam, per fidelem portitorem fratrem veſtrum, imo noſtrum *Aldredum* amabili præſentiæ tuæ tantum pro memoria charitatis tranſmittere curaui. Quæſo fraternitatem tuam, vt eo animo à te hæc ſuſcipiantur, quo à me deſtinata noſcuntur. Sed & interceſſorem noſtrum apud Deum, venerabilem *Bonifacium* Præſulem omnis caterua fratrum noſtrorum cum Abbatiſſa in Dei dilectione ſalutare deſiderat.

2. Tim. 3. 12.
C
D

EPISTOLA XL.

ÆTHILBERTHI REGIS ANGLORVM AD BONIFACIVM Epiſtola.

L. Hedilbertum.

Domino beatiſſimo, & Pontificali infula merito decorato Archiepiſcopo Vuinfretho, cognomento Bonifacio, Ethilberthus Rex Cantiæ in domino dominorum, ſalutem.

Ante paucos namque annos venerabilis Abbatiſſa Bugge, poſtquam Romanæ vrbis loca ſacratiſſima orationis videlicet obtentu adierat, & exinde huc rurſus remeando ad proprium peruenit patriam, & ad monaſterium ſanctimonialium fœminarum, quod antea ſub iure Eccleſiaſtico bene regebat, ſtatim cum veniſſem rogatus ad eius colloquium, inter alia deſiderabilia, hæc vel maxime auditoi noſtro inculcare curauit, quod dixiſſes ei licentiam familiariter loqui de rebus ſcilicet ſibi neceſſariis apud tuam affabilem amabilemque ſanctitatem, dum ambo videlicet Romæ eſſetis, & limina beatorum Apoſtolorum frequenter viſitando terere non ſuperſediſſeris. Demum continuo intulit, quod diligenter Paternitatem tuam ſimiliter pro me ſupplex precibus obnixis compellare curaret, (vtpote conſanguinitate propinquitatis noſtræ admonita) quatenus, ſicut illa meruit penitus ſalutaribus imbui præceptis & orationum tuarum benedictione confirmari: ita & ego quoque quamuis abſens & ignotus corporali præſentia; tamen vt Spiritu præſens, hoc eodem munere mihi neceſſario à tua ſolita beneficentia ditarer. Cumque te hoc facturum promiſiſſe indubitata fide diceret, vere fateor, quod non facile verbis explicare valeo, quantum gaudij, quantumque conſolationis ex hoc habuerim: eoque multo magis, vt aſſolet, exhilaratus ſum, quod ex inopinata ſpe ſubito tot ac tam precioſa dona protulit. Quocirca vtile mihi omnino ac conueniens eſſe videtur, vt perfulgidam longe lateque beatitudinem tuam amicalium litterarum lectione, ſeu fidelium legatorum allegatione alloquar. Quod quidem alio quolibet in tempore melius efficaciuſque adimplere me poſſe non arbitror quam modo nunc, cum ſunt excellentiæ veſtræ viri religioſi, qui à vobis huc in Britanniam vtpote prudentes & fideles legatarij tranſmiſſi ſunt, & hunc videlicet ad iuſſionis veſtræ placidam præſentiam, Deo adiuuante, quantocyus optant peruenire. Vnde igitur mihi optime placuit, hunc præſentem portitorem literarum iſtarum, nomine Etheldum religionis ſcilicet habitu Monachum, cum prædictis veſtris hominibus, quaſi cautiore & tutiore curſu, ad vos dirigere, ac per eum hæc ſalutaria charitati veſtræ ſeu precatoria ſcripta porrigere. Per quæ nos primo declaramus omnes in commune omnipotenti Deo vberiores gratias rependere, qui tantam in nos miſericordiæ ſuæ gratiam contulit, vt innumeroſam multitudinem Gentilium, idololatriæ vetuſtiſſimo errore miſerabiliter deceptam, ad Chriſtianæ fidei notitiam, prædicationis veſtræ verbo, & labore conuertit. Vnde plurima adhuc, auxiliante Deo, ſperamus & optamus, certi, quia qui per vos cœpit operari, maiora perficere de die in diem non deſinet. Per hunc quoque baiulum horum apicum, reuerentiæ veſtræ direxit deuotio mea, magna cum charitate, nonnulla munuſcula, id eſt, caucum argenteum intus deauratum, penſantem libras tres & ſemis, & duo repta. Et hæc xenia vobis non ea intentione neque occaſione direximus, vt terreſtre lucrum aliquod, aut retributionem quampiam temporalem pro iis recipere deſideremus: ſed multo magis geniculando, quod multo magis neceſſarium eſt, totis viſceribus mentis efflagito, vt quoniam dies mali ſunt, & multiplicantur quotidie variæ & improuiſæ perturbationes in hoc ſæculo ſcandalis pleno, multis nos ac crebris orationum tuarum ſuffragiis adiuuare digneris: & ad hoc ipſum agendum alios quoſcunque, vel iubendo vel ſuggerendo, poſſit prouocare auctoritatis tuæ veneranda dilectio, quæ ſemper ſit viuaci memoria plena, tam dum adhuc eſſe me in hac mortali carne audias, quam etiam poſt obitum meum, ſi te tamen promerear habere ſuperſtitem. His itaque breuiter ſummatimque prælibatis, vnam rem præterea à vobis deſidero mihi exhiberi, quam vobis acquirere valde difficile eſſe, iuxta quod mihi indicatum eſt nullatenus reor: id eſt, duos falcones, quorum ars & artis audacia ſit, grues velle libenter capiendo arripere, & arripiendo conſternere ſolo. Ob hanc etenim cauſam de harum acquiſitione & tranſmiſſione ad nos auium vos rogamus: quia videlicet & perpauci huius generis accipitres in noſtris regionibus, hoc eſt, in Cantia, reperiuntur qui tam bonos producant fœtus, & ad ſupradictam artem animo agiles ac bellicoſi edu-

E
f. rogatum.
F
I. vtr. 18.
f. ſubito tam.
L. Helbid.
G
I. ſalutatoria.
L. precatoria.
f. numeroſum.
C. I. reptе.
L. benedici.
C. ipſud ſuſtud.
Non in C.
I qua C.
I. tam diu
H
admixiſſime.
C. I. ſtell.

A *C. l. vs ea.*

centur, edomentur, ac doceantur. Poſtremo autem in fine epiſtolæ precor, vt ad ſcribentem reſcribas, & litteris tuis mihi manifeſtare digneris, an ea, quæ tibi direxi, bene ſint reddita. Orantem pro nobis beatitudinem tuam longæuam diuina pietas faciat.

EPISTOLA XLI.

Domino ſancto, ſapientiſſimo, Chriſto quidem chariſſimo Aldhelmo Scottus ignoti nominis in Deo æterno ſalutem.

DVm te præſtantem ingenio, facundiaque Romana, ac vario flore litterarum, etiam Græcorum more, non neſciam, ex ore tuo, fonte videlicet ſcientiæ puriſſimo diſcere malo, quam ex alio quolibet potare, turbulento Magiſtro præſertim. B Hoc ſcito prænoſcens, quod idcirco te fiducialiter ita obſecro vt me ſuſcipias, doceaſque, quoniam fulgor, ceu dictum eſt, ſapientiæ præ multis in te fulget lectoribus ac peregrinorum mentes cupientium ſapientiam diſcere cognoſcis, quia tu Romæ aduena fuiſti, inſuper quod à quodam ſancto viro de noſtro genere nutritus es. Hæc compendij cauſa ſufficiant, quia ſi humiliter charitatem volueris attendere, non minus per pauca verba, quam per plurimas ſermocinationes perſpicies. Hæc tibi quoque ſinceriter diſſero Libellum, quendam habes, qui non eſt maior acceptorio duarum ſeptimanarum, quem ego legere cupio. Hoc autem breue tempus prædico, non eo quod mihi plus non opus ſit, ſed ne hæc peritio faſtidium in tua mente creet. Miniſtrum quoque equoſque, vt opinor, adipiſcar. In hoc autem tempore meſſis, lætum à te reſponſum ſperabo. Orantem pro nobis beatitudinem tuam diuina gratia cuſtodire dignetur.

In C. & I. trāſpoſitio verborum & habes probauit.

C *Claudianus.*

CHRISTE potens rerum, redeuntis conditor æui:
Vox ſummi ſenſuſque Dei, quem fudit ab alta
Mente pater tantique dedit conſortia regni.
Impia tu noſtra domuiſti crimina vita,
Paſſus corporea mundum veſtire figura,
Affarique palam populo hominemque fateri.
Quemque vtero incluſum MARIÆ, mox numine viſo
Virginei tumuêre ſinus, innuptaque mater
Arcano ſtupuit compleri viſcera partu,
Auctorem paritura ſuum: mortalia corda
Artificem texere poli mundique repertor
Pars ſuis humani generis, latuitque ſub vno
Pectore, qui totum late complectitur orbem.
Et qui non ſpaciis terræ, non æquoris vnda
Nec capitur cælo, paruos confluxit in artus,
Quin & ſupplicij nomen nexuſque ſubiſti,
Vt nos ſubriperes letho, mortemque fugares
Morte tua, mox æthereas euectus in auras
Purgata repetens lætum te luce parentem
D *Augustum foueas feſtis vt ſæpe diebus*
Annua ſynceri celebres ſolennia ſacri.

C. corpore hominemque. In C. deeſt hic verſus.

EPISTOLA XLII.

Dilectiſſimo in Chriſto charitatis vinculo nodato Patri Andhuno viſceralem ſalutem.

QVare non tranſmiſiſti veſtimenta, quæ debuiſti mittere de Freſarum prouincia? Nunc per Deum omnipotentem, extemplo fac vt veniant. Indica nobis aliquid de Epiſcopo noſtro, an ad Synodum Ducis Occidentalium prouinciarum perrexiſſet, an ad filium Carlomanni: & per epiſtolam nobis reſcribe, & hunc pergentem nuntium iterum cito reuerte nomine *Hartleih*, Quæſo te Domine, vt facias eum illic manentem ſine laboro & huc pergentem. Valete ô flores Eccleſiæ, & orate pro nobis, & nos pro vobis vt pax Chriſti maneat in nobis. Amen.

f. Friſonū ſeu Freſorum.

E

EPISTOLA XLIII.

TORTHELMVS EPISCOPVS BONIFACIO EPISCOPO.

Domino meo dulciſſimo, ac ſinceriſſimo charitatis cultu, & præcipue Dei gratia copioſo, ſemperque in Chriſto paſtoralis curæ regimina gubernanti Bonifacio, qui & Vuinfrithus, Archiepiſcopus, Torthelmus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, in Domino ſalutem.

DEſiderabiles litteras excellentiæ veſtræ ſuſcepimus, quas relegentes cognouimus tuam piiſſimam deuotionem, feruentiſſimumque amorem, quem habes propter beatam vitam, &, dextera Domini protegente, F meditaris die ac nocte ad fidem Catholicam atque Apoſtolicam, pro tuæ animæ redemptione, corda paganorum Saxonum conuerti. Quis enim audiens hæc ſuauia non lætetur? Quis non exultet & gaudeat in his operibus, quod gens noſtra Chriſto omnipotenti Deo credat? Per geſtulum vero apicum tuorum, modicum tibi munuſculum, ſed magni affectus pignus tranſmitto, ſimul & indicans, quod omnia quæ à paruitate noſtra petere dignatus es, libentiſſime ſuſcepimus, hoc eſt, quod in ſacris miſſarum celebritatibus, & in quotidianis precibus; tuæ ſanctitatis memoria celebretur: optantes, & obnixe deprecantes noſtræ fragilitatis conſcij hoc idem à veſtra parte, quanto meritis excellentior eſt, tanto circa nos perfectius obſeruari. Feſtinet igitur veſtra celſitudo, vti nouum Chriſto populum coaceruare & dedicare. Profecto enim habetis protectorem humani generis Redemptorem Dominum noſtrum IESVM. Fraterno itaque affectu ſalutantes veſtram excellentiam, diuinam deprecamur iugiter clementiam, quæ vos veſtroſque in omnibus operibus auxiliare dignetur, vt cum Chriſto in futuro regnet ſæculo.

Id eſt quemadmodum ſtimare ſolet ad G *gētes* [illegible] *C. l. & diuinam. F. adiuuare.*

EPISTOLA XLIV.

Domino glorioſiſſimo occidentalis regni ſceptra gubernanti, quem ego, vt mihi ſcrutator cordis & rerum teſtis eſt, fraterna charitate amplector, Geruntio Regi, ſimulque cunctis Dei ſacerdotibus per Domnonia conuerſantibus, Aldhelmus, ſine meritorum prærogatiua Abbatis officio functus, optabilem in Domino ſalutem.

V. Beda l. 5. hiſt. cap. 19.

ſ Domnoniam.

NVper cum eſſem in Concilio Epiſcoporum, ex tota pene Brittania, innumerabilis Dei Sacerdotum caterua confluxit, ad hoc præſertim congregata, vt pro Eccleſiarum ſollicitudine & animarum ſalute ab omnibus decreta Canonum & Patrum ſtatuta tractarentur, & in commune Chriſto patrocinium præſtante, conſeruarentur. His igitur rite peractis, omne ſacerdotale Concilium, meam paruitatem pari præcepto & ſimili ſententia compulerunt, vt ad veſtræ pietatis præſentiam epiſtolares litterarum apices dirigerem, & eorum paternam petitionem, ſalubremque ſuggeſtionem, per ſcriptæ ſtilum, intimarem, hoc eſt, de Eccleſiæ Catholicæ vnitate & Chriſtianæ religionis concordia, ſine quibus otioſa torpeſcit, & merces futura fatiſcit. Quid enim proſunt bonorum operum emolumenta, ſi extra Catholicam gerantur Eccleſiam, etiamſi aliquis actualem rigidæ conuerſationis regulam ſub diſciplina cœnobij ſolerter exerceat, aut certe cunctorum mortalium contubernia declinans in ſqualida ſolitudine remotus contemplatiuam anachoreſeos peragat vitam. Igitur vt certius veſtra ſagacitas animaduertere queat, pro quibus cauſis mea mediocritas ſcripta direxerit, compendioſe & breuiter enuclea-

C. ubi ex. H

C. epiſtulares. ſ. per epiſtola vel hac ſubintelligitur.

Extra Catholicā Eccleſiā nulla prodeſt ad æternam ſalutē bona ope[r]a.

A

bo. Auditum namque & diuerſis rumorum relationis compertum nobis eſt, quod Sacerdotes veſtri in Catholicæ fidei regula, ſecundum ſcripturæ præcepta, minime concordent, & per eorum ſimultates & pugnas verborum, in Eccleſia Chriſti graue ſchiſma & crudele ſcandalum naſcatur, quod Pſalmigraphi ſententia teſtatur dicens:

Pſal. 118. 165.

Pax multa diligentibus nomen tuum, & non eſt in illis ſcandalum. Pacem quippe religionis pia concordia copulat, ſicut charitatem diua contentio contaminat. Nam ad vnitatem fraternitatis rectæ fidei ſectatores Pſalmiſta hortatur inquiens:

Pſ. 67. 7.

Deus qui habitare facit vnanimes in domo. Domus vero hæc, ſecundum allegoriam, Eccleſia per totos mundi cardines diffuſa intelligitur. Hæretici namque & ſchiſmatici ab Eccleſiæ ſocietate extranei, per contentionum argumenta, in mundo pullulantes, & veluti horrenda zizaniorum ſemina in medio fœcundæ ſegetis ſata, dominicam meſſem maculant. Sed huiuſcemodi altercationis opprobrium Apoſtolica compeſcit buccina.

Hæretici & ſchiſmatici ab Eccleſia extranei maculabunt.

1. Cor. 11.

Qui vult, inquit, *contentioſus eſſe: Nos talem conſuetudinem non habemus, nec Eccleſia Dei, quæ non habet maculam aut rugam.*

Eph. 5. 27.

B

Pacem namque Catholicorum matrem, & filiorum Dei genitricem eſſe, Euangelica promulgant oracula:

Matth. 5.

beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Vnde Domino & Saluatore noſtro à ſummo cœlorum faſtigio deſcendente, vt chirographum protoplaſti deleret, & mundum pace ſequeſtra reconciliaret, Angelica cecinit melodia,

Luc. 2.

Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et Pſalmiſta.

Pſ. 121. 7.

Fiat, inquit, *pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis.* Denique rumor Eccleſiæ fidei contrarius longe lateque percrebuit, quod ſint in prouincia veſtra quidam ſacerdotes & clerici tonſuram ſancti Petri Apoſtolorum Principis pertinaciter refutantes, ſeque tali excuſationis apologia pertinaciter defendentes viuunt, quod auctorum & præceſſorum ſuorum tonſuram imitentur, quos diuina illuſtratos gratia fuiſſe grandiloquis aſſertionibus conteſtantur, qui ii à nobis ſollicite ſciſcitentur, quis primus auctor taluræ huius & tonſuræ extiterit, omnino aut veritatem ignorando, aut falſitatem diſſimulando obmuteſcunt.

ſ. Eccleſiaſtica.

ſ. auctoris.

C

Nos autem ſecundum plurimorum opinionem, *Simonem* magicæ artis inuentorem huius tonſuræ principem fuiſſe comperimus, quia qualem quantumque necromantiæ fallaciam contra beatum *Petrum* fraudulenter machinaretur, certamen Apoſtolorum & X. libri *Clementis* teſtes ſunt, Nos inquam, ſecundum ſacroſanctam Scripturæ auctoritatem, de tonſura noſtra veritatis teſtimonium perhibentes, diuerſas ob cauſas, *Petrum* Apoſtolum hunc ritum ſumpſiſſe aſſerimus primitus vt formam & ſimilitudinem Chriſti in capite geſtaret, dum pro redemptione noſtra crucis patibulum ſubiturus, à nefanda Iudæorum gente acutis ſpinarum aculeis crudeliter coronaretur. Deinde vt Sacerdotes veteris & noui Teſtamenti in tonſura & habitu diſcernerentur. Poſtremo, vt idem Apoſtolus, ſuique ſucceſſores & ſequipedæ ridiculoſum gannaturæ ludibrium in populo Romano portarent, quia & eorum Barones & hoſtes exercitu ſuperatos ſub corona vendere ſolebant.

ſ. coronatura.

D

Cæterum in veteri Teſtamento tonſuræ ſignum à Nazareis, id eſt, ſanctis, ni fallor, ſumpſit exordium. Eſt enim regale & ſacerdotale ſtemmatis indicium. Nam thiara apud veteres in capite ſacerdotum conſtituebatur. Hæc byſſo retorto rotunda erat quaſi ſphæra media, & hoc ſignificatur in parte capitis tonſa.

Exod 28. & 29.

ſ. retorta.

Corona autem latitudo aurea eſt circuli, quæ Regum capita cingit. Vtrumque itaque ſignum exprimitur in capite clericorum, Petro dicente:

1. Pet. 2. 9.

Vos eſtis genus electum regale ſacerdotium. Hoc ritu tondendi & radendi, vt vitia reſecentur, ſignatur, & criminibus carnis noſtræ quaſi crinibus exuamur.

Eſt autem altera crudelior animarum pernicies, quod in ſacroſancta Paſchali ſolemnitate CCCXVIII. Patrum regulam non ſectatur, qui in Niceno Concil. decem nouennalem laterculi circulum per ogdoadam & hendecadam vſque ad finem mundi recto tramite decurſum ſagaci ſolertia ſanxerunt. Et à XIV. luna vſque ad XXI. ſupputationis ſeriem, & paſchalis calculi terminum tradiderunt, quem anticipare & tranſgredi, contra ius & fas illicitum fore cenſuerunt.

E

Porro iſti ſecundum decennem nouennemque *Anatolij* computatum, aut potius iuxta *Sulpitij Seueri* regulam, qui LXXXIV. annorum curſum deſcripſit, XIV. luna cum Iudæis Paſchale Sacramentum celebrant, cum neutrum Eccleſiæ Romanæ Pontifices ad perfectam calculi rationem ſequantur.

ſ. computum.

ſ. Seueri.

Sed nec Victorij Paſchalis laterculi curriculum, qui DXXXII. annorum circulis continetur, poſteris ſectandum decreuerunt. Erat namque genus quoddam hæreticorum apud Orientales, quod *Teſſareſca decatita* vocatur, id eſt, *Quartadecimani*, eo quod quarta decima luna cum Iudæis Chriſtum blaſphemantibus, & margaritas Euangelij ritu porcorum calcantibus Paſchæ ſolemnitatem peragunt, & ob hoc alieni à beata Orthodoxorum ſodalitate inter ſchiſmaticorum conciliabula infeliciter reputantur, quos B. Auguſtinum in libro de nonaginta hæreſibus ſcripto commemoraſſe memini.

F

Illud vero quam valde à fide Catholica diſcrepat, & ab Euangelica traditione diſcordat, quod vltra Sabrinæ fluminis fretum demetarum ſacerdotes de priuata propria conuerſationis munditia gloriantes noſtram communionem magnopere abominantur, in tantum, vt nec in Eccleſia nobiſcum orationum officia celebrare, nec ad menſam ciborum fercula, pro charitatis gratia, pariter percipere dignentur: quin imo fragmenta ferculorum, & reliquias epularum lurconum canum rictibus & immundis deuorandas porcis proiiciunt. Vaſcula quoque & phialas, aut harenoſis ſablonum glareis, aut fuluis fauillarum cineribus expianda purgandaque præcipiunt. Non ſalutatio pacifica præbetur, non oſculum piæ fraternitatis offertur dicente Apoſtolo,

Rom. 16

1. Cor 16.

2. Cor. 13.

1. Theſſ. 5.

1. Pet. 5.

Salutate vos inuicem in oſculo ſancto, nec manibus lomentum, aut latex cum manutergio exhibetur, neque pedibus ad lauacrum peluis apponitur cum Saluator ſyndone præcinctus diſcipulorum pedes abluens, normam nobis tradiderit imitandi dicens:

Io. 13. 15.

Sicut ego feci vobis, ita & vos facite aliis.

G

Aſt vero ſi quilibet de noſtris, id eſt, Catholicis ad eos habitandi gratia, perrexerint, non prius ad conſortium ſodalitatis ſuæ adſciſcere dignantur, quam quadraginta dierum ſpatia in pœnitendo peragere compellantur. Et in hoc hæreticos infeliciter imitantur, qui ſe *Catharos*, id eſt, mundos nuncupati voluerunt. Heu heu pro tantis erroribus potius quam euax euax, lachrymoſis vocibus & queruloſis ſingultibus lugubriter ingeminandum reor, & totum hoc contra Euangelij præcepta ſecundum Phariſæorum inanes traditiones agere noſcuntur, Chriſto veraciter adſtipulante:

Matt. 23.

Væ vobis Scribæ & Phariſæi, qui mundatis quod foris eſt calicis & paropſidis. Nam Dominus cum publicanis & peccatoribus conuiuia celebraſſe deſcribitur, vt verus medicus purulentis animarum vulneribus diuinæ pietatis medicamina & cœleſtis clementiæ cataplaſma componeret. Idcirco peccatorum conſortia, Phariſæorum more, minime deſpexit, ſed potius illam peccatricem pollutæ vitæ piacula lugubriter deflentem & dominicos pedes fuſis lachrymarum imbribus humectantem, ac ſolutis & laxis cincinnorum crinibus tergentem ſolita clementia miſericorditer refocillauit dicens:

C. refocillauit.

H

Luc 7. 47.

Remittuntur illi peccata multa, quia dilexit multum.

Quæ cum ita ſe habeant, propter communem cœleſtis patriæ ſortem & Angelicæ ſodalitatis collegium, ſubnixis precibus & flexis poplitibus veſtram fraternitatem adiurantes ſuppliciter efflagitamus, vt vlterius doctrinam & decreta beati Petri contumaci cordis ſupercilio & proteruo pectore non abominemini, & traditionem Eccleſiæ Romanæ propter priſca priorum ſtatuta veſtrorum nequaquam tyrannica freti pertinacia arroganter aſpernemini. Petrus namque Dei filium beata voce confeſſus audire meruit:

Matt. 16.

Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam, & tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlo. Si ergo Petro claues cœleſtis regni à Chriſto collatæ ſunt, de quo Poëta ait:

A

Claniger æthereus portam qui pandit in æthra.

quis Eccleſiæ eius ſtatuta principalia ſpernens, & doctrinæ mandata contemnens per cœleſtis paradyſi portam gratulabundus ingreditur? & ſi ipſe poteſtatem ligandi atque monarchiam ſoluendi in cœlo & in terra, felici ſorte & peculiari priuilegio, accipere promeruit, quis Paſchalis feſti regulam, & tonſuræ Romanæ ritum refutans non potius ſe ſtrictis nexibus inextricabiliter obligandum, quam, abſoluendi clementer vllatenus arbitretur? Sed fortaſſe quilibet ſtrophoſus librorum lector, ac ſagax ſcripturarum diſceptator tali ſe excuſationis clypeo defendit, & talis apologiæ parma protegat: Ego inquiens, vtriuſque inſtrumenti præcepta ſincera fide veneror, ac Sanctæ Trinitatis vnum eſſentiam, vnamque ſubſtantiam & trinam perſonarum ſubſiſtentiam corde credulo conſiteor. Dominicæ incarnationis Sacramentum & paſſionis patibulum, ac reſurrectionis trophæum voce libera per populum prædicabo. Supremum viuorum & mortuorum

B

examen, quando ſingulis quibuſque pro meritorum diuerſitate diſpar retributio æquiſſimis iudicij lancibus trutinabitur, diligenter denuntiabo, & huius fidei priuilegio in Catholicorum cœtu glomeratus ſine aliquo infelicitatis obſtaculo, connumerabor. Sed huius excuſationis propugnaculum, ſub quo ſe delitelcere confidunt, Apoſtolicæ caſtigationis baliſta ſolo tenus dirutum conquaſſare & confringere nitar. Ait namque Iacobus materteræ Domini filius: *Tu credis, quia vnus eſt Deus*, & quia per ironiam XII. tribubus in diſperſione gentium conſtitutis loquebatur, ſtatim ſubiunxit, *benefacis: & dæmones credunt & contremiſcunt, quia fides ſine operibus mortua eſt.*

Iacob. 2. C. per Hieron. i. ſ. per epiſtolam.

Fides nempe Catholica & fraternæ charitatis concordia inſeparabiliter pari tramite tendunt, ſicut prædicator egregius & vas electionis eleganter atteſtatur: *Si nouerim omnem prophetiam, & omnia myſteria, ſi habeam fidem, ita vt montes transferam, & ſi tradidero corpus meum vt ardeam, charitatem autem non habeam nihil mihi prodeſt.*

1. Cor. 13.

C

Et vt breuis ſententiæ clauſtello cuncta concludantur, fruſtra de fide Catholica inaniter gloriatur, qui dogma & regulam Sancti Petri non ſectatur. Fundamentum quippe Eccleſiæ & firmamentum fidei principaliter in Chriſto & ſequenter in Petro collocatum nequaquam ingruentibus tempeſtatum turbinibus nutabundum vacillabit, ita Apoſtolo promulgante, *fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Ieſus Chriſtus.* Petro autem veritas ita priuilegium ſanxit Eccleſiæ: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.*

ſ. clauſtello vel, clauſula. C. ſequitur. 1. Cor 3. 11. Matt 16.

EPITOLA XLV.

Claræ CHRISTI Eccleſiæ lampadi luciferæ, meoque in doctrina diuinæ legis deuotiſſimo adiutori, GREGORIO duplici Presbyteratus, Abbatiſque honore, cum præcedente propriorum meritorum ſuffragio, decorato, LVLLVS extremus orthodoxæ matris, videlicet Eccleſiæ alumnus, immarceſcibilis charitatis, in angulari lapide vtriuſque Teſtamenti, ſalutiferam ſalutem

D

Fido geſtante gerulo munera largitatis tuæ ad me vſque delata peruenerunt: ſed & ſuauiſſimæ beneuolæ charitatis tuæ ſalutationes omne munus vincentes more ſolito pariter comitabantur, quibus auditis & perceptis, vberes Deo piiſſimo primitus egi gratias, vt decuit, & deinde fraternitati tuæ debitas reddidi grates, quia te in minore poteſtate fidelem ſciebam, in maiore citius fideliorem comprobaui. Comperto igitur proſperitatis tuæ ſucceſſu æger animus vtrumque egit: gaudebat de aſcenſione cari ſodalis, ſed contriſtabatur de diuiſione, quia hoc

C. ſuauiſſimæ. C. cõprobam Cõ perto. C. car.

E

intolerabile apud homines videtur, dum is qui præ cæteris plus diligitur, repente ſubtrahitur, quamuis pro certo ſciam quod nulla terrarum ſpatia illos diuidere poſſunt, quos verus Chriſti amor indiſrupto germanitatis vinculo nectit, teſte Deo, ne videar adulando fallere, quia te, Pater, quantum mentis poſſibilitas attribuit, interni affectus amore diligo. Hoc autem ſubnixa prece humiliter obſecro, vt nunquam ſemel in Chriſto cœptam charitatem, deſidia corporis, in noſtro pectore frigeſcere ſinamus, velut paruam ſcintillam tenuis ignis ſulua cinerum fauilla ſoffocatam, ne in deriſum veniamus à prætereuntibus cœptum ædificium conſiderantibus, turris. Dicit ſcriptura: *Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit*, nec quilibet artifex de cœpto opere laudatur, ſed de perfecto. Hoc autem meam mediocritatem quamlibet ætate iuniorem, merito graduque minorem, ſcientia inferiorem, abſque vllo dubitationis ſcrupulo & ſeruaſſe, & ſeruaturam eſſe ſcito. De tua vero vitæ grauitate, mentiſque ſtabilitate nihil dubito.

Luc 14. 29. Matt. 10. 22. 24. 25.

F

Muniamus nos ſpiritali armatura iuxta Apoſtoli præceptum, *orantes pro inuicem*, vt ſaluemur, quia *multum deprecatio iuſti aſſidua*, Iacobo atteſtante, apud Deum *valet*; & eo diligentius huic inſiſtamus, quo vehementius nos variis tentationum telis impugnari non ignoramus. Dextera ſcilicet fortior læuam infirmiorem adiuuare non ceſſet; & læua dexteræ ſicut ancilla dominæ, deſeruire non deſinet, id eſt, meam inſtabilitatem bonæ vitæ tuæ exemplis caſtigando, corrigendo, admonendo, quamuis abſentem corpore, ſpiritu tamen præſentem ſicut tibi moris eſt, ad melioris vitæ perfectionem, deducere non deſinas, & ego tibi humili deuotione, quantum vires ſuppeditant, fidelem famulatum in omnibus præbebo. Exhortatoria mediocritatis meæ verba, quamuis fatua & ſuperflua videantur, obſecro, vt non moleſte à tuæ charitatis collegio recipiantur, quæ ſola charitas exigebat ſcribere ſine dictandi materia, quæ omnia vincit, ſicut ſcriptum eſt: *Amor omnia vincit, & nos cedamus amori*, ablata omni rumoris ſuperbia.

Iacob. 5.

Virgil. ecloga 10.

G

Hæc ſunt ſuaſoria verba, quæ ſine meo periculo dicere non poſſum, vt in hac temporali poteſtate & terreſtri ditione, qua auctore Deo, iam nunc vteris, dominicæ ſententiæ ſemper memor ſis, ſonantis, *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Et illud Apoſtoli; *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt.* Quibus verbis quid aliud innuitur? niſi aperte dixiſſe illum intelligamus. In illum nolite oculum mentis veſtræ figere, quem quotidie ipſa ruina ſua cernitis cadere: ſed in illum tota mentis intentione aſpicite, illumque totis viribus diligite, qui ante omnia ſæcula eſt, & per omnia ſæcula immutabilis manet, qui futuro & præterito tempore caret, ſed eſſe ſibi ſemper eſſentialiter eſt. Quid eſt enim huius mundi fugitiua fœlicitas, & caduca proſperitas, niſi vapor & fumus? Inter temporalem proſperitatem & æternam fœlicitatem multum diſtare quis peritorum ignorat? Diſcamus igitur hac temporali poteſtate frui præter æternam fœlicitatem, & in cuius comparatione nobis omnia vileſcant.

Omnia vincit amor, nos &c. Confirmari poteſt. ex Cant. 8. 7. 1. Cor. 13. 8. Matt. 24. 1. Ioan. 2. 15. C. illo.

Iac. 4. 14.

ſ. propter.

H

Veſtimenta precioſa, caballos farte paſtos, accipitres, falconeſque cum curuis vnguibus, latrantes canes, ſcurrarum bacchationes, cibi potuſque exquiſitæ dulcedinis ſapores, argenti aurique rutilantis pondera ſpernamus, ne ſit mollis culcitræ pauſatio, molliaque ceruicalia à viris potius exhibeantur, quam à flammeis puellis. Ante omnia, incauta familiaritas extranearum fœminarum abſcindatur, quia ſæpe seducimur incauta ſecuritate peius quam aperta tentatione. Tumultuoſam miniſtrorum multitudinem clandeſtina diuinarum ſcripturarum eloquia expellant, quia illa fouea omni cuſtodia cauenda eſt, per quam plurimos miſerabili ruina conſpicimus corruiſſe. Nam ſæpe robuſtus miles infeſtiſſima telorum iaculatione eo fortius impugnatur quo inuictus videtur. Quamuis hoc iniſſe te negotium liquido nouerim occaſione lucrandarum animarum, & pro ſtudio multiplicius ſeruiendi Deo: tamen memento, quia mollem manum durus capulus exaſperat. Quapropter, care collega, iam dudum, & nunc pie præceptor, *in omnibus operibus tuis memorare nouiſſima tua, & in æternum*

C. ſpargantur, vt ſlat.

Eccl. 40.

non

A
non peccabis Feſtinatio autem ad te veniendi, propter multiplicem tribulationem, quam iugiter, Deo gratias, ſuſtinemus, mihi vndique denegata eſt. Huius muneris magnitudinem noli intendere, ſed deuotam mentem diligenter intuere. Antiquæ familiaritatis fiducia fretus liber mihi hac epiſtiuncula quandam ſententiam frequenter apud nos habitam, quando limpida dicta Dei communiter rimabamur, breuiter tangere; nequaquam tamen ad tuæ puræ religionis perſonam pertinentem, cuius bene recorduis dum legitur, ſed ad quendam ſchiſmaticum nefandiſſimum pertinebat, qui ſemper iurare ſolebat, nihil ſe terreni accepturum. Cum ſubito ex improuiſo, velut nouum phantaſma, Epiſcopus apparuit, hoc iam maxima ex parte futurum eſſe formidabo. Longioris ſermonis prolixitas legenti faſtidium ne gignat. (Nam Sapiens paucis vtitur verbis, ſtultus autem multis fatigatur, ſicut & ego) obſecro iſtius epiſtolæ rubiginem emendando abſterge, meique erroris indulgentia detur. Deus tibi, quod ad ſalutem tuam pertineat, clementer inſpirare dignetur; & cum grege tibi commiſſo incolumem Paſtor paſtorum te cuſtodiat. Propria manu ſcripſi hæc. Obſerua quæ præcipiuntur & ſaluus eris.

Videtur hic deeſſe illa ſententia.

B

EPITOLA XLVI.

Sorori in Chriſto cariſſimæ Leobgythæ Lullus exiguus ſeruus, auctoritate Domini Bonifacij diſcipulorum, in Domino ſalutem.

NOn immemorem tuæ ſagacitatis induſtriam æſtimo Euangelicæ ſententiæ, qua dicitur: *Beati pauperes Spiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum,* Illa paupertas patienter ferenda eſt, eodem Euangeliſta teſtante, qui ait: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras:* illud Dauidici cum corde retinens, *quia ſecundum multitudinem dolorum meorum conſolationes Dei lætificarunt animam meam.* Nec enim contemptui vel obliuioni tuam ſinceram in Domino germanitatem deditam arbitreris, quamuis per interducias temporum, corporali præſentia ſecernamur; neque in tuis neceſſitatibus feſſum me eſſe vllo modo autumes, ſed tantum diabolicæ fraudis aſtutia præoccupatum atque miniſtrorum eius ſubdola inſectatione fatigatum ſcias; & iuxta Prophetæ dictum, *tædet me vitæ meæ* propter filios nequitiæ. Quicquid autem neceſſitatibus tuis deſit, per Gundumium Diaconum reuerſurum indicato, ſuggere illi, vt in laboribus meis non laſſeſcat, quia valde tarus eſt, qui tribulationes meas mecum participare velit. Vale in Domino, intercedens pro me tanto enixius, quanto grauiore anguſtia deprimor.

Matth. 5.
Luc. 21. 19.
C
Pſal. 93. 19.
Inducias.
C. vt. Iob 19. 21. c. 10. 1.

EPI TOLA XLVII.

Lullus exiguus atque humilis Antiſtes, Suithan, eiuſque ſubiectus.

D
f. Oſuuitha.

APoſtolicum præceptum eſt, Oſuuitha vt gregem Domini ſolicite ſeruando paſcamus, ne abſque ouili repertus, luporum morſibus pereat. Hoc quidem te egiſſe, & acturam eſſe confidens quæ a ſanctiſſimo viro *Bonifacio* martyre Chriſti, eiuſque diſcipulis regularis vitæ diſciplinam ſuſcepiſti, putabam iuxta modulum intelligentiæ tuæ: ſed (quod triſtis ac mœrens dicere cogor) longe aliter feciſſe comprobaris, quæ neglectis animabus, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, de quarum vita reddituta es rationem in die iudicij ante tribunal Chriſti, dum ſacro pallatas fœminas N. & N. contra ſtatuta canonum, & ſanctæ regulæ diſciplinam, ſine licentia, & conſilio meo, ad iniuriam Dei, eiuſque matris Beatæ Mariæ ſemper Virginis, cuius famulatum exhibere debuerunt, in laqueum Diaboli propter arrogantiam ac voluptatem laicorum explendam, ad perditionem animarum ſuarum, liberas ire permiſeris in longinquam regionem, non recolens illud Euangelicum: *Si cæcus cæco ducatum præbet, ambo in foueam cadunt.* Et illud: *Anima quæ peccauerit, ipſa morietur.* Sed ne forte hanc meam obiurgationem parui pendens contemnas, Apoſtolico te ſermone percutiam, quo ait: *Peccantes coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant.* Pro huiuſmodi ſtultitia excommunicatam te eſſe ſcias cum omnibus tuis, qui hunc negligentiæ reatum conſentiendo perpetrauerunt, vſque dum digna ſatisfactione hanc emenderis culpam. Illas autem vagas, & inobedientes ſupradictas fœminas, intra cellam veſtram non recipiatis, ſed foras monaſterium, excommunicatæ ab Eccleſia Chriſti, ſedeant, pœnitentiam agentes, dum venerint, in pane & aqua, & vos ſimiliter abſtinendo ab omni carne, & omni potu, qui melle indulcoratur: ſcientes, quod ſi ſpernitis iſtam increpationem, quod ſpernatis eum, qui a Deo miſſus eſt peccatores ſaluos facere, id eſt, Chriſtum, qui dixit in Euangelio, *Qui vos ſpernit, me ſpernit, qui autem me ſpernit, ſpernit eum qui me miſit*, id eſt, Deum Patrem omnipotentem. Optamus in Chriſto ad meliora vos conuerti.

C. palliatas vel pellectas.
E
Matth. 15. 14.
Ezech. 18. 4.
1. Timot. 5. 20.
Luc. 10. 16.
F

EPISTOLA XLVIII.

Reuerendiſſimo fratri, Chriſtique emerito militi Regis in æthereo Domino glorioſo diuinæ ſoſpitatis ſalutem.

Vel, militi N. in æthereo Deo gloriam d. ſ. ſ.

QVorundam venerabilium ſeruorum Dei relatione didici, quod acerba morborum valetudine grauiter affectus, diu cruciatus laborioſe fatigatus is, non tamen lugubriter defectus. Vt autem hoc mihi compertum eſt, grates ſpiritali Patri agens cœleſti gratia te viſitatum, diuino munere ditatum, ſpiritali ſpecimine ornatum eſſe intellexi. Iſta inquam viſitatio flagellantis Domini te inuitat, vt ei, inhiante deſiderio & immarceſcibili charitate, iungaris. Ideo nunquam de memoria obliterandum quod dictum eſt: *Concupiuit Rex ſpeciem tuam:* & ſolerti meditatione non ignores, te, licet ad tempus manu flagellantis & amantis Domini infirmatum, tamen æternaliter ad animæ ſalutem præparatum; quia *flagellat Deus omnem filium quem recipit.* Et gratulabundus lætuſque dicas cum Paulo Apoſtolo; *Quando infirmor, tunc potens ſum, & virtus in infirmitate perficitur,* vt imbecillitas corporalis, fortitudo ſit ſpiritalis, vt merearis eſſe filius altiſſimi, qui te ad thalamum Regis æterni inuitat. Valere te iugiter proſperis ſucceſſibus in Chriſto opto, &c.

G
Pſal. 44.
Hebr. 12.
2. Cor. 12.

EPISTOLA XLIX.

SIGEBALDI REGIS.

Reuerendiſſimo Præſuli & piæ paternitatis prærogatiua diuulgando Archiepiſcopo Bonifacio Sigebaldus licet indignus & vltimus famulorum Dei famulus optabilem in Domino ſalutem.

H

PRimitus ſubnixis precibus ac ſi progeniculans flexis poplitibus, vt indulgeas obſecro petitionem meam, quam rogaui te per tuum Presbyterum nomine *Eobo*, id eſt, vt tibi indicaret meam petionem & deſiderium, id eſt, vt meus eſſes Epiſcopus cum meo Epiſcopo *Danielo.* Pro tua clementia hoc mihi concedebas, ſi ita feciſſet, ſicut eum rogaui. Putabam à te Domine mi, aliquem conſolationis ſermonem venire ad me. Notum ſit tibi, quod ex eo tempore nomen tuum adſcriptum habuiſſem, cum *Miſſarum ſolemnia* celebrarem ſimul cum nominibus Epiſcoporum noſtrorum, & modo non ceſſo quamdiu ſubſiſtam; & ſi ſuperuixero tibi, cum nomine Patris noſtri *Erconwaldi* Epiſcopi

A C. ſcribens. C. ſpes.

tuum adſcribo nomen. Et hoc tibi intimare curabo, quod hoc ſcribo, non quia de merito mei peccatoris confidens ſim, ſed de miſericordia Dei, & ſpe tua quam habes in Deum. Ideo deprecor te, vt tecum memoria mea ſecundum paruitatem meam, & in præſente & io futuro perſiſtat. Vale in Chriſto.

EPISTOLA L.

IN Dei nomine acceptis litteris, frater chariſſime N. de tua præſentia nobis allatis, cum gaudio ſuſcepimus gratias Deo agentes, quia audiuimus, quod longe te agente in peregrinatione, Dominus benignitatem ſuam tecum exhibuit: Salutantes te in Chriſto, omnis cognatio tuorum conſanguineorum, & obſecrantes, vt diligenter in Deo bonis operibus proficere ſtudeas, noſtris adiunctis precibus, vt ille qui eſt omnis conſolationis dator, qui nos in huius miſerabilis vitæ itinere corporaliter ſeparauit, in ſuo regno ſemper manſuro ſine fine coniungat.
B
Vale ſemper ſalutatus ſupplicibus tuorum amicorum eum vocibus. Protegatur à Domino vita tua amodo & vſque in ſempiternum.

f. Comnecibus vi connecte.

EPISTOLA LI.

Domnæ ſanctæ atque à Deo honorabili Adolanæ Abbatiſſæ, ELFFLED Eccleſiaſtica familiæ famula, ſempiternæ ſoſpitatis ſalutem in Domino.

EX quo nos formam veſtræ ſanctitatis ab aduentantibus ex illis partibus rumore celebri referente cognouimus, in primis nos veſtrum viſceraliter, iuxta præceptum Dominicum, ex intimo pectore amorem cepiſſe, Domino dicente: *Hoc eſt præceptum meum vt diligatis inuicem.*
Ioan. 15. 12. C. quia pp.
Quapropter precibus ſubnixis ſuppliciter poſcimus, vt ſacroſanctis flammigeriſque oraculis veſtris nos apud almipotentem Dominum defendere dignemini, ſiquidem vobis vicem reddere noſtra humilitas minime pigebit, Apoſtolo Iacobo hoc ipſum præcipiente ac dicente: *Orate pro inuicem vt ſaluemini.*
C Iacob. 5.
Inſuper & ſummæ ſanctitati veſtræ ac ſolitæ pietati N. deuotam ancillam Dei ac religioſam Abbatiſſam, chariſſimam fideliſſimamque filiam noſtram ab annis adoleſcentiæ, pro Chriſti charitate, & pro honore ſanctorum Apoſtolorum *Petri* videlicet & *Pauli*, ad ipſorum ſancta limina ire cupientem, ſed à nobis pro neceſſitate atque vtilitate animarum ſibi commiſſarum hactenus detentam, obnixe omni cum diligentia commendamus: & precamur quatenus cum affectu veræ charitatis in ſinum clementiæ piæ à vobis ſuſcipiatur cum his qui ſecum comitantur, vt diu deſideratum ac ſæpe cœptum iter Deo auxiliante, adnitente etiam veſtra pietate, tandem aliquando perficere poſſit.
f. Per.
Quamobrem iterum iterumque repetendo petimus, vt cum veſtris indiculis miſſiſque ad almiſſimam vrbem Romam, proſpero curſu, ſuffragante ſancto ac ſignifero Apoſtolorum principe Petro, dirigatur, & ſi quando præſens, Deo volente, adfuerit, quicquid viua voce, qualibet occaſione ſtimulante, pro ſui itineris neceſſitate
D
ſuggeſſerit, paratum apud vos inuenerit. Orantem pro nobis ſanctitatem veſtram diuina gratia tueri dignetur.

EPISTOLA LII.

Fratribus in Chriſto chariſſimis COENGILSO, & INGELDO Abbatibus, & ſingulariter cognato noſtro VVIEHTBERTO Presbytero, omnis congregatio trium monaſteriorum, id eſt, ALDHVNI Patris reuerendiſſimi, & CNEVBVRGÆ CHRISTI famula, nec non & COENBVRGÆ Abbatiſſarum perennem atque inſolubilem in Domino ſalutem.

C. Abb. ſolubilē.

LIbenter namque atque gratanter veſtræ ſalutationis munuſcula ſuſcepimus, Deoque adiuuante, iiſdem digna recompenſare deſideramus: & eam quam circa nos ſcripſiſtis habere orationibus communionem, bono animo & pura fide erga vos indeſinenter habere, horis quibus intimaſtis, conſentimus.
F
Nomina quoque noſtrarum defunctarum ſororum ego *Cneuburg* memoraliter te habere, ô *VViethberto* Presbyter fidelis, deprecor, & omnibus circumquaque amicis tranſmittere, quarum prima fuit *Quoengyth* ſoror mea germana, & *Edln* quæ erat cum adhuc viueret mater *Esan aldhuns* quondam tui Abbatis propinqua, quarum vtique ambarum fuit vno die depoſitio id eſt, Idibus Septembris. Orantem pro nobis beatitudinem veſtram Dominus omnipotens cuſtodire dignetur incolumem dilectiſſimi fratris, & Domini per æuum. Emmanuel. Salutate omnes circumquaque Chriſti ſeruos noſtris veraſſimis verbis dilectiſſimis fratres.
C. ſaluta

EPISTOLA LIII.

E

Dominis ſanctis & in CHRISTO deſiderādis Patribus ac fratribus in monaſterio Gleſtingaburg conſtitutis Vuiehtbert Presbyter, veſter vtique ſeruus, ac ſeruorum Dei ſupplex in Domino ſalutem.

BEnedictus Deus, *qui vult omnes homines ſaluos fieri & ad agnitionem venire veritatis*, qui etiam noſtrum iter ſua voluntate in has prouincias, id eſt, in confinio Paganorum, Hæſſonum, ac Saxonum proſperum, vltra mare, & per huius mundi pericula, ſine merito noſtro, licentia veſtra & orationibus, ac miſericordia ſua direxit. Scitis, fratres, quia non nos terrarum ſpatia diuidunt, quos CHRISTI charitas occidit. Semper ergo fraternitas veſtra, ac reuerentia, ſimul & oratione pro vobis ad Deum, in me manent. Vos autem volo ſcire chariſſimi, quod Archiepiſcopus noſter BONIFACIVS cum aduentum noſtrum audiſſet, per ſemetipſum dignatus eſt longa via in obuiam nobis venire, ac ſuſcipere valde benigne. Nunc, dilectiſſimi, credite, quod labor noſter nobis non ſit inanis in Domino ſed veſtræ ſit mercedis. Deus enim omnipotens per miſericordiam ſuam, ac merita veſtra, ſufficientiam operis noſtri bonam perficit, licet valde ſit periculoſum ac laborioſum pene in omni re, in fame & ſiti, in algore, & incurſione Paganorum inter ſe degere. Ideo rogo diligenter orate, vt ſit nobis ſermo in apertione oris, & permanentia in opere, & fructus. Valete in Domino. Salutate fratres in gyro primo *Ingeldum* Abbatem & congregationem noſtram, ac mandate matri meæ *Tettam* atque congregationi eius proſperum iter noſtrum. Communiter omnes obnixis precibus flagito vicem indulgentiæ orationis noſtræ impendere, orantemque pro nobis beatitudinem veſtram diuina tueatur clementia, opto.

1. Tim. 2. C. Kar. G inter eos. C. pro nobis Eph. 6. 19.

EPISTOLA LIV.

Dilectiſſimo fratri & compresbytero N. Vuietbbert exiguus in Chriſto æterna charitatis ſalutem.

H

INtimæ charitatis obnixis precibus flagito, vt mei in tuis ſacroſanctis orationibus memor eſſe digneris, quia mundanæ tentationis malleo, vanis rebus turbantibus percutior.

EPISTOLA LV.

Venerando ac diligendo fratri in Chriſto optabilem ſempiternæ ſoſpitatis ſalutem.

FAteor charitati tuæ quod nunquam falſis verborum fabulis fidem accommodare volui, nec de tuæ deuotæ charitatis fidelitate aliquas diræ derogationis ariſtas accreſcere credebam: ſed magis tuæ dilectionis

C. fribulis f. frondis.

A Prou. 3. 29. beneuolentiam meminiſſe reor ſententiæ Salomonis, qua dicit: *Ne moliaris amico tuo malum, cum ipſe fiduciam habuerit in te.* Et nunc credula cordis præcordia geſto de tuæ deuotionis perſeuerātia. Gratias tibi refero pro adminiculo diuinæ ſcripturæ, quod mihi benigne tranſmittere curaſti: idque obſecro, vt quando potueris me adiuuare in C. ſcribendi. membranis ſcribendis, tranſmittas: & quodcunque mihi mandaueris, tibi neceſſarium in corporali ſolatio, libenter ac fideliter faciam; & licet locorum ſpatio longe ſeparemur, tamen ſpirituali charitate adunati ſumus. Vale ſemper in Domino, meæque paruitatis memor in tuis ſacris orationibus eſſe digneris.

EPISTOLA LVI.

ſ. Bidda. *Fratri vnico atque amantiſſimo N. H. vltima ancillarum Dei in Christo ſalutem.*

B

QVid eſt, frater mi quod tam longum tempus intermiſiſti? quod venire tardaſti? Quare non vis cogitare, quod ego ſola in hac terra, & nullus alius frater viſitet me, neque propinquorum aliquis ad me veniat? & ſi ideo facis, quia adhuc nihil potui, ſecundum quod mens tua diligenter voluiſſet, aliquid beneficij impendere, tamen charitatis atque affinitatis iura, nullo alio ſuadente, aut mentem tuam mutando, debes obliuiſci. O frater, ô frater mi, cur potes mentem paruitatis meæ aſſiduo mœrore fletu atque triſtitia die noctuque, charitatis C. mente tua obliuiſcere. tuæ abſentia affligere? Nonne pro certo ſcis quia viuentium omnium nullum alium præpono tuæ charitati? Ecce non poſſum omnia per litteras tibi indicare. Iam ego certum teneo, quod tibi cura non eſt de mea paruitate.

C

EPISTOLA LVII.

Dilectiſſimæ atque amantiſſimæ ſorori, & mihi ſincero charitatis affectu venerandæ, Aldhelmus ſupplex indigno Abbatis vocabulo ſanctus, in Domino ſalutem.

C. illam. COgnoſcat veſtra almitas de baptiſmo ſororis, me interrogaſſe Pontificem, qui licentiam dedit baptizari illam ſanctimonialem, ſed tantum clam & latenter. Saluto te diligentea, *Oſigegyth* ex intimo cordis cubicolo, ſubnixis precibus obſecrans, vt aſſidua ſcripturarum meditatione mentem tuam occupare non deſiſtas, quatenus Pſal. 1. Pſalmigraphi ſententiam compleas dicentis: *In lege eius* Pſal. 118. *meditabitur die ac nocte.* Et idem Pſalmiſta hoc item teſ- Iacob. 5. tatur dicens: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua,* & reliqua. Orationum vero mearum vt memores ſint omnes ſorores per Christum ſuppliciter obſecra qui dicit Apoſtolo, *multum valet deprecatio iuſti aſſidua.* Vale decies dilectiſſima, imo centies & millies. Te Deus valere faciat.

D

EPISTOLA LVIII.

Reuerendiſſimo atque ſanctiſſimo Corpiſcopo Forthereo, Berhtvvaldus, famulorum Dei famulus, ſalutem in Domino.

QVomodo petitio mea, quā precatus ſum coram te, venerabilem Abbatem Beouualdum de concedenda vnius captiuæ puellæ, quæ propinquos apud nos habere monſtratur, redemptione, in irritum, contra quod credidi, ceſſit, & denuo eorundem precibus inquietor vtiliſſimum duxi, ad te per eiuſdem puellæ germanum, vo- C vtiliſſimum. cabulo *Eppa*, has litteras deſtinare: per quas obſecro, vt ipſe omnino obtineas à prædicto Abbate, quatenus pro eadem puella trecentos accipiat ſolidos de manu præſentium geruli, & ei tradat illam hucuſque perducendam, quo poſſit reliquum vitæ ſuæ ſpatium cum conſanguineis ſuis, non in ſeruitutis triſtitia, ſed in libertatis tranſigere lætitia. Quam tem dum ad effectum tua perduxerit beneuolentia, & à Deo mercedem, & à me gratiarum actiones habebis. Frater quoque noſter Berouualdus nihil vt æſtimo; de eo quod in ea iuſte poſſedit, amittit. Quod ante debui facere, obſecro, vt cum tui memoriam in crebris orationibus feceris, mei nihilominus meminiſſe digneris. Incolumem Reuerentiam tuam æuo prolixiore IESVS CHRISTVS Dominus noſter cuſtodiat. C. tui mei.

E

EPISTOLA LIX.

IN nomine Domini noſtri IESV CHRISTI, ego huic fratri, nomine N. libentiſſime concedo, vt ad monaſterium venerandi Abbatis, in quo primitus prædictus frater Deo debitam ſeruitutem deuouit, cum pace congregationis noſtræ, reuertatur, ibique Christo fideliter ſeruire nitatur. C nom. N.

F

EPISTOLA LX.

Reuerendiſſimo fratri atque chariſſimo in Christo N. ſine fine ſalutem.

DEprecor te ergo, vt mihi minimo digneris ſolatium præbere, atque neceſſitatibus meis piiſſima mente ſubuenire libellis, de quibus mentio facta fuerat. Id eſt quod neceſſe habeo. C habeo.

EPISTOLA LXI.

Reuerendiſſimo atque ſanctiſſimo N. ego minimus, nomine Lutto, ſine fine ſalutem in Domino. ſ Lante.

G

AVdio de te, quod iter vis incipere, hortor vt non defeceris. Eia, fac quod incepiſti. Memento Saxonicum verbum: *Oft daed lata dome foreldit ſigi ſitha gahuem ſuuylt thiana.* Sed tamen tale quid in te haud ſcio. Non eſt hic operandum: ſed tende vbi meſſis eſt, Deo adiuuante, ſicut Saluator dicit: *Meſſis quidem multa, operarij autem pauci,* & cætera. De me quid dicam minimo? Matth. 9. 37. qui ſub regula alterius viuo nihil habens lucri, ſicut omnium moris eſt hic habitantium nihil habentium niſi quotidiana ſtipendia ſed tamen non doleo propter nimiam paupertatem, quomodo Dominus conſolauit nos C. ſiuero. C. habentes. dicens: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum regnum cœlorum.* Matth. 5.

EPISTOLA LXII.

H

Chariſſimis filijs Denehardo, Eanbertho, Vinberto, Sigeberto, Sigevvaldo, Lullus Antiſtes in Domino ſalutem.

ADmonemus vos vt rogetis omnes vbique Deo ſeruientes tam ſeruos Dei, quam ancillas Christi in prouincia Thyringorum, vniuerſamque plebem, vt in commune miſericordiam Domini deprecentur, quatenus ab imminenti pluuiarum flagello liberemur, id eſt, vt vnam hebdomadam abſtineant ſe ab omni carne, & ab omni potu, in quo mel ſit: ſecunda feria, IV. feria, & VI. feria ieiunetis vſque ad veſperam: & vnuſquiſque ſeruorum Dei & ſanctimonialium quinquaginta Pſalmos cantet omni die in illa ſeptimana, & illas miſſas, quæ pro tempeſtatibus fieri ſoleant, celebrare vos, Presbyteri, recordamini. Mittimus vobis nomina Domini Romani Epiſcopi, pro quo vnuſquiſque veſtrum XXX. Miſſas cantet & illos Pſalmos, & ieiunium iuxta conſtitutionem no-

A ſtram. Similiter pro duobus laicis nomine *Megenfrith*, *& Hraban.* X. Miſſas vnuſquiſque veſtrum cantet. Valete in Domino ſemper.

EPISTOLA LXIII.

Dilectiſſimo fratri in Domino, & in carne chariſſimo Balthardo, Berthgyth in CHRISTI *nomine ſalutem.*

TOedet animam meam vitæ meæ propter amorem fraternitatis noſtræ. Ego enim ſola derelicta, & deſtituta auxilio propinquorum. *Pater enim meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem ſuſcepit me.* Multæ ſunt aquarum congregationes inter me & te tamen charitate iungamur, quia vera charitas nunquam locorum limite frangitur. Sed tamen dico, quod vnquam non receſſit triſtitia ab anima mea, neque per ſomnium mente quieſco, quia *fortis eſt, vt mors dilectio.* Nunc ergo rogo te, dilectiſſime frater mi, vt venias ad me, aut me facias venire, vt te conſpiciam, antequam moriar, quia nunquam diſcedit dilectio tua ab anima mea. Salutat te in CHRISTO, frater, ſoror tua vnica, Oro pro te, ſicut pro me, diebus ac noctibus, horis atque momentis, vt ſanitatem ſemper habeas cum CHRISTO. Vale viuens fœliciter, vt ſis ſanctus ſimpliciter tibi ſalus per ſæcula, tribuatur per culmina. Viuamus ſoli Domino vitam ſemper in ſæculo. Profecto ipſum precibus peto, profuſis fletibus ſolo tenus, ſæpiſſime ſubrogare auxilia, vt ſimus digni gloria, vbi reſonant carmina Angelorum lætiſſima, æthralis lætitia clara CHRISTI clementia celſæ laudis in ſæcula. Valeamus, Angelicis victrices iunge millibus, paradiſi perpetuis perdurantes in gaudiis, Elonqueel & Michael, Acaddai, Adonai, Alleuatia, Alleluia.

[Margin: Pſal. 26. 20. — B — Cant. 8. 6. — C. ſapiſſima. — C — C. æthralia, f. Emmanuel, vt ſup. 32. Vel Eleon q; el. id eſt, altiſſimus & Deus & Saddai.]

EPISTOLA LXIV.

In nomine Domini IESV CHRISTI *& in ſancta Trinitate dilectiſſimo fratri vnico Balthardo, perennem in* CHRISTO *ſalutem.*

NOtum ſit tibi quod venerunt ad me verba legationis tuæ per fidelem nuncium nomine *Aldraed* ſimiliter & munera, quæ cum intima charitate amplexi. Et nunc fateor tibi quod implere deſidero, auxiliante Domino omnia, quæ præcepiſti mihi, ſi dignetur voluntas tua venire ad me, quia nullo modo fontem lachrymarum acquieſcere non poſſum, quando video & audio alios ituros ad amicos ſuos. Tunc recolo, quod à parentibus in iuuentute derelicta fui, & ſola hic permanſi: & tamen à Domino derelicta non fui, ſed gratias ago Deo de immenſa eius pietate, quam ſæpe non merentibus, per miſericordiæ ſuæ viſcera, donare conſueuit, & ſic nos incolumes ſeruauit. Et nunc, frater mi, adiuro te atque deprecor, vt auferas triſtitiam ab anima mea, quia valde nocet mihi. Dico enim quamuis vnius diei ſpatium ſit, & iterum perrexeris, iubente Domino in voluntate tua, tamen recedit triſtitia ab anima mea, & dolor de corde meo. Sin autem diſplicet tibi implere petitionem meam, tunc Deum teſtem inuoco, quod in me nunquam ſit derelicta dilectio noſtra. Et nunc vere dico tibi, quod meliora neſcio, ſi venire vis illuc, quam hic maneam. Sin autem aliud aliter tibi melius placet, tunc iudicare poſſum, quod mens mea deſiderat, vt veniam illuc, vbi requieſcunt corpora parentum noſtrorum, & temporalem vitam ibi finire, & peruenire vbi perfecta manſio eſſe cernitur, & regio viuorum, & gaudia Angelorum ſine fine lætantium. Vale in CHRISTO. Munuſcula quamuis parua, tamen cum maxima charitate onerata, quæ tibi direximus per fidelem nuncium nomine *Aldraed*; id eſt vittam vnam accipies.

[Margin: compoſcere. — D — C. à me. — G. honorata. — In C. deeſt hoc aut ſimile verbum.]

E
1 *Pro me quæro oramina*
2 *Precum: pandens præcipua.*
3 *Tua formoſa famina,*
4 *Tua, ſopha...ntia.*
4 *Vtt noua ac vetera*
5 *Vti dira diſcrimina*
6 *Chriſtus aboleat crimina:*
7 *Cum immenſa clementia*
8 *Vt ſim armata Angelicis*
9 *Vallata legionibus*
10 *Dextro ac læuo latere,*
11 *Dialique Maieſtate*
12 *Hanc care cruciola*
13 *Salutate à ſorore*
14 *Fine tenus fœliciter*
15 *Famam ſerua ſimpliciter.*

[Margin: f. eloquentia. — C. deeſt ſim — C. ſalutata ſerue.]

F

EPISTOLA LXV.

Sacroſancto Abbati Aldhelmo mihi inextricabilis ignitæ Charitatis nodis. vt merita poſcunt, adſtricto Ædiluualdus, tua pia paternitatis ſupplex alumnus, perpetuam in Domino ſoſpitatis ſalutem.

ÆStiui igitur temporis curſu, quo immenſis feralium paſſim congreſſionum expeditionibus hæc miſerrima patria lugubriter, inuidia vaſtatrice, defanatur, tecum legendi ſtudio, conuerſatus demorabar. Tum mihi fiat indigno, tuæ beatitudinis ſacroſancta ſagacitas omnibus, vt reor, propemodum panegyricis tam ſæcularium litterariæ verboſitatis facundia editorum, quam etiam ſpiritalium Eccleſiaſtici dogmatis ſtylo elucubratorum pleniſſime voluminum ſcriptis imbuta, arcana liberalium litterarum ſtudia, opacis duntaxat myſteriorum ſecretis, ignaris quibuſque mentibus obſtruſa, abrepto propere ſpiſſæ ſtoliditatis velamine, patefaciens liquidiſſime propalarat. Quibus ad integrum exuberantis ingenii epulis, ambronibus ſiticuloſæ intelligentiæ faucibus, auide abſumptis, meam adhuc pallentem hebetudinis maciem largiſſimæ blandæ ſponſionis epimenia affluen et refocillabat, pollicitans omni me deſideratæ lectionis inſtrumento, quo potiſſimum meæ mediocritatis induſtriam ſatis inhiantem agnouerat, libenter edocendo imbuere. Quapropter mi amantiſſime puræ inſtitutionis præceptor, quatenus affectu conſequente fidem verborum haud difficulter adhibeas, opere pretium cenſemus i talibus ſacræ ſcripturæ oraculis inſtimulatus: *Fili mi ſi ſpoponderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis oris tui.* Et iam dico, ſi nullis te capacibus prolatæ promiſſionis retinaculis perplexum inuolutumque reminiſceris, tamen cum memet ab ipſis tenerrimæ cunabulis infantiæ fouendo, amando pedetentimque delicatioribus ſolertiæ cibis recreando, ad vegetam vſque pubertatem prouexiſti, dignum ab omnibus ſanæ intelligentiæ indicatur quatenus, conſoto iam pabulo teneriorís ingenii des cibos ſolidiores quoque profundioris ſophiæ. Tamen ſi humillima ſubiectæ deuotionis inſtantia importune inſiſtens expetit affatim alendo epulas, impendere non deneges: meque, licet nullius momenti ducas; veſtræ ſublimitatis adoptiuam prolem ex omni paternæ prudentiæ diuiti cenſu aliquatenus ad tempus ditare non recuſes, ne quando inuiſi audacium æmulorum cunei criſpanti optatæ improbationis cachinno tripudiantes congratulentur, ſi ſobolem opulenti paternæ philoſophiæ cenſu exhæredem penuriæque ferulis inſipientiæ experientem comperiunt. Et non incongrue mihi ille Roboam, generoſa de ſtirpe famoſiſſimi tam laudabilis ſapientiæ excellenti enormitate, quam etiam opimis rerum facultatibus Regis *Salomonis*, infelici fuſus ortu, omnis pene paternæ fœlicitatis expers, lugubriter coæquari queat. Denique iamnunc impletutus vota perſolue, & inceptum largæ inſtitutio-

[Margin: Mendoſa fere tota. — f. defatigatur. — G — C. ſerratus. — C abrepta propere. — An expectatio vel impenſa. — C. agnouerat imbueret. — f. verbis. — Prou. 61. — H — C. alumno ſolita ſophia. — Magis ægre.]

nis

A nis beneficium concitus comple, ſciens te haud dubie maiorem inde perpetuæ remunerationis gloriam adepturum, Domino adſtipulante, quia *qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* Huic autem noſtræ paruitatis epiſtolæ trina cantati modulaminis carmina bis nis generibus digeſta ſubdidimus, quorum primum dactylico heroici poëmatis hexametro ac pedeſtri, vt autumo, regula enucleatū & trutinatum & in LXX. coæquantium verſuum formulas, caſu ita obtingente, &, vt verius dicam, ſupernæ diſpenſationis nutu moderante, diuiſum. Tertium quoque non pedum menſura elucubratum, ſed octonis ſyllabis in vno quolibet verſu compoſitis vna eademque littera comparibus linearum tramitibus aptata, curſum calamo perarante carraxatum tibi, ſagaciſſime ſator, tranſmittens dicaui. Medium vero meo quoque clienti *Vuinfritho* de tranſmarini ſcilicet itineris peregrinatione, ſimillimis iiſdem verſuum & ſyllabarum lineis confectum repræſentans porrexi. B Hæc idcirco veſtræ beatitudinis venerandis obtutuum luminibus repræſentanda fore neceſſarium duxi, quod noſtræ paruitatis iudicio dignum eſſe viſum eſt, omnem tibi, vt pote patri, meatum litterarum editiunculam primum pandens propalare, quatenus veſtræ ſublimitatis probabili rationis iudicio comprobata, & ad æquitatis normulam deriuata omnibus deinceps lectorum numeroſitatibus acceptabilis exiſtat. Vale in CHRISTO.

Matt. 10.

χαράξα vel exarata mſ. 69. & Carm. 2. 72.

EPISTOLA LXVI.

Patri Dei famulo, & digno nobis conſacerdoti Forthere Daniel ſancta plebis famulus.

Recitatis ſupplicatoriis nobis allatis litteris de Diaconatu electi fratris mei *Merunalth*, & quamuis poſterius ordinaliter conſtituto tempore eis veniſſet, qui presbyterii & Diaconi ordinem fuerant adepti, C non diſtulimus eum. Quanquam incognita & importuna petitio viſa, præualuit tamen pia fratrum poſtulatio, eo quod nihil defuiſſe in eo meriti vna vobiſcum conſpeximus ad ordinem promoueri. Poſtpoſita nobis diſtentione, & ſua depoſita pertinacia, etſi ſero; tandem conſentaneus effectus eſt, ad officiumque honoris ſuſceptus eſt. Ideo cum aduertitis vobis ſatis in eo factum, & voti compotes aſſecuti, honorifice iam eum in Leuitarum numero conſtitutum habetote, eique in magiſterio perfecta deuotione concurrite, vt fiduciam in CHRISTO IESV acquirere valeatis. Longe vos in fide *Catholica* & felicibus ſucceſſibus florere faciat Omnipotentis Dei gloria.

Ordinatio ſacra certis temporibus.

C. deeſt ad vel in ſ. effectis.

EPISTOLA LXVII.

D

DANIEL EPISCOPVS BONIFACIO.

Venerando & amando Antiſtiti Bonifacio Daniel plebis Dei famulus.

Qvamuis, mi frater, conſacerdoſque chariſſime, te primam virtutum promereri gaudeam palmam, quia ſaxea ſteriliaque hactenus Gentilium corda, fidei magnitudine fretus, fiducialiter digrediendo, vomere Euangelicæ prædicationis infatigabiliter ſubigens in glebas fertiles quotidiano labore conuertere niteris, vt vere tibi aptari Propheticum Euangelicumque dictum poſſit: *vox clamantis in deſerto*, &c. tamen ſecundæ portio palmæ non incongrue etiam ipſis præſtabitur, qui tam pio, tam ſalubri operi congratulando, quibus valent ſubſidiis fauent: eorumque indigentiam competentibus adminiculis ſupplent; quo alacrius cœptum prædicationis opus, & ſpirituales CHRISTO generare filios ſtudeant. E Vnde &, deuota beneuolentia, pauca tuæ ſuggerere prudentiæ curaui, quo magis aduertas ſecundum meum ſenſum, qua potiſſimum ratione obſtinationem agreſtium conuincere promptius queas. Neque enim contraria iis de ipſorum quāuis falſorum Deorum genealogia aſtruere debes. Secundum eorum opinionem, quoslibet ab aliis generatos, per complexum mariti ac fœminæ, concede eos aſſerere, vt ſaltem modo hominum natos Deos ac Deas, potius homines non Deos fuiſſe, & cœpiſſe qui ante non erant, probes. Cum vero initium habere Deos, vt pote alios ab aliis generatos coacti didicerint, item interrogandi, verum initium habere hunc mundum, an ſine initio ſemper extitiſſe arbitrentur: Si initium habuit, quis hunc creauit? cum, procul dubio, ante conſtitutionem ſæculi, nullatenus genitis Diis inueniunt ſubſiſtendi vel habitandi locum. Mundum enim non hunc viſibilem tantum, cœlum & terram, ſed cuncta etiam extenta locorum ſpatia quæ ipſi quoque Pagani ſuis imaginare cogitationibus poſſunt, dico. F Quare ſi ſine initio ſemper extitiſſe mundum contenderint, hoc multis refutare ac conuincere documentis argumentiſque ſtude: iterum altercantes interroga, quis ante natos Deos mundo imperaret? quis regeret? quomodo item ſuo ſubdere dominatui vel ſui iuris facere mundum ante ſe ſemper ſubſiſtentem potuerunt? vnde autem, vel à quo, vel quando ſubſtitutus, aut genitus primus Deus? vel Dea fuerit? verum autem adhuc generare Deos, Deaſque alios aliaſque ſuſpicantur? vel ſi iam non generant, quando vel cur ceſſauerunt à concubitu & partu? Si autem adhuc generant, infinitus iam Deorum effectus numerus eſt. Et quis, tamen inter tot, tantoſque potentior ſit, incertum mortalibus eſt & valde cauendum, ne in potiorem quis offendat. Vtrum autem pro temporali, ac præſenti, an potius pro æterna ac futura beatitudine colendi ſint, arbitrantur? Si pro temporali in quo iam feliciores Pagani Chriſtianis ſunt, dicant. Quid autem ſe ſuis conferre ſacrificiis lucri Diis ſuſpicantur Pagani, cuncta ſub poteſtate habentib. G vel cur in poteſtate ſibi ſubiectorum fieri permittunt ipſi Dij, quod ipſis tribuant? Si talibus indigent, cur non ipſi magis potiora eligunt? Si autem non indigent, ſuperflue iam talibus hoſtiarum collationibus placare ſe Deos poſſe putent. Hæc & his ſimilia multa alia, quæ nunc enumerare longum eſt, non quaſi inſultando vel irritando eos, ſed placide, ac magna obiicere moderatione debes: & per internalla, noſtris, id eſt Chriſtianis, huiuſmodi comparandæ ſunt dogmatibus ſuperſtitiones, & quaſi è latere tangendæ, quatenus magis confuſi quam exaſperati Pagani erubeſcant, pro tam abſurdis opinionibus, & ne nos latere eorum nefarios ritus ac fabulas æſtiment. Hoc quoque inferendum, ſi omnipotentes ſunt Dij, & benefici, & iuſti non ſolum ſuos remunerant cultores, verum etiam puniunt contemptores; & ſi hæc vtraque temporaliter faciant, cur ergo parcunt Chriſtianis totum pene orbem ab eorum cultura auertentibus, idolaque euertentibus? H Et cum ipſi, id eſt Chriſtiani, fertiles terras, vinique & olei feraces, cæteriſque opibus abundantes poſſident prouincias, ipſis autem id eſt paganis, frigore ſemper rigentes terras cum eorum Diis reliquerunt, in quibus iam tantum toto orbe pulſi falſo regnare putantur. Inferenda quoque ſæpius iis eſt orbis authoritas Chriſtiani, in quorum comparatione ipſi pauciſſimi in vanitate antiqua adhuc perſeuerant: & ne quaſi de legitimo ſemper à Principe ſuper ipſas gentes Deorum iactitent imperio, intimandum iis cunctum prius mundum idolorum deditum culturæ, donec Chriſti gratia veri omnipotentis conditoris, rectoris vniuſque Dei notitia illuminatus, viuificatus, reconciliatuſque Deo eſt. Nam quot apud Chriſtianos fidelium quotidie baptizantur filij, quid aliud faciunt niſi à ſorde & reatu gentilitatis, qua totus olim conſtitutus mundus eſt, per ſingulos eos purgant? Hæc charitatis intuitu, Frater mi, breuiter tuæ commemorare libuit directioni, & qui corporali

Matth. 3. 3.

l. frequentes

C ſaltim.

C. & l. paganis. . quod multis. l. tamen alt.

C. à princip. ſuper.

prægrauatus,

A praegrauatus languore, laboro ita, vt congrue illud Pſalmiſtæ dicere poſſim: *Cognoui Domine, quia iuſtum iudicium tuum, & vero afflixiſti.* Vnde obnixius tuam peto reuerentiam, quatenus cum his qui tecum CHRISTO, in ſpiritu ſeruiunt, pro me ſupplicationum fundere preces digneris, vt Dominus, qui me vino compunctionis potauit, cito ſua etiam anticipet miſericordia, vt qui iuſte corripuit, clementer ignoſcat, propheticumque illud ſua faciat pietate me quoque gratulabundum poſſe cantare: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ Domine lætificauerunt animam meam.* Opto vt in CHRISTO bene valeas, & mei memineris, Conſacerdos chariſſime.

Pſal. 118. 75. In v. paulo aliter.

Pſ. 93. 19.

EPISTOLA LXVIII

B *Domino reuerendiſſimo, omnique virtutum conamine venerando, & poſt Deum peculiari patrono ſupplex alumnatus veſtræ vernaculus in Domino ſalutem.*

Deinceps mêſ. 1092.

FAteor, ô beatiſſime Antiſtes, me dudum decreuiſſe, ſi rerum ratio ac temporis volitans viciſſitudo pareret, vicinam Natalis Domini ſolemnitatem ibidem in conſortio fratrum tripudians celebrare, & poſtmodum, vita comite, veſtræ charitatis affabili præſentia frui. Sed quia diuerſis impedimentorum obſtaculis refrænati, quemadmodum lator præſentium viua voce plenius promulgabit, illud perficere nequiuimus. Idcirco difficultatis veniam precor impendire. Neque enim parua temporum interualla in hoc ſtudio protelanda ſunt ei dumtaxat, qui ſoletti ſagacitate legendi ſuccenſus, legum Romanorum iura medullitus rimabitur, & cuncta Iuriſconſultorum decreta ex intimis præcordiis ſcrutabitur, & (quod hic multo arctius & perplexius eſt) centena ſcilicet metrorum genera pedeſtri regula diſcernere & admiſta cantilenæ modulamina recto ſyllabarum tramite luſtrare, cuius rei ſtudioſis lectoribus tanto inextricabilior obſcuritas prætenditur, quanto rarior doctorum numeroſitas reperitur. Sed de his diutius ratiocinari ſtricta epiſtolaris anguſtia minime ſinit, quomodo videlicet ipſius metricæ artis clandeſtina inſtrumenta litteris, logis, pedibus poeticis, figuris, verſibus, tonis, temporibus conglomerentur, pathetica quoque ſeptenæ diuiſionis diſciplina acephalos lagaros, procilos cum cæteris varietur, qui verſus monoſcemi, pentaſcemi, quindecaſcemi videantur, & qualiter catalectici vel brachycatalectici ſeu hypercatalectici verſus cognoſcantur. Hæc, vt reor, & his ſimilia breui temporis intercapedine momentaneoque ictu apprehendi nequaquam valebunt. De ratione vero calculationis quid commemorandum? cum tanta ſupputationis imminens diſputatio colla mentis compreſſerit, vt omnem præteritum lectionis laborem paruipenderem, cuius me pridem ſecreta cubicula noſſe credideram, & vt ſententiam beati Hieronymi depromam, *qui mihi videbar ſciolus, rurſus cœpi eſſe diſcipulus.* Porro de Zodiaco XII. ſignorum circulo quæ vertigine cœli voluuntur, ideo tacendum arbitror, ne res opaca & profunda, ſi vili explanationis textu promulgata fuerit, infametur & vileſcat, præſertim cum Aſtrologiæ artis peritia, & difficillima horoſcopi computatio elucubrata doctoris indagatione egeat. Hæc idcirco cariſſime Pater, curſim pedetentim perſtrinximus non garrulo verboſitatis ſtrepitu illecti, vt ſed ſcias, tanta rerum arcana examuſſim non poſſe intelligi, niſi frequens & prolixa meditatio fuerit adhibita. Salutate in CHRISTO omnem ſodalium meorum cateruam à minimo vſque ad maximum, quos, obſecro & adiuro per clementiam CHRISTI vt pro me peccatorum pondere & criminum ſarcina oppreſſo preces Domino fundant.

ſaltius.

C Leg. poſſet ad Muſica.

Hieron.

D

EPISTOLA LXIX.

E *Splendida virginitatis caſtimonia florentis prædita, lymphaque ſuperni lacteis melliflua cælitus irrigata, nobili non ſolum carnalis generoſitatis proſapia virgini, verum etiam (quod præſtantius eſt) ſpirituali dignitatis honore inſigniter comptæ Chriſti ancillarum lene iugum Dei geſtantium gubernatrici, & monaſtica conuerſationis normam regulariter, authenticis priſcorum Patrum formulis, commiſſo ſibi gregi indeſeſſe præbenti: nec non inclytæ pubertatis indoli, candido integritatis veſtimento incorrupta adæque decoratæ, cæleſtiſque gurgitis vnda late manantis viui & ſemper abundantis potatæ, non ſolum exteriore litterarum ſtudio, verum etiam interiore diuina ſcientiæ luce illuſtratæ. N. abſque præcedente meritorum adminiculo. N. ſpiritalis officij munificentia fungens, in angulari lapide, Chriſto videlicet, optabilem ſalutem.*

C. Chriſti compræ cellarum.

Vel à Deoque dec.

F FAteor charitati veſtræ, poſtquam Britannicæ telluris inclyta ſceptra, diuinæ pietatis admonitione, vt reor, ſalubri tactus, fugiens deſerui, relictaque fœcundiſſima natalis patriæ Inſula, quam glauca ſpumantis maris cerula influentia ſcopuloſis marginibus vndique vallant, fragilitatis meæ conſcius, & ſcelerum meorum aliquatenus tunc reminiſcens, vna cum totius propinquitatis meæ propemodum caterua, CHRISTO fauente, fermentis ingruentibus pelagi molibus tranſuectus, ad huius regionis marginem applicuiſſe gratulans, votorum compos tripudiabam; liminibuſque beatorum Apoſtolorum, orationis cauſa, demendi innumera piaculorum meorum pondera, pergendo me ſatagebam præſentare; ibique cunctis affinitatis meæ propinquis propemodum quietis ſomno ſopitis, ſolus in huius exilij calamitate orbatus, (& merui) haud ſecus dicendum mihi eſt, quam triſtis mœrensque remanſi: tamen incolumitate corporis priſtina, robuſtiſque membrorum artubus huius peſtis valetudinem euaſi: ſed (gratia & laus pio flagellatori) omnibus membrorum compaginibus, quaſſatis & contritis, anhelans fatigatus reſto, quod mihi per vſum & nouum & vetus eſt; nullam repetiſſe me iſtic habitantium fœminini ſexus perſonam fideliorem, in omnibus non adulationis cauſa, ſed veritatis firmitate conteſtans, dum me admodum ante quinquies quina menſium volumina toto vexatum corpore febris anhelæ frigus & calor decoquerent, benigna charitatis humanitate memini ſuſceptum, quod vtique iuxta præceptum Domini. Tunc vos infirmo ægrotoque, non ignoro egiſſe, ob æternæ retributionis mercedem; eandem quoque hactenus parum pigræ fraternitatis affectus dilectionem diuini amoris obtentu complentes obſeruare dignoſcimini. Quia de re ſcribendi vobis materiam nequaquam incongruam nactus, qua amabilem veſtræ germanitatis ſpiritalem neceſſitudinem caraxando alloquerer, cum me CHRISTVS bonorum cunctorum largitor, præeunte clementia ſua, diſcentium cœleſti gratiæ ſuæ rore aliquantulum per ſuum participem efficeret. Ideo vobis dirigere verſiculos metrica ratione compoſitos diu fixum mente tenui & corde ſimul dulce habui; quia nullos legentium noui, quibus libentius mitterem, vbi pro certo ſcio nullam diræ fraudis ſuſpicionem mentem deſtinantis mordere, nec dictantem hoſtili vituperatione lacerare, licet vitioſa pagina ſcabraque ſcedula reperiatur. Hanc itaque nuper metricæ artis peritiam, Domini noſtri omnium generalis, meique ſpecialis, Præſolis venerandi BONIFACII ſub magiſterio didiceram, quo mihi, poſt illuminatorem cœleſtem, cui ſecreta patent, & quem occulta & abdita non latent, mentis obtutus aperitur, & arida pectora mea imbre ſuperni nectaris quotidie cœleſti irrigantur. Hos namque verſus, iociſtæ more, caraxatos, reperietis, ſi diligenter non dedignemini litterarum perſcrutari capita, hoc eſt quaternis verſibus cæteros in medio poſitos velut ambitu quodam cingentes

G

C. meam modum Math. 25.

H

A illos. Hi quos tuo nomine proprie prætitulaui, ſeu ſpiritalis matris, à principio incipiunt regulariter ad finem vſque decurrentes. Diſcipulæ vero meæ à calce tuorum inchoant, non inopportune, quia diſcipula magiſtram, ſicut ancilla Dominam ſuam ſequi debeat.

C. Chenalleres ignoti.

Eſto .... memor Domini regnantis in æde ita de fide inchoant........ cœlorum in arce. Si quid autem huic operi minime congruum, terſumque, & contra regulam Grammaticæ artis inſertum inuenietis, hoc polite runcinando, ſumpta lima ex officina Grammaticorum, reminiſcemini. Illud etiam ſubnixa prece flagito, vt per illam immarceſcibilem ſpiritalis amicitiæ neceſſitudinem, nemini hoc opus oſtendatis ſine meo conſenſu, & huius operis perſonam prodatis abſque licentia mea, ne inde dira ſeges inuidiæ creſcat, vnde veræ pacis concordia pullulare debuit, ſed potius pacti fœderis, germanitatiſque copulatæ viciſſim apud nos firmiſſima ſponſione dextrarum memores perenniter eſtote, meique laboris ſudori puriſſimis orationum veſtrarum precatibus fa-
B uere, ſuppliciter poſco, dignemini.

Abſcl. berc. can. dont. chu. feli. gip. ha. gal. ls. Kel. iagu. man. not. os. pert. quirun. rat. ſuigil. tac. vr. ilc. ian. zar.

In operũ V. Bedæ ſrõte prima edit. Baſil. an. 1563.

R. R. R. Rex Romanorum ruit.
P. P. P. Pater patriæ profectus eſt.
F. F. F. Ferro frigore fame.
M. M. M. Monitum monumentum mortuus eſt.
V. V. V. Victor vitalis veniet.
A. A. A. Aurum à nobis aufert.

f. caſſe. In 3. carm. lor.

Lector caſſes Catholicæ
Atque obſes athletice;
Tuis pulſatus precibus
Obnixe flagitantibus
Hymniſta carmen cecini
Atque reſponſa reddidi
Sicut pridem pepigeram
C Quando profectus fueram
Vſque diram Domnoniam
Per carentem Cornubiam
Florulentis ceſpitibus
Et fœcundis graminibus
Elementa inormia
Atque facta informia
Quaſſantur ſub æthereâ
Conuexa cœli camera
Dum tremit mundi machina
Sub ventorum monarchia.
Ecce nocturno tempore,
Orto brumali turbine,
Quatiens terram tempeſtas
Turbabat atque vaſtitas
Cum fracti venti fœdere
Baccharentur in æthere,
Et rupto retinaculo
Deſæuirent in ſæculo:
D Tum libertate poſita,
Et ſeruitute ſopita
Spiſſa ſtatim ſpiramina
Duelli ducunt agmina,
Quibus biſſena nomina
Indiderunt volumina.
Horum archon atrociter
Famam verrens ferociter
Furibundus cum flamine,
Veniebat à cardine,
Vnde Titanis torrida
Labuntur luminaria.
Cumque flatus victoriæ
Non furerent ingloriæ,
Tremebat tellus turbida,
Atque eruta robora
Cadebant cum verticibus,
Simul ruptis radicibus:

E Neque guttæ graciliter,
Manabant ſed minaciter
Mundi rotam rotantibus;
Humectabant cum imbribus,
Cum præpollenti pluuia
Eſſent referta flumina,
Turbo terram teretibus
Graſſabatur turbinibus
Quæ cateruatim cœlitus
Crebrantur nigris nubibus
Neque cœlorum culmina
Carent nocturna nebula,
Quorum pulchra planities
Perlucebat vt glacies,
Donec nimbo ac nubibus
Torue teguntur trucibus.
Nam tenebreſcunt turbine, *Caruit.*
Diſrupto rerum ordine
Germana Phœbi numina,
F Atque præclara lumina
Neque flagrabat flammiger
Ductor dierum Lucifer
Sicut ſolet ſæpiſſime
Auratum ſydus ſurgere
Sed cæcatur caligine
Velut furua fuligine
Plauſtri plane pulcherrima
Non comparent curricula
Aquilonis à Circio
Curſum ſeruantis ſedulo
Ac totidem torrentibus
Septem latet lampadibus
Pleiadis pulchra copula
Ab Athlantis proſapia.
Hæc conſcendunt per æthera
Ab ortu ſolis ſydera:
Tunc pari lancê limpida
Libræ torpebat trutina
G Zodiacus cum cætera
Cyclus fuſcatur caterua, *f. Mazaloth.*
Quem Mazaroth reperimus
Nuncupari antiquitus
Biſſenis cum ſyderibus
Per olympum lucentibus
Nec radiabat rutilus
Sicut ſolebat Sirius,
Quia nubis nigerrima
Abſcondunt polos pallia
Attamen flagrant fulmina
Late per cœli culmina.
Quando pallentem pendula
Flammam vomunt faſtigia
Quarum natura nubibus
Procedit collidentibus:
Nec non marina cerula
Glomerantur in glarea
Qua ruit irruptio
H Ventorum ac correptio
Per Pelagi itinera
Salſa ſpumabant æquora
Cum bullis & brumalibus
Vndoſus vortex fluctibus
Oceanus cum molibus
Atque diris dodrantibus
Pulſabat promontoria,
Suffragante victoria.
Sic turgeſcebat trucibus
Pontus ventorum flatibus
Infligendo fluminibus
Scopuloſis marginibus *vel flaminibus.*
Quid dicam de ingentibus
Altithroni operibus
Quæ nullus nequit numero,
Computare in calculo? *f. apparet.*
En multa in miraculo

Nuoc

A Nunc apparent propatulo
Clara Chriſti clementia
Per hæc facta recentia,
Cum grata gallicinia
Quaſi quarta vigilia
Suſcitarent ſonantibus
Somniculoſos cantibus.
Tum binis ſtantes claſſibus
Celebramus concentibus
Matutinam melodiam
Ac ſynaxis pſalmodiam.
En ſtatim fulcra, flamine,
Nutabant à fundamine
Tigna tota cum trabibus
Tremebundi ingentibus
Vacillabant ab omnibus
Aulæ pulſatis partibus,
In tantis tempeſtatibus
B Ac auroræ turbinibus
Noſtra pauent præcordia
Tot monſtroſo prodigia
Quando cernebant limina
Tecta & laquearia
Horriſonis fragoribus
Concuti & creporibus
Tum tandem curſu caterua
Confracta linquens limina,
f. portam. Portum petit Baſilicæ,
Populante pernicie,
Sic pelluntur pericula
f. maris. Per matris adminicula
Quidam diſcrimen duobus
Deuitantes cum ſaltibus
Per deuexa ac lubrica
Cliuoſi ruris latera
Metuebant magnopere
f. ruere. Caſam contritam crepere.
C Porro cum tetræ tenebræ
Præteriſſent & latebræ
Fariſcentes velamine,
Orto iubaris lumine,
Sciſſa cæca caligine
Quaſi mortis imagine.
Tunc videns ab Eccleſia
Tigilli fuſa fragmina,
f. Velluntur. En inquam noctis horrida
flatorum. Nunc apparent ſpectacula:
Nā venti, Ecce caſæ cacumina
flatores. Cadebant ad fundamina.
Quà ſolebant lautiſſimæ
Sumi dulces deliciæ
En geniſtarum aprica
Frondoſarum velamina
Pelluntur parietibus
Fabrorum aiticibus.
D Heu tectorum tutamina
Proſternuntur in platea:
Ecce crates à culmine
Ruunt ſine munimine
Flatus ſæui ſpiramina
Hæc fecerunt ludibria.
Et niſi natalitia
Pauli ſancti ſolemnia
Tuerentur trementia
Timidorum præcordia,
Forſan quaſſati culmine
Quateremur & fulmine:
Quemadmodum crudeliter
Nouies binos circiter,
Luc. 13. v. 14. Propalant Euangelica
Trini Tonantis famina,
Turris fregiſſe fragmina
Cum immenſa maceria.
Ergo Chriſto in commune
Adempti a diſcrimine,
Grates dicamus dulciter E
Manenti immortaliter
Doxa Deo ingenito,
Atque gnato progenito,
Simul cum ſancto ſuperna
Flatu regente ſæcula.

Finis carmen Aldhelmi.

Incipit Carmen aliud.

NVper de illabentibus
Binis brumæ temporibus *C. brumæ.*
Abſque mora mea usum
Mox completa vergentium,
Quemadmodum mellificis
Heroicorum verſibus
Illuſtris quondam Poëta
Romæ vrbis indigena F
Styli calamo ſtridulo
Caraxante perſedulo
Sacris inſerit ſcedulis
Doctiloquus *Sedulius*
Euolutam labilibus
Mundi molem rotatibus.
Protelata præ patulis
Interuallo obſtaculis
Populiſſe perniciter
Parum ſiſtens ſtabiliter.
Trini fuêre famine
Viri abſque cunctamine
Diuulgati per æthera
Summi olympi ſuprema,
Virtutum quos redimita
Criſtatos cingit corona
Paetanamque per fabricam *Æternamque.*
Æthralis heri vegetam G
Fidei nec non trilicibus
Gicant thoracis humeros
Sic trudantur tyrannidis
Te labioſa tyronis
Quibus horrende irruit
Imber veluti ingruit
Bellicoſus in agone
Chriſti aduerſo agmine
Conſternatus quid veritat
Faruex erectus indicat *f. furux*
Chriſti crucis per culmina *exercitus.*
Ferimus frontis vexilla
Quæ fugax orcas horridis
Timet telorum imbribus *C. quam.*
At vos famoſi viribus
Viri ſudantes ſtrenuis,
Trucem viciſtis trophæo
Hoſtem belli æthereo, H
Qui propinquos & patrias *C. andiſſe*
Aſpernantes, peregrinos *caſu.*
Ignoti ruri ceſpites
Adiſtis caſu præcipites:
Neque furentes vortices
Vndiſonis fragoribus
Turgentis Ditis tellurem
Debellantes per terrorem
Neque latrones libidis *Liuidis,*
Glomerantes geminis *aut libici*
Lætiferæ libidinis *geminum.*
Lucidæque cupidinis
Abſtrahuntque exuuias
Legentibus per auias.
Neque beluæ vibrantibus
Rabidi roſtri rictibus
Aberrantes per deuia
Dumoſi ruris limina
Celſorum Chriſti militum

A Reſtrænarunt propoſitum
Pij num. Tum Agapæ pro numinis
Iter ſuum conaminis
Gradientes ſublimia
Petri petunt ſuffragia,
amneſtia. Illum viſendi gratia
Frequentant vt amneſtia
Nacta foret à numine
Petri iuuanti famine
Omnes hi in Domino
Bini ſane pro ſæculo
Eſſent iuncti bitumine
Germanitatis viſcidæ
Tandem decurre concite
Perlongi callis limite,
Ædem almam adiere
Patriam quam petiuêre
Vbi *Petri* corpuſculum
B Latet tellure conditum
conter-minum. Tum altare felicibus
Conterinis featribus
Proſilit de ergaſtulo
Carnis euulſus clanculo
Clauigero & regiæ
Cœli adhæſit manitæ
Quo euectus florentibus
Paradiſi ceſpitibus
Sociatus ſublimibus
Angelorum cum millibus,
Regnat illic per ſæcula
Carpens æterna gaudia.
Bini bini beantibus
Meritorum meatibus
Vitentes ac ſi floſcula
Paradiſi per florea
Olim ſpreta agilibus
Patrias petunt curſibus
C Non quid luxu labilia
C. quiſquilia. Coſmi quærunt quiſquilia
C. fertur Sed quid fertur non minima
C. didantur. Chariſmatum donamina,
Quibus datur arida
Animarum per florida.
En vehebant volumina
Numeroſa per agmina
Multimodis & myſticis
Elucubrata normulis.
Quorum auctor......
caliton. Adeſſe conſtat alitus,
Quæ Prophetæ Apoſtoli
Doctiloqui oraculi
Indiderunt pergamenæ
Almo inflati flamine
Nunc veſtium velamina
Vila produnt oramina
Mirificoque munere.
D Præferebant propere
Quæque ita enormia
Eliciunt exordia
Pulchra prorſus propagine
Deprompta in origne
Gnari quædam genimina
Vermis fuerunt minima
Foliis quique veſcitur
medio ol. Brumæ meatum oritur.
Cumque proles progreditur
Quorum aluo oritur
Neque illos qui genuit
Vermis idem recaluit
Fœtum fluam ex ſemine
Imo naturæ germine
Sed quid magis mirabile
Mundo & deſperabile
Oua viri & fœminæ
Calificari calore
P rturite progenitum E
Fœtum vellere vegetum
Lana oſtri elabitur
Vermiculo cum vertitur
Spiſſam ſeu aranea,
Telam texit muſcanea
Tumque lanæ latratibus
Fuſæ valde volantibus
Fila in quæ reuoluitur
Veluti ſeris torquetur
Inde ſumuntur ſerica
Quæ portabant promiſcua
Quorum perſplendet ſpecies
Pulchra ſeu planicies
Paradiſi puniceis
Purpurata cum roſeis
Quibus inter eburnea
Lilia locant linea
Sic ſic ſane ſanguinea
Sericorum inſignia F
Pulchre picta perniueo
Colore atque croceo,
Viridi fuluo floreo
Fucata atque lanea
Vt peplorum per pallia
Pulchra pandunt ornamina
Tam Sanctorum reliquias
Nonnullorum eximias
Aduehebant inormiter *dicatum.*
Dicatus nutu nauiter
Quæ concedunt oramina
Orantium fidelia
Nec non adhuc munuſculum
Quidam addunt pulcherrimum.
Toracydos tuentibus
Retorquentes luminibus *thura exoclos.*
Imagines auriferis
Chriſti matris capitibus
Cumque multa magnamina G
Perducebant donamina
Chriſti ſponſæ Eccleſiæ
Cuncta ferebant opimæ
Et ipſorum omnium
Matri Chriſto credentium
Valetote felicibus
Vitam clauſuri calcibus.

Finit Carmen.

Incipit carmen aliud.

SVmmum ſatorem ſolia
Sedet qui per æthralia,
Alti olympi arcibus
Obuallatus minacibus,
Cuncta cernens cacumine
Cœlorum ſummo lumine H
Alta poli & infima
Telluris latæ limina
Cuius immenſa munera
Nequeo prorſus funera
Antequam rictu rabido
Raptent & rodant auido,
Ore halitum corpore
Sortis rigenti torpore
Carminare concentibus
Celſæ laudis ſtridentibus
Ipſum profecto precibus
Peto profuſis fletibus,
Allidens libentiſſime
Solo tenus ſæpiſſime,
Curuatam colli ceruicem
Capitis atque verticem,
Titubanti tutamina

A Tribuat per ſolamina
Sacroſancta ſublimiter
Suffragans manus fortiter,
Alma per adminacula
Hoſtium demat ſpicula
Quibus infeſti fortibus
Ferant thoracas humeris
Chriſti tyronum caſſibus
Cæſis fœdis fragoribus
Afflant necantes imbribus
Telorum & micantibus.
Illos illos Omnipotens
Trudat æternis tenebris
Vbi Typho teterrimus
Tortis globorum gremiis
Girat torquens gurgitibus
Atri ignis vltricibus.
En pilarum acerrima
B Parma pellat acumina
Hoſtium à ferocibus
Protegens arundinibus
Concertantes agonibus
Chriſto ſemper fidelibus,
Æthereus qui omnia
Mundi herus molimina
Verbi tantum cum Numine
Formaſti in origine.
Mihi noua qui oatibus
Aggrederer nutantibus
Litterarum cum luſibus
Odis coaptem vſibus,
Facunda funde famina
. . . .,
Queam cæpto in carmine
Celſo proferre famine
Virum virtutum rumore
Fulgeſcentem in æthere
C Caſſem priſcum cum nomine
Comptum veluti lumine
Aſtra Olympi ignito
Ardui orbi vegeto
Larem librant luciſluam
Luſtrant axis igniſluam *f. fumum fumam.*
Molem mundo minacibus
Eminentem cum arcibus
Fumam furuam frigoribus
Foci complent caloribus
Cœli iubar è culmine
Croceo fundunt fulmine.
Titan tremet torrentibus
Tædis late lucentibus
Paſſim orbis per margioem
Aduſque cœli cardinem
Phœbe quoque flagrantibus
Fratrem iuuat ardoribus
Noctem nigram nubeculis
D Lucem luſtrat corniculis
Ambo ſpargunt ſpiramina
Ignis æthralis lumina
Neque nocet nitoribus
Nemoroſis ceſpitibus
Ruris rigati riuulo
Roſcidi roris ſedulo
Sed lutoſam liquoribus
Tellurem humectantibus
Arebant aſtra ignito
Torrentis globi iaculo
Gleſcunt vt glebæ germina
Dura atque tenerrima.
Situ roſcido robora,
Quæque vireſcunt tenera
Succorum ſumunt ſaporem.
Seuerum nam per vaporem.
Ita caſtis per culmina
Priſci pandunt præfulgida
Glorioſa per agmina
E Gemmifera oramina
Butulanti redimita
Obrizo velut limpida
Aſtra conuexi Olympi
Orbi clareſcunt viridi
Althelmum nam altiſſimum
Cano atque clariſſimum
Alto noſtratum nomine
Nuncupatum & numine
Pollentem per cœleſtia
Potentem ac terreſtria
Sic ſic ſane ſublimibus
Satis ornatum cultibus
Cœli ceu per culmina
Candent per orta fulmina.
Illis illis in omnibus
Æqualem dico actibus
Quæque fari ſublimiter
Odis huius inormiter
F Surgens nempe prolixitas
Refragat atque vaſtitas.
Tibi ſalus per ſæcula
Soſpes ab vſque macula
Maneat immortaliter
Fine tenus feliciter.

Finis carmen.

Incipit carmen aliud.

VAle vale fidiſſime
Phile Chriſti chariſſime
Quem in cordis cubiculo *C. Chriſte.*
Cingo amoris vinculo
Hauchoua altiſſime
Olim ſodes ſanctiſſime,
G Salutatis ſupplicibus
Æthelwaldi cum vocibus.
Te te herus in omnibus, *f. aichoua.*
Clarum creauit actibus, *f. ſodalis.*
Forma & viſu virilem,
Facto & dicto ſenilem,
Tuam primum propaginem
Per profundam indaginem
Curioſe conficere
Mentis atque inſpicere
Nullus valet volucribus,
Summi cœli ſub nubibus.
Tamen aggreſſi, gaudiis,
Loquemur parum, trepidis
Summo ſatore ſobolis
Satus fuiſti nobilis
Generoſa progenitus
Genetrice expeditus,
Statura ſpectabilis,
Statu & forma agilis
Caput candeſcens crinibus
H Cingunt capilli nitidis:
Lucent ſub fronte lumina
Lati ceu per culmina
Cœli candeſcunt calida
Clari fulgoris ſydera *f. omnilibus.*
Genæ gemellæ collibus
Glomerantur cum ollibus,
Pedetentim purpureo
Pictæ fuco & niueo;
Roſa veluti rutilis
Radiat valde floſculis
Aures auſcultant omnia
Verba ex ore prodita
Almi oris innumera
Nequeunt fari munera
Adeſt verboſa fulgidum
Sophia & omne lucidum.

Manus

A

Manus manus mirabiles
Multum pedes placabiles
Tibiæ curſu tereres,
Tantum fortes vt ſonipes:
Sæpe ſequuntur curſibus
Salientes præpetibus.
Nam ſi centenis clamitet
Quiſque linguis & vocitet
Ferrea voce fremitans,
Valde & ore crepitans
Nequit ſine in ſæculo
Vllus fari oraculo
Quantum mundo mirabilem
. . . .
Neque altum ingenium
Explicare mortalium
Vllus valet ſonantibus
Licet clamet concentibus

B

Quod idcirco non offero
Laude quauis nec refero
Qui mundi per omnia
Cuncti claret confinia
Soſpitem rete ſordibus
Seruet herus ab omnibus
Tegat totum tutamine
Truſo hoſtis acumine
Rite reddens refugium
Robuſtum per ſuffragium
Inque licet æthereum
Cœleſtis ſcepteri gremium
Vbi ſemper conſortium
Perfruaris angelicum
Fine carens, cœleſtibus
Vitam deges ceſpitibus.

Finit Carmen.

C

EPISTOLA LXX.

GVTHBERTI AD LVLLVM.

Reuerendiſſimo fratri & in amore Chriſti cariſſimo Lullo Coepiſcopo, ſimulque cooperatoribus tuis Epiſcopis & ſacerdotibus Dei, quorum nomina in libro vitæ ſcripta teneantur Guthbertus ſeruus ſeruorum Dei, cum alijs conſacerdotibus Chriſti & Presbyteris ſeu Abbatibus, æternæ proſperitatis ac pacis in Domino ſalutem.

PRofitemur igitur, chariſſimi, ſinceriſſima intentione coram Deo & electis Angelis, quia quandocunque veſtram dilectionem pacis ac proſperitatis prouentum & ſanctæ religionis in Chriſto profectum, ſacræque exhortationis fructum de aliorum conuerſatione abundandantius habere rumigerulis referentibus audimus, quod inde ſatis gaudentes & pro vobis obnixius orantes læti gratias agimus largitori bonorum omnium Deo. Quando igitur aliqua religioni veſtræ iniuria facta, aut ali

D

quod irrogatum narratur damnum, mœror & triſtitia nos crucias, quia nimirum ſicut gaudio veſtro in Chriſto congaudemus, ita & aduerſitate pro Chriſto contriſtari compatimor. Noo enim aliquando in memoria noſtra obliterari poſſunt diuerſi atque indefeſſi tribulationum angores, quos, vt viſcera noſtra, vos ipſi cum Deo dilecto Patre noſtro beatæ memoriæ Bonifacio martyre, inter perſecutores Paganos, & hæreticos, atque ſchiſmaticos ſeductores in tam periculoſa ac ferocitate plena peregrinatione, pro amore æternæ patriæ, longo tempore ſuſtinebatis; & quia illo ſcilicet per agonem martyrij, cum ſuis plurimis domeſticis, ad æternam cœleſtis patriæ quietem glorioſe feliciterque migrante, vos, qui ſuperſtites talium eſtis, forſitan eo periculoſius ac difficilius inter diuerſa tentamenta conuerſamini, quo tantò patre, & doctore ad præſens vos orbatos eſſe conſtat. Et quamuis hinc quædam mœſtitiæ amaritudo noſtra diſcruciat valide præcordia: tamen huiuſce doloris gemitum quædam ſæpius ad memoriam rediens nimiæ ac nouæ exultationis hilaritas iucundat ac mitigat, dum frequentius recolentes, admirabili vel potius ineffabili Dei pietati tripudiantes gratias agimus, quod tam præclarum ſpeculatorem cœleſtis bibliothecæ, tamque egregium Chriſti militem cum multis bene educatis, & optime inſtructis diſcipulis gens Anglorum aduena Brittania meruit, palam omnibus ad ſpiritales agones, & ad multarum, per Dei omnipotentis gratiam ſalutem animarum de ſeſe procul laudabiliter emittere, vt longe lateque ferociſſimas nationes per deuia diutius errantes, de lata ac ſpatioſa voragine perditionis perpetuæ, ad ſplendifluas ſemitas ſupernæ patriæ, per ſacræ exhortationis incitamenta, & per exempla pietatis ac bonitatis, ipſe ductor & ſignifer antecedendo, & aduerſa quæque, opitulante Deo, fortiter expugnando; feliciter perduceret. Quod ita actutum veraciter fieri, tam rerum effectus glorioſus quam dicta demonſtrant; & in illis quoque locis, quos ante eum nullus aliquando, Euangelizandi cauſa, doctor adire tentabat. Vnde igitur poſt incomparabile toto orbe Apoſtolicæ electionis & numeri myſterium, aliorumque tunc temporis euangelizantium diſcipulorum Chriſti miniſterium, hunc inter egregios & optimos orthodoxæ fidei doctores, & amabiliter habemus & laudabiliter veneramur. Vnde in generali Synodo noſtra, vbi & de cæteris omnibus quæ veſtræ modo ſanctitati paucis depromimus, plenius inter nos conferebamus, eius diem natalitij, illiuſque cohortis cum eo martyrizantis inſinuantes ſtatuimus annua frequentatione ſolemniter celebrare, vtpote quem ſpecialiter nobis cum beato *Gregorio* & *Auguſtino* & patronum quærimus & habere indubitanter credimus coram *Chriſto Domino*, quem in vita ſua ſemper amauit, & in morte, vt ipſius meruit gratia, magnifice clarificauit. Præterea quippe, vt prædiximus, veſtræ ſollicitæ ſpeculationis curam, & quaſi tædio abſentati Patriſfamilias, vt ita dicam; quodammodo confectam, nec non & generalitatem ſubiectorum vobis ſeruorum Dei, paternis affatibus fraterniſque ſolatiis releuare & conſolari, vbicunque & in quocunque negotio præualemus, fatemur nos ſemper eſſe paratos. Vnde inprimis ad confirmationem dilectionis, quam erga vos habent penetralia cordis noſtri, ſermone affectuque Apoſtoli vtamur, & cum Apoſtolo ſimul dicamos. *Gratia vobis & pax. Gratias agimus Deo ſemper pro omnibus vobis, memoriam facientes in orationibus noſtris ſine intermiſſione, memores operis fidei veſtræ, & laboris, & charitatis, & ſuſtinentiæ ſpei Domini noſtri Ieſu Chriſti, ante Deum & Patrem noſtrum*; Quod enim iam olim viuente venerandæ memoriæ Bonifacio, per ſcripta nonnulla, & per fideles internuntios, æque conditum eſſe conſtat, idipſum ſemper reuocare ad inuicem ſatis neceſſarium ducimus; hoc eſt, vt mutuæ pro nobis, noſtriſque & hic viuentibus & hinc obientibus interpellationes, orationes, Miſſarumque remedia ad viuentem Deum & iudicem omnium ſuppliciter agantur, iuxta Apoſtolica monita: *Orate*, inquit, *pro inuicem, vt ſaluemini*, & reliqua. Hoc enim modo nobis diuinam clementiam complacare dignoſcimur, offerentes ei orationum pura libamina. Sic nobis eandem proſperantem inuenimus in aduerſis. Etenim vbi Domini, iuxta ipſius promiſſa, præſto eſt adiutorium, cuncta fugatur malignorum aduerſitas. Ipſe enim dixit: *Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram de omni re, quamcunque petierint, fiet illis a Patre meo qui in cœlis eſt.* Hoc enim ſagaci ſolertia ſtudioſius ideo agendum eſſe iudicamus, quia, iuxta Apoſtolica, præſagia, Inſtant nunc *tempora periculoſa* & reliqua quæ ipſe in eadem proſequitur epiſtola. Et quia non eſt opus ſcribere vobis de exterioribus calamitatum incurſibus, quas frequenter, vt reor, paſſi eſtis, id eſt, perſecutionibus rapinis, odiis, & ſcandalis, & his ſimilibus. Cæterum ecce quampluribus in locis Chriſtianæ religionis valide ſtatus vacillat, dum pene vndique exterius interiuſue rerum Eccleſiaſticarum perturbatur ordo, nouellarumque conuer-

Marginal notes: B; *C. Educatore.*; *f. ſplendoriſluas vel ſplendiſicas.*; F; *f. actutum.*; *Feſtus dies S. Bonif. & ſacrorum Martyrū.*; *S. Bonifacius ab Anglis eligitur patronus*; *f. nunc quaſi vel*; G; *mœſtitia & quaſi C. rencla re conſolare.*; 1. Theſſ. 1.; *Orationes pro viuis & defunctis.*; *Miſſa.*; Iacob. 5.; H; Matt. 19. 14.; 2. Tim. 3. 1.

A

ſationum prauæ vbique pene ſuccreſcunt ſectæ; Nec mirum, dum, poſt videlicet poſitis antiquorum Patrum decretis, ac legibus Eccleſiaſticis relictis, multi iuxta proprias adinuentiones, praua & plurimorum nociua ſaluti ſentiunt, affirmant, atque agunt, vt ſcilicet tranſacto anno à quodam magnæ auctoritatis viro dictum & geſtum eſſe conſtat. Adhæc autem nos, vt timeo puſillanimes, & minus zelo iuſtitiæ accenſi, quid aliud inprimis agere debemus, quam vt indeſinenter ſuffragia ſanctorum poſtulemus Apoſtolorum, Martyrumque Chriſti, ac venerabilium antiſtitum Eccleſiarum Dei, vt in hoc, quod vocati & conſtituti ſumus, continuis excubiis, Chriſti gratia nos faciat perſeuerare, & vt non ſimus reprobi, ſed magis accepti, non deſides, ſed ſolertes, non diſpergentes, ſed congregantes, quoſcunque valeamus ad vnanimitatem Chriſtianæ religionis, & vnitatem Eccleſiaſticæ conuerſationis, quatenus miniſterium noſtræ diſpenſationis & laboris ſolertia ad laudem & gloriam Dei omnipotentis proficiat, vt cum bene ſeruientibus ac placentibus Deo quandoque mereamur audire: *Beatus ſeruus, quem, cum venerit Dominus, inuenerit vigilantem, Amen dico vobis, quod ſuper omnia bona ſua conſtituet eum*, Et adhæc, frequentius ad memoriam exempli cauſa reuocemus, recordandæ memoriæ egregius Magiſter & Martyr beatus Bonifacius, quomodo vel quanta ſolertia laborarit in doctrina Chriſti, quanta pericula atque difficultates pro amore Chriſti & animarum lucro, etiam vſque ad ipſam mortem, libenter tolerarit. Et quia omnipotentis modo familiaris factus eſt, prudentia veſtra ſolerter attendat, ſi eius vos oporteat ſacris admonitionibus conſentire, & pietatis illius exempla pro viribus ſequi. Ille enim quantum illius domeſticus factus eſt, quem amauit ante omnia, tantum maiora apud eum poterit obtinere. Vnde quippe ſi aliqui ſubiectorum illius, quibus eum quondam diuina diſpenſatio magiſterij loco præfecit, ab eius documentis ſpiritalibus diſſentiunt, vel praua conuerſatione recedunt, qui defenſor illorum in æterno iudcio eſſe potuit, fit potius accuſator, & rationes ab eis cum ipſo iudice diſtrictius requirit. At vero è diuerſo, quicunque illius ſacræ inſtitutionis ac doctrinæ normulam rite conſequuntur, pro certo ſe ſciant, & ipſius *Romana atque Apoſtolica Eccleſia*, à qua Legatus eis, & doctor directus eſt, ac deinde, pariter cum ea, omnium noſtrum habere & viuentes & morientes in oratione, & Miſſarum celebratione, vt ſupra diximus; perpetuam communionem: Si tamen vſque ad finem firmam vobis dehinc Doctoribus & Rectoribus ſuæ ſalutis, humiliter atque amabiliter, pro Deo & æterna mercede, non dedignantur obedire, non deficientes aliquando, vt indeuoti vel ſubdoli, ſed ſemper vt bonæ indolis diſcipuli proficientes, & fideliter adhærentes ſuæ militiæ in Chriſto Magiſtris, ad palmam ſupernæ vocationis Dei & gloriam regni cœleſtis. Hæc ſalutatoria veſtræ ſanctitati ſcripſimus verba, non quaſi ignaris aut indigentibus noſtræ ruſticitatis normula, ſed charitatis atque communionis mutuæ gratia, conteſtantes & obſecrantes per omnipotentem Deum, & Filium eius Ieſum Chriſtum, & aduentum ipſius, & regnum eius, vt vos, ô cariſſimi, cuncti generaliter cum ſubiectis vobis in Chriſto per omnia ſitis ſemper ad inuicem fideles adiutores, & vnanimes cooperatores, contra omnes orthodoxæ fidei inimicos atque hæreticos & ſchiſmaticos, ac nequiſſimæ conuerſationis homines. Per hoc enim eritis bonis hominibus amabiles ſeu laudabiles, & Deo omnipotenti acceptabiles atque cari: & ita, cum ipſo præfato beato Patre, & prædeceſſore veſtro, felicem in futuro vocem à iudice cunctorum Chriſto ſinguli mereatis audire: *Euge*, inquiet, *ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam. Intra gaudium Domini tui.* Amen.

C. egeſtâ.

B

Luc 12. v. 37. 43. 44.

C

Orans beati.

D

2 Tim. 4.

C. prædeceſſore.

Matt. 25. 21.

Luc 19. 17.

✠ Omnipotens Deus vos omnes diu incolumes in ſuo ſancto amore & timore cuſtodire dignetur.

E

Dilectiſſ. ff. ac filij. ✠

✠ Cuthberchtus Archiepiſcop.

✠ Lullo Coepiſcop.

EPISTOLA LXXI.

NOTATIO.

Hic è Cæſareo Codice folium erat defectum. Ideoque an vna vel plures deſint epiſtolæ, non liquet: certè huius, quæ ſequitur deeſt principium.

F

ALiæ vſque ad aſcellas, & vſque ad collum, & aliis ſupra caput ebulliens tormentum aſcendebat Ignis, & atramenti. Ibi Abbatum, Abbatiſſarum, Comitum, & omnis ſexus multitudo viſa eſt varie torqueri: & multis adhuc viuentibus vniuerſæ dignitatis & ignobilitatis loca, pro meritis peccatorum, parata, & omnes animas in puteis quandoque ſolubiles eſſe, vel in die iudicij aut ante: & narrabat vnam fœminam redemptam de aliquo puteo, Miſſarum ſolemnitatibus, & hoc maximum bonum animabus egredientibus de corpore dixit, & omne genus humanum & totum mundum fuiſſe collectum ante conſpectum ſuum, vt diſcernere quid quiſque vel boni vel mali egiſſet, nominatim in corpore viuens ea hora, & pene omnium viuorum merita narrare potuiſſet. Et poſtea terram viuentium & gaudentium, plenam odoriferis floribus, & multas animas notorum & ignotorum nobis hominum, ſicut & in omnibus locis ſe vidiſſe atteſtabatur. Deinde ab ipſa terra tramitem vſque ad cœlum primum in ſpecie arcus cœli, inde alium ad ſecundum, à ſecundo ad tertium & albatorum conuenticula viuorum & mortuorum, & ſuperius cœlum ſemper pulchrius inferiori aſpexiſſe ferebat: & in ipſo monaſterio vnlueiſis manentibus Ingedrage, demandatum eſt ei à Iudice pandere delicta atque peccata omnia, cæteris hominibus, nec præceptum, nec interdictum eſt, & cætera. Plura ſunt, quæ nominatim ſingillatimque nobis indicauit, & longum eſt mihi explicare; & maxime dum reminiſci ordinaliter nullatenus valeo, niſi hoc adhuc recordor, dæmones quidem in tres turmas vltra modum magnas diuiſos, vnam in aëre; aliam in terra, & in mari: tertiam ad pœnalia loca parare tormenta vidit. Primam namque turmam ad decipiendum homines in hac communi vita contendere: Secundam egredientes de corporali ergaſtulo animas in aëre continuo inhianterque perſequi, & ad tormenta tradere aſpexit. Et in ipſis pœnalibus puteis *Cuthburgam* ſimulque *VVialan* quondam regінali poteſtate fruentes, demerſas, alteram vſque ad aſcellas, id eſt. *Cuthburg* capite tenus humeroſque præclaram, cæteris membris maculis conſperſam: alteriuſque, id eſt, *VVialan*, ſupra caput flammam extendere totamque animam ſimul cremari intuebatur. Ipſos autem pœnarum miniſtros in facies illarum, proprias carnales voluntates, quaſi lutum feruentem iniicere, & horribilem vlulatum, quem quaſi per totum mundum reſonaſſe miſerabiliter vocibus earum audiebat. Hic quoque ipſum exulem aliquando Comitem, qui dicitur *Ceola Snoding*, incuruato dorſo, capite, pedibuſque, vncis ad infixum: Abbatem quoque tuum in ipſo loco ſupra dicto duplici fumo, *Æthelbealdumque* quondam regalem Tyrannum, ſimulque infantium numeroſam multitudinem ſub *Danielo* Epiſcopo maxime ſine baptiſmo morientium triſtem & mœrentem aſpexit formulam; vnius cuiuſque ſecundum ſpecialem effigiem animæ priſtinis comparem membris. ſpeciebus vero di-

Similis epiſtola fuit 21. ſupra.

Miſſa defunctis valde proficue.

C. animas profuiſſe, f. ſimul.

G

H

f. feruens.

uerſis:

A

uerſis: alias claritate Solis, alias Lunæ, alias Stellarum radiis proptie communiterque fulſiſſe cognovit. De ipſis autem viuis qui ſuperſunt, adhuc contemptoribus tam profuturæ reuelationis, *Danielo* milite *Breguulſo* colle-giiſque eorum ſtupris communibus, emeritiſque pœnis qualia ſe vidiſſe teſtabatur, nobis ſilendum reor. In fine autem huius viſionis, inenarrabilem ſonitum per trina illa cœleſtium luminum ſpatia, & omnes animarum multitudines in his manentium reſultantem, ſuperius tanquam vocem tubarum multarum in inferiora deſcendentem, mirabiliterque vincentem audivit: ſtatimque poſthæc recedente acroamate, Angelicis ducibus, & germana ſimul monentibus, atque memoriter amorem creatoris mente fideli retinuiſſet, corpori reddita eſt. Tamen, inter carnales anguſtias, aliquandiu innumerabilem multitudinem ſpirituum immundorum lugubriter gementem vidit, quia detectas ſuas nequitias hominibus, quas exercuerunt diuino munere eſſe cognouerant.

Cõmune in ſcripturis quandoque dicitur pollutum, C. qui. C. oromate. f. horomate, id eſt, viſio ne.

B

Ad confirmationem autem huius oſtenſionis, ægritudinis ſuæ ſalutem, quæ prius pene toto corpore ſimul colligato, per biennium extenſa eſt, (quod factum nunc cum miſericordia Dei late cognoſcimus) prædixit: nec hoc ſolum, ſed & conſamiliaribus ſingillatim ſpecialia, cæteriſque incognita, & non ipſis tantum, ſed Regi, Reginæque, Epiſcopiſque & multis, quorum nomina longum eſt ſcripto continere, manifeſte innotuit. Ieiunium quoque, pro communibus totius familiæ prædictæ reatibus, X L. dierum ſpatium continens, ex ipſius Iudicis imperio, indixit, venturamque vindictam hominibus in propriis communiter corporibus pro negligentia extranearum foriſecus per creaturam monitionum Dei, cæteraque his ſimilia multa prædixit, & antea hanc miſeram vitam, dum ex ſuperiore contemplatione reuerſa fuerat, vitiis ſuperbiæ, inuidiæ, cupiditatis, detractionis, cæteriſque quaſi nigerrimo peplo contectam, & ſine lumine remanſiſſe æternæ claritatis conſperiſſe ſe lugens proteſtabatur. Vale in CHRISTO, & mei ſine intermiſſione in orationibus frater memorare.

C

EPISTOLA LXXII.

Domino ſancto meritiſque beato fratri MASONI *Epiſcopo* ISIDORVS *Epiſcopus.*

C. quæ le.

VEniente ad nos famulo veſtro viro religioſo *Nitirio*, litteras honorificentiæ veſtræ nobis detulit, in quibus agnitio ſalutis veſtræ patuit, maximeque per eundem portitorem, cuius lingua epiſtola viuens erat. Vnde pro ſalute veſtra gratiarum actionibus Domino noſtro repenſis, in quantum valuit mediocritas noſtra, vicem inquiſitionis ſtuduimus reddere, poſcentes meritorum veſtrorum ſuffragiis diuinis nos commendari conſpectibus. Verum quod ſequenter in epiſtola venerabilis fraternitas tua innotuit, nulla eſt in huiuſmodi ſententiis decretorum diuerſitas intelligenda, quod alibi legitur, in lapſu corporali reſtaurandum honoris gradum poſt pœnitentiam, alibi poſt huiuſmodi delictum nequaquam reparandum antiqui ordinis meritum. Hæc enim diuerſitas hoc modo diſtinguitur. Illos enim ad priſtinos officij gradus redire canon præcipit, quorum pœnitentiam præceſſerit ſatisfactio, vel digna peccatorum confeſſio. At contra hi, qui neque à vitio corruptionis emendantur, atque hoc ipſum carnale delictum quod committunt, etiam vindicare quadam ſuperſticioſa temeritate nituntur, nec gradum vtique honoris, nec gratiam communionis recipiunt. Ergo ita eſt vtraque dirimenda ſententia, vt neceſſe ſit illos reſtaurare in loco honoris, qui, per pœnitentiam, reconciliationem meruerunt diuinæ pietatis. Hi enim non immerito conſequuntur adeptæ dignitatis ſtatum, qui per emendationem pœnitentiæ, recepiſſe noſcuntur remedium vitæ. Hoc vero ne forte ambiguum ſit, diuinæ magis auctoritatis ſententia confirmatur. Ezechiel enim Propheta ſub typo præuaricatricis Hieruſalem, oſtendit poſt pœnitentiæ ſatisfactionem, priſtinum poſſe reſtaurari honorem. *Confundere*, inquit, *Iuda, & porta ignominiam tuam.* Et poſt paululum; *& tu*, inquit, *& filia tua reuertemini ad antiquitatem veſtram.* Quod dixi, *confundere*, oſtendit poſt confuſionis, id eſt, peccati opus, debere quemquam erubeſcere, & pro admiſſis ſceleribus verecundiam, fronte humo proſtrata, demergere pro eo, quod dignum confuſionis perpetrauerit opus. Deinde præcepit vt poſt ignominiam, id eſt, dehonorationem nominis ſiue dignitatis reuertatur ad antiquitatem ſuam.

C. ſtatuit. f. claruit.

D

Quomodo poſt lapſum in priſtinum gradum redeatur, aut non.

E

Ezech. 16. 52. v. 55.

Ergo dum quiſque poſt opera confuſionis ſuæ confundetur, atque ignominiam depoſitionis ſuæ lugens cum humilitate portauerit, reuocari, ſecundum prophetiam, ad priorem ſtatum poterit. Item Ioannes Euangeliſta Epheſi Eccleſiæ, inter cætera, ſimile quiddam ſcripſit dicens: *Memor eſto, vnde cecidiſti, & age pœnitentiam & priora opera tua fac. Alioquin veniam tibi & mouebo candelabrum tuum de loco ſuo.* Angelo Eccleſiæ, præpoſitum vtique, id eſt, ſacerdotem oſtendit, iuxta Malachiam, qui ait: *Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.* Præpoſitus ergo lapſus in vitium per Euangeliſtam monetur, vt memor ſit, vnde ceciderit, & pœnitentiam agat, & prima faciat opera, vt non moueatur candelabrum eius, per *candelabrum* Angeli doctrina ſacerdotalis, vel honor maieſtatis, quam ſtat, intelligitur iuxta quod ſcribitur apud Samuelem damnatione Eli: *Oculi eius caligauerant, non poterat videre lucernam Dei antequam extingueretur.* Lucerna quippe Dei fuerat, quando dignitate ſacerdotali pollet, iuſtitiæ claritate fulſerat, quam extinctam Propheta aſſerit, dum, ob ſcelus filiorum, ſacerdotis poteſtatem meritorumque lumen amiſit. Candelabrum itaque ſiue lucerna ſacerdotis (quæ intelliguntur chariſmata honoris) tunc penitus, iuxta Iohannem, extinguitur, vel mouetur, quando poſt caſum delicti, pœnitentia admiſſa ſcelera non deflentur. Non enim dixit: pro eo quod cecidiſti, commouebo candelabrum, ſed, *niſi pœnitentiam egeris mouebo candelabrum tuum.* Ergo quemquam peccantem præpoſitum ſi pœnituerit, pœnitentiam delicti vtique ſequitur reparatio meriti. Et in Prouerbiis, *Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur, qui confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur.* Nam & ipſum, quod canonum cenſura, poſt ſeptem annos, remeare pœnitentem in ſtatum priſtinum præcipit, non hoc electione proprij arbitrij. Patres, ſed potius ex ſententia diuini iudicij ſanxerunt. Nam legi, quod Maria ſoror Moyſi, prophetiſſa, dum obtrectationis aduerſus Moyſen incurriſſet delictum, illico ſtigmate lepræ perfuſa eſt. Cumque peteret Moyſes, vt emundaretur, præcipit eam Deus extra caſtra egredi VII. diebus, & poſt emundationem, rurſus eam in caſtris admitti. Maria ergo ſoror Aaron, intelligitur caro ſacerdotis, quæ cum ſuperbiæ dedita ſordidiſſimis corruptionum contagiis maculatur, extra caſtra VII. diebus, id eſt, extra collegium ſanctæ Eccleſiæ VII. annis proiicitur, quibus in emundatione vltiorum completis, loci ſiue priſtinæ dignitatis recipit meritum. Ecce, in quantum valuimus, Conciliorum antiquam planæ & tam plenæ auctoritatis ſententiam ſacris teſtimoniis explanaui, eum oſtendens poſſe reſtaurare proprium honorem, qui per pœnitentiæ ſatisfactionem, nouit propria delicta: non poſſe reſtaurare, qui nec luget quæ geſſit, & lugenda ſine vllo pudore religionis diuini iudicij committit. In fine autem huius epiſtolæ hoc adiiciendum putaui, vt quotieſcumque in regeſtis Conciliorum diſcors ſententia inuenitur, illius Concilij magis teneatur ſententia, cuius aut antiquior, aut fortior reſtat auctoritas, Amen.

Apoc. 2.

F

G

Apoc. 2.

C. Prouenerit.

Prou. 28 13.

Num 12.

H

C Concilij Ancyrani,

Fragmentum quod ſequitur, vel ad ſuperiorem, vel ad aliam, cuius deeſt initium, epiſtolam pertinet. Numerorum tamen cauſa, numeretur.

A

EPISTOLA LXXIII.

INterdum enim, & iuxta metitum plebium eliguntur perſonæ electorum, vnde nouerunt populi meriri ſui regimen præuerſi ſuſcepiſſe Pontifices. Quod autem is, qui poſt baptiſmum aliquo mottali peccato corruptus ad ſacerdotium non promoueatur, lex ipſa teſtatur. Moyſes enim in lege præcepit ſacerdotibus, ne aliquod pecus vitiatum offerant ad aram Dei, quod Ipſum poſtea ſpernentibus ſacerdotibus Iſraël per Malachiam improperauit Deus dicens: *Vos eſtis ſacerdotes, qui polluiſtis nomen meum, & dixiſtis, in quo polluimus eum? offerentes ſuper altare meum panem pollutum*, & offerebatis cæcum & languidum. Vnde & in Numeris vitula ruſa, cuius cinis expiatio populi eſt, non aliter iubetur offerri ad altare Domini, niſi quæ terrena opera non fecerit, iugumque delicti non traxerit, nec vinculis peccatorum fuerit alligata. Sed quid plura ſubiiciamus? Si enim is, qui iam in Epiſcopatu, vel in Presbyterio poſitus mortale peccatum aliquod admiſerit, non debet offerre panes Domino, quanto magis ante vnuſquiſque ſciens, quod *potentes potenter tormenta patientur* retrahat ſe ab hoc non tam honore quam onere, & aliorum locum, qui digni ſunt non ambiat occupare. Qui enim in erudiendis atque inſtituendis ad virtutem populis præeſt, neceſſe eſt, vt in omnibus ſanctus ſit, & in nullo reprehenſibilis habeatur. Qui enim aliquem de peccato arguit, ipſe à peccato debet eſſe alienus.

Malac. 7. & 8. Num. 19.

B

Sap. 6.

C. peru.

Oratio pro ſemetipſo.

DOmine Ieſu Chriſte, propitius eſto mihi peccatori, quia tu es immortalis & ſine peccato ſolus: Domine Deus noſter tu es benedictus, qui benedicis omnia: tu es ſanctus qui ſanctificas: Domine Deus noſter indulge mihi famulo tuo, quia peccator ſum & indignus, quia præſumpſerim ad ſanctum altare tuum inuocare, quia peccaui coram te & coram Angelis tuis. ſed tribue nobis indulgentiam delictorum, & confirma ſanctam Eccleſiam tuam in fide recta, & doce nos facere voluntatem tuam omnibus diebus vitæ noſtræ. Per Dominum.

C. altari.

C

C. orto. ſ. orthodoxa.

SECRETA.

SVſcipe, clementiſſime pater hoſtiam placationis & laudis benignus quas tibi offero indignus famulus tuus pro famulis & famulabus tuis, quia tu ſcis figmentum meum, tu ſcis omnia quæ egi in conſpectu tuo, & in conſpectu ſanctorum tuorum, qui non vis mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat & reſpice in me, & miſerere mei, quia tu es clemens & miſericors Deus, qui viuis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

1. Tim. 2.

DOmine concede mihi pacem, & ſanitatem, fidem & caſtitatem, victum & veſtitum, & tu Domine de limo terræ feciſti me oſſa & neruos: firmaſti me Spiritu ſancto: tradidiſti me. Tuus ſum Domine cuſtodi me. Domine Ieſu Chriſte fili Dei viui, qui me creaſti, ex toto corde meo, ex tota anima mea, & ex tota fortitudine mea, te adorare præſumo. Poſt baptiſmum ſanctum quæcunque feci contra voluntatem tuam verbo, & cogitatione, & operatione, indulge peccata mea: & qui in me peccarunt, ante conſpectum Dei, & omnes virtutes Angelorum his dimitto. Domine Deus omnipotens, confiteor tibi peccata mea quæ feci & geſſi, præſta mihi veram pœnitentiam. Domine excelſe, peccaui Domine, in ſomno & pigritia. Peccaui, Domine, & Sacramenta heu miſer mea voluntate pollui. Heu miſer tanta ſunt in me peccata, Deus miſerere, qui nullum vis perire: præſta mihi veram pœnitentiam, & dignare me exaudire.

D

ſ. redemiſti. C. ſlim.

Concepi & feci.

C. ſomnium.

E

EPISTOLA LXXIV.

Domino digniſſimo, venerando, & merito inſigni ac præſtantiſſimo, longe lateque pro Chriſtiana religionis prædicanda doctrina diffamato, & pro conuerſatione vitæ probatiſſima celeberrimo, nobis quoque non immerito, ob cognationis noſtræ ſemper memorandæ neceſſitudinem, chariſſimo Lullæ Epiſcopo, Cinehcardus indignus, vt vereor, Epiſcopus Ventanæ Ciuitatis, ex intima viſceralium medullarum affectione æternaliter in Chriſto ſalutem.

PErlectis literarum à tua ſanctitate directarum dulciſſimis, ac nimium placabilibus periodis, in quibus amicabiliter noſtram paruitatem comperimus ſalutatam, admonitamque, vt eandem vnitatis obſeruantiam cuſtodiret, quam anteceſſores noſtri fideliter fine tenus obſeruarunt Dominus Bonifacius Archiepiſcopus, Chriſtique confeſſor beatificandus, & *Daniel* doctiſſimus Dei plebis famulus, ſimul & ſucceſſor eius *Vuenſtanus* Epiſcoporum mitiſſimus, &c. Quæ te melius recoluiſſe credimus, in caraxatis commendata, mentis diligentiſſima indagine didiciſſe curauimus, & gratiarum actiones condignas, in quantum ſufficimus, perſoluendo gerimus, quod noſtri memoriam interpoſitis tantarum ſpatiis terrarum, mariſque magni interluente latitudine facere dignemini. Et hoc profitemur, quod omnia quæ, tua ſanctitate ſuggerente, mandata ſunt, ſtudioſiſſime, Domino fauente, complere ſatagimus, non tantum in ſpiritali orationum ſolatio exhibendo, & Miſſarum ſolemnitate celebranda pro vobis, & pro illis, qui in veſtris regionibus in Chriſti confeſſione obeunt, ſed etiam ſi qua ſæcularis ſubſtantiæ ſolatia veſtris vſibus profutura in his regionibus adipiſci poterimus, veſtræ participationi parata erunt. Et hoc petimus, ſi qua apud vos ſolamina nobis neceſſaria, vel ignota, ſpiritalis quidem ſcientiæ ſiue in libris antiquis, qui à nobis non habentur, ſiue in aliis Eccleſiaſticis adminiſtrationibus, vt nobis libenter participare non negetis. Nec non & ſi quos ſæcularis ſcientiæ libros nobis ignotos adepturi ſitis, vt ſunt de medicinalibus, quorum copia eſt aliqua apud nos, ſed tamen ſegmenta vltra marina, quæ in eis ſcripta comperimus, ignota nobis ſunt & difficilia ad adipiſcendum: vel ſi qua in aliis quibuſlibet negotiis, vel ſpeciebus nobis neceſſariis prouidetis, communicare dignemini vt feciſtis villoſam mittendo. Nomina quoque Presbyterorum veſtrorum, Diaconorumque, ac Monachorum, vel Monacharum ſiue cæterorum quæ miſiſtis, per monaſteria & per Eccleſias noſtræ Diœceſis direximus ad celebranda pro eis miſſarum ſolemnia, & orationum ſuffragia. Idipſum facere veſtram ſanctitatem ſuppliciter exoramus pro eis, quorum nomina vobis habemus dirigenda, & nominatim cum perſonis ſuis ſcribenda, eorum ſcilicet, qui mihi proprie atque huic Eccleſiæ, cui ſeruio, amiciſſimi, vel ſubditi fiebant, vel præ lati. De noſtro quoque vili veſtitu parua hæc xeniola direximus tuo cultui, quanquam indigna, tamen petimus, accommoda, hoc eſt, tunica lanea, aliaque linea, ſicut mos eſt apud nos habendi, caligas & peripſemata, oratium. & coculam, & gunnam breuem noſtro more conſutam, ad indicium pleniſſimæ dilectionis noſtræ. Quæ ſuſcipere pro tua humilitate obnixe precamur, habereque ad memoriam mei nominis, ſaltem aliquod ſpatium temporis. Cæterum ſi qua ſunt tuæ ſanctitati inſinuanda, portitor huius epiſtiunculæ viua voce valet enarrare.

F

G

Miſſa ac preces pro defunctis.

H

ſ. gurdā.

C. ſaltim.

† Opto te ô chariſſime frater, orantem pro me, orantem pro te, in Domino bene valere: fœliceque æuo longiore victurum, ad coronam cœleſtis gloriæ poſtea perventurum, Domine inſignis, & Pater præſtantiſſime. Amen.

A

EPISTOLA LXXV.

LEO EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, Reuerendiſſimo & ſanctiſſimo Riculfo Epiſcopo.

Id eſt, peruenißſent. *C.obſeruit.* B

CVm ad limina beatorum Principum Apoſtolorum *Bernharius* venerabilis Epiſcopus vna cum *Adalhardo* religioſo Abbate, miſſi filij noſtri Domini *Caroli* ſereniſſimi Imperatoris coniunxiſſent, & omnia proſpera ac ſalubria de prædicto filio noſtro, ſeu de eius ſublimiſſima prole, vel omnibus fidelibus ſuis nobis nuntiaſſent, immenſas Omnipotenti Deo gratiarum actiones retulimus. Interea obtulit nobis Præfatus *Bernharius* Epiſcopus ſanctitatis veſtræ pulcherrimum munus & litteras, quas vero litteras relegentes, gratias Reuerendæ Almitati veſtræ retulimus, quia noſtri eſſe memores in veſtris Deo acceptis orationibus non prætermittis. De tantis autem muneribus, quibus nos aſſidue, pro amore beati *Petri* Apoſtoli ditatis, credimus in omnipotentem Deum, quia dignam retributionem hic & in futuro ab ipſo clauigero regni cœleſtis percipietis. De *reliquiis* vero ſancti *Caſarij*, ſicut petiiſtis, per eundem *Bernharium* venerabilem Epiſcopum ſanctitati veſtræ direximus.

Leo Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Reuerendiſſimo & ſanctiſſimo Riculfo Epiſcopo.

EPISTOLA LXXVI.

ÆBVVALDI REGIS.

C *I venerandiſſ.* *q.Obſtāglorū.id eſt, orientalū, aut Vueſtanglorum.i. occid.*

Domino glorioſiſſimo & cum omni honoris affectu venerantiſſimo Bonifacio Archiepiſcopo Ælbualdus Eſt Anglorum Deo donante regia poteſtate fretus, ſimul & tota Abbatia cum omni congregatione ſeruorum Dei in noſtra prouincia altithronum pro Eccleſiarum incolumitate die noctuque precibus pulſante, in Deo remuneratore omnium ſalutem.

C.l.pulſantem. *C.l ſynaxis.* *C.l.perfectio.* D *C.l.noſtrarum.* *Sup.ep. 74.* *Apoc.19.*

INprimis itaque ſcire te volumus, ô dilectiſſime, quod gratanter accipimus noſtram paruitatem veſtris ſanctis orationibus commendatam, vt ſicut veſtra benignitas de *Miſſarum* ſolemnitatibus, & orationum aſſiduitatibus, Deo inſtigante, dictauit, Ita quoque noſtra mediocritas deuota mente implere conetur, memoriaque nominis veſtri in ſeptenis monaſteriorum noſtrorum ſynaxibus perpetua lege cenſeri debet, quod in ſeptenario numero perfectio ſæpe deſignatur. His itaque bene compoſitis, & Deo adiuuante, de animarum regulis rite compoſitis, & de interioris hominis habitu apte condictis, exteriora terrenæque ſubſtantiæ adminicula, quæ ſub noſtra poteſtate Deo largiente redacta ſunt, ſub veſtræ voluntatis arbitrio contineri volumus: ita tamen, vt orationum veſtrarum adiutoria per beneuolentiam almitatis veſtræ in Eccleſiis Dei frequentare faciatis: & ſicut te paſtorem in populo ſuo prædeſtinatio Dei fieri voluit, ita & nos patronum te ſentire ſatagemus. Nomina quoque defunctorum, & viam vniuerſalem ingredientium prout opportunitas anni exegerit, ex vtraque parte adducentur, quatenus vt Deus Deorum, & Dominus dominantium, qui vos in Epiſcopatus regimen ponere voluit, ſuam plebem ad indiuiduæ Trinitatis agnitionem, & vnitatis ſubſtantiam per vos adducere dignetur. Viuite felicibus finem clauſuri calcibus.

B

S----us.

C.l.Cumperimus.

Præterea, ô piiſſime pater, tibi intimandum curamus, vt gerulum præſentium literarum deuota mente à nobis tranſmiſſum ſcias, & ſicut fidelem tibi eſſe compertimus, ita & eum tu veridicum in omnibus nobis inuenies.

EPISTOLA LXXVII.

Roffenſis.

Reuerendiſſimo, nobiſque omnium Epiſcoporum chariſſimo Lullo Coepiſcopo Eardulfus Hrofenſis Eccleſiæ Antiſtes, cum ſancta Eccleſiæ filio Eardulfo Rege Cantia, ſinceram in Chriſti nomine ſalutem.

F *f.Viſitantes aut viſitantium.*

VEracium igitur ſociorum inter alia amicalis memorialiſque mos eſſe dignoſcitur, cum ſeſe, ob interiacentium terrarum ſpatia, ſeu prouinciarum exterarum regiones, præſentialiter nequeunt inuiſere ac ſalutare, certe per ſuos fideles nuntios, ſiue etiam per litteras ad inuicem ſalutationis dirigere verba, & de rebus dignis atque vtilibus tractare, ne mens ſcilicet ſolicita, quid de ſtatu amici, diuina diſpenſatione & iudicio, agatur, vel tædio diutius afficiatur, vel anxia rerum incertitudine quotidie gemat. Quocirca in primis diligentius ſalutantes per hunc gerulum viſitantes eminentiam veſtram, deſiderium quippe habentes audire, & noſſe eandem glorioſiſſimum, proſperumque per omnia profectum habere, hoc modis omnibus optantes, vt nosipſos; noſtroſque chariſſimos veſtræ beatitudini ſubnixis commendemus precibus, vt in veſtris ſacris ac Deo placitis orationibus, & ſuffragio veſtræ paternæ pietatis vndique, auxiliante Deo, muniti, atque muro protectionis veſtræ circumdari contra omnes infeſtationes inimici in hac vita, quæ tota tentatio eſt, defenſi, & ad illam, quæ morte vacans & fine carens, veſtris almis interceſſionibus peruenire mereamur. Miſimus vobis parua xenia, id eſt, reptem ruptilem vnam, deprecantes obnixe, vt amorem mittentis magis, quam cenſum perpendatis, ob ſpem meliorum quod celerius fiet, orantibus vobis, ſi Dominus vitam & vires conceſſerit. Memores enim ſumus verborum omnium, quæ ex abundantia cordis veſtri prolata, noſtris auribus ſonuerunt ad implenda quæ quantum ames amantes te, ex omni parte declarabant. Quid enim aliud nobis agendum eſt, niſi vt charitatem quoad Deo diſponente & finem cunctorum conſiderante, omnes aduixerimus, fideliter ad inuicem cuſtodiamus. Præterea nihilominus & deinceps dum aliquis è nobis alterius vitæ vias, vt opto, felices prior ingrediatur, en ſuperuiuens ſine mora Miſſis & eleemoſynis itiner illius hinc & inde, quantum valeat tueri ac proſperum facere ſæpius reminiſcat ac ſtudeat, obſecrantes obnixe, vt per hunc fratrem noſtrum fideliſſimum Presbyterum, nomine *Leaeredum*, ſcripta pietatis tuæ ad nos dirigere digneris, quatenus per hæc earum, quæ tibi placita ſunt rerum cognitio clareſcat, quia habetis ſine dubio in eodem præfato Presbytero veridicum fidelemque inter nos legatarium: & ideo per illum valebis quæcunque, viuæ vocis atteſtatione nobis patefacere. Præcedentium quoque nomina propinquorum noſtrorum, id eſt, *Irmigi*, *Nothiury*, atque *Dulcha*, omnes Deo dicatæ virgines, tibi direximus, poſtulantes vt in oblationibus Miſſarum & orationum ſuffragiis habeatis quia ſimilia vobis ad vicem beneficij rependere parati ſumus.

H *reptem ſup. ep. 40. p.53.* *C.prolata aliud.* *f.pro inuicem.* *Miſſa & eleemoſyna pro mortuis.* *f.reminiſcatur.* G *f.Deeſt: ſed vero præcedentes D as f. Dul. qua omnes.*

Deus te incolumem cuſtodiat, & in eius miniſterio pollentem longa per temporum ſpatia cuſtodire dignetur.

A

ÆARDVLPHVS. EPISCOP. Lullo Coepiſcop.

EPISTOLA LXXVIII.

Domino amantiſſimo & in Chriſto cariſſimo LVLLÆ Epiſcopo, MILRET ſeruus Deo ſeruientium.

POſtquam à tua præſentia & à conſpectu corporali ſanctiſſimi Præſulis & beatiſſimi Patris Bonifacij, nolens volens, triſtis abſcedebam, & per varios caſus, & multa diſcrimina rerum, veſtris almis orationibus ad terram noſtræ peruenimus natiuitatis. Ibi necdum integro expleto anni circulo, curriculo nuntium ad nos perlatum eſt triſte, beatiſſimum Patrem de ergaſtulo

B

carnis ad ſuperna migraſſe, ſi tamen id triſte dicere fas eſt, cum talem ad cœli patronum meruimus præmittere regna, cuius nos ſacris interceſſionibus, Deo auxiliante, vbique eſſe ſuffultos certa credulitate confidimus.

Sanctorū preces & patrocinium.

Et quamuis præſentis vitæ amiſſum ſolatium multis & amaris luximus lachrymis, tamen ille qui ſuo ſanguine fuſo, CHRIATO conſecratus eſt Martyr, decus & columen omnium quos præſens protulit patria, ſuo beatiſſimo agone, optimo labore conſummato, glorioſiſſimo fine peracto, noſtra valde mœſta maiore lætitia mitigat & demulcet pectora. Nos noſtram dolemus vicem in valle lacrymarum, & in hac vita, quæ tota tentationum plena eſt, manentes: ille peregrino labore, magno cum ſudore expleto, ad glorioſiſſimam Chriſti Martyr peruenit mortem, & pro noſtris, vt credo, exceſſibus, ſi Domini ſinit pietas fidelis interceſſor in cœleſti Hieruſalem, cum Chriſto, beatiſſima ſorte ſanctis coniunctus ciuib. ſuperna lætus conſiſtit in arce. Hæc de amantiſſimo patre, cuius venerabilem vitam, & glorioſum finem, vt mihi in notitiam venire facias,

C

totis viribus exopto. Aliud, ex ſodali collegio, dicere mente occurrit, tuamque dulciſſimam charitatem intimis obſecro præcordiis, & tanquam tuis pedibus præſentialiter proſtratus humiliter imploro, vt fraternam dilectionem, quam inter nos communis Pater beatæ recordationis & ſanctæ memoriæ Bonifacius, Chriſti annuente charitate, ſacris conciliauit verbis, almis viuit oraculis, non tranſitoria ſed fixa recordatione tuo recondas in corde, quia mihi & tibi valde profuturum, omni ambiguitate poſtpoſita, ſcio, ſi tam egregii Doctoris præcepta implere conamur, meque omnium fratrum tuorum minimum in meritis, fraterna charitate inſtruere, ſacris munire præceptis, almis orationibus fulcire, ô amantiſſime Præſul, non pigeat, vnde fateor

f. obſeruaturum.

& fida promiſſione ſpondeo, veſtris ſinceriſſimis iuſſionibus iuxta qualitatem vitium, in omnibus libenter me eſſe ſecuturum, & firma dilectione fidam amicitiam, quamdiu ſpiritus hos regit artus, vitaliſque flatus his moribundis inhabitat membris, tecum ſeruare intima

D

charitate, Deo teſte, profiteor, & totis viribus medullitus admodum exopto, vt, fiat, Chriſto tribuente quod ſcriptum eſt, *erant illis omnia communia*. Sed hæc omnia, quæ breuiter à nobis dicta ſunt, ſi Deus omnipotens proſperum concedit iter per gerulos iſtarum litterarum plenius & verbaliter tibi indicare curaui. Miſimus præterea parua munuſcula, quæ optamus, vt ea dilectione accipiatis, qua à nobis, Deo teſte, deſtinata ſunt.

Act. 4.

C. verbaliter.

Veſtram dilectionem pro noſtris exceſſibus Intercedentem Chriſtus tueri dignetur.

Librum Pyrpyri metri ideo non miſi, quia Gubertus Epiſc. adhuc reddere diſtulit, Immanuel Epiſtola Milredi Epiſc. offerenda Lullæ Epiſc.

f Porphyrij.

E

Conciliorum duorum fragmenta.

Mogunt. lib. 3. 43. p. 364.

IN nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Ego *Carolomannus* Dux & Princeps Francorum, Anno ab incarnatione Chriſti ſeptingenteſimo XLII. XI. Kal. Maias cum conſilio ſeruorum Dei & optimatum meorum, Epiſcopos qui in regno meo ſunt cum Presbyteris ad concilium & ſynodum pro timore Chriſti congregaui: Id eſt, *Bonifacium* Archiepiſcopum & *Burchardum* & *Regenfredum* & *VVintanum* & *VVilibaldum* & *Deddanum* & *Eddanum* cum Preſbyteriis eorum, vt mihi conſilium dediſſent, quomodo lex Dei & Eccleſiaſtica religio recuperetur, quæ in diebus præteritorum Principum diſſipata corruit, & qualiter populus Chriſtianus ad ſalutem animę peruenire poſſit, & per falſos Sacerdotes deceptus non pereat, & per conſilium Sacerdotum & optimatum meorum ordinauimus per ciuitates Epiſcopos, & conſtituimus ſuper eos Archiepiſcopum *Bonifacium*, qui eſt miſſus ſancti *Petri*. Statuimus, per annos ſingulos ſynodum congregare vt nobis præſentibus canonum decreta, & Eccleſiæ iura reſtaurentur, & religio Chriſtiana emendetur: & fraudatas pecunias Eccleſiarum, eccleſiis reſtituimus, & reddidimus: falſos Presbyteros & adulteros vel fornicatores Diaconos & Clericos de pecuniis Eccleſiarum abſtulimus, & degradauimus, & ad pœnitentiam coegimus.

C. Burgehardum.

F

Arma Clericis non ferēda, nec ad bella eundum, niſi vt. 1. Miſſas faciant. 2. Sacras reliquias portent. 3. Confeſſiones audiant. Iiſdem nō venandū.

Seruos Dei per omnia omnibus armaturam portare, vel pugnare, vel in exercitum & in hoſtem pergere omnino prohibuimus, niſi illi tantummodo qui propter diuinum miniſterium, miſſarum ſcilicet ſolemnia adimplenda, & ſanctorum patrocinia portanda ad hoc electi ſunt: ideſt vnum vel duos Epiſcopos cum Capellanis Presbyteris Princeps ſecum habeat. Et vnuſquiſque præfectus vnum Presbyterum, qui hominibus peccata confitentibus iudicare, & indicare pœnitentiam poſſint. Nec non & illas venationes, & ſyluaticas vagationes cum canibus, omnibus ſeruis Dei interdiximus. Similiter vt accipitres & falcones non habeant. Decreuimus quoque ſecundum Sanctorum canones, vt vnuſquiſque presbyter in parochia habitans Epiſcopo ſubiectus ſit illi, in cuius parochia habitat, & ſemper in XL. rationem, & ordinem miniſterij ſui, ſiue de baptiſmo, ſiue de fide Catholica, ſiue de precibus & ordine miſſarum Epiſcopo reddat, & tendat.

G

Confirmatio.

Et quandocunque, iure canonico, Epiſcopus circumeat parochiam ad populos confirmandos, Preſbyter ſemper paratus ſit ad ſuſcipiendum Epiſcopum cum collectione & adiutorio populi, qui ibi confirmari debet: & in cœna Domini ſemper nouum chriſma ab Epiſc. quærat, vt Epiſcopus teſtis aſſiſtat caſtitatis & vitæ, & fidei, & doctrinæ illius ſtatuimus, vt ſecundum canonicam cautelam, omnes vndecunque ſuperuenientes ignotos Epiſc. vel Presbyteros ante probationem ſynodalem in eccleſiaſticum miniſterium non admitteremus. Decreuimus, vt ſecundum canonem, vnuſquiſque Epiſc. in ſua parochia ſolicitudinem adhibeat adiuuante Grauione, qui defenſor Eccleſiæ eſt, vt populus Dei paganias non faciat: ſed vt omnes ſpurcitias gentilitatis abiiciat & reſpuat, ſiue ſacrificia mortuorum, ſiue ſortilegos, vel diuinos, ſiue phylacteria, auguria ſiue incantationes, ſiue hoſtias immolatitias, quas ſtulti homines, iuxta eccleſias, ritu pagano faciunt ſub nomine ſanctorum Martyrum, vel Confeſſorum, Deum & ſuos ſanctos ad iracundiam prouocantes: ſiue illos ſacrilegos ignes, quos *Ned feor* vocant ſiue omnes, quæcunque ſunt Paganorum obſeruationes diligenter prohibeant.

Graue

H

Niedfevvr.

Statuimus ſimiliter, vt poſt hanc ſynodum, quæ fuit XI. Kalend. Maii, vt quiſquis ſeruorum Dei, vel ancillarum Chriſti in crimen fornicationis lapſus fuerit, quod in carcere pœnitentiam faciat in pane & aqua; & ſi ordinatus Presbyter fuiſſet, duos annos in carcere permaneat, & antea flagellatus, & ſcorticatus videatur, & poſt Epiſcopos adaugeat. Si autem clericus vel Monachus in hoc peccatum ceciderit poſt tertiam verberationem in carcerem miſſus, vertentem annum ibi pœ-

nitentiam

A nitentiam agat. Similiter & Nonnæ velatæ eadem pœnitentia contineantur, & radantur omnes capilli capitis eius. Decreuimus quoque vt Preſbyteri vel Diaconi non ſagis, Laicorum more, ſed caſulis vtantur ritu ſeruorum Dei, & nullus in domo ſua mulierem habitare permittat. Et vt Monachi & ancillæ Dei monaſteriales, iuxta regulam ſancti *Benedicti* ordinare & viuere vitam propriam gubernare ſtudeant.

De alio Synodali conuentu.

MOdo autem in hoc Synodali conuentu, qui congregatus eſt ad Calendas Martias, in loco qui dicitur *Liſtinas*. Omnes venerabiles ſacerdotes Dei & Comites & Præfecti prioris Synodi decreta, conſentientes firmarunt ſe implere velle & obſeruare promiſerunt, & omnis Eccleſiaſtici ordinis Clerus, Epiſcopi, & Preſbyteri, & Diaconi cum clericis ſuſcipientes antiquorum Patrum canones, promiſerunt ſe velle Eccleſiaſtica iura moribus & doctrinis & miniſterio recuperare, Abbates & Monachi receperunt ſancti Patris *Benedicti* ad reſtaurandam normam regularis vitæ. Fornicatores & adulteros Clericos, qui ſancta loca vel monaſteria ante tenentes coinquinauerunt, præcipimus inde tollere, & ad pœnitentiam redigere, & ſi poſt hanc definitionem in crimen fornicationis vel adulterii ceciderint, prioris Synodi iudicium ſuſtineant, ſimiliter & Monachi & Nonnæ. Statuimus quoque cum conſilio ſeruorum Dei & populi Chriſtiani propter imminentia bella & perſecutiones cæterarum gentium, quæ in circuitu noſtro ſunt, vt ſub precario, & cenſu aliquam partem Eccleſialis pecuniæ in adiutorium exercitus noſtri, cum indulgentia Dei, aliquanto tempore retineamus, ea conditione, vt annis ſingulis de vnaquaque *caſata* ſolidus, id eſt, duodecim denarii ad Eccleſiam vel Monaſterium reddatur, eo modo, vt ſi moriatur ille, cui pecunia commodata fuit, Eccleſia cum propria pecunia reuertitaſſit, & iterum ſi neceſſitas cogat, vt Princeps iubeat, precarium renouetur & reſcribatur nouum, & omnino obſeruetur, vt Eccleſiæ vel Monaſteria penuriam & paupertatem non patiantur, quorum pecunia in precario præſtita ſit; Sed ſi paupertas cogat, Eccleſiæ & domui Dei reddatur integra poſſeſſio. Similiter præcipimus, vt iuxta decreta canonum adulteria & inceſta matrimonia, quæ non ſint legitima, prohibeantur & emendentur Epiſcoporum iudicio, & vt mancipia Chriſtiana Paganis non tradantur. Decreuimus quoque quod & pater meus ante præcipiebat, vt qui Paganas obſeruationes in aliqua re fecerit, mulctetur & damnetur quindecim ſolidis.

Margin notes (left): *C. Synodus.* — B — *C. vt sup.* — *f. reuertatur.* — C

EPISTOLA LXXIX.

D *Domino in Domino venerabiliter diligendo, & delectabiliter honorando Lullo, Epiſcopatus infula fungenti, Trecea ſupplex Vernaculus in Chriſto perennem ſalutem.*

TEmpore nuper tranſacto, veſtræ Almitatis litterarum vſque ad noſtræ mediocritatis præſentiam fido geſtante gerulo delatam, exultantibus pectorum præcordiis, & lætis oculorum orbibus contemplantes ſatis libenter ſuſcepimus, & maxime in veſtra ſancta promiſſione, quam ordo apicum veſtrorum innotuit, vt veſtris aſſiduis ac ſacris orationibus noſtram fragilitatem defendere vellet; ita & noſtra imperfecta mediocritas vndique pene in omnibusbonis veſtram beatitudinem orationibus intimis Deo vbique auxiliante, deprecando poſcere Deū prompta eſt, necnon dilectionem fraternitatis ergo veſtram clementiam obſeruare, ſecundum vires, velle demonſtramus, Domino noſtro IESV CHRISTO docente ac dicente, *Hoc eſt præceptum meum vt diligatis inuicem.* Et item, *In hoc cognoſcent omnes quia mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad inuicem*, &c. Item de eadem Beatus *Petrus* primus & Princeps Apoſtolorum ſententiam promulgauit dicens: *Eſtote itaque prudentes, & vigilate in orationibus ante omnia mutuam in vobiſmetipſis charitatem continuam habentes, quia charitas cooperit multitudinem peccatorum*, &c. Noſtra ergo, ni fallor, paruitas non vtcumque veſtris eſt roborata oppido patrociniis. Idcirco audaciter rogare præſumimus veſtram beatam ac vere benedictam Almitatem, vt nos, tum viuentes in hac lacrymarum valle, tum etiam in glorioſiſſima præſcientia Dei in Chriſto pauſantes, aſſiduis ac ſacris orationum veſtrarum ſtudiis Domino Deo commendare dignemini. Ego quoque minimus Eccleſiæ ſeruus ſupplici per Dominum deprecatione rogito, vt me cum mea familia, Dominn Deo cuncta diſpenſante ac rite regente, inter cæteros fideles veſtros amicos in commune benigne ſuſcipiatis, qui proprio dicor nomine *Aldberht*, diaconatus officio fungens, licet indignus, vt ſancti gradus miniſterium olim acceptum veſtris ſaluberrimis interceſſionibus meliorando, de die in diem proficiam. Almitatem veſtram pro nobis orantem ſummus arbiter orbis ab alta cœlorum arce tueri dignetur. Valete in Domino.

Margin notes (left): *Ioan. 15* — *c. 53.* — *1. Pet. 4.*

Margin letters (right): E — F

EPISTOLA LXXX.

Domino in Chriſto ſummopere venerando Lullo Epiſcopo Magingaoz optabilem ſupplex in Domino ſempiternæ beatitudinis ſalutem.

SCit plane ſublimitatis veſtræ prudentia, quia contra diſcrimina maxima conſiliorum adiutoriis & integris, & ex omni parte ſolidatis modis omnibus opus eſt. Notum vero fieri venerandæ charitatis veſtræ dignationi deſideramus, quia exitum ſororis noſtræ extremum ſpiritum agentis mœroribus ac timoribus vndique depreſſi præſtolamur, mortem videlicet carnis illius, inſtinctu naturalis conditionis, velut propriā dolentes, & pro animæ illius euentu incerto, & ſoli Iudici piiſſimo noto, & inſuper familiæ loci illius teneriimæ, & propemodum, ſine vlla conſilii firmitate, diſciſſionem, vel (quod grauiſſimum eſt) animarum interitum pertimeſcentes. Quapropter magnitudinis veſtræ pietati humili intentione ſupplicantes obſecramus per Chriſtū Saluatorem, reſurrectionemque mortuorum, vti nobis ſupradictis cruciatibus afflictis, quid poſt obitum illius, ſit pro ſtabilitate ſalutari monaſterioli faciendum, prout Domino iuuante, colligere valeatis, litteris indicare per huoc nuncium non dedignemini. Sunt enim ſicut ſcitis, illic filiæ fratris noſtri velatæ, in quas fortaſſe intentio ignorantium conuerſa eſt. Sed nulla ex his adhuc vel ætate, vel ſenſus aliqua firmitate, ad ſuſcipiendum tale pondus congrua poterit iudicari. Et formidamus diſperſionem inconſultam familiæ, niſi celeriter ordo ac ſtabilitas per Abbatiſſam collocetur. Nec tamen vel intra cellulam, vel intrinſecus nos poſſe reperire credimus per quā vel verbo ac ſpecie tenus valeat cohærere, præter puellulas, quas diximus, quibus maximum periculum ſuſcipientibus, & nobis fortaſſe perſuadentibus formidamus. Quapropter iterata ſupplicatione per Chriſtum Saluatorem obſecramus, vt nobis, quod ſaluberrimum inter huiuſmodi neceſſitates fieri credatis, nobis reuelare celeritate qua diximus nec dedignemini nec grauemini.

Valere beatitudinem veſtram, & in Chriſto magis ac magis pro nobis intercedentes proficere integris certiſque niſibus cordis optamus, officio Lulloni Epiſcopo.

Margin letters (right): G — H

EPISTOLA LXXXI.

Domino glorioſiſſimo atque præcellentiſſimo Caorlo Regi Francorum Eavulf humilis Abbas optabilem ſoſpitatem.

PRopter hoc omnipotens Deus bonos quoſque ad populorum regimina perducit, vt per eos omnibus qui-

bus

A bus prælati fuerint, dona ſuæ pietatis impendat. Quod in Francorum gente factum cognouimus, cui veſtra gloria idcirco eſt præpoſita, vt per bona quæ vobis conceſſa ſunt, etiam ſubiectæ vobis genti ſuperna beneficia præſtarentur. Et ideo, glorioſe Rex, eam quam accepiſti diuinitus gratiam, ſolicita mente cuſtodi: Chriſtianam fidem in populis tibi ſubditis extendere feſtina; zelum rectitudinis tuæ in eorum conuerſione multiplica: idolorum cultus inſequere: fanorum ædificia euerte: ſubditorum motes & magna vitæ munditia exhortando, terrendo, blandiendo, corrigendo, & boni operis exempla monſtrando ædifica, vt illum retributorem inuenias in cœlo, cuius nomen atque cognitionem dilataueris in terra. Ipſe enim veſtræ quoque gloriæ nomen etiam poſteris glorioſius reddet, cuius vos honorem quæritis & ſeruatis in gentibus. Præterea ſcite veſtram gloriam volumus, quia nos obnixe & indeſinenter deprecaturi (*f. deprecamur.*) B ſupernam pietatem pro incolumitate tua, & gentis tuæ, propterea ſublimitatem tuam humiliter deprecantes, vt noſtri memor eſſe, noſque loco amicorum ſuſcipere digneris, vt qui te in orationibus crebris Domino commendare ſatagimus, ipſi te protectorem habere valeamus & patronum. Omnipotens itaque Deus in vobis gratiam ſuam, quam cœpit, perficiat, atque vitam veſtram & hic per multorum annorum curricula extendat, & poſt longa tempora in cœleſtis vos patriæ congregatione recipiat.

His ſigna erant ignota. Incolumem excellentiam veſtram gratia ſuperna cuſtodiat, Domine dilectiſſime. ſcripta in dict. XL VIII. Calend. Iunias........ per epiſtola....... ad Regem.

EPISTOLA LXXXII.

Veneranda dignitatis Lullo epiſc. Botuuini Abb. optabilem in Chriſto ſalutem.

C Litteræ auctoritatis tuæ, quas cum diuinæ pietatis ſtudio vſque ad nos direxiſti, lætificauerunt me valde, quia tu imbre cœleſtis totis illectus vltimum me ſeruunculum ſeruorum Dei cum tam magna fide diuini amoris, ſæculariæque dignitatis munere viſitare dignatus fuiſti. Gratias ago Deo petens cum intimæ charitatis deſiderio, vt fidus fautor mihi per Celſitudinem ſanctitatis tuæ coram Chriſto Ieſu exiſtas, in iſtoque ſæculo ſerena mente amicus, ſi rector rerum omnium iſtius vitæ in itinere me longius ſuper te ſudare diiudicat, ploro indeſinenter precans cum omni caterua, quæ Chriſto Domino ſub mea conditione deſeruit, diuinæ miſericordiæ ſolatia animæ tuæ largiri, vt tu ſimili modo Eccleſiarum tuarum ſubſidia mihi præſtare digneris. Hæc quoque modica munuſcula, id eſt. III. lacernas almitati tuæ mitto optans vt accepta ſint.

D Omnipotens Deus incolumem beatitudinem tuam cuſtodiat.

EPISTOLA LXXXIII.

† Sanctiſſimo et à Deo ſemper conſeruato Domino Lullo Epiſcopo VVicbertus ſeruus ſeruorum Dei quanquam indignus Abbas, veſter in omnibus (Deus ſcit) bene cupiens & fidelis in vinculo charitatis colligatus.

ſingula pſalteria. SVſcepta veſtra alimonia ſancta cuncta congregatio Monachorum noſtrorum pro vobis ſingulos pſalterios Domino decantauerunt, & ſacerdotes quinas Miſſas fecerunt per ſingulos, vt vobis Dominus priſtinam ſanitatem tribueret, & dixi ad illos veſtra voluntate, quomodo nobis mandaſtis, vt hic pro tempore deuenire iubebatis. E Sed omnes conſona vna concordia reſponderunt, (*f. ſubmonere.*) quod noſtra voluntas in omnibus eſt, Ipſius infirmitati compateſcere, (*f. cōpati*) & ſicut proprium fratrem, ita circa illum omni charitate impendere. Sed vos modo ſi vultis ſic venire poteſtis, quomodo in veſtra propria caſa, & nos in omnibus, in quantum poſſumus, charitate priſtina exigente veſtræ volumus compateſcere infirmitati. In orationibus tuis commendamus nos ſanctiſſime pater.

Sanctiſſimo Domino Lullo Epiſcopo, Vuicbertus indignus Abbas.

EPISTOLA LXXXIV.

F Domino Sancto Sanctorum, quia meritis cœquando, Et à nobis cum ſumma veneratione diligendo in Chriſto patre Lullono Epiſcopo.

Doto ſeruus ſeruorum Dei, etiam & omnes Monachi ſancti Petri Apoſtolorum Principis degentes ſub norma ſancta regula æternam in Domino noſtro Ieſu Chriſto ad ſanctitatem veſtram deſtinare curauimus ſalutem. (*C. degentium.*)

IDeo omnipotenti Domino gratias referimus, vt omnia, quæ circa vos ſunt, proſpera non ſolum habemus, ſed & hoc indeſinenter ſedulis precibus Domini (*C. lezare.*) miſericordiam imploramus, vt vitam veſtram longæuis faciat hic gaudere temporibus, & illic in æterna beatitudine cum ſanctis ſuis faciat pariter exultare triumphis. De cætero quamuis, amantiſſime pater, terrarum longitudine ſeparari videmur, tamen & terrarum longinquitas non diuidit mente, quos charitas diuina coniunxit G in corde. Idcirco comperiat ſanctitas veſtra, quia nos omnes per obedientiam almi patris noſtri Dodoni Abbatis, & pro amore veſtro & omni ſolicitudine pro vobis, & deuotiſſima ſancta congregatione veſtra à Deo vobis commiſſa, in noſtris aſſiduis precibus Domini miſericordiam exorare non deſinemus. Igitur cum ſalutationis officiis, humili prece depoſcimus, vt iſtam familiam Chriſti & ſancti *Petri* in veſtra commemoratione ſemper habeatis: & ipſi pro omnibus amicis veſtris tam Epiſcopis & eorum clero quam Abbatibus & eorum Monachis, ſeu & Abbatiſſis vel Deo dicatis in iſta congregatione ſancti *Petri*, oratores veſtros tam viuos quam defunctos in veſtra mercede commemorare faciatis, vt in ſacris orationibus illorum eam aſſidue memorare debeant, quatenus per illorum ſuffragia olim optatam adire mereamur partiam paradiſi. Similiter vos deprecamur, vt omnium amicorum veſtrorum nomina tam viuorum quam defunctorum per præſentem fratrem noſtrum *Saganaldum*, per breue ad nos dirigere faciatis, vt ipſos, ſicut de aliis fratribus noſtris facimus, ita in noſtris aſſiduis orationibus ipſos memorare debeamus. H Gratia Regis cœleſtis cuſtodiat vos ſemper. Amen.

Indiculus directus ad Lullonum Epiſcopum. Emmanuel nobiſcum ſit.

EPISTOLA LXXXV.

Charitatis lacertis amplectendo amico, imo ſpiritali germanitate copulando fratri, ſummi pontificatus inſula predito Eckberto Archiepiſcopo, Bonifacius exiguus Epiſcopus legatus Germanicus Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ, florentem in Chriſto immarceſſibilis charitatis ſalutem.

DOna ac libellos dulciſſimæ beatitudinis veſtræ à vobis directa gratanti animo gaudentes ſuſcepimus,

ſuſpenſis

A

ſuſpenſis ad æthera palmis ſupernum Regem obſecrauimus; vt vobis in ſuperna Angelorum curia florentia mercedis præmia reſtituat. Modo autem ſanctitatis veſtræ clementiam intimis poſtulamus precibus, vt pro nobis laborantibus, & periclitantibus pietas veſtra exorare dignetur, quia grandis nobis neceſſitas imminet, iuſtorum adiumamina expetere, quia ſcriptum eſt, *Multum valet deprecatio iuſti aſſidua.*

Iacob. 5.

Enarrare autem omnia mala, quæ nos extrinſecus & intrinſecus patimur, epiſtolaris breuitas prohibet. Modo enim inhianter deſiderantes flagitamus, vt nobis ad gaudium noſtri mœrotis eo modo, quo antea iam feciſtis, aliquam particulam vel ſcintillam de candela Eccleſiæ, quam illuxit Spiritus ſanctus io regionibus veſtris, deſtinare curetis, id eſt de tractatibus, quos ſpiritalis Presbyter & inueſtigator ſanctarum Scripturarum Beda reſerando compoſuit, partem qualemcunque tranſmittere dignemini.

C. vilißimum

Maxime autem, ſi fore poſſit quod nobis prædicantibus habile, & manuale, & viliſſimum eſſe videtur ſuper lectionarium anniuerſarium, & Prouerbia Salomonis, quia commentarios ſuper illa condidiſſe eum audimus.

B

Interea nos cogit neceſſitas veſtri conſilij iudicium inquirere. Nam dum inuenero Presbyterum iam ante multa tempora lapſum in fornicationem, & poſt pœnitentiam in officium gradus ſui à Francis iterum reſtitutus eſt, & nunc habitans in latiſſimo pago fidelium, ſed errantium populorum, ſine aliis ſacerdotibus ſolus miniſtrat baptiſmum, & ſolemnia Miſſarum celebrans. Modo autem, ſi talem ſecondum iuſtiſſimos canones abſtulero, morientur ſine ſacro regenerationis fonte Infantes, propter raritatem Sacerdotum, ſi meliorem, ad reſtaurandum prioris lapſum non habuero. Iudicate ergo inter me, & inter populum erroneum, vtrum melius ſit, vel ſaltem minus malum, vt talis, miniſterium ſancti altaris impleat, an vt pagana moriatur multitudo populi, quia caſtiorem miniſtrum acquirere nequiuerit: vel ſi inter multitudinem Sacerdotum inuenero in eodem peccamine lapſum, & iterum poſt pœnitentiam priori gradui reſtitutum, de quo omnis multitudo ſacerdotum & populorum bonæ opinionis confidentiam habuerunt, et ſi ille modo degradatus fuerit, ſecretum peccatum reuelatum fuerit, & ſcandalizaui multitudo plebium, & per ſcandalum plurimæ peribunt animæ, & deteſtatio erit maxima Sacerdotum, & diffidentia miniſtrorum Eccleſiæ vt omnes perfidos, nulli credentes, deſpectos habeant.

C. I. vtrũ talis.
C. I. deiect. poſt ſ. p. r.
C
f. ſcandalizabitur.
C. deſpectiu f. deſpicatui.

Quam ob rem audacter præſumpſimus, patientes & conſentientes illum in miniſterio diuino perſiſtere, exiſtimantes leuius eſſe dubium vnius hominis periculum & audaciam, quã ruinaio & perditionem animarum pene totius populi. De iſtis autem vniuerſis quid mihi ſuſtinendum ſit, neceſſitate cogente ſcandala vitandi, quidue refutandum ſecundum conſilium veſtrum per ſcripta videre, & audire omnino deſidero. Præterea celſitudini veſtræ, vice oſculi, duas vini cupellas per hunc portitorem litterarum tranſmiſimus, petentes, vt charitatis inter nos precibus noſtris inde lætum diem cum fratribus veſtris faciatis.

D

Obſecramus igitur, vt de iſtis petitionibus noſtris faciatis, vt mercedis veſtræ præmia in cœlorum culmine clareſcant.

EPISTOLA LXXXVI.

† *Domino magnopere diligendo, & nobis omnium peregrinantium pro Chriſti amore chariſſimo* LVLLO *Antiſtiti, Cineardus indignus, vt vereor, Epiſcopus in Chriſto ſalutem.*

Libenter ergo ſuſcipimus fratrem à te ad nos vſque directum cum dulcedine donorum veſtrorum, & gratias agentes Deo & vobis, quod noſtri memoriam ex tam remotis terrarum finibus facere dignemini. Et ideo ſicut vos velle comperimus memores ſumus veſtri, in quantum, Domino adiuuante, permittimur ſemper in orationibus noſtris obſecrantes, vt quod fideli, ac firmiſſimo cœpiſtis animo, vſque ad finem firmum retineatis: quanquam multis tribulationibus tundimini, quas propemodum omnes ſancti ſoliti ſunt à ſæculo perpeti, nec tamen Chriſto cooperante, & confirmante illorum conſtantiam, deficiebant.

E

Modici munuſculi quantulamcunque paruitatem charitatis tantummodo intuitu direximus, hoc eſt, de noſtro veſtitu adiumentum, ſicut ſolent prodeceſſores noſtri prodeceſſoribus tuis deſtinare, quod te pro humilitate & manſuetudine tua ſuſcipere dignanter, & vti, ſuppliciter precamur.

f. prædeceſſorib.

Valere te in Chriſto, & viuere felicem ſemper optamus.

EPISTOLA LXXXVII.

Sacerdoti Chriſti magnifico, reuerentia pariter & amore non mediocriter amplectendo Lullo Epiſcopo Magingoz ſeruus ſeruorum Dei, perennem in Domino ſalutem.

F
Pſ. 104. 4.

A Petro ſcripturarum diuinarum teſtimonio declaratur, veritatem eſſe Dominum Saluatorem, ac de ipſo dictum eſſe per Prophetam: *Quærite faciem eius ſemper.* Quamobrem ſolutionem quæſtionis alicuius quæ videlicet infirmitatis noſtræ cognitioni facilis non eſt, à dignationis veſtræ largitate idipſum flagitantes multum deſideramus accipere.

De diuortio & repudio.

Itaque conſtitutio Matrimonij Chriſtianorum in iungendo, vel ſeparando, à Patribus tanta diuerſitate nobis videtur diſpooi, vt vix vna & compar ſententia ipſorum, noſtræ pateat paruitati. Videntur namque concorditer *Iſidorus* ac *Hieronymus* affirmare, oon debere adulteram teneri à viro, cui ſociata, alteri ſe more meretricis adiungat vt pote quæ vnam carnem nefarie diuidens, indignam ſe & alienam ab honore connubij diuinitus inſtituti reddiderit, & hoc eſſe præceptum & permiſſum à Saluatore, cum vxorem non dimittendam abſque fornicationis cauſa præciperet.

Math. 19.
G
f. certe

Auguſtinus vero cum ſententiam eandem Saluatoris diuturna tractatione ventilaſſet, nihil planæ elucidatioois, certe noſtræ omnino teneritudini capeabile profert: ſed hoc in extremo dicebat, quia quomodo præceptum hoc Saluatoris accipi debuiſſet, late operoſiſſimam adhuc ſupereſſe quæſtionem, commemorans vero mulierem ab accuſatione Iudæorum à Domino liberatam dicit: non male illi vir mulieri licet in adulterium lapſæ conciliatetur.

Ioan. 8.

Beatus vero *Leo* Papa fœminam, capto ab hoſtibus marito, cogente ſolitudioe, inculpabiliter alteri poſſe copulari cum deſperaretur captus: & reuerſo forte priore, ſeparatam à poſteriore, principali reſtitui dicit. vbi notandum videtur, quod ſtatim deſtitutæ coniugi nubendi licentiam tribuit. Apud Iſidorum vero vel Hieronymum proditio fœderis coniugalis matrimonium ſeparat. Quid ergo ſuperſit coniugi, quem vel quam ſolitudo peruiget, ſi & *Iſidori* vel *Hieronymi* ac *Leonis* decretum iuſte creditur eſſe tenendum, niſi vt ſe matrimonio coniungat alterius, me fateor ignorare.

C. ac decr.
H

Bonitatis igitur veſtræ dignationem, per charitatem, qua Chriſtus Dominus ſemper vbique membra ſua ſibi copulare probatur, obſecramus, vt ignorantiam noſtram ac dubitatiooem, ſic Domino poſſibilitatem largiente, illuminare dignemini, vt audire à remuneratore perpetuo mereamini, *Euge ſerue bone, &c.*

Mat. 25. 21.

Valere beatitudinem veſtram pro nobis intercedentem & in Chriſto magis ac magis proficere integris deſideriis optamus. Offerenda Lullo Epiſcopo.

EPISTOLA LXXXVIII.

† *Sanctiſſimo atque venerabili Epiſcopo Lullo, ſeruus ſeruorum Dei viſceralem in Domino ſalutem.*

Rogo te, ô dilectiſſime frater, ſicut optime in te credo vt non immemor ſis, ſed ſemper ſagaciſſima mẽte ad

A memoriam reducas antiquam amicitiam noſtram, quam inter nos habuimus in *Maldubia* ciuitate, quando *Eaba* Abbas in amabili charitate nutriuit, & hoc ſignum recordor, quod pro nomine vocauit te *Irtel*, idcirco ſalutat te *Hereca* Abbas in ſalutatione ſancta, & omnis congregatio quæ in ſua cœnobiali vita manet, quia dignos nos in memoriam habuiſti tecum. Qui autem perſeuerauerit in pace, vſque in finem, hic ſaluus erit. Vale amabilis feliciter in æuum; meus dilectus, Deo electus, quia charitas pretium non habet.

C. regimen i qui in ſuo.

Hoc ſignum Hereca Abbatem fecit.

EPISTOLA LXXXIX.

B *pro Beda.*

Deſideratiſſimo, & ſuauiſſimo in Chriſti dilectione amico Lullo Epiſcopo & omnium Antiſtitum clariſſimo, Guberct diſcipulus Bedæ Presbyteri ſalutem.

GRatanter quidem munuſcula tuæ charitatis ſuſcepi, & eo gratantius, quo te hæc intimo deuotionis affectu mittere cognoui, id eſt, holoſericam ad reliquias beatæ memoriæ *Bedæ* magiſtri noſtri, ob recordationem & illius venerationem, deſtinaſti. Et rectum quidem mihi videtur, vt tota gens Anglorum in omnibus prouinciis, vbicunque reperti ſunt, gratias Deo referant, quia tam mirabilem virum, præditum diuerſis donis, tamque ad exercenda dona ſtudioſum, ſimiliterque in bonis moribus viuentem, Deus illis in ſua natione donauit: quia per experimentum, ad pedes eius nutritus, hoc quod narro didici. Similiterque mihimetipſi coopertorium variatum ad tegendum ſcilicet, propter frigus, meum corpus miſiſti, quod videlicet omnipotenti Deo & B. *Paulo* Apoſtolo ad induendum altare, quod in eius Eccleſia, Deo conſecratum eſt, cum magno gaudio dedi: quia & ego ſub eius protectione in hoc monaſterio XL. & III. annos vixi. Nunc vero, quia rogaſti aliquid de opſculis beati Patris, cum meis pueris, iuxta vires, quod potui tuæ dilectioni præparaui: libellos de viro Dei *Gudbercto*, metro & proſa compoſitos, tuæ voluntati direxi: & ſi plus potuiſſem, libenter voluiſſem, quia præſentia præteritæ hyemis multum horribiliter inſulam noſtræ gentis in frigore, & gelu, & ventorum, & imbrium procellis, diu lateque depreſſit, ideoque ſcriptoris manus, ne in plurimorum librorum numerum perueniret, retardata eſt: ſed & ante ſex annos per *Hunvvini* meum Presbyterum illuc ad veſtra loca aduenientem, & *Romam* videre deſiderantem, aliqua parua xenia cultellos videlicet. XX. & gunnam de pellibus lutratum factam tuæ fraternitati miſi. Ille quoque Presbyter *Hunvvini* ad vrbem quæ vocatur *Beneuentum* perueniens, ibi de hac luce migrauit. Quapropter neque per illum, neque per tuorum aliquem, vtrum iſta ad te peruenerint, vlla reſponſio vnquam mihi reddita eſt. Duo vero pallia ſubtiliſſimi operis, vnum albi, alterum tincti coloris cum libellis, & clocam, qualem ad manum habui, tuæ paternitati mittere curauimus, precorque vt meam petitionem & neceſſitatem non ſpernas. Si aliquis homo in tua ſit parochia, qui vitrea vaſa bene poſſit facere, cum tempus arrideat, mihi mittere digneris, aut ſi fortaſſe vltra fines eſt in poteſtate cuiuſdam alterius, ſine tua parochia, rogo vt fraternitas tua illi ſuadeat, vt ad nos vſque perueniat, quia eiuſdem artis ignari & inopes ſumus, & ſi hoc fortaſſe contingit, vt aliquis de vitrifactoribus cum tua diligentia, Deo volente, ad nos vſque venire permittatur, cum benigna manſuetudine, vita comite, illū ſuſcipio. Delectat me quoque cythariſtam habere, qui poſſit cythariſare in cythara, quam nos appellamus *rotta*, quia citharam habeo, & artificem non habeo. Si graue non ſit, & iſtum quoque meæ diſpoſitioni mitte. Obſecro vt hanc meam rogationem ne deſpicias, & riſioni non deputes. De opuſculis vero beatæ recordationis *Bedæ* quæ adhuc deſcripta non habes, promitto me, ſi vixerimus, tuæ voluntati adiuuaturum.

C. in dia. — *S. Paul. Eccleſia. Altaris conſecratio.* — C — *f. gurda.* — D — *f. obtemperaturū vt inf. at.*

E

Abbas Gutberctus te te bis terque ſalutat.

Te Deus omnipotens ſaluum conſeruet in æuum.

Iul. GI.

EPISTOLA XC.

ALHREDI REGIS.

Alhredus Rex & Oſgeofu Regina Lullo venerabili Epiſcopo nobis perpetuali amicitia copulato in Chriſto ſalutem.

SCripta beatitudinis tuæ ſimul cum muneribus litteris aſſignatis debita gratulationis reuerentia ſuſcepimus, maximaſque omnipotenti Deo egimus gratias, quod te in tam longa peregrinatione deſudantem, & in Chriſti agonibus decertantem optatæ conſeruauit ſoſpitati: & ideo reuertentibus venerabilibus viris, gaudium noſtrum, ſacrorum apicum atteſtatione, ſignamus, ac petimus, vti quotidianis orationibus Epiſcopatus tuus ſtudium ac votum ſuum circa ſalutem noſtram dignetur impendere. Nos quoque ſimul cum nominibus noſtrorum amicorum, & propinquorum, quæ hic ſubſcripta ſunt, litterarum cuſtodia facias contineri, orationibuſque, & Miſſarum celebrationibus, perpetuis Dei patrociniis commendemur. Eodemque modo de vobis, & de nominibus ad nos delatis, ſecundum veſtram petitionem, facere curabimus, vt in cunctis monaſteriis noſtris ditionibus ſubiunctis perpetuis litterarum monumentis commendentur, & orationum ſubſidiis Deo quotidie præſententur. Illudque pietati noſtræ ſatis placuiſſe cognoſce, quod ſanctimonia tua de Eccleſiarum, aut populi perturbatione ſolicita eſt, quæ etiam vt fierent, Dei aliquo diſpenſationis conſilio credimus eſſe prouiſa. Noſtris quoque, dilectiſſime frater, legationibus ad Dominum veſtrum glorioſiſſimum Regem *Carl*, obſecramus conſulendo ſubuenias, vt pax & amicitia quæ omnibus conueniunt, facias ſtabiliter inter nos confirmari.

F

G

† Diuina Maieſtas indefeſſo certamine pro Chriſti Eccleſia deſudantem te conſeruare dignetur. *f. ſaga.*

Parua munuſcula tuæ dignitati admiſimus, id eſt duodecim ſagos, cum annulo aureo maiori dono ad dotem.

EPISTOLA XCI.

S. Bonif. diſcipulus R. in Eccleſia.

Domino excellentiſſimo & præ cæteris Pontificibus præferendo, & amando, & Apoſtolatus priuilegio prædito Stephano Papæ, Bonifacius exiguus Epiſcopus, diſcipulus Romanæ Eccleſiæ, optabilem in Chriſto charitatis ſalutē.

SAnctitatis veſtræ clementiam intimis ac viſceratis obnixè flagito precibus vt familiaritatē & vnitatem ſāctæ ſedis Apoſtolicæ ab almitatis veſtræ clementia impetrare & habere merear, & in diſcipulatu pietatis veſtræ, ſedi Apoſtolicæ ſeruiendo, ſeruus veſter fidelis ac deuotus permanere poſſim, eodē modo quo ante ſub tribus præceſſoribus veſtris, Apoſtolicæ ſedi ſeruiebam, venerabilis memoriæ duobus *Gregoriis*, & Zachariæ, qui me ſemper hortatione & auctoritate litterarum ſuarum muniebant, & adiuuabant quod & pietatem veſtram agere deprecor, vt præceptum Paternitatis veſtræ eo melius perficere & implere poſſim. Nam ſi quid, in iſta legatione, *Romana* per XXX. & VI. annos fungebar, vtilitatis *Eccleſiæ* præfatæ peregi, adhuc implere & augere deſidero. Si autem minus perite aut iniuſte à me factum aliquid vel dictum reperitur, iudicio Romanæ prompta voluntate & humilitate emendare me velle ſpondeo. Interea deprecor, vt pietas Domini mei non indignetur, quia tam tarde miſſum meū & litteras ad præſentiam veſtram direxi. Sed hoc idcirco contigit quia præoccupatus fui in reſtauratione Eccleſiarum, quas *Pagani* incenderunt, qui per titulos & cellas noſtras plus quam XXX. Eccleſias vaſtauerunt & incenderunt. Et hæc fuit oc[illegible]ditatis litterarum & appellationis Paternitatis [illegible] negligentiæ incuria.

Ac ſeruum. — H — *Legatus Apoſt. an 36.* — *Humilis.*

A

EPISTOLA XCII.

Boniſacius ſeruus ſeruorum Dei, grat·a Chriſti Epiſcopus, chariſſimo conſacerdoti Fulredo Presbytero perennem in Chriſto charitatis ſalutem.

FRaternæ dilectioni tuæ ob ſpiritalem amicitiã, quam ſæpe in neceſſitatibus meis pro Dei intuitu feciſti, dignas gratias, quantas meruiſti, perſoluere non poſſum: ſed Deum omnipotentem deprecor, tibi in alto cœlorum culmine mercedis præmia gaudio Angelorum æternaliter retribuat. Nunc autem in Chriſti nomine deprecor, vt quod bono initio cœpiſti, cum bono fine perficias, id eſt, vt meo verbo glorioſum amabilem Regem noſtrum *Pippinum* ſalutaueris, & illi magnas gratias referas de omnibus pietatis operibus quæ mecum fecit, & vt illi referas, quod mihi & amicis meis ſimiliter videtur, vt vitam iſtam temporalem, & curſum dierum meorum per iſtas infirmitates cito debeam finire. Propterea deprecor celſitudinem Regis noſtri pro nomine Chriſti filij Dei, vt mihi nunc viuenti indicare & mandare dignetur circa diſcipulos meos, qualem mercedem poſtea de illis facere, voluerit. Sunt enim pene omnes peregrini: quidam Presbyteri per multa loca ad miniſterium Eccleſiæ & populorum conſtituti. Quidam ſunt monachi per cellulas noſtras, & infantes ad legentes litteras ordinati ſunt. Et aliqui ſeniores, qui longo tempore mecum viuentes laborauerunt, & me adiuuabant. De his omnibus ſolicitus ſum, vt poſt obitum meum non diſperdantur: ſed vt habeant mercedis veſtræ conſilium & patrocinium celſitudinis veſtræ: & non ſint diſperſi, ſicut oues non habentes paſtorem, & populi prope marcam Paganorum non perdant legem Chriſti. Propterea almitatis veſtræ clementiam diligenter in Dei nomine deprecor, vt filiolum meum Lullum, & Coepiſcopum, ſi Deus voluerit, & ſic clementiæ veſtræ placeat, in hoc miniſterium populorum & Eccleſiarum componere & conſtituere faciatis prædicatorem & doctorem Presbyterorum & populorum. Et ſpero, ſi Deus voluerit, quod in illo habeant Presbyteri magiſtrum, & Monachi regularem Doctorem, & populi Chriſtiani fidelem prædicatorem & paſtorem. Propterea hoc maxime fieri peto, quia Presbyteri mei prope marcam Paganorum pauperculam vitam habent. Panem ad manducandum acquirere poſſunt: ſed veſtimenta ibi inuenire non poſſunt, niſi aliunde conſilium & adiutorem habeant, vt ſuſtinere & indurare in illis locis ad miniſterium populi poſſint, eodem modo ſicut ego illos adiuui. Et ſi pietas Chriſti hoc vobis inſpirauerit, & hoc, quod peto, conſentire & facere volueritis, per hos miſſos meos præſentes, aut per litteras pietatis veſtræ, hoc mihi mandare & indicare dignemini, vt eo lætior in mercede veſtra viuam vel moriar.

f. ſalutes. — *C. ſimili eſſe.* — B — *I. ad legendas.* — C — *Rar. & L. adiuuare poſſit. C. adiuuari.*

✠ .... ✠ .... ✠ ....

D

EPISTOLA CXIII.

Domino deſiderabili, ac iure venerabili Epiſcopo Lullo, Eanwulf ſeruus Chriſti IESV *vna cum conſeruis, qui mecum hic in locis ſuauiſſimum Euangelij iugum, pro inuenienda in cælis requie, trahere gaudent, perpetem in Domino ſalutem.*

C. naut' dum.

MVlto quidem gaudio delectatum eſt cor noſtrum, magna exultatione lingua inſonuit, dum tantæ vir eruditionis ac ſanctitatis ad nos litteras tranſmiſerat. Quapropter paternam tuæ charitatis reuerentiam obſecramus, vt ſemper noſtri memor, ſupplices pro nobis Domino preces offerre non refrageris. Nos tui quoque ſcias ſemper exiſtere memores, ſi quid tam vilium apud Dominum valet deprecatio ſeruorum. Quantum enim de omni veſtro profectu gauiſi ſumus, quantamque ſuper his, quæ in peregrinationis locis vobis proſpera ceſſerunt, lætitiam haberemus: .... teque noſſe volumus quod hoc perpetualiter ſtudium charitatis, tuis meritis impetrantibus obſeruemus, tuamque per omnia deſideremus amicitiam mereri, volentes ipſi per omnia tuæ iuſtæ voluntatis obtemperare decretis, etiam Domino procurante, quando ingrediente te viam vniuerſæ terræ; atque ad præmia vitæ æternæ perducto, tunc tuum venerabile nomen diſponimus ſcribere cum nominibus Epiſcoporum noſtrorum, & cum nominibus omnium præcedentium fratrum huius monaſterij.

E

✠ Orantem pro nobis almam paternitatis veſtræ coronam cœleſtis gratia cuſtodiat dilectiſſime in Chriſto antiſtes..... Scripra indict. XI. IX. Cal. Iunias..... ad Iul. epiſt Epiſc.

F

† .... † .... †
† .... † .... †

EPISTOLA XCIV.

† *Venerando Sacerdoti Chriſti, amore prorſus ac reuerentia pariter a nobis ſtudio peculiari continendo Lullo Epiſcopo, Magingoz ſeruus ſeruorum Dei perennem in Chriſto ſalutem.*

C. ſurſus C conti-nendo.

IN colloquio nuper venerandæ fraternitatis tuæ comperti ſumus, quia conſilium proximi noſtri cuiuſdam, minus caute, ſæculi impedimento poſtpoſito, viam religionis ingredi cupientis prudentia veſtra præuenire vtiliore conſulto voluiſſet, qui, vt arbitror, his verbis velut nomine proprio deſignatur. Et reuera viſum mihi eſt, non poſſe aliter compleri circa illum officium debitæ felicitatis & charitatis, niſi cum pluribus de eadem re neceſſario ſolicitis contendatur, ne hunc fortaſſe in ipſo itinere, quo deſiderium ducit, incauta præſumptio ſupplantet; ſed neceſſarium exiſtimo, vt diligentius prouideatur, quo pacto, vel quibus inſtrumentis peregrinationis illius, quam ſicut ſcitis optimam...... ſtabilitas & poſſibilis, & ſi fieri potuerit, inexcuſabilis, iis, cum quibus præſens cauſa agenda eſt, omni rationis firmitate comprobetur. Quapropter noſtræ paruitati indicare per litteras non grauemini, vtrum vobis videatur, an communi ſermone vnius epiſtolæ exhortatio mittatur, an vterque noſtrum à ſe epiſtolam mittat; Quod ſi profuturum iudicetis, vt commune, & vnum à nobis indiculum dirigatur, à veſtræ charitatis induſtria rogo vt conficiatur. Si non fieri poſſe putaueritis, vt ſine aliqua præſenti ſiue noſtra ſiue cæterorum ſeruorum Dei collatione conſulto decenti & integræ ſoliditatis valeat perpetrari. Quid itaque vobis profuturum videatur, vt à nobis hac de re agatur per litteras, huius epiſtiunculæ portitori traditas, nobis indicare dignamini.

Pro compe-perimus. — G — *Deeſt aliquid.* — H

Valere bonitatem veſtram, & in Chriſto proficere pro nobis intercedentem integris deſideriis optamus. Off. Lullo Epiſc.

EPISTOLA XCV.

Domino in Domino dilectiſſ. & fideliſſ. amico Lullo Epiſc. Gudberti Abbas ſalutem.

MVltum gratanter accepi litteras ſiue etiam munera, hoc eſt, villoſam, & ſindonem, quæ tua fraternitas ad me mittere dignata eſt, & eo gratantius, quod ex intima charitate ea deſtinata eſſe non ambigo. Vnde

A *Miſſæ pro defunctis.*

recompenſationem beneficij iſtius reddens & ipſe tui, quotidianis in precibus, curam habere non ceſſo; Simul etiam nomina fratrum quæ ad nos miſiſti, cum nominibus huius monaſterij fratrum dormientium in Chriſto ſcripta continentur, ita vt pro illis nonaginta & eo amplius Miſſas facere præceperim. Inſuper etiam librum, quem clariſſimus Eccleſiæ Dei magiſter *Beda* de ædificio templi compoſuit, ad conſolationem tuæ peregrinationis, mittere curaui, tuam fraternitatem humiliter obſecrans, vt olim condictæ inter nos amicitiæ fœdera vſque ad finem firmum cuſtodire digneris; in hoc videlicet maxime, quod cum tuis omnibus quos tibi diuina diſpenſatio voluit eſſe ſubiectos, pro infirmitatibus meis apud ſupernum iudicem ſedulus interceſſor exiſtas.

C. præcepi.

Lullo Epiſc.

Dominus omnipotens fraternitatem tuam in ſuo ſemper amore conſeruet.

B

EPISTOLA XCVI.

Pippinus gratia Dei Rex Francorum vir illuſter Domino ſancto Patri Lullo Epiſcopo.

COgnitum ſcimus ſanctitati veſtræ, qualem pietatem & miſericordiam Deus fecit præſenti anno in terra iſta. Dedit tribulationem pro delictis noſtris; poſt tribulationem autem, magnam atque mirabilem conſolationem, ſiue abundantiam fructus terræ, quem modo habemus. Et ob hoc, atque pro aliis cauſis noſtris opus eſt nobis illi gratias agere, quia dignatus eſt ſeruos ſuos conſolari per eius miſericordiam. Sic nobis videtur, vt, abſque ieiunio indicto, vnuſquiſque Epiſcopus in ſua parochia Litanias faciat, non cum ieiunio, niſi tantum in laude Dei, qui talem nobis abundantiam dedit, & faciat vnuſquiſque homo ſuas eleemoſynas & pauperes paſcat. Et ſic prouidere faciatis, & ordinare de verbo noſtro, vt vnuſquiſque homo, aut vellet aut nollet, ſuam decimam donet. Valete in Chriſto.

C. qua. *Litania.* C *C. ſua eleemoſyna. ſ homo donet eleemoſynas.*

EPISTOLA XCVII.

Venerando ac diligendo Domino Apoſtolatus priuilegio prædito Stephano Papa Bonifacius exiguus Legatus vel miſſus Germanicus Catholicæ & Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ, optabilem in Chriſto charitatis ſalutem.

NAm tempore *Sergij* Apoſtolicæ ſedis Pontificis, venit ad limina ſanctorum Apoſtolorum Presbyter quidam miræ abſtinentiæ & ſanctitatis, generis Saxonum, nomine *VVillibrod* & alio nomine, *Clemens* vocatus, quem præfatus Papa Epiſcopum ordinauit, & ad prædicandam Paganam gentem Freſonum, tranſmiſit, in littoribus Oceani occidui. Qui per L. annos prædicans, præfatam gentem Freſonum maxima ex parte conuertit ad fidem Chriſti, fana & delubra deſtruxit, & Eccleſias conſtruxit, & ſedem Epiſcopalem & Eccleſiam in honore ſancti Saluatoris conſtituens in loco & caſtello quod dicitur *Traiectum*; & in illa ſede & Eccleſia ſancti Saluatoris, quam conſtruxit, prædicans vſque ad debilem ſenectutem permanſit: & ſibi Coepiſcopum ad miniſterium implendum ſubſtituit, & finitis longæuæ vitæ diebus, in pace migrauit ad Dominum. Princeps autem Francorum *Carolomannus* commendauit in ſedem illam conſtituendum & ordinandum Epiſcopum, quod & feci. Nunc autem *Colonienſis* Epiſcopus illam ſedem præfati Epiſcopi *Clementis* à *Sergio* Papa ordinati ſibi vſurpat, & ad ſe pertinere dicit, propter fundamenta cuiuſdam deſtructæ à Paganis Eccleſiolæ: quam *VVilibrordus* dirutam vſque ad ſolum in caſtello *Traiecto* repperit, & eam proprio labore a fundamento conſtruxit, & in honore

D

E

S. Martini conſecrauit. Et refert, quia ab antiquo Rege Francorum *Dagoberto* caſtellum *Traiectum* cum deſtructa Eccleſia ad Colonienſem parochiam donatum in ea conditione fuiſſet, vt Epiſcopus Colonienſis gentem *Freſorum* ad fidem Chriſti conuerteret, & eorum prædicator eſſet: quod & ipſe non fecit. Non prædicauit, non conuertit *Freſeos* ad fidem Chriſti, ſed pagana manſit gens *Freſorum* vſquequo venerandus Pontifex Rom. ſedis Sergius ſupradictum ſeruum Dei *VVillibrordum* Epiſcopum ad prædicandum ſupradictæ genti tranſmiſit, qui illam gentem, vt præfatus ſum, ad fidem Chriſti conuertit. Et modo vult Colonienſis Epiſcopus ſedem ſupradicti *VVillibrordi* prædicatoris ſibi contrahere, vt non ſit Epiſcopalis ſedes ſubiecta Rom. Pontifici, prædicans gentem Freſorum. Cui reſpondebam, vt credidi, quod maius & potius fieri debeat præceptum Apoſtolicæ ſedis, & ordinatio Sergij Papæ, & legatio venerandi prædicatoris VVillibrordi, vt & fiat ſedes Epiſcopalis ſubiecta Rom. Pontifici, prædicans gentem Freſorum, quia magna pars illorum adhuc pagana eſt, quam deſtructæ Eccleſiolæ fundamenta diruta, & à paganis conculcata, & per negligentiam Epiſcoporum derelicta. Sed ipſe non conſentit. Sed modo paternitatis veſtræ iudicio mihi intimare dignemini: & ſi hoc iuſtum ſit reſponſum, & vobis placeat, quod illi Colonienſi Epiſcopo reddidi, veſtra auctoritate roborate, vt præceptum *Sergij* Papæ, & ſedes illa ſtabilis permaneat. Sic enim poteſtis nos, ſi vobis placet, adiuuare, ſi de ſcrinio Eccleſiæ veſtræ exemplare iuberis, & mihi tranſmittere quidquid præfato Epiſcopo *VVillibrordo* ordinato ſanctus *Sergius* præciperet & conſcriberet, vt ex auctoritate ſanctitatis veſtræ contradicentes conuincere & ſuperare valeam. Si autem aliter iuſtius ſanctitati veſtræ videatur, conſilium paternitatis veſtræ mihi inſinuare dignemini, vt ſequar.

Romani Pontificis cura conuerſi ad Chriſtum Friſii. C. I. ſedes.

F

EPISTOLA XCVIII.

G

Domino meo deſideratiſſimo, & in litterarum ſtudio deuotiſſimo Eruditori Bonifacio, ſummi Pontificatus infula prædito, N. ex multis quoddam pietatis veſtræ emolumentum, amabilem deuotæ charitatis in Chriſto ſalutem.

SAcra ſcriptura admonet, ne ſine conſilio inconſulte aliquid agamus, ſicut ſcriptum eſt: *Omnia cum conſilio fac, &c.* Ideo fore ratum, æſtimans ruſticitatis meæ litteras ſagacitatis veſtræ Celſitudini dirigere, hiſque occaſionem petitionis meæ deſiderium intimare quantumvis vtique proſpectis prouidos præceptor meus decernat; quod ſibi optimum videatur, famuloque ſuo ſummæ voluntatis nutum placidus indicet, cui ſubnixus libenter obtemperem. Fateor itaque tibi, Magiſtrorum chariſſime, poſtquam, ſanctitatis veſtræ licentia, lectionis ſcrutandique cauſſa, ſi quid tamen ingenioli mei parua ſcintilla intelligere vel inueſtigare valet, bonitatis veſtræ mercedi primitus poſt Deum imputo, Thiringiam perrexi, diligentiam lectioni adhibere tam ſtudioſe non poſſe quam indigniſſe ſciebam. Duabus quippe cauſis reſiſtentibus, oculorum ſcilicet caligine, & capitis dolore tertioque in viſceribus vitio præcipue, id eſt, torpore mentis, idcirco paulo diutius manere mihi paternitas veſtra hic concedat, vt qui, iuxta Apoſtolum, ſiticuloſum filium veſtrum lacte potetis, nec adhuc ſolido panis eſu aſſuetum, opportuno tempore ſeruitutis veſtræ ad officium, larga Chriſti clementia præeunte, & veſtris orationibus intercedentibus, robuſtiorem recipiatis. Sin vero aliud, diſcretioni veſtræ placuerit, ſi ille vires dederit, cum nihil infinita ſæcula addere, vel adimere valeant, ipſo quo iubebitis tempore, promptus redibo. Interea, per miſericordiam Dei obſecro cuius totus orbis terrarum plenus eſt, velut flexis genibus ac curuato poplite ſupplex ſublimitatis veſtræ veſtigia amplectens, vt pro meis innumeris facinorum criminibus apud

Eccl. 34. 24. Sine conſ. nihil f. Prou. 13. 10 & 16. ſ. gratum.

I. Thiringiam. H

ſ. vtque. 1 Cor. 3. Hebr. 5.

I. potatis. C. eſum verum. l. cum. C. l. volebant.

C. turbato.

C. apud.

miſeri

A miſericordem & iuſtum Iudicem intercedere dignemini: nec tamen ex hoc ſerenitatis veſtræ gratiam perturbem, cum Iesvs noſter gloria cœli, ſalūſque mundi, cui cuncta patent, & quem occulta non latent, imperet dicens: *Petite, & dabitur vobis,* & reliqua, Quia nec tam ex hoc ventoſæ temeritatis typhum mihi ſurrepere poſſe, quam remedium ſalutis arbitror inueniri, dum & ipſe me ægrotum agnoſco, & Medicum quæro. Hos tibi verſiculos, Pater amande, ſubterſcriptos cauſſa correctionis direxi, cupiens induſtriæ veſtræ ſcripta promereri, quatenus erroris mei anfractus ex ipſis certe cognoſcam.

Ioan. 16. 24.

Sancta & indiuidua Trinitatis diuinitas Excellētiæ veſtræ dignitatem iugiter longe lateque Catholicis Eccleſiarum plebibus præſidentem, vſque ad ſupremum vitæ curſum, contra omnia proficientem aduerſa, cuſtodiat.

B

Creſcere te Deus Omnipotens in opus pietatis
Perpetuo faciat lucro multarum animarum:
Diues opum cæli, auſcultare Dei mortarum
Vt tandem vocem latam, Bone, ſerueque fide,
Summa tui Dominique Dei nunc gaudia ſcande.
Pauca ſuper fidus fueras quia, multa ſuper te
Conſtituam: requies tibi ſit hæc, certa ſaluſque
Speſque fauente Deo pariter qui cuncta creauit,
Ac regnans viuit ſeclis prior omnibus idem.
Calce carens & principio, clementia cuius
Me miſerum, te, larga monebat audire Magiſtrum.
Mole grauis noxa preſſum, ſine lumine cordis,
Otia dum vagabundus amabam, dulcia credens,
Quæ conſtant cunctis animabus noxia ſemper.
Pectoris obtuſi tenebras ſed gratia depulit.
Saluantis Chriſti, gratis in ſenſibus augens
Dona meis ſtolidis. Cui laus & honor ſine fine:
Atque tui, tibi creſcat in arce, laboris olympi
Directi collis ductor, merceſque corona
Ingeniique tui quod ſum pars vltima magni.

ſ. fideque ſerue.

la-gaeb-monitio.

C. obtuſ.

C

ſ. directio o collis ductor, id eſt, o bone doctor & præceptor. Vel, qui ſum.

EPISTOLA XCIX.

Domino beatiſſimo omnique honore nominando Lullo Epiſcopo Cena ſeruus ſeruorum Dei perpetua gratia ſalutem.

ACceptis tuæ beatitudinis, Pater excellentiſſime, litteris, multa ſum lætitia delibutus, ita vt totis præcordiorum inteſtinis gaudens lachrymauerim: beatum mihi ac profuturum æſtimans tanti patris perfrui amicitia, ideoque omni cordis auiditate tuam deſiderabilem amplector pietatem, tua inhianter condelector charitate, ea potiſſimum cauſa, quia ſalutaria dilectionis præcepta diuinitatis, indita nobis rememorans, nec non & aliquandiu fautorem ſiue conſiliarium adoptans laboribus noſtræ paruitatis, quem miſericors omnium bonorum largitor nobis, in te ſua benigna prouidentia, vt credimus, præordinauit. Quapropter, dulciſſime frater, in quaſcunque ſanctæ pacis ditiones vocabis, lubens, feſtinus, gaudenſque totus, pleno corde aduenio. Inſuper plurimis obſecrationum lachrymis deprecor, vt noſtri quantulamcunque in tuis ſanctis orationibus habere memoriam digneris, ſemperque bene cœptæ pietatis promiſſa cuſtodias quia perſeueranti glorioſa retributionis impenditur corona, merceſque futuræ felicitatis in fine cuiuſque operis ſpectatur. Illud vero quod de libris inquiſiſti marinis æſtibus terram aduectantibus, omnino incognitum eſt. Cæterum libri Coſmographicorum nec dum nobis ad manum venerunt: nec alia apud nos exemplaria, niſi picturis & litteris permoleſta. Iam ſæpius mihimet perſcribere deſtinaui, ſed nondum potui ſcriptores acquirere. Forte tuis adiutus ſupplicationibus. ......

ſ. diui vitatus excipio.

D

ſ. de libris ang. mea in terrā aduectantibus vel de libris aduenientibus. In C primo ſtat l. ſupra omnino incognitum. Z. in ep'o textu niſi quia falſum eſt Deaſt bre-

Sanctitatem veſtram ad protectionem electæ Dominæ Rex Saluator conſeruet in æuum.

Scio Pater, quod illa, quæ, charitatis gratia miſi, à te viſa non ſunt.

Viuendo felix Chriſti laurate triumphis.
Vita tuis, ſeclo ſpecimen, chariſſime cælo,
Iuſtitiæ cultor, verus pietatis amator,
Defendens vigili ſanctas tutamine mandras,
Paſcua florigeris pandens praduleſa campis,
Iudice centenos portans veniente manipulos.

Offerenda { Lullo Epiſcopo } viro { clariſſimo.

E *ui acceptivam, vel ſimile quid. C miſiſti. C. ſanctas mandras.*

EPISTOLA C.

F

B. LVLLI EPISTOLA AD PONTIFICEM MAXIMVM.

SAncta, & regularia inſtituta Canonica auctoritate confirmata tam Epiſcoporum noſtrorum venerabilium, quam etiam Domini noſtri Regis *Pippini*, conſiliatorumq; eius, manifeſta ratione ſcimus conſeruanda. Quapropter charitati veſtræ reticere non audemus, quod in parochiam noſtram, contra ius Canonicum, à *VVillefritho* Presbytero, quidam adductus eſt Presbyter in alia ordinatus parochia, non conſentiente anteceſſore meo ſancto Bonifacio Archiepiſcopo neque me ſucceſſore eius, qui & inſtitutionis veſtræ decreta contemnens, & in parochia noſtra conſtitutus noſtrum ſpreuit magiſterium. Cognita enim canonum auctoritate, decreuiſtis, vt omnes Presbyteri qui in parochia ſunt, ſub poteſtate Epiſcopi eſſe debeant, & vt nullus eorum præſumat in eius parochia aut baptizare, aut Miſſas celebrare ſine iuſſione Epiſcopi, & vt omnes Presbyteri ad Concilium Epiſcopi conueniant, quæ omnia facere contempſit prædictus ille Presbyter nomine *Enred*, & ideo ſecundum quod definiſtis, increpationis à me ſententiam ſortitus eſt: Sed cum nec ita emendatus pœnitere de præteritis voluit, nouiſſime ſecundum Canonicam inſtitutionem veſtram, excommunicatus eſt à me, & exinde à ſupradicto *VVillefritho* ſuſceptus eſt, ac defenſus. Veſtra autem nunc de his charitas, quod rectum ſit ac iuſtum iudicet, & non ſolum de iis, ſed de omnibus quæ peruerſe, male viuendo peregit, & hic manifeſtata reperiuntur. Abſtulit enim mancipia & ſeruos de Eccleſiis ſibi commiſſis *Vagenolphum* ſeruum noſtrum & duos filios eius *Regenolphum* & *Amanolphum*, & vxorem eius *Leobthruthe*, & filiam eius *Amalthruthe* tradidit eos in Saxoniam contra equum vnum, homini nomine *Huelp*, quod ipſe eos duxiſſet in Saxoniam. *VVillefrith* vere ſupradicti *Regenolphes* filium tranſmiſit vltra mare cum *Enredo*, & ipſe eum dedit matri ſuæ in ſeruitutem. Seruum vero, & ancillam quos *Aehtrich* dedit ad Eccleſias noſtras pro anima filij ſui ſupradictus *VVillefrith* abſtulit atque rapuit furtim. Nomen ſerui *Theodo*, & nomen vxoris eius *Aedlind*: *Lindo* vero ſeruum noſtrum *Enred* Presbyter tradidit puero *Aldberchtes* de *Effernace* nomen *Vpbit* contra equum vnum: & *Erpumine* ſeruum noſtrum aliis neſcientibus furtim nocte abſtulit cum nonagima & IV. porcis, quem *Hredun* dedit ad Eccleſiā noſtram: & altera vice abſtulit duos ſeruos noſtros *Zeitolf* & *Zeizhelm*, & primo IV. boues noſtros, ſecūdo III. & nouiſſime VIII. vaccas cum VII. bobus. Iumenta vero VII. optima ætate IV. annorum quæ dedit *VVenilo* ad Eccleſias ſupradictus *VVillefrith* abſtulit, & multos alios equos inde nutritos, quos minauit ad *Hammlanburg*. De auro vero & de argēto, quod dedit *Regēthryth* filia *Athnolphi* ad Eccleſias noſtras, duas armillas aureas & V. ſiglas aureas valentes pretio trecentorum ſolidorum, & aliorum fidelium virorum ac mulierum pretia *Enred* abſtulit ab

G

permutādo cum equo. Regenolphi.

H

C. noſtras ſupradictas.

C. bobus. ſeu bobus. C. iumētis optimis.

A Eccleſiis ſupradictis, non ſolum in auro & argento, ſed etiam in veſtimento, & armis, & equis. Sed quia longum eſt vt per ordinem replicemus omnia, quæ rapta ſunt Eccleſiis ſupradictis ac ſpoliatis, & quæ facta contra Canonica inſtituta ſunt, veſtro ſanctiſſimo iudicio adſcribimus emendanda.

C. nec qua.

EPISTOLA CI.

Abbati ſancto, vtroque amico, iure ac merito honorando, diuina ſanctimoniæ & religionis gratia repleto, Vuinfredo Egburg vltima diſcipulorum ſeu diſcipularum tuarum æternam in Domino ſoſpitatis ſalutem.

CHaritatis tuæ copulam fateor dum per interiorem hominem guſtaui, quaſi quiddam mellitæ dulcedinis, meis viſceribus hic ſapor inſidet. Et licet ſtatim vt nacta ſum, ab aſpectu corporali viſualiter defraudata ſim, ſororis tamen amplexibus collum tuum conſtrinxero. Quamobrem, mi amande iam olim frater, nunc autem ambo pariter in Domino dominorum, Abba, atque frater, appellaris, quia poſtquam à me ſeparauit amara mors & crudelis illum, quem ſupra omnes alios amare conſueueram, germanum meum Oſſerem, Te pene omnibus cæteris maſculini ſexus, charitatis amore, præferebam. Et ne diutius varie verba protelarem, non voluitur dies, neque nox elabitur vlla ſine memoria magiſterij tui. Idcirco crede mihi, Deo teſte, quia te ſummo complector amore, & de te confido, quod nunquam immemor ſis illius amicitiæ quam cum fratre meo certum fuit habere. Ego autem, licet ſcientia tardior, & meritis vilior illo ſim, tamen erga tuæ charitatis obſequium diſpar non ſum. Et quamuis temporum ſeries ocyus currendo diſcreuerit, mœroris tamen nunquam me nebula atra deſeruit: ſed maiora ſpatia temporum maiora mihi addiderunt lucra iniuriarum, vt ſcriptum eſt. Amor hominis adducit dolorem: Amor autem Chriſti illuminat cor. Et poſtquam mihi ſimul chariſſima ſoror VVecchburg quaſi inflicto vulnere, iteratoque dolore, ſubito ab oculis euanuit (cum qua adoleui, cum qua mihi idem nutricum ſinus, vna mater ambabus in Domino) & dereliquit, Ieſum teſtor, vbique dolor, vbique pauor, vbique mortis Imago. Malui mori, ſi ſic Domino auſpici, cui arcana non latent, placuiſſet: vel tarda mors non tricauerit. Sed quid dicam nunc? Ante improuida, tandem nos amara mors, ſed amarior diuiſio ſeparauit ab inuicem, illam vt reor, felicem, me vero infelicem, quaſi quoddam depoſitum huic ſæculo ſeruire permiſit. Sciens enim quantum illam dilexi, quantum amaui, quam nunc, vt audio, Romanus carcer includit, ſed amor Chriſti, qui in eius pectore, viruit, floruitque, omnibus vinculis fortior, & validior eſt: & *perfecta charitas foras mittit timorem*: En ille inquam Ille ſuperi Rector olympi ineffabili gratulatur tripudio, qui taliter te doctrina exornat diuina, & in lege eius die noctuque meditaris, & ſcriptum eſt. *Quam ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona.* Illa arduam viam & arctum graditur callem: Ego autem adhuc in infimis, lege carnali, ceu quadam compede, præpedita iaceo. Illa gratulabunda in iudicio futuro pariter cum Domino decantans, dicit: *In carcere fui, & viſitaſti me.* Tu autem in regeneratione, cum ſederint duodecim Apoſtoli in ſedibus duodecim, ſedebis, & ibi quantos labore proprio acquiſieris, de tantis ante tribunal æterni Regis, Dux futurus decoratus gaudebis. Ego autem adhuc in valle lachrymarum, vt emeritum eſt, lugeo propria peccata, eo quod talibus me indignam feciſſet Deus adhærere comitibus. Quapropter crede mihi, non ſic tempeſtate iactatus portum nauta deſiderat, non ſic ſitientia imbres arua deſiderant, non ſic curuo littore anxia mater filium expectat, quam vt ego viſibus veſtris frui cupio. Sed quia peccatis meis exigentibus & innumeris delictis aggrauata, vt hoc euenire queat, vt ab imminentibus periculis abſoluta ſim, in deſperationem deducta ſum: Idcirco ego peccatrix veſtigiis Celſitudinis tuæ prouoluta, ex intimis præcordiorum penetralibus implorans à finibus terræ ad te clamaui, ô beatiſſime Domine, dum anxie requiret cor meum, vt in petra orationum tuarum exaltes me, quia factus es ſpes mea, turris fortitudinis a facie viſibilis & inuiſibilis inimici. Et ad conſolationem immenſi doloris, ad ſedandam mœroris vndam, obſecro vt tuo ſuffragio mea fragilitas, quaſi quibuſdam ſuſtentaculis, vt non prorſus corruat, fulciatur. Similiter ſupplex rogito, vt mihi aliquod ſolatium vel in reliquiis ſanctis, vel paucula ſaltem per ſcripta beatitudinis tuæ verbo deſtinare digneris, vt in illis tuam præſentiam ſemper habeam. Vale iugiter proſperis ſucceſſibus viuens Deo, terque quaterque interpellans pro me.

L. dulcedinem. B C L. I. aſſdum. C. L. I. interim nacta. L. pariter Domino Abba atque. I. Priuſquam. L. Oſcheren. C. v lib. ru. L. memoria. apud veterê aliqu men: Can 2. 5. C. I. deduunt. C L. Vuecſburga. C. I. adoraui. L. me adoleuit. f. tardaſſet. C. Romana carcer. L. Romana vrbe carcere. ſup leg. 16 1. Ioan. 4. 15. D Iſ. 25. Rom. 10. C. I. arduam & artam. Matth. 5. L. decoratus. L. abeſt, vt. C. finere. L. & hoc eo p. ſor.

E L. Pater. L. quam anxie. C. I. exaltabu.

Ego autem ſimiliter Ealdbeoreth pauperculus Chriſti, in Domino cum omni affectu ſaluto te: deprecor te, vt illius amicitiæ, quam olim ſpopondiſti, in tuis deificatis orationibus recorderis; & licet corpore ſeparemur, tamen recordatione iungamur.

L. Caldbeonas. F

EPISTOLA CII.

Domino vere beato, atque omni officio charitatis venerando, Lulla gratia Dei Epiſcopo, Vigberth Presbyter veſter fidelis ſeruus, optabilem in Chriſto ſalutem.

VEſtris orationibus, meritiſque ſuffragantibus, vt credimus, & pro certo tenemus; proſpera nobis terræ mariſque itinera, poſtquam à vobis iteramus, Dei clementia conceſſit, amicoſque & propinquos ſanos & incolumes inuenimus, benigneque ſuſcipientes omnia neceſſaria tam in poſſeſſionibus agrorum quam in iumentis & pecoribus, aliiſque ſupellectilibus ſponte nobis tribuentes. Quod vſque hodie abſque vlla contradictione habentes, tuam ſanctam fraternitatem, quæ nos ſemper & adiuuare & conſolari conſueuerat, rogamus & obſecramus, vt videas & conſideres quid nobis vtilius agendum ſit. Omnia enim tibi nota ſunt: & hoc & illud, quicquid tibi bonum videtur, hoc me fateor læto animo feciſſe, & tuum ſalubre conſilium in nullo ſpreuiſſe. Si tibi videtur, vt ad vos pergamus, vtiles, vt credimus, viri, & vt aiunt, boni in noſtro deſiderant eſſe comitatu.

C. agrorum. G C ſunt.

Sin autem aliud magis placet, tamen, cum noſtro ſermone & conſilio, ſi vobis ſic videtur, viſitare vos deſiderant. De qua re quid tibi videtur fac ſciamus. Sed quid magis moror, cum literæ tuæ vſque ad nos veniunt, quas, vt illi præſenti portitori literarum mearum tribuas, obſecramus. Quicquid in illis iuſſeris, aut ſuaſeris, Deo permittente, & vita comite libenter faciemus. Multum iam vitæ noſtræ fluctuando & negligendo, quaſi extra nos fuſi, peregimus, tandem aliquando vt ad nolmetipſos redeamus, neceſſe eſt, ſcientes ſcriptum, quod *qui ſeminant in lachrymis, in gaudio metet*: & ideo vitæ noſtræ quod reſtat, cum veſtro conſilio tranſigere curamus.

C. faciamus. C deſiue ſru Deo Pſal. 125. 5. H

De cætero autem ſi in regione gentis noſtræ, id eſt Saxonum aliqua ianua diuinæ miſericordiæ aperta ſit, remandare nobis idipſum curate quam multi, cum Dei adiutorio, in eorum auxilium feſtinare cupiunt. Omnia iſta quæ longo ſermone perſtrinximus tu mente peruigili, quid melius agendo ſit, pertracta, & literis intimare tua ſancta almitas non pigeat. Vale.

C. Saxonorum. f. quia multi.

Ego *tirotenin* dudum aliquid vobiſcum; nunc autem hic poſitus ſcribens, legens, docenſque quod legi, multum vos ſaluto, obſecrans, vt eo animo erga me ſuis, quo & ego circa vos ſum poſitus. Saluta omnes qui amant Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

C. aliquod audiuit quero, vel probe.

A

EPISTOLA CIII.

Reuerendiſſimo & in Chriſto cariſſimo fratri Lullo Epiſcopo, Bregouuinus ſeruus ſeruorum Dei, perpetuam in Chriſti nomine ſalutem.

DIes multi elapſi ſunt, ex quo ſollicitus præoptabam, vt, Deo fauente, tandem aliquando proſperum iter legatarij noſtri perueniendi ad beatitudinem veſtram inuenire potuiſſent; quia per hos, ſcilicet proxime decurrentes priores annos, plurimæ ac diuerſæ inquietudines apud nos in Britanniæ, vel in Galliæ partibus audiebantur exiſtere; & hoc videlicet, noſtrum deſiderabile propoſitum ſæpius impediuit, & pertertudo valde prohibuit de noſtris aliquos ad vos dirigere per tam incertas tamque .... crebris infeſtationibus improborum hominum in prouinciis Anglorum, ſeu Galliæ regiones. Nunc vero pace ac tuitione nobis à Principibus indubitanter vndique promiſſa, miſimus ad veſtram venerabilem fraternitatem hunc præſentem fratrem illarum præſentium litterarum baiulum, *Hildeberchtum* nomine, reminiſcens videlicet qualiter inter nos in ciuitate Romana de amicitiæ conuentione colloquium habuimus, quod etiam nos ſeruare omnimodis confiremur. Quapropter & ego nunc in tuæ beatitudinis amicitia confiſus, vt ſecundum quod anteceſſores noſtri inter ſe facere non ceſſarunt, ita etiam & nos facere ſimiliter adoptamus, mittentes verba ſuauiſſima ſalutationis & pacis, vt Euangelicus ſermo impleatur in nobis, quod eius eſſe diſcipuli mereamur, ſi dilectionem habuerimus ad inuicem.

C incertã infeſtinationib. regiones.

B

13. Ioan. 35.

f. nõ parua tamẽ

Idcirco tibi indicare curauimus, nos miſiſſe veſtræ beatitudini parua quædam munuſcula, non parua ſiquidem charitate, id eſt capſam vnam ad officium quidem ſacerdotale ex oſſibus fabricatam, ſalutationis tantummodo ac benedictionis cauſa, per *Isbardum* religioſum Presbyterum, vt ea quæ noſtra ſunt, benigne ſuſcipiaris, ſimiliterque & nos à vobis bona recipere optamus. Inſuper etiam, omnium fratrum chariſſime, pro certo hoc noſſe tuam amabilem deuotionem, Deo teſte, deſidero, quod ſanctitatis dilectionem in eundem charitatis locum, & fraternæ ſocietatis conſolatium libenter ſuſcipio, atque tenacius contineo, in quo videlicet beati Patris & prædeceſſoris tui Bonifacij ſemper inconcuſſa manſit, & permanet iugiter repoſita dilectio: vt inter nos quoque & noſtros deinceps familiaris ac ſpiritalis amicitia, tam ad animarum noſtrarum remedia in orationibus & Miſſarum celebrationibus quam ad huius vitæ quæque competentia fraternaque ſuffragia, fideliter perſiſtat. Et ad hæc quoque quæ præmiſi, magnopere tua perfici dilectione deſidero, vt omnes quippe ſacerdotes Dei & familias benedicti ac beati Bonifacij martyris Chriſti, diligenter atque amabiliter ex meo ſalutes nomine, horteriſque pro nobis, quod & pro ipſis facere non deſiſtimus, omnipotentis Dei clementiam obnixis exorare precibus. De redditione vero præfatæ rei ſiue per verba fratris noſtri, ſiue etiam per litteras tuæ fraternæ pietatis, nos certiorare iubeto.

C

D

Omnipotentis DEI pietas ſua nos protectione muniat, & ad vtilitatem plurimorum ſanctitatis veſtræ ſinceriſſimam charitatem iugiter in perpetuum conſeruare & cuſtodire dignetur.

Diem vero depoſitionis religioſæ Chriſti famulæ *Buggan* celebramus, quæ fuit honorabilis Abbatiſſa: cuius etiam dies deſpoſitionis fuit VI. Cal. Ian. Rogauit me obnixe dum aduiueret, vt hoc veſtræ beatitudini tranſmitterem. Et ſicut ſperauit & credidit, ita facere curate, quoniam illius pater atque patronus fuit in Chriſto *Bonifacius* Epiſcopus.

E

EPISTOLA CIV.

Domino excellentiſſimo Pippino Regi Francorum, Bonifacius Epiſcopus in Domino ſalutem.

CElſitudinis veſtræ clementiæ magnas gratias agimus, & Dominum Ieſum Chriſtum precantes vt vobis in regno cœlorum æternam mercedem retribuat, eo quod petitiones noſtras clementer exaudire dignati eſtis, & ſenectutem meam atque infirmitatem conſolari. Nunc autem glorioſe fili, cognoſcas, quia per miſericordiam Dei credo, quod poſſim in ſeruitio veſtro iterum eſſe. Propterea petimus vos, vt nobis indicetis, ſi ad placitum veſtrum debeamus venire, vt veſtram voluntatem perficiamus. Quidam ſeruus Eccleſiæ noſtræ, & ipſe mendaciſſimus, qui nos arte fugiebat, Ansfrid nomine, veniens ad nos cum indiculo veſtro, rogans vt ei iuſtitiam faceremus, miſimus illum ad vos cum ipſis litteris cum miſſo noſtro, vt cognoſcatis quia mentitus vobis eſt, petentes vt nos pro mercede veſtra defendatis contra tales falſarios, & eorum mendaciis non credatis. Valete in Deo ſemper.

L. placitũ iſtum.

F

EPISTOLA CV.

Spiritalis affinitatis neceſſitudine copulando fratri Archiepiſcopatus infula ſublimato, Coepiſcopo Cudbertho, Bonifacius Legatus Germanicus Catholicæ, Apoſtolicæ, Romanæ Eccleſiæ, optabilem in Chriſto charitatis ſalutem.

SCriptum eſt in libro Salomonis *Beatus homo, qui inuenit amicum*, cum quo poſſit loqui, quaſi cum ſemetipſo. Cum muneribus munificentiæ veſtræ dulciſſimas litteras fraterna charitate interlitas, magnas Deo & vobis gratias agentes, filio veſtro Diacono Cruebertho offerente, ſuſcepimus. Viuæ vocis quoque melliflua colloquia veſtra de fraternis conſiliis per illum nobis charitas veſtra mandauit, quæ conſiliorum ſpiritalia colloquia optamus, vt Deo volente, quamdiu in hac mortali vita viuamus, inter nos iugiter inſinuentur, illo præſtante, à quo ſolo ſancta deſideria, recta conſilia, & iuſta ſunt opera: Vos melius & plenius quibus Deus donauit multis, & prudentius noſſe, & melius & plenius poſſe: nos quaſi in paucis fideles veſtri & deuoti, ſtudeamus inſtrui aureo cœleſtis amoris vinculo, quod rumpi non poteſt, inuicem cathenati. Nam labor noſtri miniſterij, vnius & eiuſdem cauſæ eſſe dignoſcitur: & æqualis ſpeculatio in curis Eccleſiarum ſiue populorum nobis credita eſt, ſiue in docendo, ſiue in arcando & monendo, ſiue in defendendo canonicos gradus vel plebeios. Idcirco humillime vt illa inſinuauerit, ſimilia faciamus. Maior enim nobis ſollicitudo Eccleſiarum & cura populorum propter pallia credita & recepta, quam cæteris Epiſcopis, qui proprias tantum procurant parochias incumbit. Propterea, chariſſime, non quia veſtræ prudentiæ opus ſit ruſticitatis noſtræ ſtatuta audire vel legere, ſed propter bonam & humilem, & ſanctam voluntatem veſtram, putamus vos libentius ſcire velle, quam neſcire, quæ hic ſacerdotes nobiſcum ſeruanda decreuerunt; vobis emendanda & corrigenda deſtinamus. Decreuimus autem in noſtro ſynodali conuentu, & confeſſi ſumus fidem Catholicam, & vnitatem, & ſubiectionem Romanæ Eccleſiæ, fine tenus vitæ noſtræ, velle ſeruare: ſancto Petro, & Vicario eius velle ſubiici: Synodum per omnes annos congregare: Metropolitanos pallia ab illa ſede quærere: &, per omnia, præcepta Petri canonice ſequi deſiderare: vt inter oues ſibi commendatas numeremur. Et iſti confeſſioni vniuerſi conſenſimus, & ſubſcripſimus, & ad corpus ſancti Petri Principis Apoſtolorum direximus, quod gratulando Clerus & Pontifex Romanus ſuſcepit. Statuimus, vt per annos ſingulos

Eccl. 25. 12.

G

l. Cynebertho. L. Cyndebertho.

Id eſt, Vos quibus donauit Deus melius noſſe multis ſeu quod norunt multi.

C. Auro.

f. hortando.

C. l. humillimam ab illo.

H

C. Deſtinamus. l. ſancta Rom. NB.

A

C. recuperentur. f. recitentur.

canonum decreta & Eccleſiæ iura, & norma regularis vitæ in ſynodo legantur, & recuperentur. Decreuimus, vt Metropolitanus, qui ſit pallio ſublimatus, hortetur cæteros, & admoneat, & inueſtiget, quis ſit inter eos curioſus de ſalute populi, quiſve negligens ſervus Dei. Venationes & ſyluaticas vagationes cum canibus, & ne accipitres & falcones habeant, prohibuimus. Statuimus, vt per annos ſingulos vnuſquiſque Presbyter Epiſcopo ſuo, in quadrageſima, rationem miniſterij ſui reddat, ſiue de fide Catholica, ſiue de baptiſmo, ſiue de omni ordine miniſterij ſui. Statuimus, vt ſingulis annis vnuſquiſque Epiſcopus Parochiam ſuam circumeat, populum confirmare, & plebem docere, & inueſtigare, & prohibere paganas obſeruationes, vel omnes ſpurcitias Gentilium. Interdiximus ſervis Dei ne pompato habitu, vel ſagis; vel armis vtantur. Statuimus, quod proprium ſit Metropolitano, iuxta canonum ſtatuta, ſubiectorum ſibi Epiſcoporum inueſtigare mores, & ſolicitudinem circa populos, quales ſint. Et moneat, vt Epiſcopi à ſynodo venientes, in propria parochia, cum Presbyteris & Abbatibus conuentum habentes præcepta ſynodi ſeruare inſinuando præcipiant: Et vnuſquiſque Epiſcopus, ſi quid in ſua diœceſi corrigere vel emendare nequiuerit, itidem in ſynodo coram Archiepiſcopo, & palam omnibus ad corrigendum inſinuet, eodem modo, quo Romana Eccleſia nos ordinatos cum ſacramento conſtrinxit, vt ſi Sacerdotes, vel plebes à lege Dei deuiaſſe viderim, & corrigere non potuerim, fideliter ſemper ſedi Apoſtolicæ & Vicario ſancti Petri ad emendandum indicauerim. Sic enim, ni fallor, omnes Epiſcopi debent Metropolitano, & ipſe Romano Pontifici, ſi quid de corrigendis populis apud eos impoſſibile eſt, notum facere: & ſic alieni fient à ſanguine animarum perditarum.

I. L. ſervus Dei: Vagationes. C. Dum tienes. f. ſervis Dei venationes, vel Diuinationes. C. ut Pompato habitu.

B

I. L. qualis ſit.

De cætero, frater chariſſime, quia nobis æqualis, labor, & maius periculum imminet, quam cæteris ſacerdotibus, quia canones antiqui præcipiunt, vt omnes Metropolitani ſciant ſolicitudinem totius prouinciæ gerere: & (vt verbi gratia dicam, ſicut timeo) nauem gubernandam inter fluctus feri maris ſemel ſuſcepimus, quam nec caute regere, nec ſine peccato dimittere valemus; quia, vt quidam ſapientium dicit: Si periculoſum eſt nauem, inter fluctus caute non regere, quanto periculoſius eſt eam vndis tumeſcentibus fluctuantem in tempeſtate relinquere? Et idcirco, Eccleſia, quæ velut nauis magna per mare mundi huius enauigat, quæ diuerſis tentationum fluctibus in hac vita tunditur, non eſt tamen relinquenda, ſed regenda. Cuius rei in exemplo priores Patres habemus Clementem, & Cornelium, & cæteros complures in vrbe Roma, Cyprianum in Carthagine, Athanaſium in Alexandria, qui ſub Paganis Imperatoribus nauem Chriſti, imo chariſſimam ſponſam ejus, Eccleſiam ſcilicet, docendo, defendendo, laborando, & patiendo vſque ad ſanguinis effuſionem, gubernabant; Poſſum enim de memetipſo pro certo iuxta vocem Cantici Canticorum dicere, *Filij matris meæ pugnauerant contra me: poſuerant cuſtodem in vineis, vineam meam non cuſtodiui. Vinea* enim, ſecundum Prophetam, *domini Sabaoth, domus Iſrael eſt:* nunc videlicet Eccleſia Catholica eſſe comprobatur. Cuius ſynodum congregandam & hortandam iuſſu Pontificis Romani; & rogatu Principum Francorum & Gallorum, ſub ſpe reſtaurandæ legis Christi, ſuſcepi, circumfodi, cophinum ſtercoris apportaui: ſed non cuſtodiui. Cum autem expectarem vt faceret vuas, fecit labruſcas. Et iuxta alium Prophetam: *Mentietur opus oliuæ, & campi non facient eſcas.* Sed proh dolor, officium laboris mei rerum collatione ſimillimum eſſe videtur cani latranti, & videnti fures & latrones frangere, & ſubfodere, & vaſtare domum Domini ſui, & quia defenſionis auxiliatores non habeat, ſubmurmurans ingemiſcat & lugeat. Nunc autem quod mihi in tali periculo poſito iuſtum & cautum eſſe videtur, ſalubre conſilium veſtrum quærens, & ſcite deſiderans, inſinuo libertatem prædicandi: dico, vt in Actibus Apoſtolorum Paulus Apoſtolus ſacerdotibus intimauit dicens: *Conteſtor vos hodierna die, quia mundus ſum ab omnium ſanguine. Non enim ſubterfugi quo minus annunciarem vobis omne conſilium Dei. Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos ſpiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſibi ſanguine ſuo.* Regnum, inquit, Dei inter vos ambulans prædicaui; vt me alienum ab omni perditione ſeruarem. Nam Apoſtolus *Epiſcopum*, Propheta *Speculatorem*, Saluator mundi *Paſtorem Eccleſiæ* ſacerdotem appellat: & omnes tacentem peccata populi doctorem, ſanguinis animarum perditarum ſub ſilentio eſſe comprobant. Propter hoc horribilis, & maxima neceſſitas cogit, vt, iuxta dictum Apoſtoli, nos formam debeamus exhibere fidelibus, hoc eſt, niſi me fallat opinio, ita iuſte viuendum doctori, ne dicta ſua repugnantibus factis euacuet, & ne cum ſibi de proprio caute viuat, tacens alieno damnetur peccato; quia ad hoc eſt Eccleſiæ Dei præpoſitus, vt non ſolum bene viuendo alios exemplo inſtituat, ſed etiam fiducialiter prædicando ſingulis ante oculos peccata ſua conſtituat; & quæ pœna habeat duros, & quæ gloria obedientes, oſtendat, quia, iuxta verbum Domini ad Ezechielem, cui diſpenſatio verbi commiſſa eſt, etiamſi ſancte viuat, & tamen perdite viuentes arguere aut erubeſcat, aut metuat, cum omnibus, qui eo tacente perierint; periit. Et quid ei prodecit non puniri ſuo, qui puniendus eſt alieno peccato? Taciturnitatem quidem ſacerdotis Dominus ad Ezechielem loquens terribiliter prohibet, & ſpeculatorem ſacerdotem appellat, vt ſicut ſpeculatoris eſt de loco altiori plus omnibus contemplari: ita Sacerdos debet eſſe meritorum ſublimitate celſior, & maioris ſcientiæ habere gratiam, qua poſſit cæteros inſtruere.

C

C. Metropolitani.

Cant. 1. alias 5

D

v. 7. I. ſecundum Naum. L. Iſaiam.

v. 4. Habacuc. 3. 17.

Act 20.

E

26. 27. 28.

Act. 20. Ezech. 3. & 33. Ioan. 10. & 21.

f. perditarum ſuo ſilentio, reum eſſe.

I. Pet 5. 3.

L. cum ſit de proprio tutus, ab. 4. p. 1. de alieno.

F

Ezech. 3.

L. condemnabitur. Ez. 3. & 33.

Audiens, inquit diuinus ſermo, *Sermonem annunciabis eis ex me.* Indicat, ut hoc dicat Sacerdos, quod ex diuina lectione didicerit, quod illi Deus inſpirauerit, non quod humani ſenſus inuenerint, *Annunciabis eis*, inquit, *ex me*; non ex te: mea verba loqueris: non eſt quod ex his, tanquam de tuis infleris. *Ex me*, inquit, *eis annunciabis. Si me dicente impio*, Impie *morte morieris non fueris locutus, vt ſe cuſtodiat impius in via ſua, ipſe impius in iniquitate ſua morietur: Sanguinem vero eius de manu tua requiram.* Ac ſi aperte dicat: Si ei peccata ſua non annunciaueris, & ſi eum non argueris, vt conuertatur & viuat; & te, qui eum non increpaſti, & eum, qui te tacente peccauit, flammis perennibus tradam. Non ſumus tam ſaxei, vel tam ferrei pectoris, vt nos iſta verba Domini non terreant. Non ſumus tam alienati à fide, vt iſtis verbis Domini non credamus: ſed excitemus, & exhortemur fratres noſtros venerandis verbis ſancti Petri Apoſtoli: *Sobrij eſtote, & vigilate, & excitamini, quia aduerſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem deuoret; cui reſiſtite fortes in fide, ſcientes eandem paſſionem quæ in mundo eſt veſtræ fraternitati fieri.* Et Epiſcopos ſynodi noſtræ ſubiectionis, adiuratione ſancti Pauli Apoſtoli admoneamus Timotheo dicentis: *Teſtificor coram Domino* Iesv Christo, *qui iudicaturus eſt viuos & mortuos, per aduentum ipſius, & regnum eius. Prædica verbum, inſta, opportune importune, argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina.*

Ezech. 3. & 17.

v. 8.

G

V. vt auertatur à via ſua impia.

I. Pet. 4.

C. noſtris. I. Tim. 4.

H

Eſt enim iam prædictum ab Apoſtolis tempus, cum ſanam doctrinam non ſuſtinent: Sed ad ſua deſideria coaceruant ſibi magiſtros, &c. Clamemus in fortitudine, iuxta dictum Prophetæ, quia annunciamus pacem in terris hominibus bonæ voluntatis. Ille namque in fortitudine clamat, quem nec metus, nec verecundia prædicare verbum vitæ impedit. Contendamus, auxiliante Domino, vt non ſimus inter illos falſos paſtores ouium, quos Propheta accuſat dicens: Hæc dicit Dominus Deus: *Væ Paſtoribus Iſraël, qui paſcebant ſemetipſos. Nonne greges paſcuntur à paſtoribus? Lac comedebatis, & lanis operiebamini: quod craſſum erat, occidebatis: gregem autem meum non paſcebatis: quod infirmum fuit, non conſolidaſtis: quod ægrotum, non ſanaſtis: quod fractum eſt, non alligaſtis: & quod abiectum, non reduxiſtis: quod perierat non quæſiſtis: Sed cum auſteritate imperabatis, & cum potentia: & diſperſæ ſunt oues meæ, eo quod non eſſet paſtor:*

Iſa. 58. Luc. 2.

Ezec. 34.

&

A *& factæ ſunt in deuorationem omnium beſtiarum agri.* Væ, quod Propheta dicit, pro maledicto poſuit. Per paſtores, Epiſcopos ſignificat: greges Domini, id eſt, fideles populos ad paſcendum. Sed ſemetipſos paſcunt, qui non

L. lires lanis.

populi ſalutem, ſed ſuas voluntates attendunt. Lac & lanas ouium CHRISTI, oblationibus quotidianis ac decimis fidelium, ſuſcipiunt, & curam gregis Domini deponunt. Non ſanant ſpiritali conſilio infirmum peccatis: non ſolidant ſacerdotali ope diuerſis tribulationibus fractum: non reuocant erroneum ad viam ſalutis: non requirunt ſolicitudine paſtorali veniæ iam deſperatione perditum: nec afflictos contra violentiam potentum, qui in eos, ferarum more, deſæuiunt, defendunt: nec diuites peccantes vel potentes non ſolum non arguunt, ſed etiam venerantur. Et ideo minaciter ſuperbiam talium ſermo

Ibid.

diuinus contundit dicens: *Væ paſtoribus Iſraël.* Et iterum. *Propterea paſtores audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus: Ecce ego ipſe ſuper paſtores requiram gregem meum de manu eorum, & ceſſare eos faciam, vt vltra non paſcant*

B *gregem, nec paſcant amplius ſemetipſos.* Quod quid eſt aliud, quam paſtores, qui ſemetipſos non greges paſcunt, de ſublimitate honoris inter reprobos & inter maledictos proiiciam? Sed hæc omnia, quis non tremiſcat, niſi qui futura non credit? Omnia, quæ Deus voluit obſeruari, tam aperte poſuit, & ſui nominis auctoritate firmauit, vt ea facilius (quod dictu quoque nefas eſt) contemnamus, quam nos non intelligere tam aperta & diuina, mentiendo, fingamus. Quomodo audiuimus, *Hæc dicit Deus?* quis futurum eſſe non credat quod dicit Deus, niſi qui Deo non credit? Horum & his ſimilium conſideratione perterritus ſum: & timor & tremor venerunt ſuper me: & pene contexerunt me peccatorum meorum tenebræ, & ſemel ſuſceptum gubernaculum Ec-

C. libuiſſet placuiſſet mero dimittere.

cleſiæ libuiſſet & placuiſſet mihi omnino dimittere, ſi valerem, vel exempla Patrum, vel ſcripturas ſacras conſentaneas inuenire.

Idcirco Frater chariſſime, quia hæc omnia ita ſe habent, & veritas fatigari poteſt, vinci autem & falli non

C poteſt, fatigata mens noſtra confugiat ad illum, qui per

Prouer. 3. cap. 18.

Salomonem dicit: *Habe fiduciam in* DOMINO *ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ in omnibus viis tuis. Cogita illum, & ipſe diriget greſſus tuos.* Et alibi: *Turris fortiſſima nomen* DOMINI ad ipſam confugit iuſtus, & ſaluabitur.

Stemus in iuſtitia, & præparemus animas noſtras ad tentationem, vt ſuſtineamus ſuſtentationem DEI, & di-

Pſ. 89. 1.

camus ei: DOMINE *refugium factus es nobis à generatione & progenie.* Confidamus in eum, qui nobis onus impoſuit. Quod per nos portare non poſſumus, portemus

Matth. 11.

per illum, qui eſt omnipotens, qui dicit, *iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Stemus in prælio in die Domini, quoniam dies anguſtiæ & tribulationis venerunt ſuper nos.

Moriamur, ſi DEVS voluerit, pro ſanctis legibus Patrum noſtrorum, vt hæreditatem cum il[illegible] æternam conſequi mereamur. Non ſimus canes muti, non ſimus taciti ſpeculatores, non ſimus mercenarij lupum fugientes,

D ſed paſtores ſoliciti, vigilantes ſuper gregem CHRISTI, prædicantes maiori ac minori, diuiti ac pauperi omne conſilium Dei, omnibus gradibus vel ætatibus, in quantum Deus donauerit poſſe oportune, importune, eo modo, quo ſanctus Gregorius in libro Paſtorali conſcripſit. Præterea non taceo charitati veſtræ, quia omnibus ſer-

C. l. videntur mod. honeſtas & pudicitia f. honeſtas pudicitia. C. l. abeſt illuditur. C. l. velamentũ. L. deeſt, & velatis fœminis.

uis Dei qui hic vel in Scriptura, vel in timore Dei probatiſſimi eſſe videntur, diſplicet, quod bonum, & honeſtas & pudicitia veſtræ Eccleſiæ illuditur, & aliquod leuamentum turpitudinis eſſet, ſi prohiberet Synodus, & Principes veſtri mulieribus & velatis fœminis illud iter, & frequentiam, quam ad Romanam ciuitatem veniendo, & redeundo faciunt, quia magna ex parte pereunt, paucis remanentibus integris. Perpaucæ enim ſunt ciuitates in Longobardia, vel in Francia, aut in Gallia, in qua non ſit adultera vel meretrix generis Anglorum: quod ſcandalum eſt, & turpitudo totius Eccleſiæ. Ille autem qui laicus homo vel Imperator vel Rex, vel aliquis Præfecto-

E rum vel Comitum ſæculari poteſtate fultus ſibi per violentiam rapiat monaſterium de poteſtate Epiſcopi, vel Abbatis, vel Abbatiſſæ, & incipiat ipſe vice Abbatis regere & habere ſub ſe Monachos, & pecuniam poſſidere, quæ fuit Chriſti ſanguine comparata, talem hominem nominant antiqui Patres raptorem, & ſacrilegum, & ho-

L. lupum diaboli.

micidam pauperum, & lupum diabolum intrantem in ouile Chriſti, & maximo anathematis vinculo damnandum ante tribunal Chriſti. De talibus memorare ſancti

1. Ti. 6. 17.

Pauli Apoſtoli ad Timotheum dicentis: *Diuitibus huius ſæculi præcipe non ſuperbe ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo viuo, qui præſtat omnia.* Talibus,

Matth. 18.

ſi Eccleſiæ correptionem non recipiunt, Ethnici & publicani ſint, nec viuis nec mortuis communicat Eccleſia. Talibus, quoniam & hic & ibi reperiuntur, cum tuba Dei clangamus, ne tacentes damnemur. Superuacuam, & Deo odibilem veſtimentorum ſuperſtitionem omni intentione prohibere ſtude: quia illa ornamenta veſtium, (vt illis videtur, quod ab aliis turpitudo dicitur) latiſſi-

F ſimis clauis, vermium imaginibus clauata aduentum

C. Antichriſti luxuriam.

Antichriſti, ab illo tranſmiſſa, præcurrunt, illius calliditate, per miniſtros ſuos, introducere intra clauſtra monaſteriorum fornicationem, & luxuriam.

EPISTOLA CVI.

Reuerendiſſimo fratri, imo dilectiſſimo conſacerdoti optato Abba, & vniuerſæ ſanctæ congregationi ſub cura illius regularis vitæ normam cuſtodienti Bonifacius, ſine prærogatiua meritorum nominatus Epiſcopus, optabilem in Chriſto charitatis ſalutem.

VEnerandam ſanctitatis veſtræ clementiam intimis obſecramus precibus, vt nos indignos nobiſcum in in vnitate fraternæ dilectionis & ſocietatis ſpiritalis ſuſcipere & habere dignemini, vt vna ſit inter nos & fides mentium, & pietas actionum: & ſicut princeps Apoſto-

1. Pet. 4.

G lorum *Petrus* hortatur dicens: *Ante omnia mutuam in inuicem charitatem habete, & quia charitas operit multitudinem peccatorum.* Et ipſa veritas dixit: *In hoc cognoſcent*

Ioan. 13.

omnes, quia mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad inuicem. Et ſimiliter *Paulus* Apoſtolus admonet dicendo:

Gal. 6. 2. Rom. 13. 1. Ti. 15.

Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. Et alibi. *Finis enim præcepti eſt charitas de puro corde, & conſcientia bona, & fide non ficta:* & vt veſtra fraternitas in ſpiritali regulariter vita viuens in pacifica tranquillitate fraternæ concordiæ pro noſtra fragilitate

2. Theſ. 3

exorare dignetur, vt *ſermo Domini currat & clarificetur,* vt iuxta dictum Apoſtoli *liberemur ab importunis & malis hominibus,* & à tentationibus malignorum ſpirituum,

1. Tim. 11. 1.

& tribulationibus aduerſariorum, vt lux Euangeliorum gloriæ Chriſti & via vitæ, quam populis & gentibus oſtendere & ipſi pergere debemus, nobiſmetipſis non obtenebreſcat nec abſcondatur. Diligenter quoque deprecamur, vt familiaritas fraternæ charitatis inter nos ſit,

H & pro viuentibus oratio communis, & pro migrantibus

Pro mortuis preces, ac Miſſæ.

de hoc ſæculo orationes & Miſſarum ſolemnia celebrentur, cum alternatim nomina defunctorum inter nos mittentur. Interea ſi quid fraternitas veſtra nobis mandare ad perficiendum vel ad dicendum dignata fuerit, voluntatis veſtræ deſiderium in omnibus adimplebimus. Agire ergo de hac petitione noſtra vt in alto cœlorum culmine mercedis veſtræ præmia in ſuperna curia Angelorum clareſcant & creſcant. Longæuum, ac valentem, & almis

C. adorantem.

viribus proficientem, & ſuauiſſimis operum & verborum floribus odorantem beatitudinem veſtram perenniter Saluator mundi cuſtodiat. †

A *C. Digna.* hæreditatem ſuam mihi promittunt, & dare diſponunt, ſi hic cum eis permanere diſpono. Sin autem, alienis permittere debent. Et iden, mi Domine, per prudentiam tuam & cor intelligibile, pertracta & conſidera, quid tibi bonum videtur & rectum, & illud, vt dixi, per litteras intima. Vita etenim comite, & Deo concedente, quod iubes, facere diſpono.

Orantem omnis beatitudinem veſtram diuina miſericordia in perpetuum cuſtodite dignetur. Amen.

Ego *Herthuin* quondam cognatus tuus, ſaluto te, multum rogans vt quicquid reprehenſibiliter ſcriptum reperies, indoctæ imperitiæ ignoſcas. Vtinam, ſi fieri poteſt, & ſi Dei voluntas ſit, vt facie ad faciem videamus nos. Vale & memento noſtri.

ſ. agnoſ- B *caſ & tuo tempore.* Macarius polaris aulæ pantocrator clemens diu vos incolumes cuſtodire dignetur.

EPISTOLA CXI.

† Sancto ac venerabili in Chriſto fratri Guthberto Abbati, Lullus exiguus ſeruus ſeruorum Dei, perennem in Chriſto ſalutem.

CHaritas, quæ deſinere neſcit, nunquam vetereſcit, interni ardorem ignis vix in ſe ſola continere valet. Idcirco placuit noſtræ mediocritati de tua ſoſpitate cognoſcere, vt tecum in Domino gratularer, vt ſcires quæ circa fragilitatem meam iuſto iudicio Dei geruntur. Cogor enim continua corporis ægritudine de hac luce fugitiua, & valle lacrymarum, pio & diſtricto iudici rationem redditurus migrare. C Idcirco ſuppliciter obſecro, vt pro animæ meæ ſalute enixius Dominum depreceris. Miſimus etiam tuæ dilectioni parua munuſcula, vnam pallam holoſericam. Petimus etiam vt ad conſolationem non ſolum peregrinationis, ſed etiam infirmitatis noſtræ, libros à beatæ memoriæ *Beda* expoſitos, mittere digneris, de ædificatione templi, vel in Cantica Canticorum, ſiue Epigrammatum heroico metro ſiue elegiaco compoſitorum, ſi fieri poteſt, omnes: Sin autem de ædificatione templi libros tres. Fortaſſis difficilis petitio, ſed nihil arbitror eſſe difficile veræ charitati.

Vſque ad decrepitam valeas ætatem cum omnibus, qui tecum Domino Deo deſeruiunt.

Nomina quoque fratrum & amicorum noſtrorum de hac luce migrantium tuæ charitati commendantes quæ ſunt......

D

EPISTOLA CXII.

Domino beatiſſimo & ſpeciali amore venerando Lullo Epiſcopo, ego Cineuulf Rex occidentalium Saxonum vna cum Epiſcopis meis, nec non cum caterua ſatraparum, æternam ſoſpitatis in Domino ſalutem. *Satrapū.*

C. Tibique teſtificamur. TIbi teſtificamur, quod iuxta modum noſtræ poſſibilitatis, quicquid tua ſanctitas deſiderauerit ſiue iuſſerit, libenter agere parati ſumus, vt cum reuerendiſſimo & ſanctiſſimo viro Dei prædeceſſore tuo Bonifacio pepigimus, ſiue in orationibus Deo deuotis, ſeu in aliis quibuslibet rebus, in quibus humana fragilitas, Deo diſponente, mutuis alterutrum ſolatiis egere comprobatur: te pariter obſecrantes, vt pro noſtra paruitate, proque pace congregationis noſtræ, Domino ſupplicare cum eis, qui tecum inuocant nomen Domini Ieſu, memineris. E Iſtarum vero litterarum portitorem à vobis ante deſtinatum veſtræ almitati committimus, quia fideliter vobis obedire in omnibus curavit. *C. nobis curabit.*

Omnipotens Deus, qui diſperſa congregat, & congregata cuſtodit, ipſe vos ſua gratia protegat, & veſtri laboris fructum in æterna patria nos videre concedat.

EPISTOLA CXIII.

Domino, & Patri Riculfo Archiepiſcopo, quem gratia æterni Regis perpetualiter ad ſalutem multorum, & Eccleſiæ Catholicæ defenſionem conſeruare dignetur, Amalardus & Vido, omniſque congregatio ſancti Petri ex monaſterio Horbach, in Domino Deo Saluatore noſtro ſalutem præſumpſimus mittere. F

DE cætero notum ſit pietati veſtræ, quia in quantum Deus nos exaudire dignatur, oratores veſtri inceſſanter ſumus, & attentius eſſe cupimus. Comperiat ſiquidem..... magnitudinis veſtræ, quia miſimus Presbyterum noſtrum, *Macharium* nomine, ad noſtras Eccleſias, quæ in veſtra Parochia ſitæ eſſe videntur, vt ibidem, ſolito more, officium peragerer. Sed dictum nobis ab eodem Presbytero fuit, quod auctoritatis veſtræ magnitudo iuberet non ibidem eum eſſe officium diuinum celebraturum, quia neſcimus ſi aliqua ſuggeſtio auribus pietatis veſtræ a *Bernario* Epiſcopo perueniſſet, quia idem Dominus *Bernarius* Epiſcopus miſit ei vnum caballum paſcere de noſtro ſtipendio, vnde nos viuere debemus; neſcimus ſi pro hac cauſa factum hoc ſit. Nunc deprecamur, vt accepta licentia idem Presbyter à vobis, liceat ei Domino Ieſu Chriſto, & Sanctorum eodem in loco reliquiis officium ſolito more perſoluere, ne & domus Dei, & reliquiæ illius honor ſic remaneant ſine ſacerdote, lumine & officio. Nec nos non habemus illis in partibus ſacerdotem, qui illud officium ibidem peragere poſſit, niſi iſtum. Ideo deprecamur vos, vt tale præceptum & licentia ei à vobis tribuatur, ne tamdiu ſicut deprecati ſumus, domus Dei, & reliquiæ illius honor ſic, ſicut modo remaneant.

ſ. excellentia. ſ. ne ibidem eſſet, neue diuinū offic. celebraret & neſcimus. C. noſtra ſtipendia. C non ſit. Sanctarū reliquarū cultus. G

Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti vos in præſenti faciat pollere, & in æterna beatitudine feliciter ſecum regnare.

Obtineant, obtineant, quæſo, preces noſtræ auribus pietatis veſtræ, electe Dei, quatenus & aliorum profecta merces vobis magna reddatur à Domino Ieſu Chriſto. *ſ. in auribus vel ab auditu, ubi mei.* H

EPISTOLA CXIV.

Sanctiſſimo & in Chriſti membris dilectiſſimo, Patrique piiſſimo Odgero Archiepiſcopo, Iacco humilis Vernaculus veſter, & fidelis orator, ſumma beat tuamus immolabileſter atque immarceſſibilem in Domino Deo noſtro ſalutem.

OMnium huius virorum ordinis amantiſſime, atque mihi dulciſſime, ne deſpicias exiguam petitionem fideliſſimi oratoris tui, ſed ſecundum immenſam beneuolentiam ac ſolitam charitatem tuam, eſto mei indigni memor, vt dum me Chriſtus vocare iuſſerit, & veſtræ intimatum fuerit mellifluæ charitati, prout viſum fuerit) per veſtros, meæ paruitatis animulæ hinc abeuntis, vel in hoc corpuſculo commorantis memores eſſe dignemini.

Nam

A Nam ſi me Deus, quod noo opto, ſuperſtitem vobis reliquerit, quantumque per me, ſiue per familiares meos amicos laborare ſufficio, in oratiooibus ſtudioſe explere pro vobis ſatagam; & donec vtriſque Deus vitam hanc caducam conceſſerit, veſtram almitatem mei indigni & peccatoris eſſe memorem rogo, quoniam ego veſtri indefeſſe aſſidua & quotidiana prece memor ero, optime atque mitiſſime Pater. Nam ſi hæc dedignatos non fueris Dominę dulciſſime, valde meam exiguitatem lætificabis. Salutat veſtram ſanctitatem Dominus Abba noſter, vna cum omnibus fratribus noſtris, fideliſſimis orationibus veſtris multum in Domino, & veſtris ſanctis orationibus oppido ſe commendant. Mittite mihi de pergameno bono ad vnum lectionatium perſcribendum, & ad vnum Miſſalem Gregorianum, quem ſi, per veſtrum adiutorium, perfecero, dum vixero ſemper veſtri memor ero. Litteræ veſtræ dignatioois mihi per horum perlatorem veniant, vt norim, ſi adhuc veſtra Almitas antiqui contubernij memor eſſe dignetur; iubeoque fidenter more ſolito, vt ſupra dictæ membranæ B per præſentem fratrem noſtrum mihi veniant.

C. Membrana. Incolumem ſanctitatis veſtræ coronam ad profectum ſuæ ſanctæ Eccleſiæ Chriſtus Deus noſter ſemper & vbique conſeruare dignetur, ſanctiſſime atque amantiſſime Pater, Amen.

EPISTOLA CXV.

RECLAMATORIA.

Piiſſimis auribus veſtris, clementiſſime ac glorioſe Imperator, non præſumptionis audacia, ſed pro magna neceſſitate mea, ſuggerere conabor, qualiter à me peccatore & mea ſorore, paterna hæreditas noſtra erat primo elongata & adhuc etiam abſtracta. Et ideo piiſſime Imperator & omnium indigentium miſericordiſſime ſuffragator, multum indigemus patrocinio veſtro, quatenus per miſericordiam, ac Eleemoſynam veſtram, ad C ipſam hæreditatem peruenire valeam, eo quod vllo modo aliter nobis ea reſtitui non valet, niſi per veſtram deuotiſſimam, ſemperque beneuolam iuſte faciendi clementiam. His ita, Domine mi, vtcunque prædictis audire dignetur excellentia veſtra reclamationem miſeriæ noſtræ. Fuit namque nobis, ſereniſſime Imperator, pater nomine *Rickart*, & patruelis nomine *Richolf*, ambo Saxones, & hæreditas eorum in ipſa extiterat Saxonia. Dum autem in ſeruitio panis veſtri, felicis memoriæ Domini *Caroli* Imperatoris extiterunt, propinqui eorum atque Pagenſes, cauſa Chriſtianitatis, furore ſuper eos turbantes, omnia quæ in domibus propriæ elaborationis habuerunt, cuncta raptim diripuerunt, eo quod in fide Chriſtianitatis velle eos perſiſtere ſenſerunt, & eam negare vllo modo noluerunt. Poſtea vero contigit vt Dominus Imperator patruelem meum *Richol* miſerit in D miſſaticum ſuper *Elb..m* cum his inferius ſcriptis, id eſt.... com goteſredo. com... com. &...... qui omnes vna ibidem fuerunt occiſi, propter Chriſtianitatis ſtabilimentum. Quo audito perrexit pater meus *Richart* nuntiare Domino Imperatori *Carolo*, & dum in illa via fuit, apprehenſa eſt ipſa mater mea ab eiſdem viris, qui illos præfatos miſſos antea interfecerunt, & inter manus fideiuſſorum commendatam reliquerunt, cæteraque omnia, quæ ibidem in ſumptibus vel aliis quibuſlibet rebus reperta ſunt, ſecum per rapinam diuiſerunt. Quod cum compertum fuit patri meo, tranſiliit libenter, & eam quaſi furtim arripuit, fugitque cum ... pagum, qui vocatur *Maſtheim* in maternam hæreditatem ſuam, & ſic manſit ibi, donec, ex iuſſione Domini Imperatoris, Saxones facta tranſmigratione de Saxonia per partes educti ſunt, & tunc etiam temporis cum eiſdem pater meus & mater educti fuerunt. Quibus vero eductis & in ipſa tranſmigratione per quanta quælibet ſpatia commorantibus à propria abalienatis terra, de hac luce pater meus interueniente extremo E die ſubtractus eſt, & remanſit ſola mater mea, & ego, ſororque mea, & adhuc Deo miſerante, nos tres ſuperſtites exiſtimus: non tamen peruenimus ad paternam hæreditatem noſtram. Ideoque piiſſime Imperator, qui omnibus pauperibus etiam cunctis indigentibus ſtabile refugium pro Dei amore miſericorditer impendere non ceſſatis, nobis quoque paterna hæreditate deſpoliatis pro veſtra eleemoſyna auxiliari ſub hac reclamatione noſtra vtcunque faciatis, & per fideles veſtros idipſum inueſtigare dignemini, vtrum iuſte ad nos pertinere debeat an non, ſi tamen apud veſtram ſanctiſſimam decretum fuerit excellentiam. Multi enim teſtes de ipſis pagis ſuper hac ipſa re adhiberi poſſunt, qui hanc rem bene ſciunt, & eam detegere veraciter valebunt, ô clementiſſime ac ſereniſſime Imperator.

EPISTOLA CXVI. F

Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Reuerendiſſimo & ſanctiſſimo, Ogario, Archiepiſcopo.

Qvod nos tanto amore ac beneuolentia diligitis, plus hoc veſtra ſanctitas, quam noſtra merita faciunt, quod tamen maxime muneribus directis agnouimus, pro quibus maximas vobis gratias agimus, quia totum erga ſedis Apoſtolicæ Præſulem, vt condecet, curatis impendere, cuius nos viciſſitudinem, Deo volente, ſanctitati veſtræ ſupplere ſtudemus. De corpore vero ſancto, quod nobis humiliter veſtra quæſiuit prudentia, quod dirigere non habuimus, quoniam cuncta ſanctorum corpora prædeceſſores noſtri nobiſcum communiter detulerunt, & vnumquodque earum Eccleſiis nouiter dedicatis, ſumma veneratione condimus. Proinde beneuolentiam veſtram precamur, vt nobis ſpatium inquirendi diligentius præbeatis, quatenus corpus ſanctum inuenire valeamus ad veſtram complendam petitionem. Et ſi inuentum fuerit, veſtra nobis credere dignetur induſtria, ſtatim quod petiſtis, perficiemus. Modo vero illud non miſimus, quia inquirentes nequaquam inuenire valuimus. G

C. dieſſitud.

EPISTOLA CXVII.

Epiſtola reclamatoria ob Epiſcopum impetrandum Ogerum.

Domino, in Domino Dominorum optimo, victorique maximo *Hludoico* Imperatori glorioſiſſimo virtus, vita, victoria, ſaluſque continua longæuis temporibus per omnipotentem Dominum hæc omnia vobis ſtabilita. Litteras quidem humillimas ſummæ magnitudini veſtræ adpræſentare ſuppliciter conamur, & probatiſſimam clementiam veſtram appellamus, totus Clerus, omniſque plebs ſub chariſſima dominatione veſtra degens in parochia *Moguntienſis Eccleſia*: non hæc faciens per audaciam, neque per præſumptionem, ſed propter nimiam neceſſitatem, quæ quotidie in ipſa parochia graſſatur, abſente diu & procul verſante ſuo paſtore. O Domine piiſſime, nonne veſtra clariſſima poteſtas, ſanctiſſimaque voluntas in hoc ſe ſtudio ſemper exercuit, vt Chriſti nomen clarificetur, colatur, atque ametur, & eius diuina poteſtas per fortitudinis veſtræ conſtantiam multis terrarum locis innoteſcat? Vnde & probatiſſima ſollicitudo veſtra laborare non ceſſat, vt Eccleſia Chriſti Domini noſtri cuſtodiatur, adunetur, regatur, tueatur, & à perfidorum doctrinis intrinſecus purgetur, & ad hoc ſtudium cum magna deuotione ſatis prompti exiſtitis ob impetranda præmia patriæ cœleſtis & æternæ beatitudinis. Idcirco Domine quoniam talia circa Dei Eccleſias agitis, nolite obliuiſci Eccleſiarum, plebiſque in parochia noſtra conſiſtentium, ne diutius H

tius

A tius ſomno torpeſcant paſtore carentes. Quapropter, clementiſſime Domine, precamur omnes, precamur ſinguli quaſi corporaliter dulciſſimis pedibus veſtris prouoluti, vt paſtorem quem iam pridem veſtra largiſſima concedente gratia ſuſcepimus, eundem iterum pro eleemoſyna veſtra ſuſcepturi gaudeamus, vt in ipſa ſede, ſuper quam eum prudentiſſima ſapientia veſtra conſedere fecit, Domino Chriſto, & ſanctis eius, vobiſque valeat deſeruire, quatenus veſtra miſerante miſericordia Eccleſia ſancti Martini, Sanctique Albani Martyris Chriſti ab eo viduata non fiat, in quorum honore atque amore, ſicut optime nouit cautiſſima ſapientia veſtra, prius eum ibi diſpoſuiſtis officio fungi ſacerdotis. Scimus enim eum vobis eſſe in omnibus fidelem, beneuolum, humiliter ſubiectum, itemque benignum, & in eo maxime, libenterque laboraturum, quo valeat bene piiſſima Excellentia veſtra in hoc tempore illæſa exiſtere, & in æterna beatitudine cum ſanctis omnibus triumphata in cœlo gaudere.
B Sed quid digne noſtra ex parte poſſumus oſtendere contra ſagaciſſimam ſapientiam veſtram, dum nullus tam doctus, tamque idoneus prudentia ſit, quem veſtra non præcellat induſtria? Felix populus, felixque omnis clericus, qui tali Principe regitur, talique gubernatur, protegitur. Hoc faciat Deus, & hoc addat, quatenus non ſolum magnitudo poteſtatis veſtræ Principem vos eſſe oſtendat, ſed etiam inſtantia gubernandi domos Dei in laudem ſancti nominis eius protectorem & glorioſum triumphatorem longe lateque perficiat. His ita, Domine, vtcunque ſuppliciter prædictis, recordari deuotiſſimam clementiam veſtram optamus de paſtore noſtro exiguo veſtro famulo Otgero, intercedentibus his ſanctis ſuperius nominatis, vt ſicut cœpiſtis, ita perficiatis, quatenus in ſua ſede, veſtra concedente gratia, Deo & ſanctis eius deſeruiat, veſtramque orationem cum nobis omnibus die nocteque exerceat. Amen.

C. domum

C *Hactenus Cæſareum exemplar, in quo licet multa iis, quæ iam ſubiungentur, tempore ac dignitate inferiora ſint, illius tamen neque immutare ordinem, neque omittere aliquid volui: faciamque iam idem in Academiæ Ingolſtadienſis Codice, quoad ea, quæ in Cæſareo deſiderantur, ſuppeditabit. Suppeditat autem partim ea, quæ in Othloniana Sancti Bonifacij vita ſunt apud Surium Tomo I I. Henr. Caniſium Tomo V. Antiq. & in Moguntiacorum meorum, lib. 3. partim quæ in Pontificum epiſtolis, & interdum etiam, quæ nuſquam adhuc, quod ſciam, edita. Eſt autem eius Codicis initium Fidei à Sancto Bonifacio edita Profeſſio.*

IN NOMINE DOMINI DEI et Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, imperante Domino Leone à Deo Coronato magno Imperatore, Anno ſexto poſt conſulatum eius anno ſexto, ſed & Conſtantino magno Imperatore eius filio, anno quarto, indictione ſexta.

Eſt in Annu, & in alio obſerua diu ab edi a exemplaribus diſcrimen. etiam demcpi.

D

PRomitto ego *Bonifacius*, gratia Dei Epiſcopus, vobis beato *Petro Apoſtolorum Principi*, Vicarioque tuo beato Papæ *Gregorio*, ſucceſſoribuſque eius, per *Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, Trinitatem inſeparabilem, & hoc ſacratiſſimum corpus tuum* me omnem fidem & puritatem ſanctæ fidei *Catholicæ* exhibere: & in vnitate eiuſdem fidei, Deo cooperante, perſiſtere: in qua omnis Chriſtianorum ſalus, ſine dubio, eſſe comprobatur: Nullo modo me contra vnitatem communis & vniuerſalis Eccleſiæ, ſuadente quopiam conſentire: Sed, vt dixi fidem & puritatem meam atque concurſum tibi, & vtilitatibus tuæ Eccleſiæ, cui à Domino Deo *poteſtas ligandi ſoluendique data eſt*, & prædicto Vicario tuo, atque ſucceſſoribus eius per omnia exhibere. Sed & ſi cognouero Antiſtites contra inſtituta antiqua ſanctorum patrum conuerſari, cum eis nullam habere communionem aut coniunctionem. Sed magis, ſi valuero prohibere, prohibeam: Si minus vero, fideliter, ſtatim Domino meo Apoſtolico renunciabo. Quod ſi, quod abſit; contra huius promiſſionis meæ ſeriem aliquid facere quolibet modo, ſeu ingenio, vel occaſione tentauero, reus inueniar in æterno iudicio: vltionem *Ananiæ & Saphiræ* incurram, qui vobis, etiam de rebus propriis, fraudem facere, vel falſum dicere præſumpſerunt. Hoc autem indiculum ſacramenti, ego *Bonifacius* exiguus Epiſcopus, manu propria, ſcripſi: atque poſitum ſupra ſacratiſſimum corpus tuum, vt ſuperius legitur, Deo teſte & iudice, præſtiti ſacramentum, quod & conſeruare promitto.

L. 1. vit. C. 19. Mog. p. 342.

Mat. 16. Ioan. 21

E

Act. c. 5

EPISTOLA CXVIII.

Gregorius ſeruus ſeruorum Dei Bonifacio religioſo Presbytero.

Eſt hæc prima in Cod. Ingolſt. quã F & ſub alia deinceps ſequuntur ordine. Greg. hic eſt ſecundus l. vit. c. 12. Mog. p. 36. 2. Timot. 1.

EXigit manifeſta nobis religioſi propoſiti tui pie in Chriſto flagrantis intentio & approbata ſinceriſſimæ fidei tuæ perlata relatio: vt ad diſpenſationem verbi diuini, cuius, per gratiam Dei, curam gerimus: te comminiſtro vtamur. Experientes proinde, te *ab infantia ſacras litteras* didiciſſe, profectuſque indolem ad augmentum crediti cœlitus talenti, proſpectu diuini amoris, extendere, videlicet, gratiam cognitionis cœleſtis oraculi in laborem ſalutiferæ prædicationis ad innoteſcendum gentibus incredulis myſterium fidei, inſtanti conatu, expendere, collætamur fidei tuæ, & adiutores effici cupimus gratiæ prærogatæ: Idcirco quia præmiſſi conatus pium affectum vſque ad Apoſtolicæ ſedis, modeſta prouiſione, perduxiſti conſultum, vt membrum ex membro, proprij corporis caput requirens, motum mentis probares, capitiſque arbitrio humiliter te ſubmittens, eius directione iuſto tramite properans ſolidari, compaginis plenitudo exiſtas. Ideo in nomine indiuiſibilis Trinitatis per inconcuſſam auctoritatem Beati *Petri* Apoſtolorum Principis, cuius doctrinæ magiſterij diſpenſatione fungimur, & locum ſacræ ſedis adminiſtramus, modeſtiam tuæ religionis inſtituimus, atque præcipimus, vt in verbo gratiæ Dei (quo igne ſalutifero, quem *mittere Dominus venit in terram*, enitere videris) ad gentes quaſcunque infidelitatis errore detentas properare, Deo comitante, potueris, miniſterium regni Dei per inſinuationem nominis Chriſti Domini Dei noſtri, veritatis ſuaſione deſignes: & per ſpiritum virtutis, & dilectionis, ac ſobrietatis, prædicationem vtriuſque teſtamenti mentibus indoctis conſona ratione transfundas. Diſciplinam denique ſacramenti (quam ad initiandos, Deo præuio, credituros, tenere ſtudeas) ex formula officiorum ſanctæ veſtræ Apoſtolicæ ſedis, inſtructionis tuæ gratia prælibata volumus vt intendas. Quod vero actioni ſuſceptæ tibi deeſſe perſpexeris, nobis vt valueris intimare curabis Bene vale. Data idib. Maij, imperante Domino piiſſimo auguſto *Leone*, à Deo coronato, magno imperatore, anno tertio imperij eiuſdem, indictione ſecunda.

al. præmiſ.

G

al. directioni. al. ſoliditati. al. magiſterii. Luc. 12.

ſ. prælibatam, aut, libatam ſ. actione ſuſcepta.

H

Leo. I I. al. c. 1.

EPISTOLA CXIX.

Mog. p. 340. l. vit. c. 24.

Viris magnificis filiis Aſulfo, Godolano, Vuilareo, Gundauoldo, & omnibus Deo dilectis Thuringis fidelibus Chriſtianis Gregorius Papa.

Veterum Thuringorum in Chriſtiana fide laus.

INſinuatam nobis magnificentiæ in Chriſto fidei veſtræ conſtantiam agnoſcentes, quod Paganis vos compellentibus ad idola colenda, fide plena reſponderitis, magis velle feliciter mori, quam fidem ſemel in Chriſto acceptam aliquatenus violare: nimia exultatione repleti grates debitas perſoluimus Deo noſtro, & Redemptori, bonorum omnium largitori, cuius gratia comitante, ad meliora & potiora optamus proficere: & ad confirmandũ

A fidei veſtræ propoſitum: ſanctæ *Sedis Apoſtolicæ* religioſis mentibus adhærere, & prout opus popoſcerit ſacræ religionis è memorata ſancta *Sede Apoſtolica*, ſpirituali matre omnium fidelium, ſolatium quærere, ſicut decet filios cohæredes regni à regali parente. Miniſterio quoque præſentis fratris chariſſimi Bonifacij, quem ad vos Epiſcopum conſecratum in ſorte prædicationis deſtinauimus Apoſtolicis inſtitutionibus informatum ad inſtruendam fidem veſtram in omnibus volumus, & hortamur obedientes ei conſentire ad complementum in Domino veſtræ ſaluationis.

EPISTOLA CXX.

Ib. c. 35. p. 347.

Gregorius ſeruus ſeruorum Dei vniuerſo populo Thuringeorum.

B *Pontifex Romanus Thuringis per S. Bonifacium fidem Chriſti annunciat.* Matth. 28.

DOminus Ieſus Chriſtus, filius Dei, Deus verus deſcendit, homo factus eſt, pro nobis pati & crucifigi dignatus eſt, & ſepultus, tertia die reſurrexit à mortuis, & aſcendit in cœlos, diſcipulis etiam ſuis ſanctis Apoſtolis ait: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij, & Spiritus ſancti.* Ipſe enim credentibus in ſe vitam æternam promiſit: Cupientes vos ergo in perpetuum nobiſcum gaudere, vbi finis nulla eſt, nec tribulatio, nec aliqua amaritudo, ſed gloria ſempiterna: Ideo fratrem noſtrum ſanctiſſimum Bonifacium Epiſcopum ad vos direximus, vt vos debeat baptizare, & fidem Chriſti docere & ab errore ad viam ſalutis deducere: vt ſalutem habeatis, & vitam ſempiternam. Sed vos ei in omnibus obedite, & ſicut patrem veſtrum, illum honorate & ad eius doctrinam corda veſtra inclinate. Quia illum non pro lucro aliquo temporali conquirendo direximus: ſed pro lucro animarum veſtrarum, ad vos eum miſimus. Diligite ergo Deum, & in nomine eius baptiſmum ſuſcipite, quia Dominus Deus noſter, quod *oculus hominis nunquam vidit, nec in cor hominis aſcendit*,
C Iſ. 64. 1. Cor. 2.
præparauit diligentibus ſe. Iam recedite à malis operibus, & agite bene. Non adoretis idola, nec immoletis carnes, quia Deus non recipit iſta: ſed in omnibus, ſecundum quod vos frater noſter Bonifacius docuerit, obſeruate & agite, & ſalui eritis & vos & filij veſtri in ſempiternum. Facite ergo & domum, vbi debeat ipſe pater veſter Epiſcopus habitare, & Eccleſias, vbi orare debeatis, vt Deus indulgeat peccata veſtra, & donet vobis vitam ſempiternam.

EPISTOLA CXXI.

Ib. c. 26. p. 348.

Gregorius Papa vniuerſo populo prouinciæ Altſaxenum.

Rom. 1.

SApientibus & inſipientibus debitor ſum, fratres chariſſimi, volens vos ſcire qualem ſollicitudinem habeam
D pro vobis & pro his qui verbum exhortationis fidei Ieſu Chriſti Domini noſtri ſuſceperunt, & qui adhuc ſuſcepturi ſunt, *vt conſolentur corda veſtra inſtructa in charitate, & in omnes diuitias plenitudinis intellectus, in agnitionem myſterij Dei Patris* I E S V C H R I S T I, (vt ait egregius
Col. 2.
Apoſtolus) *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi*: Hoc autem dico, quoniam *prope eſt regnum*
Luc. 21.
Dei, vt nemo vos amplius decipiat in ſublimitate ſermonum, vt in quocunque metallo ſalutem veſtram quæratis adorantes idola manufacta, aurea, argentea, ærea, lapidea, vel de quacunque materia facta. Quæ falſidica numina à Paganis antiquitus quaſi Dij vocati ſunt. In quibus Dæmones habitare noſcuntur; quoniam *omnes Dij gentium dæmonia ſunt.* (vt ait ſcriptura) *Dominus autem noſter cælos fecit.* Quicunque autem in vobis ſuſceperunt
Pſal. 95.
C H R I S T V M I E S V M Dominum noſtrum, in ipſo ambulent *radicati, & ſuperædificati & confirmati fide, abundantes in gratiarum actionem. Videte ne quis vos amplius decipiat per philoſophiam & inanem fallaciam. Aſtutiores enim ſunt filij tenebrarum quam filij lucis.* Diſcedite
Coloſſ. 2. Luc. 16. *Noſter gen. prudentiores.*
E filij ab idolorum cultura, & accedite, & adorate Dominum Deum, *qui fecit cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt*: & vultus veſtri non erubeſcent. vnus enim Dominus hominum volucrum, quadrupedum, & piſcium, qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum. *Expoliate ergo* Coloſ. 3
vos veterem hominem & induite C H R I S T V M *nouum deponentes omnem iram; indignationem, malitiam, blaſphemiam. Turpem ſermonem nolite de ore veſtro producere*, ab idolorum cultura recedite. Iam enim aduelperaſcit Ibid.
dies, nolite eſſe otioſi, ſed potius operamini opus bonum vt Chriſtus habitet in vobis, *Et quodcunque facitis in verbo, aut in opere, in nomine Domini noſtri* I E S V C H R I S T I, *gratias agentes Deo, & Patri per ipſum*: reſpuentes Gentilitatis ſectam, ſcientes vos Dominum habere in cœlis. Orationi inſtantes ad ipſum cor erigite, quoniam *magnus eſt Dominus Deus noſter & laudabilis nimis, &* Pſ. 95. 1. Tim. 2
terribilis ſuper omnes Deos, qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire. Hoc autem commoneo fratres, vt quicunque voluerit ex vobis ad C H R I S T V M conuerti, nullo modo eum prohibeatis, neque F
vim ei faciatis ſculptilia adorare: quia Ipſe C H R I S T V S Dominus viuit cum Deo patre omnipotente, in vnitate Spiritus ſancti, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen. Chariſſimi, fidelis miniſter & conſeruus in Domino, quem miſi ad vos *Bonifacium* fratrem ac Coëpiſcopum meum, ad hoc ipſum vt cognoſcat quæ circa vos ſunt, & conſoletur corda veſtra cum exhortationis verbo in C H R I S T O I E S V Domino noſtro, vt à diabolica fraude liberati mereamini adoptionis filiis aggregari, & vt ab æterna damnatione liberati vitam habeatis æternam.

EPISTOLA CXXII.

Reuerendiſſimo & ſanctiſſimo fratri Bonifacio Coëpiſcopo ad illuminationem gentis Germaniæ, vel circumquaque in vmbra mortis morantibus gentibus, in errore conſtitutis ab hac Apoſtolica Dei Eccleſia directo Gregorius ſeruus ſeruorum Dei.

Reuerendiſſ. Baronius anno 731. G *tribuit. Greg. 3. Greg. 3. l. 1. ep. 11. c. 32. Mog. p. 353.*

MAgna nos habuit gratulatio in lectis ſanctiſſimæ fraternitatis tuæ litteris, cum in eis, relecta ſerie, fuiſſet repertum Domini noſtri I E S V C H R I S T I gratia, plurimos te à Gentilitate & errore ad veræ fidei agnitionem conuertiſſe. Quod quia diuina inſtitutione docemur Matth. 25 Luc. 19.
in parabolis, cui quinque talenta credita fuerant, alia quinque fuiſſe lucratum, in talis commercij fructo cum tota plaudimus Eccleſia. Hinc iure tibi ſacri pallij direximus munus, quod, Beati *Petri* Apoſtoli ſuſcipiens auctoritate, induaris: atque inter Archiepiſcopos vnus, Deo auctore, præcipimus vt cenſeatis. Qualiter enim eo vtaris, ex mandato Apoſtolico informatus cognoſces, ita vt dum Miſſarum ſolemnia geris, vel Epiſcopum te contigerit conſecrare, illo tantummodo tempore eo vtaris. Quia vero turbas, Domini gratia, in eiſdem partibus ad rectam al. ea. H
fidem aſſeris eſſe conuerſas, nequire te occurrere omnibus, & quæ ſalutis ſunt impendere, aut intimare, cum iam longe lateque gratia C H R I S T I, eius fides in illis partibus propagetur, præcipimus, vt iuxta ſacrorum Canonum ſtatuta, vbi multitudo excreuit fidelium, ex vigore Apoſtolicæ ſedis, debeas ordinare Epiſcopos, pia contemplatione, vt non vileſcat dignitas Epiſcopatus. Presbyter namque, quem præterito aſſeruiſti anno ad nos adueniſſe, noſtroque iudicio fuiſſe à ſuis nefariis abſolutum actionibus, credas, neque nobis confeſſiones aliquas fecit, nec à nobis vt ſuos expleat libitus, abſolutus eſt. Sed ſi eum errori deditum repereris, hunc Apoſtolicæ ſedis vigore, vt, iuxta ſanctorum canonum cenſuram, corrigas, præcipimus & emendes, vel ſi quos forſitan tales inueneris. ille enim veniens, Presbyter ſum, ait. Commendaritias apud filium noſtrum *Carolum* litteras experiit. Nullam illi aliam conceſſimus licentiam, quem vitari, ſi praue conuerſatur, cum reliquis volumus. al. volumus.
Eoſdemque quos à paganis baptizatos eſſe aſſeruiſti, ſi ita habetur, vt denuo baptizes *in nomine* T R I N I-

A VATIS mandamus. Interea, agreſtem caballum ali-
quantos adiunxiſti comedere: pleroſque & domeſticum.
Hoc nequaquam fieri deinceps, ſanctiſſime ſinas frater,
ſed quibus potueris modis Chriſto iuuante per omnia
compeſce, & dignam eis indicito pœnitentiam. Immun-
dum enim eſt, atque execrabile. Pro obeuntibus quo-
que conſuluiſſe dignoſceris, ſi liceat oblationes offerre.
Pro defun-ctis preces & oblatio-nes. Sancta ſic tenet Eccleſia, vt quiſque pro ſuis mortuis ve-
re Chriſtianis offerat oblationes, atque Presbyter eorum
faciat memoriam. Et quamuis omnes peccatis ſubia-
ceamus, congruit vt ſacerdos pro mortuis Catholicis me-
moriam faciat, & intercedat. Non tamen pro impiis,
quamuis Chriſtiani fuerint, tale quid agere licebit. Nam
& eos, qui ſe dubitant fuiſſe baptizatos an non, vel qui
à Presbytero Ioui mactante & immolatitias carnes veſ-
cente, vt baptizentur præcipimus. Progeniem vero ſuam
quemque vſque ad ſeptimam obſeruare decernimus ge-
nerationem. Et ſi valueris, deuita, ne amplius, cui mu-
lieres obierint, duabus debeat copulari. De his vero di-
B cimus qui patrem, matrem, fratrem aut ſororem occi-
derint, vt toto vitæ ſuæ tempore corpus non ſuſcipiant
Dominicum, niſi ſui temporis exitu pro viatico. Abſti-
neat etiam ſe & à carnis comeſtione & potu vini, do-
nec aduixerit, ieiunet ſecundam, & quartam, & ſextam
ferias, vt ſic poſſit deflens diluere commiſſum ſcelus. Nam
& hoc inter alia agi crimen in partibus illis dixiſti, quod
quidam ex fidelibus, ad imolandum, Paganis ſua venun-
dent mancipia. Hoc vt magnopere corrigere debeas, fra-
ter commendamus, nec ſinas fieri vltra, ſcelus enim eſt
aliàs, perpetrati ſunt. & impietas. Eis ergo, qui hoc perpetrauerunt ſimilem
homicidæ indices pœnitentiam. At quoties Epiſcopum
conſecraueris; duo vel tres conueniant tecum Epiſcopi,
vt Deo ſit gratum quod geritur, vtcis conuenientibus,
ipſiſque præſentibus, conſecres. Hæc te, chariſſime fra-
ter, diligenter obſeruare volumus: & ſtudio pietatis cœ-
ptum negotium ſalutis exequere, vt de lucro apportato
valeas à Domino Deo noſtro mercedem percipere in
æterna beatitudine. Priuilegium vero, iuxta quod peti-
ſti, facientes, his iunctum direximus, optantes te Domi-
C ni Dei noſtri præſidio de conuerſione errantium Chriſto
Deo noſtro pleniſſimum atque integrum apportare lu-
crum. Deus te incolumem cuſtodiat reuerentiſſime
frater.

EPISTOLA CXXIII.

Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, vniuerſis reue-rendiſſimis, & ſanctiſſimis fratribus Coepiſcopis, religio-ſis Presbyteris ſeu Diaconibus, glorioſis Ducibus, ma-gnificis Caſtaldiis, Comitibus, etiam vel cunctis Chri-ſtianis Deum timentibus.

l. 1. Vit. 5. 22 Mog. p. 344. SOllicitudinem nimiam gerentes pro ſpeculatione
credita, quia in vmbra mortis aliquas gentes in Ger-
maniæ partibus vel plaga orientali *Rheni* fluminis, anti-
D quo hoſte ſuadente, errare quaſi ſub religione Chriſtiana
idolorum culturæ eos ſeruire cognouimus, aliquos vero
qui necdum cognitionem Dei habentes nec baptiſmatis
ſacri vnda ſunt loti: ſed comparatione brutorum anima-
lium, pagani factorem non cognoſcunt; neceſſario pro
vtrorumque illuminatione, ad prædicandum rectæ fidei
verbum, harum portitorem Bonifacium reuerendiſſi-
al. de-maſſe. mum fratrem noſtrum Epiſcopum ad eaſdem partes di-
rigere ſtatuimus, vt & illis prædicando verbum ſalutis,
vitam prouideat ſempiternam, & ſi quos forte, vel vbi-
cunque à rectæ fidei tramite deſtitiſſe cognouerit, aut
al. ſui educatio-ne. aſtutia diabolica ſuaſos, erroneos repererit, corrigat: at-
que ſua educatione ad portum reportet ſalutis: eoſque,
ex Apoſtolicæ ſedis huius doctrina, informet, & in ea-
dem Catholica fide permanere inſtituat. Cui, hortamur
ob amorem Domini noſtri Ieſu Chriſti & Apoſtolorum
al. ſola-tiore. eius reuerentiam, vt in omnibus ſolatia præſtare niſibus
totis debeatis: eumque in nomine Ieſu Chriſti recipiatis,
E vt ſcriptum eſt de ſuis diſcipulis. *Qui vos recipit me reci-
pit.* Prouidentes inſuper neceſſaria itineris eius, comites *Ioan. 13.*
tribuentes, cibum etiam ac potum, vel ſi quid eguerit
largientes, vt vno labore, & ſocia voluntate: opus ſibi
creditum pietatis, & negocium ſalutis, annuente Deo,
perficiatur: atque præmia laboris percipere mereamini,
deque conuerſione errantium merces vobis adſcribatur
in cœlis. Si quis itaque huic Dei famulo ad illuminatio-
nem gentium ab hac Apoſtolica atque Catholica Dei
Eccleſia deſtinato, aſſenſum vel concurſum præbuerit
exorantibus Apoſtolorum Principibus, conſortia merea- *S. Martyrum oratio-nes:*
tur ſanctorum, & Martyrum Ieſu Chriſti. Si quis vero,
quod non optamus, aduerſando eius præpedire conatus
fuerit laborem, aut contrarius extiterit miniſterio ſibi
credito, ſucceſſorumq; eius eundem laborem intrantium,
ex ſententia diuina anathematis vinculo percellatur, &
perpetuæ damnationi ſubiaceat. Bene valete. Data Kal. *al. patri-ciæ.*
Decembris, imperante Domino piiſſimo Auguſto *Leone*
à Deo coronato, magno Imperatore, anno Patritiatus eius
ſeptimo: ſed & *Conſtantino* Magno imperatore eius filio F
anno quarto, Indictione ſexta.

EPISTOLA CXXIV.

Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, clero ordini; & plebi conſiſtenti, dilectiſſimis filiis in Domino ſalutem.

PRobabilibus deſideriis nihil attulimus tarditatis. Fra-
trem iam & Coepiſcopum noſtrum *Bonifacium* vo- *l. 1. Vit. 5. 23 p. 345.*
bis ordinauimus ſacerdotem, cui dedimus in mandatis,
ne vnquam ordinationes præſumat illicitas, ne bigamum,
aut qui virginem non eſt ſortitus vxorem, neque illite-
ratum, vel in qualibet corporis parte vitiatum, aut ex
pœnitente vel curiæ aut cuilibet conditioni obnoxium
notatumque, ad ſacros ordines permittat accedere. Sed
ſi quos forte huiuſmodi repererit, non audeat promo-
uere. Afros paſſim ad Eccleſiaſticos ordines prætenden- G
tes nulla ratione ſuſcipiat: quia alioqui eorum Mani-
chæi, aliqui rebaptizati ſæpius ſunt probati. Miniſteria
atque ornatum Eccleſiæ vel quidquid illud eſt in patri-
monio eiuſdem non minuere ſtudeat ſed augere. De re-
ditu vero Eccleſiæ vel oblatione fidelium, quatuor fa-
ciat portiones: quarum vnam ipſe ſibi retineat, alteram
clericis pro officiorum ſuorum ſedulitate diſtribuat: ter-
tiam pauperibus & peregrinis: quartam Eccleſiaſticis fa-
bricis nouerit reſeruandam, de quibus diuino erit reddi-
turus iudicio rationem. Ordinationes vero Presbytero-
rum ſeu diaconorum non niſi quarti, ſeptimi, & decimi
menſium ieiuniis: ſed & ingreſſo quadrageſimali, atque
mediano veſpere ſabbathi nouerit celebrandas. Sacro-
ſancti autem baptiſmi Sacramentum non niſi in Paſchali
feſtiuitate, & Pentecoſte nouerit eſſe præbendum, exce-
ptis his, qui mortis vrgente periculo, ne in æternum per-
eant, talibus oportet remediis ſubuenire. Huic ergo ſe-
dis noſtræ præcepta ſeruanti deuotis animis vos obſequi H
oportet, vt irreprehenſibile placidumque fiat corpus Ec-
cleſiæ, per Chriſtum Dominum noſtrum, qui viuit &
regnat cum Deo Patre omnipotente, & Spiritu ſancto,
per omnia ſæcula ſæculorum. Deus vos incolumes cuſto-
diat dilectiſſimi filij. Data Kal. Decembris, imperante Do-
mino piiſſimo Auguſto *Leone*, à Deo coronato magno
Imperatore anno ſeptimo: patriciatus eius anno ſeptimo:
ſed & Conſtantino magno Imperatore eius filio, anno *al. pater-num.*
quarto Indictione ſexta.

A

EPISTOLA CXXV.

Reuerendiſſimo & ſanctiſſimo fratri Bonifacio Coepiſcopo, Gregorius ſeruus ſeruorum Dei.

CReditæ ſpeculationis ſollicitudine permoti, Euan-
Matth.9. gelica quoque inſtitutione, quæ ait: *Obſecra Do-*
Luc.10. *minum meſſis, vt eiciat operarios in meſſem ſuam.* Tuam
proinde reuerendam fraternitatem ad imitationem Apo
Matt.28. ſtolorum qui Domino iubente præcepti ſunt: *Euntes*
& c.10. *prædicate Euangelium regni, gratis accepiſtis, gratis date;*
in partibus Heſperiarum, ad illuminationem Germani-
cæ gentis in vmbra mortis ſedentis dirigere præuidimus,
lucrum inde vt apportare deberes, quaſi ſeruus ille de ne
gotio talenti, ſicut ſcriptum eſt, fidus in futuro auctori
Matt.25. aſſeris Deo feciſſe. Quod quia, ex obedientiæ munere,
Luc.19. miniſterium verbi cernimus adolere, & prædicationis
f. aſſeritur. præconio populum infidelem vt innotuiſti, audiuimus
B conuerti, Domini potentiæ gratias referentes, vt ipſe, à
1.Tim.2. quo bonum procedit, & ad agnitionem vult omnes ve-
nire veritatis, tibi optamus vt cooperetur, & à tenebris
ad lucem populum illum, ſuæ potentiæ inſpiratione, re-
ducat. Hinc enim nobis merces copioſa credimus quod
ab omnipotente Domino adſcribatur in cœlis. Bonum
enim certamen, ſi perſeueraueris, poſſis cum Apoſtolo
2.Tim.4. dicere, *Certaui: curſum conſummaui, fidem ſeruaui.* ſeu
Matt.10. vt coronam percipias laboris, inſiſte. Pollicetur enim
& 24. Deus perſeuerantibus in finem ſalutem. Ne minæ ter-
reant: nec deiiciant terrores: ſed fixam in Deo tenens
fiduciam: veritatis verbum denuncia. Erit enim ex ad-
iutorio diuino perfectiu: tantum ſit bonum in voluntate
f. & læti opus. Igitur quantos ab errore conuerteris, ſyllabarum
tuarum recenſito textu, cognouimus, læti, vberes Deo
noſtro gratias agentes de lucro animarum exultamus.
Porro pro Epiſcopo illo, qui, nunc vſque, deſidia qua-
dam in eadem gente prædicationis verbum diſſeminare
neglexerat, & nunc ſibi partem quaſi in parochiam de-
C fendit, *Carolo*, excellentiſſimo filio noſtro, Patritio, vt
eum compeſcat ſuadentes, paternis litteris ſcripſimus: &
2.Tim.4. credimus quod hoc vitari præcipiat. Ipſe vero *opportune,*
importune, prædicare quæ ſunt ſalutis ne deſinas. Igitur
Thuringis, & Germaniæ populo ea, quæ ad animæ reſpi-
ciunt vtilitatem & ſalutem, ſcribere non omiſimus:
inter alia, vt conſtruant Epiſcopia & Eccleſias condant,
iniungentes. Ipſe enim qui non vult mortem peccatoris,
ſed vt conuertatur & viuat, erit in omnibus daturus in-
Ezech.18. crementum. Deus te incolumem cuſtodiat. Data 11. no-
nas Decembris, imperante Domino piiſſimo Auguſto
Epater. *Leone* à Deo coronato magno Imperatore, anno octauo,
patriciatus eius anno octauo. Sed & Conſtantino
magno Imperatore, eius filio, anno quinto, Indictione
octaua.

EPISTOLA CXXVI.

D *Reuerendiſſimo & ſanctiſſimo fratri Bonificio Coepiſcopo Gregorius ſeruus ſeruorum Dei.*

Baron. anno 726. DEſiderabilem mihi à te miſſus *Dennal* religioſus
Greg.3. Presbyter attulit nuncium, cum te ſoſpitem nar-
al. deſiderabile. rauit, & miniſterio pro quo miſſus es, fauente Deo pro-
ficere nunciauit. Detulit etiam à te miſſas litteras, vbi
indicaſti quod ager Dominicus, qui incultus iacebat, &
ſpinarum aculeis ex infidelitate riguerat, vomere tuæ
doctrinæ exarante, ſemen verbi ſuſcepit, & fertilem
meſſem protulit fidelitatis. In eiſdem litteris quibuſdam
ſubnexiſti capitulis, ſciſcitando, qualiter teneat vel do-
S. Petrus. ceat hæc ſancta Apoſtolica Romana Eccleſia. Bene fa-
tis, quia ſatis Apoſtolus Petrus & Apoſtolatus & Epiſco-
patus principium extitit, & conſulenti tibi de ſtatu Ec-
cleſiæ non ex nobis, quaſi ex nobis; ſed eius gratia, qui
Sap.10. aperit os mutum & *Linguas infantium facit diſertas*, qua-
liter tenere debeas, Apoſtolici vigoris doctrina dicimus.

Igitur in primis legebatur, vt quarta progenies propin- E
quorum matrimonio copuletur. Dicimus, quod opor- Ad va-
tuerat quidem quamdiu ſe agnoſcunt affinitate propin- ri. S. Bo-
quos, ad huius copulæ non accedere ſocietatem. Sed nif. quæ-
quia temperantia magis, & præſertim in tam barbara ſtiones re-
gente placet pluſquam diſtrictio cenſuræ, concedendum ſponſæ.
eſt, vt poſt quartam generationem iungantur. Nam 1.
quod poſuiſti, quod ſi mulier infirmitate correpta non al. barba-
valuerit viro debitum reddere, quid eius faciat iugalis? ram g. di-
Bonum eſſet ſi ſic permaneret, vt abſtinentiæ vacaret: ſtrictione.
Sed quia hoc magnorum eſt, ille qui ſe non poterit con- 2.
tinere, nubat magis, non tamen ſubſidij opem ſubtra-
hat ab illa, cui infirmitas præpedit, & non deteſtabilis
culpa excludit. De Presbytero vero vel quolibet ſacer 3.
dote à populo accuſato, ſi certi non fuerint teſtes, qui Corrig.
criminis illato approbent veritatem, iureiurando erit in
medio, & illum teſtem proferat de innocentiæ ſuæ puri-
tate, cui nuda & aperta ſunt omnia, ſicque maneat in
proprio gradu. Nam de homine, qui à Pontifice confir- 4.
matus fuerit, denuo illi talis reiteratio prohibenda eſt. In 5.
Miſſarum autem ſolemniis illud obſeruandum eſt, quod F
Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſanctis ſuis tribuit diſci-
pulis. *Accepit namque calicem, & dedit eis dicens.* 1.Cor.11.
Hic calix nouum teſtamenti eſt in meo ſanguine hoc facite
quotieſcunque ſumitis. Vnde congruum non eſt, duos 6.
vel tres calices in altario ponere cum Miſſarum ſolemnia
celebrantur. De immolatitiis autem eſcis conſuluiſti, ſi
à fidelibus ſuperductum fuerit viuificæ crucis ſignum, edi
liceret an non? Illud ſufficit reſpondere, quod beatus
Apoſtolus Paulus dicit: *Si quis dixerit, quia hoc immo-* 1. Cor.
latitium eſt, nolite edere propter eum qui indicauit, & 10.
propter conſcientiam. Addidiſti adhuc, quod ſi pater vel 7.
mater filium filiamque intra ſepta monaſterij in infantiæ
annis ſub regulari tradiderint diſciplina, vtrum liceat eis,
poſtquam pubertatis impleuerint annos, egredi, & ma-
trimonio copulari? Hoc omnino deuitamus, quia ne-
fas eſt, vt oblatis à parentibus Deo filiis, voluptatis fre- 8.
na laxentur. Enimuero quoſdam baptizatos abſque in-
terrogatione ſymboli ab adulteris Presbyteris faſſus es. G
In his tua dilectio teneat antiquum morem Eccleſiæ,
quia quiſque *in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti*
baptizatus, eſt, rebaptizari liceat minime. Non enim
in nomine baptizantis, ſed in nomine Trinitatis, huius
gratiæ donum percepit: & teneatur quod Apoſtolus di-
cit, *Vnus Deus, vna fides, vnum baptiſma.* Doctrinam Eph.4.
vero ſpiritalem talibus ſtudioſius vt impertias demanda-
mus. Pro paruulis vero, qui a parentibus ſubtracti, & 9.
an baptizati ſint vel non, ignorant, hos vt baptizare de-
beas ſecundum Patrum traditionem, ſi non fuerit qui
teſtificet, ratio poſcit. Leproſis autem, ſi fideles Chri-
ſtiani fuerint, Dominici corporis & ſanguinis participa- 10.
tio tribuatur: cum ſanis autem conuiuia celebrare ne-
gentur. Adiecisti etiam, quod ſi peſtifer morbus aut
mortalitas in Eccleſia vel monaſteriis irrepſerit, quos
necdum tetigit, à loco fugiant euitantes periculum. Val- 11.
de fatuum hoc iudicatur. Non enim quiſquam Dei effu-
gere manus poterit. In fine, epiſtola continebat, quod
ſunt quidam Presbyteri, ſeu Epiſcopi in multis vitiis ir-
retiti: quorum vita in ſe ipſis ſacerdotium maculat, & ſi H
tibi liceret cum eis edere aut loqui? Niſi qui hæretici fue- 12.
rint, dicimus, vt hos ex Apoſtolica auctoritate redarguen- al. lucra-
do admoneas, & ad munditiam Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſti aut lu-
perducas. Et ſi quidem obedierint, ſaluabunt animas ſuas, cri feciſti.
& ipſe mercedem parasti. Veruntamen collocutionem, &
menſam communem cum eis agere non recuſes. Plerum-
que contingit, vt quos correctio diſciplinæ tardos facit ad
percipiendam veritatis normam, conuiuiorum ſedula &
admonitio blanda ad viam perducat veritatis iuſtitiæ. Id-
ipſum autem & in illis proceribus, qui tibi adiutorium
præſtant, obſeruare debebis. Hæc frater chariſſime ex
Apoſtolicæ ſedis vigore ſcripſiſſe ſufficiat de reliquo im-
plorantes miſericordiam Dei, vt qui te illis in regionibus
vice noſtra ex Apoſtolica auctoritate pergere fecit, & in
opacam ſyluam lumine veritatis per os tuum micare præ-
deſtinauit, opitulationis ſuæ miſericordiſſimum tribuat

A incrementum : quatenus de fructu operis & ipſe valeas præmia percipere, & nos veniam peccatorum inuenire. Deus te incolumem cuſtodiat reuerendiſſime frater. Data decimo Kal. Decemb. imperante piiſſimo Auguſto *Leone* à Deo coronato magno Imperatore anno decimo imperij eius. Sed & *Conſtantino* magno imperatore regni eius anno ſeptimo. Indictione decima.

Hucuſque Gregorius à primo ſecundus. Hinc Gregorius a ſecundo iunior.

EPISTOLA CXXVII.

AD PRÆLATOS ET PRÆSBYTEROS OMNIVM Prouinciarum.

Greg. 3.

Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectiſſimis nobis omnibus Epiſcopis, venerabilibus Presbyteris, religioſis Abbatibus omnium prouinciarum.

3 t. vit. 2, 36. Bog. p. 353.

DOmino cooperante, & ſermonem confirmante,..... præſentem ſanctiſſimum virum *Boniſacium* fratrem ac Coepiſcopum noſtrum verbum veritatis, ſicut à deceſſore noſtro ſanctæ recordationis *Gregorio* Præſule in illis partibus miſſus fuerat prædicare verbum Dei. Poſt multum temporis, Domino cooperante, anhelanti deſiderio orationis cauſa, liminibus ſacris beatorum Principum Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* præſentandus, aduenit; qui perfecta oratione, ad acceptum laborem Angelo Domini præuiante, à nobis eſt abſolutus. Cui dilectio veſtra omnium ſeu reuerentia & religioſitas, propter Chriſti amorem iuuamina impendere dignemini : dum & agnoſcitis, quæ Dominus noſter IESVS inquit dicens. *Qui ſuſceperit prophetam in nomine prophetæ mercedem prophetæ accipiet : & qui ſuſceperit iuſtum in nomine iuſti mercedem iuſti accipiet.* Et ſi forſitan ex veſtris miniſtris ſeſe ipſi ſanctiſſimo viro, in miniſterio exhortationis S. Catholicæ fidei adiungere voluerit, nullo modo prohibeatis chariſſimi, magis autem concurſum præbete, & ex veſtro ouili adiutores ei tribuite : qui poſſint, per Dei gratiam, ſufficienter Gentibus miniſtrare verbum prædicationis, vt omnipotenti Deo noſtro animas lucrifaciant : & vt veſtra communitas boni operis portionem ſortiatur : atque illi mereantur Dominicam vocem audire. *Vos qui dereliquiſtis omnia & ſecuti eſtis me, centuplum accipietis & vitam æternam poſſidebitis.* Bene valete.

al. dignentur. — Matt. 10. — C — Matt. 19.

EPISTOLA CXXVIII.

AD OPTIMATES ET POPVLVM GERMANIÆ.

D

Gregorius Papa vniuerſis optimatibus & populo prouinciarum Germaniæ, Thuringis & Heſſis, Bortharis, & Niſtreſis, Vuedrecis, & Lognais, Suduodis, & Graffeldis, vel omnibus in orientali plaga conſtitutis.

l. 1. vit. 2. 37. Mog. p. 358.

QVoniam deceſſor noſter ſanctæ recordationis *Gregorius* Præſul nutu diuino motus, ad faciendam Deo plebem perfectam præſentium portitorem litterarum *Boniſacium* reuerendiſſimum fratrem noſtrum ac Coepiſcopum ordinans ad vos vſque deſtinauit, eumque regulam Apoſtolicæ & Catholicæ fidei Romanæ, cui Deo auctore, deſeruimus Eccleſiæ, edocens direxit : & poſt temporum ſpatia orationis cauſa, ad limina beatorum Principum Apoſtolorum ſeſe præſentauit : & quæ ad ſalutem animarum pertinent à nobis expoſcit imbui. Nos, Deo fauente, vt ſacra docet Scriptura eum edocentes, ad vos, chariſſimi, remeandum abſoluimus : hortantes vos in Domino vt digne ſuſcipiatis ab eo verbum exhortationis: & Epiſcopos & Presbyteros, quos ipſe ordinauerit per Apoſtolicam ſibi datam auctoritatem in Eccleſiæ miniſterio recipiatis. Et quos forſitan deuiantes inuenerit à rectæ fidei tramite ſeu canonica doctrina, eoſque prohibuerit, à vobis nullo modo impediatur : & quod eis impoſitum fuerit, obediendo propter Deum ſuſcipiant. Nam qui temerator extiterit ad obediendum, ſibi ipſi damnationem acquirit. Vos autem chariſſimi, qui in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis, abſtinete & prohibete voſmetipſos ab omni cultu Paganorum : non tantum voſmetipſos corrigentes chariſſimi : ſed & ſubditos veſtros, diuinos vel ſortilegos, ſacrificia mortuorum ſeu lucorum vel fontium auguria vel phylacteria, & incantores, & veneficos, id eſt, maleficos & obſeruationes ſacrilegas, quæ in veſtris finibus fieri ſolebant, omnino reſpuentes atque abiicientes, tota mentis intentione ad Deum conuertimini : ipſum timete : adorate : & ſanctificate : *Sanctorum memoriis communicantes*, vt ait Apoſtolus. Si enim fides, Domino dicente, fuerit vt granum ſinapis, dicetis monti huic, tranſi hinc, & transferetur. Ipſe enim Dominus Deus & Saluator noſter Ieſus Chriſtus in ſuo ſacro eloquio inquit dicens. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & tota virtute tua.* Et iterum : *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, & ego confitebor eum coram Patre meo qui in cælis eſt.* Inde & alio loco promiſit dicens : *Quodcunque petieritis patrem in nomine meo, fiet vobis.* Et iterum : *Petite & accipietis, quærite & inuenietis : pulſate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulſanti aperietur.* Et vos chariſſimi facite fructus dignos, vt in die aduentus Domini noſtri Ieſu Chriſti ſydereas mereamini adipiſcere manſiones. Bene valete.

E — Gal. 5. — Rom. 12. — F — N. int. inceſtorio. — Matt. 17. — Luc. 17. — Matt. 22. — Matt. 10. — Luc. 18. — Ioan. 14 — Matth. 7. — Luc. 11.

EPISTOLA CXXIX.

AD NONNVLLOS EPISCOPOS IN ALEMANIA, ET BAIOARIORVM Prouincia conſtitutos.

G

Dilectiſſimis nobis Epiſcopis in prouincia Baioariorum, & Alemania conſtitutis, Vuigoni, Liudoni, Rydolto, & Philippo, ſeu Addæ Gregorius Papa.

CAtholica & ſanctorum Patrum iubet auctoritas, vt bis in anno pro ſalute populi Chriſtiani ſeu exhortatione adoptiuis filiorum ſynodalia debeant celebrari: & cauſarum Canonicarum examinatio prouenire : vt vniuſcuiuſcunque neceſſitas popoſcerit, pia educatione ſubueniatur. Vnde ſecundum Apoſtoli doctrinam admoneo, & hortor vos chariſſimi, per miſericordiam Dei : *vt digne ambuletis vocatione qua vocati eſtis*, vt miniſterium veſtrum perfectum ſit coram Deo. Oportunum namque eſt, vos noſſe fratrem ac Coepiſcopum noſtrum præſentem *Boniſacium*, noſtram agentem vicem, cum digno & debito honore pro Chriſti nomine ſuſcipere : & miniſterium Eccleſiaſticum cum fide Catholica ſecundum morem & normam S. Catholicæ & Apoſtolicæ Dei Eccleſiæ, cui, miſericordia Dei præueniente, præeſſe videmur, ſicut Apoſtolica auctoritate à nobis deſtinatus eſt, ab eo ſuſcipientes dignanter teneatis, & Gentilitatis ritum & doctrinam, vel venientium Britonum, vel falſorum ſacerdotum hæreticorum ſiue adulatores, aut vndecunque ſint renuentes ac prohibentes abiiciatis, & vt populum vobis à Deo commiſſum piis ammonitionibus edoceatis: & à ſacrificiis mortuorum omnino deuiteris : & iuxta quod fueritis à prædicto noſtro Conſacerdote edocti, ita Catholicam & Apoſtolicam doctrinam tenentes Domino Deo & Saluatori noſtro placere feſtinetis : & in quo vobis loco ad celebranda concilia conuenire mandauerit ſiue iuxta *Danubium*, ſiue in ciuitate *Auguſta*, vel vbicunque indicauerit,

l. 1. vit. 2. 38. Mog. p. 359. — Eph. 4. — H

A pro nomine Chriſti parati eſſe inueniamini: quatenus cognoſcamus per eius mandatum de veſtro conuentu, vt in diem aduentus Chriſti Ieſu cum fructu boni operis ante eius tribunal aſſiſtere mereamini dicentes: *Ecce nos & pueri quos dediſti nobis Domine*, non perdidimus ex eis quemquam: & vos Dominicam vocem audire mereamini dicentem: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi*. Bene valete.

Iſai. 8. Ioan. 18.

EPISTOLA CXXX.

AD BONIFACIVM EPISCOPVM.

Reuerendiſſimo & ſanctiſſimo Bonifacio Coepiſcopo, Gregorius ſeruus ſeruorum Dei.

B DOctoris omnium gentium egregij beati Apoſtoli Pauli vox eſt dicentis; *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Agnoſcentes itaque in ſyllabis fraternitatis tuæ, innotuiſti tam de Germaniæ Gentibus quas, ſua pietate, Deus noſter de poteſtate Paganorum liberauit, & ad centum millia animas in ſinu S. matris Eccleſiæ tuo conamine, & *Caroli* Principis *Francorum* aggregare dignatus eſt, ſed & in *Baioariorum*, prouincia, quæ à te acta ſunt agnoſcentes, datori omnium bonorum domino Deo noſtro, extenſis ad cœlum palmis, gratias retulimus: qui ianuam miſericordiæ & pietatis in illis partibus Heſperiis, ad cognoſcendam viam ſalutis, oſtium miſericordiæ aperuit, & miſit Angelum ſuum, qui præparauit viam tuam ante te. Ipſi gloria in ſæcula ſæculorum. Igitur quia indicaſti, perrexiſſe te ad gentem *Baioariorum*, & inueniſſe eos extra ordinem Eccleſiaſticum viuentes, dum Epiſcopos non habebant in prouincia niſi vnum nomine *Viuilo*, quem nos ante tempus ordinauimus; & qui, cum aſſenſu *Otile* Ducis eorundem Baioariorum, ſeu Optimatum prouinciæ illius, tres alios ordinaſſes Epiſcopos, & in quatuor partes prouinciam illam diuiſiſti, id eſt quatuor parochias, vt vnuſquiſque Epiſcopus ſuum habeat parochium, bene & ſatis prudenter peregiſti frater: quoniam Apoſtolicam præceptionem ex noſtra vice impleſti: & ſicut tibi præcepimus, ita peregiſti. Itaque non deſinas, frater reuerendiſſime, docendo eos S. Catholicam & Apoſtolicam Romanæ ſedis traditionem, vt illuminentur rudes, & viam ſalutis teneant, per quam poſſint ad æterna præmia peruenire. Presbyteros vero, quos ibidem reperiſti, ſi incogniti fuerint viri illi, à quibus ſunt ordinati, & dubium eſt eos Epiſcopos fuiſſe an non, qui eos ordinauerunt, ſi bonæ actionis & Catholici viri ſunt ipſi Presbyteri, & in miniſterio Chriſti, omnemque legem ſanctam edocti, apti, ab Epiſcopo ſuo benedictionem presbyteratus ſuſcipiant & conſecrentur, & ſic miniſterio ſacro fungantur. Illi quippe qui baptizati ſunt per diuerſitatem & declinationem linguarum Gentilitatis, tamen quod in nomine Trinitatis baptizati ſunt, oportet eos per manus impoſitionem, & ſacri chriſmatis confirmari. Nam Viuilo à nobis Epiſcopus eſt ordinatus; & ſi aliquid excedit extra canonicam regulam, doce & corrige eum, iuxta Romanæ Eccleſiæ traditionem, quam à nobis accepiſti. De Concilio vero vt iuxta ripam *Danubij* debeas celebrare noſtra vice, præcipimus fraternitati tuæ Apoſtolica auctoritate te ibidem præſentari: & in quantum Dominus tibi vires dederit, prædicare verbum ſalutis non ceſſes, vt religio Chriſtiana in nomine Domini creſcat, & multiplicetur. Nec enim habebis licentiam, frater, percepti laboris in vno morari loco: ſed confirma corda fratrum & omnium fidelium, qui rareſcunt in illis Heſperiis partibus vbi tibi Dominus aperuerit viam ſalutis prædicare non deſiſtas; & vbi locum inueneris neceſſarium, ſecundum canonicam regulam Epiſcopos ordina ex noſtra vice: & Apoſtolicam atque canonicam traditionem eos tenere edocebis. Ex hoc enim magnum mercedis præmium tibi præparabis: quoniam omnipotenti Deo noſtro facies plebem perfectam. Non pigeat, dilectiſſime frater, itinera capera aſpera, & diuerſa, vt Chriſtiana fides longe lateque tuo conamine extendatur. Scriptum eſt namque, *Arcta & anguſta via, quæ ducit ad vitam*. Operare itaque, frater, bonum opus quod cœpiſti, vt in die Chriſti Dei noſtri Merearis dicere inter cœtum probabilium Patrum aſſiſtens: *Ecce ego & pueri, quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quemquam*. Et iterum: *Domine quinque talenta tradidiſti mihi, ecce alia quinque ſuperlucratus ſum*: vt ſubſequenter merearis vocem Domini dicentis: *Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam: intra in gaudium Domini tui*. Deus te incolumem cuſtodiat reuerendiſſime frater. Data IV. Kal. Nouembr. imperante domino piiſſimo Auguſto Leone, imperij eius anno viceſimotertio: Sed & Conſtantino Magno Imperatore eius filio, anno viceſimo, Indictione octaua.

l. 3. vit. c. 40. Mog. p. 161. Rom. 8.

C

D

f pro ceperti laboris vtilitate.

E Matth 7. Iſa 8. Ioan. 18 Matt. 2.

EPISTOLA CXXXI.

ZACHARIÆ PAPÆ.

F *1. ad Eccleſiam.*

Dilectiſſimis nobis, Vuitanæ ſanctæ Eccleſiæ Barbaranæ Zacharias Papa.

In To. 2. Conc. Dilectiſſimis nobis Vuitaæ Baioaranæ fide inf. epiſt. 133 inf. ep. 27.

DOmino cooperante & ſermonem confirmante, ad dilatandam Chriſtianitatis legem, & orthodoxæ fidei tramitem, ad docendum iuxta quod prædicat ſancta hæc Romana, cui Deo auctore præſidemus, Eccleſia, innotuit nobis ſanctiſſimus ac reuerendiſſimus frater & Coepiſcopus noſter *Bonifacius* nuper decreuiſſe & ordinaſſe in Germaniæ partibus Epiſcopales ſedes, vbi præeſt veſtra dilectio, & prouinciam in tres diuiſiſſe parochias. Quo cognito, cum magna exultatione, extenſis ad ſydera palmis, illuminatori & datori omnium bonorum Domino Deo & Saluatori noſtro Ieſu Chriſto gratias egimus, qui *facit vtraque vnum*. Flagitauit autem à nobis per ſuas ſyllabas iam dictus ſanctiſſimus vir per Apoſtolicam auctoritatem veſtras confirmari ſedes. Pro quo & nos, ardenti animo & diuino iuuamine, auctoritate beati *Petri* Principis Apoſtolorum, cui data eſt à Deo & Saluatore noſtro Ieſu Chriſto ligandi ſoluendique poteſtas peccata hominum, in cœlo & in terra, confirmamus, atque ſolidas permanere veſtras ſedes ſancimus Epiſcopales, interdicentes ipſius Principis Apoſtolorum auctoritate à præſenti, omnibus & in futuras generationes, vt nullus audeat contra eandem veſtram ordinationem quæ, dignante Deo, ex noſtra præceptione in vobis facta eſt. Et hoc Interdicentes, vt nullus audeat, iuxta ſanctorum canonum traditionem, ex alio Epiſcopatu ibidem tranſlatari, aut ordinare Epiſcopum, poſt veſtram de hoc ſæculo euocationem, niſi is, qui Apoſtolicæ noſtræ ſedis in illis partibus præſentauerit vicem. Sed nec vnus alterius parochias inuadere, aut Eccleſias ſubtrahere præſumatis.

G Eph. 2.

H

Nam ſi, quod non credimus, ſi quis ille fuerit, qui contra hanc noſtram præceptionem temerario auſu venire tentauerit, ſciat ſe, æterno Dei iudicio, anathematis vinculo eſſe innodatum. Si quis vero Apoſtolica ſeruauerit præcepta, & normam rectæ & orthodoxæ fidei fuerit aſſecutus, benedictionis gratiam conſequatur. De cætero, petimus diuinam clementiam, vt confirmet & corroboret hoc quod operatus eſt Dominus in vobis: & charitas Dei, gratia, & pax vera ſit cum Spiritu veſtro. Sanctiſſimi & dilectiſſimi nobis, toto conamine elaborate pro fide Chriſti, & ad miniſterium eius perficiendum decertate: vt cum egregio Apoſtolorum mereamini dicere: *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. De reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illum diem iuſtus iudex*. Salutantes vos in Domino valere optamus. Bene valete. Data Kal. April. imperante Domino *Conſtantino* magno Imperatore, anno viceſimoquarto, Imperij eius Anno 11. Indictione xi.

1. proficiendum. 2. Tim. 4

Tom 2. Conc. lod. 6.

A

EPISTOLA CXXXII.

Domino chariſſimo ſummi Pontificatus infula prædito viro Apoſtolico Zacharia Bonifacius ſeruus ſeruorum Dei.

l. 1. vit. c. 2. Mog. p. 374.

CONfitemur Domine Pater, quia poſtquam per nuncios referentes audiuimus, quod venerandæ memoriæ Apoſtolatus veſtri præceſſor *Gregorius* Pontifex Apoſtolicæ ſedis, ergaſtulo corporeo abſolutus ad Dominum migrauit, quod maiorem lætitiam & maius gaudium nobis non audiuimus, & ſuſpenſis ad æthera palmis, Deo gratias egimus, quam quod clementem paternitatem veſtram altiſſimus arbiter canonica iura regere, & Apoſtolicæ ſedis gubernacula gubernare conceſſit. Ergo non aliter quam vt ante veſtigia veſtra geniculantes, intimis ſubnixe flagitamus precibus, vt ſicut præceſſorum veſtrorum pro auctoritate ſancti *Petri* ſerui deuoti & ſubditi diſcipuli fuimus: Sic & veſtræ pietatis ſerui obedientes ſubditi ſub iure Canonico fieri mereamur. Optantes Catholicam fidem & vnitatem Romanæ Eccleſiæ ſeruare, & quantoſcunque audientes vel diſcipulos in iſta legatione mihi Deus donauerit, ad obedientiam Apoſtolicæ ſedis inuitare & inclinare non ceſſo. Neceſſe quoque habemus indicare paternitati veſtræ, quia, per Dei gratiam, Germaniæ populis aliquantulum percurſis vel correctis, tres ordinauimus Epiſcopos, & prouinciam in tres parochias diſcreuimus, & illa tria oppida ſiue vrbes, in quibus conſtituti & ordinati ſunt ſcriptis auctoritatis veſtræ confirmari & ſtabiliri precantes deſideramus. Vnam eſſe ſedem Epiſcopatus decreuimus in caſtello quod dicitur *VVirzaburg*: & alteram in oppido quod nominatur *Buraburg*: tertiam in loco qui dicitur *Erphesfurt*, qui fuit iam olim vrbs Paganorum *ruſticorum*. Hæc tria loca propria carta & auctoritate Apoſtolatus veſtri roborari & confirmari diligenter poſtulamus: vt ſi Dominus voluerit per auctoritatem & præceptum ſancti *Petri*, iuſſionibus Apoſtolicis, fundatæ & ſtabilitæ ſint tres in Germania Epiſcopales ſedes. Et vt præſentes vel futuræ generationes non præſumant vel parochias corrumpere, vel violare præceptum Apoſtolicæ ſedis. Notum ſimiliter ſit paternitati veſtræ, quod *Carolomannus* Dux Francorum me accerſitum ad ſe rogauit: vt in parte regni Francorum, quæ in ſua eſt poteſtate, ſynodum facerem congregari: & promiſit, ſe de Eccleſiaſtica religione, quæ iam longo tempore, id eſt, non minus quam per ſexaginta vel ſeptuaginta annos calcata & diſſipata fuit, aliquid corrigere & emendare velle. Quapropter ſi hoc Deo inſpirante veraciter implere voluerit, conſilium & præceptum veſtræ auctoritatis, id eſt, Apoſtolicæ ſedis habere & ſapere debeo. *Franci* enim vt ſeniores dicunt pluſquam per tempus octoginta annorum ſynodum non fecerunt, nec Archiepiſcopum habuerunt, nec Eccleſiæ canonica iura alicui fundabant, vel renouabant.

B

de Bonif. erga Rom. Pontif. ſol. reuerentia.

Reſp. inf. ep. 141.

C

Tom. 2. Con.

D

Modo autem maxima ex parte, per ciuitates, Epiſcopales ſedes traditæ ſunt Laicis cupidis ad poſſidendum, vel adulteratis Clericis, ſcortatoribus, & publicanis ſæculariter ad perfruendum. Nam ſi, per verbum veſtrum, hoc negocium, Duce rogante ſupradicto amouere & corrigere debeo, præceptum & iudicium Apoſtolicæ ſedis cum canonibus Eccleſiaſticis præſto habere cupio. Si inuenero inter illos Diaconos, quos nominant qui à pueritia ſua ſemper in ſtupris, ſemper in adulteriis, & in omnibus ſemper ſpurcitiis vitam ducentes, ſub tali teſtimonio venerunt ad diaconatum, & modo in diaconatu concubinas quatuor vel quinque vel plures noctu in lecto habentes, euangelium tamen legere, & Diaconos ſe nominare nec erubeſcunt, nec metuunt: & ſic in talibus inceſtis ad ordinem presbyteratus venientes, in iiſdem peccatis perdurantes, & peccata peccatis adiicientes, presbyteratus officio fungentes, dicunt ſe pro populo poſſe intercedere, & ſacras oblationes offerre: nouiſſime, quod peius eſt, ſub talibus teſtimoniis per gradus ſingulos aſcendentes ordinantur, & nominantur Epiſcopi.

Concubinarij Eccleſiaſtici.

E

Si inquam tales inuenero inter illos, rogo, vt habeam præceptum, & conſcriptum auctoritatis veſtræ quid de talibus diffiniatis: & per reſponſum Apoſtolicum conuincantur & arguantur peccatores. Et inueniuntur quidam inter eos Epiſcopi, qui licet dicant ſe fornicarios & adulteros non eſſe, ſed ſunt ebrioſi, & iniurioſi, vel venatores: & qui pugnant in exercitu armati, & effundunt propria manu ſanguinem hominum, ſiue Paganorum ſiue Chriſtianorum. Et quia ſeruus, & legatus Apoſtolicæ ſedis eſſe dignoſcor, vnum ſit verbum & meum hic & veſtrum ibi, ſi contingat ad iudicium auctoritatis veſtræ vt pariter miſſos dirigamus.

Militaſſe venatores vitioſi Eccleſiaſtici. al. iniurioſi, id eſt, negligentes & cupidi.

Præterea de vna re & conſilium quærere & licentiam petere neceſſe habeo, eo quod venerandæ memoriæ præceſſor veſter, ſic vt audiſtis, in præſentia veſtra mihi præcepit: vt presbyterum poſt obitum meum, Deo volente, in Eccleſiaſtico miniſterio hæredem & ſucceſſorem conſtituere deberem. Et hoc mihi, ſi Dei voluntas eſt, placet. Sed modo dubito & neſcio ſi fieri poſſit, qui poſtea frater illius, auunculum Ducis Francorum occidit, & adhuc ignoramus qualiter iſta diſcordia pacificari & finiri valeat. Et obſecro, vt auctoritatis veſtræ licentia ſit, vt cum conſilio ſeruorum Dei, de iſta electione faciam, quod nobis in commune, pro Deo, & pro Eccleſiæ vtilitate, vel fructu ſpiritali & defenſione religionis, optimum eſſe videatur, vt conſenſum veſtrum habeam de hoc facere, quod optimum eſſe mihi inſpirare dignetur Deus: quia hoc non videtur poſſe fieri ſi contrarius Princeps fuerit.

F

al. Sed.

Præterea quærere & interrogare paternitatis veſtræ conſilium debeo de quadam confuſione & ſcandalo prædicationis, quæ nuper ad nos veniens mentem noſtram conturbauit: & ſacerdotibus Eccleſiarum verecundiam incutiebat, quia Laïcus quidam magnæ perſonæ ad vos veniens, dicebat ſibi ab Apoſtolicæ ſedis Pontifice ſanctæ memoriæ Gregorio datam fuiſſe licentiam, vt in matrimonium acciperet viduam auunculi ſui: quæ & ipſa fuit vxor conſobrini ſui, & ipſa, illo viuente, diſceſſit ab eo, & iſti viro, qui nunc eam accipere deſiderans, affirmat ſibi licentiam datam; in tertia generatione illa propinqua illius eſſe dignoſcitur: & votum vouit Deo caſtitatis, & velata fuit, & iterum abiecto velamine maritata. Tale enim matrimonium ſupradictus homo ſibi ab Apoſtolico affirmat eſſe permiſſum. Quod non æſtimamus eſſe verum, quia Synodus & Eccleſia, in qua natus & nutritus fui, id eſt, in *tranſmarina Saxonia*, *Lundunenſis Synodus* quæ in primis à diſcipulis ſancti *Gregorij*, id eſt, *Auguſtino*, *Laurentio*, *Iuſto*, *Melito*, Archiepiſcopis conſtituta & ordinata fuit, talem copulam & matrimonium maximum ſcelus & inceſtum & horribile flagitium & damnabile piaculum fieri ex auctoritate Sacræ ſcripturæ iudicabant. Quapropter paternitas veſtra huius rei veritatem indicare non dedignetur, vt Eccleſiæ ſacerdotibus vel populo Chriſtiano inde ſcandala & ſchiſmata vel noui errores non oriantur, & concreſcant: quia carnales homines, idiotæ *Alemanni*, vel *Baiuarij*, vel *Franci*, ſi iuxta Romanam vrbem aliquid facere viderint ex his peccatis, quæ nos prohibemus, licitum & conceſſum à ſacerdotibus eſſe putant, & nobis improperium deputant, ſibi ſcandalum vitæ accipiunt. Sicut affirmant, ſe vidiſſe annis ſingulis in Romana vrbe, & iuxta Eccleſiam in die vel nocte, quando *Kalendæ Ianuarij* intrant, paganorum conſuetudine choros ducere per plateas, & acclamationes, ritu Gentilium, & cantationes ſacrilegas celebrare: & menſas illa die vel nocte dapibus onerare: & nullum de domo ſua vel ignem vel ferramentum, vel aliquid commodi vicino ſuo præſtare velle.

G

al. tertio genulo vel geniculo, vel gradu.

H

V. bis ad exempla totius commentarium orbis. Inf. ep. 142.

Dicunt quoque, ſe vidiſſe ibi mulieres pagano ritu phylacteria, & ligaturas, & in brachiis, & cruribus ligatas habere: & publice ad vendendum vænales ad comparandum aliis offerre. Quæ omnia eo quod ibi a carnalibus & inſipientibus videntur, nobis hic & improperium & impedimentum prædicationis & doctrinæ perficiunt. De talibus, ait Apoſtolus increpans: *Dies obſeruatis*

Galat. 4.

A ſer 241. de temp.

tempora : timeo ne ſine cauſa laborauerim in vobis. Et ſanctus Auguſtinus dicit : *Nam qui prædictis malis, id eſt, caragis, & diuinis, & aruſpicibus vel phylacteriis, & aliis quibuſlibet auguriis crediderit : etſi ieiunet, etſi oret, etſi iugiter ad Eccleſiam currat, etſi largas eleemoſynas faciat, etſi corpuſculum ſuum in omni afflictione cruciauerit, nihil ei proderit, quamdiu ſacrilegia illa non reliquerit.*

al. perfecerit. * & preſbyteri. al quia Ap.

Nam ſi iſtas paganias ibi paternitas veſtra in Romana vrbe prohibuerit, & ſibi mercedem & nobis maximum profectum in doctrina Eccleſiaſtica acquiret. Epiſcopi quoque * gentis *Francorum*, qui fuerunt adulteri, vel fornicatores aceruimi, quos in gradu Epiſcopatus vel Preſbyterij fornicationum filij nati arguunt, reuenientes ab Apoſtolica ſede, dicunt ſibi Romanum Pontificem licentiam dediſſe miniſterium Epiſcopale in Eccleſia miniſtrare. Quos contra contendimus, qui Apoſtolicam ſedem contra decreta Canonum nequaquam audiuimus iudicaſſe.

B

Hæc omnia, Domine chariſſime, propterea nota vobis facimus, vt veſtræ auctoritatis reſponſum talibus dare poſſimus ; vt per cautelam veſtræ doctrinæ oues Eccleſiæ non ſeducantur, ſed lupi rapaces conuicti & ſuperati pereant. Interea munuſcula parua vobis direximus : non quia digna ſint paternitate veſtra, ſed pro indicio charitatis, & obedientiæ, deuotionis : id eſt villoſam vnam, & argenti & auri tantillum. Dextera Domini protegente incolumem valere, & in Chriſto proficere beatitudinem veſtram in longitudine dierum optamus.

Verſus S. Bonif.

Te Deus altithronus ſancta conſeruet in æde,
Sedis Apoſtolicæ Rectorem tempora longa.
Melliflua gratum populis doctrina per orbem
Perficiatque Deo dignum pia gratia Chriſti.
Splendida percipiat florens ſua gaudia mater,
Atque domus Domini lætetur prole ſecunda.

C

EPISTOLA CXXXIII.

al VVirziburgenſi.

DIlectiſſimo nobis *Burchardo* ſanctæ Eccleſiæ *VVirziburgonenſis*, *Zacharias* Papa. Domino cooperante & ſermonem confirmante ad dilatandam Chriſtianitatis legem : & orthodoxæ fidei tramitem ad docendum, iuxta quod prædicat ſancta hæc Rumana Eccleſia, &c. Vide ſupra, epiſt. 131.

EPISTOLA CXXXIV.

al. Sed.

Reuerendiſſimo & ſanctiſſimo fratri Bonifacio Coepiſcopo Zacharias ſeruus ſeruorum Dei.

D
Ex. vit. c. 4. Mog. p. 183. Tom 2. Conc. Sedonius. al. Sidonius. Tom. 2. C. Spiritu ſancta. al. Spiritus ſancta.

VIrgilius & Sedonius religioſi viri apud Baioariorum prouinciam degentes ſuis nos litteris viſitarunt, per quas intimauerunt, quod tua reuerenda fraternitas eis iniungeret, Chriſtianos denuo baptizare. Quod audientes nimis ſumus conturbati, & in admirationem quandam incidimus, ſi habet, vt dictum eſt. Retulerunt quippe quod fuerit in eadem prouincia ſacerdos, qui Latinam linguam penitus ignorabat & dum baptizaret, neſciens, Latine eloqui infringens linguam diceret : *Baptizo te in nomine patria, & filia & Spiritus ſancti :* ac per hoc tua reuerenda fraternitas conſiderauit rebaptizare. Sed ſanctiſſime frater, ſi ille qui baptizauit, non errorem, aut hæreſim introducens, ſed, pro ſola ignorantia, Romanæ locutionis infringendo linguam, vt ſupra fati ſumus, baptizans dixiſſet, non poſſumus conſentire, vt denuo baptizentur. Quia, quod tua bene compertum habet ſancta fraternitas, quicunque baptizatus fuerit ab hæreticis, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, nullo modo rebaptizari debeat, ſed per ſolam manus impoſitionem purgari debeat. Nam, ſanctiſſime frater, ſi ita eſt vt nobis relatum eſt, non amplius à te illis prædicetur huiuſmodi, * ſed vt ſancti Patres docent & prædicant, tua ſanctitas ſtudeat conſeruare. Deus te incolumem cuſtodiat reuerendiſſime frater. * Data Kalendis Iuliis imperante Domino piiſſimo Auguſto Conſtantino, à Deo coronato, magno Imperatore anno viceſimo ſexto : imperij eius anno quarto : Indictione quarta decima.

E
al. debet. * Sur. doctrina. * Deſunt in 1m.

ROMANA SYNODVS

De Hæreticis, quos ſanctus Damnarat Bonifacius, Miſſa in Germaniam ad eum & alios.

IN nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, imperante Domino piiſſimo Auguſto *Conſtantino* Imperatore, anno XXVI. * Poſt conſulatum eius anno quinto menſe Octobrio, die viceſima quinta. Indictione quarta & decima Reſidente ſanctiſſimo ac beatiſſimo Domino *Zacharia* Papa in Patriarchio Lateranenſi, in baſilica, quæ appellatur *Theodori* : Conſidentibus autem cum eo ſanctiſſimis Epiſcopis *Epiphanio ſilua candida*, *Benedicto Nomento*, *Venantio Praneſte*, *Gregorio Portuenſi*, *Niceta Gabiis*, *Theodoro * ortenſi*. *Gratioſo Vilitrias*, *ceu venerabilibus Presbyteris*, id eſt, *Ioanne* Archipresbytero, *Gregorio*, *Stephano*, item *Stephano*, *Dominico*, *Theodoro*, *Anaſtaſio*, *Georgio*, *Sergio*, *Iordane*, *Leone*, item *Leone*, *Gregorio*, *Stephano*, *Euſtochio*, *Procopio*, atque *Theophanio*, propoſitis in medio ſacroſanctis Euangeliis : aſtantibus quoque Diaconibus, vel cuncto clero. *Gregorius* Notarius regionarius & nomenculator dixit : *Denearduus* religioſus Presbyter, legatus Bonifacij ſanctiſſimi Archiepiſcopi prouinciæ Germaniæ, directus apud veſtrum ſanctum Apoſtolatum, præ velo eſt, & petit ſe ingredi. Quid præcipitis. Dictum eſt : Ingrediatur. Cumque ingreſſus Zacharias eſſet, ſanctiſſimus ac beatiſſimus Papa ſanctæ Dei Catholicæ atque Apoſtolicæ vrbis Romæ dixit : Ante hos dies ſyllabas reuerendiſſimi fratris noſtri Bonifacij nobis retuliſti, per quas nobis quæ opportuna ei viſa ſunt, indicauit. Quid ergo denuo noſtris ſecretariis te ingredi poſtulaſti ? *Denearduus* religioſus Presbyter dixit. Domine, dum iuxta ſancti Apoſtolatus præceptionem, meus Dominus Bonifacius Epiſcopus famulus pietatis veſtræ, in prouincia Francorum ſynodum aggregaſſet, & reperiſſet illic falſos ſacerdotes, hæreticos & ſchiſmaticos, id eſt, *Adelbertum* & *Clementem*, ſacerdotio priuans, vna cum Principibus Francorum, retrudi fecit in cuſtodiam. Illi autem non in pœnitentia degunt, vt iudicatum eſt : ſed è contrario adhuc populum ſeducunt. Pro quo hanc epiſtolam præfati mei Domini, quam manibus gero veſtro ſancto Apoſtolatui miſſus offero, vt eam coram ſacroſancto Concilio relegi faciatis. Dictum eſt. Suſcipiatur epiſtola, & coram noſtra præſentia relegatur. Et accipiens *Theophanius* Notarius regionarius, & ſacellarius relegit in his ſermonibus.

*Add Sn. imperij F
eam & ag. deſunt. * Oſtienſ. Veliteras.
S. litteras G
Sa. Adalb.
H

EPISTOLA CXXXV.

BONIFACII AD ZACHARIAM.

Excellentiſſimo Patri atque Apoſtolico Pontifici, & ex auctoritate ſancti Petri, Principis Apoſtolorum magiſterio freto, Zachariæ Papæ, Bonifacius exiguus ſeruus ſeruorum Dei, optabilem in Chriſto charitatis ſalutem.

POſtquam me ante annos prope triginta ſub familiaritate & ſeruitio Apoſtolicæ ſedis annuente & iubente venerandæ memoriæ Antiſtite Apoſtolico Gregorio, anteriore voto conſtrinxi, quidquid mihi lætitiæ acciderat Apoſtolico Pontifici ſolebam indicare : vt in lætis ſimul laudaremus Deum, & in triſtibus, eius conſilio roborarer. Ita & nunc mihi liceat, pietati veſtræ ſupplico, ſicut

ſcriptum

A Deut. 32.

ſcriptum eſt. *Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi, ſeniores tuos, & dicent tibi.* Notum ſit enim paternitati veſtræ, quia poſtquam indigno mihi mandaſtis in prouincia Francorum ſicut & ipſi rogauerunt, ſacerdotali Concilio, & ſynodali conuentui præeſſe, multas iniurias & perſecutiones paſſus ſum, maxime à falſis ſacerdotibus, ab adulteratis Presbyteris ſeu Diaconibus & fornicariis Clericis. Maximus tamen mihi labor fuit contra duos hæreticos peſſimos, & publicos, & blaſphemos contra Deum, & contra Catholicam fidem. Vnus qui dicitur *Adelbert* natione generis Gallus eſt. Alter qui dicitur *Clemens* genere Scotus eſt ſpecie erroris, diuerſi, ſed pondere peccatorum, pares. Contra iſtos obſecro Apoſtolicam auctoritatem veſtram, quod meam mediocritatem defendere & adiuuare, & per ſcripta veſtra populum Francorum & Gallorum corrigere ſtudeatis: vt hæreticorum fabulas & vana prodigia & ſigna præcurſoris Antichriſti non ſectentur: ſed ad Canonica iura, & ad viam veræ doctrinæ connectantur: & vt per verbum veſtrum iſti hæretici duo mittantur in carcerem, ſi vobis iuſtum eſſe videatur, cum vitam & doctrinam illorum vobis intimauero; & nullus cum eis loquatur, vel communionem habeat, ne forte fermento doctrinæ fermentatus aliquis pereat: ſed ſegregati viuant: & iuxta dictum Apoſtoli huiuſmodi *tradite Sathanæ in interitum carnis vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini.* Et iuxta Euangelicum præceptum, *dum Eccleſiam non audierunt, ſint nobis ſicut Ethnici & publicani.* donec diſcant non blaſphemare, nec ſcindere tunicam Chriſti. Propter iſtos enim perſecutiones, & inimicitias, & maledictiones multorum populorum patior: & Eccleſia Chriſti impedimentum fidei & doctrinæ rectæ ſuſtinet. Dicunt enim de *Aldeberto*, quod eis ſanctiſſimum Apoſtolum abſtuliſſem, patronum, & oratorem, & virtutum factorem, & ſignorum oſtenſorem abſtraxiſſem. Sed pietas veſtra audiens vitam eius, iudicet ex fructu, vtrum veſtimentis ouium indutus, intus autem lupus rapax fuiſſet, an non. In primæua n. ætate hypocrita fuit, dicens; quod ſibi Angelus Domini, in ſpecie hominis, de extremis finibus mundi, miræ, & tamen incertæ ſanctitatis, reliquias attuliſſet: & exinde potuiſſet omnia, quæcunque poſceret à Deo impetrare: & tunc demum per illam ſimulationem, ſicut Apoſtolus Paulus prædixit, penetrauit multorum domos, & captiuas duxit poſt ſe mulierculas, oneratas peccatis, quæ ducebantur variis deſideriis, & multitudinem ruſticorum dicentium, quod ipſe eſſet vir Apoſtolicæ ſanctitatis, & ſigna & prodigia multa feciſſet. Deinde conduxit Epiſc. indoctos, qui ſe contra præcepta Canonum, abſolute ordinarunt. Tum demum in tantam ſuperbiam elatus eſt, vt ſe æquipararet Apoſtolis Chriſti: & dignabatur in alicuius honore Apoſtolorum vel Martyrum eccleſiam conſecrare. Et interrogauit, quid voluiſſent homines viſitando limina ſanctorum Apoſtolorum. Poſtea in proprio honore ſuo dedicauit oratoria, vel, vt verius dicam, ſordidauit: fecit cruciculas, & oratoriola in campis, & ad fontes, vel vbicunque ſibi viſum fuit: & iuſſit ibi publicas orationes celebrare, donec multitudines populorum ſpretis cæteris Epiſcopis, & admiſſis antiquis eccleſiis, in talibus locis conuentus celebrant, dicentes: Merita ſancti *Aldeberti* adiuuabunt nos.

In ſu. de ſuis pluſ cula.

B

1. Cor. 5. 1. Tim. 1. Mat. 18.

Matt. 7.

C

2. Tim 3.

De ſacris peregri- nationib.

D

Vngulas ſuas, & capillos dedit ad honorificandum, & portandum cum reliquiis ſancti Petri Principis Apoſtolorum. Tum demum, quod maximum ſcelus & blaſphemia contra Deum eſſe videbatur, fecit. Venienti enim populo & proſtrato ante pedes eius, & cupienti confiteri peccata ſua dixit: Scio omnia peccata veſtra, quia mihi cognita ſunt occulta veſtra. *Non eſt opus confiteri: ſed dimiſſa ſunt peccata veſtra præterita: ſecuri & abſoluti reuertimini ad domos veſtras cum pace*: & omnia quæcunque ſanctum Euangelium hypocritas feciſſe teſtatur, ſuo habitu, inceſſu, & moribus imitatus eſt.

De ſacra cõfeſſione.

Alter autem hæreticus, qui dicitur *Clemens* contra Catholicam contendit eccleſiam: Canones eccleſiarum Chriſti abnegat, & refutat tractatus, & intellectus ſanctorum Patrum *Hieronymi*, *Auguſtini*, *Gregorij* recuſat. Synodalia iura ſpernens, proprio ſenſu affirmat, ſe poſt duos filios ſibi in adulterio natos, ſub nomine Epiſcopi eſſe poſſe legis Chriſtianæ Epiſcopum. Iudaiſmum inducens iudicat iuſtum eſſe Chriſtiano, vt ſi voluerit, viduam fratris defuncti accipiat vxorem. Qui contra fidem ſanctorum contendit dicens: quod Chriſtus filius Dei deſcendens ad inferos, omnes quos inferni carcer detinuit, inde liberaſſet, credulos & incredulos, laudatores Dei ſimul & cultores idolorum: & multa alia horribilia *de prædeſtinatione Dei* contraria fidei Catholicæ affirmat.

Lutherana & Calui- niana ab- ſurda. Sic & hodie No- uatores.

E

Deſcenſus Chriſti ad inferos. Prædeſtinatio.

Quapropter de hoc quoque hæretico precor, vt per litteras veſtras mandare curetis Duci *Carolomanno*, vt mittatur in cuſtodiam: vt ſemina Satanæ latius non ſeminet: ne forſitan vna ouis morbida totum gregem polluat. Valere ſanctitatem veſtram, & proſperis profectibus gaudere in longitudinem dierum optamus. Cumque relata eſſet, *Zacharias* ſanctiſſimus ac beatus Papa dixit: Audiſtis chariſſimi fratres, quid in iſta epiſtola reductum ſit ex ſacrilegis illis, qui ſe ad ſuam condemnationem *Apoſtolos* populis prædicauerunt; Sanctiſſimi Epiſcopi & venerabiles Presbyteri reſponderunt. Audiuimus certe per omnia non Apoſtolos, ſed miniſtros Satanæ, & præcurſores Antichriſti. Quis enim aliquando Apoſtolorum, aut quilibet ſanctorum ex capillis ſuis; aut vngulis pro ſanctuali populis tribuerunt, vt iſte ſacrilegus & pernicioſus agere conatus eſt *Adelbertus*? Sed hoc ſcelus à veſtro ſancto Apoſtolatu eſt reſecandum: tam de illo, quam etiã de tranſgreſſore *Clemente*, quia ſacros canones ſpernit, atque expoſitiones ſanctorum Patrum *Ambroſij*, *Auguſtini*, & cæterorum reſpuit dicta ſanctorum. Sed iſti iuxta, factis & tranſgreſſionibus ſuis dignam ſuſcipiant ſententiam.

F

S. pro ſanctitate. Sed ſanctuale vocatur res ſancta, reliquiæ, aut earum theca.

Quia hodie iam tardior hora eſt, venturo ſecretario * etiam conſcriptam vitam & orationem, quam ſibi expoſuit, vel cætera, eius conſcripta, dum nobis relecta fuerint communi conſenſu, mediante Deo, quid fieri debeat, pertractandum eſt.

S^{to} de conſcripta vita & oratione q. ſ. e. & cæteris.

G

In nomine Domini Dei & ſaluatoris noſtri IESV Chriſti imperante Domino piiſſimo Auguſto *Conſtantino* magno Imperatore anno viceſimo ſexto, poſt conſulatum eius anno quinto, menſe Octobrio, die viceſima quinta. Indictione quarta & decima. Reſidente ſanctiſſimo ac beatiſſimo domino *Zacharia* Papa in patriarchio Lateranenſi, in baſilica, quæ appellatur *Theodori*: Conſidentibus etiam cum eo ſanctiſſimis Epiſcopis, *Epiphanio ſilua candida. Benedicto Nomento, Venantio Peneſtra, Gregorio Portuenſi, Niceta Gabiis, Theodoro Oſtienſis, Gratioſo Villetris*: ſeu venerabilibus Presbyteris, id eſt, *Ioanne archipresbytero, Gregorio, Stephano*, Item *Stephano, Dominico, Theodoro, Anaſtaſio, Georgio, Sergio, Iordane, Leone*, Item *Leone, Gregorio, Stephano, Euſtachio, Procopio* atque *Teophanio*: propoſitis in medio ſacroſanctis Euangeliis, aſtantibus quoque Diaconibus vel cuncto Clero *Gregorius* notarius regionarius & nomenculator dixit: Iuxta veſtri ſancti Apoſtolatus præceptionem, quam in præterito ſecretario iuſſiſtis, *Deneardus* religioſus Presbyter adeſt præ velo. Quid Præcipitis? Dictum eſt, Ingrediatur.

Preneſte.

Cumque ingreſſus eſſet, *Zacharias* ſanctiſſimus ac beatiſſimus Papa dixit: Actus illius nephandiſſimi *Aldeberti* ſiue cætera illius conſcripta, quæ præterito ſecretario præ manibus gerebas, coram præſente concilio porrige legenda, Et accipiens *Teophanius* notarius regionarius & ſacellarius relegit vitam illius, cuius initium tale eſt.

In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. incipit vita in ſanctum ac Dei famulum, præclarum atque totum ſpecioſum, ex electione Dei natum, ſanctum *Aldebertum*, Epiſcopum. De ſimplicibus parentibus fuit procreatus, & de gratia Dei eſt coronatus. quia dum in vtero matris ſuæ erat, ibidem gratia Dei cœpit: & antequam perueniſſet beatiſſima natiuitas eius, ſic vidit genitrix eius, quaſi per viſionem, egredientem vitulum de dextero latere ſuo, qui vitulus illi deſignabat gratiam illam quam ab angelo acceperat antequam exiret de vulua.

Cumque hic libellus vſque ad finem relectus fuiſſet,

A

Zacharias ſanctiſſimus ac beatiſſimus Papa dixit. Quid ad hæc blaſphema reſponderis ſanctiſſimi fratres; *Epiphanius* ſanctiſſimus Epiſcopus ſanctæ eccleſiæ ſiluæ candidæ dixit: Certe, Apoſtolice Dnmine, ex diuina inſpiratione motum eſt cor veſtri ſancti Apoſtolatus, vt prædictum *Bonifacium* ſanctiſſimum fratrem noſtrum Epiſcopum, vtque Francorum Principes commoneretis, quatenus in partibus illis, poſt longa tempora, Concilium aggregaretur ſacerdotum, vt hæc ſchiſmata, & blaſphemiæ vſquequaque ſancto veſtro Apoſtolatui minime celarentur. *Zacharias* ſanctiſſimus ac beatiſſimus Papa dixit: Si quid adhuc habet *Deneardus* religioſus Presbyter nobis porrigere relegendum, porrigat. *Denardus* religioſus Presbyter reſpondit.

Ecce domine epiſtolam qua vtebatur, & diuulgabat eſſe Ieſu, & de cœlo cecidiſſe. Et accipiens *Theophanius* Notarius regionarius, & ſacellarius relegit: cuius initium tale eſt. In Dei nomine, incipit epiſtola Domini noſtri

B

Ieſu Chriſti filij Dei: quæ in Hieroſolyma cecidit, & per *Michael* Archangelum ipſa epiſtola inuenta eſt ad portam *Effrem*: & per manus ſacerdotis, nomine *Icore*, epiſtola iſta relecta, ipſa exemplata: & tranſmiſit ipſam epiſtolam ad* *Hieremiam* ciuitatem alio ſacerdoti *Talaſio*. Et ipſe *Talaſius* tranſmiſit ipſam epiſtolam ad *Arabiam* ciuitatem alio ſacerdoti *Leoban*.

[* Sur. Germaniam. S. Martinum.]

Et ipſe Leohanus tranſmiſit epiſtolam iſtam ad *Verſaniam* ciuitatē, & recepit epiſtolam iſtam *Macrius* Sacerdos Dei. Et tranſmiſit ipſam epiſtolam in montem ſancto Archangelo *Michael*. Et ipſa epiſtola per manus Angeli Domini peruenit ad Romanam ciuitatem ad locum ſepulchri ſancti *Petri*: vbi claues regni cœlorum conſtitutæ ſunt, & duodecim Papati, qui ſunt in Romana ciuitate, triduanas fecerunt vigilias, in ieiuniis & orationibus, per dies & noctes: & cætera vſque ad finem perlecta.

C

Zacharias ſanctiſſimus ac beatiſſimus Papa dixit: Pro certo, chariſſimi fratres, eſt prædictus in inſaniam conuerſus *Aldebertus*: omnes qui hac vtuntur commentata epiſtola, paruulorum more, * abſque memoria mentium eſſe poſſunt: & quibuſdam mulieris vtuntur ſenſibus.

[§ abſque ſenſu ſibi, & mulieribus errore infaciunt]

Sed vt ne leuiores adhuc amplius decipiant, indiſcuſſam & abſque ſententia cauſam hanc in eum relinquere minime poſſumus. Sanctiſſimi Epiſcopi & venerabiles Presbyteri reſponderunt: Ex diuina illuſtratione cognoſcimus cor ſancti veſtri Apoſtolatus illuminatum: & quæ à vobis dicta ſunt, ex adminiſtratione ſancti Spiritus emanarunt. Et, idcirco, vt à vobis præuiſum fuerit, in vtroſque ſententia promulgetur. *Zacharias* ſanctiſſimus ac beatiſſimus Papa dixit: Non vt à nobis ſolum præuiſum fuerit: ſed pariter cum ſanctitate veſtra eſt pertractandum. Sed ſi Domino placuerit, in futuro ſecretario, quod rectum præuiſum fuerit, & Dominus ſuis famulis adminiſtrauerit, ex õnibus actis, promulgabitur ſententia.

D

In nomine Domini Dei Saluatoris noſtri IESV CHRISTI, imperante domino piiſſimo Auguſto *Conſtantino* magno imperatore anno XXVI. poſt conſulatum eius anno V. menſe Octobr. die XXV. indictione XIV. Præſidente ſanctiſſimo ac beatiſſimo Domino *Zacharia* Papa in patriarchio Lateranenſi in baſilica, quæ appellatur *Theodori*. Conſidentibus etiam cum eo ſanctiſſimis Epiſcopis propoſitis in medio ſacroſanctis euangeliis, aſtantibus quoque Diaconibus vel cuncto Clero, Gregorius notarius regionarios & nomenculator dixit: Secundum quod à veſtro Apoſtolatu præceptum eſt, in præterito ſecretario, vt *Denardus* religioſus Presbyter hodie ſe veſtris obtutibus præſentaret. Præſto eſt præ foribus, quid præcipitis? dictum eſt. Ingrediatur. Cumque ingreſſus fuiſſet, *Zacharias* ſanctiſſimus ac beatiſſimus Papa dixit: Habes adhuc ex ſacrilegorum illorum conſcripto, vt coram concilio porrigere debeas relegendum? *Denardus* religioſus Presbyter reſpondit: Etiam Domine, habeo orationem, quam ſibi *Aldebertus* componere niſus eſt. Et ecce præ manibus eam gero, iubete eam ſuſcipi. Et accipiens relegit in his ſermonibus orationem, cuius initium tale eſt.

E

SCELERATI ALDEBERTI ORATIO.

DOmine Deus omnipotens Chriſte fili Dei, pater Domini noſtri *Ieſu Chriſti*, & α & ω, qui ſedes ſuper ſeptimo throno, & ſuper Cherubin & Seraphin, pietas magna, & dulcedinis ſatis eſt apud te pater ſanctorum Angelorum, qui feciſti cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt. Te inuoco, & clamo & inuito te ſuper me miſerrimo; quia tu dignus fuiſti dicere: *Quandocunque petieritis à patre in nomine meo, dabit vobis*? à te peto, ad te clamo à Domino Chriſto confido animam meam. Cumque per ordinem legeretur, peruenit ad locum vbi ait: Precor vos, & coniuro vos, & ſupplico me ad vos, Angelus *Vriel*, Angelus *Raguel*, Angelus *Tubuel*, Angelus *Michael*, Angelus *Adinus*, Angelus *Tubuas*, Angelus *Sabaoc*, Angelus *Simiel*. Dum vero hæc oratio ſacrilega vſque in finem perlecta fuiſſet, *Zacharias* ſanctiſſimus ac beatiſſimus Papa dixit. Quid ad hæc, ſanctiſſimi fratres, reſpondetis? Sanctiſſimi Epiſcopi, & venerabiles Presbyteri reſponderunt: Quid aliud agendum eſt niſi vt omnia, quæ nobis relecta ſunt, igni concrementur? auctores vero eorum anathematis vinculo percellantur? Quia octo nomina Angelorum, quæ in ſua oratione *Aldebertus* inuocauit: non Angelorum præterquam *Michaelis*, ſed magis dæmones in ſua oratione ſibi ad præſtandum auxilium inuocauit. Nos autem, vt à veſtro ſancto Apoſtolatu edocemur, & diuina tradit authoritas, non pluſquam trium Angelorum nomina cognoſcimus, id eſt, *Michael*, *Gabriel*, *Raphael*. *Alioqui de myſterio, ſub obtentu Angelorum, dæmonum nomina introduxit.* *Zacharias* ſanctiſſimus ac beatiſſimus Papa dixit: Prouiſum eſt veſtra ſanctitate, vt conſcripta illius omnia igne cremarentur.

[Ioan. 16.]

F

[S. Adimis Sabaoth. Simiel.]

[S. dæmonum nomina ſunt, quæ.]

[Deſunt in S. & al. vel ſi qui.]

G

Sed opportunum eſt, vt, ad reprobationem eius, in ſancto noſtro ſcrinio reſeruentur ad perpetuam eius confuſionem. Nunc vero, quia omnia peracta ſunt, de vtrorumque ſententia, quorum ſuperius mentio facta eſt, pertractandum eſt. Vniuerſum concilium dixit. *Aldebertus* cuius nobis actus, & nepharia commenta relecta ſunt, & qui ſe *Apoſtolum* cenſuit nominare & capillos & vngulas ſuas populis, pro ſanctuali, tribuebat, ſeducens populum diuerſis erroribus, quin etiam, ſub obtentu Angelorum, in ſuo auxilio dæmones inuocat, ſit ab omni officio ſacerdotali alienus, agens pœnitentiam pro commiſſis, & amplius iam populum minime ſeducat.

Sin autem in his erroribus perſeuerauerit, & populum amplius ſeduxerit; ſit ei anathema: & æterno Dei iudicio condemnetur, vel omnis qui ei conſenſerit vel eius ſecutus fuerit doctrinam, aut adiunctus fuerit illi. Similiter autem & *Clemens*, qui per ſuam ſtultitiam ſanctorum Patrum ſtatura reſpuit, vel omnia ſynodalia acta: inferens etiam Chriſtianis Iudaiſmum, dum prædicat fra-

H

tris defuncti accipere vxorem, inſuper & Dominum Ieſum Chriſtum deſcendentem ad inferos, omnes pios & impios exinde prædicat abſtraxiſſe, ab omni ſit ſacerdotali officio nudatus, & anathematis vinculo obligatus: pariterque Dei officio condemnatus vel omnis qui eius ſacrilegis conſenſerit prædicationibus.

Zacharias Epiſcopus ſanctæ Dei eccleſiæ * atque Apoſtolicæ vrbis Romæ geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſi.

[* In S. Catholica.]

Epiphanius Epiſcopus ſanctæ eccleſiæ *ſilua candida* his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſi.

Benedictus Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Nomentanæ his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſit.

Venantius Epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Prænestinæ his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſit.

Gregorius Epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Portuenſis his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatæ ſubſcripſit.

Nicetas Epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Gabinaris, his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſit.

Theodorus Epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Oſtienſis, his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatæ ſubſcripſit.

A

Gratioſus Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Velliternenſis, his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatæ ſubſcripſit.

Ioannes Archipresbyter tituli ſanctæ *Suſanna* his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſit.

Deeſt in S. ſemper fere.

Gregorius Humilis Presbyter * ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, tituli ſancti *Clementis*, his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſit.

Stephanus gratia Dei Presbyter ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, tituli ſancti Marci, his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatæ ſubſcripſit.

Stephanus indignus Presbyter ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, tituli ſancti Euſebij, his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatæ ſubſcripſit.

Dominicus humilis Presbyter ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, tituli ſanctæ Priſcæ, his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatæ ſubſcripſit.

Theodorus humilis Presbyter ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, tituli ſancti Laurentij his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatæ ſubſcripſit.

B

Anaſtaſius indignus Presbyter S. Rom. Eccleſiæ, tituli S Mariæ, his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatæ ſubſcripſit.

Georgius humilis Presbyter S. Rom. Eccleſiæ tituli ſanctorum Ioannis & Pauli, his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatæ ſubſcripſit.

Sergius humilis Presbyter S. Rom. Eccleſiæ, tituli ſanctæ Potentianæ, his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatæ ſubſcripſit.

Iordannes indignus Presbyter S. Rom. Eccleſiæ, tituli ſanctæ *Sabina*, his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatæ ſubſcripſit.

Theophanius humilis Presbyter S. Rom. Eccleſiæ, tituli ſanctorum *quatuor coronatorum*, his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatæ ſubſcripſit.

Leo indignus Presbyter S. Rom. Eccleſiæ, tituli ſanctæ Anaſtaſiæ, his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatæ ſubſcripſit.

C

Ordo immutatus.

Leo humilis Presbyter S. Rom. Eccleſiæ, tituli Damaſi, his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatæ ſubſcripſit.

Gregorius indignus Presbyter ſanctæ Romanæ Eccleſiæ tituli ſanctæ *Balbina*: his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatæ ſubſcripſit.

Stephanus Presbyter ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, tituli ſancti *Chryſogoni*: his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatæ ſubſcripſit.

Euſtachius: humilis Presbyter ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatæ ſubſcripſit.

Procopius indignus Presbyter ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, tituli ſancti Cyriaci his geſtis, atque ſententiæ à nobis promulgatæ ſubſcripſit.

EPISTOLA CXXXVI.

D

** S. Belvacenſi. * S. Helefeo Noviomenſi Felerico T & ordo mut. * S. Stembaudo Laudenſi E. Romano Meldenſi E. * S. Hattoni. lib. 1. vit. c. 6. Meg. p. 394.*

*Dilectiſſimis Reginfrido Rothomagenſi Epiſcopo. Deodato * Belbocanenſi Epiſcopo, Remberto Ambianenſi Epiſcopo, * Helefco Noviomenſi Epiſcopo, Fulcrico Tungrenſi Epiſcopo, David Spironenſi Epiſcopo, Aitherio Torvanenſi Epiſcopo, Treuvardo Camerocanenſi Epiſcopo, Burchardo Uurtzenburgenſi Epiſcopo, * Agilolfo Colonienſi Epiſcopo, Heddo Straſburgenſi Epiſcopo, & cæteris amantiſſimis Coepiſcopis, Presbyteris, etiam & Diaconibus cunctiſque orthodoxis Eccleſiarum Dei clericis Apoſtolicam doctrinam tenentibus Zacharias divina gratia praditus, Apoſtolica ſedis Pontifex, ſervus autem ſervorum Dei, in Domino ſalutem dicit.*

GRatias ago Deo Patri omnipotenti, & Domino Ieſu Chriſto vnico filio eius, & Spiritui ſancto, qui veſtra omnium corda inflammare dignatus eſt, per diffuſam à ſe gratiam, vt in vnitate fidei & vinculo pacis ambuletis: & ſit ſplendor Domini Dei noſtri ſuper vos, dilectiſſimi mihi, & abundans gratia pacis & charitatis, vt ſitis vnum corpus ſpiritalis matris veſtræ ſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Dei Eccleſiæ, in qua Deo authore præſumus, implentes illud propheticum dictum: *Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum.* Et ſi, pro itineris longitudine, corpore ſimus abſentes, in ſpiritu tamen dilectionis ſemper ſumus vobis præſentes, habentes vos in viſceribus noſtris, & aſſidue orantes vt Deus & Dominus noſter Ieſus Chriſtus multo amplius confirmet corda veſtra, & corroboret in exhortatione Euangelij, in miniſterio, quo fungimini, vt credita vobis plebs pijs veſtris admonitionibus, adiutore Deo, à diabolica fraude liberata ſalva perſiſtat, voſque mereamini de eorum animabus in diem Chriſti apportare lucrum. Scriptum quippe eſt: *Filij ſapientia, Eccleſia iuſtorum, & natio eorum obedientia, & charitas.* Pſal. 132. B Eccl. 3. v. 1.

Eph. 4.

Obſecro ergo vos, chariſſimi mihi, vt digne ambuletis vocatione qua vocati eſtis, vt decet ſanctos cum multa patientia: ſupportantes invicem in charitate: ſoliciti ſervare vnitatem Spiritus: in vinculo pacis & charitatis: quia finis præcepti charitas eſt: de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. Gaudeo in vobis, fratres chariſſimi, quoniam fides veſtra, & vnitas erga nos precioſa eſt & manifeſta, non ſolum coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus, dum ad fautorem & magiſtrum veſtrum à Deo conſtitutum beatum Apoſtolorum Principem *Petrum*, benigniſſima voluntate converſi eſtis. Laudabilis fides veſtra ex bona fama, quoniam idipſum ſapitis quod oportet ſapere: * & nunc Deo cooperante eſt aggregata ſanctitas veſtra noſtræ ſocietati in vno paſtorali ovili: & eſt nobis vnus Paſtor, qui à paſtore paſtorum Domino Deo & Salvatore noſtro Ieſu Chriſto Princeps Apoſtolorum & noſter doctor eſt inſtitutus. F 1. Tim. 1.

*S. Et in hoc l. * In S. deſunt ſeq. v. que Habetis.*

Habetis itaque noſtra vice ad confortandam dilectionem veſtram & collaborandum vobis in Euangelium Chriſti, ſanctiſſimum ac reverendiſſimum Bonifacium fratrem noſtrum Archiepiſcopum Apoſtolicæ ſedis Legatum, & noſtram præſentantem vicem. Sit ergo conſtantia veſtra adverſus contentiones eorum, qui adverſa ſapiunt, & non quæ Dei ſunt: & erit fortior petra conſtantia veſtra, ſicut eſt ſcriptum. *Ne timueritis ex eis, neque terreamini à facie eorum, qui corpus occidunt: animam vero non poſſunt occidere. Quod autem in ore auditis prædicate in lumine, illum timentes qui poteſt animum & corpus occidere, & mittere in gehennam.* G Matt. 10. Luc. 12.

Fratres mei: in carne enim ambulantes non *ſecundum carnem militamus. Arma enim militiæ noſtra non carnalia, ſed potentia Deo: ad deſtructionem munitionum conſilia deſtruentes & omnem exaltationem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei: & in captivitatem redigentes omnem cogitationem in obſequium Chriſto perducentes.* 2. Cor. 10.

De cætero, fratres, confortamini in Domino, & in potentia fortitudinis eius. Pax vobis multa, & gratia à Deo & Domino noſtro Ieſu Chriſto miniſtretur. Amplectimur & oſculamur ac ſi præſentes charitatem veſtram in vnitate Spiritus, in vinculo pacis & charitatis Chriſti. Deus vos incolumes cuſtodiat dilectiſſimi nobis. Eph. 6. H

EPISTOLA CXXXVII.

Zacharias Papa vniverſis Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus, Abbatibus, cunctis etiam Ducibus, Comitibus, omnibuſque Deum timentibus per Gallias & Francorum provincias conſtitutis.

REferente nobis reverendiſſimo atque ſanctiſſimo fratre noſtro Bonifacio Epiſcopo, quod dum ſynodus aggregata eſſet in provincia veſtra, iuxta noſtram commonitionem, mediantibus filiis noſtris *Peppino* & *Carolomanno* Principibus veſtris, peragente etiam vicem noſtram prædicto Bonifacio, Dominus autem inclinaſſet corda veſtra cum Principibus veſtris in prædicatione eius, vt omnibus commonitionibus eius obediretis: &

A falſos & ſchiſmaticos, & homicidas,& fornicatios à vobis expelleretis ſacerdotes, omnipotenti Deo noſtro gratias egimus, & pro vobis inceſſanter ſumus orantes, vt qui cœpit in vobis opus bonum perficiat vſque in finem. Obſecro enim omnes vos, coram Deo, vt eius commonitionibus firmiter obediatis.

Ipſum enim vice noſtra in partibus illis ad prædicandum habemus conſtitutum, vt vos Deo propitio ad viam perducat rectitudinis, & à cunctis facinoribus ſalui eſſe poſſitis. Habuiſtis enim, peccatis facientibus, nuncuſque falſos & erroneos ſacerdotes. Vnde & cunctæ Paganæ gentes vobis pugnantibus præualebant; quia non erat differentia inter Laicos & Sacerdotes, quibus pugnare licitum non eſt.

S. dabitur **3. conſecrant.* Qualis enim victoria datur, vbi ſacerdotes, vna hora, Dominica pertractant myſteria, & Chriſti Dominicum * porrigunt corpus pro ſuarum animarum redemptione, & poſtea Chriſtianos quibus hoc miniſtrare debuerant, aut B Paganos, quibus Chriſtum prædicare, propriis,ſacrilegiſque manibus necant: & fit ſecundum Domini verbum. *Vos eſtis ſal terræ. Quod ſi ſal euanuerit, in quo condietur? ad nihilum valet vltra: niſi vt mittatur foras,& conculcetur ab hominibus.* *Mat. 5. ſalietur.* Et dum hæc ita ſint, & tales in vobis fuerint ſacerdotes, quomodo victores contra veſtros inimicos eſſe poteritis? Nam ſi mundos & caſtos ab omni fornicatione & homicidio liberos habueritis ſacerdotes, vt ſacri præcipiunt canones, & noſtra vice prædicat præfatus Bonifacius frater noſter, & ei in omnibus obedientes extiteritis, nulla gens ante conſpectum veſtrum ſtabit: ſed corruent ante faciem veſtram, omnes paganæ gentes: & eritis victores. Inſuper & bene agentes vitam poſſidebitis æternam. Vos enim, chariſſimi fratres, qui eſtis veri ſacerdotes, vel ſub regulari diſciplina conſtituti: ſic voſmetipſos exhibite: vt decet Dei miniſtros & diſpenſatores myſteriorum Dei, vt non vituperetur miniſterium veſtrum: nec fiat in vobis quod ſcriptum eſt. *Erit* C *ſicut populus ſic ſacerdos.* *Iſa. 24. 5. Quamobrem pro. mebute.* Et ſi hoc fuerit, qualis vobis erit ab hominibus laus? aut qualis à Deo expectatur retributio? Sed ſic vos corrigite, vt veri ſacerdotes, & tales ad ſacerdotium producite vt & vobis & illis teſtimonium maneat bonum, ab his qui foris ſunt, quatenus ab hominibus vobis acquiratis laudem, & à Deo mercedis præmium in æterna beatitudine percipere mereamini, eo quod per vos ad Chriſti perducti ſunt rectam fidem, innoxios habentes ſacerdotes. Ad Synodum quoque omni anno conuenite; ad pertractandum de vnitate Eccleſiæ, vt ſi quid aduerſi acciderit radicitus amputetur: & Dei Eccleſia maneat inconcuſſa. Bene valete.

EPISTOLA CXXXVIII.

Reuerendiſſimo & ſanctiſſimo fratri Bonifacio Coepiſcopo Zacharias ſeruus ſeruorum Dei.

D *Ibid. 2 vit. c. 8. Mog. p. 397.* CVm nobis ſanctiſſimæ fraternitatis tuæ ſyllabæ delatæ fuiſſent, atque per ſingula relegi feciſſemus, reperimus in earumdem litterarum tuarum ſerie, quod peccatis noſtris facientibus, dum Dominici tritici ſemina quæreres elaborare ad augendam ſegetem ſpiritalem, ſubito inimici ſuperſeminauerunt zizania, vt ſanctitatem tuam in bono opere impedirent. Sed tua ſancta fraternitas inceſſanter orationi inſtat pariter cum fratribus, qui tecum laborant: & ſpiritales ſarculos conſtruens zizaniam eradicans deportes ad comburendum. Vt Beatus *Gregorius* *Vide c. 20. l. 32. 7. ind. & c. 1. P. 4. Paſt.* Papa. *Bonum*, inquit *opus vobis ſit in voluntate: nam ex diuino adiutorio erit in perfectione.* His ita ſe habentibus, chariſſime frater, confortare in Domino & ipſe erit adiutor tuus. De incurſione autem gentium, quæ in tuis plebibus facta eſt, mœrendum nobis eſt ſed hæc aduerſitas nullatenus tuam fraternitatem conturbet, quia & Romana ciuitas ex accidentibus facinoribus eſt depopu- *aliter Sur.* lata & tamen omnipotentia ſua Dominus ex ſupernis eam dignatus eſt conſolari. Sic etenim credimus, quia & vos conſolabitur. Sed populis tibi commiſſis, reuerendiſſime E frater, prædica ieiunium, ſupplicationes apud Deum Litaniarum, & ſupereminẽs clementia eius adiuuabit vos. Te autem, vt prædiximus nullatenus aduerſa conturbent: ſed in bono opere, quod cœpiſti, nullo modo deficias. Nos vero licet immeriti & peccatores exiſtamus noſtris precibus vel conſacerdotum noſtrorum, in quantum poſſumus adiuuamus.

De Synodo autem congregata apud Francorum prouinciam, mediatribus *Pippino & Carolomanno* excellentiſſimis filiis noſtris iuxta noſtrarum ſyllabarum commonitionem peragente vicem noſtram tua ſanctitate, qualiter egiſſes cognouimus, & omnipotenti Deo noſtro gratias egimus, qui eorum corda confirmauit, vt in hoc pio opere adiutores exiſterent. Et omnia optime & canonice peregiſti tam de falſis Epiſcopis & fornicariis, & ſchiſmaticis quam & in reliquis nomine Sacerdotibus contra Canonum inſtituta agentibus, vel contra Catholicam & Apoſtolicam Dei Eccleſiam, de quibus ſecun- F dum tuam relationem per ſingula reſpondemus.

De eo autem quod ſuggeſſiſti, quod elegerunt vnam ciuitatem omnes Francorum Principes pertingentem vſque ad Paganorum fines, & in partes Germanicarum gentium, vbi antea prædicaſti, quatenus ibi ſedem Metropolitanam perpetuo habere debeas, & inde cæteros Epiſcopos inſtrueres ad viam rectitudinis, poſt tui ſucceſſores perpetuo iure poſſideant, hoc quod decreuerunt nos læto ſuſcipimus animo, eo quod ex Dei nutu factum eſt. quod vero quidã falſi ſacerdotes & ſchiſmatici hoc impedire conati ſunt, eorum vanum agonem Dominus diſſipabit, & illa faciet ſtabilita, quæ ſanctorum Patrum *Su vidstur Conſ* ſtatutis conueniunt concordare. Et quia tibi ipſi Principes Francorum etiam in hoc adiutores extiterunt, retribuat illis omnipotens Deus viciſſitudinis præmium, & innumera largiatur bona.

Nam de illo ſimiliter falſo Epiſcopo, quem dixiſti, quod adulterati Clerici, & homicidæ filius, in adulterio G natus & abſque diſciplina nutritus: & cætera mala & horribilia, quæ per ſingula enarraſti, ac per hoc is ſui ſimiles ſacerdotes conſecrauit; de hoc meminit tua reuerẽda fraternitas, quia iam tibi ſæpius ſcripſimus, vt nullus homicida nullus adulter, nullus fornicator ſacrum miniſterium debeat tractare. Sed neque ex pœnitente quis, aut talis qualem ſacri canones prohibent eſſe ſacerdotem.

De baptizatis vero ab illis ſeu Eccleſiis conſecratis requirat tua fraternitas, ſi aut Eccleſias in nomine Trinitatis conſecrauit, aut paruulos ſimiliter baptizauit dum ſacerdotio fungebatur. Et ſic conſecratio Eccleſiarum, & paruulorum bapriſma ſit confirmatum.

Et hoc pariter ſuggeſſiſti, quod hi qui ante proiecti ſunt ſacerdotes, à nobis ſe abſolutos apud Francorum prouinciam diuulgent. Quod tua ſancta fraternitas nullo modo credat. Quia (quod impoſſibile eſt) ſi hoc feciſſemus, tuæ charitati per noſtras indicaſſemus litteras. Sed hoc, quod impoſſibile, nullo modo credas. Quia non aliud prædicamus, & aliud agimus, & dirigimus, vt illi H garriunt: ſed auxiliante Deo illud, quod prædicamus hactenus obſeruandum cenſemus. Hoc autem ſanctitatem tuam firmiſſime vt teneas, hortamur, vt ſanctorum Pa- *S. ſtudeas.* trum inſtitutis, & conſultis ſacrorum Canonum omnimodo obſequi debeas: quia nos nullatenus aliud prædicamus, aut aliud agimus.

Nam de eo quod obſecraſti, vt Francorum Principibus ſcriberemus, vel cæteris Francis, vt petiſti, eis per ſingula ſcripſimus: vt tibi & amici ſint, & adiutores in *S. plus non.* Dominico opere exiſtant.

De cenſu vero expetendo, eo quod impetrare à Francis ad reddendum Eccleſiis vel monaſteriis non potuiſti, quam vt in vertente anno ab vnoquoque coniugio ſeruorum duodecim denaria reddantur; ex hoc gratias ago Deo, quia hoc potuiſti impetrare, & dum Dominus donauerit quietem, augentur & luminaria Sanctorum pro eo quod nunc accidit tribulatio, *Saracenorum*, *Saxonum* vel *Freſonum*, ſicut tu ipſe nobis innotuiſti.

De eo namque quod interrogaſti, quod illi qui depoſiti ſunt pro capitalibus peccatis, de gradu ſacerdotali, dum

A ros reperiſſes adulteros, homicidas ſacerdotes vt nec Clerici eſſe poſſint, nec ſub pœnitentia Monachi eſſe volunt, ſed pergentes apud palatium Regis Francorum rogant, vt eis loca tribuat Eccleſiarum, vel monaſteriorum, vt laicam vitam viuant diſpergentes Sanctorum loca, ſed & de hoc pariter qualiter fieri debeat Francorum Principibus commonentes direximus. In illa quippe tua epiſtola reperimus contineri omnia, quæ contra te egerunt falſi & ſchiſmatici Epiſcopi, id eſt, Aldebertus & Clemens per quæ, omnia acta ipſorũ, & impiiſſimũ errorem ſingillarim indicaſti. Nos vero congregatis fratribus, & conſacerdotibus noſtris, eorundem prauorum ſceleratiſſima acta in eorum præſentia relegi fecimus: & dum nobis coram Concilio relecta fuiſſent, pio ſtudio omnes eodem ſchiſmatica dogmata ipſorum, ſeu ſceleratiſſimam vitam, quam ſibi Aldebertus conſcribere fecit, vna voce exclamauerunt, vt igni cremarentur. Sed nos hoc non fieri rectum iudicauimus, pro eo quod ad reſeruandum ſiue in æternum eos condemnandum, in ſcrinio ſanctæ Eccleſiæ reſeruanda mandauimus. Suſcipientes ipſi dignam ſententiam, cuius iuſtas actionis, ad tuam direximus fraternam ſanctitatem, vt relecta in prouincia Francorum omni, ſchiſmaticus audiens aliter à ſancta Dei Catholica & Apoſtolica Eccleſia iudicatum, à ſenſus ſui prauitate reſipiſcat.

S commonitoria direximus ſcripta.

Libri hæreticorum, auerdum ſeruandi.

B

In tertia tua namque epiſtola intimaſti de alio ſeductore nomine *Geeleobo*, qui antea falſo Epiſcopi honore fungebatur, & quia, ſine cuiuſcunque conſultu, apud nos properat, dum aduenerit, vt Domino placuit, fiet. Tua autem reuerentia, vt cœpit, auxiliante Domino vice noſtra volumus, vt omni anno, apto tempore, in Francorum prouincia, Concilium debeat celebrare: vt frequentia ſacerdotum, ſiue inſtitutis ſacrorum mediantibus, illic quid aduerſum nullo modo valeat pullulare: ſed magis Eccleſiæ Dei vnitas, & Diſciplina Catholica atque Apoſtolica vbique in illis partibus dilatata cunctæ populorum turbæ

C etiam in occiduis partibus, veri Catholici eſſe poſſint: & non amplius per falſos ſacerdotes erroribus inuoluti demergantur in interitum. Dum vero concilium aggregaueris, ſi tua fraternitas conflictum habeat cum Metropolitanis, quos confirmamus, de eo quod dixiſti, vt nullus ſine commendatitiis ſuſcipiatur epiſtolis. Tamen & pro hoc ipſo, & pro omnibus vtilitatibus ſanctæ Eccleſiæ, Francorum Principibus, commonitionis, dixerimus litteras: vt iam ſuperius fati ſumus. De ciuitate namque illa quæ nuper *Agrippina* vocabatur, nunc vero *Colonia*, iuxta petitionem Francorum, per noſtræ auctoritatis præceptum, nomini tuo metropolim confirmauimus, & tuæ ſanctitati direximus, pro futuris temporibus, eiuſdem Metropolitanæ Eccleſiæ ſtabilitatem. DEVS te incolumem cuſtodiat reuerendiſſime, & ſanctiſſime frater. Data pridie Kalend. Nouemb. imperante Domino piiſſimo Auguſto *Conſtantino*, à Deo coronato, magno Imperatore anno XXVII. Imperij eius * anno quinto, Indictione quarta & decima.

** In S. deeſt.*

D

EPISTOLA CXXXIX.

ZACHARIAS BONIFACIO.

Reuerendiſſimo & ſanctiſſimo Bonifacio Coepiſcopo, Zacharias ſeruus ſeruorum Dei.

l.1. vit. c.9. Mog. p.401.

1. Cor.1.

EGregius nos admonet Beatus Apoſtolus Paulus in eo quod ait. *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego* CHRISTI. Hinc eſt ergo, vt, per ſpiritale charitatis vinculum etſi corpore abſentes, Spiritu vero ſemper fraternæ ſanctitati tuæ ſimus præſentes: ita vt in noſtris viſceribus te habentes chariſſimum fratrem, & conſacerdotem, licet peccatores, tamen, ſpe diuina freti, aſſidue in noſtris orationibus memoriam agere non deſiſtimus: petentes immenſam Chriſti diuinitatem, vt ad peragendum ſuum te committet miniſterium: quatenus in diem aduentus eius, i[llam] placabilem merearis exprimere vocem. *Ecce*

Iſa.8. Ioan.18.

E *ego & pueri, quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quenquam.* Vt contingat altiſona & deſiderabilis vox inter illos qui ab initio mundi ei placuerunt, conſonanter te in illorum imitatione ſubmittat, in qua dicturus eſt. *Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi.* His ita ſe habentibus agnoſcas chariſſime, flagitaſſe à nobis *Pippinum* excellentiſſimum, maiorem domus gentis Francorum, per ſuum hominem nomine *Ardobanium*, religioſum Presbyterum aliquanta capitula de ſacerdotali ordine, & quæ ad ſalutem animæ pertinent: ſimul etiam & pro illicita copula, qualiter ſeſe debeant cuſtodire iuxta ritum Chriſtianæ religionis, & ſacrorum canonum inſtituta. Et quanquam de hoc iam experta ſit tua fraterna ſanctitas, quæ à nobis ſunt decreta, illius tamen vocibus aurem accommodantes, in breui eloquio conſcripta Apoſtolica documenta direximus: pro quibus, vt in ſacerdotali collegio lectioni pandantur, tuam fraternam ſanctitatem inibi euocari dedimus in mandatis.

Math. 25.

F

Et dum pro hac te fuerit aggregatum Concilium ad medium deducantur ſacrilegi illi, & contumaces, *Aldebertus, & Godalſacius, & Clemens* * Exepiſcopi, vt eorum denuo, ſubtili indagatione cribretur cauſa. Quos ſi deuiantes à rectitudinis tramite vſquequaque repereritis, & conuicti fuerint inclinati ad viam conuerti rectitudinis, vt bonum atque placitum in oculis veſtris paruerit cum Principe prouinciæ diſponite, ſecundum ſacrorum Canonum ſancita. Sin autem in ſuperbia perſtiterint contumaciter proclamantes reos ſe non eſſe, tunc cum probatiſſimis atque prudentiſſimis ſacerdotibus duobus aut tribus prædictos ad nos dirigatis viros: vt profunda inquiſitione coram ſede Apoſtolica eorum inquiratur cauſa, & iuxta quod meruerint, finem ſuſcipiant. Age itaque, dilectiſſime frater, in miniſterio tibi commiſſo, vt ab omnipotente Deo mercedis præmium recipiens æternam vitam conſequi merearis. Deus te incolumem cuſtodiat, reuerendiſſime frater. Data nonis Ianuariis, Imperante Domino noſtro piiſſimo Auguſto *Conſtantino*, à Deo coronato magno Imperatore Anno XXVIII. Imperij eius anno ſexto, Indictione XV.

** deeſt in Sarm.*

G

deſunt in S. & ſunt in Moguntino.

EPISTOLA CXL.

Reuerendiſſimo & ſanctiſſimo fratri Bonifacio Coepiſcopo, Zacharias ſeruus ſeruorum Dei.

Lib.1. vit. cap.10. Mog. p.403.

SAcris liminibus beati Apoſtolorum principis Petri & noſtris obtutibus præſentatus præſens *Burchardi* dilectus nobis Epiſcopus, fraternæ ſanctitatis tuæ attulit affatus per quorum ſcriptum tenorẽ agnouimus, magnum te habere certamen, & ſudorioſe elaborare fraternitatem tuã, in prædicatione Euangelij CHRISTI Dei noſtri: & exhortatione ſanctæ Catholicæ, & orthodoxæ, rectæ fidei, quam a redemptore noſtro Deo & Domino IESV CHRISTO per à ſe inſtitutum beatum Principem *Petrum*, & vas electionis *Paulum*, omneſque Apoſtolos traditam ſuſcepimus. Quibus agnitis, etſi peccatores, extenſis ad æthera palmis, omnipotenti Deo immenſas egimus gratias: petentes eius ineffabilem diuinitatem, vt multo amplius confirmet atque corroboret cor fraternitatis tuæ: & ſoſpitem, atque robuſtum corpore annuat permanere: vſquequo eius diuinitas te ſuperſtitem in hac iuſſerit eſſe vita, ad perficiendum miniſterium tibi impoſitum, & ad portandum lucrum animarum in diem Chriſti Ieſu; vt illam merearis audire deſiderabilem vocem, quam dicturus eſt, Dominus diligentibus ſe: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum vobis paratum ab origine mundi.* Erant autem inſerta in eiſdem tuis affatibus diuerſa capitula: de quibus iudicium atque conſilium & ſolatium Sedis Apoſtolicæ tibi dirigi flagitaſti.

H

Math. 25.

Primum capitulum pro ſynodo prouinciæ in qua natus & nutritus es, quam & in gentem *Anglorum* & *Saxonum* in *Brittania* inſula primi prædicatores ab Apoſtolica ſede miſſi, *Auguſtinus, Laurentius, Iuſtus, & Honorius*, nouiſſime

S. in genere.

&

A & tuis temporibus *Theodorus* Græcolatinus ante philoſophus, & Athenis eruditus Romæ ordinatus, pallio ſublimatus ad præfatam *Britanniam* tranſmiſſus iudicabat & gubernabat, in illa tale decretum & iudicium firmiſſime præceptum & diligenter demonſtratum eſſe dinoſcitur, vt quicunque ſine inuocatione Trinitatis lotus fuiſſet, quod ſacramentum regenerationis non haberet; quod omnino verum eſt. Quia ſi merſus in fonte baptiſmatis quis fuerit ſine inuocatione Trinitatis perfectus non eſt: niſi fuerit *in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti baptizatus.*

De illo autem quod per quoſdam affirmari ſcripſiſti, vt ſi euangelicis quis verbis, inuocata Trinitate, iuxta regulam à Domino poſitam, quicunque merſus eſſet, in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, quod ſacramentum ſine dubio haberet, & tam fortiter verbis euangelicis fuiſſet conſecratum batiſma, vt quamuis ſceleratiſſimus quiſque hæreticus, vel ſchiſmaticus, aut latro, vel fur ſiue adulter hoc homini petenti miniſtret, tamen Chriſti eſſet baptiſma euangelicis verbis conſecratum.

Tranſp. in S.

B Et è contra, ſi miniſter iuſtus fuiſſet, & Trinitatem iuxta regulam à Domino poſitam in lauacro non dixiſſet, verum baptiſma non eſſet; quod dedit. Pro illis itaque immundis & incertis viris, hæreticis, atque ſchiſmaticis, qui in nomine *Trinitatis* petentes baptizant. Sed & de his, qui ſine inuocatione *Trinitatis* mergunt in fonte baptiſmatis, fraternitati tuæ notum, quid de illis ſacrorum canonum ſeries contineat: quod & tenere firmiter hortamur.

Leuit. 11. Scriptum quippe eſt, dicente Domino. *Sancti eſtote, quoniam & ego ſanctus ſum.* Quod ſuſcepiſti frater à noſtro prædeceſſore ſanctæ recordationis *Gregorio* huius Apoſtolicæ ſedis Pontifice in eo permane: & ab Euangelica & Apoſtolica ſeu ſanctorum Patrum tradita doctrina nullo

C modo declines: ſed indutus loricam fidei, & galeam ſalutis viriliter contra nequitias Diabolicæ fraudis: * Apoſtolicam præſentando vitam, reſiſte. Scriptum namque eſt: *Ecce dedi faciem tuam potentem aduerſus faciem eorum: & conſtantiam tuam confortabo aduerſus contentiones eorum: & erit fortior petra conſtantia tua.*

** In S. non.*
Ierem. 1.

Pro ſacrilegis itaque Presbyteris, vt conſcripſiſti, qui tauros, hircos, diis paganorum immolabant, manducantes ſacrificia mortuorum, habentes & pollutum miniſterium ipſique adulteri eſſe inuenti ſunt, & defuncti: modo vero incognitum eſſe, vtrum baptizantes Trinitatem dixiſſent an non: & timent illi qui viui ſunt, quod in tali miniſterio non ſint baptizati, quibus reſpondens iuſſiſti omnes baptizare. Hoc quoque obſeruaſſe in ſupra dicta ſynodo ſacerdotes, vt qui vel vnam perſonam de *Trinitate* in baptiſmo non nominaret, illud baptiſmum eſſe non poſſe.

In S. ſunt hæc omiſſa omnia.

D Quod pro certo verum eſt. Quia qui vnum ex ſancta *Trinitate* confeſſus non fuerit, perfectus Chriſtianus eſſe non poteſt. Qui enim confitetur Patrem & Filium, ſi confeſſus non fuerit, Spiritum ſanctum: nec Patrem habet nec filium. Et qui confeſſus fuerit Patrem, & Spiritum ſanctum, & Filium non fuerit confeſſus, nec Patrem habet, nec Spiritum ſanctum, ſed vacuus eſt à gratia diuina. Eos autem quos reperiſſe affata eſt fraternitas tua pſeudoſacerdotes multo maiores numeri, quam Catholicos, * erroneos ſimulatores ſub nomine Epiſcoporum vel Presbyterorum, qui nunquam ab Epiſcopis Catholicis fuerunt ordinati, illudentes populo, & miniſteria Eccleſiæ confundentes, & conturbantes, aut falſos gyrouagos, adulteros, ſacrilegos, hypocritas, & multos ſeruos tonſuratos qui fugerunt à dominis ſuis, ſeruos diaboli, transfigurantes ſe miniſtros Chriſti.

** non in S.*

S. prohibeant. Qui ſine Epiſcopo, proprio arbitrio viuentes, populares defenſores habentes contra Epiſcopos, vt ſceleratos mores eorum non conſtringant, ſeorſum populum conſentaneum congregant, & illud erroneum miniſterium non in Eccleſia Catholica, ſed per agreſtia loca, per cellas ruſticorum, vbi eorum imperita ſtultitia cælari Epiſcopos poſſit, perpetrant, nec fidem Catholicam Paganis prædicant, nec ipſi fidem rectam habent, ſed nec ipſa ſolemnia

E verba, quæ vnuſquiſque Catechumenus, ſi talis ætatis eſt, vt iam Intellectum habeat, ſenſu cordis ſui percipere & intelligere, nec docent, nec quærunt ab eis, quos baptizare debent, id eſt, abrenunciationem Sathanæ, & cætera. Sed neque ſignaculo crucis CHRISTI eos muniunt, quæ præcedere debent baptiſmum: ſed nec aliquam credulitatem vnius Deitatis, & ſanctæ Trinitatis docent: neque ab eis quærunt: vt corde credant ad iuſtitiam, & oris confeſſio fiat illis ad ſalutem.

Hos itaque miniſtros Satanæ, & non Chriſti, vbicunque reperetis, chariſſime nobis, aggregato prouinciali & ſacerdotali collegio, omni modo deuita: & à ſacerdotali honore priuatos, ſub regula monachica & pœnitentia ſubmiſſos, vitam finire ordinabis, vt carne afflicti ad viam quandoque redeant rectitudinis, & ſi corde crediderint, oris eorum vera confeſſio illis fiat in ſalutem. Si vero non fuerint conuerſi, tuæ prædicationis non periet iuſtitia. Habebis enim ſolatiantem te, contra nequitiam malignantium, ſanctorum Apoſtolorum, & cæterorum probabilium patrum canonicam ſanctionem. Rom. 10.

S. ſolatium.

F

S peribit. Omiſſa in S.

Confortate itaque, reuerendiſſime mihi: & præuale in lege: in Euangelio CHRISTI: & prædicatione Catholicæ ac orthodoxæ fidei: quia ipſe glorificabit te. Tribulatio enim corporis noſtri temporalis eſt: & finem habet: *Probatio autem ſpem: ſpes vero non confundit*, vt ait Apoſtolus: *quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Quis namque ſeparabit nos à charitate Chriſti: tribulatio an angustia.* &c. Et ſi deiicimur frater, non perimus. Rom. 8

Circumferamus autem mortem Ieſu in corpore noſtro: vt vita Ieſu in die aduentus ſui in corpore noſtro manifeſta fiat, ſicut per eius diuinam edocti ſumus vocem. *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Conforta itaque & dilectiſſimos nobis omnes orthodoxos Epiſcopos, & ſacerdotes, atque Leuitas vel Clericos, religioſos Abbates & Monachos ſeu glorioſiſſimos Duces, cunctoſque Optimates, Chriſtianæ legis ſeruatores, vt nobis ſint adiutores contra aduerſarios orthodoxæ fidei, omneſque hæreticos atque ſchiſmaticos, quatenus & ipſi de fructu boni operis gaudere mereantur in cœleſtibus regnis. Matth. 5

G

S. Optimates Francorum.

Sicut ſcriptum eſt. *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo meo: & ſcribam ſuper illum nomen meum.* Interea ſcripſit reuerenda fraternitas tua reperiſſe quendam Presbyterum, genere Scotum, nomine *Sampſone*, errantem à via veritatis, dicentem, & affirmantem, ſine myſtica inuocatione, aut lauacro regenerationis poſſe fieri Catholicum Chriſtianum, per Epiſcopalis manus impoſitionem. Apoc. 3.

S. myſtica.

Hic autem qui dicit vacuus eſt Spiritu ſancto, & alienus à gratia Chriſti, atque à conſortio ſacerdotali abiiciendus. Quis enim niſi baptizetur iuxta præceptum Domini *in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti*, & ſic per manus impoſitionem conſecretur, poteſt eſſe Catholicus: Hunc nequiſſimum virum talia prædicantem ab Eccleſia Dei ſancta condemnatum expelle: Illos autem viros, qui ab hæreticis baptizati ſunt, & dubietas tenet, quod in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, non ſunt baptizati, inquiſita rei veritate, ſi ab erroneis ſacerdotibus baptizati ſunt, hos ſine dubio iuxta prædeceſſoris noſtri beatæ memoriæ Gregorij Papæ & ſacrorum canonum traditum tibi mandatum, implere non omittas, ne in æternum pereant, ſed potius Euangelica conſecratione ſaluentur.

H
Matth. 28.
Ioan. 3.

aliter S.

Intuiti autem ſumus & volumen à te directum vniuerſis Epiſcopis Presbyteris, Diaconibus vel cæteris religioſam vitam degentibus *de vnitate fidei catholica*, & doctrinam Apoſtolicam ſcriptam valde nobis acceptabilem eſſe cognoſcas: quoniam per Spiritus ſancti gratiam in te diffuſam: chariſſime, hoc operari ſtuduiſti. Interea per alia ſcripta fraternæ ſanctitatis tuæ petiſti: vt Sacerdos à nobis dirigatur in partibus Franciæ & Galliæ ad Concilia celebranda.

S. volumine. Lib. S. Bonifacij.

Sed dum, Deo propitio, tua ſanctitas ſuperſtes exiſtit, qui Sedis Apoſtolicæ & noſtram illic præſentas vicem

alium

A alium illic dirigere neceſſarium non eſt. Quos autem repereris, amantiſſime frater, habentes ſcientiam ſacræ doctrinæ, & ſanctam tenentes legem, atque orthodoxam ſine dubio defendentes fidem, hos mittere ſtude in quibus præuideris locis ad prædicandum verbum ſalutis.

Concilia vero, aggregatis Epiſcopis prouincialibus, vt tibi & vbi tibi rectum videtur, celebranda procura: & quos deuiantes inueneris confunde facies eorum ignominia vt ſint coram omnibus ſine honore: Dominus enim Deus noſter erit tecum.

Suſcepimus vero & chartam conſcriptam veræ atque orthodoxæ profeſſionis & Catholicæ vnitatis, quam cum dilectiſſimis nobis Epiſcopis partis Francorum tua direxit reuerenda fraternitas.

Quam releuantes nimio gaudio ſumus repleti, innumerabiles gratias agentes Deo Patri omnipotenti, quia vnanimitatem eorum ad ſocietatem noſtram reuocare dignatus eſt, vt ſpiritalis eorum mater lætetur ſancta Ecclesia. B

Noſtra autem vice, chariſſime, omnes in oſculo pacis Chriſti ſaluta: quia & nos dilectioni eorum gratias agentes Apoſtolicas miſimus litteras.

Nam & hoc intimatum eſt à tua fraterna ſanctitate, quod *Virgilius* ille (neſcimus ſi dicatur Presbyter) malignatur aduerſum te, pro eo quod confundebatur à te, erroneum ſe eſſe à Catholica doctrina: immiſſiones faciens *Otiloni* Duci *Baioariorum*, vt odium inter te & illum ſeminaret: aiens quod & à nobis eſſet abſolutus, vnius defuncti ex quatuor illis Epiſcopis, quos tua illic ordinauit fraternitas, diœceſim obtinere. Quod nequaquam verum eſt: quia mentita eſt iniquitas ſibi. De peruerſa autem & iniqua doctrina quam contra Deum & animam ſuam locutus eſt, ſi clarificatum fuerit, ita eum confiteri, quod alius mundus, & alij homines ſub terras ſint, * hunc accito concilio ab Eccleſia pelle ſacerdotij honore priuatum.

* *Addit S. alium ſol & Luna.*

C Attamen & nos ſcribentes prædicto Duci euocatorias de prænominato *Virgilio* mittimus litteras, vt nobis præſentatus, & ſubtili indagatione requiſitus, ſi erroneus fuerit inuentus, canonicis ſanctionibus condemnetur. Qui enim ſeminant dolores, ipſi metunt eos. Sic enim ſcriptum eſt. *Peruerſæ cogitationes ſeparant à Deo: probata autem virtus corripit inſipientes.*

in S. non — *Sap. 1.* — *S. ſynodo.*

Pro *Sidonio* autem ſupra dicto, & *Virgilio* Presbyteris, quod ſcripſit ſanctitas tua, agnouimus. Illis quidem, vt condecebat, comminando ſcripſimus tuæ autem fraternitati plus credulitas quam illis admittetur. Si autem placuerit Deo, vita comite, ſedi Apoſtolicæ eos, miſſis Apoſtolicis litteris, vt prælatum eſt, euocabimus. Docuiſti enim eos & non ſuſceperunt: & factum eſt in illis, ſicut ſcriptum eſt, Sapientia.

Qui docet fatuum, quaſi qui conglutinat teſtam, arenam & ſalem & maſſam ferri facilius eſt portare quam hominem imprudentem & fatuum, & impium. Quoniam *qui memoratur corde, cogitat inania: & vir imprudens & errans cogitat ſtulta.* Non ergo ad iracundiam prouocetur cor tuum, frater: ſed in patientia tua vbi tales repereris, admone, obſecra, increpa, vt conuertantur ab errore ad viam veritatis. Et ſi conuerſi fuerint, ſaluaſti animas eorum: ſi vero in duritia permanſerint: mercedem miniſterij tui non perdes: illos autem iuxta Apoſtoli vocem deuita.

S. in lib. Sapient. Eccl. 22. v. 7. v. 18. ib. c. 16. — D — *Iac. 5.*

Alia denique ſcripta tuæ fraternitatis continebant, quod iam olim de *Agrippina* ciuitate ſcripſiſti, quod Franci non perſeuerauerunt in verbo, quod promiſerunt: & nunc moratur tua fraternitas in ciuitate *Moguntia.* Periſti autem, vt cum noſtro conſultu pro ſuperueniente tibi ſenectute, & plena dierum ætate, atque imbecillitate corporis, vt ſi inuenire potueris * alium in eandem ſedem, in qua præes, pro tui perſona debeas collocare. Tu vero, Chariſſime, Legatus & miſſus eſſe, vt fuiſti, ſedis Apoſtolicæ. Nos vero, adiutore Deo, conſilium præbemus tuæ reuerendæ ſanctitati, vt pro ſalute animarum rationabilium, fautore Chriſto, ſedem, quam obtines ſanctæ *Moguntinæ* Eccleſiæ, nequaquam relinquas, vt impleatur in te Dominicum præceptum: *Qui perſeuerauerit vſque ad finem, hic ſaluus erit:* ſin vero, ſi Dominus dederit iuxta tuam petitionem hominem perfectum, qui poſſit ſollicitudinem habere, & curam pro ſalute animarum, pro tui perſona illum ordinabis Epiſcopum, eritque in Euangelio tibi credito, & miniſterio Chriſti portando in omni loco requirens, & confortans Eccleſiam Dei. Oramus itaque Dominum & Redemptorem noſtrum, vt ſacris interuentionibus ſuæ ſanctæ genitricis ſemper Virginis Mariæ Dominæ noſtræ, & Beat. Principum Apoſtolorum Petri & Pauli orantem pro nobis fraternam ſanctitatem tuam ſoſpitem & incolumem conſeruare dignetur. * Deus te incolumem cuſtodiat, reuerendiſſime & ſanctiſſime frater. Data Kal. Maij, imperante Domino piiſſimo Auguſto *Conſtantino,* à Deo coronato, magno Imperat. pacifico, imperij an.* XXIX. * Patritiatus eius an. 7. indict. 1.

8 quia. — **1. ill. in S. non.* — E *Matt. 24.* — **in S. non.* — ** S. xxxiiii.* — ** non in S.* — *I. patr. eius.*

F

EPISTOLA CXLI.

Reuerendiſſimo Patri, dilectiſſimo Domino, cum timore & honore venerando Magiſtro, Apoſtolici honoris priuilegio prædito, Pontificatus inſula Apoſtolicæ ſedis ſublimato Zachariæ, Bonifacius exiguus ſeruus veſter, licet indignus & vltimus, tamen Legatus Germanicus deuotiſſimus, optabilem in Chriſto immarceſcibilis charitatis ſalutem.

PAternæ pietatis veſtræ ſanctitatem ſubnixis precibus obſecro, vt hunc Presbyterum meum portitorem litterarum mearum, nomine *Lul.* grato animo clementer ſuſcipiatis. Habet enim ſecreta quædam mea, quæ ſoli pietati veſtræ profiteri debet: quædam viua voce vobis dicere, quædam per litteras notata oſtendere, de quibuſdam vero neceſſitatibus meis inquirere & interrogare, & mihi paternitatis veſtræ reſponſum & conſilium ex auctoritate ſancti *Petri* Principis Apoſtolorum ad ſolatium ſenectutis repræſentare, vt his omnibus auditis & conſideratis, ſi quæ ſint, quæ vobis placeant facta adaugere, Deo volente, ſtudeam: Si autem quid, vt timendum eſt, diſpliceat, & præcepto ſancti Apoſtolatus veſtri, vel indulgentiam merear, vel dignam pœnitentiam perſoluam. Anteceſſor etenim præceſſoris veſtri venerandæ memoriæ *Gregorius,* dum me indignum ordinauit, & ad prædicandum verbum fidei Germanicis gentibus miſit, Sacramento me conſtrinxit, vt canonicis & iuſtis Epiſcopis & Presbyteris in verbo, in facto, in conſenſu aſtipulator & adiutor fierem. Hoc autem cum diuina gratia implere ſtudui. Falſos autem ſacerdotes, hypocritas, & ſeductores populorum, vel corrigerem ad viam ſalutis, vel declinarem, & abſtinerem à communione ipſorum: quod ex parte ſeruaui, & ex parte cuſtodire & implere non potui. Spiritaliter impleui Sacramentum, quia in conſenſum & in conſilium illorum non venit anima mea. Corporaliter autem ab eis omnino abſtinere non potui. Dum veniſſem ad Principem Francorum, cogente Eccleſiarum neceſſitate, cum tales ibi reperi, quales nolui: ſed tamen in ſancta communione corporis Chriſti illis non communicaui.

l. 1. vit. c. 13. Meg. c. 13. — G — H

Præcepit quoque mihi præfatus Apoſtolicus Pontifex, vt populorum, quoſcunque viſitaſſem, conuerſationem & mores Apoſtolicæ ſedis Pontifici indicarem, quod in Domino confido me feciſſe. De eo autem quod iam præterito tempore de Archiepiſcopis & de palliis a Romana Eccleſia petendis, iuxta promiſſa Francorum, ſanctitati veſtræ notum feci, indulgentiam Apoſtolicæ ſedis flagito: quia quod promiſerunt, tardantes non impleuerunt: & adhuc differtur & ventilatur: quid inde perficere voluerint, ignoratur; ſed mea voluntate impleta eſſet promiſſio.

Eſt præterea locus ſyluaticus in eremo vaſtiſſimæ ſolitudinis: in medio nationum prædicationis noſtræ, in quo monaſterium conſtruentes, monachos conſtituimus ſub regula ſancti Patris *Benedicti* viuentes: viros ſtrictæ abſtinentiæ, abſque carne & vino, abſque ſicera & ceruiſia, proprio manuum ſuarum labore contentos. Hunc locum

Fuldenſe monaſt.

A

ſupradictum, per viros religioſos & Deum timentes, maxime *Carolemannum* quondam Principem Francorum, iuſto labore acquiſiui: & in *honore ſancti Saluatoris dedicaui.* In quo loco, cum conſenſu pietatis veſtræ, propoſui aliquantulum vel paucis diebus feſſum ſenectute corpus requieſcendo recuperate, & poſt mortem iacere. Quatuor etenim populi, quibus verbum Chriſti per gratiam Dei diximus, in circuitu loci huius habitare dignoſcuntur.

S. prædicauimus.

Quibus, cum veſtra interceſſione, quamdiu viuo vel ſapio, vtilis eſſe poſſum. Cupio enim veſtris orationibus comitante gratia Dei, in familiaritate Rom. Eccleſiæ, & veſtro ſeruitio, inter Germanicas gentes, ad quas miſſus fui, perſeuerare, & præcepto veſtro obedire: ſicut ſcriptum eſt. *Iudicium patris audite, filij dilecti: & ſic facite, vt ſalui ſitis.* Et alibi. *Qui honorat patrem ſuum, vita viuet longiore.* Et iterum. *Honora patrem tuum, vt superueniat tibi benedictio à domino.* Et. *benedictio patris firmat domus filiorum.*

Eccl. 3. Ib.

B

EPISTOLA CXLII.

Reuerendiſſimo & ſanctiſſimo patri Bonifacio Coepiſcopo Zacharias Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei.

La. vi. c. 14. Mog. p. 414.

BEnedictus Deus Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui diſperſa congregat, & congregata conſeruat: augetque fidem & fiduciam ſeruis ſuis ad prædicandum verbum Euangelij Ieſu Chriſti Domini noſtri, cum eodem Patre & Spiritu ſancto in vnitate viuentis in ſæcula ſæculorum: ipſi gloria & laus, qui adiutor & protector eſt in ſe credentibus. Ipſe enim dixit, *Qui credit in me, vita viuet & non morietur:* quoniam ego ſum via, vita & veritas. Laudamus & ſuperexaltamus nomen eius læti, gaudentes, per harum gerulos, & ſanctæ fraternitatis tuæ litteris allatis ſuperſtitem te in hac vita, & in domino te valere cognoſcentes, petentes immenſam Dei noſtri diuinitatem: vt ad prædicandum multo amplius Euangelij atque ſanctæ fidei eius Sacramentum longæuum te conſeruet: ſuaque protectione te muniat: & ab aduerſantium inſidiis pie miſerendo cuſtodiat.

ma in S.

Ioan. 11
Ioan. 14.

C

Suggeſſit itaque fraterna ſanctitas tua in ſuis apicibus, quod prædeceſſor noſter beatæ memoriæ *Gregorius* huius ſedis Apoſtolicæ Præſul, dum ad prædicandum verbum Euangelij tuam miſiſſet fraternitatem in Germaniæ partibus & gentibus illis Paganis, verbo pollicitationis te eſſe munitum: ita vt orthodoxos Epiſcopos, ac Presbyteros vel quoſque reperire potuiſſes in verbo exhortationis perfectos, amplius confirmares & eis communicares, quod & factum eſt. Si quos vero ſeductores Epiſcopos, aut pſeudopresbyteros, vel quoſque à recto fidei tramite deuiantes reperiſſes, nulla tibi cum eis eſſet communio: quod, te Deo ſolatiante, vſque ad præſens ſpiritualiter ſeruaſſe confeſſus es. Vel ſi omnino propter principalem & humanum fauorem Gentis Francorum, dum ad eos acceſſiſſes, corporaliter abſtinere non valuiſti: cogente neceſſitate Eccleſiarum Dei; & tamen in eorum conſilio & conſenſu communionis anima tua non eſt coïnquinata. Itaque propter hoc, quod cum eis conuerſatus es, non conſentiens iniquitati eorum, nullum tibi eſt detrimentum coram Deo. Te enim prædicante, ſi obedirent, ſalui eſſent: ſin autem in iniquitate permanent: ipſi peribunt: tu autem, iuxta Prophetæ dictum, ſaluaſti animam tuam.

S. ab eo ... fuiſſe l. à te.

D

Ezech. 33.

De * Epiſcopis autem Francorum, & palliis ſcripſiſti quod iuxta promiſſionem ſuam nondum impleuerunt: qui ſi impleuerint iuxta verbum habebunt ex eo laudem: ſin vero aliter egerint, ipſi videbunt. Nos enim, diuina gratia largiente, quod gratis accepimus, gratis damus. Tua quidem benigna voluntas propter hoc * à nobis ſuſcepta eſt.

** S. Principibus. ſ. quia in conſtitutione Epiſcoporum, quibus pallia miſimus, prom. p. n. ... ma-*

Igitur & hoc petiſti, vt monaſterium in vaſtiſſima ſolitudine, & in medio gentium, quibus prædicas conſtitutum, & à te fundatum: atque in *honore Saluatoris Dei noſtri* dedicatum, vbi etiam & monachos ſub regula B. Benedicti degere ordinaſti; illud venerabile monaſterium nomini tuo, priuilegio ſedis Apoſtolicæ munire deberemus. Quod votis tuis acquieſcentes ordinauimus iuxta deſiderium & petitionem tuam. Congruit enim diuini miniſterij prædicatorem, optimumque miniſtrum ad deſiderata pertingere, & cœptum bonum opus vſque in finem perficere, ſicut ſcriptum eſt in Dominico præcepto. *Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* Et *beatus ſeruus ille quem cum venerit Dominus inuenerit ſic facientem. Etenim ſuper omnia bona ſua conſtituet eum.*

E

gia quam tibi computandum eſt.
** mercede non priuabitur.*

Interea prædictus tuus gerulus *Lul*, cum cæteris ſuis Comitibus, quæ iniuncti fuerunt à tua fraterna ſanctitate tam verbo quam per ſcripta, omnia liquidius ſuggerentes innotuerunt. De quibus, tam in verbo reſponſum dantes, & per ſcripta tuæ remiſimus fraternitati. Continebant enim capitula in pyctacio ab eis porrecto, quæ inferius annexa ſunt: de quibus flagitaſti à nobis, quæ recipienda, quæ reſpuenda ſint. Inprimis *de volatilibus*, id eſt graculis, & corniculis, atque ciconiis, quæ omnino cauendæ ſunt ab eſu Chriſtianorum. Etiam & * *fibri*, & * *lepores*, & *equi ſiluatici* multo amplius vitandi. Attamen, ſanctiſſime frater, de omnibus è Scripturis ſacris bene compertus es.

F

** In S. non ſunt in noſtri potius.*
In S. aliter.

De *igne* autem *paſchali* quod inquiſiſti, à priſcis ſanctis Patribus, ex quo, per Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti gratiam, & pretioſo ſanguine eius dedicata eſt quinta feria Paſchæ, dum ſacrum chriſma conſecratur, tres lampades magnæ capacitatis, ex diuerſis candelis Eccleſiæ oleo collecto, in ſecretiori Eccleſiæ loco, ad figuram interioris tabernaculi inſiſtentes indeficienter, cum multa diligentia inſpectæ ardebunt, ita vt oleum ipſum ſofficere poſſit vſque ad tertium diem. De quibus candelis, ſabbatho ſancto, pro ſacri fontis baptiſmate ſumptus ignis, per ſacerdotem renouabitur. De *chryſtallis* autem vt aſſeruiſti, nullam habemus traditionem.

De *his, qui regio morbo vexantur*, inquiſiſti, ſiue homines ſiue equi ſint, quid faciendum ſit de illis. Si homines ex natiuitate, aut genere iſtius morbi ſunt, hi extra ciuitatem conuerſari debebunt: eleemoſynam vero accipiendam à populo non vetari.

S. De igne, qui ex chryſt. ſumitur, al. ad el. v. acc. ap. nō demutari.

G

Si autem contigerit magnum vel paruum, non natiuitate, ſed ſuperueniente ægritudine vexari: non eſt proiiciendus, ſed, ſi poſſibile eſt, curandus: attamen in Eccleſia, dum ad communionem venerit, poſt omnium ſuppletionem erit ingreſſurus ad participandum munus. Equi vero qui præfato morbo fuerint coinquinari ſi curari non valuerint, in puteis & foueis proiiciendi ſunt: nè eiuſdem contagione cæteri coïnquinentur. De animalibus autem, quæ à furentibus, id eſt, rabidis lupis, & canibus fuerint lacerata, oportet ea à cæteris ſeparari: ne furentes & mordentes & cætera coinquinent. Quod ſi pauca ſunt, vt ſupra diximus, in foueam proiicienda ſunt.

S. poſt omnes accedere debet ad perc. ſ. munera myſterii.

Nam & hoc inquiſiuit fraternitas tua: ſi licet ſanctimoniales fœminas, quemadmodum viris, ſibi inuicem pedes abluere, tam in Cœna Domini, quam in aliis diebus. Hoc Dominicum præceptum eſt, quod qui per fidem impleuerit, habebit ex eo laudem. Etenim viri & mulieres vnum Dominum habemus, qui in cœlis eſt.

S. quemad. viri faciunt.
Ioan 13.

H

Pro benedictionibus autem, quas faciunt Galli, vt noſti frater, multis vitiis variantur. Nam non ex Apoſtolica traditione hoc faciunt, ſed per vanam gloriam operantur, ſibi ipſis damnationem adhibentes. Dum ſcriptum eſt: *Si quis vobis euangelizauerit præter id quod euangelizatum eſt, anathema ſit.*

Regulam Catholicæ traditionis ſicut ſuſcepiſti, frater amantiſſime, ſic omnibus prædica, omneſque ſicut à ſancta Romana, cui Deo auctore deſeruimus, Eccleſia accepiſti.

Inquiſiſti etiam & hoc, *ſi ante triceſimum annum, liceat ſacerdotem ordinari.* Bonum & congruum eſt, chariſſime, ſi fieri & inueniri poteſt, vt prouectæ ætatis & boni teſtimonij viri, iuxta ſacrorum Canonum inſtituta, ordinentur ſacerdotes.

Si autem minime reperiuntur, & neceſſitas expoſcit, à viginti quinque annorum, & ſupra, Leuitæ, & Sacerdo-

A Num.4. & 8. tes ordinentur, quemadmodum in lege Domini continetur.

De *Milone* autem & eiuſmodi ſimilibus, qui Eccleſiis Dei plurimum nocent, vt à tali nefario opere recedant, 1.Tim.4. iuxta Apoſtoli vocem, *opportune importune prædica*. Si acquieuerint admonitionibus tuis, ſaluabunt animas ſuas: ſin vero, ipſi peribunt obuoluti in peccatis ſuis; tu autem qui recte prædicas, non perdes mercedem tuam.

Nam & hoc inquiſiſti, poſt quantum temporis, debet lardum comedi. Nobis à Patribus inſtitutum pro hoc non eſt. Tibi autem petenti, conſilium præbemus, quod non oporteat illud mandi, priuſquam ſuper fumo ſiccetur, aut igne coquatur.

Si vero libet, vt incoctum manducetur, poſt Paſchalem feſtiuitatem erit manducandum.

Epiſcopus autem condemnatus, de quo quæſiſti, qui pugnator & fornicator exiſtit, atque res Eccleſiæ poſt degradationem, ſibi vendicare nititur, hic omnino ac deteſtabiliter reſpuendus eſt. B 2 Co.6 in S.non. Quæ enim portio infideli cum fideli? aut quæ communio Chriſto & Belial? Hos Sanctorum Patrum traditiones, & Sanctorum Canonum inſtituta condemnauerunt.

De ordinatione etiam Presbyterorum, & Diaconorum, qui cogente neceſſitate, & paupertate rogantium, non legitimis temporibus & diebus, ad te peruenerunt, ſi aliquam haberes ex hoc offenſionem, inſinuaſti. Dicimus autem tibi, frater. Bene noſti, quod ſacri Canones docent aptis temporibus ſacerdotes ordinandos. Attamen in eo quod à te, propter zelum fidei actum eſt, à Domino Deo noſtro indulgentiam poſtulemus.

De cenſu autem Eccleſiarum, id eſt ſolitum de *caſſata* ſuſcipe, & nullam habeas hæſitationem, dum ex eo poteris eleemoſynam tribuere, & opus perficere ſanctarum Eccleſiarum, iuxta Canonum inſtituta. Si quos vero Preſbyteros, qui de Laicis promoti fuerunt, & ante criminalibus cauſis obuoluti celantes peccatum ſuum ordinati ſunt; poſtmodum vero manifeſtata eſt eorum iniqua actio, hos a ſacerdotali habitu priuatos pœnitentiæ ſubmitte. C Ma.c.10. Non enim odit Deus peccantem & confitentem, ſed peccantem & negantem.

Nam & hoc flagitaſti à nobis, ſi liceat perſecutionem Paganorum fugere, an non? Et pro hoc ſalutare conſilium damus frater. Si fieri poteſt, & locum inueneris, inſta ad prædicandum illis ſi autem ſupportare non valueris eorum perſecutionem, habes præceptum Dominicum, vt in aliam ingrediaris ciuitatem.

Nam & hoc inquiſiuiſti, quid faciendum ſit de excommunicato Epiſcopo, & Apoſtolicam authoritatem negligente. Hic deteſtabilis eſt coram Deo & hominibus, cuius condemnationi incondemnatus non communicabit. Ipſi enim condemnabuntur in die iræ & reuelationis Domini & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, dum ſederit ad iudicandum genus hominum, ſicut ſcriptum eſt: Superbis ego re- 1.Pet.1. ſiſtam, dicit Dominus.

Etenim de Sclauis, Chriſtianorum terrarum inhabitantibus, ſi oporteat cenſum accipere, interrogaſti, frater. Hoc quidem conſilio non indiget, dum rei cauſa eſt manifeſta. D Si enim ſine tributo ſederint, ipſam quoque propriam ſibi vendicabunt terram. Si vero tributum dederint, norunt dominatorem ipſam habere terram.

Nam & hoc flagitaſti à nobis ſanctiſſime frater, *in ſacri Canonis prædicatione*, quot in locis Cruces facere debeamus † tuæ ſignificemus ſanctitati. Votis autem tuis cle- † menter inclinati, in rotulo dato prædicto *Lul* religioſo Presbytero tuo per loca, ſigna ſanctæ crucis quanta fieri debeant, infiximus. His ita ſe habentibus, Domini deprecamur clementiam, licet peccatores, vt ſui te muniat & confortet auxilio, noſque annuat proſperitatis tuæ ſemper læta ſuſcipere nuncia. Deus te incolumem cuſtodiat reuerendiſſime frater. Data pridie nonas Nouembris imperante Domino piiſſimo Auguſto Conſtantino à Deo in S.non. coronato, magno Imperatore Anno xxx. ii.* Imperij eius anno vindecimo. Indictione quinta.

E

EPISTOLA CXLII.

Reuerendiſſimo & ſanctiſſimo fratri Bonifacio Epiſcopo, Zacharias ſeruus ſeruorum Dei.

SVſceptis ſanctiſſimæ fraternitatis tuæ litteris per *Denehardum* religioſum Presbyterum tuum quibus te ſoſpitem, vt ſemper cupimus eſſe, cognouimus, omnipotenti ac miſericordiſſimo Deo noſtro magnas retulimus grates, qui tibi in omnibus bonis proſperari dignatur. La. vit c. 3. Mog. p.378. & ſup. epiſt. 132. Magnam enim cordibus noſtris infundis lætitiam, quotiens nobis ſanctitatis tuæ ſcripta mittuntur, quando reperimus quæ ad ſalutem reſpiciunt animarum: dum quotidie in gremio ſanctæ matris Eccleſiæ, per tuam prædicationem, noui populi adduntur. Vbi & tres Epiſcopos per loca ſingula, ſecundum ſeriem ſyllabarum tuarum, te ordinaſſe cognouimus, qui eidem populo quem ſibi Dominus Deus noſter, per tuam ſanctitatem, aggregare dignatus eſt, præeſſe debeant: & petiſti, vt per au- F ctoritatem ſedis noſtræ, Epiſcopales ibidem ſedes firmentur. Sed tua ſancta fraternitas pertractet mature & ſubtili conſideratione diſcernat, ſi expediat: aut ſi loca vel populorum turbæ talia eſſe probantur, vt Epiſcopos habere mereantur. Meminiſti enim chariſſime, quid in ſacris Canonibus præcipimur obſeruare: vt minime in villulas vel in modicas ciuitates Epiſcopos ordinemus ne vileſcat nomen Epiſcopi. Sed nos tuis ſinceriſſimi atque à nobis dilectis ſyllabis prouocati, quæ popoſciſti abſque mora concedi patimur: & ſtatuimus per Apoſtolicam auctoritatem Epiſcopales illic eſſe ſedes, quæ per ſucceſſionem Epiſcopos mereantur: & populis præſint: atque verbum prædicationis ſubiectis inſinuent: id eſt, in caſtello, quod dicitur *VVirtzeburg*, & alteram in oppido, quod nominatur *Buraburg*. tertiam in loco qui dicitur *Erpfesfurt*. Ita vt nulli poſt hæc liceat cuiquam hæc, quæ à nobis ſancita ſunt, quoquomodo vio- G lare, quæ auctoritate beati Petri Apoſtoli firma eſſe decreuimus.

De eo autem, quod nobis intimaſti, quod te *Carolomannus* filius noſter apud ſe rogauit accedere: vt in parte Francorum in ſua ditione ſiue poteſtate conſtituta Synodum celebrares, eo quod omnis Eccleſiaſtica regula ſiue diſciplina ab eadem prouincia funditus abolita eſt, nimis mœrendum eſt, quod per ſpacia tanta temporum ibidem Synodus ſacerdotum minime celebraretur: vnde neque quid ſit ſacerdotium ab eis, qui ſe ſacerdotes eſſe exiſtimant, cognoſcitur: ſed dum iuuante Deo, quæ à præfato filio noſtro promiſſa ſunt, ad effectum perducta fuerint: tuaque fraternitas memorato Concilio conſederit cum eodem excellentiſſimo viro: ſi quos repererit Epiſcopos, Presbyteros aut Diaconos contra Canones vel ſtatuta patrum exceſſiſſe: id eſt, in adulterio, vel ſi plures vxores habuerunt: aut ſi ſanguinem Chriſtianorum vel Paganorum effuderunt: vel etiam aliis capitulis, quibus Canones obuiaſſe reperit tua ſanctitas, nulla ratione Apoſtolica auctoritate permittat ſacerdotio fungi: H quia tales à ſuo tantum proprio ore falſo nominantur ſacerdotes: & deteriores ſæcularibus eſſe noſcuntur: qui ſe neque à fornicationibus neque à nefariis matrimoniis abſtinent: neque ab hominum ſanguinis effuſione manus ſeruant innoxias, ſe eſſe ſacerdotes exiſtimant.

Aut quid inde ſentiunt dicente Deo, *Sacerdotes mei ſemel nubant*. Et Apoſtolus *Vnius vxoris virum*, & cætera, Leuit.21. v.13. 14. 1.Tim.3. Cælibatus. & hoc ante ſuſceptum ſacerdotium vti licitum eſt. Nam à die ſuſcepti ſacerdotij, etiam ab ipſo proprio coniugio prohibendi ſunt. Quomodo ſe ſacerdotio fungi conſiderant: qui talibus ſceleribus inuoluti eſſe monſtrantur, vt neque ſæculares fideles his facinoribus obuolutos optemus? Quomodo non pertimeſcunt diuina myſteria contingere?

Aut quomodo ad orandum pro peccatis populi accedere præſumunt? dum ſacri Canones, neque purum

A Clericum, cui ſacerdotium non eſt, ſecundis copulari nuptiis præcipiunt. Iſti enim è contrario non ſolum poſt ſuſceptum ſacerdotium ſe abſtinere nolunt ab vna vxore, imo luxuria obuoluti peiora ſæcularibus ſcelera committunt, vt plures vxores habere præſumant, quibus neque vnam conceſſum eſt, poſt ſuſceptum miniſterium, attrectare. Sed & iſta paruipendentes, atque Dominum ad iracundiam prouocantes maiora committunt facinora, dum propriis manibus Chriſtianos atque Paganos homines necant.

A coniugio abſtinendũ ſacerdotibus multo magis ab omni libidine.

Et fit, vt quibus in remiſſionem peccatorum debuerunt lauacrum regenerationis impendere, atq; Chriſti Sacramenta donare, ne in æternum perirent, eorundem ſacrilegis manibus extinguantur. Quis enim ſapiens habens cor eos æſtimet ſacerdotes? qui neque à fornicationibus abſtinent: neque ab effuſione ſanguinis manus ſeruant Innoxias? Quiſue eorum ſacrificiis Deum eſſe credit placatum dicente Propheta. *Virum ſanguinum & doloſum abominabitur Dominus?* Iſti namque, vt præmiſi, ne ſacerdotio fungi patiantur, neque diuina contingere myſteria, commonemus. Quidquid vero aliud, vt dictum eſt? eos contra Eccleſiaſticam regulam exceſſiſſe repeteris, Canones ſiue inſtituta patrum præ manibus habeto: & iuxta quod in eis edoctus fueris, diſcerne.

Pſal. 5.

B

Quod autem, tibi ſucceſſorem conſtituere petiſti, vt te viuente in tuo loco eligatur Epiſcopus, hoc nulla ratione concedi patimur: quia contra omnem Eccleſiaſticam regulam vel inſtituta Patrum eſſe monſtratur: ſed volumus vt tibi miniſtret, & ſit in Euangelio adiutor, dicente Apoſtolo: *Si quis bene miniſtrauerit, gradum ſibi bonum acquirit.* Nimis enim reprehenſibile ac deteſtabile eſſe manifeſtum eſt: vt, te viuente, tibi alium ſubſtituamus. Sed hoc commonemus, vt quamdiu te diuina iuſſerit clementia ſupereſſe, ſine intermiſſione orare non ceſſes: vt tibi Deus illum ſucceſſorem concedat, qui ei poſſit eſſe placabilis, & populum, quem ad ſuam gratiam, per tuæ ſanctitatis induſtriam, vocare voluerit, irreprehenſibiliter regere valeat, atque ad viam vitæ elaboret perducere.

1. Tim. 3

C

Nam quomodo hæc quæ popoſciſti (etiamſi voluerimus) concedere poſſumus; dum nos fragiles homines exiſtentes, & ſub conditione mortis conſtituti ignorantes quid ſuperuentura pariat dies, non valentes inueſtigare quis è nobis propior de præſenti ſeculo migret? Sin autem & eundem diuina voluerit clementia poſt tui diem tranſitus ſupereſſe: ſi eum aptum cognoueris, & in tua voluntate fuerit definitum, ea hora qua te de præſenti ſæculo migraturum cognoueris, præſentibus cunctis, tibi ſucceſſorem deſigna, vt huc veniat ordinandus: quod nulli alij concedi patimur, quod tibi charitate cogente largiri cenſuimus.

al. alio.

De illo vero, qui viduam auunculi ſui, quæ & ipſa fuit vxor conſobrini ſui, & ſacrum velamen habere monſtrata eſt, & à beatæ memoriæ præceſſore noſtro ſibi licentiam conceſſam eſſe diuulgauit, vt ei in pernicioſo matrimonio aſſumi debuiſſet, Abſit hoc, vt deceſſor noſter iſta permitteret.

D

Nec enim ab hac Apoſtolica ſede illa diriguntur, quæ contraria eſſe Patrum ſiue Canonum inſtitutis probantur. Ammonere, adhortari, increpare eos frater chariſſime ne ceſſes, quatenus à tali ſceleſto recedant matrimonio, vt non in æternum pereant. Reminiſcantur enim ſe Chriſti ſanguine eſſe redemptos: & non ſponte ſe contra dant (niſi ab iſto receſſerint inceſto matrimonio) diaboli poteſtati: ſed magis omnipotenti Deo, & Chriſto filio eius, Spiritui quoque ſancto, in cuius nomine ab illius antiqui hoſtis erepti ſunt poteſtate. Elabora igitur, ſanctiſſime frater, in eis, quia ſcriptum cognoſcis. *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte: & ſuorum operit multitudinem peccatorum.* Nam & nos ei pro hoc commonitoria ſcripta direximus.

Iac. vlt.

De *Calendis* vero *Iannariis*, vel cæteris auguriis, phylacteriis, & incantationibus, vel aliis diuerſis obſeruationibus, quæ gentili more obſeruari dixiſti, apud beatum *Petrum* Apoſtolum, vel in vrbe Roma, hoc & nobis & omnibus Chriſtianis deteſtabile, & pernicioſum eſſe, iudicamus dicente Domino. *Non augurabimini*, vel certe, *non obſeruabitis ſomnia.* Et iterum Scriptura dicit. *Non ſint auguria in Iſraël, nec obſeruatio in domo Iacob.* Ita & à nobis cauendum eſſe cenſemus, vt nullis augurijs vel obſeruationibus attendamus. Quia omnia hæc abſciſſa eſſe à Patribus ſumus edocti. Et quia per inſtigationem diaboli iterum pullulabant, à die qua nos iuſſit diuina clementia, quanquam immeriti exiſtamus, Apoſtoli vicem gerere, ilico omnia hæc amputauimus.

E

Leuit. 19.
Num. 23.

Pari etenim modo volumus tuam ſanctitatem populis ſibi ſubiectis prædicare, ad viam æternæ perducere vitæ. Nam & ſanctæ recordationis prædeceſſoris atque nutritoris noſtri Domini *Gregorij* Papæ conſtitutione, omnia hæc pie atque fideliter amputata ſunt, & alia diuerſa quam plura, quæ diabolo ſuggerente, pullulabant in Chriſti ouili: cuius inſtar, pro illius populi ſalute dirigere maturauimus.

Renaſcentibus ſcãdalis occurrendũ.

Nam de ſacerdotibus illis, qui falſa opinantur, qui etiam adulteri & fornicatores probantur: & ſibi ab Apoſtolica ſede indultum eſſe teſtantur: & è contrario ſibi licentiam prædicationis largitam eſſe, hoc nulla ratione credat ſancta tua fraternitas: ſed ſimiliter in eis Canonicam exerce vindictam, quemadmodum de his quibus ſuperius à nobis edoctus monſtraris. Non enim aliud te agere volumus, præterquam quod ſacri præcipiunt Canones, vel etiam ab hac Apoſtolica ſede inſtructus eſſe dignoſceris.

Falſa ac ſurreptitia Pontificum bulla, indulta, priuilegia.

F

Secundum mæ namque ſanctitatis petitionem & tribus Epiſcopis tuis ſingulas confirmationis epiſtolas miſimus, quas per tuæ ſanctitatis manus eis largiri volumus. Et *Carolomanno* filio noſtro alia ſcripta direximus, vt quæ tibi popoſcit, adimplere feſtinet, adminicula præſtet.

Sed hæc, frater chariſſime, de omnibus ſuperius comprehenſis capitulis, vt Dominus donauit, reſpondimus, ad omnia amputanda diabolicæ fraudis ſcandala. Tua vero ſancta fraternitas, ſiquid de cætero euenerit, vt ſacri docent Canones, ſtudeat emendare in plebibus ſibi à Deo commiſſis.

G

Non enim aliud nobis conuenit prædicare, præter quod à ſanctis Patribus ſumus edocti. Si vero & noui aliquid, inimici aſtutia agente, acciderit, quod tua ſancta fraternitas minime per Canonum inſtituta diſcernere poſſit: huc vobis non pigeat inſinuare: quatenus Deo iuuante quæque ad emendationem nouæ plebis eſſe poſſunt, tibi abſque tarditate reſpondere maturemus. Cognoſcat enim, frater chariſtime, tua ſancta fraternitas, ita dilectionem tuam in noſtris habere præcordiis: vt te præſentialiter quotidie videre deſideremus: & ita te in noſtro conſortio habeamus, vt certe miniſtrum Dei, & diſpenſatorem Eccleſiarum Chriſti. De cætero namque confortare in Domino frater chariſſime: & eſto robuſtus: & elabora in opere, ad quod te diuina voluit euocare clementia. Magna enim te ſpes remunerationis exſpectat: quam promiſit Deus diligentibus ſe.

Et nos, licet peccatores exiſtamus, tamen Dei noſtri non ceſſimus abſque intermiſſione immenſam exorare clementiam, vt qui cœpit in vobis, perficiat opus bonum vſque adhuc. Et beatus Apoſtolorum Princeps *Petrus* cooperetur tibi in omnibus bonis, qui ei parere deſideres.

H

al. quo.

Deus te incolumem cuſtodiat, reuerendiſſime & ſanctiſſime frater. Data Kalend. April. imperante Domino piiſſimo, Auguſto *Conſtantino*, à Deo coronato magno Imperatore. Anno viceſimo quarto Imperij, Indictione x 1.

al. pater eius an. 1c.
f. Patritiatus.

A

EPISTOLA CXLIII.

Reuerendiſſimo & ſanctiſſimo fratri Bonifacio Coepiſcopo, Zacharias ſeruus ſeruorum Dei.

Baron. an. 743. SVſcipientes ſanctiſſimæ fraternitatis tuæ literas per præſentium gerulum, & relegentes quæ in eis continebantur, in ecſtaſi quadam incidimus, & admiratione magna, eo quod nimis repertæ ſint diſſonare ab eis ſyllabis, quæ à tua directæ ſunt fraternitate per elapſum Auguſtum menſem: vbi nobis indicaſti, quod & conſilium adiuuante Deo & *Carolomanno* præbente conſenſum & conteſtante, factum eſt: & qualiter falſos ſacerdotes, qui diuinum non erant digni attrectare miniſterium, à ſacro munere ſuſpendiſti: & quia tres Archiepiſcopos per ſingulas metropoles ordinaſſes reſerauiſti. Id eſt, *Grimonem* in ciuitate quæ dicitur *Rothomagum*: ſecundum vero *Abel* in ciuitate quæ dicitur *Remorum*: Tertium denique

B

Hardibbertum in ciuitate quæ dicitur *Senns*. Qui & apud nos fuit, & tua nobis pariter & *Carolomanni* atque *Pippini* detulit ſcripta, per quæ ſuggeſſiſtis vt tria pallia hiſdem tribus prænominatis Metropolitanis dirigere deberemus: quod & largiti ſumus pro adunatione & reformatione Eccleſiarum Chriſti. Nunc autem denuo tuas ſuſcipientes ſillabas valde ſumus, vt diximus, mirati, eo quod antea nobis cum memoratis Principibus Galliarum pro tribus palliis ſuggeſſiſti, & poſtea pro ſolo *Grimono*. Sed volumus vt tua nobis indicet fraternitas, cur nobis ita direxiſti antea pro tribus, & poſtea pro vno, vt & nos certi redditi ex hoc nulla in nobis ſit ambiguitas. Reperimus etiam in memoratis tuis litteris quæ nimis animos noſtros conturbant, quod talia à te nobis referantur, quaſi nos corruptores ſimus canonum, & Patrum reſcindere traditiones quæramus, ac per hoc (quod abſit) cum noſtris in Simoniacam hæreſim incidamus, accipientes & compellentes quibus pallia tribuimus, vt nobis præmia largiantur expetentes à nobis, pecunias. Sed

C

chariſſime frater, hortamur ſanctitatem tuam, vt nobis tale aliquid deinceps minime tua fraternitas ſcribat, quia faſtidioſum à nobis & iniurioſum ſuſcipitur, dum illud nobis ingeritur, quod omnimodo deteſtamur. Abſit enim à nobis & à noſtris Clericis vt dona, quæ per Spiritus ſancti gratiam ſuſcepimus, precio venundemus, dum & illa tria pallia, quæ te ſuggerente, vt prædiximus, ſumus flagitati, ... nullum ab eis commodum modo quopiam experti. Inſuper & charitas quæ ſecundum morem à noſtro ſcrinio pro ſua confirmatione atque doctrina tribuuntur, de noſtro conceſſimus, nihil ab eis auferentes. Abſit vt ſic quidem à tua fraternitate criminis nobis Simoniaci obiiciatur nomen. Anathematizamus namque omnes quicunque auſi ſunt donum Spiritus ſancti pretio venundare.

Simonia crimē deteſtatur Pontifex. ſ tribuimus. l. com. quilepiā. l. vel ſi quidem. l. anathematizantes.

Suggeſſiſti etiam nobis per alia tua ſcripta, quod in *Baioaria* reperiſſes vnum falſum ſacerdotem, qui & affirmabat, quod à nobis fuiſſet Epiſcopus ordinatus, & tua hoc fraternitas optime egit, dum ei non credidit, quia

D

falſus homo omnia falſe ſuggeſſit, & falſum reperiens, ſacerdotio ſuſpende. Sic etenim auctoritate beati *Petri* Apoſtolorum Principis tibi præcipimus, vt quemcunque repereris à ſacris canonibus deuiare, nulla ratione pariaris ſacrum myſteriom attrectare. Et quia ſi deberes in *Baioaria* prouincia ius habere prædicationis ſciſcitaſti, an non, quam deceſſore noſtro habuiſti conceſſam: Nus denique, auxiliante Deo, ea, quæ tibi largitus eſt deceſſor & prædeceſſor noſter non minuimus, ſed augemus, & non ſolum *Baioariam*, ſed & omnem Galliarum prouinciam, donec te diuina iuſſerit ſupereſſe Maieſtas, noſtra vice per prædicationem tibi iniunctam, quæ repereris contra Chriſtianam religionem, vel canonum inſtituta, ſpiritualiter ſtudeas norma rectitudinis reformare. Deus te incolumem cuſtodiat, reuerendiſſime & ſanctiſſime frater. Data Nonis Nouembriis, imperante domino piiſſimo Auguſto *Artabaſdo* a Deo coronato magno Imperatore anno tertio Patritiatus eius anno tertio, ſed & *Nicephoro* magno Imperatore eius filio Anno III. Indictione XIII.

Bar. miniſterii. l. Artabaſdo & ſeq. alterior. Bar. Ind. 1. vel 10.

E

EPISTOLA CXLIV.

LEgimus in libro Actuum Apoſtolorum, Spiritum ſanctum Apoſtolis præcepiſſe, *ſeparate mihi Barnabam & Paulum in opus quod aſſumpſi eos*, id eſt, vt per prædicationem Chriſtianæ religionis, & eiuſdem Spiritus ſancti gratiam, mundum illuminarent vniuerſum, quorum illuminatio prædicationis atque doctrinæ, Chriſti præſidio, manſit, ac manet Catholica Dei Eccleſia præfulgens horum & beati Apoſtolorum Principis Petri illuminata doctrinis, & eorum ſequi pedem ex inſpiratione diuina tuam ſanctiſſimam fraternitatem in partibus illis credimus eſſe deſtinatam: vt etiam, inſtar eorum, idem Spiritus ſanctus in eodem te aſſumpſit opere ad illuminationem gentium illarum. Vnde nimis exultamus in Deo, & eius omnipotentiæ immenſas referimus lau- *Act. 13.*

F

des. Dum vero & ſeries ſyllabarum tuarum nobis panderetur per ſingula multo amplius lætati ſumus in Domino, qui tibi ſuam gratiam ita largiri dignatus eſt, vt ſic duræ gentis corda lenires, quatenus libenti animo inclinarentur ad obediendum fidei vt diuinis obtemperarent præceptis. Indicaſti etenim nobis, quomodo & qualiter tetigiſſet Deus corda excellentiſſimorum noſtrorum *Pippini* & *Carolomanni* vt tibi in prædicatione ſocij & adiutores eſſe niterentur ex inſpiratione diuina, quorum merces copioſa manet in cœlis, quoniam benedictus homo, per quem benedicitur Deus.

De Epiſcopis vero Metropolitanis, id eſt, *Grimone* quem nos iam compertum habemus. *Abel* ſiue *Hartberto*, quos per vnamquamque metropolim per prouincias conſtituiſti, per os tuum teſtimonium confirmamus, & pallia ad eorum firmiſſimam ſtabilitatem & Eccleſiæ Dei augmentum, vt in meliore ſtatu proficiant. Qualiter enim *mos pallij* ſit, vel quomodo fidem ſuam exponere debeant, *l. pallii.*

G

hi, quibus pallio vti licentia conceditur, eis direximus, informantes eos, vt ſciant quid ſit *pallij vſus*, & ſubiectis viam prædicare ſalutis, & Eccleſiaſtica diſciplina eorum in Eccleſiis in vtilitate ſeruetur, & maneat inconcuſſa, & ſacerdotium, quod in eis fuerit, non pollutum, vt antea fuit, ſed mundum & acceptum Deo eſſe poſſit, quantum humana conditio valet: ita vt nullus reperiri poſſit ſacris canonibus deuiare, & ſacrificium eorum mundum ab eis immoletur, ita vt DEVS eorum placetur muneribus, & populus Dei purificatis mentibus ex omni ſqualore ſyncerum valeant exhibere Chriſtianæ religionis officium.

Retuliſti etiam nobis chariſſime frater, quod duos pſeudoprophetas in eadem Francorum prouincia reperiſſes, quos non pſeudoprophetas ſed magis pſeudochriſtianos appellare debemus, ex qoibus vnum quidem & nouum *Simonem* iuxta tenorem tuarum litterarum reperimus, qui etiam ſibi & ſacerdotium vendicabat, & à luxuria ſe minime continebat, ſeducens populum & inania prædicans, non ſolum ſuam animam iuri diabolico tradens, ſed &

H

populorum corda in interitum demergens, & ſeducens populum per falſitates, ita vt eum ab Eccleſia Dei ſubtraheret, & a Chriſtiana lege diſcordaret. *l. malingnum.*

Et cruces ſtatuens in campis & oratoriola illic populum ſeducebat relinquentem Eccleſias publicas, concurrentem ad ea ſigna, quæ ab eo falſe fiebant. Et ſanctitatis nomine ſe vocari cenſuit, & in ſuo nomine Eccleſias conſecrari, affirmans etiam ſe Angelorum nomina ſcire, quæ in tuis ſyllabis nobis conſcripta direxiſti, quæ nomina nos *non Angelorum, ſed magis dæmoniorum nomina* affirmamus. Alium vero ita luxuriæ deditum, vt concubinam haberet, duos ex ea filios procreaſſet, & tamen ſacerdotium ſibimet vendicabat: affirmans hoc iuſtum eſſe, iuxta traditionem veteris teſtamenti, vt defuncti fratris ſuperſtes frater ducat vxorem. *Concurrens. Concubinarius hæreticus.*

Et quia Chriſtus reſurgens ex inferis nullum ibi reliquiſſet, ſed omnes inde abſtraxiſſet, quæ omnia hæc deteſtabilia & ſceleſtia iudicamus. Bene enim tua ſancta

A

fraternitas iuxta Eccleſiaſticam regulam, eos damnauit, & in cuſtodiam miſit, & optime vocauit *Antichriſti* miniſtros & præcurſores. De cætero decerta chariſſime, & viriliter age, & peruigil permane in miniſterio Chriſti vt amplius Chriſti grex augeatur, & tibi præmium æternæ retributionis maneat copioſum, & cum ſanctis & electis Dei, vt credimus, eſſe inueniaris particeps, & Apoſtolorum conſors. Deus te incolumem cuſtodiat reuerendiſſime frater. Data x. Kal. Iul. imperante Domino piiſſimo Auguſto *Artabaſdo* à Deo coronato magno Imperatore anno III. Patritiatus eius anno III. ſed & *Nicephoro* magno Imperatore anno III. indict. x.

l. Artaualdo. l. Patr. l. Ind. II.

EPISTOLA CXLV.

BENEDICTI VICEDOMINI AD BONIFACIVM

B

Domino ſanctiſſimo, atque amantiſſimo nobis in Chriſto Patri Bonifacio Archiepiſcopo Benedictus Epiſcopus & Vicedominus ſanctæ ſedis Apoſtolicæ.

PRæſens *Lul:* venerabilis Presbyter paternæ ſanctitatis veſtræ miſſus, honorandos tuos nobis attulit affatus. Quorum textus continebat, multis te neceſſitatibus & turbinibus eſſe triſtatum per homines non timentes Deum & falſos Epiſcopos, atque Pſeudopresbyteros, & fornicatores dominicos, eorumque iniquas actiones, prauaſque immiſſiones iram quoque inimicantium & perſequentium gentium, quorum perſecutio iniqua finem habebit interitus ſempiterni. Etenim, ſanctiſſime Pater, omnes ſancti, quanta paſſi ſunt tormenta, vt ſecuri poſſiderent vitæ æternæ palmam! Habemus conſolatorem egregium Apoſtolum Paulum, qui docet: *Oportet nos per multas tribulationes intrare in regnum Dei.* Magna tibi eſt merces, ô ſanctiſſime Pater, & corona gloriæ coram omnipotenti Deo, dum omnia toleranter ſuſtines propter diuinum mandatum & prædicationem Euangelij Ieſu Chriſti Domini Dei, & Saluatoris noſtri, cuius licet peccator potentiam deprecor, vt Domino meo beato Apoſtolorum Principe *Petro* intercedente, cuius & vicem geris inter feroces & indomitas gentes, vt ipſe te ſua pietate cuſtodiat, & poſt decurſum miniſterij tui, in die aduentus eius, copioſum fructum afferre valeas, & à conditore omnium Deo remunerationis præmium centuplum accipias, & vitam æternam poſſideas. Etenim meipſum ſanctis tuis orationibus commendans, vt valui in verbo & opere, prædicto tuo miſſo adiutor apparui. Benedictionem denique à veſtra beatitudine miſſam, ſicut à Patre meo ſuſcepi, & omnipotenti Deo gratias egi, & veſtræ ſanctiſſimæ paternitati. Etenim, beatiſſime Pater, paruum munuſculum ſanctitati veſtræ direxi, ſabanum vnum, & faciterginum vnum, & modicum thymiama, quod peto vt, abſque iniuria veſtra, honoranda Paternitas ſuſcipere non dedignetur.

l. iique &. Sap. 34. Act. 14.

C

l. eius. S. Bonif. S. Petri vicarius.

l. modica thymiama.

D

EPISTOLA XCLVI.

THEOPYLACIAS ARCHIDIACONVS Bonifacio.

l. Theoph.

Egregio Patri, & Domino, ſupernis faſcibus decorato Bonifacio Archiepiſcopo Theopylacias indignus Archidiaconus ſanctæ ſedis Apoſtolicæ.

INter ſua quidam peritiſſimus dudum ænigmata ſic promulgat. *Verba ſapientium, quaſi ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi*, quia culpas delinquentium neſciunt palpare, ſed pungere. Vnde hactenus, non ſine graui triſtiria Dauidica illa ex intimo cordis mœrore compulſus ſum cantica decantare: *Annunciaui, & locutus ſum: multiplicati ſunt ſuper numerum*, & quod multi ad fidem veniunt, & pauci ad electorum numerum perducuntur, hoc ipſum Domino promulgante: *Multi ſunt vocati, pauci vero electi.* Vos quidem egregie & ſacerdotale præfulgidum apex vt illuſtre per pagina exaranda noteſcendo notеſcitis. Diſtincte in curſa, & vigilantius in quo angelicas & beati domini mei & ſingulatim prætulimus aures & iuxta roſeum illud & angelicum optatum deſiderium deſideratus ann. latus dominus ter beatus in Apoſtolica vos ad præſens dignatur informatione firmari qualiter nô ſolum de ſchiſmaticis & hæreticis illis, ſeu excommunicatis, & ab orthodoxæ fidei regula nequiter aberrantibus, cenſeatis, vt conuenit: verumetiam Francorum & Galliarum gentes fidei tramitem ſolidæ amplectentes exuberent, enitentes & veſtro ſancto ſub tempore non tantum occiduæ ſed vſquequaque floreant nationes. Scriptum namque eſt: *Multum valet deprecatio iuſti aſſidua.* Et Dauid ſimilia: *Niſi Moyſes ſteriſſet in conſpectu Dei, vt auerteret iram eius, ne diſperderet eos.* Nos etenim priſcum ſodalitatis retinentes amorem, quamuis variæ nunc vtroſque nationes & maria diuidant, tamen ſcriptum eſt: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Benedictionis etenim munuſculum, ob recordationis noſtri memoriam, cynnamomum, coſtum, piper, & incenſum pariter direximus obſignatum, quod minimum etenim, vt pro magno excipere debeatis, impenſius poſtulamus. Scriptum namque eſt. *Omnis gloria eius filia regis ab intus: & omni habenti dabitur.* Quia quiſquis habet charitatem perfectam, etiam cuncta dona, Spiritu ſancto miniſtrante, promeretur accipere? Omnipotens etenim rerum opifex & arbiter, qui, veſtro ſancto ſub tempore, occiduos & circunquaque populos commorantes, ad veſtræ beatæ prædicationis facundiam, in Catholicæ & Apoſtolicæ ſanctæ ſedis fidem vocauit, florere faciat perenniter, vt optamus.

Eccl. 12. 11. l. graui Dam. Pſal. 93.

E

Matt. 20. 16. Locus totus per librarios deprauatus.

l. ſolida. l. occiduæ.

F

Iacob. 5. 17. Pſal. 105. 23.

l. in vtr. Cant. 8. 7. l. flumia.

Pſ. 44. 14. Matt. 25. 29. l. quiſque.

Abeſt vocauit.

G

EPISTOLA CXLVII.

THEOPHYLACIAS BONIFACIO EPISCOPO.

Egregio Patri & Domino, æthereis decorato faſcibus, Bonifacio, almo Archiepiſcopo Theophylacius indignus Diaconus ſanctæ ſedis Apoſtolicæ.

INter amœna prata fragrantium odorum, ſæpe ſpinis circumuallatur roſa, ita illuſtrante S. Spiritu, præfulgidus plerumque rutilat arbiter, veluti roſeus flos & melliflua dogmata ſaluris æternæ abundet eructuet nimirum laudabile in aruis. O beatiſſime in æthereis. Talenta etenim tuæ credita egregiæ beatitudini, non ſolum dupla, verum etiam & ſeſcupla Chriſto à te reddantur in aſtris, arcanaque vox ope carmine Chriſti dicemis: *Euge ſerue bone & fidelis, quia inter pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam: intra in gaudium Domini tui.* Denique ob veſtri laboris crementum, ſedulo vna cum ſancto coangelico Patre veſtro Domino Apoſtolico, totius ſanctæ noſtræ Eccleſiæ ſacerdotibus vel populo nauiter Domini noſtri Ieſu Chriſti exoramus clementiam, vt veſtræ ſanctiſſimæ paternitatis illuminatos doctrinis, atque è viuo potatos fonte, ſimul cum eorundem ſatore, confirmare ac conſeruare in ſanctæ ac orthodoxæ fidei tramite clementer iubeat, & eorum, qui credituri ſunt, corda aperire, atque eorum detegere velamen, vt inflammante eoſdem Spiritu S. intrepidi lætantes ad fidem Chriſti peruenire feſtinent, quemadmodum Dominica ſanxit clementia; *Et alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili*, & cætera. Itaque Domine ac ſanctiſſime Pater, quæſumus veſtram à Deo ambroſiam bonitatem, vt ſanctiſſimum nimiſque nobis dilectum *Lullum*, benedictum Archidiaconum veſtrum, chariſſimum atque dulciſſimum ſoda-

l. æthereis.

H

Matt. 25. 21.

l. velamine. inflammanteque.

Ioan. 10. 16.

A lem & fratrem noſtrum omnibus modis fouere propter Deum, & noſtræ puſillitatis amicitiam, commendatum habere dignemini. Noſtra eſt ſcilicet &, in eo rata dilectio, pro eo quod veſtræ almæ paternitati magnis decoratæ infulis, fidelibus ac lepidis miniſtrat ſeruitiis: & ob hoc poplite itidem flexo veſtram deprecamur togatam prudentiam, vt, eum multo amplius talionem habere, non dedignemini perniciter: ob noſtramque paruitatem cum Domino Deo crebro funditis preces, memoriam facere non omittatis, quia ſcriptum eſt; *Multum valet deprecatio aſſidua.* His vero prælibatis, ſalutamus veſtram à Deo infulatam ſanctiſſimam, nectareamq; Paternitatem: & optamus, vt, Deo fauente, perennibus capiatis temporibus præmia, & deſideratum ob veſtræ ſoſpitatis ſuffragium, ſentiatis effectum. Denique vobis direximus paruam benedictionem ex largitate B. *Petri* Apoſtoli: Propter Deum, grato animo dignemini ſuſcipere coſtum, cynnamomum, & ſeraſtyracem.

f pro modo fauore. f. commodo.

I refunditis. Iacob 5. *Leonardi*

I. potiaris vt apud Nonium. ſacrâ ac ſtyracem. XXXIII.

B

EPISTOLA CXLVIII.

GEMMVLI DIACONI AD SANCTVM BONIFACIVM Archiepiſcopum.

Domino ſanctiſſimo, Apoſtolorumque meritis decorato, Bonifacio Archiepiſcopo, Gemmulus indignus Diaconus ſanctæ ſedis Apoſtolicæ.

SVmmis, & Deo amabilibus apicibus acceptis, cum magno, & omni quo condecet honore & veneratione, relegi. Et quia poſt tot tempora, merui ex veſtris ſyllabis viſitari, omnipotenti Deo noſtro gratias egi, qui me indignum famulum ſuum etiam de veſtra lætificauit incolumitate. Igitur omnia, quæ nobis per nunc directas litteras præcepiſtis, vt Dominus vires donare dignatus
C
eſt, adimplemus: ſed & ea, quæ Domino Apoſtolico ſuggeſſiſtis, per nos ſunt ſuſcepta, & annunciata, atque relecta: & vos ea pertractantes omnia ſcripta, quæ vobis ab ea directa ſunt, à nobis eſſe dictata iuxta veſtram voluntatem cognoſcite. Sed & quod vos non ſperabatis fieri, ſuggeſſimus, & facta eſt Synodus ſacerdotum, præſidente Domino Apoſtolico, & relecta eſt ſacrilega illius
Synodus
Aldeberti nephandiſſimi vita, & omnia opuſcula illius, coram Synodo: pariter & epiſtola ſanctiſſimæ paternitatis veſtræ, vbi de illo, & de Clementis dementia ſuggeſſiſtis, & ſic geſta peracta: ſententia anathematis in eis promulgata eſt, vel in omnibus, qui eorum nephandam
f poſt geſta.
ſecuti ſunt ſectam, cuius inſtar vobis à Domino Apoſtolico directum eſt. Et hæc coram præſentia præſentis Patris noſtri *Deneardi* venerabilis Presbyteri acta ſunt: & ipſe vobis ore proprio poterit enarrare, quod omnia iſta per nos acta ſunt. Nam pro certo cognoſcite, ſanctiſſime Pater, quia in omnibus paratum me offero, veſtris ob-
D
temperaturum præceptis. Scio enim quia veſtris orationibus adiutus, erutus ſum à tentationibus Inimici: & miſertus Dominus, ſuo famulo medelam tribuit & diuerſis infirmitatibus circumdatus, quanquam indignus, illud Apoſtoli ſequor conſolatiuum donum, quo ait, *Dum infirmor, tunc potens ſum. Et libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me*, per veſtras ſanctas preces, virtus Chriſti. Venerandas namque ſorores noſtras, & Dei ancillas, quæ apud limina Sanctorum Principum Apoſtolorum properauarunt, quas etiam nobis veſtra ſancta paternitas commendare iuſſit, in quantum Dominus vires donare dignatus fuerit; curam earum habemus propter veſtram ſanctam præceptionem. Benedictionem etenim, quam nobis direxiſtis, ſuſcepimus, id eſt, poculum argenteum, & ſyndonem vnam quam in duplici ſuſcepimus benedictione, eo quod à tanto Patre meruimus viſitari. Et licet tribuere non valeamus, tamen ad vicem charitatis, cum magna reuerentia direximus cynnamo-

I. vt temperandâ. f. obtemperaturum. 2. Cor. 12.

E
mum, vncias IV. coſtum, vncias IV. piper. lib. II. cozumbrem lib. I. quæ peto, vt abſque iniuria ſuſcipere iubeatis: & vt pro nobis orare dignemini omnino depoſco. Incolumem ſanctiſſimam paternitatem veſtram diuina conſeruet majeſtas orantem pro nobis, Domine & meritis Apoſtolorum decorate Pater.

EPISTOLA CXLIX.

GEMMVLI DIACONI AD SANCTVM BONIFACIVM Legatum Germanicum.

Domino ſanctiſſimo, & nimium deſiderantiſſimo, atque cum omni affectu charitatis recolendo Patri, Bonifacio Archiepiſcopo Prouinciæ Germaniæ, Gemmulus indignus Diaconus ſanctæ ſedis Apoſtolicæ.

F

VEnerabilibus ſanctiſſimæ paternitatis veſtræ ſyllabis ſuſceptis, per præſentem gerulum *Deneardum* venerabilem virum miſſis, cum omni, vt decuit, veneratione atque charitatis affectu ſuſcepiſſe, inſinuo: ſimul & benedictionem quam mihi miſiſtis, quæ apud paruitatem meam ſuper aurum & argentum accepta eſt, eo quod mei memorem eſſe in ſanctis ſuis orationibus almitatis veſtræ coronam cognoui, quem concedere mihi diuina patiatur maieſtas incolumem, quamdiu me ſuperna voluerit clementia ſupereſſe, vt veſtris ſacris interuentionibus iuuatus, exercitior inueniar, Deo propitio, aduerſus antiqui hoſtis inſidias repugnare. Interea inſinuaſtis mihi, quod vobis de illis epiſtolis ſancti *Gregorij* mitteremus. Sed nunc minime potuimus ſanctis paternitatis veſtræ præceptis parere, eo quod nimis attritum, atque in podagrico humore & dolore fatigatum memoratus veſter Presbyter per tempus cognouit, ita vt in eo me dolore afflictum relinqueret. Quod & ore proprio vobis intimabit. Sed ſi vita comes fuerit, & veſtra oratio modo non defuerit, quæ iuſſiſtis, dum ſaluti fuero plenius
G
reſtitutus, ſanctiſſimæ paternitatis veſtræ obtemperabo iuſſionibus, vt dum alia vice huc veſtrum miſſum direxeritis, quæ præcepiſtis impleta eſſe reperiantur, vt abſque tarditate quæ deſideratis, expleantur. Tranſmiſimus enim per prædictum veſtrum Presbyterum aliquantum cozumbri, quod incenſum Domino offeratis, temporibus matutinis & veſpertinis, ſiue dum Miſſarum celebratis ſolemnia, miri odoris atque fragrantiæ: ſed peto vt abſque iniuria ſuſcipiatis, quod pura charitate dirigitur, ſalutans veſtram ſanctiſſimam paternitatem in Domino: & vt pro nobis orare iubeatis, depoſco. Sed & omnem Eccleſiam, quæ vobiſcum eſt, per vos ſaluto, & vt ipſi pro me exorent. *Multum enim valet deprecatio iuſti aſſidua.* Iac. 5. Nam & ego, licet peccator exiſtam, tamen veſtri memoriam ante ſacras confeſſiones Apoſtolorum faciens, orationi incumbo. His præmiſſis, optamus ſanctitatem paternitatis veſtræ in Domino bene valere: atque in opere, quo aſſumptus es, multo amplius fructum boni operis pullulare concedat, & ad incrementum perdocere patiatur diuina majeſtas. Trinitas indiuiſa ſanctitatem veſtram conſeruet orantem pro nobis.

f. inſulatâ, vel curatam.

H

SEquebantur in Ingolſtadienſi Codice S. Bonifacij ad Stephanum Papam epiſtola: ſed ante iam è Cæſareo Codice poſitæ ſunt, ſicut & aliæ plures. Adiungo adhuc aliquas è Tomo IX. Annalium Reuerendiſſ. & Illuſtriſſ. Cardin. Baronij, qui eas e S. Mariæ & Antonij Auguſtini bibliothecis exſcripſit.

A

EPISTOLA CL.

Dilectiſſimo & Reuerendiſſimo Cuthberto Abbati, & vniuerſis fratribus ſanctæ congregationis eius Bonifacius ſeruus ſeruorum Dei in Chriſto fraternæ charitatis ſalutem.

FRaternitatis veſtræ pietatem intimis obſecramus precibus, vt nos inter feras & ignaras gentes Germaniæ laborantes, & grana Euangelica plantantes veſtris ſacroſanctis orationibus adiuuemur, & precibus ſanctitatis veſtræ in nobis ſæuus Babylonicæ ardor reſtinguatur flammæ, & ſparſa ſulcis ad fructum multiplicata ſurgant
1. Cor 3. ſumma, quia iuxta dictum Apoſtoli. *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed Deus qui incrementum dat,*
B *vt detur nobis ſermo in apertione oris, & ſermo Domini currat & clarificetur.* Interea rogamus, vt reliqua de opuſculis ſagaciſſimi inueſtigatoris Scripturarum *Bedan* Monachi, quem nuper in domo Dei apud vos, vice candelæ Eccleſiæ, ſcientia Scripturarum fulſiſſe audiuimus, conſcripta nobis tranſmittere dignemini. Et ſi vobis laborioſum non ſit, vt eorum vnum, nobis grande ſolatium peregrinationis noſtræ tranſmittatis.

ſ. Eccleſiaſtica ſcientia.

Ad indicium quoque intimæ charitatis, lectiſternia caprina vobis (ſicut hic vocant) direximus: quæ petimus, licet digna non ſint, vt pro memoria ſuſcipiatis. Alma Trinitas, & vna diuinitas fraternitatem veſtram, & hic ſanctis virtutibus proficientem, ac valentem augeat & cuſtodiat, & in futura beatitudine, inter ſplendida Angelorum agmina, gaudentem remunerando glorificet.

C

EPISTOLA CLI.

Pippinus Rex Francorum, V. C. Bonifacio Archiepiſcopo & Legato Germanico ab Apoſtolica ſede directo.

QVia veneranda pietas tua noſtram excellentiam poſtulauit, pro monaſterio, quod à te nouiter inſtructum eſt in ſolitudine *Buchonia* iuxta fluuium *Fuldæ*, in loco quem beatæ memoriæ *Carolomannus* germanus noſter legitima deuotione tibi conceſſit; vt ſicut ex auctoritate ſancti *Petri* Principis Apoſtolorum, pro quo legatione fungeris, priuilegio ſedis Apoſtolicæ ſublimatum eſſe conſtat, ita etiam noſtræ auctoritatis præcepto roboretur: placuit nobis tuæ petitioni aſſenſum præbere: & ideo hanc noſtram præceptionis ſeriem, ob honorem Dei & venerationem ſancti *Petri*, conſcribi iuſſimus, per quam priuilegium ſedis Apoſtolicæ à Beato *Zacharia* tibi collatum, cum conſenſu Epiſcoporum, cunctorumque fidelium noſtrorum, per omnia roboramus, præcipientes
D vt nullus ſacerdotum in regno noſtro diuinitus nobis conceſſo, in præfato monaſterio iuriſdictionem aliquam ſibi vendicet, præter Apoſtolicam ſedem, ita vt niſi ab Abbate monaſterij fuerit inuitatus, nec miſſarum ſolemnia ibi quiſpiam præſumat celebrare, ſed iuxta quod ſubiectum conſtat; Apoſtolicæ ſedi, firmitate priuilegij inconcuſſe roboratum, permaneat. Locis etiam & rebus, quas tam moderno tempore tenet vel poſſidet, quam quas futuris temporibus, iuribus ipſius monaſterij diuina pietas augere voluerit, ex donis, oblationibus, decimiſque fidelium, abſque vllius perſonæ contradictione firmitate perpetua fruatur.

Si autem quiſquam noſtræ authoritatis præcepto repugnare voluerit. Sententiam Apoſtolicæ diſtrictionis, quæ in priuilegio expreſſa eſt, experiatur. Et tamen hoc, quod, ob amorem Dei & venerationem ſancti *Petri*, auctoritate noſtra firmauimus, ſtabile permaneat, manu noſtra roboratum, & tam annulli noſtri impreſſione, quam fidelium noſtrorum adſtipulatione ſubnixum. Vale.

E

IN SANCTI BONIFACII Epiſtolas notæ Nicolai Serarij Societatis IESV.

IN Sancti Bonifacij Epiſtolas notationum aliquid promiſi lib. 3. Moguntiacorum, notatione 49. Promiſſum exſoluo ſed ita vt ſint illæ perbreues, neque afferri quidquid poſſet, occupent. Earum vero aliæ per margines epiſtolarum omnes ſparſæ hactenus, aliæ hunc in locum regeſtæ, quæ aut generales, aut ſpeciales. & illæ quidem ſeptem.

I. DE HARVM EPISTOLARVM VTILITATE.

F

AD multa valent veterum, maximeque Sanctorum, & noſtrorum in Chriſto parentum epiſtolæ: ad *quatuor* tamen potiſſimum.

I. Ad fidem. multa enim, quæ ab hodiernis Nouatoribus in iurgium & calumniam vocantur, in illis egregie & velut certa, ſancta, & ſalutaria indicantur, verbi gratia, ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium, oratio pro fidelibus defunctis; Sanctorum inuocatio, reliquiarum veneratio, Romani Pontificis authoritas, & ſimilia.

II. Ad mores. In illis enim crebra vitiorum reprehenſio, virtutum laudatio, ſempiternorum aut præmiorum aut ſuppliciorum explicatio, & quæ generis eiuſdem alia.

III. Ad eorum à quibus, ad quos, & de quibus epiſtolæ ſunt, *memoriam. Sola*, inquit Sanctus Hieronymus epiſt. 42. *res, quæ homines abſentes præſentes facit, epiſtola eſt.* ad Quintum fratrem Cicero. *Cum tua lego, te audire videor.* G

IV. Ad hiſtoriam. Cum Imperatoris Aureliani geſtas res ſcribere deberet Syracuſanus Vopiſcus, elaborauit in eo maxime, vt ex Ephemeridibus, libris linteis, ac Sybillinis, è variis denique bibliothecis epiſtolas conquireret. Nam *intereſt*, inquit, *epiſtolas noſſe Aureliano ſcriptas.* Et poſtea. *Extat epiſtola, quam ego, vt ſoleo, fidei cauſa, imo vt alios Annalium ſcriptores feciſſe video, inſerendam putaui.* Ruſumque: *Eſt epiſtola Aureliani de libris Sibyllinis. Nam ipſam quoque indidi ad fidem rerum*: eamque ob cauſam tam crebro tam diligenter ex omnibus omnium Bibliothecarum angulis epiſtolicas iſtiuſmodi ſchedas eruit, qui noſtro iſto ſæculo eſt. *Romana Cæſar primus in hiſtoria.* Et Bonifacianas iſtas magno ſe ſtudio perquiſiſſe teſtatur Otholonus in Sancti Bonifacij vitæ Prologo, & lib. 2. c. 17. qui quodam veluti mœrore, aut ſollicitudine affectus ſubiicit: *Si quem moueat, quod plurimæ epiſtolæ, quarum mentio fit in ſupra ſcriptis epiſtolis, hic pariter ſcriptæ non habentur, ſciat illud hac de cauſa acci-* H *diſſe, quod nuſquam eas inuenire potui.* Quibus verbis illud etiam indicat, ſe, ſi tot, quot iam eduntur, Sancti Bonifacij epiſtolas nactus fuiſſet, ingenti exultaturum fuiſſe gaudio, & cum Euangelica illa muliere Luc. 15. v. 19. conuocaturum amicos & vicinos, iiſque dicturum: *Congratulamini mihi quia inueni drachmam quam perdideram.*

II. DE EARVNDEM Manuſcriptis Exemplaribus.

HArum Sancti Bonifacii epiſtolarum manuſcripta exemplaria vidit duo Reuerendiſſ. & Illuſtr. BARONIVS. eorumque alterum in Gregoriana Canonici iuris correctione citatur. Sed cum ex Italia in Germaniam illa, vt ederentur, ab aliis inuitata rogataque intelligerem, neque, vt venirent tamen, exorari potuiſſe, omnem ego quidem illa vnquam videndi ſpem abieci, ſimulque ſtatim cogitaui, ſi, quod olim monuiſſe Plato dicitur, in Germaniæ noſtræ fundo, ad cretam vſque, foderemus, aliqua forte inueniri exemplaria poſſe. Ac Deo bene fortunante, ſanctoque Bonifacio ſuis adiuuante

A precibus, vnum in celebri ac locuplete Ingolſtadienſis Academiæ bibliotheca inuenit è Societate noſtra R. P. IACOBVS GRETSERVS: alterum vero in ampliſſima nobiliſſimaque Cæſareæ Maieſtatis Viennenſi Bibliotheca Reuerendiſſimus, ſuiſque pro Eccleſia Catholica ſcriptis, diſputationibus, ac laboribus longe clariſſimus D. Doctor PISTORIVS. Fuit & olim exemplar tertium in egregio Fuldenſis monaſterij librorum penu, ſed hoc ab inuolante harpyia immundiſſima, *Illyrico*, inquam, ſublatum poſteaque varie laceratum & conſciſſum, ita vt qui eius in Helmſtadienſi Bibliotheca vidit reliquias Lutheranus prædicans, dixerit, vel inde ſatis apparere, quem in veteribus tractandis, fœdandis, & mutilandis tenere morem ſolita ſit dira illa Celæno. E duobus igitur prioribus Germanicis exemplaribus, quæ, quos laudaui, humaniſſime miſerunt doctiſſimi viri, hoc nunc, primo quidem manu, prælo deinde librario ex-
B ſcriptum eſt.

III. DE PRÆCIPVO HVIVS Operis Exemplari.

SEcutus vero ſum maxime Cæſareum M. S. exemplar I. Quia vetuſtiore multo id manu ſcriptum, provt & characterum & pergamenarum monſtrat chartarum antiquitas. nam Ingolſtadienſe anno 1497. in Sphaneimenſi cœnobio, iuſſu Trithemij Abbatis, deſcripſit Nouitius Monachus, provt in Codicis extremo, Græce, Latineque teſtatur. II. quia idem Cæſareum exemplar multo plures continet epiſtolas. in eo enim ſunt CXVII. in Ingolſtadienſi tantum LXXVIII. III. quia eædem illæ CXVII. nunquam in lucem hactenus præter earum nonnullas, quas ſelegit & in IX. Annalium ſuorum Tomum retulit Reuerendiſſimus & Illuſtriſſimus, de quo ſupra, BARONIVS: poſtque ipſum, & ex ipſo,
C fere tamen Germanice, Io. ille Letznerus, de quo ante vitam Sancti Bonifacij notatione lib. 3. Mogunt. p. 321. At ex Ingolſtadienſibus LXXVIII. primæ vndetriginta lucem fere omnes iampridem & in Pontificum Epiſtolis & in Othloniana Sancti Bonifacij vita, quam & Moguntiacorum libro tertio poſui; aſpexerunt. Accedebat, quod Ingolſtadienſium poſteriorum pleræque vel à Cæſareo, vel ex alio, quod cum iſto congrueret, exemplari videbantur exſcriptæ, adeo vt poſt Ingolſtadienſem LXXI. ſcriberetur: *Epiſtola hæc deſcripta, ſuperius poſita, ideo omiſſa*, quia, vt apparet, in eo, vnde fiebat excriptio, Codice, alio ante loco poſita iam fuerat quemadmodmm in Cæſareo M. S. ea Epiſtola eſt L.

IV. DE CÆSAREI EXEMPLARIS EXPRESSIONE.

IN antiquorum exſcriptione Codicum, operæ videtur
D pretium nihil mutare. Atque hoc mihi omnino deliberatum ac ſtatutum fuit. Penitus tamen in omnibus aſſequi non licuit. *Nam &* operarum interuenere menda interdum nonnulla, quæ ſuo indicabuntur loco, maxime in epiſtola prima, & paucis quibuſdam aliis. *Deinde* in vetere verborum quorundam Orthographia nolui eſſe moroſior, partim quia pleriſq; moleſta illa hodie ac ridicula; partim quia in quibuſdā non tam ortographia, quā libraria cacographia & imperitia certo conſpicua. Ne quid tamen detrimenti patiantur Antiquitatis amantiores, denotabo paulo infra, quæ prioris videntur generis. *Tertio*, iterabatur identidem hoc: *Epiſtola ſancti Bonifacij. Item epiſtola ſancti Bonifacij.* At eam toties cramben reponere, cur re iſſatis hoc è titulo & ſalutatione, quæ ſingulas pœne · inchoat epiſtolas, perſpicuum. In rebus, verbiſque aliis à propoſito exemplari ne ſciens prudenſque vnum, vt aiunt, vnguem deflecterem, caui, ſcabra licet hiulca. & pœne ἀγράμματα occurrerent nōnulla, quæ alius aliunde forſan aut corriget aut explicabit felicius. Varias tamen variorum exemplarium lectiones, & nonnullas interdum coniectiunculas in margine, cum litterarum quarundam de quibus paulo poſt, præfixione notaui.

V. DE CÆSAREI EIVSDEM Codicis ignotis aliquot characteribus, meiſque quibuſdam ſiglis. E

IN Cæſareo exemplari occurrerunt interdum ignoti quidam characteres, quos veteres aut Anglicos aut Saxonicos rebar. Sed magnam iis partem diſſimiles ſunt, quos ante Aſſerium Anglum prænotat Editor. E varia tamen collatione, ipſorum pœne integrum conflaui alphabetum, quod ſi præſto typi fuiſſent, hic lectoribus dediſſem, ſicut ſigna quibus vetuſtiore illo ſæculo ſignabantur epiſtolæ. Sed pro his, & ſimilibus, ſi qua vel exprimi non potuerunt, vel deeſſe viſa ſunt, punctula quædam appoſui ſic :..... Aliæ mihi ſiglæ (ſic enim compendiarias dictionum notas vocat, vt ad epiſt. 99. dicetur; Iuſtinianus) iſtæ ſunt.

- C. Cæſareum exemplar.
- I. Ingolſtadienſe. F
- C.I. Vtrumque.
- B. Baronianum.
- L. Letznerianum.
- S. Surius in vita Sancti Bonifacij.
- V. Vulgatus Bibliorum Interpres Lat.
- F. Forte legi poteſt.

Ingolſtadienſem vero Codicem, quia propter oblatam vecturæ commoditatem remiſi antequam accipere Cæſareum licuiſſet, cito ex apographo, quod cum Cæſareo collatum ſolum.

VI. DE ISTARVM EPISTOLARVM STYLO.

ET tamen quibuſdam *non ſunt*, ait Sanctus Hieronymus epiſt. ad Marcellam *ſuauia epula, quæ non pluſcentiam redolent, quas non condit Apicius; in quibus nihil de Magiſtrorum huius temporis iure ſuffimat. Non omnis* G
fert omnia tellus. Qui valde Latinum, aut politulum, nitidulumque ſemper ſtylum expetunt, Ciceronem habent & Manutium, Muretum, Lipſium, alioſque nonnullos. In hiſce Sancti Bonifacij epiſtolis ſimplex oratio eſt & familiaris; illo ſæculo non inelegans, noſtro tolerabilis, præterquam in particulis aut verſibus aut epiſtolis, quibus aut diſcipuli aut diſcipulæ ſuos quoquomodo affari Magiſtros gaudebant. Candida vbique pectorum, morumque ſimplicitas elucet: virtus, Chriſtianaque charitas & modeſtia renidet in omnibus. Sed in Cæſareo volumine multo à librariis mendoſius erant ſcriptæ poſteriores quam priores.

VII. DE VETERE IN HIS EPIſtolis Orthographia, & Sermone.

QVod nota IV. notabam & adpromittebam id vero iam repræſento. in Cæſareo Igitur Codice ſcribitur. H

Abunculus, *auunculus.*
adolari, *adulari.*
amminiculum, *adminiculum.*
auxilio, *auxilior.*
Anbacum, vt Græce Ἀμβακούμ, *Habacuc.*
bernacula, *vernacula.*
boneuolentia, *beneuolentia.* Eſt & epiſt. 45. *boeniuola voluntas*: ſed an non mendum?
bouibus ep. 100. *bobus.*
caraxo, χαράσσω.
Carulus & Carlus, *Carolus.*
coacerbo, *coaceruo.*
commonio, *communio.*
conloco, *colloco.*
compareſco, *compatior.*
conſolo, *conſolor.*
cotidie, *quotidie.*
curbare, *curuare.*
Danielus, *Daniel.*
dirego, *dirigo.*

A diphtongæ, *diphtongi.*
epiſtula, *epiſtola.*
epiſtiuncula, *epiſtolium.*
fantaſma, *phantaſma.*
fateſco, *fatiſco.*
florlet, *florebit.*
foraſticus, *externus.*
haue, *aue.*
honeroſus, *oneroſus.*
idolatria, *idololatria.*
Ihesvs, Iesvs. Sed V. Beda in principio libri de Muſica p.35. docet iſtud H. quod inter I.& E ponitur eſſe Græcum *η*, & à Latinis ob ipſius auctoritatem nominis interponi. Et fuıte id ob eam etiam factum cauſam, vt ſignificetur illud *e* non eſſe breue, ſed longum, & quod in hoc nomine ſuauiſſimo longeque mellitiſſimo haud raptim, ſed ſenſim, & cum quadam

B veluti mora, pietatiſque ſenſu reuerenter pronunciandum.
inlæſus, *illæſus.*
inluſter, *illuſter.*
inluminatus. *illuminatus.*
inormitas, *innormitas*, *vel enormitas.*
inrogare, *irrogare.*
interduciæ, *induciæ.*
ipſud, *ipſum.*
iuuat, *iubar.*
noberunt, *nouerunt.*
obœdientia, *obedientia.*
obtunſus, *obtuſus.*
olnſerica, *holoſerica.*
pſalmigraphus, *pſalmographus.*
repperio, *reperio.*
reuerentiſſimus, *reuerendiſſimus.* vt amantiſſimus apud Capitolinum in Albino. Spartianum in Geta.
ſubfragium, *ſuffragium.*

C ſobrius, *magis ſobrie.*
vetereſco, *veteraſco.*
volbere, *volnere.*
vocifero, *vociferor.*
In quibus omnibus, cum alia, tum hoc vides, ſæpe poſitum *o* pro *u* & contra, itemque *b* pro *u*, vt in Florentinis Pandectis, & alibi ſæpiſſime, vt Parergon libro ſingulari docet Briſſonius. De horum vero aliquibus aliquid iterum ſuis poſtea locis, notabitur: itemque de ſimilibus aliis.

IN EPISTOLAM I.

AD notariuncularum genus alterum verſo, quæ ſpeciales, & variarum epiſtolarum propriæ. Et in prima quidem illud primo notandum, vix vſquam ab Typographo quam hic toties vel erratum, vel à Cæſareo M. S. deflexum, Cuius cauſa, quod cum hæc epiſtola ſit Ingolſtad.

D M.S.39. huius apographum ille ante oculos habuit. Corrigenda igitur ad Cæſareum exemplar omnia ſic: I. tollendum illud. *VVinfredus Nithardo.* Nam id ſatis in ſequentibus expreſſum verbis. II. ſcribendum: *quem mihi non temp. III.* pro adolantium, *adulantium. IV. immareſcibilis. V. catena charitatis. V. Nithardo. VI. VVynfrethus.* & hoc poſtremum etiam deinceps obſeruandum. Notandum ſecundo. In hac & aliquot epiſtolis, maxime tamen quatuor prioribus, recentiſſimum quendam (qui à me in margine vocatur interdum *Anonymus*) verbis nonnullis aut lineolas aut puncta ſuppoſuiſſe, nonullis vero nonnullam coniectiunculam, vt in iſto titulo videtur fuiſſe ſcriptum *facetia orbanitas*: ipſe vero correxit *faceta*, Ingolſtadienſe M. S. *faceta.* Et hoc quidem poſtremum, ſiue *blandimenta faceta*, ſiue *Mellitas faceta*, ſiue *orbanitas*, per mellitatem *faceta*, intelligatur non malum: primum tamen illud videtur retinendum. vt *mellitas facetia vrbanitas* dicatur, vel certe *mellitatâ, per blandimenta adolantium verbo aut faceta, vrbanitas.* Quemadmodum enim pro feriis, quæ Latinis tantum plurales ſunt, dicitur ab Eccleſia, feria prima, ſecunda,

E &c. vbi notat lib. de rat. temp. cap. 6. V. Beda. ſic pro *facetiis* hic *facetia*: & quemadmodum ex melle tam ſuauiter veteres *mellillum* & *mellinam*, itemque verbum *mellare*, vnde apud Plinium l. 11. cap. 15. & 16. *mellatio*, expreſſerunt ita & nunc Sanctvs Bonifacivs aut *mellitatem*, aut verbum *mellitare*, vnde *mellitatus mellitata*, *mellitatum.* Sed tertio notanda magis cauſa, quæ inter Sanctvm Bonifacivm & Nithardum veram excitault amicitiam, & quarto quomodo idem ſanctus olim vocatus ſit *VVynfrethus* aut *VVinfridus* & poſtea *Bonifacius* qua de mutatione largiter dictum lib. 3. Mogunt. not. 16. p. 466. Alius ille VVinfridus de quo Beda l. 4. hiſtor. cap. 3.& 5. Deinceps vero, vt verba tulerint notabitur aliquid.

Salomonis] De libri, vnde hæc promantur auctore & auctoritate diſſertatio eſt. Nam liberis interdum quidem abſque authore dicitur à Latinis *Eccleſiaſticus*, à Græcis *πανάρετος*, & ab Origene tract. 24. in Matth. à Zacharia

F Pontifice infra, epiſtol. 140. & à ritualibus Miſſarum libris præciſè *Sapientia*, vt dum legitur: *Ecce ſacerdos magnus*, vel die ſabbati, *ab initio*, vel in Virginum quarundam feſtis *Confiteor*, & in Sancti Ioannis Euangeliſtæ feſto. Interdum vero author affertur & quidem.

1. Iesvs. Et ſic diſerte in eius libri Prologo, qui in Græcis & Latinis Romanis correctis eſt.

2. Sirach. & ſic in Græca libri eiuſdem inſcriptione *σοφία σειρά*. & Procop. Gazæus præfatio. in Geneſ. Hilarius in Pſalm. 144.

3. Iesvs *filius Sirach.* apud Euſeb. de præp. l.8.c.2. Antiochum hom. 84. Damaſc. l.4. de fid. c. 18. Sanctum Hieronymum in Danielis 9. & epiſtol. 115. vbi ſe ait Hebraicum hunc librum vidiſſe prænotatum *Parabolas Ieſu filij Sirach.* & id ipſum traditur libri eiuſdem c.50. verſ.29.

4. Iesvs *auus & eius filius Sirach. & huius filius*, illiuſque nepos *Ieſus alter.* Ita prologus quidam Græcus in Complutenſi editione.

G 5. Salomon. vt hoc loco Sanctus noſter Bonifacius rurſumque infra epiſtola 105. eundemque auctorem nominarunt Clemens Alexandrinus lib. 5. ſtrom. c.5. Origenes homil. 8. in Num. & homil. 1. in Ezech. D. Athanaſius in Apologia de fuga ſua, Sanctus Baſilius in Reg. fuſius diſput. reſpon. 17. D. Chryſoſt. homil. 51. in Matth. Sanctus Fabianus Pontifex epiſt. 2. Sanctus Cyprianus epiſt. 65. & in exhort. martyr. cap. 9. & lib.3. ad Quir. cap. 20. Marcellinus epiſt. ad Salom. Epiſcopum, Sanctus Hilarius in Pſalm. 144. D. Ambroſius l. 1. off. c. vltim. & lib. ad Virg. deuotam c.2. Optatus Meleuitanus lib. 3. Sanctus Damaſus epiſt. 6. Sanctus Hieronymus ad c. 10. Eccleſiaſtæ. & Pſalm. 73. Innocentius primus epiſtol. ad Exuperium; Sanctus Paulinus Natali 10. S. Felicis, Maximus Taurin. hom. 2. de feſto Paſchæ, S. Leo. 5. ſerm. de quadrag. cap.3. Sedulius in cap.12. ad Rom. S. Gregor. hom. 1. ſuper Ezech. lib. 2. Regum cap. 2. l. 4.

H epiſt. 82. Chromatius in c. 5. & 6. D Matthæi, Caſſiodorus in Pſal. 55. Pelagius I. epiſt. ad Virgilium, Laurentius Nouarienſis homil. de eleemoſ. Ioannes 2. epiſtol. ad Valerium, Eligius hom. 8. Haymo in c. 1. ad Rom. Paſchaſius l. de corp. & ſang. domini cap. 2. S. Bernard. ep.5. & 190.

Sed ſane *L. author verus, eſt Ieſus filius Sirach. non Sirach, non Salomon* quia omnium inſtar eſt ſcriptura, quæ id aſſerit, & antea citata eſt ex eius libri cap. 50.

II. Hic Ieſus iſtum librum ſcripſit Hebraice, & poſtea eundem Græce conuertit eius Nepos. aſſerit hoc præfatio citata Græca & Latina cuius Sanctus Hieronymus epiſt. 115. Hebræum exemplar ſe vidiſſe teſtis eſt, hodieque inter Conſtantinopolitanos extare Iudæos refert è Nouatoribus Munſterus.

III. Ieſus ille auctor filium habuit Sirach, & huius filius, illiuſque Interpres fuit etiam nomine Ieſus ita citatus Complutenſis prologus, & Sanctus Epiphanius lib. de men. & pon. Sanctus Damaſcenus loco citato & plerique omnes.

IV. Ieſus auus patrem etiam habuiſſe Sirach dicitur, & idcirco ab Nouatore Cornelio Bertramo in lib. quem

A *Lucubrationes Franckentalenſes* inſcripſit, dicitur eſſe ille *Ben-ſira*, cuius apud Hæbreos extant cum ſcholiis Prouerbia, quia *Ben-Siru* eſt quaſi filius Sirach. Prior pars vera eſt ex eodem loco citato c. 50. & ex eis omnibus qui auctorem dicunt Ieſum filium Sirach, cum eius Nepos non auctor, ſed Interpres tantummodo ſit, vt dictum eſt. Poſterior tamen videtur falſa 1. quia *Benſiru* Hebraice habet in fine א noo ה. 2. quia Hebræorum communis opinio eſt, vixiſſe Benſiran altera poſt Hieremiam ætate. At Ieſus Eccleſiaſtici auctor, vixit poſt Oniam Pontificem, tempore ipſius filij Simeonis iuſti de quo cap. 50. *Benſira dicitur* ab iiſdem Hebræis filium habuiſſe *Uzielem*, & Nepotem *Ioſephum*: non autem *Sirach. & Ieſum.* Et illi eum ſapientia inclyti fuerint, citantur ambo ab Hebræo ſcholaſtico Prouerbiorum eiuſdem Benſiræ.
4. Ille Prouerbiorum Benſiræ liber, vel idem cum Eccleſiaſtico noſtro liber fuit, vel diuerſus. Si idem, vel erit Eccleſiaſticus noſter imperfectus, quia ei quædam deſunt,
B vel quibuſdam redundabit, cum plurima quæ illic non ſunt, habeat, Si diuerſus, quomodo veriſimile eſt, eundem auctorem de iiſdem pene rebus & eodem pene modo ac phraſi diuerſos ſcripſiſſe libros, neque ſe vnam eandemque rem ſciat, alibi etiam dixiſſe vnquam innuere?
5. Nouatori huic repugnat Nouator alius Druſius præfatione in ipſum Benſiran.

V. Quando a Græcis ſapientia Sirach dicitur, id breuitatis cauſa dicitur, pro Sapientia Ieſu filij Sirach. eodemque modo ſpectatur breuitas, quando præciſe vocatur *Sapientia.*

IV. Quando ab Auctoribus auctor ſignificatur Salomon, id *accipiendum* putat lib. de verbo Dei cap. 14. Bellarminus *quaſi Salomonis ſententias collegerit, in vnumque volumen redegerit.* ſeu breuius & certius id factum *ob ſimilitudinem ſapientiæ, doctrinæ, parabolicæque ſeu prouerbialis phraſeos.* Ita enim diſerte Sanctus Auguſtinus lib. 17.
C Ciuit. cap. 20. *Sapientia*, inquit, *& Eccleſiaſticus propter eloquij nonnullam ſimilitudinem, ut Salomonis dicantur obtinuit conſuetudo, non autem eſſe ipſius non dubitant doctiores.* Et lib. 2. de doct. Chriſt. cap. 8. *Illi duo libri, vnus qui ſapientia, & alius qui Eccleſiaſticus inſcribitur, de quadam ſimilitudine Salomonis eſſe dicuntur. Nam Ieſus filius Sarach, eos ſcripſiſſe conſtantiſſime perhibetur.* Rabanus lib. 5. de vniuerſo cap. 3. *Eccleſiaſticus propter nimiam ſenſus ſimilitudinem, & eloquij parilitatem, Salomonis titulo prænotatur.* Atque hoc ipſum etiam ſignificat Athanaſiana ſynopſis, & ex ea Complutenſis ille citatus Prologus cum ait: ὅταδὲ τοῦ Σολομῶντος ὄντος ὁ Ἰησοῦ γέγονε, οὐδὲν ἧττον ὅσιον περὶ τὴν σοφίαν, καὶ παιδείαν συντετάχασι, πανομοίως αὐτοῦ καὶ αὐτὸς καλούμενος. Atque hæc de auctore ſatis: *de auctoritate vero*, quæ canonica eſt, agit ipſe lib. de doct. Chriſt. citato, S. Auguſtinus, Bellarminus loco item citato, & copioſius Iod. Coccius lib. 6. Theſauri Catholici artic. 17.

Pigeat.] Ex eodem I. MS. eſt hoc. Nam in C. legitur cum datiuo, *vt tibi S. SS. M. recordari pigeat.* & eodem
D modo infra epiſt. 142. p. 220. idque valet, *non tibi pigrum ſit*, quemadmodum, *tibi liquet*, pro *liquidum eſt.* Alioqui conſtructionem iſtam nolint Grammatici, & Sanctus Auguſtinus in Gramm. *Tædet*, inquit, *tædium eſſe ſignificat, quomodo piget, quaſi pigritiam ſignificat. Nam cum dicimus, piget me feciſſe, hoc eſt dicere, non ſurgit mens animus probare quod feci: Hæc autem omnia verba ſic declinantur: Pudet me, piget me, &c. præter hæc, libet, & licet, patet & liquet. ehis enim datiuum iungimus caſum.*

In omnibus.] Citatur eadem ſententia iterum poſtea epiſt. 45.

Floriet] Quemadmodum olim multa diuerſæ declinationis verba fuere ſic etiam dictum *florere*, *& florire.* hocque poſterius in Italica & Gallica lingua, quæ à Latina quædam veluti ſtolones & ſurculi ſunt; modico cum flexu, retentum. ſic enim *feruit, lauit, ſonit, fulgit, obedibo, operibo, puribit, peruenibunt, dicebo*, pro *ſeruet, lauat, ſonat, fulget, obediam, operiam, pariet, peruenient, dicam* leguntur. Vide Nonium. & vſuatiſſimum

exiet ac tranſiet, pro *exibit ac tranſibit.* Tibullus: *At ſi tardus eris, tranſiet ætas.* E

Ambrones.] *Ambrones fuerunt*, ait Feſtus, *gens quædam Gallica, quæ ſubita inundatione maris, cum amiſiſſent ſedes ſuas, rapinis & prædationibus, ſe ſuoſque alere cœperunt. Eos & Cimbros, Teutonoſque C. Marius deleuit: Ex quo factum eſt, vt turpis vitæ homines Ambrones dicerentur.* Hiſtoriæ quidem partem priorem negare Scaligero videtur Strabo, l. 1. & maxime l. 7. Sed is tantum negat, quotidianis ſtatiſque maris æſtibus perculſos diſceſſiſſe, non autem aliqua *ſubita*, vt loquitur Feſtus & Inſolita *maris inundatione.* Sic enim è contrario Iſidorus lib. 10. Orig. cap. 2. *de Vmbris hiſtoria perhibent, quod tempore aquoſæ cladis imbribus ſuperfuerint: & ob hoc ὀμβρίους Græce nominatos:* Hiſtoriæ reliquum perſequuntur Plutarchus in Mario, Epit. Liuiana lib. 67. 68. Florus l. 3. cap. 3. In Iſidori autem gloſſario. *Ambro, deuorator, conſumptor patrimoniorum, decoctor, luxurioſus profuſus*, idque prorſus locum hunc explicat, & illum qui infra occurret epiſtola 65. *Ambronibus ſancibus.* Vide & Adag. *Ambrones.* F

D. Aug in pſ. 26. enar. 2. l. 15. præf. 29. pſ. 35. 36. conc. 2. pſ. 37.

Apoto] ſic in Cæſ. Latine ſcribuntur iſta: ſed ſibi quid volunt? An ad ſuperiorem de inundatione hiſtoriam, alluendo, legendum ἀπὸ τοῦ κύματος agris fruſtratis vel fruſtratis, afflictis? *Agris* inquam, non *agijs*, vt mendoſe impreſſum.

κϛ] Et hoc Latine ſcriptum in C. ſed ſemiGræce libebat illis tum loqui pro *ſecundum Pſalmiſtam*, & ſic infra etiam alias.

Pretioſa] In Cæſ. diphtongus eſt, ſed huiuſmodi mẽdoſa, quorſum notanda? ſupra nota gen. 4.

Herebia] C. *erebia.* Eſt apud Hebræos vox Geneſ. 1. v. 5, Exod. 18. 13. pſal. 59. 7. pſal. 104. v. 9. alibi, quæ veſperam ſignificat, quæ aut *Iereb* aut *ereb* ſcribi poteſt, vt in Trihæreſio l. 3. cap. 3. & Mineruaul. lib. 3, nuper dixi, atque idcirco ſcribi poteſt *herebus*, aut *erebus*, quia hic ab illa, vt in Feſtum docet Scaliger p. 59. G

In Deuteron] Senſus quidem in Deuter. c. 6. ſed verba magis in Ioſue cap. 1. Vnde apparet, ex memoria ſolitum ſcripturam ſacram citare S. Bonifacium.

Concionatoris] qui vſitato nomine Græco *Eccleſiaſtes* dicitur.

Sobrius] pro *magis ſobrie.* V. Beda lib. de orthogr. p. 94. *Sobrius nec comparatiuum recipit, nec ſuperlatiuum: ſed pro his dicimus, magis ſobrius, & maxime ſobrius.* Sed hoc, vt apud Lucretium l. 4. *egregius* pro *magis egregiũ.* *Sed nihil egregius quam res ſecernere apertas a dubiis* & apud Vlpianum *exiguius*, apud Petrum Damianum epiſt. ad Giſlerium, *idoneior*, in Tomo XI. Baron. Brill. l. ſing.

Exquiſitor] Vulgata noſtra verſio habet, *amator*, ſed *contubernium* lege nun *contubernium.*

In ſtudio diuinarum ſcripturarum,] Vide quam ſtudij huius amans fuerit S. Bonifacius! quam ſacras litteras & magis magiſque diſcere, & quod in iis didiciſſet, alios docere concupierit! Confer hanc epiſtolam cum S. Auguſtini 41. quæ ad *Licentium*, D. Gregorij epiſt. 40. l. 4. & epiſt. 26. l. 6. & epiſt. 25. l. 12. vbi ſic: *Quæſiui qui vobis adhæreant in lectionis ſacræ collegio, & neminem reperi, & vehementer ingenui paupertatem boni. Et quamuis peccator ego valde occultus, tamen ſi ad B. Petri Apoſtoli limina venire volueritis, in ſacro eloquio ſtrictum poteritis me habere collegam.* H

Cherubin] Hebraica terminatio eſt *Cherubim, Seraphim*: Chaldaica *Cherubin, Seraphin.*

OPtima & lectiſſima hæc, ad quam iſta ſcribitur epiſtola, fæmina vocatur *Buggan*, *& Bugge & Bugga*, ſicuti *Bedan* infra ep. 9. & *Beda* ep. 8. & *Bedas.* Interdum etiam vocari Eadburgam notat Baronius p. 53. quæ Regio genere nata eſſet propinqua *Ethelberti* Cantiorum Regis, filia *Cungith*, de qua ſæpius poſtea epiſtola 13. 14. 20. 21. 28. 35. 40. alibi. vbi & iſta quæ dixi probantur, & caſti, qui inter eam & Sanctum Bonifacium fuit, amoris occaſio aliaque plura monſtrantur. Mihi tamen dubij aliquid iniicit Cæſareæ epiſtolæ 38. in-

In Epiſtolam II. Mag. l. 4. p. 620.

ſcriptio

A ſcriptio, vbi non *Edelburg*, ſed *Henburg*, non *Caugyth*, ſed *Eangyth* diligenter ſcriptum, quanquam perfacile vnius vel alterius litterulæ immutatio potuit irrepere. Superſtitem porro hanc S. Bonifacio fuiſſe teſtis ep. 103. infra. Alia *Edelburga* Regina l. 2. hiſtoriæ c. 9. & 14. Bed. & lib. 4. cap. 10. Infra vero ep. 21. *Bugga* eſt Presbyteri nomen.

Seruus ſeruorum Dei.] Hunc fere titulum ſolī hodie retinent Summi Pontifices: ſed olim aſciſcebant alij etiam libenter: quod & demiſſionis argumentum, & officij quoddam veluti monimentum ſit. Qui enim aliis præſunt cum eorum commodo & vtilitati ſeruire debeant, (Foret enim ſecus tyrannica poteſtas) merito ſe illorum ſeruos intelligunt *Nos* ait apud Poëtam Agamemnon.

Faſtu quidem ſpecie reliquis præcellimus
Verum miniſtri multitudinis ſumus.

Et laudatur à Plutarcho Nicias, quod talem ſe cogitarit,
B reque ipſa præſtiterit. Quanto igitur magis ea Eccleſiaſticos Antiſtites cogitatio oratioque decet? quibus maximus & primus ille ſecundum Saluatorem noſtrum Ieſum, Pontifex S. Petrus 1. epiſt. 5. *Paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei, prouidentes non coacte, ſed ſpontanee ſecundum Deum: neque turpis lucri gratia, ſed voluntarie, neque vt dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo.* Et D. Hieron. in Epheſ. 5. *Audiant Epiſcopi, audiant Presbyteri, audiat omnis ordo Doctorum ſubiectis ſuis ſe eſſe ſubiectos, & imitentur dicentem Apoſtolum: Cum enim eſſem liber ex omnibus, omnibus meipſum ſeruum feci, vt omnes lucrifacerem, &c.* Huius autem tituli occaſio contigiſſe S. Gregorio dicitur, è contrario Conſtantinopolitani Patriarchæ Ioannis faſtu, qui *Oecumenicum*, ſeu *vniuerſalem Epiſcopum* ſuperbe ac falſo inſcribere ſe auſus eſt, de quo; & ad
C quem idem S. Gregor. l. 4. epiſt. 34. 36. 38. 39. In gloſſa vero c. *Quoties* 1. *quæſt.* 7. eiuſmodi refertur diſtichon: *Romanis quondam ſeruus Dominis Dominorum: Serui ſeruorum nunc tibi ſunt Domini.*

Et flagellat] deeſt in MS. C. [1].

Tribulatio.] In C. additur, *& reliqua vſque qui nos dilexit.* Ego integra hic, & interdum alibi, verba poſui: Interdum vero breuitatis notam hanc aut aliam, *& cæt.* retinui, cuiuſmodi & in ſcripturis, aliiſque ſententiis notis citandis: vſitatæ apud Hebræos notæ ſunt וגו & וְכוּל, Sic epiſtol. 3. & deinceps.

Cum ſapientibus.] Matth. 25.

IN EPISTOL. III.

Danielo] In C. characteres, de quibus in epiſt. 1. ignoti, & valent, *Danielo Epiſcopo Bon.* Sicuti & iiſdem characteribus antecedit hoc, *Epiſtola Beati Bonifacij Epiſcopi.* Iſte vero eſt *Daniel* Ventanæ ciuitatis apud Occidentales Saxones Epiſcopus, ſanctitatis doctrinæque fama inclytus, de quo Venerabilis Beda lib. 5. hiſt. cap. 19. & 24. Othlonus lib. 1. vitæ Bonif. c. 10. & hæc infra epiſt. 66. 67.
D in qua, ſub finem, de cæcitate quæ hic tangitur mentio.

Onerosum] C. honeroſum. Illud hodie vſitatius: & tamen ſi Varronem l. 4. de lingua Lat. conſulamus, iſtud melius. *Honos*, ait, *ab honeſto onere. Itaque honeſtas dicitur, quod honoratum, & dictum: Honus eſt honos, qui ſuſtinet rempublicam.*

Nouas ſectas] Vide Vincent. Lirinenſem Commonitorij cap. 26. 27.

Foraſtica] exteriores, quæ foris ſunt, quibus opponuntur *interiores*. Vnde ſubditur: *Intima vero quando.* Et nota duplex tentationum genus, quibus Sanctorum, & eorum, qui in aliorum ſalutem incumbunt, ſerio affligantur, & diſcruciantur animi. Sunt enim *exteriores* moleſtiæ, vt labor, fames, ſitis, defatigatio, vigilia: Sunt & *interiores*, quæ multo fodicant animum vehementius, vt ſcandala, & quorundam apoſtaſiæ. Sic & infra epiſt. 13. 85.

Sine patrocinio.] Quemadmodum malleus & ſecuris fabro, aliaque artificibus aliis inſtrumenta ipſique animo corpus, ſuum ad ſitem, famulari, & opem operamque ſuam præſtare debet: ſic temporalis poteſtas ſpiritali. Vide S. Auguſtinum epiſtol. 50. Bellarminum lib. 3. de Laicis cap. 18.

De illa communione.] Sic & infra epiſt. 141.

In corpore.] Infra eſt hæc Sancti Bonifacij iuratio p. 163. E
Quomodo autem ad S. Petri corpus facta illa ſit, expoſui l. 3. Mogunt. not. 15. Vide S. Greg. epiſt. 3. l. 10.

Filio.] Cauſa excitato antea Othlono l. 1. c. 10.

Vvynbertus.] Othl. l. 1. c. 4.

Sex.] Vel iſta verba vbi que reperiuntur, legenda *ἀπερίθετικῶς*, vel, vt in Cæſareo, legendum *vbi ſex, &c.*

Munuſcula.] Hic ad charitatis indicium; fomentum ac incrementum Sanctis olim fuit mos, vt ex S. Auguſtini, Paulini, & aliorum epiſtolis patet. Atque hic infra ſæpius occurrent exempla, vt epiſt. 4. 5. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 20. Longum ſit numerare omnes. Vide S. Gregorium epiſt. 57. l. 6. epiſt. 57. l. 7. epiſt. 47. l. 11. epiſt. 16. l. 12.

Caſulam.] Hodie in ſacris pro extima veſte ſacra, qua ſacris operaturus amicitur ſacerdos, accipitur, prout in miraculo etiam ſancti caſulam exeuntis *Aldhelmi* de quo ſeq. epiſt. 4. Apud veteres pro domuncula ruſticana, *à caſa* infr. F
ep. 83. ex qua Feſt. *caſaria*, quæ cuſtodit domum, *ἄγροικη*. Vel pro vulgari etiam indumento, vt apud S. Auguſt. l. 22. c. 8. de ſartore, qui *caſulam perdiderat*, & ſanctorum martyrum precibus egregie rurſus veſtitus fuit. Veſtis vero eſt quædam veluti proxima hominis domus: & domus eſt quaſi remotior, ampliorque veſtis. Rabanus lib. 1. Inſtitut. Cleric. cap. 21. *Caſula dicitur a caſa, eo quod totum hominem tegat, quaſi minor caſa.* Et forte ab Hebræo verbo *caſat*. quod eſt tegere, ſeu operire, à quo Exod. 22. 25. Iob 24. 7. & c. 31. 19. *ceſuth*, id eſt, *veſtis operimentum.* Et forte Gallis & Germanis quibuſdam *caſacque*. Sed vide Stephanum Durandum lib. 2. de ritib. Eccl. cap. 9. num. 17. Hic pro villoſo quodam panno ſumitur, & forte queat legi *ad tegendos pedes*, vt infr. epiſt. 89. licet infra epiſt. 8. non queat, quia additur ibi *cum lanceis*. Sed hæc vbique lectio, etiam infra epiſt. 11. Dum autem dicitur *non holoſerica*, videtur ſignificari, non eſſe ſacram caſulam, quæ holoſerica fere eſt. In C. autem ſcribitur *oloſerica* hic & G
infr. B. 9.

Didymo.] Se huius Alexandriæ in diuinis litteris auditorem fuiſſe notat S. Hieron. epiſt. ad Pamm. & Oceanum, quæ incipit *Scedula*, & de eo in Catal. ſcr. Eccl. ſic: *Didymus Alexandrinus captus à parua ætate oculis, & ob id elementorum quoque ignarus tantum miraculum ſui omnibus præbuit, vt Dialecticam quoque & Geometriam, quæ vel maxime viſu indiget, vſque ad perfectum didicerit. Is plura opera & nobilia conſcripſit*: & vbi hæc enumerauit, eum ait ſuperſtitem adhuc tum fuiſſe *annorum* 84. Cum vero infans eſſet Sanctus Hieronymus, id eſt, ante annos facile 60. (nam librum iſtum ſcribebat *anno* 14. *Theodoſij*, (vt in extremo ait) accidit quod de Didimi cæci oculis hic refertur, prout idem S. Hieronymus narrat in epiſtola ad cæcum Caſtrutium, quæ incipit *Sanctus filius.* De noſtri vero ſæculi homine Genebrardus in Chronico ſic: *Robertus Mancop Scotus à puero cæcus, vſque eo Pariſiis in litteris profecit, vt Theologiæ Doctor Romæ creatus Archiepiſcopus Armacanus: Deinde legatus in Interiorem Hybernia fieret: Non doleas*, inquit epiſt. ad cæcum rurſus H
alium, *Abigaum* nomine, Sanctus Hieronymus, *ſi hoc non habeas, quod formicula & muſca, & ſerpentes habent, id eſt, carnis oculos, ſed illum te oculum habere lætare, de quo in Cantico Canticorum dicitur: Vulneraſti me ſoror mea ſponſa vno de oculis tuis, quo Deus videtur.* Idemque ſanctus Didymum illum cæcum vocat *videntem ſuum* præfat. Comment. in epiſt. ad Galatas, quemadmodum apud Hebræos *Ioſeph cæcus* hagiographorum Paraphraſtes Chaldæus vocari ſolet *Saggi nehor*, id eſt, lumine multus, ſeu oculiſſimus.

Speculati.] paſſiue vt apud ſanctum Auguſtinum lib. 2. contra Maxim. cap. 11. *contemplari* lib. 18. cap. 54. *exordiri*, in Pſalm. *venerari*. De oculis, quibus videtur Deus, videatur Auguſtinus epiſtola 6. 111. & 112.

Feneſtra.] Eodem vtitur argumento citata iam ad *Abigaum* epiſtola S. Hieronymus.

Ad hanc vero epiſtolam reſponſum ab ipſo Daniele inſigniter, eſtque epiſtola illa in Ingolſtadienſi Codice 42. in L. 30. in B. 12. quæ ne omnino prætereatur, hic deſcribenda.

A

Domino reuerendiſſimo & merito ab omnibus Orthodoxis amplectendo multiplici ſcientia variarumque virtutum gratia inſigniter decorato Bonifacio Archiepiſcopo, Daniel Dei plebis famulus ſyncerriſſimam in Domino cunctorum culmina præeminenti ſalutem.

LEctis litteris à tua fraternitate tranſmiſſis, multum mœrore commoti ſumus; quia hoc amantibus intolerabile viſum fuerit, ſi iis à quibus amantur, aliquid incommodi contigerit. Quandam tamen conſolationem, ſæpius reuoluentes, inuenimus in eo, quia hoſtis callidi inextricabilis aſtutia nequaquam ritus Religionis noſtræ tanta violentia, & tam variis bellorum, ſeu errorum oppoſitionibus per ſublimes Sacerdotum, vel cæterorum quorumcunque reproborum perſonas expugnare tentauerit, niſi & in illis maioris meriti excellentiam agnoſceret. Vnde vos operam dare primitus oportet, vt inceptio glorioſa quæ eſt (vt arbitror) Apoſtolicis coæquanda certaminibus, nullatenus propter illorum deſeratis inſidias, qui dolis inſtructi ſalutiferæ ſolent reſiſtere doctrinæ; ſed tanto libentius illatæ difficultates ferendæ ſunt, quanto certius comperimus ſanctorum eſſe ac Martyrum in mundo preſſuras, in cœlo autem copioſiſſimam, Domino promittente, mercedem, quem & hic auxiliatorem (ſi tantum in tribulationibus tolerantiæ non tædet) & illic cum iuſtis gauiſuri remuneratorem habere meremur. Quapropter cum charitas excellentiæ tuæ conſilium ſibi à noſtra paruitate petere dignata ſit: hoc exiſtimamus, profuturum, quatenus inuicta patientia perferre ſtudeat, quod abſque Dei prouidentia prouenire, non neſciat. Quamuis ergo foraſticæ pugnæ pernicies ſæua ſit, Ipſaque atrocius inteſtina formidanda ferocitas noceat (quod vtique non miror cum Chriſtus Ieſus olim fratrem à fratre in mortem eſſe tradendum teſtatus, & filium à patre, & parentes à nepotibus propter nomen ſuum necandos) ſcilicet impugnantes per eſcarum ſuperſtitioſiſſimam obſeruationem. Domini opus deſtrui quærentes, quæ propemodum in ipſo vſu hominis pari detrimento peribunt: aut ſi turpe lucrum ſectantes, adulationis gratia vel etiam ipſorum laudes veſtræ vero vituperationis zelo ſeueritatem populis pronuntient ac ficta blanditia pacis appellationem ingeminent & ſecundum Eſaiæ vaticinantis præſagium, dicentes *malum bonum, & bonum malum* & reliqua vel ſi ſegetem veſtræ venerabilitati commiſſam, ſterile lolium interſerendo, ſuffocare conentur, quia vtique, ante meſſis maturitatem, à quoquam, Domino monente, compeſcitur euelli, de quo vberius dicemus: Licet inquam, hactenus inaudita proferant dogmata ad decipienda minus intelligentium corda, quæ vos in diuinis voluntatibus optime eruditos neque ad horam introducta latent, neque etiam, quæ iis opportune poſſint opponi. Sed ne te diutius moret, ducendo per ſingula dicam breuiter. Quanquam vniuerſa nefandæ factionis argumenta ad expugnandos & affligendos vos exerceant; tamen ſecundum præcedentium Sanctorum exemplar, quod corrigendo curari nequit, ſaltem ſuſtinendo portare. De Sacerdorio autem homicidarum & adulterorum, qui, abſque vlla reſipiſcentia, in peccatis ſuis perdurare præſumunt, ſatis tibi ſacratiſſimi Canones ac decreta Pontificum perſuadent. Si igitur homicidis iugiter agentibus pœnitentiam, & circa exitum vitæ perfectio (id eſt,) communionis Chriſti gratia conceditur, incorrectis qua ratione cura regiminis Chriſtianæ conuerſationis iniungitur? Adulter vero, quem nec ſero ſuæ impudicitiæ pœnituit, qua conſequentia ſibi Sacerdotale officium vſurpabit, quoniam ſecundum ſtatuta Innocentij Papæ, cæterorumque, qui viduam, aut ſecundam duxerit vxorem, non modo à miniſterio Eccleſiaſticæ dignitatis, verum etiam à Clericatu coërcetur? Cum & hæc propter carnis fragilitatem, indulgenter conceſſa ſunt: adulteria vero ab omnibus penitiſſimis prohibeantur. A communione, autem filiorum, fratrum, ſiue ſacerdotum, quale conſilium eſt tam idoneum, vt te in rebus corporalibus

B

B. neſcit.

B. minor. Matt. 10. 21. *B. ſoliti impugnantes p. e. ſ o. d. o. d quarentes. ſ.*

C

quærſtas. B. proponentur in ipſo. B. per ipſ. laudes veſtras v. vituperationes falſo ſeueritate pop. Iſa. 5. 10. Math. 1. 30. *B oppoſi ignoras. l.*

D

1. Cor. 5. 10.

E

ſeparatim disiungat, ne ſone de hoc mundo exire incipias, quoniam iſti vbique, & ſemper ſobinetoire nituntur, à quibus ſe periculis implicatum Paulus Apoſtolus aſſerebat.

Et cæteri Chriſtianæ religionis conditores ipſum, aut ſe paſſos, aut poſteris patiendum fore fatentur. Dicis enim, te ab illis in ſactis oblationum libaminibus remotiſſimum eſſe, ne ſacrum canibus dare videreris. De hoc quid ſentiret Sanctus Auguſtinus inter cætera ſubtiliter inſinuabimus. Inſuper non ſponte, non conſenſu, neque ex voluntate, ſed ſola neceſſitate cogente nonnunquam te inter ipſos habitantem. Nempe Hieronymus ait, In Euangelio voluntas quæritur, quæ ſi etiam effectum non habuerit, tamen præmium non amittit. Quare ſi his coniungeris, verbi gratia, in perceptione ciborum, vel in cohabitatione loci, nonne ille, qui non venit vocare iuſtos, ſed peccatores, iuit ad conuiuia peccatorum, vt occaſionem haberet docendi? vt in eo quod miatim Regem interdum adire deberis, & pro pace Eccleſiaſtica pariter deprecari, quia ipſi, vt veri Paſtores, plerunque pro ouibus interuenire ſe fingunt. Primum quidem implendum eſſe quod ſcriptum eſt, ſciamus: *Subditi eſtote omni humanæ ordinationi,* & reliqua, *& omnibus poteſtatibus ſublimioribus* & reliqua.

Math. 9. 15.

F

1 P. c. 2. 13. Rom. 13. 1.

Demum conſiderandum eſt, quia propoſita eſt ſimilitudo tritici & Zizaniorum de permixtione malorum atque bonorum. Et munda & immunda animalia, ait Auguſtinus, introiſſe in arcam leguntur. Neque enim quacumque libuit, intrauerunt immunda animalia, arcæ compage confracta, ſed ea integra per vnum atque idem oſtium quod artifex fecerat. Non enim, inquit, per has ſimilitudines & pronuntiationes, conſilium diſſidiæ bonis datum eſt, quo negligant quod prohibere debent: Sed patientia qua perferant, ſalua doctrina veritatis, quod emendare non valent. Item dicitur: Cum ergo inueniamus in Eccleſia malos quos Eccleſiaſtica diſciplina corrigere & coërcere non poſſumus, tunc ne aſcendat in cor noſtrum impia & pernicioſa præſumptio, qua exiſtimemus nos ab his eſſe ſeparandos, vt peccatis eorum non coinquinemur, atque ita prius nos trahere conemur veluti mundanos, ſanctoſque diſcipulos ab vnitatis compage, quaſi à malorum conſortiu ſegregatos. Veniunt in mentem illæ de ſcripturis ſimilitudines, quibus demonſtratum eſt, multos in Eccleſia permixtos bonis vſque ad finem ſæculi temporiſque iudicij futuros, & nihil de bonis vnitate ad participationem Sacramentorum, qui eorum factis non conſenſerint, obfuturos. Cum vero eis per quos Eccleſia regitur adeſt, pace ſalua, poteſtas diſciplinæ ad vſus reprobos aut nefarios exercendæ, tunc rurſus, ne ſocordia ſegnitiaque dormiamus, aliis aculeis præceptorum, quæ ad ſeueritatem coërcitionis pertinent, excitandi ſumus, ita eſt etiam ratio diſſimulandi & tolerandi malos in Eccleſia, & eſt rurſus ratio caſtigandi & corripiendi, non amittendi, vel à communione remouendi: vt nec patientiæ nomine torpeſcamus, nec obtentu diligentiæ ſæuiamus. Dicam quod ex operibus antiquorum excerpſi Doctorum, & vtiliter in tam pernicioſa barbarie ad memoriam debet reduci: ſi forte in præfata condeſcenſione à quolibet calumniari de aliquo ſimulandi, ſiue etiam fingendi genere, legerimus, quod vtilis ſimulatio aſſumenda ſit in tempore. Vnde Cephas, *ſubtrahebat ſe & ſegregabat, timens eos qui ex circumciſione erant:* Et vas electionis, totondit *caput* & Timotheum circumcidit. Ipſe quoque filius Dei *finxit ſe longius ire*, & neſcire quæ ſciebat, vt eſt in Euangelio. *Quis me tetigit?* &, *Vbi poſuiſtis eum?* Sed & Pſalmiſta immutauit vultum ſuum coram Habimelech: & ludens Ioſeph fratribus ſuis locutus eſt: nec non & Iſraël hædinis pellibus membra contexit. Hoc fecit, vt putaretur eſſe, qui non erat. Et ſi diligenter attenditur non eſt mendacium, ſed myſterium. Per hædinas quippe pelles, peccata, per eum vero qui ſe iis operuit, ille ſignificatur, qui aliena peccata portat. Hæc tuæ charitati non quaſi priſcæ auctoritatis ignaro, noſtræ ruſticitatis admonitione indigenti, ſed ne quid tuis rogatibus, derogaſſemus, tre-

G

H

l. Calumniari. Gal 2. 12. Act. 18. 18. & c. 16. 3. Luc. 24. 28. & c. 8. 45. Ioan. 11. 34. Ps 33. in tit. & 1. Reg 21. Gen. 42. 44 & c 27.

A pidanter ſcripſimus, quo eo quod te cum maioribus contraxiſſe negotium comperimus, amore tantum atque obeditione amplius incitati, quam arte vel audacia freti: tantum reuelando, non etiam imperando prolata diximus, ne forte his, qui vltra modum excellentiores ſunt, in aliquo aduerſari videremur. Exhortatoria profectò tuæ ſuggeſtionis monita de inſtanti corporis moleſtia perferenda, ſatis libenter ſuſcipimus: &, in quantum vires ſufficiunt, ipſo domino auxiliante, qui pro ſua miſericordia monuit nos, tuis ſalutaribus obtemperabimus dictis. Hoc quoque cognoſcat veſtra beneuola dilectio, quia licet terrarum ſpatioſo ſequeſtremur interuallo, ac maris immenſitate nimia, & cœli inæquali climate dirimamur, pari tamen tribulationum deprimimur faſce. Eadem eſt enim operatio ſatanæ hic & ibi. Propter quod diligentiſſime deprecor: nos orationum mutua vicißitudine iugiter muniamus, reminiſcentes ſermonis quem dixit: *Si conſenſerint ex vobis duo aut tres, & reliqua.* Vale. Vale centupliciter cariſſime mihi, & alia manu, &c. (Matt. 19.)

B

In IV. L*VL.*] qui infra etiam *Lulla* & *Lullo*, Archiepiſcopus poſtea Moguntinus, ſancti Bonifacij ſucceſſor, cuius & *has*, & *alias tam multas*, quæ infra ſunt, gaudeo huc Moguntiam & in hoc Collegium adueniſſe *litteras*, quo eiuſdem *ſacrum caput* ſuperiore anno aduenerat, vt in eius hiſtoria ſcripſi l.4. Mogunt. Ignoto tamen, de quo ſupra, charactere ſcriptum erat nomen hoc.

Aldhelm.] *Fuit hic*, vt ait Beda lib.5. cap.19. *vir vndecunque doctiſſimus, ſermone nitidus, ſcripturarum tam liberalium quam Eccleſiaſticarum eruditione mirandus.*

Scripſit librum *de Paſchate*, librum *de Virginitate* geminum tam verſu ſcilicet, quam proſa, & alia complura, è quibus, R.P. *Martini Delrij* ſtudio, hic ante triennium edita, *Tetraſticha, Pentaſticha, Sexaſticha, Heptaſtichaque & Poëtica* quædam alia. Infra, etiam alia ſeſe nobis in conſpectum dabunt, nonnullæque ipſius epiſtolæ. In altero Saxonum Occidentalium Epiſcopatu, qui *Schireburnienſis*

C dicitur, Epiſcopus fuit eodem tempore, quo *Wintonienſis* ille, de quo epiſtola ſuperiore, *Daniel*. Plura de eo apud *Surium* tomo tertio die vigeſimo quinto Maij, & *Delrium* in citatis Poëticis. Hæc ad videndum, cur eius tantopere libros deſiderarit B. Lullus; allata.

In V. *Lanebada.*] Et hoc ignoto ſcriptum charactere nomen, ita vt de ſyllaba vltima dubitem. Nam ea ſic erat. DVH, niſi quod D. inferne clauſum non erat.

Noſtram autem.] Etiam fœminine dixit lib.7. Cæſar, & Tibullus.

Genuum.] Putarem, *genuum*. Nam quemadmodum *gelu & gelus*, ſic *genu* & *genus* apud veteres dicebatur, vt ex Lucilio monſtrat Nonnius, ſed non *gena*, de qua Feſtus.

Pater noſter.] An S. Bonifacius *puerulos*, id eſt, ſeruulos iſtos manumiſerat?

In VI. D*Iceres, De vno.*] Sic diſtinguendum. Nam Saxones dicebant S. Bonifacio Angliſque Chriſtum Ieſum prædicantibus. *De vno ſanguine, & vno oſſe ſumus*, quia in Angliam profecti Saxones, & ex iis Angli, vt in Moguntiacis

D dixi & infra ad epiſt.19.

Duorum.] ſcilicet Gregor. II. & III.

In VII. C*EOla*] infra epiſt.12. Bar.73. *Ceda*. An V. Beda lib.5. c.8. de ipſo?

In VIII. E*Cberthe.*] In V. Bedæ Epitome anno 732. *Egbertus pro Vvilfrido Eboraci Epiſcopus factus*: Poſtea anno 735. *Egbertus Epiſcopus accepto ab Apoſtolica ſede pallio, primus poſt Paulinum in Archiepiſcopatum confirmatus eſt*, cuius mors ibidem traditur anno 766. diciturque *regali proſapia ditatus, ac diuina ſcientia imbutus*. Alius vero ab illo eſt, qui ad Catholicum Paſcha Scotos Hiienſes traduxit lib.5. hiſt. cap.23. vbi iucunde mortuus ipſo Catholici Paſchatis die ann.728. in Epit.729.

Ethebaldo.] V. Beda lib.5. cap. vlt. *Edilbaldus Merciorum Rex*, & in Epitome anno 740. *Edilvvaldus*. In Bar. *Athebaldus*, & anno 757. rurſum *Edilbaldus*, vbi de miſerabili eius cæde. Infra de eo plura epiſt.10.12.19.

E

In IX. C*Loca.*] De hac voce l.3. Mogunt. not.47. Hoc tamen ſeculo iam tum cœperat *campana* nomen, vt ex V. Beda patet, cum lib.4. c.23. ait: *Audiuit notum campanæ ſonum, quo ad orationes excitari vel conuocari ſolebant, cum quis de hoc ſeculo fuiſſet euocatus.* Eiuſque mentio eſt c. *In cauſis*, de elect. c. *Ioannes*, de homic. c. *Petentibus*, de priuil. cap. fin. de ſent. excomm. in 6. c. *Nimis iniqua* de exceßibus Præl. Vide multa de harum ortu, cauſa, effectu & ſignificatione apud Steph. Durandum l.1. de ritib. Eccl. cap. 22. de ſacratione ac impropriè vocato baptiſmo apud Lindanum parte Apol. cap.52. Inferius vero epiſt.69. rurſum *cloca*.

In X. H*Eref.*] C. *Herefritho*. In Epitome V. Beda *anno* 747. *Herefridus vir Dei obiit.* Quia *vir Dei*, ideo eius monita interdum audiebat Rex alioqui voluptarius. Vide l.4. hiſt. c.29. & in vita S. Cuthberti.

S. Iacobi Apoſtoli.] Longe alius ſancto huic Germanorum Apoſtolo, quam Apoſtatæ Luthero de S. Iacobi epiſtola ſenſus fuit, qui hanc, vt infra etiam patebit, citat toties, epiſtol.16.18.19. 89. alibi, & Apoſtolo ſemper tribuit,

F eamque, vt lib.3. Mogunt. not.48. dicebam, notis nonnullis expoſuit. Infra epiſt.44. dicitur *Iacobus matertera Domini filius*.

Subter.] In exemplaribus, quæ vidi, omnibus, deſunt ea nomina.

Sabanum.] Genus veſtis ac lintei eſſe, intelligi datur ex hac Viticenſis Victoris lib.3. de perſec. Vandalica narratione: Muritta Diaconus Catholicus cum ab *Elpidoforo* Ariano apoſtata, fidei cauſa, torquendus eſſet, *priuſquam*, ait Victor, *exueretur, clam, furto, neſcientibus cunctis, illa quibus Elpidoforum ſuſcipiens de fonte dudum texerat, ſabana baiulabat. Quibus ventilatis, ſimulque in oſtenſione cunctorum extentis, in hæc verba totam ad fletum & lachrymas commouiſſe dicitur ciuitatem: Hæc ſunt linteamina, Elpidofore, miniſter erroris, quæ te accuſabunt, dum Maieſtas venerit iudicantis.* Et eadem iterum reuertitur vox infra epiſt.145. Vide c. Poſt baptiſmum de conſec. diſt. 4. S. Greg. l.7. ep.5.

G

In XI. P*Ethelmo.*] Hunc V. Beda l.5. hiſt. c. vlt. ita ſcribit & deſcribit: *Pecthelmus in ea* (Angliæ Eccleſia) *quæ candida caſa vocatur, fuit Epiſcopus, quæ nuper multiplicatis fidelium plebibus, in ſedem Pontificatus addita, ipſum primum habet Antiſtitem.* Idemque antea c.19. retulit miraculum, quod de *B. Hedda* referebat hic. Et rurſum antea c.14. hiſtoriam de *milite* moribundo, confeſſionem reſpuente ac deſperante.

Adoptiuum ſuſcipiebat.] Aliud eſt filium adoptare, aliud *in baptiſmo adoptare, ſeu adoptiuum ſuſcipere*. Nam hoc eſt, quod olim *c. In catechiſmo* de conſ. d.4. & hodie dicimus, *eſſe patrinum*, ſeu vt poſtea ep.15. loquitur S. Bonifacius, *de ſacri baptiſmatis fonte aliquem eleuare*. Et qui hoc facit eum recentiores quidam vocant *ſuſceptorem, & ſacræ initiationis arbitrum*, Tertullianus lib. de bapt. *ſponſorem fidei*, D. Auguſtinus lib.1. de peccat. merit. cap.34. & epiſt.23. *Offerentem*; Vita S. Epiphan. apud Lipom. tom.6. fol.36. *patrem*, Concilium Moguntinum ſub

H Carolo Magno, cap.47. *compatrem*: Dionyſius Areopagita Hierar. Eccl. cap.2. ἀνάδοχον, ἐγγυητὴν, & καθηγεμόνα. Et huiuſmodi quidem ſpiritalis parentis officium paucis indicat citatum Moguntinum Concilium, dum ait: *Vt compater vel proximus, filiolos ſuos ſpiritales Catholice inſtruant, præcipimus.* Sed & hoc & alia plura ſerio & eleganter S. Auguſtinus ſermone 163. de tempore, qui eſt 7. in octauis Paſchæ, D. Chryſoſtomus in 1. Cor. hom.12. & canon. *Vos autem* de conſecr. diſt.4. Sed ex inſigni actione hac, ſolet inter iſtum, & eum, qui baptizatur, eiuſque parentes ambos *cognatio* exiſtere *ſpiritalis*, quæ Eccleſiaſtica lege, matrimonium inter hos, quos dixi omnes, contrahendum quidem impedit, contractum vero dirimit, vt multi tum canones, tum capitula in Iure docent Canonico apud Gratianum 30. quæſt. 1. & 3. & in Decretalibus, ac texto *de cognatione ſpiritali*. Ac vero eiuſmodi vinculi maximam à Romanis iam olim Pontificibus Iulio & Cœleſtino, variiſque Conciliis habitam rationem teſtis eſt *Deuſdedit* Pontifex epiſtola

A ad Gordianum Epiſcop. Hiſp. Si vero ea canonum volumina, is ordo, eaque ſeries, quæ nunc eſt, S. Bonifacij tempore fuiſſet, nunquam iſta de quæſtione adeo dubitaſſet. Nunc vero eius & in quærendo ac interrogando laudanda, quæ & hic & epiſt.15. ac 22. cernitur, ſedulitas, & animi magnopere imitanda demiſſio, dum non Epiſcopos & alios tantum interrogat, ſed & ſuos quondam diſcipulos, ab iis iam ſenior doceri volens epiſt. 22. dumque inſuper non argumento ac rationi, quam dubitandi habebat epiſtol.15. mordicus adhærere, ſed Patrum Eccleſiæque decretis obedienter mauult acquieſcere. Et tamen eadem vna ratio eſt, ob quam audent hodie Lutherus in Babyl. capt. & Beza in libr. de Matrim. omnibus illis audacter ac ſuperbe refragari, omnemque omnis ſpiritalis cognationis honeſtatem aſpernari, ac pro nihilo ducere. Tantum ſcilicet homo homini diſtat, modeſto arrogans, Catholico hæreticus. Vide Trid. Conc. ſeſſ. 24. cap.2. Bellarm.l.de Matrim.cap.30.Zonaram tom.3.in Ni-
B cephoro Phoca V.Bedam l.4. hiſt. cap.13. Aimonium l.4. cap.57.

In XII. E *Thebaldo*] ſupra epiſt.8. Huic dum accipitres & ſimilia mittit Regi S.Bonifacius, facit quod in ægris boni Medici, in pueris boni Magiſtri. Cum enim altera, cuius hic mentio, epiſtola, quæ inferius eſt 19. ipſum ob intemperantiam ac libidinem, eſſet reprehenſurus, mollioribus eum verbis gratiſque ipſi, minimeque tamen malis muneribus docilem, bonorumque capacem monitorum ſtudet reddere, Nam vt de illis ait Lucre.l.4.

——Veluti pueris abſinthia tetra medentes
Cum dare conantur prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flauoque liquore,
Vt puerorum ætas improuida ludificetur
Labrorum tenus: interea perpotet amarum
Abſinthij laticem, deceptaque non capiatur,
Sed potius tali facto recreata valeſcat.

Et Horatius——*pueris dant cruſtula blandi*
C *Doctores elementa velint vt diſcere prima.*

Anglorum Reginæ Edelburgæ miſit Bonifacius Pontifex argenteum ſpeculum, eburneumque pectinem. Beda l.2.hiſt.c.11.

In XIII. E *Adburg*] ſupra epiſt.2.

Apoſtat.] epiſt.3.

In XV. *Nothelmo.*]Beda Epit. Anno 735. *Nothelmus Cantuariorum Archiepiſcopus ordinatur*: anno 739. *obiit eique ſucceſſit anno* 740. *Cudbertus.* Succeſſerat ipſe *Tarcuino* ſiue Tarvvino (varie enim ſcribitur) qui mortuus anno 734. *Tacuinus* vero *Berthvvaldo*, qui anno 731. *longa ætate conſumptus defunctus eſt die 5. Iduum Ianuarium*, cum ſediſſet *annos* 37. *menſes* 6. *dies* 14. vt ait Beda lib.5. cap. vlt. hiſt. Quod notandum, vt intelligatur, *Berthvvaldum* (ſic enim ex Beda, & Cæſ. legendum) hic à S. Bonifacio vocari *anteceſſorem Nothelmi*, non proximum & immediatum, cum inter vtrumque interceſſerit, qui vocatur *Tacuini* vel *Tarouini*, ſicuti alius infra hic epiſt.16. *Tarvvinus.*
D *Interrogationes Auguſtini.*] Quatuor petit ab iſto Archiepiſcopo S. Bonifacius. Primum & ſecundum apud V. Bedam eſt lib.1. hiſt. cap.27. De tertio dictum ſupra epiſt.11. Quartum apud eundem Bedam Epitome breuiter eſt ſic: *Anno* 569. *Gregorius Papa miſit in Britanniam Auguſtinum cum Monachis, qui verbum Dei genti Anglorum euangelizarent. Anno* 597. *venere in Britanniam præfati Doctores, qui fuit annus plus minus* 150. *aduentus Anglorum in Britanniam.* Vbetius lib.1. cap.23. 24. 25. & de feliciſſimo euangeliſmo adde S. Gregorij epiſt.30. ad Eulogium Alexand. l.7.

In XVI. C *Vidam*] videtur hæc *Eadburga* eſſe, quia de precibus, quas petit, earumque cauſis ait S.Bonifacius: *Iam de hoc ante deprecatus ſum.* At hoc ſupra factum epiſtol.13. & 14.

In XVII. S *Peciales horas.*] Videntur Eccleſiaſticæ preces hic ſignificari, quæ *horæ Canonicæ diuinique officij curſus* vocari quandoque ſolent, de quibus contra hæreticos Bel- E
larminus l.1.de bonis operibus in partic.cap.12.13.& infra hic epiſt.76.

S *Auguſtinus*] ſerm.42.de tempore: *Charitas*, inquit, *ipſa vera eſt, quæ corporaliter ſeparatos conſueuit ſpiritaliter copulare atque coniungere. Duo enim, qui ſe ſancto amore diligunt, etiamſi vnus in Oriente, alius in Occidente, ita in charitate conglutinante iunguntur, vt nunquam abinuicem ſeparentur.* Ideoque & hic legi poteſt, *ab* non *ad*. XVIII.

E *Thibaldo*] ſupra epiſt.8.& 12. In XIX.

Video.]Menda inſignis pro, *fidem in Domino.*

Deo coram] C. *coram Deo* & h.

Preceptum] abuterentur hoc loco vxorij Nouatores noſtri, niſi ſtatim ſubderet ſanctus, *ab ducenda vxore propter Dei timorem & amorem abſtinere, non eſſe reprehen-*
ſibile, ſed magis laudabile. Et nota quam grauiter contra F
eoſdem Nouatores loquatur Sanctus, dum ſanctimoniales ſeu Nonnas *Dei ſponſas* vocat, eaſque libidinoſe contingere ſcelus eſſe docet *grauiſſimum.*

Hoc reus] forte, *de hoc reus*, *vel hoc reus ſit* videlicet *feciſſe.*

Nonna] etiam hac epiſt. inferius, & in duobus Conciliis infra ponendis p.112. 113. In Caroli vero Magni Conſtitutionibus, p.238.& 263. *Nunnanes.* quorum Germanicam originationem affert quidem illic Amerbachius, ſed neque decoram ſatis, neque veriſimilem. *Nonnos* apud Ægyptios vocari Monachos, & moniales *Nonnas* ait Rhodiginus l.5. cap.12. S.Hieronymus ad Euſtoch.de cuſtod. Virg. *Caſta*, inquit, *vocantur & Nonnæ.* Vbi ad probandum Nonnam eſſe virginem argumentum ex nomine proprio apud Suidam ducit Eraſmus parum firmum. V. Beda lib. de numeris p.113. dicit apud Hebræos numerum dici *Nonnam*, ſed lege, *monam*, cum verbum *manah* valeat numerare, licet nomen illud *mona*, vel etiam *manah*
in ſcripturis portionem aut partem potius ſignificet.1.R.1. G
5.& c.9.23.26. alibi.

Antiqua Saxonia.] Sic vocatur Germaniæ illa pars vnde orta *recentior* in Anglia *Saxonia*. Nam ſub Domini annum 409. cum ad opem contra hoſtes ferendam Saxones euocaſſent, iis etiam apud ſe habitandi locum dederet: quem & vi paulatim retinuerunt atque amplificarunt illi. Hinc noui Saxones, vel *Angloſaxones* in Anglia *Saxones* vero ſimpliciter, an vero *Altſaxones* vt ep.121. ſeu antiqui Saxones in Germania ſunt. Beda l.1. cap.10. 11. 15. hiſt. & lib.5.cap.10.11. & 12. Sed de illa, eiuſque populis dixi lib. 3.Mog.not.1. Pulchra vero hic ſubiiciuntur Ethnicæ Germanicæque ſeueritatis in adulteros exempla, quæ ſanctus laudat *Bonifacius* ſicut *villicum iniquitatis laudauit Dominus*, quoad ea, quæ in eius facto bona, non quoad omnia Luc.16. Neque enim laudandum, quod aut propriis ſibi manu mortem inferret quis, aut, vt inferret, cogeretur.

Ceolredus.] In Bed. lib.5. hiſt.14. *Cœnredus*, & in Epit. H
Ceolredus. Sed illo l.5. c.20. duo Cœnredi, & ambo Merciorum Reges. Prior *nobilius*, inquit Beda, *Regni ſceptra reliquit, & Romæ factus Monachus.*

Poſterior filius Edilredi Regis, qui Rex Edilredus poſtea Monachus & Abbas l.5. cap.20. De Ceolredo poſteriore ſermo hic, de cuius damnatione infra epiſt.21.& 71. Ei ſucceſſit *Edilvvaldus*, ad quem iam ſermo. Beda Epit. anno 740. qui Edilbaldus tandem *anno* 754. (triennio ſcilicet poſt S. Bonifacij martyrium) *à ſuis tutoribus*, *inquit Beda, noctu morte fraudulenda miſerabiliter peremptus occubuit: Beonredus regnare cœpit.*

Ofredus.] *Rex Nordanhumbrorum, puer octo circiter annorum, regnauit annis* 11. lib5. cap.19. Bed. & in Epit. *Anno* 716. *Ofredus Rex Nordanhumbrorum interfectus eſt, & Rex Merciorum Ceolredus defunctus eſt.* Et cap.23. poſt hunc occiſum *dicitur fuiſſe Rex Nordanhumbrorum Cœnredus, cui ſucceſſit Ofricus* cap.24. & huic *Ceoluulfus* frater Cœnredi, qui antea regnarat ib. huic *Eadbertus* in Epit. anno 737. Et ideo hunc Ofredum *iuuenilem & lu-*

A *xuriosum vitam perdidiſſe* ait S. Bonifacius. Nota hic triſtes Regum Dei leges contemnentium, ſacra violantium, nimiumque luxuriantium exitus.

In XX. DOminæ] ſic in C.ſed in B.*Donna*.vbi eſt epiſt.26. *VVietberga.*] B.VVictburga. de qua infra epiſtol. 111. Plura,quæ huc ſpectant.Bar.p.53.

In XXI. NOtabilis] non in C. vere tamen epiſtola, ob argumentum, notatu digna.

Hebelida.] C. Hildelida & L.

Ipſe cum ſupradicto fratre redinino. Tertull. viſionem quandam narraturus lib.de idol.cap.15.*Ex auctoritate*,ait, *Dei conteſtor, quia nec tutum eſt ſubtrahere, quodcunque viri fuerit oſtenſum, vtique omnium cauſa.* Rei vero quæ hic narratur, teſtimonium nobis duplex I. egregia ipſius narrantis S. Bonif. fides: Deinde ipſius, qui ei narrauit non aurita, ſed occulata confirmatio. Dicebat Abrahamo infelicíſſimus ille apud inferos diues epulo Luc.16. 30. *Si*
B *quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent*, & *multi* vt ait S. Chryſoſtom.ſerm.66. *ſolent dicere: O ſi quis a mortuis, veniret, & quid ageret referret, ei omnes crederent, &c.* At ſane non fit. Rediit ab illis Lazarus:*Et multi* quidem in IESVM *crediderant* Ioan.11. 45. Sed nunquid omnes? Rediit & adoleſcens ille viduæ in Nain filius & *accepit* quidem præſentes tum *omnes timor, & magnificabant Deum*: ſed nunquid omnes, qui hunc poſtea viderunt & audierunt, ad pœnitentiam adducti? Sic & de aliis, quos ad vitam vel ipſemet Dominus, vel Apoſtoli, vel Prophetæ reuocarunt. Cum Iſraëlis Rex, Achabi filius Ioram de rediuiuo Sunamitidis mulieris filio certum oculatumque teſtem audiiſſet Giezi, immo ipſummet rediuiuum illum ſuis ipſe oculis conſpexiſſet, narrantemque auribus item ſuis audiiſſet, num ſe correxit? num impietatem moreſque prauos abiecit? Accidit incredulis,quod furibus & latronibus, qui patibula paſſim rotaſque vident, neque tamen furandi latrocinandique finem faciunt. Et iſti quidem ſperant, euadere ſe fortaſſis poſſe,
C ſuaque ſemper celatum iri ſcelera: nos an æterna vllo modo,niſi pœnitentiam agamus, euadere ſupplicia poſſumus? Ante omnium noſtrum oculos, quotidianæ notorum, nobiſque familiarium, iuuenum & ſenum, diuitum & pauperum mortes ac funera ſunt: & certiſſimum eſt, ſequi oportere nos, & tamen num mouemur? Non igitur fine, ſi quis ex mortuis ad epulonis illius fratres iiſſet, ij ſe ideo confeſtim reprehendiſſent, pœnitentiam egiſſent, vitæ licentiam abieciſſent. *Si* ait citatus S.Chryſoſt. hom.4. de Lazaro. *Deus nouiſſet profuturos viuentibus mortuos, nunquam id omiſiſſet, neque lucram tantum prætermiſiſſet, qui vtilia nobis cuncta procurat.* Et hoc quidem, quoad ordinarium communemque mundi curſum: quoad extraordinariam vero & priuatam veluti legem, interdum *ſuperna*, vt ait S.Gregorius l.4.Dial. cap.36.*pietas ex magna miſericordia ſua largitate diſponit, vt nonnulli etiam poſt exitum repente ad corpus redeant, vt tormenta inferni, qua audita non crediderant, ſaltem viſa pertimeſcant*: neque ipſi modo, ſed & alij, qui ab ipſis iſta
D percipiunt. Fit autem hoc dupliciter. Vel enim illi *vere mortui* ſunt, vel *videntur tantum*; & non ſunt. Poteſt enim *duplex animi* à corpore fieri *diſiunctio*, vna *perfecta*, diſſolutis omnibus naturæ vinculis & compagibus: Altera *imperfecta* per eſtaſin quæ vel ſolam, vel minimum vnam retinet informationem ac vitam licet perobſcuram, & quaſi nullam. In potiori genere ſunt Lazarus, Nainicus, & Sunamæus, de quibus ſupra: In poſteriore *S.Furſeus* apud V.Bedam lib.3. hiſt. cap.19. & illi, quos in citati capitis titulo ſcribit S. Gregorius, quaſi per errorem educi è corpore videri, & à quibus ipſum orditur caput ſic: *Hoc cum fit, ſi bene perpenditur, non error, ſed admonitio eſt*, quia ſane iſta vel eſtaſis & imperfecta mors, vel vera & perfecta mors ad eorum, quibus contingit, & aliorum, ſiquidem velint vtrique commonitionem & vtilitatem diuinitus conceditur. Quæ vero iſtiuſmodi à corporibus perfecte aut imperfecte demigrantes vident animi, duplicia eſſe poſſunt, vel vera & prout illa in ſe ipſis
E ſunt, vel verorum ſimilia, prout expedit illa tum ſignificari & declarari. Sic enim loco citato explicat ſanctus Gregorius, & viſas in altero ſæculo eximias inſignium domorum ſtructuras, odoreſque ſuauiſſimos & profundos horrendoſque amnes, pontes lubricos, fœtoreſque teterrimos, & ad iſtam formam accipienda, quæ Sancto hic narrantur Bonifacio, quæ V. Bedæ lib.5. hiſt. cap.13. 15. Et narrantur quidem hic omnia, quaſi vere, perfecteque mortuus narrator fuerit (fierique id potuit) poſſent tamen accipi omnia, quoad eſtaticam mortis ſimilitudinem, ex S. Gregorij citato loco ſententia, qui ſimilibus tamen phraſibus in duobus vel tribus defunctis vtitur, & ex eo, quod in hac ipſa epiſtola ſub extremum dicitur is, qui Sancto hæc Bonifacio retulit, à corpore pauculis tantum horis abfuiſſe, à *primo* ſcilicet *noctis gallicinio ad primum diluculum*. Beda lib. de ratione temp. cap.5. *Noctis partes ſunt ſeptem: Crepuſculum, veſperum, conticinium, intempeſtum, gallicinium, matutinum, diluculum*, ſicque fere Macrob.l.1.Saturn.c.4.

F Sed quæ de futuri ſæculi rebus eiuſdem obiecta fuere oculis, imagines tantum, & pictæ rerum illarum tabulæ fuerunt, quæ ad inferorum ignem æternamque damnationem, ad purgatorium terminandumque cruciatum, ad gaudium felicitatemque ſempiternam, ad ſpirituum bonorum & malorum, (ſiue ipſorum eſſent homines mortui, ſiue viui adhuc, & virtuti aut vitio ſeruirent) functionem ad conſcientiæ humanæ vim, eiuſdemque vel accuſationem vel defenſionem, ad diuini iudicij ſeueritatem pertinent. Hæc enim fere omnium ſumma. Ad Rom. 2. v.16. ſunt *cogitationes ſe inuicem accuſantes & defendentes*. Eſdr.4. cap. vlt. v.96. *iniquitates accuſatores ſtant.* Legi de iſtiuſmodi mortuorum aut iam beatorum aut damnatorum reſurrectione poſſint Abulenſis lib.4. Reg. cap.4. q.56. Gregorius noſter Valentianus Tomo 4. diſt. 11. q.1. p.2. Raderus item noſter, Annot. in Viridarium ſuum p.175. & ſeq. quo in libro hiſtoriæ ſimiles p.173. & 79.S.Aug.ep.100.& 101. lib. de cura pro mort. c.12. Vita S.
G Annonis in Surio.

Specialiter vnumquodq; vitium.] Siue inſtar habitus, ſiue inſtar actus cogitetur vitium. Et nota hic ab iis tantum peccatis accuſationem inſtitui, quæ per ſacram confeſſionem diſertim expiata non fuiſſent, idque non per fallax ſacrilegumque ſilentium, ſed per negligentiam aliquam, obliuionem, aut ignorantiam. Alia etiam interdum, quæ deleſſet confeſſio, exprobrata leguntur peccata, ſed ita, vt noxæ, aut dedecoris inferrent nihil. Et ſimile quippiam apud energumenos, qui arcana interdum occultaque pandunt, videre eſt, è quibus vnum, quod *ſuis ait geſtum d ebus*; commemorat hiſce verbis lib.1. Cambriæ cap.12. Syluester Giraldus: *Cum hi, quibus ſecretiora ſua exprobrauerat Dæmon, confeſſione ſuper his facta, ex pœnitentia ſequuta rediſſent, nihil eis improperabat; Sicut quidem, ſciui, ſed nunc ignoro: Aliis autem quaſi conuicium hoc emittebat: Et ego taceo. Quod enim ſcio, neſcio: Ex quibus apparet, quia poſt confeſſionem & pœnitentiam, vel omnino hominum peccata dæmones neſciant, vel ad damnum eorum, & dedecus ea ne-*
H *ſciunt. Quia, vt ait Auguſtinus, ſi homo tegit, Deus detegit: & ſi homo detegit, Deus tegit.* Lege totam enarrat. Pſal. 32. eiuſdem D. Auguſt.

Virtutes.] Siue habitus, ſiue actus, vt ſupra de vitiis.

Speciosa.] Hic duorum ſententias Apoſtolorum conſidera. 1. S.Petri 1. cap.4. 18. *Si iuſtus vix ſaluabitur, impius & peccator vbi parebunt?* 2. S. Iacobi cap.5. 20. *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam ſuam à morte, & operit multitudinem peccatorum.* Adde & illud Danielis cap.12.3.*Fulgebunt qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates*: prout hunc etiam locum ex Hebræis explicat R. Abraham Zacuth præf.in lib.*Iuchaſin.*

Denegaret.] Ne maius iis exinde iudicium. Multi enim etiam talia irrident: neque iis ad ſalutarem timorem traducuntur, de quibus ſupra.

Alia.] Videntur ex iis eſſe nonnulla infra ep.71. quam cum iſta, ſi libet compone.

Quot

A *Quo tribus.*] In C. *quo* pro *qua*, vel omnino tollendum *quod*, aut explicandum, *ſunt id, quod*

XXII. S*Piritalis tractatus, magiſter legentium ſacrum eloquium eſſe dignoſcitur.*] Pulchra ſententia. Nam ſane, ait *Laicorum libri ſunt imagines* S. Gregorio teſte l.7. epiſt.53. & 109. Sic & ſanctorum Patrum libri, ſeu tractatus ſunt eorum, qui ſacras legunt literas, Magiſtri muti. Vide igitur quemadmodum libros vndique conquirat & petat S. Bonifacius, vt ſupra epiſt.8.9. infra 28. 35. 40. 85. 194.150. eiuſque diſcipulus & ſucceſſor S. Lullus epiſt.89 95.99 109.& 111.

De Matrim.] ſupra epiſt. 11.

XXIV. P*Ro dormientium fratrum animabus.*] Vide quam ſæpe, quam ſerio preces & Miſſas petat S. Bonifacius pro defunctis, & alij etiam epiſtol.35. 36. 70. 74. 76. 77. 84. 90.95. 103.106. 108.109. 110. 114. Vide epiſt.122.& S.Auguſt. epiſt.64. ac lib. de cura pro mortuis, D.Chryſ. hom. in Philipp.3 & hom.21. in Act. 9. ad populum & 70. Ana-
B ſtaſium Nicenum q.20. vbi Epiph. Dionyſ. Conſtitutiones citat Apoſtolicas.

XXVI. F*Ilio Carlo.*] Sic eſt in C. ſed videtur legendum *Carli.* Fuit enim *Gripo*, vel vt ab aliis ſcribitur *Grypho* ſeu *Griffo* filius Caroli Martelli, quem hic illius patrem vocat. Et quia etiam à matre illum ſibi in precibus commendatum ait, veriſimile eſt, quod Aimoinus & alij tradunt, Griponem iſtum non è concubina, ſed alia legitima vxore natum. Carli eiuſdem epiſt. inf.32.

XXIX. *Miſſum.*] Sic illo æuo frequentiſſime vocatus nuncius, ſiue tabellarius vt ſupra & infra 75. 91. 104. 107. qui & ſæpe vocatur *portitor* & *gerulus* epiſt.33. 35. 39. 40. 72. In conſtitutionibus Caroli M. & gloſſâ cap.1. de immunit. Eccl. dicit *miſſum* eſſe vulgare Italicum 102. 110. & apud Caſſiod. l.1. Var. epiſt. vlt. lib.8. cap.8. l.8. epiſt.10. Iſidor. lib.6. etym. cap.8. C. Theodoſ. Si cert. petatur. de chirog. portitores, & baiuli pecuniæ. *Portitores* alioqui
C veteribus ſunt telonarij, qui portum obſidentes omnia ſciſcitarentur vt ex eo vectigal acciperent. Nonius.

Carli Martelli, de quo epiſt.26.

XXXII. *Mundeburgio.*] Sic in C. ſed in hac eadem epiſtola bis *Mundeburdium* ſcribitur. Vtrumque bonum, vt ait in verbis Feudalibus Hotomannus. Eſt autem illud nihil aliud, quam procuratio vel protectio, & *Mamburgus*, protector vel Aduocatus. In formula regni accepti à Boſone apud Guil. Paradinum. l. Burgund. *Omnibus vt monaſtis, legem, iuſtitiam, & rectum mamburgium auxiliante Deo conſeruabo.* In Cæſareo Codice poſt varios libros & tractatus eſt VVilibeni cuiuſdam donatio facta Colonienſi Eccleſiæ S. Petri anno 871. in eaque ſic legitur: *Vt ſit ſub defenſione, & mundeburde ipſius Eccleſiæ, & ſub ala Pontificis, qui tum temporis ibidem præeſſe videtur.*

XXXIV. *Triquadri.*] Quia in tres partes, Europam, Aſiam, & Africam diuiditur. Sic & triquadram vocat Iordanes lib. de reb. Get. Britanniam, quam alij triquetram. Quadrifaria vero
D regna ſunt illa quatuor ex Danielis cap.2. de quibus in ipſa epiſt.

Quem chorus.] Vitioſus quidem ſimpliciter verſus: olim tamen in Græcis vocabulis multa ſibi permiſerunt ſcriptores, etiam qui notæ bonæ. *Habebant*, inquit, Ioſ. Scaliger lib.2. in Auſon. cap.21. *peculiare Latini Poëtæ, vt non ſolum Græcas declinationes in Græcis negligerent, & ad regulam Latinorum referrent, ſed & quantitatem ita euerterent, vt accentu illam tantum metirentur.* Probat id ille pluribus ex Plauto, apud quem corripitur ſecunda in *Phædromus* φαίδρομος & in Philippus φίλιππος Auſon. etiam τρίγωνον & τετράγωνον ita extulit:

Per totidem partes trigonorum regula currit.
Fulgur tetragono aſpectus ſimile coruſcat.

Et alij, ipſeque Chriſtianus etiam Prudentius correpta ſecunda dixit εἴδωλα correpta idem ſecunda ἀκηδία Illo igitur modo hic producitur ſecunda in χορεύειν Prior vero in *choros* non propter accentum, cum ſcribatur χορὸς, ſed propter ſequens r. & idem etiam dici poſſet in E
martyrum B. & r. communes ſyllabas facere ſolent, inquit, V. Beda lib. de arte metrica p.59. Sunt ergo hæc ſemel in id genus verſibus notata.

Rathbodum.] De hoc plura lib.3. Mogun. notat.10. & alibi.

C*Onfeſſionis fit.*] De confeſſoris nomine ac titulo inſigni D. Cyprianus & Baronius in Martyrologio die 2. Ianuar. Et fieri poteſt, vt iſte confeſſor eiuſmodi fuerit. Quia tamen Euangelij promulgatio vocatur *fidei confeſſio* poteſt eo modo inſignis dici *confeſſor*, qui Euangelium gentibus enunciando inſignem nauauit operam. XXXV. XXXVIII.

Æthilberti.] Sic in C. ſuper, ſcribitur, alibi abſque diphthongo, & *Edilbertus*, vt in V. Beda, q. l.5. hiſt. ciuli. cum ait Regem Cantuariorum creatum an.725. XL.

Reptu.] Infra etiam occurret epiſt.77. p.108. Sed quid? An aliquid quid habet affinitatis cum *Reptaceſtir*, id eſt, *vrbe* aut *caſtro Repta*, de quo Beda l.1.c.1. Nam *Ceſtir* caſtellum Bed. l.4. hiſt. c.5. ſicuti Britannice *caer* Girald. c.5. F
l.1.& 10. Itinerarij Cambr.

Superſtitem.] Videtur ex V. Beda Epit. ipſe S. Bonifacius fuiſſe ſuperſtes.

Falcones.] Alioqui falconnes in Cambria ſeu VVallia optimi. Syl. Giral. l.1. Cambr. c.12. Hinc *falconarij* in Catuli M. Conſt.

S*Cottus.*] Alias *Scotus*, id eſt *Hybernus*, vt in V. Beda l.3. c.3. S. Kiliani notis. De S. Aldhelmo ſup. ep.4. XLI.

F*Reſarum.*] Qui nunc *Friſij* & *Friſiones*, vocari ſunt *Freſæ, Freſi, Freſones*, in Beda lib.5. cap.10. & 12. in vita Cuthberti c.44.& lib. de 6. ætatibus: itemque ſemper in Annal. Franc. hic epiſt.97. Vnde vero id attigi lib.2. Mogunt. c.19.& in notis ſancti Kiliani cap. de Francis. XLII.

Carlomanni.] Sed quis huic filius?

Reuerte.] *Fac reuerti*, ſeu *verte ipſum*, vt redeat.

D*Omnonia.*] An *per Domnoniam*, vt in verſibus poſt epiſt.69. p.84. XLIV.

In Conc. Epiſ.] Huc pertinent quæ lib.5. hiſt. cap.19. G
V. Bed. *Triplicem* vero *diſſenſionem* S. Aldhelmus hoc loco indicat, quam ſedari componique rogat & admonet. 1. *de tonſura Clericorum.* 2. *de tempore Paſchatis de nimio Catholicorum apud illos contemptu.* Sed tertium hoc, ſicuti & cap.4. lib.2. apud Bedam è duobus prioribus oriebatur, quorum *primum* erat quidem adiaphorum, vt rectè oſtendit Ceolfridus apud Bedam libro 5. cap.22. Sed in quo id quod melius & S. Petri facto, Eccleſiæque Romanæ mori conuenientius, magis amplectendum fuiſſe idem ibidem docet. *Alterum* vero de Paſchate, quaſi prorſus neceſſarium vrget idem, à quo diſſentire debeat nemo; & ſi diſſentiat, excuſari non poſſit, niſi per ignorantiam ac ſimplicitatem, vt doctiſſimus ait VVilfridus apud eundem Bedam lib.3. cap.25. Nam in hiſce duobus Bedæ citatis iam locis accurate tractantur dictæ de tonſura & Paſchate diſputationes, quæ cœperunt in Anglia potiſſimum excitari *anno Domini* 664. cum Boreales Scoti alienum ab Eccleſia Catholica inſtitutum tenerent, Angliſque nonnullis perſuaderent, reprehenſi ab Honorio, aliiſque Pontificibus Romanis ſæ- H
pius, vt lib. de ſex ætatibus in *Heraclio* notat Beda. Poſtea tamen iidem illi erroris Magiſtri veritatem agnouerunt, ſeque ad Catholicum ritum contulere omnes, vt idem explicat Beda libro 5. cap.16. 22. 23. & libro de ſex ætatibus in *Anaſtaſio* 2. hiſtor. capite 19. quos vtinam imitarentur noſtri hodie Nouatores, tum in his, tum in aliis omnibus, quæ pertinaciſſimo tuentur animo, diſſidiis. Et *corona* quidem *Clericorum* in capillitio ſacra, varia eſt. *Vna ſimilis Petri* dicitur, quæ capitis verticem coronario more attondet, & infra hac epiſtola dicitur *Romana.* Altera *Sancti Pauli*, quæ plus quiddam & aliter totondiſſe videtur ex V. Beda c.1. l.4. *Tertia Simonis Magi*, quæ verticem capillatum, caputque totum retinebat, id coronæ in modum inferne circum tonſum, eo fere modo, quem in Cambriæ deſcriptione c.11. tradit Syluest. Girald. dicens: *Tam mulieribus in hac gẽte, quam etiam maribus ad aures & oculos tonſura rotunda.* Prima vero retinetur à Clericis & Monachis hodie: ſed varie. Nam alij *tonſurã* tãtum

A adhibent, vt Græcorum nonnulli, *raſuram* alij, vt Latini omnes: & hanc rurſum alij maiorem, alij minorem. Nam minimis præditi ordinibus Clerici geſtant minimam, maioribus, maiorem, & quidem gradatim Sacerdotes, Epiſcopi, Pontifex, qui, diligentiſſimorum inſtar Monachorum, & paulo etiam amplius detonſo coronatur crine. Vide c. *Prohibete*, d. 23. c. *Clerici* & *Si quis* ibidem. *De cauſa* dicunt multa ſatis citati apud Bedam auctores, & ſanctus Germanus in Liturgiæ Theoria, Turrianus l.5. pro epiſt. Pontif. c.19. & libellus de Apoſtolis num.76. copioſe Baronius Annal. Tom.1. anno 58. Vnde non hæreticorum noſtrorum modo, qui per ludibrium *raſos* nos vocant, refutatur calumnia ſed illa etiam Beroaldi in l.2. Aſini Apuleiani opinio, exiſtimantis *a caluo & deraſo Ægyptiorum ſacerdotum capite* hunc Eccleſiaſticæ tonſuræ ritum fluxiſſe. *De Paſchate* porro dici quæ poſſint, dicta nuper abunde ſunt à Clauio noſtro non libris contra Mæſtlinum tantum, ſed in Gregoriani etiam Kalend. explicatione c.1.18.23.

B *Per ſcripta.*] Melius *per ſcriptura*, niſi forte ſubintelligatur, *epiſtola*, vel huiuſmodi aliquid.

Certamen.] Videtur ſignificari vel Abdiæ liber, qui inſcribitur *Hiſtoria certaminis Apoſtolici*, vel qui B. Lini dicitur *libellus de paſſione D. Petri & Pauli*. Nam in eius principio dicitur: *Poſt diuerſa cum Simone Mago, aliiſque quampluribus Antichriſti praconibus pro nomine veri Chriſti certamina.*

Clementis.] Veteribus, qui 10. *Recognitionis* ſeu *Periodorum & circuitionum* libros Clementi attribuerunt, poteſt deinceps ſanctus hic noſter Aldhelmus coniungi. Ex illis ſunt apud Lambert. Gruterum præf. in Clementina D. Epiph. hæreſ.30. Ebionit. Auctor operis imperfecti hom. 49. in Matth. c.24. Cedrenus in hiſt. Niceph. Calliſtus l.2. c.35. lib.3. c.18. Ruffinus in Apol. ad Macar. V. Beda in Act. c.5. & l. de ratione temp. c.3. Bridfertus in eum Bedæ libellum. Frecholfus lib.2. Chron. c.10.

Ogdoadam.] Vt *hebdomas, & hebdomada*, ſic *ogdoas & ogdoada, hendecas & hendecada*. De vtraque Beda c.44. l.

C de rat. temp. & 51. Apud S. Auguſt. in Pſal.40. leguntur eodem modo *ephemerida*.

Anatolij] VVilfrid. apud Bedam l.3. c.25. idem & lib. de ratione temp. c.4. *Anatolius Laodicea Antiſtes*, rurſumque c.28. & 33. *Homo Eccleſia ſanctiſſimus Anatolius in opere ſuo Paſchali* & c.40.

Sulpicij.] Non ſit huius mentio apud Bedam & Bridfertum, cum de cycli decemnouenalis ſcriptoribus agit lib. de rat. temp. c.42.

Teſſareſcadecatita.] Epiph. hæreſ.50. S. Auguſt. hæreſ. 26. Theoph. Alex. in epiſt. Paſchali.

Victorij.] De quo lib. de rat. temp. cap.40. Beda & 41. 45. 49.

Sabrina.] Flumen eſt in Occid. *Anglia* ſeu *Loegria* quo à Cambria diſtinguitur. Beda cap. vlt. l.5. hiſt. Girald. c.15. in Cambr. deſcr: & ab eo *Sabrinum mare*.

Demetarum.] Demetia eſt Cambriæ pars, à qua Demetæ & Demetij. Gerald. Itin. l.1. c.12.

D *Sablonum.*] Sablo eſt arena, Gallice *Sablon*, Italice *Sabiona*: Scaliger in Auſ. lib. c.2.31. *Glarea agger publicus, qui deſabulari dicitur cum munitur.* Varro ſeſquiulyſſe: *Vnam viam Zenona muniſſe: duce virtute hanc eſſe nobilem: alteram Carneadem deſabulaſſe, bona corporis ſecutum.*

Catharos.] Epiph. hær.59. Aug. hær.38.

Euax.] Præſtat dolentis interiectionem, *heu heu*, quam gaudentis *Euax* vſurpare. Plautus Curculione: *Prope me eſt, Euax habeo: Salue anime mi, &c.*

Cluſtella.] Vt *cludo & claudo* dicitur, ſic *cluſtellum & clauſtellum*, vel *clauſtrellum*. Sic in Caſſiod. lib.2. epiſt.5. & 19. *cluſura* pro clauſura de qua Ant. Auguſt. lib.1. Emend. cap. 8.

In XLV. GRegorio.] Videtur hic S. Bonifacij egregius ille diſcipulus eſſe, de quo lib.3. Mogunt. not.12. & 13. Nam eum S. Lull. *adiutorem ſuum in diuina legis doctrina* hic nominat, & infra *collegam ſuum* fuiſſe, ſacris vna litteris ſtuduiſſe, ſeu *limpida Dei dicta communiter ſecum rimatum* refert. Et erat natu ipſo S. Lullo grandior, graduque maior, quia & *Presbyter Abbas* erat, vt hæc habet inſcriptio, prout etiam de *Vtam* loquitur Beda l.3. c.21. de *Aldhelmo* c.19. l.5. E

Exhibeantur.] Contrarium ipſi *adhibeantur*.

SVVithan.] Eadem quæ *Oſwitha*, vt ex epiſtolæ patet initio. Inſigne hoc exemplum eſt Eccleſiaſticæ diſciplinæ, dum pallio ſeu velo ſacro palliatæ ſeu velatæ ſanctimoniales, earumque Abbatiſſa excommunicantur, pœniſque ad pœnitentiam afficiuntur. *Potus* vero qui eis prohibetur *melle indulcoratus* eſt *hydromeli*, ſeu *meto*, de quo & infra epiſt.62. XLVII.

REgi.] In C. vnica littera eſt, quæ R. videtur, ſed poſſet accipi velut N. XLVIII.

SEgebaldo.] Rex fuit Occidentalium Saxonum, apud quos *Daniel* Epiſcopus, de quo ſupra. Iſti vero Occidentales vocabantur *Geuiſſe*. Bed. l.3. hiſt. cap.7. eoſque ad fidem Chriſtianam conuertit, & primus eorum Epiſcopus fuit *Byrinus*, cui ſucceſſit *Agilbertus* Galius, huic *VVini*, huic *Eleutherius* vt ibidem ait Beda & l.4. c.12. *Quintus* vero Epiſcopus fuit *Heddi* ibid. *Sextus Daniel & Aldhelmus*. Nam eius parochia ſeu diœceſis in duos fuit diuiſa epiſcopatus l.5. c.19. Sed hic poſt annos 4. mortuus ſucceſſorem habuit *Forthere*. ibid. & c. vlt. ac in Epit. Huic vero an ſucceſſit *Ercuvvaldus*, de quo hic? an cum illo idem? De Forthereo infra 58. & 60. XLIX. F

FOrthereo.] ſupra 49. LVIII.

SAxonicum.] Veteris linguæ Saxonicæ peritiores iſtud explicent. LXI.

PLuuiarum flagello.] Obſerua hic ieiunia, preces, Miſſas contra tempeſtates aduerſas, pro ſummo Pontifice & aliis, Pro *Domini Romani*, eſt in Cæſareo. *Domino*. de qua voce dixi alias in Litaniarum libello n.39. LXII.

TOEdet.] In C. *tedet*. alias *tadet*. LXIII.

HAue,] Sic & in carm.3. poſt epiſt.69. & in S. Auguſtino epiſt.43. & videtur ab Hebræo verbo חיה *chaueh*, id eſt, viue, ſis ſaluus. Et multa colligit exempla Cujacius l.1. Obſer. c.15. verum pro *Haue*, ſcribitur *Habe* ſecundum orthographiam, quæ in multis notata eſt, generali nota VII. LXIV. G

ÆDilvvaldus.] Idem videtur de quo in Carmine vlt. poſt epiſt.69. ſed alius ab illo, qui anno 984. cœlo receptus colitur I. Auguſt. in Martyr. & Sur. tom.4. LXV.

AMbronibus.] ſupra epiſt.1.

Caraxatum] a Græco χαράττειν fictum verbum, & infra alibi epiſt.68.72.74. & in carm.1. poſt epiſt.69. Et Lipſius Analect. ad mil. Dial.9. *Fraxare*, vigiliam circuire περὶ τὸ φράξαι. Prudentius ea forma ἀπὸ τοῦ χαράξαι fecit *charaxare*. Verſus vero, de quibus hic, deſunt, iactura vt ex epiſtola perſpicuum, non magna.

FOrthere] ſupra 49. & 58. LXVI.

CAthechetica hæc epiſtola. LXVII.

Languore] ſupra epiſt.3.

POëtica & aliquantum Aſtronomica epiſtola. Videatur Beda de re metrica, S. Aldhelmus prologo 2. Poëticorum p.32. 33. ſeq. LXVIII. H

EPiſtola videretur B. Aldhelmi ex primo carmine ſubiuncto, quia iſte in epiſtola, *mittere ſe* ait *verſus* & in illorum fine ſcribitur, *finit carmen Aldhelmi*. Quia tamen non fuit hic S. Bonifacij diſcipulus, & auctor epiſtolæ illum *ſuum Magiſtrum* fatetur, vel non idem eſt verſuum & epiſtolæ auctor, vel male carminis primi Poëta laudatur Aldhelmus. LXIX.

Aſc.] Dauus ſum non Oedipus. Sequentia in imaginibus, quæ in V. Bedæ opere facie prima occurrunt, exponuntur.

Mazaroth.] lib.4. Regum c.23. v.4. *Mazaloth* vocantur Planetæ, vt vult in Exod. 25. *Rabbi Hiſcuni*, vbi & illorum recenſet nomina: aut ſigna Zodiaci, vt S. Hieronymus & alij: *a nazal*, quod eſt ire, progredi, fluere. Et ſic etiam in Beda lib. de ratione temporum c.4. & 43. corrigendum *mazaloth* pro *mazaroth*.

Crepere] Vt *ſonare* & *ſonere*, de quo ſupra, ſic *crepare*

&

A & *crepere*, & ab iſto *creper*, vt ab illo *ſonor*. Alioqui *res dubia dicta crepera*, inquit Varro lib. 5. Lucret. lib. 5. *Ex aquatàque ſunt creperi certamina belli.*

Hanc bona] pro *hanc Iehoua altiſſime* ſup. ep. 64.

Æthilvvaldi.] Non hic ſucceſſor Cuthberti in monaſterio inſulæ Farnenſis, de quo Beda lib. 5. cap. 2. in vita S. Cuthberti cap. vlt. & inſt. ep. 89. ſed alius non vtique Mercionum Rex ille, de quo ſupra neque Nordumbrorum Rex, de quo in Epit. anno 759. ſed forſan Epiſcopus, de cuius morte in Epit. Beda anno 740. & de quo ſupra epiſt. 65.

LXX. EGregia hæc epiſtola, ſicuti & 78. inferius *de S. Bonifacij martyrio, doctrina, patrocinio*. Sed eam non ſcripſit ſanctus ille Cuthbertus, cuius vitam deſcripſit V. Beda libello vno, & lib. 4. hiſt. cap. 26. & ſequentibus. Is enim fuit primo in *Ma lros* monachus, deinde Anachoreta in Farne inſula, factus tandem Epiſcopus Lindisfarnenſis anno 684. & poſt biennium mortuus anno 686. cui ſucceſſit Eadbertus. At qui hanc ſcripſit Archiepiſco- B pus fuit, vt indicat ſubſcriptio, & poſt S. Bonifacij martyrium (quod 755. contigit l. 3. Mog. not. 54.) ſcribebat: Fuit igitur Archiepiſcopus Cantuarienſis, Nothelmi (de quo ſupra ſucceſſor, *qui anno 740. pro illo conſecratus eſt*, vt in Epit. ait Beda.

Cat. Bibl.] Id eſt, ſacrarum litterarum.

B. Greg. & Auguſt.] Nam S. Gregorius hunc B. Auguſtinum cum aliis pluribus ad Chriſtum Ieſum, eiuſque ſanctiſſimam fidem prædicandam miſit in Angliam. Beda l. 1. hiſt. c. 21. & ſeq. l. c. 1. ait illum idcirco *Angliæ Apoſtolum* vocari. *Quia noſtram* inquit, *Anglorum gentem de poteſtate Satanæ ad fidem* Chriſti *conuertit, recte noſtrum appellare poſſumus, & debemus Apoſtolum.*

LXXII. M*Aſoni.*] Hæc epiſtola in editis B. Iſidori epiſtolis eſt, ibique legitur *Maſonus* vocatus iſte Maſo, & magna eius pars citatur apud Gratian. diſt. 50. c. Domino Sancto, vbi citatur Concilium Ancyranum c. 19.

Innotuit.] Sæpiſſime & in his epiſtolis vt infra 72. 79. 118. 115. 142. & apud alios horum, poſteriorumque tempo- C rum ſcriptores, *innoteſcere* ſumitur actiue, pro *notum facere*. Sic & Auſonius vtitur verbo *accreſcendi* αὐξάνω. Inquit Scaliger l. 2. c. 6. *Tranſitiue enim poſuit pro augere, maius facere.* Apparet vero ex tota epiſtola fuiſſe à Maſone Iſidoro propoſitam quæſtionem de ea, quæ in canonibus quibuſdam videbatur, repugnantia, quo ad eorum, qui per luxuriam lapſi eſſent, Clericorum pœnas. Vide citatam diſt. 50. & infra epiſt. 85.

Regeſtus.] Regula præſcribitur. Sed in exemplaribus aliis legitur, *geſtis*. Sunt autem *regeſta*, B. Iſidoro teſte, Commentarij ſcribarum, Actuariorum, & ſimilium, quæ vulgo nunc *Regiſtra* vocantur. Vopiſcus in Probo: *Vſus etiam ex regeſtis ſcribarum, &c.* vt & Gregorij epiſtolæ *ex Regiſtro* dicuntur petitæ: In iure tamen Gregoriano, *ex Regeſto* c. *Quia* 20. q. 1. alibi.

LXXIII. LIcet in C. nullus huius epiſtolæ aut titulus, aut numerus ſit: attamen à ſuperiore potius videtur diuerſa, quia in illius fine dicitur: *In fine autem.* Deinde quia hic D alia quæſtio eſt, licet ſuperiori confinis; *An qui poſt baptiſmum, mortali ſe aſtrinxit peccato, fieri poſſit ſacerdos?* Et reſpondet, *non* quod intelligendum ſane. 1. Vt ſe humiliter agnoſcat ſacerdotio indignum, qui ſic peccauit. 2. Vt ne huius hic mentio perſiſtat. Si peccatum illud, quod ſcandalo ſit, aut pœnitentia nondum expiatum, aut expiatum quidem, ſed ſolemni. c. *Canones* d. 50.

Oratio pro ſemetipſo] orationes iſtæ videntur eſſe ſcriptoris, Deum pro ſuis peccatis ſuppliciter orantis, cum & ſacerdos eſſet, & ſuæ tamen ſibi conſcius fragilitatis.

LXXIV. W*Entana*] quæ *VVindonia & VVindonium* alias dicitur vbi & Daniel, de quo ſupra epiſt. Epiſcopus fuerat. Ideoque & huius hic mentio vbi & eius ſucceſſor nominatur *Hunfrithus*, & huius *Cinehardus*, qui epiſtolam ſcribit, ſicuti & infra 86.

Orarium.] Stolam vocant Eccleſiaſtici ſcriptores, aut veſtem, quæ Clericis conceſſa, quæ oratores, vt & Deum orent, & apud populum perorent, deceat. Alcuinus l. de diu. off. cap. de veſtimentis Rabanus l. 1. inſtit. cleric. c. 19. V. Beda l. collect. cap. 7. Conc. Aurel. cap. 22. can. *Monacho* B 27. q. Concil. Mogunt. ſub Carolo Mag. cap. 28. Tribur. apud Burch. lib. 6. cap. 10. can. *Vt presbyteri*, 17. q. 4. Steph. Durant. l. 2. de ritib. cap. 9. Apud Vopiſcum *oraria donauit populo Romano* Aurelianus, *quibus vteretur ille ad fauorem.* An *ad ſudorem*, vt apud Scrib. Largum & Celſum l. 4. c. 16.

Coculam.] Varro l. de vita pop. Rom. *Cocula, qua coquebat panem, primum ſub cinere poſtea in fornace.* Sed iſta huic loco non conuenit ſignificatio. An igitur pro cucullo ponitur? *Cocos* vocant hodie Hiſpani maiores quaſdam nuces Indicas, è quibus potoria fiunt pocula virgis limbiſque argenteis ornata.

Gunnam.] An *gurda* eſt quæ veſtis vilis, ideoque Monachis congrua. Videtur enim apud S. Auguſt. epiſtol. 56. *gurda* dici, quaſi quæ gurdos deceat. *Gurdos vero pro ſtolidos vulgus accepit*, inquit lib. 1. Quintil. cap. 5. At hic inſt. ep. 59. dicitur è *Lutrarum pellib.* conſtare.

LXXV. L*Eo.*] Tertius nimirum tempore Caroli Magni, de quo hic.

F *Riculpho.*] Tertio Moguntinorum Archiepiſcopo, de quo l. 4. Mog. p. 613. & ſeq.

Coniunx ſient.] Illo ſæculo vſitata erant in litteribus duo hæc verba, *coniungere & abſoluere*. Illud erat peruenire, appellere: hoc dimittere ſeu abeundi poteſtatem facere. Germanicè *Buten abfertigen*. Et ſic epiſt. 127. 128. 140. in annalibus Francorum: *Ann. 797. Legatum Rex magnifice ſuſcipiens, poſt paucos dies abſoluit, & abire permiſit.* Et *ann. 865. Legatus Pontificis a Rege abſolutus.* Regino: *Imperator exercitum abſoluit, & ad propria redire permiſit.* Anno 874. *Bohemorum nuntia Rex audiuit, & abſoluit.* Anaſtaſius in Stephano Quarto, & alij ſimiliter.

Vel omnibus.] Sæpenumero vſurpabantur eodem ſæculo *vel, ſiue, ſeu*, pro *&*. Exempla ſunt l. 1. & 2. vitæ S. Bonifacij complura, & hic epiſtola etiam 123. D. Gregor. l. 4. epiſt. 95. l. 7. epiſt. 5. in hiſtoria Bedæ l. 1. cap. 18. titulo, & alibi. Et ſic R. Dauid Kimchi docet etiam accipi Hebraicum *o* id eſt, *vel*. Prou. 30. 31. vbi ab noſtro Interprete vertitur *& aries*. Et è contrario *ſed* pro *vel* eſt in Cod. G l. 9. tit. 13. *De raptu virginum ſeu viduarum*, vel ex legis fine intelligitur. Vide D. Velſerum rerum Boicarum lib. 5. p. 271.

LXXVI. I*N ſepteris*] ſeptem intelligit horarum Canonicarum preces, de quibus ſupra ep. 17. Beda l. 3. c. 2. *ſolemnem canonici temporis pſalmodiam* vocat. Vide Steph. Durantum toto fere l. 3.

LXXVII. H*Rolenſis.*] Alias Rhofenſis in Beda, qui l. 5. c. vlt. ponit huius Eccleſiæ hos Epiſcopos, *Theodorum, Tobium, Alvvalſum.*

Itiner.] Antiquum. Varro, *pranſo parato, luna expectante, Adria ſe itiner longum ſermone leuare.* Plautus Mercator. *Cum in ergo itiner exſequi meum me ſines?* Lucr. l. 6. *Obuia diſſentias gladiis, itinerque ſequatur.* Alia in Nonnio.

Reminiſcat.] Quemadmodum *aucupo, vago, refrago, ſuffrago, auſpico, eiacto*, & ſimilia, quorum catalogum H texit Nunnius, dixerunt veteres: Sic in vita S. Auguſtini Poſſidius cap. 17. *fruſtro*, apud eundem Auguſtinum ep. 55. Dioſcorus procemio, hic vero Æardulfus, *reminiſco*, & ante ipſum olim Rufus Rhethor, quem tamen idcirco ridet Auſon. Epig. 48.

Qui reminiſco putat ſe dicere poſſe Latine.
Hic vbi eo ſcriptum eſt, legeret cor, ſi cor haberet.

Et epiſt. 47. *Reminiſco Rufus dixit in verſu ſuo.*
Cor ergo verſus, ipſe Rufus non habet.

LXXVIII. M*Ilret.*] Epiſcopus vt ex ſubſcriptione perſpicuum, & quidem in Anglia, vt indicat epiſtola. Sed qui poſt V. Bedæ hiſtoriam illic Epiſcopi & Reges fuerunt, eos difficile eſt certo ſtatuere. Conferatur hæc epiſt. cum ſuperiore 70.

Iuſſionibus ſecuturum] pro *obſequuturum*. Poteſt tamen & Datiuum admittere ipſum *ſequor*, per Helleniſmum, vt ἀκολουθῶ & apud Ciceronem & alios *comitor*. & infra ep. 89. *adiuuo factū*.

Lufinas.] Recte in Iliad. α. Euſtathius: ἐυτροπίας γυν-

A *τειαὶ μέτρῳ ὁ ξοτενιὰ ἀπορία.* Quærendo & interrogando fit homo ſemper doctior. Ergo poſtea quam de Liſtinis diu multumque vt lib. 3. Mog. not. 31. inquiſij, ecce tibi Antvverpiæ vir doctiſſimus, & antiquitatis egregie gnarus R. D. Aubertus Miræus, qui digito pœne illas monſtrauit, dum illinc ad me ſic: *Fulcuinus Abbas Lobienſis in Monaſterij ſui chronico, cuius fragmentum apud me eſt M. S. teſtatur, eas olim ſitas fuiſſe apud Lobienſe ſeu Laubienenſe, celeberrimum hodieque Benedictinorum in diœceſi Cameracenſi monaſterium, quod quidem tertio fere lapide diſtat à Bincio Hannoniæ oppido.*

Et iſte.] Liſtinenſis Concilij occaſio refertur mira in Gratiano 16. q. 1. poſt c. *Quia iuxta.* vbi de Caroli Martelli anima damnata narrare S. Bonifacio inducitur S. Eucherius Aurelianenſis Epiſcopus. Sed eam narrationem improbat Reuerendiſſimus BARONIVS ann. 741.

Caſata.] Infra epiſt. 141. ſcribitur *caſſata. Suſpicor,* ait in conſtit. Caroli Magni Amerbachius, *caſatum* (vel vt B hic, *caſatam*) *eſſe Germanicum etſi à Latino deflexum, Geſat aut rectius Teſat, id eſt, ſatum.* Sicque dum ait Carolus, *de caſatis* hoc aut illud dandum, intelligeretur cenſus quidam annalis, ſeu ex aruis vel agris. Subindicat idem tamen Amerbachius fortaſſis à caſa, id eſt, domo ductum, vt ſit quod hodie *Bauſzins Rauchgelt Herdeſchilling.*

Precario.] *Precarium* pecunia eſt, quæ alicui ad eius preces ſeu precatio datur mutua, quoad vſque voluerit qui dederit. leg. 1. ff. de precar. Ludouic. Molina de contract. 2. diſput. 294. & 298.

Reuertitaſſet.] An ſicuti apud veteres frequentatiua plurima? An mendum pro reuertatur?

Pater meus.] Carolus Martellus.

In ep. 97. TRecca.] Proprium eius nomen in epiſtola dicitur *Albertus*, officium *Diaconatus.*

Innotuit.] ſuprà 72. inf. 118. 125.

Audaciter.] D. Auguſtinus lib. de Grammat. *Quæ in* C *ſyllabam deſinunt, in Terſyllabam mittunt aduerbia, vt agilis, nobilis, audaci, difficili, agiliter, nobiliter, audaciter, difficiliter.*

In ep. 80. MAgingaoz.] Videtur idem, qui *Megingozus, Mengozus, Megingaudus, Maingauus,* & ſuper epiſt. 17. *Megingerdus* vocatur, & poſtmodum Herbipolenſis Epiſcopus facit ſecundus, Sancti ſcilicet Burchardi ſucceſſor. Abbas primo Monaſterij Neuſtadienſis ad Mœnum, e Rotenburgenſium Comitum familia traditur, ideoque & ex eadem erant ſanctimoniales illæ Virgines fratris filiæ, de quibus in epiſtola. Neſcio an idem, vel potius eiuſdem gentilis, & cognominis ſit ille *Maingutus*, cuius fratres Comites Rotenb. *Volfangus & Sabina Schmartzacum* arcem ſuam anno 816. in Monaſterium conuerterunt. Vide initium hiſtoriæ S. VVilibaldi de Sancto Bonifacio ſup. 253. & vitam VVigberti inf. epiſtol. 87. 94.

In ep. 63. WIleberdus.] *Fridſlarienſis* Abbas, de quo lib. 3. Mo- D gunt. not. 24. & alibi ſup. 17. inf. 102. 110.

In ep. 84. S. Petri.] Videtur idem locus infrà 113.

Per orene.] idem eſt, quod breuis aut epiſt. aut libellus, aut, vt ſubiungitur, *indiculus.* Sic Sanctus Hieronymus epiſtol. ad Florentium, Caſſiod. l. 1. epiſtol. 6. Symmach. l. 1. epiſt. 34. B. Theod. de indulg. tribut. l. vlt. C. de iure fiſci. apud Vopiſcum in Aureliano *breue nominum* conſcripſit Mneſthæus.

In ep. 85. EKberto.] ſupra Eboracenſis Archiepiſcopus qui primus poſt Paulinum accepit ab Apoſtolica ſede palliu, Beda Epitome anno 735. mortuus anno 766. ibidem.

Exiſtimantes tenuis.] Ita eſt. Vide Grat. diſt. 32. & 50. & ſupra epiſt. 72.

In ep. 86. CIneardus.] ſupra. 74.

In ep. 87. MAgingoz.] ſupra 80.

Quæſtionis.] Videntur 28. q. 2. & 31. q. 1. & 32. q. 6. & 7. copioſiſſime Bellarminus lib. 1. de matrimo. cap. 16.

In ep. 89. DE V. *Beda* pulchra & vera hic eius diſcipulus, & iam aliquoties ſupra, & ab eodem *Gudberto* etiam infra epi. 95. & 111.

Induendum alt.] *Palla & indumenta* ſeu *pallia altaris*, de E quibus Optatus l. 6. Theod. l. 1. hiſt. c. 30. l. 4. cap. 5. Concil. Tol. 13. can. 7. c. *Quicunque* 26. q. 5. Rhemenſe apud Burch. lib. 3. cap. 97. Steph. Dur. lib. 1. cap. 15. num. 8.

Gunnam.] ſupra 74.

Clocam.] ſupra 9.

Citharistam.] non *cytharistam.* Sed cur? Nam *enorinnt annuos cantus, cytharaque lyraque.* An vt Dauid? Alcmanem apud Plutarchum in Lycurgo: *ῥέπει γὰρ ἄντα τῷ σιδάρῳ τὸ καλῶς κιθαρίσδεν. Ferro præponderat egregie fidibus canere.*

Iul.] Mendum pro *Lul*, vt infra etiam 93. & notat in Varronem, vbi de tomaculis Scaliger, ſæpe litteras iſtas l. & L. à librariis commutari.

CArl.] Carolum Magnum. XC.

Sagos.] Vt *peplum* & *peplus*, *patibulum* & *patibulus*, *collum* & *collus*, *dorſum* & *dorſus*, *tintinnabulum* & *tintinnabulus*, *palatum* & *palatus*: ſic *ſagum* & *ſagus*, ſup. F epiſt. 84. *indiculus*, epiſt. 94. *indiculum*, & inf. epiſt. 138. *denarius* & *denarium*, *genius*, & apud S. Auguſtinum hom. 6. de verb. Domini, *genium.*

STephano.] Tertio, & infra 97. XCI.

Gregorius.] II. & III.

Titulos.] In Romana Synodo poſt epiſtol. 135. hic & alibi ſæpe occurrit titulorum nomen, de quo Annalium tom. 2. & in martyr. Baronius, noſter de Roa: de die Nat. cap. 21. Gretſerus l. 2. de Cruce cap. 7. XCII.

FUlradus.] Alias Fulradus.

Regem noſtrum.] infra epl. 96. & 100. 104. Rex, quem ipſe ſanctus coronauit Bonifacius lib. 3. Mogunt. not. 38. 39. 40.

Marcam.] Limitem. Vnde Marchiones apud Hotom. de vet. feud.

Indurare.] pro *durare*, aut *perdurare* ac perſeuerare.

COmperti ſumus.] *Comperiri* pro *comperire* Apuleio, XCIV. G aliiſque veteribus probum, Latiniſque hodiernis valde viſitatum & infra epiſt. 142.

ILluſter.] vt *celer* & *celeris*, ſic *illuſter* & *illuſtris*. De XCVI. regno eius ſupra epiſtol. 92. Et nota hic quomodo non tantum pro tempeſtatibus, maliſque auertendis preces indicerentur publicæ, vt ſupra, ſed etiam pro annonæ copia, rebuſque proſperis, vt hic, vbi *Litaniæ* ſunt proceſſiones, publicique ad precandum, laudandumque Deum cœtus infra epi. 138. ſed cum his plerumque indictiuum iungebatur ieiunium, vt indicat Concil. Aurel. 1. cap. 29. Sinodius 5. ep. 4. Venant. l. 7. epi. 15. Ideoque monet Rex, vt iſta in gratiarum actionem lætior ſit *abſque ieiunio*, ſed cum largitionibus, eleemoſynis, decimiſque, quemadmodum ſcilicet Eſdræ 2. c. 8. v. 10. Eſther 9. 22. *Laxatis*, ait S. Auguſtinus epiſt. 113. *curis mutabilium rerum; bona ſtabilia & certa quæramus: ſuperuolemus terrenis opibus noſtris. Nam in mellis copia non fruſtra pennas habet apicula. Necat enim hærentem.*

Nam.] B. Iam. H

VVillebrod.] lib. 3. Mog. not. 12. vbi explicatur, quomo- XCVII. do alio nomine vocatus ſit *Clemens V.* Beda l. d. 6. ætatibus in Iuſtiniano, *VVillibrordus cognomine Clemens* l. de S. Guthberto cap. 44. *ſanctiſſimus VVillibrordus Clemens.*

COena.] Poteſt in C. legi *Cœna vel Colena.* Infra ta- XCXIX. men epiſtol. 109. ſimpliciter in C. Cœna, fuit in Anglia Archiepiſcopus.

Mandras.] in harmonia Mathol. l. 2. cap. 7. p. 710. Videatur & græcus textus 2. Par. 33. Nicetas Choniates leg. 2. f. 207. Et hinc *Archimandrita*, qui præeſſent mandris, id eſt, cœnobiis, & animarum ouilibus, ita vt etiam Epiſcopi & Archiepiſcopi ſic infra vocentur, vt VVilligeſius I. Elector noſter Moguntinus in vita Sancti Adelberti apud Surium tom. 2.

In alia ordinatus parochia.] Vide Gratiani diſtinctionem. 71. 72. 98.

Contra equum.] *pro equo.* Et tamen ille aliquid contra aliquid aut aliquo vendendi ac æſtimandi modus & phraſis vſitata olim & elegans. Varro l. 1. de re ruſtica: *Poma veneant contra aurum.* Plautus, *Talento contra carus non eſt.* Trabea Comicus in Harpace. *Auro paranda lacrumæ*

A *contra ferent. Metaphora*, inquit in Varr. Scaliger pag. 211. *à lance momentanea, in qua appendebatur as: Nam quod preponderat, id contra eſſe, hoc eſt, ἀντιῤῥέπειν dicebant veteres. Inde as contrarium, dicebant as graue, auctore Feſto ſcilicet* ἀντίῤῥοπον.

Siglas.] Alter ſic *ſigla* quam apud Iuſtinianum in Græca Pandectarum auctoritate, vbi pro notis, quæ ſingulæ quaſi dictionum integrarum ſigna compendiaque forent, ponuntur. Vocat in Catone Plutarchus σημεῖα ἐν μικροῖς
CI. καὶ βραχέσι, τύπον πολλῶν γραμμάτων δύναμιν ἔχοντα. Cuiacius obſeru. l. 3. cap. 3.

Osberem.] In C.

CII. *Vueceburg.*] ſupra ep. 20.

HRetrunin.] infra ep. 110. Videtur amanuenſis fuiſſe B. vuigberti, velut ille *Tertius* Rom. 16. 22. aut certe qui epiſtolæ iam ſcriptæ ſuam ſubiunxerit ſalutem, id apud S. Auguſt. ep. 145. *Alipius.*

B
CV. CVdberto.] ſup. ep. 70. Digna vero hæc epiſtola quæ ab animarum Paſtoribus omnibus præſertim vero Epiſcopis & Archiepiſcopis crebertime legatur.

Sancta deſideria.] ex oratione nota *Deus à quo ſancta*, &c. quæ vt hinc apparet, vetuſtiſſima.

Inſtrui.] diſtinguatur commate ab ſequenti nomine. *aureo.*

Fidem Cathol.] Principium decretorum optimum, quod in S. Bonifacij ſacello, hic nuper, vt habetur l. 3. Mog. not. 47. renouato, vncialibus metrim litteris expictum. Reliqua ſtatuta ſunt octo vel nouem ſane quam vtiliſſima. Poſt quæ diſputat S. Bonifacius, *an relinqui poſſit ſuſcepta ſemel animarum cura?* Vide cauſam 7. q. 1. præſertim c. *ſicut vir. De pallio* epiſt. 122. l. 3. Mog. not. 26. & Grat. diſt. 100. & X. *de auct. & vſu pallij.* Paulus Scaliger orat. ad Pontif.

Sacramento.] Vide p. 163.

Iuſſu Pontificis.] Vides hic quomodo Epiſcopatum, Archiepiſcopatumque non ambierit S. Bonifacius: ſed
C eum à Pontifice iuſſus, à Principibus Frangorum, Gallorumque rogatus ceperit, & captum quam vigilanter ac ſedulo geſſerit, libenterque ſi licuiſſet, eo ſe abdicare voluerit p. 148.

Praterea non.] Vtilis admonitio de interdicenda fœminis peregrinatione longinqua præſertim, etiamſi pietatis præ ſe ſpeciem ferat. Sunt enim perſonarum, circumſtantiarumque aliarum rationes, quædam interdum πρέπει καὶ ἀπρεπῆ ποιοῦντα. vt loquitur ad Rom. hom. 2. S. Chryſoſt.

Vermium.] Teſtes quæ inſerta quædam verſicoloria, quaſi emblemata, vermiumque imagines habent Vermiculatum apud Nonnium pro minuto atque miniato apud Ciceron. 3. de Orat. & Plin. l. 36. c. 25. *pauimentum aut emblema vermiculatum*. id eſt, *muſiuum*, ſeu vt non male dicitur hodie, *muſaicum*, Quemadmodum enim ab Achæo *Achaicus*, *ſic* ἀπὸ τῆς μούσης μουσαϊκός.

CVI. INter hanc & ſuperiorem epiſtolam exciſa videntur minimum duo folia.

Abba] Indeclinabile & recte ſecundum Hebræam,
D ſeu Syriacam ſuam originem, imo & interdum *Beda* in omnib. inuenitur caſibus vt in titulo epiſt. 88.

CVII. HLodovurgus., alias Ludouicus Caroli M. filius Imperator, vt infra ep. 117. de cuius nominis ſcriptione notatum aliquid in ep. 1. Hincmari, & in lib. de nominibus German.

Hortauit.] In C. *ortauit.* Vnde videtur eſſe *artauit* aut *orauit*, aut vt ſupra *conſolo* & ſimilia.

Erkengario.] Poſſet è C. legi *Erkengano.*

S. Remedi.] Dicitur *S. Remedius* Epiſcopus apud Vſuardum, & in Rom. Martyrol. d. 3. fol. 2.

CVIII. FOrmula mittendi antiquitus defunctorum fratrum nomina, vt pro iis preces Miſſæque fierent, ſed diſerte ſingulorum apponebantur nomina, vt ſequenti ep. 109. indicetur & 121. ideoque hic dicitur *& reliqua.* Idem mutuæ charitatis officium cum inter alios, tum in hodiernis B. Virginis ſodalitatibus, & maxime in noſtra Societate Ieſo viget, adeo vt ex Indiis etiam & orbe nouo huc mittantur nomina, & hinc illuc. Atque hoc tanto, quod vt hactenus vidimus; tam multi & ipſe S. Bonifacius toties ac tantopere optauit, ſubſidio, vtinam digne B
ac vtiliter, indignus licet: perfrui mortuus merear. Amen.

VEtereſcat.] Alij dicunt veteraſcat, & diſcrimen ſtatuit Nigidius inter *vetuſtiſcere* & *veteraſcere*, vt quæ CIX.
deteriora fiunt, vetuſtiſcant, quæ meliora veteraſcant, ex Cic. l. 7. ad Horatium. At non ſemper id obſeruatur, vt infra ep. 111.

OTkero. fuit Archiepiſcopus Moguntin. V. l. 4. Mog. p. 620. alias *Otgerus* & *Otgarius*, de quo infra 116. & 117. CXIV.

Lectionarium.] In Canonicorum & Monachorum odeis vſitata etiam hodie *Lectionaria*: in quibus ſcilicet è ſcriptura, Patribus & ſanctorum hiſtoriis lectiones continentur. *Miſſales* vero libri vbique noti ſed *Gregoriani* ſunt, quos vel contexit, vel in ordinem certum redegit S. Gregorius.

REclamatoria.] Apud Ludouicum Caroli M. filium, F
de quo ſupra 107. Nam in epiſtola dicitur, *in ſeruitio patris veſtri.* CXV.

Pagenſes.] qui eiuſdem pagi. *Pagus* autem, licèt à πηγῇ id eſt fonte, dictus dicatur, non vnum tantummodo ſignificat viculum, ſed plurimorum etiam interdum viculorum multitudinem, quæ vno aliquo aut imperio aut lege, ac iure vincitur & continetur. Satrapiam hodie aut Præfecturam appellant.

In Miſſaticum] *in legationem*, vt eſſent miſſi ſeu legati Ideoque paulo poſt dicitur. *Qui præfatos miſſos interfecerunt.* Hic tamen pro vico accipi poteſt, quia infra dicitur *pagus Marſcheim.*

Educti ſunt.] Ex vita Caroli Magni apud Equinardum hæc *Saxonum* in alienas regiones ac ſedes *tranſportatio* perſpicua eſt.

Gregorius.] IV. qui anno 828. Pontificatum iniit. Orgarius vero Archiepiſcopatum Moguntinum anno 826. & CXVI
tenuit vſque ad annum 847. lib. 3. Mog.

HLudouico] Caroli M. filio ſup. 107. Hic autem libellus Moguntinorum ſupplex non eo inſtituitur, vt G CXVII
Otgerus Archiepiſcopus Moguntinus fiat; ſed vt ei, cum Archiepiſcopus iam eſſet, ſua in ſede Manere, ſuoque Paſtorali fungi liceat munere, cum Imperatoriis bellicisque cauſis ab eo æquo plus auocaretur, vt ex eius patet hiſtoria lib. 3. Mogunt. 1. 612. 622.

S. Martini, S. Albani.] Vide Moguntinorum patronos, in quorum honorem Eccleſia Metropolitana, & alia extra vrbem conſecrata lib. 1. Mogunt. c. 31.

In nomine.] ſupra ep. 105. & lib. 3. Mogunt. not. 15. CXVIII.

Gregorius.] In hiſce S. Bonifacij epiſtolis quini maxime Pontifices ſunt ad quos vel à quibus epiſtolæ ſunt. Primus eſt *Gregorius II.* & de illo iam ab hac epiſt. 118. vſque ad 127. Alter eſt *Gregorius III.* ab eadem epiſtola 127. vſque ad 131. Tertius *Zacharias* ab eadem 131. vſque ad 145. Quartus eſt *Stephanus III.* & de ipſo ſupra epiſt. 91. 97. Quintus eſt *Leo III.* ſupr. epiſt. 75. Cœpit autem vti tomo 11. refert Baronius ſedem Apoſtolicam tenere, *Gregorius II.* anno Domini 714. *Gregorius III.* eius immediatus ſucceſſor 731. *Zacharias* huius immediatus idem ſucceſſor 742. *Stephanus III.* huius etiam pœne immediatus H
(Nam qui omnino immediatus fuit Stephanus II. dies tantum 4. fuit Pontifex) ſucceſſor 752. Huic ſucceſſit *Paulus I.* anno 757. Huic *Stephanus IV.* anno 768. Huic *Hadrianus*, anno 772. Huic *Leo* tandem III. anno 796. Atque hæc temporis notatio proderit epiſtolarum ipſarum tempora, imo & ipſum quandoque ipſarum epiſtolarum auctorem examinaturo, prout infra in Gregorio II. & III. patebit. Nam huic epiſtolam 122. tribuit Baronius, quam alij Gregorio II. Et iſtarum alius in Pontificum epiſtolis tom. 2. Conciliorum ordo, quam hic. Nam. 119. eſt illic IV. & 120. V. 121. VIII. 122. II. 124. III. 125. VII.

Alt Saxonum.] ſupra 19. CXXI.

VT non vileſcat.] Ad 12. fere petitiones reſpondet. CXXII.
Ac de iſta I. poſtea reſponſum diligentius epiſt. 130. & can. *Epiſcopi* non d. 80.

Paganis.] Qui baptiſmi formulam non recte ſeruarant. Ideo enim ſubdit Pontifex; *vt denuo baptizes in*

nomine

A *mbnino Trinitatis*, c. *quos à paganis* de conſ. d.4. Et ſimiliter accipienda paulo poſt reſponſio ad quæſtio.6. Alioquin vt de Iudæo reſpondet c. *A quodam* de conſecr.d.4. Nicolaus idem dum Foret, vti & infra epiſt.140. reſpondet Zacharias.

Agreſtem caballum.] Duo hic equorum genera indicantur, agreſte, & domeſticum: & vtrumque à quibuſdam comedebatur, provt etiam teſtatur Otho Friſingenſis l.6. c.10. Eraſmus Stella l.1. de Boruſſia, vbi & feros Græcis ignotos equos ait, & de Tartaris conſtat. Sed has & ſimiles leges audire non poteſt famis tempore venter famelicus, vt in obſidionibus interdum. 4. Reg. 7. 13. & apud Ferdinandum Corteſium narr. 2.

Pro obeuntibus.] Non ſimpliciter quæſiit S. Bonifacius, *eſſetne pro mortuis orandum?* ſciebat enim id eſſe optimum, ac in Eccleſia tota receptiſſimum, provt ſæpiſſime antea vidimus ad epiſt.24. Rurſumque non ignorabat pro Ethnicis ac infidelibus mortuis fruſtra preces
B fieri: ſed rogauit. *Num pro Chriſtianis omnibus, qualeſcunque ij eſſent, orandum foret?* Reſpondet igitur Pontifex? *non orandum pro hæreticis, ſed pro aliis omnibus orari poſſe, idque bonum ac ab Eccleſia receptum.* Impios enim vocat hæreticos, vt ex eo patet, quod eos Catholicis opponat. Quærunt vero interdum nonnulli, quorum parentes apud noſtri temporis hæreticos morati & mortui ſunt, poſſint ne pro ipſis orare? Sane ſi hæretici fuerunt, ſicque ſua in hæreſi è vita diſceſſerunt non poſſunt: neque alia iis conſolatio, quam quæ Iaponiis a B. Franciſco Xauier data lib.4. vit. c.8. Si vero ea vel ſimplicitate, vel ignorantia, quam perſonæ conditio, locus & eiuſcemodi alia excuſatent iidem parentes fuiſſent, vt vere preſſeque dicendi hæretici non eſſent, preces pro iis fundere fas, omninoque vtile. Sed vide Harmoniam Machab. l.2. c.12. & S. Auguſtinum lib. de cura pro mortuis, è quo pulchra citatur ſententia can. *Non æſtimemus* 13. quæſt.2.

Dubitauit.] In dubiis tutior pars eligenda eſt, & epiſt.
C Greg.3. clarius id explicat, quæ citatur c. *Paruulos* de conſect.d.4. Itemque Zacharias infra epiſt. 140. Et ſic de ſacris etiam ordinib. inf. ep.103.

Ioui Mart.] vt ſupra de Paganis ad q.3.

Ad 7. At hoc epiſt.126. relaxatur ad q.1. Alioquin vſque ad ſeptimum cognationis gradum matrimonia improbantur, Iulius Papa c. *Nullam* 35. q.2. S. Gregor. lib.12. epiſt.31. Tolet. Conc.2. c.5. vt explicat Alex.2. c. *Ad ſedem* 35. q.5. Concil. Lugdunenſ. & Cabilonenſe, & veteris Eccleſiæ morem hunc fuiſſet teſtatur l.c. Alexander 2. Bellar. l.1. de matr. c.29. p.1408. Rabanus de hiſce gradib. libellum ſcripſit, orſus ab noſtro iſto S. Bonifacio, Petrus Damianus lib. *de hæreſi inceſtuoſorum* apud Baron. tom. XI.

Duabus.] Non quod vxorem tertiam & quartam, imo & plures, ſiquidem tot accidant funera, ducere non liceat, ſed quod minus deceat. Ideoque ait hoc loco Pontifex, *ſi valuerit.* D. Hieronym. ad Pamach. in Apolog. contra Iouin. *Non damno bigamos, imo nec trigamos, & ſi dici poteſt, octogamos.* Et plura ibidem atque c. *Aperiant*
D 31. q.1.

Ad immolandum.] Adhuc vigebant humanæ in Germania hoſtiæ. quod de *Gallis & aliis* Lucanus lib. 6. de *Friſiis.* Suffridus lib. 3. de orig. Friſ. c.6. & auctor vitæ S. VVulfrommij apud Surium tom. 2. De talibus plura in Ind. c.11. & Victoria relect.9. de Temper.

IN EP. CXXIII. C*Aſtaldius.*] Scribitur ab aliis *Gualſtaldus*, & putat in Caroli Magni conſtitutiones Amerbachius eſſe hoſpitem ſeu Cauponem, quaſi *Gaſthalter.* Sed repugnat hoc loco Pontifex, qui *magnificos Gaſtaldos* vocat, eoſque comitibus anteponit: repugnat & in eodem Zacharia, Pontificale, dum Luithprandum Longobardorum Regem ait *in obſequium Pontifici miſiſſe Aldeprandum Ducem, Tacipertum Caſtaldum, & Ramingum Caſtaldum Tuſcanenſem.* Repugnat Carolus Magnus ſcribens *Ducibus, Comitibus, Gaſtaldiis.* Subdit idem Amerbachius ſibi non diſplicere, vt *Gaſtaldi* exponantur *conſtituti*, quaſi *geſtelte* ſeu *beſtelte.* Sed quam ad rem conſtituti? Explicatur in lib.2. Lombard. tit.17. & alibi dum dicitur, demandatas iis fuiſſe *curtes, caſaſque regias*, vt ſint
E qui in Polonia, Gallia & alibi *Caſtellani* vocantur, & vel à Latino *caſa* vel *caſtrum* dicti ſunt, vel à Germanico *Gaſt*; quia curtes & arces ſunt, In quibus fere hoſpitium habent Reges, & in re etiam bellica Ducibus erant proximi Lib.1. Lombard. tit.15. Paulus Diac. l.5. c.29. Petrus de Vin. ep. 6. c. 25. apud quem de *Caſtaldia feudis* agens Imperator Fridericus, *ita* inquit, *quod caſtrum à nobis*, vt videatur indicare nomen à caſtro ductum, cum & hodie adhuc vſitatum ſit in *Caſtel.* Hotom. de v. feud.

Edocatione.] Vna in C. ſuperfluit littera, vt ſit *edoctio. Edocere* ſiquidem apud bonos auctores paſſim vſitatum, & infra ep.128. bis 130. 140. 142.

In ep. 124. I*Llicitas.* Hæc fere ſumpta è S. Gregorij Magni lib.2. ep.25. & explicata fuſius apud Gratianum diſt.34. & 36.

Afros.] diſt.98. c. *Afros.* Idem & *de Britonibus* ep.129.
F p.178. licet Afri ob Manichæam hæreſim maxime culpentur, ob errores alios hi. Quemadmodum alioqui latronem *Arabs*, ita & libidinoſum quandoque ſignificauit *Afer*, quia vt ait lib.6. Saluianus. *Afri impudici generaliter, niſi ad Deum conuerſi, id eſt, fide ac religione mutati.* Huc ſpectat ep.47. S. Auguſtini ad Deuterium.

Non minuere.] In Grat. 12. qu.2. tota Diuus Thomas 2.2. quæſt.43. a.8.

Quatuor portiones.] Ibidem c. *Concesſo c. de reditibus c. Cognouimus. c. Mos eſt.* & hac de re quæſtio inter Fr. Sarmientum, & Mart. Nauarrum agitata pertiles de reditibus Eccleſiaſticis eorumque dominatu libros, & in ſchola Theologica diſputationes peperit. Vide S. Chryſ. hom. 37. ad pop.

Quarti.] De ſacrorum ordinum dandorum temporibus eadem iſta ſanciuntur diſt.75. maximè c. *Quod a Patribus* & c. *Ordinationes.* De ieiuniis vero eorundem menſium diſt.76. c. *Ieiunium c. de ieiunio incerto.*

Paſchali feſto.] Solemnia eorum, qui adultiores ſacroſanctum Chriſti Domini complectebantur, baptiſmata
G duobus maximè temporibus quondam inſtituta. Paſchali & Pentecoſtali apud Grat. *de conſecr. diſt.4. c. Non ratione auctoritatis. c. de Catechumenis c.* Duo tempora & iſte canon laudatur quidem à Gratiano ex B. Leonis op.4. c.5. plenius tamen inuenitur in 1. Concilio Mogunt. c.4.

In ep. 123. D*Eſidia*] Videtur hic idem deſignari Colonienſis Epiſcopus, de quo ep. 97. quæ poſt ipſum ſcripta fuit, agitur.

Patricio.] Senatorum filij olim *patricij* dicti, *quod*, vt ait Feſtus, & Velleius Paterculus, *patres ciere poſſent.* Poſtea vero principes quidam viri, qui aut Imperatorum conſiliarij ſummi, aut populi alicuius Principes, Summateſque ſummi, quaſi videlicet Patres forent, horumque dignitas dicebatur *patriciatus.* Iuſtinianus Nouella 80. & l. vlt. Cod. de Conſulib. l.12. l.64. in fi. l. vl. §. de decurionibus, l.10. C. & in l.3. C. vbi ſenator. Paulus Diac. l.14. Niceph. lib. 13. cap.1. & 4. Suidas πατρίκιος πατὴρ τοῦ βασι Claud. de Eutropio, Caſſiodorus, qui & ipſe Patricius
H lib.3. epiſt.5. lib.6. 2. l.8. 10. vbi honoris huius formula, etymologia, poteſtas, ornamenta. Vide & Baronium ſæpius Tomo XI.

Epiſcopia.] Epiſcopales domus ita olim vocatæ.

In ep. 126 Q*Varta.*] ſupra epiſtola 122.

Nubat.] *Nubere*, ait Nonnius, *veteres non ſolum mulieres, ſed etiam viros dicebant.* Sed maior hic de re quam de verbo difficultas, cum matrimonij diſſoluendi videatur facere Pontifex poteſtatem Ideoque verba iſta cum citaſſet Gratian. c. *Quod propoſuiſti* 32. q.7. *Illud*, ait, *Gregorij ſacris canonibus, immo Euangelica & Apoſtolica doctrina penitus inuenitur aduerſum.* Sed recte ibidem gloſſa obiicit, *Gregorij iunioris* decreta per Leonem IV. approbata eſſe c. *De libellis diſt.*20. Multæ igitur in eadem gloſſa tanguntur nodi huius enodationes. Ex omnibus autem ea placet quæ Pontificem ait *de muliere arcta* loqui, modo per vnam quaſi ſpeciem intelligatur ſynecdochicôs totum ægritudinis genus, quod mulierem ad coniugium impotentem ineptamque reddit. Huiuſmodi

enim

A enim ſi non in muliere tantum, ſed in ipſo etiam viro ſit, ratum eſſe non ſinit coniugium: eſtque impedimentum, quod contracto iam matrimonio diremptionem inferat; Et ſic etiam reſpondetur capitulo *Conſultationi X. de frigidis & maleficiatis*, dum negatur, vllum inueniri *de arctu* canonem. Non enim hæc quidem vocula in vllo legitur canone, ſed aliæ quibus & illud, & omne aliud, quod liberorum procreationi primo, directe proprieque obſtat, impedimentum ſignificatur. Et hoc eſt, quod à Pontifice hic dicitur: *cui infirmitas prapedit*. Nam illud *pra* valet, *cui iam ante matrimonij coniunctionem impedimentum*, ſeu vt ita dicam, præpedimentum *euenerat*. In citato canone legitur, *quam infirmitas prapedit*; ſed idem ſenſus. *Subſidy* vero *opem*, quam iſtiuſmodi iam dimiſſæ mulieri non ſubtrahendam ait Pontifex, eſt omnis honeſta illam iuuandi occaſio ſi qua ſeſe offerat: non autem eſt illa ſuſtentatio & cura, quæ neceſſario vxori à viro præſtanda. Æquum enim eſt, vt quæ arctiſſimo B amoris vinculo ſe viro iungere cupiebat fœmina, cum eam non culpæ voluntatiſque immutatio, ſed neceſſitas diſiungat, adhuc diligatur, omnique honeſta & opportuna ratione iuuetur. Bellarm. lib. 1. de matr. c. 17. l. 4. de Rom. Pont. c. 12.

Iureiurando.] Per iuſiurandum res erat decernenda ſed mendoſa videtur hic ſcriptio. Quomodo autem & quando Presbyteria iurandum, declarat breuiter gloſſa cap. *Quoties. 1. q. 7. & cap. Nullus, 22. q. 5.*

A Pontifice.] id eſt, ab Epiſcopo aliquo, qui confirmationis ordinarius miniſter neque hæc iteranda *c. de homine diſt. 5. de conſecr. & c. Dictum ibid.*

Duos vel tres calices.] Videntur alicubi plures, tum in altari poſiti calices, vt communicantium multitudini ſufficere poſſet ſanguis Dominicus. ideoque vel capaciores facti calices, vel ex vno minore in alios, alio decoro poſitos, loco calices facta conſecrati iam vini transfuſio. Et hi quibus populo miniſtrabatur ſanguis Domini, vocabantur *calices miniſteriales*, de quibus apud Damaſum & Bibliothecarium in vita Sylueſtri & Sixti III. eiuſ- C que modi fuit ille, quem Eccleſiæ ſuæ Rhemenſi obtulit S. Remigius his inſcriptum verſibus?

Hauriat hinc populus vitam de ſanguine ſacro
Iniecto æternus quem fudit vulnere Chriſtus
Remigius reddit Domino ſua vota ſacerdos.

Videatur Lindanus lib. 4. Panopliæ c. 56. Et hinc quidem vtriuſque ſpeciei vſus colligitur: ſed & aliunde ſpeciei vnius priſcus etiam vſus habetur. Bellarm. l. 4. de Euch. c. 20. & ſeq. Steph. Dur. l. 1. de ritibus c. 7. Ex huiuſmodi autem calicum vel maiorum vel plurium habendorum difficultate, itemque ex ipſo transfuſionis periculo potuit inter alias neque paucas, neque leues, aliqua etiam eſſe cauſa, cur Laicis vna & olim ſemper vſitata, & poſtea vſu communi recepta, tandemque etiam præcepta ſpecies fuerit.

Nefas eſt] Perperam tribuuntur à Gratiano hæc Gregorio l. c. *Addidiſti* 20. q. 1. ſed bene ibidem gloſſa Pontificia huius mentem interpretatur de iis qui ab infantiæ annis in monaſteria tradiri quidem à parentibus fuerunt, D ſed poſtea cum adoleuiſſent, in eam vitæ rationem conſenſerunt.

Symbola] *c. Symbolum de conſecr. d. 4. c. Catechiſmi ib. c. Baptizandos ib. c. Non liceat ib. c. Ante baptiſmum ib. c. Ante viginti ib.* Theodulphus n. 22. *Conſtitutum eſt, vt nullus chriſmetur, neque baptizetur, neque à lauacro fontis vllum ſuſcipiat* (ſic legendum) *neque eorum Epiſcopo ad confirmandum quemlibet teneat, niſi ſymbolum, & orationem Dominicam memoriter tenuerit, exceptis his, quos ad loquendum ætas minime perduxit.*

Non in nomine baptizantes] *c. Aliud & cc. ſequentib. de conſecr. d. 4.*

Ignorant.] *c. Paruulos de conſecr. d. 4.* illud *teſtificet*, accipiendum pro *teſtificetur*, vt ſuprà in aliis pluribus.

Valde fatuum] Imo in peſtem ſponte vltroque ruere videtur fatuum. Sed loquitur Pontifex de iis, qui certum exiſtimant, ſi è peſtifero loco abeant, omne ſe mortis periculum euitaſſe, vt ſubiuncta innuit ratio. Deinde E abſurdum in morbi contagione omnes fugere. Nam ægris & peſtiferis opem ferre quis poterit? Atque hoc non fatuum modo, ſed & inhumanum. Docet alioqui praxis, quæ in varias iam Germaniæ partes ex Italia & Gallia influit remedium aduerſus peſtem ne furenter adeo graſſetur, non malum eſſe, ſi ſalubrem in locum demigretur; ſiatque quod medica illa monet Muſa:

Dum fera peſtis erit, propere, longeque, diuque
Integer vt maneas, cede, recede, mane.

Iis tamen excedere haud licet, quos ad ægris tam ſpiritaliter quam corporaliter ſubueniendum iuſtitiæ nexus obligat aliquis, vt ex ſimili S. Auguſtini epiſt. 180. diſputatione intelligitur. Et qui iiſdem vtrolibet modo veræ impulſu charitatis opitulantur, tanto apud Deum loco ſunt, vt ſi ea in functione ſancta moriantur, *martyres* cenſeantur, vti apud Euſeb. l. 7. hiſt. c. 16. & 17. affirmat Sanctus Dionyſius Alexandrinus, ipſumque Romanum F Martyrologium die 28. Februarij.

Niſi quis heretici] *c. Qua dignior* 24. q. 1.

Conuiuiorum] Exempla ſunt in *S. Arnoldo*, de quo S. Romarici vita c. 4. p. 103. in *S. Anſgario*, qui Crantzio referente lib. 1. Metrop. c. 37. Dani Regis commeſſationes, vt alias, Euangelij promulgandi ergo ſuſceptas moleſtias ferebat. In *S. Macario Alexandrino*, qui apud Suidam [illegible] τοῖς ἐντυγχάνειν [illegible]: in magno illo *Dionyſio*, qui cognomento *exiguus*, de quo lib. de diu. lect. c. 23. Caſſiodorus: *Adeo conuiuus* [illegible]*atanter miſceras, vt inter corporales epulas, exquiſitas ſpiritales copias ſemper exhiberet*: in Franciſco *Xauerio* apud Turſellinum lib. 1. vitæ cap. 3. in aliis, & omnium maximè in perfectiſſimo rectè viuendi ſpeculo Chriſto Ieſu Lucæ 7. & 14. Ioan. 2. & 12. Si ſophiſtarum Philoſophorumque apud Platonem, Plutarchum, Macrobium conuiuia ſapientibus doctiſque condiebantur ſermonibus quid in Chriſtianorum? *Xenocrates*, vt miſſo Laertio, S. Auguſtini epiſt. 130. verbis loquar; *Polemonem, de fruge temperantia diſputando, non ſolum ebrioſum, verumetiam G tunc ebrium ad mores alios repente conuertit.* Quid prudens igitur, doctus, ſanctuſque, ſi annitatur, Dei concurrente gratia, non efficiat, etiam in conuiuiis, ſacerdos? Tam multis tantopere obſunt ſuper menſa ſermones mali, nihil proderunt boni? *Oportet*, inquit, lib. 1. Saturn. cap. 1. Macrobius, *verſari in conuiuio ſermones ex caſtitate integros, vt appetibiles venuſtate.* & cap. 3. *Animus rectè inſtitutus in opportunitate docte ac liberaliter colloquendi, interrogandi, & reſpondendi requieſcit.* Seneca lib. 2. natur. quæſt. cap. 59. *Omnibus rebus, omnibuſque ſermonibus aliquid ſalutare miſcendum eſt.* Habent bonorum virorum voces non in templis tantum & curiis ſeriæ, ſed in prandiis etiam & cœnis leniores, & quodammodo remiſſiores momenti ſemper & aculei aliquid: ita vt iſta illorum parerga valde commendet Xenophon, & in Ageſilao Plutarchus, ac libri de Philoſophis principio, Eunapius, qui addit *ſine huiuſcemodi Xenophontis parergis, Alexandrum ſuiuiſſe nunquam fuiſſe Magnum.* Philo de legat. ad Caium: *Auguſtus in conuiuiis memoriam retractabat, quæ à Philoſophis didicerat, aut ex doctorum virorum,* H *quos domi alebat, conſuetudine. Nam cœnæ tempus vt plurimum tribuebatur eruditis fabulis, vt non ſolum corpus, verum & anima ſuis reficeretur delitiis. Profectò*, inquit, ſermone vigeſimoſeptimo, de verbo Domini Sanctus Auguſtinus, *maior eſt refectio mentis quam ventris.* Atque idcirco litteratos conuiuio adhibebat Macrinus Imperator, vti refert Capitolinus: Ipſe vero Sanctus Auguſtinus, menſam ſuam. *ſacris ſemper vel lectione, vel diſputatione condiebat*, vt inquit die 28. Auguſti lect. 5. Breuiarium Romanum. Optime vero conuiuialium vtiliumque ſermonum omnium vicem interdum fungitur. *Lectio*, de qua ad illud citatum *S. Romarici vita* caput 4. De contrariis vero ſermonibus D. Auguſtin. homil. 6. de verb. Domini, vbi tamen vt conuerſantur, paganis blandiendum monet.

Huc vſque] Ex Ingolſtadienſis ergo Codicis, vnde hæc, opinione, dicendum foret, tam epiſtolam 122.

quam

A quam hanc 126. eſſe Gregorij II. Attamen illam, vt in margine notatum, tribuit Reuerendiſſimus Baronius Gregorio III. licet in Conciliorum tomo 2. diſerte, vt ſupra etiam ad epiſtolam 118. dixi, Gregorio II. tribuatur & quidem omnium vltima: eodemque modo & ordine citatur à Gratiano *c. Quos à paganis, de conſecr. d. 4.* Baronio tamen potius videtur aſſentiendum Primo, quia idem tradit Othlonus libr. 1. vitæ S. Bonifacij cap. 32. lib. 3. Mog. p. 354. Secundo, quia qui hanc epiſtolam ſcripſit Pontifex idem Archiepiſcopale miſit S. Bonifacio pallium, vt in ipſa refertur epiſtola. Sed Gregorius III. eſt, qui illum creauit Archiepiſcopum eodem lib. 1. vitæ c. 51. Tertio, quia nonnis omnibus in huiuſcemodi titulis & numeris errare Gratianum non raro. Quoad poſteriorem vero, Ingolſtadienſi Codici contra Baronium aſtipulatur Conciliorum tomus 2. qui hanc Gregorij III. epiſtolam quartam numerat, & Gratianus perſæpe *c. Quod propoſuiſti 32. q. 7. c. Parantes de conſecr. d. 4. c. de homine d. 5. ibid.*
B Bellar. lib. 4. de Rom. Pontif. c. 12. l. 1. de matr. c. 17. & ipſi etiam apud eundem Centuriatores. Hiſce tamen omnibus præponderat in ipſius epiſtolæ fine temporis indicatio, *annus* videlicet *Iſaurici Leonis decimus*, eius filij *Copronymi ſeptimus*, *ind ctio decima*. cum ante indictionem 14. eiuſdemque Leonis annum 16. neque mortuus fuerit Gregorius II. vti teſtatur Anaſtaſius Bibliothecarius, neque ad Pontificatum electus ſit Gregorius III. Ideoque & in huius 126. ora lege ſic: *Baron. anno 726. Gregor. II.* Hæc enim eius verba: Hæ *Gregorij II. litteræ ſunt, ſed male poſitæ ſub Gregorio III. Si quidem ex indictione in ea poſita hoc anno 726. eſſe ſcriptæ reperiuntur.*

IN EP. CXXIII. T*huringis*] Hic & ſup. ep. 119. & infra 129. nomina varia mendoſe leguntur in Conc. Tom. 2. Et hic quidem noti Thuringi & Heſſi, ſed illi antea epiſt. 62. *Tyringi* epiſt. 98. *Turingi* ſcribebantur. *Borthari* vero an Boiani aut Baioarij? Potius forte ſunt Heſſis conterminì, qui *Borauurg* ſeu, vt hodie quemadmodum l. 3. Mog. not. 29. notaui, vocant, *Varburg*, Fritzlariæ & Padbornæ fines incolunt. *Neſtreſi* ſunt occidentales. *Neuſtriam* enim & Neuſtreſiam vocant è ſcriptoribus aliqui occi-
C dentale regnum, quod aliis eſt VVeſtertrichia, ſicuti è contrario *Auſtria* ſiue *Oſterreichia* eſt orientale regnum, vt oſtendit Aimoinus l. 4. c. 57. Beatus lib. 1. F. 62. 75. Et hodie Galli *Auſtrice* vel *Auſtrio* dicunt pro *Oſterreich*: gentiumque nomina terminant Itali etiamnum libenter in *eſi*, vt *Franceſi*, *Portugaleſi*, *Angleſi*. At *VVedrecij* ſeu vt in Othlono l. 1. c. 57. ſcribuntur *VVedreni*, ſunt VVederani, quorum *VVederania* vt Moguntinis vicina, ita & notiſſima à fluuio ſcilicet *VVedera*, nomen accipiens. Quæ Catholicam in ea fidem retineant monaſteria hodie adhuc aliqua ſunt, ſed virorum duo potiſſima: *Elleſtattenſe*, de quo ſuperioribus diebus in *Godefridi Comitis* vita, & *Arnesburgenſe* per quod fluit nominatus paulo ante fluuius *VVedera*. *Lognai* ſunt in eadem VVederauia, fluuij, qui *Logn* ſeu Logana dicitur, accolæ, vt Lichenſes. Apud Zoſimum *Logionos nationem Germanicam denicit Probus Imperator.* *Sudnodi*, Auſtrales ſunt, quaſi *Sudvvohen*, id eſt, Auſtales habitatores. Quemad
D modum apud Tacitum lib. de German. *Ingæuones* putantur mediterranei interiores Germani, vt apud Bedam l. 3. hiſt. c. 21. *Middelengi*. Et niſi eſſent quæ dixi, viderentur hic ſignificari populorum plagæ quatuor: *Neſtreſi* Occidentales, *VVeſtdreni* Orientales, *Nordai* Septentrionales, *Sudnodi* Auſtrales. Ex his nominibus conflati *Nordmanni*, *Northumbri*, & venti hodie apud Belgas & Saxones, olim vero etiam; apud Francos prout ſcribit in *Caroli Magni* vita Eginhartus. *Graffeldi* demum in Othlono *Grabfeldi* & interdum *Grawfeldi*, ſicut & in Pithœanis Francorum Annalibus anno 850. apud Baronium Tom. 9. In editione vero Francofurtenſi, cuius citantur verba li. 4. Mogunt. p. 647. *Grabfeldea*. & videntur fuiſſe, qui agros nouos, excifis, quæ ibi ſtabant ſyluis, foderent, hortos, prata, noualiaque facerent. *Graben* enim fodere eſt, & in ditione Fuldenſi ac Eisfeldia, quia *roderen* & *raderen* eſt ſtirpes excindere, ac radicitus euellere, pagi plures inueniuntur, qui *in rod* & *rad* deſinant. Eſt & in Franco-

E nia *Kanigshofen in Grabfeld*. Illud *vel* omnibus dici pro *&* omnibus dictum ſupra epiſt. 75.

Phylacteria] infra epiſt. 192.

Adipiſcere] Tom. 2. Concil. *adipiſci*.

D*annbium*] infra epiſt. 130. & de loci controuerſiola lib. 3. Mog. not. 51. p. 506. In ep. 129.

V*iulo*] Interdum dicitur Viuilus: & qui ſubditur. In ep. 130.
Dux Otile, Otilonem vocant alij, de quo in Boicis copioſe D. Marcus Velſerus.

Parochias] lib. 3. Mogunt. not. 28. p. 499. ideoque vel in ſequentibus legendum, *ſuam habeas parochiam*, vel *parochiam* & *parochia* idem ſunt. Sic inf. epiſt. 131.

Dubium eſt] ſupra epiſt. 122.

Linguarum] infra epiſt. 34. Bene riteque baptizatis *Confirmationis* tantummodo ſacramentum dandum monetur, vt Actor 8.

Damby] ſupra epiſt. 129.

S*i* epiſtolarum iſtarum bonus ex tempore ordo inſtitueretur, huic 131. anteponeretur 132. & 142. Porro in huius 31. titulo notandum primo pro *dilectiſſimis nobis* legendum, *Dilectiſſimo nobis*, vt eſt in Concil. tom. 2. & Bar. Ortus autem ex eo videtur error, quod hæc epiſtola tribus, quorum in ea mentio ſit Epiſcopis communis fuerit. Sed an ita communis, vt vnum tantummodo eius exemplum Roma miſſum ſit, an tria tribus, ſeu ſingula ſingulis? Illud videtur putare Reuerendiſſimus Baronius an. 742. & ei pluralis hæc fauet inſcriptio. Sed tum non vnius tantum loci Epiſcopus nominandus foret, verum & alij duo. Deinde infra ep. 133. eadem epiſtola eſt, ſed mutato Epiſcopi nomine, ita vt appareat, eodem modo tertium etiam exemplum Epiſcopo inſcriptum fuiſſe tertio Secundo pro *VVitiana* in B. & tom. 2. Conc. legitur *VVita*: eſtque ille, qui alias dicitur *Alburnus*, *Albinus & Aluuinus*, vti dictum l. 3. Mogunt. not. 19. & l. 4. p. 609. & p. 636. Tertio, Iſtud *Barbarana*, nomen eſt illius Eccleſiæ, cui præfuit, vt iiſdem Moguntiacorum locis expoſitum, *VVita* ſeu *Albians*. Nam ſi ſecundum veterem orthographiam, quæ generali notatione 7. indi-
G cata eſt, *b* in *u* mutetur, habebimus vel *Varuar* vel *Varbar*, quæ hodie *Varburg*, *olim Burdburg* aut *Buraburg*. vt lib. 3. Mog. citat loc. monſtratum, & hic ep. 132. Ideoque & in B. ſcribitur *Eccleſia Birburgenſis*.

In ep. 131. F

Tranſlatari.] transferri. à *tranſlatum* enim *tranſlatare*, vt à *verſum verſare*, à *curſum curſare*.

Indict. XI.] B. X. niſi pro data legatur accepta.

W*irzaburg*.] è notis in S. Kilianum & lib. 3. Mog. patent omnia hæc. In ep. 132.

Laubacenſis.] infra. 140. p. 204.

Kal. Ian.] epiſt. 128. p. 177. Canon pœnitentialis 88. de obſeruantib. Cal. Ian. & Burch. VVorm. l. . c. 94. inter 50. lib. 10. c. 16. & 17. lib. 19. c. 5. S. Ambroſius ſerm. 1 . S. Auguſt. in pſalm. 98. & tom. 10. in frag. de Kal. Ian. S. Chryſoſt. hom. de Kal. Chryſologus fol. 55. Concil. Turon. c. 23. Antiſiod. c. 1.

Si iuxta Romanam vrbem.] Quemadmodum *Regis ad exemplum totus componitur orbis*, ſic & ad ciuitatis illius mores, quæ, vt libr. 4. ode inquit Horatius, *princeps vr-*
H *bium* eſt: vt S. Hieronymus in fine comm. ad Epheſios, *domina vrbium, arx imperij Romani* præfatione in Ezech. *clariſſimum omnium terrarum lumen*. vt Rutilius *Regina tuarum pulcherrima mundi*. vt S. Chryſoſtomus hom. 2. ad Rom. [illegible] Sed quemadmodum rurſus, qui magnis viris ac principibus gloriæ aliquid detrahere, aut certe per illos ſuam excuſate aut honeſtare volunt improbitatem, omnia illorum vitia identidem aliis recitant, minutula grandiunt, grandia in immenſum tollunt, ita & in Romanæ vrbis fit peccatis. *Falſiſſima* ſæpe illinc afferuntur; *modica* exaggerantur: *magna* ingentia, immenſaque redduntur, vt in hac ipſa ſemel & iterum vides epiſtola: quaſi vero regia vlla hoc in mundo tam pulchra ſit, in qua cloacæ nullæ: domus vlla tam nitida, in qua non vaſa quædam vilia & ſordida, flamma vlla tam illuſtris, in qua fumi aut fumoſi nihil. Fere fit, vt quo multi confluunt homines, eodem multa confluant vitia, vt lib. 1. contra Apionem

indicat

A indicat Ioſephus. Et quamuis hæc vel exhauriantur vel obſtruantur interdum (quod paſtoralis curæ vigil prouidere debet oculus) refluunt tamen ac ſuccreſcunt ſenſim rurſus, provt hoc loco recte indicat Zacharias. Prudentium eſt ad bona quæ Romæ ſunt non pauca oculos animumque aduertere : à malis auertere. *Suum quiſque onus portabit.* Accidit vero ſuperioribus hiſce annis, vt inſignes duo è Germana viri nobiles Romam irent. Catholicus vnus, hæreticus alter, ille templa, hoſpitalia, piorum ſodalitia, bibliothecas, doctorumque virorum domos inuiſebat. Hic aut in cauponis & popinis hærebat, aut alia quæuis omnia luſtrabat. Reuerſi vero cum eſſent, in familiarium conuiuio Romam laudabat vnus, vituperabat alter. Mirabantur è ſimplicioribus conuiuis quidam tantam oculatorum duum teſtium diſcrepantiam. Tum è prudentioribus quidam. *An non*, inquit, *in eundem hortum, ad eundemque ſæpe florem accedit apis & aranea? Sed illa mel, venenum iſta ſugit.* & *alius ad aras, alius ad haras*
B *oder eſt*. Vide Bar. p. 145. & l. 12. *Sed licet. ff. de offic. Præſid.* vbi ſapienter Proculus : *non tam ſpectandum quid Romæ factum ſit, quam quid fieri debeat.*

S. Auguſt.] Putat apud Louanienſes Lipſius, ſermonis huius 241. de tempore, phraſin reſipere Seueriani. At S. Auguſtino illum præciſe tranſcribit iſte Pontifex. *De Phylacteriis* dixi lib. 2. Trith. c. 3.

Caragi.] Forte vox fuit Phœnica, cum ea in vulgari illo ſermone ſemel ac iterum vtatur S. Auguſtinus. Apud Græcos quidem *κάρος* Heſichio teſte, ſonus eſt magnus & ſtridulus, qualem edere ſolet ſerra. An forte *caragi* ſunt, qui *κάρον* id eſt, grauem hominibus ſoporem & grauedinem incantationibus quibuſdam inferunt? Caroticam enim habent vim herbæ, carminaque nonnulla.

Longa.] B. tempore longo & putat idem Reuerendiſſimus Bar. deeſſe hic verſiculum vnum, ſed ſenſus bonus eſt, etiamſi adſit nullus : *Te doctrina melliflua, piaque gratia perficiat.*

C SVpra epiſt. 131.

IN EP. CXXXIII. IN EP. CXXXIV. PAtria, & filia.] ſupra epiſt. 130. & recitatur iſta reſponſio *c. Retulerunt de conſecrat. d. 4.* eidemque ſuffragatur *c. Si non ſanctificatur* ibid. & oratio. Nam ſæpe hoc è gentium variarum pronunciatione, imo ex eiuſdem etiam gentis varia dialecto fit, vt eadem verba aliter & aliter pronuncientur. Nam vt explicandi cauſa, exemplorum aliquid ſit ; ſonate videtur Anglus è vulgo aliquis. *In nomine Patris* : VVeſtphalus, *In nomine Patris, & cæt.* Treuir. *In nomine Patrus, & Feiles ei*, Et hodie Sueuorum quidam ad vocabula pleraque addunt *a* vt pro *Nein Neina* pro *fünbeln ſinibela* & ſimilia vti Conſtantienſes, Vberlingenſeſque norunt. Licet igitur ex recta & germana Latinæ linguæ pronunciatione dicendum non ſit. *In nomine Patria &c.* tamen ex ignoratione, ſimplicique aut dialecti, aut illiterate loquentis vſu, illud idem tunc & ibi valebat, ac ſi diceret ; *In nomine Patris, &c.* Et forte ſi nos priſcorum Latinorum aliquis La-
D tine loquentes hodie audiret, vix intelligeret, vt oſtendit lib. de pronunciat. Lipſius. Alioqui valde etiam cauerunt Gentiles, ne in precationibus, deuotionibus, augurationibus, votorum nuncupationibus, ſacrificiis, & ſimilibus, verbo aut nutu aberrarent, vti noſter explicat Mart. de Roa lib. 6. ſing. c. 2.

Rom. Synodus] De iſta & de hæreticis in ea damnatis egit liber 3. Mog. & epiſt. 135. & Baron. tom. 9.

Pro velo] De velis multa citarunt paulo ante Roa lib. 6. ſing. c. 21. & Baron.

Nomenculator] alias Nomenclator. de quo ſicuti & de *ſaccellario*, cuius in fine mentio, agit Onuphrius l. de vocib. Eccle. & Briſſonius l. de vocab. eſtque is, cui *ſaccus*, ſeu *ſaccellus*, de quo D. Auguſtinus conc. 3. pſ. 36. commiſſus ; Hodie *Theſaurarius*. In Caroli M. Conſtitutionibus *caſtularius*. hodie *Raſtmeiſter* à ciſta, in quibuſdam monaſteriis *burſary*, qui forte ſunt illi, quos Hincmarus epiſt. 3. vocat *Burſarios*.

IN EP. CXXXV. ORdinarum] ſcilicet Epiſcopum p. 191.

Cruceculas] epiſt. 144.

Secretario] *Secretarium* hic ſumitur pro eo, quod alias in Conciliis dici ſolet ſeſſio aut conuentus, & congregatio, provt declarant adiunctæ ſæpius voces, *præteritum & futurum* aut *venturum*. Alias eſt locus in templo arcanior, vt apud V. Bedam lib. 2. hiſt. c. 1. Et accepit nomen ipſe, conuentus, quod eo in loco fieret. Apud S. Auguſtinum conc. 2. pſ. 34. *ſecretaria mentis* leguntur. B

Epiſtolam qua] Tales è cœlo epiſtolæ commentitiæ plures apud Sigebertum anno 1032. Dodechinum anno 1096. Paralipom. Vrſperg. in hiſtoria flagell.

Non plus quam trium Angelorum nomina] *Concilium iſtud Romanum inter concilia edita in Germania, vel in Italia non reperio. Vnde nonnihil nutat auctoritas iſtius hiſtoriæ*, de Angelorum ſcilicet nominibus. Ita quidem diligentiſſimus Magicarum rerum Diſquiſitor noſter ſcripſerat lib. 1. cap. 4. quæſt. 4. Sed reprehendit ipſemet ac reuocat vti patet poſt libri ſecundi finem p. 266. Et recte. Quam multa enim Concilia, eaque certiſſima quotidie variis in locis inueniuntur & F eduntur, quæ in illis Conciliorum tomis aut Italicis aut Germanicis non ſunt? Hoc tamen ipſum Romanum, in Germania ſane apud Surium in S. Bonifacij vita editum eſt. Et quot vitæ huius exemplaria vel prælo vel manuſcripta extant (extant autem, vt lib. 3. Mog. oſtenſum, non pauca) tot Concilij huius teſtes ; fidique cuſtodes ſunt. Ad ſententiæ tamen huius confirmationem addo Concilij Aurelianenſis Capitulum 3. quod à D. Burchardo citatur lib. 3. cap. 198. *Nihil aliud in Eccleſia legatur, aut cantetur, niſi ea, quæ auctoritatis diuinæ ſunt, & Patrum orthodoxorum ſanxit auctoritas : Nec falſa Angelorum nomina colant, ſed ea tantum, quæ Prophetica & Euangelica docet ſcriptura, id eſt, Michael, Gabriel, Raphael.* Habuerunt quidem Eſſeni, vt ex Ioſepho retuli lib. 3. Trihær. cap. 4. p. 218. *arcana* quædam *Angelorum nomina*, ſed quæ illa fuerint, non eſt memoriæ proditum. Videatur epiſt. 144. & Comm. in Tob. 12. q. 11. & ſeq. G

ZIzaniam.] In B. *vt ſpirituali ſarculo eradicare poſſis Zizania.* Sed quemadmodum Plauthus Sticho, Næuius Maccho, & Lucilius Satyr. l. 22. *labiam*, Siſenna l. 4. hiſt. *ſinuſiam*, ſic & Pontifex dicere potuit *Zizaniam*. IN EP. CXXXVIII.

In vertente.] B. *Ad reparandum Eccleſias vel Monaſteria plus non potuiſti, quam vt vertente anno.*

Denaria.] B. *denarij*. Sed vt ſupra in epiſt. 90. Nam 12. denarij ſolidum efficiunt ſupra ep. 78. p. 113.

Inſtar.] id eſt, exemplum.

Geolebo. B. *Gevvilibo*. de quo plura l. 2. Mog. c. 20.

Apud nos.] B. *ad nos.*

Omni anno.] ſup. ep. 137. & 140.

A Deo cor.] non in B. ſicuti nec illud paulo poſt *anno V.*

Sexto.] Legendum putat Baronius, *octauo*.

SYnodo.] ſupra ep. 132. & apud Gratianum *c. in Synodo* de conſecr. d. 4. IN EP. CXXXIX. IN EP. CXL.

Auguſtinus.] Beda lib. 1. hiſt. & 2. c. 3. 4. 5. 6. 7. de Honorio c. 18. de Theodoro l. 4. c. 1. vbi ſic : *Theodorus natus ex Tharſo Ciliciæ, vir & ſæculari & diuina litteratura Græce & Latine inſtructus, probus moribus & ætate venerandus* Subditur ibidem quomodo in Angliam & in ea præclare quanta geſſerit c. 2. & 5. 17. ac deinceps. H

Vicem.] F. vicem, vt ſupra ſæpius, & hac ipſa epiſtola p. 208.

Malignatur.] Recte notat Reuerendiſſimus Baronius conatum inter ſanctos viros diſcordiam ſerere diabolum, vt vel ſic Euangelij propagationi obſtaret. Ideoque iſta de *Virgilio* cum accepiſſet S. *Bonifacius*, Pontifici nunciauit, falſa quidem ; ſimpliciter tamen ac fideliter. lib. 3. Mog. not. 35.

Sub terras.] Eſſe *Antipodas* tam certum eſt, quam nos hanc terræ, in qua ſumus, partem incolere. Non enim ſola illos ratiocinatio, vt olim cenſuit lib. 16. Ciuit. cap. 9. S. Auguſtinus, ſed experientia etiam ; aſſiduaque nunc ad Indos, Braſileenſes & Mexicanos nauigatio indicat. Non igitur hoc peruerſa & iniqua doctrina

A eſt, ſed illud tantummodo, aſſerere alium eſſe mundum, ideoque & alios ſub alia terra homines, ac idcirco hic legitur non *ſub terra*, vt in B. ſed *ſub terras*, vel certe ſub terris, quarum vna ſcilicet noſtri huius mundi ſit, alterius altera. Et Philoſophorum quidem aliqui, vt Empedocles, Epicurus, Lucretius, lib. 2. Plutarchus lib. de orat. defic. Anaxarchus apud Ælianum lib. 4. variæ hiſt. mundos opinati ſunt pluſculos, ita vt Anaxarcho illo audito ingemuerit Alexander, de eoque ſcripſerit Iuuenalis:

Vnus Pelleo iuueni non ſufficit orbis.

Sacra tamen Scriptura vnum tantummodo nobis creatum à Deo mundum pandit, vnum Adamum, vnum in vno mundo Chriſtum, vnum humanum genus. Videatur cum alibi S. Auguſt. tum lib. de hæreſ. h. 77. Albertus M. in 2. p. ſummæ de homine q. 2. Theologi & Philoſophi in 1. de cœlo, Rambam l. *Moreh Nebuchim* part. 2. cap. 73.

B *Maguntia.*] Mog. l. 1. c. 3. & ſeq.

IN EP. CXLI AD hanc ſequens reſpondet epiſtola, & quæ his tractentur, patent ex dictis p. 163. Quæ vero hic ſcripta non ſunt, & in ſeq. tamen explicantur epiſtola, ea ſuo ad Pontificem Legato B. Lullo commendarat S. Bonifacius, vt in principio ſignificat ipſe, & poſtea dum reſpondet, Pontifex. Non extabat vero, dum ederentur Moguntiaca, hæc epiſtola, vt habetur, l. 3. p. 414. in c. 14. l. 2. vitæ S. Bonifacij titulo.

IN EP. CXLII. INnuncii.] B. & Tom. 2. Conc. *iniuncta.* Sed forte loquutus Pontifex quaſi diceret, *quæ iuſſi fuerunt.*

Pyctacio.] Tom. 2. Concil. *pitacio*, B. *pittacio.* Recte vero tam πιτάκιον quam πιττάκιον ſcribitur, eſtque propriè panni fruſtulum, & per ſimilitudinem, indiculum aliquod membraneum, aut chartaceum. Sed illud à complicando ducitur, hoc vero etiamnum apud Hiſpanos & Aquitanos, exigua cum inflexione, vſitatum *pedaço* & *pedas*, apud Gallos *vne piece.*

C *Lepores.*] Tres hic nominantur terreſtrium animantium quibus veſci non liceat, ſpecies, *fibri*, *lepores*, *equi ſiluatici.* At horum tantummodo equorum in B. eſt mentio ſic: *Equi etiam ſylueſtres multo amplius vitandi.* forte *ſilueſtres*, aut *ſiluatici.* & de iis actum ſupra epiſt. 122. Sed quid *inter quadrupedes gloria prima lepus?* An vetitus? Iudæis quidem fuit vetitus Leuit. 11. 6. Deut. 14. 7. Chriſtianis non item, vt omnium vbique vſus monſtrat. Ideoque vel hic, prout in Baroniano eſt, locus legendus, vel quia cum Ingolſt. Codice conſentit Concil. Tom. 2. dicendum huic Pontificis legi nihil, à principio ſtatim, loci datum, vel contrario certe vſu eam antiquatam. Si enim Apoſtolica illa Act. 15. de botulorum aliorumque ſanguine farctorum eſu euaneſcere potuit, quanto hæc magis? Et hoc fieri potuiſſe ac licuiſſe videtur ipſemet innuere Pontifex dum ſubiicit; *Attamen ſ. ſ. de omnibus e ſcripturis ſacris bene compertus es, id eſt, comperiſti*, vt ſupra dictum epiſt. 94. quaſi diceret: *Noſti è ſcriptura, Iudæis fuiſſe hæc prohibita, Chriſtianis libera: fac quod bonum, & hoc tempore, & illo tuo loco videbitur expedire.* D *Putarem ab his alioquin abſtinendum: ſed non impero.* Cum Suriana tamen in margine notata lectione conſonat Baronius.

De igne Paſchali.] Eſt hodie Paſchalis quibuſdam in locis ignis, qui vocatur *Oſterfeuuer.* cuius ab reſurrectionis Dominicæ gaudio, noſtræque per illam allatæ certa ſpe vel alia quapiam cauſa non mala, vt lib. 3. Mog. not. 21. videtur fluxiſſe initium, licet parum Chriſtiane alicubi rixarum pugnarumque flammas nunc ſpargat. Sed de iſto non eſt iam ſermo, verum de illo quo paſchalis accendi ſolet cereus ſabbatho magno. Et de eo Honorius in Gemma animæ lib. 3. cap. vlt. Alcuinus de diu. offic. cap. de ſabbatho Paſchæ. Amalarius Fortun. l. 1. de Eccl. off. c. 26. Videtur vero è ſequentibus ea quibuſdam fuiſſe opinio, vt ignis hic è cryſtallis aut certe ſpeculis, quæ ſolares radios excipiunt, ſcintillaſque & flammas accendunt, eliceretur. At de hoc *nullam*, inquit Pontifex, *habemus traditionem*, quæ optima plurimis in rebus magiſtra. De illis vero ſpeculis & *Optici*, & *Bacho*, & *Io. à Porta.*

Regio morbo.] Hinc & è ſequentibus apparet, quam rudis, & medicinæ, prudentiæque politicæ indiga fuerit Germania, è qua iſtiuſmodi quæſtiones ad Pontificem referre oportuerit. E

Rabidis lupis & canibus.] Quoad *verba*, illud, *ne furentes & mordentes*, accipiendum de ipſis animalium, quæ nominantur, ſpeciebus, *ne ſcilicet equi caneſve à rabidis morſi furiant*, alioſque mordeant. Quoad *rem* vero, Pontificis conſilium optimum eſt, non eorum qui aut rabioſi iam ſunt, aut à rabioſis commorſi, reſpectu, ſed aliorum, ne in plures graſſetur, pluresq; lædat malum. *Ad morſum vero; vnicum*, ait Plinius lib. 8. cap. 41. *remedium oraculo quodam nuper repertum: radix ſylueſtris roſæ, quæ cynorrhodos appellatur.* Sed apud nos Chriſtianos in Gallicis præſertim Belgiciſque partibus aliud pridem diuinitus conceſſum remedium *ſancti* ſcilicet *Huberti ſuffragium & reliquiæ*, quarum in energumenis etiam, vſus & efficacitas maxima in Ardennenſi eiuſdem Monaſterio. *Morſis vero* inquit idem c. 40. F Plinius, *lethalis aquæ metus.* Nam *morſus ille non continuo*, inquit Mich. Glycas Annal. par. 1. p. 87. *quidquam ſecum affert ægritudinis aut moleſtiæ, præter eum, qui ex ipſo ſentitur, dolorem. Verum deinceps morbus accedit, quem hydrophobiam ab aquæ metu, vocant. Qui enim a canib. rabioſis morſi ſunt, aquam reformidant, ſiue illam intueantur, ſiue propius accedant.* Sed huius aliorumque rabiei huius ſymptomatum cauſas indagat cum *Glycas* ipſe tum apud eum *Rufus* & *Paulus Synopenſis. Bartholom. Ang.* de prop. 67. *Auicenna* lib. 4. Fen. 6. tr. 4. 2. 5. & 7. *Plinius* lib. 2. c. 40. l. 8. c. 40. è quo tamen duplex oriri poteſt dubitatio. *Vna*, Galenus lib. vlt. ἐυπόρ., & Aphrodiſæus *ſolos* in rabiem agi *canes* docent. At ipſe Plinius l. 8. c. 42. id *equis* etiam tribuit. Et hoc verius, quia & hic à Pontifice ac S. Bonifacio iunguntur equi canibus, & aſſentiūtur Porphyrius, Hierocles, Auicenna loco cit. c. 6. adiungens vulpes, muſtelas & mulos. Brod. l. 3. c. 9. *Altera* cum vnicum lib. 8. c. 41. tradat ex oraculo, vt dictum eſt, remedium, quomodo alia tradit, l. 29. c. 5. & quidem complura? Sed nimirum præter hæc G tum vſitata, illud etiam oraculo editum fuit, vel forte poſteriores Plinij curæ eſſe voluerunt ſapientiores. Et curandi etiam modos plures tradit l. cit. c. 9. Auicenna.

Benedictionibus.] An illas intelligit, quæ mulierculis etiam nonnullis, & iis, qui apud Hiſpanos interdum *ſaluatores* vocantur, vſitatæ? Nam iſtiuſmodi apud nos *Segen* dicuntur, deque ipſis multa Franciſcus de Victoria Relect. de Magia ad 2. & nuper Martinus noſter Delrio lib. 3. Diſquiſit. Mag. p. 12. q. 4. ſ. 7. Vide hunc eundem l. 6. c. 11. ſ. 1. quæſt. 2.

Milone.] Gregorius II. ep. ad Turpinum ait. Milonem hunc *ſola tonſura Clericum fuiſſe, nihil ſapientem de ordine Eccleſiaſtico.* & de eodem Hincmarus ep. 6. c. 19. *Milo quidem tonſura Clericus, moribus habitu, & actu irreligioſus Laicus, Epiſcopia Remorum ac Treuirorum vſurpans inſimul per multos annos peſſumdedit.*

Lardum.] Putant aliqui conceſſum à Pontifice hic laridi cocti eſum in quadrageſima quia ſubdit poſſe in coctum comedi poſt Paſchalem feſtiuitatem. Et aggerunt H huc alias etiam rationes. 1. quod lardum caro non ſit, vt Philoſophi & Anatomici docent: & in iure Canonico etiam corrector c. *Presbyter* d. 28. clare diſtinguitur caro à ſagimine hiſce verbis. *Dominicis & præcipuis feſtis modico vino, & piſciculis atque leguminibus recreetur ſine carne & ſagimine*: & paulatim infra; *Vino & ſagimine, ouis & caſeo iuxta canonicam menſuram vti poterit.* Et carne tamen vti non poterat. 2. In eiuſdem c. gloſſa ſic eſt: *Arg. quod licet comedere de ſagimine illis diebus, quibus oua & caſeum licet comedere. 4. diſt. Denique* 3. In margine vero loci eiuſdem ſic: *Sagimen & lardum die veneris comedere licet.* Sagimen vero vocant Canoniſtæ ſaginam, adipem, & pinguedinem animalis, & citant quidam l. 6. c. 38. Columellam, quaſi animalia nonnulla ſagimine aiat ſtrangulari. cum illic alij hodie legant *ſanguine.* Sed 4. Sylueſt. V. Ieiunium ſ. 16. *Cuicunque* ait, *conceditur vſus ouorum & caſei, conceſſus intelligitur vſus ſaginimis ſiue lardi c. Presbyter diſt. 82. & ibi gl. & idem Panormitanus in c. Conſaluit de Iud. licet tunc non ſit licitum vti carnibus:*

quia

A *quia quaſi mutando formam, videtur res ſubſtantia immutata.* Similia etiam ſumma Angelica V. Ieiunium §.5. verbis tamen paulo paucioribus, & Mart. Viuald. Alph. in Candel. Aureo de præcep. Eccl. p.4. c.3. bis 5. Eſt hodie in vſu Carthuſianis & non paucis in Belgio Catholicis aliis, quadrageſimali tempore porcum edere marinum. At is infumatum adeo lardum refert, vt qui eius ignari ſunt, ilium ab hoc neque aſpectu, neque guſtatu diſtinguant. 6. In Hiſpania vſitatus inteſtinorum eſus eſt. 7. demum in quibuſdam etiam in Monaſteriis audio, vt butyri, quod his in locis quadrageſimali tempore non inconceſſum, parcatur ſumptibus, anſerinum vſurpari adipem. At laridi par vtique ratio.

Sed ſane de ciborum in quadrageſima, diebuſque aliis nonnullis, delectu, licet antiquiſſima, & ab Apoſtolico ducta æuo ſit lex, vti oſtendit lib. 2. de bonis operibus cap.5. & 7. Bellarminus, humana tamen eſt, quæ modificationem, interpretationem, & laxationem vel adſtrictionem pro locorum, temporum, perſonarumque varie-
B tate poteſt admittere, vt ex legum iſtiuſmodi natura de qua egi alias, libello de legibus, num.64. & ſequentibus, patet, apud Diuum Thomam 1. ſecundæ, quæſt.97. Gratianum diſt.4. Ideoque poteſt *caro*, dum ab Eccleſia certis diebus vetatur, latius & preſſius intelligi. Latius quidem, vt ſignificet quidquid in animante quadrupede ac terreſtri, bipede ac volatili, aptum eſui eſt ipſæ animantes terreſtres ac aëriæ. Nam *caro piſcium*, de qua S. Paulus 1.Cor.15. Moyſes Geneſ.7. 21. Leuit.11. 11. generatim vetita nunquam fuit. Preſſius, ſi excipiantur hæc aut illa animantium genera, vt in ſua Regula cap.39. fecit S. Benedictus qui ſuos à quadrupedum tantummodo eſu iubet abſtinere: ſi hæ aut illæ animantium partes, vt ſi alicubi aut lardum, aut interanea conceſſa ſunt. Nuſquam tamen memini obſeruare lardi vſum liberum extitiſſe, neque id in lege iſta carnis nomine haud comprehenſum. Nam 1. c. *Denique d.5. Par eſt, vt quibus diebus à carne animalium abſtinemus, ab omnibus quoque quæ ſementinam carnis tra-*
C *hunt originem ieiunemus, à lacte videlicet, caſeo & ouis.* Quanto à larido magis, quod carnis aut nomine, vt dixi, continetur, aut certe *ſementinam* maximè à carne trahit originem. 2. Praxis Eccleſiæ optima eſt eius legum interpres. At vbinam larido boni vnquam Chriſtiani quadrageſimali tempore, aut ſextis feriis communiter, abſque diſpenſatione, aut conſuetudine, quæ huius vim habeat, veſci auſi ſunt? 3. Non hic etiam Zachariæ locus id concedit, vt paulo poſt dicam, & quæ è contrario allata ſunt; parum aut omnino nihil euincunt. Nam *ad* 1. iam dixi, aliter apud Philoſophos & Anatomicos, aliter Eccleſiaſticos & legiſlatores carnis nomen accipi. Quin & apud illos etiam varie caro dicitur, vt *pomorum caro*, vt ait Plin. l.13. c.4. & alibi, vt in Tob.6. q.2. dixi: apud iſtos vero non diſtinguitur quidem interdum à carne ſagimen, interdum vero diſtinguitur. ſi tamen in Hybernenſi illo Concilio, è quo eſt *c. Presbyter* ſagimine & non *ſanguine* legendum ſit, provt in Columellæ citato loco legunt, vt dixi. hodie doctiores omnes. Nam & vox iſta *ſagimen* alioquin ignota, Latiniſque ſcriptoribus omnibus inaudita:
D & *ſanguine* ſignificabuntur vt Act. 15. omnia, quæ è ſanguine fieri ſolent, vt apexabo, & botulus. Deinde poteſt ea voce accipi non pinguedo quælibet, ſed butyrum & alia, quatenus ea cibi alij condiri ſolent. vt illud *ſine ſagimine* ſit, quod dicimus *Vugeſchmaſt*. Apud Theodulphum n.40. *A caſeo, lacte, butyro, & ouis abſtinere, & non ieiunare dementiſſimum eſt.*

Ad 2. negatur bonum eſſe hoc gloſſæ argumentum. Quæ enim conſecutio, Præsbytero pœnitentiam agenti vetatur cum carne, ouis & caſeo ſagimen. Ergo cuicunque conceditur ouorum & caſei eſus, conceditur etiam ſaginiinis? Si hæc bona eſſet connexio, non fuiſſet opus poſtea, quando eidem Presbytero Dominicis diebus remiſſio quædam fit, vllam ſaginiinis facere mentionem, ſed ſatis fuiſſet dicere, *Exceptis Dominicis & præcipuis feſtis, in quibus vino & ouis & caſeo iuxta canonicam menſuram vti poterit.* Ouorum enim & caſei permiſſio ipſam quoque ſaginiinis permiſſionem importaſſet. At quia vere non importat, ideo diſerte appoſitum, *& ſagimine.* Neque vllo modo ſequitur; In ieiunij ſeu ciborum delectu conceditur hic aut ille cibus. Ergo etiam ille & ille v. c. conceditur illis butyrum. Ergo & caſeus; vel contra; Conceditur lac. Ergo & oua. Ne apud Medicos quidem hæ valeant conſequentiæ. Sed quæ conceduntur, exprimi debent omnia licet recte tum in quolibet iſtiuſmodi conceſſo intelligantur omnia quæ ex illo, ſine alterius, quod adhuc vetitum eſt, admiſtione, fieri poſſunt vt ſi lactis facta conceſſio ſit, erit & omnium, quæ è lacte, ſine carnis, oui & ſimilium adiunctu, concinnari poſſunt. Et hinc apud Heluetios & Sueuos vſitata illa in quadrageſima imperfecti caſei ſpecies, quæ carnis coaguli habet 1. nihil, ab iiſque vocatur *Zeger*, & accidentium ratione varius eſt v. c. albus, viridis, durus, mollis.

Ad 3. dico tantum ſignificari breuiter, quod in gloſſa videtur dici, niſi quod opponitur *laridum*. Sed ſi gloſſa negata eſt ad 2. multo magis otaria hæc notatiuncula.

Ad 4. cum citati auctores ſolis iam reiectis aut rationibus aut gloſſis nitantur, merito reiiciuntur & ipſi. præſertim cum non deſint, qui iis opponantur alij vt Tablena, & ipſemet ſi recte expendatur, Vitaldus. Nam 1. loquitur de lardi vſu tantum ſextis feriis, & tantum apud quoſdam populos, qui oleo carent, 2. ſubdit. *A quo* (lardo ſeu porci ſagimine) *abſtinendum eſt, vbi conſuetudo non viget.* 3. Rurſum infra. *Vbi non eſſet plena conſuetudo, his* (lardo ſeu porci ſagimine) *vtendum non eſſet.*

Ad 5. Porcus ille animal eſt aquatile ſeu piſcis, nec refert, ab ignaris in colore ac ſapore interdum errari. Quam multa valde ſimilia ſunt? Pro lepore vulpem, aut felem eſitarunt quandoqueque neſcij aliqui & chymicum aurum germano auro, adulterinum argentum vero argento ſimillimum eſt: natura tamen & vis longe alia.

Ad 6. per diſpenſationem id fit.

Ad 7. per abuſum id fit, ſicuti & alia hodie non pauca,
G præſertim vbi circumcirca hæretici non lardum modo, ſed & omnigenas carnes impune lurcant.

Non oſtendo de hac in quadrageſima lardi eſitatione Pontifici nullum hic ſermonem eſſe. Primo enim quæſtio ei à ſancto Bonifacio poſita non eſt. An hoc liceat; ſed *poſt quantum temporis debeat lardum comedi.* Hoc enim à Germanis, apud quos tum Sanctus verſabatur Bonifacius, comedi ſolebat & crudum & recens. Id ſemibarbarum & inſalubre admodum videbatur Porcinæ ſiquidem ſuccidiæ, totaque ſuilla caro, præſertim recentior, humoris ac ſucci nimij plenior eſt, lepræque (vt Gentilibus etiam, qui ante carnium iſtarum abſtinentiam Iudæorum quam plurimos leproſos apud Ioſephum lib. contra Apionem, fuiſſe mentiuntur, viſum) fœcundior, de quo etiam l.4. Symp. Plutarch. id intellexerat Sanctus Bonifacius, Germaniſque ſuis vel Imperare vel ſuadere cœperat, ne incocto recentique lardo veſcerentur. Hinc orta dubitatio, *quanto* igitur *tempore poſt mactatum ſuem, expectandum foret, vt crudo illius lardo veſci fas*
H *foret?* Atque hoc totum iſta quæſtione quæritur. 2. Reſpondet vero Pontifex. 1. ſe nullum præceptum, ſed conſilium tantummodo dare. 2. id autem eſſe, vt illud non comedatur, priuſquam fumo affluentiores eius humores ſiccarentur, aut certe igni & coctione, ſi quidem recens concedere adhuc vellent. 3. Si vero incoctum omnino adhuc vellent, nec à priſtina feritate, crudioreque conſuetudine penitus deduci poſſent, expectarent ſaltem Paſchale tempus. Cum enim hyeme, vel adulta: Nouembri ac Decembri potiſſimum, mactari ſoleant porci, quatuor minimum aut quinque menſes, iique fere frigidi, quibus in ædibus & ignis & fumi plus; dabantur exſiccando exſugendoque larido, ita vt poſt tantum temporis fere iam ſemicoctum aut pœne coctum videri poſſet. ac ſimul iſto modo inducebantur iidem Germani, ne quadrageſimale tempus laridi ſui eſu violarent. Hæc huc loco Pontificis Zachariæ ſententia eſt, cui etiam adhuc Thuringi, VVeſtphali, Heſſi & alij, qui crudo etiamnum lardo libenter

A veſcuntur , morem gerunt. Nam hybernas illas ſuccidias ante Paſcha , & , vt alicubi loquuntur , ante primos cuculi cantus , non attingunt.

Degradationem] Eſt & S. Auguſtino vox hæc vſurpata , & apud S. Hieronymum epiſt. ad Pamm. de erroribus Ioan. Hieroſ. *degradatus* dicitur, qui ex altiore ad inferiorem deuoluitur officiorum gradum. De ipſa vero re inſpici queat Græcorum liber , qui *διάταξις* dicitur , & Emanuël Malaxus pag.171. & 175.

Apto temp.] Nauarrus Man.c.25. n.70.

Perſecut. Pag.] D. Auguſt. epiſt.180. D. Ath.l.de fug1.

Rotulo] Appoſuit per exegeſin Baronius,*id eſt,in volumine.*

Undecimo] Non in B.

IN EP. CXLII. NOta Lector , in numero hic , & deinceps ab operis erratum Donec vero correctio fiat.vocetur hæc 142. *poſterior.*

V.Balas] ſupra 122.

B *Purum Clericum*] *purus Clericus* , id eſt , qui tantum clericus eſt , non Epiſcopus , non ſacerdos. Et hæc hodie in Theologorum ſcholis vſitata phraſis , vt *purus homo*, *purus panis* , id eſt , tantum homo , tantum panis. Quod impuri Nouatores dum irrident , veterum puritatem irrident.

Neque unam] Cœlibatus ſacerdotibus , aut poſt matrimonium , eius quo ad thorum diſſolutio & perpetua caſtitas.

Sui] Eius ſcilicet , qui eam nunc vxorem habet , non auunculi , qui hanc habuerat.

Vobis non p.] ſuprà ep.1.

A Deo cor. m. Imp.] non in B. ſed poſt annum 24. additur , *imperij eius anno 2.*

IN EP. CXLIII. GRimo.] Aimoinus l.4.c.15.& ſeq.epiſt.

Abel] Molanus in Indiculo ſanctorum Belgij p.7. hunc ait ex primis Lobienſis Eccleſiæ(de qua ſup.epiſt.78. Abbatibus ordinatum fuiſſe Epiſcopum pro ordinatione & plantatione Eccleſiarum Dei , & vocari Archiepiſcopum Rhemenſem (vt ſane hic vocatur) non quod Rhemenſem Eccleſiam gubernarit , ſed quia in ea metropoli Archiepiſcopus fuerit titularis ad infidelium conuerſionem.Et hinc paulo infra , pro ſolo Grimone , petitum à S. Bonifacio pallium. Fuit vero *Abel* , anno 1409. cum aliis ſanctorum corporibus , Binchium , quod eſt Hannoniæ opidum , tranſlatus. Vide etiam Arnoldum VVion lib.3.f.263.

C *Sennis*]Senonenſem eſſe vrbem ſuſpicor,ſicuti & ex iſto Ing.exemplari vides, me in Mogunt.Indice non infeliciter coniecisse,*Rodoniam & Remoram* , quæ in Othlono ſcribebantur l.2.c.12. Mog.l.3.p.411. eſſe *Rothmagnum & Remos.* Sed de his iiſdem iterum epiſt.144. & in Caroli Magni vita legimus etiam *Rodomum.*

D *Simoniacam hereſim*] De Simonia in Canonico Iure 1. q.1.& x.de ſimonia,itemque in iis, qui Caſus tractant , vt Nauarr.Man.c.23.n.99. & ſeq. in Dionyſij Carthuſ. libris duobus valde multa.Hic tantum ex D. Thom.2. 2. q.100. art.1.ad 1.noto,dupliciter *hereſim* vocari *Simoniacam 1.propriè* , quando ſcilicet quis mente ac voluntate Simonis Magi dogmata vel omnia vel aliqua certe velut vera & bona ſuſcipit ac tuetur,& ſic Petr. Damian.epi.ad Alex.2. ann.1064.apud Bar.tom.11.2.*impropriè* quando eorum nulla vera quidem & bona credit , quorundam tamen exterius opera exercet, ita vt interiorem aſſenſum ac voluntatem profiteri videatur. Et hoc modo quicunque aut vendunt aut emunt ſpiritale quid,aut ſpiritali annexum,*Simoniani heretici* appellantur. Quemadmodum enim *religioſus* dicitur,*propriè* quidem is,in cuius voluntate religio eſt, *impropriè*,qui interiore illa Religione caret,eius tamen exteriores edit actiones : ita irreligioſus, infidelis ac hæreticus bifariam dicitur.Sicque impropriè videmus interdum in Gallia, Italia & ſimilibus locis Lutheranos aut Hugonottos vocari , qui etiamſi animo ſectas iſtas improbent, earum tamen opera quædam faciunt , v. c. Miſſæ ſacrum Dominicis diebus omittunt : feriis ſextis carne veſcuntur & ſimilia. Exempla vero huius, & *Nicolaitarum* ſimiliter acceptorum hæreſeos, miraſque deteſtationes è Petr.Damiano,Deſiderio,& aliis refert Baronius,Tom.XI.poſt annum 1050.Eodemque modo dicitur ſeq.epiſt.*Simon nomi.* E

SImonem.] Adelberdum intelligit,de quo ſuprà 135.139. In ep. 144.

Ang,nom.] ſuprà epiſt.134.

BEnedict.]Deeſt hoc in Baronio nomen, ſed è contrario in fine additur hoc:*Vale in* Chriſto *ſemper amantiſſime Pater.* In ep. 145.

OPe.] Menda, quam emendabit alio è Codice alius. In ep. 147.

Seraſtyracem.]An confictum nomen,*ceraſtyrax*, quod ceræ inſtar Styrax quidam ſit ? Vide Plin. l.12. c.18. & 26.l.24.c.6. & 7.

GEmmulo.]Hoc In B.nomen deeſt tam in hac quam ſequente epiſtola:&hanc quidem collocat anno 745. ſequentem vero anno 742. In vtraque *cozumbri* mentio eſt. ſed aliqua In ſcriptione varietas eſt.Hic enim *cotzumber*,in ſequenti *cozumber*,apud Baro.io vtraque *cotzumber.* Quid vero propriè ſit, nondum plures licet interrogarim, comperi.Apparet hinc tamen precioſum ſuffimenti genus fuiſſe , quod vt ſequenti ait epiſtola Sanctus *miri odoris ac fragantia eſſet*,quod in templo , dum ſacroſancta *miſſarum ſolemnia* fierent, aliæque *matutinæ* ac *veſpertinæ* funderentur *preces*, incendi ad Dei honorem , piamque ſacrorum magnificentiam ſolebat,& hac in epiſt. 148. diſtinguitur à cinnamomo & coſto. Anſtyrax eſt ? Nam & cum duobus illis iungebatur hic ſup.ep.147.An quaſi *cocka zumbri* eſt? Nam Arabibus Medicis *cocha* ſuffimentum eſt, & *zumbri* cortex odoratus,de quo Iſaac Abenamaran.Ab illo autem ſuffimento ſunt apud Pharmacopœos catapotia ſeu *pilulæ cochiæ.* quæ fumo quaſi ſuo catarrhos diſſipant. In ep. 148. & 149. F

S.Gregorij.]Vide quid ſtudioſiſſime petere,ac vndecunque conquirere ſolebat S. Bonifacius , libros nimirum & eos maxime Patrum ac Sanctorum , vt hic epiſtolas S. Gregorij. Sed de hoc ſup. ep.22.& ſeq.150.

FIlda. Not.36. l.3.Mog. In ep. 151.

Atque hæc in Sancti Bonifacij epiſtolas notanda nunc viſa ſunt. per quem,omneſque ipſius aut ſocios , aut ſucceſſores,aut filios in Chriſto germanos ac non degeneres, qui ad hodiernum vſque diem fuerunt , ſunt , & deinceps vnquam erunt. G

Sit *GLORIA PATRI ET FILIO ET SPIRITVI Sancto : ſicut Erat in principio Et nunc Et ſemper Et in ſecula ſeculorum Amen.*

PAVLI WARNEFRIDI LANGOBARDI FILII, Diaconi Aquilegienſis , De geſtis Langobardorum

H

LIBRI VI.

Ad MS. & veterum codicum fidem editi.

IOANNES TRITEMIVS Abbas Spanheimenſis

In Catalogo de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

PAVLVS Monachus Caſſinienſis cœnobij ordinis S. Benedicti , natione Italus , vir in diuinis ſcripturis eruditiſſimus , & in ſecularibus litteris nobiliter doctus , ingenio ſubtilis & clarus eloquio , propter ſcientiam apud Carolum imperatorem in magno pretio habitus fuit.Hic olim ante conuerſionem ſuam Diaconus fuit Aquilegienſis Eccleſiæ , & Deſiderij vltimi regis Lango-

A bardorum Cancellarius, & cum eodem captus à Carolo in Galliam ductus, demum Monachus factus eſt. Scripſit tam metro quam proſa oratione non pauca volumina, de quibus ego tantum reperi ſubiecta. Rogatu Adelburgæ filiæ Deſiderij regis addidit.

Ad Chronicon Eutropij lib.11.
Geſta Epiſcoporum Metenſium. lib.1.
Vitam Gregorij Papæ primi. lib.1.
Vitam S. Arnulphi. lib.1.
Vitam S. Benedicti metrice. lib.1.
Geſta Langobardorum. lib.6.
Hymnos plures diuerſo metro. lib.1.
Epiſtolarum ad diuerſos lib. 1.

Iuſſu Caroli ordinauit hiſtorias & lectiones per totum annum, ſingulis feſtiuitatibus ſanctorum congruentes. Et alia multa digeſſit & ſcripſit. Claruit eiuſdem Caroli Magni temporibus, Anno D.CC.LXXX.

Deſiderij huius Paulus non meminit, quemadmodum nec B *Haiſtulphi qui ante hunc regnauit, Anno D.CC. LIII. vt ſcribit Regino, apud quem plura libr.11. de his duobus regibus volens legere licet.*

Ex Bellarmino de Scriptorib. Eccleſiaſt.

PAulus Diaconus Aquileienſis, à ſecretis erat Deſiderij Regis Langobardorum, quando per Carolum Regem Francorum Deſiderius captus, & Regnum ipſius euerſum fuit anno Domini 774. qui deinde Monachus Caſſinenſis factus pie, & religioſe vitam duxit, vt ſcribit Leo Hoſtienſis in chronico Caſſinenſi lib.2.17. Scripſit *libros ſex de geſtis Langobardorum*. Scripſiſſe etiam dicitur libros hiſtoriæ Romanæ, quos videmus adiunctos hiſtoriæ Eutropij poſt imperium Iouiani, vbi deſiit Eutropius. Sed viri docti negant eos libros eſſe Pauli Diaconi. Scripſit præterea *in regulam S. Benedicti*, vt Leo Hoſtienſis teſtatur loco notato; & ea dicitur haberi manuſcripta in monaſterio Caſſinenſi. Scripſit *hymnos ſacros*, quorum vnus, qui incipit, C *Vt queant laxis reſonare fibris*, ab Eccleſia frequentatur in natali S. Io. Baptiſtæ. Denique ſcripſit *homilias, & alia*, quæ non extant, niſi manuſcripta in Bibliothecis.

Incipiunt

CAPITVLA LIBRI PRIMI, Hiſtoriæ Langobardorum.

Cap. I. *DE Germania, quod pluris nutriat populos, ideoque ex ea multæ gentes egrediantur.*
Cap. II. *De Scandinauia inſula, & quia ex ea VVinilorum, hoc eſt, Langobardorum gens eſt egreſſa.*
Cap. III. *Quod Ibor & Ayo, primi duces VVinilorum, cum matre ſua Gambara fuerunt.*
Cap. IV. *De ſeptem viris apud Germaniam dormientibus.*
Cap. V. *De gente Scritouinorum.*
D Cap. VI. *De duobus vmbilicis Oceani maris, qui ſunt ex vtraque parte Britanniæ.*
Cap. VII. *Quod VVinili in Scoringam venerunt; & quia Ambri & Aſſi VVandalorum duces eis tributa perſoluere mandauerunt.*
Cap. VIII. *De VVodan & Frea, ridicula fabula.*
Cap. IX. *Quare VVinili Langobardi appellati ſint, & quod VVotan ipſe ſit, qui apud Romanos Mercurius dicitur.*
Cap. X. *Quomodo Langobardi VVandalos vicerunt, & de fame Langobardorum.*
Cap. XI. *Quia Langobardi in Mauringam tranſire volentes, ab Aſſipittis ſunt impediti.*
Cap. XII. *De monomachia duorum virorum fortium, quorum vnus è Langobardis, alter è Aſſipittis fuit.*
Cap. XIII. *Quod Langobardi in Mauringam tranſierunt, ac deinde ad vlteriora loca progreſſi ſunt.*
Cap. XIV. *Quia mortuis Ibor & Ayone ducibus, Langobardi primum regem Agelmundum habuerunt.*
Cap. XV. *De meretrice, quæ ſeptem infantulos peperit, ex* E *quibus Lamiſſio vnus fuit: & de monomachia eius cum Amazone.*
Cap. XVI. *Quomodo Bulgares noctu ſuper caſtra Langobardorum irruentes, Agelmundum regem interfecerunt; & filiam eius captiuam duxerunt.*
Cap. XVII. *Quomodo Lamiſſio rex effectus eſt, & qualiter Bulgares ſuperauit.*
Cap. XVIII. *Quod mortuo Lamiſſione, regnum Lecho ſuſcepit; & poſt hunc filius eius Hildeoc, poſt quem quoque Bodeac regnauit.*
Cap. XIX. *Bellum inter Edoagar Regem Turcilingorum, & Feletheum regem Rugorum & quomodo Langobardi ſuperatis ab Odoacre Rugis, eorum prouinciam poſſederunt.*
Cap. XX. *Mortuo Gedeoc, regnauit Claffo, & poſt hunc Taro, qui deleuit regnum Herulorum.*
Cap. XXI. *De morte Tatonis, & regno VVachonis, & quomodo VVacho Suauos ſuperauit; & de vxoribus eius & filiabus; & de regno VValtari filij eius.*
F Cap. XXII. *Mortuo VValtari regnauit Audoin, qui Langobardos in Pannoniam adduxit.*
Cap. XXIII. *Bellum Gepidorum cum Langobardis, in quo Alboin filium regis Gepidorum extinxit.*
Cap. XXIV. *Quomodo Alboin cum quadraginta viris ad Turiſendum regem, cuius filium interemerat, profectus eſt, arma ab eo petens, vt cum ſuo patre poſſit in conuiuio reſidere, & quomodo à Turiſendo arma accepit.*
Cap. XXV. *De regno Iuſtiniani & victoriis eius.*
Cap. XXVI. *De Beato Benedicto, & miraculis, & laudibus eius.*
Cap. XXVIII. *De morte Audoin & regno Alboin; & quomodo Alboin Cunimundum, regem Gepidorum, ſuperauit, & filiam eius Roſemundam in matrimonium duxit.*

EXPLICIVNT CAPITVLA.

Incipit

G

LIBER PRIMVS PAVLI VVARNEFRIDI, LANGOBARDI FILII,

De geſtis Langobardorum.

CAPVT PRIMVM.

SEPTENTRIONALIS plaga, quanto magis ab æſtu ſolis remota eſt, & niuali frigore gelida, tanto ſalubrior corporibus hominum, & propagandis eſt gentibus magis coaptata: ſicut è contra omnis meridiana regio, quo ſolis eſt feruori vicinior, eo ſemper morbis abundat, & educandis minus eſt apta mortalibus. Vnde fit vt tantæ populorum multitudines, Arctoo ſub axe oriantur: vt non immerito vniuerſa illa regio Tanaï tenus, vſque ad Occiduum; licet & propriis H loca in ea ſingula nuncupentur nominibus, generali tamen vocabulo Germania vocitetur; quamuis & duas vltra Rhenum prouincias Romani, cum ea loca occupaſſent, ſuperiorem inferioremque Germaniam dixerint. Ab hac ergo populoſa Germania ſæpe innumerabiles captiuorum turmæ abductæ, meridianis populis pretio diſtrahuntur; multæ quoque ex ea, pro eo quod tantos mortalium germinat, quantos alere vix ſufficit, ſæpe gentes egreſſæ ſunt, quæ nihilominus & partes Aſiæ, ſed maximè ſibi contiguam Europam, afflixerunt. Teſtantur hoc vbique vrbes erutæ, per totam Illyricum Galliamque: ſed maximè miſeræ Italiæ, quæ pene omnium illarum eſt gentium experta ſæuitiam. Gothi ſiquidem, VVandalique, Rugi, Heroli, atque Turcilingi, nec non etiam aliæ feroces & barbaræ nationes, è Germania prodierunt.

CAPVT II.

Pari etiam modo, & VVilinorum, hoc eſt, Langobardorum gens, quæ poſtea in Italia feliciter regnauit, à Germanorum populis originem ducens, licet & aliæ cauſæ

A egreſſionis eorum aſſeuerentur, ab Inſulaque Scantinauia dicitur aduenrauit; cuius etiam inſulæ, Plinius Secundus in libris, quos de natura rerum compoſuit; mentionem facit.

Hæc ergo inſula ſicut retulerunt nobis, qui eam luſtrauerunt, non tam in mari eſt poſita, quam marinis fluctibus, propter planitiem marginum, terras ambientibus circumfuſa. Intra hanc ergo conſtituti populi, dum in tantam multitudinem pullulaſſent, vt iam ſimul habitare non valerent, in tres, vt fertur, omnem cateruam partes diuidentes, quæ ex illis pars patriam relinquere, nouaſque deberet ſedes exquirere, ſorte perquirunt.

Capvt III.

Igitur ea pars cui ſors dederat genitale ſolum excedere, exteraque arua ſectari, ordinatis ſuper ſe duobus ducibus, Ibor ſcilicet & Aione, qui & germani erant, & iuuenili adhuc ætate floridi, & cæteris præſtantiores, ad exquirendas quas poſſint incolere terras ſedeſque ſtatuere, B valedicentes ſuis ſimul & patriæ, iter arripiunt. Horum erat ducum mater, nomine Gambara, mulier quantum inter ſuos & ingenio acris, & conſiliis prouida; de cuius in rebus dubiis prudentia, non minimum confidebant.

Capvt IV.

Haud ab re eſſe arbitror, pauliſper narrandi ordinem poſtponere, & quia adhuc ſtilus in Germania vertitur, miraculum quod illic apud omnes celebre habetur, ſed & quædam alia breuiter intimare. In extremis circium verſus Germaniæ finibus, in ipſo Oceani littore, antrum ſub eminenti rupe conſpicitur, vbi ſeptem viri (incertum ex quo tempore) longo ſopiti ſopore quieſcunt, ita inlæſis non ſolum corporibus, ſed etiam veſtimentis, vt ex hoc ipſo, quod ſine vlla per tot annorum curricula corruptione perdurant, apud indociles eaſdem & barbaras nationes, venerationi habeantur. Hi denique quantum ad habitum C ſpectat, Romani eſſe cernuntur. E quibus dum vnum quidam, cupiditate ſtimulatus vellet exuere, mox eius vt dicitur brachia aruerunt, pœnaque ſua cæteros proterruit, ne quis eos vlterius contingere auderet. Videtis ad quem eos profectum, per tot tempora, prouidentia diuina conſeruet. Fortaſſe horum quandoque, quia non aliter niſi Chriſtiani eſſe putantur, gentes illæ prædicatione ſaluandæ ſunt.

Capvt V.

Huic loco Scritobini, ſic enim gens illa nominatur, vicini ſunt, qui etiam æſtatis tempore niuibus non carent, nec aliis, vtpote feris ipſis ratione non diſpares, quam crudis agreſtium animantium carnibus veſcuntur, de quorum etiam hirtis pellibus ſibi indumenta coaptant. Hi à ſaliendo, iuxta linguam barbaram etymologiam ducunt. Saltibus enim vtentes, arte quadam ligno incuruo, ad arcus ſimilitudinem, feras aſſequuntur. Apud hos eſt animal, D non ſatis aſſimile ceruo, de cuius ego corio, vt fuerat pilis hiſpidum, veſtem in modum tunicæ, genutenus aptatam conſpexi, ſicut iam fati, vt relatum eſt, Scritobini vtuntur. Quibus in locis circa æſtiuale ſolſtitium, per aliquot dies, etiam noctu clariſſima lux cernitur, dieſque ibi multo maiores, quam alibi habentur; ſicut è contrario, circa brumale ſolſtitium, quamuis diei lux adſit, ſol tamen ibi non videtur, dieſque minimi, quam vſquam alibi, noctes quoque longiores exiſtunt. Quia ſcilicet quanto magis à ſole longius diſceditur, tanto ſol ipſe terræ vicinior apparet, & vmbræ longiores excreſcunt.

Denique in Italia, ſicut & antiqui ſcripſerunt, circa diem natalis domini, nouem pedes in vmbra ſtaturæ humanæ, hora ſexta metiuntur. Ego autem in Gallia Belgica, in loco qui Totonis villa dicitur, conſtitutus, ſtatus mei vmbram metiens, decem & nouem & ſemis pedes inueni. Sic quoque contrario modo, quando propinquius meridiem verſus ad ſolem acceditur, tantum ſemper vmbræ breuiores videntur; in tantum, vt ſolſtitio æſtiuali reſpiciente ſole de medio cœli, in Ægypto & Hieroſolymis, & in eorum vicinitate conſtitutis locis, nullæ E videantur vmbræ. In Arabia vero hoc ipſo tempore ſol ſupra medium, cœli, ad partem Aquilonis cernitur, vmbræque verſa vice contra meridiem videntur.

Capvt VI.

Nec ſatis procul ab hoc de quo præmiſimus littore, contra occidentalem partem, qua ſine fine Oceanum pelagus patet, profundiſſima aquarum illa vorago eſt, quam vſitato nomine maris vmbilicum vocamus, quæ bis in die fluctus abſorbere & rurſum euomere dicitur, ſicut per vniuerſa illa littora, accedentibus & recedentibus fluctibus, celeritate nimia fieri comprobatur. Huiuſmodi vorago ſiue vertigo, à poëta Virgilio Charybdis appellatur, quam ille in freto Siculo eſſe ſuo in carmine loquitur, hoc modo dicens:

Dextrum Scylla latus, læuum implacata Charybdis.
Obſidet, atque imo barathri ter gurgite vaſtos
Sorbet in abruptum fluctus, rurſuſque ſub auras
Erigit alternos, & ſidera verberat vnda. F

Ab hac ſane de qua diximus vertigine, ſæpe naues raptim curſimque adtrahi adfirmantur, tanta celeritate, vt ſagittarum per aëra lapſus imitari videantur, & nonnunquam in illo baratro horrendo nimis exitu pereunt. Sæpe cum iam iamque mergendæ ſint, ſubitis vndarum molibus retroactæ, tanta ruſſus agilitate exinde elongantur, quanta prius adtractæ ſunt.

Affirmant eſſe & aliam huiuſmodi voraginem, inter Britanniam inſulam, Galliamque prouinciam: cui etiam rei adſtipulantur Sequanicæ, Aquitaniæque littora, quæ bis in die tam ſubitis inundationibus opplentur, vt qui fortaſſe aliquantulum introrſus à littore repertus fuerit, euadere vix poſſit. Videas earum regionum flumina, fontem verſus curſu velociſſimo relabi, ac per multorum millium ſpatia, dulces fluminum lymphas, in amaritudinem verti.

Triginta ferme à Sequanico littore Euodia inſula millibus diſtat, in qua, ſicut ab illius incolis adſeueratur, vergentium in eandem Charybdin aquarum garrulitas audi- G tur. Audiui quendam nobiliſſimum Gallorum referentem, quod aliquantæ naues, prius tempeſtate conuulſæ, poſtmodum ab hac eadem Charybdi voratæ ſunt. Vnus autem ex omnibus viris ſolummodo, qui in nauibus illis fuerant, morientibus cæteris, dum adhuc fluctibus ſpirans ſupernataret, vi aquarum fluentium abductus ad oram vſque immaniſſimi illius baratri peruenit.

Qui cum iam profundiſſimum, & ſine fine patens chaos adſpiceret, ipſoque pauore præmortuus, ſe illuc ruiturum exſpectaret, ſubito quod ſperare non poterat, ſaxo quodam ſuperiectus inſedit. Decurſis ſiquidem iam omnibus, quæ ſorbendæ erant, aquis, oræ illius fuerant margines denudati. Dumque ibi inter tot anguſtias anxius, vix ob metum palpitans reſideret, dilatamque ad modicum mortem nihilominus opperiret, conſpicit ecce ſubito, quaſi magnos aquarum montes de profundo reſilire, naueſque quæ abſorptæ fuerant, primas emergere. H Cumque vna ex illis ei contigua fieret, ad eam ſe niſu quo potuit apprehendit. Nec mora, celeri volatu prope littus aductus, metuendæ necis caſus euaſit, proprij poſtmodum periculi relator exiſtens. Noſtrum quoque, id eſt, Adriaticum mare, quod licet minus, ſimiliter tamen Venetiarum Hyſtriæque littora peruadit, credibile eſt paruos huiuſmodi occultos habere meatus, quibus & recedentes aquæ ſorbeantur, & rurſum inuaſuræ littora reuomantur. His itaque prælibatis ad cœptam narrandi ſeriem redeamus,

Capvt VII.

Igitur egreſſi de Scandinauia VVilini, cum Ibor & Aione ducibus, in regionem, quæ appellatur Scoringa venientes, per annos illic aliquot conſederunt. Illo itaque tempore, Ambri & Aſſi, VVandalorum duces, vicinas quaſque prouincias bello premebant. Hi iam multis elati victoriis, nuncios ad VVinilos mittunt, vt aut tributa VVandalis perſoluerent, aut ſe ad belli certamina præ-

pararent. Tunc Ibor & Aio adnitente matre Gambara, deliberant melius eſſe armis libertatem tueri, quam tributorum eandem ſolutione fœdare, mandant per legatos VVandalis, pugnaturos ſe potius, quam ſeruituros. Erant ſiquidem tunc VVinili vniuerſi, ætate iuuenili florentes, ſed numero exigui, quippe qui vnius non nimiæ amplitudinis inſulæ, tertia ſolummodo particula fuerint.

Capvt VIII.

Refert hoc loco antiquitas ridiculam fabulam, quod accedentes VVandali ad VVodan, victoriam de VVinilis poſtulauerint, illeque reſponderit, ſe illis victoriam daturum quos primum oriente Sole conſpexiſſet; tunc acceſſiſſe Gambaram ad Fream vxorem VVodan, & VVinilis Victoriam poſtulaſſe, Freamque conſilium dediſſe, vt VVinilorum mulieres, ſolutos crines erga faciem, ad barbæ ſimilitudinem componerent, maneque primo cum viris adeſſent, ſeſeque, à VVodan videndas pariter è regione, qua ille per feneſtram Orientem verſus, erat ſolitus adſpicere, collocarent: atque ita factum fuiſſe. Quas, cum VVodan conſpiceret oriente Sole, dixiſſe: Qui ſunt iſti Langobardi? Tunc Fream ſubiunxiſſe, vt quibus nomen tribuerat, victoriam condonaret; ſicque VVinilis VVodan victoriam conceſſiſſe. Hæc riſu digna ſunt, & pro nihilo habenda. Victoria enim non poteſtati eſt adtributa hominum, ſed è cælo potius miniſtratur.

Capvt IX.

Certum tamen eſt Langobardos, ab intactæ ferro barbæ longitudine, cum primitus VVinili dicti fuerint, ita poſtmodum appellatos. Nam iuxta illorum linguam, *lang* longam, *Baert* barbam ſignificat. VVodan ſane, quem adiecta littera Godan dixerunt, ipſe eſt, qui apud Romanos Mercurius dicitur, & ab vniuerſis Germaniæ gentibus vt Deus adoratur; qui non circa hæc tempora, ſed longe anterius, nec in Germania, ſed in Græcia fuiſſe perhibetur.

Capvt X.

VVinili igitur, qui & Langobardi, commiſſo cum VVandalis prælio, acriter vtpote pro libertatis gloria decertantes, victoriam capiunt; qui magnam poſtmodum famis penuriam, in eadem Scoringa prouincia perpeſſi, valde animo conſternati ſunt.

Capvt XI.

De qua egredientes, dum in Mauringam tranſire diſponerent, Aſſipitti eorum iter impediunt, denegantes eis omnimodis per ſuos terminos tranſitum. Porro Langobardi, cum magnas hoſtium copias cernerent, neque cum eis, ob paucitatem exercitus, congredi auderent, dumque quid agere deberent, decernerent, tandem neceſſitas conſilium reperit. Simulant ſe in caſtris ſuis habere cynocephalos, id eſt, canini capitis homines. Diuulgant apud hoſtes hos pertinaciter bella gerere, humanum ſanguinem bibere, & ſi hoſtem aſſequi non poſſint, proprium potare cruorem. Vtque huic aſſertioni fidem facerent, ampliant tentatoria, plurimoſque in caſtris ignes accendunt. His hoſtes auditis, viſiſque creduli effecti, bellum quod minabantur, iam tentare non audent.

Capvt XII.

Habebant tamen apud ſe virum fortiſſimum, de cuius fidebant viribus poſſe ſe proculdubio obtinere quod vellent, hunc ſolum præ omnibus pugnaturum obiiciunt. Mandantque Langobardis vt vnum quem vellent, ſuorum mitterent, qui cum eo ad ſingulare certamen exiret, ea videlicet conditione, vt ſi ſuus bellator victoriam caperet, Langobardi itinere quo venerant abirent: ſin vero ſuperaretur ab altero, tunc ſe Langobardis tranſitum per fines proprios non vetituros. Cumque Langobardi quem è ſuis potius aduerſus virum bellicoſiſſimum mitterent, ambigerent, quidam ex ſeruili conditione ſponte ſe obtulit, promittit ſe prouocanti hoſti congreſſurum, ea ratione vt ſi de hoſte victoriam caperet, a ſe ſuaque progenie ſeruitutis næuum auferrent. Quid plura? gratanter quæ poſtulauerat eſſe facturos pollicentur. Aggreſſus hoſtem expugnauit & vicit; Langobardis tranſeundi facultatem; ſibi ſuiſque, vt optauerat, iura libertatis indeptus eſt.

Capvt XIII.

Igitur Langobardi tandem in Mauringam peruenientes, vt bellatorum poſſint ampliare numerum, plures à ſeruili iugo ereptos, ad libertatis ſtatum perducunt, vtque rata eorum haberi poſſet libertas, ſanciunt more ſolito per ſagittam, immurmurantes nihilominus, ob rei firmitatem, quædam patria verba. Egreſſi itaque Langobardi de Mauringa, applicauerunt in Golanda, vbi aliquanto tempore commorati dicuntur. Poſt hæc Anthabet, Bathaib, pari modo & Vurgundaib, per annos aliquot poſſediſſe: quæ nos arbitrari poſſumus eſſe vocabula pagorum, ſeu quorumcunque locorum.

Capvt XIV.

Mortuis interea Ibor & Aione ducibus, qui Langobardos à Scandinauia eduxerant, & vſque ad hæc tempora rexerant, nolentes iam vltra Langobardi eſſe ſub ducibus, regem ſibi ad cæterarum inſtar gentium ſtatuerunt. Regnauit igitur ſuper eos primus Angelmundus, filius Aionis, ex proſapia ducens originem Gungincorum, quæ apud eos generoſior habebatur. Hic ſicut à maioribus traditur, tribus & triginta annis Langobardorum tenuit regnum.

Capvt XV.

His temporibus quædam meretrix, vno partu ſeptem puerulos enixa, beluis omnibus mater crudelior, in piſcinam proiecit necandos. Hoc ſi cui impoſſibile videtur, relegat hiſtorias veterum, & inueniet non ſolum ſeptem infantulos, ſed etiam nouem vnam mulierem ſimul peperiſſe. Et hoc certum eſt maxime apud Ægyptios fieri. Contigit itaque vt rex Angelmundus, dum iter carperet, ad eandem piſcinam deueniret. Qui cum equo retento miſerandos infantulos miraretur, haſtaque quam manu gerebat, huc illucque eos inuerteret, vnus ex illis manu iniecta haſtam regiam comprehendit. Rex miſericordia motus, factumque altius admiratus, eum magnum futurum pronuntiat. Moxque eum è piſcina leuari præcipit, atque nutrici traditum, omni cum ſtudio mandat alendum. Et quia eum de piſcina, quæ eorum lingua Lama dicitur, abſtulit, Lamiſſio eidem nomen impoſuit. Qui cum adoleuiſſet, adeo ſtrenuus iuuenis effectus eſt, vt & bellicoſiſſimus extiterit, & poſt Angelmundi funus, regni gubernacula rexerit. Ferunt hunc, dum Langobardi cum rege ſuo iter agentes, ad quendam fluuium perueniſſent, & ab Amazonibus eſſent prohibiti vltra permeare, cum earum fortiſſima in fluuio natatu pugnaſſe, eamque peremiſſe, ſibique laudis gloriam, Langobardis quoque tranſitum parauiſſe: hoc ſiquidem inter vtraſque acies prius conſtitiſſe, quatenus ſi Amazona eadem Lamiſſionem ſuperaret, Langobardi à flumine recederent; ſin vero à Lamiſſione, vt & factum eſt, ipſa vinceretur, Langobardis eadem permeandi fluenta copia præberetur. Conſtat ſane quia huius aſſertionis ſeries, minus veritate ſubnixa eſt. Omnibus etenim, quibus veteres hiſtoriæ notæ ſunt, patet gentem Amazonum, longe antea, quam hæc fieri potuerunt, eſſe deletam; niſi forte quia loca eadem vbi hæc geſta feruntur, non ſatis hiſtoriographis nota fuerunt, & vix ab aliquo eorum vulgata ſunt, fieri potuerit, vt vſque ad id tempus, huiuſcemodi inibi mulierum genus haberetur. Nam & ego referri à quibuſdam audiui, vſque hodie in intimis Germaniæ finibus gentem harum exiſtere feminarum.

Capvt XVI.

Igitur tranſmeato Langobardi, de quo dixeramus, flumine, cum ad vlteriores terras perueniſſent, illic per tempus aliquod commorabantur. Interea cum nihil aduerſi ſuſpicarentur, & eſſent quieti, longa nimis ſecuritas, quæ

A ſemper detrimentorum mater eſt, eis non modicam perniciem peperit. Nocte denique cum negligentia reſoluti quieſcerent cuncti, ſubito ſuper eos Bulgares irruentes, plures ex iis ſauciant, multos proſternunt & in tantum per eorum caſtra debacchati ſunt, vt ipſum Agelmundum regem interficerent, eiuſque vnicam filiam ſorte captiuitatis auferrent.

Capvt XVII.

Reſumptis tamen poſt hæc incommoda Langobardi viribus, Lamiſſioocm, de quo ſuperius dixeramus ſibi regem conſtituerunt. Qui vt erat iuuenili ætate feruidus, & ad belli certamina ſatis promptus, non aliud niſi Agelmundi necem vlciſci cupiens, in Bulgares arma conuertit. Primoque prælio mox commiſſo, Langobardi hoſtibus terga dantes ad caſtra refugiunt. Tunc rex Lamiſſio iſta conſpiciens, eleuata altius voce omni exercitui clamare cœpit, vt opprobriorum, quæ pertulerant, reminiſcerentur,
B reuocarentque ante oculos dedecus, quomodo eorum regem hoſtes iugulauerint, quam miſerabiliter eius natam, quam ſibi reginam optauerant, captiuam abduxerint. Poſtremo hortatur, vt ſe ſuoſque armis defenderent, melius eſſe dicens in bello animam ponere, quam vt vilia mancipia, hoſtium ludibriis ſubiacere. Hæc & huiuſcemodi vociferans cum diceret, & nunc minis, nunc promiſſionibus, ad toleranda eorum animos belli certamina roboraret: ſi quem etiam ſeruilis conditionis pugnantem vidiſſet, libertate eum ſimul cum præmiis donaret. Tandem hortatu exemploque principis, qui primus ad bellum proſilierat, accenſi, ſuper hoſtes irruunt, pugnant atrociter, & magna aduerſarios clade proſternunt. Tandemque de victoribus victoriam capientes, tam regis funus, quam proprias iniurias vlciſcuntur. Tunc magna de hoſtium exuuiis præda potiti, ex illo iam tempore, ad expetendos belli labores, audaces effecti ſunt.

Capvt XVIII.

C Defuncto poſt hæc Lamiſſione, qui ſecundus regnauerat, tertius ad regni gubernacula Lethu aſcendit. Qui cum quadraginta ferme annos regnaſſet, Hildehoc filium, qui quartus fuit in numero, regni ſucceſſorem reliquit. Hoc quoque defuncto, quintus Gudehoc regnum ſuſcepit.

Capvt XIX.

Hic temporibus inter Odoachar, qui in Italia per aliquot iam annos regnabat, & Feletheum, qui & Feua dictus eſt, Rugorum regem, magnarum inimicitiarum fomes exarſit. Qui Feletheus illis diebus vlteriorem Danubij ripam incolebat, quam à Norici finibus idem Danubius ſeparat. In his Noricorum finibus, Beati tunc erat Seuerini cœnobium, qui omni abſtinentiæ ſanctitate præditus multis iam erat virtutibus clarus. Qui cum hiſdem in locis, ad vitæ vſque metas habitaſſet, nunc tamen eius corpus Neapolis retinet. Hic ſæpius hunc de quo diximus Feletheum,
D ciuſque coniugem, cuius vocabulum Giſa fuit, vt ab iniquitate quieſcerent, verbis cœleſtibus monuit. Quibus pia verba ſpernentibus, hoc quod eis poſtmodum contigit, longe antea futurum prædixit. Adunatis ergo Odoachar gentibus quæ eius ditioni parebant, id eſt, Turcilingis & Herulis, Rugorumque parte, quos iam dudum poſſederat, nec non etiam Italiæ populis, venit in Rugiland, pugnauitque cum Rugis, vltimaque eos clade conficiens, Feletheum inſuper eorum regem extinxit. Vaſtataque omni prouincia, Italiam repetens, copioſam ſecum captiuorum multitudinem abduxit. Tunc Langobardi de ſuis regionibus egreſſi, venerunt in Rugiland, quæ Latino eloquio Rugorum patria dicitur, atque in ea, quia erat ſolo fertilis, aliquantis commorati ſunt annis.

Capvt XX.

Inter hæc moritur Gudehoc, cui ſucceſſit Claffo filius ſuus. Defuncto quoque Claffone, Tato eiuſdem filius, ſeptimus adſcendit ad regnum. Egreſſi quoque Langobardi de Rugiland, habitauerunt in campis patentibus, qui ſermone barbarico *feld* appellantur. Quo in loco dum per
E trium annorum ſpacia morarentur, bellum exortum eſt inter Tatonem atque Rodulfum, Herulorum Regem. Qui cum primitus fœdera necterent, cauſa inter eos diſcordiæ iſta fuit, Germanus Rodulphi Regis, ad Tatonem ferendæ pacis gratia venerat, qui cum expleta legatione patriam repeteret, contigit vt ante Regis filiæ domum, quæ Rumetruda dicebatur, tranſitum haberet. Illa multitudinem virorum, & nobilem comitatum aſpiciens, interrogabat quis iſte eſſe poſſit, qui tam ſublime obſequium haberet. Dictumque eſt illi: Rodulphi regis germanum legatione perfuncta patriam regredi. Mittit puella qui eum inuitaret, vt vini poculum dignaretur accipere. Ille corde ſimplici, vt inuitatus fuerat, venit. Et quia erat ſtatura puſillus, eum faſtu ſuperbiæ puella deſpexit, verbaque aduerſus eum irriſoria protulit. At ille verecundia pariter & indignatione perfuſus, talia rurſus verba reſpondit, quæ ampliorem puellæ confuſionem adferrent. Tunc illa furore fœmineo ſuccenſa, dolorem cordis cohibere non valens, ſce-
F lus quod mente conceperat, explere contendit. Simulat patientiam, vultum exhilarat, eumque verbis iocundioribus demulcens, ad ſedendum inuitat. Talique eum in loco ſedere conſtituit, quo parietis feneſtram ad ſcapulas haberet. Quam feneſtram quaſi ob hoſpitis honorem, re autem vera, ne eum aliqua pulſaret, ſuſpicio, velamine texerat precioſo, præcipiens atrociſſima belua propriis pueris, vt cum ipſa quaſi ad pincernam loquens, miſce dixiſſet, illi eum à tergo lanceis proforarent, factumque eſt. Mox crudelis fœmina ſignum dedit, iniqua mandata perficiuntur. Ipſeque vulneribus transfixus io terram corruens expirauit. Ea cum Rodulfo regi nunciata fuiſſent, tam crudele germani funus ingemuit, doloriſque impatiens, ad vlciſcendum fratris mortem exarſit, fœduſque quod cum Tatone pepigerat irrumpens, eidem bellum indixit. Quid plura? Conuenerunt vtrorumque in campis patentibus acies. Rodulfus ſuos in pugnam dirigit, ipſe in caſtris reſidens, de ſpe victoriæ nihil ambigens ad tabu-
G lam ludit. Erant ſiquidem tunc Heruli bellorum vſibus exercitati, multorumque iam ſtrage notiſſimi. Qui ſiue vt expeditius bella gererent, ſiue vt inlatum ab hoſte vulnus contemnerent, nudi pugnabant, operientes ſolummodo corporis verebunda. Horum itaque viribus Rex indubitanter fidens, dum ipſe ſecurus ad tabulam luderet, vnum è ſuis in arborem quæ forte aderat aſcendere iubet, quatenus ei ſuorum victoriam celerius referret, comminatus eius ſe caput abſciſſurum, ſi Herulorum aciem fugere nunciaret. Is cum Herulorum flecti acies, & à Langobardis eos opprimi conſpiceret, ioterrogatus à rege ſæpius quid Heruli gererent, eos optime pugnare reſpondit. Nec prius malum quod cernebat loqui audens aperuit, quam vniuerſæ acies hoſtibus terga præberent. Qui licet ſero tandem in vocem erumpens, væ tibi, inquit, miſera Herolia, quæ cœleſtis domini plecteris ira. Ad hæc verba commotus Rex ait, Nunquid fugiunt Heruli mei? At ille, Non inquit, hoc ego, ſed tu Rex ipſe dixiſti. Tunc vt io talibus fieri aſſolet, rex ipſe & omnes perturbati, dum quid age-
H rent hæſitarent, ſuperuenientibus Langobardis, grauiter cæduntur. Rex quoque ipſe nequicquam fortiter faciens, extinctus eſt. Herulorum vero exercitus dum hac illacque diffugeret, tanta ſuper eos cælitus ira reſpexit, vt viridantia camporum lina cerocotes, natatiles aquas eſſe putarent. Dumque quaſi nataturi brachia extenderent, crudeliter hoſtium feriebantur gladiis. Tunc Langobardi patrata victoria ingentem quam in caſtris repererant inter ſe prædam diuidunt. Tato vero Rodulfi vexillum, quod Bandum appellant, eiuſque galeam, quam in bello geſtare conſueuerat, abſtulit, atque iam ex illo tempore, ita omnis Herulorum virtus concidit, vt vltra ſuper ſe regem omnino non haberent. Iam hinc Langobardi ditiores effecti, aucto de diuerſis gentibus, quas ſuperauerant, exercitu, vltro cœperunt bella expetere, & virtutis gloriam circumquaque protelare.

Capvt XXI.

At vero Tato poſt hæc de belli triumpho non diu lætatus eſt. Irruit namque ſuper eum VVacho filius germani

A ſui Zuchilonis, & eum ab hac luce priuauit. Conflixit quoque aduerſus VVachonem, Hildechis filius Tatonis, ſed ſuperante VVachone deuictus, ad Gepidos confugit, ibique profugus ad vitæ finem vſque permanſit. Quam ob cauſam Gepidi cum Langobardis ex tunc inimicitias contraxere. Eodemque tempore VVacho ſuper Sueuos irruit, eoſque dominio ſuo ſubiugauit. Hoc ſi quis mendacium & non rei exiſtimat veritatem, relegat prologum edicti, quem Rex Rhotarij de Langobardorum legibus compoſuit, & pene in omnibus hoc codicibus ſicut nos in hac hiſtoriola inſeruimus, ſcriptum reperiet. Habuit autem VVacho vxores tres, hoc eſt, primam Ranicundam filiam regis Turingorum. Deinde duxit Auſtrigoſam filiam regis Gepidorum, de qua habuit filias duas. Nomen vni VViſegarda, quam tradidit in matrimonium Teodeberto regi Francorum. Secunda autem dicta eſt VValderada, quæ ſociata eſt Cuſvvald alio regi Francorum, quam ipſe odio habens, vni ex ſuis, qui dicebatur Garipald, in coniugium

B tradidit. Tertiam vero VVacho vxorem habuit, Herulorum regis filiam nomine Salingam. Ex ipſa natus eſt filius quem VValtari appellauit, quique VVachone mortuo ſuper Langobardos iam octauus regnauit. Hi omnes Lithingi fuerunt, ſic enim apud eos quædam nobilis proſapia vocabatur.

Capvt XXII.

VValtari ergo cum per ſeptem annos regnum tenuiſſet, ab hac luce ſubtractus eſt. Poſt quem nonus Audoin regnum adeptus eſt, qui non multo poſt temporis Langobardos in Pannoniam adduxit.

Capvt XXIII.

Gepidi ergo ac Langobardi, conceptam iamdudum rixam, tandem parturiunt, bellumque ab vtriſque partibus præparatur. Commiſſo itaque prælio, dum ambæ acies fortiter dimicarent, & neutra alteri cederet, contigit vt in

C ipſo certamine, Alboin filius Audoin, & Turiſmodus Turiſindi filius, ſibi obuij fierent, quem Alboin ſpata percutiens, de equo præcipitatum extinxit. Cernentes Gepidi regis filium, per quem magna ex parte bellum conſtiterat, interiiſſe, mox diſſolutis animis fugam ineunt. Quos Langobardi inſequentes acriter ſternunt, cæſiſque quampluribus ad detrahenda occiſorum ſpolia reuertuntur. Cumque peracta Langobardi victoria, ad ſedes proprias remeaſſent, regi ſuo Audoin ſuggerunt, vt eius Alboin conuiua fieret, cuius virtute in prælio victoriam cepiſſent, vtque patri in periculo, ita & in conuiuio comes eſſet. Quibus Audoin reſpondit ſe hoc facere minime poſſe, ne ritum gentis infringeret. Scitis enim, inquit, non eſſe apud nos conſuetudinem, vt regis cum patre filius prandeat, niſi prius à rege gentis exteræ arma ſuſcipiat.

Capvt XXIV.

His Alboin à patre auditis, quadraginta ſolummodo

D iuuenes ſecum tollens, ad Turiſendum, cum quo dudum bellum geſſerat, regem Gepidorum profectus eſt, cauſamque qua venerat intimauit. Qui eum benigne ſuſcipiens, ad ſuum conuiuium inuitauit, atque ad ſuam dexteram, vbi Turiſmodus eius quondam filius ſedere conſueuerat, collocauit. Inter hæc dum apparatus varij epulas caperent, Turiſendus iamdudum ſeſſionem filij mente reuoluens, natique funus ad animum reducens, præſentemque peremptorem eius loco reſidere conſpiciens, alta trahens ſuſpiria, ſeſe continere non potuit: ſed tandem dolor in vocem prorupit. Amabilis, inquit, mihi locus iſte eſt, ſed perſona quæ in eo reſidet, ſatis ad videndum grauis. Tunc regis alter qui aderat filius, patris ſermone ſtimulatus, Langobardos iniuriis laceſſere cœpit, aſſerens eos, quia ſuris inferius candidis vtebantur faſciolis, equabus, quibus crurum tenus pedes albi ſunt, ſimiles eſſe, dicens. Fœtulæ ſunt equæ quas ſimilatis. Tunc vnus è Langobardis ad hæc ita reſpondit. Perge, ait, in campum Aſteld, ibique proculdubio poteris experiri, quam validæ iſtæ, quas equas nominas, præualeant calcitrare: vbi ſic tui diſperſa

E ſunt oſſa germani, quemadmodum vilis iumenti in mediis pratis. His auditis Gepidi, confuſionem ferre non valentes, vehementer in ira commoti ſunt, manifeſtaſque iniurias vindicare nituntur. Langobardi è contra parati ad bellum, omnes ad gladiorum capulos manus iniiciunt. Tunc Rex à menſa proſiliens, ſeſe in medium obiecit, ſuoſque ab ira belloque compeſcuit, interminans primitus eum puniri, qui primus pugnam commiſiſſet, non eſſe victoriam Deo placitam dicens, cum quis in domo propria hoſtem perimit. Sic denique iurgio compreſſo, iam deinceps lætis animis conuiuium peragunt. Sumenſque Turiſendus arma Turiſmodi filij ſui, ea Alboin tradidit, eumque cum pace incolumem ad patris regnum remiſit. Reuerſus ad patrem Alboin, eiuſdem conuiua hinc effectus eſt. Qui dum cum patre lætus regias delicias caperet, ordine cuncta retulit, quæ ſibi apud Gepidos in Turiſendi regia contigiſſent. Mirantur qui aderant, & laudant audaciam Alboin, nec minus attollunt laudibus Turiſendi maximam fidem.

F

Capvt XXV.

Hac tempeſtate Iuſtinianus Auguſtus Romanorum Imperium felici ſorte regebat, qui & bella proſpere geſſit, & in cauſis ciuilibus mirificus extitit. Nam per Beliſarium patritium Perſas fortiter deuicit, perque ipſum Beliſarium VVandalorum gentem capto eorum rege Geliſmero, vſque ad internecionem deleuit, Africamque totam, poſt annos nonaginta & ſex, Romano imperio reſtituit. Rurſumque Beliſarij viribus Gothorum in Italia gentem, capto VVithicis eorum rege ſuperauit. Mauros quoque poſt hæc Africam infeſtantes, eorumque regem Antilam, per Iohannem Exconſulem mirabili virtute protriuit, pari etiam modo & alias gentes belli iure compreſſit. Quam ob cauſam propter horum omnium victorias, vt Alamanicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, VVandalicus, Africanuſque diceretur, habere agnomina

G meruit. Leges quoque Romanorum, quarum prolixitas nimia erat, & inutilis diſſonantia, mirabili breuitate correxit. Nam omnes conſtitutiones principum, quæ vtique multis in voluminibus habebantur, intra duodecim libros coarctauit, idemque volumen Codicem Iuſtinianeum appellari præcepit. Rurſumque ſingulorum magiſtratuum, ſiue iudicum leges, quæ vſque ad duo millia pene librorum erant extenſæ, intra quinquaginta librorum numerum redegit, eumque codicem Digeſtorum ſiue Pandectarum vocabulo nuncupauit. Quatuor etiam Inſtitutionum libros, in quibus breuiter vniuerſarum legum textus comprehenditur, nouiter compoſuit. Nouas quoque leges, quas ipſe ſtatuerat, in vnum volumen redactas, eundem codicem Nouellarum nuncupari ſanciuit. Extruxit quoque idem princeps intra vrbem Conſtantinopolim, Chriſto Domino, qui eſt ſapientia Dei patris, templum, quod Græco vocabulo, ΑΓΙΑΝ ΣΟΦΙΑΝ, id eſt, ſanctam ſapientiam nominauit. Cuius opus adeo cuncta

H ædificia excellit, vt in totis terrarum ſpatiis, huic ſimile non poſſit inueniri. Erat enim hic princeps fide Catholicus, in operibus rectus, in iudiciis iuſtus, ideoque ei omnia concurrebant in bonum. Huius temporibus Caſſiodorus, apud vrbem Romam tam ſæculari, quam diuina ſcientia claruit, qui inter cætera, quæ nobiliter ſcripſit, pſalmorum præcipue occulta potentiſſime reſerauit. Hic primitus conſul, deinde ſenator, ad poſtremum vero Monachus extitit. Hoc etiam tempore Dionyſius Abbas in vrbe Roma conſtitutus, paſchalem Calculum miranda argumentatione compoſuit. Tunc quoque apud Conſtantinopolim Priſcianus Cæſarienſis Grammaticæ artis, vt ita dixerim, profunda rimatus eſt. Tunc quoque nihilominus Arator Romanæ Eccleſiæ ſubdiaconus, poeta mirabilis, actus Apoſtolorum verſibus Hexametris exarauit.

Capvt XXVI.

His quoque diebus beatiſſimus Benedictus pater & pius, in loco qui Sublacus dicitur, qui ab vrbe Roma qua-

A draginta millibus abeſt, & poſtea in caſtro Caſſini, quod Harum appellatur, & magnæ vitæ meritis, & Apoſtolicis virtutibus effulſit. Cuius vitam, ſicut notum eſt, beatus Papa Gregorius in ſuis Dialogis ſuaui ſermone compoſuit. Ego quoque pro paruitate ingenij mei ad honorem tanti patris, ſingula eius miracula, per ſingula diſticha Elegiaco metro hoc modo contexui:

Ordiar vnde tuos ſacer ô Benedicte triumphos,
  Virtutum cumulos ordiar vnde tuos?
Euge beate Pater, meritum qui nomine prodis,
  Fulgida lux ſæcli, Euge beate Pater.
Nurſia plaude ſatis tanto ſublimis alumno,
  Aſtra ferens mundo, Nurſia plaude ſatis.
O puerile decus tranſcendens moribus annos,
  Exuperanſque ſenes, ô puerile decus,
Flos paradyſe tuus deſpexit florida mundi,
  Spreuit opes Romæ, Flos paradyſe tuus.
B Vas pædagoga tulit diremptum pectore triſti:
  Læta reformatum vas pædagoga tulit.
Vrbe vocamen habens tyronem cautibus abdit,
  Fert pietatis opem vrbe vocamen habens.
Laudibus antra ſonant mortalibus abdita cunctis:
  Cognita Chriſte tibi laudibus antra ſonant.
Frigora, flabra, niues, fers tu tribus impiger annis,
  Temnis amore Dei frigora, flabra, niues.
Fraus veneranda placet, pietatis furta probantur,
  Qua ſacer altus erat, fraus veneranda placet.
Signat adeſſe dapes Agapes, ſed liuidus obſtat,
  Nil minus alma fides, ſignat adeſſe dapes.
Orgia rite colit, quia Chriſto commodat aurem,
  Abſtemium paſcens Orgia rite colit.
Pabula grata ferunt auidi ad ſpelæa ſubulci,
  Pectoribus lætis pabula grata ferunt.
Ignis ab igne perit, lacerant dum viſcera ſentes
  Carneus æthereo ignis ab igne perit.
Peſtis iniqua latens procul eſt deprenſa ſagaci,
C   Non tulit arma crucis peſtis iniqua latens.
Lenia flagra vagam ſiſtunt moderamine mentem,
  Excludunt peſtem lenia flagra vagam,
Vnda perennis aquæ natiuo è marmore manat,
  Arida corda rigat vnda perennis aquæ.
Gurgitis ima calybs capulo diuulſe periſti,
  Deſeris alia petens gurgitis ima calybs.
Iuſſa paterna gerens dilapſus currit in æquor,
  Currit vectus aquis iuſſa paterna gerens.
Præbuit vnda viam prompto ad præcepta magiſtri,
  Curſori ignaro præbuit vnda viam.
Tu quoque parue puer raperis nec occidis vndis,
  Teſtis ades verax, tu quoque parue puer.
Perfida corda gemunt ſtimulis agitata malignis,
  Tartareis flammis perfida corda gemunt.
Fert alimenta corax digitis oblata benignis,
  Dira procul iuſſus fert alimenta corax.
Pectora ſacra dolent inimicum labe peremptum,
  Diſcipuli exceſſum pectora ſacra dolent.
D Lyris amœna petens ducibus comitatus opimus,
  Cœlitus adtraheris lyris amœna petens.
Anguis inique furis luco ſpoliatus & aris.
  Amiſſis populis anguis inique furis.
Improbe ſeſſor abi, ſine demur marmora muris,
  Cogeris imperio, improbe ſeſſor abi.
Cernitur ignis edax falſis inſurgere flammis,
  Nec tibi gemma micans cernitur ignis edax.
Dum ſtruitur paries lacerantur viſcera fratris,
  Soſpes adeſt frater dum ſtruitur paries.
Abdita facta patent, patulo produntur edaces.
  Muneris accepti abdita facta patent.
Sæue tyranne tuæ fruſtrantur retia fraudis,
  Frena capis vitæ ſæue tyranne tuæ.
Mænia celſa Numæ nullo vertérentur ab hoſte,
  Turba grauis vertet mænia celſa Numæ.
Plecteris hoſte graui, né lites munus ad aram,
  Munera fers aris plecteris hoſte graui.
Omnia ſepta gregis, præſcitum eſt tradita genti,
  Gens eadem reparat omnia ſepta gregis.

E Fraudis amice puer, ſuado captaris ab Hydro,
  Hydro non caperis fraudis amice puer.
Mens tumefacta ſile, tace & ne carpe videntem,
  Cuncta patent vati, mens tumefacta ſile.
Pellitur atra fames delatis cœlitus eſcis,
  Nihilominus mentis pellitur atra fames.
Pectora cuncta ſtupent, quod eras ſine corpore præſens,
  Quod per viſa mones pectora cuncta ſtupent.
Vocis ad imperium ſacris non eſſe ſinuntur,
  Interſunt ſacris vocis ad imperium.
Tellus hiulca ſinu corpus propellit humatum
  Iuſſa tenet corpus tellus hiulca ſinu.
Perfidus ille Draco mulcet properare fugacem,
  Siſtit iter vetitum perfidus ille Draco.
Exitiale malum capitis decuſſit honorem,
  It procul imperiis exitiale malum.
Fulua metalla pius, nec habet, promittit egenti;
F   Cœlitus excepit fulua metalla pius.
Tu miſerande cutem variant cui pelle colubræ,
  Incolumem recipis tu miſerande cutem.
Aſpera ſaxa vitrum rapiunt, nec frangere poſſunt;
  Illæſum ſeruant aſpera ſaxa vitrum.
Cur promeconde times ſtillam præbere lecyti?
  Dolia certe fluunt, cur prome conde times?
Vnde medela tibi ſpes eſt cur nulla ſalutis,
  Qui ſemper metuis vnde medela tibi?
Ah miſerande ſenex hoſtili concidis ictu,
  Ictu ſed reſipis ah miſerande ſenex.
Barbara lora manus ignaras criminis arcent,
  Sponte ſua fugiunt, barbara lora manus.
Ille ſuperbus equo reboans clamore minaci,
  Stratus humi recubat ille ſuperbus equo.
Colla paterna ferunt extincti viſcera nati,
  Viuentem natum colla paterna ferunt.
Omnia vincit amor, vinxit ſoror imbre beatum,
  Somnus abeſt oculis, omnia vincit amor.
G Simplicitate placens inſtar petit alta columbæ,
  Regna poli penetrat ſimplicitate placens.
O nimis apte Deo mundus cui panditur omnis,
  Abdita qui luſtras, ô nimis apte Deo.
Flammeus orbis habet iuſtum ſuper æthera nantem,
  Quem pius vſſit amor flammeus orbis habet.
Ter vocitatus adeſt teſtis nouitatis habendus,
  Carus amore patris ter vocitatus adeſt.
Dux bone bella monens exemplis pectora firmas,
  Primus in arma ruis, dux bone bella monens.
Congrua ſigna dedit vitæ conſortia linquens,
  Ad vitam properans congrua ſigna dedit.
Pſalmicen aſſiduus nonquam dabat otia plectro,
  Sacra canens obiit pſalmicen aſſiduus.
Mens quibus vna fuit tumulo retinentur eodem,
  Gloria par retinet mens quibus vna fuit.
Splendida viſa via eſt facibus ſtipata coruſcis,
H   Qua ſacer aſcendit ſplendida viſa via eſt.
Rupes ſepta petens nacta eſt errore ſalutem,
  Errorem euaſit rupes ſepta petens:
Poëmata parua dedit, famulus pro munere ſupplex,
  Exul inops, tenuis, poëmata parua dedit.
Sint precor apta tibi cœleſtis tramitis index,
  O Benedicte pater ſint precor apta tibi.

Hymnum quoque ſingula eiuſdem patris miracula continentem metro Iambico Archilochico ita texuimus:

Fratres alacri pectore,
Venite concentu pari,
Fruamur huius inclytæ,
Feſtiuitatis gaudiis:
Hac Benedictus aurea
Oſtenſor arcti tramitis,
Ad regna conſcendit pater
Captans laborum præmia.
Effulſit vt ſidus nouum,
Mundana pellens nubila.
Ætatis ipſo limine,
Deſpexit æui florida.
Miraculorum præpotens,

A Afflatus alti flamine,
Reſplenduit prodigiis
Venturo ſæclo præcinens
Laturus eſum pluribus,
Panis reformans vaſculum,
Arctum petens ergaſtulum,
Extinxit ignes ignibus.
Fregit veneni baiulam,
Crucis per arma cymbiam,
Coërcuit mentem vagam,
Leni flagello corporis
Funduntur amnes rupibus.
Redit calybs è gurgite,
Currit per vndas obſequens.
Peplo puer vitat necem
Viſus pareſcit abditum,
Mandata præpes efficit,
Hoſtem ruina conterit.
B Cedit fremens leo graue,
In imo fit moles leuis:
Rogus migrat fantaſticus,
Fractum reuiſit ſoſpitas,
Exceſſus abſentum patet.
Rector vafer deprenderis,
Inique poſſeſſor fugis;
Futura prænoſcimini,
Arcana cor non contigit,
Fundantur ædes ſomniis,
Tellus vomit cadauera,
Dracone frenatur fugax.
Æther pluit numiſmata.
Vitrum reſiſtit cautibus,
Manant oliuo dolia,
Vinctum reſoluit viſio,
Vitam receptant funera.
Tanti poteſtas luminis,
C Voto ſororis vincitur,
Quo plus amat quis plus valet.
Enare quem cernit polum
Non ante ſæclis cognitum
Noctu iubar effulgurat,
Quo totus orbis cernitur,
Flammiſque ſubuehi pius
Hæc inter inſtar nectaris
Miranda plectro claruit,
Nam pinxit apte lineas
Vitæ ſacræ ſequacibus,
Iam dux alumni ſat potens,
Adſis gregis ſuſpiriis,
Gliſcat bonis hydrum cauens,
Sit callis vt ſequax tui.

Libet me breuiter referre quod B. Gregorius Papa minime in huius ſanctiſſimi patris vita deſcripſit. Denique cum diuina admonitione à Sublacu in hunc vbi requie-
D ſcit locum, per quinquaginta ferme millia aduentaret, tres eum corui, quos alere ſolitus erat, ſunt circumuolantes ſecuti, cui ad omne conuiuium, vſque dum hic veniret, duo Angeli in figura iuuenum apparentes, oſtenderunt ei quam viam arripere deberet. In loco autem iſto, quidam Dei ſeruus tunc habitaculum habebat, ad quem diuinitus ita dictum eſt:

Hic tu parce locis, alter amicus adeſt;

Huc autem, hoc eſt in Caſſini arcem perueniens, in magna ſe ſemper Abſtinentia coarctauit; ſed præcipue quadrageſimæ tempore incluſus & remotus à mundi ſtrepitu manſit. Hæc omnia ex Marci poëtæ carmine ſumpſi, qui ad eundem patrem huc veniens aliquot verſus in eius laudem compoſuit, quos in his libellis, cauens nimiam longitudinem, minime deſcripſi. Certum tamen eſt hunc egregium patrem vocatum cœlitus ob hoc ad hunc fertilem locum, & cui opima vallis ſubiacet, aduenisse, vt hic multorum monachorum, ſicut & nunc Deo præſule facta eſt, congregatio fieret. His curſim quæ omittenda non erant narratis, ad noſtræ ſeriem reuertamur hiſtoriæ.

Capvt XXVII. E

Igitur Audoin, de quo præmiſeramus, Langobardorum Rex, Rodelindam in matrimonio habuit, quæ ei Alboin virum bellis aptum & per omnia ſtrenuum peperit. Mortuus itaque eſt Audoin, ac deinde Regum iam decimus Alboin, ad regendam patriam cunctorum votis acceſſit. Qui cum famoſiſſimum & viribus clarum vbique nomen haberet, Chlotarius Rex Francorum, Chlotſuindam ei ſuam filiam in matrimonium ſociauit, de qua vnam tantum filiam Alpſuindam nomine genuit. Obiit interea Turiſendus Rex Gepidorum, cui ſucceſſit Gunimundus in regno. Qui vindicare veteres Gepidorum iniurias cupiens, rupto cum Langobardis fœdere, bellum potius quam pacem elegit. Alboin vero cum Auaribus, qui primum Huni, poſtea de Regis proprij nomine Auares appellati ſunt fœdus perpetuum iniit, dehinc ad præparatum à Gepidis bellum profectus eſt. Qui cum aduerſus
F eum è diuerſu properarent, Auares, vt cum Alboin ſtatuerant, eorum patriam inuaſerunt. Triſtis ad Cunimundum nuntius veniens, inuaſiſſe Auares eius terminos edicit. Qui proſtratus animo, & vtriſque in anguſtiis poſitus, hortatur tamen ſuos primum cum Langobardis confligere. Quos ſi ſuperare valerent, demum Hunnorum exercitum è patria pellerent. Committitur ergo prælium, pugnatumque eſt totis viribus. Langobardi victores effecti ſunt, tanta in Gepidos ira ſæuientes, vt eos ad internecionem vſque delerent, atque ex copioſa multitudine, vix nuntius ſupereſſet. In eo prælio Alboin Cunimundum occidit, caputque illius ſublatum, ad bibendum ex eo poculum fecit, quod genus poculi apud eos ſcala dicitur, lingua vero Latina patera vocitatur. Cuius filiam nomine Roſimundam, cum magna ſimul multitudine diuerſi ſexus & ætatis, duxit captiuam. Quam quia Clotſuinda obierat, in ſuam vt poſt patuit perniciem duxit vxorem. Tunc Langobardi tantam adepti ſunt prædam, vt iam ad ampliſſimas peruenirent diuitias. Gepidorum vero
G genus ita eſt diminutum, vt ex illo tempore vltra non habuerint regem, ſed vniuerſi qui ſupereſſe bello poterant, aut Langobardis ſubiecti ſunt, aut vſque hodie Hunis eorum patriam poſſidentibus, duro imperio ſubiecti gemunt. Alboin vero ita præclarum longe lateque nomen percrebuit, vt hactenus etiam tam apud Baioariorum gentem, quam & Saxonum, ſed & alios eiuſdem linguæ homines, eius liberalitas & gloria, bellorumque felicitas & virtus, in eorum carminibus celebretur. Arma quoque præcipua ſub eo fabricata fuiſſe à multis huc vſque narratur.

Explicit liber Primus, de geſtis Langobardorum.

Incipiunt

CAPITA LIBRI SECVNDI. H

Cap. I. *Qvomodo Langobardi conducti à Narſete Chartulario, eidem contra Gothos auxilium præſtiterunt.*
Cap. II. *Quomodo Narſis Buccilinum & Amingum Francorum ſuperauit, & de morte Leutharij tertij ducis.*
Cap. III. *Quomodo Narſis Sinduald Herulorum regulum ſibi rebellantem extinxit.*
Cap. IV. *De ſignis peſtilentiæ & mortalitate, quæ tempore Narſetis Italiam vaſtauit.*
Cap. V. *De inuidia Romanorum aduerſus Narſetem.*
Cap. VI. *Qualiter Alboin ad ſuum auxilium Saxones adſciuit.*
Cap. VII. *Quomodo Alboin cum Langobardis relicta Pannonia ad Italiam venit.*
Cap. VIII. *Quomodo Alboin ad Italiæ fines veniens montem regis aſcendit, & de biſontibus feris.*
Cap. IX. *Quomodo Alboin Venetiarum fines ingreſſus in foro Iulij Giſulfum ſuum nepotem ducem conſtituit.*

A Cap. X. *Qui reges eo tempore Francis imperabant, & de benedicto Papa.*
Cap. XI. *De morte Narſetis.*
Cap. XII. *De Felice Epiſcopo Taruiſiano.*
Cap. XIII. *De hoc eodem Felice & Fortunato ſapientiſſimo viro.*
Cap. XIV. *Quomodo Alboin Venetiarum prouinciam capit.*
Cap. XV. *De Liguria ſecunda Italia prouincia.*
Cap. XVI. *De quinta Italia prouincia, qua Alpes Cottia appellantur, & de ſexta qua Thuſcia dicitur.*
Cap. XVII. *De Campania Italia ſeptima prouincia, & de Lucania ſiue Britia, qua octaua.*
Cap. XVIII. *De Appenninus Alpibus; qua nona eſt Italia prouincia; & de Emilia, qua eſt decima.*
Cap. XIX. *De Flaminia vndecima Italia prouincia; & de Piceno qua duodecima computatur.*
Cap. XX. *De Valeria & Narſia, qua pro tertia decima ponitur; & Samnio, qua eſt decimaquarta.*
B Cap. XXI. *De Calabria & Apulia, & Sallento, qua decimaquinta prouincia appellatur.*
Cap. XXII. *Sexta decima prouincia Italia Sicilia eſt; Septima decima Corſica, octaua decima Sardinia.*
Cap. XXIII. *Ob quam cauſam aliqua pars Italia, Ciſalpina vocatur Gallia.*
Cap. XXIV. *Quare Italia ſic vocitatur; vt quid etiam Auſonia vel Latium dicitur.*
Cap. XXV. *Quomodo Alboin Mediolanum ingreſſus eſt.*
Cap. XXVI. *Quomodo Ticinenſis ciuitas tribus annis obſeſſa eſt, & quia Langobardi Thuſciam inuaſerunt.*
Cap. XXVII. *Quomodo Alboin Ticinum ingreſſus eſt.*
Cap. XXVIII. *Quomodo Alboin, poſtquam tribus regnauit annis, conſilio ſua coniugis, ab Helmechis interfectus eſt.*
Cap. XXIX. *Quia Helmechis regnare voluit, ſed non potuit.*
Cap. XXX. *Quomodo Longinus poſt eorum mortem Albſuindam cum Langobardorum theſauro imperatori direxit: & de Oredeo, quomodo in Conſtantinopolim*
C *leonem occidit.*
Cap. XXXI. *De regno Cleph, qui ſecundus regnauit.*
Cap. XXXII. *Quomodo duces Langobardorum per decem annos ſine rege fuerunt, per quos Italia ſubiugata eſt.*

EXPLICIVNT CAPITVLA.

Incipit

Liber Secvndvs

De geſtis Langobardorum.

Capvt Primvm.

IGitvr cum circumquaque frequentes Langobardorum victoriæ perſonarent, Narſis Chartularius Imperialis, qui tunc præerat Italiæ, bellum
D aduerſus Totilam Gothorum regem præparans, cum iam pridem Langobardos fœderatos haberet legatos ad Alboin dirigit, quatinus ei pugnaturo cum Gothis, auxilium miniſtraret. Tunc Alboin electam è ſuis manum direxit, qui Romanis aduerſum Gothos ſuffragium ferrent, qui per maris Adriatici ſinum in Italiam tranſuecti, ſociatique Romanis, pugnam inierunt cum Gothis. Quibus vſque ad internecionem deletis, pariter cum Totila ſuo rege, honorati multis muneribus, victores ad propria remearunt. Omnique tempore, quo Langobardi Pannoniam poſſederunt, Romanæ Reipublicæ aduerſum æmulos adiutores fuerunt.

Capvt II.

His temporibus Narſis etiam Buccellino duci bellum intulit, quem Theudebertus Rex Francorum cum in Italiam introiſſet, reuerſus ad Gallias cum Hamingo alio duce, ad ſubiiciendam Italiam dereliquerat. Qui Buccellinus
E cum pene totam Italiam direptionibus vaſtaret, & Theudeberto ſuo regi de præda Italiæ munera copioſa conferret, cum in Campania hyemare diſponeret, tandem in loco, cui Tannetum nomen eſt, graui bello à Narſete ſuperatus, extinctus eſt. Hamingus vero dum VVidin Gothorum comiti, contra Narſetem rebellanti, auxilium ferre conatus fuiſſet vtrique à Narſete ſuperati ſunt. VVidin captus Conſtantinopolim exiliatur. Hamingus vero, qui ei auxilium præbuerat Narſetis gladio perimitur. Tertius quoque Francorum dux nomine Leuthatius, Buccellini germanus, dum multa præda onuſtus ad patriam cuperet reuerti, inter Veronam & Tridentum, iuxta lacum Benacum propria morte defunctus eſt.

Capvt III.

Habuit nihilominus Narſes certamen aduerſus Sinduald Brebtorum regem, qui adhuc de Herulorum ſtirpe remanſerat, quem ſecum in Italiam veniens, ſimul Odoacar adduxerat. Huic Narſes fideliter ſibi primum adhæ-
F renti, multa beneficia contulit, ſed nouiſſime ſuperbe rebellantem, & regnare cupientem, bello ſuperatum & captum, celſa de trabe ſuſpendit. Eo tempore quoque Narſes patricius, per Dagiſteum magiſtrum militum, virum bellicoſum & fortem, vniuerſos Italiæ fines obtinuit. Hic Narſes prius quidem Cartularius fuit, deinde propter virtutum merita patriciatus honorem promeruit. Erat autem vir piiſſimus, in religione Catholicus, in pauperes munificus, in reparandis Baſilicis ſatis ſtudioſus, vigiliis & orationibus in tantum ſtudens, vt plus ſupplicationibus ad Deum profuſis, quam armis, bellicis victoriam obtineret.

Capvt IV.

Huius temporibus in prouincia præcipue Liguriæ, maxima peſtilentia exorta eſt. Subito enim apparebant quædam ſignacula per domos, oſtia, vaſa, vel veſtimenta, quæ ſi quis voluiſſet abluere, magis magiſque apparebant. Poſt annum vero expletum, cæperunt naſci in inguinibus ho-
G minum, vel in aliis delicatioribus locis, glandulæ in modum nucis ſeu dactyli, quas mox ſequebatur febrium intolerabilis æſtus, ita vt in triduo homo extingueretur. Sin vero aliquis triduum tranſegiſſet, habebat ſpem viuendi. Erant autem vbique luctus, vbique lachrymæ. Nam vt vulgi rumor habebat fugientes cladem vitare, relinquebantur domus deſertæ habitatoribus, ſolis catulis eas ſeruantibus, peculia ſola remanebant in paſcuis, nullo adſtante paſtore. Cerneres pridem villas ſeu caſtra repleta agminibus hominum, poſtera vero die vniuerſis fugientibus cuncta eſſe in ſummo ſilentio. Fugiebant filij, cadauera inſepulta parentum relinquentes. Parentes obliti pietatis viſcera, natos relinquebant æſtuantes. Si quem forte antiqua pietas perſtringebat, vt vellet ſepelire proximum, reſtabat ipſe inſepultus, & dum obſequebatur, perimebatur? dum funeri obſequium præbebat, ipſius funus ſine obſequio manebat. Videres ſæculum in antiquum redactum ſilentium. Nulla vox in rure, nullus paſtorum ſibilus, nullæ inſidiæ beſtiarum in pecudibus, nul-
H la damma in domeſticis volucribus. Sata tranſgreſſa metendi tempus, intacta exſpectabant meſſorem, vinea amiſſis foliis radiantibus vuis illæſa manebat. Hyeme propinquante, nocturnis vel diurnis horis perſonabat tuba bellantium, audiebatur à pluribus quaſi murmur exercitus. Nulla erant veſtigia commeantium, nullus cernebatur percuſſor, & tamen viſum oculorum ſuperabant cadauera mortuorum. Pectoralia loca verſa fuerant in ſepulturam hominum, & habitacula humana facta fuerant confugia beſtiarum. Et hæc quidem mala intra Italiam tantum, vſque ad fines gentium Alamannorum & Baioariorum, ſolis Romanis acciderunt. Inter hæc Iuſtiniano principe vita decedente, Iuſtinus minor Rempublicam apud Conſtantinopolim regendam ſuſcepit. His quoque temporibus Narſes patricius, cuius ad omnia ſtudium vigilabat, Vitalem Epiſcopum Altinæ ciuitatis, qui ante annos plurimos ad Francorum regnum confugerat, hoc eſt, ad Agonthienſem ciuitatem; tandem comprehenſum, apud Siciliam exilio damnauit.

A

Capvt V.

Igitur deleta, vt dictum eſt, vel ſuperata, Narſes omni Gothorum gente, Hunnis quoque, de quibus diximus, pari modo deuictis, dum multum auri, ſiue argenti ſeu cæterarum ſpecierum diuitias adquiſiſſet; magnam à Romanis, pro quibus multa contra eorum hoſtes laborauerat, inuidiam pertulit, qui contra eum Iuſtino Auguſto & eius coniugi Sophiæ, in hæc verba ſuggeſſerunt dicentes: Qoia expedierat Romanis, Gothis potius ſeruire quam Græcis, vbi Narſes imperat Eunuchus, & nos ſeruitio premit, & hæc noſter piiſſimos Princeps ignorat. Aut libera nos de manu eius, aut certe & vrbem Romam, & noſmetipſos gentibus trademus. Cumque hoc Narſes audiſſet, hæc breuiter retulit verba. Si male feci cum Romanis, male inueniam. Tunc Auguſtus in tantum aduerſus Narſetem commotus eſt, vt ſtatim in Italiam Longinum mitteret præfectum, qui Narſetis locum obtineret. Narſes vero his cognitis valde pertimuit; & B in tantum maxime ab eadem Sophia Auguſta territus eſt, vt regredi vltra Conſtantinopolim non auderet. Cui illa inter cætera, quia eunuchus erat, hæc fertur mandaſſe, vt eum puellis in gynæceo lanarum faceret penſa diuidere. Ad quæ verba Narſes dicitur hæc reſponſa dediſſe; Talem ſe eidem telam orditurum, qualem ipſa dum viueret, deponere non poſſet. Itaque odio metuque exagitatus, in Neapolitanam ciuitatem ſecedens, legatos mox ad Langobardorum gentem dirigit, mandans vt paupertima Pannoniæ rura deſererent, & ad Italiam, cunctis refertam diuitiis, poſſidendam venirent. Simulque multimoda pomorum genera, aliarumque rerum ſpecies, quarum Italia ferax eſt, mittit quatinus eorum ad veniendum animos poſſet illicere. Langobardi læta nuntia, & quæ ipſi præoptabant, gratanter ſuſcipiunt, deque futuris commodis animos attollunt. Continuo apud Italiam terribilia noctu ſigna viſa ſunt, hoc eſt, igneæ acies in cœlo apparuerunt, eum ſcilicet, qui poſtea effuſus eſt ſanguinem coruſcantes.

C

Capvt VI.

Alboin vero ad Italiam cum Langobardis profecturus ab amicis ſuis vetulis Saxonibus auxilium petit, quatious ſpatioſam Italiam cum pluribus poſſeſſurus intraret. Ad quem Saxones pluſquam viginti millia virorum cum vxoribus ſimul & paruulis, vt cum eo ad Italiam pergerent, iuxta eius voluntatem venerunt. Hoc audientes Chlotarius & Sigisbertus Reges Francorum, Suauos aliaſque gentes in locis de quibus iidem Saxones exierant, poſuerunt.

Capvt VII.

Tunc Alboin ſedes proprias, hoc eſt Pannoniam, amicis ſuis Hunnis contribuit, eo ſcilicet ordine, vt ſi quo tempore Langobardis neceſſe eſſet reuerti, ſua rurſus arua repeterent. Igitur Langobardi relicta Pannonia; cum vxoribus & natis, omnique ſupellectili Italiam properant poſſeſſuri. Habitauerant autem in Pannonia annis quadragin- D ta duobus: de qua egreſſi ſunt menſe Aprili, per Indictionem primam, alio die poſt ſanctum paſcha, cuius feſtiuitas eo anno, iuxta calculi rationem, ipſis Kalen. April. fuit, cum jam à domini incarnatione, anni quingenti ſexaginta octo eſſent euoluti.

Capvt VIII.

Igitur cum Rex Alboin cum omni exercitu ſuo, vulgique promiſcui multitudine, ad extremos Italiæ fines perueniſſet, montem qui in eiſdem locis prominet, aſcendit; indeque, prout conſpicere potuit, partem Italiæ contemplatus eſt. Qui mons propter hanc, vt fertur, cauſam ex eo tempore Mons regis appellatus eſt. Ferunt in hoc monte Biſontes feras enutriri; nec mirum cum vſque ad Pannoniam pertingat, quæ horum animantium ferax eſt. Denique retulit mihi quidam veraciſſimus ſenex, tale ſe corium in hoc monte occiſi biſontis vidiſſe, in quo quindecim, vt aiebat, homines, vnus iuxta alium, potuiſſent cubare.

Capvt IX.

Indeque Alboin cum Venetiæ fines, quæ prima eſt Italiæ prouincia, ſine aliquo obſtaculo, hoc eſt ciuitatis, vel potius caſtri Foro-Iuliani terminos introiſſet; perpendere cœpit, cui potiſſimum primam prouinciarum quam ceperat, committere deberet. Siquidem omnis Italia, quæ verſus meridiem, vel potius in Eurum extenditur, Tyrrheni ſiue Adriatici maris fluctibus ambitur, ab occiduo vero & Aquilone, iugis Alpium ita circumcluditur, vt niſi per anguſtos meatus, & per ſumma iuga montium, non poſſit habere introitum. Ab orientali vero parte, qua Pannoniæ coniungitur, & largius patentem & planiſſimum habet ingreſſum. Igitur, vt diximus, dum Alboin animum intenderet, quem in his locis ducem conſtituere deberet, Giſulfum, vt fertur, ſuum nepotem, virum per omnia idoneum, qui eidem ſtrator erat, quem lingua propria Marpahis appellant, Forojulianæ ciuitati, & toti regioni illius præficere ſtatuit. Qui Giſulfus non prius ſe regimen eiuſdem ciuitatis & populi ſuſcepturum edixit, niſi ei quas ipſe eligere voluiſſet Langobardorum Faras, hoc eſt, generationes, vel lineas tribueret. Factumque eſt; & annuente ſibi rege, quas optauerat Langobardorum præcipuas proſapias, vt cum eo habitarent, accepit: & ita demum ductoris honorem adeptus eſt. Popoſcit quoque à rege generoſarum equarum greges, & in hoc quoque liberalitate principis exauditus eſt. F

Capvt X.

His diebus quibus Langobardi Italiam inuaſerunt; Francorum regnum, mortuo iam rege Chlotario, eius filij quadrifarie regebant diuiſum; primuſque ex his Aripertus, ſedem habebat apud Pariſios, ſecundus vero Guntramnus, ciuitati præſidebat Aurelianenſi: tertius quoque Hilpericus, cathedram habebat apud Sueſſionas, in loco Chlotarij patris ſui: quartus nihilominus Sigisbertus, apud vrbem regnabat Metenſem. Hoc etiam tempore, Romanam Eccleſiam vir Sanctiſſ. Benedictus Papa regebat. G Aquileienſi quoque ciuitati eiuſque populis beat. Paulus Patriarcha præerat. Qui Langobardorum barbariem metuens, ex Aquileia ad Granos inſulam confugit, ſecumque omnem ſuæ theſaurum Eccleſiæ deportauit. Hoc anno ſuperiori hyeme, tanta nix in planitie cecidit; quanta in ſummis Alpibus cadere ſolet. Sequenti vero æſtate; tanta fertilitas extitit, quãtam nulla ætas aſſeueratur meminiſſe. Eo quoque tempore, comperta Huni, qui & Auares, morte Chlotarij Regis, ſuper Sigisbertum eius filium irruunt. Quibus ille in Turingia occurrens, eos iuxta Albin fluuium potentiſſime ſuperauit, eiſdemque petentibus pacem dedit. Huic Sigisberto de Hiſpaniis adueniens, Brunihildis matrimonio iuncta eſt, de qua ille filium Childebertum nomine ſuſcepit. Rurſumque Auares cum Sigiberto in locis, vbi & prius, pugnantes, Francorum proterentes exercitum, victoriam ſunt adepti.

Capvt XI.

Narſes vero de Campania Romam regreſſus, ibidem H non poſt multum tempus, ex hac luce ſubtractus eſt. Cuius corpus poſitum in locello plumbeo, cum omnibus eius diuitiis Conſtantinopolim eſt perlatum.

Capvt XII.

Igitur Alboin cum ad fluuium Alpem veniſſet, ibi ei Felix Epiſcopus Taruiſianæ Eccleſiæ occurrit. Cui Rex vt erat largiſſimus, omnes ſuæ Eccleſiæ facultates poſtulanti conceſſit, & per ſuum Pragmaticum poſtulata firmauit.

Capvt XIII.

Sane quia huius Felicis fecimus mentionem, libet quoque pauca, nos de venerabili & ſapientiſſimo viro Fortunato retexere, qui hunc Felicem, ſuum aſſeuerat ſocium fuiſſe. Denique hic de quo loquimur Fortunatus, natus quidẽ in loco qui Duplauilis dicitur, fuit; qui locus haud longe à Ceneтenſi Caſtro, vel Taruiſiana diſtat ciuitate: ſed tamen Rauennæ nutritus & doctus, in arte Grammatica, ſiue Rhetorica, ſeu etiam metrica, clariſſimus extitit.

A Hic cum oculorum dolorem vehementiſſimum patere-
tur,& nihilominus Felix iſte ipſius ſocius pari modo ocu-
los doleret, vterque ad Baſilicam beatorum Pauli atque
Ioannis,quæ intra eandem vrbem ſita eſt, pertexerunt, in
qua etiam altarium in honorem B. Martini Confeſſoris
conſtructum propioquam habet feneſtram, in qua lucer-
na ad exhibendum lumen eſt conſtituta, de cuius oleo,
mox ſibi iſti, Fortunatus ſcilicet & Felix, dolentia lumi-
na tetigerunt:Illico dolore fugato,ſanitatem quam opta-
bant,adepti ſunt.Qua de cauſa Fortunatus in tantum Bea-
tum Martinum veneratus eſt,vt relicta patria,paulo ante-
quam Longobardi Italiam inuaderent, Turonis ad eiuſ-
dem beati viri ſepulchrum properaret. Qui ſibi, vt in ſuis
ipſe carminibus refert, illuc properanti per fluentilia
Menti & Rounam, perque Oſupum & Alpem Iu-
liam, perque Aguntum caſtrum, Drauumque & Byr-
rum fluuios, ac Briones & Auguſtam ciuitatem, quam
Virdo & Lech fluentant, iter fuiſſe deſcribit. Qui poſt-
B quam Turonum iuxta votum proprium aduenit, Pictauis
pertranſiens illic habitauit, & multorum ibidem ſancto-
rum geſta, partim proſa,partim metrali oratione conſcri-
pſit. Nouiſſimeque in eadem ciuitate primum presbyter,
deinde Epiſcopus ordinatus eſt, atque in eodem loco di-
gno tumulatus honore quieſcit. Hic beati Martini vitam
quatuor in libris Heroico verſu contexuit, & multa alia,
maximeque hymnos ſingularum feſtiuitatum,& præcipue
ad ſingulos amicos verſiculos, nulli poëtarum ſecundus,
ſuaui & diſerto ſermone compoſuit. Ad cuius ego tumu-
lum, cum illuc orationis gratia aduentaſſem, hoc Epita-
phium rogatus ab Apro,eiuſdem loci Abbate,ſcribendum
contexui.

Ingenio clarus, ſenſu celer, ore ſuauis,
   Cuius dulce melos pagina multa canit,
Fortunatus apex vatum, venerabilis actu,
   Auſonia genitus hac tumulatur humo.
Cuius ab ore ſacro ſanctorum geſta priorum
   Diſcimus: hæc monſtrant carpere lucis iter.
C Felix quæ tantis decoraris Gallia gemmis,
   Lumine de quarum nox tibi tetra fugit.
Hos modicos prompſi plebeio carmine verſus,
   Ne tuus in populis ſancte lateret honor.
Redde vicem miſero,ne iudice ſpernar ab æquo
   Eximius meritis poſce beate precor.

Hæc paucis de tanto viro,ne eius vitam ſui ciues funditus
ignorarent,delibauimus,nunc ad hiſtoriæ ſeriem reuerta-
mur.

Capvt XIV.

Igitur Alboin Vincentiam Veronamque & reliquas
Venetiæ ciuitates, exceptis Patauio & Monteſilicis, &
Mantua cæpit. Venetia enim non ſolum in paucis inſulis,
quas nunc Venetias dicimus, conſtat, ſed eius terminus à
Pannoniæ finibus vſque Adduam fluuium protelatur. Pro-
batur hoc Annalibus libris, in quibus Pergamus ciuitas
eſſe legitur Venetiarum. Nam & de lacu Benaco in hiſto-
D riis ita legimus. Benacus lacus Venetiarum, de quo Min-
cius fluuius egreditur. Eneti enim licet apud Latinos vna
littera addatur,Græce laudabiles dicuntur. Venetiæ etiam
Hiſtria connectitur,& vtræque pro vna prouincia haben-
tur. Hiſtria autem ab Hiſtro flumine cognominatur, quæ
ſecundum Romanam hiſtoriam, amplior quam nunc eſt,
fuiſſe perhibetur. Huius Venetiæ Aquilia ciuitas extitit
caput,pro qua nunc Forum-Iulij, ita dictum, quod Iulius
Cæſar negotiationis forum ibi ſtatuerat,habetur.

Capvt XV.

Non abre eſſe arbitror,ſi etiam cæteras Italiæ prouin-
cias breuiter adtingamus. Secunda prouincia Liguria, à
legendis,id eſt,colligendis leguminibus, quorum ſatis fe-
rax eſt, nominatur, in qua Mediolanum eſt, & Ticinus
quæ alio nomine Papia appellatur. Hæc vſque ad Gallo-
rum fines extenditur. Inter hanc & Suauiam, hoc eſt, Ale-
mannorum patriam, quæ verſus ſeptentrionem eſt poſita,
duæ prouinciæ, id eſt, Rhetia prima & Rhetia ſecunda,
inter Alpes conſiſtunt, in quibus proprie Rheti habitare
noſcuntur.

Capvt XVI.

Quinta vero prouincia Alpes Cottiæ dicuntur,quæ ſic E
à Cottio Rege, qui Neronis tempore fuit, appellatæ ſunt,
hæc à Liguria in Eurum verſus, vſque ad mare Tyrrhe-
num extenditur,ab occiduo vero Gallorum finibus copu-
latur. In hac Aquis,vbi aquæ calidæ ſunt,Dertona,& mo-
naſterium Bobium. Genua quoque & Saona ciuitates ha-
bentur. Sexta prouincia Thuſcia eſt,quæ à thure,quod po-
pulus illius ſæpe ſuperſtitioſe in ſacrificiis deorum ſuo-
rum incendere ſolebat, ſic appellata eſt. Hæc habet intra
ſe Circium verſus, Aureliam ab Orientis vero parte Vm-
briam. In hac prouincia Roma, quæ olim totius mundi
caput extitit, eſt conſtituta. In Vmbria vero quæ iſtius in
parte ponitur, Peruſium & lacus Literius, Spoletumque
conſiſtunt. Vmbria autem dicta eſt, quod imbribus ſuper-
fuerit,quum aquoſa clades olim populos deuaſtaret.

Capvt XVII.

Septima quoque prouincia Campania ab vrbe Roma F
vſque ad Siler Lucaniæ fluuium perducitur, in qua opu-
lentiſſimæ vrbes,Capua,Neapolis,& Salernus, conſtitutæ
ſunt. Quæ ideo Campania appellata eſt, propter vberri-
mam Capuæ planitiem;cæterum ex maxima parte mon-
tuoſa eſt. Porro octaua Lucania, quæ nomen à quodam
luco accepit,à Silere fluuio inchoat cum Brutia,quæ ita à
reginæ quondam ſuæ nomine appellata eſt, vſque ad fre-
tum Siculum, per ora maris Tyrrheni, ſicut & duæ ſupe-
riores,dextrum Italiæ cornu tenens, pertingit, in qua Pe-
ſtus & Lanius,Caſſianum & Conſentia,Rhegiumque ſunt
poſitæ ciuitates.

Capvt XVIII.

Nona denique prouincia in Appenninis Alpibus nun-
cupatur,quæ inde originem capiunt,vbi Cottiarum Alpes
finiuntur. Hæ Appeninæ Alpes per mediam Italiam per-
gentes, Tuſciam ab Æmilia, Vmbriamque à Flaminia di-
uidunt. In qua ſunt ciuitates, Ferronianus & Montepel- G
lium,Bobium & Vrbinum,nec non & oppidum quod Ve-
rona appellatur. Alpes autem Appenninæ dictæ ſunt à Pu-
nicis, hoc eſt, Hannibale & eius exercitu, qui per eaſdem
Romam tendentes tranſitum habuerunt. Sunt qui Alpes
Cottias & Appenninas, vnam dicant eſſe prouinciam:ſed
hos Victorini reuincit Hiſtoria,quæ Alpes Cottias per ſe
prouinciam appellat. Decima porro Æmilia,à Liguria in-
cipiens inter Appenninas Alpes & Padi fluenta, verſus
Rauennam pergit. Hæc locupletibus vrbibus decoratur,
Placentia ſcilicet Parmaque Regio,& Bononia,Cornelii-
que foro, cuius caſtrum Imolas appellatur. Extiterunt
quoque qui Æmiliam & Valeriam, Nurſiamque vnam
prouinciam dicerent: ſed horum ſententia ſtare non po-
teſt,quia inter Æmiliam & Valeriam,Nurſiamque,Tuſcia
& Vmbria ſunt conſtitutæ.

Capvt XIX.

Dehinc vndecima prouinciarum eſt Flaminia,quæ in-
ter Appenninas Alpes & mare eſt Adriaticum poſita, In
qua nobiliſſima vrbium Rauenna,& quinque aliæ ciuita- H
tes conſiſtunt Græco vocabulo Pentapolis dictæ. Conſtat
autem Aureliam,Æmiliamque & Flaminiam,a conſtratis
viis,quæ ab vrbe Roma veniunt,& ab eorum vocabulis,à
quibus ſunt conſtratæ, talibus nominibus appellari. Poſt
Flaminiam duodecima Picenus occurrit, habens ab au-
ſtro Appenninos montes,ex altera vero parte,Adriaticum
mare. Hæc vſque ad fluuium Piſcarium pertendit, in qua
ſunt ciuitates, Firmus, Aſculus, & Piunis, & vetuſtate
conſumpta Adria, quæ Adriatico pelago nomen dedit.
Huius habitatores cum à Sabinis illuc properarent,in eo-
rum vexillo picus conſedit, atque hac de cauſa Picenus
nomen accepit.

Capvt XX.

Porro tertia decima prouincia Valeria, cui eſt Nurſia
annexa,inter Vmbriam & Campaniam Picenumque con-
ſiſtit,quæ ab oriente Samnitum regionem attingit. Huius
pars occidua, quæ ab vrbe Roma initium capit,olim ab
Etruſcorum populo, Etruria dicta eſt. Hæc habet vrbes,

A Tyburim, Carſilis, Reate, Furconam, & Amiternum, regionemque Marſorum, & eorum lacum qui Fucinus appellatur. Marſorum quoque regionem, ideo intra Valeriam prouinciam æſtimo computari, quia in catalogo prouinciarum Italiæ minime ab antiquis deſcripta eſt. Si quis autem hanc per ſe prouinciam eſſe vera ratione comprobauerit, huius rationabilis ſententia modis erit omnibus tenenda. Quartadecima Samnium, inter Campaniam & mare Adriaticum, Apuliamque à Piſcaria incipiens habetur. In hac ſunt vrbes, Theate, Auſidena, Hiſernia, & antiquitate conſumpta Samnium, à qua tota prouincia nominatur, & ipſa harum prouinciarum caput ditiſſima Beneuentus. Porro Samnites nomen accepere olim ab haſtis quas ferre ſolebant, quaſque Græci Samia appellant.

Capvt XXI.

Quinta decima Prouinciarum eſt Apulia, cum ſociata ſibi Calabria intra quam eſt regio Salentina. Hæc ab occidente vel Africo habet Samnium & Lucaniam: à ſolis B vero ortu, Adriatico pelago finitur. Hæc habet vrbes ſatis opulentas, Luceriam, Sepontum, Canuſium, Agerentiam, Brundiſium, & Tarentum, & in ſiniſtro Italiæ cornu, quod quinquaginta millibus extenditur, aptam mercimoniis Hydruntinum. Apulia autem à perditione nominatur, citius enim ibi ſolis feruoribus terræ virentia perduntur. Sextadecima prouincia, Sicilia inſula computatur, quæ Tyrrheno mari ſeu Ionio alluitur, de Siculi ducis proprio nomine nuncupatur. Septimadecima Corſica. Octauadecima Sardinia ponitur, quæ vtræque Tyrrhenis fluctibus ambiuntur. Porro Corſica, à duce ſuo Corſo, Sardinia à Sarde Herculis filio nominatur.

Capvt XXII.

Certum eſt tamen Liguriam, & partem Venetiæ, Æmiliam quoq; Flaminiamque, veteres Hiſtoriographos Galliam Ciſalpinam appellaſſe. Inde eſt quod Donatus Grammaticus in expoſitione Virgilij, Mantuam in Gallia eſſe C dixit. Indeque eſt quod in Romana hiſtoria legitur Ariminum in Gallia conſtitutum. Siquidem antiquiſſimo tempore, Brennus Rex Gallorum, qui apud Senonas vrbem regnabat, cum trecentis millibus Gallorum Senonum ad Italiam venit, eamque vſque ad Seno-Galliam, quæ à Gallis Senonibus vocitata eſt occupauit. Cauſa autem cur Galli in Italiam venerint, hæc fuiſſe deſcribitur. Dum enim vinum deguſtaſſent ab Italia delatum, auiditate vini illecti, ad Italiam tranſierunt. Horum centum millia non longe à Delphos inſula properantes, Græcorum gladiis extincta ſunt. Alia vero centum millia in Galatiam ingreſſa, primum Gallo-Græci, poſtea vero Galatæ appellati ſunt. Et hi ſunt quibus doctor gentium ſcripſit Epiſtolam Paulus. Centum millia quoque Gallorum, quæ in Italia remanſerunt, Ticinum, Mediolanumque, Pergamum, Brexiamque conſtruentes, Ciſalpinæ Galliæ regioni nomen dederunt. Iſtique ſunt Galli Senones, qui olim vrbem Romuleam inuaſerunt. Sicut enim dicimus Galliam Tranſalpinam, quæ vltra Alpes habetur: Sic Galliam hac parte D quæ infra Alpes eſt, vocitamus Ciſalpinam.

Capvt XXIII.

Italia quoque quæ has prouincias continet, ab Italo Siculorum duce, qui eam antiquitus inuaſit, nomen accepit. Siue ob hoc Italia dicitur, quia magni in ea boues, hoc eſt, Itali habentur. Ab eo namque quod eſt Italus, per diminutionem licet vna litera addita, altera immutata, vitulus appellatur.

Capvt XXIV.

Italia etiam Auſonia dicitur, ab Auſono Vlyſſis filio. Primitus tamen Beneuentana regio hoc nomine appellata eſt, poſtea vero tota ſic cœpit Italia vocitari. Dicitur quoque etiam Latium Italia, pro eo quod Saturnus Iouem filium ſuum fugiens, intra eam inueniſſet latebram. Igitur poſtquam de Italiæ prouinciis, vel ipſius nomine, intra quam res geſtas deſcribimus, ſufficienter eſt dictum, nunc ad hiſtoriæ ordinem redeamus.

Capvt XXV.

E Alboin igitur Liguriam introiens, indictione ingrediente tertia, tertio Nonas Septembris, ſub temporibus Honorati Archiepiſcopi, Mediolanum ingreſſus eſt. Dehinc vniuerſas Liguriæ ciuitates, præter has quæ in littore maris ſunt poſitæ, cæpit. Honoratus vero Archiepiſcopus Mediolanum deſerens, ad Genuenſem vrbem confugit. Paulus quoque Patriarcha, annis duodecim ſacerdotium gerens, ab hac luce ſubtractus eſt, regendamque Eccleſiam Probino reliquit.

Capvt XXVI.

Ticinenſis eo tempore ciuitas vltra tres annos obſidionem perferens, ſe fortiter continuit: Langobardorum exercitu non procul iuxta eam ab occidentali parte reſidente. Interim Alboin electis militibus inuaſit omnia, vſque ad Thuſciam, præter Romam & Rauennam, vel aliqua caſtella quæ erant in littore maris conſtituta. Nec F erat tunc virtus Romanis, vt reſiſtere poſſent, quia & peſtilentia, quæ ſub Narſete facta eſt, plurimos in Liguria & Venetiis extinxerat, & poſt annum quem diximus fuiſſe vbertatis, fames nimia ingruens, vniuerſam Italiam deuaſtabat. Certum eſt autem tunc Alboin multos ſecum ex diuerſis, quas vel alij reges, vel ipſe cæperat, gentibus ad Italiam adduxiſſe, vnde vſque hodie eorum in quibus habitant vicos, Gepidos, Bulgares, Sarmatas, Pannonios, Suauos, Noricos, ſiue aliis huiuſcemodi nominibus appellamus.

Capvt XXVII.

At verò Ticinenſis ciuitas poſt tres annos & aliquot menſes obſidionem perferens, tandem ſe Alboin & Langobardis obſidentibus tradidit. In quam cum Alboin per portam quæ dicitur Sancti Iohannis ab Orientali vrbis parte introiret equus eius in portæ medio concidens, quamuis calcaribus ſtimulatus, quamuis hinc inde ab ſtratore verberibus cæſus, non poterat eleuari. Tunc vnus G ex eiſdem Langobardis, taliter regem allocutus eſt, dicens: Memento domine Rex, quale votum vouiſti. Frange tam durum votum, & ingredieris vrbem. Vere etenim Chriſtianus eſt populus in hac ciuitate. Siquidem Alboin vouerat, quod vniuerſum populum, quia ſe tradere noluiſſet, gladio extingueret. Qui poſtquam tale votum dirumpens, ciuibus indulgentiam promiſit, mox equus eius conſurgens, ipſe ciuitatem ingreſſus, nulli læſionem inferens, in ſua promiſſione permanſit. Tunc ad eum omnis populus in palatium, quod quondam Rex Theudericus conſtruxerat concurrens, poſt tantas animum miſerias, de ſpe iam fidus futura, cœpit releuare.

Capvt XXVIII.

Qui Rex poſtquam in Italia tres annos, & ſex menſes regnauit, Inſidiis ſuæ coniugis interemptus eſt. Cauſa autem interfectionis eius, hæc fuit. Cum in conuiuio, vltra quam oportuerat, apud Veronam lætus reſideret, cum poculo quod de capite Cunimundi regis ſui ſoceri fecerat, reginæ ad bibendum vinum dari præcepit, atque eam H vt cum patre ſuo lætanter biberet, inuitauit. Hoc ne cui videatur impoſſibile veritatem in Chriſto loquor, ego hoc poculum vidi in quodam die feſto, Ratchis principem vt illud conuiuis ſuis oſtentaret, manu tenentem. Igitur Roſemunda vbi rem animaduertit, altum concipiens in corde dolorem, quem compeſcere non valens, mox in mariti necem, patris funus vindicatura exarſit. Conſiliumq; mox cum Helmichis, qui regis Schilpor, hoc eſt armiger, & collectaneus erat, vt regem interficeret, iniit. Qui reginæ perſuaſit, vt ipſa Peredeo, quia erat vir fortiſſimus, in hoc conſilium adſciret. Peredeo cum reginæ ſuadenti tanti nefas conſenſum adhibere nollet, illa ſe noctu in lectulo ſuæ Veſtiariæ, cum qua Peredeo ſtupri conſuetudinem habebat, ſuppoſuit, vbi Peredeo rem neſcius veniens cum regina concubuit. Cumque illa, patrato iam ſcelere, ab eo quæreret, quam ſe eſſe exiſtimaret, & ipſe nomen ſuæ amicæ, quam eſſe putabat, nominaſſet, Regina ſubiunxit: Nequaquam vt putas, ſed ego Roſemunda ſum inquit

A Certe nunc talem rem Peredeo perpetratam habes, vt aut tu Alboin interficias, aut ipſe te ſuo gladio extinguat. Tunc ille intellexit malum quod fecit, & quæ ſponte noluerat, tali modo in regis necem coactus aſſenſit. Tunc Roſemunda, dum ſe Alboin in meridie ſopori dediſſet, magnum in Palatio ſilentium fieri præcipiens, omnia alia arma ſubtrahens, ſpatham illius ad lectuli caput, ne tolli aut euaginari poſſet, fortiter colligauit, & iuxta conſilium Helmichis Peredeo interfectorem omni beſtia crudelior, introduxit. Alboin ſubito de ſopore expergefactus, malum quod imminebat intelligens manum citius ad ſpatham porrexit, quam ſtrictius religatam extrahere non valens, apprehenſo tamen ſcabello ſuppedaneo, ſe cum eo per aliquod ſpatium defendit. Sed heu proh dolor, vir bellicoſiſſimus & ſummæ audaciæ, nihil contra hoſtem præualens, quaſi vnus de inermibus interfectus eſt, vniuſque muliereulæ conſilio periit, qui per tot hoſtium ſtrages bello famoſiſſimus B exitit. Cuius corpus cum maximo Langobardorum fletu & lamentis, ſub cuiuſdam ſcalæ adſcenſu, quæ palatio erat contigua, ſepultum eſt. Fui autem ſtatura procerus, & ad bella peragenda toto corpore coaptatus. Huius tumulum noſtris in diebus Giſelbertus, qui dux Veronenſium fuerat, aperiens, ſpatham eius, & ſi quid in ornatu ipſius inuentum fuerat, abſtulit. Qui ob hanc cauſam vanitate ſolita apud indoctos homines. Alboin ſe vidiſſe, iactabat.

CAPVT XXIX.

Igitur Helmichis extincto Alboin, regnum eius inuadere conatus eſt: ſed minime potuit, quia Langobardi nimium de morte illius dolentes, eum moliebantur extinguere. Statimque Roſemunda Longino Præfecto Rauennæ mandauit vt citius nauem dirigeret, quæ eos ſuſcipere poſſet. Longinus tali nuntio lætus effectus, feſtinanter nauem direxit, in quam Helmichis cum Roſemunda iam ſua coniuge, noctu fugientes ingreſſi ſunt, auferenteſque C ſecum Albſuindam regis filiam, & omnem Langobardorum theſaurum, velocius Rauennam peruenerunt. Tunc Longinus Præfectus ſuadere cœpit Roſemundæ, vt Helmichis interficeret, & eius ſe nuptiis copularet. Illa, vt erat ad omnem nequitiam facilis, dum optat Rauennatium domina fieri ad tantum perpetrandum facinus aſſenſum dedit, atque dum Helmichis ſe in balneo ablueret, egredienti ei de lauacro, veneni poculum quod ſalutis eſſe aſſeuerabat, propinauit. Ille vbi ſenſit ſe mortis poculum bibiſſe, Roſemundam, euaginato ſuper eam gladio, quod reliquum erat bibere coegit. Sicque Dei omnipotentis iudicio interfectores iniquiſſimi vno momento perierunt.

CAPVT XXX.

His ita peremptis, Longinus præfectus Albſuindam cum Langobardorum theſauris Conſtantinopolim ad Tiberium imperatorem direxit. Affirmant aliqui etiam Peredeum pariter cum Helmichis & Roſemunda Rauennam veniſſe, atque exinde cum Albſuinda Conſtantinopolim D directum eſſe, ibique in ſpectaculo populi coram Imperatore leonem miræ magnitudinis occidiſſe. Cui, vt ferunt, ne aliquid magnum in regia vrbe, quia vir fortis erat, moliretur, iuſſu imperatoris oculi euulſi ſunt. Qui ſibi poſt aliquod tempus duos cultellos aptauit, quibus in vtriſque ſuis manicis abſconſis, palatium petiit, atque ſe quædam ad Auguſti vtilitatem ſi ad eum intromitteretur locuturum promiſit. Ad quem Auguſtus duos ſibi familiares, qui eius verba ſuſciperent, patricios miſit. Qui cum ad Peredeum veniſſent, ille ad eos, quaſi aliquid eis ſecretius dicturus propius acceſſit, atque ambos vtraque manu gladiis, quos abſconſos habebat, fortiter vulnerauit, ita vt ſtatim in terram corruerent & expirarent. Sic Samſonis illius fortiſſimi ex aliqua parte non abſimilis, ſuas iniurias vltus eſt, & pro amiſſione duorum luminum, duos Imperatori viros vtiliſſimos interemit.

CAPVT XXXI.

Langobardi vero apud Italiam, omnes communi conſilio Cleph nobiliſſimum de ſuis virum, in vrbe Ticinenſium ſibi regem ſtatuerunt. Hic multos Romanorum viros potentes alios gladio extinxit, alios ab Italia exturbauit. E Iſte cum annum vnum & ſex menſes, cum Maſſana ſua coniuge regnum obtinuiſſet, à puero de ſuo obſequio gladio iugulatus eſt.

CAPVT XXXII.

Poſt cuius mortem Langobardi per annos decem regem non habentes ſub ducibus fuerunt. Vnuſquiſque enim ducum ſuam ciuitatem obtinebat. Zaban Ticinum: Vuaillari Bergamum: Alachis Brixiam: Euin Tridentum: Giſulfus, Forum-Iulij. Sed & alij extra hos in ſuis vrbibus triginta duces fuerunt. His diebus multi nobilium Romanorum ob cupiditatem interfecti ſunt, reliqui vero per hoſtes diuiſi, vt tertiam partem ſuarum frugum Langobardis perſoluerent, tributarij efficiuntur. Per hos Langobardorum duces ſeptimo anno ab aduentu Albuuin, & totius gentis, ſpoliatis Eccleſiis, ſacerdotibus interfectis, ciuitatibus ſubrutis populiſque, qui more ſegetum excreuerant, extinctis, exceptis his regionibus, quas Albuuin ceperat, Italia ex maxima parte capta & à Langobardis F ſubiugata eſt.

Explicit liber ſecundus, de geſtis Langobardorum.

Incipiunt

CAPITA LIBRI TERTII.

CAP. I. *Qvia duces Langobardorum ad prædandum in Gallia directi ſunt.*
CAP. II. *De Langobardo qui beatum Hoſpitium extinguere voluit.*
CAP. III. *Quomodo Langobardorum exercitus Amatus Patricius bellum intulit, & quomodo ab eiſdem victus eſt & occiſus.*
CAP. IV. *Quomodo Langobardi Galliam ingreſſi à Mummulo Patricio ſunt deuicti.* G
CAP. V. *Quomodo Saxones cum Langobardis in Italiam venerunt.*
CAP. VI. *Quomodo Saxones cum vxoribus & paruulis iterum Galliam ingreſſi ſunt.*
CAP. VII. *Quomodo Saxones de patria ſua Suauos & alias gentes, quæ ibi reſidebant, expulere.*
CAP. VIII. *Quomodo tres duces Langobardorum, hoc eſt, Amo, Zaban & Rhodanus, à Mummulo deuicti ſunt.*
CAP. IX. *Quomodo Franci Anagnis caſtrum Langobardorum ceperunt, & quomodo Ragilo comes à duce Chramnicis occiſus eſt.*
CAP. X. *De morte Sigisberti Francorum Regis, & de nuptiis Euin ducis.*
CAP. XI. *De morte Iuſtini minoris.*
CAP. XII. *De principatu Tiberij Conſtantini, & de bonis actibus eius.*
CAP. XIII. *De aureis quos Hilperico Imperator direxit, & de B. Gregorio.* H
CAP. XIV. *De morte Probini Patriarchæ.*
CAP. XV. *De morte Tiberij Conſtantini Auguſti, & de imperio Mauritij.*
CAP. XVI. *De regno Authari, & quanta ſecuritas eius tempore fuit.*
CAP. XVII. *Quomodo Childebertus Italiam introiuit, ſed facta pace diſceſſit.*
CAP. XVIII. *De expugnatione Brexelli, & de fuga Droctrulfi ducis.*
CAP. XIX. *De morte Droctrulfi, & quali Epitaphio honoratus eſt.*
CAP. XX. *De Sacerdotio Pelagij Papæ, & errore Heliæ Patriarchæ.*
CAP. XXI. *De bello Childeberti contra Hiſpanos.*
CAP. XXII. *De Francorum exercitu qui in Italiam venit.*
CAP. XXIII. *De aqua diluuio, & miraculo, quod factum eſt in baſilica ſancti Zenonis.*
CAP. XXIV. *De pontificatu B. Gregorij, & clade quæ tunc Romæ facta.*

CAP. XXV.

Cap. XXV. *Quomodo B. Gregorius Anglos conuertit.*
Cap. XXVI. *De morte Heliæ Patriarchæ, & ſacerdotio Seueri.*
Cap. XXVII. *Quomodo rex Authari ſororem Childeberti in matrimonium accepit.*
Cap. XXVIII. *Quomodo Franci in Italiam introierunt, & à Langobardis deuicti ſunt.*
Cap. XXIX. *Quomodo rex Authari in Baioariam perrexit, vt ſuam ſponſam videret.*
Cap. XXX. *Quomodo iterum Francorum exercitus in Italiam venit.*
Cap. XXXI. *Quomodo rex Authari Beneuentum perrexit.*
Cap. XXXII. *De Zottone primo Beneuentorum duce.*
Cap. XXXIII. *Quomodo Authari rex legatos ad Guntramnum miſit, & de eius mirabili viſione.*
Cap. XXXIV. *De morte Autharij regis, & de regno Agilulfi.*

EXPLICIVNT CAPITVLA.

Incipit

Liber Tertivs

De geſtis Langobardorum.

Capvt Primvm.

Igitvr aliquanti ex ducibus Langobardorum, cum valido exercitu Gallias ingrediuntur. Horum aduentum vir Dei Hoſpitius, qui apud Niceam erat incluſus, ſancto ſibi reuelante ſpiritu, longe ante præuidit, eiuſdemque vrbis ciuibus quæ mala imminerent prædixit. Erat enim vir iſte magnæ abſtinentiæ & probabilis vitæ, qui conſtrictus carnem catenis ferreis, induto deſuper cilicio, ſolo pane in cibo cum paucis dactylis vtebatur. In diebus autem quadrageſimæ, radicibus herbarum Ægyptiarum, quibus Eremitæ vtuntur, exhibentibus ſibi negociatoribus, alebatur. Per hunc dominus magnas virtutes operari dignatus eſt, quæ ſcripta habentur libris venerabilis viri Gregorij Turonenſis Epiſcopi. Igitur vir iſte ſanctus aduentum Langobardorum in Gallias hoc modo prædixit. Venient, inquit, Langobardi in Gallias, & deuaſtabunt ciuitates ſeptem, eo quod increuerit malitia eorum in conſpectu Domini. Eſt enim omnis populus periuriis deditus, furtis obnoxius, rapinis intentus, homicidiis promptus, in quibus non eſt iuſtitiæ fructus. Non decimæ dantur, non pauper alitur, non tegitur nudus, non ſuſcipitur hoſpitio peregrinus. Ideo hæc plaga ventura eſt ſuper populum iſtum. Monachis quoque ſuis præcipiens dixit: Abſcedite vos à loco iſto, auferentes vobiſcum quæ habetis. Ecce enim gens appropiat quam prædixi. Dicentibus illis, Non relinquemus te ſanctiſſime Pater, ait, Nolite timere pro me. Futurum eſt enim vt iniurias inferant mihi, ſed non nocebunt vſque ad mortem.

Capvt II.

Diſcedentibus autem monachis, aduenit exercitus Langobardorum. Qui dum cuncta quæ reperetat, vaſtaret, ad locum vbi vir ſanctus incluſus erat, peruenit. At ille per feneſtram turris ſe eis oſtendit. Illi vero circumeuntes turrim, dum aditum quærerent, per quem ad eum ingredi poſſent, & minime inuenirent, duo ex eis aſcendentes tectum diſcooperuerunt illud. Et videntes eum cinctum catenis, indutumque cilicio, dicunt. Hic malefactor eſt, & homicidium fecit, ideo in his ligaminibus vinctus tenetur. Vocatoque interprete, ſciſcitantur ab eo quid mali fecerit, vt tali ſupplicio arctaretur. At ille fatetur ſe homicidam eſſe, omniumque criminum reum. Tunc vnus extracto gladio, vt eius caput amputaret, mox eius dextra in ipſo ictu diriguit nec eam ad ſe potuit reuocare. Qui relictum gladium terræ deiecit. Hæc videntes ſocij eius, clamorem in cœlo dederunt, flagitantes à ſancto vt quid eis agendum eſſet, clementer inſinuaret. Verum ipſe impoſito ſalutis ſigno, arens brachium ſanitati reſtituit. Langobardus autem qui ſanatus fuerat, & ad fidem Chriſti conuerſus, ſtatim clericus, deinde monachus effectus eſt, atque in eodem loco, vſque ad finem vitæ ſuæ, in Dei ſeruitio permanſit. Beatus vero Hoſpitius dum Langobardis Dei verbum loqueretur, duo duces, qui eum venerabiliter audierunt, incolumes patriæ redditi ſunt, quidam vero, qui eius verba deſpexerant, in ipſa prouincia miſerabiliter perierunt.

Capvt III.

Igitur deuaſtantibus Langobardis Gallias, Amatus Patricius prouinciæ, qui Guntramno Regi Francorum parebat, contra eos exercitum duxit, commiſſoque bello terga vertit, ibique extinctus eſt. Tantamque ſtragem tunc Langobardi de Burgundionibus fecerunt, vt non poſſit colligi numerus occiſorum. Ditatique inæſtimabili præda, ad Italiam reuertuntur.

Capvt IV.

Quibus diſcedentibus Ennius, qui & Mummulus, accerſitus à rege patriciatus honorem emeruit. Irruentibus iterum Langobardis in Gallias & vſque Muſtiaſcalmen accedentibus, qui locus Ebredunenſi adiacet ciuitati Mummulus exercitum mouit, & cum Burgundionibus illuc proficiſcitur. Circumdatiſque Langobardis cum exercitu, factis etiam conciſis per deuia ſiluarum, irruit ſuper eos, multoſque ex eis interfecit. Nonnullos vero cæpit, & regi ſuo Guntramno direxit. Langobardi quoque his perpetratis, ad Italiam ſunt regreſſi.

Capvt V.

Poſt hæc Saxones, qui cum Langobardis in Italiam venerant, in Gallias perrumpunt, & intra territorium Rhegenſe, id eſt, apud Stablonem villam, caſtra conſtituunt, diſcurrentes per villas vrbium vicinarum, diripentes prædas, abducentes captiuos, vel etiam cuncta vaſtantes. Quod cum Mummulus comperiſſet, ſuper eos cum exercitu irruit, multoſq; ex eis interfecit, ac donec nox finem faceret, cædere non ceſſauit. Ignaros enim reperetat homines, & nihil de iis quæ acciderant autumantes. Mane autem facto ſtatuunt Saxones exercitum, præparantes ſe fortiter ad bellum, ſed intercurrentibus nuntiis pacem fecerunt. Datiſque muneribus Mummolo, relictis captiuis & vniuerſa præda, ad Italiam reuertuntur.

Capvt VI.

Igitur regreſſi Saxones in Italiam, aſſumptis ſecum vxoribus atque paruulis ſuis, cum omni ſuppellectili, rurſum ad Gallias deliberant venire, ſcilicet vt à Sigisberto rege ſuſcepti, eius poſſint adiutorio ad patriam remeare. Certum eſt autem hos Saxones ideo ad Italiam cum vxoribus & paruulis aduenıſſe, vt in ea habitare deberent. Sed quantum datur intelligi, noluerunt Langobardorum imperiis ſubiacere. Sed neque eis à Longobardis permiſſum eſt in proprio iure ſubſiſtere, ideoque æſtimantur ad ſuam patriam repedaſſe. Hi Gallias ingreſſuri, duos ex ſe cuneos faciunt, & vnus quidem cuneus per Niceam vrbem, alter vero per Ebredunum ingreſſus eſt, illa reuertens via, quam anno ſuperiore tenuerat. Hi quia tẽpus meſſium erat, colligentes ac triturantes frumenta comedebant, ac ſuis animantibus ad eſum præbebant. Deprædabantur pecora, ſed nec ab incendiis abſtinebant. Qui cum ad Rhodanum amnem peruenıſſent, vt tranſmeato eo regno, ſe Sigisberto conferrent, occurrit eis Mummulus cum valida multitudine. Tunc illi viſo eo valde timentes, datis pro redemptione ſua multis auri numiſmatibus, Rhodanum tranſire permiſſi ſunt. Qui dum ad Sigisbertũ regem pergunt, multos in itinere negotiatione ſua deceperunt, venundãtes regulas æris, quæ ita neſcio quomodo erant coloratæ, vt auri probati atque examinati ſpeciem ſimularent. Vnde nonnulli hoc dolo ſeducti, dantes aurum & æs accipientes pauperes ſunt effecti. Peruenientes tandem ad regem Sigisbertum, ad locum vnde prius egreſſi fuerant, redire permiſſi ſunt.

A

Capvt VII.

Qui dum ad ſuam patriam veniſſent, inuenerunt eam à Suauis & aliis gentibus, ſicut ſupra commemorauimus tetineri. Contra quos inſurgentes, conati ſunt eos deſtruere ac delere. At illi obtulerunt eis tertiam partem regionis, dicentes: Simul poſſumus viuere & ſine colliſione communiter habitare. Cumque illi nullo modo acquieſcerent, dehinc obtulerunt eis medietatem, poſt hæc duas partes, ſibi tantum tertiam reſeruantes. Nolentibus autem illis, obtulerunt cum tertia etiam omnia pecora, tantum vt à bello ceſſarent. Sed nec iis Saxones adquieſcentes, certamen expetunt, atque inter ſe ante certamen, qualiter vxores Suauorum diuiderent, ſtatuunt. Sed non eis vt putabant, euenit. Nam commiſſo prælio viginti millia ex eis interempta ſunt. Suauorum vero quadringenti octoginta ceciderunt, reliqui vero victoriam capiunt. Sex millia quoque Saxonum, qui bello ſuperfuerant, deuouerunt ſe neque barbam neque capillos inciſuros, niſi de hoſtibus Suauis vlciſcerentur. Qui iterum pugnam aggredientes, vehementer adtriti ſunt, & ſic à bello quieuerunt.

B

Capvt VIII.

Poſt hæc tres Langobardorum duces, id eſt, Amo, Zaban ac Rhodanus, Gallias irruperunt. Et Amo quidem Ebredunenſem carpens viam, vſque Machouillam, quam Mummulus munere Regis meruerat, acceſſit, ibique tentatoria fixit. Zaban vero per Dienſem deſcendens vrbem, vſque Valentiam venit. Rhodanus autem Gratianopolim aggreſſus eſt. Et Amo quidem Arelatenſem debellauit prouinciam, cum vrbibus quæ circumſitæ ſunt & vſque ad ipſum Lapideum campum, qui adiacet vrbi Maſſilienſi accedens, vniuerſa quæ reperire poterat depopulatus eſt. Aquinenſibus autem obſidionem parans, viginti duabus libris acceptis argenti, ab eodem loco diſceſſit. Rhodanus quoque & Zaban, pari modo incendiis & rapinis, loca ad quæ acceſſerant, demoliti ſunt. Quæ cum Mummulo Patricio perlata fuiſſent, cum valida manu veniens primum cum Rhodano, qui Gratianopolim debellabat, conflixit, & multos de eius exercitu peremit, ipſumque Rhodanum lancea vulneratum, ad montium excelſa fugere compulit. Qui exinde cum quingentis viris, qui ei remanſerant, per deuia ſiluarum prorumpens, ad Zaban, qui tunc Valentiam vrbem obſidebat, peruenit, eique omnia quæ acta fuerant, nunciat. Qui pariter dum ad Ebredunenſium vrbem omnia deprædantes veniſſent, ibi eis Mummulus cum innumero exercitu occurrit, commiſſoque prælio eoſdē vicit. Tunc Zaban & Rhodanus Italiam repetentes, Secuſium deuenere. Quam vrbem Siſunnius magiſter tunc militum, à parte retinebat Imperatoris. Ad quem puer Mummuli adueniens literas ei directas à Mummulo porrexit, eumque citius aduentare dixit. Quo comperto Zaban & Rhodanus exinde mox ad propria diſceſſerunt. His auditis Amo, collecta omni præda, Italiam rediturus proficiſcitur, ſed reſiſtentibus niuibus, prædam ex magna parte relinquens, vix cum ſuis Alpinum tramitem erumpere potuit, & ſic ad patriam peruenit.

C

D

Capvt IX.

His diebus aduenientibus Francis, Anagnis caſtrum, quod ſuper Tridentum, in confinio Italiæ poſitum eſt, ſe eiſdem tradidit. Quam ob cauſam comes Langobardorum de Lagare, Ragilo nomine, Anagnis veniens deprædatus eſt. Qui cum de præda reuerteretur, in campo Rotaliano ab obuio ſibi duce Francorum Chramnichis, cum pluribus è ſuis peremptus eſt. Qui Chramnichis non multum poſt tempus Tridentum veniens deuaſtauit. Quem ſubſequens Euin Tridentinus Dux, in loco qui Salurnis dicitur, ſuis cum ſociis interfecit, prædamque omnem quam ceperat, excuſſit. Expulſiſque Francis Tridentinum territorium recepit.

Capvt X.

Hoc tempore Sigisbertus Rex Francorum occiſus eſt, fraude Hilperici germani ſui, cum quo bellum inierat. Regnumque eius Childebertus eiuſdem filius adhuc puerulus, cum Brunhilde matre regendum ſuſcepit. Euin quoque Dux Tridentinorum, de quo præmiſimus accepit vxorem filiam Garibaldi Baioariorum regis. E

Capvt XI.

Per hæc tempora apud Conſtantinopolim, vt ſupra præmiſſum eſt, Iuſtinus minor regnabat, vir omni auaritiæ deditus, contemptor pauperum, ſenatorum ſpoliator. Cui tanta fuit cupiditatis rabies, vt arcas iuberet ferreas fieri, in quibus ea quæ rapiebat auri talenta congereret. Quem etiam ferunt in hæreſin Pelagianam dilapſum. Hic cum à diuinis mandatis aurem cordis auerteret, iuſto dei iudicio, amiſſo rationis intellectu, amens effectus eſt. Hic Tiberium Cæſarem adſciuit, qui eius palatium vel ſingulas prouincias gubernaret, hominem iuſtum, vtilem, ſtrenuum, ſapientem, eleemoſynarium, in iudiciis æquum, in victoriis clarum, & quod his omnibus ſupereminet, veriſſimum Chriſtianum. Hic cum multa de theſauris, quos Iuſtinus aggregauerat, pauperibus erogaret, Sophia Auguſta frequentius eum increpabat, quod Rempublicam redegiſſet in paupertate, dicens: Quod ego multis annis congregaui, tu infra paucum tempus prodige diſpergis. Aiebat autem ille: Confido in domino, quia non deerit pecunia fiſco noſtro, tantum vt pauperes eleemoſynam accipiant, vt captiui redimantur. Hoc eſt enim magnum theſaurum facere, dicente domino; Theſaurizate vobis theſauros in cœlo, vbi neque ærugo, neque tinea corrumpit, & vbi fures non effodiunt, nec furantur. Ergo de his quæ tribuit dominus, congregemus in cœlo theſauros, & dominus nobis augere dignabitur in ſæculo. Igitur Iuſtinus cum vndecim annis regnaſſet, amentiam quam incurrerat, tandem cum vita finiuit. Bella ſane quæ per Narſetem patricium Gothis vel Francis illata, ſuperius per anticipationem diximus his temporibus geſta ſunt. Denique & cum Roma temporibus Benedicti Papæ vaſtantibus omnia per circuitum Langobardis, famis penuria laboraret, multa millia frumenti nauibus ab Ægypto dirigens, eam ſuæ ſtudio miſericordiæ releuauit. F

Capvt XII. G

Mortuo ergo Iuſtino, Tiberius Conſtantinus, Romanorum regum quinquageſimus, ſumpſit imperium. Hic cum, vt ſuperius diximus, ſub Iuſtino adhuc Cæſare palatium regeret, & multas cotidie eleemoſynas faceret, magnam ei dominus auri copiam ſubminiſtrauit. Nam deambulans per Palatium, vidit in pauimento domus tabulam marmoream, in qua erat crux dominica ſculpta, & ait: Crucem domini qua frontem noſtram & pectora munire debemus, ecce eam ſub pedibus conculcamus. Et citius dicto iuſſit eandem tabulam auferri. Defoſſaque tabula atque erecta, inueniunt ſubter & aliam hoc ſignum habentem, qui & ipſam iuſſit auferri. Qua amota, reperiunt & tertiam iuſſuque eius cum hæc fuiſſet ablata, inueniunt magnum theſaurum, habentem ſupra mille auri centenaria. Sublatumque aurum, pauperibus adhuc abundantius quam conſueuerat, largitur. Narſes quoque patricius Italiæ, cum in quadam ciuitate, intra Italiam, domum magnam haberet, cum multis theſauris ad ſupra memoratam vrbem aduenit. Ibique in domo ſua occulte ciſternam magnam fodit, in qua multa millia centenariorum auri argentique repoſuit. Interfectiſque omnibus conſciis, vni tantummodo ſeni hæc, iuramentum ab eo exigens, commendauit: Defuncto vero Narſete ſupradictus ſenex ad Cæſarem Tiberium veniens, dixit: Si inquit, mihi aliquid prodeſt, magnam rem tibi Cæſar dicam. Cui ille: Dic ait quod vis, proderit enim tibi, ſi quid nobis profuturum eſſe narraueris. Theſaurum inquit, Narſetis habeo reconditum, quod in extremo vitæ poſitus celare non poſſum. Tunc Cæſar Tiberius gauiſus, mittit vſque ad locum pueros ſuos præcedentem vero ſenem hi ſequuntur attoniti. Peruenienteſque ad ciſternam, deopertam ingrediuntur. In qua tantum auri vel argenti repertum eſt, vt per multos dies vix à deportantibus potuiſſet euacuari. Quæ ille pene omnia ſecundum ſuum morem erogatione largiflua diſpenſauit egenis. Hic cum Auguſtalem coronam ac- H

A cepturus eſſet, eumque iuxta conſuetudinem ad ſpectaculum circi populus expectaret, inſidias ei præparans, vt Iuſtinianum, Iuſtini nepotem ad dignitatem Imperatoriam ſublimaret, ille per loca ſancta prius procedens, dehinc vocato ad ſe Pontifice vrbis, cum conſulibus ac Præfectis Palatium ingreſſus, indutus purpura, diademate coronatus, throno imperiali impoſitus, cum immenſis laudibus in regni gloria confirmatur. Quod eius aduerſarij audientes, nihilque eique qui in Deo ſpem ſuam poſuerat, officere valentes, magno ſunt confuſionis pudore cooperti. Tranſactis autem paucis diebus adueniens Iuſtinianus, pedibus ſe ſe proiicit Imperatoris, ob meritum gratiæ, quindecim ei auri centenaria deferens. Quem ille ſecundum patientiæ ſuæ ritum colligens, ſibi in Palatio adſiſtere iuſſit. Sophia vero Auguſta immemor promiſſionis, quam quondam in Tiberium habuerat, inſidias ei tentauit ingerere. Procedente autem eo ad villam, vt iuxta ritum Imperialem triginta diebus ad vinde- B miam iocundaretur, vocato clam Iuſtiniano voluit eum ſublimare in regno. Quo comperto Tiberius curſu veloci Conſtantinopolim regreditur, apprehenſamque Auguſtam omnibus theſauris ſpoliauit, ſolum ei victus quotidiani alimentum relinquens. Segregatiſque pueris eius ab ea, alios de fidelibus ſuis poſuit, qui ei parerent, mandans vt nullus prorſus de anterioribus, ad eam haberet acceſſum. Iuſtinianum vero verbis ſolummodo increpatum, tanto in poſterum amore dilexit, vt filio eius filiam ſuam promitteret, rurſumque filio ſuo filiam eius expeteret. Sed hæc res quam ob cauſam neſcio, minime ad effectum peruenit. Huius exercitus ab eo directus Perſas potentiſſime debellauit, victorque regrediens, tantam molem prædæ, cum viginti pariter Elephantis detulit, vt humanæ crederetur poſſe ſufficere cupiditati.

Capvt XIII.

Ad hanc Hilpericus Francorum rex ſuos legatos dirigens, multa ab eo ornamenta, aureos etiam ſingularum C librarum ſuſcepit, habentes ex vna parte effigiem Imperatoris, & perſcriptum in circulo, Tiberij. Conſtantini. Perpetui. Auguſti. & ab alia parte habentes quadrigam & adſcenſorem, continentes ſcriptum: Gloria Romanorum. Huius in diebus beatus Gregorius Diaconus, qui poſt Papa extitit, cum eſſet Apocryſiarius, apud eandem regiam vrbem, Morales libros compoſuit, Eutychiumque eiuſdem vrbis Epiſcopum, de reſurrectione errantem, in conſpectu eiuſdem Auguſti ſuperauit. Hac etiam tempeſtate Faroald primus Spoletanorum dux, Langobardorum exercitum claſſe inuadens, opulentam vrbem, ſpoliatam cunctis diuitiis nudam reliquit.

Capvt XIV.

Mortuo vero apud Aquileiam Patriarcha Probino, qui Eccleſiam vnum rexerat annum, eidem Eccleſiæ ſacerdos Helias præficitur.

Capvt XV.

D Tiberius igitur Conſtantinus, poſtquam Imperium ſeptem rexerat annis, ſentiens ſibi diem mortis imminere, vna cum conſilio Sophiæ Auguſtæ, Mauricium genere Cappadocem, virum ſtrenuum, ad imperium elegit, ornatamque ſuam filiam regalibus ornamentis ei tam tradidit, dicens: Sit tibi imperium meum cum hac puella conceſſum, vtere eo felix, memor ſemper vt æquitate & iuſtitia delecteris. Hæc poſtquam dixit, de hac luce ad æternam patriam migrauit, magnum luctum populis de ſua morte relinquens. Fuit enim ſummæ bonitatis, in eleemoſynis promptus, in iudiciis iuſtus, in iudicando cautiſſimus, nullum deſpiciens, ſed omnes in bona voluntate complectens, omnes diligens ipſe quoque eſt dilectus a cunctis. Quo defuncto Mauricius indutus purpura, redimitus diademate, ad circum proceſſit, acclamatiſque ſibi laudibus, largitus populo munera, primus ex Græcorum genere in Imperio confirmatus eſt.

Capvt XVI.

At vero Langobardi, cum per annos decem ſub poteſtate ducum fuiſſent, tandem communi conſilio Authari E Clephonis filium ſupra memorati principis: regem ſibi ſtatuerunt. Quem etiam ob dignitatem Flauium appellauerunt, quo prænomine omnes, qui poſtea fuerunt, Langobardorum reges feliciter vſi ſunt. Huius in diebus ob reſtaurationem regni, duces qui tunc erant, omnem ſubſtantiarum ſuarum medietatem regalibus vſibus tribuunt, vt eſſe poſſit vnde Rex ipſe, ſiue qui ei adhærerent, eiuſque obſequiis per diuerſa officia dediti, alerentur. Populi tamen aggrauati, per Langobardos hoſpites partiuntur. Erat ſane hoc mirabile in regno Langobardorum, nulla erat violentia, nullæ ſtruebantur inſidiæ. Nemo aliquem iniuſte angariabat, nemo ſpoliabat. Non erant furta, non latrocinia, vnuſquiſque quo libebat, ſecurus ſine timore pergebat.

Capvt XVII.

Hoc tempore Mauricius Imperator, Childeberto regi F Francorum quinquaginta millia ſolidos per legatos ſuos ob hoc direxit, vt cum exercitu ſuper Langobardos irrueret, eoſque de Italia exterminaret. Qui cum innumera Francorum multitudine, in Italiam ſubito introiuit. Langobardi vero in ciuitatibus communientes ſe, intercurrentibus legatis, oblatiſque muneribus, pacem cum Childeberto fecerunt. Qui cum ad Gallias remeaſſet, cognito Imperator Mauricius, quia cum Langobardis fœdus inierat, ſolidos quos ei ob Langobardorum detrimentum dederat, repetere cœpit. Sed ille ſuarum virium potentia fretus, pro hac re nec reſponſum reddere voluit.

Capvt XVIII.

His ita geſtis Authari rex Brexillum ciuitatem, ſuper Padi marginem ſitam, expugnare aggreſſus eſt, in quam Droctulf dux à Langobardis confugerat, ſeque partibus Imperatoris tradens, ſociatus militibus Langobardorum exercitui fortiter reſiſtebat. Iſte ex Suauorum, hoc eſt, G Alemannorum gente oriundus, inter Langobardos creuerat, & quia erat forma idoneus, ducatus honorem meruerat. Sed cum occaſionem vlciſcendæ ſuæ captiuitatis reperit, contra Langobardorum illico arma ſurrexit. Aduerſus quem Langobardi grauia bella geſſerunt: tandemque eum cum militibus, quos iuuabat exuperantes, Rauennam cedere compulerunt. Brexillus capta eſt, muri quoque eius ad ſolum vſque deſtructi ſunt. Poſt hæc Authari rex cum Smaragdo Patricio, qui tunc Rauennæ præerat, vſque in annum tertium pacem fecit.

Capvt XIX.

Huius ſane Droctulfi, de quo præmiſimus adminiculo, ſæpe Rauennatium milites, aduerſum Langobardos dimicarunt. Extructaque claſſe Langobardos, qui claſſe vrbem tenebant, hoc adiuuante pepulerunt. Cui, cum vitæ expleſſet terminum, honorabile ſepulchrum ante limina beati Vitalis martyris tribuentes, tali eius laudes epitaphio extulerunt.

Clauditur hoc tumulo, tantum ſed corpore Droctulf. H
Nam meritis tota viuit in vrbe ſuis.
Cum Bardis fuit ipſe quidem, nam gente Suauus;
Omnibus & populis inde ſuauis erat.
Terribilis viſu facies, ſed mente benignus,
Longaque robuſto pectore barba fuit.
Hic & amans ſemper Romana & publica ſigna,
Vaſtator gentis adfuit ipſe ſuæ.
Contemſit caros, dum nos amat ille, parentes,
Hanc patriam reputans eſſe Rauenna ſuam.
Huius prima fuit Brexelli gloria capti.
Quo reſidens cunctis hoſtibus horror erat.
Qui Romana potens valuit poſt ſigna iuuare.
Vexillum primum Chriſtus habere dedit.
Inde etiam retinet dum claſſem fraude Feroaldus
Vindicet vt claſſem, claſſibus arma parat.
Puppibus exiguis decertans amne Badrino,
Bardorum innumeras vicit & ipſe manus.
Rurſus & in terris Auarem ſuperauit Eois,

A

Conquirens dominis maxima palma ſuis.
Martyris auxilio Vitalis fultus ad iſtos
Peruenit, victor ſæpe triumphat ouans.
Cuius & in templis petiit ſua membra iacere,
Hæc loca poſt mortem buſtis habere iuuat.
Ipſe ſacerdotem moriens petit iſta Ioannem,
His rediit terris cuius amore pio.

Capvt XX.

Denique poſt Benedictum Papam, Pelagius Romanæ Eccleſiæ Pontifex, abſque iuſſione principis ordinatus eſt, eo quod Langobardi Romam per circuitum obſiderent, nec poſſet quiſquam à Roma progredi. Hic Pelagius Heliæ Aquileienſi Epiſcopo, nolenti tria capitula Calcedonenſis Synodi ſuſcipere, Epiſtolam ſatis vtilem miſit, quam Beatus Gregorius, cum eſſet adhuc Diaconus, conſcripſit.

Capvt XXI.

B

Interea Childebertus Rex Francorum, bellum aduerſum Hiſpanos gerens, eoſdem acie ſuperauit. Cauſa autem huius certaminis iſta fuit. Childebertus Rex Ingundem ſororem ſuam Herminigildo, Levvigildi Hiſpanorum regis filio, in coniugium tradiderat. Qui Herminigildus prædicatione Leandri Epiſcopi Hiſpalenſis, atque adhortatione ſuæ coniugis, ab Arriana Hæreſi, qua pater ſuus languebat, ad catholicam fidem conuerſus fuerat, quem pater impius, in ipſo ſacrato Paſchali die, ſecuri percuſſum interemerat. Ingundis vero poſt mariti & martyris funus, de Hiſpaniis fugiens, dum Gallias repedare vellet, in manus militum incidens, qui in limite aduerſum Hiſpanos Gothoſque reſidebant, cum paruo filio capta, atque in Siciliam deducta eſt, ibique diem clauſit extremum. Filius vero eius Imperatori Mauricio Conſtantinopolim eſt tranſmiſſus.

Capvt XXII.

C

Rurſum Mauricius Auguſtus, legatos ad Childebertum mittens, eum vt contra Langobardos in Italiam exercitum dirigeret perſuaſit. Childebertus exiſtimans ſuam adhuc germanam apud Conſtantinopolim viuere, legatis Mauricij acquieſcens, vt ſuam poſſet ſororem recipere, iterum aduerſum Langobardos Francorum exercitum ad Italiam direxit. Contra quos cum Langobardorum acies properarent, Franci & Alamanni diſſenſionem inter ſe habentes, ſine vllius lucri conquiſitione, ad patriam ſunt reuerſi.

Capvt XXIII.

Eo tempore fuit aquæ diluuium in finibus Venetiarum & Liguriæ ſeu cæteris regionibus Italiæ, quale poſt Noë tempus creditur non fuiſſe. Factæ ſunt Lauinæ poſſeſſionum ſeu villarum, hominumque pariter & animantium magnus interitus. Deſtructa ſunt itinera, diſſipatæ ſunt viæ, tantumque Ateſis fluuius tunc excreuit, vt circa Baſilicam Beati Zenonis martyris, quæ extra Veronenſis vrbis muros ſita eſt, vſque ad ſuperiores feneſtras aqua

D

pertingeret, licet Beatus Gregorius poſt Papa ſcripſit, in eandem Baſilicam aquam minime introiſſe. Vrbis quoque eiuſdem Veronenſis muri ex parte aliqua eadem ſunt inundatione ſubruti. Facta eſt autem hæc inundatio, ſexto decimo Kal. Nouembris. Sed & tantæ coruſcationes & tonitrua fuerunt, quantæ fieri vix æſtiuo tempore ſolent. Poſt duos quoque menſes, eadem vrbs Veronenſium, magna ex parte incendio concremata eſt.

Capvt XXIV.

In hac diluuij effuſione in tantum apud vrbem Romam fluuius Tyberis excreuit, vt aquæ eius ſuper muros vrbis influerent, & maximas in ea regiones occuparent. Tunc per alueum eiuſdem fluminis cum multa ſerpentium multitudine, Draco etiam miræ magnitudinis per vrbem tranſiens, vſque ad mare deſcendit. Subſecuta ſtatim eſt hanc inundationem grauiſſima peſtilentia, quam inguinariam appellant. Quæ tanta ſtrage populum deua-

E

ſtauit, vt de inæſtimabili multitudine, vix pauci remanerent. Primumque Pelagium Papam, virum venerabilem perculit, & ſine mora extinxit. Deinde paſtore interempto, ſeſe per populos extendit.

Capvt XXV.

In hoc tanta tribulatione Beatiſſimus Gregorius, qui tunc Leuita erat, à cunctis generaliter Papa electus eſt. Qui dum ſeptiformem Letaniam fieri ordinaſſet, intra vnius horæ ſpatium, dum hi dominum deprecarentur, octoginta ex eis ſubito ad terram corruentes, ſpiritum exhalarunt. Septiformis autem letania ideo dicta eſt, quia omnis vrbis populus à Beato Gregorio in ſeptem partes deprecaturus dominum eſt diuiſus. In primo namque choro fuit omnis clerus; in ſecundo omnes Abbates cum monachis ſuis; in tertio omnes Abbatiſſæ cum congregationibus ſuis; in quarto omnes infantes, in quinto omnes laici; in ſexto vniuerſæ viduæ, in ſeptimo omnes

F

mulieres coniugatæ. Ideo autem de Beato Gregorio plura dicere obmittimus, quia iam ante aliquot annos eius vitam, Deo auxiliante texuimus. In qua quæcunque dicenda fuerant, iuxta tenuitatis noſtræ vires, vniuerſa deſcripſimus.

Capvt XXVI.

Hoc tempore idem Beatus Gregorius, Auguſtinum, & Mellitum, & Iohannem, cum aliis pluribus monachis timentibus dominum, in Britanniam miſit, eorumque prædicatione ad Chriſtum Anglos conuertit.

Capvt XXVII.

Hic diebus defuncto Helia Aquileienſi Patriarcha, poſtquam quindecim annos ſacerdotium geſſerat, Seuerus huic ſuccedens regendam ſuſcepit Eccleſiam. Quem Smaragdus Patricius veniens de Rauenna in Grados, per ſemetipſum à Baſilica extrahens, Rauennam cum iniuria duxit, cum aliis tribus ex Hiſtria Epiſcopis: id eſt, Iohanne Parentino, & Seuero, atque Vindemio, nec non

G

etiam Antonio iam ſene Eccleſiæ defenſore. Quibus comminans exilia, atque violentiam inferens, communicare compulit Iohanni Rauennati Epiſcopo trium Capitulorum damnatori, qui tempore Papæ Vigilij vel Pelagij, à Romanæ Eccleſiæ deſciuerat ſocietate. Exempto vero anno, à Rauenna ad Grados reuerſi ſunt. Quibus nec plebs communicare voluit, nec cæteri Epiſcopi eos receperunt. Smaragdus Patricius à Dæmonio non iniuſte correptus, ſucceſſorem Romanum Patricium accipiens, Conſtantinopolim remeauit. Poſt hæc facta eſt Synodus decem Epiſcoporum in Mariano, vbi receperunt Seuerum Patriarcham Aquileienſem, dantem libellum erroris ſui, quia trium capitulorum damnatoribus communicarat Rauennæ. Nomina vero Epiſcoporum, qui ſe ab hoc ſchiſmate cohibuerunt, hæc ſunt: Petrus de Altino clariſſimus, Ingenuinus de Sabione, Agnellus Tridentinus, Iunior Veronenſis, Horuntinus, Vincentinus Ruſticus de Taruiſio, Fonteius Feltrinus, Agnellus de Acilio Laurentius de Lunenſis. Cum Patriarcha autem communi-

H

cauerunt iſti Epiſcopi: Seuerus, Parentinus, Ioannes Patricius, Vindemius; & Ioannes.

Capvt XXVIII.

Hac tempeſtate Rex Authari ad Hiſtriam exercitum miſit, cui exercitui Euin Dux Tridentinus præfuit. Qui poſt prædas & incendia, facta pace in annum vnum, magnam pecuniam regi detulerunt. Alij quoque Langobardi in Inſula Amacina Francionem magiſtrum militum, qui adhuc de Narſetis parte fuerat, & iam ſe per viginti annos continuerat, obſidebant. Qui Francio poſt ſex menſes obſidionis ſuæ, Langobardis eandem inſulam tradidit, ipſe vero vt optauerat, dimiſſus à rege, cum ſua vxore & ſupellectile Rauennam properauit. Inuentæ ſunt in eadem inſula diuitiæ multæ, quæ ibi de ſingulis fuerant ciuitatibus commendatæ.

Capvt XXIX.

At vero Flauius Rex Authari, legatos ad Childebertum

A miſit, petens eius germanam ſuo matrimonio ſociari cumque Childebertus acceptis muneribus à Langobardorum legatis, ſuam germanam eorum regi ſe daturum promiſiſſet, aduenientibus tamen Gothorum de Hiſpania legatis, eandem ſuam germanam eo quod gentem illam ad fidem catholicam conuerſam fuiſſe cognouerat, repromiſit.

Capvt XXX.

Inter hæc legationem ad Imperatorem Mauricium direxit, mandans ei vt quod prius non fecerat nunc contra Langobardorum gentem bella ſuſciperet, atque cum eius conſilio ab Italia remoueret. Qui nihil morans exercitum ſuum ad Langubardurum debellationem in Italiam direxit. Cui Authari rex & Langobardorum acies, non ſegniter obuiam pergunt, proque libertatis ſtatu fortiter confligunt. In ea pugna Langobardi victoriam capiunt, Franci vehementer cæſi, nonnulli capti, plurimi etiam B per fugam elapſi, vix ad patriam reuertuntur. Tantaque ibi ſtrages facta eſt de Francorum exercitu, quanta nuſquam alibi memoratur, Mirandum ſane eſt, cur Secundus qui aliqua de Langobardorum geſtis ſcripſit, hanc tantam eorum victoriam prætermiſerit, cum hæc quæ præmiſimus de Francorum interitu, in eorum hiſtoria iiſdem ipſis pene verbis exarata legantur.

Capvt XXXI.

Flauius vero rex Authari legatos poſt hæc ad Baioariam miſit, qui Garibaldi eorum Regis filiam ſibi in matrimonium peterent. Quos ille benigne ſuſcipiens, Theudelindam ſuam filiam Authari ſe daturum promiſit. Qui legati reuertentes cum hæc Authari nuntiaſſent ille per ſemetipſum ſuam ſponſam videre cupiens, paucis ſecum, ſed expeditis ex Langobardis adhibitis, vnumque ſibi fideliſſimum, & quaſi ſeniorem ſecum ducens, ſine mora ad Baioariam perrexit. Qui cum in conſpectu Garibaldi regis, iuxta morem legatorum, introducti eſſent, & is C qui cum Authari quaſi ſenior venerat, poſt ſalutationem verba, vt moris eſt, intuliſſet, Authari cum à nullo illius gentis cognoſceretur, ad regem Garibaldum propinquius accedens, ait: Dominus meus Anthari rex me propriè ob hoc direxit, vt veſtram filiam ipſius ſponſam, quæ noſtra domina futura eſt, debeam conſpicere, vt qualis eius forma ſit, meo valeam domino cêrtius nuntiare. Cumque rex hæc audiens filiam venire iuſſiſſet, eamque Authari, vt erat ſatis eleganti forma, tacito nutu contemplatus eſſet, eique per omnia ſatis complacuiſſet, ait ad regem: Quia talem veſtræ filiæ perſonam cernimus, vt eam merito noſtram reginam fieri optemus, ſi placet veſtræ poteſtati de eius manu, ſicut nobis poſtea factura eſt, vini poculum ſumere præoptamus. Cumque rex id fieri debere annuiſſet, illa accepto vini poculo, ei prius qui ſenior eſſe videbatur propinauit. Deinde cum Authari, quem ſuum eſſe ſponſum neſciebat, porrexiſſet ille poſtquam bibit ac poculum redderet, eius manum nemine animaduertente digitu tetigit, dextramque ſuam D ſibi à fronte per naſum ac faciem produxit. Illa hoc ſuæ nutrici rubore perfuſa nuntiauit. Cui nutrix ſua ait: Iſte niſi ipſe Rex & ſponſus tuus eſſet, te omnino tangere non auderet. Sed interim ſileamus, ne hoc patri tuo fiat cognitum. Re enim vera digna perſona eſt, quæ tenere debeat regnum, & tuo ſociari coniugio. Erat autem tunc Authari iuuenili ætate floridus, ſtatura decens, candido crine perfuſus & ſatis decorus aſpectu. Qui mox à rege commeatu accepto, iter patriam reuerſiui arripiunt, deque Noricorum finibus feſtinanter abſcedunt. Noricorum ſiquidem prouincia, quam Baioariorum populus inhabitabat, habet ab oriente Pannoniam, ab occidente Suauiam, à meridie Italiam, ab aquilonis vero parte Danubij fluenta. Igitur Authari cum iam prope Italiæ fines veniſſet, ſecumque adhuc, qui eum deducebant, Baioarios haberet, erexit ſe quantum ſuper equum cui præſidebat potuit, & toto anniſu ſecuriculam, quam manu geſtabat, in arborem quæ proximior aderat fixit, eamque fixam reliquit, adiiciens hæc inſuper verba: Talem Authari feritam facere ſolet. Cumque hæc dixiſſet, E tunc intellexerunt Baioarij, qui cum eo comitabantur, eum ipſum regem eſſe Authari. Denique poſt aliquod tempus, cum propter Francorum aduentum, perturbatio Garibaldu regi adueniſſet, Theudelinda eius filia cum ſuo germano, nomine Gundoald, ad Italiam confugit, ſeque aduentare Authari ſponſo nuntiauit. Cui ſtatim ille obuiam cum magno apparatu nuptias celebraturus in campo Sardis, qui ſupra Veronam eſt, occurrens, eandem cunctis lætantibus in coniugium Idus Maias accepit. Erat autem tunc ibi inter ceteros Langobardorum duces, Agilulf dux Taurinenſium ciuitatis. Quo in loco cum perturbato aëre lignum quoddam, quod in regiis ſeptis ſitum erat cum magno tonitruorum fragore vi fulminis ictum fuiſſet, habebat tunc Agiluf quendam de ſuis aruſpicem puerum, qui per artem Diabolicam, quid futurum portenderent ictus fulminum, intelligebat, qui ſecrete cum Agilulf ad requiſita naturæ reſideret, eidem F dixit: Mulier iſta quæ modo regi noſtro nupſit, tua non poſt multum tempus coniux futura eſt. Quod ille audiens caput ſe eius amputaturum, ſi hac de re amplius aliquid diceret, comminatus eſt. Cui ille: Ego quidem inquit, occidi poſſum, ſed fata nequeunt immutari nam certe ad hoc iſta in hanc patriam femina venit, vt tuis debeat nuptiis copulari. Quod ita quoque poſt factum eſt. Hoc tempore, quam ob cauſam incertum, Anſub cognatus regis Authari, apud Veronam eſt interfectus.

Capvt XXXII.

Hac étiam tempeſtate Grippo legatus Childeberti regis Francorum, cum à Conſtantinopoli remeaſſet, & eidem regi ſuo, quomodo honorifice ab Imperatore Mauricio ſuſceptus fuiſſet, nuntiaſſet; & quia iniurias quas apud Carthaginem perpeſſus fuerat, imperator ad voluntatem Childeberti regis vltum iri promiſiſſet, Childebertus confeſtim iterato in Italiam exercitum Francorum cum viginti ducibus ad debellandam Langobardorum G gentem direxit. E quibus ducibus Andualdus, & Olo, & Cedinus, eminentiores fuerunt. Sed Olo cum importune ad Bilitionis caſtrum acceſſiſſet, iaculo ſub mamilla ſauciatus cecidit, & mortuus eſt. Reliqui vero Franci cum egreſſi fuiſſent ad prædandum, à Langobardis irruentibus paſſim per loca ſinguli proſternebantur. At vero Audualdus & ſex alij duces Francorum, ad Medjolanenſium vrbem aduenientes, ibi eminus in campeſtribus caſtra poſuerunt. Quo loco ad eos Imperatoris legati venerunt, nunciantes adeſſe exercitum in ſolatio eorum, dicenteſque quia poſt triduum cum eiſdem veniemus. Et hoc vobis erit ſignum, cum videritis villæ huius, quæ in monte ſita eſt, domus incendio concremari, & fumum incendij ad cœlus vſque ſuſtolli noueritis nos cum exercitu, quem pollicemur, aduentare Sed expectantes Francorum duces diebus ſex iuxta placitum, nullum ex iis quos legati Imperatoris promiſerant, veniſſe contemplati ſunt. Cedinus autem cum tredecim ducibus læuam Italiæ ingreſſus, quinque caſtella cepit, à quibus etiam ſacra- H menta exegit. Per placentiam vero exercitus Francorum vſque Veronam venerunt, & depoſuerunt caſtra plurima per pacem poſt ſacramenta data, quia ſe eis tradiderant, nullum ab eis dolum exiſtimantes. Nomina autem caſtrorum quæ diruerunt territorio Tridentino, iſta ſunt: Teſana, Maletum, Semiana, Appianum. Fatigana, Cimbra, Vitianum, Brentonicum, Volenes, Ennemaſe, & duo in Alſuca, & vnum in Veruna. Hæc omnia caſtra cum diruta eſſent à Francis, ciues vniuerſi ab eis ducti ſunt captiui. Pro Ferruge vero caſtro, intercedentibus Epiſcopis, Ingenuino de Sabione, & Agnello de Tridentino, data eſt redemptio, pro capite vniuſcuiuſque viri ſolidi ſexcenti; Interea Francorum exercitum, cum eſſet tempus æſtiuum; propter inconſueti aëris incommoditatem, dyſenteriæ morbus grauiter exagitare cœpit, quo morbo plures interierunt ex eis. Quid plura? Cum per tres menſes Francorum exercitus Italiam peruagaretur, nihilque proficeret, neque ſe de inimicis vlciſci poſſet, eo quod ſe in locis firmiſſimis contuliſſent, neque regem

adtingere valeret de quo vltimo fietet, qui ſe intra Ticinenſem vrbem munierat, vt diximus, infirmatus aëris intemperantia, ac fame conſtrictus, redire ad propria deſtinauit. Qui reuertentes, ad patriam, in tantum famis penuriam perpeſſi ſunt, vt prius veſtimenta propria, inſuper etiam & arma ad coëmendum victum præberent, quam ad genitale ſolum pertingerent.

Capvt XXXIII.

Circa hæc tempora putatur eſſe factum, quod de Authari rege refertur. Fama eſt enim tunc eundem regem per Spoletium Beneuentum peruenîſſe, eandemque regionem cepiſſe, & vſque etiam Regium extremam Italiæ ciuitatem, vicinam Siciliæ perambulaſſe. Et quia ibidem iuxta maris vndas columna quædam eſſe poſita dicitur, vſque ad eam equo ſedens acceſſiſſe eamque de haſtæ ſuæ cuſpide tetigiſſe dicens: Vſque hic erunt Langobardorum fines. Quæ columna vſque hodie dicitur perſiſtere, & Columna Authari appellari.

Capvt XXXIV.

Fuit autem primus * Langobardorum dux in Beneuento nomine Zotto, qui in ea principatus eſt per curricula viginti annorum.

Capvt XXXV.

Interea Authari rex legationem verbis pacificis ad Guntramnum regem Francorum, patruum ſcilicet Childeberti regis, direxerat, à quo legati iidem iocunde ſuſcepti ſed ad Childebertum, qui ei nepos ex fratre erat, directi ſunt: vt per eius nutum, pax cum gente Langobardorum firmaretur. Erat autem Guntramnus iſte, de quo diximus, rex pacificus, & omni bonitate conſpicuus. Cuius vnum factum ſatis admirabile, libet nos hic noſtræ hiſtoriæ breuiter inſerere præſertim cum hoc Francorum hiſtoria nouerimus minime contineri. Is cum venarum quodam tempore in ſiluam iſſet, & vt ſolet fieri, hac illacque diſcurrentibus ſociis, ipſe cum vno fideliſſimo tantum ſub remanſiſſet, grauiſſimo ſomno depreſſus, caput in genibus eiuſdem fidelis ſui reclinans, obdormiuit. De cuius ore paruum animal, in modum reptilis egreſſum, tenuem riuulum propter diſcurrebat, vt tranſire poſſet ſatagere cœpit. Tunc iſdem in cuius gremio quieſcebat, ſpatham ſuam vagina exemptam, ſuper eundem riuulum poſuit; * ſuper quam illud reptile, de quo diximus, ad partem aliam tranſmeauit. Quod cum non longe exinde, in quoddam foramen montis ingreſſum fuiſſet, & poſt aliquantum ſpatij regreſſum, ſuper eandem ſpatham præfatum riuulum tranſmeaſſet, rurſum in os Gunthramni de quo exierat introiuit. Gunthramnus poſt hæc expergefactus, mirificam ſe viſionem vidiſſe narrauit. Retulit enim apparuiſſe ſibi in ſomnis, quod fluuium quemdam per pontem ferreum tranſiſſet, & ſub monte quodam introiſſet, vbi multa auri pondera aſpexiſſet. Is vero in cuius gremio caput tenuerat, cum dormiſſet, quid de eo viderat, ei per ordinem retulit. Quid plura? Effuſſus eſt locus ille, & inæſtimabiles theſauri, qui ibidem antiquitus poſiti fuerant, ſunt reperti. De quo auro ipſe rex poſtmodum ciborium ſolidum miræ magnitudinis & magni ponderis fecit, multiſque illud precioſiſſimis gemmis decuratum, ad ſepulchrum domini Hieroſolymam tranſmittere voluit. Sed cum minime potuiſſet, idem ſupra corpus Beati Marcelli martyris, quod in ciuitate Cauallonno ſepultum eſt, vbi ſedes regni illius erat, poni facit, & eſt ibi vſque in præſentem diem. Nec eſt vſquam vllum opus ex auro effectum, quod ei valeat comparari; Sed nos hic breuiter, quæ relatu digna erant, contactis, ad hiſtoriam reuertamur.

Capvt XXXVI.

Interim dum legati Authari regis in Francia morarentur, rex Authari apud Ticinum Nonas Septembris veneno, vt tradunt, accepto moritur, poſtquam ſex regnauerat annos. Statimque à Langobardis legatio ad Childebertum regem Francorum miſſa eſt, quæ Authari regis mortem eidem nuntiaret, & pacem ab eo expeteret. Quod ille audiens, legatos quidem ſuſcepit, pacem vero in poſterum ſe daturum promiſit. Qui tamen præfatos legatos poſt aliquot dies promiſſa pace abſoluit, Reginam vero Theudelindam, quæ ſatis placebat Langobardis, permiſerunt in regia conſiſtere dignitate, ſuadentes ei vt ſibi quem voluiſſet ex omnibus Langobardis virum eligeret, talem ſcilicet, qui regnum regere vtiliter poſſet. Illa vero conſilium cum prudentibus habens, Agilulfum ducem Taurinatium, & ſibi virum, & Langobardorum genti regem elegit. Erat enim iſdem vir ſtrenuus & bellicoſus, & tam forma, quam animo ad regni gubernacula coaptatus. Quem ſtatim regina ad ſe venire mandauit, ipſaque ei obuiam ad Laumellum oppidum properauit. Qui cum ad eam veniſſet, ipſa ſibi poſt aliquot verba vinum propinari fecit. Quæ cum prior bibiſſet, reſiduum Agilulfo ad bibendum tribuit. Is cum reginæ accepto poculo manum honorabiliter oſculatus eſſet, regina cum rubore ſubridens, non debere ſibi manum oſculari ait, quem oſculum ſibi ad os iungere oporteret. Moxque eum ad ſuum baſium erigens, ei de ſuis nuptiis, deque regni dignitate aperuit. Quid plura? Celebrantur cum magna lætitia nuptiæ, ſuſcepit Agilulfus qui erat cognatus regis Authari, inchoante iam menſe Nouembrio regiam dignitatem. Sed tamen congregatis in vnum Langobardis, poſtea menſe Maio, ab omnibus in regnum apud Mediolanum leuatus eſt.

Explicit liber tertius, de geſtis Langobardorum.

Incipiunt

CAPITA LIBRI QVARTI.

Cap. I. *QVod Agilulfus rex pro captiuis legatos in Franciam miſit.*

Cap. II. *De ſiccitate quæ eodem anno fuit, & de locuſtis.*

Cap. III. *Quod rex Agilulfus Minulfum occidit, & de rebellatione Gaidulfi & Vlfari.*

Cap. IV. *De peſte apud Rauennam & de bello Childeberti cum filio Hilperici.*

Cap. V. *Quod codicem dialogum beatus Gregorius Theudelinda regina direxit.*

Cap. VI. *De bonis actibus eiuſdem Theudelinda reginæ.*

Cap. VII. *Quod Taſſilo a Childeberto Francorum rege rex ordinatus eſt.*

Cap. VIII. *Quod Romanus Patricius ciuitates quas Langobardi tenebant inuaſit, & quia rex Agilulfus Maurisionem ducem occidit, & quia cum beato Gregorio & Romanis pacem fecit.*

Cap. IX. *Epiſtola beati Gregorij ad Theudelindam reginam.*

Cap. X. *Item eiuſdem Epiſtola ad Agilulfum regem.*

Cap. XI. *De ſtella cometæ, & morte Ioannis Epiſcopi, & de Baioariis.*

Cap. XII. *De morte Childeberti Francorum regis, & de bello Auarorum cum Francis, & de tranſitu Guntramni regis.*

Cap. XIII. *Quia Cacanus legato ad Agilulfum miſit, & de pace cum Gallino patricio.*

Cap. XIV. *De pace Agilulfi cum Francis, & de morte Zangralfi & VVarnecautij.*

Cap. XV. *De peſte apud Rauennam, & mortalitate apud Veronam.*

Cap. XVI. *De ſigno ſanguineo in cælo, & bello Francorum inter ſe.*

Cap. XVII. *De morte Ariulfi ducis Spoletani, & de ducatu Theudelapij.*

Cap. XVIII. *De prædicatione facta a Langobardis in cœnobio Sancti Benedicti.*

Cap. XIX. *De morte Zottonis, & ducatu Arichis.*

Cap. XX. *Epiſtola beati Gregorij Papæ ad eundem Arichis.*

A Cap. XXI. *De captiuitate filiæ regis Agilulfi, & quia rex Agilulfus Cacano artificem direxit.*
Cap. XXII. *De baſilica beati Ioannis in Modicia, quam Theudelinda regina ædificauit.*
Cap. XXIII. *De palatio quod conſtruxit.*
Cap. XXIV. *De ſubuerſione Patauinæ vrbis.*
Cap. XXV. *De pace facta cum Auaribus, & quod Langobardi Hiſtriam ſunt ingreſſi.*
Cap. XXVI. *De natiuitate Adaloaldi filij Agilulfi, & inuaſione montis Silicis.*
Cap. XXVII. *De morte Mauricij Imperatoris.*
Cap. XXVIII. *De Gaidoaldo & Giſulfo ducibus, & de baptiſmo Adaloaldi.*
Cap. XXIX. *De Captu Cremonæ & Mantuæ, & de morte filiæ regis, & de bello Francorum.*
Cap. XXX. *De tranſitu beati Gregorij Papæ & eius ſanctitate.*
Cap. XXXI. *De Regno Adaloaldi & de pace facta cum* B *Francis.*
Cap. XXXII. *Bellum Francorum cum Saxonibus.*
Cap. XXXIII. *De pace facta cum Smaragdo Patricio, & de captis Tuſciæ ciuitatibus.*
Cap. XXXIV. *De morte Seueri Patriarchæ, & de ſacerdotio Ioannis & Candidiani.*
Cap. XXXV. *De inuaſione Neapolitanæ ciuitatis, & de morte Eleutherij falſi Imperatoris.*
Cap. XXXVI. *De pace facta cum Imperatore.*
Cap. XXXVII. *De Phoca Auguſto & eius nece, & imperio Heraclij.*
Cap. XXXVIII. *De morte Giſulfi ducis, & de prædatione Foroiulianæ vrbis, & ceteris malis quæ Langobardi ab Hunis ſunt perpeſſi.*
Cap. XXXIX. *De genealogia Pauli VVarnefridi.*
Cap. XL. *De ducatu & de morte Taſonis & Caconis.*
Cap. XLI. *De Graſulfo duce Foroiuliano, & de aduentu Radoaldi, & Grimoaldi in Beneuentum.*
Cap. XLII. *De facta pace cum Imperatore & Francis, &* C *de populatione Hiſtriæ, & morte Gundualdi.*
Cap. XLIII. *De morte Agilulfi, & de regno Adaloaldi, & eius expulſione, & regno Arialdi.*
Cap. XLIV. *De morte Arialdi & regno Rothari, & quia dux Arichis filium ſuum Aionem ad regem direxit.*
Cap. XLV. *De morte Arichis Beneuentani ducis & ducatu Aionis.*
Cap. XLVI. *De morte Aionis, & de ducatu Radoaldi.*
Cap. XLVII. *De ciuitatibus quas Rothari cepit.*
Cap. XLVIII. *De morte Radoaldi ducis, & quia ei in ducatu Grimoaldus eius germanus ſucceſſit.*
Cap. XLIX. *De morte Rothari regis, & regno Rodoaldi.*
Cap. L. *De morte Rodoaldi regis. & regno Ariperti.*
Cap. LI. *De morte Heraclij Auguſti, & Conſtantini qui ei ſucceſſit, & regno alterius Conſtantini.*
Cap. LII. *De Caſarea regina Perſarum.*
Cap. LIII. *De morte Ariperti, & Godeberti filij eius qui ei ſucceſſit, & regno Grimoaldi, & interitu Garibaldi ducis.*

D

EXPLICIVNT CAPITVLA.

Incipit

LIBER IV.

De Geſtis Langobardorum.

CAPVT PRIMVM.

CONFIRMATA igitur Agilulfi (qui & Ago dictus eſt) regia dignitate, cauſa eorum qui ex caſtellis Tridentinis captiui à Francis ducti fuerant, Agnellum Epiſcopum Tridentinum in Franciam miſit. Qui exinde rediens aliquantos captiuos, quos Brunihildis regina Francorum ex proprio pretio redemerat, reuocauit. Euin quoque dux Tridentinorum ad obtinendam pacem ad Gallias perrexit, qua & impetrata regreſſus eſt. E

CAPVT II.

Hoc anno fuit ſiccitas nimium grauis à menſe Ianuario, vſque ad menſem Septembrium, & facta eſt magna penuria famis. Venit quoque & magna locuſtarum multitudo in territorium Tridentinum, quæ maiores erant quam ceteræ locuſtæ. Hæ, mirum dictu: herbas paludeſque depaſtæ ſunt, ſegetes vero agrorum exigue contigerunt. Sequenti quoque anno pari nihilominus modo aduenerunt.

CAPVT III.

His diebus Agilulfus rex occidit Minulfum ducem de inſula ſancti Iuliani, eo quod ſe ſuperiori tempore Francorum ducibus tradidiſſet. Gaidulfus vero Pergamenſis dux in ciuitate ſua Pergamo rebellans contra regem ſe communiuit; ſed datis obſidibus pacem cum eo fecit. F
Rurſum ſe Gaidulfus, in inſula Comacina recluſit. Agilulfus vero rex in eandem Comacinam inſulam ingreſſus, homines Gaiduli exinde expulit, & theſaurum quem ibidem à Romanis poſitum inuenerat, Ticinum tranſtulit. Gaidulfus vero iterato Pergamum confugiens, ibique ab Agilulfo rege obtentus, rurſus in gratiam receptus eſt. Rebellauit quoque dux Vlfarl contra Agilulfum regem apud Taruiſium, & obſeſſus captuſque eſt ab eo.

CAPVT IV.

Hoc anno fuit peſtis inguinaria iterum apud Rauennam, Grados & Hiſtriam nimium grauis, ſicut & prius ante triginta annos extiterat. Hoc etiam tempore Agilulfus rex cum Auaribus pacem fecit. Childebertus quoque bellum geſſit cum conſobrino ſuo Hilperici filio, in quo prælio vſque ad triginta millia hominum cæſa ſunt. Fuit autem tunc hyems frigida nimis, qualem vix aliquis prius recolebat fuiſſe. In regione quoque Brionum ſanguis de nubibus fluxit. Et interim fluuij quaſi riuuli cruoris emanauerunt. G

CAPVT V.

His diebus ſapientiſſimus & beatiſſimus Papa Gregorius Romanæ vrbis, poſtquam alia multa ad vtilitatem ſanctæ Eccleſiæ ſcripſerat, etiam libros quatuor de vita Sanctorum compoſuit, quem codicem Dialogum, id eſt, duorum locutionem, quia eum colloquens cum ſuo diacono Petro ediderat, appellauit. Hos igitur libros præfatus Papa Theudelindæ reginæ direxit, quam ſciebat vtique & Chriſti fidei deditam, & in bonis actibus eſſe præcipuam.

CAPVT VI.

Per hanc quoque reginam multum vtilitatis Dei Eccleſia conſecuta eſt. Nam pene omnes Eccleſiarum ſubſtantias Langobardi, dum adhuc gentilitatis errore tenerentur, inuaſerunt; Sed huius ſalubri ſupplicatione Rex permotus, & catholicam fidem tenuit, & multas poſſeſſiones Eccleſiæ Chriſti largitus eſt, atque Epiſcopos qui in H
depreſſione & abiectione erant, ad dignitatis ſolitæ honorem reduxit.

CAPVT VII.

His diebus Taſſilo à Childeberto rege Francorum apud Baioariam rex ordinatus eſt. Qui mox cum exercitu in Sclauorum prouinciam introiens patrata victoria ad ſolum proprium cum maxima præda remeauit.

CAPVT VIII.

Hac etiam tempeſtate Romanus Patricius Exarchus Rauennæ, Romam properauit. Qui dum Rauennam reuertitur recepit ciuitates, quæ à Langobardis tenebantur, quarum iſta ſunt nomina: Sutrium, Polimarcium, Horta, Tudertum, Ameria, Peruſia, Luceolis, & alias quaſdam ciuitates. Quod factum cum regi Agilulfo nunciatum eſſet, ſtatim Ticino egreſſus cum valido exercitu ciuita-

A tem Peruſum petiit, ibique per dies aliquot Mauriſionem ducem Langobardorum, qui ſe Romanorum partibus tradiderat, obſedit & ſine mora captum, vita priuauit. Huius regis aduentu in tantum beatus Gregorius papa exterritus eſt, vt ab expoſitione templi, de quo in Ezechiele legitur, deſiſteret, ſicut ipſe quoque in ſuis homiliis refert. Rex igitur Agilulfus rebus compoſitis Ticinum repedauit. Nec multum poſt, ſuggerente maximè Theudelinda regina ſua coniuge, ſicut eam beatus Gregorius ſuis epiſtolis ſæpius admonuit, cum eodem ſanctiſſimo Papa Gregorio, atque Romanis, pacem firmiſſimam pepigit, eidemque reginæ, idem venerabilis ſacerdos, pro gratiarum actione hanc epiſtolam direxit.

Capvt IX.

Gregorius Theudelindæ reginæ Langobardorum. Quia excellentia veſtra ad faciendam pacem ſtudioſius & benigne ſe ſicut ſolet impenderit, renuntiante filio noſtro B Probo abbate cognouimus. Nec enim aliter de Chriſtianitate veſtra confidendum fuit, niſi quia in cauſa pacis laborem & bonitatem veſtram omnibus monſtraretis. Vnde omnipotenti Deo gratias agimus, qui ita cor veſtrum ſua pietate regit, vt ſicut fidem rectam tribuit, ita quoque placita ſibi vos ſemper operari concedit. Non enim, excellentiſſima filia, de ſanguine, qui ab vtraque parte fundendus fuerat, paruam te credas acquiſiſſe mercedem. Ex qua re voluntati veſtræ gratias referentes, Dei noſtri miſericordiam deprecamur, vt bonorum vobis vicem in corpore & anima, hic & in futuro compenſet. Salutantes vos præterea dilectione hortamur, vt apud excellentiſſimum coniugem veſtrum illa agatis, quatenus Chriſtianæ reipublicæ ſocietatem non renuat. Nam ſicut & vos ſcire credimus, multis modis eſt vtile, ſi ſe ad eius amicitiam conferre voluerit. Vos ergo more veſtro quæ ad gratiam partium pertinent ſemper ſtudete, atque vbi cauſa mercedis ſe dederit, elaborate, vt bona veſtra amplius ante omnipotentis Dei oculos commendetis.

C

Capvt X.

Gregorius Agilulfo regi Langobardorum. Gratias excellentiæ veſtræ refero, quia petitionem noſtram audientes, pacem quam vtriſque eſſe partibus credebamus profuturam, ſicut de vobis confidentiam habuimus, ordinaſtis. ex qua re excellentiæ veſtræ prudentiam & bonitatem valde laudamus, quia pacem diligendo, Deum vos, qui auctor eſt eius, amare monſtraſtis. Nam (ſi quod abſit) facta non fuiſſet, quid agi debuit, niſi vt cum peccato & periculo partium, miſerorum ruſticorum ſanguis, quorum labor vtriſque proficit, funderetur. Sed vt prodeſſe nobis eandem pacem quemadmodum à nobis facta eſt, ſentiamus, paterna charitate vos ſalutantes petimus, vt quotiens occaſio ſe dederit, ducibus veſtris per diuerſa loca, & maximè in his partibus conſtitutis, veſtris præcipiatis exemplis, vt hanc pacem ſicut promiſſum eſt pure cuſtodiant, & occaſiones ſibi aliquas non quærant, vnde aut contentio quædam aut ingratitudo naſcatur, D quatenus voluntati veſtræ gratias agere valeamus. Latores vero præſentium literarum, ſicut reuera homines veſtros, in eo quo decuit affectu ſuſcepimus, quia iuſtum fuit, vt viros ſapientes, & qui pacem factam Deo propitio nunciarunt, cum charitate & ſuſcipere & dimittere deberemus.

Capvt XI.

Inter hæc ſequenti menſe Ianuario, apparuit ſtella cometa mane & veſpere per totum menſem. Eo quoque temporis menſe defunctus eſt Ioannes Archiepiſcopus Rauennæ, cuius in locum Marianus ciuis Romanus ſubſtitutus eſt. Euin quoque duce in Tridentino mortuo, datus eſt eidem loco dux Gaidoaldus vir bonus, ac fide catholicus. Hiſdem ipſis diebus Baioarij vſque ad duo millia virorum ſuper Sclauos irruunt, ſuperueniente Cacano omnes interficiuntur. Tunc primum caballi ſiluatici & bubali in Italiam delati, Italiæ populis miracula fuerunt.

Capvt XII. E

Hac etiam tempeſtate Childebertus rex Francorum ætatis anno vigeſimo quinto cum vxore propria, ſicut fertur, vi veneni extinguitur. Huni quoque qui & Auares dicuntur, à Pannonia in Turingiam ingreſſi, bella grauiſſima cum Francis geſſerunt. Brunihildis tunc regina cum nepotibus adhuc puerulis Theudeberto & Theuderico regebat Gallias, à quibus accepta Huni pecunia, reuertuntur ad propria. Mortuus quoque eſt Gunthramnus rex Francorum, regnumque illius Brunihildis regina ſuſcepit, cum nepotibus adhuc paruulis filiis Childeberti.

Capvt XIII.

Per id tempus Cacanus rex Hunorum legatos ad Agilulfum Mediolanum mittens, pacem cum eo fecit. Romanus quoque Patricius moritur, cui Gallicinus ſucceſſit, & cum Agilulfo rege pacis concordiam iniit.

Capvt XIV. F

Hoc etiam tempore Agilulfus cum Theuderico rege Francorum pacem perpetuam fecit. Poſt hæc Agilulfus rex rebellantem ſibi Zangrulfum Veronenſium ducem extinxit. Gaidulfum quoque Pergamenſem ducem, cui iam bis pepercerat, peremit: pari etiam modo & VVarnecautium apud Ticinum occidit.

Capvt XV.

Subſequenti tempore rurſus Rauennam, & eos qui circa oram maris erant, peſtis grauiſſima vaſtauit. Sequenti quoque anno mortalitas valida populos Veronenſium attriuit.

Capvt XVI.

Tunc etiam ſignum ſanguineum in cœlo apparuiſſe viſum eſt, & quaſi haſtæ ſanguineæ, & lux clariſſima per totam noctem. Theudebertus rex Francorum eo tempore cum Clothario patruele ſuo bellum gerens, eius exercitum vehementer afflixit. G

Capvt XVII.

Sequenti anno Ariulfus dux qui Faroaldo apud Spoletum ſucceſſerat, moritur. Hic Ariulfus cum bellum contra Romanos in Camerino geſſiſſet, victoriamque patraſſet, requirere à ſuis hominibus cœpit, quis vir ille fuerit, quem ipſe in illo bello quod geſſerat tam ſtrenue pugnantem vidiſſet. Cui cum ſui viri reſponderent, ſe ibi nullum aliquem fortius facientem quam ipſum ducem vidiſſe; ille ait: Certe multum & per omnia me meliorem ibi alium vidi, qui quotiens me aduerſæ partis aliquis percutere voluit, ille vir ſtrenuus me ſemper ſuo clypeo protexit. Cumque dux ipſe prope Spoletum, vbi baſilica beati martyris Sabini ſita eſt, in qua eiuſdem venerabile corpus quieſcit, aduenisset, interrogauit cuius hæc tam ampla domus eſſet. Reſponſum eſt ei à viris fidelibus, Sabinum ibi martyrem requieſcere, quem Chriſtiani quotiens in bellum contra hoſtes irent, ſolitum haberent in ſuum auxilium inuocare: Ariulfus vero cum adhuc eſſet gentilis, ita reſpondit: H Qui poteſt fieri vt homo mortuus aliquod viuenti auxilium præſtet? Qui cum hoc dixiſſet, equo deſiliens, eandem baſilicam conſpecturus intrauit. Tunc aliis orantibus, ipſe picturas eiuſdem baſilicæ mirari cœpit. Qui cum figuram beati martyris Sabini depictam conſpexiſſet, mox cum iuramento affirmauit dicens, talem omnino eum virum, qui ſe in bello protexerat, formam habitumque habuiſſe. Tunc intellectum eſt beatum martyrem Sabinum eidem in prælio adiutorium contuliſſe. Igitur mortuo Ariulfo, duo filij Faroaldi ſuperioris ducis inter ſe propter ducatum decertantes, vnus ex ipſis cum victoriam adeptus eſſet, nomine Theudelapius, ducatum ſuſcepit.

Capvt XVIII.

Circa hæc tempora cœnobium beati Benedicti patris quod in caſtro Caſſino ſitum eſt, à Langobardis noctu inuaditur.

A inuaditur. Qui vniuerſa diripientes, ne vnum quidem de monachis tenere potuerunt, vt prophetia venerabilis Benedicti patris, quam longe ante præuiderat, compleretur, qua dixit, Vix apud Deum obtinere potui, vt ex hoc loco mihi animæ concederentur. Fugientes quoque ex eodem loco monachi Romam petierunt, ſecum codicem ſanctæ regulæ, quam præfatus pater compoſuerat, & quædam alia ſcripta, nec non pondus panis & menſuram vini, & quicquid ex ſuppellectili ſubripere poterant, deferentes. Cæterum poſt beatum Benedictum Conſtantinus, poſt hunc Simplicius, poſt quem Vitalis, ad extremum Bonitus congregationem ipſam rexit, ſub quo hæc deſtructio facta eſt.

Capvt XIX.

Mortuo igitur Zottone Beneuentanorum duce, Arigis in loco ipſius à rege Agilulfo miſſus ſucceſſit, qui ortus in Foroiulij fuerat, & Giſulfi Foroiuliani ducis filios educarat, B eidemque Giſulfo conſanguineus erat. Ad hunc Arigis extat epiſtola beati Gregorij Papæ in hunc modum directa.

Capvt XX.

Gregorius Arigis Duci. Quia ſic de gloria veſtra ſicut reuera de filio noſtro confidimus, petere à vobis aliqua fiducialiter prouocamur, arbitrantes quod minime nos patiamini contriſtare, maxime in tali re vnde veſtra anima multum poterit adiuuari. Indicamus autem propter Eccleſias beatorum Petri ac Pauli, aliquantas nobis trabes neceſſarias eſſe, & ideo Sabino Subdiacono noſtro iniunximus de partibus Briccorum aliquantas incidere, & vt vſque ad mare in locum aptum trahere debeat. Et quia in hac re ſolatiis indiget, ſalutantes gloriam veſtram paterna charitate petimus, vt actionariis veſtris qui in loco ſunt deputetis, vt homines qui ſub eis ſunt, cum bobus ſuis in eius tranſmittere ſolatium debeant, quatinus vobis concurrentibus, melius quod ei iniunximus poſſit perficere. C Nos enim promittimus quia dum res perfecta fuerit, dignum vobis xenium, quod non ſit iniurioſum, tranſmittemus. Nam ſcimus nos conſiderare, & filiis noſtris qui bonam nobis voluntatem exhibent, reſpondere. Vnde iterum petimus glorioſe fili, vt ita facere debeatis, vt & nos poſſimus vobis eſſe pro præſtito beneficio debitores & vos mercedem pro Sanctorum Eccleſiis habeatis.

Capvt XXI.

His diebus capta eſt filia regis Agilulfi, cum viro ſuo Godeſcalco nomine de ciuitate Parmenſi, ab exercitu Gallicini patricij; & ad vrbem Rauennatium ſunt deducti. Hoc quoque tempore miſit Agilulfus rex Cacano regi Auarorum artifices ad faciendas naues, cum quibus iſdem Cacanus inſulam quandam in Thracia expugnauit.

Capvt XXII.

Per idem quoque tempus Theudelinda regina baſilicam D beati Ioannis Baptiſtæ, quam in Modicia conſtruxerat, qui locus ſupra Mediolanum duodecim millibus abeſt, dedicauit, multiſque ornamentis auri argentique decorauit, prædiiſque ſufficienter ditauit. Quo in loco etiam Theudericus quondam Gothorum rex palatium conſtruxit pro eo quod æſtiuo tempore locus ipſe, vtpote vicinus Alpibus, temperatus ac ſalubris exiſtit.

Capvt XXIII.

Ibi etiam præfata regina ſuum palatium condit, in quo aliquid & de Langobardorum geſtis depingi fecit. In qua pictura manifeſte oſtenditur, quomodo Langobardi eo tempore comam capitis tondebant, vel qualis illis veſtitus, qualiſue habitus erat. Siquidem ceruicem vſque ad occipitium radentes nudabant, capillos à facie vſque ad os dimiſſos habentes, quos in vtramque partem in frontis diſcrimine diuidebant. Veſtimenta vero eis erant laxa & maxime linea, qualia Angli-ſaxones habere ſolent, ornata E inſtitis latioribus vario colore contextis. Calcei vero eis erant vſque ad ſummum pollicem pene aperti, & alternatim laqueis corrigiatum retenti. Poſtea vero cœperunt hoſis vti, ſuper quas equitantes tubrugos birreos mittebant, ſed hoc de Romanorum conſuetudine traxerunt.

Capvt XXIV.

Vſque ad hæc tempora Patauium ciuitas fortiſſime militibus repugnantibus Langobardis rebellauit. Sed tandem iniecto igne tota flammis vorantibus concremata eſt, & iuſſu regis Agilulfi ad ſolum vſque deſtructa eſt: milites tamen qui in ea fuerant Rauennam remeare permiſſi ſunt.

Capvt XXV.

Hac tempeſtate Agilulfi legati regreſſi à Cacano, pacem perpetuam factam cum Auaribus nuntiauerunt. Legatus quoque Cacani cum eis adueniens, ad Gallias perrexit, denuntians Francorum regibus, vt ſicut cum Auaribus, F ita pacem habeant cum Langobardis. Inter hæc Langobardi cum Auaribus & Sclauis, Hiſtrorum fines ingreſſi, vniuerſa ignibus & rapinis vaſtauerunt.

Capvt XXXVI.

Agilulfo quoque regi tunc naſcitur filius de Theudelinda regina, in Modiciæ palatio, qui Adaloaldus eſt appellatus. Sequenti tempore, Langobardi caſtrum montis Silicis inuaſerunt. Per idem tempus repulſo apud Rauennam Gallicino, rediit Smaragdus, qui prius fuerat Rauennæ patricius.

Capvt XXVII.

Igitur Mauritius Auguſtus poſtquam vno & viginti annis rexit imperium cum filiis Theodoſio, & Tiberio, & Conſtantino, à Foca, qui fuit ſtrator Priſci Patricij occiditur. Fuit autem vtilis reipubl. Nam ſæpe contra hoſtes dimicans, victoriam obtinuit. Huni quoque, qui & Auares appellantur, eius virtute deuicti ſunt. G

Capvt XXVIII.

Hoc anno Gaidoaldus dux de Tridento, & Giſulfus de Foroiulij, cum antea à regis Agilulfi ſocietate diſcordarent, ab eo in pace recepti ſunt. Tunc etiam baptizatus eſt prænominatus puer Adaloaldus, filius Agilulfi regis, in ſancto Ioanne in Modicia, & ſuſceptus de fonte eſt à ſecundo ſeruo Chriſti de Tridento, cuius ſæpe fecimus mentionem. Fuit autem feſti Paſchalis dies eo tempore 7. Idus Aprilis.

Capvt XXIX.

Erat autem iis diebus adhuc diſcordia Langobardis cum Romanis propter captiuitatem filiæ regis. Qua de cauſa Agilulfus rex egreſſus Mediolano menſe Iulio, obſedit ciuitatem Cremonenſem cum Sclauis, quos ei Cacanus rex Auarorum in ſolatium miſerat, & cæpit eam duodecimo Kalendas Septembris, & ad ſolum vſque deſtruxit. H Pari etiam modo expugnauit Mantuam, & interruptis muris eius cum arietibus, dans veniam militibus qui erant in ea reuertendi Rauennam ingreſſuſque in eam die Iduum Septembrium. Tunc etiam partibus Langobardorum ſe tradidit caſtrum quod Vulturina vocatur. Milites vero Brexillum oppidum igni cremantes fugerunt. His ita patratis reddita eſt filia regis à Smaragdo Patricio, cum viro & filiis, ac rebus cunctis factaque eſt pax menſe nono, vſque ad Kalendas Aprilis, indictione octaua. Filia vero regis mox à Rauenna Parmam rediit, & ob difficultatem partus periclitata, ſtatim defuncta eſt. Hoc anno Theudebertus & Theudericus reges Francorum, aduerſus Chlotarium patruum ſuum dimicarunt, in quo certamine ex vtraque parte multa millia ceciderunt.

Capvt XXX.

Tunc etiam beatus Gregorius migrauit ad Chriſtum, cum iam Focas per indictionem octauam anno regnaret ſecundo. Cuius in locum ad Apoſtolatus officium

A Sabinianus eſt ordinatus. Fuit autem tunc hyems frigida nimis, & mortuæ ſunt vites pene in omnibus locis, Meſſesquoque partim vaſtatæ ſunt à muribus, partim percuſſæ vredine euanuerunt. Debuit etenim tunc mundus famem ſitimque pati, quando decedente tanto doctore, animas hominum ſpiritalis alimoniæ penuria, ſitiſque aridiras inuaſit. Liber me ſane pauca de eiuſdem beati Gregorij Papæ ſcriptis, quandam Epiſtolam huic opuſculo inſerere, vt poſſit liquidius agnoſci, quam humilis iſte vir fuerit, quantæque innocentiæ & ſanctitatis. Hic denique cum accuſatus apud Mauritium Auguſtum eiuſque filios fuiſſet, quod Malcum quendam Epiſcopum in cuſto·· pro ſolidis occidiſſet, ſcribentes pro hac re Epiſtolam Sabiniano ſuo apocriſiario, qui erat apud Conſtantinopolim, inter cætera ſic ait. Vnum eſt quod breuiter ſuggeras ſereniſſimis dominis noſtris, quia ſi ego ſeruus eorum in mortem Langobardorum me miſcere voluiſſem, hodie Langobardorum gens, nec regem, nec duces, nec comites haberet, atque ſumma confuſione diuiſa eſſet, ſed quia B Deum timeo, in mortem cuiuſlibet hominis me miſcere formido. Malcus autem iſdem Epiſcopus neque in cuſtodia fuit, neque in aliqua afflictione, ſed die qua cauſam dixit, & abductus eſt, neſciente me, à Bonifacio notario in domum eius ductus eſt, ibique prandidit & honoratus eſt ab eo, & nocte ſubito mortuus eſt. Ecce quantæ humilitatis vir iſte fuit, qui cum eſſet ſummus Dei Pontifex, ſe ſeruum hominum nominauit? Ecce quantæ Innocentiæ qui nec in morte Langobardorum, qui vtique & increduli erant, & omnia deuaſtabant, ſeſe voluit admiſcere.

Capvt XXXI.

Igitur ſequenti æſtate menſe Iulio leuatus eſt Adaloaldus rex ſuper Langobardos apud Mediolanum in Circo, in præſentia patris ſui Agilulfi regis, aſtantibus legatis Theudeberti regis Francorum, & deſponſata eſt eidem regio puero filia regis Theudeberti, & firmata eſt pax perpetua cum Francis.

C

Capvt XXXII.

Eodem tempore Francis cum Saxonibus pugnantibus magna ſtrages ab vtriſque partibus facta eſt. Apud Ticinum quoque in baſilica B. Petri Apoſtoli, Petrus cantor fulmine ictus.

Capvt XXXIII.

Sequenti denique menſe Nouembrio, rex Agilulfus pacem fecit cum Smaragdo Patricio in annum vnum, accipiens à Romanis duodecim millia ſolidorum. Ciuitates quoque Tuſciæ, hoc eſt Balneum regis, & vrbs vetus à Langobardis inuaſæ ſunt. Tunc etiam menſe Aprili & Maio, apparuit in cœlo ſtella quam Cometem dicunt. Dehinc Agilulfus rex iterum fecit pacem cum Romanis tribus annis.

Capvt XXXIV.

D His diebus defuncto Seuero Patriarcha, ordinatur Iohannes Abbas Patriarcha in Aquileia vetere, cum conſenſu regis & Giſulfi ducis. In Grados quoque ordinatus eſt Romanis Candidianus antiſtes. Ruſum menſe Nouembrio & Decembrio, ſtella Cometes apparuit. Candidiano quoque defuncto apud Grados ordinatur Patriarcha Epiphanius, qui fuerat primicerius notariorum ab Epiſcopis, qui erant ſub Romanis; & ex illo tempore cæperunt duo eſſe Patriarchæ.

Capvt XXXV.

Hac ætate Ioannes Conſinus inuaſit Neapolim, quem de eadem ciuitate non multos poſt dies Eleutherius Patricius expulit, eumque interfecit. Poſt hæc iſdem Eleutherius Patricius eunuchus imperij iura ſuſcepit. Qui dum a Rauenna Romam pergeret, in caſtro Luceolis a militibus interfectus eſt, caputque eius Conſtantinopolim Imperatori delatum eſt.

Capvt XXXVI.

E

Hac etiam tempeſtate miſit rex Agilulfus Stabilicianum notarium ſuum Conſtantinopolim ad Focam Imperatorem. Qui rediens cum legatis Imperatoris, facta pace annuali, Agilulfo regi iidem legati imperialia munera obtulere.

Capvt XXXVII.

Focas igitur, vt præmiſſum eſt extincto Mauricio eiuſque filiis, Romanorum regnum inuadens, per octo annorum curricula principatus eſt. Hic rogante Papa Bonifacio ſtatuit ſedem Romanæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ caput eſſe omnium Eccleſiarum, quia Eccleſia Conſtantinopolitana, primam ſe omnium Eccleſiarum ſcribebat. Idem alio Papa Bonifacio petente iuſſit in veteri fano, quod Pantheon vocabant, ablatis idololatriæ ſordibus Eccleſiam beatæ ſemper Virginis Mariæ, & omnium martyrum F fieri, vt vbi quondam omnium non deorum ſed dæmonum cultus erat, ibi deinceps omnium fieret memoria ſanctorum. Huius tempore Praſini & Veneti per Orientem & Ægyptum ciuile bellum faciunt, ac ſe mutua cæde proſternunt. Perſæ quoque aduerſus rempublicam grauiſſima bella gerentes, multas Romanorum prouincias, & ipſam Hieroſolymam auferunt; & deſtruentes Eccleſias, ſancta quoque profanantes, inter ornamenta locorum ſanctorum, etiam vexillum dominicæ crucis abducunt. Contra hunc Focam Eraclianus qui Africam regebat, rebellauit, atque cum exercitu veniens, eum regno vitaque priuauit: remque publicam Romanam, eiuſdem filius Eraclius ſuſcepit regendam.

Capvt XXXVIII.

Circa hæc tempora rex Auarorum, quem ſua lingua Cacanum appellant, cum innumerabili multitudine veniens, Venetiarum fines ingreſſus eſt. Huic Giſulfus Foroiulianus dux cum Langobardis quos habere poterat audacter occurrit. G Sed quamuis forti animoſitate contra immenſam multitudinem bellum cum paucis gereret, vndique tamen circumſeptus cum omnibus ſuis pene extinctus eſt. Vxor vero eiuſdem Giſulfi, nomine Romilda, cum Langobardis qui euaſerant, ſiue eorum vxoribus & filiis qui in bello perierant, intra murorum Foroiuliani caſtri muniuit ſepta. Huic erant filij Taſo & Caco, iam adoleſcentes, Radoaldus vero & Grimoaldus, adhuc in puerili ætate erant conſtituti. Habebat vero & filias quatuor, quarum vna Appa, alia Gaila vocabatur, duarum vero nomina non tenemus. Communierant ſe quoque Langobardi & in reliquis caſtris, quæ his vicina erant, hoc eſt in Cormone, Nomaſo, Oſopo, Artenia Reunia, Glemona, vel etiam in Ibligine, cuius poſitio omnino inexpugnabilis exiſtit. Pari etiam modo, & in reliquis caſtellis, ne Hunis, hoc eſt Auaribus præda fierent, ſe communiere. Auares H vero per omnes Foroiulianorum fines diſcurrentes, omnia incendiis & rapinis vaſtantes, Foroiulianum oppidum obſidione claudunt & totis viribus expugnare moliuntur. Horum rex id eſt Cacanus, dum circa muros armatus cum magno equitatu perambularet, vt qua ex parte vrbem facilius expugnare poſſet, inquireret, hunc Romilda de muris proſpiciens, cum eum cerneret iuuenili ætate florentem, meretrix nefaria concupiuit, eique mox per nuntium mandauit, vt ſi ſe in matrimonium ſumeret, ipſa eidem ciuitatem cum omnibus qui aderant traderet. Quod rex barbarus audiens, eidem malignitatis dolo quod mandauerat ſe facturum promiſit, eamque in matrimonium ſpopondit accipere. Illa vero nihil morata, portas Foroiulienſis caſtri aperuit, & ad ſuam cunctorumque qui aderant perniciem hoſtem introduxit: Ingreſſi vero Auares cum rege ſuo Forumiulij, vniuerſa quæ inuenire poterant, rapinis diripiunt, Ipſamque vrbem flammis concremantes, vniuerſos quos reppererant captiuos abducunt, fallaciter tamen eis promittentes, quod eos vnde digreſſi fuerant, Pannoniæ in finibus collocarent. Qui cum patriam reuertentes, & ad campum quem ſacrum nominant

perue

A perueniſſent, omnes qui iam in maiori ætate conſtituti erant Langobardos, perimere gladio ſtatuunt: mulieres vero & paruulos captiuitatis ſorte diuidunt. Taſo vero & Cacco ſeu Rodoaldus filij Giſulfi & Romildæ, cum hanc Auarorum malitiam cognouiſſent, ſtatim aſcenſis equis fugam arripiunt. E quibus vnus Grimoaldum puerulum fratrem ſuum, dum exiſtimaret vtpote paruulum ſuper equum currentem ſe tenere non poſſe, melius ducens eundem gladio perimere, quam captiuitatis iugum ſuſtinere, eum occidere voluit. Cum igitur vt eum percuteret lanceam eleuaſſet, puer lacrimans exclamauit, dicens: Noli me pungere, quia poſſum me ſuper equum tenere. Qui iniecta manu eum per brachium apprehendens, ſuper nudum equi dorſum poſuit, eundemque vt ſe contineret hortatus eſt. Puer vero frenum equi manu arripiens, fugientes germanos & ipſe ſecutus eſt. Quo comperto Auares, mox aſcenſis equis eos perſecuti ſunt, & reliquis veloci fuga euadentibus, Grimoaldus puerulus; ab vno
B eorum qui velocius cucurrerat capitur, nec tamen eum ſuus comprehenſor gladio ferire propter paruitatem ætatis dignatus eſt, ſed ſibi eundem potius ſeruiturum reſeruauit. Cumque eum ad caſtra reuertens apprehenſo eiuſdem equi freno reduceret, deque tam nobili præda exultaret, (erat enim ipſe puerulus eleganti forma, micantibus oculis lacteo crine perfuſus, qui cum ſe captiuum trahi doleret, ingentes animos anguſto in pectore verſans, enſem qualem in illa ætate habere poterat vagina exemit, ſeque trahentem Auarem, quantulo anniſu valuit; capitis in vertice percuſſit. Moxque ad cerebrum ictus perueniens, hoſtis ab equo deiectus eſt. Puer vero Grimoaldus verſo equo fugam lætabundus arripiens, tandem fratribus iunctus eſt, eiſque liberatione ſui nuntiata, inſuper hoſtis interitu, inæſtimabile gaudium fecit. Auares vero omnes Langobardos, qui iam in virili ætate erant, gladio perimunt, mulieres vero & paruulos captiuitatis iugo abducunt. Romildam vero; quæ totius malitiæ caput extitit, rex Auarum propter iuſiurandum
C ſicut ei ſpoſponderat nocte vna quaſi in matrimonio habuit, nouiſſime vero duodecim Auaribus tradidit, qui eam per totam noctem vicibus ſibi ſuccedentes libidine vexarent. Poſtmodum quoque palum in medio campo configi præcipiens, eandem in eius acumine inſeri mandauit, hæc inſuper exprobrando inquiens, talem te dignum eſt maritum habere. Igitur dira proditrix patriæ, tali exitio periit, quæ amplius ſuæ libidini, quam ciuium & conſanguineorum ſaluti proſpexit. Filiæ vero eius non matris libidinem ſecutæ, ſed caſtitatis amori ſtudentes, ne ab Auaribus contaminarentur, crudas pullorum carnes ſibi inter mammas ſub faſcia poſuerunt, quæ ex calore putrefactæ odorem fœtidum exhalabant. Cumque eas vellent Auares contingere; non ſuſtinentes fœtorem, putabant eas naturaliter ita fœtere, procul ab eis cum execratione recedentes; atque dicentes; omnes Langobardas fœtidas eſſe. Hac igitur arte Auarum libidinem puellæ nobiles euadentes, & ipſæ caſtæ ſeruatæ ſunt, & vtile ſeruandæ caſtitatis, ſi quid tale fœminis contigerit,
D mandauerunt exemplum. Quæ poſtea per diuerſas regiones venundatæ, iuxta nobilitatem ſuam dignis ſunt nuptiis potitæ. Nam vna earum Alamannorum regi, alia vero dicitur Baioariorum principi nupſiſſe.

Capvt XXXIX.

Exigit vero locus, poſtpoſita generali hiſtoria, pauca etiam priuatim de mea qui hæc ſcribo genealogia retexere, & quia res ita poſtulat, paulo ſuperius narrationis ordinem replicare. Eo denique tempore quo Langobardorum gens de Pannoniis ad Italiam venit, Leuphis meus abauus; ex eodem Langobardorum genere cum eis pariter aduentauit. Qui poſtquam aliquot annos in Italia vixit, diem claudens extremum, quinque ex ſe genitos filios adhuc paruulos reliquit, quos tempeſtas iſta captiuitatis, de qua nunc diximus; comprehendens, omnes ex caſtro Forojulienſi, in Auarum patriam exules deduxit. Qui cum per multos annos in eadem regione captiuitatis miſeriam ſuſtinuiſſent, & iam ad virilem perueniſſent ætatem, cæteris quatuor, quorum nomina non retinemus, E in captiuitatis anguſtia perſiſtentibus, quintus eorum germanus, nomine Lupicis, qui noſter poſtea proauus extitit, inſpirante ſibi (vt credimus) miſericordiæ authore, captiuitatis iugum abiicere ſtatuit, & ad Italiam, quo gentem Langobardorum reſidere meminerat, tendere, atque ad libertatis iura ſtuduit repedare. Qui cum iter aggreſſus fugam arripuiſſet, tantum pharetram, & arcum, & aliquantulum cibi propter viaticum gerens, neſcieſque omnino quo pergeret, ei lupus aduenıens comes itineris & ductor factus eſt. Qui cum ante eum pergeret, & frequenter poſt ſe reſpiceret, & cum ſtante ſubſiſteret, atque cum pergente præiret, intellexit ſibi eum diuinitus datum eſſe, vt ei iter quod neſciebat oſtenderet. Cumque per aliquot dies per montium ſolitudines hoc modo pergerent, panis eidem viatori, quem exiguum habuerat, omnino defecit. Qui cum ieiunans iter carperet, & iam fame tabefactus defeciſſet, tetendit arcum ſuum, & F eundem lupum; vt eum in cibum ſumere poſſet ſagitta interficere voluit. Sed lupus ictum ferientis præcauens ab eius viſione elapſus eſt. Ipſe autem recedente eodem lupo neſciens quo pergeret; inſuper famis penuria nimium debilis effectus; cum iam de vita deſperaret, ſeſe in terram proiiciens obdormiuit, videtque quendam virum in ſomnis talia ſibi verba dicentem: Surge qui dormis: arripe viam in hanc partem contra quam pedes tenes; illac etenim eſt Italia, ad quam tendis. Qui ſtatim ſurgens; in illam partem quam in ſomnis audierat pergere cœpit: nec mora, ad habitaculum hominum peruenit. Erat enim Sclauorum habitatio in illis locis. Quem cum vna mulier iam vetula vidiſſet, ſtatim intellexit eum fugitiuum eſſe, & famis penuria laborare. Ducta autem miſericordia ſuper eum; abſcondit eum in domo ſua; & ſecreto paulatim ei victum miniſtrauit, ne ſi ei vſque ad ſaturitatem alimoniam præberet, eius vitam funditus extingueret. Denique ſic competenter ei paſtum præbuit, quouſque ipſe recuperatus vires accipere potuiſſet. Cumque G eum iam validum ad iter faciendum vidiſſet; datis ei cibariis, ad quam partem tendere deberet, admonuit. Qui poſt aliquot dies Italiam ingreſſus, ad domum in qua ortus fuerat peruenit. Quæ ita deſerta erat, vt non ſolum tectum non haberet, ſed etiam rubis & ſentibus plena eſſet. Quibus ille ſucciſis, intra eoſdem parietes vaſtam ornum reperiens, in hac ſuam pharetram ſuſpendit. Qui poſtea conſanguineorum & amicorum ſuorum muneribus ditatus, & domum reædificauit, & vxorem duxit; ſed nihil de rebus quas genitor ſuus habuerat; excluſus iam ab iis qui eas inuaſerant longa & diuturna poſſeſſione, conquirere potuit. Iſte, vt iam ſuperius præmiſi; extitit meus proauus. Hic etenim genuit auum meum Arichim, Arichis vero patrem meum VVarnefrid, VVarnefrid ex Theudelinda coniuge ſua genuit me Paulum; meumque germanum Arichim, qui noſtrum auum cognomine retulit. His paucis de propriæ genealogiæ ſerie delibatis, nunc generalis hiſtoriæ reuertamur ad tramitem.

Capvt XL. H

Mortuo, vt diximus, Giſulfo Forojulienſi duce, Taſo & Cacco filij eius eundem ducatum regendum ſuſceperunt. Hi ſuo tempore Sclauorum regionem quæ Zellia appellatur; vſque ad locum qui Medaria dicitur, poſſederunt. Vnde vſque ad tempora Ratchis ducis; iidem Sclaui penſionem Forojulianis ducibus perſoluerunt. Hos duos fratres Gregorius Patricius Romanorum in ciuitate Opitergio doloſa fraude peremit. Nam promittens Taſoni vt ei barbam ſicut moris eſt incideret, eumque ſibi filium faceret, ipſe Taſo cum Caccone germano ſuo & electis iuuenibus ad eundem Gregorium nihil mali metuens aduenit. Qui mox cum Opitergium cum ſuis eſſet ingreſſus, ſtatim iſdem Patricius ciuitatis portas claudi præcepit, & armatos milites ſuper Taſonem eiuſque ſocios miſit. Quod Taſo cum ſuis comperiens, audacter ſe ad prælium præparauit, vltimumque ſibi data pace vale dicentes; per ſingulas ciuitatis plateas hac illacque

A diſperſi, quoſcunque obuios habere poterant trucidantes, cum magnam ſtragem de Romanis feciſſent, ad extremum etiam ipſi perempti ſunt. Gregorius vero Patricius propter iuſiurandum quod dederat, caput Taſonis ſibi deferri iubens, eius barbam ſicut promiſerat periurus abſcidit.

Capvt XLI.

His ita peremptis, dux Foroiulianus Graſulfus Giſulfi germanus conſtituitur. Radoaldus vero & Grimoaldus, deſpectui ducentes ſub patrui ſui Graſulfi poteſtate degere, cum eſſent iam prope iuuenilem ætatem, aſcenſa nauicula remigantes ad Beneuenti fines perueniunt. Exinde ad Arichim Beneuentanorum ducem, ſuum quondam pædagogum, properantes ab eo gratiſſime ſuſcepti & filiorum loco ſunt habiti. His temporibus mortuo Taſſilone duce Baioariorum, filius eius Garibaldus, in Agunto à Sclauis deuictus eſt, & Baioariorum termini deprædantur. B Reſumptis tamen Baioarij viribus, & prædas ab hoſtibus excutiunt, & hoſtes de ſuis finibus pepulerunt.

Capvt XLII.

Rex vero Agilulfus pacem cum Imperatore in annum vnum, itemque in alterum faciens, cum Francis quoque iterato pacem renouat. Hoc nihilominus anno Sclaui Hiſtriam interfectis militibus lachrimabiliter deprædati ſunt. Sequenti quoque menſe Martio defunctus eſt apud Tridentum Secundus ſeruus Chriſti, de quo ſæpe iam diximus, qui vſque ad ſua tempora ſuccinctam de Langobardorum geſtis compoſuit hiſtoriolam. Eo tempore rex Agilulfus cum imperatore iterato pacem compoſuit. Occiſus quoque eſt his diebus Theudebertus rex Francorum, & facta eſt pugna grauiſſima inter eos: Gundualdus etiam Theudelindæ reginæ germanus, qui erat dux in ciuitate Aſtenſi, nemine ſciente auctorem mortis ipſius, hoc ipſo in tempore ſagitta ictus interiit.

Capvt XLIII.

C Igitur Agilulfus rex, qui & Ago eſt appellatus, poſtquam viginti & quinque annos regnauerat, diem clauſit extremum, relicto in regno filio ſuo Adaloaldo admodum puero, cum Theudelinda matre. Sub his Eccleſiæ reſtauratæ ſunt, & multæ dationes per loca venerabilia largitæ. Sed cum Adaloaldus euerſa mente inſaniret, poſtquam cum matre decem regnauerat annis, de regno eiectus eſt, & a Langobardis in eius loco Arioaldus ſubſtitutus eſt. De cuius regis geſtis, ad noſtram notitiam minime aliquid peruenit. Circa hæc tempora beatus Columbanus ex Scotorum genere oriundus, poſtquam in Gallia in loco qui Luxouius dicitur, monaſterium conſtruxerat, in Italiam veniens à Langobardorum rege gratanter exceptus eſt, cœnobiumque quod Bobium appellatur, in Alpibus Cottiis ædificauit, quod quadraginta millibus ab vrbe diuiditur Ticinenſi. Quo in loco & multæ poſſeſſiones à ſingulis principibus ſiue Langobardis largitæ ſunt, & magna ibi facta eſt congregatio monachorum.

D Capvt XLIV.

Igitur Arioaldus poſtquam ſuper Langobardos duodecim annis regnum tenuit, ab hac luce ſubtractus eſt. Langobardorum regnum Rothari genere Arodus ſuſcepit. Fuit autem viribus fortis, & iuſtitiæ tramitem ſequens, ſed tamen fidei Chriſtianæ non rectam lineam tenens Arrianæ hæreſeos perfidia maculatus eſt. Siquidem Arriani minorem patre filium, ſpiritum quoque ſanctum minorem patre & filio ſuam ad perniciem dicunt. Nos autem Catholici patrem & filium & ſpiritum ſanctum, in tribus perſonis vnum & verum Deum, æquali potentia eademque gloria confitemur. Huius temporibus pene per omnes ciuitates regni eius duo Epiſcopi erant, vnus Catholicus, & alter Arrianus. In ciuitate quoque Ticinenſi vſque nunc oſtenditur, vbi Arrianus Epiſcopus, apud baſilicam Sancti Euſebij reſidens, baptiſterium habuit, cum tamen Eccleſiæ catholicæ alius Epiſcopus præſideret. Qui tamen Arrianus Epiſcopus, qui in eadem ciuitate fuit Anaſtaſius nomine, ad fidem catholicam conuerſus E Chriſti poſtea Eccleſiam rexit. Hic Rothari rex, Langobardorum leges, quas ſola memoria & vſu retinebant, ſcriptorum ſerie compoſuit, codicemque ipſum edictum appellari præcepit. Erat autem iam ex quo Langobardi in Italiam venerant, annus ſeptuageſimus ſeptimus, ſicut idem rex in ſui edicti reſtatus eſt prologo.

Capvt XLV.

Ad hunc regem Arichis dux Beneuenti filium ſuum Aionem direxit. Qui cum Rauennam veniſſet, Ticinum pergens, ibi ei Romanorum malitia talis potio data eſt, quæ eum mente excedere faceret: atque ex eo tempore nunquam pleni ſanique ſenſus fuit. Igitur cum dux Arichis, huius de quo diximus pater, iam maturus annis ad diem vltimum propinquaſſet, ſciens filium ſuum Aionem non recti eſſe ſenſus, Radoaldum & Grimoaldum iam florem iuuentutis habentes, quaſi proprios filios Langobardis qui aderant commendauit; eiſque dixit, quod melius eos regere iſti, quam Aio filius ſuus poſſet. F

Capvt XLVI.

Defuncto ergo Arichis, qui ducatum quinquaginta tenuerat annis, Aio eius filius Samnitum ductor effectus eſt cui tamen Radoaldus & Grimoaldus, ſicut ſeniori fratri & domino, per omnia paruerunt. Qui Aio cum anno & menſibus quinque Beneuentanum ducatum regeret, venientes Sclaui cum multitudine nauium longe à ciuitate Seponto caſtra poſuerunt: Qui occultas foueas circa ſua caſtra facientes, cum Aio ſuper eos abſentibus Radoaldo & Grimoaldo veniſſet, eoſque debellare vellet, equus eius in vnam ex eiſdem foueis cecidit, atq; irruentibus ſuper eum Sclauis, ſimul cum aliquantis viris extinctus eſt. Quod cum Radoaldo nuntiatum fuiſſet, cito veniens, eiſdem Sclauis propria illorum lingua locutus eſt. Cumque propter hoc ſegniores ad bellum reddidiſſet, mox ſuper eos irruens, magnaque ſtrage eos proſternens, & Aionis mortem vltus eſt, & de illis finibus eos qui remanſerant hoſtes fugam petere coëgit. G

Capvt XLVII.

Igitur Rothari rex, Romanorum ciuitates ab vrbe Tuſciæ Lunenſe vniuerſas quæ in littore maris ſitæ ſunt, vſque ad Francorum fines cœpit. Opitergium quoque ciuitatem inter Taruiſium & Forumjulij poſitam, Pari modo expugnauit & diruit. Cum Rauennatibus & Romanis bellum geſſit, ad fluuium Æmiliæ, quod Scultenna dicitur: in quo bello à parte Romanorum reliquis terga dantibus, octo millia ceciderunt. Eo tempore magnus Romæ terræ motus factus eſt, magnaque fuit inundatio aquarum. Poſt hæc fuit clades ſcabierum, ita vt nullus potuiſſet mortuum ſuum agnoſcere propter nimium inflationis tumorem. Apud Beneuentum vero mortuo Radoaldo duce, qui ducatum quinque rexerat annis, Grimoaldus eius germanus dux effectus eſt, gubernauitque ducatum Samnitium annis viginti & quinque. Hic de captiua puella, ſed tamen nobili, cuius nomen Itta fuit. Romualdum filium & duas filias genuit. Qui cum eſſet vir H bellicoſiſſimus, & vbique inſignis, venientibus eo tempore Græcis, vt oraculum ſancti Michaëlis Archangeli in monte Gargano ſitum deprædarentur, Grimoaldus ſuper eos cum exercitu veniens, vltima eos cæde proſtrauit.

Capvt XLVIII.

At vero rex Rothari poſtquam annos ſedecim & menſes quatuor regnum tenuerat, vita decedens, Langobardorum regnum Rodoaldo ſuo filio reliquit. Hic cum iuxta baſilicam beati Iohannis baptiſtæ fuiſſet humatus, poſt aliquantum tempus quidam iniqua cupiditate ſuccenſus, eius ſepulchrum noctu aperuit, & quicquid in ornamentis eius corporis reperit, abſtulit. Cui beatus Iohannes per viſionem apparens, eum vehementer exterruit, eique dixit: Cur auſus es corpus iſtius hominis contingere? fuerit licet non recte credens, tamen mihi ſe commendauit. Quia igitur hoc facere præſumpſiſti, nunquam in meam

baſilicam

baſilica deinceps ingreſſum habebis. Quod ita quoque factum eſt. Quoties enim cumque voluiſſet beati Ioannis oraculum ingredi, ſtatim velut à validiſſimo pugili guttur eius feriretur, ſic ſubito retro ruebat impulſus. Veritatem in Chriſto loquor hoc mihi ipſe retulit, qui hoc ipſum ſuis oculis factum vidit.

Capvt XLIX.

Rodoaldus igitur poſt funus patris Langobardorum regnum ſuſcipiens, Gondibergam Agilulfi & Theudelindæ ſibi filiam in matrimonium ſociauit. Hæc Gundiberga regina ad inſtar ſuæ genetricis, ſicut illa in Modicia, ſic & iſta intra Ticinenſem ciuitatem, baſilicam in honorem beati Iohannis baptiſtæ conſtruxit. Quam mire ex auro & argento pepliſque decorauit, rebuſque ſingulis optime ditauit, in qua & eius corpus tumulatum quieſcit. Hæc cum de crimine adulterij apud virum accuſata fuiſſet, proprius eius ſeruus Carellus nomine, à rege expetiit, vt cum eo qui reginæ crimen ingeſſerat, pro caſtitate ſuæ dominæ monomachia dimicaret. Qui dum cum criminatore illo ſingulare certamen iniſſet, eum cuncto populo aſtante ſuperauit. Regina vero poſt hoc factum, ad dignitatem priſtinam rediit.

Capvt L.

Rodoaldus quoque (vt fertur) dum vxorem cuiuſdam Langobardi ſtupraſſet, ab eo interfectus eſt, poſtquam ſeptem diebus & quinque regnauerat annis. Huic ſucceſſit in regni regimine Aripertus filius, Gundualdi, qui fuerat germanus Theudelindæ reginæ. Hic condidit apud Ticinum oraculum domini Saluatoris, quod extra portam occidentalem, quæ dicitur Marenca, ſitum eſt; quod ornamentis variis decorauit, & ſubſtantiis ſufficienter ditauit.

Capvt LI.

His diebus defuncto Heraclio Auguſto, apud Conſtantinopolim, Heracleon eius filius cum matre Martina regni iura ſuſcepit, rexitque imperium duobus annis. Quo vita decedente ſucceſſit in locum eius Conſtantinus germanus eiuſdem, alius filius Heraclij, imperauitque menſibus ſex. Hoc etiam mortuo, Conſtantinus eiuſdem filius ad regni dignitatem aſcendit, tenuitque regnum annis octo & viginti.

Capvt LII.

Circa hæc tempora regis Perſarum coniux nomine Cæſara, de Perſide exiens cum paucis fidelibus, priuato habitu propter Chriſtianæ fidei amorem Conſtantinopolim venit. Quæ ab Imperatore honorifice ſuſcepta, poſt aliquot dies vt deſiderabat, baptiſmum conſecuta, & ab Auguſta de ſacro fonte leuata eſt. Quod vir eius Perſarum rex audiens, legatos Conſtantinopolim ad Auguſtum direxit, quatenus eidem ſuam vxorem redderet. Qui ad Imperatorem venientes, verba regis Perſarum nunciant, qui ſuam requirebat reginam. Imperator hæc audiens, remque omnino ignorans, eis reſponſum reddidit dicens: De regina quam quæritis fatemur nos nihil ſcire, præter quod ad nos hic aliqua mulier priuato habito aduenit. Legati vero reſponderunt dicentes: Si placet veſtro conſpectui, volumus hanc quam dicitis mulierem videre. Quæ cum iuſſu Imperatoris adueniſſet, mox vt eam conſpiciunt, ad eius veſtigia prouoluuntur, eique venerabiliter, quod eam ſuus vir requireret, ſuggerunt. Quibus illa reſpondit: Ite, renuntiate regi veſtro & domino, quia niſi ſicut ego iam credidi, ita & ipſe in Chriſtum crediderit, me iam vltra conſortem thori habere non poterit: Quid multa? Reuerſi legati ad patriam, vniuerſa quæ audierant, regi nunciant. Qui nihil moratus, cum ſexaginta millibus viris Conſtantinopolim pacifice ad Imperatorem venit, à quo & gratanter & ſatis digne ſuſceptus eſt. Qui cum vniuerſis in Chriſtum Dominum credens, pariter cum omnibus ſacri baptiſmatis vnda perfuſus, & ab Auguſto de fonte leuatus, catholica fide confirmatus eſt. Multiſque muneribus ab Auguſto honoratus, accepta ſua coniuge lætus & gaudens ad ſuam patriam repedauit. Circa hæc tempora mortuo apud Forum Iulij Graſulfo duce Forojulienſi, ducatum Ago regendum ſuſcepit. Apud Spoletum quoque Theudelapio defuncto, Atto eidem ciuitati ductor efficitur.

Capvt LIII.

Igitur Aripertus, poſtquam apud Ticinum per annos nouem Langobardos rexerat, diem obiens, regnum duobus filiis ſuis adhuc adoleſcentibus, Bertorido & Godeberto, regendum reliquit. Et Godebertus quidem Ticini ſedem regni habuit, Bertaridus vero in ciuitate Mediolanenſi. Inter quos fratres, facientibus malignis hominibus, diſcordiæ & odiorum fomes ſurrexit, in tantum vt alter alterius regnum inuadere conaretur. Qua de re Godebertus Garibaldum Taurinatium ducem ad Grimoaldum Beneuentanorum ſtrenuum tunc ductorem direxit, inuitans eum, vt quantocius veniret, & ſibi aduerſus germanum ſuum Bertaridum auxilium ferret, regiſque filiam ſuam germanam ei ſe daturum promittens. Sed legatus ipſe fraudulenter contra ſuum dominum agens, Grimoaldum exhortatus eſt vt veniret, & Langobardorum regnum, quod adoleſcentes germani diſſipabant, ipſe arriperet, qui ætate maturus, conſilio prouidus, & viribus fortis exiſteret. Grimoaldus hæc audiens, mox animum ad regnum Langobardorum obtinendum erexit. Ordinatoque apud Beneuentum Romualdo ſuo filio duce, ipſe cum electa manu Ticinum profecturus iter arripuit, ac per omnes ciuitates quas obuiam habuit, ſibi amicos & adiutores ad regnum percipiendum aſciuit. Traſemundum vero comitem Capuanum per Spoletum & Tuſciam direxit, vt per eas regiones Langobardos ſuo conſortio coaptaret. Qui imperata ſibi ſtrenue perficiens, ei cum multis adiutoribus apud Æmiliam in itinere occurrit. Igitur Grimoaldus cum prope Placentiam cum robuſta virorum multitudine adueniſſet, Garibaldum, qui legatus ad eum miſſus à Godeberto fuerat, Ticinum præmiſit, vt eidem Godeberto de ſuo aduentu nuntiaret. Qui ad Godebertum veniens, Grimoaldum citius aduentare dixit. Cumque Godebertus ab eo quæreret, quo in loco eidem Grimoaldo hoſpitium præparare deberet, Garibaldus ita reſpondit, quod dignum eſſet vt Grimoaldus qui pro eius cauſa venerat, eiuſque ſororem accepturus eſſet, hoſpitium intra palatium haberet. Quod ita quoque factum eſt. Nam adueniens Grimoaldus, intra palatium hoſpitium accepit. Iſdem vero Garibaldus, totius nequitiæ ſeminator, Godeberto perſuaſit, vt non aliter quam lorica ſub veſte indutus, cum Grimoaldo locuturus veniret; aſſerens quia Grimoaldus eum occidere vellet. Rurſus iſdem fallendi artifex, ad Grimoaldum veniens dixit, quod niſi ſe fortiter præpararet, eum Godebertus ſuo gladio perimeret, aſſeuerans Godebertum quando cum eo ad colloquendum veniret, loricam ſub veſte geſtare. Quid plura. Cum ad colloquium die craſtino veniſſent, & Godebertum poſt ſalutationem Grimoaldus amplexatus eſſet, ſtatim ſenſit quod loricam ſub veſte geſtaret. Nec mora, euaginato gladio eum vita priuauit, regnumque eius & omnem potentiam inuadens, ſuæ ſubdidit ditioni. Habebat autem tunc Godebertus iam filium paruulum nomine Reginbertum, qui à Godeberti fidelib⁹ ſublatus & occulte nutritus eſt. Nec eũ Grimoaldus perſequi curauit, quippe qui adhuc Infantulus eſſet. Quo audito Bertaridus qui apud Mediolanum regnabat, quod germanus eius eſſet extinctus, quanta potuit velocitate fugam arripuit, atque ad regem Auarum Cacanum peruenit, vxorem Rodelindam & paruulum filium nomine Cunibertum relinquens, quos Grimoaldus Beneuentum in exilium direxit. His ita geſtis Garibaldus, cuius inſtigatione & certamine iſta patrata ſunt, & non ſolum hæc egerat, ſed & fraudem in legatione ſua fecerat, dum munera quæ deferre Beneuentum debuerat, non integra deportaſſet; talium ergo operum patrator, non diu lætatus eſt. Erat quidam paruus homunculus, ex propria familia Godeberti oriundus in ciuitate Taurinatium. Is cum Garibaldum ducem ipſo ſacratiſſimo Paſchali die ad orationem in

A beati Iohannis baſilicam venturum ſciret, ſuper ſacrum baptiſterij fontem conſcendens, læuaque manu ſe ad columellam tugurij continens, vnde Garibaldus tranſiturus erat, euaginatum enſem ſub amictu tenens, cum iuxta eum Garibaldus veniſſet & pertranſiret, ipſe eleuato enſe, anniſu eundem in ceruicem percuſſit, caputque protinus amputauit. Super quem qui Garibaldo venerant irruentes, multis cum ictuum vulneribus occiderunt. Qui licet occubuerit, tamen Godeberti ſui domini iniuriam inſigniter vltus eſt.

Explicit liber quartus, de geſtis Langobardorum.

Incipiunt

B

CAPITA LIBRI QVINTI.

Cap. I. *Qvomodo Grimoaldus confirmato regno vxorem duxit, filiam Ariperti regis.*

Cap. II. *De fuga Bertaridi & quomodo ad Grimoaldum reuerſus eſt, & iterum in Franciam fugit.*

Cap. III. *De clementia Grimoaldi regis in Hunulſo & veſtiario Bertaridi.*

Cap. IV. *Quomodo Grimoaldus Hunulſum & veſtiarium Bertaridi ad eundem Bertaridum remiſit.*

Cap. V. *Bellum Grimoaldi aduerſus Francos, & victoria eius.*

Cap. VI. *Quomodo Conſtans Auguſtus Italiam veniens Beneuentum obſedit.*

Cap. VII. *Quomodo Grimoaldus inuitatus à filio ſuo Romoaldo Beneuentum aduenit.*

Cap. VIII. *Quomodo Imperator accepta obſide Romoaldi ſorore à Beneuento diceſſit.*

C Cap. IX. *Quomodo Imperatoris exercitum Micola Capuanus Comes afflixit.*

Cap. X. *Quomodo Romoaldus Saburrum ab Imperatore miſſum, cum viginti millibus vicit.*

Cap. XI. *De malis quæ Conſtans Auguſtus Romanis intulit, & de prædationibus quas ſingulis regionibus fecit: & quomodo extinctus eſt.*

Cap. XII. *De imperio Mecetij, & de morte ipſius.*

Cap. XIII. *Quomodo Sarraceni ab Alexandria venientes Siciliam depopulati ſunt, & quicquid Conſtans Auguſtus de Roma abſtulerat deprædati ſunt.*

Cap. XIV. *De morte Giſæ ſororis Romoaldi.*

Cap. XV. *De pluuiis & tonitruis quæ eo tempore nimia facta ſunt.*

Cap. XVI. *Quomodo rex Grimoaldus Traſemundum ducem apud Spoletum ordinauit, eique ſuam filiam in matrimonium tradidit.*

D Cap. XVII. *Quod in Foroiulij poſt Graſulſam Ago ducatum tenuit, & poſt hunc eorum ductor Lupus effectus eſt.*

Cap. XVIII. *Quomodo Lupus dux contra Grimoaldum rebellauit.*

Cap. XIX. *Quomodo ipſe dux bellum contra Auares geſſit.*

Cap. XX. *De morte Lupi ducis, & quomodo Auares Foroiulianorum fines deprædati ſunt.*

Cap. XXI. *Quomodo Auares volentes de Foroiulij exire, Grimoaldi aſtutia expulſi ſunt.*

Cap. XXII. *De VVarnefrido filio Lupi.*

Cap. XXIII. *De VVictari Foroiulianorum duce, & de eius victoria.*

Cap. XXIV. *De morte VVictari, & quomodo ei Landarus ſucceſſit, & de Rodoaldo qui poſt eum ducatum tenuit.*

Cap. XXV. *Quomodo Grimoaldus filiam Lupi ducis Romoaldo ſuo filio ſociauit.*

Cap. XXVI. *Quomodo Grimoaldus de ſuis contemptoribus ſe vltus eſt.*

E Cap. XXVII. *Quomodo Grimoaldus Forum populi expugnans deleuit.*

Cap. XXVIII. *De odio quod Grimoaldus aduerſus Romanos habuit.*

Cap. XXIX. *De Bulgarum duce Alzecone, & quomodo in Beneuento cum ſuis ordinatus eſt.*

Cap. XXX. *Quia extincto tyranno Mecetio, Conſtantinus in locum Conſtantis Auguſti Romanorum princeps effectus eſt.*

Cap. XXXI. *De ſtella Comete, & de operibus Papæ Doni.*

Cap. XXXII. *Quomodo Bertaridus ad regnum Saxonum in Britanniam ire depoſuit.*

Cap. XXXIII. *De morte Grimoaldi regis, & de reuerſione Bertaridi, & regno eius.*

Cap. XXXIV. *De monaſterio quod conſtruxit, vel quod regina eius ædificauit.*

F Cap. XXXV. *De Bertarido, & regno Cuniberti filij eius.*

Cap. XXXVI. *De rebellatione Alachis prima & quomodo in gratiam rediit.*

Cap. XXXVII. *De morte Bertaridi, & regno Cuniberti.*

Cap. XXXVIII. *Quomodo Alachis palatium Cuniberti inuaſit.*

Cap. XXXIX. *Quomodo Cunibertus rurſus ſuum palatium ingreſſus eſt.*

Cap. XL. *Bellum Alachis aduerſus Cunibertum.*

Cap. LXI. *Item bellum Cuniberti & Alachis, & de victoria Cuniberti, & quomodo triumphans Ticinum ingreſſus eſt.*

EXPLICIVNT CAPITA.

Incipit

G

LIBER QVINTVS

De geſtis Langobardorum.

CAPVT PRIMVM.

Confirmato itaque Grimoaldus regno apud Ticinum, non multo poſt tempore iam dudum pactam ſibi Ariperti regis filiam, cuius germanum Godebertum extinxerat, duxit vxorem. Beneuentanum vero exercitum, cuius auxilio regnum adeptus erat, multis ditatum muneribus remiſit ad propria. Aliquantos tamen ex eis ſecum habitaturos retinuit, largiſſimas eis tribuens poſſeſſiones.

CAPVT II.

Qui poſtquam comperit Bertaridum profugum Scythiam petiſſe, & apud Cacanum demorari, eidem Cacano Auarum regi per legatos mandauit, vt ſi Bertaridum in ſuo regno detineret, pacem quam Langobardis & ſecum hactenus habuerat, deinceps habere non poſſet. H Hæc Auarum rex audiens, aſcito Bertarido dixit ei, vt in quam partem vellet pergeret, ne propter eum Auares cum Langobardis inimicitias contraherent. Bertaridus vero hæc audiens, Italiam ad Grimoaldum reuertens repetiit, audierat enim eum clementiſſimum eſſe. Igitur cum ad Laudenſem ciuitatem veniſſet, miſit ante ſe ad Grimoaldum regem Hunulfum ſibi fideliſſimum virum, qui ſuum ei aduentum nuntiaret. Hunulfus vero ad regem veniens, Bertaridum in eius fide aduentare nuntiauit. Hæc ille audiens, fidenter promiſit in ſua eum fide venientem nihil mali paſſurum fore. Inter hæc Bertaridus adueniens, ad Grimoaldum ingreſſus, cum eius ſe veſtigiis aduoluere conatus eſſet, rex eum clementer retinuit, atque ad os ſuum ad oſculumque erexit. Ad quem Bertaridus: Seruus tuus ſum inquit, ſciens te Chriſtianiſſimum & pium eſſe, cum poſſem inter paganos viuere, fretus

de

A de tua clementia, ad tua veſtigia veni. Cui rex vt ſolebat iurando ita repromiſit dicens. Per eum qui me naſci fecit, poſtquam in meam fidem ad me veniſti, nihil mali in aliquo patieris, ſed ita de te ordinabo, vt decenter viuere poſſis. Tunc ei in ſpatioſa domo hoſpitium præbens; eum poſt vitæ laborem, habere requiem iuſſit, præcipiens eidem ex publico victum, & quæcunque eſſent neceſſaria largius miniſtrari. Bertaridus vero cum ad hoſpitium ſibi à rege præparatum veniſſet, mox ad eum Ticinenſium ciuium cœperunt turmæ concurrere, vt eum vel viderent, vel priſtina notitia cognitum ſalutarent. Verum quid non mala lingua irrumpere poteſt? Mox namque venientes ad regem quidam maligni adulatores, regi denuntiant, quia niſi Bertaridus citius vita priuaretur, ipſe regnum protinus cum vita perderet, aſſeuerantes ob hoc ad eum totam concurrere ciuitatem. His auditis Grimoaldus nimium credulus effectus, & quod promiſerat B oblitus, in innocentis Bertaridi ſtatim necem accenditur, conſiliumque iniit, qualiter eum, quia iam hora tardior erat, in craſtinum vita priuaret. Cui denique ad veſperam diuerſos cibos, vina quoque præcipua, variaque potionum genera tranſmiſit, vt eum inebriare poſſet, quatinus multa eadem nocte potatione reſolutus, vinoque ſepultus, de ſua nihil ſalute cogitare valeret. Tunc vnus qui de eius patris obſequio fuerat, cum eidem Bertarido ferculum regium attuliſſet, quaſi eum ſalutaturus, ſub menſa caput mittens, eidem ſecrete, quia rex eum occidere diſponeret, nuntiauit. Bertaridus vero ſtatim ſuo pincernæ præcepit, vt ſibi in fiala argentea non aliud quam aliquantulum aquæ propinaret. Cumque hi qui diuerſi generis potiones ei à rege deferebant, de verbo regis eum rogarent, vt totam fialam biberet, ille in honorem regis ſe totam bibere promittens, parum aquæ libabat de argenteo calice. Qui miniſtri dum hæc regi nuntiarent, quod ille auidiſſime biberet, rex lætus reſpondit; Bibat ebrioſus ille, cras enim pariter eadem vina mixta cum C ſanguine refundet. Bertaridus vero Hunulfo citius ad ſe aſcito, de ſua morte ei conſilium regis nuntiauit. Qui ſtatim ad domum ſuam puerum miſit vt ſibi lectiſternia afferret, lectumque ſibi iuxta ſtratum Bertaridi fieri præcepit. Nec mora, rex Grimoaldus ſuos ſatellites direxit, qui domum in qua Bertaridus quieſcebat, ne aliquo modo effugere poſſet, cuſtodire deberent. Cumque cœna finita eſſet, & egreſſis omnibus, Bertaridus tantum & Hunulfus ac veſtiarius Bertaridi remanſiſſent, qui vtique ei ſatis erant fideles, conſilium ei aperuit & obſecrauit eum vt cum Bertaridus fugeret; ipſe eum quam diu poſſet intra eiuſdem cubiculum quieſcere ſimularet. Cumque ille ſe hoc facturum ſpopondiſſet, Hunulfus pannos ſuos lecticarios, & culcitram, vrſinamque pellem, ſupra dorſum ac ceruicem Bertaridi impoſuit, eumque ex conſilio quaſi ruſticanum ſeruum extra ianuam impellere cœpit, multaſque ei iniurias faciens, fuſte eum percutere deſuper & vrgere non ceſſabat, ita vt impulſus atque ictus D ſæpius ad terram corrueret. Cumque eundem Hunulfum regis ſatellites qui ad cuſtodiam poſiti erant, requirerent quid hoc eſſet, ſeruus iſte, inquit, nequam lectum mihi in cubiculo iſtius ebrij Bertaridi ſtrauit, qui in tantum vino plenus eſt, vt quaſi mortuus ita cubet. Sed ſatis eſt quod eius huc vſque amentiam ſecutus ſum, iam deinceps in vita domini regis in domo propria manebo. Hæc illi audientes, & vera quæ audierant eſſe credentes, læti effecti ſunt, & eum pariterque Bertaridum, quem putabant ſeruum, quia opertum ne agnoſceretur habebat caput, locum illis dantes, abire permiſerunt. Illis autem abeuntibus, veſtiarius ille fideliſſimus, obſerato diligenter oſtio remanſit intrinſecus ſolus. Hunulfus vero Bertaridum de muri angulo, qui eſt à parte Ticini fluminis, per funem depoſuit, eique quos potuit ſocios coniunxit. Qui arreptis quos in paſtu inuenerant equis, eadem nocte ad Aſtenſem properant ciuitatem, in qua Bertaridi amici manebant. Deinde Bertaridus quantocius Taurinenſem vrbem petens, ac poſt clauſtra Italiæ tranſgreſſus, Francorum ad patriam peruenit. Sicque Deus omnipotens diſpoſitione miſericordi, & innocentem à morte eripuit, & ex animo bona facientem ab offenſione regem ſeruauit. E

Capvt III.

At vero rex Grimoaldus dum Bertaridum in hoſpitio ſuo quieſcere putaret, ab eodem hoſpitio vſque ad palatium ſuum acies hominum hinc & inde aſtare fecit, vt per eorum medium Bertaridus deduceretur, quatenus effugere minime poſſet. Cumque à rege miſſi veniſſent, qui Bertaridum ad palatium euocarent; & ad oſtium in quo eum quieſcere putabant pulſaſſent, veſtiarius ille qui introrſus erat, rogabat eos dicens: Miſericordiam cum eo facite, eumque paulNulum quieſcere ſinite, quia adhuc de itinere laſſus, grauiſſimo ſomno deprimitur. Quod cum illi adquieuiſſent, hoc ipſum regi nuntiauerunt, quia adhuc Bertaridus graui ſomno quieſceret. Tunc ille: Sic, inquit, heſterno ſero vino ſe adeo oppleuit, vt adhuc vigilare non poſſit? Quibus tamen præcepit, vt mox eum excitatum ad palatium deducerent. Qui venientes ad ia- F nuam cubiculi, in quo Bertaridum ſperabant quieſcere, cœperunt acrius pulſare. Tunc veſtiarius ille rurſum eos rogare cœpit, vt quaſi eundem Bertaridum aliquantulum adhuc dormire permitterent. Qui irati vociferantes iam ſatis ebrioſum illum quieuiſſe, mox calcibus eiuſdem cubiculi oſtium confringunt, ingreſſique Bertaridum in lectulo requirunt. Quem cum non inueniſſent, ad requiſita eum naturæ reſidere ſuſpicati ſunt. Quem cum nec ibi reperiſſent, veſtiarium illum interrogant, quid de Bertarido factum fuiſſet. Quibus ille fugiſſe eum reſpondit. Quem ſtatim capillis apprehenſum furentes, eumque verberantes ad palatium pertrahunt, cumque ad regis præſentiam perducentes, fugæ Bertaridi hunc eſſe conſcium, ideoque morte digniſſimum dicunt. Quem rex dimitti præcepit, eumque per ordinem, qualiter Bertaridus effugiſſet, inquiſiuit. Ille regi vniuerſa ſicut acta fuerant retulit. Tunc rex à circumſtantibus requiſiuit dicens: Quid vobis de homine iſto videtur, qui taliter per- G petrauit? Tunc omnes vna voce reſponderunt, eum eſſe dignum multis ſuppliciis excruciatum interire. At rex: Per eum qui me naſci fecit, inquit, dignus eſt homo iſte bene habere, qui ſe pro fide ſui domini morti tradere non recuſauit. Eumque mox inter ſuos veſtiarios eſſe præcepit admonens eum vt ſibi eandem fidem, quam erga Bertaridum habuerat, ſeruaret: multa ſe ei commoda largiturum promittens. Cum rex requireret quid de Hunulfo factum fuiſſet, nuntiatum eſt ei quod in beati Archangeli Michaëlis baſilicam confugium feciſſet. Qui mox ad eum miſit, ſponte promittens quod nihil pateretur mali, tantum in ſua fide veniret. Hunulfus vero talem regis promiſſionem audiens, mox ad palatium venit, atque ad regis veſtigia prouolutus, interrogatus ab eo eſt, quomodo aut qualiter Bertaridus euadere potuiſſet. At ille cum ei cuncta ex ordine retuliſſet, rex eius fidem & prudentiam collaudans, omnes facultates, & quicquid habere poterat, eidem clementer conceſſit.

Capvt IV. H

Cumque poſt aliquod tempus rex Hunulfum inquireret, vtrum vellet ipſis diebus cum Bertarido eſſe? ille iureiurando ait, cum Bertarido prius ſe velle mori, quam vſquam alibi in ſummis deliciis viuere. Tunc rex veſtiarium illum requiſiuit, dicens, vtrum melius ei eſſet ſecum in Palatio manere, an cum Bertarido in peregrinatione degere. Qui cum ei ſimilia, ſicut & Hunulfus, reſpondiſſet; rex eorum verba benigne ſuſcipiens, eorumque fidem collaudans, præcepit Hunulfo vt quicquid vellet de domo ſua tolleret, pueros ſcilicet & equos & diuerſam ſuppellectilem, & ad Bertaridum illæſus properaret. Pari etiam modo & veſtiarium illum abſoluit. Qui omnia ſua ſecundum benignitatem regis ſufficienter tollentes, cum eiuſdem regis adiutorio Francorum in patriam ad ſuum dilectum Bertaridum ſunt profecti.

Capvt V.

Hac tempeſtate Francorum exercitus de prouincia egre-

A diens, in Italiam introiuit: contra quos Grimoaldus cum Langobardis progreſſus, hac eos arte decepit. Fugere quippe ſe eorum impetum ſimulans caſtra ſua ſimul cum tentorijs, & diuerſis pariter referta bonis, præcipueque vini optimi copia, adductis hominibus omnino vacua reliquit. Quo dum Francorum acies aduenissent, exiſtimantes Grimoaldum cum Langobardis pauore perterritos caſtra integra reliquiſſe, mox læti effecti certatim cuncta inuadunt, cœnamque affluentiſſimam inſtruunt. Qui dum diuerſis epulis, multoque degrauati vino ſomnoque quieuiſſent, Grimoaldus ſuper eos poſt noctis medium irruens, tanta eos cæde proſtrauit, vt vix pauci ex eis elapſi, ad patriam valuerint repedare. Qui locus vbi hoc geſtum eſt prælium Francorum, vſque hodie Riuus appellatur, nec longe diſtat ab Aſtenſis ciuitatis mœnibus.

Capvt VI.

His diebus Conſtantinus Auguſtus, qui & Conſtans eſt appellatus, Italiam de Langobardorum manu eruere cu- B piens. Conſtantinopoli egreſſus per littoralia iter habens, Athenas venit, indeque mare tranſgreſſus, Tarentum applicuit, Qui tamen prius ad ſolitarium quendam, qui prophetiæ ſpiritum habere dicebatur, abiit, ſtudioſe ab eo ſciſcitans, vtrum gentem Langobardorum, quæ in Italia habitabat, ſuperare & obtinere poſſet. A quo cum ſeruus Dei ſpatium vnius noctis expetiſſet, vt pro hoc ipſo dominum ſupplicaret, facto mane ita eidem Auguſto reſpondit. Gens Langobardorum ſuperari modo ab aliquo non poteſt, quia regina quædam ex alia prouincia veniens, baſilicam beati Iohannis baptiſtæ in Langobardorum finibus conſtruxit, & propter hoc ipſe beatus Iohannes pro Langobardorum gente continue intercedit. Veniet autem tempus quando ipſum oraculum habebitur deſpectui, & tunc gens ipſa peribit. Quod nos ita factum eſſe probauimus, qui ante Langobardorum perditionem, eandem beati Iohannis baſilicam, quæ vtique in loco qui Modicia dicitur eſt conſtituta, per viles perſonas ordinari conſpeximus, ita vt indignis & adulteris non pro C vitæ merito, ſed præmiorum datione iſdem locus venerabilis largiretur.

Capvt VII.

Igitur cum vt diximus, Conſtans Auguſtus Tarentum veniſſet, egreſſus exinde Beneuentanorum fines inuaſit, omneſque pene per quas venerat Langobardorum ciuitates cepit. Luceriam quoque opulentam Apuliæ ciuitatem expugnatam fortius inuadens diruit, & ad ſolum vſque proſtrauit: Acentiam ſane propter munitiſſimam loci poſitionem capere minime potuit. Deinde cum omni ſuo exercitu Beneuentum circundedit, & eam vehementer expugnare cœpit, vbi tunc Romoaldus Grimoaldi filius, adhuc iuuenculus ducatum tenebat. Qui ſtatim vt Imperatoris aduentum cognouit, nutritium ſuum nomine Seſualdum ad patrem Grimoaldum trans Padum direxit, obſecrans vt quantocius veniret, filioque ſuo ac Beneuentanis, quos ipſe nutrierat, potenter ſuccurreret. Quod Grimoaldus rex audiens, ſtatim cum exercitu filio laturus D auxilium Beneuentum pergere cœpit. Quem plures ex Langobardis in itinere relinquentes, ad propria remearunt, dicentes: quia expoliaſſet palatium, & iam non reuerſurus repeteret Beneuentum. Interim Imperatoris exercitus Beneuentum diuerſis machinis vehementer expugnabat, è contra Romoaldus cum Langobardis fortiter reſiſtebat. Qui quamuis cum tanta multitudine congredi manu ad manum, propter paucitatem exercitus, non auderet, frequenter tamen cum expeditis iuuenibus hoſtium caſtra irrumpens, magnas eiſdem inferebat vndique clades. Grimoaldus eius pater cum iam iamque properaret, eundem nutritium eius de quo præmiſimus, ad filium miſit, qui ei ſuum aduentum nunciaret, Qui cum prope Beneuentum veniſſet, à Græcis captus, Imperatori delatus eſt. Qui ab eo vnde veniret, requirens, ille ſe à Grimoaldo rege venire, eundemque regem citius aduentare nunciauit. Statimque Imperator exercitus conſilium cum ſuis iniit, quatenus cum Romoaldo paſciſceretur, vt Neapolim poſſet reuerti.

Capvt VIII.

E Accepta ita obſide Romoaldi ſorore, cui nomen Giſa fuit, cum eodem pacem fecit. Eius vero nutricium Seſualdum ad muros duci præcepit, mortem eidem minatus, ſi aliquid Romoaldo aut ciuibus de Grimoaldi aduentu nunciaret, ſed potius aſſeueraret eundem minime venire poſſe. Quod ille ita ſe facturum vt ei præcipiebatur promiſit; ſed cum prope muros aduenisset, velle ſe Romoaldum videre dixit. Qui Romoaldus cum citius aduenisset, ſic ad eum locutus eſt: Conſtans eſto domine Romoalde, & habens fiduciam noli turbari, quia tuus genitor citius tibi auxilium præbiturus aderit. Nam ſcias eum hac nocte iuxta Sangrum fluuium cum valido exercitu manere, tantum obſecro vt miſericordiam exhibeas meæ vxori & filiis, quia gens iſta perfida me viuere non ſinet. F Cumque hoc dixiſſet, iuſſu Imperatoris caput abſciſſum eſt, atque cum belli machina, quam petrariam vocant, in vrbem proiectum eſt. Quod caput Romoaldus ſibi deferri iuſſit, idque lachrymans oſculatus eſt, dignoque in loculo tumulari præcepit.

Capvt IX.

Metuens igitur Imperator ſubitum Grimoaldi regis aduentum, dimiſſa Beneuenti obſidione, Neapolim proficiſcitur. Cuius tamen exercitum Mittola Capuanus Comes iuxta fluenta Caloris fluminis, in loco qui vſque hodie Pugna dicitur, vehementer attriuit.

Capvt X.

Poſtquam vero Imperator Neapolim peruenit, vnus ex eius optimatibus, cui nomen Saburrus erat, ab Auguſto vt fertur viginti millia militum expetiit, ſeque cum Romoaldo pugnaturum victoremque ſpopondit. Qui cum G accepto exercitu ad locum cui Forinus nomen eſt aduenisset, ibique caſtra poſuiſſet, Grimoaldus qui iam Beneuentum aduenerat, hæc audiens, contra eum proficiſci voluit. Cui filius Romoaldus, non eſt opus, inquit, ſed tantum partem nobis de exercitu veſtro tribuite. Ego Deo fauente cum eo pugnabo, & cum vicero maior vtique gloria veſtræ potentiæ adſcribetur. Factumque eſt, & accepta aliqua parte de patris exercitu, pariterque cum ſuis hominibus contra Saburrum proficiſcitur. Qui prius quam bellum cum eo iniret, à quatuor partibus tubas inſonare præcepit, moxque ſuper eos audenter irruit. Cumque vtræque acies forti intentione pugnarent, tunc vnus de exercitu regis nomine Amalongus, qui regium contum ferre erat ſolitus, quendam Græculum eodem conto vtriſque manibus fortiter percutiens, de ſella ſuper quam equitabat ſuſtulit, eumque in aëra ſuper caput ſuum leuauit. Quod cernens Græcorum exercitus, mox immenſo pauore perterritus, in fugam conuertitur, vltimaque pernicie cæſus, ſibi fugiendo mortem, Romoaldo & Langobardis victoriam peperit. Ita Saburrus qui ſe Imperatori H ſuo victoriæ tropheum de Langobardis promiſerat patrare, ad eum cum paucis remaneans ignominiam deportauit. Romoaldus vero parta de inimicis victoria, Beneuentum triumphans reuerſus eſt, patrique gaudium & cunctis ſecuritatem ſublato hoſtium timore conuexit.

Capvt XI.

At vero Conſtans Auguſtus, cum nihil ſe contra Langobardos geſſiſſe conſpiceret, omnes ſæuitiæ ſuæ minas contra ſuos, hoc eſt Romanos retorſit. Nam egreſſus Neapoli Romam perrexit. Cui ſexto ab vrbe milliario Vitalianus Papa cum ſacerdotibus & Romano populo occurrit. Qui Auguſtus cum ad beati Petri limina perueniſſet, obtulit ei pallium auro textum: & manens apud Romanos diebus duodecim, omnia quæ fuerant antiquitus inſtituta ex ære in ornamentum ciuitatis depoſuit, in tantum vt etiam baſilicam beatæ Mariæ, quæ aliquando Pantheon vocabatur, & conditum fuerat in honorem omnium deorum, & iam ibi per conceſſionem ſuperiorum Principum, locus erat omnium martyrum, diſcooperiret, tegulaſque æreas exinde auferret, eaſque ſimul

cum

A cum aliis omnibus ornamentis, Conſtantinopolim tranſmitteret. Deinde reuerſus Imperator Neapolim, itinere terreno perrexit in ciuitatem Regium. Ingreſſuſque Siciliam per indictionem ſeptimam, habitauit in Siracuſa, & tales afflictiones impoſuit populo ſeu habitatoribus vel poſſeſſoribus Calabriæ, Siciliæ, Africæ, atque Sardiniæ, quales antea nunquam auditæ ſunt, ita vt etiam vxores à maritis, vel filij à parentibus ſepararentur. Sed & alia multa & inaudita illarum regionum populi ſunt perpeſſi, ita vt nulli ſpes vitæ remaneret. Nam & vaſa & cimelia ſanctarum Dei Eccleſiarum, imperiali iuſſu & Græcorum auaritia ſublata ſunt. Manſit autem Imperator in Sicilia ab indictione ſeptima vſque in duodecimam: ſed tandem tantarum iniquitatum pœnas luit, atque dum ſe in balneo lauaret, à ſuis extinctus eſt.

Capvt XII.

Interfecto igitur apud Siracuſas Conſtante Imperatore
B Mecetius in Sicilia regnum arripuit, ſed abſque Orientalis exercitus voluntate. Contra quem Italiæ militiæ milites, alij per Hiſtriam, alij per partes Campaniæ, alij vero à partibus Africæ & Sardiniæ venientes, vehementer in Siracuſas irruerunt, eumque vita priuauerunt. Multi ex iudicibus eius detruncati, multique Conſtantinopolim perducti ſunt: cum quibus pariter & falſi Imperatoris caput eſt deportatum.

Capvt XIII.

Hæc audiens gens Saracenorum, quæ Alexandriam & Ægyptum peruaſerat, ſubito cum multis nauibus venientes Siciliam inuadunt, Siracuſas ingrediuntur, multamque ſtragem faciunt populorum, vix paucis euadentibus qui per munitiſſima caſtra & iuga confugerant montium. Auferentes quoque prædam nimiam, & omne illud quod Conſtans Auguſtus à Roma abſtulerat ornatum in ære & diuerſis ſpeciebus, ſicque Alexandriam reuerſi ſunt.

Capvt XIV.

C Porro regis filia, quam de Beneuento obſidem nomine Giſa ſublatam diximus, Siciliam veniens diem clauſit extremum.

Capvt XV.

Hoc tempore tantæ pluuiæ tantaque tonitrua fuerunt, quanta ante nullus meminerit hominum, ita vt innumera hominum & animantium millia fulminibus eſſent perempta. Eo anno legumina, quæ propter pluuias colligi nequiuerant, iterum renata & ad maturitatem vſque perducta ſunt.

Capvt XVI.

At vero Grimoaldus ereptis Beneuentanis & eorum prouinciis à Græcis, apud Ticinum ad palatium ſuum repedare diſponens, Traſemundum qui dudum Capuæ comes fuerat, & ei ad percipiendum regnum ſtrenuiſſime
D parierat, data ei in matrimonium ſua filia, Romoaldi altera ſorore, eum poſt Attonem, de quo ſuperius diximus, apud Spoletum ductorem fecit, indeque Ticinum reuerſus eſt.

Capvt XVII.

Si quidem, vt ſuperius præmiſeramus, Graſulfo Forojulianorum duce defuncto, ſucceſſor eius in ducatu Ago datus de cuius nomine vſque hodie domus quædam intra Forumjulij conſtituta, domus Agonis appellatur. Quo Agone mortuo, Forojulianorum ductor Lupus efficitur. Hic Lupus in Grados inſulam, quæ non longe ab Aquileia eſt, cum equeſtri exercitu, per ſtratam quæ antiquitus per mare facta fuerat introiuit. Et deprædata ipſa ciuitate, Aquileienſis Eccleſiæ theſauros exinde auferens deportauit. Huic Lupo quando Grimoaldus Beneuentum perrexit, ſuum palatium commendauit.

Capvt XVIII.

Qui Lupus dum rege abſente multa inſolenter apud Ticinum egiſſet, quippe quia eum reuerſurum non æſtimaret, reuertente rege ſciens eidem ea quæ non recte E
geſſerat diſplicere, Forumjulij petens, contra eundem regem ſuæ nequitiæ conſcius rebellauit.

Capvt XIX.

Tunc Grimoaldus nolens ciuile bellum inter Langobardos excitare, regi Auarum Cacano mandauit, vt in Forumjulij contra Lupum ducem cum exercitu veniret, eumque bello protereret. Quod & factum eſt. Nam veniente Cacano cum magno exercitu in loco qui Fluuius dicitur, ſicut nobis retulerunt ſeniores viri qui in ipſo bello fuerunt, per tres dies Lupus dux cum Forojulianis, aduerſus Cacani exercitum conflixit. Et prima quidem die validum eius exercitum paucis ſuis vulneratis proſtrauit, ſecunda vero die iam aliquantis è ſuis vulneratis & mortuis, pari modo multos ex Auaribus extinxit. Tertia vero die iam pluribus ex ſuis ſauciatis, ſiue peremptis, nihilominus magnum Cacani exercitum deleuit, F
prædamque copioſam inuaſit. At vero die quarto tantam ſuper ſe multitudinem conſpexerunt venientem, vt vix per fugam euadere poſſent.

Capvt XX.

Ibi itaque Lupo duce perempto, reliqui qui remanſerant, ſeſe per caſtella communiunt. Auares vero per omnes eorum fines diſcurrentes, cuncta rapinis inuadunt, vel ſuppoſito igne comburunt. Qui cum per aliquot dies hoc facerent, à Grimoaldo eis mandatum eſt, vt iam à deuaſtatione quieſcerent. Qui legatos ad Grimoaldum mittunt dicentes, Forumjulij ſe minime relicturos, quam armis propriis conquiſiſſent.

Capvt XXI.

Tunc Grimoaldus neceſſitate compulſus exercitum coadunari præcepit, quatinus Auares de ſuis finibus exturbaret. In medio itaque campo ſua caſtra contra Auarum hoſtium componens, cum exercitus partem exi- G
guam haberet, & Cacanus ad eum legatos mitteret, eoſdem ipſos quos habebat diuerſo habitu variiſque instructos armis, ante oculos legatorum per dies aliquot, quaſi nouus iugiter exercitus aduentaret, frequenter tranſire fecit. Auarum vero legati dum eundem ipſum exercitum, aliis & aliis modis prætereuntem conſpiciunt, immenſam Langobardorum multitudinem eſſe crediderunt. Quibus Grimoaldus ita dixit; Cum omni quam vidiſtis exercitus multitudine ſtatim ſuper Cacanum irruam & Auarum exercitus diſperdam, niſi de Forojulianorum finibus velociter exierint. His viſis & auditis, legati Auarorum cum hæc ſuo regi nuntiaſſent, mox cum omni ſuo exercitu ad proprium reuerſus eſt regnum.

Capvt XXII.

Denique Lupo hoc modo vt præmiſimus interempto, VVarnefridus eius filius voluit in loco patris apud Fo- H
rumjulij obtinere ducatum. Sed metuens Grimoaldi regis vires, fugit ad Sclauorum gentem in Carnuntum, quod corrupte vocitant Carantanum. Qui poſtea cum Sclauis adueniens, quaſi ducatum eorum viribus reſumpturus, apud Nemas caſtrum, quod non longe à Forojulij diſtat, irruentibus ſuper ſe Forojulianis, extinctus eſt.

Capvt XXIII.

Deinde ordinatus eſt apud Forumjulij dux VVectari, qui fuit oriundus de Vincentia ciuitate, vir benignus & populum ſuauiter regens. Hunc cum audiſſet Sclauorum gens Ticinum profectum eſſe, congregata valida multitudine, voluerunt ſuper Forojulianorum caſtrum irruere. Et venientes caſtra metati ſunt in loco qui Broxas dicitur, non longe à Forojulij. Secundum diuinam autem diſpoſitionem contingit, vt dux VVectari ſuperiori veſpere à Ticino reuerteretur neſcientibus Sclauis. Cuius Comites cum ad propria (vt aſſolet fieri,) remeaſſent, ipſe hoc nuntium de Sclauis audiens, cum paucis viris, hoc

eſt

A eſt cum viginti quinque, contra eos progreſſus eſt. Quem Sclaui cum tam paucis venire conſpicientes, irriſerunt dicentes, Patriarcham contra ſe cum clericis aduentare. Qui cum ad pontem Natiſonis fluminis, qui ibidem eſt vbi Sclaui reſidebant, propinquaſſet, caſſidem ſibi de capite auferens, vultum ſuum Sclauis oſtendit, erat enim caluo capite. Quem dum Sclaui quia Ipſe eſſet VVectari cognouiſſent, mox perturbati VVectari adeſſe clamitant. Deoque eos exterrente plus de fuga, quam de prælio cogitant. Tunc ſuper eos VVectari cum paucis quos habebat Irruens, tanta eos ſtrage proſtrauit, vt ex quinque millibus viris vix pauci qui euaderent remanerent.

Capvt XXIV.

Poſt hunc VVectari Laudari apud Forumjulij ducatum tenuit. Quo defuncto, ei Rodoaldus in ducatum ſucceſſit.

Capvt XXV.

B

Mortuo igitur vt diximus Lupo duce, Grimoaldus rex filiam eius nomine Theudetadam, ſuo filio Romoaldo, qui Beneuentum regebat, In matrimonium tradidit. Ex qua tres filios, hoc eſt Grimoaldum, Giſulfum, nec non & Arichis genuit.

Capvt XXVI.

Rex quoque Grimoaldus de omnibus illis qui eum quando Beneuentum profectus fuerat deſeruerunt, ſuas iniurias vultus eſt.

Capvt XXVII.

Sed & Forumpopilij, Romanorum ciuitatem, cuius ciues eidem aduerſa quædam intulerant, Beneuentum proficiſcenti, miſſoſque illius euntes & redeuntes à Beneuento ſæpius læſerant, hoc modo deleuit. Quadrageſimorum tempore per Alpem Bardonis Tuſciam ingreſſus, neſcien-

C tibus omnino Romanis, in ipſo Sacratiſſimo Sabbato Paſchali, ſuper eandem ciuitatem, ea hora qua baptiſmus fiebat, inopinate irruit, tantamque occiſorum ſtragem fecit, vt etiam Diaconos ipſos qui infantulos baptizabant, in ipſo ſacro fonte perimeret. Sicque eandem vrbem deiecit, vt vſque hodie pauciſſimi in ea commaneant habitatores.

Capvt XXVIII.

Erat quidem Grimoaldo contra Romanos non mediocre odium, pro eo quod eius quondam germanos Taſonem & Cacconem in ſua fide decepiſſent. Quam ob cauſam Opitergium ciuitatem, vbi ipſi extincti ſunt funditus deſtruxit, eorumque qui ibi aderant fines, Foroiulianis Taruiſianiſque & Cenetenſibus diuiſit.

Capvt XXIX.

Per hæc tempora Bulgarorum dux Alzeco nomine, incertum quam ob cauſam à ſua gente digreſſus, Italiam pacifice introiens, cum omni ſui ducatus exercitu, ad re-

D gem Grimoaldum venit, ei ſe ſeruiturum atque in eius patria habitaturum promittens. Quem ille ad Romoaldum filium ſuum Beneuentum dirigens, vt ei cum ſuo populo loca ad habitandum concedere deberet, præcepit. Quos Romoaldus gratanter excipiens, eiſdem ſpatioſa ad habitandum loca, quæ vſque ad illud tempus deſerta erant contribuit, ſcilicet Sepianum, Bouianum, & Iſerniam, & alias cum ſuis territoriis ciuitates, ipſumque Alzeconem mutato dignitatis nomine de duce Gaſtaldium vocitari præcepit. Qui vſque hodie in his vt diximus locis habitantes, quamquam & Latine loquantur, linguæ tamen proprie vſum minime amiſerunt.

Capvt XXX.

Igitur extincto, vt diximus, apud Siciliam Conſtante Auguſto, punitoque qui ei ſucceſſerat Mecentio Tyranno, Romanorum regnum Conſtantius Conſtantij Auguſti filius ſuſcepit regendum, Romaniſque principatus eſt annis decem & ſeptem. Conſtantini ſane temporibus Theo-

dorus Archiepiſcopus & Adrianus abbas viri æque doctiſſimi, à Vitaliano Papa miſſi in Britanniam, plurimas Eccleſias Anglorum doctrinæ Eccleſiaſticæ fruge fœcundarunt. E quibus Theodorus Epiſcopus peccantium iudicia, quantis ſcilicet annis pro vnoquoque peccato quis pœnitere debeat, mirabili & diſcreta conſideratione deſcripſit. E

Capvt XXXI.

In ſequenti poſt tempore menſe Auguſto, à parte Orientis ſtella Cometes apparuit nimis fulgentibus radiis, quæ poſt in ſemetipſam reuerſa diſparuit. Nec mora; grauis peſtilentia ab eadem parte Orientis ſecuta, Romanum populum deuaſtauit. His diebus Donus Papa Romanæ Eccleſiæ locum qui Paradiſus dicitur, ante baſilicam B. Apoſtoli Petri, candidis & magnis marmoribus mirifice ſtrauit.

Capvt XXXII.

Hanc tempeſtate Francorum regnum apud Gallias Da- F

gobertus regebat, cum quo rex Grimoaldus pacis firmiſſimæ fœdus inierat. Cuius Grimoaldi vires Bertaridus etiam apud Francorum patriam conſtitutus metiens, egreſſus è Gallia, ad Britanniam inſulam Saxonumque regem properare diſponit.

Capvt XXXIII.

At vero Grimoaldus cum nono die poſt phlebotomiam in ſuo palatio conſtitutus, accepto arcu columbam ſagitta percutere niſus eſſet, eius brachij vena dirupta eſt. Cui, vt ferunt, medici venenata medicamina ſupponentes, eum ab hac funditus priuauerunt luce. Hic edicto quod Rothari rex compoſuerat, aliqua quoque capitula legis quæ ei vtilia viſa ſunt adiecit. Fuit autem corpore prævalidus, audacia primus, caluo capite, barba prominenti, non minus conſilio quam viribus decora-

tus. Sepultum eſt autem eius corpus in baſilica beati Ambroſij Confeſſoris, quam dudum ipſe intra Ticinenſem G

conſtruxerat ciuitatem. Hic poſt mortem Ariperti regis, expleto iam anno vno & menſibus tribus, Langobardorum regnum inuaſit, regnauitque ipſe annis nouem, relicto Garibaldo filio ſuo, quem ei Ariperti regis filia genuerat, rege adhuc puerilis ætatis. Igitur, vt dicere cœperamus, Bertaridus egreſſus de Gallia nauem aſcendit, vt ad Britanniam inſulam ad regnum Saxonum tranſmearet. Cumque iam aliquantum per pelagus nauigaſſet, vox à littore audita eſt inquirentis verum Bertaridus in eadem naue conſiſteret? Cui cum reſponſum eſſet quod Bertaridus ibi eſſet, ille qui clamabat ſubiunxit: Dicite illi, reuertatur in patriam ſuam, quia tertia dies eſt hodie, quod Grimoaldus ab hac ſubtractus eſt luce. Quo audito Bertaridus ſtatim poſt ſe reuerſus eſt, veniensque ad littus inuenire perſonam non potuit, quæ ei de Grimoaldi morte nuntiauit. Vnde arbitratus eſt, non hunc homi-

nem, ſed diuinum nuncium fuiſſe. Exinde ad patriam H

rediens, cum ad clauſtra Italiæ veniſſet, iam ibi omnia obſequia Palatina, omnemque regiam dignitatem, cum magna Langobardorum multitudine præparatam eſſe reperit. Exinde itaque Bertaridus Ticinum reuerſus, exturbato Garibaldo puerulo à regno, ab vniuerſis Langobardis menſe tertio poſt mortem Grimoaldi in regnum leuatus eſt. Erat autem vir pius, fide catholicus, iuſtitiæ tenax, pauperumque largiſſimus nutritor. Qui ſtatim Beneuentum miſit, exindeque Rodelindam ſuam coniugem & Cunibertum filium ſuum reuocauit.

Capvt XXXIV.

Qui vt regni iura ſuſcepit, in loco illo, qui à parte fluminis Ticini eſt, vnde ipſe olim fugerat, monaſterium quod Nouum appellatur, domino & liberatori ſuo, in honorem Virginis & martyris Agathæ conſtruxit. In quo multas virgines aggregauit, rebuſque diuerſis pariterque ornamentis eundem locum ditauit. Regina vero vxor eius

A Rodelinda baſilicam ſanctæ Dei genitricis extra muros eiuſdem ciuitatis Ticinenſis, quæ ad Perticas appellatur, opere mirabili condidit, ornamentiſque mirificis decorauit. Ad Perticas autem locus ipſe ideo dicitur, quia ibi olim perticæ, id eſt trabes erectæ ſteterant, quæ ob hanc cauſam iuxta morem Langobardorum poni ſolebant. Si quis enim in aliquam partem, aut in bello aut quomodocunque extinctus fuiſſet, conſanguinei eius intra ſepulchra ſua perticam figebant, in cuius ſummitate columbam ex ligno factam ponebant quæ illuc verſa eſſet, vbi illorum dilectus obiiſſet; Scilicet vt ſciri poſſet in quam partem is qui defunctus fuerat quieſceret.

Capvt XXXV.

Igitur Bertaridus cum ſolus per annos ſeptem regnaſſet, octauo iam anno Cunibertum filium ſuum in regno B conſortem aſciuit, cum quo pariter per decem annos regnauit.

Capvt XXXVI.

Cumque in magna pace degerent, & ex omni parte in circuitu tranquillitatem haberent, ſurrexit contra eos filius iniquitatis, Alachis nomine, per quem in regno Langobardorum perturbata pace, maxime populorum factæ ſunt ſtrages. Hic dum dux eſſet in Tridentina ciuitate, cum comite Baioariorum, quem illi Grauionem dicunt, qui Bauzanum & reliqua caſtella regebat, conflixit, eumque mirifice ſuperauit: Qua de cauſa elatus, etiam contra regem ſuum Bertaridum manum leuauit, atque ſe intra Tridentinum caſtellum rebellans communiuit. Contra quem rex Bertaridus progreſſus, cum eum extrinſecus obſideret, inopinate ſubito Alachis cum ſuis ciuitatem egreſſus, regis caſtra protriuit, regemque ipſum fugam petere compulit. Qui tamen poſtmodum faciente Cuniberto regis filio, qui eum iam olim diligebat, in regis Bertaridi gratiam reuerſus eſt. C Qui rex cum eum interficere aliquotiens voluiſſet, Cunibertus eius filius hoc fieri ſemper prohibuit, reputans eum de reliquo fidelem exiſtere. Nec deſtitit apud patrem obtinere quinetiam ei ducatum Brexiæ contribueret, reclamante ſæpius patre, quod in ſuam hoc Cunibertus perniciem faceret, qui hoſti ſuo ad regnandum vires præberet. Brexiana denique ciuitas magnam ſemper nobilium Langobardorum multitudinem habuit, quorum auxilio metuebat Bertaridus Alachis potentiorem fore. His diebus Rex Bertaridus in ciuitate Ticinenſi portam contiguam palatio, quæ & Palatinenſis dicitur, opere mirifico conſtruxit.

Capvt XXXVII.

Qui cum decem & octo annis, & primum ſolus, & poſt cum filio regnum tenuiſſet, ab hac luce ſubtractus eſt, corpuſque illius iuxta baſilicam domini ſaluatoris, D quam Aripertus eius genitor conſtruxerat, ſepultum eſt. Fuit autem ſtatura decens, corpore plenus, mitis per omnia & ſuauis. At vero Cunibertus rex Hermelindam ex Saxonum Anglorum genere duxit vxorem. Quæ cum in balneo Theodotem puellam ex nobiliſſimo Romanorum genere ortam, eleganti corpore, & flauis prolixiſque capillis pene vſque ad pedes decoratam vidiſſet, eius pulchritudinem ſuo viro Cuniberto regi laudauit. Qui ab vxore hoc libenter audire diſſimulans, in magnum tamen puellæ exarſit amorem. Nec mora, venatum in ſiluam quam Vrbem appellant perrexit, ſecumque ſuam Hermelindam venire præcepit. Qui exinde noctu egrediens Ticinum rediit, & ad ſe Theodotem puellam venire faciens, cum ea concubuit. Quam tamen poſtea in monaſterium, quod de illius nomine intra Ticinum appellatum eſt, miſit.

Capvt XXXVIII.

Alachis vero iam dudum conceptam iniquitatem parturiens, annitentibus Aldone & Grauſone Brexianis ciuibus, ſed & aliis multis ex Langobardis, oblitus tan- E torum beneficiorum, quæ in eum rex Cunibertus impenderat, oblitus etiam iuſiurandi, quo et ſe fideliſſimum eſſe ſpoponderat cum Cunibertus abeſſet, regnum eius & palatium intra Ticinum poſitum inuaſit. Quod Cunibertus vbi erat audiens, ad inſulam quæ intra lacum Larium non longe à Como eſt confugit, ibique ſe fortiter communiuit. Facta eſt autem magna tribulatio omnibus qui eum diligebant, & maxime ſacerdotibus & clericis, quos omnes Alachis exoſos habebat. Erat autem eo tempore Ticinenſis Eccleſiæ Epiſcopus, vir domini Damianus, ſanctitate præcipuus, liberalibus artibus ſufficienter inſtructus. Is cum Alachis palatium inuaſiſſe conſpiceret, ne quid ab eo ipſe vel ſua Eccleſia aduerſi pateretur, Thomam diaconum ſuum, ſapientem ſcilicet & religioſum virum ad eum miſit, per quem eidem Alachis benedictionem ſanctæ Eccleſiæ ſuæ tranſmiſit. F Nunciatum eſt Alachis Thomam diaconum ante fores aſtare, benedictionemque ab Epiſcopo detuliſſe. Tunc Alachis, qui vt diximus omnes clericos odio habebat, ita inquit ad ſuos. Ite dicite illi: Si munda fœmoralia habet, intret; ſin autem aliter, foris contineat pedem. Thomas vero cum hos ſermones audiſſet, ita reſpondit: Nunciate ei quia munda femoralia habeo quippe qui ea hodie noua indutus ſum. Cui Alachis: Ite iterato, & dicite illi quia ego non dico de fœmoralibus, ſed de iis quæ intra fœmoralia habentur. Ad hæc Thomas ita reſpondit. Ite dicite illi: Deus ſolus poteſt in me in his cauſis reprehenſionem inuenire, nam ille nullatenus poteſt. Cumque eundem diaconum Alachis ad ſe ingredi feciſſet, aſpere ſatis & obiurgando locutus eſt cum eo. Tunc omnes clericos & ſacerdotes pauor & odium tyranni inuaſit, æſtimantes ſe eius feritatem tolerare omnino non poſſe. Cœperuntque amplius Cunibertum deſiderare, quoniam peruaſorem regni ſuperbum, execrationi haberent, ſed non diu eius feritas & cruda barbaries peruaſum regnum obtinuit. G

Capvt XXXIX.

Denique cum die quadam ſolidos ſuper menſam numeraret, vnus tremiſſis de eadem menſa cecidit, quem filius Aldonis adhuc puerulus de terra colligens, eidem Alachis reddidit. Ad quem Alachis ſperans puerulum parum intelligere, ita locutus eſt: Multos ex iis genitor tuus habet, quos mihi in proximo ſi Deus voluerit daturus eſt. Qui puer cum veſpere domum ad patrem regreſſus eſſet, eum ſuus genitor requiſiuit ſi quid in illo die rex locutus fuiſſet. Ille patri omnia vt facta fuerant, & quod ſibi rex dixerat nuntiauit. Audiens hæc Aldo vehementer pertimuit, fratremque ſuum Grauſonem aſcitum, ei omnia quæ rex maligne locutus fuerat nuntiauit. Qui mox cum amicis & his quibus credere poterant, conſilium inierunt qualiter Alachis tyrannum regno priuarent, priuſquam ipſe eis aliquam læſionem facere poſſet. Qui H maturius ad palatium profecti, ita Alachis dixerunt: Qui dignaris in ciuitate reſidere, ecce omnis ciuitas & vniuerſus populus tibi fidelis exiſtit, & ebrioſus ille Cunibertus ita diſſolutus eſt, vt iam vltra nullas poſſit habere vires. Egredere & vade in venationem, & exerce te cum iouenibus tuis, nos autem cum reliquis fidelibus tuis defendemus tibi hanc ciuitatem. Sed & ita tibi repromittimus, vt in proximo inimici tui Cuniberti caput afferamus. Qui eorum verbis perſuaſus, ciuitatem egreſſus, atque ad Vrbem vaſtiſſimam ſiluam profectus eſt, ibique ſe iocis & venationibus exercere cœpit. Aldo vero & Grauſo euntes ad lacum Commacinum, ingreſſique nauem, ad Cunibertum profecti ſunt. Ad quem venientes, eius pedibus prouoluti, ſe contra eum nequiter egiſſe profeſſi ſunt, eique quid Alachis malitioſe contra eos locutus fuerat, vel quale ipſi ad eius perditionem conſilium eidem dederunt, nunciauerunt. Quid plura? Fleuerunt pariter & inter ſe Sacramenta dederunt, diem ſtatuentes in quo Cunibertus veniret, vt ipſi ciuitatem Ticinenſem contraderent. Quod & factum eſt. Nam die ſtatuto Cunibertus Ticinum adueniens ab eis libentiſſime ſuſceptus, palatium ſuum ingreſſus eſt. Tunc omnes ciues, &

præcipue

præcipue Epiſcopus, ſacerdotes quoque & clerici, iuuenes & ſenes, certatim ad eum concurrentes, omneſque cum lachrymis amplexantes, Deo gratias de eius reuerſione ineſtimabili gaudio repleti conclamabant. Quos omnes ille vt potuit conſolans oſculatus eſt. Nuntius ſubito ad Alachis peruenit, adimpleſſe Aldonem & Grauſonem quod ei promiſerant, & caput Cuniberti attuliſſe, & non ſolum caput, ſed & totum corpus, eumque affirmans in palatio ſedere. Quod ille audiens, animo conſternatus eſt, multaque contra Aldonem & Grauſonem furibundus & frendens comminans, exinde egreſſus, per Placentiam ad Auſtriam rediit, ſingulaſque ciuitates partim blanditiis partim viribus ſibi ſocias aſciuit. Nam Vincentiam veniens, contra eum eius ciues egreſſi, bellum parauerunt, ſed mox victi eius ſocij effecti ſunt. Inde exiens Taruiſium peruaſit, pari modo etiam & reliquas ciuitates. Cumque contra eum Cunibertus exercitum colligeret, & Foroiuliani in eius auxilium iuxta fidelitatem ſuam vellent proficiſci, ipſe Alachis ad pontem Liquentiæ fluminis, quod a Foroiulij quadraginta octo millibus diſtat, & eſt in itinere Ticinum pergentibus, in ſylua quæ Capulanus dicitur latens, cum Foroiulianorum exercitus ſparſim veniret, omnes eos ſicut veniebant iurare ſibi compulit, diligenter cauens ne aliquis ex his retro reuerſus venientibus hoc aliis indicaret. Sicque omnes à Foroiulij venientes eius ſunt Sacramentis aſtricti. Quid plura. Cum omni Alachis Auſtria, è contra Cunibertus cum ſuis venientes, in campo, cui Coronatæ nomen eſt, caſtra poſuerunt.

Capvt XL.

Ad quem Cunibertus nuntium miſit, mandans ei vt cum eo ſingulare certamen iniret, nec opus eſſe vtrorumque exercitum fatigari. Ad quæ verba Alachis minime conſenſit. Cui cum vnus Tuſcus ex ſuis ei perſuaderet, virum bellicoſum fortemque eum appellans, vt contra Cunibertum audenter exiret, Alachis ad hæc verba reſpondit: Cunibertus quamuis ebrioſus ſit & ſtupidi cordis, tamen ſatis eſt audax, & miræ fortitudinis. Nam tempore patris eius, quando nos eramus iuuenculi, habebantur in palatio berbices miræ magnitudinis, quos ille ſupra dorſum eorum lanam apprehendens, extenſo brachio à terra leuabat, quod ego facere non poteram. Hæc ille Tuſcus audiens, dixit ad eum: Si tu cum Cuniberto pugnam inire ſingulari certamine non audes, me iam in tuo adiutorio ſocium non habebis. Et hæc dicens, proripuit ſe, & ſtatim ad Cunibertum confugit & hæc ipſi nuntiauit. Conuenerunt itaque, vt diximus, vtræque acies in campo Coronatæ. Cumque iam prope eſſent vt ſe contingere deberent, Zeno diaconus Ticinenſis Eccleſiæ, qui cuſtos erat baſilicæ beati Iohannis Baptiſtæ, quæ intra eandem ſita eſt ciuitatem, quam quondam Gundiberda regina conſtruxerat, cum nimium diligeret regem, & metueret ne rex in bello periret, ait ad regem: Domine rex, omnis vita noſtra in tua ſalute conſiſtit; ſi tu in bello perieris, omnes nos iſte Tyrannus Alachis per diuerſa ſupplicia extinguet. Placeat itaque tibi conſilium meum. Da mihi apparatum armorum tuorum, & ego vadam & pugnabo cum iſto tyranno. Si ego obiero tu recuperabis cauſam tuam; ſi vero vicero, maior tibi quia per ſeruum tuum viceris, & gloria aſcribetur. Cumque hoc rex ſe facturum eſſe denegaret, cœperunt eum pauci qui aderant, eius fideles cum lachrymis depoſcere, vt ad ea quæ diaconus dixerat, aſſenſum præberet. Victus tandem, vt erat pij cordis, eorum precibus & lachrymis, loricam ſuam & galeam atque ocreas, & cætera arma diacono præbuit, inque ſua perſona eum ad prælium direxit. Erat enim ipſe diaconus eiuſdem ſtaturæ & habitus, ita vt cum fuiſſet de tentorio armatus egreſſus, rex Cunibertus eſſe putaretur ab omnibus. Commiſſum eſt itaque prælium, & totis viribus decertatum. Cumque Alachis ibi magis intenderet vbi regem eſſe putaret. Cunibertum ſe extinxiſſe putans, Zenonem diaconum interfecit. Cumque caput eius amputari præcepiſſet, vt leuato eo in conto, Deo gratias acclamarent, ſublata caſſide clericum ſe occidiſſe cognouit. Tunc furibundus exclamans: Heu me, inquit, nihil egimus, quando ad hoc prælium geſſimus vt clericum occideremus. Tale itaque nunc facio votum, vt ſi mihi Deus iterum victoriam dederit, quod vnum puteum de teſticulis impleam clericorum.

Capvt XLI.

Igitur Cunibertus perdidiſſe ſuos conſpiciens, ſtatim ſe eis oſtendit, omniumque corda ſublato pauore ad ſperandam victoriam confortauit. Inſtruuntur iterum acies, & hinc Cunibertus, inde Alachis ad belli certamina præparantur. Cumque prope eſſent vt ſe vtræque acies ad pugnandum contingerent, Cunibertus ad Alachis iterato in hæc verba mandauit. Ecce quantus populus ex vtraque parte conſiſtit, quid opus eſt vt tanta multitudo pereat? Coniungamus nos ego & ille ſingulari certamine, & cui voluerit dominus de nobis, dare victoriam omnem hunc populum ſaluum & incolumem poſſideat. Cumque Alachis ſui hortarentur vt faceret quod Cunibertus illi mandauit, Ipſe reſpondit: Hoc facere ego non poſſum, quia inter contos ſuos ſancti Archangeli Michaëlis, vbi ego illi iuraui, imaginem conſpicio. Tunc vnus ex illis præ pauore, inquit cernis quod non eſt, & tibi iam tarde eſt modo iſta meditari. Conſeruntur itaque acies perſtrepentibus buccinis, & neutra parte locum dante, maxima populorum facta eſt ſtrages. Tandem crudelis tyrannus Alachis interiit, & Cunibertus adiuuante domino victoriam cæpit. Exercitus quoque Alachis, comperta eius morte, fugæ ſubſidium arripuit, è quibus quem mucro non perculit, Addua fluuius interemit. Caputque Alachis detruncatum, cruraque eius ſucciſa ſunt, informeque tantum truncumque cadauer remanſit. In hoc bello Foroiulianorum exercitus minime fuit, quia cum inuitus Alachis iuraſſet, propter hoc nec regi Cuniberto, nec Alachis auxilium tulit, ſed cum illi bellum commiſiſſent, ipſi ad propria ſunt reuerſi. Igitur Alachis hoc modo defuncto, rex Cunibertus corpus Zenonis diaconi, ante fores baſilicæ beati Iohannis quam ipſe erexerat, mirifice ſepeliri mandauit. Ipſe vero regnaturus cum omni exultatione & triumpho victoriæ, Ticinum reuerſus eſt.

Explicit liber quintus, de geſtis Langobardorum.

Incipiunt

CAPITA LIBRI SEXTI.

Cap. I. *Qvomodo Romoaldus Tarentum cepit, & quomodo Theuderada monaſterium S. Petri ædificauit.*

Cap. II. *De morte Romoaldi, & quomodo Beati corpus Benedicti ad Gallias delatum eſt.*

Cap. III. *De Rodoaldo duce Foro-Iuliano, & de Anſfrit qui eius ducatum inuaſit.*

Cap. IV. *De Synodo quæ apud Conſtantinopolim facta eſt, & de epiſtola Damiani Epiſcopi.*

Cap. V. *De Eclipſi lunæ & ſolis; & de peſtilentia quæ Romæ & Ticini facta eſt.*

Cap. VI. *Quomodo per antiquum hoſtem Aldoni & Grauſoni nuntiatum eſt, quod eos Cunibertus occidere vellet.*

Cap. VII. *De Felice Diacono Grammatico.*

Cap. VIII. *De Iohanne Bergomenſi Epiſcopo.*

Cap. IX. *De ſtella obſcura, quæ tunc apparuit, & de eruptatione Veſuuij montis.*

Cap. X. *Quomodo gens Sarracenorum Africam cepit, & Carthaginem deruit.*

Cap. XI. *De morte Conſtantini, & regno Iuſtiniani, & victoria eius de Sarraceno.*

Cap. XII. *Quomodo Leo Iuſtiniani in exilium truſi regnum inuaſit.*

Cap. XIII. *Quomodo Tiberius Leonem ſuperans, & in carcerem conijciens, Imperator effectus eſt.*

Cap. XIV. *Quomodo Papa Sergius Aquileienſem Synodum,*

nolentem ſanctam quintam Synodum ſuſcipere, correxit.
CAP. XV. *De Theodoaldo rege Anglorum, quomodo Romam veniens baptizatus eſt, ſtatimque obiit.*
CAP. XVI. *Quomodo regnum Francorum apud Gallias ſub maioribus domus regia eſſe cœperit.*
CAP. XVII. *De morte Cuniberti regis, & regno filij eius Liudberti.*
CAP. XVIII. *De Raginberto duce Taurinenſium, quomodo ſuperato Liudberto regnum inuaſit, & eo anno occubuit.*
CAP. XIX. *Quomodo Aripertus regnum inuaſit, & Liudbertum viuum comprehendit, & poſtea extinxit.*
CAP. XX. *Quomodo Rothari apud Bergamum regnans, ab Ariperto captus vitaque priuatus eſt.*
CAP. XXI. *Quomodo Aſprandus in Baioariam fugiens, cum Theudeberto eorum duce permanſit.*
CAP. XXII. *Quomodo Aripertus Anſprandi vxorem filiumque eius & filiam diuerſis modis deturpauit, & quomodo Luidprandum ad patrem ſuum in Baioariam ire permiſit.*
CAP. XXIII. *Quomodo apud Gallias maior domus Anſchis Arnulſi filius tunc erat.*
CAP. XXIV. *De morte Aldonis apud Forumiulij; & ducatu Ferdulſi, qui à Sclauis occiſus eſt.*
CAP. XXV. *De ducatu Corulli apud Forumiulij, qui à rege excæcatus eſt.*
CAP. XXVI. *De Pemmone Foroiulianorum duce, & de natiuitate trium filiorum eius.*
CAP. XXVII. *De Giſulfo Beneuentanorum duce, quomodo Suram & alia caſtra inuaſit.*
CAP. XXVIII. *De donatione quam Aripertus Romanæ Eccleſiæ fecit, & de duobus Anglorum regibus.*
CAP. XXIX. *De Benedicto Mediolanenſi Archiepiſcopo.*
CAP. XXX. *De morte Traſemundi Spoletani ducis, & ducatu filij eius Faroaldi.*
CAP. XXXI. *De Iuſtiniano Imperatore, quomodo iterum regnum inuaſit, & ſuos rebelles occidit.*
CAP. XXXII. *Quomodo Philippicus Iuſtinianum peremit, & Auguſtale decus inuaſit.*
CAP. XXXIII. *De obitu Petri Archita, & Sacerdotio Sereni.*
CAP. XXXIV. *Quomodo Philippicum Anaſtaſius ſuperauit.*
CAP. XXXV. *Quomodo Anſprandus auxiliante ſibi Theudeberto cum Baioariis Aripertum ſuperauit, & de morte Ariperti in flumine: & de fuga germani eius Cuniberti, & regno Anſprandi, & Luitprandi filij eius.*
CAP. XXXVI. *Quomodo Theodoſius Anaſtaſium ſuperauit, & regnum inuaſit, & de inundatione Tyberis.*
CAP. XXXVII. *De gente Anglorum, & rege Francorum Pipino, & bellis eius, & quia ei Karolus ſuus filius ſucceſſit.*
CAP. XXXVIII. *Quomodo Luidprandus Rex Rothari ſuum rebellem occidit, & de audacia eiuſdem regis.*
CAP. XXXIX. *De morte Giſulfi ducis Beneuentani, & ducatu eius filij Romoaldi.*
CAP. XL. *Quomodo Beatus Petronax, monaſterium ſancti patris Benedicti apud Caſſinum reparauit, & de monaſterio S. Vincentij.*
CAP. XLI. *Quomodo defuncto Imperatore Theodoſio, Leo ei ſucceſſit in regno.*
CAP. XLII. *Quomodo Karolus Francorum princeps Reginfridum ſuperauit.*
CAP. XLIII. *Quomodo Luidprandus Rex donationem Eccleſiæ confirmauit, & quomodo filiam Theudeberti in coniugium accepit.*
CAP. XLIV. *Quomodo Faroaldus claſſem inuaſit, & quia Theudo Baioariorum dux ad Apoſtolorum limina Romam venit.*
CAP. XLV. *Quod defuncto Sereno Patriarcha, Calixtus regimen Eccleſiæ ſuſcepit, & de bello Pemmonis aduerſus Sclauos.*
CAP. XLVI. *De aduentu Sarracenorum in Hiſpaniam: & quomodo eos Karolus & Eudo in Gallia ſuperauerunt.*
CAP. XLVII. *Quomodo Sarraceni Conſtantinopolim obſederunt, & à Bulgaribus deuicti ſunt.*
CAP. XLVIII. *Quomodo Luidprandus rex corpus B. Auguſti Ticinum aduexit.*
CAP. XLIX. *Quas ciuitates Romanorum Luidprandus Rex inuaſit; & de deterioribus factis Leonis Auguſti.*
CAP. L. *De Romoaldo Beneuentano duce, & Giſulfo filio eius.*
CAP. LI. *De inimicitiis Pemmonis contra Calixtum Patriarcham.*
CAP. LII. *Bellum Ratchis contra Sclauos.*
CAP. LIII. *Quomodo Rex Luidprandus Pipino Karoli regis filio capillum totondit.*
CAP. LIV. *Sarraceni rurſum Gallias repetentes à Francis ſuperantur, & quomodo Luidprandus in ſolatium Francorum iuit.*
CAP. LV. *De Traſemundo duce Spoletano, & Giſulfo Beneuentano, & Gregorio, & regno Hilprandi.*
CAP. LVI. *Quia mortuo Gregorio Gotheſcalcus in Beneuento dux factus eſt: & quomodo rex Luidprandus bellum in Pentapoli geſſit.*

EXPLICIVNT CAPITA.

Incipit

LIBER SEXTVS.

De geſtis Langobardorum.

CAPVT PRIMVM.

DVM iſta apud Langobardos trans Padum geruntur, Romoaldus Beneuentanorum Dux, congregata exercitus multitudine, Tarentum expugnauit & cepit, parique modo Brundusium, & omnem illam, quæ in circuitu eſt, latiſſimam regionem ſuæ ditioni ſubiugauit. Coniunx quoque eius Theuderada, eodem tempore foras muros Beneuentanæ ciuitatis, Baſilicam in honorem beati Petri Apoſtoli conſtruxit; quo in loco multarum ancillarum Dei cœnobium inſtituit.

CAPVT II.

Romoaldus quoque poſtquam ſedecim annos ducatum geſſit, ab hac luce ſubtractus eſt: poſt quem eius filius Grimoaldus tribus annis Samnitum populos rexit. Huic in coniugio ſociata fuit VVigilinda, ſoror Cuniberti, filia Bertaridi regis. Defunctoque Grimoaldo Giſulfus eius germanus ductor effectus eſt, præfuitque Beneuento annis decem & ſeptem. Huic ſociata fuit VViniberta, quæ ei Romoaldum peperit. Circa hæc tempora, cum in caſtro Caſſino, vbi beatiſſimi Benedicti ſacrum corpus requieſcebat, aliquantis iam elapſis annis, vaſta ſolitudo exiſteret, venientes de Cenomannicorum vel Aurelianenſium regione Franci, dum apud venerabile corpus pernoctare ſe ſimulaſſent, eiuſdem venerabilis patris, pariterque eius germanæ venerandæ Scholaſticæ oſſa auferentes, in ſuam patriam aſportauerunt. Vbi ſingillatim duo monaſteria in vtriuſque honorem, B. Benedicti, & ſanctæ Scholaſticæ constructa ſunt. Sed certum eſt nobis os illud venerabile, & omni nectare ſuauius, & oculos ſemper cœleſtia contuentes, cætera quoque membra quamuis in cinerem defluxa, remanſiſſe. Solum etenim ſingulariter dominicum corpus non vidit corruptionem. Cæterum, omnium ſanctorum corpora, in æternam poſtea gloriam reparanda, corruptioni ſubiecta ſunt; his exceptis, quæ ob diuina miracula ſine labe ſeruantur.

CAPVT III.

At vero Rodoaldus, quem apud Forumiulij præmiſimus ducatum tenuiſſe, cum ab eadem ciuitate abeſſet, Ansfrit de caſtro Reunia ducatum eius abſque regis nutu peruaſit. Quo comperto Rodoaldus in Hiſtriam fugit, ac deinde nauigio per Rauennam Ticinum ad Cunibertum regem peruenit. Ansfrit vero non contentus ducatum Fo-

roiulianenſium regere,inſuper contra regem Cunibertum rebellans, regnum eius inuadere voluit. Sed comprehenſus in Verona, ad regem ductus, euulſis oculis in exilium retruſus eſt. Foroiulianorum autem ducatum poſt hæc, Ado frater Rodoaldi loci ſeruatoris nomine per annum & menſes ſeptem gubernauit.

CAPVT IV.

Dum hæc in Italia geruntur, Hæreſis apud Conſtantinopolim orta eſt,quæ vnam in Domino noſtro Ieſu Chriſto voluntatem,& operationem aſſeuerabat. Hanc autem hæreſim excitarunt Gregorius Patriarcha Conſtantinopolitanus,Macarius,Pyrrhus, Paulus & Petrus. Quam ob cauſam Conſtantinus Auguſtus, centum quinquaginta Epiſcopos congregari fecit: inter quos etiam fuerunt legati S.Romanæ Eccleſiæ,miſſi ab Agathone Papa,Iohannes Diaconus,& Iohannes Portuenſis Epiſcopus:qui omnes eandem hæreſim damnauerunt.Ea hora tantæ aranearum telæ in medio populi ceciderunt, vt omnes mirarentur.Ac per hoc ſignificatum eſt,quod ſordes hæreticæ prauitatis depulſæ ſint.Et Gregorius quidem Patriarcha correctus eſt, cæteri vero in ſua defenſione perſeuerantes anathematis vltione perculſi. Eo tempore Damianus Ticinenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſub nomine Manſueti Mediolanenſis Archiepiſcopi, hac de cauſa ſatis vtilem rectæque fidei,Epiſtolam compoſuit, quæ in præfata ſynodo non mediocre ſuffragium tulit. Recta autem & vera fides hæc eſt,vt in Domino noſtro Ieſu Chriſto,ſicut duæ ſunt naturæ, hoc eſt, Dei & hominis, ſic etiam duæ eſſe credantur voluntates ſiue operationes. Vis audire de eo quid Deitatis eſt? Ego, inquit, & pater vnum ſumus. Vis audire quid humanitatis? Pater maior me eſt. Cerne ſecundum humanitatem eum in naui dormientem; cerne eius diuinitatem,cum Euangeliſta ait: Tunc ſurgens imperauit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna. Hæc eſt ſexta ſynodus vniuerſalis, Conſtantinopoli celebrata, quæ Græco ſermone conſcripta, temporibus Papæ Agathonis, exequente ac reſidente Conſtantino principe intra ſepta palatij ſui.

CAPVT V.

His temporibus per indictionem octauam Luna eclipſin paſſa eſt.Solis quoque eclipſis eodem pene tempore, hora diei quaſi decima, quinto Nonas Maias effecta eſt moxque ſubſecuta eſt grauiſſima peſtis tribus menſibus, hoc eſt Iulio,Auguſto,& Septembrio:Tantaque fuit multitudo morientium, vt etiam parentes cum filiis, atque fratres cum ſororibus, bini per feretra poſiti, apud vrbem Romam ad ſepulchra deducerentur.Pari etiam modo hæc peſtilentia Ticinum quoque depopulata eſt,ita vt cunctis ciuibus per iuga montium ſeu per diuerſa loca fugientibus, in foro & per plateas ciuitatis herbæ & fruteta naſcerentur. Tuncque viſibiliter multis apparuit, quia bonus & malus Angelus noctu per ciuitatem pergerent, & ex iuſſu boni Angeli, malus Angelus, qui videbatur venabulum manu ferre, quotiens de venabulo oſtium cuiuſcunque domus percuſſiſſet, tot de eadem domo die ſequenti homines interirent. Tunc per reuelationem cuidam dictum eſt, quod peſtis ipſa prius non quieſceret, quam in Baſilica beati Petri, quæ ad vincula dicitur, ſancti Sebaſtiani martyris altarium poneretur. Factumque eſt, & delatis ab vrbe Roma beati Sebaſtiani martyris reliquiis, mox vt in iam dicta baſilica altarium conſtitutum eſt, peſtis ipſa quieuit.

CAPVT VI.

Rex vero Cunibertus, dum poſt hæc cum ſtratore ſuo, qui lingua propria Marpahis dicitur, conſilium initet in ciuitate Ticinenſi, quomodo Aldonem & Grauſonem vita priuare deberet, repente in feneſtra, iuxta quam conſiſtebant, vna de maiuſculis muſca conſedit. Quam Cunibertus cultello vt extingueret percutere volens, eius tantum pedem abſcidit. Aldo vero & Grauſo, dum ad Palatium regis conſilium neſcientes venirent, cum baſilicæ ſancti Romani martyris,quæ prope Palatium ſita eſt,propinquaſſent, repente eis obuius quidam claudus vno pede truncato factus eſt,qui eis dixit quod eos Cunibertus, ſi ad eum pergerent, occiſurus eſſet. Qui hæc, audientes, magno timore correpti, poſt altarium eiuſdem baſilicæ confugerunt. Moxque Cuniberto regi nuntiatum eſt, quod Aldo & Grauſo in baſilicam beati Romani martyris confugiſſent. Tunc Cunibertus ſtratorem ſuum arguere cœpit, vt quid conſilium ſuum prodere debuiſſet. Cui ſuus ſtrator ita reſpondit:Domine mi rex,tu ſcis,quia poſtquam hoc conſiliari ſumus, ego à tuo conſpectu non exiui, & quomodo hoc alicui dicere potui? Tunc rex ad Aldonem & Grauſonem miſit, interrogans eos, ad quid in locum ſanctum confugium feciſſent? Qui reſpondentes dixerunt,quia nuntiatum eſt nobis,quod nos dominus Rex occidere vellet. Iterato rex miſit ad eos, ſciſcitans quis fuit ille, qui eis nuntiauerit, mandans, vt niſi enuntiatorem proderent, eius gratiam inuenire non poſſent. Tunc illi ſicut factum fuerat, regi narrauerunt dicentes, claudum hominem obuium ſe habuiſſe,qui vnum pedem truncatum habebat, & genu tenus crure ligneo vtebatur: & hunc fuiſſe ſui interitus nuntium. Tunc intellexit Rex muſcam illam cui pedem truncauerat,malignum ſpiritum fuiſſe, & ipſam ſui ſecreta conſilij prodidiſſe. Qui ſtatim Aldonem & Grauſonem in ſua fide de eadem Baſilica ſuſcipiens, eiſdem culpam pepercit, & in reliquum eoſdem in loco habuit filiorum.

CAPVT VII.

Eo tempore floruit in arte Grammatica Felix, patruus Flauiani præceptoris mei,quem in tantum Rex dilexit,vt ei baculum argento auroque decoratum,inter reliqua ſuæ largitatis munera condonaret.

CAPVT VIII.

Per idem quoque tempus Iohannes Epiſcopus Bergomaris Eccleſiæ, vir miræ ſanctitatis extitit. Qui cum regem Cunibertum in conuiuio dum ſermocinarentur oſtendiſſet,rex ei ad hoſpitium reuertenti equum ferocem & indomitum,qui immenſo fremitu ſuper ſe ſedentes terræ allidere ſolebat,præparari fecit.Cui cum Epiſcopus ſuper ſediſſet, ita manſuetus extitit, vt eum blando inceſſu vſque ad domum propriam deportaret.Quod rex audiens, & Epiſcopum ex eo die honore debito coluit,& ei ipſum equum, quem ſua ſeſſione dedicauerat, dono largitus eſt.

CAPVT IX.

Hac tempeſtate noctu ſtella iuxta vergilias,cœlo ſereno, inter domini natalem & theophaniam, apparuit omnimodo inumbrata,veluti cum Luna ſub nube eſt conſtituta. Poſt hæc menſe Februario,die media,ſtella ab occaſu exiit, quæ cum magno fulgore in partes orientis declinauit.Dehinc menſe Martio Veſuuij eructauit incendium per dies aliquot, & omnia virentia circumquaque præ puluere & cinere illius exterminata ſunt.

CAPVT X.

Tunc Sarracenorum gens infidelis & Deo inimica, ex Ægypto in Africam cum nimia multitudine pergens,obſeſſam Carthaginem cepit,captamque crudeliter depopulata eſt,& ad ſolum vſque proſtrauit.

CAPVT XI.

Inter hæc Conſtantinus Imperator apud Conſtantinopolim moritur, & eius minor filius Iuſtinianus Romanorum regnum ſuſcepit,cuius per decem annos gubernacula tenuit. Hic Africam à Sarracenis abſtulit,& cum eiſdem pacem terra marique fecit. Hic Sergium Pontificem,quia in erroris illius ſynodo, quam Conſtantinopoli fecerat, fauere & ſubſcribere noluit, miſſo Zacharia protoſpatario ſuo, iuſſit Conſtantinopolim deportari. Sed militia Rauennæ, vicinarumque partium,iuſſa principis nefanda contemnens, eundem Zachariam cum contumeliis ab vrbe Roma & iniuriis pepulit.

CAPVT XII.

Contra hunc Iuſtinianum Leo Auguſtalem dignitatem arripiens, eum regno priuauit, Regnumque Romanorum tribus annis regens, Iuſtinianum exulem in Ponto ſeruauit.

Capvt XIII.

Rurſumque Tiberius contra hunc Leonem inſurgens, regnum eius inuaſit, eumque toto quo ipſe regnauit tempore, in eadem ciuitate in cuſtodia tenuit.

Capvt XIV.

Hoc tempore Synodus Aquileiæ facta ob imperitiam fidei, quintum vniuerſale concilium ſuſcipere diffidit, donec ſalutaribus beati Papæ Sergij monitis inſtructa, & ipſa cum cæteris Chriſti Eccleſiis annuere conſenſit. Facta autem eſt hæc Synodus Conſtantinopoli, temporibus Virgilij Papæ, ſub Iuſtiniano principe, contra Theodorum & omnes hæreticos, qui beatam Mariam ſolum hominem, non Deum & hominem genuiſſe affirmabant. In qua ſynodo Catholice eſt inſtitutum vt beata Maria ſemper virgo, Θεοτόκος diceretur, quia ſicut Catholica fides habet, non hominem ſolum, ſed vere Deum & hominem genuit.

Capvt XV.

His diebus Cedoaldus rex Anglorum Saxonum, qui multa in ſua patria bella geſſerat, ad Chriſtum conuerſus Romam properauit. Qui ad Cunibertum regem veniens, ab eo mirifice ſuſceptus eſt: is cum Romam perueniſſet, à Sergio Papa baptizatus, Petruſque eſt appellatus, & adhuc in albis conſtitutus, ad regna cœleſtia migrauit. Cuius corpus in Baſilica beati Petri ſepultum eſt, & hoc ſuper ſe epitaphium deſcriptum habet:

Culmen, opes, ſobolem, pollentia regna, triumphos,
    Exuuias, proceres, mœnia, caſtra, lares:
Quæque patrum virtus, & quæ congeſſerat ipſe
    Cedoald armipotens, liquit amore Dei,
Vt Petrum ſedemque Petri rex cerneret hoſpes,
    Cuius fonte meras ſumeret almus aquas,
Splendificumque iubar, radianti carperet hauſtu,
    Ex quo viuificus ſplendor vbique fluit,
Perſpicienſque alacer recidiuæ præmia vitæ,
    Barbaricam rabiem nomen & inde ſuum
Conuerſus conuertit ouans, Petrumque vocari
    Sergius antiſtes iuſſit vt ipſe pater.
Fonte renaſcentis quem Chriſti gratia purgans,
    Protinus albatum vexit in arce poli.
Mira fides regis, clementia maxima Chriſti,
    Cuius conſilium nollus adire poteſt.
Soſpes enim veniens ſupremo ex orbe Britanni,
    Per varias gentes, per freta, perque vias.
Vrbem Romuleam vidit, templumque verendum
    Aſpexit Petri, myſtica dona gerens.
Candidus inter oues Chriſti ſociabilis ibit.
    Corpore nam tumulum, mente ſuperna tenet.
Commutaſſe magis ſceptrorum inſignia credas,
    Quem regnum Chriſti promeruiſſe vides.

Capvt XVI.

Hoc tempore apud Gallias Francorum regibus à ſolita fortitudine & ſcientia degenerantibus, hi qui maiores domus regalis eſſe videbantur, adminiſtrare regni potentiam, & quicquid regibus agere mos eſt cœperunt, quippe cum cœlitus eſſet diſpoſitum, ad horum progeniem Francorum transferri regnum. Fuitque eo tempore maior domus in regio Palatio Arnulfus; vir vt poſtmodum claruit, Deo amabilis & miræ ſanctitatis. Qui poſt gloriam ſæculi, Chriſti ſeruitio ſe ſubdens, mirabilis in Epiſcopatu extitit, ac demum Eremiticam vitam eligens, leproſis vniuerſa præbens obſequia, continentiſſime vixit. De cuius mirabilibus apud Metenſem Eccleſiam, vbi Epiſcopatum geſſit, liber extat eiuſdem miracula & vitæ abſtinentiam continens. Sed & ego in libro quem de Epiſcopis eiuſdem ciuitatis conſcripſi, flagitante Angilramno viro mitiſſimo, & ſanctitate præcipuo, præfatæ Eccleſiæ Archiepiſcopo, de hoc ſacratiſſimo viro Arnulfo, quædam eius miranda compoſui, quæ modo ſuperfluum duxi replicare.

Capvt XVII.

Inter hæc Cunibertus cunctis amabilis princeps, poſtquam duodecim annos Langobardorum regnum poſt patrem ſolus obtinuit, tandem ab hac luce ſubtractus eſt. Hic in campo Coronatæ, vbi bellum contra Alachis geſſit, in honorem beati Georgij martyris monaſterium conſtruxit. Fuit autem vir elegans, & omni bonitate conſpicuus, audaxque bellator. Hic cum multis Langobardorum lachrymis, iuxta baſilicam domini ſaluatoris, quam quondam auus eiuſdem Aripertus conſtruxerat, ſepultus eſt, regnumque Langobardorum Liutberto filio adhuc puerilis ætatis reliquit, cui tutorem Anſprandum virum ſapientem & illuſtrem contribuit.

Capvt XVIII.

Dehinc elapſis octo menſibus, Ragunbertus dux Taurinenſium, quem quondam Rex Godebertus cum extingueretur à Grimoaldo reliquerat paruulum, de quo & ſuperius diximus, cum valida manu veniens aduerſus Anſprandum & Rothari Bergomenſium ducem apud Nouarias conflixit, eoſque in campo exuperans, regnum Langobardorum inuaſit, ſed eodem anno mortuus eſt.

Capvt XIX.

Tunc filius eius Aripertus, iterum bellum parans, pugnauit cum Liutberto rege apud Ticinum, cumque Anſprando & Ottone, & Tazone, nec non & Rothari, ac Farone. Sed omnes hos bello exuperans Liutbertum infantulum viuum in bello comprehendit. Anſprandus quoque fugiens, in inſulam ſe Commacinam communiuit.

Capvt XX.

At vero Rothari dux, Bergamum ciuitatem ſuam rediens, regnum arripuit. Contra quem rex Aripertus cum magno exercitu proficiſcens, expugnata primum & capta Laude, Bergamum obſedit, eamque cum arietibus & diuerſis belli machinis, ſine aliqua difficultate oppugnans mox cepit, comprehenſumque Rothari pſeudo-regem, eius caput barbamque radens, Taurinis in exilium retruſit, quique ibidem poſt aliquot dies peremptus eſt. Liutbertum vero, quem ceperat, pari modo in balneo vita priuauit.

Capvt XXI.

Miſit quoque exercitum aduerſus Anſprandum in Inſulam Commacinam. Quo comperto Anſprandus fugit Clauennam, deinde per Curiam Rethorum ciuitatem venit ad Theudebertum Baioariorum ducem; & fuit cum eo per nouem annos. Exercitus vero Ariperti, inſulam in qua Anſprandus confugerat, inuadens, eius oppidum diruit.

Capvt XXII.

Rex igitur Aripertus confirmato regno, Sigibrandum Anſprandi filium oculis priuauit omneſque qui ei conſanguinitate iuncti fuerant, diuerſis modis afflixit. Minorem quoque Anſprandi filium Luidprandum in cuſtodia tenuit, quem quia deſpicabilem perſonam, & adhuc adoleſcentulum eſſe perſpexit, non ſolum in eius corpore vindictam aliquam minime ingeſſit, ſed eum vt ad patrem ſuum pergeret, abire permiſit. Quod Dei omnipotentis nutu factum fuiſſe, qui eum ad regni gubernacula præparabat, dubium non eſt. Igitur Luidprandus ad patrem ſuum Baioariam profectus, ei de ſuo aduentu inæſtimabile gaudium fecit. Vxorem vero Anſprandi Theuderadam nomine, rex Aripertus comprehendi fecit. Quæ cum ſe voluntate fœminea reginam futuram eſſe iactaret, naſo atque auribus abſciſis, decore ſuæ faciei deturbata eſt. Pari etiam modo & germana Luidprandi, nomine Aurona, deformis effecta eſt.

Capvt XXIII.

Hoc tempore apud Gallias in Francorum regnum, Anchis Arnulfi filius, qui de nomine Anchiſæ quondam Troiani creditur appellatus, ſub nomine maioris domus, gerebat principatum.

A

Capvt XXIV.

Mortuo quoque apud Forumiulij Aldone quem dixeramus loci ſeruatorem fuiſſe, Ferdulfus ducatum ſuſcepit, qui de partibus Liguriæ extitit homo lubricus & elatus. Qui victoriæ laudem de Slauis habere cupiens, magna ſibi & Foroiulianis detrimenta inuexit. Is præmia quibuſdam Slauis dedit, vt exercitum Slauorum in eandem prouinciam ſua adhortatione immitterent. Quod ita quoque effectum eſt. Cauſa autem magnæ in eadem Foroiulij prouincia perditionis, iſta fuit: Irruerunt latrunculi Slauorum ſuper gregem & paſtores ouium, quæ in eorum vicinia paſcebantur, & de eis prædas abegerunt. Subſecutus eſt hos rector loci illius, quem Sculdhais lingua propria dicunt, vir nobilis, animoque & viribus potens, ſed tamen eoſdem latrunculos aſſequi non potuit. Cui exinde reuertenti, dux Ferdulfus obuiam factus eſt. Quem dum interrogaret, quid de illis latrunculis factum eſſet, B Argaid ei (ſic enim nomen habebat) eoſdem fugiſſe reſpondit. Tunc ei Ferdulfus indignans, ita locutus eſt: Quando tu aliquid fortiter facere poteris, qui Argaid ab Arga nomen deductum habes? Cui ille, maxima ſtimulatus ira, vt erat vir fortiſſimus, ita reſpondit: Sic velit Deus, vt non antea ego & tu Ferdulfe exeamus de hac vita, quam cognoſcant alij, quis ex nobis magis eſt Arga. Hæc cum ſibi inuicem vulgaria verba locuti fuiſſent, contigit non poſt multos dies, vt exercitus Slauorum, pro quorum aduentu Dux Ferdulfus præmia dederat, cum magnis viribus aduentaret. Qui cum caſtra in ſummo montis vertice poſuiſſent, & pene ex omni parte difficile eſſet ad eos accedere, Ferdulfus dum cum exercitu veniens, cœpit eundem montem circuire, vt per loca planiora ſuper eos poſſet irruere. Tunc Argaid de quo præmiſimus, ita Ferdulfo dixit: Memento dux Ferdulfe, quod me eſſe inertem & inutilem dixeris, & vulgari verbo Arga vocaueris. Nunc autem ira Dei veniat ſuper illum, qui poſterior è nobis ad hos Slauos acceſſerit. Et C hæc dicens, verſo equo per aſperitatem montis, vnde grauis erat aſcenſus, ad caſtra contendere cœpit Slauorum. Ferdulfus vero opprobrium ducens, ſi non ipſe per eadem difficilia loca ſuper Slauos irrueret, eum per aſpera quæque & difficilia inuiaque loca ſecutus eſt. Quem ſuus exercitus turpe ducens ducem non ſequi, ſubſequi & ipſe cœpit. Videntes itaque Slaui eos per deuexa loca superuenire, præparauerunt ſe viriliter, & magis lapidibus ac ſecuribus, quam armis contra eos pugnantes, pene omnes deiectos equis peremerunt, ſicque victoriam non viribus, ſed caſu adepti ſunt. Ibi omnis nobilitas periit Foroiulianorum, ibi Ferdulfus dux cecidit, ibi & ille qui eum prouocauerat extinctus eſt. Tantique ibi viri fortes per contentionis malum & imprudentiæ debellati ſunt, quanti poſſent per vnam concordiam & ſalubre conſilium, multa millia ſternere æmulorum. Ibi tamen vnus è Langobardis nomine Munichis, qui pater poſt Petri Foroiulianorum & Vrſi Cenetenſis ducum extitit, ſolus fortiter & viriliter fecit. Is cum de equo deiectus eſſet, & D eum vnus de Slauis ſubito inuadens eius manus fune colligaſſet, ipſe manibus ligatis lanceam ab eiuſdem Slaui dextera extrahens, eum cum ipſa percuſſit, & ligatus per aſpera ſe loca deiiciens euaſit. Hæc ideo vel maxime in hac poſuimus hiſtoria, ne quid alicui per contentionis malum ſimile contingat.

Capvt XXV.

Mortuo itaque Ferdulfo duce hoc modo, in eius loco ordinatus eſt Coruulus, qui pauco tempore ducatum tenens, dum regem offendiſſet, euulſis oculis dedecoroſe vixit.

Capvt XXVI.

Deinceps vero Pemmo ducatum promeruit, qui fuit homo ingenioſus & vtilis patriæ. Hic patre genitus Billonenſe, qui de Belluno fuerat, ſed propter ſeditionem quam illic fecerat, in Forumiulij poſt veniens, ibi pacifi- E ce vixit. Hic Pemmo habuit coniugem Rathbergam nomine. Quæ cum eſſet facie ruſticana, ſæpe maritum deprecabatur, vt ſe dimiſſa aliam vxorem duceret, quam tanti ducis coniugem eſſe deceret. Sed ipſe, vt erat vir ſapiens, plus eius mores, & humilitatem verecundamque pudicitiam, quam corporis pulchritudinem, ſibi complacere dicebat. De hac ergo coniuge tres Pemmo filios, hoc eſt, Ratchis & Ratchait, & Ahiſtulfum viros ſtrenuos genuit. Quorum natiuitas humilitatem matris ad gloriam erexit. Qui dux congregatis omnium nobilium qui in bello de quo diximus, obierant filiis, ſic eos cum ſuis natis pariter nutriuit, ac ſi & ipſi ab eo geniti fuiſſent.

Capvt XXVII.

Hac denique ætate, Giſulfus Beneuentanorum ductor, Suram Romanorum ciuitatem, Hirpinos, atque Arcem, pari modo oppida cepit. Qui Giſulfus tempore Iohannis Papæ, cum omni ſua virtute Campaniam venit, incendia & depredationes faciens, multos captiuorum cepit, F & vſque in locum qui horrea dicitur, caſtra metatus eſt, nulluſque ei reſiſtere potuit. Ad hunc pontifex miſſis ſacerdotibus cum Apoſtolicis donariis, vniuerſos captiuos de eorum manibus redemit, ipſumque ducem cum ſuo exercitu, ad propria repedare fecit.

Capvt XXVIII.

Hoc tempore Aripertus rex Langobardorum, donationem patrimonij Alpium Cottiarum, quæ quondam ad ius pertinuerant Apoſtolicæ ſedis, ſed à Langobardis multo tempore fuerant ablatæ, reſtituit, & hanc donationem aureis exaratam litteris, Romam direxit. His etiam diebus duo reges Saxonum, ad veſtigia Apoſtolorum Romam venientes, ſub velocitate vt optabant defuncti ſunt.

Capvt XXIX.

G Tunc quoque venit Benedictus Archiepiſcopus Mediolanenſis Romam, & cauſam egit pro Eccleſia Ticinenſi. Sed victus eſt, eo quod à priſcis temporibus Ticinenſes Epiſcopi à Romana fuerant Eccleſia conſecrati. Fuit autem iſdem venerabilis Benedictus Archiepiſcopus, vir egregiæ ſanctitatis, de quo per vniuerſam Italiam bonæ opinionis fama flagrauit.

Capvt XXX.

Igitur defuncto Traſemundo duce Spoletanorum, Faroaldus eius filius in loco patris eſt ſubrogatus. Denique VVachilapos qui germanus fuit Traſemundi, & cum fratre pariter eundem rexit ducatum.

Capvt XXXI.

At vero Iuſtinianus qui amiſſo principatu in Ponto exulabat, auxilio Terebelli Bulgarum regis, regnum H rurſus recipiens, eos qui ſe expulerant, patricios occidit. Leonem quoque & Tiberium, qui locum eius vſurpauerant, cepit, & in medio Circo coram omni populo iugulari fecit. Gallicinum vero Patriarcham Conſtantinopolitanum erutis oculis Romam miſit, Cyrumque Abbatem, qui eum in Ponto exulem aluerat, Epiſcopum in loco Gallicini conſtituit. Hic Conſtantinum Papam ad ſe venire iubens, honorifice ſuſcepit, ac remiſit. Quem proſtratus in terram pro ſuis peccatis intercedere rogans, cuncta eius Eccleſiæ priuilegia renouauit. Qui cum exercitum in Pontum mitteret ad comprehendendum Philippicum, quem ibi relegauerat, multum eum iſdem venerabilis Papa prohibuit, ne hoc facere deberet, ſed tamen inhibere non potuit.

Capvt XXXII.

Exercitus qui miſſus contra Philippicum fuerat, ad partem Philippici ſe contulit, eumque imperatorem fecit.

A Qui Conſtantinopolim contra Iuſtinianum veniens, cum ſeo ab vrbe milliario duodecimo pugnauit, vicit & occidit, regnumque eius adeptus eſt. Imperauit autem Iuſtinianus cum filio Tiberio in hac ſecunda vice, annos ſex, quem Leo in expulſione illius naribus detruncauit. Qui poſt iterum aſſumpto imperio, quotiens defluentem guttam rheumatis manu deterſit, pene totiens aliquem ex iis, qui contra eum fuerant, iugulari præcepit.

Capvt XXXIII.

Mortuo denique his diebus Patriarcha Petro, Aquileienſis regimen Eccleſiæ ſuſcepit Serenus, qui fuit vir ſimplicitate præditus, & ad Chriſti ſeruitium pronus.

Capvt XXXIV.

At vero Philippicus, qui & Bardanis dictus eſt, poſtquam in imperiali dignitate confirmatus eſt, Cyrum, de
B quo dixeramus, de pontificatu eiectum, ad gubernandum monaſterium ſuum, Pontum redire præcepit. Hic Philippicus Conſtantino Papæ litteras praui dogmatis direxit, quas ille cum Apoſtolicæ ſedis conſilio reſpuit. Et huius rei cauſa fecit picturas in porticu ſancti Petri, quæ geſta ſex ſanctarum Synodorum vniuerſalium retinent. Nam & huiuſmodi picturas cum haberentur in vrbe regia, Philippicus iuſſerat auferri, ſtatuitque Populus Romanus, ne Hæretici Imperatoris nomen, aut chartas, aut figuram ſolidi ſuſciperent. Vnde nec eius effigies in Eccleſiam introducta eſt, nec nomen ad miſſarum ſolemnia prolatum. Hic cum annum vnum & ſex menſes regnum geſſiſſet, contra eum Anaſtaſius, qui & Artemius dictus eſt, inſurgens, eum regno expulit, oculiſque priuauit, nec tamen occidit. Hic Anaſtaſius litteras Conſtantino Papæ Romam per Scholaſticum Patricium & Exarchum Italiæ direxit, quibus ſe fautorem Catholicæ fidei, & ſancti ſexti concilij prædicatorem eſſe declarauit.

C

Capvt XXXV.

Igitur poſtquam Anſprandus apud Boioariam iam nouem expletis annis exulaſſet, promoto tandem Theudeberto decimo anno Boioariorum ductor exercitus venit Italiam, pugnauit cum Ariperto, & facta eſt ex vtraque parte multa ſtrages populorum. Sed quamuis ad extremum nox prælium diremiſſet, certum tamen eſt, Boioarios terga præbuiſſe, & Ariperti exercitum victorem ad caſtra remeaſſe. Sed dum Aripertus in caſtris manere noluiſſet, Sed potius Ticinum ciuitatem introiſſet, & ſuis hoc facto deſperationem, & aduerſariis audaciam præbuit. Qui poſtquam in ciuitatem ingreſſus eſt, & ſenſiſſet quia pro hoc facto ſuum exercitum offenſum haberet, mox arrepto conſilio vt in Franciam fugeret, quantum ſibi vtile duxit, è Palatio aurum ſuſtulit. Qui dum trans fluuium Ticinum grauatus auro natare voluiſſet, ibi corruens ſuffocatus aquis extinctus eſt. Cuius in craſtinum diem corpus inuentum, in Palatio ornatum, ac deinde ad
D Baſilicam Domini Saluatoris, quam antiquitus Aripertus conſtruxerat, perlatum ibique ſepultum eſt. Hic in diebus quibus regnum tenuit noctu egrediens, & hac illacque pergens, quid de eo à ſingulis ciuibus diceretur, per ſemetipſum explorabat, ac diligenter qualem iuſtitiam ſinguli iudices populo ſuo facerent, inueſtigabat. Hic aduenientibus ad ſe exterarum gentium legatis, vilibus coram eis veſtibus ſiue pelliciis vtebatur, vtque minus Italiæ inſidiarentur, nunquam eis precioſa vina, vel cæterarum rerum delitias miniſtrabat. Regnauit autem cum patre Ragunberto, ſiue ſolus, vſque ad annum duodecimum. Fuit quoque vir plus, eleemoſynis deditus, ac iuſtitiæ amator. In cuius temporibus, terræ vbertas nimia, ſed tempora barbarica. Huius germanus Guntbertus eo tempore in Franciam fugiens, ibidem vſque ad ſuæ mortis diem permanſit. Huic fuerunt filij tres, quorum qui maior natu extitit, Raginbertus nomine, noſtris in diebus Aurelianenſem ciuitatem rexit. Poſt cuius Ariperti funus, Anſprandus Langobardorum regno potitus, tres menſes ſolummodo regnauit: Vir per omnia egregius, & cuius ſapientiæ raro æquandi ſunt. Cernentes Langobardi huius interitum, Luidprandum eius filium, in regali conſtituunt ſolio. Quod Anſprandus dum adhuc viueret audiens, valde lætatus eſt. E

Capvt XXXVI.

Hoc tempore Anaſtaſius Imperator claſſem in Alexandriam contra Sarracenos direxit. Cuius exercitus ad aliud verſus conſilium, ab itinere medio Conſtantinopolitanam vrbem regreſſus, Theodoſium orthodoxum inquirens, imperatorem elegit, atque coactum in ſolio imperij confirmauit. Qui Theodoſius apud Ateam ciuitatem Anaſtaſium graui prælio vicit; datoque ſibi Sacramento, eum clericum fieri ac presbyterum fecit ordinari. Ipſe vero vt regnum accepit mox in regia vrbe, imaginem illam venerandam, in qua ſancta ſynodus erat depicta, & à Philippico fuerat deiecta, priſtinum in locum erexit. His diebus Tybris fluuius ita inundauit, vt alueum ſuum egreſſus multa Romanæ fecerit exitia ciuitati; ita vt in via lata ad vnam & ſemis ſtaturam excreſceret, atque à porta ſancti Petri vſque ad pontem Miluuium aquæ ſe diſtendentes coiungerent. F

Capvt XXXVII.

His temporibus multi Anglorum gentis nobiles & ignobiles, viri & fœminæ, duces & primates, diuini amoris inſtinctu Romam venire conſueuerunt. Apud regnum Francorum tunc temporis Pipinus obtinebat principatum. Fuit autem vir miræ audaciæ qua hoſtes ſuos aggrediendo ſtatim conterebat. Nam ſupra ſuum quendam aduerſarium Rhenum tranſgreſſus, cum vno tantum ſatellite ſuo irruit, eumque in ſuo cubiculo reſidentem cum ſuis trucidauit. Bella quoque multa cum Saxonibus, & maxime cum Rathodo Friſionum rege, fortiter geſſit. Hic & alios filios habuit, ſed ex his Karolus præcipuus extitit, qui ei poſt in principatu ſucceſſit. G

Capvt XXXVIII.

At vero Luidprandus rex cum in regno confirmatus eſſet, eum Rothari eius conſanguineus perimere voluit. Is enim conuiuium ei in domo ſua apud Ticinum præparauit, in qua domo viros fortiſſimos, qui regem conuiuantem extinguerent, armatos abſcondit. Quod cum Luidprando nuntiatum fuiſſet, eum ad palatium ſuum euocari præcepit; quem, ſicut ei dictum fuerat, loricam ſub veſte indutum ipſe manu pertractans repperit. Qui Rothari cum ſe detectum cognouiſſet, ſtatim poſt ſe exiliens ſpatam euaginauit, vt regem perimeret. E contra rex ſuum enſem vagina exemit. Tunc vnus è regiis ſatellitibus nomine Subo, Rothari à tergo comprehendens, ab eo in fronte vulneratus eſt. Super quem Rothari & alij inſilientes eum ibidē occiderunt. Quatuor vero eius filij qui non aderant, vbi inuenti ibi perempti ſunt. Fuit autem Rex Luidprandus vir multæ audaciæ, ita vt cum eum duo armigeri eius occidere cogitarent, & hoc ei perlatum fuiſſet; in profundiſſimam ſiluam cum eis ſolus egreſſus eſt, H
mox euaginatum gladium contra eos tenens, eiſdem quia eum occidere cogitauerunt improperauit. Quod vt facere deberent hortatus eſt. Qui ſtatim eius pedibus prouoluti ei ſunt cuncta quæ machinati erant profeſſi. Et de aliis quoque ſimiliter fecit. Sed tamen confeſſis, mox tantæ malitiæ culpam pepercit.

Capvt XXXIX.

Defuncto itaque Giſulfo Beneuentanorum duce, Samnitum populus Romoaldum eius filium ad regendum ſe ſublimauit.

Capvt XL.

Circa hæc tempora Petronax ciuis Brexianæ vrbis, diuino amore compunctus, Romam venit, hortatuque tunc Gregorij Apoſtolicæ ſedis Papæ, Caſſinum caſtrum petiit, atque ad Sacrum corpus beati Patris Benedicti perueniens, ibi cum aliquibus ſimplicibus viris, iam ante reſidentibus, habitare cœpit, qui eundem venerabilem virum Petronacem ſibi ſeniorem ſtatuerunt. Hic non poſt multum tempus, cooperante diuina miſericordia,

A

& ſuffragantibus meritis beati Benedicti patris, iamque euolutis fere centum & decem annis, ex quo locus ille habitatiooe hominum deſtitutus erat, multorum ibi monachorum, nobilium & mediocrium, ad ſe concurrentium pater effectus, ſub ſanctæ regulæ iugo, & beati Benedicti inſtitutione, reparatis habitaculis viuere cœpit, atque hoc ſanctum cœnobium in ſtatum, quo nunc cernitur, erexit. Huic venerabili viro Petronaci in ſequenti tempore ſacerdotum præcipuus & Deo dilectus Pontifex Zacharias plura adiutoria contulit, libros ſcilicet Sanctæ ſcripturæ, & alia quoque quæ ad vtilitatem monaſterij pertinent: inſuper & regulam, quam beatus pater Benedictus ſuis ſanctis manibus conſcripſit, paterna pietate conceſſit. Monaſterium vero beati Vincentij martyris, quod iuxta Vulturnis Fluminis fontem ſitum eſt, & nunc magna congregatione refulget, à tribus nobilibus fratribus, hoc eſt, Tato, Taſo, & Paldo iam tunc ædificatum, ſicut viri eruditiſſimi Autberti eiuſdem monaſterij abba-

B

tis in volumine qood de hac re compoſuit, ſcripta ſignificant. Superſtite ſane adhuc beato Papa Gregorio Romanæ ſedis, Cumarum caſtrum à Longobardis Beneuentanis peruaſum eſt; ſed à duce Neſpolitano noctu ſuperueniente, quidam ex Langobardis capti, quidam peremti ſunt; caſtrum quoqoe ipſum à Romanis eſt receptum. Pro cuius caſtri redemptione, pootifex ſeptuaginta libras auri, ſicut primitus promiſerat, dedit.

CAPVT XLI.

Inter hæc defuncto imperatore Theodoſio, qui vno ſolummodo imperium rexerat anno, eius in locum Leo Auguſtus ſubrogatur.

CAPVT XLII.

Apud Fraocorum quoque gentem Pipino vita exempto, eius filius Karolus, de quo præmiſeramus, licet per multa bella & certamina, de manu Reginfridi principa-

C

tum ſuſtulit. Nam cum in cuſtodia teneretur, diuino nutu ereptus aufugit, ac primum contra Reginfridum, cum paucis bis terque certamen inijt, nouiſſimeque eum apud Vinciacum magno certamine ſuperauit. Cui tamen vnam, hoc eſt, Andegauenſem ciuitatem ad habitandum conceſſit. Cunctam vero Francorum gentem, ipſe gubernandam ſuſcepit.

CAPVT XLIII.

Eo tempore Luidprandus rex, donationem patrimonij Alpium Cottiarum Romanæ Eccleſiæ confirmauit. Nec multum poſt idem regnator Guntrudam filiam Boioariorum ducis, apud quem exularat, in matrimonium duxit, de qua vnam ſolummodo filiam genuit.

CAPVT XLIV.

Per hæc tempora Faroaldus Spoletanorum ductor Claſſe Rauennatium ciuitatem inuaſit: ſed iuſſu regis Luidprandi, eadem Romanis reddita eſt. Contra hunc

D

Faroaldum ducem, filius ſuus Traſemundus inſurrexit, eumque clericum faciens, locum eius inuaſit. His diebus Theudo Boioariorum gentis dux, orationis gratia Romam ad B. Apoſtolorum veſtigia venit.

CAPVT XLV.

Apud Forumiulij igitur, ſublato è rebus humanis Patriarcha Sereno, Caliſtus vir egregius, qui erat Taruiſianæ Eccleſiæ Archidiaconus, annitente Luidprando principe, Aquileienſem Eccleſiam regendam ſuſcepit. Quo, vt diximus, in tempore, Pemmo Foroiulianis præerat Langobardis. Is cum iam nobilium, quos cum ſuis natis nutrierat filios ad iuuenilem perduxiſſet ætatem, repente ei nuntius venit, immenſam Sclauorum multitudinem, in locum qui Lauriana dicitur aduentaſſe. Cum quibus ille iuuenibus ſuper eoſdem Sclauos tertio irruens, magna eos clade proſtrauit, nec amplius ibi aliquis à parte Langobardorum cecidit, quam Sigualdus, qui erat iam ætate grandæuus. Iſte namque in ſuperiori pugna, quæ

E

ſub Ferdulfo facta eſt, duos filios amiſerat. Qui cum prima & ſecunda vice, iuxta voluntatem ſuam ſe de Sclaois vltus eſſet, tertia vice prohibente duce & aliis Langobardis oon potuit inhiberi, ſed ita eis reſpondit: Iam ſatis, inquit, meorum filiorum mortem vindicaui, etiam ſi aduenerit, lætus ſuſcipiam mortem. Factumque eſt; & ipſe ſolus in eadem pugna peremptus eſt. Pemmo vero cum multos inimicorum proſtrauiſſet, metuens ne aliquem ſuorum amplius in bello perderet, cum eiſdem Sclauis in eodem loco pacis concordiam iniit, atque ex illo iam tempore magis ac magis cœperunt Sclaui Foroiulianorum arma formidare.

CAPVT XLVI.

Eo tempore gens Sarracenorum in loco qui Septem dicitur, ex Africa transfretantes, vniuerſam Hiſpaniam inuaſerunt. Deinde poſt decem annos cum vxoribus & paruulis venientes, Aquitaniam Galliæ prouinciam, quaſi habitaturi ingreſſi ſunt. Karolus ſiquidem cum Eu-

F

done Aquitaniæ principe, tunc diſcordiam habebat, Qui tamen in vnum ſe coniungentes, contra eoſdem Sarracenos pari conſilio dimicarunt. Nam irruentes Franci ſuper eos, trecenta ſeptuaginta quinque millia Sarracenorum interemerunt. Ex Francorum vero parte, mille & quingenti tantum ibi ceciderunt. Eudo quoque cum ſuis ſuper eorum caſtra irruens, pari modo multos interficiens, omnia deuaſtauit.

CAPVT XLVII.

Hoc etiam tempore eadem Sarracenorum gens cum immenſo exercitu veniens, Conſtantinopolim circumdedit, ac per continuum triennium obſedit, donec multa inſtantia ad Deum clamantibus ciuibus, plurimi eorum fame & frigore, bello & peſtilentia perirent, ac ſic pertæſi obſidionis, abſcederent. Qui inde egreſſi Bulgarum gentem, quæ eſt ſuper Danubium, bello aggrediuntur. Et ab hac quoque victi, ad ſuas naues refugiunt, quibus cum al-

G

tum peterent, ingruente ſubito tempeſtate, plurimi etiam merſis ſiue contritis nauibus perierunt. Intra Conſtantinopolim vero, trecenta millia hominum peſtilentia interierunt.

CAPVT XLVIII.

Luidprandus vero audiens quod Sarraceni depopulata Sardinia etiam loca illa vbi oſſa Auguſtini Epiſcopi, propter vaſtationem Barbarorum olim tranſlata & honorifice fuerant condita, fœdarent, miſit eo, & dato magno pretio, accepit, & tranſtulit ea in vrbem Ticinenſem, ibique cum debito tanto patri honore condidit. His diebus Narnia ciuitas à Langobardis peruaſa eſt.

CAPVT XLIX.

Eo tempore Rex Luidprandus Rauennam obſedit, Claſſem inuaſit atque deſtruxit. Tunc Patricius Paulus ex Rauenna miſit qui Pontificem interimerent. Sed Langobardis pro defenſione Pontificis repugnantibus Spoletanis in Salario ponte, & ex aliis partibus Langobardis

H

Tuſcis reſiſtentibus, conſilium Rauennatium diſſipatum eſt. Hac tempeſtate Leo Imperator apud Conſtantinopolim ſanctorum imagines depoſitas incendit. Romano quoque Pontifici ſimilia facere, ſi imperialem gratiam habere vellet, mandauit, ſed pontifex hoc facere contempſit. Omnis quoque Rauennæ exercitus, vel Venetiarum, talibus iuſſis vno animo reſtiterunt, & niſi eos prohibuiſſet pontifex, Imperatorem ſuper ſe conſtituere fuiſſent aggreſſi. Rex quoque Luidprandus caſtra Æmiliæ, Foronianum, & Montem Bellium, Buxeta & Perſiceta, Bononiam & Pentapolim, Auximumque inuaſit. Pari quoque modo tunc & Sutrium peruaſit, ſed poſt aliquot dies, iterum Romanis redditum eſt. Per idem tempus Leo Auguſtus ad peiora progreſſus eſt, ita vt compelleret omnes Conſtantinopoli habitantes, tam vi, quam blanditiis, vt deponerent vbicunque haberentur imagines tam Saluatoris, quam Sanctæ eius genitricis, vel omnium Sanctorum, eaſque in medium ciuitatis incendio concremari fecit. Et

quia

A quia pletique ex populo tale ſcelus fieri præpediebant,
aliquanti ex eis capite truncati, alij corporis parte mulcati ſunt. Cuius errori Germanus Patriarcha non coosentiens, à propria ſede depulſus eſt, & eius in loco Anaſtaſius presbyter ordinatus eſt.

Capvt L.

Romoaldus denique dux Beneuenti, vxorem ſortitus eſt, Gunbergam nomine, quæ fuit filia Auronæ Luidprandi regis ſororis. De qua filium genuit, quem nomine ſui patris Giſulfum appellauit. Habuit rurſum poſt hanc & aliam coniugem, nomine Rauigundam, filiam Gaidoaldi Brexiani ducis.

Capvt LI.

B Grauis ſane per idem tempus inter Pemmonem ducem
& Caliſtum Patriarcham diſcordiæ rixa ſurrexit. Cauſa autem huius diſcordiæ iſta fuit. Adueniens anteriore tempore Fidentius Epiſcopus de caſtro Iulienſi, cum voluntate ſuperiorum ducum intra Foroiuliani caſtri muros habitauit, ibique ſui Epiſcopatus ſedem ſtatuit. Quo vita decedente, Amator in eius loco ordinatus eſt. Vſque ad eundem enim diem ſuperiores Patriarchæ, quia in Aquileia propter Romanorum incurſionem habitare minime poterant, ſedem non in Foroiulij, ſed in Cormones habebant. Quod Caliſto, qui erat nobilitate conſpicuus, ſatis diſplicuit, vt in eius diœceſi, cum duce & Langobardis habitaret Epiſcopus, & ipſe tantum vulgo ſociatus vitam duceret. Quid plura? Contra eundem Amatorem Epiſcopum egit, eumque de Foroiulij expulit, atque in illius domo ſibi habitationē ſtatuit. Hac de cauſa Pemmo dux, contra eundem Patriarcham, cum multis nobilibus Langobardis conſilium iniit, apprehenſumque eum ad caſtellum Pontium, quod ſupra mare ſitum eſt, duxit indeque eum in mare præcipitare voluit. Sed tamen Deo inhi-
C bente minime fecit; intra carcerem tamen eum retentum, pane tribulationis ſuſtentauit. Quod Rex Luidprandus audiens, in magnam iram exarſit, ducatumque Pemmoni auferens Ratchis eius filium in eius loco ordinauit. Tunc Pemmo cum ſuis diſpoſuit vt, in Sclauorum patriam fugeret: ſed Ratchis eius filius à Rege ſupplicando obtinuit patri veniam, eumque in regis gratiam reduxit. Accepta itaque Pemmo fiducia quod nihil mali pateretur, ad regem cum omnibus Langobardis, cum quibus conſilium, habuerat, perrexit. Tunc rex in iudicio reſidens, Pemmonem & eius duos filios Ratchait & Ahiſtulfum, Ratchis concedens, eos poſt ſuam ſedem conſiſtere præcepit. Rex vero eleuata voce, omnes illos qui Pemmoni adhæſerant, nominatiue comprehendere iuſſit. Tunc Ahiſtulfus dolorem non ferens, euaginato pene gladio regem percutere voluit, niſi eum Ratchis ſuus germanus cohibuiſſet. Hoc modo iis Langobardis comprehenſis, Her-
D ſemar, qui vnus ex eis fuerat, euaginato gladio, multis inſequentibus, ipſe ſe viriliter defenſans, in Baſilicam beati Michaëlis confugit. Ac deinde ſolus regis indulgentia impunitatem meruit, cæteris longo tempore in vinculis excruciatis.

Capvt LII.

Ratchis denique apud Forumiulij dux, vt dixeramus, effectus, in Carniolam Sclauorum patriam, cum ſuis ingreſſus magnam multitudinem Sclauorum interficiens, eorum omnia deuaſtauit. Vbi cum Sclaui ſuper eum ſubito irruiſſent, & ipſe adhuc lanceam ſuam ab armigero non abſtuliſſet, eum qui primus ei occurrit, claua quam manu geſtabat percutiens, eius vitam extinxit.

Capvt LIII.

Circa hæc tempora Karolus Princeps Francorum, Pipinum ſuum filium ad Luidprandum direxit, qui eius cæſariem incidens, ei pater effectus eſt, multiſque eum ditatum regiis muneribus, genitori remiſit.

Capvt LIV. E

Per idem tempus Sarracenorum exercitus, rurſum in Galliam introiens, multam deuaſtationem fecit. Contra quos Karolus non longe à Narbona bellum committens, eos, ſicut & prius, maxima cæde proſtrauit. Iterato Sarraceni Gallorum fines ingreſſi, vſque ad prouinciam venerunt, & capta Arelate, omnia circumquaque demoliti ſunt. Tunc Karolus legatos cum muneribus ad Luidprandum regem mittens, ab eo contra Sarracenos auxilium popoſcit. Qui nihil moratus, cum omni Langobardorum exercitu in eius adiutorium properauit. Quo comperto gens Sarracenorum, mox ab illis regionibus aufugit. Luidprandus vero cum omni ſuo exercitu ad Italiam rediit. Multa idem regnator contra Romanos bella geſſit, in quibus ſemper victor extitit, præter quod ſemel in Armino, eo abſente, eius exercitus cæſus eſt, & alia vice
cum apud vicum Pilleum, rege in Pentapoli demorante, F
magna multitudo horum qui regi munuſcula vel xenia, vel ſingularum Eccleſiarum dona deferebant, à Romanis irruentibus cæſa vel capta eſt. Rurſus cum Rauennam Hildebrandus regis nepos, & Peredeo Vincentinus dux obtinerent, irruentibus ſubito Veneticis, Hildebrandus ab eis captus eſt, Peredeo viriliter pugnans occubuit. In ſequenti quoque tempore Romani ſolita elatione turgidi, congregati vniuerſaliter, habentes in capite Agathonem Peruſinorum ducem, venerunt vt Bononiam comprehenderent, vbi tunc VValcari, Peredeo, & Rothari, morabantur in caſtris. Qui ſuper Romanos irruentes, multam de eis ſtragem fecerunt, reliquoſque fugam petere compulerunt.

Capvt LV.

His diebus Traſemundus contra regem rebellauit. Super quem Rex cum exercitu veniens, ipſe Traſemundus Romam fuga petiit. In cuius loco Hildericus ordinatus
eſt. Mortuo autem Romualdo iuniore Beneuentanorum G
duce, qui viginti & ſex ducatum tenuerat annis, Giſulfus eius filius adhuc paruulus remanſit. Contra quem aliqui inſurgentes, eum moliti ſunt extinguere. Sed Beneuentanorum populus, qui ſuis ductoribus ſemper fidelis extitit, eos peremerunt, ſui ducis vitam ſeruantes. Qui Giſulfus cum propter ætatem puerilem idoneus ad tantum populum regendum non eſſet, Luidprandus rex Beneuentum tunc veniens, eum exinde abſtulit, & apud Beneuentum ſuum nepotem Gregorium ducem ordinauit. Cui in matrimonio vxor ſociata Giſelberga nomine fuit. Ita rex Luidprandus rebus compoſitis, ad ſuum ſolum remeauit: Giſulfumque ſuum nepotem paterna pietate erudiens, ei Conibergam, nobili ortam progenie, in matrimonium iunxit. Ipſe rex eo tempore in languorem decidens, morti approximauit. Quem Langobardi vita excedere exiſtimantes, eius nepotem Hildebrandum foras muros ciuitatis, ad Sanctæ Dei genitricis Eccleſiam, quæ ad Perticas dicitur, in regem leuauerunt. Cui dum contum, ſicut
moris eſt, traderent, in eius conti ſummitate, cuculus H
auis volitando veniens, inſedit. Tunc aliquibus prudentibus hoc portento viſum eſt ſignificari, eius principatum inutilem fore. Rex autem Luidprandus cum hoc cognouiſſet, non æquo animo accepit: Tameo de infirmitate conualeſcens, eum regni ſui conſortem habuit. Euolutis de hinc aliquot annis, Traſemundus qui Romam fugerat, Spoletum rediens, Hildericum extinxit, rurſumque contra regem rebellionis audaciam ſumpſit.

Capvt LVI.

At vero Gregorius dum apud Beneuentum annis ſeptem ducatum geſſiſſet, vita exemptus eſt. Poſt cuius obitum Godeſchalcus dux effectus, annis tribus Beneuentanis præfuit; cui in coniugio vxor ſociata nomine Anna fuit Rex ergo Luidprandus talia de Spoleto ſiue Beneuento audiens, rurſum cum exercitu Spoletum petiit. Qui Pentapolim veniens, dum a Fano ciuitate forum Sem-

peronij pergeret, in ſiluam quæ in medio eſt, Spoletani ſe cum Romanis ſociantes magna incommoda regis exercitui intulerunt. Qui rex in nouiſſimo loco Ratchis ducem, & eius fratrem Ahiſtulfum, cum Foroiulianis conſtituit. Supra quos Spoletani & Romani irruentes, aliquos ex eis vulnerauerunt. Sed tamen Ratchis cum ſuo germano, & aliquibus viris fortiſſimis, omne illud pugnæ pondus ſuſtinentes viriliterque certantes, multiſque trucidatis ſe ſuoſque inde, præter, vt dixi, paucos ſauciatos exemerunt. Ibi quidam Spoletanorum fortiſſimus, Berto nomine, nominatiue Ratchis acclamans, armis inſtructus ſuper eum venit. Quem Ratchis ſubito percutiens, equo deiecit. Cumque eius ſocij eum perimere vellent, eum pietate ſolita fugere permiſit. Qui manibus pedibuſque reptans ſiluam ingreſſus euaſit. Super Ahiſtulfum vero in quodam ponte duo fortiſſimi Spoletani à tergo venientes, vnum eorum aduerſa cuſpide feriens, de eodem ponte deiecit, alterum vero ſubito ad eum conuerſus, vita priuatum poſt ſocium merſit.

CAPVT LVII.

At vero Luidprandus Spoletum perueniens, Traſemundum ducatu expulit, eumque clericum fecit. Cuius in loco Agibrandum ſuum nepotem conſtituit. Cum vero Beneuentum properaret, Godeſcalcus, audito eius aduentu, nauem conſcendere, atque in Græciam fugere molitus eſt. Qui poſtquam vxorem & cunctam ſupellectilem ſuam in nauim impoſuiſſet, & nouiſſime ille aſcendere vellet, irruentibus Beneuentanis Giſulfi fidelibus, extinctus eſt. Vxor ſane illius, cum omnibus quæ habebat, Conſtantinopolim perlata eſt.

CAPVT LVIII.

Tunc Rex Luidprandus Beneuentum perueniens, Giſulfum ſuum nepotem iterum in loco proprio ducem conſtituit. Rebuſq; ita compoſitis, ad ſuum Palatium remeauit. Hic glorioſiſſimus Rex multas in Chriſti honore, per ſingula loca vbi degere ſolebat baſilicas conſtruxit. Hic monaſterium beati Petri quod foras muros Ticinenſis ciuitatis ſitum eſt, & Cœlum aureum appellatur, inſtituit. In ſumma quoque Bardonis alpe, monaſterium, quod Bercetum dicitur, ædificauit. In Olonna nihilominus ſuo prohaſtin, miro opere in honorem ſancti Anaſtaſij martyris, Chriſto domicilium ſtatuit: in quo & monaſterium fecit. Pari etiam modo multa, per loca ſingula, diuina templa inſtituit. Intra ſuum quoque Palatium, oraculum Domini Saluatoris ædificauit, & quod nulli alij reges habuerant, ſacerdotes & clericos inſtituit, qui ei quotidie diuina officia decantarent. Huius regis temporibus fuit in loco, cui Forum nomen eſt, iuxta fluuium Tanarum, vir miræ ſanctitatis, Baodolinus nomine, qui multis miraculis, Chriſti gratia ſuffragante, refulſit. Qui ſæpe futura prædixit, abſentia quoque quaſi præſentia nuntiauit. Denique cum Rex Luidprandus in Vrbem ſiluam venatum iſſet, vnus ex eius comitibus, ceruum ſagitta percutere niſus, eiuſdem regis nepotem, hoc eſt, ſororis eius filium Auſuſum nomine, nolens ſauciauit. Quod rex cernens, valde enim eundem puerum amabat, cum lachrymis eius incommodum lamentari cœpit, ſtatimque vnum è ſuis equitem miſit, qui ad virum Dei Baodolinum curreret, eumque peteret, vt pro vita eiuſdem pueri Chriſtum ſupplicaret. Qui cum ad ſeruum Dei pergeret, puer defunctus eſt: cui Chriſti famulus ad ſe peruenienti, ita dixit: Scio quam ob cauſã veneris, ſed illud quod poſtulas iam fieri non poteſt, quia puer ille defunctus eſt. Quod cum is qui miſſus fuerat, regi, quod à ſeruo Dei audierat, renuntiaſſet, rex licet doluerit, quod effectum ſupplicationis ſuæ habere non potuit, tamen quia vir Domini Baodolinus ſpiritum prophetiæ habuerit, aperte cognouit. Huic quoque non diſſimilis apud Veronenſem ciuitatem Theudelapius nomine fuit, qui inter miranda, quæ patrabat, præſago etiam ſpiritu multa quæ erant ventura, prædixit. Eo quoque tempore floruit vita vel actibus Ticinenſis Eccleſiæ Epiſcopus Petrus, qui quia regis erat conſanguineus, ab Ariperto quondam rege, apud Spoletum exilio fuerat retruſus. Huic beati martyris Sabini Eccleſiam frequentanti, iſdem venerabilis martyr prænuntiauit, quod Epiſcopus apud Ticinum futurus eſſet. Qui poſtea cum id fuiſſet factum, baſilicam eidem beato martyri Sabino, in ſolo proprio, apud eandem ciuitatem conſtruxit. Hic inter reliquas optimæ vitæ, quas habuit virtutes, etiam virginitatis flore decoratus enituit. Cuius nos aliquod miraculum, quod poſteriori tempore geſtum eſt, in loco proprio ponemus. At vero Luidprandus, poſtquam triginta & vno anno, ſeptemque menſibus principatum obtinuit, iam ætate maturus, huius vitæ curſum expleuit. Corpuſque eius in baſilica beati Adriani martyris, vbi & eius requieſcit genitor, ſepultum eſt. Fuit autem vir multæ ſapientiæ, conſilio ſagax, pius admodum, & pacis amator: Bello potens, delinquentibus clemens, caſtus, pudicus, orator peruigil, eleemoſynis largus, literarum quidem ignarus, ſed philoſophis æquandus, nutritor gentis, legum augmentator. Hic initio regni ſui, Boioariorum plurima caſtra cepit, plus ſemper orationibus, quam armis fidens, maxima ſemper cura Francorum Auarumque pacem cuſtodiens.

Explicit liber ſextus Pauli VVarnefridi Langobardi Filij.

DE GESTIS LANGOBARD.

HISTORIÆ MISCELLÆ

A PAVLO AQVILEGIENSI

Diacono primum collectæ, poſt etiam

A LANDVLPHO SAGACI AVCTÆ

Productæque ad Imperium LEONIS IV. id eſt, annum Chriſti DCCCVI.

LIBRI XXIV.

In quibus præter, Suetonij, Eutropij, Flori, Victoris, Euſebij, Rufini, Oroſij, Iornandis & aliorum hiſtorias, tota pene Anaſtaſij Bibliothecarij Rom. Eccleſ. hiſtoria ex Georgio, Theophane, aliiſque Græcis ſcriptoribus collecta continetur.

Nunc ex variis manuſcriptis illuſtrati & editi

AB HENRICO CANISIO NOVIOMAGO I.C. & SS. Canonum Profeſſore Ordinario in Academia Ingolſtadienſi.

AD LECTOREM.

HABES hic à me lector amice, Miſcellam hiſtoriam. Vere Miſcellam & Miſcellaneam, ne dicam Moretum. Ex variis enim auctoribus conſarcinata eſt: quam apte & concinne, doctorum eſto iudicium; in quorum tamen ſenſu concordique conſenſu ſi acquieſcimus, hanc vtique hiſtoriam magni ducemus veriſque pretiis æſtimabimus. Video enim illam à doctiſſimis quibuſuis non modo citari, ſed & commendari. In primis vero ab illuſtriſſimo Cardinale Baronio, Eccleſiaſticæ antiquitatis inſtauratore; cui tamen, quod nollem, impoſuerunt, qui vt ipſe refert Tomo IX. anno Chriſti 726. perſuaſerunt, Hiſtoriæ huius parentem eſſe non Paulum Diaconum, ſed Theophanem. *Theophanes,* inquiunt, *qui falſo inſcribitur Paulus Diaconus. Narratur hoc ipſum a Paulo Diacono, ita Theophanes verus auctor inſcribitur. Tranſlator Theophanis, qui aſſeritur Paulus Diaconus. Quæ ex Theophane, quem dicunt Paulum*

Diaconum ex interpretatione Anaſtaſij ſic Latinè efferuntur. Itane Theophanes auctor huius Miſcellæ? Atqui hoc, qui affirmarunt, minime id affirmaſſent, ſi aut Theophanem Græcè, aut ab Anaſtaſio Latinè redditum inſpexiſſent, quem nos vtraque lingua loquentem vidimus beneficio clariſſimi noſtri Marci Velſeri, II. Viri Auguſtani, videbuntque non poſt multas, vt ſpero meſſes, omnes eruditi ? Ipſe enim Theophanes cum nouo veterique ſuo interprete Anaſtaſio luce donabitur; haud ſine antiquitatis Eccleſiaſticæ commodo. Ex cuius editione apparebit, quam longe à vero abeat hæc ſententia, quaſi Miſcella hiſtoria ſit ipſe Theophanes latinitate ab Anaſtaſio donatus. Nihil minus. Nec aliam probationem adfero, quam ipſam Theophanis Græcè Latineque inſpectionem aut lectionem: etſi non nego, quædam ex Theoph. huic hiſtoriæ immiſta & intexta fuiſſe: At non ſolo ex Theophane; ſed ex pluribus: vt recte veteris editionis inſcriptio indicabat; eſt enim vt paucis me expediam, hiſtoria hæc cento ex variorum monumentis conſutus, ſed cento expetendus, quin & amplius diurno nocturnoque vſu terendus. Quantus enim in hoc centone antiquæ & quod maximum apud me momentum habet, Eccleſiaſticæ memoriæ theſaurus! Quare non inuitus feci; vt huic quoque hiſtoriæ denuo in publicum vulgandæ nonnihil operæ impenderem. Etſi alia duplex, quæ me impulit, cauſa acceſſit: altera raritas exemplarium, quæ ex priore editione ſupererant: altera; præfixa operi præfatio, quam niſi mirarer à ſincere Catholico ſcribi, chartæque mandari potuiſſe, iure quiuis dubitaret, num ſincerus Catholicæ religionis Profeſſor eſſem. Quæ certe effecit vt multi aut ab hac hiſtoria prorſus abhorrerent: aut præfationem tanquam pietati plane diſſentaneam pio ferro exſcinderent, piiſque flammis abſumendam traderent. Et certe perquam & ſtulte & inſipienter faciunt; qui antiquorum monumenta in apertum promentes aut proœmia, aut ſcholia virulenta & in Orthodoxæ fidei diſciplinam aculeata aſſuunt: nam dum nominis celebritatem, famam & gloriam ſectantur, eandem minime aſſequuntur; ſed loco eius dedecore & ignominia notati abeunt; dum libri illorum aut Vulcano conſecrantur, aut perpetuis tenebris mancipantur, aut obliteratis & amputatis improbe dictis deformantur & decurtantur, aut perpetuo exilio mulctantur; omnique aditu ad clariores in orbe terrarum prouincias & Bibliothecas prohibentur: ita vt non niſi apud ſui ſimiles, hoc eſt, apud calumniarum amatores locum inueniant. Quorum quantula pars in hoc vniuerſo; ſi ipſum vniuerſum contendere velimus cum angulis nonnullis, in quibus iſti deliteſcunt, & triumphant? Qui longe melius ſibi conſulerent; ſi quod agendum eſt, agerent, ſcriptoreſque priſcos & probæ notæ ſine heretici fellis amaritie mundo propinarent. Sic enim & ipſis, & labori ipſorum, & auctoribus, quos ex tenebris educunt locus, imo & merces apud omnes literatos foret; quorum loco nunc ea quæ ſupra dixi, reportant. Vale, mi lector, & antiquitatem expulſa nouitate ama, quia

Moribus antiquis ſtat res Romana viriſque.

EVTROPII HISTORIA, CVI Paulus Aquilegienſis Diaconus addidit rogatu Aldebergæ Beneuentanæ Ducis; deinde idem Paulus ex diuerſis auctoribus colligens; à Valentiniani Imperio vſque ad tempora Iuſtiniani perduxit: quem Landulphus Sagax ſequutus, plura & ipſe ex diuerſis auctoribus colligens, in eadem Hiſtoria addidit, & perduxit vſque ad Imperium Leonis, id eſt, annum Dominicæ Incarnationis DCCCVI. Indict. VII.

INCIPIT LIBER PRIMVS.

PRIMVS in Italia vt quibuſdam placet regnauit Ianus: deinde Saturnus, Iouem filium è Græcia fugiens in ciuitatem, quæ ex eius nomine Saturnia dicta eſt, latuit: cuius ruinæ hactenus cernuntur in finibus Tuſciæ haud procul ab Vrbe. Hic Saturnus quia in Italia latuit, ab eius latebra Latium appellata eſt. Ipſe etenim adhuc rudes populos domus ædificare, terras incolere, plantare vineas docuit, atque humanis moribus viuere, cum antea ſemiferi glandium tantummodo alimentis vitam ſuſtentarent, aut in ſpeluncis, aut frondibus virgultiſque contextis caſulis habitarent. Ipſe etiam eis nummos æreos primus inſtituit. Pro quibus meritis ab incolarum ruſtica multitudine Deus appellatus eſt. Poſt hunc Picus eius filius, de quo fabuloſe dicitur, quod à quadam famoſiſſima maga, Circe nomine, ob contemptum eius amorem in auem ſui nominis ſit mutatus. Poſt hunc eius filius Faunus, qui fuit pater Latini, cuius mater Carmentis Nicoſtrata creditur Latinas literas reperiſſe. Quibus regnantibus centum quinquaginta anni referuntur euoluti. Regnante tamen Latino qui Latinam linguam correxit, & Latinos de ſuo nomine appellauit, Troia à Græcis capta eſt, cum apud Hebræos Labdon tertium ſui principatus annum ageret, & apud Aſſyrios Teutanes, apud Ægyptios Thoos regnaret, expletis à mundi principio annis quatuor millibus & decem & nouem, à diluuio mille ſeptingentis ſeptuaginta ſeptem, à natiuitate Abrahæ tertio anno, Nini regis Aſſyriorum anno octingenteſimo quinto, à natiuitate Moyſi annis quadringentis decem, ante Vrbem autem conditam annis quadringentis quatuor, ante primam quoque Olympiadem annis quadringentis ſex. Capta igitur Troia, Æneas Veneris & Anchiſæ filius ad Italiam venit, anno tertio poſt Troiæ excidium, cum Turno Dauni Tuſcorum regis filio dimicans eum interemit, eiuſque ſponſam Lauiniam regis Latini filiam in coniugium accepit, de cuius etiam nomine Lauinium oppidum quod conſtruxerat, appellauit. Regnauit igitur Æneas Latinis annis tribus.

Quo vita decedente regnum ſuſcepit Aſcanius, qui & Iulus, eiuſdem filius, quem apud Troiam ex Creuſa coniuge filia Priami regis genuerat, & ſecum in Italiam veniens adduxerat. Qui Aſcanius relicto nouercæ ſuæ Lauiniæ regno, Albam longam condidit, & Siluium Poſthumum fratrem ſuum, qui poſt eum regnauit, Æneæ ex Lauinia filium ſumma pietate educauit, Deoſque Penates patris ſui Æneæ ex Lauinio in Albam longam tranſtulit. Simulacra vero Lauinium ſponte redierunt. Rurſus tranſducta in Albam longam, iterum repetiuere antiquiora delubra. Aſcanius deinde Iulum filium procreauit, à quo familia Iuliorum exorta eſt, paruulum, & qui necdum regendis ciuilibus curis idoneus erat. Cum autem triginta & octo annis regnaſſet Aſcanius, Siluium Poſthumum fratrem ſuum regni reliquit hæredem.

Siluius ergo Poſthumus regnauit an. XXIX. qui Poſthumus inde appellatus, quia poſt mortem patris eſt natus, Siluius quia ruri fuerat educatus: à quo omnes Albanorum reges Siluij vocati ſunt. Poſt quem regnauit Æneas Siluius annis triginta vno. Deinde Latinus Siluius regnauit annis L. quo etiam tempore apud Hebræos Dauid regnabat. Poſt cuius obitum Alba Siluius regnauit annis XXXIX. Poſt hunc Ægyptus ſiue Atys eius filius annis XXIV. Deinde Capys Siluius ſuperioris regis filius annis XXVIII. qui Capuam in Campania condidit. Item Capetus Siluius Capyæ filius, annis XIII. Poſt Tyberinus Capiti filius annis IX. Ab huius nomine Tyberinus fluuius dictus eſt, eo quod in eum decidens extinctus eſt, qui prius Albula dictus eſt. Succeſſit huic Agrippa Siluius regnans annis XL. cuius temporibus Homerus fuiſſe in

Græcia

A Græcia perhibent. Dehinc Remus Siluius Agrippæ ſuperioris regis filius regnauit annis XIX. Iſte præſidium Albanorum inter montes vbi nunc Roma eſt poſuit, qui ob impietatem fulmine ictus interiit. Poſt hunc regnauit Auentinus Siluius annis XXXVII. qui fuit Remi ſuperioris regis filius, quique in eo monte qui nunc pars vrbis eſt, mortuus ac ſepultus æternum loco vocabulum dedit. Succeſſor huius extitit Procas Siluius, eiuſdem Auentini filius qui regnauit annis XXII. Quo regnante Phidon Arginus menſuras & pondera reperit, cum apud Hebræos Aza in Iudæa & Hieruſalem regnaret. Et dum Procas obiſſet, teſtamentum ſuum duobus filiis ſuis Amulio & Numitori reliquit, vt vnus pecuniam protinus, alter regnum ſuſciperet. Amulius vero fratri ſuo Numitori electionem dedit, vt quod deſideraret, acciperet: Numitor vero pecuniam tulit, Amulius autem regnum obtinuit, in quo regnauit annos XLIII. Et dum regnum obtineret, conſuluit Deos, reſponſumque eſt ei, quod ab
B ſtirpe fratris ſui occideretur, & regnum perderet. Statimque eum de regno expulit. Numitor autem abiens, in agro ſuo vixit Erant autem ei duo filij Sergeſtus & Rhea, quæ & Ilia dicta eſt. Metuens ergo Amulius rex reſponſum, Sergeſtum ſecum ad venationem duxit, & eum in ſylua occidit. Rheam vero quæ & Ilia, adimendi partus gratia, virginem veſtalem fecit. Quæ cum ſeptimo patrui anno geminos edidiſſet infantes, iuxta legem in terra viua defoſſa eſt. Verum paruulos prope ripam Tyberis expoſitos, Fauſtulus regij paſtor armenti ad Accam Laurentiam vxorem ſuam detulit, quæ ob pulchritudinem & rapacitatem corporis quæſtuoſi, lupa à vicinis appellata eſt. Vnde & ad noſtram vſque memoriam meretricum cellulæ lupanaria dicuntur. Pueri cum adoleuiſſent, collecta paſtorum & latronum manu, interfectoque apud Albam Amulio, auum Numitorem in regnum reſtituunt.

Romanum igitur imperium, quo neque ab exordio vllum fere minus, neque incrementis toto orbe amplius
C humana poteſt memoria recordari, à Romulo habet exordium, qui Rheæ Siluiæ veſtalis virginis, vt præmiſſum eſt, filius & quantum putatus eſt Martis, cum Remo fratre vno partu editus eſt. Is cum inter paſtores latrocinaretur XVIII. annos natus, vrbem exiguam in Palatino monte conſtituit X. Kalendas Maias, Olympiadis ſextæ anno quarto: CCCCXIX. poſt Troiæ excidium, ſiue, vt placet Oroſio, CCCCIV. ante ſex annos, quam decem tribus Iſraël à Sennacherib rege Chaldæorum transferrentur in montes Medorum. Condita ergo ciuitate quam ex nomine ſuo Romam vocauit, à qua & Romanis nomen inditum eſt, hæc fere egit. Condito templo quod Aſylum appellauit, pollicitus erat cunctis ad eum confugientibus impunitatem. Quam ob cauſam multitudinem finitimorum, qui aliquam apud ſuos ciues offenſam contraxerant, ad ſe confugientem in ciuitatem recepit. Latini denique Tuſcique paſtores, etiam tranſmarini Phryges qui ſub Ænea, & Arcades qui ſub Euandro duce
D venerant, influxerunt. Ita ex variis quaſi elementis congregauit corpus vnum, populumque Romanum effecit. Centum ex ſenioribus elegit, quorum conſilio omnia ageret. quos Senatores propter ſenectutem, Patres ob ſimilitudinem curæ nominauit. Mille etiam pugnatores elegit, quos à numero milites appellauit. Tum cum vxores ipſe & populus eius non haberent, inuitauit ad ſpectaculum ludorum vicinas vrbis Romæ nationes, atque virgines earum rapuit anno ab Vrbe condita quarto. Tunc virginum pulcherrima, cunctorum acclamatione rapientium, Thalaſſio duci Romuli decernitur. Vnde in nuptiarum adhuc ſolemnitatibus Thalaſſio vulgo clamitant, quod ſcilicet talis nupta ſit, quæ Thalaſſium habere mereatur. Commotis bellis propter raptarum iniuriam, Ceninenſes vicit, Antemnates, Cruſtumios, Sabinos, Fidenates. Hæc omnia oppida vrbem cingunt. Tunc etiam Tarpeia virgo Sabinorum clypeis in monte obruta eſt, qui ab eius nomine Tarpeius eſt appellatus, in quo poſtea Capitolium eſt conſtructum. Pepigere tamen Romani cum Sabinis, quorum filias rapuerunt, amicitias: adeo vt

E Sabinorum rex Titus Tatius ſenex regnaret pariter cum Romulo, quem mox vt in ſocietatem regni eius aſſumpſit, occidit: Sabini quoque & Romani vnus populus efficerentur. Quo tempore Romani ad confirmandam coniunctionem nomina illorum ſuis præponebant nominibus, & inuicem Sabini Romanorum. Et ex illo conſuetudo tenuit, vt nemo Romanus ſit abſque prænomine. Propter hanc etiam ſocietatem cum Sabinorum more Romulus haſtam longam ferret, quæ eorum lingua quiris appellatur, Quirinus eſt dictus. Romani vero ſiue à quiribus, id eſt, haſtis longis, ſiue à Quirino, Quirites nominari cœperunt. Remus denique à Fabio duce Romuli fratris ſui, eiuſdem vt fertur voluntate, rutro paſtorali extinctus eſt. Cauſa autem interitus eius hæc fuit, quod ad tutelam nouæ vrbis vallum quem fecerant, non poſſe ſufficere increpauerat, eiuſque anguſtias ſaltu tranſilierat. Cum Veientibus populis adhuc prælium paruo nomine ſed magnis viribus agitatum, Ceninenſium captum ac
F ditutum oppidum: aſſumptis ſemel armis nunquam quies, quippe quibus egeſtas turpis atque obſcœna fames domi timerentur, ſi vnquam acquieuiſſent paci aut fœderi. Romulus vero cum VII. Kalendas Auguſti apud paludem Capreæ fulmine ictus nuſquam comparuiſſet, anno regni XXXIX. ad Deos tranſiſſe creditus eſt, & Quirini nomine conſecratus. Deinde Romæ per quinos dies Senatores imperauerunt, & his regnantibus annus vnus expletus eſt.

Poſtea Numa Pompilius rex creatus eſt, cum apud Hebræos Ezechias regnaret. Qui bellum quidem nullum geſſit, ſed non minus ciuitati quam Romulus profuit. Nam & cultus deorum & leges Romanis moreſque conſtituit, qui conſuetudine præliorum iam latrones & ſemibarbari videbantur: & annum deſcripſit in decem menſes, prius ſine aliqua ſupputatione confuſum, & infinita Romæ ſacra ac templa conſtituit. Morbo deceſſit XLI. imperij anno. Regnante Numa Glaucus primus ferri inter ſe glutinum excogitauit.

Huic ſucceſſit Tullus Hoſtilius, qui primus Romanorum purpura & faſcibus vſus eſt, Manaſſe in Iudæa regnante. Hic bella reparauit, fiducia bene exercitæ iuuentutis, & Anis bellum, qui nunc Albani dicuntur, & qui ab vrbe XII. milliaria ſunt, intulit, eoſque vicit ſexta
G congreſſione, peſſima clade. Veientes & Fidenates, quorum alij ſex milliaria ab vrbe Roma abſunt, alij XVIII. bello ſuperauit. Ruſus pace dirupta, Metius Suffetius Fidenate bello meditatus dolum, dum contracta temporali pace aſcitus fuerat à Romanis, ita eos deſeruit ac decepit infidus, vt in medio certamine cum exercitu ſuo in proximo colle conſideret. Tum ingenio vſus eſt rex Romanus Tullus Hoſtilius, vt diceret ſuo eum receſſiſſe conſilio, ob hoc vt dato ſigno hoſtilibus ſuperueniret agminibus. Sic erectis ſuorum animis, qui iamiam deſperauerant, ſeparatione ſubſidij, & Albanis territis, vicit Fidenates. Metium vero Suffetium curribus illigatum, pro animi infidelitate diuiſit. Hic Vrbem ampliauit adiecto Cœlio monte. Cum vero XXXII. annis regnaſſet, fulmine ictus cum domo ſua arſit. His temporibus Byzantium ciuitas condita eſt à Pau-
H ſania rege Spartanorum, quæ poſtea Conſtantinopolis appellata eſt.

Poſt hunc Ancus Martius Numæ ex filia nepos, ſuſcepit imperium, quo etiam tempore Ioſias regnabat apud Hebræos: hic contra Latinos dimicauit; & vicit, omnes finitimos & potentes tunc Tuſciæ XII. populos, innumeris concidens conflictibus. Auentinum montem ciuitati adiecit, & Ianiculum. Hoſtiam ciuitatem ſupra mare XVI. milliario ab vrbe Roma condidit. Viceſimoquarto anno imperij morbo periit. Hoc etiam regnante Epidamnus eſt condita, quæ poſtea Dirachium eſt appellata.

Deinde regnum Priſcus Tarquinius accepit. Hic numerum Senatorum duplicauit, Circum Romæ ædificauit. Ludos Romanos inſtituit, qui ad noſtram vſque memoriam permanent. Vicit idem etiam Sabinos, & non parum agrorum ſublatum idem Romæ vrbis territorio iunxit, primuſque triumphans Romam intrauit. Muros fecit & cloacas, Capitolium inchoauit. Triceſimo ſeptimo imperij

A anno per Anci filios occiſus eſt, regis eius cui ipſe ſucceſ-
ſerat. Regnante Tarquinio Arion, Methymnæus à Del-
phino in Tænarum dicitur tranſportatus. Tunc etiam
Maſſilia condita eſt. Eo tempore Hieruſalem à Nabucho-
donoſor rege Chaldæorum ſubuerſa eſt.

Poſt hunc Seruius Tullus ſuſcepit imperium, genitus
eſt nobili fœmina, captiua tamen & ancilla, regnauitque
annos XXXIV. Huic Tarquinij Priſci gremio dormienti,
caput ardere viſum eſt. Quod prodigium cum Tanaquil
vxor regis vidiſſet, eum inter liberos educauit, pro qua re
ad regnum peruenit. Quo regnante Balthaſar imperabat
Chaldæis, ſub quo Daniel ſcripturam myſticam in pa-
riete legit & interpretatus eſt. Hic quoque Sabinos ſube-
git, Veientes prælio victos nec domitos fregit. Montes
Quirinalem, Viminalem, Eſquilinum Vrbi adiunxit, foſ-
ſas circum murum duxit: primus omnium cenſum ordina-
uit, qui adhuc per orbem terrarum incognitus erat. Sub
eo Roma omnibus in cenſum delatis, habuit capita
B LXXXIV. millia ciuium Romanorum cum his qui in
agris erant. Occiſus eſt ſcelere generi ſui Tarquinij Su-
perbi, filij eius regis cui ipſe ſucceſſerat, & filiæ quam
Tarquinius habebat vxorem, Eodem tempore Claudia
quinta virgo veſtalis ob crimen ſtupri accuſata eſt. At illa
ſeſe purgare dedignata humaniter in vado Tyberis adiit
nauim, eamque aſcendit. Ligauit zonula proram, & ait, Si
virgo ſum, ſequere me. Moxque nauis mota ingreſſaque
eſt Romam.

Lucius deinde Tarquinius Superbus ſeptimus atque
vltimus inuaſit imperium. Quo tempore ad relaxationem
Cyri regis Perſarum Iudæi reuerſi ſunt Hieruſalem XLII.
millia quadringenti. Iſte excogitauit primus vincula, tau-
reas, fuſtes & laminas, compedes, catenas, exilia, metal-
la, carceres. Volſcos, quæ gens ad Campaniam euntibus
non longe ab vrbe eſt, vicit: oppida valida in Latio, id
eſt Ocriculum, Gabios, Sueſſam Pometiamque ſube-
git. Cum Tuſcis pacem fecit, ac templum Iulij in Capi-
tolio ædificauit. Poſtea Ardeam oppugnans in XVIII. mil-
liario ab vrbe Roma poſitam ciuitatem, imperium per-
C didit. Nam cum filius eius Sextus Tarquinius nocte ar-
matus nobiliſſimam Lucretiam Lucretij Tricipitini fi-
liam, Collatini vxorem per vim ſtupraſſet, ea de iniuria
maritum, patrem, & amicos acciuit è caſtris, vimque
quam oppreſſa pertulerat, flens ac pudibunda conqueſta
eſt. Solantibus illis non pertinere ad pudicitiam illatæ
violentiæ crimen extraneum: non enim animum hone-
ſtæ, ſed corpus tantum fuiſſe corruptum: nulla, inquit,
impudica exin Lucretiæ ſe defendet exemplo. Tum fer-
rum quod veſte celabat, ſubito viſceribus immerſit. Pro-
pter quam cauſam Brutus parens e iam ipſius Tarquinij
populum concitauit, & Tarquinio ademit imperium.
Mox exercitus eum quoque reliquit, qui ciuitatem Ar-
deam cum ipſo rege impugnabat, veniensque ad vrbem
rex portis clauſis excluſus eſt. Cumque imperaſſet annis
XXXV. cum vxore & liberis fugit. Ita Romæ regnatum
eſt per VII. reges annis CCXLIII. cum adhuc Roma vbi
plurimum vix vſque ad XV. milliarium poſſideret. Tar-
quinij ſane temporibus, caſtiſſima Iudith Holophernem
D peremit. His etiam temporibus Pythagoras Philoſophus
claruit, qui Samo oriundus Crotonæ deguit, nouiſſime
Metapontum adiit, ibique ſepultus eſt. Sed Romani
quanta mala per CCXLIII. annos continua illa regum
dominatione pertulerint, non ſolum vnius regis expulſio,
verumetiam abiuratio regij nominis & poteſtatis oſten-
dit. Nam ſi vnius tantum ſuperbia fuiſſet in culpa,
ipſum ſolum oportuiſſet expelli, ſeruata dignitate me-
lioribus.

Igitur regibus Vrbe propulſis, Romani conſulendum
ſibi, quam cuiquam ſuæ libertati dominandum rati, con-
ſules creauerunt. Pro vno rege duo hac cauſa creati, vt ſi
vnus malus eſſe voluiſſet, alter eum, habens poteſtatem
ſimilem, coërceret. Et placuit ne imperium longius quam
annuum haberent, ne per diuturnitatem poteſtatis inſo-
lentiores redderentur, ſed ciuiles ſemper eſſent, qui ſe poſt
annum ſcirent eſſe priuandos. Fuerunt ergo primo anno
expulſis regibus L. Iunius Brutus, qui maximè egerat vt
Tarquinius pelleretur: & L. Tarquinius Collatinus mari- E
tus Lucretiæ. Sed Tarquinio Collatino ſtatim ſublata eſt
dignitas. Placuerat enim ne quiſquam prorſus in vrbe
maneret, qui Tarquinius vocaretur. Ergo accepto omni
patrimonio ſuo, ex vrbe migrauit, & in loco ipſius factus
eſt P. Valerius Publicola conſul. Commouit tamen bel-
lum vrbi Romæ rex Tarquinius, qui fuerat expulſus: &
collectis multis gentibus maxime Hetruſcorum & Ve-
ientum, vt in regnum poſſet reſtitui dimicauit. In prima
pugna Brutus conſul & Aruns Tarquinij filius inuicem
ſe occiderunt, Romani tamen ex ea pugna taliter victo-
res receſſerunt. Vno plus Hetruſco cadente Romanus vi-
ctor abiuit. Brutum Romanæ matronæ defenſorem pudi-
citiæ ſuæ quaſi communem patrem per annum luxerunt.
Valerius Publicola Sp. Lucretium Tricipitinum colle-
gam ſibi fecit, Lucretiæ patrem. Quo morbo mortuo,
iterum Horatium puluillum collegam ſibi ſumpſit. Ita
primus annus V. conſules habuit, cum Tarquinius Col-
latinus propter nomen Vrbe ceſſiſſet, Brutus in prælio pe- F
riſſet, Sp. Lucretius morbo mortuus eſſet. Secundo quo-
que anno, iterum Tarquinius, vt regnum reciperet, bel-
lum Romanis intulit, auxilium ei ferente Porſena Hetru-
riæ rege, tribuſque continuis annis trepidam vrbem ter-
ruit, concluſit, obſedit: & niſi hoſtem vel Mutius qui ad
feriendum Porſenam ad eius caſtra atque tentorium de-
ſcenderat, & ſubregulum eius ſtipendia diuidentem ha-
bitu purpurato occidit, regem arbitratus, captuſque ili-
co, loquutus eſt cur veniſſet, dextram deinde quæ erra-
uerat, igni qui in ara erat vrendam ſuperpoſuit: vel virgo
Clœlia, quæ poſt exiguum temporis interuallum ruptis
vinculis admirabili tranſmeatu Tyberis fluminis, audacia
permonuiſſent, profecto Romani perpulſi forent perpeti,
aut captiuitatem hoſte inſiſtente ſuperati, aut ſeruitutem
recepto rege ſubiecti. Eadem Clœlia obſes fuerat Porſe-
næ data, quæ vigiles fefellit, & conſcenſo equo per Ty-
berim Romam rediit. Statua ei equeſtris ex Senatuſcon-
ſulto data eſt. Quadam die cum Hetruſci in vrbem Ro-
mam irruerent per pontem ſublicium Tyberis, quidam G
Horatius Cocles in pontis fronte eis obſtitit ſolus, donec
diſſoluto ponte pars eius dirueretur: & ſtatim cum armis
ſe in Tyberim dedit, ac pariter & hoſtium victor & flu-
minis, ſuperiecta Hetruſcorum tela vitauit. Tertio anno
poſt reges exactos, Tarquinius cum ſuſcipi non poſſet in
regnum, neque ei Porſena qui pacem cum Romanis fe-
cerat, præſtaret auxilium, Tuſculum ſe contulit, quæ ci-
uitas non longe ab Vrbe eſt, atque ibi per XIV. annos
priuatus cum vxore conſenuit. Quarto anno poſt reges
exactos, Sabini vndique corraſis copiis magno apparatu
belli Romam contendunt: quo metu conſternati Ro-
mani bellum parauerunt, & de his triumphatum eſt.
Quinto anno poſt reges exactos P. Valerius ille Bruti col-
lega, & quater Coſ. fataliter mortuus eſt adeo pauper, vt
collectis à populo nummis ſumptum habuerit ſepulturæ.
Quem matronæ, ſicuti Brutum, per annum luxerunt. No-
no anno poſt reges exactos, cum gener Tarquinij ad in-
iuriam ſoceri vindicandam ingentem collegiſſet exerci-
tum, noua dignitas Romæ creata eſt, quæ Dictatura ap- H
pellatur, maior quam Conſulatus. Eodem anno etiam
Magiſter equitum factus eſt, qui dictatori obſequeretur.
Nec quicquam ſimilius poteſt dici quam Dictatura anti-
qua huic imperiali poteſtati, quam nunc tranquillitas ve-
ſtra habet, maxime cum Auguſtus quoque Octauius, de
quo poſtea dicemus, & ante eum C. Cæſar ſub Dictaturæ
nomine & honore imperauerint. Dictator autẽ Romæ pri-
mus fuit M. Valerius: Magiſter equitum primus Sp. Caſ-
ſius. Sextodecimo anno poſt reges exactos, ſequitur diſ-
ceſſio plebis à patribus, cum M. Valerio Dictatore dele-
ctum militum agente variis populus ſtimulatus iniuriis,
tanquam à Senatu atque Coſſ. premeretur, Sacrum mon-
tem inſedit armatus. Qua pernicie quid atrocius? cum
corpus à capite defectum perditionem eius per quod ſpi-
rabat, meditabatur. Tum populus ſibi tribunos plebis
quaſi proprios iudices & defenſores creauit, per quos
contra ſenatum & Coſſ. tutus eſſe poſſet. Eodem tem-
pore Neemias concedente Xerxe Perſarum rege, Iudæam

venit,

A venit, muros vrbemque reſtituit. Sequenti anno Volſci contra Romanos bellum præparauerunt, & victi acie etiam Cariolos ciuitatem perdiderunt, quam habuerunt optimam. XVIII. anno poſtquam reges electi erant, expulſus ab vrbe Romanus dux C. Marius, qui Cariolos ceperat Volſcorum ciuitatem, ad ipſos Volſcos contendit iratus, & auxilia contra Romanos accepit. Romanos ſæpe vicit, vſque ad quintum milliarium Vrbis acceſſit, oppugnaturus etiam patriam ſuam, legatis qui pacem petebant repudiatis, niſi ad eum mater Veturia & vxor Volumnia ex Vrbe veniſſent. Quarum etiam precatione remouit exercitum, quem ſubmouere annis Roma non poterat. Atque hic ſecundus poſt Tarquinium fuit, qui dux contra patriam ſuam eſſet. In loco autem vbi orauerant, à marito ſuo ara facta eſt Fortunæ Muliebri. T. Geganio & P. Minutio Coſſ. duo vel maxima omnium malorum abominamenta fames & peſtilentia feſſam Vrbem corripuere. Ceſſatum eſt pauliſper à prœliis, ſed tamen à mortibus non eſt. Veientes & Hetruſci graues hoſtes, adiunctis ſibi finitimorum copiis in bella ſurgentes, obuiis M. Fabio & Cn. Man. Coſſ. excipiuntur. B Vbi poſt Sacramentum iurationis quo ſe Romani deuouerant, non niſi poſt victoriam ad caſtra rediturros, adeo atrox certamen fuit, & victis victoribuſque par fortuna, vt amiſſo plurimo exercitu, occiſoque in pugna Manlio conſule, M. Fabius conſul oblatum ſibi à Senatu triumphum ſuſcipere recuſaret, eo quod frater ſuus fortiter faciens in illa prælij tempeſtate cecidiſſet, inquiens, Quia tantis Reip. detrimentis luctus potius debetur quam triumphus. C. Fabio & L. Virginio Coſſ. glorioſiſſima illa numero & viribus Fabiorum familia Veientanum ſortita certamen, quandam Reip. orbitatem occaſu ſuo intulit, infamibus vſque adhuc vocabulis teſtes ſunt fluuius Cremera qui perdidit, & porta quæ miſit. Nam cum CCCVI. Fabij vere clariſſima Romani ſtatus lumina, ſpeciale ſibi aduerſus hoſtes Veientes decerni bellum expetiuiſſent, promittentes Senatui & populo per ſe omne certamen implendum, ita ſunt profecti omnes nobiles, & qui ſinguli magno- C rum exercituum duces eſſe deberent. Dehinc deducti in inſidias circumuentique ab hoſtibus omnes ibidem trucidati ſunt, vno tantum ad denunciandam cladem reſeruato, qui propter ætatem puerilem duci non poterat ad pugnam. Poſt hæc cenſus in Vrbe habitus, & inuenta per cenſum ſunt ibi centum & decem & ſeptem millia trecenti XVIII. Eodem tempore Porphyria virgo veſtalis ob ſtupri crimen viua defoſſa eſt. Romæ ergo poſt Vrbem conditam an. CCCLIX. ſuſpenſo ad modicum bello, grauis peſtilentia, quæ ſemper ibi inducias aut factas intercepit, aut vt fierent coëgit; per vniuerſam ciuitatem incanduit ita violenter, vt merito præcedēte immani prodigio cœlum ardere viſum ſit, quando caput gentium tanto morborum igne flagrauit. Nam eo anno Ebutium & Seruilium ambos Coſſ. peſtilentia conſumpſit, militares copias plurima ex parte confecit, multos nobiles præcipueque plebem fœda tabe deleuit, quamuis iam etiam ſuperiore quarto anno oborta lues eundem populum D depopulata ſit. Proximo dehinc anno ciues exules ſeruique fugitiui duce Herdonio viro Sabino Romam inuaſerunt, incenderuntque Capitolium. Vbi fortiſſime quidem Valerio Conſule & imperatore obſtitere iuniores, ſed adeo atrox & graue diſcrimen prælij fuit, vt ipſe quoque Conſul Valerius ibi fuerit occiſus, & indignam de ſeruis victoriam inſuper etiam ſua morte fœdauerit. Sequitur annus in quo cum victo exercitu Conſul obſeſſus eſt. Nam Minutium Coſſ. congreſſi prælio populi Equi, Volſcique ſuperarunt, & fugientem in Algido monte, qui ab Vrbe XII. ferme milliario abeſt, fame ferroque cinxerunt actumque infeliciter foret, ni Quintius Cincinnatus præcipuus ille dictator, arctatam obſidionem oppreſſo hoſte ſoluiſſet. Qui repertus in rure quatuor iugerum agrum poſſidens manibus ſuis colebat. Is cum in opere & arans eſſet inuentus, ſudore deterſo ab aratro accerſitus ad faſces, togam prætextam accepit. Mox ſumpto honore inſtructoque exercitu cæſis hoſtibus victor effectus liberauit exercitum, iugumque boum Equis impoſuit, victoriamque quaſi ſtiuam tenens ſubiugatos hoſtes pro ſe primus egit. E Anno qui proximus trecenteſimo ab Vrbe condita fuit, dum legati ab Athenienſibus propter Solonis leges deferendas miſſi expectantur, arma Romana fames, peſtilentiaque compeſcuit.

Ipſum autem trecenteſimo & altero anno ab Vrbe condita imperium conſulare ceſſauit, & pro duobus conſulibus decem facti ſunt, qui ſummam poteſtatem haberent conſtituendarum legum Atticarum gratia, qui à numero Decemuiri ſunt nominati, quod magnam Reip. perniciem inuexit. Nam primus ex decemuiris cedentibus cæteris, ſolus Ap. Claudius ſibi continuauit imperium. Statimque aliorum coniuratio ſubſecuta eſt, vt more contempto quo inſigne imperij penes vnum, poteſtas autem communis erat omnibus, omnia propriis libidinibus agitarent. Itaque inter cætera quæ inſolentiſſime cuncti præſumebant, repente ſinguli cum duodenis faſcibus cæteriſque imperatoriis inſignibus proceſſerunt. Ex nouo improbæ ordinationis incepto, allegata legatione conſolum, emicuit agmen Tyrannorum, duobus tabulis legum ad decem priores additis agentes inſolentiſſimo faſtu F plurima. Et die quo deponere magiſtratus mos erat, cum iiſdem inſignibus proceſſerunt. Secundo anno ex his Ap. Claudios Virginij cuiuſdam, qui honeſtis iam ſtipendiis contra Latinos in monte Algido militabat, filiam virginem nomine Virginiam ſtuprauit. Quam ob rem adactus Virginios pater dolore libertatis, & pudore dedecoris, protractam ad ſeruitutem filiam in conſpectu populi pius parricida proſtrauit. Qua populus neceſſitatis atrocitate permotus, & periculo libertatis admonitus, montem Auentinum occupauit armatus, nec tueri armis libertatem deſtitit, niſi poſtquam à Decemuiris poteſtas ablata eſt, ipſiq; damnati ſunt. Anno ab Vrbe condita CCCXV. per totum fere annum tam crebri, tamque etiam graues in Italia terræmotus fuerunt, vt de innumeris quaſſationibus, ac ruinis villarum oppidorumque aſſiduis Roma nuntiis fatigaretur. Dehinc ita iugis & torrida ſiccitas fuit, vt præſentis tunc futurique anni ſpem gignendis terra fructibus abnegarit. G Et his denique temporibus Fidenates contra Romanos rebellauerunt maximorum auxiliorum manu ſtipante. Auxilium his præſtabant Veientes & rex Veientum Tolomnius. Quæ ambæ ciuitates tam vicinæ Vrbi ſunt, vt Fidenæ & Veientum XVIII. milliario ab Vrbe abſint. Coniunxeruntque ſe his & Volſci. Sed à M. Æmilio dictatore & L. Quintio Cincinnato magiſtro equitum victi, etiam regem perdiderunt. Fidenæ captæ & exciſæ. Tanta in ipſis Fidenis erat malorum, animorumque contentio, vt vel domeſticas clades ſuperfuſa forinſecus bella obliterarent, vel poſt damna bellorum inducias relaxatas diuerſæ peſtes cælo terraque excandeſcentes inceſſabili infeſtatione corrumperent. His denique temporibus grauiſſimo terræmotu concuſſa Sicilia inſula, exæſtuantibus Ætnæ montis ignibus fauilliſque calidis, cum detrimento plurimo agrorum villarumque, vaſtata eſt. Tunc etiam Atlante ciuitas Locridis adhærens terræ, continuo repentino maris impetu abſciſſa atque in inſulam deſolata eſt. H Athenienſium quoque ciuitatem miſera peſtis inuaſit diuque depopulata eſt. Poſt XX. annos iidem Veientani rebellauerunt. Dictator contra illos miſſus eſt Furius Camillus, qui primum eos vicit acie: mox etiam ciuitatem diu obſidens, cuniculis clam cepit, antiquiſſimam Italiæ atque ditiſſimam. Inuentamque ibi ſtatuam Iunonis Monetæ iuſſit Romam transferri. Vnus autem è militibus per iocum interrogauit ſimulachrum an vellet ire Romam: reſpondit, volo. Poſtea cepit & Faliſcos non minus nobilem ciuitatem, ſed commota eſt ei domi inuidia, quaſi prædam male diuiſiſſet, damnatuſque ob eam cauſam expulſus eſt ex ciuitate.

Dehinc irruptio Belgicorum Gallorum, & Incendium Vrbis inſequitur. Cui cladi audeat quiſpiam ſi poteſt motus huius temporis comparare, quamuis non æquè pendat præteriti mali fabula, & præſentis iniuria. Igitur Galli Senones duce Brenno, exercitu copioſo fieri & robuſto nimis, cum vrbem Cluſium obſiderent, obſidione dimiſſa

A ſtoris viribus Romam contendunt. Hos ita dire irruentes
Fabius cum exercitu conſul excepit, nec tamen obſtitit,
imo potius hoſtilis ille impetus Romanos quaſi aridas ſe-
getes ſuccidit, ſtrauit & tranſiuit. Teſtatur hanc Fabij
cladem fluuius Allia, ſicut Cremera Fabiorum. Nun enim
facile aliquis ſimilem Romanæ militiæ ruinam recenſe-
ret, etiamſi Roma inſuper incenſa non eſſet. Patentem
Vrbem Galli penetrant, trucidant rigentes ſimulachro-
rum modo in ſuis ſedibus Senatores, eoſque incendio do-
morum crematos, lapſu culminum ſuorum ſepeliunt vni-
uerſos. Cumque iam humanæ vires eis omnino reſiſtere
non poſſent, Apollinem Delphicum conſuluerunt. Re-
ſpondit, Deos ſecum & candidas puellas Gallis pugnatu-
ras. Tunc in Alpibus niuibus oppreſſus Brennus cum om-
ni ſuo exercitu deletus eſt. Igitur reliquam iuuentutem,
quam conſtat vix mille hominum tunc fuiſſe, in arce Ca-
pitolini montis latitantem obſidione concludunt, ibique
infelices reliquias fame & peſte, deſperatione & formidi-
B ne terent. Captumque ilico Capitolium fuerat, niſi cla-
more anſeris excitatus Manlius reſtitiſſet. Qui cum diu
eos obſiderent, & iam Romani fame laborarent, frag-
menta panum pro lapidibus Gallis proiecerunt. Quam-
obrem accepto auro mille librarum, ne Capitolium ob-
ſiderent, ex Vrbe receſſerunt, ſed ſecutus eos Camillus ita
cecidit, vt & aurum quod his datum fuerat, & omnia quæ
ceperant militaria ſigna reuocaret, quamuis pridem eos
grauiſſime cecidiſſet. Ita tertio Camillus triumphans Vr-
bem ingreſſus eſt, & appellatus eſt ſecundus Romulus,
quaſi & ipſe patriæ conditor. Igitur cum iidem Galli Ca-
pitolium obſiderent, C. Fabius Dorſuo flamen Quirinalis
ſolenni die Gabinatus ſacra perferens per hoſtium tenta
toria ad Quirinalem montem contendit, & celebrato ſa-
crificatio rediit. Circa hæc tempora Eſdræ putatur hiſto-
ria ſcripta. Plato quoque Philoſophus his temporibus
fuiſſe perhibetur.

Explicit liber Primus.

C

Incipit

LIBER SECVNDVS.

ANno ab Vrbe condita CCCLXV. ſæuiſſimo terræ-
motu Achaia vniuerſa commota eſt, & duæ tunc
ciuitates, Buta & Helice, abruptis locorum deuoratæ. Igi-
tur poſt captam Vrbem primo dignitates mutatæ ſunt, &
pro duobus Conſulibus facti Tribuni militares conſulari
poteſtate. Hinc iam cœpit Romana res creſcere. Nam
Camillus eo anno Volſcorum ciuitatem quæ per LXX.
annos bellum geſſerat, vicit, & Equorum vrbem, & Su-
trinorum, atque omnes deletis eorundem exercitibus oc-
cupauit, & tres ſimul triumphos egit. Titus etiam Quin-
tius Cincinnatus Prænestinos, qui vſque ad vrbis Romæ
portas cum bello venerant, perſecutus ad flumen Alliam
vicit: octo ciuitates quæ ſub ipſis agebant, Romanis ad-
D iunxit, ipſam Præneſtem aggreſſus in deditionem acce-
pit. Quæ omnia ab eo geſta ſunt viginti diebus: trium-
phus ipſi decretus eſt. Verum dignitas Tribunorum mili-
tarium non diu perſeuerauit. Nam poſt aliquantum nullos
placuit fieri, & quadriennium in Vrbe ita fluxit, vt pote-
ſtates ibi maiores non eſſent. Præſumpſerunt tamen Tri-
buni militares conſulari poteſtate iterum dignitatem, &
triennio perſeuerauerunt. Ruſus Coſſ. facti. L. Genutio, &
Q. Seruilio conſulibus mortuus eſt Camillus, honorque ei
ſecundus poſt Romulum delatus eſt. Anno ab Vrbe con-
dita CCCLXXXIV. His temporibus ingens vniuerſam
Romam peſtilentia corripuit: non vt aſſolet plus minuſ-
ue ſolito tempore turbata temperies, hoc eſt, aut intem-
peſtiua hiemis ſiccitas, aut repentinus calor Veris, aut in-
congruus humor æſtatis, vel autumni diuitis pinguis &
indigeſta illecebra, inſuper etiam expirata de Calabriæ
ſaltibus aura corrumpens, & repentinos acutarum infir-
mitatum afferre ſolita tranſcurſus: ſed grauis diuturna-
E que, & in nullo diſpar ſexu, in nulla ætate diſſimilis, gene-
rali cunctos per biennium iugiter tabe confecit, vt etiam
quos non egit in mortem, turpi macie exinanitos affli-
ctoſque dimiſerit. Sequentique anno ſecutum eſt ſatis
triſte prodigium. Siquidem in medio Vrbis foro terra
diſſiluit, vaſtoque prærupto hiantia ſubito inferna pa-
tuere. Quod dum diutius ita maneret, cunctiſque terro-
rem inferret, tandem interpretantibus aruſpicibus, claudi
barathri amplitudinem poſſe, ſi in eo quod eſſet Romæ
pretioſiſſimum mitteretur, voluntariè diu iactatis inani-
ter monilibus matronarum, M. Curtius eques Romanus,
domo clarus, militiæ inſignibus ſumptis cum equo ſe in
id barathrum præcipitauit, ſicque concluſum eſt. Poſt
eum ſacrificantes in eundem locum iecere fruges, & mox
terra in ſuam naturam rediit. An. ab Vrbe condita
CCCLXXXVIII. iterum Gallorum terribilis inundatio
iuxta Anienem fluuium ad quartum ab Vrbe lapidem
conſedit, facile ſine dubio & pondere multitudinis, &
alacritate virtutis, perturbatam occupatura ciuitatem,
niſi otio & lenitudine ſui torpuiſſet. Vbi atrociſſimam
F pugnam ſingulariter inchoauit L. Manlius iuuenis nobi-
liſſimus de Senatoribus, prouocantem Gallum ad ſingulare
certamen progreſſus occidit, & ſublata torque aurea, col-
loque ſuo impoſita, in perpetuum Torquati & ſibi &
poſteris cognomen obtinuit. Statimque eos Quintus di-
ctator, cruentiſſima congreſſione confecit. Fugati e
hoc prælio plurimi Galli, inſtauratis iterum copiis in bel
lum ruentes, à C. Sulpicio dictatore ſuperati ſunt. Poſt
paululum quoque Tuſcorum pugna ſub C. Martio con
ſecuta eſt, vbi conjici datur quantum hominum cæſum ſit,
quando VIII. millia capta ſunt Tuſcorum. Cenſus ite-
rum habitus eſt. Tertio anno in iiſdem diebus, Galli ſe
in prædam per maritima loca ſubiectoſque campos ab
Albanis montibus diffuderunt. Et cum Latini, qui à Ro-
manis ſubacti erant, milites præſtare nollent, à Romanis
nouo militum delectu habito, tyrones electi ſunt. Factæ-
G que legiones X. qui modus L X. vel amplius armatorum
millia efficiebat, aduerſus eos proceſſerunt: paruis adhuc
Romanis rebus, tanta tamen in re militari virtus erat.
Quæ cum profectæ eſſent aduerſus Gallos duce L. Furio,
quidam ex Gallis vnum ex Romanis qui eſſet optimus
prouocabat. Tunc ſe M. Valerius Tribunus militum ob-
tulit, & cum proceſſiſſet armatus, coruus ei ſupra dexte-
rum brachium ſedit. Mox commiſſa aduerſus Gallum
pugna, idem coruus alis & vnguibus Galli oculos verbe-
rauit, ne rectum poſſet aſpicere: Ita à Tribuno Valerio
interfectus, non ſolum victoriam ei, ſed etiam nomen
dedit. Nam poſtea idem Coruinus eſt dictus, ac propter
hoc meritum annorum XIII. Conſul eſt factus. Ceciſo
enim prouocante Gallo, alij omnes territi ſparſimque
fugientes, grauiter trucidati ſunt. Tunc ſiquidem dilata
nox vſque ad plurimam partem diei tendi viſa eſt. Tunc
etiam ſaxa grandini mixta nubibus cecidere. Eodemque
tempore Magnus Alexander, magnus vero ille gurges
miſeriarum, atque atrociſſimus turbo totius Orientis na-
H tus eſt. Anno ab Vrbe condita CCCCIX. Latini qui no-
luerant milites dare, hoc quoque à Romanis exigere cœ-
perunt, vt vnus Conſul ex eorum, alter ex Romanorum
populo crearetur. Quod cum eſſet negatum, bellum con-
tra eos intulerunt, Manlio Torquato & Decio Mure
Conſulibus, in quo bello vnus Conſul interfectus eſt, al-
ter extitit impie parricida. Manlius enim Torquatus filiū
ſuum iuuenem victorem, interfectorem Decij Tuſculani
nobilis equitis, & præcipuè prouocantis atque inſultantis
hoſtis occidit. Alius vero Conſul cum iterato conflictu
illud cornu cui præerat, cædi atque affligi videret, inter
confertiſſimos hoſtes ſponte prolapſus occubuit. Manlius
quamuis victor, occurſum tamen nobilium iuuenum
Romanorum, qui legitime exhiberi ſolet in trium-
phis, parricida non meruit. Statuæ Conſulibus ob
meritum victoriæ in roſtris poſitæ ſunt. Eo anno
etiam Alexandria ab Alexandro Macedone condita eſt.
Anno autem poſt hunc ſequente, Minutia virgo veſta-
lis ob admiſſum inceſtum damnata eſt, viuaque obru-
ta in campo qui nunc Sceleratus dicitur. At vero exin

A tempore interiecto, horreſco referre quod geſtum eſt. Nam Claudio Marcello & Valerio Flacco Coſſ. incredibili rabie & amore ſcelerum Romanæ matronæ exarſerunt. Erat vero fœdus ille ac peſtilens annus, infectæ iam vndique cateruatim ſtrages mortuorum egerebantur. Et adhuc tamen penes omnes de corrupto aëre ſimplex credulitas erat, cum exiſtente quadam ancilla indice & conuincente, primum multæ matronæ vt biberent venena quæ coxerant compulſæ: dein ſimul quæ hauſere conſumptæ ſunt. Tanta autem multitudo fuit matronarum in his facinoribus conſciarum, vt trecentæ ſeptuaginta damnatæ ex illis ſimul fuiſſe referantur. Anno ab Vrbe condita CCCCXLII. Alexander rex Epirotarum Alexandri illius Magni auunculus tranſiectis in Italiam copiis, cum bellum aduerſus Romanos pararet, & circa finitimas Romæ vrbes firmaret vires exercitus ſui, auxiliaque vel ſibi acquirere, vel hoſtibus ſubtrahere ſtudens bellis exercere- B tur, à Samnitibus qui Lucanæ genti ſuffragabantur, maximo bello in Lucania victus & occiſus eſt.

Anno ab Vrbe condita CCCCXLVI. iam Romani potentes eſſe cœperant. Bellum enim in CXXX. fere milliario ab Vrbe gerebatur apud Samnites, qui medij ſunt inter Picenum, Campaniam & Apuliam, gentem, ſi opulentiam eorum quæras, aureis atque argenteis armis, & diſcolori veſte vſque ad ambitum ornatos: ſi inſidiarum fallaciam, ſaltibus fere & montium fraude graſſantes: ſi rabiem atque furorem, ſacrilegis, humaniſque hoſtiis in exitium Vrbis agitatos: ſi pertinaciam, ſexies rupto fœdere ipſis hoſtibus animoſiores. Romani ergo aduerſum Samnites pro Campanis & Sidicinis bellum ſuſcepere. Omnium ſiquidem non modo Italiæ tantum, ſed pene toto orbe terrarum pulcherrima Campaniæ plaga eſt. Nullum hoſpitalius nauibus mare. Hic illi nobiles portus, Caieta, Miſenus, Lucrinus & Auernus, quædam maris oſtia. Hic amicti vitibus montes, Gaurus, Falernus, Maſſicus, & pulcherrimus cunctorum Veſuuius. Vrbes ad mare, C Formiæ, Cumæ, Puteoli, Herculaneum, Pompeij, & ipſa caput vrbium Capua, quondam inter tres maximas Romam Carthaginemque nominata. Pro hac vrbe & pro his regionibus populus Romanus Samnites inuadit. L. Papyrius Curſor cum honore Dictatoris ad bellum id profectus eſt. Qui cum Romam rediſſet, Q. Fabio Maximo magiſtro equitum, quem apud exercitum reliquit, præcepit, ne ſe abſente pugnaret. Ille occaſione reperta feliciſſ. dimicauit, & viginti millia Samnitum deleuit. Ob quam rem à Dictatore capite damnatus, quod ſe vetante pugnaſſet, ingenti fauore militum & populi liberatus eſt, tanta Papyrio ſeditione commota, vt pene ipſe interficeretur. Poſt hæc Samnites circumſpectiore cura ac maiore apparatu inſtructo, apud Caudinas Furculas conſederunt, T. Veturio & Sp. Poſthumio Coſſ. omneſque copias Romanorum ibidem anguſtiis locorum armiſque concluſas ingenti dedecore vicerunt. Quorum dux Pontius in tantum abuſus eſt victoriæ ſecuritate, vt Herennium patrem conſulendum putaret, vtrum clauſos occideret, an parceret D ſubiugatis: vt viuos tamen dedecori ſeruaret, elegit. Romanos enim ante ſæpiſſime vinci & occidi, nunquam autem capi, aut ad deditionem cogi potuiſſe conſtabat. Itaque Samnites victoria potiti, vniuerſum Romanum exercitum turpiter captum, armis veſtimentiſque nudatum, tantum ſingulis vilioribus operimentis ob verecundiam corporum tegendam conceſſis, ſub iugo miſſum, ſeruitioque ſubiectum, longum agere pompæ ordinem præceperunt. Sexcentis autem equitibus Romanis in obſidatum receptis, oneratos ignominia, cæteris rebus vacuos Conſules remiſerunt, ſub tali tamen conditione pacis, qualis facienda Samnitibus placuit. Sed ſi fidem fœderis quam ſibi Romani ſeruari à ſubiectis volunt, ipſi ſubiecti Samnitibus ſeruaſſent, hodie aut omnino non eſſent, aut Samnio dominante ſeruirent. Poſteriore ſiquidem anno iubente Senatu Infringunt Romani firmatam cum Samnitibus pactionem, eoſque In bellum cogunt. Quod Papyrio Cos. inſiſtente commiſſum magnas ſtrages vtriuſque populi dedit, cum hinc ira recentis infamiæ, inde gloria proximæ victoriæ pugnantes inſtimularent. Tandem Romani pertinaciter moriendo vicerunt, nec cædi pariter E nec cædere deſtiterunt, niſi poſteaquam victis Samnitibus, & capto duce eorum cum ſeptem millibus iugum repoſuerunt. Deinde Papyrius Satricum expulſo præſidio Samnitico expugnauit & cepit. Hic Papyrius adeo tunc apud Romanos bellicoſiſſimus ac ſtrenuiſſimus habebatur, vt cum Alexander Magnus diſponere diceretur ab Oriente deſcendens, obtinere viribus Africam, atque inde in Italiam tranſuehi, Romani inter cæteros duces, tunc in publica re ſua optimos, hunc præcipuum fore qui Alexandri impetum ſuſtinere poſſet meditarentur. Eo tempore Appius Claudius cenſor ingens aquam Claudiam induxit, & viam Appiam ſtrauit. Circa hæc tempora Ioïaddas apud Hieroſolymam pontifex extitit, cuius frater Manaſſes templum in monte Garizim conſtruxit.

Anno ab Vrbe condita CCCCL. Fabio Maximo V. Decio Mure IV. Coſſ. quatuor florentiſſimi fortiſſimique Italiæ populi in vnum agmen, fœduſque ſe collegerunt. F Namque Hetruſci, Vmbri, Samnites & Galli vno agmine conſpirantes, Romanos delere conati ſunt. Tremefacti hoc bello Romanorum animi, & labefactata fiducia eſt, nec auſi ſibi totum ſperare de viribus, dolo diuiſere hoſtes, tutius rati pluribus ſe bellis implicare, quam grauibus. Itaque cum quibuſdam ſuis ad depopulandos hoſtiles agros, in Vmbriam Hetruriamque præmiſſis, Vmbrorum Hetruſcorumque exercitum redire ad tuitionem ſuorum coëgiſſent, cum Samnitibus & Gallis bellum inire properarunt. In quo bello cum Gallorum impetu Romani premerentur, Decius Cos. occiſus eſt, Fabius tamen poſt magnam Decianæ partis ſtragem, tandem vicit. Eo prælio XL. millia Samnitum ſiue Gallorum cæſa, Romanorum vero VII. millia ex Decij tantummodo parte qui occiſus eſt, extincta referuntur, fuiſſe autem abſque Hetruſcis & Vmbris, quos aſtu Romani bello auocauerant, Gallorū & Samnitum peditum CXL. millia CCCXXX. equitum vero XLVII. millia Liuius refert, & carpentarios mille in armis contra aciem ſtetiſſe Romanam. Sed vt G ſæpe dictum eſt, ſemper Romanorum aut domeſticam quietem extraneis bellis interruptam, aut extraneos prouentus morbis interioribus aggrauatos, tantum vt omnimodis ingentes animi vndecunque premerentur: hanc cruentam triſtemque victoriam peſtilentia ciuitatis onerauit, & triumphales pompas obuiæ mortuorum exequiæ polluerunt: nec erat cui de triumpho gaudium ſuaderetur, cum tota ciuitas aut ægris ſuſpiraret, aut mortuis. Sequitur annus quo inſtaurato à Samnitibus prælio victi ſunt, atque in caſtra fugerunt. Poſtea vero Samnites nouum animum habitumque ſumentes, hoc eſt, deargentatis armis & veſtibus, paratoque animo ni vincant mori, bello ſeſe offerunt. Aduerſum quos Papyrius Cos. cum exercitu miſſus, cum à præliaris auguribus coniectantibus, congredi prohiberetur, irridens eos tam feliciter quam conſtanter arripuit bellum, confecitque. Nam in hoc prælio XII. millia hoſtium cæſa, tria millia capta referuntur. Sed hanc quoque iſtius vere laudandam H victoriam, quam aruſpices impedire non potuerunt, oborti ſubito corrupere morbi. Nam tanta ac tam intolerabilis peſtilentia per triennium tunc corripuit ciuitatem, vt propter eam quacunque ratione ſedandam libros Sybillinos conſulerent, quibus iubebatur, vt ab Epidauro Æſculapius exhiberetur. Miſſi ſunt legati ad vrbem Græcam, quos libenter Epidaurij atque humaniter ſuſceperunt. Ibidem ſe legatis ſerpens oſtendit, raro ab incolis niſi feliciter viſus. Cumque per triduum familiariter apparuiſſet, cunctis inſpectantibus ſubiit in triremem Romanam, & in tabernaculo legati Q. Burgonij collectus quieuit. Vrbe profecti Romani ſunt, anguis in naui ſemper apparuit: Antium ventum eſt, deſcendit ſerpens ad limen templi Æſculapij, & triduo inter myrtos latuit, nec ad ſolitos cibos proceſſit. Dehinc rediit ad nauem. Cumque ventum eſſet ad Tyberim, enatauit in inſulam, in qua illi templum eſt conſtitutum, & mox ſanitas Romanis data eſt. Præterea altero ab hinc anno Fabius Gurges Cos. male aduerſum Sam-

A mites pugnauit. Namque amiſſo exercitu, tribuſque millibus perditis, victus in Vrbem refugit. Itaque cum Senatus de ſummouendo eo deliberaret, pater eius Fabius Maximus ignominiam filij deprecatus, legatum ſe filio iturum vltro obtulit, ſi illi depellendæ ignominiæ, & gerendi iterum belli facultas daretur. Qua impetrata prælioque conſerto, cum ſubito pugnantem filium Cos. inſiſtente Pontio Samnitum duce, & infeſtis hoſtium telis concluſum videret, in medium ſe agmen pius ſenex equo vectus ingeſſit. Quo facto permoti Romani, tota ibi incubuere acie, donec ipſum ducem Pontium deleto hoſtili exercitu victum oppreſſumque ceperunt. Cæſa ſunt in eo prælio XX. millia capta IV. millia cum rege ſuo, plurimaque oppida. Deinde P. Cornelius Rufinus, M. Curius Dentatus ambo Coſſ. contra Samnites miſſi ingentibus præliis eos confecere, ita ruinas ipſas vrbium diruentes, vt hodie Samnium in ipſo Samnio requiratur, nec inueniri facile poſſit. Tum bellum cum Samnitibus per an. B XLIX. multa Romanorum clade actum, capti ducis deſtitutione finitum eſt, neque vllus hoſtis fuit intra Italiam, qui Romanam virtutem magis fatigauerit. Anno ſubſequente cum Sabinis à Conſule bellum geſtum eſt, vbi quot millia hominum interfecta ſint, quot capta, ipſe Conſul oſtendit. Qui cum in Senatu magnitudinem acquiſiti agri Sabini, & multitudinem captiuorum referre vellet, numerum explicare non potuit. Anno ab Vrbe condita CCCCLXIII. Dolabella & Domitio Coſſ. Lucani, Brutij, Samnites quoque cum Hetruſcis & Senonibus Gallis facta ſocietate cum redíuiuum contra Romanos bellum molirentur, Romani ad exorandos Gallos miſere legatos. Quos cum Galli interfeciſſent, Cæcilius Prætor ob vlciſcendam legatorum necem, & comprimendum tumultum hoſtium cum exercitu miſſus, ab Hetruſcis, Galliſque oppreſſus interiit. Septem præterea Tribuni militum in ea pugna occiſi ſunt, multi nobiles ibidem trucidati, XIV. etiam millia militum Romanorum illo bello proſtrata ſunt.

C Anno ab Vrbe condita CCCCLXIV. Tarentini, qui in Italia vltimi ſunt, Romanam claſſem forte prætereuntem è ſpectaculo theatri proſpectam hoſtiliter inuaſerunt, quinque tantum nauibus vix perfugam elapſis: cætera retracta in portum claſſis & profligata eſt, præfecti nauium trucidati, omnes bello vtiles cæſi, reliqui pretio venditi ſunt. Continuo miſſi Tarentum à Romanis legati, vt de illatis quærerentur iniuriis, pulſati ab hiſdem auctas iniurias inſuper retulerunt. His cauſis ingens bellum exortum eſt. Romanos qui, quantique hoſtes circumſtreperent permetientes, vltima adegit neceſſitas Proletarios quoque in arma cogere, hoc eſt eos, qui in Vrbe ſemper ſufficiendæ prolis cauſa vacabant, militiæ aſcribere, quippe cum fruſtra de prole cura eſt, niſi rebus præſentibus conſulatur. Itaque irruit in vniuerſos Tarentinorum fines cum Æmilio Coſ. Romanus exercitus, igne ferroque vaſtat omnia, plurima expugnat oppida, iniuriam inſolenter acceptam crudeliter vindicat. Continuo Tarentinos plurimis finitimorum præſidiis fultos, maxime Pyrrhus auxit D Epiri rex, qui ex genere Achillis originem trahebat, qui etiam in ſe ob magnitudinem virium conſiliorumque ſummam belli nomenque tranſduxit. Nam Tarentum vtpote à Lacedæmoniis conditam cognatamque Græciæ ciuitatem vindicaturus, totas vires Epiri, Theſſaliæ & Macedoniæ, Elephantos etiam vſque in id tempus inuiſos Romanis numero XX. in Italiam primus inuexit, terra, mari, viris, equis, armis belluis, ad poſtremum viribus ſuis, doliſque terribilis: niſi quod Delphici illius ſpiritus, quem magnum ipſi vatem ferunt, reſponſo circumuentus, ambiguum exitum eius fecit, qui non conſuluiſſet. Tuncque primum Romani cum tranſmarino hoſte dimicarunt. Miſſus eſt contra eum Coſ. P. Valerius Leuinus. Qui cum exploratores Pyrrhi cepiſſet, iuſſit eos per caſtra duci, & oſtendi omnem exercitum, eumque dimitti, vt renunciarent Pyrrho quæ cum Romanis agerentur. Itaque apud Heracleam Lucaniæ vrbem fluuiumque Lirim prima inter Pyrrhum regem & Leuinum Coſ. pugna commiſſa eſt. Conſumpta eſt grauiſſimo certamine dies, vtrinque omnibus mori intentis, fugere neſciis. Introductos autem inter currentia agmina Elephantos, forma truces, odore graues, mole terribiles, vt videre Romani, nouo pugnandi genere circumuenti & territi, equis maxime pauitantibus E diffugerunt. Sed poſtquam Minutius Centurio quartæ legionis primus haſtatus protentum in ſe tam ferocis belluæ vncum, quam manum vocant, gladio deſecuit, & conturbatã dolore vulneris auerti belluã, atq; in ſuos acriter ſæuire compulit, eiuſque immoderato diſcurſu perturbari atque permiſceri cœpere, finis pugnæ etiam de beneficio noctis impoſitus. Leuinus tamen per noctem fugit. Romanos victos fuiſſe turpis fuga prodidit, quorum tunc cecidiſſe referuntur peditum XIV. millia octingenti viginti, equites autem cæſi ducenti quadraginta ſex, capti ſeptingenti XII. ſigna amiſſa. XXII. Pyrrhus Romanos quos ceperat ſummo honore tractauit, occiſos ſepeliuit. Quos cũ aduerſo vulnere & truci vultu etiam mortuos iacere vidiſſet, tuliſſe ad cœlum manus fertur, cum hac voce, ſe totius orbis dominum eſſe potuiſſe, ſi tales ſibi milites contigiſſent. Nam quantus è diuerſo numerus ſociorum Pyrrhi fuerit extinctus, memoriæ traditum non eſt, maxime quia F ſcriptorum omnium veterum mos eſt ex ea parte quæ vicerat occiſorum non commendare numerum, ne victoriæ gloriam maculent damna victoris; niſi forte cum adeo pauci cadunt, vt admirationem terroremque virtutis augeat paucitas perditorum: ſicut in prima congreſſione Perſici belli apud Alexandrum Magnum fuit, cum inter quadringenta ferme millia hoſtium interfecta centum viginti equites, & nouem tantummodo pedites in eius exercitu defuiſſe referuntur. Sed Pyrrhus atrocitatem cladis quam hoc bello exceperat, diis ſuis omnibus teſtatus eſt, affigens titulũ in tẽplo Tarẽtini Iouis, in quo hæc ſcripſit:

Qui inuicti ante fuere viri, pater optime Olympi,
Hos & ego in pugna vici, victuſque ſum ab iiſdem.

Et cum à ſociis increparetur, cur ſe victum diceret qui viciſſet, reſpondiſſe fertur, Ne ego ſi iterum eodem modo vicero ſine vllo milite Epirum reuertar. Interea Romanus G exercitus poſtquam victus clam fugit de caſtris, miſerabilem belli cladem grauioribus monſtris auctam accumulatamque perſenſit. Nam pabulatores forte digreſſos velut hoſtilis quædam suborta tempeſtas cum horribili fragore cœli correptos diris fulminibus exuſſit. Quippe triginta quatuor eorum idem turbo proſtrauit, duo & viginti ſemineces relicti, iumenta exanimata & capta quamplurima, vt merito contigiſſe non in ſignum vaſtationis futuræ, ſed ipſa vaſtatio referatur. Poſt id Pyrrhus coniunctis ſibi Sãnitibus, Lucanis, Brutiiſque, Romam perrexit: omnia ferro ignique vaſtauit: Campaniam depopulatus eſt, atque Præneſte venit, milliario ab Vrbe XVIII. Mox terrore exercitus qui eum cum Coſ. ſequebatur, in Campaniam ſe recepit. Legati de redimẽdis captis ad Pyrrhum miſſi. Pyrrhus Lyconem & Moloſſum obuiam eis exire iuſſit. Ipſe autem cum exornatis militibus proceſſit ad portam, & ita ab eo honorifice ſuſceptis, captiuos ſine pretio Romam miſit. Vnum ex legatis Romanorum Fabricium ſic admiratus, cum eum pauperem eſſe cognouiſſet, vt quarta parte regni promiſſa ſollicitare voluerit, vt ad ſe tranſiret, contemptuſque eſt à Fabricio. H Vnde cum Pyrrhus propter legatos Romanorum ingenti admiratione teneretur, legatum cum eis miſit, qui pacem æquis conditionibus peteret, præcipuum virum Cyneam nomine: ita vt Pyrrhus partem Italiæ, quam iam ſuis armis occupauerat, obtineret. Cyneas legatus poſtero die quam ingreſſus fuerat Romam, & equeſtrẽ ordinem, & Senatũ propriis nominibus ſalutauit, pax tamen quam offerebat diſplicuit. Renunciatum eſt Pyrrho à Senatu, eum cum Romanis niſi ex Italia receſſiſſet, pacem non poſſe habere. Tum Romani iuſſerunt captiuos omnes quos Pyrrhus reddiderat, infames haberi, eo quod armati capi potuiſſent, nec ante eos ad veterem ſtatum reuertitos, quam ſibi notorum hoſtium occiſorum ſpolia retuliſſent. Ita legatus Pyrrhi reuerſus eſt. A quo cum quæreret Pyrrhus, qualem Romam comperiſſet, Cyneas dixit, regum ſe patriam vidiſſe: ſcilicet tales illic fere omnes eſſe, qualis vnus Pyrrhus apud Epirum & reliquam Græciam putaretur. Secunda inter Pyrrhum & Romanos

A P. Sulpicio & Decio Coſſ. pugna in Apuliæ finibus fuit,
vbi clades belli ad vtroſque, ſed maxime ad Pyrrhum, vi-
ctoria ad Romanos concederet. Nam cum diu cunctis
obnixe in mutuam cædem ruentibus anceps belli pende-
ret euentus, Pyrrhus transfixo brachio ſaucius prior ceſſit
è prælio. Sed & Fabricius legatus tunc vulneratus eſt.
Elephanti prima pugna ſauciari, atque in fugam cogi poſ-
ſe deprehenſi, deinde ſubiectis inter poſteriora & mollia
ignibus exagitati, inſuper ardentes machinas furore tre-
pido circumferentes exitio ſuis fuere. Cæſa ſunt in ea pu-
gna quinque millia Romanorum: de exercitu vero Pyrrhi
viginti millia proſtrata ſunt: regis ſigna ablata ſunt quin-
quaginta tria: Romanorum vndecim amiſſa ſunt: Pyrrhus
Tarentum fugatus eſt. Interiecto anno contra Pyrrhum
Fabricius eſt miſſus, qui prius inter legatos ſollicitari non
poterat quarta parte regni promiſſa. Tunc cum vicina
caſtra ipſe & rex haberent, medicus Pyrrhi nocte ad eum
B venit, promittens veneno ſe Pyrrhum occiſurum, ſi ſibi
aliquid polliceretur. Quem Fabricius vinctum reduci
iuſſit ad propriam domum, Pyrrhoque dici, quæ contra
caput eius medicus ſpopondiſſet. Tunc rex admiratus
eum, dixiſſe fertur: Iſte eſt Fabricius, qui difficilius ho-
neſtate quam ſol à curſu ſuo auerti poteſt. Pyrrhus vero
fractus bello, Agathocle rege Syracuſano mortuo, ad Si-
ciliæ acceſſitus imperium Syracuſas conceſſit. Fabricius
victis Lucanis & Samnitibus triumphauit. Sed Romano-
rum miſeria nullis ceſſat induciis. Conſumitur morbo-
rum malis intercapedo bellorum: & cum foris ceſſatur
à prælio, agitur introrſus ira de cœlo. Nam Fabio Gur-
gite iterum, C. Genutio Clepſina Coſſ. peſtilentia grauis
Vrbem ac fines eius inuaſit. Quæ cum omnes tum præ-
cipue mulieres pecudeſque corripiens, necatis in vtero
fœtibus futura prole vacuabat, & immaturis partubus
cum periculo matrum extorti abortus proiiciebantur:
adeo vt defutura ſucceſſio, & defuturum animantium
genus, adempto vitalis partus legitimo ordine crederen-
C tur. Conſules deinde Curius Dentatus, & Cornelius
Lentulus aduerſus Pyrrhum miſſi ſunt. Interea reuerſum
ex Sicilia Pyrrhum Curius Dentatus Coſ. excepit, ter-
tiumque bellum contra Epirotas apud Lucaniam in
Aruſinis campis geſtum eſt. Itaque primo. concurſu
cum Pyrrhi milites Romanorum impreſſione trepida-
rent, & circumſpectantes fugam, bello cedere molirentur.
Pyrrhus elephantes ex ſubſidiis iuſſit induci. Romani
aſſueti iam pugnare cum belluis, cum malleolos ſtuppa
inuolutos ac pice oblitos, vncis inſuper aculeis tenaces
præparauiſſent, eoſque flammatos in terga belluarum tur-
reſque vibrarent, non difficile furentes ardenteſque bel-
luas in eorum excidia quibus ſubſidia fuerant, retorſe-
runt. Octoginta millia peditum in illo prælio habuiſſe re-
gem dicunt, equitum vero ſex millia. Ex his cæſa refe-
runtur viginti tria millia, capti autem ſunt quadringenti.
Ipſe à Tarento fugatus, caſtra eius capta ſunt. Curius in
conſulatu triumphauit, primuſque Romæ Elephantos
quatuor induxit. Pyrrhus XV. anno quam venerat ab Ita-
D lia, victus aufugit, qui poſt multa grauiſſimaque bella
quæ geſſit in Græcia apud Argos Achaiæ florentiſſimam
vrbem, Spartani regni auiditate ſeductus, ſaxo ictus oc-
cubuit. Cuius pollex de dextero pede remedio erat, ſi
cuius renes tumentes eo tetigiſſet. Qui cum Antigono
victore iuſſus eſſet exuri, ſic arſit, vt idem pollex igni in-
ueniretur intactus. Qui digitus aureo loculo incluſus eſt,
& antiquiſſimo templo Dodonæi Iouis conditus eſt. Hoc
tempore apud Iudæos pontifex maximus Simon Oniæ
filius claruit, cui cognomentum Iuſtus fuit. Tum quo-
que apud Romanos Sextilia virgo veſtalis conuicta dam-
nataque inceſti, ad portam Collinam viua defoſſa eſt.
Anno ab Vrbe condita CCCCLXX. Tarentini Pyrrhi
morte comperta iterum noua aduerſum Romanos arma
ſollicitant. Carthaginenſiumque auxilia per legatos poſ-
cunt & accipiunt. Conſerto prælio vicere Romani. Ibi
iam tunc Carthaginenſes quamuis nondum hoſtes adiu-
dicati, vinci tamen à Romanis ſe poſſe ſenſerunt. Sequenti
anno, magnam viſcerum ſuorum partem ſeueritas Roma-
na concidit. Nam aduentante dudum Pyrrho, octaua legio
diffidens Romanæ ſpei, nouum ſcelus auſa, Reginenſes E
omnes quibus tunc ſubſidio præerat, interfecit, prædam
ſibi omnem atque ipſum oppidum vendicauit. Hoc faci-
nus in tam ſceleratos defectores puniẽdum, Genutio Coſ.
iuſſum eſt. Qui obſeſſa Reginorum vrbe, captiſque omni-
bus ipſe quidem in reliquos perfugas & latrones exercuit
digna ſupplicia, Romanos vero milites integræ legionis
Romam miſit, qui iuſſu populi in medio foro virgis cæſi
ſunt, ſecurique percuſſi. Tunc ſibi viſa eſt Roma vincere,
cum legionem ſuam integram occidit, quæ profecto ſine
dubio victa fuiſſet, ſi eam hoſtili gladio perdidiſſet. C. Fa-
bricio Luſcino, C. Claudio Canina Coſſ. legati Alexandri-
ni à Ptolomæo miſſi Romam venere, & à Romanis ami-
citiam quam petierant, obtinuerunt. Anno ab Vrbe con-
dita CCCCLXXI. obſcœna & dira prodigia, vel viſa Ro-
mæ vel nunciata ſunt. Ac ædes Salutis ictu fulminis diſ-
ſoluta, pars muri ſub eodem loco de cœlo, vt dicunt, tacta
eſt. Lupi tres ante lucem ingreſſi Vrbem ſemeſum cada-
uer intulerunt, ſparſumque membratim in foro ipſi ſtrepi- F
tu hominum exterriti reliquerunt. Apud Formiam multis
ictibus fulminum mœnia vndique ambuſta & diſſoluta
ſunt. Apud agrum Calenum repente flamma ſciſſo hiatu
terræ eructata, tribus diebus tribuſque noctibus terribili-
ter exæſtuans, quinque agri iugera exhauſto penitus vber-
tatis ſucco in cinerem extorruit, ita vt non ſolum fruges,
ſed & arbores cum imis ſtirpibus abſumpſiſſe referatur.
Sequenti ab hinc anno, Quintio Gulone, & Fabio Pictore
Coſſ. Picentes bellum commouere. Conſules P. Sempro-
nius, & Appius Claudius aduerſum Picentes duxerunt
exercitum, & cum directæ intra ictum teli vtræq; acies
conſtitiſſent, repente ita immaniter cum nimio & horrẽ-
do fragore terra tremuit, vt ſtupore miraculi vtrumq; pa-
uefactum agmen hebeſceret. Diu attoniti vtrique populi
hæſitauere, præiudicata incepti conſcientia. Tandem pro-
curſu concitato iniere certamen. Triſte adeo iſtud bellum
fuit, vt merito dicatur tantum humanum ſanguinem ſuſ-
ceptura, etiam cum gemitu horriſono tunc terra tremuiſ-
ſe. Romani autem pauci admodum eo prælio qui euaſere, G
vicerunt, & de his triumphatum eſt. Conditæ à Romanis
ciuitates Ariminum in Gallia, & Beneuentum in Samnio.
Tunc etiam à Romanis Croton inuaditur. Anno ab Vrbe
condita CCCCLXXVII. inter multa prodigia ſanguis è
terra lac viſum eſt manare de cœlo. Nam & plurimis ſca-
turiens è fontibus cruor effluxit, & de nubibus guttatim
in ſpeciem pluuiæ lacte dimiſſo, diri vt ipſis viſum eſt, ter-
ras imbres irrigauerunt. M. Attilio Regulo, L. Iulio Libone
Coſſ. Salentinis in Apulia bellum indictum eſt, captique
ſunt cum ciuitate ſimul Brunduſini, & de his triumpha-
tum eſt.

Cum iam clarum vrbis Romæ nomen eſſet, arma ta-
men extra Italiam mota non fuerant. Vt ergo cognoſcere-
tur quæ copiæ Romanorum eſſent, cẽſus eſt habitus. Tum
inuenta ſunt capita ciuium ducenta nonaginta millia tre-
centa triginta quatuor, quanquam à condita Vrbe nun-
quam bella ceſſaſſent. Eo tempore Carthaginẽſes dato
aduerſum Romanos auxilio Tarentinis, cum per legatos à
Senatu arguerẽtur, turpiſſimam rupti fœderis labem præ-
ſumpto accumulauere periurio. Tunc etiam Vulſinienſes H
Hetruſcorum florentiſſimi luxuriæ pœna perierunt. Nam
cum licentia in conſuetudine prærogata ſeruos ſuos paſ-
ſim liberos facerent, conuiuiis allegarent, coniugiis hone-
ſtarent, Libertini in partem poteſtatis recepti, plenitudi-
nem per ſcelus vſurpare meditati ſunt: & liberati ſeruitutis
iugo ambitu dominationis exarſerũt: & quos dominos ſub-
diti æquanimiter dilexerunt, eos iam liberi, quos dominos
fuiſſe meminerant, execrati ſunt. Itaque conſpirãtes in fa-
cinus Libertini, quorum tanta manus fuit, vt ſine contro-
uerſia ſuperiores eſſent, correptam ſuo tantummodo generi
vrbem vendicant, patrimonia, coniugia dominorum ſibi
per ſcelus vſurpant, extorres dominos procul abigunt.
Qui miſeri exules egenteſque Romam deferuntur. Vbi
oſtentata miſeria querelaque defleta, per Romanorum
ſeueritatem, & vindicati ſunt, & reſtituti. Anno ab
Vrbe condita CCCCLXXXI. peſtilentia ingens
apud Romam conflagrauit, cuius atrocitatem ſignifi-

A eare contentus ſum, quia verbis explicare non poſſum. Si enim ſpacium temporis quo manſit inquiritur, vltra biennium vaſtando porrecta eſt: ſi depopulatio, quam egerit, cenſus indictos eſt, qui non quantum hominum deperiſſet, ſed quantum ſuperfuiſſet, inquireret: ſi violentia, qua affecerit, Sibyllini libri teſtes ſunt, qui eam cœleſti ira impoſitam reſponderunt. Sed ne quenquam quaſi tempeſtate cauillationis offendat, quod Sibylla quaſi iratos deos dixerit, nos iram cœleſtem dixiſſe videamur: & audiat & intelligat, quia hæc etſi plerunque per aërias poteſtates fiunt, tamen ſine arbitrio omnipotentis Dei omnino non fiunt. Eodem tempore Caparronia virgo veſtalis inceſti rea ſuſpendio periit, corruptor eius conſciique ſerui ſuppliciis affecti ſunt. Anno ab Vrbe condita CCCCLXXXIII. Appio Claudio, Q. Fuluio Coſſ. Mamertinis quorum Meſſana nobilis Siciliæ ciuitas erat, & auxilia contra Hieronem Syracuſanum regem & Pœnorum copias Hieroni iunctas peterant, Appium Claudium Coſ. cum exercitu miſere Romani: pugnaque commiſſa Ap-
B pius Claudius de Pœnis & rege Siciliæ triumphauit Hierone. Inſequenti anno M. Valerio, & T. Otacilio Coſſ. in Sicilia à Romanis res magnæ geſtæ ſunt. Taurominitani, Catinenſes, & præterea quinquaginta ciuitates in fidem acceptæ. Tertio anno in Sicilia contra Hieronem Siculorum regem & Pœnos bellum paratum eſt, ab Appio Claudio Coſ. qui tam celeriter Syracuſanos Pœnoſque ſuperauit, vt ipſe quoque rex rerum magnitudine perterritus, ante ſe victum quam congreſſum fuiſſe prodiderit. Qui exin fractis viribus amiſſaque fiducia, cum omni nobilitate Syracuſanorum pacem à Romanis ſupplex rogauit, iuſſuque Conſulum dedit argenti ducenta talenta. Conſules accepto argento, Agrigentum adierunt Siciliæ ciuitatem, ibique præſidia Pœnorum operibus valloque cinxerunt. Cũque incluſus ea obſidione ſenior Hanoibal Imperator Pœnorum ad ſummam egeſtatem redactus eſſet. Hanno dux nouus Carthaginenſium cum equitibus mille quingentis & triginta millibus peditum, triginta etiam Elephaotis ex improuiſo interceſſu, expugnationemque ciuitatis pauliſ-
C per diſtulit, ſed continuo ciuitas capta eſt. Pœni maximo bello victi & profligati, vndecim elephanti in poteſtatem redacti, Agrigentini ſub corona omnes venditi ſunt, & de his ſecundo Romæ triumphatum eſt. Hannibal ſenior exinde facta eruptione cum paucis diffugit. Quinto anno Punici belli, quod contra Afros gerebatur. Cn. Cornelio Aſina, C. Duilio Coſſ. cum Hannibal ſenior oram Italiæ maritimam inſtructa ſeptuaginta nauium claſſe vaſtaret, Romani & ipſi claſſem fabricari atque inſtrui præceperunt. Quod Duilius Coſ. celeriter impleuit. Nam intra ſexaginta dies quam arbores cæſæ eſſent, centum triginta nauium claſſis deducta in anchoris ſtetit. Cornelius Aſina alter Coſ. cum ſedecim nauibus roſtratis, quas Liburnas vocant, Liparen inſulam petit: vbi ab Hannibale quaſi ad colloquium pacis euocatus, Punica fraude captus atq; in vinculis necatus eſt. Quod vbi mox Duilius alter Coſ. audiuit, & ipſe cum triginta nauibus roſtratis, quas Liburnas vocant aduerſus Hannibalem profectus eſt. Commiſſoque
D nauali prælio, Hannibal amiſſa naui qua vehebatur, ſcapha ſubductus aufugit. Triginta & vna naues eius captæ, tredecim merſæ, tria millia hominum occiſa, ſeptem millia capta referuntur. Neq; vlla victoria Romanis gratior fuit, quod inuicti terra, iam etiam mari plurimum poſſent. Poſtea Carthaginenſes C. Aquilio Floro, L. Cornelio Scipione Coſſ. Hannonem in locum Hannibalis ſubrogatum pro Sardis & Corſis defenſandis nauali prælio præfecerunt. Qui a Scipione Coſ. victus amiſſo exercitu ipſe confertiſſ. hoſtibus ſe immiſcuit, ibique interfectus eſt. Scipio Corſicam & Sardiniam vaſtauit, multaque millia inde captiuorum abduxit, triumphum egit. Eodem anno tria millia ſeruorum, & tria millia inde naualium ſociorum in vrbis Romæ excidium coniurauerunt, & niſi maturata proditio conſilium præueniſſet, deſtituta præſidio ciuitas ſeruili manu periſſet. Anno ab hoc proximo Calatinus Coſ. Camerinam Siciliæ vrbem petens, temere in anguſtias deduxit exercitum, quas Pœnorum copiæ iamdudum præſtruxerant. Cui cum omnino nulla vel obſiſtendi, vel euaden-

E di facultas eſſet, Calphurnij Flammæ virtute & opera liberatus eſt. Qui lecta trecentorum virorum manu inſeſſum ab hoſtibus tumulum occupauit, & in ſe Pœnos omnes pugnando conuertit, donec Romanus exercitus obſeſſas anguſtias hoſte non vrgente tranſiret. Cæſi ſunt in eo bello omnes, ſolus Calphurnius, quamuis confoſſus vulneribus & cadaueribus obtectus, euaſit. Hannibal ſenior à Carthaginenſibus iterum claſſi præpoſitus, infeliciter cum Romanis nauali prælio congreſſus & victus, ab exercitu ſeditione orta, etiam lapidibus coopertus interiit. L. Manlio Vulſone, M. Attilio Regulo Coſſ. bellum in Africam tranſlatum eſt contra Amilcarem Carthag. ducem Attilius Coſ. Liparen Melitamque inſulas Siciliæ nobiles peruagatus euertit. Coſſ. in Africam bellum iuſſi transferre, cum trecentis triginta nauibus Siciliam petierunt. Quibus Amilcar Pœnorum dux, & Hanno claſſi præfectus occurrit. Conſerto nauali prælio, Carthaginẽſes in fugam verſi, ſexaginta & quatuor naues perdiderunt: Romani viginti duas amiſerunt. Victores Coſſ. in Afri-
F cam tranſuecti ſunt, primamque omnium Clypeam vrbem in deditionem receperunt. Inde Carthaginem petentes, trecenta aut eo amplius caſtella depopulati ſunt, infeſta Carthagini ſigna circumtulerunt. Manlius Coſ. Africa cum victrice claſſe diſcedens, viginti & ſeptem millia captiuorum cum ingentibus ſpoliis Romam reuexit. Attilius Regulus Coſ. in Africa remanſit, bellum Carthaginenſibus inſtruxit, contra tres Carthaginenſium duces dimicans, id eſt, Adſrubales duos & accitum ex Sicilia Amilcarem, atrociſſimum cum eis bellum geſſit, in quo cæſa ſunt Carthaginenſium decem & octo millia, captiuauit quinque millia, decem & octo elephantes cepit, octoginta & duas ciuitates in deditionem accepit. Iter cum exercitu faciens, haud procul à flumine Bagrada caſtra poſuit: vbi cum plurimos militum aquandi neceſſitate ad flumen deſcendentes, ſerpens miræ magnitudinis deuoraret, Regulus ad expugnandam beſtiam cum exercitu profectus eſt. Sed nihil in tergo eius proficientibus
G iaculis, atque omni telorum iactu irrito, quæ per horrendam ſquamarum cratem quaſi per obliquam ſcutorum teſtudinem labebantur, mirumque in modum, ne corpus læderent, ipſo corpore pellebantur, cum inſuper magnam multitudinem morſuum comminui impetu, propter anhelitum etiam peſtiferum exanimari videret, baliſtas deferri imperauit, per quas murale ſaxum ſpinæ eius incuſſum, compagem totius corporis ſoluit ac mox circumuenta telis facile oppreſſa eſt. Corium autem eius Romam deuectum, quod fuiſſe centum viginti pedum ſpacio ferunt, aliquandiu cunctis miraculum fuit. Igitur Carthaginenſes fracti bellis, & cladibus exinaniti, pacem à Regulo popoſcerunt. Sed cum intolerabiles & duras pacis conditiones audiſſent, tutius rati ſeſe armatos mori, quam miſeros viuere, pretio non ſolum Hiſpanorum vel Gallorum auxilia, quæ iamdudum plurima habebant, ſed etiam Græcorum comparanda duxerunt. Itaque Xanthippum Lacedæmoniorum regem cum auxiliis accerſitum, ducem bello præfecerunt. Xanthippus inſpectis Pœ-
H norum copiis, atque in campum deductis, longe in melius mutato apparatu, pugnam cum Romanis conſeruit. Ingens ibi Romanorum virorum multitudo fuit. Nam triginta millia Romanorum militum in illa tunc congreſſione proſtrata ſunt, Regulus ille dux nobilis cum quingentis viris captus eſt, & in catenis coniectus. Decimo demum anno Punici belli, nobilem Carthaginenſibos triumphum præbuit. Xanthippus tam audacis facti conſcius, rerum inſtabilium mutationem timens, ilico ex Africa migrauit in Græciam. Hac tempeſtate Ptolemæus Philadelphus Iudæos qui in Ægypto erant, liberos eſſe permiſit, & vaſa Eleazaro pontifici Hieroſolymorum votiua tranſmittens, diuinas ſcripturas in Græcam vocem ex Hebræa lingua per LXX. interpretes transferri curauit, quas in Alexandrina Bibliotheca habuit, quam ſibi ex omni genere literaturæ comparauerat. Igitur M. Æmilius Paulus, Seruius Fuluius Nobilior Coſſ. audita captiuitate Reguli & clade exercitus Romani, tranſire in Africam cum claſſe trecentarum nauium iuſſi, Clypeam

A petunt. Eo confeſtim Carthaginenſes cum pari claſſe venerunt, nec differri potuit natale certamen. Æmilius Coſ. centum & quatuor naues Carthaginenſium demerſit, triginta cum pugnatoribus cepit, præterea triginta & quinque millia hoſtium aut occidit, aut cepit, milites ſuos ingenti præda ditauit. Romanorum autem nouem nauibus depreſſis, mille centum periere milites. Conſules apud Clypeam caſtra poſuerunt. Duo Hannones Pœnorum duces, eo rurſus cum magno exercitu venerunt: prælioque commiſſo nouem millia perdiderunt, & ſubacta Africa tunc fuiſſet, niſi quod tanta fames erat, vt diutius exercitus expectare non poſſet. Conſules & victrices claſſes cum ad Italiam prædis onuſti remearent, Infandum naufragium circa Siciliam paſſi ſunt. Nam de quadringentis ſexaginta nauibus, octoginta vix abiectis oneribus ſeruari potuerunt, neque vllo tempore tanta maritima tempeſtas audita eſt. Romani tamen ſtatim ducen-
B tas naues reparauerunt, neque in aliqua animus his infractior clade fuit. Hoc tempore nummus argenteus primus in Vrbe ſignatus eſt. Deinde Amilcar dux Pœnorum cum exercitu in Numidiam Mauritaniamque miſſus, poſtquam hoſtiliter cruenterque in vniuerſos egit, quod Regulum libenter ſuſcepiſſe dicerentur, mille argenti talentis & viginti millibus boum reliquos condemnauit: principes omnium populorum patibulo affixit. Tertio anno, ſicut ſemper indomitus furor cito periculorum obliuiſcitur, Seruilius Cepio & Sempronius Bleſus Coſſ. cum ducentis ſexaginta nauibus in Africam tranſuecti, vniuerſam oram maritimam quæ circa Syrtes iacet, depopulati ſunt, atque in ſuperiora progreſſi, captis euerſiſque ciuitatibus plurimis, ingentem prædam ad claſſem duxerunt. Iidem cum ad Italiam redirent, circa Palinuri promontorium, quod a Lucanis montibus in altum excurrit, illiſi ſcopulis centum quinquaginta naues onerarias nobilemque prædam crudeliter acquiſitam infeliciter perdiderunt. Itaque cum continuæ calamitates Ro-
C manis diſplicerent, decreuit Senatus vt à maritimis recederetur, & tantum ſexaginta naues ad præſidium Italiæ ſaluæ eſſent. Quod quidem decretum continuo adacti indomita cupiditate ruperunt. Præterea Cotta Conſul in Siciliam tranſgreſſus, plurimis præliis aduerſum Pœnos & Siculos terra marique pugnauit, & per totam Siciliam partim hoſtium, partim etiam ſociorum inhumanitas ſtrages reliquit. L. Cæcilio Metello, C. Furio Placido Conſulibus Haſdrubal dux nouus Carthaginenſium cum Elephantis centum, & triginta equitum, peditumque amplius triginta millibus Lilybæum venit ex Africa, & continuo cum Metello Coſ. apud Panormum pugnam conſeruit. Sed Metellus vim magnam belluarum timens, prius eas magno conſilio vel in fugam, vel in mortem egit, & ſic facile quamuis magnam, vim hoſtium ſuperauit. Viginti millia Carthaginenſium in eo prælio cæſa ſunt, elephanti quoque viginti & ſex interfecti ſunt: centum quatuor per Numidas errantes, quos in auxilium habebat, cepit, & per Italiam duxit, qui maximum Italicis
D populis ſpectaculum præbuerunt. Haſdrubal cum paucis Lilybæum profugit atque abſens à Pœnis capite damnatus eſt. Poſt hæc feſſi tot malis Carthaginenſes, petendam eſſe à Romanis pacem, & permutationem captiuorum decreuerunt. Ad quam rem Attilium Regulum ante ducem Romanorum, quem iam per quinque annos captiuum detinebant, inter cæteros legatos ſub Sacramento præcipue mittendum putauerunt. Ille Romam cum veniſſet, inductus in Senatum, nihil quaſi Romanus egit: dixitque ſe ex illa die qua in poteſtatem Afrorum veniſſet, eſſe Romanum deſiiſſe. Itaque & vxorem à complexu ſuo remouit, & Senatui perſuaſit, ne pax cum Pœnis fieret, illos enim fractus tot caſibus ſpem nullam habere: tanti non eſſe, vt tot millia captiuorum propter vnum & ſenem, & paucos qui ex Romanis capti erant, redderent. Itaque obtinuit. Nam Afros pacem petentes nullus admiſit. Ipſe Carthaginem rediit, offerentibuſque Romanis vt eum Romæ tenerent, negauit ſe in ea vrbe manſurum, in qua poſtquam Afris ſeruierat, dignitatem honeſti ciuis vltra habere non poſſet. Igitur regreſſum ad Africam reſecatis palpebris, vt vſque ad mortem cruciatu intolerabili ac dolore vigilaret, atque vt ſtaret ſemper E radium ſolis intuens, illigatum in machina necauerunt. Alter deinde Attilius Regulus, & Manlius Volſo ambo bis Coſſ. cum claſſe ducentarum nauium & quatuor legionibus Lilybæum profecti ſunt, quod oppidum in promontorio ſitum Romani obſidere conati, ſuperueniente Hannibale qui Hamilcaris filius fuit, victi, maiore exercitus ſui parte perdita, ipſi ægre euaſerunt. Poſt hos Claudius Coſ. cum claſſe CCXX. nauium ad Drepani portum contra hoſtem profectus eſt. Vbi mox exceptus claſſe Pœnorum, dum contra auſpicia dimicaſſet, ſtatim ſuperatus eſt. Et ipſe quidem cum triginta nauibus Lilybæum in caſtra confugit: reliquæ omnes, hoc eſt, LXXX. cum pugnatoribus captæ ſunt, cæteræ demerſæ: nouem millia militum cæſa, viginti millia capta referuntur. C. quoq; Iunius Coſ. collega Claudij Pulchri vniuerſá claſſem naufragio amiſit, exercitum tamen ſaluum habuit, quia vicina littora erant. Anno etiam ſequenti claſſis Punica in Italiam tranſiit, eiuſque plurimas partes longe lateque F vaſtauit. Dum hæc agerentur, apud Iudæam pontificatum poſt Eleazarum ſuſcepit Manaſſes auunculus eius. Interea Lutacius Catulus cum claſſe trecentarum nauium in Siciliam tranſuectus eſt, & ibi dum apud ſupradictam Drepanum ciuitatem pugna conſeritur, dum inter primores pugnat, transfixo fœmore ægerrime cum iam obrueretur ereptus eſt. Porro autem Pœni cum quadringentis nauibus magniſque copiis ad Siciliam duce Hannone concurrunt. Nec Lutacius ſegnior, imo conſilia Pœnorum mira celeritate præuenit. Poſtquam proximæ ſibi vtrorumque claſſes apud Ægades inſulas contra Lilybæum ciuitatem Siciliæ per totam noctem intertextis propemodum anchoris ſteterunt, orta luce prior Lutacius ſignum bello dedit. Crudeſcente pugna victus Hanno nauem auertit, & dux fugæ primus fuit. Aliquanta cum eo pars exercitus ſui Africam petiit, alij confugere Lilybæum: ſeptuaginta & tres naues Punicæ captæ ſunt: centum triginta demerſæ: triginta & duo millia hoſtium capta, cæſa quatuordecim millia fuerunt. Nunquam in mari G tantis copiis pugnatum eſt. Infinitum auri & argenti prædæ in poteſtatem Romanorum redactæ. Ex claſſe autem Romana duodecim naues merſæ. Pugnatum eſt VI. Idus Martij. Lutacius deinde ad Erycinam ciuitatem, quam Pœni tenebant, venit: ibique duo millia Carthaginenſium conſerta pugna interfecit. Tunc Carthaginenſes præcipiti feſtinatione ad Lutacium Coſ. ac deinde Romam mittunt, orant pacem, quam ilico conſequuntur. Captiui Romanorum qui tenebantur à Carthaginenſibus redditi ſunt. Etiam Carthaginenſes petiuere, vt redimi eorum captiuos liceret, quos ex Afris Romani tenebant. Senatus iuſſit ſine precio eos dari, qui in publica cuſtodia eſſent: qui autem in priuatis tenerentur, vt precio dominis reddito Carthaginem redirent, atque id precium ex fiſco magis quam à Carthaginenſibus ſolueretur. Carthaginenſes ſane ſub hac conditione cum Romanis pacem fecerunt, vt Sicilia Sardiniaque decederent, & per continuos viginti annos eis perſoluerent puri argenti tria millia talentorum. His diebus Iudæorum Pontifex Onias H Simonis Iuſti filius clarus habebatur. Anno ab Vrbe condita D. VII. repentina ſubuerſio ipſius Romæ præuenit triumphum Romanorum. Neque enim temere dixerim, quando non vel modicam lætitiam Romæ, ſuperueniens repente quam grauiſſimus, luctus oppreſſit. Siquidem Q. Lutacio Catulo, A. Manlio Coſ. diuerſæ ignium aquarumque clades pene abſumpſere Vrbem. Nam Tyberis inſolitis auctus imbribus & vltra opinionem, & diuturnitate & magnitudine redundans, omnia Romæ ædificia in plano poſita deleuit. Diuerſæ qualitates locorum ad vnam conuenere perniciem: quoniam & quæ ſegnior redundatio inuenit, madefacta diſſoluit & quæ curſus torrentis inuenit, impulſa deiecit. Aquarum grauiſſimam cladem, grauior ignis ſecuta vaſtatio eſt. Qui ignis (incertum vnde ſurrexit) plurimas ciuitatis partes peruagatus, cum hominum domorumque miſerabilem ſtragem fecit, tum etiam tantum opus vno conſumpſit incendio, quantum

plurimæ

A plurimæ & peregrinæ victoriæ conferre non poſſunt. De-
hinc, cum omnia in circuitu fori depopularet, ædem Ve-
ſtæ corripuit, vnde etiam Metellus cum arſuros Deos eri-
pit, vix brachio ſemiuſtulatus aufugit. T. Sempronio Gra-
cho, C. Valerio Falcone Coſſ. bellum Faliſcis intulerunt.
Quæ ciuitas Italiæ opulenta quondam fuit, quam ambo
Coſſ. intra ſex dies quam venerant, transierunt, XV. milli-
bus hoſtium cæſis, pace conceſſa, agro tamen ex medie-
tate ſublato. Eodem anno etiam Galli Alpini noui Ro-
manis extitere hoſtes, aduerſus quos forte varia bellatum
eſt. Nam in primo conflictu Valerio Coſſ. tria millia ce-
cidere Romanorum: ſecundo XIV. millia Gallorum cæſa,
duo millia capta ſunt. Sed ob priorem cladem triumphus
conſuli denegatus eſt.

Explicit Liber Secundus.

B

Incipit

LIBER TERTIVS.

FInito igitur Punico bello quod viginti tres annos
tractum eſt, iam Romani clariſſima gloria noti, L.
Cornelio Lentulo, Fuluio Flacco Coſſ. legatos ad Ptole-
mæum regem Ægypti miſerunt, auxilia promittentes, quia
rex Syriæ Antiochus ei bellum intulerat. Ille Romanis
gratias egit, auxilium non accepit: iam enim fuerat illa
pugna tranſacta. Eodem tempore potentiſſimus rex Sici-
liæ Hiero Romam venit ad ludos, & ducenta millia mo-
diorum tritici populo dono dedit. T. Manlio Torquato,
C. Attilio Balbo Coſſ. Sardinia rebellauit auctoribus Pœ-
nis: vnde mox Sardi ſubacti & oppreſſi ſunt: Carthagi-
nenſibus autem violatoribus pacis, quam ipſi popoſciſ-
ſent, inferri bellum decretum eſt. E contra Carthaginen-
C ſes pacem ſuppliciter popoſcere: & quum bis miſſis le-
gatis nihil profeciſſent, poſt etiam, eorum decem princi-
pibus his æque ſupplicantibus, nil impetrarent: nouiſſime
Hannonis minimi hominis inter legatos oratione merue-
runt. Hoc anno porta Iani Gemini clauſa eſt, quia nuſ-
quam eo anno bellum erat quod ſub Numa Pompilio re-
ge prouenerat. Anno ab Vrbe condita D.XVII. Hamilcar
dux Carthag. ab Hiſpanis in bello, cum aliud bellum ad-
uerſum Rom. clam pararet, occiſus eſt. L. Poſthumius Al-
binius Cn. Fuluius Centimanus Coſſ. bellum contra Illy-
ricos ſequenti geſſerunt anno, eo quod legati Romano-
rum ab Illyriis interfecti ſunt. Poſt cum ipſis Illyriis atro-
ciſſimum bellum geſtum eſt, in quo multis oppidis op-
pidulisque deletis, reliqui ſe Fuluio, Poſthumioque Coſſ.
dediderunt: ac tum primum ex Illyriis triumphatum eſt.
Tertio deinceps anno miſeram ciuitatem ſacrilegis ſacri-
ficiis male petentes funeſtauere Pontifices. Nam Decem-
uiri conſuetudinem priſcæ ſuperſtitionis egreſſi. Gallum
virum & Gallam fœminam, cum muliere ſimul Græca in
D foro Boatio viuos defoderunt. Sed obligamentum hoc
magicum in contrarium continuo verſum eſt. Namque
diras illas quas fecerant externorum mortes fœdiſſimis
ſuorum cædibus expiauere. Siquidem L. Æmilio Paulo,
C. Attilio Regulo Coſſ. magna formidine conſternatus
eſt Senatus defectione Ciſalpinæ Galliæ, cum etiam ex
vlteriore Gallia ingens aduentare exercitus nuntiaretur,
maxime Geſatorum, quod nomen non gentis, ſed merce-
nariorum Gallorum eſt. Itaque permoti Coſſ. totius Ita-
liæ ad præſidium Imperij contraxere vires. Quo facto, in
vtriuſque Coſ. exercitu octingenta millia armatorum
fuiſſe feruntur, ſicut Fabius Hiſtoricus qui huic bello in-
terfuit, ſcripſit. Ex quibus Romanorum & Campanorum
fuerunt peditum CCCXLVIII. millia ducenti: equitum
vero viginti ſex millia ſexcenti: cætera multitudo ſocio-
rum fuit. Commiſſo prælio apud Aretium Attilius Coſ.
occiſus eſt. Octingenta millia Romanorum, nec ſaltem
tanta quanta eos terrere debuit cæſa ſui parte, fugerunt.
Nam tria millia eorum tunc interfecta hiſtorici tradunt.
Quod ideo ignominioſius turpiuſque eſt, tam paucis
amiſſis tanta agmina diffugiſſe, quod ſe in aliis victoriis E
non viribus animorum præualuiſſe, ſed bellorum prouen-
tibus prodiderunt. Quiſnam enim rogo in exercitu Ro-
manorum crederet numerum iſtum fuiſſe ſaltem, non
dico fugiſſe? Poſt hæc ſecundum cum Gallis prælium
geſtum eſt, in quo plane XL. millia Gallorum trucidata
ſunt, & triumphus Æmilio decretus eſt. Gallorum qui-
dem animi feroces, corpora pluſquam humana erant, ſed
experimento deprehenſum eſt, quod virtus eorum ſicut
primo impetu maior quam virorum eſt, ita ſequenti mi-
nor quam fœminarum. Alpina enim corpora humecto
cœlo educata habent quiddam ſimile niuibus ſuis: cum
mox calore exarſerint pugnæ, ſtatim in ſudorem eunt,
& leui motu quaſi ſole laxantur. Hi Brittomaro duce non
prius poſituros ſe baltea iurauerunt, quam Capitolium
Romæ aſcendiſſent. Quod & factum eſt. Nam victos eos
Æmilius in Capitolio diſcinxit. Et quia dux eorum de
Romano milite Marti ſuo torquem auream deuotaſſet, de
ipſius Ariobiſtonis reliquorumque Gallorum torquibus
aureum trophæum Ioui erexit. Sequenti anno Manlius F
Torquatus, & Fuluius Flaccus Coſſ. contra Ligures pri-
mum trans Padum Romanas duxere legiones. Pugna-
tum eſt ibi cum Inſubribus Gallis, quorum inter-
fecta ſunt viginti tria M. quinque millia capta ſunt. Eo
deinde anno qui huic proximus fuit, dira Vrbem terruere
prodigia. Namque in Piceno flumine ſanguis effluxit:
apud Faliſcos cœlum viſum eſt ardere: & Arimini no-
ctem multa luce claram effulſiſſe ac tres Lunas diſtanti-
bus cœli regionibus exortas apparuiſſe: & Romæ Cn.
Domitij bos locutus eſt, dicens: Caue tibi Roma. Car-
nes etiam è cœlo lapſæ ſunt, quarum pars ab auibus in-
tercepta eſt, pars incorrupta diu iacuit. Tunc quoque
magno terræmotu Caria & Rhodus inſulæ adeo concuſ-
ſæ ſunt, vt labentibus vulgo tectis ingens quoque ille
Coloſſus rueret. Eodem anno Flaminius Coſ. contemptis
auſpiciis, quibus pugnare prohibebatur aduerſus Gallos
conflixit & vicit. In quo bello nouem millia Gallorum
cæſa, ſeptem & decem millia capta ſunt. Poſt hoc M.
Claudius Marcellus, Cn. Cornelius Scipio, contra Gallos G
pugnauerunt. Marcellus Coſ. deinde cum imprudens in
manus Gallorum incidiſſet, omniaque infeſta vidiſſet, nec
euadere poſſet, in medium hoſtium irrupit. Quibus in-
opinata audacia perculſis, regem quoque eorum Virdo-
marum nomine occidit. Atque vbi ſpes ſalutis vix fuerat,
inde opima detulit ſpolia. Poſtea cum collega ingentes
copias Gallorum peremit, & inter multa Inſubrium, quos
ad deditionem coegerat, oppida, Mediolanum quoque
vrbem florentiſſimam expugnauit & cepit. Grandem præ-
dam Romam pertulit, ac triumphans Marcellus ſpolia
Gallici regis ſtipiti impoſita humeris ſuis vexit. Minucio
Rufo, P. Cornelio Coſſ. Hiſtris bellum illatum eſt, quia
latrocinati naues Romanorum fuerant, quæ frumenta ex-
hibebant, ac multo Romanorum ſanguine fuſo perdomiti
ſunt. Hac tempeſtate Iudæorum Pontifex Simon Oniæ
filius extitit. Emergit hic paululum antiquus ille Roma-
norum improbæ laudis etiam de præſumptis patricidiis
appetitus. Nam Fabius Cenſorius Fabium Buteonem fi-
lium ſuum furti inſimulatum interfecit: dignum ſcilicet H
facinus, quod pater vel parricidio plectendum duceret,
quod ne leges quidem inſimulatum pecuniæ, aut ſummi
exilij circa quemlibet hominem ſcelus cenſuerunt.

Anno ab Vrbe condita D. XXXIV. bellum Punicum
ſecundum Romanis illatum eſt per Hannibalem Cartha-
ginenſium ducem, qui iam dudum Hamilcari patri ad
aras iurauerat, cum adhuc nouem eſſet annorum, ſe vt
primum poſſet aduerſum Romanos pugnaturum: qui
idem tamen hoc ſomnium præuiderat: iuuenem huma-
na forma auguſtiorem, qui ſe hortaretur in excidium Ita-
liæ, auctore Ioue ſecuturum. Deinde poſt tergum reſpi-
ciens intueri ſibi viſus eſt ſerpentem vaſtum cuncta po-
pulantem, audire etiam cœli fragorem, nec non & nim-
bos cum maligna luce cœli viſere: interrogauitque iu-
uenem præeuntem quid ſubſequatur? Ille ad hæc, Vide
inquit excidium Italiæ, cætera permitte fatis. Hannibal
ergo Saguntum, florentiſſimam Hiſpaniæ ciuitatem Ro-

A manis amicam oppugnare aggreſſus eſt, annum ætatis agens viceſimum. Huic Romani per Legatos denunciauere, vti bello abſtineret. Is Legatos Romanorum ad ſe miſſos iniurioſiſſime à conſpectu ſuo etiam abſtiuuit. Romani etiam Carthaginem miſerunt vt mandaretur Hannibali, ne bellum contra ſocios Romani populi gereret. Dura reſponſa à Carthaginenſibus data ſunt. Saguntini interea fame victi ſunt, & octano demum menſe capti ab Hannibale vltimis pœnis afficiuntur. Quibus hoc ante portendeiat triſte prodigium. Nam quum pene mulier enixa eſſet, in vterum regreſſus infans ciuitatis excidium ſignificauit. Huius tantæ cladis Hannibal auctor poſcitur. Tergiuerſantibus Pœnis, dux legationis, Fabius, Quæ inquit mora eſt? In hoc ego ſinu bellum pacemque porto, vtrum eligitis? Succlamantibus, bellum. Igitur, inquit, accipite. Et excuſſo in media Curia togæ gremio, non ſine horrore, quaſi plane ſinu bellum ferret, effudit. Tum P. Cornelius Scipio cum exercitu profectus eſt in Hiſpaniam, Tib. Sempronius in Siciliam. B Hannibal relicto in Hiſpania fratre Haſdrubale Pyrenæos montes tranſiuit, inter ferociſſimas Gallorum gentes ferro viam aperuit, & nono poſt demum die à Pyrenæo ad Alpes peruenit. Vbi dum muntanos Gallos repellere eum ab aſcenſu obnitentes bello ſuperat, atque inuias rupes igni, aceto, ferroque reſcindit, quatriduum commoratus quinto demum die cum maximo labore ad plana peruenit. Traditur ad Italiam cum centum millibus peditum, & XX. millibus equitum XXXVII. ſimul elephantos adduxiſſe. Interea multi Ligures & Galli Hannibali ſe iunxerunt. Sempronius Gracchus cognito ad Italiam Hannibalis aduentu, ex Sicilia exercitum Ariminum traiecit. P. Cornelius Scipio Hannibali apud Ticinum primus occurrit, commiſſoque prælio, fugatis ſuis & pene omnibus extinctis, ipſe à filio Scipione admodum prætextato, qui poſt Africanus cognominatus eſt, qui vix egreſſus pueritiam fuerat, ab ipſa morte liberatus eſt: ſaucius tamen in caſtra rediit. Pugnatum eſt deinde eodem Coſ. ad Trebiam fluuium, iterumque Romani pari clade ſuperati ſunt. C Sempronius Gracchus & ipſe apud eundem amnem cum Hannibale conflixit, amiſſoque exercitu pene ſolus euaſit. In eo tamen bello etiam Hannibal ſauciatus eſt. Tunc ſe Hannibali multi Itali dederet qui poſteaquam in Hetturiam primo tranſiret, in ſummo Apennino tempeſtate correptus biduo manſit, & continuo immobiliter niuibus cum exercitu concluſus eſt. Vbi magnus hominum numerus, iumenta quamplurima, elephanti pene omnes frigore perierunt. Diris tunc etiam Romani prodigiis territi ſunt. Nam & Solis orbis minui viſus eſt. Et apud Arpos parmæ in cœlo viſæ. Sol quoque pugnaſſe cum Luna. Apud Capenas interdiu duæ Lunæ ortæ. Imbre ſaxatili Picena regio verberata. In Gallia iiſdem temporibus lupus è vagina gladium ſuſtulit vigili. In Sardinia ſanguinem duo ſcuta ſudarunt. Faliſcis ſcindi cœlum, velut magno hiatu viſum eſt. Apud Aurium quoque metentibus meſſoribus cruentas ſpicas in corbem decidiſſe viſum eſt, & pluuiæ deciderunt cruentæ. Igitur Hannibal ad Thuſciam veniens, ſciens Flaminium Coſ. ſolum in caſtris eſſe, quo D celerius imparatum obrueret, primo vere progreſſus arripuit propiorem ſed paluſtrem viam: & tum forte Sarnus fluuius luto redundans, pendulos & diſſolutos campos reliquerat, de quibus dictum eſt:

Et quæ rigat æquora Sarnus.

In quos cum exercitu progreſſus Hannibal, nebulis maxime, quæ de palude exhalabantur, proſpectum auferentibus magnam partem ſociorum iumentorumque perdidit. Ipſe autem vni elephanto, qui ſolus ſuperfuerat, ſuperſidens vix difficultatem itineris euaſit. Sed oculum quo iamdudum in alpibus æger erat, violentia frigoris, vigiliarumque ac laboris amiſit. Vbi vero proximus caſtris Flaminij Conſulis fuit, vaſtatione circumiacentium locorum Flaminium in bellum excitauit. Hæc pugna ad Traſumenum lacum facta eſt, vbi exercitus Romanus infeliciſſima arte Hannibalis circumuentus, funditus trucidatus eſt: ipſe quoque Coſ. occiſus, viginti quinque millia Romanorum in eo prælio cæſa ſunt, ſex millia capta referuntur, & cæteri diffugerunt. De exercitu E Hannibalis duo millia ceciderunt, tanta clade Romana: maxime cum ita ad pugnandum intentus ardor extiterit, vt grauiſſimum terræmotum, qui tunc forte tam vehemens factus eſt, vt vrbes diruiſſe; montes tranſtuliſſe, diſcidiſſe rupes, & flumina retrorſum coëgiſſe referatur, pugnantes omnino non ſenſerint. Quo quidam miles Romanus ita vulneratus eſt, vt vti manibus non valeret, cui cum quidam Numida detrahere ſpolia vellet, cerulcem hoſtis inuaſit vlnis, eique nares atque aures morſu detruncauit. Interea miſſus aduerſus Hannibalem poſtea à Romanis Q. Fabius Maximus, is eum differendo pugnam ab impetu fregit. Nam per ſumma montium iuga, & abditos nemorum ſaltus caſtra ponens, Hannibalis feruorem eluſit. Cumque in prælium eum euocare Hannibal non poſſet, vaſtatis agris Italiæ, Maximi cunctatoris villæ pepercit, vt vel ſic proditionis ſuſpicionem Romanis de F eo afferret. Sed bene nota Fabij fides calliditatem Hannibalis irritam dedit Romanis. Interea Maximus inuenta occaſione pugnauit & vicit. Victus quoque Hannibal, fertur de Fabio dixiſſe ſuis ita: Nunquid non dixi vobis, quod montana hæc nubes maxima nos in campo vi tempeſtatis obrueret? Anno ab Vrbe condita D.XL.L. Æmilius Paulus, P. Terentius Varro Coſſ. contra Hannibalem mittuntur, Fabioque ſuccedunt. Qui Fabius ambos Conſules monuit, vt Hannibalem callidum & impatientem ducem non aliter vincerent quam prælium differendo. Verum cum impatientia Varronis Conſulis, contradicente altero Conſule, id eſt, Æmilio Paulo apud vicum qui Cannæ appellatur, in Apulia pugnatum eſſet, ambo Coſſ. ab Hannibale vincuntur. Nam cum competiſſet Hannibal Aufidum amnem ingentes auras proflare mane, quæ harenarum & pulueris vertices agerent, ſic direxit aciem, vt tota vis à tergo ſuis Romanis in ora & G oculos incideret. Eaque de cauſa Romanorum exercitum ſtrauit. Nam in ea pugna quadraginta quatuor millia Romanorum interfecta ſunt. De exercitu vero Hannibalis tria millia cæſa ſunt, & magna pars ſauciata. Nullo tamen Punico bello Romani adeo ad extrema internecionis adacti ſunt. Periit in eo. Coſ. Æmilius Paulus, qui dum ſaucius in quodam ſaxo reſediſſet, offerente ei Lentulo equum quo fugeret, vt cladi ſupereſſet, noluit: atque ibi perſedit, donec ab hoſtibus peremptus eſt. Perierunt autem ibi Conſulares aut Prætorij viginti, Senatores capti aut occiſi triginta, nobiliores viri trecenti, pedeſtrium militum quadraginta millia, equitum tria millia quingenti. Varro Coſ. cum quinquaginta equitibus Venuſium fugit. Nec dubium eſt vltimum illum diem Romani ſtatus futurum fuiſſe, ſi Hannibal mox ad peruadendam Vrbem contendiſſet. Sed ſic ſucceſſu belli elatus eſt, vt neminem ciuium ſuorum in caſtra ſua admitteret, ſed reſponſa eis per interpretes daret: Macharbalem quoque Lacedæmonium & ipſum ſæpe contemneret, qui ei creberrime pollicebatur breui ſe in Capitolio cœnaturum, ſi H diſpoſitio ſua omnimodis audiretur. Interea Varro Romam rediit, gratiæque ei à ſenatu & populo actæ ſunt, quod Remp. non deſperaret. Non autem vitæ cupiditate, ſed Reip. amore ſe ſuperfuiſſe, reliquo ætatis ſuæ tempore approbauit. Nam barbam capillumque ſubmiſit, & poſtea nunquam recubans cibum cepit. Honores quoque cum ei à populo deferrentur, renunciauit dicens: felicioribus magiſtratibus Reip. opus eſſe. Hannibal igitur Romanis obtulit, vt captiuos redimerent: reſponſumque eſt ei à ſenatu, eos ciues non neceſſarios, qui cum armati eſſent, capi potuiſſent. Ille omnes poſtea variis ſuppliciis interfecit, idem quibuſdam ima pedum amputauit, alios in caſtris binos inter ſeipſos dimicare compulit, maxime fratres, aut conſanguineos: nec prius ſpectaculum finiebatur, quam vnus cædibus ſuperfuiſſet, ſed & ipſe iugulandus, & pro teſtimonio victoriæ ſuæ tres modios anulorum aureorum Carthaginem miſit, quos ex manibus interfectorum Romanorum equitum, ſenatorumque & militum detraxerat. Vſque adeo autem vltima deſperatio Reip. apud reſiduos Romanos fuit, vt ſenatores de relinquenda Italia, ſedibuſque quærendis conſilium ineundum

A putarint. Quod, auctore Cæcilio Metello confirmatum fuiſſet, niſi Cornelius Scipio Tribunus tunc militum, idem qui poſt Africanus eſt dictus, diſtricto gladio deterruiſſet, ſingulis mortem inferre minitans: ac potius pro patriæ defenſione in ſua verba omnes iurare coëgit. Romani vero ad ſpem vitæ quaſi ab inferis reſpirare auſi, Dictatorem Decium Iunium creant, qui delectu habito, ab annis decem & ſeptem immaturæ, inordinatæque militiæ quatuor legiones vndecumque contraxit. Tunc etiam ſeruos ſpectati roboris, ac voluntatis, vel oblatos, vel ſi ita opus fuit, publico precio emptos, ſub titulo libertatis ſacramento militiæ adegit. Arma quæ deerant, templis detraxerunt, egenti ærario priuatæ opes refuſæ ſunt. Itaque equeſter ordo, ita plebs trepida oblita ſtudiorum in commune conſuluit. Iunius quoque Dictator antiquum Romanæ miſeriæ factum recolens, pro ſupplemento exercitus, edicto velut aſylo patefacto, homines quicumque ſceleribus ac debitis obnoxij eſſent, impuni- B tate promiſſa militiæ mancipauit, quorum oumerus ad ſex M. virorum fuit. Campania vero, vel potius omnis Italia ad Hannibalem, deſperata penitus Romani ſtatus reparatione defecit. Poſt hoc L. Poſthumius Prætor aduerſum Gallos pugnare miſſus, cum exercitu cæſus eſt. Deinde Sempronio Graccho, Q. Fabio Max. Coſſ. Claudius Marcellus ex Prætore Proconſul deſignatus, Hannibalis exercitum prælio fudit primus. Qui poſt tantas Reip. ruinas, ſpem fecit Hannibalem poſſe ſuperari. Interea in Hiſpania, vbi Haſdrubal frater Hannibalis remanſerat cum magno exercitu, vt eam totam Afris ſubiiceret, à duobus germanis Scipionibus Romanis ducibus vincitur. Perdit in ea pugna triginta quinque M. hominum, ex his capiuntur decem millia, occiduntur XXV. millia. Mittuntur ei à Carthaginenſibus ad reparandas vires copiarum, XXII. millia peditum, & IV. M. equitum, Elephanti XX. Celtiberos milites, quam primam externam manum Romani in caſtris habere cœperunt, pretio ſollicitatos ab hoſtium ſocietate in ſua caſtra duxerunt. Sempronius C Gracchus Proconſul ab hoſpite ſuo Lucano quodam in inſidias inductus occiſus eſt. Centenius Penula Centurio ſibi vltro bellum aduerſus Hannibalem petiit. A quo cum octo millibus militum, quos in aciem deduxerat, cæſus eſt. Poſt hæc Cn. Fuluius Prætor ab Hannibale victus amiſſo exercitu vix euaſit. Hannibal multas ciuitates Romanorum per Apuliam, Calabriam, Brutiamque occupauit. Quo tempore etiam Rex Macedoniæ Philippus ad eum legatos miſit, promittens auxilia contra Romanos, ſub hac conditione, vt deletis Romanis, ipſe quoque contra Græcos ab Hannibale auxilia acciperet. Captis igitur legatis Philippi, & re cognita, Romani in Macedoniam M Valerium Leuinum ire iuſſerunt: T. Mãlium Torquatum Proconſulem in Sardiniam. Nam etiam ea ſollicitata ab Hannibale Romanos deſeruerat. Ita vno tempore quatuor locis pugnabatur. In Italia contra Hannibalem: in Hiſpania contra fratrem eius Haſdrubalem: in Macedonia contra Philippum: in Sardinia contra Sardos & alterum Haſdrubalem Carthag. Is à T Manlio Procon- D ſule qui ad Sardiniam miſſus fuerat, viuus captus eſt: occiſa cum eo XII. millia, capti mille quingenti: & ſic à Romanis Sardinia ſubacta eſt. Manlius victor Haſdrubalem & captiuos Romam reportauit. Interea etiam Philippus à Leuino in Macedonia vincitur, & in Hiſpania à Scipionibus Haſdrubal, & Mago tertius frater Hannibalis. Pudet recordationis. Quid enim dicam? improbitatem magis an miſeriam Romanorum? imo verius vel improbam miſeriam, vel miſeram improbitatem. Quis credat eo tempore? quo ærarium populi Romani egenam ſtipem priuata collatione poſcebat, miles in caſtris non niſi aut puer, aut ſeruus, aut ſceleratus, aut debitor, ne ſic quidem numero idoneus erat, Senatus in curia omnis nouitius pene videbatur: poſtremo quum ita imminutis fractiſque omnibus rebus deſperabatur, vt conſilium de relinquenda Italia ſubiretur: eo tempore cum vnum domeſticum, vt diximus, bellum ferri nullo modo poſſet, inſuper tria bella tranſmarina fuiſſe ſuſcepta? vnum in Macedonia contra Philippum potentiſſimum Macedoniæ re-

gem: alterum in Hiſpania contra Haſdrubalem Hannibalis fratrem: tertium in Sardinia contra Sardos, & alterum Haſdrubalem Carthaginenſium ducem: extra hoc quartum Hannibalis, quo in Italia premebantur? Et tamen fortis in alterutrum deſperatio, in meliora profecit. Nam in omnibus deſperando pugnarunt, pugnando vicerunt. Ex quo euidenter, oſtenditur non tẽpora tunc fuiſſe tranquilliora otiis, ſed homines miſeri fortiores. Anno ab Vrbe condita D. XLIII. Clandius Marcellus Syracuſam opulentiſſimam Vrbem Siciliæ ſecunda oppugnatione vix cepit. Quam cum iampridem obſediſſet, Archimedis Syracuſani ciuis mirabili ingenio præditi machinis repulſus expugnare non potuit. Decimo anno poſtquam Hannibal in Italiam venerat, Cn. Fuluio, P. Sulpitio Coſſ. Hannibal de Campania mouit exercitum, & cum ingenti clade omnium per Sedecinum Sueſſanumque agrum via Latina profectus, ad Anienem fluuium tribus millibus ab Vrbe conſedit, Incredibili totius ciuitatis metu: cum Senatu populoque diuerſis curis trepido, matronæ quoque amentes pauore, per propugnacula currerent, & conuehere in muros ſaxa, primæque pro muris pugnare geſtirent. Ipſe autem cum expeditis equitibus vſque ad portam Collinam infeſtus acceſſit, deinde omnes copias in aciem direxit. Sed Excoſſ. Fuluiuſque Procos, non detrectauere pugnam. At vbi expoſitæ vtrinque acies conſtiterunt, in conſpectu Romæ præmium victoriæ futuræ, tantus imber ſe ſubito è nubibus grandine mixtus effudit, vt turbata agmina vix armis retentis in ſua ſe caſtra colligerent. Deinde cum ſerenitate reddita, in campum copiæ atque in aciem rediiſſent, rurſus violentior fuſa tempeſtas, maiore mortalium metu audaciam coërcuit, territoſque exercitus refugere in tentoria coëgit. Tunc conuerſus in religionem Hannibal dixiſſe fertur: Potiundæ ſibi Romæ, modo voluntatem non dari, modo vero deeſſe poteſtatem. At vero in Hiſpania à fratre Haſdrubale ambo Scipiones fratres, qui per multos annos victores fuerant, interficiuntur, exercitus tamen integer manſit. Caſu enim magis erant, quam virtute decepti. In Campania Capua capta eſt à Q. Fuluio Procon- G ſule. Principes Campanorum veneno ſibi mortem conſciuerant. Senatum omnem Capuæ, etiam prohibente ſenatu Romano, Fuluius ſuppliciis necauit. Duæ autem fœminæ è Campanis partibus, id eſt Veſcia Oppia materfamilias, & Cluvia Facula meretrix, benignæ fuere pro ſtatu Romano. Quippe vna pro ſalute populi Romani ſemper Deos precata eſt, altera militibus Romanis captiuis alimenta præbuit. Pro quibus meritis & libertatem in excidio Capuæ & rem propriam retinuerunt, & optandi præmij priuilegia aſſecutæ ſunt. Quo tempore etiam Coſ. Marcello Siciliæ magna pars capta eſt, quam tenere Afri cœperant, & nobiliſſima, vt dixi, vrbs Syracuſana. Præda vero ingens Romam perlata eſt. Leuinus in Macedonia cum Philippo multis Græciæ populis, & rege Aſiæ Attalo amicitiam fecit. & ad Siciliam profectus eſt. In qua Hannonem quendam Afrorum ducem apud Agrigentum ciuitatem cum ipſo oppido cepit, eumque Romam cum captiuis nobiliſſimis miſit: quadraginta ciuita- H tes in deditionem accepit, viginti ſex expugnauit. Ita omni Sicilia recepta, Macedonia fracta, ingenti gloria Romam regreſſus eſt. Hannibal itaque in Italia Cn. Fuluium Coſ. ſubito aggreſſus, cum IX. millibus hominum interfecit. Interea interfectis in Hiſpania duobus Scipionibus fratribus, & omnibus ingenti pauore cunctantibus Scipio ſe admodum adoleſcens vltro obtulit, & cum in ærario penuria eſſet pecuniæ, Claudio Marcello & Valerio Leuino auctoribus, qui tum Coſſ. erant, aurum & argentum ſignatum ad Quæſtores palam omnes Senatores in publicum contulerunt, ita vt nihil præter annulos bullaſque ſibi & filiis, ac [illegible] per filias vxoreſque ſuas ſingulas tantum auri vnciam, & argenti non amplius quam ſingulas libras relinquerent. Scipio annos [illegible] tus viginti quatuor vir Romanorum omnium & ſua [illegible] & poſterioreſ[illegible] primus: Iſte eſt ille, qui dum Senatores ob metum Hannibalis, vt dixi, Italiam relinquere deliberarent, diſtricto gladio id fieri vetuit. Is imperium in Hiſpania

A proconſulate ſortitus, vltionem præcipue patris & patrui
animo intendens. Pyrenæum tranſgreſſus, primo impetu
Carthaginem nouam Hiſpaniæ cepit:vbi ſtipendia maxi-
ma,præſidia valida, copiæ auri argentique magnæ Pœno-
rum habebantur,& nobiliſſimi obſides, quos ab Hiſpanis
acceperant. Ibi etiam Magonem fratrem Hannibalis ca-
ptum cum cæteris Romam miſit. Romæ ingens lætitia
poſt hoc fuit. Scipio Hiſpanorum obſides parentibus
reddidit. Denique dum quædam adulto flore virgo pul-
cherrima ab eo comprehenſa fuiſſet, eam paterna pietate
ſeruauit, concedens parentibus vt eam redimerent. Ad ſe
etiam puellæ ſponſum nobiliſſimi generis virum venire
perſuadens, ei ipſam quaſi pius in matrimonio genitor
tradidit, dotiſque nomine puellæ precium quod apparen-
tibus eius acceperat,condonauit. Pro quibus factis maxi-
me annitente puellæ ſponſo, eiuſque parentibus omnes
fere Hiſpaniæ ad eum tranſierunt. Poſtque Haſdrubalem
B fratrem Hannibalis victum fugat, & prædam maximam
capit.Præterea octoginta ciuitates aut deditione,aut bel-
lo in poteſtatem redegit, Afriſque ſub corona venditis,
ſine precio dimiſit Hiſpanos. Hannibal in Italia Cn. Ful-
uium Procos, vndecim præterea tribunos, & XVII.mil-
lia hominum interfecit. Marcellus Coſ. cum Hannibale
apud Nolam triduo continuo dimicauit, primo die pari
pugna diſceſſum eſt: ſequenti victus Coſ. tertio victor
octo millia hoſtium interfecit. Ipſum Hannibalem cum
reliquis fugere in caſtra compulit.Interea Coſ. Q.Fabius
Maximus Tarentum quod à Romanis deſciuerant, ite-
rum expugnauit & cepit. Ibique ingentes copias Hanni-
balis cum ipſo duce eius Carthalone deleuit:triginta mil-
lia hominum captiuorum vendidit:prædam militibus di-
ſpertiuit: pecuniam hominum venditorum ad fiſcum re-
tulit. Tum multæ ciuitates quæ ad Hannibalem tranſie-
rant, ruſus ſe Fabio Maximo ſubdiderunt. Hannibal
vtrumque Conſulem Marcellum & Criſpinum inſidiis
circumuentos cum exercitu interfecit. Tertio anno poſt-
quam Scipio ad Hiſpaniam profectus fuerat, ruſum res
C inclitas geſſit. Regem Hiſpanorum magno prælio vi-
ctum in amicitiam accepit, & primus omnium à victo
hoſte obſides non popoſcit. Deinde deſperans Hannibal
Hiſpanias contra Scipionem diutius poſſe retineri, fra-
trem ſuum Haſdrubalem ad Italiam cum omnibus copiis
euocauit. Is Ap. Claudio Nerone, & M.Liuio Salinatore
Coſſ. ex Hiſpaniis per Gallias ad Italiam veniens, magna
ſecum auxilia Hiſpanorum Gallorumque ſumpta deduxit.
Et cum maturato aduentu deſcendiſſe iam ex Alpib.
Conſulibus proditus fuiſſet, ab exercitu Romano, Igno-
rante Hannibale, apud Metaurum fluuium in inſidias
compoſitas incidit: ſtrenue tamen pugnans occiſus eſt.
Diu quidem incertus belli euentus, elephantis maxime
Romanam infeſtantibus aciem: qui à militibus Roma-
nis, quos à velitando velites vocant, quod genus militiæ
paulo ante repertum fuerat,vt lecti agilitate iuuenes cum
armis ſuis poſt terga equitum ſederent, & mox cum ad
D hoſtem ventum eſſet,equis deſilirent,& continuo pedites
ipſi, ex alia parte equitibus per quos aduecti fuerant di-
micantibus, hoſtem proturbarent. Ab his ergo velitibus
elephanti retroacti, quum regi iam à ſuis non poſſent,fer-
ro fabrili, id eſt, ſcalpro inter aures adacto necabantur,
id genus occidendæ, cum opus eſſet belluæ, dux Haſdru-
bal primus inuenerat. Fuit hoc prælium penes Metau-
rum fluuium, vbi Haſdrubal victus eſt, vt Traſumenus
lacus, vbi exercitus Romanus: vt Ceſena Piceni ciuitas,
vt vicus ille Cannenſis. Nam & quinquaginta & nouem
millia de exercitu Haſdrubalis ibi grandi ſtrage occiſa
ſunt. Capta quinque millia quadringenti. Quatuor au-
tem millia ciuium Romanorum inter eos reperta atque
reuocata ſunt; quod victoribus Conſulibus ſolatio fuit.
Nam & de exercitu eorum octo millia ceciderunt. Ma-
gnum pondus auri atque argenti Romam relatum eſt.
Hannibali caput fratris ſui Haſdrubalis ante caſtra proie-
ctum eſt.Quo viſo & ſimul clade Pœnorum cognita, an-
no tertiodecimo quam in Italiam venerat,refugit in Bru-
tios. Poſt hæc anno continuo inter Hannibalem & Ro-
manos quies à tumultu bellorum interceſſiſſe viſa eſt:
quia inquietudo morborum in caſtris erat, & grauiſſima E
peſtilentia vterque exercitus angebatur. Poſt hæc Hanni-
bal diffidere iam de belli cœpit euentu, Romanis autem
ingens animus acceſſit.Itaque & ipſi euocauerunt ex Hi-
ſpania P. Cornelium Scipionem, qui iam vniuerſam Hi-
ſpaniam à Pyrenæo vſque Oceanum in prouinciæ for-
mam redegerat.Igitur Romam cum ingenti gloria venit.
Per idem tempus Hieroſolymis Pontifex Max. Onias fi-
lius Simonis fuit. Q.Cæcilio, L.Valerio Coſſ. omnes ci-
uitates quæ in Brutiis ab Hannibale tenebantur,Romanis
ſe tradiderunt.Anno XIV. poſteaquam in Italiam Hanni-
bal venerat, Scipio qui multa bene in Hiſpania egerat
Coſ. cum Licinio Craſſo creatus, & in Africam miſſus
eſt:cui viro diuinum quiddam ineſſe exiſtimabatur, adeo,
vt putaretur etiam cum numinibus habere ſermonem. Et
reuera neque publica, neque priuata negotia prius vn-
quam attigit, quam in cella Iouis Capitolini diutiſſime
moraretur antequam videretur à quoquam. Is in Africa
contra Hannonem Hamilcaris filium ducem Pœnorum F
pugnauit,eumque interfecit:exercitum eius partim cæde,
partim captiuitate diſperdidit caſtra eius cepit. Nam in
eo prælio cum quatuor millibus & quingentis militibus
vndecim millia Pœnorum occidit. Sempronius Coſ.cum
Hannibale congreſſus & victus Romam refugit.Scipio in
Africa aggreſſus hyberna Pœnorum atque alia Numida-
rum,quæ vtraque haud procul ab Vtica erant,noctu con-
cubia fecit incendi. Pœni trepidi quum caſu ignem acci-
diſſe putarent, inermes ad extinguendum concurrunt.
Quare facile ab armatis oppreſſi ſunt. In vtriſque caſtris
quadraginta millia hominum de Carthaginenſibus &
Numidis igni ferroque conſumpta ſunt, capta quinque
millia: duces ipſi miſerabiliter ambuſti ſunt, & ægre fu-
gerunt. Haſdrubal dux Carthaginem profugus venit. Ita-
que Syphax & Haſdrubal mox plurimum reparauere
exercitum, atque iterum cum Scipione congreſſi ſunt,vi-
ctique fugerunt. Syphacem fugientem Lælius & Maſſi-
niſſa ceperunt. Porro cætera multitudo ad Cirtam refu-
git, quam Maſſiniſſa oppugnatam in deditionem accepit. G
Syphacem ad Scipionem catenis vinctum deducit.Quem
Scipio cum ingentibus ſpoliis plurimiſque captiuis per-
ducendum Romam Lælio tradidit. Qui cum Tiburi in
cuſtodia defeciſſet, ſumptu publico iuſſit Senatus hono-
rifice ſepeliri. Qua re audita omnis fere Italia Hanniba-
lem deſeruit: ipſe à Carthaginenſibus redire in Africam
iubetur, quam Scipio vaſtabat. Ita anno ſeptimo decimo
Italia ab Hannibale liberata eſt, quam flens dicitur reli-
quiſſe,omnibus Italici generis militibus qui ſequi nollent
interfectis, Legati Carthaginenſium pacem à Scipione
petierunt: ab eo ad Senatum Romam miſſi ſunt, & qua-
draginta quinque diebus his induciæ datæ ſunt,quouſque
ire Romam & regredi poſſent, & triginta millia pondo
argenti ab his accepta ſunt. Senatus ex arbitrio Scipio-
nis pacem iuſſit cum Carthaginenſibus fieri. Scipio his
conditionibus dedit, ne amplius quam triginta naues ha-
berent, & quinquaginta millia pondo argenti darent,ca-
ptiuos & perfugas redderent.Interea Hannibal ad Africa-
num littus propinquans iuſſit quidam è nauticis aſcende- H
re in arborem nauis atque ſpeculari inde,quam regionem
tenerent. Sepulchrum dirutum ſe proſpexiſſe reſpondit.
Abominatus dictum Hannibal deflexo curſu ad Leptim
oppidum copias expoſuit. Qui continuo refecta multitu-
dine Carthaginem venit: & pax turbata eſt, multaque
hoſtilia ab Afris facta ſunt. Legati tamen eorum ex Vrbe
venientes à Romanis capti, & iubente Scipione dimiſſi
ſunt. Hannibal quoque frequentibus præliis à Scipione
victus, petere & ipſe iam cœpit pacem & colloquium
Scipionis. Vbi cum ſe diu attoniti admiratione mutua
duo clariſſimi duces torue ſuſpexiſſent, & colloquium in-
ter vtroſque eſſet, Carthaginenſibus conditiones diſpli-
cuerunt,eo quod hiſdem conditionibus quibus prius,ad-
dita ſunt quingentis millibus pondo argenti centum mil-
lia librarum propter nouam perfidiam:iuſſeruntque Han-
nibalem pugnare. Hannibal tres exploratores ad caſtra
Scipionis miſit, quos captos Scipio circumduci per caſtra
iuſſit, oſtenditque eis totum exercitum, nihil de hoſtibus

A percontatum. Mox etiam prandium dari iuſſit,eiſque refe-
ctis, ac recreatis equis redire permiſit, vt renunciarent
Hannibali quæ apud Romanos vidiſſent. Interea prælium
ab vtroque duce conſertum eſt, quod diu magnis ducum
artibus diſpoſitum, magnis copiarum molibus geſtum,
quale vix vlla memoria fuit, cum peritiſſimi viri, vt dixi-
mus, copias ſuas ad bellum educerent. Scipio victor re-
diit, octoginta elephanti ibi vel capti, vel occiſi ſunt. Car-
thaginenſium militum interfecti ſunt viginti millia quin-
genti. Hannibal omnia & ante prælium & in prælio ex-
pertus, primum cum multis equitibus, deinde cum vigin-
ti, poſtremum vix cum quatuor, inter tumultum elapſus
Adrumetum confugit. Poſtea Carthaginem poſt ſex &
triginta annos, quam paruus exierat, venit. Inuenta in ca-
ſtris Hannibalis argenti pondo viginti millia, auri octo-
ginta: cætera ſupellectilis copioſa. Iactet ſe licet Roma
victoriis, Hannibalem tamen Campaniæ luxuriis immo-
rantem prouincia delicioſa ſuperauit. Dum aquis innatat,
B dum piſcibus atque oſtreis paſſim inficitur, dum olet,
dum potat, dum dormit, aquarum reſolutio molliuit Pu-
nicam feritatem: & quem alia durauerant, Seplaſia Cam-
paniæ oppidum vnguentis odoratis labefactauit & ſoluit.
Igitur poſt id certamen Carthaginenſes nullam eſſe reſi-
duam ſpem niſi in petenda pace perſuaſi, vt pax daretur
demum ſupplicauerunt. C. Cornelio Lentulo, P. Ælio Pœto
Coſſ. Carthaginenſibus pax per Scipionem voluntate Se-
natus, populique conceſſa eſt. Nam etiam pluſquam quin-
gentæ naues in altum productæ in conſpectu ciuitatis in-
cenſæ ſunt. Scipio iam tunc cognomento Africanus cum
ingenti gloria triumphans, Vrbem ingreſſus eſt. Quem
Terentius, qui poſtea comicus, ex nobilibus Carthagi-
nenſium ſubactorum ciuibus captus, pileatus, quod inſi-
gne indultæ libertatis fuit, poſt currum, triumphantem
ſequutus eſt. Anno ab Vrbe condita quingenteſimo qua-
drageſimo quinto bellum Punicum ſecundum finitum eſt,
poſt annum nonum decimum quam cœperat.

C *Explicit Liber Tertius.*

Incipit

LIBER QVARTVS.

TRanſacto igitur Punico bello ſecutum eſt Macedo-
nicum contra Regem Philippum. Quingenteſimo &
quinquageſimo anno ab Vrbe condita T. Quintius Fla-
minius aduerſus Philippum Macedonum regem miſſus
eſt. Qui poſt multa & grauiſſima prælia, quibus Macedo-
nes vicit, pacem Philippo dedit his legibus ne Græciæ
ciuitatibus quas Romani contra eum defenderant, bellum
inferret, vt captiuos & transfugas redderet, L. ſolas naues
haberet, reliquas Romanis daret: per annos X. quaterna
M. pondo argenti præſtaret, & obſidem filium ſuum De-
metrium daret. Deinde cum Lacedæmoniis pugnauit; vi-
D ctoque Nabide duce eorum; & quibus voluit conditio-
nibus in fidem accepit, & ingenti gloria triumphauit.
Duxit ante currum nobiliſſimos obſides. Demetrium
Philippi filium & Armenem Nabidis. Rom. captiui qui
ſub Hannibale per Græciam venditi fuerant, vniuerſi re-
cepti capitibus raſis ob deterſam ſeruitutem currum
triumphantis ſecuti ſunt. Eodem tempore Inſubres &
Boij, à quibus Ticinum condita eſt, atque Cenomanni,
contractis in vnum viribus Hamilcare Pœnorum duce
qui in Italia remanſerat, Cremonam vrbem Placentiam-
que vaſtantes, difficillimo bello à L. Fuluio Prætore ſupe-
rati ſunt. Conſul Marcellus in Hetruria à Boiis oppreſſus
magnam partem exercitus perdidit. Cui poſtea Furius al-
ter Coſ. auxilio acceſſit, atque ita vniuerſam Boiorum
gentem igni ferroque vaſtantes propemodum vſque ad
nihilum deleuerunt. Poſtea Flaminius Procos. Philippum
regem, & cum eo Thracas, Macedonas, Illyrios præterea,
multaſque gentes quæ in auxilium ei venerant, bello ſub-
egit. Victi Macedones caſtra amiſerunt. Octo millia ho-
ſtium eo die cæſa, quinque millia capta Polybius ſcribit. E
Valerius dicit quadraginta millia trucidata. Claudius vero
triginta duo millia interfecta commemorat. Sed hæc va-
rietas ſcriptorum vtique fallacia eſt. Fallaciæ autem cau-
ſa profecto adulatio eſt, dum victoris laudes accumulare,
virtutemque patriæ extollere vel præſentibus vel poſteris
ſtudent. Alioquin ſi inquiſitus non fuiſſet numerus, nec
qualiſcunque fuiſſet expreſſus. Quod ſi glorioſum eſt duci
& patriæ plurimos hoſtium peremiſſe, quanto magis læ-
tum patriæ, & ducibus beatum poteſt videri, ſuorum vel
nullos, vel pauciſſimos perdidiſſe? Ita lucidiſſima re patet,
quia ſimili impudentia mentiendi, qua occiſorum ho-
ſtium numero adiicitur, ſociorum quoque amiſſorum
damna minuuntur, vel etiam omnino reticentur. Igitur
Sempronius Tuditanus in Hiſpania citeriore bello op-
preſſus, cum omni exercitu Romano interfectus eſt.

Tranſacto bello Macedonico ſecutum eſt Syriacum: L. F
Valerio Flacco, & M. Portio Catone Coſſ. Antiochus rex
Syriæ bellum contra populum Romanum ſtruens in Eu-
ropam tranſiit ex Aſia. Tunc etiam Hannibal propter ex-
citandi belli rumores, qui de eo apud Romanos fereban-
tur, exhiberi Romanis à Senatu iuſſus, clam ex Africa
metu profectus, ne Romanis traderetur ad Antiochum
migrauit. Quem cum apud Epheſum cunctantem inue-
niſſet, mox in bellum impulit. Tunc etiam lex, quæ ab
Oppio Tribuno plebis prolata fuerat, ne qua mulier pluſ-
quam ſemiunciam auri haberet, neue verſicolori veſti-
mento, nec vehiculo per Vrbem, nec foras vteretur pluſ-
quam mille paſſibus, niſi ſacrorum cauſa exegiſſet: poſt
XX. annos abrogata eſt. Sublato hoc edicto in quantam
licentiam matronæ venerint, quid attinet dicere, quum
ſicut & viri luxuriarentur? P. Cornelio Scipione, M. Aci-
lio Glabrione Coſſ. Antiochus quamuis Thermopylas oc-
cupaſſet, quarum munimine tutior propter dubios belli
euentus fieret, tamen commiſſo bello à Coſ. Glabrione in G
Achaia ſuperatus. Caſtra eius nocturna pugna ſunt capta,
ipſe dux vix cum paucis fugit è prælio, Epheſumque per-
uenit. Is habuiſſe fertur armatorum LX. M. è quibus XL.
millia cæſa, pluſquam V. millia fugiſſe referuntur. Alter
Coſ. Scipio cum Boiorum gente conflixit, in quo prælio
viginti millia interfecit. Philippo quia contra Antiochum
Romanis fuiſſet auxilio, filius redditus eſt. Denique P.
Scipione Africano iterum, T. Sempronio Longo Coſſ.
apud Mediolanum X. M. Gallorum cæſa ſunt. Sequenti
autem prælio XI. millia Gallorum cæſa: Romanorum
vero quinque millia occiſa ſunt. Minutius a Liguribus in
extremum periculi adductus, & inſidiis hoſtium circum-
uentus, vix Numidarum equitum induſtria liberatus eſt.
Poſt hæc Digitius Prætor Celtiberos cum proximis gen-
tibus vicit, Regemque eorum cepit. In vtraque Hiſpania
per Flaminium Fuluiumque Prætores bella multum hor-
rida, cruentaque vtriſque populis geſta ſunt. L. Cornelio
Scipione, & C. Lælio Coſſ. Scipio Africanus fratri ſuo L.
Cor. Scipioni Coſ. legatus contra Antiochum profectus H
eſt, qui cum Hannibale colloquium familiare habuit. Sed
infecto pacis negotio ab Antiocho diſceſſit. Sequenti an-
no Scipio Africanus Hannibalem, qui cum Antiocho
erat, nauali prælio vicit. Ipſe poſtea Antiochus circa Si-
pylum Magneſiam Aſiæ ciuitatem à L. Cornelio Scipio-
ne Coſ. ingenti prælio proſtratus eſt. Auxilio fuit in ea
pugna Romanis Eumenes Attali regis frater, qui Eume-
niam in Phrygia condidit. Quinquaginta M. peditum, &
tria M. equitum in eo certamine ex parte regis occiſa
ſunt. Tum rex pacem petiit, filiumque Africani, quem
vtrum explorantem, an in prælio cepiſſet, incertum eſt,
vltro remiſit. Pax autem iiſdem conditionibus data eſt à
Senatu, quanquam victo, quibus antea offerebatur, vt ex
Europa & Aſia recederet, atque intra Taurum ſe conti-
neret X. M. talentorum, & XX. obſides præberet: Hanni-
balem concitatorem belli traderet. Eumeni Regi donatæ
ſunt à Senatu omnes Aſiæ ciuitates, quas Antiochus bello
perdiderat, & Rhodiis qui auxilium Romanis contra An-
tiochum regem tulerant, multas conceſſerunt. Scipio Ro-
mam rediit, & ingenti gloria triumphauit. Nomen & ipſe,
ad imitationem fratris, Aſiatici accepit, quia Aſiam vi-

A cerat, ſicut frater ipſius propter Africam Africanus appel-
latur. Interea in Hiſpaniæ prouincia vlteriore L. Æmilius
Procoſ. à Luſitanis cum omni exercitu cæſus interiit. De-
inde L. Bebius in Hiſpaniam proficiſcens, à Liguribus
circumuentus, cum vniuerſo exercitu occiſus eſt: vnde
adeo ne nuncium quidem ſuperfuiſſe conſtat, vt interne-
cionem ipſam Romæ Maſſilienſes nunciare curauerint.
Fuluius Cos. de Græcia in Gallogræciam, quæ nunc eſt
Galatia, tranſuectus, ad Olympum montem peruenit, ad
quem vniuerſi Gallogræci cum coniugibus & liberis
confugerant, ibique acerbiſſimum bellum geſſit. Nam-
que de ſuperioribus locis, ſagittis, grandibus ſaxis, cæte-
riſque telis Romani grauiter contriti, tandem vſque ad
congreſſum hoſtium prorupetunt. Quadraginta millia
Gallogræcorum eo prælio interfecta referuntur. Marcius
Coſ. aduerſus Ligures profectus, ſuperatuſque, quatuor
M. militum amiſit, & niſi victus celeriter refugiſſet in ca-
ſtra, eandem internecionis cladem, quam Bebius dudum
B ab iiſdem hoſtibus acceperat, pertuliſſet. M. Claudio Mar-
cello Cos. Phillippus rex, qui legatos populi Romani in-
terfecerat, propter Demetrij filij ſui quem legatum mi-
ſerat verecundiſſimas preces veniam meruerat: eundem
continuo velut Romanis amicum, ſuique proditorem,
fratrem quoque ipſius parricidium patris miniſtro pa-
trante, nihil de vero pie miſerum mali ſuſpicantem vene-
no necauit. Sp. Poſthumio Albino, Q. Marcio Philippo
Coſſ. M. Fuluius de Ætolis triumphauit. Eiſdem etiam
diebus Hannibal victo à Romanis Antiocho, ad Pruſiam
Bithyniæ Regem fugit, ne Romanis traderetur. Repertus
autem ab eo eſt per Q. Flaminium: & cum tradendus eſſet
Romanis venenum bibit, & apud Lybiſſam in finibus
Nicomedienſium ſepultus eſt. Philopœmenes dux Achi-
uorum à Meſſenis captus & occiſus eſt. Eodem anno Sci-
pio Africanus ab ingrata ſibi Vrbe diu exulans, apud Li-
ternum oppidum morbo periit, iuſſitque ſepulchro ſuo
inſcribi: Ingrata patria, ne oſſa quidem mea habes.
In Sicilia tunc Vulcani inſula, quæ antea non fuerat, re-
C pente mari edita, cum miraculo omnium vſque ad nunc
permanet. His quoque diebus actum eſt, quod de Helio-
doro in libro Machabæorum narrat hiſtoria. Q. Fuluius
Flaccus Prætor in citeriore Hiſpania maximo prælio
XXIII. M. hominum fudit, IV. M. captiuauit. Tiberius
Sempronius Gracchus in Hiſpania vlteriore centum
quinque oppida vacuata & quaſſata bellis ad deditionem
coegit. Eadem tempeſtate L. Poſthumius in citeriore
Hiſpania XL. M. hoſtium bello fudit: Gracchus
Prætor ibidem iterum ducenta oppida expugnauit &
cepit.

Igitur Philippo rege Macedoniæ mortuo, qui aduer-
ſum Romanos bellum geſſerat, & poſtea Romanis con-
tra Antiochum auxilium præbuit, filius eius Perſeus in
Macedonia rebellauit ingentibus copiis adunatis. Gens
enim Baſternarum ferociſſima Lepido & Mutio Coſſ. ſpe
prædarum ſollicitata, & tráſeundi Iſtri fluminis facultate,
ſine vlla pugna deleta eſt. Nam tunc forte Danubius qui
& Iſter, craſſa glacie ſuperſtratus pedeſtrem facile tranſi-
D tum patiebatur. Itaque quum improuide toto & maximo
ſimul agmine inæſtimabilis multitudo hominum & iu-
mentorum tranſirent, enormitate ponderis & concuſſio-
ne gradientium concrepans gelu & glacialis cruſta diſſi-
liuit, & vniuerſum agmen, quod diu ſuſtinuerat, mediis
gurgitibus victa tandem & comminuta deſtituit, atque
eadem ruſus fragmentis impedientibus ſuperducta ſub-
merſit: pauci ex omni populo per vtramque ripam con-
ciſis viſceribus vix euaſerunt. P. Licinio Craſſo, C. Caſſio
Longino Coſſ. Macedonicum bellum geſtum eſt, merito
inter maxima bella referendum. Nam in auxilio Roma-
norum tota prius Italia: deinde Ptolemæus rex Ægypti,
& Ariarates Cappadociæ, Eumenes Aſiæ rex, Maſſiniſſa
Numidiæ fuerunt. Pruſias autem Bithyniæ rex, quan-
quam Perſei ſororem haberet, vtriſque tamen ſe æquum
præbuit. Itaque aduenienti Licinio Craſſo Coſ. Perſeus
cum Cotye rege Thraciæ, & rege Illyrici Gentio nomi-
ne, quos in auxilio habebat, occurrit, commiſſoque præ-
lio miſerabiliter victi fugere Romani. Sequenti pugna
pari clade partis vtriuſque in hiberna diſceſſum. Deinde E
Perſeus profligato multis præliis exercitu Romano in Il-
lyricum tranſgreſſus, Huſcanium oppidum defenſum à
præſidiis Romanis pugnando cepit. Vbi magnam Rom.
præſidium multitudinem captam partim occidit, partim
ſub corona vendidit, partim ſecum in Macedoniam duxit.
Mox miſſus eſt contra eum L. Æmilius Paulus Coſ. & in
Illyricum C. Anicius Prætor contra Gentium. Sed Gen-
tius facile vno prælio victus, mox ſe dedidit. Mater eius
& vxor, & duo filij, frater quoque ſimul in poteſtatem
Romanorum venerunt. Bello intra triginta dies peracto,
ante cognitum eſt Gentium victum, quam bellum cœ-
ptum nunciaretur. Cum Perſeo autem Æmilius Paulus
Coſ. tertio nonas Septemb. dimicauit, vicitque eum. Vi-
ginti millibus peditum eius occiſis, equitatus cum rege
interfugit. Romanorum exercitus C. milites amiſerat: Ma-
cedones vero Romanis ſe dediderunt. Ipſe rex cum deſe-
reretur ab amicis, venit in Pauli poteſtatem. Sed honorem
ei Æmilius Paulus Coſ. non quaſi victo præbuit. Nam
& volentem ſibi cadere ad pedes non permiſit & iuxta ſe F
in ſella collocauit. Quin P. Vacienus ad Vrbem Romam
nocte vadens, vidit duos iuuenes albis equis ſedentes, qui
iuſſerunt, vt die ſequenti ſenatui nunciaret, Perſeum re-
gem Macedonum à Paulo eſſe captum. Vacienus quidem
læta exequutus eſt, ſed iuſſu ſenatus miſſus eſt in carce-
rem, tanquam temerarius incertorum locutor. Mox lite-
ris Pauli de die victoriáque certa res patuit. Vacienus
ſtatim de cuſtodia ſolutus agrum dono accepit. Et Va-
cieno iidem gemini viſi ad lacum poſtea Iuturnæ ſudo-
rem ſuum equorumque abluentes. Interea Macedoniis
& Illyriis à Rom. hæ leges datæ, vt liberi eſſent, & dimi-
dium eorum tributorum præſentarent, quæ regibus præ-
ſtitiſſent, vt appareret populum Rom. pro æquitate magis,
quam pro auaritia pugnare. Itaque in conuentu finiti-
morum populorum Paulus hoc pronunciauit, & legatio-
nes multarum gentium, quæ ad eum venerant, magnifi-
centiſſ. conuiuio pauit, dicens eiuſdem hominis eſſe de-
bere, & bello vincere, & in conuiuij apparatu elegantem
eſſe. Mox LXX. ciuitates Epiri quæ contra ſe rebellaue-
tant, cepit, prædam militibus diſtribuit, Romam ingenti G
pompa rediit, in naue Perſei, quæ nimis inuſitatæ magni-
tudinis fuiſſe traditur, adeo vt XVI. ordines remorum ha-
buiſſe dicatur: triumphauit autem magnificentiſſime in
curru aureo cum duobus filiis vtroque latere aſtantibus.
Ducti ſunt ante currum duo filij regis, & ipſe rex Perſeus
XLV. annos natus: & poſtea apud Albam in cuſtodia de-
fecit. Senatus Quæſtorem miſit ad eius exequias, qui eum
impenſa populi Rom. regie ſepeliret. Filius eius iunior fa-
bricam ærariam ob tolerandam inopiam Romæ didicit,
ibique conſumptus eſt. Poſt eum etiam Anicius de Illy-
riis triumphauit: Gentius rex cum fratre ſuo & filiis ante
currum eius ductus. Ad hoc ſpectaculum reges multarum
gentium Romam venerunt, inter quos etiam Attalus at-
que Eumenes reges Aſiæ: & Pruſias Bithyniæ gratula-
tum venit, & magno honore excepti ſunt. Pruſiæ autem
Senatus quæſtorem P. Cornelium Scipionem Capuæ
iuſſit occurrere, hoſpitiumque Romæ & largiſſimum
præbuit ſumptum, vt alij armis ſubditi, alij capti moribus H
deſeruirent. Igitur permittente Senatu, dona quæ reges
attulerunt, in Capitolio poſuerunt. Pruſias etiam filium
ſuum Nicomedem Senatui commendauit. Plurima præ-
terea & ſatis diuerſis prouentibus bella multarum vbique
gentium geſta ſunt, quæ breuitatis cauſa prætermiſi. An-
no ab Vrbe DC. Lucinio Lucullo, A. Poſthumio Albino
Coſſ. cum omnes Romanos ingens metus Celtiberorum
inuaſiſſet, & ex omnibus non eſſet, qui in Hiſpaniam vel
miles, vel legatus ire auderet, P. Scipio qui poſterior
Africanus erit, vltro ſe militaturum in Hiſpaniam obtulit,
quum iam in Macedoniam ſorte deputatus eſſet. Itaque
profectus in Hiſpaniam magnam ſtragem gentium dedit,
ſæpius etiam militis quam ducis vſus officio. Nam &
Barbarum ſe prouocantem, ſingulariter congreſſus occi-
dit. Sergius autem Galba Prætor à Luſitanis magno præ-
lio victus eſt, vniuerſoque exercitu amiſſo, ipſe cum pau-
cis vix elapſus euaſit. In ſequenti anno L. Minutius in

A Luſitania bene pugnauit. Marcellus Coſ. poſtea ibidem res proſpere geſſit. Eodem tempore Meſſala Cenſor primus theatrum in Vrbe conſtitui cenſuit. Quod ne tunc fieret, Scipio dictus Naſica grauiſſima oratione obſtitit, dicens, inimiciſſimum hoc fore bellatori populo ad nutriendam deſidiam laſciuiamque commentum: adeoque mouit Senatum, vt non ſolum omnia theatro comparata tolli iuſſerit, ſed etiam ſubſellia laudis prohibuerit poni, vt neque vrbani, neque qui aſſoris mille paſſibus abeſſent, ſedentes ludos ſpectarent ne fortitudo illorum molleſceret. Igitur in Hiſpania Sergius Galba Prætor Luſitanos citra Tagum flumen habitantes, quam voluntarios in deditionem recepiſſet, per ſcelus interfecit. Simulans enim de commodis ſe acturum fore, ac circumpoſitis militibus cunctos inermes & incautos interfecit. Quæ res poſtea vniuerſæ Hiſpaniæ propter Romanorum perfidiam cauſa maximi tumultus fuit. Eodem tempore Tucia virgo Veſtæ arguebatur inceſti. At illa argumentis purgare ſe dedignata, B mortalibus ad Tiberim cribrum detulit, ibique ſubmerſit, prece addita: O Veſta, inquit, ſi pia & caſta ſum, hanc è Tiberi aquam ad templum tuum perfectam, & pertulit.

Anno ad Vrbe condita DC.II. L. Manlio Cenſorino, & M. Manlio Coſſ. tertium Punicum bellum exortum eſt. Igitur cum Senatus delendam Carthaginem cenſuiſſet, profecti in Africam Coſſ. & Scipio tunc Tribunus militum prope Vticam maioris Africani caſtra tenuerunt. Ibi Carthaginenſibus euocatis, iuſſiſque vt arma & naues traderent, nec moratis, tanta copia armorum repente tradita eſt, vt facile tota ex his Africa potuiſſet armari. Sed Carthaginenſes poſtquam tradiderunt, & derelicta vrbe, recedere procul à mari X. millibus paſſuum iuſſi ſunt, dolorem ad deſperationem contulerunt, aut defenſuri ciuitatem, aut cum ipſa per ipſam ſepeliendi. Mox Haſdrubales duos duces creauerunt, armaque facere aggreſſi poſtquam æs ferrumque defecit, aurea argenteaque fecerunt. Coſſ. cum aliquantam muri partem machinis diruiſſent, tamen à Carthaginenſibus victi ſunt atque oppreſſi. Quos fu-C gientes Scipio tunc Tribunus militum repulſo intra muros hoſte defendit. Phanea dux alius equitatui Carthaginenſium præerat. Igitur Scipio tunc Scipionis Africani nepos, tribunus, vt dictum eſt, militum ibi militabat. Huic apud omnes gentes metus & reuerentia erat. Nam & paratiſſimus ad dimicandum, & conſultiſſimus habebatur. Itaque per eum multa à Conſulibus geſta ſunt, nec quicquam magis vel Phanea, vel Haſdrubal vitabant, quam contra eam partem Romanorum committere vbi Scipio dimicaret. Per idem tempus Maſſiniſſa rex Numidarum per annos LX. fere amicus populi Rom. anno vitæ nonageſimo ſeptimo mortuus eſt, valentiſſimo corpore ſemper perſeuerans. Hic eſt vir qui nunquam in imbri vel maximo caput texit, aut frigore. Tandiu in vno veſtigio ſtetit, vt prius iuuenes laſſitudine cederent, quam ille loco in quo ſteterat moueretur. Si ſtetiſſet, nec membrum quidem tota die mouebat: ſi iter fuerat ingreſſus eques, non deſcendebat pedes, pedes non aſcendebat. Solebatque equitas nocti ſæpiſſime diem iungere, & ſui cuſtodiam tutelamq; ſæuiſſimis canibus committebat. Poſt LXXXVI. annum D filium genuit, cui nomen Mechinia fuit, nihil quod iuuenis fecerat, xui vltimo prætermiſit. Igitur Maſſiniſſa mortuo XLIV. filiis relictis, Scipionem inter filios ſuos diuiſorem eſſe iuſſit. Scipio poſtquam Maſſiniſſæ filiis Numidiæ regnum diuiſit, Carthaginem eſt reuerſus. Manlius Thegalam vrbem expugnauit atque diripuit. XII. M. ibi Afrorum cæſa, ſex M. capta ſunt. Haſdrubal Pœnorum dux Maſſiniſſæ nepos ſubſelliorum fragmentis in curia à ſuis propter Scipionis proditionem occiſus eſt: Anno ab Vrbe cond. DCVI. id eſt, anno LI. poſt bellum Punicum ſecundum, Cn. Lentulo Cornelio, L. Memmio Coſſ. Quum igitur clarum Scipionis nomen eſſet, iuuenis adhuc Coſ. factus, & delere Carthaginem ſub nocte molitus Cottonem ingreditur, vbi cum ſex diebus, noctibuſque pugnaret, vltima Carthaginenſes deſperatio ad deditionem traxit, petentes vt quos belli clades reliquos fecit, ſaltem ſeruire liceret. Primum igitur agmen mulierum ſatis miſerabile, poſt virorum magis deforme deſcendit. Nam fuiſſe mulierum triginta quinque M. virorum triginta M. memoriæ E traditum eſt. Rex Haſdrubal ſe vltro dedidit, ſuam tantum ſalutem obtinuit. Transfugæ qui Æſculapij templum occupauerunt, voluntario præcipitio dati, igne conſumpti ſunt. Quoſquos habere potuit Romanos transfugas, Scipio crucibus affixit, Latinos ſecuri percuſſit. Vxor Haſdrubalis cum ardentem Carthaginem aſpexiſſet, occurrit viro ſuo vna cum duobus liberis, eique dixit: Viue tu qui ſuperſtes eſſe Carthaginis potis es. Nam fruſtra pro nobis rogaſti. Et tum cum volentibus filiis virili dolore, furore fœmineo in medium ſe iecit incendium, eundem nunc mortis exitum faciens nouiſſima regina Carthaginis, quem quondam prima feciſſet, ipſa autem ciuitas XVII. continuis diebus arſit, miſerumque ſpectaculum de varietate conditionis humanæ victoribus ſuis præbuit. Diruta eſt autem Carthago omni murali lapide in puluerem comminuto, cuius fuiſſe ſitus huiuſmodi dicitur. Viginti duo M. paſſuum amplexa muro, tota pene mari cingebatur, abſque faucibus, quæ à tribus millibus paſſuum ape- F riebantur. Is locus murum XXX. pedes latum habuit, ſaxo quadrato, in altitudine cubitorum XL. Arx cui Byrſæ nomen erat, paulo amplius quam duo M. paſſuum tenebat. Ex vna parte murus fuerat communis vrbis & Byrſæ imminens mari. Quod mare ſtagnum dicitur, quoniam obiectu protentæ linguæ tranquillatur. Spolia ibi inuenta quæ variarum ciuitatum excidiis Carthago collegerat, & ornamenta vrbium ciuitatibus Siciliæ, Italiæ, Africæ reddidit, quæ ſua recognoſcebant. Ita Carthago DCC. an. poſtquã condita erat deleta eſt. Multitudo omnis captiuorum, exceptis paucis principibus venumdata eſt. In quarto quam cœptum fuit anno bellum Punicum tertium terminatum eſt, Scipio nomen quod auus eius acceperat, meruit, ſcilicet vt propter virtutem etiam ipſe Africanus minor vocaretur. Igitur à Ro. Carthagine capta, ſpoliatus eſt à quibuſdam Apollo veſte aurea. Poſtea inuentæ ſunt cum cruſtis tunicæ manus eorum qui abſtulerant.

Interim in Macedonia quidam Pſeudophilippus arma mouit, & Ro. Prætorem Pub. Iuuentium contra ſe miſſum ad internecionem vicit. Poſt eum Q. Cecilius Metellus dux à Romanis contra Pſeudophilippum miſſus eſt, & viginti milibus occiſis, Macedoniam recepit; ipſum etiam Pſeudophilippum in poteſtatem ſuam redegit.

G Anno ab Vrbe condita DCVI. hoc eſt, eodem anno quo Carthago deleta eſt, Cn. Cornelio Lentulo, L. Mummio Coſſ. ruinam Carthaginis, euerſio Corinthi ſubſequuta eſt: duarumque potentiſſimarum vrbium paruo vnius temporis interuallo per diuerſas partes mundi miſerabile colluxit incendium. Nam cum Metellus Prætor Achæos Bœotioſque conuictos duobus bellis, hoc eſt, primo apud Thermopylas, iterum poſtea in Phocide viciſſet, eorum priore bello occiſa eſſe viginti millia, ſecundo VII. millia cæſa Claudius Hiſtoricus refert. Valerius etiam Antias, in Achaia pugnatum, & viginti millia Achæorum cum duce ſuo Dieuco cecidiſſe confirmat. At vero Polybius Achiuus, quamuis in Africa cum Scipione fuerit, tamen quia domeſticam cladem ignorare non potuit, ſemel in Achaia H pugnatum Critolao duce aſſerit. Dieucum vero adducentem ex Arcadia milites ab eodem Metello oppreſſum cum exercitu docet. Sed de varietate diſcordantium Hiſtoricorum aliquanta iam diximus, quorum ſufficiat detecta hæc & male nota mendaciorum nota, quia parum credendum in cæteris euidenter oſtendunt, qui in his quoque quæ ipſi videre, diuerſi ſunt. Igitur poſt extincta totius Achaiæ præſidia deſtitutarum euerſionem vrbium Metello Prætore meditante, Coſ. Mummius repentinus cum paucis venit in caſtra. Qui dimiſſo ſtatim Metello, Corinthum nobiliſſimam ciuitatem Græciæ propter iniuriam legatorum Romanorum ſine mora expugnauit, toto tunc orbe longe clariſſ. Omnium enim artificum atque artificiorum officina, & emporium commune Aſiæ atque Europæ, per multa retro ſecula fuit. Permiſſa igitur crudeliter eſt captiuos prædandi licentia: ſicque omnia cædibus ignibuſque conſumpta ſunt, vt de murorum ambitu quaſi è camino in vnum apicem conflatum exundaret incendium. Itaque plurima parte populi ferro flammiſque con-

A ſumpta,reliqua ſub corona vendita eſt. Vrbe incenſa, muri
funditus diruti ſunt, muralis lapis in puluerem redactus:
præda vero ingens erepta eſt. Sane cum propter multitu-
dinem & varietatem ſtatuarum ſimulachrorumque in illo
ciuitatis incendio permixta in vnum auri, argenti atque
æris, omniaque ſimul metalla fluxiſſent, nouum genus me-
talli factum eſt. Vnde vſque in hodiernum diem, ſiue ex
ipſo, ſiue ex imitatione eius, æs Corinthium ſicut memo-
riale traditum eſt, & Corinthia vaſa dicuntur. Eodem tem-
pore ſimul III. Romæ celeberrimi triumphi fuerunt: Afri-
cani ex Africa, & ante currum eius ductus eſt Haſdrubal:
Metelli ex Macedonia, cuius currum præceſſit Andriſcus,
idem qui & Pſeudophilippus: Mummij vero ex Corintho,
ante quem ſigna ænea, & pictæ tabulæ, & alia vrbis cla-
riſſ. ornamenta prælata ſunt. Iterum in Macedonia Pſeu-
doperſeus, qui ſe Perſei filium eſſe dicebat, collectis ſeruis
rebellauit, & cum iam XVI.M. armatorum haberet, à Tre-
mellio Quæſtore ſuperatus eſt. Interea Cn. Cornelio Len-
tulo, L. Mummio Coſſ. Viriatus in Hiſpania, genere Luſi-
B tanus, homo paſtoralis, & latro, primum infeſtando vias,
deinde vaſtando prouincias, poſtremo exercitus Prætorum
& Coſſ. Romanorum vincendo, fugando, ſubigendo, maxi-
mo terrori Romanis omnibus fuit. Siquidem Hiberum &
Tagum maxima & diuerſiſſimorum locorum flumina late
tranſgredienti & peruaganti C. Vetelius Prætor occurrit.
Qui continuo ad internecionem pene omni exercitu ſuo
deleto, vix ipſe Prætor cum paucis fuga lapſus euaſit. De-
inde C. Plautium Prætorem idem Viriatus multis prælijs
fractum fugauit. Poſt etiam Claudius Vnimanus cum ma-
gno inſtructu belli contra Viriatum miſſus quaſi pro ab-
olenda ſuperiore macula, turpiorem ipſe auxit infamiam.
Nam congreſſus cum Viriato, vniuerſas quas ſecum dedu-
xerat copias, maximaſque vires Ro. exercitus amiſit. Viria-
tus trabeas, faſces, cæteraque inſignia Romana, in monti-
bus trophæum præfixit. Eodem tempore trecenti Luſitani
cum mille Romanis in quodam ſaltu cõtraxere pugnam,
in qua LXX. Luſitanos; Romanos autem trecentos viginti
interfectos Claudius refert. Cum victores Luſitani ſparſi
C ac ſecuri abirent, vnus ex his longe à cæteris ſegregatus,
cum circũfuſis equitibus pedes ipſe deprehenſus, vnius eo-
rum equo lancea perfoſſo, ipſius gladio ad vnum ictum ca-
put deſecuiſſet, ita omnes metu perculit, vt proſpectanti-
bus cunctis, ipſe liber atque otioſus abſcederet. Appio
Claudio, Q. Cæcilio Metello Coſſ. Ap. Claudius aduerſus
Salaſſos Gallos congreſſus & victus V.M. militum perdi-
dit: ſequenti pugna V.M. hoſtium occidit. Sed cum iuxta
legem, qua conſtitutum erat, vt quiſquis V. millia hoſtium
peremiſſet, triumphandi poteſtatem haberet: iſte quoque
triumphum expetiſſet, propter ſuperiora vero damna non
impetraſſet, infami impudentia atq; ambitione vſus, è ſuis
priuatis ſumptibus triumphauit. L. Cæcilio Metello, Q.
Fabio Maximo Seruiliano Coſſ. inter cætera prodigia An-
drogynus Romæ viſus iuſſu aruſpicum in mare merſus eſt.
Sed nihil impiæ expiationis procuratio profecit. Nam tan-
ta ſubito peſtilentia orta eſt, vt miniſtri quoque faciendo-
rum funerum primum non ſufficerent, deinde non eſſent.
D Iamque etiam magnæ domus vacuæ viuis, plenæ mortuis
remanſerunt: largiſſimæ introrſum hæreditates, & nulli
penitus heredes. Denique iam non ſolum in Vrbe viuen-
di, ſed etiam appropinquandi ad Vrbem negabatur facul-
tas: tam ſæui per totam Vrbem tabeſcentium ſub tectis
atque in ſtratis ſuis cadauerum putores exhalabantur. Ex-
piatio illa crudelis, & viam mortis hominum, morte ho-
minis inſtruens, tandem Romanis inter miſerias ſuas eru-
beſcentibus quam miſera & vana eſſet innotuit. Ante
enim in ſuffragium præueniendæ cladis eſt habita, & ſic
peſtilentia conſecuta eſt: quæ tamen ſine vllis ſacrificio-
rum ſatisfactionibus tantummodo ſecundum menſuram
arcani iudicij expleta correptione ſedata eſt. Quam ſi ar-
tifices illi circumuentionum aruſpices ſub ipſa, vt aſſolet,
declinatione morborum forte celebraſſent, proculdubio
ſibi, diis, & ritibus ſuis reductæ ſanitatis gloriam vendi
caſſent. Igitur Metellus Coſ. in Celtiberia contra Luſi-
tanos & Viriatum dimicans, Bacciam oppidum, quod
Viriatus obſidebat, depulſis hoſtibus liberauit, & in de-
ditionem cum pluribus aliis caſtellis recepit. Fecit au- E
tem facinus, etiam vltimis barbaris Scythiæ, non di-
cam Romanæ fidei & moderationi execrabile. Quin-
gentis enim principibus eorum, quos ſocietate inuitatos
deditionis iure ſuſceperat, manus præcidit.

V. Pompeius Coſ. ſequentis anni, fines Numantiorum
ingreſſus, accepta maxima clade diſceſſit, non ſolum
exercitu pene profligato, verum etiam plurimis nobilium
qui eius militiæ aderant interemptis. Viriatus autem cum
per XIV. annos Romanos duces atque exercitum protri-
uiſſet, inſidiis ſuorum interfectus eſt: in hoc ſolo Roma-
nis circa eum fortiter agentibus, quod percuſſores eius
indignos præmio iudicauerunt, dicentes Romanis num-
quam placuiſſe à ſuis militibus interfici imperatores. At
ego non modo nunc, verum etiam ſæpe intertexere
Orientis illa inextricabilia bella poteram, quæ raro vn-
quam niſi ſceleribus aut incipiunt, aut etiam terminan-
tur. Sed Romanorum cum quibus nobis actio eſt, tanta
ſunt, vt iure faſtidiantur aliena. Mithridates tunc ſiquidem
rex Parthorum ſextus ab Arſace, victo Demetrij præfecto F
Babylonem vrbem fineſque eius vniuerſos victor inuaſit.
Omnes præterea gentes quæ inter Hydaſpen fluuium &
Indum iacent, ſubegit. Ad Indiam quoque cruentum ex-
tendit imperium. Demetrium ipſum ſecundo ſibi bello
occurrentem vicit & cepit. Quo capto Diodotus quidam
cum Alexandro filio regnum eius & regium nomen vſur-
pauit. Qui poſtea ipſum Alexandrum filium, quem parti-
cipem periculi in peruadendo regno habuerat, ne in ob-
tinendo conſortem haberet occidit. M. Æmilio Lepido, C.
Hoſtilio Mancino Coſſ. prodigia apparuere diuerſa, &
quantum in ipſis fuit, ex more curata ſunt: ſed non ſemper
aucupatoribus euentuum, & ſtructoribus fallaciarum aru-
ſpicibus opportuni caſus ſuffragantur. Namque Mancinus
Coſ. poſtquam à Pompeio apud Numantiam ſuſcepit
exercitum, adeo infeliciter prælia cuncta geſſit, atque in
id ſuprema deſperatione perductus eſt, vt turpiſſimum fœ-
dus cum Numantinis facere cogeretur: quamuis & Pom-
peius aliud æque infame fœdus cum iiſdem Numantinis
paulo ante pepigiſſet. Senatus diſſolui fœdus, & Manci- G
num dedi Numantinis præcepit. Qui nudato corpore
manibuſque poſt tergum reuinctis, ante portas Numanti-
norum expoſitus, ibiq; vſque ad noctem permanens à ſuis
deſertus, ab hoſtibus autem non ſuſceptus, lachrymabile
vtriſque ſpectaculum præbuit. Is contra Numantinos bel-
lum acturus, Lauiniique ſacrificaturus cum eſſet, emiſit
cauea pullarius pullos, qui in ſyluam euolauerunt, nec re-
perti ſunt diu multumque quæſiti. Nauigaturus idem è
portu Herculis, ſine autore vocis audiuit: Mancine mane.
Cumque ſcapham conſcendiſſet, immenſum anguem illic
exhorruit. Tribus prodigiis nunciata ſunt infelicia tria,
pugna, fœdus, deditio. Interea Brutus in vlteriore Hiſpania
LX.M. Gallecionum, qui Luſitanis auxilio venerant, aſper-
rimo bello & difficili, quamuis incautos circumueniſſet
oppreſſit. Quorum in eo prælio XL. millia occiſa, ſex M.
capta referuntur, pauci fuga euaſerunt. In citeriore Hiſpa-
nia Lepidus Procoſ. Vacceos innoxiam gentem & ſup-
plicem etiam Senatu prohibente, pertinaciter expugnare
tentauit, ſed mox accepta clade grauiſſima, improbæ per- H
tinaciæ pœnas luit. Sex M. quippe Rom. in hoc iniuſto
bello prius inuictiſſ. cæſa ſunt, reliqui exutis caſtris, armis
etiam perditis euaſerunt. Nec minus turpis hæc ſub Me-
tello clades, quam ſub Mancino fuit. Ser. Fuluio Flacco,
Q. Calphurnio Piſone Coſſ. Romæ puer ex ancilla natus,
quadrupes, quadrimanus, oculis quatuor, auribus totidem
natura virili duplex. In Sicilia mons Ætna vaſtos ignes
eructauit, ac fudit, qui torrentum modo per prona præci-
pites proxima quæque corripientibus exuſſere flammis:
longinquiora autem fauillis calidis cum vapore graui late
volitantibus torruerunt. Quod Siciliæ ſemper vernaculum
genus monſtri, non portendere malum aſſolet, ſed inferre.
In Bononienſi agro fruges in arboribus natæ ſunt. Igitur
in Sicilia bellum ſeruile ortum eſt, quod adeo atrox, &
graue multitudine ſeruorum inſtructum, magnitudine
copiarum & virium fuit, vt non dicam Prætores Roma-
nos, quos penitus profligauit, ſed conſules quoque terruе-

A rit. Nam ſeptuaginta millia ſeruorum tunc in arma conſpirantium fuiſſe referuntur, excepta vrbe Meſſana, quæ ſeruos liberaliter habitos in pace continuit. Cæterum in hoc ſolo Sicilia miſerior, quia inſula, & nunquam erga pactum ſui iuris idonea, nunc tyrannis ſubiecta, nunc ſeruis: vel illis dominatu improbo exigentibus ſeruitutem, vel iſtis præſumptione peruerſa commutantibus libertatem, maxime quia clauſa vndique mari, egerere foras non facile poteſt. Quæ inteſtinum malum viperinam quoque conceptionem perditionis ſuæ aluit, ſua libidine auctam, ſua morte victuram. In hoc autem ſeruilis tumultus excitatio, quanto rarior extat cæteris, tanto truculentior eſt, quia qua intentione commouetur libera multitudo, vt patriam augeat, ea ſeruilis vt perdat. Anno ab Vrbe condita DCXX. cum maior pene infamia, facta de fœdere apud Numantiam facto quam apud Caudinas quondam furculas, pudorem Romanæ frontis oneraret, Scipio Africanus conſenſu omnium tribuum ſecundo Conſul creatus, atque ad B oppugnandam Numantiam cum exercitu miſſus eſt. Numantia autem citerioris Hiſpaniæ haud procul à Vacceis & Cantabris in capite Gallitiæ ſita, vltima Celtiberorum fuit. Hæc per annos quatuordecim cum ſolis quatuor millibus ſuorum, quadraginta millia Romanorum non ſolum ſuſtinuit, ſed etiam vicit, pudendiſque fœderibus affecit. Poſt tantam igitur ignominiam, qua à Numantinis Romani exercitus bis fuerant ſubiugati, P. Scipio Africanus ad expugnandam, vt diximus, Numantiam miſſus eſt. In Hiſpaniam ingreſſus, non ſe illico ingeſſit hoſtibus, vt quaſi incautos circumueniret ſciens nunquam id genus hominum adeo in ocio torpere, atque animo reſolutum, vt non ipſa qualitate habitudinis ſuæ apparatus aliorum præcelleret. Sed aliquandiu militē ſuum vitioſum & ignauum exercendo magis quam puniendo ſine aliqua acerbitate in caſtris velut in ſcholis exercuit. Deinde omnia quæ voluptatis cauſa haberentur in caſtris, ſeuero ſubmoueri iuſſit edicto. Denique ſcortorum duo millia cum lixis è pro-C cinctu loci eius eiecta ſunt. Tantumque ſubito ſub diſtricto duce profecit exercitus, vt Numantiam diu perniciosiſſimam, Romani breui ſolo exæquarent. igitur cum partem æſtatis, totamque hyemem, ne adepta quidem pugna tranſegiſſet, ſic quoque parum propemodum hæc profecit induſtria. Namque vbi copia pugnandi facta eſt, exercitus Romanus oppreſſus impetu Numantinorum, terga conuertit. Sed increpatione & minis obiectantis ſe Conſulis manuque retinentis, tandem indignatus in hoſtem rediit, & quem fugiebat, fugere cōpulit. Difficilis tunc in relatu fides, Numantinos fugere, & fugientes videre Romani. Vnde quamuis Scipio, quia præter ſpem acciderat, lætatus & gloriatus eſſet, tamen vltra bellum aduerſus eos audendum non eſſe profeſſus eſt. Itaque vrbem obſidione concluſit, foſſa etiam circumdedit, cuius latitudo pedibus decem, altitudo viginti pedum fuit. Ipſum deinde vallum ſudibus præſtructum, crebris turribus communiuit. D Numantia autem in tumulo ſita, haud procul à flumine Durio, tria millia paſſuum ambitu muri amplexabatur, quamuis aliqui aſſerant, eam & paruo ſitu & ſine muro fuiſſe. Vnde credibile eſt, quia hoc ſpatium cura alendorum cuſtodiendorumque pecorum, vel etiam exercendi ruris commodo, cum Romano bello premerentur incluſerint, ipſi arcem paruam natura munitam obtinentes: alioquin paucitatem hominum tam amplum muri ſpatium non munire magis quam prodere potius videbatur. Igitur concluſi diu Numantini & fame trucidati, deditionem ſui obtulerunt, ſi tolerabilia iuberentur. Sæpe enim orantes iuſtæ pugnæ facultatem, vt tanquam viris mori liceret: vltime omnes ſubito duabus portis erumpunt, larga prius potione vſi: non vini, cuius ferax is locus non eſt, ſed ſucco tritici per artem confecto, quem ſuccum à calefaciendo Cæliam vocant. Suſcitatur enim ignea vis illa germinis madefactæ frugis, ac deinde ſiccatur: & poſt in farinam redacta molli ſucco admiſcetur: quo fermento ſapor auſteritatis, & calor ebrietatis adiicitur. Hac igitur potione poſt longam famem recaleſcentes, bello ſeſe obtulerunt. Atrox diu certamen; & vſque ad periculum Romanorum fuit. Iterumque Romani, pugnare ſe aduerſum Numantinos fugiendo probauiſſent, niſi ſub E Scipione pugnaſſent. Numantini interfectis ſuorum fortiſſimis, bello recedunt, compoſitis tamen ordinibus nec ſicut fugientes in vrbem reuertuntur. Corpora interfectorum ad ſepulturam oblata accipere noluerunt. Nouiſſima ſpe deſperationis in mortem omnes deſtinati, clauſam vrbem ipſi introrſum ſuccenderunt, cunctique pariter ferro, veneno atque igne conſumpti ſunt. Romani nihil ex his penitus habuere victis, præter ſecuritatem ſuam. Neque euerſa Numantia, viciſſe ſe magis Numantinos, quam coaſiſſe dixere. Vnum Numantinum victoris catena non tenuit, vnde triumphum videret Roma, quicquid ſupellectilis fuit, ignis abſumpſit. Igitur ea tempeſtate, cum hæc apud Numantiam geſta ſunt, apud Romam Gracchorum ſeditiones agitabantur. Tunc Scipio Tyreſium quendam Celticum principem conſuluit qua de cauſa Numātia prius inuicta duraſſet, & poſt euerſa fuiſſet. Tyreſius reſpondit: Concordia victoriam, diſcordia excidium præ-F buit. Quod Romani tanquam ſibi ac de ſe dictum exempli loco acceperunt. Quippe quibus de ſeditionibus diſcordantis totius Vrbis nuntiabatur. Hac tempeſtate apud Iudæos occiſo Iuda Machabæo, frater eius Ionathas pontifex habetur. Tunc etiam claruit apud Brunduſium Pacuuius Tragœdiarum ſcriptor. Igitur Scipio multas Hiſpaniæ ciuitates, partim cepit, partim in deditionem accepit. Numantiam à ſolo euertit, reliquam prouinciam in fidem accepit. Eodem tempore Attalus Rex Syriæ, frater Eumenis, mortuus eſt, hæredemque populum Romanum reliquit. Ita Romano Imperio per teſtamētum Aſia acceſſit. Igitur Carthagine, Numantiaque deleta, oritur apud Romanos vtilis de prouiſione collatio, & oritur infamis de ambitione contentio. Gracchus Trib. pl. iratus nobilitati, cur inter auctores Numantini fœderis notatus eſſet, agrum à priuatis eatenus poſſeſſum, populo diuidi ſtatuit. Octauio Trib. pl. obſiſtenti ademit imperium, & ſucceſſorem Minutium dedit. His cauſis Senatum ita populum ſuperbia inuaſit. Gracchus gratiam populi pretio appetens, G inuidam legem tulit, vti pecunia quæ fuiſſet Attali, populo diſtribueretur. Obſiſtente Naſica etiam Pompeius ſpopondit ſe Gracchum, cum primum magiſtratu abiiſſet, accuſaturum, Gracchus cum niteretur vt ipſe Trib. pl. ſubſequenti anno permaneret, pullarium domi conſuluit, & & ab eo ire in campum prohibitus eſt. Sed cum pertinaciter pergeret, ſic illiſit mox extra ianuam pedem, vt eius excideretur articulos. Deinde prodeunti ei tres corui cum vocibus aduerſis inuolauerunt, & compugnantes tegulam ante pedes eius deiecerunt. Cumque in Capitolio conſuleret, ſimilia auſpicia audiuit. Et cum comitiorum die ſeditiones populi accenderet, auctore Naſica inflammata nobilitas, fragmentis ſubſelliorum plebem fugauit. Gracchus per gradus qui ſunt ſuper Calphurnium fornicem, detracto amiculo fugiens, ictus fragmento ſubſellij corruit: rurſuſque aſſurgens, alio ictu claui cerebro impacti exanimatus eſt. Ducenti præterea in ea ſeditione interfecti eorumque corpora in Tiberim proiecta ſunt. Ipſius quoque Gracchi inhumatū cadauer extabuit. Interea H orta in Sicilia belli ſeruilis contagio, multas late infecit prouincias. Nam & Minturnis quadringenti quinquaginta ſerui in crucem acti: & Sinueſſæ ad ſeptem millia ſeruorum à Q. Metello, & Cn. Seruilio Cepione oppreſſi ſunt. In Metallis quoque Athenienſium idem tumultus ſeruilis ab Heraclito Prætore diſcuſſus eſt. Apud Delon etiam ſerui nouo motu intumeſcentes oppidanis præuenientibus preſſi ſunt: abſque illo primo Sicilienſis mali fomite, à quo iſtæ velut ſcintillæ micantes diuerſa hæc incendia ſeminauerunt. In Sicilia enim poſt Fuluium Conſulem, Piſo conſul Mamertium oppidum expugnauit, vbi octo millia fugitiuorum interfecit, quos autem capere potuit, patibulo affixit. Cui cum Rutilius Coſ. ſucceſſiſſet, idem quoque Tauromenium & Ennam firmiſſima fugitiuorum refugia bello recepit: amplius quam viginti millia tunc ſeruorum trucidata referuntur. Miſera profecto talis belli, & inextricabilis cauſa, pereundū vtique dominis erat, niſi inſoleſcentibus ſeruis ferro obuiam iretur. Sed tamen in ipſis quoque infeliciſſimis damnis

A pugnæ,& infelicioribus lucris victoriæ,quanti periere victi, tantum perdidere victores. Anno ab Vrbe condita DCXXII.Motum interim in Aſia bellum eſt ab Ariſtonico Eumenis filio, qui ex concubina ſuſceptus fuerat. Ipſe Eumenes frater Attali fuerat. Miſſus eſt aduerſus eum cum inſtructiſſimo exercitu P. Licinius Craſſus Coſ. & Pontifex Max. habens inſuper infinita regum auxilia. Nam & Bithyniæ rex Nicomedes Romanos iuuit,& Mithridates rex Ponti & Armeniæ, cum quo bellum poſtea grauiſſimum fuit, & Ariarates Cappadox, & Pylemenes Paphlagon. eorumque maximis copiis adiutus, conſerto tamen bello victus eſt Craſſus, & cum exercitu poſt plurimam cædem in fugam acto ipſe ab hoſtibus captus eſt: qui magis mori eligens, quam à barbaro abduci, virgam qua equum agitabat,in oculum ſe tenentis iniecit.Barbarus autem cum ira & dolore exarſiſſet ,latus Craſſi gladio transuerberauit.Ita ille excogitato genere mortis, effugit cum dedecore ſeruitutem.Caput eius ab Ariſtonico B ſublatum , corpus Smyrnæ ſepultum eſt. Iſte tam cito Græce in caſtrenſibus expeditionibus ſtuduit , vt ſociis Ariſtonici Græce omni parte illius linguæ ſine interprete reſponderet. Poſtea Perpenna Coſ.Romanus, qui Craſſo ſucceſſor veniebat , audita belli fortuna ad Aſiam properauit. Ariſtonicum recenti victoria feriatum , improuiſo bello adortus, nudatumq; omnibus copiis in fugam conuertit.Cumque Stratonicem vrbem, ad quam ille confugerat,obſidione cinxiſſet,trucidatum fame ad deditionem coëgit. Ariſtonicus iuſſu Senatus in carcere ſtrangulatus eſt. Triumphari enim de eo non poterat, quia Perpenna Coſ. apud Pergamum Romam rediens diem obierat.Eodem anno Ptolemæi Alexandrinorum regis miſera vita miſeriorem vitæ exitum dedit. Is enim ſororem ſuam ſtupro cognitam,ac deinde in matrimonium aſſumptam, nouiſſime turpius quam duxit , abiecit. Priuignam vero ſuam,hoc eſt,filiam ſororis & coniugis,coniugem aſciuit: filium ſuum quem ex ſorore ſuſceperat, necnon & filium fratris occidit. Quamobrem tantis inceſtis parricidiiſque C execrabilis ab Alexandrinis regno pulſus eſt.Iiſdem temporibus Antiochus non contentus Babylonia atque Ecbathana , totiuſque Mediæ imperio, aduerſus Phrahatem Parthorum regem congreſſus & victus eſt : qui cum in exercitu ſuo centum millia armatorum habere videretur, ducenta millia amplius calonum atque lixarum immixta ſcortis & hiſtrionibus trahebat.Itaque facile cum vniuerſo exercitu ſuo Parthorum viribus oppreſſus interiit. C. Sempronio Tuditano , & M. Acilio Coſſ. P. Scipionem Africanum pridie pro concione de periculo ſalutis ſuæ conteſtatum quod ſibi pro patria laboranti ab improbis & ingratis denunciari cognouiſſet , alio die mane exanimem in cubiculo ſuo repertum,non temere inter maxima Romanorum mala recenſuerim : præſertim cum tantum in ea vrbe Africani vigor & modeſtia valeret , vt facile viuo eo neque ſociale neque ciuile bellum poſſe exiſtere crederetur. Hunc quidam vxoris ſuæ Semproniæ , Gracchorum autem ſororis,dolo necatum ferunt, ne ſcelerata, vt credo,familia,ad perniciem patriæ ſuæ nata,inter D impias ſeditiones virorum,non etiam facinoribus mulierum eſſet immanior. Cauſa autem interitus eius hæc fuit : C. Carbo Trib.pl.cupiens necem vindicare Gracchorum, & excitare ſeditionem ſopitam , P. Scipionem Africanum eruta Numantia reuertentem in concione interrogauit, quid de Gracchi morte ſentiret ? Cui Africanus, iure cæſum videri dixit. M. Æmilio, L. Oreſte Coſſ. Ætna vaſto tremore concuſſa exundauit igneis globis.Rurſuſque alia die Lipare inſula & vicinum circa eam mare intantum efferbuit ; vt aduſtas quoque rupes diſſoluerit, tabulata nauium liquefactis ceris extorruerit , exanimatos piſces ſupernatanteſque excoxerit. Homines quoque niſi qui longius potuere diffugere, reciprocato anhelitu calidi aeris induſtis introrſum vitalibus ſuffocabar. M. Plautio Hypſeo , M. Fuluio Flacco Coſſ. vix dum Africa à bellorum excidiis quieſcente , horribilis & inuſitata perditio conſecuta eſt. Nam cum per totam Africam immenſæ locuſtarum multitudines conualuiſſent , & non modo iam cunctam ſpem frugum abraſiſſent, herbaſque omnes cum

E parte radicum, folia arborum cum teneritudine ramorum conſumpſiſſent,verum etiam amaras cortices,atque arida ligna præroderent,repentino arreptæ vento,atque in globos coactæ , portatæque diu per aërem Africano pelago immerſæ ſunt. Harum cum immenſos aceruos longe vndis vrgentibus fluctus per extenta late litora propuliſſent , tetrum nimis , atque vltra opinionem peſtiferum odorem tabida & putrefacta congeries exhalauit. Vnde omnium pariter animantum tanta peſtilentia conſecuta eſt , vt auium , pecudum , ac beſtiarum corruptione aëris diſſolutarum putrefacta paſſim cadauera vitium corruptionis augerent. At vero quanta fuerit hominum lues , ego ipſe dum refero, toto corpore perhorreſco. Siquidem in Numidia, in qua tunc Micipſa rex erat, octingenta millia hominum : circa oram vero maritimam , quæ maxime Carthaginenſi atque Vticenſi littori adiacet , pluſquam ducenta millia periſſe traditum eſt. Apud ipſam vero Vticam ciuitatem triginta millia Romanorum militum, quæ ad præſidium totius Africæ ordinata fuerant,extincta atque abraſa ſunt. Quæ clades tam repentina ac tam violenta inſtitit , vt tunc apud ipſam Vticam ſub vna die per F vnam portam ex illis iunioribus pluſquam mille quingentos mortuos elatos fuiſſe narretur. Veruntamen pace & gratia omnipotentis Dei dixerim , de cuius miſericordia, & in cuius fiducia hæc loquor , quamuis & temporibus noſtris exoriantur aliquando , & hoc diuerſis terræ partibus locuſtæ,& plerumque etiam,ſed tolerabiliter lædant , nunquam tamen temporibus Chriſtianis tanta vis inextricabilis mali accidit , vt pernicies locuſtarum , quæ nullo modo ferri viua potuiſſet , mortua plus noceret : & qua diu viuente peritura erant omnia,ea perdita pereuntibus magis omnibus optandum fuerit ne periret. Anno ab Vrbe cõdita DCXXVII.L. Æmilio Cæcilio Merello,& T. Quintio Flaminio Coſſ. Carthago in Africa reſtitui iuſſa, vigeſimo ſecundo demum anno, quam fuerat euerſa , deductis ciuium Romanorum familiis,quæ eam incolerent, G reſtituta & repleta eſt, magno ante prodigio præcedente. Nam cum menſores ad limitandum Carthaginenſem agrum miſſi,ſtipites terminorum indices fixos nocte à lupis reuulſos mordicus,corroſoſque reperiſſent,aliquandiu hæſitatum eſt , vtrum Romanæ paci expediret Carthaginem reformari. Eodem anno Caius Gracchus , Gracchi illius qui iam occiſus in ſeditione fuerat frater, Tribunus pl. per tumultum creatus , magna Reip. pernicies fuit. Nam cum ſæpe populum Romanum largitionibus promiſſiſque nimiis in acerbiſſimas ſeditiones excitauiſſet, maxime Legis agrariæ cauſa , pro qua etiam frater eius Gracchus fuerat occiſus , tandem à Tribunatu Minutio ſucceſſore deceſſit. Minutius Tribunus pl. quum maxima ex parte deceſſoris ſui Gracchi ſtatuta conuulſiſſet , legeſque abrogaſſet, Gracchus cum Fuluio Flacco ingenti ſtipatus agmine, Capitolium, vbi concio agitabatur, aſcendit. Ibi maximo tumultu excitato, quidam præco à Gracchianis interfectus, velut ſignum belli fuit. Flaccus duobus filiis armatis cinctus : comitante etiam Graccho H togato, breuemque gladium ſub ſiniſtra occultante, quamuis & præconem fruſtra præmiſiſſet , qui ſeruos ad libertatem vocaret , Dianium tanquam arcem occupauit. E contra Decius Brutus, vir conſularis, cum C.Publio cum ingenti certamine irruit , ibique Flaccus diu obſtinatiſſime dimicauit. Gracchus vero poſtquam in templum Mineruæ ſeceſſerat,gladio incumbere volens,interuentu Letorij retentus eſt. Itaque cum diu anceps bellum agitaretur,tandem ſagittarij ab Opimio miſſi confertam multitudinem diſturbauerunt. Duo Flacci pater filiuſque cum ex æde Lunæ in priuatam quandam domum deſiluiſſent, foreſque obieciſſent , reſciſſo craticeo pariete confoſſi ſunt.Gracchus diu pro ſe amicis pugnantibus ac pereuntibus, ægrè ad pontem Sublicium peruenit : ibique ne viuus caperetur, ceruicem ſeruo ſuo præbuit. Caput Gracchi exciſum Conſuli allatum eſt , corpus ad Corneliam matrem Miſenum oppidum deuectum eſt. Hæc autem Cornelia Africani maioris filia, Miſenum, vt dixi, prioris filij morte ſeceſſerat. Bona Gracchi publicata ſunt. Flaccus adoleſcens in robore necatus eſt. Ex factione Gracchi

A

ducenti quinquaginta in Auentino monte cæſi fuiſſe referuntur. Opimius Coſ. ſicut in bello fortis fuit, ita in quæſtione crudelis. Nam amplius quam tria millia hominum ſuppliciis necauit. Ex quibus plurimi nec dicta quidem cauſa innocentes interfecti ſunt. Iiſdem temporibus Metellus Baleares inſulas bello peruagatus edomuit, & piraticam infeſtationem, quæ ab eiſdem tunc exoriebatur, plurima incolarum cæde compreſſit. Cn. quoque Domitius Procos. Allobrogas Gallos iuxta oppidum Vindalium grauiſſimo bello vicit maximè cum elephantorum noua forma equi hoſtium hoſtéſque conterriti diffugiſſent. Viginti millia ibi Allobrogum cæſa referuntur, tria millia capta ſunt. Eodem tempore Ætna mons vltra ſolitum exarſit, & torrentibus igneis ſuperfuſis, latéque circumfluentibus Catanam vrbem finéſque eius oppreſſit, ita vt tecta ædium calidis cineribus præuſta & prægrauata corruerent: cuius leuandæ cladis cauſa ſenatus decem annorum vectigalia Catanentibus remiſit. Anno ab Vrbe

B

condita DC. XXVIII. Fabius Coſ. Bituito regi Aruernorum Galliæ ciuitatis bellum maximo inſtructu comparanti adeo cum paruo exercitu occurrit, vt Bituitus paucitatem Romanorum vix ad eſcam canibus quos in agmine habebat, ſufficere poſſe iactaret: Qui cum ſibi ad transferendas copias vnum pontem Rhodani fluminis paruum eſſe intelligeret, alium compactis lintribus catenîſque connexum, ſuperſtratis confixiſque tabulis inſtruxit. Conſerta pugna & diu grauiter agitata, victi Galli conuerſique in fugam, dum ſibi quiſque timet, coaceruatis inconſultè agminibus præpropero tranſitu pontis vincula ruperunt, ac mox cum ipſis lintribus merſi ſunt. Centum quinquaginta octo millia armatorum in exercitu Bituiti fuiſſe traduntur, ex quibus centum quinquaginta millia vel cæſa vel merſa ſunt. Q. Marcius Coſ. Gallorum gentem ſub radice Alpium ſitam, bello aggreſſus eſt. Qui quum ſe Romanis copiis circumſeptos viderent, belloque impares fore intelligerent, occiſis coniugibus ac liberis in flammas ſeſe proiecerunt. Qui verò præoccupantibus Romanis per-

C

agendæ tunc mortis ſuæ copiam non habuerant, captique fuerant, alij ferro, alij ſuſpendio, alij abnegato ſibi cibo ſeſe conſumpſerunt, nullúſque omnino vel paruulus ſuperfuit, qui conditionem ſeruitutis vitæ amore toleraret, & Narbonæ colonia deducta eſt Romana, & de his triumphatum eſt. Anno ab Vrbe condita DC. XXXV. C. Caro Coſ. Scordiſcis bellum intulit, ignominioſéque pugnauit. C. Cæcilio Metello, & Cn. Carbone Coſſ. duo Metelli fratres eodem die vnum ex Thracia, alterum ex Sardinia triumphum egerunt.

Publio Scipione Naſica, & L. Calphurnio Beſtia Coſſ. Iugurthæ Numidarum regi bellum conſenſu populi Ro. Senatus indixit. Igitur Iugurtha Micipſæ Numidarum regis adoptiuus hæres inter naturales eius filios factus, primum cohæredes ſuos, Hiempſalem occidit, Adherbalem bello victum ab Africa expulit: deinde Calphurnium Beſtiam Coſ. aduerſum ſe miſſum pecunia corrupit, atque ad turpiſſimas conditiones pacis adduxit, quæ à Senatu improbata eſt. Præterea cum ipſe Romam veniſſet, omnibus pecunia corruptis, aut attentatis, ad ſeditiones diſſenſionéſque malè permiſcuit. Quam cum egrederetur, infami

D

ſatis notauit elogio dicens: O VRBEM VENALEM, & maturè perituram ſi emptorem inuenirer. In ſequenti anno Sp. Puſtumium Albinum Puſtumij alterius Coſ. fratrem, quem is quadraginta millium armatorum exercitui præfecerat, apud Calamam vrbem theſauris regis ibi conditis inhiantem bello oppreſſit. Cui victo ignominioſum fœdus exegit, & vniuerſam penè Africam à Romanis deficientem regno ſuo iunxit. Poſtea miſſus Q. Cæcilius Metellus Coſ. Is exercitum ingenti ſeueritate & moderatione correctum, cum nihil in quenquam cruentum faceret, ad diſciplinam Romanam reduxit. Iugurtham duobus præliis vicit, elephantes eius occidit vel cepit, multas ciuitates eius euertit. Et cum iam vidit ſe præſente vaſtari Numidiam ſuam, & non poſſe defendi; ab eo ad deditionem coactus, trecentos obſides dedit: inſuper frumentum atque alios commeatus perſoluturum ſe ſpopondit: tria millia amplius perfugarum reddidit. Exin cum incertus in pace

E

improbos non prohiberet excurſus, C. Marij Coſ. qui non minore penè quam ipſe præditus erat aſtutia, Romaniſque viribus fractus eſt, maximè poſtquam Marius vrbem Capſam ab Hercule Phœnice, vt ferunt, conditam, regiis theſauris confertiſſimam, dolo circumuenit & cepit. Diſfiſus deinde propriis rebus & viribus Iugurtha ſocietatem cum Boccho Maurorum rege fecit, cuius equitatu in immenſum auctus Marianum exercitum crebertimis incurſionibus fatigauit. Poſtremo apud Cittam vrbem antiquam Maſſiniſſæ regiam, aduerſum Romanos expugnationem eius parantes, ſexaginta millibus equitum inſtructus occurrit. Nunquam vlla Romano militi tumultuoſior pugna, & terribilior fuit, adeo vt diſcurſu & fremitu circumcurſantium & impetentium equitum ſuſcitatus puluis cœlum obtexerit, diem ademerit, noctémque obduxerit: tantus autem telorum nimbus ingruerit, vt nulla pars corporis ab ictu tuta eſſet. Quippe quibus & viſus ad pro-

F

ſpiciendum, impedimento caliginis: & expeditio ad cauendum, compreſſione multitudinis, deerat. Nec laborabat eques Maurus ac Numida, vt bene collocatum hoſtem opportuno teli impetu rimaretur, ſed potiùs in incertum tela mittebant, certi quod vulnera incerta non eſſent: ita coacti in vnum Romani equites, in vnum pedites denſabantur. Intercapedinem tanti periculi nox interueniens prælium diremit. Eadem poſtera die & belli & periculi facie erupere in hoſtem, quamuis ſtrictu miles gladio ferire non valebat, eminus iaculo repellebatur, fugere non poterat: vndique enim velocior ad perſequendum eques incluſerat. Iam tertia dies, & nullum vndecunque ſuffragium dira vndique mortis facies obiiciebatur. Tandem Marius Coſ. forti deſperatione ſpei viam fecit, vniuerſo ſimul agmine prorupit è vallo, campóque ſe ſimul & prælio dedit. Et cum iterum circumfuſi hoſtes, non ſolum agminis extrema laniaſent, verum etiam media excuſſis telis procul

G

cæderent, turbatóſque Romanos, inſuper etiam æſtus ſolis, intolerantia ſitis, mortis circumſtantia, vſque ad extremum deſperationis defatigaret, ſubito notum illud Romanorum aduerſus Afros tempeſtatum imbriúmque ſuffragium cœlo miſſum inſperatæ ſaluti fuit: ſiquidem repentina pluuia ſitientibus Romanis & æſtuantibus refrigerium potúmque præbuit. Porro autem Numidis haſtilia telorum, quæ manu intorquere ſine amentis ſolent, lubrica, ac per hoc inutilia reddidit. Scuta etiam, quæ elephanti corio extento atque durato habilia & tuta geſtabant, cuius ea natura eſt, vt acceptum imbrem tanquam ſpongia ebibat ac per hoc intractabile repentino pondere fiat, quia circumferri non poterant, defendere nequiuerunt. Ita ex inſperato conturbatis, deſtitutiſque Mauris ac Numidis Bocchus & Iugurtha fugerunt. Poſt hoc nonaginta millia armatorum nouiſſimo bello ab iiſdem regibus ſunt obiecta. Hæc quoque vſque ad internecionem vincentibus Romanis cæſa referuntur. Ex hoc Bocchus ſpem belli abiiciens, pacem petiuit atque in pre-

H

tium pacis Iugurtham dolo captum catenîſque obrutum per Cornelium Syllam quæſtorem legatum Marij, miſit ad Marium. Interea nunciatum eſt Romæ Cimbros è Gallia in Italiam tranſire meditari, qui à M. Iunio Syllano Coſ. collega Q. Metelli, in Gallia victi ſunt. Ipſo eodémque rurſus tempore etiam à Minutio Rufo in Macedonia Scordiſci & Triballi, & à Seruilio Cepione in Hiſpania Luſitani victi ſunt, & duo triumphi de Iugurtha, primus per Metellum, ſecundus per Marium, acti ſunt. Ante currum tamen Marij in triumphum Iugurtha cum duobus filiis ductus eſt catenatus & mox iuſſu Coſ. in carcere ſtrangulatus eſt. His diebus apud Hieroſolymam Ioannes dux Iudæorum & Pontifex extitit, qui ab eo quod Hircanos bello vicerat, Hircani nomen accepit. Per id etiam tempus Cicero Arpini naſcitur ex matre Eluia, patre equeſtris ordinis, ex regio Volſcorum genere. Eodémque tempore obſcœnum prodigium ac triſte viſum eſt. L. Cluuius eques Romanus cum vxore & filia de Ruma in Apuliam rediens, tempeſtate correptus cum filiam conſternatam videret, vt citius propioribus tectis ſuccederet relictis vehiculis, arreptiſque equis, filiam virginem equo inſidentem in medium agmen

A accepit. Puella continuo ictu fulminis exanimata eſt: ſed omnibus ſine ſciſſura aliqua veſtimentis ademptis, ac pectoris pedumque vinculis diſſolutis, monilibus etiam annuliſque diſcuſſis, ipſo quoque corpore illæſo, niſi quod obſcœnum in modum nuda, & lingua paululum exerta iacuit. Equus quoque ipſe quo vehebatur, ſtraturis, frenis & cingulis diſſolutis, phaleris quoque ſciſſis paſſim ac diſperſis exanimus procul iacuit. Paruoque poſt temporis interceſſu, L. Vetutius eques Romanus Æmiliam virginem veſtalem furtiuo ſtupro polluit. Duas præterea virgines veſtales eadem Æmilia ad participationem inceſti ſollicitatas contubernalibus ſui corruptoris expoſuit ac tradidit. Indicio per ſeruum facto ſupplicium de omnibus ſumptum eſt. Iiſdem præterea Iugurthini belli temporibus L. Caſſius Coſ. in Gallia Tygurinos vſque Oceanum perſequutus eſt. Ruſuſque ab eiſdem inſidiis circumuentus, occiſus eſt. L. quoque Piſo legatus Caſſij B Coſ. vir conſularis occiſus eſt. C. Publius alter legatus ne reſidua exercitus portio, quæ in caſtra confugerat, deleretur, obſides & dimidiam partem omnium rerum Tygurinis firmiſſimo fœdere dedit. Qui Romam reuerſus à Cælio Tribuno pl. die dicta, eo quod Tygurinis obſides dederat, in exilium profugit. Cepio Procoſ. è capta vrbe Gallorum, cui nomen eſt Toloſa, centum millia pondo auri, & argenti centum decem millia, è templo Apollinis ſuſtulit. Quod cum ad Maſſiliam amicam populi Romani vrbem cum præſidiis miſiſſet, interfectis clam, ſicut quidam conteſtantur, quibus ea cuſtodienda & peruehenda commiſerat, cuncta per ſcelus furatus fuiſſe narratur: vnde etiam magna quæſtio poſt Romæ acta eſt.

Explicit liber Quartus.

Incipit

C

LIBER QVINTVS.

DVm bellum in Numidia contra Iugurtham gerirur, anno ab Vrbe condita DCXLII. M. Manlius Coſ. & Q. Cepio Proconſul, aduerſum Cimbros & Teutonas, & Tygurinos & Ambronas, Gallorum Germanorumque gentes, quæ tum imperium Romanorum extinguere conſpirauerant, miſſi, prouincias ſibi Rhodano flumine medio diuiſerunt. Vbi dum inter ſe grauiſſima inuidia & contentione diſcordant, cum magna ignominia & periculo Romani nominis victi ſunt. Siquidem in ea pugna M. Manlius Coſ. captus atque interfectus eſt, duoque filij eius cæſi: octoginta millia Romanorum ſociorumque ea tempeſtate trucidata, quadraginta millia calonum atque lixarum interfecta Antias ſcribit. Ita ex omni penitus exercitu decem tantum homines, qui miſerum nuntium ad augendas miſerias reportarent, ſuperfuiſſe referuntur. D Hoſtes binis caſtris atque ingenti præda potiti, noua quadam atque inſolita execratione, cuncta quæ ceperant peſſumdederunt. Veſtes ſciſſæ, aurum argentumque in flumen abiectum, loricæ virorum conciſæ, phaleræ equorum diſperſæ, equi ipſi gurgitibus immerſi, homines laqueis in collo inditis, ex arboribus ſuſpenſi ſunt: ita vt nihil prædæ victor, nihil miſericordiæ victus, cognoſceret. Maximus tunc Romæ non ſolum luctus, verumetiam metus fuit, quantus vix Hannibalis tempore Punicis bellis, ne confeſtim Cimbri alpes tranſgrederentur, Italiamque delerent. Iiſdem temporibus Q. Fabius Maximus filium ſuum adoleſcentem rure relegatum cum duobus ſeruis parricidij miniſtris interfecit, ipſoſque continuo ſeruos in pretium ſceleris manumiſit. Die dicta Cn. Pompeio accuſante damnatus eſt. Igitur Marius poſt victoriam Iugurthinam, ſecundo Coſ. eſt factus, bellumque ei contra Cimbros & Teutonas decretum eſt. Tertio quoque ei & quarto delatus eſt conſulatus, quia bellum Cimbricum protrahebatur. Sed in quarto Conſulatu collegam habuit. Q. Lutacium Catulum, & cum iuxta Iſaræ Rhodanique flumina, vbi in ſeſe confluunt, caſtra poſuiſ-

E ſent, Teutenes, Cimbri, & Tygurini, & Ambrones, poſtquam continuo triduo circa Romanorum caſtra pugnarunt, ſi quo pacto eos excuterent vallo, atque in æquor effunderent, tribus agminibus Italiam petere deſtinarunt. Marius poſt digreſſum hoſtium caſtra mouit, & collem occupauit, qui campo & fluuio, vbi hoſtes ſeſe diffuderant, imminebat. Cumque exercitui eius aquæ ad potandum deeſſent, quereliſque omnium coargueretur, aquam quidem in conſpectu eſſe reſpondit, ſed eam ferro vindicandam. Primis itaque calonibus cum clamore in pugnam ruentibus, ſubſecutus exercitus, mox iuſto certamine compoſitis ordinibus bellum geſtum eſt: & vicere Romani. Quarto die ruſus productæ vtrinque acies in campum, vſque ad meridiem pene ſimili pugnauere diſcrimine. Poſt vbi incaleſcente die fluxa Gallorum corpora, in modum niuium tabuerunt, vſque in noctem cædes potius quam pugna protracta eſt. Ducenta millia armatorum Gallorum in eo bello interfecta ſunt, octoginta F millia capta, vix tria millia fugiſſe referuntur. Dux quoque eorum Theutobodus occiſus eſt. Mulieres eorum conſtantiore animo quam ſi viciſſent, conſuluere Coſſ. vt ſi inuiolata caſtitate virginibus, ſacriſque diis ſeruiendum eſſet, vitam ſibi reſeruarent. Itaque cum petita non impetrauiſſent, paruulis ſuis ad ſaxa colliſis cunctæ ſeſe ferro ac ſuſpendio peremerunt. Hæc de Tygurinis & Ambronibus geſta ſunt. Teutones autem & Cimbri integris copiis alpium niues emenſi, Italiæ plana peruaſerunt: quorum adeo feritas erat, læti perire in bello, in morbo cum lamentis, amiſſo duce viuere illicitum eis videbatur. Igitur cum plana Italiæ peruaſiſſent, & ibi cum rigidum genus diu blandioribus auris, populis, cibis ac lauacris emollitetur, Marius V. Coſ. & Q. Catulus aduerſus eos miſſi ſunt. Die ad pugnam & campo dato, Hannibalis ſecuti ingenium in nebula diſpoſuere pugnam, in ſole pugnarunt. Prima ſiquidem perturbatio Gallorum fuit, quod Romanam aciem prius offendêre diſpoſitam quam adeſſe ſenſerint: cumque ilico vulneG rati equites retro in ſuos cogerentur, totamque multitudinem indiſpoſite adhuc aduentantem conturbarent, & ſol cum vento ortus emicuiſſet, ex aduerſo viſus eorum puluis oppleuit, & ſplendor hebetauit. Ita factum eſt, vt tanta ac tam terribilis multitudo, minima Romanorum clade, ſua autem vltima internecione cæderetur. CXL. millia eorum tunc in bello cæſa, XL. millia capta dicuntur: Romani milites ex vtroque exercitu trecenti periere. Tria & triginta Cimbris ſigna ſublata ſunt, ex his exercitus Marij duo reportauit, Catuli exercitus XXXI. Sed ab eorum mulieribus grauiorem pene, quam ab ipſis pugnam Romani experti ſunt. Hæ etenim plauſtris in modum caſtrorum diſpoſitis, ipſæ deſuper pugnantes, diu obſtitere Romanis. Sed cum ab eis nouo cædis genere terrerentur: abſciſis enim cum crine verticibus inhoneſto ſatis vulnere turpes relinquebantur: ferrum quod in hoſtes ſumpſerant, in ſe ſuoſque vertêre. Namque quædam concurſu mutuo iugalatæ, aliæ apprehenſis inuicem faucibus ſtrangulatæ: aliæ funibus per equorum crura H conſertis, ipſiſque continuo equis extimulatis, poſtquam ſuas iiſdem funibus, quibus equorum crura nexuerant indidere ceruices, protractæ atque exanimatæ ſunt: aliæ laqueo de ſubrectis plauſtrorum temonibus pependere. Inuenta eſt etiam quædam, quæ duos filios traiectis per colla eorum laqueis ad ſuos pedes vinxerit, & cum ſeipſa ſuſpendio moritura dimiſiſſet, ſecum traxerit occidendos. Inter hæc multa & miſerabilia mortis genera, Reguli quoque duo ſtrictis in ſe gladiis concurriſſe referuntur. Lucius & Boiorix reges in acie ceciderunt. Clondicus & Ceſorix capti ſunt. Ita in his duobus præliis CCCXL. millia Gallorum cæſa, & CXL. millia capta ſunt: abſque innumera multitudine mulierum, quæ ſe ſuoſque paruulos fœmineo furore, vi autem virili necauerunt. His bellis hic fuit finis: triumphus vtrique decretus eſt. Igitur poſt talem Marij triumphum Romanamque victoriam incredibile facinus, & nunquam antea auditum vel cognitum Romæ perpetratum eſt, quod verſum in horrorem, gaudium in tota Vrbe funeſtauit. P. Malleolus qui-

dam

A dam ſeruis annitentibus matrem ſuam interfecit, damna-
toſque parricidij, inſutuſque in culeum, in mare proiectus
eſt. Impleueruntque Romani & facinus & pœnam: vnde
Solon Athenienſis decernere non auſus fuerat, dum fieri
poſſe non crediderit: & Romani qui ſe ortos à Romulo
ſcirent, etiam hoc fieri poſſe intelligentes, ſupplicium
ſingulare ſanxerunt. Anno poſt Vrbem conditam, DC.
XLV. poſt Cimbricum & Teutonicum bellum, & quin-
tum Marij Conſulatum quo ſtatus imperij Romani iure
conſeruatus iudicatur, ſexto conſulatu eiuſdem C. Marij
ita labefactatus eſt, vt pene vſque ad extremum inteſtina
clade conciderit. Euoluere ac percurrere diſcordiarum
ambages & inextricabiles ſeditionum cauſas incommo-
dum ſimul ac longum videtur. Sane breuiter me dixiſſe
ſufficiat: quia primus L. Apuleius Saturninus excitati
tumultus author extiterit, Q. Metello Numidico, viro
ſane primario acerrimus inimicus, qui cum Cenſorem
B creatum protractum domo, atque in Capitolium fugien-
tem, armata multitudine obſedit. Vnde Romanorum
equitum indignatione deiectus eſt, plurima ante Capito-
lium cæde facta. A. Nunnium deinde competitorem ſuum
Saturninus & Glaucia, fraude C. Marij Coſ. occidere.
Subſequenti anno Marius VI. Coſ. & Glaucia Prætor, &
Saturninus Trib. pl. conſpirauerunt Metellum Numidi-
cum in exilium quacunque vi agere. Die dicta, ſuppoſitis
eiſdem iudicibus per ſcelus innocens Metellus damnatus,
in exilium cum totius vrbis dolore diſceſſit. Idem Satur-
ninus Memmium virum acrem & integrum, fieri Coſ.
timens, orta ſubito ſeditione fugientem per P. Metium ſa-
tellitem informi ſtipite comminutum interfecit. Fremen-
te pro tantis Reip. malis Senatu populoque Rom. Marius
Coſ. accommodato ad tempus ingenio conſenſui bono-
rum ſeſe immiſcuit, commotamque plebem leui oratione
ſedauit. Saturninus infauſtis auſibus concionem domi
ſuæ habuit, ibiq; ab aliis rex, ab aliis imperator eſt appel-
C latus. Marius manipulatim plebe conſcripta alium Coſ.
cum præſidiis in colle diſpoſuit, ipſe portas communiuit,
in foro prælium commiſſum. Saturninus à Marianis foro
pulſus in Capitolium confugit. Marius fiſtulas quibus eo
aqua deducebatur, incidit. Bellum deinde in atrio Capi-
tolij horrendum ſatis actum eſt. Multi circa Sauſeium &
Saturninum cæſi. Saturninus palam clamitans, Marium
eſſe authorem omnium molitionum ſuarum conteſtatus
eſt. Cum autem ipſe Saturninus & Sauſeius & Labienus,
cogente Mario in Curiam confugiſſent per equites Ro-
manos effractis foribus occiſi ſunt. C. Glaucia extractus
de domo Claudij trucidatus eſt. Furius Tribunus pl. bona
omnium publicanda decreuit. Cn. Dolabella Saturnini
frater per forum olitorium fugiens cum L. Geganio in-
terfectus eſt. Itaque auctoribus tantæ ſeditionis occiſis,
quies populo fuit. Tunc Cato atque Pompeius rogatio-
nem de reditu Metelli Numidici totius Vrbis gaudio pro-
mulgarunt, quæ ne perficeretur, Marij Coſ. & Furij Tri-
buni pl. factionibus interceſſum eſt. Rutilius vir integer-
D rimus adeo fidei atque innocentiæ conſtantia vſus, vt die
ſibi ab accuſatoribus dicta vſque ad cognitionem, neque
capillum barbamve demiſerit, neque ſordida veſte humi-
live habitu ſuffragatores conciliarit, inimicos permulſerit,
iudices tentauerit, orationem quoque à prætore conceſ-
ſam, nihilo ſummiſſiore animo habuerit: quum euidenti
oppugnaretur calumnia, & opinione bonorum omnium
iure abſoluendus putaretur, periurio iudicum condemna-
tus eſt. Qui Smyrnam commigrans, literarum ſtudiis con-
tentus conſenuit.

Anno ab Vrbe condita DCXLIX. Sex. Iulio Cæſare, &
L. Martio Philippo Coſſ. cum prope alia omnia bella ceſ-
ſarent, inteſtinis cauſis ſociale bellum totam commouit
Italiam. Qui cum annis numeroſis iam populo Romano
obedirent, tum libertatem ſibi æquam aſſerere cœperunt,
perniciosum admodum hoc bellum fuit. Rutilius Coſ. in
eo occiſus eſt, & Cepio nobilis iuuenis, ac Portius Cato
alius Coſ. Interea Liuius Trib. pl. Latinos omnes ſpe li-
bertatis illectos, quum placitum explere non poſſet, in
arma excitauit. Eo acceſſit, vt mœſtam vrbem prodigia
dira terrerent. Nam ſub ortu ſolis globus igneus à regio-
ne Septentrionis cum maximo fragore cœli emicuit. E
Apud Aretinos, cum panes in conuiuio frangerentur,
cruor è mediis panibus, quaſi è vulneribus corporum flu-
xit. Præterea per ſeptem continuos dies grando lapidum,
immixtis etiam teſtarum fragmentis terram latiſſime ver-
berauit. In Samnitibus vaſtiſſimo terræ hiatu flamma pro-
rupit, & vſque in cœlum extendi viſa eſt. Complures præ-
terea in itinere videre Romani, globum coloris aurei de
cœlo ad terram deuolui, maioremque factum rurſus à
terra oriente ſole in ſublime ferri, ac magnitudine ſua
ipſum ſolem obtexiſſe. Druſus tantis malis anxius domi
ſuæ incerto quidem authore interfectus eſt. Igitur Picen-
tes, Veſtini, Marſi, Peligni, Marſucini, Samnites, Lucani,
cum adhuc occultam defectionem meditarentur, C. Ser-
uilium Prætorem legatum ad ſe miſſum apud Aſculum
occiderunt, ſtatimque clauſa ciuitate omnes Romanos
ciues indicta cæde iugularunt. Continuo atrociſſimam
perniciem infandiſſima præceſſere prodigia. Namque om-
nium generum animalia, quæ manus hominum blande F
perpeti, atque inter homines viuere ſolita erant, relictis
ſtabulis paſcuiſque cum balatu, hinnitu, mugituque miſe-
rabili ad ſyluas, monteſque fugerunt. Canes quoque
quorum natura eſt extra homines eſſe non poſſe, lachry-
moſis vlulatibus vagi luporum ritu oberrarunt. Nec mora
poſt hæc tam grauia prodigia ciuilia bella ſequuta ſunt.
Ea tempeſtate apud Iudæos primus Ariſtobulus rex &
pontifex pariter diadematis ſumpſit inſigne. Igitur Cn.
Pompeius Prætor cum Picentibus iuſſu Senatus bellum
geſſit & victus eſt. Poſt quæ ſibi Samnites Papſum Muti-
lium ducem præfecerant. Marſi autem Agamemnonem
Archipiratam præoptauerant. Iulius Cæſar Samnitum
pugna victus cæſo fugit exercitu. Rutilius Cos. Marium
propinquum ſuum legatum ſibi elegit, quem aſſiduè ſub-
mouentem moram bello vtilem fore, pauliſper in caſtris
exerceri militem oportere tyronem, dolo id agere ratus
contempſit, ſeſeq; in inſidias Marſorum cum vniuerſo ag-
mine exercitus ſui incautus iniecit, vbi ipſe Cos. occiſus
eſt, & multi nobiles interfecti, & octo millia militum G
Romanorum cæſa ſunt. Arma & corpora interfectorum,
in conſpectu Marij Legati Teleonus fluuius pertulit, atque
in teſtimonium cladis extexit. Marius raptis continuo co-
piis victores inſperatus oppreſſit octo millia & ipſe Mar-
ſorum interfecit. Cepio autem à Veſtinis & Marſis dedu-
ctus in inſidias, cum exercitu trucidatus eſt. L. vero Iulius
Cæſar poſtquam apud Eſerniam victus aufugerat, contra-
ctis vndique copiis aduerſum Samnitas & Lucanos di-
micans, multa millia hoſtium interfecit. Cumque ab
exercitu Imperator eſſet appellatus Romamque nuntios
de victoria miſiſſet, Senatus Saga, hoc eſt, veſtem mœ-
roris, quam exorto ſociali bello ſumpſerat, hac ſpe arri-
dente depoſuit, atque antiquum togæ decorem recupe-
rauit. Marius deinde VI. millia Marſorum occidit, ſeptem
millia armis exuit. Idem Marius Syram mulierem in ca-
ſtris habebat ſacricolam; ex cuius authoritate aſſerebat
ſe omnia aggredi. Interea L. Cornelius Sylla Prætor cum
viginti quatuor cohortibus Eſerniam miſſus, vbi arctiſſi-
ma obſidione Romani ciues militeſque premebantur, ma-
ximo bello & plurima cæde hoſtium vrbem ſocioſque H
ſeruauit. Cn. Pompeius Picentes graui prælio fudit; qua
victoria Senatus laticlauia & cætera dignitatis inſignia
recepit, cum togas tantummodo victoria Cæſaris primo
reſpirante ſumpſiſſet. Portius Cato Prætor Hetruſcos, Plo-
tius legatus Vmbros, plurimo ſanguine impenſo, & diffi-
cillimo labore vicerunt. Sylla præliaturus ſimulachrum
Apollinis Delphis ablatum ſuppliciter orabat in conſpe-
ctu militum, vt promiſſa præſtaret; & videbatur fretus
inire bellum. Igitur Cn. Pompeio, L. Portio Catone Coſſ.
Pompeius diu obſeſſi Aſculum ciuitatem, nec tamen ex-
pugnauiſſet, niſi populum in campum prorumpentem
grauiſſima oppreſſione viciſſet. Decem & octo millia
Marſorum in pugna cum Franco duce ſuo cæſa ſunt, ca-
pta tria millia. Quatuor autem millia Italici viri ex ea
cæde profugi iugum montis coacto in vnum agmine
forte conſcenderant: vbi exanimati, oppreſſique niuibus
miſerabili morte riguerunt. Namque vt attoniti timore

A hoſtium ſteterant, alij ſtipitibus, vel ſaxis reclines, alij armis ſuis innitentes, patentibus cuncti oculis, dentibuſque nudatis viuentium in modum viſebantur. Nec vllum erat procul intuentibus mortis indicium, niſi diuturna immobilitas, quam nullo modo humanæ vitæ vegetatio diu perpeti poteſt. Eodem die Picentes congreſſi & victi ſunt, quorum dux Iudacilius conuocatis ducibus ſuis, poſt magnificas epulas largaque pocula cunctos ad exemplum ſui prouocans, hauſto veneno abſumptus eſt, cunctis factum eius laudantibus, ſed nemine ſubſequente. Anno ab Vrbe condita DCLXI. cum ad obſidendos Pompeios Romanus exercitus iſſet, & Poſthuminus Albinus vir conſularis tunc L. Syllæ legatus intolerabili ſuperbia omnium in ſe militum odia ſuſcitaſſet, lapidibus occiſus eſt, Sylla Coſ. ciuilem cruorem non niſi hoſtili ſanguine expiari poſſe teſtatus eſt. Cuius rei conſcientia motus exercitus, ita pugnam adorſus eſt, vt ſibi vnuſquiſque pereundum videret, niſi viciſſet. Decem & octo millia Samnitum in illo prælio cæſa ſunt. Iuuentium quoque Itali-
B cum ducem & magnum ipſius populum perſecutus occidit. Portius Cato Coſ. copias Marianas habens, cum aliquanta ſtrenuè geſſiſſet, gloriatus eſt non maiora C. Marium feciſſe: & ob hoc cum ad lacum Fucinum contra Marſos bellum gereret, à filio C. Marij in tumultu belli quaſi ab incerto authore proſtratus eſt. C. Gabinius legatus in expugnatione hoſtilium caſtrorum interfectus eſt. Marucini, Veſtinique Sulpitio legato Pompeij perſequente vaſtati ſunt, Popedius & Obſidius Italici imperatores ab eodem Sulpitio apud flumen Theanum horribili prælio oppreſſi & occiſi ſunt. Pompeius Aſculum ingreſſus, præfectos, centuriones, cunctoſque principes eorum virgis cecidit, ſecurique percuſſit. Seruos prædamque omnem ſub haſta vendidit: reliquos liberos quidem, ſed nudos & egentes abire præcepit: & cum de hac præda opitulationem aliquam in vſum ſtipendij publici Senatus fore ſperaret, nihil tamen Pompeius ex ea egenti ærario contulit. Namque eodem tempore, cum penitus exhauſtum eſſet ærarium, & ad ſtipendium frumenti de-
C eſſet expenſa, loca publica quæ in circuitu Capitolij pontificibus, auguribus, decemuiris, & flaminibus in poſſeſſionem tradita erant, cogente inopia vendita ſunt, & ſufficiens pecuniæ modus, qui ad tempus inopiæ ſubſidio eſſet, acceptus eſt. Et quidem tunc in ſinum ipſius ciuitatis euerſarum omnium vrbium, nudatarumque terrarum abraſæ vndique opes congerebantur, quum ipſa Roma turpi adigente inopia præcipuas ſuas partes auctionabatur. Quamobrem conſideret tunc tempora ſua, quum quaſi inexplebilis venter cuncta conſumens, & ſemper eſuriens, cunctis vrbibus, quas miſeras faciebat, ipſa miſerior, nihil relinquens, nihil habebat, & ſtimulo domeſticæ famis ad continuationem bellicæ inquietudinis trudebatur. Iiſdem temporibus rex Sothimus cum magnis Thracum auxiliis Græciam ingreſſus, cunctos fines Macedoniæ depopulatus eſt, tandemque à C. Sentio prætore ſuperatus redire in regnum ſuum coactus eſt.

D Anno ab Vrbe condita DCLXII. nondum finito ſociali bello, quod per quinque annos geſtum eſt, Romæ primum ciuile bellum commotum eſt. Eodem anno etiam Mithridaticum. Cauſam bello ciuili C. Marius ſexto Conſulatu dedit. Nam quum Sylla Coſ. contra Mithridatem geſturus bellum, qui Aſiam & Achaiam occupauerat, mitteretur; iſque cum exercitum in Campania paulilper teneret, vt belli ſocialis, de quo diximus, quod intra Italiam geſtum fuerat, reliquiæ tollerentur: Marius affectauit ſeptimum conſulatum, vt & ipſe ad bellum Mithridaticum mitteretur. Quo Sylla cognito impatiens re vera & pertinax, intemperataque ira percitus, cum quatuor legionibus, primum ante Vrbem conſedit, ibi Gratidium Marij legatum quaſi primam victimam belli ciuilis occidit. Mox Vrbem cum exercitu irrupit, faces ad inflammandam Vrbem popoſcit, omnibus metu abditis per ſacram viam citato agmine in forum venit. Marius cum permouere nobilitatem, inflammare plebem, equeſtrem denique ordinem perarmare fruſtra attentaſſet, poſtremo

E ſeruis ſpe libertatis & prædæ ad arma ſollicitatis, nequaquam pugnare auſus, tamen in Capitolium conceſſit. Sed cum in eum Syllanæ cohortes irruiſſent, magna ſuorum cæde diffugit. Ibi tunc Sulpitius Marij collega ſeruo ſuo prodente proſtratus eſt. Seruum vero ipſum, quod hoſtem indicauerat, manumitti, quod dominum vero prodiderat, ſaxo Tarpeio dejici Coſſ. decreuerunt. Marius fugiens, quum perſequentium inſtantia circumſeptus eſſet, in Minturnenſium paludibus ſeſe abdidit. E quibus infeliciter luto oblitos, ignominioſeque extractus, turpi autem ſpectaculo Minturnas deductus, retruſuſque, in carcerem percuſſorem ad ſe miſſum ſolo vultu exterruit. Deinde lapſus è vinculis in Africam transfugit, ſollicitatoque ex Vtica filio, vbi in cuſtodia obſeruabatur, continuo Romam regreſſus, Cornelio Cinnæ Coſ. ſocietate ſcelerum coniunctus eſt. Igitur Sylla ad Aſiam profectus eſt. Mithridates qui Ponti rex erat, atque Armeniam minorem, & totum Ponticum mare in circuitu cum Boſ-
F phoro tenebat, primo Nicomedem amicum populi Romani Bithynia voluit expellere, Senatuique mandauit & populo Rumano, bellum ſe ei propter iniurias, quas paſſus fuerat, illaturum. A Senatu reſponſum Mithridati eſt: ſi id faceret, quod bellum à Romanis & ipſe pateretur. Quare iratus Cappadociam ſtatim occupauit, et ex ea Ariobarzanem regem, & amicum populi Romani fugauit. Mox etiam Bithyniam inuaſit, & Paphlagoniam, pulſis ex ea regibus amicis populi Romani Pylemene & Nicomede. Inde in Epheſum contendit, & per omnem Aſiam literas miſit, vt vbicunque inuenti eſſent ciues Romani, vno die occiderentur. Quod & factum eſt. Nam octoginta millia ciuium Romanorum per omne regnum morantium ſub vna die interfecta ſunt. Quis mœror plurimarum prouinciarum, quis gemitus occidendorum pariter atque occidentium fuerat, quum ſinguli quique aut prodere innocentes hoſpites & amicos, aut ipſi periclitari pœna hoſpitum cogerentur? Interea etiam Methone ciuitas Achaiæ ab Ariſtone Athenienſe Mithridati tradita eſt. Miſerat enim iam ad Achaiam Mi-
G thridates Archelaum ducem ſuum cum centum & triginta millibus equitum ac peditum, per quem etiam Athenæ & reliqua Græcia occupata eſt. Sylla cui poſt conſulatum, Mithridaticum bellum obuenerat, Archelaum apud Piræum Athenienſium portum ſeptemplici muro communitum diu obſedit, ipſam Athenienſium vrbem vi cepit: poſtea iuſto prælio cum Archelao conflixit. Centum decem millia de exercitu Archelai interfecta, vix decem millia ſuperfuiſſe referuntur. Ex Syllæ exercitu, res mira, tredecim tantum homines interficiuntur. Comperta clade Mithridates lectiſſima ſeptuaginta millia militum Archelao in ſubſidium miſit ex Aſia. Secundo prælio quinquaginta millia ex his interfecta ſunt, ibique Diogenes Archelai filius trucidatus eſt. Tertio bello omnes copiæ, quas Archelaus habebat, extinctæ ſunt. Nam viginti millia militum eius in paludem pulſa, quum Syllæ fidem implorarent, inſatiabili victoris ira interfecta ſunt: totidemque alia in flumen coacta ac necata: reliqui miſerorum paſſim trucidati ſunt. Porro autem
H Mithridates in Aſia nobiliſſimarum vrbium principes occidere, bonaque eorum publicare animo intenderat. Cumque iam mille ſexcentos ita interfeciſſet, Epheſij exemplum verentes excluſo præſidio eius portam obſeceerunt. Similiter Smyrnæi, Sardij, Colophonij, Tralianique fecerunt. Perturbatus Mithridates, iuſſit cum Sylla de pace agi. Interim eo tempore Sylla etiam Dardanos, Scordiſcos, Dalmatas & Mœſos, partim vicit, partim in fidem recepit. Sed cum legati à rege Mithridate, qui pacem petebant, veniſſent, non aliter ſe daturum Sylla eſſe reſpondit, niſi rex relictis his, quas occupauerat, ciuitatibus, ad regnum ſuum rediſſet. Poſtea tamen ad colloquium ambo venerunt: pax inter eos ordinata eſt, vt Sylla ad bellum ciuile feſtinans à tergo periculum non haberet. Igitur Marius & Cinna, dum Sylla decertans in Aſia Mithridatem vicit, ad profligandam vniuerſam Remp. exercitum ſibi in quatuor partes diuiſerunt. Tres ſiquidem legiones Mario datæ: parti copiarum Cn. Carbo

præpoſi

A præpoſitus eſt: partem Sertorius accepit, ille ſcilicet Sertorius iam hic ciuilis belli incentor & particeps, qui etiam hoc finito aliud poſt in Hiſpania bellum excitauit, quod per multos annos maximis Romanorum cladibus traxit. Cætera vero exercitus portio Cinnam ſequuta eſt. Porro autem Cn. Pompeius, qui à Senatu cum exercitu accerſitus erat, vt Reip. opitularetur, & diu ſeſe nouarum rerum aucupatione ſuſpenderat, contemptus à Mario vel Cinna, ad Cn. Octauium alterum Cos. ſeſe contulit, & mox cum Sertorio conflixit. Infelicem pugnam interuentus noctis diremit. Sexcenti ex vtraque parte milites trucidati ſunt. Poſtera die cum permixta corpora ad ſepulturam diſcernerentur, miles Pompeianus fratris ſui, quem ipſe interfecerat, corpus dum ſpoliat, cognouit. Dictis in Deos conuiciis corpus rapuit, & ſub Pompeianis caſtris rogo indidit, ilico pectus gladio tranſuerberans: ſimulque lacrymas & ſanguinem fundens, ſuper fraternum ſeſe cadauer igni adiecit. Igitur Marius B Coloniam Hoſtienſem vi ingreſſus omnia ibi genera libidinis, auaritiæ & crudelitatis exercuit. Pompeius fulmine afflatus interiit: exercitus vero eius peſtilentia correptus, pene totus abſumptus eſt. Nam vndecim millia virorum de caſtris Pompeij mortua, ſex millia autem de parte Octauij deſiderata ſunt. Marius Actium & Ariciam ciuitates hoſtiliter irrupit, cunctoſque in his præter proditores interfecit, bona ſuis diripienda permiſit. Poſt Cinna Cos. cum legionib. & Marius cum fugitiuis. Vrbem ingreſſi, nobiliſſimos quoſque & plurimos è Senatu viros conſulares interfecerunt, multos proſcripſerunt, ipſius Syllæ domo euerſa, filios & vxorem ad fugam cōpulerunt. Igitur Marius cum interfectorum ciuium capita illata conuiuiis, oblata Capitoliis, collata roſtris ad ſpectaculum, ornatumque congereret, maximè caput M. Antonij eximij oratoris abſciſſum, cum inde ſanies manaret, in ipſo conuiuio manu pertractauit, inſultans inſuper, illudenſque conuiciis, complexuſque P. Anniū, qui caput illud cruentus attulerat. Ac idem cum ſeptimo conſulatum cum Cinna tertio Cos. peruaſiſſet, in exor- C dio Conſularis imperij ſera tandem morte præreptus eſt. Quis non iure miretur ſeptem eius conſulatus, & duos triumphos? Quis non in eum merito ſtupeat ampliſſimū teſtimonium Scipionis? Namque Scipio interrogatus in cœna, Si quid de ipſo Scipione fataliter actum fuiſſet, quem magnum imperatorem Reſp. habitura eſſet, cum circumtuliſſet oculos, vel hic, inquit. Ad Marium enim tota animoſitate reſpexerat. Interea Cinna bonorum neces, malorum cæde suppleuit. Nam quum introducta primariorum fugitiuorum manus inſatiabilis prædandi eſſet, nullamque partem authoribus prædæ Conſulibus miniſtraret, in forum quaſi ſtipendij cauſa ſollicitata, militibuſque circundata inermis extincta eſt. Cæſa ſunt in illa die in foro Vrbis octo millia fugitiuorum. Itemque Cinna quarto Cos. ab exercitu ſuo interfectus eſt. Igitur reſidui Senatorum qui potentiam Cinnæ, ſæuitiam Marij, inſaniam Fimbriæ, Sertorij audaciam, fuga euaſerant, tranſuecti in Græciam coëgerunt precibus Syllam vt periclitanti, imo iam pene perditæ patriæ opem ferret D Ille in Italiam traiecit, bellum ciuile geſturus aduerſus Norbanum & Scipionem Coſ. Mox vt Campanum littus attigit, primo prælio contra Norbanum dimicauit, non longe a Capua. Tunc ſeptem millia Romanorum Romani interfecerunt, ſex eorundem ab hiſdem capti ſunt. Centum viginti quatuor ſuorum amiſit. Inde etiam ad Scipionem ſe conuertit, & ante prælium totum eius exercitum ſine ſanguine in deditionē accepit. Sed quum Romæ mutati eſſent Coss. & Marius Marij filius, ac Papyrius Carbo conſulatum accepiſſent, Syllæ duces plura prælia aduerſus Marianas partes infeliciſſima felicitate geſſerunt. Nam & Q. Metellus Carrinatis copias cecidit, & caſtra peruaſit, & Cn. Pompeius Carbonis equitatum grauiter trucidauit. Damaſippus Prætor incentore Mario Cos. Q. Scæuolam, C. Carbonem, L. Domitium, P. Antiſtium in Curiam quaſi ad conſulendum vocatos crudeliſſime occidit. Corpora interfectorum per carnifices vnco tracta, atque in Tyberim miſſa ſunt. Sylla deinde

E contra Marium iuniorem dimicauit In quo prælio de exercitu Marij cæſa ſunt viginti quinque millia ſicut Claudius ſcribit: & ex parte Syllæ quadringenti perierunt. Pompeius Carbonem etiam caſtris exuit, fugientemque inſecutus, nunc cædendo, nunc ad deditionem cogendo, plurima exercitus eius parte priuauit. Metellus Norbani agmen oppreſſit, vbi nouem millia Marianæ partis occiſa ſunt. Lucullus cum à Quintio obſideretur, erupit, & repentina pugna obſeſſorem deleuit exercitum. Nam pluſquam decem millia ibi tunc cæſa referuntur. Fabius vero Adrianus cui imperium pro prætore erat, regnum Africæ manu ſeruorum affectans à dominis eorum apud Vticam coniectis ſarmentis cum omni familia viuus incenſus eſt. Sylla deinde cum Lamponio Samnitum duce, & Carrinatis reliquis copiis ante ipſam Vrbem, portamque Collinam ad horam diei nonam ſigna contulit, grauiſſimoque prælio tandem vicit. Octoginta millia hominum ibi fuſa dicuntur, duodecim millia ſeſe dedidere, reliquam multitudinem in fugam verſam, inſatiabilis F victorum ciuium ira conſumpſit. Sylla mox vt Vrbem victor intrauit, tria millia hominum qui ſe per legatos dediderant, contra fas & fidem datam inermes ſecuroſque interfecit. Plurimi tunc quoque, vt non dicam innocentes, ſed etiam ipſius Syllanæ partis occiſi ſunt, quos fuiſſe pluſquam nouem millia ferunt. Ita liberæ per Vrbem cædes percuſſoribus paſſim vagantibus, Q. Catulus palam Syllæ dixit: Cum quibus tandem victuri ſumus, ſi in bello armatos, in pace inermes occidimus? Tunc L. Sylla authore Furfidio primipilari, primus infamem illam tabulam proſcriptionis induxit. Prima ſiquidem proſcriptio octoginta hominum fuit, in quibus quatuor Conſulares erant, Carbo, Marius, Norbanus, & Scipio, & inter eos Sertorius tunc maxime pertimeſcendus. Item alia cum quingentis hominibus propoſita eſt. Quam cum Lolius, quippe ſecurus nihilque ſibi conſcius, legeret, vbi ſuum repente nomen offendit, dum ſe trepidus adoperto capite foro ſubtrahit, interfectus eſt. Sed ne ipſis quidem tabulis fides ac finis malorum videbantur. Namque alios quos G proſcripſerant, iugulabant, alios autem poſtquam iugulauerant, proſcribebant, nec ipſius mortis erat via ſimplex, aut vna conditio, vt in nece ciuium ſaltem ius hoſtium ſeruaretur, qui nihil à victis preter vitam exigunt: Martium Marium ſiquidem de caprili caſa extractum vinciri Sylla iuſſit, ductumque trans Tyberim ad Lutaciorum ſepulchrum, effoſſis oculis membriſque minutatim confractis trucidari. Poſt hunc P. Letorius Senator, & Venuleius Triumuir occiſi ſunt, M. Marij caput Præneſte miſſum. Quo viſo C. Marius vltima deſperatione correptus, vbi à Lucretio obſidebatur, ne in manus inimicorum incideret, cum Teleſino mutua morte concurrit. Cumque violentius ipſe in concurrentem manus adigit, circa ſuum vulnus manus percutientis hebetauit. Ita eo interfecto ipſe leuiter vulneratus ceruicē ſeruo ſuo præbuit. Carrinatem Prætorem Sylla iugulauit. Inde Præneſte profectus omnes Marianæ militiæ principes, hoc eſt legatos, Queſtores, Præfectos & Tribunos iuſſit occidi. Rurſus pugnam grauiſſimam habuit contra Lampo- H nium & Carrinatem duces partis Marianæ ad portam collinam. Septuaginta millia hoſtium in eo prælio contra Syllam ſtetiſſe dicuntur. Duodecim millia ſe Syllæ dediderunt, cæteri in acie, in caſtris, in fuga inſatiabili ira victoris conſumpti ſunt. Cn. Pompeius Carbonem alterum Conſulem fugientem ab Arimino, & ad Coſſuram inſulam fugere conantem cepit, & in Siciliam tetractum, Complureſque cum eo ſocios eius occidit. Sylla cognita Pompeij adoleſcentis induſtria, annos viginti & vnum nati, tantis exercitibus præfecit eum, vt ſecundus à Sylla haberetur. Occiſo ergo Carbone Siciliam Pompeius recepit, & in Africam tranſgreſſus, eruptione facta circa Vticam, decem & octo milia hominum interfecit. Quo bello Domitius dux Marianus dum inter primores pugnat, occiſus eſt. Idemque Pompeius Hiarbam Numidiæ regem perſecutus fugientem à Bogude Bocchi Maurorum regis filio ſpoliari omnibus copiis fecit. Quem cōtinuo Bullam reuerſum tradito ſibi oppido interfecit.

Poſt

A Poſt hæc Sylla de Mithridate ingenti gloria triumphauit. Cn. etiam Pompeius quod nulli Romanorum tributum erat, quartum & viceſimum annum agens de Africa triumphauit. Sylla Dictator creatus eſt, vt dominationis & crudelitatis libido honeſti & præcipui nominis reuerentia & armaretur & velaretur, viſus eſt tandem priuatus. Creatis itaque P. Seruilio & Appio Claudio Coſſ. hoc fine concluſa ſunt duo bella funeſtiſſima, ſociale, Italicum, & ciuile Syllanum. Hæc per annos decem tracta ſunt. Conſumpſerunt autem vltra centum quinquaginta millia Romanorum, viros Conſulares triginta tres, Prætorios ſeptem, Ædilitios ſexaginta, Senatores ducentos, abſque innumeris Italiæ totius populis, qui ſine conſideratione deleti ſunt. Poſt hæc tamen, Sylla mortuo, Lepidus Marianæ partis aſſertor aduerſus Catulum Syllanum ducem ſurgens, rediuiuos bellorum cineres ſuſcitauit. Bis tunc acie concertatum eſt, plurimi Romanorum ipſa B iam paucitate miſerorum, & adhuc illo furore inſanientium cæſi ſunt. Albanorum ciuitas, pro eo quod illuc Scipio Lepidi filius confugiſſet, obſidione oppugnata eſt, atque excruciata fame vltima miſerabilium reliquiarum deditione ſeruata eſt. Brutus in ciſalpinam Galliam fugiens, perſequente Pompeio apud Regium interfectus eſt. Ita hoc bellum ciuile non magis clementia Catuli, quam tædio Syllanæ crudelitatis, vt ignis in ſtipula, eadem celeritate, qua exortum eſt, euanuit. Hoc tempore Hieroſolymis Alexandra vxor Alexandri regnabat, ex cuius ætate Iudæos rerum confuſio, & variæ oppreſſere clades.

Explicit Liber Quintus.

Incipit

LIBER SEXTVS.

C MArco Æmilio Lepido Q. Catulo Coſſ. annus ab Vrbe condita DCLXXIII. ſonantibus vndique nouis bellorum fragoribus, quorum vnum in Hiſpania erat, aliud in Pamphylia & Cilicia, tertium in Macedonia, quartum in Dalmatia. Nam Sertorius vir dolo atque audacia potens, cum partium Marianarum fuiſſet, timens fortunam cæterorum, qui interempti erant, fugiens ex Africa delapſus in Hiſpanias, bellicoſiſſimas gentes Hiſpaniæ in arma excitauit. Aduerſum hunc vt breuiter definiam, duo duces miſſi. Q. Cæcilius Metellus, filius eius qui Iugurtham regem vicit: & L. Domitius ab Hirtuleio Sertorij duce cum exercitu oppreſſus eſt, Manlius Procoſ. è Gallia in Hiſpaniam cum tribus legionibus, & mille quingentis equitibus tranſgreſſus, iniquam cum Hirtuleio pugnam conſeruit. A quo caſtris copiiſque nudatus, in oppidum Hilerdam pene ſolus refugit.

Poſtea cum impar pugnæ ſolus Metellus pugnaret, Cn. Pompeius ad Hiſpaniam miſſus eſt. Metellus multis præ- D liis fatigatus, per deuia oberrans, hoſtem mora fatigabat, donec Cn. Pompeij caſtris ſociaretur. Ita duobus ducibus aduerſis, Sertorius fortuna varia ſæpe pugnauit. Pompeius contracto apud Palentiam exercitu Lauronem obtinuit ciuitatem, quam tunc Sertorius ſuperato fugatoque Pompeio captam vi cruentiſſime depopulatus eſt. Reliquum agmen Lauronenſium quod cædibus ſuperfuerat, miſerabili captiuitate in Luſitaniam tranſduxit. Pompeium autem, hoc eſt, illum Romanorum ducem à ſe victum fuiſſe gloriatus eſt, quem magna præditum fiducia ad hoc bellum non pro Conſule, ſed pro Conſulibus Roma miſiſſet. Fuiſſe tunc Pompeij triginta millia peditum, mille equites Galba ſcribit: Sertorium autem ſeptuaginta millia peditum, octo millia equitum habuiſſe commemorat. Poſtea vero Hirtuleius cum Metello congreſſus apud Italicam Beticæ vrbem, viginti millia militum perdidit. Victuſque in Luſitaniam cum paucis refugit. Pompeius Belgidam Celtiberiæ vrbem cepit. Sertorius deinde cum Pompeio congreſſus, decem millia militum eius interfecit, ex alio cornu vincente Pompeio tantumdem ipſe perdidit. E Multa præterea inter eos prælia geſta ſunt. Memmius Quæſtor Pompeij, idemque vir ſororis eius, occiſus eſt. Hirtuleij fratres interfecti. Perpenna qui ſe Sertorio iunxerat, comminutus eſt. Poſtremo ipſe Sertorius octauo decimo anno belli inchoati, iiſdem quibus & Viriatus ſuorum dolis interfectus eſt. Finis huic bello datur per Cn. Pompeium adoleſcentem & Q. Metellum Pium, atque omnes prope Hiſpaniæ ciuitates in deditionem populi Romani redactæ: Romaniſque victoriam ſine gloria dedit. Quamuis Perpennam poſtea pars exercitus eius ſecuta ſit, qui à Pompeio victus cum vniuerſo exercitu ſuo interfectus eſt. Ciuitatibus vero cunctis vltro ac ſine mora per deditionem receptis, duæ tantum reſtiterunt, hoc eſt Vxamia & Calagurris: quarum Vxamiam Pompeius euertit: Calagurrim Afranius iugi obſidione confectam, atque ad infamem eſcam miſeranda inopia coactam, id eſt, vxorum cadauera atque liberorum facientes ſibi cibos, vltima cæde incendioque deleuit. Percuſſores Sertorij præ- F mium ne petendum quidem à Romanis eſſe duxerunt quippe qui meminiſſent antea Viriati percuſſoribus denegatum; Interea Macedonicum bellum Appius Claudius ſortitus, leuia prælia habuit contra varias gentes, quæ Rhodopam prouinciam incolebant, & Macedoniam crudeliſſime depopulabantur: nam inter cætera dictu auditque horrenda, quæ in captiuos agebant, raptis quum poculo opus eſſet, humanorum capitum oſſibus cruentis, capillatiſque adhuc, ac per cauernas male effuſo cerebro oblitis, vtebantur: quarum cruentiſſimi atque immaniſſimi Scordiſci erant. Has itaque, vt dixi, Claudius pellere Macedoniæ finibus bello putauit, magniſque ſe molibus obiecit malorum. Vnde cum animo æger & curis circumſeptus, morbo inſuper correptus eſſet, interiit. Miſſus eſt ei ſucceſſor C. Scribonius Curio poſt Conſulatum, qui attentatarum ſuperiore bello gentium vim declinans in Dardaniam arma conuertit, eamque ſuperauit, & vſque ad Danubium penetrauit, & intra trienniũ G bello finem dedit. Ad Ciliciam & Pamphyliam miſſus eſt P. Seruilius ex Conſule vir ſtrenuus. Is ergo Ciliciam, & Pamphyliam crudeliſſime adortus, dum ſubdere ſtudet, pene deleuit, Ciliciam & vrbes eius obſeſſas oppreſſaſque cepit. Præterea Olympum montem peruagatus, Phaſelidem euertit, Coricum diruit. Tauri quoque montis latera in Ciliciam vergentia peruagatus, Iſauros bello fractos in deditionem redegit, atque intra triennium bello finem dedit. Primus omnium Romanorum per Taurum duxit exercitum, ac limitem itineris fecit. Is reuertens triumphum accepit, & nomen Iſaurici meruit. At in Illyricum miſſus eſt C. Coſconius pro Conſule. Is protrita, ſubactaque Dalmatia, Salonas vrbem florentiſſimam poſt biennium tandem expugnauit & cepit, & compoſito bello Romam rediit. Iiſdem temporibus Cos. M. Æmilius Lepidus Catuli collega ciuile bellum voluit commouere, intra vnam tamen æſtatem motus eius oppreſſus eſt. Ita vno tempore multi ſimul triumphi fuerunt: Metelli de Hiſpania, Pompeij ſecundus de Hiſpania, Curionis ex Macedonia, Seruilij ex Iſauria. Anno Vrbis cõ- H ditæ DCLXXVI. L. Licinio Lucullo, & M. Aurelio Cotta Coſſ. mortuus eſt Nicomedes Rex Bithyniæ, & teſtamento populum Romanum fecit hæredem. Interea Fimbria Marianorum ſcelerum ſatelles, homo omnium audaciſſimus, Flaccum Conſulem, cui legatus erat, apud Nicomediam occidit: ac mox arrepto exercitu Mithridatis filium ex Aſia ad Nicopolim fugat, ſtationem Mithridatis inuadit, ipſumque è Pergamo pellit, fugientemque inſequutus, apud Bithyniam obſedit. Et profecto cepiſſet, ſi L. Lucullus ciuilibus diſcordiis curam Reipublicæ prætuliſſet, eumque mari coartare obiecta claſſe voluiſſet. Inde Fimbria Ilienſibus iratus, à quibus pro Syllanæ partis ſtudio obiectu portarũ repulſus videbatur, ipſam vrbem Ilium, antiquam illam Romæ parentem, funditus, cæde incendioque deleuit. Sed eam Sylla continuo reformauit. Idem Fimbria apud Thyatiram cum ſuo exercitu, Fimbriæque profugi Mithridati ſeſe adiunxerunt, quorum hortatu Mithridates cum Sertorio per

legatos

A legatos in Hiſpaniam miſſos fœdus pepigit. Sertorius ad
eum M. Marium firmandi fœderis cauſa miſit, quem rex
apud ſe retentum breui ducem fecit in locum Archelai,
qui ſe iam ad Syllam cum vxore & liberis contulerat. In-
terea Mithridates rupta pace Bithyniam & Aſiam rurſus
voluit inuadere: Marium & Eumachum duces ſuos ad-
uerſum Lucullum & Cottam Coſſ. miſit cum magno
exercitu. Sed ambo Conſules aduerſus eos non vnam
habuere fortunam. Cotta apud Chalcedonem victus ab
eis acie, plurimis perditis, etiam intra oppidum coactus
eſt, & obſeſſus. Mithridates Cizicum obſidendo foſſa
cinxit, vt Cizico capto totam Aſiam inuaderet. Lucullus
eum alter Coſ. à tergo obſedit, & multis prælíis vicit, fa-
meque conſumpſit, eumque quod faciebat, pati compulit,
atque ad ipſos Cizicenos, vt bono animo eſſent nuntium
miſit, vnum ex militibus natandi peritum, qui duobus
vtribus ſuſpenſus, mediam ipſe regulam tenens, plantiſ-
que ſubremigans, ſeptem millia paſſuum tranſmeauit. Mi-
B thridates inopia laborans, claſſis partem copiarum inſtru-
ctam armis, domum abire præcepit. Quam Lucullus ex-
cipiens, vniuerſam diſperdidit. Nam amplius quam quin
decim millia hominum tunc interfeciſſe narratur. Tunc
etiam Fannius, qui ſe Mithridati iunxerat, & Metrapha-
nes regius Prætor à Mamerco victi, cum duobus milli-
bus equitum in Meſiam profugerunt, atque à via digreſſi
in campos, colleſque arenoſos inciderunt: vbi non ſo-
lum montes vaſti vel ſaxa, quaſi quadam fuligine obfuſ-
cata cernuntur, verum etiam ambuſto ſolo ſqualidi per
quinquaginta millia paſſuum campi ſine vllo ignis vel
fornacis incendio, & pendulo in profundum cinere pu-
tres iacent: tribus etiam locis torridæ voragines oſten-
duntur, quas Græci Piſas vocant: in quibus diu oberran-
tes, inopinatis tandem periculis exempti ſunt, & clam in
regis caſtra venerunt. Deiotarus rex Gallogræciæ præfe-
ctos regis bello trucidauit. Interea Mithridates apud Ci-
zicum eadem hora qua obſidebat obſeſſus, in magnam
penuriam, peſtilétiamq; exercitum ſuum coarctauit. Nam
C pluſquam CCC. M. hominum fame & morbo in eadem
obſidione amiſiſſe fertur. Ipſe cum paucis arrepta naui,
clam fugit è caſtris: Lucullus incruento milite ſpectator
cladis alienæ, nouum genus victoriæ adeptus eſt. Mox
Marium adortus vicit, fugauitque. In quo prælio pluſ-
quam vndecim millia Marianorum militum interfecta
referuntur. Lucullus poſtea cum eodem Mario nauali
prælio congreſſus, triginta & duas naues regias & com-
plures onerarias aut cepit, aut demerſit. Multi ex his quos
Sylla proſcripſerat, ibi interempti ſunt. Marius poſtera die
de ſpelunca vbi latebat, extractus, meritas hoſtilis animi
pœnas luit. Eodem vero impetu Lucullus Apamiam va-
ſtauit, & ſub monte Olympo Pruſiada munitiſſimam ci-
uitatem captam expugnatamque diruit. Mithridates ad-
uerſus Byzantium inſtructa claſſe nauigans tempeſtate
correptus, octoginta roſtratas naues perdidit. Ipſe autem
quum quaſſata naui iam mergeretur, in myoparonem Se-
leuci piratæ, ipſo pirata iuuante tranſiliuit. Inde Sinopen,
ac poſt Amiſon cum magna difficultate peruenit. Eodem
D anno apud Romam Catilina inceſti accuſatus, quod cum
Fabia veſtali virgine commiſiſſe arguebatur Catuli gratia
fultus euaſit.

Anno ab Vrbe condita, DCLXXVIII. Macedoniam
prouinciam M. Licinius Lucullus accepit, conſobrinus
eius qui contra Mithridatem bellum geſſerat: & in Italia
nouum bellum ſubito commotum eſt. Gladiatores enim
ſeptuaginta & quatuor Capuæ à ludo Cn. Lentuli effra-
cto capite diffugere, qui continuo ducibus Crixo & Ti-
nomao Gallis & Spartaco Thrace Veſuuium montem
occupauerunt. Vnde erumpentes, Clodij Prætoris, qui
eos obſidione cinxerat, caſtra expugnauerunt ipſoque fu-
gato cuncta illius in prædam verterunt. Inde per Conſen
tiam & Metapontum circumducti, ingentia breui agmina
collegerunt. Nam Crixo decem millium multitudo. Spar-
taco autem triplex numerus fuiſſe fertur: Tinomaus enim
iam in ſuperiore bello fuerat occiſus. Hi itaque cum cæ-
dibus, incendiis, rapinis, ſtupriſque omnia miſcerent, in
exequiis captiuæ matronæ, quæ ſe dolore violari pudoris
necauerat, munus gladiatorum ex quadringentis captiuis; E
ſcilicet & quod ſpectandi fuerant, ſpectaturi, vtpote lani-
ſtæ gladiatorum potius quam militum principes, edidere.
Deinde Coſſ. Gellius & Lentulus aduerſus eos cum exer-
citu miſſi: quorum Gellius Crixum acerrime pugnan-
tem prælio oppreſſit, Lentulus à Spartaco duce ſuperatus
aufugit. Poſt etiam collatis fruſtra ambo Coſſ. copiis, acce-
pta clade fugerunt. Dehinc C. Caſſium Proconſulem
idem Spartacus bello oppreſſum interfecit. Itaque exter-
rita ciuitas non minore propemodum metu quam ſub
Hannibale circa portas fremente trepidauerat. Senatus M.
Licinium Craſſum cum legionibus Conſulum, nouoque
ſupplemento militum miſit. Is mox vt pugnam fugitiuo-
rum iniit, ſex millia eorum interfecit, octo vero millia
cepit. Inde priuſquam ipſum Spartacum ad caput Silari
fluminis caſtra metantem bello aggrederetur, Gallos au-
xiliatores eius Germanoſque ſuperauit, è quibus triginta
millia hominum cum ipſis ducibus occidit. Nouiſſime
ipſum Spartacum in Apulia, diſpoſita acie congreſſum,
maximaſque cum eo fugitiuorum copias perculit. Nam
ſexaginta millia eorum cæſa, ſex millia capta referuntur, F
tria millia ciuium Romanorum recepta ſunt. Cæteri qui
ex hoc bello lapſi oberrabant, per complures duces fre
quenti indagine attriti, & poſt multas calamitates Italiæ,
tertio anno bello huic finis impoſitus. Anno ab Vrbe
cond. DCLXXXI. duo tantum grauia bella in imp. Ro
mano erant, Mithridaticum & Macedonicum. Hæc duo
Luculli agebant. L. Lucullus & M. Lucullus. L. vero Lu-
cullus poſt pugnam Cizicenam, qua vicerat Mithrida-
tem, & naualem qua duces eius oppreſſerat, perſecutus
eſt eum, & recepta Paphlagonia & Bithynia etiam reg-
num eius inuaſit. Sinopen & Amiſon ciuitates Ponti no-
biliſſimas cepit. Sed Sinopen Seleucus archipirata, &
Lochares Spado, qui præſidij cauſa præerant, expilatam
atque incenſam reliquerunt. Lucullus miſerorum ho-
ſtium inteſtina clade permotus, celeri occurſu immiſſum
reſtinxit incendium. Ita miſera ciuitas, verſa vice hoſtium G
ſociorumque, vnde defendenda diſperdita, & vnde diſper-
denda, ſeruata eſt. Præterea Lucullus tranſgreſſus Eufraten
& Tigrim ſecundo prælio apud Cabira ciuitatem Tigra-
nis, quo ingentes copias ex omni regno adduxerat Mi-
thridates, cum Mithridate & Tigrane congreſſus paruiſ-
ſima ſuorum manu magnum hoſtium numerum occidit.
Nam triginta millia hominum in eo bello interfecit. Mi-
thridates vix ſexcentis equitibus comitatus aufugit, dia-
demate & thiara ne agnoſceretur abiectis. Caſtra eius
direpta. Armenia quoque minor, quam tenuerat, eidem
ſublata eſt. Suſceptus tamen eſt Mithridates poſt fugam
à Tigrane rege Armeniæ, qui tunc ingenti gloria impe-
tabat, & Perſas ſæpe vicerat: Meſopotamiam & Syriam,
& Phœnicis partem occupauerat. Ergo Lucullus repe-
tens hoſtem fugatum, imminente hyeme, etiam regnum
Tigranis, qui Armeniis imperabat ingreſſus eſt, Tigrano-
certam ciuitatem Arzianæ nobiliſſimam regni Armenij
cepit. Ipſum regem cum ſeptem millibus quingentis H
clibanariis, & centum millibus ſagittariorum & armato-
rum venientem, cum decem & octo millibus militum
vicit, ita vt magnam partem Armeniorum deleuerit. Inde
Niſibin profectus, eam quoque ciuitatem cum regis fra
tre cepit. Sed hi quos in Ponto Lucullus reliquerat cum
exercitus parte, vt regiones victas Romanorum tueren-
tur, negligenter & auare ſe agentes, occaſionem iterum
Mithridati in Pontum irrumpendi dederunt. Atque ita
bellum renouatum eſt. Lucullo paranti poſt captam Ni-
ſibin contra Perſas expeditionem ſucceſſor eſt miſſus. Eo-
dem tempore Metellus Siciliæ Prætor cum fœdiſſima illa
C. Verris prætura Siciliam afflictam inueniſſet maxime
Pirganionem archipiratam nefariis cædibus lacerantem,
qui pulſa claſſe Romana Syracuſanum portum obtinue-
rat, mox eum nauali pedeſtrique prælio comminutum Si-
cilia decedere cõpulit. Alter autem Lucullus, qui Curioni
ſucceſſerat, Beſſis primus Romanorum intulit bellum, at-
que eos ingenti prælio in monte Hæmo ſuperauit: oppi-
dum Vſcudamam, quod Beſſi inhabitabant, eodem die quo
aggreſſus eſt, vicit. Cabulem cepit, & vſque ad Danubium

A penetrauit. Expugnauit etiã gentes, quæ Rhodopeis mótibus erant circufuſæ, quas Claudius iam Macedoniæ finibus pellere putauit. Inde multas ſupra Pótum poſitas ciuitates aggreſſus eſt. Illic Apolloniã euertit, Calathiã, Parthenopolim, Thomos, Hiſtrum, Burchaoné cepit, belloque confecto Romam rediit. Ambo Coſſ. magnifice triumphauerunt. Lucullus qui contra Mithridatem pugnauerat, maiore gloria, quum tantorum regnorum victor rediiſſet. Confecto bello Macedonico, manente Mithridatico quod recedente Lucullo rex collectis auxiliis reparauerat, bellum Creticum ortum eſt. Ad id miſſus Cæcilius Metellus, ingentibus præliis intra triennium totam inſulam cepit, legeſque Minois, Romanis legibus permutauit, appellatuſque eſt Creticus, atque ex inſula Crete triumphauit. Quo tempore Lybia quoque Romano imperio per teſtamentum Appionis, qui rex eius fuerat, acceſſit: in qua inclytæ vrbes fuerant, Berenice, Ptolemais & Cyrene. Dum hæc aguntur, piratæ per omnia ſparſi mab ria & iam intercipientes nauium commeatus, ſed etiam inſulas prouinciaſque vaſtantes impunitate ſcelerum, & cupiditate prædæ vulgo ſeſe aſſociantibus, in immenſum augebantur. Quare id bellum Cn. Pompeio decretum eſt, qui id poſt multam vaſtationem, quam terra marique diu egerant, intra paucos menſes ingenti felicitate & mira celeritate confecit. Poſtea ſucceſſor Luculli factus, in minore Armenia iuxta montem Daſtracum, caſtra Mithridatis obſidione concluſit. Rex cum omnibus copiis, eruptione per noctem facta, inſuper etiam perſequentem bello repellere ſtatuit, ſed Pompeius fugientem perſequi intendit. Itaque bellum nocte commiſſum eſt, Luna tunc orta à tergo Romanis erat, & milites Mithridatis longitudine vmbrarum proximitatem hoſtium rati cuncta in irritum tela fudere. Romani velut inermes poſtea aggreſſi, ſine labore vicerunt, caſtraque ceperunt. Namque de exercitu Mithridatis quadraginta millia cæſa vel capta ſunt, Romani mille vulnerati, vix autem quaC draginta interfecti, & duo centuriones. Mithridates inter tumultus belli fuga lapſus adiutus etiam beneficio ſublustris noctis, euaſit. Relictuſque ab omnibus amicis, philoſophis, ſcriptoribus rerum vel carminum, ac medicis, ſolus per deuia equum manu trahens, atque ad omnes nocturnos ſtrepitus trepidans, in quoddam caſtellum diuertit, atque in Armeniam inde perrexit. Pompeius Mithridatem inſequutus inter duo flumina, quæ ab vno monte diuerſis ſpecubus exoriuntur, hoc eſt, Euphratem & Araxen, vrbem Nicopolim ſenibus, lixis & ægris volentibus condidit. Horodis Albanorum regis exercitum præfectoſque eius ter prælio vicit. Poſtea Horodis epiſtolas & munera pro pace cum Albanis inſtauranda libenter accepit, veniamque ei & pacem dedit. Artacem regem Hiberiæ prælio fudit, totamque Hiberiam in deditionem accepit: Armeniam minorem Deiotaro Galatiæ regi donauit, quia ſocius belli Mithridatici fuit. Attalo & Pylemeni Paphlagoniam reddidit. Ariſtochum D Colchis impoſuit. Mox de Ponto promouens Parthiam Ecbatana vrbem caput Parthici regni quinquageſimo die peruenit. In Boſphoro Mithridate Cerealia ſacra celebrãte, terræ motus adeo grauis repente exortus eſt, vt magna clades ex eo vrbium atque villarum ſequuta narretur. Eodem tempore Caſtor Mithridatis præfectus, qui Phanagoriæ præerat, interfectis amicis regis, arcem occupauit, & quatuor filios Mithridatis ad præſidia Romana tranſmiſit. Mithridates accenſus ira in ſcelera exarſit. Nam cum plures tunc amicos ſuos, necnon Hypodran filium ſuum interfeciſſet, cum antea iam alio Macharem parricidio trucidaſſet, Pharnaces alter filius eius, exemplo fratrum territus, exercitum ad perſequendum ſe miſſum ſibi conciliauit, & mox aduerſus patrem duxit. Iuſto iudicio, quia ille aduerſus patrem ſuum de regni iure certauit. Interea Mithridates diu ex altiſſimo muro filium fruſtra precatus, vbi inexorabilem vidit, moriturus exclamaſſe fertur: Quoniam Pharnaces inquit mori iubet, vos, ſi eſtis patrij dij, precor, vt quandoque & ipſe hanc vocem à filiis ſuis audiat. Statimque deſcendens ad vxores pellices ac filias ſuas, venenum omnibus dedit. Quod E cum ipſe nouiſſimus habuiſſet, nec tamen propter remedia quibus vitalia ſua aduerſus noxios ſuccos ſæpe obſtruxerat, veneno confici poſſet, fruſtraque quateretur, ſi quo tandem modo infuſa peſtis per venas vegetatione corporis acta diſcurreret, Gallum quendam militem iam fracto muro diſcurrentem inuitauit, eique iugulum præbuit. Hunc exitum vitæ Mithridates habuit, nobiſque ſcientiæ ſuæ fortiſſimum argumentum reliquit, homo omnium, vt fertur, ſtudioſiſſimus: qui duarum, & viginti gentium linguis, quas ſub regno habuit, locutus eſt, ita vt nunquam legationes ſub interpretibus audiret. Periit apud Boſphorum vir ingentis induſtriæ conſiliique: regnauit annis quadraginta: alij dicunt triginta. no ab Vrbe condita DCLXXXIX. M. Tullio Cicerone oratore & C. Antonio Coſſ. Pompeius occiſi Mithridatis nuntio accepto, Tigrani bellum intulit. Ille autem ſtatim ſe ei dedidit, & in caſtra Pompeij ſexto decimo miliario ab Artaxata venit, ac diadema ſuum cum procuF biſſet ad genua Pompeij, in manibus ipſius collocauit. Quod ei Pompeius repoſuit, magnificeque eum habitum, regni tamen parte multauit, & grandi pecunia. Adempta eſt ei Syria, Cœlen, Phœnices, Sophene. Sex millia præterea talentorum auri & argenti populo Romano dedit, quia bellum ſine cauſa Romanis commouiſſet. Mox Ituræos & Arabas vicit, vrbemque eorum quam Petram nominant, cepit: & cum veniſſet in Syriam, Seleuciam vicinam Antiochiæ ciuitatem libertate donauit, quod regem Tigranem non recepiſſet: Antiochenſibus obſides reddidit: aliquantulum agrorum Damaſcenſibus, dedit, quo lucus ibi ſpatioſior fieret, delectatus loci amœnitate, & aquarum abundantia. Inde ad Iudæam tranſgreſſus eſt: cui Ariſtobulus expulſo fratre Hircano primus ex ſacerdote rex præerat: atque ad Hieroſolymam vrbem eorum Gabinium cum exercitu mittit. Ipſe continuo ſubſequutus, & à patribus vrbe ſuſceptus, ſed à plebe muro templi expulſus, oppugnationem eius intendit. Id non ſolum natura loci, verum etiam ingenti muro foſſaque G maxima munitum, cum alias aliis legiones dies noctéſque ſuccedere iuberet, ſine requie, vix tertio menſe expugnauit; quatuordecim millibus Iudæorum interfectis, cætera multitudo ſe dedidit: muros ciuitatis euerti, æquarique ſolo imperauit, cuius circuitus quatuor millia paſſuum dicitur fuiſſe. Cumque aliquantos principes Iudæorum ſecuri percuſſiſſet, Hircano ſacerdotium reſtituit, Ariſtobulum captiuum Romam perduxit. Hoc bellum Orientis cum viginti & duobus regibus ſeſe geſſiſſe ipſe Pompeius pro concione narrauit.

Interea L. Sergius Catilina, nobiliſſimi generis, ſed ingenij prauiſſimi, ad delendam patriam coniurauit cum quibuſdam claris quidem, ſed audacibus viris. Cuius cõiuratio per eoſdem dies in vrbe habita ac prodita eſt: in Hetruria vero ciuili bello extincta eſt, ſed à Cicerone Catilina Vrbe expulſus eſt, ſocij eius comprehenſi, & in carcere ſtrangulati ſunt. Ab Antonio altero conſule Catilina ipſe in bello victus & interfectus eſt. Sed hanc hiſtoriam agente Cicerone, & deſcribente Saluſtio ſatis omH nibus notam, nunc à nobis fuiſſe perſtrictam ſat eſt. Motus etiam in Pelignis ortus à Marcellis patre & filio, per L. Betium proditus, patefacta Catilinæ coniuratione, quaſi ſucciſa radice compreſſus eſt: & de vtroque per Bibulum in Pelignis, per Ciceronem in Brutiis vindicatum. Anno ab Vrbe cond. DCXC. D. Iunio Syllano, & L. Murena Conſulibus, Metellus de Creta triumphauit. Pompeius de bello Piratico, Mithridatico. Nulla vnquam pompa triumphi ſimilis fuit. Ducti ſunt ante currum eius filij Mithridatis, & filius Tigranis, & Ariſtobulus rex Iudæorum. Prælata eſt ingens pecunia, & auri atque argenti infinitum. Hoc tempore nullum per orbem terrarum graue bellum erat.

Anno ab Vrbe condita DCXCIII. C. Iulius Cæſar, qui poſtea imperauit, cum L. Bibulo Coſ. eſt factus. Decreta eſt ei Gallia tranſalpina & ciſalpina, & Illyricum cum legionibus denis in quinquennium datis: Galliam comatam poſtea Senatus adiecit. Hanc hiſtoriam Suetonius Tranquillus pleniſſime explicuit, cuius nos compe-

tentes

A tenteſ portiũculas decerpſimus.Heluetiorum animos,for-
tiſſimos Gallorũ omniũ gentis,ea vel maxime cauſa quod
perpetuo pene cũ Germanis bello altercabantur,à quibus
Rheno tantum flumine dirimuntur, Orgetorix quidam
princeps gentis,ſpe totas inuadendi Gallias in arma accẽ-
derat. Quo cæteri optimates correpto & ad mortem coa-
cto,cohibere tamẽ animatas ſemel in prædam plebes ne-
quiuerunt.Qui cõiuratione facta,ac die dicta exuſtis vicis
& domibus ſuis,ne quod deſiderium & ſpes reuertẽdi fo-
ret,profecti ſunt. Quos cum ad Rhodanum fluuium Cæ-
ſar obuios habuiſſet,magno difficilique bello bis vicit,vi-
ctos ad deditionem coëgit. Horum fuit,cum primũ pro-
greſſa eſt omnis multitudo,Heluetiorum, Tulingorũ, La-
tobrigum,Rauracorum & Boiorum,vtriuſq; ſexus,ad cen-
tum quinquaginta ſeptẽ millia. Ex his quadraginta & ſe-
ptem millia in bello cecidere:cæteri in terras proprias re-
miſſi ſunt. Poſtea Cæſar cõtra Ariouiſtum regem pugnãs,
excitantem inuehentemq; ſecum incredibiles Germano-
B rum copias,quibus nuper vniuerſos Galliarum populos ſe
ſubegiſſe iactabat,apud Sequanos fugere compulit.Cum-
que diu exercitus Cæſaris Germanorum multitudine &
virtute perterritus,pugnam detrectaſſet,Ariouiſtus in Ger-
maniam arrepta nauicula Rhenum tranſuectus aufugit.
Vxores eius duæ,totidemque filiæ captæ ſunt.Fuerunt au-
tem in exercitu Ariouiſti, Arudes, Marcomanni,Triboci,
Vangiones,Nemetes,Sebuſij& Sueui:Pugna maxime gra-
uis ex phalange Germanorum fuit,quam coacto in vnum
agmine,ſcutiſque ſupra capita contextis,ad irrumpendam
Romanorum aciem tuti vndique præſtruxerant.Sed poſt-
quam Romanorum aliqui militum agilitate audaciaq; in-
ſignes,ſupra obductam ſalire teſtudinem,ſcutiſque velut
ſquamis ſingillatim reuulſis, deſuper nudos deprehenſorũ
detectorum humeros perfoderũt:territi hoſtes nouo mor-
tis periculo terribilem diſſoluere cõpagem. Exinde in fu-
gam verſi, per quinquaginta millia paſſuum inſatiabiliter
cæſi ſunt.Neq; coniici numerus Germanorum potuit,vel
quantus pugnæ affuerit,vel quantus fuerit occiſorum.Poſt
C hæc Belgarum gens, quæ tertia pars Galliarum eſt, aduer-
ſus Cæſarem exarſit, quorum diſtributim copia hæc fuit.
Bellouaci qui cæteris numero & virtute præſtare viderẽ-
tur, habuere lectiſſima ſexaginta millia armatorum:Sueſ-
ſiones ex duodecim oppidis quinquaginta millia: Neruij
quorum adeo feritas prædicabatur, vt nunquam merca-
tores ad ſe accedere ſinerent, vina, cæteraque venalia de-
ferri, quibus inducta iocunditas corporem virtutis affer-
ret,habuere ſimiliter quinquagintà millia: Atrebates etiã
& Ambiani decem millia:Morini viginriquinque millia:
Menapij decem millia:Caleti decem millia: Velocaſſes &
Veromandui decem millia: Atuatici XVII.millia:Cõdurſi
& Eburones atque Cereſi & Pemani, qui vno nomine
Germani vocantur,quadraginta millia.Ita omnes in ſimul
fuiſſe referuntur ducenta octuaginta duo millia armatorũ
lectiſſima. His igitur repente è ſyluis erumpentibus,exer-
citus Cæſaris perturbatus,atque in fugam actus, plurimis
ſuorum amiſſis, tamen hortatu ducis reſtitit, victoreſque
aggreſſus,vſq; ad internecionem pene deleuit. Igitur Cæ-
ſar magnis in Gallia rebus geſtis, cum in Italiam profici-
D ſci decreuiſſet,Galbam cum legione duodecima ad Vera-
gros Sedunoſque miſit. Qui cum hiemandi cauſa in vico
Veragrorum, cui nomen erat Octodorus,conſediſſet,me-
diumq; oppidi,quod torrente diſtinguebatur,accolis con-
ceſſiſſet, quadam die eoſdem deceſſiſſe pariter per noctẽ,
ac proximo inſediſſe colli videt. Quippe illi paucitatem
vix mediæ legionis deſpectui habentes, vltroneam nullo
ceſſuram negocio victoriam arbitrabantur, finitimoſque
ſuos in hanc cædis & prædæ ſocietatem vocauerant.Igitur
Galba tam præſentibus & grauibus periculis circumſtãte
ac trepido, atque inter varias conſultationes certi conſilij
incerto repente Galli deſcenſu montis effuſi, caſtra im-
perfecta circumdant, raros per vallum propugnatores ſa-
xis teliſque onerant. Cumq; iam caſtra irrumperent, Pa-
cuuij primipilaris, & Voluſeni Tribuni conſilio, cunctis
Romani portis eruperunt,incautoſque ſubito aggreſſi ho-
ſtes primum perturbauerunt:deinde in fugam verſos miſe-
rabili ſtrage fuderunt:nam amplius quam XXX. M. Bar-
barorũ tunc cæſa referuntur.Igitur Cæſar cum iam paca- E
tas vniuerſas Galliarũ gentes putaret,ad nouum & maxi-
mum bellum retractus eſt.Namq; cum P.Craſſus adoleſ-
cens cum legione ſeptima Oceano vicinus apud Andega-
uos hiemaret: Veneti cæteriq; confines repente in arma
coniurant,legatos Rom.vinciunt,eoſq; ita demum ſe red-
dituros,ſi obſides ſuos recipiant,Romanis indicãt. Socios
ad id bellum Oſiſmios,Lexouios,Nannetes,Ambibaritos,
Morinos,Diablintes& Menapios adſciſcunt:auxilia quo
que à Britannia arceſſunt.Cæſar per Craſſum de rebellio-
ne deditarum gentium certior factus, quamuis intellige-
ret, quanta ineundi belli difficultas eſſet, tamen rem tanti
negocij non negligendã ratus eſt, ne cæteri exemplo hu-
iuſmodi audendi licentia laxarentur. Itaq; terreſtri prælio
perſequi hoſtes fruſtra adgreſſus, quippe cum hoſtes per
interfuſa ex Oceano æſtuaria atq; inacceſſos receſſus;tu-
tis terrarum finibus munirentur:naues longas ædificari in
Ligeri fluuio iubet, per quem in Oceanum mitterentur.
Quæ mox vt hoſtibus viſæ ſunt, continuo ducentæ XX. F
naues eorũ paratæ,atq; omni genere armorum inſtructiſ-
ſimæ progreſſæ portu ex aduerſo reſtiterunt. Bruto circu-
ſpicienti imparem longe nauiũ eſſe conflictum, quia Bar-
barorum naues ſolido robore intextæ,ſaxorum modo ad-
actos roſtrorum ictus retundebant, hoc primum auxilio
fuit, quod falces acutiſſimas non pertinaciter contis præ-
fixas,funibus autem ſubnexas parauerat, quibus quũ opus
eſſet,apprehẽſos eminus rudentes ſubductis haſtilibus per
funem falcem rettahendo ſuccideren.His celeriter expe-
ditis, diſrumpi hoſtilium antennarum armamenta præce-
pitata antennis ruentibus,complures ilico naues velut ca-
ptas immobiles reddidit.Alij hoc periculo territi ſuſpẽſis
velis, qua ventus intenderet, fugere conati ſunt. Ceſſante
vento ludibrio fuere Romanis. Itaq; incenſis omnibus na-
uibus,& interfectis qui pugnauerant.Galli reliqui ſeſe de-
diderũt.Sed Cæſar maxime ob iniuriam legatorum, & vt
genti ad omnia conſilia mobili, terribilis exempli notam
inureret,cũctis principibus tormentis interfectis,reliquos
ſub corona vendidit.His diebus Titurius Sabinus legatus
Cæſaris,Aulercos,Eburonices, Lexouioſque,qui primates G
ſuos,cum auctores belli reſuſcitandi eſſe nollent, interfe-
cerant, eruptione facta, incredibili cæde deleuit. P. vero
Craſſus, cum in Aquitaniam perueniſſet, bello exceptus
eſt.Namque Sociates magno equitatu pedeſtribuſque co-
piis præualidis Romanos adorti, diu grauiter perturbaue-
runt.Poſt victi,atque in oppidum Sociatum coacti obſeſ-
ſique,cum ſe expugnari viderent,armis traditis in deditio-
nem recepti ſunt. Aquitani clade permoti vndique exer-
citum contrahunt, de citeriori quoque Hiſpania auxilia
acceſſunt. Duces eos bello præficiunt, qui cum Sertorio
militauerant. Hi omnes dum obſidionem Craſſo parant,
in caſtris ſuis Craſſo obtinente deleti ſunt. Nam ex Aqui-
tanis & Cautabris, quorum quinquaginta millia tunc in
auxilium venerant, triginta & octo millia cæſa referun-
tur. Cæſar Germanos qui Rhenum cum immenſis copiis
tranſierant, ſimul & totas Gallias ſubiicere ſibi parabant, H
bello adorſus, vſque ad internecionem cecidit, quorum
fuiſſe numerum ad quadringenta quadraginta millia fe-
runt. Tunc Cæſar in Germaniam facto ponte Rhenum
tranſgreditur. Sicambros & Vbios obſidione liberat:Sue-
uos maximam & ferociſſimam gentem,quorum eſſe cen-
tum pagos & populos multi prodidere, totamque Ger-
maniam aduentu ſuo terret.Mox in Galliam reſciſſo pon-
te ſe recepit.Domuit autem annis nouem omnem Galliã,
quæ inter Alpes, flumenque Rhodanum Rhenumque &
Oceanum eſt,& circuitu patet ad bis tricies centena mil-
lia paſſuum. Inde ad Morinos venit,vnde ad Britanniam
proximus & breuiſſimus tranſitus eſt. Nauibus circiter
onerariis atque actuariis octoginta præparatis in Britan-
niam tranſuehitur,Britanniſque bellum infert,quibus ante
eum ne nomen quidem Romanorum cognitum erat. Ibi
acerba pugna primum fatigatus,deinde aduerſa tempeſta-
te correptus,plurimam claſſis partem,& non paruum nu-
merum militum, equitatũ vero pene omnem diſperdidit.
Regreſſus in Galliam legiones in hyberna dimiſit,ac DC.
naues vtriuſque commodi fieri imperauit.Quibus iterum

A io Britanniā primo Vere tranſuectus, dum ipſe in hoſtē cū exercitu pergit, naues in ancoris, ſtantes tempeſtate correptæ, vel colliſæ inter ſe, vel harenis illiſæ ac diſſolutæ ſunt, ex quibus XL. perierunt, cæteræ cum magna difficultate reparatæ ſunt. Interea Sceua miles Cæſaris cum quatuor commilitonihus nauicula ante tranſuectus eſt ad ſcopulū inſulæ propinquū, atq; interea receſſu Oceani deſtitutus eſt: Compluſes Britanni in paucos Romanos impetū faciunt: cæteri tamen, qui pertati comites ipſius fuerant, nauigio redeunt. Sceua imperteritus manet, vndiq; telis obrutus: ac primo pilo reſtitit, poſtremo gladio rem gerit ſolus in plures. Cumq; feſſus vulneratuſq; eſſet, & galeam ac ſcutum ictibus perdidiſſet, cum duabus loricis natauit ad caſtra Cæſaris, popoſcit ab imperatore veniam pro temeritate: quem Cæſar centurionatus honore ſubuexit. Igitur Cæſaris equitatus primo congreſſu à Britannis victus, ibique Labienus Tribunus occiſus eſt. Secundo prælio cum magno ſuorum diſcrimine victos Britānos in fugam vertit.

B Inde ad flumen Tameſim eſt profectus, quem vno tātum loco tranſmeabilem ferunt. In vltiore ripa fluminis cum Caſſobeliauno duce immenſa hoſtiū multitudo cōſederat, ripamq; fluminis, ac pene totum ſub aqua vadum acutiſſimis ſudibus præſtruxerant. Quod vbi à Romanis deprehenſum ac vitatum eſt, Barbari legionum impetum non ferentes, ſyluis ſe abdidere, vnde crebris eruptionibus Romanos grauiter ac ſæpe lacerabant. Interea Trinouantū firmiſſima ciuitas, cum Androgorio duce, datis quadraginta obſidibus Cæſari ſe dedidit. Quod exēplum ſequutæ vrbes aliæ complures in fœdus Romanorum venerūt, obſidibuſq; datis ſtipendiariæ factæ ſunt: iiſdemque demonſtrantibus Cæſar oppidum Caſſobellauni ducis inter duas paludes ſitum, obtentu ſyluarum munitum, omnibuſq; rebus confertiſſimū, graui tandem pugna cepit. Exin Cæſar à Britannis reuerſus in Galliam, poſtquam legiones in hyberna miſit, repētinis bellorum tumultibus vndiq; circūuentus & conflictatus eſt. Namq; Ambiorix cum Eburonaribus & Atuaticis conſpirans animatus Treuirorū cōſilio

C Titurium Sabinum & Arunculeium Cottam legatos apud Eburonas cum tota funditus legione inſidiis circūuentos interfecit. Ambiorix hac victoria elatus Atuaticos, & Nernios, plurimoſq; alios raptim io arma cōtrahit, atq. ad Ciceronem legatum, qui ſimiliter tunc legioni præerat, in hybernis contendit. Multitudo ex hoc hoſtium colligi potuit: quia cum obſidione caſtrorum vallum circumdādum eſſe à captiuis Romanis docerentur, & inſtrumenta ruralia non haberent, gladiis concidendo terram, & ſagulis, exportando, vix tribus horis vallum X. pedum, & foſsā XV. per millia paſſuum XV. in circuitu perfecerunt. Præterea centum viginti turres miræ altitudinis extruxerant. Et cum iam ſeptem dies nocteſque ſuccidui hoſtiū cunei pugnarent, ac ventus ſubito exortus eſſet plurimus, teſtas feruentes intorſere fundis flammataque focis tela, ac mox concepto igne rutilantia intra caſtra iecerunt. Quo facto, per culmea culmina raptim ventus inſiſtens ſparſim animauit incendium. Sed nec ſic quidem Romani, cum vndique obtuerentur vulneribus, laboribus, ieiuniis, vigiliis, in-

D cendiiſq; ceſſerunt. Tandem Cæſari nunciatum eſt vnam legionem deletam eſſe, alteram iam pene confectam. Aduentante cum duabus legionibus Cæſare, deſerunt hoſtes obſidionem, atq; in eum cuncti raptis copiis ruunt, Cæſar paruiſſimis ſe caſtris conſulto condidit, equitibuſque præmiſſis, vt fugam fingerent imperauit, vt ad tranſitum vallis, quæ media erat, ſibiq; periculoſa videbatur, hoſtes cōtemptu ſui inuitaret. Quibus aduentātibus, inſuper obſtrui portas præcepit. Quo viſo Galli, quaſi iam viciſſent, ad obducendum extrinſecus vallum conuerſi ſunt. Cæſar totis repente portis paratum effudit exercitum acriterque cum eis dimicans, tandem vidit vnum ex militibus ſuis ſegnius prælïantem, ſcutumque eius rapuit, & in aduerſos ruit. Quo facto erubuit exercitus, verſoſque in fugam Gallos, vaſtiſſima cæde confecit. Nam ſexaginta millia tunc fuiſſe referuntur è quibus pauci per paludes inuias inuaſerunt. Inducíomarus Treuerorum princeps, magnas armatorum copias habens, poſtquam de conſenſu totius Galliæ certior redditus, Labieni caſtra, legiooemque coi præerat,

E quod facile factu arbitrabatur, delere ſtatuit, ac deinde Eburonibus Neruiiſque coniunctus, ad opprimendum Cæſarem pergere. Lablenus quibus poteſt artibus, timorem ſimulat, atque ita Induciomarum negligentiorem cum inſultantibus copiis pro vallo aberrantem repentina eruptione proſtrauit. Hac victoria Labieni reliqui Gallorum conatus repreſſi ſunt, & Cæſar paulo quietior reliqua parte hyemis fuit. Sed intelligens ſibi maiora belli ſupereſſe negocia, maxime quia plurima exercitus parte amiſſa aliiſque grauiter ſauciatis, ne ad ſuſtinendum quidem ſibi idoneus, non dicam ad comprimendum Gallorum impetum videretur, à Cn. Pompeio. Procoſ. conſcribi legiones, ſibique mitti in auxilium fecit. Itaque ante hyemem exactam, tres ad eum legiones in caſtra venerunt, igitur Cæſar priuſquam in vnum hoſtium copiæ coirent, ineunte verno aggredi trepidos & opprimere ſparſos in ſuis finibus parat. Primum itaque Neruiorum fines diripit, prædam vero, quæ copioſiſſima erat exercitui permittit. Deinde Menapios, qui ſibi propter immenſas paludes, atque impeditiſſimas ſyluas munitiſſimi videbantur, tribus agminibus inuadit, nimiaque cæde vulgo agitata reſiduos

F ſupplices in deditionem accepit. Labienus ſequenti prælio omnes Treuirorum copias interfecit, arte in bellum prouocatus, priuſquam Germanis aduentantibus iungerentur, & continuo ipſam ciuitatem cepit. Cæſar vlciſci mortem Sabini & Gottæ legatorum volens io Ambiorigem & Eburones deletæ legionis authores, poſtquam in Arduennam ſyluam refugiſſe comperit, quæ ſylua totius Galliæ maxima eſt, atque à ripis Rheni finibuſque Treuirorum ad Neruios vſque pertingit, & in longitudinem pluſquam gonquaginta millibus paſſuum patet, permetiens rem ſuis maximi periculi fore, ſi per obſtructas ſpatioſas ſyluas ignoti diuiderentur, hoſtemque loci notiſſimum quærerent, omnem Galliam per nuncios inuitat, vt quiſque ſecundum placitum ſuum reconditas in Arduenna ſylua prædas quærant diripiantque. Quo facto Gallis

G vtrinq; morientibus maximas Romanorum iniurias ſine cuiuſquam Romani diſcrimine vindicauit. Ita hoc tutiſſimo vincendi genere ſecurus in Italiam rediit. Igitur Cæſare in Italiam reuerſo, rurſus Gallia in arma coniurat, multiq; ſimul populi coëunt. Dux his Vercingetorix fuit, cuius conſilio ſtatim omnes Galli ciuitates ſuas vltro incenderunt, prima à ſuis incenſa Biturico. Inde ad Cæſarem qui magnis itineribus per Narbonenſem prouinciā clam ad exercitum recurrerat, impetum faciunt. Cæſar nunc oppidum nomine Cenapium obſidione cōcluſerat: quod diu oppugnatum tandem poſt multas Romanorū clades pluuio die magna cum hoſtilium machinarum amenta neruine languerent, applicitis turribus captum atque delerū eſt. Quadraginta millia hominum ibi fuiſſe referuntur: è quibus vix LXXX. homines per fugā lapſi ad caſtra proxima Gallorum venerunt. Præterea Aruerni cæterique cōfines, ſollicitatis etiam ad ſe Eduis, multis aduerſum Cæſarem prælíis bellauerunt. Qui cum ſe pugnando fatigati in quoddam oppidum receptiſſent, milites prædæ inhian-

H tes ad expugnationem oppidi animum intendunt, fruſtra Cæſare de loci iniquitate cauſante. Itaq; ibi Cæſar erumpētibus deſuper hoſtibus preſſus, multa exercitus ſui parte perdita victus aufugit. Dum hæc ad Haleſtam geruntur, Vercingentorix, quem omnes conſenſu pari regem præoptauerant, ſuadet vti ex tota Gallia omnes, quia arma ferre poſſent, huic bello præſto ſint: hoc enim eſſe vnum bellum, quo aut perpetua libertas, aut æterna ſeruitus, aut mors omnium conſequatur. Itaque abſque eo numero, quem infinitum ante contraxerat, equitum circiter octo millia peditum docenta quinquaginta millia contracta ſuot. Dehinc duo colles ſibi inuicem obuerſos Romani Gallique ceperunt. Vnde multis ſæpe eruptionibus & variis prouentibus præliantes, tandem Romani præcipua Germanorum equitum, quos ſibi iamdudum amicos, ounc in auxilio aſciuerant, virtute vicerunt. Vercingentorix alia die congregatis omnibus qui fuga euaſerant, dixit ſe auctorem bona fide defendendæ libertatis, atque irrumpendi fœderis fuiſſe. Et nunc ſiue Romanis ſeſe ad mortem omnes offerant, ſiue ſe ſolum

A pro omnibus dandum paratum animo fore. Itaque Galli voluntatem quam pudore aliquandiu texerant, quaſi ex conſilio regis aſſumerent, Ilico ſibi veniam precantes, eum ſolum velut auctorem magni ſceleris dediderunt. Bellouaci omnibus Gallorum gentibus ipſorum opinione fortiores habebantur. Hi Chorreo duce bellum inſtaurant, ſibique in hanc ſuſcepti belli ſocietatem Ambianos, Aulercos, Caletos, Bellocaſes, Atrebataſque coniungunt, & locum quendam cinctum atque impeditum vndique paludibus capiunt. Commiſſoque prælio, magnam Rhemorum manum, quæ auxilio Romanis erat, trucidauit. Deinde cum oportunum ipſum locum inſidiis prouiſum occupauiſſent, atque hoc comperto Romani ad inſidiarum locum inſtructi, ordinatique veniſſent, commiſſo prælio Romani, Gallos fugientes iiſdem locorum munitionibus, quibus clauſi fuerant, incluſerunt, cunctoſque ad Internecionem ceciderunt. Ibi Chorreus vel fugam, vel deditionem detrectans, Romanos vt viuus caperetur inſtantes B occidendo vt occideretur coëgit. Igitur cum pacatam Galliam vniuerſam. Cæſar, neque auſuram fore ad aliquos aſpirare motus arbitraretur, legiones in hyberna dimiſit. Ipſe autem Ambiorigis fines, qui tot bella excitauerat, hominum horrenda ſtrage vaſtauit. At vero C. Caninius legatus bellum apud Pictonas inuenit, vbi magna hoſtium multitudo impeditam itinere legionem circumdedit, atq; ad extremum diſcrimen adduxit. Porro autem Fabius legatus acceptis Caninij literis, in Pictonas proficiſcitur, ibique à captiuis de opportunitate locorum certior factus inopinantes hoſtes opprimit, magniſque ſtragibus factis, plurimas prædas agit. Deinde quum Caninio ſignum aduentus ſui dediſſet, Caninius totis caſtris ſubito inſiluit, ſeſeque iniecit hoſti. Ita Fabio ex vna parte & Caninio ex altera inſiſtente maximo & diuturno bello innumeræ Gallorum copiæ trucidatæ ſunt. Inde Fabius in Carnutes profectus eſt. Sciebat enim Deonacum ducem antiquiſſimum totius rebellionis incẽtorem ab hoc bello elapſum, ſi Aremoricis gentibus adiunctus eſſet, maximos iterum C tumultus eſſe in Gallia moturum. Sed eos adhuc ipſa nouitate trepidantes mira virtute & celeritate perdomuit. Interea Draptes vnaque Literius, cum adeſſe Caninium & legiones in finibus ſuis viderent, vndique collectis copiis oppidum Lugdunum occupant. Hoc oppidum in editiſſima montis arce pendebat, duabus partibus per abrupta latera non paruo flumine cingebatur: medio deinde deſcenſu largiſſimo fonte ſecurum, pluimaq; introrſum copia frumenti tutum, irritos procul diſcurſus hoſtium deſpiciebat. Caninius, quod ſolum Romana prouiſione potuit, ambos duces cum parte copiarũm plurima in campum euocatos, maximo prælio ſuperauit. Nam vno è ducibus interfecto, alter cum pauciſſimis fugit, nullus in oppidum rediit. Sed ad id oppugnandum Cæſare opus fuit. Itaque certior per nuntios factus Cæſar occurrit, circumſpectiſque omnibus videt, ſi expugnare vi moliatur, ludo & ſpectaculo hoſtium delendum eſſe exercitum ſuum: vnum ſolum eſſe præſidij, ſi quoquomodo hoſtes aqua arceantur. Sed & hoc quoque, niſi Cæſar, non potuiſſet. Siquidem fons, quo ad potum vtebantur, medio deuexi montis la-D tere fundebatur Cæſar ad proximum fontis admoueri vineas, turrimque extrui iubet. Fit magnus illico concurſus ex oppido, quibus ſine periculo præliantibus, Romani quamuis pertinaciter obſiſterent, crebriuſque ſuccederent, tamen complures trucidantur. Igitur extruitur agger, & turris pedum LX. cuius vertex adæquare ad fontis locum poſſit, vt vel ex æquo tela coniici queant, vel præcipitata deſuper ſaxorum volumina non timeri. Oppidani autem, vbi exanimari ſiti non ſolum pecora, verumetiam infirmiores hominum ætates vident, cupas pice, ſeuo & ſcindulis repletas, ac deinde immiſſo igne in prona præcipitant, eaſque ipſi toto oppido fuſi ſubſequuntur. Ardentibus machinis cum graue prælium ſuis Cæſar ac periculoſum videret, cohortes in circuitu oppidi ire velociter per occultum imperat, atque vndique ſubito vaſtum clamorem attollere. Quo facto conſternati oppidani, dum recurrere ad muniendum oppidum volunt, ab oppugnatione turris, vel demolitione aggeris receſſerũt. Illi tamen qui ad incidendas fontis venas ſub obtentu aggeris, tuti E cuniculos perfodiebant, repertos in abſtruſo aquarum meatus, per multa diuidendo tenuari In ſemetipſis, conſumique fecerunt. Oppidani fonte ſiccato vltima deſperatione correpti deditionem ſui faciunt. Cæſar autem omnibus qui arma tulerant, manus ſuſtulit, & vitam reliquit, quo teſtatior eſſet etiam poſteris pœna improborũ. Multũ enim ad coërcẽdam audaciam valet propoſitũ punitionis exemplum, quum ipſa miſeri præſens forma viuentis, & ad recordationem admonet conſcios, & ad ſciſcitationẽ cogit ignaros. Exhauſtis itaque atque edomitis Gallis ſecurus Cæſar cum legionibus in Italiã rediit, nullos poſt ſe Gallorum motus pertimeſcẽs certo ſe ſciens, minime aliquos, qui vel moueri audeant, vel ſi moueantur, timendi ſint, reliquiſſe. Anno ab Vrbe condita DCXCVII. M. Licinius Craſſus collega Cn. Pompeij magni in conſulatu ſecundo prouinciam ſortitus in Parthos, homo inexplebilis cupiditatis, audita in Hieroſolymis templi opulentia quam Põpeius intactam reliquit, in Palæſtinam diuertit, Hieroſo-F lymam adiit, templum peruadit, opes diripit. Inde per Meſopotamiam tendens in Parthiam, quacunque iter habuit ſociis ciuitatibus auxilia indixit, pretia exegit. Mox vt Euphratem tranſiit, illico Baieſen ab Herode rege Parthorũ ad ſe miſſum obuiũ habuit: à quo vehementer increpatus eſt, cur contra fœdus Luculli & Pompeij auaritia inductus Euphratem tranſierit. Quamobrem ſine mora futurũ, vt pro auro Parthico Serico ferro oneraretur. Inde cum prope Carras contra omina & auſpicia ventum eſſet, Parthi ſubito ingruentes cum Surena & Sylace præfectis, ſagittis oppreſſere Romanos. Cecidere ibi plurimi ſenatores, aliquot etiam conſulares & prætorij viri. Craſſus quoque filius Craſſi lectiſſimus iuuenis in acie occiſus eſt. Præterea quatuor cohortes cum Vargũteio legato mediis deprehenſæ campis & interfectæ ſunt. Surenas rapto equitatu Craſſum perſequi intendit, eumque circumuentum, ac fruſtra colloquium eius petentem cepit, & in caſtra perduxit, ac poſtremũ auro in os eius infuſo interfecit. Pauci noctis beneficio liberati, Carras confugere. Cognita clade Romanorũ multæ Orientis prouinciæ, à ſocietate vel fide populi Romani defeciſſent, niſi Caſſius Quæſtor collectis ex fuga militibus paucis, intumeſcentem Syriam egregia G animi virtute ac moderatione preſtitiſſet: qui & Antiochũ copiaſque eius ingentes prælio vicit, & interfecit. Parthos quoque ab Herode in Syriam miſſos, iamq; ingreſſos Antiochiam bello expulit, ducemque eorum Hotogen interfecit. Igitur Romani ſtatus agitur ſemper alterna mutatio, & velut forma Oceani maris, quæ omni die diſpar, nunc ſucciduis per ſeptem dies tollitur incrementis, nunc inſequentibus totidem diebus naturali damno & defectu interiore ſubducitur. Ann. ab Vrbe condita DCC. incertum vnde concretus, plurimam vrbis partem ignis inuaſit. Neque vnquam antea tanto incendio correptam atque vaſtatam ciuitatem ferunt. Nam quatuordecim vicos cum vico iugario conſumptos fuiſſe memoriæ proditũ eſt. Hinc iam H bellũ ciuile committitur, quod magnis iam dudum diſſẽſionibus ac molitionibus parabatur. Nam Cæſar rediens victor ex Gallia, decerni ſibi abſenti alterum conſulatum popoſcit. Contradictum eſt à Marcello conſule, à Bibulo, à Catone, annitente Pompeio. Deinde decretum eſt à Senatu, vt in Vrbem Cæſar non niſi dimiſſo exercitu veniret: & ex Marcelli Coſ. authoritate ad legiones, quæ apud Luceriam erant, Cn. Pompeius cum imperio miſſus eſt. Cæſar Rauennam ſeſe contulit. M. Antonius, & P. Caſſius Tribuni pl. pro Cæſare intercedentes, Interdicente Lentulo Coſ. curia, foroque prohibiti ad Cæſarem profecti ſunt, Curione ſimul Celioque comitantibus. Cæſar Rubicone flumine tranſmeato, mox vt Ariminum venit, quinque cohortes, quas tunc ſolas habebat, cum quibus, vt ait Liuius, orbem terrarum adortus eſt: quid facto opus eſſet edocuit, deplorans iniurias ſuas, cauſam belli ciuilis pro reſtituendis in patriam Tribunis eſſe teſtatus eſt. Inde per Antonium ſeptem cohortes, quæ apud Sulmonem morabantur, à Lucretio recepit. Tres legiones, quæ cum Domitio apud Corfinium mora bantur, ad ſuas partes tranſduxit. Conſules cum Cn. Pompeio, Senatuſque omnis, atque

[A] vniuerſa nobilitas ex vrbe fugit, atque in Græciam tranſiit. Apud Dyrachium, Epirumque, Macedoniam & Achaiam, Cn. Pompeio duce Senatus contra Cæſarem bellum parauit.

Cæſar vacuam vrbem ingreſſus Dictatorem ſe fecit, negatamque ſibi ex ærario pecuniam fractis foribus inuaſit, protulitque ex eo auri pondo quatuor millia centum triginta & quinque: argenti pondo prope nongenta millia. Inde digreſſus Ariminum ad legiones, mox Alpes tranſuectus, Maſſiliam venit: ob quam oppugnandam cum receptus non eſſet, Treboniū cum tribus legionibus reliquit: quo bello miles duodecimæ legionis aduerſus eos nauali certamine pro Cæſare dimicans, hoſtilem nauē dextera apprehendit: qua amputata, leuam iniecit, neque ante dimiſit, quam mergeretur. Cæſar deinde ad Hiſpanias contendit, quas L. Afranius, & M. Petreius, & M. Varro, Pompeiani duces cum legionibus obtinebant. Ibi multis præliis Petreium Afraniumque ſuperatos, compo-[B] ſita pactione dimiſit. In vlteriore Hiſpania duas legiones à M. Varrone ſuſcepit. Similiter & duces eius, hoc eſt Curio Catonem Sicilia expulit, Valerius Cottam Sardinia, Tuberonem ab Africa Varus eiecit. Cæſar rediens Maſſiliam obſidione domitam, vita tantum & libertate conceſſa, cæteris rebus abraſit. At vero Dolabella partium Cæſaris in Illyrico per Octauium & Libonem victus, copiiſque exutus, ad Antonium fugit. Baſillus & Saluſtius, ducentes ſingulas legiones, quibus præerant, ſimiliter & Antonius, Hortenſius quoque ab infimo mari cum claſſe concurrens, omnes pariter aduerſus Octauium & Libonem profecti & victi ſunt. Antonius cum ſe Octauio cum quindecim cohortibus dediſſet, omnes ad Pompeium à Libone deducti ſunt. Curio ex Sicilia in Africam cum exercitu tranſgreſſus eſt: quem Iuba rex continuo exceptum cum omnibus copiis trucidauit. Octauius Salonas oppugnare conatus, omnes copias quas duxit, amiſit. Cælius à Cæſare deſciuit, ac ſe Miloni exuli iunxit. Cumque [C] ambo ſeruorum manu Capuam oppugnare molirentur, occiſi ſunt. Bibulus apud Corcyram pudore victus, quod cuſtodiæ eius, quam pelago & oppido prætendebat, hoſtis illuſerat, inedia ſeſe vigiliiſque confecit. Appius Claudius Cenſorinus qui iuſſu Pompeij Græciam tuebatur, iam abolitam Pythici oraculi fidem voluit experiri. Quippe ab eo adacta vates deſcendere in ſpecum, reſpondiſſe fertur de bello conſulenti: Nihil ad te hoc, Romane, bellum pertinet. Eubœa Cœla obtinebis. Cœla autem vocant, Euboicum ſinum. Ita Appius perplexa ſorte incertus diſceſſit. Interea apud Dyrachium multi Orientis reges ad Cn. Pompeium cum auxiliis venerunt. Quo cum Cæſar veniſſet, Cn. Pompeium obſidione fruſtra cinxit, ipſe terram quindecim millium paſſuum foſſa præſtruens, cum illi paterent maria. Pompeius caſtellum quoddam propinquum mari, quod Marcellinus tuebatur, euertit: præſidiaque Cæſaris, quæ ibidem morabantur, occidit. Cæſar Torquatum legionemque vnam vt expugnaret aggreſſus eſt. Hoc periculo ſociorum Pōpeius cognito omnes copias eo traxit, & ſigna eo mouente, fulmina aduerſa occurrerunt. Apes quoque obſedere vexilla. Quo vi-[D] ſo ſubitus mœror confudit exercitum, fugerunt hoſtiæ in templis, conuerſa ſimulachra, alia fleuerunt, alia ſudarunt. Tantus vero in aere armorum ſtrepitus fuit, vt Antiochiæ quaſi ad aduentū hoſtium in muros cōcurrerent. Interea Cæſar, omiſſa obſidione ad Pompeium ſe conuertit. Torquatus autem è ueſtigio prorumpens, auerſum inſequutus eſt. Ita Cæſaris milites ancipiti periculo territi, ipſo Cæſare fruſtra obſiſtente fugerunt. Euaſit tamen Cæſar, quia nocte interueniente Pompeius ſequi noluit. Dixitque Cæſar, nec Pompeium ſcire vincere, & illa tātum die ſe potuiſſe ſuperari. Cæſaque ſunt in eo prælio quatuor millia militum Cæſaris, centuriones viginti duo, equites Romani complures. Cæſus eſt & in eo prælio Sceua Cæſaris miles fortiſſimus. Quem cum milites Pōpeij vt ſe traderet hortarentur, reſpondiſſe fertur, ſe eſſe feſſum. Accurrit vnus velut accepturus arma. Percutitur, pluresque ſimul ſternuntur. Ipſe autē vulnera accepit, capite, humero, fœmore; oculumque amiſit. Scutum eius

[E] ſaris conſtitit, centum viginti ictibus petitum fuiſſe. Deinde Cæſar tacito agmine per Epirum in Theſſaliam perrexit. Pompeius cum maximis copiis eſt ſequutus: bellumque commiſſum eſt. Itaque inſtruitur vtrinque acies Pōpeius octoginta & octo cohortes triplici ordine locauit: fuere autem peditum pluſquam quadraginta millia: equites in ſiniſtro cornu ſexcenti, in dextro quingenti: præterea reges multi. Senatores: equiteſque Romani plurimi, abſque leuium armaturarum magna copia. Cæſar ſimiliter octoginta cohortes triplici ordine diſpoſuit, cui fuere minus quam quadraginta millia peditum, equites mille. Videre ibi & gemere erat, contractas Romanorum vires in campis Pharſalicis ad occiſionem mutuā conſtitiſſe, quas ſi concordia rexiſſet, nulli populi, nulli reges ferre potuiſſent. Prima congreſſione equitatus Pompeij pulſus ſiniſtra latera nudauit. Deinde cum diu vtrinque dubia ſorte cæderentur, atque ex alia parte Pompeius diceret: Parce ciuibus, nec tamen faceret: ex alia vero Cæſar hoc faceret, quod vrgeret dicens: Miles faciem feri: [F] tandem vniuerſus Pompeij fugit exercitus, caſtraque eius direpta ſunt. Cæſa ſunt in eo prælio Pompeianorum militum quindecim millia, centuriones triginta tres. Hic exitus pugnæ ad Paleopharſalum fuit. Pompeius fugiens in oſtio Penei amnis onerariam nauim nactus in Aſiam trāſiit. Inde per Cyprum fugatus Alexandriam petiit, vt à rege Ægypti, cui tutor à Senatu datus fuerat propter iuuenilem eius ætatem, acciperet auxilia: qui fortunam magis quam amicitiam ſecutus, occidit Pompeium, atque caput eius & annulum Cæſari miſit. Quo conſpecto Cæſar etiam lachrymas fudiſſe dicitur, tanti viri intuens caput, & generi quondam ſui, & inundatum odoribus cremari imperauit. Pompeij vxor filiique eius fugerunt, cæteraque Pompeiana claſſis direpta eſt, omnibus qui in ea erant, crudeliſſime trucidatis: ibique & Pompeius Bithynicus occiſus eſt. Lentulus vero vir conſularis apud Peluſium interfectus eſt. Cæſar compoſitis apud Theſſaliam rebus Alexandriam venit. Cumque ſe in regiam recepiſſet, eludebatur à tutoribus, quo minus pecuniam acciperet, templa ſua aſtu ſpoliantibus, vt regios theſauros vacuos [G] eſſe oſtenderent, & in inuidiam Cæſaris populum concitarent. Præterea Achillas dux regius imbutus ſemel Pompeij ſanguine, Cæſaris quoque necem meditabatur. Nam iuſſus exercitum dimittere, cui præerat, viginti millia armatorum, non modo ſpreuit imperium, verum etiam aciē direxit. In ipſo prælio regia claſſis ad terram ſubducta iubetur incendi. Ea flamma cum partem quoque vrbis inuaſiſſet, quadraginta millia librorum proximis forte ædibus condita exuſſit: ſingulare profecto monimentum ſtudij curæque maiorum, qui tot tantaque illuſtrium ingeniorum opera congeſſerant. Vnde quamlibet hodieque in templis exiſtant, quæ & nos vidimus armaria librorum: quibus direptis exinanita ea à noſtris hominibus, noſtris temporibus memorent, quod quidem verum eſt: tamen honeſtius creditur, alios libros fuiſſe quæſitos qui priſtinas ſtudiorum curas æmularentur, quam aliam vllam tunc fuiſſe bibliothecam, quæ extra quadringenta millia librorum fuiſſe, ac per hoc euaſiſſe credatur. Poſtea Cæſar in-[H] ſulam vbi Pharus eſt cepit. Eo Achillas cum Gabinianis militibus venit, ingens pugna commiſſa eſt. Magna ibi Cæſarianorum militum multitudo cecidit: omnes etiam interfectores Pompeij interfecti ſunt. Cæſar quoque vi inſiſtentium hoſtium preſſus ſcapham aſcendit, qua mox pondere ſubſequentium grauata ac merſa, per ducentos paſſus ad nauem vna manu eleuata, qua chartas tenebat natando peruenit. Mox nauali certamine pulſatus, magna felicitate claſſem regiam aut depreſſit, aut cepit. Alexandrinis petentibus reddidit regem, monuitque vt amicitiam Romanam quam arma experiri ſtuderet. Qui tamen illico vt liber fuit, bellum Cæſari intulit: ſed continuo cum toto exercitu ſuo & ipſe deletus eſt. Nam & XX. millia hominum in eo bello cæſa referuntur, duodecim millia cum ſeptuaginta longis nauibus dedita, quingenti ex victoribus cecidiſſe dicuntur. Rex ipſe adoleſcens ſcapha exceptus vt fugeret, multis inſilientibus merſus necatuſque eſt. Corpus eius ad littus deuolutum, indicio loricæ aureæ cog-

A nitum fuit.Qua Cæſar præmiſſa Alexandriā,Alexandrinos
omnes ad deditionem deſperationemque compulit, reg-
numque Ægypti Cleopatræ dedit Ptolomæi ſorori, cum
qoa ſtupri conſuetudinem habuerat.Quæ poſtea regio co-
mitatu vrbē ingreſſa eſt. Inde Syriam peruagatus,Pharna-
cem Mithridatis Magni filium,qui Pompeio auxilio apud
Theſſaliam fuerat,rebellantem in Ponto,& multas popoli
Romani prouincias occupantem vicit acie, ac poſtea in
mortem coëgit.Inde Romam regreſſus, tertio ſe Dictato-
rem & Cōſulem fecit,cum M.Æmilio Lepido,qui & ma-
giſter equitū Dictatoris cauſa ante annum fuerat. Inde in
Africam profectus eſt, vbi infinita nobilitas Romanorum
cum Iuba Mauritaniæ rege apud Tapſum bellum repara-
uerant. Duces autem Romani erant, P. Cornelius Scipio,
ex genere antiquiſſimo Scipionis Africani:hic etiam ſocer
Magni Pōpeij fuerat:M.Petreius, Varro, M.Portius Cato,
L.Cornelius Fauſtus Syllæ Dictatoris filius. Contra hos
commiſſo bello poſt multas dimicationes,maxima homi-
B num multitudine cæſa,victor fuit Cæſar:caſtra vtrorumq;
direpta ſunt,ſexaginta elephanti capti. Cato apud Vticam
ſeſe occidit:Iuba percuſſori iugulum præbuit,pretio dato:
Petreius eodem gladio ſe perfodit: Scipio in naui,qua ad
Hiſpanias fugere contēdens vento coactus in Africam re-
dierat, ſemetipſum iugulauit:in eadem naui T.Torquatus
occiſus eſt. Fauſtū Syllæ quondam Dictatoris filium, Pō-
peij generum,nepotes,filiamque Pompeij,& Afranium,&
Petreium filium Cæſar præcepit occidi. Poſt annum inde
Cæſar Romam cum quatuor triumphis ingreſſus. Quarto
Dictator & Coſ.creatus,diſpoſito reparatoque Reip.ſtatu
continuo in Hiſpaniam contra Pompeios Pompeij filios
profectus, ſeptimo decimo quam egreſſus ab Vrbe fuerat
die Sagūthum peruenit:ſtatimq; aduerſus Pompeios duos
& Labienū atque Accium Varum multa bella varia ſorte
geſſit. Vltimum bellum apud Mundam flumen geſtum eſt,
vbi tantis viribus dimicatum eſt, tantaque cædes acta, vt
Cæſar quoque veteranis etiam ſuis cedere non erūbeſcen-
tibus,cum cogi,cædique aciem ſuam cerneret, ſe voluerit
C occidere,ne poſt tantam rei militaris gloriam in poteſtatē
adoleſcentium, natus annos ſex & quinquaginta veniret.
Deniq; reparatis ſuis,tum verſus ſubito in fugam Pompe-
ianorum fugit exercitus. Equidem eo die hoc bellum ge-
ſtum eſt, quo Pompeius pater ab Vrbe bellū geſturus au-
fugerat. Quatuorque annis hoc bellum ciuile toto orbe
indeſinēter intonuit.T.Labienus,& Accius Varus,in acie
occiſi ſunt.Sextus Pompeius cum centum equitibus aufu-
git.Cn.Pompeius frater eius cōtracta celeriter non parua
Luſitanorum manu,cum Cæſonio cōgreſſus & victus, fu-
giensque interfectus eſt.Munda ciuitas cum immenſa ho-
minum cæde Cæſare oppugnante vix capta eſt. Inde Cæ-
ſar bellis ciuilibus toto orbe compoſitis Romam rediit,
agere inſolentius cœpit, contra conſuetudinem Romanæ
libertatis. Cum ergo honores ex ſua voluntate præſtaret,
qui à populo antea referebantur:nec Senatui ad ſe veniēti
aſſurgeret, aliaque regia ac pene tyrannica faceret, coniu-
ratum eſt in eum à ducentis ſexagiuta vel amplius ſenato-
ribus equitibuſque Romanis.Præcipui fuerunt inter con-
iuratos duo Bruti, ex eo genere Bruti, qui primus Romæ
D Coſ.fuerat,& reges expulerat,G.Caſſius & Seruilius Caſ-
ca. Ergo Cæſar quum inter cæteros Senatus quadam die
veniſſet ad Curiam,viginti & tribus cultris ſenatoriis cō
fectus, vulneribuſque confoſſus interiit. Quo facto Sena-
tores ſtrictis pugionibus in Capitolium receſſerunt. Dio
deliberatum eſt,vtrum Capitolium cum auctoribus cædis
oporteret incēdi.Corpus eius raptum,populus dolore ſti-
mulatus in foro fragmentis tribunalium ac ſubſelliorum
cremauit. Eadem igitur nocte Calphurnia vxor videlicet
eius,vidit in ſomnis eum foſſum vulneribus in ſinu ſuo ia-
cere, orauit Cæſarem ne eo mane abiret in Senatum. Sed
ille auſpiciorum ſæpe negligens,contempſit ſomnium ſed
exitu probauit.Igitur ante paucos dies,quam Cæſar occi-
deretur, in Curia boue ex more mactato,cor in extis non
eſt repertum.Quod cum Spurina aruſpex pronuntiaſſet ad
vitæ periculum pertinere, ait Cæſar conſtauriæ memor,
Miraris ſi bos non habet cor: ſed mox ei finis vitæ fuit.
Idem Spurina ante paucos dies eidem Cæſari dixerat,ca-
uendum ei eſſe idus Martias. Quo die viſo Spurinæ ait E
Cæſar:Idus Martiæ venerunt:Ille reſpondit:Sed nondum
tranſierunt. Eodem die Cæſar confoſſus eſt; vir quo nun-
quam vllus homo magis bellis enituit.Eius ſiquidē ductu
vndecies centum nonaginta & duo millia hoſtium cæſa
ſunt. Nam quantum bellis ciuilibus fuderit,noluit anno-
tare.Signis collatis quinquagies dimicauit,M.Marcellum
ſolus ſupergreſſus, qui triginta nouem vicibus pari modo
fuerat præliatus.Ad hoc nullus celerius ſcripſit,nemo ve-
locius legit, quaternas etiam epiſtolas ſimul dictauit.Tā-
tæ fuit bonitatis, vt quos armis ſubegerat, magis clemen-
tia vicerit.Eodem tempore Romæ tres ſimul exorti ſoles;
paulatim in eundem orbem coïerunt. Inter cætera por-
tenta, quæ toto orbe facta ſunt, bos in ſuburbano Romæ
ad arantem loquutos eſt; fruſtra ſe vrgeri,non enim fru-
menta, ſed homines defuturos.

Explicit liber Sextus.

F

Incipit

LIBER SEPTIMVS.

ANno ab Vrbe cōdita DCC. fere ac nono,interfecto
Iulio Cæſare ciuilia bella reparata ſunt. Percuſſori-
bus enim Cæſaris Senatus fauebat.Antonium Coſ. partiū
Cæſaris ciuilibus bellis opprimere conabatur. Ergo tur-
bata Republica inter multa ſcelera quæ Antonius com-
mittebat, D.Brutum apud Mutinam obſidione concluſe-
rat, pro qua re à Senatu hoſtis iudicatus eſt. Miſſi ad eum
expugnandum,liberandumque Brutum duo Coſſ. Hircius
& Panſa,& cum his Octauius adoleſcens annos natus de-
cem & ſeptem,patre Octauio Senatore genitus, maternū
genus ab Ænea per Iuliam familiam ſortitos,Cæſaris ne-
pos, Acciæ ſororis eius filius, quem ille teſtamento hære-
dem reliquerat, & nomen ſuum ferre iuſſerat. Hic eſt qui
poſtea Auguſtus eſt dictus,& rerum potitus.Nam vt bre-
uiter coaceruationem malorum explicem, bella ciuilia G
quinque geſſit, Mutinenſe, Philippenſe, Peruſinum,Sicu-
lum,Acciacum. Ex quibus duo,hoc eſt primum ac nouiſ-
ſimum,aduerſus M.Antonium, ſecundum aduerſus L.An-
tonium,quartum aduerſus Sextum Pompeium, Cn.Pom-
peij filium. Igitur Panſa primo veniens exceptus inſidiis,
inter ſuorum clades ipſe quoque pilo grauiter vulneratus,
& ab eodem vulnere interpoſitis diebus mortuus eſt.Hir-
cius auxiliom collegæ ferens,magnas Antonij copias va-
ſta cæde deleuit. Cæſar eatenus caſtra cuſtodiuit.Secunda
aduerſus Antonium pugna magnæ vtrinque ſtrages actæ
ſunt. Namque tunc ibi Hircius Coſ.occiſus eſt,Cæſar vi-
ctoria potitus eſt. Cui D. Brutus de coniuratione occiſi
Iulij Cæſaris confeſſus, preces pœnitentiæ fudit. Fugatus
Antonius amiſſo exercitu confugit ad Lepidum, qui Cæ-
ſaris equitum magiſter fuerat, & tum militum copias
grandes habebat:à quo ſuſceptus eſt.Dolabella Treboniū
vnum ex interfectoribus Cæſaris Smyrnæ interfecit.Con-
ſulum occiſorum vterque exercitus Cæſari paruit. Poſtea
Decius Brutus in Gallia à Sequanis captus & occiſus eſt.
Baſilius autem eques vnus de percuſſoribus Cæſaris manu H
ſeruorum ſuorum necatus eſt.Interea Lepido ſatis operam
dante Cæſar Antonium recepit in gratiam, atque ob fidē
recōciliatus eſt gratia Dinæ filiæ eius,quam matrimonio
ſortitus eſt: & vt vindicaturus patris ſui mortem, à quo
per teſtamentum fuerat adoptatus, Romam cum exercitu
profectus eſt. Cumque in Vrbe rumor de futura proſcri-
ptione ortus eſſet, C. Toranius vir Prætorius nihil tale
metuens,incurſu militum domi ſuæ interfectus eſt,aliique
complures trucidati ſunt. Per hos etiam Cicero Orator
occiſus eſt,multique alij nobiles: & cum Antonio ac Le-
pido Cæſar Remp. armis tenere cœpit. Itaque ne latius
atque effrenatius incircumſcripta cædes ageretur,centum
triginta & duo ſenatorum nomina in tabula propoſita
ſunt, primum Lepidi præcepto & nomine, deinde Anto-
nij,tertio Cæſaris. Ibi Antonius Tullium Ciceronem ini-
micum ſuum proſcripſerat, ibi Lepidus Paulum fratrem
ſuum in eundem proſcriptorum gregem coniecerat.

A Adiecti ſunt poſtea ad numerum proſcriptorum triginta
equites Romani, multæ diu ac variæ cædes actæ, domus
proſcriptorum direptis omnibus dirutæ ſunt. At Dola-
bella in Syria multa cum Caſſio interfectore Iulij Cæſaris
bella geſſit, à quo victus ſeſe interfecit. Interea Brutus &
Caſſius interfectores Cæſaris magnis exercitibus compa-
ratis per Macedoniam & Orientem apud Athenas conue-
nerunt, totamque Græciam depopulati ſunt. Rhodios
Caſſius terra marique oppugnatos ad deditionem coëgit,
quibus præter vitam nihil reliquit. Igitur profecti ſunt
contra eos Cæſar Octauianus Auguſtus & M. Antonius.
Remanſerat enim ad defendendam Italiam Lepidus. Apud
Philippos Macedoniæ vrbem contra eos magnis bello-
rum apparatibus pugnauerunt, eoſque perſecutos ad mor-
tem compulerunt, quamuis manifeſtiſſime tunc illa pug-
na non virtute partis Antonij, ſed Cæſaris felicitate con-
fecta ſit. Cæſar enim tunc æger, cum ſe in caſtris Pharſa-
licis capiendæ quietis cauſa tenere ſtatuiſſet, & apud Phi-
B lippos luce ventura certaturæ ciuile bellum inter ſe Ro-
manæ manus eſſent, hortatu & precibus medici ſui Arto-
rij, qui per ſomnium à Minerua admonitum ſeſe fateba-
tur, vt ea die è caſtris Cæſarem ſalutis ipſius cauſa duce-
ret in campum, cum lectica ægre inter copias egreſſus
eſt. Sed intento eo in euentum victoriæ, vnus ex interfe-
ctoribus Cæſaris Brutus caſtra eius cepit. Sed rurſus Cæ-
ſariani milites Bruti & Caſſij caſtra ceperunt. Qua re ad
deſperationem adacti Brutus & Caſſius immaturam ſibi
mortem ante belli terminum conſciuerunt. Nam inuitatis
percuſſoribus Caſſius caput, Brutus latus præbuit. Igitur
in eo bellu quod apud Philippos geſtum eſt, viſum eſt L.
Caſſio, quod purpuratum Iulium Cæſarem auunculum
ſuum equo incitato io ſe irruentem videret. Qui mox ge-
mens exclamauit: Cedamus, quando nec occidiſſe pro-
deſt. Interea inter Auguſtum & Antonium ſic eſt Reſpu-
blica diuiſa, vt Auguſtus Hiſpanias, Gallias & Italiam
teneret: Antonius Aſiam, Pontum, Orientem. Sed in Ita-
lia L. Antonius Conſul bellum ciuile commouit, frater
C eius qui cum Cæſare contra Brutum & Caſſium dimica-
uerat. Is apud Peruſium Thuſciæ ciuitatem, victus & ca-
ptus atque occiſus eſt. At Romæ vxor Antonij Fuluia,
Cæſaris ſocrus dominatum vt mulier agitabat. Incertum
in hac mutatione conſularis regiique faſtigij vtrum defi-
cientis potentiæ vltima, an incipientis prima nominan-
da, certe etiam io eos inſolens, per quos vt inſoleſceret
agebantur. Nam & Cæſarem reuerſum apud Brunduſium
contumeliis & factionibus atque inſidiis petiit. A quo
propulſata ad Antonium conceſſit in Græciam. Sex. Pom-
peius Cn. Pompeij filius, poſtquam ſe in proſcriptorum
numerum relatum comperit, conuerſus in latrocinia
omnem oram maritimam Italiæ cædibus rapiniſque va-
ſtauit. In Sicilia præterea ingens bellum commouit, cum
his qui ſupererant ex partibus Bruti & Caſſij, qui ad eum
confluxerant, commeatibuſque impeditis Romam fame
afficit. Tunc per Cæſarem Octauianum & M. Antonium
ſuperatus eſt bello. Mox cum eo pacem Triumuiri, vt non
dicam Tyranni, id eſt, Lepidus, Cæſar, Antoniuſque fece-
runt. Sed continuo cum contra pactum Pompeius fugiti-
D uos allegeret, vt hoſtis habitus eſt. Mena libertus Pompeij
cum ſexaginta nauium claſſe ad Cæſarem defecit, eidem-
que claſſi ipſe iuſſu Cæſaris præfuit. Idemque continuo
cum Statilio Tauro aduerſum Menecratem Pompeianum
ducem, nauale bellum geſſit. Deinde ipſe Cæſar aduerſus
eoſdem Pompeianos cruentiſſimum bellum confecit. Sed
continuo victricem claſſem pene vniuerſam apud Scylla-
ceum naufragio amiſit. Eodem tempore M. Agrippa in
Aquitania rem proſpere geſſit. Et L. Ventidius Baſſus Per-
ſas & Parthos in Syriam irrumpentes tribus maximis bel-
lis fudit, regemque eorum Pacorum Horodis regis filium
in acie interfecit, ea ſcilicet die, qua olim Horodes rex
per duces Surenam & Sulacem Craſſum occiderat. Hic
primus de Parthis iuſtiſſimum triumphum Romæ egit.
Interea Antonius vix vno caſtello expugnato, pacem
cum Antiocho fecit, vt ipſe tantam rem conſummaſſe
videretur. Ventidium Syriæ præfecit, iuſſitque vt Anti-
gono bellum inferret, qui Iudæos tum forte debellauerat,
captaque Hieroſolyma regnum Herodi dederat, quem E
continuo victum in deditionem recepit. Mena libertus
cum ſexaginta nauibus ad Pompeium rediit, à quo cle-
menter acceptus, Cæſaris claſſem incendit, quamuis al-
teram nuper Cæſar ſecundo naufragio perdidiſſet. Idem-
que Mena poſtea ab Agrippa nauali prælio circumuentus,
cum ſex triremibus ad Cæſarem tranſit. Sed hunc Cæſar
tertio transfugam, indulta tantum vita ſegnem reliquit.
Deinde Agrippa inter Mylas & Liparam inſulam aduer-
ſum Democham & Pompeium nauale prælium geſſit, &
vicit: ibique tunc naues triginta aut demerſit, aut cepit,
reliquis laceratis. Pompeius Meſſanam confugit. Cæſar
interea Tauromінium traiecerat, quem Pompeius re-
pentino impetu afflixit. Vnde multis nauibus ſuis demer-
ſis, ac magna multitudine ſuorum militum perdita, in Ita-
liam Cæſar aufugit. Nec interueniente mora io Siciliam
rediit, ibique Lepidum ex Africa aduentantem obuium
habuit, ſummas ſibi partes terrore, minis ac ſuperbia
vendicantem. Poſt dies paucos Agrippa iuſſu Cæſaris à F
littore cum acie inſtructa proſpectantis, atrociſſimo na-
uali prælio aduerſus Pompeium conflixit & vicit. Nam
centum ſexaginta & tres naues aut demerſit, aut cepit.
Pompeius cum decem & ſeptem nauibus vix lapſus eua-
ſit. Lepidus magna viginti legionum inſolentia tumens,
cum Meſſanam militibus permiſſam diripuiſſet, ipſum
Cæſarē ad ſe venientē ſemel atq; iterum ſpreuit, ac potius
telis appeti iuſſit, quæ ille collecta in læuum brachium
lacerna ſe protegendo vitauit. Mox immiſſo equo ad ſuos
reuerſus, inſtructoque exercitu aduerſum Lepidum ve-
niens, plurimas legiones Lepidi paucis interfectis tran-
ſire io ſuam partem compulit. Lepidus tandem intelli
gens, quo vanitas ſua intenderet, depoſito paludamento
aſſumptaque veſte pulla, ſupplex Cæſari factus vitam &
bona impetrauit, perpetuo quidem multatus exilio. Tau-
rus præfectus Cæſaris totam plene Siciliam ferro perten-
tatam contritamque in fidem recepit. X L I V. legiones
ſub vnius tunc imperio Cæſaris erant. Milites multitudi-
ne ferociores quondam pro accipiendis agris tumultus G
concitauerant. Sed Cæſar animo ingens viginti millia
militum exauctorauit, triginta millia ſeruorum dominis
reſtituit, ſex millia, quorū domini non extabant, in crucem
egit. Ouans vrbem ingreſſus, vt in perpetuum Tribunitiæ
poteſtatis eſſet à Senatu decretū eſt. His diebus trans Ty-
berim è taberna meritoria fons olei de terra emanauit, ac
per totum diem largiſſimo riuo profluxit. Antonius vero
contra Parthos profectus, poſtquam Araxem tranſmiſit,
omnibus vndique malis circumuentus, vix tandem An-
tiochiam cum paucis rediit. Nam quum multitudinem
equitum & ſagittariorum ab omnibus præliis, quæ plura
tentauit, ſemper victus effugerit, tum præterea incertis
& ignotis regionis locis impeditus grauiſſima fame ad
nefandos cibos coactus eſt. Plurimi militum ſeſe hoſti-
bus dediderunt. Inde in Græciam tranſiit, iuſſitque Pom-
peium, qui victus à Cæſare exercitum, bellumque repa-
rabat, cum paucis ad ſe venire. Pompeius fugiens à Tito
& Furnio Antonianis ducibus ſæpe terreſtri naualique
bello victus & captus atque occiſus eſt. Cæſar Illyricum, H
Pannoniam, & partem Italiæ bellis ſubegit & domuit.
Antonius Artabazem Armeniæ regem proditione & do-
lo cepit, quem argentea catena vinctum ad confeſſionem
theſaurorum regiorum coegit, expugnatoque præſidio, in
quo conditos eſſe prodiderat, magnam vim auri argenti-
que abſtulit. Qua elatus pecunia, denunciari bellum Cæ-
ſari præcepit, atque Octauiæ ſorori Cæſaris vxori ſuæ re-
pudium indici iuſſit, & Cleopatram ſibi ab Alexandria
occurrere imperauit. Ipſe Actium profectus, vbi claſſem
conſtruxerat, cum prope tertiam partem nautarum fame
abſumptam offendiſſet, nihil motus, remi, inquit, modo
ſalui ſint: nam remiges non deerant, quouſque Græcia
homines habuerit. Contra Perſas & Parthos ipſe pugna-
uit, primis eos præliis vicit, regrediens tamen fame &
peſtilentia laborauit, & cum inſtarent Parthi fugienti, ipſe
pro victo receſſit. Hic quoque ingens bellum ciuile com-
mouit, cogente vxore Cleopatra regina Ægypti, dum
cupiditate muliebri optat etiam in Vrbe regnare. Cæſar

igitur

A igitur ducentis triginta roſtratis nauibus in Epirum à Brunduſio profectus eſt. Agrippa vero præmiſſus à Cæſare multas onerarias naues frumento armiſque graues, ab Ægypto, Syria, Aſiaque ad ſubſidium Antonio venientes, cepit: peragratoque Peloponnenſium ſinu Methonam vrbem validiſſimo Antuniano præſidio munitam expugnauit. Inde Corcyram cepit, fugientes nauali prælio perſequutus profligauit, multiſque rebus cruentiſſime geſtis ad Cæſarem venit. Antonius defectu & fame militum ſuorum permotus, bellum maturare inſtituit, ac repente inſtructis copiis ad Cæſaris caſtra proceſſit, & victus eſt. Tertio poſt pugnam die Antonius caſtra ad Actium tranſtulit, nauali prælio decernere paratus. Ducentæ triginta roſtratæ fuere Cæſaris naues, & triginta ſine roſtris triremes, velocitate pares, & octo legiones claſſi ſuperpoſitæ abſque cohortibus quinque prætoriis. Claſſis Antonij CLXX. nauium fuit, quantum numero recedens, tantum magnitudine præcellens. Nam decem pedum altitudine à mari aberant. Famoſum & magnum hoc bellum apud
B Actium fuit, qui locus in Epiro eſt: ab hora quinta vſque in horam ſeptimam incerta vincendi ſpe, grauiſſimæ vtrinque cædes actæ. Reliquum diei cum ſubſequente nocte in victoriam Cæſaris declinauit. Prior regina Cleopatra cum ſexaginta velociſſimis nauibus fugit. Antonius quoque detracto inſigni prætoriæ nauis, fugientem ſequutus eſt vxorem. Illuceſcente autem die victoriam Cæſar conſummauit. Ex victis duodecim millia cecidiſſe referuntur, ſex millia vulnerata ſunt, è quibus mille inter curandum defecerunt. Antonius quoque & Cleopatra communes liberos cum parte regiæ gazæ ad rubrum mare præmittendos cenſuerunt: ipſi præſidiis circa duo Ægypti cornua, Peluſium, Parætoniumque diſpoſitis, claſſem & copias inſtaurando bello parauerunt. Cæſar ſextum Imperator appellatus, & quartum ipſe cum M. Licinio Craſſo Coſ. Brunduſium venit, vbi orbis terrarum præſidia diuiſis legionibus compoſuit. Inde in Syriam profectus mox Peluſium adiit, vbi ab Antonianis præſidiis
C vltro ſuſceptus eſt. Interea Cornelius Gallus præmiſſus à Cæſare, quatuor legiones, quas Antonius apud Cyrenas præſidij loco conſtituerat, ſuſcepit in fidem: atque inde Parætonium primam Ægypti à Libyæ parte ciuitatem victam cepit, ipſumque Antonium continuo apud Pharum vicit. Antonius equeſtre aduerſum Cæſarem iniit bellum, in eo quoque miſerabiliter victus aufugit. Calendis Sextilibus prima luce Antonius cum ad inſtruendam claſſem in portum deſcenderet, ſubito vniuerſæ naues ad Cæſarem tranſierunt. Cumque vnico præſidio ſpoliatus eſſet, trepidus ſe cum paucis recepit in regiam. Deinde imminente Cæſare, turbataque ciuitate, idem Antonius ſeſe ferro tranſuerberauit, ac ſemianimis ad Cleopatram in monumentum, in quod illa ſe morituram certa condiderat, perlatus eſt. Cleopatra exornata diuerſis ornamentis ad Cæſarem venit, ſperans eum vt cæteros ſua ſpecie ad libidinem illicere. Sed ille ſe intra ſe coar-
D ctans ad eius concupiſcentiam minime inflexus, eam mox cuſtodiri mandauit. At illa poſtquam ſe ad triumphum ſeruari intellexit, è cuſtodia elapſa, in precioſo ſuo ſepulchro iuxta Antonium ſe ſuum collocans, ſibi aſpidem in ſiniſtro brachio admiſit, & eius veneno exanimata eſt, fruſtra etiam Cæſare admouente Pſyllos, qui venena ſerpentium è vulneribus hominum hauſtu reuocare atque exugere ſolent. Cæſar Alexandria vrbe omnium longe opulentiſſima & maxima, victor potitus eſt, cum tota Ægypti regione, præpoſituſque eſt ei Cn. Cornelius Gallus datus: nam & Roma in tantum opibus eius aucta eſt, vt propter abundantiam pecuniarum duplicia quam vſque ad id tempus fuerant, poſſeſſionum, aliarumque rerum venalium precia ſtatuerentur. Et vt annonæ vrbis copiam efficeret, foſſas incuria vetuſtatis limo clauſas labore militum patefecit, & vrbi annua ex Ægypto ducenties centena millia frumenti inferebantur. Interea iuſſu Cæſaris occiſi ſunt, maior Antonij filius, & P. Canidius, infeſtiſſimus quidem Cæſari, ſed & Antonio infidus, & Caſſius Parmenſis, vltima violati patris Cæſaris victima: & Quintus Ouinius, ob eam maxime notam, quod obſcœniſſimæ lanificio textrinoque reginæ Senator populi Romani præeſſe non erubuerat. Dehinc Cæſar pedeſtribus copiis in Syriam venit, deinde in Aſiam ad hybernas conceſſit, ac poſt per Græciam Brunduſium peruectus eſt. E

Anno ab Vrbe condita DCCXXV. ipſo Imperatore CÆSARE AVGVSTO V. & L. Apuleio Coſſ. Cæſar victor ab Oriente rediens VIII. idus Ianuarij Vrbem triplici triumpho ingreſſus eſt. Ducti ſunt ante eius currum Sol & Luna Cleopatræ liberi: ac tum primum ipſe portas Iani, pro ſopitis finitiſque omnibus bellis ciuilibus, clauſit. Hodie primum Auguſtus, quod Remp. auxerit, conſalutatus eſt: quod nomen cunctis antea inuiolatum, & hucuſque cæteris inauſum, dominis tantum orbis licite vſurpatum, apicem declarat Imperij, atque ex eadem die ſumma rerum ac poteſtatum penes vnum eſſe cœpit & manſit, quod Græci *μοναρχίαν* vocant. Nec vllo tempore ante Cæſarem Auguſtum magis Romana res floruit. Nam cum primo C. Cæſare auunculo ſuo interfecto ex Apollonia rediens Vrbem ingrederetur, hora circiter tertia, repente puro ac liquido ſereno circulus
ad ſpeciem cœleſtis arcus orbem ſolis ambiit: quaſi eum vnum ac potentiſſimum in hoc mundo, ſolumque clariſſimum in orbe monſtraret, cuius tempore venturus eſſet, qui ipſum ſolem ſolus mundumque totum & feciſſet & regeret. Deinde cum ſecundo in Sicilia receptis à Pompeio & Lepido legionibus triginta millia ſeruorum dominis reſtituiſſet, & quadraginta quatuor legiones ſolus imperio ſuo ad tutamen orbis terrarum diſtribuiſſet, ouanſque Vrbem ingreſſus eſſet, omnia populi Romani debita donanda, litterarum monumentis abolitis cenſuit, Anno ab Vrbe condita DCCXXVI. Imperatore Auguſto Cæſare ſexies, & bis M. Agrippa Coſſ. Cæſar parum in Hiſpania per ducentos annos actum intelligens, ſi Cantabros atque Aſtures, duas fortiſſimas Hiſpaniæ gentes, ſuis vti legibus ſineret, aperuit Iani portas F
atque in Hiſpanias ipſe cum exercitu profectus eſt. Cantabri & Aſtures Galleciæ prouinciæ portio ſunt, qua extentum Pyrenæi iugum haud procul ſecundo oceano ſeptentrione deducitur. Hi non ſolum propriam libertatem tueri parati, verum etiam finitimorum præripere auſi, Vacceos & Turmogos & Autrigonas aſſiduis eruptionibus depopulabantur. Igitur Cæſar apud Segiſamam caſtra poſuit, tribus agminibus totam pene amplexus Cantabriam. Diu fatigato fruſtra atque in periculum ſæpe ducto exercitu, tandem ab Aquitanico ſinu per oceanum incautis hoſtibus admoueri claſſem, atque exponi copias iubet. Tum demum Cantabri ſub mœnibus Atticæ maximo congreſſi bello & victi, in Vinnium montem natura tutiſſimum confugerunt, vbi fame obſidionis ad extremum pene conſumpti ſunt. Tracillum deinde oppidum magna vi ac diu repugnans, poſtremo captum ac dirutum eſt. Præterea vlteriores Galleciæ partes quæ montibus ſyluiſque conſitæ oceano terminantur, Antiſtius & Firmius legati magnis grauibuſque bellis perdo- G
muerunt. Nam & Medullium montem Minio flumini imminentem, in quo ſe magna multitudo hominum tuebatur, per quindecim millia paſſuum foſſa circumſeptum, obſidione cinxerunt. Itaque vbi ſe gens hominum trux & ferox natura neque tolerandæ obſidioni ſufficientem, neque ſuſcipiendo bello parem intelligit, ad voluntariam mortem ſeruitutis timore concurrit. Nam ſe pene omnes igne, ferro ac veneno necauerunt. Aſtures vero poſitis caſtris apud Aſturam flumen, Romanos niſi prouiſi, præuentique eſſent, magnis conſiliis & viribus oppreſſiſſent. Tres legatos cum legionibus ſuis in tria caſtra diuiſos, tribus æque agminibus obruere repente moliti, ſuorum proditione detecti ſunt. Eos poſtea Caruſius bello exceptos, non parua etiam Romanorum militum clade ſuperauit, pars eorum prælio elapſa Lanciam confugit. Cumque milites circundatam vrbem incendio adoriri pararent, dux Caruſius & à ſuis ceſſationem impetrauit incendij, & à Barbaris voluntatem deditionis exegit. Studioſe enim nitebatur integram atque incolumem ciuitatem victoriæ ſuæ teſtem relinquere. Cantabricæ vi- H

A ctoriæ hunc honorem Cæſar detulit, vt tunc quoque belli portas clauſtro cohiberi iuberet. Ita nunc ſecundo per Cæſarem quarto poſt Vrbem conditam clauſus eſt Ianus. Poſt hoc Claudius Druſus, priuignus Cæſaris Galliam Rhetiamque ſortitus, maximas fortiſſimaſque gentes Germaniæ armis ſubegit. Nam tunc veluti ad conſtitutum pacis diem feſtinarent, ita omnes ad experientiam belli, deciſionemue fœderis vndatim gentes commouebantur, aut ſuſcepturæ conditiones pacis, ſi vincerentur, aut vſuræ quieta libertate ſi vincerent. Norici, Illyrici, Pannonij, Dalmatæ, Mœſij, Thraces, Daci, Sarmatæ, plurimique & maximi Germaniæ populi, per diuerſos duces, vel ſuperati, vel repreſſi, vel etiam obiectu maximorum fluminum Rheni, Danubiique ſecluſi ſunt. Druſus in Germania primo Vſipedes, deinde Tencteros & Chattos perdomuit: ipſo quoſque trans Albim fluuium ſubmouit, qui in Barbarico longe vltra Rhenum ſunt. Marcomannos quoque pene ad internecionem cecidit. Poſtea fortiſſimas natio-
B nes, & quibus natura vires, conſuetudo experientiam virium dabat: Cheruſcos, Sueuos & Sycambros pariter vno bello etiam ſuis aſpero ſuperauit. Quorum ex eo conſiderari virtus ac feritas poteſt, quod mulieres quoque, ſi quando præuentu Romanorum inter plauſtra ſua concludebantur, deficientibus telis, vel qualibet re, qua velut telo vti furor poſſet, paruos filios colliſos humi, in hoſtium ora iaciebant, in ſingulis filiorum necibus bis parricidæ. Tunc etiam in Africa Maſſulanos & Getulos latius vagãtes Coſſus dux Cæſaris arctis finibus coërcuit, atque à Romanis limitibus abſtinere metu compulit. Interea Cæſarem apud Tarraconem citerioris Hiſpaniæ legati Indorum & Scytharum toto orbe tranſmiſſo, tandem ibi inuenerunt, vltra quod quærere iam non poſſent: refuderuntque in Cæſarem Magni Alexandri gloriam, quem ſicut Hiſpanorum Gallorumque legatio in medio Oriente apud Babyloniam contemplatione pacis adiit: ita hunc apud Hiſpaniam in Occidentis vltimis ſupplex cum gentilico munere Eous Indus, & Boreus Scyta orauit. Can-
C tabrico bello per quinque annos acto, totaque Hiſpania in æternam pacem cum quadam reſpiratione laſſitudinis reclinata ac repoſita, Cæſar Romam rediit, quibus etiam diebus multa per ſe, multaque per duces & legatos bella geſſit. Nam inter cæteros Piſo aduerſus Vindelicos miſſus eſt. Quibus ſubactis victor ad Cæſarem Lugdunum venit. Pannonios nouo motu intumeſcentes, Tiberius priuignus Cæſaris cruentiſſima cæde deleuit. Idemque continuo Germanos bello arripuit, è quibus quadraginta millia captiuorum victor abduxit. Quod re vera bellum maximum & formidoloſiſſimum quindecim legionibus per triennium geſtum eſt: nec fere vllum maius bellum, ſicut Suetonius atteſtatur, poſt Punicum fuit, Sub eodem vero tempore Quintilius Varus Proprætor cum tribus legionibus trans Rhenum fluuium à Germanis rebellantibus, mira ſuperbia atque auaritia in ſubiectos agens, funditus deletus eſt cum Tribunis & Quæſtoribus. Quam Reipub. cladem. Cæſar Auguſtus adeo grauiter tulit, vt veſte, capilloque ac reliquis lugentium indiciis deformis,
D & ſæpe per vim doloris caput parieti collidens clamaret: Quintili Vare, redde legiones. Boſphoranos vero Agrippa ſuperauit, & ſignis Romanis, quæ illi quondam ſub Mithridate abſtulerant, bello recuperatis ad deditionem coëgit. A Parthis Armeniã recepit. Parthi quaſi toto orbe terrarum vel domito, vel pacato, omnium oculis ſignarentur, atque in ſe ſolos omnia vigor Romani imperij vertendus eſſet: quippe quos priſtina vlciſcendæ Craſſianæ cædis conſcientia mordebat: vltro ſigna quæ Craſſo abſtulerant, ad Cæſarem remiſerunt, obſidibuſque regiis traditis firmum fœdus fideliſſima ſupplicatione meruerunt. Gallacia quoque ſub hoc prouincia facta eſt, cum antea regnum fuiſſet, primuſque eam M. Lolius pro Prætore adminiſtrauit. Tanto autem amore etiam apud Barbaros fuit, vt reges populi Romani amici in honorem eius conderent ciuitates, quas Cæſareas nominarent: ſicut in Mauritania à rege Iuba, & in Palæſtina, quæ nunc eſt vrbs clariſſima. Multi autem reges ex regnis ſuis venerunt, vt ei obſequerentur, & habitu Romano, togati ſci-

E licet, ad vehiculum, vel ad equum ipſius cucurrerunt. Adeo denique turbas, bella, ſimultates, execratus eſt, vt niſi iuſtis de cauſis, numquam genti cuiquam bellum intulerit, iactantiſque eſſe ingenij, & leuiſſimi dicebat, ardore triumphandi, & ob lauream coronam, id eſt, folia infructuoſa, in diſcrimen per incertos euentus certaminum ſecuritatem ciuium præcipitare: neque imperatori bono quicquam minus quam temeritatem congruere: ſatis celeriter fieri, quicquid commode gereretur: armaque niſi maiori emolumenti ſpe, nequaquam mouenda eſſe, ne compendio tenui, iactura graui, petita victoria ſimilis ſit hamo aureo piſcantibus, cuius abrupti amiſſique detrimentum nullo capturæ lucro penſari poteſt. Auunculi quoque inuentum vehementer arguebat, quia milites commilitones nouo blandoque more appellans, dum affectabat carior fieri, authoritatem principis emolliuerat. Iſte in imperio poſitus Tribunitiam poteſtatem per ſe exercuit. Denique erga ciues clementiſſime verſatus, in
F amicos fidus extitit: quorum præcipui erant, ob taciturnitatem Mæcenas, ob patientiam laboris, modeſtiamque Agrippa. Diligebat præterea Virgilium, Flaccumque poëtas: tarus quidem ad recipiendas amicitias, ad retinendas conſtantiſſimus: liberalibus ſtudiis, præſertim eloquentiæ, in tantum incumbens, vt nullus ne in procinctu quidem laberetur dies, quin legeret, ſcriberet, declamaret. Leges alias nouas, alias correctas protulit ſuo nomine. Auxit ornauitque Romam ædificiis multis, iſto glorians dicto: Vrbem latericiam reperi, relinquo marmoream. Fuit mitis, grauis, ciuilis animi & lepidi, corpore toto pulcher, ſed oculis magis, quorum acies clariſſimorum ſyderum modo vibrans, libenter accipiebat cedi ab intendentibus tanquam ſolis radiis aſpectui ſuo. A cuius acie dum quidam miles auerteret oculos, & interrogaretur ab eo, cur ita faceret, reſpondit: quia fulmen oculorum tuorum ferre non poſſum. Nec tamen vir tantus carere viciis potuit. Fuit enim paululum impatiens, leuiter iracundus, occulte inuidus, palam factioſus. Porro autem dominandi, ſupra quam æſtimari poteſt, cupidiſſimus, ſtudioſus aleæ luſor. Cumque eſſet vini ac cibi multum, aliquatenus vero ſomni abſtinens, ſeruiebat tamen libidini vſque ad probrum vulgaris famæ. Nam
G inter duodecim catamitos, totidemque puellas cubare ſolitus erat. Abiecta quoque vxore Scribonia amore alienæ coniugis obſeſſus, Liuiam quaſi marito concedente ſibi coniunxit. Cuius Liuiæ iam erant filij Tiberius & Druſus. Cumque eſſet luxuriæ ſeruiens, erat tamen eiuſdem vitij ſeueriſſimus vltor, more hominum quia in vlciſcendis vitiis, quibus ipſi vehementer indulgent, acres ſunt. Nam poëtam Ouidium, qui & Naſo, pro eo quod tres libellos artis Amatoriæ ſcripſerat, irreuocabili damnauit exilio. Quodque eſt læti animi vel amœni, delectabatur omni genere ſpectaculorum, præcipue ferarum incognita ſpecie, & infinito numero. Nam & in adipiſcendo principatu, oppreſſor libertatis eſt habitus, & in gerendo ci-
H ues ſic amauit, vt tridui frumento in horreis viſo, quondam ſtatuiſſet veneno emori, ſi è prouinciis claſſes interea non venirent: quibus aduectis, felicitati eius ſalus patriæ eſt attributa. Itaque ann. ab Vrbe condita DCCLII. Cæſar Auguſt. ab Oriente in Occidentem à Septentrione in Meridiem, ac per totum Oceani circulum cunctis gentibus vna pace compoſitis, Iani portas tertio ipſe tunc clauſit, quas ex eo per duodecim fere annos, quietiſſimo ſemper obſeratas otio ipſa etiam rubigo ſignauit. Nec vnquam niſi ſenectuti Auguſti pulſante Athenienſium ſeditione, & Dacorum commotioné patuere. Clauſis igitur Iani portis Remp. quam bello quæſierat, pace nutrire & amplificare ſtudens, leges plurimas ſtatuit, per quas humanum genus libera reuerentia diſciplinæ morem gereret, domini appellationem vt opprobrium declinauit. Nam quum eo ſpectante ludos, pronuntiatum eſſet in Mimo: O dominum æquum & bonum, vniuerſique quaſi de ipſo dictum eſſet, exultanter approbauiſſent, & ſtatim quidem manu vultuque indecoras adulationes repreſſit & in ſequenti die grauiſſimo corripuit edicto, dominumque ſe poſt hac appellari, ne à liberis quidem aut

A nepotibus ſuis vel ſerio vel ioco paſſus eſt; Huius temporibus Romæ ſapientes inſignes erant Virgil. Flac. Saluſt. Liuius Horten. Teren. Horat. Athenodor. Tarſenſis, & Sotio Alexandrinus. Idem vero Auguſt. habitatoribus Romanæ vrbis, per facies dinumeratis, inuenit virorum habitantium in ea centies tricies & ſemel millia 37. Igitur eo tempore, id eſt, 42. imperij ſui anno, quo firmiſſimam veriſſimamque pacem ordinatione Dei, Cæſar compoſuit, natus eſt Chriſtus, cuius aduentui pax famulata eſt. In cuius ortu audientibus hominibus exultantes Angeli cecinere, Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Anno ab Vrbe condita DCCLX. quatuordecim vicos eius, incertum vnde conſurgens flamma conſumpſit. Nec vnquam, vt ait Liuius, maiore incendio vaſtata eſt, adeo vt poſt aliquot annos Cæſar Auguſtus ad reparationem eorum, quæ tunc exuſta erant, magnam vim pecuniæ ex ærario publico largitus ſit. B Poſtquam Redemptor mundi Dominus Ieſus Chriſtus venit in terras, & Cæſaris cenſu ciuis Romanus adſcriptus eſt, cum per duodecim, vt dixi, ann. clauſæ belli portæ beatiſſima pacis tranquillitate cohiberentur, Caium nepotem ſuum Cæſar Auguſt. ad ordinandas Ægypti, Syriæque prouincias miſit. Qui prætetiens ab Ægypto fines Paleſtinæ, apud Hieroſolymam in templo Dei tunc ſancto & celebri adorare contempſit, ſicut Suetonius Tranquillus refert. Quod Auguſtus vbi per eum comperit, prauo vſus iudicio, prudenter eum feciſſe laudauit. Itaque anno imperij Cæſaris XLVIII. adeo dira fames Romanos conſequuta eſt, vt Cæſar laniſtarum familias, omneſque peregrinos, ſeruorum quoque maximas copias, exceptis medicis & præceptoribus, trudi Vrbe præceperit. Ita peccante principe in Sanctum Dei, & correpto per famem populo, quantitatem offenſionis, qualitas vltionis oſtendit. Deinde, vt verbis Cornelij Taciti loquar, ſene Auguſto Ianus patefactus, dum apud extremos terrarum terminos nouæ gentes ſæpe ex vſu, & C aliquando cum damno quæruntur, vſque ad Veſpaſiani durauit imperium. Interea Cæſar Auguſtus annos natus octo & ſeptuaginta, ingreſſus Nolam morbo interiit: quanquam alij ſcribant dolo Liuiæ extinctum, metuentis, ne quia priuignum Agrippam, quem odio nouercali in inſulam relegauerat, reduci comperetat, eo ſummam rerum adepto pœnas daret. Sepultus Romæ eſt in campo Martio. Igitur mortuum ſeu necatum, multis nouiſque honoribus Senatus cenſuit decorandum. Nam præter id quod eum antea Patrem patriæ dixerat, templa tam Romæ, quam per vrbes celeberrimas ei conſecrauit, cunctis iactantibus vulgo: Vtinam aut non naſceretur, aut non moreretur vir, qui non immerito ex maxima parte Deo ſimilis eſt putatus. Neque enim facile vllus eo aut in bellis felicior fuit, in pace moderatior. Quadraginta & quatuor annis, quibus ſolus geſſit imperium, ciuiliſſime vixit, in cunctos liberaliſſimus, in amicos fideliſſimus, quos tantis euexerat honoribus, vt pene æquaret faſtigio D ſuo. Imperauit annos quinquaginta & ſex: duodecim cum Antonio & Lepido: quadraginta quatuor ſolus. Qui certe nunquam Reipub. ad ſe potentiam traxiſſet, aut tam diu ea potiretur, niſi magnis naturæ & ſtudiorum bonis abundaſſet. Rempub. beatiſſimam TYBERIO ſucceſſori reliquit. Anno ab vrbe condita DCCLXVII. Tyberius Cæſar Liuiæ filius ſecundus, imperium adeptus eſt: qui priuignus Cæſaris, mox gener, poſtremo adoptione filius fuerat. Iſte quia Claudius Tyberius Nero dicebatur, eleganter à iocularibus, Caldius Biberius Mero ob vinolentiam nominatus eſt. Satis prudens in armis ſatiſque fortunatus ante ſumptum imperium ſub Auguſto fuit, vt non immerito Reipub. dominatus ei committeretur. Inerat ei ſcientia literarum multa: eloquio clarior, ſed ingenio peſſimo, truci, auaro, inſidioſo, ſimulans ea ſe velle, quæ nollet, his quaſi infenſus quibus conſultum cupiebat: his vero quos oderat, quaſi beneuolus apparens. Repentinis reſponſionibus aut conſiliis melior quam quæſitis. Denique delatum à patribus principatum, quod quidem aſtu perfecerat, finxit ſe abnuere, quid ſinguli dicerent, vel ſentirent atrociter explorans quæ res bonos quoſque peſſumdedit. E Æſtimantes enim ex animo eum longa oratione imperialis moleſtiæ magnitudinem declinare, cum ſententias ad eius voluntatem promunt, incidere in exitia ſuprema. Nuſquam ipſe pugnauit, ſed ne per legatos quidem aliqua grauia bella geſſit: niſi quod tantum aliquantis in locis præcogniti cito gentium tumores comprimebantur. Sane quarto imperij eius anno, Germanicus Druſi filius, Caligulæ pater de Germanis, ad quos ab Auguſto ſene miſſus fuerat, triumphauit. Quoſdam reges per blanditias ad ſe euocatos, nunquam remiſit, in quibus Archelaum Cappadocem, cuius etiam regnum in prouinciæ formam redegit, & maximam ciuitatem appellari ſuo nomine iuſſit, quæ nunc Cæſarea dicitur, cum antea Mazaca dicerent. Getulorum latrocinia repreſſit. Marobodum Sueuorum regem callide circumuenit. Plurima ſui parte imperij, cum magna & graui modeſtia Reip. præfuit, adeo vt in quibuſdam prouinciis augenda præſidibus tributa ſuadentibus ſcripſerit, Boni paſtoris eſſe, tondere pecus, non deglubere. Et poſtquam paſſus eſt Dominus Ieſus Chriſtus, & à mortuis reſurrexit, & diſcipulos ſuos ad prædicandum miſit: F Pilatus præſes Palæſtinæ prouinciæ ad Tiberium imperatorem, atque ad Senatum retulit de paſſione & reſurrectione Chriſti, conſequentibuſque virtutibus, quæ vel per ipſum palam factæ fuerant, vel per diſcipulos ipſius in nomine eius fiebant: & de eo quod certatim creſcente plurimorum fide, Deus crederetur. Tiberius cum ſuffragio magni fauoris retulit ad Senatum, vt Chriſtus Deus haberetur. Senatus indignatione motus, quod non ſibi prius ſecundum morem delatum eſſet, vt de ſuſcipiendo cultu prius ipſe decerneret, conſecrationem Chriſti recuſauit, edictoque conſtituit, exterminandos eſſe Vrbe Chriſtianos: præcipue cum & Sejanus præfectus Tiberij ſuſcipiendæ religioni obſtinatiſſime contradiceret. Tiberius tamen edicto accuſatoribus Chriſtianorum, mortem comminatus eſt. Nam & plurimos Senatorum proſcripſit, & in mortem coëgit. G Viginti ſibi patricios viros conſilij cauſa legerat, horum vix duos incolumes reliquit, cæteros diuerſis cauſis necauit. Sejanum præfectum ſuum res nouas molientem interfecit: filios ſuos Druſum & Germanicum, qui adoptiui erant, manifeſtis veneni ſignis perdidit. Filios Germanici filij ſui interfecit. Hic tertio & viceſimo imperij ſui anno, ætatis vero ſeptuageſimo octauo, & menſe quarto, cum immani furore, inſontes, noxios, ſuos pariter, vt diximus, externoſque puniret, reſolutis militiæ artibus, Armenia per Parthos, Mœſia à Dacis, Pannonia à Sarmatis, Gallia à finitimis gentibus, direptæ ſunt. Ipſe cum ingenti omnium gaudio inſidiis Caligulæ in Campania extinctus eſt. Huius etiam imperij anno duodecimo noua & incredibilis clades apud Fidenatium vrbem accidit. Nam Amphitheatri cauea populo gladiatorum munus ſpectante collapſa eſt, & pluſquam viginti millia hominum occidit. Deinde anno eiuſdem ſeptimo decimo, cum Dominus Ieſus Chriſtus voluntarie quidem ſe tradidit paſſioni, ſed impie à Iudæis apprehenſus, & patibulo ſuffixus eſt, H maximo terræmotu per orbem facto, ſaxa in montibus ſciſſa, maximarumque vrbium plurimæ partes, plus ſolita concuſſione ceciderunt. Eadem quoque die à ſexta hora diei vſque, in horam nonam, ſol in totum obſcuratus, tetraque nox ſubito obducta eſt terris: & ſicut dictum eſt,

Impiaque æternam timuerunt ſecula noctem.

Vſque adeo autem neque lunam lumini ſolis, neque nubes obſtitiſſe manifeſtum eſt, vt quartamdecimam eo die lunam, tota cœli regione interiecta longiſſime à conſpectu ſolis abfuiſſe, & ſtellas tunc diurnis horis, vel potius in illa horrenda nocte toto cœlo fulſiſſe referatur. Quod non ſolum ſanctorum Euangeliorum fides, ſed etiam aliquanti Græcorum libri atteſtantur. Quamquam nono decimo anno Tiberij hæc facta referuntur. Scribens inter cæteros autem & Phlegon, qui Olympiadas ſuper ipſis enumerat, in tertiodecimo ſermone eiſdem verbis aſſerit hæc. Porro quarto anno ducenteſimæ ſecundæ Olympiadis facta eſt defectio ſolis maxima, & nox horâ ſexta diei facta eſt: ita vt etiam ſtellæ in cœlo apparerent.

A Terræmotus etiam magnus in Bithynia factus, plurimam Nceæ partem vrbis ſubuertit.

Anno ab Vrbe condita DCCXC. Tertius ab Auguſto Caius cognomento Caligula regnare cœpit, Germanici filius, Druſi priuigni Auguſti, & ipſius Tiberij nepos: & quia natus in exercitu fuerat, cognomentum calciamenti militaris idem Caligula ſortitus eſt, homo omnium ante ſe ſceleratiſſimus, & qui etiam Tiberij dedecora purgauerit. Ante principatum charus omnibus acceptuſque fuit: in principatu vero talis, vt non immerito vulgaretur, atrociorem illo dominum non fuiſſe. Nam vt breuiter magnitudinem crudelitatis eius exponam, exclamaſſe fertur: Vtinam populus Rom. vnam ceruicem haberet. Sæpe etiam de conditione temporum ſuorum conqueſtus eſt, quod nullis calamitatibus publicis inſignirentur, Bellum ipſe contra Germanos ſuſcepit, & ingreſſus Sueuiam nihil ſtrenue fecit. Stupra tribus ſororibus ſuis intulit: ex vna etiam natam filiam cognouit. Incedebat ha-
B bitu deorum ſuorum: Iouem ob inceſtum, de choro autem Bacchanali Liberum ſe aſſerebat. De quo neſcio an decuerit memoriæ prodi, niſi forte quia iuuat de principibus noſſe omnia, vt improbi ſaltem famæ metu declinent talia. In palatio matronas nobiles publicæ libidini ſubiecit. Primus diademate impoſito, dominum ſe appellari iuſſit. In ſpatio trium millium quod in ſinu Puteolano intra molem iacet, duplici ordine naues contexens, arenæ aggeſtu ad terræ ſpeciem viam ſolidatam, phalerato equo inſignis quercea corona quaſi triumphans indutus aureo paludamento, curruque biiugi decurrit. Hiſdem autem diebus Iudæi, qui iam tunc ob paſſionem Chriſti meritis vbique cladibus exagitabantur, apud Alexandriam ſeditione excitata profligati cæde, atque ex vrbe propulſi, expromendarum querelarum cauſa Philonem quendam virum ſane in primis eruditum, ſecunda vice legatum ad Cæſarem miſerant. Is Romam veniens locutus eſt cum Apoſtolo Petro, eiuſque amicitias habuiſſe fertur. Sed
C Caligula cum omnibus hominibus, tum præcipue Iudæis infeſtiſſimus, ſpreta legatione Philonis, omnes Iudæorum ſacras ædes atque in primis antiquum illud Hieroſolymis ſacrarium prophanari ſacrificiis gentilium, ac repleri ſtatuis ſimulacriſque imperauit, ſeque vt Deum coli præcepit. Pilatus autem præſes, qui ſententiam damnationis in Chriſtum dixerat, poſtquam plurimas ſeditiones Hieroſolymis excepit ac fecit, tantis irrogante Caio angoribus coarctatus eſt, vt ſua ſe tranſuerberans manu, malorum compendium mortis celeritate quæſierit. Igitur Caius cum aduerſus cunctos ingenti auaritia, libidine, crudelitate ſæuiret, interfectus eſt à militibus in palatio, anno ætatis ſuæ XXXVIII. imperij III. menſe X. dieque VIII. Qui poſtquam occiſus eſt, duo libelli in ſecretis eius reperti ſunt, quorum alteri pugio, alteri gladius pro ſcripto nominis adſcriptum erat, ambo lectiſſim. virorum vtriuſque ordinis Senatorij videlicet, & Equeſtris nomina & notas continebant, morti deſtinatorum. Inuenta
D eſt & archa ingens variorum venenorum, quibus mox Claudio Cæſare iubente demerſis, infecta maria traduntur, non ſine piſcium magno exitio, quos enecatos per proxima littora paſſim æſtus eiecit.

Explicit liber Septimus.

Incipit

LIBER OCTAVVS.

ANno ab Vrbe condita DCCXCV. CLAVDIVS ab Auguſto quartus regnum adeptus eſt, patruus Caligulæ, Druſi filius priuigni Cæſaris Auguſti, cuius Caligula nepos erat, qui apud Mogontiacum monumentum habet. Iſte cum Senatus cenſuiſſet gentem Cæſarum exterminari, deformi latebra latere repertus, quia vecors erat, & mitiſſimus videbatur imprudentibus, à militibus imperator eſt effectus. Hic ventri, vino, libidini fœde obe-
E diens, vecors & prope hebes, ignauus & pauidus, libertorum & coniugis imperiis ſubditus fuit. Huius tempore Scribonianus Camillus intra Dalmatias imperator creatus, continuo occiditur. Mauri prouinciis à Cæſare pulſi, cæſa Muſulaniorum manus. Aqua Claudia Romæ introducta. Igitur in exordio regni eius Petrus Apoſtolus Domini noſtri Ieſu Chriſti Romam venit, & ſalutarem cunctis credentibus fidem fideli verbo docuit, potentiſſimeque virtutibus approbauit, atque exin Chriſtiani Romæ eſſe cœperunt. Senſit hoc collatum fidei ſuæ Roma beneficium. Accidit enim eodem tempore præſentis gratiæ Dei grande miraculum. Siquidem Furius Camillus Scribonianus Dalmatiæ legatus bellum ciuile molitus, legiones multas fortiſſimaſque ad Sacramenti mutationem pellexerat. Itaque die dato, vt in vnum vndique ad nouum imperatorem conuenirent, neque Aquilæ ornari, neque conuelli quoquo modo ſigna, moueriue potuere. Exercitus tanta & tam inuſitata miraculi fide motus, & conuerſus in pœnitentiam, ſtatim quinta die Scribonia-
F num deſtitutum interfecit, ſeſeque Sacramento prioris militiæ continuit; igitur Claudius medie imperauit, multa gerens tranquille atque moderate, quædam crudeliter & inconſulte. Idem XXXV. Senatores, & CCC. ſimul equites Romanos minimis cauſis interfecit. Britannis bellum intulit, quod nullus Rom. poſt C. Cæſarem attigerat, atque de victis per Cn. Sentium & A. Plautium illuſtres & nobiles viros triumphum celebrem egit. Quaſdam etiam inſulas vltra Britannias in oceano poſitas imperio Romano addidit, quæ appellantur Orcades. Filio autem ſuo Britannici nomen impoſuit. Tam ciuilis autem circa quoſdam amicos extitit, vt etiam Plautium nobilem virum, qui in expeditione Britannica multa egregie fecerat, triumphantem ipſe proſequeretur, & conſcendenti Capitolium, læuus incederet. Huius vxor Meſſalina primo paſſim quaſi iure adulteriis vtebatur, ex quo facto plures metu abſtinentes extincti ſunt. Dehinc atrocius accenſa, nobiliores quaſque nuptas & virgines ſcortorum modo ſecum propoſuerat: coacti mares, vt adeſ-
G ſent, Quod ſi quis talia horruerat, afflicto crimine in ipſum, omnemque familiam ſæuiebat, vt magis videretur ipſa imperare viro, quam imperatori nupta eſſe. Ita liberti eius ſummam poteſtatem adepti, ſtupris, exilio, cæde, proſcriptionibus omnia fœdabant. Ex quibus Felicem legionibus Iudææ præfecit. Poſſidonio Eunucho poſt triumphum Britannicum inter militarium fortiſſimos, arma inſignia tanquam participi victoriæ dono dedit. Polybium inter Conſules medium incedere fecit. Hos omnes anteibat Narciſſus ab epiſtolis, dominum ſe gerens ipſius domini, palamque Prætoriis ornamentis ſublimatus, adeo diues, vt cauſante eo inopia fiſci lepidiſſime famoſo elogio vulgatum ſit, abunde ei pecuniam fore, ſi à duobus libertis in ſocietatem reciperetur. Hic ciues Romanæ vrbis deſcribens, inuenit ſexies centena millia nongentos & quadraginta vnum. Huius imperij anno quinto inter Theram & Theraſiam in mari Ægæo inſula de profundo emicuit triginta ſtadiorum ſpatio extenta. Anno eius ſe-
H ptimo ſub procuratore Iudææ Cumano in Hieroſolymis tanta ſeditio in diebus Azymorum exorta eſt, vt in portarum exitu populo coarctato triginta millia Iudæorum cæde proſtrata, & compreſſione ſuffocata referantur. Tunc & apud Athenienſes ſupraſcripta eſt ara, ignoto deo. Veruntamen anno eius VIII. tanta fames Romæ fuit, vt medio foro imperator correptus à populo conuiciis & fragminibus panis turpiſſime infeſtatus, ægre per Pſeudothyrum in palatium refugiens, furorem excitatæ plebis euaſerit. Huius tẽporibus viſus eſt apud Ægyptum Phœnix, quam volucrem fertur anno ſexcenteſimo quinquageſimo quarto ex Arabia memorato loco aduolare. Et Apollonius ex Tyanẽſibus Italiæ ortus, Pythagoricus philoſophus Romæ pollebat ita vt hunc ipſo quoq; Pythagora, Philoſtratus & alij, acrioris ingenij fuiſſe deſcribãt. Hic Agrippinam Germanici fratris ſui filiam duxit vxorẽ, quæ filio imperium procurans, primo priuignum Britannicum in palatio inſidiis multiformibus appetiit: dehinc ipſum coniugẽ veneno interemit. Vixit annos ſexaginta quatuor,

A imperauit annos quatuordecim. Poſt mortem cõſecratus
eſt,Diuuſque appellatus.Cuius funus vt quondam in Tar-
quinio Priſco diu occultatum eſt, dum arte muliebri cu-
ſtodes corrupti ægrum ſimulãt Nero prætrignus eius im-
perij iura ſuſcepit. Anno ab Vrbe condita DCCCVIII.
Domitius Nero patre Domitio Ænobarbo genitus , ab
Auguſto quintus principatum adeptus eſt, Iſte quinquen-
nio tolerabilis fuit:vnde quidam prodidere Trajanum ſo-
litum dicere : procul diſtare cunctos principes Neronis
quinquennio : poſtea in omnibus Caligulæ auunculo ſuo
ſimillimus , qui Romanum & deformauit imperium , &
minuit. Inuſitatæ luxuriæ,ſumptuumque, vt qui exemplo
Caligulæ in calidis, frigidiſque lauaret vnguentis, retibus
aureis piſcaretur , quæ blateis funibus extrahebat. Pluri-
mos ſenatorum nulla exiſtente cauſa bonis priuauit. Ne-
catorum omnium ſub vna die tormentis quoque adhibi-
tis, omnem penitus cenſum abſterſit : Crudelitatis autem
rabie ita effrænatus eſt, vt plurimam ſenatus partem in-
terficeret,equeſtrem ordinem pene deſtitueret. Bonis om-
B nibus hoſtis fuit.Libidinibus porro tantis exagitatus eſt,vt
ne à matre quidem , vel ſorore, vllaue conſanguinitatis
reuerentia abſtinuiſſe refertur: virum in vxorem duxerit:
ipſe à viro amictus nubentium virginum ſpecie , palam
conuocato ſenatu, dote dicta , cunctis feſta more frequẽ-
tantibus, vt vxor acceptus eſt. Ad poſtremum tanto ſe de-
decore proſtituit , vt omnia pene Italiæ ac Greciæ thea-
tra perluſtrans , aſſumpto etiam varij veſtitus dedecore,
ſaltaret , cantaret in ſcena citharœdico habitu,vel tragœ-
dico. Parricidia multa commiſit , fratre , matre , ſorore,
interfectis. Vrbem Romam per ſex dies ſeptemque noctes
incendit : vt ſpectaculi eius imagine cerneret , qualiter
olim Troia capta arſerat. Et ipſe ex altiſſima illa Mœce-
natina turre proſpectans , lætuſque flammæ pulchritudi-
ne,tragico habitu Iliada decantabat. Horrea quadro ſtru-
cta lapide, magnæque illæ veterum Inſulæ , quas diſcur-
rens flamma adire non poterat , magnis machinis ad ex-
terna quondam bella præparatis , labefactæ atque inflam-
matę ſunt. Auaritiæ autem tam præruptæ extitit , vt poſt
C hoc incendium neminem ad reliquias rerum ſuarum adire
permiſerit.Cunctaque quæ flãmæ quoquomodo ſuperfue-
rant, ipſe abſtulit. Centies centena millia H. S. annua, ad
expenſas, Senatum ſibi conferre imperauit. Octauiam &
Sabinam cognomento Popeam in matrimonium duxit,
viris earum trucidatis. In re militari nihil omnino auxit,
Britanniam pene amiſit. Nam duo ſub eo nobiliſſima op-
pida illic capta atque euerſa ſunt. Armeniam Parthi ſu-
ſtulerunt, legioneſque Romanas ſub iugo miſerunt. Duæ
tamen ſub eo prouinciæ factæ ſunt : Pontus Polemonia-
cus , concedente rege Polemone ; & Alpes Cottiæ , rege
Cotta defuncto. Tunc Galba prætor Hiſpaniæ , & C. Iu-
lius imperium corripuere. At vbi aduenientem Nero Gal-
bam didicit, Senatuſque ſententia conſtitutum eſt,vt nu-
dus per publicum ductus , furca collo eius inſerta , virgis
vſque ad mortem, cæderetur, atque ita ſaxo præcipitare-
tur, Igitur deſertus vndique è palatio fugit, noctis medio
Vrbem egreſſus , ſequentibus eum Phaone , Epaphrodito
D Neophitoque , & ſpadone Sporo , quem quondam exe-
ctum formare in mulierem tentauerat , & in ſuburbano
ſe liberti ſui , quod eſt inter Salariam & Nomentanam
viam ad quartum Vrbis milliarium , ictu gladij tranſegit,
adiuuante trepidantem manum impuro , de quo diximus,
eunucho, quum ſane prius nullo reperto à quo feriretur,
exclamaret : Itane nec amicum , nec inimicum habeo?
Dedecoroſe vixi turpius peream : Ædificauit Romæ ther-
mas , quæ antea Neronianæ dictæ,nunc Alexandrinæ ap-
pellantur. Obiit ætatis trigeſimo primo anno imperauit
XIIII. atque in eo omnis Auguſti familia conſumpta eſt.
Huius temporibus poetæ pollebant Romæ , Lucanus, Iu-
uenalis & Perſius, Senecaque Tragicus , Muſonius atque
Plutarchus Philoſophi. Hunc Perſæ tantum dilexerunt,vt
legatos mitterent, orantes copiam conſtruendi monumẽ-
ti. Cæterum adeo cunctæ prouincię omniſque Roma in
interitu eius exultauit,vt plebs induta pileis manumiſſio-
num, tanquam ſæuo exempta dominio triumpharet. De-
nique omnibus flagitiis ſuis hoc etiam addidit , quod pri-
mus Romæ Chriſtianos ſuppliciis & mortibus affecit, ac E
per omnes prouincias pari perſecutione excruciari impe-
rauit. Ipſum quoque nomen extirpare conatus , beatiſſi-
mos apoſtolos Petrum cruce affixit , Paulum capite gla-
dio ſecuit. Mox autem aceruatim miſeram ciuitatem
obortæ vndique oppreſſere clades. Nam ſubſequente au-
tumno tantà vrbi peſtilentia incubuit , vt triginta millia
funerum in rationem libitinæ venirent. Anno ab Vrbe
condita DCCCXXII. de Hiſpania Ser. Galba ſurrexit,&
ab Auguſto ſextus principatum adeptus eſt , antiquiſſimæ
nobilitatis ſenator , Sulpiciorum gente progenitus , cum
LXXIII. ætatis ageret annum , ab Hiſpanis & Gallis im-
perator electus , mox ab vniuerſo exercitu libenter ac-
ceptus. Qui mox vt Neronis mortem comperit, Romam
venit , & Piſonem nobilem induſtriumque adoleſcentem
ſibi in filium atque in regnum adoptauit. Iſte in adoleſ-
centia infamis,ad veſcendum intemperans fuit:trium ami-
corum conſilio , id eſt , Iunij , Cornelij , Icelij , cuncta
diſponens, adeo vt intra Palatinas ædes pariter habitarent F
& vulgo pædagogi dicerentur. Nam priuata eius vita in-
ſignis fuit militaribus & ciuilibus rebus : ſæpe Cos. ſæpe
Proconſul , frequenter dux, grauiſſimis bellis militem
ſuum ita ſeueriſſime tractauit , vt ingreſſo eo caſtra , vul-
garetur ſtatim : Diſce miles militare, Galba eſt, non Ge-
tulicus. Huius breue imperium fuit , quod haberet bona
exordia, niſi ad ſeueritatem propenſior videretur.. Inſidiis
Othonis occiſus eſt,imperij menſe VII. iugulatus in foro
Romæ ſepultus in hortis ſuis , qui ſunt Aurelia via non
longe ab vrbe Roma. Lucius Saluius Otho occiſis Gal-
ba & Piſone ab Auguſto ſeptimus inuaſit imperium,ſplẽ-
didis ortus maioribus ex oppido Ferentano. Attamen ma-
terno genere nobilior , quam paterno,neutro tamen obſ-
curo. In priuata vita mollis, maxime in adoleſcentia om-
ni,turpis, & Neronis familiaris , in imperio documentum
ſui non potuit oſtendere. Nam cum iiſdem temporibus,
quibus Otho Galbã occiderat, etiam Vitellius à Germa-
nicis exercitibus imperator factus eſſet : belloque ciuili
contra eum ſuſcepto , tribus primum leuibus bellis , hoc
eſt , vno apud Alpes , alio circa Placentiam , tertio circa G
locum quendam, quem Caſtores appellant, contra Vitel-
lianos duces congreſſus victor extitiſſet:quarto cum apud
Bebriacum in italia leui prælio victus eſſet , ingentea ta-
men copias ad bellum haberet , ſponte ſemet occidit,pe-
tentibus militibus ne tam cito de belli deſperaret euentu
cum tanti ſe non eſſe dixiſſet , vt propter eum bellum ci-
uile oriretur , voluntaria morte obiit XXXVIII. ætati-
anno , XCV. imperij die. Adeo militibus propriis ama-
bilis fuit, vt plerique corpore eius viſo , ſuis manibus in-
terirent.

Dein Vitellius VIII. ab Auguſto imperio potitus eſt,
familia magis honorata quã nobili. Nam pater eius L.
Vitellius non admodum clare natus , tres tamen ordina-
rios geſſerat conſulatus. Iſte tumens , crudelis, auaruſque
cum profuſione fuit & cum multo dedecore imperauit,
grauique ſæuitia notabilis , præcipue ingluuie & voraci-
tate : quippe cum die ſæpe quarto vel quinto feratur epu-
latus: notiſſima certe cœna memoriæ mandata eſt, quam H
Vitellius frater exhibuit , in qua ſupra cæteros ſumptus
II. M. piſcium , & VII. millia auium appoſita traduntur.
Hic cum Neroni ſimilis eſſe vellet , atque id adeo præ ſe
ferret , vt etiam reliquias Neronia quæ humiliter ſepultæ
fuerant,honoraret, ab omnibus exoſus eſt. Poſtquam au-
tem de Veſpaſiano comperit , primum deponere molitus
eſt imperium : deinde à quibuſdam animatus , Sabinum
Veſpaſiani fratrem , nil tum mali ſuſpicantem,cum cæte-
ris Flauianis in Capitolium compulit , ſuccenſoque tem-
plo, & mixta ſimul flamma ruinaque omnes in vnum pa-
riter interitum ac tumulum dedit. At vero Veſpaſianus
poſtquam apud Palæſtinam imperator creatus eſt,in Græ-
ciam venit , gaudens vt Græci fatentur , in his quæ au-
diebat à Tyanenſi Apollonio de tempore imperij ſui , ac
cæteris bonis fortioribus , loquens cum eo apud Ægyp-
tum ab Indis & Bragmanis & Gymnoſophiſtis illic degẽ-
tibus redeunte. Igitur Vitellius à Veſpaſiani militibus ſub
muris Vrbis certamine habito ſuperatus , ab exercitu ſuo

deſtitutus

A deſtitutus eſt, appropinquantibuſque hoſtibus iam trepidus, cum ſe in quandam proximam palatio cellulam contuliſſet, turpiſſime inde protractus, vinctis poſt tergum manibus circunducitur ad ſpectaculum vulgi. Cumque per ſacram viam publice nudus duceretur, ne impudens in extremis ſaltem malorum quæ geſſerat, rubore faciem demitteret, erecta coma & capite, ſubiecto in mentum gladio, ſeminudus, multo cœno ſimoque & cæteris dictu turpioribus purgamentis ore & pectore inuolutus, in forum deductus eſt, atque per ſcalas Gemonias trahitur, vbi Sabinum Veſpaſiani fratrem permiſerat necari, minutiſſimorum ictuum crebris ictibus excarnificatus atque inde vnco tractus in Tyberim merſus etiam communi caruit ſepultura. Periit autem ætatis anno LVII. imperij menſe VIII. & die primo. Multis autem & nefariis modis per complures dies à Veſpaſiani militibus aduerſum Senatum P. Q. R. indiſcreta cæde ſæuitum eſt. Huic Veſpaſianus ſucceſſit nonus ab Auguſto.

B *Explicit liber Octauus.*

Incipit

LIBER NONVS.

ANno ab Vrbe condita DCCCXV. breui illa quidē ſed turbida tyrannorum caligine diſcuſſa, tranquilla ſub Veſpaſiano ſerenitas rediit. Is obſcure quidem natus, ſed optimis comparandus, priuata vita illuſtris, vt qui à Claudio in Germaniam, deinde Britanniam miſſus, tricies & bis cum hoſte conflixerit, duas validiſſimas gentes, viginti oppida, inſulam Vectam Britanniæ proximam imperio Romano adiecerit. Namque vt paulo altius repetam, Iudæi poſt paſſionem Chriſti deſtituti in totum gratia Dei cum omnibus vndique malis circumuenirentur,
C quibuſdam in Carmelo monte ſeducti ſortibus, quæ portenderent, exortos à Iudæa duces rerum potituros fore, prædictumque ad ſe trahentes, in rebellionem exarſerunt. Extinctiſque Romanis præſidiis, legatum quoque Syriæ (cui Palæſtina nomen eſt) ſuppetias ferentem, rapta aquila, & cæſis copiis fugauerunt. Ad hos Veſpeſianus à Nerone miſſus, Titum filium ſuum maiorem in itinere habuit. Nam multas & validas legiones viginti & octo ſecum in Syriam traiecit. Itaque cum Iudæos multis eorum oppidis captis in vrbe Hieroſolymorum præcipue ob diem feſtum congregatos obſidione clauſiſſet, cognita Neronis morte, hortatu plurimorum regum & ducum, maxime Ioſephi ducis Iudæorum ſententia: qui captus cum in vincula coniiceretur, conſtantiſſime dixerat, ſicut Suetonius refert, continuo ſe ab eodem ſed imperatore ſoluendum: imperium adeptus eſt. Relictoque in caſtris ad procurationem obſidionis Hieroſolymorum filio Tito, profectus eſt Romam. Sed cognita interfectione Vitellij paulisper Alexandriæ ſubſtitit. Titus vero magna ac diuturna obſidione Iudæos premens, machinis, cunctiſque
D bellicis molibus, non ſine multo ſuorum ſanguine tandem muros ciuitatis irrupit. Sed ad expugnandam interiorem templi munitionem, quam reclutam multitudo ſacerdotum ac principum tuebatur, maiore vi & mora opus fuit. Nam intra viginti dies capta eſt. Quod tamen poſtquam in poteſtatem redactum, opere mirandum atque antiquitate ſuſpexit, diu deliberauit, vtrum tanquam incitamentum hoſtium incenderet, an in teſtimonium victoriæ reſeruaret. Itaque cum nunciatum ei à Roma fuit, quod pater eius imperio potiretur, ex hilaritate nimia, ſura eius extra cœmentum carnis accepit, ita vt calciamentum non reciperet. Quæ Ioſephi ducis Iudæorum conſilio reſtituta eſt qui iuſſerat ante eum tranſire, in quem plurimum odij habebat. Igitur Titus Imperator ab exercitu pronunciatus, templum Hieroſolymis incendit ac diruit, quod à die conditionis primæ vſque ad diem euerſionis vltimæ manſerat annis mille centum & duobus. Muros vrbis vniuerſos ſolo æquauit. Sexcenta millia Iudæorum eo bello interfecta Cornelius & Suetonius
E referunt. Ioſephus vero dux Iudæorum, qui eo bello tunc præfuit, & apud Veſpaſianum propter prædictum imperium veniam gratiamque meruerat, ſcribit vndecies centena millia gladio & fame periſſe reliquias vero Iudæorum diuerſis actas conditionibus toto orbe diſperſas, quorum numerus ad nonaginta millia hominum fuiſſe narratur. Quibus ante, obſcœna & dira prodigia, vt idem Ioſephus dicit, vel viſa vel nunciata ſunt. Etenim ſtella præfulgens gladio ſimilis per omnia, imminere deſuper ciuitati & cometes preterea exitialibus damnis ardere per totum viſa eſt annum. Sed & ante tempus excidij ac belli, cum populi ad diem feſtum azymorum conuenirent, octauo die menſis Aprilis noctis tempore hora nona, tantus fulgor luminis aram, templumque circumdedit, vt putarent omnes diem clariſſimum factum: & permanſit ſpatio horæ dimidiæ. Quod imperitis quidem & ignaris proſperum videbatur, ſed legiſperitos & probos quoſque doctores non latuit exitiale portentum. In eadem quoque feſtiuitate victima ſacrificiis admota, & aris aſſiſtens in-
F ter ipſas miniſtrorum manus enixa eſt agnum. Sed & ianua interioris ædis, quæ reſpiciebat Orientem, cum eſſet ære ſolido induta, ac proinde immenſi ponderis, quæ vix à viginti viris ſummo conatu impellentibus clauderetur, ferreis quoque vectibus & ſeris munita, ac peſſulis in altum dimiſſis teneretur obſtricta, hora noctis ſexta apparuit repente patefacta. Sed & tranſacto die feſto poſt aliquot dies, prima & viceſima die menſis Maij prodigioſus apparuit, viſus, & fidem pene excedens, quod vere falſum putaretur, niſi oculorum fides confirmaſſet. Etenim prope ſolis occaſum viſi ſunt currus & quadrigæ in omnem regionem per aërem, & armatorum cohortes miſceri nubibus, & vrbem circundare agminibus improuiſis. In alio itidem die feſto, qui Pentecoſte appellatur, nocte ſacerdotes ingreſſi templum ad miniſteria ex more complenda: primo quidem motus quoſdam, ſtrepituſque ſenſerunt: tum deinde voces ſubitas audiunt dicentes, Migremus hinc. Additur etiam bis aliud terribilius. Etenim quidam Ananiæ filius Ieſus nomine, vir plebeius & ruſticus, ante ſeptimum belli annum, dum adhuc ciuitas in abun-
G dantia duraret, in die feſto Tabernaculorum repente clamare cœpit: Vox ab Oriente, vox ab Occidente, vox à quatuor ventis, vox ſupra Hieroſolymam & templum, vox ſuper ſponſos & ſponſas, vox ſuper populum. Et indeſinenter die noctuque per omnes plateas circuiens hæc declamabat, vſque quo quidam ex populo primores viri, velut infauſti prodigij indignatione commoti correptum hominem multis verberibus afficiunt. At ille nequaquam pro ſe aliquid loquens, ſed neque eos quidem qui ſe circumſteterant, deprecans, eaſdē voces pari obſtinatione & clamore repetebat. Tunc principes numinis aliquid intelligentes (vt res erat) eſſe in viro, producunt eum ad Iudicem Romanum. Apud quem flagris ad oſſa vſque laniatus, neque preces, neque lacrymas fudit: ſed eandem vocem miſerabiliter, & cum quodam vlulatu emittens, per ſingula pene verbera proferebat, addens etiam hoc: Væ væ Hieroſolymis. Igitur Veſpaſianus & Titus Imperatores magnificum de Iudæis triumphum agentes, vrbem
H ingreſſi ſunt. Pulchrum & ignotum antea cunctis mortalibus inter trecentos viginti triumphos, qui in id tempus acti erant, hoc ſpectaculum fuit: patrem & filium vno triumphali curru vectos, glorioſiſſimam ab his, qui patrem & filium offenderant, victoriam reportaſſe. Igitur Veſpaſianus Romæ ſe in imperio moderatiſſime geſſit, curiæ tantum auidior fuit, ita vt eam nonnullis iniuſte auferret. Quam cum omni diligentiæ prouiſione colligeret, tamen ſtudioſiſſime largiebatur, maxime indigentibus. Nec facile ante eum cuiuſquam principis, vel maior eſt liberalitas comperta vel iuſtior. Placidiſſimæ lenitatis, vt qui maieſtatis contra ſe atrociores reos non facile punierit, vltra exilij pœnam. Huius inter cætera bona illud ſingulare fuit, obliuiſci inimicitias, adeo vt Vitellij hoſtis filiam locupletiſſime dotatam ſplendiſſimo cōiungeret viro. Ferebat patienter amicorum motus, contumeliis eorum, vt erat, facetiſſimus, iocularibus verbis reſpondens, Namque Licinium Mutianum, quo adiutore

A ad imperium peruenerat, fiducia meritorum ioſolentem lepide flectebat, adhibito aliquo vtriq; familiari, id vnum dicens: Noſti me virum eſſe? Sed quid mirum in amicis, cum etiam offenſarum & inimicitiarum immemor fuerit? Obliqua cauſidicorum in ſe dicta, & philoſophorum contomaciam leniter tulit, diligens tamen coërcitor diſciplinæ militaris. Iſte exanguem diu, feſſumque terrarum orbem breui refecit, prudentiſſime ratus nefaria miniſteria à pluribus metu curari. Præterea legibus æquiſſimis monendo, quodque vehementius eſt, vitæ ſpecie vitiorum plura aboleuerat: infirmus tamen, vti qoidam praue putant, aduerſum pecuniam, cum ſatis conſtet, ærarij inopia & clade vrbium nouas eum neque poſtea habitas vectigalium penſiones exquiſiſſe. Hic Romam deformem incendiis veteribus ac ruinis, permiſſa, ſi domini deeſſent, volentibus ædificandi copia, Capitolium, Ædem Pacis, Claudij monumenta reparauit, multaqoe noua inſtituit: per omnes terras, qua Ius Romanum eſt, renouatæ vrbes

B cultu egregio, viæ operibus maximis munitæ ſunt. Tunc cauati montes per Flaminiam ſunt prono tranſgreſſui, quæ vulgariter Pertuſa petra vocitatur. Mille gentes compoſitæ, cum ducentas ægerrime reperiſſet, extinctis ſæuitia tyrannorum pleriſque. Rex Parthorum Vologeſes metu ſolo io pacem coactus eſt. Tunc deinde ſine vllis bellorum tumultibus in immenſum reſp. Romana prouehitur. Siquidem Achaia, Lycia, Rhodus, Byzantium, Samus, quæ liberæ ante id tempus fuerant: item Trachea Cilicia, Comageoe, quam hodie Auguſtofratenſem nominamus, quæ ſub regibus amicis erant: tunc primum redactæ in prouinciarum formam, iudicibus Romaois legibuſque paruerunt. Nono autem anno imperij ejus, tres ciuitates Cypri terræmotu corruerunt, & Romæ magna peſtilentia fuit. Hic monentibus amicis, caueret à Metio Pompoſiano, de quo ſermo percrebuerat regnaturum fore, Coſ. fecit, alludens tali cauillo: Quandoque memor erit tanti beneficij. Inſtitutum vero vniforme omni imperio tenuit, vigi-

C lare de nocte, publiciſque actibus abſolutis charos admittere, dum ſalutatur calciamenta ſumens, & regium veſtitum. Poſt autem negotiis, quæcumque adueniſſent, auditis, exerceri vectatione: deinde requieſcere. Poſtremo vbi lauiſſet, remiſſiore animo conuiuium curabat. Plura dicere ſtudium coëgit imperatoris boni, quem ab Auguſti morte poſt annos quinquaginta & ſex, Romana reſp. exanguis tyrannorum ſæuitia, quaſi fato quodam ne rueret penitus, aſſequuta eſt. Poſt hæc cum Senatui, populo, poſtremo cunctis amabilis ac iucuodus eſſet, feriis ioca quibus delectabatur admiſcens interiit. Quippe primo cum crinitum ſydus quod Græci *κομήτην* vocant, apparuiſſet, iſtud inquit, ad regem Perſarum pertinet, cui eſt capillus effuſior: deinde profluuio ventris feſſus, in villa propria circa Sabinos, aſſurgens, ſtantem, ait, imperatorem terris excedere decet. Genituram filiorum ita cognitam habuit, vt cum multæ cooiurationes icontra fierent, quas patefactas ingenti diſſimulatione contempſit, In Senatu dixerit, aut filios ſibi ſucceſſuros, aut neminem. Anno ab vr-

D be condita DCCCXXVIII. Titus Veſpaſiani & Domitil-

TITVS VESP. læ libertæ filius, decimus ab Auguſto poſt mortem patris ſucceſſit, qui & ipſe Veſpaſianus dictus. Iſte à puero præclaris probitatis ſtudiis, militiæ, litterarum, inſtantiſſime deditus, quid contenderit, animi & corporis muneribus oſtendit. Hic vbi patriæ curam ſuſcepit, incredibile eſt, quantum quem imitabatur patrem anteierit, præcipue clementia, liberalitate, honorificentia, ac pecuniæ contemptu. Quæ eo amplius grata fuere, quod ex oonnullis à priuato adhuc patratis aſperior, loxuriæq; & auaritiæ amans credebatur fore. Nam præfecturam prætorianam patre imperante adeptus, ſuſpectum quemq; & oppoſitum ſibi, immiſſis qui per theatra & caſtra inuidioſa iactantes ad pœnam poſcerent, quaſi criminis conuictos oppreſſit. In queis Cecinam conſularem adhibitum cœnæ, vix dum triclinio egreſſum, ob ſuſpicioné ſtupratæ Berenicis vxoris ſuæ iugulari iuſſit. Iurgia autem ab eo ſub patre venundata, rapinarum quoq; cupidus erat. Vnde Neronem cuncti opinantes vocanteſque, ſummam rerum nactum grauiter acceperant. Sed hæc in melius conuerſa, adeo ei immortalem gloriam conſulere, vt deliciæ atq; amor huma-

E ni generis appellaretur. Denique vt ſubiit pondus regium, Berenicen nuptias ſuas ſperátem regredi domum, & eneruatorum greges abire præcepit. Quo facto quaſi ſignum protulit, mutatæ intemperantiæ prioris. Et cum donata coocessave à principibus prioribus firmare inſequentes ſolerent, ſimul vt imperium cepit, talia poſſidentibus edicto ſponte cauit. Iſte facundiſſimus, bellicoſiſſimus, moderatiſſimus fuit. Cauſas Latine egit, poëmata & tragœdias Græce compoſuit. In oppognatione Hieroſolymorum ſub patre militans, duodecim propugnatores, duodecim ſagittarum ictibus confecit. Tantam autem pietatem erga Iudæos habuit, vt circuiens Hieruſalem, & repletos cadauetibus vallos, & humani corporis tabe patriam eorum terram rigari videns, cum ingenti gemitu eleuatis ad cœlum manibus Deum inuocaret teſtem, hoc opus ſuum non eſſe. Romæ tantæ ciuilitatis in imperio fuit, vt nullum omnino puniret. Clementiam vero vſque eo perduxit, vt

F conuictos aduerſum ſe coniurationis cauſa dimiſerit, & in eadem familiaritate habuerit, qua ante habuerat. Nam vt breuiter eius clemétiam depromam, cum aduerſus eum duo ampliſſimi ordinis coniuraſſent, neque abnuere cogitatum ſcelus quirent, monuit primo: poſt deductos in ſpectaculo ſe vtrinque aſſidere iuſſit: petitoque mirmillonum ex induſtria, quorum pugnæ viſebátur, gladio quaſi ad explorandam aciem vni atque alteri commiſit. Quibus perculſis, & conſtantiam mirantibus dicebat: Videtiſne poteſtates fato dari, fruſtraque tentari facinus, potiundi ſpe, vel amittendi metu? Fratrem quoque Domitiaoum parantem inſidias, militumque animos ſollicitantem, flens ſæpius obteſtatus eſt, ne parricidio aſſequi cuperet, quod & ſe volente eſſet obuenturum ei, & iam haberet, cum ſit particeps poteſtatis. Facilitatis & liberalitatis tantæ fuit, vt nulli quicquam negaret, & cum ab amicis reprehenderetur, reſponderit, nullum triſtem ab imperatore recedere debere. Præterea quum quadam die recordatus in cœna nulli, ſe illo die quicquam præſtitiſſe, venerando, cœleſti-

G que dicto ait: O amici hanc diem perdidimus. Hic Romæ amphitheatrum ædificauit, & quinque millia ferarum in dedicatione eius occidit. Huius tempore repeotinum incendium Romæ ſine nocturna requie per triduum fuit, plurimæque ædes publicæ concrematæ ſunt. Abrupto tunc etiam vertice Veſeui montis Campaniæ magna profuſa Incendia ferunt, torrentibuſque flammarum vicina regionis cum vrbibus hominibuſque deleta eſſe. Lues quoque Romæ, quanta vix vnquam ante, fuit: qoibus tamen malis, nullo vexato, pecunia propria ſubuenit cunctis remediorum generibus: nunc ægrotantes per ſemetipſum reficiens, nunc cooſolans ſuorum mortibus afflictos. Poſt hæc Inuſitato fauore dilectus morbo periit, in ea qua pater villa, poſt biennium & menſes octo, dieſque viginti, quam poſt patrem imperauerat: ætatis anno altero & quadrageſimo. Huius mors credi vix poteſt, quantum luctum Vrbi, prouinciiſque intulerit, adeo vt omnes tanquam in propria doluerint orbitate. Senatus obitu

H ipſius circa veſperam nunciato, nocte irrupit in curiam, & tantas ei mortuo laudes, gratiaſque conceſſit, quantas nec viuo vnquam egerat & præſenti: inter diuos tranſlatus eſt. Anno ab Vrbe condita. DCCCXXX. Domitianus Veſ-

FL. DOMITIANVS. paſiani & Domitillæ libertæ filius, germanus Titi iunior, vndecimus ab Auguſto ſuſcepit imperium. Iſte Neroni, aut Caligulæ, aut Tiberio ſimilior fuit, quam patri aut fratri ſuo. Primis autem annis moderatus in imperio fuit: mox ad ingentis vitia profuſus, libidinis, iracundiæ, crudelitatis, auaritiæ, tantum in ſe odij concitauit, vt merita fratris & patris aboleret. Interfecit nobiliſſimos è Senatus, dominum ſe & Deum primus appellari, ſcribi, colique iuſſit. Segniſq; ridicule, remotis omnibus, muſcarum agmina perſequebatur: furens libidine, cuius fœdum exercitium Græcorum lingoa *κλινοπάλην* vocabat. Hinc percunctanti cuidam, quiſquam ne in palatio eſſet, reſponſum, Ne muſca quidem. Nullam ſibi niſi auream aut argenteam ſtatuam in Capitolio paſſus eſt poni. Conſobrinos ſuos interfecit. Superbia qooque in eo execrabilis fuit. Iſte apud Romanos eunuchizari viros iuſſit, vt in palatio haberet, vxoreq;

A ſuam Auguſtam nuncupari. Expeditiones quatuor habuit:
vnam aduerſus Sarmatas, alteram aduerſus Chattos, duas
aduerſus Dacos. Nam quanta fuerint Diurpanei Dacorum
regis cum Fuſco duce prælia, quantaq; Romanorum cla-
des, vbi Oppius Sabinus conſularis, & Cornelius Fuſcus
præfectus prætorij cum magnis exercitibus occiſi ſunt,
longo textu euoluerem, niſi Cornelius Tacitus, qui hanc
hiſtoriam diligentiſſime contexuit, de reticendo interfe-
ctorum numero, & Saluſtium Criſpum, & alios authores
quamplurimos ſanxiſſe, & ſeipſum idem potiſſimum ele-
giſſe dixiſſet. Domitianus autem prauiſſima elatus iactan-
tia, de Dacis Chattiſq; ſub nomine ſuperatorum hoſtium
de extinctis ſuis legionibus triumphauit. De Sarmatis ſo-
lam lauream vſurpauit, vbi legio ejus cum duce interfecta
eſt. Verum cum ob ſcelera vniuerſis exoſus eſſet, Antonius
accenſus maxime iniuria verborum Domitiani, qua ſe
ſcortum vocari dolebat, cum curans Germaniam ſupe-
riorem eſſet, imperium corripuit, & Domitianus eum per
B Norbanum Appium acie ſtrauit. Romæ quoque multa
ædificia vel cœpta, vel à fundamentis conſtruxit. In his
Pantheum, Capitolium, forum tranſitorium, oleum, porti-
cus, Iſium ac Serapium & ſtadium, horrea piperata, Veſpa-
ſiani templum, Mineruam Calcidiam, Ludum matutinum,
Micam auream, Metam ſudantem. Bibliothecas incendio
conſumptas, petitis vndique præſertim Alexandria exem-
plis reparauit. Sagittarum tam doctus fuit, vt inter paten-
tes digitos extentæ manus viri procul poſiti ſpicula tranſ-
uolarent. Iſte perſecutionem in Chriſtianos agi ſecundus à
Nerone imperauit, qua multi martyrio coronati ſunt, vt
Oroſius ſcribit. Inter quos & Flauia Domitilla, Flauij Cle-
mentis Coſ. ex ſorore neptis, in inſulam Pontiam ob fidei
teſtimonium exiliatur. Quo tempore etiam beatiſſimus
Ioannes Apoſtolus in Pathmum inſulam relegatus fuit.
Inter Iudæos quoque acerbitate tormentorum, & cruen-
tiſſimæ quæſtionis exquiri genus Dauid atque interfici
præceptum eſt, quaſi adhuc futurus eſſet ex ſemine Da-
C uid, dum prophetis ſanctis & inuidetur & creditur, qui
regnum poſſit adipiſci. Igitur Domitianus metu crudeli-
tatis & conſcientiæ ſuæ perculſus eſt: coniurauere pleri-
que, impulſoribus Parthenio procurante cubiculum, Ste-
phanoque, & tum ob fraudem interceptæ pecuniæ ſup-
plicium ſuſpectante Clodiano, aſcita etiam in conſilio ty-
ranni vxore Domitia, ob amorem Paridis hiſtrionis à
principe cruciatus formidante. Domitianum multis vul-
neribus confodiunt, poſt annum vitæ quintum & qua-
drageſimum, imperij quintumdecimum. At Senatus gla-
diatoris more funus eius ignominioſe & cum dedecore
per veſpillones efferri iuſſu, radendumque nomen decre-
uit, & ignobiliter eſt ſepultus. Huius tempore ſæculares
ludi celebrati ſunt. Hactenus Romæ ſeu per Italiam orti
imperium texere. Hinc aduenæ. Vnde compertum eſt vr-
bem Romam externorum virtute creuiſſe. Quid enim
Nerua prudentius aut moderatius? quid Trajano diuinius?
quid præſtantius Adriano?

Explicit liber Nonus.

D

Incipit

LIBER DECIMVS.

NERVA. ANno ab Vrbe condita DCCCXLVI. Vetere & Va-
lente Coſſ. Reſp. ad proſperrimum ſtatum rediit, bo-
nis principibus ingenti felicitate commiſſa. Domitiano
enim exitiabili tyranno interfecto, Cocceius Nerua oppi-
do Narnienſi genitus, duodecimus ab Auguſto imperator
electus eſt. Is in priuata vita moderatus & ſtrenuus, no-
bilitatis mediæ, ſenex admodum operam dante Petronio
Secundo præfecto prætorio, item Parthenio interfectore
Domitiani, imperator factus, æquiſſimum ſe & ciuiliſſi-
mum præbuit. Iſte cum imperium ſuſcepiſſet, mox rumore
orto, viuere atque adfore Domitianum, perinde trepidauit,
vt colore mutato, verbis amiſſis, vix conſiſteret. Sed à Par-
thenio confirmatus recepta fiducia ad ſolemne delinia-
mentum conuerſus eſt. Qui cum in curiam à Senatu gra- E
tanter acceptus eſſet, ſolus ex omnibus Arrius Antoninus
vir acer, eique amiciſſimus, cōditionem imperantium pru-
denter exprimens, amplexus eum, gratulari ſe ait Senatui,
populo, prouinciiſque, ipſi autem nequaquam; cui ſatius
fuerat malos ſemper principes eludere, quam tanti oneris
vim ſuſtinentem, non modo moleſtiis periculiſque ſubiici,
ſed famæ etiam inimicorum pariter & amicorū: qui cum
ſe mereri omnia præſumant, ſi quicquam non extorſe-
rint, atrociores ſunt ipſis quoque hoſtibus. Iſte quicquid
ante pœnæ nomine tributis acceſſerat, indulſit, afflictas ci-
uitates releuauit, puellas, pueroſque natos egeſtoſis paren-
tibus, ſumptu publico per Italiæ oppida ali iuſſit: Hic pri-
mo edicto ſuo cunctos exules reuocauit. Vnde & Ioannes
Apoſtolus hac generali indulgentia liberatus Epheſum re-
diit. Hic ne acceſſu maleuorum terreretur, Iunij Mauricij
conſtantis viri dicto ſic admonetur. Qui conuiuio fami-
liari adhibitus, cum Veientonem cōſulari honore functū
F quidem apud Domitianum, tamē multos occultis crimi-
nationibus perſequutum, adeſſe vidiſſet, inter colloquia
mentione Catuli facta, calumniatoris præcipui, dicente
Nerua: Quid nunc faceret, ſi Domitiano ſuperuixiſſet? no-
biſcum inquit Mauricus cœnaret. Hic iurgiorū diſcepta-
tor maximus & frequens fuit & ſcientiſſimus. Calphur-
nium Craſſum promiſſis ingentibus animos militum per-
tentantem, detectum confeſſumque Tarentum cum vxore
remouit, patribus lenitatem eius increpantibus. Cumque
interfectores Domitiani ad exitium poſcerentur, tantum
conſternatus eſt, vt neque vomitum, neque impetum ven-
tris valuerit differre, & tamen vehementer obſtitit, dicti-
tans æquius eſſe mori, quam autoritatem imperij fœda-
re, proditis fomendæ potentiæ autoribus. Sed milites ne-
glecto principe, Petronium vno ictu, Parthenium vero dē-
ptis prius genitalibus, & in os coniectis iugulauere, redē-
pto magnis ſumptibus Caſperio, qui ſcelere tam trucl in-
ſolentior. Neruam compulit referre apud populum gratias
militibus, quod peſſimos nefandiſſimoſque omnium mor-
G talium peremiſſent. Reip. diuina propulſione conſulit, Tra-
janum in liberi locum & partem adoptādo. Qui dum ſug-
gerente ira, voce quam maxima contra quendam Regu-
lum nomine inclamaret, ſudore correptus eſt. Quo teſti-
geſcente, horror corporis nimius initia febri præbuit, nec
multo poſt vitam finiuit, poſt annum & quatuor menſes
imperij & dies octo, ætatis ſeptuageſimo atque altero an-
no, atque inter diuos relatus eſt. Corpus à Senatu, vt quō-
dam Auguſti, humeris delatum, in ſepulchro Auguſti in
campo Martio ſepultum eſt. Eo die quo interiit, ſolis de-
fectio facta eſt. Anno ab Vrbe condita DCCCXLVII. Vl- TRAIANVS.
pius Crinitus Trajanus ex Vrbe Tudertina, Vlpius ab auo
dictus, Trajanus à Trajo, paterni generis autore, vel de
nomine Trajani patris ſic appellatus, decimus tertius ab
Auguſto imperium adeptus eſt, natus in Hiſpania, familia
antiqua magis quam clara. Nam pater eius primum Coſ.
fuit. Imperator autem apud Agrippinam nobilem Galliæ
vrbem factus eſt, habens diligentiam in re militari, in ci-
uilibus lenitatem, in ſubleuandis ciuitatibus largitionem.
Cumque duo ſint quæ ab egregiis principibus expecten- H
tur: ſanctitas domi, in armis fortitudo, vtrobique pruden-
tia: tantus in eo erat maximorum rerum modus, vt quaſi
temperamento quodam virtutes miſcuiſſe videretur, niſi
quod cibo vinoque paululū deditus erat. Remp. ita admi-
niſtrauit, vt omnibus principibus merito præferatur, inuſi-
tatæ ciuilitatis & fortitudinis. Romani imperij quod poſt
Auguſtum defenſum magis fuerat, quam nobiliter amplia-
tum fines longe lateque diffudit. Vrbes trans Rhenum in
Germania reparauit: Daciam Decibalo victo ſubegit: pro-
uincia trans Danubiū facta, in his agris quos nunc Thai-
pali, nunc Victophali & Teruingi habent. Ea prouincia
decies centena millia paſſuum in circuitu tenuit. Armeniā
quam occupauerant Parthi, recepit, Pharmacaſire occiſo,
qui eam tenebat. Albanis regem dedit. Hiberorum reg...
& Sauromatarum & Boſphoranorum, Arabum, & Ioſ-
droënorum & Colchorum in fidem accepit. Carduenos,
Mardomedos occupauit. Et Anthemuſium magnam
Perſidis regionem, Seleuciam & Cteſiphontem, Babylo-

nem

A nem & Edeſſam vicit ac tenuit. Vſque ad Indiæ fines & mare rubrum acceſſit, atque ibi tres prouincias fecit, Armeniam, Aſſyriam, Meſopotamiam cum his gentibus, quæ Madenam attingunt. Arabiam poſtea in prouinciæ formam redegit, in mari rubro claſſem inſtituit, vt per eam Indiæ fines vaſtaret. Gloriam tamen militarem ciuilitate & moderatione ſuperauit, Romæ & per prouincias æqualem ſe omnibus exhibens, amicos ſalutandi cauſa frequentans, vel ægrotantes, vel cum feſtos dies habuiſſet, conuiuia cum eiſdem indiſcreta viciſſim habens, ſæpe in vehiculis eorum ſedens, nullum Senatorem lædens, nihil iniuſtum ad augendum fiſcum agens, liberalis in cunctos, publice priuatimque ditans omnes, & honoribus augens quos vel mediocri familiaritate cognouiſſet, orbem terrarum ædificans, multas immunitates ciuitatibus tribuens, nihil non tranquillum placidumque agens, adeo vt in omni eius ætate, vnus tantum ſenator damnatus ſit, atque is tamen per Senatum ignorante Traja-

B no. Ob hæc per orbem Deo proximus nihil non venerationis meruit, & viuus & mortuus. Inter alia dicta hoc ipſius fertur egregium. Amicis eum culpantibus, quod nimium circa omnes communis eſſet; reſpondit, talem ſe imperatorem eſſe priuatis, qualem ſibi imperatorem priuatus optaſſet. Hic ob honorem Suræ, cuius ſtudio imperium arripuerat, lauacra condidit. De quo ſuperuacaneum videtur cuncta velle nominatim promere, cum ſatis ſit excultum atque emendatum dixiſſe. Fuit enim patiens laboris, ſtudioſus optimi cuiuſque ac bellicoſi: magis ſimpliciora ingenia, quam erudititiſſimos (quum ipſe parcæ eſſet ſcientiæ, moderateque eloquens) diligebat. Iuſtitiæ vero ac iuris humani diuinique, tam repertor noui, quam inueterati cuſtos. Quæ omnia eo maiora viſebantur quod per multos atque atroces tyrannos perdito atq; proſtrato ſtatu Romano in remedium tantorum malorum diuinitus credebatur opportune datus, vſque, eo vt adueniens imperium eius pleraque mirifica denunciauerint. In queis præcipuum, cornicem è faſtigio Capitolij

C Atticis ſermonibus effatam ἔσται καλῶς. Hic in perſequendis ſane Chriſtianis errore deceptus, tertius à Nerone, cum paſſim repertos cogi ad ſacrificandum idolis, ac detrectantes interfici præcepiſſet, & plurimi interficerentur, Plinij Secundi, qui inter cæteros Iudices, vt Tertullianus refert, perſecutor datus erat, relatu admonitus eſt eos homines nihil morte gerere dignum, niſi, quod diis non immolarent, & Chriſtum veluti Deum ante lucem ſurgentes laudarent, à malis omnibus abſtinentes. Ad quem Trajanus reſcribit, Chriſtianos pro fide nullatenus inquirendos. Veruntamen continuo Romæ aurea domus, à Nerone totis priuatis publiciſque rebus impenſis condita, repentino conflagrauit incendio: vt intelligeretur miſſa etiam ab alio perſequutio in ipſius potiſſime monimentis, à quo primum exorta eſſet atque in ipſo authore puniri. Terræmotu quatuor vrbes Aſiæ ſubuerſæ: Elæa, Myrina, Pitane, Cyme: & Græcæ ciuitates duæ, Opuntiorum, & Oriciorum. Tres Galatiæ ciuitates eodem terræmotu dirutæ. Pantheum Romæ à Domitiano conſtructum, fulmine concrematum eſt. Terræmotus in Antio-

D chia pene totam ſubruit ciuitatem. Incredibili deinde motu ſub vno tempore Iudæi quaſi rabie efferati per diuerſas terrarum partes exarſere. Nam per totam Lybiam aduerſus Incolas exarſerunt, & atrociſſima bella geſſerunt: quæ adeo tunc interfectis cultoribus deſolata eſt vt niſi poſtea Adrianus Imperator collectas vndique aliunde colonias deduxiſſet, vacua penitus terra, abraſo habitatore manſiſſet. Ægyptum vero totam & Cyrenen, & Thebaïdam cruentis ſeditionibus turbauerunt. In Alexandria tunc commiſſo prælio victi & attriti ſunt. In Meſopotamia quoque rebellantibus iuſſu imperatoris bellum illatum eſt. Itaque multa millia eorum vaſta cæde deleta ſunt. Sane Salaminam vrbem Cypri interfectis omnibus, accolis deleuerunt. Igitur Trajanus poſt ingentem gloriam belli domique quæſitam è Perſide rediens, apud Seleuciam Iſauriæ profluuio ventris extinctus eſt. Obiit autem ætatis anno ſexageſimo tertio, & menſe vno, die quarto: imperij nonodecimo, mēſe ſexto, die quintodecimo. In-

E ter diuos relatus eſt. Huius exuſti corporis cineres in vrna aurea relati Romam, humatique in Trajani foro ſub eius columna, cuius altitudo centum quadraginta pedes habet: & imago ſuperpoſita ſicut triumphantes ſolent, in vrbem inuecta, ſenatu præeunte & exercitu. Eo tempore multo pernicioſius quam ſub Nerua Tyberis inundauit, magna clade ædium proximarum: & terræmotus grauis per prouincias multas, atroxque peſtilentia, fameſque & incendia facta ſunt. Quibus omnibus Trajanus per exquiſita remedia multipliciter opitulatus eſt, ſtatuens ne domorum altitudo ſexaginta ſuperaret pedes, ob ruinas faciles, & ſumptus, ſi quando talia contigerint, exitioſos. Vnde merito pater patriæ dictus eſt. Huius tantum memoriæ delatum eſt, vt vſque ad noſtram ætatem non aliter in Senatu principibus acclamaretur, niſi, Felicior Auguſto, melior Trajano. Adeo in eo gloria bonitatis obtinuit, vt vel aſſentantibus, vel vere laudantibus occaſionem magnificentiſſimi præſtet exempli. Anno ab Vrbe condita

F DCCCLXVII. Ælius Adrianus ſtirpis Italicæ ex Hiſpania, Ælio Adriano Trajani principis conſobrino Adriæ orto genitus, quod oppidū agri Piceni, etiam mari Adriatico cognomen dedit, quartus decimus ab Auguſto Imperator eſt creatus. Hic ſine aliqua voluntate Trajani Imperator eſt factus, operam dāte tamen Plotina vxore Trajani. Nam eum Trajanus, quāquam conſobrini ſui filium, viuus noluerat adoptare. Qui Trajani gloriæ inuidens, ſtatim prouincias tres abſtulit, quas Trajanus addiderat, id eſt, de Aſſyria, Meſopotamia, Armenia, reuocauit exercitus, ac finem imperij eſſe voluit Euphratem. Idem de Dacia facere conātem amici terruerunt, ne Romani ciues multi traderentur: propterea quia Trajanus victa Dacia ex toto orbe Romano infinitas eo copias tranſtulerat, ad agros & vrbes colendas. Daciæ enim diuturno bello Decibali vires fuerant exhauſtæ, pacem tamen omni ſui imperij tempore habuit. Semel tantum per præſidem cum Sauromatis dimicauit & vicit. Orbem Romanū circuiuit, multa ædi-

ADRIANVS.

G ficauit. Hic per Quadratum diſcipulum Apoſtolorum, & Ariſtidem Athenienſem virum fide ſapientiaque plenum, & per Serenum Granium legatum libris de Chriſtiana religione compoſitis inſtructus atque eruditus, præcepit per epiſtolam ad Minutium Fundanum Proconſulem Aſiæ datam, vt nemini liceret Chriſtianos ſine obiectu criminis aut probatione damnare; idemque continuo pater patriæ in Senatu vltra morem maiorum appellatur, & vxor eius Auguſta. Textus autem epiſtolæ hic eſt: Accepi litteras ad me ſcriptas à deceſſore tuo Serenio Germano clariſſimo viro, & non placet mihi relationem ſilentio præterire, ne & innoxij perturbentur, & calumniatoribus latrocinandi occaſio tribuatur. Itaque ſi euidenter prouinciales huic petitioni ſuæ adeſſe valent aduerſum Chriſtianos, vt pro tribunali eos in aliquo arguant, hoc eis exequi non prohibeo. Precibus autem in hoc ſolis & acclamationibus vti eis non permitto. Etenim multo æquius eſt ſi quis volet accuſare, te cognoſcere de obiectis. Si quis igitur accuſat, & probat aduerſum leges quicquam agere memoratos homines, pro merito peccatorum etiam ſupplicia ſtatues. Illud mehercle magnopere curabis vt ſi

H quis calumniæ gratia quemquam horum poſtulauerit reum, in hunc pro ſui nequitia ſuppliciis ſæuioribus vindices. Igitur Adrianus Remp. iuſtiſſimis legibus ordinauit. Iudæos ſane perturbatione ſcelerum ſuorum exagitatos, & Paleſtinam prouinciam quondam ſuam depopulantes vltima cæde perdomuit, excidio Hieroſolymis nouiſſime deſolatis, ita vt nec lapis ſuper lapidem ſecundum diuinam vocem ſit in ea relictus, vltuſq; eſt Chriſtianos, quos illi Cozbea duce, quod ſibi aduerſus Romanos non aſſentirentur, excruciabant. Præcepitq; ne cui Iudæo introëundi Hieroſolymam eſſet licentia, Chriſtianis tantum ciuitate permiſſa, quam ipſe in oppidi ſtatum murorum extructione reparauit, & Æliam de prænomine ſuo vocari iuſſit. Per idem tempus Romæ Phauorinus & Palæmon rhetores inſignes, necnon & Herodes Athenienſis & Marcus habebantur. Iſtè facundiſſimus Latino ſermone, Græcis literis erudiriſſimus fuit, ita vt à pleriſque Græculus appellaretur. Athenienſium ſtudia, moreſque auxit, peritus

A oon ſolum ſermone, ſed & cæteris diſciplinis, canendi,
pſallendi, medendique ſcientia, Muſicus, Geometra, pi-
ctor, fictorque ex ære & marmore, proximè Polycletus
& Euphranoras. Proinde omnino ad iſta eſt factus, vt
elegantius nunquam quicquam humanæ res expertæ vi-
deantur. Memor ſupra quam cuiquam credibile eſt, locos,
negotia, milites, abſentes quoque nominibus recenſere:
rem immenſi laboris: quippe qui prouincias omnes pedi-
bus circuierat, agmen comitantium præuertens, cum op-
pida vniuerſa reſtitueret, augeret ordinibus. Namque ad
ſpecimen legionum militarium, fabros, perpendiculatores,
architectos, genuſque cunctum extruendorum mœnium,
ſeu decorandorum, in cohortes centuriauerat. Varius, mul-
tiplex, multiformis, atque ad vitia & virtutes quaſi arbi-
ter genitus, impetum mentis quodam artificio regens, in
genium inuidum, triſte, laſciuum, & ad oſtentationem ſui
inſolens, callide tegebat, continentiam, clementiam, facili-
tatem ſimulans, contraque diſſimulans ardorem gloriæ
quo flagrabat: acerrimus ad laceſſendum, & reſponden-
B dum ſeriis, ioco, maledictis: referre carmen carmini, di-
ctum dicto, prorſus præmeditatum crederes aduerſus om-
nia. Huius vxor Sabina dum prope ſeruilibus iniuriis affi-
citur, ad mortem voluntariam compulſa: quæ palam ia-
ctabat ſe quod immane ingenium probauiſſet, elaboraſſe,
ne ex eo ad humani generis perniciem grauidaretur. Hic
morbo ſubcutaneo, quem diu placide ſuſtinuerat, victus,
dolore ardens impatienſque plures è Senatu extinxit. A
regibus multis pace occultis impetrata muneribus, iacta-
bat palam plus ſe otio adeptum, quam armis cæteros. Of-
ficia ſane publica & Palatina, necnon militiæ, in eam for-
mam ſtatuit, quæ paucis permutatis hodie permanet. De-
hinc miſerabili exitu conſumptus eſt, cruciatu membro-
rum omnium confectus, in tantum vt crebro ſeſe interfi-
ciendum miniſtrorum fidiſſimis precans offerret, ac ne in
ſemetipſum ſæuiret, chariſſimorum cuſtodia ſeruaretur.
Hic non magnam clementiæ gloriam habuit, diligentiſſi-
mus tamen circa ærarium & militum diſciplinam. Obiit
in Campania apud Baias, imperij anno vicesimo primo,
C menſe decimo, & die vicesimo: ætatis ſexageſimo & alte-
ro anno. Senatus ei tribuere noluit diuinos honores. Ta-
men cum ſucceſſor ipſius Titus Aurelius Antoninus Ful-
uius hoc vehementer exigeret, & vniuerſi ſenatores palam
reſiſterent, tandem obtinuit.

Ant. Pius. Ergo Adriano ſucceſſit quintus decimus ab Auguſto
Antoninus Fuluius Boionius, idem etiam Pius poſtea no-
minatus, genere claro, ſed non admodum vetere. Iſte ab
Adriano in filium adoptatus, cuius gener fuerat, vir inſi-
gnis, qui merito Numæ Pompilio conferatur ita vt Ro-
mulo Traianus æquaretur. Vixit ingenti honeſtate, priuato
maior imperio, nulli acerbus, cunctis benignus, in re mi-
litari moderata gloria, defendere magis prouincias quam
ampliare ſtudens, viros æquiſſimos ad adminiſtrandam
Remp. quærens, bonis honorem habens, improbos ſine
aliqua acerbitate deteſtans, regibus amicus eſſe ſtudens:
cum orbem terræ nullo bello per annos viginti tres ſola
authoritate rexerit, adeo trementibus eum atque amantibus
bus cunctis regibus, nationibuſque & populis, vt paren-
D tem ſeu patronum magis quam dominum imperatorem-
ue reputarent, omneſque in morem cœleſtium propitium
optantes, de controuerſiis inter ſe iudicem poſcerent.
Quinetiam Indi, Bactri, Hircani legatos miſere, iuſtitia
tanti Imperatoris comperta: quam ornabat vultu ſerie
pulchro, procerus membra, decenter validus: priuſquam
ſalutandus prodiret, deguſtans panis aliquantum: ne fri-
geſcente circum præcordia ſanguine, per ieiunium viri-
bus exeſis interciperetur, eoque actui publicorum mini-
me ſufficeret: quem incredibili diligentia ad ſpeciem
optimi Patriſfamilias exequebatur, appetentia gloriæ ca-
rens & oſtentatione: adeo manſuetus, vt inſtantibus Pa-
tribus ad eos, qui contra eum coniurarent, perſequendos,
compreſſerit quæſtionem: profecto ſciens neceſſe non eſſe
ſceleris in ſemetipſum cupidos pertinacius indagari, quia
ſi plures reperirentur, quantis odio eſſet intelligeretur. Hic
ante imperium ditiſſimus fuit: omnes quidem opes ſuas
ſtipendiis militum, & circa amicos liberaliter erogando
comminuit. Verum ærarium opulentum reliquit. Pius E
propter clementiam dictus eſt. Huius temporibus Iuſti-
nus philoſophus librum pro Chriſtiana religione compo-
ſitum eidem Antonino tradidit, benignumque eum erga
Chriſtianos homines fecit. Qui non longe poſt ſuſcitante
ſe perſecutione & creſcente, ſcripſit vniuerſis plebibus
Aſiæ epiſtolam in his verbis: Ego quidem non ambigo
etiam ipſis diis curæ eſſe, ne qui noxius lateat: multo
enim magis ipſis conuenit punire eos, qui ſibi immolare
nolunt, quam vobis. Sed vos confirmatis eorum, quos per-
ſequimini ſententiam, quam de vobis habent dicentes vos
impios & ſine Deo eſſe. Vnde & optabilius habent ani-
mam ponere pro Deo ſuo, & mortem libenter amplecti,
quam vobis acquieſcere & in veſtræ religionis iura con-
cedere. De motibus autem terræ, qui vel facti ſunt, vel
etiam nunc fiunt, abſurdum non erit mœrorem veſtrum
iuſta commonitione ſoiari. Quoniam quidem comperi,
quod in huiuſcemodi rebus ad illorum inuidiam commu-
nes caſus tráſfertis. In quo illi quidem maiorem fiduciam F
accipiunt apud Deum. Vos autem in omni tempore, quo
de talibus ignoratis, cæteros quidem Deos negligitis: cul-
tum vero immortalis Dei, quem Chriſtiani colunt, expel-
litis & deturbatis, vſque ad mortem cultores illius obſer-
uantiæ perſequentes: ſuper quibus plurimi ex prouinciis
iudices etiam venerabili patri noſtro ſcripſerant. Quibus
reſcriptum ab eo, vt nihil moleſtiæ huiuſcemodi homini-
bus generarent, niſi forte arguerentur aliquid aduerſum
Romani regni ſtatum moliri. Sed & mihi ipſi de his
quamplurimi retulerunt, quibus ego paternam ſequutus
ſententiam pari moderatione reſcripſi. Quod ſi quis perſi-
ſtit huiuſcemodi hominibus abſque vllo crimine mouere
negotia, ille quidem qui delatus pro hoc nomine fuerit,
abſoluatur, etiáſi probetur id eſſe quod ei obiicitur, Chri-
ſtianus. Is autem qui crimen obtendit, reus pœnæ ipſius
quam obiecit, exiſtat. Propoſita Epheſi publice in conuen-
tu Aſiæ. Per idem tempus Romæ agnoſcitur Arrianus phi-
loſophus Nicomedienſis prætor, necnon & maximus Ty-
rius, Apollonius Stoicus, Chalcedonius, Baſilides, Citopo-
litanus. Iſti etiam magiſtri veriſſimi Cæſaris extitere. Igi-
tur Antoninus apud Lorias villa propria millibus paſſuum G
duodecim ab vrbe, febri paucorum dierum, poſt vitæ an-
num ſeptuageſimum ſeptimum, Imperij viceſimum ter-
tium conſumptus eſt, atque inter diuos relatus eſt, & me-
rito conſecratus, ita vt in honorem eius templa, ſacerdo-
tes, atque infinita alia decreta ſint. Vſque adeo autem mi-
tis fuit, vt cum ob inopiæ frumentariæ ſuſpicionem lapi-
dibus à populo Romano perſtringeretur, maluerit ratione
expoſita placare, quam vlciſci ſeditionem.

Anno ab vrbe condita DCCCCXLI. M. Aurelius Anto- M. Aurelius.
ninus Verus, ſextuſdecimus ab Auguſto imperium ade-
ptus eſt, haud dubie nobiliſſimus: quippe cum eius origo
paterna à Numa Pompilio, materna à Salentino rege
penderet: & cum eo L. Annius Antoninus Verus. Tumque
Romana reſp. duobus æquo iure imperium adminiſtran-
tibus paruit, cum vſque ad eum ſingulos ſemper habuiſſet
Auguſtos. Hi & genere coniuncti inter ſe fuerunt, & affi- H
nitate. Nam Verus nepos, Antoninus gener Antonini Pij
fuit, per vxorem Galeriam Fauſtinam minorem conſobri-
nam ſuam. Hi bellum contra Vologeſum regem Partho-
rum geſſerunt, qui poſt victoriam Traiani primum rebel-
lauerat, & graui eruptione Armeniam, Cappadociam, Sy-
riamque vaſtabat. L. Verus Annius Antoninus ad id bel-
lum profectus eſt. Qui dum Athenis ſacrificaret, ignis in
cœlo ab Occidente in Orientem ferri viſus eſt. Qui An-
tiochiæ & circa Armeniam agens, multa per duces ſuos
ingentia patrauit. Seleuciam Aſſyriæ vrbem nobiliſſimam,
ſuper Hydaſpen fluuium ſitam cum quadringentis milli-
bus hominum cepit. Parthicum triumphum reuexit. Obiit
tamen in Venetia inter Altinum & Concordiam ciuita-
tem, quum proficiſceretur, & cum fratre in vehiculo ſede-
ret, ſubito ſanguine ictus, caſu morbi, quē Græci ἀποπληξιν
vocant: carminum maxime Tragicorum ſtudioſus, ingenij
aſperi atque laſciui, reuerentia tamen fratris nihil vnquam
atrox auſus. Cumque obiiſſet vndecimo anno imperij, inter
diuos relatus eſt. Poſt eum Marcus Antoninus Verus

A Remp. ſolus tenuit, quem mirari facilius quiſquam quam laudare poſſit: à principio vitæ tranquilliſſimus, adeo vt ab infantia quoque vultum nec ex gaudio, nec ex mœrore mutauerit, Philoſophiæ deditus Stoicæ. Ipſe etiam non ſolum vitæ moribus, ſed etiam eruditione philoſophus, tantæ admirationis adhuc iuuenis, vt eum ſucceſſorem parauerit Adrianus relinquere: adoptato tamen Antonino Pio, generum ei idcirco eſſe voluerit, vt hoc ordine ad imperium perueniret. Inſtitutus eſt ad philoſophiam per Appollonium Chalcedonium, ad ſcientiam literarum Græcarum per Sextum Cheronenſem Plutarchi nepotem. Latinas autem literas eum Fronto orator nobiliſſimus docuit. Hic cum omnibus Romæ æquo iure egit, ad nullam inſolentiam elatus eſt. Imperij faſtigio liberaliter vſus eſt & promptiſſime. Prouincias ingenti benignitate & moderatione tractauit. Contra Germanos eo principe feliciter res geſtæ ſunt. Iſte virtutum omnium, cœleſtiſque ingenij extitit, ærumniſque publicis quaſi defenſor B obiectus eſt. Etenim niſi ad illa tempora natus eſſet, profecto quaſi vno lapſu ruiſſent omnia ſtatus Romani. Quippe armis quies nunquam erat: perque omnem Orientem, Illyricum, Italiamque bella fluebant. Terræmotus non ſine interitu ciuitatum, inundationes fluminum, lues crebræ, locuſtarum acies in agris infeſtæ prorſus, vt prope nihil quo ſummis angoribus atteri mortales ſolent, dici ſeu cogitari queat, quod non illo imperante ſæuierit. Credo diuinitus attributum, vt dum mundi lex, ſeu natura aliquid hominibus incognitum gignit, rectorum conſiliis, tanquam medicinæ remediis leniatur. Hic permiſit viris clarioribus, vt conuiuia eodem cultu quo ipſe & ſimilibus miniſtris exhiberent. Is in diebus Parthici belli perſequutiones Chriſtianorum quarta iam poſt Neronem vice agi imperauit, quæ tam graues eius præcepto extitere, vt in Aſia & Gallia multi ſanctorum martyrio coronati ſint. Bellum vnum ipſe geſſit Marcomannicum, ſed quantum nulla memoria fuit, adeo vt Punicis C conferatur. Nam eo grauius eſt factum, quod vniuerſi exercitus Romani perierant. Sub hoc tantus caſus peſtilentiæ fuit, vt poſt victoriam Perſicam, Romæ, ac per Italiam prouinciaſque maxima hominum pars, militum omnes fere copiæ, languore defecerint. Ingenti ergo labore & moderatione cum apud Carnutum iugi triennio perſeueraſſet, Marcomannicum bellum confecit: quod cum his Quadi, Vandali, Sarmatæ, Sueui, atque omnis pene Germania gerebant: & in Quadorum vſque fines progreſſus exercitus, circumuentuſque ab hoſtibus, propter aquarum penuriam, cum tam ſuis, quam hoſtis periculum ſuſtineret, ad inuocationem Chriſti nominis quam ſubito magna fidei conſtantia quidam milites effuſi in preces palam fecerunt, tanta vis pluuiæ effuſa eſt, vt Romanos quidem largiſſime ac ſine iniuria refecerit: Barbaros autem crebris fulminum ictibus perterritos, præſertim cum plurimi eorum occiderentur, in fugam coëgerit. Quorum terga Romani vſque ad internecionem cædentes, glorioſiſſimam victoriam, & omnibus pene antiquorum titulis præferendam rudi paruoque militum numero, ſed potentiſſimo Chriſti auxilio reportarunt. Igitur multa millia D hominum interfecta: ac Pannoniis ſeruitio liberatis, Romæ rurſus cum Commodo Antonino filio ſuo, quem Cæſarem fecerat, triumphauit. Ad huius belli ſumptum, cum ærario exhauſto, largitiones, quas militibus impenderet, nullas haberet, neque indicere Senatui aut prouincialibus aliquid vellet; inſtrumentum regij cultus, facta in foro Traiani diu ſectione diſtraxit, vaſa aurea, pocula cryſtallina & murrina, vxoriam ac ſuam ſericam & auream veſtem, multa ornamenta gemmarum: ac per duos continuos menſes venditio habita eſt, multumque auri redactum. Poſt victoriam tamen emptoribus pretium reſtituit, qui reddere comparata voluerunt. Moleſtus nulli fuit, qui maluit ſemel empta retinere. Hic in editione munerum adeo magnificus fuit, vt centum ſemel leones exhibuiſſe tradatur. Huius tempore Caſſius tyrannidem arripiens extinctus eſt. Hic etiam præteriti temporis per omnes prouincias tributa donauit, omniaque ſimul fiſcalium negociorum calumnioſa monimenta coniecta in foro iuſſit incendi, ſeuerioreſq; leges nouis conſtitutionibus temperauit. E Per idem tempus Romæ pollebat Galenus optimus medicus, genere Pergamenus. Et Saluius Iulianus Romæ leges promebat, & Fronto rhetor, & Ariſtides Smyrnæus ſophiſta, Oppianuſque poëta, & Atticus Platonicus philoſophus Romæ erant. Igitur cum fortunatam Remp. virtute & manſuetudine reddidiſſet, obiit in Campania apud oppidum Vendobonam duodeuigeſimo imperij anno, ætatis ſexageſimo primo. De eius morte nuntio Romam perfecto, confuſa luctu publico Vrbe, Senatus in curiam veſte tetra amictus conuenit, & quod de Romulo ægre creditum eſt, omnes pari ſenſu præſumpſere, Marcum cœlo receptum eſſe: ob cuius honorem templa, columnæ, multaque alia decreta ſunt.

COMMODVS.

Huic ſucceſſit L. Aurelius Commodus filius eius, qui & ipſe Antoninus dictus, & ab Aug. decimus ſeptimus Imperator eſt creatus. Hic qualis futurus eſſet, in ipſo primordio oſtendit. Namque cum in ſupremis moneretur à patre ſuo, attritos iam Barbaros, ne permitteret vires reciF pere, reſponderat: Ab incolumi quamuis paulatim negotium perfici poſſe, à mortuo nihil. Iſte nihil paternum habuit niſi quod contra Germanos feliciter & ipſe pugnauit. Septembrem menſem ad nomen ſuum transferre conatus eſt, vt Commodus diceretur. Sed luxuriæ & obſcœnitatis dedecore plurimo deprauatus, gladiatoriis quoque armis ſæpiſſime in ludo depugnauit. Deinceps etiam in amphitheatro cum huiuſmodi hominibus & cum feris decertauit. Interfecit etiam plurimos Senatores, maxime quos animaduertit nobilitate induſtriaque excellere flagitia regis, inter quos etiam Saluium Iulianum legiſlatorem occidit, Pœna Vrbis inſequitur. Nam fulmine Capitolium ictum, ex quo facta inflammatio Bibliothecam illam, maiorum cura, ſtudioque compoſitam, ædeſque alias iuxta ſitas rapaci turbine concremauit. Deinde aliud incendium poſtea Romæ exortum & ædem Veſtæ & Palatium, plurimamque Vrbis partem ſolo æquauit. Huic Martia generis libertini vxor fuit, forma tamen meretriciiſque artibus pollens, quæ cum animum eius penitus deuinxiſG ſet, egreſſo è balneo veneni poculum obtulit. Ad extremum ab immiſſo validiſſimo palæſtrita compreſſis eius faucibus expirauit in domo Veſtiliani cum annis duodecim poſt patrem, & octo menſibus imperaſſet: vitæque anno vigeſimo ſecundo.

PERTINAX.

Huic ſucceſſit Heluius Pertinax, qui octauus decimus ab Aug. imperium adeptus eſt. Iſte grandæuus, & qui ſeptuagenariam attigiſſet ætatem, Præfecturam Vrbis tunc agens ex Senatuſconſulto coactus imperium, repugnanſque ſuſcepit. Proinde tale cognomentum ſortitus eſt. Octogeſimo primo die imperij prætorianorum militum ſeditione, & Saluij Iuliani ſcelere multis vulneribus obtruncatur. Huius caput tota Vrbe vectum eſt. Hoc exitu obiit, vir ad humanæ conuerſationis exemplum, per laboris genera vniuerſa ad ſummos vſque prouectus honores, vſque eo, vt Fortunæ vocaretur pila. Is origine ortus ſordida: nam libertino genitus patre apud Ligures in agro ſqualido Lollij Gentiani, cuius in præfectura quoque ſe clientem eſſe liberaliſſime fatebatur, fuit doctor literaH rum, quæ à Grammaticis traduntur. Blandus magis quam beneficus. Vnde eum Græco nomine χρηστόλογον appellauere. Nunquam iniuria accepta ad vlciſcendum ductus. Amabat ſimplicitatem. Communem ſe affatu, conuiuio, inceſſu, præbebat. Huic mortuo diui nomen decretum eſt. Ob cuius laudem ingeminatis ad vocis vſque defectum plauſibus acclamatum eſt, Pertinace imperante ſecuri viximus, neminem timuimus, Patri pio, Patri Senatus, Patri omnium bonorum.

DIDIVS IVLIANVS.

Poſt eum Didius Saluius Iulianus ortu Mediolanenſis, nonus decimus ab Auguſto Remp. inuaſit, vir nobilis & iure periti ſſimus, nepos Saluij Iuliani, qui ſub Diuo Antonino perpetuum compoſuit edictum, factioſus, præceps, regni auidus. Hoc tempore Niger Peſcenninus apud Antiochiam: & in Sabario Pannoniæ oppido Septimius Seuerus creantur Auguſti. Ab hoc Seuero Iulianus victus apud Miluium pontem bello ciuili, & fugiens in palatio captus, & in abditas Palatij balneas ductus extenta

A damnatorum modo ceruice decollatur, caputque eius in roſtris ponitur, poſt ſeptem menſes quam imperare cœperat.

SEPT. SEVERVS.

Anno ab Vrbe condita DCCCXLVII. Septimius Seuerus, viceſimus poſt Auguſtum Romani imperij adminiſtrationem ſuſcepit. Iſte ex Africa oriundus, prouincia Tripolitana oppido Lepti fuit. Solus omni memoria & ante & poſtea ex Africa Imper. fuit. Hic primum fiſci aduocatus fuit, mox militaris Tribunus, per multa deinde & varia officia atque honores vſque ad adminiſtrationem totius Reipub. venit. Bella multa & feliciter geſſit. Peſceninum Nigrum hominem omnium turpitudinum, qui in Ægypto & Syria rebellauerat apud Cizicum interfecit: Parthos vicit, & Arabas interiores, & Adiabenos Arabas, eoſque ſuperauit, vt etiam prouinciam ibi faceret. Idcirco Parthicus, Arabicus, Adiabenicus dictus eſt. Multa toto orbe Romano reparauit. Sub eo etiam Clodius Albinus, qui in occidendo Pertinace ſocius fue- B rat Iuliano, Cæſarem ſe in Gallia fecit, victuſque apud Lugdunum & interfectus eſt. Hic fuit bellicoſiſſimus omnium qui ante eum fuere: acer ingenio, & ad omnia quæ intendiſſet vſque in finem perſeuerans: beneuolentia quo inclinaſſet mirabili ac perpetua. Ad acquirendum diligens, ad largiendum liberalis: in amicos, inimicoſque vehemens pariter: quippe qui Lateranum Cilonem, Anulinum Baſſum, cæteroſque alios ditaret ædibus quoque memoratu dignis, quarum præcipuas videmus, Parthorum quæ dicuntur ac Laterani. Hic nulli in dominatu ſuo permiſit honores venundari. Iſte Iudæos & Samaritas rebellare conantes ferro coërcuit. Quinta poſt Neronem perſecutione Chriſtianos excruciauit, plurimique ſanctorum per diuerſas prouincias martyrio coronati ſunt. Igitur Seuerus præter bellicam gloriam etiam ciuilibus ſtudiis clarus fuit, & litteris Latinis doctus, Philoſophiæ ſcientiam ad plenum adeptus, Græcis ſermonibus eruditus, Punica eloquentia promptior. Nouiſſimum bellum in C Britannia habuit, atque receptas prouincias omni ſecuritate muniuit. Itaque magnam foſſam, firmiſſimumque vallum, crebris inſuper turribus, per centum & triginta duo millia paſſuum à mari ad mare deduxit. Ibique apud Eboracum oppidum, cum membrorum omnium, maxime pedum dolorem pati nequiret, veneni vice, quod ei negabatur, cibos grauis ac plurimæ carnis auidius inuaſit. Quos cum conficere non poſſet, cruditate preſſus expirauit, Anno imperij XVIII. menſeque decimo: vitæ anno ſexageſimo quinto, Diuuſque appellatus eſt. Nam filios duos ſucceſſores reliquit, Baſſianum & Getam. Sed Baſſiano Antonini nomen à Senatu petiit imponi.

CARACALLA.

Itaque dictus eſt M. Aurelius Antoninus Baſſianus Caracalla, patrique ſucceſſit, Lugduni genitus. Hic Baſſianus ex aui materni nomine dictus eſt. At cum è Gallia veſtem plurimam deuexiſſet, talareſque Caracallas feciſſet, coëgiſſetque plebem ad ſe ſalutandum indutam talibus introire, de nomine huiuſcemodi veſtis, Caracalla cognominatus eſt. Hic fratrem ſuum Getam peremit, ob D quam cauſam furore pœnas dedit, dirarum inſectatione, quæ non immerito Vltrices vocantur, à quo poſt furore conualuit. Hic corpore Alexandri Macedonis conſpecto. Magnum Alexandrum ſe iuſſit appellari: aſſentantium fallaciis euſque perductus, vt truci fronte, & ad læuum humerum conuerſa ceruice, quod in ore Alexandri notauerat, incedens, fidem vultus ſimillimi perſuaderet ſibi. Iſte morum fere paternorum fuit, paulo aſperior & minax, Opus Romæ egregium fecit lauacri, quæ Antonianæ appellantur, nihil præterea memorabile. Impatientis libidinis, qui nouercam ſuam Iuliam vxorem duxerit. Is dum moliens aduerſus Parthos expeditionem mouiſſet, cum Carras iter faceret, apud Ediſſam in Oſdroëna ſecedens ad officia naturalia, à milite qui quaſi ad cuſtodiam ſequebatur, interfectus eſt anno imperij ſexto, menſe ſecundo, vix vitæ egreſſus quadrageſimum tertium annum. Corpus eius funere publico Romam relatum.

MACRINVS.

Deinde Opilius Macrinus, qui præfectus Prætorio erat, cum filio Diadumenio, ab exercitu imperatores creati, nihil memorabile ex temporis breuitate geſſerunt. E Nam imperium eorum duorum menſium & vnius anni fuit. Ambo pariter ab eodem exercitu apud Archelaidem obtruncantur, pro eo quod Macrinus militarem luxuriam, & ſtipendia profuſiora comprimeret.

HELIOGABALVS.

Anno ab Vrbe condita DCCCCLXXII. poſt hos creatus eſt Marcus Aurelius Antoninus Varius, vigeſimus tertius ab Auguſto Imperator. Hic Antonini Caracallæ ex Semea conſobrina ſua occulte ſtuprata filius. Sacerdos autem Heliogabali templi erat. Proinde Heliogabalus dictus. Huius matris Semeæ auus Baſſianus nomine fuerat, Solis Sacerdos, quem Phœnices, vnde erat, Heliogabalum nominabant, à quo iſte Heliogabalus dictus eſt. Is cum Romam ingenti & militum & ſenatus expectatione veniſſet, probris ſe omnibus contaminauit, impudiciſſime & obſcœniſſime vixit. Cupiditatem ſtupri, quam aſſequi naturæ defectu non poterat, in ſe conuertens, Baſſianam ſe, pro Baſſiano iuſſerat appellari. Veſtalem virginem quaſi F matrimonio iungens ſuo, abſciſſiſque genitalibus, Magnæ matri ſe ſacrauit. Hic Marcellum, qui poſt Alexander dictus eſt, conſobrinum ſuum Cæſarem fecit. Bienniòque poſt, & octo menſibus, quam imperare cœperat, Romæ tumultu militari interfectus eſt, anno vitæ ſextodecimo, & cum eo mater ſua miſera. Huius corpus per Vrbis vias more canini cadaueris à militibus tractum eſt, militari cauillo appellantium indomitæ rabidæque libidinis catulam. Nouiſſime cum anguſtum foramen cloacæ corpus minime reciperet, vſque ad Tiberim deductum, adiecto pondere, ne vnquam emergeret, in fluuium proiectum eſt, atque ex his quæ acciderant, Tiberinus Tractitius appellatus eſt.

ALEX. SEVERVS.

Anno ab Vrbe condita DCCCCLXXV. huic ſucceſſit in imperium vigeſimus quartus ab Auguſto Aurelius Seuerus Alexander, ab exercitu Cæſar, à Senatu Auguſtus appellatus, iuuenis admodum. Suſceptoque aduerſus Perſas bello, Xerxen eorum regem纪 glorioſiſſime vicit. Militarem diſciplinam ſeueriſſime rexit, quaſdam tumultuantes legiones integras exauctorauit. Aſſeſſorem G habuit, vel ſcriniorum magiſtrum, Vlpianum iuris conditorem. Cuius mater Mammea Chriſtiana Origenem Presbyterum audire curauit. Bonus quoque Reipub. fuit, ærumnoſus ſibi. Huius temporibus Taurinus in Oriente Auguſtus effectus ob timorem ipſe ſe Euphrate fluuio abiecit. Tunc etiam Iulius Maximus apud Gallias regnum arripuit pluribus de exercitu corruptis. Alexander vero cum deſeri ſe ab ſtipatoribus apud Magontiam vidiſſet, matrem ſibi cauſam fuiſſe mortis exclamans, accurrente percuſſore, obuoluto capite, ceruices manibus valde compreſſas præbuit, anno vitæ viceſimo ſexto, imperij decimo tertio & die octauo. In Mameam matrem ſuam vnice pius fuit, & ob id omnibus amabilis. Hæc eo filium coegerat, vt & illa ipſa permodica, ſi menſæ prandioque ſupereſſent, quamuis ſemeſa alteri conuiuio reponerentur.

MAXIMINVS.

Poſt hunc Iulius Maximinus genere Thrax ad imperium acceſſit, vigeſimus quintus ab Auguſto, anno ab Vrbe condita DCCCCLXXXVIII. Is primus ex corpore militari Imperator factus, ſola militum voluntate, cum nulla Senatus interceſſiſſet auctoritas, neque ipſe Senator eſſet. Hic bello aduerſum Germanos feliciter H geſto, dum pecunioſos perſequitur, inſontes pariter noxioſque, apud Aquileiam à Pupieno occiſus eſt, deſerentibus eum militibus ſuis, cum filio Diadumenio nomine adhuc puero cum quo imperauerat triennio & paucis diebus cunctis militari ioco conclamantibus: Ex peſſimo genere ne catulum habendum. Iſte perſequutionem in Chriſtianos ſextus à Nerone exercuit. Huius imperio duo Gordiani pater & filius principatum arripientes vnus poſt vnum interierunt,

GORDIANVS.

Deinde Gordianus nepos Gordiani ex filio, viceſimus ſextus ab Auguſto Imperator creatus eſt, ortus Romæ clariſſimo patre: qui conſenſu militum, cum Proconſulatum Africæ gereret, Maximino imperante fuit princeps electus. Itaque cum Romam veniſſet, Balbinus atque Pupienus fratres interfecti ſunt. Gordianus admodũ puer cum Tranquillinam Romæ duxiſſet vxorem, Iani gemini portas aperuit: quas vtrum poſt Veſpaſianum & Titum apertas conſtet, neminem ſcripſiſſe memini. Et ad

A Orientem profectus Parthis bellum intulit, qui iam mo-
liebātur erumpere. Quod quidem mox feliciter geſſit, præ-
liiſque ingentibus Perſas afflixit. Rediens haud longe à
Romanis finibus apud Creſiphontem ciuitatem Perſidis
interfectus eſt, fraude Philippi præfecti prætorij, qui poſt
eum imperauit, accenſis in ſeditionem militibus, anno
vitæ viceſimo, imperij ſexto. Miles ei tumulum viceſimo
milliario à Circeſo, quod caſtrum nunc Romanorum eſt,
Euphrati imminens, ædificauit, nomenque loco dedit.
Sepulchrum Gordiani: exequias vero Romam reuexit, ip-
ſum Diuum appellauit. Huius tēporibus Porphyrius Plo-
tini Platonici philoſophi auditor Romæ habetur, Theo-
pompus philoſophus apud Cheroniam, & Nicanor So-
phiſta apud Athenas pollebant, Anno ab vrbe condita
DCCCCXCVII. M. Iulius Philippus viceſimus ſeptimus
PHILIPPVS. ab Auguſto, vna cum filio Caio Iulio Saturnino Philippo
imperium inuaſit, atque exercitu incolumi reducto ad
Italiam ex Syria profecti ſunt. Iſti primi omnium impera-
torum Chriſtiani Romæ facti ſunt, & in die Paſchæ, id eſt,
B ipſis vigiliis cum intereſſe voluiſſet, & communicare my-
ſteriis, à Fabiano Epiſcopo Romano non prius eſt per-
miſſum, niſi confiteretur peccata ſua, & inter pœniten-
tes ſtaret: nec vllo modo copiam ſibi myſteriorum futu-
ram, niſi prius per pœnitentiam culpas, quæ de eo fere-
bantur plurimæ, diluiſſet. Fertur igitur libenter eum quod
à Sacerdote ſibi imperatum fuerat, ſuſcepiſſe, diuinum
ſibi ineſſe metum, & fidem religionis pleniſſimam, rebus
atque operibus comprobans. His tertio anno imperanti-
bus, milleſimus annus vrbis Romæ ingenti ludorum ap-
paratu ſpectaculorumque celebratus eſt. Ambo deinde ab
exercitu interfecti ſunt. Senior Philippus Veronæ, medio
capite ſupra ordines dentium præciſo: iunior Romæ, poſt-
quam annos quinque imperauerunt: inter Diuos tamen
relati ſunt. Ex quibus iunior Philippus duodecim anno-
rum interfectus eſt: qui adeo ſeueri & triſtis animi fuit,
vt iam tunc à quinquenni ætate nullo prorſus commento
cuiuſquam ad ridendum ſolui potuerit: patremque ludis
ſæcularibus petulantius cachinnantem, quanquam adhuc
C tener, vultu auerſato notauerit, Is Philippus humillimo
ortus loco fuit, patre nobiliſſimo latronum ductore.

Anno ab vrbe condita M. III. DECIVS è Panno-
nia inferiore, Bubaliæ natus, viceſimus octauus ab Augu-
ſto, interfecto Philippo imperium inuaſit. Hic ſeptimus
poſt Neronem ad perſequendos interficiendoſque Chri-
ſtianos feralia diſperſit edicta, plurimoſque ſanctorum ad
coronas Chriſti de cruciatibus ſuis miſit. Iſte bellum ci-
uile, quod in Gallia motum fuerat, oppreſſit: Decium
filium Cæſarem fecit Romæ, lauacrum ædificauit, vir ar-
tibus cunctiſque virtutibus inſtructus, placidus & co-
mis domi, in armis promptiſſimus. Huius temporibus
cum plurimi Gothi Hiſtrum fluuium tranſmeaſſent Ro-
I manorum ciuitates deuaſtantes, Miſam & Nicopolim
capientes vaſtauerunt. Decius autem vna cum filio illos
bello aggreſſus, apud Abtrum, qui locus Foro terebro-
nij dicitur, triginta millibus Barbarorum interfectis, de
ſuis plurimis perditis maxime Thracibus, ipſe quoque
eodem bello inter confuſas turbas gurgite paludis ſub-
D merſus eſt, ita vt nec cadauer eius potuerit inueniri: filiuſ-
que eius bello extinctus eſt: anno imperij ſecundo. Scy-
thæ vero cum plurimis ſpoliis & captiuis reuerſi ſunt, de-
ſertam dimittentes Philippopolim ciuitatem Macedoniæ.
Huius temporibus Valens Licinianus Imperator effectus
illico occiditur. Mox exercitus Imperatores creauit Vibiū
GALLVS. Gallum, & filium Galli Voluſianum. Horum temporibus
Hoſtilianus Perpenna à Senatu Imperator creatus, nec
multum poſt peſtilentia conſumptus eſt. Sub his etiam
Æmilianus in Miſia Imperator effectus eſt. Contra quem
Imperatores ambo profecti apud Interamniam bellum ci-
uile molientes ab exercitu ſuo cæduntur, anno ætatis pa-
tris ſeptimo circiter & quadrageſimo Imperij anno ſecun-
do: creati in inſula Meninge, quæ tunc Girba dicitur.
Iſti nihil omnino clarum geſſerunt, ſola peſtilentia &
morbis atque ægritudinibus noti, quia nulla fere prouin-
cia Romana, nulla ciuitas, nulla domus fuit, quæ non
illa generali peſtilentia correpta atque vaſtata ſit.

Æmilianus vero Maurus genere, obſcuriſſime natus, E
obſcurius imperauit. Siquidem auarus fuit, ac quarto ÆMILIANVS.
menſe damnatus apud Spoletium, ſiue pontem, quem ab
eius cæde Sanguinarium accepiſſe nomen ferunt, inter
Otriculum Narniamque, Spoletium & vrbem Romam re-
gione media poſitum, extinguitur anno vitæ quadrage-
ſimo ſeptimo.

Anno ab Vrbe condita M. VIII. Licinius Valerianus
cognomento Colobius, triceſimus ab Auguſto in Rhetia VALERIANVS
& Norico agens ab exercitu Imperator, & mox Augu-
ſtus eſt factus. Gallienus quoque filius eius Romæ à Se-
natu Cæſar eſt appellatus. Is parentibus eſt ortus ſplendi
diſſimis, ſtolidus tamen & multum iners, neque ad vſum
aliquem publici negotij conſilio ſeu geſtis accommoda-
tus. Hic Cornelium Valerianum Gallieni filij ſui filium
Cæſarem fecit. Sub his etiam Germani Rauennam vſque
peruenerunt. His imperantibus Regillianus in Mœſia,
Caſſius Labienus Poſthumus in Gallia Gallieni filio in-
terfecto Imperatores effecti ſunt. Pari modo Lolianus
apud Moguntiacum in Ægypto Æmilianus, apud Ma-
cedonas Valens, Mediolani Aureolus inuaſere. Tunc F
Gothi rurſus Iſtrum tranſeuntes, Theſſalonicam vrbem
Illyrici vaſtauerant, & prædis onuſti ad propria remea-
runt. Tunc & Heruli quingentis nauibus per Mæotidas
paludes ad pontum nauigantes, Byzantium & Chryſopo-
lim ceperunt. Valerianus igitur in Meſopotomia bellum
gerens à Sapore Perſarum rege ſuperatus eſt: mox etiam
captus apud Parthos ignobili ſeruitute conſenuit. Nam
quandiu vixit, rex eiuſdem prouinciæ, Incuruato eo pe-
dem ceruicibus imponens, equum conſcendere ſolitus
erat. Hic mox, vt arripuit imperium octauus à Nerone
adigi per tormenta Chriſtianos ad idololatriam, abnegan-
teſque interfici iuſſit, fuſo per omnem Romani regni la-
titudinem ſanctorum ſanguine. Gallienus igitur filius eius
in loco Cornelij filij ſui Salonianum, alterum filium ſu- GALLIENVS.
brogauit: amori diuerſo pellicum deditus, Salonīnæ con- G
iugis & concubinæ, quam per pactionem conceſſa par-
te ſuperioris Pannoniæ, à patre Marcomannorum rege
matrimonij ſpecie ſuſceperat, Pipam nomine. Interea Ga-
lienus, cum adoleſcens factus eſſet Auguſtus, imperium
feliciter, mox commode, ad vltimum pernicioſe geſſit.
Nam iuuenis in Gallia & in Illyrico multa ſtrenue fecit:
occiſo apud Murſam Ingenuo, qui purpuram ſumpſerat.
Regilliano, diu placidus & quietus, mox in omnem laſci-
uiam diſſolutus, tenendæ Reip. habenas probroſa ignauia
& deſperatione laxauit. Alemanni vaſtatis Galliis Italiam
penetrauerunt. Dacia quæ à Traiano vltra Danubium fue-
rat adiecta, tum amiſſa eſt. Græcia, Macedonia, Pontus,
Aſia vaſtata per Gothos: Pannonia à Sarmatis. Quadiſque
depopulata eſt. Germani vſque ad Hiſpanias penetraue-
runt. Parthi Meſopotamia occupata Syriam ſibi cœpe-
runt vendicare. Iam deſperatis rebus, & deleto pene Im-
perio Romano, Poſthumus in Gallia obſcuriſſime natus,
purpuram ſumpſit: & per annos decem ita imperauit, vt
conſumptas pene prouincias ingenti virtute & modera-
tione reparauerit. Qui ſeditione militum interfectus eſt, H
quod Moguntiacum, quæ aduerſus eum rebellauerat cum
Lobiano res nouas moliente, diripiendam militibus trade-
re noluiſſet. Poſt eum Marius viliſſimus opifex purpuram
accepit, & ſecundo die interfectus eſt. Victorinus poſtea
Gallicanum accepit imperium, vir ſtrenuiſſimus. Sed cum
libidinis nimiæ eſſet, & matrimonia aliena corrumperet,
Agrippinæ occiſus eſt, actuario quodam dolum machi-
nante, imperij ſui anno ſecundo. Huic ſucceſſit Tetricus
Senator, qui Aquitaniam honore præſidis adminiſtrans,
abſens a militibus imperator electus eſt, & apud Burde-
galam purpuram ſumpſit: ſeditiones multas militum per-
tulit. Sed dum hæc in Gallia geruntur, in Orientem per
Odenatum Perſæ victi ſunt, defenſa Syria, recepta Me-
ſopotamia, vſque ad Cteſiphontem Odenatus penetrauit.
Igitur Gallieno Rempublicam deſerente, Romanum im-
perium in Occidente per Poſthumum, per Odenatum in
Oriente ſeruatum eſt. Gallienus interea aduerſus Aureo-
lum profectus eſt, quem cum apud pontem, qui ex eius
nomine Aureolus appellatur, obtentum, detruſumque

A

Mediolanum obſediſſet, eiuſdem Aureoli ducis ſui commento vna cum Valeriano fratre à ſuis occiditur. Regnauit annis quindecim, ſex cum patre, nouem ſolus. vixit annos quinquaginta.

CLAVDIVS.

Anno ab Vrbe condita M. X X I V. Claudius ab Auguſto triceſimus primus ei ſucceſſit, electus a militibus, à Senato Auguſtus eſt appellatus. Hunc plerique putant Gordiano ſatum, dum adoleſcens a muliere matura inſtitueretur ad vxorem. Hic Claudius Gallieni morientis ſententia Imperator deſignatur: ad quem Ticini poſitum per Gallonium Baſilium indumenta regia direxerat. Hic Gothos, qui ſob Decio diſperſi Illyricum Macedoniamque per quindecim annos vaſtauerant, ingenti prælio & incredibili ſtrage deleuit: Parcus vir ac modeſtus & iuſtitiæ tenax ac Reipublicæ gerendæ idoneus. Extinctoque à ſuis Aureolo, receptis legionibus, aduerſus trecenta millia Alemannorum haud procul à lacu Benaco dimicans, tantam multitudinem fudit, vt ægre pars dimidia ſuperfuerit.

B

Claudius vero cum ex fatalibus libris, quos inſpici præceperat, cognouiſſet peſtilentiæ in Senatu primi morte remedium deſiderari: Pomponio Baſſo, qui tunc primus erat, ſe offerente, ipſe vitam ſuam, haud volens reſpōſa fruſtrari, dono Reipublicæ dedit. Qui tamē intra imperij ſui biennium apud Sirmium morbo interiit, Diuuſque appellatus eſt: præfatus neminem tanti ordinis primatem haberi, quam Imperatorem. Ea res ſicut erat cunctis grata, non diuinum vocabulum modo, ſed ex auro quoque ſtatuam prope ipſum Iouis ſimulachrum in Capitolio, atque in Curia clypeum ipſi aureum, proceres ſacrauere.

QVINTILIVS.

Quintilius poſt eum Claudij frater, conſenſu militum Imperator electus eſt, vnicæ moderationis vir & ciuilitatis, æquandus fratri, vel præferendus, conſenſu Senatus appellatus eſt Auguſtus, decimoſeptimo imperij die occiſus eſt.

AVRELIANVS.

Anno ab Vrbe condita M. X X V I I. Aurelianus triceſimus ſecundus ab Auguſto Imperator creatus eſt. Iſte

C

genitus patre mediocri, & vt quidam ferunt, Aurelij clariſſimi Senatoris colono, Dacia Ripenſi, quæ eſt inter Daciam & Macedoniam, oriundus fuit: vir in bello potens, animi tamen immodici, & ad crudelitatem propenſioris: quippe Gothos in Danubio ſtrenuiſſime vicit, ditionemque Romanam antiquis terminis ſtatuit. Iſte haud diſſimilis fuit magno Alexandro, ſeu Cæſari dictatori. Nam Romanum orbem trlennio ab inuaſoribus receptauit: cum Alexander annis tredecim, per victorias ingentes ad Indiam peruenerit, & C. Cæſar decennio ſubegerit Gallos, aduerſus ciues quadriennio congreſſus. Iſte in Italia tribus præliis victor fuit, apud Placentiam, & iuxta amnem Metaurum ac Fanum Fortunæ: poſtremo Ticinenſibus campis. Huius temporibus apud Dalmatas Septimius Imperator effectus, mox à ſuis obtruncatur. Iſte primus apud Romanos diadema capiti innexuit, gemmiſque & omni aurata veſte, quod adhuc fere incognitum Romanis moribus videbatur, vſus eſt. Hic muris validioribus & latioribus Vrbem ſepſit, templum Solis ædificauit, in quo infinitum auri gemmarumque conſtituit.

D

Porcinæ carnis vſum populo inſtituit. Superauit in Gallia Tetricum apud Catalaunos, ipſo Tetrico prodente exercitum ſuum, cuius aſſiduas ſeditiones ferre non poterat. Quin etiam per litteras occultas Aurelianum ita fuerat deprecatus, vt inter alia verſu Virgiliano vteretur.

Eripe me his inuicte malis.

Quem Aurelianus correctorem Lucaniæ prouexit, aſpergens hominem eleganti ioco: Sublimius habendum regere aliquam Italiæ partem quam trans alpes regnare. Zenobiam quoque occiſo Odenato marito, qui Orientem tenebat, haud longe ab Antiochia, magis prælij terrore, quam prælio cepit. Ingreſſus Romam nobilem triumphum quaſi receptor Orientis Occidentiſque egit, præcedentibus currum Tetrico & Zenobia. Hoc imperante etiam in Vrbe, Monetarij rebellauerunt, vitiatis pecuniis, & Feliciſſimo rationali interfecto. Quos Aurelianus victos vltima crudelitate compeſcuit: plurimos nobiles capite damnauit, ſæuus & ſanguinarius, ac neceſſarius magis in quibuſdam, in nullo amabilis Imperator: trux omni tem-

E

pore etiam filio ſororis interfecto diſciplinæ tamen militaris, & morum diſſolutorum magna ex parte corrector. Prouinciam Daciam, quam Traianus vltra Danubium fecerat, intermiſit, vaſtato omni Illyrico & Mœſia, deſperans eam poſſe retineri. Abductoſque Romanos ex vrbibus & agris Daciæ in Mœſia media collocauit, appellauitque eam Daciam, quæ nunc duas Mœſias diuidit, & eſt dextra Danubio in mare fluenti, cum ante fuerit læua. Iſte cum perſequutionem agi aduerſus Chriſtianos nonus à Nerone decerneret, fulmen ante eum magno pauore circumſtantium ruit: ac non multo poſt in itinere occiditur ſerui ſui fraude: qui ad quoſdam militares viros amicos ipſius nomina pertulit annotata, falſo manum eius imitatus, tanquam Aurelianus ipſos pararet occidere. Itaque vt præueniretur ab iiſdem interfectus eſt, in itineris medio, quod inter Byzantium & Heracliam eſt, ſtratæ veteris locus Cenophrurium appellatur. Mors tamen eius inulta non fuit, meruit quoque inter Diuos

F

referri. Imperauit annos quinque & menſes ſex. Poſt hunc

TACITVS.

Tacitus trigeſimus tertius ab Auguſto imperium ſuſcepit. vir egregie moratus, & Reipublicæ gerendæ idoneus: nihil tamen potuit oſtendere, intra ducenteſimum enim Imperij diem apud Tarſum febre moritur.

FLORIANVS.

Florianus qui Tacito ſucceſſerat, duobus menſibus & diebus viginti in Imperio fuit. Sed cum magna pars exercitus equitum, Probum militiæ peritum legiſſet, Florianus quaſi per ludum imperio vſus inciſis è ſemetipſo venis effuſo ſanguine conſumptus eſt.

PROBVS.

Anno ab Vrbe condita M. X X X I I I. Probus triceſimus quintus ab Auguſto imperium adeptus eſt. Hic genitus patre agreſti hortorum ſtudioſo, Dalmatio nomine, gloria militari ad adminiſtrationem Reip. acceſſit, Gallias à Barbaris occupatas ingenti præliorum felicitate reſtituit. Bella deinde ciuilia, & quidem plurimo ſanguine duo geſſit contra quoſdam Imperatores ab exercitu creatos, Vnum in Oriente aduerſus Saturninum, alterum aduerſus Proculum & Bonoſum Agrippinæ, quos magnis

G

certaminibus oppreſſit. Vineas Gallos & Pannonios habere permiſit: opere militari Æmum montem apud Sirmium, & Aureum apud Mœſiam ſuperiorem, vineis conſeruit, & prouincialibus colendos dedit. Hic cum bella innumera geſſiſſet, pace parta, dixit breui milites neceſſarios non futuros: vir acer, ſtrenuus, iuſtus, & qui Aurelianum æquaret gloria militari, morum autem ciuilitate ſuperaret; Interfectus tamen eſt Sirmio, tumultu militum, in turri ferrata. Imperauit annos ſex & menſes quatuor.

CARVS.

Anno ab Vrbe condita M. X L. Carus Narbonæ natus in Gallia, triceſimus ſextus ab Auguſto imperauit. Iſte confeſtim Carinum & Numerianum filios Cæſares fecit, cum quibus regnauit annis duobus. Sed dum bellum aduerſus Sarmatas gerit, nunciato Perſarum tumultu ad Orientem profectus eſt. Qui cum Antiochiæ degeret, Numerianus filius eius voluit intrare in Eccleſiam, explorare myſteria Chriſtianorum. At vero ſanctus Babylas prohibuit eum dicens: Non licet tibi videre diuina Chriſtianorum myſteria, cum ſis pollutus idolicis ſacrificiis.

H

Qui indignatus occidit eum. Hic contra Perſas res nobiles geſſit, ipſos prælio vicit, Seleuciam & Cteſiphontem vrbes nobiliſſimas cepit. Et cum caſtra ſuper Trigridem haberet, vi diuini fulminis periit. Numerianus quoque filius eius quem ſecum Cæſarem duxerat ad Perſas, adoleſcens egregiæ indolis, cum oculorum dolore correptus in lectulo veheretur, impulſore Apro, qui ſocer eius fuerat per inſidias occiſus eſt. Et quum dolo occultaretur ipſius mors quouſque Aper inuadere poſſet imperium, fœtore cadaueris ſcelus eſt proditum. Milites enim qui eum ſequebantur, putore commoti, deductis lecticulæ palliis, poſt aliquot dies mortem eius notam habere potuerunt. Interea Carinus, quem Cæſarem ad Parthos proficiſcens Carus, in Italia, Illyrico & Gallia reliquerat, Sabinum Iulianum imperium inuadentem, in campis Veronenſibus occidit, omnibuſque ſe ſceleribus inquinauit. Plurimos innoxios fictis criminibus occidit, matrimonia nobilia corrupit. Condiſcipulis quoque, qui eum

A auditorio verſuta fatigatione taxauerunt, pernicioſus fuit, atque omnibus bonis inuiſus. Non multo poſt interficitur, præcipue eius Tribuni dextera, cujus dicebatur coniugem polluiſſe. Nam de Perſide victor exercitus rediens, cum Carum Auguſtum fulmine, Numerianum Cæſarem inſidiis perdidiſſet, Diocletianum Imperatorem creauit.

DIOCLETIANVS.

Anno ab Vrbe condita M. LXII. Diocletianus trigeſimus ſeptimus ab Auguſto Imperator creatus, Dalmatia oriundus vir obſcuriſſime natus, adeo vt à pleriſque ſcribæ filius, à nonnullis Anulini Senatoris libertinus fuiſſe credatur: matre oppido pariter atque nomine Dioclea, quorum vocabulis, donec imperium ſumeret, Diocles eſt appellatus. Vbi orbis Romani potẽtiam cepit, Graium nomen in Romanum morem conuertit. Is primum militi in concione iurauit, Numerianum nullo ſuo dolo interfectum: & cum iuxta eum Aper, qui Numeriano inſidias fecerat, conſtitiſſet, in conſpectu exercitus manu Diocletiani percuſſus eſt gladio. Poſtea Carinum, quem B Carus Cæſarem in Illyrico reliquerat, omnium odio & execratione viuentem, apud Murgum ingenti prælio vicit proditum ab exercitu ſuo, quem fortiorem habebat, certe deſertum inter Viminatium & Aureum montem. Ita rerum Romanarum potitus, cum tumultum Ruſticani in Gallia concitauiſſent, & factioni ſuæ Bagaudarum nomen imponerent, duces autem haberent Amandum & Ælianum, ad ſubigendos eos Maximianum Herculium Cæſarem miſit: qui leuibus præliis agreſtes domuit, & partem Galliæ reformauit. Per hæc etiam tempora Carauſius, qui viliſſime natus, ſerenæ militiæ ordine famam egregiam fuerat conſequutus, cum apud Bononiam per tractum Belgicæ & Aremoricæ pacẽdum Oceanum mare accepiſſet, quod Franci & Saxones infeſtabant, multis Barbaris ſæpe captis, nec præda integra aut prouincialibus redditũ, aut Imperatoribus miſſa, ſed ſibi ſoli vendicata: cum ſuſpicio eſſe cœpiſſet, conſulto ab eo admitti Barbaros, vt tranſeuntes cum præda exciperet, C atque hac ſe occaſione ditaret, à Maximiano iuſſus occidi, purpurã ſumpſit, & Britannias occupauit. Ita cum per omnem orbem terrarum res turbatæ eſſent, Carauſius in Britannia, Achilleus in Ægypto, Iulianus in Italia Imperatores effecti, diuerſo exitu perierunt. E quibus Iulianus adacto per coſtas pugione in ignem ſe abiecit. Narſeus rex Perſarum Orientem debellebat. Africam Quinquegentiani infeſtabant. Diocletianus mox Aurelium Maximianum cognomento Herculium ex Cæſare fecit Auguſtum. Conſtantium & Galerium Maximianum cognomento Armentarium Cæſares creauit. Quorum Conſtantius per filiam nepos Claudij imperatóris traditur, Maximianum Galerium etiam affinitate coniunxerat. Conſtantius priuignam Herculij Theodotam accepit, ex qua poſtea ſex liberos Conſtantini fratres habuit. Galerius filiam Diocletiani Valeriam accepit vxorem. Ambo vxores prius habuerant, ſed eos repudiare compulit. Cum à Carauſio tamen bella fruſtrata eſſent contra virum rei militaris periſſimum, ad poſtremum pax conuenit. Eum poſt ſeptennium ſocius Allectus ſuus occidit, atque ipſe poſt eum Britannias triennio habuit: qui dolo Aſclepio- D doti præfecti prætorio oppreſſus eſt. Ita Britanniæ decimo anno receptæ. Per idem tempus à Conſtantio Cæſare in Gallia bene pugnatum eſt circa Lingonas. Die vna aduerſam & ſecundam fortunam expertus eſt. Nam cum repente Barbaris ingruentibus, intra ciuitatem eſſet coactus, tam præcipiti neceſſitate vt clauſis portis in murum funibus tolleretur, vix quinque horis mediis aduentante exercitu LX. fere millia Alemannorum occidit. Maximianus quoque Auguſtus bellum in Africa profligauit, domitis Quinquegentianis & ad pacem redactis, Diocletianus obſeſſum Alexandriæ Achilleum nono menſe ſuperauit, eumque interfecit. Victoria acerbe vſus eſt, totam Ægyptum grauibus proſcriptionibus, cædibuſque fœdauit. Ea tamen occaſione ordinauit, proinde multa & diſpoſuit, quæ ad noſtram ætatem manent. Erat autem cum ipſo & Cõſtantinus filius Conſtantij. Qui cum adhuc valde iuuenis eſſet, fortiter agebat in præliis, & cum Chriſtianis ſentiebat. Quem intuens Diocletianus intellectu

E animæ & corporis robore, atque ingenio circa eruditionem proficere, & deprehendens hunc futurum tyrannidi, & eius dogmatis deſtructorem, inuidia ductus, dolo perimere ſatagebat. Deus autem hunc inopinate ſaluauit, & patri reſtituit. Interea Diocletianus in Oriente, Maximianus Herculius In Occidente vaſtari Eccleſias, affligi interficique Chriſtianos decimo poſt Neronem loco præceperunt. Quæ perſecutio omnibus fere actis diuturnior atque immanior fuit. Nam per decem annos incendiis Eccleſiarum, proſcriptionibus innocentium, cædibus martyrum inceſſabiliter acta eſt. Sequitur terræ motus in Syria, ex quo apud Tyrum & Sydonem paſſim labentibus tectis multa millia hominum proſtrata ſunt. Galerius Maximianus primum aduerſus Narſeum prælium ſecundum habuit, inde inter Gallinicum Carraſque congreſſus, cum inconſulte magis quam ignaue dimicaſſet, (admodum enim parua manu cum copioſiſſimo hoſte commiſit) pulſus & ad Diocletianum profectus, cum ei in itinere occurriſſet, tanta inſolentia à Diocletiano fertur ex- F ceptus, vt per aliquot millia paſſuum purpuratus traditur ante vehiculum eius cucurriſſe. Mox tamen per Illyricum Mœſiamque contractis copiis, rurſus cum Narſeo Hormiſdæ, & Saporis auo in Armenia minore pugnauit ſucceſſu ingenti, nec minore conſilio ſimul & fortitudine: quippe qui etiam ſpeculatoris munus cum altero & tertio equite ſuſceperit. Pulſo Narſeo caſtra eius diripuit, vxores, ſorores, liberos cepit: infinitam extrinſecus Perſarum nobilitatem abduxit, gazam Perſicam copioſiſſimam: ipſum in vltimis regem in ſolitudines egit. Quare ad Diocletianum in Meſopotamia cum præſidiis tum morantem ouans regreſſus, ingenti honore ſuſceptus eſt. Varia deinceps & ſimul & viritim bella geſſerunt, Carpis & Baſternis ſubactis, Sarmatis victis. Quarum nationum ingentes captiuorum copias in Romanis finibus locauerunt. Diocletianus morigeratus callide fuit, ſagax præterea & admodum ſubtilis ingenio, & qui ſeueritatem ſuam aliena iudicia vellet obtegere: diligentiſſimus tamen & ſolertiſſimus princeps: & ſi Imperio Romano primus regiæ conſuetudinis formam, magis quam Romanæ libertatis, inuexerat, adorarique ſe iuſſu, cum ante eum cuncti Im- G peratores vt Iudices ſalutarentur. Ornamentum gemmarum veſtibus calciamentiſque indidit. Nam prius imperij inſigne in chlamyde purpurea tantum erat, reliquaque communia. Herculius autem propalam ferus & inciuilis, ingenij aſperitatem vultus horrore ſignificans. Hic naturæ ſuæ indulgens, Diocletiano in omnibus etiam ſeuerioribus conſiliis obſequutus eſt. Cum tamen ingraueſcente æuo parum ſe idoneum Diocletianus moderando imperio eſſe ſentiret, auctor Herculio fuit, vt in vitam priuatam concederent, & ſtationem Reipublicæ tuendæ viridioribus junioribuſque mandarent. Cui ægre collega obtemperauit, tamen vterque vna die priuato habitu imperij inſigne mutauit. Nicomediæ Diocletianus, Herculius Mediolani, poſt triumphum inclitum, quem Romæ ex numeroſis gentibus egerant, pompa ferculorum illuſtri, qua Marſei coniuges, ſororeſque & liberi ante currum ducti ſunt. Conceſſerunt tamen, Salonam vnus, alter in Lucaniam. Diocletianus priuatus in villa, quæ haud procul à H Salonis eſt, præclaro ocio ſenuit. Qui dum ab Herculio atque Galerio ad recipiendum imperium rogaretur, tanquam peſtem aliquam deteſtans, in hunc modum reſpondit: Vtinam Salonæ poſſetis viſere olera noſtris manibus inſtituta, profecto nunquam iſtud tentandum iudicaretis. Vixit annos ſexaginta octo, è quibus poſt imperium in communi habitu prope nouem exegit. Morte conſumptus eſt, vt ſatis patuit per formidinem voluntariã. Quippe cum à Cõſtantino atque Licinio vocatus ad feſta nuptiarũ, per ſenectã quo minus intereſſe valeret, excuſauiſſet, reſcriptis minacibus acceptis, quibus increpabatur, Maxẽtio fauiſſe, ac Maximiano fauere, ſuſpectans necem dedecoroſam, dicitur venenum hauſiſſe, inuſitata virtute vſus, vt ſolus omnium poſt conditum Romanum imperium ex tanto faſtigio ſponte ad priuatæ vitæ ſtatum ciuilitatemque remearet. Contigit igitur ei, quod nulli poſt natos homines, vt cum priuatus obiiſſet, inter Diuos tamen referretur.

A

Incipit

LIBER VNDECIMVS.

CONSTANTIVS. ET GALERIVS.

HIs igitur obeuntibus in adminiſtrationem Reipublicæ Conſtantius & Galerios Augusti ereati ſunt, diuiſuſque eſt inter eos Romanus orbis, vt Gallias, Italiam, Africam Conſtantius: Illyricum, Aſiam, Orientem Galerius obtineret: ſumptis duobus Cæſaribus, Seuero per Italiam, Maximo Galerij ſororis filio per Orientem. Eodemque tempore Conſtantinus Cæſar efficitur. Conſtantius tamen contentus dignitate Auguſti, Italiæ atque Africæ adminiſtrandæ ſolicitudinem recuſauit: vir egregius & præſtantiſſimæ ciuilitatis, diuitiis prouincialium ac priuatorum ſtudeos fiſci commoda non admodum affectans, dicenſque melius publicas opes priuatis haberi, quam intra vnum clauſtrum reſeruari. Adeo autem cultus modici, vt feriatis diebus, ſi cum amicis numeroſioribus eſſet epulandum, priuatorum ei argento oſtiatim

B

petito triclinia ſternerentur. Hic non modo amabilis, ſed venerabilis fuit, Gallis etiam præcipue, quod Diocletiani ſuſpectam prudentiam, & Maximiani ſanguinariam temeritatem, imperio eius euaſerat. Obiit in Britannia Eboraci, principatus anno a i t c. atque inter Diuos relatus eſt. Galerins vir & probe moratus, & egregius in re militari, cum Italiam quoque ſinente Conſtantio, adminiſtrationi ſuæ acceſſiſſe ſentiret, Maximum Cæſarem in Orientem direxit, & Seuerum in Italia reliquit, ipſe in Illyrico moratus eſt. Anno ab Vrbe condita M. L a C. Conſtantio mortuo, Conſtantinus ex obſcuriore matrimonio eius filius, in Britannia trigeſimus octauus ab Auguſto imperator creatus eſt, & ſexto Calendas Auguſti in locum patris exoptatiſſimus moderator acceſſit. Hic dum iuuenculus à Galerio in vrbe Roma religionis ſpecie vice obſidis teneretur, fugam arripiens, atque ad fruſtrandos inſequentes publica iumenta, quaqua iter egerat interficiens ad patrem in Britanniam peruenit. Et forte iiſdem diebus ibidem Conſtantium parentem fata vltima perurgebant.

CONSTANTINVS.

C

Quo mortuo, cunctis qui circa eum erant annitentibus, ſed præcipue Alemannorum rege Eroco auxilij gratia cũ Conſtantino comitato, imperium capit. Hic ſororem ſuã Conſtantiam Licinio Mediolano accito coniungit, filiumque ſuum Criſpum nomine, ex Mineruia concubina ſuſceptum idem Conſtantinus eiſdem diebus natum oppido Arelatenſi, Licinianumque Licinij filium menſium fere 20. Cæſarem fecit. Romæ interea prætoriani excitato tumultu, Maxentium Herculij filium, qui in villa publica morabatur, ſex millibus ab Vrbe diſcreta itinere Lauicano, Auguſtum nuncupauerunt. Quo nuncio Maximianus Herculius ad ſpem arrectus reſumendi faſtigij, quod inuitus amiſerat, Romam aduolauit è Lucania, quam ſedem priuatus elegerat, in agris amœniſſimis conſeneſcens. Diocletianum quoque etiam per literas adhortatus eſt, vt depoſitas reſumeret poteſtates, quas ille irritas habuit. Sed aduerſum motum prætorianorum atque Maxentij Seuerus Cæſar miſſus Romam à Galerio cum exercitu venit, obſidenſque Vrbem, militum ſuorum ſcelere deſertus ab Herculio ad tres Tabernas extinguitur: funuſque eius Gallieni ſepulchro infertur: quod ab Vrbe abeſt

MAXENTIVS.

D

per viam Appiam millibus nouem. Poſt hæc Herculius Maximianus ſolatio exercituum, filium Maxentium imperio nudare conatus, ſeditionem & conuitia militum tulit. Auctæ Maxentio opes, confirmatum eſt imperium. Herculius ad Gallias profectus eſt, dolo compoſito, tanquam à filio eſſet expulſus, vt Conſtantino genero iungeretur, moliens tamen Conſtantinum reperta occaſione interficere: qui in Galliis & militum & prouincialium ingenti iam fauore regnabat, cæſis Francis atque Alemannis captiſque eorum regibus quos etiam beſtiis, cum magnificum ſpectaculum muneris paraſſet, obiecit. Detectis igitur inſidiis per Fauſtam, quia dolum viro nunciauerat, profugit Herculius, Maſſiliæque à Conſtantino oppreſſus eſt. Ea ex enim nauigare ad filium præparabat: ſed à Conſtantino captus pœnas dedit, mortis genere poſtremo, fractis laqueo ceruicibus, vir ad omnem aſperitatem

E

ſæuitiamque procliuis, infidus, incommodus, ciuilitatis expers, ſtolidus, ortu agreſti, Pannonioque: nam etiam nunc haud longe Sirmio eminet locus, palatio ab eo ibidem conſtructo, vbi parentes eius exercebant opera mercenaria. Interiit ætate 60. annorum, viginti imperator. Genuit ex Eutropia Syra muliere Maxentium & Fauſtam coniugem Conſtantini: cuius patri Conſtantio tradiderat Theodoram priuignam. Per hoc tempus à Galerio Licinius imperator eſt factus, Dacia oriundus, notus ei antiqua conſuetudine, & in bello quod aduerſum Narſeum geſſerat, ſtrenuis laboribus & officiis acceptus. Interea Galerius perſequutionem, quæ à Diocletiano & Maximiano in Chriſtianos fuerat miſſa, ipſe atrocioribus edictis accumulauit. Ac poſtquam per annos 10. omni genere hominum prouincias exhauſit, putrefacto introrſum pectore, & vitalibus diſſolutis, cum vltra horrorem humanæ miſeriæ etiam vermes eructaret, medicique iam vltra fœtorem non ferentes, crebro iuſſu eius occiderentur: à quodam medico conſtantiam ex deſperatione ſumente increpitus, iram Dei eſſe pœnam ſuam, atque

LICINIVS.

F

ideo à medicis non poſſe curari: edictis late miſſis, Chriſtianos de exilio reuocauit: ipſe autem cruciatus ſuſtinens, finem vitæ ſuæ attulit. Fuit, licet inculta agreſtique iuſtitia ſatis laudabilis, pulcher corpore, eximius & fœlix bellator, ortus parentibus agrariis, paſtor armentorum, vnde ei cognomen Armentarius fuit, ortus Dacia Ripenſi ibique ſepultus eſt: quem locum Romulianam ex vocabulo Romulæ matris appellarat. Is inſolenter affirmare auſus eſt, matrem more Olympiadis Alexandri Magni creatricis compreſſam Dracone ſemet concepiſſe. Interea Reſpublica tum à nouis quatuor imperatoribus tenebatur Conſtantino, Maxentio filiis Auguſtorum, Licinio, Maximino nouis hominibus. Quinto tamen imperij ſui anno Conſtantinus bellum aduerſus Maxentium ciuile commouit, pro eo quia ſenatorum, & maxime nobilium, matronas publice abſtrahi, atque ad ſuam libidinem deduci imperabat, & poſt contaminationem viris ſuis reddi iubebat, non tam expleta adulterij libidine, quam immutata. Tantus vero metus patres plebemque oppreſſerat, vti

G

nec hoc ipſum quidem quia in metu erant, palam oſtendere auderent. Sed ferebant inſuetam ſeruitutem gementes, & aliquid pro libertate cogitare metu inhibebantur, cum ille non iam ira, ſed libidine cædis agitaretur. Denique quadam die imperabat militibus ſuis exire per plateas totius vrbis; & omnes qui occurriſſent, cuiuſcumque ætatis, & cuiuſlibet ſexus gladiis cæderent. Innumeræque multitudines populi Romani non hoſtium, ſed ciuium telis deiectæ ſunt. Senatores vero & hi maxime qui vel honoribus, vel opibus clariores in curia videbantur, confictis criminibus tanquam rei puniti proſcriptique ſunt. Magicæ quoque artis induſtriam ſummis ſtudiis excolebat, ad quæ miniſteria explenda perquirebantur mulieres nobiles grauidæ, & adhibitæ mediæ ſcindebantur, rapiebantur & paruuli infantes, eorumque exta viſceribus reuulſa perſcrutabantur. Iugulabantur & leones, & nefandis quibuſdam commentis ac precaminibus dæmonica arte compoſitis, bella per hæc dicebantur arcere, & credebantur ius faſque regni per nefas poſſe ſeruare. His ve-

H

ro malis omnibus etiam illud additur, quod illi qui per cæteras vrbes vel agros fuerant tyrannica crudelitate deterriti, dum ſibi nihil ad vitam tutum putant, relictis agris per loca abdita latebris eunt: omnique ſtudio arandi, ſerendique ceſſante, tanta fames Vrbem, atque omnia loca inuaſerat, vt nihil reliqui ad vitæ ſubſidium fieret. Conſtantinus igitur eius copias multis præliis fudit, tamen propter magicas artes eum valde metuebat. Cumque in hæſitatione multa conſiſteret, multaque ſecum de imminentis belli neceſſitate peruoluens iter ageret, atque ad cœlum ſæpius oculos leuaret, & inde ſibi auxilium diuinum precaretur, vidit per ſoporem ad Orientem partem in cœlo ſignum crucis igneo fulgore rutilare. Cumque tanto viſu fuiſſet exterritus, ac nouo perturbaretur aſpectu, aſtare ſibi videt Angelos dicentes: ΕΝ ΤΟΥΤΩ ΝΙΚΑ Conſtantine; quod eſt: In hoc vince. Fertur autem & ipſum Chriſtum apparuiſſe ei, & ſignum monſtraſſe crucis,

A ac præcepiſſe, vt figuram ſimilem faceret, & in prælíis,
hoc auxilium haberet, quo victoriæ iura conquireret. Eu-
ſebius itaque Pamphilus iureiurando ipſo imperatore di-
cente audiſſe ſe refert, quo circa meridiem declinante
iam ſole crucis ſignum ex lumine factum, & ſcripturam
conſertam ei dicentem. In hoc vince, vidiſſet ipſe, & mi-
lites qui cum eo tunc eſſent. Pergenti namque cum ali-
quo exercitu pariter in loco, hoc inquit ei miraculum
oſtenſum. Dumque cogitaret, quid eſſet, nox ſuperuenit,
& dormienti Chriſtus cum ſigno quod vidit in cœlo ap-
paruit, iuſſitque vt fieret eius ſigni figuratio, quæ foret au-
xilium in cógreſſionibus præliorū. Tum vero lætus reddi-
tus, & de victoria iam ſecurus, ſignum crucis, quod in
cœlo viderat, in militaria vexilla transformat, ac Laba-
rum quem dicunt ex auro & lapidibus precioſis in ſpe-
ciem crucis dominicæ. Hoc enim ſignum bellicum inter
alia pretioſius, eo quod imperatorem præcederet, & ado-
rari a militibus moris eſſet. Vnde præcipue Conſtanti-
B num reor nobiliſſimum decus imperij Romani in ſignum
mutaſſe crucis, vt frequenti viſione atque cura deſueſce-
rent à priore more ſubiecti, & eum ſolum arbitrarentur
Deum, quem coleret imperator, vel quo duce atque auxi-
liatore eueheretur aduerſum hoſtes. Semper enim hoc ſi-
gnum proponebatur ante ordines vniuerſos, quod maxi-
me laborantibus aciebus in prælíis adeſſe præcipiebat.
Conſtituis itaque certos ſigniferos, qui in eo laborarent,
quorum opus erat, vt vicibus humeris eum veherent, &
omnes acies ita luſtrarent. Fertur enim, quod aliquando
quidam ferens hoc ſignum repente hoſtibus inuadenti-
bus expauiſſet, dediſſetque alteri deuehendum. Cumque
ſe de prælio ſubtraxiſſet, & iacula declinaſſet, ſubito per-
cuſſus interiit. Ille vero qui ſacrum ſuſcepit trophæum
multis ſe iaculantibus permanſit illæſus. Mirabiliter
enim diuina regente virtute, ſagittæ hoſtium figebantur
in ſigno, à ſignifero autem inter pericula protinus euo-
luebantur. Dicitur autem neque alium vnquam huiuſmo-
C di miniſtrum, vt ſolet in bello, vulnere mortuum, aut cla-
dem captiuitatis perpeſſum. Igitur cum iam Conſtanti-
nus haud procul a ponte Miluio caſtra poſuiſſet, ſubito
Maxentius agitur in occurſum, & proruens vrbis Romæ
ſequi ſe reliquum exercitum iubet, prior ipſe præcurrit
armatus. Iuſſerat autem nauibus ad decipulam compoſitis
fluuium ſterni, & ſuperpoſitis pontibus exæquari. Tunc
Conſtantinus crucem auream quam formauerat, ante ſe
iuſſit portari, factaque congreſſione ſuperati ſunt qui cir-
ca Maxentium fuerant, plurimis ex his interemptis. Ma-
xentius autem fugiens, paulo ſuperius à ponte Miluio, in
pontem nauigiis compoſitum ab latere ingredi feſtinans,
lapſu equi in profundum demerſus eſt, voratumque limo
pondere thoracis corpus vix repertum. Erat is annus im-
perij Conſtantini ſeptimus. Inter hæc Diocletianus Salo-
næ defunctus eſt. Fertur autem Maxentium ſuppoſitum
arte muliebri, tenere mariti animum laborantis, auſpicio
gratiſſimi partus cœpti à puero Maxentius nulli vnquam
D charus fuit, nec patri aut ſocero quidem Galerio. Interea
ciues Romani, qui Conſtantinum popoſcerant, vt in eo-
rum exurgeret adiutorium, à Maligni Maxentij tyranni-
de liberati, ciuitatem coronant, & cum gaudio victorem
Conſtātinum vna cum viuifica cruce ſuſcipiunt, & Deum
collaudantes necnon & per ſeptem dies adorantes, &
Conſtantinum victorem laudibus magnificantes. Non
multo poſt deinceps in Oriente quoque aduerſum Lici-
MAXIMINVS. nium Maximinus Cæſar res nouas molitus, vicinum exi-
tium fortuita apud Tarſum Ciliciæ & ſimplici morte
præuenit. Hic ſorore Armentarij progenitus, veroque no-
mine ante imperium Daza dictus, poſt imperium Gale-
rius Maximinus appellabatur. Cæſar quadriennio dehinc
per Orientem Auguſtus triennio fuit: ortu quidem atque
inſtituto paſtorali, verum ſapientiſſimi cuiuſque ac lite-
rarum cultor, ingenio quieto, auidior vini, quo ebrius,
quædam corrupta mente aſpera iubebat, quod cum pi-
geret factum, differri quæ præcepiſſet in tempus ſobrium
VALENS. ac matutinum ſtatuit. Valens interea in Oriente ab exer-
citu imperator appellatus, ab eodem Licinio morte mul-
ALEXANDER. tatur. Deinde Alexander qui apud Carthaginem impera-
tor eſt factus, à Conſtantini exercitu iugulatur. Iſte fuit E
Phryx origine, ingenio timidus, inferior aduerſus labo-
rem vitio ſenectæ ætatis. Igitur Conſtantinus decimo-
quarto imperij ſui anno totius Romani imperij Mono-
crator effectus, omnem curam tranſtulit ad diuina, Eccle-
ſias erigens, & liberaliter has ex ratione publici ditās. Iſte
primam legem ſcripſit, idolorum templa bis tradi, qui
Chriſto ſunt deputati: cum eo ſane leges proferebat Criſ-
pus filius eius: ſecundam vero, Chriſtianos ſolus militare,
gentibus ac exercitibus principari: tertiam, duas paſchales
hebdomadas, vnam ſcilicet ante, & alteram poſt reſurre-
ctionem, ſine labore cuiuſquam operis celebrandas. His
ita geſtis, pax profunda & tranquillitas obtinuit orbem, &
exultatio fideles, cōcurrentibus aſſidue omnibus nationi-
bus ad fidem CHRISTI, & baptizatis, ac patria conquaſ-
ſantibus ſimulacra. Verum enimuero vt imperia difficile
concordiam cuſtodiunt: Conſtantinus vir ingens, & om-
nia efficere nitens quæ animo præparaſſet, ſimul principa-
tum totius orbis affectans, Licinio bellum intulit, quan- F
quam neceſſitudo & affinitas cum eo eſſet, ac primo eum
in Pannonia vicit: ſecundo apud Cibalas iuxta paludem
Hiulcam nomine, Conſtantino caſtra Licinij nocte ir-
rumpente, Licinius fugam petiit, Byzantiumque fuga vo-
lucri peruenit, vbi Martinianum officiorum magiſtrum
Cæſarem creat. Conſtantinus omni Dardania, Mœſia, Ma-
cedonia potitus, numeroſas prouincias occupauit. Varia
deinde inter eos bella, & pax reconciliata rupta eſt. De-
nique Licinius denuo pugnaturus contra Conſtantinum,
ſpem victoriæ habebat per diuinationes & ſacrificia. De-
nique etiam Græci dicunt, tunc eum expertum diuinatio-
nem Delphici, Geminique Apollinis, eique conſulenti de
bello reſpondiſſe fertur dæmonium: O ſenex valde te iu-
uenes pugnatores obſeruant, tuaque vita ſoluta eſt, ſæua-
que ſenectus te excipiet. Interea Conſtantinus acie po-
tior, Licinium nauali & terreſtri prælio vicit, & eum
apud Nicomediam Bithyniæ vrbem indumentum regium
deferentem in deditionem cepit, & contra Sacramenti re-
ligionem Theſſalonicæ in cuſtodiam miſſum, priuatum
vna cum Martiniano iuſſit occidi, metuens Herculij Ma- G
ximiani ſoceri ſui exemplo, ne iterum depoſitam purpu-
ram in perniciem Reip. ſumeret. Hic Licinius annum do-
minationis fere poſt decimumquartum, vitæ proxime ſe-
xageſimum occiditur: auaritiæ cupidine peſſimus, neque
alienus à luxu venerio, aſper admodum, haud mediocriter
impatiens, infeſtus literis, quas per inſcientiam immodi-
cam virus ac peſtem publicam nominabat, præcipue fo-
renſem induſtriam. Agrantibus plane ac ruſticantibus
quod ab eo genere ortus eſſet, & alitus, ſatis vtilis, ac mi-
litiæ cuſtos ad veterum inſtituta ſeueriſſimus. Spadonum
& aulicorum omnium vehemens domitor, tineas, ſoriceſ-
que palatij eos appellans. Eodem tempore res Romana
ſub vno Auguſto & tribus Cæſaribus, quod nunquam
alias, fuit, cum liberi Conſtantini Galliæ, Orienti, Italiæ-
que præeſſent. Verum inſolentia rerum ſecundarum ali-
quantum Conſtantinum ex illa fauorabilis animi docibi- H
litate mutauit. Primum neceſſitudines perſequutus, egre-
gium virum, & bonæ indolis iuuenem ſororis filium
Commodum interfecit. Mox Criſpum Fauſta coniuge, vt
putant, ſuggerente necari iubet, dehinc vxorem ſuam
Fauſtam in balneas ardentes coniectam interemit, cum
eum dolore nimio nepotis, mater Helena increparet.
Poſt numeroſos interfecit amicos: vir primo imperij
tempore optimis principibus, vltimo mediis compa-
randus. Innumeræ in eo animi corporiſque virtutes
claruere, militaris gloriæ appetentiſſimus, fortuna in
bellis proſpera fuit, verum ita vt non ſuperaret indu-
ſtriam. Nam etiam Gothos, fortiſſimas gentes & co-
pioſiſſimas, poſt ciuile bellum in illo Barbariciſſimo ſo-
lo, hoc eſt, in Sarmatarum regione varie profligauit,
pace his ad poſtremum data, ingentemque apud Barba-
ras gentes memoriæ gratiam collocauit. Calocerum quē-
dam in Cypro aſpirantem nouis rebus, oppreſſit. Tricen-
nalibus ſuis Dalmatium fratris ſui Dalmatij filium Cæſa-
rem legit. Fuit vero vltra quam æſtimari poteſt, laudis aui-
dus. Hic Traianum herbam parietariam ob titulos multis

A ædibus inſcriptos appellare ſolitus erat. Hic pontem in
Danubio conſtruxit, habitum regium gemmis, & caput
exornans perpetuo diademate. Commodiſſimus tamen
multis rebus fuit, calumnias ſedare legibus ſeueriſſimis,
ciuiles nutrire artes, præcipue ſtudia literarum, legere
ipſe, ſcribere, meditari, audire legationes & querimonias
prouinciarum, affectator iuſti amoris, quem omnem ſibi
& libertate & docilitate quæſiuit, ſicut in nonnullos ami-
cos dubius, ita in reliquos egregius, nihil occaſionum
prætermittens, quo opulentiores eos, clarioreſque præ-
ſtaret. Multas leges erogauit, quaſdam ex bono & æquo,
pleraſque ſuperfluas, nonnullas ſeueras. Primuſque vrbem
nominis ſui ad tantum faſtigium euehere molitus eſt, vt
Romæ æmulam faceret. Nam cum ei omnia proſpere ce-
derent, propriam voluit habere ciuitatem. Venienſque ad
campum ante Ilium poſitum iuxta Helleſpontum ſuper
Aiacis tumulum, vbi Achiui contra Troiam pugnantes
habuerūt caſtra, ciuitatem deſignauit, portaſque fecit, quæ
B hactenus videntur à nauigantibus. Hæc agenti per noctē
Deus apparuit, monens vt alium quæreret locum: eum-
que monens pergere ad Byzantium Thraciæ, illic eum
habitare iuſſit. Quam, cum primitus Byzantium vocare-
tur, auxit, & maximo circumdedit muro, & diuerſis or-
natam fabricis, æquam imperiali Romæ conſtituit, & de-
nominatam Conſtantinopolim appellari ſecundam Ro-
mam lege firmauit, ſicuti lex ipſa in marmorea platoma
noſcitur eſſe conſcripta & iuxta equeſtrem ſtatuam eius
in Strategio eſt conſtituta. Eaque ſumma liberalitate
data, in illuſtribus domibus eos qui ab vrbe Roma erant,
viros rationabiles collocauit: & ex aliis locis ſecundum
genus eligens, & domos magnas eis diſtribuens, vt ha-
bitaretur ciuitas, egit. Tunc etiam templum ſanctæ So-
phiæ & ſanctæ Heirenæ, & Apoſtolorum, & ſancti Mo-
tij, & Archangeli, Dei amicus princeps ædificauit. Tunc
funditus templo Æſculapij penes Ægas, & Veneris in Affa-
cis ſitu deſtructo multiſque aliis euerſis, horum redditus
C donauit Eccleſiis. Simulacra namque ornata publice in
Conſtantinopolitana vrbe propoſuit, & tripodas Delphi-
cos in circo ad ſpectaculum dedit, quæ cum ipſo videan-
tur aſpectu, ſuperfluere feruntur. Tunc multæ gentes ad
baptiſmum acceſſerunt, miraculis actæ, quæ patrata ſunt
à captiuis ſacerdotibus, qui fuerant ſub Gallieno captiua-
ti. Interea mater Imperatoris Helena nomine in ſomnis
admonita, Hieroſolymam properauit, & ſepulchrum
Chriſti, quod licet difficile, tamen inuenit, ſordibus coo-
pertum, & deſuper templum Veneris ædificatum, vbi vir-
gineis cantibus inſultabant: præcepitque deſtrui ſcelera-
tiſſimum templum, ipſumque puluerem funeſtis ſacrificiis
violatum eiici, & procul à ciuitate diſpergi. Exin locum
purgari præcipiens, ſtatim palam monumentum domini
apparuit. Apparuerunt & circa illud ſuffoſæ tres cruces &
claui, ſimul & titulus literis Hebræis, Græcis & Latinis
conſcriptus, *IESVS NAZARENVS REX
IVDÆORVM*. Dicitur autem quia mortuus crucis
tactu ſurrexit. De hoc ligno Sibylla dixit apud Paganos:
O ter beatum lignum, in quo Deus extenſus eſt. Tunc
D ergo quæ crux domini eſſet, quæ latronum, dubitare cœ-
perunt. Proinde Macarius ciuitatis præſul huiuſmodi tra-
ctatu dubitationem ſoluit. Mulieri namque nobilitate cla-
ræ longa ægritudine fatigatæ vnam illarum crucium cum
oratione promptiſſima adhibens, virtutem Saluatoris ag-
nouit. Mox enim vt mulierem attigit crux, paſſionem ſæ-
uiſſimæ ægritudinis effugauit, & fœminæ ſalutem reſti-
tuit. De clauis quidem quibus manus Chriſti fuerant per-
foratæ, alios in galeam miſit imperatoris, filij capitis pro-
uidentiam gerens, vt iacula bellica ſubmoueret: alios fræ-
no equino permiſcuit, & cautelam Imperatoris agens,
veterem philoſophiam adimplens. Olim enim Zacharias
propheta clamauerat dicens, Et erit quod in fræno eſt
ſanctum Domino omnipotenti. Saluatoris vero crucis
partem quidem aliquam filio diſtribuit, quam Conſtan-
tinus ſuſcipiens, & credens ſaluari ciuitatem, vbi hæc par-
ticula ſeruaretur, in ſua ſtatua, ſicut fertur, in foro Con-
ſtantini poſita ſuper columnam porphyreticam deuote
condidit. Reliquam vero partem in argentea theca clau-

E ſam Macario ſacerdoti ciuitatis reliquit, & vndique con-
gregans artifices, maximas illic, ornataſque Eccleſias ædi-
ficauit. Poſt hæc Imperator curam habens maximam
Chriſtianorum, Paganorum ſuperſtitionem auerſabatur,
remouitque monomachias, & ſuas imagines in templis
poni præcepit, & cubitum quo menſuratur Nilus non iam
in templum Serapidis annis ſingulis, ſed in Eccleſiis por-
tari ſanciuit. Igitur Conſtantinus bellum aduerſus Parthos
moliens, qui iam Meſopotamiam fatigabant, tricesimo &
ſecundo anno imperij, ætatis vero ſexageſimo & ſexto
ægritudine captus, ex vrbe Conſtantinopolitana, quaſi ad
calidas aquas egreſſus eſt Nicomediam. In villa publica
morbo conſumptus eſt, facto teſtamento tribus filiis con-
ſulatu Feliciani & Tatiani vndecimo Kalendas Iunij. Fuit
irriſor potius quam blandus vnde prouerbio vulgari Tra-
chala dictus. Decem annis præſtantiſſimus, duodecim
ſequentibus latro, decem nouiſſimis pupillus, ob profu-
ſiones immodicas nominatus. Mors etiam eius ante bien-
nium denunciata eſt per crinitam ſtellam, quæ inuſita-
F tæ magnitudinis aliquandiu fulſit: eam Græci κομήτην
vocant: atque inter diuos meruit referri. Corpus autem
eius in aureo locello collocatum, Conſtantinopolim eſt
deuectum, & in palatij celſo loco repoſitum. Quod in
multis honoribus atque veneratione, quaſi viueret, ha-
bebatur, donec aliquis filiorum eius aſſiſteret. Poſtea ve-
ro ab Oriente Conſtantio viuente, cum imperialibus
exequiis funus eius ſepultum eſt in Eccleſia Apoſtolorum
in ſepulchro porphyretico.

Is ſucceſſores filios reliquit, atque vnum Dalmatij
fratris filium. Hi ſinguli has partes regendas habuerunt.
Conſtantinus filius eius primus, in decennali ſuo eius ge-
nitor fecit eum habere principatum ſuper cuncta trans
Alpes. Secundum Conſtantium in vicennali ſuo in Oriē-
te conſtituit, à freto Propontidis in Aſiam atque Orien-
tem. Conſtantem vero iuniorem in tricennalibus ſuis in
Illyricum, Italiamque & Africam ordinauit. Dalmatium
in Thraciam, Macedoniamque & Achaiam: Annibalia-
num Dalmatij Cæſaris conſanguineum in Armeniam, na-
tioneſque circum ſocias.

G Verum Dalmatius Cæſar proſperrima indole, neque
patruo abſimilis, haud multo poſt oppreſſus eſt factione
militari, & Conſtantio patrueli ſuo ſinente potius quam
iubente. Conſtantinus igitur dum nititur partes iunioris
fratris inuadere, bellum contra eum commouit, & dum
inconſultius apud Aquileiam bellum aggreſſus eſt à Con-
ſtantis ducibus interfectus eſt, & in fluuium proiectus
eſt, cui nomen Alpha eſt, non longe ab Aquileia, Conſu-
latu Acindini & Procli. Quam ob rem Romani imperij
principatus. Occidentalium quidem partium peruenit ad
Conſtantem: Orientalis autem ad Conſtantium. Eodem
tempore etiam Rempublicam contigit valde turbari. Gēs
namque Francorum circa Gallias cōſtituta Romanis erat
infeſta, quam Conſtans oppreſſit, & Romano imperio
ſubiecit. Tunc etiam terræ motus maximus in Oriente
factus eſt, & præcipue in Antiochia, quæ anno iugiter
eſt commota, & Neocæſarea ciuitas Ponti cecidit. Con- CONSTANTIVS
ſtantius autem & Conſtans leges ediderunt, Iudæum non
emere ſeruum alioquin auferri eum & publicis rationibus H
tradi. Porro ſi & circumcidere auſus fuerit ſeruum, gla- CONSTANS.
dio puniri talia præſumentem. Igitur Conſtantis imperiū
ſtrenuum aliquandiu & iuſtum fuit. Mox cum & valetu-
dine improſpera & amicis grauioribus vteretur, ad gra-
uia vitia conuerſus, cum intolerabilis prouincialibus,
militi iniucundus eſſet, & cum circa Gallias venandi cu-
pidine per ſyluas ſaltuſque erraret, conſpirauere aliquan-
ti militares in eius necem, authoribus Creſtio & Mar-
cellino, ſimulque Magnentio. Qui vbi patrandi negotij
dies placuit, Marcellinus natalem filij ſimulans pleroſque
ad cænam vocat. Itaque in multam noctem conuiuio ce-
lebrato, Magnentius quaſi ad ventris ſolita ſecedens,
apud Auguſtodunum habitum imperialem capit. Ea re
cognita Conſtans fugere conatus, apud Helenam oppi-
dum Pyrenæo proximum non longe ab Hiſpaniis, à Gai-
ſone cum lectiſſimis miſſo interficitur, anno imperij de-
cimo ſeptimo ætatis triceſimo. Nam Cæſar triennio

fuit.

A fuit. Hic fuit debilis pedibus, manibuſque articulorum dolore, fortunatus cœli temperie, fructuum prouentu, nulla à Barbaris formidine per omne tempus, ſine graui crudelitate terribilis. Diuerſa Conſtantij fortuna fuit. A Perſis enim multa & grauia perpeſſus, ſæpe captis oppidis, vrbibus obſeſſis, cæſis exercitibus nullumque ei contra Saporem prælium fuit proſperum, niſi quod apud Singarum haud dubiam victoriam militum ferocia amiſit, qui pugnam ſeditioſe & ſtolide contra rationem belli die iam præcipiti popoſcerunt. Per idem tempus Dyrachium Dalmatiæ terræmotu collapſum eſt. Interea terræmotu magno & in ciuitate Beryto Phœnices facto, plurima pars eius corruit, ita vt multi gentiles ingrederentur Eccleſiam, ſe ritum Chriſtianorum ſeruaturos ſpondentes. Igitur poſt Conſtantis necem, Magnentio Italiam, Africam, Gallias obtinente, etiam Illyricum res nouas habuit. Vetranio enim magiſter militum ad imperium in Pannonia apud Murſam conſenſu militum electus eſt. Quem gran-
B dæuum iam & cunctis amabilem diuturnitate & felicitate militiæ ad tuendum Illyricum principem creauerunt, virum probum & veterum morum, ac iucundæ ciuilitatis, ſed omnium liberalium artium expertem, adeo vt ne elementa quidem primarum litterarum, niſi grandæuus & iam imperator acceperit. Tunc Conſtantius imperator Gallum patruelem ſuum Cæſarem fecit, cui nomen ſuum imponens, Syriam Antiochiæ habitandam deſtinauit, vt partes per eum cuſtodirentur orientales. Quo ad Antiochiam veniente, circa orientem ſignum apparuit in cœlo die Pentecoſtes. Columna namque ſub ſpecie crucis in cœlo viſa eſt, ſpeciem luminis habens extenſam à Golgatha vſque ad montem Oliuarum. In circuitu autem eius corona erat, velut Iridis ſpeciem habens. Hoc & Conſtantius Gallus vidit. Interea Conſtantius Auguſtus ad vltionem fraternæ necis bellum ciuile commouerat, caſtra metatus in Illyricum. Cogebat enim eum fraternæ necis vltio, & maxime Vetranionis, qui per milites Augu-
C ſtus fuerat factus. Cumque veniſſet Sirmium, mutuo fœderibus habitis Vetranionem vidit. Factumque eſt, vt milites qui eum conſtituerant, tranſirent ad fauorem Conſtantij. Quo facto, ſolum Conſtantium imperatorem Auguſtum voce miſſa clamauerunt. Cumque de Vetranione nulla memoria fieret, ille repente ſciens ſe traditum, ad pedes ſe proſtrauit imperatoris. Porro Conſtantius auferens ei coronam, ſimul & purpuram, clementer ei locutus eſt, monens vt ſub ſchemate priuato quieſceret, quod eius vtique ætati conuenientius, quam habere nomen ſollicitudinibus onuſtatum. Iuſſitque ei ſumptus vberrimos ex publicis functionibus exhiberi: fuit enim prope ad ſtultitiam ſimpliciſſimus. Cumque in Pruſa Bithyniæ Vetranio moraretur, Conſtantius ſcripſit ei dicens, quia multorum bonorum ei cauſa fuiſſet, quem à tantis cogitationibus & malis ſibi prouenientibus liberaſſet: nec ſe bene feciſſe, quia quæ ſibi præſtare debuerat, illi potius impediſſet. His diebus Romæ Nepotianus Eutropiæ Conſtantij ſororis filius hortantibus perditis, Auguſti nomen rapit. Quem octauo die vigeſimoque Magnentius oppreſſit. Caput
D eius pilo per vrbem circulatum eſt, grauiſſimeque proſcriptiones & nobilium cædes fuerunt. Hoc tempore Conſtantius cum Magnentio apud Murſam dimicans vicit, in quo bello pene nunquam amplius Romanæ conſumptæ ſunt vires, totiuſque imperij fortuna peſſundata. Dehinc enim cum ſe Magnentius in Italiam recepiſſet, apud Ticinum plures fudit, & vt victoria ſolet audacius perſequentes, veniensque Romam, multos peremit Senatores & populos. Ibique agnoſcens vicinos eſſe contra ſe milites Conſtantij, acceſſit ad Galliæ partes occidentalis. Cumq; multa & grauiſſima inibi prælia in alterutros exercerent, modo iſti, modo illi victores eſſe videbantur. Nouiſſime autem deuictus Magnentius fugit, videnſque milites quaſi de perditione triſtes ſtans excelſiori eos nitebatur alloquutionis conſuetudine confortare. Tunc illi fauorem ſolitum Magnentio exhibere parati, inuiti & nolentes clamauerunt omnes vna voce: Conſtanti Auguſte, tu vincas. Hoc augurium Magnentius traxit ad ſemetipſum, tanquam ei diuinitus concederetur impe-

MAGNENTIVS.

E rium & propterea ad vlteriora tendebat. Sequentibus autem Conſtantij militibus circa montem Seleucum facta congreſſione, ſolus fugiens venit in Lugdunenſem vrbem comprehendenſque ſuam matrem, & fratrem ſeniorem, quem ad tuendas Gallias Cæſarem conſtituerat, occidit. Nec multo poſt à Conſtantij militibus ibidem coangustatus, gladio occulte prouiſo, ictum pulſu parietis iuuans tranſfoſſo latere, vt erat vaſti corporis, naribuſque & ore cruorem effundens, menſe imperij quadrageſimo ſecundo, ætatis prope quinquageſimo expirauit, anno imperij Conſtantij ſexto & Galli Conſtantij conſulatus anno ſecundo, XVIII. Kalendas Septembris. Fuit is ortus parentibus Barbaris, qui Galliam inhabitabant. Legendi ſtudio promptus, ſermone acer, animi tumidi & immodici, timidus, artifex tamen ad occultandam audaciæ ſpecie formidinem. Eius morte audita Decentius frater eius laqueo faſcia compoſito vitam finiuit. In his ergo præliis ingentes Romani imperij vires conſumptæ ſunt, ad quælibet bella externa idoneæ, quæ multum triumphorum poſ-
F ſent, ſecuritatiſque conferre. Sed neque ſic circa Remp. quies euenit. Nam poſt paululum apud occidentales Gallias, Syluanus quidam res nouas molitus, tyrannus eſt exortus, quem duces Conſtantij viceſimo octauo die peremerunt. Fuit ingenio blandiſſimus, quanquam barbaro patre genitus, tamen inſtitutione Romana ſatis cultus & patiens. Porro Iudæi in Diocæſarea Palæſtinæ reſidentes, vicina loca turbabant, & ſumentes arma, tentabant reſultare Romanis. Poſt hæc itaque Gallus Cæſar cum Antiochiæ degeret, exercitu deſtinato eos interfecit, ciuitatemque vaſtauit. Cumque ſibi videretur proſpere geſſiſſe, felicitatem non ferens, acceſſit ad tyrannidem, & inſinuans Imperatori ſuam intentionem, Quæſtorem vocabulo Magnum & Domitianum præfectum Orientis occidit. Ob quam rem Conſtantius indignatus, euocauit eum, Qui cum contemnere non valeret, pergebat ad principem. Cumque contra inſulam Falconentem veniſſet, illic eum Conſtantius præcepit interimi, anno imperij
G ſui ſeptimo, & conſulatus ipſius Galli anno tertio. Vir fuit natura ferus & ad tyrannidem promptior, ſi ſuo iure imperare licuiſſet. Solus in imperio Romano eo tempore Conſtantius princeps & Auguſtus fuit. Nunc igitur de Claudio Iuliano pauca dicenda ſunt, eiuſque genere ac diſciplina, & quomodo venerit ad imperium. Conſtantinus qui Byzantium ſuo nomine Conſtantinopolim appellauit, duos habuit ex eodem patre, non ex eadem matre germanos. Quorum vnus Dalmatius, alter Conſtantius vocabatur, Conſtantius autem duos habuit natos Gallum & Iulianum. Poſt mortem Conſtantini conditoris Conſtantinopolitanæ ciuitatis, dum milites iuniorem Dalmatium peremiſſent, tunc & illi functo iam patre pene mortis periculũ ſuſtinuerãt cum Dalmatio: niſi Gallũ quidẽ ægritudo, quæ putabatur ineuitabilis liberaſſet, Iulianum ætas infãtilis: erat enim annorum octo. Cumq; ab eis furor Imperatoris quieuiſſet. Gallus circa Epheſũ apud doctores erat, vbi etiã à progenitoribus poſſeſſiones habe-
H bat. Porro Iulianus creſcens in auditoriis Cõſtantinopolitanæ vrbis, exercebatur in Baſilica, vbi doctores erãt, habitu priuato procedens: habebatq; pædagogum eunuchum nomine Mardonium, grãmaticum Nicoclẽ Laconenſem, rhetoricam vero legebat apud Ecybolium Sophiſtã. Erat enim Iulianus ab initio Chriſtianus. Cumq; lectione proficeret, etiam fama per populum volitabat, quia poſſet etiã Remp. gubernare. Quod dum latius pãderetur, æſtuationes induxit Conſtantio imperatori. Quamobrẽ abſtinuit eum ab vrbe regia, & miſit Nicomediam, præcipiens ne conueniret apud Libanium ſophiſtam Syrum. Tunc enim Libanius à pædagogis Conſtantinopoli expulſus, Nicomediæ morabatur. Prohibebatur ergo Iulianus apud Libanium legere, eo quod paganus eſſet: verumtamen librorum eius lectionibus vtebatur: cumque proficeret in rhetorica, ſuperuenit in Nicomedia Maximus philoſophus, nõ ille Byzantius pater Euclidis, ſed Epheſius, quem poſtea quaſi artes magicas exercentem Valentinianus Imperator præcepit occidi. Tunc igitur non ob aliam cauſam Nicomediam veneſat, niſi Iuliani fama prouactus. Apud quẽ cum

A Iulianus verba philoſophica prægustaſſet, cœpit etiam do-
ctoris imitari religionem. Is enim etiam Imperij cupidi-
nem in animum eius immiſerat. Cumque hæc non late-
rent aures imperatoris, inter metum ſpemque conſtitu-
tus, ſuſpicionem celare volens, quia qui dudum integer
fuerat Chriſtianus, poſtea proditor eſt effectus, tonſus
monachicam ſimulabat vitam: & latenter quidem exer-
cebatur in Philoſophica, in manifeſto autem ſacros
Chriſtianorum legebat libros. Denique in Eccleſia Nico-
mediæ lector eſt conſtitutus, & diuinos codices in Eccle-
ſia audiente populo legebat. Porro ſub hoc habitu furo-
rem declinauit Imperatoris. Hæc equidem pro timore
faciebat, nequaquam à ſpe recedens, quam mente con-
ceperat: dicebatque plurimis amicorum ſuorum, felicia
fore tempora, quibus ipſe rerum potiretur. Poſt paulum
vero perempto Gallo Iulianus repente fit ſuſpectus Impe-
ratori, qui etiam eum cuſtodiri præcepit & dum fuga la-
pſus fuiſſet, diuerſa circumeundo ſaluatus eſt. Vixque
ſero vxor imperatoris Euſebia celatum inueniens, ſuppli-
B cauit Imperatori, quatenus nihil mali pateretur, ſed vt
potius ad philoſophandum mitteretur Athenas. Cœpit
igitur Iulianus Imperialia ſcepera deſiderare. Quamobrem
diſcurrens vniuerſam Helladam, vates quærebat reſponſa
reddentes, conſulens ſi ad ſe imperium perueniret:
inuenitque virum, qui ei deſiderata ſe dicere fateretur. Is
eum perducens ad quendam idolorum locum, & intro-
mittens in adytum, ſeductores dæmones euocauit, quibus
ſolemniter apparentibus terrore compellitur Iulianus in
fronte ſua crucis ſignaculum formare. Tunc dæmones
trophæi dominici figuram reſpicientes, repente diſparue-
runt. Quod agnoſcens magus, cœpit culpare Iulianum.
At ille terrorem ſignificauit, & crucis ſe dixit obſtupuiſſe
virtutem, eo quod videntes hoc ſignum dæmones eua-
nuerunt, Porro magus: Non hoc ſuſpiceris ô bone vir,
quia timuerunt, ſicut ais, ſed abominari hoc ſignum po-
tius receſſerunt. Et ita capiens miſerum, odio repleuit
Chriſtiani ſignaculi Iulianum. Poſt hæc igitur Conſtan-
C tius euocauit Iulianum, & conſtituit Cæſarem ſeptimo
idus Nouembris danſque ei coniugem Helenam ſororem
ſuam, quæ Conſtantia dicta eſt, contra Barbaros eum de-
ſtinauit ad Gallias. Hi namque Barbari, quorum Impera-
tor Conſtantius contra Magnentium ſolatia petierat, cum
nihil profuiſſent contra tyrannum, Romanorum vaſta-
bant vrbes, alias expugnabant. Vbique fœda vaſtitas
erat, Romanumque Imperium non dubia iam calami-
tate nutabat. Cum eſſet ergo iuuenculus Iulianus, iuſſit
ei Imperator, vt præter conſilium ducum nihil moliri
præſumeret. Cumque duces accepta poteſtate neglige-
gerent, & propterea Barbari ſuperarent, tunc Iulianus
duces quidem deliciis vacare permiſit: ſumens autem
milites, eiſque ſpolia interemptorum hoſtium compro-
mittens, initium vincendi Barbaros fecit, & amorem
ſuum apud milites collocauit. Fertur itaque quod dum
in quandam ciuitatem fuiſſet ingreſſus, corona laurea,
quibus ſolent ciuitates ornari, inter columnas pendens,
rupto fune, ſuper caput eius decidit, cumque aptiſſime
D coronauit. Quo facto cuncti clamauere, quia ei ſignum
foret imperij. Interea Iulianus cum apud imperatorem de
ducum negligentia quereretur, alter armorum mittitur
magiſter, eius alacritati conueniens, cuius miniſterio
cum barbaris fiducialiter eſt congreſſus. Et dum illi per
legatos literas Imperatoris eos ad prouincias inuitantis
oſtenderent, tunc ille legatos eorum miſit in vincula: fa-
ctaque congreſſione cum modicis copiis Romanorum,
apud Argentoratum Galliæ vrbem ingentes copias ho-
ſtium extinxit. Stabant aceruí montium ſimiles, fluebat
cruor fluminum modo, captus rex nobilis Chonodoma-
rus, & Conſtantio miſſus, fuſi omnes optimates, reddi-
tus limes Romanæ poſſeſſionis. Ac poſtmodum cum Ala-
mannis apud Rhenum fluuium reſidentibus dimicans,
potentiſſimum eorum regem Bodomarium cepit: clara-
que victoria decoratus, cum mediocritate vitæ, atque
manſuetudine militibus præeſſet, ab eis appellatur Au-
guſtus. Cumque corona deeſſet imperialis, vnus ſigna
portantium torquem quem habebat in collo ſumens, Iu-
liani capiti circumpoſuit. Hoc ergo modo Iulianus Impe- E
rator eſt factus. Hoc facto nihil de Conſtantio cogitans,
iudices ab illo factos honoribus mulcebat, & ad illius in-
uidiam literas proferebat, quibus oſtenderet eum propter
bellum contra Magnentium geſtum, in Romanorum ter-
ras Barbaros induxiſſe. Hunc Conſtantius vrgere legatio-
nibus, vt in ſtatum nomenque priſtinum reuertatur. Iu-
lianus mandatis mollioribus refert, ſe ſub nomine celſi
Imperij multo officioſius pariturum. Igitur Iulianus re-
pente religione mutata, cum prius Chriſtianus eſſe puta-
retur, ſemetipſum pontificem nominabat & veniens ad
templa Paganorum ſacrificabat, ſuadebatque ſubiectis ta-
lia colere: & Chriſtianorum baptiſma, ſacrificiis & inno-
uationibus, quas expiationes Pagani vocant, & ſanguine
immolationum ſtudebat abluere, & abrenunciare Chri-
ſtianæ profeſſioni. Cumque Conſtantius propter bellum
Perſicum Antiochiæ moraretur, ſperâs ille, quia ſine bello
poſſet Illyricum detinere, ad eos agebat iter, dicens ſe vel-
le Conſtantio ſatisfacere, tanquam non ſponte, ſed volun- F
tate militum inſulas Imperij ſuſcepiſſet. Dicitur itaq; dum
ad hos terminos acceſſiſſet, vindemia iam collecta circa
occaſum Pleiadum, vuas denuo fuiſſe prolatas: inſuper
etiam imbrem ex aëre deſcendentem in eius veſtem ſi-
mul ac cæterorum, ſingulas crucis ſignacula guttulas for-
maſſe. Hoc facto videbatur & ipſi & aliis, quia botris ex-
tra tempus illatis, bonum ei panderetur indicium: imber
autem cadens veſtem ſuper quam ceciderat roboraret.
Alij vero dicebant vuarum ſignum præter tempus ſigni-
ficare perditionem Imperatoris ad inſtar huiuſmodi bo-
trorum, & parui temporis fore eius Imperium. Porro de
cruce dicebant, præmonitare hoc ſignum, quia ſit cœleſte
dogma Chriſtianorum, & oporteat ſignari cunctos crucis
ſignaculo. Cum audiſſet itaque Conſtantius contra ſe
venire Iulianum, inſtructione belli Parthici derelicta
Conſtantinopolim veniebat. Cumque iter faciens magis
magiſque ardens dolore, atque vt erat talium impatiens,
acriter feſtinaret, in radicibus Tauri montis apud oppi-
dum Mopſocrenem inter Ciliciam & Cappadociam febri
acerrima, quam Indignatio nimia vigiliis augebat, interiit G
III. Nonas Nouembris, conſulatu Tauri & Florentij, anno
Imperij triceſimo octauo, ætatis quinto & ſexageſimo. Ex
quibus tredecim cum patre regnauit, viginti quatuor poſt
illum, id eſt, ſeptem ſolus, cum fratribus atque Magnentio
ſedecim: meruitque inter diuos referri. Eodem tempore,
magno terræmotu Conſtantinopolis pars diruta eſt. Iſte
fuit egregiæ tranquillitatis, placidus, nimium amicis &
familiaribus credens: mox etiam vxoribus deditior: qui
tamen in primis ſe imperij annis ingenti modeſtia egerit.
Familiarium etiam locupletator, neque inhonorans, quo-
rum laborioſa expertus fuiſſet officia. Ad ſeueritatem ta-
men propenſior, ſi ſuſpicio Imperij moueretur: mitis fuit
alias: felix bellis ciuilibus, externis lacrymabilis, mirus ar-
tifex in ſagittis, à cibo vinoque & ſomno multum tempe-
rans, patiens laboris, facundiæ cupidus: quam cum aſſequi
ingenij non valeret tarditate, aliis inuidebat: ſpadonum,
aulicorum, vernaculorumque amori deditus, vxorumque:
quibus contentus nulla libidine tranſuerſa aut iniuſta H
polluebatur. Sed ex coniugibus quas plurimas ſortitus eſt,
præcipue Euſebiam dilexit, decoram quidem, verum per
Adamantias, & Gorgonias, & alia importuna miniſteria,
vexantem famam viri, contra quam fœminis modeſtiori-
bus mos eſt, quarum ſæpe præcepta maritos iuuant. Nam-
que vt cæteras omittam, Pompeia Plotina, incredibile di-
ctu eſt, quantum auxerit gloriam Trajani: cuius procu-
ratores cum calumniis prouincias agitarent, adeo vt vnus
ex his diceretur locupletum quemque ita conuenire, quæ
habes? vnde habes? tertium, pone quod habes: illa coniu-
gem corripuit, atque increpans, quod laudis ſuæ eſſet in-
curioſus, talem reddidit poſtea, vt exactiones improbas
deteſtans, fiſcum lienem vocaret, quod eo creſcente reli-
qui artus tabeſcant.

Igitur defuncto Conſtantio Iulianus iam Thracas ob-
tinebat: & deinceps Conſtantinopolim veniens appella-
tus eſt Auguſtus. Interea dum Conſtantinopolim fuiſſet
ingreſſus, cœpit cogitare ſibi populum complacare &

A eorum fauorem decenter acquirere: quod hac arte fecit.
Bene namque ſciebat Conſtantium ab omnibus populis
nomen conſubſtantialitatis amplectentibus odiri: ob
quam rem ab Eccleſiis videbantur excluſi, & Epiſcopi
confiſcati, exilioque directi. Simul etiam nouerat & Pa-
ganos fuiſſe contriſtatos prohibitione ſacrificiorum, &
deſiderare adipiſci tempus, quo eorum aperirentur tem-
pla, vt haberent idolis immolandi licentiam. Sic igitur
vtrumque populum mœroribus vulneratum à defuncto
cognoſcens, & communiter omnes eunuchorum violen-
tia, & præcipue Euſebij Nicomedienſis Epiſcopi rapinis
ingemiſcentes, qui ſuam ſedem reliquerat, & Conſtanti-
nopolitanam inuaſerat: Iulianus ita apud omnea ſemet-
ipſum artificioſo velamine commendabat. Et aliis, Chri-
ſtianis quidem, amare ſe fingebat, aliis autem Paganis per
vanam gloriam largus erat, omnibus tamen qualis eſſet
in commune religione monſtrabat. Et primum quidem
crudelitati Conſtantij circa ſubiectos derogans, & eam
B coram vniuerſo populo redarguens, iubet Epiſcopos exi-
lio deportatos euocari, & confiſcatas eorum reddi ſub-
ſtantias. Templa quoque Paganorum velociter ſuos ne-
ceſſarios præcepit aperire: eos autem qui fuerant ab Eu-
nuchis oppreſſi, recipere, quæ male ab eis fuerant abla-
ta ſanciuit. Euſebium vero præſidentem imperiali cubi-
culo morte damnauit, non ſolum quia multos oppreſſe-
rat, ſed quia Gallum quoque fratrem, eius conſilio audie-
rat interemptum. Et corpus quidem Conſtantij regio ho-
nore ſepeliuit. Eiecit vero è palatio eunuchos, tonſores, &
coquos: Eunuchos quidem, quia vxor eius obierat, poſt-
quam non duxit aliam: coquos autem eo quod cibis ſim-
plicibus vteretur: tonſores vero, quia multis, inquit, ſufficit
vnus. Scriptorum autem plurimos antiquæ fortunæ reſti-
tuens, reliquis eorum mercedem ſcripturæ dare præcepit.
Abſcidit quoque etiam publicum curſum mularum & ca-
ballorum. Hæc eius opera laudant pauci, vituperant mul-
ti. Is enim etiam noctibus vigilans conſcribebat libros, &
deſcendens in ſenatu publice recitabat. Solus enim Impe-
C ratorum à Iulio Cæſare in curia ſenatus recitauit oratio-
nes. Honorabat diſciplinarum cultores, maxime philoſo-
phantes. Habebat autem plurimum vanæ gloriæ vitium,
& in oratione quam de Cæſaribus ſcripſerat: cunctos ante
ſe principes lacerauit. Hac ergo arrogantia motus, etiam
contra Chriſtianos conſcripſit libros. Vt ergo coquos at-
que tóſores expelleret, opus philoſophi, non tamen impe-
ratoris egit: vt detraheret atque laceraret, nec philoſophi
nec principis fuit. Igitur Iulianus dudum ſtudens Pagani-
tatem in omni ſua ditione dilatari, & Chriſtianitatem ex-
terminari, primum quidem Galilæorum filiis (ſic enim
Saluatoris noſtri cultores denominabat) præcepit ne poë-
tarum, aut philoſophorum legerét diſciplinas. Propriis, in-
quit, pennis vulneramur ſecundum prouerbium: ex noſtris
enim armati conſcriptionibus, contra nos bella ſuſci-
piunt. Et templa quidem erant aperta, ſacrificiaque Paga-
norum per ciuitates ſecundum voluntatem illius proce-
debant: ipſe autem æſtuabat, ne ſeruos eius Chriſtiano-
rum abundantia fruſtraretur. Et maxime pulſabatur, quia
multi ſacerdotum ſuorum Chriſtianas habebant vxores &
D filios & ſeruos. Arbitratus autem Chriſtianitatis ſtatum
ex vita bona & conuerſatione conſiſtere, ſtuduit vbique
templa Paganorum inſtructione & ordine Chriſtianæ re-
ligionis ordinare ſedibus atque proceſſionibus: Pagano-
rum dogmatibus atque monitionibus lectores ſuæ ſuper-
ſtitionis inſtituit, ad inſtar clericorum, vt horas certas, &
dies, & orationes ſolemniter obſeruarent: præcipiens pari-
ter habere curas virorum atque mulierum philoſophare
ſcientes, habitaculis peregrinorum & pauperum, aliaque
prouidentia circa egenos exhibita Paganorum religionem
componere, & pietatis habere nomen. Si quis autem ſpó-
te vel inuitus peccaret, ſecundum traditionem Chriſtia-
norum inſtitui:, vt poſt pœnitentiam mediocrem conſti-
tutam ſuſtineret correptionem. Præcipue vero zelatus di-
citur notas literarum Epiſcopalium, quibus ſolent alteru-
tris ſcribentes commendare peregrinos, & vbi proficiſ-
cuntur, & à quibus veniunt modis omnibus indicare, &
ſolatia promereri, tanquam noti & amici ſint, teſtimonio
directi ſignaculi. Hæc conſiderans, feſtinabat, vt Pagani E
Chriſtianorum conſueſcerent officiis. Scribens enim Ar-
ſabo pontifici Galatiæ tali modo epiſtolam: Paganorum,
inquit, ritus nondum agitur ſecundum intentionem no-
ſtram propter cultores eius in negligentia poſitos. Nam
deorum claritas, magnitudo atque ſublimitas, omni ratio-
ne, omnique ſpe maior eſt, ſed propitij ſint noſtris animis
Dij propter negligentiam quam habemus, cum illorum
prouidentia in paruo tempore tanta facta mutatio ſit,
quantam nec orare primitus quicunque præſumpſerat.
Cur ergo credimus hoc poſſe ſufficere, neque reſpicimus
quemadmodum ſuperſtitionem Chriſtianorum auxit cura
peregrinorum, & circa ſepulturas & mortuos multa ſola-
tia, honeſtaque conuerſationis ſtudia, non vera ſed ficta.
Quas res arbitror ſub veritate apud nos debere geri. Non
itaque fas eſt te ſolum talem eſſe, ſed omnes abſolute cir-
ca Galatiam ſacerdotes: quos aut deprecare, aut oratione
flecte, aut certe feſtinanter à ſacerdotali miniſterio remo-
ue, niſi diis cum coniugibus & filiis atq; ſeruis colla ſub-
miſerint, non ferentes vlterius eorum ſeruos aut filios hoc F
facere: contemnentes autem Galilæos impie contra Deos
agentes, & impietates pietatibus præponentes. Deinde
cunctos admone, vt ſacerdos neque ad ſpectacula proce-
dat, neque in tabernis bibat, aut cuilibet arti, aut operibus
turpibus aut impudentibus præſit. Qui obediunt hono-
rentur: inobedientes expelle. Xenodochia conſtitue per
ſingulas ciuitates, vt noſtra peregrini clementia perfruan-
tur, non tantum noſtri, ſed etiam extranei pecuniis indi-
gentes. Vt autem habeas vnde fiat, interim decreui ſingu-
lis annis triginta millia modios tritici per vniuerſam dari
Galatiam, & ſexaginta millia vini ſextarios. Horum quinta
pars pauperibus templa obſeruantibus debet expendi, re-
liqua peregrinis indigentibuſque diſtribui. Turpe namque
eſt, vt Iudæos quidem non abiiciant, ſed potius nutriant
impij Galilæi & ſuos pariter & noſtros; noſtri vero noſtro-
rum ſolatio deſerantur. Quapropter doce etiam collatio-
nes facere Paganos ad talia miniſteria, Paganorumque vi-
cos offerre diis primitias frugum, eoſque huiuſmodi bene-
factis inſtitue, docens eos hoc opus olim fuiſſe noſtrorum. G
Homerus enim hoc probat, introducens Eumenum talia
facientem. Nos ergo neque bona noſtrorum imitamur,
ſed aliis remittimus, negligentia non confuſi, magis au-
tem deorum reuerentiam reſpuentes. Si igitur hæc te fa-
cientem cognouero, ego lætitia plenus ero. Præſides pro-
uinciarum rarius domi ſuſcip:, frequenter eis ſcripta
tranſmitte. Ingredientibus eis ciuitatem, nullus ſacerdo-
tum occurrat. Cumque ad templa venerint Deorum, intra
ianuas eis nemo præcedat militum, aut forte præceden-
tium officiorum, ſed qui voluerit ſubſequatur. Cumque ad
ipſum limen templi peruenerit, priuatus exiſtat. Tu enim
ſicut noſti, iudex intus es. Hoc enim etiam ſacra ſanctio
videtur exigere. Obedientes igitur pro veritate pij ſint,
reluctantes vanæ gloriæ comprimantur. Quid enim patia-
tur, aut quod mereatur auxilium, qui matrem deorum
propitiam habere noluerit? Qui ergo eam neglexerint,
non ſolum ſine quærela non erunt, ſed etiam noſtræ indi-
gnationis impetum ſuſtinebunt. Neque enim fas eſt vt illi H
parcatur, qui deos habuerit inimicos. Suade ſiquidem eis,
vt ſi mea voluerint frui tuitione, omnes matri Deorum
ſtudeant offerre culturam. Hæc itaque faciens Imperator
ad deſtructionem Chriſtianorum, neque ſubiectis præua-
luit, & aperte Chriſtianis vim parare erubuit. Inter hæc
vt ad Paganitatem milites inſueſcerent, ſtuduit ad priſcum
ſchema reformare ſignum illud labarum ſublimius Ro-
manorum, quod Conſtantinus ſicut prædictum eſt, in cru-
cis formam mutauerat. Verum in publicis imaginibus de-
pingebat Iouem quaſi de cœlo ſibi coronam & purpuram
deferentem, Mercurium & Martem in ſe reſpicientes, ve-
lut pro teſtimonio ſapientis & fortis. Et hoc agebat ima-
ginibus, vt ſub occaſione Imperij latenter adorarentur
dij, & hoc modo ſubiecti clanculo fallerentur. Arbitra-
batur enim quia ſi hoc ſponte eis imponeret, poſtea quæ
vellet impleret: ſi vero reſpuentes agnoſceret, venia ſubla-
ta torqueret, tanquam circa Rom. ſolemnia reluctantes,
& in Repub. atque ipſo Imperio delinquentes. Pauci

A ſiquidem etiam pœnis ſubditi, cognouerunt dolum, quia ſicut moris erat, adorare noluerunt. Turba vero, vt aſſolet, per ignorantiam ſimpliciter imagines adorabat, quod tamen Imperatori nihil profuit. Cumque multa excogitaret, quibus Paganorum cltus extolleret, inuenit modum, qui plurimis Chriſtianis militibus claræ virtutis coronam dedit. Cum veniſſet itaque tempus quo imperialia milites ſolent dona percipere (hoc enim agitur plerumque die Kalendarium Ianuarium, & natali principum & vrbium regiarum) exquiſiuit quatenus eos ſimpliciter ex priſca conſuetudine fallere potuiſſet. Iuſſitque vt vnuſquiſque ad manus Imperatoris accedentium, ab officiis admonitus, primo incenſum offerret (erat enim ante eum thus poſitum & ara ſecundum antiquam Rom. conſuetudinem. Tunc alij quidem licenter ſuam oſtenderunt fortitudinem, & neque incenſum offerre, neque donum accipere paſſi ſunt. Alij vero occaſione legis & antiquitatis neque mente perceperunt quod commiſere peccatum. Verum B alij propter lucrum capti, aut timore perturbari, ſeu iuſſione repentina concluſi, licet intellexerint, tamen Paganitatem declinare non potuerunt. Plurimi ſiquidem per ignorantiam decepti, dum inter cibos, vt aſſolet, & pocula inuocarent in alterutros Chriſtum, reſpondens quidam dixit: Quid patimini inuocantes Chriſtum, quem ante paululum denegaſtis, dum donum ab imperante percipientes, thus in ignem mitteretis? Cumque hoc milites audiſſent, & quod geſſerant agnouiſſent, ſtatim exilientes, publice currebant, atque impetu facto clamabant, Deumque ſuum & cunctos homines teſtabantur ſe Chriſtianos eſſe, & in eo nomine permanere, atque per ignorantiam ſe feciſſe, & ſi dici poſſet, ſolam manum Paganam eſſe, conſciētiam vero nihil ſimul egiſſe. Cumque veniſſent ad principem, proiecerunt aurum quod acceperant, & forti voce poſcebant, vt reciperet quod dediſſet, & occideret illos. Sic enim pœnitentiam agere fatebantur, eo quod improuide eorum dextera peccaſſet, & ſtudere propter Chriſtum, totum corpus pœnæ tradere. Cumque Iulianus C talia audiſſet, furore commotus, præcepit capita eorum incidere, & cum ducerentur ad mortem, ſequente populo, & mirante virtutem eorum pro pietate ſuſceptam, venerunt ad locum, quo rei puniri ſolent. Tunc ſpiculatorem rogauit ſenior omnium, vt ante omnes caput cuiuſdam nomine Romani adhuc adoleſcentis abſcinderet, ne dum aliorum reſpiceret mortem, frangeretur. Cumque ille genua fixiſſet in terra, & ſpiculator gladium euaginaſſet, venit repente nuncius clamore prohibens necem. Porro iuuenculus ille occiſione priuatus ait: Non fuit Romanus dignus vt Chriſti martyr appellaretur? Et licet ſanguinem malignus Imperator prohibuiſſet effundi ductus inuidia, veruntamen non eos in ciuitatibus habitare permiſit, ſed ad vltima Romanorum loca exilio deſtinauit. Poſtea vero præcepit, vt qui ſacrificare noluerint, in palatio non intrarent, & neque collegio, neque foro eos, neque arbitrio, neque vlla dignitate, nec qualibet communione participare iuſſit. Interea Iulianus dum Conſtantinopoli apud Fortunam ſacrificaret acceſſit ad eum Mares Epiſcopus Chalcedone, & publice impium, ac ſine Deo, apoſtatam- D que vocauit. Ille vero ſolam ei improperaſſe fertur cæcitatem. Erat enim ſenex, & pro imbecillitate oculorum manu alterius agebatur. Super hæc etiam volens lacerare eum, conſuete dixit: Neque Galilæus Deus tuus curare te poteſt. Reſpondens vero Mares: Ego quidem Deo meo gratias ago pro cæcitate, quia hoc ideo geſtum eſt in me, ne te videam pietate nudatum. Imperator autem nihil reſpondens abſceſſit. Sic enim putabat potius roborari Paganitatem, ſi ſe patientem ac mitem erga Chriſtianos demonſtraſſet. Igitur dum Perſæ mortuum cognouiſſent fuiſſe Conſtantium, capta fiducia venerunt ad terminos Romanorum, denunciantes bellum. Ob quam rem Romanas vires contractas vndique Iulianus aduexit, vt ad deſtinatam ſecum traheret proditionem. Miſitque in Delphos & Delum atque Dodonem ad percipienda reſponſa, ſi expediret ei bella ſuſcipere. Tunc vniuerſi vates & pugnandi fiduciam dabant, & victoriam promittebant. Vnum vero reſponſum pro exemplo mendacij vel ſeductionis inſerere non pigebit. Eſt enim huiuſmodi: Nunc E omnes aggredimur Dei victoriæ trophæa referentes circa fluuium Tigrem. Horum ego dux ero belligerator Mars. Horum itaque carminum ridiculum conuenit diuulgare, qui rationalem dominum, Muſarumq; principem Pythiū eum vocant. Ego autem mendacium ſeductionibus eius inueniens inditum ingemiſco, Tigrem namque fluuium Tigrim voluit appellare: quoniam Tigris eius eſt nominatiuus; & per Aſſyriorum arua diſcurrens, in Perſicum ſinū deſcendit. Per hæc ergo reſponſa deceptus infelix, & victoriam mente ſomniabat, & poſt Parthicum triumphum pugnam Galilæis inferre parabat. Multos itaque vicos caſtraque detinens iam etiam ciuitates capiebat, Aſſyriamq; depopulatus, caſtra apud Cteſiphontem ciuitatem habuit. In qua intantum obſedit regem, vt crebris legationibus vteretur, offerens dare ſuæ patriæ partem ſi ſoluto bello diſcederet, quod ille noluit, neque ſupplicantibus eſt miſertus, neq; mente percepit, quia vincere quidem bonum eſt, ſuperuincere autem nimis inuidioſum: credens præci- F pue magicis artibus, quas ei Maximus Philoſophus exhibebat, & arbitratus Alexandri Macedonis ſe gloriam percepturum, aut certe potiorem. Putabat enim ſecundum Pythagoream Platoniſque ſententiam, ex mutatione corporum Alexādri animam poſſidere, aut eſſe potius in alio corpore alium Alexandrum. Ob hanc itaque cauſam Perſarum regis noluit preces admittere. Interea cum in deſerto loco captiuorum primo habuiſſet ducatum, poſtea quidam ſenior transfuga, ſub ſchemate proditoris ſe ei compendioſum iter oſtendere compromiſit. Cumq; tribus diebus ambulantes ad maiorem ſolitudinem veniſſent, in inſidias inciderunt. Statim illum quidem ſenem fuſtibus occiderunt, confitentem ſe hoc feciſſe pro patriæ libertate, & libenter omnia tormenta ſuſtinere. Cumque eum Parthi hinc vrgerent, è caſtris iam poſitis, arrepto tantum clypeo procurrit. Cumque ſic inconſulto ardore nititur ordines ad prælium componere, ab vno ex hoſtibus, & quidem fugiente, conto percutitur. Relatuſque in tabernaculum, rurſum ad hortandos ſuos egreſſus, paulatim ſangui- G ne vacuatus, circa noctis fere medium defecit. Quidam autem dicunt iaculum repente delatum diſcurrens per brachium eius in latus immerſum eſſe. Qui vero iuſtiſſimum intulit vulnus, hactenus ignoratur. Sed alij quandam inuiſibilium virtutum eſſe ferunt, alij vero vnum paſtorem Iſmahelitarum, alij militem fame & itinere fatigatum. Sed ſiue homo ſiue Angelus fuerit, palam eſt, quod diuinis iuſſionibus miniſtrauit. Caliſtus autem qui inter familiares tunc Imperatoris militabat, & heroïco verſu eius conſcripſit hiſtoriam, ait eum vulneratum à dæmone. Libanius vero ſophiſta Syrus, inter cæteras laudes, quas de vita eius ſcripſit, in fine libri ſic ait: O dæmonum alumne, dæmonumque diſcipule, & dæmonum obſeruator. Iulianus ergo quarto conſulatu ſuo, quem egerat cum Saluſtio, VII. Kalendas Iulij interiit, anno imperij ſui tertio, ſeptimo vero ex quo Cæſar à Conſtantio fuerat ordinatus, vitæ anno trigeſimo primo. Poſt cuius mortem eius magiæ Carris compertæ ſunt. Per hanc agens, H quoniam per Edeſſam propriæ religionis cultu tranſire noluerat, in templum quod à Paganis colitur, eſt ingreſſus. Vbi dum quædam cum ſuis conſortibus ſacrilega celebraſſet, ianuas & clauſtra diſpoſuit & quoſdam ibi milites obſeruare præcepit, vt interius nullus accederet, donec ipſe remearet. Cumque mortuus fuiſſet Iulianus, & Iouianus pius ſucceſſiſſet ingredientes in templum, inuenerunt mulierem à capillis appenſam extenſas habentem manus, cuius vterum apperuerat, vt Perſarum victoriam in iecore eius inſpiceret. In qua vrbe cum eius nunciatus fuiſſet interitus, publicam cuncti habuere feſtiuitatem: & non ſolum in Eccleſiis & ſepulchris martyrum exultabant, ſed etiam in theatris victoriam prædicabant eum ſacerdotibus exultantes. Communiter enim clamabant omnes: Maxime fatue, vbi ſunt vaticinia tua? Viuit Deus & Chriſtus eius. Hic fuit vir egregius, & Remp. inſigniter moderaturus, ſi per fata licuiſſet, liberalibus diſciplinis apprime eruditus. Æquauerat enim Philoſophos & Græcorum ſapientiſſimos, facundia ingenti, vſu

A promptior, memoriæ tenaciſſimæ atque ampliſſimæ; in amicos liberalis, ſed minus diligens quam principem decuit, corpore validus quidem, ſed breuis fuit, barba prolixa, oculi currentes huc illucque directi: in prouinciales iuſtiſſimus, & tributorum, quantum fieri poſſet, repreſſor, ciuilis in cunctos, mediocrem habens ærarij curam, gloriæ auidus ac per eam animi plerunque immodici, nimius Chriſtianæ religionis inſequutor, perinde tamen, vt à cruore abſtineret. M. Antonino non abſimilis quem etiam æmulari ſtudebat: cultu numinum ſuperſtitioſus. Præfatus conſulto ſeſe de imperio nihil mandare, ne (vti ſolet in multitudine diſcrepantibus ſtudiis amicorum) ex inuidia regni præ diſcordia exercitus periculum pararet, Audax pluſquam Imperatorem decet, cui ſalus propria, cum ſemper ad ſecuritatem omnium, tum in bello maxime ſeruanda eſt. Ita illum cupido gloriæ flagrantior peruicerat, vt neque terræ motu, neque plerisque præſagiis quibos vetabatur Perſidem petere, adductus ſit finem B ponere ardori: ac ne noctu quidem viſus Ingens globus cœlo lapſus ante diem belli cautum præſtiterit.

Igitur altera die abſque omni dilatione Iouiano infulas Imperatoris imponunt. Erat enim vir fortis & nobilis, & illo tempore Millenarius, quo Iulianus electionem militibus lege propoſuit, vt aut ſacrificarent aut militia cederent. Qui cingulum magis elegit amittere, quam Imperatoris præceptionibus impiis obedire. Hunc ergo tunc Iulianus propter belli neceſſitatem inter viros militares habebat. Qui cum violenter à militibus ad imperium traheretur, clamabat dicens: non ſe velle Paganis hominibus imperare, cum ipſe Chriſtianus exiſteret. Cumque vox omnium communiter proclamaſſet, dicentium, ſe quoque eſſe Chriſtianos, ſuſcepit imperium. Is exercitu in Perſide Inopia laborante, pacem cum Sapore rege Perſarum, neceſſariam quidem, ſed ignobilem fecit, mutatis finibus ac nonnulla imperij Romani parte tradita: quod ante eum ex quo Romanum imperium condi-C tum erat, nunquam accidit. Quin etiam legiones noſtræ ita & apud Caudium per Pontium ducem Samnitum, & in Hiſpania apud Numantiam, & in Numidia ſub iugum miſſæ ſunt, vt nihil tamen finium traderetur. Ea pacis conditio non penitus reprehendenda foret, ſi fœderis neceſſitatem, tum cum integram fuit, mutare voluiſſet, ſicut à Romanis omnibus his bellis, quæcunque memoraui, factum eſt. Nam & Samnitibus & Numantinis, & Numidis confeſtim bella illata ſunt, neque pax rata fuit. Sed dum æmulum ſui imperij veretur, intra Orientem reſidens, gloriæ parum conſuluit. Tunc imperator diſceſſit ab Antiochia, & venit ad Tarſum Ciliciæ, ibique corpus Iuliani ſepeliuit honorifice. Et cum cuncta ſolemnia funeri eius exhibuiſſet, deſignatus eſt conſul vna cum Varroniano filio ſuo. Dumque Conſtantinopolim feſtinaret, venit ad prædium nomine Dadaſtam, inter Galatiam & Bithyniam vbi Themiſtius philoſophus cum aliis Senatoribus occurrens conſularem recitauit orationem. In prædicto namque prædio hyemis tempore languore conſtrictus repentina morte obiit. Multi exanima-D tum crapulitate opinantur: inter cœnandum enim nimium epulis indulſerat. Alij odore cubiculi. Quod ex recenti tectorio calcis graue quieſcentibus erat. Quidam nimietate prunarum, quas graui frigore adoleri iuſſerat multas. Deceſſit imperij menſe ſeptimo, XIII. Kalend. Martij, ætatis vt qui plurimum vel minimum tradunt trigeſimo & tertio anno, ac benignitate principum qui ei ſucceſſerunt, inter diuos relatus eſt. Hic fuit genitus patre Varroniano incola agri Singidonenſis, prouinciæ Pannoniæ. Eius patri, cum liberos crebro amitteret, præceptum eſt ſomnio, eum qui iam inſtante vxoris partu edendus foret, diceret Iouianum. Fuit enim inſignis corpore, lætus ingenio, litterarum ſtudioſus: nam & ciuilitati propior, & natura admodum liberalis: vir inter alias virtutes neque imprudens, neque iners. Cumque in Nicæam Bithyniæ veniſſet exercitus, Valentinianum ordinauit Imperatorem, V. Kalend. Martij, virum optimum, & apice principali digniſſimum.

Explicit liber Vndecimus.

E

Incipit

LIBER DVODECIMVS.

ANno ab Vrbe cõdita M.CXVIII. Valentinianus quadrageſimus ſecũdus ab Auguſto imperator appellatus eſt. Iſte fuit Pãnonius genere, de Cibala ciuitate. Cum eſſet Tribunus ſcutariorum, tunc ei militum cura fuit cõmiſſa, eo quod probatiſſime nouerat militarem diſciplinã. Fuit enim vir magnanimus, & ſẽper præſenti fortuna melior apparebat: non modo fortitudine tantum, quantum prudentia, temperantia atq; iuſtitia, & corporis magnitudine præfulgebat. Sic enim fuit regalis & vrbanus, vt dum exercitus tentaſſet alium ſociare conſortem, ille reſpondiſſet, quod cantatur ab omnibus: Veſtrum inquit, fuit ô milites, Imperatore non exiſtente, mihi dare regimen imperij. Verum vbi hoc ego ſuſcepi, meum iam eſt, non eſt ve- F ſtrum de rebus cogitare communibus. Cuius verba mirati milites, eius ſequuti ſunt voluntatem. Cumq; Cõſtantinopolim veniſſet poſt dies triginta Imperij ſui, fratrem Valẽtem in communionem regni aſſumpſit, largitus ei partes Orientales, ſibi retentis Occidentalibus. Huius pater Gratianus mediocri ſtirpe ortus apud Cybalas, Funarius appellatus eſt, eo quod venalitium funem portanti quinque milites nequiuerint extorquere. Eo merito aſcitus in militiã vſq; ad præfecturæ prætorianæ potentiã aſcendit. Ob cuius apud milites commendationem Valentiniano Imperium allatũ eſt. Qui cum ſub Iuliano Auguſto Chriſtianitatis integram fidem gereret, cum, vt dictum eſt, ſcutariorũ Tribunus eſſet, ingreſſus eſt cum Iuliano in templũ Fortunæ: & miniſtri templi ex vtraq; parte ianuarũ ſtantes, aſperſione aquæ, ſicut ipſi dicebant, purgarent ingredientes, Valentinianus præcedens principem, aſperſionis guttam ſua vidit in chlamyde, & indignatus pugno percuſſit templi miniſtrum, dicens ſe maculatũ potius quam mundatũ. Quod reſpiciens Iulianus, iuſſit eum in cuſtodiã G retrudi, dicens: Aut ſacrifica idolis, aut militia excede. Qui ſponte diſceſſit. Nec mora, Iuliano interfecto, Iouianoque mortuo, qui pro nomine Chriſti amiſerat Tribunatum, in locum perſequutoris ſui accepit Imperium. Qui cum iam anno tertio Imperium cum fratre Valente ageret, Gratianum filium, nec dum plene puberem, hortatu ſocrus & vxoris Auguſtum creauit, Igitur Valentinianus dum in initio regni ſui de vrbe Conſtantinopolitana per Thracias properaret Romam, tunc Epiſcopi Helleſponti, Bithyniæ, & quicunq; conſubſtantialem patrem & filium prædicabant, legatum miſerunt ad eum Hypatium Heracleæ Periuthi Epiſcopum, quatenus dignaretur ad emendationem dogmatis intereſſe. Is cum adiiſſet Imperatorem, & Epiſcoporum legationem intimaſſet, reſpondens Valentinianus: Mihi inquit, cum ſubiecto populo de huiuſmodi negotiis curioſe agere fas non eſt. Vt ergo videtur vobis ſacerdotibus, facite. Tunc venientes apud Lampſacum, & duobus illic menſibus commorati, nouiſſime irrita fecere, H quæ ab Endoxio & Acacio Conſtantinopoli ſunt patrata: tenendamque fidem apud Seleuciam expoſitam decreuerunt. Sed impius Valens, quæ apud Lampſacum geſta ſunt, deſtruxit: & Epiſcopos qui ibi conuenerant, exilio relegauit. Interea Valens in Antiochia plurimo tempore commoratus, omnibus licentiam dedit ſua ſacra celebrare: gentilibus ſcilicet atque Iudæis, nec non & omnibus hæreticis. Nam & Gentiles feſtiuitates agebant, dæmonibus miniſtrantes. Et poſt Iulianum à Iouiano idololatriæ vanitates extinctas, rurſus florere permiſit, & Iouis cultum atque Dionyſij, ſacraque Cereri iam non in occulto tanquam ſub pio imperatore celebrabant, ſed per mediam plateam bacchantes vbique currebant. Illis tantummodo tunc princeps erat inimicus, qui Apoſtolicam doctrinam prædicare videbantur. Eodem anno apud Attrebatas vera lana de nubibus pluuiæ mixta defluxit, & Conſtantinopoli IV. Nonas Iunij grando miræ magnitudinis decidens, nonnullos homines extinxit. Quidam ſane aiunt de Valente, quod Dominica vxor eius

VALENTINIANVS.

A perſuaſerit ei ab orthodoxa fide, quam ſuus germanus credebat: recedere & tam valenter Arrij ſenſum ſectari. Porro alij ſcribunt, quod poſtquam imperauerit, & ab Eudoxio rebaptizatus ſit, iuramento ei firmauerit in ipſo baptiſmate cum Arrio ſe ſenſurum, & Homouſion minime recepturum. Interea Valente in Syria moram faciente, ſurrexit Conſtantinopoli tyrannus Procopius nomine: qui paruo tempore multam ſibi militiam cateruans, feſtinabat aduerſum imperatorem: quod dum ei nunciatum fuiſſet, paulululum ſuum impetum retinuit. Cumque belli euentus interea parturiret, terræmotus factus eſt per vniuerſum orbem, ita vt Siciliæ, & multarum inſularum vrbes concuſſæ & ſubrutæ, innumerabiles etiam populos ruinis oppreſſerint. Circa Bithyniam vero tam ingens fuit, vt Niceam ſubuerteret vrbem: ſed etiam mare terminos ſuos immutauit, & in quibuſdam locis tanto impetu influxit, vt loca quæ pridem ambulari poterant, rigarentur. Ab aliis vero locis tantum receſſit, vt arida tellus inueniretur. Sequenti autem anno Gratiani, Dagalaiſique B Conſulatu bella parantur. Cumque tyrannus Procopius de Conſtantinopoli egreſſus, caſtra moueret aduerſum Imperatorem, audiens Valens venit ab Antiochia, & cum eo congreſſus eſt circa ciuitatem Phrygiæ Nacoliam. Et prima quidem pugna deuictus eſt. Poſt paululum vero Procopium cepit, tradentibus eum Agelone, Gomarioque militibus, quos etiam poſtea inopinatis quibuſdam ſuppliciis iuſſit expendi. Deſpiciens enim iuſiurandum quod eis præbuerat, ſerris diuiſos crudeliter interemit. Tyrannum vero duabus viciniis arboribus flexis, ſingulos in eis pedes eius ligari fecit, quæ dimiſſæ aërem repetentes, Procopium diuiſerunt. Eodem tempore dæmon quidam erroneus credulitate Valentis abuſus, ei perſuaſit, vt perſcrutaretur, quis poſt eum eſſet ſuſcepturus imperium. Quam ob rem negromantiam fecit. Quibus artibus adimpletis, plurimos ille dæmon, non quidem aperte, ſed obliqua fraude reſponſa proferens, interemit. Nam cum de imperio conſuleretur, quatuor literas demonſtrauit, ΘΕΟΔ, dicens hoc nomen poſt Valentem imperij C culmen accipere. Quod dum ad aures peruenilſet imperatoris, zelo ductus multos peremit, quos tyrannidem aſſumere iudicauit. Occidebantur itaque Theodori, Theoduli, Theodori, & quicunque has literas in capite ſui nominis habuiſſet. Inter quos etiam Theodoſius, vir fortis, ex Hiſpaniæ prouincia genus ducens, pater Theodoſij, qui poſt imperio præfuit, occiſus eſt. Hoc ergo timore plurimi ſua nomina mutauerunt, quæ prius habuiſſent negantes cum iuramento, vt pericula declinarent. Interea Auxentio Arriano Mediolanenſi Epiſcopo defuncto, Valentinianus conuocans Epiſcopos, huiuſmodi verba apud eos loquutus eſt. Noſtis aperte, eruditi quippe diuinis eloquiis, qualem oporteat eſſe pontificem, quia non decet eum verbo ſolum, ſed etiam conuerſatione gubernare ſubiectos, & totius ſe imitatorem virtutis oſtendere, teſtemque doctrinæ conuerſationem bonam habere. Talem itaque eligite, & in pontificali conſtituite ſede, cui & nos qui gubernamus imperium, ſincere capita noſtra ſubmittamus, & eius monita dum tanquam homines D deliquerimus, neceſſario veluti curantis medicamenta ſuſcipiamus. Hoc cum dixiſſet imperator, petiit ſynodus, vt magis ipſe decerneret, ſapiens & pius exiſtens. At ille: Super vos, inquit, eſt talis electio. Vos enim gratia diuina potiti, & illo ſplendore fulgentes, melius poteritis eligere. Tunc ſacerdotes congreſſi, de epiſcopali ſede tractabant. Verum ciuitatis habitatores, vt aſſolet, tumultus faciebant, alij hunc, alij illum ordinari cupientes. Qui enim erant de Arriani Auxentij ſecta, ſimilem ſibi fieri concertabant, rurſum orthodoxi ſui dogmatis nitebantur habere Epiſcopum. Hanc ſeditionem Ambroſius, cui tunc fuerat præſidialis cura commiſſa, cognoſcens, & metuens ne quid in vrbe conſurgeret, ad Eccleſiam confeſtim acceſſit. At illi ceſſante ſeditione communem dederunt vocem, petentes, vt paſtor gregis ordinaretur Ambroſius, qui nondum fuerat baptizatus. Hoc imperator agnoſcens, repente iuſſit baptizari, & tanquam dignum virum ordinari pontificem. Nouerat enim

E eius certiorem omni pondere voluntatem, & totius regulæ decreta ſubtiliora, arbitrans etiam diuinum in eo eſſe iudicium, dum in eius electione etiam pars contraria conſonaret. Is ergo ſacri baptiſmatis dono, potius, gratiam quoque ſimul ſuſcepit Epiſcopatus. Quo facto optimus imperator hunc hymnum Saluatori & domino obtuliſſe fertur: Gratias, inquit, tibi ago domine omnipotens & ſaluator noſter, quia huic viro ego quidem commiſi corpora: tu autem animas, & meam electionem oſtendiſti iuſtitiæ conuenire. Cumque poſt paucos dies ſanctus Ambroſius cum multa fiducia apud Imperatorem quereretur, quia male à iudicibus agebatur, tunc imperator ait: Hanc inquit, confidentiam tuam dudum noui, & aperte probans non ſolum non reſtiti, ſed etiam in electione ordinationis tuæ ſocius fui. Feſtina itaque ſanare, ſicut in diuina lege præcipitur, delicta animarum noſtrarum. Igitur Valentinianus Saxones, gentem in Oceani littoribus & paludibus inuiis ſitam, virtute atque agilitate terribilem, periculoſam Romanis finibus, F eruptionem magna mole meditantem, in ipſis Francorum finibus oppreſſit. Burgundiorum quoque nouorum hoſtium cœpit nomen nouum, qui pluſquam LXXX. millia, vt fertur, armatorum ripæ Rheni fluminis inſederunt. Hi quondam ſubacta Germania interiore à Druſo & Tiberio adoptiuis filiis Cæſaris, per caſtra diſpoſitos in magnam coaluiſſe gentem, atque ita etiam nomen ex opere præſumpſiſſe, quia crebra per limitem habitacula conſtituta Burgos vulgo vocant, eorumque eſſe præualidam & pernicioſam manum, Galliæ hodieque teſtes ſunt, in quibus præſumpta poſſeſſione conſiſtunt: qui tamen non multo poſt tempore Chriſtiani effecti ſunt. Valentinos inter hæc antequam tyrannidem inuaderet, oppreſſus eſt. Valentinianus vero anno imperij ſui vndecimo, cum Sauromatarum gens, quæ puſilla & infima gens eſt, contra eum inſurgens, ſeſe per Pannonias diffudiſſet, eaſque deuaſtaret, belloque ab eo ſuperata, apud Brigitionem oppidum Quadorum, legatis miſſis pacem expoſtularet: cum à legatis eorum ſciſcitaretur, G verum Sauromatæ tales & tam vilium corporum omnes exiſterent, reſpondentibus imperatori. Quia meliores eorum hic habes & vides: tum validiſſime ille clamans ait: Atrocis Romanum imperium ſuſtinet ad Valentinianum pertingens, ſi Sauromatæ tales exiſtentes contra Romanos inſurgunt. Ex animoſitate autem nimia & plauſu manuum vena corporis reciſa, & plurimo erumpente ſanguine, quæ Græce ἀποπληξις vocatur, voce amiſſa, ſenſu integer expirauit: quod quidem intemperantia cibi, ac ſecuritate qua artus diffuderat, accidiſſe plures retulere: anno ætatis quinquageſimo & quinto, Conſulatu Gratiani & Equitij, XV. Kalend. Decembris. Fuit autem imperator egregius, vultu decorus, ſolers ingenio, animo grauis, Aureliano ſimilis, ſermone cultiſſimus, quanquam eſſet ad loquendum parcus, ſeuerus, vehemens, infeſtus vitiis maximeque auaritiæ. Seueritatem tamen eius nimiam & parcitatem, quidam crudelitatem & auaritiam H interpretabantur. Acer in his quæ memoraturus ſum, Adrianoque proximus, pingere venuſtiſſime, meminiſſe, noua arma meditari, fingere cera ſeu limo ſimulachra, prudenter vti locis, temporibus, ſermone, atque vt breuiter concludam, ſi ei infidis hominibus, quibus ſe quaſi fidiſſimis prudentiſſimiſque dederat, carere, aut probatis eruditiſque monitoribus vti licuiſſet, perfectus haud dubie princeps extitiſſet. Itaque eo mortuo Italiæ milites ſexto die poſt mortem eius Valentinianum puerum eius filium adhuc quadriennem, authore Equitio & Merobaude è propinquo vbi cum matre fuerat allatus, creant imperatorem. Cuius imperium frater & patruus licet ingrate, quod eis ignorantibus factum ſit, tamen poſtea ſuſceperunt.

Anno ab Vrbe condita M. CXXVIII. Valens quadrageſimus tertius imperium Orientis quatuor annis, Valentiniano mortuo tenuit, Gratiano Valentiniani filio in Occidentali parte regnante, vna cum Valentiniano fratre paruulo. Hic enim Valentinianus de Iuſtina ſecunda vxore Valentiniani natus erat, quam iubente Seuera coniuge

priore,

A priore, Valentinianos hoc modo duxiſſe probatur. Iuſtos Iuſtinæ pater cum eſſet Piceni iudex, Conſtantij temporibus, vidit in ſomnis quomodo ex dextero femore imperialem purpuram genuiſſet. Cumque viſio per multos recitaretur, ad aures Conſtantij peruenit. At ille conſiderans ſomnium, tanquam imperator ex eo naſceretur, mittens occidit Iuſtum. Cuius filia Iuſtina virgo permanſit. Poſteriore vero tempore peruenit ad notitiā Seueræ, ad quam frequentius veniebat, & amabatur ab ea, ita vt etiam balneis cum ea vteretur. Cumque Seuera ſecum lauantem Iuſtinam diutius inſpexiſſet, pulchritudine virginis oblectata, & amore capta, dixit imperatori quod ſic eſſet ſpecioſa Iuſtina virgo, vt etiam ipſam deceat eſſe vxorem Imperatoris. Valentinianus vero eius ſermone concepto, Iuſtinam ducere tractabat vxorem, non tamen Seueram abiicere, ex qua natus fuerat Gratianus. Legem itaque publice protulit per ciuitatem diſpoſitam, vt omnes qui voluiſſent, impune bina matrimonia ſuſciperent. Nam ideo
B populoſas fore gentes, quia hoc apud eas ſolemne eſt. Cũque poſita lex haberetur, ipſe Iuſtinæ coniunctus eſt, ex qua natus eſt Valentinianus iſte & filiæ tres, Iuſta, Grata, Galla. Quarum duæ quidem in Virginitate permanſerunt. Gallam vero poſtea maior Theodoſius imperator duxit vxorem, ex qua Placidia eius filia noſcitur eſſe progenita, quæ poſtea de matris nomine Gallæ cognomentum accepit. Valens interea impietatem quam dudum meditatus fuerat, operibus explens, lege data vt monachi militarent, nolentes per Tribunos & milites fuſtibus interfici iuſſit. Quorum innumera multitudo quæ per vaſtas tunc Ægypti ſolitudines habitabat, harenaſque diffuſas, quæ propter ſitim ac ſterilitatem periculoſiſſimamq; ſerpentium abundantiam, conuerſatio humana non eſſet, magna, habitantium monachorum multitudo compleuerat, præcipue quę apud Nitriam martyrij conſequuta eſt palmam. Ac per ſingulas vbique prouincias aduerſus Catholicas Eccleſias, & rectæ fidei populos, diuerſa ſunt illata incommoda. Interea in partibus Africæ quidam Firmus ſeſe, excitatis
C Maurorum gentibus, regem conſtituens, Africam, Mauritaniamque vaſtauit. Cæſaream vrbem nobiliſſimam Mauritaniæ, dolo captam Barbaris in prædam dedit. Contra quem Theodoſius pater Theodoſij, qui poſtmodum imperio præfuit, comes à Valentiniano maiore miſſus, effuſas Maurorum gentes multis prælijs fudit, ipſum Firmum afflictum & oppreſſum ad mortem coëgit. Qui poſtquam experientiſſima prouidentia totam cum Mauritania Africam compoſuiſſet, ſtimulante inuidia iuſſus à Valente interfici, apud Carthaginem baptizari in remiſſionem peccatorum præoptauit. At poſtquam Sacramentum Chriſti quod quæſierat, aſſequutus eſt, poſt glorioſam ſæculi vitam, de vita æterna ſecurus, percuſſori vltro iugulum præbuit. Circa hæc tempora Gothi trans Iſtrum conſtituti, ciuile bellum inter ſe duabus partibus commouerunt. Vnius præerat Fridigernus, alterius Athalaricus. Fridigernus autem cum ſuis omnibus Arrianus erat, Athalaricus vero cum ſuis Paganus. Cumque præualuiſſet Athalaricus, Fridigernus auxilium à Valente poſtular, per Vlfiam Epiſcopum ſuum Arrianum, qui moratus ſub Conſtan-
D tio fuerat cum Eudoxio & Acacio Arrianis: qui etiam literas Gothicas primus adinuenit, & ſcripturas diuinas in eam linguam conuertit. Statim Valens præcepit Thraciæ militibus vt Fridigerno auxilia commodarent. Hoc ſolatio victus Athalaricus etiam in fugam eſt conuerſus. Non poſt multum vero tempus denuo Gothis inter ſe compactis, Vlfias non ſolum Fridigerni Gothos, ſed etiam Athalarici edocebat. Tunc Athalaricus religionem propriam violari dolens, multos ex ſuis Arrianos factos ſuppliciis tradidit, quos hactenus Arriani martyres appellant. Quam ob rem Fridigernus cum ſuis occidentalem partem petiit: Athalaricus vero cum ſuo exercitu ibidem remanſit. Hi vero qui cum Fridigerno occiduas petierant regiones, ab Occidente lingua patria Viſegothi, id eſt, Occidentales Gothi ſunt appellati: hi vero qui cum Athalarico in propriis ſedibus remanſerant, Oſtrogothi, id eſt, Orientales Gothi ſunt dicti. Ea tempeſtate gens Hunnorum diu in propriis & inacceſſis clauſa montibus, repen-

tina rabie percita exarſit in Gothos, eoſque conturbatos, ab antiquis ſedibus expulit. Nam hos, vt refert antiquitas, ita extitiſſe comperimus. Filmer rex Gothorum Gadarici magni filius poſt egreſſum Scantiæ inſulæ iam quinto loco tenens principatum Getharum, qui & terras Scythicas cum ſua gente introiit, reperit in populo ſuo quaſdam magas mulieres, quas Gothico ſermone Alyrumnas vocant: eaſque habens ſuſpectas, de medio ſui proturbauit, longeque ab exercitu ſuo fugatas, in ſolitudine coëgit errare. Quas ſyluestres homines, quos nonnulli Faunos Phicarios vocant, per deſertum vagantes dum vidiſſent, & earum complexibus in coïtum emicuiſſent, hoc genus ferociſſimum ediderunt. Quod fuit primum inter paludes Mæotidas, minutum, tetrum, atque exile, quaſi inhumanum genus, nec alia voce notum, niſi quod humani ſermonis imaginem aſſignabat. Tali igitur ſtirpe Hunni creati, Gothorum finibus aduenerunt. Nam & quos bello forſitan minime ſuperabant, vultus ſui terrore nimium pauorem ingerebant, & terribilitate fugabant. Eo quod E
erat eius ſpecies pauendæ nigredinis, & velut quædam, ſi dici fas eſt, offa deformis, non facies, habenſque magis puncta quam lumina: quorum animi fiduciam toruus prodit aſpectus: qui etiam in pignora primo die nata deſæuiunt. Nam maribus ferro genas ſecant, vt antequam lactis nutrimenta percipiant vulneris cogantur ſubire tolerantiam. Hinc imberbes ſeneſcunt, & ſine venuſtate ephebi ſunt: quia facies ferro ſulcata tempeſtiuam pilorum gratiam in cicatrices abſumit. Exigui quidem forma, ſed argutis motibus expediti, & ad equitandum promptiſſimi, ſcapulis latis, & ad arcus, ſagittaſque parati: firmis ceruicibus, & ſuperbia ſemper erecti. Hi vero ſub hominum figura viuunt belluina ſæuitia. Quod genus expeditiſſimum, multarumque nationum graſſatorum vt viderunt Gothi: tranſito Danubio fugientes à Valente ſine vlla fœderis pactione ſuſcepti ſunt: tribuens eis terras Thraciarum ad habitandum, arbitratus præparatum ſolatium ab eis habere contra omnes Barbaros: hac F
pro re milites de cætero negligebat, & eos qui dudum contra hoſtes elaborauerunt, Imperator deſpiciebat. Etiam collatores ſuos præcepit prouinciæ per vicos & ciuitates, per vnumquemque militem octoginta ſolidos exigere. Hoc ergo fuit initium, vt in illo tempore Romana Reſp. calamitatibus ſubderetur. Barbari namque cum Thracias continuiſſent, licenter Romanorum vaſtabant prouincias, depopulantes vicinas ciuitates. Interea Valens ab Antiochia Conſtantinopolim veniens, apud Boſphorum cognoſcens Gothorum gentem commotam fuiſſe ad bellum, mox ad Valentinianum fratrem miſit, ſolatia petens. At ille reſcripſit ei, quia religioſum non eſſet, nec iuſtum, talem virum iura imperij regere, qui, Deo rebellis exiſteret, ſed magis eſſet iuſtum, vt eius ſuperbia ſedaretur. Quod dum ille miſerrimus agnouiſſet, licet maiori neceſſitate conſtrictus, non tamen a ſua nimietate ceſſauit, ſed fuit veritati rebellis. Terentius igitur interim victor reuerſus eſt ab Armenia, vir optimus, & pietate decenter ornatus. Tunc ei iuſſit Valens poſcere dona quæ vellet. G
At ille, quod decebat pium virum cogitare, reſpondit, non aurum, non argentum, non prædium, non cingulum ſe petere, neque domum, ſed vt eis qui pro apoſtolica doctrina pericula ſuſtinuerint, vna præberetur Eccleſia. At ille petitionem ex ſcripto ſuſceptam cognoſcens, diſrupit, eumq; alia poſtulare præcepit. Verum ille verba precum, inquit, ſuſcipe ô imperator, & habeo donum: aliud vero non poſtulo. Intentionis meæ iudex eſt, vniuerſorum iudex. Cum ergo Valens Boſphoro traiecto veniſſet in Thraciam, primum quidem Conſtantinopoli commoratus eſt, præparans bellum: deinde Traianum Magiſtrum cum expeditis contra Gothos deſtinauit. Qui victus ignominioſe eſt reuerſus. Cui cum Valens mollitiem exprobraret, reſpondit: Non ego victus ſum imperator, ſed tu, qui contra Deum pugnas, & Barbaris nutum eius concilias. An neſcis, quos ab Eccleſiis expuliſti, & quibus eas tradidiſti? Interim Barbari per Thracias diſcurrentes, etiam Conſtantinopoleos ſuburbana incendiis cædibuſque vaſtabant, non exiſtente, qui eis fortiter reſiſtere H

A præualeret. Qui dum vſque ad muros veniſſent vrbis, afflicta ciuitas contra imperſtorem murmurat. Ille ſera peccati pœnitentia ſtimulatus, Epiſcopos, cœteroſque ſanctos reuocari de exiliis imperauit. Circenſes igitur agebantur ludi, & illic Valentem conuiciis accumulabant inualidum & bellorum fugacem, clamabant dicentes: Da arma, & nos pugnamus. Hinc ita accenſus Imperator III. Idus Iunij à Conſtantinopoli egreſſus eſt, interminans ſe pœnas pro iniuriis, cum rediret, à Conſtantinopolitanis ciuibus exacturum, quod primitus videbantur Procopio præbuiſſe ſolarium, ita vt ciuitatem aratro vertere minaretur. Iſacius vero ſacer monachus tenens frænum equi regis Valentis, cum nouiſſime egrederetur in prælium, ait ad eum: Quo vadis imperator aduerſum Deum pugnans, & Deum aduerſarium habens? Quem iratus carceri tradidit, mortem illi minatus ſi rediret, quemadmodum Micheæ quondam Achab. Poſt congreſſionem autem eius quidam ex ſuis confeſſi ſunt, quod præceperit diuinationes fieri de impetu belli, quod ſibi imminebat. B Deduxit igitur Conſtantinopolitanos vſque ad vrbem Adrianopolim, quæ eſt in confinio Macedoniæ. Denique quintodecimo imperij ſui anno, lacrymabile cum Gothis bellum commiſit. Ad primum Gothorum impetum perturbatæ ſunt Romanorum equitum turmæ, nudatoſque pedites deſeruere, Qui mox equitatu hoſtium ſepti, ac ſagittarum nubibus obruti, cum amentes metu huc illucque fugitarent, funditus cæſi inſequentum gladiis contiſque periere. Ipſe imperator ſagitta ſaucius, verſuſque in fugam, ob dolorem nimium, dum de equo laberetur, in viliſſima deportatur caſa. Vbi superuenientibus Gothis, igne ſuppoſito, incendio crematus eſt, Idibus Auguſti, anno vitæ qoinquageſimo, imperij anno cum fratre Valentiniano decimotertio: poſt mortem eius annos duos, menſes quinque, dies tredecim. In quo probanda hæc fuere. Fuit poſſeſſoribus & cultoribus bonus, mutare iudices rarus, in amicos fidus, iraſci ſine noxa, ac periculo cuiuſquã, ſane valde timidus. Quidam autem dicunt, quod C diuinus Iſacius in carcere, dum cremaretur, fautores eius diuina gratia, & munditia, animo deprehenderit prædixeritque interemptionem eius his qui ſecum erant, antequam nuntij aduenissent, qui geſta prœlij nunciarent. Iuſto itaque Dei iudicio ab illis igne crematus eſt, quos igne perfidiæ ſuccenderat: namque petentibus Gothis, vt eis Epiſcopos mitteret, à quibus fidei rudimenta ſuſciperent, ille Doctores Arriani dogmatis miſit. Sicque vniuerſa gens illa Arriana effecta eſt. Gothi vero imperatore occiſo, denuo iam ſecutl, vſque ad muros Conſtantinopoleos venientes, eius ſuburbana vaſtabant, Quapropter ciues qui arma tulerant, & portare valebant, quæ inueniſſent, hoſtibus vt poterant, reſiſtebant. Dominica vero vxor Valentis, præmia ex ærario publico bene pugnantibus ſecundum conſuetudinem militum miniſtrabat. Quibus etiam Sarraceni præbuere ſolatia, quæ eorum Regina nomine Mavia Romanorum fœderata direxerat.

Anno ab vrbe condita M.C.XXXII. Gratianus XLIIII. ab Auguſto poſt mortem Valentis ſex annis imperium tenuit. Igitur Gratianus admodum iuuenis, cum D inæſtimabilem multitudinem hoſtium, Rom. finibus inſuſam cerneret, fretus Chriſti potentia, longe impari militum numero ſeſe in hoſtem dedit: & continuo apud Argentoratum oppidum Galliarum formidoloſiſſimum bellum incredibili felicitate confecit. Nam pluſquam XXX. milia Alamannorum, minimo Romanorum detrimento, in eo prælio interfecta narrantur. Eo tempore in Galliis apud Turonos beatiſſimus Martinus multis lampadabat virtutibus, toto que orbe doctrinis & ſcientiæ lumine clari, apud Bethlebem ciuitatem Paleſtinæ Hieronymus presbyter, apud Hipponem ciuitatem Numidiæ Auguſtinus Epiſcopus radiabant. Porro Gratianus cum animaduertiſſet, Thraciam Daciamque tanquam genitales terras poſſidentibus Gothis Thayfaliſque atque omni pernicie atrocioribus Hunnis & Alanis, extremum omni Ro. imperio periculum inſtare, relicta Italia in Pannoniam venit. Ea tempeſtate Theodoſius tam propter parentum nobilitatem, quam pro fortitudine propria nominatiſſimus habebatur, & ob hanc cauſam inuidia ſimilium iudicum E fatigatus, in Hiſpania morabatur, vbi & ortus fuerat & nutritus. Cumque imperator quid faceret hæſitaret, quippe cum Barbari eleuati victoria inexpugnabiles eſſe viderentur, eadem prouiſione, qua quondam elegerat Nerua Hiſpanum virum Traianum, per quem Reſp. reparata eſt, aſciuit & ipſe nihilominus æque ab Hiſpania Theodoſium, & eius ducatu credens Barbaros poſſe ſuperari. Repente ſiquidem eum magiſtrum militum eſſe denuntians, cum exercitu ad Barbaros deſtinauit. Itaque Theodoſius afflictam Remp. ita Dei, credidit miſericordia Dei reparandam. Omnem fiduciam ſui ad opem Chriſti conferens, maximas illas Scythicas gentes, formidataſque cunctis maioribus, Alexandro quoque illi magno, ſicut Pompeius, Corneliuſque teſtati ſunt, euitatas ex tunc, extincto Romano exercitu, Romanis armis, equis inſtructiſſimas, hoc eſt Alanos, Hunnos, Gothos, incunctanter aggreſſus F eſt. Barbari vero impetum non ferentes, ſuas acies reliquerunt: & illi quidem fugiebant, hij vero ſequebantur, immenſaque cædes tunc facta eſt Barbarorum. Pauci vero qui euaſerant, latenter Iſtrum fluuium tranſierunt. Mox dux optimus exercitu diſperſo per vicinas vrbes, ipſe velociter remeauit ad principem, ita vt ipſe triumphorum ſuorum nuntius extitiſſet. Qood tamen ipſi imperatori dum miraretur factum, incredibile videbatur. Inuidi ſiquidem etiam eum fugiſſe dicebant, & exercitum perdidiſſe. At ille derogantes ſibi petiit dirigi, qui viderent multitudinem hoſtium peremptam. His verbis imperator flexus, direxit, qui res actas inſpicerent, eique nunciarent. Porro dux optimus inter hæc diuinam viſionem vidit, & ab ipſo omnium Deo aperte ſibi monſtratam conſpexit. Viderat enim in ſomnis, quia ſanctus Meletius Antiochiæ ciuitatis Epiſcopus eum chlamidem veſtiret imperialem, & corona caput ornaret. Hæc cum nocte vidiſſet, cuidam mane retulit amicorum. At ille clarum eſſe ſomnium dixit, & nihil ænigmaticum, nihil dubium G continere. Cumque pauci tranſiſſent dies, qui pro victoriæ inſpectione miſſi fuerant, remearunt. perem ptaque hoſtium multa millia narrauerunt. Quam ob rem lætatus princeps Gratianus Theodoſium cunctis fauentibus apud Sirmium purpura induit, ætatis annum triceſimum & tertium agentem, Orientiſque & Thraciæ ſimul imperio præfecit. Conſulatu Auſonij & Olibrij, XVIII. K. Febr. Igitur Theodoſius vrbem Conſtantinopolim triumphans intrauit. Et ne paruam ipſam Romani exercitus manum aſſidue bellando detereret, fœdus cum Athalarico rege Gothorum percuſſit. Athalaricus Conſtantinopolim venit ad Theodoſium, quem ille mira animi iucunditate ſuſcepit, & affectione: Denique cum vrbem Athalaricus intraſſet, & tam ædificia ciuitatis, quam exornatam quaſi ad diem feſtum populi frequentiam cerneret, ac per ſingula inhæreret mente, cumque deinceps imperatoris regiam ingreſſus, obſequia, officiaque diuerſa conſpiceret: Sine dubio, inquit, Deus terrenus eſt imperator, contra quem quicunque manum leuare niſus fuerit, ipſe ſui ſanguinis reus erit. Nec mora tamen ſuperueniente inualitudine rebus exceſſit humanis. Cuius exequias imperator H ipſe præcedens, digne eum tradidit ſepulturæ. At vniuerſæ Gothorum gentes, rege defuncto, aſpicientes virtutem benignitatemque Theodoſij, Romano ſeſe Imperio dediderunt. In his etiam diebus Parthi, qui Iuliano interfecto, aliiſque imperatoribus ſæpe victis, nunc etiam Valente acto, recentiſſimæ victoriæ ſatietatem cruda inſultatione ructabant, vltro Conſtantinopolim ad Theodoſium miſere legatos, pacemque ſupplices popoſcerunt, iunctumque cum eis fœdus eſt. Interea Theodoſius cauſa fœderis à Gothis acceptis obſidibus Theſſalonicam venit. Vbi cum in ægritudinem incurriſſet, baptizari cupiens, Acolium eius ciuitatis Epiſcopum requiſiuit, cuius fidei eſſet, quo reſpondente, quod Arriana peſtis in Illyricum non valuiſſet accedere, ſed inuiolatam ab initio Niceni concilij fidem conſeruarent, ille libenter verba eius ſuſcipiens baptizatus, atque ab ægritudine liberatus eſt. Inter hæc imperator Theodoſius filium ſuum Arcadium, deſignauit Auguſtum, Conſulatu Merobaudis ſecundo, & Sa-

A turnini, XIV. Calen. Februarij. In Italia vero puero ſatis
exiſtente Valentiniano, rerum curam Probus ex conſule
præfectus habebat. Iuſtina vero Valentiniani mater cum
eſſet Arriana, viuo quidem marito lædere non præſumpſit
orthodoxos. Eo mortuo, & filio valde iuuenculo, Medio-
lanum veniens Ambroſio erat infeſta, ita vt cum iuberet
exilio deſtinari. Cumque de Eccleſia iuberetur exire, Am-
broſius ait: Ego ſponte hoc non ago, ne lupis ſepta con-
tradere videar, atque blaſphemantibus Deum. Hic ſi pla-
cet occide, hoc loco mortem prona voluntate ſuſcipiam.
Ea tempeſtate Maximus, vir quidem ſtrenuus & Auguſto
dignus, niſi contra ſacramenti fidem per tyrannidem
emerſiſſet, in Britannia ab exercitu inuitus Imperator
creatus in Galliam tranſiit. At vero Gratianus, dum exer-
citum negligeret, & paucos ex Alanis quos ingenti auro
ad ſe tranſtulerat, veteri ac Romano militi anteferret,
adeoque Barbarorum comitatu, & prope amicitia captus
eſſet, vt nonnunquam eodem habitu iter faceret, odia
B contra ſe militum excitauit. Maximus igitur ab infenſis
Gratiano militibus & legionibus exceptus, eundem ſubita
incurſione perterritum, atque in Italiam tranſire cupien-
tem, dolis circumuentum interemit. Cauſa autem inter-
fectionis eius hæc fuit: Maximus enim opinionem miſit
in vulgus, quia vxor Gratiani ſuo viro feſtinaret occurre-
re, in Lugduno Galliæ ciuitate fluuium tranſeunti. Gratia-
nus autem credens coniugem Creuſam venire, quam nu-
per acceperat, non præcauens inſidias, & veluti cæcus in
foueam immanis hoſtis incurrit. Dum ergo veniſſet Gra-
tianus quaſi ad vxoris vehiculum, ex improuiſo exiliens
Andragatius Gratianum interemit. Mortuus eſt autem
Conſulatu Merobaudis & Saturnini, anno imperij deci-
moquinto, vitæ viceſimonono. Mox Maximus Valenti-
nianum Auguſtum cum matre Iuſtina Italia expulit in
Illyricum. Deinde Conſtantinopolim venit, & à Theodo-
ſio paterna pietate ſuſceptus, mox etiam imperio reſtitu-
tus eſt. Fuit autem Gratianus Sirmij genitus, literis haud
C mediocriter inſtitutus: carmen facere, ornate loqui, expli-
care controuerſias Rhetorum more: nihil aliud die noctu-
que agere, niſi ſpiculis meditari, ſummæque voluptatis
diuinæque artis credere, deſtinata ferire, parcus cibi, ſom-
nique & vini ac libidinis victor, cunctiſque eſſet plenus
bonis, ſi ad cognoſcendam Reip. gerendæ ſcientiam ani-
mum intendiſſet, à qua prope alienus, non modo volun-
tate ſed etiam exercitio fuit, id eſt, plus fere lætus quam
ſufficiebat, & plus verecundus quam Reip. intererat.

Explicit Liber Duodecimus.

Incipit

LIBER DECIMVSTERTIVS.

ANno ab Vrbe cond. M.C.XXXIX. Theodoſius ge-
nitus patre Theodoſio, matre Thermantia, quadra-
geſimus quintus ab Auguſto, interfecto per Maximum
Gratiano, imperium Romani orbis ſolus obtinuit, manſit-
D que in eo annis vndecim, cum iam in Orientis partibus
ſex annis Gratiano largiente & ſimul imperante regnaſſet.
Neceſſariiſque cauſis ad bellum ciuile permotus, cum è
duobus Auguſtis fratribus vnius interfecti vltionem, al-
terius reſtitutionem procuraret, ſeſe aduerſus Maximum
tyrannum ſola fide maior, nam longe minor vniuerſi ap-
paratus bellici comparatione, proripuit. Aquileiæ tunc
Maximus inſedebat. Andragatius Comes eius ſummam
belli adminiſtrabat: qui cum largiſſimis militum copiis
aſtuto conſilio omnes alpium ac fluminum aditus com-
muniſſet, dum nauali expeditione incautum hoſtem præ-
uenire parat, & obruere, ſponte eadem clauſtra quæ ob-
ſtruxerat, deſeruit. Ita ergo Theodoſius nemine ſentiente
vacuas alpes intrauit, atque Aquileiam improuiſus adue-
niens, magnum hoſtem ac trucem Maximum, & ab im-
maniſſimis quoque Germanorum gentibus tributa ac
ſtipendia ſolo terrore nominis exigentem ſine controuer-
ſia clauſit. Cumque Maximi milites impetum imperatoris
ſuſtinere non præualerent, apprehēdentes tyrannum, vin-
ctum ei protinus obtulerunt. Qui eorum conſulatu per- E
emptus eſt VI. Kal. Septembris. Hanc Maximo perditio-
nem beatus Martinus ante prædixit. Valentinianus rece-
pto Italiæ potitus imperio eſt. Andragatius comes, qui
peremerat Gratianum, cognita Maximi nece, præcipitem
è naui in vicino fluuio ſemetipſum proijciens ſuffocatus
eſt. Theodoſius incruentam victoriam Deo procurante
ſuſcepit. Victorem quoque Maximi filium, quem impe-
ratorem pater Gallis infantili ætate reliquerat, extinxit.
Tunc igitur imperatores Valentinianus & Theodoſius
peracta victoria Romam venere. Erat enim cum eis Ho-
norius adhuc puer, quem pater poſt victoriam contra
Maximum geſtam ab Vrbe Conſtantinopolitana euoca-
uerat. Theodoſius igitur imperator in vrbe Roma conſi-
ſtens multum profuit ciuitati, alia præbendo, alia vtiliter
auferendo. Duas tamen res dignas confuſione prohibuit.
Erat ab initio in vrbe Roma domus ingenti magnitudine
fabricata, in qua panis fiebat, qui vniuerſæ ciuitati mini-
ſtrabatur. Huius mancipes tempore procedente piſtrina
publica latrocinia eſſe fecerunt. Cum enim eſſent molæ F
in locis ſubterraneis conſtitutæ, per ſingula latera earum
domuum tabernas inſtituentes, meretrices in eis proſtare
faciebant, quatenus per eas plurimos reciperent, alios qui
pro pane veniebant, alios qui pro luxuriæ turpitudine ibi
feſtinabant. Arte namque mechanica in molam de taber-
na cadebant, & hoc patiebantur maxime peregrini, & ita
latebant clauſi, vt multi vſque ad ſenectutis tempus labo-
rantes, inde non permitterentur exire, æſtimantibus eo-
rum propinquis eſſe defunctos. In huiuſmodi laqueos
miles quidam Theodoſij incurrit. Cumque fuiſſet clau-
ſus ad molam, nec dimitteretur exire, euaginato gladio
prohibentes occidit. At illi terrore detenti militem dimi-
ſerunt. Hoc agnoſcens Imperator & mancipes ſuppliciis
occidit, & ipſam piſtrinam deſtruere funditus præcepit.
Aliam rurſus abrogauit huiuſmodi cauſam. Si qua mulier
in adulterio capta fuiſſet, hoc non emendabatur, ſed po-
tius ad augmentum peccandi contradebatur. Includebant
eam in anguſto proſtibulo, & admittentes qui cum ea
fornicarentur, hora qua turpitudinem agebant, tintinna- G
bula percutiebant, vt eo ſono illius iniuria fieret mani-
feſta. Hæc audiens Imperator permanere non eſt paſſus,
ſed ipſa proſtibula iuſſit deſtrui. His actis relicto Valen-
tiniano Romæ ipſe cum Honorio Conſtantinopolim re-
meauit, conſulatu Daciani & Symmachi, IV. idus Nouem-
bris. Igitur Theodoſius Imperator habuit paſſionum quo-
que permotionem, iuſtoque furori immenſam permiſcens
crudelitatem, iniuſtam operatus eſt paſſionem. Quam rem
narrare neceſſarium eſt, & pro vtilitate legentium, & pro
memorabili opinione virtutum. Theſſalonica ciuitas eſt
grandis & populoſa, in qua dum orta fuiſſet ſeditio, qui-
dam iudicum lapidati ſunt atque tracti. Hinc indignatus
Theodoſius, iracundiæ non refrænauit infirmitatem, ſed
ad ludos Circenſes inuitari ciues iuſſit, & ſuper omnes
iniuſtos gladios euaginari præcepit, & vna cum nocenti-
bus innocentes interimit: ſeptem millia hominum, ſicut
fertur, non præcedente iudicio ſed tanquam in meſſe om-
nes ſimul occiſi ſunt. Huiuſmodi cladem gemitibus ple- H
nam audiens Ambroſius, cum princeps Mediolanum ve-
niſſet, & ſolemniter in ſacrum voluiſſet intrare templum,
occurrit foris ad ianuas, & ingredientem his ſermonibus
à ſacri liminis ingreſſu prohibuit dicens: Neſcis Impera-
tor perpetratæ necis quanta ſit magnitudo, neque poſt
cauſam tanti furoris mens tua molem præſumptionis ag-
noſcit? Sed forte recognitionem peccati prohibet poteſtas
imperij. Decet tamen vt vincat hic ratio poteſtatem.
Scienda quippe natura eſt, eiuſque mortalitas atque reſo-
lutio, & puluis progenitorum, ex quo facti, ad quem redi-
gendi ſumus: & non flore purpureo confidentem, infirmi-
tates operti corporis ignorare. Coæqualium hominum es
Imperator & conſeruorum. Vnus enim omnium dominus
rex & creator. Quibus igitur oculis aſpicies communis
domini templum? quibus calcabis pedibus ſanctum illius
pauimentum? Quomodo manus extendes, de quibus ad-
huc ſanguis ſtillat iniuſtus? Quomodo huiuſmodi mani-
bus ſuſcipies Domini corpus? Qua præſumptione ore tuo

A poculum ſanguinis pretioſi percipies, cum furore ſermonum tantus iniuſte ſit effuſus ſanguis? Recede igitur, recede, ne ſecundo peccato, priorem nequitiam augere contendas. Suſcipe vinculum, quo te omnium Dominus nunc ligauit. Eſt enim medicina maxima ſanitatis. His ſermonibus Imperator obediens, (erat enim diuinis eruditionibus enutritus & aperte ſciens quæ ſint propria ſacerdotum, quæ regum) gemens & deflens ad regalia remeauit. Cumque octo menſium continuorum tranſiſſent tempora, appropinquauit natiuitas Saluatoris noſtri. Imperator autem lamentationibus aſſiduis in palatio reſidens, continuas lachrymas inceſſabiliter expendebat. Ingreſſus autem Rufinus magiſter, & ſingularem apud principem fiduciam habens, & videns in lamentatione principem proſtratum, acceſſit, lachrymarum cauſas inquirere. At ille amariſſime ingemiſcens, & vehementius lachrymas fundens: Tu inquit, Rufine ludis, & mea mala non ſentis. Ego autem lamentor & gemo calamitatem B meam, quia ſeruis mendicantibus aperta ſunt templa Dei, & proprium dominum licenter exorant, mihi vero ingreſſus ad eum non eſt. Inſuper & cœli ſunt clauſi. Hæc dicens verba ſingultibus rumpebat. Rufinus, curro, inquit, ſi tibi placet, & pontifici precibus perſuadeo, vt ſoluatur vinculum quod ligauit. At Imperator, non inquit, ſuadebis Ambroſio. Noui ego decretum illius eſſe iuſtum, neque reuerebitur imperialem potentiam, vt legem poſſit præuaricare diuinam. Cumque Rufinus verbis plurimis vteretur, vt promitteret Ambroſium eſſe flectendum, Imperator eum cum feſtinatione pergere præcepit. Ipſe vero ſpe data poſt paululum eſt ſequutus, credens Rufini promiſſionibus. Porro vir mirandus Ambroſius, mox vt vidit Rufinum, ait: Impudentiam canum imitatus es ô Rufine: tantæ videlicet necis autor exiſtens, pudorem ex fronte detergens, nec erubeſcis; nec metuis contra imaginem latrare diuinam. Cúmque Rufinus ſupplicaret, & imperatorem diceret eſſe venturum, ſuperno C zelo accenſus ait: Ego tibi Rufine prædico, quoniam eum ingredi limina prohibebo: ſi vero imperium in tyrannidem mutauit, necem ego libenter ſuſcipio. Hæc & alia Rufinus audiens nuntiauit Imperatori votum Antiſtitis, monens ne de palatio forte procederet. At Imperator in media platea iam cognoſcens! Pergo inquit, & iuſtas in facie ſuſcipio contumelias. Cumque ad ſacra limina perueniſſet, in ſanctam quidem baſilicam non præſumpſit intrare, ſed veniens ad Antiſtitem, & inueniens eum in Saluatorio reſidentem, ſupplicabat vt eius vincula reſolueret. At ille tyrannicam eius dicebat eſſe præſentiam, & contra Deum inſanire Theodoſium, eius calcare leges. Verum Imperator: Non aſſurgo inquit, aduerſus Eccleſiaſticas ſanctiones, nec inique ingredi limina ſacra contendo, ſed te ſoluere vincula mea depoſco, & communis domini pro me exorare clementiam, nec mihi ianuam claudi, quam cunctis pœnitentiam agentibus Dominus noſter aperuit. Tunc Antiſtes, quam pœnitentiam, inquit, oſtendiſti poſt tantas iniquitates? quibus D medicaminibus incurabilia vulnera plagaſque curaſti? At Imperator, tuum, inquit, opus eſt edocere, & medicamina temperare, meum vero oblata ſuſcipere. Tunc ſanctus Ambroſius, Quomodo furori inquit, tuum iudicium commiſiſti, & non ratio protulit ſententiam, ſed potius iracundia: ſcribe legem, quæ legem furoris euacuet: & triginta diebus ſententia necis atque proſcriptionis tantummodo in literis maneat, & iudicium rationis expectet. Quibus tranſactis diebus, ira videlicet ceſſante, ratio cauſam iudicans apud ſemetipſam, quæ cognouerit, ſub veritate diſponat. In his enim diebus cognoſcitur, ſi iuſta ſit quam protuleris ſententia, aut iniuſta. Et ſi quidem probauerit iniuſta quæ ſunt prolata, diſrumpet: ſi vero iuſta, firmabit. Dierum vero numerus ad hæc examinanda ſufficiet. Hanc admonitionem Imperator licenti animo ſuſcipiens, & optimam eſſe confidens legem, conſcribi repente præcepit, & propriæ manus literis confirmauit. Quo facto vincula eius ſoluit Ambroſius. Quæ lex hactenus obſeruatur Eſt autem huiuſmodi: Imperatores, Gratianus, Valentinianus, Theodoſius, Auguſti, Flauiano prætorio præfecto Illyrici. Si vindicari in aliquos ſeuerius contra noſtram conſuetudinem iuſſerimus, pro cauſæ intuitu, nolumus ſtatim eos aut ſubire pœnam, aut excipere ſententiam, ſed per dies triginta ſuper ſtatuta eorum ſors & fortuna ſuſpenſa ſit. Reos ſane accipiant vincla atque cuſtodia, & excubiis ſolertibus vigilanter obſeruentur. Sic igitur ſacratiſſimus Imperator ingredi limina præſumens, non ſtans domino ſupplicauit, neque flexit genua: ſed pronus in pauimento iacens, Dauidicam proclamauit vocem: Adhæſit pauimento anima mea, viuifica me ſecundum verbum tuum. Manibus barbam capilloſque euellens, frontem percutiens, & pauimento lachrymarum guttas aſpergens, veniam impetrare poſcebat. Cumque tempus accederet, quo munus ad altare ſolebat offerre, ſurgens cum lachrymis eſt ingreſſus. Cum vero obtuliſſet, ſicut ſolitus erat, intra cancellos ſtetit. Rurſus autem Ambroſius non F quieuit, ſed differentiam locorum edocuit. Et primo quidem requiſiuit, quid ibidem expectaret. Imperatore dicente, ſuſtinere ſe ſacrorum perceptionem myſteriorum, per Archidiaconum remandauit: O Imperator, interiora loca tantum ſacerdotibus ſunt collata, quæ cæteri nec contingere, nec ingredi permittuntur. Egredere igitur, & hanc expectationem cum cæteris habe communem. Purpura namque Imperatores, non ſacerdotes facit. Tunc fideliſſimus Imperator etiam hanc traditionem gratanti animo ſuſcipiens, remandauit: Non audaciæ cauſa intra cancellos ſteti, ſed in Conſtantinopolitana vrbe hanc conſuetudinem eſſe cognoui. Vnde gratias ago pro huiuſmodi medicina. Tanta igitur & tali virtute præſul & Imperator pollebant. Ego namque vtriuſque opus admiror. Illius fiduciam huius autem obedientiam: illius zeli feruorem, huius fidei puritatem. Porro regulas pietatis, quas à magiſtro ſacerdote recepit, etiam reuerſus in Conſtantinopolitana vrbe ſeruauit. Nam dum feſtiuitatis tempore ad Eccleſiam proceſſiſſet, oblatis in altare muneribus mox egreſſus eſt. Cumque Nectarius tunc præſul Eccleſiæ mandaſſet, cur intus ſtare noluiſſet, mandauit princeps, G Vix, inquit, potui diſcere, quæ diſtantia ſit Imperatoris & ſacerdotis. Vix enim inueni veritatis magiſtrum. Ambroſium namque ſolum noui vocari digne pontificem. Habebat igitur Imperator & aliam vtilitatis cauſam & occaſionem, per quam de bonis operibus triumpharet. Coniux enim diuinas leges eum ſæpius admonebat, ſeipſam tamen prius erudiens perfecte. Non enim regni faſtigiis eleuata eſt, ſed potius diuino amore ſuccenſa. Beneficij namque magnitudo maius ei deſiderium benefactoris adhibebat. Repente namque vt venit ad purpuram, claudorum atque debilium maximam habebat curam, non ſeruis, non ancillis, non aliis miniſtris vtens, ſed per ſemetipſam agens, & ad eorum habitacula veniens, & vnicuique quod opus haberet præbens. Sic per Eccleſias & per Eccleſiarum xenodochia diſcurrens ſuis manibus miniſtrabat infirmis, ollas eorum tergens, ius guſtans, offerens H coclearia, panem frangens, ciboſque miniſtrans, calicem diluens, & alia cuncta faciens, quæ ſeruis ac miniſtris mos eſt ſolemniter obſeruare. His autem qui eam rebus talibus nitebantur prohibere, dicebat: Aurum diſtribuere opus imperij eſt. Ego autem pro ipſo imperio hoc opus offero, bona mihi omnia conferenti. Nam viro ſuo ſæpe dicebat: Oportet te ſemper marite cogitare, qui dudum fuiſti, qui modo ſis. Hæc ſi ſemper cognoueris, ingratus creatori benefactori non eris, ſed imperium quod ſuſcepiſti, legaliter gubernabis, & harum rerum autorem placabis. His ergo ſermonibus velut optimam quandam vtilitatem, virtutiſque abundantiam, coniugis ſui ſermonibus offerebat. Igitur grammaticus quidam nomine Eugenius literarum Latinarum doctor, relinquens ſcholas in palatio militabat, eratque imperatoris Valentiniani antigraphus, & propter eloquentiam à multis honoratus. Tunc ergo fertur, non mediocriter cogitans cooperatorem aſſumpſiſſe Arbogaſtem de minoribus Gallis ortum, militaris ordinis ducem, virum ſæuum, & necibus præparatum, cultoremque ſordidiſſimum idolorum. Quo facto declinauit ad tyrannidem, & contra Valentinianum necem machinabantur, cubicularios apud Viennam Galliæ vrbem corrum-

pentes

A pentes eunuchos. At illi dormientem Principem ſuffocarunt, atque vt voluntariam ſibi mortem conſciuiſſe putaretur, laqueo ſuſpenſus eſt. Quo extincto Arbogaſtes tyrannum creauit Eugenium, eligens hominem cui titulum imperatoris imponeret, ipſe recturus imperium: vir barbarus, animo, conſilio, manu, audacia potentiaque nimius. Contraxit vndique innumeras & inuictas copias, vel Romanorum præſidiis, vel barbarorum auxiliis: aliis poteſtate, aliis cognatione ſubnixus. Hæc audiens imperator Theodoſius, rurſus ſollicitudinibus obſtrictus, ſecunda certamina poſt Maximum præparabat. Congregan{s}que militarem virtutem, & Honorium filium deſignans imperatorem, conſulatu ſuo & Abundantij, IV. idus Ianuarij, denuo ad partes Occidentis magno ſtudio feſtinabat. Interea euentum belli conſiderans, mittit ad Thebaida ad Ioannem monachum perſpicientem futura. Ad quem deſtinauit Eutropium eunuchum ſibimet fideliſſimum, vt B aut eum, ſi vellet venire, deduceret, aut nolentem de euentu belli requireret. At ille Ioannem quidem deducere non præualuit, ſed mandatum retulit eius, quod vinceret & perimeret tyrannum, & poſt victoriam in Italia moreretur. Igitur Theodoſius relictis ambobus filiis in vrbe Conſtantinopolitana, cum pergeret contra Eugenium bellaturus, plurimi trans Iſtrum fluuium barbari ſunt ſecuti, cum eo pugnaturi contra tyrannum: paruoque tempore cum manu maxima venit ad Gallias. Illic enim præparabat bellum, vbi iam multa millia habebat exercitus. Eugenius igitur atque Arbogaſtes cum omni inſtructa acie alpium tranſitus tenerent, & Theodoſius in ſummis alpibus conſtitutus eſſet, expers cibi ac ſomni, cum lachrymis orationi incumbens, & circa galli cantum ſopore compreſſus, vidit in ſomnis, quaſi iaceret in campo, & aſtarent ei duo quidam viri in veſtibus albis, & equis candidiſſimis reſidentes, eumque iubentes habere fiduciam, & diluculo armare milites ad victoriam: dicebantque ſe C pro ſolatio deſtinatos. Quorum alter Ioannem Euangeliſtam, alter ſe Philippum dicebat Apoſtolum. Hac viſione comperta nequaquam ab oratione ceſſauit, ſed lachrymas vberiores effudit. Quæ viſio etiam alicui militum reuelata eſt, & per diuerſos venit ad Principem. At ille non propter me, inquit, iſte hæc vidit, ſed ne quis crederet quia finxi, quod ego vidi, ideoque etiam iſti monſtratum eſt. Nam primum mihi hoc dominus cõmunis oſtendit. Cumque ſe à ſuis diſtiuctum ſciret, ab hoſtibus circumſeptum neſciret, fiducialiter arma corripiens, ſigno crucis ſignum belli dedit, ac ſe in prælium, etiamſi nemo ſequeretur, immiſit, victor futurus. Prima ſalutis via extitit Arbitio hoſtilium partium comes. Qui cum ignarum Imperatorem circumpoſitis excepiſſet inſidiis, conuerſus mox ad reuerentiam Imperatoris, eum non ſolum periculo liberauit, verum etiam auxilio inſtruxit. Fit ergo congreſſio circa fluuium vocabulo Frigidum. Igitur in parte qua Romani contra Romanos confligebant, bella erant D æqualia: vnde vero barbari auxiliatores Imperatoris, pars Eugenij potior eſſe videbatur. Imperator autem videns barbaros deperire, in maximam veniens æſtuationem, & ſtans in edita rupe, vnde & conſpicere & conſpici poſſet ab vtroque exercitu, proiectis armis ad ſolita ſe vertit auxilia, & proſtratus in terra iacuit, adiutorem Deum inuocans & dicens: Omnipotens Deus, tu noſti, quia in nomine Chriſti filij tui vltionis iuſtæ iſta prælia ſuſcepi. Si ſecus, in me vindica: ſi vero cum cauſa probabili, & in te confiſus huc veni, porrige dexteram tuis, ne forte dicant Gentes. Vbi eſt Deus eorum? Et ſtatim petitione fruſtratus non eſt. Quidam enim Barbarius nomine, magiſter militum eius, vir fide & pietate & virtute animi pollens, repente ſic confortatus eſt, vt cum primis ducibus concurreret ad eam partem qua barbari præliabantur. Quo facto, diſrupit acies, & in fugam mox vertit inimicos. Fitque denuo ex hora miraculum. Turbo venturum vehemens à parte Theodoſii, in ora hoſtium pectoraque illiſis grauiter ſcutis euerberabat, nunc impreſſis pertinaciter obſtricta claudebat, nunc auulſis violenter deſtituta nudabat, nunc oppoſitis iugiter in terga trudebat. Tela etiam quæ vehementer intorſerant, excepta ventis impetu ſupinato, ac retrorſum coacto, in ipſos infeliciter configebat: E & ea quæ ab eius parte ſpicula erant miſſa, vltra menſuram humani iactus per magnum inane portata, valenter hoſti infigebat. Hoc itaque modo dimicatione conſumpta, Tyrannus cõcurrens ad pedes Imperatoris exorabat promereri ſalutem. Qui circa pedes eius à militibus capite ſecatus eſt, xv. Kalend. Octobris, conſulatus Arcadij anno tertio, & Honorij ſecundo. Arbogaſtes autem tantorum cauſa malorum, poſt duos congreſſionis dies fuga lapſus cum cognouiſſet quia viuere non poſſet, proprio gladio ſe peremit. Præmiſerat denique prius Theodoſius decem millia Gothorum auxiliatorum, quæ ab Arbogaſte comite funditus deleta ſunt. Quos vtique Theodoſio perdidiſſe, magis lucrum, quam detrimentum fuit. Ad cuius laudem ob inſignẽ victoriam poëta quidam nomine Claudianus, eximius ſed paganus, inter cætera huiuſmodi Deo & homini teſtimonium cecinit.

O nimium dilecte Deo, tibi militat æther, F

Et coniurati veniunt ad claſſica venti.

Ea tempeſtate in Orientis partibus, apud Palæſtinam prouinciam in caſtello Emaüs, natus eſt puer, perfectus, ab vmbilico & ſurſum diuiſus, ita vt haberet duo pectora, & duo capita, & vnuſquiſque ſuos ſenſus: & vnus edebat & bibebat, & alter non edebat: vnus dormiebat, & alter vigilabat, nonnunquam inſimul dormiebant. Inſimul tamen ludebant ad alterutrum, & flebat vterque, & percutiebant inuicem. Porro vixerunt annis ferme duobus. Et vnus quidem mortuus eſt, alter ſuperuixit diebus quatuor. Igitur Theodoſius Imperator poſt laborem publicum corpore fatigatus in ægritudinem incurrit, & ſperans ſe ægritudine moriturum, potius de republica cogitabat, conſiderans quæ ſolent prouenire hominibus Imperatore morte. Filium itaque Honorium de Conſtantinopoli euocauit, & Imperatorem Romæ ornauit. Cumque Honorius Mediolanum veniſſet, Theodoſius ea ægritudine releuatus, Circum de victoria celebrabat; & ante prandium G repente prægrauatus eſt, & ad ſpectaculum venire non potuit: filium tamen ludis adeſſe præcepit. Superueniente vero nocte defunctus eſt, Conſulatu Olibrij & Probini avj. Kal. Februarij, Anno Imperij decimo ſeptimo vitæ vero quinquageſimo. Huic fertur nomen ſomnio parentes monitos ſacrauiſſe, quod in Latinum à Deo datum poteſt intelligi. Fuit autem propagator Reipublicæ ac defenſor eximius, moribus & corpore Traiano ſimilis, quantum ſcripta veterum & picturæ docent, à quo & originem traxit. Sic eminens ſtatus, membra eadem, par cæſaries, os abſque eo quod illi aliquantum euellendo ſteriles genæ, neque tam ingentes oculi erant: neſcio an & tanta gratia, tantuſque flos in facie, ſeu tanta dignitas in inceſſu. Mens vero prorſus ſimilis, adeo vt nihil de illo dici queat, quod non ex libris in iſtum videatur transferri. In omnes homines honorificus, verum effuſus in bonos. Simplicia ingenia diligere, erudita mirari, præſertim quorum erga ſe vel parum aſpero caſu officia probauerat. Illa H tamen vitia, quibus Traianus aſperſus eſt, vinolentiam ſcilicet & cupidinem triumphandi, vſque adeo deteſtabatur, vt bella non mouerit, ſed inuenerit: miniſteria laſciua, pſaltriaſque comeſſationibus adhiberi lege prohibuit, tantum pudori tribuens & continentiæ, vt conſobrinarum nuptias tanquam ſororum interdixerit. Si nimium perfectus contemplemur, litteris mediocriter doctus, ſagax plane multumque diligens ad noſcenda geſta maiorum. E quibus non deſinebat execrari, quorum facta ſuperba, crudelia, libertatique infeſta legeret, vt Cinnam, Marium, Syllam, atque vniuerſos dominantium, præcipue tamen ingratos & factioſos. Iraſci ſane rebus indignis, ſed ſubito flecti. Vnde quoque dilatione modica emolliebat interdum præcepta ſeuera, habuitque à naturæ munere quod Auguſtus à philoſophiæ Doctore. Qui cum vidiſſet eum facile commoueri, ne aſperum aliquid ſtatueret, monuit: vbi iraſci cœpiſſet, quatuor atque viginti Græcas literas memoria recenſere, vt illa concitatio, quæ momenti eſt, mente alio traducta, parui temporis interiectu langueſceret. Melior haud dubie, quod eſt raræ virtutis, poſt auctam annis potentiam regalem,

A multoque maxime poſt ciuilem victoriam. Nam & annonæ curam ſolicitius attendere, & auri argentique grande poodus, ſublati atque expenſi è tyrannis, multis ex ſuo reſtituere : cum benigni equidem principum vix fundos ſolerent nudos, ac deformata prædia concedere. Iam illa minutiora, &, vt dicitur intra aulam, quæ quia occultata ſunt, magis oaturæ hominum curioſe oculos aureſque ad ſe trahunt. Inerat ei etiam cura pietatis eximiæ, patruum colere tanquam genitorem, fratris mortui, ſororiſque liberos habere pro ſuis, cognatos affineſque & parentes animo complecti, elegans lætumque conuiuium magis quam ſumptuoſum dare : miſcere colloquia pro perſonis, ſtudiis dignitatibus, ſermone cum grauitate iucundo. Blandus pater, concors maritus, exercebatur neque ad illecebram, neque ad laſſitudinem. Ambulationibus magis cum eſſet otium, reficiebat animum, ac veſcendi continentia valetudinem regebat. Igitur vi. Idus Nouembris menſis eodem anno Theodoſij corpus delatum eſt cum ſolemni honore Conſtantinopolim, & ab B Arcadio filio ſepulturæ traditur. Poſt paucos vero dies, id eſt v. Kal. Decembris etiam exercitus, qui cum Imperatore Theodoſio fuerat contra tyrannum, reuerſus eſt. Et dum Imperator Arcadius ſecundum conſuetudinem ad portas occurriſſet exercitui remeanti, tunc milites Rufinum præfectum Imperatoris peremerunt. Erat enim ſuſpectus quaſi tyrannidem meditaretur aſſumere. Dicebatur autem quia Hunnos ipſe in Romanorum prouincias euocaſſet, qui tunc Armeniam & partes Orientis valde vaſtabant.

ARCADIVS. HONORIVS.

Anno ab Vrbe condita M. C. X L V I. Arcadius Theodoſij filius in Oriente, Honorius frater eius in Occidente, quadrageſimo ſexto loco ab Auguſto commune imperium diuiſis tantum tenere cœperunt ſedibus. Quorom pater curam potentiſſimis viris mandatas habere, id eſt, Rufino Orientalis aulæ, qui ab exercitu, interfectus eſt: & Stiliconi Occidentale imperium. Honorius itaque ſuſ- C cipiens Occidentis imperium, ludum gladiatorum, qui dudum Romæ celebrabatur, huiuſmodi cauſa remouit. Quidam Telemachius conuerſatione monachicę pro hac cauſa Romam venit. Cumque nefandum illud ſpectaculum ageretur, & ipſe intrauit in ſtadium, & deſcendens nitebatur pugnantes aduerſum ſe gladiis ſeparare. Cumque ſpectatores aduerſum eum ſæuirent, & in effuſione ſanguinis graſſarentur, prouiſorem pacis lapidibus occiderunt. Hoc agnoſcens mirabilis Imperator, illum quidem inter victores martyres enumerauit, nefandum vero ſpectaculum prorſus abſcidit. Eo tempore Hunni tranſeuntes Iſtrum fluuium Thraciam deuaſtabant. Iſauriæ quoque latrones maxima multitudine congregata vſque ad Carenos & Phœniciam venientes, vrbes & vicos in medio poſitos depopulati ſunt. Per idem tempus Stilico patricius magiſter armorum erat apud Honorium, magna præditus poteſtate : habebatque ſub ſe plurimos Romanorum atque gentilium, qui contractis inimicitiis cum Arcadij ducibus, cogitabat congredi contra eos. Tunc D ergo agens cum Honorio Alaricum Regem Gothorum fecit ordinari magiſtrum militum : & acceſſit aduerſus Illyricum, eique Iouium præfectum conſtituit, vt arma contra Romanos attolleret, & prouincias Honorij ſubderet ditioni. Et cum Alaricus barbaros ſub ſe conſtitutos, & per Dalmatias habitantes congregaſſet, venit ad Epirum, vbi multo tempore commoratus, in Italiam reuerſus eſt. Qui cum diſcedere voluiſſet, Honorij literis retentus eſt, ſicut ipſe confeſſus eſt. Interea ingens terræmotus Conſtantinopoli factus eſt, ita vt ſubtus terra tremeret, & deſuper fuſa cœlitus flamma penderet : tandiuque manſit, donec orationibus Arcadij principis, & populi Chriſtiani, præſentem perditionem Deus exoratus auerteret ; probans ſe ſolum eſſe & conſeruatorem humilium, & punitorem malorum. Arcadius itaque Imperator erat vir mitis ac quietus, & circa finem vitæ pro huiuſmodi cauſa venerabilis æſtimatus. In vrbe Conſtantinopoli domus eſt maxima, habens cognomen Caryæ, id eſt, nucis. Eſt enim in eius domus veſtibulo arbor nucis, in qua, vt ſermo eſt, fuerat appenſus martyr Acacius & defunctus. Ob quam rem etiam oratorium illic eſt ædificatum. E Hanc Arcadius videre volens ad orationem venit votoque completo reuertebatur. Proinde cuncti circa oratorium habitantes, volentes Imperatorem videre currebant. Et alij quidem foras domum præceſſerant, vt melius aſpectum principis & ordinem viderent obſequij, alij vero ſequebantur. Dumque omnes cum mulieribus atque filiis ſimulque mancipiis extra domum fuiſſent egreſſi, repente maxima domus oratorio cohærens ſubito tota corruit. Clamor cum admiratione ſequutus eſt, quomodo oratio principis tantos à ruinæ imminentis periculo liberauit. Interea Gildo comes Africæ cognita Theodoſij morte arbitratus minimam in paruulis ſpem fore, Africam iure proprio cœpit vſurpare. Huius frater Macezil perfidiam germani perhorreſcens in Italiam rediit : Gildo autem duos eius filios adoleſcentes, quos pater in Africana militia reliquerat, occidit, dolo circumuentos. Ad F hunc iam vt hoſtem bello inſequendum, Macezil, frater eius miſſus eſt. Igitur Macezil iam inde à Theodoſio ſciēs quantum in rebus deſperatiſſimis oratio hominis per fidem Chriſti clementiam Dei impetraret, Caprariam inſulam adiit, inde ſecum ſeruos Dei aliquos permixtos ſuis, precibus abducens : cum quibus orationibus ac ieiuniis dies aliquot continuauit, & noctes : pro qua re victoriam ſine bello meruit & ſine cæde vindictam. Igitur Ardealio, fluminis nomen eſt, quod fluit inter Teueſtem, & Amedaram ciuitates. Vbi cum parua manu, hoc eſt, cum quinque millibus vt aiunt militum, contra ſeptuaginta millia hoſtium caſtrametatus, cum intericcta mora excedere loco, appoſitaſque vallis præiacentis anguſtias tranſgredi vellet, incurrente nocte beatum Ambroſium Epiſcopum Mediolani paulo ante defunctum per ſomnium ſibi videre viſus eſt, ſignificantem manu, & impacto ad humum ter baculo dicentem : Hic, hic, hic. Quod prudenti coniectura intellexit : merito annunciantis fidem victoriæ, verbo locum, numero diem G ſignificari : & ſubſtitit. Ac tertio demum die poſt noctem orationibus hymniſque peruigilem ab ipſis cœleſtium myſteriorum ſacramentis in hoſtem circumfuſum proceſſit, & cum ad eos qui primo occurrerant, pia pacis verba iactaret, ſigniferum quendam inſolenter obſiſtentem gladio percuſſit in brachio, cumque manu debilem ipſo vulnere coegit inclinare vexillum. Quo viſo auxiliarij Gildonis barbari illico terga dederunt. Gildo & ipſe fugiens aſcenſa naui, cum Africam rediiſſet, poſt aliquot dies ſtrangulatus interiit. Sane idem Macezil elatus rerum ſecundarum inſolentia & tumens, poſthabito ſanctorum conſortio, cum quibus antea Deo militans vicerat, etiam eccleſiam Dei temerare auſus eſt, atque ex ea quoſdam non dubitauit extrahere. Sequuta mox pœna ſacrilegum eſt. Nam iiſdem ſuperſtitibus atque inſultantibus, quos ab eccleſia ad pœnā protraxerat, poſt aliquantum tempus ſolus ipſe punitus eſt. Probauitque in ſe vno ad vtrumque ſemper diuinum vigilare iudicium, quando & cum ſperauit, adiutus eſt, & cum contēpſit, occiſus eſt. Arcadius itaque cum ſe mori cerneret, videns Theodoſium filium ſuum H paruulum eſſe (erat enim annorum octo) conſideranſque ne à quoquam inſidiis appeteretur, hunc Imperat. appellauit, & ei curatorem per teſtamentum fore ſtatuit Hiſdigerden regem perſarum. Hiſdigerdes autem Arcadij teſtamento ſuſcepto, paceque ſine inuidia, erga Romanos vſus, Theodoſio imperium conſeruauit, & Antiochum quendam mirabilem atque rationabilem virum ei tutorem & pædadogum mittens, hæc Romano Senatui ſcribit. Arcadio dormiente, meque curatorem filij conſtituente, qui ſuppleat locum meum direxi. Nequis ergo inſidias puero conetur, ne prælium intolerabile contra Romanos inſurgat. Antiochus vero cum Conſtantinopolim veniſſet, ab Honorio Imperatore libenter ſuſceptus eſt : & erat pax inter Romanos & Perſas, ipſo Antiocho maxime pro Chriſtianis multa ſcribēte. Sicque dilatata eſt in Perſide Chriſtianitas, Maruntha Epiſcopo Meſopotamiæ mediante. Arcadius vero defunctus eſt Kalendis Maij menſis, conſulatu Baſſi & Philippi anno vitæ trigeſimo primo. imperij, cum patre annis tredecim, ſolus qua-

A tuordecim. Interea Stilico patricius Occidentis tutor Imperij, immemor collatorum beneficiorum immemor affinitatis (nam ſocer extabat Honorij) regnum & ipſe Eucherio filio affectans, ingentia Reip. intulit mala. Nam cum ſæpe delere poſſet barbaros, fouit, & regem Scytharum cum Gothis ſuis vicit, & ſæpe concluſit, ſemperque dimiſit. Cui quis fuerit exitus, ſuo melius in loco dicetur. Inter hæc omnium antiquorum præſentiumque hoſtium longe immaniſſimus Radagaiſus rex Gothorum, totam repentino impetu inundauit Italiam. Nam fuiſſe in eius populo pluſquam ducenta millia Gothorum ferunt. Hic ſuper hanc incredibilem multitudinem, indomitamque virtutem, barbarus erat & Scytha, qui omnem Romani generis ſanguinem diis ſuis propinare deuouerat. Inuadit illico Romam pauor infinitus, fit omnium paganorum in vrbe concurſus, acclamatur à cunctis, ſe ideo hæc perpeti, quod neglecta fuerint magnorum ſacra deorum: magnis querelis vbique agitur, ac continuo de repetendis ſacris B agitur. Feruent tota Vrbe blaſphemiæ. Vulgo nomen Chriſti tanquam lues aliqua probris ingrauatur. Conducuntur a Romanis aduerſum Radagaiſum Gothorum regem duo pagani duces Sarus & Vldin Hunnorum. Sed non ſinit Deus rem ſuæ potentiæ infidelium virtutem videri. Contritus namque diuinitus Radagaiſus in aſpero Feſulani montis iugo vrgente vndique timore concluditur, agminaque quibus anguſta dudum videbatur Italia, latendi ſpe in vnum ac paruum verticem trudimur. Vbi cum fame & ſiti conficerentur, rex Radagaiſus ſolus ſpem fugæ ſumens, captus à Romanis in vincula coniicitur, ac pauliſper retentus vita priuatur. Tanta vero multitudo captiuorum Gothorum fuiſſe fertur, vt viliſſimarum pecudum modo ſingulis aureis paſſim greges hominum venderentur. Ea tempeſtate Alaricus rex Gothorum, qui ditioni Romanæ & Theodoſio Imperatori ſubiectus, atque contra Eugenium tyrannum ſolatia præbens, propterea Romanis dignitatibus fuerat honoratus, felicitatem ſuam non ferens, imperare quidem non elegit, ſed diſcedens ab C vrbe Conſtantinopolitana, venit ad partes Occidentis. Cumque veniſſet in Illyricum omnia ſubuertebat: & tranſiens Theſſaliam, habita congreſſione circa fluuium Pinum apud Nicopolim Epiri pene tria millia virorum eius Theſſali peremerunt. Poſt hæc autem Italiam ingreſſus, cum ab Honorio ſedes, quo cum ſuo exercitu conſiſtere poſſit, expeteret, Honorius deliberato conſilio Gallias eidem conceſſit. Qui dum ad Gallias pergens ob recuperationem iumentorum apud Pollentiam reſediſſet, Stilico patricius in perniciem Reip. Gothos pertentans, dum eos inſidiis aggredi cuperet, belli ſummam Sauli Pagano duci committit. Qui ipſo ſacratiſſimo die Paſchæ Gothis ſupplicantibus, nihil tale ſperantibus, ſuper eos irruit, magnamque eorum partem proſtrauit. Nam primum perturbati Gothi, ac propter religionem cedentes, demum arma corripiunt, more ſolito ſe cohortantur, virtute priori proſternunt exercitum. Hinc in rabiem furoris excitati, cœptum iter deſerentes Romam contendunt petere, cuncta per quæ ierant igne ferroque vaſtantes. Nec mora, venientes Vrbem capiunt ac deuaſtant, plurima miraculorum eius incendunt, multoſ D que ſenatorij ordinis diuerſis ſubdidere ſuppliciis: dato tamen prius præcepto, vt ſi qui in ſancta loca, præcipueque in ſanctorum Apoſtolorum baſilicas Petri & Pauli confugiſſent, hos in primis inuiolatos ſecuroſque eſſe ſinerent: deinde in quantum poſſint prædæ inhiantes à ſanguine temperarent. Romanum tamen imperium deridentes, Imperatorem fecerunt quendam nomine Athalum. Quem vna die tanquam Imperatorem fecerunt procedere, altera vero ſerui ſchemate miniſtrare. Captaque eſt Roma IX. Kalend. Septemb. anno M.C.LXIV. conditionis ſuæ. Die tertia inſtante, Gothi ſponte diſcedunt ab vrbe. Fertur itaque quia cum Alaricus pergeret Romam, vir quidam venerabilis, conuerſatione monachus, cum monuiſſet, vt mala talia facere non auderet, neque necibus gaudere aut ſanguine. At ille non, inquit, ego volens Romam proficiſcor: ſed quidam quotidie moleſtus eſt, torquens & dicens: Perge, & Ro-

E mam deſtrue ciuitatem: Deinde per Campaniam, Lucaniam, Bruriamque, ſimili ſtrage Gothi bacchantes Rhegium peruenerunt, in Siciliam transfretare cupientes. Quo cum tranſmeare aſcenſis nauibus vellent, perpeſſi naufragium plures ſuorum ibi amiſere. Inter hæc Alaricus cum deliberaret quid ageret, apud Conſentiam ſubita morte defunctus eſt. Gothi Baſentium amnem de alueo ſuo captiuorum labore deriuantes, Alaricum in medio alueo cum multis opibus ſepeliunt; amnemque meatui proprio reddentes, ne quis locum ſcire poſſet, captiuos qui interfuerant, extinguunt. Regem deinceps Athaulfum Alarici affinem Gothi conſtituentes, Romam redeunt: ſi quid reſiduum fuit, more locuſtarum eradunt, auferentes exinde Gallam Placidiam, Theodoſij principis filiam, ſororem Honorij, quam ſibi Athaulfus apud forum Cornelij coniugio ſociauit. Quæ multo poſt Reip. commodo fuit. Nam ad hoc mariti animum acerrimo ingenio ſubtilibus blandimentis inflexit, vt F vltro à Romanis pacem expeteret. Qui ad Gallias proficiſcens, deinde apud Barcinonem fraude ſuorum occiſus eſt. Poſt quem Segericus regnum capiens, dum pacem Romanis ſeruare diſponit, & ipſe à ſuis peremptus eſt.

Deinde Vallia regnandi iura ſuſcepit: ad hoc electus à Deo ordinatus vt confirmaret. Interea Stilico patricius Vandalorum perfidæ & doloſæ gentis genere editus, Eucherium, vt dictum eſt, filium iam à puero Chriſtianorum perſequutionem meditantem, vt in Imperium ſubſtitueret, ante biennium Romanæ irruptionis, gentes copiis viribuſque intolerabiles, hoc eſt, Alanorum, Sueuorum, Vandalorum, Burgundionum, multaſque cum his alias gentes vltro in arma ſuſcitauit: & mox Rhenum fluuium tranſeunt: Francoſque fugare Gallia volunt, directoque impetu Pyreneum vſque perueniunt, vt ſub hac neceſſitate à genero in filium extorquere poſſit imperium. Tandem vbi Imperatori Honorio exercituique Romano hæc tam ingentia damna patefacta ſunt, commoto iuſtiſſime G exercitu occiſus eſt Stilico, qui vt vnum puerum purpura indueret, totius fere generis humani ſanguinem fudit. Occiſus eſt & Eucherius filius eius, paucique cum hiſdem ſatellites tantarum molitionum puniti ſunt. Eodem tempore clariſſima Vrbis loca fulminibus diruta ſunt, quæ ab hoſtibus inflammari nequiuerunt. Inter hæc apud Britannias Gratianus municeps eiuſdem inſulæ, tyrannus mox creatus occiditur. In huius locum Conſtantinus ex infima militia propter ſolam ſpem nominis ſine merito virturis eligitur. Qui ad Gallias tranſiens, ſæpe a barbaris incerto fœdere illuſus detrimentum Reipub. magis fuit quam augmentum. Tunc duo iuuenes locupletes Didymus & Virdianus, aſſumptis ſeruulis & vernaculis ſeſe patriamque à barbaris & tyranno defenſare moliti ſunt. Aduerſum hos Conſtantinus Conſtantem filium ex monacho Cæſarem factum, cum quibuſdam fœderatis barbaris in Hiſpaniam miſit. Conſtans Barbarorum fultus auxilio eos primo prælio peremit. Quibus barbaris dum clauſtra Pyrenæi montis commiſſa fuiſſent, ab eis tota H illa, quæ per Gallias bacchabatur ferocitas gentium Hiſpaniarum prouinciis intromiſſa eſt. Itaque poſt multas ſtrages incendia & rapinas tandem diuerſis ſedibus Barbari ad aratra conuerſi, Romanorum reſiduos cœperunt vt ſocios & amicos fouere.

Explicit liber decimus tertius.

Incipit

LIBER DECIMVSQVARTVS.

ANno ab Vrbe condita M. C. LXV. Theodoſius iunior in Oriente imperat: cuius Imperij anno ſecundo Atticus Epiſcopus Conſtantinopolitanus Iudæum quendam paralyticum monens, ſuadens, atque baptizans, ſanum ex lauacro eduxit, ſecundum Deum dictus

A pmuectus fuiſſe. Igitur Imperator Honorius dum vires Reipublicæ quotidianis cerneret labefactari incommodis, virum ſtrenuum & bellicoſum Conſtantium cum exercitu ad Gallias mittit. Is mox vt Gallias ingreſſus eſt, continuo Conſtantinum tyrannum apud Arelatem extinxit. Conſtans vero filius eius à Gerontio ſuo comite Viennæ peremptus eſt. In cuius locum Gerontius Maximum quendam ſubſtituens, ipſe à ſuis militibus iugulatus eſt. Maximus deinde purpura exutus, in Hiſpania exulans, egens obiit. Exinde Iouinus apud Gallias mox aſſurgens cecidit. Sebaſtianus tyrannus frater eius continuo creatus occiſus eſt. Tertullus conſul qui futurum ſe principem in Senatu gloriatus eſt, pari nihilominus exitu periit. Attalus qui à Gothis Imperator fuerat factus, captus à Conſtio, miſſus eſt Honorio, trúcataque manu vitæ relictus eſt. Heraclianus quoque Africæ comes miſſus, cum idem Attalus vmbram geſtaret imperij, Africam ſtrenue aduerſum iudices ab eo miſſos tutatus, conſulatum aſſequutus B eſt. Qua ſuperbia elatus, Sabinum domeſticum ſuum ingenio validum, induſtriaque ſolertem, & ſapientem nominandum, ſi animi vires tranquillis ſtudiis accommodaſſet, generum allegit. Cum quo quorundam periculorum ſuſpiciones dum patitur, fecit: atque aliquandiu Africana annona extra ordinem detenta, ipſe tandem cum immenſa ſatis incredibili claſſe nauium Romam contendit. Nam habuiſſe hunc tria millia nauium & ſeptingentas dicitur. Quem numerum nec apud Xerſen quidem præclarum Perſarum regem, & Alexandrum magnum, vel quemquam alium regem fuiſſe hiſtoriæ tradunt. Is ſimul vt cum agmine militum ad Vrbem pergens littore egreſſus eſt, occurſu comitis Marini territus, & in fugam verſus, arrepta naui ſolus Carthaginem rediit, atque ibi cótinuo militari manu interfectus eſt. Hos omnes Honorius optima religione, magnaque Conſtantij induſtria ſuperauit. Merito ſane: Nam his diebus præcipiente Honorio, C fauente Conſtantio, ſopitis apud Africam hæreticis pax Eccleſiæ redditur. In qua fulgentiſſimus tunc apud Hipponem regium totius magiſter Eccleſiæ florebat Auguſtinus. Interea Vallia rex Gothorum Dei iudicio territus Gallam Placidiam apud ſe honeſte habitam, exigente Conſtantio, fratri Honorio reddidit: pacemque cum eo, datis lectiſſimis obſidibus pepigit: ſeque pro Romanis aduerſus barbaros, qui Hiſpanias inuaſerant, pugnaturum ſpopondit. Mittunt è contrario Vandalorum, Alanorum, Sueuorumque reges principi Honorio legationes in his verbis: Tu cum omnibus pacem habe, omnium obſides accipe. Nos nobis confligimus, nobis perimus, tibi vincimus, tuæ erit quæſtus Reipublicæ ſi vtrique pereamus. His ita tantis incommodis Deo fauente ſopitis Honorius Gallam Placidiam germanam ſuam Conſtantio ſuo comiti, fide integerrimo, & viribus ingenti viro, iam dudum promiſſam magno cunctorum gaudio ſociauit. Ex qua Valentinianum filium Conſtantinus genuit, qui poſtea D Reipublicæ Imperium geſſit. Hoc in tempore fœdus firmiſſimum cum rege Gothorum Vallia pepigit, tribuens ei ad habitandum Aquitaniam prouinciam, eiuſdemque prouinciæ etiam quaſdam ciuitates vicinas. Cernens itaque Honorius vbique ſe Conſtantij virtute & ingenio, ſeu per bella, ſeu pacis moderatione tueri, eum cunctis annitentibus apud Rauennam in regni conſortium aſciuit. Qui necdum ſeptem menſibus euolutis ex hac luce ſubtractus eſt. His diebus apud Bethlehem Paleſtinæ beatiſſimus Hieronymus, expletis nonaginta vno anno ad Chriſtū migrauit. Sequenti tempore Maximus apud Hiſpanias, factione autem Iouiani, qui tunc in re militari clarus habebatur, tyrannidem aſſumpſit. Nec multo poſt ſeparati vtrique, & capti ab exercitu Honorij, eidem cum apud Rauennam tricennalia ſua perageret, præſentantur. Hac tempeſtate Britanni Scotorum Pictorumque infeſtationem non ferentes, Romam mittunt, ac ſui ſubiectione promiſſa, contra hoſtes auxilia flagitant. Quibus ſtatim ab Honorio miſſa militum legio magnam barbarorum multitudinem ſtrauit, cæteroſque Britanniæ finibus expulit. Sed mox vt diſceſſere Romani, aduecti iterum nauibus hoſtes, obuia quæque ſibi conculcant ac deuorant.

E Rurſumque aduolant Romani, cæſumque hoſtem trans maria fugant. Hoc tempore cum Vandali Alanique Hiſpanias infeſtarent, Honorius ad eas defendendas Caſtinum ducem cum exercitu mittit. Qui Caſtinus præclarum virum Bonifacium, ac bellicis rebus exercitatum, inepto & iniurioſo Imperio ab expeditionis ſuæ ſocietate auertit. Bonifacius vero periculoſum ſibi indignumque ratus eum ſequi, quem diſcordem ſuperbientemque expertus eſſet celeriter ſe ad portum vrbis, atque inde in Africam proripuit: magnumque poſtmodum Reipublicæ detrimẽtum, totiuſque Africæ cauſa exitij fuit. Caſtinus vero tanto collega priuatus, nihil dignum in Hiſpaniis geſſit. Inter hæc Placidia Auguſta à fratre Honorio pulſa, ad Orientem cum Honorio & Valentiniano filiis profecta, à Theodoſio Auguſto Arcadij alterius germani ſui filio ſuſcepta eſt. Honorius annis quindecim cum imperaſſet, & iam antea annis tredecim, ac ſub patre duobus regnaſſet, Rempublicam vt cupierat, pacatam relinquens, apud vrbem F Romam vita exemptus eſt, corpuſque eius iuxta beati Petri Apoſtoli in mauſoleo ſepultum eſt. Huic ſoboles nulla fuit. Nam duæ Stiliconis filiæ, id eſt Maria & Thermantia, vna poſt alteram eius coniugio ſociatæ, vtræque Dei iudicio inopinata morte præuentæ ex hac luce migrauere. Fuit ſane Honorius moribus & religione patri Theodoſio non valde abſimilis. Cuius temporibus quamuis multa externa & ciuilia bella ſurrexerint, aut nullo aut minimo ſanguine quieuere. Exempto igitur rebus humanis Honorio, fultus præſidio Caſtini magiſtri militum, Ioannes quidam ex imperialibus ſubſcriptoribus imperium inuadit.

Anno ab Vrbe condita M.C.LXXVII. Theodoſius Arcadij filius quadrageſimus ſeptimus ab Auguſto regum Romanorum Orientale regebat imperium. Ad quem legationem mittit Ioannes in Imperatorem ſuſcipi deprecans: & ipſum deprecans, Africam quam Bonifa- G cius obtinebat, bello repoſcere, quia ad defenſionem ſui infirmior factus eſt. At vero Theodoſius legatis Ioannis in carcere truſis, Ardaburium prætorem mittit aduerſus eum. Quem tyrannus apud Rauennam aggreſſus incluſit. Quo Theodoſius agnito, Valentinianum amitæ ſuæ Placidiæ filium Cæſarem effectum, cum matre Auguſta ad recipiendum Occidentis imperium dirigit, & Aſparem Ardaburij filium mittit ante eum contra Ioannem. Angelus autem Domini apparens in habitu paſtoris deduxit Aſparem & eos qui cum illo erant, & ducit eos per paludem inuiam, quæ Rauennæ adiacet, qua Deus peruium operatus eſt. Et tranſmeantes per aridam, apertis portis ciuitatis inuentis, tyrannum quidem occidere: Ardaburium autem à vinculis abſoluerunt & Rauennam crudeliter depopulati ſunt, eo quod illius ciues maxime tyrannicæ parti fauiſſent. Caſtinum vero magiſtrum militum damnant exilio, cuius factione arripuiſſe Ioannes tyrannidem credebatur. Data Aetio venia, H eo quod Hunni, quos per ipſum Ioannes in adiutorium acceperat, eius ſtudio ad propria remeaſſent. Valentinianus igitur conſenſu totius Italiæ Imperator efficitur, itemque ex decreto Theodoſij Auguſtus appellatur. Dum hæc geruntur, Achilas nomine oppidum Galliarum à Gothis militari vi oppugnatum eſt, donec imminente Aetio, non impune diſcederent. Sequenti autem anno, id eſt, decimo ſexto imperij Theodoſij, Maruthas Epiſcopus Meſopotamiæ filium regis Perſarum Hiſdegerdis à dæmonio vexatum ſanauit. Interea Theodoſius imperator multa benignitate motus, licet Perſas potentiſſimos vicerit, parcens tamen Chriſtianis qui habitabant in Perſide, pacem amplectitur. Cuius rei gratia mittit legatos Helionem patricium, quem valde honorandum dicebat, & Anamlium Orientis prætorem. Vararanes autem ſciens ſuperationem ſuam, ſuſcepit legationem: & ita perſequutio ceſſauit, quæ in Chriſtianos agitabatur. Victoria ſiquidem auxilio Dei de Perſis collata, Romani plurimi pollentes eloquiis conſcribebant laudes Imperatoris. Cuius vxor heroico metro poemata multa confecit. Erat enim eloquens, filia Leontij Sophiſtæ Athenienſis, à patre omnibus lectionibus erudita.

A Quam dum Imperator ducturus eſſet vxorem, Chriſtianã Atticus fecit Epiſcopus,& in baptiſmate cum prius vocaretur Athenaïs,Eudoxiæ nomen impoſuit. Eodem tempore erant Gothi & aliæ gentes multæ ac maximæ trans Danubium in Hyperboreis locis habitantes:ex quibus rationabiliores quatuor ſunt, Gothi ſcilicet, Hypogothi, Gepides, & Vandali, nomen tantum & nihil aliud mutantes, vnaque lingua vtentes: omnes autem fidei erant Arianæ malignitatis.Iſti ſub Arcadio & Honorio Danubium tranſeuntes,locati ſunt in terra Romanorum, Et Gepides quidem, ex quibus poſtmodum diuiſi ſunt Longobardi & Auares,villas quæ ſunt circa Singidonem & Sirmium,habitauere.Hypogothi vero poſt Alaricum Romam depopulantes in Gallias abierunt, & quæ ibidem ſunt obtinuere. Gothi autem Pannoniam habuerunt primum:deinde decimo octauo anno Theodoſij Imperatoris iunioris Thraciæ villas habitauerunt:& per annos quinquaginta & octo in Thracè morantes, Occidentis quoque obtinuerunt im-B perium. Porro Vandali Alanis ſibi ſociatis, & Germanis, qui nunc Franci dicuntur aſcitis,tranſeuntes Rhenum fluuium Modogiſclo duce,habitauerunt in Hiſpania,quæ eſt prima Europæ prouinciarum ab Occidentali oceano. Interea Valentinianus non ſolum Britanniam & Galliam & Hiſpaniam ſaluare nequiuit,ſed & occidentalem Lybiam, quæ videlicet regio vocatur Afrorum, amiſit hoc modo. Duo prætores erant quos diximus, Aetius & Bonifacius, quos Theodoſius poſtulante Valentiniano Romam direxerat: Cumque Bonifacius principatum occidentalis Lybiæ, percepiſſet, & apud Africam potentia gloriaque augeretur, inuidia flammatus Aetius accuſationem facit aduerſus Bonifacium,tanquam rebellionem meditantem, & obtinere Lybiam ſatagẽtem: & hæc quidem Placidiæ fatebatur, quæ fuit mater Valentiniani.Cæterum Bonifacio ſcribit: ſi accerſitus fueris, accedere noli,incuſatus enim es,& te doloſe vocant Imperatores. Hæc ſuſcipiens Boni-C facius,& veluti proprio ſeruo Aetio credens,accerſitus accedere diſtulit.Tunc Imperatores Aetium quaſi deuotum recipiunt, & aduerſum Bonifacium Mauortius & Gabio mittuntur. Qui dum Bonifacium obſidere parant, ab eo interempti ſunt. Rurſus contra Bonifacium Syuldus comes dirigitur.Bonifacius igitur ſentiens ſe non poſſe tuto Africam tenere,cernenſque ſibi periculum inſtare,in perniciem totius Reipublicæ efferueſcens, transfretans à Lybia in Hiſpaniam ad Vandalos Alanoſque venit. Cumque Modogiſclum inueniſſet mortuum,& filios eius Guntharium & Genſericum Imperium moderantes, hortatus eſt vt Heſperiam Lybiamque in tres partes diuiderent. Qui polliciti ſunt vnicuique parti ſe vna cum ipſo principaturos, in communi tamen in quemlibet hoſtem vlturos. In talibus ergo profeſſionibus Vandali Alanique fretum tranſmeãtes Lybiam habitauerunt,& cunctam pene Africam ferro,flamma,rapinis crudeliſſime deuaſtantes, inſuper catholicam fidem Arriana impietate ſubuerterunt. Sub D hoc turbine beatiſſimus Auguſtinus, de quo præmiſſum eſt, Hipponenſis Epiſcopus, ne ciuitatis ſuæ ruinam cerneret, tertio eiuſdem obſidionis menſe, ſeptuaginta & ſex vitæ annis completis, ex quibus quadraginta in clericatu ſeu epiſcopatu tranſegerat, ad Chriſtum perrexit. Eodem tempore quidam Senatus Romani amici Bonifacij falſam accuſationem Aetij intimauerunt Placidiæ, oſtendentes quoque & Aetij ad Bonifacium directam pridem epiſtolam, quam ad eos idem miſerat Bonifacius. At ſtupefacta Placidia Aetium quidem in nullo læſit:Bonifacio vero cum iuramentis verbum miſit exhortatorium. Porro Gunthario mortuo,Gẽſericus Alanorum Vandalorumque factus eſt Imperator. Bonifacius ergo verbo ſuſcepto contra Vandalos armatur exercitu magno ſibi veniente tam è Roma quam à Conſtantinopoli, cuius Aſpar erat magiſter.Inito autem contra Genſericum prælio, ſuperatus eſt Romanorum exercitus. Sicque Bonifacius cum Aſpare Romam veniens,ſuſpicionem diſſoluit,rei veritate monſtrata, & accepta ab Imperatore magiſtri militum dignitate. Qui cum reſiſtentem ſibi Aetium prælio ſuperaſſet, paucis diebus interiectis morbo extinctus eſt. Porro Africa taliter à Vandalis ſubacta eſt. Tunc & Martianus qui

E poſtmodum imperauit cum miles eſſet, & Aſpari deſeruiret, viuus à Genſerico deprehenditur. Aetius vero cum depoſita dignitate in agro ſuo degeret, ibique eum quidam æmulus repentino incurſu opprimere tentaſſet, profugus ad Vrbem, atque illinc ad Dalmatiam, deinde in Pannonias ad Hunnos venit: quorum amicitiis & auxiliis vſus, pacem principum Aetius cum receptu interpolatæ poteſtatis obtinuit: nec multo poſt Patriciatus etiam dignitatem adeptus eſt. Poſt eam igitur, quæ præmiſſa eſt, Africæ cladem, data per Trigetium ad habitandum Vandalis Africæ portione, pax cum eiſdem neceſſaria magis quam vtilis facta eſt. His etiam temporibus Gundicarium Burgundionum regem intra Gallias habitantem Aetius patricius bello obtriuit,pacemque ei ſupplicanti conceſſit. Interea Gothi pacis placita perturbant, & pleraque municipia vicina ſedibus ſuis occupant. Cumque eſſent oppido Narnienſi maxime infeſti, ciueſque eius extrema obſidione & fame affligerent, adueniens comes Litorius hoſtes F in fugam conuertit, & ciuitatem allata frumenti copia à fame liberauit. Dehinc anno ſequenti bellum aduerſum Gothos Hunnis auxiliantibus geſtum eſt. Hac tempeſtate Genſericus apud Africam intra habitationis ſuæ limites, cupiens Catholicam fidem Arriana impietate ſubuertere, quoſdam noſtrorum Epiſcopos eatenus perſequutus eſt,vt eos priuatos iure baſilicarum ſuarum,etiam ciuitatibus pelleret,cum ipſorum cõſtantia minime ſuperbiſſimi regis terroribus cederet.Circa eadem tempora multi Iudæorum in Creta Chriſtiani facti ſunt propter huiuſmodi paſſionẽ. Quidam Iudæus ſeductor finxit ſemetipſum eſſe Moyſen, & cœlitus deſtinatũ, vt Iudæos illam inſulam habitantes per mare deducèret, ipſum ſe eſſe dicens, qui olim filios Iſrael per mare rubrum deduxerit. Circuibat itaque toto anno vnamquamque illius inſulæ ciuitatem,ſuadebatque Iudæis vt crederent, monens vt omnes pecunias atque poſſeſſiones relinquerent, cum eo vtique deducti per ſiccum mare ad repromiſſionis gaudia peruenirent. At illi G hac ſpe capti, omne opus proprium negligebant, contemnentes etiam poſſeſſiones ſuas,& dimittentes eas quibuſcumque perſonis. Cumque veniſſet dies, quam deſignauerat Iudæus ſeductor ille,eo præcedente ſequebantur omnes cum coniugibus & paruis ætatibus: Deduxitque ad quandam rupem decliuius incumbentem, iuſſitque vt comarum ſchemate ſemetipſos inuoluerent.Hoc ergo faciebant priores: & cum venirent ad rupes,repente moriebantur, tam dilacerati acutis rupibus, quam in aqua necati: plures tamen mori potuerunt, niſi prouidente Deo quidam viri Chriſtiani ſuperueniſſent piſcatores atque negotiatores: qui alios cum necarentur eripientes recrearunt: tum malum ſuæ ſtultitiæ ſentientes,alios ne ſemetipſos iactu interficerent, tenuerunt, nunciantes eorum mortem qui primi ceciderant. Qui etiam cognoſcentes ſeductionem,culpant ſe eo quod facile ei crediſſent. Cumque voluiſſent illum ſeductorem perimere, comprehendere nequiuerunt: repente namque diſparuit, dedit que H ſuſpicionem quod fuerat olim dæmon erroneus, humano ſchemate circumamictus. Pro hac itaque re atque paſſione multi tunc Cretenſium Iudæorum ad Chriſtianam conuerſi ſunt fidem. Interea incendium in ciuitate Conſtantinopolitana factum paulatim peruenit ad thermas, quæ vocantur Achilleæ deinde ad locum qui dicitur Pelargus,ita vt Nouatianorum comprehenderetur eccleſia. Tunc fertur Paulum Epiſcopum eorum intra flammas eccleſiæ reſtitiſſe, ſupplicantem Deo,ne eccleſia pariter cremaretur. Qui locus ereptus eſt,& hactenus XVI.Kal. Septemb.apud Nouatianos collectio celebratur. Hunc tamẽ locum non ſolum Chriſtiani, ſed etiam pagani venerantur. Exigit nunc locus edicere de hac hæreſi vnde exorta videatur. Nouatus igitur presbyter Eccleſiæ Romanæ, qui propter perſequutionem quæ ſub Decio fuerat facta ſe Epiſcopum facere, & Cornelium volebat eiſcere, faciens oblationes & diſpertiens vnicuique portionem & tradens, hoc iurare pro benedictione miſeros homines coegit, tenens vtramque manum accipientis, & non dimittens, donec iurans hæc dicat: Iura mihi per corpus & ſanguinem domini noſtri Ieſu Chriſti; quod nun-

A quam aliquando me derelinquas, & ad Cornelium redeas? Et infauſtus homo non prius guſtat, quam ſibi antea maledicat: & pro eo vt dicat accepto pane illo, amen, dicit, Vlterius non redeam ad Cornelium. De hac religione volens Imperator Conſtantinus paciſci Eccleſias, Aceſium Epiſcopum ad concilium Nicænum euocauit. Quem poſt definitionem fidei requiſiuit, ſi & ipſe conſentiret in fide, & decreto Paſchalis feſtiuitatis. At ille, nihil, inquit, noui ô Imperator, quod ſynodus definiuit. Sic enim olim & à temporibus Apoſtolorum ipſe percepi, & terminum fidei, & tempus Paſchalis feſtiuitatis. Porro Imperatore denuo requirente: Cur ergo te à communione ſeparas? ille ea quæ ſub Decio geſta ſunt, replicauit, & ſubtilitatem acerbiſſimæ regulæ deduxit ad medium, dicens, quia non oporteat eos, qui poſt baptiſma peccant, peccato quod ad mortem eſſe ſcripturæ diuinæ pronunciant, communicatione Sacramentorum fieri dignos: ſed inuitandos quidem ad pœnitentiam, B ſpem vero remiſſionis non à ſacerdotibus, ſed à Deo ſolummodo ſuſtinere, qui poteſtatem habet peccata dimittere. Hæc cum dixiſſet Aceſius, Imperator ait: O Aceſi pone ſcalam, & ſi potes aſcendere in cœlum ſolus, aſcende. Igitur Valentinianus Auguſtus Conſtantij & Gallæ filius ad Theodoſium principem ſuum conſobrinum Conſtantinopolim profectus eſt, filiamque eius Eudoxiam nomine, quam ſibi Eudoxia genuerat, in matrimonium accepit, & Romam rediit, conſulatu Iſiodori & Senatoris. Sequenti vero anno Theodoſius Imperator Eudoxiam vxorem ſuam Hieroſolymam miſit gratificos hymnos oblaturam Deo. Quæ plurima dona Eccleſiis contulit, & adoratis tam ſancta cruce, quam colendis locis, reuerſa eſt ad regalia. Triceſimo deinde Imperij Theodoſij anno, terræmotus magni facti ſunt Conſtantinopoli per quatuor menſes, ita vt timentes Byzantij extra ciuitaté in loco qui dicitur Campus eſſent perſeuerantes, vna cum Epiſcopo ad Deum precibus & litaniis C vociferantes. Quadam ergo die fluctuante terra, & omni plebe attentius clamante κύριε ἐλέησον, circa horam tertiam omnibus videntibus à diuina contigit virtute ſuſtolli quendam adoleſcentulum in aërem, & audiri diuinam vocem admonentem eum Epiſcopo ac populo nunciare, vt litanias ſic facerent & dicerent, ſanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctus immortalis, miſerere nobis, nihil aliud apponentes. Proclus autem Epiſcopus hac ſuſcepta litania, præcepit populo ſic facere, & ſtatim terræmotus ceſſauit.

Porro beata Pulcheria ſuper miracula vna cum fratre ſupra modum admirata, ſanxit per vniuerſum orbem diuinum hunc pſallere hymnum: ex tunc receperunt omnes Eccleſiæ per ſingulos dies hunc canere Deo. Per idem tempus piratæ multas inſulas, præcipueque Siciliam, depopulati ſunt. Inter hæc Litorius, qui ſecunda ab Aetio poteſtate Hunnis auxiliantibus præerat, dum Aetij gloriam ſuperare appetit, dum aruſpicum reſponſis & dæmonum ſignificationibus fidit, pugnam cum Gothis imprudenter conſeruit: ac primum magnam hoſtium D ſtragem dedit: poſtmodum ſuis pene omnibus trucidatis, ipſe à Gothis turpiter captus eſt. Poſtremo pax cum hiſdem facta eſt, cum eam Romani poſt huius lachrymabilis belli perniciem, humilius quam vnquam antea popoſciſſent. Aetio itaque in Galliis rebus quæ componebantur, intento, Genſericus, de cuius amicitia nihil metuebatur, Carthaginem dolo pacis inuadit, omneſque opes eius, excruciatis diuerſo tormentorum genere ciuibus, in ius ſuum vertit, nec ab Eccleſiarum deſpoliatione abſtinens: quas ſacris vaſis exinanitas, & ſacerdotum adminiſtratione priuatas, non iam diuini cultus loca, ſed ſuorum iuſſit eſſe habitacula: in vniuerſum captiui populi ordinem ſæuus, ſed præcipue nobilitati & religioni infeſtus, vt diſcerni omnino non poſſit hominibus magis an Deo bellum intuliſſet. Igitur Carthago à Vandalis hoc modo capta eſt, annis quingentis octogintaquinque euolutis, poſtquam Romano cœperat iuri parere. Deinde anno ſequenti Genſericus ad Siciliam tranſiens, dum magnis eam calamitatibus affligeret, accepto nuntio de Seba-

E ſtiano, qui ab Hiſpaniis ad Africam tenderet: celeriter Carthaginem rediit, ratus periculoſum ſibi ac ſuis fore, ſi vir bellandi peritus recipiendæ Carthagini incubuiſſet. Verum ille amicum ſe magis quam hoſtem videri volens, dum de regis barbari amicitiis improuiſe præſumeret, infelici morte peremptus eſt. Poſt hæc Imperator Theodoſius bellum contra Vandalos mouit, Ariundo & Anſila atque Germano ducibus magna cum claſſe directis. Qui longis cunctationibus negotium differentes, Siciliæ magis oneri quam Africæ præſidio fuere. Per hæc tempora Attila rex Hunnorum, vir fortis atque ſuperbus, dum cum fratre Bleba ſuper Hunnos principaretur, Thracias & Illyricum ſæua depopulatione vaſtabat, omnia caſtella & ciuitates in ſeruitutem redigens, præter Adrianopolim & Heracliam, quæ quondam Perinthus vocabatur. Tunc exercitus Romanorum qui in Sicilia morabatur, ad defenſionem orientalium prouinciarum reuertitur. Cogitur ergo Theodoſius legationem Attilæ mittere, & ſex millia librarum ei pro receſſu præbẽs mille librarum annuum tribu- F tum perſoluere pollicetur. Sub his fere diebus tam terribili terræmotu Roma concuſſa eſt, vt plurimæ ædes eius & ædificia corruerint. Britanni itaque de quibus præmiſſum eſt, cum rurſus Scotorum Pictorumq; incurſionibus premerentur, mittunt Aetio epiſtolam lachrymis ærumniſq; plenam, eiuſque quantocius auxilium efflagitant. Quibus dum Aetius minime annuiſſet, eo quod contra vicinos hoſtes occupatus exiſteret, quidã Britãnorum ſtrenue reſiſtentes hos abigunt, quidam vero coacti hoſtibus ſubiiciuntur. Denique ſubactam Picti extremam eiuſdem inſulæ partem, eam ſibi habitationem fecere, nec vltra exin hactenus valuerunt expelli. At vero reſidui Britannorum, dum continuos Scotorum impetus formidarent, vltra iam de Romanorum præſidio diffidentes, Anglorum gentem cum ſuo rege Vertigerno ad defenſionem ſuæ patriæ inuitauere: quos cum amicali ſocietate exceptos, verſa in contrarium vice hoſtes pro adiutoribus impugnatoreſque ſenſere. Sequenti deinceps tempore gens Anglorum ſiue Saxonum, Britanniam tribus longis nauibus aduehitur. G Quorum dum iter proſperatum domi fama retuliſſet, mittitur nihilominus exercitus multiplex: qui ſociatus prioribus primum hoſtes propter quos petebatur, abigit: deinde in Britones arma conuertit: conficta occaſione quaſi pro ſe eis militantibus, minus ſtipendia præparaſſent, totam prope inſulam ab orientali eius vſque in occidentalem incendio vel gladio ſibi ſubegit. At vero Theodoſius cum abſque vno & viginti ſuperioribus annis, quos cum Honorio patruo regnauerat, ſeptem & viginti annis Imperium geſſiſſet, ex quibus cum Valentiniano genero vigintiquinque tranſegit, apud Conſtantinopolim morbo obiit, ibique ſepultus eſt. Fuit autem Theodoſius ſic ſapiens, vt inter confabulantes experimentum omnium crederetur habere cauſarum. Perdurabat in frigore, ſimiliter & in æſtu: plerumq; ieiunabat, & maxime quarta & ſexta feria, ſtudio Chriſtianitatis: nec aliter quam monaſterium regalia videbantur. Ipſe namque matutino ad ſuas ſorores pergens, diuinas dicebat laudes. Quamobrem etiam H Sacras literas ſine codice recitabat. Loquentibus Epiſcopis velut olim ſacerdos factus ex diuina lectione reſpondebat. Aggregabatque ſacros codices, & quodcunque eorum interpretes ſeu expoſitores conſcripſiſſe videbantur, pluſquã Ptolemæus ſtuduerat Philadelphus. Patientia namque & clementia vniuerſis hominibus eminebat. Nam Iulianus Imperator, licet philoſophus fuerit, non tamen Antiochenſium portauit iniuriam: ſed maxima Theodoro tormenta indignatus impoſuit. Porro Theodoſius multum gaudens ſyllogiſmis Ariſtotelis, philoſophiam exercebat operibus, iram, triſtitiam, libidinemque deuincens, & in nullo ſe vlciſci deſiderans. Cum igitur à quodam familiarium interrogaretur, cur nullum ſe lædentium morti ſubiiceret? Vtinam mihi, inquit, eſſet poſſibile ad vitam mortuos reuocare. Sic enim fuit clemens, vt ſi quando quiſpiam dignum aliquid morte committeret, nec vſque ad ciuitatis portas moriturus perueniret: ſed ex eius clementia reuocatio ſequebatur continuo. Dum aliquo tempore ipſe in amphitheatro Conſtantinopoleos

ſpectaret,

ſpectaret, cœpit clamare populus: Crudeli beſtiæ artifex parabolis pugnet. At ille: Neſcitis, inquit, quia conſueuimus nos clementer ſpectare. Tanta enim pietate præcellebat, vt omnes quidem Deo conſecratos honoraret, præcipue tamen quos audiebat veneranda actione pollere. Fertur autẽ quod cum Conſtantinopoli Epiſcopus Chebronenſis fuiſſet mortuus, ſagum eius valde ſordidiſſimum quæſierit, & eo circumamictus ſit, credens aliquid ſe ex defuncti ſanctitate promereri. Cum aliquando aëris tempeſtas eſſet, & ille circa populum ſpectaret, pleno Circo tempeſtas vehementius agebatur, multo imbre diffuſo. Cumque hoc fieret, ſuam voluntatem Imperator aperuit, fecitque per præconem clamari, quod melius eſſet ſpectaculum contemnere, & omnes rogare Deum, vt illæſi ab imminente tempeſtate ſeruarentur. Quo dicto cuncti populi magno gaudio ſupplicantes, hymnos concorditer offerebant, & tota ciuitas velut vna pſallebat Eccleſia. In medio autem eorum Imperator exiſtens, priuato ſchemate properabat, nec ſpe ſua fruſtratus eſt. Repente namque aër ad ſerenitatem rediit, diuina clementia reuocatus annum præbuit frugibus vniuerſis vberrimum. Si quando bella mouerentur, ſecundum Dauid ad Deum confugiebat, ſciens eum præliorum auctorem, & inimicos orationibus ſuperabat. Nec tamen iſte vitiis carebat. Fuit enim mobilis omni vento circumlatus, vnde & in chartis non lectis ſe ſubſcribebat. Interea beata Pulcheria nondum cuiquam fratris morte Theodoſij Imperatoris comperta, Martiano accerſito, in religione ac pudicitia conuerſante, ſene videlicet & idoneo viro, dicit ei: Quoniam Imperator mortuus eſt, & ego te elegi, tanquam bene placentem ex omni ſenatu, da mihi verbum quod cuſtodias virginitatem meam, quam Deo commiſi, & pronunciabo te Imperatorem. Quod illo ſacramento pollicente, accerſito patriarcha Anatolio pariter & Senatu, pronunciauit eum Imperatorem Romanorum.

Explicit liber decimus quartus.

Incipit

LIBER DECIMVSQVINTVS.

ANno ab Vrbe condita M.CC.IV. Theodoſio defuncto Martianus quadrageſimus octauus ab Auguſto Orientali aulæ præficitur Imperator. Cæterum Valentiniani tempora, huius vel ſuperioris Imperatoris curriculis adſcribuntur. Igitur Valentinianus occidui rector imperij, ea tempeſtate pacis fœdera cum Genſerico rege Vandalorum firmauit, certiſque ſpaciis Africa inter vtroſque diuiſa eſt. Genſericus vero dum de rerum ſucceſſu tumidus etiam apud ſuos ſuperbiret, valida conſpiratio, aduerſus eum facta eſt. Quorum molitione detecta, diuerſis ab eo excruciati periere ſuppliciis. Horum ſiquidem funeribus non minus virium amiſit, quam ſi exuperatus belli certamine fuiſſet. Interea rex Hunnorum Attila quum cum fratre Bleba regnum intra Pannoniam Daciamque gereret, Macedoniam, Mœſiamque & Achaiam, vtraſque etiam Græcias immaniſſima rabie, vt dictum eſt, deuaſtaret, Blebam germanum ſuum, regnique conſortem peremit, eiuſque ſibi parere populos compulit. Fultus itaque fortiſſimarum gentium, quas ſibi ſubiugauerat præſidio, ad occidentale demoliendum animum intendit Imperium: cuius exercitus ſeptingentorum millium numero ferebatur: vir in concuſſionem orbis, in mundo natus, terrarum omnium metus quo vulgatus erat. Namque ſuperbus inceſſu huc ſe atque illuc circumferens, vt elati potentia, ipſo quoque motu corporis, appareret; bellorum quidem amator, ſed manu temperans ipſe, conſilio validus, ſupplicantibus exorabilis, propitius in fidem ſemel receptis, forma breuis, lato pectore, capite grandiori, oculis minutis, barba rarus, canis aſperſus, ſimus naſo, teter colore, originis ſuæ ſigna referens. Erant ſiquidem eius ſubiecti dominio, rex ille Gepidarum famoſiſſimus Andaricus. Vualamir etiam Gothorum regnator, ipſo cui tunc ſeruiebat rege nobilior: fortiſſimæ nihilominus gentes, Marcomanni, Sueui, Quadi: præterea Heruli, Turcilingi, ſiue Rugi cum propriis regulis, aliæque præter hos barbaræ nationes in finibus Aquilonis commanentes. Horum omnium Attila ſuperbus Imperio, quamquam robore facile ſe poſſe adipiſci putaret, quod cuperet: tamen conſilij aſtutia, quam armorum fortitudine hoſtes aggredi ſatagebat: præuidens itaque ſagacitate qua callebat, non ſibi fore tutum, ſi Gothi qui intra Gallias morabantur, Romanis iungerentur auxilio, amicum ſe Gothis ſimulans, aduerſum Aurelianos vrbem concitus pergit, regem Viſigothorum ſollicitare niſus, vt pariter cum eo Romanum inuadens Imperium, æqua ſorte poſſideret. Ad Valentinianum vero Imperatorem legatione miſſa pacem ſimulat, ad vlciſcendos Romanos de Gothis, & reſtituendas Reip. Gallias & Hiſpanias pergere ſe doloſe denunciat. Sed Imperatorem doli eius minime latuerunt. Itaque celerrime Theodoricum Viſigothorum regem per Aetium patricium conueniens, in ſuæ partis fauorem traxit, atque cum eodem patricio contra Attilam poſt vaſtatam fere omnem Galliam Aurelianos iam obſidentem direxit. Nec mora, congregatis vndique bellatoribus Aetius cum rege Theodorico & eius filio Thoriſmodo obuiam Hunnis fortiſſime pergit. Vbi conſerta incredibili pugna, cui vix poſt hominum memoriam vllum ſimile prælium reperitur, vicere Romani fugato Attila, & Gothorum rege interfecto. Hoc certamen circa nonam diei horam cœptum, de vtriſque partibus centum octoginta millia occiſorum dedit. Sed poſt modicum Valentinianus Auguſtus Aetium ſingularem populi Romani ſpem ſuis manibus, alienis autem fraudibus interemit, cum quo ſimul omnis fortuna & virtus Heſperiæ corruit. Attila enim continuo reſumpta fiducia cruentus Italiam petit, Aquileiam captam funditus eradit, Ticinum atque Mediolanum regias vrbes excidit. Inde vaſtatis circumquaque locis cum Romam quoque pararet irrumpere, Leo magnus Papa miſſu ad eum Valentiniani Imperatoris acceſſit: eumque àdeo mitem reddidit, vt illico promiſſa pace firmiſſima, vltra Danubium non rediturus abierit. Continuo enim rebus humanis exceſſit, & humani generis diutinæ vexationi finem aliquando vel mortuus attulit. Gothi quoque non contenti prouincia, quam ſuperius à Romanis habitandam penes Galliam acceperant, Aruernos & Narbonam cum ſuis finibus captas inuadunt, ruina videlicet Romani ſtatus, & frequenti mutatione principum animati. Nam Valentinianus Imperator ab amicis Aetij, quos ſibi delegerat ſatellites, interficitur: & Maximus quidam cuius dolo id perpetratum fuerat, Imperator creatur. Qui cum viduam eius Eudoxiam Auguſtam inuitam ſuis nuptiis adegiſſet, illa Genſericum, vt dicitur, Africæ regem, vt mariti vindex adueniret, inuitauit. Cuius aduentu Maximus vix altero Imperij ſui menſe comperto, cum paſſim nobilitas eius licentia, & popularium cœtus ex vrbe profugeret, ipſe quoque trepido animo ſeſe parabat ad fugam. Sed à miniſtris regiis illico dilaniatus, & membratim diſſectus, in Tiberim proiectus eſt. Genſericus continuo vacuam præſidio ciuitatem capit: & occurſu Leonis Papæ mitigatus, ab incendio, cædibus atque ſuppliciis Vrbem immunem ſeruauit: omnibus tamen opibus ablatis, multa inde captiuorum millia cum Auguſta Eudoxia & eius filiabus Carthaginem reuexit. Huius Papæ Leonis auctoritate & iuſſu Martiani principis, Chalcedonenſis ſynodus celebrata eſt. Romæ poſt Maximi necem, Auitus ſuſcepit Imperium: quod poſt modicum deponens, Epiſcopus Placentiæ ordinatur. Apud Conſtantinopolim vero Martianus Imperator obiit ſexto Imperij ſui anno, & ſexto menſe completo.

Anno ab Vrbe condita M. CC.X. Leo quadrageſimus nonus ab Auguſto ſortitur Imperium. Romæ vero poſt Auitum Maiorianus Cæſar effectus, quarto Imperij anno apud Dertonam Hiſpaniæ ciuitatem, fraude Seueriani occiditur. Qui tertio Imperij anno Romæ occubuit. In cuius locum a Leone principe miſſus Anthemius, ſexto Imperij an. cum ſumma clade Romanæ vrbis occiditur,

A ſuccedente Olibrio: quem Glicerius apud Rauennam ſumpto imperio remouit:& ipſe mox à Nepote priuatus, Portuenſis Epiſcopus ordinatur. Leo imperator orientis anno imperij decimo ſexto defunctus, Zenoni reliquit imperium.

ZENO. Anno ab Vrbe condita M.CC.XXVI. Zeno quinquageſimus ab Auguſto imperat. Nepotem vero Cæſarem Oreſtes Patricius imperio priuat, & filium ſuum Auguſtulum Imperatorem creat. Sed continuo Odoacer rex Turcilingorum & Rugorum peruaſa Italia Romam cœpit quarta iam vice à conditione ſua:& Auguſtulo Imperatore exiliato,ipſe Romæ tyrannice regnat:quem Theodericus rex Gothorum miſſus à Zenone obſedit,cepit,intercmit,& ipſe Romæ conſenſu Zenonis Auguſti regnauit.

ANASTASIVS. Zenoni vero poſt ſedecim annos mortuo,ſucceſſit Anaſtaſius, qui inimicos Chalcedonenſis ſynodi fouens, orthodoxos perſequebatur. Eodem tempore Romæ Symmachus & Laurentius diſcordãtibus inter ſe ciuibus electi, & ex vtriſque partibus innumeræ ſtrages & rapinæ B patratæ ſunt:plerique ex ſacerdotali numero, multi etiam clericorum,plures ciuium Rom.extincti ſunt per tres circiter annos: vſquequo videlicet Theodericus princeps veniens, tunc Romam tenens, quanquam Arrianus eſſet, ſynodo celebrata, locari Symmachum quidem Epiſcopũ Romæ firmauit: Laurentium vero in Nucerina ciuitate locari Epiſcopum præcepit. Qui tamen nullo pacto quieſcens,ſed ſeditiones commouens,à Symmacho deponitur, & in exilium in Dalmatiam mittitur: & ita ſimultas ceſſauit. Eodem tempore Traſemundus, qui fratri Honorio apud Africam in Vandalorum regnum ſucceſſerat, fratris vel patris Genſerici ſequutus perfidiam;clauſis Catholicorum Eccleſiis ducentos viginti Epiſcopos exilio relegauit. Quibus beatus Papa Symmachus quotidiana ſubſidia miniſtrare non deſtitit. Inter has tempeſtates beatus Fulgentius in confeſſione fidei & doctrina floruit. His ipſis apud Africam diebus,cum Arrianus quidam Olympus nomine in Elyanenſium balneo lauaretur,indignaque quædam & C blaſphema de ſanctæ Trinitatis fide verba emoueret, veniente ſubito deſuper ignito iaculo viſibiliter combuſtus eſt. Cæterum Denterius Epiſcopus Arrianorum Byzantij baptizans quendam virum Barban nomine, cum contra regulam fidei, minorem ſcilicet patre filium,ſanctumque ſpiritũ aſſerere cupiẽs,baptizaturus dixiſſet:Baptizo te Barbas In nomine Patris per Filium in ſpiritu Sancto, ſtatim aqua quæ ad baptizandum fuerat allata nuſquam comparuit. Quod aſpiciens qui baptizandus erat, confeſtim ad Catholicam Eccleſiam fugiens,iuxta morem fidei baptiſmum Chriſti ſuſcepit, & omnibus notum fecit miraculũ. Theodoricus vero dum per idem tempus pacifice apud Italiam regnaret; per ſingula quæq; celebriora loca regia ſibi habitacula conſtruxit. Interea Sarracenorum incurſus in Phœnicem & Syriam rurſus effectus eſt, poſt mortem Agari Vadicarimo fratre eius inſtar turbinis, & adhuc velocius diſcurrente per loca. Hoc etiam anno,id eſt,imperij Anaſtaſij vndecimo,Bulgares per Illyricum & Thraciam diſcurrunt priuſquam agnoſcerentur,eam crudeliter deuaſtant. Conſtantinopolis etiam ipſis diebus maximo cõflagrauit incendio. Deinde Neocæſarea,apud quã cum D futurum eſſet,vt fieret terræmotus,miles iter faciens duos milites ſuper eam vidit, & alium militem poſt terga clamantem:Conſeruate domum, in qua ſepulchrum Gregorij eſt,Cum autem terræmotus factus fuiſſet,plurima pars ciuitatis corruit,excepta domo Gregorij Thaumaturgi,id eſt, miraculorum operatoris. Interea Iuliana illuſtriſſima fœmina, quæ templũ Dei genitricis apud Honoratas cõſtruxerat, valde pro Chalcedonenſi ſynodo ſatagebat, ita vt ei nec Imperator quidem multas aduerſus eam verſutias adinueniens, Timotheo communicare perſuadere valuerit: ſed nec ipſe Timotheus frequenter ad eam pergens hoc potuerit ei perſuadere. Pompeium quoque conſobrinum illius, & eius vxorem, quæ mulier erat ornata, multis Imperator Auguſtus humiliabat, vt ablegaret venerators Synodi,& eos,qui in exilio Macedonio Epiſcopo largiebantur quæ neceſſaria erant;Deinde quoſdam ex principibus præcepit in templo ſancti Theodori Sparatij

E ſuper ambonem Triſagij additamentum admittere,id eſt, qui crucifixus eſt pro nobis:ita vt multitudines indignatæ per diem litaniæ illinc egrederentur:quãdo & Timotheus per commentarium ſcriptum omnibus Eccleſiis præcepit Triſagion in litaniis dicendum cum additamento: quod multi metuentes fecerunt. Monachi vero alium pſalmum pſallendo venerunt. Hos autem populus videns, clamauit: Beneuenerunt orthodoxi. Simultas etiam facta eſt multa, & incendium domorum multarum, ac homicidia dena millia,turba vociferante aduerſus Anaſtaſium, & Vitalianum Imperatorem petente,ita vt fugeret Anaſtaſius & latitaret, ab ipſaq; Ariadne laceraretur iniuriis;vtpute multorum cauſa malorum Chriſtianis effectus. Alamundaro autem principe Sarracenorum gentis baptizato, Seueros duos Epiſcopos macula ſuæ prauitatis infectos, direxit cauſa communicandi. Dei autem prouidentia ille baptizatus erat ab orthodoxis,qui recipiebant conciliũ. Cumque Seueri Epiſcopi ſubuertere principem à vero dogmate feſtinarent, mirabiliter eos arguit Alamundarus huiuſcemodi fabula,ait enim ad illos:Literas accepi hodie,quia F Michaël Archangelus mortuus. Illis vero dicentibus, hoc impoſſibile fore, ait Princeps:Et quomodo Deus ſecundũ vos nudus crucifixus, niſi naturarum eſſet duarum Chriſtus,quandoquidem nec Angelus, eſt moriturus?Et ita cũ confuſione Seueri receſſerunt Epiſcopi. Itaque Vitalianus, quẽ populus Imperatorem expetierat, excepta tota Thracia,Scythia & Myſia, Bulgares habens ſecum & multitudinem Hunnorum,cepit Anchialum & Odyſſopolim. Cõprehendit autem & Cyrillum magiſtrum militum Thraciæ;& peruenit prædas gerendo Byzantium. Parcens vero ciuitati,apud Soſtenium caſtrametatus eſt. Anaſtaſius autem deſperatione circumdatus,mittit ex ſenatu quoſdã, rogãs eum paciſci,& iurare vna cum Senãtu, quod ab exilio reuocaret Epiſcopos apud Heracleam Thraciæ. Porro Vitalianus addidit vt & principes vniuſcuiuſque ſcholæ iurent iſtud: ſed & Macedonius & Flauianus qui nequiter pulſi fuerant, ſuos reciperent thronos, ſimiliter & reliqui omnes Epiſcopi, & ita celebraretur ſynodus Romana, & G cunctis Epiſcopis conuenientibus, communi iudicio reprobarentur quæ aduerſus orthodoxos ſunt præſumpta. Itaque cum hæc Imperator, ſenatus & reliqui principes, populique iuraſſent,& confirmaſſent ita fiendum,facta eſt pax & ad propria rediit. Hormiſda vero Rom.Epiſcopus, fatigatus à Theoderico Vitaliano fauente,Euodium Epiſcopum miſit,& Vitalianum Archidiaconum ad ſynodum celebrandam apud Heracleam. Venerũt autem & Epiſcopi ex diuerſis locis fere ducenti, qui illuſi ab Imperatore, & Timotheo Epiſcopo Conſtantinopolitano, receſſerunt inefficaces. Impius quippe Imperator pacta tranſgrediens, clam intimauit Romano Papæ ne veniret. Miſerat enim Vitaliano Sacram, quo tranſmitteret eam Romam, vt Papa proficiſceretur ad celebrandam ſynodum apud Heracleam. Omnis autem populus atque ſenatus in præſentia maledicebat Anaſtaſio tanquam periuro. Porro Vitalianus indignatus aduerſus Anaſtaſium ob periurium, multa mala exercitibus Anaſtaſij & reliquæ Reipub. demonſtrauit, occidens, rapiens, armis exuens,& poſtremo H ad iniurias eius vnumquemque militum vno æreo nummo vendens. Interea Hunni, qui dicuntur Saber, tranſeuntes Caſpias portas Armeniam & Cappadociam, Galatiam & Pontum depopulati ſunt,ita vt Euchaitam quoq; pene peruaderent. Vnde & fugiens Macedonius Epiſcopus propemodum periclitatus ſaluatus eſt apud Gangras. Quo comperto Anaſtaſius illic eum amare cuſtodiri præcepit,mittens, vt aiunt, qui eum occiderent. Defunctus autem apud Gangras,poſitus eſt in Eccleſia ſancti martyris Callinici iuxta reliquias eius multas ſanitates efficiens. Qui cum exanimis iaceret, manu fertur ſe ſignaculo crucis ſignaſſe. Theodorus autem vnus ex his qui cum eo erant vidit eum in ſomnis dicentem ſibi. Excipe abiens lege & dic Anaſtaſio. Ego quidem ad patres meos vado, quorum fidem ſeruaui: non ceſſabo autem increſcens Domino,vſque quo venias & ingrediamur iudicium. Eodem anno Alexãdriæ multi viri ac mulieres & pueri atrociter a dæmonibus obſeſſi repente latrabant. In ſomnis

A autem quidam vidit quendam dicentem , quia propter
anathematiſmos ſynodi Chalcedonenſis patiuntur iſti.
Viceſimo deinde & ſeptimo Imperij Anaſtaſij anno, vidit
idem Imperator in viſu virum terribilem portantem co-
dicem : qui hunc aperiens & inueniens nomen Imperato-
ris , dicit ei : Ecce propter malam fidem tuam deleo de-
cem & quatuor, & deleuit eos. Expergefactus autem , &
aduocato præfecto Adamantio , dixit ei viſionem. Et ego
ait ille vidi hæc iſta nocte : quia aſſiſtente mihi imperio
tuo porcus magnus veniens , & comprehenſa prætexta
meo proiecit me in terram,& interemit. Conuocato ergo
Proculo coniectore , dixit ei quæ viſa fuerant. Qui quod
ambo forent poſt paululum morituri prædixit. Anaſtaſius
itaque cum in hæreſi , in quam delapſus fuerat , perſeue-
raret,duaſque in Chriſto naturas, deitatis videlicet & hu-
manitatis , Eutychium hæreſiarchen ſequens denegaret :
Hormiſda Papa qui Symmacho ſucceſſerat , direxit Euo-
B dium Ticinenſem Epiſcopum alioſque cum eo Conſtan-
tinopolim cum Catholicæ fidei ſcripto , quatenus Ana-
ſtaſium ad Eccleſiæ gremium reducerent : qui non ſolum
ſalubria eorum monita ſpreuit , ſed inſuper etiam à ſuis
conſpectibus non ſine contumelia expulit , nauique fra-
gili impoſitis mandat , ne vſpiam per totam Græciam ad
aliquam ciuitatem accederent. Quam eius impiam te-
meritatem diuina vltio continuo ſubſequuta eſt. Nam
cum viceſimum & ſeptimum annum Imperij ageret ,
mortuus eſt, & imperauit pro eo pius Iuſtinus , vir ſenior
& multum peritus , qui a militibus incipiens , vſque ad
Senatum profecit. Quidam autem aiunt , quod diuino
fulmine Anaſtaſius perculſus perierit.

IVSTI-NVS. Anno ab incarnatione Domini D. X I. Iuſtinus Curo-
palates Illyricus genere , vir catholicus, Auguſtali potitus
eſt ſolio. Ad hunc ob cauſam redintegrandæ fidei dire-
ctus ab Hormiſda pontifice,vir ſanctitate præcipuus,Ger
manus Capuanæ vrbis Epiſcopus , digne ſuſceptus eſt ,
multorumque dubia corda in fide ſolidauit. Eo tempore
C apud Africam defuncto Traſemundo Vandalorum rege ,
Arrianæ perfidiæ, Childericus eius filius ex Eudoxia cap-
tiua Valentiniani principis filia ortus , Vandalorum re-
gnum adeptus eſt : qui non patrem hæreticum, ſed matris
catholicæ monita ſequens,cultor rectæ fidei enituit.Hunc
pater Traſemundus ad mortem veniens, quia tenebat eum
catholicæ parti fauere, ſacramenti nodis adſtringere cura
uit , ne vnquam in ſuo regno catholicis faueret atque
conſuleret. Qui mox vt ſuus genitor vita caruit , priuſ-
quam etiam regni iura aſſumeret , vniuerſos Epiſcopos
quos Traſemundus in exilium coegerat, regredi fecit, eiſ-
que Eccleſias reformari præcepit , ſeptuaginta iam &
quatuor annis euolutis , ex quo à Genſerico auo ſuo pri-
mitus apud Africam Eccleſiæ fuere deſtructæ. Tertio Iu-
ſtini principis anno moto bello inter Romanos & Perſas,
miſit idem Iuſtinus legatos & munera ad Zelioben re-
gem Hunnorum:& repromiſit ille cum iuramento, ſe Im-
peratori contra Perſas auxilium præſtiturum. Mittentem
D autem deinde ad ſe regem Perſarum admiſit , & ſuadenti
promiſit,etiam ipſi hoc præſtiturum contra Romanos.Sa-
ne Iuſtinus hæc ediſcens triſtatus eſt valde. Porro direxit
Zeliobes ad Perſas viginti millia ad expugnandos Roma-
nos. At vero Iuſtinus deſtinauit Chuadi regi Perſarum le-
gationem pro pace , & quaſi ſuper alio quodam ſcribens,
etiam de Zeliobe ſignificauit,quia opitulationis iuramen-
ta cum Romanis habet,& quia munera accepit multa, &
vult proditor Perſarum fieri : & quia oportet nos cum ſi-
mus fratres , ad amicitiam venire , & non à canibus illis
illudi. Tunc Chuades accerſens ſecreto Zelioben , ſciſci-
tatus eſt ſi accepiſſet à Romanis munera hortatus eos ad-
uerſum Perſas. Qui dixit : Etiam. Et iratus Chuades oc-
cidit eum, & per noctem miſſa multitudine Perſarum,in-
terfecit populum eius , ſuſpicatus quod dolo ad illum ve-
niſſent , Quotquot autem potuerunt fugere, redierunt ad
propria.Quinto anno Imperij Iuſtini Zatus rex Lazorum
recedens a regno Perſarum regnante Cabade & Zarum
amante, qui etiam illum in regnum prouexerat Lazorum,
venit Bizantium ad Iuſtinum , & rogauit eum vt fieret
Chriſtianus , & ab ipſo appellaretur Imperator Lazorum.
At Imperator grandi cum gaudio illo ſuſcepto , illumina- E
uit eum , & filium appellauit. Profectus autem Lazorum
Imperator à Iuſtino , portauit coronam & chlamydem
Imperatoriam albam. Quo comperto Cabades Perſarum
rex,ſignificauit Iuſtino dicens : Quia cum amicitia & pax
ſit inter nos , quæ inimicorum ſunt agis , & eos qui ſub
poteſtate Perſarum erant à ſæculo,aſſumis. Qui remiſit ei:
Nos quenquam ſubiectorum imperio tuo neque aſſum-
pſimus , neque ſubuertimus , ſed aſcendens Zatus ad Im-
peria noſtra procidens deprecatus eſt,vt ab ſcelesto & pa-
gano dogmate , impiiſque ſacrificiis & errore dæmonum
liberaretur , & accederet ad creatorem omnium domi-
num , & fieret Chriſtianus. Hunc nos baptizantes abſol-
uimus ad propriam regionem. Ex tunc ergo facta eſt ami-
citia inter Romanos & Perſas. At vero in Orientis parti-
bus , cum adhuc eo tempore per ſingula loco hæreſis Ar-
riana vigeret. Iuſtinus ſexto Imperij ſui anno , orthodoxæ
fidei ſtudio omnimodis ſatagere cœpit , vt hæreticorum
nomen extingueret, ſtatuitque vt vbique eorum Eccleſias F
catholica religione conſecraret. Quod dum in Italia rex
Theodoricus Arriana lue pollutus audiſſet, Ioannem Pa-
pam , ſimulque cum eo Theodorum , Hypatium , atque
Agapitum conſulares viros , atque Agapitum patricium
Conſtantinopolim ad Iuſtinum principem miſit. Mandat
quoque per eos, interminans , quod niſi quantocyus hæ-
reticis ſuas Eccleſias redderet , eoſque in pace degere ſi-
neret , vniuerſos Italiæ populos ipſe gladio extingueret.
Qui peruenientes ad Auguſtum , cum ab eo vt dignum
erat, ſuſcepti eſſent, magnis cum de ſua ſuorumque ſalute
ſollicití fletibus poſtulant, vt ſuæ legationis ſeriem, quan-
quam eſſet iniuſta, libenter exciperet , Italiæque per rura
conſuleret. Quorum fletibus Iuſtinus permotus , eis quod
petebant conceſſit, Arrianoſque ſui iuris reliquit. Dum hi
in itinere demorantur. Theodoricus rabie ſuæ iniquitatis
ſtimulatus , Symmachum ex conſule ac Patricium , &
Boëtium ſenatorem ex conſule , catholicos viros , gladio
trucidauit. His diebus extincto à Francis Alarico Viſigo- G
thorum rege , Theodoricus per Hyppam ſuum comitem
pluſquam triginta millia Francorum cædens. Thiodem
ſuum armigerum poſt mortem Alarici generi , tutorem
Athalarici conſtituit. Ioannes vero Pontifex reuertens à
Conſtantinopoli cum quibus erat profectus , quum ad
Theodoricum Rauennam veniſſet : Theodoricus mali-
tia commotus , quod eum Iuſtinus catholicæ pietatis de-
fenſor honorifice ſuſcepiſſet , eum ſimul cum ſociis carce-
ris afflictione peremit. Sed hanc eius immaniſſimam cru-
delitatem , mox animaduerſio diuina ſequuta eſt : Nam
poſt hoc facinus nonageſimo nono die ſubitanea morte
defunctus eſt. Cuius animam ſolitarius quidam apud Li-
param inſulam , vir magnæ virtutis , aſpexit inter Ioan-
nem Papam & Symmachum patricium deduci , & in ol-
lam Vulcani , quæ ei loco proxima eſt , demergi. Igitur
Theodorico tali modo punito , Gothi ſibi Athalaricum,
de quo præmiſſum eſt , ex Theoderici regis filia procrea-
tum,cum eadem Amalaſuinta matre ſua in regnum præfi- H
ciunt. Interea Cabades rex Perſarum, filius Perozi, multa
millia Manichæorum cum Epiſcopo eorum Indagaro vno
die peremit, vna cum ſenioribus Perſis, qui conſenſus eo-
rum erant. Filium enim eius nomine Phatuarſan Mani-
chæi à puero inſtruentes,repromittebant ei dicentes:Quia
pater tuus ſenuit , & ſi contigerit eum mori, principes
magorum vnum fratrum tuorum facient Imperatorem,
eo quod teneat dogma ipſorum. Nos autem poſſumus per
orationes noſtras ſuadere patri tuo abrenunciare Impe-
rio, & te promouere, vt vbique confirmes dogmata Ma-
nichæorum. Qui repromiſit hoc facere ſi imperaſſet.Cum,
autem hæc Cabades cognouiſſet iuſſit conuentum fieri
quaſi facturus filium ſuum Imperatorem : omnes iubens
Manichæos vna cum Epiſcopo eorum & mulieribus &
liberis adeſſe conuentui : ſimiliter & principem mago-
rum Glonazem & magos , & Chriſtianorum Epiſcopum
Boazanem dilectum a Cabade vt medicum optimum. Et
conuocatis Manichæis ait. Gaudeo ſuper dogmate veſtro,
& volo vobis dare dum viuo filium meum Phatuarſan, vt
conſentaneum veſtrum, ſed ſegregate voſmetipſos ad re-

A ciplendum eum. Qui freti fiducia ſemetipſos ſegregaue-
runt. Cabades autem præcipiens exercitus ſuos ingredi,
omnes cæcidit gladiis cum Epiſcopo eorum, ſub conſpe-
ctu magorum principis, & Chriſtianorum antiſtitis. Igi-
tur terræmotus cum apud Antiochiam adhuc teneretur,
Euphraſius Epiſcopus obrutus eſt, & mortuus à terræmo-
tu, & omnis domus & Eccleſia cecidit, & pulchritudo
ciuitatis exterminata eſt. Non enim facta eſt diuinitus
talis vltio in alia ciuitate per omnes generationes. At piiſ-
ſimus Imperator Iuſtinus his cognitis plurimum animo
doluit ita vt ablato diademate à capite ſuo & purpura,
lugeret in ſacco ſedens per multos dies, adeo vt in die fe-
ſto procedens ad Eccleſiam, non ſit paſſus portare coro-
nam vel chlamydem. Porro menſe Aprili eiuſdem indi-
ctionis ægrotus Imperator Iuſtinus effectus, prouexit dum
adhuc viueret, in Imperatorem Iuſtinianum filium ſororis
ſuæ, qui & coimperauit ei menſibus quatuor. Menſe au-
tem Auguſto eiuſdem indictionis quinto Iuſtinus obiit
B apud Conſtantinopolim, cum Auguſtalem dignitatem
vndecim annis adminiſtraſſet.

Explicit Liber Decimusquintus.

Incipit

LIBER SEXTVSDECIMVS.

IVSTI- NIANVS. ANno ab incarnatione Domini D. X X I. Iuſtinia-
nus Romanorum ſolus Auguſtalem adeptus eſt
principatum. Qui mox vt imperialia iura ſuſcepit, ad re-
parandum Reipublicæ ſtatum animum intendit: ac pri-
mum per Biliſarium patricium, ingentem virum, Perſas
aggreſſus eſt: qui tranſgreſſis Romanorum terminis, eo-
rum regiones grauiter depopulabantur. Quos Biliſarius
magnis præliis fudit, atque ex voluntate principis Con-
C ſtantinopolim triumphans ingreſſus eſt. Interea rex He-
sulorum Gethes nomine venit Conſtantinopolim cum
populo ſuo, & petit Imperatorem quod fieret Chriſtia-
nus. Qui baptizatum in Theophaniis ſuſcepit eum ex
baptiſmate, repromittentem auxiliari ei in quibuſcunque
voluiſſet. Eodem anno adhæſit mulier quædam Romanis,
ex Hunnis qui dicuntur Saber, nomine Boazer, vidua,
habens ſecum Hunnorum centum millia. Tum & rex
Hunnorum qui ſunt iuxta Boſphorum nomine Gorda, ac-
ceſſit ad Imperatorem, & factus Chriſtianus ſuſceptus
eſt ab Imperatore, & multis ei præſtitis donis, miſit eum
in regionem ipſius ad cuſtodiendas Romanas res & Boſ-
phorum ciuitatem, quæ pro eo quod Romanis per ſin-
gulos annos boues pro pecuniis inferebat, Boſphorus ap-
pellata eſt, Locauit autem & militum Romanorum nu-
merum, & tribunorum cuſtodire ciuitatem, propter Hun-
nos & exigere tributa boum. Promulgauit autem formam
de Epiſcopis & œconomis, & orphanotrophiis, & xeno-
D dochiis, ne hæreditate poſſiderent aliqua, niſi quæ priuſ-
quam proucherentur habuiſſe probarentur, de quibus &
teſtamentum emittere poſſent. Ab hac vero hora qua
promoueretur, neminem habere licentiam diſponendi,
ſed omnia ipſius venerabilem domum hæreditari. Expo-
ſuit Imperator leges validas contra libidinoſos, & multi
puniti ſunt, & factus eſt timor multus, & cautela. Re-
nouauit etiam contrarias leges, faciens ſingularem Codi-
cem, & vocans eum Nouellas Conſtitutiones, in quibus
non permittit principem in locis, quibus præeſt, emere
poſſeſſionem, aut ædificare domum, aut hæreditari extra-
neam perſonam, niſi qui ſibi cognatus exiſtat. Eodem an-
no paſſa eſt à diuina Indignatione rurſus Antiochia poſt
duos annus prioris paſſionis: & factus eſt terræmotus
magnus, & tempeſtas grauiſſima: & litanias faciebant
qui remanſerant, omnes diſcalceati clamantes, *κύριε
ἐλέησον*. Apparuit autem in viſu Dei cultori homini, vt
diceret omnibus reſiduis quod ſuperſcriberent in ſuperli-
minaribus ſuis: Chriſtus nobiſcum, ſtate. Quo facto ſte-
tit ira Dei: & rurſus Imperator & Auguſta multas pecu-
nias donauerunt in recuperationem & ædificationem An-
tiochenſium ciuitatis, quam cognominauit Theopolim.
Porro duodecim Kalendarum Aprilium ſeptimæ indi-
ctionis, irruit Alamundatus Zetices regulus Sarraceno-
rum, & depredatus eſt Syriam primam, vſque ad ter-
minos Antiochiæ, in locum qui dicitur Litargum: & oc-
cidit multos: & intendit exteriora Chalcedonis. Et au-
dientes primores Romanorum, exierunt aduerſus eos.
Quo comperto, Sarraceni vna cum Perſis ſumpta ſeu
captiuis, vel præda, fugere. Præterea Samaritæ & Iudæi
in Palæſtina Imperatorem quendam Iulianum coroſtan-
tes, & arma contra Chriſtianos commouentes, rapinas,
homicidia & incendia operati ſunt, quos Deus tradidit in
manus Iuſtiniani, & interemit eos, & decollauit Iulia-
num tyrannum. Tertio namque Imperij ſui anno Iuſtinia-
nus Imperator promulgauit legem, vt non eſſent pagani,
nec hæretici, niſi ſoli orthodoxi Chriſtiani, datis illis in-
duciis vſque ad menſes tres ad conuerſionem. Interea
Athalaricus rex Gothorum, cum necdum expletis pueri- F
tiæ annis regnaſſet, immatura morte præuentus vitæ ſub-
tractus eſt, Cuius mater Amalaſuinta poſt eius funus
Theodatum ſibi adſciuit in regnum. Sed Theodatus idem
collati ſibi immemor beneficij, poſt dies aliquot eam in
balneo ſtrangulare præcepit. Et quia ipſa, dum adhuc vi-
ueret, ſe ſuumque filium commendarat principi; audita
Iuſtinianus Auguſtus eius morte, graui mox aduerſus
Theodatum iracundia exarſit. Sentiens ſe Theodatus in-
fenſum habere principem, beatum Papam Agapitum
Conſtantinopolim miſit, quatenus ei apud Iuſtinianum
facti impunitatem impetraret. Qui ſanctus Pontifex cum
Iuſtinianum principem adiſſet, facta cum eodem de fide
collocutione, reperit eum in Eutychetis dogma corruiſſe.
A quo pridem graues minas beatus antiſtes perpeſſus eſt.
Sed cum illius inconcuſſam in fide catholica ſe inueniſſe
conſtantiam cerneret (ſiquidem ad hoc vſque progreſſum
fuerat, vt talia à præſule audiret: Ego ad Iuſtinianum
Imperatorem Chriſtianiſſimum venire deſideraui, ſed nunc
Diocletianum inueni) tandem ex voluntate Dei eius mo- G
nitis acquieſcens, ad catholicæ fidei confeſſionem, pari-
ter cum multis qui ſimul deſipiebant, reuerſus eſt. Anthi-
mum quoque eiuſdem regiæ ciuitatis Epiſcopum, præfa-
tæ hæreſeos defenſorem, conuictum publice communio-
ne priuauit, ac perſuaſo principe in exilium coegit. Nec
multo poſt idem pontifex apud eandem vrbem obiit.
Septimo deinde Imperij Iuſtiniani anno facta ſunt Vanda-
lica bella. Epiſcopus autem quidam Orientalis partis de-
terruit Iuſtinianum Imperatorem, ex Deo ſibi viſionem
factam, iubentem ſibi ad Imperatorem accedere, & po-
ſtulare Chriſtianos qui erant in Libya liberare à tyrannis.
Quibus imperator auditis, retinere mentem vltra non
potuit, ſed tam exercitum quam naues circumdedit ar-
mis, & victualia præparauit: Biliſariumque in procinctu
eſſe præcepit, in Libyam prætorem mittendum, quem &
prætorem Imperator principaliter in omnibus ſtatuit. Erat
autem cum eo & Procopius harum rerũ conſcriptor. Tra-
iicientes autem à Pegia vrbe abierunt Abydum. Biliſarius
autem curabat, quatenus vniuerſus ſtolus ſimul nauiga- H
ret, & in prælium idem ipſum diuerteret: Cumque ad Si-
ciliam perueniſſent, miſit Procopium conſcriptorem Sy-
racuſam, ſi forte inueniret quoſdam, qui ſe in Libyam du-
cerent. Ipſe vero ſtolo accepto ad Caucanam properauit
villam, ducentis Syracuſa ſtadiis differentem. Procopius
vero Syracuſam ingreſſus eſcas emit, conſequutus quo-
que inopinate virum, qui ſibi fuerat à puero amicus, qui-
que habens experimentum Libyæ locorum, & maris iter,
tres tantum dies tranſierant, ex quo Carthagine vene-
rat: & aſſeuerabat omnem ſecuritatem illos habere, &
non metuere quenquam eorum, quod aduerſus ſe moue-
rent exercitus: ita vt à quatuor manſionibus malis Geli-
mer moraretur. Hunc ergo aſſumptum Procopius ad Cau-
cana perueniens, Biliſario præſentauit, & exiit in quod-
dam prædium: aggeremque ac vallum profundum fa-
cientes, caſtrametati ſunt. Vbi & cum locus inaquoſus
eſſet, vallo effoſſo terra protulit aquam, ad omnem vtili-
tatem animantibus & exercitibus. Sequenti vero die po-

A pulus ad prædam prorupit. Prætor autem his accerſitis,
hæc ad eos loquutus eſt: Violentiam quidem inferre,alie-
niſque paſci, iniuſtitia eſt in omni tempore, maximeque
nobis in periculis conſtitutis. Ego enim in hoc fiſus, vos
in hanc terram tranſuexi, vt iuſtitia & opere bono tam
Deum placemus, quam Afros ad noſmetipſos adtrahere
procuremus. Hæc autem veſtra intemperantia in contra-
tium nobis proueniet, & aget vt Afri Vandalis auxilien-
tur. Sed acquieſcentes verbo meo ementes eſcas apporta-
te,& neque iniuſti eſſe videamini,neque amicitiam Afro-
rum in inimicitiam conuertatis, ſed Deum potius ſtudete
placare, ceſſate inſilire in aliena, & lucrum excutere peri-
culis plenum. Mittens autem Biliſarius electum exerci-
tum, vrbem ſine labore comprehendit: Nocte enim ad
eam accedentes, & vna cum introeuntibus plauſtris ru-
ſticorum ingredientes, hanc obtinuerunt, & cum dies fa-
ctus fuiſſet, tam ſacerdotem, quam huius ciuitatis primos
captantes ad Prætorem deſtinauerunt. Biliſarius itaque
B Carthagine capta, commonebat milites dicens: Videte
commilitones,quam proſpera facta ſint nobis, quomodo
ſobrietatem erga Afros oſtendamus: videte, & honeſta-
tem in Carthagine conſeruate, & ne quis quenquam op-
primat, nec quicquam ipſius ſurripiat. Cum enim multa
mala fuiſſent à Vandalis Barbaris viris perpeſſi, Imperator
noſter miſit nos eis ad libertatem donandam. Hæc com-
monens Carthaginem introiuit, & aſcendens palatium
in Gelimeris ſolio ſedit. Ad quem negociatores Cartha-
ginis venerunt, & quotquot iuxta mare manebant, que-
ritantes ſe rapinam à claſſibus pertuliſſe. At vero Calo-
nium nauium principem iuramento conſtrinxit,quatenus
omnia quæ rapta fuerant apportaret, & propriis dominis
redderet. Qui defraudans ex eis & periurans, non poſt
multum vindictam exoluit. Nam extra ſenſum effectus
ſuam ipſius linguam comedens obiit. Ita vero Prætor ſine
tumultu vrbem poſſidebat, vt nec iniuriam cuiquam in-
ferret homini, nec in foro quenquam obſeruare domum
contingeret, ſed ementes milites manducabant. Eos vero
C Vandalos qui ad ſacra confugerant,fide præſtita educebat.
Murorum vero ciuitatis diligentiam exhibebat, cum an-
tea per negligentiam ruerent. Porro dicebant & vetus
verbum Carthagine dictum, videlicet. Gamma perſeque-
batur Beta, nunc Beta Gamma, quod videtur eſſe perfe-
ctum. Prius enim Genſericus Bonifacium inſecutus eſt,
nunc vero Biliſarius Gelimerem. Præterea tot pecunias
multitudo reperit, quot in nullo loco vnquam eſſe conti-
gerat. Denique Romanorum principatum depopulantes,
pecunias multas in Libyam tranſtulerunt. Et quum ipſa
ciuitas & regio optima & fœcunda eſſet, pecuniarum re-
ditus eis effecti ſunt multi. Nonaginta quippe & quinque
annis Vandali Libyam tenuerunt. At cum multas diui-
tias collegiſſent, in illa die in manus Romanorum omnes
diuitiæ redierunt. In tribus enim menſibus, cum pugnaſ-
ſet Biliſarius, id eſt, à Kalendis Septembribus vſque ad
Kalendas Decembrias, totam Libyam ſubdidit. Miſit au-
tem Ioannem Armenium cum ducentis electis perſequi
Gelimerem,donec eum viuum aut mortuum comprehen-
D derent. Qui præoccupans Gelimerem comprehenſurus
erat, niſi res contigiſſet huiuſmodi. Vliares quidam ex Bi-
liſarij armigeris erat cum Ioanne, qui vino inebriatus in
reprobum ſenſum venit, Videns autem auem ſuper arbo-
rem ſedentem, tenſo arcu iecit aduerſum auem, & auem
quidem conſequutus non eſt,Ioannem vero retro in cer-
uicem percuſſit. Qui plagatus mortuus eſt, multum lu-
ctum tam imperatori Iuſtiniano, quam Biliſario & cun-
ctis Romanis & Carthaginenſibus derelinquens. Taliter
Gelimerus aufugiens illa die ad Mauruſios properauit.
Quem Biliſarius perſequutus in paruo monte in nouiſſi-
mis Numidiæ circumcluſit, hunc obſidens per hyemem,
deficientibus ei omnibus neceſſariis. Panis enim apud
Mauruſios non fit, neque vinum, neque oleum, ſed far &
hordeum immaturum, & irrationabilia animalia come-
dunt. Hos incidens Gelimerus, ſcribit ad Pharam, quem
Biliſarius ad cuſtodiendum eum dereliquerat, vt mitteret
ſibi citharam, & panem vnum, & ſpongiam. Pharas au-
tem hæſitabat quidnam eſſet hoc, donec qui detulerat
epiſtolam dixit, quia panem deſiderat videre Gelimer, E
non videns panem ex quo aſcendit in montem, ſpon-
giam autem propter oculos non lotos, ac per hoc læſos,
quatenus hos ſynceros ſpongia reddat porro citharam, vt
calamitatem lamentetur & defleat. His auditis Pharas
condolens, & fortunam humanam deplorans, ſecundum
eius ſcripta faciebat, & Multa ei miſit, quibuſcunque
Gelimer egebat. Præterea cum hyems tranſiſſet, metuens
Gelimer obſidionem Romanorum, & cognatorum mi-
ſertus filiorum, qui vermes in obſidione & miſeria fece-
rant, diſſolutus eſt mente, & ſcripſit ad Pharam, quod fi-
dei verbo recepto, ipſe & qui ſecum eſſent, ad Biliſarium
properarent. Quo hoc certum iureiurando reddente, aſ-
ſumptis omnibus Carthaginem venit: Biliſarius autem
hunc gratenter accepit. At vero Gelimer ridendo ad Bili-
ſarium introiuit. Quem alij quidem ſuperfluitate paſſio-
nis exceſſiſſe quæ ſunt naturæ, deliriumque ſuſpicabantur
effectum. Amici vero huius & ſagacem hominem hunc
eſſe cogitabant, & cum fuerit rex, & regij generis,& vir- F
tutem validam pecuniaſque magnas habuerit, quomodo
in fugam verſus eſt, & multa mala pertulit, & nunc vt
captiuus ductus eſt, nihilque præter multum riſum, di-
gnaque hominum arbitratu circa eum eſſe prohibeban-
tur.Biliſarius autem eum cum principibus omnibus Van-
dalorum non in dehonoratione cuſtodiebat, vt ad Impe-
ratorem Iuſtinianum Bizantium duceret. Cyrillo verò
ſtatim Biliſarius cum capite Zatinonis fratris Gelimeris in
Sardum inſulam miſſo quæ Limus vocabatur, hanc pri-
mum Romanis ſubegit. In Cæſaream vero quæ eſt in
Mauritania, Ioannem alium deſtinauit, quæ triginta die-
rum itinere à Carthagine diſtans, penes Gadira & ſolis
occaſum iacet,aliumque Ioannem ex protectoribus vnum
in fretum quod eſt in Gadiris, & in caſtellum quod Sep-
tura vocant,direxit. Porro in inſulas quæ iuxta Oceanum
ſunt, Maioricam ſcilicet & Minoricam, Apollinarium
deſtinauit virum bonum.Miſit autem & in Siciliam quoſ-
dam Afrorum, & caſtrum Vandalorum comprehendere
iuſſit. Gothi quoque qui hoc cuſtodiebant, matri Atha- G
larici hæc nota fecerunt. Quæ ſcripſit ad Biliſarium: ne
idem caſtrum tyrannice obſideret, quouſque Imperator
Iuſtinianus ſciret, & quod ſibi viſum eſſet efficeret. In his
ergo Vandalicum bellum finem accepit. Verum inuidia,
vt in magna felicitate fieri contigit, etiam in Biliſarium
cecidit. Quidam enim derogauerunt ei penes Imperato-
rem, quod tyrannidem meditaretur. At Imperator miſſo
Salomone tentat Biliſarij voluntatem, vtrum cum Geli-
mere & Vandalis veniret, an manens eos illuc tranſmit-
teret. Biliſarius autem Bizantium profectus eſt, Salomone
prætore apud Libzam derelicto. Cumque Biliſarius vna
cum Gelimere & Vandalis perueniſſet, magna præmia
percipere meruit,quibus nimirum temporibus priſcis Ro-
manorum in maximis victoriis digni efficiebantur. Sex-
centis enim annis tranſactis nemo ad talem peruenit ho-
norem, niſi Titus, Traianus, & alij Imperatores, qui ma-
giſtratus contra Barbaricas nationes obtinentes, mirabi-
liter triumphauerunt. Exuuiiſque oſtenſis, & ex bello H
mancipiis, in media vrbe pompis hæc publicauit: quod
triumphum Romani vocant ſic veteri quidem modo`, ſed
pedeſtri incedens, in domum ſuam vſque ad Hippodro-
mum. Erant autem exuuiæ quicquid adminiſtratorio
principis ordini competebat, id eſt, throni aurei, & eſſe-
dæ, quibus regum vxores vehebantur: ornatus etiam de
lapidibus pretioſis compoſitus: argenti quoque multa
millia talentorum, & diuerſorum imperialium vaſorum,
quæ Genſericus deſpoliato Romano palatio in Africam
tulit: inter quæ erant & Iudæorum vaſa, quæ Titus Veſ-
paſianus filius poſt captam Hieroſolymam, Romam de-
tulerat. Mancipia vero erant ex triumpho, tam ipſe Geli-
mer veſtimentum quoddam portans purpureum, & co-
gnatio eius vniuerſa: Vandalorum quoque quotquot
valde prolixæ ſtaturæ ac boni corporis erant. Cumque
Gelimer in Hippodromum perueniſſet, & tam Imperato-
rem ſupra tribunal ſedentem, quam ex vtraque parte vul-
gus aſtans vidiſſet, non quieſcebat clamans: V A N I-
T A S vanitatum, & omnia vanitas. Pertingentem au-

A tem eum iuxta Imperatoris tribunal, purpura eius ablata
pronum cadere, & adorare Imperatorum coegerunt. At
vero Imperator Gelimeri prædia in Galatia multa contu-
lit & amœna, & cum omnibus ſuis cognatis in his habi-
tare permiſit. Verum in ordinem patricij non prouexit, eo
quod ab Arrij ſecta diſcedere minime conſentiret. Salo-
mone præterea Rempublicam moderante, Mauruſij præ-
lium aduerſus Afros mouerunt. Porro Mauruſij ex gentibus
deſcendunt, quas Ieſus Naue ex regione Phœnicum à Si-
done ad Ægyptum vſque habitantes abegit. Qui perue-
nientes Ægyptum, & non recepti ab eis, ad Libyam ve-
niunt, & hanc inhabitantibus eis, nouiſſimo tempore
Imperatores Romanorum terram obtinentes hanc, Hoen
nominauerunt, ſtatuentes titulos duos ſupra magnum
fontem ex lapidibus candidis concauas habentes litteras
Phœniceas dicentes hæc: Nos ſumus qui fugimus à fa-
cie Ieſu latronis, filij Naue. Erant autem & aliæ gentes
in Africa primum indigenæ habentes regem Aſclepium,
B qui Herculi conregnauit, quem terræ filium eſſe aſſeue-
rauerunt, qui Carthaginem ſumptis exercitibus contra
Mauruſios properauit. Qui in fugam verſi, & in præcipi-
tia ſe demergentes, ſemetipſos interficiunt. Mortui vero
in hoc bello ſunt Mauruſiorum quinquaginta millia, Ro-
manorum vero nullus penitus. Quin nec ictum quiſquam
eorum vllum accepit, ſed prorſus omnes incolumes vi-
ctoriam conſequuti ſunt. Plurimi vero principum ipſo-
rum Romanis adiuncti ſunt. Virorum, mulierum atque
puerorum tantam multitudinem Romani ceperunt, vt
ouis vnius pretio ſeruum Mauruſium emere volentibus
venundarent. Et tunc eis verum eloquium cuiuſdam diui-
næ fœminæ contigit, quæ maledicens eis ſic ait. Multitu-
do eorum à viro ſine barba peribit. Salomon quippe à
puero eunuchus præter voluntatem eſt effectus præ paſ-
ſione genitales partes amittens. Porro tota Libya recepta
Carthaginem rediit. Præterea Vere incipiente miſſus eſt
Biliſarius Siciliam Romanis facere tributariam. Vbi eo
hyemante Romani Libyæ contra Salomonem ſimultates
C fecerunt hoc modo. Acceptis enim interemptorum vxo-
ribus Vandalorum, habebant & agros eorum vt ſuos, &
ſoluere pro eis tributa nolebant Imperatori. At vero Sa-
lomon commonebat eos dicens, ne contradicerent Im-
peratori, ſed huic omnia quæ deliberata fuiſſent, penitus
redderent. Ceciderunt autem quidam eorum, maxime
Gothorum in Arrij ſectam, quos ſacerdotes Eccleſiæ ſe-
gregabant, & nec liberos eorum baptizare volebant. Vn-
de & in die feſto ſimultas facta eſt. Conſiliati ſunt vero
milites Salomonem in templo perimere. Qui hoc audi-
to, ſuadebat eis à ſeditione recedere. Quod non poſt pau-
ca obtinuit. Porro dum Agapitus Romanus pontifex, qui
à Iuſtiniano principe pacem Theodato poſtularat, apud
Conſtantinopolim obiiſſet, Iuſtinianus Biliſarium patri-
cium multis iam prœliis glorioſum aduerſus Theodatum
dirigit, vt etiam Italiam à Gothorum ſeruitio liberaret.
Biliſarius itaque dum aliquantum temporis apud Siliciam
moram faceret, rex Gothorum Theodatus extinctus eſt.
Huius in locum Vithegis ſucceſſit: qui mox vt regnum
D inuaſit, Rauennam profectus Amalaſuintæ reginæ filiam
per vim auferens ſibi in matrimonium iunxit.

Conceptas ergo contra Theodatum Biliſarius belli vi-
res in Vithegim conuertit: egreſſuſque de Sicilia ad Cam-
paniam, Neapolim adiit. Quem Neapolitani ciues no-
luerunt excipere. Qui indignatus acriter ad eiuſdem vr-
bis expugnationem totis ſe viribus erexit. Quam aliquan-
tis fortiter impugnatam diebus, tandem per vim capiens
ingreſſus eſt: tantaque non ſolum in Gothos qui ibi mo-
rabantur, ſed etiam in ciues ira deſæuiit, vt non ætati, non
ſexui, poſtremo non ſanctimonialibus, vel ipſis etiam ſa-
cerdotibus parceret. Viros in conſpectu coniugum, miſe-
rabile viſu, perimens, ſuperſtites matres ac liberos capti-
uitatis iugo abduxit, cuncta rapinis diripiens, nec à ſacro-
ſanctis Eccleſiis expoliandis abſtinuit. Indeque egrediens
Romam properauit. Quo Romam ingreſſo, Gothi qui in
Vrbe morabantur, noctu egreſſi, relictis patentibus por-
tis, Rauennam confugiunt. Vithegis vt talia comperit,
mox aduerſum Biliſarium Romam cum ingenti exercitu
venit. Biliſarius autem non aptum ſibi bellandi tempus E
conijciens, intra Vrbis mœnia ſe clauſit, eamque muni-
tionibus circumſepſit. Gothi vero Vrbem obſidentes vni-
uerſa per circuitum direptionibus & incendiis abſumunt.
Quoſcunque Romanos reperiunt, gladio extingunt, cun-
cta loca ſacra denudantes, ipſis etiam venerabilium mar-
tyrum tumulis manus impias inferunt, continue Vrbem
impugnant. Sed cauta Biliſarij induſtria defenſatur. Præ-
ter belli inſtantiam augebatur inſuper Roma famis penu-
ria. Tanta ſiquidem per vniuerſum mundum eo anno, ma-
ximeque apud Liguriam fames excreuerat, vt ſicut vir
beatiſſimus Dacius Mediolanenſis antiſtes retulit, pleræ-
que matres infelicium natorum comederent membra.
Cumque per annum continuum Gothi Romam obſediſ-
ſent, demum territi Rauennam rediere. Biliſarius vero ſe-
dule à Papa Syluerio acriter increpatus, cur tanta ac talia
homicidia Neapoli perpetraſſet, tandem correptus & pœ-
nitens, rurſus proficiſcens Neapolim, & videns domus
ciuitatis depopulatas ac vacuas, tandem reperto conſilio F
recuperandi populi, colligens per diuerſas villas Neapoli-
tanæ ciuitatis viros ac mulieres domibus habitaturos im-
miſit, id eſt Cumanos, Puteolanos, & alios plurimos Li-
guria degentes & Playa, & Sola, & Piſcinula, & Loco-
troccla, & Summa, aliiſque villis: nec non Melanos, &
Surrentinos, & de villa quæ Stabij dicitur, adiungens vi-
ros ac mulieres: ſimulque & de populis Cymiterij ad-
iunxit. Non poſt longum tempus rurſum pugnaturus cum
Vandalis in Africam pergens, victoriam de eis adeptus eſt.
Ex quorum reliquiis Africæ terræ captiuorum, nec non
Siciliæ & Syracuſæ ciuitatis, ſimulque ciuitatum Cala-
briæ, id eſt Maliti, Conſentiæ, villarumque earum popu-
los, atque totius Apuliæ colligens depopulatam impleuit.
Tamen ſæpiſſime in collectione populorum de ſingulis
vrbibus venientium ſolet accreſcere ſtultiloquium, ac
propterea annualiter illis dirigebat Prætor Siciliæ virum
nobilem ac ſapientem qui iudicaret & diſcerneret ea quæ
illi minime ſciebant. At vero Biliſarius Neapolim ordina- G
tam relinquens Romam ingreſſus eſt. Statimque ei è
Theodora Auguſta præceptio allata eſt, vt Papam Sylue-
rium conuictum accuſatione falſorum teſtium in exilium
truderet, eo quod Anthimum hæreticum Conſtantino-
politanum epiſcopum recuperatione recipere noluiſſet.
Quod Biliſarius licet nolens nihil moratus effecit. Pulſus
denique eſt Papa Syluerius ad Pontiam inſulam, in qua
& exulans obiit. Vithegis vero coacto rurſus in vnum
magno Gothorum exercitu cum Biliſario conflixit, fa-
ctaque maxima ſuorum cæde in fugam conuerſus eſt.
Quem Ioannes magiſter militum, cognomento Sangui-
narius, noctu fugientem perſequens, viuum comprehen-
dit, Romamque ad Biliſarium adduxit. Patrata Biliſarius
victoria Conſtantinopolim rediit ſecum Vithegim defe-
rens. Quo viſo Iuſtinianus valde lætatus eſt, eique non
multo poſt patricio effecto adminiſtrationem illi Perſa-
rum tribuit terminos. Ibique Vithegis degens vitam fini-
uit. Biliſarius vero dignis euectus honoribus, iterato ad
Africam aduerſus Vintarith mittitur, qui Vandalos rurſus
ſollicitans apud eos regnauit. Qui vt Africam attigit, H
Vintarith ſub dolo pacis illico peremit, reſiduos Vanda-
lorum Reipublicæ iugo ſubſtrauit. Exinde Biliſarius vi-
ctor Romam venit, auream crucem centum librarum,
precioſiſſimis gemmis exornatam, in qua ſuas victorias
deſcripſerat, beato Petro per manus Papæ Vigilij obtulit.
His ipſis temporibus apud Caſſinum poſt ſolitariam vi-
tam ſancto degens cœnobio ſtupendus beatiſſimus Bene-
dictus, nec minus futurorum præſcius, radiabat virtuti-
bus. Hac etiam ætate gens Longobardorum amica
populi Romani apud Pannonias degebat, quibus in regni
gubernaculo Audoin præerat. Is eo tempore cum Turi-
ſendo Gepidarum rege confligens, per Alboin filium ſuum
iuuenem ſtrenuum victoriam nactus eſt. Denique inter
ipſas Alboin ſeſe acies Thoriſmodum Turiſendi regis fi-
lium appetentem, alacriter aggreſſus extinxit. Perturbatiſ-
que hac occaſione Gepidis, ſuis victoriam peperit. At ve-
ro apud vrbem Romam Papa Vigilius ob eandem quam
& anteceſſor ſuus cauſam indignationis Auguſtæ, per An-

A thimum Scribonem ductus Conſtantinopolim, indeque
in exilium actus eſt. Capto itaque Vithegi, Gothi Tranſ-
padani Ildebaldum ſibi regem conſtituunt, qui eodem
anno perimitur. Cui ſucceſſit Eutarius & ipſe necdum an-
no expleto iugulatur. Dehinc Badvvillam, qui & Totila
dicebatur, ſibi in regnum præficiunt. Moxque collecto
vndique exercitu vniuerſam Italiam inuadit: Exinde per
Campaniam, & viri Dei Benedicti patris cœnobium iter
faciens audire ab eo talis meruit: Multa mala facis, mul-
ta feciſti, iam ab iniquitate compeſcere. Equidem mare
tranſiturus es, Romam ingreſſurus, nouem annis regna-
bis, decimo morieris. Dein à monaſterio deſcendens, per
Lucaniam ac Brutiorum fines Rhegium proficiſcens, nec
mota Siculum tranſgreſſus fretus Siciliam inuadit. Inde-
que reuertens Romam petiit, eamque obſidionibus cin-
xit. Quæ tantam famis penuriam paſſa eſt, vt præ magni-
tudine inopiæ natorum ſuorum carnes comedere vellent.
B Feſſis nimium Romanis, nec valentibus mœnia tueri, To-
tila porta Oſtienſi Vrbem ingreſſus eſt. Qui parcere Ro-
manis cupiens, per totam noctem clangere buccina iuſ-
ſit, quo ſe à Gothorum gladiis aut in Eccleſiis tuerentur,
aut quibuſcunque modis occulerent. Habitauitque ali-
quantum cum Romanis, quaſi pater cum filiis. Hanc illi,
vt coniici datur, animi benignitatem, qui nimiæ ante
crudelitatis extiterat, beati patris Benedicti monitio,
quem olim adierat, contulit. Elapſi ſane aliqui è numero
ſenatorum, Conſtantinopolim properant afflicti. Quibus
calamitatibus ſubiiceretur Roma, Auguſto narrant. Qui
ſtatim Naſien eunuchum cubicularium ſuum Exarchum
Italiæ fecit, Romam cum manu valida miſit, vt afflictæ
Romæ quantocyus ſubueniret. Is ad Italiam veniens cum
Longobardis fœdus iniit, & ad Alboin legatos dirigit,
quatenus ei pugnaturo cum Gothis auxilium miniſtra-
ret. Tunc Alboin electa è ſuis manu, direxit qui Roma-
nis aduerſum Gothos ſuffragium ferrent. Qui per maris
Adriatici ſinum tranſuecti, ſociati Romanis, magnum
C cum Gothis certamen iniere. Quibus ad internecionem
pene conſumptis, regem Totilam, qui vltra decem an-
nos iam regnauerat, interfecit, & veſtimenta eius cruen-
ta, cum corona lapidibus precioſis exornata miſit in re-
giam vrbem, & iacta ſunt ad pedes Imperatoris coram
Senatu. Deinde vrbes eorum munitas duas capiens, Ve-
ronam & Brixiam, & Romanam ciuitatem, vniuerſam-
que Italiam ad Reipublicæ iura reduxit, & Longobardos
honoratos multis muneribus ad propria remiſit, omnique
tempore, quo Longobardi poſſederunt Pannonias; Ro-
manæ Reſpubicæ aduerſus æmulos adiutores fuerunt. In-
terea Salomon Libyæ commorans vniuerſos muros ciui-
tatis muniit: & quoniam Maruſij diſceſſerunt à Numidia
victi, Zaben regionem, atque Mauritanam, & Sitiphim
metropolim ſub tributo Romanis effecit. Alterius enim
Mauritaniæ Cæſarea prima metropolis eſt. Interea Iberum
rex Zamanardus nomine, Conſtantinopolim aſcendit ad
D Iuſtinianum imperatorem cum vxore ac Senatoribus ſuis,
rogans eum vt eſſet Romanorum concertator, & germa-
nus amicus. At Imperator huiuſmodi propoſito eius ac-
cepto, multis eum & Senatores eius munificentiis hono-
rauit. Similiter & Auguſta vxori eius variata gemmis or-
namenta donauit, & dimiſerunt eos pacifice ad regnum
ſuum. Octauo anno imperij Iuſtiniani, paſſa à diuina in-
dignatione Pompeiopolis Myſiæ: ſciſſa eſt terra à terræ-
motu, & obrutum medium ciuitatis cum habitatoribus:
& erant ſubtus terram, & voces eorum audiebantur cla-
mantium, vt ſibi miſericordia præſtaretur. Et multa done-
uit Imperator ad educendos & adiuuandos, viuenteſque
liberaliter iuuit. Eodem anno tradidit Iuſtinianus ad pſal-
lendum in Eccleſia, illud quod canitur: Vnigenitus filius
& verbum Dei. Anno imperij Iuſtiniani duodecimo, mo-
ti ſunt Bulgarum duo reges, Vulger & Droggo, cum
multitudine in Scytiam & Myſiam, cum eſſet magiſter
militum Myſiæ Iuſtinus, & Scythiæ Blandarius. Qui
exeuntes, contra Bulgares inierunt prælium, & occiſus
eſt magiſter militum Iuſtinus in bello, & factus eſt pro
eo Conſtantius Florentij, & venerunt Bulgares vſque ad
partes Thraciæ, & egreſſus eſt contra eos magiſter mili-
E tum Vuilliriaci cum Hunnis, quem ſuſcepit Imperator ex
ſacro baptiſmate: & in medium miſſis Bulgaribus conci-
derunt eos, & occiderunt multitudines copioſas, & re-
ceperunt omnem prædam, & vicerunt potenter, occiſis
duobus regibus eorum. Eodem anno cepit Choſdroes rex
Perſarum magnam Antiochiam Syriæ. Anno decimoter-
tio imperij Iuſtiniani ſociatus eſt Romanis Mundus ex
genere Gepidum deriuatus. Anno imperij Iuſtiniani deci-
moquarto Choſdroës rex Perſarum in Romanorum ter-
ras quartum fecit ingreſſum, quem Biliſarius ab Heſpe-
riis veniens, ſapientia ſua inefficacem redire coëgit ad
propria. Anno decimoquinto imperij Iuſtiniani menſe
Octobre, facta eſt mortalitas Bizantij. Et eodem anno
Hyppapante domini ſumpſit initium, vt celebraretur apud
Bizantium, ſecunda die Februarij menſis. Anno decimo-
ſexto imperij Iuſtiniani, cœpi debellare inuicem reges
Azumitenſium, Indorum & Iudæorum, ex cauſa huiuſ-
modi. Azumitenſium rex vltra Ægyptum eſt iudicans. Ro-
F manorum autem negociatores per Homeritenſem ingre-
diuntur Azumitenſem, & ad interiores partes Indorum
atque Æthiopum. Negociatores autem ſecundum con-
ſuetudinem inggreſſi ſunt terminos Homeritarum. Da-
mianus eorum rex occidit illos, & abſtulit omnia eorum
dicens: quoniam Romani malefaciunt Iudæis, qui in re-
gione ſua ſunt, & occidunt eos. Et ex hoc ſoluerunt ne-
gociationem interiores Indorum Azumitæ. Et indignatus
eſt Azumitenſium rex Adad mittens Homeritenſi: quia
læſiſti regnum meum & interiorem Indiam, prohibens
mercatores ad nos ingredi. Et venerunt in inimicitiam
magnam, & inierunt bellum in alterutrum. Et cum pu-
gnaturi eſſent; Adad Azumitentium rex votum vouit di-
cens: quia ſi vicero Homeritenſem, Chriſtianus efficiar,
quia pro Chriſtianis pugno. Deique operatione vicit po-
tentiſſime, & accepit captum viuum Damianum regem
eorum, & regionem ipſorum, & regna. Gratiaſque refe-
rens Adad rex Azumitenſium, miſit ad Iuſtinianum im-
G peratorem, vt acciperet Epiſcopum & clericos, & doce-
retur, & fieret Chriſtianus. Et gauiſus eſt ſuper hoc Iuſti-
nianus plurimum, & iuſſit eis dare quemcunque voluiſ-
ſent. Et elegerunt ſidem legati cum curioſe quæſiſſent,
Manſionarium ſancti Ioannis magnæ Alexandriæ virum
venerabilem & virginem, nomine Ioannem, qui ſexagin-
ta & duorum erat annorum: quo ſuſcepto, abierunt in
propriam regionem ad Adad regem ſuum. Et ita credide-
runt Chriſto, & illuminati ſunt. Anno decimoſeptimo
imperij Iuſtiniani, factus eſt terræmotus magnus in vni-
uerſo mundo. Eodemque anno apparuit quidam ex re-
gione Italorum, per villas diſcurrens, nomine Andreas,
habens ſecum canem rufum & cæcum, qui iuſſus ab eo
faciebat miracula. Cum enim ſtaret ipſe in foro, & turba
in circuitu adeſſet, clam eodem cane deferebantur aſtan-
tium annuli aurei & argentei, & ferrei, & ponebantur in
pauimento: quos ille cooperiebat, & præcipiebat cani,
& tollebat & dabat vnicuique ſuum. Similiter & diuer-
H ſorum Imperatorum numiſmata mixta porrigebat per
nomina. Sed & præſto turba aſtante virorum ſcilicet &
mulierum, oſtendebat in vtero habentes, & fornicarios,
& adulteros & auaros, & magnanimos: oſtendebat om-
nes cum veritate. Vnde dicebant, quia ſpiritum habet
Pythonis. Anno imperij Iuſtiniani decimooctauo diffu-
ſum eſt mare per Thracem milliariis quatuor, & coope-
ruit eam terram circa partes Odyſſei & Dioniſiopoleos:
Et multi necati ſunt in aquis, & iterum præcepto reſtitu-
tum eſt mare idem in loca ſua. Anno imperij Iuſtiniani
decimonono facta eſt inopia frumenti, vini & olei, ac
pluuia magna. Et factus eſt terræmotus magnus Con-
ſtantinopoli, & euerſio die ſancto Paſchæ, & cœpit vul-
gus abſtinere à carnibus menſe Februario, die quarta.
Imperator autem præcepit alia hebdomada carnem ap-
poni; & omnes carnium venditores occiderunt & appo-
ſuerunt, & nemo emebat aut edebat. Porro Paſcha fa-
ctum eſt, vt Imperator iuſſit, & inuentus eſt populus ie-
iunans hebdomada ſuperflua. Anno viceſimo primo im-
perij eius facti ſunt terræmotus magni & pluuiæ, mor-
tuaque eſt Theodora Auguſta. Similiter & ſequenti anno

facta

A facta ſunt fulgura & tonitrua, ita vt dormientes ex tonitruo læderentur, atque incendia penes Byzantium. Anno imperij Iuſtiniani vigeſimotertio legatus Indorum venit Conſtantinopolim ducens elephantem, & ingreſſus eſt Hippodromum. Menſe autem Martio exiliit Elephas è ſtabulo noctu, & interfecit multos, alios vero debilitauit. Porro Iunio menſe facta ſunt encænia ſanctorum Apoſtolorum apud Conſtantinopolim, & recondita ſunt λείψανα Andreæ & Lucæ Apoſtolorum: & tranſiit Menas Epiſcopus cum ſanctis λειψάνοις ſedens in carruca aurea Imperatoria lapidibus inſignita, tenens tres thecas ſanctorum Apoſtolorum in genibus ſuis, & ita encænia celebrauit. Anno vigeſimo ſeptimo imperij Iuſtiniani, factus eſt terribilis terræmotus Conſtantinopoli, & per alias vrbes, qui tenuit dies quadraginta. Et paulatim homines compuncti ſunt, litaniam agentes & frequentantes atque in Eccleſiis commanantes. Cumque multa miſericordia Dei facta fuiſſet, homines ad peiora delapſi ſunt: Fit autem memoria terræmotus huius per ſingulos annos, in campo litaniam populo agente. B Viceſimooctauo imperij Iuſtiniani anno, facta ſunt tonitrua & fulgura horrenda, & ventus Africus terribilis, ita vt caderet crux quæ ſtabat intra portam Rheſij. Anno vigeſimonono imperij Iuſtiniani, ſeditionem concitauerunt Iudæi & Samaritæ Cæſareæ Palæſtinæ, & facti quaſi in ordine Praſino & Veneto, irruerunt in Chriſtianos eiuſdem ciuitatis, & multos interfecerunt, & Eccleſias combuſſerunt, & Stephanum ipſius ciuitatis præfectum in prætorio peremerunt, & ſubſtantiam eius diripuerunt. Vxor vero illius fugiens in vrbem adiit Imperatorem, qui iuſſit Adamantio magiſtro militum deſcendere in Palæſtinam, & occiſionem exquirere Stephani. Qui veniens eorum quos reperit, alios ſuſpendit, alios decollauit, alios vero debilitauit & publicauit. Et factus eſt timor magnus in omnibus partibus Orientalibus. Triceſimo imperij Iuſtiniani anno apparuit in cœlo cometa ardens quaſi ſpecies lanceæ, à Septentrione vſque ad Occidentem. C Triceſimo primo imperij Iuſtiniani anno, factus eſt terræmotus horribilis valde, qualem nullus hominum memorabat in generatione illa ſuper terram effectum. Concutiebatur enim terra nocte ac die diebus decem, poſtea ceſſauit. At vero Imperator non geſtauit coronam per dies decem. Sed & ſancta Chriſti natiuitate abſque illa proceſſit in Eccleſiam, ita vt etiam prandia quæ ex more fiunt in decem & nouem accubitus, ceſſare faceret, & eorum expenſas egenis tribueret. Eodem anno ingreſſa eſt gens Bizantium inopinata eorum qui dicuntur Auares, & tota ciuitas cucurrit ad viſionem eorum, tanquam qui nunquam viderint huiuſmodi gentem. Habebant enim retrorſum comas prolixas valde, atque perplexas, iunctas prandeis; reliquus vero veſtitus eorum ſimilis erat cæterorum Hunnorum. Iſti fugientes ex regione ſua venerunt in partes Scythiæ ac Myſiæ, & direxerũt ad Iuſtinianum legatos petentes vt reciperentur. Triceſimo vero ſecundo imperij Iuſtiniani anno, ædificatus eſt trullus magnus Eccleſiæ Conſtantinopolis, & exaltatus pluſquam viginti pedibus in ſuperioribus, D ſupra ædificium quod antea fuerat. Anno triceſimo tertio imperij ſui cœpit Imperator ædificare pontem Agoreos fluminis conuertens eundem amnem in alium alueum, voluitque arcus mirabiles quinque & fecit eum meabilem, cum antea ligneus fuerit. Anno triceſimo quarto imperij Iuſtiniani diffamatum eſt apud Conſtantinopolim quod mortuus eſſet Imperator. Venerat enim à Thrace, & neminem videbat. Ergo plebes rapuerunt ſubito panes ex locis in quibus fiebant & vendebantur, & circa horam tertiam nõn inueniebatur panis in tota vrbe. Clauſa quoque ſunt ergaſteria, & ſuſurrabant palatium, quia nemo ex Senatu videbat Imperatorem, eo quod dolorem capitis pateretur. Et ex hoc crediderunt quod eſſet defunctus Imperator, Interea circa horam veſperi fecit Senatus conſilium, & miſerunt præfectum, & fecit luminaria in tota vrbe, quoniam ſanus factus eſt Imperator: & hoc modo erepta eſt ciuitas à turbatione. Poſtquam autem ſanus factus eſt Imperator, Eugenius qui fuerat præfectus detraxit Georgio & Etherio curatoribus, quaſi voluiſſent Theodorum facere Imperatorem E filium Petri magiſtri. Cumque fuiſſet cauſa quæſita, & nullatenus comprobata, in iram incidit Imperatoris Eugenius, & domus eius publico fiſco collata eſt. Facta eſt autem & mortalitas vaſta in Cilicia & Anazarbo, & Antiochia magna, nec non & terræmotus: & congreſſi ſunt aduerſus alterutrum orthodoxi & Seueriani & multa homicidia facta ſunt. Et miſſo Imperator Zimarcho comite Orientis inhibuit inordinatos & multos in exilium miſit, & publicauit, ac membris debilitauit. Anno triceſimo quinto imperij Iuſtiniani, viceſimo quinto die Nouembris menſis, ſero, inſidias meditati ſunt quidam vt occiderent Imperatorem. Erant autem Ablauius & Marcellus pecuniarum venditores, & Sergius. Meditatio autem eorum erat huiuſmodi. Cum ſederit in triclino ſero, priuſquam licentia detur, occidant eum habentem homines ſuos ſibi cooperantes intus abſconditos in ſilentiario & angulo incurij: vt cum facta fuerit machinatio turbationem faciant. Porrò Ablauius etiam aurum accepit à Marcello argenti venditore libras quinquaginta, vt ſibi cooperaretur. F Sed Deo volente fiſus eſt Ablauius Euſebio Exconſule, qui erat comes fœderatorum, & Ioanni Logothetæ dicens: Quia hodie veſperi volumus Imperatorem aggredi. Qui cum hoc nunciaſſent Imperatori, tenuit eos & inuenit eos ferentes abſconditos gladios. Et Marcellus quidem argenti venditor ſpe fruſtratus, exempto gladio quem portabat, dedit ſibi tres ictus in triclinio comprehenſus, & moritur. Sergius autem fugit ad Blachernas. Quo educto & interrogato perſuaſum eſt ei confiteri, quod & Iſacius argenti venditor, & Biliſarius glorioſiſſimus patricius, conſcij fuerint huiuſmodi machinamenti, & Vitus pecuniarum venditor, & Paulus curator eiuſdem Biliſarij conſilium ſciuerint. Qui comprehenſi & traditi Procopio præfecto, confeſſi ſunt & dixerunt de Biliſario. Qui mox factus eſt Imperatoris ſub ira. Multi vero & fuga vſi ſunt. Interea quinta die menſis Decembris fecit Imperator ſilentium, adducens Eutychium Patriarcham, & iubens eorum recitari confeſſiones. G Quo audito, Biliſarius ingenti eſt mœrore grauatus. Et emittens Imperator comprehendit omnes homines eius, & ipſum domi ſedere præcepit cuſtodiendum. Interea viceſima die menſis Decembris capta ſunt quædam Africæ à Mauritanis inſurgentibus aduerſus Africam, ita Chutinas quidam nomine, ex ipſa gente Exarchus Mauritanorum, habebat conſuetudinem accipiendi à principe Africæ certam quantitatem auri, quod per tempus erat. Cumque veniſſet vt acciperet illud, Ioannes princeps Africæ occidit illum. Porro inſurrexerunt filij Chutinæ vindicantes paternum acceptum, & erecti contra illam, cœperunt eius partes aliquas deprædare. Imperator itaque hoc agnito, miſit in auxilium Martianum magiſtrum militum, nepotem ſuum, cum exercitu ad pacificandos Mauros, & confluxerunt ad eum. Sicque pace potita eſt Africa. Eodem anno Imperator quibuſdam perturbatoribus Conſtantinopolim concitantibus pollices abſcidit, eorum duntaxat, qui cum gladiis pugnauerunt. Nonadecima vero die menſis Martij, dimiſſus eſt Biliſarius H patricios, receptis omnibus dignitatibus ſuis. Eodem anno venerunt legati Aſcelti regis Hormetionorum, qui poſitus eſt intra Barbarorum gentem iuxta Oceanum, Conſtantinopolim. Iuſtinianus imperij ſui anno triceſimoſeptimo perrexit cauſa orationis ad Mitangulos, id eſt Germanicias vrbem Galatiæ. Nouembri vero menſe introiuit Bizantium Arethas patricius & princeps Sarracenorum, debita deferre Imperatori filiorum ſuorum, & debiti gratia, vt ſcilicet poſt obitum ſuum tenerent principatum tribus ſuæ. Triceſimooctauo imperij ſui anno Iuſtinianus de corruptibili & incorruptibili dogmate commonens, edicto vbique alieno à pietate tranſmiſſo, Deo præoccupante defunctus eſt, cum imperaſſet triginta octo annis, menſibus ſeptem, & diebus decem, & efficitur ei huiuſmodi ſucceſſor, Iuſtinus Curopalates.

Anno ab incarnatione Domini D. L VIII. Iuſtinus Imperator, nepos Iuſtiniani, coronatur ab Eutychio Patriarcha.

A triarcha. Erat autem natione Thrax, magnanimus, ad omnia proſper, Habebat autem & vxorem Sophiam nomine, quam & coronauit Auguſtam. Cum autem eſſet pius, adornauit Eccleſias, quas Iuſtinianus ædificauerat, tam videlicet magnam Eccleſiam & ſanctos Apoſtolos, quam alias Eccleſias & monaſteria, donans eis theſauros & omnem reditum. Eratque orthodoxus valde, & miſit Photinum monachum priuignum Biliſarij patricij, dans ei poteſtatem contra omnem cauſam & perſonam, pacificans Eccleſias vniuerſas Ægypti & Alexandriæ: Anno vero ſecundo Imperij Iuſtini Etherius & Auitus ac medicus qui cum ipſis erat, inſidiati ſunt eidem Imperatori Iuſtino. Qui cogniti interfecti ſunt gladio. Tertio imperij Iuſtini anno, accerſitis Sophia piiſſima Auguſta pecuniarum venditoribus & notariis iuſſit deferri cautiones debitorum & breues, & præbuit eos debitoribus, & reddidit dominis ſuis. Et laudata eſt ſuper hoc magnopere ab B vniuerſa ciuitate. Anno vero imperij Iuſtini ſeptimo Romani ac Perſæ pacem corruperunt, & iterum Perſicum renouatum eſt bellum, eo quod Homeritæ iu dilectione ad Romanos miſerint, & Imperator Iulianum magiſtrum cum Sacra deſtinauerit ad Archetem regem Æthiopum per Nilum fluuium ab Alexandria & Indico mari. Qui receptus eſt ab Archeta rege Æthiopum cum gaudio magno, appetente nimirum amicitiam Romanorum Imperatoris. Enarrabat autem cum rediſſet idem Iulianus, quod quando receperit eum rex Archeta, nudus eſſet, habens circum cincturam, & in lumbis linea veſtimenta auro contexta. Circa ventrem vero portauit Indumenta ſciſſa cum margaritis precioſis, & in brachiis quinos circulos, & aureas armillas in manibus ſuis: in capite autem pannum gemmatum, habentemex vtroque ligamento plectas quatuor, & torquem aureum in collo ſuo: & ſtabat ſuper quatuor elephātes ſtantes, & habentes iugum & rotas quatuor, & ſuperius currum velatum petalis aureis, vt C ſunt principum currus: & ſtans ſupra illos ferebat ſcutum paruiſſimum rotundum, & duas lanceolas aureas, & Senatus omnis eius erat cum armis canentes modulationes muſicas. Introductus autem legatus Romanorum cum adorauiſſet, iuſſus eſt erigi & adduci ad ſe. Cum autem ſuſcepiſſet Imperatoris Sacram, oſculatus eſt ſignaculum, quod habebat pectuſculum Imperatoris. Suſceptis autem & muneribus, gauiſus eſt valde. Porro cum legiſſet Sacram, inuenit vt ſe contra regem Perſarum armaret, & proximorum ſibi Perſarum perderet regionem, & vlterius cum Perſis fœdera non iniret. Protinus ergo collecto exercitu rex Archetas coram legato Romanorum aduerſus Perſas prælium mouit, ſubiectos ſibi Sarracenos præmittens. Profectus autem & ipſe ad regionem Perſarum, depopulatus eſt omnia quæ in illis locis erant. Tenens autem rex Archetas caput Iuliani & dans ei pacis oſculum, dimiſit eum in multa beneuolentia, multiſque muneribus. Porro facta eſt & alia cauſa, quæ turbauit Choſdroen. Hunni quippe per illud tempus, quos Turcos D dicere conſueuimus, legationem dirigunt ad Iuſtinum, per Alanorum regionem mittentes. Hoc timens Choſdroes, excuſationem prætendebat Armeniorum in ſe factam per acceſſum quo Iuſtino adhæſerant. Sed & profugos repetebat. Impendebat enim Romanorum Imperator per ſingulos annos quingentas libras auri, & caſtra quæ loco proxima erant, Perſæ cuſtodirent, ne ingreſſæ gentes vtramque Rempublicam deſtruerent: communibuſque ſumptibus caſtella muniebantur. At vero Iuſtinus pacem diſſoluit, aſſerens opprobrium eſſe Perſis ſoluere tributa Romanos. Propterea locum magnum hoc Perſarum & Romanorum reperit bellum. Porro Iuſtinus Martinum patricium & cognatum ſuum prætorem creans Orientis, contra Perſas direxit. Octauo imperij ſui anno Iuſtinus infirmatus eſt, & contriſtatus aduerſus Biduarium fratrem ſuum, & hunc iniuriis lacerauit. Nouiſſime vero præcepit cubiculariis pugnis cæſum educere illum in conſpectu concilij Senatorum. Erat enim comes imperialium ſtabulorum. Quo comperto Sophia triſtata eſt, & conqueſta Imperatori. Qui ſe pœnituit, & deſcendens ad eum in ſtabulum, introiuit ſubito cum præpoſito cubiculariorum. Biduarius autem viſo Imperatore, fugit à loco in locum per ſuperiora præſepis præ timore Imperatoris. E At Imperator clamabat: Adiuro te per Deum frater mi, expecta me. Et cum occurriſſet, tenuit eum, & amplexatus oſculatus eſt eum dicens: Peccaui tibi frater mi, ſed ſuſcipe me, vt fratrem tuum primum & Imperatorem. Ex diabolica enim operatione noui quod factum ſit hoc. Qui cecidit ad pedes eius, & flens ait: Veraciter domine poteſtatem habens veruntamen in præſentia Senatus deformaſti ſeruum tuum, modo domine his rationem redde: & oſtendit ei equos. At vero Imperator rogauit eum ſecum manducare, & pacificati ſunt. Eodem vero anno factum eſt bellum circa Sagarthon Romanorum atque Perſarum magnum, & vicerunt Romani. Nono anno imperij Iuſtini Hormiſda rex Perſarum Arimardanem ducem Perſarum ordinans miſit in Romanorum regionem depopulari, qui præda multa capta reuerſus eſt. Quo comperto Iuſtinus conſternatus mole calamitatis, capiti ſenſus languorem incurrit, & pactum F facere Hormiſdam petit. Qui fieri annuum conſentit. Iuſtinus Imperator Tiberium comitem excubitorum ſibi faciens, Cæſarem appellauit, & confeſſorem ſuum conſtituit tam iu hippodromis quam in ædibus inſignibus. Erat enim Imperator pedibus captus, & per hoc magis in lectulo iacens. Anno vndecimo imperij ſui conſtruxit Iuſtinus magnum aquæductum Valentis, & largitus eſt vrbi dapſilitatem aquarum. Anno decimo ſecundo Imperij ſui Iuſtinus Imperator Synagogam Iudæorum quæ erat Conſtantinopoli in Chalco, pretiis ablatam ab eis, fecit Eccleſiam dominæ noſtræ ſanctæ Dei genitricis, quæ proxima eſt magnæ Eccleſiæ. At vero Imperator infirmatus, & pauxillum à languore dimiſſus, aduocauit tam Eutychium Pontificem & Senatum, quam omnes ſacerdotes & ciues, & adducto Tiberio Cæſare coram omnibus appellauit eum Imperatorem, his ſermonibus vſus: Ecce Deus qui benefecit tibi, hunc habitum dedit tibi, non ego. Honora illum, vt tu quoque honoreris ab illo. G Honora matrem tuam, quæ aliquando domina tua fuit. Noſti quod primum ſeruus eius fueris, nunc autem filius: Ne gratuleris in ſanguinibus, ne communices homicidio, nec malum pro malo reddas ne in malo inimicitiæ ſimilis mihi efficiaris. Ego enim vt homo culpaui. Etenim culpabilis factus ſum, & recepi ſecundum peccata mea, ſed cauſam habebo cum his, qui hoc mihi fecerunt, ante tribunal Chriſti. Non eleuet te habitus, quemadmodum me. Sic attende de omnibus, ſicut tibi. Scito quod pro viſceribus meis honorauerim te. Hos tu cum videas omnes, quæ Reipublicæ ſunt, vides. Intende militi tuo, nec milites ſuſcipies ad prandia, ne dicant tibi quidam, quia deceſſor tuus conuerſatus eſt: hæc enim dico à quibus paſſus ſum. Qui habent ſubſtantias, fruantur eis. His vero qui non habuerunt, dona, Et facta oratione à Patriarcha, cum dixiſſent omnes, Amen: cecidit Cæſar ad pedes Imperatoris, & dixit ei: Si vis, non ſum: Et Imperator: Deus eſt, qui fecit cœlum & terram, H ipſe omnia quæ dicere oblitus ſum, in cor tuum mittat. Porro dum hæc proſequeretur Imperator, replebat lachrymis totum collegium. Quod cum ſolutum fuiſſet, dona ſubditis impertitus eſt, & quæcunque in Imperatoris appellatoribus moris exiſtunt. Hic Iuſtinus in initio imperij ſui bonus fuit, poſt in omnem auaritiam incidit, id eſt, exemptor pauperum, Senatorum expoliator. Cui tanta cupiditatis fuit rabies, vt arcas iuberet ferreas fieri, in quibus quæcunque rapiebat auri talenta congregaret. Huius imperij anno vndecimo, qui eſt annus diuinæ incarnationis D. L X V I I I. indictione prima in ipſis Calendis Aprilis egreſſi ſunt Longobardi de Pannonia, & ſecunda indictione cœpere prædari in Italia, tertia vero indictione dominari cœperunt in Italia.

A

Explicit Liber Decimusſextus.

Incipit

LIBER DECIMVSSEPTIMVS.

TIBERIVS II.

ANno incarnationis Domini D.LXXI. Imperare cœpit Tyberius coronatus ab Eutychio Patriarcha, cum eſſet & ipſe genere Thrax: cumque imperare cœpiſſet, clamabant partes: Anaſtaſia Auguſta tu vincas, ſalua Domine quos imperare iuſſiſti. Audiens autem Sophia Iuſtini coniux, perculſa eſt animo. Volebat namque nubere Tiberio, vt & permanere Auguſta: oeſciebat enim quod haberet vxorem: quidam autem dicebant quod & in vita Iuſtini adamicata ei fuerit, & ipſa perſuaſit Iuſtino vt eum Cæſarem faceret. Verum Tiberius timens duxit Anaſtaſiam vxorem ſuam, & coronauit eam Auguſtam, B & iactauit rogam multam. Erat autem Tiberius; iuſtus, vtilis, ſtrenuus, ſapiens, in eleemoſynis largus, in iudicio iuſtus, in victoria clarus, nullum deſpiciens, ſed omnes in bona voluntate complectens. Hic cum multum de theſauris, quos Iuſtinus aggregauerat, pauperibus erogaret, Sophia Auguſta frequentius eum increpabat, quod Rempublicam redegiſſet in paupertatem, dicens: Quod ego multis annis congregaui, tu infra paucum tempus diſpergis aiebat autem ille: Confido in domino, quia non deerit pecunia fiſco noſtro, tantum vt pauperes eleemoſynas accipiant, aut vt captiui redimantur. Hoc eſt magnus theſaurus, dicente domino: Theſaurizate vobis theſauros in cœlo, vbi neque ærugo, nec tinea corrumpit: & vbi fures non effodiunt, nec furantur. Ergo de his quæ Dominus tribuit, demus pauperibus, & congregemus theſauros in cœlo, & dominus nobis augere dignabitur in ſeculo. Quadam autem die deambulans per palatium, vidit in pauimento domus tabulam marmoream, in qua erat crux domini ſculpta, & ait: Cruce domini noſtri frontem C noſtram & pectora munire debemus, & ecce eam ſub pedibus calcamus. Et hoc dicto citius iuſſit ipſam tabulam auferri, defoſſaque tabula atque erecta inueniunt ſubter & aliam hoc ſignum habentem. Qui & ipſam iuſſit auferri. Qua amota inueniunt & tertiam. Iuſſuque eius cum hæc fuiſſet ablata, inueniunt magnum theſaurum, habentem ſupra mille auri centenarij. Sublatumque aurum pauperibus adhuc abundantius quam conſueuerat largitur. Narſes quoque patricius Italiæ cum multis theſauris ab Italia ad ſupra memoratã vrbem aduenit, & ibi in domo ſua occultè ciſternam fodit magnam, in qua multa millia centenariorum auri argentique depoſuit. Interfectis autem omnibus conſciis, vno tantum modo ſeni hæc pro iuramento ab eo exigens commendauit. Defuncto quoque Narſete ſupradictus ſenex ad Tiberium Cæſarem veniens dixit: Si mihi aliquid prodeſt, magnam tibi rem Cæſar dicam. Cui ille reſpondit: Quid vis? proderit enim tibi, ſi quid nobis profuturum eſſe narraueris. D Theſaurum, inquit, Narſetis reconditum habeo, quem in extremo vitæ poſitus, celare non poſſum. Tunc Tiberius gauiſus, mittit vſque ad locum pueros ſuos: præcedente vero ſene, hi ſequuntur attoniti: peruenienteſque ad ciſternam, deopertam ingrediuntur: in qua tantum auri argentique repertum eſt, vt per multos dies vix à deportantibus poſſet euacuari. Quæ ille pene omnia ſecundum ſuum morem erogatione largiflua diſpenſauit egenis. Denique & cum Roma temporibus Benedicti Papæ, vaſtantibus omnia per circuitum Longobardis, famis penuria laboraret, multa millia frumenti nauibus ab Ægypto dirigens eam ſuæ ſtudio eleemoſynæ releuauit. Hic cum Auguſtalem coronam accepturus eſſet, eumque iuxta conſuetudinem ad ſpectaculum Circi populus expectaret, inſidias ei præparant alij aduerſarij, vt Iuſtinianum Iuſtini nepotem in dignitatem imperatoriam ſublimarent. Ille per loca ſancta procedens ibat. Dehinc vocato ad ſe pontifice vrbis cum Coſſ. ac præfectis ingreſſus palatium, indutus purpura, diademate coronatus, throno imperiali impoſitus, & immenſis laudibus in gloria regni eſt confirmatus. Quod eius aduerſarij audientes, nihilque ei, quia in Deo ſpem ſuam poſuerat, nocere valentes, magna ſunt confuſione & pudore cooperti. Tranſactis autem paucis diebus, adueniens Iuſtinianus pedibus ſe proiecit Imperatoris, ob meritum gratiæ quindecim auri centenaria deferens. Quem ille ſecundum patientiæ ſuæ ritum colligens, ſibi in palatio aſſiſtere iuſſit. Sophia quoque Auguſta immemor promiſſionis; quam quondam in Tiberium habuerat, inſidias ei tentauit ingerere. Procedente autem eo ad villam vt iuxta ritum imperialem triginta diebus ad vindemiam iocundaretur, vocato clam Iuſtiniano, voluit eum ſublimare in regno. Quo comperto Tiberius curſu veloci Conſtantinopolim rediit: apprehenſamque omnibus theſauris ſpoliauit, ſolum ei victum quotidiani alimenti relinquens, ſegregatiſque pueris eius ab ea, alios de fidelibus ſuis poſuit qui ei parerent, mandauitque prorſus, vt nullus de anterioribus ad eam haberet acceſſum: Iuſtinianum vero verbis ſolummodo obiurgatum, tanto in poſterum amore dilexit, vt filio eius filiam promitteret ſuam rurſumque filio ſuo filiam eius expeteret. Sed hæc res neſcio ob quam cauſam minime ad effectum peruenit. Secundo imperij ſui anno, miſit rex Tiberius ad regem Perſarum ſecundum morem ſuum, nuncians promotionem ſuam. Quo pacem non admittente, Tiberius magnas virtutes congregauit, & diſſeminatis regiis theſauris multos fecit exercitus, creans magiſtrum Orientis quendam ſupradictum Iuſtinianum Anno tertio imperij ſui rex Perſarum ſumptis virtutibus ſuis in Armeniam properat. Audiens autem dux Romanorum regem Perſarum per ſemetipſum initurum prælium expeditus eſt. Timor enim ingreſſus eſt in populum Romanum, & idcirco Iuſtinianus ad virtutes ſermonibus vſus, compeſcuit formidinem pugnæ: Cum autem bellum fieret, & ſagittatio multa Perſarum facta fuiſſet, ita vt etiam ſolares radij celarentur: tunc videlicet clypeis iacula quæ ex arcubus mittebantur, continuatis proiicere nitebantur. Cum autem profunda conſiſteret Romanorum acies, Perſæ ferre non poterant, ſed in fugam vertitur Babyloniorum caterua, & intereunt multitudines copioſæ. Accipiunt & interea Perſarum ſuppellectilem, & regium tabernaculum, totumque clariſſimum apparatum. Tenent autem & elephantes Romani, & ad Tiberium mittunt inſignes & regias illas exuuias. Itaque ponit legem Perſarum rex confuſionem non ferens, nunquam iam regem Perſarum in prælium egreſſurum. At vero Romanus exercitus poſt Perſicas ærumnas, etiam ad intima Perſidis properauit, & multum illic excidium perpetrauit & captiuitatem, perueniens etiam in medium Hyrcanici maris. Cum autem hyems adeſſet, non remearunt Quirites ad propria, ſed in Perſide hyemem tranſegerunt. Porro eodem anno cœpit ædificare Tiberius publicum thermarum Blacernarum, & renouauit multas Eccleſias, & xenodochia & gerocomia, iuſſitque ſe ſcribi in phœniceis litteris Tiberium Conſtantinum. Interea Tiberius Imperator emptis corporibus gentilium conſtituit militiam in nomen proprium; amiciens & armans eos in millia quindecim: dans ei ducem Mauricium comitem fœderatorum, & ſubducem Narſem, & miſit eos contra Perſas. Bello autem facto H magno valde, Romani victores efficiuntur; & abſtulerunt à Perſis ciuitates & regiones, quas ſub Iuſtiniano & Iuſtino ceperant. Abiens autem Mauricius Conſtantinopolim ſuſceptus eſt ab Imperatore cum ingenti honore, & publicauit Tiberius victorias Mauricij, & generum hunc admiſit ad Conſtantiam ſuam filiam Charito, vtrumque Cæſarem creans. Menſe vero Auguſto mora comedens matutina viſu digna, ſed corrupta, *φλέγμα* incurrit. Et cum eſſet moriturus, accito patriarcha Ioanne atque Senatu in tribunalium lectica eſt deportatus: & quia loqui non poterat, per epagnoſticum quæ rebus Romanorum erant vtilia, manifeſta fecit populo, & vna cum conſilio Auguſtæ Sophiæ Mauricium generum ſuum pronunciauit Imperatorem. Itaque cum omnes Imperatoris collaudaſſent conſilium atque Mauricium Imperatorem, conuerſus Tiberius in lecto ſuo obiit, cum regnaſſet annis ſex, menſibus decem, diebus octo.

A MAVRICIVS.

Anno ab incarnatione Domini D.LXXVII. Mauricius imperat, genere Cappadox: eodemque anno legatione funguntur Auares ad Imperatorem Mauricium, qui ante breue tempus Sirmium ſubegerant, inſignem ciuitatem Europæ, poſtulantes octoginta millibus auri, quæ per annos ſingulos accipiebant à Romanis, alia ſuperaddi viginti. Imperator vero pacem affectans, hoc admiſit. Petiuit autem Chaianus ad videndum ſibi elephantem animal Indicum mitti. Cui Imperator maiorem omnibus miſit. Quem ille viſum remiſit ad Imperatorem. Similiter & lectum aureum mitti ſibi petiuit. Sed & hoc Imperator miſit ad eum. Ipſe vero & hunc contemplatum miſit ad eum. Poſtulabat autem iterum ſuper alia viginti millia centum addi. Quod Imperatore non admittente Chaianus Sigidonem ciuitatem ſubuertit, & multas alias vrbes cepit, Illyrico ſubiacentes. At vero Imperator Helpidium patricium cum Commentiolo legatis ad Chaianū tranſmiſit. At vero barbarus in ſponſionibus pactorum agere ſe pacem profeſſus eſt. In Oriente Ioannem Myſtaconem B Prætorem Armeniæ fecit. Qui veniens ad Nymphium amnem, vbi Tigris miſceri dignoſcitur, bello congreditur cum Cardariga Perſarum prætore, & præualent Romani aduerſus Barbaros. Cardarigas vero non eſt proprium nomen, ſed dignitas maxima apud Perſas. Anno ſecundo imperij ſui Coſ. Mauricius appellatur, & multos theſauros vrbi donauit. Prouehit autem Philippicum Prætorem Orientis, cui & Gordiam filiam in coniugem tradidit. At Philippicus Perſicas arripiens partes appropinquauit Niſibin, & ingreſſus repente in Perſidem multam prædam ſumpſit, quam per montes ſaltuum ducens, in Medorum tranſtulit regionem, & multis illic villis exterminatis, ad Romana rura reuerſus eſt. Porro Chaianus Auarum pacem ſoluere feſtinabat. Nam Sclauinorum gentes contra Thracem armauit, qui peruenerunt vſque ad longos muros multum facientes excidium. At imperator palatij eductis militiis & plebibus à ciuitate, longos muros cuſtodiri præcepit, & Commentiolum ducem ordinans, & ar- C mans contra Barbaros miſit. Qui ex inſperato in Barbaros ruens, copioſas multitudines interfecit, hoſque repulit. Cum autem perueniſſet Adrianopolim, occurrit Andragaſto multitudo Sclauinorum prædam ducenti: & in hunc irruens, & captiuitatem eripuit, & victoria nudatus eſt. Anno tertio imperij Mauritij Philippicus ſumptis exercitibus ad Perſicam regionem profectus eſt & capta Arſcennene prædam magnam obtinuit, & formidinem Perſicis operatus eſt exercitibus. Interea Conſtantinopolim languens remeat, militiæque ſine læſione ad propria repedauerunt.

Quarto imperij Mauricij anno Philippicus egreſſos à Regia vrbe, hoſtili ſumpto apparatu ad ciuitatem Amidan properat. Et collectis armatis percontabatur eos ſi in promptu haberent properandi ad bellum. At Romanis iuramentis credulum eum reddentibus ſe alacriter bellaturos, venit ad Anazarbon. At vero Cardarigas hoc comperto, riſui auditionem mandauit, ſomnium eſſe quod dicebatur opinans. Accerſitiſque magis interrogauit: Quis erit vi- D ctoriæ Dominus? Aſt dæmonum placatores Perſas aſtruebant à diis victoriam laturos. Conſultabant igitur Perſæ magorum læti promiſſionibus facti, & parabant continuo compedes ex ligno ferroque, quibus Romanos vinciant compeditos. Prætor autem commonet Romanos ne agrorum exterminent labores, ne iuſtitia Dei, quę malum odit, victoriam ad Barbaros transferat. Poſtera ergo die Prætor duos dirigit Phylarcos Sarracenorum, & capiunt Perſas viuentes, per quos motus aduerſariorum didicerunt. Qui aſſeruere Deum velle quotidie Barbaros in Romanos ruere. Porro Philippicus diluculo valedicens Romanis, tribus phalāgibus occurrit ad prælium, ipſeque aſſumpta Dei virili forma, quam ἀχειροποίητον, id eſt non manu factam Romani prædicant, diſcurrens per acies, armatis diuinam impertiebatur virtutem. Et ſtans poſt aciem hæc retinens arma, lachrymis multis Deum placabat, qui cœleſtium ordinum principes auxiliatores aſſumpſit. Cum autem bellum ageretur. Vitalianus princeps aciei præ omnibus audacius motus, phalangem diſrupit Perſarum, & ſarcinam E tulit. Romani autem circa ſpolia cœpere vacare. Quos aſpiciens Philippicus, ne ad exuuias etiam reliqui reuerſi, obliuiſcerentur, conuerſique Barbari perderent eos. Theodoro Ilibino galea ſua impoſita miſit gladio percutere hos qui circa exuuias vacabant. Quem videntes & æſtimantes eſſe Philippicum, dimiſſis ſpoliis properarunt ad bellum. Cum autem bellum per multas horas ageretur, vox fit à prætore, Perſarum equos lanceis percutere. Quo facto in fugam verſus eſt Perſarum exercitus, & triumpho ingenti potiti ſunt Romani, & multos ex eis peremerunt & ſpoliauerunt. Poſtera vero die, ſumptis virtutibus ſuis Cardarigas, rurſus ad bellum armatur, & ſecundo prælio geſto denuo vincunt Romani, & occiduntur Perſæ multi. Comprehenduntur etiam viri duo mille, & Bizantium mittuntur. Aufugit quoque Cardarigas, quem Perſæ cum iniuriis reſpuunt. Porro Philippicus Heraclium, Heraclij patrem, qui poſt imperio præfuit, ſubprætorem exploratoremque Barbarorum tranſmiſit, ſumptiſque militiis Babyloniam adiit, & Clomannorum caſtellum obſidet. At vero Car- F darigas elegit milites idiotas, cum ſubiugalibus, & turba collecta exercitum ſeſe mouere iactabat: & per munita loca obſcura nocte in dorſa Romanorum effunduntur, nequaquam fidentes ſe manus in eos miſſuros. Timore autem importuno cadente in Philippicum, fuga mirabili vſus eſt. Quo comperto Romani in fugam vertebantur per loca ad meandum difficilia, incurrentes multa pericula. Cumque ſol ortus eſſet, à calamitate liberantur nemine perſequente, & peruenientes ad prætorem, hunc iniuriis peſſimis blaſphemabant. Verum Perſæ fictam æſtimantes fugam, perſequi auſi non ſunt. Porro Heraclius tranſmeans Tigrim, quæ mediæ regionis erant inſignia præſidia igni tradebat, & ſic ad Philippicum rediit cum ſpoliis multis. Anno quinto imperij Mauricij Chaianus Auarum fœdere diſſoluto, Myſiam & Scythiam atrociter expugnabat, ſubuertens Ratiarnam, & Bonomiam, & Aquas, & Doroſtorum, & Zandapa & Martianopolim. Commentiolus vero ad maritima venit, & ſeparato exercitu improbabiles diſ- G creuit ab optimis & inutiles quidem virtutes quadraginta millia cuſtodire vallum iubet: electorum autem ſex millia ſumens, ex his duo millia Caſto tradidit, & duo millia Martino, & ipſe duobus millibus ſumptis contra Barbaros properat. Caſtus autem veniens Zardapa & Emon, repertis Barbaris in deſidia conſtitutis, multos ex eis diſperdidit, prædāque multam obtinens, armigero ad ſaluandum tradidit. Martinus circa Nean ciuitatem effectus, & in Chaianum ex inſperato incurrens, multos virtutis eius extinxit, ita vt ille ſalutem ſuam fuga mercatus ſit. Martinus victoria glorioſus ad Prætorem reuertebatur, vbi ſe promiſerat eos expectaturum. Commentiolus autem formidine preſſus Martianopolim rediit. Qui non inuenientes eum, collegerunt exercitus ſuos, & per arctum locum Emi caſtra mouent. At vero Martinus videns Chaianum tranſeuntem fluuium, ad Prætorem rediit: Caſtus vero tranſito flumine appropinquans his qui præcucurrerant Auarum, obtinet pugnis. Porro Caſtus cuiuſdam ducis repromiſſionibus deceptus non rediit ad Prætorem. Poſteraque die H tenens tranſitus Chaianus concluſit eum. Scinditur igitur populus, & vnuſquiſque vt vires habebat per nemora fugiebat. Capiuntur itaque à Barbaris quidam & indicant vbi latitet Caſtus, & hoc capto exultabant. Chaianus ſane per meridiem iter agens contra Thracem properat, longoſque muros accepit. At Commentiolus qui in ſyluis Emi latitabat, cum Martino exiuit, & perueniens ad Chaianum inuenit imparatum, eo quod Auarum multitudo diffuſa eſt per Thracem. Et prima vigilia noctis properat aduerſus illum, eſſetque profecto opus ingens patratum, niſi euentus quidam falleret eius conatus. Vno quippe animante onus ſubuertente, quidam domino animantis acclamat onus erigere, patria voce dicens: Torna torna frater. Et dominus quidem multas voces minime ſentiebat. Sed populi hoc audito hoſtes imminere exiſtimantes, in fugam conuerſi ſunt, Torna, torna, maximis vocibus exclamantes. Chaianus autem ingenti formidine indutus penitus fugiebat, & videbantur Romani & Barbari inuicem fugere nemine perſequente.

A Præterea Chaianus ſumptis virtutibus ſuis Aperiam ciui-
tatem obſedit, inuentumque Buſan vrbis magnarium in-
terficere nitebatur. Qui pecunias rogabat ei multas præ-
bere, ſi vitam ſibi donaret. Ille vero hunc ligatum vrbi
præſentauit. At ipſe quærebat habitantes vrbem vt eme-
rerur, narrans quam ſæpe pro ciuitate certauerit. Ciuis
autem quidam perſuaſit multitudini hoc minime facien-
dum. Quia ergo paruipenſus eſt Buſan, repromittit Cha-
iano tradere ciuitatem. Et exterminatorio inſtrumento
facto quod arietem nominant, ciuitatem adeptus eſt. Diſ-
cedentéſque Barbari argumentoſo ingenio & alias vrbes
in ſeruitutem redegerunt, & cum multa captiuitate reuerſi
ſunt. Audientes autem Byzantij; quod Caſtus captus eſſet
à Barbaris magnis conuiciis contra Mauricium conuerte-
bantur: & hunc in manifeſto blaſphemiis appetebant.
Per idem quoque tempus Heraclius Heraclij pater Perſi-
cum aggreſſus eſt caſtrum, quod & accepit. Similiter &
Theodorus caſtrum Mazarorum, & ambo Bauides ve-
B niunt. Et cum caſtrum munitiſſimum eſſet, miles quidam
Saphires nomine, ſtimulos operatus, & contra compagi-
nes lapidum hos figens, per eos aditum fecit. Cum autem
fortis ille aſcendiſſet muri coronam, vir Perſa hunc expu-
lit. Cadit autem Saphires deorſum, & ſuſcipiunt eum in
ſcutis ſuis Romani, & rurſus opus audenter arripit, & de-
nuo à firmitate repellitur. Iterumque Romani hunc ſuſ-
cipiunt ſcutis & tertio ad machinamentum conatus eſt.
Cumque ad muri caput aſcendiſſet, Perſam occidit. De-
hinc caput eius Romanis præbens, hos fiducia magna re-
pleuit, multiſque imitantibus virum fortem, & per palos
aſcendentibus murum Romanis traditur caſtrum: & alios
quidem Perſarum occiderunt, alios vero captiuos duxe-
runt vna cum ſupellectilibus igni tradito caſtro. Interea
Philippicus rurſus Byzantium iter egit, Heraclio Roma-
norum duce relicto. Veniens autem Tarſum, & diſcens
quod Imperator Priſcum Orientis Prætorem creatum di-
rexerit, ſcribit Heraclium dimiſſo exercitu in Armeniam
C venire ad Narſetem, & Priſci el præſentiam facere mani-
feſtam. Imperator enim Philippico iuſſerat quarta rogæ
parte priuare militiam. Philippicus autem timens, ne oc-
caſio tyrannidis fieret ſuper hoc Imperatori non paruit.
Ideoque à prætura deponitur. Priſcus autem perueniens
Antiochiam, præcepit milites apud Monerarium colligi.
Aduocans autem & Germanum, cui Edeſſorum principa-
tus creditus erat vna cum Epiſcopo, & vna cum eis ad
exercitum ibat, ſolemnitatem Paſchæ cum illis facturus.
At vero duces exercitus obuiam ei venerunt cum duobus
bandis ſignis procul ab exercitu. At Priſcus ſecundum
morem non deſcendit ab equo nec conſuetis ſalutationi-
bus vſus eſt. Hinc ergo odij exordium factum eſt: in com-
munibus namque iniuriis multitudines ſeuerius patiun-
tur. Poſt feſtum autem diem demonſtrabantur retricæ Im-
peratoris literæ, Confluunt itaque multitudines ad præto-
ris fixuram tabernaculi, aliis quidem gladios portantibus
aliis lapides vel ligna iactantibus. Fit igitur pauidus Priſ-
D cus, & aſcendens equum fuga euaſit periculum. Illi ergo
ſcindentes fixum huius tabernaculum, omnia quæ ipſius
erant, diripuerunt: At ille Conſtantiam perueniens, à me-
dicis de percuſſionibus lapidum, & vulneribus curabatur,
& mittit Epiſcopum ciuitatis, rationem faciens, ac polli-
cens exercitui ſe perſuaſurum Imperatori, ne illos priuet
aliqua conferendarum conſuetudinum participatione. At
exercitus Epiſcopum cum iniuriis reſpuerunt, & Germa-
num inuitum pronunciauerunt Prætorem ſuper ſcutum
elatum, Imperatoriamque ſtatuam ſubuerterunt, & huius
imagines demoliti ſunt: & in tyrannidem prorumperent,
& vrbes deſpoliarent, niſi Germanus id agere multa com-
minatione ac exhortatione vetuiſſet. Priſcus autem hæc
Imperatori manifeſta fecit, & Imperator Philippicum de-
nuo prætorem Orientis conſtituit. Priſcus vero Bizantium
rediit. Porro exercitus ſe iuramentis affirmabat, nullate-
nus à Mauricio imperari. Barbari ſane Romanis calamita-
tibus delectabantur. Verum Ariſtobolum Imperator cu-
ratorem imperialium domorum ad exercitum miſit, qua-
tenus iuramentis & & donis tyrannidem ſolueret, quod
& fecit. Tyrannide vero deſtructa, fit Perſarum atque Ro-

E manorum circa Martyropolim maximum bellum. Roma-
nis vero potentia & ducum virtute expugnantibus Per-
ſas, interficitur Maruzas Perſarum prætor. Comprehen-
duntur etiam viuentium tria millia, & Perſicorum princi-
pum agmina, mille tantum reuerſis in Perſidem. Porro
Romani tranſmittunt à Perſide ad Imperatorem ex Perſi-
cis exuuiis multa, & captos vniuerſos vna cum bandis.
Menſe Decembrio indictione ſexta Longobardi bellum
aduerſus Romanos intulerunt, & Romanam ciuitatem
grauiter depopulantes, & Exarcharum Rauennæ depræ-
dantes: ſed & Mauruſiorum gentes aduerſus Africam, ma-
gnas perturbationes perpetrauerunt. In Perſide autem eſt
carcer, qui dicitur Lethe, & rex Perſarum multos à diuer-
ſis gentibus in hoc concluſit, vna cum captiuis ciuitatis
Daræ. Illi autem deſperati, inſurgunt contra eos qui ſe cu-
ſtodiebant, & occiſo Maruſa, caput eius Bixantium attule-
re. Aſt Imperator cum gaudio magno illos ſuſcepit, & Phi-
lippicum denuo vix Prætorem recepit exercitus. Cum au-
tem Perſarum, Romanorumque bellum circa Martyropo- F
lim fieret, ſuperantur Romani. Imperator à prætura rurſus
Philippico amoto, Commentiolum Orientis prætorem
direxit. Heraclius autem proſperatus in bello premit Per-
ſarum prætorem. Aſarthato autem interempto, fugiunt
Perſæ, & inſequuntur Romani. Cum autem multum fuiſ-
ſet in eis excidium factum, comprehendunt etiam cuſto-
diam, & multas exuuias Bizantium mittunt. Denique Im-
perator equeſtribus ſpeculationibus commerciiſque vr-
bem ſplendidam reddidit. Hormiſda vero rex Perſarum
prætorem Baram promotum, vna cum potentibus multis
contra Suanium mittit. Ex improuiſo autem huic inſtans
ad Araxem fluuium caſtra commouit. Siquidem expugna-
tis Turcis à Perſis adeo Hormiſda creuit, vt etiam tributa
quadraginta millia Turcis acciperet, cum prius æqualia
Turcis ipſe perſolueret. Verum Mauricius hoc comperto,
Romanum prouehit prætorem, & in Suaniam cum poten-
tia tranſmittit. Cumque perueniſſet Romanus in Laxicen,
& ad Phaſim fluuium acceſſiſſet, in Albaniam exercitum G
mouit. Bara autem audiens Romanum profectum, rem de-
ridebat. Cupiebat enim Romanam aciem manu capere.
Non enim aduerſus Romanos bellum inierat. At vero Ro-
manus Romanam multitudinem ſeparauit, non probatis
penes ſarcinas derelictis. Decem millia etiam ſecum acci-
piens, aduerſus Barbaros præparauit, & eo duo millia præ
cedere iubet exercitum, Qui venientes obuiam his qui præ-
ceſſerant, Perſas hos in terga vertunt, & omnes interimunt.
Aſt Romani vſque ad Barbarorum vallum venerunt, ita vt
Bara ſuper hoc obſtupeſceret. Quod audiens Romanus
animare cœpit exercitum, & præliaturi parantur in cam-
po Albaniæ. Bara autem nitebatur furari bellum, fruſtratus
tamen conſilio eſt. Surrexit enim Romanus & comptiſſi-
me parabatur. Cum autem inuicem conflictus agitaretur,
& multi Barbarorum occiſi fuiſſent, maxima Romanis ac-
ceſſit victoria. Deſpoliantur igitur Barbari, & ſepultura ca-
rentes efficiuntur beſtiis eſca. Hoc audito Hormiſda Per-
ſarum rex, confuſionem non ferens, muliebrem veſtem Ba- H
ræ tranſmiſit, & hunc prætura priuauit. Parat è contra re-
bellionem Bara, & progreditur in tyrannidem, & recipro-
cis iniuriis per literas Hormiſdam laceſſit ſuper ſcribens
epiſtolæ ita: Hormiſdæ filio Choſdrois Bara hoc mittit.
Collectis vero militiis aſſerebat Hormiſdam indignatum
aduerſum militias, vtpote quæ à Romanis fuerint ſupera-
tæ. Oſtendebat autem & fictas literas quaſi ab Hormiſda
miſſas ad minuendas militum rogas, ad memoriam eis re-
duces atrocitatem Hormiſdæ, ſeu crudelitatem, auaritiam,
& violentiam. Et qualiter homicidiis delectatus, & à pace
eſſet alienus, qualiterque optimates vinculis dederit: quo-
rum quidem alios gladio reciderit, alios autem occauerit
tygride: & qualiter cogebat Perſas in magnis præliis ſepa-
rari, quo diſperderentur, & non contra illum tumultua-
rentur. Talibus igitur verbis Bara militias affatus, tyran-
nidem maximam aduerſus Hormiſdam, ſuccendit: iura-
mentis Baram munientes, deliberabant pariter omnes,
ſe depoſituros Hormiſdam. Hormiſda autem Ferrocha-
ni magiſtrum ſuum armatum cum virtute deſtinat ad-
uerſus Baram. Bara vero ſignificauit Ferrochani, quia

A non conuenit arma Perſis inferre, & ad memoriam eis reducebat Hormiſdæ aſperitatem, iniuſtitiam, in ſanguinibus gaudium, in homicidiis amorem, infidelitatem, iactantiam & violentiam. Hæc ſentientes ab eo veraciter dicta fuiſſe populi qui circa Ferrochanen erant, occidentes eum ſe ad Baram vniunt, & contra Cteſiphontem abeunt. Hormiſda autem in vinculis habebat Byndoen magnæ dignitatis virum. Itaque cum in magna fluctuatione negocia degerent, Beſta frater Byndois in cuſtodiam inſiliens, educit Byndoen fratrem ſuum, & congregata multitudine ruſtica, ſeu ciuili, tertia hora diei regalia intrant, & inuento Hormiſda ſuper ſolium regio more ſedente, multis hunc iniuriis ſubdunt. Byndoes autem tenens Hormiſdam abſtulit diadema à capite eius, & hunc in carcerem tradiderunt, rogabantque Choſdroen patrio ſolio tribui. Præterea Hormiſda è cuſtodia ſua nuntium ſuum miſit Perſis, petens loqui Præſidi quæ expedirent. In craſtinum igitur collectus Senatus Perſarum in regalibus vna cum multi-
B tudine vinctum Hormiſdam ducunt. Aſt Hormiſda commonebat Perſas, quod non oporteat huiuſcemodi in reges committere, quanta ex quo regnauerit trophæa fecerit, & in quibus erga Perſas bona patrauerit, & qualiter Turcos Perſidi tributa ſoluere, Romanos pacem amare coëgerit, qualiterque Martyropolim ceperit: quin & paterna beneficia narrauit. Rogabat autem & Choſdroen à regno deponi vt litis amicum & ambitioſum, & ſanguinis amatorem, ſuperbum ac iniurioſum, & præliis inhiantem. Eſſe autem ſibi alterum filium perhibebat, quem in regem prouehi flagitabat. Byndoes vero ad Hormiſdam reſpondebat: & huius exceſſus in medium proponens, omnes erexit contra Hormiſdam: & ducunt in medium vxorem eius ac filium, & ſerra hos diuidunt, & partiti ſunt in medium coram Hormiſdæ viſibus. Hormiſdam quoque oculis priuantes, in carcere poſuerunt. Et Choſdroes quidem aliquantulum benigne patrem tractauit in cuſtodia, tribuens illi omnem eſcam. At Hormiſda ex aduerſo iniu-
C riis hunc lacerabat, conculcans ea quæ à rege mittebantur. Vnde Choſdroes iratus, fuſtibus hunc ſyluestribus iuſſit per illa cæſum obire. Quod factum & Perſas triſtes reddidit, & contra Choſdroen odium auxit. Choſdroes vero congregatis virtutibus regnorum ſuorum egreſſus contra Baram venit in campum Zabam fluminis, vbi Bara vallum habebat. Suſpicatus autem Choſdroes quod aliqui principum adiacerent Baræ, hos occidit. Cum autem populus turbaretur, fugam iniit Choſdroes cum paucis quibuſdam, & omnes qui erant cum Choſdroe, ad Baram acceſſerunt. At vero Choſdroes hæſitabat quidnam agere debuiſſet, nonnullis ſane conſilium ſibi ad Turcos ſecedere dantibus, nonnullis autem ad Romanos. Choſdroes equum aſcendens, freno laxato equi motus omnibus ſequi iubet. At vero equus ad Romanas partes motus ſuos direxit: & apud Cerceſium inuenitur & legatos ſuos mittit aduentum ſuum faciens manifeſtum. Contigit autem, vt eum Probus patricius qui illic erat, ſuſciperet, & de eo Imperatori per litteras indicaret. Bara autem miſit legatos ad Mauricium, petens ne auxiliaretur Choſdroi. Porro Imperator Mauri-
D cius iubet Commentiolo Prætori, apud Hierapolim Choſdroen ſuſcipere, & imperialibus obſequiis honorare. Eodem anno demonſtrauit Imperator Mauricius in memoria Dei genitricis litaniam in Blachernis fieri, & laudes dicere dominæ noſtræ, nominans eam Panegyrim. Mauricius filium ſibi Choſdroen regem Perſarum faciens, Domitianum Epiſcopum Militinenſem ad eum direxit, cognatum ſuum, vna cum Narſe cui ducatum belli commiſit. Qui venientes ad Choſdroen, omnes potentatus Romanicos in Perſidem ducunt. Bara autem hoc cognito ſumptis virtutibus ſuis in loco, qui Alexandrines nominatur, caſtrametatus eſt, prohibere ratus militias ab Armenia venientes, ne Narſi vnirentur. Iuſſerat autem Mauricius Muſticoni magiſtro militiæ Armeniæ Ioannis accipere militias, & ſe Narſi vnire pariter contra Baram bellum conſtituendo. Per noctem autem vnitæ ſunt Romanæ virtutes, & contra Baram aciem direxerunt. Porro Bara in monte caſtrametatus eſt, pauore detentus. Cumque bellum agetetur horribile, Narſes Indicis beſtiis paruipenſis

E mediam Barbarorum diſſoluit phalangem. Et hoc facto cæteræ quoque Baræ infirmatæ ſunt phalanges, & fit magna fuga tyranni. Narſes vero ſine vlla retentione perſequens Perſas cæde ſternebat, & ſex millia vincta ad Choſdroen adduxit. Aſt hos omnes Choſdroes mucrone peremit. Quotquot autem Turci erant, ad Imperatorem Byzantium miſit. Sane cum Turci ſignum haberent in fronte ex cruce interrogabantur ab Imperatore, quonam modo hoc ſignum in fronte portarent? At vero Turci aſſerebant ante multos annos peſtilentiam factam in Turcia, & quoſdam Chriſtianorum hoc adinueniſſe, & hinc ſalus in patria facta eſt. Porro exercitus Romanorum tabernaculum Baræ & ſuppellectilem accipientes cum elephantis, attulere ad Choſdroen, Bara autem ad interiores partes Perſidis fugam fecit, & ſic eorum diſſoluitur bellum. Itaque Choſdroes magna victoria circundatus ſolium ſuum recepit. Verum Narſes rediturus ad propria Choſdroi dicebat: Memor ſis Choſdroe præſentis diei, Romani tibi
F regnum donant. At ille fraudulentam occiſionem metuens, petiit à Mauricio mille Romanos in cuſtodiam ſibi habendos. Porro Mauricius quum dilectionem haberet erga Barbarum multam, poſtulationem eius compleuit, ſicque Perſicum & Romanorum bellum ceſſauit. Interea ſolemnitate Paſchali veniente, coronatus eſt Theodoſius filius Mauricij à Ioanne Patriarcha Conſtantinopolitano. Eodemque anno Imperator Mauricius Eccleſiam ſanctorum quadraginta martyrum, quam Tiberius cœpit ædificare, conſummauit. Interea cum profunda pax Orientem occupaſſet, bellum circa Europam Auaricum incumbebat. Ideoque Imperator potentatus ab Oriente in Thracem tranſduxit. Anno imperij ſui nono, cum ver inciperet, & agmina peruenitſent ad Thracem, exiuit cum eis Mauricius videre quæ à Barbaris eſſent euerſa. Auguſta vero & Patriarcha, & Senatus rogabant Imperatorem, ne per ſemetipſum bellum iniret, ſed potius id prætori committeret. Aſt Imperator non acquieuit. Exeunte autem eo ad Septimium, Solis eclipſis facta eſt. Cumque
G eſſet apud Rhegium multitudines pecuniis animauit. Cum autem venatum pergeret, ſus ſylueſtris valde grandis impetum contra Cæſarem fecit. Equus vero ob terrorem miraculi eiicere Cæſarem nitebatur. Diutius ergo tumultuatus Cæſarem iactare nequiuit. Itaque ſus à nemine actus abſceſſit. In Perinthum præterea nauigio iter faciens, ventis vehementibus & pluuia facta, nautiſque deſperantibus, ſcapha Imperatoris aſportabatur, ita vt inopinate ſaluus ad locum qui dicitur Daonium, vix veniret. Nocte vero illa muliercula pariebat, & voces miſerabiles emittebat. Cumque mane factum fuiſſet, miſit Imperator videre quod acciderat. Et inuenerunt puerum natum oculorum & palpebrarum exſortem, manuſque ad brachia non habentem, à lumbo autem erat ei vt cauda piſcis naturaliter hærens. Quo viſo Imperator præcepit vt occideretur. Hac denique die Imperatoris equus, qui aureo erat circundatus ornatu, repente ſciſſus eſt cadens. At Imperator his omnibus auguriatus triſtis erat. Poſtera vero die
H viri tres, Sclauini genere, nihil aliquid ferrum baiulantes à Romanis detenti ſunt citharas tantum ferentes. Imperator autem interrogabat, tam vnde eſſent, quam vbinam habitatio eorum conſiſteret. Qui genere quidem aiunt ſe eſſe Sclauinos, circa finem vero occidentalis habitare Oceani. Chaianum autem ad ſe legationem miſiſſe, & muneta principibus gentis ſuæ auxiliandi ſibi contra Romanos gratia. Taxiarchas autem ſuos ſe direxiſſe rationem reddituros Chaiano, quia non poſſunt propter itineris longitudinem mittere illis auxilia. Decem enim & octo menſes aſſerebant in itinere ſe feciſſe, & ita Romanos adiiſſe. Porro citharas ſe ferre, tanquam non videntes quenquam ſuorum armis indutum, regione ſua quid ſit ferrum ignorante. Imperator autem tam ætatem admirans, quam moles corporis eorum laudans, hos miſit Heracliam. Cum autem veniſſet ad maritimam, & didiciſſet quod legati Perſarum atque Francorum veniſſent, ad regalia remeauit. Anno decimo imperij Mauricij Chaianus quærebat augmenta pactorum accipere. Imperator vero ſermones Barbari non recipiebat, & idcirco Chaianus iterum bellum agit, &

A deuaſtat Sigidonem, & contra Sirmium caſtra mouet. Imperator autem prætorem Europæ Priſcum ire iubet. At vero Priſcus Syluianum ſubprætorem factum præcurrere iuſſit: & contra Barbaros procedentes bellum ineunt, & vincunt Romani. Quo audito Chaianus potentatibus ſumptis properabat ad bellũ. At vero Syluianus viſis multitudinibus ſtupefactus ad Priſcum ſe contulit. Chaianus autem comperiens Romanorum receſſum ad maritima ſe contulit, deinceps ad ſanctum Alexandrum, & hunc omnia deuoranti tradidit igni. Tranſiens autem in Dirixipera, conatur exterminare Rempublicam deuaſtatoria operatus inſtrumenta. Hi vero qui Diriziperæ habitant, diutius è directo aciem direxerunt. Nam & portas ambientes, minabantur Barbaros debellare, cum eſſent in ingenti formidine. Tunc ergo diuina eis conſuluit quædam virtus. Media namque die videre putauerunt Barbari, Romanorum virtutibus egredientibus ab vrbe futurum ſibi fore vt cum eis conflictum conſererent: & con-
B ſternati fuga infatigabili fugiunt, & apud Perinthum efficiuntur. Priſcus autem nec viſu quidem ferre multitudines Barbarorum valens, Zurulum ingreſſus caſtrum muniebat. Aſt Barbarus Priſcum obſidere conabatur. His auditis Mauricius quid foret agendum hæſitabat. Tum optimo inito conſilio armatur contra infinitum numerum Barbarorum: & vni excubitorum magnis donis atque promiſſionibus perſuadet, vt ſponte in Barbaros irruat, eique dat litteras ad Priſcum continentes hæc: Glorioſiſſimo Prætori Priſco. Noxium Barbarorum conatum ne formides, ad perditionem enim eorum factum eſt hoc. Scito enim quia cum multa confuſione reuertetur Chaianus in regionem ſuam, quæ ſibi à Romanis deputata eſt. Propterea perſeueret gloria tua penes Zurulum circumuagari faciens illos. Mittemus enim per mare naues, & capituabimus familias eorum, & cogetur ad propria confuſione refertus atque iactura remeare. At vero Chaianus litteris comprehenſis ac lectis pauens efficitur, & ſponſionibus pacificis ad Priſcum diſpoſitis, in muneribus paucis atque
C indignis, in ſuam terram cum fuga potenti regreſſus eſt. Vndecimo anno Imperij Mauricij, idem Imperator Priſcum cum omnibus Romanicis potentatibus ad Iſtrum fluuium miſit, vt Sclauinorum nationes tranſire prohiberet. Quo apud Doroſtolon habito Chaianus comperit. Qui legatis ad eum directis, calumniam inferebat Romanis exordium dantibus bellis. Priſcus autem excuſabat quod non venerit aduerſus Barbaros belligeratum, ſed quod ad Sclauinorum nationes à principe fuerit deſtinatus. Audiens autem Priſcus quod Ardagaſtus multitudines Sclauinorum ad prædandum diſperſerit, tranſiens Iſtrum media nocte inopinate Ardagaſtum adortus eſt. At vero Ardagaſtus diſcrimine ſenſo, nondum aſcenſo equo vix ſaluus euaſit. Romani multitudinibus Sclauinorum occiſis, & Ardagaſti regione euerſa prædam copioſam captam Byzantium per Tatemerem direxerunt. Porro cum Tatemer expeditus iter faciens, ebrietati atque deliciis ſeſe traderet, Sclauinorum in eum irruunt multitudines. Qui formidine preſſus fugiendo Byzantium venit. Aſt Romani
D qui cum ipſo fuiſſe videbantur, Sclauinis valde infenſi obtinent glorioſiſſime Barbaros, & captiuitatem ſaluam Imperatori præſentant: Qui lætatus gratificos Deo hymnos vna cum tota obtulit vrbe. Priſcus vero fiducia fretus, ad interiores Sclauinorũ partes acceſſit. Gipes vero vir Chriſtianæ religionis, transfugiens ad Romanos, & ingreſſum Romanis oſtendit, & Barbaros tenuit. Itaque Gipedis proditione transfretato flumine, Priſcus media nocte reperit Muſacium Barbarorum regem ebrietate corruptum: funebrem quippe proprij fratris celebrabat feſtiuitatem. Quo comprehenſo viro, cædem in Barbaros operatus eſt, multaque præda & copioſa capta, ebrietati ſeſe tradunt, & crapulæ. Tum Barbari conſeruati victoribus imminent: foretque viciſſitudo reciproca præcedenti virilitate ſæuior, ni Genzo cum pedeſtri virtute Romanorum inſiſtens pugna forti prohibuiſſet impetus Barbarorum. An. XII. Imperatoris Mauricij, cum Priſcus iterum ad Iſtrum perueniſſet, genteſque Sclauinorum deprædatus fuit, haud modicam Imperatori deduxit prædam. Imperator autem

E miſſo ad Priſcum Tatemere, iubet toto illic hyemali tempore commorari Romanos. Quo comperto Romani contradicebant, aſſeuerantes id non poſſe fieri propter copias Barbarorum: & pro eo quod regio eſſet ſibi ſatis aduerſa. Priſcus vero verbis ſuaſoriis flexit, eos ibidem hyemare, iuſſionemque principis conſummare. Tredecimo imperij Mauricij anno, naſcuntur prodigia in ſuburbanis Bizantij, puer videlicet quadrupes, & alter duos vertices habens. Aiunt autem hi qui hiſtorias diligenti ſtudio ſcribunt, non ſignificare bona ciuitatibus, in quibus naſcuntur huiuſmodi. At vero Imperator Priſcum prætura priuat, & Petrum fratrem ſuum prætorem facit Romanæ virtutis. Itaque Priſcus quidem virtutibus ſumptis, priuſquam Petrus perueniſſet, tranſmeat amnem. Chaianus autem tranſitu Romani exercitus audito valde miratus eſt, & ad Priſcum miſit dicere, cauſam quærens, & prædæ ſumere partem, ſicque amnem tranſire. Nimis enim ſæuiebat ſuper felicitatibus Romanorum. Priſcus ergo Chaiano mittit ſuper hoc legatum, Theodorum videlicet medicum, ſagacitate atque intelligentia perornatum. Iſte videns Chaianum
F magna ſapientem, reſponſioneſque iactantius facientem, minas etiam protendentem, cunctarum gentium ſe eſſe dominum iactantem, narratione veteri mitigauit Barbaricum typhum; ait enim. Audi Chaiane proficuam narrationem. Seſoſtris rex Ægyptiorum, illuſtris & oppido felix, opibus clarus, & inexpugnabili potentatu, plurimas & ingentes nationes ſeruituti ſubegit. Vnde & in arrogantiam ruens, curru ex adhærenti ſibi auro & lapidibus precioſis conſtructo, ſedet ſuper eum, & ſubiecit iugo de exuperatis regibus quatuor trahere currum. Cumque hoc fieret in inſigni feſtiuitate, vnus ex quatuor regibus frequenter vertebat oculum retrorſum, & contemplabatur cum volueretur rota. Quem percontatus Seſoſtris ait, Cur poſt tergum obfirmas oculos? Hanc inquit ille rotam miror inſtabilem, atque taliter ſe mouentem, & alias modo excelſa humiliantem, rurſuſque humiliatã exaltantem. At vero Seſoſtris parabolam intelligenter animaduertens, legem poſuit, ne currum reges vlterius traherẽt. His Chaia-
G nus auditis ſubriſit & ait ſe pacem ſectari. Priſcus autem Chaiano reddidit prædam pro tranſitu, & exuuiis omnibus ſumptis ſine diſpendio amnem tranſiuit. Porro Chaianus his ſuſceptis magnifice laudabatur. Priſcus Bizantium venit, & Petrus præturam ſuſcepit. Quartodecimo imperij Mauricij anno, iuſſit Imperator Petro prætori, vt tertiam portionem rogæ in auro Romanis acciperet, & tertiam in armis, & aliam tertiam in veſtimentis diuerſis. Itaque Romani hoc audito ad tyrannidem vertebantur: Prætor vero timens ſatisfaciebat militibus hoc verum non eſſe, & exhibebat exercitibus alias literas iubentes ſibi, quatenus hi qui fortia geſſerant, & de periculis triumphauerant, in vrbe ſumma requie potirentur, de publicis ſumptibus inter ſenes alendi, pueri vero militum in locis propriorum parentum inſcriberentur. Talique ſuadela populum mitigauit, & Cæſarem bonæ famæ præconio laudauere. Hæc autem Petrus Imperatori denunciauit. Cumque veniſſet Martianopolim, dirigit mille præceſſuros: qui repertis Sclauinis, multam ducentibus Romanam prædam,
H hos inſequentes occiderunt, multaque præda recepta, Romanica reditur ad rura. Eodem vero anno conſtruxit Imperator ſolatium Manauræ rotundum, & in medio atrio eius ſtatuam ſuam ſtatuit, & illic poſuit armamentum. Quindecimo imperij Mauricij anno Petro venationem exercenti ſus agreſtis obuiam occurrit, pedemque illius ad arborem conquaſſauit, & importabilibus doloribus multo tempore languit. Aſt Imperator literis peſſimis, & & improperiis grauibus ei detraxit, audito quod multæ gentes Sclauinorum contra Bizantium motæ fuerint. Petrus vero coactus Nouas peruenit, Hi vero qui erant de ciuitate vna cum ignobilibus militibus, & Epiſcopo obuiam veniunt: quos prętor intuitus, & arma eorũ ac fortitudinem admiratus, iubet vrbe dimiſſa Romanæ miſceri cateruæ. Milites autem ad ciuitatis cuſtodiã ordinati hoc agere renuerunt. Tum Prætor in furorem verſus deſtinauit Gentzonem vna cum multitudine militum. Qui hoc agnoſcentes confugerunt in Eccleſiam, & clauſo oſtio templi perſeue-

rabant.

A tabant. Gezo vero pro reuerentia templi receſſit ineſſicax.
Petrus autem iratus Genzonem à prætura deponit, &
miſſo Scribone ignominioſe ad ſe Epiſcopum iubet ad-
duci. Porro ciues collecti Scribonem cum dedecore vrbe
depellunt. Cuius obſeratis portis, Mauricium quidem
Imperatorem laudibus efferunt, Prætorem autem conui-
ciis cumulant. Sicque cum opprobrio Petrus inde receſſit.
Præmittit præterea mille ad explorandum, qui Bulgares
conſequūtur numero mille. Verum Bulgares confiſi ſuper
pace Chaiani ſecuri pergebant. Romani autem in Bulgares
impetum fecerunt. Qui mittunt viros ſeptem commo-
nentes pacem minime diſſoluendam. Hoc ſodientes hi
qui præcurrerunt, ſignificant hæc prætori, qui dixit, Nec
ſi Imp. venerit, his parcam. Congreſſione vero belli facta
Romani vertuntur, ſed Barbari non ſunt perſequuti eos,
ne vincentes diſcrimen incurrerent. Porro Prætor Taxiar-
chum præcurrentium flagellauit. Et hoc comperto Cha-
ianus deſtinauit legatos ad Petrum inceptionem incu-
ſans, & quod Romani iuſtam pacem ſine cauſa diſſolue-
B rent. At vero Petrus verbis ſeductoriis vſus, non ſe ſciſſe
motionem affirmat, duplicia tamen dare ſpolia procurat.
Sicque Barbari amiſſis ſpoliis dupla ſorte receptis, paci
conſulunt. Petruſque contra Exarchum Ardagaſtum pro-
perat, & Barbari circa ripam fluminis huic obuij facti
prohibebant tranſire. Romani vero à fretis ſagittantes,
hos vertunt, quibus in fugam conuerſis, percutitur illico
Ardagaſtus & moritur. Tranſeuntes autem Romani præ-
dam multam ceperunt, & ad propria remeabant: erranti-
buſque ductoribus, & in inaquoſa incidentibus loca, pe-
riclitabatur exercitus. Porro cum iter agerent, noctu ve-
niunt ad amnem Helicium dictum. Cum vero trans flu
men eſſent Barbari ripis abſconditi, eos qui hauriebant
aquam, iaculabantur. Igitur magna moleſtia Romanis
effecta militiis, in fugam vertuntur à Barbaris debellati.
Verum Mauricius his auditis, Petrum prætura priuauit,
& Priſcum prætorem Thraciæ denuo miſit.

Anno decimo ſexto imperij Mauricij; Priſcus prætor
C egreſſus io Thracem, virtutes enumerauit exercitus, &
inuenit quod ex eis multitudo fuerit conſumpta. His au-
tem ſumptis, venit ad Iſtrum flumen, & Nouas. Quo
cognito Chaianus miſit legatos, cauſam ipſius ſciſcitatus
aduentus. Priſcus autem venationis cauſa ſe veniſſe fate-
batur. Aſt Chaianus, Non eſt iuſtum, inquit, in alieno lo-
co venari. E contra Priſcus ſuum dicebat locum, & ei
fugam ex Oriente improperabat egiſſe. Barbarus autem
Sigidonis muro deſtructo, ad Romanorum terras profe-
ctus eſt. Quo cognito Priſcus venit ad inſulam Iſtri, &
dromonibus ſumptis ad Chaianum apud Conſtantiolam
venit volens loqui cum eo. Cumque Chaianus ad oram
fluminis veniſſet, Priſcus eum triſtis alloquitur. Chaianus
autem dixit ad eum: Quid tibi Priſce ac terræ meæ? An
hanc vis accipere de manibuꝫ meis? Iudicet Deus inter
me & Mauricium Imperatorem, & requirat ſanguinem
exercitus Rom. & exercitus mei de manibus eius. E con-
tra Priſcus: Sigidonem inquit, ciuitatem redde Romanis.
Qui ait: Vnam ciuitatem à nobis conaris accipere? Vide-
bis poſt paululum quinquaginta ciuitates Romanas Aua-
D ribus ſeruitute redactas. Priſcus autem per amnem na-
uibus Sigidoni exhibitis, hanc depopulatus eſt, & ex ea
Bulgares pepulit. Septimodecimo imperij Mauricij anno
concertatis virtutibus Chaianus in Dalmatiam properat,
& cum veniſſet Balcham, quadraginta ciuitates, quæ cir-
ca eam ſunt omnes, depopulatus eſt. Quibus priſcus ag-
nitis, Gudoni ad explorationem rerum direxit, qui in
valle occultabatur puſilla, & diluculo in dorſa eorum ad-
uectus, illico cunctos peremit, & acceptam prædam ad-
duxit ad Priſcum. Porro Chaianus infortunio comperto
in regionē ſuam regreſſus eſt, & Priſcus ad propria. Anno
decimo octauo imperij Mauricij, ſumptis virtutibus Priſ-
cus Sigidonem venit. Chaianus vero congregato proprio
potentatu ſubito Miſiæ adeſt, & Comeam vrbem capere
nititur. Propterea Priſcus Sigidone relicta huic efficitur
proximus. Cum autem Paſchalis feſtiuitas haberetur, &
Romani fame tabeſcerent, audiens Chaianus Priſco ſig-
nificabat, vt ſibi plauſtra mitteret ad deportanda illis ali-
menta, quatenus cum hilaritate propriam feſtiuitatem E
celebrarent. Quadraginta itaque plauſtra plena his mittit.
Pari modo & Priſcus ſpecies Indicas Barbaro quaſdam
remiſit, piper videlicet, & folium Indicum, & coſtum,
& caſiam, atque alia ex his quæ quæruntur, cum Chaia-
nus apud Sirmium reſideret: qui receptis his, gauiſus eſt
valde in eis, & donec compleretur dies feſtus, Romani
ac Barbari ſimul habitabant, & non erat in vtriſque vir-
tutibus timor. Cumque fuiſſet dies feſtus, Barbari ſepa-
rati ſunt à Romanis & Diriziperam venientes ciuitatem
depopulati ſunt, & ſancti Alexandri Eccleſiam incende-
runt, ſepulchrumque illius argenteo tecto coopertum
ſpoliant. Sed & iniuriis quoque martyris corpus affi-
ciunt, multamque in Thrace prædam capientes epula-
bantur ſplendide contra Romanos elati. Cumque Com-
mentiolus veniſſet Byzantium, maxima vrbi turbatio &
æſtus incubuit, ita vt timore detenti, conſilium cape-
rent Europam deſerendi, & in Aſiam & Chalcedoniam
migrandi. Quin & Imperator excubitoribus, ſenatoque
F ac electo cuneo ſumpto murum muniuit. Vulgus autem
vrbem cuſtodiebant, & Senatus commonebat Imperato-
rem legationem ad Chaianum mittendi. Deus autem
vindictam martyris faciens Alexandri, peſtilentiam lan-
guoris barbaris intulit, & in vno die ſeptem filios Chaia-
ni per febrem & inguinariam paſſionem occidit vna cum
aliis turpibus multis, ita vt poſt triumphale gaudium cum
carminibus & canticis, lamentationes & lachrymæ &
luctus ſine conſolatione poſſiderent Barbaros. At vero Se-
natus rogabat Cæſarem legationem ad Chaianum mit-
tendi. Imperator autem Armazonem miſit ad Chaianum
cum muneribus multis Dirizipera, qui verbis mitibus
blandiretur. At ille nolebat dona ſuſcipere, lamento into-
lerabili filiorum morte detentus. Dicebat autem ad lega-
tum: Iudicet inter me & Imperatorem Mauricium. Ego
vero captiuos ei reddo, per vnam animam vnum numiſ-
ma percepturus ab eo. Mauricius autem id dare minime
paſſus eſt. Iterum Chaianus petiit, per ſingulas animas
vnum accipere numum. At Imperator nec ſic dare con-
G ſenſit. Sed nec in quatuor ſiliquis. Tunc Chaianus com-
motus furore omnes occidit, & ad propria rediit cum
quinquaginta millia aureorum pactis Romanis impoſuiſ-
ſet. Quin & Iſtrum flumen non ſe tranſiturum profeſſus
eſt. Ex hoc itaque contra Mauricium Imperatorem mul-
tum commotum eſt odium, & cœperunt hunc ſubiicere
maledictis. Similiter & populus apud Thracem conuiciis
contra Imperatorem commotus eſt. Exercitus autem pro-
curatores ad Imperatorem contra Commentiolum dire-
xit, quod proditionem in prælio fecerit. Inter quos etiam
erat Phocas, qui Imperatorem allocutus ſeuerius, huic
in concilio contradicebat, ita vt quidam ex patriciis hunc
alapa percuteret, & barbam eius euelleret. Verum Impe-
rator non ſuſcepit aduerſum Commentiolum populi que-
rimoniam, ſed hos ineſſicaces deſeruit: propter quod in-
ſidiarum in principem, exordium ſumitur. Præterea per
idem tempus apud Ægyptum in Nilo flumine Mena præ-
fecto vna cum populo deambulante, in loco qui Δαλία
H nominatur, ſole orto animalia humanæ formæ apparue-
runt in flumine, vir ſcilicet & mulier. Et vir quidem erat
pectoroſus, vultuque terribilis, ruffa coma, caniſque per-
mixtis: & vſque ad lumbos denudabat naturam, & cun-
ctis demonſtrabatur nudus: reliqua autem corporis
membra cooperiebat aqua. Hunc præfectus iuramentis
conſtrinxit ne deſtrueret aſpectum, priuſquam omnes ſa-
turati fierent hoc inopinato ſpectaculo. Porro mulier &
mamillas, habebat, & fœmineum vultum, cæſarieſque
prolixas, & vſque ad horam nonam omnis populus mi-
rabatur, videntes hæc animantia, quæ hora nona in flu-
men demerſa ſunt. Sane Menas Imperatori Mauricio hæc
ſcripſit. Anno imperij Mauricij decimo nono, die autem
Paſchæ, Sophia Auguſta vxor Iuſtini, vna cum Conſtan-
tina Mauricij coniuge, ſtemma conſtructum attulerunt
Imperatori. Qui hoc contemplato pergens in Eccleſiam,
id obtulit Deo, ſupra ſancta in menſa ſuſpendens in tri-
plicibus catenulis lapidibus & auro contextis. At ve[ro]
Auguſtæ hoc comperto triſtatæ ſunt valde, & in iurgio

A adoerſus Impetatorem Conſtantina feſtum diem fecit Aoguſta. Cum aotem Imperator non attenderet militiarum querelas in Thrace poſitarum, iterum Commentiolus aſſumptis armaris venit ad Iſtrum, & vnitur Priſco apud Sigidonem, & ſoluitur pax quæ ad Auares erat. Qua diſſoluta veniunt in Viminacium, quod eſt inſula magna Iſtri. Quibus audiris Chaianus collectis potentatibus ad Romaica procedit rura. Quatuor ergo filios ſuos traditis aliis virtutibus ad cuſtodienda vada Iſtri conſtituit. At vero Rom. tatibus factis fluuium tranſmearunt, & Prætore Priſco bellum cum filiis Chaiani inierunt. Commentiolus enim infirmatus in Viminacio ſedebat inſula. Cumque multas horas bellum tenuiſſet, & trecentis iam Rom. interemptis ſol occubuiſſet, quatuor millia Barbarorum intereunt. Similiter & tertia die præliantes, ab excelſioribus. Rom. ad Barbaros acceſſerunt, hoſque vertentes ad ſtagnum atque pellentes Auares, multos necauerunt ex illis. Inter quos & filij Chaiani necati ſunt, il-

B luſtremque victoriam Rom. ioduerunt. Chaianus vero coacematis viribus copioſis contra Rom. progreditur. Bello autem maneote, vertunt Romani Barbaros, & hanc omnibus inſigniorem retulere victoriam. Interea Priſcus quatuor millibus præmiſſis, Tyrſo amne tranſmiſſo, Barbarorum explorare motus præcepit. At vero nil eorum quæ facta fuerant Barbari cognoſcentes feſtum diem concelebrant, & pariter conuiuantur. In hos clanculo Romani incidentes maximum operati ſunt metum. Triginta quippe millia Gepidorum Barbarorumque aliorum occiderunt, & copioſa præda comprehenſa reuertuntur, ad Priſcum. Chaianus autem ruſus potentatibus cumulatis, venit ad Iſtrum, & inito bello Barbari ſuperantur, & in amnis fluentis necantur, pereuntque cum his plurimi quoque Sclauinorum. Viuos autem obtinnerunt Auarum quidem tria millia, Sclauinorum vero octingentos, & Gepidum tria millia ducentos, nec non & duo millia Barbarorum. Porro Chaianus ad Imperatorem Mauri-

C cium legatos miſit captos recipere niſus. At ille nondum comperta inclyta Romanorum victoria, ſcribit Priſco, vt Auares tantum Chaiano redderet. Eodem an. quidam vir monachico circumamictus habitu & in religione clarus, ſpara denudata à foro vſque ad æneam gladiatoris ſtatuam diſcurrens, Imperatorem omnibus in occiſione gladij moriturum prædixit. Similiter & Herodianus Mauricio manifeſte quæ ſibi fuerant ventura prædixit. Imperatore vero noctu diſcalciato litaniã cum tota vrbe agente, & tranſeunte ad Carpiana loca tumultuantes quidam ex multitudine contra Imperatorem lapides iaciunt, ita vt vix Imperator cum Theodoſio ſuo ſaluaretur, & orationes completet apud Blacernas. Anno vero Imperij ſui viceſimo, Mauricius in ſe reuerſus, & ſciens quod nihil Deum lateat, ſed omnibus reddat ſecundum opera ipſorum, & recogitans exceſſum, quem in captiuitate perpetrauerat, non redimens eam, expedire iudicauit in hac vita ſe recipere pœnam pro peccato, & non in futura: & factas preces in ſcriptis tranſmiſit ad omnes patriarchales ſedes, & ad omnes ciuitates ſibi ſubiectas, & ad mona-

D ſteria, quæ ſunt in eremo & in Hieroſolymis: & ad lauros pecunias & cereos & incenſa: vt orarent pro ſe, quod hic reciperet, & non in futoro ſæculo. Scandalizabatur aotem & in Philippicum generum ſuum quod in philiteram nominaretur. Porro Philippicus diuerſe iurabat Imperatori, quod purus eſſet in ſeruitio eius, & apud ſe nullum dolum haberet. Cumque Mauricius ſupplicaret Deo miſericordiam præſtandi animæ ſuæ, quadam nocte dormiens in viſu, ante æneam palatij portam imagini Saluatoris ſe vidit aſſiſtere, & copioſum populum pariter aſſiſtentem. Tunc facta eſt vox ex charactere magni Dei, & Saluatoris noſtri Ieſo Chriſti dicens: Date Mauricium. Et tenentes eum iudiciorum miniſtri, exhibuerunt ante purpureum vmbilicum, qui illic erat, & ait ad eum propria voce: Vbi vis reddam tibi, hic, an in futuro ſæculo? Quo audito ille reſpondit, Amator hominum domine & iudex iuſte, hic potius, & non in illo ſæculo. Et iuſſit diuioa vox tradi Mauricium & Conſtantinam vxorem eius & filios, & omnem cognationem do-

E mus ipſios Phocæ militi. Expergefactus ergo Mauricius, Vocatum eum qui coram ſe dormiebat, miſit ad Philippicum generum ſuum, vt celeriter eum duceret ad ſe. Cumque ille abiiſſet, vocauit eum. Quo conſurgens aduocata vxore ſua Cordia oſculatus eſt dicens: Salue: iam non me videbis. Quæ exclamauit cum fletu magna voce ad paracœmumenum dicens: Adiuro te per Deum quæ eſt hæc cauſa, ob quam quærit hac hora? At ille iurauit ſe ignorare, quia repente de ſomno exurgens Imperator miſit me. Philippicus ergo quæſiuit corpus Chriſti percipere, & ſic ad Imperatorem properare. Vxor autem eius iacebat in terra ſe volutans, & plorans, & Deum exorans. Ingreſſus vero Philippicus cubiculum regium, proiecit ſe ad pedes Imperatoris. Imperator autem dicit ei, Ignoſce mihi propter dominum, quia peccaui tibi. Nam vſque nunc ſcandalizabar in te: & iubens exire paracœmumenum ſurrexit, & cecidit ad pedes Philippi-

F ci, dicens: Ignoſce mihi, quia modo certiſſime ſcio quia nihil peccaueris in me. Sed dic mihi, Scis aliquem inter agmina noſtra Phocam militem? At vero Philippicus recogitans dicit ei: Vnum agnoſco, qui ante modicum tempus procurator ab exercitu deſtinatus, contradicebat Imperio tuo. Aſt Imperator ait: Cuius eſt qualitatis? Qui ait: Iuuenis & temerarius, ſed tamen timidus. Tunc Maoricius: Si timidus, inquit, profecto & homicida. Et referebat Philippico ſomnij reuelationem. Porro nocte illa viſa eſt ſtella in cœlo quæ dicitur cometa. In craſtino autem venit Magiſtrianus, qui miſſus fuerat ad ſanctos eremi patres, ferens reſponſa ab eis huiuſmodi: Deus recepta pœnitentia tua ſaluabit animam tuam, & cum ſanctis cum tota domo tua te conſtituet: ab Imperio vero cum ignominia & diſcrimine diſcedes. His audiris Mauricius glorificauit magnifice Deum. Igitur autumni tempore accedente, cum Mauricius Imperator iuſſiſſet Petro, vt in Sclauinorum regione hyemaret populus, reſtiterunt Rom. hoc facere non conſentientes, tam propter equo-

G rum humiliationem, quam quod copioſam circumducerent prædam, nec non & ob multitudines Barbarorum, quæ per regionem diffuſæ noſcebantur: & ſeditionem meditati ſunt. Prætor autem indignatus contra populum indemnatione eos dimiſit. Incidunt itaque pluuiæ creberrimæ ſuper populum, & frigus multum. Petrus autem viginti millibus procul ab exercitu morabatur. Mauricius autem Petro per literas moleſtus erat, vt Iſtrum tranſiret, & hyemales eſcas populi de Sclauinorum ſumeret regione, ne alimenta publica cogeret præſtare Romanis. Prætor vero accerſito Gadim ait: Nimis mihi grauia videntur Imperatoris præcepta, in aliena terra hyemare Romanos iubentis. Nam illi non obaudire ſæuum eſt: & ruſus obaudire ſæuiſſimum. Nullum bonum parat auaritia, mater autem omnium malorum conſiſtit. Qua Imperator languens horum cauſa maximorum malorum Romanis efficitur. Accerſitiſque populi Taxiarchis, Impe-

H ratoris intentionem eis aperuit. Populus autem hoc audito ſeditiones concitauerunt, & inſignes quidam principes ex eis fugientes, ad prætorem venerunt. Porro multitudines in vnum congregatæ prouehunt Phocam centurionem exarchum & ſuper clypeum hunc exaltatum, laudibus exarchum acclamauerunt. His Petrus auditis in fugam verſus eſt, & omnia Imperatori manifeſtauit. Aſt Imperator his difficilibus auditis, ea multitudines celare tentabat. Secunda vero die ludum celebrauit equeſtrem, incommoda infelicitatis occultans. Vulgus autem Praſinorum clamabat, Conſtantinus, inquiens, & Commentiolus Romanorum ter Auguſte plebi tuæ moleſtias ingerunt, vt cruces his ponantur in ea quæ habemus peccata. Deus qui omnia condidit, ſubiiciat tibi omnem Inimicum & hoſtem tam inteſtinum, quam externum ſine ſanguine. At vero Imperator plebibus intimabat, Nil vos, inquiens, turbet irrationabilium militum immoderatio, & inquietudo. Veneti autem dixerunt: Deus qui fiuit te imperare, ſubdat tibi omnem qui imperium tuum impugnat. Et ſi Romanus eſt qui fide rupta terga vertit à te, hunc tibi in ſeruitutem redigat abſque ſanguine. Hos Imperator armans, & ſermonibus blandis compeſ-

cens,

A ℓcens, vna cum demarchis muros vrbis cuſtodire præce-
pit. Præterea filio Imperatoris Theodoſio vna cum Ger-
mano ſocero ſuo, apud Callicratiam venationes exer-
cente, initium Romani litteras ad Theodoſium ab eo im-
perari poſcentes: ſin autem, ſaltem Germanum impera-
torem pronunciandum. Neque enim nos aiunt imperari
à Mauricio de cætero patiemur. His Mauricius compertis
accerſit ad ſe filium. Commentiolum vero muros obſer-
uare præcepit, Germanum autem vna cum filio accuſa-
bat harum fuiſſe calamitatum autores. Cumque Germa-
nus ſe excuſare niteretur, Mauricius ait: O Germane, duo
ſunt argumenta ſuſpicionis meæ, populi ſcilicet ad te li-
teræ, & quia cuncta depaſti ſunt, & nullis, exceptis tuis,
pepercerunt. Parce Germane prolixum faciendi ſermo-
nem. Nihil ſuauius inquam per gladium mori. Sane Ger-
manus templum Dei matris, quod appellatur Cyri, fugit.
Quod cum Imperator didiciſſet, Stephanum eunuchum
B direxit ad Germanum ab Eccleſia educendum. Cumque
Stephanus violenter hunc educere voluiſſet, fautores
Germani reſiſtentes expellunt Stephanum, & accipientes
Germanum in Eccleſiam magnam effugiunt. At vero
Imperator cædebat virgis filium ſuum Theodoſium: aſſe-
rebat enim Germanum per eum fuiſſe fugatum. Et mittit
excubitores à magna Eccleſia educendi Germanum. Hinc
magnus rumor vrbi incubuit. Germanus autem egredi &
dare ſe voluit. Verum hunc multitudines exire minime
permiſerunt, ſed magnis conuitiis Imperatori derogaue-
runt dicentes: Non habeat pellem qui te amat Marcioni-
ſta. Igitur qui muros cuſtodiebant his compertis, cuſto-
diam negligentia prodiderunt. Mauricius autem exutus
media nocte Imperatoria ſtola, & priuata circumamictus,
dromonem ingreſſus cum vxore filiiſque ſuis & Conſtan-
tino, fugam arripuit. Copiæ vero per totam noctem peſ-
ſimis iniuriis Imperatorem appetebant: ſed & Cyriacum
Patriarcham reprehendebant. Turbine itaque ingenti ſæ-
C uiente, cum ingentibus periculis apud ſanctum Autono-
mon ſaluatur Mauricius. Nocte vero ſuperueniunt ei
etiam dolores arthritici, quos manuum dolores vocant
& pedum. Porro mittit Theodoſium filium ſuum cum
Conſtantino ad Choſdroën regem Perſarum, vt recorda-
retur eorum quæ ſibi facta fuerant à ſe, & viciſſitudinem
beneficij ſui rependeret filio ſuo. Germanus autem mittit
ad Sergium demarchum Praſinæ partis, vt auxiliaretur
ſibi gratia imperandi, repromittens ſe partem Praſini ho-
noraturum, ipſumque magnis dignitatibus elaturum. At
vero Sergius hoc inſignibus vulgi confeſſus eſt. Qui mi-
nime id admiſerunt, fatentes nunquam Germanum ab
amore recedere Venetorum. Praſini vero exeuntes in re-
giam magnis laudibus tyrannum Phocam efferebant, &
perſuadent ei venire in Septimium. Dirigit igitur Phocas
Theodorum à ſecretis: qui ingreſſus magnam Eccleſiam,
coram populo legit: vt tam Patriarcha quam ſenatus &
vulgus venirent in Septimium. Hoc igitur facto, & cun-
D ctis conuenientibus apud Septimium, tunc Patriarcha
Cyriacus à tyranno de orthodoxa fide, & vt ſine pertur-
batione ſeruaret Eccleſiam, extorſit profeſſionem. Viſus
vero eſt Germanum tyrannus adhortari. Cumque Ger-
manus nolle ſe ſimularet, & vulgus tyrannum laudaret,
pronunciatur malus, & dominus ſceptrorum tyrannus
prouehitur: & præualet aduerſus felicitatem calamitas,
& ſumum principium magna infortunia Rom. Denuncia-
tio vero tyranni in templo S. Ioan. Baptiſtæ effecta eſt: vbi
duobus moratus diebus, tertia die introiuit regalia, ſuper
Imperialem ſedens carrucam. Porro quinta die coronauit
Leontiam vxorem ſuam Auguſtam. Hac igitur die tu-
multuantur partes adinuicem propter ſtationes locorum.
Tyrannus vero Alexandrum conrebellem ſuum miſit
partes compeſcere. Alexander vero in Coſmam Veneto-
rum demarchum manus immittens pepulit eum, & con-
tumeliis lacerauit. Porro Veneti indignati clamabant:
Vade, diſce ordinem, Mauricius non eſt mortuus. At ve-
ro tyrannus his auditis in necem Mauricij commouetur,
& miſſis militibus, duxit eum Chalcedonem ad Eutro-
pium portum, & primo quidem cruciauit eum in cædi-
bus filiorum, poſt imperatorem puniit. Nam quinque filij
E eius mares coram viſibus illius præocciduntur. Verum
Mauricius patienter infelicitatem ſuſtinens, Deum in om-
nibus inuocabat, & crebro pronunciauit dicens: Iuſtus
es Domine, & rectum iudicium tuum. Fit itaque mors
filiorum epitaphium patris, præoſtendens virtutem lo
mole calamitatis. Cumque nutrix vnum ex Imperatoris
pueris furata fuiſſet, ſuumque pro eo interemptioni ob-
tuliſſet, Mauricius non annuit, ſed ſuum requiſiuit. Aiunt
itaque quidam, quod eo occiſo lac cum cruore fluxerit,
ita vt omnes inſpicientes dire lamentarentur. Sic ergo
imperator naturæ legibus etiam celſior factus, vitam
commutat. Porro ex illo tempore non defuerunt Imperio
variæ ac ingentes ærumnæ. Denique & Choſdroës Per-
ſarum rex pacem diſſoluit, & Auares Thracem deuaſta-
runt, atque Romanorum exercitus vterque depopulatus
eſt. Ita vt cum Heraclius regnaret, & inquiſitionem
armatorum cum ſumma diligentia faceret, ex omni
multitudine illa, quæ inuenta fuerat in tyrannide Mau-
ricij cum Phoca, neminem exceptis duobus vllatenus
inueniret. F

PHOCAS. Anno ab incarnatione Domini D.XCV. Phocas tyran-
nus peremit Mauricium, vt prædictum eſt, vna cum maſ-
culis quinque pueris eius: & horum capita iuſſit poni in
campo tribunali diebus multis: & exiuit ab vrbe, & con-
templabatur ea, vſquequo fœtorem dederunt. Interficitur
autem & Petrus frater eius, & alij proceres multi. Theo-
doſium vero filium eius ſermo tenet lapſum, & ita ſaluum
repertum. Præterea Choſdroes Perſarum rex famam hanc
augmentauit, aliud aliterque mentitus, & hunc apud ſe
dicens quaſi prouidere ſe, Romanorum ſperans obtinere
imperium. Et conuictus eſt multis modis, maxime vero
ex eo quod bella repentina moueret, & Romanas res
magnopere deuaſtaret. Interea calligraphus quidam Ale-
xandriæ, venerabilis vir, ex matutina vigilia domum va-
dens media nocte videt ſtatuas ex metallo æris abſtra-
ctas, & voce grandi dicentes interemptum Mauricium
& filios ipſius, atque omnes caſus qui apud Byzantium G
fuerant geſti. Mane vero facto pergens hæc Auguſtali re-
tulit. Qui præcepit ei nulli hæc manifeſta facere, ſcri-
benſque diem præſtolabatur exitum. Die vero nona præ-
tereunte, ecce nuncius venit indicans Mauricij interem-
ptionem. Tunc Auguſtalis dæmonum vaticinium coram
populo publicauit. Narſes autem prætor quondam Ro-
manus contra tyrannum rebellionem parauit, Edeſſam-
que obtinuit, Scribit itaque Phocas Germano prætori
Edeſſam obſidenti. Narſes vero ſcribit Choſdroi regi Per-
ſarum congregandi virtutes, & bellum conſtituendi con-
tra Romanos. Porro Phocas fratrem Domentiolum fecit
magiſtrum & Priſcum comitem excubitorum. Anno Im-
perij Phocæ ſecundo Chroſdroes rex Perſarum colle-
ctum copioſum potentatum aduerſus Romanos direxit.
Germanus autem timuit, verum coactus prælium iniuit.
Qui cum in eo vulneratus fuiſſet, hunc miniſtri vſque ad
ciuitatem Conſtantiæ duxerunt, ſuperanturque Romani.
Sed & Germanus vndecima die ſpiritum exhalauit. Pho-
cas autem potentatus ab Europa in Aſiam tranſtulit,
Chaiano pactis additis, arbitratus Auarum quieſcere na- H
tiones. His ergo diuiſis, quoſdam contra Perſas miſit:
quoſdam vero ad obſidionem Edeſſæ contra Narſen cum
Leontio ſpadone & magnate ſuo direxit. Choſdroes au-
tem collectis potentatibus, apud Daras efficitur. Porro
Narſes egreſſus Edeſſam Hierapolim fugit. Interea Choſ-
droes cum Romanis fit penes Ardumum, & munitione
de elephantis conſtructa, bellum iniit, & victoria magna
potitus eſt, captis Romanis non paucis, quos & capitis
reciſione puniuit. His itaque geſtis, Choſdroes ad terram
ſuam regreſſus eſt, Zongoi potentatibus relictis. Hoc
comperto Phocas contra Leontium tulit, & manicis fer-
reis cum ignominia Byzantium ducit, & creat prætorem
Domentiolum nepotem ſuum, & curatorem Palatij fa-
cit. Anno Imperij Phocæ III. miſit Choſdroes Cardari-
gam & Ruſmayſan, qui depopulati ſunt terras Romano-
rum. Domentiolus vero verbo dato Narſi, iuramentiſque
non paucis credere perſuaſit, quod nullam iniuriam apud
Phocam eſſet paſſurus, & direxit eum ad Phocam. At

vero

A vero Phocas hoc verbum minime ſeruans, igne cre-
mauit eum. Romani ergo hinc plurimum triſtes effe-
cti ſunt, quod timorem magnum in Perſas idem Narſes
haberet, adeo vt filij Perſarum audito ipſius nomine tre-
merent. Porro Perſæ gauiſi ſunt gaudio magno. Anno
Imperij Phocæ I V. Scholaſticus eunuchus, vir glorioſus
Palatij Conſtantinam dominam cum tribus filiabus eius
accipiens ad magnam Eccleſiam confugit, conſilio Ger-
mani patricij deſiderantis Imperium. Fit igitur ſeditio
magna in vrbe. Germanus autem demarcho Praſinorum
talentum auri miſit, vt cooperaretur ei: primores autem
vulgi id admittere noluerunt. At vero tyrannus in Eccle-
ſiam ad abſtrahendum mulieres deſtinauit. Sane patriar-
cha Cyriacus tunc reſtitit tyranno, minime paſſus è
templo tyrannicè abduci mulieres. Verum iuramentis
certo eo reddito à Phoca, quod non læderet eas, edu-
cuntur è templo & clauduntur in monaſterio. Præterea
eodem anno Perſæ ceperunt Daras cum tota Meſopota-
B mia & Syria, captiuitate multa, cuius non eſt numerus,
facta. Anno Imperij V. Phocas filiam ſuam Domentiam
Priſco patricio & comiti excubitorum iunxit, & factis
in palatio Marinæ nuptiis iuſſit fieri ludum equeſtrem.
Demarchi autem vtriuſque partis apud quatuor colum-
nas cum imperialibus ſignis ſtatuerunt Priſci ac Domen-
tiæ ſigna. Quibus auditis Imperator iratus eſt, & mit-
tens adduxit Demarchos, Theophanem ſcilicet & Pam-
philum, & ſtatuens nudos, iuſſit eos decollari. Cum enim
miſiſſet protocurſorem, vt interrogaret eos, quo præci-
piente fecerint hoc: dixerunt, quia ſecundum conſuetu-
dinem lineatoris fecerunt. Porro lineatores ſiue menſo-
res interrogati quam ob rem id fecerint, dixerunt, quia
cum Imperatores ab omnibus nominati ſunt, hoc à no-
bis ipſis fecimus. Sane Priſcus timore tenebatur, ne for-
te in Imperatoris iram incideret. Turbis autem clamanti-
bus veniam concedi ſibi, veniam dedit Phocas. Ex tunc
ergo Priſcus indignationem paſſus, non erat recte cum
Phoca. Interea quædam mulier Petronia nomine, fit im-
C peratrici Conſtantinæ miniſtra, quæ ad Germanum re-
ſponſa ferebat. Porro cum fama dilataretur, quod Theo-
doſius Mauricij filius viueret, ſpem bonam tam Conſtan-
tina quam Germanus habebat. At vero ſceleſta Petronia
hæc tyranno manifeſta fecit. At tyrannus Conſtantinam
Theoprepio exarcho ad torquendum prodidit. Quæ dum
torqueretur, Romanum patricium noſſe interloquutiones
ſuas confeſſa eſt. Qui comprehenſus atque diſcuſſus,
etiam alios fore in inſidias tyranoidis ſibi cooperatores
perhibuit. Comprehenſus eſt autem Theodorus Orientis
præfectus, quem tyrannus interemit. Helpidiique pedes
præcidens hunc tradidit igni, Romanumque decollauit.
Porro Conſtantinam cum tribus filiabus in loco vbi
Mauricius interemptus eſt, gladio trucidauit. Germanum
autem & eius filiam oræ machæræ occidit. Similiter &
Ioannem Gizao patricium & Theodoſium qui ſubdiuæ
dignitate habebatur inſignis, & Andream Sanctocroben,
& Dauid Chartophylacem Hormiſdæ. Eodem anno Per-
ſæ tranſmeantes Euphraten, totam Syriam & Palæſtinam,
& Phœnicen depopulati ſunt, multo in Romanis exci-
dio perpetrato. Anno vero Imperij Phocæ VI. Priſcus in-
D tueri non ſuſtinens tam iniuſta homicidia, quam cætera
mala, quæ à Phoca patrabantur, ſcripſit ad Heraclium pa-
tricium & prætorem Africæ, quo Heraclium filium ſuum,
& Nicetam filium Gregoræ patricij ſubprætorem ſuum
mitteret, quatenus contra Phocam tyrannum venirent.
Audiebat enim eum rebellionem meditari in Africa, vnde
nec nauigia hoc anno Conſtantinopolim conſcenderunt.
Occidit autem Phocas omnem cognationem Mauricij,
& Commentiolum Thraciæ prætorem, & alios multos.
Facta eſt etiam mortalitas in anno iſto, & inopia omnis
ſpeciei. Præterea Perſæ vna cum Cardariga egreſſi cepe-
runt Armeniam & Cappadociam, pugnanteſque Roma-
norum verterunt militias. Ceperuntque Galatiam & Pa-
phlagoniam, & venerunt vſque Chalcedonem, ſine par-
citate depopulantes omnem ætatem. Et hi quidem foris
portam Romanis tyrannidem inferebant. Phocas vero
his peiora intrinſecus patrabat occidens atque captiuans.

Anno Imperij Phocæ ſeptimo Antiocheni Iudæi ſimulta- E
te inquieta commiſſa contra Chriſtianos, occidunt Ana-
ſtaſium magnum patriarcham Antiochiæ, mittentes na-
turam eius in os eius, & poſt hæc trahentes eum in pla-
team vrbis. Interfecerunt autem & ciuium multos, & in-
cenderunt eos. Phocas vero fecit comitem Orientis Bo-
noſum, & Chotin magiſtrum militum, & tranſmiſit eos
aduerſus illos, & non valuerunt ſedare inquietudinem il-
lorum. Coaceruantes vero exercitus irruerunt in illos, &
plurimos occiderunt, & quoſdam eorum detruncatis ar-
tubus, ab vrbe reddiderunt extorres. Phocas autem fecit
Circenſem ludum, & Praſini conuiciis eum laceſſere cla-
mantes: Iterum in gabaſta bibiſti? Iterum ſenſum perdi-
diſti? Et iuſſu Phocæ Comas præfectus vrbis multos ex
eis detruncauit, quoſdam vero decollauit, nonnullos au-
tem in ſaccos miſſos mari necauit. Porro Praſini coacer-
uati miſerunt ignem in prætorium, & incenderunt cu-
riam, & ſcrinia, & carceres. Ex quibus egreſſi vincti fu-
giunt. Hinc iratus Phocas, non eos militare iubet. Porro F
Heraclius prætor Africæ moleſtias perpetiens à Senatu,
vocauit filium ſuum Heraclium contra Phocam tyran-
num mittendum. Verum & ſubprætor eius Gregoras
miſit per aridam Nicetam filium ſuum: ſtatuentes, vt qui-
cunque ex his præueniret, & tyrannum ſuperaret, Impe-
rium ſumeret. Hoc vero anno hyems enormis efficitur,
ita vt maris mollicies in glaciei duritiam verteretur. Tum
Phocas Macrobium Scribonium iuſſit ſagittari apud Se-
ptimium, pendentem in lancea in qua tyrones exerce-
bantur, quaſi conſcium inſidiarum ſuarum. Theodorus
enim præfectus Cappadox, & Helpidius præpoſitus arma-
menti, & alij diuerſi conſilium fecerunt in hippodromo
Phocam occidendi. Et facto prandio Theodorus præpo-
ſitus prætori cœpit eis texere intentionem ſuam. Conti-
git autem illic inueniri Anaſtaſium comitem largitio-
num. Prandio ergo facto, & enarratis his quæ inſidiarum
erant, pœnituit Anaſtaſium illic ſe repertum, & non dixit
quæ cordi ſuo inerant, ſed ſiluit. At vero Helpidius perdu-
rabat dicens: Non vultis vt cum ſederit in ſolio ſuper
hippodromum, hunc comprehendam, & euellam ocu- G
los eius, & ſic eum interficiam? Et pollicebatur, eis dare
currus. Re præterea Phocæ nota ex proditione Anaſtaſij
facta, iuſſit præfectum & Helpidium, & primores qui
ſciuerant rem, cum omni diligentia diſcuti. Cumque di-
ſcuterentur, quæ inſidiarum fuerant, confeſſi ſunt: &
quod Theodorum voluerint facere principem. Porro
Phocas iuſſit decollari Theodorum, Helpidium, Anaſta-
ſium, & cæteros qui inſidias ſuas cognouerant.

Explicit liber decimus ſeptimus.

Incipit

LIBER DECIMVSOCTAVVS.

ANno ab incarnatione Domini DC. II. Heraclius in H
Africa Imperator appellatus, venit cum nauibus ca-
ſtellatis, habentibus intra ſe arculas, & imagines Dei ma-
tris, quemadmodum pyxides. Georgius quoque perhibe-
tur ducens exercitum copioſum ab Africa & Mauritania
veniſſe. Similiter & Nicetas filius Gregoræ patricij per
Alexandriam & Pentapolim, habens ſecum multum po-
pulum pedeſtrem. Deſponſauerat autem Heraclius Eudo-
chiam filiam Rogati Afri, quæ illo tempore Conſtanti-
nopoli erat vna cum Epiphania matre Heraclij. Audiens
autem Phocas quod mater Heraclij in ciuitate eſſet, nec
non & Eudochia; quæ ſibi fuerat deſponſata, tenuit eas
& obſeruauit in dominico monaſterio quod cognomina-
tur Nouæ pœnitentiæ. Cum autem abiſſet Heraclius Abi-
dum, inuenit Theodorum comitem Abidi, & ſciſcitatus ab
eo, didicit quæ Conſtantinopoli mouebantur. At vero
Phocas miſit fratrem ſuum Domentiolum magiſtrum ad
cuſtodiendos muros longos. Cumque comperiſſet Hera-
clium Abidum abiiſſe, muris dimiſſis fugit, & ioſtoiuit

A Conſtantinopolim. Porro Heraclius apud Abidum recepit omnes exules principes, quos ibidem Phocas relegauerat in exilium, & aſcendit cum eis Heracliam. Stephanus autem Cizici metropolites acceptum ſtemma ſanctæ Dei genitricis Mariæ de Eccleſia detulit Heraclio. Præterea cum Conſtantinopolim perueniſſet, diuertit ad portum Sophiæ, initoque bello vicit gratia Chriſti tyrannum. Vulgus autem hunc comprehenſum interfecerunt, & igne apud Taurum cremauerunt. Ingreſſus ergo Heraclius regalia, coronatus eſt à Sergio Patriarcha in Oratorio ſancti Stephani in Palatio ſito. Coronata eſt vero eodem die Eudochia ſponſa eius in Auguſtam, & accepit vterque à Sergio Patriarcha nuptiarum coronas: & vno eodemque die Imperator ſimul & ſponſus oſtenditur. Menſe vero Maij caſtra mouerunt Perſæ contra Syriam, & ceperunt Capeſſam, & Edeſſam, & venerunt vſque Antiochiam. Porro Romani occurrentes eis ſuperati ſunt, & periit omnis populus Romanorum, adeo vt valde pauci B ex his euaderent. Anno vero imperij Heraclij ſecundo, céperunt Perſæ Cæſaream Cappadociæ, & plurima ex ea captiua duxerunt millia. Heraclius autem Imperator inuenit diſſoluta Reip. negotia. Siquidem Europam Auares reddidere deſertam: Aſiam vero totam Perſæ exterminauerunt, & ciuitates deſolauerunt, & Rom. in bellis exercitum interemerunt. Quibus viſis hæſitare cœpit quid ageret: ſcrutans exercitum ſi forte ſaluus exiſteret, duos tantum inuenit ex omnibus his, qui cum Phoca contra Mauricium in tyrannide militarunt. Eodem anno natus eſt Imperatori filius de Eudochia Heraclius minor, qui & Nouus Conſtantinus appellatus eſt, & mortua eſt Auguſta eadem indictione quinta decima. Tertio anno imperij Heraclij coronata eſt Epiphania filia Heraclij à Sergio patriarcha in Auguſtam in Oratorio Palatij. Eadem vero prima indictione coronatus eſt Heraclius iunior filius Heraclij, qui & Conſtantinus, à prædicto Patriarcha. Eodem anno Sarraceni etiam aciem contra Syriam direxerunt, & exterminatis nonnullis vicis reuerſi ſunt: Anno C imperij I V. ceperunt Perſæ Damaſcum, & captiuum duxerunt populum multum. Heraclius autem Imperator legatis ad Choſdroen miſſis, rogauit eum vt parceret hominum ſanguinem immiſericorditer fundere, & definire tributa, & acciperet pacta. Qui legatos inefficaces dimiſit, nulla eis reddita ratione ſperans comprehendere Rom. modis omnibus principatum. Porro Heraclius eodem anno duxit inceſte Martinam neptem ſuam vxorem, & pronunciauit eam coronatam à Sergio patriarcha. Anno quinto imperij Heraclij ceperunt Perſæ Iordanem bello, & Palæſtinam & ſanctam ciuitatem, & multos in ea per Iudæorum manus interfecerunt: id eſt, vt quidam aiunt, millia nonaginta. Iſti enim ementes Chriſtianos, prout vnuſquiſque habere poterat, occidebant eos. Zachariam vero Hieroſolymitanum præſulem comprehenſum, & pretioſa & viuifica ligna cum multa præda abduxerunt in Perſidem. Eodem anno natus eſt Imperatori Conſtantinus alius, & baptizatus eſt in Blacernis à Sergio patriarcha. Anno imperij Heraclij ſexto ceperunt Per- D ſæ totam Ægyptum & Alexandriam & Lybiam vſque ad Æthiopiam multaque præda conſumpta, & exuuiis quamplurimis, & pecuniis, ad propria remearunt. Carthaginem autem minime valuerunt capere, ſed cuſtodia dimiſſa obſidendi eam receſſerunt. Anno ſeptimo imperij Heraclij caſtrametati ſunt Perſæ contra Carthaginem, quam & bello ceperunt. Eodem anno Coſ. factus eſt Conſtantinus iunior, qui & Heraclius Heraclij filius, & prouexit in Cæſarem Conſtantinum minorem fratrem ſuum ex Heraclio genitum & Martina. Anno octauo imperij ſui rurſus Heraclius miſit in Perſidem legatos, ad Choſdroen poſtulans pacem. At Choſdroes iterum eos ſpreuit, aſſeuerans: Non parcam vobis, donec crucifixum abnegeris, quem Deum fatemini eſſe, & adoretis Solem. Anno imperij Heraclij nono, aciem direxerunt Auares contra Thracem, & miſſis Heraclius legatis ad eos pacem poſcebat. Cumque Chaianus hanc facere ſpopondiſſet, exiit Imperator foras murum longum cum omni obſequio regio, ac muneribus multis ad ſuſcipiendum Chaianum, recepturus ab eo iuramenta faciendi inuicem ſponſiones pacificas. At vero Barbarus ille tam E ſponſionibus, quam quæ iurata fuerant ſpretis, ſubito tyrannice contra Imperatorem profectus eſt. Stupefactus ergo Imperator ſuper inſperatæ rei molimine, fuga lapſus in ciuitatem reuerſus eſt. Barbarus autem omni regio apparatu adepto, & ſuppellectile, & quotquot ex hominibus capere potuit, ſubuertit villas multas depopulans ex improuiſo ſpe pacis deceptos. Anno decimo Imperij ſui, miſſis Heraclius ad Chaianum Auarum legatis queritur ſuper his quæ nequiter acta fuerant ab eo, & ad pacem hortatur. Acies quippe diſponens contra Perſidem dirigendas; paciſci cum Chaiano volebat. Qui reueritus dilectionem Imperatoris, ſe pœnituiſſe pollicebatur, & pacem fieri repromiſit. Pangenteſque fœdera legati in pace reuerſi ſunt. Eodem anno ceperunt Perſæ Ancyram Galatiæ. Anno 11. imperij Heraclij, durus Choſdroes iugum ſuum ſuper omnes homines fecit in effuſione ſan- F guinis & ratione tributorum. Elatus enim triumpho, nullo modo in conſtantia eſſe poterat. Tunc Heraclius zelo Dei ſuſcepto, & cum Auaribus pace, vt putabat, contracta, tranſtulit militias Europæ in Aſiam, & putabat Dei cooperatione contra Perſidem properare. Anno XII. imperij Heraclij, menſe Aprili, die IV. indictione X. Imperator Heraclius celebrata ſolemnitate Paſchali, mox ſecunda feria veſperi motus eſt contra Perſidem Sumptis autem mutuo venerabilium domorum pecuniis apoſta coarctatus, accepit etiam Eccleſiæ magnæ multa candelas ferentia, ſimul & alia vaſa miniſtratoria. Quibus conflatis exarari fecit in his nummos aureos & argenteos plurimos, dimiſitque filium ſuum cum Sergio patriarcha in vrbe diſponendi negotia, vna cum Bonoſo patricio viro ſagaci, & per cuncta ſapienti atque perito. Scripſit autem & ad Chaianum Auarum preces curam agendi ſuper Romanorum negotiis, tanquam qui fuerit ſecum amicitiam pactus, tutorem filij ſui compellans. Motus autem à regia vrbe, exiuit per locum qui dicitur Portæ: nauigio iter G agens: illinc vero per cæteras regiones ſibi ſubiectas profectus, elegit exercitum nouum. Hos autem exercere orſus in hoſtilibus operibus erudiuit. Diuiſo enim dupliciter exercitu, acies & congreſſiones inuicem ſine ſanguine fieri iuſſit. Clamorem bellicum, & carmina, & iubilum & impetum in alterutrum ſurgendi habere hos docebat: vt reperti in bellis nil mirarentur, ſed fidenter proficiſcerentur in hoſtem. Accipiens vero Imperator in manibus Dei figuram viſilem, quam manus non depinxerunt, ſed in εἰκόνα verbum quod omnia firmat atque componit, ſine pictura formauit, velut ſine ſemine eduxit partum: & in hac fiſus à Deo picta figura, cœpit agones iuramenta dans populo, quod cum ipſis vſque ad mortem eſſet certaturus, & tanquam propriis filiis adhæſurus. Volebat enim poteſtatem non tantum timore quantum amore poſſidere. Cumque inueniſſet exercitum in deſidia multa & formidine, inquietudine ac dedecore conſtitutum, & per multas terræ partes diſſeminatum, actutum in vnum collegit. Et omnes ex vna quaſi H conſonantiâ laudauere imperium & fortitudinem principis. Ipſe autem verbis hos corroborans perhibebat: Videte fratres & filij, quod inimici Dei conculcauerunt regionem noſtram, & vrbes exterminauerunt, & altaria concremauerunt, & menſas incruentorum ſacrificiorum ſanguinibus & homicidiis repleuerunt, & Eccleſias; quæ flagitia non admittunt, flagitioſiſſimis repleuerunt voluptatibus. Itaque rurſus cuneos ad bellicum exercitium armant, agmina duo armata ordinans, tubas quoque ac clypeorum phalanges efficiens, & populus thorace indutus aſtabat. Nam cum acies ſtatuiſſet cautius, congreſſiones agere inuicem iuſſit. Impulſiones autem vehementer ac percuſſiones in alterutrum efficiebantur & habitus belli oſtendebantur. Eratque horribile viſu ſpectaculum ſine timore periculum, & ad ſtrages impetus ſine ſanguine, ſed adueniente neceſſitate, quatenus vnuſquiſque percepta occaſione cædis innocuæ permaneret tutior. Taliter autem armatis omnibus præcepit iniuſtitia penitus abſtinendum, & pietatem ſectandam. Porro cum

perueniſſet

perueniſſet ad partes Armeniæ, præcurrere iuſſit electos. Sarracenorum vero tunc ſub pactis Perſarum conſtitutorum multitudo equitum clam in Imp. irruere meditabantur. Viri autem Imperatoris qui præcurrerant, his occurrentes prætorem ipſorum vinctum Heraclio adduxerunt, illiſque in fugam verſis multos interemerunt. Quia vero hyeme accedente Imperator in Ponticum clima diuertit, viſum eſt Barbaris obſidere illum in hoc hyemantem. At ille Perſas latens atque diuertens in Perſidem properat. Hoc Barbari cognito in rancorem cauſa inſperati auditus deuenerunt. Sarbarus vero Perſarum prætor accepto potentatu ſuo venit in Ciliciam, quatenus in Romaniam ingreſſus, hunc dare terga compelleret. Timens autem ne per Armeniam Imperator ingreſſus, Perſidem turbaret, coactus eſt ſequi poſt Romanum exercitum, furari volens bellum, & per obſcuram aggredi noctem. Sed è contra plenæ lunæ rota nocte fulgente luce cauillatione fruſtratus eſt, & Lunam quæ ſibi prius in cultu fuerat, infamabat, quæ videlicet eclipſin ex accidente tuliſſet. Ex hoc ergo formidabat Sarbarus cum Imperatore conflictum aggredi, & montem quaſi dorcades petiit, intuitus ab excelſo bonam & ſapienti arte compoſitam militiam Romanorum. Comperta vero Imperator horum formidine, in locis mutabatur requietionis, hunc ad bellum inſtigans. Deſcendentes autem de monte clam ſæpe conflictum concitabant: Sed Romani in cunctis primatum tenebant, fiduciamque amplius exercitus eorum obtinebant, videntes Imp. præſilientem, & in omnibus belligerantem. Perſa vero quidam ante breue tempus profugus, inter Imperatoris exercitum annumerabatur. Hic fugiens ad Perſas abiit, exiſtimans eos Romanorum exterminaturos exercitum. Cumque formidinem eorum videret, poſt decimum diem iterum ad Imp. venit, & liquido omnem Barbarorum pauorem edixit. At vero Sarbarus vltra commorationem non ferens in monte, coactus eſt ad prælium proficiſci. In tres autem partes diuiſis exercitibus deſcendit repente illuceſcente die ante ſolis aſcenſum præparatus ad bellum. At Imperator præſciens hoc, ordinauit exercitus in tres æque phalanges ad pugnam Orto autem ſole, & Imperatore ad Orientem reperto, Perſas obtenebrauit radius, quem vt Deum adorabant. Imperator autem finxit populum ſuum quaſi in fugam verſum. At illi ſoluentes phalanges hoc ſine retentione perſequi exiſtimabant. Conuerſi ergo Romani, hos æquo animu verterunt, ex his multis peremptis. Inſequentes autem eos in monte in præcipitia & loca deuia immiſerunt, cunctis illic contritis. Interea præcipitia inſtar caprarum ſyluestrium morabantur. Multos autem viuentes comprehenderunt. Ceperunt quoque & horum caſtra, & omnem ſupellectilem ipſorum. Porro Romani extenſis in cœlum manibus Deo gratias referebant, & pro Imp. qui ſe bene probanerat, indeficienter orabant. Qui enim antea nec Perſicum audebant puluerem videre, nunc immota eorum inuenta tabernacula ſpoliant. Quis enim ſperet Perſarum inexpugnabile genus dorſa daturum Romanis? Itaque Imperator exercitu cum prætore ad hyemandum in Armenia derelicto ipſe Byzantium rediit. Anno vero Imperij ſui decimotertio. Heraclius profectus à regia vrbe celeriter in Armeniam properauit. Choſdroes autem rex Perſarum, miſit Sarmanzariam cum exercitu ſuo in Romanorum terram intrandi. Heraclius autem ſcribebat Choſdrui vt aut pacem amplecteretur, aut ſe ſciret cum exercitu ſuo Perſidem ingreſſurum. Choſdroes autem nec pacem amplectebatur, nec verum ſermonem Heraclij arbitrabatur. Non enim audere illum Perſidi appropinquare putabat. Sane Imperator duodecima Calendarum Maiarum ingreſſus eſt Perſidem. Quo Choſdroes comperto Sarmanazarim reuerti iuſſit: & collectis ex tota Perſide militiis ſuis, & traditis eis Sathin, velociter eas adunari Sarmanazarim iuſſit, & ita contra Imperatorem procedere. Heraclius autem aduocato exercitu ſuo, verbis exhortatutiis incitabat eos dicens: Viri fratres Dei amorem in mente ſumamus, iniuriam huius requirere ſatagamus. Stemus igitur fortiter aduerſus inimicos, quia multa dira in Chriſtianos operati ſunt, reuereamur Rom. Imperium, quod ſui ipſius eſt domini, & non alterius & ſtemus aduerſus hoſtes impiis telis armatos. Induamus fidem nec formidemus interemptionem & interemptricem gentem recogitemus, quia intra Perſarum terram conſiſtimus, & ingens fuga fert periculum. Vindicemus corruptiones virginum, reciſa commilitonum membra noſtrorum videntes corde doleamus. Non ſunt hæc vllam mercedem habentia, ſed vitæ perennis præmia. Stemus viriliter, & Dominus Deus cooperabitur, & perdet inimicos noſtros. Cumque Imperator his & aliis quampluribus commonitionibus populum exhortatus eſſet, reſpondit ei vnus pro omnibus: Expandiſti anguſtiam cordis noſtri domine, os tuum in admonitione diſtans. Acuerunt ſermones tui gladios noſtros, & hos animos qui vinci nequeant, operati ſunt. Expeditos nos tuis verbis exhibuiſti: erubeſcimus in pugnis te aſpicientes nos procedere, & iuſſiones tuas in omnibus ſequimur. Imp. autem ſumptis militiis, mox ad Perſidem interiorem acceſſit, Igne comburens vrbes & caſtra. Fit etiam terribile hic quoddam miraculum. In æſtiuali quippe ſolſtitio æther ſudore factus eſt madidus, animos Romanis exercitus recreans, adeo hinc ſpem optimam ſumerent. Audiens præterea Heraclius quod Choſdroes apud Gazacroen ciuitatem cum quadraginta millibus bellicoſorum eſſet virorum, cum impetu aduerſus illum perrexit, & præmiſſi quidam ab eo Saracenorum ſibi ſubiugatorum Choſdroes occurrunt vigiliæ: & horum quoſdam occiderunt, quoſdam vero vinctos compedibus cum prætore ipſorum Imperatori præſentarunt. Hoc comperto Choſdroes derelicta tam ciuitate quam militia, fuga vſus eſt. At vero Heraclius inſequutus, quoſdam præoccupatos occidit, cæteri autem hac illacque palantes diſſipati ſunt. Cumque perueniſſet Imperator ad Gazacenſium ciuitatem, in ſuburbanis huius reficiebat exercitum ſuum: Perſæ vero qui confugerant ad eum, perhibebant quod Choſdroes fugiens igne conſumpſerit omnia ſata in locis illis, & peruenerit ad ciuitatem Thebarmam in Oriente ſitam in qua erat templum. Ignis, atq; pecuniæ Eriſilidorum regis, & error prunarum: & his acceptis ad partes Damaſtager iter egerit. Imperator autem profectus à Gazacenſium ciuitate peruenit Thebarmam: & ingreſſus in eam igne conſumpſit templum Ignis, & tota ciuitate combuſta, perſequutus eſt Choſdroen in anguſtiis regionis Medorum. Choſdroes autem in his duabus regionibus de loco ad locum peragrans latitabat: & Heraclius hunc perſequens, multas ciuitates vaſtauit & regiones. Hyeme vero accedente conſilium faciebat vbinam hyemaret cum populo: & quidam in Albania perhibebant: quidam vero contra ipſum properare Choſdroen At Imperator iuſſit populum tribus diebus diuinum oraculum præſtolantem caſte ac pure conuerſari, ſicque reſponſo accepto in Albania decreuit hyeme commorari. Dum vero abiens illuc iter ageret, habens ſecum copioſam Perſarum prædam, haud paucos incurſus à Perſicis cuneis pertulit: ipſe vero diuina cooperatione triumphum de omnibus tulit. Præterea cum vehemens tempeſtas cecidiſſet ſuper eum in via, & hunc gelu præoccupaſſet in Albania, haberetque quinquaginta millia vinculatorum, compatienti corde ſuo miſertus vincula diſſoluit, indulgentiam tribuit, & requiem impertitus eſt, ita vt omnes cum lachrymis exorarent, etiam eum Perſidis fieri liberatorem à mundi exterminatore & trucidatore Choſdroe. An. 14. imperij Heraclij Choſdroes Sarrablagan Prætorem conſtituit, virum facinoroſum, & typho multo elatum: tradenſque ei exercitum, eos videlicet qui dicuntur Choſdroetæ ac Perozitæ, in Albaniam eum direxit ad Heraclium. Cumque ingreſſi eſſent fines Albaniæ, non ſunt auſi ad debellandum ante faciem Imperatoris ſtare: ſed clauſuras tenuere quæ ducunt in Perſidem, æſtimantes in obſidendo inſidiari. At vero Heraclius mox vt ver acceſſit, profectus de Albania per apertos campos & eſcis largiter affluentes, tranſitum in Perſidem faciebat, licet longinquitas multæ viæ ſpatium tranſegerit. Sarrablagas vero per arctum iter, vtpote compendioſum ſatagebat, vt comprehenderet eum in Perſidis regione. Heraclius autem monebat populum dicens: Nouimus fratres, quod

A militia Perſarum in deuiis locis pererrans, tam equum eorum diſſoluat, quam ipſos eneruet. Nos autem feſtinemus contra Choſdroen properare valde celeriter, vt ex improuiſo irruentes in eum turbemus illum. At vero populus huiuſmodi ſpernebat conſilium, & maxime Lazorum, & Abaſgorum atque Hiberorum concertatores. Hinc in ærumnas incidunt. Peruenit autem & Sarbaras cum populo ſuo: quos omnes virtute armauit Choſdroes, & deſtinauit per Armeniam aduerſus Heraclium. Sarrablagas vero ſequebatur poſt tergum Heraclij, & non eſt cum eo in conflictum congreſſus, expectans vniri Sarbaræ, & ita conſtituere prælium. Cognito autem Rom. Sarbaræ impetu ad metum conuerſi ſunt, ad pedes Imperatoris prociderunt cum lachrymis, ſcientes quale ſit malum non cedere ſeruum domini voluntatibus, & pœnitentiam agẽtes ſuper inobedientia ſua, quam nequiter perpetrauerant, dicentes: Manum tuam domine priuſquam pereamus miſeris da. Cedimus enim tibi, in quibuſcunque præceperis.
B Tunc Imperator accelerauit congredi cum Sarrablaga priuſquam vniretur populo Sarbaræ: & multis incurſionibus aduerſus eum factis nocte ac die hunc in formidinem pepulit: & retro vtriſque dimiſſis contra Choſdroen velociter inſequutus eſt. Duo vero ex Romanis ad Perſas ſe conferunt, & perſuadent eis credere, Romanos ex formidine fugere. Contigit autem eos & alium audire Romanum, Sathin ſcilicet Prætoris Perſarum aduentum cum alia militia in auxilia, & hoc comperto Sarrablagas & Sarbaras decertabant Heraclium inſtigare ad prælium, priuſquam veniret Sathin, & in ſe transferret victoriæ gloriam. Credentes quoque profugis, properant aduerſus Heraclium, & appropinquantes ei caſtrametati ſunt, volentes in eum ſimul inuere. Aſt Heraclius profectus à veſpera iter fecit per totam noctem: & profectus ab eis inuento herbifero campo, caſtrametati ſunt in eo. Porro Barbari exiſtimantes eum formidine fugere incompoſite ſequebantur, vt comprehenderent illum. Ipſe autem occurrens eis bellum iniit aduerſus illos, & apprehenſo quodam
C colle nemoroſo, coacervatoque populo in ipſo cooperatione Dei Barbaros vertit, & per fauces hos inſequutus multitudinem copioſam occidit. Cadit autem & Sarrablagas, enſe vulneratus in dorſo. Et cum hi in agone eſſent, peruenit etiam Sarbaras cum exercitu ſuo: & hoc Imperator verſo, & ex his multis occiſis, reliquos fugientes diſperſit. Cepit quoque & apparatum ſarcinas ipſorum. Porro Sarbaras vnitus Sathin, collegit Barbaros qui ſaluati fuerant, & iterum diſponebant contra Heraclium proficiſci. Aſt Imperator in regionem Hunnorum, & per horum loca difficilia feſtinabat in aſperis locis ac deuiis, Barbari vero ſequebantur poſt eum. Porro Lazi vna cum Abaſgis formidantes, ſubduxerunt ſe ab auxilio Romanorum, & in regionem ſuam reuerſi ſunt. Sathin vero hoc aduertens, furore multo vna cum Sarbara perſequebantur Heraclium. Sane Imperator collecto exercitu, hos verbis exhortatus eſt, & munimine deliniuit dicens: multitudo vos fratres inimicorum non conturbet, Deo quippe volente vnus perſequetur mille. Mactemus ergo noſmetipſos pro ſalute fratrum noſtrorum & ſumamus coronam
D martyrij, quo & futurum tempus nos laudet, & Deus reddat mercedes. His & aliis quampluribus verbis audaciam exercitui conferens hilari vultu prælium ordinat: & diſtantes ab inuicem interuallo puſillo, à mane vſque ad veſperam aggreſſi non ſunt in alterutrum. Veſpere vero Imperator arrepto itinere pergebat. Barbari vero iterum poſt eum ſequebantur comitantes viam: hunc præoccupare volentes, incidunt in loca paluſtria, & oberrantes in magnum diſcrimen deueniunt. Imperator autem tranſiens fines Perſarum per Armeniam peragrabat. Cum autem terra illa teneretur à Perſis, multi cum Sarbara concurrunt, ac per hoc populus eius creuit. Præterea hyeme accedente diſperſit multitudinem per loca ipſorum, vt requieſcerent in domibus ſuis. Quo comperto Heraclius nocte furari meditabatur bellum. Cumque turbo tempeſtatis adeſſet, & Sarbaræ nulla ſuſpicio incumberet, electis fortiſſimis equis, & robuſtioribus ab exercitu, hos dupliciter armans, quoſdam ex eis

E præcedere iuſſit contra Sarbaram, ipſe vero cum aliis poſt eos ſubſequutus eſt. Accelerantibus ergo per noctem, & peruenientibus ad prædium, cui vocabulum erat Laſbanum, hora noctis nona Perſæ qui in eo erant, & impetum cognouerant, inſurrexerunt in eos. Ipſi autem interfecerunt hos omnes, excepto vno qui hoc Sarbaræ nunciauit. At vero Sarbaras aſcendit equum nudus, atque diſcalciatus, fuga ſalutem mercatus. Huius autem mulieres, & omnem Perſicum florem, principeſque ac ſatrapas cum electis militibus, qui in domorum tecta conſcenderant, & bellum contra ſe præparauerunt, per ignem depoſuit: & alios quidem occidit, alios vero igne conſumpſit: alij vero manicis & compedibus colligati ſunt, ita vt pene nullus ex his qui Sarbaræ fuerant ſaluaretur. Acceperunt autem & arma Sabaræ, aureum videlicet clypeum: machæram etiam eius & lanceam æque auream, & comptam lapidibus precioſis zonam, nihilominus & calceamenta eius. His omnibus ſumptis procedit contra diſperſos per villas,
F qui ſcilicet comperta Sarbaræ fuga ſine retentione fugiebant. Ipſe autem inſequutus multos eorum occidit, & vinctos accepit, reliquique cum confuſione repedarunt in Perſidem. Porro Imperator exercitu ſuo collecto, cum gaudio in illis locis intrepidus hyemauit. Ann. 15. imperij Heraclij, Arabum princeps Muhammat habebatur. Heraclius autem coaceruato exercitu ſuo conſilium faciebat quanam via pergeret. Duæ namque viæ ſibi adiacebant anguſtæ ac deuiæ: vna quidem Tarentum ducens, altera autem in terram Syrorum. Verum illa quæ Tarentum ducebat, differentior quidem erat, ſed egeſtatem cunctarum habebat eſcarum: quæ vero in terram ducit Syrorum, Taurum tranſit & abundantiam & dapſilitatem præſtat alimentorum. Hanc præferunt omnes, licet abruptior eſſet, & oue multa ſeuerior. Hac itaque multo labore tranſacta in ſeptem diebus perueniunt ad fluuium Tigris, & hunc cum tranſmeaſſent, veniunt Martyropolim, & Amidam, & quieſcunt tam exercitus quam captiuitas. Hinc & literas Bizantium Imperator potuit mittere, & quæ circa ſe erant omnia indicare, & ingens facere gaudium ciuita-
G ti. Sarbaras autem populo ſuo qui fuerat diſperſus collecto, inſurrexit in illum. Imperator vero electam militum alam ad cuſtodiendum miſit clauſuras, quæ ad ſe ducebãt, & aditus qui ad Orientem erant. Ipſe vero diſcurrens, in faciem efficitur Sarbaræ. Cumque tranſmeaſſet Nymphion amnem, ad Euphraten peruenit, in quo erat pons nexus è funibus ſimul & nauibus. At vero Sarbaras diſſolutis funibus pontis, ab altera ripa in totũ in alterã tranſtulit pontem. Cumq; Imperat. veniſſet, nec valuiſſet tranſire per põtem, diſcurrẽs inuenit meatum, & hunc Martio menſe inopinate ſine diſcrimine tranſmeauit, & Samoſatam peruenit. Ruſuſq; cum Taurũ præteriſſet, in Germaniciam profectus eſt: & cum tranſiſſet Adana, venit ad amnem Saron. Sarbaras autem ponte ruſus in proprium locum extenſo, abſq; obſtaculo trãſfretauit Euphraten, & ſequebatur poſt eum. Aſt imperator cum trãſiſſet pontem Sari, inuenta requie tam exercitus quam animalium, circa ipſum caſtrametatus eſt reficiens eos. Peruenit autem & Sarbaras in
H partem, quæ contra ex altera parte eſſe videbatur. In vero vero ponte, ac propugnaculis, quæ in eo erant à Rom. obtẽris caſtrametatus eſt. Excurrentes autem multi Romanorum per pontem ordinare, cum Perſis contulere conflictum, multa in ipſos cæde cõmiſſa. Verum Imperator hos inordinate prohibebat diſcurrere, ne forte iter fieret aduerſariis cum illis conueniẽdi ad pontem, & pariter commeãdi. Populus autem non acquieſcebat Imperatori. Porro Sarbaras quibuſdam exercitibus ſuis clam in locis abditis collocatis, oſtẽdit ſe quaſi fugientem, ac ſic abſtraxit multos Rom. præter votum Imperatoris, ad inſequutionẽ ſui trãſeuntes. Reuerſos autem, & his in fugã verſis, quotquot extra pontem occupauit, occidit, vindictam perpeſſos inobediẽtiæ. Imperator vero cum Barbaros vidiſſet inſequutione ordines diſſoluiſſe, & ex Rom. ſtantibus in antemuralibus multos extinctos, contra eos proſequutus eſt. Porro vir quidam Perſa giganteus Imperatori occurens hũc in medio pontis adgreditur. Aſt Imperator hoc percuſſo in amnis fluenta proiecit. Hoc vero ruente Barbari in fugam

A verſi ſunt: & præ anguſtia pontis vtraque parte ſemet in fluuium iaciebant: alij autem gladiis trucidabantur. Porro multitudo Barbarorum per fluminis ripas ſagittabat, ac reſiſtebat, non ſinens tranſire Rom. Verum Imperator tranſiens viriliter Barbaris reſiſtit cum paucis quibuſdam ſocietatis ſuæ ſuper agonizans; ita vt etiam Sarbaras ſuper hoc obſtupeſceret, & ad Coſmam quemdam iuxta ſe ſtantem Rom. perfugam Margarita diceret: Vides inquiens, Cæſarem ô Coſma, quam audax ad pugnam ſtet, & contra tantam multitudinem ſolus decertet, & velut incus iacula tenuat? Ex rubris enim ocreis agnoſcebatur, multaſque plagas, licet nullam in hoc prælio periculoſam acceperit, dedit. Tota vero die cum in hoc bello pugnaſſent accedente veſpera ab inuicem ſeparati ſunt. Et Sarbaras quidem timens per noctem reuerſus eſt, Imperator autē populo coaceruato ad vrbem properauit Sebaſtiam, & cum Alon fluuium tranſmeaſſet, in hoc gaudio totius hyemis tempore demoratus eſt. Porro Choſdroes furens miſit & tulit theſauros cunctarum Eccleſiarum

B regionis quæ ſub Perſis eſt conſtituta, & cogebat Chriſtianos Neſtorij ſectatores fieri, ad perſtringendum ſiue percellendum Imperatorem. An. XVI. imperij Heraclij Choſdroes Perſarum rex nouam fecit militiam prælium initurus, peregrinos & ciues ac ſeruos ex omni natione facta electione coaceruans. Qua electione Sathin tradita prætori, alia L. millia ex phalange Sarbaræ electa tollens, huic ſociauit, nominauitque illos Cumulos aureos: & hos aduerſus Imperatorem direxit. Porro Sarbaram cum reliquo exercitu ſuo Conſtantinopolim miſit quatenus Hunnos qui eſſent in Occidente, quos Auares vocant, cum Bulgaribus & Sclauinis atque Gepidibus concordia ſociarent, ſicque aduerſus vrbem properarent, & hanc vnanimiter obſiderent. Cum autem hoc didiciſſet Imperator, exercitum ſuum triplici parte diuiſum, trāſmiſit ad cuſtodiendam vrbem. Quibuſdam vero traditis Theodoro fratri ſuo, contra Sathin bellare præcepit. Humiliore vero parte ipſe accepta in Lazicam properat, &

C in ipſa degens Turcos ab Oriente, quos Cazaros vocant, in auxilium aduocat. Sathin vero vna cum nouiter electo exercitu perueniens ad fratrem Imperatoris Theodorum bellauit contra eum. Deo autem per interceſſiones ſuperlaudabilis Dei genitricis opitulante, bello commiſſo, grando miræ magnitudinis contra Barbaros cecidit, eorumque plurimos percuſſit. At vero acies Rom. tranquillitate potita eſt. Vertunt autem Rom. Perſas, & interficiunt multitudinem copioſam. Hoc comperto Choſdroes, iraſcitur contra Sathin, Qui ex multo animæ defectu in languorem incidens moritur. Cuius corpus Choſdrois iuſſu ſalſum ad eum delatum eſt. Quem ille mortuum ſubmittit multis verberibus. Porro Cazari diſruptis Caſpiis portis, Perſidem adeunt in regionem Adragiæ, vna cum prætore Zeibil, qui dignitate ſecundus à Chaiano erat: & in quæcunque loca peragrabant, tam Perſas deprædabant, quam ciuitates & villas igni tradebant. Præfectus vero & Imperator his occurrit à Lazica. Zeibil autem hoc viſo accelerans complectitur collum eius, & adorat eum Perſis ciuitatis aſpicientibus. Vniuerſus autem populus Tur-

D corum in terram cadentes proni, ſuper faciem extenti, Imperatorem honore honorant qui eſt apud gentiles extremus. Similiter & principes eorum ſuper ſaxa conſcendentes, eodem ſchemate procidunt. Obtulit autem & Zeibil Imperatori filium ſuum primogenitum. Huius ſermonibus delectatus, tam vultum quam prudentiam eius admiratur. Electiſque Zeibil 40. millibus virorum fortium dedit Imperatori in auxilium. Porro ipſe reuerſus eſt in regionem ſuam. His autem Imperator acceptis ſtatim contra Choſdroen procedit. At vero Sarbaras Chalcedonem properat. Auareſque Thraci vrbi appropinquantes, hanc depopulari parant, multis machinis aduerſus eam commentis: & nauium ſculptarum ex Iſtro multitudine infinita ſeu innumerabili delata ſinum repleuerunt maris. Decem ſane dies vrbem obſidentes bellum terra marique gerentes, domini virtute pariter & cooperatione, nec non & intemeratæ Dei genitricis & Virginis Mariæ interceſſionibus ſuperati ſunt. Quin & multitudine copioſa ſuorum tam in terra depoſita, quam in mari, cum ingenti confu- B

ſione ad loca ſua reuerſi ſunt. Porro Sarbaras Chalcedonem obſidens, non emigrauit: ſed ibidem hyemauit, tam incurſiones agens, quam deprædans confinales partes, & ciuitates igne diſperdens. Anno 17. imperij ſui Heraclius menſe Septembri ingreſſus Perſidem vna cum Turcis, inopinate propter hyemem, in eſtaſin miſit Choſdroen, cum hoc didiciſſet. At vero Turci tam hyeme, quam frequentibus Perſarum incurſibus contemplatis, non ferentes pariter cum Imperatore ſuſtinere, cœperunt paulatim diffluere, & omnes dimiſſo eo reuerſi ſunt. At Imperator alloquutus eſt populum ſuum dicens: Scitote fratres, quia nemo nobis vult auxiliari, niſi ſolus Deus, & quæ hunc peperit ſine ſemine mater, vt oſtendat potentiam ſuam, quoniam non in multitudine populorum ſeu armorum eſt ſalus, ſed in eos qui ſperant in miſericordia eius, mittit adiutorium ſuum. At vero Choſdroes coaceruatis militiis Prætorem prouehit ſuper illos Razatem, virum bellicoſum, ac fortiſſimum, & hunc aduerſus Hera- F

clium deſtinat. At Imperator ciuitates Perſidis atque caſtella igni tradit, & accedentes Perſas romphæa conſumit Septimo vero idus Octobris peruenit in regionem Chamaita, & refocillat populum per integram hebdomadam. Razates autem veniens Ganza poſt eum ſequutus eſt. Romanis autem pergentibus & conſumentibus eſcas, ipſe vero poſt tergum vt canis famem patiens vix decimis eorum nutriebatur & cum non inueniſſet ſumptus, multa ex animantibus conſumpta ſunt. Kalend. Decembribus venit Imperator ad fluuium magnum Zaban, & cum hunc tranſiſſet, caſtrametatus eſt iuxta Niniuem ciuitatem. Venit autem Razates, & penes vadum ſequutus eſt, & cum veniſſet à tribus milliaribus, repetit aliud vadum & tranſiuit. At Imperator miſſo Bathano magiſtro militum cum paucis electis militibus, inuenit bandum prætoris Perſarum: & cum eius comitem occidiſſet, detulit caput eius, & totam auream ſpatam eius, nonnulliſque peremptis viuos duxit ad Imperatorem ſex & viginti, in quibus erat Spatarius Razatis: quia nuntiauit Imperato- G

ri, quod Razates contra eum pugnare vellet, ſic à Choſdroe iuſſus: & tria millia armata in auxilium miſerit ei, quæ tunc nondum venerant. His compertis Imper. præmiſit ſarcinam ante ſe, ipſeque ſubſequutus eſt, tractans qualiter inueniret locum in quo pugnare deberet priuſquam vnirentur eis illa 3. millia. Reperto itaque campo apto ad prælium allocutus populum, prælium ordinauit. Razates vero cum perueniſſet illuc, & ipſe prælium dirigit, in cuneis tribus contra Imperatorem procedit. Pridie ſane idus Decemb. geſtum eſt bellum. Et ante omnes proſiliens Imperator, Principique Perſarum occurrens, diuina virtute, Deique genitricis opitulatione hunc deiecit: & qui cum eo erant, exilientes antea fugerunt. Ruſuſque Imperatori alius occurrit, & hunc quoque depoſuit. Irruit etiam aduerſus eum tertius, qui dedit ei cum mucrone ictum in labium, & hanc illi plagam inflixit. Aſt Imperator & hunc extinxit, & tubis clangentibus vtræque acies inuicem congreſſæ ſunt. Et quum pugna valida gereretur, plaga valida vulneratus eſt à peditibus H

Imperatoris equus, qui dicebatur Dorcon, in fœmore lanceæ ictu percuſſus. Multas autem & ſpatarum in facie percuſſiones accepit, ſed ferens tegimen ex neruis contextum, plagam mortiferam non accepit. Cadit autem in hoc bello Razates & tres turmarchæ Perſarum, & principes fere cuncti, atque maior pars exercitus ipſorum. Occiſi autem ſunt etiam Romani numero quinquaginta, & vulnerati nonnulli, ex quibus decem mortui ſunt. Porro bellum geſtum eſt à mane vſque ad horam 9. Tulerunt interea Romani banda Perſarum viginti octo, exceptis his quæ confracta ſunt: & deſpoliatis mortuis acceperunt loricas eorum & caſſides, nec non & omnem curtus eorum: & manſerunt ab inuicem ſequeſtrati, quantum duplex eſt iactus ſagittæ. Fuga namque facta non eſt. Veruntamen Romani animalia ſua nocte & adaquauerunt, & acceperunt. Equites vero qui vltra erant, ſteterunt vſque ad horam ſeptimam noctis, & moti repedauerunt ad caſtra ſua. Et his acceptis abierunt, & caſtrametati

ſunt

A ſunt ad pedem aſperi montis metuentes. Multas præterea ſpatas auro circunclusas, & zonas aureas cum gemmis, & ſcutum Razatis totum auro teſperſum acceperunt, habens petalam centum viginti, & loricam ipſius auro contextam, & ſcaramaggin eius detulerunt cum capite ipſius, atque dextraria & ſellam totam ex auro fabrefactam. Porro tentus eſt vnus Barſumes princeps Iberorum ſub Perſis degentium. Nemo autem recolit huiuſmodi bellum inter Rom. & Perſas, quod videlicet per totum diem habuit ſtatum, viceruntque Romani. Verum hoc factum eſt ſolo Dei iuuamine. Imper. vero à ſe conformatum exercitum contra Choſdroen minabat, quatenus hunc deterreret. Porro decimotertio Kalendas Ianuarias comperto Imp. quod populus Razatis, qui ex bello euaſit, vnitus fuerit tribus millibus quæ à Choſdroe deſtinata fuerant, & ſequeretur poſt ſe, cepit illico Niniuem. Tranſmeanſque magnam Zaban, mittit Georgium turmarchen cum mille militibus, quo curreret ad retinendum pontes minoris B Zaban, priuſquam id Choſdroes cognoſceret. Cumque Georgius cucurriſſet noctu milliariis quadraginta & octo, tenuit pontes minoris Zaban quatuor, & inuentos in caſtellis Perſas obtinuit. Decimo prætetea Kalendas Ianuarias perueniens Imp. ad pontes, transfretauit, & diuertit in domos Hyeſdem, & refecit tam exercitum quam animantia, fecitque feſtiuitatem natiuitatis Chriſti in eodem loco. Choſdroes vero comperto, quod Romani tenerent pontes minoris Zabæ, miſit ad Perſicum populum, cui Razates præerat, vt oppido feſtinantes, præuenirent Imp. & ad ipſum pergerent. Accelerantes autem illi, & tranſmeantes minorem Zaban, in aliis locis præuenerunt Imp. atque præibant. Cumque Imperator palatium quod dicebatur Dezeridan cepiſſet, hoc deſtruxit atque combuſſit. At vero Perſæ cum pontem Tornæ fluminis pertranſiſſent, ibidem caſtrametati ſunt. Aſt Imp. comprehenſo alio palatio Choſdrois, quod vocabat Ruſa, & hoc ſubuertit. Cæterum verebatur quod in ponte Tornæ fluminis hoſtes forent contra ſe bellaturi. Sed hoc illi ſcientes relicto ponC te fugerunt. Imperator vero cum ſine impedimento tranſiſſet, apprehendit aliud palatium cognomento Beibal, vbi & hippodromum ædificauerat, ſed & iſtud caſui dedit. Sane quidam Armeniorum qui cum Perſis aderant, venerunt ad Imp. noctu dicentes: Choſdroes cum elephantis & exercitu ſuo quinque millibus contra palatium ſuum vocabulo Damagaſter in loco nuncupato Baſtaroch caſtrametatus eſt, & mandauit totum illuc exercitum conuenire vt aduerſus te prælietur. Eſt enim illic & fluuius meatibus carens, qui arctum pontem habet, & anguſtias præ habitationibus multas, nec non & fœtidos riuos. Imp. ergo conſilio cum principibus inito, cum exercitu ſedit in palatio Beibal. reperit quippe in vna ex porticibus ſaginatas oues trecentas: & in alia porticu capreas ſaginatas quingentas: porro in alia onagros ſaginatos centum. Eaque cuncta populo donauit, & Kalend. Ianuarias illic fecerunt. Denique inuentis ouibus & porcis & bubus, quorum non erat numerus, requieuit populus vniuerſus epulantes & glorificantes. Deum. Prætetea comD prehenſis his qui iſta deferebant, didicerunt ab illis liquidius, quod Choſdroes à viceſimo tertio die Decembris menſis, comperto quod Imp. pontem tranſiſſet Tornæ, confeſtim motus fuerit de palatio, quod erat in Damaſtager cum pugna Cteſiphontem petiturus, onuſtis ex omnibus pecuniis quas habebat in palatio tam elephantis, quam camelis atque burdonibus: miniſtris ſuis ſcribens, & populo Razatis, vt ingrederentur idem palatium domus principum, & quicquid in his inueniretur auferrent. Itaque Imperator dimidium quidem exercitum miſit ad Damaſtager, ipſe vero per aliam viam abiit ad aliud palatium, quod cognominabatur Beddarch: & his ruinis & igni traditis, gratias egerunt Deo, qui per interceſſiones Dei genitricis talia miracula patrat. Quis enim ſperauit vnquam Choſdroen fugere à facie Rom. principis de palatiis ſuis, quæ erant in Damaſtager, & petere Cteſiphontem dum à xxiv. annis paſſus Cteſiphontem videre non fuerit, ſed in Damaſtager regalia eius erant. Inuenerunt itaque populi Rom. in palatiis eius apud Damaſtager trecenta Robanda, quæ per diuerſa ceperunt tempora. Inuenerunt etiam ſpecies quæ remanſerant multas: aloen ſcilicet multam, & ligna aloes magna, è quibus vnumquodque lxx. pondera habebat, vel octoginta librarum: & ſericum copioſum ac piper, & calbaſias camiſias multas: ſacchar quoque atque zinziber & alias ſpecies vltra numerum. Quidam vero & argentum, & holoſerica veſtimenta, lectiſternia ſeu contexta taperia, quorum erat copia multa, erantque omnia bona valde, quæ propter quod grauia eſſent penitus incenderunt. Sed & tentoria Choſdrois & cortinas, quas in modum tenebat porticuum, quando in campo caſtra metabatur, cuncta cremarunt: quin & ſtatuas multas. Inuenerunt autem & in his palatiis auiaria & dorcades, & aſinos agreſtes, & pauones, & phaſiones infinitæ multitudinis, nec non in viuario eius leones, ac tigrides miræ magnitudinis viuos. De cætero confugerunt ad Imp. pluſimi ex captiuis, Edeſſeni ſcilicet, & Alexandrini, ſed & aliæ multitudines copioſæ. Interea fecit Imperator feſtiuitatem luminum penes Damaſtager lætatus, & recreans tam populum quam iumenta. Quin & Choſdroi palatia deſtruens, ædificia videlicet comptiſſima & admiranda, domuſque ſtupendas, quæ vſque ad pauimentum depoſuit: quatenus Choſdroes diſceret quam durum Rom. habuerint dolorem vrbibus ſuis deſolatis ab eo nihilominus & incenſis. Tenti autem ſunt ex aulicis palatij multi, qui interrogati, quando diſceſſerit Choſdroes à Damaſtager, aſſerunt, ante nouem dies priuſquam vos veniretis: audito aduentu veſtro, latenter pertuſo muro ciuitatis, qui eſt iuxta palatium, temere per crates exiuit ipſe & vxor & filij eius, ne fieret tumultus in ciuitate: & neque militiæ ipſius cognouere, neque principes eius, vſque quo milliariis quinque perrexit. Siquidem tunc mandauit, quo ſe ſequerentur Cteſiphontem tendentes, & is qui non poterat facere v. milliaria per diem, fugiens fecit xxv. millia. Mulieres ac filij eius qui ſe prius alterutros non videbant, tunc mixtim fugiebant inuicem impellentes. Cumque nox acceſſiſſet, introiuit Choſdroes in domum agricolæ nihili, in cuius hoſpitio vix manere præualuit. Quod videns Heraclius poſtmodum admiratus eſt. Per tres autem dies adiit Cteſiphontem. Sane Choſdroes reſponſa acceperat à maleficis atque aſtrologis ante xxiv. annos, quando Daras depopulatus eſt temporibus Phocæ Rom. principis, quod tempore quo adiret Cteſiphontem, periret. Et idcirco non eſt paſſus à Damaſtager ex tunc in partem illam, vno ſaltem milliario pergere: ſed hinc fugiens ad hanc abiit. Verum nec in ipſa perſiſtere auſus, eſt ſed tranſiens pontem Tigridis fluminis vltra poſitam ciuitatem adiit: quæ quidem apud nos Seleucia, apud ipſos vero Gueſer vocitatur. In qua omnes pecunias repoſuit, ſeditque illic cum Syra vxore ſua, & aliis tribus mulieribus, quæ filiæ ipſius erant. Reliquas vero vxores ſuas, multoſque liberos ſuos 40. millibus longe tranſmiſit ad interiorem partem Orientis in munitiſſimum locum. Quidam ſane Perſarum derogauerunt Sarbaræ penes Choſdroen, quod cum Romanis ſentiret, & illi detraheret. Et miſit ſpatarium ſuum cum iuſſione ad Chardarigam comprætorem Sarbaræ Chalcedonem, ſcribens ei vt Sarbaram interficeret, & ipſe populo Perſarum accepto accelararet in Perſidem in auxilium ſui. Is autem qui literas deferebat circa Galatiam comprehenditur à Romanis. Qui comprehenſo eo, neſcientibus Perſis hunc Byzantium deduxerunt, & Imperatoris filio tradiderunt. At Imperator cognita veritate protinus Sarbaram acceſſit: qui cum introiſſet, aſtitit Imperatori. Imperator autem huic epiſtola, quam Choſdroes ad Cardarigam miſerat, tradita, miſſoque oſtenſo epiſtolam. At ille certus rei veritate effectus, continuo conuerſus fœdera cum filio principis & patriarcha facit. Qui falſa Choſdrois epiſtola facta, addit in ea etiam alios quadringentos ſatrapas & tribunos & centuriones Interimendos: & inuento ingenio adimpoſito ſignaculo, congregatiſque ducibus & ipſo Cardariga, & lecta epiſtola dixit ad Cardarigam: Perſpicis vt hæc facias? At vero principes furore commoti, abdicato Choſdroe, Imperatori pacifica patrarunt: & mutuo inito conſilio placuit vt diſcederent à Chalcedone, & ad propria

A temearent, nil exterminaturi. Præterea Heraclius ſcripſit
ad Choſdroen: Ego perſequor, & ad pacem curro. Non
enim voluntarius igne conſumo;Perſidem, ſed vim paſſus
abs te. Proiiciamus ergo ſaltem nunc arma & pacem am-
plectamur: extinguamus ignem, priuſquam vniuerſa in-
flammet: Cumque Choſdroes hoc non admiſiſſet, magno-
pere odium populi Perſidis creuit aduerſus eum. Mouit
ergo Choſdroes homines principum ſuorum, & omne ob-
ſequium ſuum, & mulierum ſuarum: & hos armatos di-
rexit exercitu vniendos Razatis, & ſtaturos apud Narban
fluuium XII. millibus à Cteſiphonte diſtantem: & iuſſit
eos vt dum amnem tranſiret Imperator, inciderent pon-
tes. Aſt imperator vt I. Idus Ianuarias motus à Damaſta-
ger, cum abiiſſet tribus diebus caſtra metatus eſt: duo-
decimque millibus procul erat à Narba flumine, vbi erat
Perſarum exercitus: inter quos etiam habebant elephan-
tes ducentos. Et imperator miſit Georgium turmarchen
Armeniacorum, vt iret vſque ad flumen, & diſceret vtrum
Narbas vadum haberet. Et cum inueniſſet, quod pontes
B inciſiſſet & vadum non eſſet, ad Imp. reuerſi ſunt: qui
motus, Ziruron adiit incendens regiones & vrbes per to-
tum Februarium menſem. Martio verò menſe cum ve
niſſet in prædium, quod dicebatur Barzan, fecere VII. dies.
& Miſit Mezetium prætorem in curſum, & adiunctus eſt
ei Gundabundas chiliarchus militiæ Sarbaræ cum aliis
quinque, tribus comitibus, duobus vero axiomaticis, &
duxit eos ad Imperatorem. Qui videlicet Gundabundas,
res neceſſarias Imperatori nunciauit, dicens: quando fu-
giebat Choſdroes à Damaſtager, ac adiit Cteſiphontem
atque Seleuciam dyſenteriæ languorem incurrit: & vo-
luit filium ſuum Merdaſan quem genuit ex Syra, coronare
atque regreſſus amnem iterum tranſiuit, & ſecum duxit
Merdaſan atque Serem ac filium eius alium Adar. Pri-
mogenitum autem ſuum Syroen, & fratres eius, nec non
& mulieres ſuas dimiſit vltra flumen. Compertoque Sy-
roes quod Merdaſan fratrem ſuum coronare vellet, tur-
batus eſt, & miſit collectaneum ſuum ad Gundabundam,
C mandans ei & dicens: Veni cis-flumen & loquar tecum.
At ille timuit Choſdroen, & non tranſiuit, ſed mandat
ei: Scribe inquiens, mihi per collectaneum meum quic-
quid volueris. Et ſcripſit ei Syroes: Quomodo noſti qua-
liter Reſpub. Perſarum per nequam hominem iſtum Choſ-
droen pereat, & vult coronare Merdaſan, & primogeni-
tum ſuum contempſit: & ſi loquutus fueris ad exerci-
tum, vt recipiant me; & rogas eorum augebo, & pacem
cum Rom. Imperatore ac Turcis faciam, & bene viue-
mus: & ſtude cum populo tuo vt ego regnem, & omnes
vos promoueam, & auxiliabor & præcipue te. Gunda-
bundas autem remiſit ei per collectaneum ſuum dicens
Quicquid poſſum loquar cum prætore, & ſollicitus fui,
& loquutus ſum cum viginti duobus comitibus, & feci
eos eſſe meæ voluntatis, ſed & alios principes multos. Et
hæc quidem Gundabundas mandauit Syroi. At ille remi-
ſit ei dicens, vt 10. Kalend. April. ſumeret iuniores, &
occurreret ei apud Pontem Tigridis fluminis, & ſuſci-
perent eum in exercitum, & mouerentur aduerſus Choſ-
droen. Referebat autem quod cum Syroe eſſent duo filij
Sarbaræ, & filius Hieſdem, & alij multi principum filij, at-
D que filius Aram, omnes electi. Et quod ſi potuerint Choſ-
droen perimere, bene & optime: ſin autem, omnes cum
Syroe confluerent ad Imperatorem. Et venit Gundabun-
das ad Imperatorem dicens: Miſit me Syrois ad te do-
mine, veretur enim Imperium Rom. quod Choſdroen
quondam ſaluauit, & multa mala è contra ab eo Roma-
norum terra paſſa eſt: & quia propter illius ingratitudi-
nem nec mihi credere habet Imperator. Verum ille hunc
ruſus ad Syroem abſoluit, mandans ei vt carceres aperi-
ret, & retentos in eis Rom. educeret, & arma eis tribue-
ret, ſicque contra Choſdroen ſe moueret. Porro Syroes
obediens Imperatori, retrusi educti ſunt, & properauit
contra patrem, Choſdroen ſcilicet. Cumque ille fugere
tentaſſet, nec valuiſſet, tentus eſt & valide vinctus ferreis
compedibus colligatis: cui &; circa collum ferrea pon-
dera imponunt, & mittunt eum in domum tenebrarum,
quam ipſe muniuit à nouitate conſtruens ad recondendas

pecunias. Paniſque parum ei & aquæ tribuentes hunc fa-
me necabant. Ait enim Syroes: Comedat aurum quod in- E
caſſum collegit, propter quod etiam multos fame necauit,
mandumque deleuit. Porro miſit Satrapas Syroes ad eum
iniuriis impetendum & conſpuendum: & ductum Mer-
daſan, quem coronare volebat, filium eius, ante ſe occidit:
& reliquos filios eius in conſpectu ipſius peremerunt: &
miſit omnem inimicum eius iniuriis eum cumulare, &
percutere & conſpuere illum. Denique per quinque dies
hoc facto, iuſſit Syroes hunc arcubus interficere: ſicq; pau-
latim in malis nequiſſimam animam ſuam tradidit. Tunc
Syroes ſcripſit ad Heraclium euangelizans ei ſcelerati
Choſdrois interitum pacemque cum eo iuge firmiſſi-
mam pepigit omnibus Chriſtianis qui in carceribus, & in
omni Perſide captiui tenebantur ei remiſſis, vna cum Za-
charia Heroſolymitano præſule, ac pretioſis & viuificis li-
gnis, quæ fuerant à Sarbara, cum Hieruſalem cepiſſet,
ablata. Anno 18. imperij Heraclij rex habetur Perſarum
Syroes, qui anno regnauit vno: quando & Muhammat F
Arabum ſeu Sarracenorum princeps ſub Perſis degens,
ſextum agebat annum peruenturus ad nonum. Interea fa-
cta pace cum Perſis & Romanis, direxit Imperator Theo-
dorum fratrem ſuum cum litteris? & hominibus Syrois
regis Perſarum, quatenus Perſæ qui in Palæſtina & Hie-
roſolymis, & Edeſſa cæteriſque vrbibus Romanorum
eſſent cum pace reuerterentur in Perſidem, & innocuè
terram Romanorum tranſirent. Poſtremo Imperator cum
ſex annis Perſidem expugnaſſet, 7. anno pace recepta cum
ingenti gaudio Conſtantinopolim remeauit, myſticam
quandam in hoc *templo* adimplens. In ſex quippe diebus
Deus vniuerſa condidit, ſeptimum requiei diem vocauit:
ita & ipſe in ſex annis multis laboribus impenſis, 7. anno
reuerſus ad vrbem cum pace ac tripudio requieuit. Porro
populus ciuitatis, audito aduentu ipſius, intolerabili con-
cti deſiderio in Leriam obuiam illi vna cum patriarcha
& Conſtantino Imperatore filio eius egreſſi ſunt portan-
tes ramos oliuarum & lampades, laudantes eum cum
gratulatione & lachrymis. Accedens autem filius eius ce- G
cidit ad pedes eius, & cum amplexatus eum eſſet, infu-
derunt ambo lachrymis terram. Hoc autem populus in-
ſpecto, vniuerſi Deo hymnos gratificos retulerunt, ſicque
demum ſuſcepto Imperatore vrbem exultantes ingreſſi
ſunt. Anno imperij Heraclij decimo nono Perſis rex
Adheſyr ſeptem menſibus præfuit. Imperator autem pro-
fectus à regia vrbe, mox vt ver acceſſit, Hieroſolymam
tendit, pretioſa illuc & viuifica ligna reportans, ad gra-
tiarum Deo actiones reddendas. Cumque Tiberiadem
adiſſet, accuſauere Chriſtiani Benjamin quendam nomi-
ne, Hebræum quaſi ſibi mala facientem: erat enim ad-
modum opulentus. Qui ſuſcepit Imperatorem & exerci-
tum eius. Aſt Imperator damnauit eum. Quamobrem
inquiens moleſtus es Chriſtianis & fidei meæ. Tunc Im-
perator admonitum hunc, & ad credendum ſuaſum ba-
ptizauit in domo Euſtachij Neapolitani, qui & ipſe cum
Chriſtianus eſſet, ſuſcepit Imperatorem. Ingreſſus itaque
Imperator Hieroſolymam; reſtituto tam Zacharia ponti- H
fice, quam almæ crucis honorandis ac viuificis lignis in
proprium locum, plurimaſque gratias Deo egit, pulſiſque
ab vrbe ſancta Hebræis, iuſſit illos non habere poteſta-
tem propius almæ ciuitati, quam tribus millibus appro-
pinquandi. Cum autem perueniſſet ad Edeſſam, ortho-
doxis Eccleſiam reddidit, quæ à Neſtorianis à Choſdrois
tempore tenebatur: & veniens Hierapolim, audiuit quod
Syroes rex Perſarum diem clauſiſſet extremum & Adhe-
ſyr huius filius ei in regni regimine ſucceſſiſſet. Qui cum
ſeptem tenuiſſet menſibus principatum, inſurrexit aduer-
ſus eum Sarbaras. Qui eo percuſſo imperauit Perſis men-
ſibus ſex. Hoc autem Perſæ interfecto, Bornaim prætule-
runt in regem filium Choſdrois, qui tenuit regnum Perſa-
rum ſeptem menſibus. Porro huic ſucceſſit Hormiſdas,
quo à Saracenis pulſo, factum eſt regnum Perſarum ſub
Arabibus vſque in hodiernum diem. Anno vigeſimo im-
perij Heraclij Hormiſda regnat in Perſis. Quum autẽ He-
raclius eſſet apud Hierapolim, venit ad eum Athanaſius
patriarcha Iacobitarum, vir acris & nequam ingenij, Sy-

A rorum inditas verſutias poſſidens, & moto de fide ad imperatorem ſermone, repromiſit ei Heraclius, ſi Chalcedonenſem ſynodum ſuſcepiſſet, patriarcham illum Antiochiæ ſe fore facturum. At ille ſimulate ſuſcepit ſynodum, confitens duas vnitas in Chriſto naturas. Interrogauit autem imperatorem de operatione ac voluntatibus, qualiter has in Chriſto oportet dici, duplas an ſimplas. Tunc Imperator vocis nouitate conſternatus, ſcripſit Sergio Conſtantinopoleos Epiſcopo. Aduocat etiam Cyrum Phaſelidis Epiſcopum & hoc interrogato reperit eum conſentientem Sergio in vnam voluntatem & vnam operationem, Sergius enim vtpote Syrus genere ac parentibus Iacobitis exiſtens, vnam naturalem voluntatem & vnam operationem in Chriſto reſcripſit, atque confeſſus eſt. Aſt imperator vtriuſque acquieſcens conſilio, reperit & Athanaſium eis conſentientem. Nouerat enim quia ibi vna operatio reperitur, vbi & vna natura cognoſcitur. Certus autem imperator ſuper hoc factus ſcribit ad Ioan-
B nem Papam Romanum prædictorum ſententiam, qui nequaquam eorum ſectam admiſit. Porro Georgio Alexandrino defuncto, mittitur Cyrus Epiſcop. Alexandriæ præferendus. Qui vnitus Theodoro Epiſcopo Pharan, fecit decoloratam hydram illam vnitatem, imo vanitatem, vnam & ipſi ſcribentes in Chriſto operationem. His ita proſequentibus, in ingens opprobrium Chalcedonenſe concilium & catholica corruit Eccleſia. Gloriabantur enim Iacobitæ ac Theodoſiani perhibentes quia non nos Chalcedonenſi ſynodo, ſed potius Chalcedonenſis ſynodus nobis communicauit, per vnam operationem vnam confitendo naturam Chriſti. Inter hæc Sophronius conſecratur Epiſcopus Hieroſolymitanus. Qui congregatis ſub ſe degentibus Epiſcopis, impium Monothelitarum dogma mucrone anathematis perculit, & ſynodicam Sergio Conſtantinopolitano, & Ioanni Romano Papæ tranſmiſit. His vero auditis Heraclius confuſus eſt, & deſtruere quidem propria nolebat, & rurſus opprobria non ferebat. Tunc Heraclius vt magnum quiddam facere ar-
C bitrans exponit ſcriptum illud quod nuncupatur, Zenonis edictum, continens neque vnam neque duas operationes in Chriſto fatentes: Quo lecto hi quoque qui ſectatores Seueri ſunt, & ita ſapiunt, in popinis & balneis Catholicæ detrahebant Eccleſiæ, perhibentes: Primum quidem quæ ſunt Chalcedonitæ Neſtorij ſentientes, reſipuerunt ad veritatem conuerſi, & vniti nobis ſunt per vnam operationem in vnam Chriſti naturam. Nunc autem pœnitentes ſuper hoc, nec ſe habentes ſenſu, amiſerunt vtrumque, neque vnam neque duas in Chriſto operationes confitentes. Poſt mortem vero Sergij, Pyrrhus Conſtantinopolitanum ſuſcepit thronum, qui quæ prædicta ſunt à Sergio & Cyro impie roborauit. Heraclio vero mortuo cum Conſtantinus filius eius imperaret, Pyrrhus vna cum Martina veneno hunc occauit, & imperat Heraclonas Martinæ filius. Porro ſenatus & tota ciuitas Pyrrhum vt impium cum Martina & filio eius repulerunt. Et imperat Conſtans filius Conſtantini, & conſecratur Paulus Epiſcopus Conſtantinopoleos & ipſe hære-
D ticus. Ioannes autem Romanus præſul collecto Epiſcoporum concilio, Monothelitarum hæreſin anathematizauit. Similiter & in Africa penes Byzantium, Numidiam, & Mauritaniam, diuerſi Epiſcopi conuenientes, Monothelitas anathemate perculerunt. Ioanne ſane dormiente, Theodorus conſtituitur pro eo Papa. Pyrrhus vero cum perueniſſet ad Africam mutuis cum ſanctiſſimo Maximo videtur aſpectibus, Abbæ videlicet religioſiſſimo in monachicis correptionibus, nec non & diuinorum illic conſiſtentium pontificum præſentatur obtutibus. Qui hunc redargutum ac per naſum, Romam ad Papam Theodorum direxerunt. Qui orthodoxiæ libello tradito Papæ, ab eo receptus eſt. Interea cum Roma diſceſſiſſet, Rauennamque perueniſſet, vt canis ad vomitum ſuum reuerſus eſt. Quo Papa comperto Theodorus plenitudine conuocata Eccleſiæ, ad ſepulchrum verticis Apoſtolorum acceſſit, & diuino calice expoſtulato, ex viuifico ſanguine in atramentum ſtillauit, & ita propria manu depoſitionem Pyrrhi excommunicari facit. Præterea cum Pyrrhus Conſtantinopolim perueniſſet, obeunte Paulo, audaces hæretici Pyrrhum denuo throno Con- E
ſtantinopolitano præficiunt. Theodoro autem Papa defuncto, Martinus ſanctiſſimus Romæ conſecratur antiſtes. Cum autem Maximus Romam perueniſſet, Papamque Martinum ad æmulationem accendiſſet, ſynodo centum decem Epiſcoporum collecta, & Sergium & Pyrrhum, & Cyrum, & Paulum anathematizauerunt, duaſque voluntates & operationes Chriſti Dei noſtri expreſſius prædicarunt atque firmarunt. Cæterum nono anno imperij ſui Conſtans nepos Heraclij, indictione octaua, his agnitis furore repletus, ſanctum Martinum & Maximum Conſtantinop. ductos & cruciatos apud Cherſonam & alia climata & exilio relegauit, multos etiam Heſperiarum puniuit. Qui moti zelo Dei ſynodo ſacra & ipſi conuocata Monothelitarum hæreſim abdicant, duas voluntates & operationes explanant. Taliter ergo Eccleſia tunc per Imp. & impios ſacerdotes turbata, ſurrexit deſolatorius Amalech perſequens populum Chriſti: & fit F
prima ruina terribilis Romani exercitus, illa ſcilicet quæ ſecundum Gabatham, & Hermucham, ac Demitharum ad effuſionem ſanguinis eſt effecta: poſt Palæſtinarum & Cæſarienſium, & Hieroſolymorum excidia: dein Ægyptius interitus, ac deinceps Mediterraneorum & inſularum, totiuſque Romaniæ captiuatio, ſed & patrata in Phœnice omnimoda Romani exercitus & claſſis perditio, omniumque Chriſtianarum plebium atque locorum deſtructio, quæ non ceſſauit, donec Eccleſiæ perſequutor peremptus eſt in Sicilia. An. vigeſimo primo imperij Heraclij moritur Muhammat Sarracenorum qui & Arabum princeps & pſeudopropheta promoto Ebubezer cognato ſuo ad principatum ſuum. Ipſoq; tempore venit auditio eius, & omnes extimuerunt. At vero decepti Hebræi in principio aduentus, æſtimauerunt illum eſſe qui expectabatur ab eis Chriſtus: ita vt quidam eorum qui intendebant ei, accederent ad ipſum, & eius religionem ſuſciperent, Moyſi lege inſpectoris Dei dimiſſa. Erant autem numero decem qui hoc faciebant, cum ipſo quoque degebant vſque ad cædem eius. Porro cum eum come- G
dentem aſpicerent de camelo, cognouerunt quod non eſſet quem æſtimabant, & hæſitabant quid agerent, & vtrum religionem eius dimitterent. Et formidantes miſeri, docent eum contra nos Chriſtianos illicita. Et ita illi conuerſabantur cum ipſo. Neceſſarium autem reor enarrandum de generatione huius. Ex vna generaliſſima tribu oriundus erat Iſmahelis filij Abrahæ. Nizarus enim Iſmahelis pronepos, pater eorum omnium dicitur. Hic genuit filios duos, Muhdar ſcilicet & Rabian. Muhdar genuit Iliex & Ziaſon, & Theominen, & Aſydum, & alios ignotos. Hi omnes habitauerunt Madianitem eremum, & in eo nutriebant pecora, in tabernaculis conuerſantes. Sunt autem & his interiores, qui non ſunt de tribu ipſorum, ſed ex Getham, videlicet hi qui vocitantur Amonitæ, & qui Homeritæ. Quidam ſane eorum negotiantur in camelis ſuis, Cum autem inops & orphanus eſſet prædictus Muhammat, viſum eſt ſibi ad quandam introire mulierem locupletem, & cognatam ſuam, nomine Eadi- H
gam, mercenarius ad negotiandum cum camelis eius apud Ægyptum & Palæſtinam. Paulatim autem fiducia penes ipſam mulierem percepta, quæ vidua erat, accepit eam vxorem, & habebat camelos illius atque ſubſtantiam. Cumque veniret in Palæſtinam, conuerſabatur cum Iudæis & Chriſtianis, Capiebat autem ab eis quaſdam ſcripturas. Porro habebat paſſionem epilepſiæ. Quo comperto coniunx eius valde triſtabatur, vtpote nobilis, & quæ ſe huiuſmodi copulaſſet, egeno ſcilicet & epileptico. Procurat vero & ipſe placare illam taliter dicens: Quia viſionem quandam Angeli, Gabrielis dicti, contemplor, & haud ferens huius aſpectum mente deficio, & cado. Ipſa vero cum haberet quendam monachum alterũ, propter infidelitatẽ ibidem exulẽ habitantẽ, amicũ ſuum, indicauit ei omnia, & Angeli, nomen. At ille volẽs eam reddere certã, dixit ei: Veritatẽ loquutus eſt. Etenim iſte angelus mittitur ad cũctos prophetas. Ipſa ergo primo ſuſcepto pſeudomonachi verbo, credidit ei & prædicabat id aliis

A mulieribus contribulibus ſuis, Prophetam eum eſſe, & taliter ex fœminis fama peruenit ad viros, primo duntaxat ad Eububezer, quem ſucceſſorem ſuum reliquit. Et tenuit hæreſis eius partem eremi, poſtremo per bellum. Nam primum quidem occulte decem annis & bello decem ſimiliter, manifeſte nouem. Docuit autem auditores ſuos, quod qui occidit inimicum, vel ab inimico occiditur, in paradiſum ingrediatur. Paradiſum vero dicebat carnalis cibi & potum, & commixtionis mulierum, fluuiumque vini & mellis, & lactis, & fœminarum non præſentium, ſed aliarum commixturam multorum annorum futuram, & affluentem voluptatem, necnon & alia luxuria & ſtultitia plena. Compati tamen docebat inuicem, & auxiliari patienti. Porro eodem anno natus eſt in Oriente Dauid filius eius. Eademque die natus eſt Heraclius filius Heraclij iunioris, qui & Conſtantinus appellatus eſt, & baptizatus eſt à Sergio Patriarcha. Anno
B ſecundo imperij Heraclij, Eububezer dux Arabum habetur, qui tribus principatus eſt annis. Perſæ vero inſurrexerunt inuicem, & ſe mutuo debellarunt. Per idem quoque tempus rex Indorum mittit munera congratulatoria Heraclio in Perſarum victoria, margaritas ſcilicet & lapides precioſos multos. Mortuus eſt autem Muhammath, qui ſtatuerat quatuor Amireos expugnandi Chriſtianos, qui ex genere Arabum fuerant. Qui venerunt contra Mucheas caſtellum, in quo erat Theodorus Begarius, volentes irruere in Arabas die qua idolis immolaturi erant. Comperto autem hoc Begarius collegit omnes milites eorum qui eremum obſeruabant, & diligenter ſciſcitans à Sarraceno diem & horam qua aggreſſuri erant eos, ipſe irruens in eos in prælio quod dicebant μῦθος, occidit tres Amireos, plurimamque populi turbam. Exiluit autem vnus Amiras. Chalegus nomine ſcilicet quem Gladium Dei dicunt. Erant autem Arabum iuxta poſitorum quidam, qui accipiebant ab Imperatoribus rogas pauxillas ad cuſtodiendum ſtoma eremi. Eodem tempore venit
C quidam ſpado daturus militum rogas. Et cum veniſſent Arabes ſecundum conſuetudinem accepturi rogas ſuas, eunuchus eos ad iras impulit dicens: quia dominus vix dat militibus rogas, quanto minus canibus iſtis? Videntes ergo Arabes hoc abierunt ad generis ſui viros, & ipſi duxerunt eos in regionem Gazæ, quæ aditus erat eremi contra Sina montem, locuples valde. Anno vigeſimo tertio imperij Heraclij cum miſiſſet Eububezer quatuor prætores, qui ducti fuerant ab Arabibus, vt præfuli, venerunt & acceperunt Ran, & totam regionem Gazæ, tandemque aliquando cum veniſſet Prætor à Cæſarea Palæſtinæ cum militibus paucis inito bello perimitur primus cum exercitu qui trecentorum erat virorum: & multis captiuis acceptis, & exuuiis plurimis, reuerſi ſunt cum victoria ſplendida. Porro eodem anno terræmotus factus eſt in Palæſtina: & apparuit ſignum in cœlo quod dicitur δοκίτης, contra meridiem, prænuncians
D Arabum poteſtatem. Perdurauit autem diebus triginta extentum à Meſembria vſque ad arcturum: erat autem in modum gladij. Anno vigeſimo quarto imperij Heraclij Eububezer moritur, qui principatus eſt annis duobus & dimidio, & ſumit principatum Haumar. Qui deſtinat exercitum aduerſus Arabiam, capitque Boſtra ciuitatem vna cum aliis ciuitatibus. Profecti ſunt autem vſque Gabata. Cum his bellum aggreſſus Theodorus Imperatoris Heraclij frater, victus eſt, & ad Imperatorem Edeſſam venit. Aſt Imperator ordinat alium Prætorem nomine Bahanem, & Theodorum Sacellarium cum virtute Romaica, & aduerſus Arabes mittit. Cumque veniſſet Hemeſam occurrit multitudo Sarracenorum. Quibus occiſis vna cum his qui eis principabantur, reliquos abigit vſque Damaſcum, & illic iuxta Bardanenſium fluuium latebras fouent. Heraclius autem Syria derelicta in deſperationem ruens, ſublatis precioſis lignis ab Hieroſolyma Conſtantinopolim adiit. Bahanes autem à Damaſco Hemeſam redit vna cum Theodoro Sacellario, cum haberet exercitus quadraginta millia, & inſequuntur Arabes ab Hemeſa vſque Damaſcum. Anno vigeſimo quinto imperij Heraclij, Sarraceni aciem direxerunt in Arabiam contra Damaſcum, cum eſſent multitudinis Infinitæ. Quo Bahanes comperto, ad Imperialem Sacellarium mittit, vt E
veniret cum exercitu ſuo in auxilium ſibi, cum plurima eſſet Arabum copia. Venit ergo Sacellarius ad Bahanem. Qui profecti ab Hemeſa occurrerunt Arabibus: & conflictu facto, prima die, quæ tertia feria hebdomadis erat menſis Auguſti die viceſima tertia ſuperantur hi qui circa Sacellarium ſunt inuenti. Simultate autem facta, hi qui cum Bahane erant, Bahanem prouehunt Imperatorem, & Heraclium reſpuunt: tunc hi qui cum Sacellario erant, diſceſſerunt, & Sarraceni aditu reperto bellum ineunt. Inter hæc vento noto ſpirante contra Romanos, non valentes in faciem occurrere propter puluerem ſuperantur, & ſemetipſos immittentes in artam viam Hermuctam fluminis, illic penitus interierunt. Erant autem vtriuſque prætoris quadraginta millia. Tunc Sarraceni ſplendide triumphantes contra Damaſcum veniunt, & hanc capiunt, & regiones Phœnices capiunt, & habitant illic, & in Ægyptum aciem dirigunt. Cyrus autem Alexandrinus Epiſcopus, cum horum impetum co- F
gnouiſſet, operam dedit, & pactis firmatis pollicetur, timens auaritiam eorum, ducenta millia denariorum per ſingulos annos illis collaturam Ægyptum, ſed & diffinitarum eis induciarum fore aurum miſſurum. Quibus præſtitis per tres annos, Ægyptum liberam ab exterminio ſtatuit. Accuſatur interea Cyrus apud Imperatorem, quod Aurum Ægypti Sarracenis tribueret. Qui cum iratus miſiſſet, hunc accerſiuit. Manuelem vero quendam Armenium deſtinauit Auguſtalem. Cum autem annus adimpletus eſſet, Sarracenorum actores venerunt aurum accipere. Aſt Manuel inefficaces eos expellit. Non ſum, inquiens, Cyrus inermis, vt tributa vobis tribuam, ſed armatus ſum. Cumque iſti abiſſent, confeſtim armantur Sarraceni aduerſum Ægyptum, & Manueli bello illato hunc abigunt. Ipſe vero cum paucis quibuſdam Alexandriæ ſolus recipitur. Tunc Sarraceni Ægyptum ſub tributo reddidere. Aſt Imperator auditis his quæ geſta ſunt, G
mittit Cyrum perſuadendum eis ab Ægypto ſub priori placito recedendi. Et abiens Cyrus ad caſtra Sarracenorum rationem reddit, ſe eſſe perhibens præuaricationis obnoxium, & ſi vellent priorem concordiam, iuramentis affirmaturum. Porro Sarraceni nullatenus his acquieſcentes dixerunt Epiſcopo: Potes hanc maximam columnam deuorare? Qui ait: Non poteſt fieri. At illi: Nec nobis, inquiunt, poſſibile eſt vlterius ab Ægypto recedere. Anno vigeſimo ſexto imperij Heraclij, aciem direxit Haumar contra Palæſtinam, & obſidens ſanctam ciuitatem biennij tempore, cepit eam verbo. Sophronius namque Hieroſolymitanus ſummus ſacerdos verbum accepit ad totius Palæſtinæ ſecuritatem. Cumque Haumar ſanctam ciuitatem fuiſſet ingreſſus, cilicinis ex camelis, & ſordidis indumentis amictus, ſimulationemque ſatanicam oſtentans, templum exquiſiuit, quod Salomon conſtruxerat, ad blaſphemiæ ſuæ oratorium. Hoc aduertens Sophronius ait: In veritate iſtud eſt abominatio deſolationis, quæ dicta eſt per Danielem Prophetam, ſtans in loco ſancto, multiſque lachrymis hic pietatis propugnator H
Chriſtianam defleuit plebem. Dum vero illic Haumar eſſet, rogauit eum Epiſcopus accipere Sindonem cum indumento & indui: at ille non patiebatur ea portare. Vix ergo perſuaſit his veſtiri, donec ſua lauarentur, & iterum reddidit ea Sophronio, & veſtitus eſt propriis. Verum inter hæc Sophronius obiit, qui verbo & actu Hieroſolymitanam adornauit Eccleſiam, & contra Heraclij & fautorum eius Monothelitarum, Sergij ſcilicet & Pyrrhi decertauit errorẽ. Eodem quoque anno miſit Haumar in Syriam, & ſubegit totam Syriam Sarracenis. Anno vigeſimo ſeptimo imperij Heraclij venit Ioannes cognomento Chateas procurator Hozroenæ ad Hyaidum apud Chalcedonem, & ſpopondit ei dare per ſingulos annos centum millia numiſmatum, ne tranſiret Euphratem, neque ad pacem, neque ad bellum armatus, quouſque auri quantitatem perſoluant. Præterea Ioannes Edeſſam venit & annuum cenſum delatum ad Hyaidum tranſmiſit. Heraclius hoc audito Ioannem obnoxium iudicabat, quod

A abſque imperiali hoc fecerit notione,& quem acceſitum exilio damnauit. Porro pro eo deſtinant Ptolemæum quendam , magiſtrum militum. Anno vigeſimo octauo imperij Heraclij ceperunt Arabes Antiochiam, & miſſus eſt Muhauias ab Haumare prætor , & Amiras totius regionis, quæ ſub Sarracenis erat, ab Ægypto videlicet vſque Euphratem. Anno vigeſimo nono imperij Heraclij trāſmeauit Hyaidus cum omni militia ſua ad Euphratem , & venit Edeſſam. Edeſſeni autem aperientes acceperunt verbum vna cum regione , magiſtroque militum, ac Romanis qui cum ipſo erant. Aſt illi Conſtantiam abeunt , depopulanteſque illam accipiunt bello , & trecentos Romanos interimunt : & illinc abierunt Daras, & hanc bello comprehenderunt , & in illa plurimos perdunt : taliterque Meſopotamiam Hyaidus cepit. Anno trigeſimo imperij Heraclij Sarraceni aciem direxerunt in Perſidem, & ineunt cum eis bellum , potenterque vincentes , omnes ſibi Perſas ſubditos reddunt. Hormiſdas autem , qui B Perſis imperabat , ad interiores Perſas fuga lapſus euaſit, & dimiſit regalia. At vero Sarraceni captiuas duxerunt filias Choſdrois cum omni apparatu regio , & detulerunt ad Haumar. Eodem quoque anno iuſſit Haumar vniuerſum deſcribi orbem , qui ſub ipſo erat : Facta eſt autem deſcriptio tam hominum quam iumentorum & frugum.

Anno trigeſimo primo imperij ſui Heraclius Imperator moritur , hydropicus factus cum imperaſſet annis triginta. Imperat autem poſt eum Conſtantinus filius eius menſibus quatuor veneno que propinatus à Martina nouerca ſua , & Pyrrho patriarcha,moritur, & imperat Heraclonas Martinæ filius cum matre Martina.

CONSTANTINVS.

HERACLONAS.

Anno primo imperij Heraclonæ , capit Muhauias Cæſaream Paleſtinæ poſt ſeptennium obſidionis eius, & occidit in ea ſeptem millia Romanorum. Eodem anno Senatus repulit Heraclonam vna cum Martina matre illius ac Valentino,lingua Martinæ , & naſo Heraclonæ abſciſſo. Eiſque in exilium deſtinatis ad principatum Conſtantem C filium Conſtantini, nepotem Heraclij prouchunt,qui imperauit annis vigintiſeptem.

Explicit Liber Decimuſoctauus.

Incipit

LIBER VNDEVIGESIMVS.

CONSTANS.

ANno incarnationis Domini DC. XXXIV. Conſtans imperare cœpit. Cum primo videlicet imperij ſui anno regnare cœpiſſet , dicebat ad Synclitum : Patris mei Conſtantini qui me genuit,quique in vita proprij genitoris, aui mei ſcilicet Heraclij, ſufficienti tempore cum eo imperauit, poſt hæc vero etiam nimis breui , ſuauiſſimam ſpem Martinæ nouercæ ipſius inuidia concidens vita priuauit, & hoc propter Heraclonam, qui ex ea & Heraclio nefarie natus eſt. Quam Martinam cum nato veſtrum cum Deo decretum iure ab imperio repulit,ne violaret tam nequam Romanorum Imperium, valde prouida D cum eſſet ampliſſima veſtra & honeſta magnificentia. Propter quod rogo vos habere vos conſiliarios , & peritos ex communi ſubiectorum obſequio. Et his dictis dimiſit Senatum , hunc donis dapſilibus honorans, Anno imperij Conſtantis ſecundo cœpit Haumar ædificare templum in Hieruſalem , & non ſtabat, ſed ruebat ſtructura. Sciſcitanti autem ei cauſam , dixerunt Iudæi , quia niſi crux, quæ eſt ſupra templum montis Oliuarum , tollatur,haud ſtabit ſtructura. Et propter hanc cauſam,ſublata eſt crux , illinc , & ita conſtitit illic ædificium. Propter hanc etiam cauſam multas cruces fecerunt hi qui adorant Chriſtum. Anno tertio imperij Conſtantis , ſeditionem excitauit Valentinianus patricius. Mittenſque Imperator hunc occidit , & populum ad ſui reduxit beneuolentiam. Anno quarto imperij Conſtantis, fraude occiſus eſt Haumar Saracenorum dux à quodam Perſe Margarita. Denique inuentum eum adorare, pupugit eum in ventre gladio affixo , & ſic viuere deſiit cum Amiras fuiſſet annis duodecim. Et poſt eum ſtatuitur Hoamen huius cognatus, filius Tuſan. Anno quinto imperij Conſtantis Hoamen Arabum princeps habetur , & ſimultatem concinnat Gregorius patricius Africæ vna cum Afris. Anno ſexto imperij Conſtantis , factus eſt in terra ventus vehemens, qui multa germina euulſit , arboreſque ingentes radicitus extirpauit , atque multas columnas & chorum depoſuit monachorum.Eodem vero anno Sarraceni hoſtiliter Africam adierunt , & conflictu agitato aduerſus tyrannorum Gregorium, hunc in fugam vertunt. Et eos qui cum ipſo erant, interimunt,& hunc ab Africa pellunt. Atque tributis cum Afris ordinatis & pactis reuerſi ſunt. Anno ſeptimo imperij Conſtantis exercitum mouit Muhauias per mare aduerſus Cyprum. Habebat autem ſcaphas mille ſeptingentas, & cepit Conſtantiam cum inſula tota. Cum vero hanc cepiſſet , exterminauit. Porro audiens Carcorizum cubicularium contra ſe cum plurima virtute Romaica venientem , nauigauit aduerſus Aradum , & applicans cum nauigio ſuo apud municipium inſulæ , caſtrum conabatur capere , variis machinamentis vſus. Cum autem nil agere valuiſſet , mittit Epiſcopum quendam Thomaricum nomine , deterrens eos quo dimitterent ciuitatem , & ſub fœdere ſuo eſſent, exirentque ab inſula. Cum itaque ingreſſus ad eos Epiſcopus fuiſſet , tenuerunt eum. Porro Muhauiæ cedere noluerunt. Igitur obſidione quam aduerſus Aradum conſtituerat , nullius momenti effecta, Damaſcum reuerſus eſt. Nam hyems acceſſerat. Anno octauo imperij Conſtantis mouit Muhauias exercitum valenter aduerſus Aradum præliaturus , & hanc obtinuit verbo , ad habitandum dimittens ciues , vbicumque voluiſſent. Ciuitatem vero muris diſſolutis incendit , & inſulam vſque ad præſens inhabitabilem ſtatuit. Anno nono imperij Conſtantis , Buſur princeps exercitus vna cum Arabibus acies direxit aduerſus Iſauriam, & occiſis multis cum quinque millibus captiuorum reuerſus eſt. Mittit autem Imperator Conſtans Procopium quendam ad Muhauiam quærens pacem. Quod & factum eſt annis duobus , Gregorium filium Theodori ſumente Muhauia loco G pignoris in Damaſcum. Anno decimo imperij Conſtantis , ſimultatem excitauit Imperatori Faſaganates Armeniorum patricius , & fœdera pepigit cum Mahauia dans ei filium ſuum.Quo audito Imperator venit vſque ad Cæſaream Cappadociæ , & deſperatus ab Armenia rediit. Anno vndecimo imperij Conſtantis cinis è cœlo deſcendit , & timor magnus ſuper omnes homines cecidit. Anno duodecimo imperij Conſtantis Muhauias Rhodum rediens , deſtruxit Coloſſum eius poſt mille trecentos ſexaginta ſtabilitatis ipſius annos. Quem cum Iudæus quidam Emeſenus negociator emiſſet , nongentos camelos ex eius ære onerauit. Eodem anno Auidus Arabum prætor aduerſus Armeniam mouit. Qui conſequutus Maurianum prætorem , inſequutus eſt eum vſque ad Caucaſios montes , & regionem deprædatus eſt. Anno decimo tertio imperij Conſtantis , præcepit Muhauias armaturam fieri magnam nauium , quo aſcenderet ad regiam vrbem claſſis eorum. Omnis autem apparatus eorum apud Tripolim Phœnices conſiſtebat. Verum hoc viſo, duo fratres H quidam Chriſti amici Tripoli manentes , filij buccinatoris cuiuſdam zelo Dei ſauciati ad carcerem ciuitatis cucurrerunt impetu : habebat autem multitudinem Romanorum vinculatorum : & diruptis portis , vincliſque ſolutis in Amiram irruerunt. Quo perempto vna cum his qui cum eo erant , præparaturaque omni , igni tradita , in Romaniam nauigio tranſierunt. Veruntamen nec ſic illi ab eadem præparatura ceſſauerunt. Sed Muhauias quidem militat contra Cæſaream Cappadociæ , Abulathar vero fabrum naualis ſtructuræ conſtituit,qui veniens in locum diuertit , vocabulo Phœnicem Lyciæ , vbi erat Conſtans Imperator, atque Romaicus ſtolus , cum eo naualiter pugnaturi. Cumque futurum eſſet , vt Imperator cum ipſo nauigio præliaretur , contemplatur nocte illa viſum , videlicet apud Theſſalonicenſes eſſe. Porro cuidam coniectori ſomniorum expergefactus narrat viſionem. Qui ait : O Imperator , vtinam nec dormiſſes , nec ſomnium aſpexiſſes. Nam eſſe Theſſalonicæ θὲς ἄλλῳ νίκην innuit, quod interpretatur : pone alij victoriam, id eſt

A ad inimicum tuum victoria vertitur. Sane Imperator nihil
inueniens ad prælium naualis pugnæ, Romanorum claſ-
ſes præſtruxit ad bellum. Quibus in alterutrum irruenti-
bus ſuperantur Romani, & commixtum efficitur mare
ſanguine Romanorum. Induit autem Imperator alium ve-
ſte ſua, & inſiliens prædictus buccinatoris filius in regiam
ſcapham Imperatorem arripuit, & in aliam nauim tranſdu-
ctũ inopinate ſaluauit. Porro ipſe fortiſſimus viriliter inſi-
ſtens Imperatoriæ naui multos occidit mortique ſeipſum
pro Imperatore contradidit. Hunc præterea hoſtes circun-
dantes, & in medio retinentes, putabant ipſum eſſe Impe-
ratorem. Poſtquam autem multos occiderunt, interfece-
runt hoſtes & ipſum vna cum eo qui portabat Imperato-
riam veſtem. Aſt Imperator taliter in fugam verſus ſalua-
tur, & derelictis omnibus nauigauit Conſtantinopolim.
Anno decimo quarto imperij ſui dolo necatus eſt Hoa-
men Arabum dux, cum Amiras decem fuiſſet annis. Fit
interea duellum in medio ipſorum. Quotquot enim pe-
B nes eremum erant, alij volebant conſobrinum, alij ge
nerum exiſtentem quondam Muhammat. Hi vero qui
in Syria & Ægypto Muhauiam cupiebant, qui & vicit, &
obtinuit annos viginti quatuor. Anno quinto Imperij
Conſtantis, Arabum princeps Muhauias habetur. Qui
exercitum congregauit aduerſus Halim, & congrediun-
tur ambo io terra Baliſſum iuxta Euphratem. Hi vero qui
erant Muhauiæ cum eſſent validiores, aquam obtinue-
runt. Vnde in ſitim venientes hi qui erant Hali, defe-
cerunt. Porro Muhauias bellare noluit, ſed ſine labore vi-
ctoriam tulit. Anno decimo ſexto imperij Conſtantis
exercitum mouit contra Sclauiniam Imperator, & capti-
uos duxit plurimos, & ſubegit. Anno decimo ſeptimo
imperij Conſtantis facta eſt conuentio inter Romanos &
Arabes Muhauia legationem mittente ob rebellionem, vt
tribuant Romanis Arabes per ſingulos dies numiſmata
mille, & equum & ſeruum: Eodem vero anno exilio du-
ctus eſt Martinus ſanctiſſimus Papa Romanus, pro verita-
te fortiter agonizans, & confeſſor factus, in climatibus
C Orientis defunctus eſt.

Anno decimo octauo imperij Conſtantis, Conſtans
occidit Theodoſium proprium fratrem ſuum. Cum autem
eſſent Arabes apud Saphin, dolo necatus eſt Hali prædi-
ctus, & ſingulariter imperat Muhauias regio more Da-
maſcum inhabitans, pecuniarum illic theſauros recon
dens. Anno decimo nono imperij Conſtantis apparuit
hæreſis Arabij, eorum videlicet qui dicuntur Cauturgitæ.
Muhauias autem hos aggreſſus, eos qui erant in Perſide
humiliauit: eos vero qui in Syria erant, exaltauit: & alios
quidem vocauit Hiſamitas, alios autem Heraclitas: &
Hiſamitarum quidem donatiua ſublimauit, vſque ad du-
centa numiſmata: porro Heraclitarum depoſuit vſque ad
triginta. Anno vigeſimo primo imperij ſui, exercitum mo
uerunt Arabes contra Romaniam, & multos deprædati
ſunt, & loca nonnulla depopulati. Anno vigeſimo ſecun-
do imperij Conſtantis prædæ paruit Ciliciæ pars, & ha
bitauerunt Damaſci voluntate ſua. Anno vigeſimo tertio
D imperij Conſtantis factus eſt error Ieiuniorum & exerci
tum mouit Habdinarramen Chaldæus aduerſus Roma-
niam, & in ea hyemauit, & multas demolitus eſt regio-
nes. Porro Sclauini ad hunc confluentes cum ipſo deſcen
derunt in Syriam numero quinque millia, & habitabant
in Apamienſium regione in caſtello Seleu cobri. Anno
vigeſimo quarto Buſur exercitum in Romaniam mouit, &
mortuus eſt Thomaricus Epiſcopus Apamiæ & incenſus
eſt Epiſcopus Emeſenus. Anno vigeſimo quinto imperij
Conſtantis exercitum rurſus mouit Buſur in Romaniam,
& exterminauit partes Hexapoleos & Phadalæ, illicque
hyemauit. Anoo vigeſimo ſexto imperij Conſtantis, Ar-
meniacorum Prætor Saporibus, Perſa genere, tumultua-
tus eſt contra Conſtantem Imperatorem, mittitque ad
Muhauiam Sergium magiſtrum militum, pollicens Mu-
hauiæ ſubiugare Romaniam, ſi ipſe ſibi auxiliaretur ad-
uerſus Imperatorem. Quo comperto Conſtantinus filius
Imperatoris, mittit & ipſe ad Muhauiam Andream cubi-
cularium cum muneribus, ne rebelli cederet. Cumque ve-
niſſet Andreas Damaſcum reperit Sergium præueniſſe: &

cum ingreſſus fuiſſet Andreas, inſultus eum Sergius ſur- E
rexit: At vero Muhauias Sergium reprehendit, dicens.
Quid formidaſti. Qui reſpondit ſe iuxta morem feciſſe.
Conuerſus præterea Muhauias, dicit Andreæ, Quid quæ-
ris? Qui ait, vt des auxilium contra rebellem. At ille: Am-
bo, inquit, inimici eſtis: ſed ego ei qui præbuerit, dabo:
Et Andreas ad eum, Ne ambigas inſit Amiras, quomo-
do tibi Imperatoris meliora ſunt, quam plura rebellis.
Veruntamen quod amabilius tibi fuerit age. Et his dictis
Andreas tacuit. At vero Muhauias ait Tractabo ſuper hoc,
& ambos iuſſit exire. Porro aduocato Muhauias ſecreto
Sergio, dicit ei, Ne vlterius adores Andream; alioquin
nihil proficies. In craſtinum vero præueniens Sergius co-
ram Muhauia ſedebat, & ingreſſo Andrea, non ei aſſur-
rexit vt heri. Andreas vero intuitus Sergium hunc conui-
ciis lacerauit, & commotus eſt ei dicens: Si vixero, de-
monſtrabo tibi qui ſim. Cui Sergius; Non aſſurgo tibi
inquit, quia neque vir es, neque fœmina. Porro Muhauias
vtrumque compeſcens, Andreæ dixit, Aſſentire dare,
quemadmodum Sergius dat. Et quantum eſt? ait Andreas.
Muhauias dixit, Illationem publicorum præbere Arabibus. F
Aſt Andreas, Væ tibi, ait, Muhauia qui conſilium tribuis
corpus dandi, & ſolam vmbram retinendi. Quomodo-
cunque volueris cum Sergio conueni, hoc enim ego mi-
nime facio. Veruntamen te dimiſſo ad Deum qui te po-
tentior eſt, vt Romanis opituletur confugimus, & in eo
ſpem poſuimus. His dictis Muhauiæ inſit, Salue, & exi-
uit à Damaſcentium ciuitate, & abiit Melitenen, eo
quod tyrannus eſſet in partibus illis, ad quas Sergius erat
iturus. Quumque adiiſſet Arabeſſum, incurrit clauſura-
rum cuſtodem, non enim conſentiebat tyranno. Huic er-
go præcepit obſeruare Sergium redeuntem vt adduceret
ad ſe: ipſe vero pergebat non immemor Sergium præſto-
lans. Quæ vero geſta ſunt nuntiauit Imperatori. Interea
Sergius tractans cum Muhauia quæ viſa fuerant accepit
Phadalam prætorem Arabum cum ope Barbarica concer-
taturum & auxiliaturum Sapori. Quum autem præcede-
ret Sergius Phadalam, & ad Saporem gratulanter abiret,
deuenit ad clauſuras, & in Andreæ incidit turbas: & hunc G
retinentes, vinctum ad Andream aduehunt. At vero Ser-
gius viſo Andrea, iactat ſemetipſum ad pedes eius, obſe-
crans parcere ſibi. Ille autem ad eum, Tu, inquit, es Ser-
gius, qui gloriabaris in virilibus coram Muhauia, meque
mulierculam appellabas. Ecce amodo virilia tua tibi nihil
proderunt, quin potius & morte afficient. His dictis præ-
cepit virilia eius abſcidi, & ſuſpendi eum in ligno: Con-
ſtantinus autem audito Phadelæ aduentu in Saporis au-
xilium. Nicephorum patricium deſtinat cum Romana
virtute reſiſtendi Sapori. Erat autem Sapor Adrianopoli
degens, & quum Nicephorum ad ſe venire comperiſſet,
exercebat ſemetipſum ad prælium. Verum die quodam
contigit hunc ſecundum conſuetudinem, de ciuitate ſu-
per equum ſedentem exire. Quumque portæ ciuitatis ap-
propinquaſſet, equum flagello percuſſit, Qui iactanter
ſaliens, & huius caput in portam allidens, hunc vita ma-
le priuauit, & ſic Deus victoriam Imperatori contulit.
Phadalas autem veniens in Hexapolim, & hæc omnia diſ-
cens turbatus eſt, & mittit ad Muhauiam poſtulans adiu- H
torium, eo quod Romani ad concordiam conueniſſent.
Mittit autem Muhauias filium ſuum Gizid, armans eum
contra multitudines Romanorum. Conuenerunt autem
vtrique apud Chalcedonem, & captiuos duxerunt mul-
tos. Ceperunt autem & Amorium Phrygiæ, & quinque
millibus armatorum virorum dimiſſis in cuſtodiam, di-
uerterunt in Syriam. Quum autẽ hyems acceſſiſſet, mittit
Imperator eundem Andream cubicularium, & quum nix
multa eſſet nocte venit, & per lignum aſcendit in mu-
rum: & ingrediuntur Amorium, & omnes interficiunt
Arabes; ita vt ex quinque millibus illis nullus penitus re-
maneret. Anno vigeſimo ſeptimo imperij ſui Conſtans
occiſus eſt dolo in Sicilia apud Syracuſam, in balneo cui
nomen erat Daphne, fuerat autem cauſa hæc. Poſt inte-
remptionem fratris ſui Theodoſij, odio habitus eſt à By-
zantiis, & maxime quia Martinum ſanctiſſimum Papam
ignominioſe Conſtantinopolim duxit, & exilio relegauit

A peoes Cherſonis climata,& maximi & ſapientiſſimi confeſſoris linguam manumque truncauit, & mulros orthodoxorum veiberibus & exiliis, & proſcriptionibus, eo quod hæreſi ſuæ nullatcous acquieſcerent, condemnauit. Quin & duos Anaſtaſios, qui fuerant diſcipuli Maximi confeſſoris, & martyris, iormentis & exiliis tradidit. Propter talia ergo exoſus effectus eſt. Cum autem valde metueret, voluit in vrbem Romam imperium tráſferre. Vnde Imperatricem & tres filios ſuos tullere à Byzantio voluit, niſi Andreas cubicularius & Theodorus patricius Coloniæ, huius prohibuiſſent conſilium. Sane in Sicilia fecit annos ſex. Cumque prædictum balneum Ingreſſus eſſet, introiuit cum eo quidam Andreas filius Troili, obſecundans illi. Et cum cepiſſet ſapore gallicu deliniri, ſumens Andreas ſitulam, dedit eam in verticem Imperatoris, & protinus fugit. Aſt Imperator cum tardaret in balneo, inſiliunt hi qui foris erant, & reperiunt Imperatorem occi-

B ſum. Quo ſepulto, Mitium quendam Armenium Imperatorem faciunt, vi cogentes eum: erat enim valde decorus & ſpecioſus. Audito prætetea Conſtantinus patris obitu, cum multo nauigio in Siciliam venit, & aggreſſus Mitium hunc interfecit cum occiſoribus patris ſui. Et ordinatis Heſperiis Conſtantinopolim rediit, & Romanis vna cum Tiberiu & Heraclio fratribus imperat. Anno ab incarnatione Domioi D C. L X. Conſtantinus imperat. Sarraceni autem mouerunt exercitum in Africam, & captiua duxerunt millia, vt ferunt, octoginta. Porro hi qui Orientalium partium erant, Chryſopolim venere dicentes: Si in Trinitatem credimus, omnes tres coronemus. Turbatus ergo eſt Conſtantinus eo quod ipſe ſolus redimitus, fratres autem eius nullam dignitatem habebant & miſſo Theodoto patricio Coloniæ mitigauit eos, ſuperlaudans illos: & aſſumptis maioribus natu, vt vrbem ingrederentur rogauit, & cum Senatu inirent conſilium, vt fiat voluntas eorum. Imperator autem hos deceptos confeſtim in patibulo ſuſpendit transfretum io Syce. At illi

C hoc viſo, confuſi abierunt dolenter ad propria Conſtanſtinus ergo fratrum ſuorum nares abſcidit. Anno ſecundo imperij Conſtantini tempeſtas magna effecta eſt, & multi perſclitati ſunt, tam homines quam beſtiæ. Phadalas autem hyemem fecit apud Cizicum. Anno tertiu imperij Conſtantini profectus eſt cum hoſtili apparatu, & pluris captiuis ductis reuerſi ſunt. Anno vero quarto Conſtatini, apparuit Iris in cœlo mēſe Martio, & tremuit omnis caro: Ita vt omnes dicerent, quod conſummatio eſt. Eodem anno, ſtolo magno conſtructo negatores Chriſti, Muhammat ſcilicet & Cayſus nauigauerunt io Ciliciam & Lyciam, & facta eſt mortalitas in Ægypto. Miſſus eſt autem Sæuus Amiras cum alio quoque ſtolo in auxilium ipſorum, vtpote congruentiſſimus & audax ad prælium. At vero præfatus Cunſtantinus huiuſcemodi Deum impugnantium aduerſus Conſtantinopolim motu comperto, conſtruxit & ipſe trieres miræ magnitudinis ignem ferentes atque dromones. Anno quinto imperij Conſtan-

D tini prædictus Deum impugnatium ſtolus aſcendens applicauit in Thracenſibus partibus, à ſummitate videlicet Septimij, quæ vergit ad Occidentem, id eſt à domo quæ Magnaura dicitur, & rurſus vſque ad arcem, quam Cyclobium dicunt, quæque ſpectat ad Orientem. Per totum itaque diem congreſſio belli tenebatur, id eſt, à mane vſque ad veſperam, à brachialio aureæ portæ vſque ad Cyclobium, inuicem vtraque parte in vno puluere impellente. In his ergo deguerunt ab Aprili menſe vſque ad Septembrem: & reuerſi Cizicum pergunt, & hac comprebenſa illic hyemabant, & omni vere aſcendentes ſimiliter conflictum cum Chriſtianis habebant. Per ſeptem ſane annos eiſdem geſtis, diuioa, Deique genitricis ope multitudine virorum bellicoſorum amiſſa, & vulneratione maxima in eis effecta confuſi ac reuerſi cum ingenti mœſtitia ſunt. Cum autem diſceſſiſſet idem demergendus à Deo ſtolus, ab hyemali æſtu ac ſpiritu procellarum circa partes Scillei comprehenditur, & contritus totus omnino diſperiit. Suphian autem filius Atupb ſecundus frater commiſit bellum cum Floro, & Petrona & Cypriano habentibus Romaicam virtutem, & occiderunt triginta

millia. Tunc Callinicus architectus ab Heliopoli Syriæ ad Romanos profugus venit, qui marino igne confecto Arabum vaſa exuſſit, & vna cum animalibus incendit: & ita Romani cum triumpho reuerſi ſunt, marino igne adinuento. Anno ſexto imperij Conſtantini Cadallus filius Chaiſſ & Phadalas hyeme apud Cretam morati ſunt. Anno ſeptimo Imperij Conſtantini apparuit ſignum in cœlo in die ſabbati. Anno octauo imperij Conſtantini facta eſt locuſta magna per Syriam & Meſopotamiam. Anno nono imperij Conſtantini ingreſſi ſunt Mardaitæ Libanum, & tenuerunt à Mauro monte vſque ad Sanctam ciuitatem, & ceperunt cacumina Libani, & multi captiui & ſerui & indigenæ confugerunt ad eos, ita vt multa millia in breui tempore fierent. Quibus compertis Muhauias & conſiliarij eius timuerunt valde, colligentes quod Imperium Romanum diuinitus muniatur: & dirigit legatos ad principem Conſtantinum poſtulans pacem, & pollicitus annualia ſe Imperatori pacta laturum.

F Aſt Imperator huiuſcemodi ſuſceptis, eorumque petitione audita, deſtinauit cum eis in Syriam Ioannem patricium cognomento Pizigaudin, tanquam antiquæ proſapiæ virum, Reipublicæ & multorum negociorum expertum, atque magnam conſequutum prudentiam, ad diſputandū aptiſſime cum Arabibus, & quæ pacis ſunt conſone præſtruendum. Qui cum veniſſet in Syriam, coacervatione Muhauias tam Amireorum quam Giraſinorum effecta, ſuſcepit eum cum honore magno. Multis ergo inter eos verbis pacificis edictis, conuenit ioter vtrumqoe in ſcriptis fieri pacis com iureiurando ſermonem, ſuper conſonantia anoui pacti præbendi videlicet Romanæ Reipublicæ ab Agarenis auri librarum tria millia, viros captiuos quinquaginta, & equos nobiles quinquagiota. His ex communi placito inter vtramque partem firmatis, & in trignta ſeruandi annos mutuo repromiſſis, ampliſſima pax inter Romanos & Arabes eſt effecta. Sicque generalibus duobus in ſcriptis verbis ad alterutrum cum iureiu-

G tando patratis, & inuicem traditis, ſæpedictus famoſus vir ad Imperatorem cum muneribus quoque multis reuerſus eſt. Cum autem hæc didiciſſent hi qoi Heſperias partes inhabitant, tam videlicet Chaianus Auarus, & vlteriores reges, quam Exarchi, & Caſtaldi necnon & principes nationum ad Occidentem ſitarum, per legatos muneribus Imperatori tranſmiſſis pacificam erga ſe dilectionem popoſcere firmandam. Annuens itaque Imperator poſtulationibus eorum, confirmauit etiam circa illos dominatoriam pacem, & facta eſt ſecuritas magna in Oriente, necnon & Occidente. Anno decimo imperij Conſtantini factus eſt terræmotus magnus per Meſopotamiam. Corruit Edeſſenæ aſcenſus & trullus Eccleſiæ, & conſtruxit eum Muhauias Chriſtianorum ſtudio. Anno vndecimo imperij Conſtantini mortuus eſt Muhauias protoſymbolus Sarracenorum, qui fuit prætor annis viginti, & Amiræ functus officio annis viginti quatuor, & principari cœpit Gizid filius eius. Hoc quoque ann. Bulgaris gens ſuper-

H uenit in Thracem. Verum inter hæc neceſſe eſt dicere de antiquitate quoque Onogundureoſium Bulgarum, & Contragenſium. In ſeptentrionalibus namque Euxini ponti partibus quæ meabiles ſunt, & in paludibus quæ dicuntur Mæotides, in eas immittitur fluuius maximus ab Oceano per Sarmatarum terram dilapſus nomine Atel: cui Tanais amnis eſt iunctus, & ipſe ab Iberibus portis exiens, quæ in Caucaſiis montibus eſſe feruntur, & in eundem Atel fluens infertur. A mixtura vero Tanais & Atel, quę fit ſupra iam dictas Mæotidas paludes, dum ſcinditur Atel, venit his qui dicitur Eucthis fluuius in Mæotidas paludes, & redit in terminum Pontici maris, iuxta Necropela & acroma, quod dicitur arietis facies. A præſignatis vero paludibus ſimile flumen mari eſt, & fertur in Euxini Ponti mare per terrao Boſphori Cimmerij, ex quo flumine capitur id quod dicitur Murzilim, & huic ſimilia. Et in partibus quidem adiacentium paludum quæ ſpectant ad Orientem, vſque ad Phanagoriam ſeu Iberos qui ibidem ſunt, plurimæ nationes conſiſtunt. Ab eiſdem autem paludibus vſque in amnem qui dicitur Cuphis, vbi Xixtus capitur, qui dicitur Bulgaricus piſcis: antiquitus

A Bulgaria eſt magna, & hi qui dicuntur Contragi eiuſdem cuius & ipſi tribus exiſtunt. Temporibus autem Conſtantini, qui in Occidente regnauit, cum orbatus dominus iam dictæ legionis Bulgariæ ſeu Contragotum vitam commutaret, ac filios quinque relinqueret, teſtatus eſt ne vllo modo à mutua cohabitatione ſepararentur, ipſique nulli alteri nationi ſeruirent. Poſt breue autem tempus mortis illius, in diuiſionem venientes quinque filij eius altrinſecus ſequeſtrati ſunt vna cum populo, quem vnuſquiſque eorum ditioni ſuæ ſubiectum habebat. Et primus quidem filius eius qui dicebatur Bathaias, mandatum proprij cuſtodiens patris, in progenitorum ſuorum terra permanſit vſque in præſens, ſecũdus vero huius frater nomine Contaragus Tanaim tranſiens fluuium, ex aduerſo primum habitauit fratri. Quartus autem & quintus Iſtrum, id eſt Danubium fluuium tranſmeantes, vnus eorum in Auaria Pannoniæ Chaiano Auaro ſe ſubdens, manſit illic B cum potentatu ſuo: alter vero haud procul ab vrbe Rauenna in Pentapolim veniens, ſub Chriſtianorum imperio factus eſt. Deinde horum tertius Haſparuch dictus, Danaptin & Danaſtrin tranſiens, & Honglon adiens, boreos interiores Danubio fluuios, inter hunc & illos habitauit, tutum & difficilem locum hinc & inde conſpiciens: dum enim eſſet paluſtris, & hinc illincque fluminibus coronatus, copioſam genti propter hoſtium participationem humilitate præſtabat quietem. His autem ita in quinque diuiſis, & ad paucitatem deuenientibus, exiuit gens magna Gazatorum ex interiori profundo Berziliæ primæ Sarmaniæ, & dominata eſt omni peruiæ terræ vſque ad Ponticum mare: & primum fratrem Buthaiam primæ Bulgariæ principem ſubſtituit, ordinatis vectigalibus, quæ ab eo deferuntur vſque nunc. Aſt Imperator Conſtantinus comperto quod ex Triplo gens immunda & ſordida vltra Danubium apud Honglon tabernaculum fixerit, & appropinquans Danubio diſcurrit per regionem quæ nunc tenetur ab illis, quæque tunc à Chriſtianis poſſidebatur, C triſtatus eſt vehementer, & iubet tranſire omnes exercitus in Thracem. Et conſtruens claſſem tam per terram quam per mare contra eos motus eſt, hos bello perſequi volens, & contra Hoglon atque Danubium per Epirum pedites in aciem dirigens, & appropinquans littori naues adeſſe præcepit. Porro Bulgares hac celeritate ſeu maxima multitudine viſa, ſuper ſalute ſua deſperati ad præſidium prædictum confugiunt, & ſeſe circumquaque muniunt. Per tres autem dies & quattor ex huiuſcemodi munitione nec illis exire audentibus, nec Romanis propter adiacentium paludum occaſionem prælium conſtruentibus animaduertẽs polluta gens remiſſos Romanorum animos, recreata & alacrior facta eſt. Porro cum Imperator pedum dolorem acrius pateretur, & ad meridiem cogeretur ob balnei vſum vna cum quinque dromonibus & propriis hominibus ſuis reuerti, deſeruit magiſtratus, & populum, iubens eum lanceis vibrantibus exercitari, & impetum in eos mouere ſi fortaſſis exirent. Sin autem obſi-D derent eos & occluderent munitionibus. At vero hi qui erant equeſtris militiæ, Imperatorem fugiſſe diffamantes, metuque oppreſſi, eadem tergiuerſatione abuſi ſunt nemine perſequente. Porro Bulgares hoc viſo inſequebantur poſt terga ipſorum & plures quidem gladio peremerunt, multos vero vulnerauerunt, perſequuti eos vſque ad Danubium. Quem tranſeuntes, & venientes vſque ad eam quæ dicitur Barnan circa finem Odiſſi: & mediterraneo illic poſito perſpecto, quod in multa cautela conſiſteret, in poſterioribus quidem propter Danubium fluuium, in anterioribus autem & ex lateribus ob clauſuras, & Ponticum mare: præſertim cum dominarentur adiacentium Sclauinorum generationibus, quæ dicebantur ſeptem: Seueros quidem locauerunt ab anteriore clauſura Veregaborum ad partes Orientales: in locis autem quæ ſunt ad Meridiem & occidentem vſque ad Auatiam, reſiduas ſeptem generationes quæ ſub pacto erant. Ergo cum dilatati fuiſſent in his, elati ſunt & cœperunt ea quæ ſub Romana Republica erant caſtra ſeu prædia deſtruere atque prædari. Vnde vi coactus Imperator fecit pacem cum eis, annua illis præbere pacta pollicitus in confuſionem Ro-E manorum ob multitudinem delictorum: Mirabile quippe ipſo auditu erat his qui longe & qui prope degebant, quod is qui omnes tributarios ſibi ſtatuerat, tam videlicet eos qui ad Eoum & Occaſum, quam ad Arctum & Meſembriam commorabantur, ab iſta deteſtabili gente fuerit ſuperatus. Verum Imperator ita quidem ex prouidentia Dei hoc Chriſtianis contigiſſe credens, euangelice tractans pacem fecit: & fuit vſque ad obitum ſuum quietus à cunctis hoſtibus, ſtudium habens præcipuum vniendi Eccleſias vniuerſas Dei, quæ vbique diuiſæ fuerant, à temporibus Heraclij proaui ſui, & Sergij væſani ac Pyrrhi, qui indigne throno Conſtantinopolæos præfuere, vnam voluntatem & vnam operationem in domino Deo ſaluatore noſtro dogmatizantium. Quorum nequam opiniones idem Chriſtianiſſimus Imperator concilio vniuerſali Conſtantinopolim conuocato ducentorum & octoginta nouem patrum, Epiſcoporum, damnauit, & dogmata quæ in antecedentibus quinque ſanctis & vniuerſalibus conciliis fuerant confirmata roborauit, atque pium F duarum voluntatum & operationum promulgari dogma decreuit, per eandem ſanctam & ſubtiliſſimam vniuerſalis concilij ſynodum. Cui præerant tam ipſe piiſſimus Imperator Conſtantinus, quam pij ſacerdotes. Per idem tempus Gizid cœpit eſſe princeps Arabum, qui tribus his præfuit annis. Anno duodecimo imperij Conſtantini collecta eſt ſancta ſynodus & vniuerſalis ſexta Conſtantinopolim C C. octoginta & nouem ſanctorum Patrum, præceptione pij patris Conſtantini. Anno tredecimo imperij ſui repulit Conſtantinus ab Imperio fratres ſuos Heraclium & Tiberium, & ſolus regnauit cum filio ſuo Tiberio. Anno decimo quarto imperij ſui Muctar mendax dum tyrannidem exercuiſſet, obtinuit Perſidem. Vocauit autem ſeipſum Prophetam, & conturbati ſunt Arabes. Anno decimo quinto imperij Conſtantini Arabum princeps Maruan præfectus eſt. Siquidem defuncto Gizid, turbati Arabes & Theriexteri ſurrexerunt conſtituentes ſibi ducem Habdallan quendam filium Zubedir. Et congregati ſunt Phenices, & Paleſtini, & veniunt Damaſcum; ſed & vſque G Gabathan & Aſan & Amiran Paleſtinæ, dantque manus dextras Maruan, & ſiſtunt eum ducem. Qui Amiræ adminiſtratione fungitur in menſibus nouem. Et eo mortuo Habdimelich filius eius ſuſcepit principatum, cum Amiras fuiſſet annis viginti vno & dimidio: aggrediturque tyrannos, & interfecit Habdallan filium Zubedir, necnon & Dadacum. Anno decimo ſexto imperij Conſtantini facta eſt fames magna atque mortalitas in Syria gentemque Habdimelich obtinuit. Cumque Mardaitæ incumberent partibus Libani, & peſtilentia teneretur & fames, idem Habdimelich pacem quæ fuerat à Muhauia quæſita petiit, miſſis ad Imperatorem legatis, eademque trecenta ſexaginta quinque millia numiſmatum auri præbere pollicitus, & illos trecentos ſexaginta quinque ſeruos pari modo nobiles, totidemque equos. Anno decimo ſeptimo imperij ſui requieuit Imperator pius Conſtantinus, cum Imperaſſet annis decem & ſeptem: & imperauit Iuſtinlanus filius eius. H

IVSTINIANVS.

Anno ab incarnatione Domini DC. LXXVIII. Iuſtinlanus imperat Romanls, Arabibus, Habdimelich principatur, qui præfuit his annis viginti duobus. Hoc autem anno mittit Habdimelich ad Iuſtinianum confirmare pacem, & conuenit inter eos huiuſcemodi pax vt ſcilicet Imperator deponeret Mardaitarum agmen à Libano, & prohiberet incurſiones eorum, & Habdimelich Romanis tribueret per ſingulos dies numiſmata mille, & equum & ſeruum, & vt haberent communem per æqualitatem tributa Cypri, Armeniæ ac Iberiæ. Et direxit Imperator Paulum magiſtrum ad Habdimelich ad confirmandum ea quæ placita fuerant, & facta eſt in ſcriptis ſecuritas ſub teſtium aſtipulatione. Qui liberaliter honoratus reuerſus eſt. Et mittens Imperator aſſumpſit Mardaitarum duodecim millia, Romaica virtute reciſa. Omnes enim quæ nunc habitantur ab Arabibus in confinibus poſitæ ciuitates, à Mopſueſtia, & vſque ad quartam Armeniam, infirmæ & inhabitabiles erant propter impetum Mardaitarum. Quibus repreſſis, omnia dira paſſa eſt Romania

A vſque in præſentem diem. Eodem anno mittit Habdimelich Ziphien fratrem Muhauiæ in Perſidem contra Muctarem mendacem atque tyrannum, & interemptus eſt Ziphien à Muctare. Quo audito Habdimelich venit Meſopotamiam, & tyrannidem patitur à Saydo. Quem ſupergreſſus verbo Damaſcum aperire fecit a ſe præuentam, & poſt hoc fraudulenter occidit. Iuſtinianus autem cum eſſet iunior quaſi annorum ſedecim, & ſua quæque inconſulte diſponeret, miſit Leontium Prætorem in Armeniam cum Romaleo potentatu, & Sarracenis illic exiſtentibus interemptis ſubiicit hanc Romanis. Similiter & Iberiam, & Albaniam, Hircaniam quoque atque Mediam, & ſub tributo regionibus actis plurimas pecunias Imperatori tranſmiſit. At vero Habdimelich his cognitis abiit Cerceſium, & Eupolim ſubiugauit. Anno ſecundo imperij Iuſtiniani facta eſt fames in Syria. Qua de re multi Romaniam ſunt ingreſſi. Et veniens Imperator in Armeniam illic ſuſcepit Mardaitas qui in Libano fuerant æneo muro B deſtructo. Deſtruxit autem & pacem cum Bulgaribus fixam, perturbans typos qui à patre ordinabiliter facti ſunt: & iubet tranſire in Thracem equeſtres militias, volens tam Bulgares quam Sclauinos deprædari. Anno tertio Imperij ſui mouit exercitum Iuſtinianus contra Sclauiniam & Bulgariam. Et Bulgares quidem ad præſens ſibi occurrentes impulit. Exurgens autem vſque ad Theſſalonicen copioſas multitudines Sclauinorum partim bello peremit, partim cum ad ſe confugerent in partibus Obſicij cum per Abidum tranſfretaſſet, conſtituit. Cum autem reuerteretur in itinere præpeditus à Bulgaribus in arcto clauſuræ, cum cæde proprij populi & vulneratione multa vix remeare præualuit. Eodem anno & Habdalla Zubir Muſabum fratrem ſuum mittit contra Muctar, & fugit in Syriam. Quem præoccupans interfecit. Porro Habdimelich militat contra Muſabum, & victum occidit, & ſubiugauit Perſidem totam. Anno quarto imperij Iuſtiniani miſit Habdimelich cõtra Zubir Chaian in Macha, & occidit eum Chaian ibidem: & ſubdita regione Chaian ad- C uerſante ſibi, concremauit domum idoli eius vna cum idolo cultore ipſorum. Quamobrem ille prætorem Perſidis Chaian promouit, & ſubacta eſt Habdimelich tam Perſidis regio & Meſopotamiæ quam Armenia magna, & Hitij, ac per id inteſtina bella quieuerunt. Anno quinto imperij Iuſtiniani finem diſcordiæ habuit, & liberatus eſt ab omni bello Arabum principatus, & pace potitus eſt Habdimelich cunctis ſibi ſubactis. Anno ſexto imperij ſui Iuſtinianus pacem quam ad Habdimelich habuit, ex amentia diſſoluit, & omnem Cypriorum inſulam & populum irrationabiliter voluit tranſmigrare, & characterem qui miſſus fuerat ab Habdimelich, cum nouiter viſus eſſet, & nonquam antea factus, non admiſit. Multitudo vero Cypriorum dum tranſmeare niteretur, ſubmerſa eſt, & ex languore peribat. Reliqui vero in Cyprum reuerſi ſunt. Et his auditis Habdimelich ſatanice ſtimulatus rogabat ne pax ſolueretur, ſed ſuſciperent monetam ſuam, cum Arabes non ſuſciperent Romanorum inciſionem in D ſuis nummis. Verum dato pondere ait: Nullum Romanis damnum efficietur, ex eo quod Arabes noua cuderent. At ille precem ex timore arbitratus effectam, non perpendit quod ſtudium eorum eſſet, vt Mardaitarum primum compeſcerent incurſus, & ita per putatiuæ rationis obtentum pacem diſſolueret. Quod & factum eſt. Et miſit Habdimelich ad ædificandum templum Muchan, & voluit auferre columnas ſanctæ Gethſemanis: & rogauerunt eum Sergius quidam vir Chriſtianiſſimus, qui erat generalis Manſur logothetha, & valde familiaris eidem Habdimelich, atque Patricius ſocius eius Chriſtianus, qui erat in Palæſtina præpoſitus, qui cognominabatur Clauſus, poſtulantes ne hoc fieret, ſed per ſupplicationes ſuas perſuaderet Iuſtiniano mittendi ſibi alias pro eis. Quod & factum eſt. Anno ſeptimo imperij ſui Iuſtinianus elegit è Sclauis, qui ſe iubente tranſmigrarent milites triginta millia: & armatis illis, cognominauit illos populum acceptabilem, principemque in eis Nebulum nomine ſtatuit. Fiſus autem in illis, ſcripſit Arabibus non ſe permanſurum in pace, quæ ſcripto conuenerat. Et aſſumpto po-

E pulo acceptabili, & cunctis equeſtribus militiis, abiit Sebaſtopolim maritimam. Arabes autem diſſimulantes, & pacem ſoluere minime proponentes, ſed Imperatorio exceſſu atque procacia hoc agendi violentiam patientes, armati & ipſi venientes adeunt Sebaſtopolim proteſtantes, ne Imperator quæ inuicem cum iuramentis conſono pacto placita fuerant ſolueret: alioquin Deus vindex iudex culparum foret. Sane cum Imperator nec auditu ipſo huiuſcemodi verba pateretur percipere, illi pacis & verbi ſcriptum ſoluentes, & in excelſo loco pro vexillo præcedenti gratia ſuſpendentes, contra Romanos impetu irruunt Muhammat ducem habentes, bellumque taliter inierunt. Et prius quidem ſuperati ſunt Arabes. Seggerent interea Muhammat auxilianti Romanis Sclauinorum duci, mittit ei marſupium numiſmatibus plenum, multiſque promiſſionibus hunc ſeducens, perſuadet hunc confugere ad ſe cum viginti millibus Sclauorum: & ſic fugam Quiritibus acquiſiuit. Tunc Imperator occidit horum reſiduos vna cum liberis & vxoribus trans præcipitij locum Leucatium dictum, qui maritimus erat Nicomedienſium F finibus. Anno octauo imperij Iuſtiniani. Sabbis patricius Armeniæ comperta ſuperatione Romanorum Armeniam Arabibus tradidit: & ſubiecta eſt eis interior Perſis, quæ dicitur Ceraſa: & oritur ibidem inſidiator, nomine Sabiuus, qui multos Arabum interfecit. Sed & ipſum Chalanum pene omnibus modis in amne necauerat. Et tunc Agareni peramplius temerarij facti ſunt Romaniam depopulantes. Anno nono imperij Iuſtiniani, defectio ſolis effecta eſt hora diei tertia, ita vt quædam ſtellæ clare apparerent. Et exercitum mouit Muhammat contra Romaniam, habens ſecum profugos Sclauos vtpote expertos Romaniæ, & multos duxit captiuos. Porro Iuſtinianus diligentiam circa palatij habens negotia conſtruxit tricliuium, quod Iuſtiniani vocatur. Conſtituitque Stephanum Perſam ſacellarium ſuum, & ſpadonum primum dominum & arbitrum, nimis inſidiantem ſanguini atque crudelem, qui immiſericorditer exteriores quoque verberare, ſed & lapidare tam ipſos quam horum prælatos peni- G tus non ceſſabat. Cumque Imperator quadam die profectus fuiſſet, præſumpſit agreſtis beſtia illa, & matrem quoque ipſius Anaſtaſiam Auguſtam more pueri habens flagellare. In his autem & in ciuilem copiam multis malis oſtenſis, exoſum cunctis fecit Imperatorem. Similiter & in generalis logotheſij rebus conſtituit monachum quendam Theodotum nomine, qui primo incluſus fuerat in Thracenſibus Auguſti partibus, ſed & in ipſum ſæuiſſimum exiſtentem, qui plurimos Reipublicæ principes & illuſtres viros, non tantum ex ordinatoribus, ſed ex vrbis quoque habitatoribus fruſtra & in vanum ac inexcuſabiliter exactiones & functiones & proſcriptiones ſoluere faciens, funibuſque ſuſpendens, hos fumo palearum afficiebat. Inſuper & præfectus imperatoria iuſſione plurimos viros carceribus tradens, per aliquot annos ſeruari mandauit. Hæc omnia creſcere fecerunt odium populi circa Imperatorem. Præterea Imperator exigebat à Callinico patriarcha orationem faciendi, vt deſtrueret Eccleſiam H ſanctæ Dei genitricis, quæ Metropolite dicebatur, iuxta Palatium ſitam, volens in loco ſiſtere phialam, & baſes conſtruere vulgi, vt illic Imperatorem ſuſciperent. At vero patriarcha dicebat: Orationem quidem ad ſtatuendam Eccleſiam habemus, deſtructionem vero Eccleſiæ non ſuſcipimus. Cogente autem Imperatore, & omnimodis exigente orationem, dixit patriarcha: Gloria Deo qui iugiter ſuſtinens nos patitur, nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum, Amen. Quo audito deſtruxerunt Eccleſiam, & fecerunt phialam. Porro iam dictam Eccleſiam Metropoliten fecerunt apud Petrin. Anno decimo imperij Iuſtiniani, direxit aciem Muhammat aduerſus quartam Armeniam, & capdiuatis multis reuerſus eſt. Eodem quoque anno Iuſtinianus pulſus eſt regno, hoc modo. Iuſſit Stephano patricio & prætori, cognomento Ruffo, noctu interficere vulgus Conſtantinopolitanum, a patriarcha inchoaturo. Leontius vero patricius, & quondam magiſter militum Orientalium, qui in bellis ſæpe probabiliter geſſerat, & tres annos in cuſtodia tranſegerat, excuſatus ex

Triplo

Triplo reuocatur, & prætor Helladis promotus eſt, iuſſus eſt in tres dimitti dromones, eodemque die ab vrbe moueri. Nocte vero penes Iulianenſium portum Sophiæ iuxta ea quæ dicuntur Mauri, ſitum ad iter agendum ab vrbe motus ſtatione fixa, valedicebat amicis qui ad ſe veniebant. Inter quos venere ad eum germani & ſodales eius, Paulus ſcilicet Monachus Calliſtrati, qui & Aſtronomus: & Gregorius Cappadox, qui & Cluſuriarches extiterat, deinde monachus factus: & Egumenus Flori, qui in cuſtodia frequentius illum viſitantes, affirmabant eum Imperatorem Romanorum futurum. At vero Leontius dixit ad eos: Vos certum in cuſtodia ſuper Imperio me eſſe feciſtis; & nunc in malis vita mea finitur. Poſt modicum quippe ero per ſingulas horas præſtolans mortem. Qui dixerunt: Ne pigriteris, & hoc protinus adimpletur. Audi nos tantum, & ſequere nos. Et aſſumptis Leontius hominibus ſuis, & armis, quotquot habuit, aſcendit in Prætorium ſilentio multo: & pulſantes portam Imperatorem veniſſe fingebant ad diſponendos quoſdam qui illic eſſe nuntiabantur. Cumque hoc nuntiatum fuiſſet præfecto qui tunc erat, & ille concito veniſſet, & portas aperuiſſet, capitur à Leontio: & alapis cæſus, ligantur manus & pedes. Ingreſſus autem Leontius, & carceribus reſeratis, ſolutiſque viris retruſis multis & fortibus, qui à ſex & octo annis in vinculis fuerant, quorum plures milites erant, hos armauit, & in forum exiuit cum eis clamans. Et omnes Chriſtianos ad ſanctam Sophiam, & per omnem regionem mittens, voce ſua clamare cœpit. Multitudo vero ciuitatis tumultuata celeriter ad luterem Eccleſiæ eſt congregata. Ipſe vero cum duobus monachis amicis ſuis, & quibuſdam ex clarioribus viris, qui è cuſtodia fuerant egreſſi, Patriarchium aſcendit ad Patriarcham. Inueniens autem & ipſum turbatum propter illa quæ iuſſa ſunt patricio Stephano Ruffo, perſuadet ei deſcendere ad luterem, & clamare ſic: Hæc eſt dies quam fecit dominus. Vniuerſa vero multitudo leuauerunt vocem: Effodiantur oſſa Iuſtiniani. Et ita in hippodromum omnis cucurrit populus. Cumque dies facta fuiſſet, educunt Iuſtinianum in hippodromum, naſoque illius & lingua reciſa exulem faciunt apud Cherſonam. Porro comprehenſum turba Theodotum monachum & generalem logothetam, atque Stephanum ſacellarium Perſam, funibuſque retrorſum hos ligatos trahunt per mediam plateam, & ad Vaurum ductos incenderunt. Et ita Leontium Imperatorem laudauerunt.

Explicit Liber Decimusnonus.

Incipit

LIBER VIGESIMVS.

ANno ab incarnatione Domini D. C. LXXXVIII. Leontius imperat Romanis. Igitur cum regnare cœpiſſet, vndique pacifice manſit, tribuſque annis Imperium rexit. Anno ſecundo imperij Leontij, mouit exercitum Senalidus contra Romaniam, & multis ductis captiuis reuerſus eſt, ſeditioneque concitata Sergius patricius Lazicæ, hanc Arabibus ſubdidit. Anno tertio imperij Leontij, acie Arabes in Africam mota hanc obtinuerunt, & ex proprio exercitu taxatos in ea quoſdam conſtituerunt. Quibus compertis Leontius mittit Ioannem patricium virum idoneum cum omnibus Romaicis claſſibus. Qui cum Carthaginem perueniſſet, & bello catenam portus ei aperuiſſet, inimicoſque in fugam vertiſſet, hos viriliter inſequutus vniuerſa liberauit Africæ caſtra, relictiſque operatoribus, hæc Imperatori ſuggeſſit, ibidemque hyemauit, iuſſionem præſtolatus ab eo. At vero his compertis protoſymbolus copioſum & potentiorem aduerſus eos tranſmittit, & prædictum Ioannem cum ſtolo ipſius bello à portu depellit, & hoſtiliter exterius caſtrametatus eſt. Prædictus vero Ioannes ad Romaniam repedauit, maiorem virtutem ab Imperatore accipere volens, & venit vſque ad Cretam principem aditurus. Exercitus autem per maiores ſuos ad Imperatorem aſcendere nolens (obtinuerat enim eos timor atque confuſio) ad conſilium ſeſe nequiſſimum contulit. Et huic maledixerunt, eligentes Imperatorem Abſimarum Drongarium Cibioetorum apud Curioſitas habitum, hunc Tiberium nominantes. Itaque Leontio apud Conſtantinopolim poſito, & Neorſium portum emundante, bubonis peſtis vrbi incubuit, & in quatuor menſibus multitudinem plebis conſumpſit. Venit autem Abſimarus vna cum exercitu qui ſecum erat, & applicuit ex aduerſo ciuitatis in Syces. Per aliquantum ſane temporis ciuitatem prodere nolente Leontio, proditio facta eſt per ſingularem murum Blacernarum à principibus exteris, quibus claues terreni muri creditæ fuerant cum horribili iureiurando. Iſti namque per inſidias tradiderunt vrbem. Porro ingreſſi claſſium milites ciuium domos, denudauerunt, in his habitantes. At vero Abſimarus Leontij quidem naſo reciſo in monaſterio Dalmatij in cuſtodia fore præcepit. Principes autem & amicos, vtpote commorantes ei, cæſos atque proſcriptione damnatos exilio relegauit, Heracliumque germanum ſuum vehementer idoneum, ſingularem prætorem omnium exteriorum equeſtrium exercituum promotum in partes Cappadociæ ad Clauſurarum diſcurrere, contraque hoſtes curam ad diſpoſitionem facere miſit.

Anno ab incarnatione Domini D C. X C I. Abſimarus Imperator Romanorum creatus eſt. Qui ſeptem annis imperauit, & tumultuatus eſt contra Abdarronem, & dominatus eſt ei: & perſequutus eum Abipſa Chaian.

Anno ſecundo imperij Abſimari, Romani Syriam peragrantes, & venientes vſque Samoſatam, & deprædantes circumquaque regionem, multa occiderunt millia, vt ferunt Arabum ducenta, pluſimiſque ſpoliis ſumptis, & captiuatione Arabum multa, reuerſi ſunt more magno in eos patrato. Anno tertio imperij Abſimari exercitum mouit Habdalla in Romaniam, & expugnans Tarentum, nihilque proficiens rediit, ac ædificauit Mopſueſtiam, & poſuit in ea cuſtodes. Anno quarto imperij Abſimari, Baanes cognomento Heptadæmon quartam Armeniam ſubiugauit. Abſimarus vero Philippicum filium Nicephori patricij in Cephaloniam exulem miſit vi imperantis omnino venundatum. Aſſerebat enim ſe in ſomnis vidiſſe, quod caput ſuum ab Aquila protegeretur & obumbraretur. Quibus Imperator auditis hunc protinus exilio relegauit. Anno quinto imperij Abſimari ſeditionem concitauerunt principes Armeniæ contra Sarracenos, & eos qui erant in Armenia perimunt, & iterum ad ſe Abſimarum & Romanos in regionem ſuam adducunt. Porro Muhammat acie aduerſus eos directa multos occidit & Armeniam Sarracenis ſubdit, optimateſque Armeniorum coaceruatos in vno loco viuentes incendit. Per idem vero tempus exercitum mouit Azar in Ciliciam cum decem millibus. Cui cum obuius occurriſſet Heraclius frater Imperatoris, plurimos eorum occidit, reſiduos vero vinctos Imperatori tranſmiſit. Anno ſexto imperij Abſimari, Azidus cunei aciem contra Ciliciam mouit, expugnanſque erat Siſui caſtrum. Quod Heraclius frater Imperatoris obtinuit, & bellum in eo aggreſſus Arabum decem millia necat. Interea Iuſtinianus cum penes Cherſonam degeret, & ſe iterum imperaturum concionatus denuntiaret, accolæ locorũ eorundem diſcrimen ex eo imperio venire metuentes, conciliati ſunt hunc interficere, vel certe Imperatori tranſmittere. Ipſe vero cum id ſenſiſſet, fugiens, & Daras veniens, Cazarorum ſe popoſcit Chaiano præſentari. Qui cum rei circumſtantiam didiciſſet, ſuſcepit eum cum honore ingenti, & tradidit illi vxorem Theodoram ſororem ſuam. Poſt modicum vero prece oblata Chaiano deſcendit in Phanagoriam, & illic degebat cum Theodora. His auditis Abſimarus mittit ad Chaianum promittens ei præbere munera multa, ſi Iuſtinianum ſibi duntaxat viuum tranſmitteret: ſin autem, ſaltem caput eius. Cedens autem Chaianus huiuſcemodi petitioni, cuſtodiam ei miſit, quaſi ne à contribulibus ſuis inſidias pateretur, mandans Fazin, qui erat illic in perſonæ ſuæ vice deputatus, & Blagizin principi Boſphori, vt cum nun-

tiaret

A ciatum foret eundem trucidarent Iuſtinianum. His autem per ſeruum Chaiani Theodoræ nunciatis,& Iuſtiniano patefactis: conuocatos ad ſe iam dictos principes Facin & Blagizin quaſi ad colloquendum ſecreto, eorum colla ſtrangulare curauit. Confeſtimque Theodoram in Gazariam mittit, & ipſe à Phanagoria fugiens, in Men deſcendit: & inuenta naui parata aſcendit in eam, & nauigans iuxta litora, venit vſque ad Symbolum iuxta Cherſonam. Ad quam mittens occulte tulit Barſbacurium, & Salibam fratrem eius,& Stephanum, & Moropaulum vna cum Theophilo. Qui cum nauigaſſet cum eis Cherſonam, Phartim tranſiuit. Sicque demum transfretantes Necropola ſeu oſtia Danapari & Daniſtri, tempeſtate facta, ſuper ſalute ſua deſperati ſunt omnes. Malaces vero familiaris homo ipſius dixit ei: Ecce morimur Domine, voue Deo pro ſalute tua, et ſi Deus imperium tuum tibi reddiderit, in nullum tuorum vlciſcaris inimicum. At ille in B furore reſpondens, ait: Si pepercero cuiquam eorum, in hoc loco me Deus demergat. Et ſine periculo ab æſtu illo exiuit, & introiuit in Danubium amnem. Cum autem miſiſſet Stephanum ad Trebellin dominum Bulgariæ vt ſibi auxilium præſtaret ad obtinendum paternale Imperium ſuum, repromiſit ei ſe plurima dona daturum, & filiam eius in vxorem accepturum, ipſique in cunctis obediturum & concurſurum, iuſiurando pollicitus. Quo ille cum ingenti honore ſuſcepto, commouet vniuerſum ſibi ſubditum populum Bulgarum, atque proximo anno ad regnantem vrbem venerunt.

Anno ſeptimo imperij Abſimari, mortuus eſt Habdimelich Arabum princeps, & tenuit principatum eius Vlid filius Abdalhatis. Eodem quoque anno Iuſtinianus cum ad regiam vrbem vna cum Trebelli veniſſet, cum ſubiectis Bulgaribus caſtrametatus eſt ad portam Carſij, & vſque ad Blacernas. Et per tres dies alloquens eos qui erant de ciuitate, conuitiis dehoneſtabatur ab illis, qui eorum nec ſaltem verbum admittebant. At vero Iuſtinia- C nus cum paucis contribulibus bello excepto per aquæductum ingreſſus, & tumultum excitans fodiendo vrbem obtinuit, & poſt paululum tabernacula in Palatio Blacernarum tetendit.

IVSTINIANVS II. Igitur imperij ſui primo anno, id eſt quo imperium ſuum Iuſtinianus recepit, multa dona Trebelli tribuens, ſimul & regalia vaſa, dimiſit eum in pace. Cæterum Abſimarus vrbem Appolloniadem fugiens adiit: inſequutionem tamen perpeſſus apprehenditur, & ad Iuſtinianum deducitur. Porro Heraclius vinctus à Thrace adductus eſt cum omnibus qui ei opitulabantur. Quos in muro omnes ſuſpendio interfecit. Cum autem ad Mediterranea deſtinaſſet, multos ex eis inuentos tam actores, quam priuatos ſimiliter interemit. Porro Abſimarum atque Leontium vinctos catenis per totam vrbem pompis fecit dehoneſtari. Cumque ludi equeſtres agerentur, ipſeque in ſolio reſideret, ducti ſunt publice tracti & proiecti pro- D ni ad pedes eius. Quorum ille colla vſque ad ſolutionem primi brauij calcauit; vniuerſa plebe acclamante: Super aſpidem & baſiliſcum ambulaſti, & conculcaſti leonem & draconem. Et ita hos deſtinatos in viuario animantium capitis animaduerſione puniuit: Callinicum vero Patriarcham ablatis oculis apud Romam exilio relegauit, & Cyrum, qui inſula fuerat incluſus Amaſtridis, tanquam eum qui prænunciauerat ſibi reſtitutioné imperij ſubrogatum prouexit. Innumerabilem quoque multitudinem tam ex ciuili quam ex militari catalogo, multos perdidit, multos etiam in ſaccos miſſos amara morte fecit necari: alios autem cum ad prandium vel ad cœnam accubitaret, mox vt ſurgebat partim ſuſpendio, partim inciſione perdebat, & hinc magnus timor obtinuerat omnes. Miſit interea claſſem ad educendam de Gazaria vxorem ſuam, & multæ cum ſuis viris ſcaphæ demerſæ ſunt. Quo audito, Chaianus ſignificat ei dicens: O inſenſate, nonne oportebat te in duabus vel tribus ſcaphis accipere mulierem tuam, & non tantam occidere multitudinem? An putas quod & hanc arte decipias? Ecce peperit tibi filium, mitte & accipe illos. At ille miſſo Theophylacto cubiculario duxit Theodoram, & filium eius Tiberium, & coronauit eos, & imperatores ſimul cum ipſo. Anno ſecundo im- E perij Iuſtiniani, Vlid ſurripuit Eccleſiam catholicam Damaſci, liuore peſtifero in Chriſtianos habito, ſtimulatus propter eminentem tanti pulchritudinem templi, & prohibuit ſcribi Græce publicos logotheſij codices, ſed in Arabicis annotari ſine computo: quoniam impoſſibile eſt illorum lingua monadem, vel dualitatem, aut trinitatem, aut octo & dimidium, aut tria ſcribi, propter quod vſque hodie ſunt notarij cum eis Chriſtiani. Anno tertio imperij ſui Iuſtinianus pacem inter Romanos & Bulgares euertit, & equeſtres militias in Thracem tranſire faciens, claſſibus conſtructis contra Bulgares & Trebellin properauit. Cum autem veniſſet ad ripam, nauigium quidem ante caſtrum applicare fecit. Populo autem ſicut ouibus per campos ad colligendum fœnum diſperſo viderunt exploratores Bulgarum, vanam diſpoſitionem Romanorum, & coaceruati vt feræ ſubito irruerunt, & vehementer conſumpſerunt Romaicum ouile, multam prædam & equos & arma, exceptis his qui peremti ſunt, accipientes. Porro F Iuſtinianus cum ad caſtrum fugiſſet cum his qui euaſerant, per tres dies portas clauſas & obſeratas tenuit. Videns vero Bulgarum perſeuerantiam, ipſe ſui equi neruos primus incidens, omnes idipſum facere iuſſit. Armis autem bellicis ſupra murum poſitis noctu in ſcaphas aſcendens latenter enauigauit, & cum confuſione peruenit ad vrbem. Anno quarto imperij ſui exercitum mouit Maſalmas aduerſus Tyrannum propter indignationem exercitus vna cum Mauinis per Marinianum occiſi: & hanc obſidentes, hyemauerunt ibidem. Ad quos mittit Imperator duos prætores Theodorum Cartherucam, & Theophylactum Saliban cum exercitu & agreſti populo ruſticam operam daturo ad debellandum eos & inſequendum. Ipſi vero ad contritionem venientes in alterutrum, & inordinate in eos congreſſi, ſtatim vertuntur, & multa millia perierunt, & captiui ducti ſunt multi. At illi ſecinis eorum & cibis acceptis obſederunt quouſque ciuitatem ceperunt. Defecerat enim eis eſca, & per hoc receſſuri G erant. Porro viri Tyannenſes his verbis deſperati, acceperunt verbum indemnitatis ſuæ, & exierunt ad eos, & derelicta eſt ciuitas deſerta vſque in præſentem diem. Verum illi non ſeruantes verbum, hos in eremum exules tranſmiſerunt, & multos ex his ſeruos retinuerunt. Anno quinto imperij Iuſtiniani mouit exercitum Abas contra Romaniam, & multis in captiuitatem ductis rediit, & cœpit ædificare Gaiis in regione Eupoleos. Anno 6. imperij Iuſtiniani mouit exercitum Muctam aduerſus Ciliciam, & multa caſtra accepit verbo. Proditum eſt eis & Camachum cum adiacentibus ſibi locis. Interea Iuſtinianus ſtolo copioſo armato Maurum patricium miſit Cherſonam vna cum Stephano patricio cognomento Aſmicto, malorum memoria ſuccenſus, inſidiarumque recordatus contra ſe à Cherſonitentibus & Boſphoronianentibus, & reliquis climatibus effectarum. Omnes naues, dromones videlicet & ſcaphas, chimætas & lintres vſq; ad Chelandia per collationem ab vnoquoque inhabitantium vrbem, ſenatorum H videlicet & ergaſticorum & plebeiorum, ac omnis officij collegit. Quibus miſſis præcepit, omnes habitantes in caſtris illis gladio interficere, & neminem viuificare, tradens eis & Heliam Spatarium, qui deberet prætor Cherſones conſtitui. Qui Cherſonem venientes nemine ſibi reſiſtente caſtra ceperunt, & omnes gladio interfecerunt, exceptis paruulis, his parcentes, & ſibi hos in ſeruitium reſeruátes. Tudunum autem principem Cherſonis, qui & ex perſona Chaiani erat, & Zelum ex linea & genere eius, qui & primus ciuium habebatur, atque alios illuſtres & primores quadraginta Cherſonis vna cum familia ipſorum vinctos ad Imperatorem duxerunt. Alios vero ex primoribus Cherſonis ſeptem, in verubus ligneis igni applicatos aſſauerunt. Alios etiam viginti poſt tergum horum vinctis brachiis ad proram nauis alligantes, & lapidibus hanc implentes, in profundum miſerunt. His autem Iuſtinianus auditis, ſuper ſalute puerorum ſæuiens, iuſſit eos quantocyus ad ſe venire. Cum autem ſtolus menſe Octobri motus, & in pelago præoccupatus fuiſſet, in aſtri ortu quod Taurus dicitur, pene totus demerſus eſt,

A Sane numerati ſunt eorum qui ſubmerſi ſunt ſeptuaginta tria millia. At vero Iuſtinianus his agnitis non eſt triſtatus, quin potius gaudio repletus, & huiuſmodi adhuc væſaniæ deditus, clamore magno minitans, iterum alium ſtolum mittit, & arari vſque ad pauimentum, & illidi vniuerſos qui remanſerant paruulos ad parietem iuſſit. Audierunt hæc qui erant ex caſtris illis, & ſe munierunt, coactique contra Imperatorem ſapere, miſerunt ad Chaianum in Gazariam petentes populum ad cuſtodiam ſui. Verum inter hæc erigitur & Helias Spatarius, & Bardanes exul, qui tunc fuerat è Cephalonia reuocatus, eratque cum claſſe apud Cherſonen. Porro Imperator his cognitis, miſit cum paucis dromonibus Gregorium patricium cognomento Syrum, & generalem logothetam, & Ioannem præfectum, atque Chriſtophorum Turmarchen Thracenſium cum trecentis armatis, tradens eis Tudanum ac Zelum, qui deberent Cherſonæ reſtitui ſecundum quod antea fuerant, ad rationem reddendam Chaiano per apocriſarium, B ducendoſque ad ſe Eliam atque Bardanem: Quibus tranſmeantibus in Cherſonam, his Cherſonitæ rationem reddere dignati ſunt: in craſtinum vero ſolos hos ciues ingredi exhortati portas clauſerunt, & generalem logothetam vna cum præfecto gladio trucidauerunt. Tudanum vero cum Zelo etiam ducto Turmarche vna cum trecentis militibus Gazaris tradiderunt, & ad Chaianum mittere curauerunt. Tudano autem in itinere mortuo, Gazari in ſuſceptione eius occiderunt turmarchen vna cum trecentis militibus. Tunc hi qui Cherſones erant, cæterorumque caſtrorum, Iuſtiniano mala imprecati ſunt: Bardanem vero Philippicum, qui illic fuerat exilio relegatus, etiam in Imperatorem laudibus extulerunt. His compertis Iuſtinianus peramplius inſaniens, filios quidem Heliæ Spatarij in matris ſinu peremit. Hanc autem coëgit coniungi coquo, qui erat genere Indus. Sicque alio nauiglo conſtructo Maurum patricium Beſum dirigit, traditis ei ad expugnationem ciuitatum machinis, & ariete, C omnique inſtrumento ad vrbis exterminium, mandans illis quidem muros Cherſones, omnemque vrbem ad terram proſternere, nullam vero animam ex ipſis viuificare, crebriſque quæ agerentur ſuggeſtionibus intimare. Hoc autem tranſmeante, perque arietem turrem, quæ dicebatur Centinariſia, ſimul & proximam eius Syagrum vocatam deponente, Cazariſque peruenientibus, factæ ſunt induciæ belli. Bardanes autem fugiens ad Chaianum pergebat. Cum vero inefficax ſtolus effectus ad Imperatorem remeare minus auderet, Iuſtinianum quidem execrati ſunt, Bardanem autem vt Imperatorem laudibus extulerunt. Præterea petierunt à Chaiano vt daret ſibi Philippicum. Porro Chaiano verbum ab illis exigente ne proderetur ab eis, & deferretur ei per vnumquemque virum numiſma vnum: illi protinus bis datis acceperunt Philippicum Imperatorem. Cum autem claſſis moraretur, & ſuggeſtio nulla veniret, ſenſit Iuſtinianus cauſam, ſumpriſque his qui ſecum erant Obſicij, & parte Thracenſium, aſ- D cendit vſque Sinopen ad diſcenda quæ Cherſonæ fuerant geſta. Cumque intueretur vlteriores partes, vidit claſſem, & ad vrbem reuerſurus, impetum demonſtrauit. Verum Philippico præueniēte vſque ad Damaſtrin caſtrametatus eſt. At vero Philippicus continuo mittit contra Tiberium quidem, Maurum patricium, & Ioannem Spatarium cognomento Struto: Heliam vero cum incurſione militari contra Iuſtinianum in Damaſtrin: iterumque alium contra Bariſbacurium, qui fuga fuerat vſus. Et Maurus quidem vna cum prædicto Struto, cum ad Blacernas abiſſet, inuenit Tiberium altera tenētem manu columellam ſanctæ menſæ Dei, & Dei genitricis altaris: & altera pretioſa ligna, & in collo phylacteria: extra tribunal autem reſidentem Anaſtaſiam patris eius matrem, quæ Mauri prouoluta pedibus, flagitabat ne ſuus occideretur nepos Tiberius, vtpote qui nihil geſſerit prauum. Cumque ille pedes huius teneret, & cum lachrymis ſupplicaret, ingreſſus eſt Strutus intra tribunal, & vi arripuit illum, & pretioſa quidem ligna ab eo ſublata ſupra menſam poſuit, phylacteria vero in collo ſuo ſuſpendit. Puero autem foras educto & deſpoliato, ſupraque limen expanſo, guttur eius inſtar ouis ſecarunt: & hunc in templo ſanctorum Anargirorum, quod Paulinæ vocatur, ſepeliri mandarunt. E Comprehenſus præterea & Bariſbacurius primus patricius & comes Obſicij eſt interemptus. Porro Helia vna cum eo qui ſecum erat aſcendente in Damaſtrin, & ad ſermones cum eo qui illic erat exercitu veniente, verbumque impunitatis populo qui erat cum Iuſtiniano præbente, & ſequeſtrati ſunt vniuerſi, & diſceſſerunt à Iuſtiniano, ſolum hunc deſerentes, & ad partes Philippici confluentes. Tunc prædictus Helias furore repletus currens collo eius comprehenſo, pugione quo erat accinctus, caput eius amputauit, & per Romanum Spatarium ad Philippicum miſit. At vero Philippicus per eundem Spatarium hoc ad Occidentales partes vſque Romam tranſmiſit. Præterea priuſquam imperaret, erat quidam incluſus in monaſterio Calliſtrati præuiſor, & hæreticus, qui ad ſe venienti Philippico dixit: Imperium tibi eſt repoſitum. At ille turbatus eſt: Et ait: Si iubet Deus, tu ob quam rem contradicis? Hoc autem dico, F quia ſexta ſynodus male facta eſt. Si ergo imperaueris, hanc proiice, & imperium efficietur tibi forte atque longæuum. Qui cum iuramento ſpopondit ei ſe hoc facturum. Cum autem Leontius Iuſtiniano ſucceſſiſſet, aſcendit Philippicus ad incluſum, qui dicit ei: Ne feſtines, fiet tibi. Cumque Abſimarus imperaſſet, rurſus aſcendit ad eum. Cui iterum ille ait: Ne acceleres, illud enim præſtolatur. Porro cum Philippicus hoc quibuſdam amicis ſuis fuiſſet confeſſus confidenter, ab eis Abſimaro nunciatum eſt, qui cæſum & tonſum atque ferreis vinculis alligatum hunc Cephaloniam exulem miſit. Cum autem Iuſtinianus imperium ſuſcepiſſet, reuocauit eum, & cum regnaret, fecit pſeudoſynodum Epiſcoporum, iuxta pſeudomonachi & incluſi ſermonem, & abiecit ſanctam & vniuerſalem ſextam ſynodum. Eodem anno ille vanus oculorum cæcitatem incurrit. Quibus diebus cum in multa poſitus ſecuritate degeret Iuſtinianus, multitudinemque pecuniarum & ſplendidiſſimarum ſubſtantiarum, G illic ex multis retro temporibus ab his qui antea imperauerant, ex proſcriptionibus & diuerſis occaſionibus, maximeque à prædicto Iuſtiniano collectarum inueniſſet, hæc fruſtra & incaſſum ac ſine dolore diſperſit. Et in diſputationibus quidem ſuis rationabilis & prudens æſtimabatur, in actibus autem & honeſtate indigne conſummans improbabilis demonſtrabatur vbique. Erat autem hæreticus & adulter.

Anno ab incarnatione Domini DCC. IV. Romanis imperat Philippicus, qui regnauit annis duobus. Arabibus autem præeſt Vlid, qui ducatum nouem annis tenuit. PHILIPPICVS. Anno igitur primo imperij ſui Philippicus Armenios de terra ſua pellens, in Armenia quarta & Militene habitare coëgit. Porro non præualuit ſæuius moueri contra ſanctam Eccleſiam, & vniuerſalem ſanctam ſynodum ſubuertere ſtudens, diuinaque ab eo roborata ſunt dogmata. Reperit autem ſui ſenſus Ioannem, quem Epiſcopum Conſtantinopoleos fecit, depoſito Cyro præſule, H quem & in exilio relegauit in monaſterio Choras: Nicolaumque diaconum Calicum effecit, qui cum medicinali eſſet diſciplina ſophiſta, tunc Quæſtor erat. Algepidum diaconum magnæ Eccleſiæ, atque Antiochum Chartophylacem, & alios morum eorundem, quique etiam ſcripto anathematizauere ſanctam ſextam ſynodum. Interea Bulgares per Aphilea clam in anguſtum incidentes, & magna cæde facta vſque ad vrbem diſcurrentes, & multos tranſuehentes nuptiis opulentis, & dapſilibus prandiis cum vario argento, cæteroque apparatu reperientes, vſque ad Auream portam diſcurrentes, totaque Thrace præda euacuata, illæſi cum innumeris pecoribus reuerſi ſunt ad propria. Similiter & Arabes Miſtiam ceperunt, & alia caſtra multa, præda familiarum plurimarum & pecorum innumerabilium facta. Anno ſecundo imperij Philippici, mouet exercitum Abas contra Romaniam, & accepit Antiochiam Piſidiæ cum multa præda, & reuerſus eſt. Factus eſt autem terræmotus in Syria. Biennio vero imperij Philippici tranſacto, circoque natalitio cum Praſini viciſſent, viſum eſt Imperatori

A ſabbaro Pentecoſtes equitem cum ſuſceptione ac orga-
nis ingredi, & lauari in publico balneo Zeuxippi,& cum
ciuibus proſapiæ antiquæ prandere. Cum autem meridie
requieſceret, repente per Auream portam introiuit Ruf-
fus primus ſtratorum Obſicij cognomento Buramphl, &
Theodorus patricius Myaceſij cum taxatis quos habebat
in Thrace thematis ſui, & feſtinans in palatium, inuenit
Philippicum meridie quieſcentem; & comprehenſum
eum duxit in oratorium Praſinorum, & illic oculos eius
eruit nullo ſciente. In craſtinum autem, id eſt Penteco-
ſtes, coaceruato in magna Eccleſia populo coronatus eſt
Artemius primus à ſecretis, mutato nomine Anaſtaſius.
Sabbaro vero poſt Pentecoſten, oculis priuatus eſt Theo-
dorus Myaceſij,& ſecundo ſabbato idipſum pertulit Gre-
gorius Buramphus, & in exilium miſſi ſunt apud Theſſa-
lonicen.

Anno ab incaratione Domini D C C. V I. Artemius
B Romanis imperat. Maſalmas igitur incurſiones aduerſus
Romaniam mouit, &deſpoliata Galatia rediit cum præda
& ſpoliis multis. Aſt Artemius magiſtratibus in equeſtri-
bus militiis idoneis; & rationabilibus, in rebus ciuilibus
ordinatis, iam requiem adeptus degebat. Cumque Ara-
bes contra Romaniam, Maurophorique armarentur, Im-
perator miſit principes in Syriam ad Vlid, quaſi pro bis
quæ ad pacem pertinent loquuturos, Danielem ſcilicet,&
inter alios Sinopitem patricium & præfectum vrbis,man-
dans eis diligenter inueſtigare de motu eorum, & virtute
contra Romaniam inſtruenda. Qui cum audiſſent & re-
meaſſent, nunciauerunt Imperatori, magnum contra re-
giam vrbem per terram ac mare inſtrumentum eorum.
Tum ille præcepit quouſque quiſque haberet ſumptus,
vſque ad triennij tempus ſe ſollicite præparare: qui autem
hoc non poſſederit, ab vrbe inquit diſcedat. Conſtituit
autem præpoſitos conſtruentium naues, & cœpit ædifi-
care dromones & trietes igniferas, & maximas trietes. Et
C maritimos quidem renouauit muros, ſimiliter autem &
terrenos, ſiſtens arcobaliſtas, & magnas in turribus, &
argumentoſas alias machinas: & ſecundum quod poſſibi-
le erat, ſibi vrbem muniuit, frugeſque plurimas in rega-
libus horreis poſuit, atque municiſſime ibi ſeruauit. Anno
ſecundo imperij Artemij, qui & Anaſtaſij, mortuus eſt
Vlid Arabum dux, & Zulcimin filius Habdimelich in
principatu ſucceſſit, qui tribus præfuit annis. Eodemque
anno tranſlatus à Cizico vrbe Metropoli Germanus Con-
ſtantinopolim, in quo & commonitorium tranſlationis,
quod ſubinfertur, pronunriatum eſt continens ita. Ele-
ctione & approbatione religioſiſſimorum presbyterorum
& diaconorum totius venerabilis cleri, ſacrique Senatus,
& amici Chriſti populi à Deo conſeruandæ huius regiæ
vrbis diuina gratia, quæ ſemper infirma curat, & ea quæ
non ſunt adimplet, tranſtulit Germanum ſanctiſſimum
præſulem Cizicenſium metropoleos in Epiſcopum huius
à Deo conſeruandæ, ac Imperatoriæ ciuitatis. Facta eſt
D præſens tranſlatio in præſentia Michaëlis ſanctiſſimi preſ-
byteri, & apocriſarij apoſtolicæ ſedis, & reliquorum ſa-
cerdotum ac præſulum ſub Artemio Imperatore. Porro
cum Artemius didiciſſet, quod claſſis Sarracenorum ab
Alexandria in Phœnicem properaret ad incidendum li-
gnum cypreſſinum, electis ex proprio ſtolo velocibus
ſcaphis miſit taxatos, ex themate. Obſicio omnes apud
Rhodum amnem colligi iuſſit, præpoſuitque prætorem
eius & caput Ioannem magnæ Eccleſiæ miniſtrum, qui
dicebatur Papa Ioannacis, quique generalis tunc erat lo-
gotheta. Is ergo cum Rhodum adiiſſet, & nauigia con-
ueniſſet, alloquebatur principes ſuper munitione ac iti-
nere ipſorum in Phœnicem ad incidendum lignum, &
præparationem Agarenorum quæ inueniretur. Cumque
omnes alacriter obaudiſſent, hi qui erant Obſicij nullate-
nus admiſerunt, & Imperatorem, quidem deteſtati ſunt,
diaconum vero Ioannem frameis peremerunt. Hi ergo
ſtolidi viſi adiua nauigauerunt loca: illi vero nequam ope-
ratores contra regiam aſcenderunt vrbem. Cum autem
Adramizium adiiſſent, eſſentque ſine capite, inuenerunt
illic hominem indigenam nomine Theodoſium, qui erat
tributorum publicorum exceptor, iners ac idiota, &
hortati ſunt eum imperare. At ille fuga lapſus in mon- E
te latebat: Quem inuentum vt Imperatorem laudibus
extulerunt; vi cogentes hunc. Quibus Artemius cogni-
tis præfecit vrbi domeſticos homines ſuos principes cum
ſtolo quem ipſe conſtruxerat, & armatis eis ipſe Niceam
ingreſſus abiit in vrbem, & ibidem ſe muniuit. Rebelles
autem aſcendentes, & commoto toto themate Obſi-
cij & Gotthogræcis comprehenſis, multiſque puſillis &
magnis, negotiatoriis ſcaphis per terram & per mare
Chryſopolim venerunt. Cum autem vrbis claſſis in por-
tum ſanctæ Mammæ ſtationem fixiſſet, ſingulis quibuſ-
que diebus per ſex menſes inuicem expugnarunt. Cum
autem ſtolus vrbis ad Neorij vrbis portum profectus ſte-
tiſſet, tranſiens Theodoſius Thracenſes obtinuit partes.
Proditione vero facta per portam ſingularis muri Blacer-
narum, vrbem cepit. Aſt iniqui Obſequij populi vna
cum Gotthogræcis noctu per domos ciuium diſcurren-
tes, nulli parcentes, maximum excidium operati ſunt.
Principes autem qui in ea erant Artemio vna cum Ger- F
mano ſanctiſſimo Patriarcha Conſtantinopolitano com-
prehenſo, duxerunt in caſam Artemij, & eorum qui
cum ipſo erant. Porro Artemius his viſis deſperationem
ſui confeſſus, ſemetipſum tradidit, verboque impunita-
tis accepto, monaſtico indutus eſt habitu. Quem Theo-
doſius illæſum reſeruans, apud Theſſalonicam exilio re-
legauit. Porro Philippicus imperauit annis quidem duo-
bus, & menſibus nouem, Artemius vero anno vno, &
menſibus tribus. Leo præterea cum eſſet prætor Orien-
talium, quoniam auxiliabatur Artemio, non eſt ſubdi-
tus Theodoſio. Habebat autem conſpirantem ſibi &
concurrentem Artabaſdum Armenium prætorem Arme-
niacorum, cui & ſpopondit filiam ſuam ſe in vxorem
daturum, quod & fecit.

Anno ab incarnatione Domini D C C. V I I I. Theo-
doſius imperat anno vno. Cuius tempore Maſalmas ad-
uerſus Conſtantinopolim aciem dirigit, & præmiſit Zul-
cimin cum exercitu per ſiccum, Haumarum vero per ma- G
re. Porro ipſe poſt eos cum multo apparatu venit hoſti-
li. Zulcimin autem, & Bacarius Amorium peruenientes
ſcribunt ad Leonem prætorem Orientalium ita: Noui-
mus quia imperium Romanorum te decet, veni ergo ad
nos, & loquamur quæ ad pacem ſunt. Intuens autem
Zulcimin Amorium exercitum non habere, & inimicitia
penes magiſtratum iacere ob auxilium quod Artemio
conferebat, obſedit illud volens illic Maſalmam expecta-
re. Mox autem vt appropinquauit ciuitati, cœperunt Sar-
raceni laudibus diffamare prætorem Leonem Imperato-
rem, rogantes & hos qui intus erant idipſum efficere.
Videntes autem & hi qui erant Amorij quod Sarraceni
hunc amore laudarent, laudauerunt & ipſi. Cognoſcens
vero prætor quod taxatis ac principibus non exiſtentibus
periturus foret Amorium ſignificat Zulcimin: Si vis, in-
quiens, vt veniam ad te, & quæ pacis ſunt loquamur, cur
obſides ciuitatem? At ille: Veni inquit,& recedo,& ac-
cepto ab eo verbo prætor cum trecentis equitibus venit H
ad illum. Videntes autem eum Agareni veſtiti loricis ſuis
venerunt ei obuiam, quia manebat dimidio procul à ca-
ſtris eorum vno milliario. Per tres ſane dies eo procedên-
te, ad ipſum quæ ad pacem ſunt loquebantur, & vt à ciui-
tate recederent. At illi aſſerebant: Sponde pacem,& rece-
dimus. Comperto vero prætor quod vellent eum retinere,
vocauit multos ex illuſtribus Sarracenis ad cœnam,& de-
ſcendentibus eis, miſit Zulcimin tria millia loricatorum
ad circundandum eum ne fugeret, & ſeruandum. Qui co-
gnita cuſtodia nunciant ei, quia multitudo equeſtriū Sar-
racenorum in circuitu noſtro ſtat. Veniens autem vnus ex
eis eques nomine Zubeir, in præſentia ſtetit dicens: Seruus
furatus pecunias multas fugit,& propter illum equis inſe-
dimus. Porro ipſorum agnita prætor deceptione dixit ad
eum: Ne turbemini: nam quocumque perrexerit, in ca-
ſtris noſtris reperiemus eum. Triſtatus autem voluit oc-
culte per hominem ſuum innoteſcere his qui Amorij
erant dicens: Timete Deum, ne voſmetipſos prodatis: Ec-
ce enim & Maſalmas appropinquat, & exiit etiam Epiſ-
copus ad eum, & eadem ipſa dicit ei: Cum vero Zulcimin

A :dicilſet,quod exiſſet ad eum Epiſcopus,mittit ad prætodicens:Da nobis Epiſcopum. Qui mœſtus factus ab . ndit eum, & cuidam hominum ſuorum præcipiens, Nobis, inquit, colloquentibus indue eum aliis ſtolis, & quaſi propter ligna vel aquam miſſum, ſine vt vadat in montes. Inſiſtentibus autem pro eo Sarracenis, dicit prætor:Nonne hic? veruntamen pergite ad Amiram,& venio ipſe,& de cunctis loquemur. Ipſi autem cogitantes,quod cum introiſſet ad Amiram, in medio ipſorum retinerent eum,hunc dimiſerunt. At ille cum equo inſediſſet, profecturus cum hominibus ducentis,quaſi venaturus, dedit ſe in partem ſiniſtram. Sarraceni ergo qui erant cum eo, dicunt ei: Quo vadis? qui ait:In pratis volo manere. At illi dixerunt. Conſilium tuum non eſt bonum, & non venimus tecum. Tunc prætor dicit ſuis:Verbo nobis dato tenere nos voluerunt, & propter nos Chriſtianos perdere. Verum ex his hominibus vel animantibus quæ remanſerunt,nullum retinent. Et cum iſſent millibus decem,manſit.Poſtera vero die mittit ſtratorum ſuorum domeſticum, B & ſignificat eis:Quia verbum mihi dediſtis,& dolo me retinere voluiſtis,idcirco receſſi.At vero Maſalmas clauſuras tenebat & tranſietat.Zulcimin autem hoc ignorabat.Porro tumultuati ſunt Amitæi & populus Zulcimin perhibentes:Vt quid obſidemus muros, & incurſiones non facimus? Depoſitiſque tabernaculis diſceſſerunt.Prætor autem Nicetam Turmarcham cum octingentis militibus in Amorium introduxit, emiſſis multis mulieribus & infantibus, & proficiſcitur in Piſidiam. Cum autem Maſalmas veniſſet in Cappadociam,exierunt ad eum, vt ſe reciperet flagitantes. Audita vero Maſalmas inimicitia,quam habebat Theodoſius in Prætorem,volens hunc decipere,& paciſci cum eo, ac per ipſum Romaniam ſibi ſubiicere, dicit eis:Non eſtis Prætoris? At illi: Etiam.Qui dixit:Facitis quicquid ipſe facit?Qui dixerunt:Etiam.Tunc dicit eis:Ite ad caſtra veſtra,& quenquam timere nolite. Iuſſitque populo ſuo ne prædarentur in cunctis prouinciis. His prætor compertis, & intelligens quod Zulcimin nunciaret C Maſalmæ, quod ſe dimiſerit & diſceſſerit, miſit litteras ad Maſalman dicens: At te volebam venire, ſed Zulcimin cum eueniſſem,tenere me voluit, & idcirco metuo venire ad te. Dicit ergo Maſalmas homini Prætoris: Noui quod illudat mihi Prætor,ne penitus deprædet prouincias eius. Dicit ei homo Prætoris:Non eſt ita, ſed in veritate ſcribit tibi.Tunc interrogat:Quomodo eſt,inquit,Amorium erga illum? Ait:Bene, & in ſubiectione eius. Iratus autem iniuriis afficit eum dicens:Cur mentiris? At ille:Ita eſt vt dixi. Et taxatas miſit vna cum Turmarcha in ipſum, & eduxit abundantiores familias. Tribulatione itaque ingenti Maſalmas ſuper hoc accepta cum furore expulit eum. Conſilium quippe habebat æſtate capere illud, & expectandi claſſem,& ſic in Aſiam deſcendendi atque hyemandi. Ergo quæſito iterum Prætoris homine ſciſcitabatur ab eo. Ille vero iureiurando dixit ad eum: Omnia quæ aio tibi, vera ſunt,ſed & multi in id taxati cum Turmarcha ingreſſi ſunt, cunctamque ſubſtantiam ibidem habitantium & & inopes familias eduxit illinc. His auditis ſcribit Prætori:Veni inquiens ad me,& tecum paciſcor, & vniuerſa vt vis parabo. Contemplatus igitur Prætor, quod Maſalmæ D appropinquaſſet, & quod in aliis quinque diebus prouincias ſuas tranſiturus eſſet miſſis ad eum duobus Conſulibus,ſignificat ei dicens:Literas tuas accepi,& voluntatem tuam ſuſcepi, en ad te venio. Sed vt noſti,Prætor ſum: & pecunia, & argentum, & populus me ſecuturus eſt. At permitte mihi per hoc ſuper vnoquoque ipſorum verbum. Et ſiquidem quemadmodum requiro ex vobis, cauſa mea fuerit facta, bene & optime:ſin autem,indemnis ſaltem & tribulatione proficiſcar excepta. Conſulibus ergo peruenientibus ad eum Theodoſianis,dicit illis Maſalmas:Sciebam quod illuderet mihi Prætor vere. At illi, Abſit inquiunt. Tunc facto quod quæſierat verbo abſoluit eos, donec Conſules cum ſubſcripto verbo ad Prætorem fuiſſent reuerſi.Maſalmas vero multitudines copioſas habens, & nuſquam ſtare valens,Acroenum adit.Præterea cum vidiſſet Prætor quod ille ſuas tranſiſſet prouincias,Nicomediam vadit, & Theodoſij filium conſequutus, capit hunc cum omni apparatu regio, & viris primis Palatij. At vero E Maſalmas deſcendens in Aſiam hyemauit illic, & Haumat in Cilicia. Aſt prætor aſſumpto Imperatoris filio, & inito conſilio cum his qui ſecum erant, venit Chryſopolim. Porro Theodoſius compertis his quæ geſta ſunt,conſilio à Germano Patriarcha & Senatu percepto, per eundem Patriarcham à Leone indemnitatis verbum accepit, & Eccleſiæ ſine perturbatione ſeruandæ,& ſic ei committunt imperium. Porro Theodoſius vna cum filio ſuo clerici facti, reſiduum vitæ ſuæ tranſierunt in pace: veniens autem Maſalmas Pergamum hanc obſedit, & indulgentia Dei per operationem diabolicam accepit, & magiſterio cuiuſdam magi. Adductam enim viri ciuitatis illius mulierem incinctam iamque parituram inciderunt,& aſſumpto paruulo in cacabo coxerunt.Atque in huiuſmodi Deo deteſtabili ſacrificio omnes qui bellare volebant, dexteræ manus ſuæ manicas intingebant, & idcirco traditi ſunt inimicis.

F

Explicit Liber Vigeſimus.

Incipit

LIBER VIGESIMVS PRIMVS.

ANno ab incarnatione Domini DCC.IX. Leo Romanorum prouehitur Imperator,qui viginti quatuor imperauit annis. Zulcimin vero Arabum dux noſcitur,qui tribus præfuit annis. Hoc itaque anno Leo imperare cœpit:ex Germanicenſibus deriuatus,genere Syrus, qui à Iuſtiniano cum prius regnaret, transfertur in Meſembriam Thraciæ. Porro poſteriore Imperij ſui tempore,cum veniret vna cum Bulgaribus, obuius ei fuit cum muneribus ouium quingentarum. Placatus autem Iuſtinianus Spatarium illum protinus fecit,& habuit hunc ſicut germanum amicum. G Præterea inuidia ducti quidam detrahebant ei, tanquam Imperium appetenti. Cum vero quæſtio ſuper hoc fieret,velut inſimulatores confuſi ſunt. Sane huiuſcemodi ſermo ex tunc ei cœpit dici à multis. Iuſtinianus licet lædere eum voluerit, tædium quidem ſibi contra eum iniicitur:& mittit eum in Alaniam cum pecuniis ad commouendos Alanos aduerſus Abaſgiam,Sarracenis retinentibus tam Abaſgiam, quam Lazinen & Hiberiam. At ille cum pergeret in Lazicam,pecunias quidem repoſuit apud Phaſidem, perpaucisque aſſumptis Indigenis apud Apſiliam, cum tranſiſſet Caucaſios montes, venit in Alaniam. Iuſtinianus vero volens eum perdere, miſit & tulit pecunias ex Phaſide.Alani autem cum omni honore ſuſcipientes Spatarium,atque verba ipſius audientes,introierunt,& prædati ſunt Abaſgiam. At vero dominus Abaſgorum intimat Alanis dicens: Vt inuenio alium talem mentionarium Iuſtinianus quem habuit, quem mittere debuiſſet, & commouere vos contra nos vicinos veſtros niſi hominem iſtum? Fefellit enim vos & circa repromiſſionem H quoque pecuniarum: mittens enim Iuſtinianus has abſtulit. Sed date nobis eum,& præbemus vobis numiſmata tria millia, & priſca charitas noſtra non ſoluatur. Verum Alani dixerunt.Nos non propter pecunias obediuimus ei, ſed propter dilectionem Imperatoris. Iterum Abaſgi mittunt ad eos dicentes: Date nobis eum, & tribuemus vobis numiſmata ſex millia. Porro Alani volentes diſcere regionem Abaſgorum: repromiſerunt ſe accipere illa numiſmata ſex millia, & dare Spatarium. Alani vero confeſſi ſunt Spatario cuncta & dicunt: Quemadmodum vides, via quæ ducit in Romaniam clauſa eſt, & quomodo tranſeas non habes: ſed potius callide agamus, & polliceamur quod tradamus te eis, & mittimus homines noſtros cum eis,& diſcimus clauſuras eorum,& irruimus, & exterminabimus regiones ipſorum. Apocriſiarij vero Alanorum abeuntes in Abaſgiam: & repromittentes Spatarium prodere, plurima xenia acceperunt ab eis, & plures miſſos denuo mittunt ſimul etiam cum quantitate auri ad recipiendum Spatarium.Alani vero Spatario aiunt:Homi-

nes iſti, quemadmodum & ante prædiximus, ad recipiendum te venerunt, & Abaſgia te præſtolatur, & quoniam proximi ſumus eis, negotiatores euntes ad illos non deficiunt. Ergo ne prodas conſilium noſtrum. Trademus te manifeſte: & cum nos moti receſſerimus, mittimus occulte poſt tergum: & illos quidem occidemus, te autem occultabimus, donec coacervatus populus noſter, & ſic concorditer ingrediemur terram eorum. Quod & factum eſt. Comprehenſo denique Spatario cum hominbus eius, miſſi Abaſgorum vincientes eum abibant. Dein retro venientes Alani cum Lotaxo domino ſuo occiderunt Abaſgos. Spatarium occultantes, & electis militibus motus eſt contra eos in Abaſgiam, & inſperato clauſuras ingreſſus multam in Abaſgia prædam & exterminium operatus eſt. Quibus auditis Iuſtinianus, & comperto quod etiam ſine pecuniis præcepta ſua ſunt acta, mittit literas ad Abaſgos: Quia ſi ſaluum inquiens Spatarium noſtrum cuſtodieritis, & per vos illæſum tranſire permiſeritis, omnes exceſſus veſtros vobis ignoſcimus. At illi cum gaudio his receptis, miſerunt denuo in Alaniam perhibentes: Dabimus vobis obſides filios noſtros, & date nobis Spatarium, vt mittamus eum ad Iuſtinianum. Verum Spatarius hoc admittere noluit aſſerens: Valet mihi Deus aperire oſtium exeundi. Nam per Abaſgiam non exeo. Poſt aliquod vero tempus, cum exercitus Romanorum & Armeniorum ingreſſi eſſent in Lazicam, & Archoopolim expugnarent. Sarracenorum audito aduentu receſſerunt. Separati vero ex eis vſque ad ducentos aſcenderunt in partes Abſiliæ atque Caucaſiorum montium deprædantes. Sane Sarracenis ad Lazicam venientibus, fuga lapſus Romanorum Armeniorumque populus, Phaſin remeans adit. Ducenti vero illi remeantes in Caucaſiis ſtetere montibus latrocinantes, & ſui deſperationem patientes. Quo comperto Alani arbitrati ſunt multitudinem Romanorum in Caucaſiis montibus eſſe; gaudenteſque aiunt Spatario: Romani appropinquant, perge ad eos. Aſſumptis ergo Spatarius Alanis quinquaginta, tranſiuit cum cyclopedibus Maio menſe Caucaſios montes, & inuenit eos. Vnde multum gauiſus ſciſcitabatur vbinam eſſet populus. Qui dixerunt, Sarracenis irruentibus in Romaniam ſunt reuerſi. Nos autem non valentes in Romaniam ire, ad Alaniam venimus. Et dixit ad eos: Quid faciemus modo? Per regionem iſtam impoſſibile eſt tranſire nos. At vero Spatarius ait: Non eſt poſſibile per aliam tranſire. Caſtrum ergo erat illic cognominatum Siderium, in quo loco quidam ſeruator habebatur, Manius nomine, ſub ditione Sarracenorum conſiſtens, & pacem cum Armeniis habens. Mittit itaque Spatarius & ſignificat ei dicens. Quandiu cum Armenis pacem habes, paciſcere & mecum, & eſto ſub regno meo, & da nobis auxilium deſcendendi ad mare, & tranſeundi ad Trapezuntenſium loca. Eo vero patrare hoc non proponente, mittit Spatarius ex hominibus ſuis ad Armenios præcipiens eis, vt facerent occultationem: & cum exierint, inquit, è caſtro ad laborem, capite ex eis quotquot poteſtis, portaſque tenete ab his qui foris ſunt, donec & nos veniamus. Quibus abeuntibus & facientibus occultationem, cum populus eſſet ad laborem, egreſſi ſubito irruerunt, & portas tenuerunt, & multos ceperunt. Cum autem Pharaſmanius in caſtris cum paucis veniſſet, peruenit & Spatarius, & præloquutus eſt cum Pharaſmanio, vt aperiret cum pace. Qui noluit, ſed coacervauit bellum. Verum cum caſtrum munitum eſſet, capere id minime potuerunt. Marinus vero primus Abſilienſium cum didiciſſet quod caſtrum expugnaretur, timore detentus eſt: exiſtimans multum eſſe cum Spatario populum, & ſumptis ſecum trecentis, abiit ad Spatarium dicens: Ego te ſaluum duco vſque ad maritima. At vero Pharaſmanius viſa neceſſitate dixit ad Spatarium: Sume filium meum obſidem, & profiteor imperio deſeruire. Qui recepto nato eius dicit ei: Qualem ſeruum teipſum perhibes? qui, cum ſis incluſus, loqueris nobis? Impoſſibile eſt nobis diſcedere, donec caſtrum capiamus. Tunc dicit Pharaſmanius: Da mihi verbum. At vero Spatarius dedit ei verbum, nihil ei nocendi, ſed cum triginta, qui vna ſecum ingrediebantur, præcepit dicens: Mox vt ingreſſi fuerimus, tenete portas, & introeant omnes. Et hoc facto tedüt miſſurus ignem in caſtra. Cum autem factum fuiſſet incendium vaſtum, exiere, quicquid poterant geſtare rapientes ex bonis ſuis: & tranſactis aliis triginta diebus deſtruxit muros vſque ad terram, & motus deſcendit in Dapſiliam cum Marino primo eorum, ſuſceptus cum ingenti honore à Dapſilienſibus. Indeque abiens ad maritima venit, & remeauit ad Iuſtinianum. Præterea Iuſtiniano interempto, & Philippico viſu oculorum orbato, imperat Artemius, qui prouexit eum Orientalium prætorem. Cum vero Theodoſius imperaſſet, & Artemius pulſus extitiſſet, Romanorumque Reſpublica eſſet confuſa tam ex Barbarorum incurſu, quam ex Iuſtiniani homicidiis, & Philippici ſceleſtis actibus, hic Leo ſtimulabatur, & pro Artemio expugnabat, Theodoſioque aduerſabatur, quin, vt verum dicatur, ad ſeipſum transferre imperium decertans, quod & fecit. Habebat autem concordantem & concurrentem ſibi Artabaſdum Armeniacorum Prætorem, quem & generum Annæ filiæ ſuæ, poſtquam regnauit coniunctum effecit, promouens illum & conſtituens Curopalaten. Interea Maſalmas cum in Aſia hyemaſſet, præſtolabatur Leonis promiſſa: cumque nil à Leone recepiſſet, & comperto quod illuſus eſſet ab ipſo, abiens Abydum rurſum tranſuexit populum copioſum in Thracem, & contra regiam vrbem commotus eſt, ſcribens ad Zulcimin protoſymbolum, quo veniret cum præparatis claſſibus. Porro XIX. Kalend. Septembr. obſidere cœpit vrbem Maſalmas, deprædatus quoque eſt Thraciæ caſtella. Circumuallato ergo terreno muro foderunt in circuitu foueam prolixam & ſuper eam ſicci lapidis maceriam poſuerunt. Kalendis autem Septembribus primæ Indictionis aſcendit impugnator Chriſti Zulcimin cum ſtolo & Amireis ſuis habens miræ magnitudinis ſcaphas, & naues ſumptus vehentes, & dromones numero octingentos, & fixit ſtationem à Magnaura vſque ad Cyclouium. Poſt duos ſane dies Auſtro flante, inde profecti nauigio venerunt ad vrbem. Et quidam eorum ad loca quæ dicuntur Europÿ & Anthemÿ, tranſmearunt: quidam autem ad partes Thraciæ à caſtello Galathi, & vſque ad Clidium applicuerunt. Verum grandibus illis nauibus ex onere aggrauatis atque retardatis, Dorſi cuſtodes vſque ad viginti ſcaphas remanſerunt, habentes centenos loricatos ad has cuſtodiendas, præterea ſerenitate, quæ has in rheumate comprehendit, effecta, & Auſtro modicum flante, ad exteriora impulſæ ſunt. Imperator vero protinus igniferis nauibus contra eos directis ab Atropoli, diuina ope igne conſumpſit: & aliæ quidem ex his ad ripæ muros proiectæ ſunt, aliæ vero vna cum hominibus in profundum demerſæ ſunt, porro aliæ vſque ad acutam & latam inſulam conſumptæ portatæque ſunt. Hi ergo qui erant ex vrbe, fiduciam perceperunt, at hoſtes magno pauore concuſſi ſunt cognoſcentes efficaciſſimam ignis operationem. Volebant enim eadem die veſperi ad ripæ muros applicare ſtationem, & temones ſupra pugnacula ponere, ſed conſilium eorum diſſipauit omnipotens per interceſſionem caſtiſſimæ genitricis eius Mariæ. Eadem vero nocte Imperator catenam à locis Galathi ſecreto remouit, inimici autem æſtimantes quod volens eos decipere, hanc mouerit Imperator, non auſi ſunt intrare vſque ad ea quæ dicuntur Galathi, vel applicare, ſed nauigantes ad ſinum Soſtenÿ illic munierunt nauigium ſuum. Sane octauo Idus Octobris moritur Zulcimin dux eorum, & Amiræ ſumit officium Haumar filius Habdimazid. Cum autem Hyems valde grauis in Thraciam veniſſet, adeo vt terra non pateret, atque in cryſtallum verſa eſſe videretur, multitudo equorum & camelorum cæterorumque animalium inimicorum mortua eſt. Porro vernali tempore venit Suphian cum ſtolo qui fuerat Ægypti conſtructus, habens naues frumenti quadringentas, & dromones, & comperta Romaici ignis efficacia, tranſcurrit in Bithyniam, & econtra tranſiens ad portum Boniagri applicuit. Poſt paululum venit & Gizid cum alio ſtolo qui fuerat conſtructus in Africa habens & ipſe naues trecentas ſexaginta, & armamentum, & ſumptus: ſimiliter & ipſe cum eadem didiciſſet de humido igne, applicuit penes Saturon & Brian, & vſque Chortam por-

A rum. Ægyptij vero doarum harum claſſium apud ſe noctu conſiliati nauium ferentium frumentum ſublatis lintribus ad vrbem confugerunt, laudantes Imperatorem, ita vt ab Heria vſque ad vrbem igneum videretur mare. Comperiens autem per eos Imperator de abſconditis in ſinu duabus nauibus, ſyphonibus conſtructis igniferis in dromones atque trieres hos immittens, contra duas claſſes direxit. Deo autem cooperante per interceſſionem intemeratæ Dei genitricis Mariæ protinus ſubmerſi ſunt inimici, & aſſumptis ſpoliis noſtri, & expenſis eorum, cum gaudio reuerſi ſunt. Adhuc autem & Mardaſan iterum à portis cum exercitu Arabum vſque Niceam & Nicomediam diſcurrente, principes regni, qui in Libio & Sophone, more Mardaitarum abſconditi erant, ſimul & pedites in hos ſubito irruentes, & diuerſis damnis afficientes illinc fugere compulerunt. De cætero modico meabilis freti aditu inuento, ab vrbe Chelandia exeuntes plurimas expenſas ferebant. Præterea fame magna Arabibus innixa B omnes moriebantur, & animalia ſua comedebant, equos videlicet, aſinos & camelos. Aiunt autem etiam quidam, quod & homines mortuos, quin & ſtercus ſuum in clibanum miſſum atque conſperſum ederent. Incubuit autem in eos & peſtilens languor, & innumerabiles ex eis perierunt. Porro coaceruauit bellum in eos Bulgarum gens, & vt aiunt qui hoc certius norunt, viginti duo millia ex Arabibus occiderunt. Et illo tempore multa eis acciderunt atrocia, ita vt experimento ducerent, quia Deus & ſanctiſſima virgo, Deique mater Maria hanc muniunt vrbem, & Chriſtianorum Imperatorem, & non eſt omnimoda dimiſſio Dei in his qui inuocant eum in veritate, licet admodum quid caſtigemur propter peccata noſtra. Anno ſecundo imperij Leonis, dux Arabum habetur Haumar, qui eis duobus præfuit annis. Eodemque anno Sergius Protoſpatarius & prætor Siciliæ, audito quod Sarraceni obſiderent regiam vrbem, coronauit illic proprium C Imperatorem virum Conſtantinopolitanum ex hominibus ſuis, filium Gregorij Onomaguli mutato nomine Tiberium vocitatum, qui fecit promotiones & ſuos principes prædicti conſilio Sergij. Aſt Imperator his auditis mittit Paulum proprium Chartularium, hunc patricium ordinatum & prætorem Siciliæ, datis in auxilium ei duobus Spatariis, & in ſeruitium eius perpaucis hominibus iuſſionibuſque ad principes Occidentis, & ſacra populo recitanda. Qui cum ingreſſi fuiſſent noctu in dromonem velocem, exierunt in partes Cizici. A loco autem ad locum per terram, perque mare itinere facto repente in Siciliam venerunt. Cumque Syracuſam introiſſent, audiuit Sergius & obſtupuit: & proprio exceſſu perpenſo, confugit ad propinquos Calabriæ Longobardos. Populus vero congregatus, & Sacra relecta per eam certus effectus, quod & imperium ſtaret, & vrbs promptior eſſet aduerſus gentes: necnon & enarrantibus illis quæ facta fuerant ſuper duobus ſtolis, Leonem Imperatorem laudauerunt, Baſilium autem Onomagulum, & principes qui ab D eo profecti fuerant, vinctos prætori tradiderunt. Ipſe vero Baſilium cum ſingulari prætore ipſius decollauit, & capita eorum puſca condita per Spatarios Imperatori tranſmiſit: reliquorum autem quoſdam aut verberatos, aut tonſos, quoſdam vero abſciſſis naribus in exilium deſtinauit. Sicque factum eſt vt hinc in Occidentalibus, magna correctionis conſtitutio fieret. Porro Sergius verbo impunitatis accepto à Prætore pariter & petito exiuit ad eum, & ita omnes pace potitæ ſunt Heſperiæ partes. Interea Haumar cum obtinuiſſet Arabes, præcepit Maſalmam redire. Sarraceni ergo moti 18. Kalend. Auguſti cum multa confuſione reuerſi ſunt. Cum autem iter ageret claſſis eorum, tempeſtas à Deo per interceſſionem Dei matris incumbens in illos, hos diſperſit, & alios quidem horum penes Proconeſum & reliquas inſulas, alios vero in vertigines & cætera demerſit in æquora: reſidui quoque cum tranſiſſent Ægeum pelagus, extemplo peruenit in eos terribilis indignatio Dei. Grando namque ignea deſcendens ſuper eos, aquam maris ebullire fecit, & pice liquefacta ſimul cum hominibus naues inductæ ſunt in profundum, decem ſolis ex eis ſaluis, & ipſis prouidentia Dei Saluatoris, ad annuntiandum nobis, necnon & Arabibus magnalia Dei quæ in illis effecta ſunt: quas etiam noſtrates inuenire potuerunt, & quinque harum comprehendere: aliæ vero quinque ſaluæ in Syriam ductæ ſunt, Dei annunciaturæ potentiam. Eodem vero anno terræmotu magno facto Haumar ciuitatibus vinum inhibuit, & Chriſtianos apoſtatare coëgit. Et apoſtatantes quidem ſine tributo eſſe faciebat, at vero non conſentientes interimebat, ac per id multos martyres operatus eſt. Sanxit autem teſtimonium Chriſtiani aduerſus Sarracenum minime recipiendum. Fecit autem & epiſtolam dogmaticam ad Leonem Imperatorem, ratus impius perſuadere quo à fide ſua ſecederet. Anno tertio imperij ſui natus eſt Leoni principi filius Conſtantinus, qui magis illo impius fuit, & Antichriſti præcurſor. Cæterum octauo Kalend. Ianuarij Maria vxor Leonis coronata eſt in Triclinio Auguſta, & proceſſit ſola cum ſolemni obſequio ſine viro ſuo ad magnam Eccleſiam, & oratione ante ingreſſum altaris effuſa tranſiit ad baptiſterium magnum, viro eius, iam cum paucis F familiaribus ingreſſo. Vbi cum Germanus ſummus ſacerdos Conſtantinum nequitiæ ipſorum & imperij ſucceſſorem baptizaret, dirum quiddam & fœdum paruulus Conſtantinos, eodem præſignans, exhibuit argumentum, cacans videlicet in ſacro lauacro, vt aiunt qui diligenter huius rei facti ſunt inſpectores, ita vt Germanus ſanctiſſimos prophetice diceret. Conſtat maximi Chriſtianis & Eccleſiæ mali per eum efficiendi hoc ſignum eſſe futurum. Poſt diuina ſane officia cum ſolemni rurſus obſequio Auguſta Maria vna cum baptizato filio reuerſa eſt, donatiuis erogatis ab Eccleſia vſque ad Æneam portam. Eodem etiam anno Niceta Xylinites ſcribit ad Artemium Theſſalonicæ morantem, quo pergeret ad Terbellim, & dat ei exercitum, & quinquaginta auri centenaria, & his receptis Conſtantinopolim venit. Vrbe ſane id minime admittente, Bulgares hunc Leoni tradiderunt, & liberali dignitate honorati reuerſi ſunt. Aſt Imperator hunc G cum Xylinite peremit, publico quoque fiſco ſubſtantiam multam poſſederat. Siſinum patricium cognomento Rendacium, eo quod fuerit cum Artemio, Bulgares capite punierunt, & Archiepiſcopum Theſſalonicenſem Leoni principi tradiderunt, qui decollatus eſt cum Artemio. Similiter & Hiſoen patricium & comitem Obſicij, & Theoctiſtum primum à ſecretis, & Nicetam Autaseen, & comitem Thiricei, vt amicos & concordes eius occidit, reliquos autem mutilatis naribus & proſcriptione damnatos in exilium miſit. Anno quarto imperij Leonis, Gizid Arabum dux habetur, filius Habdimelich, qui eis quatuor præfuit annis. Eodem anno Indictione tertia die Paſchæ redimitus eſt Conſtantinos à Leone patre ſuo in tribunali decem & nouem accubituum, Germano patriarcha faciente orationes ſecundum morem. Hoc etiam anno mortuus eſt Haumar dux Arabum, & oritur ex Perſide tyrannus, & ipſe nomine Gizid Moalabe: & abierunt cum eo ex Perſide multi. Miſſo autem Gizid Maſalma occidit H eum, & Perſidem ſubdidit. Anno quinto imperij Leonis, apparuit quidam Syrus Pſeudochriſtus, & ſeduxit Hebræos, dicens ſe eſſe Chriſtum. Anno ſexto imperij Leonis, Leo coegit Hebræos & Montanos baptizari, ac vero Iudæi baptizati contra propoſitum ſuum diluebant baptiſmum, & comedentes ſancto muneri participabantur, & contaminabant fidem, porro Montani diuinantes ſibi, & diffinientes fidem, domos introierunt errori ſuo deputatas, & incenderunt ſemetipſos. Anno ſeptimo imperij Leonis, Iudæus quidam oriundus ex Laodicea maritimæ Phœnicis, maleficus, veniens ad Gizid promittit eum quadraginta annis retenturum Arabum principatum, ſi venerabiles quæ in Eccleſia in toto principatu ſuo imagines honorabantur, deponeret. Huic itaque credens ſtolidus Gizid, edictum generale contra ſanctas imagines promulgauit: ſed gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & interceſſionibus matris eius, omniumque ſanctorum, mortuus eſt Gizid, pluribus adhuc nec audire volentibus ſathanicum ipſius edictum. Percepta ergo amara iſta & illicita nequamque doctrina, Leo Imperator multorum effectus eſt nobis cauſa malorum. Porro cum inueniſſet Iodici-

A plinationis huius conſentaneum quendam Beſer nomine,
qui natus quidem de Chriſtianis fuerat, ſed captiuus in
Syriam ductus, refuga fidei, quæ eſt in Chriſtum, reper-
tus eſt, Arabum dogmata ſectari apparuit. Is ante tempus
non multum ab illorum ſeruitute liber effectus, cum ve-
niſſet ad Remp. Romanorum, ob robur corporis & con-
ſenſum prauæ opinionis honoratus eſt ab eodem Leone;
qui & Imperatoris fautor in magni huius mali piaculo
factus eſt. Concordabat autem ei & Epiſcopus Natoliæ.
Qui indiſciplinationi eius operam dans, conſimili vita vi-
uebat cum ipſo. Anno 8. imperij Leonis, mortuus eſt Gi-
zid Arabum dux, cui ſucceſſit Euelid huius filius, & cœ-
pit ædificare per ciuitates & regiones palatia, & nauales
facere & paradiſos, & aquas educere. Mouit etiam aciem
contra Romaniam, multiſque eorum qui ſecum erant
amiſſis reuerſus eſt. Anno 9. imperij ſui cœpit impius Im-
perator Leo contra ſanctas & venerabiles imagines face-
re verbum. Quod cum didiciſſet Gregorius Papa Roma-
B nus, tributa Romanæ vrbis prohibuit & Italiæ, ſcribens
ad Leonem epiſtolam dogmaticam, non oportere Impe-
ratorem de fide facere verbum, & nouitate violare anti-
qua dogmata Eccleſiæ Catholicæ, quæ à ſanctis patribus
ſunt prædicata. Anno 10. imperij Leonis, mouit exerci-
tum Maſalmas contra Romaniam & Cæſaream Cappa-
dociæ, & cepit eam, Muhauias vero filius Euelid, aciem
mouit contra Romaniam, & cum deambulaſſet, re-
uerſus eſt. In ipſo anno æſtiuo tempore vapor vt ex cami-
no ignis viſus eſt ebullire inter Theram & Theraſiam in-
ſulas ex profundo maris per aliquot dies: quo paulatim
incraſſato & dilatato, igniti æſtus incendio, totus fumus
igneus monſtrabatur. Porro craſſitudine terrenæ ſubſtan-
tiæ petrinos pumices grandes vt cumulos quoſdam tranſ-
miſit per totam minorem Aſiam, & Lesbon, & Abidum,
& maritima Macedoniæ, ita vt tota ſuperficies maris
his pumicibus eſſet repleta. In medio autem tanti ignis
inſula ex terræ congerie facta, inſulæ quæ Sacra dicitur,
C copulata eſt, nondum prius exiſtens. Verum ſicut prædi-
ctæ Thera & Theraſia inſulæ quondam ebullierunt, ita
& ipſa nunc temporibus impugnatoris Dei Leonis, qui
diuinam iram contra ſe pro ſe fore inopinatus, impuden-
tius contra ſanctas & venerabiles imagines prælium exci-
tauit, collegam & auxiliatorem habens Beſer Dei abne-
gatorem, & in irrationabilitate ſimillimum. Ambo quip-
pe in eruditione erant, & indiſciplinatione, ex qua multa
malorum genera veniunt. Turbæque, quæ in regia vrbe
erant valde triſtes ſuper nouis doctrinis, meditabantur in
eum ſurgere, & quoſdam regios homines occiderunt. Dei
deponentes icona, quæ ſuper magnam æneam portam po-
ſita cernebatur: adeo vt multi eorum pro veritate puni-
rentur membrorum detruncationibus, & flagris, & exi-
liis, & rerum iacturis, maximeque illi qui nobilitate ac
verbo clari eſſe videbantur: ita vt etiam eruditionum
ſcholas, & piam eruditionem à ſanctæ memoriæ Con-
ſtantino Magno huc vſque ſeruatam extingueret. Cuius
videlicet cum aliis quoque multis bonis deſtructor Leo
factus eſt, eius cuius & Sarraceni ſenſus exiſtens. In his
D ergo zelo diuino moti, tumultuabantur contra eum ma-
gna congreſſione nauales exercitus concitati, tam Hella-
dici, quam hi qui Cycladum fuerant inſularum. Agallia-
nus autem Turmarcha Helladicorum erat militiæ dux, ſi-
mul & Stephanus, qui & regiæ proximantes vrbi 14. Ka-
lend. Maias decimæ Indictionis ſuperantur congreſſi cum
Byzantiis, ibi confecto igne nauibus concrematis, & alij
quidem horum demerguntur, inter quos & Agallianus
armatus ſeipſum præcipitauit. Porro ſuperſtitibus ad Im-
peratorem confluentibus, Coſmas & Stephanus capite
puniuntur. Creſcit itaque malitia impij Leonis & conſen-
tanei eius, contra pietatem extendendo perſequutionem.
per æſtiuum vero ſolſtitium huius decimæ Indictionis
poſt nequam de contribulibus acceptam victoriam, con-
tra Bythinienſium Niceam prælium conſtituunt. Sarrace-
norum Amiræi duo, Amer ſcilicet in millibus quindecim
expeditorum præcurrens, & inſperate circundans ciuita-
tem: & Muhauias ſubſequens in aliis octoginta quinque
millibus: quæ poſt multam obſidionem, & particularem

euerſionem murorum, hanc quidem non obtinuerunt, E
bene acceptis ſanctorum precibus patrum ad Deum dile-
ctis, & ſanctificatione faciente venerabilis templi, vbi in
colendis ſuis characteribus eriguntur, & vſque nunc ab
his qui eis ſimilis ſenſus ſunt, honorantur. Præterea Con-
ſtantinus quidam ſtrator Artabaſdi videns imaginem Dei
genitricis ſtantem, apprehenſum lapidem aduerſus eam
proiecit, & contriuit: & cum cecidiſſet, calcauit. Et vi-
dit in ſomnis aſtantem ſibi Dominam noſtram & dicen-
tem: Noſti quam fortem cauſam in me operatus fueris?
verum contra caput tuum hoc feciſti. Poſtea vero dum
Sarraceni aduerſum murum congreſſionem facerent, &
ageretur bellum, currens ad murum vt fortis miles infe-
lix ille, eiicitur à lapide tranſmiſſo ex Mangone, & con-
tritum eſt caput eius & facies, dignam impietatis ſuæ
retributionem percipiens. Præda multa & exuuiis Sarra-
ceni collectis reuerſi ſunt, oſtendente Deo etiam in hoc
impio illi, quod non propter pietatem, quam ille diffa-
mabat de contribulibus, triumphauerat, ſed propter, di- F
uinum & ineffabile quoddam iudicium retundens ac re-
mouens huiuſmodi Arabicam fortitudinem à ſanctorum
Patrum ciuitate, interceſſionibus illorum propter dili-
gentiſſimos characteres ipſorum qui honorantur in ea, in
redargutionem ac inexpugnabile iudicium tyranni, & pie
agentium certitudinem. Non enim ſolum circa venera-
bilium affectiuam imaginum orationem errabat impius,
ſed & circa caſtiſſimæ Dei genitricis interceſſiones, om-
niumque ſanctorum, quorum & reliquias ſceleſtiſſimus,
vt magiſtri eius Arabes, abominabatur. Ex hoc igitur
tempore imprudenter beato Germano Patriarchæ Con-
ſtantinopolitano derogabat, accuſans omnes anteceſſo-
res ſuos principes atque pontifices & populos Chriſtia-
nos, quaſi idololatræ fuerint, ſuper orationem ſanctarum
ac venerabilium iconum, non capiens idiota infidelitate
captus de affectuali oratione ſermones.

Anno 11. imperij Leonis, eodem anno Muhauias ca-
pto Atheus caſtro reuerſus eſt. Anno 12. imperij Leonis,
mouit filius Chaiani principis Cazariæ contra Mediam G
& Armeniam, inuentumque in Arabia Gradacum Ara-
bum peatorem trucidauit, & multitudinem quæ ſimul
cum eo erat, & depopulatus Armeniorum & Medorum
regiones, rediit, metum incutiens Arabibus multum.
Anno 13. imperij Leonis, caſtra mouit Maſalmas aduer-
ſus hunnum Turcorum, & inuicem congreſſi ex vtraque
parte caduni in præliis, metuque perterritus Maſalmas fu-
giens in montes Cazariæ reuerſus eſt. Eodem vero anno
furens Leo Imperator contra rectam fidem, & adducto
beato Germano cœpit blandis ſermonibus eum delludire.
At vero beatus ſummuſque ſacerdos dixit ad eum: Depo-
ſitionem ſanctarum imaginum audiuimus quidem futu-
ram, ſed non tempore imperij tui. Cum autem ille coge-
ret eum dicere, ſub cuius imperio: ait ſub Cononis. At ille,
Re, inquit, vera ex baptiſmo Conon mihi nomen eſt. At
ille dixit: Abſit domine, vt per imperium tuum iſtud ma-
lum perficiatur, Antichriſti præcurſor eſt, qui hoc adim-
pleturus eſt, & diuinæ incarnationis euerſor. In his ergo
ſæuus tyrannus inſaniens beato minas prætendebat, in- H
ſtar Herodis percuſſoris. Reducebat autem ad memoriam
eius patriarcha ſponſiones eius ante imperium factas, qua-
liter ſibi Deum dederit vadem, in nullo commoturum
Eccleſiam à ſuis Apoſtolicis & diuinitus traditis ritibus.
Sed nec ſic confuſus eſt miſer: obſeruans autem atque
ſubmittens quoſdam ſermones, ſatagebat ſicubi inueniret
eum contra imperium ſuum agentem, quatenus hunc vt
coniuratorem, non vt confeſſorem à throno deponeret,
habens in hoc comparticipem Anaſtaſium diſcipulum &
ſyncellum eius, cui ſpopondit vtpote impietatis ſuæ con-
ſentaneo, throni eum adulterum ſucceſſorem futurum.
Quem beatus non ignorans, ſic parum ſe affectantem
imitatus Deum ſuum, ac ſi ad alium Iſcariotem ſapienter
& manſuete eorum quæ proditionis ſunt, memoriam fa-
ciebat. Quia vero eum inconuertibilem videbat, conuer-
ſus calcantem ad eum aliquando poſteriora ſtolæ ſuæ
cum ad imperatorem ingrederetur ait: Non effugiet tem-
pus à te ingrediendi Duppin. At ille ſuper ſermone hoc

A triſtatus,cum aliis qui hunc audiebant præſagium ignora-
bat , quod cum in finem poſt quindecim annos percepiſ-
ſet , tertio videlicet imperij Conſtantini Imperatoris &
perſequutoris Indictionis duodecimæ omnibus credere
perſuaſit ex diuina gratia fuiſſe ingrato prophetice di
ctum. Conſtantinus enim poſt cognati ſui Artabaſdi re-
bellionem cum imperium obtinuiſſet, per Duppin ingreſ-
ſus, nudum ſuper aſinum verſo vultu ſedentem pompauit,
eo quod ſibi vna cum aliis inimicis mala fuerit impreca-
tus & Artabaſdum coronauerit , ſicut in ſuo indicabitur
loco. Et Byzantij quidem propugnator pro dogmatibus
pietatis ſacer hic & egregius pollebat Germanus,ſeu con-
tra beſtias pugnans aduerſus Pheronymum hunc Leonem
& fautores eius. In ſeniori vero Roma Gregorius ſanctiſ-
ſimus vir apoſtolicus,& Petri Apoſtolorum principis con-
feſſor,verbo & actu coruſcus,qui remouit Romam & Ita-
liam , necnon & omnia tam Reipublicæ quam Eccleſia-
B ſtica iura in Heſperiis ab obedientia Leonis & imperij ſub
ipſo conſtituti. Porro In Syria penes Damaſcum Ioannes
presbyter & monachus cognomento Chryſoroas doctor
optimus , vita & verbo præfulſit. Verum Leo Germanum
vtpote ſub ſe conſtitutum à throno pellit. Gregorius au-
tem eum per epiſtolas , quæ multis ſunt notæ, manifeſte
redarguit : ſed & Ioannes hunc cum Orientis Epiſcopis
anathematibus ſubdidit. Porro ſeptima Idus Ianuarij ter-
tiædecimæ Indictionis tertia feria, impius Leo ſilentium
contra ſanctas ac venerabiles celebrauit iconas in tribu-
nali decem & nouem cubituum , aduocato quoque Ger-
mano ſanctiſſimo patriarcha , ratus poſſe illi perſuadere
quo ſubſcriberet contra ſanctas Iconas. Sed fortis Chriſti
ſeruus nullatenus acquieſcens deteſtabili cacodoxiæ ip-
ſius , cum verbum veritatis recte direxiſſet, abrenuntiauit
ſummum ſacerdotium , tradens pallium , & poſt multos
didaſcalicos ſermones dicens : Si ego ſum Ionas , mitte
me in mare , abſque voiuerſali quippe ſynodo innouare
C fidem impoſſibile eſt mihi ſecondum apoſtolicam doctri-
nam & paternam traditionem ô Imperator. Et abiens ad
locum qui dicitur Platanium,in parentali domo ſua quie-
ti operam dedit , ſummo ſacerdotio functus annis qua-
tuordecim , menſibus quinque , & diebus ſeptem. Porro
vndecimo Kalend. Februar. creant falſi nominis Anaſta-
ſium diſcipulum & ſyncellum eiuſdem beati Germani
conſentientem Leonis impietati, propter amorem princi-
patus mundani,hunc Epiſcopum Conſtantinopoleos pro-
uehentes. Sanc, Gregorios ſanctiſſimus præſul Romanus,
quemadmodum prædixi, Anaſtaſium vna cum libellis ab-
iecit. Leonem per epiſtolas tanquam Impie agentem re-
darguens,& Romam cum tota Italia ab illius imperio re-
cedere faciens : Inſaniens ergo tyrannus contra venerabi-
les imagines perſequutionem tetendit. Porro multi cleri-
ci, & Monachi, & religioſi laici pro recto periclitati ſunt
verbo. Anno decimo quarto imperij Leonis , hoc anno
mouit Maſalmas exercitum contra Romaniam. Et cum
veniſſet in Cappadociam, dolo cepit Curſianum caſtrum.
D Anno decimo quinto Imperij Leonis , Maſalmas caſtra
mouit aduerſus Turciam , & cum perueniſſet vſque ad
Caſpias portas, metuens inde reuerſus eſt Anno decimo-
ſexto imperij ſui , Leo Imperator filiam Chaiani Cazaro-
rum arbitri filio ſuo Conſtantino, cum hanc Chriſtianam
feciſſet , matrimonio ſociauit , nominans eam Eirenem.
Quæ cum ſacras literas didiciſſet , pietati operam dans
claruit , hos impietatis redarguens. Muhanias vero filius
Euelid aciem direxit contra Romaniam , & veniens vſ-
que Paphlagoniam rediit cum præda multa. Aſt Impera-
tor contra Papam atque receſſum Romæ ac Italiæ ſæuie-
bat , conſtructumque ſtolum magnum direxit aduerſus
eum , Manem Prætorem Cyberrotenſium caput in eis
conſtituens. Tunc impugnator Dei perampfius ſæuiens
quum Arabico ſenſo teneretur, tributa capitalia Thraciæ,
parti Siciliæ ſeu Calabriæ ſuperimpoſuit : ea vero quæ di-
cuntur patrimonia ſanctorum principum Apoſtolorum
quæ olim Eccleſiis auri dimidium , & tria conferebant
talenta , publicæ rationi exolui præcepit : conſiderare
etiam ac deſcribere enatos mares iubens,vt Pharao quon-
dam eos qui erant ex Hebræis , quod nec Ipſi magiſtri-

eius Arabes in Chriſtianos qui in eis ſunt oris,feciſſe noſ- E
cuntur. Anno decimo ſeptimo imperij Leonis , facta eſt
mortalitas In Syria , multique perierunt. Anno decimo
octauo imperij Leonis, Zacharias præſul Romanus habe-
tur.Eodem anno Theodorus Manſur in exilium miſſus eſt
apud climata cremi,& factum eſt ſignum in cœlo igneum
reſplendens , & Muhanias Aſiam depopulatus eſt. Anno
decimo nono imperij Leonis,mouit exercitum Zulcimin
aduerſus Armeniorum regionem, & nihil profecit. Anno
vigeſimo Imperij Leonis,Zulcimin multis ex Aſia in cap-
tiuitatem ductis , quendam Pergamenum pariter duxit
captiuum , qui ſe dicebat Tiberium eſſe filium Iuſtiniani.
Hunc Euelid in honorem filij ſui atque Imperatorium
terrorem , cum Imperatorio atque decenti honore mili-
tiiſque ac ſceptris in Hieroſolymam mitrit, & per totam
Syriam circumduci cum magno iubet honore ad viſio-
nem cunctorum. Anno vigeſimo primo imperij Leonis,
mouit Zulcimin exercitum contra Romaniam, & depo-
pulatus eſt caſtrum, quod dicitur Siderum, & Eurychium F
filium Mariani patricij duxit captiuum. Anno vigeſimo
ſecundo imperij Leonis, menſe Maio indictionis octauæ
mouit exercitum Zulcimin contra Romaniam cum octo-
ginta millibus , & magiſtratibus quatuor , quorum Ga-
mer dux erat inſidians in denis millibus, latrunculis Aſia-
næ partis , cuius ſocij erant Melich & Bathal cum viginti
millibus equitum circa Acronium debacchantes : & poſt
hos Zulcimio cum ſexagintamillibus circa Cappadociam
Tyanæ progreſſus , quorum alij per Aſiam & Cappado-
ciam multo excidio virorum ac mulierum atque iumen-
torum patrato illæſi reuerſi ſunt. Hi vero qui cum Melich
& Bathal apud acronium erant , expugnati à Leone ſeu
Conſtantino ſuperati ſunt,& plures ex his armis ipſis cum
duobus principibus periere , octingenti vero pugnatores
qui ex illis ad ſex millia inſtiterant, Sinadam confugiunt,
& ſalui remanentes Zulcimin ſociati ſunt , & ad Syriam
repedarunt inglorij. Eodem etiam anno in Africa multi
ab eis cum Prætore Damaſceno nomine perditioni patue- G
runt. Anno vigeſimo tertio imperij Leonis , nequiſſimi
Syri , incenſi ſunt fori apud Damaſcum , à Raticenſibus,
qui patibulo ſunt affixi : eodemque anno terræmotus fa-
ctus eſt magnus atque terribilis Conſtantinopoli ſeptimo
Kalendas Nouembris Indictionis nonæ feria quarta , hora
octaua , & corruerunt Eccleſiæ ac monaſteria , populuſ-
que multus extinctus eſt. Cecidit autem & ſimulacrum,
quod ſtabat ſuper Attali porta magni Conſtantini vna
cum ipſo Attalo , & titulus Arcadij , qui ſupra Xerophili
columna ſtabat , & ſimulacruo maioris Theodoſij quod
ſupra Auream portam videbatur : necnon & terreni vrbis
muri , ac ciuitates ac villæ in Thrace, & Nicomedia , in
Bythinia, & Prænetus, & Nicea,in qua vna tantum ſalua
remanſit Eccleſia. Fugit autem & mare terminos ſuos lo
quibuſdam locis,& perdurauit terræmotus menſibus duo-
decim. Aſt Imperator allocutus eſt populum dicens : Vos
non valetis ædificare muros , ſed nos præcipiemus admi-
niſtratoribus , & ipſi exigent in regulam per ſingulos au- H
reos onmum argentum vnum. Quo Imperator accepto
ædificauit muros , & ita facta eſt conſuetudo dandi binas
ſiliquas adminiſtratoribus cum annus eſſet à conditione
quidem mundi iuxta Romanos , ab Adam ſextus milleſi-
mus quadrageſimus octauus , ſecundum Ægyptios vero
ſeu Alexandrinos ſextus milleſimus ducenteſimus triceſi-
mus ſecundus à Philippo, ſecundum Macedones, milleſi-
mus ſexageſimus tertius. Regnauit autem Leo ab octaua
Kalend.Aprilis quintædecimæ indictionis,vſque quartam-
decimá Kalend. Iulij nonæ Indictionis, cum regnaſſet an-
nis viginti quatuor, menſibus duobus , diebus vigintiduo-
bus. Similiter & Conſtantinus filius eius , Imperij & im-
pietatis ipſius ſucceſſor,ab eodem decimoquarto Kalend.
Iulij, Indictionis nonæ,cum regnaſſet & ipſe annis trigin-
ta quatuor, menſibus tribus, diebus duobus. Taliter ergo
vt prædiximus, eodem anno mortuus eſt Leo cum animæ
& corporis morte,& imperat Conſtantinus filius eius. Et
quidem quæcunque ſub Leone impio Chriſtianis euene-
runt , ſiue circa orthodoxam fidem , ſiue ſuper ciuilibus
diſpoſitionibus, ſiue ſuper turpis lucri quæſtu, & auaritia,

per

A per Sciliam, & Calabriam & Cretam, adinuenta pariter & impoſita, ſiue in Italiæ apoſtaſia propter huius cacodoxian, ſiue in fame & peſtilentia gentiumque preſſuris, vt particularia taceam, in præcedentibus oſtenduntur capitulis. Dignum autem eſt de cætero & imperij filij eius, tanquam à Deo, qui omnia perſpicit contemplantem veraciter & non ſuperflue, ad vtilitatem poſteris & miſeris, qui nunc in cacodoxia illius decipiuntur, ludibria exequi, quæ ab hac decima indictione ipſius imperij primi anni, vſque ad quartam decimam indictionem mortis illius impie geſſit. Hic enim pernicioſiſſimus & agreſtis, ferus, tyrannice nec legitime abuſus Imp. primo quidem à Deo & intemerata matre ipſius, ac omnibus ſanctis abſcedit, magicis maleficiis & luxuriis, cruentiſque ſacrificiis, & caballinis ſtercoribus atque lotio delectatus, mollitiebuſque ac dæmonum inuocationibus gaudens atque omnibus animas corrumpentibus adinuentionibus à tenera ætate conuiuens. Quia vero paternum principatum B cum malitia ſuſcepit, non modicam in breui tempore demonſtrat nequitiam, ita vt ab omnibus ob impudentiam confeſtim odio haberetur, & Artabaſdo Curopalati & comiti Oficij, qui Annam ſororem eius duxerat, vis pro capeſſendo Imperio imponeretur. Eodemque an. Euelid interficit. Chriſtianos captiuos in omni ciuitate, inter quos & Eutychius filius Mariani patricij, martyr verus oſtenſus eſt in Carris Meſopotamiæ, vbi & reliquiæ ipſius ſanitates per Dei gratiam operantur: & multi alij per ſanguinem conſummati ſunt.

Explicit liber vigeſimus primus.

Incipit

LIBER VIGESIMVS SECVNDVS.

C ANno ab incarnatione Domini DCCXXXIII. Conſtantinus perſequutor legum à patribus traditarum imperat, diuinis iudiciis & multitudine noſtrarum exigente culparum, qui cum quinta Kalendas Iulij ad partes egreſſus Obſicij aduerſus Arabes eſſet, venit ad ciuitatem quæ dicitur Craſo. Cum autem prædictus Artabaſdus Dorilæi cum Obſiciaco populo eſſet, ſuſpicabantur adinuicem. Mittens autem Conſtantinus ad eum, petebat ſibi dirigi filios eius, quos quaſi nepotes ſuos deſiderabat videre. Intentio autem eius erat comprehendendi eos & retrudendi. At ille cum intellexiſſet fraudem immenſurabilem malitiam eius ſciens, ſui deſperationem incurrit, populumque alloquens & perſuadens, impetu aduerſus illum cum omni multitudine properauit, & Beſer quidem patricium, qui ſenſu erat Sarracenorum ſectator, quique præceſſerat, romphæis interfecerunt. At vero Conſtantinus miſero equo forte ſtrato reperto, cum aſcendiſſet in eum fugiens venit Amorium. Et cum ad Orientalium thema, cuius prætor erat Lacinus, cucurriſD ſet, circumuenitur ab illis, quos cum magnis pollicitationibus ſubleuans ad Siſinnatium mittit, qui Prætor erat Thraceſium thematis, & perſuadet illis auxiliari ſibi. Hinc ergo atrociſſimæ pugnæ & conflictus ſubditis generantur, cum Imp. appellaretur vterque. Præterea ſcribit Artabaſdus ad Theophanen patricium & magiſtrum, qui ex perſona Principis in vrbe remanſerat, & per Athanatium Silentiarium quæ geſta ſunt, qui cum Artabaſdo faueret, coacervato populo apud Cathecumenia magnæ Eccleſiæ, & per litteras & per iam dictum Athanaſium perſuaſit omnibus credere, quod Imp. mortuus fuerit, Artabaſdus autem à thematibus pronunciatus eſt Imp. Tunc omnis populus cum Athanaſio falſi nominis patriarcha, anathemati & deteſtationi ſubmiſerunt Conſtantinum, vt arrogantem & aduerſarium Dei, atque ipſius cædem amplectabiliter admiſerunt tanquam à malo maximo liberati. Artabaſdum vero Imperatorem vt orthodoxum prædicauerunt, & diuinorum dogmatum propugnatorem. Mox ergo Monotes mittit in partes Thracenſes ad Nicephorum filium ſuum Prætorem Thracenſium, quo cuſtodiam E vrbis muniret, & illic exercitum conſtitueret. Obſeratis ergo portis murorum & vigiliis poſitis, filios Conſtantini comprehenſos, cæſos ac tonſos in cuſtodiam poſuit. Cum autem Artabaſdus cum Obſiciis vrbem eſſet ingreſſus, peruenit Conſtantinus Chryſopolim cum duobus thematibus, Thracenſium ſcilicet atque Orientalium. Et cum nil agere valuiſſet reuerſus apud Amorium hyemauit. Artabaſdus autem per totam vrbem ſacras erexit imagines. Interea Barbari ſentientes horum aduerſus inuicem iurgium, multam prædam in Romania perpetrarunt, Zulcimin Prætore ducente. Porro Anaſtaſius pſeudopatriarcha tenens honoranda & viuifica ligna, iurauit populo dicens: Per eum qui in ipſis affixus eſt, ſic dixit mihi Imperator Conſtantinus aſſeuerans: Ne exiſtimes filium Dei eſſe quem peperit Maria, quique dicitur Chriſtus, ſed purum hominem. Maria enim eum peperit, ſicut me peperit mater mea: & tunc maledixit ei omnis populus. An. ſecundo imperij Conſtantini, qui triginta quinque annos F Rom. Imperium tenuit, mortuus eſt Euilid Arabum dux. Hic ſanctiſſima Eccleſia Antiochena per annos quadraginta viduata manente, prohibentibus Arabibus patriarcham fieri in eadem, habens quendam amantiſſimum monachum Syrum, nomine Stephanum, agreſtem quidem, ſed religioſum, iubet in Oriente poſitis Chriſtianis ſi vellent permitti ſibi patriarcham habere, ipſum eligerent Stephanum. Qui diuinitus hoc fieri arbitrantes, conſecrant, eum in ſede Theupoleos. Ex tunc vſque nunc diſcurrit ſine prohibitione fieri huiuſmodi. Eodem anno obtinuit Giaid filius Habdimelich Arabum principatum, ad quem Conſtantinus quidem Andream Spatarium, Artabaſdus autem Gregorium logothetam miſerunt, auxilium quærentes vtrinque. Porro pluuiæ defectus & terræmotus per loca facti ſunt, ita vt montes vnirentur adinuicem per eremum Sabæ, & caſtella in terram immergerentur abſorpta. Eodem vero anno Coſmas Alexandriæ patriarcha vna cum tota ciuitate à Monothelitarum cacodoxia rediit ad orthodoxiam, cum tenuiſſet ſub Cyro qui ſub G Heraclio Alexandriæ patriarcha fuit. Porro exercitum mouit Gamer cum Arabum multitudine aduerſus Romaniam, & multis in captiuitatem ductis reuerſus eſt. Et apparuit ſignum in cœlo ad Aquilonem menſe Iunio. Hali autem ſanctiſſimum metropolitam Damaſci lingua mutilari præcepit, tanquam arguentem palam Arabum ac Manichæorum cognationem, & exulem penes felicem Eudæmonem Arabiam fecit: vbi mortem martyrio pro Chriſti nomine percepto, cum expreſſius diuinas miſſas celebraſſet, ſicut huius rei narratores aiunt, qui ſe propriis auditibus ſuper hoc ſatis factos eſſe teſtantur. Huius æmulator & homonymus Petrus apud Mauimam eiuſdem temporibus oſtenſus eſt pro Chriſto martyr vltroneus. Languore ſiquidem detentus primores Arabum aduocauit, vtpote aſſuefactos ſibi, cum chartularius eſſet, & publica tributa facta ratione conferret, & ait illis: Mercedem quidem pro mei viſitatione à Deo recipiatis, licet infideles amici ſitis: teſtamenti vero mei teſtes vos volo, cum ſit tale: Omnis qui non credit in Patrem & Filium H & ſpiritum Sanctum conſubſtantialem, & diuinam in monade trinitatem mortuus eſt animo, & æterno dignus tormento: talis eſt Muhammat pſeudopropheta veſter, & Antichriſti præcurſor. Diſcedite ergo, ſi mihi creditis teſtanti vobis cœlum & terram, ab illius fabulatione. Conſulo enim vobis ne cruciemini ſimul cum illo. Cum hæc & plura cum eis de Deo ratiocinatus diſſereret, audientes illi ſtupore ſeu væſania detenti longanimiter viſi ſunt ferre, ex languore hunc præter ſenſum eſſe putantes: cum autem ex infirmitate conualuiſſet, maiori cœpit voce clamare: Anathema Muhammat, & fabuloſum ſcriptum eius, & cuncti qui obediunt & credunt ei. Tunc per gladium animaduerſionem perpeſſus, martyr oſtenſus eſt. Hunc declamationibus ſermonum honorauit ſanctus Pater noſter Ioannes, qui bene cognominatus eſt Chryſoroas, propter auream & fulgidam ſpiritus Sancti gratiam, quæ in ipſo tam verbo, quam in vitæ actu effloruit, quem videlicet Conſtantinus impius Imperator annuo

CONSTANTINVS.

A propter eminentem orthodoxiam eius anathemati ſubmittebat, & pro Manſur, quod eius auitum nomen eſt, quodque redemptus interpretatur, ſenſu Iudaïco, nouum Eccleſiæ magiſtrum. Manſeron murato nomine vocitabat. Eodem anno Gizid Cyprios in Syriam tranſtulit. Artabaſdus autem Nicetam filium ſuum Monoſtrategum, promotum ad thema direxit Armeniacorum. Porro Nicephorum æque filium ſuum coronauit per Anaſtaſium patriarcham, Menſe vero Maio cum Artabaſdus ad partes Obſicij egreſſus fuiſſet, & milites elegiſſet, totam Aſiam cepit, depopulans eam. Quo Conſtantinus comperto, motus eſt contra eum. Cum vero ad eum in partes Sardæorum à Celbiano redeuntem veniſſet, & cum illo bellum iniiſſet, vertit eum, & inſequitur vſque Cizicum. At ille cum Cizicum peruenisset, dromonem ingreſſus in ciuitate ſaluatur. Præterea menſe Auguſto eiuſdem decimæ Indictionis Nicetas Monoſtrategus filius Artabaſdi, cum intuliſſet Conſtantino apud Modrinem ac Cyſſeum bel- B lum, terga vertens aufugit, & quendam Thridatem Armenium fortiſſimum militem & conſobrinum Artabaſdi cum aliis multis principibus interfecit. Vtriuſque vero partis caſus haud modicus factus eſt, Armeniorum ſcilicet atque Armeniacorum impugnantium aduerſus Orientales atque Thracenſes Conſtantini propugnatores. Cæterum antiquus hoſtis diabolus contra Chriſtianos temporibus iſtis talem excitauit ſæuitiam & mactationem alternam, vt filij etiam contra parentes, & fratres contra fratres commouerentur non parcentes à cæde, & immiſericorditer incenderentur alternæ ſtationes ac domus. Inter hæc autem & huiuſcemodi Stephanus Papa Romanus multa mala ab Aſtulpho Longobardorum rege perpeſſus ad Francos confugit ſub Pipino qui Maior domus erat, & primus in omnium diſpoſitione rerum gentis Francorum; quibus videlicet olim moris erat, dominum, id eſt, regem ſecundum genus principari, & nil agere vel diſponere, quam irrationabiliter edere ac bibere, domique morari: Kalend. Maij præſidere coram tota gente, & ſalutare illos, C & ſalutari ab illis, & obſequia ſolita impenſa percipere, & illis dona impēdere, & ſic ſecum vſque ad alium Maiū habitare: habere autem Maiorem domus conſilio ſuo, & gentis omnia ordinantem negotia. Dicebantur ſane ex genere illo deſcendere Criſtati, quod interpretatur Trichorachari: pilos enim habebant natos in ſpina veluti porci. Prædictus autem Papa Stephanus vi preſſus, & crudelitate coactus Aſtulphi, ſimul etiam cohortatus eſt ab eodem ire in Franciam, & facere quæcunque poſſet. Qui veniens Pipinum prouehit in Regem virum probatiſſimum, qui tunc quoque præerat rebus poſt regem, & debellauerat Arabes, qui ab Africa in Hiſpaniam tranſmeauerant, quique tenent vſque nunc eandem Hiſpaniam, & properauerant præliari nihilominus contra Francos. Quibus è contra idem Pipinus cum multitudine reſiſtens, occidit quidem principem eorum Habdirracinen, filium Muhauiæ, qui principatum huius tenebat gentis: interfecit autem ſimul & multitudinem haud facile numerabilem iuxta fluuium Rhodanum, & admirationi habetur, D & amatur à gente non ſolum propter hoc, ſed & propter alia præcipua geſta, & præficitur genti non ignobiliter primus, ſoluente ſcilicet eum à periurio in regem commiſſo eodem Stephano: qui & totondit deceſſorem eius regem, & in monaſterio cum honore & requie circumſcripſit. Hic Pipinus duos filios habuit Carolum & Carolomannum fratrem eius. Anno 3. imperij Conſtantini apparuit ſignum ad Aquilonem, & cinis deſcendit per loca, factuſque terræmotus magnus in Caſpiis portis. Occiſus eſt etiam Gizid ab Arabibus, qui præfuit anno vno, tenetque principatum Hyces filius eius. Is Habdimelich pecuniis multis erogatis obtinuit Damaſcum, & dextras accepit vt principaretur. Porro Conſtantinus menſe Septembri duodecimæ Indictionis, deſcendens ad partes Chalcedonis, remeauit ad Thraceas partes, cum Siſinnius Prætor Thraceſiorum ante per Abydum remeaſſet, terreſtrumque vrbis murum obſideret. At vero veniens Imperator ad Carſij portam, diſcurrit vſque ad Auream portam, ſemetipſum turbis oſtentans, & iterum reuerſus caſtrame- E tatus eſt apud ſanctum Maman. Ciues autem anguſtari cæperunt annonis deficientibus, quocirca ab Artabaſdo miſſo Anaſtaſio à ſecretis: & Artabaſdo domeſtico ſuo ad deferendos ſumptus in Caſpiis portis inuenit hos claſſis Cibiotetenſium, & claſſis Abydi, & hos comprehenſos ad imperatorem duxit, qui frumentum quidem populis ſuis donauit, Anaſtaſium vero & Artabaſdum oculis confeſtim priuauit. Poſt hæc vero probauit Artabaſdus à terra portas aperire, & prælium cum Conſtantino inire: verum facta cōgreſſione fugatus eſt exercitus Artabaſdi, & multi mortui ſunt, inter quos Monetes periit. Conſtructis autem Artabaſdus trietibus, cacabo fetentibus ignem, miſit ad ſanctum Maman nonnullos contra claſſem Cibiotetenſium. Cum autem veniſſent ad ſanctum Maman, exeuntes Cibiotetenſes pepulerunt illos. Facta eſt autem in vrbe valida fames, ita vt venūdaretur modius hordei 12. numiſmatibus, leguminis vero quindecim, millij ac lupini octo, olei autē vno libræ v. ſextarius vini dimidio. Cumque populus necaretur, coactus eſt Artabaſdus dimittere illos, & foras ciuitatem exeundi, verum obſeratis portis, quoſdam eorum prohibebat, vnde quidam eorum emundauerunt vultus F ſuos, & mulicbri circum amicti ſunt veſte: aſt alij monachico ſchemate, atque cilicino veſtimento contegebātur, & ita latere poterant & exire. Nicetas autem Monoſtrategus coaceruato populo ſuo ab Odrina diſperſo venit vſq; Chryſopolim, & cum reuerteretur, tranſmeans Imperator perſequutus eſt poſt terga ipſorum: & cum veniſſet Nicomediam manu cepit eum cum curatore, qui fuerat dudum Marcellianorum Epiſcopus, quem & decollari continuo iuſſit: Monoſtrategum vero vinctum per murum mōſtrari præcepit. Porro quarta Nonas Nouembris repente præliatus eſt poſt meridiem, per terrenum murum vrbem captauit. At vero Artabaſdus vna cum Bagrano patricio ingreſſus nauem ad præſens exiſſe, viſus eſt Mopſien, & abiēs ad caſtrum Puzanen ſemet incluſit. Quibus Imperator manu captis Artabaſdum cum duobus filiis priuauit oculis, Bagranum autē in viuario decollauit, & huius caput in Milio ſuſpendit diebus tribus. Poſt triginta vero annos mali memor & immiſericors Imperator præcepit huius vxorē G in monaſterium Choras pergere, illic enim ſepultus erat, & huius oſſa effodere, atq; in ſepulchra quæ dicuntur Pelagij, in pallio ſuo portare, & vna cum biuthanatis mortuis iacere. O inhumanitatem! Multos autem & alios ex primoribus qui auxiliati fuerunt Artabaſdo peremit: innumerabileſque oculis, & alios manibus ſeu pedibus ablatis debilitauit. Præcepit autem externis militibus qui ſecum ingreſſi ſunt, introire domos, & rapere familiares ciuium tes. Multa quoque & alia, quin & innumera mala vrbi monſtrauit! Cumque hippodromium celebraret, introduxit Artabaſdum vna cum filiis eius & amicis ligatum in circum per Dippium ſimul cum Anaſtaſio falſi nominis patriarcha, percuſſo publice, & in aſino verſo vultu ſedente, quos omnes per Dippium in circum pompauit. Verum Anaſtaſium, vtpote conſentaneum ſuum in throno ſacerdotij rurſus locauit, deterrens, & ſeruituti ſubijciens, Siſinnium vero patricium & Prætorem Thraceſiorum, qui multum cum eo cucurrerat, & pro ipſo certauerat, eiuſque conſobrinus eſſe noſcebatur, poſt xl. dies cæcauit. H

An. 4. imperij Conſtantini, Maruan dux Arabum noſcitur, qui principatus eſt eis annis ſex. Hoc quoque anno cometes magnus in Syria viſus eſt, & ſeditionem concitauit Thebith contra Maruan, & Darach Aruritenſis, quos Maruan captos occidit in terminis Emeſæ cum multitudine bellatorum, id eſt, decem millium. Eodem anno prece Chriſtianorum Orientis permiſit Maruan conſecrari Theopylactum Præsbyterum Edeſſenum patriarcham Antiochiæ, Stephano dormiente, & hunc literis præcepit honorari ab Arabibus. Donis enim ſpiritualibus adornatus erat, & maxime pudicitia. Porro Abas qui multum Chriſtianorum ſanguinem fudit, & populatus eſt multa loca, occiſus eſt in carcere, qui apud Cithim cxx. Calbenos ſuſpendit in ligno. Venit autem quidam Æthiops miſſus à Maruan, & impleto folle viua calce introiuit ad eum, folleque ad totum caput ac nares eius impoſito ſuffocauit illum, iuſtam inueniens malefico Abæ pœnam. Magicis

A enim deceptionibus, ac dæmonum inuocationibus multa contra Chriſtianos fabricatus eſt mala. Hic etiam ſanguini communicauit Gizid.

Anno quinto imperij Conſtantini, Zulcimin coaceruatis militiis rurſum cum Maruan bellum aggreditur, & amiſſis populi ſeptem millibus ſuperatur, & penes Palmiram ſaluatur, ac deinceps in Perſide. Seditionem quoque concitauerunt Hemeſeni & Heliopolitæ & Damaſceni Maruan obſeruantes, qui filio quidem miſſo contra Dathach cum virtute ipſe venit Emerhſan, quam in quatuor menſibus cepit; Dathach autem a Perſide cum plurimo potentatu veniebat. At vero Maruan aggreſſus eum in Meſopotamia, cum multos collegarum occidiſſet, hunc comprehenſum interfecit. In his Conſtantinus Germaniciam cepit aciem dirigens contra Syriam & Dulichium, aditu reperto propter Arabum mutuam pugnam, verbo ſane Arabes inermes dimittens qui erant in ipſis. Aſſumpſit autem & cognatos ſuos ex materna linea deſcendentes, & Byzantij collocauit vna cum multis Syris Mono-
B phyſicis hæreticis, ex quibus plures in Thrace vſque nunc habitant, & iuxta Petrum Craphea, Trinitatem in triſagio crucifigunt. Porro à quarta Idus Auguſti vſque ad Octobris Kalendas tenebræ factæ ſunt caliginoſæ. Tunc Maruan victor Emerhſa capta interfecit omnes cognatos & liberos Hiſcen, expugnatque muros Heliopoleos & Damaſci & Hieroſolymorum, trucidans multos potentes, & truncans reſiduos. Anno ſexto imperij Conſtantini, factus eſt & terræmotus magnus in Paleſtina, & circa Iordanem, & totam Syriam, menſe Ianuario, hora quarta, & multa millia, quin & innumerabilia mortua ſunt, Eccleſiæque ac monaſteria corruerunt, & maxime penes eremum Sanctæ ciuitatis. Eodem vero anno peſtilens mors à Sicilia & Calabria incipiens, veluti quidam ignis depaſcens, ad Monobaſiam & Helladem, atque interiacentes inſulas venit, per totam quartamdecimam Indictionem flagellans impium Conſtantinum, & cohibens ab inſania, quam aduerſus ſanctas Eccleſias & ſanctas ve-
C nerabiles imagines irritabat. Verum ille vt Pharao quondam, incorrectus permanſit. Sane peſtilentia hæc bubonis diſcurrens, decimaquinta Indictione regiam peruenit ad vrbem. Cœperunt autem ſubito fieri tam in hominum veſtimentis, & in ſacris Eccleſiarum indumentis, quam & in velis, cruciculæ plurimæ veluti ex oleo deſignatæ. Facta eſt ergo hinc triſtitia & defectio animi multa propter dubium huiuſmodi ſignum. Venit nihilominus & diuinitus indignatio diſſipans inceſſanter non ſolum vrbis ciues, ſed & in omnibus ſuburbanis eius degentes. Factæ vero ſunt & phantaſiæ in multos hominum, qui in ecſtaſi facti exiſtimabant ſe cum peregrinis quibuſdam, vt putabant, & trucibus faciebus comitari, & eos qui in itinere obuij fiebant ſe quaſi amicos ſalutare ac colloqui: notatis vero his quæ dicebantur ab eis, hæc poſtea referebant. Contemplabantur autem eoſdem domos ingredi, & alios quidem ex domo deſerere, alios autem vulnerare. Contigit autem eorum quæ dicta ſunt, ab eis plurima vt viderunt fieri. Præterea vernali tempore
D primæ Indictionis magis extenſa eſt, æſtiuo autem prorſus incendit, ita vt integræ quoque domus penitus clauderentur, nec eſſent qui non deberent mortuos ſepelire. Ex neceſſitate itaque multa excogitatum eſt, quod ſuper animalia tabulæ ſternerentur, & ita ſuper has impoſiti mortui deferrentur. Pari modo & alij in plauſtris ſuprapoſiti aſportabantur. Cum autem repleta fuiſſent vniuerſa tam ſcilicet vrbana quam ſuburbana monumenta, & ciſternæ quoque ſine aqua, & lacus, & plurimæ vineæ, necnon & interiores horti, qui intra veteres muros erant, ad huiuſmodi capeſſendam ſepulturam effoſſi ſunt, & ita vix omnia hæc ad tantam neceſſitatem ſufficere valuerũt. Omni autem domo calamitate repleta propter depoſitionem quæ impie facta eſt ab imperantibus in ſacras imagines confeſtim Agarenorum claſſis ab Alexandria venit in Cyprum, vbi & Romaicus erat ſtolus. At vero Prætore Cibioretarum irruente in eos, extemplo in portu Ceramea, & tenente portus fauce, cum eſſent triginta dromones, tres ſolos exiluiſſe fatentur. Anno ſeptimo imperij Conſtantini, occiditur Gregorius ab Armenſibus, & vicit Maruan, vt prætuli. Anno octauo imperij Conſtantini, motus eſt in exterioribus Orientis partibus Perſidis populus, qui dicuntur Chorosanitæ Maurophori, contra Maruan & omnem cognationem eius, qui principati ſunt ab ipſo Muhammat pſeudopropheta vſque ad eundem Maruan, contra eos qui dicuntur filij Muhata. His enim poſt interemptionem Gizid debellantibus & confligentibus inuicem, hi qui dicebantur filij Hiſcen & Halim cognati, & ipſi pſeudoprophetæ, ſed abſconditi & fugaces exiſtentes in minori Arabia congregati, tenente in eis primatum Hybraim, filio Enelid, mittunt libertum ſuum quendam Amuſſim dictum in Choroſam ad quoſdam ibid. præminentes, contra Maruan ſibi ſuffragari petentes. Qui collecti. apud Cactaban quendam conciliantur, & concitant ſeruos in dominos proprios, & occidunt multos nocte vna, quorum armis, equis & pecuniis locupletati, facti ſunt potentiores. Diuiduntur autem in tribus duas, Caiſmos ſcilicet & Lamonites: quorum poten- F tiores intuens Amuſſim eſſe Lamonitas, concitat contra Caiſmos, & interfectis eis venit in Perſidem cum Cactaban, & expugnans Hibin prolis Halbaren, capit cum victoria cunctos, virorum ferme centum millia. Et veniens ad Hibin, vbi erat, hoſtiliter cum ducentis millibus proficiſcentem, & illum diſſoluit, veniensque ad Maruan apud Zabam fluuium, habentem trecenta millia debellat eum, & multitudinem infinitam occidit ex eis. Eratque viſu mirabile, cum ſecundum ſcripturam vnus perſequeretur mille denaque millia tranſmouerent duo. Quos cum ita potentialiter vincentes Maruan intuitus extitiſſet, adiit Carras, & cum fluuium tranſmeaſſet, incidit pontem ex nauibus factum, & aſſumptis ſecum pecuniis ac domo ſua cum quatuor millibus viris vernaculis ſuis fuga lapſus eſt in Ægyptum. Anno nono imperij Conſtantini, perſequutionem patitur Maruan à Maurophoris, & comprehenſus ab eis occiditur, bello geſto grauiſſimo. Præerat autem eis Salim filius Halim, qui vnus ex præclaris profugis erat, & qui deſtinauerant Amuſſim: reliqui vero G congregati contra Samariam & Thraconitidem regionem, ſorte principatum diſtribuerunt, Abubalas ſcilicet, & poſt illum frater eius Habdalla filius Muhammat, & poſt hunc Hyſe. Et Syriæ quidem ſummam præturam taxauerunt Habdallam tenere filium Halim fratrem vero Salim: ipſum autem Salim præeſſe Ægypto. Porro Habdallam fratrem Abubalæ, ab illo habere ſortem principatus ſuper Meſopotamiam ſtatuerunt. Ipſe ſane Abubalas, qui & omnium primas habebat in Perſide ſedes, tranſlato quoque ſub ſe Perſarum principatu, qui ei auxiliati fuerant à Damaſco. Hi vero qui ſaluati fuerant, tam videlicet filij quam cognati Maruan, venientes ab Ægypto in Africam, indeque tranſmeantes fretum anguſti maris ad Oceanum poſiti, quod dicitur Septem, quodque definit inter Libyam & Europam, Europam Hiſpaniæ habitauerunt vſque ad præſens tempus, habentes quoſdam qui ibidem habitaſſe antea noſcebantur, à Muhauia illuc traiecti nauigio, cum eſſent eius cognati, & ipſius religio- H nis. Perdurauit autem excidium ſub Muhauia ſex annis. Porro octaua Kalendas Februarij eiuſdem tertiæ Indictionis, natus eſt Imperatori Conſtantino filius quem nominauit Leonem, ex Chaiani Cazariæ filia. Anno vero eodem terræmotus factus eſt in Syria, & ingens ac terribilis caſus, vnde ciuitatum aliæ quidem penitus exterminatæ ſunt, aliæ vero mediocriter, aliæ autem à Montanis ad ſubiecta campeſtria cum muris & habitationibus ſuis integræ migrauerunt, & ſiluæ quaſi ad milliaria ſex, vel etiam modicum quid vltra. Denique aſſeuerauerunt hi qui propriis viſibus terram Meſopotamiæ contemplati ſunt, in longitudine diſrupta fuiſſe ad milliaria duo, & ex profundo eius aſcendiſſe aliam terram nimis albam & harenoſam, de cuius medio aſcendit, vt aiunt: animal mulinum incontaminatum, loquens humana voce, & pronuntians gentis incurſionem ab eremo aduerſus Arabes, quod & factum eſt. Præterea ſequenti anno quartæ Indictionis ſolemnitate ſanctæ Pentecoſtes, coronauit Conſtantinus Imperator Leonem filium ſuum Imperatorem per Anaſta-

A ſuum patriarcham conſentaneum ſuum. Anno decimo imperii Conſtantini, Muhammat fit Arabum dux, qui eis præfuit annis quinque. Eodem anno ſimultates aduerſus Maurophoros Perſas Chalcedonij concertauerunt, & interempta ſunt ex eis in montanis Emeſæ per illos IV millia. Idipſum vero factum eſt, & per Arabiam in Caiſinos ab eiſdem Perſis, cum autem caput Maruan myrrha conditum allatum fuiſſet, plures à ſimultatibus ceſſauerunt. Anno 11. Imperij ſui Conſtantinus Theodoſopolim & Militenem cepit, & captiuos duxit Armenius. Theodorus quoque filius Bigarij, minoris Arabiæ oriundus, obeunte ſanctiſſimo Theophylacto, Antiochiæ patriarcha præficitur, qui ſex annis præfuit Eccleſiæ. Anno 12. imperij ſui Conſtantinus impius Imperator, elatus ſenſu multa contra Eccleſiam & orthodoxam fidem meditans, & ſilentia per dies ſingulos faciens, populum ad ſenſum ſuum ſlexit infeliciter ſectandum, præuius futuræ impietatis exiſtens. Anno 13. imperij Conſtantini, Anaſtaſius, qui ſcelestè throno Conſtantinopolitano præfuit, B mortuus eſt corpore ſimul & anima miſerabili paſſione, quæ dicitur cordapſos, fatigatus, cum ſtercus per os euoluiſſet, dignam exoluens vindictam, pro audacia ſcilicet quam contra Deum, contraque ſuum magiſtrum exhibuit. Eodem quoque anno Conſtantinus impius contra ſanctas ac venerabiles imagines concilium iniquum triginta octo epiſcoporum congregauit in palatio Hieriæ, quorum primi erant Epheſius filius Abſimari, & Paſtillas Pergenſis, qui apud ſe, quæ ſibi viſa fuerant, dogmatizauerunt, nullo præſente ex Catholicis ſedibus Rom. ſcilicet vel Antiochena, Alexandrina Hieroſolymitana à quarta Idus Februarij incipientes perdurauerunt vſque ad ſextam Idus Auguſti eius ſeptimæ Indictionis. Qui cum in Blacernas Dei genitricis hoſtes conueniſſent, aſcendit Conſtantinus Imperator in ambonem tenens Conſtantinum monachum, qui fuit Sylei Epiſcopus, & cum oraſſet voce magna pronunciauit dicens: Conſtantino vniuerſali patriarchæ multos annos. C Et dein aſcendit Imperator cum Conſtantino ſcelerato præſule, & reliquis Epiſcopis ſuorum, & exclamauerunt ſuam diuulgantes cacodoxam fidem in conſpectu totius plebis: anathematizantes Germanum ſanctiſſimum patriarcham, & Gregorium Cyprium, & Ioannem Chryſorroan Damaſcenum nepotem Manſur, viros ſanctos, & reuerendos magiſtros. Anno 14. Imperij ſui Muhammat, qui & Abubalas mortuus eſt, cum quinque præfuiſſet annis. Eratque Habdallas frater eius in Macha loco blaſphemiæ ipſorum. Scribit ergo Amuſſim, qui erat in Perſide, conſeruandum ſibi locum principatus, ſicut ſorte ſibi fuerat deputatus. Qui cum didiciſſet Habdallan filium Halim, fratrem vero Salim, ſummum Prætorem Syriæ, principatum ſibi affectantem, & venientem ad obtinendam Perſidem, aduerſantemque Perſis, & fauentem his qui erant Syriæ, quique auxiliabantur ei, concitatis exercitibus ſuis aggreditur apud Niſibin, & victore eo Amuſſim oculos D peremit. Erant autem plures ex his Sclaui & Antiocheni. Aſt Habdalla ſolus ſaluus remanens, poſt paucos dies petiit verbum ab altero Habdalla fratre Muhammar, veniente ſtudio multo in Perſidem à Macha, quo in domuncula putrefacta retruſo, effodi fundamenta præcipiens, hunc clam interfecit. Porro Amuſſim furentem aduerſus Arabes Syriæ, pro eo quod in Maurophoros inſurrexerant, & multos in Palæſtina, & Emeſa & maritima ceperant, atque in eos irruere meditantem cohibuit cum exercitibus. At ille iratus Habdallæ ad interiorem Perſidem cum multitudine properauit. Quem cum vehementer ille metueret, acceſſit eum ſuaſoriis verbis & precibus atque ipſis execrabilibus principis ipſorum ſymbolis deſtinatis, virga ſcilicet atque ſandaliis pſeudoprophetæ Muhammat; expetens vt ad ſe via vnius diei diuerteret; quatinus ei decentes geſtarum actiones referret. At ille deceptus venit cum centum millibus equitum, vultuſque illi occiditur ab eo propriis manibus, ſicque principatus Habdallæ conferrur, qui vno & viginti annis præfuit Arabibus. Anno 15. imperij ſui Conſtantinus Syros & Armenios, quos à Theodoſiopoli & Mitilena duxerat, in Thraciam emigrauit, ex quibus etiam Publicanorum hæreſis eſt dilatata. Similiter & in vrbe paucis præ mortalitate factis habitatoribus aius, duxit vna cum familiis, tam ex inſulis & Hellade, quam ex inferioribus partibus, ſicque vrbem habitare fecit, quam & condenſam reddidit. Eodem quoque anno quæſiere Bulgares pacta, propter caſtra quæ conſtructa fuerant. Aſt Imperatore apocriſiarium eorum dehoneſtare deſtinante, exierunt hoſtiliter, & vſque ad longum murum venerunt, & multo cædio perpetrato illæſi reuerſi ſunt. Anno 16. imperij Conſtantini, terræmotus haud modicus factus eſt in Palæſtina & Syria, ſeptimo Idus Martij, & exul factus eſt Theodorus Antiochiæ patriarcha, inuidia detrugatus Arabum, quod crebro Imperatori Conſtantino cauſas eorum per literas indicaret: & de cætero Halim hunc exulem miſit in Moabitidem regionem patriam ſuam, præcepitque ibidem F Halim, non conſtruendas nouas Eccleſias, nec videndam crucem, ſed neque de fide Chriſtiano cum Arabibus dogmatizandum. Porro exercitum mouit idem contra Romaniam cum octoginta millibus, & veniens in Cappadociam audiuit Conſtantinum aduerſus ſe venientem armatum, & territus inefficax rediit, nihil depopulans, niſi quod paucis Armeniis ad ſe confluentibus aſſumptis reuerſus eſt. Anno 17. imperij Conſtantini, Habdallas tributorum rationem Chriſtianis ampliauit adeo vt omnes monachos & incluſos, atque Cionitas, qui Deo placere noſcebantur, ſub tributis redigeret. Signauit autem & Eccleſiarum cimilia, & adduxit Hebræos ad venundandum illa, & emerunt ea libere. Anno 18. imperij ſui Conſtantinus Sclauinos penes Macedoniam poſitos captiuauit, & reliquos ſubiugauit. Eodem anno quidam ex Maurophoris Perſis, cum magicæ religionis eſſent, deceptione diaboli detenti, venundata ſubſtantia ſua nudi ſupra muros aſcendentes proiiciebant ſemetipſos, ita vt ſe G volare in cœlum arbitrarentur, qui nihil dignum ratione ſortis illius habentes, artus conterebant, ad ima demerſi, quorum ſedecim, eos duntaxat qui in errore præeminebant, Habdallas per Halim interfecit in Beroea & Chalcide. Anno 19. imperij Conſtantini, inuidia Chriſtianos prohibuerunt Arabes à publicis chartutheſiis ad modicum tempus. Sed rurſus coacti committunt cum eis eadem ipſa, eo quod non poſſent ipſi ſcribere calculationes: acieſque direxerunt multas, & Paulum Prætorem Armeniacorum bellum agentes apud Melan peremerunt, nec non & quadraginta duos inſignes viros captiuos duxerunt, & capita multa. Imperator autem exercitum mouit in Bulgariam, & venienti in Verebagam ad clauſuram, Bulgares obuiam ei aduenerunt & multos exercitus eius trucidauerunt, in quibus & Leonem patricium, & Prætorem Thraceſiorum, & Leonem logothetam Tindromij ceperunt, & arma eorum, & populum multum, & ſic inhoneſte H reuerſi ſunt. Anno 20. imperij Conſtantini, factus eſt error Paſchæ, & orthodoxi quidem in Oriente octauo Idus Aprilis Paſcha celebrauerunt, at vero erronei hæretici Idus Aprilis. Eodem anno tranſlatum eſt caput ſancti Ioannis præcurſoris atque Baptiſtæ à monaſterio Spelei in templo ſuo in Emeſenſium ciuitate ſito, cum eſſet illuſtre, & deſcenſus ædificatus eſſet, ibi vſque hodie à fidelibus honoratum & adoratum, omni ſuauitatis, corporali ſcilicet ac ſpirituali honoratur odore, & emanans effundit omnibus ſanitatem, qui fide flagrantes occurrunt. Eodemque anno Cometes clariſſimus in Oriente apparuit per decem dies, & rurſum ad Occidentem diebus viginti & vno. Quidam vero Syrus Theodorus nomine Libanites, circa regionem Heliopoleos, quæ eſt ad Libanum, aduerſus Arabes inſurrexit, & cum bellum mouiſſet in eos, ceciderunt ex vtriſque multi: nouiſſime vero terga & ipſe vertens effugit, & Libanitæ omnes qui cum ipſo erant,

interempti

A interempti ſunt. Factæ ſunt & in Africa ſeditiones & bella, ſolari eclipſi facta 19. Kal. Septemb. feria ſexta, hora decima. Porro inſurrexerunt quidam ex Maurophoris apud Dabecho dicentes, filium protoſymboli Deum, vt nutritorem ſuum, & protulerunt dogmata huiuſmodi. Et introierunt domum Maurophori erroris ſui, & occiderunt clauigeros ſexaginta: & exierunt quidam in Barraſſon, & captiuos multos, & pecunias innumeroſas ſumpſere. Anno 21. imperij Conſtantini, ſeditionem concitarunt Caſſiotæ contra Maurophoros propter mulieres. Manſerunt autem ex eis in domo, in qua tres fratres manebant, & voluerunt vxores eorum in pelagus iacere: ſurgentes autem tres fratres, occiderunt & obtinuerunt illos, ſed & coaceruati occiderunt reliquos: & cum miſiſſet Salimus militiam fraudulenter venere ſuper illos, & comprehenſis eis paribuio ſuſpenderunt, & multos alios occiderunt. Porro Paſchali feſtiuitate ingreſſus
B eſt ad ſanctam collectam in Eccleſia Catholica, cumque Metropolitanus Epiſcopus aſtaret, & exclamaret more ſolito, Deo dicens: Plebs tua & Eccleſia tua ſupplicat tibi: duxerunt eum, & concluſerunt in carcere, & alius impleuit ſanctam collectam, & factus eſt timor magnus, & niſi Metropolita moralitate ac humilibus verbis mitigaſſet eum; malum profecto ingens in hac hora perpetratum fuiſſet. Erat autem hic beatiſſimus Anaſtaſius. Eodem quoque anno Conſtant. perſequutor Andream memorabilem monachum, qui dicebatur Calykites, apud Blacernas flagris in hippodromio ſancti Mamæ occidit, redarguentem impietatem eius, & Valentiniauiſtam ac Ciuilianum appellantem eum, quem & in rheuma maris iactari præcepit, niſi ſorores eius hunc rapientes in emporio Leucadij ſepeliſſent. Anno vigeſimo ſecundo imperij Conſtantini, apparuit Cometes in Oriente, & interfectus eſt filius Phatniæ. At vero Bulgares inſurgentes, occiderunt dominos ſuos, & ſtatuerunt virum in Senatum nomine Zeletin cum eſſet triginta annorum. Multi
C præterea Sclaui fugientes ad Imp. confluxerunt quos conſtituit ſuper Artanam. Porro decima ſeptima Kalend. Iulij exiuit Imperator in Thracem. Miſſo nauigio per Euxinum pontum vſque ad octoginta chelandia, ferentia duodenos equos. At vero Zeletis audita contra ſe per terram & mare facta commotione aſſumpſit in auxilium ex adiacentibus ſibi nationibus viginti millia, & in munitionibus his conſtitutus ſe cautum & intrepidum reddidit. Aſt Imperator cum veniſſet caſtrametatus eſt in campo Anchiali, & pridie Kalend. Iulij primæ indictionis feria quinta Zeletis apparuit cum multitudine gentium veniens, ineunteſque bellum, occidunt diutius inuicem, verum Zeletis terga vertens effugit. Porro pugna tenuit ab hora quinta vſque ad veſpertinam, & multitudines Bulgarum numeroſæ peremptæ ſunt, & multi ex his capti, multique Imp. ſubditi facti ſunt. Aſt Imp. huiuſcemodi elatus victoria, publicauit hanc coram vrbe cum exerci-
D tibus ingreſſus armatis, & laudibus plebium celeberrimis diffamatus, & ex hylopanduris conſtrictos trahens Bulgares captos, quos extra portam Auream decollari præcepit: Zeletin vero Bulgares tumultuantes vna cum principibus eius interfecerunt, & conſtituerunt Sabinum generum Comerſij quondam domini ſui, qui videlicet Sabinus cum mox ad Imperatorem miſiſſet, & pacem fieri exquiſiſſet, conuentu Bulgares facto reſtiterunt robuſte dicentes ei: Bulgaria per te, vt cernimus, redigitur in ſeruitutem Romanis. Factaque Sabinus ſimultate fugit in caſtrum Meſembriæ, & ad Imperatorem ſe contulit: ſtatuerunt autem Bulgares alium ſibi dominum, Paganum nomine. An. vigeſimo tertio imperij Conſtantini, egreſſi ſunt Turci à Caſpiis portis, & occiderunt in Armenia multos & præda ſumpta non pauca reuerſi ſunt. Coſmas autem quidem Epiſcopus, erat Epiphaniæ quæ eſt ciuitas Apamiæ Syriæ porro quibuſdam ex ciuibus Epiphaniæ ad Theodorum patriarcham Antiochenum accuſationem contra eundem Coſmam ſuper diminutione ſacrorum vaſorum facientibus, cum ille minimè potuiſſet reſtituere, diſceſſit ab orthodoxa fide conſentaneus Conſtantini in hæreſi, ſacris aduerſatus imaginibus, quem

communi ſententia Theodorus Antiochenus patriarcha, E
& Theodorus Hieroſolymitanus, atque Coſmas Alexandrinus cum Epiſcopis ſibi ſubiectis die ſanctæ Pentecoſtes poſt lectionem ſancti Euangelij conſonanter anathematizauerunt ſinguli in ſua ciuitate. Eodem an. à Kalend. Octobris factum eſt gelu magnum & amariſſimum, non ſolum in terra noſtra, verumetiam in Oriente, & multo magis Septentrionali parte, vt pelagus ponti vſque ad centum milliaria præ glaciei vigore in lapidis duritiam fuerit verſum, habens cubitos in ſuperficie ad profundum triginta, cunctis nimirum regionibus ab ipſa Lycia vſque ad Danubium, & Euphratæ fluuium, Danaſtri quoque & Danapri, atque Necropela, nec non & per reliquas ripas, & vſque ad Meſembriam & Mœſiam ſimiliter patientibus. Cumque huiuſcemodi gelu niue fuiſſet coopertum, ſuper alios viginti cubitos creuit, ita vt mare aridæ conformaretur, & pedibus calcaretur in ſuperficie glaciei à Cazaria & Bulgaria, quin & adiacentibus inſulis, tam ab hominibus quam agreſtibus & manſuefactis animanti- F
bus. Februario vero menſe ipſius ſecundæ Indictionis, huiuſcemodi gelu per iuſſionem Dei in multas ac diuerſas in ſpecie montium factas conciſiones in Danupſiam & Heron deſcẽdit. Taliter per anguſtium peruenerunt ad vrbem, & vſque ad Propontidem, & inſulas, & Abydum, omnes maritimos choros ac ripas replentes: quarum videlicet cõciſionum inſpectores & nos ipſi extitimus deſcendentes ſuper vnam eorum cum quibuſdam triginta coætaneis noſtris. Habebat autem & animalia campeſtria, & manſueta, & viua, & mortua. Omnis enim quicunque vellet à Sophianis vſque ad vrbem, & à Chryſopoli vſque ad ſanctum Mamam, & ad ea quæ dicuntur Galathi, per aridam ſine prohibitione pergebat, & vna quidem ex eis ad Acropoleos ſcalam diſrupta contriuit eam, alia vero ingentis molis ad murum colliſa, hunc magno impulſu concuſſit, adeo vt interiores quoque domus Salo compartiparentur. Porro in tria diſrupta cinxit vrbem à Maganis videlicet vſque ad Boſphorum, cuius altitudo muros exceſſit. Omnes autẽ tam viri quam fœminæ, ſimul & pueri horum viſioni dantes indeſinenter operam perſeuerabant, G
& cum lachrymis domum reuertebantur, ignorantes quid ad id fari quiuiſſent. Cæterum an. eodem menſe Martio ſtellæ de cœlo cadentes apparuere, ita vt omnes qui hoc viderunt inſtantis ſæculi conſummationem eſſe putarent. Siccitas quoque multa effecta eſt, adeo vt etiam fontes exſiccarentur. Aſt Imp. accerſito patriarcha, dicit ei: Modo quid vos læderet, ſi dixerimus, θεοτόκον, χριστοτόκον? At ille hunc complexus ait: Miſerere Domine ne ad contagionem tuam veniat ſermo iſte, nonne vides qualiter diuulgetur & anathematizetur Neſtorius à tota Eccleſia? Qui reſpondens ait: Ego diſcere volens interrogaui, verum vſque ad te ſermo. An. 42. imperij Conſtantini, exierunt iterum Turci ad Caſpias portas, & Iberiã, quibus cum Arabibus bellum ineuntibus ex vtriſque perierunt multi. Habdallas vero huiuſcemodi calliditate depoſuit à principatu Hyſebin Muzæ, in quem, vt ſuperius dictum eſt, tertia ſors tenendi poſt eum cecidit. Videns enim eum dolore capitis hemigranite laborantem, & ſcotomi plenitudinem patiẽ- H
tem perſuadet, quod curandus foret ei ex aliqua confectione ptarmica in nares eius inſufflaretur à medico ſuo, Moyſe nomine, diacono Antiochenorum Eccleſiæ, quem iam muneribus fecerat acerrimum conficere medicamen quod ſimul narcoticum foret vehementer: qui videlicet cum paruiſſet Habdallæ, ſuſcepit per nares confectionem, & repletus in omnibus circa caput, cunctiſque ſenſibus vna cum hegemonicis operationibus defraudatus ſine voce iacebat. Aduocatis itaque Habdallas ducibus ac primoribus gentis. Quid vobis inquit, videtur ſuper futuro rege? At illi abnegato eo concorditer, dextras dedere filio eius Habdallæ Muhammat, qui nuncupatur Mady. Porro Hyſe abſque ſenſu domum reportauerunt. Hunc autem poſt tertium diem conualeſcentem excuſationibus fictis conſolabatur centum auri talentis iniurias recompenſans. Eodẽ etiam an. miſit Paganus dominus Bulgariæ ad Imp. poſtulãs vt cum eo facie ad faciem iungeretur. Ex accepto verbo deſcendit cum eo cum Boiladis ſuis. Cumque Imp.

A vna cum Sabino ſederet,ſuſcepit eos,& exprobrauit inor-
dinationem eorum & odium habitum in Sabinum.Fece-
runtque pacem, vt putabant. Aſt Imp. clam mittens in
Bulgariam cepit Seuerorum principem Sclauinum,qui in
Thrace multa fecerat mala. Comprehenſus eſt autem &
Chriſtianus, qui eſt Chriſtianis margarites, & primus
Scaurorum effectus eſt quem apud ſanctum Thomam
manibus & pedibus detruncantes, adduxere medicos qui
hunc viuum inciderunt, à thorace pubetenus, ad hominis
cognoſcendam poſitionem atque ſtructuram, & ſic eum
tradiderunt igni. Actutum præterea exiens Imp. ab vrbe
cum ſine cuſtodia inueniſſet, ob deceptoriam pacem per
clauſuras ingreſſus eſt Bulgariam vſque ad Zitas, & miſſo
igne in cohortes reuerſus eſt,cum nil forte patraſſet. An-
no 45. imperij ſui, duodecima Kalend. Decembris Indi-
ctionis quartæ, furens impius & ſceleſtus Imp. aduerſus
omnes timentes Deum, protomartyrem Stephanum no-
uum abſtrahi præcepit, cum incluſus eſſet apud ſanctum
Auxentium in proximo monte Amaſtri.Quem hi qui eru-
B ditionum eius fructum percipiebant, & vnius ac ſimilis
ſenſus cum eo erant, ſcholarij quoque ac reliquis ordini-
bus deputati, accipientes pedem ipſius rudente ligantes,
traxerunt vſque ad ea quæ ſunt pelagia prætorio, vbi &
diſcerpentes eum proiecerunt honorabiles ipſius reliquias
in biothanatorum locum, eo quod multos monuerit, &
adduxerit ad monaſticam vitam atque contemnere re-
gias dignitates atque pecunias perſuaſerit. Reuerendus
quippe vir omnibus erat, pro eo quod fere ſexaginta an.
egerit in clauſtris, & virtutibus multis effulſerit. Multos
etiam principes ac milites accuſatos quod imagines ado-
rarent, diuerſis pœnis & amariſſimis tradidit verberibus.
Iusjurandum etiam generale ab omnibus ſub Imperio ſuo
degentibus exegit, ne quiſquam adoraret icona: cum
quibus & Conſtantinum falſi nominis patriarcham ſuper
ambonem aſcendere, & exaltare pretioſa ligna, & iurare
fecit, quod non eſſet ex eis qui adoraret imagines. Cui
mox vt ex monacho Stephanites efficeretur perſuaſit, &
C carnibus veſceretur atque cytharœdos ad menſam re-
giam admitti pateretur: ſed non in longum tardata vltio
hunc homicidam debitis tradidit pœnis. Denique duode-
cima Kalend. Februarij quartæ indictionis, motus eſt
contra Bulgares,& direxit ad Achaloo duo millia ſexcen-
ta chelandia extruens ea & armans ex cunctis themati-
bus.Quæ cum in Thoris ſtationem fixiſſent, flante Aqui-
lone contrita ſunt pene omnia, & populus necatus eſt
multus, ita vt Imperator extendere retia,& mortuos edu-
cere ac ſepelire præceperit. Porro decimaſexta Kalend.
Septemb.eiuſdem quartæ Indictionis, publicè diffamauit
& dehoneſtauit habitum monachorum in hippodromo,
præcipiens vnumquemque monachum manu tenere mu-
lierem, & taliter tranſire per hippodromum, ſumptis in-
iurijs ab omni populo cumulatis. Similiter & octauo Id.
Septemb. ducti ſunt ad ludos Circenſes inſignes princi-
pes decem & nouem, & pompati ſunt quaſi mala contra
Imperatorem conſiliati fuerint,non veraciter accuſati,ſed
quia inuidebat eis, eo quod eſſent formoſi atque robuſti,
& ab omnibus collaudati: quidam vero ex eis & ob
D religionem, eo quod ad prædictum incluſum iſſent, &
paſſiones eius publicè diuulgarent, quos interfecit, quo-
rum præcipui ſunt, Conſtantinus patricius, & dudum lo-
gotheta Dromi, cuique nomen impoſuit Podopagurum:
& huius frater Strateius. Spatarius & domeſticus excubi-
torum: Antiochus logotheta Dromi factus & Prætor Si-
ciliæ: Dauid Spatarius & comes Obſicij: Theophylactus
Protoſpatarius & primus imperialium ſtratorum, filius
patricij Bardanis: Theophylactus candidatus: & alij, quos
cum in Hippodromo ludis palam traduci, & ab omni
populo conſpui & maledici feciſſet, ſententiam dedit, &
illos quidem duos fratres Conſtantinum atque Strateium
intra venationis ſepta capitis animaduerſione puniuit,
multo ſuper eos vniuerſæ plebis facto lamento, adeo vt
cum hoc didiciſſet Imperator indignaretur,& Procopium
præfectum cæderet, & ab adminiſtratione depelleret,tan-
quam id fieri permittentem: cæteros autem oculis priua-
tos in exilium deſtinauit,quos per ſingulos mittens, cum

eſſet omni crudelitate plenus,ad loca in quibus degebat, E
centenis flagris vapolare iubebat. Porro tertia Kalend.Se-
ptembris eiuſdem quartæ Indictionis,inſaniens idem ma-
leuolus aduerſus æquiuocum ſuum & conſentaneum
ſuum patriarcham,& iuuenis quibuſdam clericis ac mo-
nachis inſtruxit illos vt dicerent: Audiuimus patriarcham
cum Podopaguro aduerſus imperatorem loquentem: &
miſit eos ad Patriarcham,vt arguerent illum.Cumque ille
iuraret, fecit eos ad pretioſa ligna iurare fatentes: A pa-
triarcha hæc maledicta audiuimus. Inter hæc ergo miſit,
& bulla ſignauit patriarcham, & hunc exilio relegauit
apud Iberiam & rurſum apud principem inſulam.

Anno vigeſimo ſexto imperij Conſtantini, Habdallas
filius Hali mortuus eſt,mente ſuper ſe ruere in qua cuſto-
diebatur.Habdallas autem cum Amiræ fungeretur hono-
re, multa mala Chriſtianis ſub principatu ſuo degentibus
demonſtrauit.Siquidem & cruces Eccleſiarum abſtulit,&
vigilias nocturnas celebrare, ſed & litteras diſcere prohi-
bebat. Hi vero qui dicuntur apud illos Arutitæ, quod in- F
terpretatur æmulatores,contra Palmirenſem eremum in-
ſurrexerunt.Is autem qui Chriſtianis ineffabilibus Dei iu-
diciis imperabat, fortaſſis vt Iezabel quondam, vel væſa-
nus Achab, multo peiora quam Arabum ſit inſania, ſub
imperio ſuo poſitis orthodoxis Epiſcopis, monachis, lai-
cis,prælatis atque ſubiectis oſtendit,vbique interceſſiones
ſanctæ Virginis Dei genitricis ac omnium ſanctorum in
ſcriptis, vt inutiles ac ſine ſcripto repellens, per quas no-
bis emanat omne ſuffragium, & ſanctas eorum reliquias
eiiciens & inuiſas reddens. Sicubi inſignis quiſquam au-
diebatur ad animarum ſanitatem, & corporum, vel ſicut
moris eſt à pie agentibus honorari,mox mortem aduerſus
huiuſmodi,tanquam impiè agentes minabatur: ſin autem
proſcriptiones, exilia & tormenta: Deo autem gratiſſi-
mum lipſanum vtpote quidam theſaurus poſſeſſoribus ha-
bitus auferebatur, inuiſum de cætero efficiendum. Tale
quid & in pretioſiſſimũ laudabilis matris Euphemiæ lipſa-
num profanus hic Imperator geſſit,in profundum id cum G
loculo iaciens, non ferens eam ex ſe ſuper omnem popu-
lum ſuauitatem vnguenti reddentem, & arguentem eius
aduerſus interceſſiones ſanctorum deliramenta: ſed Deus
qui cuſtodit oſſa ſibi placentium ſecundum diuina elo-
quia, illæſum hoc conſeruauit,rurſus oſtenſurus illud apud
Lemnum inſulam.Per nocturnam ergo viſionem apparẽs,
eleuandum ſe præcepit & conſeruandum.Sub Conſtanti-
no vero, & Eirene piis Imperatoribus, Indictione quarta
cum decenti honore rediit ad templum ſuum, quod ipſe
quidem tanquam inimicus Eccleſiarum, commune fecit
armamentarium, ſterquiliniumque fore decreuit: illi vero
repurgatum hoc iterum ſacrauerunt, ad redargutionem
quidem huius impietatis, oſtenſionem autem horum pie-
tatis. Hoc autem obſtupendum & ſcriptura dignum mi-
raculum poſt viginti duos annos poſt iniqui principis
mortem, vna cum piiſſimis Imperatoribus & Tharaſio
ſanctiſſimo patriarcha nos vidimus, & cum eis cumplexi
ſumus,licet indigni magnam gratiam promerentes.Porro H
decimaſexta Kal.Decembris eiuſdem quintæ Indictionis,
decreto Imperatoris promouetur Nicetas eunuchus è
Sclauis ortus,irregulariter patriarcha Conſtantinopoleos,
& facta eſt ſiccitas, ita vt nec ros de cœlo caderet, defe-
ctaque penitus aqua ab vrbe otioſæ remanſerunt tam ci-
ſternæ quam lauacra,& fontalia fluenta quæ prius iugiter
effluebant, Quod intuens Imperator cœpit renouare
aquæductum Valentiniani, qui cum vſque ad Heraclium
perdurasſet,ab Auaribus eſt deſtructus. Electis ergo ex di-
uerſis locis artificibus ab Aſia quidem duxit & Ponto
ædificatores mille,& linitores ducentos: à Græcia vero &
inſulis teſtacearios quingentos.Porro ex ipſa Thrace ope-
rarios v.millia hominum,& tegulas facientes ducentos &
præpoſuit eis principes,exequutoreſque operum,ac patri-
cium vnumaliquem opere conſummato aqua introiuit in
vrbẽ.Cæterum eadẽ die Indictione quinta prouehit ſui ſẽ-
ſus prætores,& operarios ſua nequitia cõdignos. Michaë-
lem ſcilicet Edeſſenũ in themate Orientaliũ,& Michaëlẽ
Lachanodracunem in Thraceſiis: ſuper Buccellarios ve-
ro Manen à mania, id eſt, inſania nominatum. Sed quis

A eſt Idoneus ad enarrandum horum ſcelerata piacula, quæ partim in ſuis à nobis perſtringuntur locis ? Omnia enim eorum opera ſi conſcriberentur, quæ ad orationem imperantis ſunt effecta, nec ipſum arbitror, vt propriè cum Euangeliſta dicam capere mundum eos qui ſcribendi ſunt libros.

Anno vigeſimo ſeptimo imperij Conſtantini, Conſtantinus falſi nominis patriarcha ductus eſt, nona Octobris, ſexta Indictione à principe inſula, quem & cecidit tyrannus quod euadere non valeret. Iuſſit autem io foro parari, & eundem ſedere in gremio Eccleſiæ magnæ, etarque à ſecretis cum eo ferens chartæ tomum in quo erant ſcripti huius exceſſus. Omoi ergo populo ex præcepto regis illic congregato & vidente legebatur charta in audientia totius populi, & pe. ſingula capitula percutiebat à ſecretis faciem eius. Niceta patriarcha ſedente in confeſſione ac intuente. Poſt hæc vero cum impoſuiſſent eum in ambonem, & recte ſtare fecilſent, accepit
B Nicetas chartam & miſit Epiſcopis: & abiato ſuper humerali eius, anathematizaoerunt eum & hunc ſocium Abſin cognominantes ab Eccleſiâ abſtraxerunt. Poſtera veto die cum ludi Circenſes agerentur, raſerunt faciem eius, & barbam denudauerunt, capitis & ſuperciliorum pilis ablatis: & indutum hunc laneo breui ac ſine manicis veſtimento, ſedere fecerunt ſoper aſinum ſagma ferentem, & ipſius tenere caudam, & duxerunt per Dippium In hippodromum cuncto populo imprecante illi mala & conſpuente. Trahebat autem aſinum Conſtantinus nepos eius naſo reciſo, cumque veoiſſet ad vulgus deſcenderunt & conſpuerunt, & puluerem proiecerunt ſuper illum. Et cum adduxiſſent eum ad conſiſtorium, deiecerunt eum de aſino, & calcaueruot ſuper collum eius, & collocatus contra vulgus, aodiebat ab illis ludicra verba vſque ad abſolutionem ludorum equeſtrium. Eodem quoque menſe, miſſis impius Imperator patriciis ſignificat ei dicens: Quid dicis de fide oostra, & concilio quod feci-
C mus ? Qui ſenſibus ad vanitatem conuerſis reſpondebat: Bene inquiens, & credis, & bene concilium operatus es, putans ſe ob hoc illum placare ſibi. At confeſtim, illi reſpondentes dixerunt: Nos hæc audire noluimus ab ore tuo polluto, ex hoc ergo vade in tenebras. Et ſic accepta ſententia deſcendit ad clauſtra ferarum & decollatus eſt, & caput quidem per aures ligantes tribus diebus in Milio ſuſpenderunt ad oſtentationem plebis: corpus vero reſti pede ligato traxerunt per plateas vſque ad loca pelagi, & ſociandum biothanatis iactauerunt: ſimiliter & caput eius poſt tres dies illuc delatum proiecerunt. O irrationabilitatem & crudelitatem atque immiſericordiam immitiſſimæ beſtiæ, non eſt veritus miſer ſanctum lauacrum. Duos enim filios eius ex tertia coniuge ipſius in vlnas ſuas ſuſceperat. Siquidem ſemper feralibus moribus & immanſuetus eſſe probabatur. Ab hoc autem anno ampliori eſt inſania vſus, mitten s quippe depoſuit Petrum nobilem Scilites à Metra, qoem virum cum ſuis
D dogmatis cedere renuiſſet, ligatis pedibus eius In prædictum palatij locum incluſit, & hunc tractum quoque per plateas prolici iuſſit: alios etiam in ſaccis vinciens, & lapidibus aggrauans, eruens oculos in pelagus iactari præcipiebat, nares abſcindens, flagellis excorians, & omnem tormenti ſpeciem aduerſus eos qui pie viuebant, excogitans. Et lo vrbe quidem per ſeipſum hæc & conſentaneos ſuos, Antonium patricium & ſcholarum domeſticum, ac Petrum magiſtrum ſuper populum ſingulorum ordinum, qui à ſe fuerat eruditus ad talia agebat in exteris vero partibus per iam dictos Prætores. Ipſe namque citharæ delectabatur ſonitu atque conuiuiis, turpibus ſermonibus & ſaltationibus eos qui ſibi adhærebant, inceſſanter erudiens: & ſicubi quiſquam cor ruens vel dolens, ſolitam Chriſtianorum vocem emitteret dicens, Dei genitrix ioua: aut vigilias agens deprehenderetur, aut Eccleſiis aſſuetus, aut cum religione viuens, aut non paſſim iuramentis abutens, vt inimicus Imperatoris damnabatur, & immemorabilis nominabatur. Monaſteria vero quæ in gloriam Dei & ſaluandorum refugium effecta ſunt, domos fore communes ſautoribus ſuis militibus ſanciebat. Denique Dalmatij cœ- E
nobium, quod inter optima Byzantij erat cœnobia, militibus in habitaculum tribuit. Ea vero quæ dicuntur Caliſtrati, & Dij, ac Maximini monaſteria, nec non & alias ſacras monachorum ac virginum domos à fundamentis deſtruxit. Eos autem qui monaſticam vitam ſubire ex inſignibus militibus ſtuduerant, & maxime illos qui ſibi adhæſerant & complices libidinis ſuæ, & nefandorum actuum fuerant, morti ſubdebat, ſuſpectui habens confuſionem, quæ ſibi ex propalationibus fieret, ſe pronunciantium. Vnde & Strateium Podopaguri fratrem, cum eſſet vrbanus ſpecie aſſumpſit. Amabat enim talibus adhærere propter luxurias ſuas. Cumque moleſtè eum ſenſiſſet tuliſſe, infandas in viros inſanias, ſuas; & beato Stephano incluſo ſancti Auxentij has manifeſtas reddidiſſe, ſalutiſque remedia ſuſcepiſſe, hunc quaſi inſidiatorem ſuum diffamans vna cum incluſo, vt predictum eſt, Interfecit. Fecit autem abundare ornatas ſpecies io
vrbe. Nouus enim Midas factus, aurum coacetuauit, & F
agricolas denudauit, & ob tributorum exactionem cogebantur homines largas Dei geniminum munificentias facili ſeu vili pretio venundare. Eodemque anno Nicetas falſi nominis patriarcha iconas ex muſiuo factas, quæ in patriarchio ſecreti minoris erant, eraſit, & imagines magni ſecreti, quæ ſculptæ erant in ligno, depoſuit, & cæterarum imaginum facies deliniuit: ſed & in Abramio ſimiliter fecit. Anno vigeſimo octauo Imperij ſui coronauit imperator Eudoxiam vxorem ſuam, cum eſſet trigamus & hæc eſſet tertia coniux, in tribunali decem & nouem accubituum. Kalend. Apr. filios ſuos ex ipſa creatos, Chriſtophorum ſcilicet & Nicephorum, poſtera die qua ſanctum celebratum eſt Paſcha, & Cæſares ordinauit, patriarcha oratinnem faciente, & imperatoribus chlamydes & Cæſaricas imponentibus galeas. Pari modo & Nicetæ nouiſſimo fratri eorum nobiliſſimo facto, ſuperpoſuit ei chlamydem & auream coronam, & ita proceſſerunt iactantibus imperatoribus hypatiam, & trimiſia, & hemiſia, & numiſmata noua vſque ad magnam Eccleſiam. Anno vigeſimonono imperij Conſtantini, in-
greſſa eſt Eirene ab Athenis veniens cum dromonibus G
& chelandiis plurimis, adornatis ſericis palliis, & proceribus vrbis cum vxoribus obuiam occurrentibus & præcedentibus eam. Cumque veniſſet patriarcha ad palatium in Eccleſiam Phari, facta ſunt ad eandem Eirenem ſponſalia Leonis imperatoris, & decima ſexta Kal. Ian. coronata eſt in triclinio Auguſta Imperatrix Eirene. Hoc etiam anno facta eſt commutatio in Syria viri ad virum, & fœminæ ad fœmninam, & pueri ad puerum, & præcepit Habdallas radi barbas eorum, & fieri calamaucos cubiti vnius & ſemis. Anno trigeſimo imperij Conſtantini, mouit exercitum Banacas contra Romaniam, & multos captiuos abduxit, & Romani ingreſſi quartam Armeniam, deſpoliauerunt eam. Præterea moritur Salem, & tranſlata eſt Germanicia in Palæſtinam. Eodem vero anno imitatus Lachanodraco magiſtrum ſuum, omnem monachum & monacham in themate Thraceſiorum commorantes apud Epheſum congregauit, & eduxit eos
in campum, & ait: Qui vult Imperatori ac nobis obedi- H
re, alba induatur veſte, & vxorem hac ſumat hora. Aſt qui hoc facere paruipenderint, priuati luminibus in Cypro exilio damnabuntur. Tumque opus pariter cum verbo conſummatum eſt, & multi oſtenſi ſunt martyres, multi vero deficientes & eneruati perierūt, quos & familiares ſibi Draco faciebat. Præterea Indictione nona, menſe Ianuario, natus eſt Imperatori Leooi & Eirenæ filius, dum adhuc viueret Conſtantinus auus eius. Anno trigeſimo primo imperij Conſtantini, mouit exercitum Banacas cōtra Romaniam, & cum deſcendiſſet ab Iſauria io caſtrū Selces, obſedit illud. Quod cum Imperat. audiſſet, ſcripſit ad Michaëlem Prætorem Orientalium, & ad Manen Buccellariū, & Bardā Armeniacorum Prætores: qui cum veniſſent, tenuerunt egreſſum eorum, quia erat clauſura valde difficilis ad meandum. Stolus autē Cibiorætarū cum Pracona Spatario Prætore ſuo veoiens, applicuit in portu prædicti caſtri. Quod cum Banacas vidiſſet ſui deſperatus,

A fiduciam rurſus aſſumit, ſuoſque alacres reddit: & aſcendens ad pedeſtres exercitus, magnis & repentinis vocibus cum omnibus ſuis clamorem dedit, ſicque illos territos fugat, multiſque peremptis deprædatus eſt omnia circa regionem, & cum ſpoliis multis reuerſus eſt. Eodemque anno miſſo Prætore Thraceſiorum Lachanodraco, Leone notario ſuo, & Leone exmonacho, venundabat omnia monaſteria virorum ac mulierum, & omnia vaſa ſacrata & libros, & pecora, & quæque patrimoniorum eorum erant, & horum pretia principi detulit: quotquot autem monachicos & paternos libros reperit, igne combuſſit: & ſicubi lipſanum ſancti quiſquam habens apparuiſſet ad cuſtodiam, & hoc quoque nihilominus igni tradebat: eum vero qui habebat illud, vt impie agentem puniebat, & multos quidem monachorum interfecit verberibus, quoſdam etiam gladiis trucidauit. Præterea innumerabiles oculorum viſibus priuauit, & quorundam quidem barbas cera & oleo perungens ſuccendebat ignem, & ita tam facies eorum quam capita cremabat. Porro B alios poſt multos cruciatus etiam exiliis deſtinabat, & poſtremo in toto themate ſibi ſubiecto non deſeruit hominem vnum monaſtico ſchemate amictum. Quod cum didiciſſet Imperator, bonum ſemper exoſum habens, ſcripſit ei gratias dicens: Inueni te virum ſecundum cor meum, quia facias omnes voluntates meas. Hunc ergo imitantes & cæteri ſimilia perpetrabant. Anno trigeſimo ſecundo imperij Conſtantini, miſit Habdallas in Africam Mualabicum cum exercitu multo, ingreſſus eſt Alfadalbadinar in Romaniam, & cepit captiuos quingentos. Mopſueſtenſes autem obuiam eis occurrentes, & bellum exagitantes occiderunt ex Arabibus mille. At Habdallas abiens Hieroſolymam ieiunauit, & præcepit Chriſtianos & Hebræos inſcribi in manibus & idcirco multi Chriſtianorum in Romaniam confugerunt. Anno trigeſimotertio imperij ſui mouit Conſtantinus menſe Martio, duodecima indictione, ſtolum chelandiorum duum millium contra Bulgariam. Et ingreſſus ipſe in rubea chelandia motus eſt ad intrandum Danubium C amnem, prætoribus equeſtrium thematum derelictis extra clauſuras, ſi fortaſſe poſſent Bulgaribus in ſe intuitum intentionis figentibus introire Bulgariam. Cum autem veniſſet ad Birnas formidabat, & redire meditabatur. Sed Bulgares ſimili pauore metuentes, & ei inuidentes, miſerunt Hoylam & Zigaton petentes pacem. Quos cum vidiſſet Imperator, gauiſus eſt, & pacem fecit, præſtito viciſſim iureiurando, quatenus neque Bulgares exirent contra Romaniam neque Imp. ſtuderet contra Bulgariam intrare. Et factis ſuper hoc ex vtraque parte ſcriptis adinuicem, reuerſus eſt Imperator, & vrbem adiit, derelictis thematibus in caſtris quæ condidit. Octobri vero menſe, vndecima Indictione, nuntium ſuſcepit à Bulgaria ab occultis amicis ſuis, quod mitteret dominus Bulgariæ duodecim millia ex populo, & Buyladen ad captiuandam Berziciam, & adducendum eos in Bulgariam. Venerant enim ad eum legati domini Bulgariæ, cum adhuc hi eſſent in vrbe: qui ſimulauit ſe aduerſus Arabes exercitum mouere, & tranſmeauerunt tam vexilla, quam ſuppellectiles miniſterij regis & apparatus. Cum autem apocriſarios dimiſiſſent, per D exploratores eorum egreſſu comperto, aſſumpto exercitu feſtinus iter arripuit, & coaceruatis Taxatis & Thraceſianis, & vnitis ordinibus optimatibus fecit eos octoginta millia. Et pergens in locum, qui dicitur Lithſoria nullius tubæ clangore ſonante, irruerunt ſuper illos, & vertens eos fecit victoriam magnam, & cum multis exuuiis & captiuis reuerſus eſt, triumphum ſui trophæi oſtentans petes vrbem, & obſtipatus Obſiciis incedens, bellumque hoc nobile nuncupans, eo quod nemo ſibi reſtiterit, nec mactatio in hoc aut effuſio Chriſtiani facta fuerit ſanguinis. Anno trigeſimo quarto imperij Conſtantini, Conſtantinus ſoluens Bulgarum pacem conſtruxit iterum ſtolum magnum, & intromiſſis in eum equitum xii. millibus, direxit omnes prætores claſſium, omnes in illo: ipſe vero timens manſit cum equeſtri militia. Cum autem veniſſent vſque Meſembriam, & hanc ingreſſi fuiſſent, valenter Aquilone vento ſpirante omnia

E pene contrita ſunt, & multi perierunt: & rediit cum nil vtilitatis attuliſſet. Porro Telericus dominus Bulgariæ comperto, quod per familiares ſuos conſilia ſua cognoſceret, ſcribit ei dicens: Vellem effugere & venire ad te, tranſmitte ergo mihi verbum ſecuritatis, & quos habeas hic amicos, vt hoc eis credam, & meeum occurrant. At ille leuitate vſus ſcripſit ei. Qui cum hoc didiciſſet, per medium eos recidit. Quod audiens Conſtantinus, aliquandiu canos ſuos euulſit. Anno trigeſimoquinto Imperij ſui Imperator menſe Auguſto tertiadecima Indictione exiuit contra Bulgares, qui diuinitus in cruribus eſt plaga percuſſus, quæ Græcè ἄνθραξ appellatur, & hinc febre validiſſima detentus Archadiopolim rediit, à ſubiectis humeros in lecto delatus, & veniens Siſimbriam, nauem ingreſſus eſt. Cumque ad rotundum perueniſſet caſtellum, miſerabiliter in chelandio moritur, clamans & dicens: Viuens adhuc igni ſum inextinguibili traditus, ſanctamque Virginem & Dei genitricem F laudari expoſtulans, cum ſine fœdere eius fuerit inimicus. Regnauit autem poſt mortem patris ſui annis triginta quinque, menſibus duobus, diebus vigintiſex, & ita vitam diſſoluit, ſanguinibus multis infectus, & dæmonum inuocationibus ac ſacrificiis, perſequutionibus quoque ſanctarum Eccleſiarum rectæque ac immaculatæ fidei, nec non & monachorum peremptionibus, & violationibus monaſteriorum, maliſque variis ſupercreſcens, non minus quam Diocletianus vel aliquis tyrannorum. Præterea eodem anno, & eodem menſe moritur Habdallas Arabum dux. Cum enim ambo hi velut acerrimæ beſtiæ diuturnis temporibus ac crudelitatibus humanum genus depaſti ſint mortui ſunt prouidentia Dei, & obtinent principatum Leo & Mady filij eorum. Præterea eodem anno Adilgiſus Longobardorum rex ad regiam vrbem veniens Imperatori ſe profugus contulit.

Explicit liber vigeſimus ſecundus.

G

Incipit

LIBER VIGESIMVS TERTIVS.

ANno ab incarnatione Domini DCC. LXVIII. Leo Conſtantini filius imperat, & Mady dux habetur Arabum, qui nouem his præfuit annis, Leo vero Imperator cœpit expendere pecunias, quæ ſibi fuerant à patre dimiſſæ, placuitque tam optimatibus quam populo, & viſus eſt ad breue tempus pius eſſe, ſanctæque Dei genitricis ac monachorum amicus: vnde & monachos Metropolitanos in ſummis ſedibus collocauit, militiaſque themate fecit multas, & ordines in vrbe ampliauit. Quam ob rem thematum principes commoti, omnes ingreſſi ſunt cum multitudine populi copioſa, petentes H Conſtantinum filium imperatorem eius. At ille, vt moris eſt principibus, renuntiauit eis. Filius eſt, inquit, meus vnicus mihi, & idcirco vereor hoc facere, ne forte contingat mihi quod humanum eſt, & cum adhuc ſit paruulus, morti eum tradatis, & alium promoueatis. At illi cum iuramentis ſe profitebantur illi ſatisfacturos neminem regnaturum præter filium eius, etiamſi mori eum Deus voluiſſet. Hoc autem à Dominica die, qua Palmarum ſolemnitas agitur, vſque ad quintam feriam hebdomadæ maioris, populo, in hippodromo coaceruato petente, ſancta paraſceue iuſſit iurare illos. Et iurauit omnis populus in honorandis & viuificis lignis, tam ſcilicet ex thematibus & ſenatu, quam etiam exterioribus ordinibus, & ciuibus omnibus & ergaſteriacis, Imperatorem non admittendi, excepto Leone ſeu Conſtantino ac ſemine ipſorum, & fecerunt ſcripta, quemadmodum iurauerunt, propriæ manus. Et in craſtino ſabbatho ſancto exiuit Imperator in tribunalibus xix. accubitorum, & prouexit nobiliſſimum Eudoxium fratrem ſuum. Nam Anthimum viuens pater eius prouexerat. Et proceſſit Imperator cum reliquis Cæſaribus,

&

A & tribus nobiliſſimis ac nouo Conſtantino ad magnam Eccleſiam: & mutato indumento, ſicut Imperatoribus moris eſt, ambonem aſcendit cum filio ſuo ſimul & patriarcha: ingreſſus omnis populus, poſuerunt ſcripta ſua in menſa ſancta. Tunc Imperator alloquutus eſt populum ſic: En fratres, petitiones veſtras adimpleo, & dono vobis filium meum Imperatorem, ecce ab Eccleſia & de manu Chriſti ſuſcipitis. At illi clamauerunt voce magna dicentes: Fideiuſſor noſter eſto fili Dei, quia de manu tua ſuſcipimus dominum Conſtantinum Imperatorem, ad cuſtodiendum eum, & commoriendum pro eo. Et in craſtinum, quando videlicet magnus & dominicus dies Paſchæ celebratus eſt octaua Kalend. Maij, decimaquarta Indictione, auroræ crepuſculo, exeunte Imperatore vna cum patriarcha in hippodromum, delato altario, omni populo contemplante, patriarcha fecit orationem, & coronauit Imp. filium ſuum, & ita proceſſit ad magnam Eccleſiam vterque Imperator cum duobus Cæſaribus, & tribus nobiliſſimis. B Proceſſit autem & Imperatrix Eirene, cum præceſſiſſent Imperatores, ſceptris obſequentibus per ſcolas antelaris & aſcendentibus per Æneæ portæ aſcenſum in Catechumeni Eccleſiam, non exiens in plateam Emboli. Menſe vero Maio eiuſdem Indictionis accuſatus eſt Nicephorus Cæſar & frater imperatoris, quod inſidias conſtruxiſſet aduerſus eum cum quibuſdam Spatariis atque ſtratoribus, aliiſque regiis hominibus: & facto Imperator ſilentio apud Magnauram; expoſuit popolo, quæ de ſe fuerant dicta. Qui vnanimiter exclamauerunt, vt vterque recederet è medio, non memorantes, ſemper periuri, ſe patri eorum iuraſſe non admiſſuros poſt mortem eius initiam pati natos eius. Aſt Imperator rebelles cæſos & tonſos exilio damnauit, & apud Cherſonam deportatos fore decreuit, & climata illa ſub cuſtodia & munimine conſeruanda. Anno ſecundo imperij Leonis, confugit Telericus Bulgariæ dominus ad Imperatorem, qui fecit eum patricium, iungens illi vxoris ſuæ Eirene conſobrinam. C Cum autem baptizatum eum ex ſancta piſcina ſuſcepiſſet, magnifice honorauit pariter & amauit. Anno tertio imperij Leonis, ſedit Ithumas apud Dabechum, & ſeditionem commouit. Leo autem militias Romanorum direxit, & ingreſſa ſunt Syriam 100. millia, quibus duces erant, Michael Lachanodraco Thraceſiorum, Artauadus Armenius Orientalium, Tatates Buccellariorum, & Ballerotos Armeniacorum, & Gregorius Obſicianentium Prætores, & circumdederunt Germaniciam, vbi erat Isbal filius Mady, & apprehenderunt omnes camelos eius, & futurum erat vt caperent etiam Germaniciam, niſi muneribus perſuaſiſſent Lachanodraconi Isbali, & receſſiſſet à caſtro: & exiuit in prædam regionis, & captiuatis hæreticis Iacobitis Syris iterum ad caſtra reuerſus eſt. Et miſſo Ithumas exercitu à Dabecho & Amiradibus bellum cum Romanis fecerunt, & ceciderunt ex Amiradibus quinque & Arabibus ſex millia, & ſexta feria redierunt. Egreſſi enim fuerant dominico die Prætere- [illegible] facta, Imperator in Sophianis ſedit in ſolio cum D filio ſuo, & ita diuulgauerunt Prætores triumphos quos ſumpſerant. Tranſtulit autem Syros hæreticos in Thracem, & locauit eos illic. Anno quarto imperij Leonis, furore Accenſus Arabum dux Mady, mittit Alach cum virtute multa Maurophorum ſcilicet Syriæ ac Meſopotamiæ, & deſcendit vſque ad Dorileum: verum Imperator præcepit Prætoribus, ne debellarent eos publico bello, ſed munirent ciuitates, & populum introducerent, ad earum cuſtodiam deſtinatis & principibus magnis per ſingulas ciuitates, ipſique ſumerent electorum militum teros millia, & inſequerentur eos ne diſpergerent curſus. Et incenderunt ipſi primitus tam pabula equorum, quam eſcas vbicunque fuiſſent inuentæ. Cum autem reſiderent Dorilei diebus quindecim, & defeciſſent ſibi quæ victui ſunt neceſſaria, exilia effecta ſunt eorum animalia, multaque in eis præda patrata eſt. Et reuerſi ſunt, & obſederunt Amorium die vno: quod cum vidiſſent munitum eſſe, & multam habere armaturam, reuerſi ſunt nihil proficientes. Anno quinto imperij Leonis, E venit Mady Arabum dux Dabechum cum multo apparatu atque potentatu, & miſſo filio ſuo in Romaniam, ipſe rediit ad Sanctam ciuitatem: & miſit Theſian, qui dicebatur Zelotes, & dat ei poteſtatem apoſtatas faciendi Chriſtianorum ſeruos, & deſolandi Eccleſias ſanctas: & venit Emeſam, & repromittit ſe non compellere ad menzerizandum, niſi eos qui dudum ex infidelibus fuiſſent donec patefacti ſunt Hebræi & Chriſtiani. Et ſtatim cœpit impie cruciare, ſicut & Lyſias olim vel Agricolaus multoſque perdidit. Sane fœminæ, gratia Chriſti Dei noſtri vicerunt eius inſaniam: & hæ cum Nubitenſes eſſent archidiaconi Emeſæ, ac filij Eſaiæ, multum cruciatæ cum non ceſſiſſent impietati, millena quippe flagra recipientes, & aliis multis cruciatibus attentatæ, coronam victoriæ à Chriſto perceperunt. Peruenit autem & vſque Damaſcum, & multas Eccleſias deſertas fecit, non intendens dato Chriſtianis verbo ab Arabibus. Præterea octaua Idus Feb. mortuo Niceta, de quo prædictum eſt, Conſtantinopoleos Epiſcopo, ſecunda ieioniorum hebdomada, die Dominico, Paulus honorabilis genere Cyprius, verbo & actu coruſcans, poſt plurimam prope hæreſim qua tenebatur excuſationem, F vi multa, compellente conſecratur patriarcha Conſtantinopoleos. Media vero hebdomada ieiuniorum tentus eſt ac Iacobus Protoſpatarius, & Papias ac Strateius & Theophanes cubicularij vna cum aliis religioſis viris, eo quod imagines adorarent. Tunc denudans occultam malitiam ſuam Leo perſequutoris filius, & hos immiſericorditer cæſos & tonſos & per medium vrbis vinctos pompari fecit, & includi in Prætorio mandauit: inter quos dictus etiam moritur Theophanes confeſſor effectus, & coronam martyrij conſequutus: reliqui autem omnes poſt huius obitum probati monachi inuenti ſunt. Aſt Aaſon ingreſſus Armeniacorum thema obſedit Semaluos caſtellum æſtate tota, & Septembri menſe cepit illud in verbo. Miſerat autem Ithumam in Aſiam cum quinquaginta millibus, & occurrens Michael Lachanodraco curſu modico ſuo debellauit eum, & iugulauit fratrem Ithumæ. Eodemque menſe, quarta Indictione, mortuus G eſt Leo filius Conſtantini hoc modo. Cum inſaniret circa lapides, nimis adamauit coronam magnæ Eccleſiæ, & accipiens portauit eam, & exierunt carbunculi in capite eius, & captus à valida febre mortuus eſt, cum regnaſſet annis quinque diebus ſex.

CONSTANTINVS ET EIRENE.

Anno ab incarnatione Domini DCC. LXXIV. Eirene piiſſima vna cum filio ſuo Conſtantino glorioſe Imperium diuinitus accepit, ſexta Idus Septemb. Indictione quarta, quum mirabilis prædicaretur Deus etiam in hoc, per viduam fœminam & puerum orphanum depoſiturus immenſam contra ſe famuloſque ſuos impietatem & aduerſus cunctas Eccleſias motam impugnatoris Dei Conſtantini tyrannidem, & olim diaboli piſcatorem, & illiteratorum inimicitatem. Poſt quadraginta vero dies imperij eius, cum filius eſſet decem annorum, conſilium facientes quidam ſenatorum voluerunt educere Nicephorum Cæſarem, & Imperatorem ſtatuere. Cum autem hoc ad notitiam ſuam perueniſſet, tenti ſunt Gregorius logotheta Dromi, & Bardas dudum Prætor Armeniacorum, Conſtantiouſque vicarij Spatarius & domeſticus excubitorum, H & Theophylactus Rangabi Drongarius duodecimæ inſulæ, & multi alij, quos cæſos & tonſos in diuerſis locis exilio relegauit. Porro viri ſui fratres, Cæſar ac nobiliſſimos, tonſos ſacerdotio fungi, & populo communionem in feſtiuitate Natiuitatis Chriſti porrigere fecit, in qua procedens Imperatorio more publice cum puero, reddidit Eccleſiæ ſtemma, quod fuerat à marito ablatum, pulcherrime fabrefactum, & lapidibus pretioſis venuſtatum. Promouit autem Helpidium Prætorem in Sicilia, qui & illic ante Prætor extiterat. Porro decimaſeptima Kalend. Maij accuſatus eſt idem Helpidius, quod cum Cæſaribus ſentiret, & miſſo Theophilo Spatario præcepit, vt cõpendio raperet & duceret eum: qui cum perrexiſſet, non dederũt eum Siculi: At illa huius vxorẽ & filios cæſos & tonſos Prætorio miſit cuſtodiẽdos. Iunio autẽ menſe omnia interiora thematis de-

A ſtinauit ad clauſuras cuſtodiendas,&obſeruandi exitũ Arabum, præponens eis caput Ioannem ſacellarium, qui erat eunuchus & domeſticus: at vero miſit Mady Cebir cum virtute multa,& occurrũt in locum qui dicitur Milium & inito bello ſuperantur Arabes,& occiduntur ex eis multi, & ita cum confuſione ſunt reuerſi. Cœperunt interea piiſſimi principes fiducialiter agere,& verbum Domini dilatare, & qui volebant ſaluari, ſine prohibitione mundo abrenuñtiare & glorificationem Dei exaltare ac monaſteria recreare atque omne bonum manifeſtare. Hoc etiam anno in longis Thracæ muris quidam homo fodiens inuenit arcam lapideam, quam cum expurgaſſet & reuelaſſet, reperit virum iacentem, & conglutinatas arcæ literas continentes hæc:Chriſtus naſcetur ex Virgine Maria, & credo in eum: ſub Conſtantino & Eirene Imperatoribus, ô ſol iterum me videbis.

Anno ſecundo Conſtantini & Eirene, direxit Eirena B Conſtantem ſacellarium, & Mamalum primicerium ad Carolum Francorum regẽ,quo filiam ſuá nuptum traderet Imperatori Conſtantino filio ſuo. Et facto placito ac iureiurando inter vtroſque reliquerunt Heliſæum eunuchum atque notarium ad docendum illam Græcorum literas ſimul & linguam, ſed & vt erudiret eam ſecundum mores Rom. imperij. Conſtructis autem nauibus numeroſis, & electis ex thematibus populis ac principibus qui ſufficerent, promouit Theodorum patricium eunuchum virum induſtrium, & direxit aduerſus Helpidium in Siciliam: cumque multa fierent bella, vicerunt hi qui circa Theodorum erant. Quo viſo Helpidius timuit, & ſumptis quotquot habebat pecuniis, cum Nicephoro tranſmeauit in Africam: & accepto verbo ſecuritatis ad Arabes confluxit, quem illi ſuſceptum, vt Romanorum tenebant Imperatorem, coronantes eum incaſſum, & ocreis & ſchemate induentes. Cum autem Romanorum populus in his vacaret, egreditur Mady filius Aaron cum potentatu & apparatu nimio, tam Maurophororum, C quam totius Meſopotamiæ & Syriæ & Deſerti, & venit Chryſopolim derelicto Binuſo ad obſidendum Nacoliam, & cuſtodiendum dorſa ſua. Miſit autem & Burnice in Aſiam cum triginta millibus: quæ cum debellaſſet Lachanodraconem cum themate Thraceſiorum in loco Darino dicto, & ipſi cum triginta millia eſſent, quinque millia interfecit. Aſt Imperatrix miſſo Antonio domeſtico ſuo cum ordinibus obtinuit Barim: & concluſerunt eos. Confugit autem ad eos Tazates Buccellariorum Prætor propter odium quod contra Stauratium patricium habebat & logothetam Tudromij eunuchum, omnibus qui tunc eſſe videbantur præminentem, & omnia diſponentem, & dato eis conſilio poſtulauerunt pacem. Cum autem ad hoc exiſſent Stauratius, & Petrus magiſter, & Antonius domeſticus, non ſtuduerunt ſubtiliter agere, vt verbum caute ſuſciperent, & filios primorum, ſed exeuntes inconſulte, tenti ſunt ab illis, & compedibus vincti ſunt, & coacti ſunt vtrique D ad faciendam pacem, & donauerunt inuicem, Auguſta videlicet & Aaron xenia multa pacto firmato, vt per ſingulos annos eis cenſum tribueret. Et facta pace diſceſſerunt, etiam dimittentes ciuitatem Nacoliæ. Tulit autem & Tazates vxorem ſuam, & omnem ſubſtantiam. Anno III. Imp. ſui pace facta cum Arabibus & aditu reperto Eirena mittit Stauratium patricium & logothetam Dromi cum virtute multa contra Sclauinorum gentes. Qui cum deſcendiſſet in Theſſaliam & Græciam, ſubiecit omnes & tributarios fecit Imperio. Introiuit autem & in Peloponneſum & multam captiuitatem & exuuias Romano Imperio attulit. Anno quarto imperij Conſtantini & Eirenæ, rediit Stauratius,de quo ſupra dictum eſt,à Sclauis, & triumpho manifeſtauit trophæa in hippodromo.Menſe autem Maio eiuſdem ſeptimæ Indictionis, exiuit Imperatrix Eirena vna cum filio ſuo, & virtute copioſa in Thracem, circumferens organa, & cætera genera muſicorum, & venit vſque Beroeam, & hanc ædificari iubens, nominauit Eirenopolim. Venit autem & vſque Philippopolim cum omni ſecuritate, & rediit cum conſtruxiſſet etiam Anchialum. Eodem quoque anno Arabum dux Mady,qui & Muhammat mortuus eſt: & prin- E cipatus eſt Moyſes filius eius. Porro primo die Kalend. Septemb. eiuſdem ſeptimæ Indictionis Paulus Almiſicus patriarcha ſanctiſſimus infirmatus thronum reliquit: & deſcendens ad monaſterium Flori, monaſticum ſuſcepit habitum Imperio ignorante. Cum autem Imperatrix hoc didiciſſet, venit cum filio triſtis & clamans: Cur, inquit, hoc feciſti? At ille cum lamentis ait ad eam: Vtinam ne vnquam in ſacerdotij throno ſediſſem, Eccleſia Dei tyrannidem patiente, præſertim cum ſciſſa ſit à reliquis vniuerſalibus ſedibus, & anathematizata. Quæ demum aſcitos patricios & ſenatus primores miſit ad eum audire quæ ab ipſo dicebantur, qui dixit ad illos: Niſi ſynodus vniuerſalis fiat, & error qui eſt in medio veſtri corrigatur, ſalutem non habetis. At illi dixerunt ei: Quare ſubſcripſiſti cum conſecraveris icona? At ille ait, idcirco lamentis afficior, & cucurri ad pœnitentiam deprecaturus Deum, ne me ſicut ſacerdotem iudicet & cruciet, qui tacuerim vſque nunc, & præ timore furoris veſtri non præ- F dicauerim veritatem. Et in his obdormiuit in pace, derelicto lamento multo tam piis quam impiis, & religioſis viris Reipub. Colendus enim vir erat, & ſupra menſuram miſericors, ac omni reuerentia dignus: multamque fidem habebat tam Reſpub. quam Imperium erga illum. Ex tunc ergo cœpit dici & diſputari ſuper ſanctis imaginibus. Anno 5. Imperij Eirenæ, cum filio, Arabum dux prouehitur Moyſes qui eis vno præfuit anno. Hoc quoque anno collecto Eirene omni populo apud Magnaurã, dixit ad eos: Scitis fratres quid fecerit Paulus patriarcha. Et ſi quidem vixiſſet, non hunc vtique pateremur dimittere ſacerdotij thronum, licet monaſticum induerit habitum: quia vero ſicut Deo placuit, de hac vita migrauit, qui poſſit paſcere nos, prouideamus hominem & Eccleſiam Dei didaſcalicis ſeruare ſermonibus qui vniuerſaliter dixerunt,non fore alium niſi Tharaſium à ſecretis. At illa: Et nos inquit, ipſum elegimus, ſed reſultat & dicit pro qua cauſa non ſuſcipit electionem imperij & totius ple- G bis. At ille reſpondit populo dicens: Immaculatæ fidei noſtræ Chriſtianorum cuſtodes, & eorum qui in gloria Dei ſunt æmulatores fideles Imperatores noſtri, & incommodum noſtrum curam facientes, & maxime nunc Eccleſiaſtica negotia diligenter conſiderantes, quo ſummus ſacerdos in hac vrbe regia conſtitueret, in ſuæ pietatis animum me aſſumpſere, & vt manifeſte mihi diceretur, quod conſiliati ſunt, præceperunt.Cumque ad hoc me indignum eſſe pronunciarem, & nullum conſenſum efficerem, vtpote qui iugum huius ſarcinæ portare vel ſufficere non poſſem, iuſſerunt me adduci ante faciem veſtram, pro eo quod huius conſilij vnanimes & comprobatores effecti ſitis. Et nunc ô viri,qui Deum timetis, & ſemper hunc in cordibus habetis, quique Chriſti inuocatione nominamini veri Dei noſtri Chriſtiani, audite breuiſſimum ab exiguitate mea & humilitatẽ ſermonem. Ego enim quicquid piis Imperatoribus noſtris, & per omnia orthodoxis reſponderim, etiam in conſpectu ve- H ſtro orationis meæ apologia reſpondebo. Timore deprimor ad conſentiendum huic electioni & vereor à facie Dei currere taliter, & quomodolibet incircumſpectus, vt non terribili damnationi ſuccumbam. Si enim diuinus Apoſtolus Paulus, qui Dei voces audiuit, cælumque habuit erudiens ſe, & paradiſi inſpector effectus eſt, audiuitque arcana verba, & portauit nomen Domini coram gentibus & regibus, dixit: Ne forte cum aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar: quomodo ergo ego qui in mundo conuerſatus, & cum laicis connumeratus, in Imperatoris adminiſtrationibus militaui, ſic abſque iudicatione atque circumſpectione poſſim inſilire ad ſacerdotij magnitudinem? Horrendum conamen ad exiguitatem meam & temeratium ſtudium. Cauſa vero timoris mei hæc eſt, Aſpicio enim, & video Eccleſiam quæ ſuper petram Chriſtum Deum ædificata eſt & fundata, ſciſſam nunc & diuiſam, & nos alia atque aliter loquentes, & aliter eos Chriſtianos qui in Oriente vnius nobiſcum fidei ſunt, ſed & his concordantes Occidentales, nos ab omnibus illis alienatos, & à ſe per

ſingulos

A ſingulos dies anathematizatos. Dira pœna eſt anathema,
procul à regno cælorum expelli, & à Deo emitti, ducens
in tenebras exteriores. Neſcit lex Eccleſiæ vel terminus
ſectam ſiue contentionem, ſed ſicut nouit confiteri vnum
Deum, vnum baptiſma, vnam fidem: ita & concordiam
vnam in omni Eccleſiaſtico negotio. Nihil enim eſt in
conſpectu Dei tam acceptum atque placabile, quam vt
vnum ſimus & vna efficiatur Eccleſia catholica, quemad-
modum in ſinceræ fidei noſtræ ſymbolo confitemur. Et pe-
timus nos fratres, vt reor & vos, quoniam ſcio timorem
Dei vos habere, à piiſſimis Imperatoribus veſtris & or-
thodoxis ſynodum vniuerſalem colligi, vt efficiamur nos,
qui vnius Dei ſumus, vnum: & qui Trinitatis cultores
exiſtimus, vnici & vnanimes collegæ: & quod capitis
noſtri Chriſti ſumus, efficiamur corpus vnum compa-
ctum atque connexum: & qui Sancti ſpiritus ſumus, ef-
ficiamur non contra inuicem, ſed pro inuicem & qui ve-
ritatis exiſtimus, efficiamur ſapientes, verum atque di-
B centes, & non ſit in nobis certamen, neque diſſenſio, vt
pax Dei quæ exuperat omnem ſenſum, muniat nos om-
nes. Et ſiquidem iuſſerint, orthodoxi & propugnatores
Imperatores ſcilicet, veſtræ poſtulationi & meæ annuere,
conſentio & ego: ſin autem, impoſſibile eſt mihi & hoc
facere, ne ſubiiciar anathemati, & inueniar condemnatus
in die Domini noſtri & iuſti Iudicis, vbi neque Impera-
tor, neque ſacerdos, neque principes, nec hominum mul-
titudo poterit eripere me. Et quicquid placuerit vobis fra-
tres date apologiæ meæ, imo vero aſſertioni veſtræ, &
reddite petitioni meæ reſponſum. Et libenter audierunt
omnes quæ dicta ſunt aſſenſum præbentes vt fieret ſyno-
dus. At vero Tharaſius rurſus diſputans ad populum ait:
Leo Imperator ſubuertit imagines, & quando facta eſt
ſynodus, ſubuerſas inuenit: & propter quod Imperatoria
manu ſubuerſæ ſunt, iterum quæſtionem habet idem ca-
pitulum, quomodo antiquam conſuetudinem in Eccleſia
traditam præſumpſerunt, ſicut eis libitum fuit, extermina-
C re. Sed veritas Dei, vt apoſtolice dicamus, non eſt alliga-
ta. Itaque octaua Kalend. Ianuarij, ipſius octauæ Indictio-
nis, conſecratus eſt almus pater noſter Tharaſius patriar-
cha Conſtantinopolitanus, qui miſſis ſynodicis Romam
viris, & libello fidei ſuæ receptus eſt ab Adriano Papa.
Mittens autem & Impperatrix petiit vt mitteret litteras
ſuas, & homines claros qui inuenirentur in ſynodo. Qui
direxit Petrum vicedonum Eccleſiæ, & Petrum Hegume-
num ſancti Sabæ, viros honorabiles ac omni virtute ad-
ornatos. Miſit autem & Antiochiam & Alexandriam tam
Imperatrix quam patriarcha. Adhuc namque pax quæ fa-
cta fuerat cum Arabibus, non eſt ſoluta. Et duxerunt ab
Antiochia quidem Ioannem magnum atque famoſum,
verbo & opere ſanctitatis participem, qui ſyncellus An-
tiocheni patriarchæ fuit, & Thomam Alexandrinum vi-
rum zelatorem & religioſiſſimum, qui & Theſſalonicæ
ciuitatis magnæ quæ eſt in Illyrico, factus Archiepiſco-
pus claruit. Interea mortuo Moyſe, fit Arabum dux Aa-
D ron, qui viginti tres eis præfuit annis, & multa Chriſtia-
nis oſtendit mala.

Anno ſexto imperij ſui mittentes Imperatores conuo-
carunt omnes qui ſub eorum erant poteſtate antiſtites:
peruenientibus quoque à Roma tranſmiſſis ab Adriano
literis & hominibus, vt prædiximus, & ab Antiochia &
Alexandria: & ſeptima Idus Auguſti, nona Indictione,
præſidentes in templo ſanctorum Apoſtolorum apud re-
giam vrbem, cœperunt Sanctas ſcripturas relegere, & ob-
iicere inulcem, Imperatoribus ac catechumenis aſpicien-
tibus. Aſt populus ſcholariorum, & excubitorum atque
ordinum cæterorum adunati à ſuis principibus, cum ha-
berent etiam ipſi magiſtrum Conſtantinum Deo odibi-
lem dudum Imperatorem, irruerunt in eos nudatis gla-
diis, minitantes mortificare tam ſummum ſacerdotem
[illegible]m orthodoxos Epiſcopos & Abbates. Imperio vero
per aſtantes ſibi familiares homines hos ſedare iubente,
non acquieuerunt, quin potius exprobrauerunt. Cum au-
tem ſurrexiſſet patriarcha & tribunal cum Epiſcopis &
monachis eſſet ingreſſus, hi qui maligni ſenſus eorum
erant Epiſcopi, exierunt ad eos clamantes & dicentes:
Vicimus. Et gratia Dei nemini nocuerunt furioſi illi & E
inhumani. Et taliter diſſoluta ſynodo vnuſquiſque rediit
ad propria. Anno ſeptimo imperij ſui, miſſo Eirene Stau-
ratio patricio & logotheta in Thracem menſe Septemb.
initio decimæ Indictionis ad vlteriora themata, perſuaſit
eos ſibi cooperatores fieri, & depellere ab vrbe impium
populum, quem nequiſſimus Conſtantinus inſtruxerat:
& cum ſe fingeret, quod totum exercitum motura eſſet
in Orientales partes, eo quod Arabes fuiſſent egreſſi,
exſit omnis regius apparatus atque ſupellex vſque ad Ma-
lagma: & introeuntes hi qui exteriorum thematum erant,
tenuerunt vrbem. Mittens autem ad illos ſignificauit eis
dicés: Mittite mihi arma veſtra, opus enim non habeo vo-
bis. At illi ſtulti diuinitus facti dederunt arma. Tunc miſ-
ſis famulis eorum in naues, exules eorum miſit ab vrbe in
propriam regionem vnumquemque iubens abire, in qua
& genitus eſſet. Et cum feciſſet proprium exercitum &
principes ſibi obtemperantes, ipſa iterum menſe Maio
mittens per omnem locum, conuocauit omnes Epiſco-
pos, quo conuenirent in Nicenſium ciuitatem ad efficien- F
dum illic concilium. Et per totum æſtiuum tempus con-
gregati ſunt omnes apud Niceam. Siquidem eos qui ex
Romanæ ſedis & Orientalium perſona venere, non dimi-
ſerat, ſed retentos ſecum habebat.

Anno octauo imperij Eirenæ & Conſtantini, exiuit
Tharaſius Archiepiſcopus Conſtantinopoleos in Nicen-
ſium ciuitatem, & celebrata eſt ſancta & vniuerſalis ſep-
tima ſynodus Epiſcoporum, & recepit catholica Eccleſia
priſca ornamenta ſua nihil nouum prædicans, ſed ſancto-
rum patrum dogmata immota cuſtodiens, & nouam hæ-
reſim abdicans, treſque falſos nominatos patriarchas ana-
thematizans, Anaſtaſium ſcilicet, Conſtantinum & Ni-
cetam, atque omnes conſentaneos eorum. Facta eſt au-
tem prima conuentio ac ſeſſio Epiſcoporum in Eccleſia
catholica ſanctæ Sophiæ Nicenæ ciuitatis. Et quinto
Idus Octobris vndecimæ Indictionis, menſe Nouembris
ingreſſi ſunt omnes regiam vrbem: & præſidentibus Im- G
peratoribus vna cum Epiſcopis in Magnaura lectus eſt to-
mus & ſubſcripſit tam Imperator quam mater eius, fir-
mantes pietatem ſecundum antiqua dogmata opera ſa-
cerdotum: & cum honore dimiſerunt eos, & pace poti-
ta eſt Eccleſia Dei catholica, quamuis inimicus zizania
ſua in operibus ſuis ſeminare non ceſſet ſed Eccleſia Dei
ſemper impugnata triumphat. Anno nono Imperij ſui
Eirena Imperatrix pace ſoluta cum Francis cauſa nuptia-
lis contractus direxit Theophanem protoſpatarium, &
adduxit puellá ex Armeniacis nomine Mariam ab Arme-
nia, & iunxit eam Conſtantino filio ſuo; cum ipſe mul-
tum triſtaretur, & nollet propter affectum, quo erga fi-
lium Caroli regis Francorum flagrabat, quam antea de-
ſponſauerat: & conſummauerunt nuptias eius menſe No-
uembris Indictionis duodecimæ. Interea Eirena miſit
Ioannem ſacellarium & logothetam in Longobardiam,
vna cum Adelgiſo dudum maioris Longobardiæ rege,
quem illi Theodatum dicebant ad vltionem inferendam H
ſi poſſent in Carolum, & quoſdam ſubducendos ab illo.
Deſcenderunt ergo cum Theodoro patricio eunucho
Prætore Siciliæ, & inito bello tentus à Francis amare pe-
remptus eſt. Anno decimo imperij Eirenes, mouit diabo-
lus liuore pietatis Imperatorum homines, qui inſtigaue-
runt matrem aduerſus filium, & filium aduerſus matrem.
Inflexerunt enim eam, quaſi ex præſigoantibus futura co-
gnitionibus certi facti, aſſerentes ei: Non eſt prædeſtina-
tum apud Deum tenendi filium tuum imperium, ſed tuum
eſt, à Deo tibi datum. At illa vt mulier ſeducta, præſer-
tim cum amorem quoque principatus haberet, credidit
ita eſſe, & non recognouit quod ipſi volentes diſpenſare
res, id ſub occaſionem prætenderent. Ergo cum Impera-
tor iam viginti eſſet annorum, factus robuſtus atque ido-
neus, videbat ſe nihil poteſtatiue gerentem, & triſtaba-
tur: intuens contrario Stauratium patricium & logothe-
tam omnia poſſidere, omneſque ad illum procedere, &
neminem ad ſe frequentare audere: tum conſilio inito
cum familiaribus perpaucis hominibus ſuis, & Petro
magiſtro ſuo, & Theodoro patricio, & Damiano patri-

A tio, atque firmant quo comprehenderet eum, & exu-
lem in Siciliam deſtinaret, ipſeque teneret imperium
cum matre ſua. Porro ſexta Idus Februarij horribilis
factus eſt terræmotus, ita vt non auderet quiſquam do-
mi dormire, ſed omnes in hortis & ſub diuo taberna-
culis factis & tentoriis degebant. Aſt Imperatrix vna
cum filio ſuo agreſſa eſt ad ſanctum Mamam. Cum au-
tem Staurario nuntiata fuiſſet & præſignata res, com-
mouit Auguſtam contra filium: quæ comprehenſos
omnes Imperatoris homines cecidit atque totondit,
vna cum Ioanne protoſpatario & baiulo ipſius, & exi-
lio relegauit in inferioribus partibus vſque in Siciliam:
Petrum vero magiſtrum dehoneſtationibus ſubmittens
in domo ſua ſedere præcepit: ſimiliterque Theodorum
patricium, porro Damianum patricium cæſum ac ton-
ſum in caſtrum Apolloniadem exulem fore deſtinauit:
percutienſque filium conuitiis multis laceſſens, egit ne
procederet per dies non paucos. Cœpit autem iura-
B mentis ſubmittere militiam ita dicentem: Quia quouſ-
que tu viuis, non permittimus filium tuum imperare.
Et iurabant omnes ſic, nemine contradicere audente.
Interea claſſis Arabum in Cyprum exiuit. Quod co-
gnoſcens Imperatrix, coaceruauit etiam ipſa omnia
Romana nauigia, & miſit aduerſus eos. Cum autem vſ-
que Myra vterque Prætor veniſſet, diuertit à promon-
torio Chelidoniorum, & ingreſſus eſt in Attaliæ ſinum.
At vero moti Arabes de Cypro, cum ſerenitas eos ce-
piſſet, circumferebantur in pelago: cumque terræ pro-
ximi cernerentur, viderunt eos Prætores, & acie directa
præparati ſunt ad bellandum. Theophilus autem Ci-
byrreotarum Prætor, cum vir eſſet robuſtus, prius ante
omnes egreſſos tentus eſt ab illis, qui tum ductus ad
Aaron videndus ab eo, adhortatus eſt vt proditor fidei
fieret, & temporalia dona ſuſciperet. Qui cum hoc nul-
latenus admiſiſſet, peramplíuſque coactus nequaquam
ceſſiſſet, gladij animaduerſionem ſuſtinens martyr op-
timus eſt oſtenſus.

C Anno ab incarnatione Domini DCCLXXXIII. Ei-
rene primo imperij ſui anno, menſe Septembri, Indi-
ctione decimaquarta, miſit, & venerunt qui iurabant
ad Armeniacorum thema, qui iurare minime conſen-
ſerunt: quia non imperabimur à filio tuo in vita tua,
ſed nec præponemus, inquiunt, Eirenes ante Conſtan-
tini nomen, ſed Conſtantini & Eirenes, vt ab initio
ſuſcepimus. Miſit autem iterum ad inflectendum eos
Alexium ſpatarium, & Drongarium vigiliæ. At illi te-
nentes eum, vt ſibi præeſſet prouexerunt. Nicephorum
vero patricium cuſtodiæ mancipantes Conſtantinum-
que ſuum principem & Imperatorem laudauerunt &
acclamauerunt. Hoc comperto reliquorum populi the-
matum, prætoribus ſuis expulſis Conſtantinum tantum
Imperatorem & ipſi prædicabant. O maligni diaboli
verſutias, quomodo per multa argumenta ſtudet genus
hominum perdere. Qui enim ante quindecim annos
terribili iureiurando iurauerunt; & facta propriæ ma-
D nus ſcripta in ſancto altari recondiderunt, iterum iura-
bant ſe à filio eius non imperandos in vita ipſius: &
rurſus obliuioni hoc tradentes Conſtantinum Impera-
torem bonæ famæ laudibus efferebant, non perpenden-
tes miſeri, quod non oporteat reciprocum fieri iura-
mentum. Neceſſitas enim incumbit, vt omnem reci-
procam iurationem periurium ſubſequatur: periurium
autem abnegatio Dei eſt. Collecti autem menſe Octo-
bri, decimaquarta Indictione, hi qui ex thematibus erant
apud Atroam, exquiſierunt omnes communi conſilio
Conſtantinum Imperatorem viceſimum agentem an-
num: timens autem Eirena impetum populi abſoluit
eum. At illi quidem Imperatorem firmauerunt; huius
autem matrem reſpuerunt. Præterea direxit Imperator
Michaëlem Lachanodraconem, & Ioannem baiulum
ſuum ac protoſpatarium, & iuramentis ſubmiſerunt
Armeniacos ne ſuſciperent Eirenen matrem ſuam in
Imperatricem: Alexium vero confirmauit in prætorem
ſuum. Et cum rediſſet in vrbem menſe Decembri cæ-
ſum & tonſum Staurarium exulem fecit apud Arme-
E niacorum thema ad ſatisfactionem eorum. In exilium
nihilominus & Aetium miſit protoſpatarium ſpadonem
& intimum eius, & omnes domeſticos ipſius ſpadonis:
hanc autem cum ſuauitate ſua & affluentia locauit in
palatio Eleutherij, quod ipſa conſtruxerat, in quo &
pecunias multas abſconderat. Factum eſt autem eodem
menſe incendium, & concrematum eſt triclinium pa-
triarchæ, quod dicitur Thomaites, & quæſtorium, &
aliæ domus vſque ad Milium. Cæterum Aprili menſe
Conſtantinus cum mouiſſet caſtra contra Bulgares, ve-
nit ad caſtellum quod dicitur Probati, ad riuum ſcilicet
ſancti Gregorij, & cum occurriſſet Cardamo domino
Bulgariæ, puſillo circa veſperam facto bello, formi-
dantes qui ex parte Romanorum erant, per noctem fu-
gerunt & inglorij redierunt: quin & Bulgares metuen-
tes reuerſi ſunt. Anno ſecundo Imperij Conſtantini,
menſe Septembri caſtra mouit aduerſus Arabes, & pro-
fectus ab Amorio abiit Tarſum Ciliciæ. Porro decima
octaua Kalend. Februar. rogatus Imperator à propria
F matre, & à multis optimatibus, pronuntiat eam iterum
Imperatricem, & laude ſimul cum illo attollitur, vt a
primordio Conſtantini & Eirenes, & omnes quidem
obediunt. Aſt Armeniacorum thema pertinaciter in-
ſtans adhuc renititur, & quærit Alexium, qui paulo an-
te Prætor in eis fuerat, & ab Imperatore euocatus, di-
gnitate patricij ſublimatus, penes ipſum degere videba-
tur. Hunc ergo propter huiuſmodi requiſitionem, &
quoſdam ſermones ſuper ipſo dictos, quod videlicet
regnaturus eſſet, cædens ac tondens in Prætorio po-
ſuit. Iulio vero menſe exercitum mouit aduerſus Bul-
gares, & conſtruxit caſtrum Marcellorum: & duode-
cima Kalend. Auguſti exiuit Cardamus Dominus Bul-
gariæ cum omni virtute ſua, & ſtetit in munitionibus.
Fiducia vero fretus, & à pſeudoprophetis Imperator
credere perſuaſus, quod eius eſſet victoria, incircum-
ſpecte ac inordinate bellum infert, & valido vincitur
marte, fugatuſque redijt in vrbem, multis amiſſis non
G ſolum communis populi, ſed primatum, inter quos
Michaël Magiſter Lachanodracon, & Bardas patricius
extiterunt, & Stephanus protoſpatarius, Nicetas quo-
que ac Theognoſtes facti Prætores, & homines regij
non pauci, ſed & Pancratius pſeudopropheta, & Aſtro-
nomus, qui & victurum illum vaticinatus eſt. Abſtule-
runt etiam Bulgares ſarcinam, pecuniam, equos & au-
læa vna cum vniuerſo regio apparatu. Cum autem col-
lecti eſſent ordines in vrbem, conſiliati ſunt educere
Nicephorum, & Cæſarem & Imperatorem conſtituere.
Quo comperto Conſtantinus miſit & eduxit vtroſque
filios Conſtantini aui ſui ad ſanctum Mamam & Ni-
phorum quidem oculis, Chriſtophorum atque Ni-
cetam, Anthimum atque Eudoxium linguis pri-
uauit: cum quibus & prædictum Alexium pa-
tricium luminibus priuauit, obediens maternis &
prælati Staurarij ſuadelis, ei aſſeuerantium, quod
niſi hunc cæcum redderet, in Imperatorem forent ele-
cturi. Factum eſt autem horum pœna malorum men-
H ſe Auguſto, die ſabbati, Indictione decimaquinta, hora
nona. Veruntamen non in longum Dei iuſtitia hanc
iniuſtam vltionem dimiſit inultam. Poſt quinquennium
namque eodem menſe, & eodem die ſabbati orbatus
eſt oculis a propria matre idem Conſtantinus. Anno
tertio imperij Conſtantini, audientes Armeniaci de
Alexio patricio quod cæcus factus fuerit, cuſtodiæ
mancipant Prætorem ſuum, Theodorum videlicet pa-
tricium Camulianum. Quo comperto Imperator miſit
primum quidem ad eos nonnullos: poſt ſanctum vero
Paſcha ipſe mouit exercitum contra eoſdem Armenia-
cos vna cum reliquis thematibus Octaua Kalendas Iu-
nij Indictionis primæ die ſancto Pentecoſtes, cum pro-
ditos eos Armeniorum fraude, qui cum ipſis erant, vi-
ciſſent, comprehendit illos debellatos, & interfecit An-
dronicum Spatarium, & Turmarcham: atque Grego-
rium Epiſcopum Synopenſem: reliquos vero rerum
iacturis & ſumptibus & proſcriptionibus affecit. Porro
mille vinctos exercitus ipſorum introduxit per Blacer-

narum

A narum portam in vrbem, quorum faciebus atramento & punctionibus ſuperſcripſit Armeniacus inſidiator: & diſperſit eos tam in Siciliam quam cæteras inſulas. Armenij ſane proditores eorum nihil ab Imperatore honoris ſeu libertatis aſſequuti, caſtrum Amachan Arabibus tradiderunt. Anno quarto imperij Conſtantiui, ceperunt Arabes Sebaſan caſtrum ſub verbo, propter quod & principes eius ad propria redierunt. Anno quinto imperij ſui Conſtantinus odio habens Mariam vxorem ſuam, vt ſummiſſione matris ſuæ Imperium appetentis, & quod ab omnibus reprehenſibilis iudicaretur, affectantis, coëgit vt fieret monacha quam cum inflexiſſet, totondit menſe Ianuario, & Aprili menſe mouit exercitum aduerſus Arabes, & menſe Maio bellum iniens cum vno curſu ipſorum in loco qui dicitur Amuſan, vicit, vertit, & hos inſequutus eſt vſque ad amnem: & cum veniſſet Epheſum, & apud Dei locum orationes feciſſet commercium nundinarum, quod centum eſſet auri librarum, indulſit ad famulatum ſancti Ioannis Apoſtoli. Auguſto vero menſe B coronauit Imperator Theodaten cubiculariam in Auguſtam, & deſponſauit eam imperator. Anno ſexto imperij ſui, indictione prima celebrauit Imperator Conſtantinus cum Theodate nuptiarum principia in palatio ſancti Mamæ per dies quadraginta. Menſe vero Aprili eiuſdem indictionis, nocturno tempore factus eſt terræmotus in Sicilia & Creta valde terribilis. Menſe autem Maio factus eſt terræmotus Conſtantinopoli nimis horribilis. Cardamus præterea Dominus Bulgariæ denuntiauit Imperatori dicens: Aut tribue mihi pacta, aut veniam vſque ad auream portam, & demoliar Thracem. Aſt Imperator poſuit equina ſtercora in mapſa, & tranſmiſit ei. Qualia inquiens, pacta te decere præuidi, tranſmiſi tibi. Verum quia ſenex es, nolo vt fatigeris vſque ad hæc loca, ſed ego veniam vſque ad Marcellam, & tu exi, & quicquid Deus iudicauerit facito. Et cum miſiſſet Imperator ad vlteriora themata, conſciuit populum ſuum, & venit vſque Verſicioiam, & Cardamus vſque ad lucum Abroleuam: & cum formidaret, manſit in nemore. Aſt Imperator C confortato populo ſuo abiit vſque ad lucum Abroleuam, inuitans eum per dies ſeptendecim. At ille non eſt auſus, ſed repedauit fugax ad ſua. Eodem quoque anno Arabes venerunt Amorium, & cum nihil profeciſſent, reuerſi ſunt præda in regionibus circumquaque facta. Eodem quoque anno Plato Sacundionis Abbas ſe abſcidit à communione Tharaſij patriarchæ, pro eo quod imperatorem receperit in communionem, & permiſerit eum tondere vxorem ſuam Mariam, & Ioſeph monacho & Abbati monaſterij, quod appellatur Concatata, coronare cum Theodate præceperit. Quod cum didiciſſet Imperator; miſſo Bardanio patricio & ſcholarum domeſtico, cum Ioanne comite Obficij Platonem introduxit in vrbem, & retrulit intra clauſtra in templo principis militiæ, quod eſt in palatio: reliquos vero monachos cum nepotibus eius percuſſos exilio relegauit apud Theſſalonicam, quibus auxiliabatur mater Imperatoris, tanquam qui filio reſiſtebant & eum confundebant. Anno ſeptimo imperij ſui, menſe vero Septembri egreſſus eſt Imperator cum matre ſua vt D calefieret apud Pruſam. Octobre vero menſe natus eſt Imperatori filius, quem cognominauit Leonem: quæ cum cognouiſſet Imperator, derelicta matre apud thermas vna cum ordine regio vniuerſo atque principibus, curſim in vrbem regreſſus eſt. Quapropter huius mater ſpatio reperto alloquuta eſt, & ſubtraxit muneribus ac promiſſionibus agminum principes, vt deponeretur filius eius, & ipſa ſingulariter imperaret: & alios horum per ſeipſam, alios vero per homines ſuos blandiens attraxit ad ſe omnes, & præſtolabatur congruum inuenire diem. Interea obeunte Romæ Adriano Papa, conſecratur Leo vir honorabiliſſimus, & per omnia reuerendus. Menſe vero Martio exiuit Imperator aduerſus Arabes, habens ſecum Stauratium patricium, & cæteros amicos matris ſuæ, necnon & electam caternam expeditorum militum ex vtriſque thematibus viginti millia. Videntes autem qui circa Stauratium erant alacritatem populi & Imperatoris, timuerunt ne forte inito bello ille vinceret, & ipſi adinuentis aduer-

E ſum eum fruſtrarentur inſidiis: ergo muneratis vigilibus perſuaſerunt eis mentiri, perhibendo Sarracenos fuiſſe. Imperator itaque multum triſtatus, inefficax vrbem ingreſſus eſt, & Kalend. Maij mortuus eſt filius eius Leo, & luxit eum vehementer. Porro decimaſexta Kalend. Auguſti ab equeſtri agone ad ſanctum Mamam tranſeunte, tranſmearunt ad eum comprehendendum hi qui erant ex ordinibus quos mater Imperatoris alloquuta eſt: quo ille cognito in chelandium ſuum ingreſſus eſt, & tranſmeauit ad Pylas, volens ad Orientalium themta confugere Erant autem cum eo & amici matris eius, quos ille ſic eſſe ignorabat. Præterea ipſe & mulier eius exiuit vſque ad Tritonem. Porro conſilio inito amici matris eius dixerunt ad ſemetipſos. Si coaceruatus ei fuerit populus, non iam dominio conſtringetur, nec iam latere poterimus eum, & perdet nos. Materque ipſius congregatis in palatio Eleuterij, qui ex ordinibus fuerant collocati, introiuit in palatium: & cum didiciſſet populi ad Imperatorem concurſum, timuit nimis, & tractabat qualiter mitteret Epiſcopos ad eum, & acciperet verbum, & ſederet in angulo. F Verum ſcripſit occulte ad amicos qui cum ipſo erant, quia niſi modum quemlibet feceritis, & tradideritis eum, verba quæ habetis mecum, habeo indicare Imperatori. At illi metuentes tenuerunt eum ad preces, & in chelandium deducto eo, ſabbato mane venerunt ad vrbem, & incluſerunt eum in domo Purpurea, in qua & natus eſt: & circa horam nonam crudeliter & inſanabiliter oculos eius euellunt, ita vt hunc mors ſubſequens confeſtim extingueret, conſilio matris ſuæ, & conſiliatiorum eius. Obtenebratus eſt autem ſol per dies ſeptemdecim: Et non dedit radios ſuos, ita vt errarent naues maris, omneſque dicerent, quod propter obcæcationem Imperatoris ſol obcæcatus radios ſuos retraxerit: & taliter de cætero Imperat Eirena mater eius. Eodem etiam anno Romæ cognati beatæ memoriæ Adriani Papæ commouentes populum tumultuati ſunt contra Leonem Papam, & tenentes cæcauerunt eum, non tamen penitus lumen eius extinguere potuerunt. At ille confugit ad Carolum regem G Franciæ, qui vltus eſt inimicos eius amare, & reſtituit eum in ſede ſua. Cæterum vicem Carolo recompenſans, in Imperatorem coronauit eum in templo ſancti Petri Apoſtoli, perungens oleo à capite vſque ad pedes, & circumdans Imperatoria veſte atque corona Octaua Kalendas Ianuarij, Indictione nona. Igitur Romanis imperat Eirena annis quinque.

EIRENA.

Anno ab incarnatione Domini DCC. XCI. Eirene cum ſecundo imperare cœpiſſet, confeſtim direxit Dorotheum Egomenum Chryſopolitanum, & Conſtantinum Carthophylacem Eccleſiæ magnæ ad Habdimelich partes Cappadociæ depopulantem atque Galatiæ intercedens pro pace: quod tamen factum eſt Octobre menſe quidam rebelles in cuſtodia poſitis in palatio Tuterapiu filiis impugnantis Deum, Conſtantini ſcilicet ad magnam perſuadent Eccleſiam confugere, quaſi petentes ſecuritatem ſubſequentis indemnitatis ſuæ, quatenus per huiuſmodi occaſionem appellarent ex eis quempiam Imperatorem. Et multo populo ad Eccleſiam concurrente, ingreſſus eſt Aetius eunuchus Patricius, & eduxit eos verbo, H nemine ad eos attendente, & exilio damnauerunt eos apud Athenas. Duo autem patricij Stauratius & Aetius qui dilecti eſſe noſcebantur Imperatricis, facti ſunt in alterutrum hoſtes, ita vt inimicitiam manifeſte monſtrarent, ambo intentionem habentes, poſt mortem eius cognatis ſuis imperium acquirendi. Anno 2. imperij Eirenæ Habdimelich exiuit contra Romaniam, & miſſis expeditorum millibus in curſum, deſcendit vſque Malagena, & præoccupans in ſtabulis Stauratij equos, Imperatorio equitatu capto ſine læſione reuerſus eſt, & reliqui deſcendunt vſque Liliam, & multam conſecuti ſunt prædam. Menſe autem Martio, ſeptima Indictione, voluit Achamirus Sclauinorum Belzitiæ princeps pulſatus ab Helladicis, educere filios Conſtantini, & ex eis promouere in Imperatorem. Cum autem cognouiſſet Imperatrix Eirene, mittit ad patricium Conſtantinum Serentapicum, Theophylactum filium eius, qui Spatarius erat & nepos eius, & omnium

oculos

A oculos eruit, & diſſipauit conſilium eorum contra ſe ne-
quiter adinuentum. Porro Paſchalis feſtiuitatis ſecunda
feria proceſſit Eirena à ſanctis Apoſtolis In curru aureo
vecta, qui quatuor albis equis trahebatur, & à quatuor
patriciis tenebatur, Bardanio videlicet Prætore Traceſio-
rum, Siſinnio Prætore Thracæ, Niceta domeſtico Scho-
larum, & Conſtantino Boyla, iactans liberaliter hypatiam.
Menſe vero Maio infirmata eſt Imperatrix pene vſque ad
mortem, & protenta eſt contentio eunuchorum Aetij &
Stauratij. Aetius autem auxiliatus eſt Nicetæ patricio &
Scholarum domeſtico, & inſequuntur ſeuere Stauratium,
credere facientes Imperatricem, quod imperium appete-
ret: ita vt atrociter irata illi, aſcendens in palatium Ten-
thierium, dixerit rebellionis & ſimultatis ſollicitum eum
eſſe ſibi ſceleris acquiſitorem: qui ad hæc apologia facta,
muniebat ſeipſum. Inſaniebat autem aduerſus Aetium &
Nicetam, & prædictos patricios.

Anno tertio imperij Eirenæ menſe Februario, Indictio-
B ne octaua, iam dictus Stauratius patricius tyrannidem ac
ſimultatem in vrbe regia conſtruebat, ſcholarios qui erant
in ea, excubitores vna cum primis eorum, pecuniis &
muneribus aſſumens & placans: Eirene autem pia Im
peratrix ſilentio in triclinio Iuſtiniani facto, prohibuit
omnem qui militaret adhærere Stauratio, & ſic adepta
ſunt modicam tranquillitatem negotia. Aetius vero &
Nicetas cum aliis quibuſdam certatim aduerſabantur
Stauratio, qui corde perculſus, ſanguinem per os emiſit
ſpumoſum ex partibus pectoris & pulmonis: hoc medici
aſpicientes, mortale pronuntiauerunt: aſt adulatores &
Imperiti, non ſolum medici, ſed & pſeudomonachi & di-
uini, iuramentis credere perſuaſerunt vſque ad diem mor-
tis eius, quæ facta eſt Iunio menſe, Indictione octaua,
quod victurus & regnaturus eſſet: quibus ille innixus ſe-
ditionem in Cappadociis conſtruxit aduerſus Aetium fie-
ri, quam non meruit viuens audire. Poſt duos namque
dies mortis eius ſuper hoc nuncius venit, & in ſeditione
C comprehenſi exiliis ſunt & animaduerſionibus ſubditi.
Anno quarto imperij Eirenæ, octaua Kalend. Ianuarij,
Indictionis nonæ. Carolus rex Francorum coronatus eſt
à Leone Papa: & cum voluiſſet contra Siciliam claſſi-
bus præliari, ſe pœnituit, coniungi potius cum Eirenæ
volens, legatis ad hoc ſequenti anno directis, Indictione
decima. Martio vero menſe, nona Indictione. Eirene pia
Imperatrix Byzantiis ciuilia donauit tributa, Habdiq, ac
Hyeriæ ea quæ dicuntur commercia releuauit, magnis
ſuper his, & aliis multis beneficiis gratiarum actionibus
fretæ. Anno quinto imperij Eirenæ, Aetius patricius liber
à Stauratio factus, & ideo ſecuritate potitus, imperium
ad proprium fratrem transferre ſatagebat: quem & Mo-
noſtrategum fecit in Thrace ſimul & Macedonia, ipſe vl-
teriora themata tenens, Orientalis ſcilicet & Obſicij.
Cum ergo elatione refertus eſſet, eos principes qui ſubli
miores erant, dehoneſtans pro nihilo reputabat: qui &
valde mœſti aduerſus eum effecti ſimultatem aduerſus Im-
D peratricem meditantes, hanc in opus duxerunt. Peruene-
runt autem & apocriſarij à Carolo & Leone Papa dire-
cti ad Eirenem piiſſimam, poſtulantes, vt iungeretur illi
ad nuptias, & veniret eo ad Heſperia: quæ profecto ob-
audiuiſſet, niſi Aetius ſupradictus inhibuiſſet prævalens,
& imperium in proprium fratrem vſurpans. Sequenti au-
tem anno, qui eſt primus annus Nicephori, pridie Kalen-
das Nouembris, Indictione vndecima, quarta noctis ho-
ra, quæ feria ſecunda luceſcit, idem Nicephorus cum eſſet
patricius & logotheta generalis, tyrannidem aduerſus
Eirenen piiſſimam concitauit, Deo quidem ineffabilibus
ob noſtrorum multitudinem peccatorum iudiciis indul-
gente, cooperantibus ei Niceta patricio ac domeſtico
ſcholarum, & Siſinnio patricio fratre ipſius, viro periuriis
& fraudulentiis pleno, & Niceta Triphilio. Erant autem
& cum eo Leo patricius Muſulatij & Theoctiſtus patri-
cius, & Petrus patricius & quæſtor, ſeducentes quoſdam
à populo, qui erant ex ordinibus; cumque veniſſent ad
portam, quæ dicta eſt Chalce, cuſtodeſque falſo ac ſubito
decepiſſent, perſuaſerunt eis vt crederent, quod ab ipſa
fuerint deſtinati, quatenus eundem Nicephorum Impera-

E torem appellarent, eo quod Aetius patricius ſibi vim in-
ferret ad annuntiandum fratrem ſuum Leonem Impera-
torem, qui mendacio tanto credentes Imperatorem pari-
ter pronuntiauerunt eum, qui erat tyrannus. Taliter ergo
ad magnum palatium iidem patricij venientes, ingreſſi
ſunt illud, indeque per totam vrbem ignobiles ſeruos di-
rigentes acclamationem fecerunt ante mediam noctem,
& cuſtodes in medio palatij, quod Eleutherij nuncupa-
tur, poſuerunt, vbi contigit Imperatricem eſſe. Diluculo
ſane accerſentes eam, concluſerunt eam in maiori pala-
tio, & ita proceſſerunt ad magnam Eccleſiam ad coro-
nandum ſceleſtum. Conuenit interea vniuerſa plenitudo
vrbis, & omnes ſuper his quæ gerebantur moleſte feren-
tes, maledicebant coronanti & coronato, cunctiſque con-
gratulantibus ei. Equidem cum religione ac ratione vi-
uentes diuinum mirabantur iudicium, qualiter eam per-
miſerit, quæ pro recta fide more martyrum agonizauerat,
à ſubulco expelli: præſertim cum ei deuotiſſimi eius præ-
cipue adhærere propter auaritiam propoſuerint, Leo ſci-
F licet patricius eunuchus & ſacellarius Sinopeos, & Deo
peroſi tribus filiis ac patricij qui ſuperius dicti ſunt, qui
donis plurimis ab illa ditati ſunt, & cum ea ſæpe conuer-
ſantes, & adulationibus cum iuramentis horribilibus cer-
tam reddentes, omnibus mundi rebus ſe neceſſariorem re-
putare, quam haberent erga illam beneuolentiam affir-
mabant: alij autem vt in ecſtaſi facti, geſtorum certitudi-
nem minime ſentientes, ſomnium ſe vidiſſe putabant: alij
autem, qui duntaxat perpendere bene ſciebant, præteritam
felicitatem beatificabant, & futuram infelicitatem per ty-
rannidem lugebant, maximeque hi qui maligni voti ty-
ranni experientiam quandam ante perceperant. Porro vni-
uerſos communiter poſſidebat caligo, & ſine conſolatio-
ne mentis defectio: ne per ſingula illius miſerandæ diei
deformia verba ſcribens protelem ſermonem. Denique
ſequenti die ſumptis quibuſdam ex patriciis aſcendit ad
Imperatricem cuſtodiæ mancipatam, ſimulans, vt ei mo-
G ris erat, falſam benignitatem, per quam & plures dece-
pit, & excuſans ſe quod Inuitus ad principatum aſcen-
derit, nec hunc vnquam deſiderauerit. Maledicebat au-
tem his qui ſe prouexerant, & illam inſidiis appetiuerant,
vt proditor dominum poſtquam cum ipſo cœnauit, quos
& imitatores illius teſtabatur. Oſtenſis etiam nigris cal-
ceamentis, amare ſe talibus vti præter leges Imperatoris
affirmabat, fiduciamque doloſe habere monebat eam,
etiam cum iuramentis de omni corporali requie, quam
conſequi dominam à ſeruo deceret, nullamque arbitrari
ærumnam caſus illius hortabatur: commonebat poſtre-
mo nihil occulere à ſe imperialium theſaurorum, & dam-
nabat auaritiæ vitium, hos illam habere non ferens. Lan-
guebat enim eo vehementer omnia deuorans, omnemque
in auro ſpem & fiduciam ponens. At vero dilecta Deo
Eirena, quamuis congrueret vt paſſione tam repentinæ
commutationis vtpote mulier teneretur, forte prudentia
dixit ad eum: Qui heri quidem ſeruus periurus fuerat,
H hodie ſolers & ſeditioſus tyrannus ac impudens habetur.
Ego quidem ô homo Deum deputo, & pridem cum eſſem
indigna, prouexiſſe me, cauſam vero depoſitionis mihi-
met applico, & peccatis meis aſcribo; in cunctis autem
ac modis omnibus ſit nomen Domini benedictum. Por-
ro modum promotionis tuæ Deo reddo: veruntamen de-
latas mihi contra te ſuper dignitate, qua nunc circunda-
tis, auditiones non ignorabam, quas veras fuiſſe rerum fi-
nis oſtendit, quas ſi moleſte tuliſſem, facile mihi erat
te interficiendi. Sed modo Iuramentis tuis fidendo, modo
tibi parcendo, multos mihi deuotos paruipendi, Deo
quæ mea ſunt dans, per quem reges regnant, & potentes
obtinent terram. Sed & nunc cum ſis pius, & ab ipſo pro-
fectus: te adoro, & peto meæ parcere infirmitati, & con-
cede mihi domum Eleutherij à me conſtructam in refo-
cillationem incomparabilis calamitatis meæ. At ille ait:
Si hoc vis fieri tibi, Iura mihi per omnem diuinam virtu-
tem, non abſconſuram te quicquam ex theſauris impe-
rij, & adimpleo poſtulationes tuas, & omnem placa-
tionem faciam. Quæ iurauit ei ad pretioſa & viuifica li-
gna, quia non mouebo à te obolum vnum, quod & fecit.

A Verum ille conſequutus quod deſiderabat, protinus exilio relegauit eam apud Principem inſulam, in monaſterio quod ipſa ædificauerat, cum adhuc eſſent in vrbe miſſi Caroli, & quæ agebantur aſpicerent.

Explicit Liber Vigeſimus tertius.

Incipit

LIBER VIGESIMVS QVARTVS.

ANno ab incarnatione Domini DCCXCV. Nicephorus vorax cunctorum Imperio potitus, nec ſaltim parum voluit hypocriſin tegere, ſed quaſi receſſurus iuſtitiam, nequam in Magnauta & iniuſtum fore conſtituit iudicium. Inerat namque tyranno inerat, vt res ipſæ oſtenderunt, non pauperibus iura tribuendi, B ſed per hoc omnes qui magni erant, inhonorandi & captiuandi, & ad ſe quæ cunctorum erant transferendi, quod & fecit. Videns autem aduerſum ſe omnes contriſtatos, & pauens ne forte memores Eirenæ beneficiorum aſciſcerent eam iterum ad Imperium, Nouembre menſe, hyeme nimium graui imminente, non eſt ipſius miſertus immiſericors ille, ſed exilio deportari præcepit in inſulam Lesbum, & cautiſſime cuſtodiri, quin & à nemine conueni. Porro pridie Kalend. Maij, mortuus eſt Niceta Triphylius, vt aiunt, à Nicephoro veneno extinctus, & Nonis Maij, feria quinta, cum Nicephorus ad ſuburbana Chalcedonis exiſſet, equumque manſuetiſſimum aſcendiſſet, hunc ex prouidentia Dei eiiciens, dextrum pedem eius contriuit. At vero decimaquarta Kalend. Auguſti, feria quarta, hora prima, Bardanes patricius, & Prætor Orientalium, qui cognominatus eſt Turcus, appellatus eſt Imperator ab omnibus vltro ſuis thematibus, qui multum renitens vt euaC deret illos, minime valuit, & deſcendens vſque Chryſupolim, cum citauiſſet diebus octo, & minime fuiſſet receptus rediit vſque Malagma, qui metuens Deum, & recogitans, ne forte per ſe mactatio Chriſtianorum efficeretur, miſit ad Nicephorum, & accepto verbo in ſcriptis propriæ manus eius, in quo & ſanctiſſimus Tharaſius Patriarcha, & omnes patricij ſubſcripſerunt, quod illæſus & indemnis cum omnibus qui cum ipſo erant, foret reſeruandus: ſexta Idus Septembr. clam fugiens deſcendit in ciuitatem Bithyniæ, in monaſterio Heraclij: & inuento chelandio, quod ab Imperatore fuerat ſuper hoc miſſum, tonſus eſt & indutus ſtola monachica, & ingreſſus illud abiit in inſulam quæ dicebatur Prima in qua ædificauerat monaſterium, opinatus quod foret veriſsimum terribile verbum, quod dederat ſibi contemptibilis Nicephorus, & in nullo eſſet lædendus. At ille primum quidem denudat illum ſubſtantia eius, & occaſione accepta omnes thematum princiD pes & habitatores: quoſdam & de regia vrbe captiuauit, cæterorum autem priuatum roga deſeruit. Verum quis ſermo enarrare ſufficiet digne cætera quæ diebus illis ab eo geſta ſunt propter indulgentiam Dei pro commiſſis noſtris? Nona vero die, menſe Auguſto vndecimæ Indictionis, defuncta eſt Imperatrix Eirena in exilio in inſula Lesbi, & tranſlatum eſt corpus eius in inſulam Principia, in monaſterium quod ipſa conſtruxit.

Anno ſecundo imperij ſui Nicephorus coronauit filium ſuum Stauratium per Tharaſium ſanctiſſimum patriarcham in ambone maioris Eccleſiæ in Imperatorem, cum eſſet inutilis modis omnibus ad tantam dignitatem, tam aſpectu quam robore & ſenſu. Cæterum Nicephorus, qui nunquam vſquam veritatem ſeruauit, Lycaonenſes quoſdam, imo vero Lycantropos concordes & conſentaneos ad Proten inſulam miſit, & iuſſit eos diſcedere, & prædictum quaſi ſe ignorante luminibus priuare Bardanem, & poſt facinus ad Eccleſiam fugere. Quo facto tam patriarcha & ſenatus, quam omnes timentes Deum acriter doluerunt. Aſt Imperator E nequiſſimus Nicephorus cum iuramentis omnes primores Lycaonienſes ſimulatus exquirebat in eos vt putabatur vlturus, omnia ſecundum oſtentationem, & nihil ſecundum Deum agens. Erat enim illi præcipue cum reliquis præuaricationibus huiuſcemodi mentis idioma, per quod videlicet & ante Imperium multos ſeduxit: veruntamen in ridiculum habebatur, liquido hoc ſcientibus eius ſtudium, ita vt impudentia multa & caligoſa & polluta facies eius tunc inacceſſibilis fieret per ſeptem dies, eo doloſe intra cubiculum Imperatorium eiulante. Nam & naturaliter eius muliebres aderant lachrymæ, quas multis praua ineſſe, & pſeudoprophetis procuidubio conſtat, quanquam plurimos non latuerit. Menſe vero Auguſto cum aduerſus Arabes exiſſet, occurrit eis apud Craſon Phrygiæ, & inito bello ſuperatur, multiſque amiſſis cum propemodum ipſe viuus foret capiendus, principum quidam fortiſſimi via hunc ſaluabant. Anno tertio imperij ſui, ſimulF tate facta in Perſide, deſcendit Arabum dux pacificaturus eos. Nicephorus autem ſpatio reperto, ædificauit Ancyram Galatiæ, & Thebaſan, & Analstraſum. Miſit etiam & curſum: qui reuertentes nihil profecerunt, ſed contra multos perdiderunt. Anno quarto imperij Nicephori, mouit exercitum Aaron dux Arabum aduerſus Romaniam in virtute graui, trecentorum ſcilicet millium, tam Maurophoris quam Syria & Palæſtina coaceruatis: & cum veniſſet Tyana, ædificauit domum blaſphemiæ ſuæ, & obſidens cepit Heracliam tunc caſtrum quod erat valde munitum, & Thebaſan, & Malacopan, & Sideropelum, & Andraſum. Miſit autem & curſum ſexaginta millia bellatorum, & deſcendit vſque Ancyram, & hac viſa reuerſus eſt. Aſt Imperator Nicephorus metu & impoſſibilitate detentus, exiuit & ipſe in deſperatione fortia infortunij demonſtraturus, & multis trophæis factis miſit ad Aaron Metropolitam ſynodorum, & Petrum Egumenum Gylei, & GreG gorium œconomum: & multum diſputantibus eis firmauerunt pacem, vt per vnumquemque annum tribueret illis tricena millia numiſmatum, & tria numiſmata in tributum capitis Imperatoris, & tria filij eius: quibus acceptis Aaron iocundatus eſt, & plus exultauit quam ſi dena millia ſuſcepiſſet talenta, tanquam qui ſubegiſſet Romanum imperium. Porro conuenit inter eos caſtra quæ deſtructa erant non reædificanda. Cumque Arabes regreſſi fuiſſent, conſtruxit eadem continuo caſtra & præmuniuit: quo comperto Aaron miſit iterum, & recepit Thebaſan, miſſoque ſtolo in Cyprum Eccleſias deſtruxit, Cyprios emigrauit, & multo excidio facto pacem diſſoluit. Anno quinto imperij ſui Nicephorus caſtra mouit contra Bulgares: & cum veniſſet Adrianopolim, & ſenſiſſet quod ſimultatem contra ſe Imperatorij homines, & quidam ex ordinibus meditarentur, inefficax repedauit, nihil proficiens, niſi quod tribulibus ſuis tantum vltionem intulit, horum multos cædibus & proſcriptionibus rerum ſubmittens.

Anno ſexto imperij Nicephori, menſe Septembri, H Aaron dux Arabum cum claſſe contra Rhodum Chumeid direxit, qui cum ſubito tranſmeaſſet, Rhodumque perueniſſet, multum in ea excidium fecit. Veruntamen municipium quod in ea erat, non impugnatum remanſit. Cum autem ipſe remeaſſet, euidenter impugnatus eſt à ſancto & miraculorum patratore Nicolao. Cum enim Myram veniſſet, & ſacram eius arcam conterere tentaſſet, aliam pro ea contriuit: moxque claſſem multorum ventorum & marinorum fluctuum, tonitruorum quoque & fulgurum inæqualitas comprehendit, ita vt plurimæ ſcaphæ conquaſſarentur, ipſeque impugnator Chumeid virtutem ſancti cognoſceret, & præter ſpem periculum euaderet. Porro decimaquarta Kalend. Ianuar. Nicephorus poſt multam electionem virginum ex omni poteſtate ſibi ſubditis, cauſa copulandi Stauratium filium ſuum coniugi, ſanctam Theophaniam Athenienſem cognatam beatæ Eirenæ, quæ viro deſponſata erat, ſeparauit ab eodem viro, &

A ipſi Stauratio miſero copulauit, imprudentet vt in aliis &
in hoc quoque præuaricator effectus: alias vero duas iſta
pulchriores, quas cum ea elegerat, manifeſte corrupit, in
eiſdem nuptiarum diebus, ab omnibus idem obſcenus
initus. Denique menſe Februario ſimultatem excogitan-
tes aduerſus eum multi ex proceribus, Arſabir quæſtorem
& patricium, virum pium & rationabiliſſimum elegerunt,
quod cum multiformis Nicephorus agnouiſſet, ipſum
quidem cæſum ac tonſum monachum fecit, & exilio re-
legatum in Bithyniam miſit: reliquos autem cædibus, &
tonſuris, & publicationibus, inſuper & exiliis ſubdidit,
non ſolum mundialis vitæ principes, ſed & Epiſcopos &
monachos, necnon & maiores Eccleſiæ ſyncellum, & ſa-
cellarium, & chartophylacem, viros rationabiles & reue-
rentia dignos. Anno ſeptimo imperij Nicephori, Arabum
dux mortuus eſt in interiori Perſide, quæ vocatur Cura
ſan, & ſuſcepit principatum Muhammat filius eius, ſcru-
puloſus per omnia, contra quem Habdallas frater eius ſe-
ditionem commouens, inteſtini belli factus eſt author, &
B hinc ij qui in Syria & Ægypto, & Libya erant, in diuer-
ſos inciſi principatus, tam publicas res, quam alterutros
ſubuerterunt, mactationibus & rapinis ac diuerſis flagitiis
contra ſe contraque ſubditos Chriſtianos confuſi. At per
hoc Eccleſiæ, quæ in ſancta Dei noſtri erant ciuitate, de-
ſertæ factæ ſunt: & monaſteria duarum magnarum la-
brarum, ſanctæ videlicet memoriæ Charitonis & Cyria-
ci atque Sabæ, necnon & reliqua ſanctorum cœnobia
Euthymij ac Theodoſij. Theodorus autem Egumenus
ſtudij, & Ioſeph frater eius Archiepiſcopus Theſſaloni-
cenus vna cum Platone Incluſo & cæteris monachis ſuis
à communione receſſerunt Tharaſij ſanctiſſimi patriar-
chæ, propter Ioſeph vicedominum, qui præuaricatorie
Conſtantinum, & Theodaten coronauerat. Tunc Nice-
phorus Imperator occaſione percepta, cum Epiſcopos &
Egumenos congregaſſet, ſynodum aduerſus illos celebra-
ri præcepit, per quam à monaſterio & vrbe deiecti, exi-
lio ſunt deſtinati, menſe Ianuario, Indictione ſecunda.
Eodem etiam anno, dum roga penes Strumonem amnem
C populo diſtribueretur, irruentes Bulgares, hanc ademe-
runt auri libras centum & mille, multumque populum
occiderunt, cum Prætore atque principibus. Erant enim
& cæterorum thematum ibidem taxati principes non
pauci, qui omnes illic perierunt. Ceperunt autem & to-
tam ſarcinam, & ita reuerſi ſunt. Eodem etiam anno an-
te ſolemnitatem Paſchæ, Crunnus Bulgarum dux acie
contra Sardicam directa dolo hanc cepit. Ex militiis au-
tem Romaicis interfecit ſex millia abſque multitudine
priuatorum. Nicephorus autem aduerſus eum tertia feria,
hebdomadæ ſalutaris paſſionis egreſſus dignum quidem
ſermone nihil geſſit. Hos autem principes qui de cæde
Bulgarica ſaluati verbum ſalutis depoſcunt, cum dare de-
dignatus fuiſſet, amiſit: inter quos erat & Cumarius Spa-
tarius, mechanicæ artis expertus. At Nicephorus multo
dedecore iuratoriis ſacris regiæ vrbi perſuadere ſatagebat,
vt crederent quod feſtiuitatem Paſchæ in aula Crunni
celebrauerit. Præterea cum ciuitatem Sardicam quæ de-
ſtructa fuerat, reædificare voluiſſet, multitudinibus reſi-
D ſtentibus timens, perſuadendum turbis Imperatorem ſu-
per ædificio pecunias ab eis cœpit exigere. At illi ſenſu
ingenuo, vt ex nequam illius argumentationibus ſubmi-
niſtrato, tumultuantur aduerſus illum & aduerſus princi-
pes ſuos per horas ſex, & irruentes diſrumpunt taberna-
cula ipſorum. Cum autem veniſſent vſque ad Imperato-
rem, iniuriis & maledictis hunc ſubmittunt, vlterius ſe
non ſufferre immenſam auaritiam, & nequam moliminis
eius animum deiurantes. At ille repentino ſimulato pauo-
re perterritus, ſurrexit à menſa, & primo quidem per Ni-
cephorum & Petrum patricios iuramentis & perſuaſibili
bus verbis ſedare conabatur exercitum. At illi modica
quiete potiti, collem quendam ceperunt, quem quia pe
ſe in manibus habebant, obliti ſunt: κύριε ἐλέησον, excla-
mantes, ac ſi ſuper quodam terræmotu, vel imbrium de-
fectu. Ille autem vtpote ad omne malum ſemper paratus,
clandeſtinis muneribus, noctu multis ex principibus pel-
lectis, in craſtinum ipſe per ſeipſum medius veniens, al-

loquutus eſt turbas cum omni tranquillitate, ac ſuper E
æquali cura erga natos eorum iuramentis horribilibus eos
certificans: & continuo regiam peruenit ad vrbem,
Theodoſio patricio & primiſcrinio cognomento Salibra
deſerto ad perdiſcendum ex alterutris eos qui ſeditionem
patrauerant. Cumque multitudines reuerterentur, rogas
eis apud ſanctum Mamam ſe tribuere fingens, cædibus ac
tonſuris & exiliis, multis ex eis punitis. Chryſopolim re-
liquos tranſduxit, calcans tanta ac tam horribilia iura-
menta. Illi autem propter ærumnam igneum fluuium
meatum appellauerunt. Anno octauo imperij ſui Nice-
phorus poſt multas impias animaduerſiones, militias
prorſus humiliare tractans, Chriſtianos exules ex omni
themate in Sclauinias ferri iuſſit, horum autem ſubſtan-
tias venundari. Erat autem hæc res captiuitate non mi-
nor, multis ex amentia blaſphemantibus, & inimico-
rum curſus poſcentibus, aliis nihilominus, circa ſepul-
chra parentalia lamentantibus, & defunctos beatos aſ-
ſeuerantibus: fuerunt autem & qui ſuſpendio vſi ſunt, vt
à tantis malis eriperentur. Etenim immobilium res quæ F
inerant ſibi, ſecum ferre non poterant, & ſubſtantiam
quam ex parentalibus doloribus poſſederant, perditam
contemplabantur: & impoſſibilitas omnis omnes poſſi-
debat. Hæc quidem inchoata ſunt à Septembri menſe,
porro circa Paſcha finita ſunt. Secundam vero cum hac
afflictionem commouens, militare præcepit egenos, &
armari aduerſus compatriotas, conferre nihilominus etiam
decem & octo ac dimidium numiſma per ſingulos fiſco
vna cum omni proximitate ad tributa publica. Tertiam
malignitatem inferens, perpendere iuſſit & augeri ho-
rum tributa, & præſtare Cariciatorum cauſa ſiliquas bi-
nas. Et ad quartam nequitiam, reliquos reditus omnes
augmentari præcepit. Quinta vero afflictione illata à ve-
nerabilium domorum inquilinis, orphanotrophij ſcilicet,
ac hoſpitalium gerocomiorum, Eccleſiarum quoque ac
monaſteriorum regularium per ſingulos focos cenſus exi-
gi, à primo tyrannidis eius anno præcepit, & quæ me-
liora erant in rebus, in regiam curatoriam deferri iube-
bat. Sextam commouens afflictionem, à prætoribus in- G
ſpici iubet eos qui ex paupertate repente creati eſſent, &
ab his pecunias exigi, quaſi ab inuentoribus theſaurorum.
Septimam quoque adinueniens, eos qui ante viginti an-
nos inuenerant, & vſque ad hunc, dolium aut vas quod-
cunque, omnibus propriis priuari pecuniis. Octaua eis
qui ex auis vel patribus hæreditauerunt, & diuiſa ſubſtan-
tia pauperes facti fuerunt, ex eiſdem annis viginti ſiclos
ærario publico iubebat præbere: & eos qui emerant ex-
tra Abydum corpora ſeruilia, bina numiſmata in tribu-
tum dare præcepit, maxime eos qui in Dodecaſino erant.
Nona, naucleros qui maritima inhabitabant & maxime
eos terreno labore minoris Aſiæ viuentes, emere de rebus
quæ ab illo rapiebantur cogebat: vtcunque appretiaren-
tur ab ipſo. Decima, inſignibus Conſtantinopoleos nau-
cleris collectis, dedit ad vſuram quatuor ſiliquarum nu-
miſmata, cum auri duodecim librarum perſoluerent ſi-
mul & conſueta commercia. Hæc ex multis ſummatim
p uca deſcripta ſunt, ſignificantia multimodum ad om-
nem ſpeciem auaritiæ eius molimen. Quæ enim in regia H
vrbe primoribus mediocribus & exiguis oſtenta ſunt ma-
la, nequeunt ſcribi, alios quidem eo inueſtigante quali-
ter domi viuerent, ac ſubmittente quoſdam malignorum
ſeruorum derogandi dominis, in primordiiſque quaſi du-
bitante ſuper his, quæ dicebantur, deinde vero affirman-
te calumnias. Idipſum & ſuper ignobilibus gerebat di-
gnos honoribus iudicans detrahentes. Præterea domo-
rum multas habitatorum à prima in tertiam generatio-
nem ſubuertebat, ſpe fretus, vt quanto celerius ruerent,
tanto has ipſe hæreditates citius poſſeſſurus eſſet. Dignum
autem eſt vt & hoc cauſa voluptatis & paradigmatis, me-
moriæ commendemus. Cerularius quidam erat in foro ex
laboribus ſuis locuples & nihil agens, quo accerſito om-
nium vorax Imperator ait: Pone manum tuam in vertice
meo, & iura quantum tibi ſit aurum. Qui parere tan-
quam indignus recuſans coactus eſt ab eo facere hoc. Et
centum ſe libras habere dixit, quas eadem hora auferri

præcepit

A præcepit dicens : Tu quid opus habes ſullicitari? prande mecum , & tolle libras decem , & his vade contentus. Anno nono imperij ſui Nicephorus contra Chriſtianos adinuentiones extendit inſpectiones ſine Deo in emptionibus animantium , diuerſorum fructuum iniuſtas titulationes , & iacturas principum , fœnerationes in nauibus: qui omnibus legem ponebat , ne ad vſuram quicquam tribueretur , & alia dena millia malorum commenta , quorum particularis hiſtoria onerofa eſt his qui compendioſas diſcere cauſas exquirunt Kalend. autem Octobr. tertia feria , euaginato quidam diſſipatus in habitu monachi gladio cuiuſdam militantium , cucurrit in palatium , Nicephorum interficere quærens : duo vero ex his qui circumſtabant , irruentes in eum , atrociter vulnerati ſunt ab eo. Comprehenſus autem & multis pœnis affectus excuſauit ſe , dæmonium habere prætendens, nullumque prorſus accuſans. At ille muniuit hunc in ligno cum patientibus. Multi ergo deinceps augurati ſunt, enormis fore hoc miraculi ſignum , aſſeuerantes tam im- B perantibus quam ſubiectis , quemadmodum & in impio Neſtorio factum eſt. Manichæorum vero , qui nunc Pauliciani & Atingani dicuntur,quique in Phrygia & Licaonia conſtituti , confines eius habebantur , amicus feruentiſſimus erat reſponſis eorum ſemper & immolationibus congratulatus In quibus & cum Bardanius patricius contra eum inſurrexit , his aduocatis , hunc monitionibus eorum ſubegit. Taurum quippe in loco quodam ferreo palo cornibus alligans ad terram incuruatum ſic dum mugiret & volutaretur , occidi fecit, huiuſque veſtem in mula verſa vice molens , & incantationibus vſus victoriam tulit , permittente Deo propter multitudinem peccatorum noſtrorum. Iſti locum ſub imperio eius adepti ſunt intrepide conuerſandi. Vnde multi leuiorum infandis eorum corrupti ſunt ſectis. In expeditione vero quidam falſus eremita Nicolaus nomine , & quidam cum eo blaſphemi facti fuerant etiam recti ſermonis , venerabiliumque imaginum aduerſarij , quos Nicephorus defendebat , & ſummum ſacerdotem , & omnes ſecundum Deum viuentes triſtatos pro hac cauſa reddebat. Sæpe C namque quiritantibus aduerſus eos indignatus eſt , inimicitias inuicem agitantibus congratulans , deridens omnem Chriſtianum proximum diligentem , veluti diuinorum mandatorum euerſor : cui ſtudium erat, iudicij rationabilia & irrationabilia contra omnem hominem in Magnauræ pœnaliter admouendi , quo nemo vacaret agere aduerſus impietates eius. Denique militares principes more ſeruorum vti Epiſcopis : & inferioris ordinis clericis iuſſit adituris Epiſcopis:& monaſteria,& his qui eorum erant autorabiliter abuſuris , eos qui à ſeculo diuinis contulerant obſequiis aurea vel argentea vaſa , vſurpabat , & Eccleſiarum quæque ſacrata pro communibus haberi dignum fore dogmatizabat , inſtar Iudæ tale quid ſuper dominico decernentis vnguento. Anteceſſores etiam ſuos Imperatores vniuerſos velut improuidos accuſauit , generaliter omnium prouidentiam auferens , ſimul & dicens , neminem poſſe imperantem circumuenire , ſi voluerit , qui imperat , ſtrenue principatum tene- D re. Sed vanus factus eſt in cogitationibus ſuis diuinitus occidendus. Interea menſe Februario eiuſdem quartædecimæ Indictionis primo ſabbato ieiuniorum obuij facti Saraceni penes Euchaicam Leoni Prætori Armeniaco rum deferenti thematis rogam , hanc abſtulerunt cum multitudine populi copioſa. Talenta ergo erant ſedecim, libræ mille trecentæ. In his nec ſic redargutus Nicephorus ab auaritia ſua ceſſauit. igitur nouus Achab ſignis non eruditus, qui econtra Phalaride ac Mida ambitioſior factus , contra Bulgares prælium præparat vna cum Stauratio filio ſuo : & Iulio menſe à regia vrbe digreſſus , iuſſit Nicetæ patricio & generali logothetæ , publicos Eccleſiarum & monaſteriorum cenſus imponere , & octo annorum præteritorum redhibitiones à principum domibus exigere : & erat lamentum magnum. Cum autem querimoniam audiret à quodam proprio famulo , Theodoſio videlicet Salibara patricio dicente ſibi : Omnes ò domine contra nos clamant , & in tempore tentationis caſui noE ſtro congratulabuntur , ſic ait ad eum : Si Deus obdurans obdurauit cor meum vt Pharaonis , quid boni erit his qui ſub manu mea ſunt à Nicephoro? Theodoſi , noli expectare præter quæ à te conſpiciuntur : hæc dominus nouit, ipſe ego conſcriptor horum viua voce audiui à Theodoſio. Collectis itaque militiis non ſolum ex Thrace , verum etiam ex vlterioribus thematibus ; cum his etiam egenos pedites cum propriis ſtipendiis contra Bulgares fundis & virgis armatos,& blaſphemantes minauit. Crumnus autem multitudines timens , cum eſſet Marcellis pacem petebat. At ille nequam conſiliis & cõſentientium conſiliorum ſuorum perſuaſionibus prohibitus eſt, & poſt multos anfractus per auia loca præcipitanter temerarius ſimul & pauidus ingreditur Bulgariam tredecima Kalend. Augusti , cum Syrius appareret cuncta conſumens , frequenter ita fatus : Quis ibit, inquiens,& decipiet Achab? Quia ſiue Deus ; ſiue aduerſarius traluit me nolentem. Porro priuſquam ingreſſus fuiſſet Bulgariam Bizantius dilectus huius famulus ad Crumnum confugit Marcellis, ſecum ſubrepta veſte Imperiali, & auri libris centum. Mul- F ti autem huius fugam in malum Nicephori auſpicati ſunt. Tribus quippe diebus poſt primos conflictus ſe proſperari opinatus , non proſperam facienti Deo aſcribebat victoriam : ſed Staurati j ſolius bonam fortunam bonumque conſiliũ prædicabat & principibus qui introitum inhibuerant , minabatur. Et irrationabilia quoque animantia , & infantes , & omnem ætatem immiſericorditer occidi præcepit , & mortua comprouincialium corpora inſepulta dimiſit , ſolius ſpoliorum collectionis curam faciens. Claues autem & ſignacula penetralibus Crumni ſuperimponebat , ea vt propria de cætero communiens. Aures etiam & cætera Chriſtianorum membra , qui ſaltem tetigiſſet ex ſpoliis quicquam abſcindebat , & aulam incendit quæ dicebatur Curtis Crumni , cum ipſe vehementer eſſet humiliatus , & ſignificaſſet , dicens : Ecce viciſti , tolle ergo quicquid tibi placuerit, egredere in pace. At ille cum pacis eſſet inimicus , hanc admittere noluit. Tunc ſæuiens ille in regionis introi- G tus & exitus lignea munimina mittens maceria circundedit atque turauit. Nicephorus autem hoc comperto , mox attonitus quidnam ageret , circumiens ignorauit , & his qui ſimul aderant , futuram perditionem prænuntiabat aſſeuerans : Etiamſi pennati fuerimus , nemo ſperet exitium ſe euaſurum. Hæc autem molimina erant per dies duos , quintam videlicet & ſextam feriam : & nocte ſabbati turbationes turbarum armatarum circa Nicephorum, & eos qui cum ipſo erant , auditæ acies omnes eneruauerunt. Ante diei vero principium superuenientes Barbari contra tabernaculum Nicephori , & magnates qui cum ipſo erant , hunc miſerabiliter interficiunt : inter quos erant Aetius Petrus , & Siſinnius Triſiles patricij , atque Theodoſius Salibaras patricius , qui contriſtauit , & multa mala beatæ oſtendit Eirenæ : necnon & Eparcus patricius & Prætor Orientalium , multique protoſpatarij & ſpatarij , & excubitus domeſticus , ordinum princeps , ſeu Drongarius imperialis vigiliæ , ſimul & Thracæ H Prætor , & multi principes thematum cum infinitis populis , omniſque Chriſtianorum corrupta eſt ſpes. Arma quoque omnia perierunt , & imperij vaſa. Porro talis diei deformia verba abſit vt Chriſtiani vlterius videant , vtpote omne lamentum excedentia : Caput autem Nicephori Crumnus reciſum ſuſpendit diebus multis in ligno , in oſtentationem ad ſe venientium nationum , & confuſionem omnium noſtrum. Poſt hæc ſane accipiens illud & denudans , argentoque forinſecus induens , bibere in illo Sclauinorum principes fecit gloriatus. Verum licet multæ viduæ ac orphani fuerint facti vno die , & lamentatio intolerabilis haberetur : huius tamen occiſio , multorum facta eſt conſolatio. Modum vero huius occiſionis nullus eorum qui ſaluati fuerant , liquidius enarrauit. Ferunt etiam quidam , quod Chriſtiani hunc cadentem lapidibus impetierunt : aſt effœminatorum virorum , ſeruorum ſcilicet eius cum quibus concumbebat , & alij quidem igne

A valli, alij vero gladiis perierunt cum ipſo. Huius principatu Chriſtiani grauiorem nullo tempore ſunt conſequuti. Omnes enim qui ante ſe imperauerunt, ambitionibus & luxuriis atque barbaricis crudelitatibus ſuperauit, de quibus per ſingula proſequi, & poſteris incredibile, & nobis erit laborioſum. Vulneratus eſt autem & Stauratius periculoſe in dextra parte colli, & vix à pugna ſaluus euaſit, & venit Adrianopolim atrociter plaga colaphizatus. At vero Stephanus patricius, & ſchulatum domeſticus, cum adeſſet quoque Theoctiſtus magiſter, pronontiauit Stauratium Imperatorem, & diſputauit populo qui ſaluatus fuerat contra patrem ſuum: qui oppido delectati ſunt. Michaël ſane Curopalates illæſus euadens, admodum ab amicis rogatus eſt vt Imperator appellaretur, & non admiſit propter iuramenta Nicephoro præſtita atque Stauratio. Huic Stephanus domeſticus reſiſtebat, ſpe vitæ Stauratij. Porro Stauratius per vrinam ſanguine immenſo prorumpente, areſactus eſt fœmoribus & tibiis adeo, vt photio veniret Byzantium. B Hunc Nicephorus Patriarcha valido amans affectu, conſilium dabat ei vt Deum placaret, & eos qui in auaritia prægrauati erant à patre ſuo conſolaretur. Ad quem paterni ſenſus hæres germanus dicebat, non poſſe plus tribus reddere talentis. Hæc autem erant exilis pars iniuſtitiæ illius: veruntamen & circa hæc pigritabatur, non viuere fidens. Cum autem fœdus illibatum more paternæ mentis circa neminem ſeruaret, frequentibus dehoneſtationibus ſubmittebat Theoctiſtum magiſtrum, & Stephanum domeſticum, & Michaëlem Curopalatem, auertens animo, & Procopiam ſororem ſuam vt inſidiantem ſibi Theophaniæ Auguſtæ ſubmiſſionibus. Mox quippe miſera per beatæ imitationem Eirenæ obtinere ſperabat Imperium cum ſine liberis eſſet. Aſt vero Stauratius videns ſe inſanabiliter infirmari, habitum imperium vxori acquirere feſtinabat, & Bulgares in Chriſtianos excitare ſupra præcedentia mala: ſupra quo pauentes Nicephorus Patriarcha, Theoctiſtus magiſter, & Stephanus domeſticus, ex multa inimicitia in alternam amicitiam cum Michaële Curopalate venere. C Circa fines Septembris, quinta Indictione Kalend. Octobr. veſpere Stauratius aduocatum Stephanum domeſticum percontabatur, quomodo Michaëlem ſororis ſuæ maritum ex propria domo poſſet ducere ad ei oculos eruendos: quo perhibente, hoc impoſſibile fore hac hora propter virtutem, quæ circa illum eſſet, & ob munitionem domus loci eius, rogat nemini fieri nota quæ dicta ſunt. At ille cum verbis perſuaſibilibus inflexiſſet eum ne ſolicitus eſſet, per totam noctem militias ordinum, quæ remanſerant, collegit in Hippodromo vna cum principibus propriis ad pronuntiandum Michaëlem Imperatorem, quemadmodum in ſubſequentibus indicabitur. Porro Nicephorus Patriarcha ſcriptum à Michaële propriæ manus exegit de recta fide; & vt ſine ſanguine manus à Chriſtianis ſeruaret, ac de ſacris hominibus ſeu monachis de toto Eccleſiaſtico catalogo, ne percuterentur ab illo.

D MICHAEL. Anno ab incarnatione Domini DCCCIIII. Indictione quinta, tertia Nonas Octobris Michaël Curopalates mitiſſimus appellatus eſt Imperator Romanorum in Hippodromo à toto Senatu atque ordinibus, qui imperauit annis duobus. Stauratius autem acclamatione audita ſtatim comam totondit, & monachicis indutus eſt veſtimentis: & per Simeonem monachum cognatum ſuum valde patriarcham implorans, qui veniens in palatium vna cum Imperatore Michaële, Stauratium rogabat ne triſtaretur ſuper hoc quod factum eſt, non enim per inſidias, ſed deſperatione vitæ ipſius id geſtum aſſeuerans. At ille nequitiæ paternæ rabie furens, non acquieuit, dicens ad eum: Amicum meliorem: me non habebis. Hora vero quarta coronatus eſt Michaël à Nicephoro Patriarcha in ambone magnæ Eccleſiæ, in quo magna exultatio facta eſt: & donauit Patriarchæ auri libras L, & clero XXV. Vir enim magnanimus & non auarus, omnes conſolatus eſt qui Nicephori nequitia ſunt læſi doniſque Senatū ac militiam recreauit. Porro quarta Idus Octobris coronata eſt Procopia in Triclinio Auguſta, multiſque donis liberalibus auxit Senatum. E Mulieribus vero Thematicorum militum, qui fuerant in Bulgaria peremti, auri quinque talenta dedit. Theophaniam autem vxorem Stauratij ſingularem vitam amplexam, & cognatos illius qui miſerabiliter ſub Nicephoro vixerant, ditauit. Interque alia inſignem domum & monaſterium Thebialca dictum, vbi Stauratius eſt ſepultus, illi conceſſit. Omnes etiam patricios & Senatores, ſacerdotes & ſummos ſacerdotes, & militantes, monachos & pauperes tam in regia vrbe quam in thematibus degentes locupletauit, adeo vt immenſurabilis auaritia Nicephori propter quam & male periit, paucis diebus diſparuiſſe probaretur. Super multos præterea optimos mores ſuos cum piiſſimus & orthodoxus eſſet, triſtabatur ſuper his qui à ſancta ſcindebantur Eccleſia quacunque occaſione ſuſtentatione: multumque ſanctiſſimum patriarcham, & eos qui poterant pro communi pace concurrere, rogans non quieſcebat, inter quos & Theodorum Egumenum Studij, & Platonem atque Ioſeph Archiepiſcopum Theſſalonicenſem fratrem Theodori in ſtudiis detentos amans, F vna cum principibus monaſterij eorum ſatagebat vnire, quod & fecit. Cæterum miſit ad Carolum regem Francorum pro pace atque contractu nuptiarum in Theophylactum filium ſuum. Nicephorus quoque ſanctiſſimus Patriarcha tranſmiſit ſynodicas literas ad Leonem ſanctum Papam Romanum. Antea quippe faciendi hoc à Nicephoro prohibebatur. Porro Octaua Kalend. Ianuar. quintæ Indictionis Michael tranquilliſſimus Imperator coronauit Theophilactum filium ſuum Imperatorem à Nicephoro Patriarcha in ambone maioris Eccleſiæ, feria quinta, & obtulit pretioſiſſimum ſtemma in ſancto altario in vaſis aureis & lapidibus venuſtis, & quadrangulis velis antiquitus ex auro & purpura clare contextis, atque admirabilibus ſanctis imaginibus variarum. Donauit autem & Patriarchæ auri libras viginti quinque, ac venerabili clero libras centum, ſplendidam reddens ſanctam feſtiuitatem & filij pronunciationem. Multo ſane diuino zelo Imperator piiſſimus motus contra Manichæos, qui nunc G Pauliciani dicuntur, & Atinganos in Phrygia & Lycaonia degentes, capitalem animaduerſionem Nicephori ſanctiſſimi Patriarchæ ac aliorum piorum prædicamentis promulgauit. Auerſus eſt autem per alios nequam morum conſiliarios obtentu pœnitentiæ, cum eſſet impoſſibile illos pœnitentiam agere, qui eorum errore decepti fuiſſent. Dogmatizabant autem indocte, non licere ſacerdotibus promulgare contra impios mortem, per omnia diuinis ſuper hoc aduerſantes ſcripturis. Si enim Petrus vertex Apoſtolorum Ananiam & Saphiram ab vno mendacio tantum mortificauit, & Paulus clamat: Qui talia, inquiens: agunt, digni ſunt morte: & hæc de ſolo corporali peccato: quomodo non horum contrarij erunt, qui omni corporali & ſpiritali ſpurcitia dæmonibus ſeruiunt: Stauratius vero vlcere tabefactus eſt mortali plaga circa ſpinæ loca infixa, ita vt non poſſet quiſquam appropinquare illi ob multum fœtorem, mortuus eſt tertia die Ianuar, Indictione quinta, cum imperaſſet, vt putatur, menſibus duobus, diebus ſex. Porro quinta Idus H Maij, feria quinta, eclipſis ſolaris facta eſt magna. Et ſeptima Idus Iunij egreſſus eſt Imperator Michaël contra Bulgares, & cum eo ſimul Procopia vſque Zerulum. Crunnus autem dux Bulgarum, cum Debeldum obſidione cepiſſet, & eos qui in ipſo fuerant vna cum Epiſcopo tranſmigraſſet, multitudines quæ propter malum frequentiſque conſilium nequam conſiliariorum Imperatoris ad eum confluxerant, ad inſidias & iniurias Obſicij maxime, & Thraceſiorum conuerſi ſunt, quos Michael compeſcens donis & admonitionibus ſilentio impoſito mitigauit. At vero Bulgares ſimultatibus militiarum compertis, & quod eſſent formidantes prælium, amplius confortati præualuerunt aduerſus Thracem & Macedoniam. Tunc Ancialum & Beroëm dimittentes Chriſtiani fugerunt nemine perſequente, Nicetamque ac Probati caſtrum, & alia quædam præſidia, ſimiliter & Philippopolim & Philippos, & Strymooem habitantes, occaſione accepta fugientes ad propria redierunt. Hoc autem diuina indignatio fecit,

A cit, Nicephori væſaniam arguens, per quam putatiuæ correctiones eius, in quibus gloriabatur, celeriter corruerunt prauæſque opiniones multorum, qui Deum impugnantes & abundantes hæreſes Paulicianorum, Atinganorum, Iconoclaſtarum & Tetraditarum deſierunt accuſare. Omitto enim adulteria, fornicationes, libidines atque periuria, odia fraterna & auaritias, necnon & præuaricationes reliquas contra ſanctas ac venerabiles imagines, contraque ſanctum monachicum habitum: mouebant linguas, beatum dicentes Deo abominabilem Conſtantinum, quod fortiter aduerſus Bulgares geſſerit propter pietatem, quam vt impie illi infelices fatebantur, habuerit. At vero hi qui in vrbe regia erant, armabantur poſt ſynodum vniuerſalem ad fidem ſubuertendam orthodoxam, cæcos cæcis mentibus ſine Deo volentes imperare filios Conſtantini Deum impugnantis: apud Panormum inſulam cuſtodiæ mancipatos, quos per noctem furari voluerunt, & adducere ad exerci-
B tum. Sed dominus hos confudit; erigens Michaelem piiſſimum in defenſionem veritatis. Deputatis enim conuenientibus de fide plebibus, regiam repedauit ad vrbem, & ſapienter cogitans, multos rebellionum per paruas plagas deterruit, exſilio iubens deportari filios Conſtantini, qui oculis orbati eſſe cernebantur in Aphuſiam.

Vnum vero ex ſupra dictis ſeductoribus falſum eremitam, exactione maleficij ſocium Nicolai qui icona ſanctiſſimæ Dei genitricis depoluerat, lingua receſa mutilauit, qui & mortuus eſt corpore & anima. Collegam autem ſuum Nicolaum, promittentem ſe pœnitentiam acturum, omnibus publicauit, & confitentem ſua ipſius mala, tradidit illum in monaſterio cuſtodiendum, ne libera conuerſatione habitu proprio abuteretur. At vero Atinganos publicans exilio tradidit per Leonem Orientalium Prætorem. Porro Auguſto menſe, quinta Indictione, Thebid contra Chriſtianos mouit
C exercitum: cum quo Leo bellum conferens, proſperatus eſt duo millia interficiens, & equos comprehendens, & arma, Muhammat autem primus filius Aaron tenens principatum gentis, inito bello, in interiori Perſide cum Habdalla fratre ſuo ſuperatus eſt.

Et fugiens in Gabda hanc obtinuit. Damaſcum vero alter tyrannus, & Ægyptum, & Africam duo partiti ſunt, & alius Palæſtinam more latronis depaſtus eſt. Anno ſecundo imperij Michaëlis, Crunnus Bulgarum dux per Dragomirum pro pace rurſum ad Imperatorem Michaëlem legationem miſit, quærens fœdera quæ ſub Theodoſio Adramitino & Germano patriarcha reprœmiſſa fuerant Dormeſio, qui per illud tempus dominus erat Bulgariæ, quæ terminos continebant Ameleonis Thracenſis: veſtimenta quoque ſeu coccineas pelles vſque ad precium quinquaginta librarum: & ſuper hæc profugos vtriuſque partis ad alterutrum reddi
D ſi contigiſſet eos inſidiari prælatis: negotiantes vero in vtraque regione per præcepta & ſignacula commendari: ſi qui vero ſine ſignaculo inuenti fuiſſent, diriperetur quod haberent, & inferretur publicis rationibus.

Scripſit autem ad Imperator. Niſi acceleraueris, inquiens, ad pacem iudicio tuo, præliabor contra Meſembriam. His receptis Imperator nequam conſiliariorum admonitionibus pacem non admiſit. Sub obtentu enim falſæ pietatis, & circa Remp. perditionis nequam conſiliatores aſſerebant, non oportere fugitiuos reddere, perhibentes in teſtimonium illud euangelicum domini eloquium perhibentis: Eum qui venit ad me, non eiiciam foras. Mediante vero menſe Octobri aciem dirigit Crunnus contra Meſembriam in machinamentis, & manganis, & arietibus, quæ Nicephori cauſa deſtructoris Chriſtianorum didicerat.

Arabs enim quidam ad baptiſmum confugerat ſatis expertus mechanicæ artis, quem cum caſtrametatus eſſet, in Adrianopolim conſtituit, cui nullum meritum conferens, quin potius adbreuians eius rogam, murmurantem nimis cecidit: qui ſuper hoc triſtatus fugit ad Bulga-

E res, & docuit eos omnem mechanicam artem in his. In his inſiſtens, nemine ob multam ſtultitiam reſiſtente per totum menſem, cepit eam. Kalendis autem Nouembris aduocauit Imperator patriarcham cum anguſtiaretur, & de pace conſilium ſumpſit. Aderant autem & Metropolitani, Nicenus ſcilicet & Cizicenus, præſentibus quoque prauis conſiliariis cum Theodoro Egumeno ſtudiſtarum patriarcha ac Metropolitani antiſtes, pacem cum Imperatore amplectebantur: mali vero conſiliarij cum Theodoro Egumeno ſtudij hanc ſubuertebant fatentes: In ſubuerſione diuini mandati nemo pacem amplectitur. Eum quippe qui venit ad me, ait Dominus, non eiiciam foras.

Primo quidem quomodo nemine ad nos ex eis confugiente, nos eos qui intra Cuttem erant prodidimus, valentes hos cum pace ſaluare? ſecundo vero quia & ſi fugerunt, raro quidem ad nos pro acquirenda tamen plurimorum ſalute oportebat potius decertare, quam ſuper incertis & inuiſibilibus locupletari. Gratius enim eſt
F Deo, plures potius ſaluare quam paucos. Porro damnum in pluribus pati propter modicum lucrum, primæ dementiæ eſt: Hæc Kalendis facta ſunt Nouembribus. Porro prima die Nonas Nouembris apparuit cometes in figura duarum lunarum fulgentium, adunantium ſe, atque ſeparantium in diuerſa ſchemata, ita vt in acephali viri fictionem formarentur. Et in craſtinum de excidio Meſembriæ venit miſerum nuncium, deterrens omnes ob maiorum omnium malorum expectationem. Inuenientes enim eam inimici plenam omnibus rebus, quæ ad habitationem hominum adeſſe ſolent, hanc tenuerunt vna cum Debelto, in qua & ſyphones æreos inuenerunt triginta & ſex, & ignis humidi qui per eos emittebatur, argentique ac auri non modicam copiam.

Eodem anno multi Chriſtianorum ex Palæſtina ac Syria in Cyprum venere fugientes immenſam Arabum affli-
G ctionem. Cum enim hoc generali principatu Syria eſſet & Ægyptus & Africa & omnis principatus qui ſub ipſis eſt, homicidia, rapinæ, adulteria, ac omnes Deo odibiles actiones in ciuitatibus ac villis, vt diuinitus peritura gente perpetrabantur: inque alma Dei noſtri ciuitate colenda loca ſanctæ Dei genitricis & reſurrectionis ac caluariæ ſeu reliqua prophanata ſunt. Similiter autem & Lauræ eremi opinatiſſimæ, ſancti Caritonis, & ſancti Sabæ, & reliqua monaſteria & Eccleſiæ deſertæ factæ ſunt. Alij autem percepto martyrio interempti ſunt alij vero Cyprum, & ex hac Byzantium properarunt, quos Michaël pius Imperator, & Nicephorus ſanctiſſimus patriarcha benigna munificentia receperunt. Nam his qui venerunt ad vrbem, monaſterium inſigne donauit: his vero qui in Cypro remanſerant, monachis & laicis talentum auri tranſmiſit, & hos diuerſis conſolatus eſt modis. Erat quippe Michaël circa omnes ſuauis & clemens, circa negotiorum vero diſpoſitionem iners, ſeruitute ſubactus, Theo-
H ctiſto magiſtro & cæteris principibus. Præterea menſe Februario duo Chriſtiani ex Bulgaria fugientes nunciauerunt Imperatori, Crunnum prædarum eos qui eſſent in Thrace repente feſtinare. Quintodecimo Kalendas Martij exiuit Imperator ab vrbe, Dei prouidentia inefficax rediit, & aſcendens monaſterium Tharaſij ſancti Patriarchæ, celebratis eius memoriis vna cum Procopia Auguſta, petalo argenteo librarum nonagintaquinque ſacrum eius ſepulchrum veſtiuit. Poſt captam vero Meſembriam Imperator Crunno pace negata, ex omnibus thematibus electam militiam ante vernale tempus in Thracem tranſire præcepit, ita vt omnes moleſte ferrent, maxime Cappadoces & Armeniaci. Imperatore autem exeunte cum ordinibus menſe Maio, exiuit cum eo iterum Procopia vxor ſua vſque ad aquæductum iuxta Heracleam. At vero multitudines ſuper hoc duriter ferentes in derogationem ac maledictionem conuerſæ ſunt contra Michaëlem. Porro quarta Idus Maij, eclipſis facta eſt circa duodecimam partem Tauri iuxta horologium oriente Sole, & multus timor cecidit ſuper turbas. Aſt Imperator circuibat Thracem cum præto-

A ribus ac militiis, neque contra Meſembriam pergens, neque aliud quid eorum quæ agi debent ad deſtructionem hoſtium patrans, ſed tantum ſuaſus ſermonibus vanis conſiliariorum ſuorum, bellorum experientiam non habentium, ac per hoc aſſeuerantium, non audere inimicum aduerſum illum venire in propria regione ſedentem. Et erat barbarico impetu grauior concivium cœtus, deficientium circa neceſſarias vtilitates, & rapinis ac inuaſionibus exterminantium compatriotas. Circa initia vero Iunij menſis Crumnus Bulgarum dux exiit cum exercitibus ſuis, veritus quod multi eſſent Chriſtianorum: cumque mouiſſent exercitum in Verſiniciam, quaſi triginta ſignis ab imperialibus caſtris, Leo patricius & Prætor Orientalium, Ioannes quoque patricius & Macedoniæ Prætor cognomento Aplaces, multum prompti ad hos debellandos, prohibiti ſunt ab Imperatore per malos conſiliarios. Cum autem vrbs litanias celebraret cum ſummo ſacerdote in templo ſanctorum Apoſtolorum, quidam impiorum, B Deo peroſi Conſtantini hæreſeos, obſerata porta imperialium ſepulchrorum, nemine attendente propter turbæ frequentiam, quo ſubito cum quodam ſonitu aperiretur egerunt, quaſi ex quadam operatione facti prodigij, & intro inſilientes procidebant ſeductoris monumento, hunc inuocantes, & non Deum. Surge dicentes, & auxiliare perditæ Reipublicæ. Diffamaruntque quia ſurrexit ſuper equum ſedens, & vadit Bulgares debellaturus, qui è contrario tartarum habitat cum dæmonibus. Qui ab vrbis præfecto comprehenſi, primo quidem mentiebantur, diuinitus vltro fuiſſe apertas ſepulchrorum portas: præſentati vero tribunali præfecto, & circa teſtimonium claudicantes, obſerationis fraudem ante omnem pœnam confeſſi ſunt, quos merito veſtibus pompæ ſubmiſit, vociferantes cauſam publicæ pœnæ. Sic enim nequitiæ inuentor diabolus ſuos milites erudit, vt non peccata ſua accuſent, ſed orthodoxam & patribus traditam C fidem, ſacrumque habitum monachorum, qui diuinæ Philoſophiæ eſt gymnaſium. Multi autem qui in his blaſphemabant, habitu tantum Chriſtiani erant, veritate vero Pauliciani, qui non valentes deteſtabilis opera ſua manifeſtare, huiuſcemodi occaſione indoctos adulterabant, Conſtantinum qui Iudaici erat ſenſus, beatum dicentes vt prophetam & victorem, hæreſimque ipſius in ſubuerſionem incarnatæ diſpenſationis Domini noſtri amplectentes.

Porro decima Kalend. Iunij prælium ineuntibus haud procul ab Adrianopoli, delinquunt quidem Chriſtiani valde dire circa bellum, obtinent autem inimici pugnam, adeo vt plures congreſſionem nec intuentes ſumma fuga vterentur: ita vt Crumnus conſternatus æſtimaret inſidiarum argumentum eſſe quod factum eſt, vt modicum retineret ſuos ab inſequutione: quia vero eos vidit ſine vlla retentione fugere, perſequutus occidit multitudines copioſas, & veniens nihilominus ad ſarcinas, has cum exuuiis abſtulit. Aſt Imperator fu- D giens repedabat in vrbem cum multitudinibus, harumque principibus ſumptis inſuper pollicebatur imperij depoſitiones deierans: inter quos & Leonem patricium, & Prætorem Orientalium, tanquam pium & fortiſſimum & per omnia ſtrenuum, in tenendo imperio aſciſcere ſocium voluit: qui nullatenus acquieſcens, dimiſit eum thematibus præeſſe, octaua Kalend. Iunij deponere volens Imperium, & alium promouere: qui tamen ab vxore & filiis permiſſus non eſt, & ab his qui nequiter præualuerant. Verum in hoc Nicephorus ſanctiſſimus patriarcha conſentiebat, Et ipſe inquiens, & filij eius ſaluandi erunt, ſi taliter quis promoueatur. At vero Prætores deſcendentes cum multitudinibus in vrbem, Imperatorem fugiſſe audientes, deſperati quod ab eo de cætero imperandi forent, conſiliati ſunt apud ſemetipſos, & implorabant Leonem, quo auxiliaretur communi Reipublicæ, & Chriſtianorum religioni opitularetur. At ille aliquandiu quidem vehementer differebat, temporis conſiderans difficultatem, & Barbarorum incurſionem E intolerabilem, & ſemetipſum erga Imperatores conſeruans tectum & abſque inſidiis: quia vero & ad vrbem properare inimicum vidit, ſcribit Nicephoro Patriarchæ de fide ſua recta affirmans, petens etiam vt cum oratione & nutu eius imperium ſumeret, & veniens ad tribunal ante vrbem poſitum vna cum Prætoribus & exercitibus, valde legitimus Romanorum Imperator oſtenditur, & die media Conſtantinopolim per Carſij portam ingreditur, & ad regalia peruenit. Porro audita huius acclamatione Michael in oratorium Phari accurrens vna cum Procopia natiſque ſuis, detonſis capillis, monaſtica induit veſtimenta, quinta Idus Iulii ſexta Indictione, feria ſecunda.

Poſtera vero die, Leo coronatus eſt à Nicephoro patriarcha in ambone maioris Eccleſiæ, vrbis præcepit cuſtodiri portas: & muros die ac nocte ipſe per ſe circuiens, & exercitans cunctos, ac bonam ſpei fiduciam habere commonens, eo quod Deus celeriter foret inopinate facturus per interceſſiones intemeratæ F Dei genitricis & omnium Sanctorum, nec omnino contundi nos eſſet paſſurus ob multitudinem culparum noſtrarum. Interea nouus Sennacheribus, Crumnus videlicet, derelicto proprio fratre cum virtute ſua ad impugnandum Adrianopolim, poſt ſex dies imperij Leonis ſuperueniens in viribus ſuis & equis, regiam vrbem gyrauit iuxta muros à Blachernis vſque ad Auream portam, oſtendens virtutem ſuam: & celebrato polluto dæmonico ſacrificio in prato penes mare ſito, poſtulauit ab Imperatore vt figeret contum ſuum in eandem portam Auream, quo id fieri non permittente, reuerſus eſt ad tabernaculum ſuum. Cum autem admiratus fuiſſet muros vrbis, & bene ordinatam Imperatoris aciem, & ſuper obſidionem quam ſperabat, deſperatus effectus eſſet, ad conuentiones conuertitur, & ante pacem tentatorie verba faciebat. Aſt Imperator accepta occaſione conatus eſt huic inſidiari, ſed à multitudine peccatorum noſtrorum hoc in G finem perducere prohibitus eſt: adminiſtrantium huiuſcemodi ruſticitate, vulnerantium quidem, hunc mortalem tamen non inferentium plagam. Super hoc ergo inſaniens nequiſſimus, miſſo curſu ad ſanctum Mamam, palatium illic habitum incendit, & æreo Leone Hippodromi vna cum vrſo & dracunculo lateribus ac marmoribus electis in plauſtro impoſitis reuerſus eſt, & obſeſſam Adrianopolim cepit.

Explicit Liber Vigeſimusquartus.

Hactenus Anaſtaſius Biblioth. ex Theophane, cui in Græco exemplari ſubiuncta ſunt quædam ex Leonis Grammatici chronographica poſteriorum Imperatorum vſque ad Conſtantinum Romani generum. H

Sequitur in Anaſt. P. Pith. Hæc eſt collectio annorum, vt ſubinſertur Ad annos CC. XXX. &c. In ex. Briſſ. ſequitur Boſina Biſſini regis vxor. Et narratio de Theodorico.

A

PAVLI VVARNEFRIDI Longobarbi filij, Diaconi Foro-iulienſis.

De Epiſcopis Metenſis Eccleſiæ.

PAVLVS DIACONVS Lib. 6. de geſtis Longobard. cap. 16.

B SED & ego in libro, quem *de Epiſcopis Metenſis ciuitatis* conſcripſi, flagitante Angilrammo, viro mitiſſimo & ſanctitate præcipuo, præfatæ Eccleſiæ Archiepiſcopo, de hoc ſacratiſſimo viro Arnulfo quædam eius miracula compoſui, quæ modo ſuperfluum duxi replicare.

Sigebertus Gemblacenſis de Scriptoribus Eccleſiaſt. cap. 80.

PAulus Monachus Caſſinenſis cœnobij, natione Italus, propter ſcientiam litteratum à Carolo M. Imperat. aſcitus, ſcripſit vitam primi Gregorij Papæ, ſcripſit geſta Pontificum Metenſium, ſcripſit miracula S. Arnulfi, qui primo Maior domus Regis Francorum, poſtea Metenſium Epiſcopus heremeticam vitam expetiit. Hiſtoriam quoque Vinnulorum, qui poſtea nominati ſunt Longobardi, C luculento & plano ſermone ſcripſit.

INCIPIT LIBELLVS De numero ſiue ordine Epiſcoporum, qui ſibi ab ipſo prædicationis exordio in Metenſi ciuitate ſucceſſerunt.

POſtquam peractis omnibus, quæ cum patre pro mundi ſalute gerenda diſpoſuerat Chriſtus dominus, migrauit ad cœlos, ſtatim vt promiſſo ſancti ſpiritus munere B. Apoſtoli potiti ſunt & confirmati, illico quam vnuſquiſque eorum prouinciam vel regionem prædicaturus aggredi deberet, communi conſilio iuxta diuinam prouiſionem ſorte decernunt. Singulis igitur ad ſibi delegata loca pergentibus, S. Petrus qui in eorum numero primus D erat, & quaſi dux fortiſſimus eminebat, ad eam quæ totius tunc mundi caput erat, hoc eſt vrbem Romuleam tota alacritate contendit. Fundata prius apud Antiochiam Eccleſia, ac ſuæ ſedis nomine dedicata.

Igitur cum Romam perueniſſet illico qui ſummas quaſque vrbes in occiduo poſitas Chriſto domino per verbum fidei ſubiugaret, optimos eruditoſque viros ex ſuo conſortio direxit. Tunc denique Apollinarem Rauennam, Leucium Brundiſium, Anatolium Mediolanum miſit: Marcum vero qui præcipuus inter eius diſcipulos habebatur, Aquilegiam deſtinauit, quibus cum Hermagoram, ſuum comitem Marcus præfeciſſet, ad B. Petrum reuerſus Alexandriam miſſus eſt.

Ea igitur tempeſtate cùm apud Galliam Belgicam Mediomatticum, quæ etiam Metis appellatur, ciuitas in ipſa Moſellæ amnis ripa poſita, copioſis populorum turbis abundaret; ad eandem B. Petrus Apoſtolus vrbem, Clementem nomine virum egregium ac meritis probatum, ſublimatum pontificali dignitati direxit: cum quo pariter (ſicut antiqua tradidit relatio) ad eas, quæ præcipuæ erant Galliarum vrbes, verbo fidei obtinendas alij quoque religioſi Doctor. ab eodem Apoſtolorum principe miſſi ſunt.

Cum ergo perueniſſet beatus Clemens Mediomatricum ciuitatem, in cauernis (vt ferunt) Amphitheatri, quod extra eandem vrbem ſitum eſt, hoſpitium habuit: in quo etiam loco oratorium domino conſtruens altare in eo ſtatuit, ac beati Petri Apoſtoli præceptoris ſui nomine conſecrauit. Is igitur venerandus ſacerdos dum ſedula admonitione eiuſdem vrbis populis prædicaret, cooperante ſibi diuina miſericordia maximam ex eis multitudinem à ſordidis idolorum cultibus & erroris cæcitate liberatam ad veræ fidei ſplendorem perduxit: primuſque in illis regionibus oſtenſor iuſtitiæ & index veritatis enituit.

Denique aſſeuerant qui eiuſdem loci cognitionem habent, quod in Amphitheatro vbi primitus adueniens habitauit, vſque in præſentem diem nec ſerpens conſiſtere queat, ſed & omnino noxiæ peſtes locum illum refugiant, vnde olim veræ ſalutis emanarunt inſignia.

Succeſſit huic vir Deo plenus Cœleſtis nomine; qui cœleſtem vitam cum regni cœlorum adnuntiatione du- F cens exemplis pariter & doctrinis credentium numerum dilatauit.

Poſt hunc denique regendam ſuſcepit Eccleſiam Felix.

Deinde Patiens.

Poſthæc quintus in ordine Victor.

Deinde alius Victor.

Poſt hos Simeon Septimus.

Poſt quem Sambatius octauus. Quorum omnium ſtudiis certum eſt creuiſſe Dei Eccleſiam: quamuis eorum nomine ſpecialiter occulta ſunt geſta.

Ruffus vero & Adelphus, qui ſunt in numero nonus & decimus, magnis abſque dubio in vita meritis fulſiſſe credendi ſunt: quandoquidem tali etiam poſt obitum fulſere miraculo. Horum denique corpora cum in baſilica beati Felicis martyris eſſent humata (ſicut ad nos vſque decurrit relatio) vir quidam erat religioſus ac de animæ ſuæ cura ſollicitus, qui nocturno tempore vt pri- G uatis orationibus ſe Domino commendaret, vniuerſa quæ extra muros eiuſdem ciuitatis ſita erant oratoria indeſinenti ſtudio circumire ſolebat. Hic itaque dum ad prædictam beati Felicis martyris perueniſſet baſilicam, nec tamen ingrediendi eſſet conceſſa facultas, acceſſit iuxta murum forinſecus ad eam partem, qua prædictorum ſacerdotum corpora requieſcebant, atque ibi ſe in orationem tota mentis intentione proſtrauit. Qui dum poſt effuſas preces ab oratione ſurrexiſſet, & in eorum Sanctorum honorem ad quorum è regione ſepulchra orauerat Pſalmi verſiculum, id eſt. *Exultabunt Sancti in gloria*, pronuntiaret, mox ab intus vocem ſubiungentis audiuit, *lætabuntur in cubilibus ſuis.*

Succeſſit his ſacris viris Firminus. Deinde Legontius: de quorum vita, præter nomina, nihil ad nos deduxit relatio priſca.

Accepit deinde tertius-decimus venerandus præſul Auctor gubernandam Eccleſiam ea tempeſtate, quando H non ſolum Galia, ſed vniuerſus pene Occidens Barbarorum ſæuientium eſt perpeſſus ſæuitiam. De quo viro, quamuis & alia ab eo inſignia facta credantur, duo tantum ad noſtram memoriam eius miracula peruulgata ſunt. Eo igitur tempore cum reuerendus hic præſul vitam cunctis virtutibus decoratam duceret, Attila Rex Hunnorum omnibus belluis crudelior habens multas barbaras nationes ſuo ſubiectas dominio, poſtquam Gundigarium Burgundionum regem ſibi occurrentem protriuerat, ad vniuerſas deprimendas Gallias ſuæ ſæuitiæ relaxauit habenas. Huius aduentu beatus Seruaſius Tungrorum Epiſcopus præcognito, Romam ad beatorum Apoſtolorum Petri & & Pauli ſacratiſſima corpora perrexit, vt per eorum ſublime meritum ſpecialiter a Domino impetraret, quatenus iræ ſuæ indignationem auerteret, & Tungrenſis vrbis populum à tanto exitio liberaret. Tunc ei diuinitus per eundem beatum Petrum Apoſtolum reuelatum eſt, quod ita cœleſti eſſet iudicio definitum, vt vniuerſa Gallia Barbarorum foret infeſtationi tradenda præter beati Stephani Leuitæ & protomartyris ſuum apud Metas oraculum, in quo ipſius erat pretioſus cruor

A abſque corruptionis labe reconditus. Hæc dum S. Serua-
tio reuelata fuiſſent, feſtinus ad Gallias repedauit: inuenit-
que iam Hunnorum examina per vniuerſas Gallias debac-
chari. Qui cum ad obſidionem Metenſium pro eo quod
eorum ciuitatem inexpugnabilem ob murorum fortitudi-
nem cernerent, receſſiſſent, contigit B. Seruatium ipſo
tempore dum à Roma reuerteretur, Metis deuenire. Qui
dum vniuerſa, ſicut reuelatione didicerat, ſancto conſa-
cerdoti ſuo Auctori retuliſſet, ad ciuitatem propriam,
hoc eſt Tungris reuerſus eſt. Nec mora, poſt eius egreſ-
ſionem murus ciuitatis Metenſis corruit, ingreſſumque
hoſtibus ſuperna diſpoſitione patefecit. Mox vero B. Au-
ctor traditam ciuitatem inimicorum gladiis aduertens,
vniuerſos populos, qui necdum ſacri fontis ablutionem
perceperant, baptizari præcepit. Igitur audientes Hunni,
qui duodecimo exinde milliario ſitum caſtrum, quod
Scarponna dicitur, obſidebant. Metenſis vrbis mœnia
corruiſſe iterato ad eam feſtina celeritate regreſſi ſunt, in-
cendiiſque & rapinis vniuerſa vaſtantes, plures è ciuibus
B cum eis qui baptizati fuerant paruulos interemerunt: re-
liquos vero qui exitio ſupereſſe poterant, ſimul cum
S. Auctore Epiſcopo captiuos abducunt. Impletum ſane
eſt ſuper beatum Stephanum Leuitæ & protomartyris do-
micilio, quod à beatiſſimo Petro apud Ro. Chriſti famu-
lo Sematio fuerat ante prædictum. Nam cum eandem ba-
ſilicam procul furentes Barbari aſpicerent, ad eam curſim
quaſi optima ſpolia capturi properabant: cumque pro-
pius accederent, eorum oculis velut ingens ſaxum ac mo-
les ſolida apparebat. Quam cum cæcati mentibus, ma-
nibus per gyrum palparent, aditumque ingrediendi quæ-
rerent, nihil omnino eis aliud quam naturalis ſaxi duri-
ties videbatur. Denique ſæpius abſcedentes rurſumque
reuertentes, cum ſe nihil proficere cernerent, tandem fa-
tigati diſceſſerunt, ſuæque iniquitatis effectu fruſtrati
Li.2.c.7. ſunt. Quid etiam de hoc oratorio B. Gregor. Turonenſis
Epiſcopus in ſuis libris † narrauerit, non ſilebo. Refert
enim priuſquam hi hoſtes venirent, vidiſſe virum fidelem
in viſu quaſi conferentem cum ſanctis Apoſtolis Petro ac
C Paulo B. Leuitam Stephanum de hoc excidio, ac dicen-
tem: *Oro domini mei, vt non permittatis obtentu veſtro Me-
tenſium vrbem ab inimicis exuri; quia locus in ea eſt, in quo
paruitatis meæ pignora continentur: Sed potius ſentiant ſe
populi aliquid me poſſe coram Domino. Quod ſi tantum fa-
cinus populi ſupercreuit, vt aliud fieri non poſſit, niſi ciuitas
tradatur incendio; ſaltem vel hoc oratorium non crementur.*
Cui illi aiunt: *Vade in pace, dilectiſſime frater: oratorium
tantum tuum carebit incendio. Pro vrbe vero non obtinemus,
quia Dominica ſanctiones ſuper eam ſententia iam proceſſit.
Inualuit enim peccatum populi, & clamor malitiæ eorum
aſcendit coram Domino. Ideo ciuitas hæc cremabitur incen-
dio.* Vnde non dubium eſt, quod horum obtentu, vrbe va-
ſtata, oratorium permanſit inlæſum. Igitur exinde hoſtes
dum ad oppidum quod appellatur Decempagos, quod à
Metenſi vrbe triginta millibus abeſt, peruenitſſent; quia
Deo noſtro ſemper de ſuis ſeruulis cura eſt, & in ira miſe-
ricordiam (ſicut ait Pſalmiſta) non continet; tantæ ſubi-
to eoſdem Hunnos tenebræ circumuallauerunt, vt quid
D agerent, vel quo ſe verterent, omnino neſcirent. Tunc cau-
ſam tantæ calamitatis, vt in tali re opus erat, ſollicite in-
quirentes ab vno ex captis quos ducebant, audiunt, quia
propter ſeruum cœleſtis Domini Auctorem Epiſcopum
quem in captiuorum numero ſe vidiſſe dicebat, talia pate-
rentur. Mox igitur facta inquiſitione B. Auctorem repe-
riunt; quem dum percunctarentur, quid in munere vellet
accipere, vt à tanto eos periculo liberaret ille ad hæc re-
ſpondit; ſibi nullum aliud gratius poſſe munus offerri,
quam ſi omnes quos ducebant captiuos ſinerent ad pro-
pria remeare. Quod illi ſi facerent, promittit ſe ſine dubio
a ſuo domino impetraturum, vt ab illis quibus tenebantur
tenebris eruerentur; Factumque eſt. Et mox in vniuerſo
ſuo Hunni exercitu captiuos quos ducebant, requirentes
eos B. Auctori reddiderunt, à ſuis (vt eis promiſſum fue-
rat) ceſſantibus tenebris luce reddita anguſtiis liberati
ſunt. Sicque venerabilis Chriſti famulus, dum ad modi-
cum in captiuorum ſorte deputatus eſt, multos pariter à
captiuitate reſoluit. O quantum potiori gloria de reductis E
iſte ciuibus triumphauit, quam crudeles Barbari, qui eos
antea quaſi victores abduxerant, triumphare potuiſſent.
Veniamus & ad aliud miraculum quod eiuſdem meritis
cœleſti eſt virtute patratum. Quodam denique tempore
cum in oratorio B. Protomartyris Stephani (de quo ſupra
retulimus, trabis ab ipſo culminis faſtigio diſſoluta cor-
ruiſſet, marmor quod in altari eximij candoris erat, ita
confregit, vt in duabus illud partibus omnino diuideret.
Adeſt B. Auctor & cunctis qui aderant pro inlato diſpen-
dio contriſtatis, ipſe vero fidens in Domino præcepit eaſ-
dem fracturas ſibi inuicem copulari, pararique ſibi mini-
ſteria, quo deſuper more ſolito diuini ſacrificij munus of-
ferret. Stupentibus itaque illis, & quid eſſet facturus, in-
tendentibus, mox ſalutarem hoſtiam Deo obtulit. Illico
omnis illa cõfractio ita ſolidata eſt, quaſi antea diuiſa mi-
nime fuiſſet. Eſt tamen in eodem marmore, quod non me-
diocriter vſque in præſentem diem poſſit admirari. Nam
ita apparet hactenus attentius cernentibus quaſi diuiſum,
ſed ſtudioſe contractatum digitis ita probatur ſolidum, vt
nullius in eo diuiſionis ſentiatur indiciũ. Non eſt dubium, F
& plura eum miranda patraſſe: ſed quantus qualiſque
fuerit, ex his quæ reuelata ſunt, plene poteſt agnoſci.

Succeſſit huic quartus ac decimus, Aepletius.
Deinde quintus decimus Vibicius.
Sextus decimus Bonolus.
Septimus decimuſque Terentius.
Octauus decimus Gunſolinus.
Exinde Romanus.
Viceſimus deuique Fronimus.
Poſt quem Cromarius.
Deinde Agathander.

Tres itaque iſti quos præmiſimus, ſicut in eorum nomini-
bus attenditur, de origine credendi ſunt manare Græcorũ.

Poſt hos rexit Eccleſiam Sperus.
Deinde Villicus.
Tum viceſimus quintus Petrus.
Viceſimus ac ſextus Agiulfus, qui fertur patre ex no-
bili ſenatorum familia ortus, ex Chlodouei Regis Fran- G
corum filia procreatus.
Poſt iſtum extitit nepos ipſius nomine Arnoaldus.
Quem ſequutus eſt Pappolus.
Poſt hos ad regimen Eccleſiæ beatiſſimus Arnulfus aſ-
citus eſt vir per omnia lumine ſanctitatis, & ſplendore ge-
neris clarus. Qui ex nobiliſſimo fortiſſimoque Francorum
ſtemmate ortus ita Dei Eccleſiæ præfuit, vt & palatij mo-
derator exiſteret. Hic denique & in corpore permanens
ſimul & poſt vitæ exitum multa admiranda perpetrauit,
quæ ſi quis noſſe deſiderat, libellum qui de eius ſpeciali-
ter actibus conſcriptus eſt, legat. Vnum tamen eius ad-
mirabile factum referam, quod ſatis miratus ſum quo or-
dine præterierit is qui eius contexuit vitam. Hic denique
cum pœnitentiam pro aliquibus exceſſibus ageret conti-
git vt per Moſellæ fluminis pontem tranſiret. Cumque
ſubterfluentium aquarum profundos nec viſu penetrabi-
les gurgites cerneret, non dubiæ ſpei fiduciam mente ge-
rens, extractum digito annulum in illam aquarum profun-
ditatem proiecit; *Tunc*, inquiens, *me putabo culparum* H
*nexibus abſolutum, quando iſtum quem proiicio recepero an-
nulum.* Poſt aliquot vero annos cum ad Epiſcopatus aſ-
cendiſſet officium, ei die quadam piſcator quidam piſcem
attulit; quem ille ſibi, quia carnibus abſtinebat, ad refe-
ctionem veſpertinam iuſſit præparari. Cumque eum mi-
niſter eius officij more ſolito exenteraſſet, eundem annu-
lum intra ipſius piſcis inteſtinum reperit. Ille factum ad-
miratus, ſed rem neſciens, B. Arnulfo detulit. Quem ille
vt vidit, ſtatim recognouit: ac Deo omnipotenti iam de
remiſſione delictorum fidus gratias retulit: ac deinceps
non remiſſius vitam duxit; ſed maiori ſe potius abſtinen-
tia coarctauit. Nec diſſimiliter pater hic venerabilis Ge-
deon ille ſignum à Domino popoſcit: Ille etenim iudi-
cium per vellus in area poſitum capere voluit verum in
bello victoriam de inimicis habere potuiſſet. Iſte an-
nulum in profundiſſimum fluminis gurgitem proiiciens
experiri cupit, verum de inimicis iam victoriam ca-

piſſet.

A piſſet. Fortes quidem erant, quos ille deuicerat: ſed hi quos iſte ſuperauerat, fortiores. Hæc ego non à qualibet mediocri perſona didici, ſed ipſo totius veritatis aſſertore præcelſo rege Karolo referente cognoui; qui de eiuſdem beati Arnulfi deſcendens proſapia, ei in generationis linea trinepos extabat. Nam venerandus iſte vir (vt ad ſuperiora redeam) iuuentutis ſuæ tempore ex legitimi matrimonij copula duos filios procreauit, id eſt, Anſchiſum & Chlodulfum. Cuius Anſchiſi nomen ab Anſchiſe patre Aeneæ, qui à Troia in Italiam olim venerat, creditur eſſe deductum. Nam gens Francorum, ſicut à veteribus eſt traditum, à Troiana proſapia trahit exordium. Cum igitur hos duos, de quibus præmiſimus, venerabilis Arnulfus filios haberet, quoniam erat miſericors, & ad pietatis opera ſemper intentus, vtriſque filiis ſuis cœpit ſuadere, vt ei aſſenſum præberent, quatenus omnes ſuas facultates ad vſus pauperum diſpertiret. Tunc maior filius, id eſt Chlodulfus, ſe hoc poſſe facere, id eſt vt portionem ſibi debitam B patri largiretur, omnimodis denegauit. At vero minor filius, id eſt Anſchiſus, fidens de Chriſti pietate ſibi pluriora condonari, ad omnia quæ pater vellet, ſe libenter obedire promiſit. Agit venerandus pater gratias filio, & prædicit ei, pluriora eundem quam reliquerat, habiturum: inſuper benedixit eum, eiuſdemque cunctam progeniem naſcituram in poſterum. Factumque eſt. Nam & pluriores Anſchiſo quam reliquerat, diuitiæ acceſſerunt, & ita in eo paterna eſt conſtabilita benedictio, vt de eius progenie tam ſtrenui forteſque viri naſcerentur, vt non immerito ad eius proſapiam Francorum tranſlatum ſit regnum.

Et vt hoc agnoſcere poſſis, paucis aduerte docebo. Anſchiſus genuit Pippinum, quo nihil vnquam potuit eſſe audacius. Pippinus genuit Karolum, viris omnino fortiſſimis conferendum: qui inter cætera & magna bella quæ geſſit, ita præcipuè Sarracenos detriuit, vt vſque hodie gens illa truculenta & perfida Francorum arma formidet. Hic itaque genuit Pippinum, ſapientia nihilominus & C fortitudine ſatis clarum, qui inter reliqua quæ patrauit, VVaſcones iamdudum Francorum ditioni rebelles cum VVaifario ſuo principe facilitate mira debellauit & ſubdidit. Huius itaque filius magnus Rex Karolus extitit, qui Francorum regnum ſicut nunquam ante fuerat, dilatauit. Denique inter plura & miranda quæ geſſit, Langobardorum gentem bis iam à patre deuictam, altero eorum Rege cui Deſiderius nomen erat, capto, alteroque qui dicebatur Adelgiſus, vt cum genitore regnante ſuo Conſtantinopolim pulſo, vniuerſam ſine graui prælio ſuæ ſubdidit ditioni. Et quod raro fieri adſolet, clementi moderatione victoriam temperauit. Romanos præterea, ipſamque vrbem Romuleam, iampridem eius præſentiam deſiderantem, quæ aliquando Mundi totius domina fuerat, & tunc à Langobardis depreſſa gemebat, duris anguſtiis eximens ſuis addidit ſceptris: cunctaque nihilominus Italia miti dominatione potitus eſt. De quo viro neſcias verum virtutem in eo bellicam, an ſapientiæ claritatem, D omniumque liberalium artium magis admireris peritiam.

Hic ex Hildegard coniuge quatuor filios & quinque filias procreauit. Habuit tamen ante legale connubium ex Himiltrude nobili puella filium nomine Pippinum. Natorum ſanè eius, quos ei Hildegard peperit, ita ſunt nomina. Primus dictus eſt Karolus, ſcilicet patris ac proaui vocabulo nuncupatus. Secundus item Pippinus fratri, atque auo æquiuocus. Tertius Lodobich, qui cum HLothario (qui biennis occubuit) vno partu eſt genitus. Ex quibus iam, Deo fauente, minor Pippinus regnum Italiæ, Lodobich Aquitaniæ tenent.

Mortua autem Hildegard, Rex excellentiſſimus Karolus Faſtradam duxit vxorem: quæ Hildegard apud vrbem Metenſem in beati Arnulfi oratorio requieſcit. Pro eo denique quod a beato Arnulfo iam fati Reges originem deducerent, ſuorum ibi carorum defuncta corpora poſuere. Nam ibi humatæ ſunt duæ regis Pippini filiæ, quarum vna Rodhait, altera Adelaid appellata eſt. Ibi quoque & iunioris Regis Karoli duæ nihilominus tumu- E latæ ſunt natæ, ſcilicet Abelaid & Hildegard. Quæ Hildegard materno nuncupata nomine matrem morientem citius ſubſecuta eſt. Quarum omnium Epitaphia à nobis iuſſu glorioſi Regis Caroli compoſita, vt de eis liquido lectori ſatisfaceret, ſubter annotare curaui. *

[* *Hæc in mſ. noſtro non extabant.*

Sed his quæ prætereunda non erant, breuiter prælibatis, ad narrationis tramitem reuertamur. Poſt beatiſſimum denique Arnulfum Metenſi Eccleſiæ Goëricus triceſimus, qui & Abbo vocitatus eſt, præfuit.

Deinde Godo primus atque triceſimus Epiſcopalis officij curam geſſit.

Quo de mundo excedente Chlodulfus, cuius ſupra mentionem fecimus, beati patris Arnulfi genitalis filius, Anſchiſi quoque à quo ſemen propagatum eſt regium germanus ad Epiſcopale culmen ob paternæ ſanctitatis gloriam triceſimus atque ſecundus aſcendit. De quo nihil ad nos amplius, præter quod à tali radice exortus eſt, fa- F ma perduxit.

Quo decedente fidelem populum moderaturus tertius atque triceſimus Abbo aſcitus eſt.

Poſt quem Aptatus.

Deinde Felix gregi feliciter dominico paſtores extiterunt.

Dehinc Sigibaldus generoſis ortus natalibus religioſo cœtui antiſtes effectus claruit per omnia vtilitatibus Eccleſiæ deditus, ſacrorum quoque culminum ſolertiſſimus reſtitutor. Hic de animarum ſtatu ſollicitus duo monaſteria condidit: è quibus vnum Hilariacum vel etiam Noua cella dicitur, alterum quoque Noua villa vocitatur. Hunc dirus podagræ dolor vehementer afflixit: ſed ille in æternis gaudiis mentem figens, dolores corporeos patientiſſimè tolerauit.

Iam hinc vir egregius & omnibus præconiis efferendus Chrodegangus antiſtes eligitur, ex pago Haſbanienſi oriundus, patre Sigramno, matre Landrada Francorum G ex genere primæ nobilitatis progenitus. Hinc in palatio maioris Karoli ab ipſo enutritus, eiuſdemque referendarius extitit. Ac demum Pippini Regis temporibus pontificale decus promeruit. Fuit autem omnino clariſſimus, omnique nobilitate coruſcus, forma decorus, eloquio facundiſſimus, tam patrio quam etiam Latino ſermone imbutus, ſeruorum Dei nutritor, orfanorum viduarumque non ſolum altor, ſed & clementiſſimus tutor. Cumque eſſet in omnibus locuples, à Pippino Rege omnique Francorum cœtu ſingulariter electus Romam directus eſt: Stephanumque venerabilem Papam, vt cunctorum vota anhelabant ad Gallias euocauit. Hic clerum adunauit, & ad inſtar cœnobij intra clauſtrorum ſepta conuerſari fecit, normamque eis inſtituit, qualiter in Eccleſia militare deberent: quibus annonas vitæque ſubſidia ſufficienter largitus eſt, vt perituris vacare negotiis non indigentes diuinis ſolummodo officiis excubarent. Ipſumque clerum abundanter lege diuina Romanaque imbutum cantilena morem atque ordinem Romanæ Eccleſiæ ſeruare præcepit, quod vſque ad id tempus in Metenſi Ec- H cleſia factum minimè fuit. Hic fabricare iuſſit, vna cum adiutorio Pippini Regis ſedem ſancti Stephani Protomartyris & altare ipſius atque cancellos, presbyterium, arcuſque per gyrum. Similiter & in Eccleſia B. Petri maiore presbyterium fieri iuſſit. Conſtruxit etiam ambonem auro argentoque decoratum, & arcus per gyrum throni ante ipſum altare. Ædificauit præterea monaſterium in parochia B. Stephani in pago Moſellenſi in honore beatiſſimi Petri Apoſtoli, & ditauit illud opibus magnis, Monachoſque ibi conſtituit, atque ſub regula ſancti patris Benedicti in vna charitate coniunxit. Conſtruxit etiam alterum monaſterium, quod Gorzia vocitatur, vbi pari modo non modicam multitudinem adunauit monachorum. Expetiit denique à Paulo Romano Pontifice tria corpora ſanctorum martyrum, id eſt, beati Gorgonij, quod in Gorzia requieſcit, & beati Naboris quod in Hilariaco monaſterio conditum eſt, beati Nazarij, quod vltra fluuium Rhenum in monaſterio quod vocatur Loriſam, ædificata in honorem ipſius martyris miri decoris baſilica collocauit.

A

Hoc ſiquidem prædium Chilliſnindis quondam religioſa fœmina & Cancro eius filius eidem Chrodegango antiſtiti ad partem B. Stephani tradiderant. Fuit ſiquidem beatus iſte vir in eleemoſynis largus, in charitate puriſſimus, ſuſceptor hoſpitum atque peregrinorum. Sed quoniam longum eſt bona quæ geſſit, ex ordine retexere, ſatis ſit hæc pauca prælibaſſe de plurimis. Hic conſecrauit Epiſcopos quam plurimos per diuerſas ciuitates, Presbyteros nihilominus ac Diaconos cæteroſque Eccleſiaſticos ordines, ſicut moris eſt Romanæ Eccleſiæ, in diebus Sabbatorum quaternis temporibus anni. Rexit Eccleſiam Metenſem annis viginti tribus, menſibus v. diebus v. Obiit pridie nonas Martias in diebus Pippini Regis: requieſcit in Gorzia monaſterio, quod ipſe à fundamentis extruxit.

Hic fuit abbas Senonenſis, poſt Cancellarius

Hic iam pater ſanctiſſime Angilramme, † narrationis ſerie veſtram Beatitudinem locus expectat: Sed ego meæ tenuitatis non immemor, attentare minus idoneè non audeo quæ de veſtræ vitæ curſu laudabili maiori ſtylo promenda ſunt.

B

Imp. domũ Epiſcopus Metenſis.

In eodem Codice ſequebantur

Nomina Pontificum Metenſis ſedis, & actus:

Hoc obitus ſeriem codice ſcripta lege.

Clemens Epiſcopus ſedit annis XXV. & menſ. IV. Obiit IX. Kal. Decemb.

Cæleſtis Epiſc. ſedit ann. XV. Obiit prid. Id. Octob.

Felix Epiſc. ſedit ann. XLII. & menſes VI. Obiit IX. Kal. Mart.

Patiens Epiſc. ſedit ann. XIV. Obiit VI. Id. Ian.

Victor Epiſc. ſedit ann. IX. Obiit X. Kal. Octob.

Victor Epiſc. ſedit ann. III. & menſes II.

Simeon Epiſc. ſedit ann. XXX. Obiit XIV. Kal. Mart.

Sambatius Epiſc. ſedit ann. XVIII. Obiit XVIII. Kal. Octob.

Rufus Epiſc. ſedit ann. XXVIII. Obiit VII. Id. Nouemb.

Adelfus Epiſc. ſedit ann. XVII. Obiit IV. Kal. Septemb.

Firminus Epiſc. ſedit ann. XLV. Obiit XV. Septemb.

Legontius Epiſc. ſedit ann. XXIV. & menſes VI. Obiit XII. Kal. Mart.

C

Auctor Epiſc. ſedit ann. XXIX. Obiit IV. Id. Aug.

Æpletius Epiſc. ſedit ann. XVI. Obiit III. Kal. Aug.

Vrbitius Archiepiſc. ſedit ann. XLIX. Obiit VIII. Id. April.

Bonolus Epiſc. ſedit ann. III. menſes VI. Obiit VII. Id. Octob.

Terentius Epiſc. ſedit ann. XX. Obiit IV. Kal. Nou.

Conſolinus Epiſc. ſedit ann. XVIII. Obiit II. Kal. Aug.

Romanus Epiſc. ſedit ann. XXXVI. Obiit Id. April.

Fronimus Epiſc. ſedit ann. VIII. Obiit VI. Kal. Aug.

Cromatius Epiſc. ſedit ann. XXV. Obiit VII. Kal. Maij.

Agathander Epiſc. ſedit ann. XII. & menſ. VI. Obiit IV. Id. Maij.

Sperus Epiſc. ſedit ann. XVII. Obiit X. Kal. Sept.

Villicus Epiſc. ſedit ann. XXV. & menſ. II. Obiit XV. Kal. Maij.

Petrus Epiſc. ſedit ann. X. Obiit V. Kal. Octob.

Haigulfus Epiſc. ſedit ann. VII. Obiit X. Kal. Decemb.

D

Arnoaldus Epiſc. ſedit ann. XXVII. & dies XXX. Obiit XI. Kal. Decemb.

Arnulphus Epiſc. ſedit ann. XV. & dies X. Obiit XVII. Kal. Sept.

Gothericus ſiue Abbo Epiſc. ſedit ann. XVIII. Obiit XIII. Kal. Octob.

Godo Epiſc. ſedit ann. X. & menſ. II. Obiit VIII. Id. Maij.

Chlodulphus Epiſc. ſedit ann. XL. & dies XXV. Obiit VIII. Id. Maij.

Abbo Epiſc. ſedit ann. X. & menſ. I. & dies XXVI. Obiit XVII. Kal. Maij.

Aptatus Epiſc. ſedit ann. VII. & menſ. II. Obiit XII. Kal. Febr.

Felix Epiſc. menſ. IX. Obiit XI. Kal. Ian.

Sigibaldus Epiſc. ſedit ann. XXV. Obiit VII. Kalend. Nouemb.

Chrodegangus Archiepiſc. ſedit ann. XXIII. menſ. V. dieſque V. Obiit prid. non. Mart.

E

Anghilrammus Archiepiſc. ſedit ann. XXIII. dieſque XXVIII. Obiit VII. Kal. Nouemb.

Gundulfus Epiſc. ſedit ann. VI. menſ. VIII. Obiit VII. Id. Septemb.

Drogo Archiepiſc. ſedit ann. XXIV. menſes V. dies VII. Obiit VI. Id. Decemb.

Aduentius Epiſc. ſedit ann. XVII. dies XXV. Obiit II. Kal. Septemb.

Vnala Archiepiſc. ſedit ann. VI. dies V. Obiit III. Id. April.

Eiuſdem P. Diaconi ſupplementum Langobardicorum, è Mſ. Palatino optimæ notæ.

F

CVſtodiens † igitur Hildeprandus, quem præfatus Rex conſortem regni fecerat, hunc ipſi qui ei ſub iureiurando fidem dederant, à regno pellentes, Ratchiſum qui Dux fuerat, ſibi Langobardi elegerunt in Regem igitur in proceſſu temporis cum per plura Romanorum oppida deuaſtando decurreret, Peruſinam ciuitatem circumdans fortiter expugnabat, atque ſanctiſſimus Zacharias Papa ſpe diuina fretus, ad eandem ciuitatem perrexit, impenſiſque eidem Regi plurimis muneribus, opitulante Domino ab oppreſſione ipſius ciuitatis eum amouit. Quem & ſalurifere prædicans Deo auctore valuit animum eius ſpiritali ſtudio inclinare. † Poſt aliquantos vero dies iſdem Rathis Rex relinquens regalem dignitatem deuotè cum vxore & filiis ad beati Petri principis Apoſtolorum limina venit, acceptaque à præfato ſanctiſſimo Papa oratione, clericuſque effectus, cum vxore & filiis monachico indutus eſt habitu.

Hic deſinunt editiones vulgares, & plerique etiã mſ. codd. i. humiliare.

Poſt hunc vero Langobardi germanum eius Aiſtulfum ad regni gubernacula leuauerunt. Is dum quaſdam ciuitates ad iura Beati Petri pertinentes, quas ipſe inuaſerat, reddere noluiſſet, ad hunc Stephanus Papa, vna cum Imperialibus & Francorum miſſis, Papiam per ſe veniens, nullis ab eo precibus vt iuri Romanæ Eccleſiæ redderentur, valuit obtinere. Hinc cum ad Gallias perueniſſet, à Pippino Francorum rege, & eius filiis Carolo & Carlomanno, vtpote vicarius B. Petri Apoſtoli honorificè eſt ſuſceptus. Qui præfatus Rex iterum ad eundum Aiſtulfum ſuos miſſos dirigens, qui & ipſi nihil impetrantes ad ſuum dominum ſunt reuerſi: ac per hoc cum validiſſima Francorum manu ad Italiam ſuper eum veniens, in Papia per aliquot dies clauſum obſedit. Et tunc quod ſponte reddere noluit inuitus dimiſit.

G

Pippinus vero ad Gallias eſt reuerſus: & Aiſtulfus poſt aliquot annorum curricula, dum in quodam loco venandi † operam daret, diuino ictu percuſſus interiit.

f. venatui.

Tunc Deſiderius quidam Dux Langobardorum, qui ab eodem Aiſtulfo Tuſciæ in partes erat directus audiens præfatum obiiſſe Aiſtulfum, illico aggregans ipſius Tuſciæ vniuerſam exercitus multitudinem, regni Langobardorum arripere niſus eſt faſtigium. Huius perſonam deſpectui habens Ratchis, dudum Rex & poſtmodum Monachus germanus præfati Aiſtulfi, ſed & alij plures Langobardorum optimates eundem Deſiderium ſpernentes, plura trans Alpium vel cætera Langobardorum exercituum multitudinem congregantes, ad dimicandum contra eum profecti ſunt. Interea dum vniuerſorum conſenſu Deſiderij regnum firmatum eſt, Ratchis palatium gubernabat. Tunc ſuffragante Papa Stefano ita omnipotens Deus diſpoſuit, vt ſine vlla animarum periclitatione ante fatus Deſiderius per iam dictæ quo angelicæ curſum, † eandem quam ambiebat regalem adſumeret dignitatem.

Deſiderius xxiij. Rex, & vltimus.

H

Legi iam dicti codicis conſenſu.

Hic vero confirmato regno cum iam per annos plures regnaſſet, imitator factus Aiſtulfi, abſtulit ciuitatem Fauentinam, & ducatum Ferrariæ, ſeu Comachium, † de exarchato Rauénate. Ad quem Adrianus Papa ſæpius ſuos miſſos direxit, & obſecratorias literas miſit, deprecans eum vt à tantis malis reſipiſceret, & eas quas abſtulerat, ad ſedem Apoſtolicam redderet ciuitates. Sed nequa-

f. comitatum.

quam

A quam eius cor lapideum potuit emolliri. Et dum in magna anguſtia ac tribulatione conſiſteret, neceſſitate compulſus direxit ſuos miſſos marino itinere cum Apoſtolicis litteris ad Carolum regem Francorum deprecans eius excellentiam, vt ſicut genitor eius, ita & ipſe ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubueniret. Quod confeſtim idem mitiſſimus Karolus Francorum rex direxit eidem Deſiderio ſuos miſſos, deprecans vt eaſdem B. Petro Apoſtolo, quas abſtulerat, pacificè redderet ciuitates, promittens inſuper ei dare quatuordecim millia ſolidorum. Sed neque deprecationibus, neque muneribus, eius ferociſſimum cor flectere valuit: ſed magis cum omni apparatu Langobardorum ad reſiſtendum ei armatus occurrit. At vero Carolus cum alpes tranſiens Italiam ingredi cœpiſſet, Langobardi cum Rege ſuo dimiſſis propriis tentoriis, fugã omnes generaliter, nemine eos perſequẽte arripiunt. Ipſe vero Deſiderius velociori curſu fugiens Papiã, ſe muniens clauſit. Quem Carolus perſecutus, eandem ciuitatem ex omni parte circumdans vallauit poſitiſque cuſtodibus ad

B perſequendum Adelgiſum Deſiderij filium Veronam venit: qui tanti Regis aduentum metuens, poſt aliquos dies clam fugiens, in portu Piſano nauale iter arripiens, Conſtantinopolim non reuerſurus migrauit. Carolus igitur Papiam reuerſus, cum iam per vi. menſium ſpatia ibidem moraretur, relicta ibi exercitus multitudine, ipſe magnum habens deſiderium orationis, voto Romam ad limina beati Petri Apoſtoli deuotiſſimus venit, reuerſuſque Papiam, ipſamque obſidens, fortiterque debellans, eandem ciuitatem ſimulque & Deſiderium Langobardorum regem, atque cunctos qui cum eo erant, comprehendit, ſuæque poteſtati ſubiugauit, dominans Italiam, anno Dominicæ Incarnationis DCCLXXIII. præfatum vero Deſiderium & eius coniugem ad Franciam miſit. Finitumque eſt regnum Langobardorum, quod manſit per annos CCVI. poſtquam ipſi Italiam intrauerunt.

C *Hucuſque Diaconus filum hiſtoriæ ſuæ deduxiſſe videtur. Quæ ſequebantur incogniti continuatoris, ſtudio omiſimus.*

MARCI EPISCOPI IDRVNTIS,
In Magno Sabbato Hymnus.

Acroſtichis Græca [illegible].

Et hodie autem.

VNDA maris contegente olim perſecutorem Tyrannum ſub terra contexerunt ſeruatorum filij, ſed nos veluti iuuenculæ domino canamus glorioſe enim glorificatus eſt.

Domine Deus meus funebrem hymnum & ſepulchralem cantum tibi canam. Sepultura tua mihi ingreſſus ad

D aperienti & morte mortem, & infernum mortificatori. Superius te in ſede, & inferius in ſepulchro ſuper mundana, & ſub terrena intelligentia ſaluator meus vibrabantur mortificatione tua ſupra mentem, viſus es enim mortuus vitæ author.

Vt tua gloria omnia repleas deſcendiſti in ima terræ, abs te enim non abſconſa eſt ſubſiſtentia mea in Adam, & ſepultus corruptum me nouificas humanæ.

Te qui in aquis ſuſpendiſti omnem terram incontentibiliter creatio conſpicata in Caluaria ſuſpenſum ſtupide continebatur, non eſt ſanctus præter te Domine clamans.

Signa ſepulturæ tuæ oſtendiſti viſus multiplicans, nunc autem ſecreta tua diuinitus manifeſtaſti & his qui in inferno ſunt domine non eſt ſanctus præter te Domine clamante.

Explicaſti palmas & vniſti quæ prius diuiſa erant, correptione autem ſaluator in ſindone & monumento, deuinctos ſoluiſti, non eſt ſanctus præter te Domine clamantus. E

Monumento & ſigillis non capiendus, contentus es voluntate, etenim vim tuam actionibus notificaſti diuinificè cantantibus, non eſt ſanctus præter te domine humane.

In Cruce tuam diuinam euacuationem præuidens Abbacum, ſtupidus clamabat, tu potentum ſcidiſti potentiam bone, verſatus his qui in inferno ſunt, tanquam omnipotens.

Septimam hodie ſanctificaſti, quam benedixiſti prius ceſſatione operum, profers enim vniuerſa & nouificas, ſabbatiſſans, ſaluator meus & recuperans.

Fortitudine præſtantioris deuincente te à carne anima tua diuiſa eſt, lacerant enim ambo vincula mortis & inferni verbum fortitudine tua.

Infernus verbum occurrens tibi, amarus factus eſt mortalem videns deificatum, maculoſum vibicibus, & omnipotentificem horribili formæ autem diſcordauit. F

Deiparentia tua Chriſte erga nos compatientem facta, Eſaias lumine viſo ſine veſpero, de nocte vigilans clamauit, reſurgent mortui, & ſuſcitabuntur qui in ſepulchris ſunt, & omnes in terra exultabunt.

Nouificas terrigenas, creator puluereus exiſtens, & ſindon & ſepulchrum ſuboſtendunt coexiſtens tibi verbum myſterium, decorus enim conſultor te gignentis conſilium vaticinatur in te magnifice, nouificantis me.

Per mortem, mortale per ſepulchrum, corruptibile tranſmutas, incorruptibile facis enim diuidecentiſſimè, immortalificans aſſumptum, caro enim tua corruptionem non nouit Domine neque anima tua in inferno mirabiliter relicta eſt.

Ex incorrupta profectus, & vulnerans coſtam creator meus, ex ipſa effeciſti reformationem Euæ Adam factus, ſopitus admirabiliter ſomno viuificante, & vitam ſuſcitans è ſomno & corruptione tanquam omnipotens.

ANASTASII ABBATIS, G
Liber contra Iudæos,

INTERPRETE FRANCISCO Turriano, ſocietatis IESV.

Ex Henrico Caniſio tom. 3. Antiq. Lectionis.

HABEMVS hunc à R. P. Antonio Poſſeuino: ſed initio & fine vt apparet, mutilum. Latinum fecit olim Græcarum litterarum ſcientiſſimus Franciſcus Turrianus. Collector Bibliothecæ SS. Patrum notat Anaſtaſium duos libros contra Iudæos ſcripſiſſe.

Hunc tamen librum non eſſe Anaſtaſij Sinaitæ, ſed alterius ex ipſo libro ſatis perſpicuè colligitur. De ſua enim ætate loquens dicit, oracula Chriſti ante 800. annos prædicta compleri & perfici. Alibi ait: octingenteſimum, & eo H *amplius annum agi, ex quo Iudæos diſperſit Deus, & Titum atque Veſpaſianum ad vaſtandam vrbem vocauit. Ex quo conſicitur fieri non poſſe, vt celeberrimus ille Anaſtaſius Sinaites ſit Auctor huius libri, vt nec eiuſdem nominis ſucceſſor illius: cum prior ille ex hac vita deceſſerit anno Chriſti 599. Poſterior autem a Iudæis ſub Phoca Imperatore crudeliſſime peremptus ſit anno Chriſti 609. Accedit, quod Anaſtaſius iſte non ſemel deploret captiuitatem Chriſtianorum, quæ querela conuenit in illa tempora, cum Arabes Mahometani in Orientem effuſi, totum ferme ditionis ſuæ fecerunt. Huc enim ſpectant, cum alia, tum iſta Anaſtaſij:* Propterea nos Chriſtiani iam plurimis annis captiui, & multis calamitatibus afflicti, Deum non negamus. *Nec obſtat quod alicubi Anaſtaſius iſte, loquens de templo Ieroſolymitano; permiſſu Iuliani Apoſtatæ a Iudæis inſtaurando, ſignificare videtur, ad viginti duntaxat annos ante ſuam ætatem*

A *tem accediſſe. Nam verba illa non ſunt Anaſtaſij de ſaeque ano ſententiam explicantis : ſed S. Chryſoſtomi, lib. 2. contra Iudaeos non procul à fine. Quis igitur iſte Anaſtaſius? Quid ſi ſit Anaſtaſius Abbas Monaſterij S. Euthymij in Paleſtina, de quo Damaſcenus initio libelli de Triſagio: quem ab eloquentia & eruditione laudat, cuius meminit Baronius ex Damaſceno, anno Chriſti 749. qui de Triſagio non ſincere ſentire viſus, Damaſceno opuſculi de hoc hymno ſcribendi occaſionem prebuit. Nec eſt, quod aliquem nonnulla temporis diſtantia terreat: que non adeo magna. Fieri enim poteſt, vt nec ipſe Anaſtaſius, nec Annalium ſcriptor Chronologiam acu attigerit: ſed* [illegible]*, & vt Ariſtoteles loqui ſolet,* [illegible]*. Plura de Anaſtaſio non ſuppetunt. De libro eius nihil addo. Guſtato, & emes. Nam veteri verbo, guſtus incitat emptorem: eſt tamen cum deſierres. Sed nihil periculi hic ab iſto periculo.*

B *Initium deeſt, in ms.*

Regnum, quod Deus promiſit ſe daturum Chriſto propter nos facto homini, regnum Chriſtianorum eſt, quod tradidit Imperatoribus Chriſtianis, cum quibus Chriſtus regnat, quo regno nullum aliud eſt ſplendidius, neque diuturnius vnquam fuit. Regnum enim Iſraelitarum non durauit mille annis, tot alioqui miraculis illuſtre ab exitu ex Ægypto vſque ad Titum ac Veſpaſianum. Item Babyloniorum & Medorum & Perſarum regnum conſumptum occupatumque eſt à barbaris Turcis. Similiter regnum Macedonum ſublatum eſt de medio. Imperium Romanorum, id eſt, Chriſtianorum, vtpote, in quo Dominus Chriſtus ſimul regnat, vſque ad conſummationem ſeculi non præteribit, quin potius, vt Rex regum & Dominus dominantium, hoc regno reget populum ſuum vſque ad ſecundum aduentum, cuiuſmodi ſecundus aduentus non erit reliquus alteri populo: tunc hoc regnum tanquam pater futuri ſeculi ſolus obtinebit, quando omnes reſurgemus, ſicut ſcriptum eſt: Surgent mortui, & excitabuntur à monumentis & ſiſtentur ante tribunal Iudicis incorrupti, quando inimicos ſuos, qui noluerant eum regnare, neque credere ei, diſſipabit & puniet, & regnabunt cum eo quicumque crediderunt ei, & præcepta eius recte ſeruarunt, ſicut ait Salomon in Prouerbiis: & regnabit in eis Dominus in ſeculum, & ecce cum nubibus cœli veniebat, & vſque ad antiquum dierum peruenit, & ipſi adhibitus eſt honor, & regnum & omnes tribus ſeruient ei, regnum eius regnum perpetuum, & poteſtas eius in generationes & generationes, quod non præteribit.

C Eſai. 9. Rom. 14. 1. Cor. 15. Sap. 3. Dan. 7.

Sed fortaſſe dicat Iudæus, nondum veniſſe Chriſtum, ſed extremis temporibus venturum. Sed quid quæſo facturus, cum iam erunt tempora ſublata? Si reſpondeat Iudæus, quod inſtauraturus ſit gentem Iudaicam, quæ ratio eſt, aut quod conſilium, quæ ipſius iuſſu & authoritate deleta ſunt, ea reſtituere ac renouare? nuſquam enim dictum eſt, poſt interitum mundi, fore aliam Iudæorum conſtitutionem huiuſmodi, ac fabricationem, hoc verò Propheta dicit: *Mittam vobis Eliam Theſbiten, priuſquam veniat dies Domini magnus,* * *non veniens affligam vniuerſam terram.* Si quem expectatis Chriſtum, * Elias eſt, qui non ad inſtaurandum, ſed ad affligendum & percutiendum venturus eſt, quemadmodum non Chriſtus, ſed Elias dicitur, neque in Bethlehem naſcitur, vt Propheta de Chriſti ortu prædixit, ſed Theſbis?

Malach. 4. *Hinc patet cur S. Greg. l. 2. ep. 17. Naſſaté Iudæum puniri iuſſerit* D *quod Elia altare euerterit. Chriſtianos ad cultum Elia inuitando* [illegible Greek]

Præterea, qui dixit *mittam, &c.* ſane alius eſt ab eo qui mittitur: quod autem dixit, *non veniens percutiam terram totam*, nempe per Eliam facturum ſe hoc teſtatur, quo perfecto hanc mundi conſtitutionem ſoluet, & interitum ac conſummationem adducet; quorſum ergo naſceretur poſtea Chriſtus ad cuius vtilitatem aut voluptatem? Quod autem alius ſit Chriſtus, alius Elias, perſpici poteſt ex interpretatione Danielis regi Babyloniorum facta de lapide, qui factus eſt ingens mons; *In diebus illis* (*inquit*) *regum illorum ſuſcitabit Deus regnum, quod in ſæculum non interibit, & ipſum ſuſcitabitur in ſæcula*; & quod vidit rex ex monte lapidem abſque manibus ſciſſum qui perfregit imaginem, & factus eſt lapis mons ingens & repleuit terram; quatuor regna dicit, Babyloniorum, Medorum, Macedonum id eſt, Græcorum, quartum regnum audax, & fortiſſimum, quod Daniel vocauit ab interitu & ſucceſſione liberum & alienum, [illegible Greek]. Chriſti regnum eſt, quod tribus illis ſubſtitutum.

E

Si vero dixerit Iudæus, regnum illud ferreum, Auguſti regnum fuiſſe, quæro, quid confecit aut domuit Auguſti regnum, aut aliorum regum, qui victi fuerunt? tametſi enim Romani Iudæos, aliaſque gentes vicerunt ac deleuerunt, tamen iidem rurſus victi ſunt, eorumque imperium & principatus ſublatus eſt. At regnum Chriſti nullum interitum vnquam capiet, neque deſinet eſſe illud enim [illegible Greek] apud Danielem inuictum remanet, indomitum, nullumque habens ſucceſſorem, quod quidem eſt nomen & regnum Chriſti, & fides noſtra in eum.

Notandū ſicut regnum Babyloniorum & Medorū ac Macedonū accipiendū eſt regnū ſucceſſorū in Babylonis, Medis & Macedo- F *nibus ſic regnum Romanorum. Vnde pro regno Chriſtianorū, quod Romani ſucceſſio accipiendum eſt, quaſi vnū idemque ſit, vnde quod Daniel de regno quarto Romanorū dicit.*

Quod gentiles & reges atque imperatores fidem noſtram id eſt, Chriſtianorum oppugnarunt? quam tamen extinguere non potuerunt, quin potius illi interierunt; hæc vero quotidie magis ſplendet ac dilatatur. Itaque ſi velit Iudæus limate atque ſubtiliter intelligere illud Prophetæ tempus, cum ait; *in diebus illis ſuſcitabit Deus regnum*, accipiat neceſſe eſt dictum hoc de regno inter illa quatuor oſtenſa, non enim deinceps poſtea reperietur, Vt enim maiores veſtros, ô Iudæi expectantes iam præteritum tempus feſellit, ſic vobis eueniret, quare ſi creditis Chriſtum eſſe, hinc quærite, id eſt, ab hoc regno: poſt illud enim non reperietis. Ex his igitur conſtat, quod Propheta dixit; *Dominus dixit ad me. filius meus es tu, ego hodie genui te, poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam,* & quæ ſequuntur de œconomia, & humanitatis filij Dei myſterio dicta eſſe, quæ ad effectum perducta ſunt, & hoc Veritas ipſa atque Prophetæ teſtantur.

Nunc autem oſtendam, Chriſtum hunc, ante mundi fabricationem genitum eſſe, eſſeque Deum, ſed prius quæram à Iudæis, Dauid Rex idemque Propheta quem habuit Dominum? nempe quod omnes confitentur, eum qui cœlum terramque fecit, & præter eum neminem alium Dominum, vide ergo, quemadmodum filium Dei Dominum ſuum appellat, cui pater dixit; poſt quam humanitatem ex Maria Virgine ſumpſit, poſt paſſionem ac reſurrectionem & aſcenſum in cœlos, dixit inquam, *ſede à dextris meis, donec ponam, &c.* Dauid enim non aſcendit in cœlum.

G *verius conuenientius in regnum Chriſti, quod eſt idē quartum ratione ſucceſſionis.*

Verum fortaſſe dicet Iudæus, ſedere Chriſtum ad dexteram Dei vſque ad extremum aduentum temporalem per Prophetas promiſſum, tanquam non ante venerit. Sed quemadmodum, quæſo, ſi ita eſt, *ſede* dicitur ſedenti? & quomodo, aut cui inimici & infenſi ei, qui nondum venerat? hoc enim quod dixit, *ſede*, tanquam aſcendenti à terra in cœlum rurſus dixit, quatenus etiam ante ſecundum aduentum ſuper inimicos *ſedet*, ſiue ſunt Iudæi, Chriſti inimici, & ſubter pedes Chriſtianorum, ab eis calcati vſque ad extremum tempus, quando eos conculcatio iuſta manebit, tempus enim quod expectant citiſſime adfuturum, illud erit, quo ipſi vna cum deceptore ſuo in ignem conijcientur.

Dan. 2. Pſalm. 3. Pſal. 109.

Rurſus Dauid in eodem Pſalmo ſuſtinens perſonam patris de filio & verbo Dei ſic ait: *Ex vtero ante luciferum genui te*; quod quidem de Adam non poteſt accipi, qui ſexto die effectus eſt, Lucifer vero quarto. Quid ſi de veſtro [illegible Greek] accipiatis Iudæi, at hunc non dicetis filium Dauid eſſe, qui diu poſt Luciferum natus eſt, reſtat ergo vt Deus de filio ſuo dicat, *ante Luciferum genui te.* Conuenit, quod ait Salomon de hac generatione æterna filij Dei; antequam montes fierent, antequam fontes, &c. & quem genuit Deus; ante mundi effectionem, miſit filium ſuum. Item Dauid, Pſalm. 77. *Deus, inquit, iudicium tuum Regi da, & Iuſtitiam tuam filio regis*, quod quidem non poſſe de Salomone accipi, probat quod paulo poſt ſequitur; *dominabitur à mari vſque ad mare, & ante ſolem permanet nomen eius, & ante lunam in generatione & generationem.* Ecce ergo quemadmodum Dauid & Salomon docent genitum ex patre filium ante mundum effectum, modo autem quo ipſe ſolus nouit.

H Ibid. Prou. 8. Pſal. 77.

Adhæc quæritur à Iudæis, vtrùm hominem tantum dicant ſuum [illegible Greek], velut vnum è numero Prophetarum ſi concedant, vt quidem concedunt, nos enim accu-

ſant,

A ſunt, quaſi plures Deos introducamus; conferamus in medium dicta Prophetarum, & ſi Deum eſſe prædicarunt eum, qui expectabatur adfuturus, profecto qui venit, & à nobis Chriſtianis colitur, cui credimus, is verus Chriſtus eſt, & quem Iudæi expectant, Antichriſtus. Ait
Pſal.117. ergo Propheta; *Benedictus, qui venit in nomine Domini, Deus Dominus & illuxit nobis*, Deum & Dominum appellat, ſiue ergo venerit & apparuerit, ſiue venturus ſit, non iam veſter Chriſtus eſt, ſed noſter, id eſt, Chriſtianorum, ſiquidem vos non Deum ſed hominem ſolum poni-
Eſa.35. Eſa 6. tis. Item Eſaias; non Angelus non legatus, ſed ipſe Dominus veniet & ſaluabit nos. Et illud: Puer natus eſt nobis & datus filius eſt nobis, & vocatur magni conſilij Ang. admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, poteſtatem habens, princeps pacis, &c. At qua ratione homo, vt Iudæi volunt, eſſe poteſt Deus fortis, præpotens, princeps pacis, pater futuri ſæculi? Item Abacum. *Deus a Themam*
† Citat Hieron. *veniet*. † Et Hieremias clamat; Hic eſt Deus noſter, &
B non æſtimabitur alius aduerſus eum. Hic adinuenit omnem viam diſciplinæ & tradidit illam Iacob puero ſuo,
pro Baruc? more Græcis eo facto. & Iſraël dilecto ſuo. Poſthæc in terris viſus eſt, & cum
Baruc 3. hominibus conuerſatus eſt. Et Dauid: Viderunt omnes
Pſal.66. gentes, ſalutare Dei noſtri: & dicite inter gentes, quo-
Pſal.95 niam Dominus regnauit, Dominus, inquam, regnauit
Eſa.59. per fidem. Eſaias: Ab ortu ſolis vſque ad occidentem glo-
Oſeæ 2. rioſum nomen meum in gentibus. Et Oſeas vocabo non populum meum, populum meum, id eſt, gentes, miſericordiam conſecutam, non miſericordiam conſecutam, id eſt, Synagogam Iudæorum.

Gen.49. Item Iacob benedicens filiis, ſic de Chriſto vaticinatus eſt; *Non deficiet princeps de Iuda, neque dux de femoribus eius donec veniat, cui repoſitum eſt*, id eſt Chriſtus & *ipſe eſt expectatio gentium*: prouidebat enim animo cæcitatem Iudæorum, quare fruſtra expectant Iudæi, quem expectant, quem enim Chriſtum gentes expectabant, venit: idcirco defecit princeps ex Iuda & dux. Quod vero, quem Iudæi expectant, impoſtor ſit, non ſolum verba & dicta ſcripturæ ſanctæ, ſed res ipſa teſtatur
G in cuncto orbe. Dixit enim Dominus: *Cœlum & terra*
Matt.24. Luc.21. *tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.*

Videamus, quæ iſta verba ſint, quæ dixit non tranſitura. Dixerat de templo Iudæorum; Amen dico vobis non manebit lapis ſuper lapidem, in ipſo, hoc perductum eſt ad exitum, an non dixit venturos eſſe Romanos, & gentem Iudæorum, & ciuitatem & regnum ſublaturos? quod quidem perfectum eſt à Veſpaſiano & Tito,
Luc.16. præterea dixit: *lex & Propheta vſque ad Ioannem Baptiſtam*, & ceſſabunt: quæro, an non hoc perductum eſt ad effectum? Certe eſt, proferant aliquem poſt Baptiſtæ tempus Prophetam, oſtendant aliquem poſt paſſionem ex Iudæis Prophetam. Vbi regia, vbi Iudices, vbi principes, vbi templum, vbi tabulæ, vbi ſacrificia, vbi altare, quod fecit Moyſes, vbi virga quæ floruit, vbi arca,
Sepieo pis tu ipor- pai @. & manna, vbi illa in templo ... vbi luſtratio ſanctificationis, vbi ignis de cœlo deſcendens, vbi vel vnum habent Prophetam hodie in cuncto orbe? certè habent neminem vt trium puerorum verbis vtar, non eſt in tem-
D pore hoc, princeps aut Propheta; aut dux, & quem ſe-
Dan.3. quantur coram Deo, &c. Quem denique locum habent ex iis, quos Deus dedit illis? Certè nullum, quin potius ex omnibus eiecit eos, nobiſque dedit illos. Si enim montem Sinai dicas, vbi lex data eſt, at illic Chriſtus colitur
NB. hodie, ſi Iordanem, quem tranſiuit olim populus Iſraël, at Chriſto illic baptizato, nobis eſt ſanctus & religioſus. Similiter in Ieruſalem & Sion, Chriſti tormenta & cruciatus adorantur. Item mons Oliueti in honore habetur poſt Chriſti ex eo loco aſcenſum in cœlum, & in Bethlehem, poſt Chriſtum in eo loco ortum, idem ibi, ſicut in cœlo, celebratur ſemper, imo ſi orientis, occidentis, totiuſque mundi partes ac regiones luſtremus, vbique ... licet ... falſamque religionem gentilium atque Iudæorum ſublatam, Chriſtum vero, & quæ ad Chriſtum pertinent, credi, teneri & coli ac confirmari.

Quod ſi Chriſtiani vexamur perſecutionibus, & captiui tenemur, non eſt exprobrandum hoc aut mirandum, illud potius eſt admiratione dignum, quod fides noſtra à tot E
hoſtibus oppugnata non labefactatur, ſed ſtat, imo neque imperium noſtrum ceſſat, neq; Eccleſiæ clauduntur, quin potius inter medias gentes, medioſq; perſecutores Eccleſias tenemus & ædificamus, Cruceſque figimus ac ponimus, & ſacris operamur. Præterea dixit Dominus Chriſtus, *prædicabitur Euangelium in vniuerſo mundo*, an non Matt.24.
perductum eſt ad exitum? Item illud: *& portæ inferi non* Marc. 5.
præualebunt aduerſus Eccleſiam, id eſt, aduerſus fidem noſtram, an hoc falſum extitit? an non extiterunt plurimi hæreſiarchæ, tyranni potentiſſimi, & Reges impij, qui fidem oppugnauerunt, neque tamen potuerunt vincere eam, & extinguere.

Dixit quoque nobis, qui in eum credimus, *eritis odio om-* Matt.10.
nibus hominibus propter nomen meum: an non omnes gentes propter nomen Chriſti nos odio habent & abominantur? Etſi hæc taceant Iudæi, tamen lapides clamabunt: Videmus enim non extitiſſe à ſæculo gentem vllam diutius
ab omnibus oppugnatam, neque tamen vnquam deletam, F
præter gentem Chriſtianorum, quæ non ſuperaſſet, neque emerſiſſet, niſi manus Domini ſeruaſſet, & ſentaret omnes. Eſtque illud admirabile, quod nullus Chriſtianorum Imperator traditus eſt in manus barbarorum, ab iiſque occiſus, cum tamen tam multæ gentes imperium eorum oppugnarent, neque ſolum non potuere Imperatorem tollere, ſed neque imaginem ac ſignum crucis ex omnibus ... Chriſtianorum, quanquam id non pauci Tyranni conati fuerint. Eſt autem hoc maximum argumentum veritatis noſtræ, quam tenemus: ... niſi fidem noſtram inter cæteras omnes elegiſſet, & comprobaſſet, nunquam eam inter medias gentes, velut lupos, ſeruaſſet integram & ſaluam, neque permiſiſſet Deus, vt falſa fides vbique terrarum dominaretur, niſi eſſet ... aduentus in carne Chriſti filij Dei: vnde Euangelium vbique gentium receptum credimuſque eſſe, certiſſimum atque veriſſimum teſtimonium eſt, non eſſe aliam fidem religioſam ſubter cœlum præter noſtram. Quod ſi fides noſtra eſt æterna, in-
uicta, & quæ deleri non poteſt, idem de Chriſtianorum G
imperio affirmandum erit, idque deſignat ſignum Chriſti, quod ex numis deleri nunquam potuit: quemadmodum Iudæi qui crucem Chriſti odio proſequuntur & contu-
meliis, ceciderunt & iacent † quemadmodum crucem ex † *videtur aliqu via deeſſe.*
nummis tollere non poſſunt. Imo vero ſi cruce carent, improbant & reiiciunt, quod teſtatur crucem Chriſti fidemque eius dominari in æternum, quicunque enim illam oppugnarunt, & delere voluerunt, quæſo vbi ſunt? Vbi Diocletianus, vbi Nero, vbi Veſpaſianus, vbi Herodes, vbi Maximianus, & cæteri omnes qui Martyres occiderunt, fidem vero labefactare non valuerunt?

Inter alia præterea quæ Dominus Chriſtus dixit, quæ quotidie impleri videmus, illud eſt etiam quod dixit, *qui non reliquerit patrem & matrem, &c.* nos autem videmus innumerabiles, relictis parentibus & fratribus, cæteriſque
bonis externis mundo renunciantes Chriſtum ſequi. Item H
dixit, *Vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi*, quod Matt.28.
quidem quotidie præſtat non ſinens fidem noſtram euacuari. Quis igitur eſt, qui cernat tam multa ante 800. annos prædicta, eademque quotidie ad exitum perducta, qui non credat, aut qui in eum ſcandalizetur?

Si quærant Iudæi, cur Prophetæ de Chriſto lo- *Secunda*
quentes non ſunt de eo apertè loquuti? Nempe quia cum *quæſtio.*
Chriſtus finem legi & ſacrificiis allaturus eſſet, ſi apertè de his dixiſſent Prophetæ, ſtatim eos Iudæi lapidibus obruiſſent, eorumque libros propheticos combuſſiſſent, ex quo magnum incommodum caperemus. Iamdiu enim Iudæos refellimus dictis Prophetarum pudoreque afficimus. Ait enim Dauid: Inclinauit cœlos & deſcendit. Et Eſaias. Ecce virgo concipiet & pariet filium. Item Propheta: hic eſt Deus noſter, non æſtimabitur alius ad-
uerſus eum, Et paulo poſt: In terris viſus eſt, & cum homi- Pſal.17.
nibus conuerſatus eſt, atque aliter cerni non poterat Deus Eſa. 7.
niſi corpore ſumpto, & Dauid, Dominus regnauit, deco- Baruc.3.
rem indutus eſt.

Adhæc

A Adhæc Moyſes poſtquam vidit gloriam Dei, ita vt
Pſal. 91. non poſſent filij Iſraël intendere in faciem eius reuelatam
Exod. 34. dixit eis. Prophetam ſuſcitabit Dominus Deus ex fratribus
Leuit. 18. veſtris tanquam me, id eſt, quemadmodum facies Moyſis
ſplendore affecta eſt, & quia non poterant ſplendoris vim
ferre filij Iſraël, faciem velauit, atque ita cum illis collo-
quebatur: ſic Chriſtus filius Dei pro veſte habuit tem-
plum corporis, tegens diuinitatem ſuam factus mediator,
Dei & hominum, melior mediator inquam quam Moy-
ſes, excellentior enim eſt Dominus ſeruo. Conciliauit er-
go homines Deo, & Deum hominibus; igitur tanquam
me dixit, tum propter velamentum carnis, tum propter
mediationem; tum quia, qui non audierit Prophetam
illum, peribit de populo anima eius, tum quia ipſe eſt,
qui liberauit Iſraëlem, qui factus eſt homo & cum ho-
Eſa. 35. minibus verſatus, & non alius. Eſaias etiam: non Ange-
lus, non legatus, ſed ipſe Dominus veniet & ſaluabit nos,
& quod crediturae eſſent gentes, Iudæi vero defecturi,
Oſeæ 2. Oſeas ait; & vocabo non populum meum, populum
B meum, nempe populum gentilium in eum credentium.
Pſal. 59. Et Dauid, quia Deus propter gentes erat humanitatem
ſumpturus, dixit: Regnauit Deus ſuper gentes.; at cur
Pſal. 85. non dixit: Regnauit ſuper Iudæos? Quod ſit Deus om-
nium Rex perſpicuum eſt, verum à gentibus non co-
gnoſcebatur, antequam crederent, idque propter idolo-
rum cultum quo tenebantur, in quos dæmones tyran-
nidem exercebant: at per myſterium incarnationis libe-
rauit nos ab idolis, fuſo ſuo ſanguine in cruce, atque ita
regnauit ſuper nos, qui in eum credidimus. Idcirco ait,
omnes gentes quaſcunque feciſti venient, & adorabunt
coram te Domine, nempe, quicunque ad eum per bap-
Pſal. 33. tiſmum accedunt, ſicut idem Propheta dixit: Accedite
ad eum & illuminamini, & facies veſtræ non confun-
Eſa. 1. dentur. Et Eſaias ait: Lauamini & mundi eſtote, & au-
ferte iniquitates veſtras ex cordibus veſtris: & qui ita ac-
cedunt, mercedem fidei accipiunt. nempe ſine cultura
legis per fidem ſaluari; quicumque autem nunc accedere
ad eum noluerint, in altero ſæculo vel inuiti eum cum
C magno pudore, metu & tremore adorabunt, ſicuti Pro-
pheta dixit, Domine excelſum brachium tuum, & non
cognouerunt, id eſt, nunc non crediderunt cum vero co-
gnouerint, reuereantur, id eſt, in futuro ſæculo, quem
nunc non crediderunt Chriſtum eſſe, tunc cogniturі ſunt,
cum abeo æternis ſupplicijs afficientur.

Quod autem ex Sion manifeſtandus erat Chriſtus, quod
Pſal. 86. celſiſſimus eſt, & quod ipſe fundauit Sion, dixit Dauid:
Mater Sion dixit, homo & ipſe natus eſt in ea, & ipſe fun-
dauit eam altiſſimus. Quod eſſet baptizandus in Iordane,
Pſal. 28. & teſtimonium paternum, prædixit idem Dauid. Vox (in-
quit) Domini ſuper aquas, & Deus gloriæ intonuit, Domi-
nus ſuper aquas multas. Quod per baptiſmum erat diabo-
lum eiuſque poteſtatem labefacturus, prædixit etiam cum
Pſal. 73. ait: Contribulaſti capita Draconum in aqua. Item quod in
mari erat, velut in pauimento ambulaturus, quod ſana-
turus morbos multos in populo, quod pro mundo mor-
Iob. 9. tem ſubiturus, hæc omnia prædicta fuerunt ante Iob:
qui extendit cœlum ſolus & ambulauit in mari velut in
Eſai. 35. pauimento, & Eſaias. Oculi cæcorum aperientur, &
D lingua balborum ſoluetur, tunc claudus ſaliet vt ceruus.
Item aduentum Chriſti in Ieruſalem ad patiendum ſeden-
Zach. 9. tis in aſino prædixit Zacharias. Gaude filia Sion, prædi-
ca Ieruſalem. Ecce rex tuus venit iuſtus & ſaluans, ipſe
manſuetus ſedens ſuper ſubiugalem & pullum, præterea
quod laudandus celebranduſque eſſet a pueris infantibus
Pſal. 8. Iudaicis, Deo eos docente, prædixit Dauid. Ex ore in-
Eſa. 53. fantium & lactentium perfeciſti laudem. Item Eſaias,
Languores noſtros tulit, & dolores noſtros ipſe portauit,
& pro nobis doluit. Quod prodendus erat à Iuda vno ex
duodecim prædixit idem Dauid: Quare fremuerunt gen-
Pſal. 2. tes & populi, &c. Congregati enim ſunt in veritate con-
tra filium Dei, qui eſt Chriſtus; Herodes & Pontius Pi-
Pſal. 21. latus cum gentibus & populis Iſraël. Idem de eo: fode-
runt manus meas & pedes meos, & dinumerauerunt, &c.
ecce paſſionem in Cruce; item potionem aceti & fellis
idem Propheta prædixit: dederunt in eſcam meam fel, & in
ſiti mea potauerunt me aceto. An mentiti ſunt Euangeli- E
ſtæ noſtri, qui ſimilia atque Prophetæ dixerunt? quod ſi Pſal. 68.
mentiti ſunt, ſupereſt vt Prophetæ quoque mentiti fue-
rint, qui ſimilia prædixerunt.

Iam de ſepultura Dauid ait: Poſuerunt me in lacu in- Pſal. 87.
feriori, in tenebroſis & vmbra mortis, factus eſt homo
ſine auxilio inter mortuos liber, id eſt, ſine peccato: &
Iob ait; Aperiuntur tibi metu portæ mortis, Ianitores in- Iob. 38.
ferni videntes te timuerunt, id eſt, poteſtates aduerſariæ
dæmonum, quæ apud inferos ſunt. Quod autem in cru-
ce pendens multa corpora ſanctorum ſuſcitauit, idem
Dauid prædixit: qui educit vinctos in fortitudine, ſimi-
liter eos qui exaſperant, qui habitant in ſepulchris;
Item de reſurrectione eius poſt triduum Oſeas ait; quæ- Oſee 6.
ramus Dominum & ſanctificabit nos poſt biduum, &
tertia die reſurgam. Quod anima eius non eſt relicta in
Inferno, neque caro eius corrupta, Dauid teſtatur. Non
derelinques animam meam in inferno, neque dabis ſan- Pſal. 15.
ctum tuum videre corruptionem, &c. quæ quidem non
ſunt accipienda de Dauide, qui poſtquam generationi F
ſuæ ſeruiuit, voluntate Dei mortuus eſt & appoſitus ad
patres, viditque corruptionem. Deus autem in mortuis
poſitus non vidit corruptionem, ipſe enim Deus hu-
manam naturam quam ſumpſit ſuſcitauit. Et alibi: erit Eſai. 11.
requies eius honor, requies id eſt, ſepultura; honor, id
eſt, reſurrectio.

Iamne eſt, qui hæc audiens de Chriſto, non confitea-
tur Deum verum eſſe qui, vt mundum ſaluum faceret
homo factus eſt, qui idola deſtruxit, ſacrificia dæmo-
num ſuſtulit, & aras eorum ſubuertit? Vbi ſunt ſacrifi-
cia Ægypti? vbi vaticinia Memphis? vbi Sebenytus, quæ
Simonem colebat, vbi Naphis, quæ vnum veneraba-
tur, vbi ſolis adoratores, vbi Dianæ templum, vbi Ci-
zyci vaticinia Apollinis? vbique enim Deus colitur,
poſtquam Chriſtus aduenit, & cruci affixus eſt. Quæ
cum ita habeant, tamen non pudet Iudæos appellare nos
idolothytas & idololatras. Verum mirum non eſt, omnis
namque meretrix, mulieri, quæ coniugio libera eſt, no- G
men ſuum imponit, appellatque meretricem, qui cum
non pepercerint Eſaiæ, Hieremiæ, reliquiſque Prophe-
tis atque adeo ipſi Chriſto, quid mirum, ſi neque nobis
parcant? qui ſi ea poteſtate præditi eſſent, qua nos Chri-
ſtiani, neminem profecto noſtrum inter eos viuere ſine-
rent, vt nos eos ſinimus.

Quia vero Iudæi quærere ſolent, cur non aperte
ac nude de Chriſto locuti ſunt Prophetæ, rurſus ab
eis viciſſim quæram ego, quomodo non iidem Pro-
phetæ ipſos Iudæos de Chriſto monuerunt vt caue-
rent, venturum enim eſſe hominem, qui appellare-
tur Ieſus cui crederent, quia impoſtor eſſet? quin
potius nolentes credere in verum Chriſtum, & Deum
quem Prophetæ prænunciarunt, impoſtorem non Chri-
ſtum expectant.

Si quæſierint Iudæi à Chriſtianis, cur cum Deus præ- *Quæſtio Iudæorū. Cur Cruces & ſigna veneremur.*
ceperit non adorare ligna, aut lapides, aut denique ope-
ra hominum, ipſi colamus & adoremus cruces & ima-
gines, reſpondeant ipſi viciſſim; cur librum legis ado-
rant, qui ex coriis pellibuſque immundis conſtat. Cur
etiam Iacob adorauit in ſummitate virgæ Ioſeph? quod H
ſi reſponderint, tametſi librum legis adorent, tamen non
adorare eos naturam pellium, ſed virtutem verborum;
& Iacob adoraſſe non lignum virgæ, ſed ipſum Ioſeph,
qui virgam tenebat: ſic nos igitur Chriſtiani non natu-
ram ligni adoramus, abſit, ſed Chriſtum in eo crucifi- ** Per ſe ſcilicet & abſolute vſque habitudine ad prototypum.*
xum, & quemadmodum ſi Iudæi reperirent nunc tabu-
las duas, & duos cherubinos aureos, quos fecit Moyſes,
item arcam, adorarent quidem ea, venerantes Deum,
qui ea iuſſit fieri, ſic nos cum imagines adoramus, non
veneramur lignum, abſit, ſed Chriſtum honoramus &
ſanctos eius, neque picturas colimus, ſæpe enim ima-
gines vetuſtas aut deletas renouamus, aut etiam cum
putreſcunt & carie conſumptæ ſunt, comburimus,
aliaſque nouas facimus ad memoriam tantum conſer-
uandam.

Sed reſpondeant Iudæi, cur imaginem Nabuchodono- Daniel 3.

A

ſor Babylone adorauerunt, præſertim cum haberent illic Danielem, & alios Prophetas, qui eos docerent. Atqui cum imaginem Christi Chriſtianus adoro non dico, *gloria*

Exod.32

ligno, aut picturæ, ſed, *gloria Deo ſanctorum*. At Iudæi, cum imaginem Nabuchodonoſor adorarunt, dixerunt, gloria Nabuchodonoſor. item cum crucem adoro, non dico *gloria ligni*; at vos Iudæi, cum vitulum adoraſtis, dixiſtis, hi ſunt Dij tui Iſraël, qui eduxerunt te ex Ægypto. propterea nos Chriſtiani iam plurimis annis captiui & multis calamitatibus afflicti Deum non negamus. Quod ſi nonnulli

Deut 32.

negarunt non tot quidem numero, quot Iudæi Babylone Deum negarunt; atque ij quidem neque tormentis neque cruciatibus affecti & ſciſſi, ſed ad verbum ſolum. & niſi tres illi pueri fidem ſeruaſſent, vbi vos ſeruaſtis, qui tot alioqui miracula videratis vbique in Ægypto, in mari rubro, in Eremo, in columna ignis, in nube luminis, in monte Sina? quando vlli Deus tanta ac talia bona contulit? quando ſic cum vllo locutus eſt, cum tot ſignis, cum tubis angelicis legem ferens, manna præbens, Prophetas mittens, gentes ſubiugans, Allophylos delens; tabulas addens, tabernaculum veſtium deſcribens, Moyſen,

B

velut alterum Deum, ſuo loco ponens, vbique præficiens? O cæcitatem & amentiam Iudæorum, ô ſceleratam mentem & peruerſam, ô ingratos animos Iudæorum, conſiderent Iudæi quid de ipſis Iudæis teſtentur Prophetæ, quales ſitis & fuerint tunc, cum Deum colebant Hebræi. Itaque Moyſes ait: generatio peruerſa ſunt, non eſt fides in eis: & rurſus: generatio praua & peruerſa hæc reddit Domino. Item Eſaias, filios genui & exaltaui, ipſi vero

Eſai.1.

improbarunt me & reiecerunt; Bos cognouit poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, Iſraël autem me non cognouit, væ genti peccatrici, populus plenus peccatis.

Ibidem.

Idem rurſus: Audite verbum Domini, domus Sodomorum, attendite legem Dei populus Gomorræ. Vide ergo quemadmodum Iudæos vocat Sodomitas, infideles, idolothytas & ingratos, peruerſam generationem, filios reprehenſione dignos, ſacrificantes dæmoniis & non Deo, derelinquentes Deum, qui fecit illos, qui defecerunt à Deo, qui ſeruauit eos.

Si euoluamus & excutiamus literas ſanctas, non reperiemus de vlla gente talia ac tanta dicta, idque iure & merito, ſiquidem 52. annis fuerunt Hieroſolymis ſacrificantes idolis in templo Dei, qui ſub Manaſſe rege templum & ciuitatem Dei profanarunt, ob quam cauſſam traditi ſunt ſemel & iterum à Deo Babyloniis in ſeruitutem. Inde vero poſt 70. annos reducti ac reuocati. Quæramus ergo ab eis poſt reditum Babylone, ac poſt inſtauratum templum Hieroſolymis, cum iam non idolis, ſed Deo ſacrificarent in eo, quod ita graue peccatum commiſerint

Hinc patet quo tempore vixerit Anaſtaſius.

coram Deo, vt iam octingenteſimus annus & amplius agatur, ex quo illos Deus diſperſit, & Titum atque Veſpaſianum ad vaſtandam vrbem vocauit, qui, vt auctor eſt Ioſephus ſcriptor Iudaicus, centum myriadas Iudæorum Hieroſolymis cæciderunt, templumque incenderunt, & altare, & ſancta & vrbem deleuerunt; agitur que iam, vt ante dixi, octingenteſimus annus vaſtitatis & ſeruitutis ac

D

diſperſionis, ac cum maiores veſtri bis ducti captiui Babylonem, biſque templo vaſtato, item bis ipſi in gratiam cum Deo redierint, templumque illis fuerit ædificatum, quod ita magnum peccatum commiſiſtis, vt non amplius templum vobis Deus inſtaurare voluerit, neque amplius vos ab inimicis & hoſtibus reduxerit? an idolis ſacrificaſtis, vt maiores veſtri, filios & filias? an imaginem, vt illi, adoraſtis? Nequaquam, an idolum poſuiſtis in templo, vt Manaſſes? nequequam, an Prophetas occiſiſtis, nequaquam. Cur igitur derelicti eſtis à Deo? Sane quamuis vos nihil dixeritis, lapides clamabunt, quod ſcilicet, ex quo Chriſtum crucifixiſtis, derelicti eſtis; ob hanc cauſſam hactenus & in perpetuum derelicti, diſperſi, nudi, eiecti è templo & ciuitate Ieruſalem remanebitis.

Maiores itaque veſtri, qui vitulum fabricati ſunt, qui tam multa ſcelera patrarunt, qui imaginem auream coluerunt qui immolarunt filios & filios & filias ſuas dæmoniis, ſeptuaginta annis & centum in Perſicca Babylone ſuppliciis affecti, reuocati ſunt & reducti, vos autem qui

E

Chriſto credere recuſaſtis non ſeptuaginta aut centum annis ſolum ſed vſque ad conſummationem ſæculi repulſi & abiecti eritis. nos contra, gentes, filij Chriſti vocati ſumus, eique ſeruimus, eumque colimus & celebramus cum Patre & Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum, Amen.

Quæramus præterea à Iudæis † ἀλειμμ[illegible] * ſuo, quem expectant. Vtrum Iudæus futurus ſit, legem Moyſis tenens, an Chriſtianus. Quod ſi reſponderint, Iudæum ex Iudæis fore filium Dauid, ſeruatorem legis & ſacrificiorum renouatorem generiſque Iudæorum; dicant, quod fluxerint à captiuitate Iudæorum ſub Nabuchodonoſor. Sane fluxerunt mille anni, & amplius. Quot ſi Chriſtus, quem Iudæi expectant, Iudæus erit, & ſacrificia renouaturus eſt, nondum tamen venit, quomodo Daniel Propheta ait didiciſſe ex Archangelo Gabriele breuiatas eſſe vſque ad Chriſtum ducem 70. Hebdomades annorum in populum & in ciuitatem ſanctam, vt compleretur peccatum. & paulo poſt: vt ſignaretur viſio, & Prophetæ, vt vngerentur ſancta ſanctorum, & tolleretur ſacrificium, & libatio ex lege. Quando ſublatum eſt ſacrificium & libatio? docere, igitur, qualis nam Chriſtus venerit vnctus ſanctus ſanctorum poſt 70. hebdomadas, id eſt poſt 390. annos à Daniele, qui ſacrificium & libationem ſuſtulerit.

*† Quæſtio * Id eſt, vnctio, per quem Meſſiam intelligit vt patet ex demonſtratione Baſilij Seleucienſis contra Iudæos de aduentu Saluatoris.*

F

Baruch. 2.

Quod ſi dicant nondum veniſſe Chriſtum, ſed venturum, oſtendant, quis Chriſtus, & qualis venerit poſt 390. annos à Daniele vnctus ſanctus ſanctorum. at non poterunt alium oſtendere ac proferre, qui hæc fecerit, niſi Chriſtum Dei filium. Rurſus ſi dicant, ſuum, quem expectant, Chriſtum facturum ſacrificia ex lege, mentitus ergo eſt Daniel. Præterea ſi nos in errore ſumus, qui teſtamentum Chriſti tenemus, & Chriſtus veſter, quem expectatis, vetus teſtamentum, Moyſiſque legem renouaturus eſt, vbi quærendum eſt teſtamentum illud, de quo Hieremias dixit; Ecce dies venient & diſponam domui Iſraël teſtamentum nouum, non ſecundum teſtamentum, quod diſpoſui patribus eorum quando eduxi eos ex terra Ægypti: poſt datam enim legem Iudæis dixit Deus per Eſaiam & Micheam: *ex Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem.* Quamobrem cum Chriſtus venit, legem nouam

G

tulit, & veterem impleuit.

Exprobrant nobis Iudæi, quod in homine damnato ſpem collocemus. Sed vter eſt excellentior, homo, an ſerpens æneus, quem Iudæi, ſuſpenſum colunt? Sed audiant, ſuſtulerunt Iudæi in crucem quendam dictum Ieſum Chriſtum, an non? & quam ob cauſſam? Verum quia legem non ſeruabat, & violabat Sabbathum? & de quo Chriſto prædixerunt Prophetæ, venturum extremis temporibus, vendendum eſſe & quanti, item damnandum ad mortem, manus & pedes eius clauis transfigendos, felle & aceto potandum, & latus lancea aperiendum, & cœlum tenebris obſcurandum & non poterunt non eſſe vera, quæ Prophetæ prædixerunt. Hæc ergo quid? in noſtro Chriſto ad exitum perducta ſunt an in veſtro perducenda ſunt; quod ſi in veſtro ſunt perducenda ad effectum, igitur & vos in

H

homine damnato ſpem ponitis. Sin autem hæc completa ſunt in noſtro Chriſto, aſſentimini veritati: quod ſi in neutrum conueniant hæc, ergo Prophetæ mentiti ſunt. Quod ſi conuicti, licet inuiti, confiteamini tamen Chriſtum noſtrum à maioribus veſtris morte affectum eſſe tanquam legis violatorem & ſceleratum, adhibeamus Prophetas & videamus, vtrum talis eſſet. Sane nemo eſt in terris qui ſit à peccato alienus (inquit ſcriptura) & ſordium purus, tametſi vita eius vnius dici ſit, tamen de Chriſto ait Eſaias; tanquam ouis ductus eſt ad cædem, & tanquam agnus coram tondente mutus fuit, propter peccata populi mei ductus eſt ad mortem, & dabo impios pro ſepultura eius,

Eſa. 5[illegible]

& diuites pro morte ſua, eo quod iniquitatem non fecit. Et quia nemo eſt abſque peccato, præter Deum ſolum ſequitur, Deum verum eſſe, quem vos cruci affixiſtis, peccatum enim non fecit, neque inuentus eſt dolus in ore eius.

Sed videamus quid præterea prophetæ dicant de Chriſto noſtro mortem paſſo, vt ſaltem multitudinem Prophetarum vereantur Iudæi. De venditione & pretio 30. argenteorum Zacharias & Hieremias Prophetæ locuti ſunt. Et

Zach. 11

acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quod

Pſ A appretiarunt filij Iſraël, &c. De falſis teſtimoniis prædicitur,
al. 34. Dauid:Surgentes in me teſtes iniqui, quæ ignorabant,in-
Pſal. 37. terrogabant me,retribuerũt mihi mala pro bonis.Et quod
Eſa. 50. ſponte hęc perpeſſurus erat,prædixit idem.Tergum meum
dedi in flagella, & maxillas meas alapis,& faciem meam
non auerti à dedecore & ſputis. De ſpinea corona Hiere-
mias. Spinis inquitatum ſuarum coronarunt. Et quod
principium ſalutis noſtræ, id eſt, crucem in humeris ſuis
Eſa. 9. portauit Eſaias dixit : Puer natus eſt nobis,filius datus eſt
nobis,cuius principatus in humeris eius,id eſt,crux. Item
quod Deus verè erat ante ſæcula Chriſtus , & in medio
Pſal. 73. terræ ſalutem operaturus, Dauid ait. Deus & Rex noſter
Zach. 13. ante ſæcula, operatus eſt ſalutem in medio terræ. De ma-
nibus & pedibus transfixis Zacharias:plagæ eorum in me-
dio manuum mearum, quibus affectus ſum in domo di-
lecti mei. De latere lancea aperto,quod aqua & ſanguine
Zach.12. manauit,Zacharias:Aſpicientes in eum,quem confixerũt.
Et Moyſes delineauit fluxum aquæ ex latere ; percuſſit
enim ille petram,vnde ſtatim manauit aqua ad ſeruandum
B populum ; petra autem erat Chriſtus. Rurſus Moyſes de
Exod.17. cruci affixo,& de perfidia Iudæorum ita ait. Videbitis vi-
1. Cor. 10. tam veſtram pendentem,& non credetis. Item illud;ma-
Deut.28. ledictus,qui pendet in ligno,in figura dictum eſt Chriſto,
Deut.21. qui factus eſt maledictum propter nos,& vt Iudæi confi-
Num.21. debant ſerpenti æreo ſuſpenſo in ligno,eratq; inter cęteras
omnes beſtias maledictus ſerpens cuius imago,quæ certe
non mordebat , afferebat ſalutem iis, quos ſerpens vetus
momorderat ; ſic Chriſtus qui alienus erat à peccato, &
pro peccatoribus ſuſpenſus, vitam mundo præſtitit. Ad
hæc de tenebris illius diei, cum in crucem ſublatus eſt
Chriſtus,& de voce miſſa ab eo, quando emiſit ſpiritum,
Eſai. 13. & de terræ motu Eſaias Propheta loquitur. Sol & luna
obſcurabuntur , & ſtellæ non dabunt ſplendorem ſuum,
Pſal.17. Dominus autem ex Sion clamabit, & mouebitur cœlum
Zach.14. & terra. Et Dauid. Dedit vocem ſuam altiſſimus,& com-
mota eſt terra. Et Zacharias. Veniet Dominus Deus, &
omnes ſancti cum eo, & die illa non erit lumen , & non
erit dies, neque nox , & ad veſperam erit lumen , & dies
C ille notus Domino. Ab hora enim ſexta vſque ad horam
nonam tenebræ fuerunt in vniuerſa terra. Zacharias ergo
crucifixum quoque Deum & Dominum appellauit. Et ſi
hæc dicitis de veſtro Chriſto,quem expectatis,dicta eſſe,
vos quoque in homine crucifigendo, tanquam reo confi-
ditis. At non eſt alius qui prædictus prænuntiatuſque eſt à
Prophetis,quam Dominus noſter Ieſus Chriſtus filius Dei,
qui deſcēdit de cœlis & carnem ſumpſit ex Maria Virgine
idque propter totius mundi ſalutem, ſicuti vaticinati fue-
rant de eo ipſi Prophetæ, quorum nos teſtimonia & præ-
dictiones protulimus,& congeſſimus. De aſcenſione vero
in cœlos,& de ſeſſione ad dexteram patris Zacharias præ-
Ibidem. dixit. In die illa (inquit) ſtabunt pedes Domini in monte
Pſal.17. Oliueti,è regione Ieruſalem ad orientem.Et Dauid:aſcen-
Pſal. 46. dit ſuper Cherubim & volauit,volauit ſuper pennas ven-
Pſal.109. torum Et aſcendit Dominus in voce tubæ.Et illud : Dixit
Epheſ 4. Dominus Domino meo , ſede à dextris meis , &c. quod
aſcendit , quid eſt niſi quod deſcendit prius ?

D Verum producamus alios teſtes præter Prophetas præ-
dictos,qui teſtes aduentum Chriſti in carne ſubſecuti ſunt
ſiquidem vos etiam Iudæi habetis in commentariis ; quæ
dicturi ſumus.Maiores enim veſtri illis temporibus victi,
tamen vt inuicti eſſe viderentur,neque ſe victos eſſe con-
uinci & coargui poſſent, iudicio ſuo , iuſſerunt, vt nemo
Iudæorum, conſcripta haberet Chriſti geſta, neque quæ-
reret aut legeret vllo modo, ne ſtudium & diligentia no-
titiam illis afferret. Verum hoc vobis dicimus, quamuis
pro veſtro more, celare veritatem cogamini. Agite ergo,
nonne audiſtis Magos oraculo diuino commotos à Per
Math.2. ſide olim veniſſe,ſtella duce,cum muneribus,vt adorarent
Chriſtum noſtrum ? Cum quibus veſtri ſacerdotes cum
Herode tunc Rege congreſſi , percunctanteque illo, vbi
Chriſtus naſceretur, reſponderunt : *in Bethlehem ciuitate*
Iuda , ſicuti dicunt Prophetæ ; deinde Herodem inuidia
regni exorientis commotum , tantam puerorum cædem
Matth.3. feciſſe.Deinde Ioannes Baptiſta nonne ex Iudæis oriundus
eſt, ad quem maiores veſtri miſerunt, qui percunctaren-
tur, verum eſſet ipſe Chriſtus qui quidem reſpondit, non E
eſſe, verum indicans Chriſtum, dixit ; Hic eſt agnus Dei Ioan.1.
qui tollit peccata mundi.

Præterea Nicodemus princeps veſtræ gentis,& Natha- *De Simone ſponſo*
nael,atque Ioſeph Arimatheus,& Bizas ac Alexander,qui *vide notas Tur-*
cum eo in nuptiis Simonis Galilæi pranſi ſunt,cum aquam *riani in*
in vinum mutauit tum ſeniores illi,qui à Centurione lega- *c.27. l.8.*
ti miſſi ſunt ad Chriſtum, propter filium Centurionis, di- *Conſtit.*
gnus(inquiunt)eſt, cui hoc tribuas;amat enim gentem, & *Apoſtolic.*
Synagogam ipſe ædificauit nobis. Item regius ille Anthy- *Clemẽtis.*
patus frater Iairi archiſynagogi , an non recepit filiam à Ioan. 2.
mortuis reuocatam precibus Iairi ? Accedit etiam teſtis Luc. 7.
Caïphas pontifex veſter , qui conſuluit vnum hominem Luc 8.
mori oportere,ne vniuerſa gens periret. Quid dicam pue- Luc 18.
ros illos veſtros infantes,qui olim clamabant : Oſanna fi- Matt.21.
lio Dauid, Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Matt 26.
Iſrael. Quid Iudas diſcipulus, cui triginta argenteos de-
diſtis, vt illum vobis traderet?Quid dicam de militibus, Matt.28.
quibus nummos dediſtis , vt affirmarent veniſſe nocte
diſcipulos qui Chriſti corpus furto, vobis dormientibus,
tollerent. F

Iam Ioſephus auctor & ſcriptor veſter de Chriſto ait:
fuiſſe virum iuſtum & bonum, diuina gratia oſtenſum ac *Ioſeph. antiq.*
declaratum,qui plurimos ſignis & miraculis iuuaret;cuius *l.18. c.4.*
veſtimenta partiti ſunt Iudæi , vt prædixit Propheta , & *Refert etiam*
ſuper ea miſerunt ſortes, cuius manus & pedes transfixe- *Euſeb.*
runt,cui fel & acetum adhibuerunt in ſiti.De quibus dixit *hiſt.lib.1.*
Moyſes. Videbitis vitam veſtram ante oculos veſtros pen- *c.11.*
dentem,& non credetis;quod ſi credidiſſetis Moyſi,vtique *Vid Bar.*
Chriſto crederetis ; verum maiores veſtri illi ſubiecti eſſe *ann.34.*
noluerunt , ſed potius repulerunt eum , & conuerſi ſunt *qui teſtatur hoc*
corde in Ægyptum dicentes Aaroni : fac nobis Deos,qui *teſtimonium in*
nos præcedant:huic enim Moyſi ignoramus,quid accide- *memoria*
rit ei,& fecerunt vitulum in diebus illis,& ſacrificauerunt *eſſe eraſũ*
idolo,& lætati ſunt in operibus manuum ſuarum,& vertit *à Iudæis*
illos Deus & tradidit eos, vt ſeruirent militiæ cœli, ſicut Deut.28
ſcriptum eſt in libro Prophetarum, non ſacrificaſtis mihi Exod.32
40. annis in Eremo domus Iſrael,& recepiſtis tabernacu- Amos 5.
lum Moloch, & aſtrum Dei veſtri Rempham , imagines G
feciſtis vt adoraretis eas , & transferam vos vltra Babylo-
nem in tabernaculum teſtimonij, quod in Eremo factum
eſt , ſicuti facere iuſſit Moyſi, is qui cum eo loquebatur
Deus,ſecundum exemplar quod illi deſcripſit,quod maio-
res veſtri introduxerunt cum Ieſu filio Naue in poſſeſſio-
nem gentium , quas eiecit Deus è conſpectu patrum ve-
ſtrorum, vſque ad dies Dauid,qui inuenit gratiam coram
Deo, & petiit, vt reperiret tabernaculum Deo Iacob.

Salomon autem ædificauit ei domum,ſed Deus altiſſi-
mus non habitat in templis manufactis,ſicuti ait Prophe- Eſai. 66.
ta ; Cœlum mihi thronus, terra autem ſcabellum pedum
meorum; nonne manus mea fecit hæc omnia ? O Iudæi
duræ ceruicis, incircumciſi corde,& auribus,ſemper vos Act. 7.
Spiritui ſancto reſiſtitis, exemplo patrum veſtrorum, qui Eſa. 66.
occiderunt eos, qui prænuntiauerunt aduentum iuſti,
cuius interfectores & proditores fuerant patres veſtri in
Ieruſalem , ſimiliter eorum filij atque imitatores nullam
prædictionibus Prophetarum fidem adhibentes , legem,
quam in *diſpoſitione Angelorum* accepiſtis , minime ſer- H
naſtis.Ait itaque Spiritus ſanctus per os Dauid Prophetæ. Pſal. 94.
Hodie ſi vocem eius audieritis,nolite obdurare corda ve-
ſtra,ſicut in exacerbatione ſecundum diem tentationis in
deſerto vbi tentauerunt me patres veſtri, probauerunt &
viderunt opera mea.Quadraginta annis infenſus fui gene-
rationi huic , & dixi ſemper, hi errant corde , ipſi vero
non cognouerunt vias meas ſicut iuraui in ira mea, ſi in
troibunt in requiem meam , ſed non omnes qui egreſſi
ſunt ex Ægypto introierunt , exacerbauerunt enim non
credentes neque obtemperantes. Quibus vero infenſus
fuit 40.annis , niſi iis,qui peccarunt, & non obedierunt?
quorum cadauera proſtrata ſunt in deſerto. Quibus iura-
uit non introituros in requiem ſuam , niſi iis , qui non
obedierunt ? & videmus non potuiſſe introire propter in-
credulitatem ; præter Caleph filium Iephone, & Ieſum fi-
lium Naue , ſexcenta millia interierunt , totidem enim
millia egreſſa ſunt ex Ægypto.Cum enim peteret ab ipſis

Deus,

A Deus, vt in terram promiſſionis proficiſcerentur, patere
noluerunt, excuſantes metum & hoſtium robur, quam-
obrem conſumptis illis ad vnum filios, eorum loco, in-
troduxit cum Caleph filio Iephon & Ieſu Naue, qui eos
Ibidem. in requiem perduxit. Et quamuis requiem dixit Dauid de
terra illa (in ea enim requieſcere fecit Ieſu Naue) tamen
b in requie erat ipſe etiam Dauid, cum hæc dicens, requiem
promiſit. Hodie ſi vocem eius audieritis, & cæt. Igitur re-
linquitur alius Sabbatiſmus, & alia requies, quæ eſt fides
Hebr. 4. in Chriſtum, ſicut dicit Hieremias Propheta: Ecce dies ve-
Baruch. 2. nient, & diſponam domui Iſrael, & domui Iacob teſta-
mentum nouum, in eo quod dixit nouum, antiquauit
primum, non ſecundum teſtamentum, quod diſpoſui pa-
tribus eorum, die, qua apprehendi manú eius, vt educerem
ex terra Ægypti, quoniam ipſi non expectauerunt teſta-
Ierem. 31. mentum meum, & ego neglexi eos, dicit Dominus, quia
hoc eſt teſtamentum, quod diſponam domui Iſrael, dans
leges meas in mentem eorum, & in corde eorum ſcribam
B eas, & ero illis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum.
Rom. 10. Igitur fides ex auditu, auditus autem per verbū Dei, opor-
tet enim primum audire, deinde mente & corde amplecti
Rom. 4. Dei verba, & credere, ſicuti Abraham credidit Deo, & re-
Rom. 3. putatum eſt illi ad Iuſtitiā, quoniam non iuſtificabitur ex
Galat. 3. operibus legis omnis caro. Quicumque enim ex operibus
Deut. 27. legis ſunt, ſub maledicto ſunt; ſcriptum eſt enim, male-
dictus qui non permanet in omnibus, quæ ſcripta ſunt in
libro legis, vt faciat ea. Quod autem in lege nemo iuſti-
Rom. 1. ficetur, apud Deum perſpicuum eſt; quia iuſtus ex fide
Rom. 4. viuet in ipſis. Abraham autem credidit Deo, & reputatum
Galat. 3. eſt illi ad iuſtitiam, prouidens autem ſcriptura quod ex
fide iuſtificat gentes Deus, prænuntiauit Abrahæ, cogno-
ſcitur ergo quod qui ex fide ſunt, hi ſunt filij Abrahæ.
Abrahæ vero dictæ ſunt promiſſiones & ſemini eius, non
dicit: Et ſeminibus, quaſi in multis; ſed quaſi in vno; Et
ſemini tuo, qui eſt Chriſtus, hoc autem dico teſtamento
ante confirmatum in Chriſtum; quæ poſt trecentos tri-
ginta annos facta eſt, lex, non irritum facit promiſſum,
C & vetus ſcriptura teſtamentum Dei appellat promiſſio-
nem factam Abrahæ, promiſit enim Deus per ſemen
Abrahæ benedicendas eſſe gentes, hoc autem ſemen ipſe
Chriſtus eſt, per ipſum enim promiſſio ad exitum per-
ducta eſt. Nam ſi ex lege promiſſio, hæreditas non eſt
ex promiſſione. Abrahæ autem per repromiſſionem, do-
Ibidem. nauit Deus ſemen, Quid igitur lex? propter tranſgreſſiones
poſita eſt, quoad veniret ſemen, quod promiſſum eſt, po-
ſita eſt lex ad ſtudium & accurationem generis eius, ex
quo erat ſemen illud profecturum ſecundum carnem: po-
ſita vero eſt adminiſtris Angelis, ſubſeruiente vero huic
poſitioni ipſo Moſe.

Rom. 2. Ecce Iudæus nominaris & acquieſcis legi, qui lege
gloriaris, per tranſgreſſionem Deum dedecoras. Circum-
ciſio enim prodeſt, ſi legem, obſeruas, ſi autem tranſ-
Ierem. 9. greſſor legis es, circumciſio tua præputium facta eſt,
ſicut ait Hieremias: Omnes gentes circumciſæ carne,
domus vero Iſrael circumciſa corde. Circumcidi Deo eſt
circumcidi præputium cordis veſtri. Per legem enim co-
D gnitio peccati; nunc autem iuſtitia Dei manifeſtata eſt
Rom. 3. confirmata à lege & Prophetis. Iuſtitia autem Dei per
fidem Ieſu Chriſti in omnes & ſuper omnes qui credunt,
Ibidem. iuſtificamur enim gratis gratia eius per redemptionem in
Chriſto Ieſu, arbitramur ergo fide iuſtificari hominem
abſque operibus legis quid? Iudæorum tantum Deus,
& non gentium? certe & gentium, quoniam vnus Deus,
qui iuſtificabit circumciſionem ex fide, & præputium
Ibidem. per fidem, legem igitur euacuamus per fidem? abſit, imo
Rom. 4. legem ſtatuimus. Quid enim dicit Scriptura? credidit
Psal. 31. Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam, ait enim
Dauid: Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quo-
rum tecta ſunt peccata, beatus vir cui non imputabit Do-
minus peccatum. Lex (inquit) peccantibus ſupplicium in-
fert, at Propheta beatos prædicat eos, quibus remiſſa ſunt
peccata, hæc igitur beatitudo in circumciſionem, an in
Rom. 4. præputium tendit? Reſpondemus, Abraham reputatam
eſſe fidem ad iuſtitiam. Sed quomodo reputata eſt in cir-
cumciſione, an in præputio? perſpicuum eſt, non in cir-
cumciſione, ſed in præputio; & ſignum accepit circumci- E
ſionis ſignaculum iuſtitiæ fidei, quæ erat in præputio, vt ſit
pater omnium credentium ex præputio, vt reputetur &
illis ad iuſtitiam, & ſit pater circumciſionis, non iis tātum
qui ſunt ex circumciſione, ſed & iis, qui ſectantur veſtigia
fidei, iis, inquam, qui ſunt in præputio patris noſtri Abra-
hæ, non enim per legem promiſſio Abrahæ aut ſemini
eius, vt hæres eſſet mundi: ſed per iuſtitiam fidei, lex enim
iram operatur; ſiquidem conſuetudo legis eſt punire vio-
latores, vbi enim non eſt lex, neque præuaricatio. Ideo
ex fide, vt ſecundum gratiam ſit, vt fieret firma promiſſio
omni ſemini non ſolum ex lege, ſed ex fide Abrahæ,
qui pater eſt omnium noſtrum, ſicut ſcriptum eſt, *pa-* Gen. 17.
trem multarum gentium poſui te ante Deum, qui credi-
dit, qui viuificat mortuos, & vocat ea quæ non ſunt,
ſicut ea, quæ ſunt; Qui contra ſpem in ſpe credidit, vt
fieret pater multarum gentium, ſecundum quod dictum
eſt: *ſic erit ſemini tuo & non infirmatus eſt fide*: nec con- Gen. 15.
ſiderauit corpus ſuum iam emortuum, centum iam natus F
annos, & vuluam Saræ emortuam, in promiſſione etiam
Dei non hæſitauit diffidentia, ſed confortatus eſt fide,
dans gloriam Deo, pleniſſime ſciens, quia *quæcumque* Rom. 4.
promiſit, potens eſt & facere. Ideo & reputatum eſt illi ad Rom. 9.
iuſtitiam, non eſt autem ſcriptum tantum propter ipſum,
ſed propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum,
qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum a mor-
tuis. Non enim omnes Iſraëlitæ ſemen Abrahæ ſunt,
non enim naturæ, ſed virtutis cognationem quærit Deus, Gen. 21.
neque quia *ſunt ſemen Abrahæ, omnes filij Dei, ſed in*
Iſaac vocabitur tibi ſemen, id eſt, non filij carnis, hi ſunt
filij Dei, ſed filij promiſſionis reputantur in ſemen, appel-
lat autem filios carnis natos ſecundum naturæ ordinem,
filios vero promiſſionis, eos, qui ſecundum gratiam fidei Rom. 9.
dati ſunt. Promiſſionis enim verbum hoc eſt: *ſecundum* Gen. 18.
hoc tempus veniam, & erit Saræ filius; cum nulla eſſet
naturæ ſpes, ſic diuino munere & magnificentia factus
eſt Abraham pater.

Quare ergo Iudæe gloriaris, quaſi ſolus appelleris ſe- G
men Abrahæ? Nam & Iſmael Abrahæ filius fuit, & qui
dem primogenitus, Quod ſi exiſtimas illum eiectum eſſe
ex cognatione, neque ad eam pertinere, quia eſſet ex ma-
tre non libera & ingenua ortus; at Scriptura non ex ma-
tribus, ſed ex patribus ſolet genealogiam texere, & qui
nati ſunt ex Chettura libera & ingenua, ſemen Abrahæ
minime appellantur. Similiter de 12. filiis Iacob ex di-
uerſis matribus natis, ex quibus 4. fuerunt ex ancillis nati,
omnes autem Iſrael appellati ſunt: nihil ex ſemente ma-
terna accipientes, non ſolum autem illi, ſed & Rebecca ex Rom. 9.
vno concubitu Iſaac patris noſtri habens: Cum enim
nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent aut mali
(vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret) non
ex operibus, ſed ex vocante, dictum autem eſt ei: *Maior* Gen. 25.
ſeruiet minori, an exiſtimas Iudæ: propter Saram præpo-
ſitum eſſe Iſaac Iſmaëli & filiis Chetturæ; Quid dices de
Rebecca; Hic enim vna mater eſt, vnus pater, vnus con-
ceptus; gemelli ſunt filij; id enim ſignificat, ex vno concu-
bitu habens, eodem tempore vtrumque concepit; verum H
alter charus Deo fuit alter minime. Neque expectauit
Deus rerum experientiam, ſed potius differentiam vtriuſ-
que prædixit antequam in lucem editi eſſent, Prædixit
autem prouidens ac proſpiciens vtriuſque propoſitum,
non enim iniuſta eſt electio, ſed cum cuiuſque hominis
propoſito faciens, ſicut ſcriptum eſt, *Iacob dilexi, Eſau* Rom. 9.
autem odio habui; Quod enim à Deo dictum eſt Abrahæ, Malac. 1.
in Iſaac vocabitur tibi ſemen, docet, vt quis ſit benedictio- Gen. 21.
nis particeps, non opus eſſe illi genere; non enim naturam
Deus attendit, ſed fidem, & virtutem requirit, ſicut in Rom. 9.
Oſee dicit: *Vocabo non plebem meam, plebem meam: &* Oſeæ 2.
non dilectam, dilectam; & erit in loco, vbi inuentus eſt
ipſis; *populus meus ipſi vocabuntur, nos filij Dei viuentis.*
quoniam gentes quæ non cognouerunt iuſtitiam, apprehende- Rom. 9.
runt iuſtitiam. Iſrael vero conſectans legem propriæ iuſtitiæ
in legem iuſtitiæ non peruenit. Quare? quia non *ex fide ſed*
ex operibus legis; exiſtimauit enim ſufficere ſibi viuere ex
lege ad comparandam iuſtitiam, fidemque contempſit,

A quamobrem munerum fidei non ſunt facti participes
impegerunt enim in lapidem offenſionis, ſicut ſcriptum
Ibidem. eſt, *Ecce ego pono in Sion lapidem offenſionis, & petram*
Eſa. 8. *ſcandali & quicumque crediderit in eum, non confundetur.*
offendere ſolent & impingere, qui alioſum ſenſum pro-
pheticarum Scripturarum accipiunt, & in via promouere
ac progredi nolunt, quod quidem euenit Iudæis, qui in-
tenti ſuperfluis legis, lapidem à Prophetis prædictum ac
prænunciatum, videre noluerunt. Quanquam plane va-
ticinati ſunt Prophetæ magna bona conſecuturum, quiſ-
quis hæc crederet. Zelum enim Dei habent, ſed non ſe-
cundum ſcientiam. *Ignorantes* enim *iuſtitiam & ſuam*
Rom 10. *quærentes ſtatuere, iuſtitia Dei non ſunt ſubiecti. finis enim*
Eſa. 28. *legis Chriſtus, ad iuſtitiam omni credenti.* lex enim omnes
1. Petr. 2. nos, id eſt; omnem naturam hominum ad Dominum
Pſal. 117. Chriſtum direxit; ergo qui credit Chriſto, ſcopum legis
Matt. 21. implet, quoniam ſcriptum eſt; *Ecce pono in Sion lapidem*
angularem, electum, honoratum, & qui credit in eum, non
confundetur. Nobis igitur honor credentibus; non cre-
B dentibus vero *lapis quem reprobauerunt ædificantes, hic*
1. Petr. 2. *factus eſt in caput anguli, & lapis offenſionis, & petra*
ſcandali. nos autem qui credimus & baptizati ſumus,
genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus
acquiſitionis, qui virtutes annunciauimus eius, qui ex te-
nebris vocauit nos in lucem ſuam; qui aliquando non po-
pulus, nunc autem populus Dei; qui non conſecuti miſe-
ricordiam, nunc autem miſericordiam conſecuti, quos
vocauit non ſolum ex Iudæis, ſed ex gentibus, ſicuti ait
Oſeæ 2. per Oſeam: *Vocabo non populum meum*, &c. & erit in
loco vbi inuentus fuerit ipſis, populus meus Vos, illic
vocabuntur filij Dei viuentis. *quicumque enim ſpiritu Dei*
aguntur, hi ſunt filij Dei, finis enim legis Chriſtus ad iu-
ſtitiam omni credenti. Moyſes enim ſcripſit, *quoniam iu-*
Rom. 8. *ſtitiam quæ ex lege eſt, qui fecerit homo, viuet in ea.* Quæ
Rom. 9. autem ex fide eſt iuſtitia, ſic dicit. *Ne dixeris in corde tuo:*
Rom. 10. *Quis aſcendit in cœlum?* id eſt, Chriſtum deducere. *Aut*
Leuit. 18. *quis deſcendit in abyſſum?* hoc eſt, Chriſtum à mortuis
Ezec. 20. reuocare. Sed quid dicit? *Prope eſt verbum in ore tuo, in*
Deut. 30. *corde tuo*, hoc eſt, verbum fidei, quod prædicamus. Quia
C ſi confitearis in ore tuo Dominum Ieſum Chriſtum, & in
corde tuo credideris quod Deus illum ſuſcitauit ex mor-
tuis, ſaluus eris, *corde* enim *creditur ad iuſtitiam, ore autem*
fit confeſſio ad ſalutem. Dicit enim Scriptura, quod *qui*
Rom. 10. *credit in illum, non confundetur, ipſe enim Dominus om-*
Eſa. 28. *nium diues in omnes, qui inuocant eum, & erit omnis, qui*
Rom. 10. *inuocauerit nomen Domini, ſaluus. Quomodo igitur inuo-*
cabunt, in quem non crediderunt? quomodo credent ei,
quem non audierunt? quomodo autem audient ſine præ-
dicante? quomodo vero prædicabunt, niſi mittantur? ſicut
Pſal. 52. ſcriptum eſt: *ſpecioſi pedes Euangelizantium bona. Et qui-*
Pſal. 18. *dem in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis*
Eſa. 53. *terræ verba eorum*, &c. Verum non cognouit Iſrael.
Rom. 10. Eſaias ait: *Domine quis credidit auditui noſtro, & bra-*
19. *chium Domini, cui reuelatum eſt? Ego prouocabo vos in*
Deut. 32. *non gentes, quoniam in gente ſtulta irritabo vos.* gentes ſtul-
21. tas vocauit nos. Siquidem ante fidem ſtultitiam declara-
D uimus, eramus enim aliquando, id eſt, antequam crede-
remus, ſtulti inobedientes, errantes.

Magno quidem dolore affecit Deus Iudæos, neque
enim tam graue atque moleſtum eſt illis, diſperſos eſſe,
templumque vaſtatum eſſe, atque eſt quod gentium pie-
tatem & ſplendorem vident. Eſaias audet dicere: *Inuen-*
Eſa. 65. 2. *tus ſum ab iis, qui me non quærebant, palam apparui iis,*
Rom. 10. 20. *qui me non interrogabant.* Comprehendit eodem loco
Eſaias prædictionem pietatis cognitionis. Dein gentibus,
& crudelitatem Iudæorum. Quod enim ait, *audet*, de-
clarat, non timuiſſe eum Iudæos furentes, & cædis aui-
dos, quin potius confidenter auſum fuiſſe gentium præ-
dicere, & Iudæorum perfidiam prænunciare. Ad Iſraelem
Eſa. 65. 4. vero dicit Moyſes, *tota die expandi manus populo repu-*
Rom. 10. 21. *gnanti, & contradicenti;* Ad hunc modum Prophetæ
Iudæos accuſant, & fidem gentium prædicant ac præ-
nunciant: dico autem Dominum Ieſum Chriſtum mini-
ſtrum fuiſſe circumciſionis propter veritatem Dei,
ad confirmandas promiſſiones patrum gentes autem
ſuper miſericordia laudabunt Deum. E

Deus enim Abrahæ promiſit benedicendas eſſe gentes Rom. 15. 8.
in ſemine eius. Accepit autem Patriarcha & vniuerſum
genus illius circuncifionis ſignum. Oportebat igitur ſe- *De circumciſione.*
men illius ſecundum carnem, ex quo ad gentes benedictio
manaret, habere ſignum cognationis, vt demonſtraretur
clariſſime veritas promiſſionis, & gentes, quæ gratiam
accepiſſent, laudarent eum, qui tantam humanitatem
præſtitiſſet, quam idem per Prophetas appellauit fidem
& ſalutem gentium, ſicut ſcriptum eſt: *Propterea confite-*
bor tibi in gentibus Domine, & nomini tuo cantabo; & rur-
ſus: *Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes* Rom. 15. 9.
populi. Et Eſaias; *Et erit radix Ieſſe, & qui ſurgit ad do-*
minandum gentibus in ipſo gentes ſperabunt, ſicut ſcriptum Pſal. 55. 50.
eſt: *Videbunt quibus non nuntiatum eſt de eo, & qui non* Pſal. 116. 1.
audierunt, intelligent.

Cum autem rurſus introducit primogenitum in orbem Eſa. 52. 10.
terrarum, vt adorent eum omnes Angeli Dei, ſic Deus per Eſa. 53.
os Dauidis ait: *Semel iuraui in ſancto meo, ſi Dauid men-* 13.
tiar, ſemen eius in ſæculum manet, & thronus eius vt Sol in F
conſpectu meo, & vt Luna perfecta in æternum, & teſtis in Pſal. 88. 36.
cœlo fidelis. Et rurſus: *ponam in mari manum eius, & in* Pſal. 88.
fluminibus dexteram eius, & ipſe inuocabit me, pater meus 28.
es tu, Deus meus, protector ſalutis meæ, & ego primogeni-
tum ponam illum excelſum præ regibus terræ, qui eſt Dei
verbũ, & filius vnigenitus ſæculorũ auctor, & effector omniũ.

Vnde autem in orbem intrat? quomodo primogenitus,
vnigenitus? Et ſi poſt aſſumptam humanitatem Angeli
eum adorauerint, ante humanitatem non omnino eun-
dem hoc honore proſecuti ſunt? Vtique erat vt Deus, &
in orbem intrauit vt homo, *in mundo erat, & mundus per* Ioan. 1.
ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit, in propria
venit, & ſui eum non receperunt.

Si autem in mundo erat, quomodo intrauit? Si autem
intrauit, quomodo in mundo erat? atqui erat in mundo vt
Deus, intrauit autẽ vt homo, ad eundẽ modum vnigenitus
eſt vt Deus, primogenitus vero vt homo in multis fratrib.

Sic etiam ſemper colebant eum Angeli, erat enim ſem- G
per Deus: adorarunt vero etiam vt hominem, & ad An-
gelos quidem dixit: *qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & mi-*
niſtros ſuos flammam ignis, ad filium vero ait: *Thronus tuus* Heb. 1. 7.
Deus in ſæculum ſæculi, virga rectitudinis, virga regni tui, Pſal. 44.
dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, propter hoc vnxit 7.
te Deus oleo lætitiæ præ participibus tuis, demonſtrauit per
hoc aperte, Angelos quidem naturam habere creatam,
vnigenitum vero filium increatam, quatenus enim Deus,
ſempiternum habet thronum, & regnum principio & fine
carens, illud autem: *dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquita-*
tem, & quæ ſequuntur; ſecundum humanitatem dicta ſunt,
ſiquidem Propheta Eſaias de Emmanuele prædicens, hæc Eſa. 57. 16.
adiecit: *antequam ſciat puer bonum aut malum, nollet præ-*
ſumere malum, vt eligat bonum.

Et vnctio non eſt diuinitatis, ſed humanitatis, *oleum*
(inquit) *exultationis præ participibus*, participes quidem Heb. 1. 9.
ſumus nos, non quidem diuinitatis, ſed humanitatis, ſicuti
ſcriptum eſt: *qui ſanctificat, & qui ſanctificatur:* ex vno H
omnes, & hoc humanitatem deſignat, eſt enim creata Hebr. 2. 11.
humanitas aſſumpta, vnus quidem noſtrum, & ipſius hu-
manitatis auctor; verum per illum ſanctificamur. Propter
quam cauſam non confunditur, fratres eos vocare, dicens: Ibidem.
Nuntiabo nomen tuum fratribus meis: in medio Eccleſiæ Pſal. 21. 23.
tuæ laudabo te. Et iterum: *Ego ero fidens in eum.* Et iterum: Pſal. 17. 3.
ecce ego & pueri mei quos dedit mihi Deus. Eſal. 8. 18.

Si autem Dominus & effector omnium, & propter ſuo-
rum ſeruorum ſalutem carnem aſſumpſit, & homo factus
eſt abſque peccato ex Maria ſemper virgine, & cum ſeruis
ſuis veſcens, & bibens, & ſedens, eorumque ægrotos cu-
rans, pro nobis paſſus eſt, non veretur vocare fratres etiam
iſtos pro quibus paſſus eſt, perſpicuum eſt, quod fideles
non ſolum fratres, ſed & * filios. Quia ergo pueri com- * *Pueros.*
municauerunt carni & ſanguini, & ipſe ſimiliter partici- Heb. 2. 14.
pauit eadem, vt per mortem ſuam deſtrueret, quod habe-
bat mortis imperium, id eſt diabolum & liberaret eos,
qui metu mortis per vniuerſam vitam obnoxij erant ſer-
uituti. Et quemadmodum poterat ipſe frater non vocari,

A aut non nos filios vocare legitimè, niſi eandem ipſe in-
duiſſet naturam, quamobrem hanc indutus, mortis domi-
natum atque poteſtatem deſtruxit, & metum nobis im-
pendentem exemit, ſemper enim mortem metuebamus.
Hebr.2.16. Non enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ appre-
hendit, etenim ſi naturam Angelorum aſſumpſiſſet, mori
non potuiſſet; quia vero humanum corpus accepit, per paſ-
ſionem quidem debitum hominum ſoluit, per corpus
vero quod paſſum eſt, reſurrectio propriam poteſtatem
Hebr.2.17. oſtendit. Vnde debuit per omnia aſſimilari fratribus.
Similiter enim atque nos cibum ſumpſit, labores ſuſti-
nuit, doluit, lacrimatus eſt, & mortem ſubiit, vt miſericors
fieret & fidelis Pontifex in iis quæ ad Deum pertinent ad
propitiandum pro peccatis populi, in eo enim in quo paſ-
ſus eſt ipſe & tentatus; potens eſt & in eis qui tentantur,
auxiliari.
Hebr.2.18. Et hæc ſecundum humanitatem dicta ſunt, neque enim
Pontifex eſt vt DEVS, ſed vt homo; neque vt DEVS
paſſus eſt, ſed vt homo; neque per experientiam didicit
B noſtra, ſed vt DEVS & fabricator omnium cognoſcit
omnia clariſſimè, nunquid ad aliquem Angelorum dixit
Heb.1.13. aliquando: *Sede à dextris meis, quoadvſque ponam inimi-
cos tuos ſcabellum pedum tuorum*, non enim vt DEO tan-
tum dicit, *ſede à dextris meis*, quomodo enim diceret? ſi-
quidem thronus eius in ſæculum ſæculi, ſed vt homo
hunc honorem accepit, quatenus vero Deus, æternum ha-
bet thronum.
Heb.2.6. Pſal.8.5. Et rurſus: *quid eſt homo quod memor es eius, aut filius
hominis quod viſitas eum? minuiſti eum paulo minus ab An-
gelis, gloria & honore coronaſti eum, conſtituiſti eum*, &c.
Eum autem qui modico quam Angeli minoratus eſt,
videmus IESVM propter paſſionem mortis; vt abſque
DEO pro omnibus guſtaret mortem gloria & honore
coronatum, non quidem quantum ad naturam diuinita-
tis diminutus eſt infra Angelos, ſed quoad paſſionem hu-
manitatis, vt igitur inferior erat Angelis propter paſſio-
nem mortis, quandoquidem natura angelica immorta-
lis eſt: ipſe autem quatenus homo paſſionem ſuſtinuit
C abſque DEO propter ſalutem omnium, omnia enim
quæcumque mortalem naturam habent, hoc remedio
egebant, remedio, inquam, humanitatis CHRISTI, ſo-
la enim diuina natura non egebat, hoc enim ſignificat,
Pro omnibus guſtare mortem abſque Deo. *abſque Deo*, gloria vero & honore coronatum vt homi-
nem, poſt reſurrectionem & in cœlos aſcenſum, diuinam
gloriam recepit, & factus eſt maior Angelis, ſedet enim
ſupra principatum, & poteſtatem, dominationem, &
virtutes & omne nomen, quod nominatur non ſolum
in hoc ſæculo, ſed in futuro, in eo enim quod ſubiecit
ei omnia, nihil prætermiſit non ſubiectum, nunc autem
nondum videmus omnia ſubiecta, in tempore autem il-
lo, id eſt, in ſæculo futuro, omnia tenebit ſub ſuo impe-
rio, ſubiicientur enim tunc qui nunc contradicunt & re-
pugnant verbum enim DEI caro factum, mortis im-
perium deleuit: deleto autem promiſit nobis reſurrectio-
nem, cum ipſa vero reſurrectione coniuncta eſt immor-
talitas, in qua ineſt illa patrum noſtrorum requies & vita
æterna per fidem promiſſa, & omnium ſimili fide ſperan-
D tium Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM filium
DEI.
Etenim ſi fuiſſet in Ieruſalem perfecta requies, illa
nos IESVS filius Naue requieſcere feciſſet, ſed non dedit
DEVS Abrahæ veſtigium pedis, neque illius filiis fide ſi-
milibus dedit in ea hæreditatem in ſæculum, quin po-
tius inquilini in ea & vbique exiguo tempore hinc ex-
cedimus relictis rebus terrenis, illic autem conſiſtit im-
mortalis requies, cuius hæredes exiſtunt, quicumque
Hebr.3.17. fide audierunt hodie, ſecundum Dauid, neque obdura-
runt cor, ſicuti improbi patres illi in exacerbatione ſe-
cundum diem tentationis, vt enim in præſentem breuem
requiem non ſunt ingreſſi per fidem, quin potius ipſo-
rum cadauera proſtrata ſunt in deſerto, eorum vero loco
ingreſſi ſunt in eam filij, ſic in æternam requiem promiſ-
ſam ore Dauid à DEO illi ſunt in reſurrectione ingreſſu-
* baptizati. ri, qui audito nunc verbo fidei & ſuſcepto * illuminati
fuerunt, qui autem non crediderunt, & DEVM ten-
tauerunt, in ignem æternum mittentur, perpetuo pu- E
niendi.
Hæc autem ne ignoretur quod patres veſtri omnes 1 Cor.10.
ſub nube fuerunt, & omnes per mare tranſierunt,
omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube & mari, om-
nes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt, bibe-
runt enim ex ſpirituali ſequente eos petra, petra au-
tem erat Chriſtus. Hæc, inquit, noſtrarum rerum typi
erant, mare enim imitabatur baptiſmum, nubes deſi-
gnabat gratiam ſpiritus, Moyſes vero ſacerdotem, virga
crucem, Iſraël vero qui tranſiuit, deſignabat baptizatos,
Ægyptij perſequentes, dæmonum erant figura, ipſe Pha-
rao imago diaboli poſt tranſitum enim Iſraëlitæ liberati
ſunt Ægyptiorum poteſtate, item manna de cœlo accepe-
runt in typum quendam panis cœleſtis, id eſt, corporis
Chriſti præterea petra imago erat lateris Chriſti, manabat
enim præter ſpem aqua, fuitque illis petra quod nobis
Chriſtus, conſequebatur autem illos non petra, ſed diuina
gratia Chriſti filij, & verbi Dei quæ fecerat, vt petra illa
præter omnem ſpem aquam emitteret, etenim ſi petra eos F
ſequeretur, aut aqua ex petra, quomodo iterum aquis
eguiſſent?
Viri Iſraëlitæ, & qui timetis Deum, audite: *Deus elegit* Act.13.16.
*patres veſtros, & plebem ex alto in peregrinatione, in Ægy-
pto, & brachio excelſo eduxit eos.* Et 40. annis circumduxit
eos in deſerto, & deletis ſeptem gentibus in terra Cha-
nanæa, dedit illis in hæreditatem terram earum gentium,
& poſtea annis trecentis quinquaginta, dedit eis Iudices
vſque ad Samuëlem Prophetam. Et exinde petierunt re-
gem, & dedit eis Deus regem Saül filium Cis virum ex
tribu Benjamin annis 40. poſt cuius obitum ſuſcitauit pro Eſa.11.3.
eo regem Dauid, cui teſtimonium tribuit, dicens: *Inueni
filium Ieſſe virum ſecundum cor meum, qui faciet omnes vo-
luntates meas, ex ſemine enim ſecundum promiſſionem ſalu-
tem Deus attulit Iſraeli, prædicante Ioanne ante faciem eius
baptiſmum pœnitentia Iſraëli.* Cum impleret autem Ioan-
nes curſum ſuum, dicebat: *Quem me arbitramini eſſe, non
ſum ego: ſed ecce qui venit poſt me, cuius non ſum dignus
ſoluere corrigiam calceamenti pedum eius.* Viri fratres filij G
generis Abraham, & qui in vobis timent Deum, vobis
verbum ſalutis huius miſſum eſt. Qui enim habitabant Ie-
ruſalem, & Principes eorum hunc ignorantes, & voces
Prophetarum quæ per omne Sabbatum leguntur, comple-
uerunt ad effectum perducentes eas. Et nullam cauſam
mortis inuenientes in eo petierunt à Pilato, vt interficeret
eum. Cumque conſummaſſent omnia quæ de eo ſcripta
erant, deponentes eum de ligno crucis, poſuerunt in mo-
numento. Deus vero ſuſcitauit eum à mortuis, qui viſus
eſt per dies multos in Sabbatis eorum à Galilæa vſque Ie-
ruſalem. Cuius rei teſtes fuerunt in populo, in diſcipulis &
Apoſtolis, viſuſque poſt reſurrectionem 40. diebus, collo-
quens cum eis de regno cœlorum, qui quidem nobis nun-
tiarunt, & vobis ſimiliter nuntiamus eam quæ ad patres
noſtros repromiſſio facta eſt: quoniam hanc Deus adim-
pleuit filiis veſtris, reſuſcitans Ieſum, ſicut & in Pſal.2. ſcri-
ptum eſt. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quod autem
ſuſcitauit eum à mortuis, amplius iam non reuerſurum in
corruptionem. Ita dixerunt: *Quia vobis dabo ſancta Dauid* H
fidelia. Ideoque in alio Pſalmo ait: *Non dabis ſanctum tuum* Eſa.55.3.
videre corruptionem. Dauid enim voluntate Dei dormiuit, Pſal.15.19.
& appoſitus eſt ad patres ſuos, & vidit corruptionem.
Quem vero Deus ſuſcitauit à mortuis, non vidit corruptio-
nem. Notum igitur ſit vobis viri fratres, quia per hunc vo-
bis remiſſio peccatorum annuntiatur, & ab omnibus, qui-
bus, non potuiſtis in lege Moyſis iuſtificari. In hoc *omnis
qui credit, iuſtificatur.* Videte igitur ne ſuperueniat vobis
quod dictum eſt in Propheta: *Videte contemptores, & ad-* Abac.1.5.
*miramini, & diſperdimini, quia opus operor ego in diebus
veſtris, opus quod non credetis, ſi quis enarrauerit vobis.*
Eſaias autem clamat pro Iſraël, dicens: *Si fuerit vniuer-* Eſa.10.22.
ſus Iſraël, ſicut arena maris, reliquia ſalua fient, verbum Rom.9.2.
*enim abbreuiatum, & contractum faciet Dominus in
terra, vt à principio prouidit Deus eos, qui fideles & qui
perfidi futuri erant*, & quod primogenitus filius Iſraël
abiiciendus eſſet, introducendus vero in eius locum

A populus gentilium obſcure atque tecte hæc per Prophetas prædixit, etenim ſi cognouiſſet ſuam eiectionem atque repulſam, gens Iudæorum, inuida, & conſcelerata, libros ipſos Prophetarum combuſſiſſet, quia tolerare non poſſet aduerſum ſe ſcripta ferri, ex quo magnum incommodum cepiſſemus, hæc ergo cauſa cur recte & obſcure ſcriptæ ſint prædictiones propheticæ; quæ ſi non credat Iudæus, credat Prophetæ dicenti: *Neque audiſti neque cognouiſti, neque a principio aperui aures tuas, intellexi enim quod repugnans repugnabis.* Et nunc quidem quia Deus ex muliere genitus eſt ſcandalizaris, in eremo autem olim cum Deus inuiſibiliter abſque corpore verſabatur vobiſcum & admirabilia illa facta edebat, quare contra Deum cogitabas? quomodo contra Moyſen ſæuiebas, ita vt parum abfuerit quin lapidaris eum, quomodo relicto authore beneficiorum tantorum in Ægyptum reuerti cupiebas? perſpicuum itaque eſt eundem eſſe te neque mutatum.

De obſcuritate Prophetarum.

Eſai. 48. 8.

B Qui tunc duri cordis, & ingratus in beneficium tuum, idem nunc, qui olim, dum tentabas & aiebas: *Eſt ne Dominus in nobis, an non?* idem nunc facis cum propter nos homo factus eſt: cui potius deberes hoc nomine totus gratias agere, ſicuti facere ſolemus in medico corporis, cũ frequenter ægrum reuiſit, & nullam rationem dignitatis & honoris ſui habens inſpicit & attrectat ægritudinem, & graues odores perfert, vt ſanitatem reſtituat laboranti; quod ſi hæc ita habent, quid de Trinitate dubitas? cur non adoras filium? cur non credis Spiritum ſanctum? At, inquis, vnum Deum prædicat Scriptura, mitte Eſaiam, Dauid, vniuerſam Scripturam, quæ clara voce Trinitatem Dei prædicat, ingredere in tabernaculum Abraham, & attente conſidera, qui erant illi, qui illi apparuerunt & quot & quæ ac qualia locutus fuerit Patriarcha, cui tanquam perfectam cognitionem conſecuto, velut tres apparuerunt, & velut vnus loquebatur, ſimiliterque idem Abraham ſermonem ſuum accommodauit et pluribus, & vni. *Declinate* (inquit) *Domine ad me*, quid eſſe poteſt admirabilius? quid quod magis Trinitatem declaret? cum enim ait, declinate, diuerſitatem perſonarum ſignificauit, cum vero ait, Domine, naturam vnam vnumque dominatum.

Exod. 17. 7.

De Trinitate.

Gen. 18.

C Quod ſi dicas, vnum Deum eſſe, duos vero reliquos Angelos, deliras; quando enim ſerui cum Domino ſedere, permiſſi ſunt? quomodo Dominus apparuit duobus tantum comitatus Angelis ſatellitibus? ex eo igitur tempore ſancta Trinitas vnius honoris atque ſolij cognita fuit Abrahæ.

Sed quærit adhuc Iudæus, ſi in Trinitate Deus vnus adoratur, cur non aperte hoc Iſraeli expoſitum eſt à Prophetis? Audi quia diu olim populus in Ægypto fuerat, vbi falſam religionem multitudinis deorum ex Ægyptiis didicerat, Deus qui omnia ad vtilitatem gubernat, noluit aperte & explanate de Trinitate doctrinam tradere, ne occaſionem hinc acciperent multos Deos introducendi, atque ita ad errorem Ægyptiorum redirent, quamobrem myſterium Trinitatis ſapientiſſimè adumbrauit; etenim D ſi à principio limate & abſolute de Trinitate ſermonem feciſſet, omnino refractarius & contumax Iſraël ad priſtinum malum reuerteretur; etenim ſi nihil tale audiens, ipſius vnius Dei ſingulis horis obliuiſcebatur, prorſuſque ex Ægyptia impietate & ſuperſtitione pendebat; quid non feciſſet ſi ſtatim de Trinitate audiſſet? profecto tales deos cogitaſſet, quales in Ægypto celebrantur. Sed age Iudæe quandoquidem Chriſtus, ſe, vt affirmas, hominem aiebat eſſe, non Deum cur ipſum in crucem egiſti? cur tanquam ſceleratum, & legis ac Sabbatorum violatorem occidiſti? an violauit Sabbati religionem, quia paralyticum ſanauit, quia decombentem in lecto liberauit, quia mortuum iam quatuor dies ad vitam reuocauit? quæ hæc iniquitas: qui animal quod in foſſam ceciderit, extrahit Sabbato religionem eius non ſoluit, neque legem violat, & ſoluat ac violet qui vitam reſtituit cadaueri putreſcenti? corruptum & peruerſum iudicium, ô amentiam Iudæorum, ô pecudes, qui pecudem præſtare homini iudicatis! Sed cur ita pertinaciter Iudæe miſer & fatue honorem Sabbati defendis, cum olim Deus iuſſiſſet Sabbatum celebrare quietúmque agere? Si vero infantis nati E octauus dies in Sabbatum incideret, nihil prohiberet, quin eo die infans circumcideretur, planè declarabat, cum tandem veniret circũciſio octaui diei, qui eſt dies ſanctus Dominicus, qui ſeptimum proximè ſequitur, honorem Sabbati tollendum eſſe; aptiſſimè vero dici poteſt Circumciſio huius noſtri diei, in eo enim ad vitam rediit Chriſtus & peccatum circumciſum eſt dæmonúmque elatio repreſſa eſt, imo ſublata. Quid vultis? olim Deus religionem Sabbati tollendam eſſe deſignauit, tum circumciſione infantum octauo die, vt ante diximus, tum non minus Hieremiæ verbis, cum promiſit per eum daturum ſe Teſtamentum nouum; ne ergo moleſtè feras, ſi cum aliis quoque & ſanctitas Sabbati tranſlata eſt, noui enim Teſtamenti noua oportet eſſe eius decreta & dogmata. Nouum autem illud omnino eſt, quod nunc additum eſt; diuerſum aſpectu & reipſa ab eo quod iam præteriit, quod quidem F declarauit Dominus, cum dixit: Diſponam Teſtamentum nouum, non quale diſpoſui patribus veſtris, cum eduxi eos ex Ægypto. Quod ſi hæc ita habent, quid mirum ſi Sabbati religionem ſublatam videritis, ſi circumciſionem mutatam, multáque alia Moſaica? etenim ſi Moſaica illa & vetera præſcripta ac decreta ſemper fuiſſent permanſura fixa & immota, numquam Deus per Hieremiam dixiſſet, tranſitura eſſe vetera & alia pro illis noua ſucceſſura; quale autem eſſet hoc nouum Teſtamentum, & quo in loco dandum Eſaias dixit: *Ex Sion*, inquit, *exibit lex, & verbum Domini ex Ieruſalem.* Sed vide Dei ſapientiam; quia enim prouidebat perfidiam & contumaciam tuam, per Hieremiam de nouo Teſtamento admonuit, per Eſaiam locum declarauit, in quo huiuſmodi nouum Teſtamentum erat condendum.

Baruch 2. 35.

Cur Sabbatum tranſlatum in Dominicum, &c.

Eſa. 2. 3.

Fruſtra igitur Iudæe Sabbati religionem tenes, fruſtra circũciſionem iactas, qui enim nouum Teſtamentum dedit, hæc omnia ſuſtulit, & irrita fecit. Præterea cum circumciſio ſigni cauſa data ſit, quid circũciſione gloriaris? G quid te hoc nomine effers in incircumciſos? Tu cogeris circumcidi carne, ego vero circumcidor corde, ne praua cogitem. Quod autem huiuſmodi circũciſio Deo ſit gratiſſima audi quid dicat accuſans Iſraëlem per Hieremiam, *omnes gentes incircumciſa corde*, domus vero Iſraël circũciſa corde. An circumciſio cordis iuſtificare poteſt? refer te ad Patriarcham Abraham, & videbis eum non circumciſione, ſed ſola fide iuſtificatum. *Abraham*, inquit, *credidit Deo & reputatum eſt illi ad iuſtitiam*, ergo ſancita eſt poſtea circumciſio ad cognoſcendum & diſcernendum fideles quando cum gentilibus verſarentur, & vt in mentem veniret Dei, cuius rei fidem facit res ipſa; cum enim in eremo populus Iſraël ſolus 40. annis verſatus eſt, nullis aliis gentibus admiſtus, non fuit opus circumciſione; quare incircumciſi fuerunt, quicumque in eremo mortui ſunt; poſtquam vero Ieſus Naue Iordanem cum populo traiecit, iuſſu Dei ſunt circumciſi *fac* (inquit Deus) *cultros lapideos, & ſedens circumcide filios Iſraël*, qua igitur de cauſa..................

Ierem. 9.

Rom. 4.

Ioſuè 5. 2.

Hic in m. ſ. lacuna erat.

Quæſtio.

H Cur ſuillo Iudæi non veſcuntur? non quidem vt ipſi dicere ſolent, quia immundus ſit ſus, alia enim ſunt impuriora quibus veſcuntur, alia rurſus puriora, quibus minimè veſcuntur, vt gallina quæ omnibus ſordibus alitur, à qua non abſtinent Iudæi, & hirundo auicula mundiſſima à qua abſtinent; ergo iuſſit Deus per Moyſen abſtinere à ſuillo; quia cum Iudæi erant in Ægypto, veſcebantur ſuibus, bouem autem & capram & canem pro Diis habebant Ægyptij, vnde *[illegible]*, qui bouem & *[illegible]* qui canem colebant, dicebantur; quare Iudæi Ægyptiorum mores, vtpote cum quibus verſabantur, tenebantur; Deus ergo cum ex Ægypto eos eduxiſſet, velletque eorum cogitationes abducere ab vſu Ægyptiorum & vita, iuſſit illis vt quæ illic religioni habebantur & pro Deis, ea mactare & comedere, vt vel ſic fieret, ne ea amplius colerent; ſuem vero, quia comedebant Ægyptij, iuſſit Iudæis ne comederent; non quia immundus eſſet ſus, ſed ne in mentem veniret conſuetudinis & vitæ Ægyptiæ, & vt coacti non veſci ſue, reliqua animalia mactarent & comederent, vt bouem, capram,

Luc. 14.

ouem

A

ouem quæ pro Diis colebant;hæc ergo cauſa eſt cur ſuſfecit Deus non veſci ſuibus, non autem quia ſordidi ſunt & immundi,ſiquidem ſunt alia immundiora quibus Iudæi veſcuntur, quæ tamen Deus non fecit, neque nominauit immunda;imo hæc animalia non ad veſcendum tantum à Deo data ſunt,ſed ad alios neceſſarios vſus,vt bos ad arandum & vehendum, aliáque opera ruſtica, ouis ad lanam, & lac, ſimiliter capra ad lac,caſeum, pilos,item canes ad cuſtodiendam domum, gallina ad oua; ſus vero nullum alium vſum habet, quam ad veſcendum; itaque immundum illum faciunt Iudæi, ne emant illum & alant,vt ſunt illiberales,etenim ſi velint eum alere,idem paſtus eſt ouis, capræ & ſuis.Audi quid dicat Scriptura;*Vidit Deus cuncta quæ fecerat,& erant valde bona.*

Gen.1.

Quæſtio.

Si quæſierit Iudæus quemadmodum Chriſtianos ex gentibus filius Abrahæ ſit, reſpondebit; ſecundum fidem; ſicut dictum eſt Abrahæ:patrem multarum gentium poſui te. Sed tu Iudæe quemadmodum filius Abrahæ es?nonne * Iſaias dixi populo tuo? Pater tuus Amorræus & mater tua Cethæa; quare ego ſecundum fidem ſum filius Abrahæ, tu vero Amorræus & Cethæus moribus.

B

* *Mihi videtur apographi Eſai. pro Ezechiel.*

Ezech. 16.3.

Quæſtio.

Si quæſierit Iudæus, quomodo credis in crucifixum? Audi Scripturam dicentem:maledictus omnis qui pendet in ligno.Sed dic tu Iudæe quomodo credis tu ſerpēti æreo ſuſpenſo? cum ſit ſerpens maledictus in omnibus beſtiis, cuius ſerpentis imago erat ille æreus, quod vitam præſtitit maioribus tuis, etenim vt ſerpens qui non mordebat, contra morſum ſerpentum, remedium vitæ afferebat, ſic Chriſtus omnis peccati expers ſublatus in crucem pro peccatoribus vitam mundo tribuit.

Deut.21.

Num.21.

Quæſtio.

Deut.18.

Si quæſierit Iudæus, quemadmodum natus ex Maria Deus ſit, cum nos dicamus, prædixiſſe de eo Moyſen Prophetam, *ſuſcitabit vobis Deus ex fratribus veſtris ſicut me, ipſum audite.* Videtur ergo Moyſes homo fuiſſe & Deus. Reſpondebimus quærentes, quando hoc dixerit Moyſes, antequam aſcenderet in montem, & mutatus eſſet aſpectus eius,ita vt non poſſent intueri in eum Iſraëlitæ propter ſplendorem vultus, niſi habuiſſet velamentum,an vero poſtquam factum eſt hoc? nempe poſtquam hoc euenit; hic igitur filius Dei cum habitauit in nobis, habuit templum corporis ſui pro impedimento, tegens ſuam diuinitatem; igitur quemadmodum in Moyſen non potuerunt propter gloriam vultus eius intueri abſque velamine adiecto, ſimiliter filius Dei humanitate texit diuinitatem.

Exod.34.

C

Quæſtio.

Si quæratur cauſa obſcuritatis Prophetarum à Iudæo, reſpondebimus, quod prouiderit Deus genus Iudæorum pertinax ac durum eſſe;quia enim dicunt Iudæi paucos ex ipſis prædicationem accepiſſe,reliquos vero omnes fugere tanquam fraudem, idcirco iam olim prædictio hæc docuit; tametſi Iudæi numero ac multitudine arenam maris ſuperent,non tamen omnes ſalutem conſecuturos, præter eos qui fuerint fide præditi; *verbum* enim *abbreuiatum* quod faciet Dominus, vocauit *fidem*;itaque qui fidem capiunt, hi ſunt, quos Propheta, *reliquias* appellat, *qui per fidem ſalui erunt.* Neſcitis in Elia quid dicat Scriptura, qui deprecatur Deum pro Iſraël? *Domine Prophetas tuos occiderunt, & altaria tua ſuffoderunt: & ego relictus ſum ſolus, & quærunt animam meam.* Sed quid dicit ei oraculum? *Reliqui mihi ſeptem millia virorum qui non curuauerunt genua Baal.*

Verbum abbreuiatum.

Rom.9. 28.

D

Eſa.10. 22.

Rom.9. 27.

3.Reg 19. 18.

Rom.11. 3.

Illo, inquit, tempore multa millia erant Iſraëlitarum,& omnes vocabantur Iſraëlitæ; verumDeus ſe Deum vocauit ſeptem millium, cæteros omnes reiecit: Propheta tamen hoc ignorabat, & in ſeipſo putabat ſeruatas eſſe pietatis & cultus diuini reliquias; quare nihil mirum ſi vos Iudæi ignoratis eos,qui ex vobis Chriſto crediderunt, quos populum Deus vocat. Sic in hoc tempore reliquiæ ſecundum electionem gratiæ factæ ſunt; gratia autem non ex operibus, quoniam quæ ex operibus, non eſt gratia; & ſicuti tunc ait, ex multis millibus, 7. millia tantum relicta fuiſſe ab impietate libera, ſicut nunc plures ſunt qui non crediderunt, pauciores vero qui crediderunt & diuinam gratiam conſecuti ſunt: non enim iuſtificauit eos vita ſecundum legem, hoc enim ſignificat, ex operibus legis, ſed Dei gratia ſaluos fecit; idcirco gratia vocatur ipſa ſalus: quia gratia ex liberalitate Dei allata eſt,ſicuti ſcriptum eſt:*Veniet ex Sion qui eripiat & auertat impietatem à Iacob,& hoc illis à me teſtamentum, cum abſtulero peccata eorum*;quod ſi ſecundum legem vitæ donaret peccatorum remiſſionem illis,profecto id propheticus ſermo dixiſſet, ſi vero lex punit tranſgreſſores, ſemper autem Iudæi vocati ſunt violatores legis, perſpicuum eſt, Prophetam declarare remiſſionem, quæ per Baptiſmum tribuetur.

B

Eſa.59. 20.

Rom.11. 26.

Vocat autem omnes credentes, Iſraël, ſiue ex Iudæis ſiue ex gentibus oriundos, ſecundum nobilitatem fidei cum ipſo Iſraële coniunctam. Quod ergo quærit Iſraël ſecundum carnem,hoc non eſt aſſecutus;cur non eſt aſſecutus?quia non ex fide quærit, ſed ex operibus legis; electio autem aſſecuta eſt per fidem, reliqui vero excæcati ſunt,id eſt relicti ſunt in perfidia, ſicut ſcriptum eſt: *dedit illis Deus ſpiritum compunctionis, oculos vt non videant,& aures vt non audiant*, vſque in hodiernum diem. Non enim Deus fecit, vt non crederent, ſed permiſit,id eſt, dimiſit. *Spiritum compunctionis* vocauit, mentem obſtinatam,atque ἀμεταθέτην; vt enim qui rectè perſpicit, quæ debet,non flectit ſe ad deterius; ſic qui dedit ſe ſceleri ac malitiæ, ſtudio non ſe flectit ad virtutem. Alius quoque Propheta ait: *Incraſſatum eſt cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos clauſerunt, & lumen videre noluerunt.* Et Dauid ait: *Fiat menſa eorum in laqueum & captionem,& in ſcandalum,& in retributionem illis.Obſcurentur oculi eorum, ne videant, & dorſum eorum ſemper incurua*......... Quod Iudæi contra legem dies feſtos ſuos agitent. Siquidem lex iubebat non ſolum tempus,ſed locum ſeruare,vt eſt in lege de Paſcha & Pentecoſte;quod autem obſeruatio loci magis neceſſaria eſſet, ita vt obſeruatio temporis non excuſaſſet, non obſeruari locum, conſtat ex Num.9.cum immundi illi acceſſerunt ad Moyſen,qui illo die non poterant facere Phaſe, homo qui fuerit immundus in itinere procul in vobis, aut in generationibus veſtris, faciet Paſcha in menſe ſecundo, &c. id eſt, vt Chryſoſtomus interpretatur libro ſecundo contra Iudæos, qui voluerit peregrinari, & primo menſe ab vrbe abfuerit, is in ſecundo menſe Hieroſolymam veniat,tranſeátque tempus præſcriptum, vt locum ſeruet; quod quidem non ex lege ſolum, ſed ex prophetis quoque intelligi poteſt. Cum enim barbari cogere vellent Iudæos,dum captiui tenebantur, vt organis muſicis canerent, dicentes: *Canite nobis*, &c. quia legem nouerant, & ſciebant non licere id facere extra vrbem;aiebant: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Item,tres pueri aiebant; *non eſt in tempore hoc Princeps neque Propheta, neque locus ad ſacrificandum coram te,& inueniendum miſericordiam*, quia ſcilicet non ſacrificabant,cum non eſſet templum. Et in Zacharia, ait Dominus: *Nunquid ieiunium ieiunaſtis ſeptuaginta annis captiuitatis?* quomodo ergo nunc Iudæi ieiunant, cum maiores eorum,neque ieiunarent,neque ſacrificarent, neque dies feſtos agerent in terra aliena,cum tamen expectarent ſe redituros ad vitam ſecundum legem,iſti vero minimè docere poſſunt ſe redituros? item ex eo quod de ſe narrat Daniel,*in diebus illis*, inquiens, *ego Daniel eram lugens tribus hebdomadibus,&c.* conſtat neque Paſcha illic ſeruaſſe, neque ieiunium lege præſcriptum ieiunaſſe, ſiquidem diebus azymorum non licebat ieiunare ex lege.Atqui ſi ſegnes quidam & ignaui, aut etiam impij fuiſſent, qui hoc dixerunt aut fecerunt, exiſtimari potuiſſet non ſeruaſſe illos legem propter ignauiam aut contemptum; at ſi pij in Deum ac Dei amantes erant,quique animas pro Deo ad mortem obtulerunt,perſpicuum eſt,quod non ſeruarunt legem,non propter ignauiam feciſſe, ſed quia ex lege didicerant,non eſſe hæc ſeruanda extra Ieruſalem. Cur autem ſacrificia conſtituerit Iudæis, ex eo conſtat, quod non permiſit, niſi poſtquam dæmoniis ſacrificarent: itaque fecit exemplo medici, qui vt maius malum vitet ac caueat quod æger minatur,permittit illi potionem frigidam alioqui incommodam & inſalubrem; ſed rurſus idem aliquando hac arte vtitur; affert domo vas, in quo aquam frigidam præbet ægroto,

Eſa 6 9.

Rom.11. 8.

F

Matt.13. 15.

Act.28. 27.

Pſ.68.23.

Rom.11. 9.

Hic videtur in m.ſ. lacuna fuiſſe. Chryſ.l.1. cōtra Iudæos,cum illic ieiunant Iudæi, legi ignominia afficiunt, & Dei præcepti contemnunt. Vos Spiritui S. reſiſtitis ſemper, nūquā facientes quod Dei volūtati contrarium eſt.

G

Idem Chryſ. lib 4. in principio. cū igitur no legere quidā extra ciuitatem fas fuerat Hebræis, quomodo

H

legē ſeruare potuerunt extra ciuitatem. Ibi dicit quod Propheta accuſarint, quod foris legarēt legē, & appellarent cōfeſſionē. At Paulus, ait Act 15. habet Moyſes in ſingulis ciuitatibus, qui eū prædi

A

ſant, legitur enim per omne Sabbatū Moyſes, &c. Pſal. 136. * Dan. 5. *ἐν τῷ ἀρχῶνι.* *De Paſcha vide* Num. 9. Zach. 7. Daniel. c. 10. *In diebus illis eram ego Daniel lugēs panē deſiderabi-*

iubens clam miniſtris, vt Vas adhibitum frangant, vt ex inſperato ab illa cupiditate bibendi abducatur; ſic Deus permiſit ſacrificare, verum noſquam niſi Hieroſolymis, quam vrbem ſubuertit, vt vel inuitos ſic abduceret à ſacrificiis; medicus ergo eſt Deus; vas, Ieruſalem, ægrotos populus; potio aquæ frigidæ, promiſſio ac poteſtas ſacrificij. Et niſi retrahere eos vellet à ſacrificiis, quorſum in vnum locum cōclusiſſet ſacrificiorū religionem qui vbique eſt Deus? quē locum tandem demōſtrauit. Et quid eſt admirabilius, cunctū orbem patere Iudæis, vbi non liceat ſacrificare; vrbē vero, in qua ſolō licuit, nulli eorum patere? Erat ergo vrbs quidem quaſi σύνδεσμος λατρείας; qua euerſa, omnis cultus lege deſcriptos ſublatus eſt. Igitur ſi Iudæum conuincere voluerimus, rogemus eum, cur ieiunet, cum non teneat vrbē. Si dicat, expectare reditum in eam; ergo quo ad redeas, quieſce; ſic enim fecerunt ſancti illi tres pueri, Daniel & alij.

B

lem, &c. Demonſtratur, à tertia die mēſis primi vſque ad 24. ieiunaſſe, in quod id pus incidunt dies azymorū, quibus nō licebat ieiunare à 14 inquā, vſque ad 21. & poſt 21. diem alios quoque 10. ieiunaſſe.

Cum videmus aliquos ſemper dicere verum neque mentitos vnquam, quamuis inimici ſint; niſi amentes ſimus, credimus, cum quid affirmant. Cōtra vero cum in aliquo mendacio deprehenduntur, eſto, verum dicāt aliquando, non credimus. Videamus ergo Chriſti prædictiones cuiuſmodi ſint, & quam veræ. Acceſſit mulier habens alabaſtrū vnguenti, &c. dico vobis quod prædicabitur Euangelium in vniuerſa terra, & quod fecit hæc mulier narrabitur in memoriam eius, &c. quod ad exitum perductum eſſe admirabiliter teſtatur Eccleſiæ omnes cunctúſque orbis, cum enim plerique reges poſt plurima beneficia collata in vrbes & gentes, poſt multa bella glorioſè confecta, & partas victorias ex memoria deleti ſint atq; ignorentur, item reginæ multæ, eædémque præpotentes poſt multa in ſuos beneficia neque de nomine ſciantur, tamen hæc tenuis muliercula ſolo vnguento effuſo ita clara extitit, tantúmque ſibi nomen fecit, vt eius fama in cuncto orbe percrebuerit. Itaq; neque ignobilitas perſonæ, neque paucitas teſtium, decem, inquam, hominum, neque obſcuritas loci; in domo enim Simonis leproſi; neq. facti tenuitas; quid enim præclari ac magni erat oleū effundere? neque longinquitas temporis, neque quidquam aliud potuit delere memoriam, & obliuione obruere, quin potius omnibus regibus & reginis nobilior, clariórq; nunc eſt. Et quis hoc fecit niſi is, quem mulier hoc officio proſecuta eſt? quod quidem neque facere neque prædicere humanæ facultatis fuit; etenim de ſe prædicare, non caret admiratione; de aliis vero prædicere & facere, longe admirabilius eſt. Item prædixit Petro, Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt, &c. quam vera extiterit hæc prædictio, teſtatur exitus rerum, neque enim bella, exercitus, reges, tyranni, hæretici, omnia genera tormentorum, non inteſtinæ pugnæ, ſed neque domeſticæ inter propinquos & neceſſarios atque amicos, hæc; inquam omnia non potuerunt Eccleſiā labefactare, idque in initio cum erat exigua & infirma, & animi auditorū imbecilli. Ne enim dicere vllus poſſet vnquam, Eccleſiam conſtitutam eſſe & ſtare atq; ſuſtentari pace regum, alioqui ruituram; Idcirco permiſit Chriſtus tunc cum erat infirmior, oppugnari & quati vndique. Conſidera mihi quot apud Græcos Politiā conſtituere voluerint, Zeno, Plato, Socrates, Diagoras, Anaxagoras, & infiniti alij, qui tantū abeſt, vt perficere potuerint, vt plurimi ne eorum quidem nomina ſciant aut teneant. Itaq; tenenda eſt ratio Gamalielis, qui eum vellet cōtinere Iudæos, ſanguinis Apoſtolici ſitientiſſimos, attendite, inquit, vobis, quoniam ſi ex hominibus eſt hoc opus, diſſoluetur, ſi autem ex Deo, nemo poterit diſſoluere: commemorat autem exempla Theudæ & Iudæ Galilæi, quos dæmon protulerat, atque commouerat, vt Chriſtus videretur vnus ex illorum numero in aduentu ſuo; ſicut duo quoq; latrones ad crucem adegit, volebat enim cōparatione mendacij veritatem obſcurare. Præterea dixit: *Non veni mittere pacē in terrā, ſed gladium*, non dixit: τὴν γνώμην ἑαυτῆς, id eſt, propoſitum atque conſilium tuum quodque erat cordi, ſed finem atque exitum rerum; *Veni enim*, ait, *ad ſeparandū hominē aduerſus patrem ſuum, & ſponſam*,

C

Tres pueri, Daniel, & alij quāuis expectarēt reditum in vrbē poſt 70. annos, habebántque de eo clariſſimum teſtimonium & promiſſionem, tamen nihil rūs repūtantes errare audebāt extra vrbem, vt audent noſtri temporis Iudæi, quibus nulla ſpes reditus reliqua eſt, non enim oſtendere poſſunt.

D

Prædictiones Chriſti. Matt. 26. Matt. 16. Act 5. Matt. 10.

E

&c. ſcilicet accidebat in eadem domo eſſe fidelem & infidelem, velléque patrem pertrahere filium ad infidelitatem; ergo hoc eſt quod ait: tanta vis erit Euangelicæ prædicationis, vt filij patres, & filiæ matres negligant, & parentes ipſi liberos: non enim ſuos tantum deſciēt, ſed animas quoque profundent, & omnes cruciatus ſuſtinebunt, vt non amittant pietatem: hoc ſcire & facere, non erit humanæ tantum facultatis; vnde enim ſciebat, ſuauiorem ſe fore parentibus, quam eiſdem filios eorum, deſideratiorē mulieribus quam viros earum, maiori reuerentia habendum, quā parentes à filiis? idque non vna in domo aut ciuitate, aut regione, neq; in vna gente, ſed in cuncto orbe ad exitum perductum videmus, & quotidie perduci. Deſerōtur enim propter religionem Chriſti parentes, filij, omnia denique ab iis, qui ſolo Chriſto contenti, illa omnia contempſerunt. Igitur qui hæc de muliere illa prædixit, & de Eccleſia, atque de hoc bello, idem prædixit templi deuaſtationem perpetuam; quæ cur non eſt credenda? præſertim poſt tam longinquum tempus exitus rei: cum cætera quæ prædixit, manibus teneantur? Sed quia Euangelio non credunt, doceamus ex Prophetis, quibus maximè credunt, neq. vrbem, neq; templum recuperaturos vnquā. Tametſi ad Iudæos potius pertinebat docere, ſe eſſe recuperaturos, ſiquidem nos habemus teſtimonium temporis nobiſcum faciens, illi vero nihil; Imò; ipſo exitu rerum coarguuntur. Ita ad Iudæos pertinebat docere ac probare inſtaurandam eſſe vrbem: ſiquidem in iudiciis hoc ſeruari videmus, ſi quis literas proferat, aduerſarius vero reprehēdit, cogitur refellere, aut alios teſtes producere; quare producant Prophetam aliquem in medium, qui prædixerit inſtaurationem vrbis; etenim ſi præſens Iudæorum ſeruitus atque calamitas finē vnquā habitura erat, nemo ignorat quin neceſſe fuerit à Prophetis id prænūtiari, cum eſſet vetus apud Iudæos conſuetudo, vt tam proſpera quam aduerſa prædicerent Prophetæ, idque propter ingratitudinem & impudentiam, quia enim ſtatim poſt accepta beneficia auctoris eorum immemores erant, & dæmonibus aſcribebant ea; vt cum egreſſi ſunt ex Ægypto, & mare diuiſū eſt, obliti Dei, diis falſis cauſam aſſignabāt, & Aaroni dixerūt: *Fac nobis Deos qui nos præcedant*. Et apud Hieremiam aiunt: *Poſtquam ceſſauimus ſacrificare reginæ cæli, & libare ei libamina, victi ſumus, & in gladium & famem incidimus*; ergo vt neque res lætas neque calamitates tribuerent idolis, ſed Deo; has propter peccata; illas propter eius benignitatem: idcirco prænūtiabant ea omnia Prophetæ; quod ex Eſaia perſpici poteſt. *Annuntiaui*, inquit, *tibi euentura, & feci vt audires, ne quando dicas, Idola mihi fecerunt, ſculptilia & fuſilia iuſſerunt*. Præterea quia poſt euentum rerum impudenter querebantur, quod non audiſſent, idcirco etiam non ſolum prænuntiabant futura, ſed teſtes quoque adhibere ſolebant. Sic Eſaias: *Adhibui teſtes*, inquit, *fideles homines Oriam & Zachariā filium Barachiæ ſacerdotem*; neque hoc ſolum, ſed etiam in tomo nouo Prophetiam ſcripſit, qui non corrumperetur ante exitum rei, ſed teſtari poſſet ante exitū prædictum eſſe, atque hoc quidem perſpici poteſt ex tribus ſeruitutibus, quas pertulerunt, ac nullam abſque prædictione loci, temporis, perſonæ & generis ipſius mali, & reditus ſiue liberationis, aliorúmq; omniū: prima fuit Ægyptia ſeruitus, quam prædixit Deus Abrahæ. *Sciens*, inquit, *praeſcies, quod peregrinum futurum ſit ſemen tuum*, &c. quo in loco numerum annorum habes 400. annos, & genus ſeruitutis; non enim ſolum dixit captiuum ducent: ſed affligent. Genus vero afflictionis expoſuit Moyſes: *paleas non dant ſeruis tuis, & iubent lateres facere, & verberabant quotidie*, &c. *Gentem quam ſeruituti afficient, iudicabo ego*. Ægyptiorum in mari rubro interitum deſignat. Deinde reditum prædicit & modum *redibunt, cum multa*, inquit, *ſupellectile*. Secundam ſeruitutem, Babylonicam, inquam, prædixit Hieremias notans tempus & vrbem, & vnde eſſent reuocandi. *Cum impleti*, inquit *fuerint 70. anni Babylone, viſitabo vos*, &c. Idcirco Daniel non prius preces pro captiuis Deo adhibuit, quam videret impletum numerum annorū, ne fruſtra deprecaretur

F

G

Cur Prophetæ dati Iudæis.

Exod. 32. Ier. 44. 18.

Eſa. 48. 5.

Eſa. 8. 2. Eſa. 30 a

De tribus ſeruitutibus Iudæorum.

H

Gen. 15. 2.

Exod. 5.

Exod. 12.

Ier. 25. 12.

feeitque

A fecitque quod nos facere ſolemus, cum ſeruus à Domino in carcerem coniicitur, non ſtatim accipimus deprecatores, ſed poſtquam iam iam dies aliquot pœnas luerit, cum, inquam, temporis adiumento vti poſſumus. Tertia captiuitas ſeu ſeruitus fuit ab Antiocho Epiphane, occiſo enim Daio rege Perſarum ab Alexandro, & hoc poſtea defuncto, quatuor reges ſucceſſerunt, ex quibus vnus fuit Antiochus, qui multo poſt tempore templum incendit, & ſancta ſanctorum vaſtauit, ac ſacrificia ſuſtulit, Iudæoſque ſubiugauit, quæ omnia diligētiſſime vſque ad diem vnum prædixit Daniel, quando & quomodo euentura erant, & quemadmodum & vbi interiturus ille, quatum rerum vi ſionem parabolice Daniel tradidit, vocans regem Perſa-

Dan. 8. rum *arietem*, Alexandrum *hircum* poſt cuius obitum 4. regum ſucceſſionem, quos cornua appellat, prænuntiat ex quibus vnus erat Antiochus Epiphanes, in quem deſinit Prophetia, poſt multa de bello Ptolemæorum, & Seleucorum interiecta. Ergo de Antiocho ſic prædicit brachia

B ex ipſo ſingent, & profanabunt ſancta, & transferent quotidianum ſacrificium, & populus cognoſcens Deum præualebunt, &c. quod de Machabæis dicitur: tandem mutationem temporum deſcribit, & liberationem Iudæorum poſt ſuppliciorum perpeſſionem, Angelo miſſo ad eorum auxilium, deinde prædicit quanto tempore erant hæc mala duratura, ſcilicet mille ducentis nonaginta diebus, id eſt, tribus annis cum dimidio & paulo amplius, prænuntians vero liberationem, ſubiunxit, beatus qui ſuſtinuerit & peruenerit ad dies 1335. addit 45. id eſt, menſem cum dimidio, quo tempore commiſſum eſt prælium, & parta victoria. Veniamus igitur ad eam ſeruitutem & calamitatem in qua nunc ſunt Iudæi quæ à Daniele prædi-

De 70. hebdomadibus. cta eſt, nuſquam vero liberatio. *Abbreuiatæ*, inquit, *ſunt ſuper populum hunc 70. hebdomades*, &c. à Cyro quidem

Dan. 9. vſque ad Antiochum & captiuitatem ſub eo 494. anni fluxerunt, ex quo conſtat non prædici à Daniele illam deuaſtationem, ſed eam quæ facta eſt à Pompeio & Tito

C & Veſpaſiano. Deinde docet, ex quo tempore ſint numerandæ hebdomades annorum 69 id eſt, 403. anni, non quidem à reditu Babylone, ſed ab exitu ſermonis reſponſi & ædificationis Ieruſalem non eſt autem ædificata ſub Cyro, ſed ſub Artaxerxe Longimano, *μετὰ γὰρ τὸν κῦρον*, rediit Cambyſes, deinde Magi, poſt eos Darius Hyſtaſpis, poſtea Xerxes Darij filius, deinde Artabanus, poſt hunc Artaxerxes Longimanus, qui fuit rex Perſidis 28. anno regni huius Neemias reuerſus vrbem inſtaurauit, vt Eſdras nobis diligenter ſcripſit. Si igitur ab hoc tempore numeremus 483. annos ſane deueni mus ad hanc deuaſtationem, quæ nunc durat. Idcirco ait: ædificabitur platea & murus, poſtquam, inquit, inſtaurata erit vrbs. Et ab eo tempore ſunt numerandæ hebdomades, videbiſque hanc captiuitatem nondum finitam quod ipſe Propheta prædixit. *Deſtenetur*, inquit, *vnctio & iudicium*, &c. & paulo poſt *neque erunt amplius reliquia, neque radix amplius pullulans*, &c. & infra: *tolletur ſacrificium & libatio, & adhæc in templo abominatio deuaſtationis vſque ad conſum-*

D *mationem temporis, conſummatio dabitur in vaſtationem.* Cum conſummatio auditur, nihil reliquum eſt quod expectetur: abominationem, deſolationis vocat ſtatuam quam in templo poſuit, qui vrbem vaſtauit, idcirco Dominus cuius aduentus fuit poſt Antiochum Epiphanem prædicens futuram captiuitatem, docenſque de ea locu-

Matt. 24. tum Danielem, *cum videritis*, inquit, *abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto, qui legit, intelligat.* Quia enim omne idolum, omniſque figura ſeu imago hominis apud Iudæos abominatio appellatur, in enigmate ſignificauit ſtatuam illam, ſimul etiam quando & à quo eſſet

Ioſeph. antiq. Iudaic. lib. 8. cap. 14. Quoties tentauerint Iudæi inſtaurare futura captiuitas. Quod autem hæc de Romanis dicta ſunt, Ioſephus etiam Iudæorum ſcriptor teſtatur.: quid ergo reſpondere poſſunt Iudæi, ſi Prophetæ reliquas captiuitates temporibus circumſcripſerunt, hanc vero nequaquam, imo vero contra ita prædixerunt illam, vt vſque ad conſummationem duraturam eſſe pronuntiarint? Sed age à rebus ipſis ſumamus teſtimonium, etenim ſi nunquam conati eſſent inſtaurare templum, fortaſſe dicere poſſent: Si voluiſſemus inſtaurare, omnino perfeciſ-

E ſemus, nunc autem oſtendam illos non ſemel aut iterum, ſed ter conatos, nihil profeciſſe, ſemel quidem ſub Adriano, quæ cauſa fuit, vt iratus Hadrianus reliquias templi omnes deleret; ac ne amplius ſimile quid auderent, ſtatuam ſuam in templo collocauit; quia vero videbat ſtatuam iniuria temporis aliquando collapſuram, ipſis reliquiis vrbis nomen impoſuit ſuum tanquam ſigillum & characterem impudentiæ Iudæorum & victoriæ ſuæ: vocabatur enim Ælius Adrianus. Poſt hunc tempore Conſtantini cum idem tentaſſent, deſectis auriculis inuſtaque eorum corporibus hac nota non obediendi, circumduci eos fecit, tanquam fugitiuos & Maſtygias, vt exemplo eſſent cæteris. Deinde noſtra ætate ante vigeſimum annum, cum conuocaret eos, & inuitaret Iulianus ad ſacrificandum idolis addens, ſic coli ſolitum eſſe Deum à maioribus Iudæorum, vel inimici confitebantur, quod nos nunc docuimus, extra vrbem ſanctam non licere ſibi ſacrificare, quare petierunt à Iuliano, ſi vellet eos ſacrificare, reſtitueret vrbem, inſtauraretque templum, poneret aram, oſtenderet ſancta ſanctorum, tunc ſe more maiorum ſacrificaturos, perſuaſere Iuliano, ſperabat enim ſic eos paulatim ad cultum idolorum pertrahendos, itaque poſt magnos ſumptus, magnoſque apparatus, magnis architectis vndique accerſitis, cum aggrederentur fundamenta iacta olim aperire, magnis aggeribus effoſſis, repente fundamenta flammas ignis euomuerunt, quibus plurimi conflagrarunt, atque hoc quidem tunc accidit cum non erant imperatores Chriſtiani, cum florebant res gentilium, cum Chriſtiani exagitabantur, & latitabant, ne dicere vnquam poſſent Iudæi, à Chriſtianis ſe fuiſſe prohibitos ab iſtique interruptum opus. Sed age: eſto, templum Iulianus reſtituiſſet Iudæis, aramque ædificaſſet illis, vt mentiuntur Iudæi, an poterat ignem è cœlo educere? qui cum non erat, impurum erat ſacrificiū, ſicuti cum filij Aaron interierunt, quia alienum ignem adhibuerunt. Sed producamus alios teſtes Prophetas. Poſtquam Iudæi reuerſi ſunt Babylone, & templum inſtaurarunt, & ſacrificia fecerunt, Malachias Propheta planiſſime res noſtras prædixit, eamque deuaſtationem quæ nunc durat, & ſacrificiorum veterum ceſſationem, non itaque cito Prophetam Eſaiam aut Hieremiam, ne reſpondere poſſint Iudæi prædictionem vaſtitatis exitum habuiſſe in captiuitate Babylonica, ergo ait Malachias, *accipiam ex vobis perſonas veſtras, dicit Dominus omnipotens, quoniam ab oriente ſolis, vſque ad occidentem nomen meum glorificatum eſt in gentibus, & in omni loco thymiama offertur nomini meo, & ſacrificium purum. & vos profanatis eum*, &c. quod ſi non ſit ſermo de noſtro ſacrificio, ſed de Iudæorum, ſequitur vt Prophetia Malachiæ cum lege pugnet; cum enim Moyſes iuſſerit in vno loco ſacrificare tantum, Propheta dicit, vbique ſacrificatum iri. At non pugnant: de alio enim ſacrificio loquitur Moyſes, de alio Malachias, quod ex multis ſignis colligi, & perſpici poteſt; ex loco, non enim ait in vna ciuitate, ſicut de Iudaico ſacrificio, ſed vbique ab oriente ſolis, &c. ſignificans quantum terrarum ſol illuſtrat, tantum occupabit prædicatio; ex perſonis ſacrificantibus, non enim dixit Iſrael, ſed in gentibus, ex genere ſacrificij quod ſignificauit, cum dixit purum, tanquam ſacrificium prius impurum fuiſſet, non quidem natura, ſed *διὰ τὴν προαίρεσιν* ſacrificantium, idcirco enim dixit Deus: *thymiama abominatio eſt mihi*, alia etiam ratione dici poteſt ſacrificium hoc noſtrum purum, illud vero impurum, comparatione ſcilicet: tanta eſt noſtri præſtantia & excellentia maior, ſicuti Paulus ait legem cum gratia comparans: *non eſt*, inquit, *glorificatum quod eſt glorificatum*, propter excellentem gloriam, ſic in ſacrificio noſtro, quod non per fumum, nidorem, ſanguinem adhibetur, ſed per gratiam ſancti Spiritus. Idem prædixit Sophonias: *apparebit Dominus in omnes gentes & deſtruet Deos gentium omnes, & adorabunt eum vnuſquiſque ex loco*, &c. cum quibus verbis & ſententia valde congruit illud Pauli: *Apparuit gratia Saluatoris omnibus hominibus*, ille dixit in omnes gentes, *erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & vt deſtrueret omnes, Deos gentium.*

Quod ſi Iudæi peccata ſua in cauſa dicant eſſe, cur non

templum Hieroſol. Hæc eſt Chryſoſt. lib. 2. in fin. de ſynagogis Iudæorū, & in 3. lib. ait, quod in ois pater afficitur contumelia, ſi illud lacesſitur conuitiis, ſacrius ſanctus contemnitur. Lib. 3. quod

F

Hier. c. 7. promittis Deus parcere ciuitati, ſi Sabbatū ſeruarent ac nunc ſeruant, neque tollunt onus in eo, neque tamen parcit. In eodem lib. quod tempore Chryſoſt. Iudæi habebant

G

ſacerdotem, ait enim profecto palam eſt, quod ſacerdos qui apud iſtos nunc eſt, impurus ſit ac nefarius, illegitimus atque profanus. Denique non propitias, ſed promoues. In eod. 3. in fine de ſynagogis. Et

H

enim ſi illa tunc erat ſpelunca latronū templum cum ſtatu ſuum obtineret, nunc etiamſi lupanar, ſi tranſgreſſionis locum, ſi diaboli ſpeluncā, ſi animarum exitium dixeris, ſi totius

A

per diuiſionis præcipitium ac barathrum, denique quidquid addideris, minus quam pro dignitate rei dixeris.

patriam & vrbem recuperent, rogemus eos quod ita magnum ſcelus commiſerint, vt commeruerint, perpetuum exilium, an prius iuſti erant, aut parum ſcelerati? certe Ezechiel duas meretrices inducens Oollam & Olibam: *Lupanar,* inquit, *ædificaſtis in Ægypto, & Deos alienos colebatis*, Item poſt diuiſi maris, ſciſſæque petræ miracula, aliaque multa, vitulum adorarunt, Moyſen lapidarunt, aliiſque modis occidere tentarunt, Deum blaſphemiis affecerunt, Beelphegor initiati ſunt, filios & filias dæmoniis immolarunt, denique omne genus ſceleris nefarij commiſerunt, præterea per Prophetam Deus 40. (inquit) *annis offenſus fui generationi illi & dixi: Semper hi errant corde*, quemadmodum vos non abiecit tunc Deus, quin potius poſt tanta ac tam grauia crimina tot miracula edidit, eaque beneficia contulit, quæ in nullum hominem collata vnquam ſunt: Relicta Moyſi nube loco tecti, columna loco facis, hoſtibus ſponte cedentibus ac fere voce ſola victis; neque armis neque copiis fuit opus, ſiquidem ſolo clangore tubarum muri ruebant, cibus admirabilis & diuinus, de quo Propheta admirans; *Panem*, inquit, *Angelorum dedit eis*, quare igitur nunc cum neque idola colunt, neque liberos mactant, neque Prophetas occidunt, neque alia huiuſmodi committunt, tamen in perpetua ſeruiture ſunt? Etenim ſi propter peccata iratus eſt illis Deus, debuit tunc magis, ſi tolerabat eos tunc, nunc magis oportuit, cum non ita grauia committunt.

Malac. 1. *De ſacrificio Miſſa.* 2. Cor. 3. 10. Soph. 2. 11.

B

Tit. 2. 11. Ezec. 23. Pſal. 94. Pſal. 77.

Verum, intelligo quod crimen ſit, quod ego patefaciam, imo potius res ipſa declarat: poſtquam Chriſtum occiderũt, non eſt illis reliqua excuſandi cauſa. Tunc enim in ſeruos peccabant, vt Moyſen, Prophetas alios; nunc vero in ipſum caput Chriſtum. Agite Iudæi, ſi impoſtor erat quem occidiſtis, quemadmodum Phinées vnius cædr facta, Deum cæteris iratum placauit, & ſacerdotiũ meruit. *Stetit,* inquit, *Phinees, placauit, & ceſſauit quaſſatio.* Vos autem poſt interfectum & in crucem actum impoſtorem, & Dei aduerſarium, vt dicitis, non modo nullo honore affecti eſtis, ſed potius ex eo tempore in ſummis calamitatibus & miſeriis, ac ſeruiture eſtis, maioribus, quam dum filios immolabatis, ac Idola colebatis. Iam per Hieremiam promiſit Deus parſurum ſe ciuitati, ſi ceſſarent Iudæi onera tollere in Sabbato: neque tamen hic in gratiam cum Deo redeunt, quia ſcil. hoc crimen cætera omnia ſuperat, quod niſi commiſiſſent, nunquam vſque adeo auertiſſet illos Deus, tametſi infinita alia patraſſent, quod ex eo perſpici poteſt, quod per Prophetas ſæpe ait, mille ſuppliciis maiores eorum dignos fuiſſe.

Pſal. 105.

C

Ierem. 17. 24.

Eſai. 48. 11.

Verum, ego, inquit, *facio propter nomen meum, ne profanetur in gentibus.* Et rurſus: *Non propter vos ego facio domus Iſrael, ſed propter nomen meum*, perinde atque diceret, grauioribus ſuppliciis æratis digni, verum ne quis dicat Deum eſſe infirmum, neque potuiſſe illos eripere malis, atque idcirco reliquiſſe eos hoſtibus, ob hanc cauſam adiuuo illis & eripio. Quare ſi impoſtor fuiſſet ille quem in crucem egeſtis, & ſi infinita alia crimina commiſiſſetis grauiora prioribus, tamẽ liberaſſet vos omnino, ne nomen ſuum blaſphemaretur, ne ille magnus quis exiſtimaretur, diceretque aliquis propter illum vos hæc perpeti mala. Neque dicere poſſunt Iudæi, vt audent nonnulli dicere, accepiſſe has calamitates ab hominibus, non à Deo, verum illatas eſſe a Romanis propter Dei iram & τὴ κατα-λύσι·; vel ex eo intelligi poteſt, quia ſi fuiſſent illatæ ab hominibus tantum, non progreſſa fuiſſent mala, ſed potius terminata fuiſſent ipſa vaſtitate.

D

Alludit ad 12. gemmas Rationalis, quarũ fulgore quomodo futura manifeſtata fuerint vide Ioſeph. antiq.

Sed ponamus, vrbem, templum, & aram illos euertiſſe; nunquid potuerunt homines Prophetas tollere omnino, ne amplius eſſent? potuerunt ſancti Spiritus gratiam delere? nunquid alia ſiſtere? vt vocem quæ ex propitiatorio ferebatur, energiam in vnctione, manifeſtationem in lapidibus ſacerdotis? etenim politia Iudæorum non omnia principia & origines ducebat ex terra, ſed pleraque ex cœlis, vt cum ſacrificandum erat, ara quidem in terra erat, & ligna, & cultri, & ſacerdos: ignis vero quo erat hoſtia conſumenda, è cœlis ferebatur deorſum item ſi quid erat diſcendum, è medio Cherubim & propitiatorij vox ferebatur, qua futura prædicebantur. Similiter in lapidibus pectoris erat quidam ſplendor, qui præſignificabat futura, quod vocabant δήλωσιν. Adhæc cum erat facienda vnctio, Spiritus ſancti gratia deſcendebat, & oleum † ſaliebat. Ac Prophetæ quidem bis ſubſeruiebant, reſque iſtas adminiſtrabant: item nubes & fumus adyta replebant, itaque ne Iudæi deſolationis cauſam aſſignent hominibus, conſiderent non ſolum vrbem & templum euerſa eſſe, ſed illa quoque ſublata quæ ortus & origines ducebant è cœlo. Si vero dicant Iudæi, nihil ſe horum habere, qui non teneant metropolin; doceamus, non eſſe cauſam cur his careant, euerſionem templi, ſane quidem cum vaticinabatur Moyſes, neque templum erat neque ara, quin potius infinita & incredibilis impietas Iudæorum, tamen non ideo aberat Prophetiæ chariſma, imo cum Moyſe fuerunt alij ſeptuaginta Prophetæ præterea incenſo templo Babylone, nonne Ezechiel & Daniel Prophetæ fuerunt procul a ſanctis ſanctorum in media regione barbarorum & impurorum hominum, prædicebantque multa & admirabilia, Deumque videbant, quantum licebat? Perſpicuum itaque eſt propter Chriſtum ab eis occiſum hæc mala eueniſſe, quod ex ipſis etiam Prophetis perſpici poteſt, inter quos Eſaias clariſſime cauſam tantorum malorum exponit his verbis, quæ ſequuntur, quibus prædicit commune omnium beneficium, per Chriſtum, & Ingratitudinem Iudæorum. *Liuore,* inquit, *eius ſanati ſumus omnes,* ſalutem ex cruce profectam deſignat.

E

lib. 3 c. 9. & Philonem lib. de Monarchia. ἀπορρίδα.

F

Eſa. 53.

Deinde docet, quales nos eramus: omnes vt oues errauimus, deinde modum ſupplicij exponit: tanquam ouis ad occiſionem ductus eſt, & velut agnus coram tondente eum mutus, ſic non aperuit os ſuum, in humilitate eius Iudicium eius ſublatum eſt. Cernitur hoc in Euangelio: Cum enim eſſet Ieſus in iudicio Pilati, teſtimoniumque contra eum dicerent, nihil tamen reſpondit. Deinde deſignans iniquitatem iudicij, ait: *In humilitate, eius ſublatum eſt iudicium:* perinde atque diceret: Nemo cauſam eius defendebat, neque ſuffragabatur, quin potius omnes teſtimonia falſa comprobabant; quia ſcilicet nolebat ſe vlciſci Ieſus, etenim ſi voluiſſet, omnia mouiſſet, ac tremefeciſſet, qui quidem cum in cruce erat, ſaxa dirupit, & ſolem obſcurauit; noluit tamen: ſed potius moderate & toleranter ferre, idcircò dixit: in humilitate eius ſublatum eſt iudicium eius. Deinde docens non eſſe illum hominem ex numero aliorum, ſubiunxit: Generationem eius quis enarrabit? tollitur a terra vita eius. Hoc eſt quod Paulus dixit: *Vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo, cum Chriſtus apparuerit, vita noſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria.* Deinde poſt iudicium illud iniquum, poſt mortem, poſt aſcenſum poſtquam, inquam, dixit: *Tollitur à terra vita eius,* ſubiunxit: *Et dabo impios pro ſepultura eius, & diuites pro morte eius.*

Matt. 27.

G

Coloſſ. 3. 3.

Eſa. 53. 8.

Sed rurſus doceamus, legem non poſſe extra vrbem Hieroſolymam exerceri, neque vim habere, niſi in Ieruſalem. Idcirco enim aiebat minitans: *Non viſitabo ſuper filias veſtras, cum fuerint fornicatæ, & ſuper ſponſas veſtras cum adulterauerint.* Quod quidem ex lege intelligi poteſt; erat enim lex quæ iubebat, vt ſi mulier adultera eſſet, & adulterium ſuſpicaretur vir, tamen neque teſtis eſſet, neque ventrem ferret vt coargueretur, adduceret eam vir ad ſacerdotem & offerret munus eius, conueniens quidem rei triſti & malæ ſuſpicioni, nempe farinam hordeaceam abſque oleo, & thure. *Deinde accipiet,* Inquit, *Sacerdos aquam puram in fictili, & in eam parum terræ ex pauimento ſumptum, mittet, & ſiſtet mulierem, adiurabitque eam, & dicet: Si non es tranſgreſſa,* &c. Si autem es tranſgreſſa, & polluta, tecumque aliquis rem habuit, det te Dominus in maledictum & iuramentum in medio populi, id eſt, vt dicant alij; Ne patiar quod illa paſſa eſt, cum incenderit Dominus ventrem tuum, & intrabit aqua maledicta & inflammãdum ventrem tuum, & eueniet, & ſi polluta fuerit mulier, intrabit aqua probationis & inflammabit ventrem eius. Quia igitur ductis Iudæis captiuis, cum non erat illis tabernaculum neque ſacrificiũ, nihil horum fieri poterit, idcirco Deus minabatur,

Quod lex extra Ieruſalem non poterat exerceri.

H

Oſee 4. 14.

Num. 5. 17.

non

[A] inquiens: *Non viſitabo filias veſtras, quando adulterauerint.* [Oſee 4. 14.] Ex quo perſpici poteſt clariſſime, ex loco vim habuiſſe legem.

I'oceamus ex alio loco ſacrificia & ſacerdotium Iudæorum ceſſaſſe: neque amplius renouanda. Ait enim Dauid: *Multa feciſti tu Domine Deus meus mirabilia tua: & cogitationibus tuis non eſt qui ſimilis ſit tibi. Annunciaui & locutus ſum.* [Pſal. 39. 6.] Demirans Propheta & obſtupeſcens, nihil de mundi fabrica, ſubiunxit, de terra, mari, aquis, & igne, non de illis in Ægypto editis miraculis, non de multis aliis. Sed quid? Sacrificium & oblationem noluiſti, cernebat enim oculis propheticis vocationem gentium, & quemadmodum non ſolum gentes relicto idolorum cultu, ſed & Iudæi, relictis ſacrificiis & holocauſtomatibus aliiſque corporeis, ad noſtram doctrinam & religionem traducendi erant. Ergo demirans tantam ac tam ſtupendam mutationem rerum, & quemadmodum ex dæmonibus homines velut Angelos effecturus erat, & [B] vitam introducturus cœlis dignam, idque ſublato ſacrificio vetere, & alio introducto ſcilicet Chriſti corpore, in hæc verba prorupit. [Hebr. 10. 5.] *Multa feciſti Domine,* &c. Deinde: [Pſal. 39. 7.] *Sacrificium & oblationem noluiſti, corpus autem perfeciſti mihi,* corpus Chriſti deſignat, quod fuit commune totius orbis ſacrificium & hoſtia, quæ animas noſtras purgauit, peccatum deleuit, mortem extinxit, cœlos aperuit, multorumque aliorum bonorum ſpem attulit, quod Paulus ſciēs [Rom. 11. 33.] clamabat his vocibus: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei: quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius!* [Pſal. 39.] Deinde ſequitur in Propheta: *Quoniam holocauſta & pro peccato non poſtulaſti: tunc dixi, Ecce venio,* ſcilicet in abſolutiora illa & rudiora ac craſſiora vetera per miniſtros ſuos dedit, celſiora vero & quæ humanam naturam [Hebr. 1. 1.] ſuperant, per ſeipſum: vnde Paulus: *Multifariam,* inquit, *multiſque modis olim Deus loquens patribus,* &c. *nouiſſime vero diebus iſtis locutus eſt nobis in filio.* [Ioan. 1. 17.] Et Ioannes: *Lex per Moyſen data eſt, gratia vero & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* [Pſal. 39. 9.]

[Hebr. 10. 7.] Deinde ne exiſtimaret quis, nouum Deum quendam eſſe hic, ſubiunxit: *In capite libri ſcriptum eſt de me,* [C] proinde atque diceret: Iam olim me prænunciarunt Prophetæ, id eſt, meum aduentum, notitiamque meæ diuinitatis in principio bibliorum, hominibus dederunt, [Geneſ. 1. 26.] ſcilicet cum ait Deus: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* In ænigmate filij diuinitatem ſignificauit, deinde vt doceret huiuſmodi mutationem politiæ non eſſe contra Dei voluntatem, ita vt veteribus ſacrificiis ſublatis aliud ſuccederet, poſtquam dixit: *In capite libri,* ſubiunxit: *Vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio ventris mei.* Deinde declarans quæ illa eſſet voluntas, prætermiſſis ſacrificiis, non commemoratis oblationibus, neque laboribus, aut ſudoribus, aut operibus, ait: *Annunciaui iuſtitiam in Eccleſia magna,* non [Pſal. 39.] dixit: *Dedi,* ſed [illegible], ſcilicet quia non propter officia, virtutes, labores, obſequla, ſed gratis tantum genus noſtrum iuſtificauit. Quod Paulus declarauit, dicens. [Rom. 3. 21.] *Sine lege iuſtitia Dei manifeſtata eſt, iuſtitia autem per fidem Ieſu Chriſti, non per laborem vllum aut fatigationem.* [D] [Hebr. 10. 1.] Hoc teſtimonium citans Paulus, dixit: *Vmbram habens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum,* per ſingulos annos eiſdem ipſis hoſtiis quas offerunt indeſinenter, [Leuit. 16. 14.] nunquam poteſt accedentes perfectos facere. [Hebr. 10. 5.] Ideo ingrediens mundum, dicit: *Hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi.* Ingreſſum in hunc mundum vocat aduentum in carne, non quod locum mutaret: qui enim poſſet, qui vbique eſt? ſed quia ſic ſe nobis oſtendit & apparuit. Verum quia pugna nobis eſt non ſolum cum Iudæis, ſed cum gentilibus, & multis hæreticis, videamus, cur cum infinita alia teſtimonia haberet Paulus ad probandum, otioſam eſſe legem, & veterem illam politiam ceſſaſſe, huius meminit. Quod quidem non temere, neque caſu, ſed incredibili quadam prudentia fecit, & admirabili ratione, quod enim alia haberet teſtimonia ad hunc locum, & quidem longiora, ſciunt omnes. Eſaias enim ait: [Eſa. 1. 11.] *Non eſt mihi voluntas in vobis, plenus ſum holocauſtomatibus,* &c. [Eſa. 43. 22.] Et alias: *Non vocabo te nunc Iacob, neque laborare feci Iſrael, non honoraſti me ſacrificiis,* &c. [E] Et Ieremias: [Ierem. 6. 20.] *Vt quid mihi thus ex Saba affertis, & Cynamomum ex terra longinqua?* Et alius Propheta: [Amos 5. 23.] *Aufer à me tumultum carminum tuorum, & cantica lyræ tuæ non audiam.* Et Dauid: [Pſal. 49. 9.] *Non accipiam de domo tua vitulos.* Cum ergo hæc aliaque multa teſtimonia haberet Paulus, quibus Deus ſacrificia, [Eſa. 1. 13.] Sabbata, Neomenias, dies feſtos Iudæorum reiicit, tamen illis prætermiſſis hoc ſolum citauit; ſcilicet quia ex Iudæis ij qui ad contradicendum exercitatiores ſunt, dicere ſolent, veterem politiam ſolutam eſſe, non quidem quia non eſſet perfecta & abſoluta, & neque quia altera melior introduceretur, ſed propter improbitatem & nequitiam ſacrificantium.

Sic etiam ait Eſaias: *Cum extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis.* Deinde cauſam reddit: [Pſal. 49.] *Manus veſtræ ſanguine plenæ ſunt.* Itaque non ſacrificia, ſed ſacrificantes accuſat. Dauid ſimiliter: *Non accipiam de domo tua vitulos,* &c. deinde ſubiunxit; *peccatori autem dixi:* [Pſal. 49. 7.] *Quare tu enarras teſtamentum meum per os tuum? Tu odiſti diſciplinam.* [F] Quo in loco non ſacrificia, ſed ipſos ſacrificantes reprehendit. Quia ergo hæc Iudæi obiiciunt, Paulus vt eorum impudentiam retunderet, hoc teſtimonio vſus eſt, quo doceret illam politiam, quia imperfecta & inabſoluta erat, repudiaſſe Deum: non enim eſt hic vlla accuſatio offerentium, ſed imperfectio ſolum oblationum & ſacrificiorum notata, ſacrificium, inquit, & oblationem noluiſti, corpus autem perfeciſti mihi, holocauſta, & pro peccato non poſtulaſti, atque hoc interpretans Paulus, ait: [Hebr. 10. 5.] *Aufert primum, vt ſequens ſtatuat,* cum enim dixiſſet, *Sacrificium & oblationem noluiſti,* deinde: *Corpus autem perfeciſti mihi,* docuiſſetque alterum ſacrificium introductum, nullam impoſterum ſpem reliquit de reſtituendo illo primo ſacrificio, idemque explanans Paulus dixit: Per hanc oblationem ſanctificatos nos eſſe voluntate Chriſti. [Hebr. 10. 10.] [Hebr. 9. 13.] *Si enim,* inquit, *ſanguis hircorum & taurorum & cinis vitulæ aſperſus, inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis; quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum obtulit ſemetipſum, emundabit conſcientiam veſtram ab operibus mortuis?* Satis igitur demonſtratum eſt, vel hoc teſtimonio, ſacrificium illud vetus ceſſaſſe, alterumque pro [G] eo inductum, neque amplius illud eſſe renouandum atque reſtituendum.

Doceamus idem de ſacerdotio; ceſſaſſe, inquam, & pro eo alterum ſucceſſiſſe, quod conſtabit, ſi docuerimus poſt Aaron & ſacerdotium illud, poſt ſacrificia & oblationes illas, alium ſacerdotem ſucceſſurum fuiſſe non ex illa tribu, ſed ex alia, ex qua nunquam fuit ſacerdos; non ſecundum ordinem Aaron, ſed ſecundum ordinem Melchiſedech, etenim ſi dominaturum eſſet ſacerdotium illud vetus, non ſecundum ordinem Melchiſedech, ſed ſecundum ordinem Aaron, erat dicendum. Ergo ait Dauid: [Pſal. 109.] *Dixit Dominus Domino meo.* Si fuiſſet priuatus, fortaſſe impudentes Iudei dixiſſent, de homine dictum eſſe hoc: nūc autem Rex quem potuit dicere Dominum, niſi ſolum Deum? hominem enim numquam Dominum vocaſſet. Deinde de quo homine dicere potuit Danid, Sedere ad dextram [H] illius gloriæ? Præterea ne quis exiſtimaret infirmum eſſe illum aut parum potentem, ſubiunxit: Tecum principatus in die virtutis tuæ, quod magis ac magis declarans addidit: Ex vtero ante luciferum genui te. Ante luciferum vero nullus homo genitus eſt. Tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech. Quæro à Iudæis, ſi non erat vetus ſacerdotium tollendum, quorſum alium ſacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech introduxit? [Hebr. 5.] Ad hunc locum deuenit Paulus; vt oſtenderet ſacerdotij noſtri excellentiam ſupra vetus; quæ quidem maior excellentia in ipſis typis rerum deſignata fuit, ſiquidem Abraham pater Iſaac, auus Iacob, progenitor Leui locum laici tenuit in Melchiſedech: quando quidem decimas ei dedit, [Gen. 14.] vt dare ſolent laici ſacerdotibus, & à Melchiſedech benedictionem accepit, vt etiam ſolent laici à ſacerdotibus. Si igitur perfectio & conſeruatio per Leuiticum ſacerdotium erat, (populus enim in ipſo legem accepit) quid neceſſe erat alium ſacerdotem ſurgere ſecundum ordinem Melchiſedech, & non ſecundum ordinem Aaron dici?

A id eſt, ſi res Iudæorum, eorumque politiæ perfectæ erant,
ac non potius lex, vmbra erat futurorum bonorum, imo
ipſa omnia perficiebat, neque erat alteri ceſſura, neque
ſacerdotium prius tolli de medio & alterum ſuccedere
Pſal.109. debebat; quorſum Propheta dixit: *Tu es ſacerdos?* &c.
erat enim dicendum: Secundum ordinem Aaron. Per-
ſpicuum ergo, eſt alterum ſacerdotium priore præſtantius
ſucceſſiſſe, etenim ſi typus iſte excellentior erat Iudaico
ſacerdotio, profectò multo magis erit veritas ipſa, quod
quidem Paulus his verbis dixit: Et amplius adhuc manife-
ſtum eſt, ſi ſecundum ſimilitudinem Melchiſedech exur-
gat alius ſacerdos, qui non ſecundum legem mandati
carnalis factus eſt, ſed ſecundum virtutem vitæ mortalis.
Hebr. 7. 15. Dixit: *Non ſecundum legem mandati carnalis*; quia nihil
carnale iuſſit: non enim immolare oues aut vitulos, ſed
virtute Deum colere, cuius cultus præmium poſuit vitam
immortalem. Virtutem quoque ſeu potentiam dixit,
B quia mortuos nos propter peccata, ipſe veniens ad nos,
Hic videtur lacuna fuiſſe in m.ſ. reuocauit ad vitam, duplici cæde facta, peccati, & mortis
carnis. Itaque quia hæc attulit bona, ideo dixit: *non ſecun-
dum legem mandati carnalis*, ſed ſecundum &..........

Prophetam ſuſcitabo ipſis ſicut te ex fratribus eorum.
Deut.18. 15. Non hoc dixit Moyſes populo vt alioqui debebat, tunc
cum à Deo illud audiuit, ne ſcilicet de Ieſu Naue acci-
peremus; quamobrem expectauit, quod ille eſſet à ſe electus,
quod continet hiſtoria Num. atque ita deinceps Deute-
Num.27. ronom. dixit: *Prophetam ſuſcitabit tibi Dominus Deus*
Deut.34. 10. *tuus ex fratribus tuis*, &c. & in extrema parte Deuteron.
Non ſurrexit Propheta in Iſrael vt Moyſes, &c. non ergo
de Ieſu Naue accipi poteſt. Adde quod neque legiſlator
fuit, neque vt Moyſes Deum vidit. ....

Et hic videtur lacuna. Dixit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem.* Item in
Geneſ. 1. 26. Geneſ. *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt.* Et eodem
libro: *Venite deſcendamus & confundamus linguam.* Non
Geneſ.3. 22. noſtro more loquitur Deus: vox enim propter auditum,
& auditus propter vocem; vbi autem non eſt aer, neque
Geneſ. 11. 7. lingua, neque auditus, neque porus, qui ad ſenſum qui in
capite eſt, ſonum deferat, non eſt vllus verborum viſus.
De voce Dei vide Baſ. ho 1. & 2. in Pſ. 28. Ergo ſermo Dei eſt diuina voluntas, ſeu ipſius diuinæ
voluntatis communicatio μετὰ τῆς συνεργούσης προαιρέσεως,
ergo vt doceret Scriptura, non tantum voluiſſe Deum, vt
fieret mundus, & creatura, ſed vt fierent atque in lucem
ederentur omnia δυνάμει ἐνεργῷ, idcirco ſermonem ſic
C conformauit: alioqui potuit dicere, ſicuti cœperat: *In
Gen. 1. principio creauit*, & deinde fecit ſolem, & fecit ſidera.
Nunc autem cum Deum introduxerit colloquentem, pro-
fectò deſignat eum cum quo ſermonem habet, tametſi
taceat. Sic itaque excitat Scriptura ad inquirendum per-
ſonam, cum qua diſſerit Deus. In eodem libro apparuit
Gen. 18. Deus Abrahæ. Et ecce tres viri. Paulo poſt: *Domini ſi inue-
Gen. 19. ni gratiam*, &c. Et eodem: *Pluit Dominus à Domino*, vbi
πνευματικὰ καὶ ἰσοδυναμία ſignificatur, cum duabus autem
Pſal. 5. 10. 9. perſonis introducitur etiam tertia διὰ τὸ ἀχώριστον καὶ
φιλάλληλον, vt Dauid: *In lumine tuo videbimus lumen*,
Et hic in m.ſ. lacuna eſt. id eſt, Spiritum ſanctum; per Filium enim vt Patrem, ſic
& Spiritum ſanctum planius nouimus.......

D Ex Athanaſio libro de Incarnat. contra Iudæos. Cuius
Matth 2. 2. ortus oſtenſus fuit toti orbi teſtificante ſtella. Moyſes à
parentibus abſconditus fuit. David in vicinis quidem co-
Exod. 2. 2. gnitus, ſiquidem Samueli non erat notus, qui rogauit pa-
1. Reg. 16. 11. trem eius, verum eſſet illi alius. Abraham poſtquam factus
eſt magnus, cognitus fuit à finitimis. Quis antequam
Gen. 12. noſſet vocare patrem aut matrem regnauit, & de hoſtibus
Eſai. 8. 4. triumphauit, vt Chriſtus victis dæmonibus, & idolatria ſu-
2. Reg. 5. 4. blata? Etenim Dauid triginta annorum erat cum regnare
* *Manaſſes regnauit 55. annis* cœpit, Salomon * 55. Ioas quidem 7. Ioſias circiter 7. tamen
potuerunt appellare patrem & matrem. Quis Rex fuit in
Iſraël aut Iuda, in quo omnes gentes ſpem poſuerint, &
2. Reg. 2. 1. pacem habuerint? An non potius Ieruſalem ab omnibus
vndique gentibus oppugnabatur? ab Aſſyriis, Ægyptiis, Ba-
Salomon vero tantum 40. annis, vt habetur. byloniis, Syris? David Moabitas debellauit, Ioſias finitimos
cauebat, Ezechias Senacherim timuit, Moyſes cum Ama-
lech pugnauit, Amorrhæi Hiericunthini Ieſu reſiſtebant.
Quis Propheta, aut ſanctus, aut Patriarcha pro ſalute fuit
in cruce morte affectus? quis deſcendit in Ægyptum, &

ſuo deſcenſu idolorum cultum ſuſtulit? Moyſes in Ægy- E
pto fuit? ſed nihilominus fuit idololatra. Abraham quo- 1. Reg. 11. 40.
que deſcendit, ſed idola non euertit. Quis ſanctus in Scri-
ptura pedibus & manibus perforatis in ligno ſuſpenſus
mortuus vnquam eſt? Abraham in lecto mortuus eſt.
Iſaac & Iacob extendentes pedes in lecto mortui ſunt.
Moyſes & Aaron in monte, Dauid domi abſque inſidiis:
quamuis autem quæſitus eſſet à Saüle, tamen nihil paſſus
eſt. Eſaias ſectus eſt, ſed non in ligno ſuſpenſus eſt. Iere-
mias contumeliis affectus eſt; ſed non eſt ad mortem
damnatus. Ezechiel paſſus eſt; ſed non pro populo, ſed
potius quia prædicebat futura aduerſus populum. Præterea
hi quos diximus homines tantum erant: at quem Scriptura
paſſurum pro omnibus præſignificauit, non homo tantum,
ſed vita omnium dicitur reliquis hominibus ſimilis. *Vide-*
bitis, inquit, *vitam veſtram pendentem ante oculos veſtros.* Deut. 28. 68.
Et illud: *Generationem eius quis enarrabit*: Omnium qui- Eſai. 53. 8.
dem ſanctorum poteſt aliquis omnem à principio ſtirpem
& ortum reperire, & diſcere, quis, & vnde. At eius, qui
vita eſt nemo. Quæ vnquam mulier abſque viro potuit F
generare? Abel nonne ex Adam, Enoch ex Iared, Noë ex
Lamech, Abraham ex Thare, Iſaac ex Abraham, Iacob
ex Iſaac, Samuel ex Elcana, Dauid ex Ieſſe, Ezechias
ex Achaab, Ioſias ex Amos, Eſaias ex Amos? At generatio-
nem Domini noſtri Ieſu Chriſti nemo poteſt enarrare ſe-
cundum carnem, quia ſcilicet nemo eſt, qui poſſit oſten-
dere patrem eius ſecundum carnem, quia non fuit corpus
ex viro, ſed ex Virgine ſola. Præterea Eſaias: *Veniet &* Eſai 35. 5.
ſaluabit nos: aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum 4. Reg. 5.
patebunt. Sanatus quidem eſt à lepra Naaman? ſed ſurdus 3. Reg. 17.
non audit, neque claudus ambulauit. Mortuum ſuſcitauit
Elias; ſed viſum non reſtituit cæco à natiuitate, atqui vt
non tacuit Scriptura de leproſo & mortuo viduæ, pro-
fectò neque tacuiſſet de cæco, & claudo, relinquitur ergo
non fuiſſe hæc facta, niſi cum venit Dominus in carne,
cuius aduentus hæc ſigna prædicit Eſaias. *Quid ergo debuit* Eſa. 35.
facere Chriſtus quod non fecerit? Non vocauit gentes? Non
abſtulit Prophetiam & regnum? non euacuauit mortem?
aut quid reliquum eſt, quod non ſit impletum? Hoc eſt
quod Iudæos conuincere debet, quod ſenſus ſcripturarum G
tam mirificè conſpiret cum exitu rerum, & cum ordine
temporum, vt ait Tertullianus. Idem lib. 3. contra Marcio.
Conueniunt autem in decimum caput Danielis. Si non
dum, inquit, venit CHRISTVS creatoris, propter quem
hæc paſſuri prædicantur, cum venerit ergo patientur, &
vbi tunc filia Sion derelinquenda, quæ nulla hodie eſt?
vbi ciuitates exurendæ, quæ iam in tumulis? vel diſper-
ſio gentis, quæ iam ex torris? Redde ſtatum Iudææ, quem
Chriſtus creatoris inueniet, & alium contende veniſſe.
....

Eſaias de Ieruſalem ſpirituali: *Dilata locum tentorij.* Non *Hic lacuna eſt in m.ſ.*
poſſunt hæc intelligi de templo Ieroſolymitano, ſed de *Quæ ſequuntur & forte etiã quædam ex*
Eccleſiis Chriſtianorum, quæ multo maiores & ditiores
ſunt, & altare habent venerabilius ædificato templo Hie-
roſolymitano. Poſt illud ab Aſſyriis incenſum; Quis ve-
ſtrum, inquit Deus, qui vidit hanc domum in gloria ſua
priore, & quomodo videtis nunc quaſi non ſit coram vo-
bis? *Viuo ego, dicit Dominus*, quod magna erit gloria do- H
mus iſtius nouiſſimæ, plus quam primæ: multo enim ma- *præcedentibus videntur eſſe nota ſeu additamenta alterius, nõ autem ipſius Anaſtaſii.*
iores & ditiores ſunt per cunctum orbem Eccleſiæ quæ
altare venerandum habent in Dei gloriam, quam tem-
plum illud Hieroſolymitanum; ſi illud ſecundum nun-
quam amplius erat inſtaurandum, poſtquam eſſet diru-
tum, & prophetauit Daniel, ergo templum nouiſſimum,
de quo prophetat Aggæus, non eſt Hieroſolymitanum:
de ſecundo autem templo non poteſt intelligi; illud
enim comparatum cum priore quaſi non erat. Non ergo Aggæi 2. 8.
gloria illius erit ſupra prioris gloriam. Relinquitur ergo
vt intelligatur de noſtra Eccleſia Catholica, per cunctum Dan. 9.
orbem diffuſa.

Item: *Ecce ego paro tibi carbunculum*, tanquã de ciuitate
pulcherrima futura, de Eccleſia gentium loquitur, quam
prius appellauit humilem & vacillantem, quæ non erat
conſequuta conſolationem, quod non poteſt conuenire
in Hieroſ. terreſtrem, quæ legem & Prophetas habuerat.

A Neceſſe eſt ergo, vt de ædificio ſpirituali ciuitatis ſpiritualis intelligatur. Item Eſaias c. 56. *Introducam eos in montem ſanctum meum.* De alienigenis loquitur, quibus lex

Deut. 23. 3. prohibebat ingredi templum. *Non ingredietur*, (inquit) *Ammonites & Moabites in Eccleſiam Domini.*

Eſa. 56. 7. Quare neceſſe eſt non de templo Hieroſolim. intelligere. Et paulo poſt ſimiliter: *Domus orationis* (id eſt templum) *vocabitur cunctis populis.* Vbi cum dicit de omnibus gentibus ſine vllius gentis exceptione, neceſſe eſt de templo Ieruſalem ſpiritualis, & non de templo Ieruſalem terreſtris.

Eſa. 61. 5. Eſaias cap. 61. *Et venient alienigenæ paſcentes oues tuas.* Clare hic, vt annotauit Cyrillus, ſignificat futuram eſſe tranſlationem legis & ſacerdotij: Non enim amplius ex tribu Leui erant futuri paſtores & ſacerdotes, quod ſi alia erit lex, & aliud ſacerdotium, ergo & alia hoſtia, & aliud templum; quare illa Ieruſalem, cuius ædificatio ſupra prophetabatur, non terreſtris eſt intelligenda, ſed ſpiritualis.

B

Eſa. 60. 7. Eſai. c. 60. *Arietes Nabaioth miniſtrabunt tibi, offerentur accepta in altari.* Significat gentes ſacrificaturas eſſe Deo ſacrificiis acceptis; quare non de ſacrificiis legis intelligi poteſt, neque de altari terreſtris Ieruſalem, ergo ſpiritualis.

Eſa. 66. 20. Et cap. 66. *Et adducent omnes fratres veſtros de cunctis gentibus donum Domino.* De gentibus dicit, qui non erant prius donum Deo oblatum, neque erant populus Dei, vt quidem erant Iudæi; & hos vocat fratres, ſicut ſu-

Eſa. 66. 5. Exod. 23. 32. pra iuſſerat appellare, inquiens: *Dicite eis qui vos oderunt*; id eſt alienigenis, *fratres noſtri eſtis*, cum tamen ſcriptum eſſet in lege Moyſis de alienigenis; *Et non loqueris eis pacifica.* Hi ergo ſunt dona Deo, & vt ſupra dixit cap. 16. accepta in altari, ipſi enim ſunt hoſtes ſpiritua-

Deut. 7. 2. Eſa. 66. 25. les. De his ergo gentilibus ſubiungit: *Et aſſumam ex eis in ſacerdotes & Leuitas*, qui quidem ad templum Ieruſalem terreſtris non poſſunt ſecundum legem Moyſis pertinere.

Eſa. 65. 18. Eſai. 65. *Ecce ego creo Ieruſalem exultationem.*

C

Pſ. 86. 1. Pſal. 86. *Fundamenta eius in montibus ſanctis: diligit Dominus portas Sion. Et ipſe fundauit eam altiſſimus.*

Amos 8. 2. Amos 8. *Venit finis ſuper populum meum, & ecce vas aucupis non adiiciam vltra, vt pertranſeam eum.* Et cap. 9.

Amos 9. 11. *In die illa ſuſcitabo tabernaculum Dauid, quod cecidit,* c. 8.

Amos 8. 9. *In die illa occidet ſol in meridie.* ......

Cætera deſunt.

COLLECTANEA QVÆDAM incerti Auctoris contra Seuerianos & Acephalos.

Franciſco Turriano Interprete ab Henric. Caniſ. Tom. 4. antiq. Lect. edita.

Videtur vixiſſe circa tempora Ioã. D *mis Damaſceni.*

SEuerus in libro contra Cæſareum Grammaticum obiicit Catholicis percunctando qui vnam naturam dicunt in homine alioqui compoſito ex corpore & anima duabus ſubſtantiis & dicunt, eſſe eundem modum compoſitionis in myſterio incarnationis, & in homine, quare non ſimpliciter confitentur vnam ſubſtantiam in Chriſto, ſiquidem dicunt idem eſſe ſubſtantiam, & naturam? Hæretici enim quod primum, & proprie, ac maxime ſubſtantia eſt atomum, id eſt, indiuiduum, libenter confitentur, de natura autem neque Peripatetici tradunt, fortaſſe, quia iudicauerunt nomen ſubſtantiæ & nomen naturæ differre.

Sciendum eſt, quod patres Concilij Chalcedonenſis, ſequentes patres Concilij Nicæni, dixerunt idem eſſe naturam, & ſubſtantiam; aliud vero eſſe præter ſubſtantiam atomum, & hypoſtaſim. Philoſophi vero externi vnam primam ſubſtantiam eſſe dicunt atomum, non idem eſſe ſubſtantiam & naturam. Hæretici autem Eutychis & Seueri τῷ ὄντι diſcipuli non ſequuntur ſanctos Patres, qui dicunt idem eſſe ſubſtantiam & naturam., & aliud præter hæc, atomum & hypoſtaſim; nec externos Philo-

E ſophos, qui atomum vocant primam & maxime propriam ſubſtantiam, non autem primam naturam. Seuerus enim vt dixi, & qui eum ſequuntur, Idem dicunt eſſe naturam, & hypoſtaſim & atomum. Subſtantiam, & hypoſtaſim & atomum idem eſſe nolunt dicere, ſicut dicunt ſapientes Gentilium.

Ex Pamphilo.

INquit Ariſtot. *Subſtantia eſt propriiſſime, & primum, & maxime dicta, quæ nec de ſubiecto dicitur, neque in ſubiecto eſt. Propriiſſime* dixit, quia proprie dicitur & non ſecundum metaphoram; primum, quia non per medium aliquod intelligitur, ſed ipſam primum cognoſcimus. Cum dixit *maxime*, ſignificauit multorum opinionem. In libris enim eius τελειοτέροις, id eſt, abſolutioribus non indiuiduam, & particularem vocat primam ſubſtantiam, ſed vniuerſalem, hoc eſt, genera & ſpecies. *Non eſt in ſubiecto*, ſignificat, non prædicari de aliquo, neque ſubdiuidi in aliam ſubſtantiam, quia eſt indiuidua, & particularis. F

De differentia ſubſtantiæ, & naturæ.

PHiloſophi externi aliud dixerunt ſignificare nomen ſubſtantiæ, & aliud nomen naturæ, vt eorum definitiones declarant. Doctores vero Eccleſiæ indifferenter vſi ſunt his nominibus. Vnde & nos eos ſequentes indifferenter vtimur his nominibus in diuinis dogmatibus de Chriſto ſaluatore noſtro. Poſſumus etiam alio modo limatius differentiam horum nominum expromere. Reperimus enim nomen naturæ per abuſionem dici de iis, quæ non habent hypoſtaſim, & de iis, quæ ſpectantur in ſubſtantia, & hypoſtaſi. Nomen vero ſubſtantiæ de iis tantum, quæ ſunt ἀνυπόστατα ſubſtantiam enim nunquam dicimus ἀνυπόστατον, id eſt, carere hypoſtaſi, ſiue non eſſe per ſe. Naturas vero multas reperimus, quæ per ſe ſine ſubſtantia nunquam ſubſiſtunt, vt naturam iræ, dilectionis, temporis, mendacij, & verbi nominat beatus Baſilius contra Eunomium ſcribens: *magni,* G inquit, *precij eſſe falſa dicere, ſi ſimul cum iis, quæ dicuntur, pereat natura mendacij.* At non habet hoc naturam. Et rurſus idem; *tractus aquæ demonſtrat fontem, ſermonis autem natura demonſtrat cor, vnde manauit.*

De hypoſtaſi Chriſti ſimiliter ex Pamphylo.

VNam hypoſtaſim, quam in Domino Chriſto vt profiteremur, doctores Eccleſiæ tradiderunt, vtrum oporteat nominare ſubſtantiam, an accidens, ex iis quæ ſupra dicta ſunt, poſſumus reperiri ſolutionem quæſtionis poſitæ. Diximus enim ſignificare ſubſtantiam τὴν ὕπαρξιν, id eſt, eſſentiam vniuſcuiuſque rei; hypoſtaſim vero multitudinem proprietatum χαρακτηριστικῶν. Rurſus demonſtrauimus, quod ſubſtantia ſignificat communem naturam indiuiduorum, quæ eſt ſine proprietatibus ſignantibus ſiue ſeparantibus hypoſtaſes. Hypoſtaſis vero ſignificat proprium, & indiuiduum proprietatibus ἀφοριζόμενον, id eſt, ſeparatum. Subſtantia igitur H *ἀφοριζόμενον,* commune ſignificat, hypoſtaſis vero τὸ ἴδιον, id eſt, ſpeciale, ſiue particulare. Non eſt autem idem commune, & ſpeciale, ; ergo non eſt idem ſubſtantia cum hypoſtaſi. Idcirco non debemus hypoſtaſim Chriſti, quatenus eſt hypoſtaſis, ſimpliciter dicere ſubſtantiam. Ac rurſus ſi hypoſtaſim Chriſti, quæ compoſita eſt, ſubſtantiam appellamus, neceſſe eſt & ipſam ſubſtantiam compoſitam, & indiuiduam ponere. Et hoc, ſi verum eſt, quomodo erit immutabilitas, & non confuſio in naturis, ex quibus diuina & ſupra naturam vnio facta eſt? quomodo eadem natura erit creata, & increata? Viuifica, & viuificata? Homouſios Deo patri ſecundum diuinitatem; & homouſios nobis ſecundum humanitatem? Propter hæc, & ea, quæ ſuperius dicta ſunt, quod non oporteat profiteri in Chriſto ſubſtantiam compoſitam, neceſſe eſt dicere hypoſtaſim Chriſti, acci-

A dens vero longe abeſt vt dicere debeamus, *διὰ τὸ ὑπερτελῆ καὶ ἄϋλον καὶ ὑπερκείμενον πάσης νοητῆς καὶ αἰσθητῆς ὑπάρχειν τῆς θείας καὶ μακαρίας φύσεως*, id eſt, propter naturam diuinam pluſquam perfectam, quæ omnem eſſentiam intellectilem & ſenſilem infinito interuallo ſuperat. Ergo quia neque ſimpliciter ſubſtantiam, neque accidens nominare licet, reſtat, vt vocemus apoteleſma duarum naturarum vnitarum, id eſt, ſubſtantiarum cum proprietatibus diuinitatis ſcilicet, & humanitatis, vt ſit hypoſtaſis Chriſti res compoſita ſubſtantialis vel indiuidua, quæ in duabus naturis cognoſcitur.

Quomodo ſubſtantiam antiqui quatuor modis diuiſerunt.

EX Heracliano. Dicuntur, inquit, ſubſtantiæ incorporeæ. Dicitur etiam ſubſtantia materia, ſimiliter ſubſtantia dicitur forma, & vtrumque ex materia & forma. Subſtantia, & ſubſtantia vt forma idem cum natura. Subſtantia incorporea, & ſubſtantia ex materia & forma cum proprietatibus intellectæ indiuidua dicuntur, id eſt, hypo-
B ſtaſes. Si autem compoſitum ex materia & forma vniuerſaliter intelligitur, aut tanquam materia, aut ſicut dicuntur ſubſtantiæ incorporeæ vniuerſaliter, neque hypoſtaſis, neque natura dicitur; ſed ſubſtantia tantum. Exempli gratia. Quercus arbor quatenus eſt in hoc loco, huius proceritatis, & cum aliis proprietatibus, hypoſtaſis eſt, quatenus vero quatuor elementis aduenit talis forma, quæ quercum in generatione fecit, ſecundum hanc formam dicitur eſſe natura. Non autem ſecundum materiam, id eſt, quatuor elementa, neque ſecundum rationem communem quercus, cuius ſunt participes omnes quercus, natura, aut hypoſtaſis dicitur, ſed ſubſtantia tantum.

Quod impoſſibile eſt eſſe naturam compoſitam ex creato, & increato, & quod Apollinarius ad tollendum duas naturas peperit vocem na-
C turæ compoſitæ in Chriſto, & ante Apollinarium Manichæus.

Præterea Ariani, quos ſecuti ſunt Eutyches & Seuerus.

GRegorius Nazianzenus de Spiritu ſancto probat commentitium eſſe vnam naturam ex diuinitate, & creatura compoſitam eſſe.

Cyrillus ex libro contra Synuſiaſtas.

Δεῖ γὰρ τῇ πάντων ἐπέκεινα καὶ ἀνωτάτω φύσει σώζεσθαι καθαρῶς καὶ ἁπλοῦν ἀμιγὲς εἶναι, καὶ τὸ μὴ συντεθεῖσθαι δοκεῖν ἐν τοῖς καθ' ἑαυτὴν ἤγουν προσθήκης δεδέχθαι τινὸς καὶ ἀσυμφυοῦς αὐτῇ πράγματος εἰς κοινωνίαν ἐλθεῖν τὴν εἰς ταυτότητα φύσεως ἤγουν ὁμοουσιότητα. Oportet enim in illa, quæ omnes traſcendit, ſupremaque natura pure conſeruare ſimplicitatem, & ne cum alio permiſceatur, neue compoſita cenſeatur in
D iis, quæ in ſe continet, quaſi additamento quodam alicuius rei ſibi non cognatæ indigens venerit in communionem ſecundum identitatem naturæ ſiue ſubſtantiæ. Aduerte hic, quemadmodum negat doctor Cyrillus fieri poſſe, vt diuina natura, ſiue cum ſeipſa, ſiue cum alia diuerſa componatur in identitatem naturæ, ſiue ſubſtantiæ.

Ambroſius in libro contra hæreſes.

DVces horum ſunt, qui diuinitatem & corpus Domini dicunt eſſe factum vnius naturæ; legi enim quod non credidiſſem, niſi legiſſem legi, inquam, ſcriptum, Inſtrumentum, & à quo mouebatur inſtrumentum, vnius naturæ fuiſſe in Chriſto.

Apollinarius ad Petrum.

NAtura quidem Deum, & natura hominem Dominum dicimus, vna vero natura *σύγκρατος*, id eſt, commixta, humana & diuina. Idem Apollinarius; De incarnatione. O noua fides & admiranda mixtio. Deus & caro vnam naturam *ἀπετέλεσεν*, id eſt, effecit. Eiuſdem Apollinarij contra Diodorum ad Heraclium. Alterius, & alterius naturæ vnam, & eandem eſſe adorationem nefas eſt, hoc eſt, creatoris, & creaturæ, Dei & hominis. Vna vero eſt Chriſti adoratio, & ideo in vno nomine intelligitur Deus & homo, non eſt igitur alia, & alia ſubſtantia Deus & homo, ſed vna ſecundum compoſitionem Dei cum corpore humano. E

Tempus opportunum eſt comparandi quæ aduerſarij proferunt ex ſermone perperam inſcripto Athanaſio, cum ſit plane Apollinarij, vt teſtatur index librorum & ſermonum Apollinarij, quem Timotheus diſcipulus eius conſcripſit, imo etiam quæ ex ſermone Iulij Pontificis Romani proferunt, qui etiam Apollinarij eſt falſo Inſcriptus Iulio; vt ex cognatione ſermonum digooſcatur legitimus pater & auctor. Sic ergo habet teſtimonium, quod ex ſermone Athanaſij falſo recitatur. *ἐκ τῆς τῶν λόγων συγγενείας.*

Apollinarius ex epiſtola Athanaſij ad Iouinianum Imperatorem. F

QVando venit plenitudo temporis miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, &c. Et eſſe ipſum filium Dei, & Deum ſecundum ſpiritum, filium hominis ſecundum carnem, non duas naturas vnum filium, ſed vnam naturam Dei verbi incarnatam, & adoratam cum carne vna adoratione.* Hæc tanquam Athanaſij recitata, ſi quis ſtudioſus veritatis eſt, conferat cum reliquis Athanaſij dogmatibus, & reperiet diſſimilia eſſe. Et ſi igitur hæc à dogmatibus Athanaſij diſcrepant, & propinqua ſunt dogmatibus Apollinarij, & hæc collatio ſatis eſt ad demonſtrandam veritatem, nos tamen ſepoſita collatione veritatem tenemus lecto indice Timothei, vt ſupra diximus.

Sic etiam in Iulio Romano, quem falſo ſuppoſuerunt, non ſolum ex inſcriptione coarguitur eorum calumnia, ſed ex ipſo genere dictionis; quæ phraſis dicitur, Nec enim Romani vnquam huiuſmodi inſcriptione vtuntur, cum ad aliquem Epiſcopum ſcribunt, quamuis ſit ex primariis, nedum cum ad presbyterum ſcribunt. Nec ipſa phraſis conuenit, tanquam conuerſa è latino, cum ſit nimis Græca. Sic enim ſcribit Apollinarius, (non Iulius) ad quendam Dionyſium, ad quem huiuſmodi inſcriptionem facit; *Domino meo deſideratiſſimo, & comminiſtro Dionyſio Apollinarius.* Sic autem *παραχαράττοντες*, id eſt, falſarij fecerunt inſcriptionem. *Iulius Epiſcopus Romæ in Domino ſalutem*, & poſt procemium, & multa alia, ſubiecit hæc Apollinarius: *Neceſſe eſt eos qui duas naturas dicunt, vnam quidem adorare, alteram vero non adorare, & in diuinam quidem baptizari, in humanam vero non baptizari. Si autem in mortem Domini baptizamur, vnam confitemur naturam impaſſibilis diuinitatis, & paſſibilis humanitatis.* Hæc tanquam ex Iulio producunt. G

Adiungamus nos iſtis ea quæ ſunt Apollinarij, vt demonſtremus, quanta ſit propinquitas, & cognatio Apollinarij cum Diodoro. *Quomodo*, inquit, *non eſt res impia aliam ſubſtantiam creatam, vel ſeruam habere, & eandem adhibere adorationem creatori & Domino. Et iterum in libro de incarnatione. Impoſſibile eſt eundem eſſe adorabilem, & non adorabilem, ergo impoſſibile eſt eundem eſſe Deum, & hominem, ſed in vnitate commiſta natura diuina, incarnata.* Hæc ſunt Apollinarij admiranda, ſicut Polemon diſcipulus eius ait. Hæc habent maximam ſimilitudinem cum iis, quæ ab ipſis ficta ſunt tanquam Athanaſij, & Iulij eſſent. H

Manichæi Sceleſti ex Epiſtola ad Conarum Saracenum.

CVm Iudæi vellent aliquando lapidare Chriſtum, & audaciam ſceleris ſui ad effectum perducere, demonſtrauit clare ſubſtantiam ſuam ſuperni luminis filius, & tranſiens per medium eorum non videbatur. Natura enim expers materiæ quæ ſpeciem carnis præ ſe ferebat, non erat quidem aſpectabilis, nec attrectabatur, quia nullam habebat communionem materia cum experte materiæ; vna enim natura erat totum, quamuis forma carnis videretur.

A

Eudoxij Conſtantinopolitani Ariani in libro de Incarnatione.

Quod Ariani voce vnius naturæ compoſitæ vſi ſunt.

CRedimus in vnum ſolum verum Deum, & patrem ſolum principium ingenitum, & ſine patre, & in vnum Dominum Ieſum Chriſtum vnigenitum quidem, vt præſtantiorem omnibus poſt eum creaturis, primogenitum vero vt eximium, & primarium in creaturis, incarnatum, & non humanatum, non enim animam humanam aſſumpſit, ſed factus eſt caro, vt per velum ſiue tegumentum nobis loqueretur Deus, non duas naturas, quia non erat perfectus homo; ſed pro anima erat Deus in carne, vna totum natura ſecundum compoſitionem. Reſpondeas igitur quomodo paſſibilis, & mortalis poterat eſſe conſubſtantialis impaſſibili & immortali.

Lucij Alexandrini Ariani in oratione in Paſcha.

B

QVomodo igitur opus fuit anima, vt perfectus homo ſimul cum Deo adoraretur: Idcirco clamat Ioannes, Verbum caro factum eſt, *pro eo, quod eſt, compoſitum eſt cum carne, non cum anima, ſicut dicunt, qui nunc fidem cauponantur, ſed vnitus eſt corpori, & vnus factus eſt cum eo; alioquin quomodo eſt Chriſtus, ſi non eſt vna perſona, vna natura compoſita, ſicut cognoſcimus hominem ex anima & corpore compoſitum? Sin autem habuit animam, ſicut prædicant, qui dogmata adulterant, pugnant igitur motus Dei, & animæ; vtrumque enim per ſe mouetur, & ad diuerſas actiones ducitur.*

Quod quidam Patres repudiarunt nomen Mixtionis in myſterio Incarnationis.

Ambroſius de diuina incarnatione.

EOs autem qui dicunt nudum hominem Chriſtum, aut paſſibilem Deum, aut mutatum in carnem, aut

C

duas naturas Chriſti ſecundum mixtionem confuſas vnam ſubſtantiam factas eſſe.

Chryſoſtomus ad Cæſarium monachum.

HOc eſt abſurdum Apollinarij amentis, hæc eſt hæreſis impiiſſima introducentium mixtionem, & compoſitionem.

Cyrillus de fide.

EGo mixtum non recipio, alienum enim eſt ab Apoſtolica fide, & recta Dei traditione. Mixtio enim interitum naturarum operatur.

Eiuſdem ad Orientales.

EOs vero qui dicunt, quod mixtio, aut confuſio, aut φύρσις, id eſt conſperſio, ſiue fermentatio facta eſt verbi cum carne, Veſtra ſanctitas reprimat.

Quod tota diuinitas toti humanitati vnita eſt, & non pars parti, ſicut Ariani, & Apollinarius dicunt & qui particulares ſubſtantias proferentur ex Cyrillo ad Theodoſium

D

2. ex Gregor. de baptiſmate. Ex Dionyſ. Areop. in Eccleſ. Hierar. c. 3. de communione, diuinæ autem bonitatis, &c. Ex Baſil. in epiſt. ad Sozopolitas, ex Epiph. in Ancyroto. Ex Athan. de ſalutari aduentu καὶ τῶν ἀναμαρτήτων ἐνήργησε. Omnia accepit ex virgine, quæcumque à principio ad conſtitutionem hominis formauit Deus, χωρὶς ἁμαρτίας, id eſt, præter peccatum, ἐν τῇ θεότητι μεταποιήσας ἐπὶ τὸ κρεῖττον, ἀλλὰ τὴν ἀνθρωπότητα [illegible] τὸ αὐτοῦ θέλημα, non quod diuinitatem tranſmutarit, ſed quod ſecundum voluntatem ſuam, ipſam humanitatem innouarit.

Atque hæc quidem hactenus in eos, qui dicunt ſumpſiſſe Dominum corpus inanimatum, contra eos vero, qui dicunt particularem ſubſtantiam verbi particulari naturæ hominis vnitam eſſe, & non confitentur totam diuinitatem in ſingulis perſonis diuinis eſſe nihilo deficiente, ea quæ ſequuntur, pugnant, ex Apoſt. in Epiſt. ad Coloſſ. *Quoniam in ipſo habitat plenitudo diuinitatis*, & paulo poſt, *videte, ne quis vos*, &c. ex Dionyſ. Areop. c. 2. de vnitis, & diſcretis, hoc enim & in aliis à nobis excuſſum & demonſtratum eſt, &c. Eiuſdem circa finem, eiuſdem c. has nos communes, & vnitas τοῦ ὅλου, id eſt, vniuerſitatis, &c.

E

Ex Eulogio Alexandrino.

COntra eos, qui dicunt, ſi dicitis habere Chriſtum duas ſubſtantias, neceſſario ſancta Trinitas σεσάρκωται, id eſt, incarnata eſt. Hæc ſunt, quæ aduerſarij obiiciunt, fortaſſis enim opinantur partibilem eſſe ſubſtantiam diuinitatis, & partem ſpectari in Patre, partem in Filio, & partem in Spiritu Sancto: tanquam vnaquæque perſona ex parte, & non in omnibus proprietatibus diuinitatis agnoſcatur. Nos autem non eo impietatis proceſſimus, vt partitionem & ſectionem in diuina ſubſtantia eſſe exiſtimemus, ſed dicimus vnamquamque hypoſtaſim characteriſticam, habere notiones diuinitatis nulla deficiente, vt bonum, poteſtatem creandi, & quæcumque ſunt circa naturam increatam. Sic enim dicimus Trinitatem eſſe homouſion, id eſt, conſubſtantialem, quia eadem ſubſtantia

F

ex toto in tribus perſonis agnoſcitur. Siquidem Pater perfectam habet diuinitatis ſubſtantiam, ſimiliter Filius, ſimiliter Spiritus Sancto, vnde perfectus Deus Pater, perfectus Deus Filius, perfectus Deus Spiritus Sanctus. Conſentit his Paulus prædicator veritatis, cum ait; *In ipſo enim habitat plenitudo diuinitatis corporaliter.* Non enim dicit partem incarnatum eſſe, ſed quod tota diuinitas in tribus perſonis eſt, nihilo deficiente, in Patre, & Filio, & Spiritu S. in vnaquaque perfecte ſecundum vocem Domini, qui dixit; *Omnia patris mei ſunt*, id eſt, quæcumque ſunt notiones ſubſtantiæ patris, hæc verbi Dei etiam incarnati ſunt, non quod pater ſit filius; aut filius pater, hæc enim nomina habitudinem inter eos ſignificant. Quomodo igitur non dicemus ſubſtantiam diuinitatis eſſe in Chriſto plene ſine defectu, ſiquidem perfectum eum eſſe dicimus? Quomodo autem perfectum etiam hominem confitentes, non omnem ſubſtantiam humanitatis in ipſo eſſe confitebimur? Non enim partem eius aſſumpſit, vt ait

Characteres vocat proprietatem diſtinguentem perſonam à perſona.

G

Apollinarius, carnem ſine anima, ſed totam ſubſtantiam, id eſt, carnem animatam anima rationali, & intelligente. Hæc enim communiter in ſingulis hominibus perfecte exiſtens, οὐσία κυρίως ἐστίν, id eſt, recte eſt ſubſtantia. Singuli enim diſtinguuntur, ſiue ſeparantur inter ſe non ſubſtantia, ſed proprietatibus conſequentibus, ſiue comitantibus magnitudine, colore, & vt vno verbo dicam, characteriſticis perſonarum qualitatibus. Quomodo enim ex duabus naturis Chriſtum eſſe dicent, niſi nomen naturæ pro ſubſtantiis intelligant? Non enim audebunt dicere pro hypoſtaſibus characteriſticis dici ex duabus naturis, ne cogantur dicere ex duabus perſonis. Hypoſtaſis enim characteriſtica perſona intelligitur, dico autem hypoſtaſim characteriſticam, ſiue in charactere, ne fraude hæreticis conſueta hypoſtaſim ſine charactere ſupponant. Tunc enim ſignificationem ſubſtantiæ fert hypoſtaſis. Quomodo autem conſubſtantialem patri, & nobis Chriſtum poſt vnionem ponunt, & nun ſunt ſtupidi confitentes quidem duo conſubſtantialia, negantes vero duas ſubſtantias.

H

Contra particularem ſubſtantiam humanitatis in Chriſto.

SI ſeparantes cogitatione proprietates accidentes, & in ſeipſa naturam Petri conſiderantes, ſic dicimus, quod eſt animal rationis particeps, & mortale, eadem autem definitio naturæ humanæ ſimpliciter à nobis redditur, eadem igitur erit ratio naturæ ſimpliciter, & naturæ in aliquo conſideratæ. Quomodo igitur dicitur, quod non poteſt natura alicuius ſingularis communis eſſe? Et ſi communem naturam non aſſumpſit Chriſtus, me non aſſumpſit: quod ſi me aſſumpſit, aſſumpſit igitur & Iudam, reſpondeamus & nos, naturam quidem aſſumpſiſſe: non autem proprietates hypoſtaticas, hæc enim faciunt Iudam, & illum, & illum, quoniam vniuerſalia non inferunt particularia; particularia vero inferunt vniuerſalia, vt omnibus liquet. Quamobrem cum dicimus fieri vnionem ex communibus, ſubſtantiis; non cogimur inferre

A hypoſtaſes, quæ ſunt ſub ipſis ſubſtantiis, vt calumniatores nugantur. Si filium habentem in ſeipſo naturam diuinitatis perfectam, nulla de re defectam; ſupra quam plenam, factum eſſe hominem dicimus, quid cogit nos, qui hoc dicimus, Patrem, & Spiritum ſanctum ad humanationem neceſſario deducere? Petro enim crucifixo, & Paulo capite amputato, & vtroque plenam, & totam communem naturam hominum habente, quid hoc reliquis nocuit, qui ſub eandem naturam referebantur? Non naturarum, ſed hypoſtaſeon proprietates docemur, ait Gregor. Nazianz. in 2. lib. contra Eunomium. Sic enim ait de Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, quod per hæc nomina non naturarum differentiam docemur, ſed perſonarum proprietates γνωριστικάς, id eſt, notionales.

Quomodo oporteat intelligere energiam, id eſt, operationem in Deo. Chryſoſt. in epiſt. ad Coloſſ.

B HAbet, inquit, energiam illa ſubſtantia, ſcilicet diuina, & quæ eſt energia? Ergo in illa eſt motus. Quare non eſt immutabilis. Quod enim mouetur, non eſt immutabile. mouetur enim ex immotione, & tamen mouetur, & nunquam ἵσταται, id eſt, ſiſtit motionem. Quali ergo motione? Dic mihi, apud nos enim ſeptem ſunt motus, ſurſum, deorſum, extra, intro, ad dexteram, ad ſiniſtram, circulo. Eſt præterea accretio, decretio, ſed nullo horum motu mouetur, neque quali motu mens mouetur; abſit, multis enim abſurdis motibus mouetur mens. Deinde ſi velle eſt ἐνεργεῖν, id eſt, operari, cum omnes homines velit Deus ſaluos fieri, quomodo non fiunt ſalui? Ergo non ſufficit ad energiam velle? Quomodo igitur dicit ſcriptura, *omnia quæcumque voluit, fecit*? Et Leproſus dixit Chriſto, *ſi vis, potes me mundare*. Si igitur ſimul vt vult, ſequitur hoc, ſcilicet mundatio, quid reſtat dicendum?

Dionyſius Areopagita de diuinis nominibus, cap. de paruo & magno, ſimili, diuerſo.

C QVid eſt, quod Theologi dicunt, ad omnia procedentem, & aiunt moueri immotum? An non eſt hoc intelligendum, vt Deum decet? Moueri enim ipſum, pie exiſtimandum eſt, οὐ κατὰ φορὰν ἢ ἀλλοίωσιν, ἢ ἑτερoίωσιν, ἢ τροπὴν ἢ τοπικὴν κίνησιν, non motu recto, non rotundo, non ex vtroque compoſito, non motu mentis, non motu animæ, non motu naturali; ſed moueri Deum eſt, εἰς οὐσίαν ἄγειν, id eſt, facere eſſe, & continere omnia, & omnia procurare, adeſſe omnibus præſentem τῇ πάντων ἀσχέτῳ περιοχῇ, καὶ ταῖς ἐπὶ τὰ ὄντα πάντα προνοητικαῖς προόδοις καὶ ἐνεργείαις, comprehenſione illa, quæ coërceri nequit, & prouidentiæ ſuæ ſuper omnes res creatas quaſi progreſſionibus & operationibus.

Apologia in locum epiſt. Leonis.

Euſtathij Epiſcopi Beryti Apologia, ſiue defenſio epiſtolæ Leonis Pontificis Romani contra Timotheum Ælurum.

D COgnoſce ex iis quæ ſequuntur horum dogmatum ἀκρίβειαν, id eſt, limatam & perfectam rationem: nam cum dixiſſet: operabatur enim vtraque forma cum alterius communione, quod habuit proprium; ſubiungit: verbo quidem operante hoc, quod eſt verbi, corpore vero perficiente quæcumque erant corporis. Cum dixit, τοῦ λόγου κατεργαζομένου, id eſt verbo operante, τὴν αὐθεντίαν καὶ ἐξουσίαν καὶ τὸ ἀδέσποτον, id eſt, auctoritatem, & poteſtatem, & libertatem diuinitatis ſignificauit; quæcumque enim ſunt verbi, hæc ſunt ἀρχικὰ καὶ βασιλικὰ id eſt, principalia & regia: non ſubiunxit autem, corpore ἐργαζομένου ἀλλὰ ἐκτελοῦντος, id eſt, corpore operante, ſed perficiente quæcumque ſunt corporis, vt tibi ſignificaret, quod corpus ad voluntatem verbi vniti, cuius erat factum proprium, mouebatur κατὰ τὴν ἀκολουθίαν τῆς φύσεως, ὅτε ἐδόκει τῷ θείῳ λόγῳ· οὐ γὰρ ἀφ' ἑαυτοῦ πρὸς τὰ φυσικὰ πάθη τὴν ὁρμὴν ἐποιεῖτο, ἢ τὰ ἔξωθεν περιστάντα ποτέ, ἀλλὰ τοῦ λόγου συγχωροῦντος οἰκονομικῶς, id eſt, ſecundum ordinem naturæ, quando hoc placeret verbo, non enim ex ſeipſo ad naturales paſſiones ciebatur, aut ad ea, quæ extrinſecus accidebant, ſed verbo permittente œconomice.

E

Idem Leo.

EX nobis ipſis minor patre humanitas, ex patre vero æqualis ipſi cum patre diuinitas.

Scholium.

ADuerte hic, quod diuinitas, & humanitas non ſignificant perſonas, ſed ſubſtantias, quarum differentiam poſtquam dixit, ſubiungit ſtatim vnionem ſecundum hypoſtaſim in Chriſto.

Item vnam perſonam dicit, aliud tamen eſt illud, vnde in vtroque commune eſt, quod ad contumeliam, & paſſionem pertinet, ſcilicet humanitas; & aliud illud, vnde commune fuit, quod ad gloriam: ſcilicet diuinitas.

Cyrillus in illud: & nunc anima mea turbata eſt.

F SIcut œconomice permittit carni interdum pati, quæ ſunt propria, ſic rurſus permittit animæ propria pati, & vbique menſuram exinanitionis ſeruauit, quamuis eſſet Deus natura, & ſupra omnem naturam.

Idem in Ioannem.

CVm Chriſtus ſecundum naturam non modo Deus, ſed & homo fuerit: ideo ſubit cum aliis ea, quæ ſunt hominum. Quando enim in ipſo incipiebat commoueri triſtitia; iamque ſancta illius carne ad lacrymas propendente haud ſinit, vt more noſtro id agat immodice. Infremit autem ſpiritu, hoc eſt, virtute ſpiritus: & quodammodo propriam carnem reprehendit. Illa vero motionem diuinitatis ſibi vnitæ non ferens tremit & turbatur. Hoc enim ſignificat illud: & turbauit ſemetipſum. Quomodo enim alioquin turbatio in illa exiſteret? Turbatur autem aliquo modo inconſumpta ſemper & tranquilla natura. Caro itaque redarguitur à ſpiritu, vt doceatur ea, quæ ſupra naturam ſunt, ſapere.

G

Cyrillus contra Neſtorium.

DEus ſecundum naturam vita poſtquam factus eſt vnum cum carne, viuificam eam reddidit, quare quamuis dicat nobis: niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis, &c. non tanquam vnius cuiuſpiam ex noſtro numero hominis carnem eſſe exiſtimabimus. Quomodo enim caro hominis natura erit viuifica? Sed tanquam propriam vere factam eius; qui propter nos factus eſt & vocatus filius hominis.

Ex S. Maximo.

H NAtura quidem non eſt ἀνυπόστατος, id eſt, non caret hypoſtaſi, hypoſtaſis enim eſt omne quod per ſe exiſtit, & propriam habet ὕπαρξιν, id eſt, exiſtentiam, ἐνυπόστατον vero, id eſt, exiſtens in hypoſtaſi, eſt, quod per ſe quidem ex toto non exiſtit, ſed in alio ſpectatur, vt ſpecies in indiuiduis, aut cum alio differente ſecundum ſubſtantiam ad generationem totius alicuius compoſitum: cum enim fit concurſus differentium ſubſtantiarum ad compoſitionem vnius alicuius, vtraque natura concurrens ſimul ad generationem totius, aſſumens proprietatem diſtinguentem & ſeparantem ab homogeniis non per ſe & κατὰ μέρος, id eſt, particulariter; ſed & in vnione & συνυπάρξει, id eſt, in coexiſtentia eſt ἐνυπόστατος, id eſt, in hypoſtaſi, & non eſt hypoſtaſis, quia non per ſe extitit. Si vero ſic vnita eſt natura humana, neque propriam & ſeparatam exiſtentiam habuit, ſed ſimul cum compoſito & coëxiſtente habuit eſſe: ambæ autem redditæ ſiue conſtitutæ ſunt vna hypoſtaſis: vnita enim inter ſe illa quæ concurrerunt, vnam habuerunt communem hypoſtaſin, & propria alterius partis, quæ illam ab homogeneis ſeparant, facta ſunt propria verbi. Quod enim eſt per ſe, & ſeparatim conſiſtit, hoc eſt hypoſtaſis, ſiquidem hypoſtaſim vocant, qui de his philoſophantur, ſubſtantiam cum proprietatibus, numero ab homogeneis differentem. Caro igitur verbi non fuit hypoſtaſis, neque enim vel

tam

A tam breui, quam ſola cogitatione fingi poteſt, per ſeipſam penitus extitiſſe ſeparata, proprietatibus eam ab homogeneis ſeparantibus, vel habens πρὸς τὸ συγκείμενον κατ' ἐπίνοιαν λόγον, proprium ſeparatum à communi, ſed potius ἐνυπόστατον, id eſt, in hypoſtaſi exiſtens tanquam in ipſo, & per ipſum accipiens exiſtentiæ ortum, & facta ipſius ſecundum hypoſtaſim caro, & cum ipſo ſecundum hypoſtaſim vnita verbo proprietate eum à reliquis hominibus ſeparante: communem enim carnis & diuinitatis ſecundum vnionem factam eſſe dicimus concurſu ipſarum naturarum ſecundum vnionem naturalem, id eſt, veram, & realem vnam Chriſti hypoſtaſim completam, communem vero dico tanquam vnam & eandem partium ἰδικωτάτην, id eſt, ſpecialiſſimam ex vnione hypoſtaſim declaratam, quin potius vnam & eandem hypoſtaſim verbi nunc, & prius; ſed prius quidem ſimplicem, & non compoſitam, poſtea vero ſine mutatione compoſitam aſſumptione carnis animatæ anima rationali.

Vna Chriſti hypoſtaſis completa facta eſt è communis vtriuſque naturæ.

B *Quod in creaturis non exiſtant per ſe, quæ communia & vniuerſalia dicuntur, in ſola autem diuina natura ſeruatur propriè vnum re, & veritate.*

Aduertendum eſt, quod in nobis, & in omnibus creaturis communitas ratione, & cogitatione ſpectatur, & conſideratur, diuiſum vero re; contra vero in diuinitate; illic enim inuenitur vnum re propter coæternitatem, & identitatem operationis, & voluntatis, & bonitatis, cogitatione vero reperitur diuiſum; in ſolis enim proprietatibus paternitatis, & filiationis, ac proceſſionis ſpectatur, & in eo, quod eſt eſſe principium, & eſſe ex principio, eſſe ingenitum, & genitum & procedens, in his & ſolis eſt differentia. Non enim diſtantiam loci, ſicut in nobis, poſſumus in diuinitate incircumſcripta dicere, neque differentiam voluntatis, aut virtutis, aut ſententiæ, quæ quidem in nobis generant diuiſionem realem. Alio etiam modo hoc conſiderandum eſt, quod in Trini- C tate tres quidem hypoſtaſes cognoſcimus, vnam vero ſubſtantiam, & diuinitatem, ſed non cogitatione illud vnum diuinitatis, & ſubſtantiæ ſpectamus, ſicut in nobis vnum ſubſtantiæ, & humanitatis, id eſt, communitatem, quin potius in diuinitate, ſcimus eſſe vnum re & veritate quia nunquam fuit, quando non eſſet in tribus perſonis, quas credimus, vna diuinitas. Nec vnquam in pluribus, aut paucioribus fuit, nec erit, contra quam in nobis, fuit enim quando non erat in Petro, verbi gratia, & in Paulo, & in Ioanne communis natura, ſed in alio, vel aliis; & erit rurſus in aliis, & fuit aliquando, cum in nullo fuit, quomodo igitur non ſola cogitatione ſpectabitur & conſiderabitur creata natura, quæ vniuerſalis, & communis, quæ non ſunt dicitur, vel ex alio in alium tranſiens, quorum nihil in vera, & increata natura euenit.

Baſilius ad Amphilochium de Spiritu ſancto.

Auctoritates ad probandũ ſuperiora.

D An intelligitur ὑπεραριθμούμενον, id eſt, ſupernumerationem ſcilicet Spiritus ſancti diuiſionem communis ἐν ὑποστάσει, id eſt, in ſubiecta & contracta? at non credam eos eo dementiæ progredi, vt dicant Deum vniuerſi tanquam communitatem aliquam ſola ratione ſpectari poſſe; in nulla autem hypoſtaſi exiſtentem, in ſubiecta diuidi.

Scholium.

Aduertendum eſt, ſic opinati eos, qui dicunt ſubſtantias μερικάς, id eſt particulares.

Anaſtaſius contra [illegible].

Si enim impoſſibile eſt cogitare corpus ſine loco & ſine aliis, extra quæ eſſe non poteſt, quamuis non habet corpus ſubſtantialem conſtitutionem ſui in ipſo loco; quomodo non erit magis impoſſibile naturam aliquam ſine indiuiduis, cogitare per ſe non exiſtentem, nec intellectibilem? E

Scholium.

Quomodo ponerent Ariani particulares naturas, ex Damaſceno etiam licet intelligere in libro contra Acephalos, ſic enim ait: ſed quod non oporteat dicere naturas particulares (has enim tanquam hypoſtaſes per ſe exiſtentes ponebant) hinc intelligemus, ſi naturas particulares in ſancta Trinitate confitemini, diuerſæ ſubſtantiæ eam eſſe ſentitis, & iterum Arius ſuſcitatus eſt. Ac rurſus ſi ſingulis perſonis S. Trinitatis propriam ſubſtantiam tribuitis; has autem conſubſtantiales eſſe ſecundum communem ſubſtantiam confiteamini, idem autem ſit, (vt dicitis) ſubſtantia & hypoſtaſis, erit igitur opinione veſtra quaternitas hypoſtaſeon: trium quidem particularium, vnius vero communis, & vnius particularis. Eruntque eiuſdem ſubſtantiæ, & diuerſæ eiuſdem hypoſtaſis, & diuerſæ hypoſtaſis. Ecquis non ridebit? Imo vero flebit in tanta inſania, &c. F

ETHERII EPISCOPI Vxamenſis, & Beati Presbyteri aduerſus Elipandum Archiepiſcopum Toletanum.

LIBRI DVO.

De adoptione Chriſti Filij Dei.

NVNC PRIMVM EX BIBLIOTHECA Toletana in lucem deprompti, G

STVDIO

PETRI STEVRARTII, Leodij, Sanctiſſimæ Theologiæ Doctoris & Profeſſoris, &c.

AD LECTOREM.

Qui ſint duo iſti Auctores, quos hic tibi damus, & vnde, & quibus annitentibus, ex tenebris eduſti, intelliges ex illis quæ paulo poſt ſubiungentur teſtimoniis. Etherius varie ſcribitur, Heterius, Itherius, Hiterius; *arbitratu nimirum librariorum, quibus huiuſmodi nomina varie ſcribi apta, ſi non ludibrium, certe ludus eſſe ſolent; à quo ludo* Beati *nomen tutum erat.* H

Opus quod aduerſus Elipandum ediderunt, eruditum eſt; tametſi non vbique grammaticum. Solœca enim & barbara, & ἀνακόλουθα ſeu inconſequentia paſſim occurrunt. Nec mirum, in tanta barbarie, qua tunc Hiſpania premebatur, partim à Mauris, partim ab aliis peregrinis nationibus infeſſa. Sed his non offenditur, qui rerum potius, quam verborum amator eſt, aut ſi & verba non impolita amas, vt ſane amanda ſunt, ea alibi quærenda, & ab aliis expetenda nouit.

Diſputant Theologi, an Elipandus fuerit vere Neſtorianus, duas perſonas in Chriſto cum Neſtorio ſtatuens, an vero tantum docuerit, Chriſtum in vna perſona eſſe filium Dei naturalem, & adoptiuum: naturalem, ſecundum diuinitatem, Adoptiuum, ſecundum humanitatem. Et quidem Neſtorianum non fuiſſe, nec propter Neſtorianiſmum, ſed propter aſſertam adoptionem Chriſti in vna perſona, damnatum eſſe, aliquot argumentis probare conatur Gabriel Vaſq.

A *Tomo primo in tertiam partem S. Thomæ, Diſp. 89. cap. 8. Aliis ſecus videtur, nempe Elipandum cum ſuo Felice Vrgelitano in Neſtorij iampridem anathemate percuſſam hæreſim incidiſſe, & vtramque vt Neſtorianiſmi reum, in Concilio Francofordienſi, reprobatum eſſe, de quo copioſe Franciſcus Suarez Tom. 1. in 3. p. D. Thomæ Quæſt. 23. Diſp. 49. ſect. 3. Quibus multum fauere videtur * Paulinus Aquileienſis Epiſcopus, Lib. 1. contra Felicem ſtatim initio, cuius hæc ſunt verba:* Nec ſibi ſufficiebat tantummodo Chriſtum, qui de Virgine natus eſt, negare proprium eſſe filium Dei; ſed etiam hunc eundem non conſentit verum eſſe Deum: ſed nouo & inaudito ſanctæ Dei Eccleſiæ nomine, nuncupatiuum Deum nominare illum non timet, diuidens Chriſtum in duos filios, vnum vocans proprium, alterum adoptiuum: & in duos Deos, vnum verum Deum; alterum, nuncupatum Deum. *Plura de hoc genere Neſtorianiſmi indicia inuenies in illis ſeptem libris Paulini contra Felicem; qui libri non ita pridem euulgati ſunt cum Alcuini Operibus, quorum lectio multam lucis* B *Etherio & Beato noſtro accendet; vt & Synodus Francofordienſis contra Elipandum & Felicem, Anno Redemptoris 794. Temporibus Adriani I. & Caroli Magni celebrata, quæ tota, prout quidem hodie exſtat, conficitur ex Epiſtola Adriani Papæ ad Epiſcopos Galliciæ & Hiſpaniarum, & ex Libro Sacroſyllabo, qui a Paulino Aquileienſi compoſitus eſt, ſed iuſſu totius Concilij, ad Hiſpaniæ Epiſcopos tranſmiſſus, & ex Epiſtola Synodi ad eoſdem Epiſcopos; Denique ex Epiſtola Caroli Magni ad Elipandum.*

* *Paulinus non eſt author, ſed Alcuinus, & habentur inter opera eiuſdem Alcuini impreſſa.*

Contra eundem Elipandi & Felicis Vrgelitani errorem duo alia Concilia habita ſunt, nempe Foroiulienſe, & Reginenſe, ſeu Ratisbonenſe, de quibus conſule Tomum tertium Conciliorum.

Orthographiam Gothici Codicis ſcrupuloſe retinere, haud neceſſarium duxi: Num enim ideo doctior erit, ſi deſerta hodierna ſcribendi ratione, ſcribat, adobtiuus, paruolus, profeta, inluminatus, qum, ammirabilis, proterbe, kareo, aſſumtio, cotidianus, ammoneo, intellego, Diabulus C *& ſimilia, quæ ad Criticorum tribunalia libenter ablegamus.*

DE ELIPANDO
Toletanorum Archiepiſcopo.

IOANNES MARIANA SOCIETATIS Ieſu, Annalium Hiſpaniæ, Lib. 7. Cap. 8.

*GRANDE de Religione diſſidium acceſſit. Mali auctores, præcipui Felix in Ilergetibus Vrgelitanus Præſul, atque Elipandus in Carpetanis Archiepiſcopus Toletanus, non inſulſo viri ingenio, neque eruditionis experte*s D *, vt in tantis tenebris, tantaque malorum omnium colluuie: in qua non offendere, non fœdari miraculi inſtar eſſet. Quis enim in grauiſſima ſeruitute literis locus? cum oppreſſi vectigalibus, vitæ neceſſaria ſubſidia comparare cogebantur. Silebant eccleſiaſtica concilia, quibus diſciplinam eccleſiaſticam aſtringere, & reipublicæ vulnera ſanare, veteri inſtituto ſuſceptum erat. Proceres & populus pro ſe quiſque vt collibitum erat, ita vitam inſtituebant, atque de rebus diuinis nullo prohibente pro voluntate, proque arbitratu ſinguli ſentiebant, quæ magna pernicies eſt. Ex impia gentis vſu prauas ſæpe opiniones in Chriſtianorum gentem redundare, propemodum erat neceſſe. Neſtorij placita Concilij pridem Epheſini diligentia ſopita, quaſi veteris incendij ſcintilla in Hiſpania, iis auctoribus ſuſcitata ſunt,* Chriſtum *affirmantibus* qua parte certe homo eſt, Dei filium adoptione eſſe, *contra fas, contra auſpicia, contra omnes diuinas & humanas litteras, & religiones. Quis enim natura & adoptione filius ſimul idem eſſe poſſit? cum adop-* E *tione filius patris tantum benignitate, nulla neceſſitudine ſit quaſi ad alieni iuris dignitatem admiſſus, quod qui aſſerat,* Chriſti *geminam hypoſtaſim fateatur opus eſt.*

Felicem propter locorum viciniatem, & quoniam in eam Hiſpaniæ partem, Gallorum arma annis ſuperioribus penetrarunt, Gallum natione fuiſſe vulgo nonnulli ſuſpicantur. Elipandus ex antiqua Gothorum gente prognatus erat. Pugnabat pro illis pontificia ipſorum auctoritas, & celebrati nominis fama. Erroris auctores laudabant Eugenium Ildefonſum, Iulianum; multis præterea diuinarum Scripturarum locis ad patrocinium abutebantur: quibus Chriſtum *qua homo eſt, minorem patre dici ſatis conſtat. Et vt erant ardenti ingenio, miſſis in omnes partes literis ac libris, cæteris omnibus ſuſceptas opiniones inſtillare, fucata oratione, atque perſuadere ſatagunt. Ad Aſturum & Galæcorum Epiſcopos Elipandus, pro ea auctoritate, quam in alias Eccleſias obtinebat præcipuam & maximam, literas dat: ac nominatim Adoſindam Silonis Regis viduam in fraudem impellere conatur. Illa vti erat neceſſe, ſui iudicij eſſe ne*F*gat, de controuerſia pronunciare: remque integram ad Epiſcopos deferi & ſacerdotes, ſanctiſſima & prudentiſſima fœmina; in quo numero erat B. Presbyter, & Heterius Vxamenſis Epiſcopus, quorum extat aduerſus Elipandum diſputatio non inelegans, opuſque * ſpiſſum, operoſum & vaſtum: ſed quoniam validis argumentis mendacium arguit, bene eſſe operam collocatam Lectores iudicabunt. Controuerſia agitata & quoniam conatibus par ſucceſſus non erat, Elipandus quidem Toleto profectus, Aſtures & Galæcos obiuit, iiſque in locis multos praua opinione infecit peſtifero eius afflatu. Felix Vaccæos primum in Hiſpania, & Septimaniam in Gallia aditu aggreſſus eſt: deinde reliquam Galliam atque Germaniam nullo operæpretio: cum paſſim ſummi, medij, infimi, ad inſolentiam nouæ vocis exhorreſcerent, & errorem cum auctoribus palam deteſtarentur. Concilia Epiſcoporum iis in regionibus habere promptum erat.*

* *Ita viſum Marianæ, quia opus Beati & Etherij inſpiſſe & vaſto Codice ſcriptū erat.*

*Itaque inuenio apud * Reginum Baioariæ ciuitatem, coram Carolo Magno Francorum Rege, in Epiſcoporum conuentu Felicem damnatum ſalutis anno ſeptingeſimo nonage*G*ſimo ſecundo. Inde Romam miſſum, coram Hadriano Pontifice abdicaſſe, ſimulato certe animo. Qua de cauſa nouum Epiſcoporum conuentum haberi Francofurti in Germania neceſſe fuit anno ſeptingenteſimo nonageſimo quarto, præſente Carolo Magno. Miſſi Roma Legati Theophylactus & Stephanus Epiſcopi: ex Hiſpania Beatus, & Heterius Vxamenſis Epiſcopus pro Catholicis Legati. Neque ſe mali auctores deſerunt in periculo: Carolo ipſi libellum ſupplicem offerunt, poſtulantes, vt præſens in ea controuerſia diſceptaret: & multorum potius iudicium ſequeretur, quam ſe paucorum dolis circumueniri ſineret. Re diſcuſſa, praua opinio cum auctoribus reprobata eſt: ac niſi mutarent Felix, & Elipandus, ſacrificiis interdicti. Felix, vt Ado Viennenſis eſt auctor, Patrum ſententia relegatus eſt, & Lugduni, nunquam errore depoſito, extremum vitæ diem clauſit. Sic opinio hominum fuit. Vſque adeo difficile eſt fixam perperam de Religione ſententiam mutare, imbutamque praua perſuaſione mentem traduci ad ſanitatem.*

* *Ratiſbonam.*

** Quid Elipando contigerit, clam eſt: ac credam potius* H *ſententiæ Patrum obtemperaſſe, prauaque opinione depoſita mutaſſe, neque ex Hiſpania extuliſſe pedem, neque Reginum, Romam, aut Francofurtum adiiſſe, perſuaſum habeo. Veteres Eugenium, Ildefonſum, Iulianum Carolus quidem accuſat in literis, quas ad Elipandum & cæteros ſacerdotes Hiſpaniæ ſcripſit: neque mirari ſe ait, filios patribus ſimiles exiſtere. Heterius negat in eorum ſcriptis ſimile quippiam extare. Ex Felicis ſane Schola aliquanto interuallo Claudius Taurinenſis Epiſcopus, homo Hiſpanus, verſatuſque aliquandiu cum nonnulla ingenij laude in Ludouici Auguſti cognomento Pij aula, ad priorum commenta, tum alia, tum imagines diuorum è templis Chriſtianis exturbandas eſſe affirmauit, quem Ionas Aurelianenſis æqualis, de Scripto diligenter atque accurate impugnauit.*

* *Vide Gabrielem Vaſquez Tom. 1. in 3. p. Diſp. 80. c. 12.*

A

GABRIEL VASQVEZ
Tomo primo, in tertiam partem D. Thomæ, Diſput. 89. Cap. 1.

EOdem tempore, quo Elipandus apud Toletanos hanc ſententiam (de adoptione Chriſti) *tanquam veram & Catholicæ Eccleſiæ doctrina minime contrariam docebat, (neque enim ad ea vſque tempora quidquam de hac re aperte definitum, aut in Scripturis expreſſum habebatur) Beatus Presbyter apud Aſtures, vir in ſacris litteris eruditus Elipando ſe oppoſuit, & illius doctrinam tanquam de errore ſuſpectam notare cœpit: cui adhæſit Heterius Epiſcopus Vxamenſis, qui tunc fugiens Maurorum Tyrannidem, apud Aſtures cum multis alijs Epiſcopis exulabat. At Elipandus pro ea auctoritate quam in alias Eccleſias obtinebat maximam, indigne ferens a Beato & Heterio ſuam doctrinam,*
B
quam ipſe Catholicam putabat, erroris inſimulari, ad Fidelem Abbatem, qui etiam apud Aſtures commorabatur, litteras dat menſe Octobri anni 783. quo mortuus eſt Rex Silo, & Mauregatus regnum primum occupanit. Hæc epiſtola habetur in principio libri, quem contra ipſum Elipandum Beatus & Heterius conſcripſerunt. In ea autem conqueritur Elipandus, quod ipſe Archiepiſcopus Toletanus cum eſſet, quem cæteri in Hiſpania, vtpote ſupremum Præſulem, de fide conſulere deberent, à Presbytero Beato & Heterio Epiſcopo erroris argueretur. Scripſit etiam ſe eo animo eſſe, vt ſperaret, hæreſim Beatianam (ſic enim vocat ſententiam Beati & Heterij) breui ab ipſo extinguendam: quemadmodum ante paucos annos hæreſim Migetianorum de celebratione Paſchatis, Hiſpali conuocato Concilio, ipſe damnauerat. Fidelis Abbas nihil de hac re ad Beatum, & Heretium ſcripſit: ſed cum illi menſe Nouembri anni ſequentis ad eum caſu veniſſent, litteras Elipandi ipſis oſtendit: quibus perlectis Beatus & Heterius ſuam ſententiam
C
Elipando aperte expoſuerunt, & libro de ea compoſito, multis Scripturæ teſtimonijs confirmarunt. Huius antiquiſſimum exemplar manu Gothica ſcriptum in Bibliotheca Toletana ſeruatur: in cuius initio prædicta Epiſtola Elipandi continetur. Ex qua Ambroſius Morus, lib. 13. hiſtoria Hiſpaniæ, cap. 26. totam hanc hiſtoriam texuit. Idem Vaſquez Diſp. 80. cap. 10. Beatum & Heterium non poſſum non admirari, quod tam calamitoſo tempore quod dira Maurorum tyrannide Hiſpania noſtra opprimebatur, rem vſque adeo obſcuram ſui ingenij acumine & eruditione illuſtrauerint.

PAVLINVS AQVILEIENSIS
Epiſcopus, lib. 1. contra Felicem Vrgelitanum, poſt opera Alcuini impreſſo.

D
QVod vero quendam Beatum Abbatem, & diſcipulum eius Hetherum dicitis huic veſtræ Sectæ primum contraire, laudamus eos in eo, quod veritatem defendere conati ſunt. Sed ſi verum eſt, quod dixiſtis, eos duas naturas Chriſti ita vnam confundere; ſicut vinum & aquam, hoc nullatenus conſentimus, ſed in eo, ſi verum eſt valde eos eſſe reprehenſibiles iudicamus.

ANNOTATIO.

FElix iniuriam fecit Ėtherio & Beato. Nihil minus ſenſerunt aut docuerunt. Sed ſolemne eſt hæreticis, veritatis doctores calumniis onerare: Nam & hac ætate Vbiquetarij Catholicos Neſtorianiſmi mendaciſſime inſimulant; eo quod nonnisi Eutychianiſmum, quem iſti cum ſua Vbiquitate procuderunt, totis viribus oppugnent.

E

R. P. IACOBO GRETSERO
AND. SCOTTVS S. D.

MItto, vt poſtularas, tandem aliquando Apologeticum Eterij & Beati aduerſus Elipandum Toletanæ ſedis Archiepiſcopum dum à veritate de filio Dei aberraret, deſcriptum e Toletana Bibliotheca, curante nobis reuerendo Patre Ioanne Mariana, noſtro; quicum olim pie ac ſuauiter in Carpetanis ſic viximus, vt tametſi loci interuallo maxime diſiuncti ſimus, amemus tamen inter nos charitate ſingulari, amiſſo iam altero P. Ribadeneyra, Toletano, vt ipſe Elborenſis, eſt, quæ vrbs in iiſdem Carpetanis Talauera vulgo indigitatur, vt in Annalib. Hiſpaniæ differuit, ſenex admodum plenuſque dierum, octogenario maior; ſed qui ætatem bene portet, etſi aduerſis conflictatus; ſed qua patientia conſtantiaque ſua iam ſuperarit. Equidem σύνταγμα, *dum longius fieret, vt ad te perferri commode poſſet, recenſui ipſe, & S. Scripturæ adſcriptis locis nonnihil illuſtraui, vt*
F
ſi quos forte offendat, aut argumentum, ſacram rem tractari videant, aut ſtyli moleſta humilitas, ad aurem ſibi illud accini patiantur, meminerint, & etiam atque etiam conſiderent; quibus hæc conſcripta agitataque temporibus, cum muta tacerent litteræ atque iacerent; & Gothica barbaries omnia vi teneret, neque Doctorum, librorumue bonorum ſuppeteret copia. Legere tamen atque illuſtrare graue ne ſit, & publici eſſe iuris permittas, qui tam multa hodie pro Eccleſia in terris militantis bono euulgas, vt πανηγύ-ρει *audias, faueantque pij, laboribus ab athletis Chriſti quotidie ſuſceptis. Adieci & coronidis vicem faſciculo, Andronici cum Iudæis diſſertationem Græce conſcriptam, è Ioannis Liuinei Gandenſis Bibliotheca. Si forte quo Cantacuzenos euulgaſtis, excudere vna placeret, Latina ciuitate vtcunque ab illo donatam, limatamque acri tuo iudicio. Vale noſque precibus mutuis ſacriſque iuua. Antuerpiæ, 15. Martij, 1615.*

G

EMINENTISSIMO,
nobis & Deo amabili ELIPANDO. Toletanæ Sedis Archiepiſcopo.

ĖTHERIVS ET BEATVS
In Domino ſalutem.

LEGIMVS litteras Prudentiæ tuæ anno præſenti & non nobis, ſed Fideli Abbati menſe Octobri in Era DCCC. XXIII. clam ſub ſigillo directas: quas ex relatu aduenisſe audiuimus, ſed eas vſque ſexto Kalend. Decembr. minime vidimus. Cumque nos
H
ad Fratrem Fidelem, non literarum illarum compulſio, ſed recens religioſæ Dominæ Aboſindæ perduceret deuotio, audiuimus ipſum libellum aduerſum nos & fidem noſtram cuncta Aſturia publice diuulgatum. Et cum fides noſtra vna eſſet indiſſoluta, cœpit inter ſcopulos fluctuare nauicula, & duæ factæ erant. Poſtea cum tranquillitate, non bipertita, ſed tantum videretur vna, tunc conloquentes ad inuicem diximus: Dormit Ieſus in naui, & hinc inde fluctibus quatimur & tempeſtatum moleſtias ſuſtinemus, quia importabilis excitatus eſt ventus: nulla ſalus in nobis eſſe videtur, niſi Ieſus excitetur: & corde & voce clamandum eſt, vt ei dicamus *Domine, ſalua nos, perimus. Tunc ſurrexit Ieſus*, qui in noſtra dormiebat naui qui cum Petro eramus. Tunc *imperauit vento & mari, & facta eſt tranquillitas magna*. Ex tunc, Deo miſerante non turbatur iſta, quæ Petrum habet: ſed turbatur illa, quæ Iudam habet. Quomodo enim turbari poterat, cui præeſt ipſe, in quo Eccleſiæ firmamentum eſt? Matth. 8. 25.

A

Plerique tamen ex noſtris, etiam remigatores fortiſſimi formidabant, quia longius à terra, id eſt, à corpore *Chriſti* in alto pelago nauicula fluctuabat: quia dixerat [Luc. 5. 4.] Dominus Petro; *Duc in altum retia*, hoc eſt, in profundum diſputationum, & pelagus ſcripturarum. Quid enim tam altum, quam altitudinem diuitiarum videre? Quid etiam tam profundum, quam † ſcire Dei filium, & diuinæ generationis profeſſionem aſſumere? [† *cognoſcere Dei filium, & illū profiteri, alterū enim ex altero ſequitur.*] Quia licet humana mens non poſſit plenè rationis inueſtigatione comprehendere, fidei tamen plenitudo complectitur. Nam etſi non licet nobis ſcire, quomodo natus eſt Dei filius, ſcire tamen nobis licet & credere quod vere natus ſit. Fortes eſtote, non formidetis: nobiſcum eſt ille, pro quo hæc intentio vertitur. [Matt. 28. 20.] *Ecce ego*, inquit, *vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſæculi.* Neque enim nobis tam dura intentio eſſet, niſi Virgo peperiſſet, & quia virgo peperit, intentio eſt: & quia Virgo peperit Emmanuel, hoc eſt nobiſcum Deus, ipſum credimus, & adoramus, quia nullus alter Deus eſt. Denique in perſecutione quid quæritur niſi vt Deum *Chriſtum* negemus?

B

Itaque qui non confitetur *Chriſtum* Deum verum *Mariæ* Virginis filium natum ex Deo vero, veniam non merebitur. [1. Ioan. 4. 2.] *Sed & quicumque ſpiritus non confitetur Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo non eſt, & ipſe eſt Antichriſtus.* Qui enim hominem negauerit, Deum negauit: quia Deus homo eſt: & homo Deus eſt: & Deus & homo vnigenitus *Chriſtus* filius Dei eſt. Petrus enim qui hanc nauiculam reget, hominem negauit. Sic enim ait: *Non noui hominem.* Non enim dixit: Non noui Deum, aut filium Dei: Sed cum hominem negauit, filium Dei Deum negauit. Et cum ab homine interrogaretur, [Matt. 16. 13.] *Quem me dicunt filium hominis?* tunc homo homini reſpondit & ait: *tu es Chriſtus filius Dei viui.* Ipſum Chriſtum filium Dei viui negauit, [Matt. 26. 72.] Cum dixit: *Non noui hominem.*

Sed vbi negauit, Chriſtus ligatus tenebatur: Ante præſidem ſtabat: Alapis & colaphis cædebatur: Conſpuebatur. Nox erat, tenebræ erant, frigus erat, in prætorio erat: ancilla oſtiaria oſtium clauſum tenebat. Adhuc Spiritus

C

ſanctus plenius Petro non fuerat *datus, quia adhuc Ieſus* [Ioann. 7. 39.] *non fuerat glorificatus.* Vbi vero confeſſus eſt *Chriſtum* filium Dei, non erat ligatus *Ieſus*, neque ſolus: ſed multitudo ſequebatur eum, quorum mortuos ſuſcitabat, cæcos illuminabat, leproſos mundabat, Dæmones effugabat, & diuerſas infirmitates curabat: quærit ab hominibus; quis habeatur in populis egregius ille. Cum illi diuerſas opiniones proferrent, [Matt. 16. 14.] & alij dicerent: Tu es *Elias*, alij, *Tu es Ioannes Baptiſta*, alij, *Tu es Propheta*; tunc Petrus inter omnes, ſine aliqua dubitatione dixit: *tu es Chriſtus filius Dei viui.* Exclamat Dominus beatum, cui non caro, iſtud & ſanguis reuelaſſet: ſed Pater eius, qui eſſet in cælis. Tunc & petra vocatus, poſtquam angularem petram illum primus agnouit. Hæc eſt Petra, de qua Pater dixerat [Iſa. 28. 16.] per Eſaiam Prophetam: *Ecce mittam in fundamentis Sion Lapidem probatum, electum, angularem, pretioſum: & omnis, qui crediderit in eo, non confundetur.* Et vtique in Lapidem, in quem credere mandat, Deus eſt. De qua petra Paulus Apoſtolus dixit: [1. Cor. 10. 4.] *Petra autem erat Chriſtus.* Et

D

* quia omnes ſancti, qui in Chriſto fundati ſunt, lapides, & petræ ſcribuntur: ſed cum in ſacro eloquio ſingulari [* F. quidem.] numero petra vel lapis nominatur, ſolus Chriſtus accipitur, Cum vero *petræ* pluraliter appellantur, membra, videlicet ſancti viri, qui illius robore ſolidati ſunt, * experiuntur. [* *exprimuntur.*] Quos nimirum Petrus Apoſtolus *lapides* vocat, [1. Pet. 2. 5.] dicens: *Vos tanquam lapides viui coædificamini domus ſpiritualis.* Qui omnes non à Petro, ſed à Chriſto petra, ſicut & Petrus, nomen acceperunt: & quod Petro dixit, *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, non ſoli Petro ſed nobis omnibus dixit. Et quod Petro dixit: *Non reuelauit tibi iſtud caro, & ſanguis, ſed Pater meus, qui in cælis eſt*: non ſolum Petro, ſed & nobis qui ſic credimus vt [*Sane intellige.*] Petrus, & hodie dicit. Nam cum nos hodie dicimus corde, & ore cum omni Eccleſia, *Tu es Chriſtus filius Dei viui*; protinus ille reſpondet: Non reuelauit vobis iſtud caro, & ſanguis, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt: hoc veritas dixit vni, quod omnibus ſufficit. Hoc nos omnes credimus, quod ille ſolus confeſſus eſt.

E

Cui caro, & ſanguis reuelauit, dicat: Tu es adoptiuus humanitate, & filius Dei viui ſecundum diuinitatem, non enim Petro caro, & ſanguis reuelauerat hoc, quod dixit: *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Cuius caro, & ſanguis? Numquid nam Petri, vt ipſius caro obſtaret, & ſanguis, vt *Chriſtus* Dei filius diceretur? Non planè, ſed ipſius Domini caro, & ſanguis. In qua carne, & ſanguine, dum homo videtur quod aſſumpſerat Deus; non credebatur eſſe quod erat. Impoſſibile enim omnibus videbatur, vt Deum crederent, quem hominem viderent. Et tantam illam maieſtatem, in qua habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter, quam ipſe non capit mundus, in corpuſculo deſpectæ etiam imaginis incluſam ait: Non hæc carne mea tibi eſſe me Dei filium reuelauerunt quia iſta * me, id eſt, caro mea, & ſanguis non permittunt Dei filium credi. Denique & Propheta iam dixerat: *Et homo eſt, & quis agnoſcit eum?* [An Iſa. 53. 3.] Apertè ergo illi ſecundum oculum iudicantes, me aut Eliam aut Prophetam, aut vnum aliquem de Prophetis loquuntur, quia me hominem omni habitu carnis agnoſcunt. Sed tibi reuelauit Pater meus, qui in cœlis eſt.

F

Quando reuelauit? Quo tempore Deus cum Petro locutus eſt? Reuelauit tibi, inquit, Pater meus, qui in cœlis eſt. Ac ſi apertè diceret: Operibus credidiſti, quæ me loquuntur filium Dei. Vidiſti me mortuos ſuſcitare, cæcos illuminare, ſurdos facere audire, & mutos loqui, ſuper aquas ſicco veſtigio ambulare, ventis imperare, infirmos verbo ſanare. His operibus credidiſti, quæ me loquuntur filium Dei. Nam & illi me iſta facere viderunt, qui me vnum ex Prophetis nuncupauerunt: quia omnes mendacium dixerunt, quia de ſuo dixerunt, non de Patre reuelatum habuerunt. Qui enim *de ſuo loquitur, mendacium loquitur*: [Ioan. 8. 44.] quia qualem me videt, talem me putat eſſe. Qui enim de Patre audit, veritatem dicit quia de veritate haurit, & de veritate certificat.

Quid eſt veritas? Tu es Chriſtus filius Dei viui. Ipſe enim Chriſtus hoc dixit: *Ego ſum via, veritas, & vita:* [Ioan. 14. 6.] Non enim nos interfuimus, cum ex Patre filius naſceretur: ſed interfuimus, cum à Patre Dei filius diceretur.

G

Solus Pater dixit: [Matth. 3. 17.] *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipſum audite* omnis anima. Nam cum omnis anima dixit, nobis omnibus dixit. Omnis enim anima omnis homo dicitur: ſicut eſt illud in Geneſi: [Gen. 46. 27.] *Septuaginta animæ ingreſſæ ſunt in Ægyptum cum Iacob.* Per tot homines Pater clamat de cœlo nobis in terra hominibus, vt filium ſuum audiamus. Credamus ei, & prædicemus eum coram hominibus, proprium eſſe filium Dei. Quid primo dubitamus? Si Deo non credimus, cui credimus. Omnia enim, quæ credimus, vel viſu credimus, vel auditu. Viſus aliquando fallitur: auditus *tamen* in fide eſt. [F. *tantum.*] Fuerunt tunc qui Chriſtum viderunt, & crediderunt. Fuerunt qui viderunt, & non crediderunt. Sunt nunc qui Euangelium audiunt, & Chriſtum coram hominibus Dei filium crucifixum confitentur; & ſunt, qui eum Dei filium coram *omnibus* non eſſe contendunt, intonant Prophetæ, [*Forte hominibus.*] Euangelium clamat, & idem filius per Euange-

H

lium ſuum dicit: [Ioan. 17. 1.] *Pater, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te.* Pater ei dicit: *Clarificaui, & iterum clarificabo.* Pater veritas, quia teſtificatur veritatem; Clamat veritas veritati, de quo eſt ipſa veritas. Reſpondet veritas veritati, qui in hunc mundum non ſibi: ſed nobis miſit hanc veritatem. Venit veritas ad mendaces: & putamus, quod eam poſſumus facere, non credendo mendacem? Veritas dicit per os carnis ſuæ: [Mar. 14. 62.] *Filius Dei ſum* Et, *qui negat me, negat eum, qui me miſit.* [Luc. 10. 16.] Et præſumet aliquis *hoc* Euangeliū diſſoluere? An ex parte oportet credere Euangelio, & ex parte non credere? Qui non credit Euangelio, non credit filio, cuius eſt Euangelium. Et qui non credit, filio non credit Patri, qui miſit illum. Neque, enim regem diligimus, ſi eius leges odio habemus. Qui Patri, & Filio iſta dicenti non credit, mendax eſt, quia Deum putat eſſe mentitum. Si viri boni, dicerent, nefas putaremus eſſe, non credere. Deus aſſerit: probat Filius: tremens terra teſtatur: inferna captiuos abſoluunt: maria

obediunt:

A obediunt : elementa ſeruiunt : petræ ſcinduntur : Sol obſcuratur:& hæreticus, cum eſſet rationalis, filium Virginis non eſſe Dei filium cauſatur.

Quis eſt Dei filius, niſi Iesvs, quem virgo peperit Maria? Ipſum nobis promiſit per Prophetam Pater, dicens, *Reuelabitur enim vobis filius meus Ieſus.* Hoc nomen & Angelus Virgini nuntiauit : *Vocabis*, Inquit, *nomen eius Ieſum, hic erit magnus, & filius Altiſſimi vocabitur.* Potuerat dicere tunc, ſi verum eſſet, quod dicitis : Vocetur Iesvs adoptiuus filius Altiſſimi humanitate, & nequaquam adoptiuus diuinitate. Ioan. 3. 16. Potuerat & filius dicere : *Sic dilexit Deus mundum*, vt filium ſuum adoptiuum daret in mundo, vt omnis, qui crediderit in eum, non pereat. Et vtique miſſio eius homo eſt : & nihil aliud potuerunt in eo videre Increduli, qui eum crucifixerunt, niſi tantum hominem. Et cum hominem crucifixerunt, filium Dei crucifixerunt, Deum crucifixerunt. Pro me paſſus eſt Deus meus : Pro me crucifixus eſt Deus meus. Et quid dico pro me? Pro omnibus paſſus eſt Deus noſter. B Pſal. 81. 8. Dicamus ergo : *Surge Deus, iudica terram.* Cui Deo dicitur, ſurge, niſi ei, qui mortuus eſt? Cui Deo dicitur : Iudica terram, niſi ei, qui à Iudæis iudicatus eſt? Surge Deus, iudica terram, qui iudicatus es à terra. Vnde & in Pſalmo 81. dicitur : Deus ſtetit in ſynagoga Deorum, in medio autem Deos diſcernit. Et vtique qui Deos diſcernit, Deus eſt. Et non eſt Deus inter Deos, vt hæretici aſſerunt, Pſal. 81. 6. ſed Deus Deorum eſt. Ille, qui dixit. *Ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi*, ipſe eſt Deus excelſus filius Virginis: de quo Propheta iam dixerat : Iſa. 40. 10. *Ecce Deus excelſus in fortitudine ſua veniet, & nullus ei ſimilis. Quis poterat ſcrutari vias eius?* Cuncta conſiderans: & nomen eius ſupra terminos terræ. Ipſe eſt dominus dominorum, qui eſt Deus Deorum. Et ſicut non de diis multis eſt : ita neque de dominis multis : ſed vnus Dominus Deus, 1. Cor. 8. 5. Apoſtolo atteſtante, qui ait : *Nullus Deus, niſi vnus. Nam ſi ſunt qui dicantur dij, ſiue in cælo, ſiue in terra, ſiquidem ſunt dij multi, & Domini multi : nobis autem vnus Deus Pater, ex* C *quo omnia, & nos per illum, & vnus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia*, & nos per ipſum. *Sed non in omnibus eſt ſcientia.* Ipſe eſt Chriſtus Chriſtorum, qui Dominus Dominorum, & Deus Deorum. Sed non eſt Pſal. 104. 15. de illis Chriſtis, de quibus dictum eſt : *Nolite tangere Chriſtos meos.* Sed neque de illis, de quibus hæretici dicunt : Et ille Chriſtus, & nos Chriſti. Et quamquam & S. Chriſti ſint, & domini ſint & dij ſint : ſed nullus ex illis abſolutè dicitur vno ſermone Chriſtus Ieſus Deus noſter. 1. Cor. 1. 24. Nullus ex illis dictus eſt, *Chriſtus Dei virtus & Dei ſapientia.* Nullus ex illis mortuus eſt pro mundo. Solus iſte. Nullus ex illis propria voluntate natus, aut propria voluntate creuit, aut propria voluntate mortuus, aut quando voluiſſet, poſuiſſet animam, aut quando voluiſſet reſumeret; ſed ſolus iſte. Sic enim ait Iudæis : Ioa. 2. 19. *Soluite templum hoc, & triduo ſuſcitabo illud.* Non dixit : Soluite templum hoc, quem Pater ſuſcitet : ſed ego ſuſcitabo illud. Et in Pſalmo tertio ait : *Ego dormiui, & reſurrexi.* Hoc totum libera Chriſti poteſtas, eius qui poteſtate ſua D mortuus eſt, poteſtate ſua reſurrexit. Et qui poteſtatem habet; Deus eſt : & non quilibet Deus, ſed omnipotens, qui omnia poteſt. Et nullus poteſt facere, quod fecit, & facit omnipotens Deus. Nam quia & Pater eum ſuſcitauit, dicit in eodem Pſalmo. *Dominus ſuſcitauit me.* Dominum dicit, quem Patrem habet. Nam ſi eum Patrem non haberet, Petrus Apoſtolus de eo non diceret Act. 3. 13. Iudæis : *Dominus Deus Patrum noſtrorum ſuſcitauit filium ſuum Ieſum, quem vos interemiſtis.* Seruus dictus eſt Patris, quia ſemetipſum exinaniuit, id eſt, ſemetipſum Philip. 2. 7. mundo viſibilem oſtendit. Quia *formam ſerui accipiens*, inquit Apoſtolus, *in ſimilitudinem hominum factus eſt, habitu inuentus vt homo.* Et ideo Patris eſt ſeruus, qui cum Patre eſt vnus Dominus, & vnus Deus. Veruntamen ipſe ſibi nec dominus, nec ſeruus eſt. Solius Patris eſt ſeruus, quia facit voluntatem Patris, vt ipſe de ſemetipſo Ioa. 6. 38. ait : *Non veni voluntatem meam facere, ſed voluntatem eius, qui miſit me Patris.* Non hoc loco dixi voluntatem Dei facere, ſed Patris. Quamuis enim Deum ſuum Patrem dixerit, cum Deus ſit, etiam ipſa natura, & de illius E eſſentia: tamen nullatenus ignoramus, quod manens, homo quoque factus ſit, qui ſub Deo iuxta debitam legem naturæ † humanitatis exiſteret. † Fort. humana. Ipſe verò ſibi quomodo vel Deus poterit eſſe, vel Dominus? Ergo ſolius Patris eſt ſeruus, non ſibi ſeruus : non ſuus ſeruus. Non ſibi dominus, non ſuus dominus. Sicut ſolus Patris eſt filius, non ſuus filius, non ſibi filius; ſicuti ipſo maior & minor. Et ideo in quo maior ſibi ipſi, æqualis eſt Patri : in quo minor ſibi ipſi, minor eſt Patre. In quo minor Patri, Dominus omni creaturæ. In quo ſeruus Patri, dominus cœli, & terræ, id eſt, Angelorum, & hominum, Paulo Apoſtolo atteſtante, qui ait : Phil. 2. 8. *Humiliauit ſemetipſum vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus Pater exaltauit illum, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu*, filij Mariæ Virginis, *omne genu flectatur Cœleſtium, & terreſtrium & infernorum : & omnis lingua confiteatur, quia Ieſus in gloria eſt Dei Patris. Nulli enim Angelorũ dixit Pater; Filius* F *meus es tu, ego hodie genui te.* Hebr. 1. 5. 8. *Pete à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos. Ad Angelos quidem dicit : Adorent illum omnes Angeli Dei. Ad filium autem dicit : Thronus tuus Deus in ſæculum ſæculi : virga æquitatis, virga regni tui. Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. Et, tu domine initio fundaſti terram; & opera manuum tuarum ſunt cœli. Ipſi peribunt, tu autem permanes & omnia ſicut veſtimentum veteraſcent, & ſicut opertorium mutabis ea, & mutabuntur : Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient. Filij ſeruorum tuorum inhabitabunt, & ſemen eorum in ſæculum ſæculi dirigetur.* Hoc Eccleſia de Chriſto dicit. Et quia in hoc mundo minoratus venit paulo minus ab Angelis, & non ſolum Angelis, ſed etiam hominibus, quia minor erat parentibus ſuis: † & ante paſſionem, ante mortem, ante reſurrectionem. † F ſed. Nam poſteaquam re- G ſurrexit à mortuis, dixit diſcipulis ſuis : *Datu eſt mihi poteſtas omnis in cœlo, & in terra. Sicut me miſit Pater, & ego mitto vos : Hoc cum dixiſſet, inſufflauit, & dicit eis : Accipite Spiritum ſanctum : quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis : & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Matt. 28. 18. Ioan. 20. 22. Et quia Spiritus ſanctus de Patre, filioque procedit, ipſum Spiritum ſanctum inſufflans Apoſtolis, vt manifeſtius oſtenderetur, quod † præeſſet filius Dei, à quo procedit Spiritus ſanctus, & ipſa eſt tertia in Trinitate perſona : qui donum Patris, & Filij dicitur; † F quod ipſe eſſet. quem tunc dedit, & poſtea de cœlo miſit, vt oſtenderet dilectionem Dei, & proximi, ſecundum illa præcepta, *in quibus tota lex pendet, & Propheta.* Matt. 22. 40.

Semel in terra dedit Spiritum ſanctum propter dilectionem proximi : & ſecundo dedit de cœlo propter dilectionem Dei. Nam cum inſufflauit, & illi accepiſſent Spiritum ſanctum, dixit eis : H *Ite baptizate omnes gentes, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Matt. 28. 19. Vbi maximè commendatur hæc Trinitas, † dubitare non debemus. † Videtur aliquid deeſſe. Ipſe eſt igitur Spiritus ſanctus, qui etiam de cœlo datus eſt die Pentecoſtes poſt dies decem, quando Dominus aſcendit in cœlum. Quomodo non eſt Ieſus Chriſtus Deus Dei filius, qui de Virgine natus eſt Deus verus, qui dat Spiritum ſanctum? Imo quantus Deus eſt, qui dat Deum? Neque enim aliquis diſcipulorum eius dedit Spiritum ſanctum. Orabant quippe, vt veniret in eos, quibus manus imponebant : non ipſi eum dabant. Act. 8. 15. Quam conſuetudinem in Epiſcopis etiam nunc ſeruat Eccleſia.

Denique & Simon Magus offerens Apoſtolis pecuniam, non ait: Date & mihi hanc poteſtatem, vt dem Spiritum ſanctum : ſed, *cuicumque impoſuero manus, accipiat Spiritum ſanctum.* Act. 8. 19. Quia neque ſcriptura ſuperius dixerat: *Vidẽs autem Simon quod Apoſtoli darent* Spiritum ſanctũ: ſed dixerat: *Vidẽs autem Simon, quod per impoſitionem manuum Apoſtolorum daretur Spiritus ſanctus.* Propter hoc & Dominus ipſe Ieſus Spiritum ſanctum non ſolum dedit, vt Deus; ſed & accepit vt homo. Propterea dictum eſt,

A Ioan. 1. 14. Act. 10. 38. *Plenus gratia.* Et manifeſtius de illo ſcriptum eſt in actibus Apoſtolorum : *quia vnxit eum Deus de ſpiritu ſancto.* Non vtique oleo viſibili:ſed dono gratiæ, quod viſibili ſignificatur vnguento, quo baptizatos vnguit Eccleſia. Nec ſane tunc vnctus eſt Chriſtus Spiritu ſancto, quando ſuper eum baptizatum, vt columba deſcendit : Tunc enim corpus ſuũ, id eſt, Eccleſiam ſuam præfigurare dignatus eſt: In quo præcipuè baptizati accipimus Spiritum ſanctum. Sed iſta myſtica, & inuiſibili vnctione tunc intelligendus eſt vnctus, quando verbum Dei caro factum eſt, id eſt, quando humana natura, ſine vllis præcedentibus bonorum operum meritis, Deo verbo eſt in vtero Virginis copulata, ita vt cum illo fieret vna perſona. Ob hoc eum confitemur natum de Spiritu ſancto, & Virgine Maria. Abſurdiſſimum eſt enim, vt credamus eum, cum iam triginta eſſet annorum ætatis, & à Ioanne baptizatus eſt, accepiſſe Spiritum ſanctum. Sed venit ad Baptiſma Ioannis ſicut ſine peccato, ita plenus Spiritu ſancto. Si enim de
Luc. 1. 15. B ſeruo ſuo, & præcurſore ipſius Ioanne ſcriptum ait : *Spiritu ſancto replebitur adhuc in vtero matris ſuæ :* quia quamuis ſeminatus à Patre, tamen Spiritum ſanctum in vtero formatus accepit : quid de homine Chriſto intelligendum eſt, vel credendum, cuius carnis ipſa conceptio non carnalis, ſed ſpiritualis fuit?

Hoc totum quare diximus ? niſi, vt Ieſum Chriſtum, qui de Virgine natus eſt, verum Deum, & verum filium Dei eſſe proprium firmaremus, & Deum inter Deos, & adoptiuum cum adoptiuis, & paruulum cum paruulis, & ſeruum cum ſeruis, vt hæretici blaſphemant, aperta fronte negaremus : Vlulant iſti ; ſcripturam non tractant. Et quia vlulant, lupi ſunt, in tenebris ambulant, id eſt, inter ignaros prædicant : obſcuras, & diſtortuoſas diſputationes proferunt, quibus ignaros decipiunt. Paſtores Eccleſiarum auferre conantur, vt oues Domini facilius ſtrangulent. Videte fratres, non credatis eis, expellite eos à
* vocem. Matth. 7. 15. vobis, & fugite eos, ſi oues eſtis, quia non habent * voces paſtoris. Bonus paſtor noſter nobis dixit : *Cauete à Pſeudophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis*
C *ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.* Nonne lupi ſunt, qui vobis dicunt : Adoptiuum credite Ieſum Chriſtum : & qui ita non crediderit, exterminetur ? Et Epiſcopus Metropolitanus, & princeps terræ, pari certamine hæreticorum ſchiſmata, vnus verbi gladio alter Virga regiminis vlciſcens, de terra veſtra funditus auferant : certe iam rumor eſt, iam fama eſt, & non ſolũ per Aſturiam, ſed per totam Hiſpaniam, & vſque ad Franciam diuulgatum eſt, quod duæ quæſtiones in Aſturienſi Eccleſia ortæ ſunt. Et ſicut duæ quæſtiones; ita duo populi, & duæ Eccleſiæ, vna pars cum altera pro vno Chriſto contendunt. Cuius fides, vera, an falſa ſit, grandis intentio eſt : & hoc non in minuta plebe; ſed inter Epiſcopos eſt. Vna pars Epiſcoporum dicit, quod Ieſus Chriſtus adoptiuus eſt humanitate, & nequaquam adoptiuus Diuinitate. Altera pars dicit : niſi ex vtraque natura vnicus eſt Dei Patris filius proprius, non adoptiuus : in tantum proprius, vt ipſe ſit Dei filius Deus verus ; & ipſe adoretur, & colatur, qui
D ſub Pontio Pilato eſt crucifixus. Hæc pars nos ſumus, id eſt Eterius, & Beatus, cum cæteris ita credentibus. Credimus certè non ſolum in Deum Patrem omnipotentem, ſed in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum Deum, & Dominum noſtrum, qui natus eſt de Spiritu ſancto, & Maria Virgine, paſſus ſub Pontio Pilato.

Ecce vtraque fides patet : ſed nos pro hac fide, quam
* F. Exulare. vindicamus, non ſolum * exilium, ſed etiam mori parati ſumus. Tempeſtat mare, & fluctuat, ſed nauicula non mergitur, quia fides non dubitatur. Deſcendunt hæreticorum pluuiæ, flant perſecutionum venti ; adueniunt flumina, id
Matt. 7. 25. eſt, minæ, & terrores hæreticorum : ſed domus à fundamento non diſſoluitur, quæ diu ſupra firmiſſimam petram, quadratis lapidibus artificis manu conſtruitur. *Et ſi etiam*
Galat. 1. 8 *Angelus de Cælo* veniat, qui nobis veſtram fidem peregrinam inſerere diſponat, anathema nobis *maranata* re-
1. Cor. 6. 22. putabitur. Et quia (vt diximus) iam venti, & flumina imminent, ipſa domus radicitus ſubuertetur, quæ ſupra are-

E nam fundata eſſe non dubitatur. Quid eſt arena, niſi hæreſes ? Et cum multi hæretici ſint, multa etiam mendacia confingunt, quia aduerſus Catholicam fidem diuerſa ſentiunt, & tamen inter ſe minime concordare poſſunt. Ecce campum ſcripturarum, & vnum Chriſtum, & tamen inter vtraſque partes diuiſum. Pars, quæ recte credit in Chriſto, ſicut ipſe ait, *Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Ioan. 7. 38.
Et cum habuerit Chriſtum, tunc habebit Legem & Euangelium : Et pars quæ non habuerit Chriſtum, non poterit illa aqua ex eo fluere, & ea in flumina non valebit deriuare, quæ Spiritus ſanctus non dictauerit. Sed procul dubio illa aqua, quæ apud Salomonem praua ſcientia nuncupatur, per mulierem, quæ typum hæreſeos tenet, & callidis ſuaſionibus blanditur dicens : *Aquæ furtiuæ dulciores ſunt.* Prou. 9. 17.
Et non philoſophando ſcribamus obſcuris ſermonibus, ſed ſimpliciter; vt omnes, qui audierunt, alterum interrogare non indigeant, ſed omnes intelligant.

Et quia pro fide recta eſt, non ornato, politoque ſermone, ſed rebus manifeſtis conuincenda eſt. *Hauriat* vnuſ- F
quiſque noſtrum *aquas de fontibus ſaluatoris*, id eſt, de Iſa. 12. 3
Prophetarum, & Apoſtolorum doctrinis. Non ſibi fodiat ciſternas nouas: de quibus Dominus per Prophetam dicit: *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ : & effoderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ non ſolent continere aquas :* quia re- Ierem. 2. 13.
pleta eſt terra ſcientia Domini, ſicut aqua maris. Ciſternam Iſa. 11. 9.
nouam fodiſſe eſt, noua verba de Chriſto conficere, quæ in Lege, & Euangelio ſcripta non ſunt, De qua ciſterna in Euangelio Dominus commemorat de villico iniquitatis, qui ait: *Fodere non valeo: mendicare erubeſco.* Iſte vil- Luc 16 3.
licus iniquitatis Saulus erat, qui poſtea Paulus Apoſtolus factus eſt. Quando Saulus erat, clarus erat, & ſuperbus ; & gloriabatur de lege, & ſapientia ſcripturarum: & *ad pedes* Act. 22. 3.
Gamalielis, qui eo tempore peritiſſimus erat in lege, gloriabatur ſe literas didiciſſe: & ob hoc perſequebatur Apoſtolos Chriſti, dicens neſcire eos legem, & ruſticos. Quamobrem adhuc * *ſuſpirans minas, & homicidia in diſcipulos* *ſpirans.
Domini, acceſſit ad ſacerdotem, & petijt ab eo epiſtolas in Act. 9. 2.
Damaſcum ad Synagogas, vt ſi quos inueniret, qui eſſent de G
hac via viros, ac mulieres, vinctos perduceret in Ieruſalem. Qui cum cæpiſſet credentes in Chriſtum perſequi, ligare, occidere, & omnem Dei ſui diſſipare ſubſtantiam, correptus à Domino eſt. *Saule Saule, quid me perſequeris ?* Act. 9. 5. 6.
Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. Dixitque in corde ſuo : Quid faciam, quia magiſter fui, & villicus, cogor eſſe diſcipulus, & operarius ? Fodere non valeo. Quia dixit, fodere non valeo ? Ac ſi aperte diceret. Non poſſum ſupra prophetare, quam prophetatum eſt. Non poſſum nouum dogma componere ; quia ea, quæ Prophetæ dixerant, iam omnia in Chriſto completa erant. Matth. 11. 13.
Iam ceſſauerant *Lex & Prophetæ vſque ad Ioannem Bap-* Rom. 10. 4.
tiſtam. Sed non erat Ioannes prophetarum finis, & legis, ſed Chriſtus : ſicut ipſe Apoſtolus ait : *Finis autem legis Chriſtus, ad iuſtitiam omni credenti.*

Fodere, inquit non valeo, mendicare erubeſco, Ac ſi diceret: Vt qui doctor fueram Iudæorum, cogor ab Apoſto- H
lis ruſticis, & egentibus, & à diſcipulo Anania, ſalutis, & fidei mendicare doctrinam. Aperiamus oculos, & videamus Saulum lupum Ananiæ oui ſummittere caput. Videamus eruditũ in Lege, à ruſticis accipere doctrinam ſalutis Nihil ſciebat Saulus in lege, quã dederat Deus, qui Chriſtum perſequebatur, qui dederat ipſam Legem. Omnem legem ſciebant Apoſtoli ruſtici, qui Chriſtũ Deũ ſciebant, qui compleuerat iam Legem, quam dederat : quia nullus hominum potuerat adimplere Legem, niſi ſolus Chriſtus Matth. 5. 17.
qui eam dederat, ſicut ipſe ait : *Non veni legem ſoluere: ſed adimplere.* Quod ſi quæſietis, quare vocetur Villicus iniquitatis in lege, quæ Dei eſt ? Dicamus: Recte credebat in Patrem, villicus erat : Filium perſequebatur, iniquus erat. Villicus autem dicitur propriæ villæ gubernator: vnde & à villa villicus nomen accepit. Qui de Saulo elato, & ſuperbo factus eſt humilis Paulus, *vas electionis* Chriſti, *ad* 2. Tim. 2. 21.
omne opus bonum paratus : Qui non eſſet diſcipulus, niſi diſcipulo ruſtico ſubmitteret collum. Qui etiam non valuit ciſternam fodere nouam, id eſt, legem componere nouam : ſed illam, quæ fodita erat, aperuit, & in flumine

derinauit,

A deriuauit, id eſt, illam, quæ de Chriſto erat, aperuit, & explanauit: & totum mundum in gentibus aridum ſatiauit, quando Chriſtum illis Dei filium cognoſcere fecit.

Hæc exempla nos ſequi oportet. Non confingamus de noſtro, ſed illa explanemus, quæ in Lege, & Euangelio ſcripta ſunt. Et quia Chriſtus noſter & panis eſt in diuinitate fortibus, & lac in humanitate paruulis, quid cui debeatur, aptum cibum miniſtrare, vterorumque filiis non negemus: vt illud in nobis compleatur, quod Do-
Matt. 25. 45. minus in Euangelio dicit: *Quis putas eſt fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis cibum tempore?* Diſpenſator prudens, paſtor Eccleſiæ, vnicuique cibum ſuo tempore dat, cum verbum prædicationis ſic diſpenſat ſingulis, vt libenter accipiens anima capere, & portare poſſit, quod dederit: ne (quod abſit) mente paruulo dum panis durus in os, id eſt, in loquutione, quod eſt diuinitas, mittitur, ſine trituratione dentium, ſuffocetur: Lacte ergo alendi ſunt, id eſt, cre-
B dant eum eſſe filium Dei proprium, non adoptiuum: Deum verum, quem Iudæi crucifixerunt. Ipſe eſt verus, Deus, & vita æterna, Ioanne Apoſtolo atteſtante, qui ait:
Ioan. 5. 20. *Scimus, quoniam filius Dei venit, & dedit nobis intellectum, vt cognoſcamus verum Deum; & ſimus in vero filio eius Chriſto. Hic eſt verus Deus, & vita æterna.* Paulus Apoſtolus ad Romanos ait: *Si Deus pro nobis, quis contra*
Rom. 8. 31. *nos?* Qui etiam *proprio filio ſuo non pepercit: ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Quomodo non etiam cum illo omnia*
Rom. 9. 5. *nobis donabit?* Item ibi. *Quorum Patres, ex quibus Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula.* Et ipſe Dominus in Euangelio Cæco illuminato dixit: *Tu credis in filium Dei?* Et dixit: *Quis eſt*
Ioan. 9. 35. *Domine, vt credam in eum? Reſpondit ei Ieſus: Et vidiſti eum, & qui loquitur tecum, ipſe eſt.* Item in Euangelio ſecundum Ioannem, quando Lazarum ſuſcitaturus venit *dixit Martha ad Ieſum: Domine ſi fuiſſes hic, frater meus*
Ioann. 11. 22. *non fuiſſet mortuus. Dixit illi Ieſus: Reſurget frater tuus: Dicit ei Martha Scio, quia reſurget in reſurrectione, in nouiſſimo die. Dicit illi Ieſus: Ego ſum reſurrectio, & vita.*
C *Qui credit in me, & ſi mortuus fuerit, viuet: Et omnis, qui viuit, & credit in me non morietur in æternum. Credis hoc? Et ait illi Martha: Vtique Domine: Ego credidi, quia tu es Chriſtus, filius Dei, qui in hunc mundum veniſti.*

Non debemus ergo dubitare de eo, quem Iudæi crucifixerunt, quod ipſe ſit verus filius Dei proprius, non adoptiuus: ſed vnicus Dei Patris filius, Deus verus, & vita æterna. Credamus in eum tam paruuli, quam ſenes, tam ruſtici, quam ſapientes, tam pauperes, quam diuites; tam viri, quam fœminæ; tam *omnis omninoque* ſexus moriamur pro eo, vt viuamus in eo. Adoremus eum ſine dubitatione, quia non eſt alter Deus præter eum, Pro-
Baruc. 3. 36. pheta Ieremia teſtante, qui ait: *Hic Deus noſter, & non eſt alius Deus præter eum: qui adinuenit omnem viam prudentiæ: & dedit eam Iacob puero ſuo, & Iſraël dilecto ſuo. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.*

D Non ergo ſeparamus Patrem, & Spiritum ſanctum à Filio, cum ſolum Filium dicimus Deum. Pater, & Filius ambo ſimul vnus Deus. Non Pater ambo ſimul ſunt: non Filius ambo ſimul ſunt. Solus in illa ſumma Trinitate Pater tantum Pater eſt in ſua perſona: ſolus Filius in ſua perſona tantum filius eſt, ſolus in ſua perſona Spiritus ſanctus, tantum Spiritus ſanctus eſt. Et ideo nec Patrem Filium nominamus: nec Patris nomen Filio imponimus: nec Spiritui ſancto nomen Patris, aut Filij dicimus. Et inde verè Trinitas eſt: quia nec Pater natus eſt, nec Spiritus ſanctus: ſed ſolus Filius. Nec Filius genuit, nec Spiritus ſanctus: ſed ſolus Pater. Neque Pater a duobus proceſſit, aut Filius; ſed tantum Spiritus ſanctus. Ac per hoc ſolus Pater Deus à nullo Deo eſt, ſed à ſe. Filius Deus eſt, ſicut Pater, ſed à Patre eſt Deus, non à ſe. Spiritus quoque ſanctus Deus eſt, ſicut Pater, & Filius: ſed a Patre, & Filio Deus eſt non à ſe. Solus Pater à ſe Deus: hi vero duo ab vno ſunt Deus, id eſt, a Patre: ac per hoc & Pater Deus, & Filius Deus, & Spiritus ſanctus Deus:

& non tres Dij, ſed vnus, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. E Et ideo cum dicimus in ſcripturis: ſolus Chriſtus Filius Dei natus de Virgine, & ipſum crucifixerunt Iudæi, & ipſe eſt verus, & non eſt alter Deus præter eum, verum dicimus: quia non eſt alter Deus, præter eum. Quia Pater Deus eſt omnipotens: & ſolus ſibi ſufficit in ſua perſona. Et Filius Deus eſt omnipotens, & ſolus ſibi ſufficit in ſua perſona. Et Spiritus ſanctus Deus eſt omnipotens, & ſolus ſibi ſufficiens in ſua perſona. Et hi tres non ſunt tres Dij omnipotentes: ſed vnus Deus omnipotens, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Et ideo ſolus ſufficit Pater Deus, quia ſeparari à Filio, & Spiritu ſancto non poteſt. Et ſolus *ſufficit* Chriſtus Filius Dei Deus, quia ſeparari à Patre, & Spiritu ſancto non poteſt. Solus etiam *ſufficit* Spiritus ſanctus, quia ſeparari à Patre, & Filio non poteſt, quia ſimul tres vnus Deus.

Quamobrem non debemus dubitare Chriſtum Filium Dei, quem Iudæi crucifixerunt, eſſe verum Deum, & non eſſe alterum Deum præter eum. Credamus in eum, & F
adoremus eum, quia non eſt alter adorandus præter eum. Ecce panem, & lac protulimus, accipiat quis quantum valet. Et hoc domini eſt, quod dicimus: nam qui dicimus, nihil ſumus: ſed de quo dicimus, magnus eſt, & magna virtus eius: & ſapientiæ eius non eſt numerus. Tantus, ac talis eſt, vt nec de eo poſſimus dicere, nec de eo omnino tacere. Sed tamen cum ſit inenarrabilis, non debet eſſe ignorabilis. Dicit enim ſcriptura, *Genera-* Iſa. 53. 8.
tionem eius quis enarrabit? Non dicit, ignorabit. Et ideo oportet primum, vt credamus in eum: & tunc intelligere poſſumus *quæ* ſcripta de eo legimus. Quid enim prodeſt, vt cum periculo quæratur, quæ ſine periculo neſcitur? Ergo melius eſt non intellecta credere, quam credenda verbis mendacibus perdocere. Multum enim præcedit fides intellectum. Si enim fides habet meritum, & per ipſam etiam ruſticis Chriſtus daturus eſt præmium, præcedit vtique intellectum. Quamobrem omnis ruſticus idiota, qui rectè credit in Chriſtum, ſimpliciter viuet, & recedet à malo, ſuperat intellectum. Intellectus tamen, G
quamuis bona opera videatur habere, præcedit eum ruſticus, ſi fidem rectam habet. Nihil ergo intelligit, qui non credit, dicente Propheta: *Niſi credideritis, non in-* Iſa. 7. 9.
telligetis. Ergo in diuinis rebus Fides tantummodo adſit, & nulla quæſtio remanebit. Quod ſi diſcutere volueris, & rationem de Deo, & homine facere præſumpſeris, continuo in laqueo perditionis immergeris.

Nos ergo debemus dicere illum Deum, & iſtum hominem vnum habemus, & adoramus Deum cum Patre, & Spiritu ſancto vnum Deum, non hominem, quartam introducentes perſonam: ſed cum ipſa carne propria vnum adoramus Chriſtum Filium Dei Deum, iuxta Epheſini Concilij veræ fidei documentum, quæ ait: Caueamus autem de Chriſto dicere: Propter aſſumentem veneror aſſumptum: & propter inuiſibilem adoro viſibilem. Horrendum vero ſuper hoc etiam illud dicere: Is, qui ſuſceptus eſt, cum eo, qui ſuſcepit, non nuncupatur Deus. Qui enim hæc dicit, diuidit iterum in duos Chri- H
ſtos eum, qui vnus eſt: & hominem ſeorſum in partem, & Deum ſimiliter in partem conſtituens. Euidenter enim denegat vnitatem, ſecundum quam non alter cum altero *coadoratur, aut connuncupatur:* ſed vnus intelligitur Chriſtus Ieſus, Filius Dei vnigenitus, vna ſeruitute cum propria carne venerandus. Hæc fides primi Epheſini Concilij eſt, quod & textus Symboli probat. Quid ergo poſſum facere mente paruulis, ſi ab iſta vnitate fidei, vos audientes, receſſerint, & vnum Chriſtum & ſecundum diuinitatem proprium, & ſecundum humanitatem adoptiuum confeſſi fuerint. Quid ergo nos faciemus, qui eos Apoſtolicam fidem tenere docuimus, cum & ipſi à puro lacte matris Eccleſiæ Legis & Euangelij ſugentes vbera, Deo miſerante, ad ſolidum diuinæ Trinitatis cibum peruenimus. Surgamus ergo cum ipſis Apoſtolis, & fidei noſtræ Symbolum, *quem* tradiderunt nobis, breui compendio recitemus, quicumque vnum Dominum, vnam Fidem, vnum Baptiſma habemus: & fidem, in qua ba-

A ptizati ſumus, In hac peruerſitate, & duplicitate hæreticorum non negemus. Sed ſicut corde credimus, ore proprie proferamus publicè, & dicamus.

Credo in Deum Patrem omnipotentem: Et in Ieſum Chriſtum Filium eius vnicum Deum, & Dominum noſtrum, qui natus eſt de Spiritu ſancto, & Maria Virgine. Paſſus ſub Pontio Pilato. Crucifixus, & ſepultus. Deſcendit ad inferna. Tertia die reſurrexit viuus a mortuis. Aſcendit in cælos. Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde venturus iudicare viuos & mortuos. Credo in Spiritum ſanctum. Sanctam Eccleſiam Catholicam. Remiſſionem omnium peccatorum. Carnis reſurrectionem, & vitam æternam, Amen.

Ecce fidem Apoſtolicam, in qua baptizati ſumus, quam credimus, & tenemus. Et qui ad nos venerit de aliis regionibus, aut certè de noſtris finibus, & hanc fidem, & hanc doctrinam Apoſtolicam adduxerit, recipiamus eum in ſancta Eccleſia. Manducemus, & bibamus
B cum eo, quia pacem annunciat, & filius charitatis eſt. Et
1.Ioan.4.16. quia *Deus charitas eſt*, Filius Dei eſt. Et quia *Chriſtus caput corporis Eccleſiæ eſt*, membrum corporis eſt. Et qui
Epheſ. 1.22. hanc fidem nobis non adduxerit, & noſtram fidem diſſoluere *conatus erit*, & fermentum inſolitæ prauitatis in azyma maſſæ Eccleſiæ miſcere voluerit, & nos ſcandalizauerit, quid de eo faciamus? Ioannem Apoſtolum cubicularium regis interrogemus: ipſum, qui ſupra pectus Domini recubuit: ipſum qui de ſacratiſſimo ore intimo diuinitatis archiuo hauſit. Quem etiam primus Apoſtolorum Petrus, quis eſſet, qui Dominum traderet, interrogauit. Dic ſancte Ioannes, quid faciemus de iſto, qui nobis doctrinam veſtram turbat? Reſpondet nobis, & dicit:
2.Ioan.1.10. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis. Qui enim dixerit illi Aue, communicat operibus illius malignis. Quo-*
1.Ioan.4.1.3. *niam multi ſeductores exierunt in mundum, qui non confi-*
2.Ioan.1.7.8. *tentur Ieſum Chriſtum veniſſe in carnem, hic talis ſeductor eſt, & Antichriſtus. Videte voſmetipſos ne perdatis,*
C *quod operati eſtis, ſed vt mercedem plenam recipiatis. Omnis, qui recedit, & non manet in doctrina Chriſti, Deum non habet. Qui permanet in doctrina Chriſti, hic & Filium, & Patrem habet. Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod*
1.Ioan.1. *vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ tractauerunt de verbo vitæ: & vita manifeſtata eſt, & vidimus, & teſtamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis: Quod vidimus, & audiuimus, annunciamus vobis, vt & vos ſocietatem habeatis nobiſcum: & ſocietas veſtra ſit cum Patre, & filio eius Ieſu Chriſto. Filioli, nouiſſima hora eſt. Et ſicut*
1.Ioan.2.18. *audiſtis, quia Antichriſtus venit, & nunc Antichriſti multi facti ſunt: Vnde ſcimus, quia nouiſſima hora eſt:* quia multi Antichriſti ſunt, qui nobiſcum erant, iam contra nos ſunt, iam foris ſunt. *Ex nobis exierunt: ſed non erant ex nobis. Nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum. Sed vt manifeſti ſint, quia non ſunt omnes ex nobis. Sed vos vnctionem habetis à ſancto, & noſtis omnia. Non*
D *ſcripſi vobis quaſi ignorantibus veritatem: ſed quaſi ſcientibus eam. Et quoniam omne mendacium ex veritate non eſt. Quis eſt mendax? Qui negat, quoniam Ieſus non eſt*
1.Ioan.2.23. *Chriſtus.* Hic eſt Antichriſtus, qui negat Patrem, & Filium. *Omnis, qui negat Filium, nec Patrem habet. Qui confitetur Filium, & Patrem habet.*
1.Ioan.2.26. *Hæc ſcribo vobis de his, qui ſeducunt vos. Et vos vnctionem, quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis. Et non neceſſe habetis, vt aliquis doceat vos ſed ſicut vnctio eius docet vos de omnibus: & verum eſt, & non eſt mendacium. Et ſicut docuit vos, manete in eo. Et nunc filioli manete in*
1.Ioan.3.1. *eo, vt cum apparuerit, habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in aduentu eius: ſed ſi ſcitis, quoniam iuſtus eſt, ſcitote, quoniam & omnis, qui facit iuſtitiam, ex ipſo natus eſt. Videte qualem Charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & ſimus. Propter hoc mundus non nouit nos, quia non nouit eum. Chariſſimi, nunc filij Dei ſumus & nondum apparuit, quid erimus. Scimus, quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum, ſicuti eſt. Et omnis qui habet hanc ſpem in eo, ſanctifi-*

cat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt. Omnis, qui facit peccatum, & iniquitatem facit, & peccatum eſt iniquitas. Et ſcitis, quoniam ille apparuit, vt peccata tolleret: & peccatum in eo non eſt. Omnis, qui in eo manet, non peccat. Omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognouit eum. E

Filioli nemo vos ſeducat. Qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt, 1.Ioan.3.7.
ſicut & ille iuſtus eſt. Qui facit peccatum, ex diabolo eſt, quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit filius Dei, vt diſſoluat opera diaboli. Omnis, qui natus eſt ex Deo peccatum non facit, ſed ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt. Et in hoc manifeſti ſunt filij Dei, & filij diaboli. Omnis, qui non eſt iuſtus, non eſt de Deo, & qui non diligit fratrem ſuum. Quoniam hæc eſt annuntiatio, quam audiſtis ab initio, vt diligamus alterutrum. Chariſſimi, diligamus nos inuicem, quoniam charitas ex Deo eſt. Et omnis, qui diligit fratrem ſuum, ex Deo natus eſt, & cognoſcit Deum. Qui autem non diligit fratrem ſuum, non habet charitatem, & non nouit Deum F
quoniam Deus charitas eſt. Ex hoc apparuit charitas Dei in nobis cum filium ſuum vnigenitum miſit Deus in mundum, vt viuamus per eum. In hoc eſt charitas non quaſi nos dilexerimus Deum: ſed quoniam ipſe dilexit nos, & miſit filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris. Chariſſimi, ſi Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere. Deum nemo vidit vnquam. Si diligimus inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta eſt. In hoc intelligimus, quoniam in eo manemus & ipſe in nobis, quoniam de ſpiritu ſuo dedit nobis: & nos vidimus, & teſtificamur, quoniam Pater miſit filium ſuum Saluatorem mundi. Omnis, qui confeſſus fuerit, quoniam Ieſus eſt filius Dei, Deus in eo manet, & ipſe in Deo. Et nos cognouimus, & credimus charitati, quam habet Deus in nobis. Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo eſt. In hoc perfecta eſt charitas Dei nobiſcum, vt fiduciam habeamus in diem iudicij: quia ſicut ille eſt & nos ſumus in hoc mundo. Timor non eſt in charitate: ſed perfecta charitas foras mittit timorem: quoniam timor pœ- G
nam habet. Qui autem timet, non eſt perfectus in charitate. Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos. Si quis dixerit quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum odit, mendax eſt. Qui enim non diligit fratrem ſuum, quem videt, Deum quem non videt, quomodo poterit diligere? Et hoc mandatum habemus ab eo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum. Omnis, qui credit, quoniam Ieſus eſt Chri- 1.Ioan.
ſtus, ex Deo natus eſt. Et omnis, qui diligit eum, qui ge- 4.1.
nuit, diligit eum, qui natus eſt ex eo. In hoc cognoſcimus, quoniam diligimus filium Dei, cum Deum diligamus, & mandata eius faciamus. Hæc eſt enim charitas Dei, vt mandata eius cuſtodiamus: & mandata eius grauia non ſunt. Quoniam omne, quod natum eſt ex Deo, vincit mundum. Et hæc eſt victoria, quæ vincit mundum fides noſtra. Quis eſt, qui vicit mundum, niſi qui credit, quoniam Ieſus eſt filius Dei. Hic eſt, qui venit per aquam, & ſanguinem Ieſus Chriſtus. Non in aqua ſolum, ſed in aqua, & ſanguine, & carne. Et Spiritus eſt, qui teſtificatur, quoniam Chriſtus eſt veritas. Quia tres ſunt, qui teſtimonium dant in terris, aqua, & ſanguis, & caro. Et tria hæc vnum ſunt. Et tres H
ſunt, qui teſtimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus. Et hæc tria vnum ſunt in Chriſto Ieſu. *Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei maius eſt. Quoniam hoc eſt teſtimonium Dei, quod maius eſt, qui teſtificatus eſt de filio ſuo,* quem miſit Saluatorem ſuper terram. Et filius teſtimonium perhibuit inter ſcripturas proficiens; & nos teſtimonium perhibemus, quoniam vidimus eum, & annuntiamus vobis, vt credatis. Et ideo, *qui credit in filium Dei habet teſtimonium Dei in ſe. Qui non credit filio, mendacem facit eum quoniam non credit in teſtimonio, quod teſtificatus eſt Deus de filio ſuo. Et hoc eſt teſtimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus. Et hæc vita in filio eius eſt. Qui habet filium Dei, habet vitam. Qui non habet filium Dei, vitam non habet. Hæc ſcribo vobis, vt ſciatis, quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine filij Dei. Et hæc eſt fiducia, quam habemus ad eum. Quia quodcunque petierimus ſecundum voluntatem eius, audit nos. Et ſcimus, quoniam audit nos, quidquid*

A

petierimus : ſcimus, quoniam habemus poſtulationes, quas poſtulamus ab eo, ſi credimus in eo, & diligimus fratres. Non ſic diligamus *ſicut Caim, qui ex maligno*

1.Ioan.3.12.

erat, & occidit fratrem ſuum. Et propter quod occidit eum? Quoniam opera eius mala erant, fratris autem eius iuſta. Nolite mirari fratres, ſi odit vos hic mundus. Nos ſcimus, quoniam tranſlati ſumus de morte in vitam quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte. Omnis, qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Et ſcitis, quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in ſe manentem. In hoc cognoſcimus Charitatem Dei, quoniam ille pro nobis animam ſuam poſuit : & nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo quomodo charitas Dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo tantum & *lingua, ſed opere, & veritate. In hoc ſcimus, quoniam ex veritate ſumus, & conſpectu eius*

B

ſuademus corda noſtra. Si reprehenderit nos cor noſtrum, maior eſt Deus corde noſtro, & nouit omnia Chariſſimi, ſi cor noſtrum nos non reprehenderit, fiduciam habemus ad Deum : & quidquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata eius cuſtodimus, & ea, quæ placita coram eo facimus. Et hoc eſt mandatum eius, vt credamus in nomine filij eius Ieſu Chriſti, & diligamus alterutrum, ſicut dedit mandatum nobis. Et qui ſeruat mandatum eius in illo manet, & ipſe in eo. Et in hoc ſcimus, quoniam manet in nobis, de ſpiritu, quem dedit nobis.

1.Ioan.4.1.

Chariſſimi, nolite omni ſpiritui credere : ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt. Quoniam multi Pſeudoprophetæ exierunt in hunc mundum, & ex hoc cognoſcitur Spiritus Dei. Omnis ſpiritus, qui confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt. Et omnis ſpiritus, qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt : Et hic eſt illius Antichriſti, quem audiſtis quoniam venit : & nunc in mundo eſt, Vos ex Deo eſtis filioli, & vicistis eos, quoniam maior eſt, qui in nobis eſt, quam qui in mundo. Ipſi de mundo ſunt, ideo de

C

mundo loquuntur, & mundus eos audit. Nos ex Deo ſumus. Qui nouit Deum, audit nos : qui autem non eſt ex Deo non audit nos. In hoc cognoſcimus ſpiritum veritatis, & ſpiritum erroris. Hanc Epiſtolam, quam legimus charitati veſtræ, Iohannis Apoſtoli & Euangeliſtæ eſt, directa ad gentes. Et quia nos ex gentibus ſumus, nobis directa eſt. Eſt quia Virgo Maria peperit Ieſum, de Ieſu eſt : & quia de Ieſu intentio noſtra eſt, & Eccleſia pro ipſo ſolo in duas partes diuiſa eſt; requiramus hos duos Chriſtos, & inueniamus per ſpiritum, Ieſus cuius filius eſt. Iſtud nomen accepit à Patre per Prophetam, antequam naſceretur ex Virgine, mundo annuntiatum : *Reuelabitur*, inquit, *vobis filius meus Ieſus.*

Luc.1.31.

Iſtud nomen Angelus Gabriel nuntiauit Virgini, dicens: *Ecce concipies & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum. Hic erit magnus, & filius altiſſimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum: & regni eius non erit finis.*

D

Dixit autem Maria ad Angelum. Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Et reſpondens Angelus, dixit ei : Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Ideoque, & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei. Ecce Virgo non dubitauit de numine, ſed quomodo fieret illud, bis nominauit. Ecce cuius filius eſt Ieſus. Videamus nunc ſi ipſe eſt Dominus

Luc.1.38.

cœli, & terræ. *Et ait Maria Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Ancillam ſe dicit, quæ mater eligitur. Non eſt conſuetudo, vt matres filios ſuos dominos dicant : ſed ſola Virgo, quæ Dominum cœli, & terræ peperit.

Exurgens autem Maria in diebus illis, abiit in montana cum feſtinatione in ciuitatem Iuda : & intrauit in domum Zachariæ, & ſalutauit Eliſabeth. Et factum eſt, vt audiuit ſalutationem Mariæ Eliſabeth, exultauit infans in vtero eius : & repleta eſt Spiritu ſancto Eliſabeth, & exclamauit voce magna, & dixit : Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Ecce duæ teſtes. Virgo dixit. Ecce ancilla Domini. Eliſabeth dixit : Matrem Domini. Et Virgo, & Mulier, cœli, & terræ Dominum

E

confeſſæ ſunt. Decurſis * decem menſibus, *Peperit Virgo*

* Fort. nouem.

Luc.2.7.

filium ſuum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præſepio : quia non erat ei locus in diuerſorio. Angelus autem Domini apparuit paſtoribus dicens : Nolite timere. Ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo : quia natus eſt hodie vobis Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus in ciuitate Dauid. Ieſus enim in lingua Latina Saluator dicitur, Hebraicè vero Ieſus. *Et ſubito facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cœleſtis, laudantium Deum, & dicentium : Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

Requiramus nunc, quæ eſt iſta terra, quam pacificauit. Oremus eum, & aperiat nobis ſe ille, qui veritas eſt, vt veritatem de eo dicamus : & aperiat aures cordis, vt intelligant omnes, qui audierint, quæ diximus. Si interrogamus omnes : Adam vnde factus eſt?

F

Si vnus inter multos loquatur, & dicat, quia de terra factus eſt, tam in Iudæis, quam in gentibus, ſiue Chriſtianis, nulla dubitatio eſt, quod verè de terra ſit : &

Gen.3.19.

ipſi tranſgreſſione dictum eſt à Domino : *Terra es & in terram ibis.* Veniamus per ſeriem generationis Chriſti vſque ad diluuium, vbi ſolus Noe in illa generatione iuſtus inuentus eſt. Cui pro ſua iuſtitia donatæ ſunt ſeptem animæ quæ per eum euaſerunt diluuium. Sicut ſolus iuſtus in hoc mundo Ieſus Chriſtus inuentus eſt : cui donatæ ſunt ſeptem Eccleſiæ, quæ euaſerunt ſecundum ignis diluuium. Veniamus de Noe vſque ad

Gen.22.18.

Abraham, cui prima repromiſſio facta eſt, *quod in ſemine eius*, quod eſt Chriſtus Ieſus, *hereditarentur omnes gentes.* Veniamus de Abraham vſque ad Dauid, cui di-

Pſ.131.11.

Iſa.11.1.

ctum eſt : *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Et, *Egredietur Virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet.* Virga de radice Ieſſe Virgo Maria eſt. Flos de Virga, Ieſus Chriſtus filius Dei eſt. Quia *ego*, inquit,

Cant.2.1.

flos Campi, & lilium conuallium. Ecce Adam de terra, Noë de Adam. Abraham de Noe Dauid de Abraham.

G

Virgo Maria de Dauid. Ieſus Chriſtus filius Dauid de Maria. Hoc eſt. Gloria in excelſis Deo, & in terra pax. Ipſa terra ſublimata eſt, quando verbo coniuncta eſt. Sic eſt

* caro.

verbum * carne factum vnus Ieſus Chriſtus, vna perſona, Deus, & homo, quemadmodum tua anima, & caro vnus eſt homo. Sic eſt natus de Virgine Ieſus Chriſtus filius Dei Deus, homo eo pacto, quo cum corpore naſci docetur anima. Non quia vtriuſque eſt vna ſubſtantia : ſed quia in vtroque ſit vna perſona.

Prius quippe, quam redemptor noſter per carnem naſceretur, diſcordiam cum Angelis habuimus : à quorum claritate, atque munditia per primæ culpæ meritum, per quotidiana delicta longe diſtabamus. Quia enim peccando extranei eramus a Deo, extraneos nos à ſuo conſortio deputabant Angeli, ciues Dei. Sed quia nos cognouimus Regem noſtrum, recognouerunt Angeli ciues ſuos. Quia

H

enim cœli rex terram noſtræ carnis aſſumpſit, infirmitate noſtram illa iam Angelica celſitudo non deſpicit. Ad pacem noſtram Angeli redeunt. Intentionem priores diſcordiæ poſtponunt. Et quos infirmos prius, abiectoſque deſpexerunt, iam ſocios venerantur : cum naturam noſtram in ſede dominica, immortali fulgentem gloria peruiderunt. Planè illa natura, quæ audiuit : *Terra es, & in terram ibis.* Quoniam naturæ humanæ gratulandum eſt : eo quod ſic aſſumpta eſt à verbo vnigeniti terra mortalitatis noſtræ, vt immortalis conſtitueretur in cœlo, vtque ita fieret terra ſublimis, vt incorruptibilis puluis ſederet ad dexteram Patris. Et hoc eſt, quod clamant Angeli, &

Luc.2.14.

omnis Eccleſia : *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Bonæ voluntatis, id eſt, qui benè volunt : non qui malè volunt. Qui benè credunt, vt cum Angelis ſocientur : non qui malè credunt, vt cum diabolo damnentur.

Luc.2.21.

Et poſtquam conſummati ſunt dies octo, vt circumcideretur Dominus, vocatum eſt nomen eius Ieſus : quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquam in vtero conciperetur. Si requiramus conſuetudinem mulierum, de nulla dictum

A eſt, in vtero concepit: quia extrinſecus à viris acceperunt,
vnde conceperunt. Si requiramus ſcripturas, tunc pro-
miſſa eſt iſta conceptio, quando ſerpenti dictum eſt in
Gen.3.15. paradiſo: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem: & ſe-
men tuum, & ſemen eius.* Et rectè cognoſcimus, quia
mulieres ſemina non habent: nec ſine virili ſemine con-
cipere poſſunt. Semen ergo mulieris, verbum carne fa-
ctum eſt: quæ non de terra, ſed de excelſis eſt, ſicut
Ioan. 8. ipſe IESVS ait: *Ego de ſupernis ſum: vos de inferioribus*
23. *eſtis.* Et Paulus Apoſtolus ait: *Primus homo de terra*
1.Cor.15. *terrenus: Secundus homo, de cælo cæleſtis. Et poſtquam*
47. *impleti ſunt dies purgationis eius ſecundum legem Moyſi,*
Luc.2. *tulerunt illum in Ieruſalem, vt ſiſterent eum Domino, ſicut*
22. *ſcriptum eſt in Lege Domini: Quia omne maſculinum ad-*
Locus *aperiens vuluam, ſanctum Domino vocabitur.* Requiramus,
obſcurus, quis maſculus vuluam matris aperuit. Nam ſi recta tra-
&, vt ctamus, omnes mulieres, qui primos filios maſculos ha-
videtur buerunt, viri eius aperiunt vuluam, quæ ſola in vtero
mutilus. concepit.

B

Luc.2. *Et cum inducerent puerum Ieſum parentes eius in tem-*
27. *plum, vt facerent ſecundum conſuetudinem legis pro eo, ac-*
cepit eum Simeon in manus ſuas, & benedixit Deum, &
dixit: Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundum
verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei ſalutare
tuum: Quod præparaſti ante faciem omnium populorum.
Iam ſupra diximus, quia *ſalutaris* nomen IESVS, id eſt,
Luc.2. Saluator. Et ipſe datus *eſt lumen ad reuelationem gen-*
34. *tium, & gloriam plebis ſuæ Iſraël. Et dixit Simeon ad*
Mariam matrem eius: Ecce poſitus eſt hic in ruinam, &
reſurrectionem multorum in Iſraël. In ruinam poſitus eſt
planè non credentibus, & lapis offenſionis, & petra
ſcandali. Reſurrectio vero, & vita eſt credentibus. *Et*
in ſignum, cui contradicetur. Videtis, quia in ſignum
eſt, cui contradicetur. Quid eſt hoc ſignum, cui con-
tradicetur, niſi crux, niſi paſſio, ſputa, probra, vincula,
colaphi, alapæ, claui, amaritudo fellis, mors, lancea, ſe-
C. pultura? Sicut & ipſe Dominus ſignum mortis ſuæ an-
Matt.12. nuntians: *Generatio mala, & adultera ſignum quærit, &*
39. *ſignum non dabitur, niſi ſignum Ionæ Prophetæ. Sicut enim*
Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus.
* *Hoc eſt ſignum.* * Hæc eſt in ſigno cui contradicetur. Iſta faciunt ſcan-
dalum incredulis; non ſolum Iudæis, ſed & hæreticis,
nolunt iſta applicare Deo Filio Dei. Et proinde dicunt:
Homo Chriſtus, qui de Virgine natus eſt, Ieſus Chriſtus
illi nomen eſt. Et qui hunc negat filium Dei eſſe, ſecun-
dum Iohannem, ipſe eſt Antichriſtus.

Hoc totum quare diximus? Quia Iohannes, qui iſtam
1.Ioan.5. doctrinam nobis dedit, ipſe nobis dixit: *Ipſe vicit mun-*
5. *dum, qui credit, quia Ieſus eſt Filius Dei. Ipſud* nomen
habet proprium Ieſus: & *ipſud* perſonat Euangelium ſi-
Matt.26. cut ait: *Accepit Ieſus panem, & benedixit, fregit, & de-*
26. *dit diſcipulis ſuis, &c.* Et cum comprehenderunt eum Iu-
Ioan.18. dæi, Interrogauit eos, quem quærerent. *Reſponderunt:*
5.22.33. *Ieſum Nazarenum. Tum dixit eis Ieſus: Ego ſum.* Et vnus
D de illudentibus *dedit alapam Ieſu.* Et *interrogauit Pilatus*
Ieſum. Et Barrabam dimiſit: Ieſum vero flagellis cæſum
Matt.27. tradidit eis, vt crucifigerent eum. *Et clamauit in cruce*
46. *voce magna Ieſus.* Et mortuus eſt Ieſus. *Et Ieſus, quem*
Mar.16. *quæritis Nazarenum, ſurrexit à mortuis,* & *venit Ieſus*
6. *ianuis clauſis. Et ſtetit in medio diſcipulorum, & dixit eis.*
Ioan.20. *Pax vobis. Et eleuatis manibus ſuis, benedixit eos, &*
19. *receſſit ab eis, & ferebatur in cælum. Et omnis lingua con-*
Luc.24. *fiteatur, quia Ieſus in gloria eſt Dei Patris,* cui cum Patre,
50. & Spiritu ſancto vna, & æqualis eſt gloria. In cuius fide
Philip.2. iam ſupra confeſſi ſumus doctrinam, quam ab Apoſtolis
11. accepimus.

Credo in Deum Patrem omnipotentem. Et in Ieſum
Chriſtum filium eius vnicum, Deum, & Dominum no-
ſtrum, qui natus de Spiritu ſancto & Maria Virgine.
Quibus tribus ſententiis omnium ferè hæreticorum
* *Fmachinationes.* *———destruuntur. Quam doctrinam nobis Iohan-
nes Apoſtolus confirmauit: & qualiter hæreticos à no-
2.Ioan.2. bis expellamus, inſtigauit, dicens: *Si quis venit ad vos,*
10. *& hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in do-*
mum, nec Aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi, aue, com-
municat operibus illius malignis. Nemo dicat illi aue, id E
eſt, nemo dicat illi gaude: aut certè aliud, quod con-
ſuetudo eſt ſalutandi. Fides vera, quæ ab Apoſtolis tra-
dita eſt, in breui eſt. Sine philoſophia ſæculi eſt, ſim-
plex eſt, & omnibus ruſticis manifeſta, & omnibus ca-
ptiuis, & peregrinis cognita. Et vt plenius dicamus,
omni Eccleſiæ, quæ per vniuerſum orbem terrarum eſt
conſtituta, publicè conſtituta eſt. Et vnuſquiſque qua-
liter credat, breui ſymbolo complexa eſt. Et qualiter oret,
& ipſa breuis oratio Dominica eſt, quæ ſeptem petitio-
nibus conſtat, quæ ab ipſo Domino, qualiter omnes cre-
duli debeamus orare tradita eſt. Quamobrem nec extra
ſymbolum habemus quod credere, nec quod extra Domi-
nicam orationem orare. Nec nihil nouum, excepto hoc
nouo, quod virgo Deum hominem peperit: *quia creauit* Ierem.
Dominus nouum ſuper terram: fœmina circumdabit 31.22.
virum.

F

Cæterum qualiter viuere debeamus, ſufficit nobis il-
lud *vulgare* prouerbium: *Quod tibi non vis, alteri ne fe-* Tob.4.
ceris: & habebis vitam æternam. Vulgare eſt, quia hoc 16.
vulgus dicere poteſt. Cæterum Dominus in Euangelio
ait: *Omnia quæcunque vultis, vt faciant vobis homines,* Matth.7.
& vos ſimiliter facite eis. Et hoc eſt Eccleſia, & Chri- 12.
ſtus. Credet rectè ruſticus, quia ſymbolum ſemper reci-
tat. Orat rectè, quia ſemper orationem Dominicam re-
citat, & dicit: *Pater noſter qui es in cælis.* Et verè filius Matth.6.
Dei eſt, ſi vt ſibi non vult fieri, alteri ne fecerit. Quæ 10.
& in illa epiſtola ſanctiſſimi Iohannis nihil aliud recita-
uimus, quam hoc, quod ruſtico ſermone, & breui vo-
bis diximus. Nam ſi ſecundum Apoſtolum, *imperiti ſu-*
mus lingua, ſcientia tamen, Deo miſerante, *non ſumus*
imperiti: nec de imperitia erubeſcimus, quod lectione
non docemur: * nec ſimplicitas inter philoſophos à fide * *Locus corruptus.*
vera dubitamus, cum Apoſtolos ſimplices, & ruſticos
magiſtros habemus. Nullus philoſophorum potuit di- Matt.16.
cere primus: *Tu es Chriſtus filius Dei viui,* niſi Petrus 16.
piſcator, homo ruſticanus & pauper, qui ab opere cal- G
loſam habebat manum. Iſte piſcator & ruſticanus de Ie-
roſolyma perrexit Romam. Et ruſticanus cepit Romam,
quam eloquentes capere non potuerunt. Nullus ſapiens
mundi primus potuit dicere: *In principio erat verbum, &* Ioan.1.
verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat
in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt, &
ſine ipſo factum eſt nihil. Et vidimus gloriam eius, gloriam
vnigeniti à Patre, plenum gratia, & veritatis. Et verbum
caro factum eſt, & habitauit in nobis, id eſt, Deus homo
factus eſt & habitauit in nobis, hoc eſt, habitauit in car-
ne, quæ nos ſumus. Niſi Iohannes hoc dixit, piſcator, &
ruſticus, cuius epiſtolam vobis legimus, qualiter in Ieſu
Chriſto filio Dei credamus, & cum illo vna perſona ſi-
mus, ſi dilectionem Dei, & proximi habuerimus. Hæc eſt
Eccleſia in charitate per charitatem, quæ Deus eſt; vt
maneamus in Deo, & Deus in nobis, ſi hoc fecerimus
proximo, quod fieri volumus & nobis. *Nam qui odit fra-* 1.Ioan.3.
trem ſuum homicida eſt: & talis homicida non habet vi- 15.
tam æternam, quod eſt Ieſus Chriſtus, ſicut Apoſtolus ait: H
Vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ie- Ioan.17.3.
ſum Chriſtum. Hic eſt verus Deus, & vita æterna. Ecce 1.Ioan.5.
fidem noſtram, qualiter credimus & oramus, breui 20.
compendiolo ruſtici homines ſapientibus pandimus:
docete, ſi noſtis amplius. Nam, ſicut diximus, fides in
breui eſt. Hoc ipſum Eſaias atteſtatur, qui ait: Con-
ſummatas quidem, & breuiatas res audiui, *quia verbum* Iſa.10.23.
breuiatum faciet Dominus in terra. De quo verbo idem
prophetauit: *Ecce verbum Domini factum eſt illis in ma-*
ledictio, & noluerunt illud. Qui ſunt qui, *noluerunt illud,*
niſi Iudæi, & hæretici, qui verbum adbreuiatum, id
eſt, hominem factum, non credunt eſſe filium Dei,
ipſum, qui pro nobis vulneratus eſt, vt vulnera noſtra
ſanaret. De quo in Pſalmo 106. dicit: *Miſit verbum* Rom.10.
ſuum, & ſanauit eos: & eripuit eos de interitu eorum. Et 8.
hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus in breui: quia *par-* Eſa.9.6.
uulus natus eſt nobis: filius datus eſt nobis. Cuius eſt iſte
filius, niſi filius Dei Deus verus? *Nobis natus* eſt de Vir-
gine, non ſibi. *Nobis datus* eſt pro redemptione, non ſibi.

Et

A Et factus eſt principatus eius ſuper humeros eius. Quia pro nobis pependit in cruce, non pro ſe. Et pro nobis eſt iudicatus, non pro ſe. Quia tunc vicit principem mortis diabolum, cum iudicatus eſt, & morti condemnatus, vt per mortẽ deſtrueret eum qui habebat mortis imperiũ: Propheta atteſtante Dauid: Et vincas dum iudicaris. Et hoc eſt, principatus eius ſuper humeros eius. Et quia ipſe eſt Deus verus, & non eſt alter Deus præter eum; audite quod ſequitur: Et vocabitur nomen eius Ammirabilis, Conſiliarius, Deus fortis, Pater futuri ſæculi. Princeps pacis. Ecce ſex nomina eius diximus, in quibus nominibus nullum eſſe alterum Deum, præter eum ſecundum fidem noſtram, quam credimus. * Et ſi aliquis dicit, quod non ſunt nomina, quæ diximus de Chriſto; audiat, quid ſequitur; Multiplicabitur eius imperium: & pacis eius non erit finis. Super ſolium Dauid ſedebit, & ſuper regnum eius, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iuſtitia a modo, & vſque in ſempiternum. Protulimus fidem noſtram Eccleſiæ noſtræ, proferat nunc dominus Elipandus fidem ſuam Eccleſiæ ſuæ in qua fide nos redarguit, vt audita credamus: aut, ſi noluerimus, à diœceſi ſua exules habeamur. Tunc lecta eſt ipſa epiſtola, & multum fidei noſtræ contraria: quæ nec in veteri teſtamento, nec in nouo erant ſcripta: * quam ipſa verba fidei ſuæ nobis incognita in vnum copulauimus: & quo facilius agnoſcerentur, more ſymboli breui compendio in pagina compegimus. Et quantum diſcordaret de fide noſtra ſymbolum Epheſini Concilij, ei contrarium poſuimus.

Hebr. 2. 14. — 50. 6. — Iſa. 9. 6. — * Videtur deeſſe vocula, contas, liquot, vel ſimilis. — B — * F. quæ.

Primus ego Eterius Oxomæ ſedis indignus * nominatus Epiſcopus, qui ab Archiepiſcopo Toletano nuncupor eſſe hæreticus, profero fidem meam cunctis audientibus. Quam fidem à ſanctis Patribus accepi, credidi; & omni Eccleſiæ recitandam prædicaui. Et ſicut cum omni Eccleſia Catholica corde retineo, ore patulo dico. CREDIMVS in vnum Deum Patrem omnipotentem. Factorem cœli, & terræ, viſibilium omnium, & inuiſibilium conditorem. Et in vnum Dominum Ieſum Filium Dei vnigenitum ex Patre natum ante omnia ſæcula. Deum ex Deo. Lumen ex lumine. Deum verum ex Deo vero, natum, non factum homouſion Patri, hoc eſt eiuſdem cum Patre ſubſtantiæ. Per quem omnia facta ſunt, quæ in cœlo, & quæ in terra. Qui propter nos, & propter noſtram ſalutem deſcendit. Et incarnatus eſt de Spiritu ſancto & Maria Virgine homo factus. Paſſus ſub Pontio Pilato. Sepultus. Tertia die reſurrexit. Aſcendit in cœlos: ſedet ad dexteram Patris. Iterum venturus eſt in gloria iudicare viuos, & mortuos. Cuius regni non erit finis. Credimus, & in Spiritum ſanctum Dominum, & viuificatorem ex Patre, & Filio procedentem. Cum Patre, & Filio adorandum, & glorificandum. Qui locutus eſt per Prophetas. In vnam Catholicam, atque Apoſtolicam Eccleſiam. Confitemur vnum Baptiſma in remiſſione peccatorum. Expectamus reſurrectionem mortuorum. Vitam futuri ſæculi. Amen.

* nuncupatus. — C — * Etiam Latini Scriptores hoc vocabulum maſculino genere aliquando vſurpât.

Explicit * Symbolus fidei Epheſinæ.

D

INCIPIT SYMBOLVM fidei Elipandianæ.

EGo Elipandus Toletanæ ſedis Archiepiſcopus cum omnibus mihi conſentientibus; Credo Trinitatem Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, in vna Deitatis eſſentia atque natura, hoc eſt, Deum, & Principium, & Spiritum ſanctum, in vna natura Deitatis Trinitatem perſonarum. Quia ſicut homo derelinquendo patrem, & matrem, & adhærendo vxori, cum ſint duæ perſonæ, iam non ſunt * duæ, ſed vna vocatur caro: & ſicut multorum animæ in dilectione Dei vnum eſt cor, & vna efficitur anima ita Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, opifex omnis totius conditæ creaturæ, vnius glomeratio charitatis, vnius ambitus dilectionis coæterna ſubſtantia. Ipſe quoque Pater per ſemetipſum deſcendit ad turrem, quam ædificabant filij Adam, & dixit Filio, & Spiritui ſancto: Venite deſcendamus, & confundamus ibi linguas eorum. Per ſemetipſum quoque veniens de iudicio Sodomorum, Loth eripuit. Per ſemetipſum etiam in montem Sina deſcendens, Moyſi legem dedit. Nam ſi intelligere vultis perſonas, quomodo ſit vnus Deus trinitas, cognoſcite comparatione. Lapidem, & ignem, qui in eo eſt, & frigore in lapide manente vnam eſſe ſubſtantiam. Attendite huius lapidis comparationem, indiuiſam perſonarum Trinitatem: etſi præualetis, conſiderate de ineffabili diuinitate: & videte vnius Deitatis inuiſibilem Trinitatem. Et ſicut alia eſt perſona frigoris manentis in lapide, atque alia ignis manentis in parente: & tamen procedens non deſinit eſſe cum generante: ita filij perſona alia eſt, & non deſinit in vna ſubſtantia Deitatis eſſe cum Patre. Et ſicut lapis præcedit ignem illum in ſe manentem in viſione, ita Pater præcedit Filium, non tempore, ſed origine. Ipſe quoque Dei filius, cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, Deitatem inuiſibilem exinaniens, apparuit ſubiecta creaturæ ſpecie cum Patre & Spiritu ſancto Abrahæ in ipſo feruore Dei. Quia ſicut abſentia lucis tenebræ ſunt: & abſentia tenebræ lux eſſe creditur, tertium inter vtroſque non ſubſiſtit: ſic in vno Verbo Dei, id eſt, vnico filio eius, fortitudinem, & honorem, & gloriam eſſe credimus. Et ſicut Spiritus pars animæ eſt, per quam imagines rerum corporalium imprimuntur: ſicut mens pars eiuſdem animæ eſt, per quam omnis ratio, intelligentiáque percipitur: ſicut memoria, quæ meditari memoratur: ſic in Verbo Dei pro ſuis officiis diuerſa meruerunt vocabula, quæ nequaquam diuiduntur in ſubſtantiam. Quem ſacra Scriptura teſtatur pro ſalute humani generis, Deitate exinanita, hominem factum, circumciſum, baptizatum, flagellatum, crucifixum, mortuum, ſepultum, ſeruum, captiuum, peregrinum, leproſum, deſpectum, & quod eſt deterius, non ſolum ab Angelis, ſed etiam ab hominibus minoratum, vermem eſſe dictum, ex perſona ſcripturæ eius dicente: Ego ſum vermis, & non homo; opprobrium hominum, & abiectio plebis. Cuius gloriam ſecundum diuinitatem, ſtupent cœleſtia, & magnitudinem contremiſcunt terrena. Et qui dicit gloriam meam alteri non dabo, Homo * interior in vna, eadémque Dei, & hominis perſona adglomeratus, atque carnis veſtimento indutus. Quia non per illum, qui natus eſt de Virgine viſibilia, & inuiſibilia condidit: ſed per illum, qui non eſt adoptione, ſed genere: neque gratia, ſed natura.

Gabriel Valquez 3. p. d. 89. c. 8. — Gen. 2. 24. — * duo. — E — Gen. 11. 7. — Hebr. 1. 3. — F — Pſ. 21. 7. — * inter nos. — G

Et per iſtum Dei ſimul, & hominis filium, adoptiuum humanitate, & nequaquam adoptiuum diuinitate, mundum redemit. Qui eſt Deus inter Deos: qui vtrum comediſſet, an bibiſſet ei cognitum manet, cui nonnulla actionis ſuæ myſteria neſcire * voluit. Quia ſi conformati ſunt omnes ſancti huic filio Dei ſecundum gratiam, profecto & cum adoptiuo adoptiui, & cum aduocato aduocati, & cum Chriſto Chriſti, & cum paruulo paruuli, & cum ſeruo ſerui. Credo etiam inter ipſa ſancti Spiritus charismata gratiarum, Spiritum ſanctum eſſe adoptiuum, in quo clamamus, Abba Pater: in quo ſpiritu non nego hominem Chriſtum eſſe adoptiuum. Credimus enim quia in reſurrectione ſimiles ei erimus, non diuinitate, ſed carnis humanitate, videlicet carnis aſſumptione, quam accepit de Virgine. Ecce duos Symbolos nimis inter ſe contrarios, & valdè ſibi diſſimiles. Et hi duo, qui ex his diuiſi, Eccleſiam Chriſti tractate. Et ſecundum quod Ioannes Apoſtolus in ſua nos epiſtola inſtigauit dicens: Chariſſimi, nolite omni ſpiritui credere: ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint. Quoniam multi Pſeudoprophetæ exierunt in hunc mundum. Et ex hoc cognoſcitur Spiritus Dei. Omnis ſpiritus qui confitetur, Ieſum in carne veniſſe ex Deo eſt. Et omnis ſpiritus, qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt. Et hic eſt illius Antichriſti, quem audiſtis, quoniam venit: & nunc iam in mundo eſt. Quid eſt ſoluere Ieſum, niſi ſeorſum Deum, & ſeorſum hominem prædicare? Ipſe ſine dubio ſoluit Ieſum, qui prædicat populo, dicens: Numquid per illum, qui natus eſt de Virgine, per ipſum viſibilia, & inuiſibilia condidit, an per illum, qui non eſt adoptione, ſed genere, nec gratia, ſed natura, cuncta creauit? Et ideo abſque dubio per illum, quem ſibi coæqualem, & ſine adoptione genuit, cuncta creauit.

* noluit. — Rom. 8. 29. — H — 1. Ioan. 4. 1.

A

Et per ipſum Dei ſimul, & hominis filium verbum carnem factum, adoptiuum humanitate, & nequaquam adoptiuum diuinitate, mundum redemit. Videte Spiritum, qui ſoluit Iesvm. Aperite oculos: Aperta materia eſt. Spiritus erroris hoc dictauit. Illius Antichriſti ſpiritus in hoc inſpirauit. * Si certè mentio, qui diſcordant Symboli, qui diſcordant epiſtolæ? Legite epiſtolam Iohannis, hoc non dicit. Sed quid dicit? *Antichriſtus eſt, qui Ieſum ſoluit. Spiritus erroris eſt, qui negauit Ieſum in carne veniſſe.* Apoſtolus clamat apertè, & dicit. *Nos vidimus, & teſtificamur, quoniam Pater miſit filium ſuum Saluatorem mundi. Quiſquis confeſſus fuerit quoniam Ieſus eſt filius Dei, Deus in eo manet, & ipſe in Deo.* Et adhuc dubitamus credere? Et adhuc dubitamus confiteri? Apoſtolus dicit. *Qui negat, Ieſus quod eſt filius Dei, negat eum in carne veniſſe:* & ipſe eſt Antichriſtus.

* *Locus obſcurus.*
Ioan 2. 22.
Ioan. 4. 14.
1. Ioan. 2. 23.

Elipandus dicit.

Epiſtola Elipandi.

B

QVi non fuerit confeſſus Ieſum Chriſtum adoptiuum humanitate, & nequaquam adoptiuum diuinitate, & hæreticus eſt, & exterminetur. Auferte malum de terra veſtra. Non me interrogant: ſed docere quærunt, quia ſerui ſunt Antichriſti. Hanc epiſtolam domini Aſcarici Epiſcopi ideo fraternitati tuæ direxi Kariſſimè fidelis, vt cognoſcas, quanta in Chriſti ſeruis regnet humilitas. Quanta in Antichriſti diſcipulis regnet ſuperbia.

Cum Dominus Aſcarius mihi non docentis imperio, ſed interrogantis voto ea ſcribere voluit, ſicut illum vera humilitas docuit. Iſti vero modo & contraria dicendo, modo, & quaſi ignorantem me, quod rectum ſit, noluerunt interrogare: ſed docere. Vnde Deus nouit, quia licet proteruè ſcripſiſſent. * *nam ſi vera dixiſſent, gratus obedire debui, reminiſcendo quod ſcriptum eſt:* Si iuniori reuelatum fuerit, ſenior tacet. *Et iterum:* Proximus ille Deo eſt, qui ſcit ratione tacere. *Nam nunquam eſt auditum, vt Libanenſes Toletanos docuiſſent. Notum eſt plebi vniuerſæ hanc ſedem ſanctis doctrinis ab ipſo exordio fidei claruiſſe: & nunquam ſchiſmaticum aliquid emanaſſe. Et nunc vna ouis morbida, doctor nobis appetit eſſe. Et tamen nolui ea ad aures cæterorum fratrum noſtrorum perducere, antequam illic, vbi exortum eſt huiuſcemodi malum, ſit radicitus amputatum. Quia ignominia erit mihi, ſi* * *in traditione Toletana hoc malum fuerit auditum. Vt quod ego, & cæteri fratres mei in Iſpaliſtano tanto tempore diiudicauimus, & Deo auxiliante, tam in feſtiuitate paſchalium, quam in cæteris erroribus Megetianorum hæreſim emendauimus: Nunc illi è contrario inueniunt, vnde nos arguant. Et tamen ſi tepide fuerit actum, & non fuerit à vobis emendatum: tunc illud ad notionem reducam fratrum: & erit vobis ignominioſum, ſi ab illis in vobis reprehenſum fuerit.*

* *Locus mutilus.*
1. Cor. 14 30.
Eſt Caſonus.
Los de Liouana
C
en las Aſturias.
* *F. intra ditionem Toletanam.*

Adoleſcentiam ſanè fratris noſtri Eterij lacte adhuc alitum, & nondum ad robur perfectæ intelligentiæ perductam, veſtra fraternitas erudiat: quia non cum magiſtris optimis, ſed cum ignaris, & ſchiſmaticis, videlicet Felice, & Beato, * *Atiperaſio æquales in virtute, & pares in errore, habuit collationem. Bonoſius, & Beatus puri errore condemnati ſunt. Ille credidit de matre adoptiuum, & non de Patre ante ſæcula propriè genitum, & non de matre temporaliter adoptiuum. Cui ſimilem exiſtimabo Illum, niſi Fauſto Manichæo? Fauſtus condemnauit Patriarchas, & Prophetas: iſte condemnat doctores priſcos, & modernos. Obſecro, vt calore fidei accenſi tanta ſitis intentione prævalidi, vt errorem prædictum de medio veſtri auferatis: vt ſicut per ſeruos ſuos Dominus de finibus Beticæ eradicauit hæreſim Megetianam, ita per vos de finibus Aſturienſium funditus euellas hæreſim Beatianam. Sed quia audiui, quod præcurſor Antichriſti in medio veſtri apparuit, qui illum iam natum annunciat: quæſo, vt perquiras ab eo, vbi, aut quomodo, aut quando natus eſt ſpiritus ille mendax prophetarum, qui in eo loquitur, & nos ſolicitos redde.*

* *Antiphraſis: quia dicebat Elipandus Beatum hoc nomine per antiphraſin appellari, vt liquet etiã ex epiſtola Caroli Magni ad Elipandum.*
D

Hæc epiſtola tua eſt. Hæc verba tua ſunt. Hæc fides tua eſt. Hæc doctrina tua eſt. Hæc ſapientia tua eſt. Et ad ipſa nos inclinare iubes. Et quia non inclinamus, clamas, quia hæretici ſumus, & præcurſores Antichriſti. Et ipſe ſpiritus mendax; qui *in ore Achab Prophetarum ingreſſus eſt*, ipſe loquitur in nobis. Et dicas Fideli tuo; Perquire, vbi eſt natus: & nos ſolicitos redde. Hæc iniuria non noſtra, ſed ipſius, quem adoramus. Et tamen ſi rectè credimus filium Dei, ſicut veritatem ſine dubitatione credimus, illius iniuria eſt, cum noſtra eſt. Et cum illius iniuria eſt, noſtra eſt: quia caput, & corpus vna perſona eſt. Neque enim cum pes premitur, caput glorificatur.

3. Reg. 2. 23.
E

Denique iam caput ad cœlos aſcenderat, quando Saulus diſcipulos Chriſti trucidabat. Et dictum eſt ei: *Saule Saule quid me perſequeris?* Non dixit, quid perſequeris ſeruos meos: ſed quid me *perſequeris*? Petrus quoque Apoſtolorum primus compatiens diſcipulis lachrymantibus, vt eos non relinqueret: ſed abſcederet à ciuitate: ſed fugeret ante Neronem, vt victus fletibus diſcipulorum, ceſſit, & promiſit ſe vrbem egreſſurum. Proxima nocte ſalutatis fratribus, & celebrata oratione, proficiſci ſolus cœpit. Vbi ventum eſt ad portam, videt ſibi Chriſtum occurrere. Et adorans eum dixit. *Domine, quo venis?* Dicit ei Chriſtus: *Iterum venio crucifigi.* Intellexit de ſua dictum paſſione, quod in eo Chriſtus paſſurus videretur, qui patitur in ſingulis. Non vtique corporis dolore, ſe quadam miſericordiæ compaſſione, aut gloriæ celebritate. Et conuerſus ſtatim Petrus in ciuitatem rediit: comprehenſuſque à perſecutoribus, cruci adiudicatur. Paulus ipſe vas electionis diſcipulis narrat: *Quotidie compleo ea, quæ deſunt paſſioni Chriſti in carne mea.* Et quia duo genera ſunt martyrij, id eſt, paſſio, & compaſſio; paſſus eſt Dominus in Petro; & Iacobo compaſſus eſt in Ioanne. Deque Iacobo, & Iohanne dixit: *Poteſtis calicem bibere, quem ego bibiturus ſum?* Reſponderunt. *Poſſumus.* Dicit eis Iesvs: *Calicem meum bibetis:* & vtique cum *calix* in ſcripturis legitur, *paſſio* nominatur. Omnis enim ſeruus Dei, qui rectam fidem habet, quia *iuſtus ex fide viuit:* & omnem hominem, ſicut ſemetipſum diligit, calicem Chriſti bibit. Non eſt apertè ſanguinis effuſio, aut corporis paſſio: ſed animi compaſſio. Quia * vterque vnus Chriſti bibitur calix, vt Salomon in Cantico Canticorum ait: *Fortis eſt dilectio, ſicut mors.* Sicut enim qui moritur iam vltra iſtum non videt mundum: ita & qui omnem hominem diligit ſicut ſe, non poteſt videre hunc mundum, id eſt, amatores mundi. Et iſte poteſt dicere cum Paulo Apoſtolo: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non vror?* Quia vbicumque tribulatio, aut hæreſis ſurrexit in Eccleſia, confeſtim tribulabatur; ſtatim compatiebatur in ſingulis, ſicut Chriſtus, qui patitur in ſingulis non vtique corporis dolore, ſed animi compaſſione. Quæ paſſio, & compaſſio vna eſt paſſio: quia vnus eſt calix, qui bibitur: & vna perſona eſt caput & corpus, qui patitur.

Act. 9. 5.
Id è refert Ambroſ. in Auxēt. de Baſil. non trad. Hegiſipp. lib. 3. c. 2. Greg. in Pſ. 4. Pœ-
F
nit. Bar. Cardin. ad ann. Chriſti 69. Annal. Eccleſiaſt.
Coloſ. 1. 24
Matt. 20. 22.
Mar. 10. 38.
Gal. 3. 8.
* *F. vtrobique.*
G
Cant. 8. 6.
2. Cor. 11. 29.

Qui dicit ſe rectè credere in Chriſto, & membra eius non recipit, quomodo Chriſtum rectè credat, non video. Totum enim Chriſtum non diligit, qui hominem odit. Et omnis, qui odit fratrem ſuum, Caïn eſt: fratricida eſt, homicida eſt. Et talis homicida non habet Chriſtum, qui eſt vita æterna. Non habet Chriſtum, quia non imitatur Chriſtum: imitaretur, ſi omnem hominem ſicut ſemetipſum diligeret. Et non ſolum amicos, ſed etiam inimicos. Amicos diligere in Deum, & inimicos propter Deum. Non enim Chriſtus pro amicis, ſed pro inimicis mortuus eſt. In tantum dilexit inimicos, vt ſe morti traderet pro eis. Quod ſi non faceret, nullus inueniretur, qui eum laudaret. Sed cum inimici eſſemus, *pro nobis mortuus eſt, relinquens nobis exemplum, vt ſequamur veſtigia eius.* Iohannes Apoſtolus dicit: *Omnis, qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Et ſcitis quoniam omnis homicida non habet vitam in ſe manentem. In hoc cognoſcimus charitatem Dei, quia pro nobis animam ſuam poſuit: Et nos debemus pro fratribus animas ponere.* Hoc totum quare diximus? niſi quid eſſet Eccleſia, firmaremus? Et cum Eccleſia cognoſcitur, cognoſcitur & Chriſtus, qui caput Eccleſiæ eſt. Et vbi Eccleſia Chriſti eſt, pax eſt, quia pax noſtra eſt *Chriſtus*, qui ſe & nos fecit, vtraque vnum.

1. Ioan. 3. 15.
H
1 Pet. 2. 21.
1. Ioan. 3. 15.

Proinde dilectionem prædicamus, & cum nemine ſcandalum habere volumus, ſecundum Prophetæ dictum: *Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum.*

Pſal. 118.

A Matt. 13. 18. Tu ergo, qui habes ſcandalum contra nos, dic quare? Hic Dominus in Euangelio ait: *Non deſinent, vt veniant ſcandala: væ homini illi, per quem ſcandalum venit.* Perquiramus principium huius ſcandali, vnde ſurrexit: & ſecundum Domini dictum, *væ illi erit, per quem venit.* Scripſiſti nouam doctrinam; & illam, quæ per totum mūdum omnium baptizatorum voce depromitur, dimiſiſti. Et nos incogniti de tua doctrina noluimus ea recipere, & illa dimittere, quæ per totum mundum tenet Eccleſia. Ecce ſcandalum vnde venit Eccleſiæ. Væ illi per quem venit. Nam noſtra fides ſymbolum eſt, & in hoc ſtat Eccleſia Catholica per vniuerſum orbem terrarum conſtituta, quæ diffuſa eſſe creditur, non diuiſa. Tu vero nouum ſymbolum compoſuiſti, qui in ſcripturis Sacris inuentus non eſt: & direxiſti in noſtra Eccleſia, vt credamus Trinitatem perſonarum Patris, & Filij, in vna natura idem: Et hoc Sabellius dixit. Quia verbo tantum Patrem, & Filium in vno Deo, & Spiritum ſanctum dicebat: & tamen confundebat perſonas: vt vnam eos eſſe perſonam diceret. B Sicut vnus homo natura eſt, & in eo imago Trinitatis, id eſt, memoria, intelligentia, & voluntas, quæ tria in vna natura ſunt, & in vna perſona ſunt, & in vno homine ſunt: & ipſa tria homo non eſt. Hoc dixi de Trinitate vno Deo, vt credamus Trinitatem perſonarum Patris, & Filij, & Spiritus ſancti in vna natura, id eſt, in vno Deo. Et quia vnus homo imago Trinitatis in anima eſt, idem in memoria, intelligentia, & voluntate. Et ipſa tria in vna perſona hominis: & ipſa homo non ſunt: ſed hoc totum vna perſona eſt: ſic nos cogis intelligere, & credere: vt dicamus Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum in vno Deo, in vna natura, & non ſint ipſa tria Deus: ſicut nec illa tria ſunt homo, quæ ſupra diximus. Quod ſi verum non dicimus, tractent ſpirituales viri, & aliud credimus inuenire non poſſunt, qui libros de Trinitate legunt. Sed quia grandis materia eſt, & ſigillatim diſcutienda ſunt, ea proferre debemus, vnde ſcandalum ortum, eſt, pro quo ſchiſmatici hæretici à te nomen habemus.

C Iam diximus tuam Trinitatem, quam nos non recipimus, dicamus & tuum Chriſtum, quem talem eſſe non credimus. Dicis enim. *Nunquid per illum, qui natus eſt de Virgine per ipſum viſibilia & inuiſibilia condidit; an per illum, qui non eſt adoptione, ſed genere: nec gratia, ſed a natura cuncta creauit. Et ideo abſque dubio per illum, quem ſibi coæqualem, & ſine adoptione genuit, multa creauit. Et per illum Deo ſimul, & hominis filium verbum carnem factum adoptiuum humanitate, & nequaquam adoptiuum diuinitate mundum redemit.*

Ecce tuam fidem de Chriſto. Et hanc non recipimus, quia nec talem fidem habemus, nec talem doctrinam ab Apoſtolis accepimus: nec in Lege, & Euangelio tale vnquam legimus: ſed neque in libris doctorum, aut manualibus, ſed tantum in tuis dogmatibus. Et ob hoc à te Antichriſti diſcipuli nomen habemus. Ecce vnde ſurrexit inter nos ſcandalum. Cætera multa dixiſti, quæ ſupra in ſymbolo tuo comprehendimus: ſed modo diſcutienda non ſunt, quia nec valemus: ſed ſi Deus voluerit, & vixerimus D diſcutienda, & abiicienda ſunt ab Eccleſia, quod abſit, per illa *Chriſtianum* nomen careamus: & iam non Chriſtiani, ſed *Elipandiani* nomen habebimus. Cuius fidem qui ſecutus fuerit eius vocabulum ſumit: ſicut Ariani ab Ario: Sabelliani à Sabellio, & cæteri ex nomine auctorum ſuorum. Et ideo vnus Chriſtus nobis ſufficit filius Virginis, qui nomen habet IESVS. Illos tuos, qui dicis iſtum & illum, neceſſe non habemus, quia nec nomina illorum à te ſcripta cognouimus. Iſtum, & illum, dixiſti, *Ieſum* vero nominare non potuiſti: quia nec eum in 2. Cor. 13. corde habuiſti. Quod ſi habuiſſes, cum Paulo Apoſtolo dicere potueras: *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus?* Et alio loco dicit, quod *nemo poteſt dicere Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto.* Siquidem & in ſuis epiſtulis non eſt auſus tecum dicere, è Deitate exinanita. *Et nos adoptiui, & ille adoptiuus & nos Chriſti, & ille Chriſtus, & nos paruuli, & ille paruulus:* & cætera * ſpurcitia, quæ tu Ieſu Chriſto Domino noſtro auſus es dicere, ſeruum cum ſeruis: ſed ſua epiſtola ad Roma- Rom. 1.

* ſpurca.

nos ſic habet. E *Paulus, ſeruus Ieſu Chriſti vocatus Apoſtolus, ſegregatus in Euangelio Dei, quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in ſcripturis Sanctis de filio ſuo, qui factus eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem: qui prædeſtinatus eſt filius Dei virtute ſecundum ſpiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti Domini noſtri: per quem accepimus gratiam, & apoſtolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus, in quibus & eſtis vos vocati Ieſu Chriſti, in omnibus ſanctis, qui ſunt Romæ dilectis Dei vocatis ſanctis, gratia vobis, & pax a Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto. Primum quidem gratias ago Deo meo per Ieſum Chriſtum pro omnibus vobis: quia fides veſtra annuntiatur in vniuerſo mundo. Teſtis enim eſt mihi Deus, cui ſeruio in ſpiritu meo in Euangelio filij eius.* Cuius ſeruum ſe dixit Paulus Apoſtolus? aut in cuius filij Euangelio ſeruiebat? Aperite oculos & videte venenum. Proiicite cito foras, ne moriamini ex eo. Legite totas epiſtolas Pauli, & inuenietis *ſeruum Ieſu Chriſti* nuncupantem, & filium Dei coram omnibus confitentem. F Nam non inuenietis ibi iſtum, & illum adoptiuum humanitate: & nequaquam adoptiuum diuinitate. Legite ſeptem canonicas, Petri Apoſtoli duas, Ioannis Apoſtoli tres: Iudæ vel Iacobi ſingulas, hoc non inuenietur ſcriptum. Legite librum Euangeliorum quatuor, & Apocalypſim Ioannis, atque Actus Apoſtolorum, & hoc ibi non inuenietis: ſed *ſeruus Ieſu Chriſti* nominantes, & illum *Dei filium Deum verum* conſtituentes. Legite libros omnium doctorum vſque ad libros manuales, & inuenietis quod nemo talia ſcripſit, quia nec talia credidit. Quod ſi certa talia inueneritis ſcripta, qualia nuper ſcripta ſunt ab Elipando Toletanæ ſedis Epiſcopo, tunc credite ei, quod hæretici ſumus, & Antichriſti diſcipuli, & proiiciat nos à terra veſtra: &, ſecundum illius præceptum, auferte malum de medio veſtri: Si certè nos dicimus veritatem, ille mendacium dicit, quia non habemus vnam fidem: & fides * verſa non facit charitatem vnam: & ob hoc diuiſa eſt in duas partes Eccleſia. Et iam in Scripturarum præ- G cincti arma vnuſquiſque fidei ſuæ, publicè ſurreximus ad pugnam. Et quia tres reges contra vnum ſurrexerunt, non timeamus: Fortes eſtote, *Plures enim ſunt nobiſcum, quam cum illis.* 4. Reg. 6. 16.

* diuerſa.

Nobiſcum eſt Dauid ille manu fortis, qui paruo lapide Goliam blaſphemum, qui exprobrabat exercitum Dei Iſraël, in fronte percuſſit, & vno ictu proſtrauit. Nobiſcum eſt Moyſes, qui Pharaonem cum ſuo exercitu in rubro mari demerſit: & populum ſuum ſicco pede tranſire fecit. Nobiſcum eſt Ioſue, qui quinque reges in vna ſpelunca concluſit, qui antea Amalec vicit. Nobiſcum eſt pater Gen. [illegible] Abraham, cum trecentis vernaculis, qui quinque reges ſuperauit, & ſpoliis exuit. Nam iſti tantum tres reges ſunt. Nobiſcum eſt virorum fortiſſimus Gedeon, & trecenti Iudic. 6. electi cum eo, cum quibus percuſſit Madian, quaſi vnum virum. Nobiſcum eſt Samſon leone fortior, ſaxo durior, qui ſolus ſine armis mille proſtrauit armatos. Nobiſcum ſunt duodecim Patriarchæ. Nobiſcum ſunt ſedecim Prophetæ, Apoſtoli, & Euangeliſtæ. Nobiſcum ſunt omnes H Martyres, & Doctores. Nobiſcum eſt IESVS filius Virginis, cum omni Eccleſia ſuo proprio ſanguine comparata, & per vniuerſum orbem terrarum dilatata. Iſta tantum hoſtis in vno angulo tenetur coarctata. *State* ergo ſecundum Apoſtolum, *ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti* Eph. 6. 1. *lorica iuſtitiæ, & calciati pedes in præparationem Euangelij pacis, in omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignita extinguere & galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei.* Dicamus cum ſanctiſſimo Dauid Propheta: *Adiutorium noſtrum a Domino, qui fecit, cælum, & terram.* Ps. 124. 8. Donabit certantibus victoriam, qui certandi dedit audaciam. Non nos hoſtium turba, non bellantium reuocet forma, non quaſi fulgentia vitrea arma terreant. *Hi in curribus, & hi in* Ps. 19. 8. *equis: nos autem in nomine Dei noſtri magnificabimur.* Non timeamus. Non ſunt bellatores. Negotiatores ſæculi ſunt: Suum negotium portant, non noſtrum, ſua quærunt, non quæ Ieſu Chriſti. Aurum ſe dicunt, & argentum portare, ſed mixtum eſt, adulteratum eſt, falſum eſt. Veniant tra-

A

pezitæ,& videant, quia mendacium eſt. Nemo ex his accipiat, nemo emat, ne poſtmodum pœniteat. Vinum nobis porrigunt, nemo accipiat: nemo bibat: mixtum eſt aqua. Et hoc, quod videtis, plus aqua, quam vinum eſt.

Iam & hoc aliquando factum eſt tempore Ieremiæ. Erant Pſeudoprophetæ, hoc eſt, hæretici, qui falſa, & adultera verba populo prædicabant, & dicebant: *Hæc dicit Dominus*: Quos Dominus omnino non miſerat. Vnde per Eſaiam caupones eos ſceleſtiſſimos appellabat, dicens: *Caupones tui miſcent vinum aqua*, eo quod ſapienti, & ſyncero mero, id eſt, verbo Dei, inſipidum, & aquatum, id eſt, terrenam, & humanam doctrinam, quaſi aquam miſcentes vino populo intimabant. Ideo caupones aquam vino miſcentes audire meruerunt. Et quanquam vinum nominetur hoc loco tamen bonum eſt: quia doctrina Prophetarum, & Apoſtolorum eſt. Sed quia mixta eſt, id eſt, hæreticæ prauitatis infecta, hæc aqua non de vero fonte eſt, id eſt, non de Chriſti doctrina, ſed de hæreticorum collecta lacuna, & de mundi opinione falſa ſcientia. Obſcura verba, quæ à paucis intelligantur, qualiter poſſint, quo pacto vero dogmati mixta ſapientia colorari. * Quæ nos Spiritu ſancto ducente, illum ſpiritum erroris, quæ ſibi iſta confingit, pro quo poſſit nomen docti aſſumi, & ſitam doctrinam mixta cum Eccleſiæ doctrina copulari. Quam aquam Moyſes vertit in ſanguinem, quæ eſt prima plaga Ægypti. Et licet illa in Ægypto corporaliter geſta ſint, ſpiritualiter tamen nunc geruntur in nobis. Ægyptus namque ſæculi forma eſt, in cuius prima plaga aquæ vertuntur in ſanguinem. Et quia omnes hæretici Philoſophi ſunt: quia ruſticus hæreticus dici non poteſt, ob inde aquæ Ægypti erunt, id eſt, hæreticorum lubrica, & obſcura philoſophantes doctrina. Quæ merito in ſanguinem vertuntur, quia ſcripturas Sanctas carnaliter ſentiunt. Sed mox vbi crux Chriſti fuerit, his veritatis lumen oſtendit, & eos acrius redarguit, vt ex qualitate perſonarum proprios agnoſcant errores. Et tunc probatur, quæ eſt Spiritus Dei, & quæ erroris.

Iſa.1.22. *Vulg. Vinū tuum mixtum eſt aqua.*

B

* *Lacus obſcurus.*

Exod.7. 20.

Origenes.

C

Apoc.16. 13.

De quo ſpiritu erroris in Apocalypſi dicitur: *Et vidi ex ore draconis, & ex ore beſtiæ, & ex ore Pſeudopropheta ſpiritus tres immundos in modum ranarum.* Draco quis alius, niſi diabolus eſt? Beſtia à vaſtando nomen accepit, quia non herbas mandit, ſed ſanguinem effundit, & carnem lacerat, vnde viuit. Hæc beſtia, quid aliud niſi homo eſt, qui hominem * premit. Pſeudo autem propheta hæreticus eſt. Tres Spiritus ſe vidiſſe teſtatur, ſed vnus, Spiritus eſt. Quia ſicut homo adhærens Deo, fit vnus Spiritus, homo malus adhærendo hæretico fit vnus Spiritus cum diabolo: ſicut & ipſe diabolus de ſemetipſo ait: *Sedebo in monte teſtamenti, & in lateribus Aquilonis.* * Montem teſtamenti diabolus præſidet, cum corda hæreticorum tenet. Latera huius montis ſunt omnes, qui eis conſentiunt, & eorum defenſores aſſiſtunt. Hi ſpiritus verba ipſorum ſunt, quia quod diabolus eis inſpirat, hoc loquuntur: quem ſpiritus dicit eſſe quaſi ranæ. Rana eſt loquaciſſima vanitas. Nihil enim cibo aptum eſt animal iſtud, quoniam immundum eſt. Nihil aliud animal iſtud vtile eſt, niſi quod ſonum vocis, improbis & importunis clamoribus reddet: Nam in lacunis, & ceno, atque collectionibus aquarum ſordidis voluantur: Sic hæretici, non in aqua limpidiſſima, aqua viua, quæ de fontibus Saluatoris, id eſt, doctrina Apoſtolorum eſt, ſed in ipſo populo ignaro, & lubrico indignis clamoribus, quaſi ranæ e ceno voces emittunt, qui inani quadam, & inflata modulatione ſuperbiæ, velut ranarum ſonis, & cantibus nouis deceptionis fabulas ſcribunt.

* *F peri mit.*

Eſa.14. 13.

* *In mōte, aut. monte. Rana ille hæretici.*

D

Sic aurum, & argentum purum ſimulantes nos inludere quærunt in negotio, quæ & iſtud æramento, & ſtannum miſcuerunt. Nos tamen efficiamur, ſecundum præceptum Domini, probabiles trapezitæ, quia peritiæ diſciplina eſt, probare quid ſit aurum puriſſimum, quod vulgo dicitur obrizum, vel quid ſit minus purgatione ignis * terreo, vilique denario. Si pretioſum nomiſma fulgore auri fulgentis mutetur, prudentiſſima diſcretione prouidendum eſt, ne decipiamur, & non ſolum conſideremus, ſi aurum purum eſt; ſed etiam acute cernentes, cuius imagine ſculptum habet: ſi veri Regis, ſi Latronis. Nam latro, quia aurum furatur, hoc publicè negotiare non præſumit: ſed denuo in conflatoriū mittit: & vultum Imperatoris, atque imaginem ſub falſitate exprimit. Et hoc debemus ſapienter agnoſcere, & illa, quæ ſit veri regis moneta, an falſi negotiatoris non legitimè figurata, prudentia velociori diſcernere, & dum viderimus, quod purum aurum eſt, & abſque mixtura, & veri regis imaginem habet, adhuc dubitandum eſt, & comparandum non eſt, niſi trutinæ imponatur, ne fortè minus de pondere habeat, diligenter inquiratur.

* *areo.*

E

Quæ omnia nos quoque ſpiritualiter obſeruare debere, Euangelicus ſermo ſub huius nomine demonſtrat exemplo. Primum, vt quidquid in cordibus noſtris irrepſerit, vel quidquid nouæ doctrinæ fuerit intromiſſum. Probare debemus [ſpiritum] vtrum ſit diuino illo & cœleſti S. Sancti igne purgatum, an ſpiritu erroris ireptum, quod de hæretica prauitate veniens, ſeu de ſæculari Philoſophiæ tumore deſcendens ſub nomine ſanctitatis hypocriſin præferens in ſuperficie tantum oſtendat pietatem, diligentiſſime perſcrutari debemus. Quod ita poterimus implere, ſi illud Apoſtolicum fecerimus. *Nolite omni ſpiritui credere ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſunt.* Quo genere illi quoque decepti ſunt, qui ſe Deo ſeruire promiſerunt & poſt profeſſionem monachi nitore ſermonis, & quibuſdam ſunt Philoſophorum dogmatibus inlecti, & per hoc aſcendentes ad primas cathedras, vt publicè ab hominibus ignaris viderentur eſſe magiſtri, ſacerdotium ſunt adepti. Qui in prima fronte ordinis humilitatem, & ſanctitatem ſimulantes, piis quibuſdam * hac religio mentis conſonæ ſuadentes: velut auri fulgore fallentia, quos ſemel in ſuperficie ſimulationis inlexerunt, velut numiſmatibus æreis falſis, & mendacibus deceptos, nudos, ac miſeros in perpetuum reddiderunt, vel ad ſæculi eos ſtrepitum reuocantes, vel ad hæreticos errores hac præſumptione tumidos pertrahentes. Quod etiam Acham in libro Ieſu Naue fuiſſe perpeſſum, qui de Ierico * linguam auream concupiſcens, pro quo, iraſcente Domino, multi perierunt manu hoſtili ex populo, atque poſtea ille pro furato anathemate ab omni populo lapidari meruit, & à Domino æterna morte [damnari. Hoc ſignificauit, qui in Eccleſia hæreticorum inferrent dogma, vel ſuperſtitioſa ſæcularium literarum ſtudia. Hæc eſt enim *lingua aurea* in luculento ſermone aptata. Hanc fraudati ſunt Arius, Sabellius, Bonoſus, Marcio, Baſilides, Elipandus Toletanæ ſedis Archiepiſcopus. Furati ſunt enim iſti regulas aureas de Ierico, id eſt, de ſchola ſæculari, & philoſophorum ſectam non rectam in Eccleſiam conati ſunt introducere, & maculare omnem Eccleſiam Domini, ita vt diſperderentur multi per eos. Ideoque abiecti anathemate, quaſi aceruo lapidum, id eſt, multitudine peccatorum oppreſſi, atque extincti ſunt, ſicut Acham aceruo lapidum oppreſſus ab Iſrael extinctus eſt. Cuius errore perempto, rex Hay hoc eſt, diabolus, qui per illorum impietatem fidelium quoſdam abiecerat, iterum ſuperatus deuincitur, atque à populo Dei ſuſpenſus ligni Crucis virtute occiditur.

F

1.Ioan. 4. 1.

* *F. hortamentis conſona ſuadentes.*

G

* *regulā auream eſt in Vulgata.* Ioſ.7.21

H

Primum diximus de auro mixto, id eſt, hæreticorum mixta doctrina, & puro auro de Ierico furato, hoc eſt, hæreticos de mundi Philoſophia eruditos, in ſacerdotio electos. Nunc ſecundo ſollicitè nos inueſtigare conueniat, ne auro puriſſimo ſcripturarum praua intentio compiata metalli pretioſitate nos fallat. In quo etiam Domino Saluatori aſtutiſſimus diabolus, velut homini puro, & ſimplici tentauit imponere, æſtimans eum vnum eſſe de cæteris ſanctis. Et illa, quæ generaliter ſunt ſuper omnium iuſtorum intelligenda perſonis, maliuola interpretatione conſumpens, ſpecialiter Domino noſtro *Ieſu Chriſto*, qui Angelorum cuſtodia non egebat, conatur aptare, dicens: *Quoniam Angelis ſuis mandauit de te, vt in manibus tollant te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Pretioſa ſcilicet, eloquia ſcripturarum callida aſſumptione conuertens, & Chriſtum Dei Filium vnum ex cæteris hominibus

Pſal.90. 11.

A exiſtimat, quem hominem videt: & ea, quæ pro ſanctis intelligenda ſunt, ad contrarium ſenſum, noxiumque detorquens, vt imaginem tyrannici vultus ſub colore auri fallentis nobis obiiciat. Nullus ergo Chriſto comparetur, quamuis ſanctitate præfulgeat? cum audit, quod *Filius hominis* dicitur: nec illo ſenſu diaboli eum vnum de filiis Pſ.56.8. hominum æſtimet: de quibus ſcriptum eſt: *Filij hominum in protectione alarum tuarum ſperabunt.*

Sed multi hæretici in Eccleſia prodierunt, qui mediatorem Dei & hominum, hominem *Chriſtum Ieſum*, purum hominem creatum dicerent, ſed ex gratia Deificatum, tantumque ei ſanctitatis tribuerint, quantum de ſanctis cæteris, eius videlicet, famulis agnouiſſent. Quod beatus Iob prophetiæ ſpiritu afflatus ſententiæ ſuæ defini- Iob.28.9. tione redarguit, dicens: *Non adæquabitur ei Topadium de Æthiopia.* Quid Æthiopia niſi præſentem mundum accipimus, quod coloris nigredine deſignat peccatorem populum fœditate meritorum, De quo Propheta dicit: Pſ.68.32. B *Æthiopia præueniet manus dare Deo.* Id eſt, priuſquam Iudæa credat ſaluandam ſe, offeret omnipotenti Domino ſe peccatis nigra Gentilitas, *Topadium* vero precioſus lapis eſt. [Et quia Græca lingua, *pan*, omne dicitur, pro eo, quod eſt omni loco reſplendet, *topadium* quaſi *topazium* vocatur.] Dum vero in Deum conuerſa Gentilitas credidit ex ea: ita multi ſunt dono ſpiritus locupletati: vt quia ſicut multis coloribus, ſic multis virtutibus luceant. Sed non acceptis quiſquam virtutibus extollatur, à ſancto viro nunc dicitur: *Non adæquabitur ei topadion de Æthiopia.* Ac ſi aperte diceretur: Nullus ſanctorum, quibuſlibet virtutibus plenus, tamen de nigredine mundi collectus, æquari poteſt ei, de quo dictum eſt: Quia ipſa naturæ corruptibilis conditione conſtringimur, vt cum Pſ.50.7. Propheta dicamus: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis peperit me mater mea.* Ille autem ſolus veraciter ſanctus eſt, qui vt ipſam conditionem naturæ corruptibilis vinceret, ex commixtione carnalis copulæ conceptus non eſt. Huic ſe ſapientiæ quaſi quoddam topadion de Æthiopia æquari voluit, cum quidam hæreſiar- C cha, dixit: *Chriſto Deo facto, ſi volo, & ipſe poſſum fieri.* Et ille ſe æquari voluit, qui ſimili ſenſu de eo dixit: *Et ille Chriſtus, & nos Chriſti. Et ille adoptiuus, & nos adoptiui. Et ille paruulus, & nos paruuli. Et ille ſeruus, & nos ſerui.* Qui Ieſum Dominum noſtrum, non per myſterium conceptionis, ſed per profectum gratiæ Deum putauit peruerſa allegatione aſtruens eum purum hominem natum: ſed vt Deus eſſet per meritum profeciſſe, vtque ab hoc exiſtimans & ſe, & quoſlibet alios, ei poſſe coæquari, qui filij Dei per gratiam fiant, non adhuc intelligens, non atten- Iob.28.19. dens, quod *non adæquabitur ei topadium de Æthiopia.* Aliud eſt enim natos homines per gratiam adoptionis accipere, aliud vnum ſingulariter per diuinitatis potentiam Deum ex ipſo conceptu proceſſiſſe. Neque æquari poteſt gloria vnigeniti habita per naturam, aliis accepta per gratiam. Mediator quippe Dei, atque hominum homo Chriſtus Ieſus. Non ſicut iſte hæreticus decipit aliter in humanitate, aliter in Deitate eſt. Non purus homo conceptus, atque editus poſt meritum, vt Deus eſſet, accepit: D ſed nuntiante Angelo, & adueniente ſpiritu, mox verbum in vtero, mox intra vterum Verbum caro. Et manente incommutabili eſſentia, quæ ei eſt cum Patre & Spiritu ſancto coæterna, aſſumpſit intra virginea viſcera: vbi & impaſſibilitas pati, & immortalis mori, & æternus ante ſecula temporalis poſſet in fine ſeculorum oſtendi. Vt per ineffabile ſacramentum conceptus, ſancto partu inuiolabili, ſecundum veritatem vtriuſque naturæ, eadem virgo, & ancilla Domini eſſet, & mater. Sic quippe ei ab Elizabeth Luc.1.38. dicitur: *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Et ipſa virgo concipiens dicit: *Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Et quamuis ipſe aliud ex Patre, aliud ex Virgine, non tamen alius ex Patre eſt, alius ex Virgine, ſed ipſe eſt æternus ex Patre, ipſe temporalis ex Pſ.44.3. matre. Ipſe qui fecit, ipſe qui factus eſt. Ipſe *ſpecioſus forma præ filiis hominum* per diuinitatem, & ipſe eſt, de quo dictum eſt: *Vidimus eum, & non erat aſpectus: & non eſt ſpecies ei, nec decor.* Per diuinitatem ipſe ante ſecula de

Patre ſine matre, ipſe enim in fine ſeculorum de ma- E tre ſine Patre, ipſe conditoris templum, ipſe conditor templi. Ipſe auctor operis, ipſe opus auctoris, manens vnus ex vtraque, & in vtraque natura. Nec naturarum copulatione confuſus, nec naturarum diſtinctione geminatus.

Sed quia non hæc tractanda ſuſcepimus ad ea, quæ ſupra diximus, exponendi ordine redeamus, quod nullus ei hominum, in quo homo eſt, ſimilis habeatur. Notandum nobis eſt quod ſanctus Iob, vt longe diſtare à Chriſto Angelos demonſtraret, dixit: *Non dabitur aurum obrizum pro ea*, id eſt, pro ea ſapientia, quæ Chriſtus eſt. Quia vt & antiquos etiam Patres ſacri eloquij tractatores inferiores Iob.28.15. Chriſti oſtenderet, adiunxit: *Nec appendetur argentum in commutatione eius*, & vt Philoſophorum quoque ſapientiam Chriſto monſtraret longe ſubeſſe intulit, dicens: *Non conferetur tinctis Indiæ coloribus.* Atque ſubiunxit: *Nec lapidi Sardonicho precioſiſſimo, vel Sapphiro.* Et vt in illa Ibid. quoque ſuperna ciuitate Ieruſalem nullum peruenire ad F æqualitatem vnigeniti demonſtraret, addidit: *Nec adæquabitur ei aurum, vel vitrum.* Et vt Prophetas Chriſto ſubeſſe oſtenderet, adiunxit: *Nec commutabuntur pro ea vaſa auri, excelſa eminentia, nec commutabuntur comparatione eius. Trahitur enim ſapientia de occultis.* Ibid.

Ad extremum vero vt ipſos quoque in Eccleſia hæreticos increparet, qui fidem quam percipiunt, per ſuperbiam ſcindunt, addidit: *Non adæquabitur ei topazium de Æthiopia.* Ac ſi patenter inſinuet, dicens: Hi, qui in peccatis concepti, & in peccatis nati ad conuerſionem veniunt, æquari homini Deo non poſſunt, quamuis multis virtutum coloribus reſplendere videantur. Quorum vt ſuperbia refutetur, apte ſubiungitur: *Nec tincturæ mundiſſimæ componetur.* Tincturæ enim mundiſſimæ vocantur hi, qui veraciter ſunt humiles, & veraciter ſancti. Qui ſcium quidem, quia ex ſemetipſis virtutum ſpeciem non habent, ſed hanc ex dono gratiæ ſuperuenientis tenent. Tincti enim non eſſent, ſi ſanctitatem naturaliter habuiſſent. Sed mundiſſimæ tincturæ ſunt, quia humiliter cuſtodiunt ſu- G peruenientem in ſe virtutum gratiam, quam acceperunt. Hinc eſt enim quod ſponſi voce de ſancta Eccleſia dicitur: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit * dealbata?* Quia enim ſancta Eccleſia cœleſtem vitam naturaliter non habet, ſed ſuperueniente ſpiritu pulchritudine donorum componi- Cant.5. * de deſerto Vulg. tur, non alba, ſed dealbata memoratur, & notandum, quod ſuperius, cum dixiſſet, non conferetur tinctis Indiæ coloribus eoſdem colores non intulit mundos. Hoc vero in loco, vt tincturam veracium virtutum ſeruorum Dei ab illa hæreticorum Philoſophorum fictione ſegregaret, *tincturas & mundiſſimas* dicens: Tincturæ enim recte nominantur mundiſſimæ, hi qui prius per praua opera fœdi fuerunt, ſuperueniente ſpiritu nitore gratiæ veſtiuntur. Vt longe aliud appareant eſſe, quam erant. Vnde etiam Baptiſma tinctio dicitur, id eſt, ipſa noſtra in aquam deſcenſio. Tingimur quippe, vt qui prius indecori eramus deformitate vitiorum accepta fide reddimur pulchri gratia, & ornamento virtutum.

Hoc totum quare dicimus? niſi vt nemo ſe præſumat H Chriſtianorum Chriſto comparari, vt Elipandus facit, qui dicit: *Et ille Chriſtus, & nos Chriſti, & ille ſeruus, & nos ſerui:* Quem audit in Scripturis eum hominem nominare, qui propter diſpenſationem redemptionis noſtræ factus eſt Deus homo, ex ſemine Dauid ſecundum carnem, nullam differentiam ponit inter Deum hominem, qui eſt Deus eſſentialis ſuper omnia, & Deos nuncupatiuos non eſſentiales Deos ſuper omnia, ſed tantum intra omnia. Certe dictus *ille homo & nos homines. Ille Deus, & nos Dei. Ille filius, & nos filij. Ille Chriſtus, & nos Chriſti. Ille ſeruus, & nos ſerui. Ille paruulus, & nos paruuli.* Sed non ſecundum eandem rationem vnus ex nobis intelligendus eſt, quia ille ſingulariter dictus, & non pluraliter. Nam eum ille in Scripturis legimus nos conſequenter intelligimus ipſum eſſe Deum verum, & ſolum *ex ſemine Dauid ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in* Rom.1.3 *ſecula.* Cum vero in Scripturis Deus dicitur, ſingulariter dicitur, non pluraliter, ſicut multi dij, aut multi domini.

A Quia Deus eſſentiale nomen eſt : Sed nos cum Deum legimus in ſcripturis, conſequenter hominem intelligimus ipſum Deum eſſe natum de Virgine, qui ſub Pontio Pilato eſt crucifixus. Quia Deus eſt genitus de ingenito Patre Deo, ac per hoc ſegregamus eum de cæteris multis hominibus, qui dij dicuntur pluraliter, & homines pluraliter. Nam iſte homo ſingulariter Deus eſt. Si nominas hominem, Deus eſt verus. Quemadmodum ſi ponas ante oculos quemlibet hominem, & nominas eum carnem, ipſe tamen & anima eſt. Si nominas animam, ipſe vero & caro eſt, & ex vtroque, id eſt, anima, & carne qua conſtat homo, vna perſona eſt, & vnum illi nomen eſt, carnis & animæ, verbi gratia Petrus. Et cum ſapienter loquitur ipſe, caro eius videtur, ſapientia eius tantum auditur, non videtur. Et tamen ipſa ſapientia in anima eſt, quæ per carnem foris auditur, ſic & Chriſtus caro eius videbatur, & diuinitas eius non videbatur. Et ſapientia eius, quæ per carnem foris videbatur, de diuinitatis eius erat apparatu.

B Homo ex duabus ſubſtantiis vna perſona eſt, & habet nomen Petrus. Et Chriſtus ex tribus ſubſtantiis, duabus naturis vna perſona eſt, & habet nomen *Chriſtus*. Mortuus eſt Petrus in ſola carne, non anima. Anima aſcendit ad cælum, corpus Romæ quieſcit in tumulo, & tamen Petrus quieſcit in tumulo mortuus, & ipſe Petrus in cælo cum Chriſto eſt viuus. : Et ſola caro mortua Petrus, & ſola anima viua Petrus. Et ex vtroque non duo Petri, ſed vnus eſt Petrus : Sic & Chriſtus tres habet ſubſtantias. Vnâ æternâ, quæ cum Patre eſt illi æqualis, id eſt, immortalis, ſicut Pater: Incommutabilis, ſicut Pater. Inlocalis, ſicut Pater. Impaſſibilis, ſicut Pater. Duas vero ſubſtantias habet temporales, quæ de noſtro ſunt, id eſt, animam rationalem, & carnem. De noſtro habet æternus, vnde temporalis eſt. De noſtro habet Deus, vnde homo eſt. De noſtro inuiſibilis, vnde viſibilis eſt. De noſtro inlocalis, vnde localis eſt. De noſtro immortalis, vnde mortalis eſt. Ac per hoc agit æternus temporaliter. Creſcit, perpetuus. Videtur, inlocalis. Patitur impaſſibilis. Moritur immortalis,

C qui totus abſque mendacio vnicus eſt Dei Patris. Quamobrem & ſola caro mortua, quæ in ſepulchro iacuit, Chriſtus filius Dei eſt. Et ſola anima quæ ad inferna deſcédit, Chriſtus filius Dei eſt. Et verbum Patris, quod ſemper æqualis extitit Patris, Chriſtus filius Dei eſt. Hæc tria non tres Chriſti filij Dei ſunt, ſed vnus Chriſtus filius eſt, Sicut illa duo, quæ ſupra diximus, non duo Petri, ſed vnus Petrus eſt : Ita hæc tria vnus Chriſtus. Agit perſona quæque ſub-

Pſal.8.9. ſtantia totum vna perſona. Naturale eſt illi venire in hoc mundo ſolus *minoratus paulo minus ab Angelis*. Naturale eſt illi vbique eſſe cum Patre. Naturale eſt illi localis eſſe ſolus filius. Naturale eſt illi inuiſibilis eſſe cum Patre. Naturale eſt illi inuiſibiliter eſſe ſolus filius. Naturale eſt illi impaſſibilis eſſe cum Patre. Naturale eſt illi ſolus filius ſubditus paſſioni. Naturale eſt illi immortalis eſſe cum Patre. Naturale eſt illi ſolus filius mori. Solum filium dico mori, quia ſolus filius ſe exinaniuit. Exinanitio eius, aduentus eius eſt. Aduentus eius humanitas eius eſt, quæ humanitas caro eius eſt, & anima, id eſt, totus homo perfectus eſt. Et ipſe homo filius Dei, Deus eſt. Et ſolus fi-

D lius eſt homo, qui cum Patre, & Spiritu ſancto vnus eſt Deus. Non cum Patre, & Spiritu ſancto vnus eſt homo, ſed cum tota Eccleſia vnus eſt homo, quia caput, & corpus vna perſona eſt Chriſtus.

Ergo nemo dicat : *Et ille Chriſtus, & nos Chriſti*. Et nos vnde dicimur Chriſti, niſi à Chriſto ? A Chriſto Chriſtiani, ſicut ab Heber Hebræi. Sicut à Iacob, qui dictus eſt Iſraël, Iſraëlitæ. Sicut à Iuda Iudæi. Quia omnis qui no-

*V. à melori ſe. uum nomen accipit, * *a malo* ſe nomen accipit. Vt puta, *Vuitiza* Rex fuit : ſed multi hodie ab ipſo nomen ſumunt. *Vuitizani* etiam pauperes, vt per nomen agnoſcatur quod de ſtirpe regia eſt, qui & ipſe Rex potuerat eſſe, ſi nomen feciſſet regem. Sic Chriſtianus, non eſt inde Chriſtus, vnde nomen ſibi imponit Chriſtianum. Quod ſi nomen Chriſtianum feciſſet Chriſtum, tam boni Chriſtiani, quam etiam mali Chriſti dicerentur. Non eſt Chriſtianus, qui recte non credit Chriſtum. Non eſt Chriſtus, id eſt, vnctus, qui Chriſti non accipit Spiritum, qui doceat eum, quod

Ieſus eſt filius Dei. Non eſt Eccleſia, vbi non eſt fides vera. *Iuſtus autem ex fide viuit*. Ergo qui fidem veram non habet, non viuit, ſed mortuus eſt. Et qui mortuus eſt non poterat ſtare, quia mortuus iacet. Et qui mortuus eſt, Deo viuo ſeruire non poteſt. Non de illis ſeruis eſt, de quibus Propheta dicit : *Ecce nunc benedicite Dominum omnes ſerui Domini. Qui ſtatis in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri*. Vt ſecundum quod ait Apoſtolus : *Donec*, inquit, *venimus, vt ſcias quomodo diſponas domum Dei, quæ eſt Eccleſia*. E Pſ.133.1. 1.Tit.3.15.

Eccleſia non parietibus, non lapidibus conſiſtit, ſed dogmatum veritate. Sed quia & ipſa viſibilis domus, quæ *Baſilica* dicitur, quæ Latino ſermone *regia domus* nuncupatur, non ædificatur, niſi lapidibus quadratis : & lapis portando lapidem, in alto erigitur, quouſque perficiatur domus, de foris ponuntur lapides maiores dolati, & intus lapilli qualeſcunque minutiſſimi. Quid ſignificant hi lapides maiores, qui vnus alterum portat, niſi hos qui in vna fide ſectantur, & vnus alteri onera portando, creſcit F in altum in charitate vna, domus Eccleſiæ. Et ſic perficitur Lex Chriſti. Lapilli vero minutiſſimi hi ſunt qui ab ipſis fouentur fragiles, & mente paruuli. Hoc totum per fidem, & charitatem fit. Nam ſine charitate fides nihil prodeſt. Nam ſi prodeſſet, vt ſola fides ſine charitate ſaluaret, poterant & dæmones ſalui eſſe, quia ſecundum Iacobum: *Dæmones credunt, & contremiſcunt* : ſed tamen non diligunt. Iac.2.19. Qui habet Charitatem, & fidem, diſcipulus eſt Chriſti. Et qui non habet Charitatem, & fidem, diſcipulus eſt Antichriſti, & perſequitur Eccleſiam, id eſt ſeruos Chriſti. Quia vnde Chriſtum neſcit, inde membra eius non cognoſcit, & ſemper diſcipulus Antichriſti fuit. Quia qualiter manifeſtaretur, occaſionem prædicationis non habuit. Quia catholici & hæretici in prædicatione manifeſtantur. Catholici ſemper catholici ſunt, quia ſemper ſimplices, & recti corde ſunt, & bona ſua ſemper cælare quærunt, & mala publicare, vt tales ab hominibus eſſe credantur intus, quales foris videntur. Sed non manifeſtantur in pace, niſi poſtquam ſurrexit pugna perfidiæ, vt Pro- G

pheta ait : *In die mandabit Dominus miſericordiam ſuam, * & in nocte declarabit*. Pſ.41.9. *Vulg. & nocte canticũ eius. Dies aliquando in ſcripturis ſacris pro proſperitate ponitur, nox vero pro tribulatione perſecutionis. Tunc ſerui Dei declarantur per fidem, cum hæretici cœperint hæreſes prædicare. Et inde Apoſtolus ait : *Oportet hæreſes* intra Eccleſiam *eſſe, vt probati manifeſti fiant*. 1.Cor.11.19. Tunc catholici manifeſti probantur, cum ab cis vera fides defenditur. Catholicus. Hæreticus quis.

Quid eſt catholicus. Qui nanquam fuit Hæreticus. Hæreticus tamen à parua infantia, nunquam fuit catholicus, quia nunquam fuit purus, ſed ſub nomine ſanctitatis erat hypocrita religioſus. Deſiderabat enim coram hominibus ſanctus videri, non eſſe. Non tunc dicebatur hæreticus, ſed hypocrita, quia adhuc intus videbatur in Eccleſia. Cum vero cœperit diſcipulis prædicare, & eos ad ſuam peruerſam fidem inſtruere, apparet hæreticus: Tunc foliũ cognoſcitur in ſuperficie, quod diu latuerat in ſemine. Et quia vt dicimus, ſemper hypocrita vixit, & laus H humana eum pauit, cum a catholicis fuerit reprehenſus, ſurgit in ſuperbia, deſpectui habet petiiſſe veniam, requirit laudatores ſuos pluſquam maxime ſeculares, vt cum eis ſuam vindicet peruerſam doctrinam. Et poſtquam maximam turbam imperitorum deceperit, dirigit per diuerſas prouincias epiſtolas ſuas, vt quos potuerit inopinatos primus ad ſuam fidem inflectere, videatur quaſi cum omni Eccleſia recta ſentire. Qui omnes decepti, filij eius ſunt non legitimi, ſed adulterini, quia adulterino verbo eos generauit. Quod ſi adulterinum non fuiſſet, Apoſtolus Paulus ad Corinthios non ſcripſiſſet : *Non enim ſumus, ſicut plurimi adulterantes verbum Dei, ſed ex ſinceritate, ſed* 2. Cor. 2.17. *[ſicut] ex Deo coram Deo in Chriſto loquimur*. Adulter quippe in carnali coïtu non accipit vxorem, vnde filios habeat, ſed per diuerſas fœminas adulterando, non filios, ſed voluptatem quærit : ita & hæreticus, & peruerſus quiſque * *aquam Eccleſiæ ferniens*, recte adulterare verbum Dei dicitur, quia per ſacrum eloquium non Deo filios generare, ſed ſuam ſcientiam deſiderat oſtendere. *V. ac vana gloria ferniens.

A

Cum enim libido gloriæ ad loquendum trahit, voluptati magis quam generationi operam impendit. *Adulterare* namque eſt *verbum Dei*, aut aliter de illo ſentire quam eſt, aut non ſpirituales fructus, ſed adulterinos quærere laudis humanæ, quia ſynceriter non loquitur. *Ex ſynceritate* vero *loqui* eſt, nihil in eloquium, quam oporteat quærere, ſed hoc tantum quod à Deo inſtitutum eſt. Sicut ex Deo autem loquitur, qui ſcit non ſe à ſe habere, ſed ex Deo accepiſſe, quod dicit. Coram Deo vere loquitur, qui in omne quod dicit, non humanos fauores appetit, ſed omnipotentis Dei præſcientia intendit, non ſuam, ſed auctoris gloriam requirit.

Qui autem ſcit quidem ex Deo ſe accepiſſe, quod dicit, & tamen dicendo propriam gloriam acquirit, ſicut ex Deo loquitur, & non coram Deo: quia eum, quem cordi ſuo non proponit, cum prædicat, quaſi abſentem putat. Sed ſancti viri & Deo loquuntur, & coram Deo, quia & ab eo ſeſe ſciunt habere, quod dicunt, & ipſum ſuis ſermonibus adeſſe iudicem, auctoremque conſiderant.

B

Vnde fit, vt cum ſe à proximis deſpici agnoſcunt, ſuaque vita dicta audientium vitæ non prodeſſe, abſcondunt quantæ virtutis ſunt, ne ſi ſecretum cordis inutilem ſermo probatus aperiat, ad inanem gloriam prorumpat. Ab his nunc detrahitur Eccleſia, quia non cognoſcit, De quibus Dominus in Euangelio dicit: *Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur.* Et alio loco: *Si in viridi hoc fiet, quid in arido?* Sed quia hoc fumus eſt, non adhuc ipſe ignis oſtenditur. Veniet tempus, quando catholicam Eccleſiam non ſolum iniuſtis vocibus, ſed etiam crudelibus plagis perſequentur. Ab aduerſariis namque ſuis duobus modis Eccleſia perſecutionem paritur. Scilicet, aut verbis, aut gladiis. Sed cum verbis perſecutionem ſuſtinet, oſtenditur ſeruorum Dei ſapientia. Cum vero gladiis, oſtenditur eorum patientia. Sed verborum perſecutiones ab hæreticis nunc etiam quotidie toleramus, cum ipſi hæretici nobis ſubdola, & falſa humilitate blandiuntur. Perſecutiones vero gladiorum iuxta finem mundi ſecuturæ ſunt: Grana cœleſtibus horreis recondenda tantò verius a peccatorum

Io. 19. 10.
Luc. 23. 31.

Hæretica perſecutio.

C

paleis exuuntur, quanto arctius affliguntur. Tunc cœleſtes omnes, qui in illa fuerint tribulatione comprehenſi, recordabuntur iuſtum tempus, in quo nunc Eccleſia fidei pacem tenet, & ſuperba hæreticorum colla calcat non potentatu culminis, ſed iugo rationis.

Hæreticus tamen ſcripturarum * non facit rationem, ſed cum potentibus ſæculi Eccleſiam vincere quærit. Sed veritas fatigari poteſt, vinci non poteſt. In mentem habebunt ſerui Dei tunc in illo igne perſecutionis Antichriſti, qui nunc in fumo ipſius ignis, quod ſunt hæretici, in fide Patrum fuerint plantati. De quo fumo, & igne in Apocalypſi dicitur: *Et quintus Angelus tuba cecinit. Et vidi ſtellam de cælo cecidiſſe in terram, & data eſt ei clauis putei abyſſi. Et aperuit puteum abyſſi. Et aſcendit fumus de puteo, quaſi fumus magnæ fornacis, & obſcuratus eſt ſol & aër de fumo putei. Et ex fumo putei exierunt locuſtæ in terram, & data eſt eis poteſtas, ſicut habent poteſtatem ſcorpij terræ.* Stellam quam dicit de cœlo cecidiſſe in terram, Prædicatores ſunt hæretici, qui exeunt de Eccleſia. Cœlum hoc loco Eccleſia dicitur. Et quia hypocritæ erunt, & ſanctitatem ſimulabunt. *Stella* nominantur. Et quia inter ſe in prædicatione vnum ſeolum habere non poſſunt, ſed omnes contra vnam Eccleſiam Dei conſpirant, vna ſtella dicitur, quæ multæ ſunt. De quibus ſtellis per Iob dicitur: *Obſcurentur ſtellæ caligine eius.* id eſt, hæretici, qui erunt hypocritæ, & ante humanos oculos quaſi bonis operibus ſplendent, malitia antiqui hoſtis obſcura præualeat, & hoc, quod ante humana iudicia fulgebat, lumen laudis deponant, caligine quippe noctis obſcurantur, cum eorum praua doctrina aperto errore confunditur, vt ſine dubio tales etiam foris in actione appareant, quales apud ſemetipſos intus diuino parere iudicio non formidant. *Et data eſt ei clauis putei abyſſi.*

* *Pro non habet rat.*

Apoc. 9. 1.

D

Iob. 3. 9.

Apoc. 9. 1.

Abyſſum dicimus puteum, vbi ſolis lumen non ſpargitur. Abyſſus eſt ſecreta cordis eorum, vt quidquid intus lateat minime cognoſcatur, niſi per ianuam linguæ manifeſtetur, vt ab omnibus catholicis cognoſcatur. Claues putei abyſſi eſt ipſa manifeſtatio. *Et aperuit puteum abyſſi*, id eſt, manifeſtauit cor ſuum, & ſine vlla verecundia contra Eccleſiam in ſuperbiam ſurgit, & prædicationem Eccleſiæ contemnit, & obſcurat ita, vt dicatur: Non eſt ſic, ſicut iſti dicunt, ſed ſicut nos. *Et obſcuratus eſt ſol, & aër de fumo putei.* Sol & aër Eccleſia eſt, de qua dictum eſt: *Electa vt ſol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata.* Obſcuratur ſol de fumo putei, quando hi, qui de Eccleſia recedunt, hæreticos defendunt. *Sicut fumus*, inquit, *magnæ fornacis.* Fumus enim ignem præit. Et quid eſt ignis, niſi homo peccati, filius perditionis, Antichriſtus? Et quid fumus, niſi hi miniſtri hæretici? Quia antequam ignis appareat, fumus tenebrarum eius mentes infirmorum hominum cæcat. Sed nunc ex ipſo fumo iam aperte foris aliquid videmus exire, cum dicit: *Et ex fumo putei exierunt locuſtæ in terra.* Locuſtæ quid ſunt niſi multitudo populi? Ipſi dicuntur locuſtæ, ipſi & terra. Locuſtæ pro mobilitate leuitatis accipiendæ ſunt, tanquam vagæ, & ſalientes animæ in huius ſæculi voluptates. *In terram exierunt*, quia terrena ſapiunt, non cœleſtia. Semper enim

E

Cant. 6. 3.

Apoc. 9. 3.

Locuſta quid ſignent.

F

hæretici ſæculi ſecuritatem promittunt, & inde terrena ſapiunt. Eccleſia vero nulli ſecuritatem promittit, cui caput viam amaritudinis oſtendit, qui præceſſit. Proinde cœlum dicitur, qui cœleſtia ſapit, non quæ terrena ſunt, ſecundum Apoſtolum, qui dicit: *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram. Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* Non ſicut peccatori dictum eſt: *Terra es, & in terram ibis.* Quod cœlum Eccleſia eſt, Propheta atteſtante, qui ait: *In æternum Domine permanet verbum tuum in cælo*, id eſt, in Eccleſia, in qua permanet Verbum Patris, quia non perambulat, non pertranſit, ſed permanet, & habitat. Quia verbum *caro* factum Ieſus Chriſtus filius Dei vnicus, & Virginis Mariæ eſt. Vnde nunc intentio eſt. Et quia vtraque ſubſtantia vnicus Dei Patris eſt. *Et Lex, & Euangelium*, duo eius teſtamenta ſunt, cum legitur, & ab omnibus pæne auditur, & ab omnibus Chriſtus laudatur, & diuerſa de Chriſto ſentiuntur. Et

Col. 3. 1.

Geneſ. 3. 19.

Pſal. 118. 89.

G

hoc dicunt eſſe de Chriſto, quod Chriſtus non eſt. Ipſe enim ſe ſequentibus dixit: *Qui manducauerit carnem meam, & biberit ſanguinem meum, in me manet, & ego in illo.* Et alio loco dicit: *Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi. Si quis ex ipſo manducauerit, non morietur in æternum, ſed habebit vitam æternam.* Et cum dicit: *Niſi granum tritici ceciderit in terra, ipſum ſolum manet. Si autem ipſe ceciderit, multos ſaluos faciet.* Hoc totum, id eſt, caro & ſanguis, & panis de cœlo, & granum tritici vnum eſt, & vnus panis eſt. Et hunc panem manducat Eccleſia. Sed quia diuerſi diuerſa ſapiunt, diuerſos ſapores habet, cum comeditur. Dominus noſter Ieſus Chriſtus granum tritici in terram concidit, & nos multiplicauit. Sed iſtud granum frumenti pinguiſſimum eſt, medullam habet, adipem habet, pinguedinem habet, habet intus quod quæras. Medullam quære, quæ pinguis eſt, & adipe frumenti ſatiat te. Felix eſt, qui in frumento iſto adipem intelligit, medullam intuetur. Legamus ſanctas Scripturas. Quid eſt aliud niſi corpus? Quod lingua legitur, quod ſyllabis comprehenditur, quod auribus inſonat, auditur ab hominibus, hoc totum corpus eſt. Huc totum liber eſt. Intellectus vero huius lectionis medulla eſt, pinguedo eſt, adeps eſt: Et niſi intellexeris, quid in in litera, adipem frumenti non manducas. Literam in ſuperficie legis, & adipem frumenti non intelligis. Rodis corticem, & folium, ſicut Iudæus mandis. Quid eſt hoc litera, quam in Euangelio legis, vel in cæteris ſcripturis ſanctis, niſi corpus Chriſti, niſi caro Chriſti, quæ ab omnibus Chriſtianis comeditur? & tunc comeditur, quando legitur, & quando auditur. Et omnes vno nomine Chriſtiani dicuntur, qui Euangilium recipiunt, & vno ore Chriſtum laudant, & Crucis eius ſignum in fronte portant; & tamen cibo, vel potu, in ſella, lecto, ingreſſu, regreſſu, & cætera omnia ſigno crucis muniunt, & ſe à Chriſto cuſtodiri, & ſaluari petunt, & dicunt: Salua nos Ieſu Chriſte, fili Dei. Et ipſi in Eccleſia Sacerdotes, & Leuitæ, ſi cuilibet tranſeunti viam, ingredienti in Eccleſiam, orationem,

Ioan. 8. 37.
Ioan. 6. 51.

Ioan. 12. 24.

H

Tertull.

A vel benedictionem dederint, cum compleuerint orationem, abſoluunt, & dicunt: In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, *Eamus cum pace.* Et ſi in domo orauerit ita dicit. Si in via, ſimiliter. Si in veſpertinis lucernarium ante altare obtulerit, non poteſt aliter offerri, niſi dixerit. In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, *Lumen cum pace.* Sic etiam completo officio non poteſt egredi ſine hac ſolutione, niſi prius dixerit. In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti eamus cum pace. Sic in veſpertinis. Sic in matutinis. Sic omnibus horis, quibus neceſſaria officia, vel Canonica in Eccleſia peragitur. Sic in Miſſa non ſolum dominicis diebus, ſed etiam quibuſcumque feſtiuitatibus.

Miſſa ſacrificium ritus. *Luc. 2. 14.*

Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus, conclamamus. Sic cum Euangelium à Leuita ſuper altare leuatur, à Leuita primum dicitur. *Laus tibi*, & ab omnibus reſpondetur. *Laus tibi Domine Ieſu Chriſte, Rex æterna gloria.* Præcedente Euangelium cereorum lumine in ſigno gaudij, & lætitiæ, eo quod tale nuntium Diaconus, id eſt, Euangelium Domini noſtri Ieſu Chriſti clara voce populo habet intonare. B Tunc ſilentium omnibus imperat, & dicit. *Lectio ſancti Euangelij ſecundum Matthæum*, aut quemlibet ex tribus. Reſpondetur ab omni populo. *Gloria tibi Domine. In illo tempore.* Dominus noſter Ieſus Chriſtus ambulauit, aut dixit, aut fecit illud, & illud quod ſequitur. Quo peracto, offertur ſacrificium ſuper altare, quod totum Ieſus Chriſtus filius Dei eſt. Ipſe cum Patre, & Spiritu ſancto creator omnium Deus. Ipſe ſolus ſecundum formam ſerui ſui, & Patris, & Spiritus ſancti operatione formatus. Quod creator eſt communem habens naturaliter cum Patre, & Spiritu ſancto. Quod autem creatus eſt, ſolus habens perſonaliter in ſeipſo, cuius & natiuitatem futuram ſecundum carnem, & mortem, & reſurrectionem, atque in cœlos aſcenſionem Lex & Prophetæ pronuntiare nunquam ceſſauerunt, prout ipſe * præſciebat & verbis, & factis. Nam & in ſacrificiis carnalium victimarum, quæ ſibi ipſa ſancta Trinitas, quæ vnus eſt Deus, noui, & veteris Teſtamenti à Patribus noſtris * præſciebat offerri ſacrificiis, Ieſu Chriſti filij ſui ſignificabatur C gratiſſimum munus, quo pro nobis ſeipſum ſolus Dei filius ſecundum carnem eſſet miſericorditer oblaturus. Ipſe enim ſecundum Apoſtoli dictum, *obtulit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis.* Ipſe verus Deus, & verus Pontifex, qui pro nobis, non in ſanguine taurorum & hircorum, ſed in ſanguine ſuo ſemel introiuit *in ſancta*: Quod tunc Pontifex ille ſignificabat: qui ſemel Sancta ſanctorum per annos ſingulos introibat. Iſte igitur eſt, qui in ſe vno totum exhibuit, quod ſciebat neceſſarium eſſe ad redemptionis noſtræ effectum. Ipſe, ſcilicet, ſacerdos, & ſacrificium. Ipſe Deus & templum. Sacerdos eſt ipſe Chriſtus, per quem ſumus reconciliati. Deus eſt ipſe Chriſtus, qui nos reconciliat ſibi & Patri, & Spiritui ſancto. Solus tamen ſacerdos ſacrificium, & templum: qui hæc omnia Deus eſt ſecundum formam ſerui: non autem ſolus Deus: quia hoc cum Patre & Spiritu ſancto ſecundum formam Dei.

** Præcipiebat, aut præſcribebat.* ** præcipiebat.*

Reconciliati igitur ſumus per ſolum filium ſecundum carnem, ſed non ſoli Filio ſecundum diuinitatem. D Neque poteſt hoc ſacrificium offerri per quemlibet ſacerdotem, niſi per ſacerdotem ſanctum & iuſtum. Neque poteſt hoc ſacrificium, quod offertur, à quibuſcumque * comedere, & bibere, niſi tantum ab ipſis pro quibus offertur: & vt ſacerdos qui offert, ſine vitio ſit: & vt pro vitioſis mundandis poſſet offerri. Hoc certe omnes deſiderant, & cupiunt, qui pro ſe offerre ſacrificium Deo volunt. Quis ergo tam iuſtus, & ſanctus ſacerdos, quam vnicus filius? Non quia opus vita, adducuntur. Et quid tam amabiliter, & acceptabiliter ab hominibus ſumetur, quod pro eis offertur, quam Chriſti humana caro? & quid tam acceptum & aptum immolationi, quam caro Chriſti mortalis? Et quid tam mundum pro mundandis vitiis & peccatis mortalium, quam ſine vlla contagione carnalis concupiſcentiæ caro nata in vtero ex vtero virginali? Et quid tam grate offerri, & ſuſcipi poſſit, quam caro ſacrificij noſtri, corpus Chriſti perfectum ſacerdotis noſtri?

** comedi & bibi.*

E Et quoniam quattuor conſiderantur in omni ſacrificio, id eſt, *cui offeratur: a quo offeratur: quid offeratur: pro quibus offeratur*, hoc totum ipſe vnus, veruſque mediator Chriſtus pe ſacrificium pacis reconcilians nos Deo; & fecit vnum cum illo manere, cui offerebat. Vnum in ſe facere pro quibus offerebat. Panis hic, qui offertur ſuper altare, vt ſupra iam diximus, corpus Chriſti de illo grano tritici, quod cecidit in terram & mortuum eſt. Et de illo grano multa nata ſunt grana, quod eſt Eccleſia, & nos Deo miſerante, inde ſumus: tamen ſi ſeminemus ſpirituales, & renaſcamur de Deo Patre, & Eccleſia matre. De quibus Euangeliſta dixit: *Qui non ex ſanguinibus, neque ex * voluptate carnis, neque ex * voluptate viri: ſed ex Deo nati ſunt.* Ioan. 1. 13. ** Vulg. volũtate.* Illum panem, quod corpus eſt Chriſti, lignum crucis coxit, erimus cum eo vnus panis. Si & nos ipſa crux coxerit, erimus eius corpus. Qui non manducat hunc panem, quod eſt corpus Chriſti, viuere non poteſt. Sicut nec ille viuere poteſt in carne, qui hunc panem corporalem non prandet: ſicut ipſe ait: *Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi, ſi quis ex ipſo manducauerit, viuet in æternum.* Ioan. 6. 51. F Vinum quod offertur ſuper altare, ſanguis Chriſti eſt, de illa vite vera, quæ dixit: *Ego ſum vitis vera, & Pater meus agricola.* Apoſtolus dixit: *Vos vero palmites.* Ioan. 15. 1. & 5. Palmites vero * potantur, & purgantur, ex ipſis gignuntur acini, id eſt, ſancti, qui de doctrina naſcuntur Apoſtolorum. *pro * putantur Hiſpaniſmus.* Vnuſquiſque acinus pendens de palmite, vnuſquiſque ſeruus Dei eſt, tam monachus, quam laicus. Grana acini virtutes eius ſunt, id eſt, charitas, caſtitas, humilitas, veritas, obedientia, ieiunium, eleemoſyna, oratio, vigilia, lingua beneuola, manſuetudo, patientia & cætera, quæ ad virtutum opera pertinent: & multorum granorum maiorem facit acinum, cum multa habuerit in ſe dona virtutum.

Vitis vero, vt diximus, Chriſtus eſt: & Pater agricola. Solus Chriſtus vitis eſt. Solus Pater agricola non eſt, quia communis eſt operatio Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Chriſtus, in quo æqualis eſt Patri, agricola eſt cum Patre. In quo minor Patre, vitis eſt vera. G Et quare dixit *vitem veram?* Quia ſunt vites ſyluaticæ: ſunt vites agreſtes; quorum non eſt Pater agricola: quas nemo claudit, nemo putat, nemo purgat. De quibus ipſe Dominus ait: *Et Pater meus purgabit eum, vt plus fructus afferat.* Ioan. 15. 2. Non eſt de ipſis vitibus, ſed illius vitis eſt quam expectauit, vt *faceret vuas, fecit autem labruſcas.* De qua Propheta dicit: *Vua eorum, vua fellis.* Deut. 32. 32. Et de qua Dominus loquitur ad Ieruſalem: *Ego te plantaui * vineam veram; quomodo mutata es in amaritudinem vitis aliena?* Ier. 2. 21. Amara vitis amarum vinum facit, quod propinat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Vt impleatur quod ſcriptum eſt: *Et dederunt in eſcam meam fel: & in ſiti mea potauerunt me aceto.* Pſal. 68. 22. De quo vino: *Dum guſtaſſet, noluit bibere.* Matt. 27. 34.

Hoc totum quid eſt? Niſi tunc Iudæa in Lege, quæ non cognouit filium Dei per legem: ſed negauit, & crucifixit. Nunc in Eccleſia hæretica prauitas, quæ non cognoſcit filium Dei per Euangelium: ſed eum hominem ſimilem dicit eſſe hominibus, & membra eius, quod eſt Eccleſia, non cognoſcit: ſed quotidie crucifigit. H Sed quia de vite falſa tractando à vera vite ſententiam elongauimus, ad noſtram vitem veram, & ad noſtrum granum tritici, ſine quo viuere non poſſumus, redeamus.

Et hunc panem viuum, qui in Chriſti frangitur menſa, manducemus, & ſorbendo paruuli deglutiamus, dum ad ſolidum cibum quandoque veniamus: vt Patrem, cuius filij per gratiam ſumus, ipſo fouente cognoſcere valeamus. Hic panis, & vinum cum comeditur, & bibitur, fit corpus, & ſanguis Verbi. Ita enim Dominus, qui *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*; Ioan. 1. propter miſericordiam ſuam: qui non contempſit, quod creauit, in transformatione in ſuam caro factus eſt, *& habitauit in nobis*: ſicut ſcitis, quia ipſum Verbum aſſumpſit hominem, id eſt, animam rationalem, & carnem hominis, & homo factus eſt manendo Deus. Propter hoc, quia factus eſt homo pro nobis, commendauit nobis iſto ſacramento corpus, & ſanguinem ſuum, quod etiam fecit, & nos ipſos. Et nos corpus ipſius facti ſumus

per

A per miſericordiam ipſius quod accepimus, noſtrumque Corpus Chriſti accipimus & audi, quid dicit: *quia ipſum corpus nos ſumus.* Et verum eſt, quia vnum triticum eſt: & vnum ſemen grani multa grana molita, vna farina eſt. Et vna farina conſperſa, & cocta vnus panis eſt. Recordamini, quid fuit creatura iſta in agro. Quomodo eam terra peperit, pluuia nutriuit, ad ſpicam perduxit, deinde labor humanus ad aream portauit, triturauit, ventilauit, & recondidit, portauit, moluit, & coxit, & vix aliquando ad panem perduxit. Hoc totum vos eſtis. Recordamini & vos quia non fuiſtis & creati eſtis, & aream Dominicam compoſuiſtis laboribus boum, id eſt, nunciantes Euangelium triturari, quando catechumeni dicebamini in horreo ſeruabamini, nomina veſtra dediſtis, cœpiſtis moli ieiuniis, & exorciſmis. Poſtea ad aquam veniſtis conſperſi eſtis, & vnus panis facti eſtis.

Accendente vero fauore Spiritus ſancti in vna dilectione charitatis in vna fide, & in ſpe cocti eſtis, panis B dominicus facti eſtis: ſicut & iſte panis qui ſuper altare ſacratus eſt, qui corpus Chriſti eſt: & ex multis granis vnus panis, & vnus cibus noſter eſt, & in membris noſtris traiicitur: ſic & nos cum in vna ſpe, fide, & charitate fuerimus, cibus Domini ſumus, & in membris eius transformamur. Ecce Euchariſtiam, id eſt, bonam gratiam, quam accepiſtis, oculis veſtris vidiſtis. Quomodo de multis granis factum eſt vnum, ſic vnum eſtote & vos, diligendo, gerendo vnam fidem, vnam ſpem, indiuiſam charitatem: quia illi, qui mali ſunt non quærunt, niſi diuiſionem: hæreticus non quærit niſi ſeparationem, & hoc elaborat, vt ſcindat, & non ſarciat: vt rumpat, non iungat. Separat Verbum à carne: & ſeorſum prædicat Deum & ſeorſum hominem. Separat caput à corpore: ſeorſum prædicat caput, & ſeorſum corpus: & neſcit infelix, quia Deus, & homo vnus eſt Chriſtus, & caput Eccleſiæ ſuæ, in quo homo & Chriſtus: & caput Deus eſt, id eſt, tota diuinitas caput eſt homini, quem ſolus ſuſcepit filius. Et homo filius eſt caput Eccleſiæ ſuæ, quæ illi capiti coniungitur, & fit totus Chriſtus, id eſt, caput & C corpus vna perſona. Non ſunt hæretici cibus Domini. Ioan. 4. 32. Non enim de illis dixit Dominus: *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui miſit me: & perficiam opus eius.* Opus eius eſt, ex multis granis vnum panem, id eſt, ex multis animabus vnam animam in vna charitate, in vna fide & in vna ſpe. * Nam ſi animæ quas in vna fide congregat, cibus Dei non eſſet, non diceret diſcipulis ſuis: *Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis.* Quod tunc completum eſt, quia multi in eum crediderunt Samaritani: & multi dicebant: *Quia non propter tuam loquelam credimus: ipſi enim vidimus, & ſcimus, quare hic eſt vere Saluator mundi.* Sicut enim panis iſte ex multis granis indicat vnitatem: ſic & vinum ex multis acinis, queis effluxit eodem & in vnum eſt totum, & vnum efficit potum, & in ſua vite, & de vno calice ſumitur: ſed tamen poſt preſſuram torcularis. Nam ante torcular, vnum dici non poteſt, nec bibi: quia adhuc diuiſum videtur in acinis: ſicut nec grana, niſi excutiantur à paleis. Nam perſecutores noſtri ipſi excutiunt paleam, cum ab ipſis tritu- D ramur. Ipſi fæcem vuæ, cum ab ipſis torquemur. Genuflexo debemus pro eis orare, à quibus efficimur cibus Dei. Sicut vinum poſt torcular mittitur in calicem; ſic & vos poſt illa ieiunia, poſt laborem, & humilitatem, & contritionem iam in nomine Chriſti tanquam in calicem Domini veniſtis. Et panis ibi vos eſtis in menſam: & vinum ibi vos eſtis in calicem. Nobiſcum hoc eſtis, quod ſumus. Simul enim hoc ſumus, quod eſtis. Et vnus calix eſt, in quo ſumus, quia vna paſſio eſt Chriſti, & vna mors, qua omnes redempti ſumus. Simul bibimus, cum ſimul nos viuimus.

** Videtur deeſſe facere, aut ſimile quid.*

Ibid.

Ibid.

Ex lib. de offic. Eccleſ. diui Iſidori. Miſſæ ritus.

Ordo autem Miſſæ, vel orationum, quibus oblata Deo ſacrificia conſecrantur, primo à ſancto Petro eſt inſtitutus: cuius celebrationem, vno eodemque modo vniuerſus peragit orbis. Quæ prima oratio eiuſdem Miſſæ ammonitionis erga populum eſt; vt omnes excitentur ad exorandum Deum. Secunda inuocationis ad Deum eſt, vt clementer ſuſcipiat preces fidelium, oblationemque

E eorum. Tertia autem effunditur pro offerentibus, ſiue pro defunctis fidelibus, vt per ipſum ſacrificium veniam conſequantur. Quarta poſt hæc infertur pro oſculo pacis, & charitatis, vt reconciliati omnes inuicem conſocientur digne per ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti: quia non recipit diſſenſionem, nec diuiſionem alicuius, Chriſti indiuiſibile corpus. Quinta deinde infertur inlatio in ſanctificatione oblationis, in qua etiam ad Dei laudem terreſtrium creaturarum, virtutumque cæleſtium Angelorum vniuerſitas prouocatur, & Oſanna in excelſis cantatur, quod Saluatore filio Dei Domino noſtro Ieſu Chriſto de genere Dauid naſcente, ſalus mundi vſque ad excelſa peruenerit. Porro ſexta proinde ſuccedit confirmatio ſacramenti, vt oblatio, quæ Deo offertur ſanctificata per Spiritum ſanctum Chriſti corpori, & ſanguini confirmetur. Vltima vero oratio Dominica eſt, quam Dominus noſter Ieſus Chriſtus diſcipulos ſuos orare docuit, dicens: *Cum oratis, dicite: Pater noſter qui es in cœlis.* Luc. 11. 2. Mat. 6. 9. In qua oratione, vt Patres ſcripſerunt, ſeptem petitiones F continentur: ſed in tribus primis æterna poſcuntur: in ſequentibus quatuor temporalia, quæ tamen propter æterna adquirenda petuntur. Nam cum dicimus: *Sanctificetur nomen tuum. Fiat voluntas tua ſicut in cælo, & in terra*, Hic inchoantur, ſed in illa vita * ſperantur: vbi ſanctificatio Dei, & voluntas, & regnum in ſanctis ſuis immortaliter permanebit. Iam vero panis quotidianus, qui vel animæ, vel carni tribuitur, in hoc ſæculo expoſcitur; hic etiam poſt ſubſidium cibi, venia de exemplo fraternæ indulgentiæ poſtulatur. Hic ne in peccati tentationem incidamus, expoſcimus. Hic poſt omnia, vt à malis liberemur, Dei auxilium imploramus. In illo autem ſæculo nihil iſtorum eſt. Hanc itaque orationem ſaluator docuit: in qua & ſpes continetur fidelium, & confeſſio peccatorum: De qua Propheta prædicans ait: *Et erit, omnis, qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit.* Hæ ſunt autem ſeptem ſacrificij orationes commendatæ Euangelica doctrina. Cuius numeratio inſtituta videtur, vel propter ſeptenariam ſanctæ Eccleſiæ vniuerſitatem, vel propter ſeptiformem gratiæ ſpiritum, cuius dono ea, quæ G inferuntur ſanctificantur.

** F perficiuntur.*

S. Iſidor. Symbolū Concilij Nicæni.

Symbolum autem, quod tempore ſacrificij ab omni populo prædicatur 318. ſanctorum Patrum collatione apud ſynodum Nicænam eſt editum: cuius veræ fidei regula tantis doctrinæ fidei myſteriis præcellit, & de omni parte fidei loquitur, vt nulla pene ſit hæreſis, cuius per ſingula verba, vel ſententias, non reſponderit. Omnes enim errores, impietatemque fidei, atque blaſphemias calcat. Et ob hoc in vniuerſis Eccleſiis pari confeſſione populo proclamatur. Benedictionem autem dari à ſacerdotibus populo, antiqua per Moyſen benedictio pandit, & comprobat. Quia benedicere populo ſub ſacramento trinæ inuocationis iubetur. Ait enim ad Moyſen Dominus: *Sic benedices populum meum, & ego benedicam illos.* Num. 6. 24. *Benedicat te Dominus, & cuſtodiat te, illuminet Dominus* Eccl. 36. 19. *faciem ſuam ſuper te, & miſereatur tui, & tollat Dominus faciem ſuam ſuper te, & det tibi pacem.*

Sacrificium autem, quod à Chriſtianis Deo offertur, vt H ſupra diximus, primus Chriſtus Dominus noſter inſtituit, quando commendauit Apoſtolis corpus, & ſanguinem ſuum priuſquam traderetur, ſicut & legitur in Euangelio. *Accepit Ieſus*, inquit, *panem, & calicem, & benedicens dedit eis.* Mat. 26. 26. Mat. 14. 22. Quod quidem ſacramentum Melchiſedech rex Salem figuraliter in typum corporis, & ſanguinis Chriſti primus obtulit: primuſque myſterium tanti ſacrificij imaginarie ipſe expreſſit, præferens ſimilitudinem Domini, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, Sacerdotis æterni: ad quem dicitur: *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem* Pſ. 109. 4. *Melchiſedech.* Hoc ergo ſacrificium Chriſtianis celebrare præceptum eſt, relictis, ac finitis Iudaïcis victimis, quæ in ſeruitute veteris populi celebrare imperata ſunt. Hoc itaque fit in nobis quod Dominus nobis ipſe fecit: quod * manere ab cœna in veſperum obtulit. Sic enim Chriſtum oportebat hoc implere circa veſperum diei, vt hora ipſa ſacrificij oſtenderet veſperum mundi. Proinde autem non communicauerunt ieiuni Apoſtoli: quia neceſſe

** Videtur locus mendoſus.*

A

erat vt Paſcha illud typicum ante impleretur, & ſic denuo ad verum Paſcha ſacramentum tranſiret. Hoc enim in myſterio factum, quod primum diſcipuli corpus & ſanguinem Domini non acceperunt ieiuni. Ab vniuerſa autem Eccleſia nunc a ieiunis ſemper accipitur. Sic enim placuit Spiritui ſancto per Apoſtolos, vt in honore tanti ſacramenti in os Chriſtiani prius Dominicum corpus intraret, quam cæteri cibi. Et ideo per vniuerſum orbem mos iſte ſeruatur. *Panis enim, quem frangimus, corpus Chriſti eſt*: quia dixit: *Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi.* Vinum autem ſanguis eius eſt. Et hoc eſt, quod ſcriptum eſt. *Ego ſum vitis.* Sed panis, quia corpus confirmat, ideo corpus Chriſti nuncupatur. Vinum autem, quia ſanguinem operatur in carne: ideo ad ſanguinem Chriſti refertur. Hæc autem dum ſunt viſibilia ſanctificata, tamen per Spiritum ſanctum in ſacramentum diuini corporis tranſeunt.

1. Cor. 10. 16. Ioan. 6. 41. 51.

Proinde autem, vt ſanctiſſimus Cyprianus ait: Calix Dominicus ideo vino mixtus aqua offertur, quia videmus in aqua populum intelligi. In vino vero oſtendit ſanguinem Chriſti. Quando autem in calice aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur; & credentium plebs ei, in quem credidit, copulatur, & iungitur. Quæ copulatio & coniunctio aquæ & vini, ſic miſcetur in calice Domini, vt commixtio illa ab inuicem non poſſit ſeparari: ſicut nec Eccleſia poteſt à Chriſto diuidi. Sic autem in ſacrificando calicem Domini, offerri aqua ſola non poteſt, quomodo nec vinum ſolum. Nam ſi vinum tantum quis offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis. Si vero aqua ſit ſola, plebs incipit eſſe ſine Chriſto. Quando autem vtrumque ſic miſcetur, & adunatione confuſa ſibi inuicem copulatur, tunc ſacramentum ſpirituale, & cæleſte perficitur. Sic vero non poteſt calix Domini noſtri Ieſu Chriſti eſſe aqua ſola, aut vinum ſolum, niſi vtrumque ſibi miſceatur: quomodo nec corpus Domini, nec poteſt eſſe vinum ſolum, aut aqua ſola, niſi vtrumque ad inuicem fuerit copulatum, & panis huius compage ſolidatus: quo & ipſo ſacramento populus noſter oſtenditur adunatus: vt quemadmodum grana multa in vnum collecta, & commolita, & commixta panem vnum faciunt: ſic in Chriſtum, qui eſt panis cæleſtis, vnum ſciamus eſſe corpus, cui coniunctus ſit noſter numerus, & adunatus.

B

C

Ex Iſid. lib. de offic. Dogma Patrum. Nota. Semper communicare debere Chriſtianum.

Dicunt aliqui, ſemper communicare debet Chriſtianus, niſi aliquo intercedente peccato, corpus Domini quotidie accipiendum. Hunc enim panem dari quotidie nobis, iubente Domino, poſtulamus, dicentes: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Quod quidem benedicunt, ſi hoc cum religione, & deuotione, & humilitate ſuſcipiant: nec confidendo de iuſtitiæ præſumptione ſuperbiendo faciant. Cæterum ſi talia fuerint peccata, quæ quaſi mortuum ab altari remoueant, prius agenda pœnitentia eſt: ac ſi deinde hoc ſalutiferum medicamentum ſuſcipiendum. *Qui enim manducauerit indigne, iudicium ſibi manducat, & bibit.* Hoc eſt enim indigne accipere, ſi eo tempore quis accipiat, quo debet agere pœnitentiam. Cæterum ſi tanta non ſunt peccata, vt excommunicandus quiſque iudicetur, non ſe debet à medicina dominici corporis ſeparare: ne dum forte diu abſtinens prohibetur, à Chriſti corpore ſeparetur. Ipſe enim viuit, qui corpus Domini ſemper comederit. Et manifeſtum eſt enim eos viuere, qui corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti attingunt. Vnde timendum eſt, ne dum latis quiſque ſeparatur à Chriſti corpore, alienus maneat à ſalute; ipſo domino dicente: *Niſi comederitis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Qui enim iam peccare quieuit, communicare non deſinat.

1. Cor. 11. 29.

D

Ioan. 6. 54.

Coniugatis autem abſtinendum eſt à coitu plurimis diebus, atque orationi vacare, & ſic dein ad Chriſti corpus accedere. Relegamus Regnorum librum, & inueniemus ſacerdotem Abimelec de panibus propoſitionis noluiſſe comedere prius Dauid, & pueros eius, niſi ante interrogaret, vtrum mundi eſſent pueri à mulieribus: non vtique ab aliena, ſed à coniuge. Et niſi eos audiſſet ab heri, & nudiuſtertius vacaſſe ab opere coniugali, nunquam panes, quos prius negauerat, conceſſiſſet.

E

Hieronymus.

Quantum inter propoſitionis panes, & corpus Chriſti quanta differentia eſt inter vmbram, & corpus, inter imaginem & veritatem, inter exemplaria futurorum, & ipſa, quæ exemplari præfigurabantur. Quapropter eligendi ſunt aliqui de his, quibus prius homo continentius viuat, per quem ad tantum ſacramentum dignus accedere poſſit.

Sacrificium pro defunctorum fidelium requie offerre, vel pro eis orare, ab Apoſtolis traditum eſt. Hoc enim vbique catholica tenet Eccleſia, per totum orbem terrarum conſtituta: ſicut & à ſancto Auguſtino, in libro Enchiridij ſcribitur: Defunctorum animas ſine dubio pietate ſuorum viuentium releuari, cum pro illis ſacrificium offertur, vel eleemoſynæ fiunt: ſi tamen aliquid ſibi quiſque meritum præparauit, dum adhuc in corpore viueret, iſta proſint, quæcunque per illos fiunt: nam non omnibus proſunt; niſi propter differentiam vitæ, quam quiſque geſſit in corpore. Nam pro valde bonis, gratiarum actiones ſunt. Pro non valde malis, propitiationes ſunt. Pro valde malis, etiamſi nulla ſunt adiumenta mortuorum, qualeſcumque viuorum conſolationes ſunt. Quibus autem proſunt, aut ad hoc proſunt, vt ſit plena remiſſio: aut te, vt tolerabilior fiat ipſa damnatio.

F

Hoc totum quare diximus, niſi quia omnes in vno ſacrificio mediatoris reconciliamur? Quia *ipſe eſt mediator Dei & hominum homo, Chriſtus Ieſus.* Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, vna perſona. Obinde manducamus corpus eius, & ſanguinem eius bibimus; vt ſicut illud in nos inuiſceratur, & traiicitur viſibiliter: ſic nos in illo transformemur, & inuiſceremur: quia ſacramentum eſt: myſterium eſt. Quid myſterium niſi ſecretam, & reconditam habens diſpoſitionem? Sed quis ſapiens, & quis prudens, hæc ſine ſpiritu Dei poteſt liquido comprehenſa tenere, niſi ipſe rerum omnium dominus myſteriorum ſuorum illuminator petentibus nobis, & quærentibus, cuncta reuelare voluerit, ſicut per Eſaiam Prophetam ait: *Aperiam theſauros inuiſos, & obſcuros.* Et iterum euangelico ore ammonet, dicens: *Petite, & accipietis: pulſate, & aperietur vobis: quærite, & inuenietis.* Quo dicto compellit obliuiſcentes: & ſtimulat longa pigritia torpentes: vt neç pigri ſint ad requirendum: nec deſperati ad inueniendum. *Nihil enim eſt*, inquit, *occultum, quod non manifeſtetur: aut abſconditum, quod non reueletur, aut ſciatur. Omnis enim petentis dabitur: & pulſanti aperietur: & qui quærit, inuenit.* Chriſtus eſt panis, & lac: & nos filij, qui ex ipſo paſcimur. Nam cum dicimus: *Pater noſter, qui es in cælis*, nec ſoli Patri dicimus, nec ſoli Filio, nec ſoli Spiritui ſancto: ſed toti Trinitati, vni Deo. Et cum dicimus: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, petimus ab vno Patre, vt det nobis illum panem, id eſt, cognoſcamus filium ſuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui dixit: *Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi, ſi quis ex ipſo manducauerit, viuet in æternum.* Et vtique ipſe cum Patre, & Spiritu ſancto panis eſt fortibus, qui dentes habent. Filius vero Dominus noſter Ieſus Chriſtus, & panis eſt cum Patre, in diuinitate fortibus: & ipſe ſolus lac, & in carne paruulis. Et hanc carnem manducando paruuli, & hunc ſanguinem bibendo, veniunt ad ſolidum cibum, quod eſt ipſa Trinitas vnus Deus. De hoc lacte Paulus Apoſtolus ad Corinthios ſcribens ait: *Non potui vobis loqui, quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus. Quaſi paruulis * in fide lac vobis potum dedi, non eſcam. Nondum enim poteratis, ſed nec adhuc quidem poteſtis, adhuc enim eſtis carnales.*

1. Tim. 2. 5.

Eſa. 45. 3. Vulg. dabo tibi theſauros abſconditos, & arcana ſecretorũ.

G

Luc. 8. 17. Mat. 6. 9.

Ioan. 6. 51.

H

1. Cor. 3. 1.

* in Chriſto Vulg.

Primum ergo ſcire debet Chriſtianus, quod ipſe Chriſtus crucifixus, quo velut lacte, paruulos aluiſſe dicit Apoſtolus; ipſa vero caro eius, in qua facta eſt vera mors eius, & vulnera confixi, & ſanguis percuſſi, non eo modo à carnalibus, quo à ſpiritualibus cogitantur. Carnalibus enim, vt diximus, lac eſt: ſpiritualibus cibus. Quia etſi * ſpiritualibus non audiunt amplius, quam * communiter audiunt Chriſtum, intelligunt amplius de Chriſto. Non æqualiter mente percipitur, etiam quod in fide pariter ab vtriſque percipitur. Ita ſit, vt prædicatus ab Apoſtolis Chriſtus crucifixus: & Iudæis * eſſe ſcandalum,

* F. ſpirituales.
* F. quam qui.
* ſit.

A lum, & Gentibus * ſtultitiam : & ipſis vocatis Iudæis, & Græcis Dei virtus,& Dei ſapientia. Sed carnalibus paruulis id tantum credendo * petientibus:ſpiritualibus autem capacioribus id etiam intelligendo videntibus.Illis etiam tanquam lacteus potus;iſtis tanquam ſolidus cibus. Non quia illi carnales aliter in populis cognouerunt Chriſtum : & iſti aliter in cubiculis. Sed à modo vtrique cum palam Chriſtus nominabatur, & audiebant omnes vno modo Chriſtum:ſed non omnes vno modo credebant:ſed alij credebant, alij deſpectum habebant talem Deum credere: alij irridebant talem Deum eſſe.

*fic. *ſtultitia. * F. Experientibus.

Sicut & hodie increduli Pagani faciunt:quia Deus factus eſt homo : Ipſa eſt humilitas , quæ diſplicet paganis, vnde nobis inſultant dicentes:Qualem Deum colitis, qui natus ex muliere eſt ? Qualem Deum colitis , qui ab hominibus comprehenſus eſt, & crucifixus eſt , & mortuus, & ſepultus eſt ? Hoc facit ſcandalum paganis : Hoc Iudæis. Quia *in ſapientia Dei non cognouit mundus per ſapientiam Deum , placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes.* Quid eſt *ſapientia*, niſi verbum Patris? niſi Diuinitas ? niſi Deus ? Quid eſt *ſtultitia*, niſi caro ipſius Verbi ? niſi humanitas ipſius Diuinitatis,niſi homo Chriſtus ab ipſa ſapientia ſuſceptus ? Sed ſtultitia dicta eſt , vt per ipſam ſtultitiam veniant ad ſapientiam, quod eſt diuinitas, Deus. Sed credentes,quia placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere : Qui ſunt credentes , qui ſalui fiunt ? Qui credunt , quod ipſe eſt verus Dei filius , & verus Deus , & ipſe ſolus eſt adorandus , quem Iudæi comprehenderunt, & crucifixerunt, & occiderunt, & mortuus eſt. Quia reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius : & nunc ſalui erimus in vita ipſius. Et ideo gloriemur in Deum per Ieſum Chriſtum , per quem reconciliationem accepimus. Per mortem filij ſumus reconciliati : & tamen nihil in illo aliud potuit mori , niſi ſola caro. Et hoc ſolum in illo viderunt Iudæi, quod crucifixerunt, quod occiderunt, quod mortuum eſt.Sed cum caro mortua eſt ſola,Dei filius ſolus mortuus eſt : quia ſolus, in hoc mundo venit : & aduentus eius ipſa caro eſt. Et ipſa caro exanimis iacebat mortua : ſed Verbum *caro* factum, non fuerat mortuum : quia cum carne ipſum verbum immortale , & inſeparabile erat carni ſuæ in ſepulchro, ſicut & Verbum *caro* factum in vtero.Et Patri ſemper æqualis permanſit , cum in ſepulchro carne mortuus iacuit : & in anima ad inferna deſcendit. Per carnem venit, & ipſa via eius caro eſt : & ipſe aduentus eius homo eſt : pro quo & laborauit ex itinere : Deus autem ſempiternus, id eſt,diuinitas ipſius hominis, qui creauit terminos terræ, non deficiet , neque laborabit, nec eſt inueſtigatio viæ eius. Attamen tanta vnitate perſonæ , vt ſine dubitatione, & homo , qui mortuus eſt , credatur Dei filius Deus verus,& verus Deus, Verbum Patris filius, credatur homo verus, qui ſub Pontio Pilato crucifixus, hoc ipſum Paulo Apoſtolo atteſtante , qui ait : *Si enim cognouiſſent , nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Et tamen hoc, quod deſpectum in eo viderunt, crucifixerunt : non hoc, quod Dominus gloriæ eſt. Nam quod homo dicitur filius Dei verus, & Deus verus, ipſe Dominus de ſe dicit: *Nemo aſcendit in cœlum , niſi qui deſcendit de cœlo filius hominis qui eſt in cœlo.* Et tamen illum hominem , quem Deus Verbum ſolum aſſumpſerat, non eum adhuc in cœlo impoſuerat,ſicut nec de cœlo eum ſecum adduxerat:ſicut & de illo legitur : *Filius hominis deſcendit de cœlo*, & filius Dei crucifixus eſt in terra.Sed hoc totum verum eſt, quia ex vtroque vnus Chriſtus filius Dei eſt:quia ipſe deſcendit de cœlo, & ipſe eſt filius Dei, qui ſub Pontio Pilato crucifixus eſt in terra. Nam & diabolus , cum eum tentaret, dixit : *Si filius Dei es, dic , vt lapides iſti panes fiant*:Et alio loco dixit:*Scimus, quia ſis filius Dei. Qui veniſti ante tempus torquere nos ?*

1 Cor. 1. 21.
B
C
1. Cor. 2. 8.
D
Ioa. 3. 13.
Matth. 4. 3.

Antiquus itaque hoſtis redemptorem humani generis Deum debellatorem ſuum , in mundum veniſſe cognouit : qui tamen priuſquam eum paſſibilem videret,* eum poſſe mortalia pati , quem hominem videbat,omne,quod de eius diuinitate credidit , elatione ſuæ ſuperbiæ in dubium venit. Nihil quippe humile ſapiens , niſi tantum quod ſuperbum erat. Dum hominem eſſe humilem conſpicit , Deum eſſe dubitauit. Vnde ad tentationum argumenta ſe conuertit, dicens : *Si filius Dei es , dic, vt lapides iſti panes fiant.* Quia igitur paſſibilem vidit , non Deum natum , ſed Dei gratia cuſtoditum credidit. Quid de hominibus dicere poſſumus, quanta humilitate habuit filius Dei ? cum & ipſe diabolus, qui omnes tentabat ad peccandum , & aliquid ſuum in illis cognoſcebat : & in Chriſto , vbi nihil ſuum cognouit , cum diceret : *Scimus enim , quia ſis ſanctus* : Et eum Deum eſſe dubitauit. Et hoc humilitas faciebat , id eſt , humanitas, quam aſſumpſerat. Et ipſa humanitas omnes ſuperbos, & elatos ſcandalizabat,ſicut,& hodie ſcandalizat.Nam cum nunc omnes audiunt Chriſtum , non omnes vno modo capiunt Chriſtum. Nam ſi omnes interroges Chriſtianos & dicas, Creditis Chriſtum ? omnes vno ore reſpondebunt tam Catholici, quam hæretici ; tam boni, quam mali , & dicent ; Credimus.Et hoc tantum ore profitentur hæretici: ſed in corde aliud ſuſpicantur eſſe Chriſtum , quod non eſt Chriſtus. Et tamen in toto mundo bona fama reſonat Chriſti:quia vbique eſt Eccleſia Chriſti,quæ legit ſcripturam de Chriſto , & laudat Chriſtum. Et cum omnes laudem,& bona ſe putent dicere de Chriſto:& tamen falluntur:quia dicunt aliquid de Chriſto,quod non eſt Chriſtus.

* F. eum.
E
Matth. 4. 3.
Obſcurus locus.
F

Non poteſt verum dicere de Chriſto,de cuius ore non loquitur Spiritus ſanctus : ſicut ipſe Dominus ait : *Non enim vos eſtis, qui loquimini : ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Deum credunt eſſe Deum , & bonum eſt : ſed cum Chriſtum hominem crucifixum non credunt eſſe Deum, malum eſt : & dicunt ſe Deum laudare, & ei gloriam dare: ſed non eſt vera gloria:quia falluntur. Nam & bonum putant eſſe,quod bonum non eſt. Et Chriſtum putant eſſe , quod Chriſtus non eſt. Vnigenitum filium æqualem non eſſe Patri, non eſt bonum. Filium Virginis Mariæ non eſſe Dei filium, non eſt bonum. Veritatis carnem, non eſſe veram carnem, non eſt bonum, Nam inæqualem Patri eſſe filium,Arij fides eſt.*Quem Virgo peperit non eſſe filium Dei , Elipandi fides eſt.* Veritatis carnem non eſſe veram carnem,Manichæorum fides eſt.Sed quia hoc totum nihil eſt bonum ; quia hoc non eſt Chriſtus, in vtroque falluntur , nec dant veram gloriam Chriſto, quamuis apud eos eſſe videatur cum laude bona fama de Chriſto.

Matt. 10. 20.
G

Et omnes planè hæretici , quos commemorare nimis longum eſt,qui de Chriſto non rectè ſentiunt,ideo errant, quia eum non laudant ore , cum de corde vera non ſentiunt. Sed cum eos catholicus reprehenderit , * victi ſe reddere nolunt : ſed vnde conuincant,nouum dogma excogitant. Sic fecerunt Arius , vel cæteri , qui aliud putauerunt eſſe, quam erat Chriſtus filius Dei. Nam ſicut nos ſumus filij eorum, qui ſic credimus in Eccleſia Catholica, vt illi crediderunt Chriſtum : ſic nunc ſunt filij hæreticorum , qui negant hominem Deum eſſe Chriſtum. Noua proferunt , quia ſapientes videri volunt. De ipſis Propheta dicit : *Hi ſunt filij , ſicut nouella plantationum in iuuentute ſua.* Plantatio eorum non eſt vetus : ſed nouella eſt.Non enim de veteri lege;non eſt de Propheris, non eſt de Apoſtolis , ſed de nouis magiſtris eſt. Noui ſunt, quia noua , & ſemper de Chriſto excogitant. Semper iuuenes ſunt. Licet multæ ſint hæreſes,tamen quotidie mutantur, & noua quotidie inueniunt. Nouæ ſunt ipſæ hæreſes,licet veteres ſint , tamen cum quotidie doctrinam ſuam innouant,nouę ſunt.Noui enim veterum ſunt magiſtrorum errores,ſed quotidie ipſi noua inueniunt:quod Eccleſia non facit.Hæretici vero & * hæreticos detrahunt,quorum filij ſunt per doctrinam & fidem:& ipſorum verba reprehendunt:& tamen in altero ſenſu ipſa dicunt:quia nouis verbis nihil aliud,quam ipſa ſunt,& ſemper mutant,& multa ſunt. Eccleſiæ tamen verba non ſunt multa, & ipſa non mutantur, quia firma ſunt:& noua non ſunt,quia ipſa tota in Symbolo ſunt.Et quidquid foras Symbolum eſt,hæreticorum verba ſunt.

* Victos.
Pſal. 143.
H
* hæreticis.

Nam multi non intelligunt hunc ſermonem, quare dicatur Symbolum. *Symbolum* enim Græcè , quod Latinè dicitur *indicium,& conlatio*.Indicium eſt,quia indicat,cui

Symbolũ quid.

A credere debeamus, id eſt vni Deo Patri, & Filio, & Spiritui
ſancto. Super Symbolum quid de Deo quæramus, tam io
veteri, quam in nouo Teſtamento ſcriptum non inueni-
mus. *Et conlatio* dicitur Symbolum, hoc eſt, quod plures
in vnum conferunt. Nam hæretici ſingillatim ſibi adioue-
niunt veoenum, quod melle linitum afferunt, & paruulos
occidunt. Hæc per Spiritum ſanctum videntes Apoſtoli,
conlatione facta in vnum, compoſuerunt ſymbolum: vt
per ipſum falſos Apoſtolos conuinceret Eccleſia. Nam di-
cunt maiores noſtri, quod poſt Aſcenſionem Domini, &
Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti hoc ſymbolum, breue ſibi
prædicationis indicium conferendo in vnum, quod ſentie-
bant, componunt: ne localiter ab inuicem diſcedentes, di-
uerſum aliquid vel diſſonum prædicaretur his, qui ad fi-
dem Chriſti inuitabantur. Et hac fide proficit Eccleſia: de
Pſ.127.3. qua dictum eſt per Prophetam: *Filij tui ſicut nouellæ oli-
uarum, in circuitu menſæ tuæ.* Hæc *menſa*, ſcriptura Sacra
eſt. Panis, qui comeditur, Chriſti corpus eſt. Et corpus
B Chriſti, quod manducamus, non ſolum panem & vinum,
qui ſuper altare offertur, corpus Chriſti eſt: ſed & ipſum
Euangelium corpus Chriſti eſt. Et cum Euangelium legi-
mus, & intelligimus, filij in circuitu menſæ, in vna conla-
tione ſedemus, & panem cœleſtem manducamus. Non
Matth.6. longe ſunt à menſa Chriſti, qui omni hora dicunt: *Panem
noſtrum quotidianum da nobis hodie.*

Hæretici dicuntur filiæ, id eſt, molles, & in fide vacil-
Pſal.143.12. laotes: De quibus dicitur: *Filiæ eorum compoſitæ, vt ſimili-
tudo templi.* Compoſitæ dicuntur, quia ſermo hæreticorum
compoſitus eſt, & ſenſus ſordidus. Ornata habent verba
de ſapientia ſæculari. Inde dicuntur *filiæ circumornatæ, vt
ſimilitudo templi.* Similitudo templi, non eſt templum: ſi-
militudinem habēt Eccleſiæ. Sapientes ſe dicunt eſſe: quia
Pſal.143.13. vix vt ruſticus, hæreticus dici poteſt. *Cellaria* hæretico-
Hæreticorū ingenium moreſque. rum *plena eructantia ex hoc in illud*, quia ſemper parati
ſunt ad contendendum: vt ſi illos tenueris in vno teſti-
monio, ad aliud tranſeunt. Si in ſcripturis eos tenueris,
maiores proponunt, qui in diuerſis prouinciis habitant,
C & ab ipſis hoc didiciſſe pronuntiant. Nam cum dicimus
Ioan.14.28. illis; *Pater miſit filium*, quia ſicut ipſe ait, *Pater, qui me
miſit, maior me eſt*: Reſpondent illi contra nos. Deus
non mittitur: Deus non ſubiicitur. Non ſeruit: ſed diſ-
penſatio mittitur: Si Deus vbique eſt, omnia in Deo
ſunt. Quomodo Deus ad aliquid mittitur, cum Dei ſint
omnia? Difficilè inuenies hæreticos imperitos. Omnes
enim magiſtri inſtructi ſunt ſcientia ſæculi. Nolunt in
Scripturarum latitudine laborare: ſed ſomniant, & *ſter-
tunt* in alto ſopore, & eructant, quod ſomniauerint: &
inſuper cum audacia in libris inſerunt, & cum temeritate
defendunt. Et hoc faciunt, vt ab auditoribus ſuis hono-
rentur; & ab eis non ſolum laudis munera; ſed etiam tem-
1.Cor 9.11. poralè ſubſidium accipiant, vnde viuant, dicentes eis: *Si
nos vobis ſpiritualia ſeminamus, dignum eſt, vt veſtra car-
1.Theſ.2.9. nalia metamus.* Obliuiſcentes illud Apoſtoli: *Manibus
noſtris operabamur, ne quemquam veſtrum grauaremus.*
Multi neſcientes beatos tales putant. Sed ſi beati ſunt: qui
D non habent cum Apoſtolis calloſas ex opere manus? Qui
non ingrediuntur nudi cum reti mare iſtius ſæculi, & ſunt
piſcatores hominum? Qui non habent lutoſos pedes? Non
planè, quia ſua quærunt: non quæ Ieſu Chriſti. Et vbi
deprehenditur in Eccleſia ipſe hæreticus, qui ſanctitatem
oſtendere religionis videtur, vitia emendat, bonum vult,
malum non recipit, eleemoſynas facit, captiuos redimit,
hoſpites ſuſcipit, humanitatem habet, nudos veſtit, in-
firmos, & incarceratos viſitat, & aliquoties ſemetipſum
in pœnitentia mactat, & cætera huiuſmodi ſimilia, quæ
numerare longum eſt, quæ videtur facere, & tamen hære-
ticus poteſt eſſe.

Tribus deprehenditur hæreticus. Sed dices: In quo poteſt deprehendi, qui ſit hæreticus?
Multa ſunt: ſed ex multis tria proponam, ex quibus depræ-
hendatur à Catholicis in Eccleſia. Primum io fide vera.
Per fidem enim vitæ largitas ad homines venit. Quod per
Gal.3.12. Hebr.10.38. Prophetam Deus ipſe teſtatus eſt, dicens: *Iuſtus autem
meus ex fide viuit.* Apoſtol. Paulus ad Hebræos dicit: *Nos
Hebr.10.39. autem, fratres non ſumus ſubtractionis in perditionem: ſed
fidei in acquiſitionem animæ. Eſt autem fides ſperandarum*

E *ſubſtantia rerum argumentum non parentium. Per fidē enim* Heb.11.1. *ſed Vulg. aliter.*
*teſtimonium conſecuti ſunt ſeniores. Fide intelligimus facta
eſſe ſæcula verbo Dei, vt ex inuiſibilibus viſibilia fierent.
Fide plurimum hoſtiam Abel, quam Cain obtulit Deo: per
quam teſtimonium conſecutus eſt eſſe iuſtus, teſtimonium
perhibentibus muneribus eius: & per illam defunctus adhuc
loquitur. Fide Enoch tranſlatus eſt, ne videret mortem: &
non inueniebatur, quia tranſtulit illum Deus. Ante tranſ-
lationem enim teſtimonium habebat placuiſſe Deo: ſed ta-
men per fidem. Sine fide enim impoſſibile eſt placere Deo.
Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia vere eſt
Deus vnus: & inquirentibus ſe remunerator ſit. Fide Noë
reſponſo accepto de his, quæ adhuc non videbantur, metuens
habitauit arcam in ſalutem domus ſuæ, per quam damnauit
mundum; & iuſtitiæ, quæ per fidem, hæres eſt inſtitutus. Fide
quoque vocatus Abraham obediuit in locum exire, quem
accepturus erat in hæreditatem. Et exiens, neſciens quo iret,
Fide moratus eſt in terra repromiſſionis, tanquam in alie-* F
*na, in caſulis habitando cum Iſaac, & Iacob, cohæredibus
repromiſſionis eiuſdem. Expectabat enim fundamenta ha-
bentem ciuitatem, cuius artifex & conditor Deus. Fide &
ipſa Sara ſterilis virtutem in conceptione ſeminis accepit,
etiam præter tempus ætatis: quoniam fidelem credidit eſſe,* Heb.11.12.
*qui promiſerat. Propter quod & ab vno orti ſunt omnes. Et
hoc mortuo tanquam ſidera cœli in multitudinem: & ſicut
arena, quæ eſt ad oram maris innumerabilis: Iuxta fidem
defuncti ſunt omnes iſti, non adeptis repromiſſionibus: ſed à
longe eas aſpicientes, & ſalutantes: & confitentes, quia
peregrini, & hoſpites ſunt ſuper terram. Qui enim hæc di-
cunt, ſignificant ſe patriam inquirere:* [& non terrenam
patriam: ſed cœleſtem.] *Et ſiquidem illius meminiſſent
regionis, de qua exierunt, habebant vtique tempus reuer-
tendi. Nunc autem meliorem appetunt, id eſt, cœleſtem*
[Ieruſalem.] *Ideo non confunditur Deus vocari Deus
Deorum. Parauit enim illis ciuitatem* [ſanctam Ieruſalem
cœleſtem.] *Fide obtulit Abraham Iſaac cum tentaretur.
Et vnigenitum offerebat, qui ſuſceperat repromiſſiones: ad* G
*quem dictum eſt: Quia in Iſaac vocabitur tibi ſemen, ar-
bitrans, quia & à mortuis ſuſcitare poteſt Deus. Vnde eum
& in parabola accepit. Fide & de futuris benedixit Iſaac
Iacob, & Eſau. Fide Iacob moriens, ſingulos filios Ioſeph
benedixit; & adorauit faſtigium virgæ eius. Fide Ioſeph
moriens, de profectione filiorum Iſraël memoratus eſt; & de
oſſibus ſuis mandauit. Fide Moyſes natus, occultatus eſt mē-
ſibus tribus à parentibus ſuis, eo quod vidiſſent elegantem in-
fantem, & non timuerunt Regis edictum. Fide Moyſes grā-
dis factus negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis: magis eligens
affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere io-
cunditatem: maiores diuitias æſtimans theſauris Ægypto-
rum improperium Chriſti. Aſpiciebat enim in remunerati-
nem. Fide reliquit Ægyptum, non veritus animoſitatē Regis.
Inuiſibilem enim tanquam videns ſuſtinuit. Fide celebrauit
paſcha ex ſanguinis effuſione: ne qui vaſtabat primitiua, tan-
geret eos. Fide tranſierunt mare rubrum, tanquam per aridā
terram. Quod experti Ægyptij, deuorati ſunt. Fide muri Ie-* H
*richo corruerunt circuitu dierum ſeptē. Fide Raab meretrix
non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace.
Et quid adhuc dicam? Deficiet enim tempus narrantem de
Gedeon, Baruch, Samſon, Iepte, Dauid, Samuël, & Prophetis,
qui per fidē vicerunt regna; operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt
repromiſſiones. Obturauerunt ora leonum, extinxerunt impe-
tum ignis, effugerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmi-
tate fortes facti ſunt in bello, caſtra ſubuerterunt exterorum,
acceperunt mulieres de reſurrectione mortuos ſuos. Alij autē
diſtenti ſunt, non ſuſcipientes redemptionem, vt meliorem in-
uenirent reſurrectionem. Alij vero ludibria, & verbera ex-
perti, inſuper & vincula, & carceres: Lapidati ſunt. Secti ſūt.
Tentati ſunt. In occiſione gladij mortui ſunt. Circuierunt in
melotis, & in pellibus caprinis: egentes anguſtiati, afflicti, qui-
bus dignus non erat mundus. In ſolitudinibus errantes, & in
montibus, & in ſpeluncis, & in cauernis terræ. Et hi omnes te-
ſtimonio fidei probati, nō acceperūt repromiſſionē, Deo pro no-
bis melius aliquid prouidēte, ne ſine nobis conſummarentur.*

Ecce hi Patres, qui adhoc ſub vmbra fuerunt, quos
Apoſtolus nominauit, per fidem ſalui facti ſunt: &

pro

A pro ipſorum deſcendit animabus ad inferna; & eas ſecum
adduxit ad cælos: & adhuc hodie illam promiſſionem
* quod corpus ſciliceet. non acceperunt iſti maiores. * Et vbi ſunt illi, qui dicunt,
quod hi, qui cum Chriſto reſurrexerunt, cum carne, &
Hebr. 11. animabus in cælos cum Chriſto aſcenderunt: Non con-
* Locus mendoſus. cordant Apoſtolo, qui hoc loco dixit: *Non acceperunt
repromiſſionem, Deo pro nobis aliquid melius prouidente, vt
non ſine nobis conſumarentur.* Quomodo ſunt cum carne
in cælo, ſi * adhuc illorum repromiſſione ſine nobis
conſummarentur? Aut quomodo pars corporis Eccle-
ſiæ, quæ caput habet in cælo, pars aſcendit, & pars pa-
titur adhuc, & pars iacet ſepulta? Et vbi erit illud, quod
Apoc. 6. 9. Ioannes in Apocalypſi dicit: *Vidit ſubter altare animas in-
teremptorum propter verbum Dei, & teſtimonium, quod ha-
bebant?* Non propter aliud occiſi ſunt; ſed propter verbum
Dei, propter Verbum incarnatum, propter teſtimonium,
quod habebant Ieſu Chriſti, quem prædicauerunt, expe-
ctauerunt, & viderunt: cui & clamabant voce magna,
Ibid. 10. dicentes: *Vſquequo Domine ſanctus, & verus non iudicas,*
B *& vindicas ſanguinem noſtrum de his, qui habitant in ter-*
Ibid. 10. *ra?* Vbi illic adiungitur: *Data ſunt illis ſingula ſtolæ al-
bæ.* Quæ ſunt ſingulæ *ſtolæ albæ*, niſi tantum animæ, quæ
adhuc deſiderant corpora, vt adhuc in terram ſuam du-
plicia poſſideant, cum omnium hominum fuerit reſurre-
ctio? Sicut ſcriptum eſt: Non prima iuſtorum, & ſecun-
da peccatorum, vt hæretici delirant: ſed vna reſurrectio
omnium, & in ſemel.

Vt ſupra. Quod vt verius probem, audi quid ſequitur: *Data ſunt
illis ſingulæ ſtolæ albæ*, id eſt, lætitia animarum tantum: *&
dictum eſt illis, vt requieſcerent: tempus adhuc modicum,
donec compleantur numerus conſeruorum, & fratrum eorum.*
Ibid. 11. Sed quia non hæc tractanda ſuſcepimus, ad promiſſum
Hebr. 11. 6. ordinem redeamus, & quid ſit vera fides, tractemus: *Quia
ſine fide nullus placere Deo poteſt.*

Sed quia de veteri teſtamento iam cum Apoſtolo dixi-
mus, & vna fides eſt, & vnum Dominum credimus; ad
nouum Teſtamentum, ipſo Domino præcedente, venia-
Luc. 1. 38 mus. Fide ipſa Virgo angelo credidit, dicens: *Ecce an-*
C *cilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Fide Eli-
Ibid. 43. zabeth *matrem Domini* prædicauit. Fide Simeon cogno-
uit Dominum. Fide Anna Dominum laudauit. Fide Cen-
Mat. 8. 8. turio dixit: *Domine tantum dic verbo, & ſanabitur puer*
Matth. 8. 10. *meus.* Et Dominus miratus ſe ſequentibus dixit: *Non in-*
Ibid. 13. *ueni tantam fidem in Iſraël. Et ait ei: Vade; ſicut credi-
diſti fiat tibi.* Aut quid dicam. Fide Apoſtoli crediderunt.
Fide cæci illuminantur. Fide diuerſæ valetudines curan-
tur. Fide mulier fimbriam veſtimenti tangens, ſalua facta
Matth. 9. 2. eſt. Ad quam Ieſus dixit: *Confide filia: fides tua te ſaluam*
Matt. 15. 25. *fecit.* Fide mulier Cananæa importune clamabat, dicens:
Domine adiuua me. Reſpondens Ieſus ait: *Non eſt bonum
ſumere panem filiorum, & mittere canibus. Et illa dixit:
Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de men-
ſa dominorum ſuorum; Tunc reſpondens Ieſus, ait illi: O
mulier, magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut credidiſti.* Fide
Gẽtilis populus credidit. Fide & hodie creditur. Sed multis
modis fides variatur, & fides vera putatur, quæ fides vera
non eſt. Sicut multis modis Chriſtus vnus prædicatur, &
D Chriſtus putatur, quod Chriſtus nõ eſt. Sic fides prædicatur
vera, quæ vera non eſt. Fides eſt, quæ ſine charitate eſt. De-
Ioan. 14. 27. nique poſtquam Apoſtoli Domino crediderũt, dixit Ieſus:
Pacem meam do vobis: pacẽ relinquo vobis: Pacem meam, nõ
ſicut mundus habet pacem. Siquidem mundi pax noſtrum
Ioan. 13. 35. bellum eſt. *Meam pacem do vobis.* Bellum habere cum
Act. 4. 32. mundo, & meam pacem habebitis. *Et in hoc cognoſcent
omnes homines, quia mei diſcipuli eſtis, ſi dilectionẽ ad inui-
cem habueritis.* Tunc illi omnes hoc præceptum accepe-
runt à magiſtro, facta collatione, tantam habuerunt di-
lectionem, vt in duodecim illis corporibus *animam face-
rent vnam & vnum cor*, & voluntatem vnam. Et qualiter
crederet Eccleſiæ, non vnus compoſuit ſymbolum fidei:
ſed omnes ſingula verba poſuerunt. Et quod corde cre-
diderunt, dilectione demonſtrauerunt. Quod hæretici
non faciunt: ſed vnuſquiſque ſibi ſapiens eſſe videtur: &
non requirit membra, nec conlationem neceſſe habet:
ſed ad ſuam nouam doctrinam omnes vult inclinare. Et

cum catholicus noluerit eum audire, excitatur in diſcor- E
diam. In hoc reprehenditur primum, quia non habet fi-
dem rectam. Secundo, quia non habet charitatem.

Tertio, quia qualis ille, tales & diſcipuli eius. Quia
omnis magiſter in diſcipulis agnoſcitur; ſicut & Chriſtus
in Apoſtolis. Nam omnis magiſter, qui de doctrina Chri-
ſti eſt, primum à domeſticis cognoſcitur, qualis ſit. Si-
cut Apoſtolus docuit, *Domum ſuam bene regentem, fi-* 1. Tim. 3. 4.
*lios habere ſubditos, cum omni caſtitate. Quia qui domum
ſuam bene non regit, in domo Dei diligentiam habere non
poteſt.* Nam omnis, qui diſcipulos nutrit, in tantum eos
inſtruit in fide vera, donec Chriſtus formetur in illis:
ſecundum Apoſtolum Paulum, qui dicebat diſcipulis:
Filioli mei, quos adhuc parturio, donec Chriſtus forme- Gal. 4. 19.
tur in vobis. Item ipſe: *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego* 1. Cor. 11. 1.
Chriſti. Poterat Dominus noſter Ieſus Chriſtus vno die
docere diſcipulos ſuos, ſi voluiſſet. Quia ipſe erat Deus,
qui illis inſpirare poterat vna hora, quæ multo tempo-
re inſpirauit. Sed pro hoc factum eſt, vt qui magiſtri Ec-
cleſiarum eſſe deberent, multo tempore per lac creſce- F
rent, & cum labore ad ſolidum cibum peruenirent: qui
etſi multum laborauerunt; quia errauerunt, & dubitaue-
runt: Sed illorum erratio, noſtra eſt correptio. Illorum
dubietas, noſtra eſt firmitas. Errauit Petrus, quia nega-
nit. Dubitauit Thomas de reſurrectione, quia dixit: *Niſi* Ioan. 20. 25.
videro, non credam. Dubitauit Cleophas, & Lucas
Euangeliſta, quia dixerunt: *Nos putabamus eum, quod* Luc. 24. 17.
ipſe eſſet redempturus Iſraël. Et cum non cognoſcerent
Chriſtum, & interrogarentur ab eo, *quare eſſent triſtes*,
reſponderunt ei: *Tu ſolus peregrinus factus es in Ieruſa-
lem, & non cognouiſti, quæ facta ſunt in illa his diebus?
Dixit eis Ieſus: Quæ? Reſponderunt, dicentes: De Ieſu
Nazareno, qui fuit Propheta maior in opere, & ſermone.*
Vides, quia non eſtimabant eum Deum eſſe, ſed Pro-
phetam? Dubitauit Philippus, qui dixit: *Domine oſten-* Ioan. 14. 8.
de nobis Patrem, & ſufficit nobis. Protinus audiuit: *Tan-
to tempore vobiſcum ſum, & non cognouiſti me. Philippe!
Qui videt me, videt & Patrem meum. Non credis, quia
ego in Patre, & Pater in me eſt?* Hoc totum quare dico, G
quod Apoſtoli errauerunt? Propter hæreticos, qui diſci-
puli non fuerunt, & magiſtri ſunt. Quod ſi in diſciplina
multo tempore in conlatione laboraſſent, ibi audiſſent,
quid dicerent. Ibi reprehenderentur, vt emendarent. Ibi
corrigerentur, quo errarent: donec Chriſtus formaretur
in eis: & ſic cum grandi labore orando, & humiliando,
quandoque ad ſolidum cibum peruenirent: Et cum per-
ueniſſent, iam dentes habentes ſolidum panem mandu-
carent: *& paruulis frangerent, & darent*: id eſt, ſenten- Thre. 4. 4.
tias, quas mente paruuli non intelligunt, ipſi ea reſpon-
derent. Sed quia ſibi ſapientes videntur, & pro deſpe-
ctu hoc facere nolunt, ideo magiſtri erroris ſunt; quia
veritatis diſcipuli eſſe noluerunt. Diſcipuli quidem fue-
runt: ſed de diſciplina ſæculari: Et ideo fures, & latro-
nes in conlatione Eccleſiæ apparuerunt: quia *non per* Ioan. 10. 1.
oſtium, quod eſt Chriſtus, ſed aliunde primam cathe-
dram aſcenderunt. Et inde cognoſcimus eos non eſſe ve-
ros paſtores; *quia* vocem illorum, id eſt, eos oues Do-
minicæ fugerunt. H

In his tribus plene deprehenduntur in Eccleſia hæreti-
ci, id eſt, in fide & dilectione, & diſciplina. Qui
enim recte credit, & non diligit, Dæmon eſt. Dæmon
credit & non diligit. Nec iſte diſcipulus Chriſti eſt.
Nam omnis qui diligit, credit. Dilectio enim tantum
in bonis rebus accipitur: amor vero, & in bonis, &
in malis eſſe poteſt: quia & mali ſe amant, &
non diligunt. Quia dilectio à duorum ligatione no-
men accepit: quia ſic diligit alterum, ſicut ſeip-
ſum. *Et eſt menſura dilectionis, in quo tota lex pen-* Matt. 22. 40.
det, & Prophetæ. Diliges Deum ex toto corde: & proxi- Ibid. v. 39.
mum tuum, ſicut teipſum. Reſtat ergo, vt qui diligit, recte
credat, quia ſymbolum recitat. Pro fide tamen ſolus non
contendit, ſicut hæreticus: ſed cum omni Eccleſia clamat.
Hæreticus tamen ſolus errans diſcurrit per terras, vt no-
uæ ſuæ doctrinæ conſentientes inueniat. Catholicus au-
tem nihil nouum dicit: quia totam ſuam fidem in ſym-

[A] bolo cõprehendit. Confirmat eam, quia habet dilectionem proximi. Tunc habet & ſpem, cum habuerit fidem, & charitatem. Fides dicta eſt, quia fit illud, quod inter vtroſque placitum eſt. Id eſt, ſicut inter hominem, & hominem fiat, vt nemo nemini mentiatur. Iam ſi mentitur quis, non eſt fides. Sic inter Deum, & hominem: ſi non facit homo, quæ promittit Deo, iam non eſt fides. Iam & Deus non facit, quæ promiſit homini: quia homo primus violauit fidem. Spes vocata, quaſi pes ad progrediendum. Qui promittit Deo, & non pergit ad eum, non habet ſpem, quia non vadit. Non eſt ibi pes, ſed depes, id eſt, deſperatio. Charitas autem Græcus ſermo eſt, quod latine dicitur dilectio. Hæc tria ſunt, quæ in religionis cultu ad colendum Deum in omnibus perquiruntur, id [1. Cor. 13. 13.] eſt, fides, ſpes, & charitas. *His tribus maior charitas.* Quia hic inchoatur, & finem non habet. Proinde Deus charitas nuncupatur, qui finem non habet. Fides tamen, & ſpes finem habebunt. Quia cum videmus Deum, quem [B] credimus, vltra quem credamus non habemus. Fides dicitur in hoc ſæculo; quia veraciter credimus: id quod nequaquam videre valemus. Nam credere iam non poſſumus, quod videmus. Sic ſpes tantum in hoc ſæculo eſt. Cum autem viderimus maieſtatem Dei, quam nobis promiſit videre, vltra quod ſperemus non habemus: quia quod ſperabamus iam habemus. Et cum habet homo, quod ſperabat, quod ſperet non habet.

[* locus mēdoſus.] Charitas vero * hic inchoat proximo. Et cum viderit Deum, tunc fit maior. Quia hic dilexit proximum, minor eſt. Sed quantum plus dilexit proximum, tantum & illic plus videbit maieſtatem Dei. Et quantum minus dilexit proximum, tantum & illic minus videbit maieſtatem Dei. Et qui non dilexit, licet ieiunet, oret, res ſuas pauperibus eroget, ita vt nudus pro Chriſti nomine rema- [Pſ. 1. 2.] neat, virginitatem cuſtodiat, *die, & nocte in lege Domini meditetur*, omnes ſcripturas memoriter teneat, omni die communicet, infirmos, & incarceratos viſitet, nudos veſtiat, hoſpitibus pedes lauet, recte credat Chriſtum fi- [1. Cor. 13. 1.] lium Dei, omnia ſecreta eius ſcire; *Et Angelorum linguis* [C] *loquatur*, & pro Chriſti nomine crucem aſcendat, & pro Chriſto ſanguinem fundat; maieſtatem Dei videre non poteſt. Sine charitate, Deum nullus catholicorum videbit vnquam. Ipſi dicturi ſunt, qui iſta omnia faciunt, & [Matth. 7. 22.] non diligunt: *Domine in nomine tuo prophetauimus, dæmones eiecimus, & virtutes multas fecimus. Tunc reſpondebit illis: Diſcedite à me operarij iniquitatis. Nunquam noui vos in domo Patris mei.* Require nunc, quid eſt in domo Patris. In domo Patris non fuit. id eſt, Eccleſiæ vnitatem non tenuit. Fides autem illa vera appellanda eſt, quæ eſt vera, non ficta, quam ſanctus commendat Apoſtolus, di- [1. Tim. 1. 5.] cens: *Finis autem præcepti eſt charitas de corde puro, &* [Epheſ. 2. 8.] *conſcientia bona, & fide non ficta.* Nam quia idem beatus Apoſtolus, *gratia nos dixit ſaluos factos eſſe per fidem quam non ex nobis, ſed Dei aſſerit donum.* Et vtique vera ſalus non erit, vbi fides vera non fuerit. Quæ cum diuinitus infunditur, ſine dubio gratuita largitate donatur. Et vbi per veram fidem veritas fuerit credulitatis, veritas vtique comitabitur & ſalutis. Quiſquis autem a vera fide deuiauerit, veræ ſalutis gratiam non habebit.

[D] Proinde torpere non debet fidelis animus ad quærendum, ſi quid in ſacramento fidei ſibi videtur ambiguum, maxime in myſterio Dominicæ incarnationis; per quam iuſtitia impiis, vita mortuis, ſalus infirmis, & veræ liber- [Ioan. 6. 33.] tatis gratia donata captiuis. *Ipſe eſt panis noſter, qui* [Pſ. 77. 25.] *de cœlo deſcendit, & dat vitam mundo. Si quis:* inquit, *ex ipſo manducauerit, viuet in æternum. Panem cœli dedit eis*, vt Propheta ait: *panem angelorum manducauit homo.*

Sed forte dicet aliquis: Vbi inuenire poſſumus hunc panem, qui de cœlo deſcendit, & manducare? Iam Dominus ad cœlos aſcendit, quomodo manducabo hunc panem, & viuam in æternum? Quia deſidero hunc panem [Matth. 6. 11.] manducare. Et credo, *quod vita æterna eſt ipſe panis*, id eſt, corpus eius. Et dico: Domine ſemper da nobis panem hunc. Et in oratione, quam edocuit, oro, & peto: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Quid eſt ipſe panis, quem quotidie petimus? Et noſter panis eſt; & [E] tamen eum niſi petierimus, non accipimus. Et vere corpus eſt. * Audi ipſum panem noſtrum quotidianum Pete. Accipe. Manduca quotidie. Legamus ſanctas ſcripturas, & inueniemus hunc panem. Ego corpus Ieſu Euangelium eſſe puto. Scripturas puto doctrinam eius: & quoniam dicit Ieſus: Qui non comederit carnem meam, & ſanguinem meum non biberit? licet ſpiritualiter, & myſtenо poſſit intelligi; tamen corporaliter panem, quem petimus quotidianum, vere corpus Chriſti, & ſanguis eius, ſermo ſcripturarum eſt, doctrina diuina eſt. Et cum legimus eam, carnem Chriſti manducamus, & ſanguinem eius bibimus. Et cum oramus; vt intelligamus ea ſpiritualiter, & cognoſcamus diuinitatem incarnatam. Et cum cognoſcimus, quod vere filius Dei ſit, & verus Deus, & non eſt alter Deus, præter illum, qui de Virgine natus eſt, & adoramus eum cum Angelis, ſicuti eſt vnus cum Patre, & Spiritu ſancto Deus, panem Angelorum manducamus. Qui ſcripturam frequentat legere, ipſa litera [F] ſpiritum, id eſt, intellectum. Sed tamen ipſe intellectum ſine litera, quæ corpus eſt, nemo intelligere poteſt. Qui intellectus literæ non eſt corpus. Sed cum cœperit aliquis legere, ipſa litera, quæ corpus eſt; & eam intelligere non poterit, oret, & dicat: *Pater noſter qui es in cœlis, pa-* [Matth. 6. 10.] *nem noſtrum quotidianum da nobis hodie*: quouſque petat quouſque intelligat. Et poſtquam intellexerit, interroget Patres, ſicut ſcriptum eſt, & ipſi eam nuntient: & tunc videbit ſpiritum, ſi ex Deo eſt. Penſa quantum periculoſus eſt ſermo diuinus, quem manducas: in ipſa communione cognoſce, quem communicas. Si micula ceciderit in terram de manu ſacerdotis, omnes contremiſcunt, & elongant ſe ab ipſo loco, vbi Euchariſtia ceciderit, & quæritur diligenter, vt in patena reponatur: quia corpus Chriſti eſt ipſa Euchariſtia, quæ latine dicitur *bona gratia.* Sic & Euangelium *bona gratia* dicitur. Quod ſi totum Euangelium quis intellexerit, & miracula crediderit, quæ non intelligit, quærat, timeat, contremiſcat: non habeat deſpectui ipſam miculam quærere, & inuenire, & in patena, id eſt, in anima fideli ponere; quia corpus Chriſti eſt. Et animæ fidelium, ſi vaſa non eſſent, [G] non diceret Propheta ex voce Domini: *Mundamini,* [Iſa. 52. 11.] *qui fertis vaſa Domini.* Et de Paulo Apoſtolo ipſe Domi- [Act. 9. 15.] nus dicit: *Vas electionis mihi eſt.* In ipſa vaſa corpus Chriſti mittitur, quod eſt Euchariſtia, ſiue verbum Dei. Quod ſi ipſa micula, quam Euchariſtiam diximus, de manu ſacerdotis ceciderit, & eam conculcauerit conculcat & omne corpus Chriſti. Tunc non debet corpus Chriſti tradere, & nomen Patris habere: ſed inter cæteros filios accipere, quia filij ſciunt ſanctum eſſe. Sed ſi de ſacramento interrogentur, rationem facere neſciunt. Sic etiam de Euangelio intelligendum eſt. Qui pater eſt, & Euangelium annuntiat, ad quem corpus Chriſti diximus, & totum Euangelium bene annuntiauerit, & micula ceciderit ei, quam intellexerit, & male intellecta non quæſierit: ſed conculcauerit, id eſt, cum temeritate defenderit, conculcat totum corpus Chriſti, id eſt, totum Euangelium. Tunc non debet corpus Chriſti more paterno dare: ſed more filiorum accipere, id eſt, non debet, vt doctor prædicare, ſed vt diſcipulus accipere. [H]

Qui enim recte credit de Patre: & de Filio, & de Spiritu ſancto non recte credit, iam nec de Patre recte credit. Qui recte credit de Filio, & de Patre, & Spiritu ſancto non recte credit, iam nec de Filio recte credit. Qui recte credit de Spiritu ſancto, & de Patre, & Filio non recte credit, iam nec de Spiritu ſancto recte credit. Qui recte credit de tota Trinitate, & de ſola incarnatione filij Dei non recte credit, iam non recte credit de tota Trinitate. Sic & cum totam legem Chriſti obſeruauerit & in vnum offenderit, iam totam legem offendit. Si cognoueris legem, cognoſces & Euangelium. Quia Euangelium ſic eſt de Lege, ſicut granum tritici de palea. Et nullum granum poteſt ad maturitatem venire, niſi intra paleam latitauerit. Hoc eſt granum tritici, quod in terram cecidit, & nos multiplicauit. Ipſe eſt Chriſtus, ipſe eſt panis, quem nunc comedimus. Sed & ipſum

A Pſal. 146. 14. granum medullam habet: Pinguedinem habet: Adipem habet; vnde ſatiamur, ſecundum Prophetæ dictum: *Et adipe frumenti ſatiat te.* Pinguedo in grano eſt, diuinitas in carne. Granum in palea eſt, Euangelium in lege. Eſt occultatum Euangelium in lege, & occultus Chriſtus in litera. Eſt & occultata diuinitas in carne. Legunt carnales Iudæi legem, & non intelligunt Euangelium. Legunt carnales Chriſtiani literam, & non intelligunt ſpiritum, Clamant Chriſtiani Chriſtum, & non intelligunt diuinitatem. Ac per hoc glorificant ſe Iudæi de lege: ſed eam non habent: cum Euangelium non habeot; quia panem non habent. Glorificaot ſe, & carnales lectores de litera in Eccleſia: ſed eam non habent, quando ſpiritum non habent. Glorificant ſe Chriſtiani de fide, ſed Chriſtum non habent, qui diuinitatem non habent. Quamobrem nihil
2. Cor. 3. 6. habet ex parte, qui totum non habet. Nam cum *litera occidat, ſpiritus autem viuificet*, neceſſe eſt illa ſpiritualium interiora ſermonum: ſpiritu viuificante, penetrare. Vniuerſam porro ſcripturam tam veteris teſtamenti, B quam noui, ad intellectum allegoricum eſſe ſumendum.

Allegoria. Nam ipſa allegoria quatuor modis in Scripturis diuinis eſt requirenda. Primus eſt ſecundum tranſlationem, vt eſt illud: *Iratus eſt Dominus, & deſcendit.* Et ſimilia, quæ ad inſinuandas cauſas, & hominum motus transferuntur ad Deum. Alia eſt ſecundum imaginationem, vel hypo-
Luc. 10. 30. typoſeos, vt eſt illud: *Homo quidam deſcendebat ad Ieruſalem in Iericho.* Et parabola vineæ, atque agricolarum. Ordo enim eorum, quæ agebantur à Chriſto, velut imaginem perſonæ, & negotij alterius refertur impletum. Tertia eſt ſecundum comparationem, vel ſimilitudinem,
Matt. 17. 19. vt eſt illud: *Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis*, &c. Non enim narratio, ſicut in ſuperiori exemplo contexitur: ſed cauſarum ſolummodo comparatur effectus. Quartus eſt ſecundum Prouerbialem modum, vt eſt illud Sa-
Luc. 13. 19. Prou. 5. 15. lomonis: *Bibe aquam de tuis vaſis, & de tuis puteis.* Vult ſcriptura carnalem concupiſcentiam monere refrenandam eſſe intra iugalem licentiam. Has noſtras allegorias Iudæi
G non recipiunt. Carnales Chriſtiani oon intelligunt, & inde Chriſtum hominem, eſſe Deum non confitentur. Denique velauit Moyſes faciem ſuam, & ſic eſt populo locutus: Velata fuit Moyſi vſque ad Chriſtum bibliothecæ facies: & in fine huius bibliothecæ reuelata eſt. Et inde ſic incipitur reuelatio Chriſti, quam dedit illi Deus
Apocal. 22. 6. palam facere ſeruis ſuis, *quæ oportet fieri cito.* Hæc Ioanni reuelata eſt: quæ tota bibliotheca vnus liber eſt, in capite velatus, in fine manifeſtus. Qui liber duo teſtamenta dicuntur, vetus & nouum. Et vnum eſt tanquam
Apoc. 19. 15. vnus gladius ex vtraque parte acutus. Et hinc inde, id eſt, in Lege & Euangelio acuitur, vt fideles armet, & interficiat infideles: ſicut idem in Apocalypſi, de ore Domini gladium ex vtraque parte acutum egredi teſtatur, id eſt, verbum eius. Quælibet bibliotheca totus ſic eſt intelligendus, tanquam vnus homo.

Denique homo perfectus ex tribus conſtat, id eſt ani-
1 Theſ. 5. 23. ma, corpore, & ſpiritu: ſicut Apoſtolus dicit: *Deus pacis ſanctificet vos ad perfectum: & integer ſpiritus veſter,*
D anima, & corpus, *ſine querela in aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti mādcumque reſeruetur.* Non quod altera ſit anima in ſubſtantia, & alter ſpiritus, ſicut altera ſubſtantia eſt anima, & altera caro; ſed ipſa anima vnus eſt idem ſpiritus. Sed dum exteriorem carnem affligit homo
2. Cor. 4. 16. per pœnitentiam, ſecundum Apoſtolum: *interior anima renouatur de die in diem in cognitione Dei.* Et poſtquam cognouerit Deum, dicitur ſpiritus, id eſt, contemplatiuus ſeruus Dei, quia Deum contemplatur: per vitam contemplatioam videt Deum, non in corpore, ſed mente. Quæ mens ſic eſt in actione animæ, ſicut caput in corpore. Qui ſpiritus ſic eſt in actione mentis, ſicut oculi in capite? Et ſicut homo videt per oculos, & diſcernit lucem à tenebris, & in die ambulat, aut operatur, quia participat lumen oculorum ſuorum, cum lumine ſolis, & vtrumque vnum lumen eſt. Sic ille ſpiritus, qui lumine eſt, participat cum Chriſto, qui ſol eſt, & fit vnum lumen vtrorumque, id eſt, vnus ſpiritus: ſed non eſt ipſe ſpiritus, quem dicimus cum Dei ſpiritu vna natura. Cum di- E cimus lumen & lumen, quia aliud eſt lumen inluminans, aliud lumen ioluminatum. Sicut aliud eſt ſol inluminans, aliud oculi inluminati. Qui oculi in tenebris non vident, niſi participentur lumini, aut ſoli, aut lucernis: qui ſol Chriſtus intelligitur. Lucernæ vero Patres ſancti, id eſt, Prophetæ, Apoſtoli atque Doctores. Tenebræ vero ſunt, in quibus homo oon participat luci, diabolus, & Angeli eius, homines mali, & peccata, quæ facimus, pro quibus cœcamur, & Deum videre non poſſumus. Et tamen ille ſemper in lumine eſt, & nos videt. Et omnes ſancti, qui in lumine cum eo ſunt, & nos putamus, quod nemo nos videt, cum malum cogitamus, aut facimus. Et tunc non ſumus cum Deo: ſed Deus nobiſcum eſt, qui vbique lumen eſt, licet nos in tenebris ſumus, qui tunc cum diabolo & hominibus malis vna tenebræ ſumus, cum operibus illorum participamus. Sic tunc non ſumus cum Deo, & ille nobiſcum eſt: ſicut non videt lumen ſolis: & tamen lumen ſolis totum corpus eius inluminat, ſed ſol ſe non mutauit: ſed cæcus, qui F lumen ſui corporis perdidit. Sic Deus ſe nunquam mutat, ſed nos qui lumen animæ perdimus per peccatum.

Hoc totum quare diximus? Quia vnum hominem anima, corpore, & ſpiritu, id exemplo bibliothecæ inſinuare voluimus. Qui homo tantum ex duabus ſubſtantiis conſtat, id eſt, corpore & anima. Corpus habet partem mundi, vnde ducit originem. Anima vero non habet originem, quia ſpiritus eſt, & ad imaginem Dei factus eſt: Quia ex vtroque vnus homo compoſitus eſt. Et ipſa anima rationalis eſt, ſicut Angelus, & intelligit cum Angelis: & ipſe ſpiritus, quem ſupra diximus, ipſe intellectus animæ, hoc eſt, ſuperior intellectus, quod Græce dicitur, *Anagoge*, id eſt, intellectus angelicus, per quem Deum videt. Et cum ſupra tendit, fit cum Deo & Angelis vnus ſpiritus. Et cum ad corporalia flectitur, & nimis pro corpore cogitat, fit mundi amator.

Et dicitur iſte Mundus, quia Chriſtum odio habet. Si fuiſſet cum Deo, erat Deus, non natura, ſed gratia. Sed quia ſeruit muodo, id eſt, corpori, tunc non dicitur ima- G
go Dei, ſed homo, Propheta atteſtante, qui ait: *Et homo in honore cum eſſet, non intellexit. Comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* In honore Pſ. 48 13.
eſt, quando in ſuperiori intellectu cum Angelis intelligit; & pro hoc laborat, vt ad Angelorum æqualitatem perueniat: & panem quotidianum in nomine Ieſu Patrem date ſibi poſtulat, vt in æternum cum illo viuat æternus. Cum vero pro * ea laborat, quæ æterna non ſont, & * *iis, niſi*
terrena ſunt, & corporalia ſunt, & videntur, perdet ima- *legas,*
ginem & ſimilitudinem Dei, & *comparatus eſt iumentis in-* *propter*
ſipientibus: & ſimilis factus eſt illis. * Quæ totum vna ani- Pſ. 48 12. * *F. Quod*
ma agit, & ipſa eſt, quæ cæleſtia concupiſcit æterna, & obliuiſcitur temporalia. Et ipſa eſt, quæ terrena lucra temporalia conquirit, & cæleſtia obliuiſcitur: & non poteſt cœlum & terram ſimul lucrari, niſi vnum dimiſerit. Et habet ipſa anima multa nomina per actiones quas diſcurrit, cum ſit ſubſtantia vna: quæ dum contemplatur Deum, ſpiritus eſt. Dum ſentit, ſenſus eſt. Dum ſapit, H animus eſt. Dum intelligit, mens eſt. Dum diſcernit, ratio eſt. Dum conſentit, voluntas eſt. Dum recordatur, memoria eſt. Dum membra vegetat, anima eſt. Et hæc quidem dum multiplici conſteot appellatione, non tamen ita diuiduntur in ſubſtantia, ſicut in nomioe: quia iſta omnia vna eſt anima. Et in parte, qua ſe flexerit, ipſius partis nomen accipit, quia partes eius ſuot iſta, quæ dixi. Hoc totum pro ſpiritu diximus, vt hæreticis calumniandi aſſertionem tolleremus. Quia vnum homioem integrum, atque perfectum ſpiritu, anima & corpore, ſecundum Apoſtolum conſtare firmauimus.

Qoo firmato, ad bibliothecam ooſtram, Deo inluminante redeamus. Et ſicut vnum hominem integrum ex tribus conſtare diximus: & à bibliotheca noſtra vnum librum integrum ex tribus conſtare explanemus, id eſt, litera, Tropologia, & myſtica intelligentia. Litera eſt, ſicut corpus hominis. Quæ litera ipſa eſt hiſtoria. Tropologia ſic eſt, ſicut anima hominis. Myſtica intelligentia ſic eſt,

A

ſicut ſpiritus hominis. Corpus ergo S. Scripturæ, ſicut diximus, litera eſt. Et anima in morali ſenſu, qui Tropicus dicitur; ſpiritus vero in ſuperiore intellectu angelico, qui Anagoge appellatur. Corpus eſt literæ, cum dicimus: *Ambulabat Dominus. Deſcendit Dominus. Caput Domini*, capillos, oculos, aures: *Iurauit Dominus per animam ſuam*: & tota hiſtoria, quæ legitur, & auditur, & ſyllabis comprehenditur; & literis * emendatur: & cætera huiuſmodi ſimilia, quæ ad exteriorem auditum pertinent, tam legentibus, quam audientibus communiter, totum corpus eſt literæ exterioris, ſicut corpus eſt hominis exterioris. * Quæ ſi omnia, quæ leguntur, ſecundum literam, id eſt, corpus literæ exterioris, ſicut ad aures publicas ſonat; ſic ea voluerimus intelligere, tales erimus, ſicut & ille, qui cœleſtia obliuiſcitur, & terrena lucra ſectatur, & tantum corpus ſuum, non animam diligit. Et tamen vtrique *comparati ſumus iumentis inſipientibus*. Vnam comparationem habemus, & vita ſumus diſſimiles: quia ille eſt ſecularis, qui mundum amat, & ego religioſus, qui literas. Sed ab vna comparatione, id eſt, ab vna lancea occidimur; quia vtrique corpora amamus, & vtrique corpora videmus. Quæ & in ipſa hiſtoria eſt aliquid, quod ſicut audiuimus, & tenemus, & ſic intelliguntur, ſicut audiuntur. Et ſic diligimus ea, & obſeruamus. Quod ſi & illa ad Allegoriam reduxerimus, & volumus ea mutare, tale eſt, tanquam ſi corpus noſtrum omnino occidimus, & non damus ei, quæ neceſſaria ſunt, ſine quis corpus viuere non poteſt, id eſt, cibo, potu, ſomno, & veſtimento. Si hæc facimus, iam non erit corpus, quod curat pro anima. Iam non erit anima ſalua, quæ corpus ſuum occidit contra naturam.

* F. mādatur.

* Quod

Pſ.48.13.

B

Quæ ſunt iſta, quæ diximus? Sunt hæretici, nomine Circumcelliones, qui amore martyrum ſemetipſos interficiunt. Tales ſunt & illi lectores, qui omnino animam literæ à corpore nudare quærunt. Nam ſicut corpus ſtat pro ſe, & recipit actionis ſuæ vicem: ſic & hiſtoria aliquando per ſe, vt aliud non intelligatur per ſignificationes, ſimilitudines, & figuras, niſi tantum ſecundum corpus literæ ſicut auditur Hiſtoria eſt Chriſtus Dei filius, natus de Virgine Maria, crucifixus ſub Pontio Pilato. Mortuus, & ſepultus. Deſcendit ad inferos. Tertia die reſurrexit viuus à mortuis. Aſcendit ad cœlos. Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Hæc pro ſe ſtat, ſicut auditur. Non eſt allegoria. Non ſignificauit alterum Chriſtum, ſicut Patriarchæ, & Prophetæ, hunc ſignificauerunt, & prædicauerunt eſſe venturum. Illi prædicauerunt, non ſe, ſed Chriſtum. Chriſtus prædicauit ſemetipſum, miſſum à Patre dicens: *Sic dilexit Deus mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret in mundo; vt omnis, qui credit in eum, non pereat: ſed habeat vitam æternam*. Nos vero cum Apoſtolis, & doctoribus prædicamus eum iam veniſſe humilem, vt nos qualiter viueremus doceret. Et ſecundo eum expectamus in gloria maieſtatis ſuæ redire: & regulam, quam poſuit requirere: & vnicuique ſecundum opera ſua reddere. Hæc hiſtoria, ſicut auditur, ita ab omni Eccleſia creditur, & tenetur. Sic etiam decem præcepta Legis, quæ in duas tabulas ſcripta ſunt, ſine decimæ; ſicut audiuntur, ita intelliguntur, & tenentur. Hoc totum corpus literæ eſt, tanquam corpus hominis.

C

Ioan. 3. 16.

D

Veniamus ad interioris literæ moralem ſenſum, quem Tropicum diximus: quem etiam in exemplo animæ poſuimus, qualiter de exterioris literæ corpore, ad interiorem intellectum, tanquam ad interiorem animam rationalem aſcendere valeamus. Omnis enim lector, qui de hiſtoria ad moralem ſcientiam aſcendit, & non peruenit ad ſpiritum literæ, talis eſt, ſicut quodlibet animal: tantum conſtans ex corpore. Moralis ſcientia dicitur, id eſt, ſecundum mores: Vt cum nominat ſcriptura vtputa hominem, intelliguntur eius mores, quia ſenſum habet, & rationalis eſt. Cum nominat animal, vtputa bouem; intelligitur: quia vngulam diuidit, & ruminat, & ſub iugo eſt. Cum vero nominat aſinum, vel quodlibet iumentum, intelliguntur eorum mores; quia nec ruminant, nec vngulam diuidunt. Cum nominatur camelus, intelligitur ruminare, & vnglas non diuidit. Cum nominatur porcus, intelligitur vngula diuidi, & non ruminare. Cum nominatur leo, intelligitur omnium fortiſſimum eſſe beſtiarum. Sic & vrſus, lupus, aut vulpecula, ſecundum ſuæ naturæ actionis vniuſcuiuſque, intelliguntur mores. Sic etiam de cæteris animalibus reptilibus, ſiue volatilibus, quæ Scriptura ſacra commorare ſolet. Quæ omnia mores hominum ſunt intelligendi, vt per ipſa lector agnoſcat vitam, vel mores hominum intra Eccleſiam. *Sed* iſtos mores non poteſt diſcernere, niſi integer homo; id eſt, ſpiritus, anima, & corpus. *Spiritualis homo omnia iudicat; ipſe autem à nemine iudicatur*. Nam ſicut ſpiritualis nomen trahit à ſpiritu: ſic animalis ab anima. *Et animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei*, vt ait Apoſtolus. Sic etiam carnalis nomen trahit à carne, ſecundum Apoſtoli dictum: *Cum audio rixas inter vos, nonne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis?* Nihil prodeſt lectori, ſi totam bibliothecam memoriter recitet, & moraliter interpretetur; ſi non peruenerit ad ſpiritum. Quare? Quia non eſt integer homo, id eſt, ſpiritualis: ſed tantum animalis, & carnalis eſt. Ad hunc ſpiritum nemo poteſt venire, niſi ab actione exteriori vacauerit: & vitam contemplatiuam tota mentis ſuæ intentione ſecutus fuerit. Nam quilibet carnalis poteſt omnem bibliothecam legere, & recitare; poteſt etiam eam & moraliter interpretari, & dicere: Ecce quid ſignificauit Noë, qui arcam in diluuio erexit. Quid Abraham, Iſaac, & Iacob. Quid Ioſeph venditus in Ægypto. Quid Moyſes, qui eduxit populum de terra Ægypti. Quid Ioſue, qui eis terram repromiſſionis diuiſit. Quid Dauid rex, & Propheta. Quid Prophetæ ſignificauerunt, niſi hi omnes *Chriſtum*? Poteſt & dicere: Ecce quid ſignificant ſol, luna, & ſtellæ. Quid mare, & piſces. Quid flumina, & fontes. Quid montes, & colles. Quid herbæ, & arbuſta?

E

1. Cor. 2. 15.

1. Cor. 1. 14.

1. Cor. 3. 14.

F

Et quia pleraque, ſiue in bonam partem, ſiue in malam, duobus modis intelligenda ſunt, ſecundum ſcripturas poteſt facere rationem. Attamen cum venerit, & de animalibus diſputare cœperit, quid ſignificent volatilia, quid reptilia, quid quadrupedia, quid animalia munda, quid immunda; quid beſtiæ, id eſt, leones, vrſi, lupi, vel vulpeculæ; quid greges ouium, vel vaccarum, aut columbæ, vel gallinæ? Iam hic non diſcernit, quid ſit lupus, aut quid ouis, cum fortaſſe & ipſe lupus eſt, & ſolus in tenebris ambulat, vlulando, & oues quæ ingreſſæ ſunt ſub paſtore, * deſoſat, & ſpargit. Nam lupus, aut vrſus, aut quælibet beſtia, quæ carne veſcitur, non eſt ſub paſtore, nec in domo creatur; nec in lege ambulant, nec munda ſunt, nec cibo hominum apta ſunt. Animalia vero quælibet munda in grege ambulant, & ſub paſtore ſunt: Includuntur, & ad cibos hominum apta ſunt. In hoc cognoſcimus hunc interpretem, ſi lupus, an ouis ſit. Nam ſi ouis eſt, in grege eſt, in multitudine eſt, in ſimplicitate eſt, ſub paſtore eſt. Includitur in ouile, herbas ſcripturarum manducat, non carnem fratris ſui. Cibus Domini ſui eſt, à quo regitur, & cuſtoditur. Illius, qui dixit: *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui miſit me, vt perficiam opus eius*. Nam ſi in grege non ambulat ouium, id eſt, in multitudine monachorum, licet totam bibliothecam recitet, & ſecundum mores interpretetur, non eſt ouis; ſed lupus ſolitarius, Beſtia eſt, Foras domum eſt. Oues Dominicas inuenit. Non interpretatur ſcripturas, quod auditis: ſed vlulat, quia non tractat. Quid facit? Non eum videmus aliquid mali facere? non credatis. Hypocrita eſt. Pellem ouinam in ſuperficie geſtat. Nam ſub pelle lupus eſt, id eſt, ſub litera. Hæreticus eſt. Homo integer non eſt. Anima tantum, & corpus eſt. Spiritus non eſt: ab ſpiritu ſeparatus eſt. omnes ita ſeparare vult, diuidere vult, ſicut ille diuiſus eſt. Scindere vult, ſicut ille ſciſſus eſt. Spargere vult, ſicut ille ſparſus eſt. Et Ideo de foris venit, & de domo vult rapere, quia non eſt ouis, ſed lupus. Nam cum leguntur in ſcripturis animalia ſiue munda, ſiue immunda, Allegorice mores hominum intelligendæ ſunt, non ſecundum corpus literæ, vt audiuntur. Nam ſi oues non eſſent, & lupi in Eccleſia, non diceret Dominus diſcipulis ſuis: *Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum. Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut co-*

G

* deuorat.

Ioan. 4. 34.

H

Mat. 10. 1

A Ibid. * F. machinemur pro, decipiamur.

lumbæ. Præcepit nobis Dominus, vt habeamus ſimplicitatem columbæ: & in vna ambulemus claſſe: ne cuiuſquam fraudibus * macinem. Habeamus & ſerpentis aſtutiam, ne alicuius ſupplantemur inſidiis.

Hoc totum quare diximus? Quia vnum hominem integrum, tanquam vnam Bibliothecam exponere inchoauimus: & in ipſam Bibliothecam, quæ ſicut vnus homo ita eſt: quo facilius intelligatur, more hominis exponenda eſt. Nam illa integra eſt; & homo ſine illa integer non eſt. Et nemo ad Chriſtum ſine illa peruenire poteſt, quia ipſe liber perfectus eſt. Diximus de corpore literæ, tanquam de corpore hominis. Diximus de morali ſcientia, id eſt, rationes morum, de interiori ratione literæ, per quod cognoſcuntur mores hominum.

Dicamus de ſpiritu literæ, vbi inuenitur Deus, ſicut & de ſpiritu hominis diximus, qui videt Deum. Hæc omnia, quæ ſupra diximus, ſiue quæ dicere habemus, tam veteris, quam noui ſcriptura teſtamenti, ad intellectum Allegoricum accipiendum admonet nos vel illud, quod in veteri

B Pſ. 77. 2. * Vulg. Loquar propoſitiones ab initio. Matt. 24. 34.

Teſtamento legimus: *Aperiam in parabolis os meum: Loquar * ænigmata antiqua.* Vel illud, quod in nouo Teſtamento ſcribitur, cum dicit: *Hæc omnia locutus eſt Ieſus in Parabolis ad turbas: & ſine Parabolis non loquebatur eis.* In parabolis enim & credentes diſcipulos docebat: & incredulos aduerſarios conuincebat. Nam ſermo diuinus, id eſt, Prophetarum, & Apoſtolorum talem habet conſuetudinem, vt illa, quæ vilia ſunt, & carnalia deforis oſtendat, vt omnes, tam carnales, quam ſpirituales, qui legerint, vel audierint, in plano habeant. Illa vero, quæ ſpiritualia, ſunt, & ſpecioſa, intus lateant, ne illa cœleſtium Archangelorum dignitas, omnibus indiſcretè pateret: & ſanctum canibus, & margaritas porcis exponeret. Et quia exterior litera, id eſt, hiſtoria, quod eſt eloquentia, argenti nomen interpretatur: & intelligentia ſpiritualis auri nomine intelligitur, & vnus ſpiritus Sanctus vtraſque dictauit: vt verè ad illius columbæ deargentatæ modum, cuius poſteriora ſpecie auri ſplendentis irradiant: Ita ſcripturæ diuinæ, quæ planæ ſunt in litera, argento fulgerent: & occultiora ſub litera auro rutilarent. Rectè itaque diuina diſpenſatione prouiſum eſt, vt illa eloquiorum argenti caſtitas, à promiſcuis omnium oculis abſconſa, quaſi aliquo velamine pudicitiæ, ipſa ſcripturæ contigeretur, cœleſtibus obumbrata myſteriis, ſicut ſecreto ſuo ipſa diuinitas occultabatur. Nam tunc manifeſtata eſt illa Angelica ſciẽtia, quæ abſconſa latebat ſub litera, quando ipſa diuinitas per carnem eſt manifeſtata. Hic enim in interiori litera, id eſt, ſpiritu inueniuntur illa *Domini* interiora templa: hic illa Sancta Sanctorum, vt iam qui ibi ingreditur, cum Domino loquatur: ſicut in Canticis Canticorum ex voce ſponſæ, quæ eſt

C

Cant. 3. 2.

anima dicitur: *Surgam, & circuibo ciuitatem per vicos, & plateas, quæram, quem diligit anima mea. Quæſiui illum, & non inueni.* Ac ſi apertè dicat. Conſideraui omnem gloriam præſentis ſæculi; inſpexi congregationes infidelium, & diuerſas ſectas Philoſophorum, ſed neque illic inueni, quem diligit anima mea. Id eſt, cum pertranſiſſem huiuſmodi homines, qui apud ſæculum varia ſcientia clari putantur, & cum eorum ſuperſtitioſis adinuentionibus teſtitiſſem, eorumque ſtultam ſapientiam reprehenderem; inueni, quem diligit anima mea. In me eſt enim Apoſtolus ille, qui de talibus dicit; *Sapientiam loquimur inter perfectos. Sapientiam autem, non huius ſæculi, neque principum ſæculi, qui deſtruuntur: ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinauit Deus ante ſæcula in gloriam noſtram.* Et quia ipſa ſapientia, quæ Chriſtus eſt, apud tales non inuenitur, quid ſequitur audi: *Quam nemo principum huius ſæculi cognouit. Si enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent: ſicut ſcriptum eſt: Quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quod præparauit, Deus his, qui diligunt eum.* Et quia dimiſſis, & expulſis talibus, inuenit anima, quem diligit; audi, quid ſequitur: Nobis autem reuelauit Deus per ſpiritum ſuum. Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei. Omnis autem diſciplina, religionis ex illo duplici

D

1. Cor. 2. 6.

1. Cor. 2. 9.

Iſa. 64. 4. 1. Cor. 2. 9.

ſcientiæ fonte emanat: Id eſt, quæ actiua, & contemplatiua vita dicitur. Actiua, in qua mores ſuos emendat. Contemplatiua vero in contemplatione cœleſtium, & diuinarum Scripturarum diſputatione verſatur. Quæ non poteſt venire ad ſpiritum, niſi per hiſtoriam, quæ eſt corpus literæ, tanquam corpus hominis: deinde aſcenderit ad moralem ſcientiam: quæ ſic eſt in hiſtoria, tanquam anima hominis in corpore: deinde aſcenderit ad ſpiritum: qui ſic ſte in morali ſcientia, vbi Deus inuenitur, ſicut ſpiritus eſt in anima, vbi Deus videtur.

E Vita actiua & contemplatiua.

Ecce hominem integrum, corpore, anima, & ſpiritu. Ecce & librum integrum, hiſtoria, Tropologia, & myſtica intelligentia. Ecce & Chriſtum integrum. Verbum, anima, & caro. Si ex tribus vnum ſubtraxeris homini, aut carnem, aut animam, aut ſpiritum, homo integer non eſt. Et cum integer non fuerit, pecus erit: quia in ſola anima, & carne remanſit. Sic & huic libro. Si ex tribus vnum ſubtraxeris, aut hiſtoriam, aut Tropologiam, aut ſpiritualem intelligentiam; vnde viuas non habes; quia Chriſtum non habes. Hæc ſcriptura corpus Chriſti eſt. Et ipſe corpus panis noſter eſt. Hic eſt liber in ore dulcis & in ventre amarus. Quia cum prædicatur eſt dulcis, & cum facere cœperimus, quod ibi ſcriptum eſt, ſine amaritudine pœnitentiæ facere non poſſumus. Et cum hanc ſcripturam obſeruamus, & rectè intelligimus, & rectè toto corde laboramus, & oramus panem noſtrum quotidianum, petimus, accipimus, & manducamus. Tunc & nos integri, & librum integrum manducamus; & corpus noſtrum, quod eſt corpus Chriſti cum Chriſto capite iungimur, qui integer, & perfectus, & cum illo vna perſona ſumus. Nam ſi de tribus ſubſtantiis Chriſti vnam ſubtraxeris, id eſt, non eam eſſe Chriſtũ dicis, totum Chriſtum negas. Et cum totum Chriſtum negas, negas Patrem, & Spiritum ſanctum. Et cum in vnam ſubſtantiam Chriſti offendis offendis in Deo, quia Deus eſt Chriſtus. Et cum in Deo offendis, amplius quod offendas, non habes. Sed tunc offendis Deum, quando hunc librum non manducas. Quod ſi in Euangelio non offenderis, quod corpus eſt Chriſti, nec in Chriſto offendis, quia corpus eius manducas.

F

G

Si quando audimus ſermonem Dei, & ſermo Dei, & caro Chriſti, & ſanguis eius in auribus noſtris infunditur: Et nos aliud cogitantes, in quantum periculum incurrimus? & ſaporem illum dulcedinis, quam guſtamus, perdimus: & non ſapit, ſicut eſt. Et actione, qua fuerit mens noſtra occupata, vt puta in cibo lautiore, aut in poto, aut in veſtimento, aut in qualibet re corporali, quod æternum eſt, talem ſaporem nobis facit in palatio cordis noſtri, ipſe ſermo diuinus, qui eſt panis noſter, qualis & ipſe actio eſt mentis noſtræ. Sic enim tradunt Iudæi, quoniam Manna quando comedebant, ſecundum voluntatem vniuſcuiuſque, ſic ſapiebat in ore. Verbi cauſa. Qui Manna comedebant, ſi deſiderabant poma, ſi vuam, ſi cucumeres, ſi cepas, ſi allia, ſi panem, ſi carnes, ſecundum qualitatem, & voluntatem comedentis, ita ſapor in Manna erat: ſic & in carne Chriſti: qui eſt ſermo doctrinæ, hoc eſt, ſcripturarum Sanctarum interpretatio: ſicut volumus, ita & cibum accipimus. Si ſpiritus es, inuenies refrigerium: quia manducas adipem pinguiſſimum, quod eſt diuinitas: & impinguas temetipſum. Si peccator es, aut ſuperbus, & cætera, quæ non pertinent ad ſpiritum, inuenies tormenta. Hic liber ipſe Chriſtus eſt intus & foris ſcriptus: de quo Apocalypſis Ioannis dicit: *Et vidi ſuper dexteram ſedentis in throno librum ſcriptum intus, & foris, ſignatum ſigillis ſeptem. Et vidi Angelum fortem prædicantem voce magna: Quis eſt dignus aperire librum, & ſoluere ſigna eius? Et nemo poterat, neque in cœlo, neque in terra, neque ſubtus terram, aperire librum, neque reſpicere illum. Et ego,* inquit, *flebam multum, quod nemo dignus inuentus eſt aperire librum, neque videre illum. Et vnus de ſenioribus dixit mihi: Ne fleueris Ioannes. Ecce vicit Leo de tribu Iuda radix Dauid, aperire librum, & ſeptem ſigilla eius.*

Exod. 16. De ſapore Manna.

H

Apoc. 5. 2.

Angelus fortis, qui clamabat, omnis ſcriptura Sacra erat. Vnus de ſenioribus, qui Iohanni, *noli flere*, dicebat,

Angelus fortis, quis.

A totum *corpus prophetarum* erat, qui conſolabantur Eccle-
clamabat ſiam, quam Iohannes in ſua perſona præfigurabat: quod
in Apoc. ſolus Chriſtus, de tribu Iuda, radix Dauid, redimeret
c. 5. quis eam. Nam nullus alter inuentus eſt, neque Angelus io
ſit. cœlo, neque homo viuens in terra, neque ſepultus ſubtus
terram, qui poſſit ſoluere hunc librum ſignatum ſigillis
ſeptem; & aperire ſcripturas Bibliothecæ. Vbi eſt Elipan-
dus, qui Chriſtum ſibi ſimilem fingit, & dicit: *Et Chri-
ſtus adoptiuus, & nos adoptiui. Et ille Chriſtus, & nos
Chriſti. Et ille paruulus, & nos paruuli. Et ille ſeruus, &*
Apoc. 5. *nos ſerui.* Hic dicit: Nullus eſt inueotus, qoi dignus ſit
aperire librum, & ſoluere ſeptem ſignacula eius. Quo
modo eſt adoptiuus cum adoptiuis, qui vnus liber eſt?
* vnum. Ao forte duos libros credis, * vnus, qui literas cootineat,
* alterũ. * alter, qui intellectum? Sed hic nos non poteris illude-
re, quia vnus liber ſine litera eſt: & nulla litera ſine in-
tellectu. Et litera in libro aperto legitur, vt quod legitur
intelligatur. Et cum intellexerit, iam gaudet? quia quod
B foris legebat, intus inuenit. Et qui conciderit ipſum li-
brum, paginam, & literam concidit: intellectum literæ
concidere noo potuit. Et tamen litera exterius, & intel-
lectus interius vnus liber eſt, & ſine vtroque eſſe non po-
teſt. Tunc ſi præuales, ſepara. Sed planè hoc facere non
poteris. Sic eſt Chriſtus liber noſter exterius pagina: &
litera quod eſt homo, corpus & anima. Intus diuinitas,
tanquam intellectus in litera. Quem *librum* Iudæi con-
cidere potuerunt, intellectum tamen, quod eſt diuinitas
eius, nec concidere, nec ſeparare potuerunt.

Septem ſi- *Septem ſignacula* huius libri hæc erunt. Primum, cor-
gnacula poratio in vtero virginis. Secundum, natiuitas. Tertium,
libri in paſſio. Quartum, mors, Quintum, reſurrectio, Sextum,
Apocaly- gloria. Septimum regnum. Hæc ergo ſignacula Chriſtus,
pſi, quæ dum pro homine cuncta complet, omnia quæ in ſcriptu-
ſint Liber ris erant clauſa, atque ſignata, aperuit: atque deſignauit.
in Apoca- Hic eſt ille: *Liber intus, & foris ſcriptus.* Hic ſecretus, &
lypſi intus publicus. Hic apertus, & occultus. Hic ſuperioribus pa-
& foris ginis videndus, interioribus non videndus. Foris com-
ſcriptus quid ſit.
C prehenſibilis, intus incomprehenſibilis. Foris ſcriptus eſt,
Iſa. 53. 2. cum Propheta dicit: *Vidimus eum & non erat aſpectus.*
Pſal. 2. 7. Intus ſcriptus eſt, cum ipſe Propheta dicit: *Generationem*
Pſ. 44. 3. *ante eius, quis enarrabit?* Foris ſcriptus eſt, cum Pater dicit:
Filius meus es tu: ego hodie genui te. Intus ſcriptus eſt, cum
Propheta dicit: *Speciosus forma præ filiis hominum.* Foris
ſcriptus eſt, cum Pater dicit: *Pete a me, & dabo tibi gen-
tes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.*
Intus ſcriptus eſt, cuio dicit: *Eructauit cor meum ver-
bum bonum.* Foris ſcriptus eſt, cum filius dicit: *Deus Deus
meus, quare me dereliquiſti.* Intus ſcriptus eſt, cum ipſe
Pſal. 21. filius dicit: *Longè à ſalute mea verba delictorum meorum,*
Locus de- id eſt, longe à diuinitate iniuria humanitatis. Foris ſcri-
claratus ptus eſt cum Euangeliſta ait: *Liber generationis Ieſus*
v. 2.
Matt. 1. 1. *Chriſti, filij Dauid, filij Abraham.* Intus ſcriptus eſt, cum
Pſ. 109. 3. Pater dicit: *Ex vtero ante luciferum genui te.* Foris ſcri-
Ibid. 4. ptus eſt, cum Propheta dicit: *Iurauit Dominus, & non pœ-
nitebit eum, tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem
Melchiſedech.* Intus ſcriptus eſt, cum Euangeliſta dicit:
D
Ioan. 1. *In principio erat verbum.* Foris ſcriptus eſt, cum Eſaias di-
Iſa. 7. 14. cit: *Ecce virgo accipiet in vtero, & pariet Filium, & vo-
cabunt nomen eius Emmanuel.* Foris ſcriptus eſt, cum filius
Ioan. 14. dicit. *Qui me videt, videt & Patrem meum.* Intus ſcriptus
9. eſt, cum Matthæus dicit: *Chriſti autem generatio ſic erat.*
Matth. 1. *Cum deſponſata eſſet mater eius Maria Ioſeph.* Intus
18. ſcriptus eſt: *Inuenta eſt in vtero habens de ſpiritu Sancto.*
Quid vtique habens, niſi Verbum Deum: Verbum *carnem*
factum, in muliere *factum ſub lege.*

Foris ſcriptus eſt, cum Apoſtoli interrogati, quis eſſet
Mar. 16. Dominus dicerent; *Prophetam: alij Eſaiam, alij Iere-*
14. *miam; alij Iohannem Baptiſtam; alij autem vnum ex Pro-*
Ioan. 11. *phetis.* Intus ſcriptus eſt, cum Petrus exclamat: *Tu es*
43. *Chriſtus filius Dei viui.* Foris ſcriptus eſt, cum ad Laza-
rum lachrymatur, & vbi poſuiſſent eum interrogat. Intus
ſcriptus eſt, cum voce magna clamat: *Lazare veni foras.*
Ibid. Foris ſcriptus eſt, cum Martha dicit: *Domine, ſi fuiſſes
hic, frater meus non fuiſſet mortuus.* Intus ſcriptus eſt, cum
Dominus dicit: *Reſurget frater tuus.* Foris ſcriptus eſt,
cum Martha hæc dubitat credere, cum dicit: *Scio, quia* B
reſurget in reſurrectione in nouiſſimo die. Intus ſcriptus eſt,
cum Dominus dicit: *Ego ſum reſurrectio, & vita. Qui
credit in me, etſi mortuus fuerit; viuet.* Tunc cognouit Ioan. 11.
mulier ſapientiam, quæ latebat in libro. Exclamauit, vt 27.
Petrus, & dixit: *Credo Domine, quia tu es Chriſtus filius* Ioa. 9. 14.
Dei, qui in hunc mundum veniſti. Foris ſcriptus eſt, cum
cæcus tranſeuntem clamat, vt videat. Intus ſcriptus eſt,
cum ſtat. Foris ſcriptus eſt, cum ex ſputo lutum facit, &
linit oculos eius. Intus ſcriptus eſt, cum lauit, & vidit.
Foris ſcriptus eſt, cum Iohannes dicit: *Ecce agnus Dei.* Ioan. 1.
Intus ſcriptus eſt: *Ecce qui tollit peccata mundi.* Foris 29.
ſcriptus eſt: *Cuius non ſum dignus corrigiam calceamenti* Ibid 27.
ſoluere. Intus ſcriptus eſt: *Ego teſtimonium perhibeo, quia* Ioa. 8. 53.
hic eſt filius Dei. Foris ſcriptus eſt, cum Ieremias dicit: Iſa. 53. 7
Quaſi agnus manſuetus portatus ad victimam. Intus ſcri- Baruc. 3.
ptus eſt, cum idem dicit: *Hic eſt Deus noſter, & non æſti-* 36.
mabitur alius præter eum. Foris ſcriptus eſt, cum idem di- Baruc. 3.
cit: *Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuer-* 38.
ſatus eſt. Intus ſcriptus eſt, cum ipſe de ſe dicit: *Ego ſum* F
Alpha, & Omega, principium, & finis. Foris ſcriptus eſt, Apoc. 1.
cum idem dicit: *O Domine, ego ſeruus tuus, & filius an-* 8. & 21. 6.
cillæ tuæ. Intus ſcriptus eſt, cum ipſe dicit: *Sicut Pater* Pſal. 115.
ſuſcitat mortuos, & viuificat; ſic & filius, quos vult viui- 16.
ficat. Foris ſcriptus eſt, cum Pater dicit: *Ecce ſeruus meus,* Ioan. 5. 21.
ſuſcipiam eum. Intus ſcriptus eſt, cum filius dicit: *Omnia,*
quæ habet Pater, mea ſunt. Foris ſcriptus eſt, cum Filius ad Ioan. 16.
Patrem dicit: *De ventre matris meæ Deus meus es tu.* In- 15. & 17.
tus ſcriptus eſt, cum per Zachariam ipſe de ſe Filius di- 10.
cit, *Ecce ego mittam manum meam ſuper vos, & depræ-* Pſ. 21. 11.
dabuntur, qui deprædauerunt vos. Et ſcietis, quia ego ſum Zac. 2. 9.
Dominus Deus omnipotens. Et qui miſit me, Dominus om-
nipotens eſt. Foris ſcriptus eſt, cum ipſe Patri dicit: *Salua* Pſ. 21. 22
me de ore leonis. Intus ſcriptus eſt, cum ipſe io Euangelio Ioan. 17.
pro diſcipulis dicit: *Pater, volo, vt vbi ſum ego, & ipſi ſint* 24.
mecum. Non dixit; *Peto.* Foris ſcriptus eſt, cum in naui Matt. 14.
dormit. Intus ſcriptus eſt, cũ ventis imperat. Foris ſcriptus 20.
eſt, cum ieiunat, & eſurit: Intus ſcriptus eſt: cum de pau- G
ciſſimis, panibus multa millia hominum ſatiat. Foris ſcri-
ptus eſt, cum à Iudæis potator vini dicitur: Intus ſcri-
ptus eſt, cum de aqua vinum facit. Foris ſcriptus eſt, cum
dicit: *Pater maior me eſt.* Intus ſcriptus eſt, cum dicit: Ioan. 2.
Ego, & Pater vnum ſumus. Foris ſcriptus eſt, cum Pater Ioan. 10.
dicit: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene compla-* 28.
cui, ipſum audite. Intus ſcriptus eſt, cum Filius dicit: *Ne-* Ioan 10.
mo nouit filium, niſi Pater: Neque Patrem quis nouit niſi 30. Matth. 3.
filius; & cui Filius voluerit reuelare. Foris ſcriptus eſt, 17.
cum Eſaias dicit: *Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus veniet* Matt. 11.
tibi iuſtus, & Saluator, pauper, ſedens ſuper aſinum indo- 27 Eſa. 62.
mitum. Intus ſcriptus eſt, cum idem Propheta dicit: *Tunc* 11.
aperientur oculi cæcorum; & aures ſurdorum audient. Tunc Eſa. 35. 5.
*ſaliet claudus quaſi ceruus, & clauſa erit lingua balbo-
rum.* Foris ſcriptus eſt, cum ipſe per Ieremiam dicit:
Præuaricatione præuaricata eſt in me domus Iuda; negaue- Hier. 5.
runt me, & dixerunt. Non eſt ipſe. Intus ſcriptus eſt, cum 11.
dicit: *Si cognouiſſetis me, vtique, & Patrem meum cogno-* Ioan. 14.
uiſſetis. Foris ſcriptus eſt, cum per Eſaiam dicit: *Cognouit* 7. H
bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui: ſed Iſ- Eſa. 1. 3.
raël me non cognouit: & populus meus me non intellexit. Eccl. 24.
Intus ſcriptus eſt, cum per Salomonem dicit: *Ante om-
nem creaturam ego ex ore Altiſſimi proceſſi.* Foris ſcriptus Eſa. 53. 4.
eſt, cum Eſaias dicit: *Et nos putauimus eum, quaſi lepro-* Ibid. 7.
ſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum. Intus ſcriptus eſt,
cum idem Propheta dicit: *Oblatus eſt, quia ipſe voluit.
Generationem autem eius quis enarrauit?* Foris ſcriptus eſt,
cum Propheta dicit: *Radix Ieſſe, qui ſtat in ſignum popu-* Eſa. 11.
lorum. Intus ſcriptos eſt, cum dicit: *Ipſum gentes depre-* 10.
cabuntur. Foris ſcriptus eſt, cum Eſaias dicit: *Egredietur* Ibid. Eſa. 11. 1.
virga de radice Ieſſe: & flos de radice eius aſcendet. Intus
ſcriptus eſt, cum Angelus Virgini dicit: *Quod naſcetur* Luc. 1.
ex te ſanctum, vocabitur filius Dei. Foris ſcriptus eſt,
cum idem Angelus dicit: *Vocabitur nomen eius Ieſus.* In-
tus eſt, cum dicit: *Filius Altiſſimi vocabitur.* Foris ſcri-
ptus eſt: *Et dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid Patris* Luc. 1.
eius. Intus ſcriptus eſt: *Et regnabit in domo Iacob in æter-* 32.

A *num: & regni eius non erit finis.* Foris ſcriptus eſt, cum
Eſa.9.6. Eſaias dicit: *Paruulus natus eſt nobis.* Intus ſcriptus eſt,
cum ipſe dicit: *Filius datus eſt nobis.* Foris ſcriptus eſt,
cum dicit: *Et factus eſt principatus eius ſuper humerum
eius.* Intus ſcriptus eſt, cum idem dicit: *Et vocabitur no-
men eius admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis.* Foris ſcri-
ptus eſt, cum Propheta dicit: *Et requieſcet ſuper eum Spi-
ritus Domini. Spiritus ſapientiæ, & intellectus. Spiritus
conſilij, & fortitudinis. Spiritus ſcientiæ, & pietatis. Et re-
plebit eum ſpiritus timoris Domini.* Intus ſcriptus eſt, cum
Filius de ipſo Spiritu ſancto dicit ad Apoſtolos: *Accipite*
Ioan.20. *Spiritum ſanctum.* Foris ſcriptus eſt, cum ipſe filius dicit
23. Iudæis: *Si non veniſſem, & locutus vobis non fuiſſem, pec-*
Ioan.15. *catum non haberetis.* Intus ſcriptus eſt: *Qui me odit, odit*
22. *& Patrem meum.* Foris ſcriptus eſt, cum idem dicit Fi-
Ioan.15. lius: *Expedit vobis, vt ego vadam ad Patrem. Si enim non*
23. *abiero, paraclitus non veniet ad vos.* Intus ſcriptus eſt, cum
Ioan.15. dicit: *Mittam eum ad vos.* Foris ſcriptus eſt: *Ille me cla-*
7. *rificabit.* Intus ſcriptus eſt, cum dicit: *Ille de meo accipiet,*
B *& annunciabit vobis:* Foris ſcriptus eſt, cum dicit: *Pater*
Ioan.16. *venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te:*
14. *ſicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis: vt omne, quod dedi-*
Ioan.17. *ſti ei, det eis vitam æternam.* Intus ſcriptus eſt, cum dicit:
1. *Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te ſolum, & ve-*
Ibid.3. *rum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Foris ſcri-
ptus eſt, cum Angelis, & parentibus minoratur. Intus
Matth.4. ſcriptus eſt; cum Angelorum, & hominum Dominus in-
uenitur. Foris ſcriptus eſt, cum à diabolo tentaretur. In-
tus ſcriptus eſt, cum ei Angeli miniſtrant: Foris ſcriptus
eſt, cum eum mater eius, & fratres foris ſtantes videre
quærunt. Intus ſcriptus eſt, cum extendens manum ſuper
Matt.12. Apoſtolos, dicit: *Ecce mater mea, & hi fratres mei, qui fa-*
5. *ciunt voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt.*

Mar.13. Foris ſcriptus eſt, cum dicit: *De die autem, & hora illa*
12. *nemo ſcit, neque Angeli cœlorum neque filius, niſi ſolus*
Mat.20. *Pater.* Intus ſcriptus eſt, cum dicit: *Dies vltionis in cor-*
40. *de meo.* Foris ſcriptus eſt, cum filiis Zebedæi dicit: *Sede-*
C *re autem ad dexteram meam, non eſt meum dare vobis: ſed*
Matt.19. *quibus paratum eſt à Patre meo.* Intus ſcriptus eſt, cum
28. dicit: *Sedebitis ſuper thronos, iudicantes duodecim tribus
Iſraël.* Foris ſcriptus eſt, cum dicit pro diſcipulis: *Pater*
Ioan.17. *ſanctifica eos in veritate.* Intus ſcriptus eſt, cum dicit: *Et*
19. *ego pro eis ſanctifico meipſum: vt ſint & ipſi ſanctificati in
veritate.* Foris ſcriptus eſt, cum dicit: *Si quis ſitit, veniat
ad me, & bibat. Qui credit in me, flumina de ventre eius*
Ioa.7.37. *fluent aquæ viuæ.* Foris ſcriptus eſt, cum dicit: *Qui cre-
dit in me, non in me credit: ſed in eum, qui miſit me.* In-
Ioan.12. tus ſcriptus eſt, cum dicit: *Ego ſum lux mundi. Qui ſe-*
44. *quitur me non ambulat in tenebris: ſed habebit lumen vitæ.*
Ioa.8.12. Foris ſcriptus eſt, cum dicit: *Ego non iudico quemquam.
Eſt qui quærat, & iudicet.* Intus ſcriptus eſt, cum dicit:
Ioa.5.22 *Neque enim Pater iudicat: quemquam: ſed omne iudi-
cium dedit filio: vt omnes honorificent filium, ſicut hono-
rificant Patrem. Qui non honorificat filium, non honori-*
D *ficat Patrem, qui miſit illum.* Foris ſcriptus eſt, cum di-
Matt.10. cit: *Omnis, qui me negauerit coram hominibus, negabo*
33. *ego & eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt.* Intus ſcri-
Luc.12.8. ptus eſt, cum dicit: *Qui autem me confeſſus fuerit coram
hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui eſt*
Dan 7. *in cœlis:* Foris ſcriptus eſt, cum Daniel dicit: *Aſpicie-*
13. *bam, & ecce cum nubibus cœli, quaſi filius hominis ve-*
Ibid.14. *niebat.* Intus ſcriptus eſt, cum dicit: *Omnis populus, tri-
bus, ac lingua ipſi ſeruient. Poteſtas eius poteſtas æterna,
quod non auferetur: & regnum eius, quod non corrumpe-
tur.* Foris ſcriptus eſt, cum Eſaias dicit: *Ecce intelliget*
Eſa.52. *ſeruus meus.* Intus ſcriptus eſt, cum Dauid dicit: *Quis*
13. *in nubibus æquabitur Domino? aut quis ſimilis erit Deo*
Pſ.88.7. *inter filios Dei?* Foris ſcriptus eſt, cum ipſe per Salomo-
Prou.8. nem dicit: *Dominus creauit me in initio viarum ſuarum*
22. *a in opera ſua.* Intus ſcriptus eſt cum dicit: *Ante colles*
a F. ante *ego parturiebar.* Foris ſcriptus eſt, cum Apoſtolus Pau-
opera ſua. lus dicit: *Vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.* In-
Prou 8. tus ſcriptus eſt, cum ipſe Filius de ſe dicit: *Sic dilexit*
25. *Deus mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret; vt om-*
Rom.8. *nis, qui credit in eum, non pereat: ſed habeat vitam æter-*
29.
Ioa.3.16.

nam. Foris ſcriptus eſt, cum Paulus dicit: *Quia Deus* E
filio ſuo proprio non pepercit: ſed pro nobis omnibus tradi- Rom.8.
dit illum. Intus ſcriptus eſt, cum idem Apoſtolus de 32.
ipſo filio dicit: *Quod autem nunc viuo in carne in fide* Gal.2.
viuo filij Dei, qui dilexit me, & ſemetipſum tradidit pro 20.
me. Foris ſcriptus eſt, cum Filius de ſe dicit: *Non* Ioa.3.17.
*enim miſit Deus filium ſuum in mundum, vt iudicet mun-
dum: ſed vt ſaluetur mundus per ipſum.* Intus ſcriptus eſt, Gal.1.4.
cum Paulus dicit: *Gratia vobis, & pax à Deo Patre no-
ſtro, & Domino Ieſu Chriſto, qui dedit ſemetipſum pro
peccatis noſtris, vt nos eriperet de præſenti ſæculo nequam,
ſecundum voluntatem Dei, & Patris noſtri, cui eſt gloria in
ſæcula ſæculorum.*

Et qoia vna voluntas, & vna poteſtas eſt Patris, & Fi-
lij, & Spiritus ſancti, & Pater miſit Filium, ſecundum
quod minor eſt: & Filius ipſe ſe miſit, ſecundum quod
æqualis eſt: & Pater tradidit, & dedit Filium, ſecundum
quod minor eſt: & Filius tradidit, & dedit ſemetipſum,
ſecundum quod Patri æqualis eſt. Sed, vt loquebamur, F
foris ſcriptus eſt liber iſte, cum flagellatur & cæditur.
Intus ſcriptus eſt, cum infirmis ſanitatem præſtat. Foris
ſcriptus eſt, cum affigitur cruci. Intus ſcriptus eſt, cum
paradiſum latroni promittit in cruce. Foris ſcriptus eſt,
cum ſpiritum moriens ſecundum rationem humanæ car-
nis emittit. Intus ſcripeus eſt, cum in paſſione ſol fugit,
dies abſconditur, terra concutitur. Foris ſcriptus eſt, cum
ſepelitur. Intus ſcriptus eſt, cum tertia die ſepulchri limi-
nibus remotis erumpit in lucem. Foris ſcripeus eſt, cum
Apoſtolis clauorum, & lanceæ vulneribus oſtenſis, eſ-
cam etiam poſtulat. Intus ſcriptus eſt, cum inter eoſdem
Apoſtolos clauſis oſtiis apparet, qui intra ſe viſus non
fuiſſet.

Sed miro modo, cum interior ſcriptura libri magis
obſcura ſit, amplius hominum mentes turbat exterior. Et
videmus illa, quæ videri per hominem non poſſunt: iſta,
quæ poſſunt per hominem videri, noua ratione non vi-
dent. Nam & ipſi Manichæi in diuinitatem credunt: G
æqualem Deo Patri Filium, & eum veram carnem habe-
re non confitentur: & mira peruerſitate, quod vident ne-
gant: & quod non vident, confitentur. Inuiſibilem in
virtutibus recognoſcunt: viſibilem in homine, qood plus
poſſibile eſſe debuit, non agnoſcunt. Sic Elipandus cum
ſua doctrina, æqualem Deo Patri Filium confitetur in
Diuinitate, & eum Dei filium negat in humanitate: &
ſibi eum ſimilem deputat, & inſaniendo in tantam pro-
rupit peruerſitatem, vt nullam inter ſe, & hominem Dei
filium, Deum verum, differentiæ faceret diſtinctionem,
cum diceret: *Et ille Chriſtus, & nos Chriſti. Et ille ado-* 1.Io.3.1.
*ptiuus, & nos adoptiui. Et ille paruulus, & nos paruuli.
Et ille ſeruus, & nos ſerui: quia non per illum viſibilia &
inuiſibilia facta ſunt.* Mira peruerſitate incredulitatis eius
interiorem partem libri confitetur: & exteriorem partem
libri negare non erubeſcit, cum ex vtroque vnus ſit liber.
Et cum exteriorem partem libri negat, & interiorem
non habet. Quia nullus lector ſine libro intellectum in- H
terioris libri inuenire poteſt. Nam qui dicit, ſolum inte-
rior pars eſt liber, exterior non eſt: quid iſte vult dicere,
cum illa, quæ videt neget; & illa quæ non videt, con-
fingat; & aperta fronte Eccleſiam illudat? Sed non po-
teſt nos inludere, quia libri exteriorem partem nobis re-
linquit, & ille vacuus abſcedit. Ipſi & interiorem partem
libri habemus, qui exteriorem partem tenemus: cum
beatus Iohannes & inuiſibilem, & viſibilem librum in-
tus, & foris ſcriptum, id eſt, Deum, & hominem breui
quaſi charactere ſignauerit. Sic enim ait: *Quod fuit ab
initio, fratres, quod audiuimus.* Ecce libri illius interio-
rem partem. Aperi nunc oculos, & vide, quid ſequitur:
*Et vidimus oculis noſtris, & manus noſtræ palpauerunt de
Verbo vitæ.* Ecce libri pars exterior, quæ oculis, & ma-
nibus ſubiecta hominum & videri, & tractari poteſt.
Hanc partem libri exterioris Elipandus ignorat. Ille aper-
tus liber eſt in tantum, vt etiamſi totus mundus in eo vo-
luiſſet credere, etſi literas ignoraſſet, ſolummodo quia
eum imitatus fuiſſet, nullus perire poterat. Quod ſi men-
dacium dicimus, qui Apoſtoli ruſtici, qui in eo credide-

runt,

A

runt, & eum imitati ſunt, nullus ex eis periit, niſi vnus filius perditionis Iudas; qui eum non Deum, ſed hominem credidit. Nam cum Dominus diceret, & crimen

* *F. innueret: vel innuens in os mitteret.*

* in numeros mitteret, *vnus veſtrum me tradet*, vt, quem remorderet conſcientia, pœnitentiam ageret, omnes tremefacti dixerunt: *Nunquid ego ſum Domine?* Et hoc Petrus dixit: *Nunquid ego ſum Domine?* Iacobus dixit: *Nunquid ego ſum Domine?* Ioannes dixit: *Nunquid ego ſum Domine?* Sic & cæteri dixerunt.

Mat. 26. 22.

Iudas vero quantum erat ſuperbus, & elatus, deſpectum habuit Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Noluit dicere, *Domine:* ſed dixit: *Nunquid ego ſum, rabbi? Nunquid ego ſum magiſter?*

Matt. 26. 25.

Apertè apparet, quod non Chriſtus in eo habitabat: ſed ille, qui dixit: *In cœlum aſcendam, ſuper altitudinem nubium ponam thronum meum ab Aquilone; & ero ſimilis altiſſimo.*

Eſa. 14. 14.

Cum deſpectum habuit dicere Domino Deo, *Domine*, ſicut cæteri dixerunt: ſed dixit: *Nunquid ego ſum magiſter?* Videat oculis ſuis miſellus virtutes, & mirabilia, quæ fecerat Dominus, & eum Dominum negabat ad faciem.

B

Videat Eccleſia, ne fortè & Elipandus de ipſa doctrina ſit, qui deſpectum habet hominem dicere Deum. Si Deus ſeruus eſt, ergo totius Trinitatis ſeruus eſt: quia Trinitas ipſe eſt Deus. Si Trinitatis ſeruus eſt, vbi habet filium Dei, qui natus eſt de Virgine, quem Angelus annuntiauit Virgini dicens: *Ecce concipies, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum. Hic erit magnus, & filius Altiſſimi vocabitur.*

Luc. 1. 31.

Ecce Ieſum filium altiſſimi Patris, non filium Spiritus ſancti, non filium filij quomodo eſt tecum ſeruus? Tu ſi ſeruus es, totius Trinitatis ſeruus es, id eſt, *vni* Deo, quia tota Trinitas vnus Deus. Et Pater Deus eſt: & Ieſus filius eius, qui de Virgine natus, Deus eſt, & ipſa tertia in Trinitate perſona, Spiritus ſanctus Deus eſt. Ecce Trinitatem expreſſam, & tres perſonas propriè ſibi ſubſiſtentes. Ieſus Chriſtus, qui de Virgine natus eſt, non ipſe Pater, nec Spiritus ſanctus. Solus ipſe dixit: *Pater clarifica filium tuum.* Hoc non dixit Pater, neque Spiritus ſanctus.

Ioa. 17. 1.

C

Solus Pater reſpondit Filio: *Et clarificaui, & clarificabo.* Hoc non reſpondit Filius, nec Spiritus ſanctus. Solus Spiritus ſanctus ſuper Ieſum baptizatum apparuit, non Pater, neque Filius. Et hi tres vere tres, quia vnum ſunt, natura ſcilicet, non perſona. Et ille Deus, & ille Deus, & ille Deus. Et ille omnipotens, & ille omnipotens. Quomodo nunc & ille ſeruus Dei, & tu ſeruus Dei, & ambo vnum Deum habetis: Si ita credis, vt dicis, non Deum omnipotentem, ſed conſeruum tuum Ieſum confiteris; aut certe te exaltas, vt quartus omnipotens ſis: aut certè eum humilias, vt ſimilis tui ſit.

Sed licet humilis tibi æſtimetur, non poteſt tibi eſſe ſimilis, quia & ipſa conceptione humana, multum diſſimilis tibi eſt. Ille conceptus de Spiritu ſancto, non de virili ſemine, ſolus ſine peccato. Tu vero de virili ſemine, de maſſa perditionis, & concupiſcentia vtrorumque parentum. Et natus de muliere in peccatis conceptus, & in peccatis natus. Ille inter homines ſolus natus de Virgine, & ſolus ſine peccato conceptus, & ſolus ſine peccato natus.

D

Ille ſolus plenus Spiritu ſancto: tu fortaſſe aut ego aut quilibet, ſi accepimus, de ipſo accepimus. Quia ſic ille accepit, vt nos omnes de illo accipiamus: Ille ad plenitudinem, nobis vero, quantum dare iubet.

Sed tu dicis: Ego quod dico, tantum de homine dico. Et ego nunc quod dixi, tantum de homine dixi. Sed neque in quo homo eſt, nullus Angelorum ſimilis ei eſt, ſed neque homo, qui de muliere natus eſt. Dictum eſt de Iohanne, quod *magnus erit coram Domino.* Dictum eſt de Chriſto: *Hic erit magnus*, ſed non coram Domino, quia ipſe Ieſus eſt magnus Dominus noſter, & magna virtus eius: & *ſapientia eius non eſt numerus.*

Luc. 1.

Quomodo poterit eſſe Ieſus Chriſtus, cum Chriſtis: & adoptiuus cum adoptiuis? paruulus cum paruulis: & ſeruus cum ſeruis? Tanta controuerſia, interiorem partem libri vnius, quod eſt incomprehenſibile, & inuiſibile comprehendere: & quod eſt viſibile, & comprehenſibile, non videre; ſed publicè negare. O cæcitas! O ignoratio veritatis! O nimiam elationem, & ſui damnandam præſumptionem! Iſti ſunt, qui Deo ipſi ſe præferunt ſic credendo.

E

Et ſi iſti in carne conſtituti, adhuc expectant reſurrectionem, & ſpiritualiter ſe viuere profitentur, qui tantum homines ſunt, & à Deo facti ſunt: & iſta poſſint habere, poſt mortem a Deo acceperunt: & Deum ſe hominem facere potuiſſe, non credunt. Minor enim ſine dubio ab iſtis Deus eſt, ſi quod iſti poſſunt, ille non potuit. Nam ſi iſti poſſunt in carne conſtituti alienam capere naturam, cur ille in carne poſitus ſuam ſeruare non poſſet? videlicet, vt ſemper Deus ſit? nec corruptelæ admixtus carnis humanæ incipiat eſſe corruptus. Mira diſputatio veritatis, dum vult Deum honorare, diiudicat. Maioris enim virtutis eſt obtinere interna ſubſtantia Deitatem, quam Deum ſpiritualiter in Deitate durare. Quid ergo mirabor in Deo, niſi quod cum homo eſſe dignatus ſit, tamen in homine, quod Deus eſſet, apparuit: Hoc eſt mirabile: Hoc eſt ſingulare. Nam hominem tantum credere; nihil eſt admirandum: quia omnes homines tantum homines ſunt. Et ideo mirabile non eſt, quia vnus alterum de ſe intelligit, quod tantum homo ſit.

F

Sed hoc eſt Chriſtianis mirabile, quod homo Deus verus eſt Ieſus, ſecundum Prophetæ dictum, qui ait: *Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris.*

Pſal. 117. 22.

Non quod iſte deſtitit eſſe, quod fuerat: ſed quod carnem fecit eſſe quod Deus eſt, & verè homo, qui de Virgine natus eſt, ipſe eſt Ieſus Dei filius, qui ſub Pontio Pilato eſt crucifixus, & ſepultus, ex vtraque natura; non duo, ſed vnigenitus eſt Dei filius. Et ipſe, qui eſt vnigenitus Dei filius, ipſe eſt *primogenitus in multis fratribus.*

Rom. 8. 29.

Et quia vnigenitus, & primogenitus duæ naturæ ſunt, ſed propter ſusceptorem ſuum vnigenitum Deum, & ipſe homo vnigenitus dicitur, quia in eo eſt vnigenitus.

Denique diuerſitas diuerſarum naturarum in locutione Euangeliorum oſtenditur. Fidei igitur noſtræ non conuenit, vt credamus, quod Ieſus mentiatur: quia ſine dubio eſt veritas.

G

Et ex vtraque natura ipſe confitetur: & ab ipſius ore didicimus, quod dicimus. Et vtraſque naturas ipſe ſibi proprio ore manifeſtauit. Dicit pro Diuina: *Ego ſum.* Dicit pro humana: *Ego ſum.* Nonnunquam dicit: *Ego & pater vnum ſumus*; diuina eſt. Cum vero dicit: *Ego ſum via.* Et: *Ego in nomine Patris mei veni, & non me recepiſtis*, humana eſt. Et in illa de ſe dixit. Sic & cum dixit: *Qui me miſit, mecum eſt, neque me dereliquit.* Et alio loco: *Deus Deus meus, quare dereliquiſti me?* Et in illa dicit: *Qui me miſit*, Et in illa dicit: *Quare me dereliquiſti?* In ambas naturas *me*, & *me*. Nam cum dicit: *Nec me dereliquit*, diuina eſt. Cum autem dicit: *Me dereliquiſti*, humana eſt.

Exod. 3. 6.
Ioan. 10. 30.
Ioan. 14. 6.
Ioa. 5. 43.
Ioa. 8. 29.
Pſ. 21. 1.
Ioa. 8. 29.
Matt. 27. 46.

Quia Deus hominem ſuſceperat: & ipſe homo mori habebat. Et Diuinitas, quæ vita erat, exul erat à morte. Ideo per mortem crucis relinquendus erat vſque ad reſurrectionem ipſius. Non quod diuinitas relinqueret carnem ſuam, ſed quod non moritura erat cum carne ſua. Quia ſic in ſepulchro carnem ſuam commanendo * deſeruit, ſicut in vtero Virginis connaſcendo formauit.

H

* *Videtur deeſſe negatio. Non.*

Fidei ergo noſtræ ſi conuenit, vt homo filius dicat: *Quare me dereliquiſti.* Et Deus filius, qui cum Patre æqualis eſt, dicat: *Qui me miſit, mecum eſt: nec me dereliquit.*

Matt. 27. 46.
Ioa. 8. 29.

Et cum ex vtroque vnus ſit filius, cauendum eſt, ne aliquis dicat: *homo mortuus*, & Deus eum excitauit. Hoc illi dicunt, qui ſecundum carnem eum prædicant adoptiuum: & ſecundum diuinitatem, proprium. Sed ipſe Dominus mendaces eos redarguit, cum Iudæis dixit: *Soluite templum hoc, & in triduo ſuſcitabo illud.* Non dixit: Soluite templum, quod Pater ſuſcitet: ſed *Ego ſuſcitabo illud*: quia non eſt alius, qui moritur: & alius per quem mortuus reſurgit: ſed ipſe vnus mortuus eſt Chriſtus. Et ipſe mortuus, & ipſe ſemper viuus: quia ex vtroque vnus eſt liber intus, & foris ſcriptus.

Ioa. 2. 19.

Foris ſcriptus eſt, cum ipſe per Dauid dicit: *Ego dormiui, & quieui.* Intus ſcriptus eſt, cum ipſe dicit: *Et ego reſurrexi.* Foris ſcriptus eſt, cum ipſe de Patre dicit: *Quoniam Dominus ſuſcitauit me.* Quia & Pater eum ſuſcitauit? in

Pſal. 3. 6.
Ibid.
Act. 13. 30.

quo

A quo minor eſt Patre. Et Filius ipſe ſe ſuſcitauit; in quo
æqualis eſt Patri. Sicut & ipſe ſe miſit, in quo æqualis eſt
Ioan 17. 18. Patri. Et *Pater eum miſit* in hunc mundum, in quo mino-
Pſal.8.6. ratus venit *paulo minus ab Angelis*. Sic & cætera huiuſ-
modi ſimilia debet ſcrutator ſanctarum Scripturarum in-
terpretari teſtimonia, vt ex vtraque ſubſtantia nunquam
diuidat perſonam. In Domino igitur Ieſu Chriſto Deo &
homine auctore, ac redemptore noſtro ſicut vnam abſque
dubitatione perſonam: ita duplicem conſtat eſſe ſubſtan-
tiam: quam ſermo Diuinus ſingulariter in Lege diſtin-
guens, ita loquitur ad Iudæos, cum ritum carnalium ſacri-
ficiorum cum myſticis, ac ſpiritualibus traderet Sacra-
Exod.12. 9. mentis: *De agno cum capite, & pedibus comedetis, & inte-
ſtina eius vorabitis.* Ad hæc ſi exteriorem literæ ſonum
interroges, aut intelligis, indignum tantæ maieſtatis præ-
cepto fuit, vt viliſſimos edacis populi cibos caput cum
pedibus coniungi, & inteſtina purgari Spiritus ſanctus
ordinaret. Et ideo nunc inteſtina ipſa, id eſt latentia inter-
B rogemus. Sub literæ carne myſteria Agnus ille eſt abſque
Ioa.1.29 dubio de quo Iohannes Baptiſta pronuntiat. *Ecce agnus
Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* In quo agno per caput
diuinitatem, per pedes humanitatem oportet intelligi. Da
in ſymbolo capitis eminentiam. *Credo*, inquit, *in filium
eius Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Da terrenam in
pedibus humilitatem: *Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto,
Natus ex Maria Virgine. Paſſus ſub Pontio Pilato, Cruci-
fixus, & ſepultus.*

De quibus abſque dubio pedibus, ſapientia Salomonis
Sap.15. inſinuat: *Et figulus*, inquit, *pedibus vertens rotam.* Et quid
eſt *figulus*, niſi ille, qui nos de terræ plaſmator limo eſſe
iuſſit ex nihilo? Quid *pedibus*, niſi aſſumpti hominis diſci-
plinis, orbem totum ad ſalutaria inſtituta conuertit? De
Pſ.76.19. qua *rota* in Pſalmo legimus: *Vox tonitrui tui in rota*, id
eſt, per totam mundi vox Euangelij procurrit. De qua hu-
mana ſubſtantia in ſexageſimo Pſalmo: *Vt intingatur pes
tuus in ſanguine: lingua canum tuorum ex inimicis ab ipſo.*
Pſ.60.24. *Vt intingatur*, inquit, *pes tuus*, id eſt, homo aſſumptus in
C ſanguine. Non enim natura cœleſtis, crucis ſenſit iniu-
riam: ſed per conditionis humanæ in ſanguine paſſionis
intinctus eſt. In illo enim patibulo, nihil pertulit Deus pa-
tientis ſenſu: ſed pertulit compatientis affectu. Nihil per-
tulit pro diuerſitate, ſed pro vnitate perſonæ. Nihil Deus
pro infirmitate paſſus eſt: ſed pro dignatione compaſſus
eſt: Qui tibi eſurienti alimoniam porrigens, per Euange-
Matt.25. 35. lium clamat de cœlo: *Eſuriui, & dediſtis mihi manducare,
ſitiui, & dediſti mihi bibere.* Quia caput ſe in membris ſuis
paſci, atque veſtiri pro perſonæ, vt diximus, vnitate pro-
Pſ.67.24. nuntiat. *Vt intingatur*, inquit, *pes tuus in ſanguine: lingua
canum tuorum ex inimicis ab ipſo.*

Quando, vel quomodo lingua canum Chriſti tincta ſit
ſanguine, ſcire debemus. Canes itaque Iudæi ſunt, qui
contra veritatem blaſphema voce latrabant. Quorum lin-
gua canum tunc abſque dubio ſanguine tincta eſt Salua-
Matt.26. 25. toris, quando furente in ſe diabolo clamauerunt: *Sanguis
eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros.* De quo Dei ſanguine
D ſub certo Dei hominiſque diſcrimine, in Apoſtolorum
Act.20. 28. Actibus legimus: *Attendite vobis, & vniuerſo gregi veſtro;
in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Apoſtolos regere Eccle-
ſiam Dei.* Et cuius Dei Eccleſiam ſubſequens ſermo de-
Ibid. monſtrat, ita dicens: *Quam acquiſiuit ſanguine ſuo.* Apertè
hic nomine Deitatis & ſanguinis, cœleſtia, & humana ſo-
ciauit. Ecce agnum figuraliter Chriſtum pronuntiat ſcri-
ptura Sacra. Et in *capite* agni diuinitatem Chriſti, & in
pedibus agni humanitatem Chriſti intelligere Spiritus
ſanctus præordinauit. Et vnus agnus, qua temeritate diui-
ditur a te? Si ſecundum caput eſt alter agnus & ſecundum
Ioa.1.29. pedes alter, quomodo eſt vnus *agnus, qui tollit peccata
mundi?* Nam ſi diuidis eum, iam nec duo agni ſunt? nec
vnus. Iam in hoc agno non poteris illudere Eccleſiam
Dei. Apertè lupus apparuiſti, quia agnus te ſuperauit. Ag-
nus iſte vires tuas confregit. Agnus iſte prædam, quam te-
nebas, excuſſit: & argumentationes Philoſophiæ tuæ, ſim-
plicitatis ſuæ innocentia omnino deleuit. Iſte eſt agnus
immaculatus, qui quotidie, vt beatus *Andreas* ait, in alta-
re crucis ſanctificatur. Cuius carnes poſteaquam omnis
populus credentium manducauerit, & eius ſanguinem bi- E
berit, agnus, qui ſacrificatus eſt, integer perſeuerat, & vi-
uus. Et cum verè ſacrificatus ſit, & verè carnes eius ſint Luc.1.
manducatæ à populo, & verè ſanguis eius ſit hauſtus: ta-
men, vt dixi, integer manet, & immaculatus, & viuus. Tu
vero, ſupra quam feciſti, non diuidas agnum.

Sed ſi vis diſcere, quomodo quotidie occiditur, aut quo-
modo caro eius quotidie comeditur, & ſanguis eius bibi-
tur & quotidie viuit occiſus; aſſume formam diſcipuli, vt
poſſis doceri, quod quæris. Quod ſi hoc abuſiuè, vt con-
ſuetus es, tuleris; non agnum, ſed temetipſum diuidis. Nam
cum hunc agnum Eccleſia in medium protulerit; & tu di-
xeris, adoptiuus eſt ſecundum pedes, & nequaquam ſe-
cundum caput, iam hic illuſio tua non valebit. Quare?
Quia vna perſona, & vnus agnus non poterit ex parte
eſſe proprius filius, & ex parte adoptiuus: Id eſt, ex parte
filius, & ex parte non filius: Et ex parte Deus, & ex parte
non Deus. Non diuidas: Non rumpas: Non ſcindas. Om-
nibus integer abundat. Omnibus ſolus ſufficit. Et tamen F
licet diuidere coneris, cum diuidere non poteris. Inſepara-
bilis vnitio eſt. Talis facta eſt illa ſuſceptio, quæ Deum
hominem fecit, & hominem Deum, & ex vtroque vnum
Chriſtum. In his duobus ſubſtantiis venturum ad terram
Deum, Eſaias Propheta eximius proteſtatur: *Rorate cœli* Eſa.45.8
deſuper, & nubes pluant iuſtum. De homine vero mox ſub- Ibid.
didit: *Aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Quia vti-
que in Mariæ Virginis corpore, mundiſſimam terram cœ-
leſti germine fœcundauit. Beatus quoque Iob, qui non ſo-
lum adeſſe præſentiam Redemptoris, ſed etiam paſſionis
præſignauit, ita dicit: *Rurſum circumdabor pelle mea, & in* Iob.19. 26.
carne mea videbo Dominum. Quæ ſententia duplicis intel- *Locus Iob*
ligentiæ luce præfulget, id eſt, in Chriſto, & Eccleſia Iob *ex c.19. de*
præfigurauit Eccleſiam: & in carne ſua repromittit reſur- *Chriſto*
gere: & Deum hominem factum in carne ſua, qua ipſe *declaratus.*
erat, cognoſcere. Quia ſicut caro Iob, nullus alter erat, niſi
Iob: ita caro Dei verbi, nullus alter erat, niſi Deus. *In carne* Iob.19.
mea videbo Dominum: Id eſt, in carne, in qua ſum, in ea re- 26.
ſurrecturus ſum. Hoc enim ſequens ſermo confirmat, di- G
cens: *Quem videbo ego ipſe, & non alius, & oculi mei conſpe-* Iob.19.
cturi ſunt. Hoc in ſua perſona de tota Eccleſia dixit; quod 27.
futurum adhuc poſt reſurrectionem erit. De Chriſto vero,
quod ſuam carnem in eo recognoſceret, & carnem & di-
uinitatem vnum Chriſtum Deum agnoſceret, ſuperior in-
tellectus hoc continet, quod *in carne ſua*, id eſt, in fragili- Iob.19.
tate conditionis ſuæ, hominem Deum videret. 26.

Hanc ergo diuerſitatem ex hoc quoque intelligere
apertum eſt. Alia eſt enim illa natiuitas, vel natura, in qua *Duæ Chriſti*
iuxta Apoſtolum, *factus ex muliere, factus ſub lege*: Alia, qua *natiuitates.*
in principio erat Verbum, Deus apud Deum. Alia, qua crea-
tus ex Maria humiliatur in terris. Alia, in qua ſine initio Gal.4.4.
manens, creauit cœlum, & terram, ſecundum quam regu- Ioan.1.1.
lariter intelligitur *Chriſtus*; quæ omnia quidem ipſe eſt
per ſimilitudinem: ſed non omnia ipſe eſt per proprie-
tatem.

Trahit enim nominum ſpecies de inferioribus rebus, vt *Chriſtus*
facilius intelligatur. Dicitur enim modo. *Leo*, modo *ag-* *in ſacris*
nus, modo *panis*, modo *vitis*. Sic & cætera, id eſt, *flos*, *via*, *literis*
oſtium, *petra*, *mons*, *lapis angularis*, *lapis offenſionis*, *Funda-* H
mentum, *ouis*, *aries*, *hædus*, *vitulus*, *ſerpens*, *vermis*, *aquila*. *variis*
Hæc omnia Chriſtus ſecundum ſimilitudinem intelligen- *nominibus*
dus eſt, non per proprietatem. Proprietatem, ſi quæras à *appellatus.*
me, quid ſit Chriſtus, Deus, & homo eſt vna perſona. Quia
in principio erat Verbum; & Verbum erat apud Deum, & Ioan.1.1
Deus erat Verbum. Ecce ſuam proprietatem.

Si quæras à me de eius Incarnatione, dicimus ſuam
proprietatem. Filius vnicus eſt de Patre in æternum ab
æterno genitus, æqualis gignenti, per quem facta ſunt
omnia: cum Patre incommutabilis: & accepta forma ho-
minis non mutatus. Ex incarnatione *filius hominis*, & *filius
Dei*. Hoc totum, quod dixi, non ſimilitudo, ſed res eſt: Id
eſt, per proprietatem Chriſtus Dei filius eſt. Nam illa, *Chriſtus*
quæ ſupra memorauimus, ſimilitudines Chriſti ſunt, non *per ſimi-*
ipſe Chriſtus eſt. Per ſimilitudinem Chriſtus multa, eſt quæ *litudinem*
per proprietatem non eſt. Si autem proprietates diſcutias *multipliciter ap-*
rerum, quas videre conſueuiſti, nec leo eſt Chriſtus, quia *pellatur.*

fera

(A) fera non eſt. Nec agnus eſt, quia pecus non eſt. Nec panis, quia de herba natus non eſt. Nec vitis, quia arbor non eſt. Nec flos, quia ſemen herbæ non eſt. Nec via, quia animalia bruta per eum non ambulant. Nec oſtium, quia non eum faber fecit. Nec mons eſt, quia ſylua non eſt. Nec petra eſt, quia durus, & ſine ſenſu non eſt. Nec lapis angularis eſt, quia non ab inſtructore compoſitus eſt. Nec lapis offenſionis eſt, quia non viam occupauit. Nec ouis eſt, nec aries, quia pecus cornutum non eſt. Nec hædus eſt, quia de capra non eſt. Nec vitulus, quia de vacca non eſt. Nec ſerpens, nec vermis eſt, quia reptile non eſt. Nec aquila eſt, quia volatile non eſt. Dicitur & paſtor per ſimilitudinem, & liber: ſed paſtor non eſt, quia cuſtos ouium quadrupedum non eſt. Nec liber eſt, quia non ex pellibus ouium ab ſcriptore compoſitus eſt. Sic & cætera huiuſmodi ſimilia, quæ per iſta parua prudens lector in- (*ſ queat.) telligere * quærat, quid ſit Chriſtus per proprietatem, aut quid intelligatur per ſimilitudinem.

(B) (*Chriſti appellationes myſticè declarata.*) Nam leo dicitur pro regno, & fortitudine. Agnus, propter innocentiam, quia manſuetus venit. Dicitur enim panis, quia caro eſt. Vitis, quia ſanguine ipſius redempti ſumus. Flos, quia electus eſt. Via, quia per ipſum ad Deum imus. Oſtium, quia per ipſum ad Deum ingredimus. Mons, quia fortis. Petra quia firmitas eſt credentium. (Epheſ. 2.) Lapis angularis, vel quia duos parietes * *edrocise*, (* *Videtur à διατάσσω, quod eſt adminiſtro, rego, ordino, diſpono deriuaſſe, ſed numero, & latinis characteribus, adiecit.*) id eſt, Iudaïcum populum, & Gentilem ad fidem venientes, in vnam fabricam Eccleſiæ iungit: vel quia pacem in ſe Angelis, & hominibus facit. Lapis offenſionis dicitur quia veniens humilis offenderunt in eum Iudæi, vel increduli homines, & factus eſt *petra ſcandali*, ſicut dicit Apoſtolus: *Iudæis quidem ſcandalum*. Fundamentum autem ideo vocatur, quia fides in eo firmiſſima eſt, vel quia per eum Eccleſia Catholica conſtituta eſt. Ouis propter patientiam. Aries propter principatum. Hædus propter ſimilitudinem carnis peccati. Vitulus pro eo, quod pro nobis eſt immolatus. Serpens pro morte, & ſapientia.
(C) Vermis, quia reſurrexit. Aquila, quia poſt reſurrectionem
(1. Cor. 1. 23.) ad aſtra remeauit. Paſtor, quia cuſtos hominum. Liber,
quis in eo ſunt *omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſ-*
(Coloſ. 2. 3.) *conditi*. In ſapientia intelligimus omnis *plenitudo diuini-*
(Coloſ. 2. 9.) *tatis*, id eſt, ſua & Patris, & Spiritus ſancti. In ſcientia intelligitur omnis plenitudo humanitatis noſtræ, quam ipſe ſolus Filius ſuſcepit ex Virgine, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Nam cum plerique legunt hunc librum, & omnes audiunt, multi multa de eo ſuſpicantur, & diuerſa intentio eſt. Et porro pauci intelligunt, nec intelligent omnes impij. Porro docti intelligent, quia clauſus liber eſt, & ſignatus, & publicè, & manifeſtè apertus. Et niſi ſeipſe expoſuerit, nullus eum poterit intelligere incredulus. Credentibus enim aperitur; & non credentibus clauditur. Hinc per Danielem dicitur:
(Dan. 12. 4.) *Claude ſermonem, & ſigna librum*. Per Iohannem quoque
(Apoc. 10. 4.) in Apocalypſi, in prima parte libri dicitur: *Signa quæ locuta ſunt ſeptem tonitrua*. Et ne ea ſcripſeris. In fine vero
(Apoc. 22. 10.) libri ait: *Ne ſignaueris verba prophetiæ libri huius*. Quid
(D) hoc eſt, niſi quod appropinquante mundi fine, ſuperna
(Dan. 12. 4.) ſcientia aperitur, & proficit, & latius cum corpore excreſcit?

Hinc namque per Danielem dicitur: *Pertranſibunt*
(Apoc. 10. 4.) *plurimi, & multiplex erit ſcientia*. Iam & ſicut ſupra diximus, Iohanni in propria parte reuelationis Angelus dicit:
(Apoc. 22. 10.) *Signa, quæ locuta ſunt ſeptem tonitrua*. Cui tamen reuelationis eiuſdem fine præcipit, dicens: *Ne ſignaueris verba prophetiæ libri huius*. Ecce librum, & ſignatum, & clauſum & reuelatum, manifeſtum, atque apertum, & non ſignatum. Pars quippe reuelationis in capite libri ſignari præcipitur; finis vero libri ſignari prohibetur. Quia quidquid in S. Eccleſiæ prædicatione in primordio latuit, finis quotidie oſtendit. Quia ſicut vniuſcuiuſque hominis ab infantia vſque ad ſenectutem ætas deſcribitur. Paruula quippe tunc erat, cum à natiuitate recens, verbum vitæ
(Cant. 8. 8.) prædicare non poterat. Hinc enim de illa dicitur: *Soror noſtra paruula eſt, & vbera non habet*; quia nimirum ſanctæ Eccleſiæ, priuſquam proficeret per incrementa virtutis, infirmis quibuſque auditoribus præberi non potuere

(E) vbera prædicationis. Adulta vero Eccleſia dicitur, quando Dei verbo copulata, repleta ſancto Spiritu, prædicationis myſterium in filiorum conceptione fœtatur: quia quos exhortando concipit, in conuertendo parit. De hac eius
(Cant. 1. 3.) ætate Domino dicitur: *Adoleſcentulæ dilexerunt te*. Vniuerſæ quippe Eccleſiæ, quæ vnam catholicam faciunt, adoleſcentulæ vocantur. Non iam vetuſtæ per culpam: ſed nouellæ per gratiam: Non ſenio ſteriles, ſed ætate mentis ad ſpiritualem congruæ fœcunditatem. Tunc ergo cum in diebus illis Eccleſia quaſi quodam ſenio debilitata, per prædicationem filios parere non vult. Reminiſcitur fœ-
(Iob. 29. 4.) cunditatis antiquæ, dicens illum Iob verſiculum: *Sicut fui in diebus adoleſcentiæ meæ quando ſecreto Deus erat in tabernaculo meo*. Quamuis poſt eoſdem dies, quibus deprimitur, iam tamen circa ipſum finem temporum grandi prædicationis virtute roboratur. Nam ſuſceptis ad plenum Gentibus, omnem Iſraëliticum populum, qui tunc inuen-
(Rom. 11. 25.) tus fuerit, in fidei ſinum trahit. Scriptum quippe eſt: *Donec plenitudo Gentium intraret: & ſic omnis Iſraël ſaluus*
(F) *fieret*.

Sed ante illa tempora erunt dies, in quibus ab aduerſariis paululum videtur oppreſſa, cum & dies adoleſcentiæ
(Iob. 29. 4.) reminiſcitur, dicens: *Sicut fui in diebus adoleſcentiæ meæ, quando ſecreto Deus erat in tabernaculo meo*. Quid in hoc loco *tabernaculum*, niſi ſecretum mentis, niſi quietudo animi, niſi vita contemplatiua ſine perſecutione aliqua? Attamen cum in fine ſæculi cœperit Eccleſia perſecutionibus fluctuare, quietudinem mentis habere non poterit. Tunc reminiſcitur illud, quod per ſemetipſum veritas in
(Matt. 24. 24.) Euangelio dicit: *Surgent Pſeudochriſti, & Pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna, & prodigia, ita vt in errorem mittantur, ſi fieri poteſt, etiam electi*. Nunc autem fideles noſtri mira faciunt, cum peruerſa patiuntur: tum autem &
(*ſ Antichriſtus.*) peruerſa patiuntur ſancti, & miracula non faciunt. Tunc vero prædicatores Antichriſti, id eſt, hæretici, etiam cum peruerſa inferunt, mira facturi ſunt. Proinde nos admonet,
(Matt. 24. 26.) dicens: *Si ergo dixerint vobis: Ecce in deſerto eſt Chriſtus, nolite exire. Ecce in penetralibus, nolite credere*. Ac ſi apertè
(G) diceret. Si quis promiſerit vobis, quod in deſerto Gentilium, & in Philoſophorum dogmate Chriſtus moretur, aut in hæreticorum penetralibus, qui Dei pollicentur ſecreta,
(Ibid.) *nolite exire, nolite credere*: ſiue quia perſecutionis, & anguſtiarum tempore, ſemper Pſeudoprophetæ decipiendi inueniunt locum. Si quis ſub nomine Chriſti ſe iactare voluerit, non ſtatim accommodetis fidem. *Sicut enim fulgur*
(Matt. 24. 27.) *exit ab Oriente, & paret vſque in occidente, ita erit & aduentus filij hominis. Nolite exire, nolite credere*, quod filius hominis, vel in deſerto Gentium ſit; vel in penetralibus hæreticorum: ſed quod ab Oriente vſque ad occidentem fides eius, quæ ab Apoſtolis tradita eſt, in Catholicis Eccleſiis fulgeat.

Nam & hoc prætermittendum non eſt ſed coram omni Eccleſia tam ſapientibus, quam ruſticis prædicandum, quod ſecundus aduentus Saluatoris, non in humilitate, vt prius; ſed in gloria demonſtrandus ſit. Stultum eſt itaque eum paruo loco, vel in abſcondito quærere qui totius
(H) mundi lumen eſt. De ipſo enim legimus. *Deus manifeſtè*
(Pſ. 49. 2.) *veniet, Deus noſter, & non ſilebit. Ignis ante ipſum ardebit,*
(Pſ. 96. 3.) *& in circuitu eius tempeſtas valida*. Intellige & hic vtriuſque ſubſtantiæ proprietatem in veritate aſſumpti corporis venturus creditur, & Deus vocabitur. Adfuit infirmitate
(Pſ. 96. 3.) abſconditus; aderit in virtute manifeſtus. *Ignis*, inquit, *ante eum ardebit; & inflammabit in circuitu inimicos eius*. Cum talis reuerentiâ præſentis erit futura, putas qualis erit forma ſententiæ? Ille quidem redditurus eſt quod promiſit: ſed exacturus eſt, quod redemit.

Et ideo totis per adiutorium ſuum viribus enitamur, vt quidquid contulit iudicatus, integrum in nobis inueniat iudicaturus. Et ideo ſi cum fide, cum iuſtitia, cum miſericordia, cum charitate, & cum caſtitate viuentes in eius timore manſerimus, magnum iam munerum ſuorum pignus tenemus. Dabit abſque dubio regnum ſuum. Dabit quæ ſua ſunt nobis, qui ſeipſum dignatus eſt offerre pro nobis. Amen.

A

LIBER SECVNDVS.

DE CHRISTO,

ET EIVS CORPORE,

QVOD EST ECCLESIA:

Et de diabolo, & eius corpore.

Quod eſt Antichriſtus.

B * F. docti. ab. vel propter.

SCRIPSIMVS * crimina tua, quibus nos hæreticos, & ignaros fidei, atque Antichriſti diſcipulos pronuntiare non ceſſas, hunc apologeticum; non Panegyrico more adlecutionis mendacij, nec obſcuritatibus fumoſorum eloquentiæ ſermonum; ſed puris ſenſibus; vt omnes, qui audierint, intelligere poſſint. Apologeticum eſt excuſatio, in quo accuſantibus reſpondetur in defenſionem ſui. Et ideo criminantibus reſpondimus; & nos ab hæreſi purgatos, Deo illuminante, inuenimus. Panegyricum, & licentioſum, & laſciuioſum genus dicendi, in laudibus Regum: In cuius compoſitione multis mendacijs adulantur. Non enim nos mendacium in apologeticis noſtris, in laudem cuiuſlibet Regis terreni compoſuimus; ſed fidem veram, quam ab ipſis diſcipulis veritatis hauſimus.

Sed quia libelli tui, in quibus nos hæreticos eſſe fateris, iam per publicum in diuerſis terrarum vulgati ſunt partibus; vt omnes qui eos legerint ſecundum fidem tuam, te catholicum Toleranæ ſedis doctorem, nouellum Archiepiſcopum, & nos Libanenſes indoctos, & hæreticos
C
atque Antichriſti diſcipulos *Etherium & Beatum* prædicent: Et quia ex vtraque parte contentio exorta eſt, & fides diuerſa profertur, non ſolum fama, ſed etiam ignominia nobis à te irrogatur. Fama enim tam in bonam quam in malam partem intelligitur. Ignominia vero nunquam, niſi ſemper in malam partem vertitur. Ignominiam dictã, eo quod deſinat habere honeſtatis nomen is, qui in aliquo crimine deprehenditur. Dicta eſt autem ignominia quaſi ſine nomine, ſicut ignarus ſine ſcientia: ſicut ignobilis, ſine nobilitate. Hoc quoque infamia dicitur, quaſi ſine bona fama. Et ideo ignominiã nobis cum mala fama prædicas, vt ſine differentia ſolus tu videaris in Eccleſia habere bonam famam. Certe tua iam, & noſtra talis eſt bona fama: & non ab alio, ſed à te ſolo additũ eſt, & infamiam, id eſt, ignominiam, vt qui nomen nõ habuerunt, ad meam comparationem, nomen habere non poſſunt. Hæc fama eſt per publicum; & certe ſine cauſa, nulla fama potuit eſſe. Fama autẽ dicta à *fando*, id eſt, à loquendo: quia loquẽdo peruagatur per traduces linguarum perſtrepẽs aurib. audientiũ.

Ignominia vnde dicta.

fama.
D

Eſt autem nomen & bonarum rerum, vt diximus, & malarum. Cum & iſta ſit vtraque fama, ſiue tua ſiue noſtra incerta eſt. Et ideo famæ nomen locum non habet, quia fortaſſe mendax fama eſt, adiiciens multa, vel minuens de veritate. Veritas enim inter vtraque ſibi ſola ſufficit; quia nec addi, nec minui poteſt. Quæ tandiu fatigatur, quouſq; comprobetur. Et cum probata fuerit, ceſſat eſſe: vt exinde res nominetur, non fama. Semper mendax cum mendacio deficit. Non enim mendax facit mendacium: ſed mendacium facit mendacem. Non poterit mendax eſſe abſque mendacio, quouſque finxerit mendacium. Nam cum dimiſerit mendacium, deſinit eſſe mendax. Mendacium nihil aliud eſt, niſi abſentia veritatis. Mendax vero ſubſtantia eſt: mendacium autem non eſt ſubſtantia, ſed qualitas in ſubſtantia. Omnis ergo ſubſtantia quæ à Deo bono creata eſt, bona eſt. Vitium vero non eſt à Deo creatum, ſed à diabolo inuentum. Nam Deus Pater genuit veritatem Filium: & natus eſt veritas de veritate id eſt, ſubſtantia de

Chriſtus veritas.

ſubſtantia. Et ambo ſimul vna ſubſtantia, ſicut ambo ſimul vna veritas. Diabolus vero ſubſtantia eſt bona creata: quia *omnia, quæ fecit Deus, bona ſunt valde.* Arbitrio ſuo factus eſt diabolus, non Dei conditione. Ipſe eſt auctor mendacij, quia genuit mendacium. Et quia mendacium genuit pater mendacij eſt. Non enim, vt ſupra diximus, mendacium ſubſtantia eſt, ſed tantum qualitas. Solus tamen diabolus ſubſtantia eſt, quia pater qualitatis eſt non ſubſtãtiæ. B

Gen. 1. 31.

Mendacij pater diabolus.

Et quid eſt qualitas? Quia facit vnumquemque qualis ſit. Etenim in corporibus qualitas, & quantitas. Qualitas eſt corporis, quæ facit eum album, aut nigrum. Quantitas vero longum, aut breuem. Ac per hoc in corporibus eſt qualitas, quæ refertur ad colorem: quantitas ad menſuram. In ſpiritualibus vero rebus qualitas eſt ſine quantitate; vt cum dicimus: Angelus eſt. Et quia angelorum bonorum & malorum ſubſtantia eſt: diſcernimus eam in qualitate, cum dicimus, Angelum bonum, & angelum malum. Angelus bonus non à ſe eſt bonus, ſicut Deus: ſed adhærendo bono Deo fit bonus. Angelus autem malus non à bono Deo, ſed à ſe eſt malus. Quod ſubſtantia eſt, à bono Deo eſt. Quod autem malus eſt à ſe tantum malus, non à bono Deo malus. Et vnde effectus eſt malus, niſi non adhærendo Deo effectus eſt malus, ſicut è contrario, angelus bonus adhærendo Deo eſt bonus. Vnde ergo non adhæſit Deo diabolus, vt eſſet bonus, niſi quia mendax eſt? Ab initio enim *mendax fuit*, ſecundum Domini dictum, & in veritate nunquam ſtetit. Veritas enim Deus eſt, vt ſupra diximus: in qua veritate ſtare contẽpſit. Mendacium finxit: quia quod Deus poſſidebat per naturam, voluit ille hoc apprehendere per rapinam, dicens: *Ero ſimilis altiſſimo.* Et ideo mendax, quia de ſuo dixit: de ſuo compoſuit: de ſuo finxit, à ſemetipſo didicit, quod dixit. Et quia à ſemetipſo didicit, ideo propriam gloriam quæſiuit, quia à ſemetipſo locutus eſt. Proinde Dominus in Euangelio ait: *Qui loquitur mendacium de ſuo. Et qui à ſemetipſo loquitur, propriã gloriam quærit. Ego non quæro gloriam meam, ſed eius, qui me miſit.* Iam diabolus, qui pater mendacij apparuit, ex ipſo mendacio primum in paradiſo hominem decepit, dicendo contra præceptum Domini: *Eritis, ſicut Dij, ſi comederitis de ligno in medio.* Hoc mendacium non ab homine inuentum eſt, ſed à diabolo. Iam homo quod fecit, non à ſe didicit, ſed à diabolo inſtigatus accepit. Iam filius diaboli factus eſt per mendacium; quia ipſum mendacium patrem habet diabolum. Ex hoc mendacium propinatus eſt genus humanum. Et nunc in Eccleſia omnes qui ſunt mendaces ex ipſo ſpiritu errores accipiunt, vt ſint mendaces. Et qui veritatem proferunt in Eccleſia, non à ſe ſunt veridici, ſed à veritate accipiunt, vnde veritatem proferant.

F

Ioan. 8. 44.

Eſa. 14. 14

Ioan. 8. 44. & 50.

G

Gen. 3. 5.

Iam ſupra diximus, quia veritas Pater genuit filium veritatem, & hoc, quod eſt ſubſtantia Pater, genuit ſubſtantiæ ſuæ filium, per quem omnia condidit. Et ideo non eſt à ſemetipſo filius Deus: ſicut Pater à ſemetipſo eſt Deus: ſed hoc, quod eſt ab alio, id eſt, à Patre, non à ſe eſt. Diabolus vero, cum à Deo bono bonus eſſet factus, genuit mendacium, non naturæ ſuæ filium, quod erat ſubſtantia: ſed qualitatem in ſubſtantia: vt ipſa qualitas non poſſit alibi accedi, niſi in ſubſtantia, quod eſt bonum. Ac per hoc, bonum poteſt eſſe ſine malo: malum ſine bono eſſe non poteſt: quia nullum malum ſubſtantia eſt, niſi tantum priuatio boni. Sicut tenebræ nullæ ſubſtantia eſt, ſed tantum abſentia lucis. Sicut mors nulla ſubſtantia eſt, ſed tantum abſentia vitæ. Sicut fames nulla ſubſtantia eſt, ſed tantum abſentia cibi. Sicut nuditas nulla ſubſtantia eſt, ſed tantum abſentia veſtimenti: Sic ſuperbia nulla ſubſtantia eſt, ſed abſentia humilitatis. Sic diſcordia nulla ſubſtantia eſt, ſed abſentia charitatis. Sic iracundia nulla ſubſtantia eſt, ſed abſentia patientiæ. Sic quoque mendacium nulla ſubſtantia eſt, ſed abſentia veritatis.

H

Dicis certe, quod ego ſum ſpiritus ille mendax erroris. Cum hæc dicis, patule datur intelligi, quod te veracem eſſe profiteris, cum me mendacem dicis. Dicis enim Fideli tuo, quod puto ille tibi iam nouerat; *Sed quia audiui, quod præcurſor Antichriſti in medio noſtri apparuit; quid illum iam natum annuntias:* quæſo, vt perquiras ab eo, vbi, aut quomodo, aut quando natus eſt ſpiritus ille mendax

A Prophetarũ, qoi in eo loquitur, nos* ſollicitos reddas. Multi enim intelligunt, qui legunt nebulam verborum tuorum, quæ ſub allegoria ſcribis, vt fiat quæſtio inter interpretes, & te tanquam nouum prophetam, ænigmatice locutum explanent. Quod ſi inueneris laudatores tuos, qui poſſint multa opinatiue confingere, vt confingis, & adulanter, more panegyrico, tibi reſpondeant ſolum, quia contra nos, vt agis, agant, doctores peritiſſimi à te comprobentur, licet mendacium loquantur: Et vnde hoc ſcis, quod præcurſor Antichriſti ſum, qui ſpecialiter à te denotor. Iam dicis: *in medio noſtri apparuit.* Et quid eſt *medio veſtri*, aut quanti eſtis, in cuius medio ſum? Debes nominare, & ſpeciem partis tuæ, ſicut ſpeciem partis Antichriſti. Hoc nomen Antichriſti vnum ſonat, ſed multi ſunt, & in Eccleſia fuerunt, & de Eccleſia exierunt. Nihil enim aliud eſt nomen Antichriſti, niſi contrarius Chriſto. Et cum contrarius inuenitur Chriſto, apparet eſſe mendax. Et cum mendax apparuit, apparet eſſe filius diaboli. Et om-B nis mendax filius diaboli, quia diabolus vt ſupra diximus, pater eſt mendacij.

*certos.

Antichriſtus.

Requiramus nunc, quis eſt mendax. Ioannes Apoſtolus dicat. Sic enim ait: *Omnis, qui confitetur, quod Ieſus non eſt filius Dei, mendax eſt, & ipſe eſt Antichriſtus.* Tu dicis, quia Ieſus non eſt filius Dei. Et quis eſt Ieſus, niſi homo ille, qui de Virgine natus eſt? Ecce qui hunc Ieſum negat eſſe filiũ Dei, Antichriſtus eſt, & mendaciũ loquitur: quia omnes credimus, quod Ieſus filius Dei eſt. Vide tu nunc, quis eſt præcurſor Antichriſti, qui in medio veſtri apparuit. Quomodo apparuit, qui natus fuit? Antequam naſceretur, præcurſor erat Antichriſti. Poſtquam vero natus fuit, iam non eſt præcurſor, ſed ipſe eſt Antichriſtus. Quid eſt natiuitas eius, niſi apparitio eius? Et quid apparitio eius, niſi manifeſtatio eius? Et quid eſt manifeſtatio eius, niſi prædicatio eius? Antequam prædicaret, præcurſor erat Antichriſti, quia noluit Chriſtum *intelligere, vt bene ageret: ſed iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo, & aſtitit omni via non bonæ.* Cum omni viæ non bonæ adſtitit, C ſine dubio Antichriſti præcurſor fuit. Et cum iniquitatem publice prædicat, quam tanto tempore in cubili ſuo, id eſt, in ſecreto cordis ſui meditauit, ſine dubio Antichriſtus eſt, quia Ieſum negat, quod filius Dei eſt.

1. Ioan. 2. 22. & 23.

Pſal. 35. 5.

Sed forte dicis; vnde hoc affirmas, quod Antichriſtus eſt? Vnde hoc affirmo, audi, quia malitiam non odiuit. Propheta hoc dixit, non ego. *Noluit*, inquit, *intelligere, vt bene ageret, iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo, aſtitit omni via non bonæ, malitiam autem non odiuit.* Iſta tria in mendacio ſunt, non in veritate. Iam Antichriſtus habet Antichriſtos. Nunquid Antichriſtus aliud facturus eſt, cum venerit, niſi hoc tantum quod contra Chriſtum dimicaturus ſit, & Euangelium eius non recipiat, & dicat: Ego ſum Chriſtus? Iam & tu dicis: *Et nos Chriſti ſumus, ſicut Chriſtus.* Et Dominus nos admonet dicens: *Exurgent Pſeudochriſti, & Pſeudoprophetæ; & dabunt ſigna, & prodigia, ita vt in errorem mittantur, ſi fieri poteſt, etiam electi.* D Iam & hoc experimento cognouimus, quia ad hanc veſtrã veritatis fidei contrariam * plerique etiam electi, licet ad modicum, turbati ſunt. Qui & omnes, cum primitus audiuimus, turbati fuimus. Et ideo Antichriſti præcurſores non ſumus. Quia etſi cum Petro errauimus, iam cum eo errata plãgimus: & Ieſum eſſe Chriſtum filium Dei publice confitemur. Et qui ita non crediderit, vt credimus, ipſum eſſe Antichriſtum non dubitamus. Non ipſum per ſpeciem, qui venturus eſt: ſed ipſos, quos Apoſtolus Ioannes dixit. *Nunc in Eccleſia Antichriſti multi ſunt. Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis*, id eſt, in fide noſtra non erãt. Quod ſi fuiſſent ex fide noſtra, permanſiſſent vtique nobiſcum. Et ideo Antichriſti appellantur ab Antichriſto, id eſt, contrarij Chriſti vocantur, quia contra Chriſtum pugnant. Nã ſicut habuit mediatores ſuos Chriſtus Dauid, vel cæteros, qui Chriſti dicebantur, & eum præfigurabant, ſic ille filius perditionis Antichriſtus, qui eum præfigurant, & nomen habent Antichriſti, Antichriſtus appellatur, quia contra Chriſtum venturus eſt. Non quomodo quidam ſimplices intelligunt, Antichriſtum ideo dictum, quod ante Chriſtum venturus ſit, id eſt, poſt eum veniet Chriſtus. Non ſic, ſed Antichriſtus Græce dicitur, quod eſt Latine contrarius Chriſto. *Anti* enim Græce in Latinum contra ſignificat. Chriſtum ſe enim mentietur, dum venerit, & contra eum dimicabit, & aduerſabitur ſacramentis Chriſti, vt veritatis Euangelium ſoluat, & non recipiat, niſi tantum Legem Moſaicam, & populum ad circumciſionem prouocet. Nam & templũ Hieroſolymis reparare, & omnis legis veteris cæremonias reſtaurare tentauit. E

Ibidem.

Matt. 24. 24. & Marci 13. 22.

prædicationem vel ſimile quid.

1. Ioan. 2. 18.

Antichriſtus vnde ſit dictus.

Sed & ille Antichriſtus eſt, qui negat Deum eſſe Ieſum Chriſtum. Contrarius enim vt diximus, Chriſti eſt. Sed & ille Antichriſtus eſt, * *qui non credit* Ieſum Chriſtum eſſe Deum, operibus autem diſſentit à Chriſto. Chriſtum credit fide, ſed negat opere. De quibus Apoſtolus dicit: *Confitentur autem ſe noſſe Deum, factis autem negant.* Nam vnuſquiſque, à conditore ſuo aut fide ſecedit, aut opere: ſicut qui fide ſecedit, Antichriſtus eſt: ita & qui opere ſecedit ab omnipotente Deo: apoſtata nominatur, etiamſi in Eccleſia fidem tenere videatur. Omnes enim qui exeunt de Eccleſia, & ab vnitate fidei, & operis præciduntur, ſine dubitatione Antichriſti eſſe creduntur. Nos autem quantum ad rationem fidei noſtræ pertinet, ab Eccleſia non exiuimus. Quia illa, quæ per totum mundum ab Apoſtolis tradita vniuerſitas credentium tenet (vnde nomẽ habet catholica,) hanc fidem tenemus. * Et vbi eſſemus non habemus. Quando catholicam fidem diximus, id eſt, vniuerſalem. Græce enim vniuerſitas, ſiue generalitas catholicon vocatur. Et ideo non poteſt eſſe hæreticus, qui eſt catholicus: Id eſt, non poterit exire ab Eccleſia, qui habet fidem Apoſtolicam, quam generalis per totum mundum tenet Eccleſia. Credere ſe in Deum Patrem omnipotentẽ, & Ieſum Chriſtum filium eius vnicũ Deum, & Dominum noſtrum, qui natus eſt de Spiritu ſancto, & Maria Virgine. Hanc fidem, quam Deo illuminante, à ſuis Apoſtolis traditam accepimus, in Eccleſia Catholica tenemus. F

qui non negat.

Tit. 1. 16.

Locus obſcurus. Catholicus quis.

Nam non didicit Eccleſia hanc fidem tuam per totum mundum: nec conſueuit credere in eum, qui de Virgine natus eſt, non per illum facta eſſe viſibilia, & inuiſibilia: ſed tantum per illum, qui non eſt adoptione, ſed genere. Nec habet conſuetudinem dicere: *Credo in Deum Patrem omnipotentem*, & in filium eius, qui Deitatem ſuam exinaniuit, apparuit in mundo per ſubiectæ creaturæ ſpeciem cũ Patre & Spiritu ſancto, Abrahæ in ipſo feruore diei: qui eſt adoptiuus humanitate, & nequaquam adoptiuus diuinitate. Hæc fides tua eſt. Nam in toto mundo non eſt. Quod ſi verum non dicimus, interrogemus omnem Eccleſiam Catholicam, ſi generaliter per totum mundum talis fides eſt. Requiratur ordo Baptiſmi, & ſymbolum à duodecim Apoſtolis compoſitum, quem habet Eccleſia traditum pro quo baptizat filios ſuos, ſine quo non poterit eſſe Baptiſmum. Requirant & ſymbolum trecentorum Patrum aduerſus tuam fidem compoſitum: & ſi inuenerint de tuis ſermonibus, vel vnum ibi inſertum, non exiuimus ab Eccleſia. Si certe nouam habuerint hanc tuam doctrinam, ſicut & nobis nouella eſt, tu exiſti cum tuis ab Eccleſia catholica, quæ generaliter per totum mundum eſt conſtituta. Nam tua fides ſola aperte cognoſcitur in te eſſe coarctata, & in antro tuæ perfidiæ teneri ligata. Et hæc hæreſis te facit eſſe hæreticum, cum illa non credis quæ credit cuncta Eccleſia per vniuerſum mundum. Hæreſis enim non ſubſtantia, ſed qualitas eſt in ſubſtantia. Et non hæreticus facit hæreſim ſed hæreſis facit hæreticum: Sicut non ſuperbus facit ſuperbiam, ſed ſuperbia facit ſuperbũ. Et cũ dimiſerit quã habet ſuperbiam, deſinit eſſe ſuperbus: quia non eſt ipſa ſuperbia ſubſtantia, ſed qualitas in ſubſtantia. Deus bonus fecit hominem bonam ſubſtantiã. Superbia vero qualitas eſt in ſubſtantia de diabolo nata. Quæ dum in homine acceſſerit, efficitur filius diaboli: quia de diabolo nata eſt ſuperbia. Et tunc vnuſquiſque deprehenditur eſſe ſuperbus, cum plus vnus alteri maior vult eſſe, quam quod eſt. Et cum maior ſe æſtimauerit alteri, perdidit ipſum, quod erat: & tunc Deum perdit à quo eſt. Et cum perdiderit Deum, efficitur diaboli membrum, cuius & filius eſt, non natura, ſed imitatione. Sic enim auctor ſuus diabolus bonus erat à Deo bono creatus. Et inde extitit ſuperbus, quia ſuper voluit eſſe, quam quod

G

H

A erat. Et dum ſuper voluit eſſe, quam quod erat, non ſolum hoc, quod erat, perdidit: ſed etiá tartari inferna promeruit. Et quia caput eſt omnium ſuperborum, omnes ſuperbos ſibi in vno corpore, tanquam capiti copulauit, & ſecum in gehennã demerſit. Sicut è contrario Chriſtus humilis humili Eccleſiæ, quod eſt caput, & corpus, ſecum ad cæleſtia traxit. Nam ſicut ſuperbia facit ſuperbum: ſic hæreſis facit hæreticum. Deſinit eſſe ſuperbus, cum dimiſerit, quã habet in ſe ſuperbiam. Deſinit etiam eſſe hæreticus, cum dimiſerit, quam habet in ſe hæreſim. Semper erit hæreticus, qui ſemper in ſe habet hæreſim. Sicut ſemper erit ſuperbus, qui ſemper habet in ſe ſuperbiam. Nam hæreſis à diabolo inuenta eſt, & de diabolo nata eſt, ſicut & ſuperbia. Et quia eſt, & ſubſtantia non eſt, & mala eſt, non à Deo, ſed à diabolo eſt. Omne enim quidquid eſt, & malum eſt & ſubſtantia non eſt, ex diabolo eſt. Omnis tamen ſubſtantia à Deo bono creata, bona eſt. Et tandiu bona eſt, quouſque illa non habuerit, quod ex diabolo eſt.

B Nam omnia, quæ facta ſunt à Deo, duo ſunt tantum, id eſt, corpus & ſpiritus. Angelus eſt ſpiritus: mundus vero corpus: homo tamen ſolus ex vtraque componitur, id eſt, corpore, & ſpiritu. Tertia eſt qualitas angeli, & hominis; quæ nec corpus eſt, nec ſpiritus, & tamen eſt, quia nihil nõ eſt. Quæ & ipſa qualitas non in ſe eſt, ſed in ſubſtantia eſt, & ſine ſubſtantia eſſe non poteſt: vt bonus, & malus. Hæc qualitas in ſubſtantia. Dicimus angelum bonum, & hominem bonum. Dicimus angelum malum, & hominem malum. Aliud eſt, quod ſunt, & aliud quod habent. Nam quod ſunt, ſubſtantia ſunt: quod vero habent, qualitas eorum eſt, per quam diſcernuntur, qui ſunt boni, qui mali. Nam angelus bonus, dicitur, ſed non eſt ipſa bonitas ipſe angelus. Non enim apoſtata angelus diabolus factus eſſet, ſi per ſe bonitas eſſet. Angelus enim vt ſit bonus, nõ à ſe, ſed à Deo habet, vt ſit bonus. Et aliud eſt quod ſubſtantia eſt: aliud quod habet bonitatem in ſe. Sic & homo bonus. Aliud eſt, quod ſubſtantia eſt, aliud eſt bonitas, quam habet in ſe.
C Deus tamen per ſe bonus eſt, quia ipſa bonitas Deus ipſe eſt. Et non eſt aliud ſubſtantia eius, & aliud bonitas eius, ſicut hominis, & angeli: ſed ipſa bonitas eius ſubſtantia eſt. Omnia opera, quæ fecit bonus Deus, bona ſunt. Et cum in hoc ſunt, in quo facta ſunt, ſemper bona ſunt. Bonitas illa quam ex Deo acceperunt, ſi non perdiderunt, facit, vt ſemper bona ſint. Et contra angelus malus & homo malus inde dicuntur, quia perdiderunt bonum. Angelus ſubſtantia eſt, & homo ſubſtãtia eſt. Malum vero non eſt ſubſtantia, ſed priuatio boni & à diabolo natum, id eſt inuentum: per quod efficiũtur filij diaboli, qui fuerint mali. Quia non, vt diximus, malus facit malitiam; ſed malitia facit malum quia non eſt ipſe malitia: ſiue angelus, ſiue homo, qui ſubſtantia ſunt, ſed eam habent in ſe qualitatem ſuam, per quam videntur eſſe mali. Et tam angelus malus, quam homo malus vtrique homini faciunt malum. Diabolus ſemper malus eſt, quia ſemper homini facit malum. Homo diabolus eſt, cum homini facit malum.

D Nam quod homo malus, qui homini facit malum, dicatur malus, Dominus de Iuda in Euangelio Apoſtolis dicit: *Nonne ego vos duodecim elegi? ſed vnus ex vobis diabolus eſt.* (Ioan. 6. 7.) In ſcriptura ſacra & homo dicitur diabolus, & diabolus homo. Nam quod diabolus dicitur homo, in Euangelio Dominus dicit: *Inimicus homo hoc fecit.* (Matth. 13. 28.) Cum dormiente patrefamilias inimicus homo diabolus zizania ſuperſeminauit in agro, vbi Dominus bonum ſemen ſeminauerat. Quæ eſt ergo cauſa, quæ hominem faciat diabolum, & diabolum hominem, niſi quia vnum corpus ſunt angelus malus, & homo malus? quia vterque homini facit malum. Corpus diaboli homo. Corporis caput diabolus eſt. Nam ſæpe eius videntur dicta membrorum, quæ capiti congruunt: & ex nomine corporis intelligitur caput. & ex nomine capitis ſignificatur corpus. Sicut è contrario Chriſtus, & Eccleſia eſt caput, & corpus vna perſona. Et cum loquitur ſcriptura de capite, refertur ad corpus. Et cũ loquitur de corpore, refertur ad caput. Sicut Eſaias ait: *Induit me veſtimẽto ſalutis, quaſi ſponſum decoratũ corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis.* (Eſa. 61. 10.) In vna enim perſona duplici vocabulo nominata & caput, id eſt, Sponſum: & Eccleſiam, id eſt, ſponſam manifeſtauit. Iſtæ autem ſunt duæ perſonæ, quæ in omni ſcriptura leguntur in Eccleſia, id eſt, Chriſtus & corpus eius: & diabolus & caput eius.

E Tertia eſt qualitas, id eſt, vnus bonus, & alter malus. Bonus Chriſtus, & bonum corpus eius adhærendo bono Malus diabolus, qui factus fuit bonus, adhærendo mendacio. Malus homo, qui factus fuit bonus, adhærendo mendacio. Hæc qualitas inter vtroſque iungit vtroſque Id eſt, duas ſubſtantias, angelum & hominem, ipſum mendacium facit in ſe vnum. Proinde oppoſuit veritas Chriſtus contra mendacium. *Humilitas contra ſuperbiam Charitas cõtra diſcordiam. Patientia contra iracundiam: Bonitas contra malitiam. Deſpectio contra elationem. Parcitas contra auaritiam. Abſtinentia contra Gaſtrimargiam. Sobrietas contra ebrietatem. Sic egit bonus medicus, vt calida frigidis, & frigida calidis temperaret infirmis, & ipſis promitteret vitam qui obſeruarent diætam. Et ipſi citius ad ſanitatem redirent, qui potiones amaras biberent. Nam
F & in medicorum carnalium actibus, prius ipſi medici guſtant, quid ad ſanitatem confecerint hominum, & ſic ægrotis bibendum offerunt. Sicut & ipſe miſericors medicus fecit, qui corpus & ſanguinem ſuum medicinam noſtram, quam pro nobis aptauit, prius ipſe amaritudinis calicem guſtauit, & nobis bibendum ordinauit, & diætæ obſeruationes reliquit, quos ſecum viuere præuidit.

*Ita M. C pro. humilitate, charitatem, &c.

Videamus nunc, qui ſunt ipſi. Non omnes ægroti ſalui per curam fiunt, niſi tantum ipſi, qui morituri non ſunt. Nam morituris dicit medicus: Manducent, & bibant, quæ volunt, quia viuere non poſſunt. Ipſi ſunt, qui peccare poſſunt, & pœnitere non poſſunt. Quod ſi delicati non eſſent ad pœnitendum, cito redirent ad ſanitatem, ſi biberent amaritudinis poculũ. Et viuerent ſine dubio, & eſſent ſani cum medico, ſi quantum fuerat in peccando abrupta mentis intentio, tantum fuiſſet in lamentatione plena deuotio; & inſuper medici obſeruaret diætam illam, quam ſupra eius propoſuimus exemplo, id eſt, cum omnibus diſcordantibus pacem; omnibus ſuperbis humilitatem:
G Omnibus iracundis patientiam: & cætera, quæ ſupra memorauimus. Iſta cõtraria, quę ex diabolo ſunt nata, pro quo poſſit diaboli mortem euadere: & Chriſto obſeruare dicta, & cum ſuo medico ſemper viuere, qui eſt vita. Nam ſicut diabolus eſt ſubſtantia, & homo ſubſtantia; & mala, qui ex diabolo eſt, id eſt hæreſis, ſuperbia elatio, & cætera, quæ ſunt inter hominem, & diabolum media: & tenentes ea, fiunt cum diabolo caput & corpus vna perſona. Sic è contrario Chriſtus ſubſtantia eſt: & homo ſubſtantia eſt: & illa qualitas, cum qua Chriſtus in hunc mundum venit, id eſt, humilitas, patientia, obedientia; & cætera, quæ de eius exemplo ſunt, qui eam tenuerint. Iungit hæc obſeruatio caput, & corpus, & ſit Eccleſia cum capite vnus Chriſtus. Et hoc eſt in omni ſcriptura lectoris intellectus: vt tantum duo ſint inter ſe contrarij, Chriſtus, & diabolus. Et ſunt duæ ciuitates: vna Dei, & altera diaboli: vna terrena, altera cæleſtis. Cæleſtis eſt Chriſti; terrena vero Antichriſti. Habuit
H Chriſtus ſuos prophetas, qui eum prædicauerunt venturum. Habuit, & Antichriſtus ſuos prophetas, ſacerdotes falſos in lege, qui eum crucifixerunt, dicentes: Non eſt ipſe. Habet nunc Chriſtus diſcipulos ſuos in Euangelio, qui dicunt. Ipſe eſt, & non alter. Habet & Antichriſtus prædicatores ſuos in Euangelio, qui dicunt: Non eſt ipſe. Qui dicunt ipſe eſt, & non alter, corpus capitis eſt, quia cognoſcit caput, id eſt corpus Chriſti eſt, quia cognoſcit Chriſtum. Et qui dicit, Non eſt ipſe corpus, diaboli eſt, quia cognoſcit caput qui ſeparauit corpus ſuum à corpore Chriſti, ſicut ipſe caput ſeparatus eſt.

Sacerdotes Iudæorum in Lege non cognoſcentes Chriſtum, quod ipſe eſſet Deus redemptor mundi caput Eccleſiæ, occiderunt caput. Nunc ſacerdotes Chriſtianorum in Euangelio non cognoſcunt corpus, quod ſit ſummi capitis corpus, occidunt Chriſti corpus. Et tam illi ſacerdotes in lege, qui occiderunt caput, quam etiam iſti in Euangelio ſacerdotes, qui occidunt capitis corpus, vtrique prædicatores Antichriſti ſunt: quia vtrique de vna ſchola ſunt: vtrique de vna doctrina ſunt: vtrique de vno ſpiritu loquuntur. Vnus ſpiritus eſt caput eorum mendax,

A cuius & ille corpus eſt. Iam ſupra diximus, quia quod facit caput diabolus, fertur ad corpus miniſtrorum ſuorum. Et quod facit corpus miniſtrorum diaboli, refertur ad caput. Et cum patitur caput Eccleſiæ, refertur ad corpus. Et cum patitur corpus, qui eſt Eccleſia, refertur ad caput. Eccleſia certa eſt de Chriſto capite, cuius eſt corpus, quia mediator eſt Chriſtus. Et ideo non dubitat de Chriſto, etiamſi neceſſe ſit ſanguinem fundere pro Chriſto. Diabolus vero non eſt mediator corpori ſuo: quia adhuc non ingreſſus eſt hominem illum damnatum, pro quo ſit viſibilis mediator ipſe filius perditionis inter diabolum, & genus humanum: ſed habet falſos prædicatores ſuos hæreticos, qui fingunt ſub nomine Chriſti Chriſtum, qualem ſibi inſpirante diabolo finxit, non qualem veritas dicit. Eſt corpus diaboli, & tamen ſub nomine falſitatis Chriſtum prædicat: & Chriſtum ſe colere mẽtitur. Et quia de ſapientia ſe glorificat, contra Chriſtum agit, quia corpus Chriſti detrahit, Et cum detrahit, crucifixit. Et cum crucifixit, non cognoſcit. B Et cum non cognoſcit corpus, non cognoſcit caput, cuius eſt corpus. Et cum occidit corpus occidit caput. Non adhuc occidit corporaliter corpus, ſed ſpiritualiter. Et tunc occidit corpus Chriſti, quando per philoſophiam ſuam mentes fidelium conturbat, & fidei ſuæ aſſociat. Et hoc maxime mente paruulis, qui adhuc lacte vtuntur, id eſt carne, & ſanguine Chriſti paſcuntur; & necdum ad ſolidum cibum fidei peruenerunt. Aufert tunc, lac, id eſt, carnem, & ſanguinem Chriſti, & præbet ſuum lac, id eſt, carnem, & ſanguinem, quam ſibi ipſi finxit. Aufert mammas Eccleſiæ, id eſt, duo teſtamenta Legis, & Euangelij, & præbet mammas ſuas, id eſt, ad fidem ſuam peruerſam, & Legem, & Euangelium exponit: & ad ipſam fidem ipſas ſcripturas dirigit in peruerſitate, quam ſentit. Et tunc Eccleſia peruerſitate premitur, cum prauis quibuſque prædicatoribus licentia locutionis datur.

Thren. 4. 3. Quod longe ante Ieremias intuens ait: *Sed & lamiæ nudauerunt mammam, lactauerunt catulos ſuos.* Quid namque *Lamias*, niſi hæreticos appellat? humanam quidem faciem, ſed belluinam per impietatem caudam geſtantes? *Hæretici Lamiæ ſunt.* C Qui tunc mammam nudant, quando errorem ſuũ publice prædicãt. Tunc catulos lactant, quando male ſequaces paruulorum animas, dum peruerſa inſinuant, ad impietatem nutriendo confirmant. Huic ſenſui Ioannes in libro Apocalypſis concordat, dicens: Apoc. 13. 11. *Et vidi aliam beſtiam aſcendentem de terra, & habebat cornua duo Agni ſimilia, & loquebatur, quaſi draco: & omnem poteſtatem prioris beſtiæ faciebat in conſpectu eius, & facit terram, & eos, qui inhabitant eam, adorare beſtiam illam priorem, cuius curata eſt plaga mortis eius: & facit ſigna magna, vt ignem faciat de cælo deſcendere in terram in conſpectu hominum & ſeducit eos, qui in terra inhabitant per hæc ſigna, quæ data ſunt ei facere ſimulacrum beſtiæ, vt occidantur. Et facit omnes minimos & magnos, & diuites & pauperes, & liberos & ſeruos, vt det eis notam ſuper manum eorum dexteram, aut ſuper frontes eorũ: vt nequis poſſet vẽdere, aut emere, niſi qui habuerit notam aut nomen beſtiæ, aut numerũ nominis eius.*

D Hoc totum quamquam corporaliter Antichriſti tempore factum erit, tamen in Eccleſia ſpiritualiter hodie fit. Apoc. 13. 11. Nam quod dicit: *Vidi aliam beſtiam aſcendentem de terra*, duas inſinuat beſtias eſſe. *à Beſtia.* Beſtia enim à *baſtando* nomen habet. Non enim herbis, ſed carne paſcitur. Aliam beſtiam dixit: ſed pro officio; pro actione: ſed tamen vna beſtia eſt: quia totum corpus diaboli vnum corpus eſt. Beſtia enim omnis omnino populus eſt, tam pagani, quam mali Chriſtiani, qui Chriſti Eccleſiæ aduerſantur. Nam pagani aperta fronte recedunt à Chriſto: Chriſtiani vero ſiue boni, ſiue mali, vna Eccleſia nuncupantur. Sed ipſa, quæ vna videtur Eccleſia, tres partes ſunt, id eſt, vna pars ipſa Eccleſia, quæ imitatur Chriſtum: Cæteræ duæ partes ſunt, quæ contra ipſam Eccleſiam pugnant: Id eſt, hæretici, & Chriſtiani mali. Diabolus enim, qui draco dicitur, caput eſt his tribus partibus, id eſt, incredulis, & paganis, & Chriſtianis malis atque hæreticis. Nam ſicut incredulus, paganus, ſiue Iudæus, fide recedit à Chriſto: ſic Chriſtianus malus opere à Chriſto. Quia ſicut ille publicè negat Chriſtum eſſe Deum: ſic iſte publicè facit opera mala, E quæ non placent Chriſto. Et cum vna pars fide recedit, altera opere, vtraque ab vno Chriſto ſeparatur. Et quia à Chriſto ſeparantur, vnum corpus capitis diaboli efficiuntur: & cum vnum corpus efficitur, vna beſtia dicitur.

Tertia pars eſt de Antichriſti corpore, id eſt, hæretici, quæ longè ab illa beſtia diſtant in religione. Illi adulteri ſunt: iſti virginitatem, & caſtitatẽ ſimulãt. Illi rapaces ſunt, iſti ſua propria largiri ſimulant. Illi in comeſſationes, & ebrietates publicè vitã ducunt: iſti ieiuniis, & orationibus ſemetipſos affligunt. Illi intus, & foris lupi ſunt: iſti de foris agni, & intus lupi ſũt. Hos habet diabolus prophetas ſuos, quos conſtituit in Eccleſia de corpore ſuo: hos habet ſub nomine Chriſti, qui Chriſtum prædicare ſimulẽt, & corpus diaboli fiant, quia mediatorem non habet diabolus, quibus modis de Eccleſia decipere poſſit, niſi tantũ iſtos prophetas ſuos falſos, qui Chriſtum publicè laudant & publicè prædicant, & eum ſub nomine Chriſtianitatis Deum eſſe negãt. Matt. 24. 24. Quos Dominus in Euãgelio *Pſeudochriſtos & Pſeudoprophetas* appellat. F Marc 13. 22. *Pſeudo* dicuntur, quia à ſe ſurgunt in doctrina, & prædicatorum ſibi nomen aſſumunt, & ea fingunt de Chriſto, quæ à ſe didicerunt, non à Chriſto. Ipſi ſe præferunt Apoſtolis Chriſti, quos non approbauit Eccleſia, & elegit in apoſtolatum, ſed tantum ipſi ſe, & fauor temporalis humanus. Quia cum audiunt ſe laudari à carnalibus hominibus, æſtimant ſe, quod eos tales habeat intus Deus. Apoc. 2. 2. Pro quibus Dominus in Apocalypſi Eccleſiam ſuam ammonet, dicens: *Scio opera tua, & laborem & patientiam, & quia non potes portare malos, & tentaſti eos, qui ſe dicunt Apoſtolos eſſe, & non ſunt, & inueniſti eos mendaces, & patientiam habes, & ſuſtinuiſti propter nomen meum, & non defeciſti.* Hoc de ipſis hæreticis, falſis Apoſtolis, *Pſeudochriſtis* dictis dictum accepimus ſine dubio. Quia ipſi ſe doctores aſſeruerunt veritatis, & ſunt auctores praui mendacij. Bonos ſe proteſtantur. ſed ipſi deteriores dæmoniis comprobantur. Sed mendacium eorum, & peruerſitatem catholica fides inuenit: & per tolerantiam multa ſibimet inlata ab ipſis ſuſtinuit. *Tentaſti*, inquit, *eos.* Nos tentantur, niſi qui intus ſunt in Eccleſia. Qui enim foris ſunt, ſine vllo tentamento foris eſſe manifeſti ſunt, nec eos tentare opus G eſt. Intus tentatur Eccleſia, quia intus Eccleſia eſt hæretica prauitas, à qua vaſtatur Eccleſia: ſicut de ea Dominus in Apoc. 2. 13. hoc libro dicit: *Scio vbi habitas, vbi ſedes eſt Satanæ:* Sedes Satanæ ipſi Pſeudoapoſtoli ſunt, in quibus ſedet in Eccleſia Chriſti, & Chriſtus per ora illorum prædicatur, & tamen Chriſtus de eis non loquitur: & Apoſtolos Chriſti ſe dicunt eſſe, & Apoſtoli non ſunt, ſed deceptores Eccleſiæ ſunt, quia non imitantur Apoſtolos Chriſti, quorum ſibi nomen falſitatis impoſuerunt.

2. Cor. 11. 3. Proinde Apoſtolus ad Corinthios dicit: *Timeo autem ne ſicut ſerpens Euam decepit aſtutia ſua: ita corrumpantur ſenſus veſtri, vt excidant a ſimplicitate, & caſtitate, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Nam ſi is, qui venit ad vos, & alium Chriſtum prædicat, quem non prædicaui vobis: aut ſi alium Chriſtum accepiſtis, quem non accepimus, aut * alium Euangeliũ, * quem non recepiſtis, rectè pateremini. Exiſtimo enim nihil minus feciſſe me in vobis à magnis Apoſtolis. Et ſi imperitus ſermone, non tamen ſcientia.* * aliud. * quod. H Itẽ ibi contra ipſos falſos Apoſtolos dicit: Ibid. verſ. 12. *Quod autem facio, & faciam, vt amputem occaſionem eorum, qui volunt occaſionem: vt qui gloriantur, tales inueniantur, ſicut & nos. Nam eiuſmodi Pſeudoapoſtoli operarij ſubdoli transfigurãtes ſe in Apoſtolos Chriſti, & non miſſos. Ipſe enim ſatanas transfigurat ſe in in Angelum lucis. Non eſt ergo magnum ſi miniſtri eius transfigurentur velut miniſtri iuſtitiæ: quorum finis eſt ſecundum opera ipſorum.*

Rectè ergo hi Pſeudochriſti tertia pars corporis eſt Antichriſti, quæ alia dicitur beſtia. Quæ alia non diceretur, ſi apertè mala fuiſſent, aut intra Eccleſiã non fuiſſent, aut ſanctitatem religionis ſimulaſſent. Apoc. 13. 11. Proinde dixit: *Et vidi aliam beſtiam aſcendentem de terra: & habebat cornua duo agni ſimilia, & loquebatur, quaſi draco, & omnem poteſtatem prioris beſtiæ faciebat.* Id eſt, prioris populi, & diaboli, quem ſupra diximus, quia totum in corpore vna beſtia eſt: ſed in actionis officio bipartita. Apoc. 13. 1. & 13. 11. *Et illam vidit aſcendere de mari: iſtam vero de terra.* Sed aliud agit mare, aliud terra. Nam mare fluctuat, terra vero quieta eſt.

Mare

A Mare enim intelligitur populus iſtius ſæculi aperte malus. Terra vero religio eſt falſa, & hæretica prauitas, qui ſub nomine ſanctitatis non videntur in ſæculo fluctuare: ſed quaſi quietem ſe agere, pro quo poſſint Eccleſiam ſimu lare, illam vidit aſcendere beſtiam de mare. Id eſt, populum naſci de populo, quia ſemper fuit malus populus. Et ſemper naſcitur malus, qui ſemper dicitur beſtia. Sic & aliam beſtiam vidit aſcendere de terra: non deſcendere de cœlo. Nam Ieruſalem cœleſtis ſemper de cælo in terra deſcendet: quia filij ſui ſemper in humilitate naſcuntur. Pſeudo vero propheta de terra aſcender, quia ſemper de terreno genere gloriatur. De terra quippe aſcendere eſt, de terrena gloria eleuari & ſanctitate fulciri. Proinde & beſtia eſt,
Ibid. v. 11. *& duo cornua Agni ſimilia habet*: Id eſt, duo teſtamenta Legis & Euangelij, per quæ prophetare ſe ſimulat, vt inter ſuos Agnum ſe profetar.

Ibidem. *Et loquebatur quaſi draco.* Hæc eſt illa ſeductio ad Deum. Agnum ſe profert, quod draconi, venena latenter
B inſerat. Agni enim ſimilis non eſſet, ſi aperte, vt draco lo-
* F. demoret. quererur. Nunc agnum ſe fingit, quo agnum ſecurum* deſoſet. Ad Deum loquitur, ſed mendacium, quem ſibi fingit, non ea ratione, ſicut ſcriptura dicit. Ad Deum loquitur,
Apoc. 13. 13. per quod cum quærentes, à via veritatis auertat. *Hic facturus eſt ſigna in conſpectu hominum*, vt & mortui videantur ſurgere. Id eſt, per eius prædicationem, quaſi multi videantur conuertere, & à mortis opere reſurgere: ſed tantum in conſpectu hominum illa reſurrectio videtur. Nam nullus hæreticorum filius ad fructum boni operis perducitur, qui eos fuerit imitatus. Terrena enim ſapientia illorũ eſt, non cæleſtis, & terræ filios generat, cum ſemen cæleſte Euãgelij in ſenſu carnali, terreno ſenſu aſpergũt. Propterea
Matth. 7. 15. Dominus admonet Eccleſiam ſuam, dicẽs: *Cauete à Pſeudoprophetis, qui veniunt ad vos in veſtitu ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.* Lupi quid ſignificare videantur, debemus aduertere. Beſtiæ namque ſunt, quæ inſidiantur, ouibus quæ circa paſtorales verſantur caulas, habitacula
C domorum intrare non audent. Somnum canum, abſentiam aut pigritiam paſtoris explorant. Ouium guttur inuadunt, vt cito ſtrangulent. Feri, rapaces, itemque natura corporis rigidioris, vt ſe facile non poſſint inflectere impetu quodam ſuo feruntur & ideo ſe palliantur. Tunc propterea, ſi quem priores hominem viderint, vocem eius quadam naturæ vi feruntur eripere. Si autem homo prius eos viderit, exagitaſſe memoratur. Et ideo cauendum mihi eſt, ne ſi in hodierno tractatu, ſpiritualium myſteriorum gratia non potuerit refulgere, lupi me, prius vidiſſe credantur, & ſolemne vocis extorſiſſe auxilium.

Nonne lupi eſtis iſti, qui inſidiantur ouibus Chriſti? Fremunt circa caulas nocturno magis tempore, quam diurno: Nocturno, quia inter ignorantes prædicant: quod per diem facere non poſſunt quia à ſapientibus deprehenduntur. Nox ignorantia eſt: Et dies ſapientia. Semper enim perfidis nox eſt, qui lucem Chriſti, ſuis nebuloſis interpretationibus obducere, & quantum in ipſis eſt fuſcare conantur. Verſantur ergo circa caulas, id eſt circa ſeptem Eccleſias. Stabula tamen Chriſti intrare non audent, id eſt
D in Eccleſiam, quæ lux eſt, intrare non præſumunt. Et ideo non ſanantur, quia in ſtabulum ſuum non vult Chriſtus
Luc. 10. 30. eos inducere, in quo curatus eſt ille, qui *de Ieruſalem deſcendens, incidit in latrones, quem vulneribus alligatis infuſo oleo, & vino imponens in iumentum ſuum Samaritanus ille*, id eſt, Chriſtus in corpore ſuo, *duxit in ſtabulum*, & ſanandum ſtabulario, id eſt, Epiſcopo ſancto dereliquit. Non accipiunt ergo medicinam, qui medicum non requirunt. Si enim requirerent, non aperte detraherent. Explorant paſtoris abſentiam, & ideo paſtores Eccleſiarum vel occidere, vel in exilium mittere contendunt: quia præſentibus
* demorare. paſtoribus oues Chriſti* deſoſare non poſſunt. Spoliare
* F. deeſt, ſapiunt, vel quid ſimile. ergo gregem Domini rapto paſtore conantur, qui corporea, atque carnea, *quia non ſpiritualia mentis intentione, ſed duri, ac rigidi nequaquam ſolent à ſuo errore deflectere. Et ideo Apoſtolus ait: *Hæreticum hominem poſt vnam*
Tit. 3. 10. *correptionem deuita, ſciens quia ſubuerſus eſt*, qui eiuſmodi eſt. Hos ſcripturarum verus interpres includit, vt inanes ſuos in vanum effundant impetus, & nocere non poſſint:

Quod ſi quempiam verſuta diſputationis ſuæ circumſcri-
E ptione præuenerint, faciunt obmuteſcere. Mutus eſt enim qui, verbum Dei non eadem, qua eſt gloria confitetur. Caue ergo ne tibi vocem tollat hæreticus, ſi prior eum non ipſe deprehenderis. * Scripſit enim dum latet eius
* F. Serpſit vel ſerpit. perfidia. Si autem fraudem eius impietatis agnoueris, iacturam piæ vocis timere non poteris. Caue igitur verſuta diſputationis venena. Animam petunt: guttur inuadunt, vitalibus vulnus infligunt. Graues ſunt morſus hæreticorum. Qui etiam ipſis beſtiis grauiores, & rapaciores nullum auaritiæ finem, impietatiſque nouerunt.

Nec vos moueat, quod formam videntur pretendere humanam. Etſi foris homo videtur, intus beſtia fremit.
Ex fructibus enim eorum cognoſcetis eos. Si quis ergo ſpecie Matth. 7. 20.
mouetur, fructum interroget. Vlulat iſte ſcripturas, non tractat quia vocis auctorem negat. Iſte eſt, qui cum diſcipulis cupiebat eſſe, & non ſimpliciter, ſed fraudulenter
Domino ait: *Magiſter ſequar te quocunque ieris. Ad quem* Matth. 8. 20.
Dominus dixit: Vulpes foueas habent, & aues cæli nidos, vbi F
requieſcant: nam filius hominis non habet, vbi caput ſuum Luc. 9. 58.
reclinet. Videbat enim mentem eius more vulpium tortuoſam, & volucres, id eſt, dæmones in eo demorantes: ſed Dominus non obſequiorum ſpeciem, ſed puritatem requirit mentis. Denique ſic ait, cum paruulum in medio
ſtatuit: *Quicumque receperit puerum iſtum in nomine meo,* Luc. 9. 48.
me recipit. Et qui me recipit, recipit eum, qui me miſit. Qui enim imitatorem Chriſti recipit, Chriſtum recipit: Et qui imaginem Dei recipit, recipit Deum. Caput enim Chriſti Deus eſt, id eſt, Diuinitas eius, qui in tortuoſa mente non habitat. Proinde quantum poteſt homo ſynceram exhibeat fidem, & obſeruantiam mandatorum religioſa mente cu-
ſtodiat, ne dicatur ei: *Vulpes foueam habent, & volucres* Matth. 8. 20.
cæli nidos, filius autem hominis non habet, vbi caput ſuum Luc. 9. 58.
reclinet. Vulpecula enim fallax eſt, & inſidiis ſemper intenta, vt rapinam fraudis exerceat, nihil tutum, nihil ocioſum, nihil paritus eſſe ſecurum, quod inter ipſa hoſpitia hominum prædam requirat, & in fouea ſemper latere deſiderans. Ita ſunt hæretici, qui domum ſibi parare non G
ſciunt: ſed circunſcriptionibus ſuis alios decipere conantur. Qui ſimplicitatem habet, ſemper domum habitat, quia ſemper in caritate eſt. Hæreticus vero in fouea eſt, tanquam fraudulenta vulpes: quia nunquam eſt in puritate mentis, & ideo fraudulenta vulpes eſt, gallinæ illi Euange-
licæ dolum ſemper intendens. Nam de ea Dominus dicit: Luc. 13. 34.
Quoties volui congregare filios tuos, ſicut gallina pullos ſuos, & noluiſti, Ecce relinquetur domus veſtra deſerta. Vult Dominus hæreticorum filios congregare, ſi ad vnitatem fidei venirent, ſed non congregat, quia inter ſe diſſidentes diuerſa ſentiendo non concordant. De quibus per Pſalmi-
ſtam dicitur: *Effuſa eſt contentio ſuper principes eorum: &* Pſal. 106. 40.
reduxit eos in inuio, & non in via. Ipſi etenim dum diſpenſationem Domini peruerſe interpretari non metuunt, profecto plebes ſubditas non ea via, quæ Chriſtus eſt, ſed in inuium trahunt. Super quos recto quoque effuſa contentio dicitur: quia ſuis ſibi viciſſim allegationib. contradicunt.

Arius quippe tres perſonas in diuinitate ſuſcipiens, tres H
etiam Deos credidit. Quem contra Sabellius vnum Deum ſuſcipiens, vnam credidit eſſe perſonam. Inter quos ſancta Eccleſia rectum prædicationis ſuæ tramitem indeclinabi liter tenens, & vnum Deum prædicans, tres perſonas contra Sabellium aſſerit. Et tres perſonas aſſerens, vnum Deum contra Arium confitetur.

Elipandus Toletanæ ſedis Epiſcopus, neſcio qua commixtionis vertigine, tres perſonas in vna natura Deitatis, confundit: & Chriſtum de Virgine natum non Deum, ſed tantum hominem credit.

Manichæus autem, qui in ſacro eloquio virginitatem laudari cognouit, coniugium damnauit.

At contra Iouinianus, qui concedi coniugia comperit, virginitatis munditiam deſpexit. Vnde fit, vt ſemper hæreticis peruerſa intelligentia confuſis, viciſſim ſibi eorum nequitia & in culpa concordet, & in ſententia diſcrepet.

At contra ſancta Eccleſia per medias vtrarumque partium lites ordinata pace graditur. Et ſicut ſuperiora ſuſcipere ita nouerit, etiam & inferiora venerari: Quatenus

A nec ſumma æqualia ponat infimis: nec iterum infima
deſpiciat, cum ſumma veneratur. Non poſſunt ergo hæ-
retici in vnum copulari, qui more vulpium inter ſe diſ-
ſentientes, diuerſas ſibi fodiunt foueas, qui vnam domum
Eccleſiam, quam habuerūt perdiderunt. Hoc enim animal
nec manſueſcit aliquando, neque vllo vſui, aut cibo vtile
eſt. Sic hæretici, nec manſueſcunt aliquando, nec cibo
Domini connectuntur. Non enim de his dicit Chriſtus:
Ioan. 4. 34. *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem Patris mei, qui in
cælis eſt.* Quas vulpes in Canticis Canticorum à fratribus
Cant. 2. 15. ſuis Dominus ligare mandat, cum dicit: *Capite nobis vul-
pes paruulas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea noſtra
floruit.* Dicit per parabolam in Euangelio Dominus,
Matth. 13. 26. *cum creuiſſent herba & fructum feciſſent: tunc apparuerunt
zizania,* id eſt, proficiente Eccleſia, numeroſæ etiam hæ-
reſes ſurrexerunt: ſed Eccleſia in fide permanente, quam
Iud. 15. 5. praua ſentirent inueſtigatæ ſunt hæreſes. Sic ille Samſon,
qui interpretatur ſol, captis trecentis vulpibus, earum
B caudis ignem appoſuit, & fructus inimicorum incendit.
Semper enim hæretici in primordio conuerſionis ſuæ,
velut falſa religione conſpiciuntur: in extremis ſuis cum
cœperint prædicare, tanquam in cauda ignem trahunt ge-
hennæ incendio deputari. Et ideo cum Dominus dicit:
Cant. 2. 15. *Capite nobis vulpes:* ac ſi dicat: conuincite hæreticos, eo-
rumque verſutiam, ſanctarum ſcripturarum concludite
teſtimoniis. Quas *vulpes paruulas* dicit: quia nihil ma-
gni, ſecundum rectam fidem intelligendo, omne, quod
ſapiunt minimum eſt. *Demoliuntur vineas*, quia ſubuer-
tunt plebes, prauis eas traditionibus corrumpentes. *Nam
vinea noſtra floruit*; id eſt, Eccleſia Catholica indeclina-
bili augmento profecit.

Bene ergo ſcriptura ſancta hæreticos homines in vno
corpore beſtiam dicit: quia hoc, quod legendo profert
imperitis, quaſi ab obtentu rationis incipit. Sed quia hoc,
qui legit, non intelligit, ſemper tamen ad irrationabilem
ſenſum tendit: & quaſi homo in beſtiam deſinit, dum
C ſenſus ipſius ſcripturæ ad intellectum malæ credulitatis
exponit. Quod bene hæc beſtia duo cornua ſimilia habe-
re dicitur: quia ſimplicitatem agni in exteriore demon-
ſtrat homine; & duo teſtamenta Legis, & Euangelij vnum
Apoc. 13. 11. ſe nobiſcum Chriſtum ſimulant prædicare. Sed audi quid
de eo Ioannes dicat: *Et loquebatur, vt draco: & omnem
poteſtatem prioris beſtiæ faciebat in conſpectu eius: & fecit
terram, & eos qui in ea habitant adorare beſtiam illam
priorem, cuius curata erat plaga mortis eius.* Draco enim
vt diximus, diabolus dicitur. Sic enim draco diabolus,
loquendo, & noua falſo promittendo decepit hominem
in paradiſo: ſic & hæreticus, qui beſtia dicitur, loquitur
quaſi draco ideſt quaſi diabolus in paradiſo. Nam para-
diſus nunc Eccleſia eſt. Seducitur autem verbis huius ſer-
pentis carnalis noſtra concupiſcentia, & per illam ſedu-
citur Adam, non Chriſtus, ſed Chriſtianus. Dicit ergo
draco ille diabolus ad mulierem: *Cur præcepit vobis Do-
Gen. 3. 1. minus, vt non comederetis ex ligno paradiſi?* Sic hæreti-
corum curioſa cupiditas: ſic praui prædicatores ad dili-
gendam erroris fallaciam, auditorum corda ſuccendunt,
D quæ in typo mulieris ponuntur, dicentes eis: Quare fugi-
tis ſcientiam habere latentem, & abſconſam? Nouam ſu-
per exquirite, & boni, & mali ſcientiam penetrate.

Vnde apud Salomonem mulier illa hæreticorum ſpe-
Prou. 9. 17. ciem tenens dicit: *Aquæ furtiuæ dulciores ſunt, & panis
Gen. 3. 5. abſconditus ſuauis.* Subiecit deinde idem draco: *Quocun-
que die comederetis, ſtatim aperientur oculi veſtri, & eritis
ſicut dij ſcientes bonum, & malum.* Sic & omnes genera-
liter hæretici loquuntur quaſi draco, cum diuinitatis me-
ritum profitentur, atque ſcientiæ promiſſione decipiunt:
& reprehenderunt eos, quos ſimpliciter credentes inue-
nerunt. Et quia omnino carnalia perſuadent, quaſi ad
carnalium oculorum adapertionem conantur abducere,
vt interior oculus excæcetur. Hæc eſt illa locutio hære-
Apoc. 13. 11. tici, *qui loquuntur, quaſi draco: & omnem poteſtatem prio-
ris beſtiæ facit,* id eſt, totius corporis diaboli, hoc eſt, ma-
Ibid. 2. 12. lorum hominum, quam priorem beſtiam dicit, ſicut ait:
*Et facit terram, & eos, qui inhabitant in ea, adorare beſtiam
illam priorem, cuius curata eſt plaga mortis eius.* Et quia
ipſa beſtia, quam priorem dixi habere eam capita ſeptem, E
& cornua decem: *Vnum ex capitibus eius vidi quaſi oc-* Ibid. 2. 3
ciſum in mortem: & plaga mortis eius curata eſt. Ipſum
caput beſtiæ velut occiſum, ipſum eſt omne corpus hæreti-
corum, qui prædicant Chriſtum crucifixum; & ſimilant ſe
cum duobus cornibus agnum: ſed tamen draco loquun-
tur: qui omnem poteſtatem prioris beſtiæ faciunt. Decem
cornua, qui dicit, beſtiæ, decem reges eſſe futuros in fine
mundi ſcriptura commemorat: in quos Antichriſtus vnde-
cimus, tribus regibus occiſis, cum ſeptem erit regnaturus:
quos nunc ſeptem capita nominat. Septimum ergo caput
beſtiæ quaſi occiſum in morte hæretici ſunt, qui Chriſtum
quaſi agnum occiſum cum Iohanne prædicant: & eum
filium Dei Deum eſſe negant, dicentes: Non per iſtum
agnum facta ſunt viſibilia, & inuiſibilia quem Ioannes
digito oſtendit: *Ecce agnus Dei. Ecce qui tollit peccata* Ioan. 1.
mundi. Quin enim hæc dicit, beſtia eſt vnum ex capitibus 29.
beſtiæ, & non occiſum, vt agnus noſter Chriſtus, ſed tan- F
quam occiſus de furto imitationis Chriſti, & loquitur,
quaſi draco: & omnem poteſtatem prioris beſtiæ facit.
Quia * hunc ſimulacrum diabolus ſibi adinuenit, vt ſub *hoc.*
nomine religionis non ſolum carnales, ſed etiam religio-
ſos. Idēn *hoc caput* dicit: *quaſi occiſum in morte, & plaga* Apoc 13 3.
mortis eius curata, id eſt, quaſi Chriſtum crucifixum ſe-
quantur. Simulacrum diaboli, ideo dicitur, quia cum in-
tus ſit beſtia, foris ſe agnum eſſe mentitur, ad ſimilitudi-
nem agni, quod eſt Chriſtus. Nam Eccleſia dicit de Chri-
ſto: *Vidi agnum quaſi occiſum.* Et propter ſeptiformem Apoc. 5. 6.
gratiæ ſpiritum, ex quo ſeptem Eccleſiæ fiunt per
dona gratiarum, quæ vna Eccleſia, eſt quæ integrum cor-
pus eſt Chriſti, dicit: *Habentem cornua ſeptem, & oculos* Ibidem.
*ſeptem, qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei, miſſi per orbem ter-
rarum.* Quia Eccleſia, quæ Spiritus Sancti accepit gra-
tiam per vniuerſorum orbem terrarum eſt conſtituta.

De corpore vero diaboli longe aliter dicit Eccleſia:
Nec agnum nominat corpus diaboli, nec cornua ſeptem
ſed dicit: *capita ſeptem & cornua decem.* Nam agnus noſter, Apoc. 13. 1.
vnū caput habet: quia vnus eſt Deus. Caput enim Chriſti, G
Deus. De diaboli vero corpore dicit. *Et vidi aſcendentem* Ibidem.
*beſtiam de mari habentē cornua decem, & capita ſeptem, &
ſuper capita eius decem diademata: & ſuper capita eius no-
men blaſphemiæ. Et beſtia, quam vidi ſimilis erat pardo: &
pedes eius ſicut vrſi: & os eius, ſicut Leonis. Et dedit ei
draco virtutem ſuam, & ſedem ſuam. Et vidi vnum ex
capitibus eius, quaſi occiſum in morte, & plaga mortis eius
curata eſt, & mirata eſt omnis terra ſecuta beſtiam, & ado-
rauerunt draconem, quoniam dedit poteſtatem beſtiæ. Et
adorauerūt beſtiā dicētes: Quis ſimilis beſtiæ? aut quis po-
terit pugnare cum ea? Et datū eſt ei loqui magnam blaſphe-
miam.* Hoc totum figuraliter intelligendum eſt in Eccleſia,
non ſicut auditur. Nam Agnus, & beſtia, ſicut in inuicem
ſibi contrarij ſunt per naturam: ita allegorice intelligendi
ſunt per figuram. Hic tantum duæ partes ſunt intelligēdæ,
id eſt, Chriſtus, & corpus eius: & diabolus, & corpus eius.
Quæ totum corpus diaboli, quo facilius poſſit ſpirituali- H
ter ab Eccleſia deprehendi, omnia membra diaboli in vna Dan. 7.
beſtia concluſit, *Hæc beſtia in* Daniele *terribilis dicitur* 19.
eſſe cæteris beſtiis, id eſt, Leoni, pardo, & vrſo diſſimilis
dicitur: & cuius nomine beſtiæ nuncupetur, non habet.
Sed tantum diſſimilis cæteris beſtiis, & terribilis nomina-
tur. Sed vide quantum eſt foris, terribilis in terrenis, cum Apoc. 13. 4.
dicat terra, id eſt, terreni. *Quis ſimilis beſtiæ, & quis pote-* Dan. 7.
rit pugnare cum ea? Terribilis cæteris beſtiis dicitur, & 19.
diſſimilis: Sed agnus adueniens aduerſus eam in certami-
ne ſurrexit, & moriens prædam excuſſit. Excutiunt &
hodie agni pretioſo ſanguine redempti, agni incontami-
nati, & immaculati Chriſti per illum agnum, quem Deus
ſuſcitauit à mortuis. Et hic agnus, & beſtia contrarij ſibi
ſunt in Eccleſia. Beſtiæ autem, quæ contraria eſt agno, non
ſpeciale, ſed generale nomen eſt, & quod multas habeat
partes, quæ ſeptem capitibus diſtinctis ſcribitur: Sed in
narratione pro locis intelligendum eſt, qualem partem be-
ſtiæ dicat, quæ ſeptem capitibus ex vno corpore conſtat.
Aliquando enim diabolum dicit beſtiam: aliquando infi-
deles, id eſt, ſine Baptiſmo. Aliquando Chriſtianos malos,

id eſt,

A Id eſt, vulgarem plebem intra Eccleſiam,qui tantum no-
mine Chriſtiani ſunt,operibus vero beſtiæ ſunt. Aliquan-
do principes malos. Aliquando hæreticos, quia malè
ſentiunt,& malè prædicant de Chriſto. Aliquando hypo-
critas,qui ſimulant ſanctitatem,& nec dicunt de Chriſto,
nec ſcire volunt,quid dicant, vel credere debeant. Ali-
quando enim ſchiſmaticos dicit, qui rectè prædicant
Chriſtum: ſed ſciſſi ſunt ab vnitate Eccleſiæ, non cor-
pore, ſed animo. Schiſma enim à ſciſſura animarum vo-
cata eſt.Eodem enim cultu, eodem ritu credit, vt cæteri
religioſi, ſed ſolo congregationis delectatur diſſidio; vt
cum cæteris communi nullo fulciatur conſilio & totum
quod ſibi agere videtur ſanctum in ſuo corde eſſe putatur.
Fit autem ſchiſma,cum dicunt homines,Iuſti ſumus: nos
ſanctificamus in mundo,& cætera his ſimilia.Hoc totum
per ſingula officia vnius beſtiæ deſcribuntur capita. Capi-
ta dicuntur, quia vnuſquiſque ſequitur ſuæ voluntatis ar-
bitrium.Sola Eccleſia agit cum conſilio,ne pœniteat poſt
factum.

B Quod vt teſtimoniis approbemus,ex multis vnum Pau-
li Apoſtoli proferamus exemplum. Qui ne fortè in va-
cuum curreret,aut cucurriſſet, primum Apoſtolorum re-
quiſiuit Petrum. Per hoc exemplum proficit Eccleſia,
quæ eſt ſummi capitis membrum: Quæ omnis Chriſtia-
nitas vna videtur Eccleſia. Et multi toto mentis ardore
bene ſe laborare putant: ſed incertum eſt vtrum Deo
Matt.13. 25. placeant. Vnus ager eſt,ſed dormiente Patre familias,
inimicus homo zizania ſuperſeminauit. Ad quam eradican-
Rom.9. 22. dam, cum diſcipuli ire ſe proponerent, dominus noſter
prohibuit, ſibi reſeruans palearum, & frumenti ſeparatio-
nem. *Hæc ſunt vaſa iræ,& vaſa miſericordiæ*, quæ in do-
mo Dei ab Apoſtolo prædicantur. Venient ergo dies,
quando theſauro Eccleſiæ aperto, proferet Dominus vaſa
1.Ioan.2. 19. iræ ſuæ,quibus exeuntibus ſancti dicent: *Ex nobis, exie-
runt: ſed non fuerunt ex nobis. Si enim fuiſſent ex nobis
permanſiſſent vtique nobiſcum*. Nemo poteſt Chriſti victo-
riam ſibi aſſumere,nemo ante iudicij diem de hominibus
Prou.14. 12. iudicare. Si iam mundata eſt Eccleſia; quid Domino re-
ſeruamus? *Eſt via, quæ videtur eſſe apud homines recta,
C nouiſſima autem eius veniunt in profundum inferni:* In hoc
errore iudicij, quæ poteſt eſſe certa ſententia? Proinde,
* F. deeſt eſſe. quia non eſt certa ſententia, debet * caritas vna. Sed
ea ipſa caritas non poterit eſſe certa,ſi fides fuerit incerta.
Proinde communiter omnis Eccleſia perquirere debet
fidem veram, & omnibus modis euitare hæreticorum ve-
nena. Non enim ſine ratione caput huius beſtiæ velut
occiſum ſcribitur; beſtia itaque, quam dicit, inter diabo-
lum, & Chriſtum perſonam non habet: quia in ſolo eſt
vocabulo, quod dicunt ſe adorare Chriſtum,qui mortuus
eſt: & reſurrexit. Hæc beſtia cum duobus cornibus ipſa
eſt hæreticorum pars cum omnibus ſibi conſentientibus
tam fide, quam opere: Quæ caput dicitur velut occiſum,
id eſt, fallaciter Chriſtianum. In quo vocabulo diabolum
adorant, qui hoc ſimulacrum ſuis adinuenit, vt ſub no-
mine Chriſtianitatis maximam partem ab Eccleſia exclu-
dat, & capiti ſuo diabolo coniungat. Et ille habeat cor-
* trahat. pus, cum quo ſe, & illud ad infernorum tartara * tradat.
Nos adoramus agnum, qui occiſus eſt, & reſurrexit. Illi
D adorant beſtiam, quæ ſe habet in huiuſmodi ſimilitudi-
nem,Tres itaque ſunt,id eſt,diabolus,& populus.Et beſtia
velut occiſa,quæ eſt mediator,in quibus Chriſtus reſonat.
Et quia ex parte Chriſtum adorant, & ex parte beſtiam,
quando mediam beſtiam dicit adorari, in diabolum res
cadit, qui ſuum,& hæreticorum locum implet, per quo-
rum os loquitur in Eccleſia.

Apoc.13. 1. Dicit *ſuper decem cornua decem diademata*, hoc eſt,
quod reges ſuos tam viuos, quam mortuos laudant &
veluti in cœlum,atque inter Sanctos tranſlatos eſſe exiſti-
mant. Nomen vero blaſphemiæ,quod ſuper ſeptem capita
vidit, hoc eſt, quod ſe Eccleſiam dicunt, & Eccleſiam
Apoc.13. 2. perſequuntur. Draco eſt ſerpentis operatio. Rufus carnis
habitaculum,quia draco ipſe carnis habitatio eſt. Decem
cornua draconis, virtus eſt legis alienæ. Draco vero ille
magnus ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus, & ſata-
nas. Ideo dicitur draco,quia terret. Magnus,quia potens

E videtur: & exaltat in Spiritu. Serpens, quia non depre-
henditur: Sed irreprehenſibiliter ſerpit, & fallit. Anti-
quus ideo vocatur, quia & à principio cœpit, & veteris
hominis accepit poteſtatem.

Diabolus ideo vocatur,quia conſiliator ſibi videtur, &
ſapit. Et poſtquam perſuaſerit hominem tanquam non
ſuæ perſuaſionis, ſed noſtri potius admiſſi criminator ap-
paret. Pardus, quia varietatem & fallaciam deceptionis
oſtendit. Vrſus, quia rapinam ſenſuum & operum mali-
gnorum eſt. Leo vero, quia ſuperbiæ atque erroris eſt
forma. *Dedit draco beſtiæ virtutem ſuam, & ſedem ſuam:* Ibidem.
quia intra Eccleſiam ſunt hæretici, qui Eccleſia videntur
eſſe, & Eccleſia non ſunt. Et per eos diabolus loquitur,
quos in Eccleſia decipere vult. *Et adorauerunt, beſtiam
dicentes: Quis ſimilis beſtiæ? aut quis poterit pugnare cum* Apoc.13. 4.
ea? illi hoc taliter non dicunt. Sed dicunt: Quis ſimilis
Chriſto? aut quis illum poterit vincere? Lingua Chriſtum
profitentur, ſed factis beſtiam ſequuntur: *Et facit ſigna
magna: vt ignem faciat de cælo deſcendere in terram in
conſpectu hominum.* Ignis Spiritus ſanctus eſt: cœlum Ibid.c.13. F
Eccleſia eſt: terra ipſi ſunt,quos baptizant, & cæteros
Eccleſiaſticos ordines dicit, quæ per ipſos fiunt in Eccle-
ſia, per quæ Sacramenta ab illis tenetur Eccleſia captiua.
* Sacramentum Baptiſmatis non ſolum intra Eccleſiam * Videtur addendū: Scito, vel, Noueris.
Catholicam,ſed etiam apud hæreticos,qui in nomine Pa-
tris,& Filij, & Spiritus ſancti baptizant, eſſe quidem ba-
ptiſma poſſe, ſed extra Eccleſiam Catholicam prodeſſe
non poſſe: Immo ſicut intra Eccleſiam rectè credentibus
per Sacramentum Baptiſmi confert ſalutem: ſic extra Ec-
cleſiam baptizati, ſi ad Eccleſiam non redierint, eodem
Baptiſmate cumularunt ſibi perniciem & confuſionem.
Tantum enim valet Eccleſiaſticæ ſocietatis vnitas ad ſa-
lutem Baptiſmi, vt non ſaluetur, cui non intra Eccleſiam
datur, vbi oportet,vt detur. Ineſſe tamen homini Baptiſ-
mum etiam extra Eccleſiá baptizato,ſed maximè ad dam-
nationem ab Eccleſia ſeparato. Sed quia manifeſtum eſt,
vbicumque datum fuerit hoc baptiſma, ſemel eſſe dan-
dum, ideo etſi hæreticis in nomine Patris,& Filij,& Spi-
ritus ſancti datum fuerit,venerabiliter agnoſcendum, * & * eſt.
G ab hoc nullatenus iterandum. Et quia omnis Chriſtiani-
tas Eccleſiæ nomen habet, & infideles, qui non ſunt ba-
ptizati, extra Eccleſiam dicuntur, putant ſe cum audiunt
extra Eccleſiam dici baptizatos, quod pro infidelibus di-
catur? Non enim ita intelligendum eſt, vt tantum duas
partes credamus hominum. Id eſt,vnam partem baptiza-
torum, quæ ſit Eccleſia? & alteram infidelium, quæ ſit
extra Eccleſiam: non enim infideles Baptiſmum habent,
qui non credunt Chriſtum eſſe filium Dei: ſed tantum
Chriſtiani habent Baptiſmum. Et ipſa Chriſtianitas, quæ
baptizata eſt altera pars eſt, quæ intra Eccleſiam eſt. Et
illa,quæ foris Eccleſia eſt in duas partes diuiſa eſt, Id eſt,
in Sacerdotes hæreticos; & in laicos apertè malos. Illa
pars, quæ Eccleſia dicitur, ſancti, & fideles ſunt, qui pro
Chriſto omnia ſua reliquerunt, cui dicturus eſt in die iu-
dicij: *Vos qui dimiſiſtis omnia veſtra, & ſecuti eſtis me, in* Matt.19. 28.
*regeneratione cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis
ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duo-
decim tribus Iſrael.* Duodecim ſedes dicit, quia omnis
H omnino Eccleſia,quæ eſt Chriſti ſanguine paſſionis tincta,
in duodenario Apoſtolorum numero eſt conſtructa. Nam
ſic ſunt duodecim Apoſtoli in Chriſto, ſicut duodecim
horæ diei in Sole. Sol Chriſtus intelligitur, ſecundum
Prophetæ dictum: *Vobis,qui timetis Dominum,orietur Sol* Malach. 4.
iuſtitiæ. Et tantum ipſis Chriſtianis oritur, qui timent
Chriſtum, id eſt, qui credunt in Chriſtum, & imitantur
veſtigia eius. In tantum vt in iſto die poſſunt ambulare.
Et ſicut Sol facit 12. horas diei,& non faciunt Solem: ſic
Chriſtus fecit,& elegit 12. Apoſtolos: & duodecim Apo-
ſtoli non fecerunt,nec elegerunt Chriſtum. Sicut ipſe Do-
minus ait: *Non vos me elegiſtis: ſed ego elegi vos.* Nunc Ioan.15. 16.
vero ipſi ſunt filij adoptiui, qui electi ſunt non ille, qui
elegit. Et tamen qui elegit, & qui electi ſunt vnus dies
eſt,vnum lumen eſt. Sol illuminator, & duodecim horæ
illuminatæ à Sole. Sic Chriſtus illuminator, & duodecim
Apoſtoli illuminati à Chriſto. Chriſtus eſt caput, & duo-

A decim Apoſtoli corpus Chriſti, quod eſt omnis omnino
Eccleſia in duodenario numero Apoſtolorum conſtituta
Hic eſt; vnus dies, id eſt, vna perſona Chriſtus, & Eccleſia:
qui in hoc die ambulat ipſe ambulat intra Eccleſiam. Hos
tantum 12. Apoſtolos, tanquam duodecim horas diei per
vniuerſum mundum miſit Chriſtus, vt omnis multitudo
credentium in iſto ſolo ambularet die, id eſt, in iſta ſola
Eccleſia. Sed nemo credentium ibi poteſt ingredi niſi
imitatus fuerit Apoſtolos Chriſti: Et dum imitatus fue-
rit, ſit ipſe Apoſtolus Chriſti: ſicut & Paulus Apoſtolus
1. Cor. 11 dicebat diſcipulis ſuis: *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego*
1. *Chriſti.* Iam nunc Epiſcopi cathedras tenent duodecim
Apoſtolorum. Si imitantur Apoſtolos in fide, & opere, &
prædicatione: & ipſi Eccleſia ſunt, quia in doctrina Apo-
ſtolorum ſunt: & Baptiſmata, quæ per manus illorum
fiunt, ipſi dicuntur baptizati intra Eccleſiam, quia nemi-
nem baptizant, niſi tantum eos, qui nomen ſuum dant.
Quos etiam inſtruunt in fide & opere, qualiter credant, &
qualiter viuant: ita vt ore proprio profiteantur Apoſtoli-
B cum fidei ſymbolum. *Credere in Deum Patrem omnipoten-
tem. Et in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum Deum, &
Dominum noſtrum: qui natus eſt de Spiritu ſancto ex Ma-
ria Virgine. Et in Spiritum ſanctum. In qua fide bapti
zati* ſunt & abrenuntiant diabolo, & angelis eius, operi-
bus eius, & imperiis eius.

Ex ipſis baptizatis alij traduntur ſcholæ, & offeruntur
à parentibus Chriſto, vt poſſint futuri eſſe Sacerdotes, &
ſeruiant Chriſto. Alij tantum doctrinæ traduntur, vt le-
gant, & cognoſcant Chriſtum, & accipiant cum benedi-
ctione intra Eccleſiam vxores, vt ſeruiant coniugio: quia
hoc bonum eſt, & intra Eccleſiam eius. Sed illud melius
eſt, quod Sacerdotium eſt: quod intra Eccleſiam eſt: &
per ſe Eccleſia eſt. Sed & iſta bona eſt quæ nobis marty-
res & ſacerdotes, virgines, & confeſſores generant, &
viuunt coniugati, ſecundum Apoſtolum Paulum, qui di-
1. Cor. 7. cit: *De virginibus præceptum Domini non habeo, conſi-*
25. *lium autem do, tanquam miſericordiam conſequutus à Do-
mino, vt ſim fidelis. Exiſtimo enim hoc bonum eſſe propter*
C *inſtantem neceſſitatem: quoniam bonum eſt homini ſic eſſe.
Alligatus es vxori: noli quærere ſolutionem. Solutus es ab
vxore, noli quærere vxorem. Si autem acceperis vxorem,
non peccaſti. Et ſi nupſit virgo non peccauit. Tribulatio-
nem autem carnis habebunt huiuſmodi. Ego autem vobis
parco. Hoc itaque fratres tempus breue eſt. Reliquum eſt,
vt qui habent vxores, ſint tanquam non habeates. Et qui
flent, tanquam non flentes. Et qui gaudent, tanquam non
gaudentes. Et qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtan-
tur. Præterit enim figura huius mundi. Volo autem vos ſine
ſolicitudine eſſe.* Coniugati, qui hoc præceptum ſeruant
Apoſtoli, intra Eccleſiam ſunt, quia ſub diſciplina Apo-
ſtolorum ſunt. Si aliquis inter eos deliquerit, ſicut ab Ec-
cleſia excommunicatur, ita & ab eis non recipitur. Deci-
mas ſuas rectè dant Deo, hoſpitibus pedes lauant. Paupe-
ribus miniſtrant: Sacerdotibus honorem impendunt: &
facultatulam ſuam cum ipſis communicant: quia eos
futuros hæredes habere expectant. Coniugibus ſuis non
propter libidinem, ſed propter procreationem filiorum
D vtuntur: Et cum omnibus hominibus in tanta caritate
viuunt, vt Monachi eſſe putentur. Hi intra Eccleſiam ſunt:
Matt. 25. Hi in die iudicij à Domino audituri ſunt: *Venite benedicti*
34. *Patris mei, percipite regnum quod vobis præparatum eſt ab
origine mundi. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare,
Sitiui, & dediſtis mihi bibere. Hoſpes eram & collegiſtis
me. Nudus, & operuiſtis me. Infirmus & viſitaſtis me. In
carcere eram, & veniſtis ad me. Quia quod vni de his fra-*
Matt. 12. *tribus meis minimis feciſtis, mihi feciſtis.* Hi ſunt fratres Do-
50. mini, de quibus dicit: *Qui facit voluntatem patris mei, qui
in cælis eſt, ille mihi mater, & frater, & ſoror eſt.*

Nam ſi ſcire vultis quid eſt voluntas Patris, nihil aliud
Ioan. 6. inuenire poſſumus, niſi *vt credamus in eum, quem miſit ille,*
40. id eſt, credamus filium eius Ieſum Chriſtum verum eſſe
Deum. Timeamus, adoremus, imitemur, & amemus, quia
ipſe eſt verus Deus, & vita æterna: ſicut ipſe in Euange-
Ioan. 17. lio dicit: *Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te ve-*
3. *rum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Hic eſt verus

Deus, & vita æterna. Ecce Eccleſia quem credit, ad eum E
tendit: & quidquid agit, per Eccleſiaſticam doctrinam
agit: & quidquid petit, in nomine Ieſu petit, vt cum Ieſu
æterni ſint, & intra Eccleſiam baptizentur, in cuius pace
perſeuerant: per quam & ſaluifiunt. Nam qui contra
hanc Eccleſiam agit, ſaluus eſſe non poteſt, niſi ad eam
redierit, vt per ipſam ſaluetur. Omnes intra eam per eam
ſaluari credo: extra illam, licet quanta bona quis videa-
tur agere, etiamſi pro Chriſti nomine ſanguinem fundat,
ſaluus eſſe non poterit, niſi ad Eccleſiam Catholicam re-
dierit: quæ ſola rectè credit Deum: & ſola diligit proxi
mum: Sola patitur pro Chriſto. Sola moritur pro eo.
Dominare ſemper vult vitiis non fratribus. Quotidie le-
gem Dei adimplet, quia quotidie in caritate eſt. Et quan-
tum plus intelligit, tantum plus laborat. Cum omnibus
patitur, quia cum omnibus triſtatur. Hæc illa pars non
agit, quam ſupra diximus, quæ extra Eccleſiam eſt. Id eſt
hæretici, & populus eius malus, quæ ab eis Sacramenta
Eccleſiæ accipiunt: & doctrinam ſalutis, nec ipſi habent,
nec illis proferunt. Corpora ſunt, ſed non ſe inuicem di- F
ligunt, quia auerſionem habent ab ſis, quorum mem-
bra ſunt. De quibus Paulus Apoſtolus Theſſalonicenſi- 1. Theſſ.
bus narrat, cum putarent, quod tempore Pauli eſſet dies 4. 14.
iudicij, eo quod eis ſcripſerit: *Nos, qui viuimus, qui relin-* 2. Theſſ.
quimur in aduentum Domini, non præueniemus eos, qui an- 2. 1.
tea dormierunt. Ad hæc illi conturbati, ſcripſit eis poſtea,
dicens: *Rogamus autem vos fratres per aduentum Domini
noſtri Ieſu Chriſti, & noſtræ congregationis in ipſum, vt non
cito moueamini à veſtro ſenſu, neque terreamini, neque per
ſpiritum, neque per ſermonem, neque per epiſtolam tanquam
per nos miſſam quaſi inſtet dies Domini, ne quis vos ſedu-
cat vllo modo. Quia niſi venerit primum diſceſſio & reue-
latus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduerſatur,
& extollitur ſuper omne quod dicitur Deus, aut colitur: ita
vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus.
Meminiſſe debetis, quia ego adhuc, cum apud vos eſſem, hæc
dicebam vobis: & nunc quid detineat ſcitis, vt reueletur
in ſuo tempore. Nam myſterium operatur iniquitatis.* Ac
ſi apertè diceret, Tunc Antichriſtus manifeſtè videbitur. G
Nam in cordibus iniquorum, ſecreta ſua iam nunc occul-
tus operatur. Vt enim de apertioribus criminibus taceam,
illa, quæ ſub ſpecie fiunt, dicam: Ecce alius fratri tacitus
inuidet: & ſi occaſionem inueniat, eum ſupplantare con-
tendit, cuius alterius membrum eſt; niſi eius, de quo
ſcriptum eſt? *Inuidia diaboli mors intrauit in orbem* Sap. 2.
terrarum. 24.

Alius ſe magni meriti eſſe exiſtimans, per tumorem
cordis cunctis ſe præferens, omnes ſibi inferiores credit
cuius alterius membrum eſt, niſi eius, de quo ſcriptum eſt?
Omne ſublime videt: & ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſu- Iob. 41.
perbiæ. Alius honorem quærit, vt cæteris præſit: non quod 25.
aliis proſit, ſed quod ipſe alteri ſubditus non ſit. Cuius al-
terius membrum eſt, niſi eius, de quo ſcriptum eſt, qui di-
xit? *Sedebo in monte teſtamentorum lateribus aquilonis, aſ-* Eſa. 14.
cendam ſuper altitudinem nubium, & ero ſimilis altiſſimo. 14.
Hanc ergo regulam diabolus inſtituit membris ſuis; quod
ſimulacrum ſub nomine Chriſtianitatis in Eccleſia finxit;
quæ tamen pars foras Eccleſiam eſt. Eccleſia dominari
non vult, ſed ſeruire. Solus quippe Altiſſimus ita domina-
tur ſuper omnia, vt alteri * *ſub ſe* non poſſit quem dia- * *ſubeſſe.*
bolus imitari peruersè voluit, cum ſuum * *dominium* * *domi-
nium.*
quærens, ei ſubeſſe recuſauit. Adipiſcere voluit omni-
potentiam per rapinam, quam Dominus habebat per
naturam.

Proinde *Dominus noſter Ieſus Chriſtus, cum eſſet in for-* Philip. 2.
ma Dei, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: 6.
*ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens in ſimili-
tudinem hominum factus & habitu inuentus, vt homo.* Et vt
nobis humilitatis, & caritatis præberet exemplum, non
alteros humiliauit, ſed ſemetipſum. Nam cum eſſet vni-
genitus ſecundum diuinitatis excellentiam, & ſine fratri-
bus pro nobis etiam factus eſt primogenitus ſecundum
ſuſceptionem hominis, in qua per adoptionem gratiæ
fratres habere dignatus eſt, quibus eſſet primogenitus: de Pſal. 132.
quibus ipſe per Prophetam dicit: *Ecce quam bonum,* 1.

&

A *& quam incundum, habitare fratres in vnum.* Fratres hic
Pſal 81. 25. non corporales dicit, ſed fratres ſpirituales. Fratres, de
Matt.28. 10. quibus idem Dominus Patri dicit: *Narrabo nomen tuum*
fratribus meis. Fratres, de quibus loquebatur mulieribus:
Matt.28. 10. *Ite nuntiate fratribus meis.* Verè bonum, & verè incun-
dum habitare fratres in vnum. Vnum fratrem dimiſimus
in ſeculo: Ecce quantos inuenimus in Monaſterio. Frater
meus ſecularis non tantum me amabat, quantum ſub-
ſtantiam meam. Cæterum fratres ſpirituales, qui ſua vtri-
que negligunt, aliena non quærunt. Sic & in Actibus
Act.4.32. Apoſtolorum legimus, *quoniam multitudinis credentium*
erat cor vnum, & anima vna. Et erant, inquit, *illis omnia*
communia, quia communem Chriſtum poſſidebant.

Hanc regulam, quam tenet nunc Eccleſia, ab ipſo deſ-
cendit capite, cuius & corpus eſt, ſecundum Apoſtolum
Coloſſ.2. 19. qui dicit: *Ex quo totum corpus per nexus, & coniunctiones*
subminiſtratum, & constructum creſcit in augmentum Dei.
Corpus illius ſummi capitis Chriſti, nos omnes fideles
eius ſumus. Per nexus vero, & coniunctiones corpus
B ligatur: quia dum capiti pectus, dum pectori brachia,
dum brachiis manus, dum manibus digiti ſunt coniuncti
ac membra cætera membris inhærent, corpus omne per-
ficitur: Sic ſancti Apoſtoli; quia redemptori noſtro pro-
pinqui extiterunt, quaſi pectus capiti inerant. Quos quia
martyres ſunt ſecuti; quaſi coniuncta brachia pectori
fuerunt. Quibus dum paſtores, & doctores ſubiuncti ſunt
* ſ. innixerunt. per bona opera, manus brachiis * inituerunt. Hoc vero
omne corpus redemptoris noſtri quotidie per nexus, &
coniunctiones ſubminiſtratur in cœlo: quia cum ad eum
illuc electæ animæ ducuntur, ei ſua membra colligantur.
Coloſſ.2. 9. De quo bene dicitur: *Subminiſtratum, & constructum creſ-*
cit in augmentum Dei. Quia Deus omnipotens redemptor
noſter, qui in ſe, quo perficiat non habet, adhuc per mem-
bra ſua quotidie augmentum habet. Vnde rurſus ſcriptum
Ephes.4. 13. eſt: *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in men-*
ſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Hoc totum per paſſio-
nem carnis, & compaſſionem mentis complet Eccleſia.
Et cum hic patitur corpus, patitur caput, cuius eſt corpus.
C Paulo Apoſtolo atteſtante qui ait: *Quotidie adimpleo ea,*
Coloſſ.1. 24. *quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea, pro corpore eius,*
quod eſt Eccleſia.

Dominus, ac redemptor noſter cum ſancta Eccleſia,
quam redemit ſecundum carnem vna ſubſtantia eſt. Illius
capitis corpus Eccleſia eſt: & huius corporis caput eſt
Chriſtus. De quo ſuo capite exultat corpus, id eſt, ſancta
Pſal.26. 6. Eccleſia, cum per Pſalmiſtam dicit: *Nunc autem exulta-*
uit caput meum ſuper inimicos meos. Quia enim quan-
doque ipſa etiam exaltanda eſt, iam nunc caput ſuum
ſuper inimicos exaltatum gaudet in cœlis. Cum ergo
electi, quique ad vitam perueniunt, quia membra eius,
per eum intrant ad eum; Ipſe per ſe intrat ad ſe. Ipſe enim
in membris ſuis eſt, qui intrat. Ipſe caput, ad quod in-
trantia membra perueniunt. Accipite ergo, deſcendit re-
gula, quam tenent membra eius Eccleſia, quod eſt in
caritate vnum corpus ſummi capitis, à quo accipit Spiri-
Pſal.132. 2. tum ſanctum, ſecundum Pſalmiſtæ vocem dicentis: *Sicut*
D *vnguentum à capite, quod deſcendit in barbam, barbam*
Aaron. Vide ergo quid dicat vnguentum. Vnguentum
gratia eſt: benedictio eſt Diuinitatis. Sicut benedictio
vnguenti de capite, hoc eſt de diuinitate in Chriſto. Ca-
put Chriſti Deus: Caput Eccleſiæ Chriſtus. Deſcendit
vnguentum in homine Chriſto. Deſcendit de Chriſto in
oram veſtimenti eius, quod eſt Eccleſia. Vnguentum de
capite, quod deſcendit in barbam. Barba enim virilitatis
indicium eſt. Caput ergo diuinitatis dicitur, ſicut diximus,
ex quo deſcendit vnguentum in barbam Aaron, id eſt, in
Chriſto qui eſt caput Eccleſiæ. Barba vero, vt diximus,
virum indicat, in quo perueniamus in virum perfectum,
Pſal.131. 3. qui eſt Chriſtus. Et poſtquam in illam barbam *deſcendit,*
Ibid. ipſum vnguentum *in oram veſtimenti eius;* Sic benedictio,
& ros in Hermon, deſcendit in montem Sion. Hermon in
lingua noſtra interpretatur *anathema,* quod eſt Iudæorum
populus, Ros ergo, id eſt, benedictio Domini ante fuit in
populo Iudæorum, qui poſtea anathematizati ſunt. Et
benedictio illa, quæ antea deſcendebat in populo anathe-
matizato, poſtea deſcendit in montem Sion, hoc eſt, Ec- E
cleſiam, quæ corpus eſt Chriſti. In quo capite Eccleſiæ
deſcendit vnguentum, vt Pſalmiſta ait de eo: *Dilexiſti* Pſal.44. 8.
iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus
Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis. Participes
ſunt Apoſtoli Chriſto: ſed Apoſtoli ad menſuram acce-
perunt Spiritum ſanctum. In Chriſto vero omnis pleni-
tudo Spiritus ſancti deſcendit, quia ſolus ſine peccato: &
de ipſa plenitudine illius acceperunt Apoſtoli.

Audiſtis, quid dixit: *Dilexiſti iuſtitiam.* Sed & con-
trarium videre, quid dicat? Et odiſti iniquitatem. Pro his
virtutibus quid accepit, audite: *Propterea,* inquit, *vnxit* Pſal.44.
te Dominus Deus tuus oleo exultationis præ participibus 8.
tuis. Hoc ad Chriſtum dicitur. Ieſu Chriſte tu vnctus es, Ibidem.
vt cæteros vngeres vnguento, *quod deſcendit in barbam,* Pſal.130.
in barbam, inquit, *Aaron.* Quod vnguentum in capite eſt, 3.
deſcendit in barbam. Id eſt, à vero Deo deſcendit ad ho-
minem, quem dignatus es aſſumere. Et de homine, quem
aſſumpſit, deſcendit in oram veſtimenti eius, quod ſumus
nos. Et quantum nobis prodeſt barba iſta ſancta, & vir F
iſte perfectus, videamus. Et qui ſunt illi qui proficiunt, in
quos deſcendit in oram veſtimenti eius, qui poſſunt eſſe
veſtimentum Chriſti. Et cum fuerint veſtimentum Chriſti,
tunc & ipſe Chriſtus verum eſt illorum veſtimentum, &
induunt Chriſtum. Nos, ſi veſtimentum Chriſti ſumus, nu-
ditatem eius noſtra veſtimus fide. Ecce nudus pendet in
cruce *ſcandalum Iudæis, Gentibus ſtultitiam.* Et tamen 1.Cor.1.
noſtra fide, & ſermone, & confeſſione vel veſtimus nudi- 23.
tatem eius, & dicimus. Dominus Deus noſter eſt qui
nudus pendet in cruce. Filius Dei verus eſt, qui illuſiones,
& deriſiones patitur nudus in cruce, vt nos veſtiti ſimus
eius nuditate.

Quum audiunt nos Iudæi iſta dicere, contin[illegible]
ſuas, & deridens nos, qui talem Deum habemus, qui nu-
dus pependit in cruce. Recedimus ab inuicem in tantum,
vt nec illi recipiant nos, nec nos illos. Vnum hoſtem fu-
gimus Iudæos, & multos hoſtes inuenimus intra domum,
hæreticos peiores, quam Iudæos. Iudæi ſemel negant, &
dicunt: iſte, quem dicitis, qui nudus pependit in cruce, G
non eſt Deus. Cum nos eis dicimus, quis eſt. Reſpondent,
& dicunt, homo eſt: nam ſi Deus eſſet, non diceret: *Deus,* Matt.27.
Deus meus, quare me dereliquiſti. Et ideo non debetis 46.
tam abſurde dicere Deum: ſed tantum filium adoptiuum, Matt.15. 34.
ſicut & nos ſumus adoptiui: quia nec vnus Deus eſt, qui
nudus pendet in cruce, nec verus filius Dei. Iniuriam fa-
citis Deo de tali fide. Nam nos honoramus Deum, qui
recte dicimus, quod Deus ad tantam iniuriam non de-
ſcendit. * Sermo eſt, qui patitur. Seruus Dei eſt, qui pa- * Seruus.
titur; ipſo de ſe dicente: *O Domine ego ſeruus tuus: Ego* Pſal.115.
ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ. Et Dominus ei dicit: *Ecce* 16.
ſeruus meus, ſuſcipiam eum. Cum hoc verum dicat ſcriptu- Eſa.14. 1.
ra, quomodo vos poteſtis firmare, cum homo nudus, qui
pendet in cruce, à Deo ſe derelictum clamitet, & Deus
ſit. Ecce & iſtos inuenimus ſimiles Iudæorum: quia illi
nudauerunt Chriſtum, & nudum eum impoſuerunt in
crucem & ibi mortuus pependit. Et ipſa nuditas, crux
& mors facit ſcandalum Iudæis, & dicunt: Non eſt Deus.
Hoc dicunt & iſti hæretici. Non eſt Deus. Nudauerunt H
illi Chriſtum veſtimentis, nudant & iſti fide. Illis fecit
ſcandalum Chriſti nuditas: iſtis facit ſcandalum Chriſti
humilitas. Non ſunt ergo iſti veſtimentum Chriſti, qui
non veſtiunt Chriſtum ſua fide: Sed eum cum Iudæis nu-
dant ſua infidelitate. Illi Deum Iſraël laudabant, & ipſum
Deum Iſraël negabant, quem nudum cruci affigebant. Et
iſti Chriſtum laudant & ipſum Chriſtum, qui nudus pe-
pendit in cruce, Deum Iſraël eſſe negant: & vtrique po-
pulum Domini ſe exiſtimant eſſe: & vtrique meliores ſe
nobis profitentur in fide: & vtrique dicunt: Nos ſumus
Iſraël, qui Deum recte credimus. Nam vos bruta, & inſen-
ſati, qui hominem, qui mortuus eſt, habetis Deum. Et
quia Iſraël, *videns Deum* dicitur, vtrique ſe Iſraël profiten-
tur: vtrique ſe filios Dei aſſerunt. Sed Dominus eos per
Eſaiam Prophetam redarguit, dicens: *Filios enutriui, &* Iſa.1.2.
exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me. Cognouit bos poſſeſſo-
rem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui: Iſraël autem non

me

A *me cognouit : populus meus me non intellexit.* Et meum populum dicit,& me non intellexit,neque cognouit.Non intelligit Deum, qui non intelligit Chriſtum, quia Chriſtus eſt Deus. Non cognoſcit Deum Iſraël, qui non cognoſcit Chriſtum, quia Chriſtus eſt Deus Iſrael. Non eſt mundus corde.qui non videt Deum factorem cœli & terræ:qui non credit Chriſtum,quia Chriſtus eſt Deus factor cœli, & terræ. Et inde non videt Deum, quia mundum
Matt.5. 8. non habent cor. *Beati*, Inquit, *mundo corde,quoniam ipſi Deum videbunt.*

Reſtat ergo,vt qui non intelligunt, non vident : & qui non vident,in tenebris ambulant.Vnde & Pſalmiſta dicit:
Pſal.81. 5. *Neſcierunt, neque intellexerunt qui in tenebris ambulant.* Et qui in tenebris ambulant, in die non ambulant, qood eſt Chriſtus, & Eccleſia:nec dicere poſſunt illom verſicu-
Pſal.117. 24. lum Pſalmi : *Hæc eſt dies,quem fecit Dominus ; exultemus & lætemur in eo.* Et quia dies,& nox vna dies dicitur,quia de ſole vſque ad alterum orientem ſolem,diem & noctem includit,& vnus dies dicitur : ſic Eccleſia,& hæreticorum
B prauitas lux, & tenebræ eſt, & vna Eccleſia nuncupatur. vtrique vnum Euangelium legunt : Sed vtrique veſtimentum Chriſti eſſe non poſſunt. Cum vnus fide tegit nuditatem Chriſti, alter infidelitate nudum prædicat Chriſtum, cum dicit, *Homo eſt : non eſt Deus. Non eſt ipſe qui fecit cælum, & terram.* Alter non nudum : ſed veſte indutum cum prædicat, quia dicit Deus eſt homo: & ipſe fecit cœlum, & terram, qui in cruce pendet inter cœlum, & terram. Hoc tantum Eccleſia poteſt dicere de Chriſto capite, cuius ipſa eſt corpus : quia ipſam ſuo ſanguine pretioſo redemit, vt eam ſibi copularet per ſanguinem ; & Chriſtus indueret eam : & illa Chriſtum : ſicut
Epheſ.5. 27. Paulus Apoſtolus de ipſo loquitur ad Epheſios : *Vt exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam.* Maculam quippe, & rugam non habet : quia & turpitudine operis, & duplicitate ſermonis caret. Non habentem, inquit, maculam aut rugam. Id eſt, nec per peccatum habentem maculam, nec per duplicitatem rugam. Quia & per iuſtitiam munda eſt, & per ſimplicem
C intentionem extenſa. Quæ ergo abluta eſt, ne maculam habeat,extenſa eſt,ne habeat rugam : Vtique veſtis Chriſti eſt. Sicut enim indumentum Chriſti tota generaliter Eccleſia dicitur : ſic indumentum ſunt Eccleſiæ ſingulorum animæ, quæ ab errore conuerſæ eandem Eccleſiam credendo,eique fideliter inhærendo, circundant. De qui-
Eſa.49. 16. bus eidem Eccleſiæ per prophetam Dominus dicit : *Viuo ego, quia omnibus his, velut ornamento veſtieris.*

Ecce quomodo eſt Eccleſia per fidem & conuerſionem,& opera bona veſtimentum Chriſti. Ecce quomodo ſingulorum animæ,quæ per prædicationem Eccleſiæ conuertuntur & credunt,quod tantum in ea ſit remiſſio peccatorum,& Inhærent ei fideliter, veſtimentum ſunt ipſius Eccleſiæ. Veſtimentum ſunt Eccleſiæ animæ in vnum collectæ. Veſtimentum eſt Chriſti tota Eccleſia : & veſtimentum eſt Chriſtus totius Eccleſiæ. Rem vobis dico nouam:immo non nouam,ſed de ſcripturis,quia veſtimentum Chriſti ſumus. Et cum illum noſtra confeſſione, & fide veſtimus,tunc iterum nos ipſum Chriſtum induimus. Dicit enim & Apoſtolus, quod veſtimentum noſtrum
D Chriſtus ſit. *Quicumque*,inquit, *baptizati eſtis in Chriſto,*
Gal.3.27. *Chriſtum induiſtis.* Quando enim baptizamur, induimur & veſtimur.

Hoc totum quare dixi ? Vt oſtenderem credentes veſtimentum eſſe Chriſti, quod deſcendit in oram veſtimenti eius : quod deſcendit in barbam, in barbam Aaron. Sic enim Aaron Sacerdos hunc Sacerdotem noſtrum præfigurauit Chriſtum : & octo eius veſtimenta omnis omnino Eccleſia. Figura illa veſtimentorum nos ſumus ſecun-
1.Cor.10. 11. dum Apoſtolum, *in quos fines ſæculorum decurrit:quia iſta illis in figura contingebant:*quæ nobis in veritate completa ſunt. Siquidem Pontifex octo hàbet,vt diximus, ſpecies
Exod.28. 4. veſtimentorum.Longum eſt dicere de Ephod:de tunica,de zona,de caleoulis, de femoralibus, de fimbriis, de ſoccis, de tintinnabulis : quibus virtutibus Sacerdos debeat ingredi templum Domini, & in ſancta ſanctorum. Et nos ergo ſi voluerimus de veſtimento eſſe iſto ſacerdotali, aut ſuperhumerale ſimus, quod Interpretatur Ephod, vt habeamus bona opera : & in humeris noſtris Chriſti mandata portemus ; aut certè tunica debemus eſſe interior: E
quæ tunica ſtricta eſt, & adhæret corpori. Non eſt laxa; non funditur,ſed adhæret tota ad corpus. Vides ergo,quia quicumque interior eſt,& interior tunica, vicinius iungitur corpori.

Longum eſt dicere de rationibus, & de manifeſtationibus. Si quis vero rationale eſt, quod dicitur, Logion, non eſt alibi,niſi in pectore. Quod ratione dictum, vel factum eſt,rationale dicitur. Quod vero ſine ratione dictum, vel factum, rationale dici non poteſt. Intelliges ſcripturæ ordinem : Quicumque rationabilis eſt, Ephod eſt ; id eſt, veſtimentum ſuper humerale : & in pectore, quod eſt prudentia. Cæterum fieri poteſt, vt aliquis habeat prudentiam, vt habeat * augon, hoc eſt, logion, * F. augon, logion.
quod latinè dicitur rationabilitas, & non habeat Ermonem,hoc eſt,manifeſtationem. Quicunque ergo verus Sa- * F. Sermonem.
cerdos eſt, debet eſſe rationabilis ; debet habere manife-
ſtationes : hoc eſt, quodcumque manifeſtum proferat : & F
omnes doceat.

Et hæc omnia forſitan faciat, ſi caſtitas cauta & ornata non fuerit, & omnes fluxus carnis non mortificauerit, vt cingat lumbos ſuos & mortificet. Deinde femoralia debet habere;vt quodcumque In nates ignominioſum eſt,& ſordidum, quaſi hoc cingulo mundetur, & mortificetur. Deinde dicitur, quoniam debemus habere * pho- * poderem.
dere : Id eſt, veſtimentum tunicæ vſque ad pedes. Phodere qood ordinet, quaſi pedes noſtros. Et in ipſo Phodere diuerſi flores ſunt. Sunt ibi malogranata.Sunt etiam fimbriæ.Ego puto ; quod & illa mulier ſanguinem fluens, ideo ſanata eſt, eo quod ſtatim fimbriam tetigerit. Hoc totum quare dico? vt bonum opus,quod inchoamus,vſque ad finem perſeueremus:quod eſt vſque ad pedes,ſi Chriſti veſtimentum eſſe deſideramus.

Deinde conſiderate, quoniam ad extremos pedes inter malogranata erant & tintinnabula : & non ingrediebatur Pontifex in ſancta ſanctorum, niſi illa tintin-
nabula perſonarent. Et quid ſancta ſanctorum ingredi, G
niſi ille interior ſpiritualis intellectus, vbi cum Domino loquitur.

Et illa tintinnabula,& illa malogranata diuerſitates virtutum ſunt : & Sacerdos, id eſt, Pontifex ; qui omnem Eccleſiam in typo Chriſti tanquam veſtimentum in ſe portat, debet prius diuerſarum virtutum eius opera, tanquam tintinnabula per omnem Eccleſiã reſonare:& tunc ad eius omnes congregentur imitationem : & ſic ſancta ſanctorum ingrediatur,vt quod intus de Domino audierit, foris populo loquatur, ſecundum Domini dictum in
Euangelio : *Vt videant opera veſtra bona, & glorificent pa-* Matt.5. 16.
trem veſtrum,qui in cælis eſt. Et cum hæc fuerit, Eccleſia
erit : mons Sion erit *quoniam illic mandauit Dominus be-* Pſal.132. 3.
nedictionem. Id eſt, vnguentum illud quod deſcendit de
capite diuinitatis *in barbam, barbam Aaron : quod deſ-* Ibid.
cendit in oram veſtimenti eius, quod eſt Chriſtus : & peruenit ad montem Sion illa benedictio roris, quæ deſcenderat in Hermon, hoc eſt, in populo Iudæorum peruenit ad Eccleſiam, quod eſt,mons Sion : quoniam in ea man-
dauit Dominus hanc benedictionem & vitam vſque in H
æternum. Vita Chriſtus eſt. Qui confitetur Chriſtum, habebit vitam vſque in ſæculum ſæculi. Nos tamen ſi de Eccleſia ſumus, Eccleſiam defendimus, & in dogmatum veritate ſtamus, in ædificio Chriſti ſumos. Illi vero, qui non ſunt in Eccleſia,aduerſantur Chriſti Eccleſiæ. Si ergo ſumus in Eccleſia, ſi habemus fidem Eccleſiæ,fidem Apoſtolorum, fidem Chriſti,dogmatum, veritatis, montes ſumus Sion.

Dominus noſter Ieſus Chriſtus mons montium eſt; non vnus de montibus, vt hæreticus aſſerit Elipandus. Nam cum ſingulariter mons dicitur, aut ſingulariter Dominus,aut ſingulariter Deus, aut ſingulariter Chriſtus,aut ſingulariter Pontifex,aut ſingulariter Sacerdos, aut ſingulariter hoſtia,aut ſingulariter agnus, aut ſingulariter lapis, aut ſingulariter petra, & cætera huiuſmodi ſimilia, aut certè ſingulariter ſeruus,aut ſingulariter pauper, ſolus ipſe

A in ſua perſona intelligendus eſt; vt & in ipſa humilitate,
quæ à nobis figuraliter prædicatur, nullus ei ſimilis præ-
dicetur. Nam & homines ſancti multi ſunt, qui ei cre-
dendo efficiuntur ſancti. Ab eo dicuntur dij, ab eo do-
mini, ab eo Chriſti, ab eo Pontifices, ab eo Sacerdotes,
ab eo hoſtiæ, ab eo agni, ab eo lapides viui, ab eo fortes
petræ. Propter hoc ille factus eſt Patris ſeruus, vt nos de
multis dominis liberaret: Id eſt, de multis Idolis, & ipſum
ſolum haberemus dominum, qui propter nos factus eſt
ſeruus: & eſſemus liberi per ipſum, qui ſolus inter mor-
tuos eſt liber: & nos ad hanc ingenuitatem perduxit. Et
ſine dubio ſumma ingenuitas creditur, in quo Chriſti ſer-
uitus comprobatur. Propter nos factus eſt pauper, vt nos
eius paupertate efficeremur diuites. Et quid eſt eius pau-
pertas, niſi eius humanitas? Et quid ſunt noſtræ diuitiæ,
niſi eius humanitas? Quod infirmum eſt Dei, fortius eſt
hominibus. Vbi ille deſcendit, illic nos aſcendimus. Vbi
ſe ille inclinauit, ibi nos erexit. Vbi ille pœnam perpeſſus
eſt, ibi nos à pœna liberauit. Vbi ille mortuus eſt, ibi nos
B viuificauit. Vbi ille reſurrexit, ibi nos ſuſcitauit. Vbi ille
aſcendit, ibi nos ſecum leuauit. Vbi pater eum exaltauit,
Rom. 8. 32. & donauit illi nomen, & nos cum illo exaltauit: *Et cum
illo nobis omnia donauit:* quia & ipſum nobis Pater dedit,
& nos illi donauit: & illum à parte dexteræ ſuæ colloca-
uit: & nos corpus eius cum capite ſedere fecit.

Et cum ſit caput & corpus vna ſubſtantia, tamen mul-
tum diſtat inter caput, & corpus; cum tantum vnum ſen-
ſum habeat communem, & cæteros quatuor ſolum ſibi
vindicat caput. Multum ergo diſtat inter Chriſtum ho-
minem, & omnem omnino ſanctorum multitudinem,
qui de Adam ducit originem, cum omnibus virtuti-
bus ſoli homini Chriſto non poterit comparari, aut
æquari totus ille exercitus, Solus Chriſtus ſine illis po-
terat eſſe: toti illi ſine Chriſto, nec viuere poſſunt,
nec eſſe.

Hoc totum quare diximus? Quia montem Sion figu-
raliter Eccleſiam nuncupauimus. Poſſumus ſingulariter
dicere montem Sion vnam Eccleſiam, quod eſt vnum
C corpus Chriſti. Poſſumus dicere, & ipſam montes, &
Eccleſias. Chriſtum vero ſolum, non poſſumus dicere
Chriſtum, & Chriſtos: montem, & montes, Dominum &
Dominos: Deum, & Deos: ſeruum, & ſeruos: pauperem,
& pauperes: paruulum, & paruulos: circumciſum, & cir-
cumciſos: baptizatum, & baptizatos: flagellatum, & fla-
gellatos: mortuum, & mortuos. Solus ille pro omnibus
mortuus. Solus ille pro omnibus iſta perpeſſus. Nullus
ſanctorum pro altero mortuus eſt. Nam cum Ioannes
1. Ioan. 3. 16. Apoſtolus dicat: *Sicut Chriſtus pro nobis animam poſuit,
& nos debemus pro fratribus animam ponere.* Poteſt qui-
dem quilibet facere compatiendo: nam nullus potuit
hoc facere moriendo, & reſurgendo, niſi ſolus Chriſtus:
Solus ſine peccato. Nam omnes ſancti poſſunt dicere illud
Pſal. 50. 7. Dauidicum. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, &
in peccatis concepit me mater mea.* Chriſtus hunc verſicu-
Ioan. 14. 30. lum nunquam dixit. Sed quid dixit: *Venit princeps huius
mundi & in me nihil inuenit*, id eſt, nihil peccati in me
inuenit. Et ideo qui ſolus homo ſine peccato eſt, nullus
ei hominum ſimilis inuenitur. Qui ſolus caput eſt, ſuper
D omne corpus eſt. Qui ſingulariter mons eſt ſuper omnes
Mich. 4. montes eſt, Propheta Michea atteſtante, qui ait: *In nouiſſi-
mo dierum erit mons domus Domini præparatus in vertice
montium: & ſublimis erit ſuper colles: & confluent ad
Eſa. 2. 2. eum populi: & properabunt gentes multæ, & dicent. Venite,
aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob,
& docebit nos de viis ſuis, & ibimus in ſemitis eius.* Pſal-
miſta quoque de eo monte, & de cæteris montibus, in 67.
Pſal. 67. 17. Pſalmo dicit: *Vt quid ſuſpicamini montes incaſeatos.*
* deeſt videtur, vel appoſite. Eum montem * *in quo beneplacuit Deo habitare in eo.*
Sicut ille dicitur mons: ſic montes illi. Sed longè alius
mons diſtat à montibus præparatis in cacumine mon-
tium. Montes itaque iſti, illum montem portando, glorioſi
2. Cor. 10. 17. ſunt, *vt qui gloriatur, in Domino glorietur*, non in ſe. Paulus
Gal. 6. 14. architectus dicit: *Mihi abſit gloriari, niſi in cruce Domini
noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt,
& ego mundo.* Vt quid ergo ſuſpicamini hos montes? Eum

montem, in quo placuit Deo habitare in eo. Non quia in E
ipſis montibus non habitat Deus. Habitat planè. Sed per
iſtum montem habitat in ipſis montibus Deus. In ipſo
quippe ſolo habitat omnis plenitudo diuinitatis corpora-
liter. Non habitat vmbraliter in illo diuinitas, tanquam
in templo à rege Salomone facto: ſed corporaliter. Non
ſicut in cœlo, aut in terra, aut in angelis, vel cæteris
ſanctis: ſed corporaliter in eo habitat, omnis plenitudo
diuinitatis, id eſt, Patris, & Spiritus ſancti. Qui & ipſe
Chriſtus per naturam diuinitas eſt. Et quanquam in an-
gelis, & in cæteris ſanctis habitet diuinitas, tamen nullus
eorum naturaliter diuinitas eſt, ſicut Chriſtus. Et quia
Chriſtus, & Pater, & Spiritus ſanctus vna diuinitas eſt; &
ipſe in Patre eſt, & Pater in illo eſt, & Spiritus ſanctus ab
vtroque procedit, ideo in ipſo habitat omnis plenitudo
diuinitatis corporaliter, id eſt, ſolide, atque veraciter, ſe-
cundum Pauli Apoſtoli dictum, qui ait: *Quoniam Deus* 2. Cor. 5.
erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi. Quod ſiue de 18. F
Patre dictum accipiamus, quoniam ipſe ait: *Pater autem*
in me manens ipſe facit opera. Et ego in Patre, & Pater in Ioan. 14. 10.
me: ſiue ita intelligatur, Deus erat in Chriſto, id eſt, ver-
bum erat in homine, hoc eſt, Deus erat homo. Sic erat
vtique Verbum in carne, vt Verbum caro factum ſolus
propriè diceretur, id eſt, homo Verbum in vna Chriſti per-
ſona copularetur. Vt quid ergo ſuſpicamini cæteros mon-
tes? Eum montem, in quo placuit Deu habitare in eo?
Longe aliter habitat in illis montibus pluraliter, aliter in
iſto ſingulariter. Quem ergo illorum montium hunc
montem ſuſpicamini? Nam quia & illi per adoptionis
gratiam filij Dei ſunt: ſed nullus ex illis eſt vnigenitus,
cui Pater diceret: *Sede ad dextram meam, donec ponam* Pſal. 109.
inimicos tuos ſub pedibus tuis. Nullus eorum abſtulit pec- 1.
cata mundi. De nullo eorum dictum eſt: *Verbum caro* Ioan. 1.
factum eſt, & habitauit in nobis. De nullo eorum dictum 14.
eſt: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene compla-* Matt. 17.
cui, ipſum audite. De nullo eorum legimus, quod ſit Do- 5.
minus maieſtatis: ſed de Chriſto Apoſtolus dixit, *quia* 1. Cor. 2.
Dominum maieſtatis crucifixerunt, quia neque appa- 8.
ruit Pater in mundo: ſed neque Spiritus ſanctus: ſed G
ſolum filium crucifixerunt vnicum Dei Patris verbum.

Cauendum ergo eſt, ne cum Verbum audis, multa co-
gites verba. Nam ſi multa verba cogites Patris, iam non
vnum filium, ſed multos filios intelliges. Caue ergo, ne te
ſonus capiat vocis humanæ, ſimilitudoque ſermonis. Aliud
eſt Verbum, quod tempora habet, quod ſyllabis colligatur,
quod litteris colligitur, quod ſonat, quod auribus auditur,
quod tempora habet & vnum verbum ſonat, pertranſit,
& fit interuallum ſilentij; & aliud formatur verbum &
ſequitur, vt audiatur, & intelligatur, quo explicito tertium
ſequatur: & vnum verbum alterum ſequendo, multa verba
efficiantur. Non tale verbum Patris filius vnicus: Non
tale verbum vnigenitus Deus. Incorporeus Deus Pater.
Vocem vtique incorporeus, corporalem non habet. Si
vox corporalis non eſt in Patre, nec filius verbum eſt cor-
porale. Et ideo non multa verba, nec multi filij: ſed vnum
verbum eſt æquale Patri, quod & gradum excludit, &
numerum. Et hoc dico quod lego, Et hoc credo, quod
profero. Nam quæ ſit huius natura Verbi, neſcio. Et neſ-
cio multo hoc melius, quam ſcio. Hoc ſolum bene ſcio, H
quando, hoc neſcio, quod ſcire non poſſum. Neque enim
Ioannes, quem lego aliud dicere potuit, quam quod au-
diuit. *Quod vidimus*, inquit, *& quod audiuimus.* Hoc ſo- 1. Ioan. 1.
lum bene ſe ſcire dixit, quod audiuit, & vidit, qui in 1.
Chriſti pectore recumbebat, Ergo illi ſatis eſt audire: mihi
non eſt ſatis: ſed quod ille audiuit, hoc mihi dixit. Et
quod audiuit à Chriſto, hoc nec ego poſſum negare ve-
rum eſſe de Chriſto. Ergo quod ille audiuit, hoc ego au-
diui. Quid audiuit?. Verbum. Quia dixit: *Quod fuit ab* Ibidem.
initio. Quod audiuimus. Deinde dicit: *Et vidimus.* Hoc
totum verum eſt, quia quod audiuit, & vidit. Quid vidit?
Non vtique diuinitatem, quæ ſecundum naturam ſuam
videri non poteſt. Vidit eum per naturam meam. Non
enim verbum alterum Filius eſt, & homo alterum: ſed ex
vtroque vnicus filius eſt.

Sed quia ſecundum naturam ſuam, nemo eum videre

poterat,

A poterat, ſuſcepit naturam viſibilem meam, vt ſecundum naturam corporis videretur. Denique & Spiritus ſanctus in ſpecie viſus eſt vt columba: quia videri diuinitas in ſuæ claritatis veritate non poterat: Quæ vtique vna inuiſibilitas Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, quia vna diuinitas eſt, & vnus Deus: Pater & Filius, & Spiritus ſanctus: Sed quia tres ſunt perſonæ Pater & Filius, & Spiritus ſanctus, hoc non habent commune, quod ſolus filius factus eſt homo propter homines redimendos. Quod ſolus Spiritus ſanctus ſuper hominem filium deſcendit in ſpecie columbæ, vt (Matt. 17. 5.) videretur: quod ſolus Pater clamauit: *Tu es filius meus dilectus* vt audiretur.

Sed illa columba, in qua Spiritus ſanctus apparuit, non dicitur Spiritus ſanctus, ſicut iſte homo à Verbo ſuſceptus dicitur filius. Illa columba non eſt Deus. Nam iſte homo Deus eſt. Illa vox Patris, quæ ſonuit corporaliter, non eſt Pater. Nam iſte corporalis, qui viſus eſt, filius Dei Patris vnicus eſt. Per ſubiectam creaturam locutus eſt Pater, non per ſuam ſubſtantiam, qua inuiſibilis Deus eſt. Per B ſubiectam creaturam apparuit Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ, non per ſuam naturam, qua inuiſibilis Deus eſt. Solus filius apparuit per ſemetipſum. Solus filius apparuit per ſubſtantiam ſuam hominibus. Non per illam apparuit, qua æqualis eſt Patri: ſed per illam qua miſſus venit à Patre, & Spiritu ſancto, ſolus Filius, qui ſemetipſum exinaniuit, id eſt, ſolus formam ſerui accepit. Noli igitur & tu ſecundum naturam interpretari, quod præter diuinitatis naturam eſt. Quod ſi credideris à Verbo carnem eſſe ſuſceptam, & offeras transfigurandum corpus Chriſti altaribus & non intellexeris, quod offertur, aut cui offertur: & non diſtinxeris naturam diuinitatis & corporis, ſtatim tibi Dominus dicit: ſi rectè offeras, & rectè non diuidas, peccaſti. Non dico, perſonam diuidas: ſed dico vt nemo in precibus vel Patrem pro Filio vel Filium pro Patre nominet. Et cum altario aſſiſtitur, ſemper ad Patrem dirigatur oratio. Et quicumque ſibi preces aliunde deſcribit, non eis vtatur, niſi prius eas cum inſtructioribus contulerit fratribus: id eſt preces, quas ſuggerit, à catholicis C prius imbuatur.

Solus ergo Filius eſt homo, qui & æqualis Patri eſt, ſemper in forma Dei, cui cum Patre hoſtiam offerimus: & ſolus formam ſerui accipiens Sacerdos factus eſt. Per quem hoſtiam viuam Deo placentem offerre poſſumus. Nec tamen à nobis offerri hoſtia potuiſſet, ſi Chriſtus pro nobis hoſtia factus non fuiſſet. In quo ipſa natura noſtri generis vera eſt hoſtia ſalutaris. Vt enim ipſe vnigenitus, qui verus naturaliter Deus eſt, verus fieret, & Sacerdos in perſona diuinitatis ſuæ, non accepit hominis perſonam, ſed naturam. Si enim naturam hominis cum perſona ſimul accepiſſet; in illo incarnationis myſterio non eſſet vnus Chriſtus in duabus naturis Deus & homo: ſed in duabus perſonis, alter eſſet Deus, alter homo. Sed ideo vnus eſt Chriſtus, vnus Dei, & hominis filius: quia ille vnigenitus Dominus, qui perſonam propriam ſemper habuit, in ipſa perſona ſua veritatem naturæ ſeruilis accepit. Proinde Chriſtus inſeparabilis permanet. Quia cum altera ſit in eo natura diuinitatis, altera vero D natura ſeruilis; in vno tamen, eodémque Chriſto illa perſona diuinitatis erat, ipſa vna eſt etiam humanitatis aſſumptæ. Propterea vnus, atque idem Chriſtus: quem & paulo minorem ab angelis oſtendit, accepit formam ſeruilem, æqualem Patri demonſtrat vnitas naturalis.

In quo Sacramento ſic offendunt hæretici quam maximé Ariani, vt attendentes in eo officium Sacerdotis, nolint celſitudinem Deitatis ſuſcipere. Quoniam ergo ſunt hæretici, qui filium cum Patre vnius diuinitatis eſſe non credunt.

Item ſunt alij, qui hominem natum Dei filium non confitentur: qui vtrique non Dei, ſed hominis aſſerunt eſſe Virginem genitricem, quia non per illum, inquit, qui de Virgine natus eſt, viſibilia, & inuiſibilia facta ſunt: ſed per illum quem ſibi genuit æqualem.

Iſti ſunt hæretici, vt Manichæi, qui veritatem carnis in Dei filio negare non metuerunt. Hunc locum congruè, E atque vtiliter Patres ſanctiſſimi poſuerunt. Nam cum nos oſtendimus per æternum Sacerdotem Dominum Chriſtum in noſtris orationibus offerre, veram in eo carnem noſtri generis confitemur: ſecundum illud, quod Apoſtolus dicit: *Omnis enim Pontifex ex hominibus adſumptus, pro hominibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum: vt offerat dona, & ſacrificia pro peccatis.* (Heb 8. 3.) Cum vero dicimus, *filium tuum*, & adiicimus: *Qui tecum ſumme pater viuit, & regnat in vnitate Spiritus ſancti*, illam vtique vnitatem commendamus, quam naturaliter habet Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Quoniam ſi quid huiuſmodi, vt ſupra diximus, in ſcripturis legimus, ad vnitatem perſonæ referendum eſt. Quia & ipſe ſolus eſt Sacerdos Chriſtus, per quem hoſtiam offerimus: & vt per eum à Patre accepetur, & interpellet Patrem pro nobis, ſupplicamus orantes. Et ipſe eſt Deus cum Patre, cui offerimus. Et ipſe eſt, qui interpellat Patrem pro nobis, non voce, ſed miſeratione. Et ipſe eſt, qui exaudit cum Patre, qui ſolus pro nobis interpellat Patrem. Proinde noſtra oratio ſemper F per mediatorem dirigatur ad Patrem. Per ipſam perſonam, cuius ſanguine ſumus redempti, quem bibimus: & cuius carnem manducamus, per quam viuimus. Quia ſicut anima, & corpus ex diuerſa ſubſtantia vnus eſt homo: ita Deus & homo ex diuerſa ſubſtantia vnus eſt Chriſtus. Ac per hoc cum ſit vnus ex diuerſa ſubſtantia, ipſe quodammodo pro nobis exaudit.

Diuide ergo quod meum: diuide quod ſuum. Ego enim, quod illius erat diuinitatis, non habebam. Et ille, quod meum eſt humanitatis non habebat. Suſcepit, quod meum eſt, vt impertiret, quod ſuum eſt. Suſcepit, non vt confunderet, ſed vt repleret. De noſtro habuit pro nobis, vnde mereretur pro nobis, & viueremus in illo. Exemplum reliquit, qualiter moreremur pro illo: & vbi ille eſt, de morte tranſiremus ad regnum. Ad regnum quippe non poteſt tranſire, niſi interpoſita morte. Et idcirco & confidendo quaſi dubitamus, & quaſi dubitando confidimus. Et gaudentes, metuimus, & metuentes gaudemus, quia ſcimus, quod ad brauium quietis æternæ peruenire non G poſſumus, niſi hoc, quod interiacet, cum labore tranſcenderimus. Sic etiam cum morbos temporales de corpore repellere cupimus, triſtes quidem amarum purgationis poculum ſumimus: certi autem de ſubſequenti ſalute gaudemus. Sicut enim corporalis morbus ſine amara potione non curatur: ita ſpiritualis morbus animæ ſine lamento lacrymarum non deletur. Quomodo ergo poterit ille nobiſcum vnus eſſe ex nobis qui peccata non ſua, ſed noſtra omnium ſolus ipſe deleuit. Et ob hoc per latitudinem ſcripturarum paginis currimus: ſed ei ſimilem, in quo formam ſerui aſſumpſit, non inuenimus.

Reſtat ergo, vt iſti, qui eum ſibi ſimilem putant, virtutes à nobis cum incredulis extorqueant, & dicant: ſi verum dicitis, quod filius Dei eſt Ieſus, aut verè vos eius eſtis Eccleſis, facite in eius nomine nobis virtutes. Et cum feceritis, credimus vobis, quod verè Deus ſit, quem creditis. Hoc reſtat hæreticis, quod paganis. Fides virtutes non quærit. Virtus, quæ temporaliter videtur, futura non ſperat. Virtutem præſentem requirere, non pars fiH dei, ſed pars incredulitatis eſt. Denique Paulus Apoſtolus * Mitylenem veniens, (* Melitam.) & plenam infidelibus inſulam ſciens, patrem Publij Dyſenteria, febribúſque vexatum orando ſaluauit & ſanctæ prædicationis adiutorem ſuum Timotheum ex infirmitate ſtomachi laborantem, non verbo curat, ſed medicinali arte mederi parat, dicens: *Modico vino vtere propter ſtomachum, & frequentes tuas infirmitates.* (1. Tim. 5. 23.)

Qui ergo infirmum infidelem vna prece ſaluat, qui ægrotum Timotheum prece non roborat. Quia nimirum ille foras per miraculum ſanandus erat, qui intus in anima mortuus erat: vt per hoc, quod exterius in corpore poteſtas oſtenderet, hunc ad vitam interior virtus animaret. Et tamen vtrique infirmi erant: ſed æqualiter infirmi non erant. Timotheus corpore erat infirmus, & animo ſaluus, qui cum magiſtro Chriſtum vitam in gentibus prædicabat. Et Pater Publij corpore ægrotabat: ſed anima mortuus erat; quia per fidem Chriſti nec dum ſuſcitatus

[A] [Ioan.11. 25.] fuerat. Quia ipſe dixit: *Ego ſum reſurrectio, & vita. Qui credit in me, etſi mortuus fuerit viuet.* Quamobrem, qui non credit filium Virginis naturaliter eſſe filium Dei Deum verum, non viuit: ſed mortuus eſt. Mortuos eſt, quia hoc non credit. Iam viuus eſſet, ſi crederet. Et ideo qui intus viuit, iam non miracula, ſed pœnitentiam requirit. Qui intus in anima viuit, corporis curam in deſideriis non agit. Qui in anima mortuus eſt, corporis curam in deſideriis facit. Et qui corporis curam agere contendit, Chriſtum cognoſcere non poteſt. Facilius ergo Deus videtur, cum ſecundum Apoſtolum, [2.Cor.4. 16.] *exterior homo corrumpitur.* Et quantum plus corrumpitur de die in diem; tantum plus in agnitione Dei de die in diem renouatur. Et quantum minus exterior homo corrumpitur, tantum minus interior anima renouatur: & tantum minus Deus agnoſcitur. Ipſa debet eſſe renouata, quæ *templum Dei* ab Apoſtolo dicta. [1.Cor.3. 17.] Sic enim ait: *Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Ipſe interior homo factus eſt ad imaginem Dei. † [* F. Erigamus.] Exigamus itaque ſpiritum mentis noſtræ, *qui renouatur in* [B] *agnitione Dei, ſecundum imaginem eius, qui creauit eum;* [Coloſſ.3. 10.] quia ibi per fidem in nos habitat Chriſtus. Vbi non eſt Iudæus, neque Græcus. Vbi non eſt ſeruus, neque liber. Vbi non eſt maſculus, aut fœmina. Vbi mori non poterimus, cum ſolui corpore cœperimus. Vbi non ſeneſcimus, ſi etiam in corpore ad decrepitam ætatem peruenerimus. Cum hoc ita verum ſit, & loca apta requirimus & inuenire non valemus, interiora animæ mundemus: & omni inde mala cupiditate depulſa, in corde noſtro locum pacis ſecretum præparemus, & ita ſemper agamus, vt templum Dei ſanctum ſimus. Et ſi volumus in templo orare, in nobiſmetipſis oremus. Ibi enim habitat ille, quem oramus. Ibi enim Chriſtus, cum clamatur, exaudit, vbi & habitat. Credimus videre Deum: non quia videmus per oculos corporis, ſicut videmus hunc ſolem: vel mentis obtutu, ſicut ſe quiſque interius videt viuentem, videt volentem, videt quærentem, videt ſcientem. Quid ergo dicimus? Nunquid hoc eſt videre, quod credere? Plane multum diſtat inter vtraque, quia præſentia videntur, [C] [Ioan.20. 29.] abſentia creduntur. Et Dominus in Euangelio ait: *Beati qui non viderunt, & ſic crediderunt.* Et tamen illi hoc [Ibid.] dixit, qui viderat, qui cicatrices palpauerat. *Quia vidiſti me,* inquit, *& credidiſti. Beati, qui non viderunt, & crediderunt.* Cum beatum dicat, qui vidit, & credit Chriſtum, quomodo in alio loco, ipſe Dominus in Euangelio dixit: [Ioan.1. 18.] *Deum nemo vidit vnquam.* Et Apoſtolus Paulus ad Timotheum dicit: [1.Tim.6. 16.] *Quem vidit nullus hominum: ſed neque videre poteſt.* Hoc totum de hominibus dictum eſt, non de aliis. Non eſt de illis dictum, de quibus ſupra diximus: In quorum animabus Chriſtus habitat per fidem, quæ templum ſanctum Dei ſunt: in quibus Deus habitat; Propheta atteſtante, qui ait: [Pſal.10. 4.] *Dominus in templo ſancto ſuo. Dominus in cœlo ſedes eius.* Ipſi, & cœli dicuntur, ſecundum illud 18. Pſalmi teſtimonium: [Pſal.18. 1.] *Cœli enarrant gloriam Dei.* Et in quotidiana prece dicimus. *Pater noſter, qui es in cœlis.* Ac ſi apertè dicamus: Qui es in Angelis, & in ſanctis animabus. Cœlum ipſi ſunt, [Philip.3. 19.] *quia non terrena, ſed cœleſtia ſapiunt,* ſecundum Pauli Apoſtoli dictum: [D] [Coloſſ.3. 1.] *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt ſapite vbi Chriſtus eſt in dextera Dei Patris.* Qui enim cum Chriſto reſurrexit: & vbi Chriſtus in dextera Dei Patris ſedet, ſapit: iam non homo, ſed Deus Scripturis ſacris nuncupatur. Quia & Deus eſt: in quo Deus habitat: & ſemper eum videt, quia ſemper in ipſo eſt. Nam Deum nullus hominum videre poteſt. Sicut & ipſe Dominus interrogabat diſcipulos ſuos dicens: [Matt.16. 13.] *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* Non dixit; Quem me dicunt eſſe homines, ſed filium hominis: ne iactanter [Ibid.] de ſe quærere videretur. Pulchrè autem interrogat: [Ibidem v.16.] *Quem dicunt eſſe homines filium hominis?* Quia qui de filio hominis loquuntur, non dij, ſed tantum homines ſunt. Qui vero diuinitatem eius rectè intelligunt: *&, tu es Chriſtus filius Dei viui,* cum Petro dicunt; non homines, ſed dij appellantur.

Proinde Apoſtolus dicebat: [1.Tim.6. 16.] *Quem vidit nullus hominum: ſed nec videre poteſt.* Mores hominum vocans homines humana ſapientes: Quia qui diuina ſapiunt, ſine dubio [E] ſupra homines ſunt. Videbimus igitur Deum, ſi per cœleſtem conuerſationem ſupra homines eſſe mereamur. *Videmus* & nunc ſecundum Apoſtolum, [1.Cor.13. 12.] *per ſpeculum in ænigmate* per fidem. *Videbimus & tunc facie ad faciem.* Nec tamen ita videbimus, ſicut ipſe ſeipſum. Longè quippe diſpariliter videt creator ſe, quam videt creatura creatorem. Nam quantum ad immenſitatem Dei, quidam nobis modus figitur contemplationis, quia eo ipſo pondere circumſcribimur, quo creatura ſumus. Sic profecto non ita conſpicimus Deum, ſicut ipſe conſpicit ſe. Sicut non ita requieſcimus in Deo, quemadmodum ipſe requieſcit in ſe. Nam viſio noſtra vel requies erit vtcumque ſimilis viſioni, vel requiei illius, ſed æqualis non erit. Ne enim iaceamus in nobis, vt ita dicam, contemplationis * [* penna.] pinna nos ſubleuat, vtque à nobis ad illum erigimur intuendum, raptiſque intentione cordis, & dulcedine contemplationis, aliquo modo à nobis imus in ipſum. Etiam hoc ipſum ire noſtrum minus eſt requieſcere. Et tamen ſic ire, perfectè quieſcere eſt. Et perfecta [F] ergo requies eſt, quia Deus cernitur: & tamen æquanda non eſt requiei illius, qui non à ſe in alium tranſit, vt quieſcat.

Eſt itaque requies, vt ita dicam, ſimilis, atque diſſimilis. Quia quod illius requies eſt, hoc noſtra imitatur. Namque vt beati, atque æterni ſimus in æternum imitamur æternum: & magna nobis eſt æternitas imitatio æternitatis. Nec exortes ſumus eius, quem imitari poſſumus. Quia & videntes participamus: & participantes imitamur. Quæ ſine dubio viſio nunc per fidem inchoatur, ſed tunc in ſpecie perficitur, quando coæternam Deo ſapientiam, quam modo per ora prædicantium, quaſi per decurrentia flumina ſumimus, in ipſo fonte Chriſto biberimus, cuius corpus ſumus. Sed grandis hic labor erit, qui ad illa pertingere voluerit. Non enim paruus corporis violentia eſt, cum caro cupit eſſe, quod Deus eſt. Deus enim, vt ſupra diximus, caput corporis Chriſti eſt, Apoſtolo atteſtante, qui ait; [1.Cor.11. 3.] *Volo autem vos ſcire, quod omnis viri caput Chriſtus eſt. Caput autem mulieris vir. Caput Chriſti Deus.* [Epheſ.5. 23.]

Quid itaque eſt caput noſtrum, niſi diuinitas, per quam exiſtendi principium, vt creatura ſimus, ſumimus. [G] *Nam vir eſt caput mulieris: Caput viri Chriſtus: & caput Chriſti Deus.* [Ibid.] Hoc totum in Chriſto eſt: qui mediator Dei, & hominum eſt. Nam hoc loco mulierem dicit plebem intra Eccleſiam, ſenſu paruolam, & carnalem: quæ ſub regimine paſtorali eſt. Vir vero huius mulieris, doctores eorum ſunt; qui more Apoſtolico Chriſti veſtigia imitantes, eam tanta intentione educando regunt, vt non eis ſufficiat in prædicatiooe & exemplo eam inſtruere: ſed etiam ſui capitis exempla ſequentes, moriendo pro ipſa animam ponere: qualiter poſſit illi caput eſſe; & ſuo capiti Chriſto, ſecundum Apoſtoli dictum inhærere. Per hominem enim Chriſtus huius viri factus eſt caput. Cui homini Chriſto à Verbo aſſumpto tota diuinitas caput eſt. Et hoc totum in vno Chriſto eſt: quia & in eo eſt omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: & ipſe eſt caput totius Eccleſiæ. Vt quemadmodum vnos homo conſtans ex anima, & corpore, & in corpore ſunt iſta, id eſt, caro oſſa, & caput. Caro regitur per oſſa: oſſa per caput: caput per ani- [H] mam. Et carnem dicimus mulierem. Et oſſa dicimus virum, caput huius mulieris, carnis. Et caput dicimus horum oſſium ipſum caput humanum. Et mentem dicimus huius capitis caput. Et hoc totum in vno homine eſt. Sic dicimus caput mulieris, id eſt, minutæ plebis paſtores, & doctores Eccleſiarum, tanquam oſſa carnis. Caput viri Chriſtus tanquam oſſis caput. Caput Chriſti Deus tanquam mens capitis. Et cum omnia in vno homine ſint, & ipſa tota ipſe homo ſit, tamen inueniuntur ibi differentiæ, quibus vna alteri poſſit præcellere. Nam carni, quæ mollis eſt, præcellunt oſſa, quæ dura ſunt, & ſine eis caro ſtare non poteſt. Sicut nec ipſa plebs minuta intra Eccleſiam, quæ tanquam caro mollis eſt, ſine magiſtris ſtare poteſt, qui ſolidi, tanquam oſſa ſunt. Hæc oſſa iunguntur capiti, per quod vitam habent: quia niſi capiti iungantur, per quod vitam habent, viuere non poſſunt. Sicut magiſtri Eccleſiarum iunguntur capiti Chriſto, qui niſi Chriſto

A

per fidem, & opera iungantur, viuere non poſſunt. Iam vero mens in quantum præcellit capiti, quæ & altera ſubſtantia eſt ſpiritualis, in tantum caput eſt, cui præcellit. Sic & diuinitas Chriſti caput & corporis Chriſti, quæ totum ipſe Chriſtus in ſe habet, & omnem plenitudinem diuinitatis ſuæ: & omnem plenitudinem humanitatis noſtræ. Sed hoc per qualecunque veſtigium dicimus propter hæreticorum inſipientiam, atque controuerſiam: qui & Chriſtum hominem non confitentur Dei filium, & cum Patre vnum Deum; & non eſſe alterum Deum præter eum, & cum tota Eccleſia vnum hominem, * & non eſſe altera perſona Eccleſia, & altera perſona Chriſtus homo; & altera perſona Verbum Patris, vt tres ſint peſonæ, Verbum, homo, & Eccleſia: ſicut tres ſunt perſonæ Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus: Solus filius factus eſt homo, id eſt, anima rationalis, & caro. Ac per hoc Verbum, anima, & caro. Tres quidem ſubſtantiæ ſunt: ſed vnus eſt Chriſtus; vnicus eſt filius, vnus Dominus noſter Ieſus Chriſtus, vnigenitus

** Locus obſcurus & mendoſus.*

B

Dei Patris filius, *qui natus eſt de Spiritu ſancto, ex Maria Virgine: & ſub Pontio Pilato eſt crucifixus*: qui & verè, & abſque mendacio patrem habet Deum naturaliter, à quo habet Deitatem, vt ſit verus Deus, & non ſit alter Deus præter eum: & verè, & abſque mendacio matrem habet naturaliter Virginem, Virginem Mariam, & non ſit alter homo præter eum cum tota Eccleſia, quam redemit ſanguine ſuo, vna perſona ex tribus ſubſtantiis vnus Chriſtus. Quæ perſona neque Patris eſt, neque Spiritus ſancti: ſed vt diximus, Filij. Qui Filius cum Patre, & Spiritu ſancto eſt vna ſubſtantia, & non vna perſona, ſed tres ſunt perſonæ. Cum toto homine Adam, quem aſſumpſit, ipſe ſolus eſt vna perſona, & non vna ſubſtantia, ſed tres ſunt ſubſtantiæ, Verbum anima, & caro, totum vnicus filius.

Vide mediatorem. Tantum ipſe ſolus deſcendit: quia nec Pater deſcendit, nec Spiritus ſanctus. Et quia, vt diximus, cum Patre vna ſubſtantia eſt, ſicut vna ſubſtantia eſt, & vnus Deus eſt, cum Patre & Spiritu ſancto: & alter Deus præter eum non eſt, cum quo in vna ſubſtantia eſt.

C

Quia non eſt alter Deus præter Patrem: nec alter Deus præter Filium: nec alter Deus præter Spiritum ſanctum. Nec alter Deus præter Patrem & Filium & Spiritum ſanctum. Attamen cum tres ſint ſimul vnus Deus, & vnum lumen, non tamen vna perſona eſt Pater & Filius & Spiritus ſanctus. Lumen eſt Pater, quia genuit lumen. Lumen eſt Filius, quia natus eſt de lumine. Lumen eſt Spiritus ſanctus, quia proceſſit de lumine ingenito, & genito. Et tres ſimul vnum eſt lumen.

At fortè calumniaris, & dicis: Si vnum lumen. Vbi Trinitas? An fortè in vocabulo ſunt tantum & Filius, & Spiritus ſanctus, & non ſunt, expreſſæ perſonæ? Reſpondebo. Abſit: Niſi expreſſæ perſonæ, & propriè ſubſiſtentes ſibi. Nam hoc Sabelliana peruerſitas adinuenit, vt cum vnum credidit inſeparabile lumen, vnam crederet etiam perſonam, vt diceret: ipſum ſibi eſſe Patrem, ipſum ſibi eſſe Filium, ipſum ſibi eſſe Spiritum ſanctum. Arius vero è contrario, cum tres credidit propriè ſibi ſubſiſtentes perſonas, tria credidit & lumina. Et quia

D

vnum eſt lumen, vnus commiſcebat perſonas, alter ſeparabat. Sed vtrique ab vno lumine cæcati, ab vno lumine confuſi, id eſt, in vno dum non commixti, ab vno lumine ſeparati ſunt.

Vnum eſt, vt diximus, lumen, ſed tamen in gignente, genito, & procedente Trinitas eſt. Denique aliud eſt genuiſſe: aliud genitum eſſe, aliud procedere. Et ideo qui genuit, non eſt ipſe in perſona qui genitus eſt: quia altera perſona eſt, quæ genuit, & altera perſona eſt, quæ genita eſt. Alius genuit alium: ſed non aliud genuit, quam quod eſt, id eſt, lumen eſt, & lumen genuit, quod ipſe eſt. Et cum ipſum ſit, quod genuit, non tamen ipſe eſt, quem genuit. Ipſum quidem lumen natura quem genuit, non tamen ipſe eſt, qui genuit genita lumen perſona. Nec ipſe eſt gignens, & genitus tertia, quæ ab his procedit perſona. Sed alter in perſona gignens lumen: alter in perſona genitum lumen: alter in perſona procedens lumen. Et lumen, & lumen & lumen, vnum lumen. Et gignentem, & genitum, & procedentem tres perſonæ, & vnum lumen. Ac ſi dicerem: Deum, & Deum & Deum, vnum Deum. Et quia

E

Deus genuit Deum, & Deus proceſſit de Deo, in gignente, genito, & procedente, tres ſunt ſubſiſtentes ſibi perſonæ & natura vnus Deus. Solus ergo filius factus eſt homo, non in vnitate naturæ, ſed in vnitate perſonæ, id eſt, lumen ſine initio genitum de Patre aſſumpſit naturam noſtram. Et ſecundo lumen, & corpus natum eſt de Virgine. Et in patre ſemper manſit inſeparabile, & æquale lumen, ſicut Angelus Mariæ dixit: *Spiritus ſanctus ſuperuenit in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi*. Quia enim vmbra non aliter exprimitur, niſi per lumen & corpus, virtus ei Altiſſimi obumbrauit: quia in eius vtero lux incorporea corpus ſumpſit. Ex qua videlicet obumbratione omnes credentes in Chriſto in ſe refrigerium mentis accipiunt: Vmbra enim vt iam diximus, à lumine formatur, & corpore. Dominus autem per diuinitatem lumen eſt, qui mediante anima in eius vtero fieri dignatus eſt per humanitatem corpus. Quia ergo lumen incorporeum in eius erat vtero

Luc. 1. 35.

F

comparandum, eique corporeum concepit, ad corpus dicitur: Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Id eſt, corpus humanitatis, in te accipit incorporeum lumen diuinitatis.

Vnde & in Canticis Canticorum ex voce ſponſi dicitur: *Oſculetur me oſculo oris ſui. Quoniam bona vbera tua ſunt ſuper vinum: Et odor vnguentorum ſuper omnia aromata*. Audiſtis Epitalamium carmen, dilectiſſimi fratres, quod Spiritus ſanctus per Salomonem ex voce Sponſi & Sponſæ, id eſt, Chriſti & Eccleſiæ, pro cœleſtium nuptiarum allegorica decantatione prædixit. Quando Chriſtus ſponſus, & anima ſponſa oppignerauerunt ſibi caſtam inuicem coniugij voluntatem: & facti ſunt duo in carne vna. Id eſt, Deus, & homo. Duo hi, id eſt, verbum & anima vna perſona, ſponſus, & ſponſa in vna carne. Et illius ſponſi thalamus fuit vterus Virginis. Quia in illo vtero virginali coniuncta duo ſponſus, & ſponſa. Quia ſcriptum eſt: *Et erunt duo in carne vna*. Et Dominus dicit in Euangelio: *Igitur iam non ſunt duo, ſed vna caro*. Quia Chriſtus & Eccleſia non ſunt duæ carnes, & duo homines, ſed vna caro, & vnus

Cant. 1. 1.

Geneſ. 2. 24.

Matt. 19. 5.

G

homo, Et Eſaias optimè meminit, vnum eſſe ſponſos duos. Loquitur enim ex perſona Chriſti, & dicit: *Sicut ſponſo impoſuit mihi mitram: & ſicut ſponſam ornauit me ornamento*. Vna perſona videtur loqui, & ſponſum ſe fecit, & ſponſam. Quia non ſunt duo, ſed vna caro, Id eſt, vna natura carnis, & vna ſubſtantia Chriſti, & noſtra, Sicut vna ſubſtantià eſt Chriſti, & Patris. Quia & cum Patre perfectus Deus eſt: & nobiſcum perfectus homo eſt. Et Deus, & homo ex duabus naturis vna perſona eſt Chriſtus. Quia Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, id eſt, in carne noſtra habitauit. Quia in nobis habitat, quando in carne noſtra habitat. Et ipſa caro noſtra, in qua habitat ipſe eſt qui habitat. Fecit ſibi domum, in qua habitat, & ipſa domus ipſe eſt.

Eſa. 61. 10.

Denique Carpentarius quiſlibet facit ſibi domum, in qua habitat: Sed ipſa domus non eſt ipſe, qui habitat. Et Forſaſsè cum à perſecutore ipſa domus diſſipatur, aut incenditur, habitator ſurgit, ne ſimul pereat, & relinquit vacuam domum; quia ipſa domus, quam habitabat, non

H

erat ipſe. Non ſic Deus homo factus habitauit in nobis, id eſt, in carne noſtra. Non ſic Verbum Patris, vt alter ſit habitator, & altera caro noſtra, quam habitat. Vt quia à Iudæis carne occideretur, fugiſſet Verbum habitator. Abſit hoc à fide Catholica. Sed ſic eſt Verbum, anima, & caro vna perſona Chriſtus filius Dei: ſicut quilibet homo, anima & caro eſt vna perſona. Et cum ipſe homo occiditur, non anima, ſed caro occiditur: & nullus alter, quam ipſe homo moritur: Sic Chriſtus filius Dei Deus, & homo tanta eſt vnitate perſonæ, vt ipſe ſit Deus, qui eſt homo. Et cum homo, id eſt, ſola caro occiditur, nullus alter, quam filius Dei moritur. Non diuinitate, nec anima, ſed ſola carne. In qua carne redemptio facta eſt humani generis. Vnde & redemptorem noſtrum Dominum Ieſum Chriſtum, omnis Eccleſia confitetur.

Hoc totum quare diximus? niſi vt Verbum carnem factum vnum filium Dei probaremus. *Verbum caro*

Ioan. 1. 14.

A *factum eſt*, ſed non eſt in carnem conuerſum: ſicut nec anima hominis conuertitur in carnem. Et cum in carne Chriſti habitat Verbum, in noſtra natura habitat: quia ipſa caro noſtra eſt. Illi carni adiungitur Eccleſia, & fit Chriſtus totus vna perſona caput, & corpus. Et cum in ſacris voluminibus aut homo, aut caro, aut corpus Chriſti nominatur, non ſolum Chriſtus: ſed tota Eccleſia intelligitur. Sed habet conſuetudinem Sancta ſcriptura, vt de Domino, & eius corpore, quæ de vno aut ad vnum loquitur, atque in vna perſona modo caput, modo corpus
Eſa. 61. 10. oſtenditur: Sicut Eſaias, vt ſupra diximus, ait: *Induit me veſtimento ſalutis: quaſi ſponſum decoratum corona: & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis.* In vna enim perſona duplici vocabulo nominata; & caput, id eſt, Sponſum & Eccleſiam, id eſt, ſponſam manifeſtauit.

Proinde notandum in ſcripturis, quando ſpecialiter caput deſcribitur, quando & caput, & corpus, aut quando ex vtroque tranſeat ad vtrumque: aut ab altero ad alterum.
B Sicque quid capiti, quid corpori veniat, prudens lector intelligat. Sponſum autem Chriſtum eſſe, & ſponſam Eccleſiam probat ſcriptura diuina, dicente Iohanne Baptiſta pro Chriſto in Euangelio:
Ioa. 3. 29. *Qui habet ſponſam ſponſus eſt. Amicus autem ſponſi ſtans, & audiens vocem eius, præ gaudio exhilaratur.* Et alius Propheta dicit:
Oſeæ 2. 19. *Deſponſabo te mihi in fide & charitate.* Denique hoc carni in Chriſto, & Eccleſia eſſe prædictum, prætitulatio ipſa manifeſtat. Sic enim pronuntiantur Cantica Canticorum: eo quod ſupra omnia cantica, quæ aut Moyſes, aut Maria in exodo, aut Eſaias, aut Abachub, & cæteri cecinerunt. Hæc meliora ſunt Cantica quia illi, aut pro liberatione prælij, aut pro conuerſatione populi, aut pro admiratione diuinorum operum accenſi animo, ac mente laudes dixerunt Deo: Hic tamen quia Dei Eccleſiæ vox pſallentis auditur, propter quod Diuina, & humana ſibi inuicem copulantur,
Cant. 1. 1. ideo Cantica Canticorum, id eſt meliora meliorum nuncupantur.

C Cum ergo dicit, *Oſculetur me oſculo oris ſui: Quoniam meliora ſunt vbera tua ſuper vinum*, non de hoc oſculo carnali, ſed de ſpirituali gratia loquebatur Eccleſiæ etenim venerandæ immaculatæ Virginis vox eſt ad Chri-
Pſ. 44. 3. ſtum filium Dei tricenarium iuuenem, decorum, *ſpecioſum forma præ filiis hominum*, verba facientis. Quia alia
* oſcula. Cant. 1. 1. ſunt humana, alia diuina * oracula. Et ideo cum dicit Eccleſia: *Oſculetur me oſculo oris ſui*, vult ipſa Eccleſia præſentem ſponſum habere, & præſentis vocem audire. In præterito enim tempore, ſermo Dei per Prophetas ad ſynagogam loqui conſueuerat, & quaſi per alienum os pacis oſculum dabat. Hæc ergo Eccleſia, quæ verè ſponſa eſt Chriſti, contenta non eſt, per Prophetas tantummodo Chriſti pacem accipere, ſed magis ore proprio Euangelicæ traditionis præcepta ſuſcipiens, à vero ſponſo velut oſculum ſanctitatis accipit. Et ideo oſculetur me oſculo oris ſui. Quod quam verè fuit adimpletum hinc poteſt addiſci. Nam ex eo, quod Chriſtus filius Dei ſecundum
D hominem venire dignatus eſt, & carnem animamque velut ſponſam accipere, Lex & Prophetæ ceſſauerunt, ſicut
Matt. 11. 13. Euangeliſta ait: *Lex & Prophetæ vſque ad Iohannem Baptiſtam.* Et iterum: *Lex per Moyſem data eſt, gratia au-*
Ioa. 1. 17. *tem, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Eccleſia enim, vt Apoſtolus definiuit, caro Chriſti eſt; qui ait, *Et ipſe eſt*
Coloſ. 1. 18. *caput corporis Eccleſiæ.* Cui tunc oſculum ad oſculum fide, & charitate impreſſum eſt, quando duo in vna carne coniuncti ſunt, id eſt, veritas, & pax complexæ ſunt ſe.

Pſ. 84. 12. *Veritas*, inquit, *de terra orta eſt*, id eſt caro Chriſti, qui
Ioan. 14. 27. de Virgine natus eſt cuius origo æterna eſt. Pax de cœlo proſpexit, id eſt, Verbum Dei, qui dixit, Ego ſum pax. Et iterum, *Pacem meam do vobis.* Hoc eſt oſculum verbum Patris Prophetarum ore annuntiatum, quod à ſeculis antiquis longa ſpe ſuſpenſa pependit. Quod quidem adueniente die ſponſaliorum eſt adimpletum, per quod annulum fidei, & pronubum nuptiarum cœleſtium accepit Eccleſiam. Quid enim carius Chriſto, quam Eccleſia, pro qua ſuum ſanguinem fudit? Aut quid Eccleſiæ amabilius Chriſto? cuius ſancta, & immaculata coniunctione, magnam filiorum multitudinem per Baptiſmi regeneratio-

E nem procreauit? Cuius fœtum copioſiſſimum ſine dolore videmus profuſum. Cuius efficaciam; & vt verius dixerim, artem naſcendi, vel potius renaſcendi ſenties magis, quam narres: Intelligas potius, quam comprehendas: Nec virtutem ipſam videas, nec artem cognoſcas, & tamen perfectum opus, quod magiſtra ſapientiæ, & opifex ratio cluſum dederit, cum debita …nératione laudabis. *Quoniam bona vbera tua*, inquit, *ſuper vinum*: Habuit quidem priſca lex duo vbera, ex duabus tabulis lapideis, quæ digito Dei impreſſa candidum lac diſciplinæ paruulo tunc populo præbuerunt: Sed nunc vbera Domini iam non duo, ſed quatuor cognouimus. Quatuor enim Euangeliorum fontes, dulce lac ſapientiæ credentibus tribuunt. Denique Dominus ad Abraham, qui vtriuſque populi pater eſt, ſecundum carnem ſcilicet & noſter ex fide, cum ei hæreditatem ſæculi futuri promitteret, hoc inter cætera ſignum ſacrificij poſtulauit: Capram trimam, & vaccam trimam: vt capra, quæ duo vbera habet, veteris teſtamenti figu- F
ram oſtenderet. Et vacca, quæ quatuor, Euangelicæ diſciplinæ. Hæc ſunt bona vbera Domini, id eſt, Euangeliorum fontes aquæ: quæ meliora ſunt ſuper vinum propheticæ prædicationis, qua lex vinum vetus intelligitur. Euangelium vinum nouum.

Duo enim genera vini in ſcripturis cœleſtibus legimus. Vnum, quod apud Chanaam Galileæ defecit ad nuptias: aliud, quod multo magis de verbo Dei aqua vinum eſt factum. Vnde & ſaluator dicebat: *Vinū nouum in vtres nouos* Matth. 9. 17.
mittere oportet. Quod quidem ſignificabat nuptias Chriſti & Eccleſiæ: Id eſt, quando verbum Dei, animam hominis copulauit, ceſſaturum eſſet vinum, id eſt, priſcæ legis, & prophetiæ: & aliud Euangelium ex Baptiſmatis aqua futurum. Vnde & credentes muſto pleni ſunt iſto. Quid eſt enim de aqua vinum, niſi anima, quæ retro fuerat terrena, inſipida, & aquata * in merum ſpiritus conuerſa præſtantior ſapore facta eſt? * quæ.

Et odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata. Odor Cant. 4. 10.
vnguenti iſtius ſacroſancti chriſmatis gratiam manifeſtauit, quæ ſuper omnia ſynagogæ flagrat; & redolet. Illa G
enim habebat vnctionem de vnguentis factam odoriferis. Chriſti autem vnguentum ex ſeptiformi Sancti ſpiritus ſuauitate deſcendit. Vnde & ſubiungit: *Vnguentum* Cant. 1. 3.
exinanitum nomen tuum, Quare, Itaque, *exinanitum*, breuiter indicabo. Priſcæ legis reges, & ſacerdotes, qui ex cornu chriſmatis vngebantur, *Chriſti* dicebantur in lege, Coloſ. 2. 9.
eo quod ſimilitudine vnctionis Chriſmatis notam ipſam perfectiorem acciperent: & proinde vmbra potius, quam veritate *Chriſti* nomine vtebantur. Sed *vbi plenitudo diuinitatis*, ſecundum Apoſtolum, *in Chriſto completa eſt*, tunc exinanitum eſt nomen eorum regum, qui Chriſti dicebantur: ne vlterius hoc cenſerentur vocabulo. Et verum permanet nomen Chriſti, quod ex vero vnguento, id eſt, Sancti Spiritus plenitudine eſt effuſum. Verum quod alibi ait: *Vnguentum effuſum nomen tuum*: Eo quod ſuauiſ- Cant. 1. 3.
ſima veri Chriſti nominis gratia ſuper omnes credentes diffuſa eſt, & omnem odorem notitiæ ſuæ fidelibus cunctis effuderit, Vnguentum effuſum appellatum.* Vnde & H * eſt.
orationes ſanctorum in Apocalypſi * thymiamæ ſunt Apoc. 5. 8.
comparatæ. Vnde & ſequitur: *introduxit me rex in cubiculum ſuum.* Hoc Eccleſia loquitur, quæ regem Chriſtum * Thymiamati.
Dei filium confitetur. Sed eſt cubiculum, vbi Chriſtus rex Eccleſiam reginam introduxit, niſi in cœleſtis regni ſecretum. Quis etenim neſciat, illuc Chriſtum Eccleſiam ſuam, id eſt, carnem ſuam introduxit, vnde ſine carne deſcenderat, id eſt, de * abdita cœlorum. Carnem autem * ſ. abſida ſeu abſida.
Chriſti Eccleſiam eſſe, Paulo Apoſtolo auctore didicimus, qui dicit: Caro Chriſti, quod eſt Eccleſia. Et cum per gratiarum dona multa membra ſunt, corpus tamen vnum eſt. *Nam & corpus non eſt vnum membrum*, vt ait 1. Cor. 12. 14.
Apoſtolus, *Sed multa. Si dixerit pes, quoniam non ſum manus, non ſum de corpore, non ideo non eſt de corpore. Et ſi dixerit auris, quoniam nō ſum de corpore, quia nō ſum oculus, non ideo nō eſt de corpore. Si totū corpus oculus, vbi auditus. Si totū auditus, vbi odoratus? Quod ſi eſſent omnia vnū mēbrū, vbi corpus? Nunc autē quidē multa mēbra, vnū vero corpus.* Quid ergo S. Eccleſia niſi * ſuperni ſui capitis corpus eſt? * ſ. ſupremi.

A In qua alius alta videt,oculus : alius recta operando, ma-
nus:alius ad iniuncta currendo , pes : alius præceptorum
vocem intelligendo,auris;alius malorum fœtorem,bono-
rúmque fragrantiam diſcernendo;naſus eſt. Qui corpora-
lium more membrorum,dum viciſſim ſibi accepta officia
impendunt,vnum de ſemetipſis omnibus corpus reddunt.
Et cum diuerſa in caritate peragunt , diuinum eſſe prohi-
bent , vbi continentur. Si autem vnum quid cuncti age-
rent, corpus vtique,quod ex multis contioetur, non eſſet.
Quia,videlicet,multipliciter compactum nou exiſteret : ſi
hanc concordiam membrorum diueiſitas non teneret.
Quia ergo ſanctis membris Eccleſiæ virtorum dona Do-
minus diuidit , tanquam terræ menſuras ponit. Et cum
vnus alteri gratiam à Domino datam inuidet, & eam no-
mini ſuo adſcribere velit,alterius limitem tranſcendit. Li-
mes enim à diſcernendo limitem nomen accepit. Qui
gratiæ ſuæ menſuræ limitem tranſcendit,cadere vult:quia
in præcipitio pedem ponit.

Vnumquemque ergo reprimat metus diabolicæ ruinæ,
B qui dum ſuper voluit eſſe,quam quod erat,& ipſum quod
erat perdidit : & de alto præcipitatus profundi inferna
promeruit.

Vnuſquiſque ergo tanquam membrum corporis men-
ſuram ſuam excedere non debet. Vode iterum idem Pau-
Rom.12. lus dicit:*Vnicuique ſicut Deus diuiſit menſuram fides.* Item
3. ipſe dicit : *Ex quo totum corpus compactum & connexum*
Epheſ.4. *per omnem iuncturam ſubminiſtrationis ſecundum operatio-*
16. *nem in menſuram vniuſcuiuſque membri augmentum corpo-*
ris facit in ædificationem ſui in caritate.

Sed cum miro conſilio auctor, ac diſpoſitor noſter vni
illa largitur, quæ alij denegat:quæ iſti largitur, vnicuique
menſuras ponit : menſuras poſitas egredi nititur, quiſquis
pluſquam acceperit , maior eſſe conatur : vt fortaſsé ille
cui tantummodo datum eſt præceptorum occulta diſſe-
rendo aperire,tentet etiam miraculis coruſcare. Aut ille,
quem ſupernæ virtutis donum ad ſola miracula roborat,
etiam diuinæ legis aperire occulta contendat. In præci-
pitio enim pedem porrigit, qui menſurarum ſuarum limi-
C tem non attendit.Et plerumque perdit ea,quæ acceperat:
quia audaciter præſumit ad ea, quæ pertingere non valet,
arripere feſtinat.Nam & membrorum noſtrorum tunc be-
ne miniſteriis vtimur, cum ſua eis officia diſtinctè ſerua-
mus. Lucem quippe oculis videmus, vocem vero aurlbus
audimus. Siquis autem mutato ordine, voci oculos, luci
aures accommodet,huic vtraque in caſum pateot:Si quis
autem odores velit ore diſcernere , ſapores nare guſtare,
vtriuſque ſenſus ſibi miniſterium,quia peruertit,interimit,
Dum enim prius hæc vſibus non aptantur , & ſua officia
deſerunt,& ad extranea non aſſurgunt. Alij namque datur
ſermo ſapientiæ.Alij ſermo ſcientiæ in eodem ſpiritu. Alij
fides. Alij gratia ſanitatum. Alij operatio virtutum. Alij
prophetia. Alij diſcretio ſpiritus. Alij genera linguarum.
Alij interpretatio ſermonum tribuitur. Qualiter in vno,
eodémque ſpiritu iſte verbo ſapientiæ polleat , nec ta-
men ſermone ſcientiæ,id eſt,doctrinæ fulgeat.Quia ſenti-
re,atque inuenire ſufficit etiam,quod per diſcendi ſtudium
non apprehendit.Ille ſermoue ſcientiæ fulgeat,nec tamen
D in verbo ſapienoæ conualeſcat. Quia ſufficit explere
quantũ & dicit tamen ad ſentiendum ex ſemetipſo ſubtile
aliquid non aſſurgit. Iſte per fidem elementis imperat,
nec tamen per ſanitatis gratiam infirmitates corporum
curat.Ille orationis ope morbos ſubtrahit,nec tamen ver-
bo pluuias reddit. Iſte operatione virtutum ad præſen-
tem vitam etiam mortuos reuocat ; & tamen Prophe-
tiæ gratiam non habens , quæ ventura ſunt ignorat. Ille
ventura quæque velut præſentia attendit , & tamen in
oulla ſignorum operatione ſe exerit. Iſte , per diſcretio-
nem ſpirituum , in factis ſubtiliter mentes conſpicit : Ille
diuerſi generis linguas examinat,ſed tamen io rebus ſimi-
libus diſſimilia corda non penſat. Alius in vna lingua,
quam nodit , ſermonum pondera interpretando , pruden-
ter diſcutit : & tamen bonis reliquis, quæ non habet, pa-
tienter caret.

Sic itaque creator noſter , ac diſpoſitor cuncta mode-
ratur : vt qui extolli poterat ex dono, quod habet, humi-
lietur ex virtute,quam non habet. Sic cuncta moderatur, E
vt cum impenſa gratia vnumquemque ſubleuat,etiam per
diſparem gratiam alteri alterum ſubdat : & meliorem
quiſque dono alio, eum qui ſibi ſubiicitur, attẽdat. Ac
licet ſe præire aliis ſentiat,eidem tamen , quem ſuperat,ſe
in aliis poſtponat.Sic cuncta moderatur. Et dum ſingula,
quæ quærunt omnium interpoſita quadam caritatis ne-
ceſſitudine , fiant omnia ſingulorum. Et vnuſquiſque ſic
quod non accepit,in altero poſſideat , vt ipſe alteri poſſi-
dendum quod accepit,humiliter impendat.Sic ſunt diuer-
ſæ gratiæ, ſicut & diuerſa,vt diximus,corporum membra.
Et quæ putamus ignorabiliora eſſe membrorum corporis,
his honorem abundantiorem circumdamus. Et quæ inho-
neſta ſunt membra , abundantiorem honeſtatem habent.
Honeſta autem noſtra honeſtate nullius egent. Sicut ini-
qui dum increpatione feriri non poſſunt , quaſi honoris
tegmine velantur.Sed hæc de occultis potentum peccatis
loquimur. Nam quando & aliis cognoſcentibus peccant,
aliis etiam cognoſcentibus increpandi ſunt : ne,ſi prędica-
tor tacet, culpam approbaſſe videatur:atque hęc creſcens F
in exemplum veniat , quam paſtoris lingua noo ſecat.

Sancta ergo Eccleſia per prędicatores ſuos , qui dum
facta mala ſub diſpectione increpationis increpant, labia,
quaſi parcens mouet. Sed tamen parcendo non parcit;
quia ab increpatione culpæ generaliter non tacet , quæ
ſpecialiter tacet.

Sancta ergo Eccleſia , quod corpus eſt ſummi capitis
Chriſti,in quantum ſe ſubleuat ad ſuperna,in tantum am-
plius laborat , vt membra capiti conquirat , quæ corpus
eius fiant,ſecundum Apoſtolum,qui dicit : *Vos eſtis corpus* 1.Cor.12.
Chriſti, & membra de membro : Aliud eſt membrum cor- 27.
poris,aliud membrum membri.Membrum quippe corpo-
ris eſt pars ad totum corpus. Membrum vero membri
eſt particula ad partem. Membrum namque membri eſt
digitus ad manum,manus ad brachium. Membrum vero
eſt corporis, totum hoc ſimul,ad corpus diuerſum. Sicut
enim in ſpirituali Dominico corpore membra de mem-
bro dicimos eos,qui in eius Eccleſia ab aliis reguntur:ita
in illa hęreticorum reproba congregatione , quæ totum G
corpus eſt diaboli,membra ſunt carnium,qui iniquo ope-
re quibuſdam nequioribus coniunguntur. Duæ itaque
partes ſunt : vna, quæ eſt corpus Chriſti:Et altera,quæ eſt
corpus diaboli,quæ Antichriſtus dicitur.Quia dum biper-
titus eſt vetus , & nouus , ſecundum Apoſtolum qui ait:
Primus Adam de terra terrenus : ſecundus de cælo cæleſtis; 1.Cor.15.
modo vero io Eccleſia duo Adam ſunt. Terrenus,& cœle- 47.
ſtis. Et qualis terrenus,tales & terreni. Et qualis cœleſtis,
tales & cœleſtes, Et ipſe idem Apoſtolus dicit:*Primus ho-* Ibidem.
*mo de terra terrenus:Secundus de cælo cæleſtis:*quæ vtraque
vnum eſt. Quia vbicumque in Scripturis ſacris in veteri
teſtamento legitur homo,in Hebręo *Adam dicitur.* Nam
cum nos dicimus in Latino illud quod in Pſal.81.ſcriptum
eſt : *Vos autem ſicut homines moriemini :* In Hebręo habet: Pſal.81.
Vos ſicut Adam moriemini.Et in 81.Pſalm. *Quid eſt homo,* 7.
quod memor es eius? aut filius hominis,quoniam viſitas eum?
Homo *Adam* accipiendus eſt,filius hominis Dominus no-
ſter Ieſus Chriſtus intelligendus eſt:qui illius veteris Ada-
mi,qui per obedientiam ceciderat , tunc memor viſitauit, H
quando intra vterum virginis *Verbum caro factum eſt , vt* Ioan.1.
*habitaret in nobis.*Et cum Dominus dicebat:*Filius hominis* 14.
tradetur in manus peccatorum : ac ſi diceret : Filius Adam Matt.26.
tradetur io manus peccatorum. Modo cum in ſcripturis 45.
legitur,homo,tantum dein valet,ac ſi dicat : *Adam. Prior* 1.Cor.15.
homo de terra terrenus. Secundo de cælo cæleſtis. Quarum 47.
vtraque & cum Adam Dominus exprimitur , & cum ho-
mo dicitur, de carue non exit.

Sed fortè aliquis ſpecialitatem quęrit,vt dicat,qualiter
dicitur Adam ſecundus, ſi Adam homo intelligitur : quia
ante ipſum & poſt ipſum multi homines fuerunt ?

Reſpondebo. Ante ipſum multi homines fuerunt : ſed
omnes veteres dicuntur,vnus Adam intelligitur vetus, Et
quanquam Patriarchæ & Prophetæ Spiritu ſancto repleti
Chriſtum expectabant : & ſi non habebant culpam ſuam,
tamen pro ipſo homine vetere in inferno tenebantur:
Quia nullus eorum per ſe poterat egredi , niſi de cœlo

A ſecundus Adam nouus pro illis deſcenderet. Quia tam
homines illi, quos à poteſtate diaboli liberauit, quos ſe-
cum ad cœlos, vnde ſine homine deſcenderat per nouum
hominem reduxit, quam etiam & illi, qui poſt aſcenſio-
nem eius ei iuguntur per fidem, cum omnibus his nouus
Adam dicitur: & vnus homo dicitur. Hoc non eſt carna-
liter intelligendum, cum rationem quæris. Ratio hic non
carnis, ſed operationis eſt intuenda: quam Apoſtolus non
humanis ſenſibus explicauit: Dum & Adamum veterem,
& Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ad primitias re-
rum malarum, bonarumque reuocat, ac reduxit duas for-
mas vitales conlocans in duobus: vt primus Adam ha-
beatur, quiſquis per veſtigia eius erroris inceſſerit. Secun-
dus Adam ille ſit, qui Dominum fuerit imitatus. Hi ſunt
Gal.5.6. duo Adam nouus, & vetus: ſicut Apoſtolus ait: *In Chri-
ſto enim Ieſu neque circumciſio aliquid valet, neque præpu-
tium, ſed noua creatura.* Non enim magni eſt meriti, quid
foris agatur in corpore hominis, ſed penſandum eſt, quid
agatur in mente. In mente efficitur noua creatura: per
B quod foris deprehenditur in corpore, qualiter facta eſt
noua in mente. Ad nouum hominem pertinet præſentem
mundum deſpicere: tranſitoria non amare. Mentem me-
dullitus in humilitate Deo, & proximo ſternere. Contra
illatas contumelias patientiam ſeruare. Et cuſtodita pa-
tientia dolorem malitiæ à corde expellere. Egenis propria
tribuere. Aliena non concupiſcere. Amicum in Deo dili
gere; propter Deum, & eos qui inimici ſunt, amare. De
afflictione proximi lugere. De morte eius, qui inimicus
eſt, non exultare. Hic eſt, ſecundus Adam. Iſte eſt no-
uus homo, quem Chriſtus reduxit ad cœlos; ſicut ipſe
Ioan.3. diſcipulis ſuis ait: *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui de-
15. ſcendit de cœlo filius hominis, qui eſt in cœlo.* Cui ſenten-
Ioan.17. tiæ ſtatim concordat, quod ipſa veritas dicit: *Pater volo,
24. vt vbi ego ſum, & ipſi ſint mecum.* Quia ſibi ipſe Domi-
nus in verbis ſuis non diſcrepat. Sed ad inquirenda hæc
quaſi diſcordantia, ſtudium mentis noſtræ inflammat.
Omnes enim nos, qui in eius fide nati ſumus, eius ſine
dubio corpus exiſtimus. Quia igitur mira diſpenſatione
C pietatis membrorum ſuorum caput Dominus factus eſt,
Ioan.3. repulſa reproborum multitudine, ſolus eſt nobiſcum. *Ne-
15. mo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo.* Quia dum
nos vnum cum illo iam futuri ſumus, vnde ſolus venit in
ſe: illuc ſolus redit etiam in nobis, & ille, qui in cœlo
ſemper eſt, ad cœlum quotidie aſcendit. Quia qui diui-
nitate ſuper omnia permanet, humanitatis ſuæ compage
ſeſe quotidie ad cœlos trahit. Non ergo ſe deſperet hu-
mana fragilitas, Vnigeniti ſanguini confidat: In pretium
ſuum conſpiciat, quam magnum eſt, quod tantum valet.
Perpendat ſolicite, vbi caput præceſſit. Et quæ ad viuen-
dum præceptis adſtringitur, ad ſperandum exemplis ro-
boretur. Confidat, cœlos ſperet, ſupernam patriam, an-
gelorum ſe ſocium ſciat; atque in ſuo capite prælatum
ſe etiam angelis gaudeat. Amen.

Ad veterem quippe Adam pertinet præſentem mun-
dum quærere: Tranſitoria ex concupiſcentia amare: Men-
tem in ſuperbiam erigere. Patientiam non habere: Ex do-
D lore malitiæ, de proximi læſione cogitare: Sua indigenti-
bus non dare: Ad multiplicanda lucra terrena, aliena quæ-
rere: Nullum, præter ſe diligere. Inimicitias inimicis redde-
re: De afflictione proximi gaudere: De morte inimici exul-
tare. Cuncta hæc vetuſta ſunt, hominis qui, videlicet, de ra-
dice trahit corruptionem. Intereſt vetus Adam, qui in ſcri-
pturis ſacris terrenus dicitur. iſte ſemper aduerſatur Eccle-
ſiæ Chriſti. iſte ſemper generat ad mortem. Hæc pars, quæ
generat ad mortem nox dicitur. Fiunt & hic Baptiſma, &
omnia Eccleſiaſtica Sacramenta: Sed quia & hæretici fi-
dem, & ſubditi eorum, quos regunt, opere à ſe diuidunt
Chriſtum, & vnum videntur nobiſcum commune ha-
bere altare. Et inde nomen paternitatis aſſumunt, per
quam & Sacramenta Eccleſiæ vſurpare præſumunt. Ge-
nerant quidem filios: Sed quia Adam vetus eſt, non ad vi-
tam generant, ſed ad mortem: patres ab imperitis vocãtur;
ſed pro eo quod recta non loquuntur, canes muti à prophe-
Eſa.56. ta nuncupantur, qui ait: *Canes muti, non valentes latrare.*
17. Patres vero hæreticorum dicimus eos, videlicet, quos
hæreſiarchas vocamus. De quorum peruerſa prædicatione, E
id eſt, locutionis ſemine ſequentes ſunt populi ſui errore
generati. Sancta vero Eccleſia cum canibus gregis, qui
ſunt hæreticorum patres ponere dedignatur, quia inuen-
tores errorum iudicando reſpuit: eoſque inter veros patres
numerare contemnit. Pro eo tamen, quod de Domino
noſtro Ieſu Chriſto non recta ſentiunt, eos cum canibus
gregis ſui non ponit: quia eos cum rectis prædicatoribus
non adſcribit. Liquido enim patet, quod Arius, Fotinus,
Donoſus, Macedonius, Neſtorius, Euticius, Dioſcorus, Se-
uerus: & hic noſtris modo temporibus Elipandus: multi-
que horum ſimiles, docendo, atque ſuadendo conati ſunt
Eccleſiam illudere & Patres videri. Sancta vniuerſalis
Eccleſia diſtricta veritate diiudicans, eos inter cuſtodes
gregis ſui non numerat quos eiuſdem gregis vnitatem diſ-
ſipantes damnat. De quibus voce Pauli Epheſiis dicitur:
Scio, quia poſt diſceſſum meum ingredientur ad vos lupi gra- Eph.20.
ues non parcentes gregi. 29. F

Et quia aliquando hæretici, quanto magis in perfidiæ
errore blandiuntur, tanto magis ſanctitatem ſimulant: &
quaſi tanto amplius in exteriore eſſe operatione: ita vt
agere præ cæteris magna videantur: Sancta vniuerſalis Ec-
cleſia cuncta eorum opera deſpicit: quia ea ex auctoritate
rectæ fidei non prodire cognoſcit. Per hos Antichriſtus
ſibi filios generat, quos in aduentu ſuo fœdiſſimos teſtes
in Eccleſia habeat.

Hi teſticuli Antichriſti ſunt, de quorum ſemine peruerſa
proles gignitur, quæ in Antichriſti ore copulatur. Vnde &
per Iob ex voce Antichriſti dicitur: *Nerui teſticulorum eius* Iob.40.
perplexi ſunt. Tantos iſte Antichriſtus teſtes habet, quantos 12.
iniquitatis ſuæ prædicatores poſſidet. An eius teſtes non
ſunt qui prauis perſuaſionibus corda hominum virulenta
erroris ſemina fundendo corrumpunt. Aptè autem dicitur:
quod teſticulorum eius nerui perplexi ſunt: quia, videlicet, Ibid.
prædicatorum illius argumenta doloſis aſſertionibus in-
nodantur, vt recta eſſe ſimulent, quæ peruerſa perſuadent:
vt alligationum implicatio, quaſi neruorum plexibus; vt ſi
videri poſſit, ſolui non poſſit. De ſuo eius teſticuli perple- G
xos habent, quia acumina prædicatorum illius ſub argu-
mentis duplicibus latent. Plerumque autem, cum verbis
corda inficiunt in opere innocentiam oſtendunt. Neque
enim ad ſe bonos perſuaſione ſua traherent, ſi ſe & in
actionibus peruerſos exhiberent.

Sed quia teſtes huius perplexi neruis illigantur, & re-
ctos ſe oſtentant, vt lateant, & peruerſa corripiant, vt cor-
rumpant ipſum ſine dubio ſuum caput imitantes, qui quaſi
Leo ſedet inſidiis, & ſæuit per potentiam terreni culminis,
& blanditur per ſpeciem ſanctitatis. Sed Antichriſtus vti-
nam tunc ſolum talia ageret ſuo tempore; & nunc quo-
que ad corrumpendam fidem & fidelium viſcera hos hæ-
reticos luxuriæ teſticulos non haberet.

Neque enim malum ſola lectione oris infunditur; ſed
peius; & à pluribus, operis exempla propinantur. Quam
multi enim Antichriſtum non viderunt. Sed tamen teſticu-
li eius ſunt: quia corda innocentium actionis ſuæ exemplo
corrumpunt: Quiſquis namque in ſuperbiam extol- H
litur, quiſquis auaritiæ deſiderio cruciatur quiſquis lu-
xuriæ voluptatibus ſoluitur, quiſquis iniuſtæ, & immo-
deratæ iræ flagris innititur, quid aliud, niſi Antichriſti
teſtis eſt: quidem ſe libenter eius vſibus implicat, exem-
plo ſuo aliis erroris fœtus miniſtrat. Ille praua agit ille
praua agentibus adeſt, & adhæret. Et non ſolum non in-
crepat, ſed etiam fauet. Quid ergo aliud, quam Antichriſti
ſeruus eſt? qui perdidit auctoritatem promiſſæ Deo fidei
teſtimoniis erroris. Quos tamen ſi quis increpet, mox ſe
ſub quodam velamine defenſionis occultant. Quia vide-
licet eorum nerui perplexi ſunt, & malè impliciti, qui
corruptionem ſolui nequaquam poſſint. Et apparet quid-
dam in eis, quod doleat; ſed latet, quod pungat. Ama-
ris dulcia, noxiis blanda permiſcent; & poteſtate qui-
dem admirandi videri appetunt; Sed fallunt arte; præmiſ-
ſa conloquia ſimiliter ſubſternuntur: & per ſermonem
de ſe inſinuant, quod per exhibitionem negant. Vnde &
rectè idem ſanctiſſimus dicit: *Oſſa eius, velut fiſtula* Iob 40.
æris. Oſſa eius æris fiſtulæ comparantur; quia nimirum 13.

A mote æramenti inſenſibilis ſonum bene loquédi habent, ſed ſenſum intelligendi non habent. Hoc namque, quaſi humiliter aſſerunt, quod elate viuendo contemnunt. 1.Cor.13. 1. Vnde bene per Paulum dicitur *Si in linguis hominum loquar, & angelorum: charitatem autem non habeam, factus ſum velut æramentum ſonans, aut cymbalum tinniens.* Bona quippe loquens ſed per amorem eadem bona non ſequens, Velut æs, aut cymbalum ſonitum reddit, quia ipſe non ſentit verba quæ ipſe dicit.

Ait non Elipandus mote cymbali à Toleto ſonitum mittit, & inſenſatus eſt, quia ipſe non ſentit verba noua, quæ dicit. Vt enim fides firma daretur Eccleſiæ, duodecim Apoſtoli ſunt à Chriſto electi, quorum Petrus cum eſſet eorum primus, ſolus non eſt auſus componere ſymbolum, ſed duodenario numero Apoſtolorum cum magna eſt cautela collectum, & credentibus aſſignatum. Ideoque qui in tali confeſſione permanſerit, à ſuperuenienre ira timere non poterit. Duodecim fuerunt Chriſti diſcipuli prædicatores fidei, & Doctores gentium. B Qui cum omnes vnum eſſent, vnum etiam compoſuerunt communiter ſymbolum; qui ſinguli ſingula verba dixerunt vnius fidei inuicem concordantia ſibi, quæ tantum duodecim ſunt verba. Elipandus ſolum in ſua fide vndecim poſuit: quia & denarij vnum numerum exceſſit, & ad duplicatum vt tredecim eſſet non peruenit. Quæ verba æqualiter diuiſa, vndecim, & vndecim ſiunt, vt apertè daretur intelligi * ipſe primus * Spaniæ præfigurans ſe Antichriſtum. Extulit ſolus totam gratiam habere Apoſtolorum, qui ſolus ſine collatione fratrum compoſuit nouæ fidei documentum.

** quod ipſe primus Spaniæ ſe præfiguraret.*
** Hiſpania,*

Nimis iſte apparet elatione ſuperbus, qui ſemetipſum cum Chriſto prædicauit Chriſtum. Sic enim de illo quem Coloſſ.2. 4. præfigurauit, per Paulum dicitur: *Ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus.* Et rurſum per eundem Ibid. dicitur: *Qui verſatur, & extollitur, & colitur ſupra omne, quod dicitur Deus, aut colitur.* Etenim ſancti dij dicuntur, ſed non coluntur. * Solus Chriſtus dicitur Deus, & colitur: ſuper quem Antichriſtus ſe eleuauit: cuius myſterium nunc videmus. Quia omnes, qui contra Eccleſiam C ſunt, in Antichriſti corpore ſunt, cuius ſupra in vna beſtia mentionem fecimus. De qua Daniel cum quartam beſtiam diceret decem cornibus fultam, protinus adiunxit, Dan.7.8. dicens: *Conſiderabam cornua: Et ecce cornu aliud paruulum ortum eſt de medio eorum. Et tria de cornibus primis euulſa ſunt à facie eius. Et oculi quaſi oculi hominis erant in circuitu, & os loquens ingentia.* Vndecimum quippe huius beſtiæ cornu eſſe deſcribitur, quia regni eius potentia in iniquitate roboratur. Siue qui inter decem reges Rom. ipſe erit vndecimus. Omne enim peccatum vndenarium eſt dictum, quia dum diuerſa agit, præcepti decalogum tranſit. Et quia in cilicio peccatum plangitur, hinc eſt, quod in tabernaculo velut cilicina vndecim ſiunt. Pſal 11. 1. Hinc per vndecimum Pſalmum dicitur. *Saluum me fac Domine, quoniam defecit Sanctus: quoniam diminutæ ſunt veritates à filiis hominum. Vana loquuti ſunt vnuſquiſque ad proximum ſuum. Labia doloſa in corde & corde loquuti ſunt mala. Diſperdat Dominus vniuerſa labia doloſa, &* D *linguam magniloquam.* Magniloqua lingua eſt, cum ſe ſuper omnes extollit, & ſibi magnus videtur. Hinc Petrus, ne in vndenario numero remaneret, Apoſtolus metuens, Matthiam duodecimum ſorte miſſa requiſiuit. Hic niſi enim ſignari culpam per vndenarium videret, implere Apoſtolorum numerum tanta feſtinatione duodenarium non curaret. Quia ergo per vndenarium numerum tranſgreſſio exprimitur, huius beſtiæ cornu vndecimum ipſe auctor tranſgreſſionis iudicatur. Quod videlicet paruulus naſcitur, quia purus homo generatur. Sed immaniter grandis creſcit: quia vſque ad coniunctam ſibi virtutem angeli fortitudinis profecit. Quod tria cornua, quæ ei ante faciem ſunt, euellit, quia ditionis ſuæ regna totidem, quæ ſibi vicina erant, ſubiicit. Cuius oculi ſunt, vt oculi hominis: Sed os ingentia loquitur: quia in illo humana quidem forma videtur: ſed verbis ſuis vltra homines eleuatur.

** cultu ſc. latria ſeu diuino.*

Ecce nunc iam apertè vide purum hominem Elipandum, & tanta elatione ſuperbum ſuper omnem ſe Eccle- E ſiam eleuare, vt omnes tanquam bruta animalia putet eſſe. Verba etiam fidei ſuæ, quæ in ſuis inſeruit epiſtolis in tantum ſunt fidei Apoſtolicæ contraria, quantum & inter ſe diſcordantia.

Quæ verba dupliciter vndecim ſiunt vt dupliciter ſe in tantum eleuaret, vt in tota Eccleſia ſolum ſuper eum deſcendiſſe Spiritus ſanctus, * ſicut finxit Montanus, & duæ propheteſſæ ipſius Priſca & Maximilla, qui aduentum Spiritus ſancti promiſſum à Domino, in ſe potius, quam in Apoſtolis, fuiſſe credunt. Vt illi Eccleſiæ, quæ adhuc in lacte eſt, cum talis ſurgit in prædicatione qualis Elipandus ſurrexit. Moriuntur infantes, qui adhuc per tempus poterant ad ſolidum peruenire cibum: Sed tunc moriuntur, quando decipiuntur. De hoc Dominus præſcius futurorum, diſcipulos in Euangelio admonet, dicens: *Væ* Matt.24. 19. *prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus. Et orate, ne fiat fuga veſtra hieme, vel ſabbato.* Quod ex ſuperioribus, manifeſtum eſt, pendere. *Cum enim Euangelium Chriſti cun-* Marc.13. 7. *ctis gentibus fuerit prædicatum, & venerit conſummatio viderent abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Da-* F *niele Propheta: Stantem in loco ſancto, tunc præcipitur his* Matt.24. 14. *qui in Iudæa ſunt, vt fugiant ad montes. Et qui in tecto non deſcendant tollere aliquid de domo ſua.* Statimque coniungitur: *Væ prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus.* In quibus diebus? Quando abominatio deſolationis ſteterit in loco ſancto. Et quid erit abominationis, niſi vt integer Chriſtus Ieſus, quod non ſit filius Dei, & verus Deus, ille, qui de Virgine natus eſt, quem Iudæi crucifixerunt. Abominatio erit deſolationis, quando apertè pro Chriſto ſuſcipitur Antichriſtus, & adoratur: & Chriſtus Deus eſſe negatur. Iam longè Antichriſtus non eſt, quia iam Chriſtus Deus eſſe negatur. Quod quidem, iuxta literam, de aduentu Antichriſti, nulli dubium eſt quam perſecutionis magnitudo compellit fugere: & graue eſt ferre paruulos, qui lactantes fugam retardant. Licet quidam Titi, & Veſpaſiani aduerſus Iudæos & præcipuè Ieruſalem obſidionem, pugnámque ſignificari velint. Hyemem quoque & G ſabbatum ſic interpretantur ne eo tempore fugere compellantur, quando duritia frigoris in agris, & in deſertis locis fugientes latere non patitur, & obſeruatio ſabbati, aut præuaricatores facit, ſi fugiunt aut hoſtium gladiis ſubiacere, ſi ſabbati otium, & præcepta obſeruauerint. Sed non eſt tempore Veſpaſiani completum, & Titi; ſed nunc in aduentu Antichriſti. Nos autem audientes Dominum Saluatorem, vt qui in Iudæa ſunt, ad montana confugiant; id eſt, qui confeſſores ſunt, ad fidem, & doctrinam Apoſtolicam confugiant: Ipſi quoque oculos leuamus ad montes, de quibus ſcriptum eſt. *Leuaui oculos* Pſal.120. 1. *meos ad montes, vnde veniet auxilium mihi.* Et in alio Pſal.86. 1. loco: *Fundamenta eius in montibus ſanctis.* Et, *Montes in* Pſ.124. 2. *circuitu eius, & Dominus in circuitu populi ſui.* Et, *non poteſt ciuitas latere ſuper montem poſita.* Et diſcalceati nos Matt.5. 14. pedem literæ, nudis pedibus cum Moyſe aſcendentes Exod.3. 3. montem Sina, dicamus: *Tranſiens videbo viſionem hanc magnam*; vt poſſimus intelligere prægnantes animas, quæ de ſemine doctrinarum, & ſermonibus Dei initia fidei H conceperunt & dicunt cum Eſaia: *A timore tuo Domine* Eſa.26. 18. *concepimus, & parturiuimus, ſpiritum ſalutis tuæ fecimus ſuper terram.*

** videretur.*

Sicut enim ſemina paulatim formantur in vteris, & tamdiu non reputantur homicidium, donec elementa confuſa ſuas imagines, membráque ſuſcipiant: ita ſenſus ratione conceptus, niſi in opera proruperit, adhuc ventre retinetur, & cibo abortio perit cum videt abominationem deſolationis ſtantem in Eccleſia, & Satanam transfigurari in Angelum lucis, id eſt hæreticum. Et de iſtiuſmodi Paulus fletibus loquitur: *Filioli mei, quos iterum* Gal.4. 19. *parturio, donec Chriſtus reformetur in vobis. Vellem autem eſſe apud vos modo, & mutare vocem meam, quoniam confundor à vobis.* Ecce Paulus mutare vult vocem in partu ſuo, vt prædicationis ſermo in rugitum vertatur doloris. Mutare vult vocem, quia quos iam prædicando pepererat, reformando gemens iterum parturiebat. Qualem rugitum pariens emittebat; quando eiſdem *poſt ſe* redeuntibus ex-

clamare

A Gal.3.1. clamare cogebatur, dicens: *O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinauit? Et ſic ſtulti eſtis, vt cum ſpiritu cœperitis, nunc carne conſummamini?* vel certè *currebatis bene, quis vos impediuit, veritati non obedire?* Qualis in huius partu rugitus fuit, qui multo tempore conceptos filios cum tantis laboribus peperit, & quandoque partus ad malitiæ vterum rediiſſe cognouit? Conſideremus, quid doloris habuerit? Quid laboris? Qui poſtquam potuit concepta ex vtero edere, iterum compulſus eſt extincta ſuſcitare. Niſi enim prædicatores ſancti ab illa immenſitate contemplationis internæ ſpiritualis conciperent, & ad infirmitatem noſtram humillima prædicatione, quaſi quadam incuruatione deſcenderent, nunquam vtique in fide filios procrearent. Nobis quippe prodeſſe non poterit, ſi in ſuæ altitudinis erectione perſiſterent. Moriuntur ſemina in partu, qui necdum formati fuerant in fide, dum hæretici ceperint hæreſes prædicare. Ipſi hæretici diſcipulos Pauli occiderant, quia Christum in pectore illorum occiderant. Gal.4.19. Quos reuocat ad vnam fidem, dicens: *Filioli mei quos adhuc parturio, donec Chriſtus formetur in vobis.* B Has ergo animas arbitror, iuxta myſticos intellectus, eſſe mulieres. 1.Tim.2.14. De quibus ipſe Apoſtolus ſcripſit: *Mulier ſeducta in tranſgreſſione fuit. Saluabitur autem per filiorum generationem, ſi permanſerit in fide, & charitate, & ſanctitate cum pudicitia.* Quæ ſi de ſermone diuino aliquando generantur, neceſſe eſt, quæ generata ſunt, creſcere & primum accipere lac infantiæ, donec perueniãt ad ſolidum cibum, & ad maturam ætatem plenitudinis Chriſti. Omnis enim, qui lacte alitur, imperitus eſt, & mente paruulus; in ratione iuſtitiæ infantulus eſt. Hæ igitur animæ, quæ adhuc non pepererunt, ſiue quæ nondum potuerunt ea quæ generata ſunt paſcere; cum audierint ſermonem hæreticum ſtantem in Eccleſia, cito ſcandalizantur, & pereunt: & in tempeſtate, atque in perſecutionibus permanere non poſſunt; præſertim, ſi oleum habuerint bonorum operum, & non ambulauerint in via, quæ Chriſtus eſt.

De hac abominatione hæretica, peruerſaque doctrina, C dicebat Apoſtolus, quod homo iniquitatis & aduerſarius Coloſſ.2.4. *extollet ſe contra omne, quod dicitur Deus,* & religio: *ita vt præſumat ſtare in templo Dei, & oſtendere quod ipſe ſit Deus.* Cuius aduentum ſecundum operationem Satanæ, & ea, quæ concepta ſunt, facit perire abortione, & ea quæ nata ſunt, ad pueritiam, & ad perfectam ætatem peruenire non poſſe. Quamobrem orandus eſt Dominus, ne in exordio fidei, & creſcentis ætatis oriatur hiemis frigoris, id eſt, hæreticorum prædicatio nouella. De qua hyeme ſcri- Cant.2.3. ptum eſt ex voce ſponſi: *Iam hyems tranſiit, imber abiit, & receſſit.*

Cætera deſiderantur in autographo.

AMBROSII ANSBERTI Galli Presbyteri, Viri facundiſſimi, in ſancti Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ Apocalypſim libri decem.

D

TRITHEMIVS IN LIBRO de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

AMbroſius Anſbertus, Monachus & Presbyter ordinis S. Benedicti, vir in diuinis Scripturis ſtudioſus & eruditus, ingenio mitis, & dulcis eloquio, multos in ſacris voluminibus commentarios edidit, quibus nominis ſui famam ad poſteros tranſmiſit. Pauca tamen ad notitiam meam venerunt: Reperi enim duntaxat ſubiecta.

In Cantica canticorum	*Lib. I. Donũ ſapientia cum Sa.*
In Pſalterium quoque	*Lib. I.*
In Apocalypſim Ioannis	*Lib. decem.*
De cupiditate	*Lib. I.*
Epiſtolarum ad diuerſos	*Lib. I.*

Clarnit ſub Arnoldo Imperatore, Anno Domini D.CCCXC.

Beatiſſimo Papæ Stephano Ambroſius Anſbertus Presbyter.

SANCTORVM Eccleſia, quæ corpus redemptoris ſui eſt, cuius tu quoque Pontificalis ordinis primatum ſortitus es, inter cætera ſua miracula verbo prædicationis eminet. Vt enim doctiſſimi eiuſdem Eccleſiæ tractatores dixerunt, plus eſt ſanctis exhortationibus nunquam eſſentialiter morituram animam, à peccati morte viuificare: quam corpus denuo moriturum, conctis interuentionibus ſuſcitare. Hinc certè in faſtigium culminis eleuata, hinc ſuper totius orbis celſitudinem eſt erecta. Vnde Dominus quoque cum in ty- F pum eiuſdem Eccleſiæ ad prophetam diceret, *Ecce conſti-* Ierem.1. *tui te hodie ſuper gentes & ſuper regna:* cauſam præmiſit Ibid. cur id fieret, dicens: *Ecce dedi verba mea in ore tuo.* Et quidem carere nunc Eccleſiam reliquis miraculis, reprehenſio nulla eſt: tacere vero Eccleſiam ab exhortatione, laus nulla: imo etiam ſine reprehenſione vllo tempore poſtponi non valet, quod omnipotens Deus ſine intermiſſione fieri mandauit. Ait namque multis in vno, vniuerſique prædicatorum in vno: *Verba mea quæ poſui in ore tuo, non* Iſa.59. *recedant de ore tuo, & de ore ſeminis tui, amodo & vſque in ſempiternum.* Hinc rurſum præcepit, dicens: *Clama, ne* Iſa.58. *ceſſes quaſi tuba exalta vocem tuam.* Quis interdicat modo non eſſe clamandum, cum in hac ſententia audiat non eſſe à clamore ceſſandum? Et certè ſi quis prædicator veritatis, ne id faceret, ab aliquo prohiberetur: cum illis profecto, qui cæſi, denuntiati fuerant ne in nomine Ieſu loquerentur, cæſis etiam libera voce clamaret: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* An fortè loquendi Act.5. tantum libertas iſto in tempore tribuenda eſt, non autem ſcribendi quæ loqui bona quiſque poteſt, ſicut maiores G noſtros feciſſe omnibus notum eſt? Quis hoc dixerit, vel vbi hoc ſcriptum inuenerit? At contra Spiritus ſanctus per Salomonem admonet, dicens: *Quodcunque poteſt ma-* Eccl.9. *nus tua facere, inſtanter operare.* Ecce etenim poteſt manus ſtylo proferre, quod poteſt lingua verbo formare. Et quis erit à culpa innocens, niſi fecerit hoc, quod vt facere poſſet, deſuper accepit? Aut quis aliquando ſine crimine prohibebit, quod Dominus vt fieret imperauit? Et reuera ſanctiſſime Pater, totius Eccleſiæ libertas nunc vſque talis permanſit, vt vnuſquiſque prout deſuper accepiſſet, ſine alterius controuerſia volumina conderet, nec damnatum alius ab alio ſentiret, niſi (quod abſit) horum quilibet contra fidem ſenſiſſet, ne ſcilicet Spiritum ſanctum, qui vnicuique prout vult bona diſtribuit, humano imperio aliquis ſubiacere putaret. Damnandus itaque cenſetur, 1.Cor.12. quiſquis hanc libertatem ſpiritus abolere conatur. Atque inquiunt multi: Non eſt tempus iam nunc diſſerendi ſcripturas. Quibus nimirum ſi præmiſſa ſcripturarum teſtimonia id fieri etiam vſque in finem ſeculi laudabiliter H poſſe nequaquam perſuadent, neceſſe eſt vt argumentorum colaphis cæſi, ab eo quod defendunt, tandem reſipiſcant. Si itaque præſens tempus hoc adimit, vt ſcribi non debeat quod quiſque bene intelligit: ergo quod nefas eſt dicere, Spiritus ſanctus omnipotentiam amiſit, qui varietati temporum ſubiacere cœpit, quaſi ei iſtis diebus nunc agere non liceat, quod eum per ſanctos prædicatores in præcedentibus feciſſe nullus fidelium dubitat. Ergo & præſens tempus Chriſtum operantem amiſit, qui in Ioan.5. Euangelio veraciter dixit: *Pater meus vſque modo opera-* Matt.28. *tur, & ego operor.* Sed vſquequo Domine? *Ecce ego,* ait, *vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi.* Sed iam tempus eſt, vt aperiam cur iſta præmiſerim. Infulgente gratia redemptoris noſtri, qua nullis præcedentibus meritis, cœleſtibus indigni perfruimur donis, nuper in Apocalypſim Ioannis decem edidi libros, & quanquam ſufficeret mihi, quia ſanctarum Scripturarum

A teſtimoniis veræ fidei congruentibus roborati erant, quia præcedentium tractatorum ſenſu vigebant: humilitati tamen meæ proſpiciens, peto vt veſtro etiam decreto profuturi firmi maneant, quod videlicet nullum præter me alium tractatorem feciſſe reperio. Sed non ideo libertas ſuccubuit, quia humilitas ſemetipſam libere proſtrauit. In quibus profecto libris nec ipſi, qui obtrectatores mei eſſe videbantur, aliquid ſe inueniſſe quod rectæ fidei aduerſaretur, coram vobis teſtati ſunt. Quod certiſſime vellent, ſi (quod abſit) vllo modo poſſent: qui vtique voluerunt, ne vltra in hoc opere deſudarem. Deo autem gratias, quia vt diſcipulum crucis, ac magiſtrum veritatis decuit, nulli horum in hac parte beatitudo veſtra conſenſit. Non enim illorum veſaniæ aſſenſum præbuiſti, ſed potius vt id agerem, diuinis credo nutibus incitatus, admonere ſtuduiſti. Sic namque illis furentibus, mihi dixiſti: Labora ſicut cœpiſti. Laboro itaque venerabilis pater in hoc opere gaudens, quia monuiſti: laborarem certe

B Matth. 25. Luc. 19. etiam triſtis, ſi prohibuiſſes, ne ſcilicet humano ſubditus timori, talentum quod fidelibus populis erogandum accepi, ſub terræ ſilentio damnandus conderem.

Deſudabo inquam in hoc cœpto labore pro viribus, etſi ruſticanus domini ſeruus, non vt quidam arbitrantur, temerarius atque præſumptor: ſed vt propria mihi conſcientia teſtatur, collatæ deſuper gratiæ promptus executor. Si itaque bona ſunt quæ deſcribo, ac per hoc non iam mea, ſed Dei ſunt quæ de ſcriptis profero, ſicut per Iaco-

Iacob. 1. Ioan. 3. bum dictum intelligo, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum*: & rurſum per Ioannem, *Nemo poteſt accipere quicquam, niſi ei datum fuerit de cælo*: ergo quod ago, non eſt præſumptio vel temeritas, ſed eſt diuina gratia & ſuperna largitas. Vnde non mihi, ſed Deo derogant, qui me in hac parte obtrectationibus laniant. Caueant prorſus, ne ex bono Dei, ipſi mali deficiant, dum propter hominem cui inuident, quod non hominis, ſed Dei eſt, abominandum exiſtimant. Hinc etenim & Apoſtolus

C 2. Cor. 2. clamat: *Chriſti bonus odor ſumus Deo*, & in his qui pereunt, & in his qui ſalui fiunt: & aliis odor mortis in mortem, aliis odor vitæ in vitam. Sed quid ego beatiſſime pater, quid ad iſta niſi gaudere debeo? qui ſi omnium tractatorum vltimus, tamen ex eo quod bonum prædicationis ſcriptis profero, obtrectatores (ſicut & illi) habere

Philip. 3. *Hieronymus.* mereor. Quibus profecto lenius ego reſpondeo, quã alios reſpondiſſe inuenio: quoniam illos canes & canino dente rodentes vocabant, & cætera ſi qua ſunt iniuriæ condigna: quia & ſicut me illorum meritis imparem cerno, ſic ab iſtorum obiurgatione linguam refreno. Dixerunt illi quod tales decuit audire, dicam ego quod humilitati meæ ſentio conuenire. Valuit forte contra tales illorum aſpera redargutio, valeat apud tales mea lenis deprecatio. Obſecro itaque vos, quicunque eſtis qui in mea reprehenſione vigilatis, per manſuetudinem Chriſti, qua eſtis præuenti: obſecro vos per ſanguinem crucifixi, quo eſtis redempti, vt à detractione linguæ parcatis, dum in rectitudine verbi non inueneritis quod poſſit offendi. Quod ſi

D vobis de vita & moribus indignis diſpliceo, pariter vobiſcum ſentio. Nullus enim potius in hac parte me reprehendit, quam ego. Sed ſicut ſæpe pro defenſione ſacri verbi ingerere ſoleo, non eſt Deo indignum, per me

Num. 23. 24. 1. Reg. 10. Ioan. 11. Num. 22. etſi peccatorem, tamen vtcunque Chriſtianum, ſua verba ſcriptis formare, quem dudum per ſacrilegos & impios nouimus prophetaſſe, Balaam ſcilicet, Saülem & Caipham. Non ſolum autem per homines etſi malos, ratione tamen vtentes, prophetica voce clamaſſe: verumetiam per inſenſatum & mutum animal, cum voluit, humana verba formaſſe. Quid multa? Si rationi adquieſcit, ſatis eſt quod dixi. Vnum autem quo magis indigeo, obſecro pater, ſemper mei memento, Amen.

PRÆFATIO ANSBERTI in Apocalypſim.

E DEi illuſtratione afflatus, eiuſque muneris largitate deuinctus, ac de eiuſdem domini accepti talenti mercatione ſolicitus, quia pene omnes ſcripturarum diuitias per Eccleſiaſticos numularios Chriſtianis populis erogatas agnoui, ad Apocalypſim Ioannis me verto. Et quia hanc, vt auiditatis meæ poſcebat ingenium, ad plenum expoſitam reperire non valui, ex ea talentum mihi creditum multiplicari poſſe perſenſi. In quam videlicet apud Latinos primus commentatus eſt martyr Victori- *Victorinus Hieronymus.*
nus, cuius aſſertiones proſequens B. Hieronymus, quædam autem quæ ille iuxta literam intellexerat, auferens, quædam vero ex proprio adiiciens, vnum in eam condidit librum, promittens de reliquo, ſi vitæ ſpatium adeſſet, F
ſuum in ea potiſſime ingenium ſudaturum. Sed opus illud promiſſum, neſcio ſi fuerit completum. Donatiſta etiam Ticonius, multipliciorem in præfata Apocalypſi edidit *Ticonius.*
explanationem. Qui etſi multa ſpiritualium ſenſuum mella congeſſit, veneno tamen perfidiæ eadem commiſcuit. *Primaſius.*
Poſt quem Primaſius Africanæ Eccleſiæ antiſtes, vir per omnia catholicus, atque in diuinis ſcripturis eruditus, quinque prædictam Apocalypſim enodauit libris. In quibus vt ipſe aſſerit, non tam propria quam aliena cõtexuit, eiuſdem ſcilicet Ticonij bene intellecta deflorans, praua *Auguſtinus.*
quæque abiiciens, atque incompoſita componens: ſed & beatæ recordationis Auguſtini quædam de iam dicta Apocalypſi expoſita capitula annectens. Et quanquam plenius quam alij eam expoſuerit, non tamen omnes eius obſcuritates aperuit, nec eandem ſuam expoſitionem vel mediocribus, vel paruulis congruere fecit. Fateor enim multa me in eius dictis ſæpiſſime legendo ſcrutatum eſſe, nec intellexiſſe. Extant autem in eiuſdem Apocalypſis li- G
brum, etſi numero pauca, luculentiſſime tamen à S. Gregorio Papa Romano expoſita, capitula per diuerſa eius *Gregorius.*
opuſcula. Ego igitur hæretici perfidiam improbans, catholicorum vero fidem & ſententias ſequens, multa vero ex meo, imo ex dono gratiæ Dei, in his quæ deeſſe videntur adiiciens, quædam etiam prout neceſſitas expoſitionis cogit, conſeruata in omnibus fidei regula, ex eorum ſenſibus commutans, ſæpe dictam Apocalypſim expoſitus aggredior, vtens proculdubio locis omnibus, nullius horum ſi propriæ locutionis ſtylo, præter B. Gregorij: cuius verba non ſolum in his quæ de hac Apocalypſi ſenſit, verumetiam in aliis quæ pro confirmando operis mei dogmate occurrunt, proprium in illis expoſitionis laborem refugiens, adnecto. Ad cuius me locutionis inſtar, etſi minus ſapiens, ita conformare ſtudeo, vt à rariſſimis intelligi poſſit, qua ſibi concatenatione illius verba miſceantur & mea. Quod ſi à me quæritur, cur poſtquam omnes Eccleſiaſtici ſcriptores ſiluerunt, hoc agere præſumo: cum humilitatis ſatisfactione cito reſpondeo, quia ad hoc ipſum diuina gratia impulſum me H
eſſe cognoſco. Si autem de vita tractatoris indigna conquiritur, potius ego quam alij in hac parte me reprehendo. Sed non eſt Deo indignum per hominem etſi peccatorem, tamen vtcunque Chriſtianum, ſua verba depromere, qui dudum per ſacrilegos & impios prophetauit.
Quis enim neſciat Balaam ariolum de Chriſto vaticinatum eſſe? Quis neſciat Saülem reprobum regem inter bonos prophetas ſpiritu prophetiæ repletum fuiſſe? Quis neſciat Caïpham impiiſſimum prophetando ſimul & ignorando remedia vitæ procuraſſe? Sed quid de hominibus ratione vtentibus iſta loquor, cum brutos aſinæ ſenſus eundem Deum omnipotentem in modos humanæ locutionis formaſſe ſciamus? At inquiunt multi: Non eſt tempus diſſerendi ſcripturas. Quod ſi ita eſt, vt ob veniam illorum dicam, ergo nec bene loquendi, nec bene operandi. Quid obſecro deliquit tempus? Nunquid nam Chriſtus in eo nunc non operatur qui dixit: *Pater meus* Ioan. 5.
vſque modo operatur, & ego operor? Sed vſque quo domine? *Ecce ego*, ait, *vobiſcum ſum omnibus diebus vſque*

Num. 24. 1. Reg. 10. Ioan. 11. Num. 22.

A *ad conſummationem ſæculi.* Audiant tales patienter, quod ab eis ſpiritu manſuetudinis inquiritur. Reſpondeant benigne, vbi in diuinis voluminibus legerint, quædam tempora ad exponendum indulta, quædam vero prohibita fuiſſe. Quod ſi non inueniunt, cedant bona ſcribenti: ac nequaquam dono gratiæ Dei inſultando derogent, dum hominem reprehendere quærunt. Quin potius reprehendant praua condentes, hæretica machinantes, mendacia deſcribentes: meque peccatorum meorum pondere grauatum, vt recta, catholica & vera edere poſſim, ſuis ſanctis precibus ſubleuent. Sed iam illis reſpondendum eſt, qui intantum hebetes ſimul & pertinaces ſunt vt negent hanc Apocalypſim à quolibet exponi debere, pro eo quod autor illius in fine eiuſdem libri conteſtando dicat:

Apoc. 22. *Si quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto. Et ſi quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ, & de ciuitate ſancta, & de his quæ ſcripta ſunt in libro iſto.*

B O infirmi, ô ad intelligendum nimis paruuli: ſi propter horum occaſionem verborum hæc Apocalypſis exponi non debet, ergo nec omne Dei eloquium, quia ſpiritus-

Prou. 30. ſanctus per Salomonem loquitur, dicens: *Ne addas quicquam verbis illius, & arguaris inueniariſque mendax.* Ergo & poſt Paulum apoſtolum omnes fidei tractatores ſub

Galat. 1. anathematis maledicto erunt, quia ipſe dixit: *Si quis vobis euangelizauerit præterquam quod accepiſtis, anathema ſit.*

Cur itaque non videtis hoc de additamento hiſtoriæ vel diminutione dictum fuiſſe, niſi quia craſſiſſima ſtoliditatis nebula oculos veſtri ſenſus operuit? Recte enim iſta diceretis, ſi in ea ita ſcriptum inueniretis: Si quis hanc expoſuerit Apocalypſim. Quod ſi hoc nequaquam ita eſſe recipitis, quin potius in hac parte, prout intelligitis, in mea reprehenſione perduratis: reprehendite neceſſe eſt, Victorinum martyrem, Hieronymum presbyterum, Auguſtinum epiſcopum, Primaſium item Epiſcopum, & ad extremum Gregorium pontificem Romanum, quorum

C alius plus, alius minus, in eadem Apocalypſi expoſuerunt. Mihi ſane cum talibus viris reprehendi, gloriæ eſt, non pudori. Quia itaque & iſtis & illis, vt arbitror, ratio veritatis breuiter ſatisfecit: reſtat vt quæ ſit huius libri dignitas vel autoritas, quiue ſint eiuſdem locutionis modi, pandamus. Inter reliquos igitur noui teſtamenti libros, ſola Apocalypſis prophetia vocatur, de qua per eius autorem

Apoc. 1. dicitur: *Beatus qui legit, & qui audiunt verba prophetiæ libri huius, & ſeruant ea quæ in ea ſcripta ſunt.* Quia ergo noua prophetia eſt, ſic excellit veteres prophetias, ſicut euangelium obſeruantias legis. In quo autem veteres excellit prophetias, niſi in eo quod de Chriſto & Eccleſia adimpleta iam ſacramenta denuntiat, quæ illæ à longe proſpicientes, ventura te[n]ebant? Sic enim iſta prophetia excellentior illis habetur, ſicut Ioannes baptiſta qui digito Dominum oſtendit, maior prophetarum antiquorum,

Ioan. 1. Matt. 11. qui eum venturum prædixerant, vocatur. Hinc eſt quod cum ſit multarum figurarum denſiſſimis vmbris opacata, nouo nomine Apocalypſis (id eſt, reuelatio) inſcribitur:

D quia ſcilicet vt dictum eſt, ea quæ de Chriſto & Eccleſia antiqua prophetia reuelãda prædixit, hæc reuelata oſtẽdit.

Ad cuius roborandam firmitatem occurrit etiam autoritas mittentis, deferentis, & accipientis, ac loci ipſius viſionis. A quo enim miſſa fuiſſe cognoſcitur, niſi à patre & filio & ſpiritu ſancto? Per quem miſſa, niſi per angelum? Niſi enim hanc per angelum Deus palam faceret,

Apoc. 1. nequaquam Ioannes diceret: *Apocalypſis Ieſu Chriſti, quam dedit Deus palam facere ſeruis ſuis, quæ oportet fieri cito, & ſignificauit mittens per angelum ſuum.* Et niſi à filio per eundem angelum mitteretur, nequaquam idem

Apoc. 22. vnigenitus patris diceret: *Ego Ieſus miſi angelum meum teſtificari vobis hæc in Eccleſiis.* Niſi autem à ſpiritu ſan-

Ibidem. cto per iam dictum angelum reuelanda dirigeretur, minime in eadem reuelatione diceretur: *Dominus Deus omnipotens ſpiritus prophetarum, miſit angelum ſuum oſtendere ſeruis ſuis quæ oportet fieri cito.* Idem enim eſt ſpiri-

2. Petr. 1. tuſſanctus, qui & ſpiritus prophetarum, quique ſecundum Petri ſententiam ſpecialiter per prophetas locutus fuiſſe perhibetur. Sciendum itaque, quia cum in diuina

E ſcriptura ſine additamento ſpiritus ponitur, talis in locis vna per eum ſpiritusſancti perſona oſtenditur, ſed tota

Ioan. 4. ſimul trinitas declaratur. Vnde eſt illud: *Spiritus eſt Deus.*

Apoc. 2. & 3. Et illud in hac Apocalypſi: *Qui habet aurem, audiat quid ſpiritus dicat Eccleſiis.* Et rurſum: *Spiritus & ſponſa di-*

Apoc. 22. *cunt, veni.* Cum vero ſingulariter ſpiritusſancti perſona exprimitur, ſæpius cum additamento interſeritur: vt eſt ſpiritus Dei, ſpiritus Chriſti, ſpiritus prophetarum, ſpirituſſanctus. Sed quia & à patre & à filio & à ſpirituſancto hæc Apocalypſis miſſa prædicitur, abſit vt ſeparatim pater, ſeparatim filius, ſeparatim ſpirituſſanctus eandem miſiſſe credantur: ſed ſimul pater & filius & ſpirituſſanctus, vnus & verus Deus, trinitas inſeparabilis, quæ tota in angelo fuit, tota per angelum Ioannem docuit, quanquam idem angelus ſolius incarnati verbi perſonam geſſerit. Cui autem talia reuelarentur ac tanta, niſi illi quem

Ioan. 13. Dominus Ieſus Chriſtus præ cæteris diſcipulis ſic præci-

F puo amore dilexit, vt hic adhuc poſitus præſentia corporali, ſuper ſuum pectus faceret felici ſorte diſcumbere, & de ipſius fonte vitæ ſpiritalia veritatis arcana vberrim hauríre. vt præeunte huius dilectionis indicio, nulli putaretur dubium, tali Ioannem reuelatione condignum? Magnitudinem quippe reuelationis, commendari primum decuit magnitudine charitatis. Vbi vero talia videre ac tanta promeruit? Nunquid in vrbibus? Nunquid in regum ædibus? Nunquid in locis ſublimibus? Non, ſed in inſula Patmos, à Domitiano relegatus, exilio deportatus, metallo damnatus. Sed in magna celſitudine, in magna mentis conſtantia ſtetit: qui vbi putabatur humana vinciri cuſtodia, ibi metas humanitatis tranſcendens, libero contuitu meruit videre diuina. Et cui tunc certa terrarum ſpatia vetita ſunt adire, ſecreta conceſſa ſunt cæleſtia penetrare. Sic, ſic Chriſti fides, ſic ſibi etiam bene vtens temporalibus malis, bonis perfruitur ſempiternis. Puto igitur iam per hæc quæ dicta ſunt, quoſlibet agnoſcere, cuius dignitatis, cuiuſue autoritatis ſit hæc Apocalypſis.

G Sed nunc profunditatem reuelationis eius aperire, qualitatem viſionis diſcutere, perſonas cognoſcere, ordinem narrare: vtrum exterius iuxta litteram accipi poſſit, an interius figuratum vmbris myſtica ratio lateat: vtrum etiam in figuris rerum, an in intellectu oſtenſa fuerit, vel quem ordinem in narratione habeat, conſiderandum nobis eſt, quibus etiam modis in angelo vel Ioanne viciſſim ſibi cauſæ myſterij ſuccendant, qualiter ad Ioannem tanquam ab aliis perſonis fiat locutio, cum hoc ſit in myſterio quod eſt angelus qui ad eundem Ioannem loquitur: vel qualiter idem Ioannes eaſdem perſonas plerumque non ad ſe, ſed ſibi inuicem colloquentes introducat, quod tale eſt, quale ſi diceret, *angelus ad me ſuus locutus.* Sed

Litteralem Apocalypſeos ſenſum non poſſe ſtare.

iam tempus eſt, vt in nomine atque adiutorio trinitatis, ad hæc quæ propoſuimus, ſoluenda redeamus. Quia igitur nihil in ſuperficie huius reuelationis ſonet hiſtoricum ipſius verba, ſi ſubtiliter inſpiciuntur, docere probantur. Et vt pauca de omnibus ad medium proferamus, ecce Ioannes introducit vidiſſe ſe equos in viſione, quorum ſeſ-

H ſores haberent loricas igneas & hyacinthinas & ſulfureas. Hic curioſius atteſtlar, quiſquis hanc reuelationem iuxta literam accipi poſſe præſumit: & quod ridiculum eſt, quærat artificem, qui loricas ex igne & hyacintho & ſulfure poſſit aptare.

Rurſum idem Ioannes narrat mulierem ſe amictam ſole vidiſſe in cælo, ibique peperiſſe. Draconem autem ante eam, vt filium eius deuoraret, ſteriſſe: ſed ad Deum & ad thronum eius, eundem filium raptum fuiſſe. Mulierem vero poſt hæc in ſolitudinem fugiſſe, ſtatimque prælium magnum in cælo factum fuiſſe: & draconem de cælo in terra proiectum, mulierem inſectatum eſſe. Quid enim dementius, quid ſtultius reperiri poteſt, quam vt in ſuperna illa cæleſtique habitatione, partus mulierum eſſe dicantur? Sed & ſi draco deiectus eſt de cælo in terram quomodo perſecutus eſt mulierem, quæ non dicitur de cælo ruiſſe in terram? Si inquam draco proiectus eſt in terram, quæ neceſſitas compulit mulierem de cælo in ſolitudinem fugere? An forte quandodiabolus de illa

ſuperna

A

ſuperna habitatione ruit, iam mulier in cœlo parturiens clamabat, quæ necdum in terra condita fuerat? An vero filius mulieris in cœlo vtique natus, nec de cœlo deiectus, vt morſum draconis euaderet, alibi de cœlo fuit raptus, quo Deum & thronum eius inueniret? Sic itaque in omnibus ſuperficiem literæ confundunt tales obluctationes: quatenus cauere nos doceant in figuratis locutionibus literam exterius, & ad myſtica intelligenda ſpiritum interius ſequi. Quia vero nequaquam hanc iuxta literam intelligi debere manifeſta ratione docuimus, ſupereſt vt qualitatem viſionis eius diſcutiamus. Tres itaque viſionum modos patres noſtri intelligendos docuerunt: primum ſcilicet corporalem, ſecundum ſpiritalem tertium intellectualem. Corporalis igitur viſio (ſicut omnes nouimus) eſt, qua per oculos carnis aſpicimus cœlum & terram, Solem & Lunam & ſidera; montes & colles & campos, maria, fluctus tempeſtates & flumina: homines, animalia, monſtra, beſtias, ſerpentes, piſces, & ſi qua ſunt alia. Spiritalis autem viſio, aliena per omnia à ſenſibus corporis, quæ fit in extaſi, id eſt, in exceſſu mentis, ſiue vigilantibus ſiue dormientibus viris, non vtique res corporales, ſed ſimilitudines rerum corporalium intuentibus, & eas quæ aut nunquam, aut certe vix, quantum ad diuinarum pertinet ſeriem ſcripturarum, ſignificationibus futurorum myſteriorum.

Tres viſionis modi.

Viſio corporalis.

Spiritalis.

B

Quæ ſcilicet viſio dum in ſomnis agitur, non ſolum eorum quibus manifeſtatur, mentes ad videnda futura ſubleuat, ſed etiam reprobotum, vt Pharaonis & Nabuchodonoſor: quorum vnus vidit ſeptem macilentas, ſeptemque ſpicas plenas hubertatis ſeptem annorum. Per ſeptem enim macilentas ac venti vredine percuſſas, ſeptem ſubſequentium venturæ famis indicia accepit. Alter vero redemptionis noſtræ futuram ſalutem, in lapide abciſo de monte ſine manibus, qui creuit & factus eſt mons magnus in vniuerſam terram, aſpexit. Si vterque quod videtat non intellexit, niſi & illi Ioſeph, & iſti Daniel quæ oſtenſa fuerant, prophetico ſpiritu reuelaſſet: quia nimirum cum iſta in ſolo hominis ſpiritu cernerent, defuit eis ſpiritus æternitatis, Angelus à Deo miſſus, qui veritatem viſionis aperiret. Quid autem mirum, ſi reprobi talia videntes, vel ſine Dei prophetico per homines ſpiritu, vel Angeli miniſterio non intelligunt: cum pleræque electorum mentes, niſi aut ſancto ſpiritu, aut ab Angelo deſuper miniſterium adminiſtrante, intelligere nequaquam poſſe probantur? Hinc etenim eſt, quod cum Daniel propheta diceret, *Videbam in viſione mea nocte, & ecce quatuor beſtiæ aſcendebant de mari, diuerſæ inter ſe*: & cætera viſionis verba, quæ ibi ſimiliter enumerans ſe vidiſſe, dicens: *Acceſſi ad vnum de aſtantibus, & veritatem quærebam ab eo de omnibus his. Qui dixit mihi interpretationem ſermonum, & docuit me.* Hinc etiam cum paulo inferius aliam viſionem deſcriberet, ait: *Vidi in viſione mea cum eſſem in Suſis caſtro, quod eſt in * Hela ciuitate; vidi autem in viſione eſſe me ſuper portam Vlai. & leuans oculos meos, & vidi; & ecce aries vnus ſtabat ante paludem, habens cornua excelſa*; & ea quæ ibi prolixe viſa narrantur, protinus addidit: *Factum eſt cum viderem ego Daniel viſionem, & quærerem intelligentiam, ecce ſtetit in conſpectu meo quaſi ſpecies viri, & audiui vocem viri inter Vlai, & clamauit & ait: Gabriel, fac intelligere iſtam viſionem.* Hinc eſt quoque quod Zacharias pene vltimus prophetarum, cum diceret, *Vidi per noctem, & ecce vir aſcendens ſuper equum rufum, & ipſe ſtabat inter myrteta quæ erant in profundo, & poſt eum equi rufi varij & albi: ſtatim intelligentiam viſionis requirens, dixi*, inquit: ** Quid ſunt iſti Domine mi? Et dixit ad me Angelus qui loquebatur in me: Ego oſtendam tibi quid ſint hæc.* Sciendum vero quia nonnunquam in ipſo mentis exceſſu, dum nocturna viſio humana corda ad intuendas rerum corporalium ſimilitudines perducit, ſancti viri ipſa ſpiritus ſui viuacitate, quædam viſa per ſemetipſos ex aliarum viſionum coniecturis capiunt, quædam vero nec audita intelligunt. Vnde & prædictus Daniel Propheta vno in loco cum diceret, *Vidi arietem cornibus ventilantem contra occidentem, & contra aquilonem, & contra meridiem, & omnes beſtiæ non poterant*

Gen. 41.

Dan. 2.

C

Dan. 7.

Ibid.

Dan. 8.

* Helam regione.

Ibid.

D

Zach. 1.

* Qui

Dan. 8.

E

reſiſtere ei, neque liberari de manu eius: fecitque ſecundum voluntatem ſuam, & magnificatus eſt, protinus ſubiecit: *Et ego intellegebam*: Altero autē, cum idem de Angelo qui ſibi apparuerat, loqueretur & diceret, *Cum eleuaſſet dexteram & ſiniſtram ſuam in cœlum, & iuraſſet per viuentem in æternum, quia in tempus temporum: & dimidium temporis: & cum completa fuerit diſperſio manus populi ſancti, complebuntur vniuerſa hæc*, illico ſubintulit: *Et ego audiui, & non intellexi.* Cum vero ipſa ſpiritalis viſio non dormientes, ſed vigilantes aſſumit, ſoli quidem per hunc electi ad videnda ſublimia eleuantur: ſed tamen nec ipſi ſemper in ipſa mentis contemplatione, quid ſignificent, quæ per imagines rerum ſpiritaliter vident, intelligere poſſunt: intantum, vt etiam nec ſimilitudines rerum corporalium, ſed ipſas res ſe videre exiſtiment. Hinc eſt quod Petrus cum hora ſexta eſuriens prandere vellet, in extaſi raptus, vidit vas quoddam velut linteum magnum quatuor initiis de cœlo ad terras ſubmitti, in quo erant animalia quadrupedia & reptilia: videnſque, vocem ad ſe delapſam audiuit: *Surge Petre, macta & manduca.* Sed quia non ſolum, quid deſignarent ſimilitudines illæ rerum corporalium oſtenſæ, ignorabat, verumetiam corporalia ſe videre exiſtimabat, reſpondit ad vocem ſecum loquentis: *Abſit Domine nunquam aliquid commune aut immundum introiuit in os meum.* Tertia igitur viſio reſtat, quæ intellectualis appellatur: per quam nec corporales res, nec ſimilitudines rerum oſtenduntur, ſed ipſa rerum veritas videntibus manifeſtatur, quæ hinc maxime pendet, quo omnipotentem ſummumque ac viuificantem ſpiritum Deum noſtrum, ſolo mentis intellectu contemplari nitimur: in quo neque res corporales, neque ſimilitudines rerum corporalium, ipſo acumine intellectus intueri perdocemur. Si autem ad ea videnda quæ in creaturis ſunt viſio iſta prophetis ineſſe potuit, vt ſcilicet in præſenti quæ vel tranſacta vel manentia vel futura erant per imagines rerum oſtenſa viderent, vel longo poſt tempore fienda in corde imaginarentur: ſed eſſet vis quædam in eis, qua illa in ſpiritu Dei iam facta cognoſcerent: ita intelligendum eſt, ſicut ſanctus Hieronymus adſcribit: cuius ſcripta tanta conſtant auctoritate, vt aduerſus ea nullus audeat mutire. Ita namque de his viſionibus dicit: Vna corporalis, altera ſpiritalis, tertia intellectualis. Iſta autem intellectualis, ſecundum beatum Hieronymum. Sanctus vero Auguſtinus non intellectualem hanc, ſed ſpiritalem intelligi debere, & per ſimilitudines rerum corporalium oſtenſam, omnimodis docet. Ego igitur inter vtroſque poſitus, de vtriſque nolo iudicare, cum ſint tanti meriti ac tantæ ſcientiæ viri, vt vnum alteri ſine mea reprehenſione non poſſim præferre: tantáque ſit ſcientia mea, illorum ſcientiæ comparata, quanta eſt gutta ex digito pendens, ad magnitudinem maris. Ipſi autem viderint, quis horum verius dixerit.

Dan. 12.

Act. 10.

F

Ibid.

Viſio intellectualis.

G

Hieronymi auctoritas quanta.

Inter Hieronymum & Auguſtinum, ſi quando diſſenſio eſt, non temere iudicandum.

Sicut autem reus teneri debeo, ſi quemlibet horum reprehendero: ſic à quibuſlibet reprehendi non debeo, ſi quem ex his mihi placuerit, ſecutus fuero. Quod fortè diuina gratia modificante ita agam, vt in nullo horum temerarius appaream. Sed nec magnopere curo, qualiter ſit viſa intelligere: tantum, vt ſalubriter poſſim in his quæ viſa ſunt, rei veritatem cognoſcere. Illud quoque ſciendum, quia in his quæ Ioannes, & vidit, & tamen quid ſignificent ea quæ viderit, ab Angelo diſcit: nec Hieronymi, nec Auguſtini contrarius eſt intellectus: quia poteſt ſecundum vnum, in auditorum perſona diſcere, quod intelligit in ſua: ſecundum alterum vero & in aliorum erudiri, quod neſcit & in ſua. Sed iam videndum eſt, quem ordinem in narratione hæc reuelatio teneat. Sed hoc ſolis nunc verbis agimus, ne ante expoſitionem vltra modum in præfatione effluamus.

H

Cum itaque ad eius enodandam ſeriem tranſierimus, apertis idipſum documentis manifeſtabimus. Aliquando igitur ab aduentu redemptoris quædam narrare incipit, & vſque ad finem ſeculi ſermonem extendit: aliquando autem ab ipſo quidem redemptionis exordio inchoat, ſed antequam ad finem enarrando perueniat, ad initium redit: & eadem quæ dixerat, diuerſis figuris

A reperens, atque illa quæ prætermiſerat potius, nec diſtulerat, ſimul complectens, ad ſecundum domini aduentum percurrit. Aliqoando vero à nouiſſima perſecutione exordium facit: ſed neſcio vtrum ante ad finem locutio tranſeat, quam recapitulando vtraque coniungat: aliquando quoque ad enarrandum quædam propoſita paululum intermittit, & aliud quid non ad eandem rem pertinens medio interſerit. Quo expleto, ea quæ dicere cœperat reſumens, ordini conciſo adiungenda perdocet. Aliquando etiam in eodem locutionis genere, ſic mutata figura quaſi alia, medio permiſcet, vt tamen hoc ipſum nil aliud ſignificet, quam quod enarrare inceperat. His igitur ita ſuccinctè breuiterque indagatis, conſiderandum nobis eſt, quibus modis in angelo vel Ioanne viciſſim ſibi cauſa myſterij ſuccedant perſonæ: qualiterque ad Ioannem tanquam ab aliis perſonis fiat locutio, cum hoc ſint in myſterio, quod eſt angelus, qui ad eundem Ioannem loquitur: vel qualiter idem Ioannes eaſdem perſonas non B ad ſe, ſed ſibi inuicem colloquentes introducat. Quod tale eſt, quale ſi diceret ad me fuit locutus. Nulli itaque dubium quin angelus ad Ioannem miſſus, perſonam geſſerit incarnati verbi Dei, ipſo per eundem angelum Ioanne atteſtante: Apoc. 1. *Ego ſum primus & nouiſſimus, & viuus fui & mortuus, & ecce ſum viuens in ſæcula ſæculorum.* Ibidem. Hinc eſt quod ſimilis filio hominis in medio ſeptem candelabrorum aureorum apparuiſſe deſcribitur: Apoc. 1. quæ omnino nulli alij conueniunt, niſi mediatori noſtro Deo Domino noſtro Ieſu Chriſto. Et quia idem Dominus & Eccleſia, caput ſcilicet & membra, vnum ſunt corpus, geſſit proculdubio idem angelus in ſignificatione perſonam eiuſdem Eccleſiæ. Quod enim ad mamillas zona aurea præcinctus dicitur, quod pedes aurichalco ſimiles habere deſcribitur, ad membra Chriſti omnino pertinere probatur. Ioannes autem qui hanc reuelationem vidit, typum eiuſdem Eccleſiæ prætendit, modo ſcilicet in ſanctis prædicatoribus, modo autem in cunctis vel bonis vel prauis auditoribus. C Non quod angelus & Ioannes præfigurent Eccleſias, ſed locis ſuis nunc ille, nunc iſte, vnam deſignent Eccleſiam. Et hoc in explanatinoe huius libri neceſſario pandere curabimus.

Fit etiam tanquam ab aliis perſonis ad Ioannem locutio, cum hoc ſint (ſicut diximus) in myſterio, quod eſt angelus qui eundem Ioannem inſtruit. Cunctis namque vera ſcientibus liquet, ab vno angelo, imo per vnum angelum perſonam Chriſti gerentem, hæc omnia ſacramenta beatam & inſeparabilem trinitatem Ioanni reuelaſſe, & tamen idem Ioannes dicit: Apoc. 6. *Cum aperuiſſet agnus vnum de ſeptem ſignaculis, audiui vnum ex quatuor animalibus, dicens tanquam vocem tonitrui magni: Veni & vide.* Apoc. 7. Itemque inferius ait: *Reſpondit vnus de ſenioribus, dicens mihi: Hi qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt & vnde venerunt? Et dixi illi: Domine mi, tu ſcis. Et dixit mihi: Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine agni.* Quid eſt ô beate euangeliſta Ioannes, quod ab vno animalium vel D ab vno ſeniorum, hæc tibi reuelata fuiſſe fateris, cum ille qui tibi ſicut in angelo apparuit, & tu ipſe cui apparuit, ab vno eodemque angelo cuncta tibi hæc manifeſtata dixeritis: niſi quia hoc eſt in ſignificatione, vnum ex quatuor animalibus, vnuſque de ſenioribus, quod eſt angelus ad te miſſus, hoc etiam tu ipſe. Vnum enim corpus deſcribis, ſed diuerſis modis, diuerſiſque figuris. Introducit autem idem Ioannes quaſdam etiam perſonas, quaſi non ad ſe, ſed ad alios loquentes. Quod vnum eſt, quaſi ſi diceret, angelus ad me fuit locutus. Vt eſt illud: Apoc. 9. *Audiui vocem vnam ex cornibus altaris aurei, quod eſt ante oculos domini, dicentem ſexto angelo qui habebat tubam: Solue quatuor Angelos.* Rariſſimis plane in locis, in hac reuelatione vel Angelus vel Ioannes proprias tenent perſonas. Ad extremum vero reſtat inſpiciendum, qualiter nunc à ſpecie ad genus, nunc à genere ad ſpeciem, nunc ab ſpecie ad ſpeciem ſermo recurrat: qualiterve modo genus generi iungatur. Species enim dicitur, qua non totum generaliter, ſed aliquid ſpecialiter ſcripturæ ſacræ locutio determinat. Genus vero, quo cuncta generaliter comprehendit. E Ab ſpecie enim ad genus ſermo recurrit, ſicuti cum ex perſona Domini angelus prædicatorem Thyatiræ torpentem erga Iezabelis correptionem, ſpecialiter increpat, & repente ſubiecit: Apoc. 2. *Et dabo vnicuique veſtrum ſecundum opera veſtra.* Ibidem. Quod vtique generaliter ſiue bonis ſiue malis congruere videtur, ſecundum illam euangelicam ſententiam quam Dominus dicit: Matth. 16. *Filius hominis venturus eſt in gloria patris ſui cum angelis ſuis, & tunc reddet vnicuique ſecundum opus eius.* A genere autem ſermo tranſit, ipſo Dei filio per angelum oſtendente: qui cum generaliter omni electorum Eccleſiæ, quæ in medio malorum vbique per orbem degit, ſub ſpecie paſtoris Pergamenorum diceret: Apoc. 2. *Scio vbi habitas, vbi ſedes eſt ſathanæ, & tenes nomen meum, & non negaſti fidem meam:* continuo eidem negligenti ſpecialiter intulit: Num. 24. *Habeo aduerſus te pauca. Habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balach ſcandalum mittere coram filiis Iſraël, edere & fornicari.* F Ab hac etiam ſpecie tranſit ad aliam, cum protinus ſubdit: *Ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum, ſimiliter pœnitentiam age.* Qui enim non ait, *habes etiam illic tenentes doctrinam Nicolaitarum:* ſed ait, *ita habes & tu:* patenter innuit, quia ab vna ſpecie ad aliam ſermonem conuertit. Plerunque vero & in qualibet ſpecie genus inuenitur expreſſum. Nam cum Ioannes ad electos ſcriberet, dicens: Apoc. 1. *Ego Ioannes frater veſter & particeps in tribulatione & regno & patientia in Ieſu fui in inſula quæ appellatur Patmos, propter verbum Dei & teſtimonium Ieſu, fui in ſpiritu in dominica die:* in ſua proculdubio ſpeciali perſona, illorum præfigurabat generalem fidelium formam, & ad quos tunc ſcribebat, & ad quos eius ſcripta vſque in finem peruenirent. Inſula enim illa perſecutiones Eccleſiæ deſignat, quas propter verbum Dei quotidie patitur: Rom. 8. 2. Cor. 5. quæque dum ſpiritus vigore facta carnis mortificat, vt iam non ſibi viuat, ſed ei qui pro ipſa mortuus eſt & reſurrexit, ſemper in ſpiritu & dominica die conſiſtit. G Iam ergo generis Eccleſiæ figura in Ioanne erat, quando hæc ad electos eiuſdem Eccleſiæ, de ſua ſpeciali perſona ſcribebat. An non in Ioannis perſona diuinitatis ſpiritu afflati, illi erant, quibus Paulus dicebat, Rom. 8. *Vos autem non eſtis in carne, ſed in ſpiritu?* An non eius perſona figuratim expreſſi, dominicæ reſurrectionis ſecretorum cæleſtium ſacramenta iam rimabantur, de quibus per eundem Apoſtolum ſpiritusſanctus loquebatur, Ephes. 3. *qui conreſuſcitauit & conſedere fecit nos in cæleſtibus?* Iungitur etiam genus generi, cum ſedes poſita apparuiſſe deſcribitur in cœlo.

Nam & ſedes ſine additamento cæli, & cælum ſine additamento ſedis, ſæpiſſime in hac reuelatione generalem Eccleſiam deſignant. Cum autem in vnum iunguntur, vnam eandem Eccleſiam figurant. Ecce vt breuiſſime enumerare potuimus, quibus locutionum modis tota hæc rotatur Apocalypſis. Vnde quia intellectui noſtro altiora ſunt, ad quæ contemplanda pertingere nitimur: quia vltra vires noſtras ſunt, ad quæ conſideranda progredi conamur: H quia ingenio noſtro difficilia ſunt, ad quæ enodanda tranſire cogimur: neceſſarium ducimus, orando magis quam diſſerendo huic operi initium dare.

ORATIO.

Domine Deus meus, æterne ac ſempiterne Deus meus, incommutabilis & ſolus immortalis, ac ſumme bonus Deus meus, ſine mole magnus, ſine ſitu præſens, cuncta virtute complectens Deus meus: inuiſibilis, incorporeus, & incomprehenſibilis Deus meus: creator omnium rerum viſibilium & inuiſibilium Deus meus: lux inacceſſibilis, luxque mentium Deus meus: vita & beatitudo, virtuſque omnium beatorum Deus meus: pater & filius & ſpiritus ſanctus, vnus & verus Deus meus: alius pater, alius filius, alius ſpiritus ſanctus: & tamen pater in filio & ſpiritu ſancto, filius in patre & ſpiritu ſancto, ſpiritusſanctus in patre & filio: vnus & in trinitate perfectus Deus meus: pater ex quo omnia, filius per quem omnia, & ſpiritusſanctus in quo omnia: ſolus omnipotens Deus meus: pater non habens à quo ſis, & tamen habens ſa-

A pientiam cui prior non ſis, quæ eſt Deus meus, quam-
que pro humana ſalute hominem fieri voluiſti, vt eſſet
1.Tim.2. mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus Deus
meus, eſſetque vna perſona ex duabus atque in duabus
naturis, diuina ſcilicet atque humana in Chriſto Ieſu,
qui eſt Deus meus: filius habens patrem à quo ſis, non
tamen habens poſt quem ſis Deus meus: Spiritusſanctus
habens patrem & filium à quibus ſis, non tamen habens
quibus poſterior vel inferior ſis Deus meus: quia vna eſt
natura, vna æternitas, vna æqualitas, vna maieſtas, vna po-
teſtas, vna virtus, vna beatitudo in trinitate quæ eſt Deus
meus: Te nunc gemitibus cordis deprecor, vt ad ſecreto-
rum cæleſtium verba rimanda tranſeunti aſſis mihi Deus
meus, vt oculos mentis meæ illumines ad videnda ob-
Ioan. 9. ſcura quæque diuinarum ſcripturarum ſacramenta, qui
Pſal. 118. oculos cæci nati tua virtute illuminaſti: lux mea Deus
meus, vt cuſtodias greſſus intentionis meæ per obſcura
allegoriarum atque ænigmatum itinera gradientes, ne
B præcipitium erroris incurrant, ſitque verbum tuum lu-
cerna pedibus meis: & lumen ſemitis meis Deus meus:
vt tribuas facilitatem linguæ meæ dicendi exterius hoc,
quod te donante vtcunque animus comprehendit inte-
rius: qui aperis ora mutorum, & linguas infantium fa-
Sap. 10. cis diſertas Deus Deus. Hoc etiam deſidero enixius, hoc
pero humilius, hoc ſupplico attentius: vt ſi forte in tam
difficillimis ſenſibus aliud quam author huius reuelatio-
nis intellexit, ſenſero: tamen & ea quæ dixero, non fuerint
rectæ fidei contraria: & ad ea quæ ſenſero, ſcripturarum
occurrerint teſtimonia: ne mihi ad crimen erroris profi-
1.Cor.12. ciat: quia fortaſſe ſpiritus veritatis, qui ſingulis prout
vult dona diuidit, ita myſticas huius Apocalypſis ſenten-
tias tunc per eum deprompſit, vt multa in eis ſub alio
intellectu rimanda ſeruaret, quæ illi tunc (ſi dici licitum
eſt) non aperuit Dominus Deus meus: Nunquam enim à
veritate diſcrepat, quod conſona ſcripturarum teſtimonia
eidem congruenter applicita, verum eſſe demonſtrant.
Vnum itaque veraciter ſcio, quia ſi aliter ille in his intel-
C lexit quam ego intellexero: multo melius ille, multo ex-
cellentius, multo vtilius ille quam ego. Non tamen pro-
pterea falſa erunt quæ ſenſero ego, ſi adhibita diuinarum
ſcripturarum, eloquia, eiſdem conſona demonſtrauero.
Quod etiam vt per me fieri poſſit, tu ipſe donabis, qui
neminem tuorum fallis, dator prudentiæ atque intelle-
ctus Deus meus. Et quia in hoc tam laborioſo opere, no-
tariorum ſolatia deeſſe mihi videntur: obſecro domine,
vt nec manus verborum characteres formans, aut viſus
exterior verba literis formata conſpiciens, impedimen-
tum præſtent cordi intus ſecreta myſteriorum rimanti.
Sicque cordis intentio vigilet intrinſecus, quatenus offi-
cium manus nequaquam torpeat extrinſecus. Aperi ergo
domine ſenſum interius, moue artus ad ſcribendum exte-
rius: & ita vtraque officia modificans diſpone, diſponenſq;
modifica, vt in ſudore huius expoſitionis, neceſſario ſibi
applaudant, concorditerque deſeruiant domine Deus,
Pſal 69. in his & in omnibus adiutor meus. *Deus in adiutorium*
D *meum intende: domine, ad adiuuandum me feſtina.*

D. AMBROSII ANSBERTI
Presbyteri in Apocalypſim Ioannis Apoſtoli.
LIBER PRIMVS.

Apocalypſis Ieſu Chriſti, quam dedit illi Deus palam facere ſeruis ſuis, quæ oportet fieri cito.

PRimo igitur hoc loco notandus eſt litteræ tex-
tus, qui iuxta vſitatum quidem humanæ locu-
tionis modum, minus habere videtur. Plenior
enim ſenſus illius redderetur, ſi præpoſitis illi duarum ora-
tionum particulis, id eſt pronominis ac verbi. Hæc eſt
Apocalypſis, diceretur. Sed frequentaſſimus diuinarum E
ſcripturarum mos iſte reperitur, vt in principiis librorum
prænominatæ partes orationum non anteponantur. Vnde
nec Salomon ait, *Hæ ſunt parabolæ Salomonis*, vel, *Hæc* Prou. 1.
ſunt verba Eccleſiaſtes: ſed tantum, *Parabolæ Salomonis*: Eccleſ. 1.
&, *Verba Eccleſiaſtes.* Hac conſuetudine vſus eſt Iſaias,
hac Matthæus, hac Marcus: hac etiam illi, qui pſalmos
titulis prænotauerunt. Quod videlicet agentes, ad id quod
humana conſuetudo in ſuis locutionibus tenet, ipſi bre-
uitate vtentes, ſubauditionem tales ſententias habere do-
cuerunt: vt verbi gratia, cum legimus [*Apocalypſis Ieſu
Chriſti,*] ſubaudiamus, Hæc eſt Apocalypſis Ieſu Chriſti.
In eo etiam quod ſubditur, [*quam dedit illi Deus palam
facere ſeruis ſuis:*] vſitatior ſermo eſſet, ſi, qua dedit illi,
pronunciaretur. Sed & hæc ſacræ ſcripturæ conſuetudo
eſt, quæ frequenter pro ſeptimo caſu, qui ſine præpoſitio-
ne ablatiui regulam ſequitur, accuſatiuum ponere con-
ſueuit. Vnde eſt illud Pſalmiſtæ, dicentis: *Exaudi Domine* Pſal. 26.
vocem meam quam clamaui ad te. cum rectius atque vſi- F
tatius diceretur, *qua clamaui ad te.* Non enim illam vo-
cem, ſed illa voce pſalmiſta clamauit ad dominum. Et
multa talia in ſacris paginis reperiuntur inſerta. Non ſo-
lum autem in pronominibus ſunt iſta, verumetiam in no-
minibus: ex quibus eſt illud quod Paulus Apoſtolus dicit,
Bonum certamen certaui: cum eſſet proculdubio vſitatius, 2.Tim.4.
ſi ita pronunciaretur: *Bono certamine certaui.* Non enim
illud certamen, ſed illo certamine Paulus certauit. Vt
autem ad illam, pro qua his teſtimoniis vtimur, locutio-
nem reuertamur: videtur nobis hoc per eam ſignificatum
fuiſſe, vt & ipſius Ieſu Chriſti hæc reuelatio eſſe credatur:
& hoc à Deo accepiſſe, vt ipſe ſua reuelatione palam face-
ret ſeruis ſuis quæ oportet fieri cito. Si enim tantum dictum
eſſet, Apocalypſis Ieſu Chriſti, quam dedit illi Deus: non
fuiſſet additum, palam facere ſeruis ſuis: eſſet nimirum
ſenſus, qui à Deo illam acceperit. Sed quia additum ha-
bet, palam facere ſeruis ſuis: & quod ipſius eſſet, & quod
ipſe ſua reuelatione quæ oportet fieri manifeſtaret, à Deo
declaratur accepiſſe. Quamobrem ita ſubdiſtinguendum
eſt, Apocalypſis Ieſu Chriſti: ac deinde ſubiungendum, G
quam dedit illi Deus palam facere ſeruis ſuis. Pro eo
quod eſt, qua dedit illi Deus. Quorum videlicet vnum
ad diuinitatem, alterum vero redigitur ad eius humani-
tatem. Filius enim Dei, idemque filius hominis, Deus ac
Dominus Ieſus Chriſtus in natura diuinitatis ipſe cum
patre & ſpiritusancto cuncta reuelat myſteria: in natura
vero humanitatis non ſolum à patre & ſpiritusancto, ve-
rumetiam à ſeipſo accipit, vt ipſe ſua reuelatione ea quæ
cito oportet fieri, ſeruis ſuis declaret. Vnde nec definite
dicitur, quam dedit illi Deus pater ac ſpiritusſanctus: ſed
indefinite, quam dedit illi Deus. Ac ſi aperte diceretur:
Humana in Chriſto natura, ab inſeparabili trinitate acce-
pit, vt hoc quod ipſa beata trinitas reuelat, palam faciat
ſeruis ſuis. Vbi mirabili prorſus locutione oſtenditur Dei
filius, etiam in forma ſerui non ſeruus, in eo quod eius hu-
manitas domina prædicatur ſeruorum: & quia ab agnitio-
ne cæleſtium ſacramentorum Iudæi quoque de ſcientia H
legis tumentes, philoſophi vero mundana ſapientia glo-
riantes, iuſto internoque Dei iudicio longe repulſi ſunt:
ideo dignanter dicitur, quam dedit illi Deus palam facere
ſeruis ſuis. Ac ſi aperte diceretur: Non ſeruis Moſaicę legis,
ſed Euangelicæ prædicationis: non mundanæ ſapientiæ
deditis, ſed diuinæ gratiæ ſubiectis, reuelatio cæleſtis ape-
ritur. Hinc Dominus in euangelio ad patrem ait: *Confiteor* Matt. 11.
tibi pater, Domine cæli & terræ, qui abſcondiſti hæc à ſa- Luc. 10.
pientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Hinc Marc. 4.
ruſum ad apoſtolos dicit: *Vobis datum eſſe noſſe myſterium* Luc. 8.
regni Dei cæteris autem in parabolis, vt videntes non vi- Coloſſ. 1.
deant, & audientes non intelligant. Hinc etiam Paulus lo-
quitur dicens: *Myſterium quod abſconditum fuit à ſæculis
& generationibus, nunc autem manifeſtatum eſt ſanctis om-
nibus quibus voluit Dominus notas facere diuitias gloriæ ſa-
cramenti in gentibus.* Quæ ſunt autem hæc quæ oportet vt
cito fiant, niſi & ea quæ tēporaliter tranſcurrūt, & ea quæ
poſt huius vitæ temporalitatem in æternum perſeuerant?
Quanquam vero innumera ſint, ſingulari tamen inten-

tione

A tione, cum hæc reuelatio Eccleſiam Chriſto coniunctam oſtendit, de temporalibus eius preſſuris, gaudiiſque perennibus venturis, ac de malorum præſentibus felicitatibus, æterniſque futuris cruciatibus ſermonem contexit. Et reuera ea quæ temporaliter aut voluptatibus hominès demulcent, aut aduerſitatibus cruciant, cito fiunt & cito eſſe deſinunt: quia hoc præſens tempus, quamlibet diuturnis horarum prolisitatibus extendatur, ſine aliqua tamen momenti interpoſitione ad finem tranſuolare compellitur: & inde accipit defectum, vnde videtur accipere incrementum. Quam ob cauſam Ioannes quoque in epiſtola ſua vnius horæ ſpatium, præfatum tempus determinat, dicens: *Filioli, nouiſſima hora eſt.* (1. Ioan. 2.) Ea vero quæ poſt hanc temporalitatem occurrunt, cito quidem fiunt, ſed nequaquam eſſe deſinunt: quia non iam tempora tranſeunt, ſed poſt finita tempora, quæcumque ſunt, æterna ſuccedunt. Vnde nec timenda ſunt tormenta quæ tranſeunt, ſed ea metuenda quæ in æternum perſeuerant. Nèc B gaudia fugitiua ſunt appetenda, ſed iugi ſtatu permanentia: quæ ſcilicet pro magno munere à Chriſto reuelantur Eccleſiæ, vt dum & ſe temporaliter affligi, & iniquos cernit proſperari, ſtatim oculos mentis ad breuitatem huius temporis dirigat: & quam velociter tranſeant ſiue gaudia ſiue tribulationes cum tempore, quamque vehementiſſimo curſu ſiue gaudia ſiue tribulationes appropinquent, quæ manent ſine tempore: ac ſolicite attendat, ac per hoc nequaquam malorum proſperitatibus inuideat, ſed potius in ſuis aduerſitatibus gaudeat. Hanc enim diuerſas calamitates, innumeras clades, multaſque perſecutiones, ſiue ab apertis infidelibus vel hæreticis, ſiue à falſis Chriſtianis curſus ſui tempore hæc reuelatio cœleſtis dicit paſſuram: ſed in fine temporis, acrius ab antichriſto eiuſque miniſtris cruciandam. Siue autem modo, ſiue tunc, idcirco inter preſſuras inuicta perſeuerat: quia (vt dictum eſt) & ea mala, quæ patitur, temporalia: & ea bona quæ expectat, æterna eſſe conſiderat. Ad æternoC rum namque comparationem bonorum, parum eſt quod ad præſens patitur Eccleſia ſanctorum: & ad æſtimationem manentium tormentorum, nihil eſt quod temporaliter delectat voluptatibus reproborum. Sequitur.

Et ſignificauit mittens per Angelum ſuum ſeruo ſuo Ioanni.

Hoc loco ſignificationis verbum, non ab oſtenſione, ſed à ſigno poſitum intelligere debemus, & hoc eſſe dictum ſignificauit, quod eſt ſigillauit. Signum enim ſigillum vocatur. Vnde & Danieli dicitur: *Vade Daniel, quia clauſi ſunt ſignatique ſermones.* (Dan. 12.) Hinc Iſaiæ dicitur: *Claude librum, ſigna viſionem in diſcipulis meis.* (Iſa. 8. iuxta 70.) Quod autem non dicitur, *ſignauit*, ſed *ſignificauit*, vſus eſſe ſacri eloquij dinoſcitur. Vnde & in beata redemptoris paſſione non eſt poſitum, colaphis D eum cæderunt, ſed ceciderunt. Quid itaque ſibi vult, quod non ſoluta hæc cæleſtis reuelatio, ſed ſignata per angelum mittitur, cum in eiuſdem reuelationis fine idem angelus ad Ioannem conteſtetur, dicens: Ne ſignaueris verba prophetiæ libri huius: niſi quia & in hoc loco diuina ſacramenta impiis ſigno clauduntur, illo vero piis reuelata monſtrantur? Non enim propter fideles ſeruos, ſed propter fures & latrones diuino ſub ſigno clauduntur. Vnde & illud cuius initium præmiſimus, Danieli dicitur: *Vade Daniel, quia clauſi ſunt ſignatique ſermones vſque ad tempus præfinitum. Eligentur & dealbabuntur multi, & quaſi ignis probabuntur multi, & impie agent impij, porro docti intelligent.* (Dan. 12.) Quia ergo non fidelibus ſeruis, ſed furibus & latronibus, vtique de qualibus dominus dicit, *Omnes quotquot venerunt ante me, fures & latrones fuerunt*, (Ioan. 10.) hæc cæleſtia ſacramenta ſignantur: tenremus etſi inutiles ac deſides, tamen in diuinis eloquiis fraudem minime perpetrantes ſerui, ipſo reuelante qui dixit, *Ego antebo, & potentes terra humiliabo, Portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam, & dabo tibi theſauros abſconditos, & arcana ſecretorum aperiam,* (Iſa. 45.) tantæ profunditatis myſteria pandere. Neque enim ab hac cognitione, etſi pigritia languentes, diuina miſericordia alienos E fieri voluit, quos verbum prædicationis ſuæ ſine fraude fidelibus populis adminiſtrare velle cognoſcit: ſed dicendo, ſignificauit, & infidelibus ſeruis claudi, & fidelibus ſpiritali exercitio docuit aperiri. In ſigno enim allegoriæ (2. Cor. 3.) velamen oſtendit, quod infidelium corda oppandat, non apertionem ſacramenti his qui reuelata facie gloriam domini ſpeculantur denegauit. Attendant etiam minus intelligentes, qui hanc reuelationem putant iuxta literam accipi poſſe, quia nequaquam nos ſpiritusſanctus ſuperficie hiſtoriæ contentos eſſe voluit, quos ad myſteria altius perſcrutanda, ſignificationis verbo fecit intentos. Qualiter autem eadem reuelatio per angelum miſſa ſit, quibuſve modis per eundem angelum beata trinitas Ioannem docuerit, cuius etiam ille per quem miſſa eſt, paulo ſuperius in præfatione huius operis præoccupantes iam diximus: ſed ea nunc breuiter retexere curamus, ne debitis locis debitam expoſitionem legentibus ſubtrahamus. Per anF gelicum enim ſpiritum miſſa fuit, ſed qui hanc miſit, Incircunſcriptus videlicet, ſummus ac viuificator ſpiritus, & in eo fuit per quem miſit, & in eo cui miſit, atque ex alternantibus perſonis, angeli videlicet & Ioannis, verba formauit. Verba, ſubaudis non exterius ſono vocis perſtrepentia, ſed interius ſine voce ac corporali ſono manentia. Idem autem angelus qui apparuit, in quo tota trinitas fuit, ſolius incarnati verbi, eiuſque corporis quod eſt eccleſia, figuram geſſit. Ioannes vero cui apparuit, & ipſe typum eiuſdem eccleſiæ prætendit, non quo duas eccleſias angelus præfiguraſſe credatur, ſed quo cum angelus perſonam capitis noſtri ſpecialiter tenuit, Ioannes prædicatorum figuram expreſſit. Cum vero idem angelus prædicatorum ordinem Ioannes auditorum formam deſignauit: vel certe in angelo præcedentia eccleſiæ membra capiti connexa, in Ioanne vero ſubſequentia demonſtrata ſunt: vel etiam in angelo eccleſia, poſt reſurrectionem futuram gloriæ corporis Chriſti configuranda, oſtenſa eſt. Vnde & facies angeli ſicut ſol reG fulſiſſe deſcribitur, quia nimirum ſecundum redemptoris eloquium, electi ſicut ſol in regno patris eorum fulgebunt, (Matt. 13.) vbi iam nihil doctrinæ indigebunt, ſed ipſius reuelatione doctrinæ ſatiati, gaudebunt. In Ioanne vero præſentis temporis eccleſia figurata eſt, adhuc ab ipſo capite erudienda atque docenda. Quod autem poſt aſcenſionem ſuam ad patrem, vnigenitus Dei filius non per eam ſubſtantiam quam ſumpſit ex nobis, ſed per angelicam creaturam apparere voluit, patenter in hoc facto intelligi dedit, non debere eum nunc à mortalibus corporali præſentia ad docendum requiri, qui vbique præſens eſt maieſtate. Tempus enim quo mortalibus per carnem loqui debuit, illud ſolummodo extitit, quo ſiue adhuc mortalis inter mortales conuerſatus eſt, ſiue iam poſt reſurrectionem immortalis per dies quadraginta in multis argumentis apparens, diſcipulos in fide ſolidauit. At vero poſt aſcenſionem ſuam in cælos, iam ſic appaH ret mortalibus, ſicut ante incarnationem ſuam, Abrahæ, (Act. 1.) Iſaac, Iacob, Moyſi, Ioſuæ, & cæteris patribus. (Gen. 11. 15. 17. 18. 22. 26. 28. 32. Exod. 3. 4. 6. Ioſ. 1. & 5.) Per angelos enim illis, per angelum apparuit Ioanni, per angelum hæc ſacramenta reuelauit Ioanni ſicut ſe habet hic verſus, quem exponendum in manibus tenemus: *Significauit*, inquiens, *mittens per angelum ſuum ſeruo ſuo Ioanni.* Quod autem idem Ioannes de eo qui ſibi apparuit, angelo dicit: *Conuerſus vidi ſeptem candelabra, & in medio ſeptem candelabrorum aureorum ſimilem filio hominis, veſtitum podere*, quod omnino nulli alij conuenit, niſi domino Ieſu Chriſto, nemo debet æſtimare, illam eius humanitatem quam aſſumpſit ex virgine, quamque eleuauit ad ſedem paternam, tunc in angelo fuiſſe, ſed typum atque figuram illius eundem angelum expreſſiſſe: fuiſſe tamen eundem filium, totum in angelo iuxta diuinitatis potentiam, totumque in ſede paterna cum aſſumpta carnis veritate: nec patrem vel ſpiritum ſanctum deſeruiſſe, cum per angelum venit, nec ſine patre & ſpiritu ſancto in angelo fuiſſe, cum aſſumptam humanitatem non deſerens, cum patre & ſpiritu ſancto manſit in cælis, quod nulli alij poteſt tribui, niſi illi incorporeæ

A ſimplicique naturæ, cuius non alia pars in cœlis, atque alia inuenitur in terris: quia nec moles aliqua localis eſt, vt in loco teneatur, vel particulatim per partes inueniatur; ſed tota ſine mole in cœlis, tota in terris: tota ſine loco in locis, tota ſine parte reperitur in partibus. Quid eſt autem mirum, ſi poſt incarnationem Chriſti, Angelus in typum eius apparens, ſimilis filio hominis vocatur: cum & ante incarnationem eius, ſiue in figuram ſummæ Trinitatis, ſiue in eiuſdem verbi incarnati myſterium Angeli apparentes, viri vocentur? Gen. 18. Nam & Abrahæ in figuram beatæ Trinitatis, tres Angeli demonſtrati, viri appellantur, & Gen. 32. Angelus qui cum Iacob luctatus eſſe perhibetur, non Angelus, ſed vir vocatur: Dan. 8. Et Daniel Propheta Angelum Gabrielem, virum nominaſſe perhibetur. Quis admiretur, poſt incarnationem redemptoris dictum per Angelum, Apoc. 1. vel dictum per Dominum in Angelo. *Noli timere, ego ſum primus & nouiſſimus, & viuus fui & mortuus, & ecce ſum viuens in ſecula ſeculorum*: cum & ante incarnationem eius, ſiue Angelus ex perſona Dei, ſiue Deus per aſſumptam Angeli perſonam dicat, B Exod. 3. *Ego ſum Deus Abraham & Deus Iſaac, & Deus Iacob?* Sicut enim Moyſes eum qui in rubo ſibi apparuit, modo Angelum, modo Deum vocat: ſic Ioannes & per Angelum ſibi hanc reuelationem miſſam perhibet, & ipſum in myſterio atque figura Dominum Ieſum Chriſtum fuiſſe confirmat, Apoc. 19. & 22. & nunc ad pedes eius, qui mortuum ſe & ſurrexiſſe fatetur cecidiſſe ad adorandum ſe dicit: nunc eundem ipſum, quem vt Dei filium cadens adorauerat, ne ſe debeat adorare tanquam Dominum ſed agnoſcere conſeruum, monentem introducit. 1. Cor. 15. Et quia poſt aſcenſionem ſuam viſus etiam à Paulo Dominus perhibetur, ſciendum nobis eſt, quia apparuit quidem ei per Angelum in forma vel ſpecie, qua recognoſci ab hominibus ſolet: ſed ipſa demonſtratio ſpeciei vel formæ, myſticum quid ſignificauit: ſicut cum Ioanni apparens, eiuſdem redemptoris corporiſque eius quod eſt Eccleſia, Sacramenta figurauit. Dicet fortaſſe aliquis: Vnde probas quia Paulo non per ſemetipſum, ſed per C Angelum apparuit, cum illic modus viſionis incertus ſit, qui hic per omnia certus habetur? Cui citius reſpondeo: Quia ſi cum in ea ſubſtantia conuerſus Paulus nuper vidiſſet conſequens ratio eſſet, vt de ſuis ſuique corporis Sacramentis inſtruendo, præ omnibus dilecto diſcipulo, ſibique ab adoleſcentia dicato, non per Angelum, ſed per ſemetipſum appareret. Iam vero quod Ioannes ſiue de propria perſona, ſiue de eius cuius geſſit figuram, tanquam de alio loquitur, dicens: Num. 12. Iob. 1. *Et ſignificauit mittens per Angelum ſuum ſeruo ſuo Ioanni*, quis non conſideret morem eſſe ſanctarum Scripturarum? Hinc eſt enim quod Moyſes ait: *Erat Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes qui morabantur in terra.* Hinc probatiſſimus Iob dicit: *Vir erat in terra Hus, nomine Iob, & erat vir ille ſimplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo.* Iob. 13. 19. 21. Hinc etiam idem Ioannes, cuius eſt hæc reuelatio, in Euangelio ſuo loquitus, dicens: *Diſcipulus ille quem diligebat* IESVS. In quibus ſcilicet verbis atque ſententiis patenter intelligi datur, quia ſcriptores D ſacri eloquij non à ſe loquuntur, ſed ab illo qui eis teſtimonium perhibere videtur, à ſummo videlicet atque omnia viuificante ſpiritu, cuius opus eſt loqui per os omnium Prophetarum. Sequitur autem adhuc in vnius Ioannis perſona de vnitate prædicantium, & dicitur:

Qui teſtimonium perhibuit verbo Dei, & teſtimonium Ieſu Chriſti quæcunque vidit.

Perhibuit teſtimonium Ioannes de Dei verbo, perhibet & Eccleſia. Ille tunc, illa nunc: imo etiam ille & illa tunc, & ille & illa nunc: quia & in illo iam tunc erat Eccleſia, cuius membrum idem erat, cum teſtimonium de Dei verbo perhibebat, cuiuſque figuram gerebat, cum hanc Apocalypſim in ſpiritu cernebat. Et nunc in Eccleſia manet Ioannes, cui ſemper adhæret per doctrinam, cuius Euangelium totum clamat per orbem, cuius epiſtolæ mores inſtruunt omnium electorum, cuius Apocalypſis mentes exercet perfectorum. Quia enim & in Ioannis perſona Eccleſia præfigurabatur futura, & in eadem E Eccleſia forma Ioannis ſemper erat manſura: ideo hæc cœleſtis reuelatio & Ioanni & Eccleſiis ſimul mitti perhibetur. Nam cum præcedenti verſiculo dictum ſit, *ſignificauit mittens per Angelum ſuum ſeruo ſuo Ioanni*: in fine Apoc. 22. tamen huius Apocalypſis Dominus fatetur, dicens: *Ego* IESVS *miſi Angelum meum teſtificari vobis hæc in Eccleſiis*: quatenus ſcilicet & in vno Ioanne ſeptem Eccleſias, & in ſeptem Eccleſiis vnum Ioannem intelligamus: atque in illo vnitatem, & in iſtis vniuerſitatem credentium attendamus. Illius enim vnitas in Ioannis perſona deſignatur, de qua in Canticis Canticorum dicere ſponſus perhibetur: Cant. 6. *Vna eſt columba mea, perfecta mea, vnica eſt matri ſuæ, electa genitrici ſuæ.* Ioan. 13. In quo etiam præcipuus amor Chriſti Eccleſiæ conuenire probatur, quem in tantum dilexiſſe fertur, vt hunc ſuper pectus ſuum in cœna ſtrictis amplexibus contineret: quatenus vbertim præ omnibus diuini verbi fonte ſatiatus, arcana ſecretorum eructans, atque (vt ita dixerim) humanæ intelligentiæ mo- F dum tranſcendens, altiora ſe rimaretur. Quis itaque non videat, in illo dilecto beatoque diſcipulo, illam ſponſam incomparabili amore à ſponſo ſuo diligi, de qua idem in Cantico Canticorum dicit: Cant. 2. *Adiuro vos filiæ Ieruſalem per capreas ceruoſque camporum, ne ſuſcitetis neque euigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit.* Ibid. Cant. 5. Hinc & ipſa dicit: *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui paſcitur inter lilia.* Et rurſum: *Vox dilecti mei pulſantis, aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.* Cant. 2. Rurſumque: *En dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni.* Ecce in vno Ioanne vnitas credentium, ecce in vno dilecto omnium deſignata dilectio, & ecce & in vnitate credentium vnus Ioannes, & in omnibus dilectis vnus Ioannes dilectus. Quamobrem ab exordio prædicationis vſque ad terminum eius, & Eccleſia in Ioanne, & Ioannes in Eccleſia teſtimonium perhibet de Dei verbo. Quod autem eſt teſtimonium perhibentis de Dei verbo, idem Ioannes G indicat, dicens: Ioan. 1. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Quod factum eſt, in ipſo vita erat*, & cætera quæ eodem loco de diuinitate verbi ſequuntur. Et vt peruerſorum dogmatum hæreticos, qui veritatem carnis redemptorem noſtrum aſſumpſiſſe denegant, confutaret: perhibuit etiam eidem teſtimonium in homine aſſumpto, cum dixit: Ibid. *Et verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* Vnde hic quoque cum dixiſſet, teſtimonium perhibuit verbo Dei: propter vtramque naturam iterato ſubiunxit, & teſtimonium Ieſu Chriſti. Neque enim aliud voluit intelligi verbum Dei atque aliud Ieſum Chriſtum, cum idem verbum Dei & homo aſſumptus, vnus ſit Ieſus Chriſtus. Sed (vt dictum eſt) in repetitione verbi, vtramque voluit naturam commendare, Dei videlicet & hominis. Quod vero ait, *quæcunque vidit*, ſubaudiendum eſt, quæcunque de incarnato Dei filio, ſiue in humanitate vidit, teſtimonium perhibuit. Vidit vero dixit, aliud ocu- H lis cordis, aliud oculis carnis. Oculis ſcilicet cordis, diuinitatem: oculis vero carnis, humanitatem. Vidit inquam eundem Patris vnigenitum ante tempora ex eo genitum, cuncta tempora ac temporalia cum eo operatum, eundemque pro ſalute noſtra in tempore ex Virgine natum, matris vberibus lactatum, ætate ac ſapientia adultum, eſurie ſitique defeſſum, itineris laſſitudine fatigatum, compaſſionis dolore lachrymatum, probrorum iniuriis affectum, flagellorum verberibus cæſum, horrendis ſputis illiſum, moleſtis ſpinarum aculeis coronatum, exquiſitis illuſionibus deriſum, in crucis patibulo ſuſpenſum: felle, aceto, myrrhatoque vino potatum: vera morte, veraque paſſione defunctum: ab homine iuſto in ſepulchro humatum, tertia die ex mortuis à Patre ſuſcitatum, quadrageſima vero ad cœlos ſecundum carnem eleuatum, indeque ad iudicandum viuos & mortuos in fine venturum. Vidit, & vt verax diſcipulus, quantum ad ſpeciem pertinet, verum teſtimonium perhibuit, ſicut idem de ſeipſo in fine Euangelij ſui teſtatur, dicens: *Hic eſt diſcipulus qui teſtimonium perhibet de his, & ſcri-*

pſit

A *pſis hæc, & ſcimus quia verum eſt teſtimonium eius.* Quantum autem ad genus, quotidie idipſum in Ioanne agit (Ioan. 21.) Eccleſia, à cuius ore teſtimonium ipſius non recedit, quæ indeſinenter doctrinis eius inſiſtit. Sequitur:

Beatus qui legit, & qui audiunt verba Prophetiæ libri huius, & ſeruant ea quæ in ea ſcripta ſunt, tempus enim propè eſt.

Hic liquidò claret, quantæ authoritatis, quantæve excellentiæ inter cæteras Prophetias iſta habeatur Prophetia, quæ beatitudinem legenti: & audientibus atque ſeruantibus ea quæ in ea ſcripta ſunt, ſpeciali quodammodo repromittit ſponſione. Dicendo autem, qui legit & qui audiunt, doctorum perſonam & diſcentium demonſtrauit. Sed niſi vterque lecta vel audita ſeruauerit, ad beatitudinem quam ſpondet, nequaquam pertingit. Ad vtroſ- B que enim pertinet quod ſubditur, [*Et ſeruant ea quæ in ea* (Rom. 2.) *ſcripta ſunt.*] Vnde alibi quoque dictum eſt: *Non auditores legis iuſtificabuntur.* Seruant autem ea quæ in hac reuelatione ſcripta ſunt, qui fidem de Chriſto & Eccleſia non violant, cauent vero prohibita, cuſtodiunt mandata, metuunt minata ſupplicia, amant etiam promiſſa cœleſtia: quæ omnia in eadem abundantius videntur expreſſa, quæque ita magnificè ſub tegumento figuratum prolata, vt etiam iuxta ipſius literæ textum non modicum vel pauorem vel amorem audientibus conferant. Vt autem ad hæc obſeruanda, ſiue doctorum ſiue auditorum animos incitaret, ſubiecit dicens: [*Tempus enim propè eſt.*] Ac ſi diceret: Felix qui fidei Sacramentis irobutus, & quæ in his iubentur, cuſtodit: & quæ prohibentur, non præſumit: quia & obſeruationis tempus non longas moras innectit, & retributionis dies quodammodo in ianuis conſiſtit. *Tempus enim* (ait) *propè eſt*, ſubaudis, quo huius reuelationis dicta operibus compleantur, quo C vel iuſti per obſeruantiam mandatorum remunerentur, vel iniuſti poſt negligentiam eorundem damnentur. Sequitur:

Ioannes ſeptem Eccleſiis quæ ſunt in Aſia.

Quid namque in ſeptem Eccleſiis, niſi vniuerſalis Eccleſia figuratur: cuius idcirco vniuerſitas per ſeptenarium numerum exprimitur, quia videlicet illius ſeptiformis ſpiritus gratia afflatur, qui orbem terrarum repleuiſſe perhibetur, ſicut ſcriptura quodam loco teſtatur, dicens: (Sap. 1.) *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, ſcientiam habet vocis.* Spiritus enim Domini orbem terrarum repleuit, ſubaudis, in eiſdem gentibus, ex quibus totam Eccleſiam aggregauit, de quibus nimirum per Pſalmiſtam paterna voce filio dicitur: (Pſal. 2.) *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Cui etiam idem Pſalmiſta ex perſona Eccleſiæ dicit: *Exurge Deus, iudica ter-* D *ram, quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus.* Hinc & (Pſal. 81.) Græca locutione *Catholica*, (id eſt, *Vniuerſalis*) eadem (4. Reg. 4.) Eccleſia vocatur, eo quod ſeptiformi ſpiritu omnia replente, ſæculum totum per eum quo repletur, poſſideat. Quæ videlicet vt plena ſeptiformis gratia ſpiritu ſignaretur, Eliſæo ſuper puerum mortuum incumbente, ſepties puer ad vitam rediens oſcitaſſe deſcribitur. Super extinctum quippe populum Dominus veniens, vt ex mortis peccato ad iuſtitiæ vitam redeat, ſepties hunc oſcitare facit, quia ei dona ſeptiformis gratiæ miſericorditer tribuit. Vnde & eidem venienti Eccleſia deprecans, dicit: (Pſal. 103.) *Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ.* De hac vniuerſali Eccleſia cum Angelus interrogaret Zachariam Prophetam, dicens: *Quid tu vi-* (Zach. 4.) *des?* reſpondit: *Ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius ſuper caput ipſius, & ſeptem lucernæ eius ſuper illud, & ſeptem infuſoria lucernarum, quæ erant ſuper caput ipſius, & duæ oliuæ ſuper illud: vna à dextris lãpadis, & vna à ſiniſtris eius.* Quid enim in candelabro accipimus niſi Dominum redemptorem? Quod videlicet candelabrum

E bene totum aureum dicitur, quia nullum in Chriſto humanæ prauitatis vitium admixtum inuenitur. Quid autem in lampade ſuper caput candelabri, niſi Spiritum ſanctum ſuper Dominum noſtrum manentem intelligere debemus? Vnde ſcriptum eſt: *Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus con-* (Iſa. 11.) *ſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini.* Et quia eodem ſeptiformi ſpiritu Eccleſia in religionis ſuæ principibus, id eſt, Apoſtolis vel eorum condiſcipulis, ipſi capiti principaliter inhærentibus, ſpeciali quodammodo præ omnibus membris gratia repleta eſt, aptè ſubiungitur: *Et ſeptem lucer-* (Zach. 4.) *næ eius ſuper illud*, ſubaudis, ſuper candelabrum totum aureum. An non ſuper hoc candelabrum primi Eccleſiæ prædicatores ſeptiformis ſpiritus face ſuccenſi, tanquam lucernæ lucebant? quibus idem magnum candelabrum dicebat, *Vos eſtis lux mundi, non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita, neque lucernam accendunt, & po-* F *nunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo ſunt, ſic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant veſtra bona opera, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt.* Quia vero illis prædicantibus, exemplis quoque & miraculis coruſcantibus, eiuſdem ſpiritus Sancti gratia ad gentes in Chriſtum credentes peruenit, conſequenter ſeptem lucernæ, ſeptem infuſoria habere deſcribuntur. Quaſi enim de lucernis ardenti- (Zach. 4.) bus oleum in infuſoria deſcendit, cum Apoſtolis prædicantibus, gentes ad Chriſtum conuerſas Spiritus ſanctus iunxit. Et notandum quod in lucernis oleum ardet, in infuſoriis vero flammas minimè reddit. Quia nimirum ſiue in prioribus, ſeu in ſubſequentibus Eccleſiæ prædicatoribus, amplius ſpiritus Sancti gratia coruſcauit, quam in eius auditoribus. Hinc eſt quod ſuper Apoſtolos ve- (Act. 2.) niens, in igneis linguis apparuit idem ſpiritus vt videlicet eos quos ad prædicandum gloriam Chriſti in gentibus miſſurus erat, & ardentes pariter & lucentes redderet, atque loquentes. Sed nec mirum. Nam ignis, calorem habet G ſimul & fulgorem, lingua vero verbum. In igneis ergo linguis ſuper ſanctos prædicatores ſpiritus Sanctus deſcendit: quia nimirum eos & ardentes amore, & lucentes exemplis vel miraculis, & loquentes cauſa ædificationis efficit. Ex quibus autem populis, ſiue in ſanctis prædicatoribus, ſeu in ſuis auditoribus hæc conſtaret ſeptiformis Eccleſia, idem Zacharias aperuit, dicens: *Et duæ oliuæ ſu-* (Zach. 4.) *per illud*, ſubaudis, ſuper candelabrum: vna à dextris lampadis, & vna à ſiniſtris eius. Duæ quippe oliuæ ſuper candelabrum, ipſa eſt Eccleſia ex Iudæis & gentibus, ſuper Chriſtum radicata atque fundata. Nam vnam rem diuerſis vocabulis Propheta ſignificat. Qui enim ſeptem lucernas, ſeptem infuſoria ſuper candelabrum vidiſſe ſe dicit, ac deinde ſuper ipſum duas oliuas eſſe confirmat: nimirum patenter inſinuat, quia hoc ſunt ſeptem lucernæ, ſeptemque infuſoria, quod ſunt duæ oliuæ quæ in vno loco cernuntur. Ibi enim dixit eſſe lucernas vel infuſoria, vbi & oliuas, liquido etiam hæc omnia ſuper candela- H brum conſtituta, ex eo vnum eſſe colligimus, quod & lucernis flammarum globos oleum præbet, & in earundem infuſoria ignis calore feruens oleum decurrit, atque in oliuis oleum latens certiſſime viget. Sed vt præfati ſumus, vnam eandemque rem diuerſis modis ſignificans, propter ſeptiformem ſpiritus Sancti gratiam, in ſeptenario numero Eccleſiam deſcribit. Inter prædicatores vero & auditores diſcretionem faciens eundem ſeptenarium numerum in ſeptem lucernis ſeptemque infuſoriis duplicatum introducit. Inter vtraque etiam teſtamenta diſtinguens, ac generaliter eorundem teſtamentorum populos comprehendens, duas oliuas myſticè ac figuraliter interſerit, de quibus nimirum oliuis aptè ſubiungit: Vna à dextris lampadis, & vna à ſiniſtris eius. Quid itaque in dextra lampadis accipimus, niſi noui teſtamenti gratiæ lenitatem, quæ peccantibus non vicem talionis rependere, ſed miſericordiam clementer nouit impendere: Quid vero in ſiniſtra eius, niſi veteris legis aſperitatem, quæ nulli peccanti parcere nouerat, ſed cunctis ſecundum reatus ſui iniquitatem, vindictam reddere conſueuerat? Solet enim

A plerumque in ſacro eloquio per dexteram proſperitas, per ſiniſtram vero aduerſitas deſignari. In dextera itaque lampadis mulier illa conſtiterat, quæ poſt adulterij crimen Ioan. 8. audiebat: *Nec ego condemnabo te. Vade & amplius noli peccare.* In ſiniſtra vero eius ille poſitus erat, de quo lex Deut. 25. præcipiebat: *Condemnabis impium, & reddes ei ſecundum iniquitatem ſuam* In dextera ſiquidem poſiti publicani & meretrices, amici vocantur, & ad conueſcendum recipiuntur: in ſiniſtra vero, inimici deputantur, & ab omni communionis participatione penitus alienantur. Quia igitur populus gratiæ non corporalis necis damnationem in delinquentibus ſecundum Euangelij manſuetudinem incurrit, ſed ad conuerſionem & pœnitentiam recurrit, quaſi in dextera lampadis oliua germinans viget. Quia vero plebs Iſraëlitica in ſceleſtis & peccatoribus non ad conuerſionem & pœnitentiam recurrit, ſed corporalis necis damnationem iuxta Moſaïcam legem incurrit, quaſi B in ſiniſtra lampadis olina poſita, ramos præcidendos gignit. Hanc vniuerſalem Eccleſiam ac ſeptiformem Chriſto coniungi Iſaias proſpexerat, cum dicebat: *Apprehendent ſeptem mulieres virum vnum in illa die* dicentes: *Panem noſtrum comedemus, & veſtimentis noſtris operiemur, tantummodo inuocetur nomen tuum ſuper nos, aufer opprobrium noſtrum.* Dies quippe qua ſeptem mulieres virum vnum apprehenderunt, tempus eſt redemptionis, quo ſeptiformis Eccleſia ſeptiformi ſpiritu aggregata, ſeptiformi ſpiritu illuminata, Chriſtum per fidem & charitatem arripuit & tenuit. Bene autem eidem ſponſo & viro mulieres dicunt, Panem noſtrum comedemus, & veſtimentis noſtris operiemur, tantummodo inuocetur nomen tuum ſuper nos, aufer opprobrium noſtrum. Ac ſi electorum Eccleſia dicat: Vnum eſt quod opprobrium paſſa deploro, vnum quod deſpecta exoro, vt ne Iudæi inſultantes abſque Deo me eſſe, vltra irrideant, per fidem & charitatem mihi iungaris. Quod ſi amplexus deſtitutæ non abnueris, voto me conſtringo, quia nequaquam vltra C carnium ollas, cepas atque pepones, veſtimentaque fluxui apta, quæ non mea, ſed Ægyptiorum ſunt, requiram: ſed pane eo, videlicet manna & veſtimentis ſimplicibus, nunquam vtique veteraſcentibus, quæ populo exeunti de Ægypto congruunt, contenta ero: id eſt, non Ioan. 6. delicias ac voluptates carnales, mundique pompas inquiram, ſed pane viuo qui de cœlo deſcendit, veſcar: ac veſtimentis virtutum, quæ mihi in duobus charitatis præceptis tanquam in duobus lignis contexero, induar. Ad hos viri ſui amplexus deſpectui habita venire anhelabat, cum ei in Canticis Canticorum ſuſpirans diceret: Cant. 8. *Quis det te mihi fratrem meum, ſugentem hubera matris meæ, vt inueniam te foris, & deoſculer. & iam me nemo deſpiciat? Apprehendam te, & ducam te in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Et notandum quod fratrem vocat, cuius ſortiri coniugium deſiderat. Idem enim frater propter carnis natiuitatem, idem & vir eſt Eccleſiæ propter fidem & charitatem. Dicat itaque Eccleſia: Quis det te fratrem meum, ſugentem hubera D matris meæ? ac ſi apertè diceret: Quis tribuat vt gentibus per fidem appareas, qui homo factus, matris ſynagogæ hubera lambis, id eſt verba legis ac Prophetarum eloquia in te completa demonſtras: eandemque legem non Matth. 5. ſoluere, ſed adimplere te venire nuntias? Quaſi enim hubera matris ſuxit, cum omnia quæ in lege & Prophetis Sacramenta de ipſo continebantur, ad ſeipſum quodammodo trahens, in ſe completa monſtrauit. Ideo autem mater Eccleſiæ ſynagoga vocatur, vel quia Chriſtus qui ſe fratrem electorum vocari dignatus eſt, ex eius carne generatur: vel quia legis ac Prophetarum documentis, quaſi noua ſoboles, eadem Eccleſis procreatur. Et quia extra ſynagogam, extra plebem ſcilicet Iudaïcam, Eccleſia ex gentibus Chriſtum inuenit, rectè ab ea optanda Cant. 8. ſubiungitur: *Vt inueniam te foris, & deoſculer, & iam me nemo deſpiciat.* Repulſa etenim à perfido Iudæorum populo Apoſtolorum prædicatio, ad gentes ſtatim tranAct. 13. ſiuit. Vnde & Paulus eiſdem Iudæis dicit: *Vobis quidem oportebat primum loqui verbum Dei, ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æterna vita, ecce conuertimur ad gentes.* Hinc eſt quod idem Dominus, vt ab Eccleſia foris deoſculandus inueniretur, extra portam voluit pati. Hinc ab illo impietatis populo receſſurum, & ad gentes venturum ſe eſſe deſignans, ait: *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* Foris itaque ſponſum ſuum Eccleſia deoſculandum inuenit, quia nimirum extra ſynagogam illum per Apoſtolorũ prædicationem cognouit. Vel certè foris eum vt deoſculetur, inuenire deſiderat in humanitate, in qua & ab ipſa valet apprehendi, qui incomprehenſibilis manet in diuinitate. Inuentum autem atque apprehenſum deoſculari, eſt Euangelicis mandatis ad eius amorem incitari. Hinc etenim in Canticis Canticorum dicit: *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Suſpirans itaque S. Eccleſia ante aduentum mediatoris Dei & hominum, quæ oſculis Prophetarum iam erat ſubarrata, verba orationis eloquio Spiritus ſancti ad Patrem facit, vt filium dirigat, vt ſua illam præſentia illuſtret vt eidem Eccleſiæ non iam Prophetarum ore ſed ſuo ore locutionem faciat. Vnde de eodem ſponſo in Euangelio ſcriptum eſt cum ſederet, in monte, & ſublimium præceptorum verba faceret: *Aperiens os ſuum, dixit.* Ac ſi dicatur: Tunc os ſuum aperuit, qui prius ad exhortationem Eccleſiæ aperuerat ora Prophetarum. Quod autem foris inuentum & apprehenſum, in domum matris ſuæ & in cubiculum genitricis ſuæ, Eccleſia ſponſum ſuum ducere ſe fatetur, nouiſſimam ad Chriſtum conuerſionem Iudæorum inſinuare videtur. Appropinquante etenim fine mundi, apparentibus etiam Enoch & Elia, Iudæos ad Chriſtum Eccleſia reducet.

E

Hebr. 13. Matt. 23. Luc. 13.

Cant. 1.

F

Matth. 5.

De qua nimirum vniuerſali ac ſeptiformi Eccleſia in hac reuelatione per Ioannem dicitur: *Vidi & ecce in* Apoc. 5. *medio throni & quatuor animalium, & in medio ſeniorum, agnum ſtantem tanquam occiſum, habentem cornua ſeptem & oculos ſeptem, qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei miſſi in omnem terram.* Quod eſt thronus, hoc animalia, hoc ſeniores, id eſt, vniuerſalis Eccleſia. In cuius medio agnus cum ſeptem cornibus oculiſque ſeptem, quæ (vt ipſe expoſuit) vnum ſunt, ſtare perhibetur. Quid enim eſt, agnum in medio throni & animalium & ſeniorum, ſeptem G cornua ſeptemque oculos habere, niſi ſeptenaria Spiritus ſancti operatione, vbique per orbem in ſua Chriſtum Eccleſia morte deuicta regnare? Hoc enim ſignificat, quod ſeptem agni cornua, vel oculi in omnem terram miſſi referuntur.

Ipſa quippe quæ à Chriſto tanquam thronus præſidetur tanquam animalia paſcitur, tanquam ſeniores iudicio poteſtatis honoratur ipſa vtique ſuper eum ædificata in ſeptem cornibus fortitudinis regno exaltatur atque in ſeptem oculis, ſignis & virtutibus illuminatur. Iſtis ſiquidem exaltatis cornibus, ſubaudis, Eccleſia virtute Spiritus ſancti in regni fortitudinem eleuata, peccatorum cornua confringi narrantur, ſicut ſcriptum eſt: *Omnia cor-* Pſal. 74. *nua peccatorum confringam, & exaltabuntur cornua iuſti.* Iſtis oculis radio ſupernæ lucis ſplendentibus, ipſa ſcilicet electorum Eccleſia ſignis & miraculis fulgente infidelium cæcitas confuſa eſt Domino in Euangelio dicente: *Lumen venit in mundum, & dilexerunt homines ma-* H *gis tenebras quam lucem.* De hac etiam ſanctorum Eccle- Ioan. 3. ſia per Salomonem dicitur: *Sapientia ædificauit ſibi do-* Prou. 9. *mum, excidit columnas ſeptem.* Quem enim alium ſa- 1. Cor. 1. Heb. 1. pientiæ vocabulo intelligi voluit, niſi eum de quo Paulus Prou. 9. ait, *Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam?* Quam vero domum eandem ſapientiam ædificaſſe innuit, niſi illam de qua idem egregius prædicator dicit, Quæ domus nos ſumus? Vt autem oſtenderet, in ſeptenario numero firmitatem & decorem Eccleſiæ deſignari, ſtatim ſubiecit & ait: *Excidit columnas ſeptem.* Columnas etenim ſeptem excidit, quia ab amore præſentis ſæculi dura gentilium corda ſeptiformi ſpiritu implenda ſeparauit atque in fortitudinem cœleſtis ædificij erexit. Hæc igitur ſanctarum Scripturarum teſtimonia ſatis indicant, in ſeptenario ſacratoque numero vniuerſalem Eccleſiam intelligi debere, ſed hæc eadem aliis adhuc fidei argumentis ſtudeamus approbare. Septenarius itaque numerus ex ternario & quaternario conſtare videtur, ex impari videlicet & pari.

A Primus quippe eius impar, ternarius eſt: primuſque par, quaternarius. Ternarius autem numerus ideo in diuinis libris perfectus habetur, quia vel Trinitatem, quæ vnus & verus eſt Deus vel fidem, ſpem & charitatem: vel etiam tres fidelium ordines, Virginum ſcilicet, continentium, & bonorum coniugatorum, demonſtrat. Quaternarius vero quanquam in multis perfectus habeatur, principali tamen intentione, ſiue propter quatuor mundi notiſſimas partes, ſiue propter quatuor principales virtutes, id eſt, prudentiam, temperantiam, fortitudinem atque iuſtitiam: ſeu etiam propter quatuor flumina paradiſi, quatuorque redemptoris noſtri Euangelia conſummatus innoteſcit. Quia igitur ſiue Trinitatis cognitio quatuor cardines cœli comprehendat, ſiue fides, ſpes & charitas quatuor principalium virtutum ſummam perficiant ſeu etiam tres ordines credentium, quatuor Euangeliorum præceptis ſe ſubdant: rectè per hunc ſeptenarium numerum vniuerſalis Eccleſia figuratur. Occurrit etiam adhuc ipſius ſeptenarij numeri ad oſtendendam Eccleſiam aptiſſima ratio: B quæ dum ſeptem qualitatibus humanam vitam viuere docet, nimirum orbem terrarum in electis eodem numero concludit. Homo itaque, quia ex anima conſtat & corpore, ſeptem qualitatibus retinetur. Nam tribus ſpiritaliter, & quatuor corporaliter viget. In dilectione etenim Dei, tribus qualitatibus ſpiritaliter excitatur, cum ei Deut. 6. Matt. 22. per legem & Euangelium dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex tota mente tua ex tota anima tua & ex tota virtute tua.* Corporaliter vero quatuor qualitatibus continetur, quia videlicet ex materia calida & frigida & humida & ſicca componitur. Quia ergo fideles quilibet iſtis ſeptem qualitatibus vigent, non immerito hac ratione Vniuerſalis Eccleſia per ſeptenarium numerum exprimitur. Sunt autem quamplurima ſiue ſcripturarum teſtimonia, ſiue fidei argumenta, quæ ſanctorum Eccleſiam in ſeptenario numero expreſſam demonſtrant. Sed iam iſta debent ſufficere, præſertim cum & in eiſdem locutioni- C bus quæ ad ſeptem fiunt Angelos Eccleſiarum, apertiſſime declaretur, ad omnem pertinere Eccleſiam quæ narrantur. Sic plane iſta conijcimus, non vt funditus ab ſpecie transeamus ad genus ſed vt in ipſa ſpecie genus oſtendamus. Nam ſpecialiter ad ſeptem Eccleſias Ioannes hæc Sacramenta de exilio ſcripta mandauit. Sed quia generaliter ad omnem electorum Eccleſiam pertinerent quæ ſcripſerat, idem ipſe apertiſſime demonſtrauit. Sic etiam in ipſo Ioanne inuenimus ſpeciem in ſpecie, inuenimus etiam genus in ſpecie. Quia in eo quod audit vel videt, & ſuam & prædicatorum formam ſpecialiter gerit: & in eo quod audita vel viſa in ſua perſona dicit, generalis Eccleſiæ figuram prætendit. Quid ſit autem, quod ſeptenario numero myſtice Eccleſia ſignata in Aſia eſſe deſcribitur, requiramus. Aſia quippe interpretatur elatio. Elatio autem in ſcriptura diuina non ſemper pro vitio tumoris accipitur, ſed aliquando culmen virtutis deſignat. Quia enim virtutis culmen elatio deſignet hinc maxime D claret, etiam ſi teſtimonia ſcripturarum non occurrerint, cum electus quiſque voluptatibus mundi ac vitiis ſeruire dedignatur. An non elationis cornu contra regnum peccati erectura pronuntiabatur Eccleſia, cum eidem à Iſa. 60. Domino per Prophetam diceretur, *Ponam te in ſuperbiam ſæculorum?* Ac ſi aperte diceretur: Sicut ſæculum in ſuis principibus mea monita contemnens, omnes ſub ſe poſitos mentis elatione conſpicit: ſic te meis præceptis aſtringens, omnia vitia, omnes voluptates, omneſque infimos honores deſpicere faciam, ac tuis pedibus conculcanda proſternam. Cui etiam rurſum prophetica voce dicit: *Subleuabo te ſuper altitudines terræ.* Quaſi quædam namque inferiora terræ ſunt: damna, contumeliæ, egeſtas, abiectio, quæ ipſi quoque dilectores ſæculi, dum per latæ viæ planitiem ambulant, vitando calcare non ceſſant. Altitudines autem terræ ſunt lucra rerum, blandimenta ſubditorum, diuitiarum abundantia, honor & ſublimitas dignitatum. Quæ quiſque dum adhuc per ima deſideria incedit, eo ipſo alta æſtimat, quo magna putat. At ſi ſemel cor in cœleſtibus figitur, mox quam abiecta ſint, cernitur, quæ alta putabantur. Nam ſicut cum E montem quiſque conſcendit, eo paulisper cætera ſubterjacentia deſpicit, quo ad altiora plus greſſum tendit: ita Iſa. 58. qui in ſumma intentionem ferre nititur, dum anniſu ipſo nullam præſentis vitæ gloriam eſſe deprehendit, ſuper terræ altitudines eleuatur & quod prius in imis deſideriis poſitus, ſuper ſe credidit, poſt aſcendendo proficiens, ſub ſe eſſe cognoſcit. In hac elatione, in hac celſitudine, in hac ſublimitate poſitam Eccleſiam ſine vllo fidei detrimento affirmamus. Quod & ſi hoc loco ipſius elationis nomine, vitium tumoris intelligamus, nec ſic à veritatis ratione diſcrepamus: non ſcilicet quo ſanctorum Eccleſia permaneat elata, ſed quo dudum in elationis faſtu erecta humilis futura ſuperno munere ſit prædeſtinata. Vniuerſa itaque tanquam in huius mundi prouincia in elatione poſita commonetur Eccleſia, vt eadem elatione reiecta, leni iugo Chriſti ſubdenda mitis accedat. De ſuperbis enim atque elatis Eccleſiam ſuam Chriſtus quotidie per internam gratiam vocans, mitiſſimam reddit.

F O quam multos in elationis faſtu conſtitutos cernimus, quos tamen gratia cœleſtis ſubito illuſtrans, humillimos facit. Sicque fit, vt hi qui adhuc ante humanos oculos elati apparent, iam in conſpectu diuinitatis, cui nec præterita nec futura ſuccedunt tempora, humiles approbentur. Hinc quoque ad beatum Iob per increpationem Dominus dicit: *Nunquid ingreſſus es theſauros niuis, aut theſauros grandinis aſpexiſti, quæ præparaui in tempus hoſtis, in diem pugnæ & belli?* Iob. 38. De quo nimirum B. Gregorius latam edidit explanationem. Ego vero vt in præfatione huius operis præfatus ſum, cum de his ſcripturarum teſtimoniis quæ ille expoſuit, ad confirmandas meas ſententias aſſumo, propriam in eis exponendis laborem refugiens, nonnunquam illius verbis & ſenſibus vtor. Sic autem inſtar eiuſdem beati tractatoris ſtyli, meum quoque etſi minus ſapiens informare ſtudeo, vt nec ab ipſis prudentibus facile poſſit intelligi, qua concatenatione illius verba meis admiſceantur. Quid itaque aliud in niue vel G grandine, niſi frigida ac dura intelligenda ſunt corda prauorum? Sicut enim feruore charitas, ſic ſolent in ſacro eloquio, frigore maligna deſignari. Scriptum namque eſt: *Sicut frigidam fecit ciſterna aquam, ſic frigidam fecit malitiam ſuam.* Ierem. 6. Et rurſum: *Abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum.* Matt. 24. In frigore ergo niuis, vel in duritia grandinis, quid accipi aptius poteſt, quam vita prauorum, quæ & torpore frigeſcit, & per duritiæ malitiam percutit? Sed quia omnipotens Deus ſanctos ſuos de talibus elegit, & quam multos adhuc electos, inter prauorum vitam repoſitos habet, apte in niue vel grandine theſauros ſe perhibet habere. Theſauri quippe ἀπὸ τῆς θέσεως, id eſt, à poſitione nominantur. Et pleroſque in vita frigida dum latentes reſpicit, eos & ad medium cum libet educit, & iuſtitiæ ditore candidos per ſupernam gratiam oſtendit. Scriptum quippe eſt: *Lauabis me, &* Pſal. 50. *ſuper niuem dealbabor.* Quos in diem belli pugnæque præparatos habet, dum intra ſuæ præſentiæ ſinum tegit. H Sed cum repente eos eduxerit, reſiſtentia aduerſariorum pectora illorum verbis & redargutionibus quaſi quibuſdam grandinibus percutit. Vnde alias dictum eſt: *Præ fulgore in conſpectu eius nubes tranſierunt, grando & carbones ignis.* Pſal. 17. Præ fulgore nubes tranſierunt, quia prædicatores ſancti Vniuerſa mundi ſpatia miraculorum claritate percurrunt, qui etiam grando & carbones ignis vocati ſunt: quia & per correptionem feriunt, & per flammam charitatis accendunt. Ipſa quoque libera ſanctorum increpatio, natura grandinis conuenienter exprimitur. Grando enim veniens, percutit: liquata, rigat. Sancti autem viri corda audientium & terrentes feriunt, & blandientes infundunt. Nam quemadmodum feriant, Propheta teſtatur, dicens: *Virtutem terribilium tuorum dicent, & magnitudinem tuam narrabunt.* Pſal. 144. Et quemadmodum blandientes rigent, ſequutus adiunxit: *Memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabunt, & iuſtitia tua exultabunt.* Ibid. In niue ergo vel grandine habentur theſauri: quia plerumque iniquitatis torpore frigidi, à ſuperna gratia aſſumpti, in ſancta Eccleſia Iuſtitiæ luce fulgeſcunt. Vnde aperte eſt ſubditum: *Quæ præparaui in tempus hoſtis, in diem pugnæ & belli.* Iob. 38. Nix

A quippe vel grando fuerat Saulus per frigidam inſenſibilitatem. Sed nix & grando contra aduerſariorum pectora factus eſt, vel candore iuſtitiæ, vel diſtricti eloquij correptione. O qualem hunc theſaurum in niue vel grandine habuit, quando illum inter prauorum vitam poſitum, iam tunc electum dominus latentem vidit. O ad quanta adoerſariorum pectora ferienda hanc in manu ſua grandinem ſumpſit, per quam tot ſibi reſiſtentia corda proſtrauit. Nemo itaque de ſuis operibus extollatur, nemo deſperet eos quos adhuc frigidos videt, quia theſauros Dei in nioe & graodine non videt. Act.7. Quis enim crederet, quod per Apoſtolatus gratiam, lapidatum Stephanum ille præcederet, qui in morte eius omnium lapidantium veſtimenta ſeruauit? Si ergo ad iſta dona vel iudicia occulta recurrimus, oullos omnino deſperamus: oec illis nos in corde noſtro præferimus, quibus pro tempore prælati ſumus. Quia & ſi iam videmus qoantum præceſſimus, neſcimus, quantum dum currere cœperint, præcedamus. B Sicut itaque in niue & grandine theſauri Dei abſconditi perhibentur, ſic nimirum ſeptiformis Eccleſia in elatione poſita non inconuenienter intelligitur. Et quia nullis (vt dictum eſt) præcedentibus meritis, ſed ſola gratuita Dei voluntate de talibus ſanctorum numerus aggregatur, recte Iohanoes ad ſeptem Eccleſias quæ in Aſia commorantur, ſcripturis, titulum ſalutationis præmittit, dicens:

Gratia vobis & pax ab eo qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt: & à ſeptem ſpiritibus qui in conſpectu throni eius ſunt, & à Ieſu Chriſto.

Gratia enim dicitur gratis data, ſubaudis, non merces reddita, ſed venia gratis collata. Hac namque gratia infulgente, ex inimicis ad amicitiam creatoris ſumus C reducti, ex impiis pij effecti, ex ſeruis peccati, in filios iuſtitiæ adoptati. Hac præueniente quotidie illuminamur, vt videre poſſimus quo greſſus boni operis ponere debeamus. Hac ſubſequente cuſtodimur, ne in infimo calcaneo à ſerpente mordeamur. Hac ad bonum opus incitamur: ſed incitati, niſi illa adiuuerit quæ incitauerat, idem Rom.7. opus perficere noo valemus. Hinc Paulus dicit: *Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio.* Vnde igitur tibi velle adiacet, niſi quia à gratia accepiſti, ſicut 1. Cor.4. tu ipſe alibi dixiſti, *Quid habes quod non accepiſti*? Ergo ſicut velle adiacet Paulo, quia à gratia hoc ipſum accepit: ſic perficere bonum non inuenit, niſi ipſa gratia adiuuet quæ velle dedit. Vnde & idem Apoſtolus rurſum Philip.2. ait: *Deus eſt qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Hanc enim gratiam Iohannes, hanc Petrus, hanc Paulus, fidelibus ſcripturi, in ſuis voluminibus titulo ſalutationis præmiſerunt, vt videlicet populos gratiæ exhortaturi, omnem ſalutationis ſummam in hac D eſſe monſtrarent. Et notandum quod non dicitur, *pax vobis & gratia*: ſed præmittitur gratia, ac deinde ſubiungitur, & pax. Vnde ſciendum quia nullus ad pacem Dei reconciliatus venire poterat, niſi huoc gratia miſericordiæ præceſſiſſet. Vt enim ad pacem Dei venire poſſimus, hac ſumus præuenti. Hoc autem nobis quærendum eſt, cur in datione gratiæ nominato filio & Spiritu ſancto, perſona Patris reticetur: vel cur vnus idemque Spiritus Patris & Filij, in ſeptem ſpiritibus deſcribatur: vel cur, ſi (vt verum eſt) cum Patre & Filio in throno amborum reſidet ſpiritus, in conſpectu throni eſſe dicatur: cur etiam perſona filij iterato ponatur. Ait autem Iohannes: *Gratia vobis & pax ab eo qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt:* quod omnino ſpecialiter vnigenito Dei filio aſſignandum eſt. Etenim quia cum Patre & Spiritu ſancto idem ſolus eſſentialiter eſt qui eſt, nec aliud in eo eſt quam eſt, cui mutabilitas nulla accidit, vt ſit in illo modo eſt, 2.Cor.1. modo non: ſicut Paulus de ipſo fatetur, dicens: *Non fuit in illo, eſt & non: ſed eſt, in illo fuit.* Quanquam enim omnis creatura per eum condita, habeat quandam

E eſſentiam ſuam, ad comparationem tamen eius qui creauit eam, non eſſe habet: quia eo ipſo quo creatura eſt, mutabilis omnino eſt. Hinc per Pſalmiſtam Deo dicitur. Pſal.101. *Initio tu domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli. Ipſi peribunt, tu autem permanes, & omnia ſicut veſtimentum veteraſcent. Et ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur. Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.* Erat vero, quia antequam de beata Virgine naſceretur in tempore, cuncta cum Patre tempora fecit. Vnde & Iohannes qui hæc loquitur, in capite Euangelij ſui ita Ioan.1. exorſus eſt: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Atque poſt pauca: *Et Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* In qua ſcilicet incarnatione idem filius venturus eſt ad iudicandos viuos & mortuos, in qua etiam venit iudicari à mortalibus, in qua remeauit ad Act.1. dexteram Patris, ſicut ſcriptum eſt: *Hic Iesvs qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet quemadmodum vidiſtis* F *eum euntem in cœlum.* Cum itaque hæc non oiſi filio congruere videantur, & certum ſit, quia ſicut à filio & Spiritu ſancto, ſic à Patre per Filium & Spiritum hanc gratiam Eccleſia iuſtorum acceperit: quid ſibi vult, quod hoc loco in eius datione perſona Patris ſiletur, niſi quia mos eſt diuinarum Scripturarum, vbi vna vel duæ de Trinitate perſonæ in operatione vel datione ponuntur, quantum ad diuinitatis attinet rationem, tota ſimul Trinitas iotelligatur? Neque enim quia de ſola Filij perſona Ioan.1. in Euangelio ſuo Iohannes dicit, *Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt:* ideo ab hac operatione Patris perſona ſeparanda eſt, cum Paulus Rom.1. fidelibus teſtetur, dicens: *Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro & Domino Ieſu Chriſto.* Et idem Iohannes in 2.Ioan.1. epiſtola ſua: *Sit vobiſcum*, ait, *gratia, & miſericordia à Deo Patre & Ieſu Chriſto filio Patris.* Sed neque quia de ſolo Patre & Filio Paulus & Ioanoes in epiſtolis ſuis teſtimonium perhibent, quod gratiam hominibus tribuant, G propterea ab ipſius muneris largitate Spiritus ſanctus alienandus putabitur: cum, præmiſſa ſibi perſona, à ſeptem ſpiritibus io hac Apocalypſi gratia fidelibus, perhibeatur largiri. Reſtat ergo, vt vbi ſolam filij perſonam credentibus gratiam tribuere legentes audiuimus, ſimul in ipſa datiune Patrem & Spiritum ſanctum intelligamus. Similiter autem vbi Filium & Spiritum ſanctum, conſeqoenter & Patrem: & vbi Patrem & Filium, indubitanter accipiamus Spiritum ſanctum. Sed cum ſit vnus idemque Spiritus Patris & Filij, vna in Trioitate perſona, cur Ioannes ſeptem ſpiritus in hac reuelatione introducit, niſi quia vnius eiuſdemque, ſpiritus ſeptenariam operationem, per ſeptuplam ſpiritus appellationem inſinuare curauit? Hinc eſt quod Propheta cum vnum ſpiritum Domini ſuper redemptorem noſtrum quieuiſſe perhiberet, Iſa.11. dicens: *Requieſcet ſpiritus Domini ſuper eum:* repente in vno ſeptem introducit, & ait *Spiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.* Sap.7. H Hinc eſt etiam quod cum idem ſpiritus Dei legaliter inſinuetur vnicus vel ſimplex, continuo perhibetur multimodus vel multiplex, ſicut ſe diuerſitas tranſlationum habet. Simplex, vtique ſingularis proprietate naturæ: multiplex vero, diſtributione gratiarum. Quique cum ſit Patri & Filio conſubſtantialis atque coæternus, ſedeatque in throno cum illis, in conſpectu throni ſolus perhibetur vel ex locutionis regula, qua de gratia donationis ſupra iam diximus, vt ſcilicet ſimul tota Trinitas ſedens in throno, tota intelligatur conſiſtens in conſpectu throni, id eſt, in conſpectu Eccleſiæ in memoria ſanctorum, quatenus & Eccleſiæ præſideat, & appareat Eccleſiæ. Vel quia principaliter eidem Spiritui ſancto remiſſio peccatorum aſſi- Ioan.20. gnatur, ſicut Dominus ad Apoſtolos dicit: *Accipite Spiritum ſanctum. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Et nequaquam alibi tempore baptiſmatis, oiſi in conſpectu Eccleſiæ reperitur. Multi ſiquidem hæreticorum, tempore cœleſtis renouationis extra Eccleſiam hunc ſe vel dare vel accipere putant: ſed audiant, quia alibi nec

A datur nec accipitur, niſi vbi eſt in conſpectu ſcilicet Ec-
clesiæ, quæ thronus Dei eſt. Hinc longe inferius in hac
Apoc.4. Apocalypſi per Iohannem dicitur: *Septem lampades ar-
dentes ante thronum, qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei. Et in
conſpectu ſedis tanquam mare vitreum.* Huc ergo veniant
hæretici, vbi ſeptiformis ſpiritus accendit & illuſtrat, quos
vnda baptiſmatis lauat. Quia etſi foris poſſunt habere
mare, non tamen in vitrum concretum, ſed fluidum: nec
lampadarum incendia vel fulgorem, ſed frigus ac tene-
bras poſſunt habere. Hinc in ipſa hac reuelatione adhuc
Apoc.15. inferius autor eius atteſtatur, dicens: *Vidi eos qui vice-
runt beſtiam & imaginem eius, ſtantes ſuper mare vi-
treum igni permixtum.* Hoc namque eſt ſuper mare vi-
treum igni permixtum ſtare, quod eſt, ante thronum vel
ſedem ſeptem lampades ardere, ac mare vitreum eſſe.
Quod ſi dubitant, vtrum Eccleſia per thronum vel ſe-
dem, baptiſmum vero per mare figuretur, audiant ad
vtraque quid ſanctæ paginæ reſpondeant. Scriptum quip-
B pe eſt: *Anima iuſti ſedes ſapientiæ.* Paulus quoque ait
1.Cor.1. *Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam.* Ecce in his ma
niſeſtè declaratur, quia ſedes ſapientiæ ſunt ſanctorum
animæ, ſapientia autem Chriſtus. Quod autem mare ba-
ptiſmum deſignet, idem egregius prædicator inſinuat,
1.Cor.10. dicens: *Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes
mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nu-
be & in mari.* Ergo (vt dictum eſt) ad Eccleſiæ baptiſ-
mum conueniant hæretici, in cuius conſpectu ſeptifor-
mis ſpiritus more lampadarum ardet, in cuius medio ag-
nus cum ſeptem cornibus, ſeptemque oculis reſidens,
eandem roborat, eandemque illuminat: quæque ſuper
mare vitreum igni permixtum ſtare perhibetur, ac de be-
ſtia eiuſque imagine triumphare. Attendant ſalubriter,
quia mare fluidum, quod ignis calore in vitrum minimè
conuertitur, non columbas ſtabiles reddit, ſed coruos de-
mergit. Omni enim vento doctrinæ fluctuant, quos ex-
tra ſanctam Eccleſiam ſine charitate ſpiritus hæretico-
rum baptiſma lauat. Iam vero ſi quærimus, cur perſona
filij in datione gratiæ iterato ponatur, facilè nobis occur-
rit, quia idem Patris vnigenitus, primus & nouiſſimus
eſt, & Deus ſcilicet ante ſæcula, & homo in fine ſæculo-
rum. Et idcirco inculcando nomen eius iteratur, ac ſi
apertius diceretur: Et à diuinitate filij, & à ſeptiformi
ſpiritu, atque ab humanitate prædicti filij, qui eſt & qui
erat & qui venturus eſt, gratia vobis & pax. De quo &
ſubditur:

Qui eſt teſtis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ.

Ea locutionis regula, quam ſupra præmiſimus, ſolus
hoc loco filius teſtis vocatur fidelis, cum & Pater & Spi-
ritus ſanctus ſimul teſtimonium fidele perhibeant de ipſis,
1.Ioan.5. ſicut ſcriptum eſt: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cæ-
lo: Pater, verbum & Spiritus ſanctus: & hi tres vnum ſunt.*
D Sciendum autem, quia ſicut hi tres vnum ſunt, ſic horum
teſtimonium vnum eſſe cognoſcitur, quanquam alterius
teſtimonio alter inſinuetur. Nam cum Pater perhibeat de
1.Ioan.5. filio, quod ſit vita æterna, ſicut ſcriptum eſt: *Si teſtimo-
nium hominum accipitis, teſtimonium Dei maius eſt:* quo-
niam hoc eſt teſtimonium Dei quod maius eſt, quia te-
ſtificatus eſt de filio ſuo, mittens eum Saluatorem mundi
Ibid. ſuper terram. Atque poſt pauca: *Et hoc eſt teſtimonium,
quoniam vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in
filio eſt. Qui habet filium, habet vitam: qui non ha-
bet filium, vitam non habet.* Ibi ſe pariter intelligi voluit
vitam æternam, qui ex ſe genuit vitam ſibi coæternam.
Ioan.17. Cui etiam ipſa ſua vita quæ filius eſt alibi dicit: *Hæc eſt
vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem
miſiſti, Ieſum Chriſtum.* Ibi etiam conſequenter & Spiri-
tum ſanctum, qui & ipſe Patris & Filij vita eſt, de quo
Ioan.6. ſcriptum legimus: *Spiritus eſt qui viuificat.* Cum autē Fi-
Ioan.3. lius de Patre teſtatur, dicēs: *Sic dilexit Deus hunc mundū,
vt filium ſuum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in
me, non pereat, ſed habeat vitam æternam:* ibi ſe pariter

hoc ipſum feciſſe tacitus innuit, qui alibi ait: *Sicut no- E
uit me pater, & ego agnoſco patrem, & animam meam pono Ioan.10.
pro ouibus meis.* De quo etiam per Paulum dicitur: *Am-
bulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradi- Epheſ.5.
dit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odo- Gal.2.
rem ſuauitatis.* Et rurſum: *Qui dilexit me*, ait, *& tradi-
dit ſemetipſum pro me.* Ibi etiam conſequenter & Spiri
tum ſanctum hoc ſecum feciſſe, à nobis ſciri voluit, quia
ita Apoſtolum Paulum dicere docuit: *Si ſanguis hirco- Hebr.9.
rum aut taurorū & cinis vitulæ aſperſus, inquinatos ſancti-
ficat ad emundationem carnis: quanto magis ſanguis Chri-
ſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immacu-
latum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus
mortuis, ad ſeruiendum Deo viuenti?* Cum vero idem filius
de Spiritu ſancto teſtimonium perhibeat, dicens: *Cum Ioan.16.
venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iuſtitia, & de
iudicio:* ibi ſe pariter intelligi voluit, qui alibi carnalibus
propinquis, ſibique necdum credentibus, ait: *Non poteſt Ioan.7.
mundus odiſſe vos, me autem odit: quia ego teſtimonium F
perhibeo de illo, quia opera eius mala ſunt.* Ibi etiam con-
ſequenter & Patrem, ſicut Pſalmiſta ex perſona Eccleſiæ
idem dicit: *Apparuerunt fontes aquarum, & reuelata Pſal.17.
ſunt fundamenta orbis terræ ab increpatione tua Domine.* Ibid.
Vt autem hoc de Patre dixiſſe oſtenderet, adiecit de eo
& ait: *Miſit de ſummo, & accepit me.* Ac ſi electorum
Eccleſia dicat: Pater vnicum Filium à ſumma beatitudi
ne ad ſuſcipiendas noſtras miſerias miſit, noſque cum illo
tanquam vnum hominem, tanquam vnum corpus, tan-
quam vnam perſonam, de imis ad ſumma euexit. Sed &
cum Spiritus ſanctus de filio teſtimonium dicit quod ſit
veritas, ſicut ſcriptum eſt: *Spiritus eſt qui teſtificatur, 1.Ioan.5.
quoniam Chriſtus eſt veritas:* ibi ſe pariter conſempiter-
nam charitatem oſtendit, de quo per eundem filium Apo
ſtolis dicitur: *Cum venerit paraclitus, quem ego mittam Ioan.15.
vobis à Patre ſpiritum veritatis, qui a Patre procedit.*
Ibi etiam conſequenter & Patrem, de quo veritas ex eo
genita, in Euangelio Iudæis dicit: *A me ipſo non veni, Ioan.8.
ſed eſt verus qui miſit me.* Poteſt etiam hoc loco, in ho- G
mine aſſumpto filius ſpecialiter dici teſtis fidelis: ideo ſci-
licet, quia pro teſtimonio veritatis, vſque ad mortem
peruenit carnis. Nam cum omnis electorum Eccleſia in
ſanctis prædicatoribus teſtimonium perhibeat de Chri-
ſto, illi tamen principaliter dicuntur martyres, qui pro
Chriſti teſtimonio mortē pertulerint corporis. In eo ergo *Qui pro-*
Chriſtus martyr fidelis extitit, quo veritatis teſtimonio ſe *priè mar-*
& patrem vnum eſſe confirmans, ſeque non à ſe ipſo, ſed *tyres di-*
à patre eſſe, ſpiritum vero ſanctum à patre & a ſe eſſe teſti- *cendi.*
ficans, vſque ad paſſionem crucis peruenit. De quo & ſub-
ditur: [*Primogenitus mortuorum*] Libet propter minus Gen.2.
intelligentes aperire, quæ ſit ratio, qua Chriſtus primo-
genitus mortuorum vocetur. Primus etenim homo qui
ex limo terræ plaſmatus in animam viuentem, ad lucem
iuſtitiæ proceſſit, quaſi ex vtero matris viuus eſt procrea-
tus. Idem vero quia mandata vitæ deſerens, ad iniquita-
tis tenebras deuolutus eſt: accepta mortis ſententia, rurſum
in matris vuluam mortuus repedauit, ſicut ei dictum eſt: H
Terra es, & in terram ibis. Ac ſi ei aliis verbis diceretur: Gen.3.
Quia ex vtero matris ad vitam prodiens, mandata vitæ de-
ſeruiſti, eandem repetes vuluam de qua exiſti. In cuius
videlicet genere, quod nos ſumus, in tantum hæc ſen-
tentia graſſari videtur, vt autor vitæ ad nos veniens, car-
nemque ex nobis ſuſcipiens, moreretur: atque in vtero
matris quo peccatores fratres eius ſepulti iacent, & ipſe
ſine peccato mortuus ingrederetur. Sed quia reſurrectio-
nem ſuam nequaquam in mundi diſtulit finem, qui de-
uicta morte poſt triduum reſurrexit, noſtram autem in
fine ſæculi futuram reſeruauit, terræ vuluam in æternum
victurus primus aperuit: & ideo primogenitus mortuo-
rum appellari debuit. Quanquam enim alij ante eum à
mortuis reſurrexerint, nullus tamen eorum primogeni-
tus dici potuit mortuorum: quia non ſurrexerunt in æter-
num victuri, ſed iterum morituri. Rectè enim quilibet
eorum primogenitus mortuorum vocaretur, ſi ex morte
ad vitam rediens, non moreretur. At quia poſt receptam
vitam ex mortuis, iterum mortuus eſt, quaſi non reſur-

A rexiſſe vel vixiſſe computandus eſt. Ille ergo primogeni-
tus mortuorum iure vocatur, qui ſic reſurrexit à mortuis,
vt vltra non moreretur. Iam enim ille in æternum victu-
rus, ex vtero terræ viuus proceſſit: ſed omnes adhuc fra-
tres eius in ipſo teguntur funere mortis, quandoque ta-
men & ipſi procreandi, ſicut de illis primogenitus eorum
Ioan. 5. dixit: *Veniet hora, quando hi qui in monumentis ſunt, au-
dient vocem filij Dei, & procedent.* Poteſt autem ex alia
ratione, idem dominus primogenitus mortuorum vocari.
Omnes itaque qui præſentis vitæ voluptates non appe-
tunt, vitiorum quoque illecebras funditus in ſe gladio
præcepti iugulant, rectè mortui appellantur. Quibus per
Coloſ. 3. Paulum dicitur: *Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita
Rom. 12. eſt cum Chriſto in Deo.* Et rurſum: *Obſecro vos per miſe-
ricordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam vi-
uentem, ſanctam, Deo placentem.* Quorum ſcilicet primo-
genitus digne vocatur, is qui ſingulariter ex patre natus,
mirabiliter ex Virgine procreatus, mortificationem vitæ
B carnalis principaliter in ſemetipſo monſtrauit: atque
exemplum poſteris præbens, multos ſibi mundo mortuos,
per matrem gratiam fratres in regnum adoptauit: de qui-
Pſal. 21. bus Pſalmiſtæ voce ad patrem loquitur, dicens: *Narra-
bo nomen tuum fratribus meis.* De quibus etiam per ſe-
metipſum in Euangelio, Mariæ dicit: *Vade ad fratres
Ioan. 20. meos, & dic eis.* De quo adhuc aptè ſubiungitur: [*Et
princeps regum terræ.* Quid itaque per reges terræ, niſi
omnes electi deſignantur? Qui bene reges vocantur,
quia nequaquam vitiorum tyrannidem in ſe conſurgere
permittunt, ſed eis iure poteſtatis dominantur. Dumque
modo luxuriæ appetitum frenant modo æſtum auaritiæ
temperant, modo gloriam elationis inclinant, modo ſug-
geſtiones liuoris obruunt, modo ignem furoris extin-
guunt, quaſi ſuper ſubiectam terram lege virtutis regnant.
Poſſunt per reges terræ, ſpecialiter ſancti prædicatores
intelligi: qui dum carnalium corda cenſura vigoris à pra-
uitate reſtringunt, ſuper terram vt reges imperant. Cæte-
rum ſpiritalibus viris rectè viuentibus, rectéque ad viam
C Dei ingredientibus non reges, ſed ſocios ſe eſſe recogno-
Matt. 16. ſcunt. Hinc eſt quod Petrus à Chriſto rex terræ conſti-
Act. 5. tutus, cum auaritiæ ſtudentes atque Spiritui ſancto men-
tientes, Ananiam repeiiſſet & Sapphiram, ilico vitam eo-
rum gladio verbi peremit. At vero cum quoſdam in Ec-
cleſia Dei iuſtitiæ vigorem tenere conſpiceret, ac nequa-
quam à recto tramite deuiare, ſtatim ſocium ſe eorum
1. Pet. 5. recognouit, dicens: *Deprecor vos ſeniores conſenior & te-
ſtis, reuelationis gloriæ ſocius, paſcite oues Dei quæ ſunt in
vobis.* Hinc Paulus & ipſe magnus rex terræ, cum pro
terrena gloria diſceptantes diuiſoſque contra ſe inueniſ-
ſet Corinthios, ſceptrum regni ſui vibrans, minatus eſt
1. Cor. 4. dicens: *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in cha-
1 Cor. 5. ritate?* Inter quos etiam fornicatorem reperiens, ſpiritui
tradidit ſathanæ, ipſe in ſpiritu præſens. Cum vero inter
ſpiritales naturæ ſuæ iura ſeruantes, rectéque viuentes ſe
eſſe deprehendit, non ſolum ſocium ſe illorum arbitratus
1. Theſ. 2. eſt, verumetiam minimum iudicauit, dicens: *Facti ſumus
2. Cor. 4. paruuli in medio veſtrum.* Et iterum: *Nos ſeruos veſtros
D per Chriſtum.* Sciendum autem quia prædicatores Eccle-
ſiæ, ita etiam ipſis carnalibus dominari appetunt, quate-
nus & compaſſionem naturæ, & vitiis rectitudinem ex-
hibeant. Sic quippe contra delinquentes zelo vltionis ac-
cenduntur, vt tamen manſuetudinis limitem vlciſcendo
non egrediantur. Sicque ſe ſuperiores illis qui præſunt,
per diſciplinæ vigorem exterius oſtendunt, vt tamen ſem-
per æquales vel etiam inferiores, per manſuetudinis ſpi-
ritum intus attendant. Quod videlicet agere minime poſ-
ſent, niſi æqualitatem naturæ in hominibus conſidera-
rent. Magni etenim muneris eſt, ſemetipſum hominem
Sap. 7. attendere, quod eſt. Omnes namque homines natura
æquales genuit, nec eſt vlla diſtantia inter natiuitatem
regis & militis, inter domini & ſerui, inter diuitis & pau-
peris. Simul etenim cuncti vno more exorti, vnius pec-
cati traduce damnati, ſimulque omnes vno ſanguine
Chriſti redempti, vno pretio comparati, vno baptiſmate
mundati, vna fide iuſtificati, vna gratia præuenti atque
aſſumpti, vno ſunt cœleſti pane nutriti. Reſtat ergo vt
cum delinquentem proximum conſpicimus mentis ocu- E
los ad noſmetipſos reducere curemus: vt dum nos ſimi-
liter aut lapſos, aut labi poſſe cognoſcimus, niſi gratia Dei
præueniamur, ſic eum amemus, vt nos corrigamus: ſcien-
tes proculdubio quia & ipſi, cum peccatores eſſemus, à
Chriſto dilecti ſumus. Hinc etiam ipſe publicanorum & Matt. 11.
meretricum amicus appellatus. Si ergo impij quod ve- Luc. 7.
rum eſt, dilecti ſumus: ſupereſt, vt eo modo impiè agen-
tem proximum odire curemus, quo nos conſtat à domino
odio habitos, dum impij eſſemus. De quo etiam aptè nunc
ſequitur:

Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.

Quo etiam amore Dei filius dilexerit nos, paſſiones
illius indicant, quas in homine aſſumpto pertulit pro no-
bis. De hac dilectione per Apoſtolum fidelibus dicitur:
Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum dedit pro ea. Ac de F
ipſo, *qui dilexit me,* ait, *& tradidit ſemetipſum pro me.* Ad Eph. 5.
inſtar huius dilectionis informandos fideles monet, cum Galat. 2.
dicit: *Ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos,* Eph. 5.
*& tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam
Deo in odorem ſuauitatis.* O ſi conſiderare poſſemus, qui
dilexit & quales dilexit: vtique pulcher fœdos, pius im-
pios, ſine peccato peccatores. Sed nunquid nos quales
eramus tales dilexit? Abſit, ſed quales ipſo amore nos fe-
cit. Vnde & protinus ſubditur: [*Et lauit nos à peccatis
noſtris in ſanguine ſuo.*] Libet itaque hæc pie conſiderare.
Sed tam ineffabile pietatis opus, non ſufficit humana
mens æſtimare: quanto minus os vel lingua pronuntiare?
O amor ineffabilis, amor inattingibilis, amor incompre-
henſibilis, quis te quamlibet amator validiſſimus, vt es
apprehendat? quis te digne capiat? Vt enim Apoſtolus di-
cit, *vix pro iuſto quis moritur.* Chriſtus autem ſecundum Rom. 5.
tempus pro impiis mortuus eſt. Sed quo fructu? Vt quid
occiſus eſt? Audi. [*Et lauit nos à peccatis noſtris in ſan-* G
guine ſuo.] Quo autem ordine in ſanguine ſuo nos lauerit,
Apoſtolus indicat, dicens: *Quicunque baptizati ſumus in* Rom. 6.
Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus. Ecce princi-
palis ablutio peccatorum, ecce candidatio vniuerſalis Ec-
cleſiæ. Hinc iam munda, hinc iam ſine macula, indumen-
tum Chriſti efficitur, ipſo eximio prædicatore atteſtante,
qui ait: *Vt exhiberet ſibi ipſe glorioſam Eccleſiam non ha-* Eph. 5.
bentem maculam aut rugam, aut aliquid eiuſmodi. Sed in-
ter hæc ſtudendum eſt nobis, ne ſemel abluti per ſangui-
nem Chriſti, iterum inquinemur ſordibus ſæculi. In hac
denique ablutione, pactum cum diabolo fregimus, vt eum
cum operibus ſimul & pompis eius renuntiauimus, illecti
deprehendimur: quod abluti per baptiſmum fuimus, nihil
nobis profuiſſe ſciamus. De talibus quippe dicit Apoſto-
lus Petrus: *Si refugientes coinquinationes mundi in cogni-* 2. Pet. 2.
*tionem domini & Saluatoris Ieſu Chriſti, his rurſus impli-
citi ſuperantur, facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus.
Melius enim erat non cognoſcere viam iuſtitiæ, quam poſt* H
*cognitionem retrorſum conuerti ab eo, quod traditum eſt illis,
ſancto mandato.* Contingit illis illud veri prouerbij: *Canis* Prou. 26.
reuerſus ad ſuum vomitum, & ſus lota in volutabro luti.
Quia itaque nihil prodeſt homini hæc ſola baptiſmi ablu-
tio, ſi ſubſecuta fuerint opera diaboli, teſtatur quidam ſa-
piens & dicit: *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit* Eccl. 34.
mortuum, quid proficit lauatio eius Tanquam diceret: Qui
lauatur baptiſmate ab operibus mortuis, & crimina mor-
talia poſt ablutionem admittit, nihil ei profuit quod lotus
fuit. Hinc Dominus per Iſaiam admonet, dicens: *Lauami-* Iſa. 1.
ni, mundi eſtote. Lauatur enim & mundus eſt, qui & per ba-
ptiſmum præterita crimina diluit, & poſt baptiſmum te-
centia non admittit. Sed quid ſi contigerit poſt hanc ablu-
tionem, ſtolam ſordibus peccatorum inquinari? Nullus de
venia deſperet, ſi iterum lauari cupit. Reſtat enim adhuc
& aliud baptiſma, quo momentis ſingulis baptizantur pu-
blicani & meretrices. Et quod eſt illud, niſi fons lachry- Luc. 7.
marum? In quo videlicet Maria poſt multas criminum Matt. 26.
maculas, & Petrus ablutus eſt poſt trinam Domini nega-
tionem. Sequitur:

A

Et fecit nos regnum & ſacerdotes Deo Patri ſuo.

Omnes electi, per hanc ſententiam ſacerdotes vocantur, qui ſupra reges fuerant appellati. Quia enim caput membrorum rex & ſacerdos eſt, congruenter & membra capitis, reges & ſacerdotes vocantur, quibus per Petrum
1.Pet.2. dicitur: *Vos genus electum, regale ſacerdotium.* Ipſi etenim ſunt reges, ipſi & ſacerdotes, ipſi & altare, ipſi & ſacrificium: quia & tumultus carnalium vitiorum contra ſe inſurgentes, vt reges refrenant: & ſacrificium mortificationis & laudis, vt ſacerdotes, Deo immolant: & corda ſua igne compunctionis tanquam altare ſuccendunt: & corpus ſuum à præſentis ſæculi voluptatibus mortificant,
Rom.12. vt hoſtia viua fiant. Quibus per Paulum dicitur: *Obſecro vos per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem.* Dicatur itaque:
B [*Et fecit nos regnum & ſacerdotes Deo & Patri ſuo.*] Ac ſi diceretur: Vnigenitus Patris, rex & ſacerdos nobis effectus, electos ſuos quos reges terræ eſſe conſtituit, ſacerdotes Dei ipſius operis effectu monſtrauit. Quod autem dicitur, Deo & Patri, non duæ de Trinitate perſonæ, ſed vna perſona Patris inſinuari videtur: quanquam Spiritus ſanctus ſecundum promiſſam intelligentiæ regulam ibi intelligatur. Moris enim diuinæ Scripturæ eſt, ita ſæpe de vno quolibet eorum pronuntiare. Vnde & Apoſtolus
2.Cor.1. dicit: *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti,* Deum ſcilicet & Patrem, vnam perſonam aſſignans patris, tanquam vnus idemque & Deus Pater ſit. Inter hæc autem agamus gratias conditori noſtro, qui hoc donum accipere meruimus, qui ea ſeruitute diabolicæ dominationis ad regnum, & ex ignobili conuerſatione ad ſacerdotium æternum tranſlati ſumus. Reſpondeamus moribus tantæ pietatis viſceribus, ac pro tantis muneribus, pro tantis beneficiis collatis, diſcamus ſinguli, dicamus om-
C nes, dicamus vocibus corporis, dicamus ſenſibus mentis:

Ipſi gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Cui gloria niſi ei qui nos reges & ſacerdotes fieri voluit: & ei cui nos reges & ſacerdotes effecit, filio videlicet & patri? Vbi certiſſime amborum intelligimus charita-
Rom.5. tem, quæ eſt Spiritus ſanctus. *Charitas enim Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Bene autem non ſibi, ſed ei à quo accepit, pro his Eccleſia tribuit gloriam. Hinc Pſalmiſtæ vocem eius electi
Pſal.113. dicunt: *Non nobis Domine non nobis, ſed nomini tuo da*
Matth.5. *gloriam.* Hinc Dominus ad Apoſtolos dicit: *Videant veſtra bona opera, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt.* Hinc de Petri paſſione eundem redemptorem dixiſſe
Ioan.21. Ioannes refert: *Hoc autem dixit, ſignificans qua morte clarificaturus eſſet Deum.* Sequitur:

D

Ecce venit cum nubibus.

Exod.13. Magnum Sacramentum vocabulo nubium ſignificari
Num.12. credimus, quarum mentionem frequenter à Spiritu ſan-
Exod.16. cto in diuina Scriptura fieri cernimus. Cum nube quippe
Matt.17. omnipotens Deus filios Iſraël de Ægypto exeuntes præceſſit, & ad terram repromiſſionis perduxit: cum nube ſuper tabernaculum teſtimonij deſcendit. In nube gloria eius hominibus apparuit. In monte ſancto coram tribus diſcipulis, incarnato Dei verbo in majeſtatis gloria refulgente, Moyſen & Eliam nubes lucida obumbrauit, ac de eadem nube vox paterna inſonuit: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Cum nube, videntibus Apoſtolis, cœlos penetrauit, cum nube & in fine veniet,
Act.1. ſicut ſcriptum eſt: *Videntibus illis eleuatus eſt, & nubes ſu-*
Ibid. *ſcepit eum ab oculis eorum.* Atque poſt pauca: *Hic IESVS*
1.Theſ.4. *qui aſſumptus eſt a vobis in cœlum, ſic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum.* In nubibus etiam, adueniente Domino ad iudicium, ſecundum Apoſtoli ſententiam, rapientur ſancti obuiam ei in aëra, & ſic ſemper cum eo erunt. Hoc ſanè in loco ſi nubes elementorum ſecundum litteram intelligamus, ſciendum nobis eſt, quia diuerſitas nubium erit. Nubes ſiquidem erit blanda, quæ ſanctos obumbrans & protegens, ab igne ſæculum cremante defendat. Nubes autem erit terribilis, cuius fragoribus reprobi terreantur, cuius fulminibus opprimantur. Sed quia in hac Apocalypſi non facile iuxta litteram quippiam ſentiendum eſt, dicamus de his nubibus, quas in diuinis voluminibus myſtice poſitas eſſe cognoſcimus, cum quibus etiam ad iudicandum Dominum venturum non dubitamus. In ſacro itaque eloquio cum plurali numero nubes ponuntur, prædicatores ſanctos deſignant: cum vero ſingulari nubes ponitur, aliquando manſuetudinem Domini in electos, ſimul animaduerſionis vltionem in reprobos figuraliter exprimit: aliquando vero illuminationem iuſtorum, ſimul obcœcationem reproborum oſtendit: aliquando etiam ipſum corpus redemptoris figurat. Nubes enim in ſcriptura Sacra cum plurali nu-

E

F

Isa.60. mero ponuntur, prædicatores ſanctos deſignant, ſicut Iſaias Propheta de eis admirando teſtatur, dicens: *Qui ſunt iſti qui vt nubes volant?* Recte autem prædicatores ſancti nubes appellantur, quia & munditia mentis leues ſunt, & prædicationis guttis corda audientium rigare non deſiſtunt. Cum vero ſingulari numero nubis nomen interſeritur, aliquando manſuetudinem Domini in electos, ſimulque animaduerſionem vltionis oſtendit in reprobos,
Num.16. ſicut in numerorum libro & hiſtorialiter factum, & myſtice figuratum legimus: quia loquente Domino ad Moyſeo & Aaron, murmurauit omnis multitudo filiorum Iſraël ſequenti die contra Moyſen & Aaron, dicens: *Vos interfeciſtis populum Domini.* Cumque oriretur ſeditio, & tumultus increſceret, Moyſes & Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis. Quod poſtquam ingreſſi ſunt, operuit eos nubes, & apparuit gloria Domini. Dixitque Dominus ad Moyſen: *Recedite de medio huius multitudinis, etiam*
Ibid. *nunc delebo eos.* Et Infra: *Iam egreſſa eſt ira a Domino, & plaga deſæuit:* Ecce etenim Dominus fugientes Moyſen & Aaron, nube protegit: contra murmurantes vero, ea nube incendij fulmen emittit. In quibus nimirum verbis & actis, patenter innuitur, quia in eo quod fideles famulos, Moyſen ſcilicet & Aaron, Dominus in tabernaculo nube protegit, manſuetudo eiuſdem pij creatoris atque protectio in electos, per eandem nubem figuratur. In eo vero quod iratus fulmen incendij contra aduerſarios de nube iaculat, animaduerſio vltionis eius in reprobos exprimitur. Aliquanto autem eiuſdem nubis nomine illuminatio iuſtorum ſimul & obcœcatio deſignatur iniquorum, ſicut in Exodo & hiſtorialiter geſtum, & figuraliter gerendum deſignatur: quia populum Iſraël de Ægypto exeuntem, Angelus Domini præceſſit cum nube, perſequentibuſque
Exod.14. Ægyptiis, ſcriptum eſt de eo, *Tollens ſe Angelus Domini qui præcedebat caſtra Iſraël, abiit poſt eos: & cum eo pariter columna nubis, priora dimittens poſt tergum, ſtetit inter caſtra Ægyptiorum & caſtra Iſraël. Et erat nubes tenebroſa & illuminans noctem, ita vt ad ſe inuicem toto noctis tempore non valerent accedere.* Quod mirum valde eſt. Si nubes tenebroſa erat, quomodo noctem illuminabat, niſi quia & populo Iſraël fulgoris lumen præbebat, & Ægyptiorum oculos excæcabat? Quod videlicet iuſto internoque Dei iudicio & quotidie agitur, & in nouiſſimis agi creditur: vt vnde electi illuminantur, inde reprobi obtenebrentur. Aliquando vero nubis vocabulo corpus Domini
Isa.19. exprimitur, ſicut Propheta de eodem teſtatur, dicens: *Ecce ſedet Dominus ſuper nubem leuem, & ingredietur in Ægyptum.*

G

H

Sedere etenim domino ſuper nubem leuem atque in Ægyptum intrare eſt, aſſumptam carnem ex beata Virgine, diuinitatis ſuæ potentia præſidendo mortalibus oſtendere. Quæ ſcilicet nubes recte leuis eſſe deſcribitur, quia nimirum in carne redemptoris noſtri nullius peccati grauitudo reperitur, quantum in ſimilitudinem carnis peccati apparuiſſe perhibetur. Cum illis ſiquidem nubibus venturum eſſe ad iudicium humani generis redemptorem, veraciter fatemur. Veniet enim cum nubibus prædi-
Isa.3. catorum, ſicut de illo per Prophetam dicitur: *Ecce veniet*

A *Dominus ad iudicium cum ſenioribus populi ſui.* Ifa.3. Veniet autem cum nube manſuetudinis, ſimulque vindictæ vltionis: quia & iuſtos ab ira furoris ſui miſericorditer tegens, blandè ad regnum vocabit; & reprobos iudicio damnationis ſeueriter ad laci profunda minabit. Illis namque dicet: Matt.25. *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi,* iſtis autem, *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui præparatus eſt diabolo & angelis eius.* Veniet vero cum nube illuminationis & obcæcationis ſimul: quia & electos diuinitatis ſuæ luce perfundet, quorum vox in Pſalmo reſonat, dicens: Pſal. 35. *Apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen:* Iſa.62. iuxta 70. & reprobos mancipabit in tenebras exteriores, de quibus ſub perſona vnius impij alibi dicitur: Matt.25. *Tollatur impius ne videat gloriam Dei.* Exod.14. Ruſumque in Euangello: *Tollite eum, & ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores.* Quæ videlicet nubes illuminationis atque obcæcationis, ſicut in Exodo legimus, agit vt toto B noctis tempore filij Iſraël atque Ægyptij ad ſe inuicem non poſſint accedere. Vbi proculdubio Origenis impium dogma vacuatum eſt, cum æternæ noctis infinitu ſpatio nec iuſti ad impiorum, nec iniqui ad iuſtorum conſortia Luc.16. tranſire poſſe narrantur. Vnde & in Euangelio chaos magnum inter vtroſque poſitum perhibetur, ne de vtriſque partibus filij vnquam appropinquare poſſe credantur. Veniet etiam cum nube, atque in nube corporis ſui, vt ſimul eum & electi & reprobi in iuditio aſpicientes cognoſcant, ſicut ſcriptum eſt: Iſa. 40. iuxta 70. *Videbit omnis caro ſalutare Dei noſtri.* Vnde hic quoque aptè ſubiungitur:

Et videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.

Omnem ſanè oculum vſitato ſcripturæ vocabolo, pro omni homine poſitum hic eſſe cognoſcimus. Omnis itaque oculus eum videbit, ſubaudis, omnis homo quicunque C tunc ſurrexerit, ſiue ad vitam, ſiue ad mortem. Non autem animalium, quibus non eſt datum poſt mortem reſurgere: quia nec eis poſt mortis ruinam vitalis ſpiritus remanet, quibus ſolus ſanguis ad vitam proficit. Videbit vero eum omnis oculus, dictum eſt, in forma ſerui, in qua ab impiis iudicatus eſt: non in forma diuinitatis, quæ ab ipſis videri non poteſt. Quæ tamen viſio filij hominis, non vt prius humilis, ſed valde excelſa cunctis apparebit. Vnde & alterius tranſlationis interpres, ita expoſuit, dicens: Matt.24. *Videbit illum omnis terra talem.* Ac ſi diceret: Talem eum tunc omnes videbunt, qualem hic poſitum impij futurum non credebant, de cuius ſecundi aduentus potentia, idem iudex venturus loquitur, dicens: Luc.9. Matt.25. *Sicut fulgur exit ab oriente, & paret vſque ad occidentem, ita erit aduentus filij hominis.* Et rurſum: *Cum venerit filius hominis in gloria ſua & Patris & ſanctorum Angelorum, tunc congregabuntur ante eum omnes gentes.* Videbunt tunc incredulæ nationes ac falſi Chriſtiani, quis & quantus fuerit, quem D in humilitate poſitum audire noluerunt. Videbunt Iudæi & milites Pilati, cuius potentiæ & magnitudinis fuit, quem illudentes crucifixerunt. Videbunt autem non vt iam ſicut prius contemnant, irrideant, inſultent ac lætentur: ſed vt paueant, gemant, lugeant & triſtentur. Cum enim talem viderint, qualem aut non credebant, aut credentes, eius præcepta contemnebant: contemnentes, falſa ſeipſos ſecuritate decipiebant: omnes ſemetipſos ſera pœnitentia lamentabuntur. Vnde nunc quoque congruè ſubditur:

Et plangent ſe ſuper eum omnes tribus terræ.

Quos ante per omnem oculum, & qui Chriſtum pupugerunt, deſignauerat: hos nunc, omnium tribuum facta mentione, demonſtrat. Et notandum quod tribus cum terræ additamento ponantur, terrena vtique deſiderantes, auaritiæ ſtudentes, elationi ſuccumbentes, honoribus extollentes, in luxuriis degentes; quibus videlicet terribiliter Dominus minatur, dicens: Luc.6. *Væ vobis diuitibus, quia habetis conſolationem veſtram.* Ibid. Quibuſque rurſum vanè E lætantibus, per ſententiam aſperæ inuectionis ait: *Væ vobis qui ridetis nunc, quia plorabitis & flebitis.* Quis autem ſermo, quod eloquium, quæ lingua huius planctus infelicitatem exprimere valet? Vbi & ſi amariſſimæ ſint lachrymæ, indulgentiam tamen inuenire vltra minimè poſſunt. Pulſabunt ſiquidem miſeri ad ianuam regni, dolentes atque lugentes, dominationemque ingeminantes, pulſabunt & dicent: *Domine, Domine, aperi nobis.* Matt.25. Matth.7. Sed ab intus illis reſpondetur: *Amen dico vobis, neſcio vos qui eſtis. Diſcedite à me operarij iniquitatis, illic erit fletus & ſtridor dentium.* Cuius autem rei dolore ſe lugeant, aperitur cum dicitur: [*Plangent ſe ſuper eum omnes tribus terræ.*] Tanquam apertè diceretur: Etſi multarum miſeriarum luctus ibi erit, ad comparationem tamen fletus ex viſione claritatis Chriſti, nullus erit. Magis enim tunc dolebunt infelices pro eo quod talem perdiderunt Dominum, quam quod in tam atrociſſimum inciderunt tormentum. Hinc Habacuc eidem venturo iudici dicit: Habac.3. *Videbunt te, & dolebunt populi.* F O ſi nunc pro præſentiæ Chriſti peregrinatione dolerent, ô ſi nunc amore Chriſti inceſſanter lugerent, ne eis poſtmodum ipſa gloria vltionis eius fieret in luctum atque tormentum. O ſi remouerent homines amorem ſæculi à cordibus ſuis, & conditorem ſæculorum totis amplecterentur charitatis viſceribus, ea vero fide quæ per dilectionem operatur, pollentes, ad contemplandam charitatis eius faciem quem diligunt, paſſibus tenderent intuitum. Ad quam nimirum ſitienter Pſalmiſta anhelabat, cum diceret: Pſal.41. *Sitiuit anima mea ad Deum * viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* *fontem viuum. In cuius manifeſtatione ſatiandum ſe poſt huius vitæ ærumnam atque egeſtatem perhibet, cum ei de ſatietate ſanctorum dicit: Pſal 16. *Satiabor dum manifeſtabitur gloria tua.* Iſa.34. 2.Pet.3. Ad cuius ſine dubio nouiſſimi aduentus claritatem, luminaria cœli tenebreſcent, elementa omnia ignis calore tabeſcent, cuius potentia virtutes commouebuntur, cœli vt liber inuoluentur. Ad cuius vocem, in ictu oculi mortui ſuſcitabuntur. Et quis hic tantus, G quis hic tam terribilis? Ille certè, ille, quem ſuperbi atque elati in humilitate poſitum contempſerunt, cuius verba pro nihilo æſtimanda duxerunt. Ille inquam, qui Iſa.53. primum mitis & occultus aduenit qui tanquam ouis ad Iſa.42. immolandum ductus fuit, qui vt agnus coram tondente Matt.12. ſe tacuit: ſiluit, nec aliquis eum in plateis clamantem audiuit. Ille vtique, qui conuitia, opprobria, irriſiones, alapas, ſputa, flagella, ſpineam coronam, crucemque ſuſtinuit. O homines, ſi talem qualis venit, contemnitis: qualis venturus eſt, cur non formidatis? Veniet certè tempus & propè eſt, quando is qui humilis apparuit, excelſus adueniat: qui prius vt agnus ſiluit, poſtmodum vt parturiens clamet: & cuius nunc patientiam contemnitis, iram excipiatis, quando partem claritatis eius non vt gaudeatis, ſed vt doleatis aſpexeritis. Ne autem verba Dei effectum habere dubitetis, cum interpoſitione iuramenti ea quæ prolata ſunt, autor huius reuelationis affirmat, qui protinus ſubdit:

Etiam amen. H

Quod enim eſt apud Latinos *etiam*, hoc apud Hebræos *amen*, vtrumque autem aduerbium affirmandi eſt, Tanquam ingeminando diceret: Verum eſt, verum eſt. Verum itaque eſt, quod dictum eſt. Omnino verum eſt, mutari non poteſt. Plangent ſe ſuper eum omnes tribus terræ. [*Etiam amen.*] Sequitur:

Ego ſum α & ω, principium & finis, dicit Dominus Deus, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt omnipotens.

Hic manifeſtè declaratur, quia Ioannes ea quæ in hac reuelatione narrauit, non à ſeipſo protulit, ſed ille per eum verba formauit; cuius nunc perſonam in ſe loquentem introducit. Sic denique Paulus quia non ex ſeipſo loqueretur, inſinuauit dicens: *An experimentum quæritis*

A 1.Cor.13. Pſal.77. *tius, qui in me loquitur Chriſtus?* Sic etiam Dauid ait: *Attendite populus meus legem meam, inclinate aurem veſtram in verba oris mei.* Non enim lex Dauid, aut populus Dauid: ſed perſonam ex quo loquebatur aſſumens, ipſius authoritate loquebatur, cuius aſpiratione replebatur. Hoc planè ſignificant alpha & ω, quod principium & finis. Nam alpha apud græcos initium eſt elementorum, ω vero finis eorundem. Principium itaque Chriſtus dicitur, non quo in natura diuinitatis, vt Arrius mentitur, initium habeat, ſed quo ab illo omnis creatura initium exiſtendi accipiat. Finis vero non quo deficiat, ſed quo ipſe quaſi terminus omnia concludat. Quamobrem ipſe principium ſine initio, ipſe finis ſine defectu. Ipſe principium; quia nullus ante illum, ſicut idem ipſe per Iſaiam Iſa.43. teſtatur, dicens: *Ante me non eſt formatus Deus, & poſt me non erit. Ego ſum, ego ſum Dominus, & abſque me non eſt Saluator.* Hinc etiam omnipotens vocatur. Vel certe α & ω, principium & finis vocatur: quia ipſe eſt & Deus B ante ſecula, & homo in fine ſæculorum. Videamus autem vtrum huic ſenſui Ioannis Euangelium atteſtetur, cuius hæc reuelatio eſſe cognoſcitur. In eo idem Ioannes ita Ioan.1. exorſus eſt, dicens: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Ecce alpha principium. Quique poſt pauca infert & dicit: *Verbum caro factum eſt, & habitauit* Ibid. *in nobis.* Ecce ω finis. De hoc principio, ipſum principium Iudæis loquitur, dicens: *Ego principium, qui & loquor* Ioan.8. *vobis.* De hoc fine Paulus teſtatur & dicit: *Chriſtus finis* Rom.10. *legis, ad iuſtitiam omni credenti.* Hoc autem quod ſeipſum & eſſe & fuiſſe & venturum eſſe pronuntiat, qualiter intelligendum ſit, ſupra iam diximus. Sequitur:

C. *Ego Ioannes frater veſter & particeps in tribulatione & regno & patientia in Chriſto Ieſu, fui in inſula quæ appellatur Patmos, propter verbum Dei & teſtimonium Ieſu Chriſti.*

Si genus in ſpecie attendamus, hoc loco Ioannes & ſpecialiter ſuam, & generaliter Eccleſiæ ferre videtur perſonam. Iam enim (vt in præfatione huius operis prælibauimus) tunc in illo erant, ad quorum perſonam idem Ioannes iſta deſcribebat. Notandum vero quòd & tribulatio & regnum & patientia, quadam in Chriſto Ieſu connexione ſibi adhæreant. Sed aliud horum ad membra, aliud ad caput, aliud referendum eſt ad vtrumque: tribulatio ſcilicet ad membra, regnum autem ad caput, patientia vero ad vtraque. Quod tamen totum in vno Ieſu reperitur. An non tribulationem patiebatur caput Act.9. Coloſ.1. in membris, cum de cœlo clamaret: *Saule Saule, quid me perſequeris?* Vnde & idem Saulus iam ex perſecutore prædicator effectus, dicebat: *Compleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne mea.* Ecce tribulatio Ieſu in mem- D bris. Attendamus nunc regnum Ieſu in capite quod eſt ipſe. Ipſe enim Dominus ac redemptor noſter, in fine di- Matt.25. cturus eſt electis ſuis: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi.* Venite membra, regnate poſt tribulationem in capite, quia ego regnum veſtrum. Non enim aliud, ſed ſeipſum datu- Luc.1. Luc.17. rum repromiſit membris ſuis, ſicut ſcriptum eſt: *Iuſiurandum quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum, daturum ſe nobis.* De hoc regno idem diſcipulis loquitur, dicens: *Amen dico vobis, quia regnum Dei intra vos eſt.* Ipſe denique regnum, ipſe poſſeſſio erit electorum, cum Deus erit omnia in omnibus. Attendamus quoque patientiam 1.Cor.15. in vtriſque, in capite ſcilicet & in membris. Quis itaque ad veniam poſt culpas rediret, niſi hunc Domini patien- Matt.18. tia miſericorditer ad pœnitentiam expectaret? Cui vide- Pſal.144. licet ſecundum Euangelicam parabolam dicimus: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* De quo etiam per Pſalmiſtam dicitur: *Miſericors & miſerator Dominus, patiens & multum miſericors.* Mala ſiquidem noſtra patitur, ſed conuerſionem noſtram patienter expectare videtur. An non mala noſtra patiens tolerat, & tole- E rans, ſi conuertamur, indulgentiam pollicetur, qui per Prophetam clamat & dicit: *Veruntamen ſeruire me feciſti in peccatis tuis, præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus* Iſa.43. *tuis. Ego ſum, ego ſum ipſe qui deleo iniquitates tuas propter me & peccatorum tuorum non recordabor?* Hanc pa- Luc.23. tientiam incarnatum Dei verbum oſtendit in actis, quam prius docuerat verbis, cum in cruce poſitus, pepercit ſuis perſecutoribus: quique ab ipſis iniurias ſuſcipiens, benigniſſime tolerauit: quibuſque nihil aliud quam manſuetudinis verba reſpondit alapas, ſputa, flagella ſuſtinens, vt mitiſſimus agnus obmutuit, & multa alia, quæ de illo nec vt dignum eſt exprimere valeamus, nedum (quod peius eſt) imitari conamur. De hac patientia, ipſe omnium patientiſſimus conditor, diſcipulos alloquitur, dicens: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Hinc Luc.21. * Petrus admonet, dicens: *Patientes eſtote vſque ad aduen-* *Iacob.5. *tum Domini.* Hinc Paulus ait: *Patientes eſtote ad omnes.* 1.Theſ.5. Hinc per Solomonem dicitur: *Melior eſt patiens forti.* Prou.16. Et rurſum: *Vir patiens loquitur victorias. Ecce etenim tri-* Prou.21. *bulatio & regnum præſto ſunt:* ſed niſi quis hic poſitus pa- F tientiæ ſtuduerit, tribulationem pro Chriſto ſuſtinere non valet. Si vero tribulationem pro Chriſto ſuſtinere noluerit, ad gaudia regni non pertinget. Vnde & Apoſtolus dicit: *Si non compatimur, nec conregnabimus.* Sola Rom.8. ergo principaliter, vt idem egregius prædicator docet, patientia in præſenti eſt neceſſaria: in qua & animæ poſſidentur; & tribulationes illatæ tolerantur, per quam & regnum ſempiternum conſequitur. Solicitè itaque conſiderandum eſt quia tres hæreditatum vncias introducit Ioannes, quibus ſe participem eſſe oſtendit, id eſt, tribulationem, regnum & patientiam. Sed media harum, id eſt, regnum, poſſideri non poteſt, niſi & hic tribulatio exercuerit, & illic patientia defenderit. Quid autem per in- *πάθμος: ſulam Patmos, quæ fretum interpretata ſonat, in qua Ioannes exilio relegatus erat, quando hanc reuelationem cernebat, niſi perſecutionum anguſtias deſignat, quas ſiue ille tunc paſſus eſt, ſiue Eccleſia poſtea pertulit, cuius fi- G guram ipſe gerebat? Sed ſiue ille, ſiue iſta tribulationum fluctibus circundetur, metallo damnetur, huc illucque egredi non permittatur: cœlum tamen inhabitans, myſteria diuina contemplatur. Sic denique Paulus preſſuratum vinculis colligatus, dicebat: *Noſtra conuerſatio in* Philip.3. *cœlis eſt.* Et rurſum: *In omnibus tribulationem patimur,* 2.Cor.4. *ſed non derelinquimur: deijcimur, ſed non perimus.* Quibus ſcilicet verbis, imo exemplis, diſcimus tanto magis Dei ſanctos cœleſtibus propinquare, quanto amplius pro redemptoris nomine tribulationibus contigerit arctari. Quo contra iniquos & mala ſimiliter ſæpiſſime pati, & poſt paſſionem non coronari, ſed condemnari. Non enim facit pœna ſanctos, ſed iuſtitia. Similia plerumque ſuſtinet iuſtus, ſimilia & iniuſtus. Sed iuſtus propter iuſtitiam coronatur, iniuſtus vero propter iniquitatem damnatur. Hinc Pſalmiſta exorat, dicens: *Iudica me Deus, &* Pſal.42. *diſcerne cauſam meam de gente non ſancta.* Vnde hic quoque Ioannes, vt oſtenderet cuius rei merito, ſiue ipſe, ſiue H electorum Eccleſia tribulationibus anguſtetur, repente ſubiunxit:

Propter verbum Dei & teſtimonium Ieſu Chriſti.

Electi enim Dei in eo virtutum culmen ſe poſſe aſcendere confidunt, ſi propter rectitudinem praua patiantur. Cæterum ſi aliquid pro ſuis erratibus ſuſtinent, nequaquam ſe propterea beatos exiſtimant, ſed magis illud ipſis ſuis iniquitatibus deputant. Et econtra infirmi quilibet dum plerumque vel modicum quid pro iuſtitia nolentes ſuſtinent, impatientiæ ſtimulis agitati, dicunt ſe nequaquam in his quæ patiuntur, doluiſſe, ſi exceſſum ſuum pro quibus illa patiuntur, agnouiſſent. Quos bene Petrus Apoſtolus admonet, dicens: *Non patiatur quis ve-* 1.Pet.4. *ſtrum tanquam homicida, aut fur, aut maledicus, aut aliena appetens, ſed tanquam Chriſti diſcipulus.* Hinc Do-

A Matth. 5. Luc. 6. minus generaliter omnibus dicit: *Beati eſtis cum maledixerint vos homines, & dixerint omne malum aduerſum vos, mentientes propter me.* Gaudete in illa die & exultate. Ecce enim merces veſtra multa eſt in cœlo. Siue ergo Ioannes, ſiue electorum Eccleſia, non ideo beati, quia preſſuris anguſtati: ſed quia propter verbum Dei & teſtimonium Ieſu Chriſti, ſubaudis quia & diuinitatem verbi, & humanitatem eius, fide & moribus prædicant. Sequitur:

Fui in ſpiritu in Dominica die.

Hinc iam ſingillatim de ſpecie, ſingulatim dicendum eſt de genere. Non itaque Ioannis ſpiritus carnem funditus deſeruit, quando hanc reuelationem vidit, quando hæc Sacramenta penetrauit: ſed tamen in extaſi poſitus, ab omni ſenſu carnis abſtractus fuit. Nec aliquid per corpus vel videre, vel audire, vel ſentire, vel intelligere potuit: ac ſic quodammodo & in carne & extra carnem, B cœleſtia contemplans fuit: quia & corpus quod ſine ſpiritu non viuit, tunc in Ioanne mortuum non fuit, & tamen ſicut dictum eſt, nil per corpus vel vidit, vel audiuit, vel ſenſit, vel intellexit. Spiritui autem æternitatis, adhæſit ſpiritus Ioannis. Ab ſpiritu docente aſſumptus fuit ſpiritus docendus. Vnde & tam magna, tam alta, tam myſtica, tamque profunda intueri potuit ſpiritus hominis. Notandum vero quod idem Ioannes non in ſabbato, ſed in dominica die in ſpiritu fuiſſe ſe dicit: quia nimirum iam vetus illa quæ mortem operabatur, lex tranſierat: & noua quæ viuificat, in Chriſti reſurrectione claruerat: atque corporalis illa vacatio ſabbati, in ſpiritalem animarum requiem conuerſa vigebat, quando ille hæc Sacramenta cernebat. Hæc de ſpecie. Nunc dicamus de genere. Quia itaque ſancta Eccleſia in electis facta carnis ſpiritu mortificat, vt in nouæ vitæ conuerſationem aſſurgat, proculdubio in ſpiritu & dominica die ſe eſſe demonſtrat. C Rom. 8. Vnde & iiſdem electis Apoſtolus dicit: *Vos in carne non eſtis, ſed in ſpiritu. Si autem Chriſtus in vobis, corpus quidem mortuum eſt propter peccatum, ſpiritus vero viuit propter iuſtificationem. Quod ſi ſpiritus eius qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum à mortuis, habitat in vobis: qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora veſtra, propter inhabitantem ſpiritum eius in vobis.* Vel certe in ſpiritu & in dominica die ſunt omnes electi: quia hinc inde tentationibus afflicti, per afflatum ſancti Spiritus, de gaudio futuræ reſurrectionis hilareſcunt. Vnde idem quoque egregius prædicator, qui electos mundo mortuos oſtenderat, ſpe futuræ reſurrectionis quodammodo iam viuificatos demonſtrat, cum dicit: Eph. 2. *Qui conreſuſcitauit & conſedere nos fecit in cœleſtibus.* Sequitur:

Et audiui poſt me vocem magnam tanquam tubæ, dicentis: Quod vides, ſcribe in libro.

D Sicut Ioannes in ſpiritu poſitus, ſpiritalia audiuit: ſic ea quæ ad eum ſonuit vox, ſpiritalis fuit. Sed quærendum nobis eſt, quod dorſum ſpiritus eius habere potuerit, qui clauſtra corporis per contemplationem egreſſus, atque ſpiritu æternitatis ad videnda cœleſtium alta myſteria fuerat ſubleuatus. Neque enim per corpus iſta vidit, vt poſt dorſum corporis, aliquid auribus corporis audiret. Quamobrem à magno intellectu non vacat, quod in ſpiritu captus, non ante, ſed poſt vocem audit. Quod ſi gratia illuminante, abdita huius loci penetremus, iuxta quandam rationem, & faciem & dorſum in ipſa ſpiritus contemplatione inuenimus. Vt enim ipſe aperire dignatur, qui hæc Ioanni per Angelum oſtendit, videtur nobis facies ſpiritus illius fuiſſe, ipſa vis diuinæ contemplationis, qua ad ea quæ in ante ſunt, videnda extendebatur: dorſum vero, obliuio de præſentibus, ex quibus diuino ſpiritu eductus videbatur. Qui idcirco cœleſtibus intentus, vocem in his quæ oblitus fuerat, audiuit: vt faciem mentis ad ea conuerteret: quæque videbat auditoribus profutura, in libro ſcriberet. Sic autem ei dicitur [*Quod vides ſcribe.*] Ac ſi diceretur: Quod viſurus es, E ſcribe. Necdum enim aliquid viderat, ſed tantum ad audiendum ſubleuatus fuerat. Denique poſt hanc admonitionem, ſicut ipſa teſtatur reuelatio, vidit, quæ Angelo dictante Eccleſiis ſcripta mandauit. Sic planè iſta coniicimus, vt non temporis initium, ſed ordinem viſionis in ipſa ſpiritus ſubleuatione fateamur. Ac ſi ei ipſa vox diceret: Ea quæ in ſpiritu Dei videre incipis, atque vt eadem viſa ſcribere debeas, à me admoneris: in his quæ per ſpiritum ſubleuatus reliquiſti, ſubaudis in terris, vel geſta vel gerenda ſunt. Hic enim vbi me audis ſine ſono ſonantem, hic Chriſtus in terra ex Virgine natus, hic paſſus, hic ſepultus, hic eſt à mortuis ſuſcitatus. Hic membra eius quotidie ex noua nupta, quæ virgo appellatur & ſponſa naſcuntur: hic patiuntur, hic ſacro baptiſmate ſepeliuntur, hic à morte animæ per viuificantem ſpiritum ſuſcitantur. Ad me ergo conuertere: quia hic vel acta vel agenda ſunt, quæ videns, vt ſtylo proſequi debeas, admoneris. Quod ſi in Ioanne hoc loco Eccleſiam intelligere debemus, imo certe quia debemus, de CHRISTI ac F ſua copula vocem audit poſt ſe, id eſt, à lege & Prophetis, vt eſt illud. Gen. 2. *Erunt duo in carne vna.* Atque illud: Iſa. 61. *Quaſi ſponſo impoſuit mihi mitram, & quaſi ſponſam decoratam corona.* Vox autem hæc ſiue in Ioanne, ſiue in Eccleſia, recte magna vocatur: quia non de mediocribus, ſed de ſummis quibuſque Sacramentis loquitur. Quæque ideo tubæ comparatur, quia nimirum per ora prædicantium diffunditur. Vnde & cuilibet eorum dicitur: Iſa 58. *Quaſi tuba exalta vocem tuam.* Quæ etiam in Ioanne Eccleſiam admonet, vt ea quæ videt, in libro ſcribat, tanquam ſubaudias, in memoria mentis recondat. Nam & Dominus & Eccleſia plerumque in ſacro eloquio libri nomine deſignantur, vt eſt illud: Apoc. 20. *libri aperti ſunt, & alius liber apertus eſt qui eſt vitæ.* 2. Cor. 3. Paulus quoque Apoſtolus ſpiritalem legem in tabulis cordis carnalibus ſpiritu Dei ſcriptam aſſerit. In qua etiam præmiſſa iuſſione, exterior librorum conſcriptio apte complectitur: vt quod intus ſpiritus Dei viui ſcribit, foris ſtylo manus exaret. G In eo autem, quod vnam eandemque præmiſſam iubentis vocem, & ſine ſono ad Ioannem ſonuiſſe, & cum ſono per ora prædicantium ad aures Eccleſiæ perueniſſe docuimus: à veritatis tramite non receſſimus, cum prædicatores ſancti multa intus ſine ſono vocis audiant, quæ foris per linguæ officium proferunt. Fitque vt vna eademque ſpiritalis locutio & intus audiatur ſine ſono vocis, & proferatur cum ſtrepitu carnis. Atque ideo cum intus audiatur, tubæ comparatur: quia hoc quod foris per illam futurum eſt, demonſtratur. Nam aliter ad Prophetas diuina vox ſonuit, aliter per Prophetas, cum hoc ſine foris locuti Prophetæ, quod Dominus eſt intus locutus ad Prophetas: quia & ad illos lingua ſpiritus, & per illos lingua carnis verba formauit: quanquam nec illud poſſit abſurdum videri, idcirco diuinam vocem tubæ comparari, non tantum quia exterius ad aures corporis pulſat, ſed quia intus autem cordis erudit. Siue autem ſpeciei ſeu generi, quid vox eadem præcipiat, audiamus. Deinde ſequitur: H

Et mitte ſeptem Eccleſiis quæ ſunt in Aſia, Epheſo, Smyrnæ, Pergamo, Thyatiræ, Sardis, Philadelphiæ & Laodiceæ.

Quanquam ſuperius in ſeptenario ſacratoque numero vniuerſalem Eccleſiam, ſiue ſanctarum Scripturarum authoritate, ſiue argumentis fidei oſtendiſſe me recolam: libet tamen adhuc in his nominum Eccleſiarum interpretationibus conſona voce quæ ad Angelos fit, earundem Eccleſiarum actus, totius Eccleſiæ quæ ex electis & reprobis conſtat, demonſtrare. Epheſus itaque interpretatur Epheſus. Pſal. 32. *voluntas, ſiue conſilium meum.* Et cuius alterius voluntas, vel cuius conſilium, niſi illius qui reprobat conſilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat conſilia principum, conſilium vero illius in æternum manet? Quid autem ad hæc dicturi ſumus? Nunquid

A non ſola Epheſus voluntas eſt & conſilium Dei ? Nonne
potius omnis electorum Eccleſia, quæ cuncta ſua opera
cum voluntate & conſilio Dei peragit, quæ etiam quoti-
Matt.26. die ad patrem voce capitis ſui clamat. *Non mea volun-*
Iſaiæ 62. *tas,ſed tua fiat* : & cui à domino per prophetam dicitur,
Non vocaberis vltra derelicta, & terra tua non vocabitur
amplius deſolata:ſed vocaberis voluntas mea in ea,& ter-
Prou.19. *ra tua inhabitabitur?* Cui etiam exhortationis ſermo alibi
Eccl.32. fit,eique dicitur: *Audi conſilium,& ſuſcipe diſciplinam, vt*
Prou. 1. *ſis ſapiens in nouiſſimis tuis.* Et ruſum : *Omnia fac cum*
Iſa.29. *conſilio.& poſt factum non pœnitebis.* Quod cõtra reprobis
Dominus dicit:*Deſpexiſtis omne conſilium meum,& incre-*
pationes meas neglexiſtis. Et rurſum : *Væ qui profundi*
eſtis corde, & à domino abſconditis conſilium, quorum ſunt
in tenebris opera & dicunt, quis videt nos? & quis nouit
nos? Quibus rurſum per prophetam ex perſona Domini
Malac. 1. dicitur:*Non eſt voluntas mea in vobis,ait Dominus.* Scien-
dum vero eſt, quia hæc voluntas ad charitatem pertinet,
B conſilium vero ad correctionem. In illo etenim perfecte
voluntas eſt Dei,qui non timore pœnali, ſed voluntarie,
ſed ſponte,creatori ſe ſubdit. Vnde ſcriptum eſt:*Volunta-*
Pſal.53. *rie ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine.* Ille
vero qui nec amore, nec timore ad ſeruitium Dei con-
ferre ſe vult:ſed potius permanere in prauitatis ſuæ conſi-
lio, agente diuina clementia, fit ad eum correctionis ſer-
mo,vt reiecto errore,conſiliũ ſalutis percipiat.Quod vide-
licet alij ad vitam prædeſtinati, ſuſcipiunt:alij ad mortem
præſciti,contemnunt. Hoc conſilio correptus eſt Saulus,
atque ex lupo factus eſt agnus. Conſilium ſiquidem erro-
ris inierat, vt nomen Chriſti de terris deleret.

Sed conſilium ſuſcepit correctionis, vt quem inſeque-
batur prædicaret,prædicans vapularet,atque eius ſtigmata
in corpore ſuo vbique portaret : & cætera, quæ de illo
ad imitandum pene cunctis ſunt difficilia. Hoc etiam
conſilio, minime corrigendus,exhortatus eſt impius Na-
buchodonoſor. Denique cum ei Daniel propheta ſom-
C nium deiectionis eius interpretando manifeſtaſſet, ad ex-
Dan.4. tremum intulit, dicens : *Quamobrem conſilium meum rex*
placeat tibi,& peccata tua eleemoſynis redime,& iniquita-
tes tuas miſericordiis pauperum. Nam & in locutione
quæ ad huius Eccleſiæ fit Angelum, voluntatem charita-
tis, & conſilium correctionis inſertum inuenimus: vo-
luntatem ſcilicet charitatis,in eo quod ei diuina voce di-
Apoc.2. citur : *Scio opera tua,& laborem & patientiam tuam.* Et
iterum : *Patientiam habes, & ſuſtinuiſti propter nomen*
meum, nec defeciſti. Conſilium vero correctionis, in eo
Apoc. 2. quod eidem teſtatur : *Habeo aduerſus te pauca.quod cha-*
ritatem tuam priſtinam reliquiſti. Memor eſto itaque vnde
excideris,& age pœnitentiam, & prima opera fac. Smyrna,
Smyrna. in latinum ſermonem vertitur,*canticum eorum*.Canticum
Pſal. 95. vero quorum niſi electorum ? Et quod eſt hoc canticum,
niſi mandatum nouum ? Hinc Pſalmiſta admonet,dicens:
Cantate Domino canticum nouum, cantate Domino omnis
terra. Quod videlicet Eccleſiæ vniuerſali nullus fidelium
D dubitat conuenire, quæ modo diligendo Deum & pro-
ximum, cantat canticum nouum, id eſt, adimplet man-
datum nouum. Ad cuius membra Dominus in Euan-
Ioan.13. gelio dicit : *Mandatum nouum do vobis, vt vos inui-*
Iob. 35. *cem diligatis.* In futurum autem hymnidicis ſociata
Angelorumque choris, perfectius atque huberius idipſum
decantat in exultatione, vbi ei iam non dabuntur car-
mina in nocte, ſed in die perenni. Quod contra huic ele-
ctorum cantico, impiorum væ futurum, Iezechiel pro-
pheta ſubiungit, qui de volumine ſibi oſtenſo dicit:
Iez. 2. *Et erant in eo ſcripta lamentationes, & carmen, & væ.*
Lamentationes ſcilicet in hac ærumna pœnitentium,
carmen autem in futura beatitudine lætantium : væ quo-
que impiorum, in æterno ſupplicio gementium. Hinc
Iſaiæ 65. per Iſaiam prophetam à Domino dicitur : *Ecce ſerui mei*
laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ
dolore cordis, & præ contritione ſpiritus vlulabitis. Quod
vtrunque vno verſiculo comprehenditur, cum in locu-
Apoc.2. tione,quæ ad huius Eccleſiæ fit angelum,dicitur:*Qui vi-*
cerit, non lædetur à morte ſecunda. Ac ſi diceretur:Qui in
Chriſto antiquum aduerſarium ac præſens ſeculum ſupe-
rauerit;ad væ impiorum non perueniet : quia hoc carmen E
electorum aſſumet, vt ſcilicet illis ſine fine dicentibus væ,
iſti ſine termino alleluia reſultent. Pergamum in noſtra Pergamum.
lingua interpretatum,ſonat *diuidens cornua eorum.* Cor-
nua vero quorum, niſi Chriſti & diaboli ? Quid itaque
in cornibus Chriſti, niſi regnum eius quod eſt Eccleſia ?
Quid vero in cornibus diaboli, niſi ipſius etiam regnum;
quod eſt congregatio impiorum ? Audi denique diuiſio-
nem cornuum. Scriptum quippe eſt : *Omnia cornua pec-* Pſal.74.
catorum confringam, & exaltabuntur cornua iuſti. Audi Luc.11. & 18.
adhuc apertius, quæ ſit diuiſio cornuum. *Omnis qui ſe*
exaltat, humiliabitur : & qui ſe humiliat, exaltabitur.
Hinc diſcernitur, hinc diuiditur regnum Chriſti,regnum-
que diaboli. Humilitate ſcilicet eleuatur regnum Chriſti;
ſuperbia deiicitur regnum diaboli. Eleuatur ſiquidem
cornu ſuperbiæ contra humilitatis cornu. Sed quamli-
bet eleuetur, ab eo ſuperatur : quia Chriſtus princeps hu-
militatis,in humilibus regnans, manſuetudine ſua diabo-
lum in reprobis exuperat. Dicitur namque & ad huius
Eccleſiæ Angelum : *Scio vbi habitas,vbi ſedes eſt ſatanæ:&* Apoc.2.
tenes nomen meum, & non negaſti fidem meam. Ecce cor-
nua Chriſti & cornua diaboli permixta, ſed audi diuiſio-
nem cornuum. *Habes*,inquit, *illic tenentes doctrinam Ba-*
laam. Quid enim aliud eſt, hinc tenentes fidem Chriſti,
illinc tenentes doctrinam Balaam oſtendere, niſi diuiſio-
nem inter cornu & cornu facere ? Sicut itaque per ſedem
ſatanæ, illo in loco & tenentes doctrinam Balaam deſi-
gnantur : ſic per eos ſedes Chriſti exprimitur, qui fidem
eius firmiter tenere narrantur. Thyatira,dicitur *illuminata.* Thyatira.
Et quæ alia illuminata intelligitur, niſi illa cui à Domino
per Iſaiam dicitur : *Surge illuminare Ieruſalem, quia venit* Iſa.60.
lumen tuum? Et ad cuius prædicatores ipſa lux illuminans,
per ſemetipſam in Euangelio dicit : *Vos eſtis lux mundi*; Matt.5.
&, *Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita : neque* Ibid.
accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper
candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo ſunt. Et, *Sic*
luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra
bona,& glorificent patrem veſtrum qui in cælis eſt. Bene au-
tem illuminata vocata, vt meminerit ſe tenebras fuiſſe.
Vnde & ad eius membra Paulus Apoſtolus dicit : *Fuiſtis* Epheſ.5.
aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Hinc per Iſa.9.
Iſaiam rurſum dicitur : *Gentium populus qui ambulabat in* Luc.1.
tenebris, vidit lucem magnam. Sedentibus in regione vm- Ioan.1.
bræ mortis,lux orta eſt eis. Hinc Zacharias ait : *Illuminare*
his qui in tenebris & in vmbra mortis ſedent. Hinc per
Ioannem dicitur : *Erat lux vera, quæ illuminat omnem*
hominem venientem in hunc mundum. Vbi cum audis om-
nem hominem, non à toto totum, ſed à toto partem in-
telligere debes. Omnem hominem, ſubaudis prædeſtina-
tum ad vitam, illuminandum ad iuſtitiæ fidem, quia & ea
quæ hac luce illuminata lucet, vtique in tenebris pecca-
torum lucet, ſicut per egregium prædicatorem quibuſ-
dam dicitur : In medio nationis prauæ & peruerſæ, inter
quos lucetis,ſicut luminaria in mundo,verbum vitæ con-
tinentes.

Hoc etiam in ſermone qui ad Angelum huius Eccleſiæ Philip 2.
dirigitur, poſitum inuenimus, lumen ſcilicet iuſtitiæ ac
fidei,in eo quod ei dicitur : Noui opera tua & charitatem
& fidem & miniſterium & patientiam tuam, & opera
tua nouiſſima plura prioribus. Tenebras vero iniquitatis,
in eo quod perhibetur mulier Iezabel ſanctis admixta;
Dei ſeruos nocte fornicationis decipere. Sardis, Latinè Sardis.
ſonat *principi pulchritudinis*, tanquam ſubintelligas, ei-
dem principi aptata ac præparata. Et quis iſte princeps Pſal.44.
eſt pulchritudinis, niſi ille de quo per Pſalmiſtam dici-
tur : *Speciosus forma præ filiis hominum?* Quis iſte princeps
eſt pulchritudinis, niſi ille cui in Canticis canticorum Cant.1.
ſponſa ipſius loquitur, dicens : *Ecce tu pulcher es dilecte*
mi,ecce tu pulcher ? Quæ autem iſta eſt, huic principi pul-
chritudinis aptata ac præparata, exhibita quoque vel ſu-
bornata, niſi illa de qua eidem principi Propheta dicit:
Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato circumamic- Pſal 44.
ta varietate? Cui etiam in Canticorum cantico ſodales di- Cant.1.
cunt: *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argẽto.*
Quæ eſt iſta principi decoris aptata,niſi illa cui per Iſaiam

A ab eo dicitur: *Conſurge conſurge, induere fortitudine tua*
Iſaiæ 52. *Sion, induere veſtimentis gloriæ tuæ Ieruſalem ciuitas ſan-*
cta, quia non adyciet vltra vt pertranſeat per te incircum-
ciſus & immundus? Cuius videlicet pulchritudo, ad com-
parationem alterius fœditatis proponitur, cui certiſſime
Iſaiæ 47. per Iſaiam dicitur: *Deſcende, ſede in puluere virgo filia*
Babylon, ſede in terra, non eſt ſolium filia Chaldæorum, quia
vltra non vocaberis mollis & tenera. Tolle molam, & mole
farinam. Denuda turpitudinem tuam, diſcooperi humerum
tuum, reuela crura, tranſi flumina. Reuelabitur ignominia
tua, & videbitur opprobium tuum. Harum duarum ſpe-
cies, quibus boni oſtenduntur permixti cum malis, in
locutione quæ ad huius Eccleſiæ prædicatorem profer-
tur, ſcriptas cernimus: ornatum ſcilicet electorum, qui ad
comparationem reproborum, pauci vocantur, in eo quod
Apoc. 3. ei dicitur: *Habes pauca nomina in Sardis, qui non inquina-*
uerunt veſtimenta ſua: & ambulabunt mecum in albis,
Ibidem. *quantum digni ſunt.* Deformitatem vero reproborum, in
B eo quod præmittitur: *Scio opera tua, quia nomen habes*
Philadelphia. *quod viuas, ſed mortuus es.* Philadelphia, interpretata di-
citur *ſaluans hæreditatem Domino.* Quæ itaque alia eſt
hæreditas Domini, niſi electorum Eccleſia, quæ diuino
Geneſ. 3. adiutorio ſeipſam ſaluare contendit? Hanc enim hæredi-
tatem, quam antiquus hoſtis per guſtum ligni vetiti ſub
peccato venundauerat: Dei filius incarnatus, proprio ſan-
guine redemit. De quo nimirum peruerſi vineæ cultores
Matt. 21. dicunt: *Hic eſt hæres. Venite occidamus eum, & noſtra erit*
Pſalm. 2. *hæreditas.* De hac hæreditate, paterna voce dicitur: *Poſtula*
à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem
tuam terminos terræ. Ipſa enim eſt ager Dei, ipſa vinea
Dei: quæque ſeipſam per prædicatores ſuos ita ſaluare ſa-
tagit, vt damnum Deo per negligentiæ torporem non in-
ferat: vt ſcilicet nullis preſſurarum grandinibus, nullis ter-
rorum pluuiis, nullis comminationum coruſcis, nullis in-
fidelitatum pruinis, nullis perſecutionum æſtibus corda
auditorum aratro Euangelicæ prædicationis ſulcare vt
agrum deſinat, fodere vt vineam deſiſtat, ſpinas ac tribulos
C vitiorum eradicare intermittat. Vnde autem ad hanc ſer-
uandam hæreditatem ita robuſta perſiſtit, niſi quia pa-
Luc. 21. tientia illa viget, de qua omnibus electis dicitur: *In pa-*
Apoc. 3. *tientia veſtra poſſidebitis animas veſtras?* Quamobrem in
locutione quæ ad huius Eccleſiæ Angelum dirigitur, au-
Laodicea. dire meretur: *Quia ſeruaſti verbum patientiæ meæ & ego*
te ſeruabo ab hora tentationis, quæ ventura eſt in orbem
vniuerſum tentare inhabitantes terram. Vbi ſcilicet & ſal-
uantium hæreditatem Domini à tentatione liberatio, &
diſſipantium eam caſus, in ipſa tentatione monſtratur.
Ladoicea vertitur in noſtram linguam, *tribus amabilis*
Domino: ſiue, fuerunt in vomitu. Quæ nimirum interpreta-
tio nominis, permixtos bonos cum malis in Eccleſia
oſtendit. Quæ autem tribus alia amabilis Domino intel-
ligitur, niſi vniuerſalis Eccleſia, de qua per Paulum dici-
Epheſ. 5. tur: *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum dedit pro ea?*
Qui vero vertuntur in nauſeam vel vomitum, niſi omnes
Pſalm. 5. reprobi, qui in corpore Chriſti non poſſunt traiici? De
quibus Pſalmiſta loquitur, dicens: *Expello eos quoniam*
D *exacerbauerunt te Domine.* Vtrorumque autem perſonas,
in ſermone qui ad huius Eccleſiæ prædicatorem dirigi-
Apoc. 3. tur, inſertas inuenimus. De amabili namque tribu ei dici-
tur: *Ego quos amo, arguo & caſtigo.* De odibili vero nau-
Ibidem. ſeam prouocante, talis ad eundem locutio profertur: *Quia*
tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere
ex ore meo. Ecce in his interpretationum nominibus, ſcri-
pturarum etiam altrinſecus ſanctarum occurrentibus te-
ſtimoniis, vniuerſalis Eccleſia oſtenditur, quæ ex electis
& reprobis hominibus conſtare permixta videtur. Se-
quitur:

Et conuerſus ſum, vt viderem vocem quæ lo-
quebatur mecum.

Hic liquido claret, non corporalem, ſed ſpiritalem vo-
cem Ioannem audiſſe: quam non vt audiat, ſed vt videat
conuerſum ſe dicit. Quod vtique iuxta corporis ſenſus
impoſſibile eſſe cognoſcitur. Iuxta vero ſpiritalem mentis
ſubleuationem, per omnia poſſibile quia is qui ſpiritu di- E
uinitatis ad ſumma contemplanda rapitur, non aliud illi
eſt audire quam videre, nec aliud videre quam audire: ſed
hoc illi eſt audire quod videre, hoc videre quod audire.
Quod etiam huius hiſtoriæ ſcriptor ſæpiſſime oſtendit,
cum dicit: *Et vidi & audiui* hoc vel illud. Si autem ab
ſpecie ad genus recurrimus Eccleſia in Ioanne vt vocem
videret, conuerſa narratur: & quia mentis deſiderio ad pa-
triarcharum verba, legis & prophetarum ſemet contule-
rat, vt effectum rei, quod idem de ſponſi ſui ſuiſque ſacra-
mentis prædicant, & adimpleta iam cerneret. Vnde & ali-
bi optando anxia dicit: *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Et
quia diu dilata deſideria quandoque ad votum perue- Cant. 1.
niunt, bene illic ſubiungitur: *quia meliora ſunt ubera*
tua vino. Ipſum enim iam cernebat, ipſique loquebatur, Ibidem.
cuius prius *oſcula* requirebat. Vnde quoque recte ſubin-
fertur:

Et conuerſus, vidi ſeptem candelabra aurea, & F
in medio ſeptem candelabrorum aureorum
ſimilem filio hominis.

Et quid per ſeptem candelabra aurea, niſi apertiſſime
ipſa ſeptiformis Eccleſia deſignatur in cuius medio ſimilis
filio hominis apparuiſſe deſcribitur, Dominus videlicet
Ieſus Chriſtus, qui natus ex virgine, ſæpe ſeipſum filium Rom. 6.
hominis vocauit. Idcirco autem hoc in loco non iam fi-
lius hominis, ſed ſimilis filio hominis appellatur: quia Rom. 8.
deuicta morte, iam non moritur, & mors illi vltra
non dominabitur. Vel certe propterea ſimilis filio ho-
minis vocatur, quia non cum peccato, ſed in ſimilitu-
dine carnis peccati natus, inter homines apparuit.
Bene autem in medio apparuiſſe perhibetur: quia omnes
qui in circuitu eius ſunt, offerunt munera. Hinc Iſaias læ- Pſal. 75.
tari Eccleſiam admonet, dicens: *Exulta & lauda habita-*
tio Sion, quia magnus in medio tui ſanctus Iſrael. Hinc
Iezechiel ait: *Vt ſciant gentes quia in medio Iſrael ego* Iſaiæ 12.
ſum. Hinc Pſalmiſta ait: *Suſcepimus Deus miſericordiam* G
tuam in medio templi tui. Hinc eadem miſericordia ſuſce-
pta loquitur, dicens: *Vbi duo vel tres congregati fuerint in*
nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Recte quoque ſepti-
formis Eccleſia in ſeptem aureis deſignatur candelabris: in
quibus & ſeptiformis Spiritus ſancti operatio per nume-
rum, & æternæ ſapientiæ claritas per aurum figuratur. Non Ioel. 2.
ſolum autem, ſed etiam effectus candelabrorum, longani- Pſal. 47.
mitatem Eccleſiæ inter mundi preſſuras demonſtrare vi- Matt. 18.
detur. Sicut itaque aurum per ignem probatum, percuſſio-
nibus productum, candelabrum efficitur: ſic ſanctorum
Eccleſia igne tribulationis ad purum excocta, tentatio- Iſaiæ 1.
num ictibus in longanimitatem extenta conſummatur.
Hinc electorum Eccleſiam igne tribulationis excoquen-
dam aſpexerat Iſaias Propheta, cum loqueretur: *Dixit Do-*
minus cuius ignis eſt in Sion, & caminus eius in Ieruſalem.
Cui etiam à Domino per eundem Prophetam dicitur:
Conuertam manum meam ad te, & excoquam ad purum ſco- Iſaiæ 1.
riam tuam, & auferam omne ſtannum tuum. Quamque ad H
tolerandas paſſiones ita roborat, dicens: *Cum ambulaueris* Iſaiæ 43.
per ignem, non combureris, & flamma non ardebit in te, quia
ego Dominus Deus tuus, ſanctus Iſraël, ſaluator tuus. Illud
autem nobis ſciendum eſt, quia ſicut in ſeptem candela-
bris generalis Eccleſia, ſic in ſimili filio hominis, eadem
deſignatur Eccleſia. Et ſicut in ſimili filio hominis, for-
ma Eccleſiæ: ſic in ſeptem candelabris, filij hominis inue-
nitur perſona; quia & in ſeptem candelabris maximum &
principale candelabrum; & in ſimili filio hominis, ipſa
inueniuntur candelabra. Vna itaque eſt Chriſti Eccleſiæ-
que perſona, quæ & in ſeptem candelabris, & in ſimili filio
hominis conſtare videtur. Idem enim Dominus, qui veſti-
tus podere, in medio candelabrorum apparuit, indutus eſt
ipſa candelabra. Quamobrem hoc eſt veſtis ipſius ſummi
Pontificis, quod ſunt ſeptem candelabra: quia & veſtis eius
& candelabra, vnam deſignant Eccleſiam, quam Domi-
nus indutus eſſe cognoſcitur, ſicut per Paulum dicitur: *Vt* Epheſ. 5.
exhiberet ſibi ipſi glorioſam Eccleſiam, non habentem ma-

A *culam aut rugam, aut aliquid huiuſmodi*: ac per hoc cum
in vtriſque partibus, id eſt & in candelabris & in ſimili
filio hominis vnum ſit genus, id eſt, generalis Chriſti Ec
cleſiæque perſona: propter figuratas tamen locutionis tro-
picæ cauſas, hoc ipſum ita diuiditur in partes vel ſpecies,
vt in aliquibus ſpeciebus genus etiã inueniatur expreſſum.
Et vt apertius id ipſum exprimere valeamus, ita potius
iungitur genus generi, vt certis locis modo in genere ſpe-
cies, modo in ſpecie genus inueniatur inſertum. Certis
autem propter ſubtiles minutias, & eloquij diuini alti-
tudinem, liquido genus non poſſit in ſpecie demonſtrari,
quod facilius videri quam exprimi poteſt. Libet autem ad
hæc confirmanda qualiter genus in partes vel ſpecies di-
uidatur, vel potius genus generi iungatur, ex aliis diuinis
voluminibus oſtendere. Diuiditur itaque genus in partes
vel ſpecies, imo certe genus iungitur generi, vt arca Noæ
& octo animæ intra eam. Nam & per ſolam arcam ſine
additamento octo animarum, generalis Eccleſia figura-
B tur: & per ſolas octo animas, quæ intra ipſam ſaluantur,
ſine additamento arcæ, ipſa nimirum tota deſignatur Ec-
cleſia, cum & præfata arca Noæ, & octo animæ intra
eam, vna ſit Eccleſia. Vnde eſt illud quod Dominus per
Iſaiæ 5. prophetam dicit: *Habitatores Ieruſalem & viri Iuda, iudi-
cate inter me & vineam meam*. Habitatores enim Ieruſa-
lem, Eccleſia: ipſaque Ieruſalem, Eccleſia. Necnon & viri
Iuda, Eccleſia, & vinea Domini ſabaoth, Eccleſia: cum ha-
bitatores Ieruſalem, ipſaque Ieruſalem, necnon & viri Iuda
ac vinea Domini, vna ſint Eccleſia. Hinc eſt & aliud, quod
ſecundum Apoſtolum, in domo magna vaſa aurea & ar-
gentea eſſe deſcribuntur, cum eadem vaſa ſint domus
magna. Hinc eſt etiam & illud: *Exite de medio eius qui
2. Tim. 2. fertis vaſa Domini, cum idemipſi qui vaſa ferunt, ſint vaſa
Iſaiæ 52. Domini*. Hinc eſt quoque & illud: *Quis aſcendet in mon-
Pſal. 23. tem Domini? aut quis ſtabit in loco ſancto eius? Innocens
manibus & mundo corde*, cum & mons Domini, & locus
ſanctus eius, ipſi ſint innocentes & mundicordes. Sic, ſic,
nimirum (ſicut ſupra iam dictum eſt) nunc inter ſeptem
C candelabra quæ ſunt Eccleſia, in filio hominis eadem de-
ſcribitur Eccleſia: cum idem filius hominis & ſeptem can-
delabra, vna ſit capitis & corporis perſona. Vnde & per
Geneſ. 2. legem atque Apoſtolum ſermo propheticus teſtatur: *Erunt
Epheſ. 2. duo in carne vna*. Quodque idem beatus Apoſtolus expo-
Rom. 6. nens, ait: *Ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia*. Illud
vero quod ſupra ad caput referendum diximus, id eſt quia
*Chriſtus reſurgens à mortuis, iam non moritur, & mors illi
vltra non dominabitur*: idcirco iam non filius hominis, ſed
ſimilis filio hominis vocetur, poteſt quadam ratione etiam
ad membra referri. Quod enim caput noſtrum morte de-
Epheſ. 2. uicta viuus ab inferis reſurrexit, reſurgens quando voluit
cælos penetrauit, noſque ſecundum Apoſtolum diuina
gratia conreſuſcitauit, & conſedere fecit in cęleſtibus, non
ſolum ad ipſum, ſed etiam ad nos pertinet, quod idem ſi-
milis filio hominis appellatur, qui & ſi nondum re, tamen
iam ſpe cum Chriſto reſurreximus, iam per fidem in cæ-
leſtibus cum illo ſedemus, quem ſub tali habitu deſcribit
Ioannes, vt dicat:

D

Veſtitum podere.

Podes ſiquidem græce, latine autem pedes dicuntur.
Quid itaque per poderem, niſi veſtem talarem (id eſt, vſque
Zach. 3. ad pedes, accipere debemus? Quæ, Zacharia atteſtante, ſa-
cerdotalis eſſe cognoſcitur: Quid quoque per hanc, niſi
& ſpecialiter caro redemptoris, & generaliter omnis de-
ſignatur Eccleſia? Singulari quippe ſuæ carnis hoſtia
Chriſtus ſacerdotium geſſit, quando ſe crucis patibulo
pro nobis offerens patri, ſeipſum crucifigi permiſit. Quæ
ſcilicet ſacerdotis veſtis, vſque ad talos eſt: quia corpus
eius quod eſt Eccleſia, vſque ad nouiſſima membra, ea
quæ deſunt paſſionum Chriſti adimplet. Ipſe enim quo-
tidie veraciter patitur, quando corpus eius aliquid pati
Act. 9. probatur. Vnde & ſedens in cælo, clamabat: *Saule, Saule,
quid me perſequeris?* Vel certe veſtis ei vſque ad talos, fuit
Ioan. 13. opus charitatis vſque ad paſſionem mortis, quo paſſuro, ab
Iſa. 63. euangeliſta præmittitur: *Cum dilexiſſet ſuos qui in mundo
erant, in finem dilexit eos*. De quo etiam Iſaia interrogante E
ac dicente, *quis eſt iſte qui venit de Edom, tinctis veſtibus* Pſal. 44.
de Boſra, diuina voce reſpondetur: *Iſte formoſus in ſtola* Rom. 8.
ſua, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ. Ac ſi ei dice-
retur: Is qui in diuinitatis ſuæ natura ſpecioſus forma eſt
præ filiis hominum, in ſimilitudine carnis peccati ſine
peccato apparens, iter vitæ præſentis peragit: quia caro
quam ſumſit ex hominibus, iter eſt ipſius. Quique & ſi fa
tigatus ex carnis infirmitate ſedet, tamen ex diuinitatis
fortitudine vltra homines eſſe videtur. Quia vero hanc
veſtem quam ſine peccato indutus fuit tempore paſſionis,
idem propheta cruentam aſpexit, eidem ſummo ſacerdoti
quaſi conquirendo dicit: *Quare ergo rubrum eſt indumen-
tum tuum?* Ac ſi diceret: Si in diuinitate tua ſpecioſus
forma præ filiis hominum, in noſtra quoque humanitate
ſine peccato apparuiſti, cur ad paſſionem crucis volunta-
rius acceſſiſti? Ad hæc ille reſpondit: *Torcular calcaui* Ibidem.
ſolus. Quaſi ei ad cuncta conquirenti reſpondet, dicens:
Quia me ſpecioſum in mea, ſine peccato autem in tua
natura iter præſentis vitæ peragrantem vidiſti, in multitu- F
dine fortitudinis meæ eandem carnis infirmitatem ad cun-
cta quæ volui roborantem aſpexiſti: ac per hoc cur ſpon-
te mori ſine debito mortis voluerim, conquiſiſti. Hæc ſola
cauſa extitit, quia torcular ſolus calcare potui, id eſt mor-
tem qua calcatus ſum, conculcare. Nullus etenim mor-
talium immortalitatis ſtolam reciperet, niſi ego autor
vitæ, in crucis patibulo hanc quoque meam rubram effi-
cerem. Quique ſicut nouo more ex virgine natus, nouo
ordine Deus hominem indutus, ſic nouo more apparui
cunctis. De quo cum Ioannes diceret, conuerſus vidi 7.
candelabra aurea, & in medio ſeptem candelabrorum
aureorum ſimilem filio hominis, veſtitum podere, ſubiun-
xit dicens:

Et præcinctum ad mamillas Zona aurea.

In veteri teſtamento legimus Danieli dominum præ-
cinctum apparuiſſe, ſed in renibus, ipſo atteſtante qui ait: G
Leuaui oculos meos & vidi, & ecce vir vnus veſtitus lineis, Dan. 10
& renes eius accincti. In nouo autem Ioanni per angelum
apparens, non iam in renibus, ſed in pectore cinctus
oſtenditur. Quid itaque per cingulum renis, niſi reſtrictio
carnalis fornicationis? Quid vero per zonam pectoris,
niſi cohibitio cordis luxuriæ deſignatur? Sed cum con-
ſtet, redemptorem noſtrum nec corporis, nec cordis lu-
xuria tactum, quid eſt quod & in renibus in veteri teſta-
mento à propheta, & in pectore in nouo à Ioanne cin-
ctus perhibetur: niſi quia duplex præcinctio illa, non
ad caput, ſed ad membra redigitur? Quia igitur in prio- Exod.
ri teſtamento adulterium ſolummodo corporale per le- 20.
gem cohiberi videtur, idcirco Prophetę in renibus cinctus Matt. 5.
oſtenditur. Quia vero teſtamenti ſequentis munditia, cor-
dis etiam luxuriam frenat: propterea idem ipſe qui in eo
nouus homo apparuit, cinctus in pectore venit. Quem
bene zona aurea ſtringit: quia quiſquis ſupernæ patriæ
ciuis eſt, non iam timore ſupplicij, ſed amore ſupernæ
claritatis immunditiam deſerit. De his duabus frenandis H
fornicationibus idem redemptor noſter in Euangelio ad
diſcipulos ait: *Audiſtis quia dictum eſt antiquis. Non*
mœchaberis. Ecce renes accincti. Sequitur & dicit: *Ego* Matth. 5.
autem dico vobis, quia qui viderit mulierem ad concupiſ- Luc. 12.
cendum eam, mœchatus eſt eam in corde ſuo. Ecce pectus
præcinctum. Quod autem ad eoſdem in nouo iam teſta-
mento dicitur: Sint lumbi veſtri præcincti, ſciendum
nobis eſt, quia quiſquis adhuc fornicationem carnis non
frenat, ad vitæ veteris hominem pertinet. Et ideo in
talium perſona ipſi ſancti prædicatores lumbos præcin-
gere iubentur, vt conſequenter balteo ſpiritualis præ-
cepti, in pectore valeant conſtringi. Iam enim Apoſtoli
carnis immunditiam deſeruerant, quando iſta in aliorum
perſonas audiebant. Poſſunt autem hæc & aliter intelligi.
Nam is qui apparuit angelus, ad mamillas præcinctus ad-
uenit. Et quid per angeli mamillas, niſi duo teſtamenta fi- Cant. 4.
gurantur? Vnde & in Canticis canticorum de Dño & Ec- & 7.
cleſia legimus: *Duo ubera tua, duo hinnuli capreæ gemelli,*

A *qui paſcuntur inter lilia.* Et rurſum: *Hubera tua ſimilia* Cant. 7. *botris.* Vnde & idem Ioannes, cuius hæc eſt apocalypſis, Ioan. 13. ſuper pectus Domini tanquam buberius alendus, in cœna recubuiſſe deſcribitur. Quid vero perzonam auream, niſi electorum Eccleſia figuratur? Quæ idcirco per auream zonam deſignatur, quia charitate quæ vinculum perfectionis eſt, Domino vnitur. Zona itaque aurea ad mamillas angelus præcingitur: quia redemptor noſter ab ſpiritalibus viris in duobus teſtamentis charitate complectitur. Ille namque qui mortalium oculis ſubtractus ſedet ad dexteram patris, quotidie ab electis præcingitur in duobus teſtamentis. Ibi enim inuenitur, cum legitur: ibi præcingitur, cum & lectionem fides & opus ſequitur. Vel certe ad mamillas zona aurea angelus præcingitur: quam electorum Eccleſia ex duobus populis veniens, hebraico ſcilicet & gentili, charitatis compage in Chriſto vnitur. Sequitur:

B

Caput autem eius & capilli erant candidi tanquam lana alba & tanquam nix.

Poſſunt hæc ad vtraque referri, ad redemptorem ſcilicet noſtrum, & ad eius Eccleſiam? Vt autem de ipſo prius loquamur, quid eius aliud caput eſſe creditur, niſi Deus pater? Vnde & per Paulum dicitur: *Caput Chriſti Deus.* 1. Cor. 11. Cuius nimirum antiquitas atque æternitas, iuxta humanæ conſuetudinis locutionem, in candore capitis demonſtratur, Dan. 7. Daniele atteſtante qui ait: *Aſpiciebam donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit. Veſtimentum eius quaſi nix candidum, & capilli capitis eius quaſi lana munda.* Vt autem de patre hoc dictum intelligi deberet, in ſubſequentibus dicit: Ibidem. *Aſpiciebam in viſione noctis, & ecce cum nubibus quaſi filius hominis veniebat, & vſque ad antiquum dierum perueniebat.* Cum enim tale aliquid in Deo ſecundum eſſentiam naturæ ſuæ non ſit, quid aliud in candore capillorum exprimere voluit, niſi (vt dictum eſt) antiquitatẽ æternitatis, ſi tamen in eo antiquitas dici poteſt, imo quia propter nos paruulos ita dici oportet? Metas C enim noſtræ capacitatis Spiritus ſanctus conſiderauit, qui Danielem ita de æternitate patris loqui voluit. Vt vero hæc etiam ad Eccleſiam referamus, quid eſſe aliud caput eius æſtimatur, niſi ipſe ſuus redemptor, Paulo rurſum atteſtante qui ait, 1. Cor. 11. *Caput viri Chriſtus:* Et iterum, Epheſ. 1. & 5. *Ipſe eſt caput omnium Eccleſiarum?* Cuius capilli, quid aliud Coloſſ. 1. quam præcelſæ dignitatis membra corporis deſignantur, quæque propter innocentiam ouis & agni, ipſius videlicet redemptoris, non immerito lanæ albæ comparantur: propter reſurrectionem vero corporis, quæ præceſſit in capite, recte niui aſſimilantur? Et quia vtrunque caput in ſe oſtendit, innocentiam ſcilicet ac reſurrectionem, quorum vnum nunc in præſenti tempore imitandum fidelibus præbuit, aliud vero in futurum expectandum perdocuit: idcirco non ſolum capilli, ſed & ipſum caput lanæ albæ & candori niuis ſimile perhibetur. Quia itaque innocentia manſuetudinis per candorem lanæ figuretur, exponi nulla neceſſitas cogit. Nam propter quid oues vel agni vocantur electi, quibus dicitur: D *Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum:* Matt. 10. Et iterum. *Ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos,* niſi propter innocentiam? Quia vero reſurrectionis futura claritas candore niuis deſignetur, Matt. 17. ipſe autor reſurrectionis indicat, qui futuram Eccleſiæ ionouationem poſt huius mortalitatis ærumnam, oſtenſurus in monte ſancto coram tribus diſcipulis, veſtimenta ſua quibus eadem figurabatur Eccleſia, in niuis ſpeciem mutauit.

Hinc eſt quod teſtis reſurrectionis eius angelus mulieribus apparens, Matt. 28. veſtimenta alba tanquam nix figulariter exhibuit. Vel certe pro eo quod ſiue per lauacrum regenerationis, ſeu per internam cordis compunctionem quotidie poſt maculas delictorum emundantur, ſicut ſcriptum eſt: Pſal. 50. *Lauabis me, & ſuper niuem dealbabor:* propterea niui comparantur.

Hos itaque Chriſti capillos adhuc peccatorum contagiis ingentibus nigros, quandoque tamen ſuperna gratia dealbandos aſpexerat ſponſa, Cant. 5. quæ io Canticis canticorum de eodem ſuo ſponſo dicebat: *Caput eius optimum, aurum coma eius ſicut elata palmarum, nigra quaſi coruus.* E Hinc rurſum de ſeipſa loquebatur dicens: *Noliſe me conſiderare quod fuſca ſim, quia decolorauit me ſol.* Ac ſi aliis verbis Iudæorum contumaciam increparet, dicens: Cantic. 1. *Quia me ingentibus adhuc peccatorum ſordibus nigram conſpicitis,* cauere ne talem ſemper eſſe credentes deſpiciatis: quia cum in carne apparente capiti meo inhæſero, tanquam lana alba & tanquam nix candida ero. Hoc eſt enim dicere, *decolorauit me ſol,* ſubaudis ſol iuſtitiæ qui timentibus Deum oriri deſcribitur. Malac. 4. Poteſt etiam propter charitatem electorum, quæ ex lana immaculati agni id eſt ex nouo eius mandato in duobus lignis, videlicet in duobus ipſius mandati præceptis, tanquã veſtis nobis nuptialis contexitur, capillorum candor lanæ aſſimilari, ipſa enim operit omnem nigredinem peccatorum, propter caſtitatem vero, quæ & corporis & mentis munditia fulget & calorẽ voluptatum carnalium non recipit, niui aſſimilari. Sequitur.

Et oculi eius velut flamma ignis.

F

Qui itaque ſunt iſti oculi, niſi illi de quibus longe inferius in hac reuelatione dicitur: Apoc. 5. *Et vidi, & ecce in medio throni & quatuor animalium & in medio ſeniorum, agnum ſtantem tanquam occiſum, habentem cornua ſeptem, qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei, miſſi in omnem terram:* quique hoc loco flammæ ignis, alio vero inferius ardentibus comparantur lampadibus, Apoc. 4. ſicut illic dicitur: Septem lampades ardentes ante thronum quæ ſunt ſeptem Spiritus Dei, de quibus etiam per Zachariam prophetam ita pronuntiatur, Zach. 4. Iſti ſunt oculi domini miſſi in omnem terram? Oculi itaque Chriſti velut flammæ ignis, ſunt Spirituſſanctus, illuminans & accendens corpus eius quod eſt Eccleſia, qui principaliter ſuper ipſum mediatorem Dei & hominum requieuiſſe perhibetur. Quia igitur idem Spiritus ſanctus ad fidem illuminat Eccleſiam, recte oculorum luminibus comparatur.

Quia vero quos ad fidem illuminat, in amorem Dei G concremat, bene idem oculi flammæ ignis aſſimilantur. Luc. 12. De hoc igne Dominus in Euangelio dicit: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt ardeat?* Iis denique oculis tota ad fidem Eccleſia illuminata, tota in Dei amorem accenſa eſt, cum illud impletum eſt, quod de eodem ſpiritu dictum fuerat: Sapien. 1. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum.* Apoc. 5. Zach. 4. Hoc etiam apertiſſime & ipſius reuelationis & prophetæ verba teſtantur cum & illa de his oculis dicit, qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei miſſi in omnem terram: & ille: Iſti ſunt oculi domini miſſi in omnem terram. Poſſunt per oculos angeli ſpiritales in Eccleſia deſignari, qui luce ſcientiæ eandem Eccleſiam illuſtrant.

Vnde & dominus apoſtolis dicit: Matth. 5. *Vos eſtis lux mundi.* Qui videlicet non ſolum lucent ſed & ardent: quia verba eorum lumen ſcientiæ ſimul & amoris incendium præbent. Poſſunt etiam per eoſdem oculos præcepta Dei exprimi, Salomone atteſtante qui ait: Prou. 6. *Mandatum lucerna eſt, & lex lux:* Pſal. 18. Hinc Pſalmiſta ait: H *Lucerna pedibus meis verbum tuum domine, & lumen ſemitis meis.* Ibidem. Quod autem ipſa Dei præcepta quæ lumen ſcientiæ electis præbent, ignem amoris ſubminiſtrent: idem Pſalmiſta alibi teſtatur, dicens: Pſal. 104. *Ignitum eloquium tuum vehementer.* Hinc de Ioſeph dicitur: *Eloquium domini inflammauit eum.* Sequitur:

Et pedes eius ſimiles aurichalco, ſicut in camino ardenti

Per pedes domini, in ſacra ſcriptura aliquando æternitas eius intelligitur: qua ſine mutabilitate prætermeantibus ſæculorum voluminibus, decurrentibus etiam mutabilium creaturarum qualitatibus, cui nec præterita tranſeunt nec ventura ſuccedunt, fixa vt eſt ſtabilitate conſiſtit: aliquando humanitas ipſius, qua diuinitas eius terram tetigit. Aliquando vero Apoſtoli, vel omnes prædicatores, per quos mundum prædicans circuit: aliquando quoque vltima eius membra in fine mundi naſcitura, poſt quæ nulla pars corporis ſupererit:

A aliquando etiam exemplum imitationis paſſionum illius.

Hoc autem in loco quanquam omnes ſancti prædicatores recte per pedes angeli poſſint intelligi, congruentius tamen ad illa nouiſſima Eccleſiæ membra rediguntur, quæ ſub Antichriſto nimio perſecutionis incendio ſunt excoquenda: ſed in morem firmiſſimi metalli, ſine detrimento fidei perduranda. Talis ſiquidem huius metalli id eſt aurichalci perhibetur effectus, quod æs in camino miſſum, adhibito vehementi incendio, immiſſo etiam quodam medicamine, vt firmiorem accipiat fortitudinem, & in auri conuertatur fulgorem. Quod ſi ita eſt, multum effectus ipſius huic noſtro intellectui ſuffragari videtur. Quanto enim tunc illa nouiſſimo tempore Eccleſiæ membra amplioribus exuruntur tribulationibus tanto fortiora & clariora redduntur. Et reuera iuxta redemptoris eloquium, *erit tribulatio qualis non fuit, ex quo* Matt. 24. *homines eſſe cœperunt ſuper terram vſque ad diem illam: ſed nec fiet.* In qua ſcilicet veluti in camino ignis, proba- B buntur ſancti tanquam vile æramentum, ſed adhibito medicamine tolerantiæ, fortiores (vt dictum eſt) ac clariores reperientur. Quod autem alia tranſlatio *aurichalcum Libani* poſuit, pro eo quod mons iſte in Iudæa eſſe perhibetur: liquido manifeſtauit, nouiſſima corporis Chriſti membra in illis tunc regionibus vehementius eſſe vexanda camino tribulationis, vbi & dominus eorum crucifixus eſt ab impiis Iudæis. Sed ſciendum quia vbi vehementius preſſurarum ignis ardebit, ibi conſequenter & fortiora membra ad tolerandas paſſiones dominus præparabit. Exurentur ſiquidem tunc pedes corporis Chriſti, ſed vt amiſſo ſtanno vel plumbo id eſt ſcoria delictorum, Apoc. 21. lapis ille qui abſciſus eſt de monte ſine manibus, creuitque Dan. 2. & factus eſt mons magnus, atque impleuit vniuerſam terram, firmius ac robuſtius eiſdem ſuis aurichalcinis pedibus ſtatuam illam percutiat in parte pedum fictili, confringat atque comminuat, per quam in Danielis propheta omne deſignatur ſeculi regnum. Vnde ſcriptum eſt: *In* C *diebus regum illorum ſuſcitabit Deus cœli regnum, quod in* Ibidem. *æternum non diſſipabitur, & imperium eius populo alteri non tradetur.* Comminuet autem & conſumet vniuerſa regna hæc, & imperium ſtabit in æternum. Sequitur:

Ex vox eius tanquam vox aquarum multarum:

Superius huius qui apparuit, vocem tubæ comparauerat: nunc autem voci aquarum multarum, eandem vocem aſſimilat. Quid eſt hoc, niſi quia & prius per paucos prædicatores, qui tubæ vocabulo deſignantur, increpuit, & poſtea populorum multorum officio reſultauit? Aquæ enim nomine, in ſacro eloquio figurari ſolent turbæ populorum ſicut in hac ipſa Apocalypſi Angelica voce dicitur: *Aquas quas vidiſti vbi meretrix ſedet populi ſunt &* Apoc. 17. *gentes & linguæ.* Quod Daniel quoque propheta apertius Dan. 10. indicat, dicens: *Et vox ſermonum eius vt vox multitudinis.* Idcirco ergo vox eius in ſuo diſcrepauit, quia (vt dictum eſt) quod prius pauci prædicatores, hoc poſtea totus D mundus clamauit. Poteſt autem per vocem ſimilem tubæ, prædicatio veteris & noui teſtamenti: per vocem vero ſimilem aquarum multarum, charitas intelligi. Quæ vox dilectionis ideo tanquam vox aquarum multarum dicitur, quia ab ea cunctæ ſpiritalium doctrinarum voces prodeunt, ſicut de hac ipſa gemina dilectione ſcriptum eſt: *In his duobus præceptis* (id eſt, in dilectione Dei & dilectione proximi) *tota lex pendet & prophetæ.*

Matt. 22. Hinc in Euangelio de autore huius charitatis dictum eſt: *In nouiſſimo magno die feſtiuitatis ſtabat Ieſus, & clamabat: Si quis ſitit, veniat ad me & bibat. Et qui cre-* Ioan. 7. *dit in me, ſicut dicit ſcriptura flumina de ventre eius fluent aqua viua.* Hoc autem dixit de ſpiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Ac ſi diceret: Qui latitudinem diuinarum ſcripturarum intelligere ſcienter cupit fidei greſſibus ad me veniat: veniens, ſpiritum charitatis bibat. Deus enim charitas eſt, eodem ſpiritu ſatiatus, operando 1. Ioan. 4. in me credat, & de interiore hominis eius ventre id eſt de memoria cordis ſpiritalium doctrinarum fluenta manabant. Quod itaque in Euangelio dicitur: *Clamabat Ieſus, ſi quis ſitit, veniat ad me & bibat: & qui credit in me,* E *ſicut, dicit ſcriptura, flumina de ventre eius fluent aqua* Ioan. 7. *viua*: hoc in iſta reuelatione, & vox eius tanquam vox aquarum multarum. Quia vero de charitate ſermo ſe intulit, libet breuiter ſtrictimque, quæ ſint doctrinarum eius voces ad mentem reducere, quanquam difficile ſit, à quolibet homine rem tam multiplicem pleniter apprehendi, vtpote omnem diuinarum plenitudinem ſcripturarum. Huius namque initium, dilectio Dei eſt, ac dilectio proximi. Sed Dei dilectio per tria diſtinguitur: quia ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota virtute diligi conditor iubetur. Qua in re notandum eſt, quod diuinus ſermo cum Deum diligi præcipit, non ſolum narrat ex quo, ſed etiam informat ex quanto: cum ſubiungit, Ex tota fortitudine, vt videlicet qui perfecte Deo placere deſiderat, ſibi de ſe nihil relinquat. Proximi autem dilectio ad duo præcepta deriuatur, cum & per quendam iuſtum dicitur: Quod ab alio tibi odis fieri, vide ne tu alteri facias. Et per ſemetipſam veritas dicit: *Quæcunque vultis* F *vt faciant vobis homines, ita & vos facite illis. Hæc eſt* Tob. 4. *enim lex & prophetæ.* Quibus duobus ſcilicet vtriuſque Math. 7. teſtamenti mandatis; per vnum malitia compeſcitur, per aliud benignitas prærogatur: vt malum quod pati non vult quiſque, non faciens, ceſſet à nocendi opere: & rurſum, bonum quod ſibi fieri appetit, impendens, erga vtilitatem ſe proximi exerceat ex benignitate. Sed hæc nimirum duo dum ſolicita intentione cogitantur, cor ad innumera virtutum miniſteria tenditur: ne vel ad inferenda quæ non debet, ex deſideriis inquieta mens ferueat: vel erga adhibenda quæ debet, ocio reſoluta torpeſcat. Nam cum cauet alteri facere, quod nequaquam vult ab altero ipſa tolerare: ſolicita ſe intentione circunſpicit, ne ſuperbia eleuet, & vſque ad deſpectum proximi exaltet: deijcit animum, ne ambitio cogitationem laniet: cumque hanc ad aliena appetenda dilatat, anguſtet: ne cor luxuria polluat, & ſubiectum deſideriis per illicita corrumpat: ne ita exaſperet, & vſque ad proferendam contumeliam inflammet: G ne inuidia mordeat, & alienis felicitatibus æmula, ſua ſe face conſumat: ne immoderate linguam loquacitas pertrahat, eamque vſque ad laſciuiam obtrectationis extendat: ne odium malitia excitet, & os vſque ad iaculum maledictionis irritet. Rurſum, dum cogitat vt ea alteri faciat, quæ ipſa ſibi fieri ab altero expectat: penſet nimirum, vt malis bona, vt bonis meliora rependat: vt erga procaces manſuetudinem longanimitatis exhibeat, vt malitiæ peſte languentibus gratiam benignitatis impendat, vt diſcordes ad pacem reducat, vt concordes ad concupiſcentiam veræ pacis accendat, vt indigentibus neceſſaria tribuat, vt errantibus viam rectitudinis oſtendat, vt afflictos verbo & compaſſione mulceat, vt accenſos in huius mundi deſideriis reſtringat, vt minas potentum ratiocinatione mitiget, vt oppreſſorum anguſtias quanta valet ope ſubleuet, vt foris reſiſtentibus patientiam opponat, vt intus ſuperbientibus cum patientia diſciplinam exhibeat: vt erga errata ſubditorum ſic manſuetudo zelum temperet, quatenus à iuſtitiæ ſtudio non eneruet: ſic ad H vltionem zelus ferueat, vt tamen pietatis limitem feruendo non tranſeat: vt ingratos beneficiis ad amorem prouocet, vt gratos quoque miniſteriis in amorem ſeruet, vt proximorum mala cum corrigere non valet, taceat: vt quæ corrigi loquendo poſſunt, eorum ſilentium conſenſum eſſe pertimeſcat: vt ſic ea quæ tacet toleret, ne tamen in animo virus doloris occultet: vt ſic maleuolis munus benignitatis exhibeat, ne tamen per gratiam à iure rectitudinis excedat: vt cuncta proximis quæ valet impendat, ſed hæc impendendo non tumeat: vt ſic in bonis quæ exhibet, tumoris præcipitium paueat, ne tamen à bonis exercitatio torpeſcat: vt ſic quæ poſſidet tribuat, quatenus quanta ſit largitas remunerantis attendat, ne cum terrena largitur, ſuam plusquam neceſſe eſt inopiam paueat: & in oblatione muneris, hilaritatis lumen triſtitia obſcuret. Bene itaque vox ſingularis Chriſti, tanquam vox aquarum multarum dicitur: quia nimirum cum vna eademque ſit charitas, ſi mentem plene ceperit, hanc ad innumera virtutum opera multiformiter

A accendit. Cuius diuerſitatem breuiter exprimimus, ſi in
electis ſingulis bona illius perſtringendo numeramus.
Gen. 4. Hæc namque primum Eccleſiæ membrum Abel docuit,
Deum præ omnibus eſſe diligendum, eidémque potiora
munera offerenda. Docuit etiam impium fratrem amare,
à quo in typum Dominicæ paſſionis occidendus erat.
Quem ſi non amaſſet proculdubio ſæuienti reluctaſſet.
Ibid. Hæc pro eodem Abel natum Seth inſtruxit, poſtpoſitis
Gen. 5. mundi occupationibus, diuinæ contemplationi inhærere,
orationibúſque vacare. Hæc Enoch & inter homines vi-
uere docuit ſpiritaliter, & ad ſublimem vitam ab homini-
Gen. 6. bus etiam corporaliter abſtraxit. Hæc Noë, deſpectis om-
nibus, ſoli Deo placere monuit, atque in arcæ fabrica ſtu-
dio longanimitatis exercuit, & mundi ſuperſtitem pia
Gen. 9. opera exercendo reſeruauit. Hæc per Sem & Iaphet hu-
militer verenda patris erubuit: & ſuperiecto dorſo pal-
Gen. 12. lio, quæ non videbat, abſcondit. Hæc Abraham inſtruxit,
vt poſtpoſito amore parentum, Deum protinus diligere
agnoſceret: agnoſcens quo neſciret, iam tunc euangeli-
B cus vir obediens exiret: quem etiam in oblatione vnige-
niti filij, diſcretionem docuit inter Dei amorem & ho-
Gen. 22. minum. Plus enim hunc Deum amare compulit quam
ſeipſum, cui vnicam prolem pro qua ſolent pij parentes
animas ſuas in mortis periculum mittere, deuotus macta-
re voluit. Et certè amabat præ cunctis hominibus filium,
cui tamen in oblatione amorem prætulit Dei. Quam-
obrem quia ipſa de qua loquimur charitas, eiuſdem
Abrahæ dexteram in mortem filij obediendo extulit,
Gen. 17. hunc proli innumeræ gentium patrem fecit. Hæc Iſaac
Gen. 29. 30. mentem, quia ſemper ad munditiam tenuit, caligantibus
cæcitate oculis, ad videnda longè poſt ventura dilatauit.
Hæc Iacob docuit, vt duarum vel potius quatuor fœmi-
narum maritus, ita debitum carnis coniugibus redderet,
vt vxores diligens, ad æterna contemplanda amor eius
Gen. 32. non deficeret. Cui ſoli pernoctanti Angeli occurrunt:
Gen. 37. cum quo Angelus tota nocte luctatur, luctans ſuperatur.
Compulit etiam hunc pia dilectio, vt amiſſum bonum
filium medullitus gemeret, & prauorum filiorum præſen-
C tiam æquanimiter toleraret. Hæc Ioſeph à fratribus ve-
Gen. 39. nundatum liberauit, & erudiuit animo illatum ſeruitium
Gen. 44. perpeti, & eiſdem pro fratribus mente non elata princi-
pari: vel potius ita hunc docuit venditores fratres forti-
ter interius diligere, vt tamen exterius pro expiatione cri-
minis durius illos exaggerans affligeret. Hinc eſt quod
eorum quoſdam vinculis ligat, carcere trudit, iuniorem
fratrem requirit, quem reductum, pro reatu furati ſcyphi
Gen. 43. in ſeruitium retinere fingit. Et tamen tot tantáque foris
exaggerans, tactus internis viſceribus amore præcipuo, ſe
continere non valens, ad lachrymas currit: ruríumque
lota facie, durus exactor egreditur, & duriora quam prius
loquitur. Quod videlicet agens regulam veræ charitatis
imitandam proponit, verum & non falſum amorem oſten-
dit. Hæc Moyſen inſtruxit, ſic dilectione proximi vigere,
vt Iſraëlitis peccantibus, ſemet morti pro eis obiiceret,
Exod. 32. Ibid. dicens ad Deum: *Si dimittis huic populo peccatum, di-
mitte. Sin autem, dele me de libro in quo me ſcripſiſti.* Sic
zelo ferueré, vt vice Dei iraſcens, vigintitria millia ex eis
D vna die gladio trucidaret. Hæc Phinees brachium in vl-
Num. 25. tionem peccantium erexit, vt accepto gladio coëuntes
Ioſ. 10. transfigeret, & iram Domini iratus placaret. Hæc Ioſue
animum ita deuinxit, vt humili eius imperio in figendo
Sole & Luna Dominus quoque obediret. Quem etiam
intantum auaritiam cauere docuit, vt nihil ex prædis vel
terris hoſtium, vtpote dux populi, præſumeret, niſi quod
ei ex communi ſorte obueniſſet.

Hæc Samuëli & in principatu humilitatem præbuit,
& integrum in dilectione ſeruauit; qui cum perſequen-
tem ſe plebem diligeret, ipſe ſibi teſtimonium extitit, quia
1. Reg. 7. & 8. culmen ex quo deiectus eſt non amauit. Hæc Dauid ante
1. Reg. 24. & 26. iniquum regem & in humilitatem commouit ad fu-
gam, & pietate repleuit ad veniam: qui perſecutorem
ſuum & timendo fugit vt Dominum, & tamen cum po-
2. Reg. 12. teſtatem feriendi reperiſſet, non agnouit inimicum: Hæc
Iſa. 20. Nathan & contra peccantem regem in auctoritatem li-
beræ increpationis ſuſtulit, & cum regis culpa deeſſet, in
petitione humiliter ſtrauit. Hæc per Iſaiam nuditatem in E
carnis prædicatione non erubuit: & ſubducto carnali
velamine, myſteria ſuperna penetrauit. Hæc Eliam, quia 4. Reg. 5.
feruoris zelo viuere ſpiritaliter docuit, ad vitam quoque Ibidem.
ſpiritaliter abſtraxit. Hæc Eliſeum, quia magiſtrum dili- Ier. 42. & 43.
gere ſimpliciter inſtruxit, magiſtri ſpiritu dupliciter im- Iezech.
pleuit. Per hanc Ieremias, ne in Ægyptum populus deſ- 8.
cenderet, reſtitit: ſed tamen & inobedientes diligens, quo
deſcendi prohibuit, & ipſe deſcendit. Hæc Iezechielem,
quia prius à terrenis deſideriis ſuſtulit, poſt per cincin-
num capitis in aëre librauit. Hæc in Daniele, quia à regis
dapibus gulam compeſcuit, & eſurientium ora leonum
clauſit. Hæc tribus pueris, quia in tranquillitate poſitis Dan. 1.
incendia vitiorum ſubdidit, tribulationis tempore & flam- Gen. 6. & 14.
mas in fornace temperauit. Hæc ſeptem Machabæos fra- Dan. 2.
tres edocuit pro teſtamento Dei, & legibus eius blan- 2. Mach.
dientem ſimul & terrentem impium regem deſpicere, in- 7.
trepidóſque acerrimam mortem ſubire. Hæc Mattha- 1. Mach. 2.
thiam, Iudam & fratres eius armauit, vt pro dilectione
ciuium nec animabus ſuis parcerent. Hæc vt de ſexu mu- F
liebri aliquid loquamur, Iudith, Eſther ſimili voce perdo-
cuit. Hæc vt ad noui teſtamenti patres veniamus, Stepha-
num tam ingenioſa arte erudiuit, & vt prius ſecum diſce-
ptantes Iudæos, incircumciſos corde atque Spiritui ſancto Act. 6.
reſiſtentes, zelo Dei commotus vocaret: & poſt paululum
pro eis à quibus lapidum ictibus moriebatur, genibus in
terram fixis, oraret dicens: Domine, ne ſtatuas illis hoc
peccatum. Nullus itaque putet, in illa aſpera increpatione Ibid.
charitatem defuiſſe, cum exitus rei clamet multum eum
amaſſe, quibus talia zelo commotus dicebat. Hæc in Pe-
tro & minis potentum principum reſtitit fortiter & in
circumciſione ſubmouenda, minorum verba libenter au-
diuit. Hæc in Paulo & manus perſequentium humiliter
pertulit, & tamen in circumciſionis negotio, longè ſe im-
pares priores audacter increpauit. Quæ videlicet cuncta
vt enarrare breuiter potuimus, ſiue lenia, ſiue aſpera, cha-
ritatis impulſu à ſanctis agunt: quæque ego etſi pauper
ingenio ex aliorum diuitiis vberrimè aggregaui, oſten- G
dens non inaniter vocem Chriſti aquarum multarum voci
aſſimilatam fuiſſe. Sequitur:

Et habebat in dextra ſua ſtellas ſeptem.

Quid in his ſeptem ſtellis intelligere deberemus, is qui
apparuit Angelus, inferius expoſuit, dicens, Septem ſtellas
quas vidiſti in dextera mea, Angeli ſunt ſeptem Eccleſia-
rum. Nobis autem quærendum reliquit, de quibus Angelis
hoc dixerit. Cuius videlicet locutiones, quas ad hos ſe-
ptem dirigit Angelos Eccleſiarum, ſi ſolerter inſpicimus,
apertè innuunt, nequaquam hoc loco de illis ſupernæ pa-
triæ ſpiritibus mentionem fieri, ſed de ſanctis prædicato-
ribus, de quibus ſcriptum eſt: *Et Angeli pacis amare fle-* Iſa. 33.
bant. Et ruríum: *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam,* Malach.
& legem exquirunt de ore eius, quia Angelus Domini exer- 2.
cituum eſt. Neque enim in illis cœleſtis patriæ Angelicis
ſpiritibus inuenitur aliquid quod reprehendatur, ſicut in
iſtis quædam dignè reprehendi, aperta locutione monſtra-
tur. Quid quoque tam abſurdum, quam ſi illos per Ioan- H
nem reprehendi à quolibet credatur, qui in nullo iam de-
linquere poſſe monſtrantur? Et quid congruentius, niſi
illos per hominem redarguere quibus adhuc ineſt quod
reprehendatur? Quia vero ſeptem non numero ſunt, ſed
ſignificatione vniuerſitatis, nimirum omnes Eccleſiæ præ-
dicatores illa ſpecies comprehendit. Quamobrem in ſi-
gnificatione non iam ſeptem, ſed vnus eſt Angelus, id eſt,
perfectus ordo prædicantium: ſicut ſeptem candelabra
non ſolum ſeptem Aſiæ Eccleſias, ſed vnam atque vni-
uerſalem Eccleſiam deſignant. Sed & ſi ſubtiliter intendi-
mus, in iſtis ſeptem etiam candelabra inuenimus, id eſt,
in ſanctis prædicatoribus vniuerſalem Eccleſiam hoc ipſo
Domino innuente, qui in ſubſequentibus vnum eſſe &
Angelos & Eccleſias docet. Cum enim de quolibet An-
gelo in principio locutionis dicat, Et Angelo Eccleſiæ il-
lius ſcribe: atque in fine eiuſdem locutionis concludat,
Qui habet aurem, audiat quid ſpiritus dicat Eccleſiis: non

A Angelo,ſed Eccleſiæ dicat : oſtendit proculdubio hoc eſſe
Angelos , quod Eccleſias. Sic autem iſta coniicimus vt
non ſpeciem vel genus confundamus,ſed in ſpecie genus,
& rurſum in genere ſpeciem oſtẽdamus, id eſt,& in ſepti-
formi atque ſpeciali prædicantium ordine , ſeptiformem
ac generalem Eccleſiam : & rurſum in ſeptiformi ac ge-
nerali Eccleſia , ſeptiformem atque ſpecialem ordinem
prædicantium demonſtremus. Non enim poſſunt ſeparari
ab inuicem , quia vnum ſunt corpus : quodque vna eſt
Eccleſia, quæ in nocte vitæ præſentis,ſiue cœleſtibus ver-
bis, ſiue ſignis & miraculis , ſeu bonorum actuum exem-
plis, velut aſtra firmamenti refulget. De quibus nimirum
ſi Dominus adiuuerit,paulo inferius pleniſſimè diſputabi-
mus. Nunc autem quæ ſit dextera Chriſti,in qua ſeptem
ſtellæ eſſe perhibentur,requiramus. Vt enim paruitas in-
692genioli mei capit , dextera eius hoc loco pro ſua beatitu-
dine , pro ſumma proſperitate poſita eſt : quæ videlicet
nunc manet in ſpe tunc erit in re , quando in futuro agni
ab hœdis fuerint ſeparati,& in dexteram principalis agni
B collocati. Electorum itaque Eccleſia in dextera Chriſti
Matt.25. eſt,ſubaudis , beata prædeſtinatione in ſortem cœleſtis
vitæ futura : vbi iam ſiniſtra non erit,quia infœlicitas vel
aduerſitas nulla nocebit. In hac dextera futuram Eccle-
ſiam Deus pater præſciebat , cum eidem per Iſaiam Pro-
Iſa.41. phetam loqueretur,dicens: *Ne timeas,quia ego tecum ſum:
& ne declines, quia ego Deus tuus confortaui te & auxilia-
tus ſum tui & ſuſcipiet te dextera iuſti mei.* De qua eidem
Pſal.44. ſuſceptori Pſalmiſta dicit : *Aſtitit regina à dextris tuis in
veſtitu deaurato, circumamicta varietate.* Cuius aſtantia
ſingula membra tangens , dicturum ſe eſſe perhibet cum
Matt.25. dicit : *Venite benedicti patris mei , percipite regnum quod
vobis paratum eſt ab origine mundi.* Quia vero iuſtorum
Eccleſia nunc permixta cum reprobis degit , cum eam in
dextera Chriſti teneri audimus , à toto partem intelligere
debemus, quæ in futuro ad dexteram locanda , & ab im-
Matt.20. piis ſeparanda erit. *Multi enim ſunt vocati pauci vero
electi.* Sequitur :

C *Et de ore eius gladius vtraque parte acu-
tus exibat.*

Ephеſ.6. Quid itaque hoc loco per gladium vtraque parte acu-
tum accipimus, niſi prædicationem veteris ac noui teſta-
menti ? Quia enim gladius prædicationem ſanctam deſi-
gnet,teſtatur Paulus, dicens : *Et gladium ſpiritus, quod eſt
Verbum Dei.* Qui bene vtraque parte acutus eſſe dicitur:
quia videlicet hinc culpas operis , illinc reſecat illicitas
cogitationes. Vel certè ideo bis acutus vocatur , quia
hinc electos dum percutit à terrenis voluptatibus abſci-
dens , in nonæ vitæ conuerſationem viuificat : illinc re-
2.Cor.3. probos feriens litera occidit.Hinc Paulus dicit: *Litera oc-
cidit , ſpiritus autem viuificat.* Hoc gladio ingulantur hi,
qui ob amorem patriæ cœleſtis parentes ac carnales pro-
Matt.10. pinquos deſerunt Domino atteſtante qui ait : *Non veni
mittere pacem in terra,ſed gladium. Veni enim ſeparare ho-
minem aduerſus patrem ſuum , & filiam aduerſus matrem
ſuam & nurum aduerſus ſocrum ſuam.* Hoc certè à ſanctis
D prædicatoribus percuſſa fuerat ſancta Eccleſia , quæ di-
cebat : *Inuenerunt me cuſtodes qui circumeunt ciuitatem,
percuſſerunt me,& vulnerauerunt me.* Hoc accinctus Pau-
Cant.5. lus dicebat : *Per arma iuſtitiæ à dextris & à ſiniſtris.*
2.Cor.6. Hoc accingi in carne redemptorem aſpexerat Pſalmiſta,
Pſal.44. cum diceret : *Accingere gladio tuo circa femur potentiſſi-*
Ier.30. *me.* Hoc etiam verſa vice Iudæorum perfidia fuerat con-
foſſa ad quorum perſonã Dominus per Prophetam dice-
bat: *Plaga inimici percuſſi te.* Ac ſi diceret: *Litera occidi te,*
De quibus in infidelitate perdurantibus , longè inferius
ſpecialiter in hac reuelatione dicitur : Cæteri occiſi ſunt
gladio ſedentis ſuper equum , qui procedebat de ore
ipſius;poteſt etiam ideo ſacrum eloquium gladius vtraque
Apoc.19. parte acutus vocari : quia & imperfectos ſecundum lite-
ram exterius informat, & perfectos iuxta myſticum intel-
lectum interius erudit. Sequitur :

Et facies eius ſicut Sol lucet in virtute ſua.

E
Quia vt ſæpè iam diximus , Chriſtus & Eccleſia vna
ſunt perſona , poſſunt per faciem eius ſolis claritate ful-
gentem , omnes electi deſignari : non tamen tales quales
nunc in præſenti vita ſunt , ſed quales in reſurrectione
futuri ſunt. De quibus in Euangelio ipſum caput electo-
rum dicit : *Tunc fulgebunt iuſti ſicut ſol in regno patris eo-* Matt.13.
rum. In qua videlicet ſententia, ſi de ſole iſto viſibili hoc
dictum intelligere debemus : ſciendum nobis eſt,amplio-
rem eum tunc claritatem habiturum, quam nunc habere
videtur. Ampliorem etiam & ſanctos,cuius futuræ clari-
tati comparantur,Iſaia atteſtante qui ait: *Et erit lux Lunæ* Iſa.30.
*ſicut lux Solis , & lux Solis erit ſeptempliciter ſicut lux
ſeptem dierum , in die qua alligauerit Dominus vulnus po-
puli ſui.* Vnde & hoc loco cum de Sole diceretur , *ſicut
Sol lucet :* additum fuiſſe arbitror,*in virtute ſua.* Illud au-
tem vigilanter conſiderandum eſt , quia ad comparatio-
nem membrorum ita tunc fulgentium , valdè excellen- F
tiorem , valdè ſublimiorem eſſe capitis claritatem:quippe
cum membrorum ſuorum ipſum ſit ſempiterna claritas.
Caput enim lumen non illuminatum : membra vero &
ipſa lumen,ſed illuminata.Vnde ſcriptum eſt : *Erat lumen* Ioan.1.
*verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc
mundum.* Quam videlicet magnitudinem claritatis, ideo
poſt reſurrectionem diſcipulis apparens abſcondit,vt eum
vel ſufferre quiuiſſent vel agnoſcere. Quod ſi non feciſ-
ſet , mortalium eum oculos intueri non poſſet. Denique Marc.9.
cum adhuc mortale corpus geſtaret , claritatem faciei
eius quæ vt Sol tunc refulſiſſe perhibetur , cum ſe coram
tribus diſcipulis in monte transfigurauit , idem ipſi ferre
non valuerunt : quanto minus poſſent , ſi eis oſtenderet
poſtquam reſurrexit à mortuis, non iam vt Sol vel ſepties
Sole,ſed multo amplius refulgentem ? Quid autem iſta de
Domino loquimur , cum nec Angelorum vel animarum
ſanctarum cum æterno Sole fulgentium, nos adhuc miſe-
ri atque mortales, fulgorem ſuſtinere valemus,niſi obtuti-
bus noſtris ipſam viſionis formam abſcondendo quodam- G
modo obumbrent ? Sed hæc melius intelligimus , ſi pro
quadam ſignificatione dicta ad caput referamus. Quid
itaque per faciem Angeli,niſi manifeſtam redemptoris in
carne præſentiam, qua loquebatur hominibus facie ad
faciem,intelligere debemus?Quæ ſcilicet rectè per Solem
deſignatur , quia habet & ipſa ſicut Sol & iſte viſibilis,
ortum & occaſum , atque iterum ortum poſt occaſum.
ortum, ſcilicet natiuitatem per carnem , occaſum autem,
mortem in carne. Rurſumque ortum poſt occaſum,reſur-
rectionem poſt mortem. De huius Solis ortu per Prophe-
tam dicitur : *Vobis qui timetis Dominum orietur Sol iuſti-* Malach.4.
tia. De huius vero occaſu Pſalmiſta teſtatur, dicens : *Iter* Pſal.67.
facite ei qui aſcendit ſuper occaſum. Super occaſum nam-
que aſcendit, quia vnde occubuit , inde ſurrexit. Cuius
ortum poſt occaſum , probatiſſimus Iob in ſpiritu præui-
debat,cum diceret : *Rurſum poſt tenebras ſpero lucem.* Iam Iob.17.
autem Sol iſte ortus , iam ad occaſum verſus , ad ortum
iterum fuerat reuerſus, indéque meridianas conſcenderat
horas,quando iſte Ioannes cernebat, id eſt, iam Dominus H
in carne natus, iam paſſus,iam ſuſcitatus,iam in cœlos aſ-
cenderat, ipsáque eius natiuitas, paſſio ac reſurrectio, to-
tum claruerat per orbem. Et idcirco non ſimpliciter ſicut
Sol,ſed ſicut Sol lucet in virtute ſua,facies Angeli refulſe-
rat. Sequitur :

*Et cum vidiſſem eum , cecidi ad pedes eius tan-
quam mortuus.*

Ioannes hoc loco generalem membrorum formam
aſſumit. Angelus vero non iam ſicut ſupra,generaliter ca-
pitis & corporis , ſed ſolius capitis ſpecialiter perſonam
gerit. Quid autem hoc in loco pedes deſignans Angeli?
non vtique vel redemptoris noſtri prædicatores , vel vlti-
ma eius membra ſicut ſuperius, ſed indicia paſſionis eius,
ſed ſigna itineris eius,ſed exempla imitationis eius. Hinc
Petrus ait : *Chriſtus paſſus eſt pro nobis , vobis relinquens* 1.Pet.2.

A *exemplum, vt ſequamini veſtigia eius.* Quid itaque eſt, Ioan-
nem ad pedes Angeli tanquam mortuum cadere, niſi
Eccleſiam mundo & vitiis mortuam, Chriſti veſtigia imi-
tari? Dicator ergo: [*Cum vidiſſem eum, cecidi ad pedes
eius tanquam mortuus.*] Ac ſi electorũ Eccleſia dicat: Cum
vnigenitum Dei filium pro me incarnatum, paſſum, &
ſuſcitatum agnouiſſem, ſiue ſcilicet in Apoſtolis corpo-
reis oculis, ſeu in ſubſequentibus membris meis fidei lu-
minibus, mox mundo moriens, ad imitanda veſtigia eius
memetipſam proſtraui. Bene autem non mortuus, ſed
tanquam mortuus, Ioannes ad pedes Angeli cecidiſſe deſ-
cribitur: quia & ſi electi vt redemptoris ſui paſſiones
poſſint imitari, mundo & vitiis moriuntur, Deo tamen
ſpiritaliter viuere comprobantur. Hinc & Paulus ait:
Gal.2. *Viuo autem iam non ego, viuit vero in me Chriſtus.* Hinc
Rom.12. fidelibus dicit: *Obſecro vos per miſericordiam Dei, vt exhi-
beatis corpora veſtra hoſtiam viuentem.* Vel certè propterea
non mortuus, ſed tanquam mortuus, ad pedes Angeli
Ioannes cadit: quia ſancti viri & ſi pro Chriſto morte
B afficiuntur tota die, tamen ſpe futuræ reſurrectionis iam
viuunt cum Chriſto. Vnde idem quoque egregius prædi-
Coloſſ.3. cator dicit: *Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum
Chriſto in Deo.* Non ſolum autem, ſed & in ipſo Ioannis
caſu humilitas Eccleſiæ commendatur: quæ & ſi carnem
domat, voluptates illicitas frenat, humilitate tamen ad
imitanda Chriſti veſtigia pertingit. Sequitur:

Et poſuit ſuper me dexteram ſuam, dicens: Noli timere.

Magna legentium debet eſſe cautela, ne in ſacro elo-
quio vnam eandémque rem, maximè in figuratis locutio-
nibus, vno ſemper modo accipi poſſe ſperent: ſed pro
Matt.25. qualitatibus locorum, diuerſa ſignificari cognoſcant. Pau-
lo namque ſuperius per dexteram Angeli, in qua figura-
tim ſeptem ſtellæ viſæ deſcribuntur, futuræ proſperitatis
intelleximus beatitudinem: quæ iam nihil habebit aduer-
ſitatis, nihil miſeriæ, cum ab hœdis oues fuerint ſeparatæ.
C Nunc autem non ipſum Angeli dextera ſignificat, ſed
aliud quiddam, ſicut & pedes eiuſdem ſuperius vel ſan-
ctos prædicatores, vel vltima Eccleſiæ membra. In præce-
denti autem verſiculo, exempla imitationis paſſionum
Chriſti deſignant. Quam frequens vero in aliis volumini-
bus hæc reperiatur conſuetudo, præceſſores noſtri, qui
magnificentiſſimè ſacras Scripturas enodauerunt, fre-
Deut.33. quenter oſtenderunt. Quid itaque hoc loco per dexteram
Angeli, niſi prædicatores figurantur? Hinc enim per Moy-
ſen dicitur: *In dextera eius ignea lex.* Ac ſi diceretur: In
ſanctis prædicatoribus doctrina Spiritus ſancti, quæ in
2.Cor.3. tabulis cordis carnalibus ſpiritu Dei ſcriberetur, ſuper
Apoſtolos idem ſpiritus in igneis linguis apparuiſſe de-
ſcribitur. Siletur planè, quid Angelus dexteram ſuam ſu-
Act.2. per Ioannem, imo potius Chriſtus per Angelum ſuper
Eccleſiam ponens, fecerit. Sed certa ratione colligimus,
quia ſiue illum, ſeu Eccleſiam in illo à terra leuauit. Vnde
Daniel quoque ſimilem pene huic cernens viſionem, ait:
Dan 10. *Leuaui oculos meos, & vidi: ecce vir vnus veſtitus lineis,*
D *& renes eius accincti auro obrizo, & corpus eius quaſi chry-
ſolithus, & facies eius velut ſpecies fulguris, & oculi eius vt
lampas ardens, & brachia eius & quæ deorſum vſque ad
pedes, quaſi ſpecies æris candentis, & vox ſermonum eius
Ibid. vt vox multitudinis.* Atque poſt pauca: *Ecce, ait, manus
tetigit me, & erexit me ſuper genua mea, & ſuper articulos
manuum mearum.* Quid itaque eſt, Angelum ſuper Ioan-
nem tanquam mortuum ad pedes ſuos iacentem, manum
ponere, cúmque (ſi tamen ita eſt) à terra erigere, niſi Do-
minum redemptorem noſtrum, Eccleſiam ſuam imitan-
tem paſſiones eius, à cordis mœrore ad ſpem futuræ glo-
riæ per ſanctos prædicatores exhortando leuare? Quaſi
enim dextera Chriſti ſuper fidelium corda preſſurarum
anguſtiis vallata, vt ad ſpem futuræ remunerationis eri-
gerentur, Paulus poſitus fuerat, cum exhortando dicebat:
Rom.8. *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram
gloriam quæ reuelabitur in nobis.* Intelligat etiam lector
meus, non me dixiſſe Eccleſiam ab imitatione paſſionum
Chriſti ſubmotam, in eo quod eam à pedibus eius dixi B
erectam: ſed pro illatis paſſionibus, ad gaudia cœleſtis pa-
triæ cor eius ſubleuatum. Bene autem illic additur: [*Noli
timere:*] Ac ſi electorum Eccleſiæ diceretur: Erige men-
tis obtutum ex paſſionis certamine ad futura præmia: &
accepta deſuper fiducia, humanum timorem audacter
longè propulſa. Audi denique ſimilia in Euangelio, per
quod credidiſti: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, ani-* Matt.10.
mam autem non poſſunt occidere. Hinc Petrus admonet, 1.Pet.4.
dicens: *Chariſſimi, nolite paueſcere ardore accedentes vobis
in tentatione. Nolite trepidare, quaſi noui aliquid contingat,
ſed quoteſcunque communicatis Chriſti paſſionibus gaudete,
vt & in aduentu gloriæ eius gaudeatis exultantes. Quod ſi
improperatur vobis Chriſtus, beati eſtis, quoniam nomen
gloriæ & virtutis Dei ſuper vos requieſcit.* Hinc rurſus au-
ctor ſalutis noſtræ ad diſcipulos ait: *Beati eſtis cum ma-* Matt.5.
ledixerint vobis homines, & dixerint omne malum aduer- Luc.6.
ſum vos, mentientes propter me vel nomen meum. Gau- 1 Cor.1.
*dete in illa die & exultate, ecce enim merces veſtra mul-
ta eſt in cœlo.* Hinc Paulus ait: *Et ſi abundant tribula-* F
tiones noſtræ, abundat etiam & conſolatio noſtra. Se-
quitur:

Ego ſum primus & nouiſſimus, & viuus fui & mortuus, & ecce ſum viuens in ſæcula ſæculorum.

Hinc manifeſtiſſimè declaratur, cuius ſpecialiter per-
ſonam iſte geſſerit Angelus, qui Ioanni hæc reuelaturus ap-
paruit. Et certè ſicut verba ipſius reuelationis indicant,
Angelus fuit qui ad eum iſta perlaturus aduenit, ſed in
Angelo Dominus apparuit. Nulli enim alio quæ nunc
in iſto verſu narrantur, niſi redemptori noſtro nato &
paſſo ac ſuſcitato, competunt. Ipſe etenim primus, quia
per ipſum in diuinitate facta ſunt omnia: ipſe nouiſſimus,
quia in ipſo reſtaurantur omnia. Ipſe primus, quia ante
ipſum nullus: ipſe nouiſſimus, quia intra ipſum omnes.
[*Et viuus fui*] ait. Ac ſi diceret: Vel ante ſuſceptam hu- G
manitatem in diuinitate vel ante mortem in carne. [*Et
mortuus:*] ſubaudis poſt natiuitatem carnis in carne. [*Et
ecce ſum viuens in ſæcula ſæculorum*] videlicet poſt reſur-
rectionem carnis in carne. Inter hæc autem conſiderare
libet, quanta ſit pietatis compaſſio, quanta ſpes conſola-
tionis: tanquam mortuo diceret: viuus fui & mortuus.
Nihil enim pietate plenius, nihil affectione congruentius:
quam quod ſibi ſimilem in morte ſuum Dominum audi-
ret is, qui tanquam mortuus pauebat. Ac ſi caput corpori
diceret: Nolite membra pauere pro capite pati, cum ego
caput veſtrum, prius pro vobis mori non dubitauerim.
Quin potius attendite, quia poſt mortem viuit vita veſtra
quæ conſtat in capite, exemplum vobis oſtendens quan-
doque in gloriam reſurgendi, ſi modo vano timore non
receſſeritis de corpore. Sequitur:

Et habeo claues mortis & inferorum.

Quid congruentius clauium nomine, quam poteſtas H
diuini iudicij exprimitur? Quam videlicet nullus effugere Iſa.20.
valet, quia cunctos vt clauis includit, quanquam ad tem- Apoc.3.
pus occulta diſpoſitione quibuſdam poteſtas nocendi Sap.2.
aperiri videatur. Hinc enim ſcriptum eſt: *Qui aperit, &* Apoc.6.
nemo claudit: claudit, & nemo aperit. Quis autem mortis Apoc.20.
appellatione deſignatur, niſi ille de quo ſcriptum eſt. Inui-
dia diaboli mors intrauit in orbem terrarum? Qui vero
inferorum vocabulo figurantur, niſi omnes qui ex parte
mortis eſſe noſcuntur. Quod vtrumque in hac Apocalypſi
apertius declaratur, loco quo dicitur: *Ecce equus pallidus,* Luc.22.
*& qui ſedebat deſuper, nomen illi mors, & infernus ſequeba-
tur eum.* Ruſumque, *Mors, ait, & infernus miſſi ſunt in
ſtagnum ignis ardentis ſulfure.* Iſti ſiquidem clauibus ad
probandam atque exercendam Eccleſiam occulta omni-
potentis Dei ordinatione reſeratur antiquus aduerſarius
cum ſuis in perſecutione: iſtis reclauditur, cum ſatis fuiſſe
perſpexerit ille qui aperit. Iſtis diuinæ poteſtatis clauibus

A fuerat relaxatus, cum Petrum ſeruili timore negare compulit redemptorem. Iſtis rurſum poſt paululum recluſus eſt cum negationem amariſſimè flentem, quodammodo de faucibus amiſit. Iſtis ſupernæ diſpoſitionis clauibus fuerat dimiſſus, quando Mariam multis ſibi criminibus deuinxerat: iſtis iterum detruſus, cum eam peccata lachrymis diluentem miſit. Iſtis diuini iudicij clauibus quotidie reſeratur, cum electos tentationibus fatigare permittitur: iſtis reſtringitur, cum non ſupra modum, ſed ad menſuram ipſas tentationes exaggerare permittitur. Vnde

1.Cor.10. ſcriptum eſt: *Fidelis Deus qui non patietur vos tentari ſupra quam poteſtis ferre; ſed faciet cum tentatione etiam prouentum, vt poſſitis ſuſtinere.* Fit etiam plerumque miro diſpoſitionis ordine, vt vnde ſe hoſtis noſter aperionis clauem inueniſſe gratulatur, inde amplius concludatur: quia dum nonnunquam quibuſdam vitiis etiam electos pulſat, extollere eos de tranſactis virtutibus non permittit.

2.Cor.12. Iob.1. Hinc Paulus de ſeipſo ait: *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ Angelus*

B *Satanæ qui me colaphizet.* Hinc eſt quod iuſtum Iob ore Domini vltra omnes homines laudatum, ſic ad tentandum accepit, non vt eum ſuperaret, ſed vt & tranſactas eius virtutes neſciens cuſtodiret, & merita potiora poſt flagella augeret. Habet ſiquidem & Eccleſia pro modulo ſuo has claues in Chriſto, cum pro diſciplinæ cœleſtis vigore quoſdam ſatanæ tradit in interitum carnis, ſed vt

1.Cor.5. ſpiritus ſaluus ſit in die Domini: ſicut Paulum feciſſe cognoſcimus, qui Corinthium peccantem hac pœna iudicauit plectendum. Nec mirum ſi habeat in Chriſto claues mortis & inferorum, quæ ipſo annuente, in Petro

Ioan.20. accepit claues regni cœlorum. Vnde ſcriptum eſt: *Tibi dabo claues regni cœlorum. Et quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.* Et rurſum: *Accipite, ait, ſpiritum ſanctum. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Conſideret itaque vnica à Chriſto dilecta, conſideret autem deſiderio gemens, ſpe gaudens, quanta illi in patria viuenti poteſtas maneat, ſi adhuc & in exilio tanquam mortua, in

C cœlis pariter & in terris ſoluit & ligat. Hanc enim poteſtatem ipſum quoque membrorum caput in membris accepit in tempore, cuius poteſtas cum patre manet ſine

Matt.28. Pſal.67. Epheſ.4. tempore. Ait enim. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra.* Tanquam diceret, Homo factus, in hominibus à patre accepi, quod ipſe cum patre mihi & membris meis dedi. Quod vtrumque Pſalmiſta & Apoſtolus docet, cum vnus horum dicit, *accepit dona in hominibus*: alter vero ait: *dedit dona hominibus.* Sequitur:

Scribe ergo quæ vidiſti, & quæ ſunt, & quæ oportet fieri poſt hæc.

Hic à genere ad ſpeciem ſermo deriuatur: quia Ioannes non totum generaliter Eccleſiæ corpus, ſed ſpecialiter ſanctos prædicatores in ſua perſona reſumit: qui Chriſti voce admonetur, vt ea quæ de ipſo & eius Eccleſia ſuperno munere ſibi reuelata cognoſcunt, profutura legen-

D tibus pandant. Sed cum ſuperius ei conſtet iam dictum, vt ea quæ vidit, ſcribere deberet: nunc quid ſibi vult, quod ad ſcribendum iterata voce compellitur, niſi quia in repetitione verbi, negligentia torporis à prædicatorum ſtudio remouetur, vt quæ ſæpius admonentur ſine tarditate impleantur? Scribe ergo, ait, quæ vidiſti; tanquam diceret: In lege & Prophetis futura de me, & quæ ſunt, ſubaudis iam impleta per me, & quæ oportet fieri poſt hæc. Ac ſi patenter dicat, adimplenda in membris meis. Si quis ſanè in hac parte me reprehendendum putat, quia vnum hominem ſpiritu æternitatis ad diuina myſteria rimanda ſubleuatum, id eſt, Ioannem, diuerſas perſonas pro locorum qualitatibus tenere aſſero: caueat ne beatæ recordationis Auguſtinum, necnon & Gregorium, & pene omnes ſanctarum Scripturarum tractatores reprehendat, dum ad me oculos tendit qui docente Spiritu ſancto, hoc ſæpiſſimè vſi videntur ingenio. O quam diuerſas perſonas in vno homine Iob, beatus ac præcipuus eius expo-

E ſitor intellexit Gregorius. Nunc enim in eius perſona Dominum redemptorem: nunc autem ſanctos prædicatores, nunc vero bonos auditores, nunc etiam totum omnino corpus Eccleſiæ, quod ex electis & reprobis conſtat, intelligi docuit. Et quidem ad remouendas talium querelas, multa ſcripturarum occurrunt argumenta, ſed liber in longum protractus, iam debito fine claudendus eſt: ne ante laſſemur in camporum planitie, quam ad huius Apocalypſis ſubeundos montes veniamus.

D. AMBROSII ANSBERTI Presbyteri, in Apocalypſim Ioannis Apoſtoli.

LIBER SECVNDVS.

F FACILIVS in hac reuelatione quid deſignet oſtenſa viſio, quem ipſius viſionis qualitatem inuenimus; & quidam alij, vt iam meminimus ſpiritalem hanc & per ſimilitudines rerum corporalium oſtenſam fuiſſe aſſerunt, alij vero intellectualem confirmant. Ego igitur inter eos poſitus, temere nequaquam affirmo, vtrum Ioannes in extaſi raptus, hanc per imagines rerum corporalium aſpexerit, an ipſa ſpiritus ſubtilitate hoc intus in intellectu ſine ſimilitudinibus rerum corporalium viderit, quod foris per literam figurata locutione clauſit. Si itaque intellectualis eſt, cur ea quæ videt, poſtmodum quid ſignificent diſcit? Rurſum, ſi intellectualis non eſt, ſed per imagines rerum corporalium oſtenſa, cur tam multis in locis nec requirit, nec diſcit quid ſibi velint ea quæ viderit? Et reuera paucis in capitulis quid ſignificent illa quæ viderit in hac Apocalypſi, Ioannes ab Angelo didiciſſe ſe fatetur. Plurimis autem tantum quia viderit profitetur. Vbi profecto innuitur, quia niſi intellexiſſet quæ viderat, nimirum interrogaſſet Angelum quid ſibi

G vellent ea quæ ſibi oſtenſa fuerant. An fortè obſcuriora ad intelligendum fuerant quæ ab Angelo didicit, lucidiora vero quæ per ſemetipſum intellexit? Ecce etenim ei nunc dicitur:

Sacramentum ſeptem ſtellarum quas vidiſti in dextera mea, & ſeptem candelabra aurea: ſeptem ſtellæ, Angeli ſunt ſeptem Eccleſiarum: & candelabra ſeptem, ſeptem Eccleſiæ ſunt.

Sed nunquid difficiliora ſunt intellectui iſta, quam illa Apoc.4.
quæ poſtea vidit, ac per ſemetipſum (ſi tamen eſt) intellexit? Denique paulo inferius oſtium ſe in cœlo apertum vidiſſe, ac ſedem poſitam innotuit, quæ videlicet præſi- H
debat vir ſimilis aſpectui lapidis iaſpidis & ſardij, quamque vir ſimilis viſioni ſmaragdinæ ambiebat, in cuius etiam circuitu vigintiquatuor ſeniores ſedebant, circumamicti veſtimentis albis, & regalis diadematis honore coronati, & ante eam ſeptem lampades ardebant. In medio quoque & in circuitu ſuo, quatuor animalia plena oculis ante & retro, intus & foris habebat, quæque ſenis alis per ſingula vtebantur. Hæc certè obſcuriora ſunt ad intelligendum, quam illa quæ de ſeptem ſtellis, ſeptémque candelabris didicit, & tamen quid iſta ſignificent, non dicit quod eum aliquis docuerit, ſicut de ſeptem ſtellis ſeptémque candelabris fecit. O quam obſcuriora vidit alia, quæ illa ſola fortè intellectualis viſio patefecit. Prædixi autem & prædico, non me de huius viſionis qualitate propriam ſententiam dare, de qua maiorum Eccleſiæ tractatorum video ſententias variare. Hoc ſolum veraciter affirmo, quia ſi intellectualis fuerit iſta viſio, non in

ſua,

A ſua, ſed in aliorum perſona ea quæ videt, poſtmodum Ioannes quod exprimant diſcit, ſicuti nunc fortaſſis de ſeptem ſtellis ſeptémque viſis candelabris. Si autem per imagines rerum corporalium demonſtrata, quibuſdam in locis quomodo intelligentiam viſionis acceperit dicit, quibuſdam vero tacet: profectò non ſine cauſa etiam iuxta hanc rationem quædam ſibi expoſita introducit, quædam vero vtrumne fuerint expoſita, ſilentio tegit: quatenus videlicet per id quod intellectum aperit, legentium ad ſe animos inuitet: per id vero quod clauſum non pandit, exercitium illis ſubminiſtret. Niſi enim in tam obſcuris locutionibus eſſent quidam ipſo quo edita ſunt, ſtylo dilucidata, quis legentium non abhorreret, cum totum obſcurum cerneret? Rurſum, niſi eſſent quædam obſcura relicta, quis prudentum non faſtidiret, cum omnia in promptu eſſe conſpiceret? Eſt ergo in eis quod ad ſe prouocet, eſt quod ad ſe prouocatos, in ſe exerceat. Sed iam nunc ad expoſitionis ordinem ſtylum vertamus. Dicatur itaque: [*Sacramentum ſeptem ſtellarum quas vidiſti* B *in dextera mea, & ſeptem candelabra aurea, ſeptem ſtellæ, Angeli ſunt ſeptem Eccleſiarum: & candelabra ſeptem, ſeptem Eccleſiæ ſunt.*] Hæc apertè enodata, hæc apertè ſunt explanata. Sed quia paulo ſuperius hoc eſſe diximus ſeptem ſtellas, quod ſeptem candelabra, cum Angelus vel potius in Angelo Dominus, hoc loco ſeptem ſtellas, ſeptem Angelos Eccleſiarum: ſeptem vero candelabra, ſeptem Eccleſias expoſuerit: libet paulo vigilantius eadem repetendo conſiderare, & qualiter in ſpecie genus, ac rurſum in genere expreſſa inueniatur ſpecies, demonſtrare. Conſtat namque & verum eſt, quod veritas expoſuit, ſeptem ſtellas ſeptem eſſe Angelos Eccleſiarum, id eſt, vniuerſalis Eccleſiæ ſeptiformem prædicantium ordinem.

Qui nimirum rectè per ſtellas, rectè per Angelos deſignantur: quia & in huius ſæculi nocte, prædicatores veritatis lucem per munditiam vitæ, & auditoribus ſuis cœleſtia nuntiando, Angeli veritatis exiſtunt, quibus bene Philip. 2. per Paulum dicitur: *In medio nationis prauæ & peruerſæ,* C *inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes.* Sed in hac ſpecie totum Eccleſiæ corpus generaliter inuenitur expreſſum: quia & ſi prædicator diſpenſatione Sacramenti auditoribus præponitur, compaginis tamen vnitate eiſdem auditoribus connectitur. Quamobrem & in ſeptem ſtellis ſeptem candelabra, & rurſum in ſeptem candelabris ſeptem inueniuntur ſtellæ. Nam vnum ſunt, nec diuidi ab inuicem poſſunt, quos vnitas fidei & compago charitatis annectit. Quam videlicet intelligentiæ regulam, hæc quoque cœleſtis reuelatio ſeruans, vna eadémque locutione & Angelos & Eccleſias vnum eſſe deſignat.

Nam cum in principio locutionum quæ ad ſeptem fiunt Angelos, dicat, & Angelo illius Eccleſiæ ſcribe: in fine tamen earundem locutionum non dicit, qui habet aurem, audiat quid ſpiritus Angelo dicat; ſed, quid Eccleſiis dicat: quatenus per hoc dictum, in Angelo Eccleſias deſignet. Hinc eſt etiam quod cum hic ad Angelos iuſſu diuino ſcribat, initio tamen huius reuelationis, ad ſeptem D Eccleſias ſcripſiſſe ſe demonſtrat. *Ioannes,* inquit, *ſeptem* Apoc. 2. 2. *Eccleſiis quæ ſunt in Aſia,* Et vox quam poſt tergum audit, dicit: *Quod vides, ſcribe in libro, & mitte ſeptem Eccleſiis.* Ipſe quoque Dominus hæc eadem in fine huius viſionis confirmat, dicens: *Ego Ieſus miſi Angelum meum teſtificari vobis hæc in Eccleſiis.* In quibus ſcilicet verbis patenter innuitur, & in Angelis Eccleſias, & rurſum in Eccleſiis Angelos intelligi debere: quatenus & in ſpecie genus, & rurſum in genere ſpecies inueniatur expreſſa. Illud etiam ſciendum, quia hoc eſt vnus Angelus, quod ſeptem: quia videlicet quantum ad figuratam locutionem pertinet, non numero, ſed ſignificatione ſeptem ponuntur. Necnon & illud ſolerter intuendum, quia Angelum diuina locutio Eccleſiam oſtendens, duas in eo partes deſignat, dum vnum eundémque & laudat & increpat. In conſequentibus enim oſtendit non eundem ſe increpare, quem laudat. Quo vtique locutionis genere Dominus quoque in Euangelio vtitur, cum omne prædicatorum E corpus, vnum ſeruum dicit beatum & nequam, quem veniens ipſe Dominus diuidet: & non totum ſeruum, ſed Matt. 24. vt idem ait, *partem eius cum hypocritis ponet.* Hinc locutionis regulam Paulus etiam tenebat, cum Corinthiis loqueretur, dicens: *Gratias ago Deo meo ſemper pro vobis, in* 1. Cor. 1. *gratia Dei quæ data eſt vobis in Chriſto Ieſu, quia in omnibus diuites facti eſtis in illo, in omni verbo & in omni ſcientia, & ſicut teſtimonium Chriſti confirmatum eſt in* Ibid. *vobis, ita vt nihil vobis deſit in vlla gratia.* Quibus rurſum Ibid. ait: *Obſecro vos fratres per nomen Domini Ieſu Chriſti, vt idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata.* Et infra: *Significatum eſt mihi de vobis fratres mei ab his qui ſunt Chloes, quia contentiones inter vos ſunt. Hoc enim dico, quod vnuſquiſque veſtrum dicit: Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ego autem Chriſti. Diuiſus eſt Chriſtus? Neque enim fieri poteſt, vt idem ſint diuites in omni verbo, & in omni ſcientia, ita vt nihil eis deſit in vlla gratia, qui inferius comprobantur per omnia ſchiſmatici.* Sic, ſic in hac reuelatione, ſic vnus (vt dictum eſt) Angelus & laudibus mulcetur, & increpationibus inuehi- F tur. Sciendum præterea, quia nunc quidem in eo generaliter totum corpus electorum, quod ex ſanctis prædicatoribus & bonis conſtat auditoribus, præconio laudis attollitur: nunc autem tota ſimiliter pars reproborum, improperio vituperationis exaggeratur: nunc vero pars corporis ſpecialiter in eodem collaudatur in bonis, nunc etiam pars ſimiliter ſpecialis notatur in malis. Et modo quidem ab ſpeciali corporis parte, ad generale totius Eccleſiæ corpus locutio tranſit: modo vero à generali corpore ad ſpecialem corporis partem, modo autem à parte ad partem, vel ab ſpecie ad ſpeciem recurrit, nunc à figura ad proprietatem redit. Quod melius poſtmodum exponendo, quam nunc aſſerendo monſtrabimus. Sequitur:

Et Angelo Epheſi Eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit qui tenet ſeptem ſtellas in dextera ſua, qui ambulat in medio ſeptem candelabrorum aureorum: Scio opera tua & laborem & patientiam tuam. Apocalypſeos caput II. G

Hoc in loco beatus Ioannes ſiue ex propria, ſiue ex præcedentium prædicatorum perſona, ad vniuerſalem Eccleſiam verba Domini, ipſo iubente, ſcribit. Particulatim vero pro quibuſdam ſignificationibus ſuperius præmiſſis, Eccleſiarum Angelos tangit: ſed in fine vniuſcuiuſque locutionis, non vni, ſed omnibus Eccleſiis ſe verba feciſſe innoteſcit. Dicatur itaque: [*Et Angelo Epheſi Eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit qui tenet ſeptem ſtellas in dextera ſua, qui ambulat in medio ſeptem candelabrorum aureorum.*] Ac ſi diceretur: Illi Angelo ſcribe, qui in ſacrato ſeptem ſtellarum ac ſeptem candelabrorum numero conſiſtit, quem ego & in dextera mea teneo, & in medio eius deambulo. Nam cum ſeptem ſtellas Angelus in dextera tenet, nimirum ſeptem candelabra tenet. Et cum in medio candelabrorum ambulat, vtique in medio ſtellarum am- H bulat: quia & ſtellas & candelabra vnum eſſe, idem Angelus aſſignat. Quid itaque eſt, Angelum ſtellas in dextera ſua tenere, niſi (vt iam fati ſumus) redemptorem noſtrum electos ſuos proſperitatis beatitudine, quæ ſine vlla aduerſitatis perturbatione tranquilla manebit, præcognitos ac prædeſtinatos habere? Quid vero eſt, eundem ipſum in medio candelabrorum ambulare, niſi vnicuique ſanctorum ſuorum quos ad dexteram futuræ pacis locandos prædeſtinauit, donorum gratiam largiturum, per internam diſcretionem vbique præſentem adeſſe? Dum enim alium ad cuſtodiendam carnis munditiam ſuperna aſpiratione incitat, alium ad ſeruandam coniugalem caſtitatem informat, alium ad hoſpitalitatis miniſterium accendit, alium ad contemptum mundi, ac ſimul cunctas facultates pauperibus erogandas, patriam parentéſque, vxorem ac filios relinquendos, prouocat: alium ad prædicationis officium inflammat, alium ad ſilentij taciturnitatem

niratem

A nitatem informat, alium ad tolerandas iniurias, opprobria, irriſionéſque roborat: alium ad vigiliarum atque orationum ſtudia inſtigat, alium ad ſuſpiria vel gemitus pertrahit, alium ad lachrymas impingit, alium de præſentibus per contemplationis exceſſum ad ſupernæ pacis quietem deguſtandã eleuat, quaſi in medio candelabrorum quotidie ambulat. Vel certè dum quemlibet electorum intimo diſcretionis examine probandum ad tempus in tentatione deſerit, atque alium vt à tentatione eripiat, pio fauore proſequitur, tanquam in medio candelabrorum quotidie diſcurrere videtur. Quid ſi hoc loco totum Eccleſiæ corpus, quod ex electis & reprobis conſtat, & non ſolum partem eius electam per ſtellas & candelabra intelligere debemus: quid aliud in dextera Chriſti accipimus, quam potentiam diuinitatis eius, quam nullus Pſal.94. poteſt euadere, quia *in manu eius ſunt omnes fines terræ?* Nam & ſi multi eius permiſſu contra voluntatem ipſius peragant, nullus tamen horum potentiam dexteræ illius euadit: quia videlicet vnde ex vna parte contra volun- B tatem eius agunt, inde ex altera voluntati ipſius deſeruiunt. Neque enim vult miſericors Deus, vt praua reprobi faciant, qui mortem non fecit, nec lætatur in perditione peccatorum. Vult tamen, vt eorum prauitatibus Sap.1. electi proficiant. Sic itaque, ſic ſummè bonus omnipotens Deus, malos, vt in voluptatibus ſuis eant, ſecundum deſideria cordis eorum dimittit, vt tamen ad electorum vti- Pſal.80. litatem ſibi ſeruire compellat. Hac virtutis dextera retinentur, ne in quantum volunt nocere præualeant: ſed tanquam ſerui ſub poteſtate Domini, ad menſuram filios verbere cædant. Hac etiam ipſi filij comprimuntur, ne vel vltra menſuras acceptæ virtutis per inanem gloriam tranſeant, vel ad vitiorum illecebras præcipites ruant. Gal.5. Quod fit miro diſpoſitionis ordine, vt dum caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem, inter vtraque poſitus animus, non quæcunque vult illa faciat, ſed quæ dextera iudicantis ordinauerit. Et quia vnius corporis vtraſque partes, & electam ſcilicet & reprobam, Angelus in dextera virtutis tenet: nimirum in C medio vtrarumque partium deambulat, ſed vnam deſerens, ad alteram perueniens. In medio enim candelabrorum Angelus ambulat: quia videlicet redemptor noſter permixtos in Eccleſia malos intuens, aduentus quidem ſui præſentiam ſentire eos facit, dum cognitionis ſuæ luce perfundit. Sed quia fidem opera non ſequuntur, nequaquam apud eos manet; ſed ad electorum corda ab eis Gen.8. tranſit, in quibus per opera virtutum inhabitat. Hoc enim indicat columba illa ex arca dimiſſa, quæ ſuper aquas diluuij volitans, cum non inueniſſet vbi requieſcere pes eius, ad arcam reuerſa eſt. Hinc per Prophetam Dominus Eſa.66. dicit: *Super quem requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem & quietum, & trementem ſermones meos?* Hinc in Ioan.14. Euangelio ait: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit: & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Qui igitur de ſuo patriſque dilectore dicit, ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus: oſtendit proculdubio, quia ne ſine excuſatione pereant, ad eos etiam venit, in quibus manſionem non D inuenit. Bene itaque dicitur, *qui ambulat in medio ſeptem candelabrorum aureorum.* Ac ſi apertè diceretur: Tamdiu inter electos & reprobos exhortationis verbo diſcurrit, quouſque inueniat apud quem per opera virtutum manſionem faciat. Quid autem ambulans dicat, audiamus. Ait enim: [*Scio opera tua & laborem & patientiam tuam.*] Hoc certè non vni ſpecialiter, ſed generaliter omnibus electis congruere videtur: quorum opera, labor & patientia, à Domino præcognita numerantur. Scire autem Dei, aliquando pro electionis approbatione ponitur: aliquando vero pro eo quod eſt, ſcire nos facere: aliquando quoque ſimpliciter, pro eo quod nihil ei poſſit latere. Scire namque Dei, pro electionis approbatione in Scriptura ſacra ponitur: ſicut ipſi, necdum gentibus ad cogni- Amos 9. tionem fidei perductis, Hebræorum populo dicitur: *Vos* Exod.33. *cognoui de cunctis terrarum populis.* Hinc Moyſi ait: *Noui* 2.Tim.2. *te ex nomine.* Hinc per Paulum dicitur: *Nouit Dominus* Matt.7. & 25. *qui ſunt eius.* Contra reprobis in fine dicetur: *Non* E *noui vos*; ſubaudis, nequaquam vos per electionis approbationem meos recognoſco. Ab eo autem quod eſt ſcire nos facere, ſcire Deus perhibetur, ſicut Abrahæ per Angelum ab eo dicitur: *Nunc cognoui quod timeas Deum,* Gen.22. *eo quod non peperceris filio tuo vnigenito propter me.* Ac ſi diceret: In eo quod vnicæ propaginis tuæ ſoboli non pepercisti propter me, cognoſcere feci quod timeas me. Plerumque vero ſcientia Dei, ſimpliciter ipſa vis diuinæ ſubtilitatis, cui nuda & aperta ſunt omnia, accipitur. Heb.4. Vnde ei per Pſalmiſtam dicitur: *Tu cognouiſti omnia nouiſſima & antiqua.* Pſal.138. In iſtis autem ſeptem Eccleſiarum locutionibus, ſcire Dei ſiue propter electionis approbationem, ſiue pro eo quod eſt ſcire nos facere, ſeu ſimpliciter pro eo quod nihil ei poſſit latere, pro locorum qualitatibus accipiamus, à ſano intellectu non diſcrepamus. In hoc itaque verſiculo, quem exponendum præ manibus habemus, opera, laborem & patientiam vniuerſalis Eccleſiæ ſcire ſe Dominus perhibet: ab eo quod eſt, per electionis gratiam approbat. Quia vero opus virtutis aſſumptum F laborem gignit, laborem autem patientia tolerat, idcirco ordo iſte verborum ita contexitur, vt dicatur: [*Scio opera tua & laborem & patientiam tuam.*] Sciendum quoque quia magna laus Eccleſiæ in operibus ac laboribus, ſed magnificentior in patientia prædicatur, quæ cunctas cuſtodit virtutes, cunctóſque tolerat labores. Opera enim & labores, communia ſunt bonis & malis. Patientia autem vera, ſingulare munus collatum electis. Quæ ſi deſit, multa opera multique labores, ſubito ad nihilum rediguntur. Patientia autem vera eſt, quæ & mala proximorum æquanimiter tolerat; & eos quos praue agentes portat, & ſinceriter amat. Scriptum quippe eſt: *Charitas patiens eſt, benigna eſt.* 1.Cor.13. Charitas quippe patiens eſt, quia irrogata mala tolerat. Benigna vero eſt, quia & eos diligere nouit, à quibus illatas iniurias portat. Inter hæc autem libet miſeriam noſtram deflere, qui in tantæ puſillanimitatis deſidiam venimus, vt hoc nobis ſolum ſufficere poſſe credamus, ſi nulli damnum vel contumelias inferamus. Si enim verè membra noſtri redemptoris ſumus, nulli quidem malum inferre debemus, ſed tamen illatum ab G alio, æquanimiter ſuſtinere. Sed quia prauorum mala tolerare renuimus, propterea in ſubſequenti verſiculo mirabiliter noſtra perſona notatur. Nam cum hic ſermo Dei laudibus attollat opera, laborem ac patientiam omnium electorum, mox à generali corpore ad infirmitatem ſpecialem corporis partem recurrens, eiuſdem ignauiam notat, dicens:

Et quia ſuſtinere non vales malos:

Subaudis ſcio, Ac ſi ei apertius diceret: quia à patientia membrorum meorum diſiungeris, quam ignominioſè pars inter illa latitas, iratus palam detego. Non enim (vt arbitror) laudis, ſed magnæ infirmitatis indicia ſunt, Angelum malos ſuſtinere non poſſe. Et certè huic Angelo poſt paululum dicitur: *Patientiam habes, & ſuſtinuiſti propter nomen meum, nec defeciſti.* Quomodo enim ſibi H conuenire poſſunt, ſuſtinere non vales malos: &c. ſuſtinuiſti propter nomen meum, nec defeciſti: niſi quia in vno horum infirmitas, in altero autem membrorum firmitas oſtenditur? Nonnunquam itaque infirmi quilibet, malorum prauitates dum non valent ſufferre, eorum conſortia greſſibus corporis conantur fugere: ignorantes quam impium ſit, propter prauorum aduerſitatem, ſanctorum relinquere vnanimitatem. Qui ſi patientiæ ſtuderent, quia alibi locus deeſt, in ſemetipſis inuenirent vbi eos euadere poſſent. Nunquam certè in hac peregrinatione mali vitantur, niſi benignitate: nunquam vincuntur, niſi longanimitate. Tolerentur ergo neceſſe eſt, ſine quibus in hac vita nullus eſſe poteſt. Quod ſi fortè ad laudis præconium pertineat, quod Angelus ferre malos non poſſe perhibetur: ſciendum nobis eſt, quia in eo reprobos tolerare non poſſe narratur, quod in eis peruerſam vitam nequaquam libenter tuliſſe, ſed ſancta conuerſatione, ne imitarentur, eos deſeruiſſe probatur. Sic enim ſalubriter declinari poſſe docentur, quorum conuerſatione electis

diſplicere

A
Ier.51.
Iſa.52.

diſplicere videtur. Hinc per Ieremiam Prophetam dicitur: *Exite de medio eius populus meus, & ſaluet vnuſquiſque animam ſuam ab ira furoris Domini.* Nequaquam enim in hac vita de medio ciuitatis reprobæ, id eſt, de medio malorum quos Babylon illa ſignificat, electorum aliquis valet exire, niſi deteſtando quod ab ipſis agitur, & agendo quod ab eis deteſtatur. Suſtinere namque malos electi non valent, ſubaudis libenter ſufferre quod agunt. Cæterum & ſi non libenti, tamen patienti animo illorum mala tolerant, cum niſi eis tolerare libeat, minimè tolerent: niſi quia iis quibus reproborum mala ſuſtinere libet, non vtique vt reprobi agant, quæ ipſi ſuſtineant libet? Libenter itaque iniquorum mala iuſti ferunt: quia eos etiam qui illis diſplicent, amare nouerunt. Non libenter vero ferunt, quia odio habent quod illi malè agunt. Cur autem amantur qui diſplicere probantur, niſi quia in eis natura bona attenditur quæ diligatur? In qua itaque vitium inoleuit, quod abominetur. Hinc Dauid ait:

Pſal.118

Iniquos odio habui. Non quo naturam iniquorum, ſed opera iniquitatis odio habuerit.

B
Pſal.138.

Quod alibi quoque idem exponens ait: *Nonne qui te oderunt Deus oderam illos, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam?* Perfecto odio oderam illos. Hinc

Pſal.118

rurſum ait: *Vidi non ſeruantes pactum, & tabeſcebam: quia eloquia tua non cuſtodierunt.* Quos proculdubio moribus relinquere quærebat, relinquens aufugerat cum

Pſal.54.

dicebat: *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo & requieſcam? Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine.* Sequitur:

Et tentaſti eos qui ſe dicunt Apoſtolos eſſe, & non ſunt, & inueniſti eos mendaces.

1.Ioh.2. & 4.

Pullolaſſe in Epheſi tunc Eccleſia credendum eſt falſos Apoſtolos, quos etiam Ioannes in epiſtola ſua ſæpè Antichriſtos vocat, ex quibus erat Ebion, Cherinthus ac Valentinus. De qualibus quoque dicit Apoſtolus Paulus:

2.Cor.2.

Eiuſmodi pſeudo Apoſtoli, operarij ſubdoli, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti. In quorum ſcilicet perſona, omnium notatur hæreticorum perfidia.

C

Quia enim Apoſtolus miſſus interpretatur, & nullus ad officium prædicationis venit, niſi qui aut à veritate quæ Chriſtus eſt, aut à falſitate quæ antiquus eſt hoſtis, mittatur: conſtat nimirum, quia & omnes rectæ fidei prædicatores, veracium Apoſtolorum quadam ratione & menſura vocabulum ſortiuntur: & cuncti peruerſorum dogmatum inuentores, fallacium appellatione deſignantur. Quid enim aliud Ebionem, ac Valentinum, vtique Cherinthum Pſeudoapoſtolos ſpecialiter deſignatos, æſtimare debemus, niſi peruerſorum dogmatum hæreticos? Sed quomodo hæc reuelatio Apoſtolos eſſe denegat, quos conſtat à mendacio miſſos fuiſſe, niſi quia veraces non ſunt, quod ſe eſſe confingunt? De talibus namque per Prophetam Dominus

Ier.23. & 27.
Iezech.13.

dicit: *Ipſi veniebant, cum ego non miſerim eos.* Tentatio autem aliquando ad probationem pertinet. Vnde & per

Deut.13.

Moyſen Iſraëlitis dicitur: *Tentat vos Dominus Deus veſter, vt ſciat vtrum diligatis eum in toto corde veſtro, an non.* Ac ſi diceretur: Probat vos, quia ſecundum deceptoriam tentationem Dominus neminem tentat, hoc ipſum

D
Iacob.1.

Iacobo affirmante, qui ait: *Dominus intentator malorum eſt.* Hinc Daniel in reſpuendis dapibus regis, & eligendis leguminum alimoniis, præpoſito ſibi ac ſociis ſuis ab

Dan.1.

eodem rege, exactori ciborum menſæ eius, ait: *Tenta nos obſecro, ſaltem decem diebus*, Huic ſenſui Ioannes apertius concinit, dicens: *Probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt.* Quod itaque hæc reuelatio ab electis tentari perhibet falſos

1.Ioan.4.

Apoſtolos, hoc Ioannes in epiſtola ſua monet: *Probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt.* Angelus igitur falſos Apoſtolos tentat, cum in ſanctis prædicatoribus Eccleſia Catholica occultos hæreticos de fide interrogat, vt ſciat cuius ſint doctrinæ diſcipuli, vtrum nam veritatis, an certè mendacij. Non autem tentantur niſi qui intus ſunt, id eſt, qui intra ſinum fidei latent. Qui enim per apertum errorem vnitati fidei obuiant, ſiue adhuc patientia ſanctorum in corpore tolerentur, ſiue iam à corpore abſciſi ſint, ſine vllo inquiſitionis tentamento foris manifeſti videntur:

E

nec eos opus eſt tentari, intus foriſve ſint. Ergo Ebion, Valentinus & Cherinthus, antequam examinarentur occulti erant: quia oſtium deſerentes, per ſepem in ouile ouium introierant. Vnde & Dominus dicit:

Ioan.10.

Qui non intrat per oſtium in ouile ouium, ſed aliunde aſcendere vult, hic fur eſt & latro. Tales etiam ante aduentum ſuum extitiſſe item commemorat, dicens:

Ibid.

Omnes quotquot venerunt ante me, fures fuerunt & latrones. Tentandi ergo erant, ſubaudis examinandi, vtrumnam per oſtium in ouile ouium tanquam paſtores introiſſent, an ſepe diſrupta, quaſi fures gregem diſperdere velint. O ſi nunc tentarentur, qui ſe fidei regulam tenere profitentur, quanti Pſeudoapoſtoli inuenirentur. Tentarentur dico, de ea fide interrogarentur. Occultus ſiquidem intra ſinum fidei latebat Sabellius, vſquequo à veritatis doctoribus, cuius doctrinæ eſſet, tentaretur. Tentatus autem innotuit, quam

Sabellij dogma.

peruerſa de Deo ſentiret. Ait enim latro detegendus: Non alium patrem, & alium intelligi volumus filium. Vnde qui pridem ab inſipientibus putabatur verax, certiſſime

F

viſus eſt mendax. Infra turturum habitationem garrulus coruus tegebatur Photinus, quo vſque ab Eccleſiæ paſtoribus cuius prædicationis ſectam teneret, interrogaretur. Interrogatus autem palam fuit, quam impiè de incarna-

Photini dogma.

tione verbi Dei prauo corde machinaret. Ait namque ales immundiſſima, morticina cadauerum vomens: Ego credo Chriſtum de Maria Virgine initium ſumpſiſſe. Quamobrem qui dudum æſtimabatur veritatis prædicator, hinc apparuit falſitatis executor. Intra gregem ouium veſpertinus lupus occultabatur Arrius quam diu ab arietibus gregis cuius fidei diſcipulus eſſet, inquireretur. Inquiſitus autem, voce lupina profeſſus eſt, dicens: Nec de ſubſtantia

Arij dogma.

panis filius natus, nec illi iudicandus eſt æqualis. Quapropter qui ante credebatur de Dei agno qui tollit peccata mundi, vera cum agnis ſentire, inuentus eſt cum lupis & agnum & agnos inſequi. Sic, ſic innumeri, ſic intra gremium fidei latentes, ab Eccleſia tentati, falſi inuenti ſunt Apoſtoli: qui non à Deo miſſi, per oſtium in ouile ouium intrare voluerunt: ſed tanquam fures & latrones, aliunde ſæpè diſrupta aſcendere. A quibus plerumque annuentibus

G

huius ſeculi principibus, exilia, carceres, verbera, vincula & mortes in electis ſuis pertulit Eccleſia. Sed idcirco contra mendaces ſeque perſequentes fidei veritatem defendere potuit, quia illo patientiæ muro circumuallata manſit, quem nullus hoſtis irrumpere valet. Vnde hic quoque rectè nunc ſequitur:

Et patientiam habes, & ſuſtinuiſti propter nomen meum, nec defeciſti.

Ac ſi electorum perſonæ diuina vox loqueretur, dicens: Quia in tot malis patientiam habuiſti, ideo propter nomen meum eadem ſuſtinere valuiſti. Quia patientiam habuiſti, idcirco non defeciſti. Niſi patientiam habuiſſes, in tot aduerſis defeciſſes. Sæuiant igitur illi in quantum valent, verberibus affligant, vinculis tradant, exiliis deportent, carceribus trudant, mortibus afficiant, tu vincis, nec deficis; tu patientiam habes, nec ſuccumbis: quia non pro terrena gloria, ſed propter nomen meum ſuſtines.

H

Sequitur:

Sed habeo aduerſus te, quod charitatem tuam primam reliquiſti. Memor eſto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac.

Abſit vt is primam charitatem reliquiſſe credatur, quem in præcedenti verſiculo tanta laude proſecutus eſt ſermo diuinus, vt eum patientiæ clypeo munitum, aduerſa propter nomen eius toleraſſe, nec defeciſſe perhiberet. Sed ab illa ſpecie quam laudis fauore proſequitur, ad aliam reflectit ſermonem, quam dignam iudicat reprehenſione. Præfatam enim à principio retinens regulam, mixtos optimis peſſimos peregrinantem docet Eccleſiam habere. Alius ergo eſt, qui dilectionem deſeruiſſe inchoatam:

alius,

A alius, qui propter nomen Dei circa malos quoque ſeruaſſe patientiam perhibetur. Vni denique dicitur, patientiam habes, & ſuſtinuiſti propter nomen meum nec defeciſti: alteri autem, habeo aduerſus te, quod charitatem tuam primam reliquiſti. Simpliciter autem & humanæ locutionis vſu, primam charitatem, id eſt, prioris temporis deſeruiſſe modeſta inuectione obiurgatur is, cui præmiſſa alterius laus nequaquam conuenire probatur. Sed ſciendum, quia Dei dilectione relicta, dilectione ſæculi æſtuabat, & idcirco primam hanc charitatem dimiſiſſe ſermo diuinus notabat, tanquam ei aliis verbis omnipotens verbum ſub ſpecie mulieris diceret. Adulterinum amorem meretrix ſequens, caſti ſponſi dilectionem abieciſti. Dum enim à quibuſdam charitas Dei inchoata repellitur, protinus cupiditas ſæculi introducitur, ſitque modo miſerabili, vt nec ad memoriam illa redeat, cum hæc mentem plenè poſſederit. Sed diuina miſericordia quæ iugratos quoque ad gratiam redire monet, benignè ad memoriam derelictæ charitatis bona reducit, atque ad
B eius repetendam dignitatem, interpoſito compunctionis lamento, redire perſuadet, dicens: [*Memor eſto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac.*] Ac ſi aliis verbis diceret: redeat ad mentem celſitudo dignitatis tuæ, quando mihi dilectione coniuncta qualibet anima, ſanctitatis decore fulgebas, virtutúmque prole fœcundabaris. Atque reiecto amoris mei fœdere, ſubintroductum huius ſæculi amorem tanquam adulterum ſuſcepiſti: decorem ſanctitatis prolémque virtutum amittens, genimina vitiorum quaſi vile mancipium parere cœpiſti. Age ergo pœnitentiam, & prima opera fac, ſubaudis abominare adulterum, deteſtare prolem adulteri, redi ad legitimi viri amplexus, & caſtitatis ſobolem virtutúmque ſuccreſce. Cui adhuc comminando ſubdidit, dicens:

Sin autem, venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco ſuo, niſi pœnitentiam egeris.

C Rom. 2. Cui etiam egregius prædicator ait: *An ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam & cor impœnitens, theſaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei, in quo reddet vnicuique ſecundum opera ſua.* De quo nimirum per beatum Iob dicitur: *Dedit illi Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in ſuperbia.* Quid eſt autem, cuilibet impœnitenti Deum dicere, *Venio tibi*, niſi præſentiam iræ meæ ſentire te faciam, qui clementiam vocantis propter duritiam cordis minimè ſentis? Secundum præmiſſam ſanè intelligentiæ regulam, vnum ſunt, Angelus & candelabrum.
Exod. 33. Deut. 12. Ac per eum Angelo dicitur: [*Venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco ſuo.*] Tale eſt quale ſi diceretur, Venio & mouebo te de loco tuo. Vbi tamen non totus Angelus, ſed pars eius impœnitens & reproba debet intelligi. Quis autem huius candelabri locus eſt, niſi electorum Eccleſia, quæ ipſum candelabrum eſt? Sed quia ſcriptor huius reuelationis per hanc ſententiam non genus, ſed ſpe-
D ciem in Angelo tangit, ideo locum ſpeciei in genere oſtendit. De hoc loco Dominus ad Moyſen dicit: *Eſt locus penes me.* Et rurſus: *In locum quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi.*

Quibus omnibus ſingularem Eccleſiæ declarari nouimus vnitatem. Et notandum quod non ait, proiiciam candelabrum tuum de loco ſuo: ſed tantum, mouebo: oſtendens vtique, impœnitentem quam diu in hac vita verſatur, nequaquam de Eccleſia funditus auelli: ſed donum ſanctitatis quo pridem ante humanos oculos lucebat, propter duritiam & cor impœnitens non mereri. Sic enim huius Angeli candelabrum de loco ſuo Dominus mouere dicitur, pro eo quod eſt, non ſtatuere illum in loco ſuo: ſicuti cor Pharaonis indurare, pro eo quod eſt, duritiam cordis eius non emollire. Quando igitur quiſque mortale crimen admittit, tunc in conſpectu hominum de loco ſuo mouetur. Quòd ſi cito perpetratam nequitiam pœnitentiæ fletibus diluat, à Domino de loco ſuo non mouetur: quia rurſus in eodem loco miſe-
E ricorditer collocatur. Hac etiam ratione cum quilibet in conſpectu hominum cecidiſſe videatur, ſtare in conſpectu Dei certiſſimè comprobatur. Dicatur itaque impœnitenti & ad Deum redire nolenti: *Mouebo candelabrum tuum de loco ſuo, niſi pœnitentiam egeris.* Ac ſi ei diceretur: Munus ſanctitatis poſt lapſum criminis à me nequaquam recipies, niſi cor ad pœnitentiam emollire curaueris. Sequitur:

Sed hoc habes, quia odiſti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi.

Ac ſi vniuerſali Angelo diceretur: Non in hac ſpecie quam nunc terrendo ad pœnitentiam prouocare ſtudui, ſed in alia hoc habes, vt facta Nicolaitarum odiſſe probeteris: in illa ſcilicet, quam ſuperius tentaſſe falſos Apoſtolos, & mendaces eos inueniſſe perhibui. Quæ ſint autem ſpecialia Nicolaitarum facta, beatæ recordationis Auguſtinus in libro de hæreſibus, compendio breuitatis
F ſuccingit, dicens: Nicolaus, vt fertur, vnus fuit ex illis ſeptem diaconibus, qui ordinati ſunt ab Apoſtolis. Qui cum de zelo pulcherrimæ coniugis culparetur, purgandi ſe cauſa permiſiſſe fertur, vt ea qui vellet vteretur. Quod eius factum in ſectam turpiſſimam verſum eſt, qua placet vſus indifferens fœminarum. Sectatores namque eius, nec ab eis quæ idolis immolantur, ſeparant cibos ſuos, & alios ritus gentili ſuperſtitione non auerſantur. Narrant etiam quædam fabuloſa de mundo neſcio quo, barbara principum nomina miſcentes diſputationibus ſuis, quibus terreant auditores. Intelligunt etiam non Deo tribuere creaturam, ſed quibuſdam poteſtatibus, quas mirabili vel fingunt vanitate vel credunt. Propria quidem Nicolaitarum acta, iuxta prædicti tractatoris ſententiam, hæc eſſe declarantur, quæ à fidelibus tanquam inaudita deteſtantur, tanquam ſtercora repudiantur. Sed ſi à proprietate ad figuram (vt ſolet) ſermo recurrit, omnes hæretici Nicolaitæ eſſe probantur. Nicolaus enim, interpretatur ſtultus populus. Et qui alij huius ſtulti populi vocabulo rectius figurantur, quam hæretici: qui cum de G
ſapientia Dei Patris quæ filius eius eſt, vera non ſentiunt, & ſi ſecundum hoc ſæculum ſapientes ſint, tamen ſecundum Deum ſtultos ſe eſſe demonſtrant? Et reuera vbi ſapientia, per quam & in qua facta ſunt omnia, principatum non obtinet, ſola ſtultitia nequiter regnat. Quorum poſteritatem Iob quoque ita deteſtans exprobrat: *Filij ſtultorum & ignobilium.* Iob 30. Psal. 13. Hinc de quolibet eorum Pſalmiſta ait: *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus.* Cùm enim Arrius redemptorem noſtrum affirmat non eſſe natum de ſubſtantia Patris, ſed à Patre creatum: Spiritum vero ſanctum à creatura (quam Chriſtum ante incarnationem eſſe confingit) factum, & ipſum creaturam exiſtimat, nimirum vnius deitatis ſubſtantiam atque naturam confundit. Ac per hoc talia fingens, talia cogitans, quid aliud fatuus atque ſtultus dicit, niſi Deum non eſſe cui contradicit? Et non ſolum ipſe vel ſectatores eius, ſed etiam innumeri diuerſa ac falſa de Deo ſentientes, dicunt in cordibus ſuis, non eſt Deus. Quorum acta quam H
ſint diuerſa, quam ſint peruerſa, cuius explicat lingua? Duo planè ſunt, quibus principaliter notantur hæretici: quia & idolorum cultores, & fornicarij ſæpè vocantur. Nam longè inferius in hac reuelatione locuſtarum vocabulo deſignati, & regem Angelum abyſſi ſuper ſe habere Apoc. 9.
dicuntur, & capillos ſicut capillos mulierum. Quis enim alius per abyſſi Angelum ſuper locuſtas regnum tenentem, niſi antiquus hoſtis debet intelligi? Quid vero per capillos mulierum, niſi fluxus libidinis deſignatur? Per hoc ergo quod Angelum abyſſi regem ſuper ſe habent locuſtæ, idolorum cultores: per hoc vero quod capillos mulierum, luxuriæ illecebris dediti notantur hæretici. Quod apertius illorum nefandis operibus, quam in ſacris literis reperimus. Nam vt de cæteris taceamus, quis non videat, in vno Manichæorum errore vtrumque malum ſibi perplexum: cum præcipua (vt ipſi putant) eorum ſanctificationis oblatio, vt nos vero certiſſime retinemus, abominationis execranda libatio, illo pollutionis humano ſemine miſcetur,

A quod tunc egeritur, quando ſacra illorum virgo ab adoleſcente corrumpitur? Sed & cuncti gentiles, qui redemptorem noſtrum per fidem non receperunt. Nicolaitarum (ſtulti videlicet populi) vocabulo rectè cenſentur. Vnde &
1.Cor.8. Paulus dicit: *Nos prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam.* Quorum acta
Rom.1. ſubtili deſcriptione enumerat, dicens: *Repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidiis, contentione, dolo, malignitate, ſuſurrones, detractores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, ſibi placentes inuentores malorum, parentibus non obedientes, inſipientes, incompoſitos, ſine affectione, abſque fœdere, ſine miſericordia.* Non ſolum autem, ſed & ſi diligenter attendamus, non foris, ſed intra ſanctam Eccleſiam alios adhuc Nicolaitas inuenimus: eos videlicet quos in terreno amore theſaurizare videmus. Quid enim ſtultius reperiri poteſt, quam eo loco tota mentis anxietate pecunias recondere, quo non licet in perpetuum habere? Ab hac ſiquidem ſtultitia, diſcipulorum animos incarnata Dei ſapien-
B tia reuocabat, dicens: *Nolite theſaurizare vobis theſauros, in terra vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur.* An non diues ille in numero Nicolaitarum (id eſt, hominum ſtultorum) rectè computatur, de quo cum Dominus in Euágelio diceret, *Hominis cuiuſdam diuitis vberes fructus ager attulit, & cogitabat intra ſe dicens, quid faciam quod non habeo quo congregem fructus meos? & dixit, hoc faciam, deſtruam horrea mea, & maiora faciam: & illuc congregabo omnia quæ nata ſunt mihi, & bona mea; & dicam animæ meæ, Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos, requieſce, comede, bibe & epulare,* protinus adiunxit: *Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte repetunt animam tuam à te, quæ autem paraſti, cuius erunt?* Quæ ſcilicet hominum terrenarum rerum lucra quærentium ſtultitia, omnium vitiorum parit genimina: quia ſe-
1.Tim.6. cundum Apoſtolum, *radix omnium malorum eſt cupiditas,* per quam alius ad rapinam, alius ad luxuriæ voraginem, alius ad homicidium, alius ad rixam, contentionem atque ſimulationem, alius ad periurium, alius ad falſum teſtimo-
C nium, atque omnes ad inuidiam pertrahuntur: quæque intantum eſt atrox malum vt nec ſibi nec aliis parcat. Nam cupiditas inuida, nec Chriſto pepercit. Cupiditas inuida, animā ipſius proditoris laqueo extorſit. Per hác enim vnuſquiſque reproborū animā ſuam venalem portat, con-
Eccl.10. Matt.16. traria Domini dictis peragens: *Quam dabit homo commu-*
Ibid. *tationem pro anima ſua?* Et illud: *Quid prodeſt homini ſi*
Marc.8. *vniuerſum mundum lucretur, & animæ ſuæ detrimentum patiatur?* Ecce etenim vt breuiter enumerare potuimus, iſta ſunt acta Nicolaitarum, id eſt, hominum ſtultorum, ſiue in hæreticis, ſiue in gentibus, ſiue etiam in falſis Chriſtianis, quæ & Dominus & qui ex parte illius ſunt odire probantur. Nunquid autem naturam, quæ bona in illis
Pſal.44. creata eſt, quanquam peccato ſit vitiata? Abſit. Vnde nec
Pſal.96. hoc loco dicitur, *odiſti Nicolaitas, quos & ego odi:* ſed ſignanter, facta Nicolaitarum. Hinc redemptori noſtro per Pſalmiſtam dicitur: *Dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem.* Hinc electos admonet, dicens: *Qui diligitis Dominum,*
D *odite malum.* In quibus nimirum verbis illud etiam innuitur, quod non ſufficit nobis mala non facere, niſi quoque & ab aliis nequiter geſta oderimus. Quicquid enim à rectitudinis tramite quaqua verſum deuiat, odio habendum eſt: ne malum quod odiſſe debemus, probemur conſenſiſſe. Sequitur:

Qui habet aurem, audiat quid ſpiritus dicat Eccleſiis.

Cum in principio huius locutionis, vni Angelo, vni Epheſi Eccleſiæ ſcribere Dominus iuſſerit: hic autem non vnum Angelum, nec vnam Epheſi Eccleſiam ad audienda dicta ſpiritus, ſed Eccleſias inuitet: patet certè, quia quod vni dicit, omnibus dicit. Et in vno Angelo, vnáque Epheſiorum Eccleſia, vnitatem atque vniuerſitatem credentium depingit, quam in paſtores & oues ſæpè diſtinguit. Cum autem certum ſit, non omnes qui corporis aure fruuntur, ſed rariſſimos dicta ſpiritus percipere poſſe: patenter intelligi datur, quia in eo quod dicit, qui habet E
aurem, audiat quid ſpiritus dicat Eccleſiis: non carnis, ſed cordis aurem requirit, quam inter innumeras populorum turbas pauciſſimos habere præuidet. Quam videlicet aurem mentis, niſi quis habere potuerit, eloquia ſpiritus capere nequaquam valebit. Hinc eſt quod Do- a
minus in parabolis ad turbas loquens, dicebat: *Qui ha-* Matt.13.
bet aures audiendi, audiat. Omnes enim qui illic aderant, Marc.8.
proculdubio aures corporis habebant. Ad capienda ergo Luc.4.
parabolarum ſuarum ænigmata, interiores aures requirebat: qui cunctos exteriores habere cernebat, quibus talia clamabat. Hinc rurſum ad diſcipulos ait: *Vobis dico* Luc.6.
qui auditis. Ac ſi diceret: Verba cœleſtium Sacramentorum illis aperio, quos eadem interna cordis aure percipere poſſe cognoſco. Loquebatur ſiquidem Dominus & ad turbas, ſed tamen non eis adiecit vel præmiſit, *Vobis dico qui auditis,* quia nimirum quod foris audiebant, intus non intelligebant. Carnis itaque auris, in auditu tantum conſiſtit: cordis vero, auditu ſimul & intellectu vigetur.
Nec aliquis audit, niſi cum audita intelligit. Intellectus F
enim eius, auditus illius eſt. De his aurium differentiis,
idem quoque Dominus ad Apoſtolos ait: *Vobis datum eſt* Matt.13.
noſſe myſterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, vt vi- Marc.4.
dentes non videant, & audientes non intelligant. Scien- Luc.8.
dum vero, eſſe nonnullos qui aurem ſpiritalis intelligentiæ habent, ſed dicta ſpiritus per negligentiam audire contemnunt. Qui & in ſacra Scriptura ſpiritalium ſecretorum ſenſus cordis aure percipere valent: ſed terrenos actus ſuperducentes, hanc ſibi ne intima ſpiritus audire poſſint, aurem obturant. Cum autem in principiis harum locutionum Angelus ex perſona filij Dei, imo certè per Angelum filius Dei loquatur, quid ſibi vult quod in fine earundem locutionum non dicitur, Qui habet aurem, audiat quid Dei filius, ſed quid ſpiritus dicat Eccleſiis: niſi quia ad inſtruendos mores humanos verba filij, ſpiritus verba
ſunt: Quanquam habeant in illa beata Trinitate, relatiuè Ioan.4.
ad ſe inuicem proprias locutiones ſingulæ perſonæ. Spiritus etiam vocabulo, non mihi videtur hoc loco ſola
Spiritus ſancti perſona exprimi, ſed tota ſimul Trinitas de G
qua dicitur: *Spiritus eſt Deus;* vt vbi filium electorum Eccleſiam docentem audimus, in eius voce, Patris & Spiritus ſancti vocem intelligamus: quia ſicut ſunt inſeparabiles vnitate, ſic inſeparabiliter docent ſanctorum vnita-
tem. Sed & rariſſimè Spiritus ſancti perſona ſine addita- Ioan.7.
mento in Scriptura ſacra ponitur; & neſcio ſi alibi, præter vnum locum quo Ioannes Euangeliſta de Domino teſtatur: *Hoc,* inquit, *dixit de ſpiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Cæterum alibi aut ſpiritus Dei, aut ſpiritus Chriſti, aut ſpiritus Domini, aut ſpiritus Prophetarum, aut Spiritus ſanctus vocatur. Intelligamus itaque ſolius incarnati verbi perſonam; Angelum qui Ioanni apparuit, geſſiſſe: ſed totam ſimul Trinitatem per eundem Angelum Eccleſiam docuiſſe. Cognoſcamus etiam quaſdam locutionum proprietates in hac reuelatione habere Dei filium iuxta carnis humanitatem, quæ nec patri conueniunt, nec Spiritui ſancto & tamen ea quæ filius propriè
ſecundum humanitatem loquitur, cum Patre & Spiritu H
ſancto proferre. Sequitur:

Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo Dei mei.

Lignum vitæ, ſapientia Dei Patris eſt, Salomone atte-
ſtante qui ait: *Beatus homo qui inuenit ſapientiam, lignum* Prou.3.
vitæ eſt his qui apprehenderint eam, & qui tenuerit eam, beatus. Quod autem hæc ſapientia filius Dei ſit, Apoſtolus
teſtatur, dicens: *Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam.* 1.Cor.1.
Quæ ſcilicet rectè lignum vitæ dicitur: quia & in carne Pſal.1.
ſecus decurſus aquarum, id eſt, præter defluentes noſtræ mortalitatis horas & dies & menſes & annos, plantata eſt, & in diuturnitate ſua fructus æternæ ſatietatis credentibus repoſita eſt. Bene lignum vitæ vocatur: quia & in præſenti vita electos ſuos ab æſtu vitiorum vmbra defenſionis protegit, & in futura beatitudine cibum æternæ contemplationis ſe deſiderantibus præbet. Et quis eſt qui

A de hoc ligno edere dat, niſi ipſe qui eſt quod dat, quique Ioan. 14. de ſeipſo ait: *Qui diligit me, diligetur à patre meo; & ego diligam eum,& manifeſtabo ei me ipſum*, In qua videlicet manifeſtatione quid aliud intelligere vel expectare debemus, quam fructum æternæ ſatietatis? Vnde & Pſalmiſta Pſal. 16. ait: *Satiabor dum manifeſtabitur gloria tua*. Dabit itaque Chriſtus ſecundum humanitatem ſuam, vincentibus edere de ligno vitæ, quando perduxerit credentes ad contemplationem diuinitatis ſuæ. Ioan. 16. Dicat ergo de vincentibus, dicat: *Qui vicerit, dabo ei edere de ligno vitæ*. Tanquam diceret: Qui in me atque per me antiqui hoſtis tentamenta ſuperauerit, qui dixi, gaudete quia ego vici ſeculum: hunc, ad iudicium veniens, à forma humanitatis meæ, ad contemplandam perducam diuinitatem maieſtatis meæ. Quem autem alium intelligimus paradiſum, in quo idem eſt lignum vitæ, niſi vitam æternam, quæ Ioan. 17. eſt in ligno vitæ? De qua ipſa vita ad patrem: *Hæc eſt* B *vita æterna,vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*. Quamobrem & ipſe de ligno vitæ vincentibus dat, & ipſe eſt lignum vitæ de quo dat, & in ipſo fructus ligni eſt de quo dat. Quod autem Deum ſe habere dicit, in cuius paradiſo hoc eſſe lignum vitæ aſſerit, ſecundum humanitatem loquitur, quam aſſumpſit pro nobis, iuxta quam etiam in cruce Matt. 27. Marc. 15. poſitus clamabat: *Deus Deus meus, vt quid me dereliquiſti?* Poſſunt autem hæc & aliter intelligi. Sanctorum etenim Eccleſia recte per ſignificationem paradiſus vocatur, quæ & diuerſarum religionum hominibus tanquam variis arboribus conſita, & multarum virtutum floribus ac pomis repletur, quadrifluoque Euangelicæ prædicationis fonte rigatur. Hinc eidem Eccleſiæ Cant. 4. in Canticis canticorum dicitur: *Emiſſiones tuæ ſicut paradiſus pomorum*. Geneſ. 3. In cuius videlicet medio lignum vitæ à quærentibus inuenitur. Quod omnino redemptor noſter incarnatus intelligitur, ad quod nimirum nunc ſi quis extenderit manus non cum primo Adam, qui de ligno C ſcientiæ boni & mali comedit, noxiam patietur mortem: ſed cum ſecundo, qui verſatilem romphæam per ſanguinem paſſionis ſuæ remouens, aditum vitæ aperuit, viuet in æternum. Sed de hoc ligno non comedit niſi vicerit, ſubaudis tentationem illam ſerpentis, qua primus homo ſuccubuit. In quo autem eandem inimici tentationem vincit, niſi in eo quo ſe diuinorum mandatorum præceptis aſtringit? Sicut enim primus parens antiqui hoſtis calliditate victus, per inobedientiam à ligno vitæ excluſus eſt: ſic nos ex eius carne propagati, eiuſdem inſidiatoris ſuaſionem refellentes, per obedientiam ad eſum ſpiritalis ligni pertingimus, certiſſime non iam cum primo Adam foras egreſſuri, ſed cum ſecundo intus manſuri. Hinc in Euangelio ipſum lignum vitæ ipſe nouus ac ſecundus Ioan. 6. Adam, ait: *Omne quod dat mihi pater, ad me veniet: & eum qui venit ad me, non eijciam foras: quia deſcendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me*. Ac ſi patenter loqueretur, dicens: Idcirco venientes ad me, ab internæ pacis quiete non excludo, D quia illa eos obedientia mecum intus concludo: quia non vt meam, ſed vt patris voluntatem faciam, de cælo deſcendi. Eſus autem ligni huius, iuxta hanc paradiſi intelligentiam, non futuri temporis, ſed præſentis intelligitur: ille qui nunc ſumitur per fidem in ſpe, non ille qui tunc futurus expectatur per contemplationem in re. Quid itaque eſt, in huius temporis paradiſo edere de ligno vitæ, niſi mediatoris noſtri corporis & ſanguinis ſacramenta percipere? Idem enim panis viuus eſt qui de cælo deſcendit, qui & lignum vitæ inter amœna paradiſi ſecundum humanitatem radicatus, fructificauit. Hinc ipſe Ioan. 6. Iudæis ait: *Ego ſum panis vitæ. Patres veſtri manducauerunt in deſerto manna,& mortui ſunt. Hic eſt panis de cælo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducauerit, non moriatur.* Ibidem. Quodque ad confirmandam tantæ rei autoritatem inculcando replicat, dicens: *Ego ſum panis viuus qui de cælo deſcendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Et panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Ibidem. Quibus ſcandalizantibus atque ſpiritalia capere non valentibus, rurſum intulit, dicens: *Amen amen dico vobis, niſi* E *manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Atque poſt pauca: *Qui manducat*, ait, *carnem meam, & bibit ſanguinem meum, habet vitam æternam.* Et iterum: *Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in illo.* Vbi & addidit: *Sicut miſit me viuens pater, & ego viuo propter patrem, & qui manducat me, & ipſe viuet propter me.* Iterumque: *Hic eſt panis qui de cælo deſcendit, non ſicut patres veſtri manducauerunt manna, & mortui ſunt. Qui manducat hunc panem viuet in æternum.* Sed quia ſuperius iuxta autoritatem huius reuelationis, ſolos victores hoc cibo alendos prædiximus, ipſi nobis in hac aſſertione quæſtionem legauimus, qui quotidie ab antiquo hoſte deuictos, dominici corporis & ſanguinis ſacramenta percipere videmus. Sed ſciendum nobis eſt, quia illa ratione F hi ſolummodo qui vincunt, ad eſum dominici ſacramenti pertingunt, qui non indigne, ſed decenter eum accipiunt. Sic etiam intelligenda eſt illa Domini ſententia, quam ſupra poſuimus: Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum in me manet & ego in illo, ſubaudis, qui ſicut edenda eſt, carnem meam edit: & ſicut bibendus eſt, ſanguinem meum bibit. Quid autem eſt, ſicut edenda eſt, vel ſicut bibendus: niſi ea fide, ea cordis munditia eaque vt decet paſſionis imitatione? Multi enim hunc eſum indigne percipiunt. Et quia non vt accipiendus eſt accipiunt, nequaquam vitam, ſed mortem ex ipſa ſibi perceptione conquirunt. Ecce etenim alius iram, vel quod eſt grauius, odium in corde contra proximum retinet: & pro accepta contumelia, non ſolū iniurioſa verba, verumetiam damna, læſioneſque irrogare feſtinat. Alius voluptati carnis ſemetipſum proſternens, gulæ illecebris, fornicationibus, adulteriis, vel etiam irrationabilibus inceſtiſque amplexibus fœdat vitæ innocentiam: alius auaritiæ æſtibus anhelans, furtis, rapinis, fraudibus, falſis teſtimoniis homicidiiſque ſemetipſum contaminat. Quid itaque iſtis accepta dominicæ paſſionis ſacramenta fiunt, niſi la- G queus culpæ? Quid iſtis fiunt, niſi iudicium damnationis 1. Cor. 11. ſempiternæ? Hinc per Paulum dicitur: *Quicunque manducauerit panem, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini.* Ibidem. Vbi etiam admonendo ſubiungit: *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium ſibi manducat & bibit.* Dicatur itaque: [*Vincenti dabo edere de ligno vitæ.*] Ac ſi diceretur: Qui obedientiæ mandatis ſemetipſum humiliter proſternens, oblectamenta peccati ſuperauerit, ille ad accipienda corporis & ſanguinis mei ſacramenta digne pertinget. Sed iam nunc adiuuante Domino his ita diſcuſſis, quæ ad Epheſi Eccleſiæ prædicatorem prolata ſunt, ad ſequentis Eccleſiæ myſticas locutiones enodandas tranſeamus. Sequitur:

Et Angelo Smyrnæ Eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit primus & nouiſſimus, qui fuit mortuus & viuit: Scio tribulationem tuam & paupertatem tuam, ſed diues es. H

Hoc non tantum vni, ſed magis vnitati ſanctorum dicitur, quorum videlicet tribulatio ſingulari numero poſita, quaſi ſimplex hoc loco ſonare videtur: ſed proculdubio ſubtiliter indagata, omnifaria & multiplex inuenitur. Vnde & alia tranſlatio, plurali numero *tribulationes* poſuiſſe videtur. Pſal. 33. Hinc & Pſalmiſta: *Multæ*, inquit, *tribulationes iuſtorum*. Quia igitur multiplex Eccleſiæ tribulatio, vel potius multæ tribulationes eius deſcribuntur, nec omnes valemus enumerare, debemus tamen quaſdam ex eis quibus principaliter electi eius affliguntur, breuiter perſtringere. In hac itaque ærumnoſa peregrinatione, in hoc carceris exilio, tribulationem exterius patitur Eccleſia, cum aut ab aduerſariis probra, vincula, carceres, verbera, famem, ſitimque tolerat, gladij quoque ac diuerſorum tormentorum excipit mortem? aut cum à ſeipſa laboribus, fatigationibus, ieiuniis, vigiliiſque laſſata, pene ſuccumbit. Quæ nimirum & ſi interiori conſolationem,

A exteriori tamen homini tribulationem afferre videntur. Affligitur quoque alia tribulationis interna penuria, cum reſiſtente ſpiritui carne, necdum plene vitia ſuperare vel extinguere valet. Hinc enim gulæ appetitus pulſat, illinc fornicatio mentem irritat: hinc ira perturbat, illinc triſtitia ſæculi animum obſcurat: hinc auaritia mordet, illinc tædium inſtabilitatis pene diſſoluit: hinc elatio corrumpit, illinc ſuperbia atrocior cunctis occurrit. Quia vero iſtis atque aliis vndique oppugnantibus vitiis, & ad plenum (vt diximus) non valet reſiſtere, & tamen iuxta vires proprias reſiſtens, certamen quoque ſuum in longum videt protrahi, quam validè tribulationum anguſtiæ corda electorum eius poſſideant, quis valet exprimere? Horum tædio affectus fuerat Pſalmiſta, cum diceret: *Heu me quod incolatus meus prolongatus eſt, habitaui cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea.* (Pſal. 119.) Hinc & Apoſtolus: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* (Rom. 7.) Occurrit etiam ex aliorum erratibus, electis languor tribulationis: quia charitate illa viget, qua proximos ſicut

B ſeipſos diligere nouerunt. Cum enim alium per voracitatis ingluuiem ad æſtum libidinis, per æſtum libidinis vident ad apertum opus fornicationis captiuum adduci: alium per cupiditatem rerum temporalium ad rapinam, ad furtum, ad falſum teſtimonium, ad periurium conſpiciunt pertrahi: alium per iram ad odium per odium ad homicidium cernunt ruere: alium per honoris adepti dignitatem ad elationem, per elationem ad ſuperbiam cõſiderant dilabi: alium per ſuccreſcentea negligentiarum gurgites, iam de pelago carnalis deſiderij eductum, in portu quietis tanquam nauem attendunt demergi: alium per afflatum maligni ſpiritus, à ſemel arrepto propoſito quaſi arborem intuentur funditus auelli, totis viſceribus à fondo cordis quatiuntur. Fiunt pene exanimes dum talia fieri cognoſcunt à ſeis. Quæ videlicet tribulatio dum mentem Interius exurit, corpus quoque exterius affligit. Hanc ſaluberrimam in ſingulis tribulationem patiebatur. Paulus, cum diceret: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non vror?* (2. Cor. 11.) Omnifariam igitur ſancto-

C rum tribulationem in hoc verſiculo conſiderantes, paupertatem quoque eorum geminam intelligere debemus, in terrenarum ſcilicet rerum abdicatione, atque in ſpiritus contritione. Et quidem harum vnam paupertatem, quæ in abdicatione terrenarum conſiſtit, pauci habere probantur. Alteram vero quæ in contritione ſpiritus, omnes electi habere poſſunt: quamuis & illi facultates terrenas abdicaſſe credantur, qui eis non ad illecebras carnis, ſed ad opus pietatis vſuſque neceſſarios vti videntur. Quamquam enim nonnulli electorum multas pecunias poſſideant, tamen quia (vt diximus non ex deſiderio carnis, ſed ex voto pietatis atque inſtinctu neceſſitatis ab eis poſſidentur, pauperes proculdubio eſſe probantur. An pauperes non ſunt, qui cuncta terrena non tanquam propria, ſed tanquam aliena diſpenſant? Sed vnde pauperes, inde diuites fiunt: quia nimirum vnde in terris temporales pecunias indigentibus erogant, inde ſibi æternas diuitias in cœlis congregant. Vtriſque autem illa Pauli ſententia poteſt aptari qua dicitur: *Tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes.* (2. Cor. 6.)

D Quaſi enim nihil habentes, omnia poſſident: qui terrenas diuitias penitus abiicientes, cœleſtes per fidem iam tenent. Quaſi nihil habentes, omnia poſſident: qui etiam iſtis in vſum vel opus miſericordiæ retentis, ſuas in dilectione quandoque ſe habituros ſperant. Vel certè vt de eorum perſona loquamur, in eo tanquam nihil habentes omnia poſſident, quo res perituras & ad illicita deſideria ſuas non recognoſcunt: & tamen ad cuncta quæ ſunt vtilia, ſuas omnino eſſe perpendunt. Hæc de vna electorum paupertate breuiter dicta ſunt, nunc de altera plena diuitiis vtique etiam breuia loquamur. Libet enim hanc ſuccinctè diſcutere, & quanti ſit meriti demonſtrare. Hanc itaque omnes habere probantur, qui ad æternas diuitias peruenire merentur. Et quæ eſt iſta diues paupertas niſi) vt iam fatus ſum) illa contritio ſpiritus, qua ſuperbia minuitur, humilitas vero augetur? Hac paupertate locupletibus Dominus dicit: *Beati pauperes, quia veſtrum eſt regnum Dei.* (Luc. 6. Matt. 5.) Vt autem oſtenderet nequaquam in dimi-

E nutione rerum temporalium hanc paupertatem conſiſtere, per alium Euangeliſtam aperuit, de qua dicere voluerit. Ait namque: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Pauperes videlicet non amictu, ſed ſpiritu. Ille autem ſpiritu pauper eſt, qui etiam cum bona agit, ſemper ſe inutilem attendit: Ille ſpiritu pauper eſt, qui cum plures virtute & ſanctitate ſuperet, cunctis ſeipſum inferiorem meritis perpendit. Cuius nimirum vox in Pſalmis reſonat, dicens: *Ego egenus & pauper ſum.* (Pſal. 69. & 108.) Et rurſum: *Egens ſum ego, & in laboribus à iuuentute mea.* (Pſal. 87.) Dicatur itaque cuilibet electorum: [*Scio paupertatem tuam, ſed diues es.*] Ac ſi diceretur: Vnde te per humilitatem ſpiritus pauperem exiſtimas, inde per omnia diues comprobaris. Sic enim dictum eſt, Scio paupertatem tuam tanquam diceretur, Scire te facio. Illa namque paupertas, ſpiritalium virtutum congregatas diuitias conſeruat. Quæ ſi deſit, cunctas elatio tollit. Vnde & Dominus in Euangelio diſcipulos admonet, dicens: *Cum feceritis omnia quæcunque mandaui vobis, dicite quia ſerui inutiles ſumus quod debuimus facere fecimus.* (Luc. 17.)

F Quomodo enim ſerui inutiles ſunt, qui quod debent facere faciunt: niſi quia apud æſtimationem ſuam viles ſemper habentur hi, qui diuina præcepta implere videntur? Neque enim, ait Dominus, cum feceritis omnia quæcunque mandaui vobis, ſerui inutiles eſtis: ſed docuit, quid hæc facientes ipſi, ex animo dicere deberent. Quo contra cuilibet reprobo increpatio talis dirigitur: Dicis quod diues ſum & locupletatus, & nullius egeo; & neſcis quia tu es miſer & miſerabilis & pauper & cæcus & nudus? Quaſi enim diuitem ſe iactat, qui meliorem ſe aliis exiſtimat, quaſi diuitem eſſe ſe putat, qui ad recompenſationem æternæ vitæ ſi quid fortè parum bonum egerit, ſufficere ſibi poſſe confidit: ſed pauper, cæcus & nudus redarguitur. Pauper ſcilicet, quia humilitatem amiſit. Cæcus autem, quia & hoc quod amiſit, minimè videt. Nudus vero, quia ipſis quoque quæ egerat, bonis elatio illum expoliauit. O ſi ſuperbiæ ſpiritus minueretur in nobis, & ipſa paupertas, ipſa diminutio ſpiritus nunquam perituras humilitatis nobis auferret diuitias. Quid

G enim boni non habet, qui humilitatis ſpiritu elationem calcauit? Ad has itaque diuitias auctor omnium diuitiarum diſcipulos inuitabat, cum diceret: *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde & inuenietis requiem animabus veſtris.* (Matt. 15.) His locupletata fuerat beata virgo quæ dicebat: *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* (Luc. 5.) Cum itaque Maria virgo ideo beata credenda ſit, quia ſine humano ſemine ex Spiritu ſancto concepit: quia Dei filium hominem factum, intemerata virginitate mundo edidit: radicem tamen beatitudinis ſuæ ipſa ſolerter inſpiciens, ait: *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* (Ibid.) Ac ſi diceret: Quia humilitas vera præceſſit, quæ Dei filium ad habitaculum carnis meæ inuitauit, quæ Spiritum ſanctum ad munditiam cordis mei attraxit, vt verbi carnem cum verbo & patre in viſceribus meis formaret, propterea beatitudinis nomen in cunctis generationibus ipſa promerui. O quantum meruiſti, ô quantum beata humilitas in ſacra Virgine valuiſti. Quid

H enim in ſacra Virgine meruiſti, niſi vt Deum homini coniungeres, vt verbum carni vnires? Quid in ſacra Virgine valuiſti, niſi vt Spiritum ſanctum ſuper eam attraheres, qui carnem verbi cum verbo & patre in vtero eius formaret? Quid in ſacra Virgine potuiſti, niſi vt quæ erat ancilla conditoris ſui, mater fieret & ſponſa: Mater ſcilicet carnis, ſponſa vero amoris. Conſiderauimus itaque & vtinam vel dignè, quantum in vna beata meruit, quantum in vna ſacratiſſima Virgine humilitas valuerit: conſideremus nunc, quantum in reliquis ſanctorum animabus mereatur vel poſſit. Ipſa certè in ſingulis electorum æternitatis ſpiritum aſſumit, ſuper hanc ſpiritus Dei quieſcit. Quæ ſi defuerit, Spiritus ſanctus ad hominem non accedit. Si inchoata ab homine diſceſſerit, nec ipſe poſt abſceſſum eius cum homine remanet. Hinc enim pater per Prophetam dicit: *Super quem requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem & quietum, & trementem ſermones meos?* (Iſa. 66.) Per hanc de egeſtatis penuria quæ in diminutione virtu-

A tum conſiſtit, anima cuiuſlibet fidelium educitur, & à
concluſione manus inimici extrahitur, ſicut Pſalmiſta
Pſal. 30. de ipſo teſtatur dicens: *Quia reſpexiſti humilitatem meam*
ſaluam feciſti de neceſſitatibus animam meam, nec concluſiſti me in manus inimici. Sine hac ad culmen virtutis
nemo exurgit: quia vt auctor humilitatis dicit, *non alius*
niſi qui ſe humiliat, exaltabitur. O humilitas paupercula
diues; & inde apud Deum diues, vnde apud te pauperculam te vides. Et quia in tua paupertate cuncta ſimul
poſſides, virtute quoque maxima viges. Antiquum certè
aduerſarium, hoſtem exercitatum, aſtutum atque fortiſſimum, cum innumerabili hoſtium multitudine innumeris deceptionum armis protectum, ſola vincis, ſola exuperas. Cunctis ſæuientibus cunctis etiam electorum ini-
Loc. 14. & 18. micis oblatrantibus, quieta perſiſtis. Et quia tota in Dei
fiducia pendes, mortem quoque nullatenus paues; indéque
(vt dixi) ſublimia penetras, vnde quaſi proſtrata videris:
atque inde aduerſantia cuncta ſuperas, vnde tanquam
victa putaris. Poteſt autem quilibet electus, ideo pau-
B per ſimul & diues vocari, quia & adhuc cœleſtis patriæ manſuras diuitias nequaquam habet in re, & tamen
eaſdem iam poſſidet per fidem in ſpe. *Vnus enim idémque*
& pauper & diues eſt. Pauper ſubaudis adhuc peregrinus: diues, quandoque ciuis futurus. Pauper terrena
commoratione, diues beata prædeſtinatione. Præſentis
ſiquidem temporis paupertatem electorum Ieremias con-
Thren. 3. ſpiciens, ait: *Ego vir videns paupertatem meam.* Hanc
enim paupertatem tunc homo incurrit, quando peccando
à Paradiſi gaudiis exiuit. Sed amiſſas illas æternæ patriæ
diuitias, iam nos Apoſtolus in vno, atque per vnum mediatorem Dei & hominum, hominem Chriſtum Ieſum,
Rom. 8. recepiſſe teſtatur, dicens: *Omnia nobis cum illo donauit.*
Epheſ. 2. Idémque, *Conreſuſcitauit & conſedere nos fecit in cœleſtibus.* Sequitur:

Et blaſphemaris ab his qui ſe dicunt Iudæos eſſe, & non ſunt, ſed ſunt ſynagogæ ſatanæ.

C Hic (vt ſæpè idipſum propter aſſertionis noſtræ firmitatem repetamus) manifeſtiſſimè claret, non ſpeciali
tantum Eccleſiæ loqui, cum conſtet nequaquam in ſola
Smyrna vel fuiſſe vel eſſe Iudæos blaſphemantes, ſed in
toto orbe terrarum, quo Chriſti Eccleſiam nouimus dilatari. Dicatur itaque vniuerſali Angelo: Blaſphemaris
ab his qui ſe dicunt Iudæos eſſe, & non ſunt. Tanquam
Eccleſiæ diceretur: Et in ſingulis membris per loca, &
in toto corpore per orbem ab inimicis ſaluberrimæ ſalutis, à cordibus incircumciſis, quaſi rea ac malè credula
derogaris. Quærendum vero nobis eſt, vbi nomen proprium amiſerint Iudæi, cum eos etiam poſt necem redemptoris noſtri, non ſolum humana conſuetudo, verum
etiam ſacra Scriptura ita cognominet, vt in Actibus Apoſtolorum & epiſtolis Pauli. Sciendum itaque quia nomen
quod exterius ſecundum literam prætendunt, interius in
ſpiritu amiſerunt. Iudæus namque interpretatur confi-
Matt. 10. tens. Et Dominus in Euangelio ait: *Qui me confeſſus fuerit*
coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo qui
D *eſt in cœlis. Et qui me negauerit coram hominibus, negabo &*
ego eum coram patre meo, & coram Angelis eius. Iudæorum
ergo nominis expreſſio, mediatoris noſtri eſt confeſſio.
Ac per hoc quicunque Chriſtianitatis nomine cenſentur, ſpiritaliter Iudæi appellantur, Paulo atteſtante qui
Philip. 3. ait: *Nos ſumus circumciſio, qui ſpiritu Deo ſeruimus, non in*
Rom. 2. *carne fiduciam habentes.* Et rurſum: *Non qui in aperto Iudæus, ſed qui in abſcondito Iudæus, & circumciſio cordis*
ſpiritu, non litera. Aperti ergo Iudæi, de ſemine carnis &
circumciſione gloriantes, quia Chriſtum repellunt, intus
proprietatem nominis amittunt. Quique alternantibus
viciſſitudinum temporibus, quantum ad linguam carnis,
modo apertè, modo occultè: quantum vero ad nequitiam
Cant. 6. cordis, ſemper Eccleſiam latenter blaſphemant. Et quia
illi quæ vna eſt Chriſti ſponſa, vna eſt eius columba,
vniri nolunt, plures de ſeipſis ſatanæ ſynagogas faciunt.
Sed nec dubium quod iam in plures ſint diuiſi, qui ab
ipſo redemptoris aduentu duos de ſe populos diuerſæ

hæreſeos dogmati illectos addiderunt, Phariſæos ſci- B
licet ac Saducæos. Hæc ſpecialiter propriéque de apertis ac falſis Iudæis dicta ſunt. Cæterum ſi à proprietate
ad figuram ſermo tranſeat, multos nunc intra ſanctam
Eccleſiam occultos ac falſos Iudæos, eandem Eccleſiam
blaſphemantes, inuenimus. Et quos alios eſſe putamus, niſi rectè credentes, ſed malè viuentes C[hriſt]ianos?
Qui videlicet Iudæos ſe eſſe dicunt, & non ſunt. [Qui]a
Chriſtianum quidem nomen habent, ſed opera Chriſtianitatis non habent. De quibus per Paulum dicitur: *Confi-* Tit. 1.
tentur ſe noſſe Deum, factis autem negant. Quos itaque Ia- Iacob. 2.
cobus dæmonibus comparat, dum cuilibet eorum dicit: *Tu* Ibidem.
credis quod vnus eſt Deus bene facis. Nam & dæmones credunt, & contremiſcunt. Hinc rurſum ait: *Fides ſine operibus*
mortua eſt. Quo contra fides viua eſt, quæ in dilectione
Dei & proximi virtutũ opera conſtruit, non ſicut mortua,
quæ ſuper arenæ mobilitatem ædificat. Blaſphematur itaque Eccleſia à falſis Iudæis, quia electorum verba & opera à reprobis diiudicantur. Semper enim diſplicent elo-
quia & acta iuſtorum, cogitationibus peruerſorum, qui- F
que & ſi cum electis intra ſinum fidei degunt, vita tamen
& moribus in multas ſathanæ ſynagogas ſeipſos diuidunt,
quia quot vitiis inſeruiunt, tot de ſe partes reddunt, non
ſicut electi, qui ex multis actionum virtutibus, vnum
conſtruunt charitatis corpus. Congruentius autem adhuc
iuxta figuræ qualitatem hæreticis iſta conueniunt: quia &
ſi Chriſtum confiteri ſe dicunt, tamen quia non vt ſentiendum eſt, de illo ſentiunt, falſo ſibi Iudæorum nomen
aſſumunt. Quique vehementius zeli flammis ſuccenſi,
dolore ſeparationis ſuæ inſtigati, Eccleſiam Dei blaſphemare conſueuerunt, quam hi qui nunquam ad eius conſortium acceſſerunt. Sed vſquequo zizania nouiſſime à
tritico ſeparetur, nullus horum deſerendus eſt ſed omnes admonendi, omnes ſunt tolerandi, in exemplum
redemptoris noſtri, qui ſacrilegum impiumque proditorem vſque ad paſſionem mortis Iudam tolerauit. Ad
quorum videlicet mala perferenda exhortatur Eccleſiam,
& quaſi armis potentibus accingit ſermo diuinus, cum
ſubdit: G

Nihil horum timeas quæ paſſurus es.

Ac ſi diceret: Quicquid à non credentibus Iudæis [q]uicquid à bene credentibus, ſed malè viuentibus Chriſtianis
pœnarum, iniuriarum, læſionúmque tuleris, pro eo quod
tranſeunt, admoneo ne formides. Hinc in Euangelio de
corporalis necis occiſione non timenda exhortatur, di-
cens: *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem* Matt. 10.
non poſſunt occidere. Indicat autem quid ſit timendum, cum
in hac ipſa ſententia ſubiungit: *Sed potius eum timete, qui*
poteſt & animam & corpus perdere in gehennam. Quo con-
tra de reprobis per Pſalmiſtam dicitur: *Illic trepidauerunt* Pſal. 13. & 52.
timore, vbi non erat timor. Præmiſſa quoque exhortatione,
qua ſanctorum Eccleſiam ad toleranda mala prauorum
Dominus roboraſſe videtur eaſdem quæ illi venturæ ſint,
tribulationes ſubdendo manifeſtat, dicens:

Ecce miſſurus eſt diabolus aliquos ex vobis in carcerem, vt tentemini, & habebitis tribulationem diebus decem. H

Hic etiam liquido claret, diuerſas in vno Angelo perſonas alloqui. Præmiſit enim diuina vox quaſi ad vnum
loquens, Nihil horum timeas quæ paſſurus es. Nunc vero adiungit tanquam ad multos, Ecce miſſurus eſt diabolus aliquos ex vobis in carcerem. Sed nec ait, vt tententur hi quos ex vobis miſerit in carcerem, ſed vt tentemini. Vel habebunt tribulationem diebus decem: ſed habebitis, vt ſcilicet per hoc dictum apertè daretur intelligi,
in multis vnum, imo in vno multos conſtare. Tale eſt &
illud quod Pſalmiſta ait: *Qui confidunt in Domino ſicut* Pſal. 124.
mons Sion, non commouebitur in æternum qui habitat in
Ieruſalem. In quo ſcilicet verſiculo, in multis confidentibus vnus qui non commouebitur: & in vno qui non

A commouebitur, multi confidentes deſignantur. Præmittitur namque plurali numero, *qui confidunt:* ac deinde ſubiungitur, *Non commouebitur.* Vtrum autem proprietas aut figura, vtrum etiam proprietas ſimul & figura, carceris vocabulo hic debeat intelligi, debemus animaduertere: & quidem proprietatis nomen hoc loco recipimus pro eo quod multos ſanctorum carcerali pœna afflictos cognoſcimus: ſed figuram in proprietate requirimus, quia plurimos abſque vlla clauſione, aliis preſſurarum anguſtiis tentatos ac tribulationem paſſos ſcimus. Neque hi ſolummodo tentari vel tribulationem habituri in hac ſententia deſcribuntur, qui forinſecus carceralibus tenebris recluduntur: ſed ſecundum Apoſtolum, omnes qui volunt 2.Tim.3. piè viuere in Chriſto Ieſu. Ipſe enim dixit: *Omnes qui volunt piè viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur.* Vbi nimirum ſubaudiendum eſt, ſiue perſecutionis, ſiue pacis tempore qui rectè quærunt viuere, praua coguntur ſuſtinere. Aut nunquid tantum perſecutionis articulo ſancti piè volunt viuere in Chriſto, & non etiam pacis tranquillitatis B ſpatio? Rectè igitur vniuerſas Eccleſiæ preſſurarum anguſtias, nomine*q*; deſignauit carceris, cum ſoleat plerumque ſacrum eloquium in parte totum oſtendere. Cuncta autem quæ ſancta Eccleſia ſiue à malis hominibus, ſiue ab occultis diaboli ſuggeſtionibus, ſeu à reſiſtentibus illecebroſis carnis tentationibus patitur, ad caput malorum referuntur, cuius ſuggeſtione atque impulſu agi creduntur. Idem enim electos mittit in carcerem, cuius nequitia agitur vt vndique tententur. Quod autem non ait, miſſurus eſt diabolus omnes in carcerem: ſed, aliquos ex vobis non omne corpus Angeli tangit, quod ex electis & reprobis conſtat: ſed illos vult intelligi, qui ex illatis tribulationibus victores exiſtunt: qui ideo tentantur, vt probentur: ideo probantur, vt coronentur. Quibus nimirum bene congruit illud, quod Iacobus Iacob.1. de quolibet electorum dicit: *Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* Sed quid ſibi vult, quod Eccleſiæ tentationem decem dierum numero C concludit, niſi quia contra varias perſecutionum paſſiones, contra diuerſas cupiditatum illecebras, decalogi mandatis ſubdita confligit? Rectè igitur denario dierum numero tempus afflictionis eius comprehendit: quia quamdiu in hac vita ſubſiſtit, ſub decalogi præceptis degit. Nullus etenim dies extra decalogi mandata exit, quia pari rotatu totum Eccleſiæ tempus euoluunt. In qua videlicet euolutione nec dies ſine mandatis, nec rurſum mandata ſine diebus eſſe poſſunt. Cum enim tranſierint mandata, tranſient ſtatim & dies: quia ſicut pari curſu iter præſentis vitæ peragunt, ſic quoque pari exitu determinant. Dicatur ergo electis: [*Habebitis tribulationem diebus decem.*] Ac ſi apertè diceretur: Nolite quærere in bello vitæ præſentis requiem, quamdiu contra tentamenta inimici ſiue aperta, ſiue occulta, decem præceptis tanquam milites armamini. Neque enim gaudij locus eſt, vbi vita hominis tota tentatio eſt: ſed alibi expectatur, Iob.7. vbi tentatio nulla eſt. Poteſt autem hic decem dierum Gen.3. numerus & aliter intelligi. Cunctis legentibus liquet, D tribus principaliter tentationibus primum hominem à ſerpente in Paradiſo tentatum ac ſuperatum, ſcilicet gula, vana gloria, & auaritia. Per gulam enim hunc antiquus hoſtis tentauit, cum cibum ligni vetiti ad comedendum Ibid. ſuaſit. Per vanam autem gloriam tentauit, cum dixit: *Aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut dij.* Per auaritiam vero tentauit, cum ſubiunxit: *Scientes bonum & malum.* Auaritia enim non ſolum pecuniæ eſt, ſed etiam altitudinis, Philip.2. Paulo atteſtante, qui de vnigenito Dei filio ait: *Non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo.* Quibus etiam ſecundum caput, videlicet Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, idem teterrimus ſerpens aggredi præſumpſit; ſed illo tentato, ipſe ſuccubuit. Per gulam quippe hunc ten-Matth.4. tare niſus eſt, cum ait: *Dic vt lapides iſti panes fiant.* Per Luc.4. vanam autem gloriam, cum eidem intulit: *Si filius Dei es,* Pſal.90. *mitte te deorſum. Scriptum eſt enim, quia Angelis ſuis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* Per auaritiam vero, cum illi in monte E omnia regna mundi, & gloriam eorum ſe daturum repromiſit, cum à cadente adorari vellet. Contra quas ſcilicet principales inimici tentationes, quotidie cum Chriſto dimicat, quotidie in Chriſto Eccleſia vincit. De qua ſub figurata mulieris locutione in Paradiſo ad ſerpentem di-Gen.3. citur: *Ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius.* Quod vtique non illi primæ mulieri conuenit, quæ iam ore ſerpentis abſorpta fuerat, ſed Eccleſiæ, quæ per Chriſtum antiqui hoſtis inſidias ad tentationum primordia cauet. Cuius calcaneo ſerpens inſidiatur: quia circa finem vniuſcuiuſque electi vitam ſupplantare quærit, quem in primordiis conuerſationis ſuæ decipere non valet. Nam & Apoſtolus huius docens intelligentiæ for-1.Tim.2. mam, cum de Adam loqueretur & diceret: *Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta eſt in præuaricatione:* ad figuratam mox locutionem tranſiens, Eccleſiam oſtendit, dicens: *Saluabitur autem propter filiorum generationem, ſi permanſerit in fide & dilectione & ſanctificatione cum ſobrietate.* Quod vtique non mulieri mortuæ, de qua tunc F præmiſerat Apoſtolus, quod ſeducta fuerit in præuaricatione, videlicet Euæ, ſed Eccleſiæ conuenit Chriſti. Nunquid nam propter carnalem filiorum generationem quælibet mulier ſaluari creditur, cum eo modo pariat caſta quo & adultera? eo fidelis, quo & infidelis? Nunquid ad ſalutem mulieris pertinet illa generatio, quæ in ini-Pſal.50. quitatibus concipitur, & in delictis parturitur? Aut fortè ſolæ ſaluantur quæ pariunt: quæ vero ſteriles perſeuerant, non ſaluantur? Quis hoc dixerit? Eccleſia ergo ſaluatur per filiorum ſpiritalem generationem, quæ fit per verbum prædicationis, & lauacrum regenerationis. Quia igitur in hac peregrinationis terra, illa quam prædiximus, trina tentatio, in quibus cætera vitia potiſſimum obtinent principatum, non poteſt deeſſe, & hæc ipſa mortalis vitæ peregrinatio per ſeptem dierum curricula euoluitur, rectè principalis Eccleſiæ tribulatione, decem dierum numero exprimitur. Hæc enim trina tentatione ſeptem diebus applicita, denarius numerus adimpletur. Dicatur ergo electis: [*Habebitis tribulationem diebus decem.*] Ac ſi diceretur, Vſquequo præſens G finiatur, quæ ſeptem dierum euolutionibus peragitur, contra diuerſas tentationes quæ in tribus ſuum maximè obtinent principatum, certamen habebitis. Non eſt autem mirum, ſi adiecta trina tentatione, ſeptem dierum numerus in decem aſſurgit, qua agitur, vt omnes dies vitæ præſentis longiores quam ſunt, ab electis æſtimentur. Sequitur:

Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.

Hæc generaliter vniuerſali Eccleſiæ, hæc ſpecialiter vnicuique ſanctorum dicta conueniunt. Hinc Dominus in Euangelio ait: *Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic* Matt.10. *ſaluus erit.* Hinc eſt quod Ioſeph typum Eccleſiæ prætendens, veſtis ſuæ habitu, perſeuerantiam certaminis habere nos admonet, cuius longitudo vſque ad talos eius peruenit. Dicatur itaque in tentationibus poſito: [*Eſto* Gen.37. H *fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.*] Tanquam diceretur: Inter multas preſſuras, inter innumeras clades, inter diuerſas tentationes poſitus, ſemper victoriæ triumphum attende. Certa vt fortiſſimus agonotheta bonum certamen, curſumque vt agiliſſimus gigas conſumma. Noli regis tui fidem relinquere, noli aduerſariis eius terga præbere. Antequam vincas, noli puſillanimis exiſtere. Antequam bellum conficias, noli ignauiæ ſuccumbere. Antequam iter perficias, noli in via laſſeſcere. Erige arma contra tentationes; ſed nec depones arma, antequam finiantur tentationes. Nunc enim eſt tempus decertandi, tunc autem coronandi. Dabo tibi, inquit, coronam vitæ; ſubaudis, ſi mecum toto belli tempore dimicaueris, ſi mecum perſtiteris, ſi mecum viceris, in fine certaminis mecum coronaberis, id eſt, regnandi ſortem accipies. Vnde & inferius dicitur: *Qui vicerit, faciam eum ſedere mecum in throno meo: ſicut & ego vici, & ſedeo cum patre meo in throno eius.* Sequitur: Apoc.3.

A

Qui habet aures, audiat quid ſpiritus dicat Eccleſiis: Qui vicerit, non lædetur à morte ſecunda.

Cum ſacra ſcriptura tres ponere mortes ſolita ſit, vnam ſcilicet peccati, alteram autem carnis, tertiam vero ſupplicium damnationis: cur in hac reuelatione, vltima damnatione non tertia, ſed ſecunda mors appellatur, niſi quia hic poni videntur mortes quæ nocere probantur? Mors ſcilicet peccati, morſque æterni ſupplicij: ad quarum comparationem, iſta quæ carnis eſt, mors dicenda non eſt. Vnde & Apoſtolus ſæpe carne mortuos, *dormientes* vocat, Hinc enim ait: *Nolumus vos fratres ignorare de dormientibus* [1. Theſ. 4.] Et rurſum: *Ex quibus multi manent adhuc, quidam autem dormierunt.* [1.Cor. 15.] Mors itaque primogenita quæ ledit, peccatum eſt. Huic autem nulla alia quæ lædere poſſit, niſi æterna damnatio, ſuccedit. [B] Prætermiſſa ergo media quæ non lædit, illa debuit vocari ſecunda, quæ poſt peccatum lædit. Et quidem peccati mors, quanquam in æterno ſupplicio miſeris ſemper adhæreat, in hac tamen vita potiſſimum læſionis ſuæ tempus aſpectat: vbi dum conſummatum fuerit peccatum, ſubſequentis mox ſupplicij mortem parturiens gignit, quæ vices eius ſine termino ad lædendum teneat. Vnde ſcriptum eſt: *Peccatum dum conſummatum fuerit, generat mortem.* [Iacob. 1.] Dicatur itaque: [*Qui vicerit non lædetur a morte ſecunda.*] Ac ſi diceretur: Qui mortem peccati hoc in tempore animas necantem ſuperare contenderit, ad læſionem eius quæ poſt hanc & animas & corpora ſine fine cruciat, non perueniet. In quo ſcilicet læſionis vocabulo, miſeriarum, debet intelligi corruptio. Lædi enim non poteſt, niſi qui corruptioni ſubiacet. Si itaque reprobi æternæ corruptioni non ſubiacerent, quid in inferno ignis, quid vermes facerent? O duriſſima mors, ô atrociſſima mors, ô incogitabilis mors, quæ ſemper ſuſceptos corrumpis & nunquam ad plenum conſumis, mors quæ [C] ſemper occidis, & nunquam ad integrum extinguis mors ſemper graſſans, & nunquam perfecte interimens, mors ſemper auide glutiens & nunquam ſaturitatem inueniens, ô mors ô amara mors, quid de te magis ſumus dicturi, niſi vt cogitemus qualiter te euadere poſſimus, niſi vt ſororem tuam primogenitam vincendo totis viribus in Chriſto fugere quæramus? Qui enim os ſuggeſtionis eius nunc in pugno virtutis contuderit, deuorandus in tuas fauces non tranſibit. Iam vero his ita pertractatis, quæ ad prædicatorem Eccleſiæ Smyrnæorum prolata ſunt, ad ſequentis Eccleſiæ myſticas locutiones euoluendas veniamus. Sequitur.

Et Angelo Pergami Eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit qui habet rompheam ex vtraque parte acutam: Scio vbi habitas, vbi ſedes eſt ſathanæ.

D

Per romphæam ex vtraque parte acutam, ſicut in ſuperiori libro ex abundanti iam diximus, & vetus & nouum teſtamentum ſignificatur. Bene autem vtraque parte acuta eſſe perhibetur: quia hinc Iudæos dum percutit, litera occidit: illinc credentes dum iugulat, ſpiritu viuificat. Recte vtraque parte acuta deſcribitur: quia hinc hoſtem necat, illinc militem armat, vel certe quia hinc culpas operis, illinc reſecat illicitas cogitationes. Quid autem ſiue ad perniciem ſeu ad ſalutem quorundam hac vtens romphæa dicat, audiamus. Ait enim: [*Scio vbi habitas, vbi ſedes eſt ſathanæ.*] [Apoc. 16.] Quod nimirum generaliter vniuerſali Eccleſiæ dicitur, quæ mixta cum reprobis, vbique ſathanæ per orbem tentationibus exercetur? Qui enim alii per ſedem ſathanæ niſi reprobi deſignantur? Sicut è contra ſedes Chriſti electi vocantur. Iſta eſt ipſa illa ſedes beſtiæ, quæ longe inferius in hac Apocalypſi, effuſa prædicationis phiala dicitur obſcurari, indeque reprobos linguas ſuas commanducare. Vnde electos ad loquendum linguas accepiſſe, nullus poteſt dubitare. Dicatur itaque vnitati Eccleſiæ: [*Scio vbi habitas, vbi ſedes eſt ſathanæ.* [E] Ac ſi diceretur: Per orbem vniuerſum, quo diabolus regnat in ſuis. Neque enim in ſola Pergami Eccleſia ſedes ſathanæ tunc erat, ſed in omnibus gentibus, in quibus iam ſedem ſuam Chriſtus conſtrui cernebat, in quibus iam agnos inter beſtias accubare, iam columbas inter accipitres volare iam lilium inter ſpinas [Matt. 10.] creſcere videbat. O quam magna laus electorum eſt, quod inter malorum prauitatem boni perſiſtunt: quod inter beſtiarum ſæuitiam, agni innocentiam cuſtodiunt: quod inter accipitrum venandi aſtutiam, columbæ ſimplicitatem retinent: ſed prudentia ſerpentis edocti, nullis inſidiarum iaculis caput ferire permittunt: quod inter ſpinarum punctiones odorem floris emanant, quod inter peccatorum tenebras luce iuſtitiæ reſplendent. Hinc eſt quod ſponſus in Canticis canticorum ad laudem ſponſæ [Cant. 2.] loquitur, dicens: *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* [Philip. 2.] Hinc Paulus ait: *In medio nationis praua & peruerſa, inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo,* [F] *verbum vitæ continentes.* Hinc Petrus conuerſationem prioris vitæ, in Lot præconiis attollit, dicens: *Et iuſtum Lot oppreſſum à nefandorum iniuriis, conuerſatione eripuit.* [2.Petr. 2. Gen. 19.] Viſu enim & auditu iuſtus erat, habitans apud eos, qui de die in diem animam iuſti iniquis operibus cruciabant. Hinc talium aduerſitate iam probatus Iob quoque ait: [Iob 30.] *Frater fui draconum & ſocius ſtruthionum.* [Matt 10.] Hinc Dominus [Ezec. 2.] in Euangelio ad diſcipulos dicit: *Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum.* Hinc Iezechieli dicitur: *Fili hominis, ſubuerſores ſunt tecum, & cum ſcorpionibus habitas.* Subuerſores ſcilicet, quia vitam aut blandimentorum ſuaſionibus, aut terrorum comminationibus à rectitudine inclinant. Scorpiones vero vocantur, quia nonnunquam & in facie adulationis verba prætendunt, & à tergo obtrectationis aculeo pungunt. Scorpio enim palpando quidem incedit, ſed cauda a tergo ferit. Hinc electorum Eccleſia Pſalmiſtæ voce ait: *Circumdederunt me ſicut apes.* [Pſal. 17.] Apis in ore mel portat, in cauda venenum occultat. Sic [G] nimirum hi qui fraudes moliuntur, dulcia apponunt, vt à malis inficiant. Quod videlicet agentes, electorum vitam dum excruciant, à peccati rubigine purgant. Vnde bene quoque Pſalmiſta ſubiungit: *Ex exarſerunt ſicut ignis in ſpinis.* [Ibidem.] Ignis enim ſi ſubito afflatus inter ſpinas virentes flammeſcat, non ipſa arbuſcula, ſed harum aculeos incendit. Sic nimirum, ſic reprobi intra ſanctam Eccleſiam conſtituti, dum vitam electorum duris tribulationibus premunt, à delictorum tantummodo ſordibus mundant. Sequitur:

Et tenes nomen meum, & non negaſti fidem meam, & in diebus Antiphas teſtis meus fidelis, qui occiſus eſt apud vos, vbi ſathanas inhabitat.

Hæc locutio quem habebat interius ſenſum, vtcunque agnoſco: ſed textum literæ exterius plene non capio. Si [H] enim diceretur, non negaſti fidem meam in diebus Antiphæ teſtis mei fidelis, qui occiſus eſt apud vos, planus eſſet proculdubio ſenſus. At cum dicatur, non negaſti fidem meam, & in diebus Antiphas teſtis meus fidelis qui occiſus eſt apud vos: prorſus quid dici velit, ignorare me fateor, niſi forte aut vitio ſcriptorum, aut certe more ſcripturarum, ademptas credatur habere quaſdam orationum particulas, quæ ſubauditioni deſeruiant. Adiiamus ergo ipſas ſubauditiones, ſi quomodo ſuperficiem eius comprehendere poſſimus. Puto enim talem eſſe huius locutionis textum, vt cum dicitur, tenes nomen meum & non negaſti fidem meam, & in diebus, protinus addi debeat, illis: ac deinque cum exequitur, Antiphas teſtis meus fidelis qui occiſus eſt apud vos, adhiberi ſtatim ſubauditionis ſententiam qua dicatur, non negauit fidem meam. Et eſt ſenſus: Tenes nomen meum, & non negaſti fidem meam, & in diebus illis Antiphas teſtis meus fidelis, qui occiſus eſt apud vos, non negauit fidem meam. Huic pene ſimile eſt [Pſal. 74.] illud quod in pſalmo canimus: *Nolite extollere in altum*

A *cornu veſtrum, & nolite loqui aduerſus Deum iniquitatem: quia neque ab occidente, neque à deſertis montibus, quoniam Deus iudex eſt.* Cum enim dicit: *nolite extollere in altum cornu veſtrum, & nolite loqui aduerſus Deum iniquitatem:* ſi ſubiungeret ſtatim, *quoniam Deus iudex eſt*, aperta ſententia videretur. Sed cum interponit, quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque à deſertis montibus, ac deinde ſubnectit quoniam Deus iudex eſt, in media proculdubio ſententia verborum intellectus plenus non eſt. Sed quia quaſi minus dixit, ſubauditionem nos in ea quærere móſtrauit. Cuius videlicet ſentétiæ talis eſt ſenſus, vt cum dicimus, neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque à deſertis montibus: ſubaudiamus, patet aditus fugiendi, propterea vtique quoniam Deus iudex eſt. Si igitur hæc Pſalmiſtæ locutio ſimilis eſt huic, quam ventilamus, bene ſermo diuinus à genere recurrit ad ſpeciem, vt prædictum martyrem, & fidelem & pro fide recta doceat interfectum, qui fortaſſe à quibuſdam B infidelis & pro perfidia putabatur occiſus. Vel certè tales ſubauditiones huic ſententiæ applicare debemus, vt eam ita pronunciemus. *Et tenes nomen meum, & non negaſti fidem meam. Et in diebus illis extitit Antiphas teſtis meus fidelis, qui occiſus eſt apud vos.* Quod ſi (vt moris eſt) in hac ipſa ſpecie genus declaratur, multi in vno, imo omnes in vno, ſiue manifeſto ſiue occulto martyrio teſtes, reperiuntur præconio laudis attolli. Quod autem apud ſanctos teſtem ſuum Dominus commemorat interfectum, ſic intelligendum eſt, non quo ab illis, ſed quod inter illos fuerit interemptus, ab his videlicet, in quibus ſathanas inhabitat. Ipſi enim ſunt ſedes ſathanæ ipſi & habitatio ſathanæ. Attendat etiam prudens lector, in hac locutione plures in vna perſona afferri. Præmittitur enim ſingulari numero tanquam ad vnum, [*Tenes nomen meum, & non negaſti fidem meam.*] Subiungitur autem plurali numero, tanquam ad multos qui deſignantur per vnum, [*& in diebus Antiphas teſtis meus fidelis qui occiſus eſt* C *apud vos.*] Sic pene in ſingulis locutionibus quæ ad ſeptem ſunt Angelos, & vnus in multis, & multi in vno deſignantur. Sequitur:

Num.24. *Sed habeo aduerſus te pauca. Habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balach mittere ſcandalum coram filiis Iſraël, edere & fornicari.*

Nequaquam iſta illi conueniunt, cui præmiſerat. Tenes nomen meum, & non negaſti fidem meam: ſed alij, quem hæreticam perfidiam minimè redarguentem inſpexit. Nunquid nam qui praua docere tacendo permittat, fidem ipſe non negat? Quis hoc dixerit? Sed videamus quam doctrinam Balaam tenere dicantur hi, quos ægra pars Angeli redarguendo minimè ſanaſſe conuincitur. Et quidem fertur, eundem Balaam hariolum fuiſſe, & artis D ſuæ libros condidiſſe. Sed non illa hic doctrina interſeritur, cum de eodem apertiſſime dicatur: *Docebat Balach mittere ſcandalum coram filiis Iſraël, edere & fornicari.*] Iſtam itaque doctrinam eos tenere redarguit, qua ille regem Balach ad decipiendos filios Iſraël erudiuit. Quæ videlicet doctrina, imo deceptio Iſraëlis, ad Balach ab eo- Num.23. dem prolata, huiuſcemodi fuit. Nam cum ab eo ad maledicendum populum Iſraël fuiſſet euocatus, quem maledicere non valuit, cui ſe etiam in morte ſimilem fieri optauit: mulieribus victus, in eiuſdem populi mortem, conſilium dedit. Qui etiam callidus deceptor vitium per quod facilius ruerent explorauit, pronos enim ad fornicationem præuidit animos filiorum Iſraël, & ideo conſilium dedit Balach, vt mulieres pulcherrimas coram eis poneret, quarum ſpeciebus delectati, in illicitos amplexus ruerent: quarum blanditiis deliniti, de ſacrificiis Phegor manducarent: per quod videlicet factum à Deo ſuo deſerti, coram inimicis ſuis caderent. Hoc itaque conſilium initum & impletum eſt, in quo & filij Iſraël facile Num.25. decepti ſunt. Et niſi Phinees ſacerdos zelo Dei actus, E vindictam exercuiſſet in adulteros, fortaſſe in conſpectu aduerſariorum ſuorum omnes pariter corruiſſent. Sed nec ad plenum huius pœnam per hoc factum euadere potuerunt. Nam pro hoc reatu ex eis vna die viginti & tria millia gladio ceciderunt. Hæc tunc ita facta ſunt, impio docente diuino. Hæc etiam ſpecialiter in Pergami Eccleſia doctrina fuiſſe refertur. Sed ſi in ſpecie genus attendimus, & à proprietate ad figuram recurrimus, qualiter poſt vel geſta vel gerenda ſint inuenimus. Balaam quippe interpretatur, populus vanus. Balach autem, elidens. Iſraël quoque, vir videns Deum. Et qui alij per Balaam, qui populus vanus dicitur, niſi hæretici deſignantur? Qui dum pondus rectæ fidei penſare nequeunt, ipſi à grauitate eiuſdem ponderis diuerſis erroribus euaneſcunt. Qui vero per Balach, qui elidens inte[illegible] ſonat, niſi huius ſæculi poteſtates exprim[illegible] Qu[illegible] nimirum benè congruit hoc, quod Bal[illegible] vocatur: quia proculdubio dum huius [illegible] p[illegible]ipes ſemper aliis ſuperiores F exiſtere quær[illegible] q[illegible] ad dignitatis ſuæ culmen aſcendere niten[illegible] ſunt, pro viribus ad terram elidunt, videli[illegible] ad [illegible] deponunt. Vel certè propterea elidentis vocabulum gerunt: quia plerumque ſuadentibus hæreticis, [illegible]ſitudinem ac dignitatem Eccleſiæ ad tempus inclinant. Qui quoque per Iſraël virum ſcilicet Deum videntem, niſi electi figurantur? An non Deum vident, qui cum Apoſtolo Paulo dicunt, *Videmus nunc* 1.Cor.13. *per ſpeculum in ænigmate*? Docente itaque Balaam, mittit coram filiis Iſraël Balach ſcandalum, mulierum videlicet deceptionem, cum quibus de idolothytis edant, & fornicentur: quia hæreticis ſuadentibus, huius ſæculi principes eorum ſectam noſtris fidelibus quaſi pulchram foris oſtendunt in locutionibus, quæ intus plena omni ſpurcitia in ſenſibus eſſe noſcitur. Multa enim ad decipiendas animas paruulorum, lenia & dulcia ac ſuaſoria ſuis peruerſis dogmatibus miſcent, vt eiſdem quaſi fœminis ſuadentibus, Iſraël de idolothytis manducet, id eſt, ipſis G dogmatibus fidelis cor ſuum polluat, quibuſque miſerabiliter contaminatus, fornicetur, ſubaudis, relicta veritatis doctrina, ardentiſſimo libidinis incendio, mendaciis peruerſorum doctorum inhæreat. Eſt autem & alius Balaam, quo docente ſcandalum mittit Balach coram filiis Iſraël, vt de illicitis edant, & fornicentur cum meretricibus. Deſignat itaque Balaam populus vanus, per inania diſcurrentes malignos ſpiritus. Balach autem elidens carnem ſpiritui reſiſtentem. Mulieres vero quæ ad ſacrificia & fornicationem illiciunt, terrenarum rerum voluptates. Iſraël quoque animam Deum contemplantem. Docente igitur Balaam, mittit Balach voluptatum amatrices coram filiis Iſraël, quarum ſuaſionibus edant de immolatis, & fornicentur cum eis: quia videlicet ſpirituum immundorum ſuaſionibus caro delectata ad aſpectum mentis ipſas cupiditatum illecebras deducit: quarum amore plerumque anima illecta, ad conſenſum vtendi illicitis rapitur. Abſurdus hic videretur intellectus, ſi & Apoſtolus Coloſ.3. idolorum culturam cupiditatem non vocaret, & ſimula- Eph.5. H crorum ſeruitus, ſpiritalis fornicatio non eſſet. Ab his nefandis ſacrificiis, ab hac polluta commixtione, quam maligni ſpiritus ad animam per officium carnis deducunt, abſtinere fidelia & caſta Eccleſiæ membra monebat Ioannes, cum diceret: *Nolite diligere mundum, neque ea* 1.Ioan.2. *quæ in mundo ſunt.* Cauſamque protinus addidit quoniam omne quod in mundo eſt, concupiſcentia carnis eſt & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ. Quicunque igitur his allectus probatur quid aliud quam amorem ſummi boni in infimis ſe collocaſſe teſtatur? Cui nimirum terribilis illa Iacobi ſententia conuenit, qua dicitur: *Quicunque voluerit amicus eſſe ſæculi huius, inimicus Dei* Iacobi 4. *conſtituitur.* Ac ſi aliis verbis diceretur: Cui edulium & fornicatio Ammonitarum placere videtur, Deum ſine dubio iratum habere cognoſcitur. Sequitur:

Ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum, ſimiliter pœnitentiam age.

De factis Nicolaitarum ſatis (vt arbitror) ſupra iam

diximus.

A diximus. Et quidem ibi facta Nicolaitarum angelum odiſſe collaudat, hic autem doctrinam Nicolaitarum quoſdam tenere redarguit. Sed quid eſt quod dicitur, ita habes & tu? Quid eſt hoc? Cur non ita contexitur, vt dicatur, habes illic tenentes doctrinam Balaam & Nicolaitarum: ſed horum vno præmiſſo, ſubinfertur, ita habes & tu? Quid inquam eſt hoc, niſi quia ab ſpecie ad ſpeciem ſermo tranſit, & ſimili eam ignauia tabeſcentem oſtendit; quanquam diſſimilem ad corrigendum in ſuis auditoribus peruerſitatem habeat? Et quia nihil intereſt, vtrum quis pro doctrina Balaam; an pro Nicolaitarum tacuiſſe redarguatur, recte ſubiungitur: [*Similiter pœnitentiam age.*] Nequaquam certe in præmiſſa locutione doctrinam Balaam tenentes, Angelum minime redarguentem, ad pœnitentiam ſermo diuinus coëgit, vt iſti qui Nicolaitarum dogma non increpat, dicatur [*ſimiliter pœnitentiam age.*] Sed quia (vt dictum eſt) in vno morbo

B vtraſque ſpecies ægrotare inſpexit, vno etiam medicamento pœnitentiæ eas ſanari debere, ſalubriter admonuit. Hoc autem quia nobis ſciendum eſt, in his negligentium prædicatorum ſpeciebus illi etiam tacite ad pœnitentiam prouocantur, quos iidem torpentes prædicatores nequaquam corrtexiſſe probantur, Balaam videlicet & Nicolaitarum doctrinam ſectantes, quod ſequens verſus manifeſtiſſime declarat, quo terribiliter comminando Dominus per Angelum, ſubiungit:

Sin autem, venio tibi, & pugnabo cum illis in gladio oris mei.

Nunquid non Angelum propter negligentiam correptionis, ad pœnitentiam inuitauerat? Cur ergo ſi pœnitere noluerit, non ſubdit *Pugnabo tecum, ſed pugnabo cum illis*: niſi quia (vt dictum eſt) illos etiam torpenti prædicatore ad lamentum venire hortauerat, quos eodem torpore periſſe cognouerat: Sic quoque vtrumque quod di-

C citur, venio tibi & pugnabo cum illis in gladio oris mei, ad vtroſque pertinet. Quod tale eſt, quale ſi diceretur, venio tibi & pugnabo tecum, ſicut alia tranſlatio demonſtrat: vel venio vobis, & pugnabo vobiſcum. Pari enim reatu aſtringitur & ille qui prauum docet, & ille qui praua docere tacens permittit. Quid itaque eſt, talium cuilibet dicere, venio tibi, niſi reſpectum iræ meæ atque vindictæ ſentire te faciam? Quid quoque, & pugnabo cum illis in gladio oris mei, niſi acutis eloquiorum meorum ſententiis damnabo, quo non ſolum rectæ fidei contradicentes, verumetiam falſæ doctrinæ conſentientes pariter atque impœnitentes patior? Gladius enim oris illius, eſt ſermo-

Ephеſ. 6. Ioan. 12. num eius valida præcepta, Paulo atteſtante qui ait: *Et gladium ſpiritus quod eſt verbum Dei.* Hoc denique gladio ad vltionem inimicorum ſuorum, nouiſſimi examinis die ſe vti deſignans, in Euangelio dicit: *Verbum quod locutus ſum, ipſum iudicabit de vobis in nouiſſimo die.* Quia vero nonnunquam, & is qui praua docet, & is qui praua docere permittit, opera iuſtorum habent, quibus

D ſe ſaluari poſſe confidunt: bene vtriſque illa Euangelica aptatur parabola, qua ad conſiderationem ſui, talium

Luc. 14. præſumptio à Domino reuocatur, cum dicitur: *Quis rex iturus aduerſus alium regem committere prælium, non prius ſedens computat, ſi poſſit cum decẽ millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad ſe?* Rex enim contra regem viginti millium exercitus habentem, cum decem millibus venit: quia ſunt plerique qui ſolis operibus in conſpectu ſummi illius regis ac iudicis ſaluari ſe poſſe præſumunt, etiamſi rectæ fidei regulam non teneant: vel tenentes, praua docentibus aliis contradicant, qui ſimul operibus, & fide cunctos examinant. Scriptum quip-

Heb. 11. pe eſt: *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Quos tamen pauida conſideratione ab hac incauta ac deceptoria præſumptione dum adhuc longe eſt, videlicet dum adhuc venire ad iudicium differt, legatis interuenientibus, pacem poſtulare ipſis verborum figuris admonet, id eſt, prioris temporis poſtpoſito errore, Deum ſibi pia confeſſione dignoque pœnitentiæ fletu reconciliare. Hoc etiam & illis conuenit, qui ſola fidei confeſſione ad æternam beatitudinem peruenire ſe poſſe præſumunt, etiam E

ſi opera fidei non habeant: quia rurſus ſcriptum eſt, Iacob. 2.

Fides ſine operibus mortua eſt. Sequitur:

Qui habet aurem, audiat quid ſpiritus dicat Eccleſiis: Vincenti dabo manna abſconditum.

Ac ſi de ſeipſo mediator noſter diceret, *Panem inuiſibilem qui de cælo deſcendit. Qui ideo factus eſt homo, vt panem angelorum manducaret homo.* Exod. 16. Ioan. 6. In cuius figura illud in eremo manna præceſſit, quod qui manducauerunt, ideo mortui à Domino perhibentur, quia increduli permanentes, de hoc abſcondito & ſpiritali ſingulariter manna quodque immortalitatem fidelibus pollicetur, non manducauerunt. Vnde & ſequenti eorum progeniei dicit: *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ibidem. F Nam qui etiam illo tunc cibo potuerunt ſpiritaliter paſci, eadem meruerunt immortalitate potiri, vt Moyſes & cæteri. Eundem enim cibum ſpiritaliter, docente Apoſtolo, manducaue- 1. Cor. 10. runt: quia non eis obfuit manna viſibile ſpiritaliter vtentibus cibo corporeo, ſicut ne[...]minibus præſentis temporis proderit manna ſpiritale corporis Dominici, ſi eum indigne percipiant, quia *iudicium ſibi manducant & bibunt.* 1. Cor. 11. Quod videlicet manna nunc in ſacramento per fidem, quandoque autem in veritate per ſpeciem ſumetur: quandoque nunc abſconditum, quandoque vero apparebit manifeſtum. Mannæ etenim interpretatum ſonat *quid eſt hoc?* 1. Cor. 2 Nos autem nequaquam dicimus, *quid eſt hoc*, niſi de re quam ante non vidimus. Cui ſententiæ Paulus concinit, dicens: *Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.* De hoc manna abſconſo ſatiari ſe in illa eius reuelatione Pſalmiſta cognouerat, cum eidem loqueretur, dicens: *Satiabor dum manifeſtabitur gloria tua.* Pſal. 16. Sequitur. G

Et dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum, quod nemo ſcit niſi qui accipit.

Calculus, lapis eſt precioſus, qui alio quoque vocabulo vſitatius carbunculus vocatur. Vtrunque autem nomen in diuina ſcriptura, & pro lapide precioſo & pro carbone ſæpius ponitur. Lapis igitur iſte ideo calculus vel carbunculus appellatur, quia nimirum à carbone ſimilitudinem ducere videtur. Sicut enim carbo ſuccenſus, qua magnitudine ſubſiſtit, ea in tenebris poſitus refulget, ita & hic lapis à multisfacere perhibetur. Quis itaque per hunc, niſi *mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus* deſignatur? Bene autem per lapidem calculum, qui ſecundum hanc reuelationem candidus eſſe, & naturæ ſuæ atteſtatione in tenebris lucere perhibetur, incarnata veritas exprimitur: qui videlicet & iuxta humanitatis noſtræ naturam, ſine vlla peccati obfuſcatione mundus inter homines apparuit: & diuinitatis ſuæ luce, tenebras noſtræ mortalitatis illuſtrauit. H Proponitur itaque lapis hic figuraliter de hoſte humani generis triumphantibus, ad ſimilitudinem illius margaritæ, quam negociator inueniens, venditis omnibus comparauit. Alia denique tranſlatio pro calculo margaritam poſuit, & notandum quod in omnibus his locutionibus ſe Dominus in præmium vincentibus dare repromittit, fratrem ſcilicet & comparticipem in regno & paterna hæreditate futurum. Vnde & per Ioannem dicitur: *Quotquot receperunt eum dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* Ioan. 1. Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Dicat itaque: Qui vicerit, dabo ei calculum candidum. Ac ſi diceretur: De mundo atque autore mortis triumphantem, per adoptionis gratiam conſortem & cohæredem meum in regno patris efficiam. Vnde etiam ipſe à mortuis reſurgens, ſanctis mulieribus ait: *Ite, nunciate fra-* Matt. 28.

A *tribus meis, vt eant in Galilaam.* Hinc quoque per Pſalmiſtam longe ante prædixerat: Pſal. 21. *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Eccleſiæ laudabo te.* In qua videlicet adoptionis gratia, nomen etiam nouum datur, ſubaudis nomen Chriſtianum, nomen pridem inauditum. A Chriſto enim Chriſtiani vocantur, ſicut ab Iſraël Iſraëlitæ à Iuda Iudæi. De hoc nouo nomine quod in calculo datur, per Iſaiam prophetam idem Dominus Eccleſiæ Iſaiæ 62. prædixerat. *Vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit.* Sed cum multi hoc nomine cenſeantur, qui victi à diabolo ſuperantur, quomodo ſolis vincentibus idipſum daturum ſe Dominus pollicetur, niſi quia illa hic datio ponitur, qua prædeſtinatos ad vitam nouimus ſupernæ ciuitatis electos? Quorũ quiſque fidem operibus ornat, moribus conſeruat: non illa, qua ſecundum Apoſtolum, habentes quidam formam pietatis, virtutem eius 2. Tim. 3. abnegant. Vbi adhuc aperte ſubiungitur. [*Quod nemo nouit niſi qui accepit.* Tanquam ſi diceretur: Nullus dignitaB tem nominis Chriſti vita & moribus defendit, niſi qui idipſum nomen diuina prædeſtinatione ad æternam vitam promeruit. Noſſe etenim Ieſu Chriſti nomen, ad cuſtodiam mandatorum pertinet. Quo contra Ioannes de quolibet reprobo ait: 1. Ioan. 2. *Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius nõ cuſtodit, mẽdax eſt, & in ipſo veritas nõ eſt.* Vnde Paulus Tit. 1. de quibuſdam dicit: *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.* Accipere vero, ad gratiam diuinæ prædeſtinationis refertur. Vnde baptiſta quoque Ioannes cum de eodem demiatore noſtro loqueretur, inter cætera ait: *Teſtimonium* Ioan. 3. *eius nemo accepit.* Qui autem accepit eius teſtimonium, ſignauit quia Deus verax eſt. Cum enim conſtet, omnes qui ad fidem veniunt, teſtimonium de Chriſto ſuſcipere: patet nimirum, quia per hanc ſententiã qua illud & alius accipere perhibetur, & alius aſſequi omnino denegatur, illa eiuſdem teſtimonij acceptio deſignatur, qua vnuſquiſque electorum gratia beatæ prædeſtinationis, in ſortem cæleſtis patriæ adſcribitur. Poteſt autem per hunc lapiC dem, qui candidus & ignitus eſſe perhibetur, charitas figurari habet enim charitas candorem, habet & ignem. Candorem ſcilicet, quia veſtis eſt: ignem vero, quia amor eſt: Ipſa enim velut mundiſſima veſtis operit nigredinem peccatorum: ipſa tanquam vehementiſſimus ignis, ad amorem proximi accendit corda ſanctorum. An non recte per hunc lapidem candidum, charitatis veſtimentum Apoc. 15. exprimitur, cum de ſanctis prædicatoribus in hac Apocalypſi dicatur: *Exierunt de templo, veſtiti lapide mundo* 1. Ioan. 4. *candido?* An non ipſum charitatis veſtimentum, quod conſtat ex lapide mundo, congruenter ignis vocatur, cum Deut. 4. & Ioannes dicat, *Deus charitas eſt*: & Moyſes & Paulus Heb. 12. atteſtentur, *Deus noſter ignis conſumens eſt?* Datur itaque vincentibus calculum candidum, vt diligant Deum & proximum. Datur in calculo vincentibus nomen nouum, vt ipſam dilectionem adimpleant in mandato nouo. Scri- Ioan. 13. ptum quippe eſt: *Mandatum nouum do vobis, vt vos inuicem diligatis.* Ecce in calculo nomen nouum diſcipulis collatum, quod nemo (inquit) nouit niſi qui accipit. D Tanquam diceret: Huius virtutem nominis per omnia ignorat, quiſquis illud in mandato nouo non conſeruat: Sed iam ſequentis Eccleſiæ myſtica ſunt verba rimanda. Sequitur:

Et angelo Thyatiræ Eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit filius Dei qui habet oculos vt flamma ignis, & pedes eius ſimiles aurichalco: Noui opera tua & charitatem & fidem & miniſterium & patientiam tuam, & opera tua nouiſſima plura prioribus.

Qui ſunt iſti oculi, flammæ ignis comparatione radiantes: quiue pedes Angeli aurichalco ſimiles, in principio huius operis latius diſſeruimus. Oculi enim Angeli vt flamma ignis, ſunt aut ſpiritus mediatoris noſtri, illuminans & accendens corpus eius, quod eſt Eccleſia: aut ſancti eiuſdem Eccleſiæ prædicatores, qui & lumen fidei & incendium illi præbeant amoris: aut certe eloquia ſcri- E pturarum, quæ idem lumen, idemque cunctis incendium ſubminiſtrant. Vnde ſcriptum eſt: Pſal. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, & lumen ſemitis meis.* Et Ibidem. iterum: *Ignitum eloquium tuum vehementer.* Iterumque: Pſal. 104. *Eloquium Domini inflammauit eum.* Pedes vero eius ſimiles aurichalco eſſe perhibentur, id eſt, aut omnes prædicatores ſancti, per quos mundum circuit, igne tribulationis probati: aut certe extrema ac nouiſſima illius membra, vltima perſecutione candentia. Quid autem dicat, audiamus. Ait enim: [*Noui opera tua & charitatem & fidem & miniſterium & patientiam tuam, & opera tua nouiſſima plura prioribus.*] Quod omnino non tantum ſpecialiter vni Thyatiræ prædicatori, ſed generaliter cunctis electis congruit. Generalis enim Eccleſiæ perſona in hac Angeli ſpecie introducitur, cuius opera nouiſſima plura prioribus narrantur, *Noui*, ait, *opera tua*, tanquam vniuerſali Eccleſiæ diceret: Per electionis gratiam tua bene geſta approbo, qui vt eadem ageres, gratuite con- F tuli. Et charitatem & fidem, ſubaudis, eo modo quo opera tua, noui. Et quia myſtice diuinarum ſcripturarum eloquia ordinem dictorum ſæpe præpoſterant, idcirco in hac ſententia prius opera, inde charitas, dehinc fides ſub infertur, cum prius ſit credere, dehinc quod quiſque credit amare, inde vero quod credulitas & amor compellit, operari. Subiungitur autem adhuc in laudem Ec- 2. Cor. 8. cleſiæ ac dicitur: *Et miniſterium & patientiam tuam.* Miniſterium hoc loco illud vult intelligi, quod ſecundum Apoſtolum fit in ſanctos, id eſt, impenſa miſericordia ex terrenarum rerum facultatibus. Patientiam vero, in omnibus Eccleſiæ officiis arcem ſublimitatis docet tenere. Sed iam videamus, cur Eccleſiæ opera nouiſſima, plura prædicentur quam priora. Sciendum itaque, quia in exordio ſuo electorum Eccleſia leuioribus ac facilioribus præceptis in fide ſolidata eſt, quia & ordo tenerioris vitæ poſcebat, vt à minimis inchoaret, quatenus cre- Act. 5. ſcendo ad maiora pertingeret. Hinc eſt enim, quod pri- G mum ab Apoſtolis quatuor tantummodo capitula gentibus ad Chriſtum conuerſis, ſeruari præcipiuntur, videlicet vt abſtinerent ſe ab immolatis & fornicatione, ſuffocatis & ſanguine. At cum proceſſu temporis parua ſpatia deuoluta fuiſſent, creuerunt ad culmen perfectionis, ita vt multi credentium cuncta mundi poſtponerent, habita pauperibus tribuerent: patres, matres, vxores, fratres, ſorores, filios, agros, domos, familias propter vitam æternam relinquerent. Ab hinc etiam exordium ſumpſit monachorum religio. Ecce vt arbitror, imo pro certo teneo, nouiſſima Eccleſiæ opera plura prædicantur prioribus, quæ nunc vſque effectus ſui ſagacitate percurrunt, & vſque in finem ſæculi pertendunt. Vel certe quia ſub Antichriſti perſecutione amplior in ea virtus enitebit operationis, ideirco ſermo diuinus nouiſſima opera eius plura prioribus aſſerit futura. Extrema enim eius opera plura erunt prioribus: quia quæ nunc ex gentibus ſola laborat, tunc ad gremium ſuæ vniuerſitatis Iudæos per- H ducens, duplo roborabit. Sequitur:

*Sed habeo aduerſus te *quia permittis mulierem Iezabel, quæ ſe dicit propheten, docere & ſeducere ſeruos meos, fornicari & manducare de idolothytis.* * pauca quia.

Nulla ratio permittit, vt ille hoc vitio notetur, quem præcedenti verſiculo tanta laude Dominus fuerat proſecutus: cuius opera, charitatem, fidem miniſterium & patientiam, atque opera nouiſſima plura prioribus, per electionis gratiam approbaſſe ſe dixerat. Si enim charitate viguit, quomodo errata proximorum incorrecta dimiſit, Leuit. 19. cui præcipitur, *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*: Sed Matt. 22. à generali electorum corpore, ad ſpecialem prædicatorum corporis partem conuertit ſermonem: & nec totam ſpeciem, ſed partem in ea reprobam tangit, illam ſcilicet, quæ ſua negligentia fornicationem & idololatriam in

Eccleſia

A Eccleſia ſub nomine Chriſti finit. Sicut autem omnes electi virtutum ſimilium compagine vnum redemptoris corpus de ſe reddunt, ſic reprobi vitiorum parilitate coniuncti, vnum antiqui hoſtis corpus efficiunt. O quam multi Cain impium non viderunt, & tamen quia hunc imitantur, ipſi Cain probantur. De quibus ſcriptum eſt:
Iudæ 1.d. *Væ illis, qui viam Cain abierunt.* Quam multi Antichriſti futura tempora necdum conſpexerunt, & tamen malæ imitationis exemplo, ipſi Antichriſti eſſe meruerunt,
1.Ioan.2. & 4. Ioanne Apoſtolo docente qui ait: *Nunc antichriſti multi facti ſunt.* Quorum venturum caput, idem ipſe iam in mundo eſſe proteſtatur. Sicque fit, vt & præcedentia membra ſubſequentibus, & rurſum ſubſequentia præcedentibus inueniantur coniuncta. Vnde & hoc loco, poſt
4.Reg.9. aduentum mediatoris in carne, Iezabel idololatra ſimul & fornicaria, Dei ſeruos ſeducere perhibetur. Neque enim vſque ad illud tempus Iezabel vxor Achab, in corpore
B manebat, quam vngulis equorum comminutam nouimus. Sed quia erant in illa tunc Eccleſia, qui actus illius imitabantur, idcirco in eis ipſa mater fornicationum Iezabel notabatur. Quod ſi forte (vt adſolet) etiam in figura proprietas oſtenditur, poteſt ita conjici, vt fuiſſe in illa tunc Eccleſia credatur mulier, quæ hoc nomine vocaretur, ex cuius forma ſpeciali ad generalem totius orbis Iezabel, ſermo ſignate transferretur. Nam & alia tranſlatio eandem Iezabel vxorem fuiſſe ipſius Thyatiræ prædicatoris deſignat, dicens ad eum: Habeo aduerſus te multa, quod ſinis vxorem tuam Iezabel, quæ ſe dicit propheten, & ſinis eam docere & ſeducere ſeruos meos fornicari & manducare de ſacrificiis. Quanquam etiam auditores non inconuenienter doctoris ſui vxor vocentur, in bonis ſcilicet caſta, in malis vero adultera.
Fornicatio quadripartita. Fornicatio autem Iezabel quadriformis intelligitur, imo in quatuor ſpecies ſubdiuiditur. In ſingulis autem ſuis ſpeciebus cauendum prorſus docetur, quanquam harum vna minoris reatus eſſe credatur. Vna itaque huius quadripartitæ fornicationis ſpecies eſt, qua quiſque mente
C tantum obſcœnæ carnis voluptati miſceri concupiſcit. Altera autem, qua ipſius voluptatis opus concupitum, copula carnali admixtus, ad effectum perducit. Altera vero, qua ſimulacra pro Deo venerans, dæmonibus ſeruitutem impendit. Altera quoque qua terrenis deſideriis æſtuans, plus creaturam quam creatorem creaturarum diligit. De iſtarum vna ſpecie Dominus in Euangelio di-
Matth.5. cit: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* De altera autem Apoſtolus
1.Cor.6. monet, dicens: *Fugite fornicationem fratres. Quodcunque enim peccatum fecerit homo, extra corpus eſt. Qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat.* De altero vero idem Dominus per prophetam contra plebem Iudaicam con-
Ierem. 3. queritur, & ait: *Mœchata eſt cum lapide & cum ligno.* De altera quoque prædictus gentium Apoſtolus teſtatur: *Et*
Coloſſ.3. *auaritiam*, inquit, *quæ eſt idolorum ſeruitus.* Et quidem in tribus harum ſpeciebus nunc quoque ſub nomine Chriſti Iezabel fornicationes vigent, id eſt, in appetitu luxuriæ corporalis, in affectu ipſius obſcœnæ commix-
D tionis, atque in auaritia terrenæ felicitatis. Sed nec quarta ad plenum in ea extincta eſt, quæ conſtat ſimulacrorum culturis. Notandum vero quod Iezabel meretrix propheten ſe dicit, & idcirco Dei ſeruos ſeducit. Cum
Sap. 2. Geneſ. 2. igitur quilibet lubricus continenti dicit: *Veni, fruamur concupitis:* quia ſi hoc Deus fieri noluiſſet, maſculum & fœminam non feciſſet, nec corporis membra tali vſui apta formaſſet: quid aliud agit, quam quod quaſi prophetando Dei militem ſeducere quærit? Cuius videlicet mentem dum ſuaſoria verba titillant, quæ etiam cuncta animantia terræ & volucres cæli vſque ad muſcas mutuo ſibi miſceri perhibent, atque ſtultum eſſe, à tali commixtione illum tantum abſtinere, fit plerumque vt carnem delectari compellant, animumque ad conſenſum libidinis pertrahant. Poſtquam vero animus delectationi conſenſerit carnis, ſine mora perficit ſcelus concupitæ delectationis, niſi locus defuerit perpetrationis. Dumque ipſa abdita ac turpis operatio in conſuetudinem venerit lubrico ac titubanti, amiſſa proceſſu temporis reuerentia

E pudoris, nonnunquam ipſum quod turpiter geſſit, coram aliis laudibus effert. De talibus enim ſcriptum eſt: *Peccata* Iſaiæ 3.
ſua vt Sodoma prædicauerunt, nec abſconderunt. Quæ ſcilicet omnia nomen ipſius Iezabel indicat, ſi interpretatio illius pateſiat. Iezabel namque dicitur ſanguinis fluxus, aut fluens, aut certe ſterquilinium. Sanguinis vero nomine in ſcriptura diuina ſolent nonnunquam vitia carnis figurari, Dauid propheta atteſtante, qui poſt adulterij
crimen admiſſum clamat & dicit: *Libera me de ſanguinibus Deus.* Pſal. 50.
Mulierum autem in patiendo fluxu ſanguinis, iſta eſſe conſuetudo perhibetur, vt plurimorum dierum collectus ſanguinis humor, cum menſtruum tempus aduenerit, ſuperabundans egeratur. Sic, ſic vniuerſali Iezabel euenire probatur, vt ſcilicet diu in corde turpium congeſta delectationum peccata, cum tempus perpetrandæ iniquitatis aduenerit, ad apertam operationis deformitatem proſiliant: dumque opus deſideratæ voluptatis Pſal. 67.
venerit ad effectum, fit mens vehementius anxia quam fuerat, & auget in corde flammas libidinis effectus ipſius F
perpetratæ commixtionis, ſeque ipſam petulantis anima non capit, libidine cæca. Marceſcit ſpiritus, langueſcunt & membra, atque vt cera ante faciem ignis, totus (vt ita dixerim) pariter homo liqueſcit, vnde & recte ipſa Iezabel, fluens vocatur. Quia vero vt præmiſimus, cum opus peruerſæ actionis in conſuetudinem venerit operantis, amittit reuerentiam pudoris, bene Iezabel quoque ſterquilinium interpretatur. Dum enim lubrici atque incontinentes aſſiduitate turpis operationis reuerentiæ frontem perdunt, ex ipſis perpetratæ luxuriæ inquinamentis, longe lateque malæ opinionis fœtorem emittunt. De quibus apte per Prophetam dicitur. *Computruerunt iumenta* Ioel. 1.
in ſtercore ſuo. Et de quibus rurſum ſcriptum eſt. *Quorum* Eccl.23.
carnes ſunt vt carnes aſinorum. Carnes autem fornicantium, idcirco aſinorum carnibus comparantur: quia non ſolum naturalibus, verumetiam his qui contra naturam ſunt, amplexibus plerunque iunguntur. Talis ſiquidem eſſe probatur aſinorum petulantia, vt in alieno genere G
animalium miſceantur. Quibus non incongrue aptari Pſal. 48.
putamus illud quod in Pſalm. canimus: *Homo cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Sed & multi intra ſanctam Eccleſiam conſtituti ſolent in alia ſpecie fornicationis multos fidelium decipere. Dum enim quilibet erroris ſui prauitate deceptus, de quibuſdam ægritudinib. pro quibuſdam rerum euentibus ad arbores, ad fontes, ad montes quoſdam vota ſoluere docet: dum ad maleficos, ad diuinos, ad hariolos, ad mathematicos, ad ſortilegos, ad incantatores currere monet: dum ad ligaturas conuenire, dum corpus dominicum in balneis vel ipſos ſumere, vel aliis ſumendum tradere: dum in monumentis auſpicia celebrare, dum in cubiculis cibos quaſi ab ſpiritibus comedendos præparare, dum plumbi laminas vel alia huiuſcemodi pro tuitione habitantium ſuper limina domorum abſcondere ſuadet, dicens: Ego hæc agens, talem & talem ægritudinem euaſi, inimicum meum extinxi,
amicum familiaritate dilectionis mihi coniunxi, bona H
quælibet aſſequi merui, alienam coniugem ad proprios amplexus pertraxi, propriam ab alienis mundam ſeruaui, dumque hæc & alia innumera hiſque ſimilia quaſi rationabiliter ingerit, quid aliud agit, niſi ad ſpiritalem fornicationem & nefanda ſacrificia, velut Iezabel pſeudoprophetes & meretrix, Dei ſeruos inuitat? non ſolum autem, ſed & in alia fornicationis ſpecie plures decipit, dum peruerſis ſuaſionibus ſub amore Dei trahens, deſideriis terrenis ſeruire compellit. Probat enim Apoſtolus ſimulacrorum ſeruitutem, auaritiam eſſe, cum hoc quod ſupra pro-
tulimus, dicit, *& auaritiam quæ eſt idolorum ſeruitus.* Væ Coloſſ.3.
itaque miſeris, væ ſæculi amatoribus: quia toties fornicantes idolis ſeruiunt, quoties plus terrena quam cœleſtia appetunt, plus creaturam quam creatorem diligunt. Sed vtinam poſt multas fornicationes, poſt multas maculas, ad cæleſtis ſponſi amplexum per pœnitentiæ lamentum redirent. Quod quia propter cordis duritiam agere nequeunt, propterea à Domino de Iezabel fornicaria conqueritur, cum protinus ſubinfertur:

A

Et dedi illi tempus vt pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere à fornicatione ſua.

Hinc de quolibet reprobo per beatum Iob dicitur: [Iob. 24.] *Dedit illi Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in ſuperbia.* Ex quo reatu quæ pœna impœnitentem ſequatur, [Rom. 2.] Paulus indicat, dicens: *An ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Secundum duritiam autem tuam & cor impœnitens, theſaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei. Quiſquis enim delinquit & viuit, ideo hunc diuina pietas iniqua agentem tolerat, vt ab iniquitate compeſcat. Sed quia diutius toleratur, nec tamen ab iniquitate compeſcitur, benignitatem quidem ſupernæ manſuetudinis percipit, ſed reatus ſui vinculis ex ipſa benignitate arctius aſtringitur. Nam quia accepta pœnitentiæ tempora vertit in culpam, diſtrictus in vltimis iudex, impenſa miſericordiæ remedia [Iſaiæ 65.] conuertit in pœnam. Hinc Iſaias ait: *Puer centum annorum* [B] *morietur, & peccator centum annorum maledictus erit.* Ac ſi aperte prauos deterreat, dicens: Vita quidem pueri in longum protrahitur vt à factis puerilibus corrigatur. Sed ſi à peccati perpetratione non temporis longinquitate compeſcitur, ipſa vitæ longinquitas quam per miſericordiam accepit, ei ad cumulum maledictionis accreſcit. Vnde neceſſe eſt, vt qui ſe diutius expectari cognoſcunt, ipſa prærogatæ pietatis tempora quaſi damnationis timeant argumenta, ne ex clementia iudicis, creſcat ſupplicium peccatoris: & vnde quis eripi à morte poterat, inde grauius ad mortem tendat. Sed quærendum nobis eſt, cum in præcedenti verſiculo, negligenti prædicatori atque ab exhortatione torpenti dictum ſit, Habeo aduerſus te, quod permittis mulierem Iezabel, quæ ſe dicit prophetem, docere & ſeducere ſeruos meos, fornicari & manducare de idolothytis: cur non ſubiungitur, dedi tibi & & illi: aut certe ſub vno, dedi vobis tempus vt pœnitentiam ageretis, & non vultis pœnitere? An forte qui con- [C] ſentit fornicariæ, reus ipſe adulterij non tenetur, vt ei pœnitentia iure non imponatur, cum ſcriptura ſancta aperte teſtetur, non ſolum qui faciunt malum, ſed & qui conſentiunt facientibus, digni ſunt morte: Et certe ſupe- [Rom. 1.] rius ad Angelum Epheſi Eccleſiæ dictum ſcimus: *Memor eſto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam & prima opera fac.* Et ad Pergami, *Similiter pœnitentiam age.* Cur inquam non ita & hic, niſi quia ſermo Dei à ſpecie ad genus tranſit, & in eo partem ſpeciei reprobam quaſi ex occulto impœnitentem redarguit, quam ſupra aperte increpauerat, quatenus vna eademque ſpecies modo rea modo digna appareat; cum & aperte negligens increpatur, & tamen non aperte impœnitens redarguitur? Hoc autem idcirco, ne pars ſpeciei quæ in ſanctis prædicatoribus conſtat, illi quæ in reprobis eſt, videretur coniuncta. In peruerſis itaque doctoribus vnus idemque Angelus, & pro reatu taciturnitatis, aperte corripitur in ſpecie: & pro mentis obduratione, occulte redarguitur in genere. In ſanctis vero nec aperte corripitur in ſpecie, nec occulte in- [D] crepatur in genere. In eo enim quæ diuina vox ait, habeo aduerſus te quod permittis mulierem Iezabel, quæ ſe dicit propheten, docere, & ſeducere ſeruos meos, torpentium ab exhortatione prædicatorum innoteſcit ſilentium. in eo vero quod ſubiungit, & dedi illi tempus vt pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere à fornicatione ſua ab ſpecie ad genus tranſiens; & ſpeciem & genus ſimul ſub vno redarguit. Sic quippe per hanc ſententiam in genere ſpeciem reprobam notat ſicut plerunque in ſpecie genus condemnat. Ab vtriſque autem ſanctorum excludens perſonam, ita eos ab illa torpentium deſidia oſtendit alienos, quatenus per malorum quoque exprobrationem ſemper velit manere prouidos atque ſuſpectos. Quia enim prædicatores ſancti, quoſdam ſibi ſubiectos per verbum exhortationis à prauis actibus cito corrigere nequeunt, at nequaquam Eccleſiaſticæ diſciplinæ vigorem mox vt deliquerint exercent: ſed tempus quo vel exhortatione, vel increpatione, vel certe diſciplinæ vigore corrigi poſſint, in longum expectando differunt, reos ſe nun- [E] quam animarum illorum deputant. Vnde quia & mala ab eis fieri, nec tamen eos corrigi cernunt, cui potius aperte iſta ſententia qua dicitur, habeo aduerſus te, quia permit- [1. Tim. 4.] tis mulierem Iezabel, quæ ſe dicit propheten, docere & ſeducere ſeruos meos, diſcernere omnino non poſſunt. Et quidã inſtant verbo, prædicant opportune importune, arguunt, obſecrant, increpant, ſed tamen quia nonnunquam (ſicut dictum eſt) diſciplinæ vigorem corripiendis ad tempus ſubtrahunt, proculdubio ne ſubdita plebs pereat metuunt, cum tali in facto non illos hæc ſententia, ſed alios percuſſiſſe videatur. Quam autem formidinem ab exhortatione torpentes tenere debent, ſi & exhortationi inſtantes, iſta formidant? Sed vtinam ſaltem cum illis qui eorum ignauia depereunt, ad pœnitentiæ lamentum ipſi conuerterentur. Quod quia nec volunt nec poſſunt, & ideo non poſſunt, quia nec volunt: atque ideo nolunt, quia nec poſſunt: quæ illos pœna pro hac cordis obduratione maneat, audiamus. Sequitur:

F

Ecce ponam eam in lectum, & qui mœchantur cum ea, in tribulationem maximam, niſi pœnitentiam egerit ab operibus eius, & filios eius interficiam in mortem.

Hoc eſt meretrix Iezabel, quod mœchantes cum ea. Hoc etiam filij ex ipſius fornicatione procreati, id eſt, vnum corpus ſathanæ, quod totum conſtat in generali atque vniuerſali Iezabel. Sed diuiditur genus in partes vel ſpecies, vt oſtendatur quibus ſucceſſibus antiqui hoſtis corpus proficiat, quibus incrementis eius ſoboles coaleſcat. Primum enim a ſuadentibus, deinde à ſuaſis ſimul & ſuadentibus, malorum actuum exemplis occidenda meretricis proles incrementa percipit. Si igitur meretrix & mœchantes cum ea & filij fornicationis eius, vna ſunt Iezabel, vnum ſunt corpus meretricis, totum proculdu- [G] bio in Iezabel lecto proſternitur, totum in mœchantibus cum ea tribulationi maximæ traditur, totum in filiis fornicationis morte trucidatur.

Ponitur autem iſta vniuerſa meretrix in lectum, non vt quieſcat, ſed vt febre langueſcat, vt phrenesim incurrat: quatenus ea iam dicat vel agat, quæ alij audire vel videre erubeſcant. Quid itaque hoc loco appellatione lecti, niſi audaciam ac ſecuritatem delinquendi accipere debemus? Hanc audaciam vel ſecuritatem peccantium Eccleſia [Pſalm. 6.] flere ſe indicat, quæ cum Pſalmiſta clamat: *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* Ac ſi aperte diceret: Quæ nunc permixta cum reprobis dego, in illis adhuc per actionem reprobam inferius iaceo, quæ iam in electis meis culmen virtutis teneo. Ibi ergo iaceo, vbi lectum meum vel ſtratum intelligo. Quamobrem audaciam vel ſecuritatem peccandi quam in reprobis patior, in electis meis amariter deflere non ceſſo. Per ſingulas autem noctes, tanquam diceret, aut per ſingula criminum augmenta, aut certe per ſingula temporum incrementa. Hanc enim deceptoriam ſecuri- [H] tatem vel audaciam, tunc reprobi incurrunt, cum peccantes experti non fuerint præſentis iræ vindictam, & pœnitentiam eo vſque negligunt, donec eis repentinus ſuperueniat interitus, ſicut dolor parturientis, & non effu- [1. Theſ. 5.] gient. Quo contra beatus Apoſtolus in hoc lecto dormientes, ne idem & repentinus interitus apprehendat, [Epheſ. 5.] exſuſcitat, & ad quemlibet eorum clamat: *Surge qui dor-* [Prou. 1.] *mis, & exurge à mortuis.* In hoc ſecuritatis vel audaciæ lecto, occidenda meretricis proles iacere perhibetur, ſicut [Ezec. 16.] per Salomonem dicitur: *Auerſio paruulorum interficiet eos, & proſperitas ſtultorum perdet illos.*

Hinc etiam per prophetam hac ſecuritate peccantibus dominus dicit: Iſrael, iam non iraſcar tibi, & zelus meus receſſit à te. Non ſcilicet quo propitiationem fuerint conſecuti, ſed quo indigni iudicabantur temporaliter flagellari. Ac ſi aliis verbis diceret: Præcedentium delictorum poculis debriatus, ô Iſrael, phrenesim pateris, & ideo temporalis vindictæ ſeueritatem nequaquam incurris. Econtra vero, de illis quibus miſericorditer fuerat

A
Apoc. 3.
iratus, dicit: *Zelatus ſum Sion zelo magno & indignatione magna zelatus ſum eam.* De quibus etiam in hac Apocalypſi per Angelum à Domino: *Ego quos amo, arguo & caſtigo.* Proſperantur ſiquidem ad tempus iniqui, æterna morte plectendi, affliguntur ad modicum electi, perennibus bonis vegetandi. Sic, ſic ab homine duo filij procreati, vnus ad hæreditatem capiendam promptus, alter inſaniam mentis paſſus: vnus horum hæres futurus, diſciplinæ verberibus affligitur, obſequiis laboribúſque fatigatur, vinctis etiam pedibus nonnunquam pernoctare compellitur. Alter vero & honoris & futuræ hæreditatis ſucceſſor indignus, nulla peccans diſciplina coercetur, nullis obſequiis fatigatur, nullis vigiliis conficitur.

Hæc exempli cauſa protulimus, vt oſtenderemus qua ratione à Domino contemptores in lectum audaciæ vel ſecuritatis ponantur. A Domino autem ponantur, dicimus: non quo ipſe impellat, ſed quo ab hac ſecuritatis
Exod. 7.
B
deceptione flagellando non eripiat: ſicuti & cor Pharaonis indurare dicitur, cuius duritiam etiam per flagella miſericorditer non emolliuit. Quæ videlicet reproborum peccandi ſecuritas, non ſolum peccatum eſt, ſed peccatum ſimul & pœna peccati: quia præcedens peccatum quod per pœnitentiam deletum non eſt, Iezabelis videlicet fornicatio, hoc de ſe genuit. Quaſi enim quædam ſunt peccatoris ſupplicia, ipſa vitiorum incrementa. Vnde & bene ipſe meretricis lectus tribulatio magna vocatur, quæ videlicet ſupplicium præcedentis delicti eſſe cognoſcitur. Hinc namque per Pſalmiſtam dicitur:
Pſal. 80.
*Non audiuit populus meus vocem meam, & Iſrael non intendit mihi. Et dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum, & ibunt in * voluptatibus ſuis.*
* voluntatibus.

In hoc itaque lecto, in hac maxima tribulatione filij meretricis trucidantur, ſubaudis, cuncti reprobi per impunitatem ſcelerum ſuorum ad mortem perueniunt animarum. Poteſt autem per lectum, in quo mœchantes pariter atque impœnitentes ponuntur, quoue ſucceſſio
C
meretricis interimitur, æternum ſupplicium deſignari: in quo quiſque poſitus non iam inſaniat, non ſecuritate torpeat, ſed æterna tormenta ſentiat, ſed perpetua cruciamenta ſuſtineat. Niſi enim lecti vocabulo illud reproborum ſupplicium deſignaretur, nequaquam antiquo hoſti
Iſaiæ 14.
ſub figurata locutione per Iſaiam diceretur: *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua, concidit cadauer tuum, ſubter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Quod mihi videtur alterius editionis interpres inſinuare voluiſſe, qui pro lecto luctum poſuiſſe videtur, quo manifeſtius æternum ſupplicium deſignaretur, de
Matth. 8. 13. & 22. 24. 25.
quo per Euangelium veritas atteſtatur: *Ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Cui ſententiæ bene & illud congruit, quod idem lectus tribulatio maxima vocatur. Ibi itaque veraciter futura pronuntiatur maxima tribulatio, quam nulla carnis explicat lingua. Ibi etiam iniqua poſteritas, cum iniquis parentibus gladio ſempiternæ occiſionis iugulari narratur, vbi quiſque & deficiens non deficit, & moriens ſemper viuit. De qua morte ille tunc eripitur,
D
qui nunc mundo & vitiis moritur. Sequitur:

Et ſcient omnes Eccleſiæ, quia ego ſum ſcrutans renes & corda.

Ier. 17.
Quia in præcedenti verſiculo non perſpicua, ſed occulta idololatras atque adulteros omnipotens Deus prædixerat morte damnandos: nunc in conſequenti fidem Eccleſiæ demonſtrat, quæ etiam non viſa iam credit. Ac ſi de fidelibus diceret: Cum in abditis atque occultis reprobos condemno, etiam tunc cunctorum me acta cognoſcere non ambigunt. Quod niſi ita intelligatur, in hac ſententia fides credentium aboleri putatur. Nunquid namque prius quam Dominus idololatras atque adulteros in publicum prodat & trucidet, neſcit hunc Eccleſia occultorum eſſe cognitorem? Aut quomodo Eccleſia dici poteſt, ſi exitu rerum & non potius initio fidei ſuæ Deum ſecretorum nouerit eſſe cognitorem? Non ergo (vt diximus) in hac ſententia experientia rerum, ſed certa fide tenendum eſt, non perſpicua, ſed abdita idololatras atque adulteros morte puniri. Abdita, ſubaudis, non quantum ad futuri, ſed quantum ad præſentis temporis attinet qualitatem, in quo per fidem ambulamus, & non per ſpeciem. In renibus ſane adulterorum, ipſam vult intelligi corporalis luxuriæ perpetratam nequitiam: cordium autem vocabulo, ſpiritalis adulterij incentiua. Quia enim humanæ conceptionis ſemen de lumbis egreditur virorum, non inconuenienter hoc loco ipſa corporalis luxuriæ perpetratio, per renes deſignatur adulterorum. Quia vero de corde etiam ſpiritale prodeat adulterium, teſtatur Dominus in Euangelio, dicens: *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa, teſtimonia, blaſphemiæ.* Matt. 15. Marc. 8.
Harum fornicationum incentiuam in renibus & corde, Spiritu ſancti incendio exuri poſcebat Eccleſia ex gentibus veniens, cum diceret: *Proba me Domine & tenta me; vre renes meos & cor meum.* Hinc iterum Pſalmiſta eiuſdem voce dicebat: Pſal. 25. Pſal. 37.
Miſeriis afflictus ſum & conturbatus ſum vſque in finem, tota die contriſtatus ingrediebar, quoniam anima mea completa eſt illuſionibus, & non eſt ſanitas in carne mea. Poteſt F
fortaſſe hoc quod Eccleſia in reproborum vltione Deum ſcrutatorem eſſe renum & cordium ſcire perhibetur, non incongrue ita intelligi, vt quod nunc fide retinet certa, in futurum cernat rerum experientia. Hinc quoque (vt arbitror) Pſalmiſta ait: *Cognoſcetur Dominus faciens,* non Pſal. 9.
quo & ante per fidem non ſit cognitus, eum occulte iudicaret, ſed quo ipſa tunc iudiciorum experientia cognoſcatur. Sequitur:

*Et dabo vnicuique veſtrum ſecundum opera * veſtra.*

* ſua.

Hinc à parte qua totum oſtenderat, ad totum ſermo recurrit, cum ſingulis propria redditurum ſe eſſe Dominus ſpondet. Totum autem, ſicut ſequens verſus declarat, tantum in reproba parte. Vbi manifeſte quoque apparet, omne genus peccatorum nomine fornicationis concludi. G
Si enim de vno genere fornicationis Iezabel & mœchantes cum ea & filios eius increpauerat, cur hoc in loco diſcretionem peccatorum faciens ait, dabo vnicuique veſtrum ſecundum opera veſtra: & non potius, condemnabo vos propter fornicationem veſtram? Non itaque per hanc ſententiam vnius operis, ſed multorum futura damnatio prædicitur. Vnde & ipſam Iezabelis fornicationem, quam ſuperius quadriformem intelleximus, omnifariam cogimur modo fateri: quanquam etiam in vna eius ſpecie de qua dicitur, *radix omnium malorum eſt cupiditas,* 1. Tim. 6.
ſimul totum poſſit comprehendi. De qua omnifaria fornicatione per Pſalmiſtam Deo dicitur: *Perdes omnes qui* Pſal. 72.
fornicantur abs te. Non autem violenter quemlibet ad H
ſequendum hunc ſenſum trahimus, cum forte omnipotens verbum & ibi ſolam ſpeciem tetigerit, & hic ab ſpecie ad genus redierit. Dicatur itaque: [*Dabo vnicuique veſtrum ſecundum opera veſtra.*] Vbi quod amplius exponi debeat non eſt, ſed quod magis timeri. Valde enim pauenda, valde tremenda eſt illa retributionis vindicta his, qui pauere & tremere ad verba Domini noluerunt. In qua nullus ſanctorum diſtricto iudicio obuiare valet precibus, quibus veniam impetret peccatoribus. Vnde & prudentes virgines oleum ſtultis petentibus reſpondent, dicentes:
Ne forte non ſufficiat nobis & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis. Matt. 25.
Et quid mirum ſi tunc non valent, cum ſicut parturiens contra inimicos ſuos iratus clamauerit, qui nunc eo tacente ac ſuſtinente, pro pereuntibus interuenire piis ſuffragiis nequeunt? Hinc per prophetam à Domino dicitur: *Si beſtias peſſimas introduxero ſuper* Ezech. 14.
terram vt vaſtem eam, & fuerit inuia, eo quod non ſit pertranſiens propter beſtias tres viri iuſti ſi fuerint in ea, Noe, Daniel & Iob: viuo ego, dicit Dominus Deus, quia nec filios nec filias liberabunt, ſed ipſi ſoli liberabuntur, terra autem deſolabitur. Super peccantem etenim terram, vt vaſtetur, beſtias Dominus introducit: quia exigentibus reproborum meritis, iuſto occultoque iudicio malignorum ſpirituum deceptionibus eos perire permittit. De his beſtiis alibi

A quoque per ſanctum Iob dicitur: *Omnes beſtiæ agri ludent*
ibi. Subandis, in reproborum cordibus maligni ſpiritus
ludibria voluptatum exercent. Quæ videlicet terra pro-
pter beſtias inuia fit, nulluſque per eam tranſit: quia dum
prauos in corpus ſuum apoſtatæ ſpiritus dente miſeræ
deceptionis trahunt, in eorum corda nullum adeundi
ſancti prædicatores iter inueniunt. Dumque arcu & ſa-
gitta prædicationis, à malignis ſpiritibus ea non valent
defendere, ſanctis proculdubio precibus nequeunt libe-
rare. Vnde & ſubditur: *Tres viri iuſti ſi fuerint in ea, Noe,*
Daniel & Iob viuo ego, dicit Dominus Deus, quia nec filios
nec filias liberabunt, ſed ipſi ſoli liberabuntur, terra autem
deſolabitur. In quibus nimirum tribus viris diſcretus ordo
prædicantium apertiſſime declaratur, dum inter duos
coniugatos Daniel quoque medius, nec filium nec filiam
liberare poſſe perhibetur, qui nec filium nec filiam ſecun-
dum carnem legitur habuiſſe. Et quidem Noë & Iob fi-
B lios & filias ex propagine carnis habuerunt, ſed nec pa-
rentes, nec filij in carne tunc erant, quando Dominus
per Iezechielem iſta dicebat, vt gignentes à deuoratione
beſtiarum carnis ſuæ genitam prolem liberarent. Sanctos
ergo prædicatores quotquot vel fuerunt ante nos, vel
erunt poſt nos, à deceptione malignorum ſpirituum nec
eos liberare poſſe deſignat, quos per ſpiritalem gratiam
ad fidei quidem cognitionem perducunt, ſed à prauis
operibus in melioris vitæ ſtudium non immutant. Se-
quitur:

Vobis autem dico & cæteris qui Thyatiræ eſtis, quicunque non habent doctrinam hanc, & qui non cognouerunt altitudinem ſathanæ.

Increpata vehementi comminatione reproborum du-
ritia, ad electos verbum Dei recurrit: eoſque doctrinam
Iezabel habere denegat, atque altitudinem ſathanæ ne-
ſcire denunciat. Doctrinam autem Iezabel non habent,
C quia eos prauorum ſuaſio ad opus peruerſum non incli-
nat. Altitudinem vero ſathanæ ignorant, ſubandis, nullo
conſenſo imitanda recipiunt. Sic enim dicuntur electi
altitudinem ſathanæ ignorare, ſicuti ſacra ſcriptura dice-
re conſueuit, non cognouiſſe viros mulieres innuptas, id
eſt, nequaquam fuiſſe expertas opera virorum in concu-
bitu, vel ſicut nos quotidiana locutione hominem vera-
cem ignorare mentiri dicimus. Quæ autem alia ſathanæ
Iſa. 14. altitudo intelligenda eſt, niſi ruinoſa illius ſuperbia, qua
primus contra Deum elatus, tumuit: tumens, de cælo ad
Geneſ. 3. terram ruit: ruens, multas Angelorum legiones ſibi con-
ſentientes ſecum deiecit: deiectus, etiam elationis vento
Iſaiæ 14. primum hominem de paradiſo propulſauit? Cuius ela-
tionis tumorem, quo primo ſeipſum deiecit, Dominus per
prophetam inſinuat, cum eidem ſub quadam figurata lo-
cutione dicit: *Quomodo cecidiſti de cælo lucifer qui mane*
oriebaris? corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes: qui
Geneſ. 3. *dicebas in corde tuo, in cælum conſcendam, ſuper aſtra*
cæli exaltabo ſolium meum ſedebo in monte teſtamenti in
lateribus aquilonis, aſcendam ſuper altitudinem nubium,
ſimilis ero altiſſimo? Huius tumoris altitudinem tunc
homo cognouit, cum hanc imitando, Deo ſimilis fieri
concupiuit, iuxta promiſſionem ſcilicet deceptoris ſui,
dicentis: *In quocunque die comederitis de ligno ſcientiæ*
boni & mali, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut dij,
ſcientes bonum & malum. Hanc altitudinem ſathanæ illi
cognouerant, qui turrem vſque ad cælum erigere geſtie-
bant. Hanc altitudinem ſathanæ Simon Samaritanus &
Gen. 11. magus agnouerat, qui ſe virtutem magnam aſſerebat.
Act. 8. Hanc quidam hæreſiarcha nouerat, qui diabolo ſimilis,
dicebat: *Non inuideo Chriſto Deo, poſſum enim & ipſe, ſi*
volo, fieri Deus. Hanc certiſſime omnes nouerunt, qui
Iob. 41. alios ſibi ſemper inferiores deputant, imitantes illum de
quo ſcriptum eſt: *Omne ſublime videt, & ipſe eſt rex ſuper*
vniuerſos filios ſuperbiæ. Quo contra caput ſuum imitan-
tur electi, de quo ſcriptum eſt: *Cum in forma Dei eſſet,*
non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo: ſed ſemet-
Philip. 2. *ipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudi-*
ne hominum factus, & habitu inuentus vt homo, humi- E
liauit ſemetipſum. & factus obediens vſque ad mortem.
A quo & competenter audiunt: *Diſcite à me, quia mitis* Matt. 11.
ſum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus ve-
ſtris. Notitiam altitudinis ſathanæ electi non habent, quia
in cunctis ſemetipſos humiliant. Solerter enim attendunt,
quo elationis præcipitio peremptorem ſequentes, à para-
diſi gaudiis primi parentes ruerunt: quoue humilitatis
aſcenſu redemptoris veſtigia imitantes, eadem nunc re-
petant gaudia credentes: pauentque vehementer, ne
vnde ad tempus exaltari poſſunt, inde poſt finem tem-
poris miſerabili lapſu ad æterna ſupplicia ruentes deſcen-
dant, maxime cum & à principe humilitatis dictum in-
telligant: *Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe* Luc. 14. & 18.
humiliat, exaltabitur. Hinc ergo rationis accepto con-
ſilio, humilitatis ſemitam arripiunt, per quam ad celſi-
tudinis culmen aſcendant. Quodque agentes, ne in iti-
nere humilitatis laſſeſcant, nequaquam huius temporali-
tatis potentiam reſpiciunt: ſed ad ea quæ in ante ſunt, Philip. 3.
cum Apoſtolo ſemetipſos extendunt. Quibus etiam ipſa F
peregrinatio vitæ præſentis rebus quodammodo loquitur,
non debere cæleſtis patriæ peregrinum, in terra velle
honorari: non oportere ad loca quandoque conſolatio-
nis venturum, in loco afflictionis lætari. Hinc etiam cum
Pſalmiſta Domino dicunt: *Humiliaſti nos in loco affli-* Pſal. 43.
ctionis. Quid autem talibus ſubiungat, audiamus. Se-
quitur:

Quemadmodum dicunt, non ponam ſuper vos aliud pondus: tamen id quod habetis, tenete donec veniam.

Qui ſunt qui hoc dicunt, niſi qui altitudinem ſathanæ
cognouerunt, id eſt, populi Iudæorum qui de legis obſer-
uantia inflati, contra incarnatum Dei filium ſuperbiæ
ceruicem erexerant, aſſerentes eum Beelzebub diſcipu-
lum eſſe atque dæmonium habere? Quod autem pondus G
ſuper credentium dicunt humeros imponi, niſi ceremo- Luc. 11. Ioan. 8.
nias veteris legis? Hoc certe quia quandoque futurum
ſit, nunc increduli autumant Iudæi. Hoc in ipſo redem-
ptionis exordio & dicebant, & facere geſtiebant,
etiam illi qui iam ex ipſis in Chriſtum crediderant. De-
nique ait Lucas Euangeliſta, *Quidam deſcendentes à* Act. 15.
Iudæa, docebant fratres: quia niſi circumcidamini ſe-
cundum morem Moyſi, non poteſtis ſalui fieri. Quam-
obrem facta ſeditione non minima Paulo & Barnabæ ad-
uerſus illos, ſtatuerunt vt aſcenderent Paulus & Barnabas,
& quidam alij ex illis, ad Apoſtolos & presbyteros in Ie-
ruſalem ſuper hac quæſtione. Et poſt pauca: *Cum autem*
aſcendiſſent Hieroſolymam ſuſcepti ſunt ab Eccleſia, &
ab Apoſtolis & à ſenioribus, annunciantes quanta feciſſet
Deus cum illis. Surrexerunt autem quidam de hæreſi Pha- H
riſæorum, qui crediderant, dicentes: quia oportet circum-
cidere eos, præcipere quoque ſeruare legem Moyſi. Sed Ibidem.
quid audiunt de Apoſtolo Petro? *Quid tentatis,* ait, *im-*
ponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod neque pa-
tres noſtri, neque nos portare potuimus aliquando? Ab
hac importabili ſarcina, ab hoc grauiſſimo pondere li-
berati iam fuerant, quibus Paulus dicebat: *State, & no-* Gal. 5.
lite iterum iugo ſeruitutis contineri. Sed quia ab importa-
bili onere liberantur, ſub leni ſarcina Chriſti permanere
monentur, cum dicitur: [*Tamen id quod habetis, tenete.*]
id eſt, onus leue ad quod vocati eſtis, abijcere nolite. Et
quod eſt illud, niſi gratia ipſius redemptoris noſtri? Vnde Actor. 15.
& Petrus cum Iudæis diceret, *quid tentatis imponere*
iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod neque patres noſtri,
neque nos portare potuimus aliquando, protinus ad-
didit: *ſed per gratiam Domini Ieſu credimus ſalua-* Matt. 11.
ri, quem admodum & illi. Ad huius gratiæ leuiſſimum
pondus ferendum, cæleſtis magiſter diſcipulos per
Euangelium inuitabat, dicens: *Venite ad me omnes qui*
laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iu-
gum meum ſuper vos. Atque poſt paululum ſubiiciens:

Iugum

A *Iugum*, inquit, *meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Ab onere igitur ad onus vocat, ſed à graui ad leue, à lege ad gratiam, per quam non ſolum impleatur lex, verumetiam
* legamus. tranſcendatur. Quæ videlicet dum loquimur, quæſtionem nobis ipſi * ligamus. Si enim importabilis eſt lex, quomodo non ſolum impletur, verumetiam tranſcenditur? Sed ſciendum nobis eſt, quia in obſeruatione carnalium præceptorum, eadem lex importabilis eſt: in cuſtodia vero ſpiritualium mandatorum, quæ in decem conſtant verbis, duarum tabularum adimpletur lex. In actione quoque quam illæ victimæ futuram præſignabant, tranſcenditur lex: quia ad comparationem illarum rerum quas myſtice tunc venturas prænuntiabant, viliſſimæ nunc apparent illæ, quæ ſola litera exterius prolatæ, ab auditorib. impleri nequeunt. Alia enim fuerunt in veteri teſtamento, præcepta vitæ figurandæ, alia vero vitæ peragendæ. Et quidem
Epheſ. 2. præcepta vitæ figurandæ, Apoſtolo dicente, *in decretis euacuata ſunt.* Sed præcepta vitæ peragendæ, etiam
B ſub gratia ſtabilita ſunt, ipſo Apoſtolo confirmante, qui
Rom. 3. ait: *Ergo per gratiam legem deſtruo? Abſit, ſed per gratiam legem ſtatuo.* Quæ ſunt autem præcepta vitæ figurandæ, vt de multis pauca commemorem, niſi carnalium victimarum oblationes, quæ aut ſingularem illam hoſtiam pro nobis in altari crucis poſitam, id eſt, dominum redemptorem ſignificabant: aut pluralem corporis eius quod eſt Eccleſia, mortificationem parturiebant? Quæ vero præcepta vitæ peragendæ, niſi illa decem in tabulis lapideis digito Dei ſcripta? In mandatis igitur vitæ peragendæ, impletur à credentibus lex. In mandatis autem vitæ figurandæ, iuxta literam importabilis quidem eſt, ſed iuxta ſpiritum tranſcēditur lex. Valde enim pretioſius eſt, Deo ſemetipſum hominem hoſtiam viuam offerre, quam ſanguinem occiſi pecoris immolare. Ecce vnde impletur, ecce vnde non impletur, ecce vnde tranſcenditur lex. Nec impleretur autem, nec tranſcenderetur, niſi gratia præueniente, in tabulis cordis carnalibus ſpiritus Dei viui ſcriberetur. Agendæ ergo ſunt gratiæ redemptori noſtro,
Gal. 3. C *qui nos proprio ſanguine redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum*: quique dedit, vt ſpiritu dilectionis ſuæ non ſolum impleri, verumetiam ſpiritaliter lex poſſet tranſcendi quæ per ſeruilem timorem carnaliter in ſuis obſeruationibus vix poterat enumerari. Quod autem Dominus hac expleat ſententia, ita concludit, vt dicat, [*donec veniam:*] nimirum oſtendit, vſque ad reſtaurationis tempora Eccleſiam ſub gratia permanere, ac nequaquam iuxta mendacium Iudæorum: vltra onus legis credentium humeros aggrauare. Sequitur:

Et qui vicerit, & qui cuſtodierit opera mea vſque in finem, dabo illi poteſtatem ſuper gentes, & reget illas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur, ſicut & ego accepi à patre meo.

D

Hanc poteſtatem tunc Chriſtus à patre accepit, cum pro nobis incarnatus, paſſus, ac ſuſcitatus, per Apoſtolorum prædicationem totum ſibi mundum ſubiugauit. Abſit autem vt qui in diuinitate coæqualis eſt patri, ſuper gentes hanc poteſtatem accepiſſe credatur à patre: ſed in humanitate, quia minor eſt patre. Secundum quam
Matt. 28. humanitatem in Euangelio quoque loquitur, dicens: *Data*
Pſal. 2. *eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.* Secundum quam etiam paterna ad eum voce dicitur: *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Nam de poteſtate quam cum patre ante tem-
Dan. 7. pora habet, Daniel propheta, teſtatur, dicens: *Poteſtas eius, poteſtas æterna.* Illam igitur poteſtatem quam in tempore homo factus, à patre accepit vnigenitus Dei, fidelis ſuis ſodare repromittit: ſed in ſe, à quo totum regitur corpus, & cui totum Eccleſiæ inhæret corpus.
Epheſ. 1. 4. 5. *Ipſe* enim ſecundum Apoſtolum *caput eſt omnium electorum.* Si quod ergo membrorum digne capiti inhæſerit, veraciter habere dicitur, quod ipſum caput hæreditario iure poſſidere probatur. An non Eccleſia in capite ſuo E
poteſtatem ſuper gentes accepit, quæ in ſanctis prædicatoribus ipſas gentes ex quibus conſtat, autoritate capitis ſui, vigore capitis ſui, ſciētia capitis ſui docet & regit, atq; ab illicitis operibus cenſura diſtrictionis coercet? Sed nec mirum, ſi ſuper gentes poteſtatem habet Eccleſia in terris, quæ ligandi atque ſoluendi poteſtatem accepit in cælis pariter & in terris. Sciendum vero, quia & ipſi prædicatores qui ex fidelibus populis eliguntur, cum poteſtatem ſuper eos accipiunt, ſeipſos prius conueniunt, ſuique dominantur: quatenus correctionis iuſtæ dominationem, quam in aliis exercent, in ſeipſis ſolerti cuſtodia tenere ſtudeant ſicque ſeipſos ab illicitis compeſcant, ſicut ſubditos compeſcere ſatagunt, ſic ſemetipſos cenſura diſtrictionis coarctant, vt dum ipſi in quibuſdam delinquunt, exemplo ſuæ correctionis ſuper peccantes ſubiectos diſciplinæ vigorem extendat. Vnde & ipſum eorum regimen, digne per virgam ferream exprimitur, Virga
etenim ferrea, rectitudinem habet, mollitiem non habet: F
quia videlicet ſancti prædicatores nec ſibi nec aliis contra iuſtitiam parcere nouerunt, qui & in ſe & in aliis tantum iuſtitiæ tramitem diligere ſtudent. Hinc enim per
Pſalmiſtam redemptori noſtro dicitur: *Virga recta, virga* Pſal. 44.
regni tui. Quid autem eſſet quod dixerat, repetiuit dicens:
Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem. Quo contra mol- Ibidem.
lis & diſtorta virga, eſt quorundam in Eccleſia præpoſitorum ipſa iuſtitiæ permutatio. Dum enim in ſimili operatione delictorū & paſtor & grex deprehenditur, ſeque is qui præeſt, molliter delinquens palpat, ſubditos vero temporali potentia grauiter exaggerat, mollem proculdubio & flexibilem virgam portat. Econtra Dominus admo-
net, dicens: *Nolite iudicare, & non iudicabimini. Nolite* Matth. 7.
condemnare, & non condemnabimini. Ac ſi diceret: Si non alio modo ſubiectos peccantes iudicaueritis, niſi quo prius vosmetipſos ſimiliter delinquentes iudicatis: nec alio modo illos labentes condemnaueritis, niſi quo vosipſos ſi labi contingat, condemnatis: à me futuro examinis die nec iudicabimini, nec condemnabimini. Hæc
inter paſtores & greges. Cæterum dum quoslibet eorun- G
dem gregum prælatos, nunc humana gratia contra delinquentes blandos facit, nunc priuatus furor aſperos reddit, nimirum eandem virgam quam gerunt, nequius à rectitudine inclinant. Bene autem gentes in Chriſtum credentes, vaſis comparantur fictilibus. Vaſa etenim ſunt, quia theſaurum illum à ſæculo abſconditum, in ſeipſis reconditum poſſident: ſed fictilia, qui adhuc carnis corru-
ptione grauantur. Hinc per Paulum dicitur: *Habemus* 2. Cor. 4.
theſaurum iſtum in vaſis fictilibus. Quod autem hæc vaſa, tactu virgæ conſtringi narrantur: pars vaſorum debet intelligi, quæ ad hoc diſſipantur, vt in melius reformentur, id eſt, ad hoc cenſura diſtrictionis quidam à priſtina conuerſatione euertuntur, vt in melioris vitæ ſtudium commutentur. Hinc eſt quod Dominus Ieremiam ad figuli domum ire iubet, ibique vas diſſipatum atque in
melius à figulo reformatum oſtendens, ait ad tranſgreſſo- H
rēs populi eius: *Nunquid ſicut figulus iſte, non potero face-*
re vobis domus Iſrael, ait dominus? Ecce ſicut lutum in Ierem. 18.
manu figuli ſic & vos in manu mea domus Iſrael. Hinc
alibi humani generis figulo dicitur: *Verte impios, & non* Prou. 12.
erunt. Subaudis, poſt euerſionem non iam impij, ſed pij proculdubio permanebunt. Quod ſi forte alij intelligantur, qui in virga ferrea reguntur: alij, qui eadem virga percuſſi, velut vaſa fragilia conteruntur: ſciendum nobis, quia ex bono electorum reprobi perire narrantur, tanquam ſcilicet vna eademque virga regat vel paſcat ad vitam præordinatos, deſtruat vel confringat ad mortem præſcitus. Hac ſiquidem virga Eccleſiam a Domino regi Pſalmiſta proſpexerat, cum eius voce futura nuntiaret,
dicens: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco* Pſal. 22.
paſcuæ ibi me collocauit. Hæc vaſa fictilia, id eſt, repro-
borum corda, diſſipanda præuiderat, cum diceret: *Deſtrues* Pſal. 27.
illos, nec ædificabis eos. Sed quid ſibi vult quod præmittitur, *qui vicerit, & qui cuſtodierit opera mea vſque in finem?* Nunquid non prius, quam de antiquo hoſte ac mundi deſideriis quiſque in perpetuum triumphet, gentes

A ad Chriſtum conuerſas,adhuc cum illo in certamine de-
ſudans non regit?aut antequam opera Dei vſque ad finem
cuſtodiat, in labore regiminis non deſudat?Conſtat nam-
que quia quiſquis ad finem operandi peruenerit, non iam
populos reget, ſed cum eis quos regere ſtuduit, ſine fine
quieſcet. Quapropter ſciendum nobis eſt, quia per gra-
tiam prædeſtinationis iam viciſſe, iam vſque in finem
opera ſua cuſtodiſſe, futuro pro præterito viens tempore,
Dominus deſignat,quibus ſe poteſtatem ſuper gentes da-
turum pronuntiat. Ac ſi diceret: Illi & non alii bene ge-
rendi effectum miniſtrabo,quem victorem & opera mea
vſque in finem ſeruaturum perſpexero.Cui ſe etiam quid-
dam adhuc clarius dare repromittit, cum protinus ſub-
didit:

Et dabo illi ſtellam matutinam.

In ſcriptura Sacra cum ſingulari numero ſtella matuti-
B na ponitur, per hanc ipſe mediator Dei & hominum,ho-
mo Chriſtus Ieſus figuratur. Cum vero plurali aſtra ma-
tutina interſeruntur, Angelicam creaturam deſignant.Sed
& cum ſimpliciter ac ſine additamento ſtellæ ponuntur,
doctores Eccleſiæ nonnunquam exprimunt. Stella ma-
tutina mediatorem Dei & hominum, hominem Chri-
ſtum Ieſum deſignat, ſicut in hac Apocalypſi ipſa magna
Apoc.22 & fulgida ſtella apertiſſimè determinat, dicens: *Ego ſum
genus & radix David, ſtella ſplendida & matutina.* Quia
enim diſcuſſis tranſactæ noctis tenebris, diem mox affu-
turum ſtella matutina denuntiat, rectè per eam ſiue nati-
uitas redemptoris noſtri in carne,ſeu reſurrectio eiuſdem
poſt mortem figuratur.

Hinc diuina voce ad beatum Iob per increpationem
Iob.38. dicitur: *Nunquid produces luciferum in tempore ſuo?* Ac
Gal.4. ſi diceret: *Vt ego?* Patet enim in ſuo tempore luciferum
produxit: quia ſicut ſcriptum eſt, *cum venit plenitudo
temporis,miſit Deus filium ſuum, factum ex muliere,factum
C ſub lege, vt eos qui ſub lege erant, redimeret.* Qui natus ex
beata Virgine, velut lucifer, qui & matutina ſtella voca-
tur, in tenebris noſtræ noctis apparuit: quia fugata
caligine peccati, æternum nobis mane nuntiauit.
Rom.13. Vnde & Apoſtolus clamat: *Nox præceſſit, dies au-
tem appropinquauit.* An non ex alia quoque ratione
luciferum ſe eſſe inſinuauit, qui diluculo ex mortuis
reſurrexit, & fulgore ſui luminis mortalitatis noſtræ te-
nebras illuminauit? Viuus quippe apparendo poſt mor-
tem, matutina nobis ſtella factus eſt: quia dum in ſe-
metipſo exemplum nobis reſurrectionis præbuit, quæ lux
ſequeretur, indicauit. De hac ſtella per Petrum fidelibus
2.Pet.1. dicitur: *Habemus adhuc firmiorem propheticum ſermonem,
cui bene facitis intendentes, quaſi lucernæ lucenti in caligi-
noſo loco, donec dies luceſcat, & lucifer oriatur in cordi-
Iob.38. bus veſtris.* Per aſtra vero matutina, Angelica deſignatur
natura, ſicut de ſe Dominus teſtatur, dicens: *Cum me lau-
darent ſimul aſtra matutina.* Quia enim prima in tem-
D pore creata natura rationabilium ſpirituum creditur, non
Gen.1. immerito matutina aſtra Angeli vocantur. Qui, ſi ita eſt,
dum terra facta inuiſibilis & incompoſita, dum tenebræ
eſſent ſuper abyſſum,venturam diem ſequentis ſæculi per
lucem ſapientiæ exiſtendo præuenerunt. Sed & cum ſim-
pliciter ac ſine additamento plurali numero in diuina
ſcriptura ſtellæ ponuntur, Doctores Eccleſiæ nonnun-
quam per eas figurantur, ſicut per Danielem Prophetam
Dan.12. dicitur: *Qui docti fuerint, fulgebunt ſicut ſtella firmamenti:
& qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpe-
tuas æternitates.* Dominus autem ſtellam matutinam vin-
Philip.3. centibus dare ſe profitetur, ſubaudis, dominicæ reſur-
rectionis futuram claritatem. Stellam matutinam vin-
centibus dabit, quando configuratum corpori claritatis
Ioan.5. ſuæ corpus humilitatis noſtræ reformabit. Matutinam
ſtellam vincentibus dabit, quando hi qui in monumen-
tis ſunt, audient vocem filij Dei, & procedent. Quos ad
perfectum diem perducet, cum poſt carnis reſurrectio-
nem diuinitatis ſuæ claritatem illis oſtendet,in qua iidem
ipſi ſolis claritate fulgebunt. Mortalitatis etenim tene-
bris reſurrectione infulgente depreſſis quaſi quidam luci-
fer apparebit, qui perfectum æternitatis diem demonſtret. E
Quia vero diuerſitas erit meritorum his, qui matutina
ſtella duce ad æternam diem peruenerint, vt & ipſi ſolis
ac lunæ vel ſtellarum claritatem emicent, rectè per Pau-
lum dicitur: *Alia eſt claritas ſolis, alia eſt claritas lunæ,* 1.Cor.15
*alia claritas ſtellarum. Stella enim ab ſtella differt in cla-
ritate: ſic & reſurrectio mortuorum.* Et notandum quod
pius conditor frequenter in his locutionibus inculcando
ſe ipſum vincentibus dare repromittit in præmium, ſeque
participem illis futurum, illoſque conparticipes ſui de-
monſtrat: quatenus deſidiam noſtri corporis excutiat
dormiẽtes exſuſcitet,& ad ſuperanda præſentis vitæ mala
tentantia, armis virtutum accingat. Sed nec mirum, vt
vincentes dignetur habere conſortes is, qui victor reſur-
gens ex mortuis, fratres illos vocauit, dicens: *Ite nun-* Matt.28.
tiate fratribus meis. O magna gratia, ô magna pietas, ô
magna dignitas, vt is qui vicerit, non aliud quam condi-
torem ſuum in præmium accipiat. Hinc itaque prouo-
cantur electi, vt os ſuadentis Iezabelis pugno virtutis F
contundant: illaque tenebris fornicationum obuoluta,
ipſi luce caſtitatis refulgeant, vſquequo matutina ſtella
apparente, dies æterna appropinquet.Quibus per Paulum
dicitur: *In medio nationis prauæ & peruerſæ, inter quos* Philip.2.
lucetis ſicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes.
Quibus etiam in proximo eandem diem iam iamque ven-
turam eſſe denuntiat, dicens: *Nox præceſſit, dies autem ap-* Rom.13.
propinquauit.

Qui habet aurem, audiat quid ſpiritus dicat Eccleſiis.

Sequitur:

Et Angelus Eccleſiæ Sardis ſcribe: Hæc dicit Apoc.3.
*qui habet ſeptem ſpiritus Dei, & ſeptem ſtel-
las: Scio opera tua, quia nomen habes quod
viuas, & mortuus es. Eſto vigilans, & con-* G
*firma cætera quæ moritura erant. Non enim
inuenio opera tua plena coram Deo meo.*

Quia per ſeptem ſpiritus Dei, ſeptiformis ſpiritus, vna
videlicet de Trinitate perſona exprimitur, & quia ſeptem
vniuerſalem Eccleſiam, Angelorum facta mentione, deſi-
gnent, ſuperius ex abundanti diſſeruimus. Sed in hac ſen-
tentia hoc nunc vigilanter attendendum eſt, quia aliter
habet Dei filius ſeptem ſpiritus, aliter ſeptem ſtellas. Ha-
bet enim ſeptem ſpiritus, videlicet ſeptiformem ſpiritum
æqualem ſibi in natura vnitatis. Habet ſeptem ſtellas, id
eſt, ſeptiformem Eccleſiam ſubiectam ſibi tanquam an-
cillam in ditione poteſtatis. Quid autem eidem Eccleſiæ
in quadam ſui parte dicat, audiamus. Ait enim: [*Scio
opera tua, quia nomen habes quod viuas & mortuus es.*] Si
ſola fidei confeſſione ſiue in prædicatoribus, ſeu in qui- H
buſdam ſuis auditoribus hunc Angelum nomen habere
dicit, quod viuat, operibus vero mortuum deſignat:quo-
modo eidem admonendo ſubinfert, [*Eſto vigilans, &
confirma cætera quæ moritura erant?*] Ex parte hunc iam
mortuum, ex parte vero adhuc viuum eſſe demonſtrat,id
eſt, ex parte criminibus mortuum ex parte vero operibus
bonis viuum oſtendit. Sed quomodo vel ex parte viuere
probatur, qui vel vno crimine mortuus inuenitur, niſi
quia agente pietate redemptoris, ſi à peccati ſomno per
pœnitentiæ lamentum perfecte quis euigilat,nec illa quæ
etiam mortuus benegeſſit,poſt viuens opera amittet?Atq;
In eo illo viuificat, quo ipſe à peccati ſomno euigilat. Sic
enim dicitur:[*Eſto vigilans,& confirma cætera quæ moritu-
ra erant.*]Tanquam diceretur:Si ex ea parte qua mortuus
es,reuiuiſcis,cætera quæ adhuc vigent in te,ne moriantur
confirmas.Dicatur ergo:[*Nomen habes quod viuas,& mor-
tuus es.*] Ac ſi diceretur:Ideo te viuere putas,quia in qui-
buſdam bonis operibus exercitium habes. Sed attende,
quia viuere non vales, ſi vel vno crimine vitam comma-
cules. Sæpe enim nonnulli eleemoſynis quidem inſiſtunt

A pauperum curam gerunt, nudos veſtimentis operiunt, ſed ipſi à rapina manus non coërcent. Quibus bene per quendam
Eccl. 34. ſapientem dicitur : *Qui offert ſacrificium de rapina pauperis, tanquam ſi quis victimet filium in conſpectu Patris ſui.*

Nonnulli autem & eleemoſynarum largitioni inſeruiunt, & à rapina pauperum manus retrahunt: ſed à perpetratione fornicationis vel adulterij, freno continentiæ ſeipſos non conſtringunt. Nonnulli vero & eleemoſynarum frugalitate vigent, & à rapina pauperum manus coërcent, atque à fornicationis vel adulterij perpetratione ſeipſos cohibent : ſed iræ atque inuidiæ ſtimulis agitati, quorundam vitam extinguere quærunt. Sic quoque in ſimilibus, dum ſe quibuſdam bonis operibus viuere putant, vno
Iacob. 2. quolibet facinore moriuntur. De quibus recte per Iacobum dicitur : *Quicunque ſeruauerit totam legem, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus : Qui enim dixit, non mœchaberis : dixit, & non occides. Quod ſi non mœchaberis,*
B *occidas autem, factus es transgreſſor legis.* Ad quorum videlicet perſonam benigna exhortatio dirigitur, qua dicitur: *Eſto vigilans, & confirma cætera quæ moritura erant.*] Ac ſi diceretur: Si vis vt in illis quæ bene geſſiſti, viuas: ab his quæ male operaris, per pœnitentiam euigila: quia ſi in illis mortuus permanes: in iſtis nullatenus viues. Hinc Pſalmi-
Pſal. 36. ſta admonet, dicens : *Declina à malo, & fac bonum.* Tanquam diceret: Bonum facere non præuales, niſi prius à ma-
1. Cor. 15. lo declinaueris. Hinc per Paulum dicitur : *Euigilate iuſti,*
Iſa. 1. *& nolite peccare.* Hinc Iſaias ex perſona Domini loquitur, dicens : *Lauamini, mundi eſtote.* Sed quia id agere declinant, recte de illorum perſona ſubiungitur: [*Non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo.*] Tanquam aliis verbis diceret : Non eſt arbor virtutum pomis repleta, quia vno quolibet ſceleris contagio putrefacta depereunt. Quamuis poſſunt hæc & aliter intelligi. Multi etenim ſunt intra ſinum matris Eccleſiæ conſtituti, qui vitam quidem ab omni crimine cuſtodiunt, atque exercitio vir-
C tutum apud humanam æſtimationem vigent. Sed quia intentio recta non præcedit in cogitatione, prauum eſt omne opus quod ſequitur in oſtentione. Per hoc ergo quod exterius procedit in publicum, viui apud homines æſtimantur: ſed per hoc quod latet interius, apud Deum mortui deputantur. Quibus recte congruit hoc quod vni, imo multis in vno dicitur, [*Nomen habes quod viuas, & mortuus es.*] Pia autem admonitio ſubinfertur, qua dicitur: [*Eſto vigilans, & confirma cætera quæ moritura erant.*] Ac ſi aliis verbis diceretur: Si vis vt membra corporis, id eſt, compago virtutum viuat, caue hoſtem, ne caput corporis feriat, ſubaudis, ne intentionem operationis elatio vitiet.
Matth. 6. Hinc Dominus in Euangelio admonet, dicens: *Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videa-*
Matth. 6. Luc. 11. *mini ab eis. Alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum qui in cælis eſt.* Sequitur adhuc & dicit. [*Non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo.*] Veluti ſi diceret: Quia caput elanguit intentionis, nequaquam vel plena vel pinguia vigent, membra virtutum, ſed macilenta ac pene
D mortua tabeſcunt.

Hinc rurſus in Euangelio à Saluatore dicitur : *Lucerna corporis tui, eſt oculus tuus. Quod ſi oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebroſum erit.* Quid enim hoc loco per corpus, niſi multarum virtutum compago debet intelligi? Quid vero per oculum corporis, niſi intentio actionis? Si igitur oculus corporis ſimplex fuerit, totum corpus lucidum erit: quia nimirum ſi intentio operantis ab omni laudis appetitu aliena extiterit, atque in ſuperni amoris culmine defixa, omnis actio ſuccedens, ſplendore ſanctitatis perfunditur. Si autem nequam fuerit, totum corpus tuum tenebroſum erit : quia videlicet ſi prædicta agentis intentio iactantiæ illecebris fuerit obumbrata, cunctarum quæ ſubſequitur actionum ſumma, caligine peruerſitatis tenebratur. Cuncta autem hæc quæ ſub duplici intellectu diſcuſſimus, poſſunt de his intelligi, qui ſine charitate virtutes reliquas habere ſe iactant. Quibus nimirum congruit illud, quod per Paulum dici-
1. Cor. 13. tur : *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans aut cymbalum tinniens. Et ſi habuero prophetiam & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, & habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum, & ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* E
Notandum vero quod vnigenitus Dei filius, vnus ſcilicet Deus cum Patre & ſpiritu Sancto, Deum ſe habere dicit, ante cuius conſpectum plena Angeli opera ſe nequaquam inuenire denuntiat. Quod vtique ſicut ante nos dictum eſt, ſecundum humanitatem loquitur, quam ex nobis atque pro nobis aſſumpſit, ſecundum quam etiam in cruce clamabat : *Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquiſti?* Matt. 27.
Sequitur : Marc. 15.

In mente ergo habe qualiter acceperis & audieris, & ſerua, & pœnitentiam age. F

Hæc ſententia ſingulis ſuperioris intelligentiæ congruit ſenſibus. Et illis enim aptari poteſt, qui reliquis virtutum actionibus vigent, ſed vno quolibet facinore tabeſcunt : & illis, qui exercitio virtutum ab omni crimine vitam cuſtodiunt, ſed praua intentione ipſas actionum virtutes confundunt. Non ſolum autem, ſed & illis conuenit, qui ſine matre virtutum quæ eſt charitas, etſi operationum genimina pariunt, non tamen eadem vt caſta atque in æternum victura educant, ſed vt adulterina gladio æternæ animaduerſionis occidenda præparant. Dicatur itaque illi, qui in quibuſdam virtutum operibus viget, ſed vno quolibet reatu criminis confoſſus tabeſcit : [*In mente habe qualiter acceperis & audieris, & ſerua, & pœnitentiam age.*] Tanquam diceretur : Memento quia à
ſanctis prædicatoribus ita accepiſti, ita audiſti, quod *quicunque totam legem ſeruauerit offendat autem in vno, factus eſt omnium reus. Qui enim dixit, non mœchaberis : dixit & non occides. Quod ſi non mœchaberis: occidas autem, factus es transgreſſor legis.* Quamobrem nec vnius criminis impunitas peccanti promittitur, etiamſi multorum admiſſionem caueas. Quod quia vſque modo non ſeruaſti, ſaltem nunc reſipiſcens ſeruare ſtude : & hoc non ſine lachrymis præteritæ recordationis. Dicatur & illi qui multarum virtutum copiis quaſi viuit, ſed prauæ intentionis iaculo percuſſus tabeſcit. [*In mente ergo habe qualiter acceperis & audieris, & ſerua, & pœnitentiam age.*] Ac ſi diceretur : Recordare ſolerter, quia talem fidei regulam ab Angelis miniſtrantibus, hoc eſt, à ſanctis prædicatoribus accepiſti & audiſti, & vt praua intentio non præcedat virtutum opera, ſi vis vt ad mercedem retributionis ipſa opera perueniant. Scriptum quippe in Euangelio accepiſti : *Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis. Alioqui mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum qui eſt in cælis.* Serua ergo qualiter accepiſti & audiſti, & næuum prauæ intentionis à ſuccreſcente corporis actione lamentorum fletibus dilue. Dicatur quoque etiam illi qui ſine charitate virtutes congregat : [*In mente habe qualiter acceperis & audieris, & ſerua, & pœnitentiam age.*] Veluti ſi diceretur : Non tranſeat in obliuionem, quod per doctorem gentium accepiſti & audiſti, *ſi linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum vt æs ſonans aut cymbalum tinniens.* Et cætera. *Talibus etiam in fine dicentibus, Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* ab ipſo reſpondetur: *Amen dico vobis neſcio vos qui eſtis diſcedite à me operarij iniquitatis.* Proponitur quoque talibus, vt reſipiſcant ad lamentum pœnitentiæ, cum extra fundamentum charitatis ſuper arenam conſtruere viſi fuerint domum virtutis. Sequitur :

Iacob. 2. G Matth. 6. H 1. Cor. 13. Matth. 7.

Si ergo non vigilaueris, veniam ad te tanquam fur, & non ſcies quando veniam.

Quid eſt enim vigilare, niſi (vt ad ſingula reſpon-

A deam) à peccati ſomno per pœnitentiæ fletum ad iuſtitiam exurgere? Quid eſt vigilare, niſi ſagaci diſcretione vnicuique ab humanæ laudis appetitu intentionem operationis ſuæ cuſtodire, & nihil fauoris in hac vita quærere, ſed ſolo conditoris vel amore vel terrore cuncta peragere? Quid eſt vigilare, niſi negligentiarum torporem excutere, atque aduentum ſuperni iudicis pauida conſideratione præſtolari? Sed dum alij ad vias iuſtitiæ à ſomno peccati non euigilant, dum alij ab humanæ laudis appetitu intentionem operis ſui non cuſtodiunt, dum cuncti aduentum ſuperni iudicis, qui improuiſus occurrit, conſiderare negligunt, in die & hora qua neſciunt, ſubito humanis rebus excedunt. Apta autem furis comparatio hoc loco introducitur: qui dum improuiſus aduenit, dormientes quoſque reperiens iugulat, & bona illorum deprædat. Sic nimirum, ſic cœleſtis iudex dum inſperatus occurrit, impœnitentes ac negligentes animaduerſionis ſententia perimit, eorum acta velut fortiſſimus
B prædo diſperdit. Sed quia nec ingratis beneficium prædicationis ſubtrahit, pie ante prædicit hoc, quod ſe facturum prouidè cognoſcit: & quodammodo ſcientes reddit ex eo, quod eos neſcire perhibet, dum nec diem nec horam illis repromittit. Quid autem mirum, ſi reprobos latet hoc, quod Dominus electis non aperit? Ad eos denique
Matt. 24. Marc. 13. Luc. 12. in Euangelio ait: *Si ſciret pater familias qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non ſineret perfodi domum ſuam.* Quid autem per hoc dictum inſinuare vellet, protinus expoſuit, dicens: *Ideoque & vos eſtote parati, quia qua neſcitis hora, filius hominis venturus eſt.* In qua videlicet ſententia non ſolum extremus ille aduentus Domini, quo nouiſſime ſæculum per ignem iudicabit verumetiam quotidianus debet intelligi, quo nunc improuiſus animas rapit: quia nec illos tantum futuri temporis expectatione, ſed quotidiani obitus die cunctos ſolicitos eſſe admonet. Sequitur:

C *Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinauerunt veſtimenta ſua, & ambulabunt mecum in albis, quia digni ſunt.*

Quid itaque hoc loco in veſtimentis non inquinatis accipimus, niſi receptam per baptiſmum cœleſtis vitæ munditiam? His enim veſtimentis primum hominem tunc antiquus hoſtis expoliauit, cum ſibi hunc per pec-
Gen. 3. cati conſenſum ſtrauit. Vnde & perizomata ex foliis fici conſuens, pudenda contexit: atque ad notam ignomi-
Luc. 15. niæ ſuæ, pellibus indutus, de paradiſo exiuit. Sed ſaginati illius vituli mactatione ad patrem iunior filius pœnitens reuerſus, prima ſtola rurſum indui meruit, exutus proculdubio vetuſti hominis pellibus in ablutione origi-
Coloſ. 3. nalium criminum. Hinc Paulus admonet, dicens: *Exuentes vos veterem hominem cum actibus eius, & induentes nouum, eum qui renouatur in agnitione Dei.* Hinc rurſus
Eph. 4. D exhortans, dicit; *Renouamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt, in iuſtitia & ſanctitate veritatis.* Ille autem veſtimenta ſua ſordibus non intingit, qui poſt baptiſmatis Sacramentum, mortale crimen non admittit. Sed quia valde rari ſunt, qui à contagione criminis immaculati poſt baptiſmum maneant, idcirco præmittitur: [*Habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinauerunt veſtimenta ſua.*] De quibus adhuc Dominus ſubdit: [*Et ambulabunt mecum in albis, quia digni ſunt.*] Quo Domine tecum ambulaturi ſunt? Vnde & quo ibis cum eis, niſi de te in te, niſi per te ad te? Tecum enim quotidie ambulant, qui paſſionis tuæ veſtigia ſequentes obſeruant. Tu certe præcedis dando exempla, illi ſequuntur imitando exempla. Hinc agilis paſſionum tuarum executor Petrus Apoſtolus
1. Pet. 2. Apoc. 19. dicit: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, relinquens vobis exemplum, vt ſequamini veſtigia eius.* Hinc longe inferius in hac reuelatione dicitur: *Et exercitus qui ſunt in cœlo, ſequebantur eum in veſtibus albis.* Cauſam quoque ſubiungit, cur in albis cum illo ambulent, cum dicit: [*quia digni ſunt.*] Subaudis, vel quia mundi, vel quia mea digna-

E tione condigni. Sed quid de illis dicendum eſt, qui poſt lauacri vndam, maculis criminum vitam coinquinant? Nunquid nam deſperandi ſunt? Abſit. Currant itaque ad ſanguinem agni, non quo rurſum aqua baptiſmatis in eo intingantur, ſed quo lachrymarum fontibus peccatorum maculis abluantur. Non ſolum enim hi tantum in ſanguine agni baptizantur, qui per aquam regenerationis tranſeunt: verumetiam hi, qui lachrymarum fletibus prioris vitæ maculas detergunt. Sicut enim duo ſunt martyrij genera, ſic quoque duo baptiſmata. In hoc itaque baptiſmate negationis ſuæ maculas Petrus deterſit, in hoc Maria Magdalene multas fornicationum ſordes diluit. De hoc per Zachariam Prophetam dicitur: *In die illa erit* Zach. 13.
fons patens domus Dauid habitantibus Ieruſalem, in ablutionem peccatoris & menſtruatæ. Ad hoc ergo (vt dictum eſt) baptiſma currant, & veſtimentorum maculas diligenti ſtudio abſtergant. Et certe in hoc abluti fuerant, de quibus per vnum ſeniorem Ioannes audiebat: *Hi ſunt* Apoc. 7. F
qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine agni. Quæ ſcilicet magna tribulatio, non tantum in aperto martyrio, ſed etiam in afflictione pœnitentiæ intelligenda proponitur. Hæc enim veſtimenta in aliis immaculata ſeruantur, in aliis poſt maculas candidantur, quæque aliis dormientibus ab occulto aduerſario furantur: quia & alij poſt lauacri vndam nullum (vt dictum eſt) crimen admittunt, & alij admiſſum pœnitentiæ fletibus abſtergunt, & alij ſiue ſponte ſeu agente perſecutionis acerbitate, ad incredulitatis errorem redeunt. Quamobrem admonendi ſunt, qui munditia vitæ poſt baptiſmum reſplendent, ne maculas criminis eidem ſuperducant. Quod ſi contigerit, exhortandi, vt ſine tarditate eaſdem maculas lachrymarum vndis diluant. Admonendi etiam, vt eandem vitæ munditiam, ſiue lachrymas criminum ignorantem, ſeu poſt maculas ad priſtinum candorem redeuntem, ita cuſtodiant, quatenus nulla ſubripiente perſecutione, funditus illam amittant. Vnde ſcri-
ptum eſt: *Beatus qui vigilat, & cuſtodit veſtimenta* Apoc. 16. G
ſua, ne nudus ambulet. Quod ſi euenerit, incitandi, vt arreptis fidei armis, ab antiquo aduerſario eandem fortiter vindicent. Vnde hic quoque exhortatio ſubinfertur, qua dicitur:

Qui vicerit, ſic veſtietur veſtibus albis.

Ac ſi aliis verbis diceretur: Qui pro recipiendis veſtibus cum inimico fortiter dimicauerit, dimicans vicerit, ita rurſus eiſdem indutus ſplendebit, vt illi qui eas aut immaculatas ſeruauerunt, aut poſt maculas abluerunt. Poteſt etiam hæc exhortationis ſententia & illis aptari, qui adhuc diabolicæ dominationis iugo detenti, fide necdum fuerunt veſtiti. Hortantur autem vt dicant, id eſt, vt cre-
dant in Chriſtum: quia *hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra: quatenus in hac renuntiatione antiqui* 1. Ioan. 5.
hoſtis, per lauacrum regenerationis, cœleſtis vitæ munditiam ab ipſo in quem crediderunt, percipiant. Sequitur autem adhuc de eo qui vicerit, ac dicit: H

Et non delebo nomen eius de libro vitæ.

In qua ſententia magna nobis & valde perplexa exoritur quæſtio, quia cum Dominus de victore dicat, non delebo nomen eius de libro vitæ: eius proculdubio nomen de eodem libro delendum inſinuat, qui non vicerit. Cum conſtet itaque, non alios niſi electos beatæ prædeſtinationis ſtylo cœli libro teneri adſcriptos, quomodo hoc in loco de victore imponitur, non delebo nomen eius de libro vitæ: tanquam qui non vicerit, nomen eius de eodem libro deleatur? Et certe nullus in illo libro ſcribitur, niſi qui victor futurus præſcitur. Et quis ille liber eſt, niſi vis quædam diuina, quæ electorum numerum certum ac definitum ante ſæcula prædeſtinauit in gloria futurum? Si ergo non alios, niſi electos idem liber tenet adſcriptos, Paulo atteſtante qui ait, *quos præſciuit & prædeſtinauit conformes fieri imagini filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus: quos autem prædeſtinauit, hos*

&

A *& vocauit: & quos vocauit, hos & iuſtificauit: quos autem iuſtificauit, illos & magnificauit?* Quomodo aliquis eorum de illo libro deleri poſſe creditur, qui in eo nequaquam ſcribitur? Et ne forte dubia ſit huius loci ſententia, occurrunt alia ſcripturarum teſtimonia, quæ deleri quorundam nomina de libro vitæ confirmant. Exod.32. Hinc enim Dominus Moyſi deprecanti, *ſi dimittis huic populo peccatum, dimitte: ſin autem dele me de libro tuo in quo me ſcripſiſti*, ait: *Qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo.* Pſal.68. Hinc Pſalmiſta de reprobis dicit: *Deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur.* Hinc Ieremias non optantis, ſed prophetantis voce exorat, dicens: *Dele eos Domine de libro viuentium.* Quid hinc dicturi, quid hinc ſumus intellecturi? Certum eſt enim, Iere.17. quia reproborum nomina nunquam ſcribuntur in cœlis: quia ſecundum eiuſdem Prophetæ teſtimonium, *recedentes à te, in terra ſcribentur.* Quomodo ergo inde delentur: vbi nunquam ſcribuntur? Reſtat itaque vt ſecundum B vſitatam diuinarum Scripturarum locutionem, intelligamus reproborum nomina de libro vitæ deleri, ab eo quod eſt, per meritum reprobationis nequaquam ſcribi: ſicut & Pharaonis cor à Domino dicitur indurari, Exod.7. ab eo quod eſt, duritiam cordis eius per gratiam non emolliti. Nam vt hoc ita intelligeremus, Pſalmiſta innuit: qui cum hoc quod ſupra protulimus, de eiſdem reprobis diceret, deleantur de libro viuentium: quid eſſet Pſal.68. quod diceret, deleantur, protinus ſecutus expoſuit, dicens: *Et cum iuſtis non ſcribantur.* Sic contra electorum nomina de libro vitæ nequaquam deleri, ab eo quod eſt, per electionis gratiã in æterna claritate futuros adſcribi, intelligere debemus. Quæ etiam illis plerunque peccantibus, non poſſunt deleri: quia per immutationem vitæ in extremis ſuis beati futuri ante prænoſcuntur. Exod.33. Quod autem Moyſes vtique electus, atque in tota domo Dei fidelis, cui Dominus omne bonum ſe promiſerat oſtenſurum: pietatis viſceribus actus, deleri ſe de hoc libro poſtulat, rem impoſſibilem ſe petiiſſe inſinuat. Vnde C Num.20. Exod.32. nec illi petenti ait Dominus, *ſi peccaueris mihi: delebo te de libro meo*, quem vtique præſciebat poſtmodum ad aquas contradictionis peccaturum: ſed, *qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo.* Ac ſi diceret: Eum quem permanere, in peccatis prænoſco, per electionis gratiam nequaquam in libro vitæ adſcribo. Dicatur ergo de victore, [*non delebo nomen eius de libro vitæ.*] Quod tale eſt, quale ſi diceretur: Quem victorem futurum ſcio, nomen eius ſcriptum in cœlis iam teneo. De quo adhuc ſubditur:

Et confitebor nomen eius coram Patre meo, & coram Angelis eius. Qui habet aurem, audiat quid ſpiritus dicat Eccleſiis.

Galat.5. Iacob.2. Tit.1. Matt.7. D Confeſſione nominis, illam fidem deſignat, *quæ per dilectionem operatur*: non illam *quæ ſine operibus*, dæmonum credulitati comparatur: quia & *multi confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant*: & *non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum: ſed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis eſt, ipſe intrabit regnum cœlorum.* Quid itaque eſt filio Dei, nomen victoris coram Patre & coram Angelis eius confiteri, niſi piis operibus ſibi vnitum oſtendere eum, qui illo vincen- 1.Cor.15. te, cum illo atque in illo meruerit vincere? Quod vtique tunc principaliter fiet, cum regnum Deo & Patri tradiderit, & omnem principatum euacuauerit. Tunc inquam, cum ad dexteram poſitis, quos etiam in præſcientiæ ſuæ Matt.25. libro ſuos eſſe recognoſcens, dixerit: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare. Sitiui & dediſtis mihi bibere*, & cætera, quæ tunc ab eo laudabilia in publicum proferentur. Iſta etenim eſt vera nominis Chriſtiani coram Patre & coram Angelis eius filii Matt.10. profeſſio. Hinc in Euangelio idem Dominus ait: *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, & coram Angelis eius.* Ac ſi diceret: Qui nominis mei proprietatem lingua ſimul & opere coram E hominibus fuerit executus, cum in ſede paterna Angelis miniſtrantibus ad iudicandum ſedero, tunc illum non inaniter nomen meum vſurpaſſe monſtrabo. Sequitur.

Et Angelo Philadelphiæ Eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit ſanctus & verus, qui habet clauem Dauid: qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit. Scio opera tua. Ecce dedi coram te oſtium apertum, quod nemo poteſt claudere.

Idcirco principaliter ac ſingulariter ſanctum & verum Dominus ſeipſum appellat, quia etſi quoſdam inter homines ſanctos dicimus & veraces, ad comparationem tamen eius nullus eſt ſanctus vel verax. Scriptum eſt enim: F Iob 15. iuxta 70. *Nullus mundus à ſorde, nec ſi vnius diei ſit vita ſuper terram.* Ibid. Et rurſum: *Ecce inter ſanctos nemo immaculatus.* Rom.2. Itemque Apoſtolus: *Omnis homo mendax, ſolus autem Deus verax.* Matth.16 & 22. Quam autem aliam intelligimus clauem Dauid, niſi incarnationem redemptoris noſtri, quam ſumpſit ex ſemine Dauid? Hinc etiam ſæpiſſime idem Dominus appellatur *filius Dauid.* Oſtium autem quod eadem clauis aperit vel claudit, ipſum intelligimus Dei & hominum mediatorem, per quem ad vitam æternam quæ eſt ipſe, intramus, ipſo dicente qui ait: *Ego ſum oſtium.* Ioan.10. *Per me ſi quis introierit, ſaluabitur: & ingredietur & egredietur, & paſcua inueniet.* Sic enim ipſe clauis ſimul & oſtium dicitur, ſicut paſtor, oſtiarius ſimul & oſtium vocatur. Quamobrem cum clauis Dauid oſtium aperit, ſeipſum vtique aperit, qui eſt ſecundum carnem ex ſemine Dauid. Rom.1. Oſtium itaque apertum, eſt Chriſtus ſecundum carnem natus & paſſus, ac tertia die ſuſcitatus. Apertum, ſubaudis, coram credentibus, clauſum vero, coram infidelibus: quia ipſa incarnationis ſuæ claui quibuſdam di- G uinitatis ſuæ potentiam reſurgendo monſtrauit, quibuſdam moriendo celauit. Oſtium apertum clauſit illis, qui Iſa.53. tempore paſſionis eius dixerunt: *Vidimus eum, & non erat ei aſpectus.* Clauſum illis oſtium aperuit, qui in Ioannis perſona faciem eius peracta reſurrectione vt ſolem fulgentem viderunt. Hoc oſtium Apoſtolis prædicantibus, iam apertum claudere nitebantur Iudæi credituris, cum illis cæſis denuntiarent, ne in nomine IESV loqui deberent. Sed quia illo aperiente nemo claudit, protinus cæſi reſponderunt: Act.5. *Non poſſumus nos quæ audiuimus, & vidimus, non loqui.* Act.4. Act.16. Hoc Aſianis clauſum, aperire tentauerant Apoſtoli. Sed quia eo claudente nemo aperit, prohibuit eos ſpiritus IESV, ne in Aſia loquerentur verbum Dei. Poteſt autem per oſtium apertum ſcriptura Sacra intelligi, per quam fidei greſſibus ad Chriſtum intramus. Luc.24. Hoc oſtium diſpenſationis ſuæ claui tunc primum redemptor noſter Eccleſiis patefecit, cum poſt reſurrectionem ſuam duobus in via ambulantibus, vt in- H telligerent ſcripturas, ſenſum aperuit: atque in ſe adimpleta fuiſſe, quæ ſcripta erant de lege Moyſi & Prophetis & Pſalmis, edocuit. Aperuit itaque oſtium clauis Dauid, & nemo claudit: quia ſcripturæ Sacræ eloquia quæ per gratiam incarnationis ſuæ electos ſpiritaliter intelligere facit, nullo Iudæorum velamine in eorum cordibus adumbrari valet. *Claudit & nemo aperit*, quia eadem ſacra eloquia quæ per meritum obcæcationis Iudæos intelligere carnaliter ſinit, nulla credentium exhortationis manu, in illorum mentibus poteſt reuelare. Siue autem hoc ſiue illo modo oſtium apertum intelligamus, cuius rei merito electorum Eccleſia ita illud mereatur habere patefactum, vt nullius vnquam vi, nullius conamine poſſit præcludi, ſequenti verſiculo declaratur, quo per Angelum à Domino ſubinfertur.

A

Quia modicam habes virtutem, & ſeruaſti verbum meum, & non negaſti nomen meum.

Quæ ſcilicet ſenteotiæ duplicem nobis gignunt quæſtionem. Quæri etenim poteſt, cur Dominos ideo oſtium apertum coram Angelo, id eſt, coram Eccleſia ponit, eo quod modicam virtutem habet: quia & ſi pietas largitoris humanæ infirmitatis figmento compatiens, gratis dona largitur, non tamen conditionis infirmitas præmium meretur. Rurſum quæri poteſt, quomodo is qui modicam habet virtutem, verbum Dei ſeruat, & nomen eius noo negat. Neque enim modicæ, ſed maximè virtutis eſt, inter preſſuras & tribulationes verbum Dei intemeratum ſeruare, ac nomeo eius non negare. Vnum autem è duobus eſt, aut maxima virtute viget ille qui verbum Dei conſeruat, noménque eius non abnegat: aut modicam habet virtutem, & verbum Dei negligit, noménque eius denegat. Dicit fortaſsè aliquis, B quia modicam habet virtutem ex ſe, maximam autem ex eo qui infirmatus eſt pro ſe. Cui contra nos dicimus, quia maximam habet quidem ex eo qui infirmatus eſt propter eum, nec modicam vero nec vllam ex ſe, cum oon virtus vel modica, ſed totum infirmi- 1.Cor.4. tas ſit ex ſe, Apoſtolo dicente: *Quid habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Philip.2. 2.Cor.3. Et rurſum: *Deus eſt qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Rurſumque: *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Pſal.59. Hinc Pſalmiſta ait: *In die faciemus virtutem.* Pſal.17. Et iterum: *Diligam te Domine virtus mea.* Pſal.117. Iterumque: *Fortitudo mea & laudatio mea Dominus.* Pſal.42. Atque iterum: *Tu es Deus meus & fortitudo mea.* Quam proculdubio virtutem ac fortitudinem in Chriſti infirmitate percipere meruimus. Vnde enim ille infirmus, inde nos fortes efficimur. Et vt apertius ſonet quod dicimus, illius infirmitas noſtra fortitudo eſt: quia & Paulus dicit, *Quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus.* C 1.Cor.1. Hinc eſt quod in figura noſtri redemptoris, atque eius corporis quod eſt Eccleſia, Gen.2. Adam dormienti coſta ex latere detrahitur, eademque coſta in mulierem ædificatur, atque pro coſta caro ſuppletur. Quam videlicet ſententiam exponens Apoſtolus ait: Epheſ.5. *Magnum eſt hoc Sacramentum. Ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Quid itaque eſt, quod Adam dormienti coſta ex latere detrahitur, coſta vero detracta in mulierem formatur: niſi quia Chriſto in cruce moriente, profluentibus ex eius latere Sacramentis fabricatur Eccleſia? Quid eſt autem, quod ooo ex carne, quod magis infirmiori ac fragiliori ſexui congruere videbatur, ſed ex oſſe mulier ædificatur: locus vero oſſis, non oſſe, ſed carne repletur, oiſi quia (vt dictum eſt) infirmitate illius nos roboramur? Si ergo hac virtute ita viget Eccleſia, vt verbum Dei & nomen eius illibatum conſeruet, quomodo ipſa virtus modica vocatur? Reſtat itaque vt hoc iuxta æſtimationem humanæ infirmitatis D dictum accipiamus, qua cum electi multa per Chriſtum poſſint, parum ſe poſſe præſumunt. Sic enim dicitur, [*modicam habes virtutem:*] Tanquam diceretur, prauam te putas habere virtutem. Poteſt hæc nodoſiſſima quæſtio non inconuenienter ita reſolui. 1.Cor.15. Sed nec beatus Paulus, Philip.4. qui plus ſe quam cæteros Apoſtolos laboraſſe perhibuit, Philip.3. atque omnia io eo qui ſe confortabat, poſſe mooſtrauit, ab hac humilitatis cooſideratione deuiauit. Idem enim alibi ait: *Non quod iam acceperim, aut iuſtificatus ſim, aut iam perfectus ſim.* Atque poſt pauca: Ibidem. *Fratres, ego me non arbitror comprehendiſſe.* O beate Apoſtole, ſi te adhuc noo æſtimas perfectum, nec comprehendiſſe te confiteris, quomodo omnia in eo qui te confortat, poſſe te dicis, niſi quia cum libertatis affectione Dei in te munera collaudaſti, hic autem eadem munera attributa cum humilitatis conſideratione ſeruare ſtuduiſti? Et ideo multa per Chriſtum potuiſti, quia in ipſis non tumuiſti. Sic, ſic in electis ſuis ſancta Eccleſia, cum ad omnia virtute capitis ſui roboretur, multa ſibi adhuc de Perfectionis ſanctitate minus perpendit: E cui adhuc in præmium repromittitur, cum hac expleta ſententia ſubinfertur:

Ecce dabo de ſynagoga ſatanæ, qui dicunt ſe eſſe Iudæos, & non ſunt, ſed mentiuntur. Ecce faciam illos vt veniant & adorent ante pedes tuos, & ſcient quia ego dilexi te.

Cunctis vera ſcientibus liqoet, quia ſuſceptis ad plenum gentibus, Iſraëlitæ ad Chriſtum in fine ſæculi conuertentur, Paulo atteſtante qui ait: *Donec plenitudo gentium introierit, & ſic omnis Iſraël ſaluus fiet.* Rom.11. Quod ſe Dominus in hoc loco facturum repromittit. Qua videlicet expectatione ſuſpenſa, tolerat nunc Iudæos blaſphemantes Eccleſia, quos ab ipſo redemptoris aduentu amiſiſſe ſe dolet. O ſi nunc pacis tempore aut vellent, aut F poſſent ad vnitatem fidei redire, quam amplo dilectionis ſinu reciperentur? Quod quia facere nec volunt nec poſſunt, ſynagoga ſatanæ fiunt. Quique Iudæos ſe eſſe dicunt, & non ſunt, ſed mentiuntur: quia nomen quod exterios ſecundum litteram gerunt, intus ſecundum ſpiritum amiſerunt. Hinc Paulus dicit: Rom.2. *Non qui in manifeſto Iudæus, neque in carne circumciſio: ſed qui in abſcondito Iudæus, & circumciſio non carnis, ſed ſpiritus.* Iudæus namque interpretatur, *confitens.* Et Domious in Euangelio ait: Matt.10. *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo & coram Angelis eius. Et qui me negauerit coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo qui eſt in cælis.* Iudæorum ergo nominis expreſſio, Chriſti eſt confeſſio. Quo contradicunt ſe Iudæi nomiois ſoi proprietatem in eo habere, quo Deum factorem cœli & terræ videntur adorare. Sed quia incarnatum Dei verbum per quod facta ſunt omnia, non recipiunt, mentiti probantur. Ioan.1. Rom.11. *Qui enim habet filium, & patrem habet. Qui non habet filium, nec patre habet.* G Qui tamen (ſecundum Apoſtolum) etſi inimici propter conuerſas gentes, chariſſimi tamen habentur propter patres. Quoſque vt dictum eſt, etſi nunc amiſit Eccleſia, in nouiſſimo tamen per eximios prædicatores, Enoch videlicet & Eliam, recipiet. Ac ſecundum ſcripturæ myſticam ſignificationem, quilibet eorum Eccleſiæ dicti: Iacta me in vnam partem ſacerdotij tui manducare panem, tunc ante pedes eius adoraturi venient. Quid enim eſt, ante pedes Eccleſiæ Iudæos adorare, niſi actionis eius exempla imitando venerari, venerando imitari? Sed cur dedignamini ô Iudæi ante pedes Eccleſiæ adorare, cum & ipſa ex gentibus veniens, veſtigia pedum non tamen omnium, ſed quorundam adorauerit veſtrorum, id eſt, Prophetarum atque Apoſtolorum? Sic enim per Prophetam ad Ieruſalem dicitur: Iſa.60. *Venient ad te curui filij eorum qui humiliauerunt te, & adorabunt veſtigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi, & vocabunt te ciuitatem Domini Sion ſancti Iſraël.* H Quanquam iſta ſanctorum etiam Eccleſiæ aptius conueniunt. Cur inquam venire ante pedes eius adoraturi dedignamini, niſi quia abominandam à Deo putatis quæ ex gentibus offuſcata peccatis, ad Chriſtum dealbanda cucurrit? Quamobrem clamat ad vos, & dicit: Cant.1. *Nolite me conſiderare quod fuſca ſim, quia decolorauit me Sol, ſed expectate me paululum.* Certè in finem cognoſcetis in quantum dilecta Deo fuerit, quam vos nunc odioſam exiſtimatis, cum illi vos ipſe Dominus omoium in fide ſubdiderit. Vnde & hoc loco ad eandem ſententia de vobis dirigitur, qua dicitur: [*Et ſcient quia ego dilexi te.*] Ac ſi diceretur: Tunc voluntate ſcient, cum tibi humiliari cucurrerint, quod vtique nunc voluntate neſciunt, cum te aduerſantur, videlicet quoniam ego dilexi te. Cui adhuc ſubiungitur.

A

Quoniam ſeruaſti verbum patientiæ meæ, & ego ſeruabo te ab hora tentationis, quæ ventura eſt in orbem vniuerſum, tentare habitantes in terra.

Verbum patientiæ eſt, quod ipſe Dominus exemplo monſtrauit, cum politus in cruce pro perſecutoribus exorauit: quodque verbis edocuit, cum in commune generaliter omnibus dixit: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Hinc & Apoſtolus admonet, dicens: *Patientes eſtote ad omnes.* Quod videlicet patientiæ verbum in omni preſſura, in omni anguſtia, ſibi proponit Chriſti ſponſa. Propter quod principaliter quoque hanc ab hora tentationis ſeruaturum ſe eſſe promittit. Quæ ſit autem illa tentationis hora, videamus. Puto autem non inconuenienter illa accipitur, de qua per Euangeliſtam Ioannem dicitur: *Filioli, nouiſſima hora eſt.* In qua proculdubio ſententia à primo vſque ad nouiſſimum Domini aduentum, totum hoc tempus vitæ comprehendit. Sed cum indeſinenter in hac temporalitatis hora inteſtino externóque conflictu omnis exerceatur Eccleſia, & ſiue pariliter ſinguli, ſiue generaliter impugnentur variis tentationibus vniuerſi, quomodo ab hac ſecundum huius verſiculi ſententiam electos ſuos ſeruaturum Dominus ſe eſſe pollicetur? Et certè iuxta alterius ſcripturæ auctoritatem nullus electus probatur, niſi tentationibus. Vnde Paulus dicit: *Tentati ſunt.* Et ad Tobiam Angelus ait: *Neceſſe fuit vt tentatio probaret te.* Hinc & Iacobus dicit: *Beatus vir qui ſuffert tentationem.* Hinc alias dicitur: *Fornax probat aurum, & homines iuſtos tentatio tribulationis.* Quapropter ſciendum nobis eſt, quia tentatio hoc in loco pro deceptionis ponitur lapſu. Sicque dicitur: [*Seruabo te ab hora tentationis:*] tanquam diceretur, ne te ſeducat hora tentationis, id eſt, tentatio temporalis. Ab hac etenim tentationis hora electos ſeruare, eſt, nequaquam ſcilicet ſiue occultis ſiue manifeſtis tentationibus, Deo ſeruante, decipi poſſe. Hinc etiam quotidie Dominum deprecamur, *ne nos inducat in tentationem,* ſubaudis, ne nos patiatur decipi à tentatione. Et tentantur ergo electi, & tamen ab hora tentationis ſeruantur, quia ad hoc tentantur, vt probati coronentur, non vt ſeducti damnentur. Dicatur itaque: [*Quoniam ſeruaſti verbum patientiæ meæ, & ego te ſeruabo ab hora tentationis.*] Ac ſi electorum Eccleſiæ diceretur: Quia verbi mei patientia vigere te cerno, nullis tentationibus ſuccumbere permitto. Vt autem pro deceptionis lapſu horam tentationis hoc loco intelligeremus, ipſe notitia verborum inſtruxit qui hanc non cœlum, ſed terram inhabitantes tentare perhibuit. Ita namque de eadem concluſit, [*quæ ventura eſt in orbem vniuerſum, tentare habitantes in terra:*] veluti ſi diceret terrena quærentes, mundi deſideriis æſtuantes, carnis voluptatibus ſeruientes. Quo contra beatus Apoſtolus de ſanctis dicit: *Noſtra conuerſatio in cælis eſt.* Et rurſum: *Qui conreſuſcitauit, & conſidere nos fecit in cæleſtibus.* Sed quia hæc eadem tentationis hora non iam veniſſe, aut in præſenti eſſe, ſed ventura prædicitur, melius per hanc Antichriſti tempus ſpecialiter comprehendi intelligitur. Tunc enim veniet illa tentatio, quæ non per partes, ſed totum ſimul examinabit mundum. Tunc quod quibuſdam in retro actis temporibus apparuit, perſecutores eiuſdem Eccleſiæ miraculis coruſcabunt: & hinc tormenta ſæuient, illinc miracula ſuadebunt. Vnde nec immerito coram illo tempore à Domino dicitur: *Erit tunc tribulatio, qualis non fuit ex quo homines eſſe cœperunt ſuper terram, ſed nec fiet.* Cur autem hoc Domine indica nobis. *Tunc ſurgent,* inquit, *Pſeudochriſti & Pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna, & prodigia, ita vt in errorem inducantur, ſi fieri poteſt etiam electi.* O quam dura erunt corporis vulnera, ſed quam duriora aduerſariorum miracula. Non autem paueant electi: quia exceptis foriſecus tormentorum flagellis viſis etiam falſis prodigiis, ſeruantur ab hora tentationis, id eſt, non franguntur, non decipiuntur, propterea vtique quia electi ſunt. Qui etſi ad momentum viſis miraculis parum hæſitantes hora tentationis appropinquabunt, tamen quia in ſorte ſanctorum futuri prænoſcuntur, ad integrum ab hora tentationis non rapientur. Quod videlicet perſecutionis tempus rectè alibi quoque fornaci comparatur fumanti: quia & reproborum ſenſum excæcabunt viſa miracula, & ad blaſphemandam Chriſtianæ religionis fidem preſſurarum cogent experta incendia. Quo contra electorum mentes non ad infidelitatis cæcitatem pertrahunt, ſed ad dolorem compaſſionis excitant falſa portenta: nec eas ad fidei negationem impellunt, ſed ad vitæ purgationem illis proficiunt adhibita preſſurarum incendia: quia & fumus quorundam oculos excæcat, quorundam ad lachrymas prouocat: & ignis paleas deuorat, aurum purgat. Sequitur:

Luc.23. Luc.21. 1.Theſſ.5. 1.Ioan.2. B Heb.11. Tob.12. Iacob.1. Eccl.27. C Matt.6. Iacob.1. Philip.3. Epheſ.2. D Matt.24. Marc.13. Ibid. E Apoc.9.

Ecce venio cito tene quod habes, vt nemo alius accipiat coronam tuam.

Ne vniuſcuiuſque electi mens à vigore certaminis puſillanimitate ſoluatur, cito ſe Dominus ad remunerandum venire teſtatur. Cito enim fit omne quod tranſit. Totum namque tempus vitæ præſentis, quamvis prolixis tendatur morarum ſpatiis ad finem, inde citius attenditur, vnde quaſi creſcere videtur: indéque defectum patitur, vnde augmentum percipere videtur. Propter hunc velocem eius tranſcurſum, omne Chriſtianitatis tempus, ſicut præmiſi, vnius horæ vocabulo per Ioannem coronatur. Exhortatio autem ſubinfertur, qua dicitur: [*Tene quod habes.*] Quid itaque illum dicit habere, quidve admonet tenere, niſi hoc quod alium dicit poſſe accipere, id eſt, cœleſtis vitæ conuerſationem, per quam regni percipiat decorem? Cur autem ad hoc tenendum quod habet, iſtum admoneat, ſequitur & dicit: [*Vt nemo alius accipiat coronam tuam.*] In qua nimirum ſententia electorum numerum certum ac definitum, quem ſecundum propoſitum Dei in vitam æternam prædeſtinatum vocat Apoſtolus, videmus compleri; ſtupenda prorſus conſideratione intuentes, huic ſacrato ac definito electorum numero, nec addi quenquam poſſe, nec minui: cum Dominus ac redemptor noſter, ſic iſtum propriam coronam dicit amittere, vt alius eam percepturus accedat: vbi intelligitur, nec alium poſſe ſuccedere, ſi quod ille tenet, perſeueranti fine cuſtodit. Quapropter ſciendum, quia hæc eadem ſententia quaſi omnipotens verbum, hoc quod habet quemlibet tenere admonet: vt tamen, niſi tenuerit, alius eius coronam accipiat. Et ſpes nutritur humilium, & elatio premitur ſuperborum, dum & illi bona poſſunt amittere de quibus ſuperbiunt: & iſti ea percipere, quæ quia non habent, contemnuntur. Formidemus igitur in his quæ accepimus, nec eos qui illam necdum aſſecuti ſunt, deſperemus. Quid enim ſumus hodie, nouimus: quid autem poſt paululum eſſe poſſimus, omnino neſcimus. Hi etenim quos fortaſſè deſpicimus, & tardè poſſunt incipere, & tamen vitam noſtram feruentioribus ſtudiis anteire. Timendum itaque eſt, ne etiam nobis cadentibus ſurgat, qui à nobis ſtantibus irridetur: quamvis ſtare iam non nouerit, qui non ſtantem nouit irridere. Hinc autem ſupernorum iudiciorum metum Paulus Apoſtolus diſcipulorum cordibus incutiens, ait: *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* Hinc rurſum dicit: *Quid habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Qui ergo habet, teneat, ac nequaquam non habentem irrideat: ne per hoc quod alium deſpicit, ab eo quod habet, alienus fiat. Sic nempe, ſic Iudæorum elatione fruſtrata, qui de oliuæ naturali pinguedine, id eſt, de ſtirpis Abrahæ procreatione tumuerant, fractis ſuperbiæ ramis, oleaſter (hoc eſt, natura gentium) inſeritur. Inſerta autem ac radicis ſocia facta & pinguedinis, ne contra inciſos vel confractos ſuperbiat ramos, audiat ab Apoſtolo: *Si radix ſancta, & rami.* Quod ſi aliqui ex ramis fracti ſunt, tu autem cum oleaſter eſſes, inſertus es in illis, & ſocius radicis & pinguedinis

F 1.Ioan.2. Rom.8. G H 1.Cor.10. 1.Cor.4. Rom.11. Ibid.

oliuæ

A oliuæ factus es, noli gloriari aduerſus ramos. Quod ſi glioriaris, non tu radicem portas, ſed radix te. Dicis ergo: *Fracti ſunt rami, vt ego inſerar.* Bene: Propter incredulitatem
Ibid. fracti ſunt, tu autem fide ſta. *Noli altum ſapere, ſed time.* Cur autem hoc, expoſuit dicens: *Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat.* Atque idipſum inculcando replicans, dicit: *Vide ergo bonitatem & ſeueritatem Dei, in eos quidem qui ceciderunt, ſeueritatem: in te autem bonitatem Dei, ſi permanſeris in bonitate. Alioquin tu excideris.* Sed & ſi illi ſi non permanſerint in incredulitate, inſerentur. *Potens eſt enim Deus iterum inſerere illos.* Nam ſi tu ex naturali exciſus es oleaſtro, & contra naturam inſertus es in bonam oliuam: quanto magis hi ſecundum naturam inſerentur ſuæ oliuæ? Hoc eſt certè, quod in hac prolixa diſputatione docere vult? Tene humiliter quod habes, vti ne ſuperbia contra Iudæos tumens deiectus, quos irrides vel deſperas, coronam tuam accipiant: quia ſi tu ex lapidibus ſuſcita-
Matt.3. tis in filios Abrahæ, multo magis hi poſſunt, qui ex ipſius
B carne ſunt & ſemine procreati. Sequitur:

Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius.

Templum Dei, electorum Eccleſiam dici nullus ambigit, qui verba Apoſtoli attendit. Ipſe enim ait fidelibus:
1.Cor.3 *Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Hinc etiam bea-
1.Pet.2. tus Petrus dicit: *Et vos tanquam lapides viui ſuper ædificamini in domum ſpiritalem.* Quanquam autem huius templi prædicatores ſancti ſpecialiter columnæ poſſunt
Gal.2. intelligi, iuxta Pauli ſententiam, de Petro, Iacobo & Ioanne dicentis, qui videbantur columnæ eſſe: tamen quia non ſolum ipſe, verumetiam auditores boni de antiquo hoſte triumphant, atque in hoc verſiculo omnis qui vicerit, columna in templo Dei fieri perhibetur: fateri cogimur non pro quorundam regimine, ſed pro omnium fide atque operationis firmitate hoc loco columnam interſeri: & hoc eſſe templum, quod columnam in templo.
C Sic itaque de vincente dicitur, [*Faciam illum columnam in templo Dei mei:*] veluti ſi diceretur, Electorum perſonam quam per gratiam tanquam templum inhabito, fide atque operationis robore confirmo. Sic denique prædicator gentium vnam eandémque Eccleſiam & domum Dei & columnam & firmamentum veritatis vocat, in qua vtique dilectum diſcipulum columnam ſtatuerat, cui officium prædicationis impoſuerat. Ait enim ad eum:
1.Tim.3. *Hæc tibi ſcribo ſperans me venire ad te cito. Si autem tardauero, vt ſcias quemadmodum oporteat te in domo Dei conuerſari, quæ eſt Eccleſia Dei viui, columna & firmamentum veritatis.* In eo autem quod de eo qui vicerit ſubditur, [*& foras non egredietur amplius:*] apertè innuitur, quia iampridem in præcedentibus humani generis membris exierat, in illo ſcilicet iuniore fratre, qui relicta
Luc.15. domo paterna, abiit in regionem longinquam: vbi & porcos pauit, ac ſubſtantiam ſuam cum meretricibus luxurioſè viuendo diſſipauit.

D Ab vnitate ſiquidem fidei atque operationis, quam in Prophetis ſua lege tenuit Eccleſia, ad errorem perfidiæ ac peruerſæ actionis tranſierat: ſed occiſione illius vituli ſaginati (id eſt, Domini tedemptoris) cruore reconciliatus atque redemptus, foras vltra non exiet: quia quem pius pater pœnitentem recepit, annulo fidei decorauit, atque innocentiæ ſtola veſtiuit. Simúlque in domum conuiuij, id eſt, cœleſtis patriæ ædificium, quo dominicæ diſpenſationis Sacramenta celebrantur, Introduxit. Quantiſcunque aut ſchiſmatum, aut perſecutionum arietibus quatiatur, non mouetur: quia firmum firmamen-
2.Tim.2. tum ſtat, habens ſignaculum hoc, *Nouit Dominus qui ſunt eius.* Quod ſi hoc non ſolum de his, qui ex gentibus antiquum hoſtem in ſanguine agni ſuperantes, firmamentum Eccleſiæ fiunt: verumetiam de his ſimul, qui ex Iudæis & gentibus in vnitatem fidei cucurrerunt, intelligere debemus: videamus vnde vel quo vterque populus exierat. Primus itaque homo ad imaginem Dei conditus, in Paradiſi deliciis poſitus, dum ſeruandæ obedientiæ mandata ſuſcepit, quaſi quædam firmitatis columna fuit. E
Sed impulſu diabolicæ ſuggeſtionis per mulierem quaſi Gen.3.
quodam ariete percuſſus, ab ſtatu firmitatis vel rectitudinis ruens, à Paradiſi felicitate ad ærumnam ſæculi, à vita ad mortem, à quiete ad laborem exiit. Quo ſcilicet ruente, nos quoque pariter ruimus: quo exeunte, non ſimul exiuimus. Vnde quoque Dominus in Euangelio quadam figurata locutione ait: *Homo quidam deſcendebat ab Ieruſalem in Iericho.* Ac ſi diceret: Humanum ge- Luc.10.
nus in primo parente à Paradiſi gaudiis ad ærumnam mortalitatis, impulſu antiqui ſerpentis, in principio pari- Philip.2.
ter defluebat. Sed huius miſeriam humani generis, quia eum per inobedientiam foras exiiſſe condoluit, formam ſerui ſuſcipiens, ad hoc vnde exierat, effuſione ſanguinis ſui reduxit. Factus vtique pro inobediente obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Quæ videlicet introductio non ſolum in his intelligenda eſt, qui iam exuti corporibus, in ſpecie lætantur in cœlis: verumetiam de his, qui adhuc commorantes in carne, per fidem ambulant, ſpe gaudentes in terris: quia & de omnibus Apoſto- F
lus dicit: *Conreſuſcitauit & conſedere nos fecit in cœleſti-* Epheſ.2.
bus. Introducti ſanè victores ad ſecundum Adam, columnæ in templo Dei efficimur, ac nequaquam amplius foras egredimur: quia per ſanguinem eiuſdem mediatoris noſtri, antiqui hoſtis tentamenta ſuperantes, illa mandatorum ſtabilitate in ſuperna ſanctorum gloria ſolidamur, quam in primo Adam amiſiſſe ac foras exiiſſe probamur. Inde foris quodammodo per Chriſtum vincimus, vnde intus vitæ mandatis concludimur. Hinc eſt quod Dominus cum diceret, *Omne quod dat mihi pater, ad me veniet: &* Ioan.6.
eum qui venit ad me non eiiciam foras: protinus cauſam ſubiecit, cur venientem ad ſe non eiiceret foras, cum dixit, *quia deſcendi de cœlo, non vt faciam voluntatem eius qui miſit me.* Ac ſi diceret: Totum quod à patre accipio, idcirco intus mecum manere facio, ac nequaquam foras eiicio: quia illa ad hoc ipſum obedientia aſtringor, qua non vt meam, ſed patris voluntatem faciam, de cœlo deſcendi. Hinc Pſalmiſta voce electorum dicit: *Etenim ipſe* Pſal.61.
eſt Deus meus & ſalutaris meus, adiutor meus, non mouebor G
amplius. Atque poſt paululum idipſum repetens, ait: *Quid ergo fruſtra arietibus quatiendo malignorum ſpirituum turba laboras? Firmum ſtat fundamentum Dei, cadere non poteſt.* Firmiſſimum eſt charitatis ædificium, columnis ſuperimpoſitum deiici non poteſt. Dicatur ergo: [*Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei.*] Ac ſi diceretur: Electorum numerum quem victorem eſſe prænoſco, mandatorum meorum præceptis aſtringens, in cœleſtis patriæ ædificio, quod vtique ex ipſis conſtat electis, inflexibili amore ſolidabo. [*Et foras non egrediatur amplius.*] Subaudis, nullis inimici ſuaſionibus vel terroribus ab illa cœleſtis patriæ communi felicitate auelletur. Ipſi etenim ſunt (vt præmiſimus) templum Dei, ipſi & columnæ in templo Dei. Ac per hoc qui columnæ fiunt in templo Dei, in ſeipſis vtique fiunt, qui ſunt templum Dei. Et cum amplius foras non exeunt, proculdubio à ſeipſis non exeunt. Quod autem filius Dei, vtique Deus, æqualis Patri, atque cum Patre & Spiritu ſancto vnus verus & H
ſolus Deus, domum habere ſe dicit, in cuius templo victores ſuos columnas ſe facturum ſpopondit, vt ſæpè iam diximus, ſecundum humanitatem idipſum loquitur, quam ſumpſit ex nobis: in qua etiam non ſolum patri, verumetiam ſibi ipſi minor eſſe probatur. Sequitur:

Et ſcribam ſuper illum nomen Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei nouæ Ieruſalem, quæ deſcendit de cœlo à Deo meo, & nomen meum nouum. Qui habet aurem, audiat quid ſpiritus dicat Eccleſiis.

Quo vtique ſtylo vel calamo ſuper victorem, nomen Dei Patris ſcribi à filio putamus, niſi gratia amborum ſpiritus? Quid vero eſt nomen Patris ſuper vincentem adſcribi, niſi per adoptionem ſpiritus filium eius effici eum, qui

A in Chriſto atque per Chriſtum de hoſte antiquo mundi-
que deſideriis, meruerit victor exiſtere? Hinc Paulus fi-
Gal.4: delibus dicit: *Quoniam eſtis filij Dei, miſit Deus ſpiritum
filij ſui in corda noſtra clamantem, Abba Pater.* Hinc
Rom.8. iterum ait: *Ipſe ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro,
quod ſumus filij Dei.* Ecce nomen patris, ſcriptum ſuper
victores ſtylo ſacratiſſimæ conſcriptionis per ſpiritum
adoptionis. Vbi adhuc aptè ſubiungitur: [*Et nomen ci-
uitatis Dei mei noua Ieruſalem, quæ deſcendit de cœlo à
Deo meo:*] ſubaudis, ſuper eum qui vicerit, ſcribam. Ieru-
ſalem itaque viſio pacis interpretatur, quæ videlicet de
cœlo à Deo deſcendere perhibetur, quia nimirum electo-
rum Eccleſia quæ ad viſionem ſupernæ pacis paſſibus
amoris tendit, cum Domino cuius corpus eſt, in vterum
virginis prædeſtinata deſcendit: vel certè in eo de cœlo
deſcendit, quo cœleſti gratia quotidie numerus eius ac-
creſcit. Bene autem noua vocatur, quia per lauacrum re-
generationis ſimul & ſpiritum dilectionis; vetuſtate ter-
reni hominis expoliatur & cœleſtis nouitate veſtitur.
B Colоſſ.3. Vnde & Apoſtolus fidelibus dicit: *Exuentes vos vete-
rem hominem, & induentes nouum, qui renouatur in agni-
tione Dei.* Vnde etiam alibi ait: *Si qua in Chriſto noua*
2.Cor.5. *creatura, vetera tranſierunt, & ecce facta ſunt omnia noua.*
Hinc quoque per Iſaiam Prophetam Deus loquitur, di-
Iſa.43. cens: *Noua facio omnia, quæ nunc orientur.* Hinc longè
inferius in hac reuelatione Ioannes Dominum introdu-
Apoc.21. cit loquentem: *Dixit*, inquiens, *qui ſedebat in throno:
Ecce noua facio omnia.* Quid eſt autem, nomen ciuitatis
Dei nouæ Ieruſalem, de cœlo à Deo deſcendentis, ſuper
victorem ſcribi, niſi in numero ſanctorum per donum
ſancti Spiritus conſortium mereri? Vnde autem filij Dei,
vnde ciuitas noua Ieruſalem de cœlo deſcendens voce-
mur, redemptor noſter per Angelum ſubdit: [*& nomen*
Pſal.44. *meum nouum.*] Apertè videlicet dicens, ſuper eum qui vi-
cerit, ſcribam. Et quod eſt nomen nouum, niſi illud
quod eidem noſtro mediatori acceſſit ex tempore, id eſt,
Chriſtus, videlicet vnctus præ participibus ſuis, quo to-
tius orbis regnum in electis ſortitus eſt: Hinc certè di-
C gnitas nobis, hinc celſitudo prouenit. Hinc reges, hinc
Sacerdotes, hinc victores, hinc filij Dei, hinc noua Ieru-
ſalem, hinc Chriſtiani vocamur. Vbi autem totius ſumma
ſalutis ſonat, ibi tandem hic liber debitum finem accipiat.

D. AMBROSII ANSBERTI Presbyteri, in Apocalypſim Ioannis Apoſtoli.

LIBER TERTIVS.

D QVISQVIS diuinarum Scripturarum auidus in-
ueſtigator eſt, ſolum in his ſine alterius compara-
tione rerum omnium conditorem inuenit, incom-
mutabilem ſimul & ſummè bonum. Creaturam vero bo-
nam quidem, ſed ad comparationē creatoris, nec incom-
mutabilem, nec ſummè bonam, quanquam de ipſo om-
Gen.1. nium factore dictum ſit: *Vidit Deus cuncta quæ fe-*
Marc.10. *cerat, & erant valdè bona.* Ipſo ſibi dicente: *Ne-*
Luc.18. *mo bonus niſi ſolus Deus:* & iuxta illud Pſalmiſtæ,
Pſal.101. loquentis: *Ipſi peribunt, tu autem permanes, & om-
nes ſicut veſtimentum veteraſcent, & ſicut opertorium
mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipſe es.*
Hinc eſt quod cum in hac Apocalypſi de centum qua-
draginta quatuor millibus hominum, longè inferius di-
Apoc.14. catur: *In ore ipſorum non eſt inuentum mendacium*, tamen
Rom.3. verax gentium doctor clamat & dicit: *Omnis homo
mendax, ſolus autem Deus verax.* Vnde in hac quoque
ſeptimana atque vltima Eccleſiarum locutione, de qua
huius operis tertius liber initium ſumit, à Domino per
Angelum dicitur:

E

*Et Angelo Laodiceæ Eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit
Amen, teſtis fidelis & verus, qui eſt princi-
pium creaturæ Dei.*

Amen quippe interpretatum, ſonat verum ſiue fideli-
ter: quod proculdubio ad illam incommutabilem veri-
tatem redigendum eſt, de qua in Euangelio ipſa per ſe
loquitur, dicens: *Ego ſum veritas.* Hoc etiam inſinuare vo- Ioan.14:
lebat, cum toties pro affirmatione verborum ſuorum in Ioan.1.
carne loquens diceret: *Amen amen dico vobis.* Ac ſi aper- & 3. a. b.
tius loqueretur: In his quæ dico, quia veritas ſum, per c.5. d.e.f.
huius orationis particulam demonſtro. Hic ergo eſt ſin- 6.c.d e.f.
gulariter amen, id eſt, ſempiterna veritas, ad cuius com- 8. e. f. g.
parationem tota reputatur mendacium humani generis 10. a. 13.
quælibet fuerit veritas: de quo & bene ſubditur, [*Teſtis* b. c. d e.
fidelis & verus.] Subaudis, principaliter ac ſingulariter, 14. b. 16.
cum ſint etiam multi teſtes veri atque fideles. Ille etenim d.c.21.f.
ſingulariter ac principaliter verum & fidele teſtimonium F
dedit, qui ſe ex ſempiterna veritate conſempiternam veri-
tatem docuit genitam, atque ex ſempiterna & conſem-
piterna, quæ non duæ veritates, ſed vna eſt veritas, ſpiri-
tum veritatis proceſſiſſe perhibuit. Qua autem regula in
plerisque ſcripturarum locis, ſolus filius teſtis vocetur,
cum & Pater & Spiritus ſanctus teſtimonium ſimul cum
filio perhibeant de ſeipſis, ſicut ſcriptum eſt: *Tres ſunt qui* 1.Ioan.5.
*teſtimonium dicunt in cœlo, Pater & Verbum, & Spiritus
ſanctus, & hi tres vnum ſunt*, in primo huius operis libro
apertè docuimus. Quod autem idem filius principium
creaturæ Dei dicitur, & ad diuinitatem & ad humanita-
tem poteſt vtrumque referri. Principium itaque creaturæ
Dei in diuinitate ſua filius vocatur, non quo (vt Arrius
confinxit) à Deo Patre creatus ſit, ſed quo cuncta per
ipſum Deus pater creauerit, ſicut ſcriptum eſt: *Omnia per* Ioan.1.
ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Principium
creaturæ Dei dicitur, quia ab illo habent cuncta exiſtendi
initium. Vnde & Iudæis interrogantibus quis eſſet, reſ-
pondit: *Principium, qui & loquor vobis.* Huic ſententiæ G
Paulus concinit, dicens: *Qui eſt imago Dei inuiſibilis, pri-* Ioan 8.
mogenitus omnis creaturæ. Et ne fortè ſicut ipſum ſic etiam Coloſſ.1.
creaturam genitam putaremus, vt ideo ille primogenitus
vocaretur, quia poſt illum eo modo & hæc genita ſit,
occurrit idem egregius prædicator: & quid ſibi vellet,
quod eum primogenitum omnis creaturæ vocauerat, in- Ibid.
ſinuauit dicens: *Quia in ipſo condita ſunt vniuerſa in cœlis
& in terris, viſibilia & inuiſibilia: ſiue throni, ſiue domi-
nationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates, omnia per ipſum
& in ipſo creata ſunt: & ipſe eſt ante omnes, & omnia in
ipſo conſtant.* Primogenitus ergo omnis creaturæ eſt, quia
ante omnes idem eſt, à quo & per quem omnis creatura
exorta. Occurrunt fortaſsè contra hunc ſenſum illi per-
uerſorum dogmatum hæretici, ſi tamen de his aliqui
remanſerunt, qui dicunt de Domino Ieſu Chriſto: Erat
quando non erat; & proponunt nobis quæſtionem, di-
centes: Si principium creaturæ Dei, propterea filius ap-
pellatur, quia omnia ab ipſo exordium habere creduntur: H
& non potius, quia ipſum Deus Pater primum ante om-
nes creaturas condens, per adoptionis gratiam ſibi in
filium aſſumpſiſſe perhibetur, quid eſt quod in Salomone
Sapientia loquitur, dicens: *Dominus poſſedit me initio via-* Prou.8.
*rum ſuarum, antequam quicquam faceret à principio, ab
æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequam terram fa-
ceret: necdum erant abyſſi, & ego iam concepta eram: nec-
dum fontes aquarum eruperant, necdum montes graui mole
conſtiterant, ante colles ego parturiebar, adhuc terram non
fecerat & flumina & cardines orbis terræ?* Ecce, inquiunt, 1.Cor.1.
vbi ſapientia Dei, quæ Apoſtolo docente Chriſtus eſt,
narratur à Deo patre poſſeſſa: vel ſicut vetus tranſlatio
habet, creata, ordinata, concepta quoque, & necdum
nata. Quorum nimirum ſententia qua de ipſa ſapientia
dicunt, Erat quando non erat, prius veritatis ratione con-
futanda eſt: & tunc demum aperiendum, qualiter hæc
quæ malè intelligunt, bene intelligantur. Dicitis itaque,
ſi tamen remanſiſtis qui adhuc talia dicatis: nam fuiſtis

A qui talia diceretis de æterna Dei ſapientia: *Erat quando*
non erat. Sed reſpondemus, quia ſi erat quando non erat,
ergo quod nefas eſt cogitare, Deus Pater inſipiens erat,
antequam ſapientiam ſuam generaret. Et certè negare
non poteſtis, quod ſapientia Patris Filius appellatur,
1.Cor.1. Apoſtolo dicente: *Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapien-*
tiam. Quomodo inquam Dei ſapientiam Deus Pater
adoptando genuit, ſi ipſe antequam hanc generaret, ſtul-
tus erat? Aut vnde illi ſapientia aduenit, ſi cum illo non
erat? *Creauit*, inquiunt, *illam*. Et nos: Quomodo hanc
creauit, ſi ille ſine ſapientia antequam crearetur, fuit, vt-
potè inſipiens & neſciens quid ageret? Erigite aures ſur-
di, & ad confuſionem veſtram audite. Si per ſapientiam
Pſal 103. Dei facta ſunt omnia, Pſalmiſta dicente: *Omnia in ſapien-*
tia feciſti, ergo ſapientia non eſt à patre creata, ſed ante-
quam omnia fierent, erat cum patre: nec tempore illi
poſterior, quia nunquam vel pater ſine ſapientia, vel tem-
pus extitit in æternitate. Vbi ſi muſitio, imo oblatratio
B veſtra conquieſcit, aperiamus donante ipſa ſapientia, quo-
modo intelligatur hoc quod in Salomone de ſeipſa nar-
Prou. 8. rare videtur. Ait enim: *Dominus poſſedit me*, vel ſicut alia
editio habet, *Dominus creauit me initio viarum ſuarum.*
Quod nimirum iuxta humanitatem loqui videtur, quam
ſumpſit pro nobis. Quid itaque hoc in loco viis Dei fi-
gurari intelligimus, niſi actiones ipſius? Initio itaque via-
rum Dei, ab eo poſſeſſa vel creata eſt ſapientia: aut quia
antequam creaturam inſtitueret, eandem ſapientiam in-
carnandam prædeſtinauit: aut certè quia viarum nomi-
ne, nouarum actionum indicia præſignare voluit, vt vide-
licet ſapientiam ſuam in diuinitate ſibi æqualem tunc
poſſederit vel creauerit, cum nouarum actionum vias in-
ſtituens, hanc carnem ſuſcipere voluit. Solet enim ple-
rumque ſacra Scriptura ea quæ futura ſunt, quaſi iam fa-
cta narrare. Vbi & ſubditur: Antequam quicquam faceret
à principio, ab æterno ordinata ſum: & ſicut in anti-
quis, antequam terram faceret. Si omnipotens Deus ſe-
cundum Apoſtoli ſententiam ante mundi conſtitutionem
Epheſ. 1. in Chriſto omnes Sanctos elegit, & in gloria futuros
C prædeſtinauit: quid mirum, ſi ipſum caput electorum,
quod eſt Chriſtus, antequam quicquam faceret vel a
principio atque ab æterno, aut ex antiquis ante-
quam terram faceret, ordinauit vt eſſet idem ſu-
per omnes primatum tenens, de quo per Apoſto-
Coloſſ. 1. lum dicitur: *Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt*
principium, primogenitus ex mortuis, vt ſit ipſe
in omnibus primatum tenens? Hinc etiam principium
creaturæ Dei rectiſſimè appellatur, caput ſcilicet
omnium credentium. Quod autem adhuc ſubiungi-
Prou. 8. tur, *Necdum erant abyſſi, & ego iam concepta eram: nec-*
dum fontes aquarum eruperant, necdum montes graui mole
conſtiterant, ante colles ego parturiebar, adhuc terram non
D *fecerat, & flumina & cardines orbis terræ*: Oſtendit pro-
culdubio, quia vel antequam cuncta temporalia fierent,
in præſcientia ac prædeſtinatione Dei patris ipſam vni-
geniti eius incarnationem conceptam, & temporalis diei
partum expectantem, vel certe priuſquam electorum
Eccleſiam illi per effectum Deus pater coniungeret, quæ
etiam diuerſis membrorum officiis, diuerſis vocabulis de-
ſignantur, in vtero virginis conceptus erat, quamquam
ſine dolore matris parturitio eius præſtolabatur. Poſſunt
enim per abyſſum prædicatorum corda ſignari, pro eo
quod immenſitatem Scripturarum videntur loquendo
euomere. Per montes vero & colles, eorundem ordo diſ-
cretus, in Apoſtolis ſcilicet ac ſucceſſoribus eorum, fi-
Pſal. 71. gurari, de quibus ſcriptum eſt: *Suſcipiant montes*
pacem populo tuo, & colles iuſtitiam. Per terram quo-
que & flumina, generalis Eccleſiæ perſona, ſiue in
bonis auditoribus fructum verbi vt terra referens,
ſiue in ſanctis prædicatoribus eloquium verbis af-
fluenter vt lumen exundans. Per cardines etiam qui-
bus vertitur orbis, qui alij quam iidem figurantur
Iob. 9. Eccleſiæ Doctores, de quibus alias dicitur: *Sub eo*
Prou. 8. *curuantur qui portant orbem?* Subiungit adhuc ipſa
ſapientia, ac de ſemetipſa dicit: *Quando prepara-*
bat cœlos, aderam: quando certa lege & gyro valla-
bat abyſſos, quando æthera firmabat ſurſum, & li- E
brabat fontes aquarum: quando circundabat mare
terminus ſuis, & legem ponebat aquis ne tranſi-
rent fines ſuos: quando appendebat fundamenta terræ,
cum eo eram cuncta componens. Hæc ſi iuxta literam ſe-
quamur, facilem habet intellectum. Quis enim ignoret
ſapientiam Dei, in qua facta ſunt omnia, cum Deo
fuiſſe cum faceret omnia? Sed ea quæ ſequuntur, ſpi- Ibidem.
ritalem nobis in his intelligentiam quærere cogunt. De-
nique horum verborum circuitus ita concluditur: *Et*
delectabar per ſingulos dies, ludens coram eo omni tempore,
ludens in orbem terrarum, & deliciæ meæ eſſe cum filiis
hominum. Quæ vtique ſi ad literam violenter inflecta-
mus, ludicra pro tempore putabuntur. Age ergo ſequamur
in his viuificantem ſpiritum, & breuiter ſingula tan-
gentes, quid myſticum deſignet oſtendamus. Dicat igi-
tur ſapientia Dei, per quam facta ſunt omnia; dicat,
Quando faciebas cœlos, aderam. Sed quando præparabat? Pſal. 18.
Vtique in prædeſtinatione faciendos. Et quos alios per
hoc dictum intelligere debemus, niſi ſanctos Apoſtolos, F
de quibus ſcriptum eſt, *Cœli enarrant gloriam Dei:*
Quando certa lege & gyro vallabat abyſſos, ſine dubio
aut perſecutores Eccleſiæ, aut (ſicut prædiximus) docto-
res eius deſignans. Certa autem lege & gyro vallantur, ne
vltra terminos egredientes, terras operiant, id eſt, ne aut
perſecutores eius ſæculari potentia ſanctam Eccleſiam
funditus extinguant, diuina virtute coarctantur: aut for-
tè ne ipſius prædicatores ſine moderamine vel diſcretio-
ne ſcripturarum, immenſis profundiſque ſententiis au-
ditorum corda demergant, quibus iuſſum eſt pluuia-
rum guttis ad menſuram arentia corda rigare, interna
Dei aſpiratione cohibentur. *Quando æthera firmabat* Prou. 8.
ſurſum. Repetita ſententia eſt, niſi quod ſupra dixerat,
quando præparabat cœlos: hic autem ſubiunxit, quan-
do æthera firmabat ſurſum. Præparabat enim cœlos,
ſubaudis Apoſtolos in miniſterium prædicationis. Æthe- Pſal. 49.
ra autem ſurſum firmabat, videlicet eoſdem ipſos à ter-
renis deſideriis ſuſpendens; in ſuperno amore, beata
prædeſtinatione ſolidabat. Hinc etiam in alio Pſalmo G
legimus: *Aduocauit cœlos ſurſum.* Cœlos enim ſurſum
aduocauit, quia videlicet mentes prædicatorum ad ſu-
pernam patriam interna aſpiratione prouexit. Vnde &
bene per ſapientiam ſubditur: *Et librabat fontes aqua-* Prou. 8.
rum, id eſt, prædicantium corda à terrenis contagiis ad
ſupernam claritatem præſciendo ſuſpendebat. *Quando*
circundabat mare terminus ſuis, & legem ponebat aquis,
ne tranſirent fines ſuos. Hinc etiam repetita ſententia
videtur. Quod enim dixerat, *quando certa lege & gy-*
ro vallabat abyſſos: hoc repetiuit, dicens: *Quando cir-*
cundabat mare terminus ſuis, & legem ponebat aquis, ne
tranſirent fines ſuos: quando appendebat fundamenta ter- H
ræ, cum eo eram cuncta componens. Et hoc loco repe-
tita ſententia eſt. Nam hoc eſt in ſignificatione, æthe-
ra ſurſum firmare, aquarúmque fontes librare: quod
eſt, terræ fundamenta appendere, doctorum ſcilicet
mentes in amore ſupernæ pacis ab imis deſideriorum
eleuare. An non fundamenta terræ iidem ſunt, de qui- Epheſ. 2.
bus per Apoſtolum fidelibus dicitur: *Superædificati ſu-* Philip. 3.
per fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum? An- Prou. 8.
non ab imis ſuſpenſi, ipſo alibi dicente, *Noſtra conuer-* Philip. 2.
ſatio in cœlis eſt? Et delectabar per ſingulos dies, ludens
coram eo omni tempore, ludens in orbem terrarum. Quid
hic per dies, niſi electorum opera deſignantur? Vn-
de & per Paulum quibus dicitur: *In medio nationis prauæ* Matt. 5.
& peruerſæ, inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo.
Hinc etiam æterna dies ad Apoſtolos dicit: *Vos eſtis lux*
mundi. Vnde autem lux vocarentur, continuo ſubie-
cit: *Videant opera veſtra bona.* Quid autem per ſa- Iudic. 16.
pientiæ luſum, niſi paſſio noſtri redemptoris exprimitur,
quæ infidelium cordibus riſum præbuit & præbet? In
cuius figuram Samſon ille coram allophylis ludens &
moriens, inimicos ſuos proſtrauit. In eo itaque ſapientia
Dei per dies ſingulos delectatur, quo omni tempore co-
ram eo ludere probatur: quia nimirum in eo redempto-
ri noſtro opera iuſtorum placent, quo paſſiones eius ipſi

imitandas

A imitandas aſſumunt. Omni enim tempore coram patre ludere videtur, quia videlicet ſiue occulto Martyrio pacis tempore, quod deſignatur per diem: ſiue manifeſto perſecutionis articulo, cui nox apertiſſimè con- Act.9. uenit, in electis ſuis ipſe pati probatur. Contrarium eſt quod dicimus, ſi hoc ſancta Scriptura non affirmat. Certè Saulo ſæuienti, caput in membris patiens, de Col. 1. cœlo clamabat: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Hinc etiam ipſe ex perſecutore prædicator effectus, dicebat: Prou. 8. *Compleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea.* Pſal.21. Hoc certè indicat quod ſubiungitur, *Ludens in orbem terrarum.* Non eſt autem mirum, ſi quod futurum erat, iam factum narrauit: ſi non eſt contrarium, quod Prou.8. per Pſalmiſtam ſonuit: *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia oſſa mea.* Quod nimirum in redemptore noſtro multum poſt futurum erat, quando idipſum iam in ſe adimpletum, idem per Pſalmiſtam dicebat. In eo vero quod ſic æterna ſapientia concludit: B *Et deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum:* quis non gaudeat ô Domine, ô virtus & dulcedo, vita & panis Ange- Matt.28. lorum? Delicias computas, ſi nobiſcum moraris. Moraris certè cum tuis, & perpetua manſione moraris, ſicut tua beata pollicitatio declarat, dicens: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* Nec ſine deliciis moraris, quia operibus electorum tuorum paſceris. In eo enim deliciis affluis, quo ab eis vo- Ioan. 4. luntatem patris adimpleri cognoſcis. An non quaſi quædam dapes ſunt, adimpletio voluntatis Dei, ſicut tu ipſe docuiſti, dicens: *Meus cibus eſt vt faciam volunta-* Apoc.3. *tem patris mei?* Iſti ſiquidem cibi præparantur in menſa, qua cum tuis accumbens, ſacratiſſimam cœnam peragis. Vnde & in hac reuelatione dicis: *Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.* Sed iam nunc ad expoſitionis ordinem reuertamus, à quo paulò longiùs neceſſitate digreſſi ſumus: & quid ipſa ſapientia per hanc C cœleſtem reuelationem cuilibet ignauia torpenti dicat, audiamus. Denique ſequitur:

Scio opera tua, quia neque frigidus es neque calidus. Vtinam calidus eſſes aut frigidus.

Hic itaque quos aut Iudaica perfidia, aut error gentilium tenet aſtrictos, frigidi ſunt: quia nimirum ille eos glaciali quodammodo more conſtringit, qui dixit: Iſai. 14. *Sedebo in monte teſtamenti, in lateribus aquilonis.* Aquilo itaque valde frigidiſſimus ventus, terræ latitudinem ſolitus eſt congelare: & tamdiu rigidas terræ glebas tenere, vſquequo flante auſtro, ipſius calore ſoluantur, Cant.4. quatenus poſſint fruges terræ coaleſcere. Sic, ſic Iudæorum corda ille malignus ſpiritus in perfidia obdurat, vſque dum flante gratia Spiritus Sancti, ad fidei calo- D rem redeant, & opera virtutum pariant. Hinc ex per- Pſal.125. ſona Eccleſiæ Pſalmiſta exorat, dicens: *Conuerte Domine captiuitatem noſtram, ſicut torrens in auſtro.* Torrens etenim in auſtro, à glaciali duritia in aquarum decurſus conuertitur, quia videlicet incredulorum corda in perfidia obſtinationis congelata, Spiritus Sancti deſuper veniente calore afflata, in amorem fidei & charitatis quodammodo liqueſcunt. Hinc in Canticis Can- Cant.4. ticorum dicitur: *Surge aquilo & veni auſter, perfla hortum meum, & fluent aromata illius.* Aquilo etenim ſurgit, cum malignorum ſpirituum princeps, incredulorum corda dura & frigida deſerens, propriam in in eis ſeſſionem amittit. Auſter vero veniens perflat hortum, vt aromata illius fluant: quia nimirum Spiritus Sanctus eadem corda illuſtrans calore fidei tangit, vt reſoluta incredulitatis duritia, amiſſo erroris frigore, bonorum operum fragrantiam emanent. Sic denique viuificantis ſpiritus ardore, ſiue exterius per linguam doctorum, ſiue interius per occultam aſpirationem ſucceſo, quidam ex frigidis commutantur in feruentes. Poſſunt autem hi frigidi intelligi, qui poſt baptiſmatis Sacramen-

tum, criminum facinoribus obnoxii, cor gerunt impœni- B tens. Ad quorum perſonam per Apoſtolum dicitur: *An* Rom.2. *diuitias bonitatis eius contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei, ad pœnitentiam te adducit?* Secundum duritiam autem tuam & cor impœnitens, theſaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei. Valde enim frigida ſunt talium corda, ſed ſolent plerumque Spiritus Sancti incendio tacta, de talibus ad amorem Dei pœnitendo conuerti, in tantum, vt etiam feruentiores poſt conuerſionem in ſancto ſtudio appareant, quam hi quos nullum criminis frigus adſtrinxit. Recordantur ſiquidem quales ante peccatum fuerunt, qualeſque per gratiam ſui conditoris poſtmodum fieri meruerunt. Quapropter quo magis peccatores ſe fuiſſe recolunt, eo amplius liberatorem ſuũ diligere appetunt. Quibus nimirum iuſtè illa ſententia aptatur, qua de muliere peccatrice, ſed conuerſa, à Domi- Luc.7. no perhibetur: *Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam di-* Luc.15. *lexit multum.* Necnon & illa, quæ per ipſum alias dicitur: *Gaudium erit in cœlo coram Angelis Dei ſuper vno pecca-* F *tore pœnitentiam agente, quam ſupra nonaginta nouem iuſtis qui non indigent pœnitentia.* Agunt certè hi tales poſt conuerſionem bona quæque præcipua, declinare ſemper ſtudent mala tentantia: lugent præterita delicta, metuunt ventura ſupplicia: amant & ardent, atque ad ſpeciem ſui conditoris feruendo & ſuſpirando anhelant. Sicque ex frigidis in calidos mutantur, cum recedente iniquitate, igneſcit charitas eorum. At contra ſunt nonnulli intra ſanctam Eccleſiam conſtituti, qui vitam quidem ab omni crimine cuſtodiunt, ſed ad agenda quælibet bona præcipua non aſſurgunt. Hi profecto nec frigidi, nec calidi eſſe probantur. Non enim ſufficit mala cauere, niſi quis ſtuduerit & bonis ardenti deſiderio inſiſtere. Hinc Pſalmiſta admonet, dicens: *Declina à malo, & fac bonum.* Pſal.3. Ecce etenim alius in actione ſeculari conſtitutus, aliena non diripit, ſed tamen indigentibus propria non tribuit. Quid itaque hunc, niſi tepidum dixerim? Frigidus enim G non eſt, quia in diripiendo aliena crimen non admittit: Feruens enim non eſt, quia in propria largiendo, miſericordiæ opus non exercet. Tepidus ergo eſt, quia nec rapinæ, nec miſericordiæ congruit. Is proculdubio aut ignorat quod diues ille, qui apud inferos torquetur, nequaquam ideo damnatus eſt, quia aliena diripuit, ſed quia Luc.16. propria non tribuit, aut certè ſciens contempſit. Alius autem aliena non diripit, & propria tribuit: ſed tamen quia opus miſericordiæ non charitatis ſtudio vel compaſſionis dolore, ſed aut timore ſupplicij, aut humanæ gloriæ appetitu, vel certè temporalis tribulationis metu impendit, nec frigidus nec feruens eſſe cognoſcitur. Et quidem eleemoſynarum largitas, opus eſt miſericordiæ: imo ipſa impenſa largitas, miſericordia vocatur. Is ergo qui miſericordiæ opus impendit, debet vim nominis perpendere, ac ſecundum proprietatem eius indigenti proximo ſubuenire: quatenus id agens, vel remiſſionem peccatorum percipere, vel perennè ſupplicium imminenſque periculum merito poſſit vitare. Miſericordia H enim à miſericorde vocatur. Et quilibet bona largiendo, tunc miſericors exiſtit, cum alterius cordis miſeriam cor eius impatiens, intimo mœrore tabeſcit. Quo contra alius indigentium miſeriis quaſi condolet, & tamen ex eo quod habet, retrahente manum cupiditate, nequaquam eorum miſeriam largiendo ſubleuat. Iſte profecto hac ſola mentis falſa compaſſione miſericors non exiſtit, cum poſſet vtique, ſi diuitias huius ſeculi non accepiſſet. Reſtat ergo vt qui terrenas facultates perceperunt, ſic pauperum indigentiam ex eis ſubleuent, quatenus ipſa ſubleuatio ex amore compaſſionis procedat. Audiant tales quod ab Apoſtolo dicitur: *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates* 1.Cor.13. *meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Audiant quod in hoc verſu ſubiungitur: [*Vtinam calidus eſſes aut frigidus.*] Ac ſi diceretur: Satius fuerat vt vel perfectè bonus, vel ex toto malus exiſteres, quam nec bonis nec malis congrueres. Sed iam veniendum eſt ad eos, qui cunctas terrenarum facultatum opes deſerunt, ſanctæ religionis habitum ſu-

A muunt, ſed tamen viam perfectionis ingredi nequaquam
appetunt. Quorum videlicet perſonæ tectiſſime hæc ap-
tatur ſententia, qua dicitur? [*Scio opera tua, quia neque
calidus es, neque frigidus.*] Tales enim nec in ſeculari
actione torpent, nec deſiderio patriæ cæleſtis feruent,
tantumque ſibi ſufficere putant, ſi ea crimina ſub reli-
gionis habitu conſtituti non admittant, pro quibus per-
uerſæ vitæ ſæculares viri, iuxta mundanæ legis ſanctio-
nem, aot facultates amittunt, aut certe mortis ſententiam
excipiunt. Qui ſi attenderent illud Euangelij dictum,
Matth. 7. quia *arcta via & anguſta porta eſt qua ducit ad vitam, &*
Matt. 11. *pauci ſunt qui inueniunt eam*: & illud, *Regnum calorum*
Act. 14. *vim patitur, & violenti diripiunt illud*: necnon & illud
2. Tit. 2. Apoſtoli, *Oportet nos per multas tribulationes introire in*
Rom. 8. *regnum Dei*: illudque, *Non coronabitur niſi qui legitime*
2. Tim. 2. *certauerit*, atque illud, *Si non compatimur, nec conregnabi-
mus*: non ſibi de his tantum falſo applauderent, quæ etiam
ipſis viris ſæcularibus ad vitam minime ſufficiũt. Audiant
Matth. 5. tales, & vtinam nos non tales, quod Dñs in Euangelio ait:
B *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quam ſcribarum &
phariſæorum, non intrabitis in regnum calorũ.* Audiant qui
alienam carnem materiali gladio non perimunt, ſed ta-
men iræ furoriſque ſpiculis propria corda transfodiunt,
Ibidem. quod illic ſubiungitur: *Audiſtis quia dictum eſt antiquis,
Non occides. Qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego
autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus
erit iudicio.* Audiant qui ab omni concubitu carnis ab-
ſtinent, ſed tamen illicitis cogitationibus per couſenſum
Ibidem. animas ſuas polluunt, quod illic ſequitur: *Audiſtis quia
dictum eſt antiquis, Non mœchaberis. Ego autem dico vo-
bis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum
eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Audiant qui
tantum diligentes ſe diligunt, & odientes ſe odiunt, quod
Ibidem. illuc ſubinfertur: *Audiſtis quia dictum eſt, diliges proxi-
mum tuum, & odies inimicum tuum. Ego autem dico vo-
bis, diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt
vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos.*
C Audiant qui de ſolo exteriori habitu ſibimet applaudunt,
ſed tamen interius læſiones proximorum exquirunt, quod
Matth. 7. dicitur: *Attendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos
in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.*
Audiant qui laudantibus ſe, præconium laudis rependunt:
vituperantes vero, obtrectationis iaculo dilaniant, quod
Iacob. 4. ſcriptum eſt: *Qui detrahit fratri ſuo detrahit legi.*
Audiant qui & aduerſa huius ſeculi tolerant, & tamen
tentationibus fracti, contra autorem ſuum, ſiue vocibus,
ſiue peruerſis cogitationibus, murmurant, quod dicitur:
Neque murmurauerītis, ſicut quidam eorum murmurauer-
1. Cor. 10. *runt, & à ſerpentibus perierunt.* Audiant qui ſub alieno
Exod. 16. imperio degentes, contra prælatos ſibi iniuſte ſuſurrant,
quod ſcriptum eſt: *Nec contra nos eſt murmur veſtrum
ſed contra Deum.* Audiant omnes, proponant ſibi omnes
qui religionis habitum ſuſcipiunt, ſeque mundo & vitiis
mori diſponunt, qood eis ab Apoſtolo dicitur: *In omnibus
exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros, in multa pa-
D tientia, in tribulationibus in neceſſitatibus, in anguſtiis, in
2. Cor. 6. plagis, in carceribus, in ſeditionibus in laboribus, in vigiliis,
in ieiuniis, in caſtitate, in ſcientia, in longanimitate, in ſua-
uitate, in ſpirituſancto, in charitate non ficta, in verbo veri-
tatis, in virtute Dei, per arma iuſtitia à dextris & à ſini-*
Philip. 1. *ſtris.* Audiant tepidi, quod cum de eodem egregio præ-
Gal. 6. dicatore dicunt calidi: *Mihi viuere Chriſtus eſt, & mori
lucrum.* Et illud: *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mun-
do*: Poteſt etiam tepidorum perſona in illis intelligi,
qui & magna quælibet ſancti certaminia agunt, & ta-
men ad ſupernam patriam feruenti deſiderio non anhe-
lant. Quidam enim ignis eſt charitas, quæ ſanctorum
corda quælibet operando bona præcipua, ad deſideran-
dam claritatem ſupernam accendit. Quæ ſi defuerit, quam-
uis ſumma virtutum opera in publicum prodeant, ope-
rantis cor tepidum remanet. Sequitur:

B

Sed quia tepidus es, & nec frigidus nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo.

Nullus inuenitur calidus, qui prius non fuerit frigidus:
quia nullus vnquam in hominibus extitit bonus, qui
Rom. 3. prius non fuerit malus. *Omnes enim peccauerunt & egent
gloria Dei.* Tepidus autem & ex frigido ſolet fieri, & ex
calido: quia & alius à frigore iniquitatis conuerſus, ad
perfectum iuſtitiæ feruorem non tranſit: & alius ab ipſo
iuſtitiæ calore, quo perfecte feruebat, ad negligentiam
remiſſioris vitæ animos actuſque deflectit. Omnes autem
experimento didicimus, quia frigidum quid vel calidum,
facile in corpus trajicitur. Tepida autem cum magna ani-
maduerſionis nauſea, ab ipſo etiam ore projiciuntur.
Quod etiam in Eccleſia Chriſti quæ corpus eius eſt, cuius
Epheſ. 1. Coloſſ. 1. caput idem Dominoa eſt, fieri quis dubitet? Quotidie enim
redemptor noſter calidos quoſque cibos in corpus ſuum
per os trajicit, cum ſanctæ fidei ſanctæque operationis
F ſtudio animos feruentes, vt in augmentum & vigorem
Eccleſiæ proficiant, per verba doctorum ad meliora in-
citans, intra eam aggregare non deſinit. Frigidos etiam,
cum ſiue infideles, ſiue prauos fideles per eadem verba
prædicationis numero perfectorum aſſociat, non iam vt
frigidi remaneant, ſed vt à frigore in feruorem mutentur.
Act. 10. De hoc eſu Petro dicitur: *Macta & manduca.* Tepidos
vero ab ore vomendos prædicit, quia nimirum ipſo eos
exhortationis verbo indignos iudicat, quoa in melius
commutari non poſſe prænoſcit. Exhortatus etenim fer-
uens in ſancto propoſito, & ſtatim fit feruentior. Tangi-
tur lingua prædicantium ſiue infidelis, ſiue prauua fidelis,
& plerunque à frigore iniquitatis in calorem iuſtitiæ
commutatur. Tepidum autem quæ exhortatio ſermo-
num, quæ dulcedo verborum, quæ aſperitas eloquiorum,
ab ignauia torporis in feruorem vertit ſancti certaminis?
G Quapropter ſicut terra infructuoſa à cultore deſeritur, &
vel illa quæ iam erutis vepribus huberes fructus affert,
vel illa quæ adhuc ſentibus operta, æque fertilis, ſi emun-
detur, futura præuidetur, ſpe venturæ meſſis excolenda
aſſumitur: ita ſancti quoque prædicatoris exhortari non-
nunquam tepidos io conuerſatione deſiſtunt, quia eos in
melioris vitæ ſtudium difficile reformari conſpiciunt: &
ād exhortandos vel infideles ſemetipſos conuertunt, in
quibus ſi eos coouerti contigerit, huberiorem ſe fructum
inuenire poſſe perpendunt. Sequitur autem adhuc ſen-
tentia, cur tepidus ex ore Domini vomatur, qua pro-
tinus ſubinfertur:

H

Quia dicis quod diues ſum & locupletatus, & nullius egeo: & neſcis quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.

Alius etenim propterea diuitem ſe iactat quia rectæ fi-
dei confeſſionem portat. Sed ſi in fide poſitus, male age-
re non deſinit, profecto non diues, ſed pauper eſt. Alius
autem ideo locupletatum ſe putat, quia & recte credit,
& malis non inſiſtit. Sed ſi & recte credens, & malis non
inſiſtens, bona non agit: proculdubio noo diues, ſed pau-
per eſt. Alius vero idcirco nullius egere ſe dicit, quia &
recte credens, mala cauet, & mala cauens, nonnullis bo-
nis inſiſtit. Sed ſi hæc agens, recta intentio non viget in
corde, veraque dilectio non manet in pectore: nimirum
non diues, ſed pauper eſt. Quod quia tepidorum quili-
bet non intelligit, recte miſer & miſerabilis, pauper &
nudus & cæcus, a Domino redarguitur. Miſer ſcilicet,
quia ſemetipſum decipit: miſerabilis autem, quia nec
illud intelligit, quod ſeipſum illudit: pauper vero &
nudus, quia veris virtutibus vacuus: ſed peius, quia nec
conſcius, vnde & merito cæcus. Quia vero diuina pie-
tas etiam ex his quos propter tepiditatem vomendos
prædixerat, aliquos vt ad feruorem iuſtitiæ redeant, vo-
cat, recte ſubiungitur:

A

Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, vt locuples fias: & veſtimentis albis induaris, vt non appareat confuſio nuditatis tuæ: & collyrio inunge oculos tuos, vt videas.

Quid congruentius tepido, quam aurum ignitum emere? Quid autem hoc loco per aurum, niſi incarnata Dei ſapientia intelligitur? De qua videlicet alias dicitur: *Accipite ſapientiam ſicut aurum.* Bene autem aurum ignitum probatum vocatur, quia nimirum redemptor noſter igne paſſionis examinatus intelligitur. Sic namque dicitur, (Prou. 16.) *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, vt locuples fias*: tanquam diceretur, Si vis virtutibus diues exiſtere, (B) me imitandum aſſume, vt fias & ipſe aurum, ſiue manifeſto, ſiue occulto tribulationis incendio decoctum, pertinens ad aurum quod probatum eſt ab igne qui arſit in Sion, & in camino qui ſuccenſus eſt in Ieruſalem: ad me videlicet, qui probra, iriſiones, flagella, ſputa, alapas, ſpineam coronam crucemque à populo (Iſaiæ 31.) Iſrael ſuſtinui. Nos itaque toties hoc auro ditamur, quoties paſſiones eiuſdem noſtri redemptoris imitamur. Et notandum quod pius conditor quem ſuperiori verſiculo vehementer in tentando terruerat, nunc ad emendum aurum non terrendo, ſed ſuadendo tepidum inuitat, formam ſcilicet imitandam nobis præbens, vt aſperis lenia permiſceamus, & modo increpationibus, modo ſuaſionibus auditorum corda pulſemus. Sed quid dabit tepidus Domino, vt paſſiones illius imitari, vt illi poſſit commori? Aut nunquid is, qui miſer & miſerabilis & pauper & cæcus & nudus redarguitur, aliquid boni habet, quod pro tanto bono largitori ſuo tribuat, niſi forte prius ab ipſo accipiat, quod pro accipiendis aliis illi tribuat? Sic (C) certe inuenit quod det, qui niſi deſuper acceperit, non habet quod det. Et quid aliud erit niſi voluntas, niſi deuotus petitionis affectus? Cui etiam adhuc ſubditur: [*Et veſtimentis albis induaris, vt non appareat confuſio nuditatis tuæ*] Ad operiendam quippe nuditatis confuſionem, veſtimẽtis albis induitur is qui aurum ignitum probatum mercatur, quia videlicet ad euitandum tepiditatis pudorem, in nouæ vitæ conuerſationem transfertur, qui nouo cæleſtique homini imitationis virtute inhærere meretur. Poteſt autem per aurum ignitum probatum, charitas intelligi: quam qui obtinuerit, cunctarum virtutum diuitiis locuples fiet. Ille etenim veras poſſidet, qui charitate Dei & proximi viget. Cui etiam recte congruit, quod aurum ignitum probatum dicitur: quia vera dilectio amoris ſui ignibus ſuccenſa, ſola quæ permanent, amare nouit. Hinc eſt quod Dominus per Angelum Ioanni apparens, zona aurea ad mamillas præcinctus deſcribitur. Hinc de ſeptem Angelis ſeptem plagas nouiſſimas habentibus, id eſt, de ſanctis prædicatoribus Euan(Apoc. 1. 15.)gelicam doctrinam tenentibus, dicitur: *Exierunt ſeptem Angeli, habentes ſeptem plagas, de templo, veſtiti lapide mundo candido, & præcincti circa pectora zonis aureis.* Septem enim Angeli zonis aureis circa pectora præcinguntur, quia videlicet prædicatorum corda illa charitate (Apoc 8. Col. 3.) iunguntur, quæ ab Apoſtolo *vinculum perfectionis* vocatur. Veſtimentis quoque albis induitur, qui hoc auro potitur: hoc eſt, ipſius charitatis obſeruantia decoratur. Ipſa enim in vna veſte, in pluribus ſæpe deſcribitur, quia & à dilectione Dei & proximi incipit, & ad multa virtutum facta dilatatur. Ipſa principaliter ope(1. Petr. 4.)ritur nuditatis confuſio, ſicut ſcriptum eſt: *Charitas operit multitudinem peccatorum*, & bene alba deſcribuntur veſtimenta, quia charitas quæ nigredinem peccatorum operit, habere maculam criminis neſcit. Subiungitur adhuc, & ſuadentis voce cuilibet tepido dicitur: [*Collyrio inunge oculos tuos vt videas.*] Ac ſi ei apertius diceretur: Adhibe diuina præcepta ad mentem cæcam, quatenus virtutum nuditatem quam pateris, videas: videnſque, operire feſtines. Niſi enim quoddam eſſent collyrium diuina mandata, nequaquam Pſalmiſta diceret: (E) *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* (Pſal. 18.) Cum itaque ſuperna aſpiratione quilibet per ſingulas ſcripturarum paginas, quid Dominus iuſſerit, legendo ſeu audiendo ad mentem reuocat, videt nimirum vel quantum ex virtutibus minimum habet, vel certe ſi ex toto nihil habet. Quod ſi facere diſſimulat, cæcus remanet. Poteſt autem per collyrium quod ex terra fit, aſſumpta redemptoris noſtri temporalis egeſtas deſignari, de quo & per Apoſtolum fidelibus dicitur: (2. Cor. 8.) *Scitis gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt, cum eſſet diues, vt illius inopia vos diuites eſſetis*, (Luc. 9.) quique de ſe ipſo in Euangelio ait: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput ſuum reclinet.* Hinc eſt quod in hoſpitio naſcitur, natus pannis vilibus obuoluitur, obuolutus in præſepio reclinatur. Collyrium itaque oculos puluere cæcatos ſolet mundare, medicamentum videlicet factum de terra, (F) puluerem terræ ab oculis eiiciens. Et quid eſt aliud terrena concupiſcentia, niſi quidam puluis corda terrenorum excæcans? Ergo qui puluere cæcatos oculos habet collyrium factum de terra ſuperimponat, vt lumen recipiat, id eſt, qui per terrena delectamenta defluit, temporalem redemptoris ſui egeſtatem ad mentem reducat, vt ipſius conſideratione remota carnali concupiſcentia, interioribus oculis contempletur ſanctorum futura præmia. Vnde idem redemptor noſter in Euangelio ait: (Ioan. 8.) *Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habet lumen vitæ.* Ac ſi aliis verbis diceret: Qui imitationis meæ collyrio inunctos habet oculos, nequaquam terrenæ concupiſcentiæ cæcitatem patitur: ſed perpetuæ claritatis luce perfuſus, cæleſtia contemplatur. Hanc oculorum emundationem mediator noſter in electis eſſe perhibet, quibus videndam diuinitatem repromittit, dicens: (Matth. 5.) *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Sequitur:

Ego quos amo, arguo & caſtigo.

(G) In qua ſententia quod exponi debeat non eſt, ſed quod magis libenter amplecti. Pro voto itaque ſuſcipienda ſunt, ſine quibus nemo à Domino diligitur. Redargutio ſane ad verba, caſtigatio vero pertinet ad flagella. Hinc per Salomonem dicitur: *Quem diligit Dominus, corripit: flagellat autem omnem filium quem recipit.* (Prou. 3.) Quo contra de his quos odioſos euomit de corpore, Dominus per Pſal(Pſal. 80.)miſtam dicit: *Dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eo*(Ierem. 16.)*rum, & ibunt in voluptatibus ſuis.* Hinc per prophetam (Prou. 3.) ad peccantem Iſrael, nec correptione iam dignum loquitur, dicens: *Iſrael, iam non iraſcar tibi, & zelus meus receſſit à te.* Libenter itaque toleranda ſunt diuinæ correptionis verba & verbera, tanquam à piiſſimo patre illata. Vnde & ipſe admonet, dicens: *Fili mi, diſciplinam Domini ne abiicias, & ne fatigeris cum ab eo argueris.* Nec illis inuidendum, qui temporalibus flagellis iudicantur indigni: quia & electi per præſentes tribulationes ad hæreditatem paternam, & reprobi ſine tempo(H)rali flagello ad mendicitatem perueniunt æternam, exemplo carnalium parentum, qui ſimile quiddam ſuis impendunt pignoribus. Sic certe, ſic duorum filiorum pater, vnum quem ſubſtantiæ ſuæ aptum hæredem fore perſpexerit, inceſſantibus contumeliis afficit, quotidianis verberibus coercet: edendi, bibendi ac dormiendi ei plenitudinem adimit: diebus ſæpe ac noctibus vinctis pedibus ſtare compellit, & plerunque quaſi extraneum alieno etiam obſequio ſubdit. Alterum vero, quem hæreditatis ſuæ aptum dubitat futurum ſucceſſorem, nullis hunc contumeliis afficit, nullis verberibus coercet: edendi, bibendi ac dormiendi ei copiam plenitudinis relaxat: ad ambulandum quo voluerit, liberos greſſus concedit. Quam ſint autem deteſtandi, qui paternis diſciplinis iudicantur indigni, Paulus indicat, dicens: (Heb. 12.) *Quis filius quem non corripit pater? Quod ſi extra diſciplinam eſtis, ergo adulteri, & non filii eſtis.* Eant ergo nunc reprobi, eant mundi deſideriis dediti, & voluptatum ſuarum illecebras inulti perficiant: atque eo

A præſentia flagella non ſentiant, quo eos æterna ſupplicia expectant. Iuſti vero cæleſtibus inhiantes, pro minimis etiam erratibus, flagellis temporalibus atterantur, ab æterno verbere liberandi: quia & vitulus qui occiſioni præparatur, liberis paſcuis ſaginari permittitur. Qui vero ad vſus neceſſarios reſeruatur, iugo & loris domatur, ſtimulis pungitur, & verberibus cæditur. Et ægro cui deſperatur, quicquid animo concupierit, etiam ſaluti eius contrarium, à medico conceditur. Cuius vero recuperanda ſalus æſtimatur, quæque ſunt animo eius deſiderabilia, ſalutique contraria, omnino negantur. Et reuera dignum eſt, vt ira diſtricti judicis à correctione filiorum hic incipiat, vt in reproborum damnatione quandoque conquieſcat: quanquam ſoleat nonnunquam euenire, vt pro commiſſis ſceleribus quidam etiam in hac vita flagellentur. Quia enim electorum flagella finem habent, idcirco ab eis inchoari judicium Dei dicitur. Hinc Petrus
1. Petr. 4. B ait: *Tempus eſt vt iudicium incipiat de domo Dei.* Quæ autem hæc eſſet domus Dei, admirando ſubiunxit: Quod ſi primum à nobis, quis finis eorum qui non obediunt Dei Euangelio: Percuſſionum autem quibus filij in hac vita flagellantur, diuerſa ſunt genera. Alia namque eſt percuſſio, qua quiſque percutitur vt præterita vitia corrigat: alia, qua nonnunquam quilibet percutitur, non vt præterita corrigat, ſed ne futura admittat. Aliqua plerunque percutitur, per quam nec præterita culpa corrigitur, nec futura prohibetur: ſed dum inopinata ſalus percuſſionem ſequitur, ſaluantis virtus cognita ardentius ametur: cumque innoxius flagello atteritur, ei per patientiam meritorum ſumma cumuletur. Aliquando enim
Ioan. 5. quiſque percutitur, vt corrigatur, ſicut cuidam in Euangelio dicitur: *Ecce ſanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Verba enim ſaluantis indicant, quia peccata præcedentia habiti vim doloris exigebant. Aliquando quiſque non pro præterita culpa diluenda, ſed pro futura vitanda percutitur: quod aperte
2. Cor. 12. C Paulus de ſemetipſo teſtatur, dicens: *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ angelus ſathanæ, qui me colaphizet.* Qui enim non ait, quia extulit, ſed, ne extollat: aperte indicat, quod percuſſione illa, ne eueniat, compeſcitur: non ea quæ euenerit, culpa purgatur. Nonnunquam vero quiſque nec pro præterita, nec pro futura iniquitate percutitur, ſed vt ſola diuinæ virtutis potentia ex amputata percuſſione
Ioan. 9. monſtretur. Vnde cum dominum in Euangelio diſcipuli de cæco nato interrogarent, dicentes *Rabbi, quis peccauit, hic aut parentes eius, vt cæcus naſceretur? reſpondit & ait. Neque hic peccauit, neque parentes eius vt cæcus naſceretur, ſed vt manifeſtetur opus Dei in illo.* In qua manifeſtatione quid agitur, niſi vt ex flagello meritorum virtus augeatur: & cum nulla præterita iniquitas abſtergitur magna de patientia fortitudo generetur: Hoc etiam percuſſionis genere iuſtum Iob afflictum cognouimus, quem & ante percuſſionem Dominus laudauit, & poſt percuſſionem reddita ſanitate, dupla ſubſtantia remune-
D rauit. Sed dum electi affliguntur, dum temporalibus flagellis verberantur, ab his qui ſine diſciplina remanent, infideles æſtimantur. Qui ſi veraciter æterna flagella metuerent, verberari cum illis temporaliter potius appeterent, quam perennibus cruciatibus ſubiacere: ac beatiores in flagello poſitos, quam infelices iudicarent. Proinde exhortatio ſubinfertur, qua dicitur:

Æmulare ergo, & pœnitentiam age.

Aperte videlicet dicitur, Dum iudicium à domo Dei inchoari vides, dum filios flagellari conſpicis, dum tribulationibus temporaliter amicos opprimi conſideras: ſatage ſimilia pati, vt in eorum poſſis numero computari: quia ſi cum illis temporaliter flagella non receperis, ſine illis æternis cruciatibus ſubiacebis. Æmulare ergo in præſenti horum fieri particeps, & cur tamdiu paternam nolueris ſuſcipere diſciplinam, piis fletibus veniam deprecare. Sequitur:

E

Ecce ſto ad oſtium & pulſo. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.

Status hic non localis nec corporalis, ſed ſine loco & ſine corpore intelligitur: quia & quos inhabitando omnipotens Deus præſidet, non deſerit cum ad alios inhabitãdo tranſit. Quid autem hoc loco per oſtium, niſi aditum cordis debemus intelligere? Ad corda nimirum ſiue per exteriorem exhortationem, quæ fit per verba doctorum exterius ſonantia: ſeu per internam aſpirationem, quam ipſe Dominus per ſemetipſum ſine ſono vocis format, interius pulſat. Pulſantem vero audit, quiſquis amore dilectionis, præceptorum illius monita cuſtodit. Qua ſcilicet audita voce, ianuam aperit, qui ad videndum æternitatis ſummum & incommutabile bonum, inhianter cor dilatat. Aperta quoque ianua, Dominus ad habitaculum ſimul & inhabitantem intrat: quia per internam dulcedinem deſideriis animum æſtuantem illuſtrat. Quod vtique breuiter quidem, ſed apertiſſime idem Dominus in Euangelio declarat, dicens: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit: & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Cui adhuc benigne ſubiungit: [*Et cœnabo cum illo, & ipſe mecum.*] Si quærimus quis ſit cibus quo Chriſtus cum dilectoribus ſuis veſcitur, in verbis ipſius facile reperimus. Ipſe enim ait: *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem Patris mei qui in cœlis eſt.* In eo voluntatem Patris idem Dominus impleuit, quo pro nobis ad paſſionem mortis peruenit, ſicut ipſe ad eandem paſſionem pergens, diſcipulis dixit: *Vt cognoſcat mundus quia voluntatem Patris mei facio, ſurgite, eamus hinc.* Hic principaliter tota capitis membrorumque eius agitur cœna. Et vt manifeſtius idipſum dicamus, cœnat caput cum membris in domo ſanctificatæ mentis receptus: quia vt faciendo voluntatem patris perficiant, moriuntur cum illo. Et quidem in menſa capitis, ſingularis occiſus eſt agnus: in menſa corporis, multi iugulantur agni. Sed tamen omnes agni in vno, atque vnus in omnibus, vnus quotidie immolatur pro omnibus. Quia enim omnes agni in vno, & cum vno moriuntur agno, teſtatur Paulus Apoſtolus, dicens: *Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Cum autem Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum illo in gloria.* Quia vero vnus in omnibus, vnus immolatur cum omnibus, ipſe hoc agnus ſingularis indicat, qui lupo agnos deuoranti dicit: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Dicatur itaque: [*Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum.*] Ac ſi diceretur: Qui operando & amando præceptorum meorum ſermones fuerit executus, atque ad percipiendam diuinitatis meæ dulcedinem animo dilatatus, hunc per integram gratiam ipſius maieſtatis meæ præſentia tangens irradiabo, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum, ſubaudis, in faciendo voluntatem Patris, & ego illius, & ipſe meis paſſionibus concorporatus, vterque delectabimur. Sequitur:

F — Ioan. 14. — Ioan. 4. — Ioan. 14. — G — Coloſſ. 3. — Actor. 9 — H

Qui vicerit, faciam illum ſedere in throno meo, ſicut & ego vici, & ſedeo cum Patre meo in throno eius.

Vincens Dominus, in throno patris ſediſſe ſe aſſerit, qui poſt paſſionum certamina, poſt reſurrectionis palmam, clare ſe omnibus quod poteſtate patri eſſet æqualis, indicauit: eique ſe non diſparem, ſed parem, calcato mortis aculeo, innotuit. Nobis autem in throno filij ſedere eſt, ex eiuſdem filij poteſtate iudicare. Quia enim iudicis principatum ex eius virtute percipimus, velut in Matt. 19.

A eius throno reſidemus. Nec abhorret à vero, quod alibi ſuper duodecim thronos teſtatur eſſe diſcipulos, hic vero in throno ſuo perlubuit eſſe ſeſſuros. Per thronos quippe duodecim, vniuerſale iudicium: per thronum vero filij, ſingulare culmen iudiciariæ poteſtatis oſtenditur. Hoc ergo duodecim thronis, quod vno throno filij, deſignatur: quia videlicet vniuerſale iudicium, ex mediatoris noſtri interuentione percipimus: quod etiam paulò inferius apertiſſimè declaratur, vbi in circuitu ſedis viginti-quatuor ſeniores, ſuper totidem thronos ſedere perhi-
Apoc.5. bentur. Vna itaque ſedes eſt, quia ſiue in Prælatis, ſiue in ſubditis, ſingulariter Chriſtus omnem Eccleſiam præſidendo examinat. Viginti vero & quatuor throni, quia veteris & noui Teſtamenti prædicatores, & ipſi cum Domino in eodem examine, ſiue ad bonorum remunerationem, ſiue ad condemnationem malorum, vniuerſale iudicium exercent. Quorum numerus, ſcilicet duodecim tribuum ac duodecim Apoſtolorum, geminatus, in viginti & quatuor conſurgit. Quapropter cum ſit vnus
B mediatoris noſtri thronus, hac ratione vel viginti quatuor, vel duodecim throni vocantur, de quibus locis ſuis poſt modicum opportunius atque ſubtilius, Domino adiuuante, tractabimus. Sed dum conſtet, quia non omnes qui vincunt, in iudicio cum Domino ſedebunt: ſed alij ex vincentibus iudicabunt, alij vero iudicabuntur: & omnes omnino qui & iudicabunt, & qui iudicabuntur, victores erunt: quomodo per hanc ſententiam exterminate dicitur, qui vicerit, faciam ſedere illum in throno meo? Et certè omnis illa turba Sanctorum, ex his erit qui vicerint: nec tamen omnes cum Domino iudicabunt, cum etſi illæ ſedes quas Dominus præſidet, id eſt, prædicatores Eccleſiæ, ſedebunt: non tamen illæ in quibus iidem prædicatores ſedent, ſedebunt: ſed potius poſſidentur, ſiue ſingulariter à Chriſto, ſiue vniuerſaliter à ſanctis prædicatoribus. Quid hinc intellecturi, quid hinc ſumus dicturi, niſi quia hi quibus iudicij poteſtas non tribuitur, habebunt poteſtatem in aliis, quam
C non habent in ſeipſis? Omnis itaque Eccleſia, ſic iudicando poteſtatem accipiet in Prælatis ſuis, ſicuti habet poteſtatem totum hominis corpus loqui per os, videre per oculos, audire per aures, odorare per nares, operari per manus. Sed vt ad hanc dignitatem quandoque perueniat, in hac interim peregrinatione humillata gemit: nec quærit celſitudinis culmen, vbi tota vita Sanctorum, humiliationis obtinet nomen. Hinc certè iidem ipſi Do-
Pſal. 43. mino dicunt: *Humiliaſti nos in loco afflictionis.* Locus quippe afflictionis eſt vita præſens. Qui ergo ad æternam patriam tendunt, nunc ſemetipſos temporaliter in loco afflictionis decipiunt, vt tunc in loco gaudij vera-
Iob.36. citer ſublimentur. Hinc alibi ſcriptum eſt: *Reges in ſolio collocat in perpetuum, & illic erigentur.* Quos autem alios reges hoc loco accipimus, niſi eos, quos hæc reuelatio vincentes appellat? Vbi cum de eis dicitur, illic erigentur: proculdubio datur intelligi, quia hic humiliantur. Benè autem ſancti viri reges vocantur, quia
D nequaquam tyrannidem vitiorum in ſe conſurgere permittunt, ſed eis iure poteſtatis dominantur; dumque modo appetitum luxuriæ frenant, modo æſtum auaritiæ temperant, modo gloriam elationis inclinant, modo ſuggeſtiones liuoris obruunt, modo ignem furoris extinguunt, iure victores & reges appellantur. Sed & ſi ſubtilius hanc ſententiam intuemur, qua dicitur: Qui vicerit, faciam illum ſedere in throno meo, ſicut & ego vici, & ſedeo cum patre meo in throno eius: quamquam omnes qui ad patriam redeunt, victores ſunt, illos tamen qui clariores in victoria atque aliis excellentiores ſunt, per eam deſignari inuenimus. Ad quorum comparationem, multi etiam qui vincunt, victores minimè arbitrantur. Sic enim præmittitur: *Qui vicerit faciam illum ſedere in throno meo*: vt ſtatim ſubiungatur: *Sicut & ego vici.* Ac ſi apertè diceretur: Quiſquis eo labore, eo certamine, eo ſudore, pro humano modo viribuſque deſuper acceptis dimicando vicerit, quo ego dimicans vici cum ſingulari potentia cunctos examinans iudicauero, iudicandi poteſtatem ſuper quoſdam & illi tribuam. Sequitur: B

Qui habet aurem, audiat, qui ſpiritus dicat Eccleſiis.

Nec auditoribus inutile: nec impigrum eſſe perpendo, ſi expoſitionem huius verſiculi iterato breuiter repeto, præſertim cum Author huius reuelationis non ſemel aut bis, ſed ſepties inculcando eundem verſum repetere vtiliter ac ſalubriter perſpexerit. Nam & Paulus dicit: *Eadem vobis ſcribere mihi quidem non pigrum, vobis autem neceſſarium.* Dicamus itaque: *Qui habet aurem, audiat quid ſpiritus dicat Eccleſiis.* Et quis eſt qui non habeat corporis aurem? Ergo cordis aurem requirit, quæ dicta ſpiritus percipere poſſit. Quid autem ſibi vult quod non ait, qui habet aurem, audiat quid Dei filius, ſicut in principio locutionis: ſed, quid ſpiritus dicat Eccleſiis, niſi quia verba filij, verba ſunt Spiritus Sancti, exceptis illis, quibus de humanitate ſua loquitur? Quamquam & illa ſic loqui poſſit Spiritus Sanctus cum filio, non quod ad ſe pertineant, ſed quod ſine illo dici non poſſint. Vbi etiam patrem ſimul intelligimus loqui cum filio & Spiritu Sancto, & vnam Trinitatem inſeparabiliter Eccleſiam docere credimus, in eo quod dicitur: Qui habet aurem, audiat quid ſpiritus dicat Eccleſiis. Nec mirum. Ipſa enim Trinitas, filio dicente, vnus ſpiritus eſt Deus. Quid etiam eſt, quod cum in principio locutionis, Angelo illius vel illius Eccleſiæ dicta ſua Dominus ſcribere iubeat, in fine tamen ad audiendum quid ſpiritus dicit, non eundem atque eiuſdem Eccleſiæ Angelum, ſed Eccleſias inuitat: niſi quia in vno Angelo ſepties repetito, ſeptiformem atque vniuerſalem Eccleſiam myſticè deſignatam, intelligi debere nos admonet? Sequitur:

Phil.3.

F

Poſt hæc vidi, & ecce oſtium apertum in cælo, & vox prima quam audiui, tanquam tubæ loquentis mecum, dicentis. Aſcende huc, & oſtendam tibi quæ oportet fieri poſt hæc. Et ſtatim fui in ſpiritu. Apocalypſeos c.4

G

Recapitulata redemptoris natiuitate, ea quæ iam dicta fuerant, ſub aliis diuerſiſque figuris repeti videntur. Quamobrem in eo quod dicit, poſt hæc vidi, non ad ipſam rei veritatem figuris oſtenſam, ſed ad viſionem figuris obumbratam reditur. Viſionum quippe diuerſum tempus eſt, quia gradatim vna poſt alteram in figuris cernitur: geſtorum vero, non diuerſum. Quia enim vnum eſt in rei veritate quod per figuras diſcernitur, ac ſi quis vnam rem diuerſis modis enarret, narrationes habebunt diuerſum tempus, non ipſa res quæ vno in tempore geſta eſt: ſic certè Author huius reuelationis, totum Eccleſiæ tempus, diuerſis figuris repetit enarrandum. Sed cum conſtet, antiquos prophetas viſionis ſuæ ſpatia per H reges & tempora, menſes & dies ſubtiliter deſignare, quamque prolixa & breuia inter ipſas propheticæ ſuæ viſiones habuerint interualla, non tacere: quid ſibi vult, quod Ioannes nouus Propheta, ſilet regum tempora, tacet viſionis ſuæ ſpatia, radicem tantum eiuſdem viſionis in ſola Dominica reſurrectione defigit: & cum frequenter inculcet, poſt hæc vidi hoc aut illud, non tamen indicat; ſi fuerit inter ipſas diſcretas viſiones vel longum vel breue interuallum: niſi quia totum Eccleſiæ tempus quod in ſua viſione ſæpius recapitulando contexit, ad illam continuatam reſurrectionis diem docet referendum, de qua non longè inferius in hac reuelatione dicitur: *Beatus & ſanctus qui habet partem in reſurrectione prima?* Apoc.20. Prima enim reſurrectio qua à morte peccati ad vitam iuſtitiæ animæ reſurgunt, toto nunc tempore agitur. Secunda vero, qua de terra puluere ad vitam corpora redeant, in futurum expectatur. Benè itaque Ioannes viſionis ſuæ tempore Eccleſiæ tempus

A deſignans, in Dominica reſurrectione collocat: quia nimirum ſecundum Euangelij ſententiam: Ioan. 5. *Venit hora & nunc eſt, quando mortui audient vocem filij Dei: & qui audierint: viuent.* Vnde & Apoſtolus admonet, dicens: Ephes. 5. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* Dicatur itaque: *Poſt hæc vidi, & ecce oſtium apertum in cœlo.* Quibus oculis vidit? Nimirum quantum ad figuratam oſtenſionem, non carnis, ſed mentis. Quantum vero ad ipſius rei veritatem, quæ iam in carne 1. Ioan. 1. Domino apparente manifeſtata erat, non ſolum oculis carnis vidit, veruntetiam manibus contrectauit. Et quid eſt illud oſtium apertum? Quidve hoc loco deſignatur per oſtium, niſi mediator Dei & hominum, homo Chriſtus 1. Tim. 2. I E S V S, ipſo dicente: Ioan. 10. *Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſaluabitur?* Iure igitur non iam clauſum, ſed apertum oſtium intuetur: quia nimirum idem mediator noſter naſcendo, moriendo, reſurgendo, atque ad cœlos B aſcendendo, cunctis fidelibus innotuit, quia ipſe eſſet redemptio mundi. Vbi vero hoc oſtium viderit, ſubdendo manifeſtat cum dicit, in cœlo. Et quid hic per cœlum, niſi Eccleſiam intelligimus deſignari? Quia cum Dominus per Prophetam dicat: Iſaiæ 66. *Cœlum mihi ſedes eſt:* Salomon vero teſtetur, Sap. 7. iuxta quoſdam. *anima iuſti ſedes eſt ſapientiæ:* Paulus quoque occurrat, dicens: 1. Cor. 1. *Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam:* conſtat proculdubio quia cœlum electorum, Eccleſia eſt. In qua oſtium apertum cernitur, quia redemptor noſter natus & paſſus, ſuſcitatus, atque ad cœlos aſcendiſſe, in ea prædicatur & creditur. Quid autem in hac viſione poſitus audierat Ioannes, manifeſtat, dicens: [*Et vox prima quam audiui, tanquam tubæ loquentis mecum, dicens: Aſcende huc.*] Quo, niſi ad oſtium, niſi ad cœlum, id eſt, ad Chriſtum & Eccleſiam? Quibus greſſibus niſi fidei, niſi credulitatis? Ac ſi aperte cuilibet electorum diceretur: Ad cognoſcenda Chriſti Eccleſiæque ſacramenta, fide conſcende, credulitate pertinge. Recte quoque à voce prima Ioannes inuitatur, vt ad oſtium & C cœlum aſcendat: quia videlicet vnuſquiſque electorum, vt inoffenſo credulitatis pede per Euangelium ad vere fidei ſacramenta pertingat, veteris inſtrumenti doctrina, quæ nouam præcedit, vnde & in hac Ioannes prima viſione poſt tergum audita, roboratur. Hinc enim vous Prophetarum ait: Iſaiæ 2. *Erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent: Venite, aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob.* Quis enim alius mons, niſi vnigenitus patris intelligitur? De quo etiam in Daniele Propheta dicitur: Dan. 2. *Lapis qui percuſſit ſtatuam, creuit & factus eſt mons magnus, & impleuit vniuerſam terram.* Quæ vero alia domus Dei Iacob, niſi Heb. 3. ſanctorum Eccleſia vocatur? Paulo atteſtante, qui ait: *Moyſes quidem fidelis erat in tota domo eius tanquam famulus, in teſtimonium eorum quæ dicenda erant, Chriſtus vero tanquam filius in domo ſua. Quæ domus ſumus nos, ſi D fiduciam & gloriam ſpei vſque ad finem firmam retineamus.* Hoc itaque eſt, vnum Ioannem ad oſtium apertum & cœlum aſcendere: quod, plurimos populos ad montem Domini & ad domum Dei Iacob. Quicunque enim de vnigenito Dei filio: ita inſtruitur, vt vnum eundemque ſecundum formam Deitatis æqualem Patri, conſubſtantialem atque coæternum credat: ſecundum formam vero humanitatis, in vera carne mediante anima, veraciter ex virgine natum, in vera carne veraciter pro nobis mortuum, in vera carne veraciter à mortuis ſuſcitatum, in vera carne veraciter ad cœlos eleuatum, ipſumque in nobis qui corpus illius ſumus, quotidie naſci, quotidie mori, quotidie reſuſcitari, atque per fidem & ſpem iam cum illo in cœleſtibus conſedere tota fide pronunciet: quid aliud egiſſe, quam ad oſtium apertum & cœlum ad montem Domini & ad domum Dei Iacob aſcendiſſe, iam cernitur? Recte etiam vox, quæ ad oſtium apertum & cœlum Ioannem aſcendere monet, tubæ comparatur: quia videlicet ad procinctum fidei, agmina bellatorum vocare videtur. Hinc enim prædicatori dicitur: Iſaiæ 58. *Quaſi tuba exalta vocem tuam.* Sciendum vero, quia in eo quod dicitur, oſtendam tibi quæ oportet fieri poſt hæc: non quo iam non eſſent, denegatur: ſed quo deinceps E permanſura eſſent, declaratur. Dignitas enim, honor & celſitudo Eccleſiæ, quibus iam per orbem exaltata erat quando Ioannes iſta cernebat: vſque in finem ſæculi, quo cum Domino ad iudicandum ſeſſura eſt, hac ſententia perduranda demonſtratur. Quod autem ſubditur, & ſtatim fui in ſpiritu: ſi ad ſolam perſonam videntis refertur, quid aliud per hoc dictum, quam abſtractus à ſenſibus carnis ſpiritus eius, atque ſpiritu diuinitatis in extaſi aſſumptus, & ad videnda futura ſubleuatus intelligitur? Si vero ad omnium electorum, quorum perſonam tunc ille gerebat, quid melius quam ſpiritalis eorum conuerſatio declaratur? Præmium itaque ſpiritalis gratiæ, recta fides in electis promeretur. Vnde & poſt aſcenſum ad oſtium apertum & cœlum, ſtatim in ſpiritu eſſe referuntur, quibus bene per Paulum dicitur: Rom. 8. *Non eſtis in carne, ſed in ſpiritu,* Gal. 5. id eſt, non carnis voluptatibus dediti, ſed ſpiritalis conuerſationis gratiæ ſubditi. Quibus rurſum per eundem prædicatorem exhortatio dirigitur, qua F dicitur: *Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis.* Sequitur:

Et ecce ſedes poſita erat in cœlo, & ſupra ſedem ſedens.

Quid per ſedem, niſi ſanctam Eccleſiam nouimus deſignari? Sap. 7. vt volunt. *Anima enim iuſti, ſedes ſapientiæ.* Sed ſi ſedes eſt Eccleſia, cœlum quid erit, vbi ipſa cernitur ſedes? Nunquid nam de hoc quod ſupra nos cernimus cœlo, vel cœlorum cœlo dictum intelligi debet, præſertim cum cuncta Apocalypſis verba, plena ſint myſticis ſacramentis? Quid ergo per cœlum, niſi (ſicut præmiſimus) S. Eccleſiam intelligimus? Quod ſi ita eſt, quomodo ſedes, id eſt Eccleſia, in cœlis cernitur, quæ eſt Eccleſia? Sed ſciendum nobis eſt, quia ſicut in primo huius operis libro iam faſſus ſum, ſic plerunque genus generi iungitur, vt non duo genera, ſed vnum intelligatur. Nam & ſedes cœlum, G & cœlum ſedes eſt, & hoc totum vna ſanctorum Eccleſia eſt, quia & Dominus dicit: Iſa. 66. *Cœlum mihi ſedes eſt.* Et Salomon indicat, quia Sap. 7. *anima iuſti ſedes ſapientiæ eſt.* Sedes itaque in cœlo ponitur, cum ipſum cœlum id eſt, electorum Eccleſia, à Domino præſideri meretur. Vnde & ſubditur: [*Et ſupra ſedem ſedens.*] Age nunc. Nunquid non aperte iam videmus, non diuerſas res diuerſis Ioannem figuris deſignaſſe? Quid enim aliud eſt oſtium apertum in cœlo, & ſedes poſita, & ſuper ſedem in cœlo ſedens, quam filius hominis in medio candelabrorum aureorum apparens: niſi quod ibi ambulat, hic autem ſedet, id eſt, ibi dona tribuit, hic vero pro collatis muneribus iudicium exercens, ſingulos diiudicat? Sciendum vero, quia per ſedentem in ſede, aliquando pater, aliquando filius exprimitur, cum ſimul pater & filius vno in H throno ſedere credantur. Quia enim aliquando per ſedentem in ſede, pater exprimatur: locus ille declarat, quo non longe inferius in hac reuelatione per Ioannem dicitur: Apoc. 5. *Vidi in dextera ſedentis in throno librum ſcriptum:* dexteram ſcilicet in throno ſedentis, filium per quem facta ſunt omnia: ipſum vero ſedentem in throno patrem deſignans. Quia vero per ſedentem in ſede, filius deſignetur: ſequenti verſiculo apertiſſime declaratur, quo de ſedente in throno dicitur:

Et qui ſedebat, ſimilis erat aſpectus lapidis Iaſpidis & ſardij.

Quid enim per lapidem Iaſpidem, niſi diuinitas mediatoris noſtri figuratur? Quid vero per ſardium, niſi humanitas eiuſdem exprimitur? Lapis enim Iaſpis, ex virenti ſpecie conſtat: per quem rectiſſime illa Paradiſi virentia paſcua deſignãtur, quibus oues vnius paſtoris nutriuntur. Et quæ ſunt illa, niſi diuinitas Chriſti, in qua viuũt omnia? Hinc enim per Ioannem dicitur: 1. Ioan. 5. *Vitam æternã dedit nobis Deus, & hæc vita in filio eius eſt. Qui habet filium, habet vitã. Qui non habet filiũ, non habet vitã.* De his virentibus

A ouium paſcuis, idem in Euangelio ait: *Per me ſi quis introierit, ſaluabitur, & ingredietur & egredietur, & paſcua* Ioan.10. *inueniet.* Et rurſum: *Oues meæ vocem meam audiunt, & ſequuntur me, & vitam æternam do eis.* Ad hanc virentem Iaſpidis ſpeciem quilibet electorum mentis oculos tendit, vſquequo eidem perfecte inhærens ſatietur, ſicut quodam ſcripturæ loco ſubfigurato onagri vocabulo di- Iob.39. citur: *Circumſpicit montes paſcua ſua.* Et rurſum: *Vi-* 1.Pet 1. *rentia quæque perquirit.* Ad hanc Petrus Apoſtolus auditores ſuos inuitabat, cum diceret: *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſecundum miſericordiam ſuam regenerauit nos in ſpem viuam, per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem & incontaminatam & immarceſcibilem, conſeruatam in cælis.* Sardius autem lapis, terræ rubræ ſpeciem habet. Vnde nec immerito per eum humanitas noſtris redemptoris exprimitur, quia veritas de terra orta eſſe perhibe- B tur. Bene autem rubræ terræ ſpeciem prætendit, quia primi Adam erroribus corrigendis, ipſe ſecundus Adam in carne apparuit. Adam enim, interpretatur *terra rubra.* Iſa.63. Digne *terra rubra* appellatur, quia nimirum humanitas eius tempore paſſionis ſanguine coloratur. Vnde & eidem à Propheta dicitur: *Quare rubrum eſt indumentum tuum?* Et quidem aliud eſt quod in eo viret, aliud quod rubet, ſed tamen hoc totum non duo, ſed vnus eſt Chriſtus, quia ex duabus conſtet naturis, & nulla ratione duas admittat perſonas. Perfectus enim eſt Deus, perfectus eſt homo, ſed Deus & homo, vnus perfectus eſt Chriſtus. Quod itaque viret in eo, potentiæ eſt: quod vero rubet, miſericordiæ. Vtraque autem in illo admiranda, vtraque ſunt, amplectenda, quia & ex eo quod viret, nos creauit, & ex eo quod rubet, nos redemit. Ex eo inquam quod viret, ouibus paſcua præparauit, ex eo vero quod rubet, ad eadem paſcua oues perduxit. Poteſt autem per horum lapidum ſpecies Eccleſia deſignari, quam ſibi Chriſtus ita vniuit, vt vna perſona ſint ſponſus atque ſponſa, vt C vnum corpus iure vocentur caput & membra. Sed nec abhorret a vero, ſi ipſa deſignetur per habitum ſedentis, quæ & per ſedem regnantis. Quia enim ſanctorum Eccleſia, arentia huius mundi ac peritura bona deſpiciens, æternæ viriditatis iam per fidem & ſpem paſcuis inhæret, recte Iaſpidi comparatur. Cui etiam in Canticis Canti- Cant.8. corum dicitur: *Quæ habitas in hortis, amici auſcultant te, fac me audire vocem tuam.* In hortis enim S. Eccleſia habitat, quia internæ refectionis deliciis iam per fidem atque ſpem inhæret. Cui bene dicitur, amici auſcultant te, fac me audire vocem tuam. Ac ſi diceretur: Quæ æternis deliciis iam per fidem & ſpem affluis, Canticum ſtatuſe prædicationis emitte, vt amici qui audire deſiderant quam ſuauia ſint quibus intus perfrueris, ex ipſo prædicationis Cantico experimentum foris accipiant. Quia vero electi vniuſcuiuſque mens dum alta penetrat, ne de his quæ accepit intumeſcat, ſemper humanæ conditionis infirmitatem ad memoriam reuocat: bene etiam huic D Sardius, terræ rubræ ſpeciem habens, congruit. Vnde & Ezechiel atque Daniel Prophetæ, ne de his ad quæ per ſpiritum contemplanda ſubleuantur, per elationem ad præcipitium ruant, filij hominum ſæpe vocantur. Ac ſi eis aliis verbis diceretur: Dum viriditatem ſupernæ gratiæ in vobis aſpicitis, ſemper conſiderate, quia ex humana infirmitate terra rubra eſtis. Sequitur:

Et iris erat in circuitu ſedis, ſimilis viſioni Smaragdinæ.

Iris itaque Græca Latinaque conſuetudine, arcus vocatur, qui in die pluuiæ apparere videtur. Et quid per hanc niſi reconciliatio mundi deſignatur, quæ per incarnati verbi diſpenſationem facta cognoſcitur? Hoc certe ſi ſolerter inſpicitur, effectus ipſius iris indicare videtur. Arcus namque tunc apparet, cum radiis ſolis imbrifera fuerit nubes illuſtrata. Sole igitur nubem illuſtrante, iris (id eſt, arcus) apparuit, quia videlicet cum Patris verbum, quod candor eſt lucis æternæ ac Sol iuſtitiæ, humanam

E ſuſcipiendo naturam irradiauit, ipſa humanitatis eius ſuſceptio, quæ profecto nubes à Propheta vocatur, recon- Sap.7. Iſa.19. ciliatio facta eſt mundi. Bene autem imbrifera, quia nimirum prædicationum eloquiis plena. Congruenter ſiquidem ad reconciliationem humani generis, in nouo Teſtamento arcus figuratim apparuiſſe deſcribitur, qui in veteri quoque ideo in nubibus à Domino poſitus intelligitur, vt poſt inundationem diluuij per eum terris pax reddita cognoſceretur, vt ſcilicet eius viſione, pacti ſui memor omnipotens Deus, nequaquam vltra aquarum immenſitate terras deleri pateretur. Cui videlicet nomini ſi vna in fine ſyllaba pro litera addatur, & irini dicatur, vtique hoc ipſum interpretatio eius ſonare videtur. Nam Græco vocabulo εἰρήνη pax appellatur. Et in veteri quidem teſtamento Dominus ad Noë ait: *Ecce ego ſtatuo pa-* Gen.9. *ctum meum vobiſcum, & cum ſemine veſtro poſt vos, & ad omnem animam viuentem quæ eſt vobiſcum, hoc ſignum fœderis quod do inter me & vos, & ad omnem animam vi-* F *uentem, quæ eſt vobiſcum, in generationes ſempiternas. Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me & inter terram. Cumque obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus: & recordabor fœderis mei vobiſcum, & cum omni anima viuente quæ carnem vegetat, & non erunt vltra aquæ diluuij ad delendam vniuerſam carnem. Eritque arcus meus in nubibus, & videbo illum, & recordabor fœderis mei vobiſcum, & cum omni anima viuente quæ eſt ſuper terram.* In nouo autem mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus, aſcenſurus ad Patrem, reconciliatis vel reconciliandis dicit: *Pacem re-* Ioan.14 *linquo vobis, pacem meam do vobis.* Quamque natiuitatis eius hora humano generi aduenisse Angelus nuntiauit, cuius vocibus ſupernorum ciuium chori concinêre, dicentes: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus* Luc.2. *bonæ voluntatis.* Vel certe cum idem Sol iuſtitiæ ſanctorum corda, quæ nubes imbriferæ iure vocantur, illuſtrat: arcus ſpeciem reddunt, quia videlicet piis interuentionibus iuſtitiam conditoris ad pietatem inflectunt. Et no- G tandum quam apta ſit figurarum contextio. Quia enim fulgura, voces & tonitrua de throno tanquam de nube procedere in ſubſequentibus narrantur, conuenienter hic irradiante ſole arcus ſimilitudinem idem thronus reddidiſſe narratur. Qui videlicet arcus cum ſit diuerſi coloris, reſplendeatque principaliter duobus id eſt, aquæ & ignis: deſignatur per eum vel baptiſmum aquæ & ſpiritus Sancti vel iudicium præcedens per diluuium, ac ſubſequens per ignem. Hic tamen non immerito viſioni ſmaragdinæ comparatur, vt per eum (ſicut diximus) repropitiata mundo diuinitas oſtendatur. Lapis enim Smaragdus viridiſſimi coloris eſt, qui videlicet color, ſicut præcedenti verſiculo iam faſſus ſum, non inconuenienter naturæ diuinitatis aptatur. Sequitur:

Et in circuitu ſedis ſedilia vigintiquatuor, & ſuper thronos vigintiquatuor ſeniores ſedentes, circumamicti veſtimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ. H

Cum Dominus in Euangelio ſuper duodecim thronos prædicatores veritatis ſeſſuros teſtetur, dicens: *In regene-* Matt.19. *ratione cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Iſraël:* quid ſibi vult quod Ioannes in circuitu ſedis viginiiquatuor thronos, totidemque introducit ſeniores ſedentes: niſi quia propter geminum teſtamentorum, numerus etiam duodecim tribuum duplicatur, quatenus aperte monſtretur, quia Eccleſia quæ ex gentibus venit, in duodecim tribubus myſticè figuratur: Hinc eſt Apoc.7. quod numerus ſignatorum centum quadragintaquatuor millium, ex quo omnis conſtat Eccleſia, in duodecim tribubus figuratim concluditur. Quia enim Eccleſia Iſraël vocetur, nulli dubium eſſe probatur, præſertim cum Abraham ex quo illa gens originem ſecundum carnem traxit, *pater multarum gentium* vocetur, ſicut ſcriptum Gen.17.

A eſt : *Quia patrem multarum gentium poſui te ante Deum*
Matth.3. *cui credidiſti.* Hinc Ioannes Baptiſta Iudæis ſuperbienti-
bus dicit : *Ne cœperitis dicere, Patrem habemus Abra-*
ham. Dico enim vobis, quia potens eſt de lapidibus iſtis ſu-
ſcitare filios Abrahæ. Hac itaque ratione vigintiquatuor
ſeniores dicuntur, cum tamen duodecim ſint: quia &
Apoſtoli, qui omnem Eccleſiam, ſiue ex Iudæis, ſiue ex
gentibus cum Domino iudicabunt, duodecim tantum
tribus Iſraël iudicaturi perhibentur. Quantum igitur ad
diſtinctionem vtriuſque Teſtamenti, veteris ſcilicet &
noui, vigintiquatuor ſunt ſeniores ac vigintiquatuor
throni: quantum vero ad vnitatem & concordiam eo-
rundem teſtamentorum, duodecim ſunt ſeniores ac duo-
decim throni, id eſt omne corpus Doctorum cum ſubie-
ctis plebibus auditorum. Noo enim ſoli Apoſtoli cum
Domino iudicabunt, ſed quotquot vitam Apoſtolorum
tenuerunt, prædicationem Apoſtolorum adminiſtraue-
runt. Sic enim in duodecim thronis cum Apoſtolis ſede-
B bunt cæteri prædicatores, ſicut io Petro claues regni cœ-
lorum acceperunt. In his etiam duodecim thronis Pro-
phetæ ſedebunt, qui Chriſtum vita & vocibus venturum
prædicauerunt. Sed nec debemus iotantum carnaliter ſa-
pere, vt aliud æſtimemus vnam ſedem, aliud vigintiqua-
tuor thronos in circuitu ſedis: cum conſtet ipſos etiam
qui in circuitu ſedis ſuper vigintiquatuor thronos ſedent,
in vno throno cum Domino ſedere: ipſumque Domi-
num, cum quo ſeniores in vno throno ſedent, ſuper vi-
gintiquatuor thronos cum ſenioribus ſedere: necnon &
ipſos etiam qui cum Domioo ſedent, ſedes eius eſſe cum
Pſal.121. quo ſedent, ſicut ſcriptum eſt: *Illic ſederunt ſedes in iu-*
dicio, ſedes ſuper thronum David. Ac ſi aperte diceretur:
Super quos Dominos ſedet, iidem ipſi cum Domino ſe-
debunt. Sed quia ſingulariter ac principaliter vniuerſam
Dominus, ſiue in prælatis, ſeu in ſubditis iudicabit Ec-
cleſiam, idcirco ſeniores & throni, vna ſedes dicuntur.
Quia vero eiuſdem ſanctæ Eccleſiæ prædicatores, ſiue
C veteris ſiue noui Teſtamenti, quos Chriſtus cum ſubie-
ctis plebibus vno præſidet throno, cum eodem ſubditas
plebes examinabunt: conſequenter in circuitu ſedis ſuper
vigintiquatuor thronos, totidem ſedent ſeniores. Hac cer-
te intelligentia ſolus ad iudicandum Dominus vel ſedet
vel ſeſſurus eſt, cum tamen Eccleſia ſedeat vel ſeſſura ſit
cum illo, iudicans duodecim tribus Iſraël, velut ſi aper-
tius dicatur, Sedet vel ſedebit Eccleſia iudicans duode-
cim tribus Iſraël, ſed in Chriſto atque per Chriſtum, cu-
ius corpus eſt, ſedent certe vel ſedebunt membra ad iu-
dicandum, ſed in vno & per vnum caput, cui ſubdita
ſunt atque coniuncta. Quod autem de ſenioribus ſubdi-
tur, circumamicti veſtimentis albis, & io capitibus co-
rum coronæ aureæ: non ad ſolos prædicatores, ſed ad
omnem pertinet Eccleſiam, ſicut in ſpecie multis locis
genus expreſſum diximus reperiri. Quæ videlicet veſti-
mentis albis circumamicitur, quia Chriſtum in baptiſ-
mate veſtitur, ſicut per Apoſtolum fidelibus eius dicitur:
Galat.3. *Quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.*
D Alba autem veſtimenta dicuntur, ſubaudis, inuiolata ba-
ptiſmatis Sacramenta. Cuius etiam electi coronas aureas
in capitibus habent, quia veraciter de mortis authore
triumphant. Sed ſicut in mediatore ſuo habet Eccleſia, vt
cum illo ſedens iudicet: ſic in illo atque per illum victo-
Ioan.16. riam poſſidet qua vincit, ipſo dicente: *Gaudete quia ego*
vici ſæculum. Hinc eſt, quod paulo inferius coronas ſuas
ante thronum ſeniores poſuiſſe dicuntur, id eſt, victoriam
qua de mundo ac mortis principe triumphant, Deo aſſi-
gnaſſe. Hinc etiam de equi albi ſeſſore, ſingulariter ac
Apoc 6. principaliter inferius per Ioannem dicitur: *Qui ſedebat*
Ioan.15. *ſuper eum, habebat arcum: & data eſt illi corona, & exiit*
vincens vt vinceret. Hinc idem quoque victor victoribus
dicit: *Sine me nihil poteſtis facere.* Poteſt autem ſub alio
intellectu in vigintiquatuor ſenioribus Eccleſia figurari,
propter ſenariam ſcilicet perfectionem, quæ per quatuor
ſancti Euangelij libros conſummatur. Senarius etenim
numerus ideo perfectus habetur, quia in ſex diebus cun-
cta opera ſua Deus feciſſe perhibetur, atque in ſexta
mundi ætate hominem reformaſſe narratur. Quia itaque
ſiue veteris, ſiue noui Teſtamenti Patrum opera, in ſex E
mundi ætatibus tanquam ſex diebus peracta, quatuor
ſancti Euangelij libros adimplet Eccleſia, recte in vigin-
tiquatuor ſenioribus tota deſcribitur. Quater enim ſeni,
vigintiquatuor faciunt. Vel certe, quia prioris Teſtamenti
vigintiquatuor libris vtitur, quos & authoritate Canoni-
ca ſuſcepit, in quibus etiam nouum Teſtamentum reuela-
tum agnoſcitur, idcirco in vigintiquatuor ſenioribus Ec-
cleſia figuratur. Ideo enim eſt noui Teſtamenti prædica-
tio fructuoſa, quia ex veteri roborata, tanquam ſcilicet ab
eiſdem trahat numerum Eccleſia, quibus in ſanctitate per-
ficitur. Sequitur:

Et de throno procedebant fulgura & voces
& tonitrua.

Hic manifeſtiſſime claret, qui ſit thronus de quo ful-
gura & voces & tonitrua procedunt. Omnia certe hæc F
nonniſi Eccleſiæ ſpiritaliter conueniunt. Quid itaque io
fulguribus, niſi miraculorum ſigna accipimus, de quibus
Pſalmiſta Domino dicit, *Illuxerunt fulgura tua orbi ter-* Pſal.96.
ræ? Quid vero in vocibus ac tonitruis, niſi prædicatio-
nem veritatis, ſicut per eundem Pſalmiſtam eidem Do-
mino dicitur, *Vox tonitrui tui in rota?* Vox enim toni- Pſal.76. Pſal.18.
trui Dei in rota, eſt Apoſtolorum prædicatio mundum
circuiens. Vnde & bene illic dicitur: *In omnem terram*
exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.
Iſtis itaque vocibus ſeptem tonitrua inferius tonuiſſe de-
ſcribuntur, ſicut per Ioannem dicitur: *Locuta ſunt ſe-* Apoc.10.
ptem tonitrua voces ſuas. Quid enim eſt, ſeptem tonitrua
voces ſuas loqui, niſi ſeptiformem Eccleſiam ſeptiformis
Spiritus prædicamentis per orbem tonare? Et notandum
quod author huius reuelationis, quaſi ex obliquo ab
vna figura ad aliam tranſiens, de ſede dicit procedere ful-
gura & voces ac tonitrua, cum hæc non ſedi, ſed nubi-
bus congruant. ipſam ergo ſedem, nubem vult intelligi, G
de qua imbres, fulgura & tonitrua procedunt. Super hanc
certe nubem, cum in extremis ad iudicandum apparue-
rit, ſeſſurum Dominum Ioannes perhibet, dicens: *Vidi,* Apoc.14.
& ecce nubes candida, & ſuper nubem ſedentem filium
hominis, habentem in capite ſuo coronam auream, & in ma-
nu ſua falcem acutam. Bene autem iuſtorum Eccleſia per
nubem figuratur, quia prædicatores eius & verbis pluunt,
& comminationibus tonant, & miraculis coruſcant. De
quibus per Euangeliſtam dicitur: *Illi autem profecti, præ-* Marc.16.
dicauerunt vbique Domino cooperante & ſermonem confir-
mante ſequentibus ſignis. De his prædicamentis à Domi-
no per Habacuc Prophetam dicitur: *In lumine iacula tua* Habac 3. iuxta 70.
ibunt, in ſplendore fulgoris armorum tuorum. Iacula itaque
in lumine ire eſt, verba eius aperta veritate ſonare. Sed
quia ſæpe homines verba vitæ etiam intellecta deſpi-
ciunt, adiunguntur miracula quibus terreantur, ſicut ſcri-
ptum eſt: *Fulgura multiplicabis, & conturbabis eos.* Vnde Pſal.17.
& idem Habacuc cum dixit, *In lumine iacula tua ibunt:*
protinus addidit, *in ſplendore fulgoris armorum tuorum.* H
Fulgor quippe armorum, eſt claritas miraculorum. Armis
namque nos tuemur, iaculis aduerſarios deſtruimus. Ar-
ma ergo cum iaculis, ſunt miracula cum prædicamentis.
Sancti enim prædicatores verbis ſuis quaſi quibuſdam
iaculis aduerſarios feriunt: armis vero, id eſt, miracu-
lis, ſeipſos defendunt, vt & quantum ſint audiendi, ſonent
per impetum iaculorum: & quantum ſint reuerendi, cla-
reant, per arma miraculorum. Iſtis enim tanquam nubi-
bus verbis pluentibus, comminatione tonantibus, miracu-
lis coruſcantibus, tremefactus formidauit & credidit
mundus. Sequitur:

Et ſeptem lampades ardentes ante thronum, quæ
ſunt ſeptem ſpiritus Dei, & in conſpectu ſedis
tanquam mare vitreum, ſimile cryſtallo.

Vnum horum ipſe ſpiritus ſeptiformis aperuit, alte-
rum nobis quærendum reliquit. Sed dum quid vnum ho-

rum

A rum eſſet edocuit, facile alterum reperiri poſſe monſtrauit. Sed ſi ſe ipſe non exponeret, io his ſeptem ardentibus faculis nil aliquid, quam ipſum intelligere conueniret: quanto magis nunc, cum ipſe ſubiunxit, quæ ſunt ſeptem ſpiritus Dei? Bene igitur ardentibus comparatur lampadibus omnipotens ſpiritus, qui fidei lumen præbet Eccleſiæ, ne in nocte præſenti ad patriam tendens, erroris foueam incurrat. Digne faculis ardentibus ſimilatur, quia ad amorem Dei & proximi electorum animas accendit, ne in iniquitatis frigore remaneant. De quo videlicet ſpiritu incarnata veritas per Euangeliom dicit:
Luc. 12. Act. 2. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt ardeat?* Hinc eſt quod die Pentecoſtes ſuper diſcipulos in igneis linguis apparuiſſe deſcribitur. Iſto nimirum igne ſuccenſi
Luc. 24. fuerant duo ambulantes io via, qui poſt Domini locutionem atque abſceſſum dicebant: *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via, & aperiret nobis*
1. Cor. 10. *ſcripturas?* Quid autem per mare, niſi baptiſmum intel-
B ligimus figurari? Vnde & Paulus dicit: *Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube & in mari.* Cur vero mare vitreum dicitur, niſi quia fides per ipſum tranſeuntium, tropica locutione demonſtratur, ab efficiente ſcilicet illud quod efficitur, ſcriptura Sacra deſignante? Quæ bene vitro ſimilis dicitur, quia & intus ſimplex credulitate, & foris verax oſtenditur confeſſione. In vitro enim non
Rom. 10. aliud videtur exterius, quam quod geſtatur interius. Hinc namque dicitur: *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Ac ſi aliis verbis diceretur: Mare vitreum & intus & foris puritate reſplendet. Recte credentium fides per vitrum exprimitur, quia omni vento doctrinæ non circumfertur. Ne autem fragilis putaretur hæc credentium fides, vtpote vitrum, quod clarum quidem eſt, ſed cunctis metallis fragilius, digne cryſtallo comparatur. Talis ſiquidem effectus cryſtalli dicitur, vt glacies hyemali preſſa continuo frigore, poſt plurimorum
C annorum curricula, in fortitudinem petræ obduretur. Sic, ſic electorum fides inter preſſuras ac tribulationes, per incrementa temporum ad effectus ſui firmitatem perducitur. Vbi autem lampades ardentes, vbi mare vitreum cryſtallo ſimile cernitur, vbi inuenitur, niſi ante ſedem vel in conſpectu ſedis, id eſt, in iuſtorum Eccleſia? Sic enim dicitur, ante thronum vel in conſpectu ſedis: ſicuti
Exod. 33. Deut. 16. ad Moyſen Dominus loquitur, dicens: *Et locus penes me,* vel ſicut idem Moyſes in Deuteronomio ſæpiſſime dicit. *In loco quem elegerit Dominus Deus tuus, vt inhabitet nomen eius ibi.* Quibos omnibus ſingularem Eccleſiæ declarari nouimus vnitatem. Neque enim alius Deo inuenitur locus io terra, quam vnica eius Eccleſia, in qua & ſeptiformis ſpiritus gratia & Trinitatis baptiſma dari vel accipi poteſt ad ſalutem, cum vtraque foris generent danti vel accipienti perniciem: non quia malum eſt quod datur vel accipitur, ſed quia male extra Eccleſiam vtitur, à quo datur vel accipitur. Redeant ergo hæretici ad vnitatem matris Eccleſiæ, ibique Spiritum ſanctum acci-
D piant vbi more lampadarum locet & ardet. Audiant quid
Iob. 28. per beatum Iob dicitur: *Auro locus eſt in quo conflatur,* id eſt, in conſpectu ſedis, vbi idem ſeptiformis ſpiritus in ſimilitudinem facularum ardet, ibi certe conflatur ibi purgatur à ſordibus vitiorum. Audiant quid Apoſtolus di-
1. Cor. 13. cat: *Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Ac ſi diceret: Niſi in conſpectu ſedis vbi locus eſt conflationis, flamma Spiritus ſancti ſuccenſus fuero, ardere poſſum, ſed purgari non poſſum. Huc ergo veniant hæretici, vbi veraciter lampadarum fulgore illuminentur, vbi ſalubriter lampadarum ardore ſuccendantur, & non ibi remaneant, vbi
Gen. 8. per fluidum tranſire nitentes, demergi facile poſſunt. Hoc eſt certe totum quod monemus, vt tanquam columba ad arcam redeant, ne tanquam corui innudatione diluuij pereant. Sequitur:

*Et in medio ſedis & in circuitu ſedis, quatuor animalia plena oculis ante * & retro.* E

Nulli dubium, quin per hæc quatuor animalia, ſancti quatuor figurentur Euangeliſtæ. Cum autem horum omnium vnum ſit Euangelium, Domino dicente: *Ite, prædicate Euangelium omni creaturæ:* propter quatuor ta- Matt. 18.
meo Paradiſi flumina, quibus orbis irrigandus traditur vniuerſus, quatuor principaliter demonſtrantur. Et notandum quod & in medio ſedis, & in circuitu ſedis, animalia eſſe dicantur. Si enim in medio ſedis, quomodo in circuitu ſedis? Aut rurſum, ſi in circuitu ſedis, quomodo in medio ſedis eſſe perhibentur? Et certe in medio ſedis Dominum, & in circuitu ſedis vigintiquatuor ſediſſe, iam dictum fuerat. Quapropter ſciendum nobis eſt, quia & in Domino animalia, & io animalibus Dominus, & rurſum in ſenioribus animalia, & in animalibus ſeniores inoeniuntur. Quamobrem cum & animalia quæ in medio ſedis cum Domino ſunt, in ſenioribus inueniuntur qui in circuitu ſedis ſunt: nimirum & ſeniores cum animalibus in medio ſedis cum Domino ſunt, & animalia cum Domino in circuitu ſedis cum ſenioribus ſunt. Et hoc totum, vnus ſedens atque vna ſedes ſunt. Sed nec mirum. Neque enim poſſunt ab inuicem ſeparari, quia & nos cum Euangeliſtarum narratione redemptoris noſtri dicta & acta cognoſcimus, proculdubio & Dominus Euangeliſtis, & nos Domino atque Euangeliſtis vnimur. Ergo & Dominus & ſeniores atque animalia vnum ſumus, vnius ſedentis vna ſedes. Cum enim nos vellet author huius reuelationis aliud ſedentem, aliud ſeniores, aliud quatuor animalia, vocabulorum diuerſitate cognoſcere: vnius tamen ſedis nomine, vno cuncta videtur ioco miſcere, quatenus diuerſis membris vnum corpus, atque in diuerſis ſpeciebus vnum oſtenderet genus. Sciendum vero eſt, quia vt ſæpe meminimus, ſic plerumque ex diuerſis membris vnum corpus depingitur, vt tamen nonnunquam in qoolibet membrorum totum corpus exprimatur. Sic ſæpe ex diuerſis vocabulorum ſpeciebus genus formatur, vt tamen in vna qualibet vocabulorum ſpecie genus oſtendatur. Quod facilius mente peruideri, quam lingua poteſt eloqui. Et vt hæc quæ dicimus, manifeſtius vtcunque pendamus, ecce per ſedentem in throno, per vigintiquatuor ſeniores ſedentes, ſpecialiter omne corpus præpoſitorum, per quatuor animalia, ſpecialiter quatuor Euangeliſtæ deſignantur. Sed tameò & in Domini ſpecie generaliter Eccleſia, & in vigintiquatuor ſeniorum ſpecie generaliter Eccleſia, & in quatuor animalium ſpecie plurimis in locis generaliter exprimitur Eccleſia. Non ſolum autem in hac Apocalypſi, verumetiam in aliis diuinis voluminibus frequenter ex multis membris vnum corpus, quod eſt redemptoris Eccleſia: frequenter vero in vno quolibet membrorum, ipſum generale corpus totum deſignatur. Ex multis enim membris vnum mediatoris corpus depingitur, ſicut per Paulum dicitur: *Corpus non* 1. Cor. 12.
eſt vnum membrum, ſed multa. Atque poſt paululum: H
Nunc autem multa quidem membra, vnum autem corpus. Quæ vero eſſent corporis membra, ſubſecutus expoſuit, dicens: *Quoſdam autem poſuit Deus in Eccleſia, primo* Ibid.
Apoſtolos, ſecundo Prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde gratiam curationum, opitulationes, [illegible] *tiones, genera linguarum.* Nunquid omnes Aposto[illegible]nquid omnes virtutes? nunquid omnes habent gratiam curationum? ounquid omnes linguis loquuntur? nunquid omnes interpretantur? Ecce quam in variis atque dioerſis membrorum officiis, vnum corpus per Apoſto- Matt. 14.
lum compingitur. In vno autem quolibet membrorum totum corpus oſtenditur, cum ſancta Eccleſia in Petro Apoſtolo ſuper fluctus maris ambulare iubetur. Et non ſolum in illo, verumetiam in ſingulis atque egregiis Patribus veteris ac noui Teſtamenti: nec tantum in viris, ſed etiam io fœminis tota ſæpe figuratur. Bene autem de animalibus ſubditur, quia plena ſunt oculis ante & retro. Et quid in animalium oculis deſignatur, niſi diuinarum

ſcriptura

A ſcripturarum Sacramenta, quibus ſanctorum Eccleſia ad fidem illuminatur? plena itaque ſunt oculis animalia, quia quot ſunt Sanctarum ſcripturarum eloquia, tot nimirum ſunt electorum ſpiritalia lumina. Hæc autem orationis particula qua dicitur, ante: in ſcriptura Sacra aliquando pro futuro tempore, aliquando ponitur pro præterito. Pro futuro namque tempore ante, ponitur, ſicut per Philip.3. Paulum dicitur, *Vnum quod retro oblitus, ad ea vero quæ in ante ſunt, extentus.* Pro præterito vero ipſa pars orationis Ioan.8. ponitur, ſicut Dominus in Euangelio teſtatur: *Amen, amen dico vobis, quia ante Abraham ego ſum.* Vbi prudens lector animaduertere debet, non ad Deum, cui nec præteritum nec futurum tempus congruit, ſed ad Abraham pertinere, qui ante & poſt habere potuit. Hoc autem in luco, ante pro præterito tempore ponitur. Ante itaque & retro animalia plena ſunt oculis, quia perfecte veteris ac noui Teſtamenti vniuerſa continent Sacramenta, quæ ſcilicet trium temporum principaliter cauſas enarrant, id B eſt, præteriti, præſentis & futuri, & alia quidem prædicta, alia autem iam impleta, alia vero adhuc implenda pronuntiant. Fides enim quæ gemino Teſtamento continetur, omnium temporum cauſas complectitur. Cum igitur quod ante in veteri tantum Teſtamento congruebat, quod nouo ſuccedente reuelatum claruit, quodve his docentibus ſperatur venturum electi cognoſcunt, quid aliud quam fidei oculis toto corpore animalia fulgent? Præterito namque tempori tanquam anteriori, promiſſa diſpenſatio noſtri redemptoris principaliter adſcribi videtur; præſenti vero, Ipſius diſpenſationis adimpletio, futuro autem, electorum à malis ſegregatio, qua iuſtos in gloriam, impios vero in pœnam futuros nouimus deputatos. Iſtis denique oculis vtriuſque etiam Teſtamenti concordiam intelligimus deſignari, & inter ſe plena fidei veri- Exod.12. & 19. tate concinere, vt ſcilicet hoc luceat in veteri Teſtamento quod fulget in nouo, verbi gratia, cum in veteri Teſtamento agno myſtice occiſo, quinquaginta diebus C exactis datur lex ad timorem, ſcripta digito Dei in tabulis 1.Cor.5. lapideis: Nunc *quando paſcha noſtrum immolatus eſt Chri-* Act.2. Ioan.1. *ſtus*, Idem iuxta Ioannem, *Agnus Dei qui tollit peccatum mundi*, peractis quinquaginta diebus, Spiritum ſanctum diſcipulis miſit de cœlis promiſſum, quem ipſius agni authoritate, digitum Dei certiſſime tenemus: per quem vetuſta lapidei remota cordis duritia, charitas datur, qua timor foras protinus pelleretur. Vt vero lex quæ Rom.5. ante infirmis difficilis erat, facile impleretur, *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Quo videlicet operante, Deus gratis colitur, non iam timore pœnæ, ſed delectatione iuſtitiæ. Sic ſe omnino animalium oculi mutuo reſpiciunt, ſingulis congruentibus Sacramentis, de quibus hoc vnum protuliſſe ſatis ſit. Vel certe animalia ante & retro oculos habent, quia omnes electi redemptorem ſuum & iudicatum in primo humilitatis ſuæ aduentu, & iudicaturum in ſecundo celſitudinis ſuæ ſemper attendunt. Hæc D iuxta fidem de animalium oculis dicta, ſufficiant. Nunc qualiter ſe ante & retro in actionum operibus eadem animalia circumſpiciant, attendamus. Cum igitur quilibet electi Euangeliſtarum verbis edocti, & præcedentia peccata recolentes deflent, & quæ ſubſequi poſſunt ſolicite præcauent, ante & retro animalia oculos habent. Iſtis ſiquidem oculis anteriora ſua Paulus conſide- 1.Cor.15 rabat, cum eiulans diceret: *Non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei.* Iſtis poſteriora ſua circumſpiciebat, cum de ſeipſo perhibe- 1.Cor.9. ret, dicens: *Caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo, ne forte cum aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.* Poteſt autem quod animalia ante & retro oculos habere dicuntur, & aliter intelligi. Quia enim ſancti viri omne quod agunt, præuenire per ſtudium conſiderationis non deſinunt, ne ſcilicet praua quælibet faciant, ne malum ſub velamine boni ſe palliet, ne bonum mali ſe contagione fœdet, animalia ante ſe oculos habent. Quia vero quæ bene de his geſſerint, ab hominibus tranſitoriæ laudis gloriam non appetunt, retro animalia oculos habent. Sed & cum ſanctorum Patrum tam in veteri quam

E in nouo Teſtamento virtutum opera conſiderantes, in melioris vitæ ſtudium commutamur, nimirum ante & retro oculos habemus. Vel certe ante & retro oculos habent, quia electi & præſentia, quæ carnales voluptatibus demulcent, vel ſpiritales amaritudinibus pungunt, ſine vllo ſtatu tranſire attendunt, & futura, quæ vel malos tormentis afficiunt, vel bonos gaudiis oblectant, ſine tranſitu permanere conſiderant. Cauta enim circumſpectione vtraque dum vident, nec læta quæ tranſeunt appetere, nec triſtia fugere ſtudent: dummodo & læta quæ manent inuenire, & triſtitia poſſent euadere. Sequitur:

Et animal primum ſimile leoni, & ſecundum animal ſimile vitulo, & tertium animal habens faciem quaſi hominis, & quartum animal ſimile aquilæ volantis. F

Iſtæ animalium quatuor ſpecies, & ad quatuor Euangeliſtas pertinent, & ad Dominum Ieſum Chriſtum, quem iidem Euangeliſtæ prædicant, & ad cuncta eius membra, quæ per quatuor Euangeliſtarum fidem capiti ſuo inhærent: quia ſicut præmiſimus in Domino animalia, & in animalibus Dominus, & rurſum in ſenioribus Dominus & animalia, & in Domino atque animalibus ſeniores inueniuntur. Sed mirandum valde eſt, cur Ioannes animal primum ſimile Leoni dixerit, cum Iezechiel Propheta non Leonis ſpeciem, ſed hominis, primo animali ineſſe perhibuit. Sic enim ipſorum animalium ordinem deſcribit: *Similitudo vultus eorum, facies homi-* Iezech.1. *nis & facies Leonis, à dextris ipſorum quatuor. Facies bouis à ſiniſtris ipſorum quatuor, & facies aquilæ deſuper ipſorum quatuor.* Quid itaque eſt, quod Ioannes animal primum Leonem, Propheta vero hominem ponit? In qua nimirum ſententia, magna nobis oritur G quæſtio, ſed quæ poſſit adiuuante Domino abſolui. Primum itaque ſciendum nobis eſt, quia myſtica nobis ſcripturarum eloquia non ſemper ſeruant ordinem hiſtoricum. Quod ſi facerent, non iam myſtica, ſed tantum hiſtorica eſſent. Denique ſi ad conſcriptionem Euangeliorum recurrimus, Iezechiel quidem Propheta animalia deſcribens, ordinem ſeruauit: qui Matthæo humanam faciem ineſſe deſignans, primum de humanitate Chriſti exorſum fuiſſe: Marco autem Leonis formam tribuens, ſecundum à clamore in deſerto cœpiſſe. Lucæ vero vituli ſpeciem aſſignans, tertium à ſacerdotio inchoaſſe: Ioanni quoque aquilæ ſimilitudinem aptans, quartum à diuinitate verbi initium ſumpſiſſe monſtrauit. Sed ſi ad diſpenſationem redemptoris noſtri quam eadem animalia peractam declarant, nec ipſe ordinem tenuit, qui ſecundo loco Leonem poſuit: cum idem redemptor noſter, natus vt homo, prius fuerit vt vitulus immolatus, H quam vt Leo à mortuis ſuſcitatus. Videamus itaque, quam ob cauſam Euangeliſtarum ordo præpoſteretur. Idem certe Iezechiel Propheta, de oſtenſis ſibi animali- Iezech.1. bus dicit: *Quatuor facies vni, & quatuor pennæ vni.* Vbi ſcilicet cum dicit, quatuor facies vni, patenter innuit, quia vnum quodlibet animalium, & ſuam & trium poſſidet formam: vnde & in vno tria, atque in tribus vnum inuenitur. Ergo ſi in vno animali tria inueniuntur, quodlibet horum primum eſt, nec alteri cuilibet poſterius. Quæ cum ita ſint, lectorem meum admoneo, vt cum in animali tria, atque in tribus vnum videat: ac per hoc quodlibet eorum primum intelligat; me quoque in hoc loco, ſi alium ordinem, prout expoſitionis neceſſitas cogit, fuero ſecutus, temere non reprehendat. Sic me Ioannis ordinem non impugnare cognoſcat, ſicuti nec Propheta nec Ioannes in diuerſa ordinum narratione ſibi impugnant. Quod ſi forte adhuc quæris, cur Ioannes primum animal leonem ponere voluit, & nec de præmiſſis ſibi ſatisfieri credidit: attendat vnde in Chriſtum maxime credidit mundus, & tunc cognoſcet quare leonem primum poſuerit Ioannes. Non enim idcirco in

A eum crediderunt populi, quia vel natus vt homo, vel occiſus vt vitulus, ſed quia poſt mortem ſurrexit vt Leo. Si itaque ſolummodo natus & paſſus, non autem reſuſcitatus prædicaretur, quis in hominem natum & mortuum credere cogeretur? Quia ergo per id quod à mortuis reſurrexit, mundum in ſe compulit credere, rectè Ioannes animal primum leonem dixit. Primus itaque eſt in ordine, homo & vitulus, ſed primus in virtute Leo.
2.Cor.5. Huic ſenſui Paulus concinit, dicens: *Etſi noueramus Chriſtum ſecundum carnem, ſed iam nunc non nouimus.* Ac ſi aliis verbis diceret: Non iam in animalibus hominem moriturum, ſed Leonem poſt mortem attendimus in æternum victurum. Sed nos ordinem virtutis ſecundum Ioannem indagantes, ordinem narrationis ſecundum Prophetam in Euangeliſtis ſequimur. In redemptoris vero diſpenſatione, & ipſius Prophetæ ordinem mutamus: quia vt dictum eſt, idem redemptor natus vt homo, non prius vt Leo reſurrexit, quam vt vitulus moreretur.
B Vt ergo primum de ſanctis Euangeliſtis, qui mediatoris noſtri diſpenſationem ſolerter prædicant, loquamur: quia ab humana generatione cepit, iure per hominem Mathæus, quia à clamore in deſerto, rectè per Leonem Marcus, quia à ſacrificio exorſus, bene per vitulum Lucas, quia vero à diuinitate verbi cœpit, digne per aquilam ſignificatur Ioannes. Vt autem in ipſius Domini noſtri Ieſu Chriſti peracta diſpenſatione, quam Euangeliſtæ prædicant & annuntiant, animalium formas oſtendamus: ipſe nimirum vnigenitus Dei filius, veraciter factus eſt homo ipſe in ſacrificio noſtræ redemptionis dignatus eſt mori vt vitulus, ipſe per virtutem ſuæ fortitudinis reſurrexit vt Leo, ipſe etiam poſt reſurrectionem ſuam aſcendens ad cœlos, in ſuperioribus eſt eleuatus vt aquila. Et quia omnes electi, redemptoris ſui membra ſunt, in ipſis etiam quadam ratione horum animalium formæ inueniuntur. Omnis itaque electus, & homo & vitulus & Leo ſimul & aquila eſt. Qui enim
C exuta terreni hominis vetuſta conuerſatione, in nouæ vitæ cœleſtiſque natiuitatis imaginem transformatur, ad nouum hominem pertinens, nouus homo eſt. Vnde ſcri-
2.Cor.5. ptum eſt: *Si qua in Chriſto noua creatura, vetera tranſierunt, & ecce facta ſunt omnia noua.* Et vnde rurſum fide-
Coloſ. 3. libus per Apoſtolum dicitur: *Expoliantes vos veterem hominem, & induentes nouum, eum qui renouatur in agnitione Dei.* Cui rectè humana facies adſcribitur: non autem illa quæ Moyſi velamine tegitur, ſed illa quæ in Apoſtolis reuelata gloriam Domini ſpeculatur. Et quia is qui capiti ſuo per fidem inhæret, ea quæ deſunt paſſionum eius, in carne ſua adimplet, rectè ſpecies vituli ei-
Coloſ. 3. dem aptatur. Hinc enim Apoſtolus dicit: *Mortui eſtis,*
Rom. 12. *& vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* Hinc
Gal. 5. rurſum admonet, dicens: *Obſecro vos per miſericordiam*
Gal. 2. *Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem.* Hinc alibi ait: *Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* Atque idem de ſeipſo: *Chriſto confixus ſum cruci.* Et rur-
Coloſ. 2. ſum: *Compleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne*
D *mea.* Quia vero paſſionum particeps effectus, iam per fidem atque ſpem à mortuis reſurrexit, reſurgens cœlos aſcendit: bene ſimilitudo Leonis & aquilæ, fidei eius atque ſpei conuenit. Si enim paſſione illi commoritur, quid mirum ſi fide atque ſpe cum illo ſuſcitatur, cum illo in dextera Patris collocatur? Hac certe confidentia præ-
Eph. 2. dicator gentium clamat & dicit: *Conreſuſcitauit & con-*
Coloſ. 3. *ſedere nos fecit in cæleſtibus.* Hinc fideles exhortatur, dicens: *Si reſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens.* Poſſunt autem horum animalium ſpecies, ſub alio intellectu fidelibus congruere. Homo enim rationale eſt animal, Vitu-
Prou. 30. lus autem in ſacrificio mactari ſolet. Leo vero fortiſſimus beſtiarum, ad nullius pauebit occurſum. Aquila ad ſuperiora euolat, & irreuerberatis oculis radios intendit. Omnis ergo qui in ratione perfectus eſt, homo eſt. Et quoniam ſemetipſum ab huius mundi voluptatibus mortificat vitulus eſt. Quia vero ipſa ſua ſponte contra aduerſa omnia fortitudinem ſecuritatis habet, (vnde ſcri-

E ptum eſt, *iuſtus autem quaſi Leo confidens, abſque terrore erit*) Leo eſt. Qui autem ſublimiter contemplatur ea Prou. 28.
quæ cœleſtia atque æterna ſunt, aquila eſt. Igitur quoniam iuſtus quiſque per rationem homo, per ſacrificium mortificationis vitulus, per fortitudinem ſecuritatis Leo; per contemplationem vero efficitur aquila, rectè ſub hac intelligentia vnuſquiſque perfectus per hæc quatuor animalia ſignificari poteſt. Sequitur:

Et quatuor animalia, ſingula eorum habebant alas ſenas.

Quid in alis quatuor animalinm accipimus, niſi duorum teſtamentorum eloquia, quæ paulo ante per oculos eorundem animalium fuerant deſignata? Quibus videlicet ſancta Eccleſia & videt ſublimia, & ad ea quæ viderit, mentis volatu conſcendit. Cum autem vnum ſint animalia ex quibus conſtat Eccleſia, ac duo Teſtamenta, F
duæ ſint eiuſdem Eccleſiæ ſpiritales alæ, quas longe inferius in hac quoque reuelatione datas fuiſſe mulieri, id eſt, eidem Eccleſiæ, Ioannes commemorat, dicens: *Da-* Apoc. 12.
tæ ſunt mulieri duæ alæ aquilæ magnæ, vt volaret in deſertum locum ſuum: propter geminatum tamen duodenarium numerum, qui in tribubus Iſraël atque in Apoſtolis inuenitur, ipſæ duæ alæ duodecies multiplicantur, & vigintiquatuor alas de ſe reddunt: tanquam ſcilicet duodecim pennata animalia, in vigintiquatuor ſenioribus bipartita, ex quibus tota conſtat Eccleſia. Nam quater ſenæ in animalibus alæ, vigintiquatuor ſunt. Sicut autem propter geminatum duodenarium ſacratumque numerum, duo teſtamenta tanquam duæ alæ duodecies multiplicantur, & vigintiquatuor de ſe reddunt: ſic propter notitiam Trinitatis, quam toti orbi diffundunt, ter multiplicantur, & ſex in ſolidum apparent. Qui videlicet teſtamentorum numerus, propter Trinitatis notitiam ter multiplicatus, dum illi numero iungitur, qui qua- G
tuor cardines cœli comprehendit, id eſt, quaternario, ad duodenarium certa ratione conſurgere probatur. Dum enim Trinitatis notitia duorum teſtamentorum prædicatione quatuor notiſſimas mundi partes comprehendit, tres vtique & quatuor iuncta, ſeptem faciunt. Siue autem tria per quatuor, ſiue quatuor per tria dicamus, ad duodenarium peruenimus. Hinc eſt, quod ſancti Apoſtoli, qui tria ſumma per quatuor mundi infima prædicare miſſi ſunt, duodecim ſunt electi. Iſtis proculdubio duabus vtrorumque teſtamentorum alis, ſiue duodecies, ſiue ter multiplicatis, totus in electis ad ſuperna tollitur mundus. Vnde & in alia tranſlatione animalium alæ per circuitum eſſe deſcribuntur, totum videlicet orbem in electis ambientes atque eleuantes. Hinc enim ſcriptum eſt: *Vox tonitrui tui in rota, illuxerunt coruſcationes tuæ* Pſal. 76.
orbi terræ. Et rurſum: *In omnem terram exiuit ſonus eo-* Pſal. 18.
rum, & in fines orbis terræ verba eorum. Hinc Iezechiel Iezec. 1.
cum hæc animalia oſtenſa ſibi fuiſſe diceret, ait: *Cumque aſpicerem animalia, apparuit rota vna iuxta anima-* H
lia ſuper terram, habens quatuor facies, & vna ſimilitudo ipſarum quatuor. Quam etiam ſibi oſtenſam deſignat, vt quaſi ſit rota in rota. Quid enim eſt rota in rota, niſi nouum Teſtamentum in veteri reuelatum? Quæ videlicet rota quatuor facies habet, quia videlicet quatuor cardines mundi, duorum Teſtamentorum notitia reſpicit. Vna autem ſimilitudo eſt ipſarum quatuor, quia nimirum non alia Teſtamentorum cognitio ad vnam mundi partem, quam ſimul ad quatuor partes peruenit. Poſſunt autem animalium ſex alæ in ſingulis, & aliter intelligi. Prima ſiquidem in animalibus ala, eſt lex naturalis: de qua tractans Apoſtolus dicit: *Cum gentes quæ legem non habent,* Rom. 2.
naturaliter quæ legis ſunt faciunt, huiuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis. Secunda autem ala, lex data per Moyſen. Tertia vero, eminentior legis ſermo Prophetarum. Quarta quoque excellentiſſima incarnati verbi mandata. Quinta etiam, Apoſtolorum Epiſtolæ. Ad extremum autem ſexta, ſiue regulæ principalium

ſynodo

A ſynodotum, ſiue doctrina Catholicorum in Eccleſia tractatorum. Quibus videlicet omnibus, certum eſt electos tanquam pennata animalia, ad cœleſtia ſuſtolli. Vel certè ſingula animalia ſenas habent alas, quia tantum ea quæ in ſex mundi ætatibus peracta ſunt vel aguntur, electi mentis volatu comprehendunt. Hinc eſt quod in Iſaia Propheta duo * Cherubim caput & pedes Dei alis velare referuntur. (Iſai. 6. * Seraphim.) Caput enim Dei & pedes alis velare, eſt, æternitatem eius quæ & ante tempora ſine initio manſit, & in æternum poſt finem temporum ſine fine permanet, à quolibet Angelorum vel hominum inueſtigari non poſſe. Sequitur:

Et in circuitu & intus plena ſunt oculis.

B Supra iam dixerat, eadem quatuor animalia plena fuiſſe oculis ante ſe & retro: nunc autem ne aliqua in eis pars à luce vacaret, ſubinfert? [*Et in circuitu & intus plena ſunt oculis.*] In circuitu videlicet, quia vbicumque per orbem fructificans dilatatur Eccleſia, prædicationis lumen oſtendit credentibus. Intus vero, quia hoc ipſum doctrinæ lumen quod exterius lucet fidelibus, quibuſdam infidelibus claudit interius. Vnde & Paulus dicit: (1.Cor. 4.) *Quod ſi opertum eſt Euangelium noſtrum, in his qui pereunt, eſt adopertum.* Vel certè in circuitu & intus plena ſunt oculis, quia ſancti prædicatores & paruulorum mentibus tanquam foris per ſolam hiſtoriam, & perfectorum quaſi intus per allegoriam iter fidei & ſanctitatis oſtendunt. Quaſi enim exterius per circuitum animal oculos habebat, cum Paulus Corinthiis diceret: (1.Cor. 3.) *Tanquam paruulis in Chriſto, lac vobis potum dedi, non eſcam: nondum enim poteratis, ſed nec adhuc quidem poteſtis, adhuc enim eſtis carnales.* Quaſi intus oculos habebat, cum idem alibi diceret: (1.Cor. 2. Heb. 5.) Sapientiam loquimur inter perfectos. Et rurſum: Perfectorum eſt ſolidus cibus. Nam & omnes electi quia ſanctarum Scripturarum luce perfuſi, & exteriora ſua indeſinenter conſpiciunt, C vt bona de ſe exempla fratribus præbeant, & interiora ſua vigilanter attendunt, vt ſeſe irreprehenſibiles interni iudicis obtutibus oſtendant, & in circuitu & intus plena ſunt oculis. Quod vtrumque & ſi diuerſo ordine, pari tamen ſenſu Pſalmiſta complectitur, cum de ſancta Eccleſia loquitur, dicens: (Pſal. 44.) *Omnis gloria eius filiæ regum ab intus, in fimbriis aureis, circumamicta varietate.* Omnis enim Eccleſiæ gloria ab intus eſt, in intentione videlicet cordis, vbi Deus videtur, vbi & ipſa quantulacumque luce ſuperni muneris perfuſa, Deum videt, cum in electis ſuis corda mundare ſtudet, (Matth. 5.) *Quia Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Ibi ſeipſam ſub conſpectu diuinitatis examinat, & qualis cuiuſve ſit meriti, ſolerter attendit. Hinc etiam Apoſtolus ait: (2.Cor. 1.) *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* In fimbriis autem aureis, circumamicta varietate, à foris oſtenditur, quia nimirum exteriora ſua etiam irreprehenſibilia cuſtodire probatur, D quatenus per vtramque ſententiam & aliis pulchra ſit foris, & intus ſibi, & alios erudiens per exteriora operum exempla, & ſe prouehens per internam gloriam. Dicatur ergo de ſanctis animalibus: Et in circuitu & intus plena ſunt oculis. Ac ſi diceretur: Sanctorum Eccleſia & aliis per exteriora virtutum opera foris, & ſibi per cordis intentionem intus lucet. Sequitur:

Et requiem non habebant, die ac nocte dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt.

Sic dicitur hoc loco, requiem non habent, tanquam diceretur, à clamore non ceſſant. Quid autem per diem, niſi proſperitas, quid vero per noctem, niſi huius ſæculi aduerſitas debet intelligi? Liquido etiam clarct, generale corpus Eccleſiæ in quatuor animalium ſpecie hoc E loco demonſtrari. Non enim ſoli Euangeliſtæ, ſed omnis electorum Eccleſia, circumquaque per orbem diffuſa, in ſingulis membris profeſſionibuſque diuerſis, vrbibus, regionibus, prouinciis, linguis & gentibus variis, ore & opere, in proſperis & aduerſis, hac continuata profeſſione Deum collaudat, qua dicitur: Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus Deus omnipotens. Vnde nec immerito animalia in clamando requiem non habent, quia videlicet beatæ vitæ confeſſione, peramplius & perfectius à cœleſtis patriæ Angelicis Spiritibus ſanctorumque animabus iam corporibus exutis, ſuperna Ieruſalem conſummatur, ad cuius ſe inſtar informari peregrina lætatur Eccleſia. In eo autem quod animalia ter dicunt, ſanctus, tres proculdubio perſonas deſignant. In eo vero quod ſubiungunt, Dominus Deus omnipotens, vnius naturæ eiuſdemque ſubſtantiæ vnum Deum vel Dominum in his tribus oſtendunt. F Sed cum ſolus filius ad extremum iudicium venturus ſecundum carnem prædicetur, quid ſibi vult, quod quatuor animalia Trinitatem, quæ vnus & verus eſt Deus, venturam eſſe denuntiant? Et quid eſt hoc quod præmittitur, *qui eſt & qui erat?* (2.Cor. 1. Ioan. 1.) Quamquam Paulus de ſolo filio dicat, *Non fuit in illo, eſt & non, ſed eſt, in illo fuit:* & de quo Ioannes proſequitur, *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, hoc erat in principio apud Deum:* congruentius tamen propter conſonantiam loci, quo animalia trinam perſonarum laudem acclamant, de tota ſimul Trinitate intelligitur. Vnus enim & verus Deus Pater & Filius & Spiritus Sanctus: quia ſolus mutabilia condens, immutabilis perſeuerat, ſolus ſemper eſſe habet. Idem quippe ſolus eſt, qui eſt: nec in eo aliud eſt quam eſt. Vnde & Moyſi locutus eſt: (Exod. 3.) *Sic dices filiis Iſraël: Qui eſt, miſit me ad vos.* Cui etiam per Pſalmiſtam dicitur: (Pſal. 101.) *Tu autem idem ipſe es.* Eras autem, ſubaudis, non quo in eum præteritum vel futurum tempus cadat, ſed quo ante tempora eſſe doceatur, cui tempora non ſuccedunt. Sed quod ſubiungitur, qui venturus eſt, quomodo Trinitati deputandum eſt, cum ſolus (vt dictum eſt) filius in humanitate ad iudicium venturus ſit? G Vbi ſciendum nobis eſt, quia inuiſibilis Trinitatis natura, per aſſumptam filij humanitatem iuſtos & peccatores examinabit. Veniet, autem dictum eſt, non de loco ad locum tranſeundo, ſed per ſuſceptam filij hominis formam, quæ de cœlo ad inferiora deſcendit, manifeſtam potentiam oſtendendo. Poteſt autem per hanc ſententiam qua tota Trinitas ventura prædicitur, præſens diuinitatis aduentus, quo ſancti eius quotidie illuſtrantur, intelligi, de quo ſcilicet incarnata veritas loquitur, dicens: (Ioan. 14.) *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit: & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* (Ibid.) Vbi etiam conſequenter Spiritum Sanctum intelligi voluit, de quo alibi ad diſcipulos ait: *Rogabo patrem meum, & alium paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere: quia non videt eum, nec ſcit eum. Vos autem cognoſcetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.* H Sequitur:

Et cum darent illa animalia gloriam & honorem & benedictionem ſedenti ſuper thronum, viuenti in ſæcula ſæculorum, procidebant vigintiquatuor ſeniores, & adorabant viuentem in ſæcula ſæculorum.

Secundum præmiſſam intelligentiæ formam, hoc loco ex diuerſis membris vnum corpus ædificari videtur, atque in animalibus non iam vt ſupra genus, ſed ſpecies declaratur, id eſt, non omnis Eccleſia, ſed ſancti Euangeliſtæ per hanc figurantur. In viginti vero & quatuor ſenioribus, vniuerſalis Eccleſia cum præpoſitis ac ſubiectis plebibus deſignatur. Dant itaque animalia gloriam & honorem & benedictionem ſedenti ſuper thronum,

A viuenti in ſæcula ſæculorum, cum ſancti Euangeliſtę mu-
nera diuinitatis ſanctis collata, ad illum referri docent, à
Rom.2. quo eadem perceperunt. *Gloria enim & honor omni ope-*
ranti bonum, Iudæo primum & Græco. Et tamen non ab
Hebr.2. *ipſis gloria & honor, ſed ab illo qui humanam in Chriſto*
naturam per paſſionem mortis gloria & honore coronauit,
per quam etiam multos filios in gloriam adduxit. Vnde Ia-
Iac. 1. cobus dicit: *Omne datum optimum, & omne donum perfe-*
ctum, deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum. Nam & in
hoc vocati ſumus, vt benedictionem poſſideamus: & ta-
men non à nobis benedictio, ſed ab illo de quo dicitur:
Benedictio Domini ſuper vos. Atque iterum: *Etenim be-*
* legiſla-tor. *nedictionem dabit * qui legem dedit.* Ad illum ergo hu-
maoi generis munera referenda ſunt, à quo vtique vt ha-
Pſal.128. beri poſſint collata ſunt. Hinc enim Pſalmiſta Domino
& 83. dicit: *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da*
Pſal. 113. *gloriam.* Hinc idem admonet, dicens: *Date gloriam*
Pſal. 67. *laudi eius.* Et rurſùm: *Date honorem Deo.* Ruſúmque:
Pſal.65. B *Benedicite gentes Deum noſtrum, & obaudite vocem lau-*
dis eius. Illis autem talia dicentibus, quid eſt viginti ſe-
niores cadere, niſi omnem Eccleſiam in electis ſuis hu-
milia de ſe ſentire, nihilque de ſuis viribus præſumere?
Vbi autem cadit, ibi adorat: quia vnde ſibi nihil tri-
buit, inde Deum honorat. Si itaque hic caſus non ſpiri-
talis, ſed corporis intelligitur: adoratio non mentium,
ſed verborum quæritur. Quo contra veritas in Euange-
Ioan.4. lio ait: *Deus ſpiritus eſt, & eos qui adorant eum, in ſpi-*
ritu & veritate oportet adorare. Huic ſenſui Paulus con-
1.Cor.14 cinit, dicens: *Si conueniat vniuerſa Eccleſia in vnum,*
& omnes prophetent, intret autem quis infidelis vel idio-
ta, conuincitur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus: oc-
culta quoque cordis eius manifeſta fiunt, & tunc cadens
in faciem, adorabit Deum, pronuntians quod verè Deus
C *in nobis ſit.* Ac ſi diceret: Ibi per humilem ſatisfactionem
adorans cadet, vbi occulta cordis ſui manifeſtari co-
gnoſcet. Sequitur:

Et mittebant coronas ſuas ante thronum, di-
centes: Dignus es Domine Deus noſter ac-
cipere gloriam & honorem & virtutem,
quia tu creaſti omnia, & propter volunta-
tem tuam erant, & creata ſunt.

Diuerſis ſermonibus repetita ſententia videtur. Hoc
enim eſt, coronas ante thronum ponere: quod eſt, in
faciem cadere & adorare. Quid itaque per coronas, niſi
triumphos victoriæ debemus intelligere? Ante thronum
enim ſeniores coronas ſuas mittunt, quia videlicet ele-
ctorum Eccleſia, quicquid virtutis, quicquid fortitudi-
nis habet, illi intra mentis ſuæ ſecretum tribuit, à quo
vt vincere poſſit, accepit. Ipſa enim deſignatur per thro-
D num, ipſa & per ſeniores ante thronum. Ergo ſeniores
ante thronum coronas ſuas ponere, eſt, electos pia men-
tis confeſſione, ante conſcientias ſuas, quibus Deus præ-
ſidet, de acceptis virtutibus tumorem ſuperbiæ depone-
re, & præſidenti ſibi cuncta tribuere. Quod vt humiliter
agant, Euangeliſtis prædicantibus didicerunt, quorum
Ioan.16. vnus Dominum dixiſſe fert: *Gaudete, quia ego vici ſæcu-*
lum. Vnde & elationem de acceptis virtutibus calcantes,
ſeniores, dicunt: Dignus es Domine Deus noſter, accipe-
re gloriam & honorem & virtutem. Ac ſi dicant: Nulli
Matt.21. alij principaliter niſi tibi iſta conueniunt: *A quo & per*
quem & in quo eſt gloria & honor & virtus ſanctorum.
Cuius in Euangelio actionis figura præceſſit, quando bea-
ta turba redemptoris ſui veſtigia præcedens, ramos pal-
marum in via ſternebant. Quid enim per ramos palma-
rum in via ſtratos, niſi hoc quod per ſeniorum coronas
ante thronum poſitas figuratur, virtus ſcilicet & dignitas
Ioan. 12. & triumphus Eccleſiæ? Et illi quidem dicunt: *Benedi-*
ctus qui venit in nomine Domini, Rex Iſraël: illi autem,
Dignus es Domine Deus noſter, accipere gloriam & hono-
rem & virtutem. Vt quid hoc? Iidem ſubiungunt, dicen-
tes: *Quia tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam*
erant, & creata ſunt. Ac ſi dicant: Idcirco cuncta tibi quæ E
à tuis geruntur, adſcribenda ſunt: qui vt eſſe poſſent, quia
vt ea quæ tua ſunt agerent à te acceperunt. Sed miran-
dum valde eſt, quod de his quæ creata ſunt, Domino di-
cunt: Propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt. Si
enim creata ſunt, quomodo antequam crearentur, erant?
Si vero antequam crearentur erant, quomodo creata
ſunt? Vbi ſciendum nobis eſt, quia & erant in prædeſti-
nationis arte, priuſquam formarentur in opere: & creata
ſunt, quando in ſuis quæque naturis ſecundum præſcri-
ptos in Dei ſapientiam terminos, etiam viſibilia inſtite-
runt. Sic quippe antequam crearentur erant, ſicut ars in
voluntate facientis. Creata vero ſunt, ſecundum quod
iam in arte volentis diſpoſita erant. Huic ſenſui Ioannes
quoque Euangeliſta teſtatur, cum de patris verbo loqui-
tur, dicens: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum* Ioan.1.
eſt nihil. Quod factum eſt in ipſo, vita eſt. Ac ſi diceret: F
Quicquid per verbum viſibiliter factum in tempore ap-
paruit, ante tempora in voluntate verbi facientis vita erat:
quia tantum in arte ipſius volentis in quo vita eſt, vt
quandoque in tempore fierent, ante tempus manebant.
Sequitur:

Et vidi in dextera ſedentis in throno librum, Apocal. capui V.
ſcriptum intus & foris.

Cuius hoc loco per ſedentem in throno, niſi patris per-
ſona oſtenditur? Quid autem per dexteram ſedentis, niſi
eiuſdem patris filius, per quem facta ſunt omnia? De qua
ſcilicet dextera quodam in Pſalmo Propheta dicit: *Dex-*
tera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me. Pſal. 117.
Et rurſùm: *Dextera Domini ſuſcepit me.* Et de qua, paterna Pſ.17. 82.
voce dicitur: *Tollam in cælum manum meam, & iurabo per* Deut.32. G
dexteram meam. Liber autem ſcriptus intus & foris,
vtrumque Teſtamentum, vetus ſcilicet & nouum, conti-
nere videtur. Intus proculdubio nouum, foris autem ve-
tus. Et vetus quidem iuxta literam foris apparebat, ſed
iuxta myſticũ intellectus intus nouum occultabat. Hinc
Paulus Hebræos alloquitur, dicens: *Non acceſſiſtis ad tra-*
ctabilem ignem & turbinem, & caliginem, & procellam, & Hebr.12.
tubæ ſonum, & vocem verborum, quam qui audierunt, excu-
ſauerunt ſe ne eis fieret verbum, non enim portabant quod
dicebatur. Atque alibi: *Nunc autem ſpiritalia comparantes*
non contemplamur quæ videntur, ſed quæ non videntur. 1.Cor. 2.
Quæ enim videntur temporalia ſunt, quæ autem non 2.Cor. 4.
videntur, æterna ſunt. Lex enim quæ iuxta literam fo-
ris videbatur, non æterna, ſed temporalia promittebat:
Euangelium vero quod intus celabatur, non temporalia,
ſed æterna deſpondebat. Paulus itaque, quia non carnali-
ter vel ſecundum literam, legem Moſaicam intelligebat,
quæ foris temporalia tantum promittebat: ſed ſpiritaliter
ac iuxta ſenſum, vnde & Euangelium intra ipſam latere
cernebat, quod non temporalia, ſed æterna promittebat: H
idcirco ſpiritalibus ſpiritalia comparans, non contem-
plabatur quæ videntur & temporalia promittunt, ſed quæ
non videntur & æterna pollicentur. Intus igitur liber ſcri-
ptus oſtenditur allegoria, foris autem hiſtoria. Intus per
ſpiritalem intellectum: foris vero, per ſenſum literæ
ſimplicem, adhuc infirmantibus congruentem. Intus,
quia inuiſibilia promittat: foris, quia viſibilia præce-
ptorum ſuorum rectitudine diſpoſuit. Idcirco autem ve-
tus & nouum Teſtamentum vnus liber dicitur, quia
nec nouum à veteri nec rurſum vetus à nouo valet diſ-
iungi. Nam vetus teſtamentum, nuntius eſt & vela-
men noui. Nouum vero, adimpletio & reuelatio eſt
veteris. Rectè vero in dextera ſedentis in throno, hic
liber ſcriptus intus & foris denuntiatur: quia princi-
palis diuinarum Scripturarum intentio, ad diſpenſatio-
nem noſtri redemptoris, natiuitatis ſcilicet & paſſio-
nis ac ſepulturæ, reſurrectionis quoque atque ad cæ-
los aſcenſionis, certa ratione deſuatur. Vnde nec im-
merito omnis eiuſdem Saluatoris diſpenſatio libri hic
nomine frequentatur, quæ in vtroque teſtamento
vel promiſſa vel peracta declaratur. De illo enim per

[A] [Col. 2.] Apoſtolum dicitur: *In quæ ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi.* Quia vero ipſa mediatoris noſtri diſpenſatio, antequam peracta reuelaretur, allegoriarum vmbris in lege atque Prophetis tegebatur, rectè de oſtenſo libro ſubiungitur:

Signatum ſigillis ſeptem.

Qui videlicet ſeptenarius numerus vniuerſitatem ſæpè deſignat. Septem enim ſigillis liber ſignatus eſſe perhibetur, quia videlicet diſpenſatio Domini Saluatoris, antequam reuelata in plenitudine temporum fuiſſet, in diuinis voluminibus omnifaria myſteriorum latentium plenitudine abſcondebatur. Hinc Habacuc Propheta ait: [Habac. 3] *Deus à Libano veniet, & ſanctus de monte vmbroſo & condenſo.* Mons enim Libanus vmbroſus & condenſus, eſt altitudo diuinarum Scripturarum adoperta figuris allegoriarum. Et Dominus noſter à monte vmbroſo & condenſo venit, [B] quia ſcilicet Scripturarum allegoricis Sacramentis quando voluit reuelatus apparuit, in quibus antequam appareret pronuntiatus eiuſdem aduentus latebat. Quaſi enim de vmbroſis & condenſis ſyluarum opacitatibus exiuit, qui remotis figuris allegoriarum, in veritate lucis emicuit. Vnde & poſt peractam redemptionis noſtræ diſpenſationem, [Luc. 24.] idem ad diſcipulos ait: *Oportebat impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi & Prophetis & Pſalmis de me.* Hæc de ſeptem ſigillis propter eiuſdem numeri perfectionem, qui vniuerſitatem ſæpè deſignat, illis dicta ſufficere poſſunt, quibus aſſiduitas legendi non tribuitur, aut certè collata, in temporis faſtidium conuertitur. Cæterum quibus nec tempora in legendo, momenta penè ſufficiunt, non mihi videtur de his plenius ſatisfieri. Vnde licet ſeptenarius numerus vniuerſitatem, ſicut præfatus ſum, in hac ſententia ſolite complectatur, non inconuenienter tamen exiſtimo ſeptem modos tanquam ſeptem ſigilla in ſacris voluminibus exercitio ſpirituali [C] quæri debere. Quibus inuentis, talia per eos iudicia legentibus dare, vt intra ipſos omnia Chriſti Eccleſiæque Sacramenta videantur breuiter poſſe comprehendi. Quod vt decenter facere poſſimus, primum eloquiorum modos, quos etiam ipſi mundani Autores in ſuis dictionibus, Deo reuelante, animaduertere potuerunt, quaſi quædam ſpiritalium rerum lineamenta ponimus. Sacris igitur diligenter perſcrutatis voluminibus, ſeptem primum modos verborum videmus facile comprehendi, id eſt indicatiuum, pronuntiatiuum, imperatiuum, optatiuum, coniunctiuum, infinitiuum, imperſonalem. Indicatiuus enim [Iſai. 48.] modus eſt in eo quod legimus: *Ego ſum Dominus Deus tuus, docens te vtilia, gubernans te in via qua ambulas*; alibi quoque: [Mich. 6.] *Iudicabo tibi homo quid ſit bonum, aut quid Dominus quærat à te.* Vtique diligere iudicium, & facere [Iſa. 63.] miſericordiam. Itemque cum à Propheta quæritur, *Quis eſt iſte qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra?* indicando proculdubio reſpondetur: [D] [Iſai. 48.] *Ego qui loquor iuſtitiam & propugnator ſum ad ſaluandum.* Pronuntiatiuus autem, *Audi me Iacob, & Iſraël quem ego voco. Ego primus & ego* [Iſai. 40.] *nouiſſimus, & abſque me non eſt Deus.* Et rurſùm: *Quare dicis Iacob, & loqueris Iſraël, abſcondita eſt via mea à Domino, & à Deo meo iudicium meum tranſiit? Numquid neſcis aut non audiſti, Deus ſempiternus Dominus, qui creauit* [Iere. 31.] [Hebr. 8.] *terminos terræ? Non deficit, & non laborabit, nec eſt inueſtigatio ſapientiæ eius, qui dat laſſo virtutem.* Necnon etiam in eo quod aliâs dicitur: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & conſummabo ſuper domum Iſraël, & ſuper domum Iuda teſtamentum nouum.* Imperatiuus vero: *Non accipies nomen Domini Dei tui in vanum*: Et, *Non habebis Deos alienos præter me.* Et, *Clama, ne ceſſes, quaſi* [Exod. 20] *tuba exalta vocem tuam.* Optatiuus, quoque: [Iſai. 58.] *Vtinam attendiſſes mandata mea, facta fuiſſet ſicut flumen* [Iſai. 48.] *pax tua, & iuſtitia tua ſicut gurgites maris.* Et, [Pſ. 118. a] *Vtinam dirigantur viæ meæ, ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas.* [Pſal. 54.] Et, [Exod. 19.] *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo & requieſcam?* Coniunctiuus etiam: *Si audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis. Mea eſt enim omnis terra, & vos eritis mihi regnum Sacerdotale, & gens ſancta.* [E] Alibi quoque: *Habitabo in illis & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus.* [Leui. 26.] Vel ibi: *Si ſteriſſent in ſubſtantia mea, vtique auertiſſem eos à peſſimis cogitationibus eorum.* [Iere. 23.] [Ierem. 9.] Infinitiuus porrò modus, qui [Mich. 6.] & in ordine ſextus eſt, ita ſe habet: *Scire & intelligere Dominum, & facere iudicium & iuſtitiam in medio terræ.* [Iob 28.] [Iere. 40.] Itemque: *Continere à malo, intelligentia eſt.* [Rom. 12.] [Oſe. 14.] Imperſonalis ad extremum: *Quis adiuuit ſpiritum Domini? cum quo conſilium iniit, & inſtruxit eum ſemitam iuſtitiæ, & viam prudentiæ oſtendit illi?* [Pſal. 24.] [Sap. 6.] alibi etiam: [Pſ. 105.] *Quis eſt in vobis qui audiat hoc, attendat & auſcultet futura? Et quis eſt homo qui timeat Dominum? legem ſtatuet ei in via quam elegit.* Vel certè: *Scire legem, ſenſus eſt optimus.* Vel, *Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius?* Et his ſimilia, quæ ſingulis poterunt modis congruenter copioſius applicari. Hæc itaque in verbis facile reperimus, ſed iuſtus nunc ordo depoſcit, [F] vt in ipſis propriè rebus tanquam ſeptem ſigillis, regularis intelligentiæ formas congruis teſtimoniis coaptemus: imo ipſa potius teſtimonia, eiſdem regulis ſeruire probabiliter doceamus. Præmiſſos enim locutionis modos inueniſſe, etſi congruum vtcumque videtur, ad illud tamen quod quærimus, exiguum iudicatur. Ideo quippe ſcriptor huius reuelationis librum ſignatum ſeptem dicit ſigillis, quia ſecretos in eo altius modos admonet indagandos, quos ante redemptionis quidem tempus abſconditos, ipſo vero redemptionis tempore per Chriſtum atque in Chriſto nouimus reuelatos. Inquirentibus itaque nobis Scripturas, Primus hiſtoriæ actionis textus occurrit: Secundus autem allegoricus geſtus, Tertius vero vterque modus agnoſcitur, actionis videlicet & allegoriæ: Quartus quoque de incommutabili diuinæ Trinitatis eſſentia, quando propriè, quando figuratim ſacris inſinuetur oraculis: Quintus etiam parabolarum, qui tam relatu verborum, [G] quam actu conficitur operum: quique intantum eſt myſticus, multiplex atque occultus, vt non ſolum cuncta quæ iuxta literam in creaturis rerum ſtare non poſſunt, in ſe recipiat, verumetiam quibuſdam in locis myſtica narraturus, teſtimonium de hiſtoria aſſumens, ipſius literæ geſtum immutet: quibuſdam etiam, de ipſis peccatis hominum & tranſgreſſionibus adulterorum, aut Prophetiam annuntiet operum futurorum aut ſecreta ſpiritalium ſenſuum. Sextus porro de gemino Saluatoris aduentu, vel ad eos pertinentia, ne aut primus pro ſecundo, aut ſecundus intelligatur pro primo. Quæ diſcretionis regu- [1. Cor. 2.] la ſi Iudæorum cordibus, adueniente Domino in carne, refulſiſſet, nunquam gloriæ Dominum crucifixiſſent. Septimus atque extremus, quo ſic diuinis præceptis inſtruimur, vt certis quidem locis forma vitæ agendæ, certis vero figura vitæ ſignificandæ regulariter per eum inſinuetur. Et hæc certè enumerando facilè cucurrimus, ſed [H] neceſſe eſt vt iam præfatos modos Scripturarum teſtimoniis roboremus.

Primus, idemque hiſtoricus, indicat nobis vnum Deum eſſe, hoc modo: *Audi Iſraël, Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt.* [Deut. 6.] Qui videlicet ea tantum Scripturarum eloquia comprehendit, quæ nihil myſticum ſignificant, ſed ſimplici narratione rerum cauſas euoluunt.

Secundus allegoricus geſtus occurrit, vt eſt illud, quod Abraham ſeruum ſuum tam nouo & inſolito obtinet iuramento, dicens: *Mitte manum tuam ſub femore meo, & iura mihi per Deum cæli.* [Gen. 24.] Qui proculdubio cum aliquid geſtum narret, idcirco tamen geſtus ille allegoricus reputatur, quia non vſu omnium generaliter frequentatur, niſi Abraham, Iſaac & Iacob, Propheticis ſpiritaliter Patriarchis, de quorum femore Chriſtus ſperaretur corporaliter naſciturus. In illo enim Abrahæ femore, redemptoris noſtri intelligitur incarnatio. In qua videlicet rectè per Deum cæli iurare mandatur, quia nimirum is qui de ſtirpe Patriarcharum ſecundum carnem temporaliter natus apparuit, in ſubſtantia patris Deus ante tempora manſit. Intra hunc modum illud etiam concluditur, quod in omnibus fini-

Iſraël

A Iſraël, puella regi Dauid quæritur,& inuenitur tam fer-
1.Reg. 1. uens, vt algentis membra ſenis congruo fouens calore
mulceret: tam caſta, vt calefactum, ad libidinem non
Num.21. prouocaret, vel illud, quod populus in eremo ignitis ſer-
pentibus flagellatus, ænei conſpectione ſerpentis à ſer-
pentum morſu typice ſanabatur,& ſi qua ſunt ſimilia, quæ
ſi ad literam diſcuſſa tractentur, Indicta pro tempore pu-
tabuntur. Si vero illis quibus iuſſa ſunt deputanda my-
ſteriis applicentur, magnarum nobis rerum inſinuant Sa-
cramenta. In illa namque virgine ſapientia figuratur, quæ
etiam in ſenibus conſeneſcit: ſed frigeſcentibus mem-
bris, dilectores ſuos intemerato amplexu conſtringit, ig-
néque diuini amoris ſuccendit. In ſerpente autem æneo,
paſſio mediatoris noſtri exprimitur: qui vt nos à morte
veniens liberaret, mortem quoque voluit deuotè ſuſcipe-
re, vt ſcilicet ſerpentis morſu (id eſt, diaboli) ſua morte
B frustrato atque deſtructo, beatæ immortalitatis remedia
Sap.16. fidelibus condonaret. Quod in ſapientia quoque ſic pro-
batur expreſſum, vbi cum Autor eiuſdem hiſtoriæ diceret,
morſibus colubrorum peruerſorum exterminabantur, ſed
non diu permanſit ira: continuo ſubiecit: *Qui enim con-
uertebatur, non per hoc quod videbat ſanabatur, ſed per te
Ibid. omnium ſanatorem.* Quod vtique filio Dei euidenter aſſi-
gnans, adhuc inculcando ſubiunxit: *Etenim neque herba
neque malagma ſanabat eos, ſed tuus Domine ſermo qui om-
nia curat.* Quod quidem ſermo patris in Euangelio expo-
Ioan.3. ſuit, dicens: *Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in eremo, ita
exaltari oportet filium hominis: vt omnis qui credit in eum,
non pereat, ſed habeat vitam æternam.*

Tertius modus, vterque eſt, hiſtoricus ſcilicet atque
allegoricus: qui quadam lucis indagine admonet nos, vt
ſecundum Apoſtolum duos filios Abrahæ, vnum de ancil-
Gal.4. la & vnum de libera, duo teſtamenta myſticè cognoſca-
mus. De quibus idem Apoſtolus tractans, ait: *Scriptum
eſt, quoniam Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla,
C & vnum de libera. Sed qui de ancilla, ſecundum carnem
natus eſt: qui autem de libera, per repromiſſionem*, quæ
ſunt per allegoriam dicta. Hæc enim ſunt duo teſtamen-
ta. In quibus videlicet & Iudaicam plebem tanquam
Iſmaël, figuratim ſeruire docet: & à ſeruitute legis ab-
ſolutos, cœleſtis Ieruſalem populum, tanquam Iſaac li-
Ibid. beros denuntiat. Vnde & ſubtili inſtigatione idipſum ex-
plicat, dicens: *Hæc enim ſunt duo Teſtamenta.* Vnum
quidem à monte Sina, in ſeruitutem generans, quæ eſt
Agar. Sina enim mons eſt in Arabia, qui coniunctus eſt
ei quæ nunc eſt Ieruſalem, & ſeruit cum filiis ſuis. Hæc
de Iſmaël ancillæ filio. Quid autem de Iſaac filio libe-
Ibidem ræ? *Nos autem fratres, ſecundum Iſaac promiſſionis filij
ſumus.* Atque poſt pauca: *Itaque fratre, non ſumus ancillæ
filij, ſed liberæ.* Qua libertate Chriſtus nos liberauit. Ecce
etenim in duobus Patriarchæ filiis, & veritas hiſtoriæ
Gen.22. manet, & Prophetia futurorum certiſſimè claret. Intra
hunc modum & illud concluditur, quod Iſaac in holo-
D cauſtum paterna deuotione diſpoſitus, ligna ſibi com-
portans, Chriſti paſſionem figuraliter deſignauit: quem
pater pro nobis omnibus tradens, propriam baiulare paſ-
ſus eſt crucem. Necnon & illud, quod ex primi hominis
latere coſta detracta, atque in mulierem ædificata, actio-
ne ſimul ipſius operis, & Prophetia eiuſdem hominis, ty-
picum Chriſti Eccleſiæque figurauit Sacramentum. De
Gen.2. illo namque Adam ſopore conſurgens, dixit: *Hoc nunc
os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. Hæc vocabitur
virago, quoniam de viro ſumpta eſt. Quamobrem relinquet
homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt
duo in carne vna.* Adam quippè dormiente, coſta ex la-
tere detrahitur adetracta, in mulierem ædificatur: quia
videlicet redemptori noſtro in cruce morienti, lancea
latus percutitur: percuſſum, vim Sacramentorum ema-
nat, per quam ſancta Eccleſia ſpiritalis viri ſui vxor
aptatur. Os ex oſſibus, & caro de carne, ſubaudis,
fortes atque infirmi. Quam ob cauſam ipſa electorum
Eccleſia figuratim mulier ſimul & virago appellatur.
Mulier enim infirmitatem, virago fortitudinem oſten-
dit. Harum duarum in Eccleſia figuras perſonarum ca-
put corporis prætendebat, cum & ex vigore ſpiritus
paſſionem mortis appeteret, & ex carnis infirmitate E
triſtaretur, mœſtus eſſet, ac diceret: *Spiritus quidem* Matt.26.
promptus eſt, caro autem infirma. Hinc etiam fortis; ſi-
mul & ſciens ferre infirmitatem, perhibetur. *Quamob-* Iſai.53.
*rem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit
vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna.* Vbi quærimus,
quomodo propter ſuſcipiendam Eccleſiam redemptor
noſter patrem reliquerit, cum ſint ipſe & pater inſepa-
rabiles. Sed reliquit, dictum intelligere debemus: miſ-
ſus à patre, formam ſerui accepit, per quam & ean-
dem Eccleſiam ſibi coniunxit. Talis etiam illa locutio
eſt, qua in Euangelio ipſe dicit: *Quis ex vobis homo* Luc.15.
*qui habet centum oues, & ſi perdiderit vnam ex illis,
nonne dimittit nonagintanouem in deſerto, & vadit ad
illam quæ perierat, donec inueniat eam?* Cum vtique ſe-
ipſum in hoc intelligi volens, nunquam ipſe diuinitus
nonagintanouem oues in deſerto, id eſt, Angelicam
creaturam in cœlo reliquerit, cum per aſſumptam hu- F
manitatem in terra vnam quærebat. Quam autem aliam
eius matrem hoc loco intelligimus, niſi ſynagogam,
ex qua naturam noſtram ſuſcepit? Vt itaque vxori ſuæ
homo adhæreat, ſintque duo in carne vna: patrem &
matrem relinquit, quia videlicet redemptor noſter vt
Eccleſiam ſibi ex gentibus coniungeret, eſſétque vnum
corpus caput & membra, vna perſona ſponſus atque
ſponſa, vir atque vxor: à patre miſſus, humanam natu-
ram ſuſcepit, & Iudaicam plebem in incredulitatis per-
fidia remanere permiſit. Qui videlicet ſenſus à ſanctis
patribus frequenter inculcatus, ab egregio doctore pri-
mum emicuit. Sic enim ipſe in Epiſtola ſua ad Epheſios
dicit: *Viri, diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus di-* Epheſ. 5.
*lexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, vt illam ſan-
ctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo, vt exhi-
beret ſibi ipſe glorioſam Eccleſiam, non habentem macu-
lam, aut rugam, aut aliquid eiuſmodi, ſed vt ſit ſancta
& immaculata.* Ita & viri debent diligere vxores ſuas vt G
corpora ſua. Qui ſuam vxorem diligit, ſeipſum diligit.
Nemo enim vnquam carnem ſuam odio habuit, ſed nu-
trit & fouet eam, ſicut & Chriſtus Eccleſiam: quia mem-
bra ſumus corporis eius de carne eius, & de oſſibus eius.
Propter hoc relinquet homo patrem ſuum & matrem
ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna.
Sacramentum hoc magnum eſt. Ego autem dico in Chri-
ſto & in Eccleſia.

Quartus modus eſt, quo nobis aliquando propriè,
aliquando vero myſticè, creatoris noſtri diuinitas ſa-
cris intimatur oraculis. Propriè ſcilicet, ſicut ipſi Moyſi Exod. 3.
locutus eſt: *Ego ſum qui ſum, ſic dices filiis Iſraël:* Malac. 3.
Qui eſt, miſit me ad vos. Vel ſicut per Malachiam idem Pſal. 101.
ait: *Ego ſum Dominus Deus veſter, & non mutor.* Vel Exod. 20.
etiam illud, quod eidem per Pſalmiſtam dicitur: *Tu
vero idem ipſe es.* Myſticè autem, in eo quod ad altare
Dei gradibus aſcendere prohibemur. Siquidem nonnulli
patrum noſtrorum, per altare Dei, ipſum Deum omni- H
potentem figurari dixerunt. Vnde & beatæ recordationis
Auguſtinus, vt de cæteris taceam, cum illum Pſalmi ver-
ſiculum explanaret, quo dicitur: *Introibo ad altare Dei:*
quid eſſet hoc altare, eiuſdem Pſalmi teſtimonio docuit, Pſal. 42.
dicens: *Ad Deum qui lætificat iuuentutem meam.* Non eſt
autem mirum, ſi altare Dei Deus vocetur. Si enim eſt, mi-
rum quod charitas Dei, ipſe Deus intelligatur: vtrumque
enim legimus, *Quia charitas Dei diffuſa eſt.* Quid ergo 1. Ioan. 4.
eſt dicere, *Non aſcendes per gradus ad altare meum*, niſi, Rom 5.
non gradatim vnum alteri præferens, ad me peruenies: Exod. 20.
neque priorem atque poſteriorem tempore diſcernes,
qui diuiſum & ſequeſtratum, propitium non habebis?
Hoc enim Arriani faciunt, qui inſeparabilem Patris,
& Filij, & Spiritus Sancti ſubſtantiam diuidunt. My-
ſticè autem omnipotens Deus ſicut plauſtrum onuſtum Amos 2.
ſtridere ſe dicit, cum grauia hominum peccata porta- Iſai. 6.
re ſe indicat. Myſticè hunc Iſaias ſuper ſolium excel-
ſum & eleuatum ſedere deſcribit, ſubaudis, Angeli-
cæ ſubſtantiæ dignitatem, interno diſcretionis examine
ad quod voluerit ſibi ſubiicere. Myſticè idem de ſeipſo
ait: *Cælum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum* Iſai. 66.

A Iſai. 40. *meorum.* Myſticè cœlos palmo metiri, ac tribus digitis molem terræ appendere perhibetur, & cætera innumerabilia æquè ſimilia, quæ de incommutabili diuinæ maieſtatis eſſentia, tranſlatè & non propriè dici poſſunt, de quibus nunc longum eſt diſputare.

Quintus modus eſt parabolarum, qui tam relatu verborum, quam actu conficitur operum, quique (vt prædiximus) in tantum eſt myſticus, multiplex atque occultus vt non ſolum cuncta, quæ iuxta literam in creaturis rerum ſtare non poſſunt, in ſe recipiat, verumetiam quibuſdam in locis narraturus, teſtimonium de hiſtoria ad ſuum ipſum litteræ geſtum immutet: quibuſdam vero, etiam de ipſis peccatis hominum & tranſgreſſionibus adulterorum, aut Prophetiam annuntiet operum futurorum, aut ſecreta ſpiritalium ſenſuum. Parabolis enim verborum hic modus conficitur ex quibus eſt illud quod legimus: Iudic. 9. B *Ierunt ligna vt vngerent ſuper ſe regem.* Nunquid nam ambulare poſſunt ligna, ſibique regem conſtituere, cum hoc vtique deneget impoſſibilitas naturalis? Sed aliud quiddam per congruam ſignificationem metaphoricè talibus Scripturarum ſententiis profertur. Quia vero tam obſcuriſſimæ locutionis, tamque iuxta humanam rationem contrariæ, mentionem fecimus: ſupereſt vt textus ipſius locutionis exequentes, quid ſingula myſticum deſignent, breuiter indagemus. Denique, vt ad hiſtoriam Ibid. ipſius loci recurramus, cum Abimelech filius Gedeonis natus ex concubina, ſeptuaginta fratres ſuos ſuper vnam petram interficeret: vnus extra illos, ac nobilior omnium, Ioathan nomine, aufugit. Dumque viri Sichem eundem Abimelech ſibi regem conſtituerent nunciatúmque eſſet Ioathan, iuit & ſtetit in vertice montis Garizim, eleuatáque voce, clamauit & dixit: *Audite me viri Sichem, ita vt audiat vos Deus. Ierunt ligna vt vngerent ſuper ſe regem. Dixerúntque oliuæ: Impera nobis. Quæ reſpondit: Nunquid poſſum deſerere pinguedinem meam, qua dij vtuntur & homines, & venire vt inter ligna commouear? Dixerúntque* C *ligna ad arborem ficum: Veni, & ſuper nos regnum accipe. Quæ reſpondit: Nunquid poſſum deſerere dulcedinem meam fructuſque ſuauiſſimos, & ire vt inter cætera ligna commouear? Locuta ſunt quoque ligna ad vitem: Veni & impera nobis. Quæ reſpondit: Nunquid poſſum deſerere vinum meum, quod lætificat Deum & homines & inter cætera ligna commoueri? Dixerúntque omnia ligna ad rhamnum: Veni & impera ſuper nos. Quæ reſpondit eis: Si verè me regem conſtituitis ſuper vos, venite & ſub vmbra mea requieſcite. Sin autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno, & deuoret cedros Libani.* Quamquam itaque vir iſte tranſlatæ locutionis prudentiſſimus, homines Sichem, ligna, oliuam autem, ficum & vitem propter differentiam gratiarum, ſe fratreſque ſuos: rhamnum vero Abimelech intelligi voluerit: aliquid tamen futurorum in hac eius locutione figuraliter expreſſum inuenimus. Quid igitur per ligna, niſi populi tortuoſi atque infructuoſi, æternóque incendio præparati deſignantur, quibus videlicet per Iu- Iudæ 5. d D dam dicitur: *Hi ſunt arbores autumnales, infructuoſæ, eradicatæ bis mortuæ?* Quid autem per oliuam, niſi Spiritus Sanctus exprimitur, quo & Chriſtus præ participibus ſuis, & Chriſtiani pro menſura donationis eius vnguntur? Quid vero per ficum, niſi lex veteris Teſtamenti figuratur? Vnde & in Euangelio Dominus dixiſſe probatur. Luc. 13. *Quidam paterfamilias plantauit vineam, & in vinea ſua plantauit ficum.* Quis enim paterfamilias rectius, quam omnipotens Deus vocatur, qui eos quos condidit, quaſi Pſal. 79. pater regere non deſinit? Hic itaque paterfamilias plan- Iſai 5. tauit vineam, ſubaudis plebem Iudaicam, quia vineam de Ægypto tranſtulit: & *vinea Domini Sabaoth, domus Iſraël eſt.* In hac vinea plantauit ficum, id eſt, in ipſa plebe legem conſtituit. Quæ videlicet lex, primitiuum populum velut ficus groſſos acerbos & inutiles in terra deiecit, & poſtmodum legitimos protulit fructus, in quibus intelligitur populus Chriſtianus quem vtique adhibita Euangelica diſciplina, ad fidei maturitatem & ſuauiſſimam Chriſti dulcedinem, cum gloria & honore perduxit. Quid quoque per vitem niſi mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus intelligitur? Sicut ipſe in Euangelio de ſeipſo teſtatur: *Ego ſum vitis vera, & pater meus agricola.* E Ioan. 15. Quid autem deſignatur per rhamnum, genus videlicet rubi, aſperum nimis & ſpinoſum? Quis non videat, etiam ſi non exponatur? Antichriſtus enim per eum exprimitur. Quid eſt igitur quod ligna ambulant ad oliuam, ficum & vitem, poſtulántque vt ſuper ea regnum accipiant, ſed non impetrant: niſi quia homines quidam peruerſi, à vita Dei alieni, optant quidem ſub gratia Spiritus Sancti, ſub legis protectione ac Chriſti nomine manere: ſed malè, quia non tam vt eis vtantur, quam potius abutantur, & idcirco reprobantur? Volebant enim Iudæi vt regnaret ſuper illos oliua, ſed male: quia non vt illi Spiritui Sancto in Prophetis vera * loquentibus obedirent, ſed vt eis ad deſideria ſua idem Spiritus Sanctus mendacium per eos prophetaret. Volebant vt ficus, ſed male: quia non vt ipſi iuſſa legis ſpiritaliter implerent, ſed vt indeſinenter victimas eius F comederent. Volebant vt vitis, quando Chriſtum conati ſunt regem conſtituere, ſed malè: quia non vt mandata eius ſeruarent, ſed vt temporalem famem euaderent, videntes eum ex quinque panibus & duobus piſcibus quinque millia hominum ſaturaſſe. Optant hæretici regnare ſuper ſe oliuam, ſed nequiter: Spiritum Sanctum extra hæreditatem ſuam (id eſt, extra Eccleſiam) volunt abiicere, de quo non rectè probantur ſentire. Ioan. 6. Optant ficum, ſed nequiter: quia rectitudinem legis ad peruerſa dogmata conantur inflectere. Optant vitem, ſed nequiter: quia Chriſtum nec verum Deum, nec verum hominem volunt profiteri. Vnde & tortuoſis atque infructuoſis lignis oliua rectè reſpondit: Iudic. 9. Nunquid poſſum deſerere pinguedinem meam, qua & dij vtuntur & homines, & venire vt inter ligna commouear? Ac ſi peruerſis hominibus Spiritus Sanctus diceret: Non placet æquitatis meæ iudicio, vt deſeram gratiam vnctionis, quam effudi in filios adoptionis: & ad nequam ſeruos tranſeam, in quibus non eandem vnctionis gratiam poſſideam, ſed omni vento doctrinæ circumferar. Ioan. 5. G Sed nec contrarium eſt fidei, quod electi, dij & homines appellantur: dij ſcilicet, quia ex Deo nati: homines autem, quia rationales effecti. Benè ficus reſpon- Rom. 7. dit: *Numquid poſſum deſerere pinguedinem meam, fructuſque ſuauiſſimos, & ire inter cætera ligna vt commouear?* Ac ſi veteris teſtamenti lex, quæ ſecundum Apoſtolum ſpiritalis eſt, diu à Iudæis, diu ab hæreticis fatigata: & ideo fatigata, quia male intellecta: talibus loqueretur. Non eſt æquum vt eos deſeram, in quibus ſpiritalem præceptorum meorum ſuauiſſimam obſeruantiam cerno: & eis faueam, in quibus nullum fructum afferam, ſed tantum peruerſis ſenſibus quatiar. Digne vitis reſpondit: Iudic 9. *Nunquid poſſum deſerere vinum meum, quod lætificat Deum & homines, & inter cætera ligna commoueri?* Veluti ſi mediator noſter diceret: Expers rationis cauſa eſt, vt ab eis recedam, quos in nuptiis cœleſtibus doctrinarum mearum vino debriatos aſpicio: & ad H eos tranſeam, qui non vinum, ſed ſolas feces bibere conſueuerunt, id eſt, non veritatis doctrinam, ſed falſitatis errorem tenere mouerunt, quod diuerſis flatibus commoti, quietem perdiderunt. Quis autem iam non intelligat, ſuper electos oliuam, ficum, & vitem regnare: cum videat eorum interiores facies vnctione Spiritus Sancti exhilarari, fructu ſpiritalis legis corda confirmari, vino Euangelicæ prædicationis mentes debriatas lætificari? Sed quia infructuoſa ligna indigna iudicantur, vt ſuper ea oliua, ficus vel vitis regnum accipiant, ad rhamnum concurrunt, id eſt, reprobi quilibet ab Eccleſiæ vnitate disiuncti, Antichriſtum cum venerit ſuſcipiunt. Iure autem à rhamno lignis dicitur: Ibid. *Si verè me regem conſtituitis ſuper vos, venite & ſub vmbra mea requieſcite.* Ac ſi diceret: Si me ſuper oliuam, ficum & vitem eminere vultis, veſtrique dominari: nolite vlterius ſub eorum vmbra, ſed ſub mea requieſcere. Quod tale eſt, quaſi peruerſus ille homo tunc ad ſe venientibus dicat: Si verè me regem Chriſtum arbitramini, nullius vel ſub cœlo, vel ſuper cœlum alterius protectionem niſi meam requirite. Cuius temeritatem Paulus quoque breui-

* loquenti.

A 2.Th.2. ter inſinuat, dicens: *Qui aduerſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus.* O miſerabilis rhamni vmbræ protectio. Quæ etſi ſecularis potentia tuetur, ſpinis tamen duri imperij deſuper premere videtur: ne quiſque ſub ea conſtitutus, prout libitum fuerit, ſine punctione erigi poſſit. Valde enim ſe reprimit, qui ſub vmbra rubi ſe protegendum ſubſternit. Sin autem, inquit, non vultis, egrediatur ignis de rhamno, & deuoret cedros Libani. Apertè videlicet dicens, quia ſi alterum Deum præter me habere vultis, ac meo imperio ſubiacere, præſto eſt vt à me flamma æli, iræ, indignationiſque procedat, quæ altitudinem ſuperbiæ veſtræ conſumat. Huic locutioni quicquid ſacra Scriptura contra humanæ rationis vſum dictis profert, coniungi videtur. Qui videlicet modus dum etiam parabolis rerum conficitur, aliquando (vt dictum eſt) myſtica narraturus, teſtimonium de hiſtoria aſſumens, ipſum literæ geſtum immutat. Vnde eſt illud, quod in titulo pſalmi XXXIII. dicitur, Pſalmus ipſi
B Dauid, quando commutauit vultum ſuum coram Abime-
1.Reg.21. lech, & dimiſit eum & abiit: cum in libro Regum, coram Achis rege, ſuum Dauid vultum mutaſſe legatur, quando tympanizans ad oſtia ciuitatis, propriumque corpus ſuis manibus portans, & ſaliuam ſuper barbam ſuam decurrere faciens, vel cætera tanquam more inſanientis exercens, typum dominicæ paſſionis expreſſit. Cum ergo mutato nomine, pro Achis Abimelech poſuit, legentem vtique admonuit, ex ipſius interpretatione nominis, latens altius penetrare myſterium. Abimelech enim interpreta-
Phil.2. tum, dicitur patris mei regnum. Tunc itaque Dei filius, Deus ac Dominus Ieſus Chriſtus, coram regno patris ſui, id eſt, Iudæis vultum ſuum commutauit: quando in forma ſerui humilis apparens factuſque obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis: quod propriè tympano figuratur, diuinitatis ſuæ claritatem illis abſcondit, carnem crucifigendam præbuit. Vnde & per Iſaiam dicitur:
Iſa.53. *Vidimus eum, & non erat ei aſpectus: deſpectum & nouiſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem ferre infirmitatem: & quaſi abſconditus vultus eius & deſpectus, vnde nec reputauimus eum.* Dimiſit autem Abimelech Dauid, &
C abiit: quia videlicet Chriſtus à Iudæis minimè receptus, ad gentes cum Apoſtolis tranſiuit. Vnde & Paulus eiſdem
Act.13. Iudæis non credentibus, dicit: *Vobis primum oportebat loqui verbum Dei, ſed quoniam repuliſtis illud, & indignos vos iudicaſtis æternæ vitæ ecce conuertimur ad gentes.* Hinc
Matt.21. Domino ſub parabola vineæ de hac re Iudæos interrogante ac dicente: *Cum venerit Dominus ſeruorum illorum, quid putas faciet?* neſcientes reſponderunt, *Malos male perdet, & vineam ſuam locabit aliis agricolis.* Aliquando vero idem modus in parabolis rerum, de ipſis etiam peccatis hominum & tranſgreſſionibus adulterorum, Prophetiam inſinuat operum futurorum. Publicum certè peccatum Dauid de vxore Vriæ Ethæi parebat: ſed de illo opere malo aliquid boni Prophetia nobis figurabat. Dauid namque interpretatur manu fortis. Vrias autem, lux mea Dei. Etheus vero, abciſus. Berſabee quoque, puteus ſatietatis, ſiue puteus ſeptimus. Cuius itaque figuram
D illo in loco Dauid manufortis geſſiſſe creditur niſi Do-
Pſal.23. mini Ieſu Chriſti, de quo per Pſalmiſtam dicitur: *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio?* Cuius autem Vrias, qui interpretatus, lux mea Dei, ſonat: niſi an-
Iſa.14. tiqui aduerſarij, qui ſuperbiæ inflatus tumore, dixit: *Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero altiſſimo?* Quia vero creatrici ac ſempiternæ luci, lux orta in tempore, ſe ſimilem fieri concupiuit: hoc ipſum etiam quo
Ioan.8. à conditore lucebat, amiſit. Vnde quia & in veritate non ſtetit, ſed à luce ſua, quam à creatore præ omnibus creaturis clariorem acceperat, ſuperbiæ merito tanquam horrendæ tenebræ excluſus eſt: rectè ei conuenit, quod Ethæus (id eſt abſciſus) vocatur: quique cadendo vera fortitudine amiſſa, nunc etiam transfigurat ſe velut Angelum lucis, audens adhuc dicere: *Lux mea Dei eſt.* Et quid mirum, ſi Dei lucem ſuam dicat, cum de illo
2.Cor.11 2.Th.2. Apoſtolus clamet: *Aduerſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur?* Cuius Berſabee, quæ io Latinam linguam, puteus ſatietatis vel puteus ſeptimus E
vertitur, niſi Eccleſiæ figuram expreſſit? Rectè enim ſanctorum Eccleſia, puteus ſatietatis ſiue puteus ſeptimus vocatur; quia nimirum * ille ſeptiformis ſpiritus doctri- * illa.
na in electis ſuis redundare cernitur, quæ ſæpè in diuinis voluminibus aquarum fluentis apertiſſimè comparatur. Hinc Dominus in Euangelio ait: *Si quis ſitit, veniat ad* Ioan.7.
me & bibat. Et qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, *flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Quæ autem eſſet illa potatio, ſubſecutus Euangeliſta expoſuit, dicens: *Hoc au-* Ibid.
tem dixit de ſpiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Hinc mulieri Samaritanæ typum Eccleſiæ gerenti, ad puteum dicit: *Qui biberit ex aqua hac, ſitiet iterum. Qui bi-* Ioan.4.
berit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum, ſed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Super ſolarium itaque domus lauantem ſe Berſabee Dauid Rex manufortis, petulanti oculo vidit, concupiuit & abſtulit: quia videlicet redemptor noſter Deus ac Dominus Ieſus Chriſtus, Eccleſiam quam ex Eph.5.
gentibus acquiſiuit, lauacro aquæ in verbo mundatam, F
terrena calcantem, cœleſtibus inhiantem, prædeſtinatam vidit prouidus, vocatam dilexit ſponſus, vt iuſtificatam ſibi coniungeret legitimus ſpiritali coniugio maritus. Sed vt Berſabee Dauid coniungatur, Vrias vir eius interficitur: quia vt iſtorum Eccleſia cœleſti ſponſo adhæreat, antiqui hoſtis virtus confringitur: confracta pedibus electorum calcanda proſternitur. Vnde & per Angelum il- Luc.10.
lius à Domino dicitur: *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper omnem virtutem inimici.* Cuius rei figuram Exod.2.
Moſi geſtus expreſſit, qui percutientem Hebræum Ægyptium interfecit, interfectúmque ſabulo texit. Moyſes etenim vt Hebræum ab effuſione ſanguinis eripiat, percuſſorem eius Ægyptium interfecit, interfectúmque ſabulo abſcondit: quia videlicet mediator noſter vt electos ſuos ab æternæ mortis caſibus defendat, antiqui hoſtis virtutem confringit, confractámque ſuorum ſubdens pedibus famulorum, in eis tantum latere permittit, quos velut arenam mobiles prænoſcit. Vnde & draco qui cum Apoc.12.
ſanctis pugnaturus adſcribitur, ſuper arenam ſtare perhibetur. Ecce etenim vt taceamus de Moyſe, cui pro certo licitum erat, alienigenam & inimicum gentis ſuæ inter- G
ficere, ſicut ei Dominus poſtea in lege mandauit: ſi fa- Deut.20.
ctum Dauid iuxta literam attendimus, cui certè illicitum erat adulterium perpetrare, virumque mulieris cum qua inceſtum facinus perpetrauerat, vtique & Dei & gentis ſuæ amicum dolo interficere, atque eam ſibi in coniugium ſumere: ſi inquam factum illius Dauid ſecundum hiſtoriam attendimus, quid vnquam poteſt inueniri ſceleſtius? Si vero myſterium figurandæ rei in ipſo facto conſideramus, quid aliquando valet reperiri ſalubrius? Pſal.18.
Eſt ne aliquid adhuc quod in hoc Dauidico figuretur? Eſt planè. Dauid itaque in ſolario deambulans, ſicut præmiſi, typum exprimit redemptoris. Benè autem in ſolario, quia in ſole poſuit tabernaculum ſuum. Solarium enim non tantum ab eo nomen accepit, quod ad ſimilitudinem terræ, ſolum habeat: ſed etiam ab eo, quod eminentius cæteris domibus in ſole ſit poſi- H
tum. Sed nec habet Iudaica plebs, ſicut nos, tectum 2.Reg.16
ſuper ſolaria, cum aëris qualitate compulſi, Abſalom ad concubinas patris ingredienti, miniſtri eius ſuper ſolarium illi tabernaculum tetendiſſent. Vnde & videntibus cunctis, ſicut figura illa præteſtatur, ad eaſdem concubinas ingredi potuit. Siue ergo in ſolario, ſiue in ſole dicamus, tantundem valet. Vtrumque enim pro manifeſto ponitur. Hinc etiam per Nathan Prophetam eidem Dauid: *Tu feciſti verbum iſtum* 2.Reg.12
in abſcondito, ego vero faciam in conſpectu omnis Iſraël, & in conſpectu ſolis. Quid autem eſt, Berſabee Dauid ad ſe adducere, niſi datorem legis, ca[illegible] populo lege coniunctam, ſpiritali ſibi intellectu ſociare? Berſabee enim, vt præfati ſumus, puteus ſ[illegible] primus dicitur: quia nimirum per cognitionem legis, infuſio ſpiritalis gratiæ, perfecta nobis ſapientia miniſtratur. Quem vero Vrias, niſi Iudaicum populum ſignat, cuius nomen interpretatum dicitur, lu[illegible]

A mea Dei? Iudaicus autem populus, quia de accepta legis ſcientia extollitur, quaſi de Dei luce gloriatur. Sed huic Vriæ Dauid vxorem abſtulit, ſibique coniunxit: quia videlicet manufortis, quod Dauid dicitur, in carne redemptor apparens, dum de ſe ſpiritaliter loqui legem innotuit, per hoc quod iuxta literam tenebatur, hanc Iudaicu populo extraneam demonſtrauit: ſibique coniunxit, quia ſe per illam prædicari declarauit. Vriam tamen ad domum ire Dauid admonet, & pedes lauare: quia incarnatus Dominus veniens, Iudaicu populo præcepit, vt ad conſcientiam redeat, & ſordes operum fletibus tergat, vt ſpiritaliter mandata legis intelligat: & poſt tantam duritiam præceptorum, fontem baptiſmatis inueniens, ad aquam poſt laborem recurrat. Sed Vrias qui arcam Domini ſub pellibus eſſe memorat, reſpondit quod domum ſuam intrare non poſſit. Ac ſi Iudaicus populus dicat: Ego mandata Dei in ſa-B crificiis carnalibus video, & redire ad conſcientiam ſpiritalem intelligentiam non requiro. Quaſi enim arcam eſſe ſub pellibus dicit, quia præcepta Dei non niſi ad exhibendum miniſterium ſacrificij carnalis intelligit. Hunc tamen etiam redire ad domum nolentem, Dauid ad menſam vocat: quia quamvis Iudaicus populus ad conſcientiam reuerti contemnat, ei tamen redemptor veniens, mandata ſpiritualia prædicat, dicens: *Si crederetis Moyſi,* Ioan. 5. *crederetis forſitan & mihi, de me enim ille ſcripſit.* Legem itaque Iudaicus populus tenet, quæ eius diuinitatem loquitur, cui idem populus credere dedignatur. Vnde & Vrias ad Ioab cum Epiſtolis, ex quibus occidi debeat, mittitur: quia ipſe Iudaicus populus legem portat, qua conuincente moriatur. Dum enim mandata legis retinens implere nititur, ipſe nimirum defert iudicium vnde dam-Gen. 38. netur. Quid ergo per factum iſtud, Dauid ſceleſtius? quid Vria mundius dici poteſt? Sed rurſum per myſterium quid Dauid ſacrius, quid Vria infidelius inuenitur, quoniam & C ille per vitæ culpam, Prophetiæ ſignat innocétiam: & iſte per vitæ innocentiam, in Prophetia exprimit culpam? ſic certè, ſic actio Thamar cum Iuda concumbentis, & execrabilis iuxta literam, quamquam non æquali pondere: & laudabilis habetur iuxta ſignificatiuam intelligétiam, me-Gen. 19. rito conſimili. Quo contra duarum Loth filiarum inceſtu libidinis ſtuprum, quamquam aliquid futurum ſignificet, in vtriſque tamen partibus deteſtandum habetur. Illis igitur culpa cadentibus, à Deo qui nouit benè vti etiam malis noſtris, congruum de illis myſterium parabatur. Cuncta namque illius temporis in eodem populo geſta, Pro-1. Cor. 10 phetiam eſſe futurorum docet Apoſtolus, dicens: *Omnia enim hæc in figura contingebant illis.* Et licet illi aut purgatorias pro commiſſo ſcelere pœnas luerent, vt Dauid ante faciem filij ſui Abſalom nudis pedibus opertóque capite fugiens, flens & lugens: aut certè veniam ſibi pœnitentiæ D remediis impetrarent, vt idem Dauid: nobis tamen, vt diximus, diuina clementia in illorum nefandis operibus aut diſpenſationis incarnati verbi præparabat effectum, aut aliud quid futurorum præuidebat agendum. Foris ergo peccata parebant, intus autem myſteria latebant. Sed quia Gen. 38 Thamar métionem fecimus, licet breuiter indagare, quid eius proles illicita mixtione percepta, myſticum deſignauerit. Denique vt ad locum eiuſdem hiſtoriæ veniamus, cum geminos pareret Thamar, vnus de vtero eius præmiſit manum: quam arripiens obſtetrix, coccino ligauit, dicens: *Hic egredietur prior.* Sed in matris vtero illo manum reuocante, exiuit alter. Cui obſtetrix dixit: *Quare diuiſa eſt propter te maceria?* Vnde vocauit nomen eius Phares, id eſt, *diuiſio.* Poſt quem exiuit frater eius, qui prius manum de vtero præmiſerat, quam & coccino obſtetrix ligauerat vocauitque nomen eius Zara, qui interpretatus, oriens ſonat. Quis hic non videat, quantum ænigmata myſterium prodant? Ecce manus de vtero præmiſſa, cocco ligata, in vtero matris reuocata: vox obſtetricis gemina, quod prior alter exiret, maceriam alter diuideret. Quid itaque in his duobus geminis, niſi gemina deſcribitur vita populorum vna ſecundum fidem, altera ſecundum legem: vna ſecundum gratiam, altera ſecundum literam? Et quis alius in Zara, qui prior ex vtero manum præmiſit, ſed poſt E natus fuit niſi populus fidei, populus gratiæ figurabatur: Manum igitur Zara ex vtero præmiſit, quia videlicet populus fidei & gratiæ in Patriarchis ſine lege iuſtitias fidei & gratiæ operari cœpit, in Abel ſcilicet Seth, Enoch, Noë, Melchiſedech, Abraham, Iſaac, Iacob, Ioſeph & Iob, & aliis qui illorum imitari potuerunt exempla. Hi etenim vitæ ſuæ actum, qui figuratur per manum, liberè per gratiam in hoc ſeculo præmiſerunt. In quorum profectò manu, noſtri quoque actus tanquam pleniores corporis, qui adhuc naturæ quodammodo geſtantis vtero tenebamur, figura præceſſit. Vnde & ipſa manus ſecum in vtero coccum retraxit, iudicia videlicet Chriſti paſſionis, cuius effuſio ſanguinis, actum illuſtrabat Chriſtianum. Hinc enim idem paruulus nomen accepit Zara, id eſt, oriens: tanquam ſe orientis populus, Domini videlicet redemptoris, de quo per Zachariam dicitur: *In quibus viſitauit nos* Luc. 1. *oriens ex alto.* Qui videlicet populus gratiæ, etſi poſt natus, tamen myſtica obſtetricis voce primatum accepit, F dicentis: *Hic egredietur prior.* Sed nec mirum, vt ipſe poſt Gen. 38. ſequens, primatum teneat, qui prior ad opus gratiæ manum extendit. Vtinam autem cum ad hoc opus manum præmiſit, perfectè natus exiſſet: & non illo manum retrahente, alter maceriam incidiſſet. Et quid per maceriam, niſi ædificationem gratiæ, niſi opus Euangelicum intelligimus figurari: Sed cum manum Zara in vterum retraxit, Phares exiens, maceriam diuiſit: quia nimirum cum opus fidei & gratiæ in Patriarchis ceſſauit, lex cum Moyſe apparens, quaſi quidam paries ſemet medium interſeruit, & quodammodo vitam Patriarcharum & Chriſtianorum diuiſit. Sed veniens Dominus, parietem legis de medio tulit, & diuiſam maceriam coniunxit, ac quodammodo ex duabus vnam effecit, Paulo atteſtante qui ait: *Ipſe eſt pax* Eph. 2. *noſtra, qui fecit vtraque vnum. Et medium parietem maceriæ ſoluens, inimicitias in carne ſua, legem mandatorum in decretis euacuans, vt duos condat in ſemetipſo in vnum* G *nouum hominem, faciens pacem: & reconciliaret ambos in vno corpore Deo, per crucem interficiens inimicitias in ſemetipſo.* Vbi notandum, quod ipſum parietem qui maceriam diuiſerat, inimicitias Apoſtolus vocat. Obſeruatio etenim veteris legis, quaſi quoddam diuortium inter vitam ſimplicem Patriarcharum, & vitam ſequétium Chriſtianorum fecerat: nec poterant reconciliari Deo in vno corpore, niſi per vnum nouum hominem, imo in vno nouo homine Chriſto Ieſu, qui medium parietem maceriæ ſoluit, ſeque tanquam lapidem angularem oppoſuit, non Gen. 19. iam qui diuideret, ſed qui vniret. Quid quoque de Loth dicturi ſumus, qui poſtquam laudabiliter Angelis præcedentibus, cum vxore & filiabus de peritura Sodoma exiuit, vino debriatus, cum eiſdem filiabus in monte concubuit? Certè mihi videtur non vnus idemque in myſterio Loth extitiſſe: & à Sodomis exiens, & inebria-Philip. 3. tus cum filiabus in monte concumbens. Loth enim à Sodomis exiens, perſonam illorum geſſit, qui per H gratiam Dei vocati, ea quæ retro ſunt obliuiſcuntur, & ad ea quæ in ante ſunt, ſe extendunt: non ſicut illi qui in eius vxore figurati, accepto itinere retro Luc. 9. reſpiciunt, contraria Domini dictis peragentes: *Nemo mittens manum ſuam in aratro, & aſpiciens retro, aptus eſt regno cœlorum.* Quo videlicet in facto nec illud Scriptura exemplo tacuit, quo nos tanquam ſale condiret, vt non fatui negligeremus, ſed prudenter Luc. 17. hoc malum caueremus. Vnde & illa mulier, vt hoc admoneret, in ſtatuam ſalis conuerſa eſt. In monte vero inebriatus cum filiabus concumbens, futuræ legis perhibetur geſtaſſe perſonam. Quam quidam, videlicet ex ea procreati & ſub ea poſiti, malè intelligendo, quodammodo inebriantur: eaque non legitimè vtendo, infide-1. Tim. 1. litatis opera pariunt. *Bona eſt enim lex*, ait Apoſtolus, *ſi quis ea legitimè vtatur.* Si igitur in ſcelere Dauid, boni aliquid figuratum intelligimus: nec tamen tali in facto Dauid collaudamus ſed magis deteſtamur: quanto magis cum in facinore Loth filiarumque eius, mali aliquid ſignatum videamus, eos tali in facto iuſtificare non debemus?

Sextus modus eſt de gemino Saluatoris aduentu,

A quo vigilanti intentione diſcretionis eſt regula adhibenda, ne aut primus accipiatur pro ſecundo, aut ſecundus pro primo. Cuius videlicet Iudæi ignari, apparente Domino in humanitate, caligabant: & nunc vſque eadem ignorantiæ cæcitate laborant, neſcientes quid ad primum, quid ad eius ſecundum pertineat aduentum. Primus itaque humilitatis ſibi vindicat loca. Vnde eſt illud
Deut. 18. quod Moyſes dicit: *Prophetam ſuſcitabit vobis Dominus Deus veſter de fratribus veſtris tanquam me, ipſum audietis.* Quod Dominus quoque de ſe ſcriptum fuiſſe aperte
Ioan. 5. indicat, dicens: *Si crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi, de me enim ille ſcripſit.* Et illud Prophetæ, dicentis:
Baruc. 3. *Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus*
Iſa. 53. *eſt.* Illudque: *Non eſt ei ſpecies neque decor; & vidimus eum, & non erat ei aſpectus: deſpectum & nouiſſimum*
Ibid. *virorum, virum dolorum.* Atque poſt pauca: *Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Et nos putauimus eum quaſi leproſum & percuſſum à Deo & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates no-*
B *ſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra, & liuore eius ſa-*
Ibid. *nati ſumus.* Nec non & illud: *Sicut ouis ad occiſionem ducetur, & ſicut agnus coram tondente ſe obmuteſcit, ſic non aperiet os ſuum.* Secundus autem, celſitudinis ac ter-
Pſal. 49. roris obtinet loca. Vnde ſcriptum eſt: *Deus manifeſtus veniet, Deus noſter & non ſilebit. Ignis in conſpectu eius ardebit, & in circuitu eius tempeſtas valida.* In Euange-
Matt. 24. Marc. 13. lio quoque ipſe de ſe venturus iudex ait: *Tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cum poteſtate magna & maieſtate.* In quo ſcilicet aduentu, illos etiam eum in carne viſuros deſignauit Propheta, qui corpus eius patibulo crucis adfixerunt, cum eidem longe prædixit:
Zach. 12. Apoc. 1. *Aſpicient ad te quem confixerunt.* Vnde etiam in principio eius reuelationis dicitur: *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* Hinc
Malac. 3. quoque per Malachiam ipſe dicit: *Accedam ad vos in iudicio, & ero teſtis velox maleficis & adulteris & periuris, & qui calumniantur mercedem mercenarij, viduas quoque*
C *& pupillos opprimunt & peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum.*

Septimus modus eſt, qui geminam præceptorum retinet qualitatem, id eſt, vitæ agendæ, vitæque figurandæ. Qui modus cum in vitæ figurandæ præceptis ſecundo ſimilis videatur, illa tamen ratione diſcernitur, quod hic ad mores tantum, ille vero ad fidem redigitur: in illo quid credere, in iſto vero quid operari debeamus inſeritur. Et quidem agendæ vitæ præcepta, nunc vſque manent: vitæ vero figurandæ, manifeſta veritate tranſierunt.
Deut. 6. Vitæ enim agendæ præcepta ſunt: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex*
Matt. 19. *tota virtute tua, & proximum tuum ſicut teipſum:* vel cætera talia, quæ etiam Euangelica authoritate ſeruari iubentur. Vitæ vero figurandæ, circumciſionis & Sabbathi vel carnalium victimarum: quæ, vt diximus, apparente veritate, velut vmbra tranſierunt. In circumciſione ſiquidem præputij, Carnalium figurabatur detruncatio vitio-
D rum. In Sabbathi autem obſeruatione, illa requies ani-
Pſal. 45. marum, de qua per Pſalmiſtam Dominus dicit: *Vacate & videte, quoniam ego ſum Deus.* In victimarum vero oblationibus, ſanctorum hoſtia viua ſimul & immacu-
Rom. 12. lata, de qua illis per egregium Doctorem dicitur: *Obſecro vos per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem.* Quia vero nec illa quæ in vitæ agendæ præceptis, nec illa quæ in vitæ figurandæ præceptis, data fuerant Carnali Iudaico populo, impleri poterant, beato Stephano ad eos dicen-
Act. 7. te: *Accepiſtis legem in diſpoſitionibus Angelorum nec cuſtodiſtis:* illis implendis ſuam Chriſtus gratiam porrigere, iſtis remouendis ſe prænuntiatum ſuo tempore voluit præſentare. Neque enim illa ab infirmis impleri quiuerant, quæ vitæ agendæ mandatis continebantur: niſi ille cum gratia deſcenderet, qui vitæ figurandæ præcepta in offerendis victimis euacuaret. Licet enim in his quæ pro dilectione proximi, vel cohibitione delicti apertius iubebantur, patens atque incommutabilis præcepti forma permanſerit: gratias tamen infirmus populus agebat, qui gemens ſub legis pondere laborabat. In illis vero fi- E
guratis pecorum victimis, agnus ille expectabatur; cui certiſſime hæc eadem repoſita fuiſſe pronuntiabatur; vt ipſo veniente, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ &* Col. 2.
ſcientiæ abſconditi: vitæ agendæ præcepta, data gratia; contemplarentur: figuræ autem tanquam vmbræ, manifeſta veritate, protinus fugarentur. Illis igitur apertis; lex conuincebat reos, prodebat infirmos, vt redemptio quæreretur. Iſtis vero ſignificatiuis, tanquam interiora velaminis Chriſtum parturiebant fore venturum. Quo veniente, remota celebratio deſtitit figurarum, quæ vmbra fuerat futurorum. Nec eſt vlterius iam quærendi, ex quo ipſius viui corporis veritas claruit manifeſta. In illo enim nobis vitæ cœleſtis forma conſiſtit, ex cuius fide iuſtus viuit. Hinc per Apoſtolum legitur: *Finis enim le-* Rom. 1. Rom. 10.
gis Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti. Intra hunc modum, illam etiam præceptorum intelligimus bipartitam concludi diſtributionem, de qua tractans Apoſtolus dicit: *Bona eſt lex, ſi quis ea legitime vtatur.* Di- 1. Tim. 1.
xerat enim: *Finis præcepti eſt charitas de corde puro; & conſcientia bona, & fide non ficta.* Quo dicto legem F
fidei euidenter inſinuans, legem quoque factorum mox ſecutus expreſſit, dicens: *Iuſtis lex non eſt impoſita, ſed* Ibid.
iniuſtis, impiis & peccatoribus: & cætera enuncians; quæ ſanæ dicit aduerſari doctrinæ. Vnde quæri poteſt, vt ſi lex iuſto non imponitur, quomodo ea legitime iuſtus vti dicatur. Sed ſciendum nobis eſt, quia in eo lex iuſto non imponitur, quo eam iuſtus data gratia ſpiritaliter implere probatur. Non enim indiget terreri pœna minantium præceptorum, qui per gratiam libera iam fruitur perfectione virtutum. Iam quippe ei fides dilectionis impetrauit, quod lex iram operans imperauit, quod ne quiſquam ſuis viribus aſſignaret, Apoſtolus prohibuit, dicens: *Omnes peccauerunt & egent gloria Dei, iuſtificati gratis* Rom. 3.
per gratiam ipſius. Oſtenditur quippe in nobis primo voluntas infirma per legem, ſed voluntatem gratia ſanauit; & legem voluntas impleuit. Sed quid eſt quod dicimus; *voluntas legem impleuit?* Dicamus potius, quia voluntas G
legem implendo legem tranſiuit. Dicamus inquam potius, quod idcirco lex iuſtis non imponitur; quia nimirum ab eis perfectione virtutum ſupergreditur. Quomodo ergo lege vtuntur iuſti, quibus lex non imponitur, niſi ad prauos diſciplinæ verbere coërcendos? Quos videlicet non amor charitatis, ſed cenſura diſtrictionis ad rectitudinem vitæ perducit. Talibus certe timere nolentibus lex imponitur, vt eis impune peccare non liceat. Iuſtis autem cur imponatur, qui accepto dilectionis pignore, peccare dedignantur, etiamſi impunitas peccatorum promittatur? Quod vtrumque prædictus Apoſtolus ab inuicem diſcernit, dicens: *Non accepiſtis ſpiritum* Rom. 8.
ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, abba Pater. Quia vero liber oſtenſus, intus & foris ſcriptus aſſeritur: conſtat nimirum, quia & intus & foris ſignatus fuit. Quamobrem vigilanti intentione debemus inſpicere, de his ſeptem H
quos præmiſimus modis, qui intus, quive forinſecus debeant reputari. Primus itaque hiſtoricus idemque ſimplex, nihil in ſe myſticum retinens, totus eſt foris. Secundus autem allegoricus, totus omnino intus. Tertius vero, vtriuſque geminam in ſe retinens formam, vt præſentis tunc temporis congruum ſuppleret officium, & aliquid figurate gereret futurorum, ex parte foris, & ex parte deputatur intus. Quartus quoque de Deo apud Iacob. 1.
quem non eſt commutatio, nec viciſſitudinis obumbratio, fide atque pietate vterque ſenſus intus debet accipi. Nam intellectu non poteſt comprehendi. *Pax enim Dei* Philip. 4.
exuperat omnem ſenſum; quia & eius eſſentia noſtræ capacitatis metas excedit, & eius clementiam, qua de ſe figuratim multa narrauit, nullus competenter attingit. Quintus porro, in parabolis verborum diffuſus, in parabolis rerum geſtum literæ immutans, atque de peccatis hominum & tranſgreſſionibus adulterorum, vel Prophetiam operum futurorum, vel ſecreta ſpiritalium ſenſuum præſignans, ita eſt abſtruſa quadam ambiguitate ſuſpectus, vt intus ſit modis omnibus reputandus.

A Sextus etiam de gemino Saluatoris aduentu, certis claret teſtimoniis foris in promptu poſitus, certis intus latet occultus, vt videlicet in his quæ aperta ſunt, dubitationem auferat : in his vero quæ occulta ſunt, fideles exerceat, faſtidiaque detergat. Septimus ad extremum, in præceptis vitæ agendæ foris apparet : in præceptis autem vitæ figurandæ, intus latet. Quia vero fidei ſigilla latius indagantes monſtrauimus, ſupereſt vt virtutum quoque ſigna pandamus : quæ in mediatore noſtro reuelanda vetus teſtamentum perhibuit, & reuelata nouum declarauit. Et quænam alia eſſe creduntur niſi ſeptiformis ſpiritus ſeptem ſpiritalia munera ? Sicut enim fides noui teſtamenti in illis ſeptem quos præmiſimus, modis allegoriatum, figuris ventura prænuntiabatur : ſic eiuſdem operationis ſumma, in iſtis ſeptem excellentiſſimis muneribus præſignabatur. Et ſicut Dominus & Eccleſia vna perſona eſt, vnum corpus caput, & membra : ſic fides illa de vtriſque habetur, ſic operatio illa in vtriſque claruiſſe
B cognoſcitur. Scriptum quippe eſt : *Erunt duo in carne*
Gen. 2. *vna.* Quod vtique Apoſtolo dicente, de Chriſto & Ec-
Eph. 5. cleſia prophetatum eſt, *& hæc fides noſtra eſt. Sed vnum horum præcellit alterum, tanquam vir mulierem, tanquam ſpiritus carnem, tanquam caput cætera membra.* Et rurſum
Iſa. 11. ſcriptum eſt : *Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini.* Et hæc proculdubio in Domino & Eccleſia, in ſponſo atque ſponſa, in viro & nupta, in capite ac membris, quieuiſſe credenda ſunt : ſed excellentius in eminentiore corporis parte, quam in inferiore claruiſſe, nulli niſi hæretico dubium eſt. Eſt enim ſapientia in nobis, ſed nunquid tam matura vt in Domino ? Eſt intellectus, ſed nunquid tam perſpicuus quam in Domino ? Eſt conſilium, ſed nunquid tam prouidum vt in Domino ? Eſt fortitudo, ſed nunquid tam robuſta vt in Domino ? Eſt ſcientia, ſed nunquid tam acuta vt in Domino ? Eſt pie-
C tas, ſed nunquid tam ampla vt in Domino ? Eſt timor, ſed nunquid tam caſtus vt in Domino ? Sed iam videamus, qui pro menſura donationis eius in redemptore noſtro iſta percepimus, quibus gradibus, quibuſve paſſibus in
* *ficiamus.* nobis proficiant, imo nos in illis pro* ficiſcamur. Non enim cuncta ſub vno cuilibet tribuuntur, ſed gradatim à primo vſque ad extremum peruenitur, ſicut de iuſtis ſcri-
Pſal. 83. ptum eſt : *Ibunt de virtute in virtutem.* Hinc etiam de ipſo capite noſtro, in quo principaliter iſta claruerunt,
Luc. 2. dicitur : IESVS *proficiebat ætate & ſapientia & gratia apud*
Pſal. 110. *Deum & homines.* Et cum ſcriptum eſt : *Initium ſapientiæ timor Domini :* conſtat nimirum, quia ſapientia quidem à timore, qui primus eſt gradus, incipit : ſed per ſingulos proficiens, in ſeptimo perfectionem accipit. Vnde ergo proficiendo incipit, inde loqui incipiamus. Eſt itaque timor Domini in mente, ſed timoris duo ſunt genera. Alius enim timet, ne incurrat gehennam : alius, ne amittat vitam æternam : alius, ne puniatur pro iniuſtitia : alius, ne agat contra iuſtitiam. Et illum perfecta
D charitas foras eiicit, iſtum vero intus aſſumit. De illo di-
1. Ioan. 4. citur : *Timor non eſt in charitate, ſed perfecta charitas*
Pſal. 18. *foras mittit timorem.* De iſto dicitur : *Timor Domini ſanctus permanet in ſæculum ſæculi.* Abſit autem vt ille ſeruilis, quem perfecta charitas foras eiicit, ſuper Dominum quieuiſſe dicatur. Sed ecce quilibet iam ita Deum caſte timet, vt etiamſi impunitas peccatorum promittatur, contra iuſtitiam non agat. Hic proculdubio ad alium gradum ab hoc proficiens aſcendere debet, vt qui malum cuilibet non irrogat, miſereri proximo in qualibet tribulatione feſtinet. Proficiens ergo timore, ad pietatem aſcendat. Qualis enim timor eſt, ſi cum eo pietas non eſt ? Qui enim proximum ignorat, qui compari eius tribulationi diſſimulat, huius timor ante omnipotentis Dei oculos nullus eſt, qui non ſubleuat ad pietatem. Sed ſæpe pietas per inordinatam miſericordiam errare ſolet, ſi fortaſſe pepercerit quæ parcenda non ſunt. Peccata enim quæ feriri gehennæ ignibus poſſunt, diſtricto ſunt verbere corrigenda. Sed inordinata pietas cum temporaliter parcit, ad æternum ſupplicium pertrahit. Vt ergo vera

E & ordinata ſit pietas, ad gradum eſt alium ſubleuanda, id eſt, ad ſcientiam : vt ſciat vel quid ad miſericordiam puniat, vel quid ex miſericordia dimittat. Sed quid ſi ſciat quid agere quiſque debeat, virtutem quoque agendi non habeat ? Scientia ergo noſtra creſcat ad fortitudinem, vt cum videt quid agendum ſit, hoc agere per mentis fortitudinem poſſit : nec timore trepidet, ne pauore collapſa, non valeat bona defendere quæ ſentit. Sed ſæpe ſi fortitudo improuida fuerit, & minus contra vitia circumſpecta, ipſa ſui præſumptione in caſum ruit. Aſcendat ergo ad conſilium, vt præuidendo præmuniat omne quod agere fortiter poteſt. Sed eſſe conſilium non poteſt, ſi intellectus deeſt : quia qui non intelligit malum quod agentem grauat, quomodo poteſt bonum ſolidare quod adiuuat. Itaque à conſilio aſcendamus ad intellectum. Sed quid ſi intellectus magno quidem acumine vigeat, & moderari ſe neſciat per maturitatem ? Ab intellectu ergo aſcendamus ad ſapientiam, vt hoc quod acute intellectus adinuenit, ſapientia mature F
diſponat. Sed ſic ſapientia quæ de ſurſum eſt, à primo timoris gradu per ſingulos aſcendendo proficiens in ſeptimo perfecte ſolidatur. Quæ cum ita ſint, ſiue ſcientia ſalutaris arcanaque voluminibus ſacris indita, in illis ſeptem modis ſeptem ſigillis vmbroſius opacantur : ſiue omnis ſumma perfectioque virtutum, quibus homo per ſeptiformis ſpiritus donorum gratiam interioribus proficit incrementis, non indiſcrete confuſis, ſed gradatim ſpiritaliter ordinatis, Chriſto Domino miſericorditer patiente, veraciter reſurgente, mirabiliter aſcendente, & ſemper in ſingulis operante, & reuelari & cognoſci & acquiri & perfici, vel potuiſſe vel poſſe cognoſcitur : illa ſigilla in ipſo & per ipſum reuelata atque perfecta, veraciter prædicatur, Paulo atteſtante qui ait : *Myſterium* Col. 1.
quod abſconditum fuit à ſæculis & generationibus, nunc autem manifeſtatum eſt ſanctis eius, in quibus voluit Deus notas facere diuitias Sacramenti huius in gentibus, quod
eſt Chriſtus in vobis ſpei charitatis quem nos annuntiamus, G
corripientes omnem hominem, & docentes in omni ſapientia, vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Chriſto, quod & laboro, contendens ſecundum operationem eius, quam operatur in me in virtute. Sequitur :

Et vidi Angelum fortem, prædicantem voce magna : Quis eſt dignus aperire librum, & ſoluere ſignacula eius?

Quem itaque hoc in loco Angelum fortem & prædicantem, niſi nuntios legis, niſi præconem legis intelligi-
mus ? *Labia enim Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & le-* Malac. 2.
gem requirunt de ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt. Quid eſt autem, Angelum fortem voce magna prædicare, quis eſt dignus aperire librum & ſoluere ſignacula eius : niſi annuntiatorem veteris legis, præſentiam illius anxie quærere, qui poſſit eandem legem in ſe ipſo reuelatam oſtendere, & in decretis mandatorum euacuare, quatenus deinceps & ſalubriter adimpleri, & ſpiri- H
taliter poſſit intelligi ? Cum autem iuxta humanam rationem prius libri ſigilla ſoluantur, quam liber aperiatur : nec poſſit liber aperiri ſignatus, niſi ante fuerit reſignatus : myſtica tamen locutione, Angelus legis vſitatum ordinem præpoſterans, prius de apertione libri, ac de ſignaculorum eius ſolutione, conqueritur. Denique & in ſubſequentibus idem præpoſterus ordo ſeruatur, prius librum dicit aperiri, & ſic demum eius ſeptem ſignacula reſolui. Sed ordo literæ præpoſterus, ordinem ſenſus diſcretum oſtendit. Prius etenim liber apertus eſt, & ſic eius ſignacula ſoluta ſunt : quia videlicet ante in mediatore Dei & hominum, homine Ieſu Chriſto, qui eſt caput corporis Eccleſiæ, diuinæ legis præconia ſpecialiter impleta ſunt, cum idem opus voluntariæ paſſio-
nis impleret : vnde & ex mortuis reſurgens ait : *Oporte-* Luc. 24.
bat impleri omnia quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi & Prophetis & Pſalmis de me : ac deinde generaliter in toto corpore, quadam ſui ratione, ſicut declarat ſingu-

A lorum apertio ſigillorum. Quia vero necdum plenitudo temporis aduenerat, quando talia præco legis flagitabat, recte nunc eius voce ſubiungitur:

Et nemo poterat, neque in cælo, neque in terra, neque ſubtus terram, aperire librum, neque reſpicere illum.

Scilicet nemo in cœlo, quia neque Angelus humanæ ſalutis diſpenſationem perficere poterat. Homines redempturus filius Dei, vera humanitate aſſumpta, cuncta per ſe voluit adimplere. Hinc Iſaias ait: *Non Angelus, non legatus, ſed ipſe Dominus ſaluos faciet eos.* [...6. iuxta ...uoſitā] Nemo in terra, quia neque homo viuens in corpore. Redimendus enim homo ſolius creatoris egebat auxilio. Nemo ſubtus terram, quia neque anima exuta corpore. Si enim homo viuens in corpore, qui vtique poteſt tanquam victima mori, hoc implere non poterat, quanto minus anima ſine
B corpore, quæ mori eſſentialiter non nouit? Sed quid eſt ô beate Euangeliſta Ioannes, quod neque in cœlo, neque in terra, neque ſubtus terram, aliquem inuentum fuiſſe dicis, qui hunc librum vel videre vel reſpicere poſſet: cum & de te ipſo aſſeras, Vidi in dextera ſedentis in throno, librum ſcriptum? An forte nec in cœlo, nec in terra, nec ſubtus terram fuiſti, quando eum vidiſti? Vbi (quæſo te) fuiſti, quando illum in dextera ſedentis aſpexiſti? Aut nunquid tibi ſoli hoc munus conceſſum eſt, Angelis vero & reliquis hominibus denegatum? Cur ergo hanc diſtinctionem non feciſti, vt diceres: Cæteri vel in cœlo, vel in terra, non poterant reſpicere illum vel videre, niſi ego: ſed te pariter atque omnes ab eius viſione excluſiſti dicens: Nemo poterat? Si ergo nemo poterat, omnino nec tu. Quod ſi nec tu, falſum profecto erit quod dixiſti, Vidi in dextera ſedentis in throno, librum ſcriptum. Sed obſecro verax in cunctis, verax in omnibus dictis, verax in Euangelio, verax in Epiſtolis,
C verax in noua Prophetia, quæſtionem quidem ventilo, in vtriſque autem veracem te ſentio, & quia librum in dextera ſedentis ſcriptum videris, & quia nemo eum videre poterat. Sequar igitur propoſitum quæſtionis, dummodo & te veracem oſtendam, & ſolutionem eius inueniam. Niſi quid igitur aut ſupernæ patriæ Angelicis ſpiritibus, aut ſanctis hominibus, ſiue in carne viuentibus, ſeu defunctis, ventura redemptoris diſpenſatio latuit, vt eam à longe ſpiritalibus oculis reſpicere non poſſent? Quis hoc dixerit? Si ventura à longe proſpici non poterit, vt te Angelis vel exutis corpore animabus ſileam, quibus ſubtilior ineſſe poteſt viſus, quam eſt in hominibus carnis corruptione grauatis: quid eſt quod Iſaias tanquam in præſenti poſito dicit: [...a.63.] *Quare rubrum eſt indumentum tuum?* Ac ſi diceret: Quid eſt quod in carne mori voluiſti, qui nullum peccatum ex carne traxiſti? [...id.] Cui ille reſpondit: *Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum.* Solus itaque torcular calcauit, quia
D ſolus mortem quam pertulit, ſuperauit. Sed vt mihi videtur, reſpicere hoc loco pro comprehendere ponitur. Quis enim capiat, quomodo incarnatus ſine ſemine Deus, quomodo incarnatus clauſo exiit vtero Virginis homo Deus: nec tantillus exiens homo Deus, vt eſt meatus vteri Virginis paruus: ſed ita magnus, vt reliqui mulierum infantes? Quomodo Dominus gloriæ crucifigitur, cum ſolus homo moriatur: Quomodo poſt mortem reſurgens, palpabile corpus in vera carne veriſque oſſibus perfectæ ætatis vir, clauſis ianuis ad diſcipulos intromiſit, vbi nec corpus exinanitum vel phantaſticum, ſed [...c.24.] palpabile & verum exhibuit, ſicut eiſdem dixit: *Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere*: nec tamen vt palpabile & verum corpus illorum præſentiæ exhiberet, ianuas domus, parietes vel [...ph.3.] tectum aperuit. Hinc eſt quod Apoſtolus *incomprehenſibiles Chriſti diuitias* gentibus prædicare ſe dicit. Non ſolum ergo à quolibet Angelorum vel hominum liber aperiri non potuit, vel ſignacula eius ſolui: id eſt, diuinarum ſcripturarum Sacramenta in eis adimpleta monſtrari: verumetiam nec reſpicere illum, ſubaudis, qualiter E adimpleretur, mentis ratione comprehendi. Vel certe ita ſubaudiendum eſt quod dicitur, neque reſpicere illum: tanquam diceretur, etſi reuelandam à longe Chriſti diſpenſationem videre non tamen reuelatam quiſquam potuit tunc temporis intueri. Sequitur:

Et ego flebam multum, quoniam nemo dignus inuentus eſt aperire librum, nec videre eum.

Nemo ſcilicet dignus inuentus eſt aperire librum; nec videre eum: quia nec aliquis Chriſti diſpenſationem indebite vſurpare poterat, nec eam in ipſo qui necdum venerat, reuelatam videre. Cuius autem hoc in loco Ioannes figuram gerit, qui flens, neminem dignum aperire librum vel videre eum aſſerit inuentum fuiſſe, niſi electorum Eccleſiæ? Non enim in ſua perſona fleuiſſe F creditur, qui poſt aſcenſionem Domini iſta ſcripſiſſe cognoſcitur. Iam enim liber apertus, iam pro humana facundia viſus fuerat, propter cuius apertionem vel viſum, idem Ioannes in exilium miſſus fuerat, vbi hæc deſcribebat. Eccleſiam ergo ante redemptoris aduentum in ſua perſona fleuiſſe demonſtrat, quæ grauata oneribus peccatorum, eiſdem fletibus mediatoris ſui præſentiam anxie quærebat, cuius diſpenſatio in illius libri apertione quandoque declaranda manebat. Ex huius namque perſona Pſalmiſta: *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi eſt Deus tuus?* Psal.41. Cui amariter flenti mox conſolatio dirigitur, ſicut ipſa in Ioanne dicere perhibetur.

Et vnus de ſenioribus dixit mihi: Ne fleueris. Ecce vicit Leo de tribu Iuda, radix Dauid, aperire librum & ſoluere ſignacula eius. G

Quid itaque in vno ſeniore, niſi ordinem intelligimus Prophetarum, quorum certis Eccleſia conſolabatur oraculis, Chriſtum de tribu Iuda, mundum ſuo ſanguine redempturum, mortem mortiſque principem ſua morte ſuperaturum? Quorum videlicet vnus Patriarcha Propheticus ait: *Non auferetur ſceptrum de Iuda, neque dux de femoribus eius, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.* Gen.49. Hinc rurſum idem ait: *Catulus leonis Iuda, ad prædam fili mi aſcendiſti. Requieſcens accubuiſti vt leo & quaſi leæna. Quis ſuſcitabit eum?* Ibid. Non eſt autem mirum, ſi idem leo ſimul & agnus vocetur, Nam ſequens verſus agnum tanquam occiſum narrat, quem iſte leonem viciſſe confirmat. Leo ſcilicet propter victoriam, agnus vero propter victimam. Leo, quia diabolum vicit: agnus, quia ſemetipſum offerens, mundum redemit. Leo, quia victor à mortuis ſurrexit: agnus, quia innocens pro nobis in morte occubuit. Et vnde tanquam H agnus occubuit, inde tanquam leo ſuperauit. Vnde mortem tanquam agnus excepit, inde mortem mortiſque principem tanquam leo peremit. Cui videlicet morti dudum per Oſee Prophetam minatus eſt, dicens: *Ero mors tua ô mors, ero morſus tuus inferne.* Oſee 13. Quod autem idem leo & agnus, radix Dauid eſſe perhibetur, ſic intelligendum eſt, tanquam diceretur: genus Dauid, ſemen Dauid, filius Dauid. Ex ipſius enim ſemine tanquam radix in carne prodiit, quo futuræ Eccleſiæ virgulta germinaret. Vnde ſcriptum eſt: *Ecce radix Ieſſe, aſcendet in ſalutem populorum, ipſum gentes deprecabuntur, & erit ſepulchrum eius glorioſum.* Eſa.11. Sed nec mouere debet lectorem, cur non dicat vnus de ſenioribus, vincet leo, tanquam de futuro: ſed vicit, tanquam de præterito: cum Dominum longe antequam pateretur, per Pſalmiſtam dixiſſe cognoſcat: *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia oſſa mea.* Pſal.21. Nam & particulatim vnuſquiſque fidelium cum ſua ſtudet lugere peccata, & promiſſæ diſpenſa-

A

tionis Chriſti meminit, ac per conſolationem ſcripturarum ſpem æternæ ſalutis habere cognoſcitur: ab vno ſeniore, ſimili (ita vt dixerim) reſponſo firmatur, ac ſi ei ipſa diuinarum ſcripturarum concertata teſtimonia dicerent: Ceſſa iam à ploratu, quia ille commiſſa tua abluit, qui vt vitam tuam reſurgendo repararet, mortem tuam moriendo ſuperauit. Sequitur:

Et vidi, & ecce in medio throni & quatuor animalium & in medio ſeniorum, agnum ſtantem quaſi occiſum, habentem cornua ſeptem & oculos ſeptem, qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei, miſſi in omnem terram.

Sicut ſupra à nobis expoſitum meminimus, hoc eſt

B

thronus, quod quatuor animalia: hoc etiam ſeniores, quod quatuor animalia & thronus. Sed ex diuerſis ſpeciebus vnum genus, ex diuerſis membris vnum depingitur corpus: cum ſoleat plerumque in vna qualibet earum ſpecie genus expreſſum inueniri, vel in vna qualibet parte membrorum, totum corpus deſcribi. In medio enim Eccleſiæ, in medio corporis Chriſti agnus tanquam occiſus ſtare perhibetur. Vnde ſcriptum eſt: *Exulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui ſanctus Iſraël.* Hinc idem per Pſalmiſtam Deo Patri loqui-

Iſa.12.

tur, dicens: *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in me-*

Pſal.21.

dio Eccleſiæ laudabo te. Hinc per Zachariam Prophetam

Zach.2.

dicitur: *Lauda & lætare filia Sion, quia ecce ego venio,*

Luc.17.

& habitabo in medio tui, ait Dominus. Hinc in Euangelio ad diſcipulos per ſemetipſum loquitur, dicens: ** Amen, Amen dico vobis, regnum Dei intra vos eſt.*

* *Ecce enim*

Sed nec alibi dum quæritur in terris, inuenitur, niſi in medio throni, in medio quatuor animalium vel vigintiquatuor ſeniorum: quæ vtique, ſicut ſæpe iam diximus, omnia vnum

C

eſſe probantur. Cui ſententiæ nec illud contrarium oc-

Pſal.124.

currit, quod in Pſalmo legimus: *Dominus in circuitu populi ſui:* cum in eodem verſu præmittatur, *Montes in circuitu eius.* Siue ergo in medio, quia montes in circuitu: ſiue in circuitu, quia Dominus in circuitu populi ſui: in Eccleſia dictum intelligimus, quam idem ſuus mediator & in medio præſidens regit & iudicat, & in circuitu ambiens protegit & defendit. Sed quid eſt quod in hoc loco non ſedere, ſicut ſupra, ſed ſtare in medio throni perhibetur: niſi quia ibi examen & regnum, hic autem ſolamen & auxilium oſtenditur? Sedere autem, regnantis & iudicantis eſt: ſtare autem, conſolantis & adiuuantis. Et notandum quod iam non occiſus, ſed tanquam occiſus in Eccleſia cernitur: quia etſi crucifixus eſt ex infirmitate, ſed viuit ex virtute Dei. Ibi certe pura fide intuetur: ibi pura fide intuitus, certa ſpe comprehenditur: ibi certa ſpe comprehenſus, vera charitate in perpetuum retinetur. Vel certe in medio ſedis, & in medio

D

quatuor animalium ac vigintiquatuor ſeniorum, agnus tanquam occiſus ſtat, quia in ſingulis ſuis membris idem quotidie immolatus hoſtia viua fit. Hoc eſt etiam, non occiſus, ſed tanquam occiſus agnus videri. Toties enim idem agnus quaſi occiditur, quoties membra eius quæ nos ſumus, aut ſponte à præſentis vitæ deſideriis ſemetipſa mortificant, aut à prauis hominibus perſecutiones tolerant, vt paſſiones capitis in carne ſua adimpleant. Vnde & veraciter cum Pſalmiſta & Apoſtolo Domino di-

Pſal.43.

cunt: *Propter te morte afficimur tota die, æſtimati ſumus*

Rom. 8.

vt oues occiſionis. Quid autem in ſeptem agni cornibus niſi vt ipſe expoſuit, ſeptem ſpiritus Dei intelligimus? Septem, ſubaudis, propter ſeptenariam vnius ſeptiformis ſpiritus operationem. Quod apertius Iſaias Propheta inſinuat, qui eundem ſeptiformem ſpiritum ſuper incarna-

Iſa.11.

tum Dei verbum manſurum eſſe denuntiat, dicens: *Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini.* Vnum enim eundemque ſpiritum Domini, ſpiritum ſapientiæ

& intellectus, ſpiritum conſilij & fortitudinis, ſpiritum ſcientiæ & pietatis ac timoris Domini vocauit. Qui videlicet ſeptiformis ſpiritus, non ſolum in capite quieuiſſe, verumetiam totum corpus illuſtraſſe perhibetur. Vnde & hoc loco ſeptem ſpiritus Dei in omnem terram miſſi narrantur. Hinc alibi apertiſſime legimus: *Spiri-*

E

Sap.1.

tus Domini repleuit orbem terrarum. Cuius etiam hæc eadem ſeptenaria operatio, quæ propter regnum & fortitudinem per cornua figuratur, recte propter illuminationem Eccleſiæ per oculos deſignatur. De quibus nimirum oculis Zacharias Propheta ait: *Septem iſti oculi*

Zach.4.

Domini, qui diſcurrunt in vniuerſa terra. Sed ſciendum nobis eſt, quia etſi corpus idem exaltatur muneribus, non tamen in ſe ſed in capite: quia cornua ſuper caput ſunt agni, in quo totum conſtat regnum Eccleſiæ. Exaltantur etenim cornibus membra, ſed in capite, quo vigent omnia membra. Iſtis itaque ſpiritus Sancti muneribus ſuper caput exaltandum corporis regnum, Deus Pater perhibuit, dicens: *Omnia cornua peccatorum confringam, & exaltabuntur cornua iuſti.* Hinc Anna ex ſterili

Pſal.74.

F

iam facta fœcunda, dicit: *Dabit imperium regi ſuo, &*

1 Reg.1

ſublimabit cornu Chriſti ſui. Hinc Petro typum Eccleſiæ gerenti Dominus ait: *Tu es Petrus, & ſuper hanc pe-*

Matt.16

tram ædificabo Eccleſiam meam. Ac ſi diceret: *Super me ædificabo te.* Agnum ego tanquam occiſum, in medio throni & in medio quatuor animalium & ſeniorum ſeptem cornua habere, eſt, ſeptenaria ſpiritus Sancti operatione totum per orbem in membris tanquam caput Chriſtum regnare, totum per orbem membrorum celſitudinem, dignitatem & regnum in ſeipſum collocare. Poſſunt etiam iſtis ſeptem cornibus, illa capitis noſtri membra videri, quæ ſpiritus Sancti muneribus, fortitudine ac celſitudine cæteris videntur eminere. Cornua enim, naturalia locorum iura, erumpendo naſcuntur. Nec carnis æqualitate contenta reſident, ſed creſcendo altiora magis ac magis petunt. Sic itaque, ſic ſpiritales viri ſeptiformi ſpiritu excellentius cæteris illuſtrati, generalia præcepta tranſcendentes, ac quodammodo minima

G

æſtimantes, ad illa quæ etiam iuſſa non ſunt, peragenda ſemetipſos extendunt. Vnde fit, vt cum omnia iudicent ipſi à nemine iudicari poſſint, Apoſtolo dicente: *Spiri-*

1.Cor.2.

talis iudicat omnia, ipſe autem à nemine iudicatur. Hinc idem carnalibus adhuc diſcipulis ait: *Mihi autem pro*

1.Cor.4.

minimo eſt vt à vobis iudicer, aut ab humano die. Hinc alibi ſpiritus Sancti munere quædam membra cæteris eminere proſpiciens ait: *Vos in carne non eſtis, ſed in ſpi-*

Rom.8.

ritu. Ac ſi aliis verbis diceret: Nequaquam vt cætera corporis oſſa carne circundamini, ſed tanquam cornua ſuper carnem & oſſa erigimini. Quid autem agnus tanquam occiſus, in medio throni & animalium ac ſeniorum cum his ſeptem inſignibus titulis apparens fecerit, audiamus. Denique ſubſequitur:

Et venit, & accepit librum de dextera ſedentis in throno.

H

Idem eſt dextera ſedentis in throno, qui & agnus tanquam occiſus in medio throni: quia Dei filius per quem creatus eſt mundus, & hominis filius per quem redemptus eſt mundus, non duo, ſed vnus eſt Chriſtus. Dextera igitur propter creationem, agnus vero prædicatur propter redemptionem. Quamobrem cum librum de dextera ſedentis in throno agnus tanquam occiſus accipit, à ſeipſo vtique, qui eſt dextera ſedentis in throno, accipit id eſt filius hominis à ſua diuinitate. Quid eſt autem agnum, de dextera ſedentis io throno librum accipere, niſi ipſam humanæ ſalutis diſpenſationem, cui omnes ſcripturarum paginæ atteſtantur, filium hominis à ſua maieſtate diſpoſitum, operis veritate complere? Quod vt in plenitudine temporum fieret, agnus venit, id eſt, inuiſibilis dextera Patris viſibilis per carnem apparuit. Verum quia omnis libri intentio, omnis Chriſti diſpenſatio in victoria conſiſtit: victoria autem non ſolum capitis verumetiam corporis: quia & hoc in aper-

A tione libri vel ſigillorum manifeſtiſſime declaratur: poteſt hoc loco per dexteram ſedentis in throno, ipſe triumphus capitis & corporis non inconuenienter intelligi, cui ſiniſtra non valet obuiare. In dextera ergo ſedentis in throno, liber ſcriptus oſtenditur: quia maxima quæque ſcripturarum Sacramenta, in Chriſti Eccleſiæque victoria conſiſtunt. Sed ſi (vt dicimus) capitis & corporis triumphus, dextera ſedentis accipitur, videamus quemadmodum de illo triumpho agnus librum accipiat. Et certe liber ille victoriam Chriſti Eccleſiæque frequentat, quæ tota in dextera collocatur, per quam idem triumphus deſignatur. Quapropter non aliud de illa dextera accipit, quam quod ipſa dextera ſignat. Quomodo ergo agnus de dextera librum accipit, tanquam ſcilicet dexteram de dextera, victoriam de victoria: niſi quia cum idem in Eccleſia quotidie dimicans vincit, eamque victricem exiſtere facit, quaſi de eius dextera librum accipit, qui eſt vtique ipſa dextera, id eſt, de eius victoria ſingulariter triumphum capit? B Sic etiam idem agnus in membris ſuis tanquam de dextera librum, tanquam de libro dexteram accipit: cum Eccleſia de ipſius ſingulari triumpho victoriam capit, quem in ſe quotidie vincentem attendit.

Et cum aperuiſſet librum, quatuor animalia & vigintiquatuor ſeniores ceciderunt coram agno, habentes ſinguli citharas & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum.

Tunc agnus librum aperuit, cum opus voluntariæ paſſionis impleuit. Cum autem ſuperius nemo dignus inuentus dicatur, qui librum poſſet aperire: hic iam animalia & ſeniores agnum imitantes, quaſi librum aperire C monſtrantur. Et reuera dignum erat, vt prius in capite, & tunc demum in corpore ſcripturarum Sacramenta operibus reuelarentur. Sed & hoc per vnum caput, quo totum corpus compaginatur & regitur. Hoc certe indicant animalia & ſeniores, qui citharas quidem habent, & tamen ante agnum cadunt? Et quid eſt, animalia & ſeniores citharas habere, niſi electorum Eccleſiam ea quæ deſunt preſſurarum Chriſti, in carne ſua adimplere? (Col.1. Gal.5. Hebr.12.) Quando enim hi qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifigunt cum vitiis & concupiſcentiis: citharis concinunt Chriſto, vt quod ille pro eis, ipſi pro illo patiantur, aſpicientes in autorem fidei & conſummatorem IESVM. Quaſi enim cithara Paulus Chriſto concinebat, cum diceret: *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* (Gal.6.) Et rurſum: *Nemo mihi moleſtus ſit. Ego enim ſtigmata* IESV *in corpore meo porto.* (Ibid.) Apte autem per citharas paſſiones Chriſti figurantur. In citharis enim aliæ fortius, aliæ chordæ lenius tenduntur: ſed tamen diſſimiliter tenſæ, nequaquam diſſimile canticum reddunt. Sic certe, D ſic diuerſa in Chriſti corpore membra, paſſiones eius alia plenius, alia minus imitantur: ſed tamen diſſimiliter patientes, vnam concordem reſonant laudem.

Lignum itaque in cithara, crucem Domini deſignat. Chordæ vero in cithara tenſæ, carnem ſanctorum compatientium. Quid vero eſt, animalia & ſeniores cum citharis ante agnum cadere, niſi quicquid membra patiuntur pro capite, per humilem ac piam confeſſionem capiti tribuere, ſine quo nihil poſſunt membra perficere? Aperiunt ergo animalia & ſeniores librum, cum ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne ſua adimplent: ſed per illum, per quem dimicantes vincunt. Sic autem iſta coniicimus, vt non totum librum per animalia & ſeniores aperiri dicamus, cum ſint in eo quædam quæ ſoli capiti conueniant, quædam vero quæ ſimul capiti & corpori competant. Quid quoque in phialis aureis accipere debemus, quæ odoramentis, id eſt, orationibus ſanctorum plenæ fuiſſe perhibentur, niſi charitatem, quæ non ſolum pro amicis, verumetiam pro ipſis nouit inimicis exorare? Vnde & recte, plenæ fuiſſe memorantur. E Bene autem poſt citharas phialæ ponuntur, quia prius Dominus crucis patibulum ſubiit, & ſic incomparabili charitate pro perſecutoribus ſuis exorauit, dicens: *Pater, dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt.* (Luc.23.) Ex cuius videlicet perſona Pſalmiſta dicit: *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo.* (Pſal.140.) Hoc certe vt imitentur animalia & ſeniores, in ipſo viderunt, ab ipſo acceperunt. Hoc enim in citharis ſuſtinent, hoc in phialis propinant. De quibus etiam ſequitur:

Et cantabant nouum canticum, dicentes: Dignus es Domine Deus noſter accipere librum & aperire ſignacula eius, quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo, ex omni tribu & lingua & populo & natione. F

Conſona vtriuſque teſtamenti veritate, nouum mediator canticum reddidit, quando ſe coæternum Deo Patri docuit. Nouo ortu de Virgine natus, hominem geſſit: poteſtate propria occidentibus traditus, de ſepulchro mirabiliter reſurrexit. Super cœlos quando voluit aſcendens, miſſo Spiritu S. Eccleſiam ex gentibus acquiſiuit, ſeque, futurum iudicem nunciauit. Hoc nempe in animalibus ac ſenioribus omnis terra verbo decantat, cum electorum caput ſuum talia peregiſſe commemorat. Hoc etiam ipſis operibus quadam ratione eidem concinit, cum eius electi noua natiuitate cum Chriſto regenerantur, atque ex hominibus dij quodammodo efficiuntur, mirabili diſpenſatione illi commoriuntur, certa fide cum illo ſuſcitantur, vera ſpe ad cœleſtia cum illo ſubleuantur. Ipſa re eius ſpiritu locupletantur, ſine aliqua dubitatione ad iudicium cum illo ſeſſuri creduntur. Quid autem verbis, G quid etiam ipſis operibus nouum canticum decantantes animalia & ſeniores dicant, audiamus: Aiunt enim, [*Dignus es Domine Deus noſter accipere librum, & aperire ſignacula eius, quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo.*] Ac ſi dicerent: Ad comparationem victoriarum noſtrarum, tua ſola iudicatur digna victoria, cuius ſingulari paſſione de mortis principe ac maledicto legis ſumus redempti. Neque enim effuſio noſtri ſanguinis imperium mortis deſtruere ac legis maledictum poterat auferre, niſi tu ipſe in cruce pendens, pretium noſtræ redemptionis effunderes, ac pro nobis ipſe quodammodo maledictum fieres. Sed ecce fortaſſe quis dubitat, vtrum in quatuor animalibus ac vigintiquatuor ſenioribus ſecundum præmiſſam intellectus noſtri formam, tota Eccleſia deſignetur. Quæſo vos ô beata cœli animalia, ô præcelſæ dignitates totius mundi ſeniores, dicite ſi ſolum quatuor vel vigintiquatuor eſtis, an myſtico numero vniuerſitatem Eccleſiæ deſignatis? Dicunt enim: [*Redemiſti nos Deo in ſanguine tuo, ex omni tribu & lingua & populo & natione.*] H Si enim ex omni tribu & lingua & populo & natione redempti ſunt, conſtat nimirum, quia non iam quatuor vel vigintiquatuor ſunt, cum per totum orbem multi populi multæque nationes, & ferme ſeptuaginta & duæ linguæ reperiantur, ex omni tribu & lingua & populo & natione redempti, totum Eccleſiæ corpus efficiuntur. A quibus adhuc ſubiungitur:

Et feciſti nos Deo noſtro regnum & Sacerdotes, & regnabimus ſuper terram.

Hoc eſt certe illud totius Eccleſiæ genus regium, regale Sacerdotium, quod per Apoſtolum Petrum deſcribitur. (1.Pet.2.) In quo videlicet genere regio, regalique Sacerdotio, omnes per gratiam reges, omnes per gratiam electi Sacerdotes vocantur. Qui bene reges appellantur, quia ſcilicet nequaquam tyrannidem vitiorum in ſe conſurgere permittunt, ſed eis iure poteſtatis dominantur. Dum

enim

A enim modo apetitum luxuriæ frenant, modo æſtum auaritiæ temperant, modo gloriam elationis inclioant, modo ſuggeſtiones liuoris obruunt, modo ignem furoris extinguunt, quaſi ſuper ſubiectam terram lege virtutis regnant. Hoc etiam indicant animalia & ſeniores, qui ſe ſuper terram regnum accepiſſe confirmant. Recte quoque ſancti viri Sacerdotes appellantur, quia ſeipſos quotidie in contritione corporis atque ſpiritus ſacrificium Domino immolant, quibus de offerenda victima carnis Rom. 12. Pſal. 50. ſuæ per Apoſtolum dicitur: *Obſecro vos per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem.* Hoſtiam vero ſpiritus Pſalmiſta indicat, dicens: *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus.* Oſtendit etiam animalia & ſeniores, Eccleſiam in Chriſto librum accepiſſe reuelandum, cum ex omni tribu & lingua & populo & natione redempti, poteſtatem ſe accepiſſe fatentur & regnum. Sed nec mirum ſi Eccleſia in Chriſto librum accipiat reuelandum, id eſt, illam gene- B ralem atque inſignem de imperio mortis victoriam, qua totus in malis vincitur mundus, totus in bonis eripitur 1. Cor. 6. mundus, cum ſcriptum ſit: *Qui adhæret Domino, vnus* Eph. 5. *ſpiritus eſt.* Et rurſum: *Erunt duo in carne vna*, quod ex- Iſa. 61. ponens Apoſtolus, ait: *Ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Hinc per Iſaiam Prophetam idem caput Eccleſiæ dicit: *Quaſi ſponſo impoſuit mihi mitram, & quaſi ſponſam coronauit me ornamento.* Quid itaque hac ſententia lucidius, quid dici manifeſtius potuit? Ecce vnus idemque & ſponſum ſe dicit & ſponſam: quia & mitram ſibi tanquam ſponſo impoſitam, & ornamento tanquam ſponſam perhibuit. Vbi etiam intelligimus, hoc habere ſponſam in ſponſo, quod habet ſponſus in ſponſa, & rurſum hoc poſſidere ſponſum in ſponſa, quod poſſidet ſponſa in ſponſo. Vnde nec immerito ipſam vniuerſalem victoriam, quam nunc Eccleſiam in Chriſto, paulo ſuperius CHRISTVM de Eccleſia accepiſſe docuimus.

C *Et vidi & audiui vocem Angelorum multorum in circuitu throni & animalium & ſeniorum, & erat numerus eorum millia millium, dicentium voce magna: Dignus eſt agnus qui occiſus eſt, accipere virtutem & diuinitatem & ſapientiam & fortitudinem & honorem & gloriam & benedictionem: & omnem creaturam quæ in cælo eſt, & ſuper terram, & ſub terra, & in mari, & quæ ſunt in eo.*

Qualis iſta viſio fuerit, hic manifeſtiſſime Ioannes declarat, qui ipſam quoque vocem quam audiuit, vidiſſe ſe perhibet. Viſus enim ille audiuit, atque auditus ille D vidit. Cum autem (vt ſæpe protulimus) vnum ſint, thronus, animalia & ſeniores, in quorum medio vel circuitu vox Angelorum viſa atque audita deſcribitur: ſubtili, obſcura, & pene aliis locis inuſitata locutione, à figura ad figuram tranſiens, imo figuræ figuram adiungens, ipſa animalia & ſeniores, Angelos vocat. Si enim (vt paulo ſuperius præmiſſum eſt) in circuitu ſedis animalia & ſeniores ſunt, quomodo in circuitu ſedis Angeli ſunt eiuſdem, niſi quia eadem animalia & ſeniores, Angeli ſunt? Cur autem non ipſi Angeli, qui filij Dei vocantur? De Ioan. 1. quibus per Ioannem dicitur: *Quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Hinc idem in Epiſtola ſua dicit: *Nunc filij Dei ſumus.* Hinc 1. Ioan. 3. Paulus fidelibus ait: *Quoniam eſtis filij Dei, miſit Deus* Galat. 4. *ſpiritum filij ſui in corda noſtra, clamantem, Abba Pater.* Rom. 8. Et rurſum: *Si autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.* Poſſunt certe veraciter Angeli vocari, qui vocabulo filiorum meruerunt cenſeri. E *Vtrumque autem gratia, non natura.* De iſtis namque Angelis dictum intelligimus: *Angeli pacis amare flebant.* Iſa. 33. Licet Angelorum quoque cœleſtis militia, proprie poſſit vnito laudis præconio cum animalibus & ſenioribus, de tanto noſtræ redemptionis munere congratulando iſta concinere, ſi tamen poſſibilitas admittit, vt ſaltem Angelorum vocabulum in hac reuelatione iuxta literam accipiamus. Non enim dubium, quod de reparatione generis humani, ipſi quoque Angelici ſpiritus in lætitiam fuerint conuerſi, qui pridem homines à ſuo conſortio deputabant extraneos. Vnde & nato redemptore, Angelus paſtoribus apparet, eoſque claritas Dei illuſtrat. Quo apparente, multitudo militiæ cœleſtis exercitus illi adiungitur, & communi exultatione Deum collaudant, Luc. 2. dicentes: *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Siue autem de hominibus, ſeu de cœleſtis patriæ ſpiritibus, innumerabilis oſtenditur multitudo, cum ſubiungitur: [*Et erat numerus eorum millia mil-* F *lium.*] Cum autem dicitur, millia millium, nec additur quot millium: conſtat proculdubio, quia innumerabilis numerus innumerabilem multitudinem oſtendit. De electis namque hominibus dicitur: *Neſcit homo numerum* Iob. 25. *militum eius.* De Angelicis vero ſpiritibus dicitur: *Mil-* Dan. 7. *lia millium miniſtrabant ei.* Siue autem illi, ſeu iſti Angelorum vocabulo exprimantur, quid dicant audiamus. Aiunt enim: [*Dignus eſt agnus qui occiſus eſt, accipere virtutem & diuinitatem & ſapientiam & fortitudinem & honorem & gloriam & benedictionem: & omnem creaturam quæ in cælo eſt, & ſuper terram, & ſub terra, & in mari, & quæ ſunt in eo*] ſubaudis, humana in Chriſto natura, ita meruit vniri diuinitati virtuti ac ſapientiæ Dei, vt vna virtus Deus & homo, vna perſona Deus & homo, vna ſapientia Dei exiſteret Deus & homo. Hinc Paulus ait: *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum,* 1. Cor. 1. *Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam, ipſis autem vocatis Iudæis & Græcis, Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam, qui etſi crucifixus eſt ex infirmitate, ſed* G *viuit ex virtute Dei.* Vnde & idem egregius prædicator alibi dicit: *Et ſi noueramus Chriſtum ſecundum carnem,* 2. Cor. 13. *ſed iam nunc non nouimus.* Et rurſum: *Chriſtus ſurgens à* 2. Cor. 5. *mortuis, iam non moritur: & mors illi vltra non domina-* Rom. 6. *bitur.* Luc. 2. Necnon etſi humana in Chriſto natura ſapientia proficit in terris, tamen ipſa nunc Angelos docet in cœlis: quia vt dictum eſt, verbum & caro, vnus Deus homo, vnus homo Deus, vna virtus atque vna ſapientia Dei eſſe probatur. Quod autem præmiſſa virtute, diuinitate ac ſapientia, fortitudo ſubiungitur: repetita ſententia videtur, cum hoc ſit virtus quod fortitudo. Vbi adhuc ſubiungitur: Et honorem & gloriam & benedictionem, ſubaudis, agnus occiſus accipere eſt dignus. Non itaque mirum ſi honore & gloria & benedictione digna iudicetur humana in Dei filio natura, quæ poſt flagella, poſt ſputa, poſt alapas, poſt ſpineam coronam, poſt maledicta, poſt crucem, poſt ſepulchrum, & in dextera Dei collocari, & ab omni creatura meruit adorari, honorificari, glorificari, ac benedici. Niſi enim ipſa humana in H Dei verbo natura, ab omni creatura adoranda eſſet, nequaquam Pſalmiſta admonens diceret: *Adorate ſcabel-* Pſal. 98. *lum pedum eius, quoniam ſanctum eſt.* Recte igitur *ſcabellum pedum Dei*, ipſa incarnatio redemptoris dicitur, cui æternitas inhæſiſſe probatur. Quod aperte alio in loco diuinitas eiuſdem mediatoris per Prophetam indicat, dicens: *Cœlum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pe-* Iſa. 66. *dum meorum.* Terra, ſcilicet non iam in primo Adam maledicta, ſed in ſecundo benedictionem conſecuta. Illi namque dictum eſt: *Maledicta terra in opere tuo.* Iſti Gen. 3. autem dicitur: *Benedixiſti Domine terram tuam.* Vbi Pſal. 84. etiam intelligimus, quia diuinitas mediatoris noſtri, cum terram per humanitatem tangeret, cœlum in Angelis præſidebat: quia cœlum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum. Adoremus ergo ſcabellum pedum Dei, id eſt, humanitatem à verbo diuinitatis ſuſceptam: quia & virtutis, & diuinitatis, & ſapientiæ, & honoris, & gloriæ, & benedictionis ipſius per gloriam reſurrectionis fieri meruit, quæ ante paſſionem

A dum infirma ad puteum ſederet atque ſitiret, dum ſe filium hominis ſæpe commendaret, dum ſapientia proficeret, dum opprobria, contumelias ac maledicta ſuſtineret, minor quodammodo Angelis erat. Quia vero Chriſtus & Eccleſia vna ſunt perſona, poſſunt hæc quæ præmiſimus, quadam ratione, quadam menſura ad ipſam referri. Dicatur ergo: *Dignus eſt agnus qui occiſus eſt, accipere virtutem & diuinitatem & ſapientiam & fortitudinem.*] Ac ſi diceret: in membris ſuis, agnus tanquam occiſus. Cum enim Ipſe ſit Dei virtus ac Dei ſapientia, in corpore ſuo quod nos ſumus, accipit quod in ſeipſo poſſidet. De illo namq; in veraciori nonaque tranſlatione ex Hebræorum (Pſal. 67. Epheſ. 4.) puriſſimo fonte manata, ſcriptum legimus: *Accepit dona in hominibus*. Eccleſia itaque mundo iam mortua, dum adhuc in quibuſdam membris ſuis lactis potu nutritur, infirma à Philoſophis vel hæreticis deputatur. Sed vnde ab illis infirma, inde à Catholicis robuſta prædicatur: (1. Cor. 1.) B *quia quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus*. At certe robuſta infirmitate confractus ac in initio prædicationis ſuperatus eſt mundus. Vel certe dum tribulationibus atteritur Eccleſia, dum preſſuris anguſtatur, dum fame ſitique conficitur, dum nuditate ac frigore attenuatur, quaſi infirma à reprobis iudicatur. Sed vnde carnis infirmitate quaſi ſuccumbit, inde fortitudine ſpiritus amplius viget, Paulo (2. Cor. 12.) atteſtante qui ait: *Quando infirmor, tunc fortior ſum*. Ipſa etiam quæ ab infidelibus tanquam ancilla deſpicitur, per adoptionis gratiam diuinitatem accipere digna perhibetur. De quibus membris hoc quod ſupra protulimus, (Ioan. 1.) Ioannes loquitur, dicens: *Quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius*. Quibus etiam per Pſalmiſtam dicitur: *Ego dixi, dij* (Pſal. 81.) *eſtis, & filij excelſi omnes*. De quibus idem quoque per (Ibidem.) Pſalmiſtam præmiſerat, dicens: *Deus ſtetit in ſynagoga deorum in medio autem Deos * diſcernit.* (* diiudicat.) Hinc incarnata veritas (Matt. 16.) cum diſcipulos interrogaret, dicens: *Quem dicunt homines eſſe filium hominis? & illi reſponderent, alij Ioannem Baptiſtam, alij autem Eliam, alij vero Ieremiam* G *aut vnum ex Prophetis*: quinam illi eſſent, quos talia interrogaret, aperuit, dicens: *Vos autem quem me eſſe dicitis?* Ac ſi diceret: Vos qui non homines, ſed per gratiam dij facti eſtis, quem me eſſe dicitis? Ipſa quoque dum mundanæ ſapientiæ pompas deſpicit, dum ſtultas & ſine diſciplina quæſtiones euitat, hanc infideles vel hæretici tanquam ſtultam contemnunt. Sed vnde quaſi inſipiens, inde vere ſapiens inuenitur: quia qui vult eſſe ſapiens, ſtultus in hoc ſæculo fieri debet, præſertim cum (1. Cor. 3.) *ſapientia huius mundi ſtultitia ſit apud Deum*. Sapientiam ergo non huius mundi accipit, ſed illam quæ deſurſum (Iacob. 3.) deſcendit, de qua videlicet per Iacobum dicitur: *Sapientia quæ deſurſum eſt*, primum quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia & operibus bonis. Ipſa certe & dum infirmos honores calcat, dum exteriorem gloriam frænat, dum benedicit, adulantium voces recuſat, & honore & gloria & benedictione indigna à reprobis æſtimatur. Sed vnde exterius honorem & gloriam fugit, inde cumulatius hono- D rem & gloriam interius acquirit: quia *gloria noſtra hæc* (2. Cor. 1.) *eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ: & omnis gloria eius* (Pſal. 44.) *filiæ regum ab intus*: & vnde adulantium benedictiones reſpuit, inde increpantium maledictionibus ad futuram benedictionem proficit. Ipſa enim illa ſapientia admonetur, qua per Salomonem dicitur: *Si benedixerit te inimicus* (Prou. 26. aut 27.) *tuus voce grandi, non credas ei*. Iam vero quod ſequitur, *& omnem creaturam quæ in cælo eſt, & ſuper terram, & ſub terra*: ſoli capiti principaliter conuenire probatur, vt videlicet ipſa humanitatis aſſumptio, in Dei verbo Angelis prælata, dominetur in cœlo: prædicata regnans dominetur & in terra: quæ ſolutis gemitibus inferorum præualens, dominata doceatur & ſub terra. Huic ſenſui Pau- (Philip. 2.) lus concinit, dicens: *In nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris*. Mare vero & quæ in eo ſunt, præſens ſæculum deſignat, in quo illi centum quinquaginta & tres ſacrati piſces, Apoſtolorum retibus concluduntur. Quamuis poſſunt & hæc in capite ſuo poſſidere & membra. Vnde E ſcriptum legimus: *Omnia nobis cum illo donauit*. Idem- (Ioan. 11.) que: *Conreſuſcitauit & conſedere nos fecit in cæleſtibus*. (Rom. 8. Epheſ. 2.) Hinc Petro typum gerenti Eccleſiæ, dicit: *Quodcunque* (Matt. 16.) *ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis*. Hinc ipſum membrorũ caput, in membris ſuis loquitur, dicens: (Matt. 28.) *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra*. Sequitur:

Omnes audiui dicentes ſedenti in throno & agno: Benedictio & honor & gloria & poteſtas in ſæcula ſæculorum.

Illos hoc loco repetita ſententia laudantes introduxit, ex quibus totam Eccleſiam conſtare præmiſit, id eſt, animalia, ſeniores, & Angelos. Sed cum laudantes dicunt ſedenti in throno & agno, Benedictio & honor & gloria & poteſtas in ſæcula ſæculorum, id eſt, patri: illam hoc F loco intelligentiæ regulam adhiberi inſinuant, qua plerunque vbi Pater & Filius in ſcriptura diuina ponuntur, conſequenter ibi & Spiritus ſanctus intelligitur: aut vbi Filius & Spiritus ſanctus, ſine dubio ibi etiam & Pater, ſicut in primo huius operis libro latius diſſeruimus. Sequitur:

Et quatuor animalia dicebant: Amen, & viginti quatuor ſeniores ceciderunt in facies ſuas, & adorauerunt viuentem in ſæcula ſæculorum.

Sicut ſæpe protulimus, hoc ſunt animalia quod ſeniores id eſt, totum Eccleſiæ corpus. Quamobrem & ſeniores cum animalibus *Amen* reſpondent, & animalia cum ſenioribus adorant & cadunt. Vna enim eademque Eccleſia diuerſis vocabulis figurata, & Deum collaudat, & ipſam laudem qua Deum collaudat, interpoſito *Amen*, G veram eſſe confirmat: & eum quem non inani, ſed vero laudis præconio attollit, cadens humiliter adorat. Qui ſit autem iſte caſus & hæc adoratio, ſupra iam expoſuimus. Ne itaque longo progreſſu vltra modum laſſemus, hunc librum iſto fine claudamus.

D. AMBROSII ANSBERTI Presbyteri, in Apocalypſim Ioannis Apoſtoli.

LIBER QVARTVS.

ADIVVANTE Deo Domino Ieſu Chriſto, ſi quas H hæc reuelatio planities habere videbatur, lento conamine peregimus: atque eo impetu quo leniter gradiebamur, & ſi paulo durius; colles eius conſcendimus: ſed cum magno difficultatis labore, montes ipſius ſubire iam cœpimus. Dumque laſſati pene ſuccumbimus, quid aliud nobis agendum eſt; niſi vt ad illum oculos erigamus, cũ quo iter iſtud agere cœpimus, quem ductorem, conuiatorem atque impulſorem habemus; id eſt mediatorem Dei & hominum, hominem Ieſum Chriſtum, æternam Dei virtutem, dantem laſſo fortitudinem? Sed nec deeſt cordibus noſtris fidei lumen, quo ipſum du- (Matt. 17.) cem itineris huius in montem cum Petro & Iacobo & Ioanne, nobis præire cernamus. Fitque vt dum hunc ſequentes, cũ Moyſe arduas per mõtes vias agimus, ac quodammodo fractis viribus cum Elia ſuper vnã iuniperum decidimus, apparente ipſo Dño, inter vtroſque ſolis claritate fulgente, à terra cum tribus Apoſtolis erigamur. Qua (3. Reg. 19.) fiducia animati, qua fide roborati, in ipſius adiutorio, & nomine ea quæ cepimus, exequamur. Denique præcedenti diſputatione hucvſque peruenimus, quo in apertione

A libri animalia, ſeniores, & Angeli debitæ laudis officium agno perſoluunt. Nunc autem in ordine ita ſequitur, quod de ſolutione ſigillorum per Ioannem dicitur:

Apocal. cap. VI. *Et cum aperuiſſet agnus vnum ex ſeptem ſigillis, audiui vnum ex quatuor animalibus, dicens, tanquam vocem tonitrui magni: Veni & vide. Et ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum, habebat arcum, & data eſt illi corona, & exiit vincens vt vinceret.*

Apertio ſigilli, reuelatio eſt ſacramenti. Verum quia non vnum, ſed multa ſunt ſacramenta: nec vnius módi, ſed ſicut Apoſtolus dicit Heb. 1. *multifarie multiſque modis olim Deus locutus patribus in Prophetis, nouiſſime diebus iſtis locutus eſt nobis in filio, quem conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſæcula*, & valde B longum eſt de ſacramentorum nunc diuerſitate tractare, quibus & futura Chriſti diſpenſatio, & Eccleſiæ præparabatur ventura ſaluatio: poſſunt tamen in his tribus modis, id eſt, locutionis, cognitionis quoque & actionis, vniuerſa comprehendi: vt videlicet locutio omnia in ſe præcepta totius cœleſtis concludat oraculi: cognitio autem regulariter adhibita, intelligentiæ formam inſinuet, actus vero cognitioni pariter ac locutioni concordet. Et quoniam latentes pridem modos locutionis atque intelligentiæ ſalutaris, ſuperiori diſputatione peregimus: nunc quæ in actu latebant, ſingulorum apertione ſigillorum attentius audiamus. Si itaqe apertio ſigilli, reuelatio creditur ſacramenti, eiuſque myſterium in ſermone dicimus, intellectu actuque exiſtere: videamus quomodo hæc ſimul tria certis etiam locis dicta, Intellecta atque peracta, probabiliter poſſint inueniri: vt eadem dicta intellectu ſobrio capiantur, & intellecta opere comprobentur, Pſal. 39. Hag. 2. verbi gratia, *Ecce ego venio, in capite libri ſcriptum eſt de me.* C Dicendo venio, adhuc tacito nomine quidem, prænuntiat eſſe venturum. Cum autem quis iſte ſit quæritur, proculdubio deſideratus cunctis gentibus Chriſtus intelligitur, præſertim quia in capite libri Geneſeos de ſe ſcriptum oſtendit, quod dicitur, *in principio creauit Deus cœlum & terram.* Idem enim eſt illud principium, in quo & per quod facta ſunt omnia. Vnde & Ioan. 8. Iudæis interrogantibus quiſnam eſſet, *principium* ſe eſſe Pſal. 39. reſpondit. Cum vero quæritur propter quid venerit, ſe-Ioan. 4. quitur & dicit: *Vt faciam voluntatem tuam Deus meus* Ioan. 14. *volui.* De qua nimirum in Euangelio idem ait: *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius qui me miſit.* De qua etiam circa horam paſſionis ad diſcipulos loquitur, dicens: *Vt ſciat mundus, quoniam voluntatem patris mei facio, ſurgite, eamus.* Quocirca omnes libri ſignati opacitatum figuras tunc reuelaſſe cognoſcitur, quando ſe vnum cum patre manere docuit principium, atque ex virgine natus, geſſit hominem verum. Indebitam quoque pro mundi ſalute ſuſcipiens mortem, poſtquam con- D fregit infernum, triumphali morte ſurgens à mortuis, aperuit tumulum ac quando voluit repetens cœlum, promiſſum diſcipulis miſit Spiritum ſanctum. Quo replente orbem terrarum, acquiſiuit multitudinem gentium, ſeque ſperandum edocuit iudicem futurum. Aperto autem vno ex ſeptem ſigillis, vnum ex quatuor animalibus in modum tonitrui magni, Ioannem inuitat vt veniat & videat: quia videlicet manifeſtata veritate, præcedens Eccleſia ſubſequentem ad fidem prouocat Eccleſiam. Hoc autem eſt vnum animal, quod quatuor; hoc vnum & quatuor animalia, quod Ioannes, qui ab vno animalium ad contemplandam Chriſti Eccleſiæque ſacramenta vt veniat, inuitatur. Ac ſi in Apoſtolis præcedens Eccleſia ſubſequenti dicat: A myſtico legis & Prophetarum eloquio, ad cognitionis intellectum fidei paſſibus veni, & hoc quod intellectu capis, ipſius operis veritate completum, inſpice. Vnde & recte poſt hanc admonitionem ſubditur: [Ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum, habebat arcum, & data eſt illi corona, & exiit vin- E cens vt vinceret.] Poteſt namque hoc loco per equum, incarnatio verbi Dei non incongrue figurari, quam ipſius verbi diuinitas ſingulariter voluit præſidere. Hunc enim equum tunc diuinitas Chriſti aſcendit, quando animam & carnem ſibi intra vterum virginis condidit atque coniunxit. Vnde & ipſa incarnata veritas per Pſalmiſtam Deo patri loquitur, dicens: *Vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum.* Pſal. 72. Ibidem. Et ne forte cuius hæc verba eſſent dubitaremus, continuo ſubiunxit: *Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me, & & cum gloria aſſumſiſti me.* Poteſt etiam per equum ordo prædicatorum deſignari, de quorum pluralitate Propheta dicit: *Miſiſti in mare equos tuos, turbantes aquas multas.* Habac. 3 iuxta 70 Quietæ quippe aquæ iacuerunt, quia humanæ mentes diu ſub vitiorum ſuorum torpore ſopitæ ſunt. Sed equis Dei mare turbatum eſt, quia miſſis ſanctis prædicatoribus, omne cor quod peſtifera ſoporitate torpuit, impulſu ſalutiferi timoris expauit. Hinc per Habacuc Prophetam, equorum aſcenſori dicitur: *Aſcendens ſuper equos tuos, & equitatus tuus ſanitas.* Ibidem. F Siue autem humanitas redemptoris noſtri, ſiue Eccleſia ipſius, in ſanctis prædicatoribus equi nomine figuretur: recte vtriſque conuenit, quod idem equus albus eſſe perhibetur, quia & humanitas noſtri redemptoris nequaquam peccati obfuſcationem de originali culpa contraxit, & Eccleſia quæ corpus eius eſt, in morte ipſius, lauacri vnda etiam contractam diluit. Vnde & ipſa in Pſalmis dicit: *Aſperges me Domine hyſſopo, &* Pſal. 50. *mundabor, lauabis me, & ſuper niuem dealbabor.* De Canc. 3. & 8. qua etiam in Canticis Canticorum admirando dicitur: *Quæ eſt iſta quæ aſcendit dealbata!* Quid autem per arcum ſedentis in equo, niſi vetus ac nouum Teſtamentum intelligimus? De quo videlicet arcu, id eſt, ſeſſore, à Propheta dicitur: *Tendens extendes arcum tuum ſuper ſceptra, dicit Dominus.* Habac. 3. Ex quo nimirum tot prodeunt ſagittarum iacula, quot ſunt Teſtamentorum eloquia. Iſtis etenim ſagittis arcu Dei emiſſis, terrena corda transfiguntur, vt ſæculi cupiditatibus moriantur, Pſalmiſta atteſtante qui eidem ſeſſori dicit: *Sagitta tua acuta potentiſſime, populi ſub te cadent in corda.* G Pſal. 44. Et rurſum: *Sagittæ tuæ pertranſierunt.* Pſal. 76. Ruſumque de eodem bellatore: *Miſit ſagittas ſuas, & diſſipauit eos.* Pſal. 143. Iſtis teſtamentorum ſagittis percuſſa fuerat Eccleſia, quæ in Canticis Canticorum di- Cant. 5. cebat: *Inuenerunt me cuſtodes qui circumeunt ciuitatem, percuſſerunt me, & vulnerauerunt me.* Quod vero coronam equi ſeſſor accepiſſe deſcribitur, non ſolum ad caput, verumetiam ad corpus referri videtur, quod in capite coronatur. Sed nec mirum. Nam idem ſeſſor qui coronam accepiſſe perhibetur, per ſanctos prædicatores quos præſidet, arcu & ſagittis totum mundum debellauit. De quo adhuc recte nunc ſubditur: ¶[*Ex exiit vincens vt vinceret.* Vnde exiit, niſi ex aperto ſigillo, id eſt, reuelato ſcripturarum ſacramento, ipſa ſacramenti veritas manifeſte apparuit? Exiit autem vincens vt vinceret, ſubaudis, primum caput victor apparuit, vt poſt in corpore ſuo idem quotidie dimicans, diabolicæ tentationis nequitias, peruerſorumque hominum inſidias ſuperaret. Quas profecto nunc autor huius ſcripturæ ſubdendo manifeſtare H incipit, cum dicit:

Et cum aperuiſſet ſigillum ſecundum, audiui ſecundum animal, dicens: Veni & vide. Et exiit alius equus rufus, & qui ſedebat ſuper eum, datum eſt ei vt ſumeret pacem de terra, & vt inuicem ſe interficiant. Et datus eſt illi gladius magnus.

Quod itaque eadem exhortationis verba veniendi & videndi, in cauſa diſſimili repetuntur, cum equus albus (vt præmiſimus) in bonum, rufus autem accipiatur in malum: ſciendum nobis eſt quia ſicut ibi lętitia de proſperitate victoriç, ſic etiam hic ſolicitudo miniſtratur de futuro certamine. Equus autem rufus, antiqui hoſtis eſt corpus, omnes videlicet reprobi, impietatis habitu cruenti, animarumque interfectionibus ſanguinei. Hinc eſt quod

A inferius beſtia ſuper quam meretrix ſedet, coccinea eſſe perhibetur. Et quidem ſeſſor electorum dicit: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis.* [Ioan. 14.] De ſeſſore autem reproborum dicitur: [*Datum eſt illi vt ſumeret pacem de terra.*] Ille concordiæ, hic vero autor eſt diſcordiæ. Datum itaque eſt iſti vt ſumat pacem de terra, ſubaudis, Deo cuncta iuſte diſponente permiſſum. Pacem autem tollit non de cœlo, ſed de terra, id eſt, non de electis, ſed de reprobis, qui pacem Dei aut nequaquam recipiunt, aut certe receptam, ſcandalum denuo ſumentes, proiiciunt. Quod autem huic nequiſſimo ſeſſori datum fuiſſe perhibetur, vt inuicem reprobi ſe interficiant, non carnalis in hac ſententia, ſed ſpiritalis interfectio debet intelligi, præſertim cum in figuratis locutionibus, quibus tota hæc Apocalypſis tegitur, litera occidens ſubintroduci minime permittatur. Et quidem multæ clades, multæque perſecutiones corporales ab antiquo hoſte illatæ, in ea ponuntur: neſcio autem vtrum ſine figurata locu-

B tione. Vnde vero ſeipſos interficiant reprobi, manifeſtatur cum de illorum principe ſubditur: [*Et datus eſt illi gladius magnus.*] Ac ſi diceretur: Spiritalis ſimul & malignus, quo ſpiritali nequitia contra Eccleſiam dimicant, quo non corpora, ſed animas reproborum iugulant. Gladius enim eſt malæ locutionis, ipſius prauæ ſuaſionis gladius ac peſtiferæ deceptionis. Quo videlicet duobus principaliter modis antiquus hoſtis ferit, cum aut per ſemetipſum ſpiritalem locutionem interius faciens decipit, aut per carnalium ſuorum linguam exterius pulſans, ad occiſionem animæ pertingit. Illa itaque lingua per ſemetipſum Iudæ locutus eſt, vt redemptorem noſtrum Iudæis traderet, ſicut in Euangelio dicitur: *Et cœna facta cum Diabolus iam miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Scariothis.* [Ioan. 13. Geneſ. 3.] Illa, vt vetita contingeret, primæ mulieri ſermonem fecit: hac vero per membra ſua eundem Dominum Ieſum Chriſtum à Pilato crucifigendum petiit. An non ſpiritalis eius locutio gladius fuit, quæ ma-

C tris viuentium animam occidit? An non membrorum eius locutio, gladius extitit, de quibus Pſalmiſta dicit *Exacuerunt in gladios linguas ſuas?* Et rurſum: *Lingua eorum gladius acutus.* Ruſumque: *Gladius eſt in labiis eorum.* De hoc malæ ſuggeſtionis gladio corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia, liberandum Pſalmiſta denuntiat, dicens: *Qui liberas Dauid ſeruum tuum de gladio maligno.* [Pſal. 63. Pſal. 56. Pſal. 58. Pſal. 143.] Benignus quippe ſanctæ prædicationis eſt gladius, quo percutimur vt culpæ moriamur: malignus vero eſt prauæ ſuggeſtionis, quo quiſque percutitur vt à vita rectitudinis extinguatur. Illo certe omnes ad vitam prædeſtinati exercentur, iſto cuncti ad mortem præſciti necantur. Illo piis increpationibus iuſti coercentur, iſto prauis ſuaſionibus reprobi nequius iugulantur, quo aperta perſecutione materiali gladio corpora trucidantur. Sed nec magno opere curat hoſtis antiquus cum corpora iugulat, niſi etiam per mortem carnis ad mortem animæ pertingat. Dat autem illi vis diuina gladium nequitiæ, non quo ipſa ad malum compellat, ſed quo iuſte mala ſuadere

D permittat, ſicuti cor Pharaonis indurauit, cuius duritiam miſericorditer non ſoluit. Sequitur:

Et cum aperuiſſet ſigillum tertium audiui tertium animal, dicens: Veni & vide. Et ecce equus niger, & qui ſedebat ſuper eum, habebat ſtaterem in manu ſua.

In huius equi nigredine, illa malorum eſuries deſignatur, qua Chriſti corpus inhianter deuorare, atque in malitiæ ſuæ ventrem traiicere concupiſcunt. Quibus etiam principis ſui affectus paratiſſimus ſeruit, cum ſtaterem in manu tenens, temporalibus ſtipendiis quorundam vitam mercari quærit, quæ illorum ſuamque eſuriem ſaturari queat. Quo contra Dominus admonet, dicens: *Quid prodeſt homini ſi totum mundum lucretur, & animæ ſuæ detrimentum patiatur?* Et rurſum: *Quam dabit homo commutationem pro anima ſua?* [Matt. 16. Ibidem. Geneſ. 3.] Hunc enim ſuggeſtionis ſtaterem in manu tenuit, quando vnum ad manducandum obtulit pomum, & totum ad perdendum mercatus eſt mundum.

[B] Vilia igitur offert, vt pretioſa quæque fraude præcipiat, & vt fames nequitiæ ſuæ auidius expleatur, eis quo temporalia promittendo mercari quærit, prius audiendi verbum Dei alimentum ſubtrahit, quatenus ſubſtantiã prius fraude præcipiat, & ſic demum nudam animam captiuans, poteſtati ſuæ ſubiiciat, atque vt dignum eſt, inedia ſpiritalis cibi necatos in augmentum ſui corporis ſumens, famem ſuæ malitiæ augeat potius quam expellat. De hoc ſublato reproborum ſubſidio Dominus per Prophetam dicit: *Ecce ego mittam famem in terra, non famem panis, neque ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Dei.* [Amos 8.] Quod ſi Dominus hoc agit, quid ad antiquum hoſtem in hoc facto pertinet, niſi quia Dominus agit deſerendo, antiquus hoſtis inuadendo? Hac deceptionis fraude electorum etiam animas hoſtis noſter quærit mercari, ſed quando poſſunt penuriam famis pati, qui frumentum Dei, hordeum Dei, vinum Dei, oleum Dei congrua ſignificatione ſunt appellati? Quin potius patiantur hanc famem paleæ, vinacea & amurca? [F] Aut quando poſſunt peremptoris fraude mercari, qui iam ſunt redemptoris pretio comparati? Occurrant ergo ad ſeductoris ſtaterem ſupradictæ ſpecies, id eſt, paleæ, vinacea & amurca, nullius pretij digna. Quod vt fiat, vis illum diuina modificans frenet. Vnde apte nunc quoque ſubiungitur:

Et audiui tanquam vocem in medio quatuor animalium, dicentem. Bilibris tritici denario vno, & tres bilibres hordei denario vno, & vinum & oleum ne læſeris.

Tunc itaque in medio quatuor animalium (id eſt, in medio Eccleſiæ) vox iſta perſonuit, quando adunatis in fide gentibus, ab electorum læſione diuinitatis potentia antiquum aduerſarium compeſcuit. Ac ſi ei per irriſionem diceret: Frumentum & hordeum oblatum denario ſeſſor equi alibi ſibi comparauit; paleas autem ſibi reſeruauit. [G] Vinum calcatur, quando ipſa non oleum quæ tanquam oliua in anguſtiarum prælo contuſa liquatur. Vel certe in vino crux dominicæ paſſionis, in oleo autem exprimitur vnctio Spir. S. quæ diuina virtus antiquum hoſtem in electis prohibet violare. Hoc enim vinum lætificat cor fidelium, hoc oleum exhilarat interiorem faciem electorũ.

Et cum aperuiſſet ſigillum quartũ, audiui vocem quarti animalis, dicentis: Veni & vide. Et ecce equus pallidus & qui ſedebat deſuper, nomen illi mors, & infernus ſequebatur eum.

Ipſi deſignantur per equum pallidum, qui & per rufum & nigrum, quorum nunc ſpiritalis mors, in ipſius equi pallore figuratur. Sed nec mirum, ſi per equi pallorem ſignum mortis exprimatur, cui mors præſidens dominari videtur. [H] Sic enim dicitur: [*Et qui ſedebat deſuper, nomen illi mors.*] Et quis alius mortis nomine deſignatur, niſi de quo ſcriptum legimus, *Inuidia Diaboli mors introiuit in orbem terrarum?* [Sap. 2.] Autor itaque mortis contra viuos pugnaturus, ſuper equum pallidum ſedere deſcribitur, quia nimirum per officium eorum quos iam ſpecialiter occidit, electorum vitam extinguere quærit. Si autem per mortem autor mortis, qui alij per infernum, niſi illi in quibus mors inhabitat, debent intelligi? Qui videlicet [Prou. 30.] recte per infernum deſignantur, quia ſicut profundus tartarus ad recipiendas animas ſemper ſinum laxat, nec dicit, ſufficit: ſic ſequaces occulti aduerſarij ad ambienda quælibet terrena, mentem per incrementa dilatant: nec tantum ſe acquiſiſſe quantum cupiunt, dolent. Ipſi ſane ſunt ſubiugales, qui & ſequaces. Ipſi à peremptore miſerabiliter præſidentur, qui peremptorem miſerabiliter ſequuntur. Quid vero eſt ſequi, niſi imitari? Sequuntur enim illum qui imitantur. De quibus ſcriptum eſt: *Imitantur autem illum qui ſunt ex parte illius.* [Sap. 2.] Poſſunt itaque per equum pallidum ſpecialiter hæretici deſignari, qui cum de

A Chriſto, qui vera eſt vita, recte non ſentiunt, mortis ſignum ex ipſa prauæ hæreſeos doctrina ſe habere demonſtrant. Qui videlicet ante ſeductas turbas, lingua & motibus præcipitium parant, quo poſt antiquum hoſtem currentes ſine obſtaculo ruunt. Sequitur:

Et data eſt illi poteſtas ſuper quatuor partes terræ, interficere gladio, fame, & morte, & beſtiis terræ.

Hic liquido claret, & equos & ſeſſores, Eccleſiæ Dei contrarios, vnum eſſe. Nam cum autor huius reuelationis per gladium ſeſſoris equi ruſi, ſpiritale bellum: per ſtateram nigri, animæ famem ſuperius deſignauerit: nunc in iſto atque per iſtum mortis vocabulo expreſſum, omnia enumerando prædicit futura plagarum exitia. Oſtendit etiam in hoc tertio & quarto adiungi, cum poſt gladium, famem & mortem, beſtias terræ introducit. Vnde
B & hunc iuxta plagarum numerum ſuper quatuor partes terræ poteſtatem accepiſſe denuntiat. Quanquam autem quaternarius numerus, ſiue in bonum, ſiue in malum, vniuerſitatem ſæpe deſignet: poſſunt tamen quatuor partes terræ in occulti hoſtis nominatim ac diuiſe exprimi. Duæ etenim in mundo ſunt partes: vna Chriſti, altera Diaboli. Sed Chriſti nec disiuncta, nec ſciſſa, nec diuiſa, quia vna eſt columba mea, perfecta mea. Vnde & Dominus in Euangelio ad patrem de credentibus ait:
Ioan. 17. *Rogo vt vnum ſint, ſicut & nos vnum ſumus.* Pars autem Diaboli, in quatuor ſubdiuiditur partes, foris videlicet in gentilitatis ſtultitiam, in Iudaicam perfidiam, in hæreticam pertinaciam: & intra Eccleſiam, in reprobandam quorundam Chriſtianorum vitam. Qui videlicet errores & vnum corpus faciunt, & tamen multum inter ſe diſſentiunt. Ecce quam ob cauſam in vno nequam ſeſſore, quatuor diximus intelligi debere. Cum iſtis igitur quatuor reprobis partibus, contra vnam electam dimicat occultus aduerſarius,
C ſed ideo lupi contra agnos dimicantes non vincunt, quia illi diuiſi, iſti vero inueniuotur vniti. Quid ſit autem antiquo hoſti, partem ſuam reprobam & diuiſam, gladio & fame & morte interficere, in ſingulis ſeſſoribus expoſui: gladio ſcilicet malæ ſuggeſtionis, fame autem audiendi verbum Dei, morte vero interiori atque ſpiritali. Nunc quoque quid ſignificent beſtiæ, quarum morſibus homines petire probantur, videamus. Solet nonnunquam diuina ſcriptura beſtiarum vocabulo, effetatos animi mores deſignare. Vnde Paulus cuiuſdam
Tit. 1. gentilis vtens teſtimonio, ait: *Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ.* Quod etiam ex ſeipſo affirmat, dicens? Teſti-
1. Cor. 15. monium hoc verum eſt. Et rurſum: *Si ſecundum hominem ad beſtias pugnaui Epheſi.* Beſtiis itaque hoſtis noſter reproborum animas interimit, quia dum diuinorum caueis carnales animi motus non retinentur, effetati (vt ita dixerim) impulſu diabolicæ ſuggeſtionis per abrupta
D quæque miſerorum vitam præcipitant. Sequitur:

Et cum aperuiſſet ſigillum quintum, vidi ſubtus altare Dei animas occiſorum propter verbum Dei & teſtimonium quod habebant.

Quid ſancti in ſpiritali pugna deprehenſi, ſiue corporaliter, ſeu etiam ſpiritaliter ab impugnantibus dum pugnarent, fuerint paſſi, quaſi ex obliquo verſus ille declarat: vbi certe in occiſorum animabus, omnium electorum animas intelligimus, qui ſiue corporalibus, ſiue ſpiritalibus à reprobis impugnationibus anguſtantur. De cunctis
2. Tim. 3. enim electis Apoſtolus dicit: *Omnes qui pie volunt viuere in Chriſto Ieſu perſecutionem patiuntur.* Omneſque electi
Pſal. 43. Rom. 8. cũ Pſalmiſta & Apoſtoio dicũt: *Propter te morte afficimur tota die, æſtimati ſumus vt oues occiſionis.* Hinc idem do-
* per 1. Cor. 15. ctor egregius Paulus Apoſtolus ait: *Quotidie* propter veſtram gloriam morior fratres.* Nullus enim fidelium dubitat duo eſſe martyrij genera, vnum in aperto, alterum in occulto. Mori etenim in carne, martyrium eſt in publico: ferre vero contumeliam, probra, irriſioneſque, martyrium B
eſt in occulto. Quod etiam apertiſſime Dominus declarat, qui duobus Zebedæi filiis, id eſt, Iacobo & Ioanni loquitur, dicens: *Calicem quidem meum bibetis.* Quid Matt. 20.
enim per calicem niſi tormentum paſſionis exprimitur? Act. 12.
Et certe cuncti nouimus Iacobum ab Herode decollatum, Ioannem vero in pace defunctum. Sed vterque calicem bibit, quia vnus horum aperto, alter vero occulto, martyrio coronati ſunt. Quod ſi forte contendat aliquis, non eſſe figuratam præcedentem locutionem: nec eam reproborum ſpiritalem necem, ſed ſanctorum corporalem deſignare, vt ſcilicet ille qui gladium tenebat, corpora ſanctorum materiali gladio trucidauerit: ille autem qui ſtateram, fame necauerit: ille vero qui mortis nomen habebat, ignibus, flagris, verberibus, beſtiarum dentibus, equuleis, cruciatibus, diuerſiſque tormentis interemerit, ſi poteſt vtcunque fieri, vt figuratis locutionibus in hac Apocalypſi litera miſceatur, nos non contradicimus. F
Mouemur tamen, ſi figurata locutio non eſt, quomodo is qui mortis nomen habet, gladio, fame & morte ſæuire dicatur, vt habeat gladium ruſi, ſtateram nigri, ſuique vocabuli mortis imperium, & ſunt quodammodo duo in vno, imo etiam tres in vno. Aut quomodo ille qui ſuper equum ruſum ſedebat, accepiſſe dicatur, vt gladio eius inuicem ſe interficiant homines, ſi necem illam non ſpiritalem vel reproborum, ſed corporalem & electorum intelligere debemus? Aut nnnquid inuicem ſe iuſti corporaliter occidunt, vt martyres fieri poſſint? Quid multa? Teneamus potius quod certum habemus, & ibi ſpiritalem ac reproborum mortem, & hic ſanctorum corporalem ſimul atque ſpiritalem, quæ in duobus martyrij generibus ſubditiditur, ac nequaquam gladio illo, fame vel morte necatos, occiſos tamen vel cruciatos ab his, qui gladio illo, fame vel morte vtebantur, alio gladio, alia fame, aliaque morte. Vbi autem talium animas viderit Ioannes, ſubdendo manifeſtat, dicens: [*Subtus altare* G
Dei.] Per quod nimirum mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus, apte poteſt intelligi. In hoc itaque altari ſacrificia noſtra Deo patri offerimus, cum vnigenitum eius imitantes, hoſtia viua in conſpectu eius apparemus. Subtus altare igitur Dei, animæ occiſorum ſunt, quia ſcilicet mediatori noſtro æquari non poſſunt. Omnes enim ſub ipſo, & ipſe ſuper omnes eſt, vtpote eminens caput ſuper corpus ſuum. Sed videamus verum ne alius hic lateat intellectus. Duo quippe altaria in tabernaculo Exod. 27. 30.
teſtimonij à Domino fieri iuſſa ſunt: vnum videlicet exterius, aliud vero interius, vnum in atrio, aliud ante arcam: vnum quod ære coopertum eſt, aliud quod auro veſtitur. Atque in altari æreo cremantur carnes, in altari vero aureo incenduntur aromata. Quid itaque per æreum altare, quo foris in atrio carnes cremantur, niſi Iudaica plebs figuratur? Quæ dum in carnalibus populis Moſaicam legem carnaliter intelligens, exterioribus victimis inſeruire ſtuduit, ſpiritalia de Chriſto arcana penetrare H
nequiuit. Quid vero per aureum, quo intus ante arcam thura incenduntur, niſi ſancta Eccleſia deſignatur? Quæ dum in ſpiritalibus vtriuſque Teſtamenti viris, Patriarchis videlicet & Prophetis, Apoſtolis ac populis credentium, eandem legem cognoſcens, interioribus hoſtiis, id eſt, ſpiritalibus, quæ nunc celebrantur in ſanctis, cum ipſi hoſtia viua fiunt, mediatori ſuo Deo ac Domino Ieſu Chriſto, vniri meruit. Hinc eſt quod idem Dominus in monte transfiguratus, Moyſen & Eliam, Petrum & Iaco- Matt. 17.
cobum & Ioannem exhibuit, atque altrinſecus vtriuſque Teſtamenti in ſe Eccleſiam vniuit, ſiue ſcilicet in viuis, ſeu etiam in defunctis. Sciendum vero, quia altare illud aureũ, de quo nunc agitur, prius quidem ante arcam erat: ſed velum inter hoc & illam pendebat, quod ſanctum & ſancta ſanctorum diuidebat. Veniens autem pontifex noſter, ſua paſſione velum ſcidit: & altare aureum atque arcam Teſtamenti, quæ intra velum latebat, vniuit, quia videlicet nos ſecum pariter ſuſcitauit, atque in cœleſtibus conſedere fecit. Illud enim tabernaculum quod intra velum erat, cœleſtem patriam deſignabat, Paulo atteſtante, qui cum de duobus tabernaculis, id eſt, ſancta & ſancta ſan-

A ctorum, quæ velo oppanſo diuidebantur, tractaret, dicens:
Hebr. 9. *In priori tabernaculo ſemper introibant ſacerdotes, ſacrificiorum officia conſummantes: in ſecundo vero, ſemel in anno ſolus pontifex, non ſine ſanguine:* poſt paululum ſubiunxit, *Chriſtus aſſiſtens pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum*, id eſt, non huius creationis, *neque per ſanguinem hircorum*
Ibidem. *aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta.* Et rurſum: *Non enim, ait, in manufacta ſancta Ieſus introiuit, exemplaria*
Hebr. 8. *verorum, ſed in ipſum cœlum, vt appareat vultui Dei pro nobis.* Rurſumque. *Talem*, inquit, *habemus pontificem, qui conſedit in dextera magnitudinis in excelſis, ſanctorum miniſter, & tabernaculi veri, quod fixit Deus, & non homo.* Vt autem oſtenderet hoc altare, id eſt, Eccleſiam Dei & arcam Teſtamenti, quæ vtique hoc loco Dominum ſigni-
Coloſſ. 2. ficat, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ ab-*
Hebr. 6. *ſconditi*, ablato velamine vniri: ait: *Fortiſſimum ſolatium*
B *habemus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut ancoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem vſque ad interiora velaminis, vbi præcurſor pro nobis introiit Ieſus, ſecundum ordinem Melchiſedech, pontifex factus in æternum.* Sed nec mirum, ſi iam ibi ſit altare aureum, ſiue ſcilicet adhuc per fidem & ſpem in viuis, ſiue iam per ſpeciem in defunctis, vbi introiuit pontifex ſummus: cum & pontifex & altare vnum ſint corpus, & aſſiſtens ſcilicet, & cui aſſiſtitur. Quamobrem & pontifex altare, & vnius pontificis ſacerdotes ipſum ſunt altare, de quibus paulo inferius, prout Dominus dederit, ſubtilius diſputare intendimus. Ante hoc nempe altare Angelus thuribulum aureum habens, venit, ſuper hoc incenſa, id eſt, orationes ſanctorum obtulit, quodque ante oculos Dei eſſe, vnumque ex eius cornibus, ſexto Angelo locutum fuiſſe intelligimus. Cum autem beatiſſimi martyres ſint nobiſcum ipſum altare, ac ſummo pontifici noſtro iam inhæreant per ſpeciem, cui nos adhuc inhæremus per fidem atque ſpem, quid ſibi vult, quod
C eorum animæ ſubtus hoc altare eſſe perhibentur? Si enim (vt verum eſt) ipſi altare Dei ſunt, quomodo iidem ſubtus altare Dei ſunt? Sed ſciendum nobis eſt, quia vel pro eo quod cum Domino vnum altare ſunt, ſub illo ſunt, vel pro eo quod adhuc, deuicta morte, per gloriam reſurrectionis propria corpora non receperunt, ſubtus altare (id eſt, ſub ſe) ſunt. Quaſi enim ſubtus ſe ſunt, qui immortalitatis corpore veſtiri non ſunt. Tunc autem iam ſubtus ſe non erunt, quando animæ ſimul & corporis immortalitate gaudebunt. Quod quia necdum in ſe adimpletum aſpiciunt, propterea quaſi in querelam proſiliunt. Vnde nunc quoque per Ioannem dicitur:

Et clamabant voce magna, dicentes: Vſquequo Domine ſanctus & verus, non vindicas ſanguinem noſtrum de his qui habitant in terra?

Quid eſt autem, animas ſanctorum vindictam ſangui-
D nis de perſecutoribus expoſcere, niſi diem extremi iudicij & reſurrectionem mortuorum præſtolari? Quorum videlicet clamor, mentis eſt deſiderium. Neque enim ab his corporeo modo aërius flatus folle ventris attrahitur, vt per organum gutturis vocis expreſſione verba reddantur, quæ necdum corpora recepiſſe videntur, ſed magnus earum clamor, magnum eſt deſiderium, & tanto quælibet earum minus clamat, quanto minus deſiderat: tantoque maiorem vocem ad aures incircumſcripti ſpiritus exprimit, quanto ſe in eius deſiderium plenius fundit. Animarum ergo verba, ipſa earum ſunt deſideria. Nam ſi deſiderium ſermo non eſſet, Dauid nequaquam dixiſſet:
Pſal. 9. *Deſideria cordis eorum exaudiuit auris tua.* Sed cum aliter moueri ſoleat mens quæ petit, aliter quæ petitur, & ſanctorum animæ ita interni ſecreti ſinu Deo inhærent, vt in hærendo quieſcant: quomodo dicuntur petere, quas & voluntatem Dei, certum eſt, & ea quæ futura ſunt, non ignorare? Sed in ipſo poſitæ, ab ipſo aliquid petere dicuntur: non quo vindictam deſiderent, quod ab eius quem cernunt, voluntate diſcordet, ſed quo ardentius inhærent, E
eo etiam de ipſo accipiunt, vt ab ipſo petant, quod eum facere velle nouerunt. De ipſo ergo bibunt, quod ab ipſo ſitiunt: & modo nobis adhuc incomprehenſibili, in hoc quod petendo eſuriunt, præſciendo ſatiantur. Diſcordarent enim à voluntate conditoris, ſi quæ eum vident velle, non peterent: eique minus inhærerent, imo nec inhærerent, ſi volentem dare deſiderio pigriori pulſarent. De quibus adhuc ſubditur:

Et datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ, & dictum eſt illis vt requieſcerent tempus adhuc modicum, donec impleatur numerus conſeruorum & fratrum eorum, qui interficiendi ſunt ſicut & illi.

Quid itaque hoc loco per albas ſtolas, niſi merces baptiſmi, niſi præmium martyrij, niſi retributio laborum, niſi gaudia cœleſtis patriæ deſignantur? Vbi etiam intelligimus, quia ſanctorum animæ quæ nunc ſingulas ſtolas acceperunt, binas quandoque accipient, id eſt, dupla gaudia. Ante reſurrectionem quippe ſtolas ſingulas accepiſſe perhibentur electi, quia in ſola adhuc anima æternis beatitudinibus perfruuntur. Binas autem in reſurrectione accepturi ſunt, quando cum animarum perfecto gaudio etiam corporis incorruptione veſtientur. Ecce vnde adhuc ſub ſe. Cum autem binas ſtolas acceperint, iam non erunt ſub ſe. O quam longius, ô quam inferius, non adhuc ſubtus nos iacemus, qui necdum ſaltem vel vnam ſtolam accepimus in re, & tamen duas nos accepturos præſumimus in ſpe. Quid autem iam illis in animabus perenni lætitia exultantibus, & adhuc corporis immortalitate veſtiri deſiderantibus, diuino reſponſo dicatur, audiamus. Requieſcite, ait, tempus adhuc modicum, donec com- G
pleatur numerus conſeruorum & fratrum veſtrorum. Deſiderantibus itaque animabus futuram corporum reſurrectionem, requieſcite adhuc modicum tempus, dicere: eſt, inter ardorem deſiderij ex ipſa præſcientia ſolatia conſolationis accipere, vt animarum vox ſit hoc quod amantes deſiderant: & reſpondentis ſermo Dei ſit, eas retributionis certitudine inter ipſa deſideria confirmare. Reſpondere ergo Dei, eſt, vt collationem fratrum expectare debeant, eorum mentibus libenter expectandi moras infundere, vt cum carnis reſurrectionem appetunt, etiam ex colligendorum fratrum augmento gratulentur. Quo contra Beatus Apoſtolus in carne adhuc corruptibili conſtitutus, cupiebat *diſſolui & eſſe cum Chriſto.* Et cor- Philip. 1.
pus, quod ſanctorum animæ immortale deſiderant quandoque recipere, ipſe deſiderabat mortale abjicere, ſed hac eum interna voce admonitum nouimus, quem dicentem pro inſtruendis animabus fidelium legimus, manere in carne neceſſarium propter vos. Sicut enim Ibidem.
Paulus cupiebat quidem diſſolui & eſſe cum Chriſto, ſed tamen pro inſtruendis fidelium animabus libenter in H
carne corruptibili morabatur: ſic econtra iuſtorum animæ corpora quidem recipere incorrupta deſiderant, ſed tamen patienter moras recipiendorum corporum expectant, vſquequo numerum fratrum adimpletum intelligant. Sequitur:

Et vidi cum aperuiſſet ſigillum ſextum, terræ motus factus eſt magnus, & Sol factus eſt niger tanquam ſaccus cilicinus, & luna tota facta eſt ſicut ſanguis.

Quid itaque hoc loco per terræmotum intelligimus, niſi nouiſſimam Eccleſiæ ſub Antichriſto perſecutionem? Bene autem non ſimpliciter terræmotus, ſed cum additamento, terræmotus magnus vocatur: quia ſecundum redemptoris ſententiam, *erit tunc tribulatio qualis nunquam* Matt. 24.
fuit ex quo homines eſſe cœperunt ſuper terram, ſed nec fiet, Marc. 13.
cuius vehementi impetu, tanquam terræmotu, orbis

A vniuerſus prædicitur concuti. Et quia multi intra ſan-
ctam Eccleſiam conſtituti, eadem vltima perſecutione
territi, Chriſtum negabunt: ideo Sol dicitur obſcurari,
Malac.4. de quo videlicet ſcriptum eſt: *Vobis qui timetis Domi-
num, orietur Sol iuſtitia.* De quo etiam impij in inferno
Sap. 5. dicturi ſunt: *Sol non ortus eſt nobis.* Quaſi enim Sol in
nouiſſimis obſcuratur, cum hi qui in corpore Chriſti
quaſi lucere videbantur, ad aperti erroris tenebras de-
Apoc. 8. uoluuntur. Hinc eſt quod inferius tertia pars ſolis per-
cuſſa fuiſſe narratur, vt percuſſa obſcuraretur. Tertia
etenim pars ſolis percutitur, vt percuſſa obſcuraretur,
quia videlicet reprobi Eccleſiæ fideles aut terroribus aut
blanditiis perſecutorum illaqueantur, vt aperte redem-
ptorem mundi negare cogantur. Poteſt autem hoc in loco
per ſolem, fulgens vita prædicantium intelligi, qui & ſuis
ſplendebunt, & alienis tanquam ſaccus cilicinus nigri ap-
parebunt. In extremo quippe tempore Sol quaſi ſaccus
cilicinus niger oſtenditur, quia nimirum fulgens fide &
B virtutibus vita prædicantium, ante reproborum oculos
aſpera & deſpecta monſtratur. Cilicium quippe crimino-
ſis & peccatoribus congruit. Vnde quia tunc ſancti præ-
dicatores ante perſecutorum catervas infidelitate vel im-
pietate obſcuratas, nihil aliud æſtimabuntur quam pec-
catores, Sol in ſe ſuiſque fulgens, illis vt ſaccus cilicinus
oſtendetur. Quid vero per lunam in ſanguinem verſam,
niſi ſanctam Eccleſiam in electis cruore paſſionis agno-
ſcimus infectam? Tota ſane, & non ex parte ſanguis ef-
fecta dicitur: quia nullus illa nouiſſima perſecutione
expers erit, qui in fide mediatoris permanſerit. Quæ
cuncta in extremo tempore ventura, Ioel Propheta te-
Ioel 2. ſtatur, dicens: *Sol conuertetur in tenebras, & Luna in
ſanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & ma-
nifeſtus.* Sequitur:

Et ſtellæ ceciderunt ſuper terram, ſicut ficus mittit groſſos ſuos cum à vento magno mouetur.

C

Iſa. 66. Cælum eſt Eccleſia ſanctorum, quæ vt Dominus dicit,
Sap. 7. *cælum mihi ſedes eſt.* Et Salomon ait: *Anima iuſti ſedes ſa-*
vt volũt. *pientia.* Paulus quoque confirmat Chriſtum Dei virtu-
1.Cor.1. tem & Dei ſapientiam. Quæ videlicet in nocte vitæ præ-
ſentis, dum in ſe innumeras ſanctorum vitas continet,
quaſi radiantibus deſuper ſideribus fulget. Sed in terram
ſtellæ de cælo cadunt, quia nimirum hi qui ante huma-
nos oculos fide & virtutibus lucere videbantur, impulſu
nouiſſimæ perſecutionis tacti, eadem fide, eiſdem reli-
ctis operibus, toto deſiderio terrena inhiant. Stellas enim
de cælo in terram cadere, eos qui videntur ſanctorum
fide vel operibus inhærere, ex amore terreno ad iniquita-
tem apperti erroris ruere. Sciendum vero, quia dum figu-
rata locutio ab aliis ſimilitudinibus comparationem tra-
here videtur, ipſa in eis pro certo inuenitur. Hoc namque
eſt in ſignificatione ſtellas de cælo cadere, quod eſt groſ-
ſos de ficu emitti. Arbor etenim fidei à vento magno
D mouetur, cum extrema perſecutione omnis Eccleſia con-
cutitur. Qui ventus idcirco magnus vocatur, quia vt pau-
lo ſuperius dictum eſt, perſecutio illa nouiſſima, ad com-
parationem præſentium perſecutionum, ſola ingens pro-
batur: qua vtique homines agitati, tanquam groſſi de ficu
ab Eccleſia euelluntur. Quid autem mirum, ſi vento con-
cuſſi cadunt, qui etiam ſine vento inanes effecti deci-
dunt? Porro alia tranſlatio non groſſos, ſed acerbos fru-
ctus poſuit, ſiue ſcilicet propter infidelitatem, quam re-
probi abiecta fide malunt repetere: ſeu propter immatu-
ritatem temporis, per quam contingit, vt cum felicem
Eccleſia horum concipiendo quæſierit ortum, infelici
tamen euentu flebilem de eis patiatur aborſum. De ta-
1.Ioan.2. libus namque dicit Ioannes: *Ex nobis exierunt, ſed non
erant ex nobis. Nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vti-
que nobiſcum.* Illis autem infidelitate & tranſgreſſione ab
Eccleſiæ celſitudine ad ima ruentibus, quid ipſa in ſuis
agat, audiamus. Denique ſequitur:

Et cælum receſſit vt liber inuolutus.

E

Sicut reprobi ab Eccleſia non corpore, ſed infidelitate
& tranſgreſſionibus cadunt: ſic eadem Eccleſia in electis
ſuis non abſceſſu corporis, ſed fide & operatione in me-
dio malorum recedit. Hinc Propheta admonet, dicens:
Egredimini de medio eius, & immundum ne tetigeritis. Ille Iſaiæ 52.
etenim de medio reprobæ ciuitatis ſalubriter egreditur,
qui infidelitatis & tranſgreſſionis immunditia in medio
habitatorum eius non polluitur. Et quia non imitando
malum, à malis Eccleſia ſeparatur, reſtat etiam vt eis &
bona ipſius abſcondantur. Vnde nec ſimpliciter, ſed vt
liber inuolutus receſſiſſe perhibetur. In libro enim inuo-
luto quid interius contineatur, non videtur, niſi ab illis
quibus voluntarie aperitur. Sic, ſic & electorum Eccleſia
illius temporis perſecutione agitata, intima ſua & extra-
neis foris claudit, & ſuis diſcrete intus aperit. Cuius vide-
licet membra Ioannes alloquitur, dicens: *Nolite omni* F
ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt. Hic ita- 1.Ioan.4.
que diſcretione vigens, ſanctum dare canibus & marga- Matth.7.
ritas ſuas ponere ante porcos cauet. Bene autem per li-
brum Eccleſia deſignatur, quia totius vitæ cæleſtis man-
data adſcripta continere videtur, non ſolum ſcilicet in
membranis atramento vel calamo, ſed etiam in tabulis
cordis carnalibus ſpiritu Dei. Hinc Propheta ex perſona
Domini ait: *Hoc eſt teſtamentum quod diſponam Domui* Ier.31.
Iſrael poſt dies illos, dicit Dominus, dabo leges meas in Hebr. 8.
*mente eorum, & in cordibus eorum ſuperſcribam eas: & ego
ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum, & non do-
cebit vnuſquiſque proximum ſuum, & vnuſquiſque fra-
trem ſuum dicens, cognoſce Dominum: quoniam omnes
ſcient me, à maiore vſque ad minorem.* Sequitur:

Et omnis mons & inſulæ de locis ſuis motæ ſunt.

Quid hoc loco per montes, niſi præcelſæ dignitatis
viros intelligimus? Qui ita verbis, virtutibus, atque mi- G
raculis cæteros eminent, ſicut montes planitiem terræ
tranſcendunt. Ad quorum perſonam Dominus per Pro-
phetam dicit: *Leuaui oculos meos ad montes, vnde veniet* Pſal.120.
auxilium mihi. Sed quia non à montibus eſt ſanctorum
auxilium, quanquam per montes ſæpe illud accipiant,
ſed ab illo monte qui tranſcendit cacumina montium,
recte ſubiungit: *Auxilium meum à Domino; qui fecit* Ibidem.
cælum & terram. Hinc Propheta ait: *Erit in nouiſſimis* Iſa. 2.
*diebus præparatus mons domus Domini in vertice mon-
tium*, id eſt, Chriſtus tranſcendens virtutes omnium ſan-
ctorum. Iſte eſt mons ille coagulatus & pinguis, à quo
illi montes huberes fiunt, quibus dicitur: *Vt quid ſuſpi-* Pſal. 67.
citis montes huberes? Mons in quo beneplacitum eſt
Deo, habitare in eo, etenim Dominus habitabit in fi-
nem. Hunc montem iſti montes ambiunt, Pſalmiſta di- Pſal.124.
cente: *Montes in circuitu eius.* Quid vero per inſulas ma-
ris, niſi minoris iuſtitiæ homines, atque in tribulationi- H
bus adhuc fluctuantes accipimus? Quamuis repetita ſen-
tentia, omnis Eccleſia poſſit ſiue in magnis, ſiue in mino-
ribus per eas intelligi. De his inſulis Dominus dicit:
Taceant ad me inſulæ, & gentes mutent fortitudinem. Et Iſaiæ 41.
rurſum: *Audite inſulæ, & attendite populi de longe.* Rur- Iſa. 49.
ſumque: *Me inſulæ expectabunt, & brachium meum ſu-* Iſa. 60.
ſtinebunt. Hinc etiam Propheta admonet, dicens: *In do-* Iſa. 24.
*ctrinis glorificate Dominum, in inſulis maris nomen Domi-
ni Dei Iſrael.* Quod autem de locis ſuis & montes & in-
ſulæ motæ perhibentur, ad ſuperiorem ſenſum redigitur,
quo ſanctorum Eccleſia fide & conuerſatione ab eis qui
Chriſtum negauerint, disiungitur. Quaſi enim locus eius
erat, permixta conuerſatio malorum, ſed illis à fide caden-
tibus, quaſi extra locum fit, cum ab eorum conſortio fide
& moribus ſeparatur, nec eis in quolibet cæleſtium ſa-
cramentorum negotio participatur. Sic enim illa vltima
tribulatione vexabitur Eccleſia, vt pene nullus ad vitam
prædeſtinatus, careat tormentis: nullus ad mortem præ-
ſcitus, non fiat negando manifeſtus. Sequitur:

A

Et reges terræ & principes tribuni, & diuites & fortes, & omnis ſeruus & liber, abſconderunt ſe in ſpeluncis & in petris montium.

Reges terræ ſunt, qui corpora ſua bene regere nouerunt, ne ſcilicet vitiis inſoleſcant, ne penuriis ſuccumbant. Principes autem ſunt, qui non omnibus vt reges, ſed pro conceſſis viribus, quibuſdam vitiis reſiſtunt. Tribuni vero, & ipſi minoris potentiæ, minoriſque virtutis contra paſſiones carnis quam principes exiſtunt. Diuites quoque non opibus, ſed bonis operibus vocantur. Vnde & Apoſtolus admonet, *diuites fieri in operibus bonis*. (1.Tim.6.) Fortes etiam, non corporis virtute, ſed animi vigore, quia & Paulus dicit, *Quando infirmor, tunc fortior ſum.* (2.Cor.12.) Seruus quoque, coniugio obligatus: liber, à copula coniugali abſolutus vocatur. Qui videlicet vltima perſecutione deprehenſi,

B

dum quibuſdam futuri iudicij erumpentibus ſignis territi, nihilque de ſuis operationibus præſumentes, in ſpeluncis & petris montium ſemetipſos abſcondunt, id eſt, ſanctorum ſuffragia petunt. Qui recte montes vocantur, quia virtutibus alti: recte petræ, quia robore fortes. Digne montes, quia terrena deſpicientes, cœleſtia contemplantur: digne petræ, quia in Chriſto qui eſt petra, roborantur. Ad hos montes nouiſſima perſecutione deprehenſos incarnata veritas fugere hortatur, cum dicit: (Matt.24.) *Tunc qui in Iudea ſunt, fugiant ad montes.* In quibus proculdubio tutiſſima pauentes latibula firmaque inueniunt refugia, dum eorum ſe interceſſionibus tota committunt fiducia. Hinc enim Pſalmiſta ait: (Pſal.103.) *Montes excelſi ceruis, petra refugium herinaceis & leporibus.* (Prou.30.) Hinc Salomon dicit: *Lepuſculus plebs inualida, collocat in petra cubile ſibi.* Hinc etiam per Iſaiam de talibus dicitur: (Iſaiæ 2.) *Introibunt in ſpeluncas petrarum & in voragines terræ, à facie formidinis Domini & à gloria maieſtatis eius, cum ſurrexerit percutere terram.* (Ibidem.) Et rurſum: *Ingredientur, ait, ſiſſuras petrarum, à facie formidinis Domini.*

C

(Ibidem.) Quod etiam agendum admonet, cum dicit: *Ingredere petram, abſcondere foſſa humo à facie timoris Domini, & à gloria maieſtatis eius cum ſurrexerit percutere terram.* Poſſunt autem per montes & petras, ſupernæ virtutes intelligi, ad quorum ſuffragia imminente ira diei iudicij, quis dubitet Eccleſiam confugere? Hinc Dominus ad iuſtum Iob per increpationem loquitur, dicens: (Iob.39.) *Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum ſibi?* In petris manet, & in præruptis ſilicibus commoratur atque inacceſſis rupibus. Quid vero ſiue ad ſanctos homines, ſiue ad Beatos Angelos confugientes dicant, audiamus:

Et dicunt montibus & petris. Cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira agni, quoniam venit dies magnus iræ eius, & quis poterit ſtare?

D

Ac ſi aperte dicant: Miſericordia animum flectite, noſque piis interuentionibus ab ira iudicantis tegite. Non autem à facie parcentis, ſed à facie nos abſcondite iraſcentis. Cur autem ita pertimeſcant, adhuc ſubiungunt, dicentes: [*Quoniam venit dies magnus iræ eius, & quis poterit ſtare?*] Ac ſi de ſuis actionibus trepidi dicant: Si illius diei iram ſanctus pertimeſcit, quis noſtrum ſubſiſtit? In quo (1.Petr.4.) *& ſi iuſtus vix ſaluabitur, peccator & impius vbi parebunt?* De illo namque die Propheta dicit: (Soph.1.) *Dies iræ dies illa, dies tribulationis & anguſtiæ, dies calamitatis & miſeriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis dies tubæ & clangoris.* (Iezec.33.) In quo videlicet examinis die, ſecundum præmiſſam ſententiam, nec iuſtitia iuſti ſecura eſt, ſi remota pietate iudicetur. Vnde & Pſalmiſta dicit: (Pſal.142.) *Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.* Quamuis ergo bona præceſſerint opera, neceſſe eſt vt ſemper ad cœleſtium ciuium confugiamus latibula, id eſt, Angelorum interceſſionibus ab ira iudicantis nos deprecemur liberari. Quamuis cuncta hæc quæ de electis dicta intelleximus, poſſint impiorum etiam perſonis aptari.

E

Dicatur ergo: (Iſaiæ 40.) *Omnis mons & inſula de locis ſuis mota ſunt.* Superbas huius ſæculi poteſtates appellari vocabulo montis, Propheta indicat, dicens: *Super montem caliginoſum leuate ſignum, exaltate vocem, leuate manum, & ingrediantur portas duces.* Quem enim per montem caliginoſum, niſi regem Babylonium voluit deſignare, infidelitatis atque impietatis nebula coopertum? Per inſulas autem maris, non incongrue illi figurantur, qui ſæcularium negotiorum fluctibus quatiuntur, quibus recte per Prophetam dicitur: (Iſaiæ 23.) *Tacete qui habitatis in inſula, negotiatio Sidonis, transfretantes mare, repleuerunt te.* Qui videlicet perſecutionis vltimæ fragore concuſſi, eo citius ab Eccleſiæ vnitate ſeparantur, quo terrenis deſideriis amplius inhiare videntur. Quis enim tunc potentum, quis cupidorum non deſerat fidem, ne amittat ſtipem, ne perdat honorem, cum pacis tempore non ſolum periuriis, fraudibus, falſiſque teſtimoniis, verumetiam quorundam mortibus ſiue exterorum ſeu propinquorum, aliorum ſubſtantiam atque honorem præripiunt? Reges autem terræ, principes ac tribuni iuxta qualitatem actionis, per gradus iniquitatis proficientes, reprobos deſignant.

F

Diuites vero illi appellantur, qui ad quod vitium manus extendere voluerint, non indigent alieno ſolatio. Fortes quoque, vel ad miſcendam ebrietatem, vel ad ſubuertendam iniquis conſiliis vitam quorundam. Seruus etiam peccati, liber iuſtitiæ. Vnde & Paulus dicit: (Rom.6.) *Cum ſerui eſſetis peccati, liberi fuiſtis iuſtitiæ.* Hos omnes, non dubium eſt, imminente futuro iudicio, ad auxilia dæmonum currere, cum deſperati, ad quemlibet ſanctorum non præſumunt accedere, hoc eſt eos in ſpeluncis & petris montium latibula quærere, eorumque ruinis operiri velle. Sed quomodo alios ab ira furoris abſcondent, qui primi iram furoris excipient? Quæ cuncta etiam iuxta literam, magnum audientibus timorem incutiunt, ſed non propterea figuratæ locutiones violenter ad literam inflectendæ ſunt. Sequitur:

G

Et poſt hæc vidi quatuor Angelos ſtantes ſuper quatuor Angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent ſuper terram, neque ſuper mare, neque ſuper vllam arborem. (Apocal. cap. VII.)

In præfatione huius operis promiſiſſe me recolo, huius libri narrationis ordinem ſingulis locis aperire. Vnde nunc breuiter notandum video hoc genus locutionis. Autor etenim huius reuelationis, à primo vſque ad ſextum narrando perueniens ſigillum, ordinem narrationis cuſtodiſſe videtur. Sed prætermiſſo interim ſeptimo, ad initium incarnationis Chriſti redit: & ea quæ executus fuerat, mutatis ænigmatum figuris, breuiter recapitulat, atque eaſdem duas narrationes ſeptimo ſigillo concludit. Quæ videlicet recapitulatio non ſemper iſto modo, ſed diuerſis fit modis, ſicut per ſingula monſtrare curamus. Aliquando enim ab origine diſpenſationis Chriſti, aliquando à

H

medio tempore, aliquando de ſola ipſa perſecutione, aut non multo ante dicturus recapitulat. Nunc autem (vt præmiſimus) deſcripto ſexto ſigillo, ad originem redit, eadem breuiter aliterque dicturus. His igitur propoſitionis meæ ſolutionibus breuiter indagatis, ad expoſitionis ordinem reuertamur: & qui ſunt iſti quatuor Angeli, ſolicite requiramus. Quid itaque per eos figurari intelligimus, niſi corpus antiqui hoſtis? Propter quatuor autem principalia mundi iſtius regna, Aſſyriorum videlicet, Medorum, Perſarumque vel certe Macedonum, atque Romanorum, in quibus malignorum ſpirituum princeps per idololatriæ culturam regnauit, quatuor in reprobam partem Angeli ponuntur. Non autem mirum, ſi per malos Angelos mali etiam deſignentur homines, cum & de Iuda ad Apoſtolos dictum legamus: (Ioan.6.) *Vnus ex vobis Diabolus eſt.* Sciendum vero hoc eſſe quatuor Angelos, quod quatuor ventos, iuxta Danielis prophetiam, dicentis: (Dan.7.) *Ecce quatuor venti cœli pugnabant in mari magno, & quatuor beſtiæ aſcendebant de mari, diuerſæ inter ſe, venies*

A *ſcilicet & beſtias vnum eſſe deſignans, quæ ſunt præfata*
Apoc. 9. *quatuor ſæculi regna.* Hinc eſt quod inferius in hac Apo-
calypſi, non ventos, ſed Angelos idem qui hæc loquitur,
alligatos dicit. Quamobrem cum Angeli ventos, ne flare
debeant, tenent, ſeipſos vtique tenent. Et quia Diabolus
omneſque iniqui vnum ſunt corpus, profecto & in Ange-
lis & in ventis ipſe intelligitur. Quid itaque fuit, quatuor
Aogelos ſuper quatuor Angulos terræ ſtantes, ventos ne
flarent, tenere: niſi occultum aduerſarium eiuſque totum
omnino corpus, ita ſe inuicem vnire atque conſtringe-
re, ita os omnium obſtruere ac præfocare, ne qois aude-
ret contra idololatriæ culturam verbum veritatis efflare?
In terra autem diuerſitas prouinciarum, in mari vero nu-
meroſitas deſignatur inſularum. In arboribus quoque,
quia genus ſiluit, pro earum diuerſitate diuerſa etiam
officia atque hominum præſignantur qualitates. Ipſi enim
deſignantur per arbores, qui & per Angelos & ventos,
qui terra marique conſiſtunt, ſeque ipſos præfocando in-
B terimunt, ſed malorum potentiam, qua iniuſte ſeipſos ne
flarent, tenebant, vel potius autoris ſui Diaboli virtute
ſuffocabantur, Domini aduentus fruſtrabit. De quo apte
nunc ſequitur:

Et vidi alterum Angelum, aſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſignum Dei viui, & clamauit voce magna quatuor Angelis, quibus datum eſt nocere terræ & mari, dicens: Nolite nocere terræ, neque mari, neque arboribus, quoadusque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum.

Qui bene Angelus vocatur, quia nouæ vitæ gaudia
mundo nuntiaſſe cognoſcitur. De quo ſcriptum legimus:
Iſaiæ 9. iuxta lxx. *Vocabitur nomen eius magni conſilij Angelus.* Aſcenſus
autem ipſius ab ortu ſolis, ille intelligitur, qui ab ipſa re-
C ſurrectione, quæ tanquam nouus ſol emicuit, totum mun-
dum creſcendo repleuit, vnde Euangelica doctrina or-
bem illuſtrauit. Illa etiam voce, à læſione terræ, maris
& arborum, noxiam quatuor Angelorum poteſtatem in
autoribus ſimul & miniſtris confregit, atque in notitiam
& cultum vnius Dei, omnia regna mundi conuertit. Hoc
etiam modo Daniel Propheta ſanctiſſimus, in ſtatua quæ
Nabuchodonoſor nocturna apparuit, ſæculi regnum à
præciſo de monte ſine manibus lapide confractum, re-
gnumque mediatoris noſtri totum orbem repleuiſſe nar-
rauit, cum eidem ſtolido atque amenti, ſomnium ad no-
Dan. 2. titiam reduceret, dicens: *Tu rex videbas, & ecce quaſi ſta-
tua vna grandis, ſtatua illa magna & ſtatura ſublimis, ſta-
bat contra te, & intuitus eius terribilis. Huius ſtatuæ caput*
Ibidem. *ex optimo auro erat, pectus autem & brachia de argento.
Porro venter & femora ex ære, tibiæ autem ferreæ.* Et poſt
pauca ſubiungit: *Videbas ita donec abſciſus eſt lapis de*
D *monte ſine manibus, & percuſſit ſtatuam in pedibus eius
ferreis & fictilibus, & comminuit eos.* Atque poſt paulum
Ibidem. ſubinfert: *Lapis autem qui percuſſit ſtatuam, creuit: &
factus eſt mons magnus & impleuit vniuerſam terram.* In
qua videlicet vna eademque ſtatua, ſicut ipſe impio regi
ſomnium explanans aperuit, quatuor regna mundi figu-
rantur. In auro ſcilicet Aſſyriorum, in argento autem
Medorum, in ære etiam Perſarum vel Macedonum, in
ferro quoque Romanorum: in lapide vero de monte
ſine manibus abſciſo, quod ipſe tacuit, nos Dominum in-
telligimus Ieſum Chriſtum, de ſtirpe Iudaica ſine opere
mortali procreatum. Qui videlicet in pedibus ſtatuam
percuſſit, & cecidit: quia verbi prædicatione extremita-
tem regni Romanorum tetigit, & præfata ſæculi regna,
quæ vnius continebantur tunc regno, ſalubriter erigen-
da contriuit. Hinc iam creuit lapis, & factus eſt mons
magnus, & impleuit orbem terrarum: quia illis ruenti-
bus, regnum eius excreuit, ſicut idem Daniel perhibet,
Dan. 2. dicens: *In diebus autem regum illorum, ſuſcitabit Deus
cæli regnum quod in æternum non diſſipabitur, & imperium*
eius populo alteri non tradetur. Comminuet autem & con- E
ſumet omnia regna hæc, & ipſum ſtabit in æternum.
Idem autem lapis & Angelus ab ortu ſolis aſcendẽs, atque
vniuerſam terram illuſtrans & replens, ſignum Dei viui
habere perhibetur, id eſt, crucis myſterium, quo videlicet
omnes quos gladio linguæ ſuperat, in numerum electo-
rum tranſeuntes conſignat. In eo vero quo noxiam An-
gelorum voluntatem à læſione terræ mariſque & arbo-
rum cohibens, non dicit ſingulariter, quouſque ſignem
ſeruos Dei mei in frontibus eorum: ſed pluraliter, quo-
vſque ſignemus ſeruos Dei noſtri, plures in ſe oſtendit, per
quos illud miniſterium adimplet. Vbi etiam exteriorem
ſimul & interiorem frontem cognoſcimus, quia ſanguine
agni vtrumque poſtem linimus: & nihil prodeſſe hoc ex-
terius quenquam portare, niſi accipiat & interius, quia
fides ſine operibus otioſa eſt. Nam multæ autumnales ar- Exod 12. Iacob. 4.
bores exterius hoc charactere ſignantur, ſed ſolæ fructuo-
ſæ, atque à læſione noxia defenſæ, interiori ſigno cenſen-
tur: quia *multi ſunt vocati, pauci vero electi.* Dicatur ergo:
[*Nolite nocere terræ, neque mari, neque arboribus, quoad-* Matt. 20.
uſque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum.] Ac ſi F
diceretur: In illis ſpeciebus nolite lædere, ex quibus ele-
ctorum numerus ſolique Deo cognitus, inuiolabili ſigno
vſque in finem ſæculi cenſetur. De quo videlicet præde-
ſtinatorum numero Paulus Apoſtolus dicit: *Qui elegit nos* Epheſ. 1.
*ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immacu-
lati in conſpectu eius, prædeſtinans nos in adoptionem filio-
rum per Ieſum Chriſtum in ipſum.* De quo etiam nunc
apte ſubiungitur:

Et audiui numerum ſignatorum, centum quadraginta quatuor millia, ſignati ex omni tribu filiorum Iſrael

Qui videlicet numerus tanquam finitus, pro infinito
debet intelligi, & ſacratus ac myſticus innumerabili ele-
ctorum multitudini certiſſime deputari. Omnis enim Ec-
cleſiæ per hunc in electis ſuis deſignatur, nec ad ſolas G
duodecim tribus iuxta literam pertinere videtur. Hinc Apoc. 21.
eſt quod Ieruſalem ciuitas de cœlo deſcendens, duodecim
millium ſtadia quaquauerſum habere deſcribitur: & am-
bitus eiuſdem ciuitatis in ſolidum, centum quadraginta
quatuor cubitos. Sed videamus qua ratione hic numerus
electorum ſummam deſignet. In ſcriptura igitur ſacra ter-
narium numerum quis neget perfectum, præſertim cum
ipſe ſummum & maximum bonum, id eſt, Trinitatem
quæ Deus eſt, oſtendat? Quaternarium vero, ſiue propter
quatuor mundi notiſſimas partes, ſeu propter quatuor pa-
radiſi flumina, quæ ſunt quatuor Euangelia, ſeu etiam
propter quatuor principales virtutes, perfectum eſſe nul-
lus ambigit. Siue autem tria per quatuor, ſiue quatuor
per tria ducamus, ad duodenarium numerum peruueni-
mus: qui & ipſe vel propter duodecim tribus, vel propter
duodecim Apoſtolos, ſacratus habetur. Millenarius quo-
que numerus vniuerſitatem ſæpe deſignat, vt eſt illud: H
Verbi quod mandauit in mille generationes. Eccleſia ita- Pſal. 104.
que quia Trinitatis notitia ex vniuerſis generationibus
aggregatur, quatuorque paradiſi fluminibus adunata ri-
gatur, recte in duodenis millibus figuratur. Sed vt in
eo quod credidit perficiatur, neceſſe eſt vt duodenarius
millium numerus, quadrata ſoliditate iungatur. Ducan-
tur ergo duodecim millia per quatuor, & quadraginta
octo millia fiant. Vt vero ad id quod credidit, id eſt, Tri-
nitatis contemplationem pertingat, rurſum quadraginta
& octo millia ter multiplicentur, & de ſe centum qua-
draginta quatuor millia reddant. Et quia ſunt nonnulli
paruulorum, qui hunc numerum ad interfectos ſub He-
rode paruulos redigi putant, admonendi ſunt vt con-
ſiderent, nequaquam tunc Herodem in duodecim tribu-
bus habuiſſe poteſtatem: ſed vt Euangelium loquitur
quartam partem obtinens regni, id eſt, tribus Iuda & Matth. 2.
Beniamin, tantæ crudelitatis autor exiſtens, in ſui iuris
dominio prout inſanus valuerat, paruulos interemiſſe. Si
enim hic numerus ad illos innocentes redigitur, quo-

A modo ex duodecim tribubus venturus dicitur, cum illi
ex duabus tantum fuerint occiſi? Reſtat ergo vt ſecun-
dum præmiſſæ expoſitionis ſenſum, omnium electorum
ſummam io eo nouerint comprehendi. Sequitur autem
numerus ſignatorum, mentione facta ſingularum tri-
buum, & dicitur:

Ex tribu Iuda, duodecim millia ſignati. Ex tribu Ruben, duodecim millia ſignati. Ex tribu Gad, duodecim millia ſignati. Ex tribu Aſer, duodecim millia ſignati. Ex tribu Nephtali, duodecim millia ſignati. Ex tribu Manaſſe, duodecim millia ſignati. Ex tribu Simeon, duodecim millia ſignati. Ex tribu Leui, duodecim millia ſignati. Ex
B *tribu Iſſachar, duodecim millia ſignati. Ex tribu Zabulon, duodecim millia ſignati. Ex tribu Ioſeph, duodecim millia ſignati. Ex tribu Beniamin, duodecim millia ſignati.*

Si ad Geneſeos hiſtoriam recurrimus, horum nomina
Gen. 29. iuxta natiuitatem ſingulorum nequaquam hoc ordine in-
Gen. 30. ſerta inuenimus. Nam Iudas ibi quarto, hic primo ponitur
loco. Ruben ibi primo, hic ſecundo. Gad ibi ſeptimo, hic
tertio. Aſer ibi octauo, hic quarto. Nephtali ibi ſexto, hic
quinto. Manaſſes ibi nullo, hic ſexto ponitur loco. Simeon
Gen. 30. ibi ſecundo, hic ſeptimo. Leui ibi tertio, hic octauo loco
ſubrogatur. Iſſachar tantum, Zabulon, Ioſeph atque Benia-
min ſicut ibi, ita hic ponuntur. Dan vero quintus Iacob
filius, de hoc ſpiritali catalogo omnimodis exploditur,
nec in eo recipitur. Quod cur factum fuerit, facile ani-
maduertimus, ſi à carnis natiuitate mentis intentionem
C remouentes, cum interpretationibus nominum ſingulo-
rum ſpiritalem in eis proſapiam requiramus. Iudas itaque
interpretatur confeſſio ſiue laudatio. Ruben videns filium,
vel videntis filium. Gad, tentatio ſiue accinctus aut la-
trunculus. Aſer, beatus. Neptali, latitudo. Manaſſes, oblitus
vel neceſſitas. Simeon, audiui triſtitiam, vel nomen habi-
taculi. Leui, auditus. Iſachar, eſt merces. Zabulon, habi-
taculum fortitudinis. Ioſeph, augmentum. Beniamin, filius
dexteræ. Vt autem huius ordinis ſecreta rimemur, in-
terpretatio nominis Iudæ, quid aliud deſignat, quam con-
feſſionem peccatorum ac laudem virtutum? Iudas enim,
vt diximus, confeſſio vocatur ſiue laudatio: confeſſio
ſcilicet de præteritis malis, laudatio vero de ſubſequenti-
bus bonis: quanquam & confeſſionis vocabulum non
ſemper ad peccata redigi, ſed pleruunque etiam pro laude
videatur poni. Hinc Dominus nullum omnino habens
Matt. 11. peccatum ait: *Confiteor tibi pater, Domine cæli & terræ.*
Hinc pſalmiſta de illo vtrique tempore, quo iam pecca-
Pſal. 29. tum electi non habebunt, dicit: *Domine Deus meus, in*
D *æternum confitebor tibi.* Exprimatur itaque in Iuda con-
feſſio peccatorum, & laus inſinuetur prædicanda virtu-
tum. Vnde & eidem in benedictionibus dicitur: *Iuda,*
Gen. 49. *te laudabunt fratres tui.* In Ruben vero, qui videns filium
vel videntis filium dicitur, ipſa virtutum opera deſignan-
tur. Sæpius enim filiorum vocabulo, in ſcriptura ſacra
bonorum operum fructus figurari cognoſcimus. Vnde
Pſal. 127. ſcriptum eſt: *Videas filios filiorum tuorum, pax ſuper*
Iſrael. Filios enim filiorum noſtrorum videmus, cum ex
virtutibus noſtris aliæ virtutes oriuntur. Sicut enim vi-
tiis vitia, ſic virtutibus virtutes naſcuntur. Quia vero ipſa
virtutum opera, quæ Iudæ io Ruben ſuccedunt, aliorum
prouectibus deſeruire debent: bene congruit, quod idem
Ruben non ſolum videns filium ſed videntis filium ap-
pellatur, vt ſcilicet ea in quibus nos iam profeciſſe vide-
mus, & aliis videnda manifeſtemus. Quod tamen agen-
tes, non noſtram in his, ſed Domini gloriam quærere
Matth. 5. debemus. Vnde & idem Dominus vtrumque complectens,
in Euangelio ait: *Videant veſtra bona opera, & glorificent*
patrem veſtrum qui in cælis eſt. Et quidem laudanda ſunt E
opera in Ruben, ſed laus ipſa ad illum referenda eſt, *qui*
operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate. Philip. 2.
Quis itaque hinc iam non videat, cur patriarcharum no-
mina in hoc ſpiritali catalogo non ita fuerint poſita, vt
in carnis genelogia? Nonne in Iuda præcedit Initium con-
uerſorum, atque in Ruben ſuccedunt incrementa virtu-
tum? Nam ſi à primogenito carnis Ruben, qui videns fi-
lium vel videntis filium dicitur, hic ordo inchoaſſet, &
quarto natiuitatis ſuæ loco Iudam poſuiſſet, ſpiritalem
Eccleſiæ proſapiam vtique confudiſſet: ac per hoc non
iam myſticus, ſed carnalis ac nullius ſecreti dignos ha-
bitus fuiſſet. Bene autem primum Iudas ponitur, ac dein-
de Ruben ſuccedit: quia niſi per confeſſionem renun-
ciemus actibus malis, non Informamur rectis & placi-
tis: niſi deteſtanda vitemus, laudabilia agere non vale-
mus. Verum quia etiam bene operantes ſemper tentatio
ſolet probare, ſicut iuſto viro inſiſtenti per Angelum di-
citur: *Quoniam acceptus eras Deo, neceſſe fuit vt tentatio* Tob. 12.
probaret te: ideo, poſt Ruben Gad, id eſt, tentatio, ſubro- Iob. 7.
gatur. Hinc enim legimus: *Militia eſt vita hominis ſu-* F
per terram, vel ſicut in vetuſta tranſlatione dicitur, tenta-
tio. Quia vero contra eandem multiplicem illatam ten-
tatiooem, diuina virtute præcincti, fortes exiſtunt: recte
eis conuenit, quod idem Gad, etiam accinctus vocatur.
Talibus enim conuenit, vt agonothetam ſuum ſequentes,
contra multiformem quotidie tentationem dimicent, di- Luc. 12.
micantes ſuperent. Quibus idem admonendo dicit: *Sint* Iob. 38.
lumbi veſtri præcincti. Hinc etiam ſancto Iob loquitur, & 40.
dicens: *Accinge ſicut vir lumbos tuos.* Hinc & quilibet Pſal. 17.
eorum cum Pſalmiſta Domino dicit: *Præcinxiſti me vir-*
tute ad bellum. Quia quoque bonorum certaminum finem
ad Deum dirigere, non ad fauorem humanæ laudis tor-
quere debemus, ob hoc etiam prædictus Gad, latrun-
culus vocatur, tanquam ſcilicet bona cordis latenter
acquirens, Deo offerat approbanda, non humanis obtu-
tibus detegat præferenda: vt ſecundum quod ipſe promi- Matth. 6.
ſit, *Pater eius qui videt in abſcondito, reddat ei in mani-* G
feſto. Quaſi enim quidam latrunculus erat Dauid, cum Pſ. 118. b
diceret: *In corde meo abſcondi eloquia tua, vt non pec-*
cem tibi. Quod omnino ad animi intentionem totum re-
fertur, quia & multi opera ſua abſcondunt, & tamen per
intentionem foris pandunt: & nonnulli actionem ſuam
foris detegunt, & tamen intus abſcondunt. Verum quia
illata tentatio & electos probat & probatos coronat:
recte poſt Gad Aſer ſupponitur, qui beatus vocatur.
Hinc Iacobus ait: *Beatus vir qui ſuffert tentationem:* Iacob. 1.
quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam
repromiſit Deus diligentibus ſe. Cuius videlicet beatitu-
dinis certa promiſſione roborati bellatores Eccleſiæ,
inter Ipſos etiam malos non anguſtantur viſceribus cha-
ritatis, ſed cum Apoſtolo clamant & dicunt: *Cor noſtrum*
dilatatum eſt. Et pſalmo concinunt: *Viam mandatorum* 2. Cor. 6.
tuorum cucurri, cum dilatares cor meum. Vnde bene Pſ. 118. d
quoque poſt Aſer Nephtali ſupponitur, qui latitudo in-
terpretatur. Per illud enim mandatum currunt, de quo Ibidem.
in eodem Pſalmo legimus: *Latum mandatum tuum ni-* H
mis. Quia vero per hoc ampliſſimum dilectionis præce-
ptum dilatati currentes, & ea quæ retro ſunt obliuiſcun-
tur, ad ea vero quæ in ante ſunt extenduntur: & adhuc
æternas diuitias ad quas apprehendendas extenduntur
in ſpe, non habent in re: vnde in hac peregrinatione
mendicos ſe eſſe fatentur, vſquequo ad illas pertingant: Pſal. 39.
digne poſt Nephtali Manaſſes Interſeritur, qui oblitus
vel neceſſitas intelligitur. Oblitus, ſcilicet quia vnum
quod retro eſt dimiſit: neceſſitas vero, quia ad hoc ad
quod extenditur, nondum peruenit. Hanc electorum
neceſſitatem Ieremias inſpexerat, qui dicebat: *Ego vir* Thre. 3.
videns paupertatem meam. De his erui pſalmiſta con- Pſal. 24.
cupiuerat, cum diceret: *De neceſſitatibus meis eripe me.*
Sed quia deſiderium talia poſtulantium, ſæpe differtur,
non tamen aufertur: iure poſt Manaſſen Simeon collo-
catur, qui, audiui triſtitiam, interpretatus appellatur.
Hinc certe triſtantur, hinc lugere probantur. Sed qui au-
diunt triſtitiam, audiant neceſſe eſt & nomen habita-

A culi, quod idem Simeon ſonare videtur: vt qui in præſentibus malis triſtantur, de futuris bonis conſolentur: & qui mœrent in tabernaculo corruptionis, gaudeant de taSap 9. bernaculo æternæ quietis. Scriptum quippe eſt: *Corpus* 2. Cor. 5. *quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena* Ibidem. *inhabitatio ſenſum multa cogitantem.* Et rurſum: *Quan-* Ibidem. *diu ſumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino.* Rurſumque: *Qui ſumus in hoc habitaculo, ingemiſcimus grauati.* Ecce hinc auditur triſtitia. Rurſum ſcriptum eſt: *Scimus quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quod ædificationem habemus ex Deo, domum non manufactam, æternam in cælis.* Ecce hinc magna conſolationis lætitia. Audiant ergo electi, & quid hic ſit habendum, & quid illic expectandum. Audiant Pſal. 125. quid de his pſalmiſta dicat: *Euntes ibant & flebant, mittentes ſemina ſua. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos.* Audiant quid de illis Dominus dicit: *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* B Audiant quid eis rurſum ab ipſo dicatur: *Plorabitis &* Matth. 5. *flebitis vos, mundus autem gaudebit. Vos vero contriſta-* Ioan. 16. *bimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* Quales autem iſti ſint, & in his quæ retro obliti, ad ea vero quæ in ante ſunt, inueniuntur extenti, atque de præſenti habitatione triſtes, de futura tantum conſolati: Leui ſubjunctus indicat, qui interpretatione nominis ſui, additus ſonat. Multi enim tales generalia tranſcendentes præcepta, ſuperaddunt non iuſſa, vt eſt cælibatus ſanctæ virginitatis: erogatio dimidij bonorum vel omnium facultatum, ſeparatio ab inuicem carnalium coniugatorum. Quæ omnia quia non iubentur, ſed admonentur, vtique non iuſſa, conſilio ſuperadduntur. Quibus nimirum iure conuenit, quod Iſſachar poſt Leui annectitur, qui interpretatus dicitur, eſt merces. Iſta præcipua agentibus, præcipua atque ſpecialis merces debetur. Hinc Ieremias cuilibet talia agenti, ac de præſentibus miſeriis lugenti, dicit: Ierem. 31. *Quieſcat vox tua, à ploratu & oculi tui à lachrymis, quia* C *eſt merces operi tuo, ait Dominus.* Sed ſolent nonnunquam etiam talia facta; immo talia facientes, priuſquam remunerentur illatæ perſecutiones probare, non autem ſuperare. nec immerito Zabulon poſt Iſſachar ſequitur, qui habitaculum fortitudinis appellatur: Tunc enim horum quilibet habitaculum efficitur, quando *virtus in infirmitate* 2. Cor. 12. *perficitur*, ſicut & Apoſtolus dicit: *Conualuerunt de in-* Hebr. 11. *firmitate, fortes facti ſunt in bello.* Vt corpus quod ab inimicis putatur infirmum, & per cuius materiam animo quoque inferre nituntur interitum, Deo confortante, experiantur inuictum. Qui videlicet non ſolum pacis tempore amicis, verumetiam in ipſa perſecutione talentum diuini verbi gratis erogant inimicis. Quamobrem non ſine cauſa Ioſeph poſt Zabulon annectitur, qui augmentum interpretatus vocatur. Vt enim de accepta pecunia lucrum referant, nec ipſis inimicis hanc erogare dubitant. Vel certe in eo augmentum Domino ſuo reportant, D quo etiam paſſi pro perſequentibus orationem deuotiſſime fundunt. Et vt hos omnes quibus iſtæ virtutes, quas enumerando potius, quam plenius exponendo peregimus, ineſſe potuerunt, in dextera regis æterni locandos intelligas, Beniamin, id eſt, filius dexteræ, poſtremo loco conſtituitur, tanquam ſcilicet ipſe ſit finis ordinis, cui felicitas promittitur æternæ mercedis, in ipſo omnes concluduntur, qui ad dexteram Chriſti locantur: & quaſi ab ipſa dextera generantur, qui eius virtute in hoc ſæculo proteguntur. Sed libet hæc eadem curſim retexere, vt ab his qui ſenſu tardiores ſunt, facile poſſint comprehendi. Sancta igitur Eccleſia confeſſione laudabilis, in Iuda: in Ruben, piis operibus clara & fœcunda: in Gad, tentationum exercitiis probata: in Aſer, poſt deuictas tentationes beata: in Nephtali, charitatis amore dilatata: in Manaſſe, ea quæ retro ſunt oblita, ad ea vero quæ in ante ſunt extenta: in Simeon, quaſi triſtis adhuc in conualle plorationis, ſed ſpe gaudens de ſupernorum ciuium habitaculis: in Leui, virginitate decora, continentia poſt concubitum ſancta, miſericordia pietatis huberrima: in Iſſachar, futuræ mercedis expectatione ſuſpenſa: in Zabulon, martyrio coronata: in Ioſeph, duplicato ſpiritalis ſubſtantiæ talento ditata: in Beniamin, dexteram felicitatis æternæ omnino comprobatur ſortita. In quibus expoſitionis meæ ſententiis, non duodecim me profeſſiones E poſuiſſe aliquis exiſtimet, ſed virtutes. Tres enim tantum profeſſiones in Eccleſia inuenimus, in quibus tamen cuncta hæc que enumerauimus, continentur: virginum ſcilicet, continentium, ac bonorum coniugatorum: ſicut Dominus expoſuit, cum de iactis ſeminibus loqueretur, dicens: *Alia ceciderunt in terram bonam, & dabant fructus: aliud centeſimum, & aliud ſexageſimum, & aliud* Matt. 13. *triceſimum.* In virginibus enim, continentibus, ac bonis Marc. 4. coniugatis duodecim iſti inueniuntur animarum profectus Luc. 8. qui videlicet & in octo beatitudinibus ſecundum Lucam inueniuntur expreſſi. Nec amplius habent duodecim quam octo nec amplius octo quã quatuor. Inter hæc Luc. 6. autem nequaquam prætereundum exiſtimamus, cur Dan Iacob vtiq; filius ſiue in Geneſi, ſiue in Exodo cũ ceteris fratribus annumeratus, in hac Apocalypſi de catalogo ſpiritali fuerit eiectus: Manaſſes vero inter alienigenas F natus, vtique non filius, ſed tanquam in filium adoptatus, ſexto videatur loco ſubrogatus. Non igitur innuitur per Dan, quod in latina lingua interpretatur, iudicium ſiue iudicans Hebræorum tranſeuntium: niſi reprobatio veteris ſacerdotij, carnaliumque abolitio victimarum, ſicut Apoſtolus de his pleniſſime tractans expoſuit, dicens: *Nam ſi conſummatio ſub ſacerdotium Leuiticum erat, & populus ſub ipſo legem acceperat, quid* Hebr. 7. *adhuc neceſſarium fuit, ſecundum ordinem Melchiſedec alium exurgere ſacerdotem, & non ſecundum Aaron dici?* Tranſlato enim ſacerdotio, neceſſe eſt vt & legis tranſlatio fiat. Et rurſum: *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem eius & inutilitatem.* Ibidem. Ruſumque: *Nam ſi illud prius culpa vacaſſet, non vti-* Hebr. 8. *que ſecundi locus inquireretur.* Vituperans enim eos, dicit: *Ecce dies venient, dicit Dominus, & conſumma-* Ierem. 31. *bo ſuper domum Iſrael & ſuper domum Iuda teſtamen-* G *tum nouum.* At poſt pauca: *Dicendo*, inquit, *nouum,* Hebr. 8. *veterauit prius.* Quod autem antiquatur & ſeneſcit, prope interitum fit. Et cætera de quibus diutiſſime tractauit. Dan ergo de ſpiritali catalogo eiectus, ipſa nominis ſui interpretatione docet, quod in ſexta mundi ætate, mediatore noſtro adueniente, occulto quidem, ſed iuſto, iudicio Iudaica perfidia plebs propriis ſedibus expulſa, ſacerdotij dignitatem perdidit: atque in eius loco Manaſſes inter alienigenas natus, non quidem filius, ſed tamen in filium adoptatus, id eſt, gentium populus, per gratiam noui teſtamenti meruit ſubrogari. Qualiter autem iſte numerus intelligendus eſſet, & vnde aggregandus, ſequens verſus declarat quo dicitur:

Poſt hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus & tribubus & populis & linguis. H

Quæ igitur neceſſitas fuit, vt nominatis cunctis gentibus, & populis & linguis, omnes hic cum iam præmiſſæ fuerint tribus innecterentur: niſi quia & in tribubus omnes gentes, populi & linguæ deſignantur: & in cunctis gentibus, populis & linguis, ille tribus intelliguntur? Non quo vna ſit natio, ſed quo vna redemptoris connexio. Numerus ergo præmiſſus, non eſt accipiendus pro finito, ſed certi cauſa myſterij pro infinito. Quamobrem hæc quoque innumerabilis turba illo inuiolabili ſigno videtur cenſeri, quo duodecies duodecim millia: qui vt dictum eſt, & hæc in illis intelligitur, & illa in hac inueniuntur. Sed cum Eccleſiæ innumerabilis multitudo demonſtratur, nobis vtique, & non Deo innumerabilis adſcribitur. Ipſe enim dixit: *Dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabuntur.* Et rurſum: *Qui* Pſal. 138. *numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina* Pſal. 146. *vocat:* Vbi etiam hæc turba qualiſue ſit viſa, manifeſtatur cum ſubiungitur:

A

Stantes ante thronum & in conſpectu agni, amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum.

Quia vniuerſalis Eccleſia vnius mediatoris throno deſignetur, certiſſima ratione declaratur. Quia vero & hæc innumerabilis turba omnem electorum contineat ſummam: ambiguitas nulla relinquitur. Quid ergo eſt, quod ante thronum turba conſpicitur, niſi quia viſio figuris obumbrata variatur, cum tamen res figuris oſtenſa, nequaquam varietur? Ipſa enim vniuerſalis ſanctorum Eccleſia deſignatur per vnum thronum, ipſa per vigintiquatuor thronos, totidemque ſeniores in circuitu throni ſedentes, ipſa per habitum in throno ſedentis, ipſa per quatuor animalia in medio throni & in circuitu throni, ipſa per innumerabilem turbam ſtantem ante thronum. Sed nec poteſt figurata locutio, quæ diuerſis modis vnam eandemque rem deſcribit: aliter apte contexi. B Verbi gratia: Si diceretur, vidi thronum ſtantem ante thronum: vel, vidi thronum in circuitu throni: vel, thronum in medio throni: non eſſet apta, cum tamen eſſet vera locutio: nec diuerſas vnius corporis officiorum virtutes, ſed vnam tantum deſignaret. Sicut enim vna eſt Eccleſia iſtis vocabulis figurata, ſic eius diuerſa virtutum officia demonſtrata. Significat itaque aliquid, quod hoc loco iſta innumerabilis turba non ſedere, ſed ſtare ante thronum perhibetur, cum ſuperius per circuitum throni in ſenioribus ipſa ſediſſe deſcribatur. Sedet namque, cum per quædam membra ſua aliorum facta examinat: ſtat vero, dum in cunctis ſuis electis animum in ſoliditate fidei & dilectionis roborat. Hinc enim Pſalmiſta ait: *Statuit ſupra petram pedes meos.* (Pſal. 39.) Et ruſum: *Statuiſti in loco ſpatioſo pedes meos* (Pſal. 30.) Quod videlicet vnum ad firmitatem fidei, alterum vero pertinet ad amplum charitatis mandatum. Ante thronum igitur & in conſpectu agni innumerabilis turba ſtare perhibetur, C quia nimirum electorum Eccleſia ad amorem patriæ cæleſtis fide & dilectione ſolidatur, vt conditori ſuo præſens efficiatur. Ante thronum namque & in conſpectu agni gladium fixerat Elias, cum diceret: *Viuit Dominus, in cuius conſpectu ſto.* (3.Reg.17.) Quid vero per ſtolas ante thronum ſtantium, niſi habitus mentis deſignatur? Sed ante mediatoris aduentum non erant ſtolæ albæ: quia videlicet humani generis corda, originalium peccatorum maculis erant reſperſa. At vbi tincta ſunt per fidem in ſacramento baptiſmatis, ſtatim receperunt priſtinum decoris candorem: quem in primis parentibus dudum amiſerant. Sciendum vero, quia has ſtolas alij poſt lauacrum baptiſmatis mundas conſeruant, quia nullum crimen admittunt: alij vero inquinant, quia vel in quibuſdam, vel in multis facinoribus vitam commaculant: D ſed inquinatas poſtmodum candificant, quia aut lachrymarum fletibus, aut aperto vel occulto martyrio, in ſanguine Chriſti maculas peccatorum detergunt. Vnde & omnes qui ad numerum electorum pertinent, ſtolas albas habere perhibentur. Nec quales poſt baptiſmum quidem peccando extiterint, ſermo propheticus notat: ſed quales, poſtquam peccare deſierint, ſuperna gratia eſſe meruerint, collaudat. De quibus recte ſubditur: [*Et palmæ in manibus eorum.*] Quid per palmas, niſi triumphus victoriæ? Quid per manus, niſi virtus operationis exprimitur? Palmas itaque in manibus habere, eſt per virtutem ſancti certaminis de antiquo hoſte mundique voluptatibus triumphare. Palmas enim in manibus habent, qui cum Apoſtolo dicunt: (Rom. 8.) *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio? an anguſtia? an perſecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius?* Sicut ſcriptum eſt: (Pſal. 43.) *Quoniam propter te morte afficimur tota die, æſtimati ſumus vt oues occiſionis. Sed in his omnibus ſuperamus propter eum qui dilexit nos.* Palmas itaque in manibus ferunt omnes, qui cum ipſo clamant & dicunt: (2.Cor. 4.) *In omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur: aporiamur, ſed non deſtituimur: perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur: deijcimur, ſed non perimus.* E Palmas victoriæ in manibus ipſa & commilitones eius habebant, de quibus dicebat: (Rom. 8.) *Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque alia creatura poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Palmam in manu idem geſtabat, cum diceret: (Philip. 1.) *In nullo confundar, ſed in omni fiducia ſicut ſemper, & nunc magnificabitur Chriſtus in corpore meo, ſiue per vitam, ſiue per mortem. Mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum.* Hanc palmam in manu ferens, ad conſummationem victoriæ tendebat, dicens: *Sequor ſi quomodo comprehendam, in quo & comprehenſus ſum à Chriſto Ieſu.* (Philip. 3.) Vnum quod retro eſt obliuiſcens, ad ea vero quæ ſunt in priora, extendens me ad deſtinatum, perſequor ad brauium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Ieſu. Palmas in manibus gerunt, qui virginitatem carnis & cordis, ob amorem cæleſtis patriæ contra oblectamenta peccati defendunt. F Palmas in manibus ferunt, qui etiam poſt complexus voluptatis, continentiam vindicant caſtitatis. Palmas in manibus habent, qui & ab illicitis complexibus abſtinent, & licitis non niſi cauſa filiorum vel certe alterius incontinentiæ conſulentes, vel maritus ſcilicet vxoris, vel vxor mariti, vtuntur. Vnde nec viri, nec vxores adinuicem in poteſtate habere dicuntur propria corpora. Palmas in manibus tenent, qui & aliena non appetunt, & indigentibus propria diſtribuunt. Palmas in manibus ferunt, qui cuncta mundi poſtponunt, habita deſerunt, omneſque affectus carnales relinquunt, ac duris hominum imperiis ſe ſubdunt: qui contra ictum ſuperbiæ, humilitatis gaudium extendunt. Et vt ſummatim breuiter cuncta comprehendam, contra omnia inimici tela, contra cuncta ignita eius iacula, ſcutum fidei opponunt, loricam iuſtitiæ induunt, galeam ſalutis & gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei aſſumunt. Hinc in die malo reſiſtunt, hinc triumphant, hinc coronas victoriæ in die æternitatis percipiunt. (Epheſ. 6.) G Bene igitur electorum numerus palmas in manibus habere deſcribitur, quia nimirum triumphus victoriæ, in virtute operationis conſiſtit. Poteſt autem per manus quibus palmæ tenentur, illa ſanctorum poteſtas intelligi, qua vt filij Dei eſſent, ſuperno munere acceperunt. In ſcriptura enim ſacra ſæpe per manus poteſtas intelligitur. Vnde & Pſalmiſta de Domino dicit: (Pſal. 49.) *In manu eius ſunt omnes fines terræ.* Hinc eſt quod Dominus Ioſeph omnia in manu eius dediſſe perhibetur. (Gen. 41. Pſal. 104.) Per quam videlicet poteſtas omnium quæ ab eo tradita gubernabat, intelligitur. Quod etiam genus locutionis, quotidianus loquendi retinet vſus, cum frequenter nos quoque dicamus, In manu noſtra eſt hoc aut illud. Vbi ſcilicet oſtendere volumus, in poteſtate noſtra conſiſtere quod dicimus. H De hac itaque poteſtatis manu per Euangelium dicitur: (Ioan. 1.) *Quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* Iuxta hanc itaque intelligentiam palmam in manu tenere, eſt illius muneris dignitatem, qua per adoptionis gratiam filij Dei efficimur, de mortis principe mundique deſideriis victores exiſtere. Tota namque electorum victoria in illa principaliter conſiſtit, pro qua vindicanda etiam vſque ad ſanguinem dimicare videntur. Cuius nimirum victoriæ ſumma, in capite membrorum conſiſtit, ipſo capite membris ſuis loquente: *Gaudete, quia ego vici ſæculum.* (Ioan. 16.) Quotquot itaque in illo atque per illum vincunt, omnes in manibus palmas ferunt, vtentes non ſua, ſed illius virtute, qui eos per electionis gratiam ſibi in fratres adoptauit. In illa inquam manu victoriæ palmas gerunt, qua accepta poteſtate vt filij Dei eſſent, mediatori ſuo, qui ſæculum moriens vicit, in quo & per quem vicerunt, vniri meruerunt. Sequitur:

A *Et clamabant voce magna, dicentes : Salus Deo noſtro qui ſedet ſuper thronum, & agno.*

Clamor iſte non corporis,ſed cordis intelligitur.Magna
enim hæc vox , magnus eſt deuotionis affectus , Et tanto
amplius hac quiſque clamat , quando amplius Deum
Pſalm. 9. amat. Hinc enim per Pſalmiſtam de humilibus dicinu:
Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus , deſideria cor-
Exod.14. *dis eorum exaudiuit auris tua.* Hinc Moyſi cum nil exte-
rius diceret , ſed vociferante ac metuente populo Iſrael,
intus gemens oraret , Dominus ait : *Quid clamas ad me?*
Quid autem hac magna voce electi dicant , audiamus.
Aiunt enim : [*Salus Deo noſtro qui ſedet ſuper thronum &*
agno.]Et quam hic ſalutē Deo tribuunt,niſi quam ab ipſo
vt ſalui fierent acceperunt, ad autorem vtique referentes,
quicquid ad ſalutis eorum pertinet qualitatem ? Vbi pro-
culdubio Pelagij atque Cæleſtini dogma euacuari co-
B gnoſcitur , qui in tantum liberum voluntatis arbitrium
defendunt , vt ſine gratia Dei poſſe hominem ſalutem
ſuam operari conſument. Quo contra Apoſtolus clamat
Epheſ.2. & dicit : *Gratia ſalui facti eſtis per fidem , & hoc non ex*
operibus,vt nequis glorietur. Et rurſum : *Quid habes quod*
1.Cor.4. *non accepiſti ? Si autem accepiſti , quid gloriaris quaſi non*
Iacob. 1. *acceperis ?* Hinc & Iacobus ait : *Omne datum optimum,*
& omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à patre
luminum. Hinc enim Pſalmiſta ab humana præſumptio-
Pſal. 3. ne quoſdam deterrens,loquitur dicens : *Domini eſt ſalus.*
Dicatur igitur de electis : *Clamabant voce magna dicen-*
tes : Salus Deo noſtro qui ſedet ſuper thronum , & agno.
Præcedenti verſiculo , hi qui iſta in laudibus Domini di-
cunt , ante thronum & in conſpectu agni ſtetiſſe referun-
tur. Agni autem vocabulo, ſolius incarnati verbi perſo-
na ſignatur. Vbi intelligimus , quia agnus in throno ſe-
debat , ante quem iſta turba ſtabat. Hic autem ab ipſis,
ex quibus prædicta turba conſtat, dicitur : *Salus Deo no-*
C *ſtro qui ſedet ſuper thronum , & agno.* Quibus nimirum
dictis pater & filius ſpecialiter deſignantur. Vnde datur
intelligi , quia vbi filius nominatur , ibi & pater intelli-
gitur : & vbi pater, ibi & filius. Mirabili prorſus locutio-
nis genere hæc dicentes , & vnam in patre filioque ſub-
ſtantiam, & duas perſonas oſtendunt. Eſt enim talis ordo
verborum quo dicunt, Deo noſtro & agno qui ſedet ſo-
per thronum, ſalus : tanquam dicerent , Vni Deo noſtro,
patri, & agno, qui ſedet ſuper thronum, ſalus. Simile eſt
Ioan. 17. etiam illud, quod in Euangelio filius ad patrem ait : *Hæc*
eſt vita æterna , vt cognoſcant te vnum verum Deum , &
quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Ac ſi diceret:Vt te & quem
miſiſti Ieſum Chriſtum , cognoſcant vnum & verum
Deum.Et quia hoc loco ſumma noſtræ ſalutis patri filioq;
adſcribitur, patri ſcilicet quia & filium tradidit pro no-
bis : filio vero, quia & ipſe cum patre ſemetipſum obtu-
lit pro nobis nunquid propterea ſpiritum ſanctum ab hac
extraneum putabimus, in quo omnia certiſſime conſtare
retinemus : Clamat enim Apoſtolus & dicit : Ex ipſo , &
D per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. Ex ipſo, ſcilicet ex pa-
tre : per ipſum vero, per filium : in ipſo autem, in ſpiritu
ſancto. Aut nunquid ab hac locutionis regula idem ſpi-
ritus ſeparabitur, quia vbi patris perſona oſtenditur , ibi
filij intelligitur:& vbi filij, ibi & patris cognoſcitur:cum
in actibus Apoſtolorum quibuſdam paſtoribus dictum le-
Act. 20. gamus, *Attendite vobis & vniuerſo gregi , in quo vos ſpiri-*
tus ſanctus conſtituit Epiſcopos , regere Eccleſiam Dei viui
quam acquiſiuit ſanguine ſuo ? Et certe non ſpiritus ſan-
ctus , ſed ſolus filius pro nobis ſanguinem fudit. Reſtat
itaque vt vbi vna de trinitate perſona noſtræ ſalutis in
operationem ponitur , ibi tota ſimul trinitas intelligatur.
Quod ex abundanti iam ſupra oſtendimus, cum de dono
gratiæ Dei tractaremus. Quid autem ſit, datorem ſalutis
ſuper thronum ſedere,& hoc prout intelleximus, demon-
ſtrare curauimus. Sedere enim , regnantis & iudicantis
eſt : quod omnino inſeparabili trinitati, quæ vnus & ve-
rus eſt Deus, aſſignandum eſt. Sequitur:

Et omnes Angeli ſtabant in circuitu throni & E
ſeniorum & quatuor animalium , & ceci-
derunt in conſpectu throni in facies ſuas, &
adorauerunt Deum , dicentes : Amen, Bene-
dictio & claritas & ſapientia & gratiarum
actio, honor & virtus & fortitudo Deo no-
ſtro, in ſæcula ſæculorum , Amen.

Difficile videtur poſſe linguam ad liquidum explicare,
tantarum tamque diuerſarum, & (vt ita dixerim) perple-
xarum intellectum figurarum, quem vtcunque mens ſuf-
ficit capere. Dictum quippe ſuperius fuerat , in medio
throni dominum ſediſſe : & in circuitu throni viginti
quatuor ſeniores æque viginti quatuor tribunalia præſe-
diſſe : & rurſum , in medio throni & in circuitu throni, F
quatuor animalia fuiſſe rurſumque , ante thronum innu-
merabilem turbam ſteriſſe. Vbi quid aliud dabatur intel-
ligi , niſi quia in eo quod cuncta vno videbantur loco
miſceri , vnum crederentur,id eſt vnum corpus, vna per-
ſona in Chriſto atque in Eccleſia ? Nunc autem in circui-
tu throni & ſeniorum & quatuor animalium, omnes An-
geli ſteriſſe referuntur. Et quia in medio throni animalia
fuiſſe perhibentur , nimirum Angeli qui in circuitu ani-
malium ſtabant , ſuper thronum cum animalibus fuiſſe
credeotur. Sed ſi ſuper thronum , quomodo in circuitu
throni , quomodo in circuitu animalium , niſi quomodo
animalia & in medio throni , & in circuitu throni : niſi
quia & thronus & animalia & ſeniores & turbæ, Angeli
ſunt in circuitu ſtantes ? Supra autem iam diximus, nunc
non poſſe aliter figuratam locutionem , quæ vnam ean-
demque rem propter diuerſitatem officiorum eiuſdem rei
diuerſis modis ſignificat , apte contexi. Qui enim per
vnum thronum figuratim Eccleſiam expreſſerat, volens G
eam ſub alia figura propter diuerſitatem officiorum eius,
per viginti quatuor ſeniores exprimere, quibus iure com-
petit ſuper thronos ſedere : vbi eos congruenter niſi in
circuitu throni quo Dominus ſedebat , diceret ſedere ? Et
vt oſtenderet has duas figuras vnam rem deſignare , per
alias duas hoc ipſum aperuit , cum quatuor anima-
lia & in medio throni quo Dominus ſedebat, & in cir-
cuitu throni vbi ſeniores ſedebant , eſſe perhibuit, cum
Angelos & in circuitu throni , vbi ſeniores ſedebant : &
in circuitu eorundem ſeniorum atque in circuitu anima-
lium,quæ & in medio throni & in circuitu throni erant,
ſtare perdocuit. Similiter etiam cum hanc ſub alia figu-
ra per turbam demonſtrare vellet , cui aperte conuenit
ſtare, vbi illam niſi ante thronum diceret conſiſtere ? Sic
certe per diuerſas figuras ipſa ante ſe, ipſa in medio ſui,
ipſa in circuitu ſui , propter diuerſa officia diuerſis mo-
dis exprimitur. Quia enim ſingulariter Domious in Ec-
cleſia regnat, ſingulariter cunctos examinat, recte omnes
eiuſdem Eccleſiæ electi, per vnum thronum deſignantur:
quia vero poteſtate capitis ſui ipſa ſancta Eccleſia alio- H
rum facta examinans iudicat , digne per ſeniores : quia
quoque internis paradiſi virentibus paſcuis in quibuſdam
membris ſuis adhuc per fidem tantum inhæret,in quibuſ-
dam vero iam per ſpeciem fruitur,bene per animalia quia
autem ventura quæque,ſiue bona,ſiue mala,ſiue proſpera,
ſiue aduerſa , prædicando annuntiat , apte per Angelos:
quia etiam ex diuerſis gentibus aggregatur, iure per tur-
bam figuratur.Vt autem oſtenderet autor huius reuelatio-
nis, eandem turbā innumerabilem quam vidit ante thro-
num ſtantem, ipſos eſſe Angelos qui ceciderunt in con-
ſpectu throni in facies ſuas, & adorauerunt Deum:neque
ipſam turbam , neque ſeniores, neque animalia, hoc loco
memorat adoraſſe , ſed ſolos Angelos : tanquam ſi aliud
eſſet turba,aliud ſeniores, aliud animalia,Angelis adoran-
tibus, ipſi rigida ceruice ſtarent. Ipſi ergo ſunt turba ante
thronum , ipſi ſeniores & animalia in circuitu throni,
ipſi ceciderunt in facies ſuas in conſpectu throni, id eſt,
in ſecreto mentis ſuæ , quo internos iudex ſedet, & ado-
rauerunt. Quid autem adorantes dicant , audiamus.

Aiunt

A Aiunt enim: [*Amen, Benedictio & claritas & ſapientia & gratiarum actio honor & virtus & fortitudo Deo noſtro in ſecula ſeculorum.*] Quæ videlicet cuncta cum beatæ Trinitati, quæ vnus & verus eſt Deus, apte conueniant: ſpecialiter tamen ad incarnati verbi perſonam rediguntur, & inſultantium Iudæorũ ora oppilare videntur. Ecce etenim dicunt illi: Chriſtus veſter quem colitis, purus homo, filius fabri extitit. Et quia Deum ſe eſſe voluit, omnino mendax fuit. Nos econtra reſpondemus, nec purus homo, nec mendax homo, ſed Deus & homo, vna veritas Deus & homo, quod ſonat, Amen. Ipſi dicunt, Maledictio congruit Deut.21. Gal.3. Chriſto crucifixo: quia ſcriptum eſt, *Maledictus omnis qui pendet in ligno.* Nos econtra, Nulli potius conuenit benedictio, quam illi qui maledictum legis auferens, factus eſt pro nobis maledictum, vt in gentibus benedictionem Abrahæ dignaretur effundere. Ipſi dicunt, Non conuenit homini mortuo claritas, ſed ſoli Deo viuo. Nos econtra: Nemini magis quam illi adſcribitur claritas, qui & in diuinitate ſemper viuens, candor eſt lucis æternæ: & in B humanitate ad horam mortuus, poſt paululum reſurrexit per gloriam Patris, & eſt illi claritati comparticeps homo aſſumptus, & viuit ac ſedet in dextera Patris, vnus Chri- Sap.8. Luc.2. ſtus & Deus homo cuncta per ſecula. Ipſi dicunt, *Non eſt* Ioan.10. *Chriſtus veſter illa ſapientia qua attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter*, qui tantillus ex noſtra ſorore paruulus natus, per incrementa temporum ſapientia profecit vt homo. Nos econtra, Non eſt detrimentum paſſa in homine aſſumpto illa ſapientia, cum idem ſecundum hominem per viciſſitudinem temporum profecit ſapientia, ſed magis hæc ab illa aſſumpta, manſit vna ſapientia: qua ſapientia mundus eſt factus, qua ſapientia mundus eſt reſtauratus, qua ſapientia homo eſt de terra ad cœlum eleuatus. Ipſi dicunt. Nulla debetur gratiarum actio pro animarum ſalute, qui animam ſuam liberare à morte minime potuit. Nos econtra, Nulli congruentius quam illi, qui vt ſalutem animarum noſtrarum afferret, ſic voluit ex poteſtate animam ponere, qui ſi nol- C let nunquam poſſet animam effundere. Ipſi dicunt, Nulla admittit ratio, illi Dei honorem adſcribi, qui exprobratus, irriſus, illuſus, ſputatus, contemptui dignus habitus eſt. Nos econtra, Inde dignius à nobis honorandus eſt, vnde & indigna pro nobis ſuſtinuit: nec minuit honorem eius quem cum Patre poſſidet, irriſio atque illuſio veſtra, quam Ioan.4. 1.Cor.1. in homine ſuſtinuit. Ipſi dicunt, Non fuit Chriſtus æterna virtus vel fortitudo, qui laſſari potuit ex itinere. Nos econtra reſpondemus, quia quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus. Illa enim infirmitate, totam mundi virtutem ac fortitudinem proſtrauit. Poſſunt autem ex his etſi non omnia, quædam tamen membris congruere, quæ & in capite poſſideri, & ad caput referri docentur. Viderit ſane quis, vtrum Amen iuſtis conueniat, non autem illud incommutabile quod Deus eſt, ſed illud quod in hominibus mutari poteſt. Congruit enim pro modulo humanæ naturæ electis Amen, id eſt, verum ſiue fideliter, qui æternæ veritati per fidem & operationem inhærere D meruerunt. Omne autem quod ab hac veritate diſcordat, mendacium commendat, ſicut ſcriptum eſt: Omne mendacium ex veritate non eſt, nec illi poteſt adhærere, niſi quod conſtat verum eſſe. Si enim habeat quis rectam fidei credulitatem, non autem habeat rectæ fidei congruentem operationem, mendacium eſt totum quod eſt: nec ad veritatem pertinere poteſt, ſcriptura ſancta lo- 1.Ioan.2. 1.Ioan.1. 1.Ioan.2. quente: *Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt, & in hoc veritas non eſt.* Et rurſum: *Si dixerimus quoniam ſocietatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur & non facimus veritatem.* Rurſumque: *Qui enim dicit ſe in eo manere, debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare.* Si autem amplius polleat bono opere, non tamen clareſcat fidei lumine, non lux veritatis, ſed totus mendacium noctis digne vocatur. Nec ex vno poteſt placere, qui ex altero probatur diſplicere. Scriptum quippe eſt: *Sine fide impoſſibile eſt* Heb.11 *placere Deo.* Quia igitur ſancti viri æternæ veritati fide & moribus inhærendo, omne quod contra ipſam venit, quantum ipſa veritate adiuuante cui inhærent poſſunt, cauere nituntur: Amen vtique; quod eſt verum ſiue fideliter, hæreditario iure poſſidere probantur. Neget autem E iam qui vult, benedictionem fidelibus Dei congruere, quibus dicitur: *Benedictio Domini ſuper vos.* Neget & Pſal.128. Luc.2. Pſal.4. claritatem, quæ primitias Iſraël in paſtoribus illuſtrauit, ſicut in Euangelio dictum audiuit: *quia Angelus Domini aſtitit iuxta illos, & claritas Dei circumfulſit illos.* De qua etiam in Pſalmo canimus: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Et rurſum: *Sit ſplendor Domini* Pſal.89. *Dei noſtri ſuper nos.* Neget ſapientiam, Iacobo contradicens qui ait: *Si quis indiget ſapientia, poſtulet à Deo, &* Iacob.1. *dabitur ei.* Iam vero ſi hanc tranſlationem ſequimur, quæ non gratiarum actionem, ſed gratiam poſuit, membris eius aptatur, quibus & dicitur: *Gratia ſalui facti eſtis per fidem, & hoc non ex operibus.* Iure namque honor eiſdem adſcribitur, ſicut per Paulum in epiſt. ad Romanos dicitur: *Gloria & honor & pax omni operanti bo-* Eph.2. Rom.2. *num.* Digne quoque virtus & fortitudo, quæ vnum ſunt, Iſa.40. ipſis deputantur. Vnde & Iſaias de Domino dicere probatur: *Qui dat laſſo virtutem, & his qui non ſunt, robur* F *multiplicat.* Gaudeat itaque, lætetur & exultet in his muneribus Eccleſia: ſed non tumeat quaſi de propriis, *quia omne datum optimum, & omne donum perfectum de* Iacob.1. *ſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.* Referat potius ea quæ accepit ad eum, per quem & à quo illa percepit, & dicat: *Amen, benedictio & claritas & ſapientia & gratiarum actio, honor & virtus & fortitudo Deo noſtro in ſecula ſeculorum.* Sequitur:

Et reſpondens vnus de ſenioribus, dixit mihi: Hi qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt & vnde venerunt? Et dixi illi: Domine mi, tu ſcis. Et dixit mihi: Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine agni.

G Cum nullius interrogatio præceſſerit, quid ſibi vult quod vnus de ſenioribus Ioanni reſpondiſſe perhibetur? Sed ſolet plerumque Sacra ſcriptura, nullo interrogante, ita reſpondentis voce ſententiam proferre. Vnde eſt illud, quod in Euangelio legimus: *In illo tempore reſpon-* Matt.11. *dens* IESVS, *dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Ita Pater, quoniam ſic fuit placitum ante te.* Et certe illo in loco nulla vel Patris, vel alicuius interrogatio præceſſit, vt eum reſpondiſſe ſancta illa authoritas teſtaretur. Hinc eſt quod ſanctis mulieribus ad ſepulchrum Domini tacentibus, nihilque omnino interrogantibus, ſed tantum lugentibus atque amariter flentibus, de Angelo qui perennem eius reſurrectionem nuntiare venerat, dicitur: Reſpondens autem Angelus, di- Matt.28. xit mulieribus: *Nolite timere vos. Scio enim quod* IESVM *qui crucifixus eſt, quæritis. Non eſt hic. Surrexit enim ſicut dixit.* Vt quid igitur reſpondit, qui interrogatus non fuit? H Si à me quæritis qualis ſit iſta locutio, reſpondeo quia in ſacris voluminibus habetur vſitata. Cuius autem generis, nec intelligo, nec intelligere magnopere curo, præſertim cum nil ſignificationis eam habere videam. Vnde nec vel mihi ignoratio eius inutilis eſt, vel quibuſlibet laudabilis ſcientia. Hoc autem in hac reuelatione, vnius ſenioris reſponſio diſſimilitudinis habet ab illis, quia iſta interrogatoria eſt, illæ vero interrogatiuæ. Quid itaque in vno ſeniore accipimus, niſi ordinem prophetarum, niſi vnitatem omnium prædicantium? Viginti enim & quatuor ſeniores, propter numerum duorum teſtamentorum, quæ duodenario duplicato numero, in duodecim tribubus ac duodecim Apoſtolis exprimuntur, ſæpius hic frequentatur. In vno vero ſeniore, vnitas eorundem teſtamentorum declaratur. Vel certe ipſe ſenior ſeniorum, Dominus videlicet prædicatorum, deſignatur. Quid quoque per hanc reſpondentis vocem vnus ſeniorum interroget, audiamus: Ait enim: *Hi qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt & vnde venerunt?*] Ideo in-

A terrogat ſenior, vt quærat Ioannes, quærens audiat, audiens intelligat: intelligens ad imitanda quæ quærit, audit, atque intelligit, ſemetipſum accendat. Denique oſtenduntur ei amicti ſtolis albis, vt talem habitum, tale concupiſcat indumentum. Sed ſtatim requiritur qui ſunt tales, aut vnde venerint tales, quatenus ſcilicet, ſi vult ad talium numerum tranſire, dum audit qui ſunt & vnde venerint, ſtudeat talis eſſe quales illos cernit: ſatagat inde venire, vnde illos veniſſe cognoſcit. Et quidem paulo ſuperius per ſtolas albas, ſiue baptiſmatis Sacramento, ſiue martyrio aperto vel occulto, ſiue lachrymarum fonte, habitum mentis candidatum intelleximus: hic autem & hæc & quæ his in futurum debentur, idem habitus demonſtrare videtur, & fidem ſcilicet ac laborem certaminis in præſenti vita, & præmium fidei atque certaminis ſequenti vita. Dicatur igitur: *Hi qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt & vnde venerunt?* Ac ſi prædicatores ſancti vel Dominus prædicatorum, piis auditoribus diceret: Quotquot ante mundi conſtitutionem electi
B ſunt, nunquid amatores mundi ſunt? Nunquid voluptatum ſuarum executores? aut nunquid de illecebris vel cupiditatibus venerunt? Io qua nimirum ſententia, finis conſummatæ iuſtitiæ intuendus eſt. Nam rari ſunt qui non de talibus eligantur. In prædeſtinatione igitur iam tales ſunt, quales futuri ſunt. Hi qui adhuc in fide vel operatione tales non ſunt, tales poſt conuerſionem futuri ſunt. Ergo quales circa finem inueniendi ſunt, tales inſpiciendi ſunt. Tunc iam amatores mundi non ſunt, iam tunc per iter cupiditatis non ambulant. Ad hæc cum Ioannes ex perſona bonorum auditorum vni ſeniori reſpondet, Domine mi, tu ſcis, rurſum ille ex perſona Domini vel prædicatorum eius ſubinfert: Hi ſunt qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine agni. Cuius videlicet vox ab exordio prædicationis noui Teſtamenti vſque ad finem eius, toto iſto in tempore per ora docentium talia clamat, talia prædicat. Vnde & in eo quod dicit, venerunt: trium temporum ſummam concludit, præteriti ſci-
C licet, præſentis & futuri: pro eo quod eſt, venerunt, veniunt, atque venturi ſunt. Sed ſi omnis electorum numerus hac ſententia terminatur, qua dicit, Venerunt de
Act. 14. magna tribulatione: ſicut & Apoſtolus ait, *Oportet nos per multas tribulationes introire in regnum Dei*: valde metuendum eſt, ne ſi aliunde quis veniat, ad eorum conſortium non pertingat. Sed multimodam ac multiformem tribulationem intelligentes, adiuuante Deo Domino Ieſu Chriſto, partes eius diſtinguere debemus, ne quibuſdam deſperationem irrogare videamur. In vna etenim hac magna tribulatione, multæ ſunt tribulationes iuſtorum. Et Apoſtolus, hoc quod præmiſimus, *Oportet nos per multas tribulationes introire in regnum Dei, atque omnes vnam de ſe reddunt multiplicem & magnam tribulationem.* Ecce etenim perſecutionis tempore, alios improuiſo ictu immerſus iugulo ſtrauit gladius, alios crucis patibulo affixit, in quo mors & prouocata repellitur, & repulſa prouocatur: alios hirſutis ferra dentibus attriuit,
D aliis armatos ferro inſultans vngula ſparſit, alios belluina rabies morſibus detruncando comminuit, aliis ab intimis viſcerum per cutem preſſa vis verberum erupit, alios effoſſa terra viuentes operuit, alios altum dimerſos in morte præcipitium fregit, alios in ſe proiectos aqua abſorbuit, alios edax flamma vſque ad cineres depaſta conſumpſit. Hæc certe magna in ſingulis, magna in ſimul tribulatio iuſte reputatur. Sed nunquid hi ſolummodo ad electorum numerum, qui de magna tribulatione veniſſe refertur, pertinere probantur? Quid de illis dicendum eſt, qui timentes mori, ne vitam negarent, antequam tenerentur vel interrogarentur, fugam petiuerunt? Sequentes vtique vocem Domini, infirmitati humanæ
Matt. 10. conſulentis atque dicentis: *Si vos perſecuti fuerint in vnam ciuitatem, fugite in aliam.* Fugientes autem, anguſtis diuerſoriis, latibulis, ſpeluncis, cauernis ſemet occuluerunt: famem, ſitim, nuditatemque ſuſtinuerunt. Nunquid non ad maximam tribulationem talia pertinent quæ pertulerunt, cum beatus Apoſtolus tales ita collaudet, dicens: *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti quibus dignus non erat mundus, in ſolitudinibus errantes, in montibus & in ſpeluncis & in cauernis terræ?* Sed certe nec hi tantum ad illum pertinent numerum, qui de magna tribulatione veniſſe perhibetur. Quid namque æſtimandum eſt de illis, qui tantum propter fidem Chriſti ſubſtantiis ſunt nudati, nec eos exterior pœna vel trucidauit, vel fugere compulit? Ex quibus certe primum illi hoc perpeti meruerunt, qui in Iudæa per Apoſtolos crediderunt. Quibus nimirum gentes per Paulum ad Chriſtum conuerſæ, ſtipem neceſſariam adminiſtrabant: quia & illos extra ſynagogam, & facultates auferendo, Iudæi expulerant. Nunquid iſti non venerunt de magna tribulatione? Quis * hoc dixerit? Sed proculdubio nec hi ſoli qui talia perpeſſi ſunt, ad illum pertinent numerum, qui de magna tribulatione veniſſe narratur. Redeamus ergo ad pacis tempora, & audiamus Apoſtolum dicentem, credamus Apoſtolo dicenti: *Omnes qui volunt pie viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur.* Et quia volunt omnes electi etiam pacis tempore pie viuere in Chriſto Ieſu, ac per hoc conſtat quia perſecutionem patiuntur, videamus quiſquis quo modo magnam tribulationem ſuſtineat. Ecce etenim alius virginitatem corporis ſeruaturum ſe Domino ſpopondit, ſed vbi religioſam vitam agere cœperit, ſtatim aduerſitas ſæculi creſcit. Venit in odium illis qui talia agere recuſant, patitur iniurias, opprobria, irriſioneſque ac deuotationes, ſubſannant eum lubrici, incontinentes deſpiciunt atque contemnunt. Dicunt quoque adinuicem: Venite, agamus contra ſimulatorem qui ſe finxit iam ſanctum, qui communis ordinis conuerſationem reſpuit, videamus quæ ſit patientia eius, quæ virtus, quæ humilitas, qui ſe à noſtra religione ſeiungit, ac meliorem ſe nobis exiſtimat, nec communiter nobiſcum perfruitur lætitia. Si vult triſtari, augeamus triſtitiam, cui diſplicuerunt omnimodis gaudia noſtra. Et forte deſunt iſta. Sed nunquid deſunt blandimenta, quibus à rigore ſanctæ religionis animus molleſcat? Nunquid deſunt occulta inimici tentamenta, quæ ante oculos religioſæ mentis, fœdam illam carnis commixtionem quaſi in dulcedinem conuertant, quæ affectum iugalis, fœcunditatem prolis, amorem atque obſequium filiorum, qui ſenectutem eius enutrirent, ſi nupſiſſet, proponant? Dumque hæc atque his ſimilia momentis ſingulis aut inuita tolerat, aut forte aliquoties ſponte ſancta illa anima recipit, ſed recepta cum magno laboris ſudore repellit, adhibet ieiunia, inſiſtit vigiliis, multiplicat orationes, putamuſne huic magnam deeſſe tribulationem? Quod ille poteſt dicere, qui tale certamen non nouit experiri. Alij autem poſtpoſitis mundi facultatibus, relictis parentibus, abdicatis coniugum amplexibus, ad ſeruitium ſeſe omnipotentis Dei conferunt, ſanctæ religionis habitum ſumunt, alieno imperio ſe ſubdunt, voluntates proprias in ſemetipſis gladio præcepti interficiunt. Dumque cœleſtem agere cœperint vitam, cum maxima corporis fatigatione laboribus inſiſtere, nec exquiſitis, nec delicatis, nec affluentibus, ſed groſſioribus ac parciſſimis corpus cibis ſuſtentare: vilibus indumentis contegere, vigiliis inſiſtere, & quæque ſunt carni contraria, ubi perſpexerint occurrere, reducit ad mentem antiquus hoſtis quietem prioris vitæ, quando ſubditorum laboribus fruebantur. Vacans otio atque deliciis, accuratiſſimos cibos, vina pretioſa, quæ & quantum & qualiter & quando volebat, poteſtate propria inſumebat, inſumens voluptatibus carnis, mutua commixtione gaudebat: ac pene totis noctibus ad nihil aliud quam ad voluntatem carnis, vel ad ſomnum vacabat. Et forte ſancto certamine, pio labore, multoque ſudore iam iſta deuicit, ſed nunquid iram, vanam gloriam, atque triſtitiam funditus extinxit? Aut quandiu in hac vita viuit, certaminibus * aliorum cogitationum caret? aut ita perfectus vt vult, exiſtere valet? aut cum praua agere videt, non dolet? cum obedientes ad amorem veræ pacis laborans perducit, cum inobedientes ad ſubiectionem, cum voraces vel ebrioſos ad parcitatem & ſobrietatẽ, cum ſomno deditos ad vigilias, cum loquaces ad taciturnitatem pertrahit, tribulationem mi-

Right margin, in order: E; Heb. 11.; Heb. 10.; Gal. 2.; * hoc non; 2. Tim. 3.; F; G; H; * aliarũ

nime

A nime ſentit? Nunquid non ſolemus dicere, & verum dicere, cum tale aliquid agimus, ſi ad conuertendum ſunt duriores, ô cum quanta tribulatione ad viam illum potuit reuocare: Ille etenim tribulationem in his quæ modo præmiſimus, non ſentit, qui certamen in acquirendis virtutibus & reſiſtendis vitiis non aſſumit. Sed omnino nec iſti ſoli ad illum pertinent numerum, qui de magna tribulatione veniſſe monſtrantur. Pertinent certe & boni coniugati, qui in tantum boni ſunt iuxta modulum religionis ſuæ, magnamque (vt ita dixerim) ſuſtinent tribulationem, cum aut propter veritatem contra principem fortiter defenſam ſubſtantiis vel honoribus nudantur, exiliis atque carceribus deputantur: aut inter delicias & honores poſiti, per abſtinentiam carnem affligunt: ab amplexu coniugum, excepta cauſa ſuſcipiendæ prolis, ſemet coërcent · vel certe, ne vnus in adulterij foueam ruat, alter ſemetipſum pro altero ad voluptatem inclinat: ſicque debitum carnis exoluit, vt tamen à præceptis Dei

B animum non eneruet: nec delectationis ſeruus exiſtit, dum liberaliter delectationi ſuccumbit. Contingit autem plerumque, imo pene ſemper, vt vnus horum moribus bonis polleat, alter prauis agitetur: vnus horum ſit blandus, alter iracundus: vnus caſtus, alter exiſtat adulter. Sicque fit vt vnius prauitas, alterius approbet bonitatem: vnius bonitas; alterius ſuſtineat prauitatem. Vbi certe magnam tribulationem deeſſe illi qui bonus eſt, negare nullus poteſt. Quid igitur? Etſi quam breuiter potui, ne prolata ſententia deſperationem alicui conferret, tamen in ſingulis gradibus religionum profeſſionumque hominum electorum magnam tribulationem oſtendi. Adhuc autem adiicio generalem cunctorum, & in hac vita (vt verum dicam) ineuitabilem ac magnam tribulationem: quam qui non habet, neſcio ſi ad electorum numerum pertineat. Et quam aliam, niſi illam qua nemo noſtrum nouit, ſi ad ſanctorum conſortium pertingat, Salomone

Eccleſ. 9. atteſtante qui ait: *Neſcit homo vtrum amore an odio dignus ſit, ſed omnia reſeruantur in futurum incerta?* Hinc

C omnino, hinc certe omnes qui electi ſunt, magna tribulatione quatiuntur, cum neſciunt vtrum amore an odio digni ſint, & hinc lugent, hinc mœrent, hinc ſemetipſos quotidianis lamentis afficiunt. Dicit fortaſſe aliquis: Rari ſunt, qui tales ſunt. Ad hæc non ego, ſed Dominus re-

Matt. 20. ſpondet: *quia multi ſunt vocati, pauci vero electi.* Væ autem animæ, quæ per quamlibet harum tribulationum non tranſierit, quia aliunde nequaquam remanet iter, quo ad electorum numerum perueniat. Omnes itaque hi quos diſtincte enumerando tetigimus, de hac multimoda ac magna tribulatione venientes, ſtolas ſuas lauant, & eas in ſanguine agni candificant, ſubaudis, in Chriſti paſſionibus habitum mentis exornant, eumque ad accipienda futura gaudia præparant. De quibus apte nunc ſubditur:

Ideo ſunt ante thronum Dei, & ſeruiunt ei die ac
D *nocte in templo eius, & qui ſedet in throno, habitabit ſuper illos.*

Ac ſi diceretur. Propterea ad electorum numerum pertinent, propterea thronus Dei, propterea templum Dei ſunt, propterea in templo eius ſanctam illi exhibent ſeruitutem quia talibus indumentis veſtiti, quia ſanguine agni videntur abluti. Ipſi enim à conditore ſuo tanquam thronus præſidentur, ipſi tanquam templum inhabitantur, ipſi & ante thronum in templo Dei, Deo ſeruire probantur. Quod vtique in præſenti verſiculo declaratur, quo per vnum ſeniorem dicitur: *Qui ſedet in throno, habitabit ſuper illos.* Non dixit, *habitabit in illis*: ſed, *habitabit ſuper illos*, vt eos templum ſimul oſtenderet & thronum. Quod enim dixit, ſedet in throno: hoc repetiuit, habitabit ſuper illos, vbi thronum & templum eos eſſe demonſtrauit. Seruiunt autem ei die ac nocte, id eſt, in proſperis & aduerſis fidei atque operationis rectitudinem conſeruant. Dies enim proſperitatem, nox vero ſignificat huius ſæculi aduerſitatem.

E Sed in vtriſque ſancti Deo deſeruiunt, quia eos nec proſperitas, nec aduerſitas à beata inſtitutione ac libera conditoria ſui ſeruitute valet inclinare. Vbi vero hanc liberam ſeruitutem, hunc beatum Deo exhibent famulatum, niſi in templo eius, hoc eſt, in Eccleſia ipſius; niſi in ſemetipſis, qui ſunt Eccleſia ipſius? De quibus & ſubditur:

Non eſurient neque ſitient amplius, & non cadet ſuper illos ſol, neque vllus æſtus: quoniam agnus qui in medio throni eſt, reget eos, & ad vitæ fontem aquarum deducet.

Cauſa redditur cur non eſuriant neque ſitiant; neque ſolem vel æſtum patiantur, qui veſtimentis albis coruſcare videntur: cum dicitur, quoniam agnus qui in medio throni eſt, reget eos, & ad vitæ fontem aquarum F
deducet eos. Vbi etiam ex obliquo turba illa ante thronum ſtans, ea agnis conſtare monſtratur. Agnus enim agnos regit. Sed caueat laſciuiam agni, quia mitis agnus in virga ferrea regit. Vbi autem perducit agnos quos regit, niſi ad vitæ fontem aquarum, id eſt, ad ſeipſum, ad Patrem ſuum, ad Spiritum ſuum? Quia enim fons iſte beata Trinitas intelligatur, diuina eloquia idipſum atteſtari videntur. Dictum quippe eſt de Filio ad Patrem:
Apud te eſt fons vitæ. Et vt ipſe Pater fons ille eſſe crederetur, ſubiunctum eſt: *Et in lumine tuo videbimus lumen*; Pſal. 35.
id eſt, in te lumine filium lumen. Vbi profecto conſequens erat vt diceretur, *& in fonte tuo videbimus fontem.* Vt autem Spiritus Sanctus & ipſe fons ille intelligatur, Euangelica docet authoritas, in qua dictum à Domino
legitur: *Si quis ſitit, veniat ad me & bibat. Et qui credit* Ioan. 7.
in me, ſicut dixit ſcriptura, flumina de ventre eius fluent Ibid.
aqua viua. Atque Euangeliſta eius ſubſequente, *Hoc autem dixit de ſpiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* G
Per quam autem viam, per quod iter agnus multitudinem agnorum ad hunc fontem perducit, niſi per ſe, ipſo
atteſtante qui ait: *Ego ſum via?* Per ſe ergo deducit ad Ioan. 14.
ſe, & nemo vel ad eum vel ad Patrem vel ad ſpiritum Ibid.
Sanctum venit, niſi per ipſum. Ipſe enim dixit: *Nemo ve-* Ioan. 7.
nit ad patrem niſi per me. Et de Spiritu Sancto: *Si quis ſi-* Ioan. 6.
tit, veniat ad me. Sed vnde venitur & ad te, niſi per te, qui es vita qua itur ad te? Et notandum quod vnus idemque fons, & eſuriem ſimul & ſitim auferat. Famem igitur remouet, quia panis viuus: ſitim repellit, quia potus vitæ eſt. Et nec mirum ſi vnus idemque fons, & cibus & potus intelligatur, cum de ipſo creatore omnium ſcri-
ptum legamus: *Erit Deus omnia in omnibus.* Hinc enim 1. Cor. 15.
per Iſaiam à Domino dicitur: *Super vias paſcentur, & in* Iſa. 49.
omnibus planis paſcua eorum. Non eſurient neque ſitient, & non percutiet eos æſtus & ſol: quia miſerator eorum reget eos, & ad vitæ fontes aquarum potabit eos. Hinc Pſal-
miſta ait: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco* Pſal. 22.
paſcuæ ibi me collocauit. Super aquam refectionis educa- H
uit me. Vt quid autem aquarum fons, & non ſimpliciter fons introducitur, niſi quia multiplicitas donationum Dei in ſanctis, per hanc ſententiam exprimitur? Vnus enim fons, propter vnitatem naturæ Patris & Filij & ſpiritus Sancti. Aquarum vero fons, propter numeroſitatem (vt diximus) gratiarum introducitur. Vnde & Dominus
cum vno in loco de ſpiritu Sancto dicat, *Fiet in eo fons* Ioan. 4.
aqua ſalientis in vitam æternam: alio tamen ita de illo Ioan. 7.
pronuntiat, *Flumina de ventre eius fluent aqua viua.* Qui igitur agno regente ad huius aquæ ſatietatem perducitur, exitiali fame ſitique depulſa, nec ſolem, nec vllum æſtum patitur, id eſt vitiorum calore non vritur. Vbi etiam intelligimus, quod fons ille qui eſuriem ac ſitim remouet, vmbraculum ſit quod à ſole vel æſtu protegens defendit. Vn-
de & per Iſaiam dicitur: *Super omnem gloriam protectio* Iſa. 4.
& tabernaculum erit in vmbra diei ab æſtu, & in ſecuritatem & abſconſionem à turbine & a pluuia. Ad huius fontis vmbram peruenerat Eccleſia, quæ in Canticis Canticorum dicebat: *Sub vmbra eius quem deſideraueram ſedi.*

A Cant. 2. Pſal. 139. Luc. 1. Hanc Pſalmiſta quærebat cum diceret : *Obumbra caput meum in die belli.* Hac beatam Virginem Mariam ab æſtu protegendam Angelus denuntiabat, cum ei diceret : *Virtus altiſſimi obumbrabit tibi.* Sequitur:

Et abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum.

O miræ pietatis affectus. Patrem ſe demonſtrat, matrem oſtendit, qui plangentium filiorum lachrymas abſtergit, cui nec immerito Iſaias dicit : *Tu enim Pater noſter, & Abraham neſciuit nos, & Iſraël ignorauit nos. Tu Domine Pater noſter redemptor noſter, à ſæculo nomen tuum.* Iſa. 63. Hinc idem affectuoſus pater, auerſos à ſe filiorum animos reuocat, dicens : *Conuertimini filij reuertentes, & ſanabo auerſiones veſtras.* Ierem. 3. Materna quoque viſcera pietate tranſcendens, ait : *Nunquid poteſt mulier obliuiſci infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? Tamen ſi illa oblita fuerit, ego non obliuiſcar.* Iſa. 49. B Ecce amat vt pater, ecce miſeretur vltra matrem. Ecce velut geruli parentis officio, dilectiſſimam prolem internæ charitatis ſinu fouet, blanditur, lachrymaſque ab oculis detergit. Sed videamus quæ ſint filiorum lachrymæ, quæ abſtergi merentur à patre. Alius enim propterea plangit, quia malum egit: alius, quia bonum non fecit : alius, quia dura correctionis flagella ſuſtinet, nec tamen murmurat. Quis enim filius non plangit dum vapulat? Ingratus tamen habetur, ſi ſuperbiæ tumore contra flagellum patris obmurmurat. Alius autem, quia vitiis & reſiſtit, & ad plenum ſuperare non valet. Alius vero, quia mala ab aliis fieri cernit, nec corrigere ſufficit. Alius, quia diu in hac peregrinatione viuit, & tarde ad patriam redit. Quæ ſcilicet piorum lachrymæ filiorum, ad affectum compaſſionis paternum excitant animum. Sed vt perfecte ad ſuſcipiendam hæreditatem promiſſæ beatitudinis erudiantur, diu hic flere permittuntur. Vnde Iſaias quoque ait : *Multitudo viſcerum tuorum & miſerationum, ſuper me continuerunt ſe* : Iſa. 63. C oſtendens vtique numeroſitatem viſcerum paternorum & ſuper ſe fuiſſe, & tamen vt diuturno mœrore tabeſceret, ſe continuiſſe. Miſeretur itaque & compatitur lachrymis filiorum, & tamen quia ita expedire cernit filiis quos erudit, ſuſpenſa (vt ita dixerim) pietate, patitur flere, vſquequo à lachrymis ceſſandum eſſe præuiderit. Sed quando lachrymæ filiorum abſtergendæ erunt? Nimirum cum de exilio ad patriam redierint. Quandiu enim in huius vitæ peregrinatione retinentur, quid aliud eis agendum eſt; niſi quod decet in liminlo, mœrendum ſcilicet, flendum atque lugendum? Stultus itaque diuino iudicio comprobatur, qui in carcere vitæ præſentis lætari conatur. Hinc enim Dominus in Euangelio ait : *Plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contriſtabimini.* Ioan. 16. Sed quid poſt ploratus triſtitiam ſequatur, audi : *Triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* Ibid. De quibus quoque alibi dicit: *Beati qui nunc lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Matth. 5. Quandiu igitur mala præcedentia conſcientiam exaggerant, D bona minime geſta contriſtant. Quandiu flagella exundant, vitia repugnant, aliorum mala mœſtificant, peregrinationum moleſtiæ excruciant, non eſt ceſſandum à lachrymis : nec bona vel varia lætitia cor diſſoluendum, ſed tempus gaudij poſt mœrorem expectandum: quo manente, impiorum fletu æterna ſanctorum iucunditas ſuccedat. Hinc namque Pſalmiſta de ſanctis prædicatoribus dicit: *Euntes ibant & flebant, mittentes ſemina ſua. Venientes autem venient in exultatione, portantes manipulos ſuos.* Pſal. 125. Sequitur :

Apoc. cap. 8. *Et cum aperuiſſet ſigillum ſeptimum, factum eſt ſilentium in cælo quaſi media hora.*

Cœlum namque (vt frequenter iam diximus) iuſtorum Eccleſia vocatur, quæ ſcilicet dum per quædam membra ſua ſurgentes ab imis cogitationum tumultus reprimens, internæ quietis ſecretum penetrat, quaſi quoddam Deo ſilentium in mente præparat. E Mens enim ſanctorum dum à frequentia rerum corporalium intima contemplatione ſecreti cuiuſdam ſeceſſum petit, quid aliud quam ſilentium Deo præbet? Quod tamen ſilentium, quia in hac vita non poteſt eſſe perfectum, ideo quaſi media hora dicitur factum. Renitenti namque animo cogitationum tumultus ſe ingerunt, eumque iam ſecreti ſinu tacentem inquietant, ac quodammodo ad loquacitatem præſentium rerum violenter pertrahunt. Fitque vt is qui in ſummis ſpiritu fixus ſilebat, deorſum retractus, tumultuoſum carnis clamorem toleret. Scriptum quippe eſt : *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem.* Sap. 9. Vnde nec immerito ſilentium non integra, ſed quaſi media hora factum dicitur : quia hic nequaquam contemplatio perficitur, quamuis ardentiſſime inchoetur. O quam inſolentes humanarum rerum in animo perſtrepunt clamores poſt ſilentium diuinæ contemplationis. F Quod ſi in hac vita fuiſſet perfectum, nequaquam quaſi media hora quæ imperfectionem ſignificat, ſed integra perhiberetur factum, quæ perfectionem demonſtrat. Quaſi ergo media hora ſilentium fit in cœlo, cum electorum animus in hac mortali vita & aliquid de ſuperna quiete percipit, & tamen in eo quod percipit, diu ſtare non valet. Sequitur:

Et vidi ſeptem Angelos ſtantes in conſpectu Dei, & data ſunt illis ſeptem tubæ. Et alius Angelus venit & ſtetit ante altare, habens thuribulum aureum.

Aperiendum video hoc etiam genus loquutionis, ſicut me ſpopondiſſe cognoſco in huius operis præfatione quod videlicet hoc in loco narrationis ordinem & præpoſterat & intercidit. Præpoſterat ſcilicet, quia prius ſeptem Angelos in conſpectu Dei ſtetiſſe, ac ſeptem tubas accepiſſe, quam vnum quem alium vocat, ante altare cum thuribulo aureo veniſſe teſtatur : G cum ſicut ſequentia demonſtrabunt, prius iſte cum thuribulo aureo veniens ante altare ſteterit, quam illi tubas in conſpectu Dei acceperint. Intercidit vero, quia propoſitis ad enarrandum ſeptem Angelis, antequam omnia quæ de illis dicenda ſunt, narret, hunc cum thuribulo medium interſerit. Eſt autem & in Apoſtolo genus locutionis, quod ordinem quidem narrationis intercidit, non tamen præpoſterat. Dicitur enim Timotheo ab eodem prædicatore gentium : *Manus cito nemini impoſueris, neque communicaueris peccatis alienis. Noli adhuc aquam bibere, ſed modico vino vtere, propter ſtomachum tuum & frequentes tuas infirmitates.* 1. Tim. 5. Quorundam hominum peccata manifeſta ſunt, præcedentia ad iudicium, quoſdam autem & ſubſequuntur. Nunquid igitur propterea dilectum diſcipulum admonuit Paulus aquam non bibere, ſed modico vino vti, quia ſubiunxit, quorundam hominum peccata manifeſta ſunt? H Sed ordo narrationis conciſus eſt. Remoue de medio paululum illud, quod ſententiam concidit, & iungitur ſententia, appareteque manifeſtus eiuſdem ſententiæ ſenſus. Sic enim coniungitur, vt cum dicitur, Manus cito nemini impoſueris, neque communicaueris peccatis alienis : ſuſpenſa diſcipuli medela, in non bibendo aquam, ſed modico vino vtendum : ſtatim cauſa ſubiungatur cur hoc fieri non debeat, atque dicatur : Quorundam hominum peccata manifeſta ſunt. Quid itaque in ſeptem Angelis intelligimus, niſi ſanctam Eccleſiam in ſuis prædicatoribus : Bene autem per Angelos, veritatis prædicatores deſignantur : quia nimirum æternæ vitæ annuntiatores ordinantur. De his namque ſcriptum eſt: *Et Angeli pacis amare flebant.* Iſa. 33. Recte etiam ſeptenario numero exprimuntur, quia videlicet ſeptiformi ſpiritu replentur. Apte ſeptenario numero terminantur, quia profecto vniuerſitati credentium præponuntur : ſeptenarius enim numerus & perfectionem & vniuerſitatem deſignat. In conſpectu quoque Dei ſtare perhibentur, quia

proculdubio

A 2.Cor.2. proculdubio calcatis terrenis cupiditatibus, diuinæ con- 2.Cor.5. templationi inhærere probantur. An non in conſpectu 3.Reg. 17. Dei Paulus ſtabat cum diceret, Tanquam ex Deo coram Deo in Chriſto loquimur? Et rurſum: *Siue mente exce-* Iſa.58. *dimus Deo ſiue ſobrij ſumus vobis.* Hinc & Elias: *Viuit* Leuit.25 *Dominus, in cuius conſpectu ſto.* Quid quoque per ſeptem Ioſuæ 6. Angelorum tubas, quas iidem accepiſſe referuntur, niſi perfecta veritas ac noui teſtamenti prædicatio declaratur? Hinc namque prædicatori dicitur: *Quaſi tuba exalta vocem tuam.* Has certe Angelorum tubas illæ præſignabant, quæ in iubilei vſibus per Moyſen factæ fuiſſe memorantur. Quibus ſeptem dierum circuitu clangentibus, in typum huius ſæculi, muri Iericho cecidiſſe narrantur. Et illis quidem ſacerdotes, iſtis vero Angeli ceciniſſe perhibentur. Quod omnino contrarium eſſe nequaquam videtur. Nam Doctores Eccleſiæ, & ſacerdotes & Angeli ſunt. Sacerdotes, quia ſpiritales hoſtias immolant: Angeli, quia ventura quæque annuntiant. Quod vtrumque Malachias B Propheta breuiter inſinuat, dicens: *Labia ſacerdotis cu-* Malac.2. *ſtodiant ſcientiam, & legem requirunt de ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.* Quis autem iſte ſit Angelus, qui cum thuribulo aureo apparuiſſe deſcribitur, altare indicat cui idem aſtitiſſe perhibetur. Sacerdotis enim officium eſt altari aſſiſtre, & aptatum aromatibus thymiama cremare. Iam ergo agnoſcitur, quia Angelus iſte mediator eſt Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus, ſeptem Angelorum Angelus, & (vt ita dixerim) ſeptem ſacerdotum Pontifex. Quia enim Angelus ſit, teſtatur Propheta, di- 1.Tim.2. cens: *Vocabitur nomen eius, magni conſilij Angelus.* De Iſa.9. quo etiam Elihu filius Barachel Buzites, cum per eius aduentum redemptionem hominis futuram inſpiceret, dixit: *Si fuerit Angelus pro eo loquens vnus de mille.* Quia vero Iob.33. & 9. idem ſit Pontifex, aperte Paulus innuit, dicens: *Chriſtus* Heb.9. *aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum.* Vbi aperte colligimus quod ante dixeramus, prius iſtum Angelum veniſſe, quam ſeptem Angelos tubas accepiſſe. Dicatur itaque: *Et alius Angelus venit; & ſtetit ante altare.*] Et quid hic C deſignatur per altare, niſi omnes intra ſanctam Eccleſiam electi? Qui recte altaris vocabulo exprimuntur, quia videlicet igne diuini amoris ſuccenduntur. Digne per altare figurantur, quia ſpiritale in eis ſacrificium celebratur. Venit autem iſte Angelus per carnem, ſtetit vero per diuinitatem. Et quia idem Dominus & Eccleſia vnum ſunt corpus, & altare in Angelo, & Angelus in altari cognoſcitur. Quid quoque deſignatur per thuribulum Angeli, niſi humanitas Chriſti? Apte vero per thuribulum aureum, quia profecto humanitas noſtræ mortalitatis à redemptore ſuſcepta, eiuſque diuinitati veraciter vnita, verbum & homo, vna eſt ſapientia, de qua dicitur: Accipite ſapientiam ſicut aurum. Poteſt autem per thuribulum aureum quo cremantur aromata, Eccleſia ſancta figurari; Pſal.140. quæ igne diuini amoris ſuccenſa, quotidie dicit: *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.* Siue autem ſpecialiter Dominus, ſiue generaliter totum eius corpus per D thuribulum aureum exprimatur, recte ſingulariter de illo ſubiungitur:

Et data ſunt illi incenſa multa, vt daret de orationibus ſanctorum omnium ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum. Et aſcendit fumus incenſorum de orationibus ſanctorum, de manu Angeli coram Deo.

Sicut fumus ex crematis aromatibus egreditur, ſic virtus compunctionis gignitur ex ſtudio orationis. Sed vt Deo fiat accepta compunctio, Angelo dantur incenſa, id eſt, redemptori noſtro committuntur orationum noſtrarum ſtudia. Non autem mirum, ſi orationes noſtræ vel lachrymæ, non per nos, ſed per ſummum Pontificem noſtro Deo offeruntur, cum Paulus exhortetur, dicens: Heb.13. *Per ipſum offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo, id eſt, fru-* Heb.7. *ctum labiorum confitentium nomini eius.* De quo etiam idem egregius prædicator dicit: *Sempiternum habet ſacerdotium:* vnde & ſaluare in perpetuum poteſt, accedens E per ſemetipſum ad Deum, ſemper viuens ad interpellandum pro eis. Talis enim decebat vt nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus: qui non haberet quotidie neceſſitatem, quemadmodum ſacerdotes prius, pro ſuis delictis hoſtias offerre deinde pro populi. Hoc enim fecit ſemel ſeipſum offerendo. Quia enim vt præfati ſumus, Dominus & Eccleſia vna perſona eſt, & hæc vna perſona in capite conſtat & corpore, dignum eſt vt caput interpellet pro corpore. Nec omnino ad Deum poteſt loqui corpus, niſi officio capitis quo regitur corpus. De quo etiam Ioannes dicit: *Si quis peccauerit, aduocatum* 1.Ioa.2. *habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt* Luc.12. *propitiatio pro peccatis noſtris.* Quia vero ignis mittitur in Rom.8. thuribulo, id eſt, in toto Chriſti corpore, quo orationum cremantur incenſa, & idem ignis Spiritus ſanctus intelligitur, de quo per eundem redemptorem dicitur: *Ignem veni mittere in terram: & quid volo niſi vt ardeat?* F Conſequenter ipſe ſpiritus Dei, hoc officio Angeli atque pontificis noſtri fungi perhibetur, ſicut per Paulum dicitur: *Ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus innarrabilibus.* Quod vero ſuper altare aureum hæc incenſa per Angelum Deo offerri dicuntur, patenter intelligi datur, quia non alibi niſi in corpore Chriſti, quod totum diuini verbi ſapientia reſplendet, orationis vel compunctionis ſacrificium à Deo accipiatur. Cumque ſit thronus Eccleſia, altare vero ante thronum, Eccleſiæ: non duæ tantum in his, ſed vna intelligitur Eccleſia; ſicut arca Noë, Eccleſia: octo vero animæ intra arcam, Eccleſia, non tamen arca & octo animæ, duæ Eccleſiæ, ſed vna eſt Eccleſia, de quibus ſatis ſuperque iam diximus. Sequitur:

Et accepit Angelus thuribulum aureum, & impleuit illud de igne altaris, & miſit in terram. G

Hoc ſi de capite dictum intelligimus, tunc Angelus thuribulum accepit, cum Dominus ſibi intra vterum Virginis humanam naturam coniunxit: ſi vero de corpore eius quod eſt Eccleſia, cum primum in Iudæa diſcipulos elegit. Cum vero Angelus & thuribulum digne vnum ſint corpus, vna perſona: in eo quod thuribulum de igne altaris dicitur impletum, ſic intelligendum eſt, tanquam diceretur: Et caput & corpus, non alieno niſi proprio igne ſuccenſum eſt id eſt de ſpiritu Sancto, quo & caput & totum corpus repletum eſt. Sed caput non ad menſuram. Quodque additur, [*& miſit in terram:*] ſiue de ipſo mediatore noſtro, ſiue de primis prædicatoribus apte intelligi poteſt. Nam & ille, & iſti illo regente in terram miſſi id eſt ad hanc ſunt gentilitatem perducti. Neque enim iam in Iudaïca plebe vel altare aureum, vel thuribulum iuxta literam cernitur, non ignis in altari H conſeruatur: ſed cuncta hæc in gentibus ſpiritaliter habentur. Ibi enim altare igni ſuccenſum, ibi thuribulum igne repletum, ibi Pontifex orationum ſacrificia offerens quotidie ſalubriter intuetur. Vbi apte quoque ſubiungitur:

Et facta ſunt tonitrua, & voces, & fulgura, & terræmotus.

Poſt cognitionem quippe mediatoris noſtri, poſt acceptionem ſpiritus Sancti, fiunt tonitrua & voces, id eſt, prædicationum terrores, quibus humana corda quatiantur. Fiunt fulgura, id eſt, miraculorum ſigna, quibus alij cæcentur, alij illuminentur. Fiunt terræmotus, ſcilicet perſecutiones, quibus credentes exerceantur. Quæ idcirco nunc breui narratione tranſcurrimus, qui de his latius retro iam diximus. Sequitur:

A

Et ſeptem Angeli qui habebant ſeptem tubas, parauerunt ſe vt tuba canerent.

Vbi quid aliud quam ſanctos Doctores ad prædicandum aptatos intelligere, debemus? Quid eſt autem præparare, niſi diuina eloquia ſcrutari, vt ſciat prædicator populi, quid, cui & qualiter loqui debeat, ne incertum ſonum tubæ mittat, ne vbi debet lenior, fiat ſonus conciſior? Præparantur ergo ad tubam canendam, quia prius 1.Cor.14. meditantur quibus alios exhortentur: Vel certe ad tubam canendam ſe præparant, quia vitam ſanctis operibus exornant, qua vt alios admonere poſſint, conualeſcant. Admonendum ſane video lectorem, vt cum in ſubſequentibus ſingulatim atque diſtincte ſeptem Angelos audit tuba canere, non plus ſeptem quam vnum Angelum B intelligat: ſed ſemper & in ſingulis, ſeptem cognoſcat: & in ſeptem, vnum attendat, ne ad numerum, ſed ad myſterium eos redigi ſciat, cum propter figuratas locutionum cauſas, quæ non poſſunt ſub vno narrari, in ſeptem diſtinctos accipiat.

Et primus Angelus tuba cecinit, & facta eſt grando, & ignis mixtus ſanguine, & miſſum eſt in terra, & tertia pars terræ combuſta eſt, & tertia pars arborum combuſta eſt, & omne fænum viride combuſtum eſt.

Quid hic per grandinem, niſi ira omnipotentis Dei ex- 1.Ioan.3. primitur? Vnde & quodam ſcripturarum loco dicitur: *Ira Domini ſicut grando deſcendens.* Quid vero per ignem, niſi zelus vel odium deſignatur, ſacro eloquio pronuntiante: C *Zelus apprehendet populum ineruditum, & nunc ignis aduerſarios conſumet?* Recte autem ſanguine mixtus idem oſtenditur ignis, quia ſicut per Ioannem dicitur, *qui odit fratrem ſuum, homicida eſt.* Non autem mirum, ſi vnde electi clementiam inueniunt, inde reprobi iram incurrant: & vnde boni flamma charitatis accenduntur, inde mali ze- 2.Cor.2. lo liuoris vrantur, cum Paulus dicat: *Chriſti bonus odor ſumus Deo, & in his qui pereunt, & in his qui ſalui fiunt. Et aliis odor mortis in mortem, & aliis odor vitæ in vitam.* Cui etiam ſententiæ Venerabilis Simeon concinit, di- Luc.2. cens: *Ecce poſitus eſt hic in ruinam & in reſurrectionem multorum in Iſraël, & in ſignum cui contradicetur.* Ab hac grandine, ſubaudis, ab hac vltionis ira, electos eripi per vnigenitum Patris Apoſtolus denuntiat, cum dicit: 1.Theſ.1. *Qui eripuit nos ab ira ventura.* Ab hoc igne, id eſt, repro- Iſa.43. borum inuidia non poſſe comburi Eccleſiam, Dominus per Iſaiam pollicetur, dicens: *Cum ambulaueris per ignem, non combureris, & flamma non ardebit te.* Vnde hic D quoque ad grandinem & ignem ſanguine mixto, non tota terra vel omnes arbores, ſed tertia pars terræ & arborum conſumpta deſcribitur. Vbi minus intelligentes admonendos eſſe conſidero, ne cum tertiam partem terræ & arborum deperiſſe audiunt, duas partes iuxta literam in electis remanſiſſe exiſtiment, contraria Domini Matt.20. dictis intelligentes cum dicit: *Multi ſunt vocati, pauci vero electi.* Neque enim ad quantitatem literæ, ſed ad qualitatem figuræ pertinere videtur numerus iſte. Quod certe ipſius immutatio demonſtrat, quæ vno loco duas tertias, altero autem tres tertias, altero vero vnam tertiam, in reproborum ſorte eueniſſe pronuntiat. Et quidem ſuperius in quatuor partibus corpus antiqui hoſtis fuerat deſignatum, nunc autem in duabus tertiis, poſt vero in tribus tertiis, poſt etiam in vna tertia figuratur. Et vt manifeſtius eluceat, nec minor eſt vna tertia à duabus vel tribus tertiis: quia per illam vnitas corporis, per has vero eiuſdem corporis partes vel ſpecies deſignantur. Sed & tres cóponuntur tertiæ, non tamen ſemper vnius quantitatis habentur. Vt autem breuiter ac ſummatim cuncta perſtringamus, cum in quatuor partibus diaboli corpus per hanc cœleſtem reuelationem ſpiritus Sanctus depingit, vnam intra Eccleſiam, tres vero extra Eccleſiam partes oſtendit: E vnam ſcilicet intra Eccleſiam, in falſis fratribus: tres vero extra Eccleſiam, in Iudæis, hæreticis atque paganis. Cum autem in duabus tertiis, vnam ſimplicem intra ſanctam Eccleſiam in male viuentibus Chriſtianis: alterá vero triplicem, extra Eccleſiam in male credentibus, Iudæis, hæreticis atque paganis. Tres quoque tertias cum ponit, aliquando totum per eas corpus, aliquando vero vnam tantum corporis partem demonſtrat. Cum enim totum in tribus tertiis deſcribit, vna tertia intus, in prauis fidelibus ſimplex: altera vero foris in Iudæis atque hæreticis, duplex. Tertia quoque & ipſa foris in gentibus ſimplex inuenitur. Cum vero vnam corporis partem eodem ternario tertiatoque numero figurat, duas omnino ex tribus tertiis partes conſtituens, & occultos ſimul & apertos intelligi vult male credentes hæreticos. Reſtat vna tertia intus & foris, quæ omnium in ſe retinet formas. Hæc prout occurrerint, locis ſuis ma- F nifeſtius aperire curabimus. Nunc ad expoſitionis ordinem redeamus. Dicatur itaque: [*Tertia pars terræ combuſta eſt, & tertia pars arborum combuſta eſt, & omne fænum viride combuſtum eſt.*] Hoc eſt terra, quod arbores, id eſt, malorum ſumma in duabus tertiis comprehenſa, quarum vna ſimplex, altera triplex eſſe cognoſcitur. Terra enim ſunt peccatores, quia nimirum terrena ſapientes, terrena quærentes: terrena deſiderantes: illa inquam ſunt maledictionis terra, quæ ſpinas & tribulos vitiorum germinat, cuius conſummatio iuxta Apoſtolum in combuſtionem ignis erit. Arbores autem ſunt, quia videlicet inſtabilitate nutantes. De quibus recte per Iudam dicitur: *Hi ſunt arbores autumnales, infructuoſæ, eradicatæ, bis* Heb.6. *mortuæ.* Conſiderandum vero, quia contra vnam tertiam Iudæ 1.d quæ eſt Eccleſia, nunc duæ tertiæ opponuntur, quæ (vt dictum eſt) ex Iudæis conſtat, hæreticis, gentilibus ac falſis fratribus, quatenus vnitas electorum dimicet con- G tra duplicitatem malorum. Miſſa itaque grandine & igne ſanguine mixto in terra, duæ tertiæ comburuntur, vna vero illibata ſeruatur: quia videlicet exaggerante ira ſuperni iudicis, ſocietas antiqui hoſtis dum ſanctorum prædicatione non colligitur, odij ſui flammis ſuccenditur. Congregatio vero Chriſti dum ipſo malorum odio exercetur, non conſumitur. Hinc Zacharias ex perſona Domini loquitur, dicens: *Et * erunt in omni terra, dicit* Zach.13. * erit *Dominus, partes duæ diſperdentur in ea & deficient, & tertia pars relinquetur in ea, & ducam tertiam partem per ignem, & vram eos ſicut vritur aurum, & probabo eos ſicut probatur argentum. Inuocabit nomen meum, & ego exaudiam eam. Dicam, populus meus es: & ipſe dicet, Dominus Deus meus.* Quod autem ſubditur, & omne fœnum viride combuſtum eſt, repetita ſententia videtur. In duabus ſcilicet tertiis omne fœnum combuſtum, id eſt, memorata malorum pars odij ſui flammis conſumpta. Viriditas quoque fœni propter illecebras carnis in hoc loco poni H videtur: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius vt flos* Iſa.40. *fœni.* Quo contra hi qui à Domino ex multiplicatis pa- 1.Pet.1. nibus & piſcibus ſpiritaliter in deſerto paſcuntur, ſupra Ioan.6. fœnum ſedere narrantur. Quid eſt enim ſuper fœnum ſedere, niſi voluptates carnis premendo ſubigere? Sequitur:

Et ſecundus Angelus tuba cecinit: & tanquam mons magnus igne ardens, miſſus eſt in mare: & facta eſt tertia pars maris ſanguis, & mortua eſt in eo tertia pars creaturæ eorum quæ habent animas in mari, & tertia pars nauium interiit.

Quis hoc loco non intelligat, etiamſi minime exponatur, per montem ardentem, antiquum aduerſarium deſignari? Qui videlicet vel pro eo quod illi in principio ſimilis eſſe concupiuit, de quo ſcriptum eſt: *Et erit in nouiſ-* Iſa.14. *ſimis diebus præparatus mons domus Domini, in vertice* Iſa.2.

A *montium, & eleuabitur ſuper colles:* vel pro eo, quia
in extremis temporibus per damnatum illum quem
aſſumpſerit hominem iam Deo ſimilis eſſe deſpicit, Pau-
2.Th.2. lo atteſtante, qui ait: *Aduerſatur & extollitur ſuper
omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, tanquam mons
magnus appellatur.* Pro eo autem quod malitia ſua at-
que inuidia torquetur, ardens etiam vocatur. Quis etiam
maris ac creaturæ eius, nauiúmque vocabulo, hunc
mundum cum ſuis habitatoribus ignoret figurari? An-
gelo itaque tuba canente, tanquam mons magnus igne
ardens in mare mittitur: quia videlicet Eccleſia prædi-
cante, hoſtis noſter excluſus non ſuis, id eſt, electis,
inuidiæ flammis ſuccenſus, ad ſuos, hoc eſt, reprobos,
redire compellitur, non quo & in eis ante non erat, ſed
quo eiectus ab iſtis, amplius illis dominari cœpit. Quaſi
enim ad illos redit, quos non deſerit, cum ſe totum ad
illos perdendos colligit. Videtur autem nobis in vna
* quo tertia, quæ in ſanguinem verſa narratur, genus mortis,
B * quod duæ tertiæ pereunt, figurari: vt videlicet in vna
illa mors, in duabus vero numerus aſſignetur morien-
tium. Et quid per aquam in ſanguinem verſam exprimi
putamus, niſi ſapientiam carnis, quæ animas perditorum
Rom.8. necare conſueuit? Vnde & Apoſtolus dicit: *Sapere ſe-
cundum carnem, mors eſt.* Quæ videlicet ſapientia carnis
non ſolum pro malæ credulitatis inſania, verumetiam
pro malæ operationis indicio poni videtur. Ad peruerſi-
tatem etenim erroris, ſapientia carnis redigitur, ſicut
Ioan.6. quibuſdam malè intelligentibus dicitur: *Spiritus eſt qui
viuificat, caro autem nihil prodeſt.* Ad vtraque autem ſa-
pientia carnis refertur, id eſt, ad malæ credulitatis erro-
rem, & ad peruerſæ operationis illecebram, ſicut ad Noë
Gen.6. Dominus dicit: *Non permanebit ſpiritus meus in homini-
bus iſtis, eo quod ſint caro.* Quia enim ad prauorum do-
gma ſanguis pertineat, ipſa hoc litera indicat, quæ dicit:
1.Cor.3. *Libera me de ſanguinibus Deus.* Ergo ſapientia carnis,
quæ malè credere docet extra Eccleſiam aperto errore
C ſeparatos, ipſa mala agere perſuadet intra Eccleſiam pra-
Pſal.50. uos Catholicos: & ad illos vtraque pertinent qui foris
ſunt, ad iſtos vero vnum horum redigitur qui intus ſunt.
Iſta tertia pars creaturæ in ſanguine mortua, contra
Ioan.21. centum quinquaginta & tres piſces, qui Apoſtolorum
retibus ad litus trahuntur, opponi videtur. Iſta pars tertia
Iacob.3. nauium, quæ (vt Iacobus dicit) abſque gubernatore fe-
runtur, illis contraria opponitur, quæ Apoſtolus protetas
habere meretur. Sequitur:

*Et tertius Angelus tuba cecinit, & cecidit
de cælo ſtella magna tanquam facula ar-
dens, & cecidit in tertiam partem flumi-
num & in fontes aquarum, & nomen ſtel-
læ dicitur abſinthium, & multi homines
D mortui ſunt ex aquis, quoniam amaræ fa-
ctæ ſunt.*

Ipſe deſignatur per ſtellam, qui & per montem, an-
tiquus videlicet hoſtis, qui nimirum propter primæ
conditionis originem, manente priſtino vocabulo, iure
ſtella vocatur, non quo iam luceat, & ſi quibuſdam ſe
velut Angelum lucis transformat: ſed quo qualis con-
2.Cor.11. ditus fuerit, Scriptura ſancta deſignet. Et quia cæteris
ſideribus longè clarior, id eſt ſummis ac beatiſſimis ſpi-
ritibus valde eminentior fuit, ideo non ſimpliciter ſtel-
la, ſed cum additamento ſtella magna vocatur. Vnde &
Eſdr. 14. eidem per Iſaiam Prophetam dicitur: *Quomodo cecidiſti
de cælo lucifer, qui mane oriebaris?* Quia vero poſtquam
cecidit, humano generi inuidit, tanquam facula ardens
appellari debuit. Iſto enim igne ac flamma ſuccenſus,
totum reprobis mundum conſumpſit, ſicut de illo per
Sap.2. quendam ſapientem dicitur: *Inuidia diaboli mors introi-
uit in orbem terrarum.* Quia quoque à veritatis dulcedine
reſiliens, in amaritudinem mendacij commutatus eſt,
iure abſinthi vocabulum ſortitus eſt. De quo per ſemet-
ipſum veritas in Euangelio Iudæis loquitur, dicens: *Ille* E
*homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit, quia non
eſt veritas in eo. Cum loquitur mendacium, ex proprijs
loquitur, quia mendax eſt, & pater eius.* Et notandum
quam ſibi inuicem iuxta literam contraria ſint, vt ſtella
quæ ardet, abſinthij naturam habet, quæ herba amara
eſt: ſed quam iuxta myſticum intellectum aptiſſima in
vtriſque comparatio. Quod autem hæc ſtella ardens &
amara, ardens videlicet malitia, amara autem menda-
cio, de cœlo cecidiſſe perhibetur: nequaquam in hac
ſententia prima antiqui hoſtis ruina intelligenda eſt, qua
à ſupernis ſedibus eiectus eſt: ſed ſecunda, qua Angelo
tuba canente, ſubaudis Eccleſia prædicante, ab electis
excluſus eſt. Vt enim ſæpè iam diximus, per cœlum in
hac Apocalypſi præſens Eccleſia figuratur, quam Do-
minus & inhabitando præſidet, & præſidendo inhabi-
tat. Ab illis ergo ſideribus quibus Paulus dicit: *In me-* Phil.2.
dio nationis praua & peruerſa, in quos luceris ſicut lumi- F
naria in mundo, verbum vitæ continentes, hæc ſtella ar-
dens & amara ruens, quo ceciderit, audiamus. Nam ſub-
ditur: [*Et cecidit in tertiam partem fluminum, & in fon-
tes aquarum.*] Quid in fluminibus vel fontibus aqua-
rum accipimus, niſi humanam naturam, quæ ab exortu
ſui natiuitate, carnalium voluptatum vndis præterfluens
decurrit ad mortem? Ruente autem de cœlo ſtella, quæ
abſinthium cognominatur, in flumina vel fontes aqua-
rum, amaræ fiunt aquæ: quia proiecto ab electis anti-
quo hoſte, dum idem reprobos inuadit, mendacij illos
veneno inficit. Mendacium autem non ſolum peruerſæ
credulitatis, verumetiam malæ operationis noxam in-
telligere debemus. Quicquid enim à veritate diſcrepat,
ſiue fide, ſiue operatione, totum omnino mendacium
eſt. Et vt de ſingulis vnius corporis partibus dicamus,
quod ſancta Eccleſia in ſacris paginis rectæ fidei con-
gruere docet, hoc ſiue Iudæorum prauitas, ſiue hæreti-
corum pertinacitas, ſeu philoſophorum vanitas, in
prauum dogma conuertit. Et quod illa ad incrementa G
virtutum, hoc praue viuentes Catholici ad incrementa
vitiorum vtuntur. Quamvis autem & illi multa de Deo
rectè intelligant, & iſti quædam ſalutaria peragant: to-
tum tamen amarum eſt, quod & illorum verba ſonant,
& iſtorum opera clamant: quia nec illi ad Chriſti noti-
tiam vel eius Eccleſiæ, vt ſeſe habet veritas, pertingunt:
nec iſti illa fide pollent, quæ per dilectionem operans, ad
contemplandam conditoris ſpeciem ſectatores ſuos per-
ducit. Dumque in vno, id eſt, in dilectione Dei & pro-
ximi, offendunt: prauum eſt omne opus illorum quod
ſequitur, tanquam ſcilicet ampliſſimæ dulcique potioni
modicum abſinthij admixtum, totam eius abundantiam
atque dulcedinem vertat in amaritudinem. In hanc ama- Ierem. 2.
ritudinem verſa fuerat plebs Iſraelitica, cui Dominus
conquerens, dicebat: Ego te plantaui vineam totam ele-
ctam, quomodo conuerſa es in amaritudinem vitis alie-
næ? Et quia exemplis maiorum plurimi pereunt, aptè H
ſubiungitur: [*Et multi hominum mortui ſunt ex aquis,
quoniam amaræ factæ ſunt.*] Quaſi enim ex amaris aquis
moriuntur homines, cum ſiue peruerſorum dogmatibus,
ſeu operationum exemplis carnales illecti, ſpiritaliter
pereunt. Sequitur:

*Et quartus Angelus tuba cecinit, & percuſſa
eſt tertia pars ſolis, & tertia pars lunæ, &
tertia pars ſtellarum, vt obſcuraretur tertia
pars eorum: & diei non luceret tertia pars,
& noctis ſimiliter.*

Quid hoc loco per ſolem, lunam atque ſtellas, niſi
ſancta Eccleſia figuratur? Quia enim ſolis ac lunæ voca-
bulo Eccleſia deſignetur, locus ille in Canticis Cantico-
rum manifeſtè declarat, quo dicitur: *Quæ eſt iſta quæ pro-* Cant.6.
*greditur quaſi aurora conſurgens, pulchra vt luna, electa vt
ſol?* Quia vero ſtellarum appellatione ipſa ſignetur, & hoc
ſicut protulimus, Paulus indicat, dicens: *In medio nationis* Phil.2.

A *praua & peruerſa, inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes.* Vnde & Pſalmiſta de Pſal. 146. iſtorum conditore luminum dicit: *Qui numerat multitudinem ſtellarum.*

Obſcuritas enim horum luminarium, propriè ad hæreticorum perfidiam refertur. Et quamquam duæ ſint partes ex tribus tertiis confectæ, vna ſcilicet diei per ſolem, altera vero noctis per lunam atque ſtellas, vnam tamen duæ faciunt, aut certè vna in duabus ſubdiuiditur. Neque enim aliter hoc ipſum propter ſubſequentium locorum narrationes, intelligi permittitur. Ad hoc autem vt arbitror, vna pars in duabus exprimitur, vt & apertum eius errorem & occultum deſignet, publicas ſcilicet hæreticorum conflictationes, atque abſtruſas machinationes. Quorum alij per apertum errorem ſe præcipites dantes, audacia libertatis multos ſubuertunt: alij autem metu fidelium territi, occultis ſuaſionibus in abditis quos

B poſſunt decipere quærunt. Quod autem de præmiſſis luminaribus non dicitur, percuſſa eſt tertia pars eorum & obſcurata, ſed percuſſa eſt vt obſcuraretur: ad hoc ſcilicet percuſſa, vt non ſtatim, ſed congruo tempore obſcuraretur, ita valet intelligi: quia priuſquam ab Eccleſia publicè diuidantur hæretici, occultè vulnerantur. Tunc autem obſcurantur, cum apertè ſeparantur, id eſt, tunc perfectè qoia tenebræ ſint apparet, cum error illorum ad notitiam fidelium venit. Nam ante cum tenebræ eſſent nec agnoſcerentur, quia lux eſſe putabantur. Vnde percutiuntur vt obſcurentur, niſi ex lumine fidei, niſi ex claritate verbi Dei? Sed nec mirum. Quicquid enim lucet in fide, totum in dogma tenebroſum hæretici conuertunt. Sic quippe lux veritatis in errorum tenebras conuertitur, ſicuti infirmantibus oculis radij ſolis cæcitatem inferre probantur. Vnde & Paulus in his qui pereunt, opertum Euangelium prædicit. Hinc alibi quod

2. Cor. 4. ſupra præmiſimus, idem egregius prædicator dicit: *Chriſti bonus odor ſumus Deo in omni loco, & in his qui pereunt, & in his qui ſalui fiunt. Et aliis odor mortis in mortem, aliis odor vitæ in vitam.* 2. Cor. 2. C Ne autem talium perditio ad Deum referretur, hoc quod de præfatis luminaribus Exod. 4. 10. 11. & 14. dicitur, percuſſa eſt tertia pars eorum vt obſcuraretur, ſic intelligatur, ſicuti cor Pharaonis ab ipſo indurari dicitur, cuius duritia per ipſum miſericorditer non emollitur. Neque enim ideo ſol culpandus eſt, quia radiis ſuis lippientibus oculis cæcitatem infundit: ſed magis ad vitia oculorum redigendum eſt, qui ex lumine tenebreſcunt. Omnipotens autem Deus qui benè vtens etiam malis noſtris, multa bona ex his operari conſueuit, quanta veritatis dogmata intra ſanctam Eccleſiam ob illorum peruerſam doctrinam propagauerit, quis verbis explicare ſufficiat? Ecce etenim per totum mundum innumerabilia penè tractatorum miniſteriis edita habentur, qui proculdubio nequaquam ad diſſerendas Scripturas tanto ſtudio vacaſſent, niſi erroris mendacium veritati reſiſtens increuiſſet. Excitauit itaque illos error ſchiſmaticorum ad defendendam veritatem fideliom. Sed nec mirum. Quando enim error naſcitur, amplius veritas prædicatur. Et vt fidei integritas defendatur, latens iamdudum falſitas opportune fruſtranda detegitur. Hinc &

D Apoſtolus ait: *Oportet hæreſes eſſe inter vos, vt probati manifeſti fiant in vobis.* In quorum perſona numerus horum luminarium, tertiatus ſub alio intellectu inuenitur expreſſus, cuius nunc qualitatis formam neceſſario pandere curamus. Si igitur duodenario numero tertiam partem ſubtrahamus, octo certè remanent, quatuor vero ſubtrahuntur. Quorum ſecreta diuiſionum ſi ſubtiliter inueſtigamus & in octonario ter multiplicato numero prædicatores Eccleſiæ, & in quaternario ſub alia diſtinctione aucto, hæreticorum perfidiam principaliter expreſſam inueniemus. Octonarius etenim numerus propter Trinitatis cognitionem ter ductus, viginti & quatuor perficit. In quibus nimirum viginti & quatuor Seniores ſuper thronos ſedentes, qui ſunt Eccleſiæ præpoſiti, manifeſtiſſima ratione declarantur. Quaternarius vero propter vtrumque ſexum maris ac fœminæ duplicatus, in octonarium ſurgit. Idem quoque octonarius

E propter geminatum vtriuſque ſexus in quinarium ſenſum, in ſingulis ſuis partibus per denarium multiplicatus, octoginta perficit. Quo videlicet numero, hæreticorum prauitatem Salomon deſignari apertiſſimè docet: qui cum de ſancta Eccleſia ſententiam protuliſſet, dicens: *Sexaginta ſunt reginæ*: protinus addidit: *& octoginta concubinæ.* 1. Cor. 11. Concubina enim non legitimo cuilibet homini coniugio copulatur: & cum tempus nuptiarum aduenerit, à thoro excluditur: Sic, ſic omnes hæretici, ſic omnes ſchiſmatici dum recta & Catholica fide Chriſto non inhærent, ſed tantum exterioribus Sacramentis palliati, de ſolo ſibi nomine applaudunt, adulterino (vt ita dixerim) coniugio cœleſti copulantur ſponſo. Quæ videlicet Sacramenta cum ſint ſalutaria, & ſine quibus Deo nullus inhærere poſſit, vt eſt baptiſmus vel communio corporis & ſanguinis Chriſti tamen ſine recta fide non ſponſam, non coniugem, ſed concubinam faciunt. F Quæ & ſi alieno ſponſo, vt ita dixerim adulterino complexu interim adhæret: tamen cum tempus nuptiarum aduenerit, cum ſteterit regina à dextris ſponſi in veſtitu deaurato, circum amicta varietate, Pſal. 44. cum introierint quinque virgines lampadarum luminibus refulgentes cum ſponſo ad nuptias, à cubiculo cœleſtium nuptiarum (vt diximus) excludentur. Et quidem tales ab intus excluſi, foris ad oſtium cubiculi ingeminando clamabunt: *Domine, Domine, aperi nobis.* Matt. 25. Sed reſpondetur illis ab ſponſo, nouæ nuptæ iam perenniter ſociato: *Amen dico vobis, neſcio vos vnde eſtis, diſcedite à me operarij iniquitatis. Ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Matt. 25. & 7. Ac ſi aliis verbis diceret: Iam non recipio, iam non mihi placent falſa concubinarum blandimenta, quæ me non vt caſta ſponſa diligebant, ſed propter temporale commodum me in prauis dogmatibus vtebantur. Recedite ergo, ne confuſis clamoribus quieſcentes inquietare videamini. Recedite, inquiens, quia non vos amaui cum me falſo abuteremini, ſed neceſſitate omnimodis toleraui, quoadvſque mihi dilectam ſponſam veſtro odio & æmulatione eruditem. G Aptiſſimè autem prauè viuentibus Chriſtianis iſta congruere viderentur, niſi nos ſubſequentium locorum intellectus ab hac intentione reuocaret. Nam pars iſta luminarium tertia, de fumo peruerſorum dogmatum, poſt tertium verſum declaratur. Sed iam cætera videamus. Sequitur namque, & vnam eandemque rem diuerſis vocabulis deſignans, dicit:

Et vidi & audiui vocem vnius aquilæ volantis per medium cœlum, dicentis voce magna: Væ, væ, væ habitantibus terram, de cæteris vocibus tubarum trium Angelorum, qui erant tuba cantituri.

Illius figuram hoc loco gerit Ioannes, cuius & aquila per medium cœlum volans & plorans, cuius etiam & tres Angeli ſubſequentes, qui tubis cantituri pronuntiantur, ſubaudis, Sanctorum Eccleſiã. Ipſa enim in Ioanne & videt & audit aquilam per medium cœlum volantem & flentem, id eſt, ſeipſam. H Ipſa in aquila per medium cœlum volat & plorat, ipſa in tribus Angelis eadem mala poſtremis temporibus veniſſe denuntiat, quæ aquila volans deflebat. Quamobrem & Ioannes & Angeli in aquila volant & vlulant, & Ioannes & aquila in Angelis tuba canunt, & aquila & Angeli hæc eadem in Ioanne vident & audiunt. Quod autem vocem aquilæ volantis & vidiſſe & audiſſe ſe dicit Ioannes, oſtendit proculdubio, quia ſpiritali locutione hoc videre, quod audire: hoc audire, quod videre. Viſus enim cordis quid eſt aliud, quam quidam auditus mentis? Vel certè viſus ad fidem, auditus autem pertinet ad verbum. Quod vero non de præcedentiom quatuor Angelorum vocibus, ſed de trium ſubſequentium qui erant cantituri, vocem vnius aquilæ volantis atque lugentis, vidiſſe & audiſſe ſe dicit: nimirum apertè innuit, quia electorum Eccleſia venturas diuerſæ calamitatis plagas, diuerſis temporibus lugere ſimul

prædicare

A præedicare ſe videt : lugere ſcilicet in aquila , prædicare
vero in Angelis. Dicat ergo Ioannes : [*Vidi & audiui*
vocem vnius aquilæ volantis per medium cælum , dicentis
voce magna : Væ, væ , væ habitantibus terram , de cæteris
vocibus tubarum trium Angelorum , qui erant tuba ca-
nituri.] Ac ſi electorum Eccleſia in ſuis prædicatoribus
diceret : Reproborum perditionem per totum tempus
vitæ præſentis flere ſimul ac prædicare me cerno. Benè
Cant.6. autem & vna & aquila vocatur , quia & in vnitate fidei
conſiſtit , de qua ſcriptum eſt : *Vna eſt amica mea , per-*
fecta mea , columba mea. Et calcatis terrenarum volu-
ptatum deſideriis , intima contemplatione ad cœleſtia
Philip. 3. ſubleuatur. Cuius videlicet membra cum Apoſtolo di
cunt : *Noſtra conuerſatio in cælis eſt.* Ipſa eſt certè illa
Apoc.12. mulier, quæ inferius duas alas aquilæ magnæ,id eſt,duo
Matt.22. teſtamenta vel duo charitatis præcepta:*In quibus tota lex*
pendet & prophetæ, accepiſſe perhibetur. De cuius ele-
Iſai. 40. ctis alibi per Iſaiam Prophetam dicitur : *Qui ſperant in*
B *Domino , mutabunt fortitudinem , aſſument pennas ſicut*
aquilæ, occurrent, & non laborabunt : & ambulabunt, &
non deficient. Benè quoque per medium cœlum volat ,
Pſal. 124. quia hinc inde orbem terrarum in electis poſſidet.Rectè
Pſal. 73. per medium, quia Dominus in circuitu populi ſui. Iure
per medium quia operatus eſt ſalutem in medio terræ.
Cuius prædicatio non ſimpliciter vox , ſed cum addita-
mento, vocis vox , magna vocatur : quia nimirum non
Pſal. 18. vna parte mundi, ſed in toto mundo perſonuit , ſicut de
primis eius prædicatoribus ſcriptum eſt:*In omnem terram*
*exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*Vel
certè magna vox magnæ libertatis audacia poni videtur.
Et notandũ quod non cœlum,ſed terram inhabitantibus,
væ futurum lamentando denuntiat , terrenis ſcilicet de-
ſideriis atque oblectationibus deditis. Hinc quædam
Phil. 3. aquila magna volans & lugens , Dei volucribus dicit :
Multi ambulant, quos ſæpe dicebam vobis,nunc autem &
flens dico, inimicos crucis Chriſti, quorum Deus venter,&
gloria in confuſionem ipſorum , qui terrena ſapiunt. Et vt
Ibid. oſtenderet hanc ſe eſſe aquilam per medium cœlum vo-
C lantem,vel potius in ipſa aquila,ſubſecutus adiunxit:*No-*
ſtra autem conuerſatio in cælis eſt. Sequitur :

Apocal. cap. 9.

Et quintus Angelus tuba cecinit , & vidi ſtellam cecidiſſe de cælo in terram : & data eſt illi clauis putei abyſſi , & aperuit puteum abyſſi,& aſcendit fumus putei, ſicut fumus fornacis magnæ.

Quid aliud hoc loco per abyſſum , niſi iniquorum
Gen.1. corda ſignantur : Quæ & errorum tenebris obſcurantur,
ſicut ſcriptum eſt : *Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi* : &
immenſitate nequitiarum quaſi quibuſdam fluctuum vo-
luminibus, dilatantur ſimul ac colliduntur. Hæc abyſſus
Iob. 28. ſapientiam Dei patris non recipit , ſicut per iuſtum Iob
D dicitur : *Abyſſus dicit non eſt in me.*In hac abyſſo anti-
quus hoſtis toto nunc tempore vitæ præſentis catenis
religatus tenetur , ne in quantum vult nocere permitta-
tur. De hac abyſſo nouiſſimis temporibus beſtia aſcen-
dere perhibetur , cuius nomine ipſum diabolum noui-
mus deſignari. Qui vero alij per puteum abyſſi debent
intelligi , niſi prædicatores errorum, per quos malorum
iniquitas venena cordis ſui diffundit ? Si enim os abyſſi
puteus eſt , rectè illi deſignantur per puteum , qui falſa
docere probantur. Quid quoque per clauem putei , niſi
temporalis poteſtas exprimitur , qua antiquus aduerſa-
rius ad peruerſa dogmata os reproborum aperire doce-
tur ? Non enim falſa per ſuos loqui auderet, niſi tempo-
rali potentia fultus fuiſſet. Rectè autem peruerſa do-
gmata fumo comparantur , quia videlicet lumen verita-
tis ſibi in caliginem vertunt. Omne enim quod in ſacra
Scriptura electis fidei lumen præbet , totum penè hære-
ticis malæ credulitatis cæcitatem infundit. Dignè fumo
aſſimilantur , quia nimirum fidei lumen etiam in aliis
obſcurare videntur. Hinc talium errore decepti , dicere

perhibentur : Fumus afflatus eſt in naribus noſtris , & E
ſermo ſcintillæ ad commouendum cor noſtrum. Quia
vero nouiſſimæ ſeductionis errorem hæc præire viden-
tur, idcirco fumus hic magnæ fornacis fumo ſimilis eſſe
perhibetur. Fornax enim magna, eſt nouiſſima vexatio,
nouiſſima Antichriſti perſecutio. De qua videlicet fu-
mus egreditur , id eſt peruerſa dogmata , quæ mentes
pereuntium in caliginem vertant. Sed cum Dominus de
illo tempore dicat : *Erit tunc talis tribulatio qualis non* Matt.24.
fuit ab initio ſæculi vſque ad tempus illud , ſed nec fiet : Marc.13.
quomodo fumus iſte ſimilis fumo fornacis magnæ dici-
tur ? Sed ſciendum nobis eſt , quia nec propter tormen-
ta, nec propter falſa dogmata , ſed propter falſa miracu-
lorum ſigna,perſecutio illa immanior futura vt narratur.
Hoc enim indicat Dominus , dicens : *Tunc ſurgent Pſeu-* Ibid.
dochriſti & Pſeudoprophetæ , & dabunt ſigna magna &
prodigia , ita vt in errorem inducantur, ſi fieri poteſt etiam
electi. Ergo ſecundum falſa prædicamenta, fumus iſte ſi- F
milis : ſecundum vero falſa miracula , non ſimilis fumo
illi. Ideo ſeductio illa immanior erit , quia per vtraque
decipiet. Sequitur :

Et obſcuratus eſt ſol & aër de fumo putei.

Ecce eſt iam apertè in hac quinti Angeli locutione
pars illa ſolis obſcurata , quæ in quarto Angelo percuſſa
fuerat vt obſcuraretur. Tertiam enim partem ſolis, tertiam
lunæ,tertiam ſtellarum percuſſam fuiſſe vt obſcurarentur,
prædixerat : quod non factum per ſolem & aërem deſi-
gnauit. Quales autem eos quos tetigit hæc fumi obſcuri-
tas, fecerit, audiamus. Sequitur :

Et de fumo putei exierunt locuſtæ in terram.

Ipſi etenim deſignantur per locuſtas de fumo exeun-
tes , qui & per ſolem & aërem de fumo putei obſcura-
tum. Ipſæ itaquam locuſtæ fumeæ ſunt , quos fumus G
putei in ſole & aëre obſcurat. Quaſi enim de fumo lo-
cuſtæ in terram exeunt, cum ex hæreticorum tenebroſis
diſputationibus quidam qui lucere videbantur, obſcura-
ti,malæ imitationis ſoboles fiunt. Sic namque ex hæreti-
cis hæretici naſcuntur, ſicut filij diaboli appellantur, qui
eum imitari probantur , ſicut è contra in bono filij Dei,
filiique ſanctorum , propter bonum imitationis exem-
plum. Dignè autem per locuſtas hæretici exprimuntur,
quæ nec perfectè vt aues volant , nec vt cætera animalia
terram gradatim paſſibus pergunt:ſed tamen progreſſibus
alarum libramine ſuſpenſæ , ſaltus dare ac ſata terræ vi-
dentur corrodere. Sic nimirum, ſic omnes hæretici, nec
planè ſcientiæ volatum,nec perfectè operationis greſſum
habent,ſolis elationum ſaltibus moti,inaudita prædican-
tes, prauorum animas necant. Sequitur :

Et data eſt illis poteſtas , ſicut habent poteſtatem ſcorpiones terræ. H

I

Poteſtas nocendi , ſcorpioni in cauda eſt. Per hanc
enim percutit & venena diffundit. Et ſacra Scriptura te- Iſai. 9.
ſtatur , *Quia Propheta docens mendacium , ipſe cauda eſt.*
Vnde apertè datur intelligi , quia doctrina hæreticorum
quoddam venenum eſt , necans animas perditorum. De Pſal. 13.
quibus rectè per Pſalmiſtam dicitur : *Sepulcrum patens*
eſt guttur eorum , linguis ſuis dolose agebant : venenum aſ-
pidum ſub labiis eorum , quorum os maledictione & ama-
ritudine plenum eſt. De quorum etiam venturo principe, Pſal. 9.
id eſt, Antichriſto, alius Pſalmus loquitur,dicens : *Cuius*
os maledictione & amaritudine plenum eſt & dolo , ſub
lingua eius labor & dolor. Quo contra in laudem ſponſæ Cant. 4.
dicitur : *Mel & lac ſub lingua eſt.* Quia vero extrema
pars corporis in caudam deſinit , poteſt etiam per cau-
das locuſtarum , quæ paulò inferiùs ſcorpionum caudis
comparantur , temporalitas deſignari. Sicut enim cauda
extrema pars eſt corporis , ſic temporalitas à ſemetipſa

deficiens,

A Apoc.7. deficiens, à tergo derelinquitur. Hinc per Paulum dicitur: *Vnum quod retro oblitus, ad ea vero quæ in ante ſunt, extentus.* Retro eſt enim omne quod tranſit, ante eſt omne quod veniens permanet. Locuſtæ ergo vt ſcorpiones, terræ nocendi poteſtatem accipiunt: quia nimirum hæretici temporalibus fulti poteſtatibus, per ea quæ retro ſunt nocent. Sed gratias redemptori noſtro, quia nec veneno perfidiæ, nec temporali potentia electorum numerum deprauare valent. Vnde & magna conſolatio ſubinfertur, qua dicitur:

Et præceptum eſt illis ne læderent fœnum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem, niſi tantum homines, qui non habent ſignum Dei in frontibus ſuis.

B 1. Cor. 3. Dictum ſuperius quatuor Angelis fuerat ab Angelo qui à ſolis ortu aſcendebat: *Nolite nocere terræ, neque mari, neque arboribus, quoadvſque ſignemus ſeruos Dei in frontibus eorum.* Vbi intelleximus & omnino verum intelleximus illam terram, illud mare, illaſque arbores à leſione quatuor Angelorum defenſas, ex quibus illi conſtarent, qui ad ſignum Dei viui occurrerent. Nunc autem nequiſſimis locuſtis præcipitur, ne lædant fœnum terræ, neque omnem arborem. Vbi quid aliud quam repetitam ſententiam intelligimus, & in locuſtis quatuor illos nequam Angelos, & rurſum in quatuor Angelis, has nocituras locuſtas attendimus? Cum autem poſſit fœnum inter omnia virentia computari, non ſine cauſa omne viride à fœno diſtinguitur. Cur itaque fiat facile animaduertimus, ſi gradus proficientium intra ſanctam Eccleſiam attendamus. Fœnum etenim non humanis, ſed animalium congruit cibis. Multa enim virentia inueniuntur, ex quibus homines viuere, & in quibus delectari probantur. Qui ergo deſignantur hoc loco C per fœnum, niſi paruuli adhuc fidei lacte contenti? 1.Cor. 2. Quibus videlicet per Paulum dicitur: *Non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus: tanquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam.* Et Iob.39. rurſum: *Animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei.* Qui vero per omne viride, niſi in fide proficientes, & ad paradiſi virentia quæque deſideranda iam quodammodo aptiores? De quorum perſona cuidam à Do- Pſal.91. mino dicitur: *Virentia quæque perquirit.* Qui quoque per arbores, niſi iam robuſti, & inter tentationum ventos, inter perſecutionum procellas, firma ſtabilitate radica- Iud.1.d ti? De quibus nimirum per Pſalmiſtam dicitur: *Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri florebunt.* Quod autem omne viride, vel omnem arborem locuſtæ lædere prohibentur, à toto pars intelligenda eſt, quæ ab illa læſione ſeruatur. Quia ſunt & inutilia quæque virentia, & arbores autumnales, infructuoſæ, eradicatæ, bis mortuæ, quæ nequiſſimarum morſibus locuſtarum conſumuntur. Vnde hic quoque aptè ſubiungitur: [*Niſi* D *tantum homines qui non habent ſignum Dei in frontibus ſuis.*] Mirabili prorſus & ab imperitis penè incredibili modo, per fœnum terræ & omne viride atque omnem arborem, in hac ſententia electi, per homines vero reprobi deſignantur, vt & illi fidei atque operationis fructibus pleni, & iſti humana ſapientes, diuina gratia appareant vacui. Quibus profectò dignè per Apoſtolum 1.Cor.3. dicitur: *Cum ſit zelus & contentio inter vos, nonne ho-* Gen.6. *mines eſtis?* Et Dominus ad Noë: *Non permanebit ſpiritus meus in hominibus iſtis, eo quod ſint caro.* Conſiderandum vero nobis eſt, quid ſit, ſignum Dei in frontibus non habere. Neque enim hoc de illis dicitur, qui extra Eccleſiam vel in Iudaica perfidia, vel in gentili ſuperſtitione conſiſtunt: ſed de illis qui intra ſanctam Eccleſiam ſimulatè lucere videbantur, quia nec Iudæi nec gentiles hæreticorum ſuaſionibus, ſed proprio errore depereunt. Signum ergo Dei in frontibus non habent, hi qui locuſtarum morſibus vaſtantur: quia nimirum multi intra ſanctam Eccleſiam idem ſignum, ſicut habendum eſt, non habent. Vnde & Paulus de quibuſdam E Tit.1. dicit: *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.* Illi ſignum Dei in frontibus non habent, qui ea fide quæ per dilectionem operatur, non pollent. Multis etenim locis in Scriptura Sacra talis inuenitur locutio. Vnde eſt illud quod Dominus ait: *Qui edit carnem meam, &* Ioan.6. *bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo*: cum multi eadem cœleſtia Sacramenta intra ſinum matris Eccleſiæ percipiant, qui nec in Chriſto manent, nec Chriſtus in eis. Tales proculdubio ſecundum Apoſtolum: *Iudicium ſibi manducant & bibunt, ac rei ſunt cor-* 1.Cor.11. *poris & ſanguinis Domini.* Et Iudas traditor, accepta huius Sacramenti buccella, à ſatana inuaditur. Hinc eſt etiam & illud quod Apoſtolus ait: *Nemo dicit Dominus* Ioan.13. *Ieſum, niſi in Spiritu Sancto*, cum vtique multi hunc foris 1.Cor.12. hæretici, ſchiſmatici, omneſque intra ſanctam Eccleſiam reprobi, non ipſum in Spiritu Sancto, ſed verbo tantum nominent: quia habentes formam quidem pietatis, vir- F tutem eius abnegant. Sequitur:

Et dictum eſt illis ne occiderent eos, ſed vt cruciarent menſibus quinque, & cruciatus eorum vt cruciatus ſcorpij, cum percutit hominem.

In quibus verbis penè inſolubilis oritur quæſtio. Si enim (vt verum eſt) hi qui ſignum Dei non habent in frontibus ſuis, reprobi ſunt, quomodo ab eorum interfectione locuſtæ prohibentur? Et certè de eiſdem locuſtis paulò inferiùs: Poteſtas earum nocere hominibus menſibus quinque. Aut nunquid in eo quo nocent, non occidunt? An forte viuere probantur, qui ſignum Dei viui habere non videntur? Quapropter ſciendum nobis eſt, quia ad ſuperiorem ſententiam ſubauditio fit, G quæ lædere fœnum terræ, omnéque viride, vel omnem arborem, quibus electi ſignum Dei habentes, figurantur, locuſtarum morſus prohibentur. Dicatur ergo de nequiſſimis locuſtis: Dictum eſt illis ne occiderent eos, ſed vt cruciarent menſibus quinque. Acſi diceretur: Diuina virtus hæreticorum fraudem cohibuit, ne electorum animas ſignum eius habentes, ſpiritaliter interimant: quas & in fœno inchoantes, & in omni viridi proficientes, atque in arboribus perfectas oſtenderat; ſed temporaliter, quod ſignificant menſes quinque, ad probationem affligant. Menſibus enim quinque cruciantur, ſubaudis quamdiu in hac vita ſubſiſtunt, quæ quinque corporis ſenſibus regitur. Poſſunt autem per hanc ſententiam illi etiam figurari, qui dudum mendacio hæreticorum, ſeducti, gratuita Dei clementia circa finem vitæ compuncti, fidei recipiunt veritatem, vt videlicet à toto pars intelligatur, quæque etſi in conſpectu hominum iam perempta fuiſſe videbatur, in conſpectu tamen Dei viua remanſiſſe creditur. De quorum H profectò numero, in tantum plerunque ad defendendam veritatem fortiores vel inuenti ſunt, vel inuenientur, in quantum pridem obſtinatiores fuerant ad tuendum mendacium: ſicut Apoſtolus Paulus, qui dudum Eccleſiam perſequens, hanc poſtmodum vſque ad ſanguinem defendit: & in tantum durius afflictus, in quantum ab his qui ſui videbantur zelatus. Quod nimirum paſſiones eiuſdem Apoſtoli, quas per totum orbem à Iudæis pertulit, ſatis indicant. Vtriſque autem conuenit quod ſubditur: [*& cruciatus eorum vt cruciatus ſcorpij, cum percutit ho-* Apoc. 9. *minem*, vt videlicet electi poſteriora contemnentes, & ad ea quæ in ante ſunt extendentes ſemetipſos, ex eo ab aliis affligi credantur, quod ipſi per contemptum ſæculi reſpuiſſe videntur, id eſt, vel poteſtate ſæculari, vel malæ credulitatis errore. Sicut enim ſcorpio à poſterioribus venena diffundit, ſic omnis vel impietas ſecularium poteſtatum, vel malarum prauitas doctrinarum, à poſterioribus nocet, cum anterioribus (æternis videlicet) bonis poſteriora, id eſt, temporalia bona præponit, aut minis

A frangens,aut commodis blandiens, dummodo ſpem me-
lioris vitæ percutere valcat. Sequitur:

Et in diebus illis quærent homines mortem, & non inuenient: cupient mori, & fugiet mors ab eis.

Hæc ſententia vtrarumque partium electos comple-
ctitur, ſiue ſcilicet errore nequaquam præuentos, ſiue ab
errore liberatos. Dies autem quibus cruciati mortem
quærunt, & non inueniunt, ab aduentu redemptoris
vſque ad finem ſeculi decurrunt. Quid vero eſt, electis
mortem quærere, niſi ſecreta conuerſatione Deo inhæ-
rere cupere? Cum enim nonnulli ſanctorum vel prauis
hæreticorum dogmatibus, vel huius ſeculi imperij po-
teſtatibus hinc inde agitantur, remotam & quietam du-
B cere vitam concupiſcunt. Sed non valent, quia eos aut
regiminis inſolubile vinculum aſtringit, aut inferioris
gradus honor iniunctus cohibet, atque inter hæc mor-
tificationem pleniſſimam indeſinenter quærunt, ſed quæ-
rentes non inueniunt: quia eis in vſum gloriæ tempora-
lis etiam nolentibus iuuit, cum illam pro defendenda
veritate contra hoſtes vindicant, & illud fortiter tenent,
quod ſi fieri poſſet, habere nollent. Fitque mira diuinæ
pietatis diſpoſitione, vt inde perfectius æternam glo-
riam acquirant, vnde pro defendenda veritate ad tole-
randos exteriores honores ſemetipſos inclinant: & inde
apud Deum pleniorem intus mortificationem inueniant,
vnde foris oneroſam temporalis gloriæ vitam tolerant.
Nonnunquam etenim ſancti viri vnde deſideriorum ſuo-
rum detrimenta tolerant, inde maiora lucra ex aliorum
prouectu reportant: quia dum eis vacare vt appetunt,
non licet: rapere ſecum alios quibus admiſcentur, libet.
Quid namque inter lupos grex relictus ageret, ſi paſto-
C res ſecreta conuerſatione mundum laterent? Quid la-
ctentes paruuli facerent, ſi patres vt cupiunt, mortem
inuenirent? Quærunt homines mortem, & non inue-
niunt: cupiunt mori, & fugit mors ab eis: quia nimi-
rum ſancti viri ſcandala huius ſeculi nonnunquam refu-
gientes, ſecreta conuerſatione Deo inhærere, per con-
templationem concupiſcunt: ſed propter aliorum lu-
cra Eccleſiaſticis ſæpè ac publicis occupationibus Præ-
lati in regimine deſudant. Nolentes itaque viuunt, ſed
dilatam mortem propter aliorum vitam æquanimiter
ferunt, attendentes profecto illud Apoſtoli dictum:
1.Cor.10. *Non quæ ſua ſunt ſinguli quærentes, ſed quæ aliorum.* Et
Gal.6. illud: *Inuicem onera veſtra portate, & ſic adimplebitis
legem Chriſti.* Sequitur:

Et ſimilitudines locuſtarum ſimiles equis paratis in prælium, & ſuper capita eorum tanquam coronæ ſimiles auro.

D Propter velocem vbique diſcurſum rectè per aliam ſi-
gnificationem hæretici in equis exprimuntur, illis pro-
culdubio obuiantes ac repugnantes, de quibus per Ha-
Habac.3. bacuc Prophetam dicitur: *Aſcendens aſcendes ſuper*
Ibid. *equos tuos, & equitatus tuus ſanitas.* Et rurſùm: *Miſiſti
in mare equos tuos, turbantes aquas multas:* Vnde nec
immerito parati in prœlium referuntur, quia videlicet
quamquam ratione ſubſiſtere aduerſum prædicatores ve-
ritatis nequeant, ſemper irrationabiliter ac pertinaciter
veritati reſiſtunt, vnitati repugnant. De quibus nimirum
2.Tit.3. rectè per Apoſtolum dicitur: *Quemadmodum Iannes &
Mambres reſtiterunt Moyſi, ita & iſti reſiſtunt verita-
ti, homines mente corrupti, & reprobi circa fidem.* Deo
autem gratias, in eo quod idem Apoſtolus ſubdit: *Inſi-
pientia eorum manifeſta erit, ſicut & illorum fuit.* Vnde
hic quoque nequaquam de locuſtis dicitur, *& in ca-
pitibus eorum coronæ aureæ*, ſicut ſupra de viginti quatuor
ſenioribus: ſed, *tanquam coronæ ſimiles auro.* Ac ſi dice-
retur: Nec coronæ, nec ex auro, ſed quoddam falſitatis
figmentum erat. Per coronas enim triumphus victoriæ
E deſignatur. Et quidem impugnant, oppugnant, repu-
gnant: ſed nec coronas, nec ex auro, ſed tanquam coro-
nas ſimiles auro ſe habere demonſtrant: quia licet eorum
falſitas principatum affectans, ſimilitudinem veritatis
vſurpet, differt tamen dignitas ſapientiæ à ſimulatione
doctrinæ. Decertant, deſudant, reſiſtunt, contendunt,
ſed nec coronas nec ex auro habere ſe indicant: quia
vt Apoſtolus dicit: *Habentes formam pietatis, virtutem* 2.Tim.3.
eius abnegant. Sequitur:

Et facies earum ſicut facies hominum erant, & habebant capillos ſicut capillos mulierum.

Per faciem itaque homo cognoſcitur. Et quid hoc lo-
co facies locuſtarum, niſi ſimulationem rationis deſi- F
gnat? Cum enim ſint Doctores errorum quædam mon-
ſtra, id eſt, diuerſorum generibus mendaciorum à vera
fide alienati, per humanam faciem quam prætendunt,
conantur illudere: ſubaudis, per ſimulationem veræ
fidei ſanctos nituntur decipere. Quid verò in capillis
mulierum accipimus, niſi hæreticorum effeminatos
mores, niſi mollitiem fluxus? Fluxus enim mulierum
in capillis eſſe dignoſcitur, & maximè in his gloriantur,
Apoſtolo atteſtante qui ait: *Mulier ſi comam nutriat,* 1.Cor.11.
gloria eſt illi. Sed nec mirum vt hi qui falſa prædicant,
rectè non viuant. De illis certè per Doctorem gentium
Timotheo dicitur: *Hoc ſcito, quoniam in nouiſſimis* 2.Tim.3.
*diebus inſtabunt tempora periculoſa, & erunt homines
ſibi placentes, ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuper-
bi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſce-
leſti ſine affectione, criminatores, incontinentes, immi-
tes, ſine benignitate, proditores, proterui, tumidi, vo-
luptatum amatores magis quam Dei, habentes qui-
dem ſpeciem pietatis, virtutem eius abnegantes.* At-
que poſt paululum: *Quemadmodum*, ait, *Iannes &* G
*Mambres reſtiterunt Moyſi, ita & iſti reſiſtunt verita-
ti, homines mente corrupti, & reprobi circa fidem.* Poſ-
ſunt autem per capillos mulierum, non inconuenienter
hi etiam deſignari, quos hæretici prauis dogmatibus de-
cipere probantur, animos ſcilicet habentes ſeductibiles,
& mollitia fœminarum flexibiles. Vnde & per eundem
Apoſtolum dicitur: *Ex his ſunt qui penetrant domos, &* Ibid.
*captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducun-
tur variis deſideriis, ſemper diſcentes, & nunquam ad ve-
ritatis ſcientiam peruenientes.* Domos etenim penetrant,
quia peruerſa docentes, auditorum corda irrumpunt.
Captiuas verò ducunt mulierculas, oneratas peccatis,
quia illas animas decipiunt, quas paruulas ſimul & ſe-
ductibiles inueniunt. Quæ nimirum Apoſtoli ſententia,
qua ſubiungitur, ſemper diſcentes, & nunquam ad veri-
tatis ſcientiam peruenientes: quia vtrum de ſeductori-
bus ac de ſeductis prolata ſit incertũ eſt, de vtriſque pro-
fecto intelligenda eſt, vt ſcilicet mulierculæ deſignen-
tur, qui mulierculas captiuas ducere videntur. Poteſt H
etiam per facies humanas & capillos mulierum, vterque
ſexus deſignari: in humanis ſcilicet faciebus, forma viri-
lis: in capillis vero mulierum, ipſe fœmineus ſexus oſten-
di. Plures ſiquidem mulieres fauorem præbuerunt hæ-
reticis, eorumque doctrinam & tenuerunt, & vt mulie-
res potuerunt, omnimodis defenderunt, ſicuti Conſtan-
tini ſoror Arrium reuocans ab exilio, ac poſtmodum
eiuſdem Arrij doctrinam contra Ambroſium Epiſcopum
defendens Iuſtina. Montanum autem ſequens Priſcilla &
Maximilla, Donatum verò Lucilla. Locuſtæ ergo facies
humanas & capillos mulierum habent, vt in hæretica
perfidia vterque ſexus ſibi (vt ita dixerim) nequius ap-
plaudat, tueatur atque defendat. Sequitur:

A

Et dentes earum vt leonum erant, & habebant loricas ſicut loricas ferreas.

Dentes leonum non ſolum laniare, verumetiam naturalem ſolent afferre fœtorem. Aptè ergo illud deſignatur per dentes leonum, quod & per caudas ſcorpionum. In caudis vero ſcorpionum, in leonum vero dentibus fœtor oſtenditur. Quod vtrumque ad hæreticorum doctrinam quis ignoret pertinere, quæ extinguit ſimul & fœtet? Sicut enim rectæ fidei prædicatoribus

2. Cor. 2. Iſai. 3.

congruit quod dicitur, *Chriſti bonus odor ſumus:* ſic contrario iſtis, *Et erit pro ſuaui odore fœtor.* Quia itaque ad hoc hæretici circumquaque ſicut locuſtæ ſaliunt, ſicut equi diſcurrunt, vt ſibimet temporaliter famam prædicatorum acquirant, & tamen quicquid vel dicunt vel agunt, contrarium eſt veritati cui reſiſtunt, rectè illorum

B

opinio, fœtor eſſe deſcribitur. Sed quia inaudita prædicant, inepta pronuntiant, fit modo miſerabili, vt fœtor horribilis pro ſuaui odore ab his qui interiores clauſas habent nares, odoretur. De quibus profectò per

2. Tim. 4.

Apoſtolum dicitur: *Erit cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coaceruabunt ſibi magiſtros prurientes auribus: & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.* Quod autem de nequiſſimis locuſtis ſubditur, & habebant loricas ſicut loricas ferreas: obfirmata contra veritatem, duráque peruerſorum hominum corda monſtrantur. Sicut enim loricis corpora teguntur: ne ab aduerſario vulnerentur: ſic hæreticorum corda mendacij obſtinatione muniuntur, ne ſagitta veritatis penetrentur. Quorum videlicet plurimi ſic retinent pro veritate mendacium, vt pro fide putent defendendam omnino perfidiam. Vnde & Domi-

Ioan. 16.
C

nus in Euangelio dicit: *Veniet hora vt omnis qui interficit vos, arbitretur ſe obſequium præſtare Deo.* Plurimi vero & ſciunt, quia peruerſa prædicant: & tamen ſemel mendacio dediti, contemnunt obedire veritati. Vtriſque autem conuenit, quod locuſtæ vel equi loricas ferreas habere perhibentur. Et notandum quam apta ſit hæreticorum in ſingulis ſpeciebus comparatio, qui & in locuſtis elati ac vani, & in caudis ſcorpionum venenati, & in equis laſciui ac vagi, & in humana facie ſimulatione callidi, & in capillis mulierum motibus incompoſiti, & in dentibus leonum fœtidi, & in loricis ferreis corde notantur perfidi. Sequitur.

Et vox alarum earum, ſicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum.

Quid per alas locuſtarum, niſi elatam intelligimus ſcientiam hæreticorum? Quarum vox benè etiam curruum equorum multorum currentium in bellum, ſimilis eſſe perhibetur: quia nimirum peruerſi prædicatores & dogmatibus ſemetipſos diuidunt, & vniti contra Eccleſiam dimicant. Multitudo enim curruum ad bellum pro-

D

mota, rotarum impetu agente, diuerſis quidem ſtridoribus reſonant, ſed tamen adunata contra aduerſarios properant. Fitque vt & confuſus ſit rotarum ſonus, equorum hinnitus, hominúmque tumultus, & ad bellum adunata connexio. Sic, ſic omnes hæretici (ſicut dictum eſt) & inter ſe dogmatibus diſcordes, & ad impugnandam Eccleſiam inueniuntur concordes. Vel certe ideo vox alarum locuſtarum, ſimilis curruum equorum multorum dicitur, vt ſiue nouarum diuerſitate ſententiarum, ſiue numero perditorum aucti monſtrentur hæretici, duplicati ſcilicet in multis curribus, qui ante deſignati fuerant in paucis equis. In bellum porrò currunt, quia veritati rebellant, vnitati repugnant. Quos ſimili quoque Apoſtolus forma

2. Tim. 3.

depingit, cùm hoc quod ſæpè protulimus, dicit: *Quemadmodum Iamnes & Mambres reſtiterunt Moyſi, ita & iſti reſiſtunt veritati homines mente corrupti, & reprobi circa fidem.* Sequitur:

E

Et habebant caudas ſimiles ſcorpionum, & aculei in caudis earum. Poteſtas earum nocere hominibus menſibus quinque.

Dictum ſuperius de his locuſtis fuerat: Data eſt illis poteſtas ſicut habent poteſtatem ſcorpiones terræ. Et ſcimus quia omnis nocendi poteſtas ſcorpioni in cauda eſt. Quod nunc idcirco replicatur, vt quæ ſit poteſtas locuſtarum, apertius demonſtretur. Caudas enim ſimiles ſcorpionum habent, qui vt iam faſſus ſum, vel perfidiæ veneno, vel temporali nocent poteſtate. In quibus nimirum caudis, quod ſupra ſilentio compreſſum fuerat, nunc aculei eſſe memorantur. Quid ſit autem, locuſtarum caudas aculeos habere, Apoſtolus indicat, qui cum prophetæ teſtimonium poſuiſſet, dicens: *Abſorpta eſt mors in victoria: Vbi eſt mors victoria tua? vbi eſt mors ſtimulus tuus?* hoc ipſum exponens ſubiecit: *Stimulus autem mortis peccatum eſt.* Conſtat ergo quia omnis hæreticorum aſſertio, omnis iniuſta temporalitatis potentia, peccatum eſt. 1. Cor. 15. F Oſeæ 13. Claret igitur ex ea parte hæreticos dominari velle, quam omnes ſancti veritatiſque Doctores magnopere ſtudent præcauere, id eſt, noxiæ prædicationis errore & gloriæ ſecularis. Menſibus autem quinque, præſens vita iterato exprimitur. Et ſupra quidem poteſtatem locuſtæ accepiſſe referuntur, vt menſibus quinque homines cruciarent, nec eos occiderent: hic vero eorundem menſium numero nocere hominibus, facultatem habere perhibentur. Quod vtique ibi de bonis, hic vero intelligendum eſt de malis: quia & illos cruciant, ſed non occidunt: iſtos vero non cruciant, ſed nocendo perimunt. Sequitur:

Et habebant ſuper ſe regem Angelum abyſſi, cui nomen. Hebraicè Abadon, Græcè autem Apollyon, & Latinè habet nomen, Exterminans. G

In hac ſententia antiquus hoſtis ſic dicitur rex peruerſorum hominum, non quo ipſe creauerit aut regat: ſed quo iuſtè Deo permittente, tyrannidem dominationis ſuper eos exerceat, quos ſibi per peccatum ſeruos addicit. Omnipotens itaque Deus, licet occultis, iuſtis tamen iudiciis congruum talibus Angelum præeſſe permittit: vt qui experiri nolunt gratiam liberatoris, ſentiant dominium exterminatoris. Vnde & per Apoſtolum de talibus dicitur: *Eo quod charitatem veritatis non receperunt vt ſalui fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, & iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati.* 2. Th. 2. Ipſi autem ſunt abyſſus, ſuper quos Angelus abyſſi regnat, in qua ſcilicet abyſſo catenatus nunc retinetur, ne in quantum vult nocere permittatur. De qua etiam nouiſſima perſecutione ſoluendus prædicitur, vt propriis viribus contra bonos efferretur. H Trium quoque linguarum proprietatibus nomen eius exprimitur, quæ primatum inter omnes tenere videntur, & hoc non ſine cauſa. Quia enim nouiſſimis temporibus nomen Chriſti fallaciter ſibi per damnatum illum quem aſſumpſerit hominem, vſurpare nititur: propterea harum linguarum vocabulis profertur, quarum redemptoris nomen à Pilato expreſſum in titulo fuiſſe, Euangelica teſtatur autoritas. Sed quia in Hebraicis interpretationibus, quas Beatus Hieronymus per ſingulas alphabeti literas diſtinxit, non Abadon, ſed Labadon ſcriptum inuenimus: Matt. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19. conſtat nimirum, quia ſcriptorum vitio ipſum nomen primam literam amiſit. In ſingulis quoque proprietatibus linguarum, conuenit maligni ſpiritus actionis qualitas, & nominis expreſſa proprietas, qua dicitur exterminans. Sicut enim Chriſto aggregandi, ſic antiquo hoſti nomen congruit exterminandi. De illo namque

per

A Pſal. 79. per Pſalmiſtam Deo dicitur : *Exterminauit vineam tuam*
aper de ſylua. Et mediator noſter in Euangelio ait : *Qui*
Luc. 11. *non colligit mecum, diſpergit.* De illo etiam per Apoſto-
1. Cor. 10. lum fidelibus dicitur *Neque murmuraueritis, ſicut quidam*
eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore.
Proprietas veru nominis exterminandi, eſt in eo quod
extra terminum fit. Extra terminum enim fiunt hi, qui
ab exterminatore depereunt : quia ab electorum conſor-
tio per eum eliminantur, & ad perpetuæ mortis exſilium
deducuntur. Sequitur :

Væ vnum abiit, & ecce veniunt adhuc duo væ.

Aquila per medium cœlum volans, & deflens ter væ,
de trium Angelorum vocibus qui erant canituri, prædi-
xerat ventura : quorum nunc vnum abiiſſe deſcribitur,
ſubaudis vel in narratione præceſſiſſe, vel in operatione
prioris temporis iam impletum fuiſſe, & adhuc duo ven-
B tura eſſe, id eſt, vel narranda, vel poſteriori tempore ad-
implenda. Sequitur poſt hæc :

Et ſextus Angelus tuba cecinit, & audiui vocem vnam ex quatuor cornibus altaris aurei, quod eſt ante oculos Dei, dicentem ſexto Angelo qui habebat tubam : Solue quatuor Angelos qui alligati ſunt in flumine magno Euphrate.

Quid itaque hoc loco per altare, niſi vt ſupra iam di-
ximus, Sanctorum Eccleſia figuratur? Quia enim altare ad
ſacerdotes pertinet, recte per ipſum membra ſummi pon-
1. Per. 2. tificis figurantur, quibus videlicet per Petrum dicitur : *Vos*
genus regium, regale ſacerdotium. Bene autem altare au-
reum dicitur, quia profecto Eccleſia iuſtorum ſuperna ſa-
C pientia illuſtratur. Per aurum enim nonnunquam ſapien-
Prou. 16. tia exprimitur, Salomone atteſtante, qui ait : *Accipite ſa-*
pientiam ſicut aurum. Recte quoque altare ante oculos
Dei eſſe memoratur, quia nimirum electorum animæ, in-
terno conditoris ſui reſpectu ad perpetuam tuitionem il-
Pſal. 33. luſtrantur. Hinc namque ſcriptum legimus : *Oculi Domi-*
Pſal. 30. *ni ſuper iuſtos.* Et rurſum : *Abſcondes eos in abdito vultus*
tui, à conturbatione hominum. Proteges eos in tabernaculo
tuo, à contradictione linguarum. Quo contra humilitatis
exemplum præbens idem Pſalmiſta ſubiungit : *Ego autem*
dixi in extaſi mea, proiectus ſum à vultu oculorum tuorum.
Tanto quippe verius diuinitatis reſpectu proteguntur ele-
cti, quanto ſe humilius ab eius viſione longe eſſe profi-
Leuit. 7. tentur. Cuius altaris cornua quid aliud quam ſanctos
prædicatores deſignant? Vnde & ſanguis hoſtiarum, in
veteri quoque teſtamento cornua altaris frequentius my-
ſtice conſecrabat. Quia enim peramplius & perfectius
ſancti prædicatores ſemetipſos hoſtiam viuam offerunt,
Pſal. 34. quique cum Pſalmiſta & Apoſtolo dicunt : *Propter te*
Rom. 8. *morte afficimur tota die, æſtimati ſumus vt oues occiſionis,*
D recte ſanguis hoſtiæ, altaris cornua ſæpius ſanctificat.
Quem vero alium in vno è cornibus altaris, niſi principē
prædicatorum intelligimus, id eſt, mediatorem Dei & ho-
minum, hominem Ieſum Chriſtum, qui ſexto Angelo tu-
1. Tim. 2. bam habenti, id eſt, Eccleſiæ prædicanti iubet, vt quatuor
Angelos ſoluat? Ipſa enim in Angelo, ipſa & in altari fi-
guratur. Et cum ad Angelum cornu altaris loquitur, ipſum
proculdubio altare affatur. Ipſi inquam, vt quatuor An-
gelos ſoluat, iniungit : quia videlicet poteſtatem eſ ligan-
di atque ſoluendi in cœlis & in terris tribuit, cum ei in
Matt. 16. perſona Apoſtoli Petri dicit : *Quodcunque ligaueris ſuper*
terram, erit ligatum & in cœlis : & quodcunque ſolueris
ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. Sed hanc poteſta-
tem non in ſe, ſed in capite poſſidens membra, quæ in
vno & per vnum caput ſoluunt & ligant. Non autem
mendaciter ipſa facere creduntur, quæ per caput eorum
Iſaiæ 14. fieri probantur. Quid quoque in quatuor Angelis cogno-
ſcimus figurari, niſi corpus illud perditorum, quod ex
malignis ſpiritibus & reprobis conſtat hominibus, cuius
caput ille eſſe intelligitur, qui initio quidem temporis E
per ſuperbiam Deo ſimilis eſſe concupiuit : ſed in fine
temporis per damnatum illum, quem aſſumet hominem,
iam Deo ſimilis eſſe deſpicit, ſicut per Paulum dicitur :
Qui aduerſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur
Deus, aut quod colitur? Quaternarius enim numerus, in 2. Theſ. 2.
Scriptura ſacra ſæpe pro vniuerſitate ponitur : vnde & in Matt. 24.
fine ſæculi, à quatuor cœli ventis, electi per Angelos aſ- Marc. 13.
ſumi perhibentur. Vnde etiam & hic poſt tertium ver-
ſum, intantum præfati quatuor Angeli multiplicari mon-
ſtrantur, vt ſuper vicies millies dena millia equos ſede-
re narrentur, quod videlicet corpus & coniunctiuum &
diſcretum eſt. Coniunctum, videlicet propter meritum
iniquitatis : diſcretum vero, propter vtramque naturam
dæmonum videlicet atque hominum. Sicque in vtriſque
partibus depingitur, vt pars in parte expreſſa inueniatur.
Nam cum propter diſcretionem partium eiuſdem cor-
poris, author huius libri aliud equos, atque aliud ſeſſores F
nos vellet intelligere : propter meritum tamen iniquita-
tis, & in equis ſeſſores & in ſeſſoribus equos oſtendit,
cum & de ore equorum ignem & ſulphur exire, & ſeſſo-
res equorum loricas igneas & ſulphureas habere perhi-
buit : quatenus ſcilicet & equos, de quorum ore ignis &
ſulphur egrediebatur, loricas igneas & ſulphureas, qui-
bus ſeſſores tegebantur, habere doceret : & rurſum de
ore ſeſſorum, qui loricas igneas & ſulphureas habebant,
ignem & ſulphur exire monſtraret. Item cum ſuperius
propter diſcretionem eiuſdem corporis aliud Angelos,
atque aliud ventos oſtendere vellet, dicens : *Vidi quatuor* Apoc. 7.
Angelos ſtantes ſuper quatuor Angulos terræ, tenentes qua-
tuor ventos terræ : propter meritum tamen iniquitatis, &
Angelos & ventos vnum eſſe perdocuit, cum eoſdem
Angelos qui ſuper quatuor Angulos ventos terræ, ne
flarent, alligatos tenebant, in flumine magno Euphrate
vinctos perhibuit. Sic etiam cum ſpecialiter, proprie
ac principaliter authores ac ſeductores malorum homi-
nes ponit, in eis ſubiectas & ſeductas plebes intelligere G
monet. Hæc propter ſubſequentium locorum intelli-
gentiæ formam dixiſſe ſufficiat, nunc ad expoſitionis or-
dinem redeamus. Dicatur itaque Angelo tubam haben-
ti : [*Solue quatuor Angelos, qui alligati ſunt in flumine*
magno Euphrate.] Ac ſi Eccleſiæ diceretur : Et in Ange-
lis homines, & in hominibus Angelos ſolue. Secundum
hanc rationem & diabolus homo appellatur, ſicut re-
demptor noſter in Euangelio deſuper ſeminatis zizaniis
dicit : *Inimicus homo hoc fecit.* Et homo diabolus voca- Matt. 13.
tur, ſicut per eundem redemptorem de Iuda Apoſtolis Ioan. 6.
dicitur : *Vnus ex vobis diabolus eſt.* Quid itaque per flu-
men magnum Euphraten, in quo quatuor Angeli alligati
perhibentur, intelligimus figurari : niſi hoc, qui in qua-
tuor angulis terræ, ſuper quos iidem Angeli ſtantes,
ventos ne flarent tenebant, id eſt, mundani regni po-
tentiam Chriſto Eccleſiæque contrariam : Euphrates
enim fluuius eſt Babyloniæ, atque eandem Babyloniam
ingrediens, in flumina diuiſus. Quem videlicet in ſacris
paginis in malum poni frequenter ſcimus. Hinc eſt quod H
electi iam terrenis cauti contagiis, dicere perhibentur :
Super flumina Babylonis illic ſedimus & fleuimus, dum Pſal. 136.
recordaremur tui Sion. Hinc Ieremias interfectionem re- Iere. 46.
proborum nouiſſimis diebus futuram denuntians, dicit :
Dies ille Domini Dei dies vltionis, vt vlciſcatur ſe de
inimicis ſuis, & deuorabit gladius; & implebitur ſangui-
ne eorum : quoniam ſacrificium Domini Sabaoth in terra
aquilonis, & in flumine Euphrate ſacrificium, ſubaudis,
non placationis. In quo videlicet flumine, id eſt, ſæculi
huius potentia, antiquus hoſtis cum corpore ſuo ideo
alligatus prædicitur, quia decurrenti nunc tempore, in-
quantum vult nocere non permittitur, vſquequo eiuſ-
dem * corporis nouiſſima perſecutio adueniet, qua mem- * temporis
bra Chriſti in capite ſuo quod ipſe eſt Chriſtus, à per-
ſecutione ſui caput ſimul & membra iniquitatis abſol-
uant. In qua videlicet ſententia membrorum Chriſti,
quæ & ſi preſſuris anguſtantur, iudicio tamen capitis
ſui illa ſe pati gratulantur. Ac ſi ei apertius diceretur :
Inquantum perſecutoris anguſtias æquanimiter ferre

A debeatis attendite : quas vobis aduerſarij veſtri non valent irrogare,niſi iudicio veſtro quod conſtat in capite,in quo tota dignitas totaque corporis poteſtas conſiſtit, Matt.28. quodque pro vobis atque in vobis clamat: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra.* Sequitur :

Et ſoluti ſunt quatuor Angeli, qui parati erant in horam & diem, & menſem & annum, vt occiderent tertiam partem hominum.

Horum Angelorum ſolutio, nouiſſimæ perſecutionis initium deſignat. Quatuor etiam tempora, id eſt, triennium & ſex menſes, quibus ipſa perſecutio graſſabit, per horam & diem & menſem & annum, congrua ſenſim ſignificatione exprimuntur. Ideo enim in B horam & diem & menſem & annum : quia congruè gradatim horis dies, & diebus menſes, & menſibus certum eſt annos expleri. Parati autem ad occidendam tertiam partem hominum quatuor Angeli dicuntur, quia nimirum antiquus hoſtis eiuſque ſocietas, inextricabiles contra Eccleſiam inimicitias gerentes, opportunitatem ſemper nocendi præſtolantur. Vnde nec immerito de locuſtis præmiſſum eſt, quod eſſent ſimiles equis paratis in prœlium. Tertia autem pars hominum quæ occidi narratur, in Prælatis ſimul & ſubiectis, ſuaſoribus quoque ac ſuaſis intelligitur. Eadem enim morte perſuaſores,qua perſuaſi moriuntur : & nequaquam alios occidunt, niſi prius ſeipſos iugulauerint. Ac ſi mortui mortuos occidunt, dum perfidi ad perfidiam alios pertrahunt, dum iniqui ad iniquitatem multos perducunt. Sequitur :

C *Et numerus equeſtris exercitus, vicies millies dena millia audiui numerum eorum.*

Hic numerus ſic ſpecialiter ad errorum prædicatores refertur, vt tamen ſeductæ plebes in ſeductoribus intelligantur, dæmoniúmque ſocietas in vtriſque partibus expreſſa, ducatum ſequacibus præbens, imò præcipitium parans, qui videlicet contra electorum numerum veniens, duplex ſimul & bis millies multiplicatus Pſal.67. oſtenditur. De electis namque dicitur : *Currus Dei decem millium multiplex.* De iſtis verò numerus equeſtris exercitus vicies millies dena millia. Et vt maniſeſtius fiat quod dicimus, ad vnum ſimplicem bis dena millia, id eſt, viginti millia occurrunt : ad decem autem ſimplices, vicies dena millia : ad centum vero, bis centies dena millia : ad mille etiam, bis millies dena millia : ad decem quoque millia, vicies millies dena millia : vt ſcilicet ſicut dictum eſt, duplex D ſimul & vehementer auctus, contra ſimplicem ac paruiſſimum numerum apponi credatur. Duplex itaque eſt, quia ex malignis ſpiritibus & reprobis conſtat hominibus. Duplex eſt, quia à foris ex Iudæis, hæreticis atque gentilibus : ab intus vero aggregatur ex falſis fratribus. Multiplex vero eſt, quia ad eius comparationem electorum numerus paruiſſimus eſt. Reſtat ergo vt contra geminum malum dimicet ſimplex bonum, contra multiplicitatem perditorum, deſudet * paucitas acquiſitorum. (* taritas) Quod nimirum alia tranſlatio,quam Donatiſta Ticonius expoſuit,ſimili quodammodo ſententia indicat,quæ ipſa verba Græca vnde tranſlata eſt,ſeruat,id eſt,bis myriades myriadum.Quod enim apud nos viginti millia, hoc ſunt apud Græcos bis myriades. Oſtendunt autem duplicem numerum contra ſimplicem venire,viginti ſcilicet millia, contra decem millia. Vbi ſubaudiendum eſt, malorum corpus ea ratione quam præmiſimus,contra vnicum corpus bonorum geminum opponi. Et vt eiuſdem corporis membrorum multiplicitas, contra corporis Chriſti raritatem membrorum veniens,manifeſtaretur : cum dictum eſſet bis myriades,nequaquam ſubiunctum eſt,quot myriadum,ſed interminatè bis myriades myriadum, vt ſcilicet per hoc dictum innumerabilis multitudo myriadum E deſignaretur.Tertia quoque editio,quam Primaſius enodauit, diſſimilem numerum poſuit. Sic enim habet : *Et numerus militantium equitum illius : octoginta millia audiui numerum eorum.* Quod omnino ſpecialiter hæreticis conuenit. Sicut enim ſexagenarius numerus bonorum nobis prædicatorum ſpeciem præfigurat, vnde eſt illud : *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël* : Cant.3. ita quoque octogenarius plerumque hæreticam prauitatem deſignat. Vnde & Salomon cum mentionem fidelium faceret, dicens : *Sexaginta ſunt reginæ* : Cant.6. protinus hæreticorum perfidiæ non immemor,ſubiunxit : *Et octoginta concubinæ.* Quod autem Salomon per octoginta concubinas, hoc iſta tranſlatio per octoginta millia militantium equitum deſignauit. Pertinet ſanè ad multiplicitatem malorum,quod octogenarius in Salomone ſimplex,ad mille in ſingulis ſuis partibus multiplicatus in hac tranſlatione oſtenditur. Rectè etiam F concubinarum nomen, equitatui militanti,diabolo,eiuſque vaſi Antichriſto congruit,vt ſcilicet adueniente tempore nuptiarum,quo perfectè ſponſo cœleſti Eccleſia adhærebit,hæretici malè de Chriſto ſentientes,quaſi concubina à thalamo excluſi,id eſt, ab eiuſdem Saluatoris confeſſione diſiuncti,adultero miſceantur : ſubaudis, diabolo & ei quem aſſumpſerit,perditionis filio.Sequitur :

Et ita vidi equos in viſione : & qui ſedebant ſuper eos, habebant loricas igneas & hyacinthinas & ſulphureas.

Ita in hoc verſu per equos ſpecialiter errorum prædicatores deſignantur,vt tamen in ſpecie genus inueniatur, id eſt,in ſeductoribus ſeducti exprimantur. Sic autem de bonis prædicatoribus Domino dicitur : *Aſcendens aſcendes ſuper equos tuos, & equitatus tuus ſanitas,* Habac.3. G & rurſùm : *Dominus in illis in Spiritu Sancto, aſcendens in altum* : Pſal.67. è contrario iſti malignos ſpiritus ſeſſores habere merentur, non à quibus regantur, ſed à quibus præcipitentur. Quid vero hoc in loco loricarum nomine, niſi impiorum tormenta figurantur ? Hyacintinas porrò loricas,pro fumeis intelligere debemus. Ex igne enim fumus egreditur. Hoc etiam ipſe color hyacintinus indicat,qui ſpeciem aëris tenet. Hoc quoque indicat, quod in ſequenti verſiculo de ore equorum ignis & fumus & ſulfur egrediens, tertiam partem hominum occidit:quam ſeſſores equorum loricas habentes,iugulare narrantur. Igne itaque,fumo & ſulfure diſtinguntur hi, qui in æterna pœna damnantur. Rectè autem per loricas æterna figurantur tormenta:quia nimirum armata,confirmata ac nulla prece,nulla miſericordia euacuanda. Vnde & de eiſdem malignis ſpiritibus has loricas habentibus, per quendam ſapientem dicitur : *Sunt ſpiritus qui ad vindictam creati ſunt, & in furore ſuo confirmauerunt tormenta ſua.* Eccl.39 H Quod vero alia tranſlatio ſpineas loricas adiecit,ad equos magis quam ad ſeſſores pertinet. Quibus nimirum vitia carnis aptiſſimè figurantur, quatenus reproborum hominum præcedens meritum, ſit ſubſequens æternum ſupplicium. Has denique ſpinas prima tranſgreſſionis terra protulit, cui dictum eſt : *Maledicta terra in opere tuo, ſpinas & tribulos germinabit tibi.* Gen.3. Quod Apoſtolus quoque exponens, ait de ſimili terra, eo quod ſpinas & tribulos germinans maledicta eſt, cuius conſummatio erit in combuſtionem. De his per Salomonem dicitur : *Spinæ naſcuntur in manibus temulenti.* Prou.26. Spinæ enim in manu temulenti naſcuntur, quia videlicet in operatione cuiuſlibet inſenſati, vitia carnis, fomentum præparant æternæ combuſtionis. Sequitur :

Et

A

Et capita equorum erant vt capita leonum: & de ore ipſorum procedit ignis & fumus & ſulfur. Ab his tribus plagis occiſa eſt tertia pars hominum, de igne & fumo & ſulfure, quæ procedebant de ore ipſorum.

In capitibus equorum, Autores figurantur errorum.
Rectè autem capitibus leonum comparantur, quia nimi-
rum & fortes ſunt ad conterendos infirmos: & cum
ſe ſimulent bonum eſſe odorem, fœtoribus inueniun-
tur repleti. Vt enim ſupra meminimus, os leonis &
corpora dilaniat, & naturalem fœtorem egerit. De ore
autem equorum, ignis & fumus & ſulfur egrediens
tertiam partem hominum occidit: quia videlicet ma-
lorum prædicatio, ſequacibus ſuis æterna ſupplicia
B præparat. Et non inconuenienter peruerſa prædicatio
tormentum impiorum vocatur, per quam ad illud mul-
titudo impiorum peruenit. Genus enim tropicæ locu-
tionis eſt ab eo quod procurat, illud quod procuratur,
oſtendens. Sicuti cum nos in manibus hominis plagas
eſſe correctionis dicimus, per quam plagas accipiunt
hi qui corriguntur. Illi etenim rectè introducuntur
hæc habere & ex ore proferre, quorum noxia prædi-
Apoc. 14. catione ſeducti intereunt, cruciandi igne, fumo &
ſulfure. Dicatur ergo: [*De ore ipſorum procedit ignis &
fumus & ſulfur. Ab his tribus plagis occiſa eſt tertia pars
hominum.*] Ac ſi diceretur: Peruerſorum hominum do-
gmatibus illud mortis ſupplicium incurrunt ſeducti, de
quo ſcriptum eſt: *Si quis adorauerit beſtiam & imagi-
nem eius, & acceperit characterem in fronte ſua & in
manu ſua bibet de vino iræ Dei, quod mixtum eſt mero in
calice iræ ipſius, & cruciabitur igni & ſulfure in conſpe-
ctu ſanctorum Angelorum, & in conſpectu agni, & fu-
C mus tormentorum eorum in ſæcula ſæculorum aſcendet.*
Quæ ſcilicet verba illos tantum non deterrent, qui hæc
Pſal. 43. aut ventura non credunt, aut certè non grauia, ſed leuia
putant. Cùm autem in illa incurrerint, tunc experientur
quam amara mors ſit ſemper igne cremari, nec funditus
mori: ſemper fumum pati, lucem nunquam videre: ſemper
fœtoribus repleri, ſuauitatis nil odorare. Horrenda ſunt
prorſus peruerſorum dogmata, quibus peruenitur ad ta-
lia. De quibus adhuc ſequitur:

Poteſtas equorum in ore eorum eſt, & in caudis eorum.

In ore namque Doctorum ſcientia, in cauda vero (vt
ſuprà meminimus) ſecularium potentia figuratur. Per
caudam quippè quæ retro, eſt, huius ſeculi poſtponenda
D temporalitas deſignatur, de qua Paulus Apoſtolus dicit:
Philip. 3. *Vnum quod retro oblitus, ad ea quæ in ante ſunt extentus.*
Retro enim eſt omne quod tranſit, ante vero eſt omne
quod veriens permanet. Iſtis ergo equis, id eſt, nequiſſimis
prædicatoribus, vbique carnali impulſu diſcurrentibus, in
ore & in cauda poteſtas eſt: quia ipſi quidem peruerſa ſua-
dendo prædicant, ſed temporalibus poteſtatibus fulti, per
ea quæ retro ſunt exaltantur. Hinc eſt quod de eorum
Pſal. 9. principe, id eſt, antichriſto, per Pſalmiſtam dicitur: *Sub
lingua eius labor & dolor: &, Sedet in inſidiis cum diuitibus
in occultis.* Propter peruerſa etenim dogmata, ſub lingua
eius labor & dolor: quia multo labore ac cordis dolore
ſatagit, vt plurimos peruerſa prædicatione decipere valeat:
miraculorum ſpecie in errorem conuertit, rectè in inſidiis
ſedere dicitur. Et quia quos nec dogmatibus, nec miracu-
lorum ſpecie decipere valet, potentia ſeculari conatur op-
primere, benè cum diuitibus: quia vero ſimul & miracu-
lorum fraude & terrena poteſtate vtitur, & in occultis &
cum diuitibus ſedere perhibetur. Sequitur:

Nam caudæ illorum ſimiles ſerpentibus, habentes capita: & in his nocent.

In præcedenti verſiculo per hos equos, prædicatores
errorum: per caudas vero, ſecularis poteſtas fuerat ex-
preſſa. In hoc autem ſubſequenti, contraria vice per cau-
das, iniqui doctores: per capita vero, ipſa ſecularis po-
tentia deſignatur. Sed nec mirum, vt in narratione ſibi
altrinſecus vel anteponantur, vel ſupponantur, qui vt plu-
tes decipiant, honorem ſibi prætendere videntur. Nam & Iſai. 9.
temporalis potentia, cauda eſt: & Propheta docens men-
dacium, cauda eſt: & rurſum qui falſa ſuadet, caput eſt: &
qui falſa conſentire violenter cogit, caput malorum eſt:
ſed congruis ſignificationibus in narratione mutantur.
Cùm autem ſuperius de locuſtis ſimilibus equis, dictum
ſit quod haberent caudas ſimiles ſcorpionum: aptè nunc
per aliam ſignificationem ſerpentibus ſimiles dicuntur, vt F
ſcilicet peruerſorum dogmatum prædicatores, illius ſer-
pentis voce hominibus ſuadere peruerſa demonſtren-
tur, cuius ſibilo mulier in paradiſo ſeducta, audacter
illicita tetigiſſe probatur. Et quidem antiquus hoſtis
ſola tunc ſuaſione decepit. Iſti autem non tantum ſua- Gen. 3.
ſionibus, verumetiam patrociniis principum fulti, vio-
lenter multos ad illicita pertrahunt. Vnde & rectè cau-
dæ ſimilia ſerpentibus capita habere perhibentur, quæ
iuxta aliam tranſlationem capita draconum vocantur.
Dracones etenim (vt aiunt qui nouerunt) ſæpè aquis
inhabitant, & omnibus penè beſtiis grandiores ſunt.
Per quos videlicet non incongruè poteſtas huius ſeculi
figuratur. Quod nimirum Ezechiel Propheta confirmat, Ezec. 29.
qui ex perſona Domini loquitur, dicens: *Hæc dicit Do-* Ierem. 51.
*minus Deus, Ecce ego ad te Pharao draco magne, qui
cubas in medio fluminum tuorum.* Hinc Ieremias quo-
que formam deſtructæ Ieruſalem aſſumens, ait: *Come-
dit me, deuorauit me Nabuchodonoſor Rex Babylonis;
reddidit me quaſi vas, mane abſorbuit me ſicut draco.* G
Principum ergo patrocinio fulti, prædicatores errorum
amplius nocent, quam ſi ſolo ſermone ſuaderent. Vt au-
tem ad hunc numerum & ad hoc corpus illi etiam depu-
tari credantur, qui talium ſuaſionibus non eſſe decepti
probantur, ſed ſolo gentilitatis errore perempti; ſiue
ſcilicet in retroactis temporibus, ſeu in remotis tunc
terrarum ſpatiis, ſi tamen ab illa extrema ſeductione
corporaliter quiſque poteſt abſcondi: vt inquam ſolo
gentilitatis errore detenti, ad hoc corpus pertinere cre-
dantur, aptè ſubiungitur:

Et cæteri homines qui non ſunt occiſi in his plagis, neque pœnitentiam egerunt de operibus manuum ſuarum, vt non adorarent dæmonia & ſimulacra aurea & argentea & ærea & lapidea & lignea, quæ neque videre poſſunt, neque audire, neque ambulare: & non egerunt pœnitentiam ab homicidiis ſuis, neque à fornicatione ſua, neque à furtis ſuis. H

Ac ſi diceretur: Et hi tales, ad ſupradictum numerum
pertinere videntur. In eo vero quod ideo adoraſſe dæmo-
nia & ſimulacra dicuntur, quod de operibus manuum ſua-
rum pœnitentiam non egiſſe redarguuntur, præcedens
meritum ſequentis culpæ monſtratur. Quia enim crimi-
noſorum ac nefandorum hominum, vel filiorum ſuorum
imagines ob recordationis memoriam habere voluerunt,
ad hoc vſque perducti ſunt, vt eas in deorum numero
computantes adorarent. Vnde & per quendam ſapien-
tem dicitur: *Acerbo luctu dolens pater, cito ſibi rapti filij* Sap. 14.
fecit imaginem. Illum qui tunc homo mortuus fuerat,
nunc tanquam Deum colere cœpit. Et conſtituens in-
ter ſeruos ſuos ſacra & ſacrificia, deinde interueniente
tempore, conualeſcente iniqua conſuetudine, hic error

A tanquam lex conſtitutus eſt, & tyrannorum imperio colebantur figmenta. Notandum verò, qua pœna plectendi ſunt hi, quibus iuſſum eſt non adorare idola, non occidere, non fornicari, non facere furtum,& fecerunt, ac pro his pœnitentiam minimè geſſerunt: ſi hi qui legem non acceperunt, ideo damnandi ſunt, quia de his pœnitentiam non egerunt. Cedat itaque pœnitudini omnis excuſationis tergiuerſatio. Exordium enim prædicationis ſuæ in hac mediator noſter conſtituit, Euangeliſta at-
Matth.4. teſtante, qui ait: *Exinde cœpit Ieſus prædicare & dicere:*
Matth.3. *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum.* Vbi ſubaudiendum eſt, quia ſi pœnitentibus regnum
Act.2. cœlorum appropinquauit, vtique impœnitentibus non appropinquat. Ab hac præcuſor eiuſdem noſtri mediatoris cœpit; hanc auidus veſtigiorum eius executor Petrus, ab infidelitate ad fidem redeuntibus propoſuit. Attendat igitur prauus quiſque fidelis, qua cordis amari-
B tudine, quo mentis dolore, poſt fidei agnitionem perpetrata crimina debeat lugere: ſi ad fidem venientibus primi Eccleſiæ prædicatores, ad abluendam priſtini erroris nequitiam, lamentum pœnitentiæ indixerunt. Audiat quicumque impœnitens fidelis, quid ei Apoſtolus dicat:
Rom.2. *An ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam & cor impœnitens, theſaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei.* De qua profectò conuerſorum pœnitudine, ſuſcepti nunc operis intentio non ſinit amplius loqui, præſertim cum & hic liber in longum protractus, debiti finis terminum ſpectet.

C
D. AMBROSII ANSBERTI Presbyteri, in Apocalypſim Ioannis Apoſtoli.

LIBER QVINTVS.

IN Scriptura ſacra, quæ ſpiritum æternitatis cœlitus miniſtrat cognoſcitur, Redemptoris noſtri Dei hominiſque perſona, modo per terrena, modo per cœleſtem ſubſtantiam deſignatur. Et nunc quidem per inſenſibilem intellectum, vitaque carentem, nunc autem per vitam habentem, ſed inſenſibilem, intellectúmque non habentem: Nunc verò per, inſenſibilem vitamque habentem, ſed intellectu carentem: nunc etiam per ſenſibilem creaturam, intel-
D lectum & vitam habentem, configuratur. Cùm itaque per terrenam æquè inſenſibilem, intellectu vitaque carentem ſubſtantiam deſignatur, modo per templum, modo per oſtium, modo per propitiatorium, modo per candelabrum aureum, modo per altare aureum, modo per altare de terra factum, modo per arcam teſtamenti, modo per vrnam auream manna habentem, modo per æneum ſerpentem, modo per montem, modo per petram aquarum fluenta manantem, modo per lapidem vnctum oleo, modo per lapidem angularem, modo per viam, modo exprimitur per librum, & ſi qua ſunt ſimilia. Ille enim ſingulariter templum Dei, eſt in quo omnis plenitudo diuinitatis corporaliter inhabitat, ipſo atteſtante, qui de ſe
Col.2. in Euangelio Iudæorum principibus ait: *Soluite templum*
Ioan.2. *hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Ille oſtium, quo ad templum (id eſt, ad ipſum) intramus, cum ad æternam
Ioan.10. vitam quæ eſt ipſe, pertingimus, ipſo dicente: *Ego ſum oſtium. Per me ſi quis introierit, ſaluabitur: & ingredietur & egredietur, & paſcua inueniet.* Ipſe propitiatorium, qui inter Deum & homines medius propitiator interuenit. De quo videlicet per Apoſtolum dicitur: *Quem pro-*
Rom.3. *poſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius.*
1.Ioan.2. Hinc Ioannes in Epiſtola ſua dicit: *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.* Ipſe candelabrum aureum, ſuper quod E
poſita lucet ſanctorum Eccleſia. Vnde idem ipſe teſtatur,
dicens: *Nemo accendit lucernam & ponit eam ſub modio,* Matth.5.
ſed ſupra candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo Exod.25
ſunt. Addenſque quid diceret: *Sic luceat,* inquit, *lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cælis eſt.* Hinc ad Moyſen dicitur: *Facies & candelabrum de auro mundiſſimo.* Quis enim rectius per candelabrum aureum, quam mediator humani generis deſignatur? Qui in eo quod naturæ humanæ infulſit, lumen diuinitatis oſtendit, vt mundi candelabrum fieret, quatenus in eius lumine peccator in quibus iaceret tenebris, videret. Qui etiam pro eo quod naturam noſtram ſine culpa ſuſcepit, candelabrum tabernaculi ex auro puriſſimo fieri iubetur. Quid eſt autem quod ductile fieri mandatur? Omne quippè quod ductile eſt, feriendo producitur. Ductile igitur candelabrum fuit, quia redemptor noſter qui ex F
conceptione & natiuitate perfectus Deus & homo extitit, paſſionum dolores pertulit, & ſic ad reſurrectionis gloriam peruenit. Ex auro ergo mundiſſimo candelabrum ductile fuit, quia & peccatum non habuit, & tamen eius corpus per paſſionum contumelias ad immortalitatem profecit. Qui videlicet iuxta animæ meritum, quo percuſſionibus potuiſſet proficere, omnino non habuit, in membris autem ſuis quæ nos ſumus, quotidie proficit: quia dum nos tundimur, vt eius corpus eſſe mereamur, profectus noſter illius eſſe probatur. Ipſe quoque altare aureum eſt, in quo aromata cremantur, cum orationum noſtrarum ſtudia per ipſum Deo Patri offeruntur. Ipſe altare de terra factum, quia veritas de terra orta eſt. Vnde etiam in lege præceptum eſt: Pſal.84.
Altare de terra facietis mihi. Altare enim de terra Deo Exod.20
facere, eſt incarnationem mediatoris expectare. Tunc quippè à Deo noſtrum munus accipitur, quando ſuper altare, id eſt, ſuper Dominicæ incarnationis fidem, G
noſtra humilitas poſuerit quicquid benè operatur. In altari ergo de terra, oblatum munus offerimus, ſi actus noſtros Dominicæ incarnationis fide ſolidamus, ipſe etiam arca teſtamenti quæ intra velum eſt, iure vocatur, in quo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi eſſe probantur. Benè autem arca intra velum eſt. Col.2.
Arca enim intra velum, eſt redemptor noſter in cœlo. Ipſe nimirum vrna aurea congruè vocatur, quæ manna reconditum habere perhibetur. Vrna enim aurea, caro Hebr.9.
mediatoris intelligitur pura atque ſyncera, quæ reconditum in ſe manna perpetuæ diuinitatis conſeruat, & Angelici illius panis perennem cœleſtémque gerit dulcedinem. Ipſe proculdubio per ſerpentem æneum exprimitur. Quid enim aliud ſignificabat, quod morſus mortiferi ſerpentis, exaltato & reſpecto æneo ſerpente, ſanabatur: niſi quod nunc antiqui hoſtis venena, à fidelium cordibus per reſpectum mediatoris in cruce pen- H
dentis, euacuantur? Qui enim verè expreſſéque imaginem filij Dei ac paſſionem eius conſpexerit, ipſe antiqui ſerpentis venena euadere poterit. Hoc certè indicant verba ipſius Domini, dicentis: *Sicut exaltauit Moyſes* Ioan.3.
[illegible] in eremo, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Aptè autem æneus ſerpens ligno ſuſpenſus eſt, vt Dominus & in ſerpente mortuus, & in ære ſignificaretur æternus: videlicet vt & indicaretur mortuus per humilitatem, & quaſi eſſe æneus per diuinitatem. Ipſe quoque dignè vocabulo montis deſignatur, quia & terræ inhæſiſſe per carnem, & eminentior terræ fuiſſe creditur per diuinitatem. Mons enim & terræ inhæret, & ſuper terram eleuatur. De quo videlicet per Prophetam
dicitur: *Erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus* Eſa.2.
Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes. Ipſe certè petra illa intelligitur, quæ percuſſa, aquarum fluenta manaſſe per-
hibetur, Apoſtolo dicente qui ait: *Bibebant de ſpiritali* 1.Cor.10.
conſequenti eos petra, petra autem erat Chriſtus. Percuſ- Ioan.19.
ſa enim petra, aquarum riuos profudit: quia videlicet redemptor noſter lancea in cruce percuſſus, ſitientibus

populis

A populis lauacri gratiam præbuit, & donum Sancti
Gen.28. Spiritus effudit. Quis autem non intelligat mediatorem
noſtrum in lapide, quem vnxit Iacob in oleo? Lapis
enim vnctus, eſt redemptor noſter, Spiritu Sancto præ
participibus ſuis afflatus. Erectio autem lapidis, reſur-
Rom.6. rectio eſt eiuſdem redemptoris. In titulum verò lapis
erigitur, quia videlicet mediator humani generis ſur-
gens à mortuis, iam non moritur, & mors illi vltra
non dominabitur. Quis etiam ipſum non accipiat lapi-
1.Pet.2. dem angularem, cum Petrus apertè de illo dicat: *Ad
quem accedentes lapidem viuum, ab hominibus quidem
reprobatum, à Deo autem electum pretioſiſſimum?* Quod-
Iſai.28. que ex alia Scriptura affirmans ſequitur, dicens: *Ecce
pono in Sion lapidem angularem pretioſiſſimum: & qui
crediderit in eum, non confundetur.* Ideo autem angularis
lapis vocatur, quia duos parietes è diuerſo venientes, Iu-
daicum ſcilicet & gentilem populum, ſibi coniunxit, au-
ferens de medio obſtaculum legis, quæ inter vtroſque di-
B uidebat. Vnde & per Apoſtolum dicitur: *Ipſe eſt pax no-
Eph.2. ſtra, qui fecit vtraque vnum: & medium parietem mace-
riæ ſoluens, inimicitias in carne ſua, legem mandatorum
decretis euacuans, vt duos condat in ſemetipſo, in vno nouo
homine faciens pacem, vt reconciliet ambos in vno corpore
Deo, per crucem interficiens inimicitias in ſemetipſo.* Cui
dubium ſit, idipſum eſſe viam, per quam ad patriam
currimus, cum ipſe dicat: *Ego ſum via, veritas & vita?*
Ioan.14. Et, *Nemo venit ad patrem, niſi per me.* Libri autem no-
mine idem exprimitur, cum in hac Apocalypſi per Ioan-
Apoc.20. nem dicitur: *Libri aperti ſunt, & alius liber apertus eſt,
qui eſt vitæ.* Qui idcirco liber vitæ dicitur, quia in eius
præſcientia electorum numerus adſcriptus tenetur. Cùm
vero per eandem terrenam creaturam æquè inſenſibilem,
vitamque habentem, ſed intellectum non habentem,
eiuſdem redemptoris typus ſacris voluminibus interſeri-
tur, nunc per lignum vitæ, nunc per rubum, nunc per
vitem, nunc per botrum, nunc per granum frumenti,
C nunc per granum ſinapis, nunc per florem & lilium de-
ſignatur. Vitam autem hæc habere dicimus, non per ani-
mam, ſed per viriditatem. Vbi etiam ſi quæritur, quo-
modo granum frumenti vel ſinapis viuat, Paulum in te-
ſtimonium adducimus: qui cum de futura reſurrectione
1.Cor.15. tractaret, exemplum de ſeminibus aſſumens, dixit: *Inſi-
piens tu, quod ſeminas non viuificatur, niſi prius moriatur.*
Si enim moritur poſtquam ſeminatum fuerit, conſtat
nimirum quia antequam ſeminaretur, viuum erat, vt ſe-
minatum moreretur, & mortuum rurſum viuificaretur.
Lignum igitur vitæ euidentiſſimè Dominum ſignat, Sa-
Prou.3. lomone atteſtante qui ait: *Beatus homo qui inuenit ſa-
1.Cor.1. pientiam. Lignum vitæ eſt his qui apprehenderint eam, &
qui tenuerit eam, beatus.* Quod autem hæc ſapientia me-
diatorem noſtrum deſignet, Apoſtolus indicat, dicens:
Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam. De quo etiam
Pſal.1. per Pſalmiſtam dicitur: *Et erit tanquam lignum quod
D plantatum eſt ſecus decurſus aquarum.* Ad quod videlicet
Exod.3. ſi quis nunc extenderit manum, viuet in æternum. Cui
etiam rubus igne ſuccenſus, nec combuſtus, iure adſcri-
bitur. Quid enim eſt rubus in flamma, niſi humana na-
Rom.8. tura à diuinitate verbi ſuſcepta? Cur autem non combu-
ritur rubus ardens & ſuccenſus, niſi quia mediator no-
ſter & ſi in ſimilitudine carnis peccati apparuit, vt de
peccato peccatum damnaret in carne, non tamen ha-
buit peccatum quod flamma diuinitatis in illo conſume-
ret? Tantum enim ſimilitudo ſpinarum in rubo parebat:
& ideo quod flamma combureret, non habebat. Dixit
Prou.3. itaque Salomon, quod *ſapientia lignum vitæ eſſet*: dixit
1.Cor.1. Paulus, quod *Chriſtus Dei virtus & Dei ſapientia eſſet*:
diximus & nos patrum ſequentes traditionem, quod *ru-
bus flamma ſuccenſus, idem mediator Dei & hominum, ho-
mo Chriſtus Ieſus eſſet*: dicat nunc ipſe, vtrum vitis eius
Ioan.15. perſonæ conueniat. Ait namque: *Ego ſum vitis vera,
& pater meus agricola eſt.* Hæc denique ſacratiſſima
vitis totum per orbem ſarmenta tetendit. Vbique enim
dilatata fructificans, quaſi tot palmites miſit, quot in-
tra ſanctam Eccleſiam redemptor noſter ſanctos per gra-
tiam elegit. Vnde idem quoque inculcando ſubiungit:
Ego ſum vitis, vos palmites. Qui manet in me, & ego in E
eo, hic fert fructum multum. Et quia idem ſeipſum vi- Ibid.
tem eſſe innotuit, videamus nos quoque an etiam per Num.13.
botrum ipſe ſignetur. Botrum autem illum dicimus,
quem in ligno de terra promiſſionis duo adduxere vecto-
res. Quid autem hoc loco per terram repromiſſionis in-
telligimus, niſi corpus genitricis Chriſti, quæ ſecun-
dum carnem illum protulit botrum, iuxta illud quod
ſcriptum eſt, *Veritas de terra orta eſt*: Benè igitur caro Pſal.84.
genetricis Dei, repromiſſionis terra vocatur, quæ lon-
gè ante paritura Deum & hominem à prophetis ſponde-
batur. Quæ verè mel & lac manauit dum Deum homi-
némque intemerata virginitate profudit. Vnde & per
Iſaiam dicit: *Ecce virgo concipiet & pariet filium, &* Iſai.7.
*vocabunt nomen eius Emmanuel: Butyrum & mel man-
ducabit, vt ſciat reprobare malum & eligere bonum.* Qui
ſunt autem hi duo baiuli, qui botrum illum deferunt,
niſi Iudaicus & gentilis populus, vnus ſcilicet præce- F
dens, alter vero ſubſequens: præcedens Iudaicus, ſub-
ſequens gentilis? Sed præcedens, poſt tergum habet
quem portat: ſubſequens, ante oculos ſemper reſpicit
quem gerit: quia & Iudaicus populus adhuc eum ven-
turum pronuntiat; & gentilis iam veniſſe cognoſcit.
Quaſi enim Iudaicus populus à tergo botrum portat
nec reſpicit: cum redemptorem noſtrum & venturum
ex Virgine prædicit, & veniſſe non credit: vnde & eum
cæcus ſequi contemnit. De quibus rectè per Pſalmi-
ſtam dicitur: *Obſcurentur oculi eorum ne videant, &* Pſal.68.
dorſum illorum ſemper incurua. Gentium autem multi-
tudo poſt ſequens, autorem ſuum & veniſſe perſpicit,
& eum quem fide gerit, tanquam magiſtrum ſequi de-
cernit. Cui & benè ab ipſo per Euangelium dicitur: *Si* Luc.9.
*quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat
crucem ſuam, & ſequatur me.* Hic eſt certè botrus ille,
qui calcatus in torculari crucis, vinum Euangelicæ
prædicationis ſanguinemque ſacratiſſimæ paſſionis pro-
fudit. Iam deinceps ipſum in ſingulis expoſitorem ha-
bemus, quæ vt ipſe docuit, ad eius perſonam aptè re- G
digenda videmus. Granum enim frumenti ipſe ſe dixit,
quo in terram cadente, multarum meſſium per orbem
ſeges ſurrexit. Vnde & ipſe ante paſſionem ſuam ait:
Niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, Ioan.12.
*ipſum ſolum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fru-
ctum affert.* Granum quoque ſinapis, ſeipſum intelligi vo-
luit cum dixit: *Cui ſimile eſt regnum Dei? & cui ſimile ex-* Marc.4.
*iſtimabo illud? Simile eſt grano ſinapis, quod acceptum homo
miſit in hortum ſuum, & creuit, & factum eſt in arborem
magnam, & volucres cœli requieuerunt in ramis eius.* Re-
gnum autem Dei aliquando ſeipſum indicat, vnde eſt il-
lud quod ad diſcipulos ait: *Amen dico vobis, quia regnum* Luc.17.
Dei intra vos eſt. Benè itaque grano ſinapis, quod mini-
mum eſt omnibus oleribus, regnum Dei comparatur:
quia redemptor noſter tempore paſſionis ſuæ deſpectus,
& nouiſſimus virorum inter homines apparuiſſe perhibe- H
tur. Benè in horto ſeminatum, quia mediator noſter in Iſai.53.
horto ſepultus. Creuit igitur granum ſinapis, quod mi-
nimum eſt omnibus oleribus: & factum eſt in arborem
magnam, quia ſaluator noſter reſurgens à mortuis, cun-
ctis inualuit, quia Deus & homo ſpecioſus forma præ fi-
liis hominum, ſedet ad dexteram maieſtatis in excelſis,
qui in paſſione ſua deſpectus & nouiſſimus virorum ap-
paruerat. In ramis vero eius volucres cœli requieſcunt,
quia nimirum in dictis illius, ſanctorum animæ ſpirita-
lium ſenſuum habitacula ſibi conſtruunt. Indicet nobis
etiam ipſe, an ad eum pertineat flos & lilium, imò verum
in figura ipſe ſit flos & lilium.

Denique quodam ſcripturarum loco ita de ſe ait: *Ego* Cant.2.
flos campi & lilium conuallium. Flos ſcilicet campi, ſubau-
dis, odor & decus mundi, & lilium conuallium, tanquam
diceret, exemplū virginitatis humilium virginum. De hoc
flore per Iſaiam dicitur: *Exiet virga de radice Ieſſe, & flos* Iſai.11.
*de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus Do-
mini.* Virga enim de radice Ieſſe exiit, quia virgo Maria de
ſemine eius proceſſit. Et flos de radice eius aſcendit, quia
ex ipſius propagine quæ peruenit vſq; ad illā ſacratiſſimā

A Virginem, odor ſuauitatis quæ eſt Chriſtus, ſecundum
carnem manauit. Benè autem à templo incipientes, ac
cætera rerum inſenſibilium exequentes, quæ ad media-
torem Dei & hominum, hominem Chriſtum Ieſum,
quadam ratione pertinere videntur, ad florem perue-
nimus, vt eodem diuinitatis templum odore ſuauitatis
repletum monſtraremus. Nunc vero intuendum nobis
eſt, quæ principaliter de his perſonæ illius conueniant,
quæ ſenſibilia quidem ſunt vitamque habent, ſed intel-
lectum non habent. Cum enim per hæc figura eius
portenditur, modo per camelum, modo per leonem,
modo per vitulum, modo per arietem, modo per
ouem, modo per agnum, modo per piſcem, modo
per vermem, modo per aquilam, modo per paſſerem,
modo per turturem deſignatur. Quia itaque Dei filius
vocabulo cameli figuretur, Ipſe hoc indicat, qui in Euan-
Matt. 19. gelio ad diſcipulos ait: *Facilius eſt camelum per foramen*
B *acus tranſire, quam diuitem in regnum cœlorum intrare.*
Ideo autem Camelum ſe voluit cognoſci, quod ad ſuſ-
cipienda peccatorum noſtrorum onera humilis acceſſit.
Quod vero eſt foramen acus, niſi anguſtia paſſionis?
Acus enim pungit, cum paſſio carnem interimit. Faci-
lius ergo eſt camelum per foramen acus tranſire, quam
diuitem regnum cœlorum intrare. Tanquam diceret:
Ante ergo in mortis paſſionem pro peccatoribus ani-
mam meam eligo tradere, quam diues regnum cœlo-
rum terrenis ſibi facultatibus acquirere. Quia vero leo-
nis ſpeciem ipſe prætendat, plurima Scripturarum do-
cent teſtimonia: apertius autem hæc reuelatio, per quam
Apoc. 5. Ioanni dicitur: *Vicit Leo de tribu Iuda, radix Dauid,*
aperire librum & ſoluere ſeptem ſignacula eius. Qui ideo
(ſicut iam dixiſſe me recolo) per leonem exprimitur,
quia mortem quam humiliter ſuſcepit, reſurgendo tan-
quam leo confregit. Quia vitulus quoque idem ipſe vo-
Luc. 15. cetur, Euangelica auctoritas teſtatur, qua in aduentu
C prodigi ac iunioris filij, paterfamilias vitulum ſaginatum
mactaſſe perhibetur. De hoc namque ſaluatoris hoſtiæ
Pſal. 68. vitulo per Pſalmiſtam dicitur: *Placebit Deo ſuper vitu-*
lum nouellum, cornua producentem & vngulas. Mediator
etenim noſter dignè nouellus vitulus dici potuit, quia
ad immolandum in mundo apparens, noua natiuitate
de vtero Virginis proceſſit. Cornua produxit, quia re-
gnum Eccleſiæ erexit. Vngulas produxit, quia fortes in
ea prædicatores elegit. Quibus nimirum rectè dicitur:
Iſai. 32. *Beati qui ſeminatis ſuper omnes aquas, immittentes veſti-*
gium bouis & aſini. Indicat etiam hunc ſacra Scriptura
arietem, propter ducatum gregis & ſacrificium: ouem
& agnum, propter innocentiam & oblationem. Et cu-
Gen. 22. ius alterius figuram gerebat aries ille per Abraham in
terra viſionis immolatus, ſi huius de quo loquimur, Do-
mini redemptoris? Quid eſt igitur quod antequam aries
immolaretur, in vepribus hærebat, niſi quia Dominus
Ieſus Chriſtus antequam crucis patibulo affigeretur, ſpi-
nis coronatus erat? Cornibus autem in vepribus hære-
D bat, quia videlicet claritatem vultus eius illuſio illa ce-
labat. Solet enim per cornua, intolerabilis humano vi-
Exod. 34. ſui claritas deſignari. Vnde & Moyſes ex conſortio locu-
tionis Domini, cornutam faciem habuiſſe deſcribitur.
Quam ob cauſam nec eam filij Iſraël, niſi velaretur, in-
tueri poterant. Non enim cornua, vt in animalibus cerni-
mus, facies illa habebat: ſed ſecundum Apoſtolum, *Glo-*
2. Cor. 3. *ria vultus, facies cornuta erat.* Vepribus ergo aries cor-
nibus inhæſerat, quia videlicet redemptoris noſtri faciei
claritatem, ne agnoſceretur, ſpinea corona retinebat.
Iſai. 53. Quem videlicet Iſaias Propheta ouem ſimul & agnum
vocat, cum de eius ſacratiſſima paſſione loquitur, di-
cens: Quaſi ouis ad occiſionem ducetur, & tanquam ag-
nus coram tondente ſe obmuteſcit, ſic non aperiet os
Luc. 24. ſuum. Ipſe etiam deſignatur per aſſum piſcem, quem poſt
Ioan. 21. paſſionem ſuam idem comediſſe refertur; piſcis enim aſ-
ſus, Chriſtus eſt paſſus. Quid igitur mirum, ſi aries, ouis,
agnus, & piſcis vocetur, cum propter morticinam noſtræ
Pſal. 21. carnis, vermem ipſe ſe vocet, dicens: *Ego autem ſum vermis*
& non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis, Omnes
qui videbant me, aſpernabantur me? Ecce ad quod venit
propter nos, vt vermis ex putredine natus, vocaretur Deus E
in homine qui creauit nos. Is autem qui propter deſcen-
ſionem, vermis in carne: propter aſcenſionem ad patrem,
aquila rectè vocatur. Vnde & ſancto Iob per increpatio
nem dicitur: *Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur* Iob. 39.
aquila? Ac ſi diceret, vt ad meum. Ad præceptum enim
Dei, aquila eleuatur, quia nimirum poſt paſſionum certa
mina, poſt reſurrectionis gloriam, aſſumpta humanitas in
Chriſto, diuina virtute ad ſedem paternam euehitur. Quia
vero idem deſignetur per paſſerem & turturem, vnum
Pſalmi teſtimonium apertiſſimè declarat, quo dicitur:
Paſſer inuenit ſibi domum, & turtur nidum vbi reponat
pullos ſuos. Paſſer etenim in procreandis fœtibus, vltra
omnes penè aues petulans inuenitur. Turtur vero caſtiſ-
ſimæ naturæ eſt. Quæ vtraque per myſticam ſignificatio-
nem ad redemptorem noſtrum referuntur, qui & per ſpi-
ritalem gratiam nouos quotidie populos gignit, & inte- F
meratam ſponſæ ſuæ quæ eſt Eccleſia, fidem conſeruat.
Paſſer igitur inuenit ſibi domum, & turtur nidum vbi re- Pſal. 83.
ponat pullos ſuos: quia videlicet mediator noſter ſan-
ctam Eccleſiam naſcendo quæſiuit, moriendo inuenit, in
qua nouam natiuitatis ſuæ ſobolem adunaret. De quo vi- Leuit. 5.
delicet per legem figuraliter Moyſi mandatur, cum ei de
oblatione turturis diuina voce dicitur: *Retorquebit caput*
eius ad pennulas, ita vt collo inhæreat, & non penitus ab-
rumpatur. Quid itaque in oblatione turturis, quæ pro
peccato iubetur offerri, atque vt poſt mortem hoſtiæ ca-
put corpori inhæreat, niſi mediatoris noſtri perſona ſi-
gnatur? Redemptoris etenim noſtri mors, ad coniun-
ctionem ſui corporis (id eſt, Eccleſiæ) valuit, non ad ſe-
parationem. Mediator etenim Dei & hominum, id eſt, ca-
put noſtrum & veræ emundationis hoſtia, vnde pro no-
bis mortem pertulit, inde nobis verius inhæſit. Poſt ſe-
ctionem ergo caput turturis ſuo corpori inhæret, quia
Chriſtum & Eccleſiam nec mors interueniens diuidit.
Perſecutores igitur peregerunt hoc, quod perniciem ſuis G
moliti ſunt. Intulerũt mortem, vt ab eo abſcinderent fide-
lium deuotionem. Sed inde fides creuit, vnde hanc ſe ex-
tinguere infidelium credulitas credidit. Cum enim ſe
exiſtimant eius miracula perſequendo abſcidere, hæc ni-
mirum compulſi ſunt neſciendo dilatare.

Quis namque caput noſtrum eſt, niſi ſicut prædixi-
mus, redemptor generis humani, de quo ſcriptum eſt,
Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus Eph. 1.
ipſius? Quem cum Iudæi perſequerentur, nomen eius
de terra delere conati ſunt. Cumque eum crucifixum
& ſepultum viderent, eum ab amore eius diuiſiſſe cre-
diderunt. Sed caput turturis & inciſum eſt, & à ſuo
corpore abſciſſum non eſt: quia ex eo quod pro nobis
mortem pertulit, omnes nos ſibi verius in ipſa ſua mor-
te coniunxit. Caput ergo turturis inciſum inhæſit cor-
pori: quia pro nobis quidem redemptor noſter paſſus
eſt, ſed à nobis diuiſus non eſt. Et in his certè quæ
ſentiunt, viuunt, ſed non intelligunt, rectè à camelo
inchoauimus, & ad turturem vſque peruenimus: vt vi- H
delicet redemptorem noſtrum & paſſionum anguſtias
tanquam camelum per foramen acus tranſiſſe, & tamen
tanquam turturem immolatum, ſuo corpori perenni-
ter inhæſiſſe doceremus. Iam verò vt terrenæ ſubſtantiæ
qualitatem breuiter peragremus illud aſpectat, vt hu-
manam naturam quæ ſentit, viuit, atque intelligit, eun-
dem Ieſum Chriſtum deſignaſſe monſtremus. Rariſſimos
enim veteris Teſtamenti, ex his quorum nomina pu-
blicè celebrata ſunt, extitiſſe reperimus, qui non aut
actu, aut nomine illum præfiguraſſet: vt Adam, Abel,
Seth, Enoch, Noë, Melchiſedec, Abraham, Iſaac, Ia-
cob, Iudas, Ioſeph, Moyſes, Aaron, Ioſue, Iob, Ge-
deon, Iepthe, Samſon, Booz, Samuel, Saul, Dauid,
Salomon, Elias atque Eliſeus. Quis enim non intelligat Gen. 2.
Chriſtum in eo quod Adam dormiens, vxorem, de late- Ioan. 19.
re accepit? Dormit enim Adam, & fit illi mulier de la-
tere. Patitur Chriſtus, dormit in cruce, pungitur latus lan-
cea, & profluunt Sacramenta ex quibus formatur Ec-
cleſia. Quis non accipiat Chriſtum in eo, quod Abel à fra-
tre occiditur, quod ſanguis eius de terra clamare perhibe

A Gen. 4. tur? Interficitur itaque Abel à Cain, occiditur Chriſtus à populo Iſraël. Ille in campo, iſte in caluariæ loco. Clamat vox ſanguinis Abel ad Deum de terra, clamat vox ſanguinis Chriſti ad ipſum de Eccleſia. Illa propter vindictam irrogandam, iſta propter vindictam auferendam. Ibid. Quis non videat Chriſtum in Seth, cuius vocabulum reſurrectio interpretatur? Gen. 5. Quis in eo Chriſtum figurari non videat, quod Enoch tranſlatus non apparuit, quia tranſtulit illum Deus? Ibid. & 6.7.8.9. Quis in eo Chriſtum non attendat, Noë requies vocatur, quod ſolus iuſtus inuenitur, quod arcam fabricaſſe perhibetur quod octauus in arca numeratur, quod de vinea quam plantauit inebriatus, in domo ſua nudatur? Noë igitur, vt præmiſimus, requies interpretatur. Et Dominus in Euangelio dixiſſe probatur: Matt. 11. *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris.* Solus Noë iuſtus in illa generatione inuenitur, ſolus ſine alterius comparatione in cunctis generationibus Saluator noſter iuſtus & perfectus docetur. E Fabricauit arcam Noë, ædificauit Eccleſiam Chriſtus. Ille in lignis imputribilibus, iſte de ſanctis & perfectis animabus. Octauus Noë in arca numeratur, quia ſpes reſurrectionis noſtræ Chriſto aſſignatur: quia & octaua die, quæ & in ordine prima, & poſt ſabbatum occurrit octaua, à mortuis reſurrexiſſe probatur. Inebriatur Noë de vinea quam plantauit: inebriatus, in domo ſua nudatur: quia Chriſtus aceto felle mixto vinoque myrrhato, à plebe quam ipſe de Ægypto tanquam vineam tranſtulit, & in monte hæreditatis ſuæ plantauit, Ioan. 19. potatur. Vnde & per Ieremiam conqueritur: Pſal. 79. Ierem. 2. *Ego te plantaui vineam totam electam, quomodo conuerſa es in amaritudinem vitis aliena?* In domo autem ſua Noë inebriatus nudatur, quia idem Dominus in ipſa plebe Iudaïca poſt potionem aceti, fellis & myrrhæ, carnis indumento exGen. 14. poliatur. Quis non admiretur pontificem futurorum bonorum in ſacerdote Melchiſedec, in eo quod ſine genealogia in ſcriptura Sacra repente introducitur, quod panem & vinum Deo in ſacrificium obtuliſſe perhibetur? Hebr. 7. C Hunc enim Melchiſedec Apoſtolus ſine patre, ſine matre commemorans, figuraliter refert ad Chriſtum. Ipſe enim eſt ſolus de patre ſine matre genitus per diuinitatem: ipſe de matre ſine patre per humanitatem. Ecce ex vno ſine patre, ex altero inuenitur ſine matre. Ipſe quoque Pſal. 109. ſacerdos æternus, cui dicitur: *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec.* Hic in ſacrificium Deo panem & vinum obtulit, ſubaudis, pro emundatione peccatorum noſtrorum, carnem crucifigendam præbuit, Gen. 12. ſanguinemque profudit. Quis autem alius figurata actione in Abraham de terra & de cognatione ſua exiit, vt apud exteros locupletaretur, niſi mediator noſter, qui relicta plebe Iudaica, nunc in populis gentium ſpiritualiGen. 22. bus diuitiis præpollere videtur? Quis non ſentiat Chriſtum in eo, quod Iſaac ad victimam ducitur, lignaque ſibi holocauſti ipſe portare perhibetur: quod in terra auſtrali ad puteum videntis habitare dicitur, quod ad meGen. 24. ditandum inclinata iam die, in agrum exiiſſe refertur: quod Rebeccam vxorem accipiens, intantum diligit, vt dolorem ex morte matris mitigare narretur? Quid enim D ſibi vult, quod Iſaac in holocauſtum paterna deuotione depoſitus, ligna ſibi ſuper quæ immoletur, humero portat: niſi quia mediator noſter, quem pater pro nobis omnibus tradidit, crucem ſibi baiulat, ſuper quam affixus, pro mundi ſalute mactetur? Quid eſt quod Iſaac in terra auſtrali ad puteum videntis habitat, niſi quia diuinitas mediatoris noſtri, humanitatem quam ſumpſit pro nobis, & ſpiritu Sancto perflatam, & aqua ſapientiæ ſalutaris repletam demonſtrat? Quid eſt quod Iſaac ad meditandum inclinata iam die in agrum exit, niſi quia redemptor humani generis, extrema huius mundi ætate ad exercitium ſpiritalis pugnæ in hac vita mortali, viſibilis per carnem apparuit? Cum autem ſciamus, dolorem qui ex morte matris accidere ſolet, ſuccedente carnis copula, quæ intantum diligitur, vt etiam pater & mater pro illa iure deſerantur, non ſolum temperari, verumetiam obliuiſci: quæ neceſſitas fuit, vt de Iſaac poſteris ſcriberetur, quod intantum vxorem ſuam dilexit, vt dolorem qui ex matris morte obuenerat, temperaret, niſi aliquid aliud in illo eius erga coniugem amore ſignaretur? Hoc eſt certe quod in redemptore noſtro impletum gaudemus. Dilectio enim eius qua dilexit Eccleſiam, abſtulit ab eo mœſtitiam cordis, quam ex perditione plebis Iudaïcæ contraxerat; cum ante paſſionem ſuam triſtaretur & mœſtus eſſet. Quis per Iacob Matt. Gen. Chriſtum deſignari non ſentiat in eo, quod Rachel ad puteum quo greges adaquabantur, inueniens deoſculatur? Iacob enim ad puteum Rachel deoſculari, eſt Saluatorem noſtrum Eccleſiam quam ex gentibus acquiſiuit, in gratia ſpiritus Sancti Euangelicis verbis alloqui. Puteus enim ille quo greges adaquabantur, ſpiritus Sancti gratiam deſignabat, de qua Dominus ouibus ſuis dixiſſe perhibetur, *Si quis ſitit, veniat ad me & bibat.* Ioan. Rachel autem pulchra facie venuſtoque aſpectu, ſanctorum Eccleſiam. Oſculum vero Iacob quo Rachel oſculatus eſt, Euangelica mandata. Lapide autem quo ille puteus claudebatur, ſubaudis ventura ſpiritus Sancti gratia duritia legis tegebatur. Eph. F Sed venit Iacob, amouit lapidem: quia Dominus noſter legem mandatorum in decretis euacuauit. Adaquauit gregem, id eſt, dona ſpiritus Sancti fidelibus populis miniſtrauit. *Oſculatus eſt Rachel*, Cant. Gen. Gen. ſubaudis, præceptis Euangelicis in amorem ſui Eccleſiam concitauit. Hoc certe oſculum ipſa requirebat, cum in Canticis Canticorum diceret: *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Eſt etiam in reliquis operibus Iacob, typus redemptoris noſtri, in eo ſcilicet quod duas vxores liberas accepit, duas quoque ancillas iuxta petitionem vxorum, in matrimonium ſumit, quod varias in aquarum canalibus virgas ante oculos ouium ponit. Sed ſuſcepti operis non ſinit intentio per ſingula diſcurrere, præſertim cum & nos cauſa neceſſitatis breuiter hæc tangenda cenſuerimus, & ab aliis latius inculcata nouerimus. Gen. Vt igitur intentionis cœptum proſequamur opus, quis per Iudam, mediatorem noſtrum ſignificari non videat in eo quod ad oues tondendas pergit, quod cum Thamar, habitu fornicatiæ deluſus concumbit? Iudas enim ad tondendas oues pergit, G quia Dominus ad exonerandas peccatorum ſarcinis fidelium animas, in carne viſibilis apparuit. Hoc eſt quod de ſanctis prædicatoribus eiuſdem Eccleſiæ, in Canticorum Cantico dicitur: Cant. 4. & 6. *Dentes tui ſicut grex detonſarum aſcendentium de lauacro.* Quid eſt autem, quod Iudas cum Thamar, habitu compoſitæ meretricis illuſus, concumbit? Qui ſi pro certo ſciret Thamar eſſe, nunquam proculdubio cum illa coïret. Quia enim Thamar non agnouit, ſed meretricem aſpexit, ideo ſe illi commiſcuit. Quomodo autem dicimus, meretricem aſpexit, cum habitu meretricis illuſus fuerit? Sed iam in voluntate cordis in habitu ſcorti meretrix erat, & ideo verum fuit quod Iudas aſpexit. Quodammodo enim non iam hoc mulier illa erat, quod Iudæ latebat, ſed hoc quod illi apparebat. Quid eſt inquam, quod Iudas Thamar ignorat, & quaſi cum meretrice concumbit: niſi quia in vna eademque Thamar Dominus noſter & ſynagogam quodammodo ignorans reſpuit, & Eccleſiam agnoſcens ſibi coniungit? Thamar enim illa, & ſynagogæ & Eccleſiæ typum portauit: H in eo ſcilicet quod duobus nequam coniuncta, ſynagogæ, quod Phariſæis & Saducæis inhæſerat: in eo autem quod habitu meretricio compoſita, Eccleſiæ typum portendebat. Quis in Ioſeph perſonam Chriſti Gen. 37. non attendat, in eo quod præcipue à patre ſuo diligitur, quod à Sole & Luna & vndecim ſtellis adoratur, quod à fratribus tunica polymita expoliatur: quod expoliatus, in lacum mittitur: quod extractus de lacu, Iſmaëlitis venditur: quod Dominus Ægypti conſtituitur, quod Saluator mundi vocatur? Gen. 41. Præcipuus enim amor Iacob erga filium ſuum Ioſeph, præcipuum Dei Patris amorem circa Chriſtum oſtendit. Cui ab ipſo dicitur: Matth. 3. & 17. *Tu es filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* A Sole & Luna & vndecim ſtellis Ioſeph adoratur, ſubaudis, Chriſtus ab Eccleſia, quæ ex perfectis atque imperfectis conſtat hominibus. Sol etenim perfectæ claritatis viros deſignat: Luna vero, quæ modo creſcit, modo decreſcit, adhuc imperfectæ, Vndenarius etiam ſtellarum numerus, im-

A perfectus oſtenditur. Iſtis luminaribus per Pſalmiſtam
Pſal.148. dicitur : *Laudate eum Sol & Luna, laudate eum omnes*
ſtellæ & lumen. Poſſunt proprie per vndecim ſtellas, per-
eunte Iuda, vndecim Apoſtoli deſignari, de quibus in
Matt.28. Euangelio ſcriptum eſt : *Vndecim autem diſcipuli abierunt*
in Galilæam, in montem vbi conſtituerat illis IESVS, *&*
videntes eum, adorauerunt. Exspoliatur Ioſeph à fratri-
bus tunica polymita, exuitur Dominus in cruce à Iu-
dæis, omnium virtutum varietate depicta tunica corpo-
rali. Mittitur Ioſeph in lacum, ponitur IESVS in ſepul-
chro. Extractus lacu Ioſeph, venditur Iſmaëlitis. Chriſtus
reſurgens de ſepulchro gentibus prædicatur. Conſtituitur
Ioſeph Dominus ſuper Ægyptum, Chriſtus principatum
Pſal.2. accipit ſuper omnem mundum. Cui & dicitur : *Poſtula*
a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſio-
nem tuam terminos terræ. Iam vero quod Saluator mundi
Ioſeph vocatur, quis in Chriſto impletum non gratula-
Exod.2. & 14. tur ? Quis in eo redemptorem noſtrum figurari non in-
B telligat, quod Moyſen ad ripam fluminis filia Pharaonis
excipit, quod idem percuſſo Ægyptio, Hebræo vltionem
facit : quod filios Iſraël per mare rubrum ad manna veſ-
cendum perducit ? Filia enim Pharaonis Moyſen ad ri-
pam fluminis excipit, quia videlicet electorum Eccleſia
in Sacramento baptiſmatis Chriſtum induit. Percuſſo
Ægyptio, Moyſes Hebræo vltionem facit : quia Domi-
nus, antiqui hoſtis virtute conſtacta, Eccleſiæ ſuæ de illis
triumphum præbet. Moyſes per mare rubrum filios Iſraël
ad manna veſcendum traiicit, quia mediator noſter ele-
ctos per baptiſmum ad percipienda corporis & ſangui-
nis ſui Sacramenta perducit. Quis in eo mediatorem Ec-
cleſiæ non accipit, quod Aaron mons fortitudinis voca-
tur, quod ſedentis ſuper petram manus Moyſi graues, Aa-
Exod.4. & 17. ron & Vr ſuſtentare perhibentur ? Quis enim alius intel-
ligitur per montem fortitudinis, niſi Dominus Ieſus
Iſa.2. Chriſtus de quo Propheta teſtatur, dicens : *Erit in nouiſ-*
ſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice
C *montium ?* Quid eſt autem quod Moyſes ſedet ſuper pe-
Exod.17. tram, niſi quia lex requieuit in Eccleſia ? Aaron, qui
mons fortitudinis dicitur : & Vr, qui incendium voca-
tur, manus Moyſi graues ſuſtentant, niſi quia mediator
noſter atque eius ſpiritus, grauia legis præcepta per gra-
tiam ſpiritalem leuia reddunt ? Quis in eo Chriſtum non
ſentiat, quod Ioſue IESV nomen accepit, quod filios Iſ-
raël de deſerto ad terram repromiſſionis introducit, quod
illam eis ſorte diuidit ? Ioſue enim vt filium Dei in actu
Ioſ.2.3. &c. deſignet, ipſius etiam vocabulum ſumit. Quid itaque eſt,
quod Ioſue filios Iſraël de deſerto ad terram repromiſſio-
nis introducit, niſi quia Dominus noſter electos ſuos ex
huius vitæ penuria ad æternam requiem, de terra mo-
rientium ad terram viuentium perducit ? Quid eſt quod Io-
ſue terram repromiſſionis filiis Iſraël ſorte diuidit, niſi
quia mediator humani generis pro meritis ſingulorum
æternæ vitæ gaudia diſtribuit ? Quis in eo Saluatorem
mundi non accipiat, quod Iob dolens vocatur, quod à
D planta pedis vſque ad verticem vulneratur, quod poſt fla-
Iob.1. & 42. gella dupla ſubſtantia remuneratur ? De quibus poſt ſo-
nitum organi tibia rauca debet ſilere, ego videlicet poſt
Iud.6. & 7. beatum Gregorium, luculentiſſimum ipſius viri ac po-
tentiſſimum expoſitorem. Quis non intelligat redempto-
rem noſtrum in eo quod Gedeon, circumiens in vtero,
interpretatus ſonat, quod ſub arbore quercus tritici meſ-
ſem virga cædit, & à paleis frumenta excutit : quod ad
prælium cum trecentis pergit, eoſque in manibus tubas,
lampades atque lagenas habere iubet, & hac arte pug-
nandi aduerſarios in fugam vertit ? Gedeon itaque (vt
diximus) interpretatur in vtero circumiens. Et quid eſt
quod in vtero circumiens vocatur, niſi quia omnipotens
verbum, Deus ac Dominus noſter Ieſus Chriſtus, & in-
tra vterum Virginis fuit per infirmitatis ſubſtantiam, &
extra mundum per potentiam maieſtatis ? Quid eſt quod
Gedeon ſub arbore meſſem tritici virga cædit, & à paleis
frumenta excutit, niſi quia Dei filius ſub vmbra ſacra-
tiſſimæ crucis, prædeſtinato futuræ incarnationis myſte-
rio conſtitutus, rectitudine iudicij quaſi per virgam, ele-
ctionem ſanctorum à vitiorum paleis ſequeſtrabat ? Quid
eſt quod Gedeon ad prælium cum trecentis pergit, niſi E
quia mediator humani generis, cum his qui perfectam
Trinitatis cognitionem habent, mundi gloriam ſternit ?
Solet enim plerumque in centenario numero, plenitudo
perfectionis intelligi. Centenarius ergo in illis bellatori-
bus ter ductus, perfectam Trinitatis agnitionem deſig-
nat. Cum his quippe Dominus noſter aduerſarios fidei
ſtrauit, qui poſſunt diuina cognoſcere, qui ſciunt de Tri-
nitate quæ Deus eſt, perfecte ſentire. Itum eſt igitur ad
prælium cum tubis, cum lampadibus, cum lagenis, atque
iſte fuit ordo pugnandi : Cecinerunt tubis, intra lagenas
abſconderunt lampades, fractis lagenis, oſtenderunt lam-
pades : quarum coruſcante lumine hoſtes territi, in fu-
gam vertuntur. Quæ niſi aliquid ſpiritale deſignarent, ri-
ſui apta iudicarentur. Deſignatur itaque in tubis clamor
prædicationis, in lampadibus autem claritas miraculo-
rum, in lagenis vero fragilitas corporum. Tales quippe
dux noſter contra hoſtes ſuos elegit, qui deſpecta ſalute
corporum, moriendo repugnantes proſternerent, eorum- F
que gladios non armis, ſed patientia ſuperarent. Armati
enim venerunt ſub duce ſuo ad prælium martyres Chri-
ſti, ſed tubis, ſed lagenis, ſed lampadibus. Qui ſonuerunt
tubis, dum prædicauerunt : confregerunt lagenas, dum
ſoluenda in paſſione ſua corpora hoſtilibus gladiis oppo-
ſuerunt : reſplenduerunt lampadibus, dum poſt ſolutio-
nem corporum miraculis coruſcarunt. Moxque hoſtes in
fugam verſi ſunt, dum mortuorum martyrum corpora
miraculis coruſcare conſpicerent, luce veritatis fracti,
quod impugnauerant, crediderunt. Cecinerunt ergo tu-
bis, vt lagenæ frangerentur : fractæ ſunt, vt lampades
apparerent ? apparuerunt lampades, vt hoſtes in fugam
verterentur, id eſt, prædicauerunt martyres donec eorum
corpora in morte ſoluerentur : corpora eorum in morte
ſoluta ſunt, vt miraculis coruſcarent : coruſcauerunt mi-
raculis, vt hoſtes ſuos ea diuina luce proſternerent. Quis Iud.11.
non intelligat Chriſtum in eo, quod Iepthe Galaadites fu-
giens à facie fratrum ſuorum, conſtituitur in principem,
vt pugnet pro Iſraël contra exercitum filiorum Ammon: G
quod filiam ſuam, vt victoriam de aduerſariis capiat, do-
mino vouit & ſoluit ? Quid itaque eſt quod Iepthe à fa-
cie fratrum ſuorum fugiens, vt contra filios Ammon pu-
gnet, in principem conſtituitur : niſi quia ſaluator noſter
à conſpectu plebis Iudæorum ſe ſubtrahens, vt aduerſa-
rios Eccleſiæ deſtruat, in gentibus principatum ſortitur ?
Quid eſt quod Iepthe vnicam filiam, vt triumphum de
hoſtibus capiat, in ſacrificium vouit & ſoluit : niſi quia
mediator humani generis, omnia humanæ ſalutis Sacra-
menta tanquam iuratus expleuit : & quaſi filiam, ita car-
nem propriam pro ſalute credentium Deo Patri obtulit ?
Iuraſſe enim Patri ac vouiſſe vnigenitum ſcimus, Pſalmi-
ſta atteſtante, qui ait : *Sicut iurauit Domino, votum vouit* Pſal.131.
Deo Iacob, ſcilicet vt Sacramentum religionis, in paſſione
ſuæ carnis pro ſalute generis humani expleret. Quis non
agnoſcat redemptorem noſtrum in eo, quod Samſon ſo-
lis vocabulum accepit, quod Nazareus fuit, quod inimi- H
cos ſuos ludens & moriens ſtrauit ? Samſon enim inter- Iud.13. & 16.
pretatus, ſol vocatur. Et quis per hunc niſi ille deſigna-
tur, de quo per Prophetam dicitur : *Vobis qui timetis Do-* Malac.4.
minum, orietur ſol iuſtitiæ ? Et Zacharias : *In quibus viſi-* Luc.1.
tauit nos oriens ex alto. Nazareus Dei Samſon appellatur: Matth.2.
& Euangeliſta de Domino teſtatur, quoniam Nazareus
vocabitur. Quid eſt autem quod Samſon ludens & mo-
riens inimicos ſuos interficit, niſi quia Chriſtus ſputis il-
litus, facie velatus, veſte purpurea circundatus, ſpinis co-
ronatus, & ad extremum clauis cruci affixus, incredulas
nationes ſua morte deuicit ? Quis non attendat Chri- Ruth.4.
ſtum in eo, quod Booz Ruth Moabitidem in coniugium
ſumit ? Quid enim aliud eſt quod Booz Ruth Moabiti-
dem vxorem accipit, niſi quia Dominus noſter Eccle-
ſiam ſibi ex gentibus vniuit ? Bene autem ad portam ci-
uitatis Booz Ruth ſibi deſpondit, quia ſecundum Apoſto- Heb.13.
lum, IESVS vt populum ſanctificaret, extra portam cruci- 1. Reg. 2. & 3.
figi voluit. Quis non agnoſcat verum & æternum Pon-
tificem in eo, quod Samuel, Eli reprobato, in ſacerdo-
tem aſſumitur, quod in verum ſacerdotem ſuſcitandus

A prædicitur ? Geſſit etiam Saul reprobus rex typum re-
demptoris io eo, quod primus in plebe Iudaïca Chriſtus
1.Reg.10. Domini appellatus eſt, & ab ipſo deinceps reges Chriſti
Ioan.3. Domini vocati, quod dum vngeretur, melior cunctis io-
uentus, quod ab humero & ſupra eminentior omnibus.
1. Reg. Saul itaque primus in plebe Iudaica Chriſtus Domini vo-
16. & 17. catur, & ab eo in reliquis regibus nomen hoc frequenta-
tur. Et Dominus noſter primus in plebe Chriſtiana oleo
ſpiritus Sancti inunctus, eandem vnctionem ad poſteros
tranſmiſiſſe cognoſcitur. Vnde & à Chriſto, Chriſtiani
iure vocamur. Saul dum vngitur, melior cunctis in illa
generatione iouenitur: & Dominus dum non ad men-
ſuram ſpiritum accipit, ſed omni plenitudine diuinitatis
afflatur, in cuncti ſæculi, generationibus virture ſanctita-
tis omnes præire videtur. Saul ab humero & ſurſum emi-
oet omnibus, quia caput noſtrum ſurſum eſt ſupra nos,
quod eſt Chriſtus. Quis non intelligat redemptorem
mũdi in eo deſignari, quod Dauid manu fortis oues paſcit,
B quod leonem & vrſum interficit, quod relictis ouibus ad
regnum hominum tranſit, & plura huiuſmodi in eius
actione figuraliter demonſtrata ? Daoid enim manu for-
Pſal.23. tis, illum exprimet, de quo Pſalmiſta ait: *Dominus fortis
& potens, Dominus potens in prælio.* Dauid oues paſcit,
quia Dominus noſter in carne apparens, plebem Iudaï-
Matt.15. cam docet. Vnde & dicit: *Non ſum miſſus niſi ad oues
quæ perierunt, Domus Iſraël.* Dauid leonem & vrſum
interfecit, quia redemptor humani generis, antiquum ad-
uerſarium atque huius ſæculi noxiam virtutem ſua forti-
tudine confregit. Dauid Goliam lapide deiicit, quia in-
carnata Dei ſapientia, hoſtem antiquum prædicantium
fortitudine proſternit. Dauid, relictis ouibus, ad regnum
3.Reg.6. hominum tranſit; quia Chriſtus, abiecta plebe Iudaïca,
7.8.9.10. ad gubernandam Eccleſiam ex gentibus peruenit. Quis
non accipiat Chriſtum in eo quod Salomon templum
Domino ædificauit, quod pacem habuit, quod ſapien-
tiſſimus fuit, quod vultum eius omnis terra deſiderauit,
& audire ſapientiam eius concupiuit ? Ædificauit enim
C Salomon templum Domini, ædificauit Chriſtus Eccle-
Prou. 9. ſiam, ſicut ſcriptum eſt: *Sapientia ædificauit ſibi domum.*
Ille de lapidibus, iſte de ſanctis animabus, quibus & per
1.Cor.3. Apoſtolum dicitur: *Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis
vos.* Pacem habuit Salomon lo plebe Iudaïca ſuis die-
bus; pacem habet Chriſtus in Eccleſia cunctis diebus.
Pſal.71. De quo nimirum per Pſalmiſtam dicitur: *Orietur in die-
bus eius iuſtitia & abũdantia pacis, donec extollatur luna,
& dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſq; ad
terminos orbis terrarum.* Hæc certe non illi Salomoni, ſed
Domino cooueniunt Ieſu Chriſto. Non enim pax illius
Salomonis, dooec extollatur luna, permanſit, ſed Domini
redemptoris permanebit. Nec ille vſque ad terminos or-
bis terræ dominatus eſt, ſed noſter verus Salomon, qui to-
tum orbem adeptus eſt. Sapientior fuit Salomon illo tem-
pore cunctis hominibus, ſapientior manet Chriſtus toto
Col.2. in tempore omnibus Angelis & hominibus. De quo ſcri-
ptum eſt: *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ
D abſconditi.* Deſiderauit omnis terra vultum Salomonis, à
toto pars terræ deſignata illo in tempore: deſiderat faciem
Chriſti vniuerſa terra, à toto tota expreſſa omni io tem-
Pſal.44. pore, ſicut ſcriptum eſt: *Vultum tuum deprecabuntur om-
nes diuites plebis.* Concupiuit omnis terra ſapientiam Sa-
lomonis audire; concupiſcit & Chriſti. Illam tanquam
per ſeruum prolatam, hanc tanquam per Dominum alla-
tam. Quis non aperte in eo videat Chriſtum, quod Elias
paſcendus ad alienigenam viduam mittitur, quod ad cœ-
3.Reg.17. lum euehitur ? Mittitur Elias ad alienigenam viduam, vt
4.Reg.2. ab illa paſcatur, mittitur Chriſtus ad Eccleſiam, vt bonis
eius operibus delectetur. De qua nimirum per Pſalmi-
Pſal.131. ſtam dicitur: *Viduam eius benedicens benedicam.* Quæ be-
ne duo ligna colligere volebat, quia proculdubio virtu-
tem ſacratiſſimæ crucis inuenire cupiebat. Euehitur Elias
4.Reg.2. ad cœlum aërium, Chriſtus eleuatur ad cœlum æthe-
.4. rium. Quis non amplectatur mundi redemptorem in eo,
quod Eliſæus Dei ſalus vocatur, quod aſcendens Bethel,
à pueris inſultatur: quod baculum ſuum, vt mortuus puer
reuiuiſceret, per ſeruum miſiſſe perhibetur: ſed puero ne-
quaquam reuiuiſcente, per ſemetipſum veniſſe ac mor- E
tuum reſuſcitaſſe docetur ? Cui enim aptius conuenit no-
men ſalutis dici, quam Domino IESV CHRISTO, per
quem ſaluatus eſt mundus ? Quid eſt autem, quod Eli-
ſæum aſcendentem Bethel pueri ioſultant, niſi quia me-
diatorem noſtrum ſingulis diſpenſationis ſuæ paſſionibus
ad domum Dei, videlicet non manufactam, æternum in
cœlis, tendentem, Iudæi derident ? Vnde & hunc aſcen-
dentem in cruce, blaſphemant: blaſphemantes, capita
mouent: mouentes capita, dicunt: *Vah qui deſtruis tem-* Matt.27.
plum, & in triduo illud reædificat. Quod autem pueri aſ-
cendentem Eliſæum caluum vocant, illam in CHRISTO
deriſionem exprimunt, qua ipſius caput milites Pilati, vt
tanquam decaluatum oſtenderent, velauerunt. Miſit in- Matt.27.
terea Eliſæus per ſeruum baculum ſuper extinctum pue-
rum, & non reuixit: venit ipſe, coniunxit & coaptauit
ſe corpori eius, & reuixit: quia videlicet Dominus no-
ſter miſit legem per Moyſen, nec profuit in peccatis mor-
tuo generi humano: venit ipſe, deſcendit cum gratia, hu- F
miliauit ſemetipſum, aſſumpſit mortalitatem noſtram, &
rediit ad vitam homo peccator. Recte quoque & in his
quæ ſentiunt, viuunt & intelligunt, ab Adam incipientes,
ad Eliſæum vſque peruenimos: vt oſtenderemus hoc per
myſterium fuiſſe, Adam dormiente de latere eius vxorem
proceſſiſſe: quod fuit, Eliſæum ſuper mortuum puerum
incubaſſe, & eundem puerum à mortuis reuixiſſe. Cum
vero per cœleſtem, æque inſenſibilem, intellectu vitaque
carentem ſubſtantiam, mediatoris noſtri perſona ſigna-
tur, modo per nubem, modo per ſtellam communis vo-
cabuli, modo per luciferum habentem proprium vocabu
lum, modo exprimitur per ſolem. Quia enim populum Exod.13.
per deſerta gradientem nubes præiſſe narratur, digne per Num.9.
hanc mediatoris noſtri perſona figuraliter expreſſa narra-
tur. Qui videlicet niſi per ſtellam quoque commuois vo-
cabuli ſignaretur, nequaquam de illo per Balaam ariolum
Dei ſpiritus loqueretur, dicens: *Orietur ſtella ex Iacob.* Et Iob.38.
niſi per luciferum habentem proprium vocabulum expri- Gal.4.
meretur, minime de illo ad ſanctum Iob diceretur: *Nun-* Malac.4.
quid produces luciferum in tempore ſuo? Tanquam dicere- G
tur, vt ego. Pater etenim luciferum in tempore ſuo pro- Exod.23.
duxit: quia videlicet, ſicut ſcriptum eſt, *Cum venit ple-
nitudo temporis, miſit Deus filium ſuum, factum ex
muliere.*

Niſi quoque per ſolem ipſe intelligeretur, nequaquam
per Prophetam vox diceret: *Vobis qui timetis Dominum.
orietur ſol iuſtitiæ.* Cum autem per ſenſibilem creaturam,
intellectum vitamque habentem figuratur, in eius pro-
culdubio expreſſione Angelus aſſumitur. Vnde & Moyſi
de eo qui ſibi apparuerat, idem Dominus dicit: *Eſt no-
men meum in illo.* Ecce quam multa quæ mediatori no-
ſtro figuraliter conueniant in terrenis rebus, & quam pau-
ca in cœleſtibus. Sed quanto rariora ſunt in myſticis ſig-
nificatiooibus inuenta, tanto frequentius in hac cœleſti
reuelatione per Ioannem inculcata. Nam cum aduen-
tum mediatoris in carne, ſæpius recapitulando frequen-
tat: per Angelum hunc figuraliter deſignat. Vt quid hoc, H
niſi quia eminentiorem aliis hanc prophetiam demon-
ſtrat, quæ Dominum huberius quam aliæ, per cœleſtem
creaturam figurat? De quo videlicet per eundem Ioannem Apoc.
apte nunc dicitur: cap.16.

*Et vidi alium Angelum fortem, deſcendentem
de cælo, amictum nube: & iris in capite
eius.*

De qoo etiam iuxta ſeptuaginta interpretes legimus,
Vocabitur nomen eius, magni conſilij Angelus. Bene autem Iſa.9.
mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus, Angelus Malac.2.
vocatur: quia videlicet æternæ vitæ nouus ountius homi Pſal.89.
nibus apparens, noua nuntiauit, noua promiſit, noua ſuis
fidelibus contulit. Si enim membra illius, Angeli vo-
cantur ſecundum illud, *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcien* Malac.2.
*tiam, & legem requirunt de ore eius, quia Angelus Domin.
exercituum eſt*: cur non caput membrorum: Angelus

vocetur

A vocetur Angelorum? Recte etiam fortis dicitur, quia aërias poteſtates moriendo viciſſe probatur. Vnde & illis interrogantibus, quis eſt iſte rex gloriæ, reſponſum nouimus: *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.* In eo autem quod alium Angelum Ioannes vidiſſe ſe dicit, non eſt rei diuerſitas, ſed ordo viſionis ſed conſuetudo recapitulationis. Alium enim Angelum vidit, quia aliam viſionem ſub alio intellectu enarrandam reperiuit. Sic & Paulo ſuperius egit, cum de Domino dixit: Et alius Angelus venit, & ſtetit ante altare. Sic etiam pleriſque in locis inferius agit, Nube autem amictus apparuit Angelus: quia nimirum carne indutus, inter homines viſus eſt Dominus. De qua videlicet corporis eius nube per
Iſa.19. Prophetam dicitur: *Ecce ſedit Dominus ſuper nubem leuem, & ingredietur in Ægyptum.* Recte quoque non grauis, ſed leuis nubes dicitur, quia videlicet redemptoris caro nullo pondere peccatorum grauatur. Cuius nimirum de cœlis ad terras deſcenſio, ipſa eſt carnis aſſum-
B ptio. Qui enim ſua diuinitate non localis, ſed totus ſine locis vbique eſt, nequaquam de loco ad locum tranſit: ſed (vt dictum eſt) deſcendere ei de cœlo, fuit humilita-
Pſal.8. tis noſtræ carnem aſſumere: & iuxta Pſalmiſtam &
Hebr.2. Apoſtolum, *paulominus quam Angelus minorari.* Cuius
1.Cor.11. etiam diuinitas iure per caput Angeli exprimitur, quia & Paulus hoc ipſum teſtatur, dicens: Caput Chriſti Deus. Iris autem, ſicut & ſupra iam diximus, Græca Latinaque conſuetudine, arcus vocatur, qui diuerſis coloribus in nubibus apparere videtur. Et quid per hanc niſi mundi reconciliatio, quæ per incarnati verbi diſpenſationem facta eſt, intelligitur? Hoc enim indicat effectus ipſius iris. Nam arcus in nube tunc fit cum radiis ſolis imbrifera nubes fuerit illuſtrata. Sole igitur nubem illuſtrante, iris (id eſt, arcus) apparuit, quia videlicet cum Patris verbum, quod candor eſt lucis æternæ ac ſol iuſtitiæ, carnem aſſumpſit pro mundo, ipſa carnis aſſumptio, reconciliatio facta eſt mundi. Hinc enim aquis diluuij mun-
C do deleto, miſericordia motus, ad Noë Dominus dicit:
Gen.9. *Cum obduxero cœlum nubibus, apparebit arcus meus, & recordabor fœderis ſempiterni, vt non inducam aquas diluuij vltra ſuper terram.* Poteſt autem per irin quæ (vt dictum eſt) arcus vocatur, geminum mediatoris noſtri iudicium, quo mundum examinat, intelligi. Arcus enim cum in nube apparet, ex parte eſt cæruleus, & ea parte rubicundus: qui nimirum colores, aquæ, & ignis ſpeciem reddunt: In aqua igitur diluuium præcedens, in igne vero concrematio ſæculi ventura demonſtratur. Poteſt etiam per irin, quæ aquæ & ignis ſpeciem habet, non inconuenienter baptiſmum atque martyrium figurari, in aqua ſcilicet baptiſmum, in igne vero martyrium. Ne autem ſponſionis meæ factus immemor, mendacij notam incurrere videar, conſiderandum video hunc etiam diuinæ locutionis ordinem, quem vſus recapitulationis in hac ſibi reuelatione vendicat, vendicanſque iuxta humanam rationem præpoſterat: de quo propterea nihil dixeramus,
D quia terminus præcedentis libri hanc à ſe recapitulationē disiunxerat, vnde nec erat aliquid quod quæri debuiſſet. In præfatione etenim huius operis promiſiſſe me recolo, qui eſſet in hac Apocalypſi à Ioanne ordo ſeruatus, locis ſingulis demonſtrare. Deſcripto itaque nouiſſimæ perſecutionis certamine ac prætermiſſo ſeptimo Angelo, ſub quo finis perſecutionis ac Domini ſperatur ſecundus aduentus: ad initium incarnationis Chriſti, de quo modo tractauimus, redit: & prædicationem eius atque Eccleſiæ ipſius, ſicut ſequentia demonſtrabunt, quam ſit fortis, quam terræ marique perſpicua, deſcribit. Hac vero narratione decurſa, ad ea quæ paulisper omiſerat, potiuſve diſtulerat, enarrando decurrit. Meminerimus autem, cum hanc narrationem ad finem vſque perduxerit, deberi finem ordini conciſo ſubiungi. Locus enim ille quo in
Apoc.11. ſubſequentibus dicit, *Væ ſecundum abiit:* ad hoc ſubauditionem habet, quo præcedentis libri termino de nequiſſimorum equorum ac gentium perditione tractauimus. Et quidem in ſuperioribus vſque ad ſextum ſigillum ordinem cuſtodiuit, & prætermiſſo paulisper ſeptimo eadem recapitulando contexuit: ac duas narrationes in-

E terſerens, quaſi ordinem ſecutus, ſeptimo, concluſit. Hic autem præterquam ſolitus erat agens, ambas narrationes non vno fine, ſed duobus determinat: quia & ordinem prætermiſſum, & recapitulationem ſingulatim diſtinguit, ſicut poſt paululum manifeſtius apparebit. Hæc cauſa reddendi mihi debiti, breuiter dicta ſufficiant. Nunc ad propoſitum expoſitionis ordinem reuertamur: & quid de incarnata Dei ſapientia Ioannes dicat, audiamus. Sequitur:

Et facies eius erat vt ſol.

Quid itaque per faciem Angeli, niſi præſentiam Chriſti in carne debemus accipere? Per faciem enim quilibet agnoſcitur. Et niſi idem carnem aſſumeret, quis mortalium eum caperet? Hanc faciem Pſalmiſta manifeſtari poſcebat, dicens: *Oſtende faciem tuam, & ſalui erimus.* Abſit autem vt tantam faciei Chriſti tribuamus claritatem, quantam habere ſolem iſtum viſibilem cernimus, F Pſal.79.
præſertim cum & de membris ſuis ipſe dicat, *Fulgebunt* Matt.13.
iuſti ſicut ſol in regno Patris eorum. Et quidem erunt ele- Matt.22.
cti æquales Angelis Dei, non tamen filij Dei. Nam quod Matt.17.
in monte coram tribus diſcipulis transfiguratus, faciem ſuam in ſolis claritatem commutauit, futura membra ſua iam tunc in ſeipſo oſtendit. Cur ergo hoc in loco claritati ſolis facies tum & occaſum, & rurſum poſt occaſum: quia videlicet comparetur, attendamus. Sol itaque iſte viſibilis habet quod redemptor noſter in tempore habuit naſci per carnem, mori in carne, ac tertia die viuus apparere poſt mortem in carne. Quod nimirum Salomon myſtice deſignauit, cum diceret: *Oritur ſol, & occidit, & ad* Eccleſ.1.
locum ſuum reuertitur. Ibique renaſcens gyrat per meridiem, & flectitur ad aquilonem. Luſtrans vniuerſa in circuitu pergit ſpiritus, & in circulos ſuos reuertitur. Sol enim oritur, quia videlicet Chriſtus in carne naſcitur. Occidit autem, quia ipſa carnis aſſumptio ad paſſionem mortis
perducitur. Poſtquam vero ad occaſum peruenit, ad lo- G
cum ſuum reuertitur, vbi renaſcatur: quia humanitas ipſius, ex paſſione mortis ad gloriam reſurrectionis rediſſe probatur. Ibique renaſcens, gyrat per meridiem: quia reſurgens à mortuis, calore fidei & ſpiritus Sancti diſcipulorum corda tangens illuſtrat. Iure enim illi meridies vocantur, in quibus ſol iuſtitiæ ampliorem ſpiritus fudit calorem. Per meridiem quoque gyrans ad aquilonem flectitur, quia ad colligendam gentilitatem Apoſtolorum prædicatione perducitur. Recte namque per aquilonem frigidiſſimum ventum, gentilitas deſignatur: in qua ille prius dominabatur, qui in ſuperbiam elatus, dixiſſe probatur: *Ponam ſedem meam ad aquilonem.* Quod Iſa.14.
autem ſubiungitur, *luſtrans vniuerſa in circuitu pergit* Eccleſ.1.
ſpiritus, totus per hoc dictum mundus in electis prædi- Pſal.76.
catione Domini repletus oſtenditur. Vnde & eidem ſoli dicitur: *Vox tonitrui tui in rota*, illuxerunt coruſcatio- Ioan.4.
nes tuæ orbi terræ. Quodque ſol ſpiritus appellatur, manifeſte per hoc dictum redemptoris noſtri diuinitas inti- Eccleſ.1.
matur. Spiritus enim eſt Deus. Sol itaque pergens omnia H
luſtrat, cum Chriſtus notitiam diſpenſationis ſuæ ad cunctorum fidelium intelligentiam perducit. Illud etiam Rom.11.
quod ſubinfertur, & in circulos ſuos regreditur: poſt aggregationem omnium gentium, Iudaici populi conuerſionem demonſtrat, vt ſcilicet poſtquam vniuerſas mundi terras cognitionis ſuæ luce perfuderit, terram etiam illam de qua ortus eſt ſol iuſtitiæ illuſtret, ſicut ſcriptum eſt: *Donec plenitudo gentium introiret, & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret.* Huius rei intelligentia arbitror Salomonem duos ſolis circuitus intimaſſe. Et notandum quod idem Salomon, vt myſtica deſignet, duos ad ortum ſolis regreſſus, narrat, cuius vnum tantum occaſum deſignat. Poſſunt quoque facie Angeli ſolis claritate fulgente, hoc in loco membra noſtri redemptoris intelligi, non ſcilicet qualia nunc in terris ſunt, ſed qualia in cœlis quandoque cum Angelis futura ſunt. Vnde & hoc quod præmiſimus, Dominus dicit: *Tunc iuſti fulgebunt ſicut ſol in re-* Matt.13.
gno Patris eorum. Quia enim Dominus & Eccleſia vna perſona eſt, non inconuenienter ipſi in facie Angeli vt

A ſol fulgere perhibetur. Hinc ipſa vnius corporis perſona Iſa. 61. in Iſaia loquitur, dicens: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me veſtimento ſalutis, & indumento iuſtitia circundedit me quaſi ſponſum decoratum corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis.* Sequitur:

Et pedes eius quaſi columna ignis.

Nil congruentius in pedibus Angeli, quam ſanctos prædicatores accipimus. Iſtis etenim pedibus totum (vt ita dixerim) mundum incarnata Dei ſapientia perambu-
Marc. 16. Iſa. 52. lauit, ſicut ſcriptum eſt: *Illi autem profecti, prædicauerunt vbique, Domino cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* Hinc Iſaias Propheta cum Dominum in
Rom. 10. carne loquentem introduceret, dicens: *Propter hoc ſciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipſe qui loquebar, ecce adſum:* continuo ſubiunxit, *Quam pulchri*
B *ſuper montes pedes annunciantis bonum, prædicantis pacem, annunciantis bonum, prædicantis ſalutem?* Pulchri, ſubaudis pedes illius, qui ſuper montes annuntiat & prædicat pacem, annuntiat bonum, prædicatque ſalutem, id eſt, Dei ac Domini Ieſu Chriſti, qui ſanctorum prædicatione tanquam pedibus, huius ſæculi poteſtates ſibi proſtrauit. Qui bene etiam columnæ & igni comparantur: quia & in ore columnatum ſuperimpoſitum ædificium Eccleſiæ portant, & ſpiritu Sancto accenſi, auditorum corda ad amorem Dei prædicando inflammant. Quia enim colum-
Gal. 2. næ ſint, teſtatur Paulus dicens: *Cum veniſſent Hieroſolymam, Petrus & Iacobus & Ioannes qui videbantur columnæ eſſe, dextras dederunt mihi.* Hinc & Pſalmiſta Domi-
Pſal. 72. num loquentem introducens, ait: *Ego confirmaui columnas eius.*

Quia vero ignis vocentur, Zacharias indicat, qui ex
Zach. 12. perſona Domini dicit: *In die illa ponam duces Iuda ſicut caminum ignis in lignis, & ſicut flammam ignis in fœno, &*
C *deuorabunt ad dexteram vel ad ſiniſtram omnes populos*
Act. 2. *in circuitu.* Sed nec mirum: quia enim ſpiritus Sanctus ſuper primos Eccleſiæ prædicatores in igneis linguis deſcendit, eoſque in amorem conditoris & intus flammauit, & foris loquentes reddidit, iure per ignem idem eos ſpiritus Sanctus deſignauit. Quia igitur ad prædicationem mittuntur, recte pedes: quia autem ad amorem Dei quibus prædicant accendunt, bene ignis: quia vero ſuper eos ædificium Eccleſiæ conſtruitur, Apoſtolo di-
Eph. 2. cente, Superædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, digne columnæ vocantur. Sequitur:

Et habebat in manu ſua libellum apertum.

In manu Angeli quid aliud, quam diſpenſationem noſtri redemptoris intelligimus? Manus enim illius, operatio noſtræ ſalutis, in libello autem aperto, noui Teſtamenti gratia declarata monſtratur. Si enim in libro ſupe-
D rius ſignato, veteris Teſtamenti profunda cognoſcuntur latuiſſe ſecreta: apte nunc in libello aperto, noui Teſtamenti reuelata claruiſſe ſignatur gratia.

Et notandum quod niſi prius facies Angeli vt ſol refulſiſſet, libellum apertum in manu non tenuiſſet. Quandiu enim velameo ſuper faciem Moyſi erat, liber inuolutus ac ſigillatus manebat: At vero de cœlo deſcendens, velamen abſtulit, & claritate vultus ſui librum aperuit: quia nimirum mediator noſter in carne apparens, obſeruantias legis euacuauit, & gratiam noui Teſtamenti in ſemetipſo adimpletam declarauit. Inde & in manu eius liber apertus oſtenditur, ſubaudis, in eius diſpenſatione omnis ſcripturarum ſumma congruo tempore reuelata. Hinc iam corpus eius quod eſt Eccleſia, reuelata facie gloriam Domini ſpeculari perhibetur, Paulo atteſtante
2. Cor. 3. qui ait: *Nos autem reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu.* Sequitur:

E

Et poſuit pedem ſuum dextrum ſuper mare, ſiniſtrum autem ſuper terram.

In qua ſententia diſtinctio prædicatorum & temporum oſtenditur. Per dextrum etenim pedem illa deſignantur membra, quæ nullius aduerſitatibus franguntur, nullis ſucceſſibus extolluntur, quibus nil ſiniſtrum nocet, quia à dextris & ſiniſtris armata incedunt: quique iuxta Pſalmiſtam, de huius ſæculi blanditiis vel terroribus, proſperis vel aduerſis, lucris vel damnis, dicunt: *Sicut tenebræ eius, & ita lumen eius.* Pſal. 138.

De his fortiſſimis Eccleſiæ membris à Domino dicitur: *Serpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit.* Marc. 16. Tales itaque ſuper mare ponuntur, quia diuina modificante diſcretione, ad perferendas malorum hominum corporales perſecutiones aptantur. Quibus rurſum dicitur: *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſuper ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici.* F Luc. 10. Matt. 14. Hinc Petrus typice à Domino ſuper mare ambulare iubetur, vt ſcilicet hoc in facto oſtenderetur, ſic tumentes ſæculi fluctus fortiora membra calcare. Sed ne ſua virtute quiſquam hoc præſumeret, ideo Petrus permittitur paululum mergi. Per ſiniſtrum autem pedem quid aliud, quam pacis tempore prædicatores intelligimus? Dei enim omnipotentis verbum, iuxta viciſſitudinem temporum ſic diſpoſuit Eccleſiæ membra, fortiora ſcilicet ſuper fluctus maris, infirmiora vero ſuper terræ ſoliditatem conſtituens. Et quanto acriora perſecutionis tempora incurrerunt, tanto fortiora membra ad corporis ſaluationem præparauit. Vnde quis dubitet eum, in fine ſæculi, quando acerrima omnium erit perſecutio, de qua & ipſe dicit, *Et erit tunc tribulatio qualis non fuit ab initio ſæculi vſque ad tempus illud, ſed nec fiet:* Matt. 24. fortiſſima etiam membra, ne eius impetu totum corpus frangatur, reſeruaſſe? G Sicut enim huius ſæculi principes, vbi impetus belli fortior eſt, fortiſſimos milites præparant: ſic cœlorum rex contra immanius pugnæ certamen, robuſtiſſima omnium membra præparabit. Poſito autem dextro pede ſuper mare, ſiniſtro vero ſuper terram, quid fecerit audiamus. Sequitur:

Et clamauit voce magna, quemadmodum cum leo rugit.

Bene vt leo rugiens Angelus clamat, quia Chriſtus qui per membra ſua loquitur, huius ſæculi eremo beſtiales hominum motus audacter deterret. In leonis vero rugitu, & terror & confidentia demonſtratur, ſicut ſcriptum eſt: *Leo rugiet, quis non timebit?* Amos 3. Et, *Leo fortiſſimus beſtiarum, ad nullius pauebit occurſum.* Prou. 30. In quibus videlicet ſententiis, prædicatores Eccleſiæ & minas de futuro iudicio poteſtatibus huius mundi intentare, & nequaquam eorum aduerſitatem formidare declarantur. H Et quomodo beſtiales hominum in manſuetudinem verterent, niſi intrepidi minas intentarent? Hinc eſt quod Marcus Euangeliſta, & ſuam & Euangeliſtarum trium poſſidens formam, ſicut & ſinguli quadriformem habentes ſpeciem, leonis ſimilitudini comparatur. Poſt rugientis autem leonis clamorem, apta locutio ſubinfertur qua dicatur:

Et cum clamaſſet, locuta ſunt ſeptem tonitrua voces ſuas.

In vtriſque enim terror formidinis declaratur. Inter vtraque igitur poſitæ quid agerent beſtiæ? Leonis fortaſſe rugientis clamorem fugere quærebant, ſed nunquid mugentium de cœlis tonitruorum voces euadere poterant? Quid itaq; in ſeptem tonitruis, niſi hoc quod in clamore Angeli inſtar leonis rugientis accipimus, ſanctam videlicet ac diuini verbi prædicationem? Niſi enim in

A ſacro eloquio prædicationem ooſtræ ſalutis tonitrua figu-
rarent, nequaquam Pſalmiſta diceret Deo: *Vox tonitrui*
Pſal. 76. *tui in rota.* Vox enim tonitrui Dei in rota iuuenta eſt,
quia videlicet ſacra eius eloquia totum orbem terrarum
in electis ambiendo luſtrarunt. Vnde & de tonantibus
Apoſtolis dicitur: *In omnem terram exiuit ſonus eorum,*
Pſal. 18. *& in fines orbis terræ verba eorum.*
Hinc rurſum idem Pſalmiſta loquitur, dicens, *Intonuit*
Pſal. 17. *de cælo Dominus, & altiſſimus dedit vocem ſuam.* Tunc
namque de cælo Dominus intonuit, & altiſſimus vocem
ſuam dedit, cum die pentecoſtes ſuper centum viginti
homines cum ſonitu Spiritus ſanctus de cælo deſcen-
dens, vt omnium gentium linguis magnalia Dei loque-
rentur, in igneis linguis apparuit, ſicut in Actibus Apo-
ſtolorum ſcriptum eſt. *Factus eſt repente de cælo ſonus*
Act. 2. *tanquam aduenientis ſpiritus vehementis, & repleuit to-*
tam domum vbi erant ſedentes: & apparuerunt illis diſ-
pertiæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eo-
B rum, & repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto & cœperunt lo-
qui variis linguis, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui il-
lis. Hinc etiam per eundem Pſalmiſtam dicitur: *Vox Do-*
Pſal. 28. *mini ſuper aquas, Deus maieſtatis intonuit Dominus ſuper*
aquas multas. Vox quippe Domini ſuper aquas fit, ſubau-
dis verbum prædicationis eius ſuper credituros populos.
Quia enim aquæ populos ſignificent: in hac potiſſimum
Apoc. 17. reuelatione claret, vbi Angelica voce ad Ioannem dicitur?
Aquas quas vidiſti vbi meretrix ſedet, populi ſunt & gente
Pſal. 28. *& linguæ.* Quis autem iſte Dominus eſſet, aperuit dicens:
Deus maieſtatis. Et ne forte crediturarum gentium par-
uus numerus putaretur, addidit etiam, intonuit Dominus
ſuper aquas multas. De his Dei tonitruis in hac quoque
Apoc. 4. Apocalypſi longe ſuperius dicitur: *De throno procedunt*
fulgura & voces & tonitrua. Quid enim per thronum,
niſi vt ibi aperte docuimus, ſanctorum Eccleſia figuratur?
De qua procedunt fulgura, id eſt, miraculorum ſigna, &
voces & tonitrua, ſubaudis, ſanctarum ſcripturarum elo-
C quia. Hinc in libro beati Iob legimus: *Quis poterit ma-*
Iob. 26. *gnitudinem tonitrui illius explicare?* Tanquam ſubaudia-
mus, altitudinem ac profunditatem eloquiorum Dei nul-
lus ad plenum poteſt comprehendere. Vnde nec imme-
rito quibuſdam locis ipſa ſacra ſcriptura abyſſus vocatur,
quæ omnino immenſitatem magnitudinis habere perhi-
betur. Ideo autem poſt clamorem Angeli, in modum
leonis rugientis ſeptem mugientia tonitrua ponuntur:
quia nimirum ea quæ mediator noſter, Deus ac Domi-
nus Ieſus Chriſtus, per ſemetipſum docuit in terris, ea-
dem poſtmodum docendo per ſeptiformem ſpiritum mi-
ſit de cælis. Sed docente ſpiritu veritatis, ipſa veritas
docere non deſiit, quia & Paulus dicit: *An experimen-*
2. Cor. 13. *tum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus?* Ideo etiam
clamor Angeli nequaquam per ſeptem tonitrua exprimi-
Apoc. 4. tur, quia videlicet Dominus Ieſus Chriſtus non ſeptifor-
Apoc. 5. mis, ſed vnicus tantum patris filius appellatur. Clamor
vero ſpiritus propterea in ſeptem tonitruis oſtenditur,
quia proculdubio idem ſeptiformis prædicatur. Vnde &
frequenter in hac reuelatione cum ſit vnus idemque pa-
D tris & filij ſpiritus, in ſeptem ſpiritibus deſignatur. Sic
enim de illo in eo dicitur: *Et ſeptem lampades ardentes*
ante thronum, quæ ſunt ſeptem ſpiritus Dei. Et rurſum: *Vidi*
& ecce in medio ſedis & in medio ſeniorũ & in medio qua-
tuor animalium agnum ſtantem tanquam occiſum, habentem
cornua ſeptem & oculos ſeptem, qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei,
miſſi in omnẽ terrã. Singularis ergo Angeli clamor, propter
vnicum patris filium ponitur: Septem vero tonitrua, pro-
pter omnifariam Spiritus ſancti locutionem, vel ſeptifor-
mem eiuſdem ſpiritus operationem. Huius prædicatio-
nis, quæ vna ac ſeptiformis deſcribitur, appellari mihi
videntur filij Zebedæi Iacobus & Ioannes, quibus Do-
minus *Boanerges* nomen impoſuit: quod vtique inter-
pretatum dicitur, filij tonitrui. Hoc certe clamore An-
Marc. 3. geli vel leonis rugientis his mugientibus tonitruis totus
in electis formidauit & credidit mundus. Bene autem
ſeptem tonitrua non alienas, ſed ſuas voces loqui perhi-
bentur: quia videlicet ſancta prædicatio non Iudæorum
fabulas, non philoſophorum technas, non hæreticorum
verſutias in ſuis dogmatibus recipit, ſe propriis vt eſt E
ſenſibus edita, in auditorum cordibus ſemetipſam per
ſanctos prædicatores diffundit. Huic ſenſui propheta in
pſalmo concinit, dicens: *Eleuauerunt flumina Domine,*
eleuauerunt flumina voces ſuas. Quid enim aliud ſunt flu-
mina, quam doctrina ſpiritus ſancti? Vnde & Dominus
in Euangelio ait: *Si quis ſitit, veniat ad me & bibat, &* Pſal. 92.
qui credit in me, ſicut dixit ſcriptura, flumina de ventre Ioan. 7.
eius fluent aquæ viuæ. Ne autem aliud per hoc dictum,
quam quod præmiſimus, intelligere deberemus: expo-
ſuit Euangeliſta quid fluminum vocabulo voluiſſet expri- Ibidem.
mere, dicens: *Hoc autem dicebat de ſpiritu, quem accep-*
turi erant credentes in eum. Quod ergo Ioannes dixit, lo-
cuta ſunt ſeptem tonitrua voces ſuas: hoc Pſalmiſta in- Pſal. 92.
dicare ſtuduit, *eleuauerunt flumina voces ſuas.* Poſſunt
autem in ſeptem tonitruis ipſi etiam Apoſtoli figuratim
exprimi, per quos ipſa tonitrua mugiunt, ab eo ſcilicet
quod efficitur, illud quod efficit, ſcriptura ſacra demon-
ſtrante. Recte enim tonitrua vocantur, quia tonant. Hinc F
etiam Ioannes Baptiſta, qui voce prædicationis per de-
ſerta emanat, vocem ſe eſſe pronuntiat. Ait enim ioqui-
rentibus ſe ac dicentibus, tu quis es? *Ego vox clamantis*
in deſerto. Iure igitur Apoſtoli per tonitrua deſignantur,
quia videlicet alta & profunda, obſcura quoque & terri- Ioan. 1.
bilia loqui probantur. Digne etiam per ſeptenarium nu-
merum, quia proculdubio tria ſumma per quatuor infi-
ma, id eſt, trinitatem ſanctam quæ Deus eſt, per quatuor
mundi partes, ſeptiformi ſpiritu repleti prædicare mit-
tuntur. Septenarius etenim numerus ex impari & pari
conficitur. Primus quippe eius impar, ternarius eſt, pri-
muſque par, quaternarius. Siue autem tria per qua-
tuor, ſiue quatuor per tria ducamus, ad duodenarium
numerum peruenimus. Sed valde nodoſiſſima atque ad
ſoluendum perplexa nobis quæſtio generatur in eo quod
ſequitur:

G

Et audiui vocem de cælo dicentem mihi: Signa quæ locuta ſunt ſeptem tonitrua, & noli ea ſcribere.

Si itaque ſancta prædicatio iuxta hoc cæleſte impe-
rium ſcripta non fuiſſet, ad nos vnde veniſſet? ſi hoc
quod ſancti Apoſtoli locuti ſunt, literis non edidiſ-
ſent, illis de mundo recedentibus, quis nobis eorum di-
cta innuiſſet? An forte in ſeptem tonitruis non recte
vniuerſalem prædicationem intelleximus? Dicat quis
quod vult, intelligat quis quod vult. Ego certe iuxta
conſonantia ſcripturarum teſtimonia, quid aliud in his
intelligere deberem, non inueni, ſed nec illi qui ante
me iſta tractauerunt. Quamobrem quia ſacra Dei elo-
quia nec alium in his ſenſum oſtendunt, nec iſtum ab-
horrent, ſed affirmant: videtur nobis non omnimo-
dam, ſed quandam deſcriptionem hoc in loco intelligi de-
bere: ſicut in eo quod Dominus de Iudæis dicit, *Si non* H
veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non habe-
rent: non omne, ſed quoddam peccatum intelligi voluit,
quod non admiſiſſent niſi ille veniſſet, cum vtique non
poſſent eſſe ſine aliis peccatis, ſicuti etiam in eo quod
Ioannes ait: *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatũ non facit:*
non omne peccatum, ſed quoddam deſignare ſtuduit, Ioan. 15.
quod omnino non admittit, quiſquis ex Deo natus eſt, 1. Ioan. 5.
cum ſine aliis quamuis minimis, eſſe non poſſit, ipſo di- Ibidem.
cente: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, noſipſos*
ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Sic ergo (vt dixi-
mus) in hac prohibitione non omnis, ſed quædam deſcri-
ptio debet cognoſci. Cæterum quomodo illæ tonitruo-
rum voces, niſi ſtylo editæ, ſignarentur? Vbi ſi allego-
riam in ſigillo intelligimus, ſecundum quendam modum
ſacra Dei eloquia inuenimus ſcripta, ſecundum quen-
dam vero non ſcripta, ſed ſignata: quia videlicet & ſcri-
pta per literam, & non ſcripta per apertam intelligentiam,
quam claudunt allegoriarum ſigilla. Sed ſi hæc ita intel-
ligimus, omnes (quod abſit) Eccleſiæ tractatores contra

A imperium Dei egiſſe infamare conantur, qui bene omnium ſcripturarum diuitias, allegoriæ remouentes ſigilla, ſtylo propalarunt. Ne autem pluſquam decet, hanc quæſtionem in longum protrahamus, aperiamus breuiter quid de illa ſentimus. Ideo igitur aliquid nos ſub ſigillo claudimus, vt congruo illud tempore pandamus: nec cunctis, ſed quibus nos credere debere pro certo ſcimus. Quod autem palam ſcribimus, ad cunctorum notitiam, deducimus. Iubemur ergo (vt ſatis elucet) eloquiorum Dei Sacramenta non omnibus indiſcrete propalare, ſed ad menſuram & quaſi de ſub ſigillo, prout idoneos ad capiendum viderimus, ea cibum adminiſtrare: & aliis potum lactis dare, aliis vero ſolidum cibum adminiſtrare: & vt ita dixerim, pretioſa quæque non infantibus, ſed viris perfectis omnino credere: ſicque diſcreto moderamine cuncta temperare, quatenus ne aut nutriendis paruulis deſit potus lactis, aut ad perfectam ætatem viris perductis ſubtrahatur ſolidus cibus: & rurB ſum, ne aut ſolido cibo ſuffocentur paruuli, aut lactis potu langueſcant viri perfecti. Hanc diſcretionis regulam Dominus quoque in Euangelio ſeruandam docuit, cum Ioan. 16. iam paſſioni proximus, diſcipulis dixit: *Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo.* Ac ſi diceret: Ideo vobis theſauros altioris ſcientiæ reſoluto ſigillo non oſtendo, quia ad eos capiendos nequaquam vos idoneos cerno. Clauduntur etiam diuina Sacramenta ſub cuſtodiæ ſigno, ne pandantur minime credituris infidelibus: ne, dum ea non recipiant, irridere incipiant. Vnde Matth. 7. & Dominus diſcipulis ait: *Nolite mittere margaritas veſtras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus ſuis.* Dicatur igitur Ioanni, imo vnicuique prædicatori in Ioanne: Signa quæ locuta ſunt ſeptem tonitrua, & noli ea ſcribere. Ac ſi diceretur: Eloquiorum Dei Sacramenta ſic intra mentis ſecretum tege, quatenus ne hi qui non debent, ad cognitionem earum pertingant: & vt hi qui debent, cum diſcretione & moderamine eius notitiam capiant. Sequitur:

C *Et Angelus quem vidi ſtantem ſupra mare & ſupra terram, leuauit manum ſuam ad cælum, & iurauit, per viuentem in ſæcula ſæculorum, qui creauit cælum & ea quæ in illo ſunt, & terram & ea quæ in ea ſunt, & mare & ea quæ in eo ſunt, quia tempus amplius non erit. Sed in diebus vocis ſeptimi Angeli cum cæperit tuba canere, conſummabitur myſterium Dei, ſicut euangelizauit per ſeruos ſuos prophetas.*

Cum Dominus ab omni iuramento cohibeat fideles, D dicens: *Nolite iurare omnino, neque per cælum, neque per* Matth. 5. *terram, neque aliud quodcunque iuramentum: ſed ſit ſermo veſter, eſt, eſt, non, non: quod his abundantius eſt, a malo eſt:* quid ſibi vult, quod ipſe manum ad cœlum extendens, per viuentium in ſæcula ſæculorum iurat? Nunquid non dicta eius & acta, exempla ſunt ad imitandum credentibus poſita, niſi quia homines ſæpe in iuramento falluntur, ipſe vero qui eſt veritas, nunquam fallitur? Non enim homines à iuramento prohibuiſſet, ſi in eo peccatum deeſſe cognouiſſet.

Quid autem per manum Angeli intelligimus figurari, niſi (vt ſupra meminimus) diſpenſationem humanæ redemptionis? Manus enim ipſius, operatio eſt noſtræ ſalutis: quanquam & (ſi dici poſſit) idem filius dextera ſua ſit, ſicut cum Patris Verbum loquitur, ſeipſum inſinuat qui eſt Verbum Patris. De hac certe manu paterna voce Deut. 31. iuxta 70. dicitur: *Tollam in cælum manum meam, & iurabo per dexteram meam.* Ac ſi diceretur: Aſſumptam verbo carnem ad cœlos eleuabo & per vtramque naturam id eſt verbi & hominis, quæque futura ſunt roborabo. Quod autem in Deuteronomio pater, hoc in hac reuelatione filius facere perhibetur, quorum natura vna quorum poteſtas B vna, quorum operatio in diuinitate vna cognoſcitur. Leuare igitur ad cœlum manum Angelo fuit, redemptorem noſtrum ſua virtute ad ſedem paternam euehere carnem quam ex Virgine ſumpſit. Iurare vero eidem fuit per viuentem in ſæcula ſæculorum, ſeipſum quod eſt Verbum Patris, & carnem quæ totum hominem, quod conſtat ex carne & anima, demonſtrat, vnam perſonam Verbi & hominis Deum verum oſtendere. Vel certe idem filius, quia non à ſeipſo, ſed à Patre eſt, per viuentem in ſæcula ſæculorum iurat: quia omnia illi tribuit, à quo ſine initio æternaliter natus permanet. Quamobrem cum Pater per dexteram ſuam iurat, & ipſa dextera per Patrem iurat, æquales ſe per omnia eſſe demonſtrant. De quo vno & vero Deo recte nunc ſubditur: *Qui creauit cælum & ea quæ in illo ſunt, & terram & ea quæ in ea ſunt, & mare & ea quæ in eo ſunt.* Quibus nimirum vti aduerſus hæreticorum inſaniam aptiſſime conuenit, qui non verentur aſſerere, quędam à bono Deo, quædam vero à principe facta tenebra- F rum. Et alia quidem aſtruunt in creaturis bona, alia vero mala extitiſſe. Aptiſſime igitur hæc cœleſtis reuelatio, cuncta quæ in creaturis ſunt, ab vno Deo facta affirmat, dicens de illo: Qui creauit cœlum & ea quæ in eo ſunt, & terram & ea quæ in ea ſunt, & mare & ea quæ in eo ſunt: & vere concordans autoris ſui Euangelio, quo di- Ioan. 1. citur: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum hoc erat in principio apud Deum: omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Igitur ſi nihil factum eſt ſine ipſo, & omnia facta ſunt per ipſum, conſtat quia à minimis vſque ad maxima, à vermiculis vſque ad homines vel Angelos, cuncta per illum creata ſunt. Abſit autem vt à bono conditore mala crearentur, de quo ſcriptum eſt: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant* Gen. 1. *valde bona.* Quod autem idem Deus omnipotens in Iſaia loquitur & dicit, *Ego Dominus, faciens pacem & creans* Iſa. 45. *malum:* non ad conditionem creaturarum, ſed ad vitium G refertur male vtentis creaturæ, quibus bona Dei mala exiſtunt, ſicuti beſtiæ, ſerpentes, muſcæ, pulices & cætera, ſi qua ſunt ſimilia, humano generi contraria. His igitur duobus vel tribus ſcripturarum teſtimoniis confutata hæreticorum ſtultitia, videamus nunc quid Angelus per illud incommutabile Sacramentum iurans affirmat. Denique ſubinfertur, [*quia tempus iam non erit ſed in diebus vocis ſeptimi Angeli, cum cœperit tuba canere, conſummabitur myſterium Dei, ſicut euangelizauit per ſeruos ſuos prophetas.*] Septimus Angelus ac ſeptima tuba, finis eſt Eccleſiaſticæ prædicationis, in cuius conſummatione ſecundus Domini ac manifeſtus ſperatur aduentus. Vnde & inferius eodem ſeptimo Angelo tuba canente, Domino quoque ad iudicium apparente, dicitur: *Aduenit ira tua &* Apoc. 11. *tempus mortuorum.* Hinc & Apoſtolus dicit: *In nouiſſima* 1. Cor. 15. *tuba.* Canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti. Sed quærendum nobis eſt, ſi ſecundum hanc ſententiam, cum ſancta prædicatio finem acceperit, & ira Dei ac tempus mortuorum aduenerit, tempus iam non erit: quid ſibi H vult quod Pſalmiſta loquitur dicens: *Erit tempus eorum in* Pſal. 80. *æternum?* Nunquid nam contraria ſibi inuicem ſentiunt Dominus & Pſalmiſta? Sciendum proinde, quia & iuſtis quos ęternitas immortalitatis ſuſceperit, nequaquam tempus varietatis ſuccedet: iniuſtis vero, quos ęternus defectus aſſumet, quaſi tēpora mutabilitatis occurrent. Quia enim per momenta tempus deficit, nomine temporis congrue malorum defectus vocatur. Sine omnimodo namq; defectu deficient hi, qui à viſionis intimæ contēplatione ſeparātur. Quod ergo de iuſtis Dominus denegat, hoc de iniuſtis Pſalmiſta affirmat. Quamobrem in nouiſſima tuba nō malorū, ſed bonorū tempus defuturū prædicitur: qui cum ad æternitatē Dei peruenerint, nequaquam temporis mutabilitati vel miſeriæ ſubiacebunt, ſed ſtabili firmitate inhærendo æterno, fient etiam ipſi æterni. Illud autem quod ſubiungitur, Sacramentum Dei conſummari, non ad conſumptionem dictum, ſed ad perfectionem intelligere debemus, ſicuti finem conſummatum, non conſumptum: Conſummatur etenim Sacramentum Dei, quod perficiatur promiſſum, non quod deſinat ablatum. Quodque hæc

A per ſeruos eius prophetas euangelizata fuerint, nullus qui verba prophetarum legit, ignorat. Siquidem pene tota intentio prophetarum, principaliter de primo & ſecundo Domini aduentu ac conſummatione ſeculi, fuit. Quapropter cuius iam primus aduentus redemit electos, cuius nunc ſecundus ad regnum perducet redemptos, huius in hac perſecutione non incongrue myſterium dicitur conſummari. Sequitur:

Et audiui vocem de cælo iterum loquentem mecum, & dicentem: Vade & accipe librum apertum de manu Angeli, ſtantis ſupra mare & ſupra terram. Et abij ad Angelum, dicens ei vt daret mihi librum.

Ecce vox illa quæ paulo ſuperius vel propter minime credituros, vel propter credentes paruulos, voces loquen-
B tium tonitruorum claudere iuſſerat, nunc ad apertum librum quo certum eſt voces illas prodiiſſe, ſanctam Eccleſiam in ſuis prædicatoribus inuitat. Vox autem interna atque ſpiritalis intelligitur, qua Deus omnipotens prædicatorum corda inſtruit, vt legis & prophetarum in Chriſto manifeſtatam intelligant veritatem, quæ omnino
2 Cor. 3. perituris, vel in ſeptem tonitruis vel in ſeptem clauditur ſigillis. Hi etenim qui reuelata facie gloriam Domini ſpeculantur, ad apertum librum inuitantur. Hi vero quorum corda velamine teguntur, ſignatum ſeptem ſigillis librum, ſignataque & ea quæ ſeptem tonitrua loquuntur, vel videre vel audire probantur, quatenus vna eademque diuini Verbi prædicatio, aliis fit adapertio Sacramenti, aliis vero exiſtat adumbratio velamenti. Videtur etiam nobis, vocem illam de cœlo allatam, quæ ad apertum librum Eccleſiæ doctores inuitat, ipſum incarnatum Dei Verbum intelligi debere. Non autem mirum, ſi ipſe filius
C Dei, de ſeipſo tanquam de alio ad electos loquatur, cum
Ioan. 3. frequentiſſima ſit talis ſcripturarum locutio. Bene igitur vox non de terra, ſed de cœlo ſonuit: quia vt Ioannes dicit, *qui de terra eſt, de terra loquitur: qui autem de cœlo venit, ſuper omnes eſt, & quod vidit & audiuit, hoc teſtatur.* Recte vox de cœlo, quia nemo aſcendit in cœlum, niſi qui de cœlo deſcendit, filius hominis qui eſt in cœlo. Greſſus autem, quibus ſancta Eccleſia in ſuis prædicatoribus ad Angelum pergit vt libellum accipiat, non corporales, ſed ſpiritales ſentire debemus, mentis ſcilicet deſiderium, quo Deo propinquare videtur. Iſtis greſſibus nos ad ſe venire poſſe demonſtrat, qui iam non in terra
Matt. 11. per carnem ſermonem facit, ſed de cœlo clamare non deſinit: Ait enim: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Quia vero iubentis vocem paratiſſimus ſequitur effectus ſanctorum, recte ſubiungitur: [*Et abij ad Angelum, dicens ei vt daret mihi librum.*] Quia quoque is qui ad promiſſa inuitat, neminem fallit, bene etiam poſt petitionem euntis ſubinfertur:

D

Et dicit mihi: Accipe librum & deuora illum, & faciet amaricari ventrem tuum, ſed in ore tuo erit dulce tanquam mel. Et accepi librum de manu Angeli, & deuoraui eum, & erat in ore meo tanquam mel, dulcis. Et cum deuoraſſem eum, amaricatus eſt venter meus.

Acceptum librum deuorare, eſt ſcripturarum intelligentiam in ſecretis recondere viſceribus. Sancta autem ſcriptura aliquando cibus, aliquando vero potus eſt. In rebus enim obſcurioribus, quæ intelligi nullatenus poſſunt, niſi enodentur, cibus eſt. Quicquid enim exponitur vt intelligatur, quaſi manditur vt glutiatur. In rebus vero apertioribus, potus eſt. Potum enim non mandendo glutimus. Apertiora ergo ac manifeſta bibimus, quæ etiam non expoſita intelligere valemus. Quanquam autem ſancti prædicatores in Ioannis perſona iam tunc
E reuelata intelligerent de Domino ſcripturarum Sacramenta, tamen quia adhuc ea quæ in ipſo manifeſtata claruerant, qualiter ad eum pertinerent, expoſitione indigebant: nequaquam eidem Ioanni de ſacro apertoque libro dicitur accipe & bibe: ſed deuora. Ac ſi apertius diceretur: pertracta & intellige, id eſt, prius mande, & tunc degluti. Quod ſanctos Eccleſiæ tractatores poſtmodum diligenter feciſſe quis ignoret? Quorum volumina omnino tot, quot non ſumus qui legamus. De quo adhuc libello ſubiungitur: [*Et faciet amaricari ventrem tuum ſed in ore tuo erit dulce tanquam mel.*] Vt in myſticis ſolet locutionibus fieri, ordo iſte verborum præpoſterus inuenitur. Prius etenim in ore cibus aſſumitur & tunc demum in interiora ventris manſus traiicitur. Qui videlicet in principio huius verſiculi præpoſteratur, ſed in fine eiuſdem mutatur cum dicitur: [*Et accepi librum de manu Angeli, & deuoraui eum, & erat in ore meo tan-*
F *quam mel, dulcis, & cum deuoraſſem eum, amaricatus eſt venter meus.*] Ex ore ergo prædicatio emanat, de ventre vero ſtercora exeunt. Et qui alij per os Eccleſiæ niſi hi figurantur, qui in lege Domini meditantur die ac nocte:
niſi hi qui cum Pſalmiſta dicere probantur: *Quam dul-* Pſal. 1.
cia faucibus meis eloquia tua Domine ſuper mel & fauum Pſal. 118.
ori meo? Qui vero per ventrem; niſi carnales volupta- Th. a. vt apparet.
tibus dediti de quibus nimirum electi dicunt, *Adhæſit in terra venter meus?* Venter etenim in terra adhæret, cum carnales quibuſlibet terrenis cupiditatibus inhiant. In terra venter adhæret, cum reprobi peccatorum ſordibus tanquam in volutabro luti ſemetipſos coinquinant. Ex quorum videlicet numero plures inueniuntur, qui ea quæ ſancti prædicatores ediſſerunt, acuto ſubtilitatis ingenio percipiunt.

Tanquam enim per os in ventrem cibus manſus deſcendit, cum per ſanctos Eccleſiæ prædicatores diuinarum ſcripturarum notitia ad eos quoque peruenit, qui
terrenis cupiditatibus dediti carnaliter viuunt. Vnde & G
traiectus liber qui in ore tanquam mel fit dulcis, in ventre amareſcit. His etenim quibus terrenæ voluptates dulceſcunt, præcepta eloquia Dei amareſcunt. Quid
enim illis amarius, quam quod iubet Dominus, *Non* Exo. 20.
concupiſces vxorem proximi tui, non domum, non agrum, Deut. 5.
non ſeruum, non ancillam, non bouem, non aſinum, & vni- 1. Cor. 7.
uerſa que illius ſunt? Quid illis amarius, quam quod monet Apoſtolus Paulus, *Tempus reliquum modicum eſt, ſupereſt vt qui habent vxores: tanquam non habentes ſint: & qui emunt, tanquam non poſſidentes: & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur?* Quid illis amarius, quam quod cœleſtis magiſter dicit, *qui non odit patrem & matrem & vxorem & filios & fratres & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus:* Et
rurſum: *Si quis vult poſt me venire abneget ſemetipſum, &* Luc. 14.
tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me. Qui enim vo- Luc. 9.
luerit animam ſuam ſaluam facere perdet illam. Rurſum- Luc. 14.
que: *Qui non baiulat crucem ſuam quotidie & venit poſt* Luc. 13.
me, non eſt me dignus. Quid illis amarius, quam quod H
idem admonet Dominus, *Intrate per anguſtam portam, quia multi (dico vobis) quærent intrare, & non poterunt?* Poteſt autem per os ſimul & ventrem, vna eademque mens hominis deſignari. Vbi namque dulces vel amari ſunt cibi, niſi in ore? Vbi dulcia vel amara Dei eloquia, niſi in mente? Ac ſic quodammodo in his quæ animam oblectant, dulcia: in his vero quæ affligunt, amara occurrunt. Quid ergo & in ore tanquam mel dulcis, & in ventre amarus liber comeſtus fuiſſe perhibetur: tale eſt, quale ſi diceretur: Et in his quæ aſpera, gemens mœrebat. Et certe ſcriptura Sacra & os & ventrem plerumque vnum eſſe deſignat, id eſt, cordis interiora, mentis ſecreta, vbi vel dulcia amara ſunt Dei eloquia. Niſi enim per os interiora corda ſignarentur, nequaquam Pſalmiſta de reprobis diceret: In corde locuti ſunt mala. Et niſi per ventrem mentis ſecreta figurarentur, nequaquam Ieremias Propheta ventre ſe dolere
dixiſſet. *Ventrem meum*, ait, *ventrem meum doleo.* Quod Ierem. 4.
quia de ſpiritali ventre loqueretur, ipſe aperuit dicens:

A Ibid. *Senſus cordis mei conturbati ſunt.* Neque enim ad ſalutem populi pertinebat, ſi Propheta ventrem ſe corporeum doIere prædicaret.

Sed ventrem doluit, quia mentis afflictionem ſenſit. In ore igitur prædicantis tanquam mel dulcis fit liber, quia nimium mens eius vel in his quæ ſecreto legit, vel in his quæ publice aliis prædicat, delectatur. Sed citius in ventre amareſcit, quia proculdubio cum eandem prædicationem videt à plurimis contemni, eiuſdem mentis afflictionem ſentit. Hinc eſt quod beatus Paulus Euangelij dulcedine obiectatus, cum eandem mellifluam ſuauitatem Rom. 9 cerneret à Iudæis repelli, tactus dolore cordis, ait : *Triſtitia eſt mihi magna & continuus dolor cordi meo, optabam ipſe ergo anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem qui ſunt Iſraëlitæ.* Hinc Moyſes cum videret legem per ſe datam, ab eadem incredula natione deſpici, totus in mœrorem conuerſus ſeque Exod. 32. Domino humiliter proſternens, dicebat : *Si dimittis hanc* B *noxam, dimitte : ſin autem, dele me de libro in quo me ſcripſiſti.* Quaſi enim ſacra eloquia vni eidemque prædicatori & dulcia & amara ſunt, cum vnus idemque & delectatur in illis, quia iuſſa ſunt: & contriſtatur, quia à multis contempta. Vel certe acceptus liber & comeſtus in ventre fit amarus : cum doctor Eccleſiæ ipſa ſua locutione quoſdam pœnitentes atque conuerſos aſpiciens, mentis affectu illis conſungitur, quatenus iuxta egregium prædicatorem doleat cum dolentibus, fleatque cum flentibus. Vel certe liber acceptus in ore tanquam mel fit dulcis, cum legentibus vel audientibus nobis gaudia vitæ in eo promittuntur. Amarus vero in ventre, cum carnalibus noſtris deſideriis auſtera in illo opponuntur præcepta, per quæ ad æternam dulcedinem peruenitur. Tanquam mel in ore fit dulcis, cum in eo vel legimus vel audimus, Rom. 12. Matt. 13. *Fulgebunt iuſti ſicut ſol in regno Patris eorum.* In ventre autem fit amarus, cum in eodem vel legimus vel audi- Matt. 18. mus: *Niſi efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum* C *cælorum.* Quaſi mel in ore fit dulcis, cum in eo ſcriptum 1. Ioan. 3. legimus vel audimus: *Nunc filij Dei ſumus, & nondum ap-* 1. Ioan. 2. *paruit quid erimus. Scimus autem quia cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* Amarus vero in ventre, cum inibi proponitur : Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet ſicut ille ambulauit & ipſe ambulare. In ore tanquam mel dulcis fuerat Apoſtolis, cum Matt. 19. audirent: *In regeneratione cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ ſedebitis & vos ſuper thronos duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſraël.* In ventre autem amarus, Luc. 22. cum idem filius hominis proponeret : *Qui vult in vobis* Matt. 20. *eſſe maior, fiat omnium ſeruus.* An non tanquam mel dulcis fuerat liber iſte in ore filiorum Zebedæi, cum audita gloria regni futuri, interueniente matre, à Domino poſtularent, vt vnus a dextris eius, alius à ſiniſtris in regno illius ſedere debuiſſet? Sed videamus quemadmodum ilico eis in amaritudinem fuit conuerſus. Ait enim illis. *Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum?* Cui cum reſponderent, *poſſumus* : continuo ſubiecit, D *Calicem quidem meum bibetis, ſodere autem ad dexteram meam vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.* Tanquam eis aliis verbis diceret : Bene quidem liber in ore dulcis fuit de audita gloria regni, ſed neceſſe eſt vt in ventre amareſcat, exaudita pœna myſterij. Sequitur :

Et dicit mihi : Oportet te iterum prophetare populis & gentibus & linguis & regibus multis.

Solet aliquando in ſcriptura Sacra ſic res quælibet ſub ſpecie demonſtrari, vt tamen non ſpecialiter vel vni vel paucis, ſed omnibus generaliter congruat: aliquando autem & ſpecialiter vel vni vel paucis, & cunctis generaliter conueniat.

Matt. 28. Nam quod Apoſtoli à Saluatore audiunt, *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi:* non ſpecialiter illis, ſed omni Eccleſiæ quæ vſque ad conſummationem ſæculi in ſuccedentibus membrorum E ſuorum generationibus perſeuerat, generaliter coogruit. Tale eſt & illud quod Paulus ait: *Nos qui viuimus, qui re-* 1. Theſ. 4. *ſidui ſumus in aduentu Domini, non præueniemus eos qui* Matt. 16. *dormierunt.* Quod vero Petro dicitur, *Tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis : & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis:* & illud quod ſimili locutione ad duodecim Apoſtolos profertur, *Quæcunque alliga-* Matt. 18. *ueritis ſuper terram alligata erunt & in cælis : & quæcunque ſolueritis ſuper terram, ſoluta erunt & in cælis* : & ſpecialiter & illis, & generaliter omnibus rectæ fidei rectæque operationis Eccleſiæ doctoribus aptantur. Cur autem iſta præmiſerim neceſſario pandam.

Ioannes itaque pene omnia, imo omnia quæ præmiſſa ſunt, non ſpecialiter ex ſua, ſed generaliter ex electorum protulit perſona. Nunc autem illa quæ in hoc verſu narrantur, & ſuæ & aliorum perſonis congruere docet. Ita F enim à genere ad ſpeciem recurrit, vt tamen & ſpeciem & genus coniungat. A præmiſſo igitur genere, ad Ioannis ſpeciem intentio certa dirigitur, quia dicitur : Oportet te iterum prophetare populis & gentibus & linguis & regibus multis, quem adhuc oportebat ab inſula Patmos Epheſum reductum, non ſolum hanc Apocalypſim, quam manu ſua inibi ſcripſerat, ad notitiam ſanctorum deferre, verumetiam Euangelium populis & gentibus & linguis & regibus multis altius quàm alij prædicare. In prædicta ſiquidem Patmo inſula, à Domitiano exilio deportatus, hanc vidit Apocalypſim, & cum prouectæ iam eſſet ætatis, putaretque ſe celerius ad Chriſtum è mundo migrare, interfecto impio Cæſare, & poſt cuncta eius iuſſa diuino iudicio caſſata, ab exilio reductus, præfatam Apocalypſim Eccleſiæ tradidit legendam. Ebione autem, Valentino ac Cerintho aduerſus Chriſtum oblatrantibus Epiſcoporum precibus flexus, indictoque Eccleſiæ ieiunio, Euangelium etiam ſcripſit. Et ideo tot populis & gentibus & regibus & linguis prophetauit, quia eius G Euangelium ad eorum notitiam peruenit. Verumetiam vt præmiſimus, ea quæ illi ſpecialiter adſcribuntur, ſanctis prædicatoribus generaliter deputantur. Ad quorum perſonam recte nunc dicitur : Oportet te iterum prophetare populis & gentibus & linguis & regibus multis, quia nimirum toto tempore vitæ præſentis, aliis ad Chriſtum migrantibus, electorum Eccleſia in ſubſequentibus ſuis prædicatoribus iterum non deſinit prophetare. Prophetare autem intelligere debemus prædicare, quia & Paulus dicit: *Prophetæ duo vel tres dicant, & cæteri diiudicent.* Vel 1. Cor. 14. certe propterea iterum prophetare Ioannes iubetur, vt quod Doctores Eccleſiæ ore prædicant factis iterato clament : quatenus qui vocem linguæ audire contemnunt; opera virtutum ſequantur. Oportet enim vt is qui verba vitæ credentibus nuntiat, operibus etiam vitæ clamare non deſiſtat. Sequitur:

Et datus eſt mihi calamus ſimilis virgæ. Apoc. 11. H

Hoc iam non ſpecialiter ex ſua, ſed generaliter ex prædicatorum ac ſua pariter loquitur perſona. Quid autem hoc loco per calamum, niſi diuini verbi prædicationem intelligere debemus? Quia enim calamo liber ſcribitur, non immerito ipſius diuinæ ſcripturæ prædicatio per eum figuratur. Tropica enim eſt locutio, ab eo quod efficit, illud quod efficitur demonſtrans. Nam ſi calamus prædicatio ſancta non eſſet, nequaquam per Pſalmiſtam Dominus diceret : *Lingua mea calamus ſcribæ ; velociter* Pſal. 44. *ſcribentis.* Hinc eſt etiam, quod vir qui coram Prophe- Iezec. 40. ta Iezechiel ædificanti ciuitatem metiri dicitur, calamum menſuræ in manibus habere perhibetur. Bene autem non inanis, ſed virgæ ſimilis calamus dicitur: quia nimirum prædicatio ſancta non Iudæorum vanitatibus, non hæreticorum peruerſitatibus, non philoſophorum næniis vtitur, ſed fidei rectitudinem & diſciplinæ vigorem tenere videtur. Recte calamus ſimilis virgæ vocatur, quia videlicet cæleſtis doctrina pietia fide & operatione perdocetur. Digue calamus ſimilis vir-

A gæ eſſe perhibetur, quia profectò regnum cœleſtis prædicatio obtinet, in inflexibili iuſtitia perſeuerat, ſicut per Pſal.44. Pſalmiſtam Deo dicitur. *Virga recta eſt virga regni tui. Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem.* Accepto autem calamo, qui Latine arundo dicitur, quid per eum diuina vox fieri iubeat aperitur, cum protinus ſubinfertur:

Et dictum eſt mihi: Surge, & metire templum Dei & altare & adorantes in eo.

Qui per templum Dei, niſi fideles deſignantur, ſicut 1. Cor.3. illis per Paulum dicitur: *Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos?* Quid vero per altare quod eſt in templo, niſi Virginum, continentium ac ſeculo renuntiantium corda ſignantur? Sicut enim in templo altare eſt, ita vita religioſorum in plebe fidelium conſiſtens, in quibus principaliter iugis permanet atque indeficiens ſanctæ compunctionis B ignis. Quod autem ſubditur, & adorantes in eo, ita ſubaudiendum eſt, tanquam diceretur: Et in templo & in altari adorantes metire. Quo nimirum dicto iidem ipſi exprimuntur, qui internis vocibus, intimis clamoribus Deum venerantes adorant, ſicut à Domino Sa-Ioan. 4. maritanæ mulieri dicitur: *Veniet hora quando neque in monte hoc, neque in Hieroſolymis adorabitis patrem.* Quid eſt autem de arundine templum & altare & adorantes io eo metiri, niſi ſacra prædicatiooe donorum gratiam vnicuique largiri? Nulli enim dubium, quin per ſanctam cœleſtemque diuini Verbi prædicationem, ſpiritus Sancti Ioan.6. gratiam fideles accipiant, Domino atteſtante qui ait: *Ver-*1.Cor.12. *ba quæ locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt. Et alij quidem ſermonem ſapientiæ, alij ſermonem ſcientiæ, alij plenam fidem, alij gratiam ſanitatum, alij operationem virtutum, alij prophetiam, alij diſcretionem ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretationem ſermonum, ſanctæ prædicationis officio idem ſpiritus acceptus largitur.* Hæ ſunt C menſuræ cœleſtis templi, altaris, & adorantium in eo. Quæ videlicet ſpiritales menſuræ & diſtinctæ ſingulis ſubminiſtrantur, & vna compagiae ſolidantur, vt ſcilicet & diuerſa ſint vnius corporis membra, & ex diuerſis membris vnum efficiatur corpus: & habeat vnum membrum quod non habet aliud, & tamen non ſit ſchiſma in membris. Ecce etenim in vno eodemque ſpiritu iſte verbo ſapientiæ pollet, nec tamen ſermone ſcientiæ fulcitur: quia ſentire atque inuenire ſufficit etiam quod per diſcendi ſtudium noo apprehendit. Ille ſermone ſcientiæ fulget, nec tamen in verbo ſapientiæ conualeſcit: quia & ſufficit explere quantum didicit, & tamen ad ſentiendum ex ſemetipſo ſubtile aliquid non aſſurgit. Iſte per fidem & elementis imperat, nec tamen per ſanitatum gratiam infirmitates corporum curat. Ille orationis ſpe morbos ſubtrahit, nec tamen arenti terræ verborum pluuias reddit. Iſte operatione virtutum ad præſentem vitam etiam mortuos reuocat, & tamen non habens gratiam D prophetiæ, quæ ſibi ventura ſint ignorat. Ille ventura quæque velut præſentia attendit, & tameo in nulla operatione ſignorum ſe exerit. Iſte per diſcretionem ſpiritus infantes ſubtiliter mentes conſpicit, nec tamen diuerſi generis linguas habet. Ille diuerſi generis linguas examinat, & tamen in rebus ſimilibus diſſimilia corda non penſat. Alius in vna lingua quam nouit, ſermonum pondera interpretando prudenter diſcutit: & tamen reliquis bonis quæ non habet, patienter caret. Sic itaque creator noſter ac diſpoſitor cuncta moderatur, vt qui extolli poterat ex dono quod habet, humilietur ex virtute quam non habet: ſic cuncta moderatur, vt cum per impenſam gratiam vnumquemque ſubleuat, etiam per diſparem alterum alteri ſubdat: & meliorem quiſque ex dono alio eum qui ſibi ſubiicitur, attendat: ac licet ſe præire ex aliis ſentiat, eidem tamen quem ſuperat, in aliis poſtponat. Sic cuncta moderatur, vt dum ſingula quæque ſunt omnium, interpoſita quadam charitatis neceſſitudine, fiant omnia ſingulorum: & vnuſquiſque quod noo accipit, ſic in al-1.Pet 4. tero poſſideat. Hinc enim per Petrum dicitur: *Vnuſquiſque ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes*

ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei. Bene nam- E que multiformis gratia diſpenſatur, quando acceptum donum & eius qui hoc non habet, creditur: quando propter eum cui impenditur, datum putatur. Hinc per Paulum dicitur. *Per charitatem ſeruite inuicem.* Tunc enim Gal.5. nos charitas à iugo culpæ liberos reddit, cum viciſſim nos noſtro per amorem ſeruitio ſubiicit. Cum ergo aliorum bona noſtra eſſe credimus, & noſtra aliis quaſi ſua offerentes exhibemus, ex multis membris vnum corpus efficitur. Hinc ruſum per Paulum dicitur: *Nam & cor-* 1.Cor.12. *pus non eſt vnum membrum, ſed multa. Si dixerit pes quoniam non ſum manus, non ſum de corpore, non ideo non eſt de corpore?* Et paulo poſt: *Quod ſi eſſent omnia vnum* Ibid. *membrum, vbi corpus? Nunc autem multa quidem membra, vnum vero corpus.* Quid enim ſancta Eccleſia, niſi ſuperni ſui capitis corpus eſt? In qua alius alta videndo, oculus: alius recte operando, manus: alius ad iniuncta diſcurrendo, pes: alius præceptorum vocem intelligendo, auris: alius malorum fœtorem bonorumque fra- F grantiam diſcernendo, naris eſt: quæ dum corporalium more membrorum viciſſim ſibi accepta officia impendunt, vnum de ſemetipſis omnibus corpus reddunt: & cum diuerſa in charitate peragunt, diuerſa eſſe perhibent vbi continentur.

Si autem vnum quid cuncta agerent, corpus vtique quod ex multis continetur, non eſſent: quia videlicet multipliciter compactum non exiſteret, ſi hoc concors membrorum diuerſitas non teneret. Hinc ruſum per eundem Apoſtolum dicitur: *Ex quo totum corpus compactum &* Eph. 4. *connexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis, ſecundum operationem in menſuram vniuſcuiuſque membri, augmentum corporis facit, in ædificationem ſui in charitate.* Sed cum miro conſilio autor & diſpenſator noſter huic illa largitur, quæ alteri denegat, alij hæc denegat, quæ iſti largitur: extra menſuras calami egredi nititur, quiſquis poſſe pluſquam accepit conatur, vt fortaſſe is cui tan- G tummodo donatum eſt præceptorum occulta diſſerere, tentet etiam miraculis coruſcare: vt is quem ſupernæ virtutis dona ad ſuperna miracula roborant, etiam legis pandere occulta contendat. In præcipitium enim pedem porrigit, qui menſurarum ſuarum limitem non attendit: & plerumque amittit hoc & quod poterat, quia audacter ea ad quæ pertingere non valet, arripere feſtinat. Nam & membrorum noſtrorum tunc bene miniſteriis vtimur, cum ſua eis officia diſtincte ſeruamus. Lucem quippe oculis cernimus, vocem vero auribus audimus. Si quis autem mutato ordine voci oculos, luci aures accommodet, huic incaſſum vtraque patent. Si quis odores velit diſcernere ſapore, ſapores nare guſtare, vtriuſque ſexus ſibi miniſterium quia peruertit, interimit. Dum enim propriis hæc vſibus non aptantur, & ſua officia deſerunt, & ad extranea noo aſſurgunt. Bene Dauid intra has diuinæ largitatis menſuras, pedem cordis preſſerat, cum dicebat: *Ne-* Pſal. 103. *que ambulaui in magnis, neque in mirabilibus ſuper me.* Su- H per ſe quippe in mirabilibus ambularet, ſi appetere magna vltra quam poteſt quæreret. Super ſe namque in mirabilibus attollitur, qui & in his quæ non ſufficit, videri conatur. Bene ſe intra has menſuras Paulus etiam in ipſa prædicationis ſuæ latitudine coarctabat, cum diceret: *Non* Rom.15. *enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit* 2. Cor. 10. *Chriſtus.* Et ruſum: *Non audemus inſerere aut comparare nos quibuſdam, qui ſeipſos commendant, ſed ipſi in nobis noſmetipſos metientes, & comparantes noſmetipſos nobis. Nos autem in immenſum gloriabimur, ſed ſecundum menſuram regulæ, qua menſus eſt nobis Deus menſuram pertingendi vſque ad vos. Non enim quaſi non pertingentes ad vos, ſuperextendimus nos. Vſque ad vos enim peruenimus in Euangelio Chriſti.* Nulli autem videatur mirum, quod per Eccleſiam iſtæ diſponantur menſuræ, cum hoc nulli alij principaliter conueniat quam omnipotenti Domino, qui in numero, menſura & pondere cuncta diſpoſuit: ſed non eſt mirum, quod Eccleſia quorundam peccata remittit, cum hoc ſpecialiter nemini competat niſi creatori omnium. Diſponit certe Eccleſia iſtas menſuras fidelium, ſed cum Chriſto atque per Chri-

ſtum.

A ſtum. Diſtribuit inquam has menſuras Eccleſia prædicando, Dominus adminiſtrando: illa exorando, iſte infundendo: illa exterius clamando, iſte interius docendo: illa manus imponendo, iſte virtutem ſpiritus mittendo. Quid igitur mirum, ſi tantum valet prædicatio iuſtorum, vt vni- Act. 8. cuique menſuras ſpiritalium ſtatuat gratiarum? Si per impoſitionem manus eorundem ſpiritus Sanctus largitur dator omnium gratiarum, non eſt certe abſurdum, quod eam in capite ſuo tantum poſſe prædicamus, ſine quo tamen nihil eam facere poſſe ſcimus. Vnde & hanc arundinem qua templum Dei Eccleſia in Ioanne metiri iubetur, Dominus quoque in fine huius reuelationis ciuitatem ſanctam Ieruſalem metiens, in manu habere deſcri- Apoc. 21. bitur. Quaſi igitur cœleſtis patriæ ædificium duo metiri videntur id eſt Dominus & Eccleſia. Sed Dominus & Eccleſia vna perſona, vnum eſt corpus, cuius capite membrorum officia diſponuntur, & quicquid membra agunt, iure ad caput eorum refertur, quo membra in ſingulis B actionibus diſponuntur. Notandum vero quod qui templum Dei metiri debet, ſurgere admonetur, vt ſcilicet qui aliorum vitam prædicando informare cupit, ipſe per corporis negligentiam in infimis deſideriis minime iaceat, vt nil quod tranſit ex deſiderio quærat, nihil quod in mundo eſt per amorem concupiſcat: ſed ad excelſa virtutum faſtigia per exercitium operis aſſurgat, quatenus eo quod metitur ædificio altior fiat. Vnde & eidem Iſa. 40. Prophetica voce dicitur: *Super montem excelſum aſcende tu qui Euangelizas Sion.* Sion namque ſpecula vocatur.

Et quid aliud per hanc, niſi ſanctorum Eccleſia figuratur? Quæ dum ad cœleſtis patriæ gaudia contemplanda, celſitudine virtutis erigitur, quaſi ſpecula in mundo conſtituitur. Et quia alia eſt per deſiderium actionum, dignum eſt vt is qui hanc exhortandam ſuſcipit, excelſa virtutum faſtigia conſcendat: quatenus inferior ſuis auditoribus non ſit, quos vt alta virtutum appetant, admo- C nere non deſinit. Qui adhuc in imis eſſe probatur, quomodo iudicare audeat de his quæ in excelſis aguntur? Sed quid nos miſeri agimus, qui tantum aliis inferiores ſumus meritis, quantum eloquentiores verbis: qui alios exſuſcitantes, obdormiſcimus: aliis lumen præbentes, obtenebreſcimus: niſi forte diuina miſericordia virtutes quas illi habent, nobis proueniant, quibus cum charitate offerre nitimur, ſi hoc vnum quod nos agimus, illis proficit, cur non proficiat nobis totum quod illi agunt? Oculi itaque in corpore præbent manibus lumen, vt operari queant: manus operantur in corpore, ne oculi deficiant. Et nunquid propterea vel oculus eruendus eſt, vel manus abſcidenda eſt de corpore, quia vel ille non poteſt operari, vel illa videre: & non potius ideo in corpore vtraque tenenda, vt viciſſim ſibi adminiſtrent quæ agunt? Mihi etenim videtur quia officium oculorum manus poſſideant in corpore: & rurſum miniſteria manuum, oculi poſſideant in corpore. Dignus plane effoſſione iudicandus erat oculus, ſi vel operanti corpori vel præcipitium incurrenti D clauderetur. Quod nos omnino & deſides agere nolumus, videamus ne ſaltem vnum gratiæ talentum quod accepimus, ſub terræ ſilentio abſcondentes; arctioribus reatus Matt. 25. vinculis aſtringamur. Neque enim ſeruus ille propterea damnandus prædicitur, quia vel decem vel quatuor talenta non reportauit: ſed ideo, quia vnum quod habuit, in ſudario ligans, ſub terra abſcondit, nec ad nummulariorum menſam erogauit. Nequaquam autem iſta idcirco dicimus, vt praue viuentes doctores defendamus: ſed vt ſi forte in quibuſdam minoris gratiæ ſuis auditoribus reperiuntur, minime deſperandos vſquequo perficiantur, doceamus. Sequitur:

Atrium autem quod eſt foris templum, eiice foras: & ne metiaris illud, quoniam datum eſt gentibus.

Miranda prorſus talis locutio, quæ illud foras eiici præcipit, quod iam foris oſtendit. Quomodo enim atrium hoc E foras templum eiici iubetur, quod intus omnino non inuenitur? Quod enim non intra; ſed iam foris eſt, vtique vnde foras mittatur non eſt. Sed ſciendum nobis eſt, quia hoc eſt, atrium quod foris eſt, extra templum eiici: quod eſt, nequaquam illud intra templi menſuras admitti. Innumerabiles quippe in ſcriptura Sacra inueniuntur tales locutiones. Vnde eſt illud quod Dominus cor Pharaonis indurat, pro eo quod eſt, cordis eius duritiam non aufert. Exod. 4. Et Iſaias cor populi excæcat, cui lumen vitæ non admi- Iſa. 6. niſtrat. Sic etiam nos quotidianó vſu dicere ſolemus, dum quemlibet ianuam pulſantem ad nos introire nolumus: *Proiice foras.* Quid autem per atrium, quod foris templo eſt, intelligimus, niſi Iudæos, hæreticos atque gentiles, quibus ad ſancta ſanctorum nullus patet ingreſſus? De quibus recte per Apoſtolum dicitur: *Quid mihi* 1. Cor. 5. *de his qui foris ſunt, iudicare? nonne de his qui intus ſunt, vos iudicatis?* Quod autem eiectum foris atrium, gentibus datum perhibetur, illud intelligi monſtratur, quia etſi F diuerſo errore Iudæi, hæretici atque gentiles depereunt, tamen omnes infideles & increduli notantur. Ad numerum enim incredulorum gentium tranſeunt, qui etſi diuerſo modo, tamen & idola & ſimulacra colere videntur. Chriſtus enim veritas, & quicunque veritatem aut ex toto non colit, vt Iudæi & gentiles: aut male colit, vt hæretici, profecto mendacium colit. Dicant ſe ergo Iudæi Deum qui locutus eſt Moyſi, colere: tamen quia Patris veritatem quæ eſt filius, non recipiunt: nec Patrem vere, ſed falſo adorant: *Qui enim non honorificat filium non ho-* Ioan. 5. *norificat Patrem qui miſit illum.* Mendacium ergo colunt, qui veritatem non adorant. Dicunt ſe hæretici in Chriſtum credere: & tamen qui hunc aut Deum verum, aut hominem verum denegant, certe mendacium eſt quod colunt. Quamobrem velint nolint, in illorum tranſeunt numerum, qui imagines hominum mortuorum adorant, præſertim cum in ſingulis partibus mendacium ſit quod tenent. Quid vero excluſi contra eam de qua proiiciuntur agant, audiamus. Denique Se- G quitur:

Et ciuitatem ſanctam calcabunt menſibus quadraginta duobus.

Ipſa quippe deſignatur per ciuitatem, quæ & per templum & altare atque adorantes in eo. Illa certe eſt ciuitas quæ de cœlo deſcēdit, non illa quæ prophetas in terris occidit. De hac per Pſalmiſtam dicitur: *Ieruſalem quæ ædi-* Pſal. 121. *ficatur vt ciuitas.* Et rurſum: *Glorioſa dicta ſunt de te ci-* Pſal. 86. *uitas Dei.* Rurſumque: *Magnus Dominus & laudabilis* Pſal. 74. *nimis in ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius.* Quid eſt autem, ſanctorum Eccleſiam ab his qui foris ſunt calcari, niſi verbis ſimul & tormentis perſequi? Sed quantum valet pes hominis contra ſilicem petræ duriſſimæ? Et limari ſiquidem turba calcantium ſilex poteſt, ſed comminui non poteſt. Quanto que calcantium pedibus teritur, H tanto magis elimata clareſcit. In quadraginta vero ac duobus menſibus, alij ſimpliciter tempus & tempora & dimidium tempus, quæ ventura ſunt ſub antichriſto, intelligunt: alij vero præfatum numerum & ad quantitatem literæ, & ad qualitatem figuræ referunt. Quos magis ſequendos exiſtimo, qui ſic eum ad quantitatem literæ referunt, vt myſticum per omnia intelligant, id eſt, ſic eum antichriſti tempus exprimere docent, vt præſens videatur comprehendere. Si enim myſticus in eo requiratur intellectus, omne tempus vitæ præſentis deſignat, propter ſex ſcilicet mundi ætates, & ſeptem dies quibus omne tempus euoluitur. Sexies enim ſeptem, quadraginta & duos faciunt. Poteſt etiam quadragenarius ac ſecundus menſium numerus, ſub alio intellectu præſens tempus deſignare. Populus quippe Iſraël ab Ægypto exiens vſque ad terram repromiſſionis, quadraginta & duas manſiones in itinere habuiſſe perhibetur. Quæ in figura illis contigiſſe, nullus qui Apoſtoli verba legit, ignorat. Hæc enim ait: *Omnia in figura contingebant illis.* Ergo ſi om- 1. Cor. 10. nia in figura illis contingebant, & numerus illarum

A mansionum in figura Illis contigit. Et ſicut terra illa an-
tiquis patribus promiſſa, viuentium terram deſignauit:
ſic & manſiones illæ, vſquequo ad terram repromiſſionis
veniretur, præſentem vitam figurauerunt. Quod ergo illic
per manſiones in figura factum præceſſit, hoc his per men-
ſes figurata locutio expreſſit. Sequitur:

Et dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta, amicti ſaccos.

Victorinus hoc in loco duos teſtes, Eliam vult intelli-
gi & Ieremiam. Et quidem quantum ad ſpeciem, de
Matt.17. vno verum ſenſit, de alio autem minime. Nam Eliam
Dominus venturum prædicit: de Ieremia vero nuſquam
tale aliquid legimus. Dicit enim præfatus vir, & vt de-
B bitam ei venerationem exhibeamus, martyr Dei: non
autem ideo venerandus, quia tale ſenſit: ſed ideo, quia ad
coronam martyrij peruenit: dicit inquam, quia mors Ie-
remiæ in ſcriptura Sacra non reperiatur, & quia Prophe-
tam eum Dominus in gentibus poſuerit, ille autem non-
dum ad gentes miſſus fuerit: & idcirco ipſum cum Elia
venturum credi debere, vt Eccleſiam gentium contra
antichriſti perfidiam roboraret. Cui ſeruata martyrij re-
uerentia, martyr enim eſt Chriſti, econtra nos dicimus,
quia ſi mors Ieremiæ in ſcriptura Sancta non inuenitur,
omnino nec aſſumptio vel tranſlatio declaratur: & non ſo-
lum vni, verumetiam multis gentibus tunc ventura ma-
la propheraſſe, cum perditionem Iſraëlis & futuram ſi-
mul prædiceret, & venientem cerneret: Edom ſcilicet,
Moab, Tyro, Sidoni, Philiſtim, Aſcaloni, Gazæ, Acca-
ron, Azoto, Ammon, Arabiæ, Elam, Mediæ, Ægypto,
Idumeæ & Damaſco. Ergo propter neutrum horum, Ie-
C remias venturum cum Elia poteſt veraciter aſtrui. Hiero-
nymus vero atque Gregorius Pontifex Romanus, cum
præfato Elia Enoch venturum teſtantur: quibus certe
magis credendum cognoſcimus, quia ſcriptura Geneſeos
Enoch tranſlatum, & Paulus Apoſtolus non ſolum tranſ-
Gen.5. latum, ſed etiam viuere in carne deſignat, dicens: *Fide*
Heb.11. *Enoch tranſlatus eſt ne videret mortem, & non inueniebatur, quia tranſtulit illum Deus.* Ita plane in his duobus
teſtibus, Enoch & Eliam accipimus, vnum ſcilicet ante
legem, & vnum in lege, vt tamen in illorum ſpecie ge-
nus etiam attendamus, id eſt, ſanctam Eccleſiam in ſuis
prædicatoribus: ſicque mille ducentis ſexaginta diebus
ſpecialiter tempus antichriſti, vt tamen retroacta tem-
pora quæ nunc voluuntur, illi dies comprehendant: qua-
tenus initium fidei Chriſtianæ & conſummationem, prin-
cipium perſecutionis Chriſtianæ & finem contineant.
Quod etiam ante nos qui hanc reuelationem ſubtilius
quam alij expoſuerunt, ſecuti ſunt. Bene autem Eccleſia
prophetans in duobus teſtibus figuratur, quia nimirum in
D prædicatione cœleſti duobus teſtamentis roboratur, ex
duobus populis Iudæorum & gentium aggregatur, in
duobus charitatis præceptis viuificatur. Quod ergo Ioan-
ni dictum fuerat, opportet te iterum prophetare: hoc
nunc proſequitur, & dabo duobus teſtibus meis, & pro-
phetabunt. Quod enim eſt Ioannes, hoc duo teſtes: ſub-
audis, ſancta Eccleſia, ſiue nunc, ſiue in extremis tempo-
ribus prædicans, prophetans & teſtificans, quoniam
Chriſtus eſt veritas. Vel certe propter duo martyrij gene-
ra, in duobus Eccleſia teſtibus figuratur. Duo etenim eſſe
martyrij genera, per ſemetipſam in Euangelio veritas te-
ſtatur, vnum ſcilicet in habitu alterum vero in actu:
vnum in publico, alterum in occulto. Et quidem in ha-
bitu ſoli Deo cognitum geſtatur, etiam quando patiendi
tempus minime ſuffragari videtur: in actu vero publice
etiam coram hominibus adimpletur, quando opportuni-
tas perſecutionis innaſcitur: Nam duobus filiis Zebedæi,
Iacobo videlicet & Ioanni, dixiſſe Dominum Euange-
lica teſtatur authoritas: Calicem meum bibetis. Et quid
Matt.20. per calicem deſignare voluit, niſi pœnam mortis? Vnde
Matt.26. & ipſe iam proximus paſſioni, dixit: *Pater mi, ſi fieri po-
teſt, tranſeat à me calix iſte.* Conſtat autem Iacobum He- E
rodis gladio decollatum, Ioannem vero in pace mor- Act.12.
tuum ac ſepultum. Vbi aperte datur intelligi, quia in
vno calice duo genera martyrij veritas expreſſit: quorum
vno Iacobus in aperto, altero Ioannes coronatus eſt in
occulto. Suſtinere etenim carceres ignes, verbera, vincu-
la, flagra, cruces, eculeos, gladios, ferarum dentes, præ-
cipitia ſaxorum, dimerſiones aquarum, obruitioneſque
terrarum, martyrium eſt in aperto. Ferre vero contume-
lias, probra, irriſiones & damna, domare etiam volupta-
tes carnis, mori mundo & concupiſcentiis eius, obtem-
perare duris hominum imperiis, martyrium eſt in occul-
to. Quid vero in ſaccis teſtium accipimus, niſi humilita-
tis confeſſionem, qua ſe peccatores intimo cordis dolore
pronunciant, cum ſint magnæ virtutis viri? Cilicium
etenim criminoſis conuenit. Vnde & per Pſalmiſtam di-
citur: *Dum mihi moleſti eſſent, induebam me cilicio, & hu- Pſal.34.
miliabam in ieiunio animam meam.* Vel certe quia ſancto-
rum vita reprobis deſpecta ſimul & aſpera monſtratur, F
ideo teſtes induti ſaccis perhibentur. Hinc eſt, quod no-
uiſſima perſecutione ſol factus niger tanquam ſaccus ci-
licinus prædicitur. Solis enim nomine, illo in loco quid
aliud quam prædicantium claritatem deſignat? Vnde &
Salomon ait: *Sapiens vt ſol permanet.* Tanquam ſaccus Apoc.6.
ergo cilicinus ſol in nouiſſimis nigreſcit, quia (vt dixi-
mus) vita prædicantium miniſtris antichriſti obſcura, de-
ſpecta & aſpera monſtratur. Sequitur:

Hi ſunt duæ oliuæ & duo candelabra, in conſpectu Domini terræ ſtantes.

Sanctorum Eccleſia ſiue ſpecialiter in illis duobus vi-
ris, ſiue generaliter in cunctis ſuis prædicatoribus, pro-
pter vnctionem ſpiritus Sancti, oliuæ vocabulo deſigna-
tur: propter lumen vero fidei & operationes, per can- G
delabra congruenter exprimitur. Cum autem ſit oleaſter
in bonam inſertus oliuam, & oleaſter & oliua vnius pin-
guedinis humore vigeant, id eſt præputium & circunci-
ſio, Iudæi ſcilicet in Chriſtum credentes, & gentes, ta-
men propter duo martyrij genera, duæ oliuæ ponuntur.
Nam propter vnitatem fidei vna eſt oliua ſicut ipſa Ec-
cleſia per Pſalmiſtam dicit: *Ego autem ſicut oliua fructi- Pſal.51.
fera in domo Dei.* Propter duo teſtamenta vel duo mar-
tyrij genera, vt dictum eſt, duæ ſunt oliuæ ſicut Zacha-
rias dicit: *Duæ oliuæ erant ſuper candelabrum, vna à dex- Zach.3.
tris lampadis, & vna à ſiniſtris eius.* Sic etiam eadem Ec-
cleſia cum ſit propter vnitatem fidei vnum candelabrum,
vel propter ſeptiformem ſpiritus Sancti gratiam ſeptem
candelabra, vel propter geminum teſtamentum aut du-
plex martyrium, in duobus candelabris figuratur. Bene
autem in conſpectu Domini terræ ſtare teſtes perhiben-
tur: quia nimirum electorum Eccleſia vitiorum tumul-
tus reprimens, intima contemplatione conditori ſuo in
ſuis prædicatoribus inhærere probatur. Hinc enim Elias H
cui ſpecialiter iſta adſcribimus, dicit: *Viuit Dominus, in 3.Reg.17.
cuius conſpectu ſto.* Qui enim rerum tranſeuntium muta-
bilitate non mouetur. Hinc Pſalmiſta teſtatur: *Prouide- Pſal.15.
bam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris
eſt mihi ne commouear.* Poteſt hoc quod duo teſtes in con-
ſpectu Domini terræ ſtare perhibentur, ſub alio intelle-
ctu ſpecialiter ad Enoch & Eliam referri, vt ſcilicet ſub-
tracti nunc humanis aſpectibus, Deo ſecretius inhæ-
reant.

Vnde & propter præſentem Iudæorum reprobatio-
nem, beatus Iob de Domino dicit: *Qui præcipit ſoli, & Iob.9.
non oritur: & ſtellas claudit quaſi ſub ſignaculo.* Quid
enim hic per ſolem, qui præcipiente Domino non oritur,
niſi illuminatio veritatis accipitur? Quid vero per ſtellas
quaſi ſub ſignaculo clauſas, niſi Enoch & Eliam ſpecia-
liter intelligimus? Nos autem idcirco aliquid ſub ſigillo
claudimus, vt hoc cum tempus congruit ad medium pro-
feramus. Et hoc ſacro eloquio atteſtante didicimus, quod
Iudæa quæ nunc differtur, ad ſinum fidei in fine collige-
tur. Hinc namque per Prophetam dicitur. *Si fuerit* Iſa.10.

A Rom. 11. *numerus filiorum Iſraël quaſi arena maris, reliquiæ ſaluæ fient.* Hinc Paulus dicit: *Donec plenitudo gentium introeret, & ſic omnis Iſraël ſaluus fieret.* Qui igitur prædictos prædicatores Iudæorum oculis ſubtrahit, ſed poſtmodum oſtendet, ſicut de vno horum dixit: Matt. 17. *Elias veniet & ipſe reſtituet omnia:* quaſi ſub ſignaculo ſtellas clauſas tenet, vt abſconſis prius & poſt coruſcantibus aſtrorum ſpiritalium radiis, noctem ſuæ perfidiæ & nunc repulſa non videat, & tunc illuminata deprehendat. Quaſi ergo ſub ſignaculo ſtellæ clauſæ ſunt, quia & nunc occultantur nec apparent; & poſt, vt prodeſſe plurimis valeant, apparebunt. Sequitur:

Et ſi quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore illorum, & deuorabit inimicos eorum. Et ſi quis eos voluerit lædere, ita oportet eum occidi.

B Hoc hiſtorialiter in libris Regum factum legimus. 4. Reg. 1. Cum enim ad Eliam miſſi duo quinquagenarij dicerent, *Homo Dei, deſcende:* ille in ſingulis eorum ait, *Si homo Dei ego ſum, deſcendat ignis de cælo, & deuoret te & quinquaginta tuos.* Statimque illic ſequitur: *Et cecidit ignis de cælo, & deuorauit eos.* Sed non tale hic in myſticis locutionibus narratur, quale illic hiſtorialiter factum fuiſſe perhibetur: nec ſolum ſpecialiter duobus, ſed generaliter & illis & omnibus congruit Eccleſiæ prædicatoribus atque martyribus: Et quid hoc loco per ignem, niſi prædicatio ſancta figuratur? Benè autem per ignem deſignatur, quia videlicet Spiritus Sancti facibus inflammatur. Rectè ignis vocatur, quia auditorum corda ad amorem Dei accendere videtur.

C Pſal. 104. Si enim diuini verbi prædicatio ignis non eſſet, nequaquam Pſalmiſta de Ioſeph dixiſſet, *Eloquium Domini inflammauit eum:* nequaquam idem alibi Deo Pſal. 118. loqueretur, *Ignitum eloquium tuum vehementer.* Si vocabulum ignis prædicationem fidei non exprimeret, Ierem. 5. minimè Dominus ad Ieremiam diceret: *Ecce ego do verba mea in ore tuo in ignem, & populum iſtum in ligna, & deuorabunt eos.* Ierem. 23. Et rurſum: *Nunquid non verba mea ſunt ſicut ignis, ait Dominus?* Non autem mirum, ſi ex bono Eccleſiæ mali deficiunt, cum Paulus hoc 2. Cor. 2. quod ſæpè protulimus, dicat: *Chriſti bonus odor ſumus in omni loco Deo, & in his qui pereunt, & in his qui ſalui fiunt: & aliis odor mortis in mortem, aliis odor vitæ in vitam.* Eccleſia itaque aduerſarios ſuos non gladio maligno interficit, quia (vt dictum eſt) bona profeſtendo, olens nocet. Vel certè de ore teſtimonium ignis egrediens inimicos eorum interficit: quia nimirum D contraria Chriſto ſentientes, atque in malo perſeuerantes, anathematis fulmine ſancta Eccleſia percutit. Poteſt etiam à toto pars quædam intelligi, quæ ex inimicis ſanctorum prædicatione ac beneficiis tanquam quibuſdam flammis priſtino errore vel nequam conuerſatione exuta, commutatur in melius.

Alius enim vt per omnia intereat, alius vero vt melius viuat, vno eodemque igne concrematur. De hac inimicorum parte, quæ verborum Dei flammis, vt in melius mutetur, ſuccenditur, Salomonis verba myſticè loquuntur, Prou. 25. quibus dicitur: *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum; ſi ſitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius:* eſuriem videlicet ac ſitim, verbi Dei ſubtractam alimoniam deſignans. Vnde & alibi ſcri- Amos 8. ptum legimus: *Mittam famem in terram, non famem panis neque ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Dei.* Ergo qui hoc cibo atque iſto potu eſurientem & ſitientem inimicum paſcit & propinat, carbones ignis congerit ſuper caput eius, ſubaudis, ad amorem Dei & proximi, mentem eius accendit. Sequitur:

E *Hi habent poteſtatem claudendi cælum, ne pluat diebus prophetiæ ipſorum: & poteſtatem habent ſuper aquas conuertendi eas in ſanguinem, & percutere terram omni plaga, quotieſcumque voluerint.*

Exod. 7. Quædam ex his per Moyſen & Aaron in terra Ægypti, quædam vero per Eliam in terra Iſraël hiſtorialiter facta cognoſcimus. Moyſes enim & Aaron in Ægypto, cum nollet Pharao dimittere filios Iſraël de terra ſua, aquas fluminum & imbres, id eſt, ciſternas vel lacus, ad tactum virgæ Dei conuerterunt in ſanguinem, multaque plagarum ſigna atque portenta irrogantes, tandem populum 3. Reg. 17. Dei de Ægyptiorum ſeruitute eduxerunt. Elias vero, cum F auerſum à Deo eodem cerneret populum, zelo commotus, tribus annis & ſex menſibus ne plueret, cælos ligauit. Sed geſtorum literam nequaquam Apocalypſis iſta commemorat, quin potius ſpiritale cœlum, ſpiritalem pluuiam, ſpiritaliter aquas in ſanguinem verſas nos quærere monet. Quid itaque in hac ſententia per cœlum intelligere debemus, niſi hoc quod per duos teſtes, id eſt, ſanctos Eccleſiæ prædicatores, qui dum cœlum ne pluat claudunt, ſeipſos vtique ne pluat claudunt? Ipſi enim hoc loco vocantur cœlum, qui & duo teſtes cœli, quia pluunt: teſtes, quia teſtimonium perhibent: cœli, quia prædicant: teſtes, quia moriuntur dum teſtificantur. Pluuiæ enim cœlorum, prædicationes ſunt ſanctorum. Niſi igitur pluuiæ vocabulo eloquia Dei ſignarentur, nequaquam Moy- Deut. 32. ſes diceret: *Expectetur ſicut pluuia eloquium meum, & deſcendant ſicut ros verba mea.* Quod autem de his teſtibus dicitur, poteſtatem habent claudendi cœlum, ne pluat diebus prophetiæ ipſorum ſic accipiendum eſt, non quo G omnimodis cœli imbres non mittant, ſed quo ſuper ter- Hebr. 6. ram quæ ſpinas & tribulos germinat, ac ſecundum Apoſtolum maledictioni proxima eſt, eiuſque conſummatio in combuſtionem præparatam, non pluant. Super vineam enim quæ botros gignit, imber deſcendit: ſuper illam vero quæ pro vuis labruſcas vel ſpinas profert, nequaquam cœlum ſtillat. Vnde & Dominus dicit: Iſai. 5. *Nubibus mandabo, ne pluant ſuper eam imbrem.* Hinc idem alibi Amos 4. ait: *Plui ſuper vnam ciuitatem, & ſuper alteram non plui.* Poteſtatem ergo habent vt reprobis cœlum claudant, electis aperiant. Sed hanc poteſtatem in capite poſſident membra, ſine quo omnino nil poſſunt agere membra, quodque in ipſis membris clamat & dicit: Matt. 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.* De quibus adhuc ſubditur: *Et poteſtatem habent ſuper aquas conuertendi eas in ſanguinem, & percutere terram omni plaga, quotieſcumque voluerint.* Gladius literæ, quo ſpiritaliter vtens Eccleſia, H ſanctorum corda transfigit, vt ea ſpiritu viuificet, in cordibus malè intelligentium hominum hunc ſanguinem emanare facit. Non ſolum igitur prædicatores Eccleſiæ aquas ſuſpendunt, ne reprobam terram irrigent: verumetiam ſi deſcenderint, in ſanguinem vertunt: quia videlicet non tantum minimè credituris verbum vitæ ſubtrahunt, ſed etiam hoc ipſum vitæ ſubſidium credentibus dum præbent, ſi ad aures futurorum hæreticorum peruenerit, occaſionem illis qua benè prolata male intelligant, adminiſtrant. Et hinc dicuntur *terram omni plaga*, quotieſcumque voluerint *percutere:* quia videlicet poteſtati eorum diuinitus attributum eſt, vt quando non debent, vel quibus non debent, loqui non velint: & quando debent vel quibus debent, omnino velint. Quotieſcumque enim infidelibus diuina myſteria claudunt, toties illos inſanabili plaga percutiunt: quotieſcumque vero fidelibus ſacramenta Dei pandunt toties alios ad vitam, alios ad mortem pertrahunt. Fitque vt vna eademque diuini verbi prædicatio, & aliis abſconſa, id eſt, minimè credituris proueniat, in mortem: & aliis oſtenſa hoc eſt, credituris proficiat in ſalutem: & aliis æque demonſtrata, futuris videlicet hæreticis, conuertatur in perniciem: & aliis inquam ſpiritalis doctrinæ, dum ſilet, vi-

A ¶ num ſubtrahat: & aliis, dum clamat, offerat: & aliis æque dum verba format ſanguinem carnalis intellectus quo moriantur, porrigat. Et notandum quod non dicitur, habebunt poteſtatem: ſed habent vt hoc non de duobus tantum Enoch & Elia, qui venturi ſunt, ſed etiam de præſentis nunc temporis Eccleſiæ prædicatoribus dictum intelligamus. Sequitur:

Et cum finierint teſtimonium ſuum, beſtia quæ aſcendit de abyſſo, faciet aduerſus illos bellum, & vincet illos, & occidet illos.

Hic etiam liquido claret, ante nouiſſimam perſecutionem hæc fieri, cum dicitur: Cum finierint teſtimonium ſuum, ſubaudis illud, quod perhibent vſque ad reuelationem beſtiæ. Sic autem dicitur, cum finierint teſtimonium ſuum veluti ſi diceretur, cum ad calicem finiendi teſti- B monium id eſt antichriſti tempus peruenerint, propter breuitatem enim illorum dierum de quibus Dominus di- Matt.24 cit: *Niſi abbreuiati fuiſſent dies illi, non fuiſſet ſalua omnis caro, ſed propter electos abbreuiabuntur dies illi*: cum ad illos ventum fuerit, quaſi iam finitum Eccleſiæ teſti- 2.Theſ. 2. monium perhibetur. Beſtiæ autem vocabulo non ſolum damnatus ille homo, filius peccati, ac perditionis, verumetiam habitator eius diabolus, qui per illum aduerſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus aut quod colitur, ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus: ſed & prædicatores eiuſdem antichriſti vel diaboli, quorum duorum vna perſona eſt, atque ſubiectæ plebes figurantur: quia non tantum caput, ſed etiam totum corpus beſtiæ contra agni membra ſæuire probatur. Beſtiæ etenim vocabulo antichriſtus exprimitur, hac ipſa Apoc 13. Apocalypſi paulo inferius demonſtrante, vbi ſecunda beſtia iubet inhabitantes terram vt faciant imaginem beſtiæ quæ habet plagam gladij, & vixit, id eſt, nouiſſimi temporis pſeudoprophetæ reprobos monent, vt imitentur C antichriſtum qui ſe in ſimilitudinem Chriſti mortuum fuiſſe ac reſurrexiſſe ſimulare confinget. Eiuſdem quoque beſtiæ nomine, ipſe autor malitiæ atque inhabitator antichriſti diabolus deſignatur ſicut illic innuitur, vbi de Ibid. præmiſſa beſtia dicitur: *Adorabunt eum omnes qui habitant terram*. Præmiſſum quippe fuerat: Quis ſimilis be- Ibid. ſtiæ? & quis poterit pugnare cum ea? Ac deinde, poſt paulum ſubiunctum eſt, *& adorabunt* non *eam*, ſed *eum* quatenus beſtiam illam io antiquo etiam aduerſario intelligere deberemus. Ipſius quoque beſtiæ vocabulo prædicatores antichriſti vel eius habitatores deſignantur, ſi- Apoc.17. cut ibi dicitur: *Vidi aliam beſtiam aſcendentem de terra, & habebat cornua duo ſimilia agni, & loquebatur ſicut draco, & poteſtatem prioris beſtiæ omnem faciebat in conſpectu eius.*

Eiuſdem etiam beſtiæ expreſſione ſubiectæ plebes intelliguntur, ſicut ipſa hiſtoria teſtatur, quæ vno in loco meretricem ſuper beſtiam ſedere, alio autem ſuper aquas D multas quæ ipſa exponente, populi ſunt & gentes & linguæ multæ, oſtendit. De quibus cum ad ipſa loca enodanda venerimus ſi Domino placuerit, ex abundanti di- Pſal.35. cemus. Beſtia itaque aſcendens de abyſſo, & cum duobus teſtibus prælium faciens, totum omnino corpus antiqui hoſtis intelligitur. Quæ nimirum beſtia de abyſſo aſcendere perhibetur, quia diuino iodicio efferari permittitur, iudicia enim Dei abyſſus multa. Inde namque aſcendet, vnde in ſuperbiam eleuari permittitur. Quod ſi hoc de ſolo antichriſto ſpecialiter dictum accipimus, aſcenſum eius de abyſſo, natiuitatem carnis ex profundiſſimo impietatis Iudæorum populo intelligere debemus. De tribu enim Dan antichriſtus docetur naſciturus, Patriarcha Ia- Gen 49. Greg 31. mor. c.8 cob atteſtante qui ait: *Fiat Dan coluber in via, Ceraſtes in ſemita, mordens vngulas equi, vt cadat aſcenſor eius retro: ſalutare tuum expectabo Domine*. Antichriſtus etenim coluber ſimul & Ceraſtes vocatur, quia nimirum & per occultam nequitiam venenum peſtiferæ prædicationis diffundit, & per apertam ſecularem potentiam cornu ferit. Ceraſtes enim cornutus ſerpens intelligitur. Quis autem neſciat ſemitam anguſtiorem eſſe quam viam: E *Fiat ergo Dan coluber in via*, quia in præſentis vitæ latitudine, peruerſe ambulare prouocat, quibus quaſi parcendo blanditur. Sed in via mordens, quia eos quibus libertatem tribuit, erroris ſui veneno conſumit: *Fiat etiam Ceraſtes in ſemita*, quia quos fideles reperit, & ſeſe ad præcepta cœleſtis patriæ anguſto itinere conſtringentes non ſolum nequitia callidæ perſuaſionis impellit, ſed etiam terrore poteſtatis premit: & in perſecutionis angore poſt beneficia fictæ dulcedinis, exercet cornua poteſtatis. Quo in loco equus hunc mundum ſignificat, qui per elationem ſuam io curſu labentium temporalium ſpumat: & quia peruerſus ille homo filius peccati ac perditionis, extrema mundi apprehendere oritur, Ceraſtes iſte vngulas equi mordere perhibetur. Vngulam quippe equi mordere, eſt extrema ſeculi feriendo contingere, vt cadat aſcenſor eius retro. Aſcenſor equi eſt, quiſquis extollitur in dignitatibus mundi, Qui retro cadere dicitur, & non in facie, ſicut Saulus cecidiſſe memoratur. In facie enim F cadere eſt in hac vita vnumquemque ſuas culpas agnoſcere eaſque digne deplorare. Retro vero quo noo videt cadere, eſt ex hac vita repente exire, & ad quæ ſupplicia veniatur ignorare. Et quia Iudæa erroris ſui laqueis capta, pro Chriſto antichriſtum expectat bene Iacob in eo loco repente in electorum vocem conuerſus eſt, dicens: *Salutare tuum expectabo Domine*, id eſt, non ſicut infide- Gen.49. les antichriſtum, ſed eum qui in redemptionem noſtram iam venit, venturum quoque ad iudicandum viuos & mortuos expectabo. Conſiderandum vero quod ſit beſtiæ prælium, quo aduerſus teſtes debellabit, quanquam illud breuiter in cornuto ſerpente demonſtrauerimus: aut, ſi vnum ſunt qui vincuntur & qui occiduntur. Pugna itaque beſtiæ aduerſus agnos, corporalis ſimul & ſpiritalis intelligitur. Nam exhibebit cuncta quæ iam in paſſionibus præcedentium videntur adimpleta id eſt virgas, fuſtes, plumbatas, cruces, eculeos, candentes ferri laminas, regelatum plumbum, ollas vel cacabos, vngu- G las ferreas, ſæuas beſtias, fornaces ardentes thermas ſucceolas, venenatos ſerpentes, foueas immenſæ magnitudinis, vincula & carceres, gladios, & ſi qua ſunt ſimilia tormentorum genera. Hæc corporalia ſunt beſtiæ certamina. His autem certaminibus deſudans, conuertetur ad callidiora argumenta, & exhibebit dona, verba depromet dulcia & mollia: & adhibebit (etſi falſa) miracula, vt quos non poteſt tormentis, decipiat ſuaſionibus. Per vtraque igitur ſæuiens, multos à fidei rectitudine ad errorem inclinabit, alios ſcilicet terroribus, alios decipiens ſuaſionibus. Sed nunquid electos? Abſit. In eo ergo quod dicitur, vincet eos: pars quædam eſt admixta corpori Chriſti, quæ ſiue terroribus, ſiue blanditiis beſtiæ vinci poſſe narratur. In eo autem quod, occidet illos: pars eſt electa, quæ occidi quidem poteſt, ſed vinci non poteſt. Interfectio autem illa noo ſolum funditus extincta corpora in animarum egreſſione deſignat verumetiam multis preſſuris arctatam electorum vitam demonſtrat. De qua nimirum interfectione Paulus Apoſtolus dicit: H *Quotidie morior pro veſtra gloria fratres*. Et iterum: *Quis* 1.Cor.15 *nos ſeparabit a charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu? Tri-* Rom.8. *bulatio an anguſtia an perſecutio an fames an nuditas an* Pſal.43. *periculum an gladius?* ſicut ſcriptum eſt, *Quoniam propter te morte afficimur tota die, æſtimati ſumus vt oues occiſionis*. Abſit vero vt præmiſſa ſententia de duobus tantum Eccleſiæ nouiſſimis prædicatoribus prolata credatur, qua dicitur: *Et vincet eos*. Si enim de ſolis illis duobus eximiis prædicatoribus, Enoch videlicet & Elia dictum fuiſſet, quod abſit vt credatur, beſtia illos vinceret. Nam ambo electi ſunt, nec à beſtia vinci poſſunt, etſi occidi poſſunt. Intelligatur ergo Enoch & Elias in illa Eccleſiæ parte, quæ nec terroribus, nec blanditiis à beſtia ſuperari poteſt, ſed tormentis affligi & mori poteſt: in illa vero, quæ vel tormentis vel ſuaſionibus vinci poteſt dummodo non occidatur, praue viuentes Chriſtiani. Si autem quærimus quæ ſunt arma Eccleſiæ quod prælium contra beſtiam, inuenimus fidem & innocentiam. Gladio enim bis acuto, id eſt, duobus teſtamentis ac duobus charitatis præceptis,

contra

A contra lupos agni vtuntur: dumque falſa audiunt, vera prædicant: dum tormenta excipiunt, fidem proferunt: hinc proinde victores exiſtunt etiam cum moriuntur. Sequitur:

Et iacebunt corpora eorum in platea ciuitatis magnæ, quæ vocatur ſpiritaliter Sodoma & Ægyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus eſt.

Per hoc quod ſanctorum Eccleſia in platea ciuitatis mortua iacere deſcribitur, vehementer afflicta ac Dei iudicio temporaliter hoſtibus ſuis ſubſtrata monſtratur. Ideo enim mortua iacere perhibetur, vt à tranſeuntibus conculcetur. Vnde & præmiſſum fuerat, quod gentes
B ciuitatem ſanctam calcarent. Quonam modo enim exurgeret, vel potius ſtaret & non iaceret, ſi ampla principum ſuorum poteſtate hoſtes coarctaret? Sed iacet, quia iuſto pióque Dei iudicio temporaliter affligenda aduerſariis traditur. Nequaquam ſanè mortuorum corpora, vt ſuperiori verſu præmiſimus, in ſolis tantum qui humanis rebus excedunt, ſed in his etiam qui adhuc in corpore manent, intelligenda ſunt: præſertim cum & iſti ſpiritaliter
Col. 3. mortui appellentur, ſicut eis per Apoſtolum dicitur: *Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* Quia vero in illis tunc regionibus, in quibus Chriſtus traditur crucifixus, in quibus & caput malorum apparebit antichriſtus, ſedebit, atque regnabit, immanior perſecutio Eccleſiam vexabit: ideo præ omnibus illa ciuitas quæ occidit Prophetas, & lapidat eos qui ad ſe miſſi ſunt, ſubaudis, terrena Ieruſalem, mortua ſanctorum corpora in plateis habere deſcribitur: tanquam ſcilicet vbi principale certamen erit, ibi mor-
C tuorum corpora multipliciter iaceant. In quibus ver-
Matt. 23. bis patenter etiam datur intelligi, quia præ omnibus principaliter tunc Iudaica plebs antichriſto adhærebit, vſquequo Enoch & Elia prædicantibus, qui ex ea fuerint ſaluandi, reuertantur ad Chriſtum. Benè autem illa ciuitas Sodoma & Ægyptus appellatur, quia videlicet opera Sodomorum atque abominationes Ægyptiorum ſectaſſe cognoſcitur. Vnde & Iſaias Iudæis
Iſai. 1. exprobrando dicit: *Audite principes Sodomorum, percipite legem Dei noſtri populus Gomorra.* De quibus
Deut. 32. etiam Moyſes in cantico Deuteronomij ait: *Ex vinea Sodomorum vitis eorum, & propago eorum ex Gomorra. Vua eorum vua fellis, & botrus amaritudinis ipſis.* De qua nimirum vinea Dominus horum teſtium, mortis ſuſcepit poculum, cui & per Prophetam di-
Ierem. 2. cit: *Ego te plantaui vineam totam electam, quomodo conuerſa es in amaritudinem vitis aliena?* Quod ſi totum mundum ciuitatem illam ſignificare dicimus,
D nec à veritate diſcrepamus. Perſecutio etenim illa etſi illic immanior erit, tamen per totum orbem deſæuiet.
Hebr. 13. Nam & Dominus non intra illam ciuitatem, ſed extra portam eiuſdem ciuitatis paſſus fuit: vt totum mundum occupaſſe, & in toto mundo crucifixus fuiſſe crederetur. Quamobrem poteſt generaliter totus orbis per illam ciuitatem in Eccleſiæ perſecutoribus exprimi, quo ipſa temporalibus preſſuris vbique perhibetur conculcari. Quod autem ſiue ſpecialis, ſiue generalis ac reproba ciuitas ſpecialiter Sodoma & Ægyptus appellatur, ſic intelligendum eſt tanquam diceretur: Myſticè ac figuraliter horum nominum expreſſione, perſecutorum iniquitas deſignatur. Vnde & Apoſtolus propter figuratas verborum atque actionum locutiones ſpiritalem legem appellat, cuius literæ gladium cauendum
2. Cor. 3. pronuntiat. Ait enim: *Litera enim occidit, ſpiritus autem viuificat.* Sequitur:

Et videbunt de populis, tribubus & linguis & gentibus corpora eorum tribus diebus & dimidio, & corpora eorum non ſinent poni in monumentis.

Sicut ſepulcra ab humanis oculis mortuorum abſcondunt corpora, ſic pacis tranquillitas ab omni inquietudine vel aduerſitate huius mundi ſanctos plerumque contegit. Vnde & per quendam ſapientem figuraliter dicitur:
Corpora eorum in pace ſepulta ſunt, & nomen eorum viuit in ſæcula. Sed quia pacis huius tranquillitas vel certè vacatio alicuius negotij in extrema perſecutione denegabitur ſanctis, ideo teſtium corpora poni vetantur in monumentis. Ne autem abſurdum videatur, quod per ſola teſtium corpora non tantum funditus in carne extinctos, verumetiam preſſuris attritos diximus figurari: Scriptura ſacra huic noſtro ſenſui videtur ſuffragari, quæ ſæpè per ſolam animam, ſæpe per ſolum corpus totum hominem exprimit cum in libro Geneſeos in animabus ſeptuaginta Ægyptum intraſſe teſtatur neque enim vel Iacob, vel cognatio eius, cum ſolis animabus Ægyptum ſine corporibus introiuit. Per ſolum verò corpus totum hominem oſtendit, in eo quod Mariam Magdalenam de ſolo corpore Chriſti dixiſſe profitetur: *Tulerunt Dominum meum, & neſcio vbi poſuerunt eum*, cum nec diuinitatem, nec animam aliquis de monumento auferre potuerit, ſed ſolum corpus, quod mortuum in illo iacebat. In eo ergo quod beſtiæ miniſtri non ſinunt in monumentis teſtium corpora poni, nulli ſanctorum probantur quietis otio vacare. Quamobrem dum ſpiritaliter mortua in ſepulcris non permittuntur corpora teſtium quieſcere: conſtat nimirum, quia immanis illa perſecutio nec ad ſepelienda ſecundum Adam mortua, inducias permittit habere. Cuius videlicet perſecutionis tempus, modo per horam, modo per dies, modo per menſes, modo per annos exprimitur. Hoc itaque in loco per trium dierum ſpatium ac dimidij, triennij & ſex menſium ſumma deſcribitur: more videlicet Scripturæ loquentis, quæ aliquando ſicut à toto partem, ſic plerumque à parte totum oſtendit. Sic Num. 13. & 14.
enim arbitror in hac ſententia per dies annos figurari, ſicut filij Iſraël quadragenario dierum numero, quibus exploratores terram Chanaan circumierunt, quadraginta annorum curricula, quibus in deſerto peccata incredulitatis luerent, præfigurauerunt. *Annus*, inquit, *vobis pro die reputabitur.* Et ſicut ibi pro diebus anni, ita hic pro annis dies ponuntur. Sequitur:

Ecel. 4. · E · F · Gen. 46. · Ioan. 20. · G · Num. 14. · H

Et inhabitantes terram, gaudebunt ſuper illis, & iucundabuntur, & munera mittent inuicem, quia hi duo Prophetæ cruciauerunt eos qui habitant ſuper terram.

Cum ſuperna diſpoſitione in manus perſecutorum vltimo tempore tradita fuerit Eccleſia, mirum non eſt, ſi de eius humiliatione vel interfectione gaudeant reprobi, ſibique inuicem munera mittant: vel datum ſcilicet temporale, vel ſermonum congratulationem, tanquam diem feſtum celebrantes. Expoſuimus autem ante tertium vel quartum verſiculum, quæ ſint reproborum plagæ, quibus nunc ab electis cruciati referuntur, in deuoratione ſcilicet ignis ſpiritalis, in ſuſpenſione pluuiæ ſalutaris, in conuerſione aquarum in feculentiam ſanguinis. Hinc pendet eorum maximus ad mortem cruciatus, quamquam inſenſibiles effecti ac quodammodo phrenetici, non ſentiant quid ſit cruciatus.

Quomodo ergo de cruciantium ſe nece gaudent, ſicut diximus, ſi cruciatum ipſi non ſentiunt, niſi quia inſenſibiliter (vt ita dixerim) cruciatum ſentiunt, cum exaggerante peccato, quo vel non oblata vel malè oblata, & non recepta, vel male recepta prædicatione

A inuoluuntur, ad perſequendam Eccleſiam Dei excitantur? Alij enim propterea hucuſque pertrahuntur vt bonos odiant, quia ipſi bonum eorum audire non meruerunt: alij autem, qui etiam oblatum non receperunt: alij verò, qui receptum in malum conuerterunt. Lætari autem nouiſſimo tempore in bonorum nece, gaudere de ſua illata crudelitate dicuntur iniqui, qui toto nunc tempore iuxta Salomonis ſententiam, lætantur cum malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis. Sed iam tunc non longa erit talium exultatio de afflictione vel morte iuſtorum, ac ſua irrogata crudelitate. Cùm enim dixerint, *Pax*

Prou. 1. 1.Theſ. 5. *& ſecuritas tunc repentinus eis ſuperueniet interitus.* Vnde hic quoque aptè ſubinfertur:

Et poſt tres dies & dimidium, ſpiritus vitæ à Deo intrauit in eos, & ſteterunt ſuper pedes ſuos, & timor magnus cecidit ſuper eos qui viderunt eos.

B

Generalis autem omnium ſanctorum hoc in loco futura reſurrectio declaratur, quæ imminente iudicio, reprobis quoque in vnum gementibus, poſt tres dies & dimidium, id eſt, poſt illam nouiſſimam perſecutionem, quæ trium annorum & ſex menſium curriculis euoluitur, ventura prædicitur. Spiritus autem vitæ à Deo intrauit in illos, non quo alium ſpiritum accipiant: ſed quo eundem ipſum quem habuerunt, beatorum corpo-

1.Cor.15. ra recipiant. Spiritum enim vitæ à Deo accipient, cum mortale hoc induerit incorruptionem. Quia vero ex viuis & mortuis duorum teſtium corpora conſtare præmiſimus, qualiter & hi qui in aduentu Domini viui inueniuntur in corpore, ſpiritum vitæ accipiant, ſequenti verſiculo pandere curauimus. Nam quid ſibi velit quod hi qui reſurgunt, ſuper pedes ſuos ſtare perhibentur attendamus.

C Quid enim eſt, ſuper pedes ſuos reſurrectura corpora ſtare, niſi nulla iam rerum temporabilium mutabilitate nutare? Quid eſt ſuper pedes ſtare, niſi æterno ſummoque ſpiritui inhærendo æternaliter ſubſiſtere? Cuius reſurrectionis ordinem Beatus Iezechiel plenus ſpiritu

Ieze.37. exequitur, dicens: *Facta eſt ſuper me manus Domini, & eduxit me in ſpiritu Domini, & dimiſit me in medio campi, qui erat plenus oſſibus, & circumduxit me per ea in gyro. Erant autem multa valdè ſuper faciem campi, ſiccaque vehementer. Et dixit ad me: Fili hominis, putaſne viuent oſſa iſta? Et dixi: Domine Deus, tu noſti. Et dixit mihi: Vaticinare de oſſibus iſtis, & dices eis: Oſſa arida, audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus oſſibus his, Ecce ego introducam in vos ſpiritum, & viuetis; & dabo ſuper vos neruos, & ſuccreſcere faciam ſuper vos carnes, & ſuperextendam in vobis cutem, & dabo vobis ſpiritum, & viuetis: & ſcietis quia ego ſum Dominus.* Cuius prophetiæ effectum inſinuat, cum ſubiungit: *Acceſſerunt oſſa ad oſſa,*

D *vnumquodque ad iuncturam ſuam, & vidi, & ecce ſuper ea nerui & carnes aſcenderunt, & extenta eſt in eis cutis deſuper.* Atque poſt pauca: *Et ingreſſus eſt in ea ſpiritus, & vixerunt, & ſteterunt ſuper pedes ſuos, exercitus grandis nimis valdè.* Quæ videlicet cuncta cum manifeſtè reſurrectionem carnis pronuncient, habent tamen penè in ſingulis verbis, quæ ſubtili indigeant diſputatione. Et valde longum eſt nunc plenius ea indagare: ingratum verò, ex toto poſtponere. Quid itaque eſt aliud, *manus Domini facta ſuper Prophetam*, niſi virtus vnigeniti ſanctis prædicatoribus oſtenſa? Manus enim Domini, filius eſt, per quem facta ſunt omnia. Benè autem manus hæc & facta, & ſuper Prophetam facta perhibetur: quia videlicet mediator noſter, & homo factus inter homines extitit & virtute diuinitatis vltra homines fuit. Educit igitur hæc manus prophetam in ſpiritu vnde & quo, niſi de domo ad campum? Id eſt, redemptor noſter primos Eccleſiæ prædicatores Spiritu Sancto afflatos, ab angulo Iudaicæ plebis ad latitudinem totius orbis.

Plenus autem oſſibus campus oſtenditur, ſubaudis, humano genere mundus repletus, circumducitur per ea in E gyro Propheta, quia videlicet orbis ambitum luſtrant prædicatores Eccleſiæ. Multa verò & ſicca ſuper faciem campi oſſa iacere perhibentur, tanquam diceretur: Multitudo humani generis ſine ſpe reſurrectionis inde arida, inde non habentia neruos, carnes & cutem oſſa, qui non credebant homines in futuro reſurgere poſſe. Interrogatur etiam Propheta vtrum quandoque victura ſint oſſa demonſtrata, non vt iam prædicatorum in eo formam gerat, ſed dubitantium perſonam aſſumens, non humana, ſed diuina de tanta re homines reſponſione firmentur. Vnde & eidem prophetæ quaſi ſub hæſitantis voce dicitur: *Putaſne viuent oſſa iſta?* Et ille tanquam ignorans, reſpondit: *Domine Deus tu noſti.* Cui & benè præcipitur: *Vaticinare de oſſibus iſtis, & dices eis: Oſſa arida audite verbum Domini.* Hæc dicit Dominus Deus oſſibus his, *Ecce ego introducam in vobis ſpiritum, & viuetis: & dabo ſuper vos neruos, & ſuccreſcere faciam ſuper vos carnes, & ſuper* F *extendam in vobis cutem, & dabo vobis ſpiritum, & viuetis.* Quid itaque pertinet ad prophetam, vt ad oſſa arida ac funditus poſt mortem carnis extincta, diceret: *Oſſa arida, audite verbum Domini*: cum omnino illa non poſſent audire Prophetam loquentem, niſi quia figuram prædicatorum gerebat, qui non carne, ſed fide mortua ad ſpem futuræ reſurrectionis prædicando viuificant oſſa? Nonne arida in fide atque ſpe hominum oſſa alloquebatur Apoſtolus cum diceret: *Si ſecundum hominem ad beſtias* 1.Cor.15. *pugnaui Epheſi, quid mihi prodeſt ſi mortui non reſurgunt?* Ibid. Vnde & præmiſerat: *Si Chriſtus prædicatur quod reſurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis quoniam reſurrectio mortuorum non eſt? Si autem reſurrectio mortuorum non eſt, neque Chriſtus reſurrexit. Si autem Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt ergo prædicatio noſtra, inanis eſt & fides veſtra.* Inuenimur autem & falſi teſtes Dei quoniam teſtimonium diximus aduerſus Deum, quod reſuſcitauerit Chriſtum quem non reſuſcitauit. *Nam ſi* Ieze.37. *mortui non reſurgunt, neque Chriſtus reſurrexit. Quod ſi* G *Chriſtus non reſurrexit, vana eſt fides veſtra adhuc eſtis in peccatis veſtris.* Vbi & à Propheta ſubiungitur: *Prophetaui ſicut præceperat mihi. Factus eſt autem ſonitus prophetante me, & ecce commotio. Et acceſſerunt oſſa ad oſſa, vnumquodque ad iuncturam ſuam. Et vidi, & ecce ſuper ea nerui & carnes aſcenderunt, & extenta eſt in eis cutis deſuper.* In quibus nimirum verbis, dubitantium fides roborata cognoſcitur. Annuntiantibus enim ſanctis prædicatoribus fidem futuræ reſurrectionis, fit commotio, id eſt hæſitantium corda mirantur de audita gloria futuræ innouationis. *Accedunt quoque oſſa ad oſſa, vnumquodque ad iuncturam ſuam, aſcendunt nerui & carnes, ſuperducitur cutis cum hæc plena fide in ſe futura iam credunt fideles.* Vbi adhuc ſubditur: *Et ſpiritum non habebant.* Et dixit ad me: *Vaticinare ad ſpiritum vaticinare fili hominis & dices ad ſpiritum.* Ibid. Hæc dicit Dominus Deus: *A quatuor ventis veni ſpiritus, & inſuffla ſuper interfectos iſtos vt viuant. Et pro-* H *phetaui ſicut præceperat mihi, & ingreſſus eſt in ea ſpiritus, & vixerunt, & ſteterunt ſuper pedes ſuos, exercitus grandis nimis valde.* Cum futura corporum reſurrectio has moras in recipiendis ſpiritibus habere minimè credatur, Apoſtolo docente, *In ictu oculi* peragẽda cognoſcitur. Idcirco prophetã puto dixiſſe, ſpiritũ non habebãt, vt & illos qui poſt 1.Cor.15. mortem carnis animas in nihilum redigendas docuerunt & illos qui reſurgentia corpora ſpiritum eſſe dixerunt ad veræ fidei cognitionem reuocare cupientes ſanctos prædicatores monſtraret. Vnde & vaticinando dicitur: *A quatuor ventis veni ſpiritus, & inſuffla ſuper interfectos iſtos, vt viuant.* Ac ſi prædicatores Eccleſiæ dicerent: Ex cunctis mundi partibus omnium animæ in vnitatem fidei conuenite, vnum ſentiendo, vnum ex vobis quodammodo ſpiritum reddite & corpora quæ in futurum ad veſtrum ingreſſum viuificabuntur iam vos per ſpem viuificaſſe præſumite, dicentes cum Apoſtolo: *Conreſuſcitauit & conſedere nos fecit in cœleſtibus.* Eph.2. Vbi etiam effectus prædicationis apparet, cum ſubiungitur: *Ingreſſus eſt in ea ſpiritus, & vixerunt.* Ieze.37. Hic etiam (Deo gratias) euacuata cognoſcitur quorundam hominum perfidia, qui aut ani-

mas

A mas in nihilum redigendas, aut corpora in ſpiritum conuertenda putauerunt. Sic certè diſtinctè, ſic diſcretè reſurrectio quæ futura eſt corporum mortuorum, nunc formatur in cordibus noſtrorum fidelium, qui vt talem certè fidem gerunt, ita iam per fidem & ſpem reſurrexerunt. Confirmat autem Dominus hanc noſtram ſententiam, qui cum per Prophetam ſuum tanquam ad oſſa mortua loqueretur: repentè ad ea quæ adhuc in carne viuebant, conuertit ſermonem. Et hoc quod iam quaſi factum narrauerat, futurum promittit, dicens:
Ibid. *Ecce ego aperiam tumulos veſtros, & educam vos de ſepulcris veſtris populus meus.* Poſſunt hæc ſub alio intellectu ad animarum reſurrectionem congruentius referri: ſed ſi hoc loco agatur, ſuperfluum poteſt iudicari. Ad propoſitum ergo reuertamur, & quid reſurgentibus in futurum ſanctis reprobi patiantur, attendamus. Denique illis à ſomno mortis euigilantibus, ait Ioannes:
B [*Timor magnus cecidit ſuper eos qui viderunt eos.*] Non eſt mirum itaque ſi iuſtis reſurgentibus timor reprobos inuadat præſertim cum cœlis ac terris ardentibus, terribili quoque iudicis examine iam apparente, atque Angelorum vocibus totum per orbem terribiliter acclamantibus, ipſi etiam electi, & ſi ſecuro timore, tamen in tanta ſubitatione paueant. De quibus adhuc ſubditur.

Et audierunt vocem magnam de cælo, dicentem illis: Aſcendite huc. Et aſcenderunt in cælum in nube, & viderunt illos inimici eorum.

Vox magna de cœlo, quæ electos vt ad cœlum aſcendant inuitat illa eſſe cognoſcitur, de qua per Apoſtolum
C
1.Th.4. dicitur: *Ipſe Dominus in iuſſu & in voce Archangeli & in tuba Dei deſcendet de cœlo.* In nube autem aſcendunt, quia videlicet in poteſtate iudicantis. Hinc eſt quod Dominus
Act. 1. deuicta morte in nube ad ſedem paternam aſcendit, ſicut Lucas Euangeliſta teſtatur, dicens: *Videntibus illis eleuatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum.* Hinc eſt quod ſic venturus ipſo in loco prædicitur ſicut in nube aſcendiſſe monſtratur, Angelis atteſtantibus qui dicunt: *Sic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum.* Vnde
Matt. 24. & in Euangelio idem Dominus ait: *Tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cum poteſtate magna & maieſtate.* Quod autem ex viuis & mortuis corpora duorum teſtium conſtare præmiſimus, idoneum teſtem ad hoc
1.Thes.4. confirmandum, Paulum dicentem introducimus: *Nos qui viuimus, qui reſidui ſumus in aduentu Domini, non præueniemus eos qui dormierunt: quoniam ipſe Dominus in iuſſu & in voce Archangeli & in tuba Dei deſcendet de cœlo, & mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi: deinde nos qui*
D *viuimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Domino in aëra, & ſic ſemper cum Domino erimus:* Sed ſi vera eſt hæc Pauli ſententia de inueniendis in aduentu Chriſti viuis hominibus, atque in nubibus ob-
Pſal. 88. uiam ei rapiendis, imò quia veraciſſima eſt: ergo Pſalmiſta
Gen. 3. mendax eſt qui dixit, *Quis eſt homo qui viuet & non videbit mortem?* Mendax & illa Geneſis de humano genere ſententia, *Terra es in terram ibis?* Abſit. Sicut enim vera eſt Pauli, ſic vera Pſalmiſtæ, ſic vera Geneſis ſententia: quia & viui reperientur, & tamen vt pater Auguſtinus docet, in ipſo raptu nubium, etſi momentaneam, mortem guſtabunt. Vbi nec illud contrarium poteſt videri quod dicitur terra es & in terram ibis: cum hoc ſit corpus in terram reuerti, quod eſt, exeunte anima remanere corpus, quod vtique terra eſt. In qua ſcilicet ſententia reddidiſſe videmus debitum, quod in ſupradicto verſu promiſeramus. Itaque ſecuri dicimus, quia in ipſis nubibus ſpiritum vitæ accipient hi, qui in aduentu Domini viui reperientur, in qui-
1.Cor.15. bus & momentaneam mortem guſtabunt. Quam autem velox ſit vtraque immutatio, Apoſtolus indicat, qui omnia in ictu oculi fieri confirmat. Sequitur:

Et in illa hora factus eſt terræmotus magnus, & decima pars ciuitatis cecidit, & occiſa ſunt in terræmotu nomina hominum ſeptem millia. Et reliqui in timorem ſunt miſſi, & dederunt gloriam Deo cæli. E

Summus ac viuificator ſpiritus, qui autor eſt huius reuelationis, narrata futuræ reſurrectionis qualitate, recapitulando ad ea quæ prætermiſerat, potiúſve diſtulerat, enarranda redit. Non autem ſolito ad initium fidei, id eſt, ad incarnationem Chriſti recurrit, ſed ad ipſam immaniſſimæ crudelitatis ſæuitiam, quæ fiet ſub antichriſto, de qua paulò antè ſermonem contexerat, horam ſcilicet eam vocans, quam ante trium dierum ſpatiis ac dimidij figuratam expreſſerat. Sed nec mirum, ſi perſecutionis il- Matt. 24.
F lius tempus, cuius dies abbreuiatos Dominus dicit, vnius horæ ſpatio exprimatur, cum totum tempus vitæ præſentis Ioannes Euangeliſta, cuius hæc eſt Apocalypſis, in epiſtola ſua vnam vocet horam, dicens: *Filioli, nouiſſima* 1.Ioan. 2.
hora eſt. Quid autem in terræmotu accipimus, niſi illam ſæuiſſimam atque vltimam tribulationem? Benè igitur Matth. 24. non ſimpliciter, ſed cum additamento, terræmotus magnus vocatur: quia vt Dominus (quod ſæpè protulimus) in Euangelio teſtatur, erit tunc tribulatio talis, qualis non fuit ab initio, ex quo homines eſſe cœperunt ſuper terram, vſque ad tempus illud, ſed nec fiet. Hinc Angelus ad Danielem loquitur, dicens: *Veniet tempus, quale non fuit ex quo gentes eſſe cœperunt, & in tempore illo* Dan. 12.
ſaluabitur populus tuus. Hoc autem terræmotu electorum ſimul ac reproborum terram agitante, decima pars ciuitatis cadit, ſubaudis in illis qui ad electorum numerum non pertinent, qui ex Angelis conſtat & hominibus. Ali- G
quando enim ſacra Scriptura vnam eandem Ieruſalem ciuitatem Dei in partibus oſtendit, cuius vnam partem in vtriſque ciuibus ſuis iam gaudere in cœlis, alteram vero in peregrinantibus ab ipſa adhuc gemere docet in terris. Aliquando autem vtraſque partes coniungens, futuram eius vnitatem oſtendit. Supra denique in peregrinantibus ſuis eandem ciuitatem conculcari à gentibus, interfici à beſtia in teſtibus præmonſtrat: tunc vero ambas eius partes præſignans, illos ab eo cadere demonſtrat qui ad eorum numerum non pertingunt: qui nouem ordinibus Angelorum iuncti, & ruinas dæmonum ſua numeroſitate inſtaurant, & decimũ ordinis ſui locum adimplent. Non itaque tota decima, ſed pars decimæ debet intelligi quæ cadet. Illa inquam pars decima ruit, quæ ad nouem ordines Angelorum non pertingens, locum decimi ordinis cum electis minimè tenet: quamvis nunc etſi ſuper arenam, cum illis tamen ruiturum vitæ ſuæ ædificium conſtruat, ſcilicet vel malè credendo in Chriſtum, H
vt hæretici: vel male viuendo in corpore Chriſti, vt falſi Chriſtiani: quorum cadentium numerus, rectè etiam & in ſeptem millibus hominum deſignatur, quia nimirum ab illa electorum innocentia, quæ in ſeptem millibus ouium quas B. Iob poſſediſſe deſcribitur, qui typum Chriſti ſuis Iob. 1.
paſſionibus ac nomine expreſſit, myſticè deſignatur, tanquam hœdi beſtiarum dentibus laniandi ſeparantur. Quaſi enim ſeptem millia hominum in terræmotu ruentes moriuntur, cum pars illa quæ nunc inter agnos latitat, agente nouiſſima perſecutione, ad publicum errorem deducta, in corpus beſtiæ deuoranda traiicitur. Vnde & ſubditur: [*Reliqui in timorem ſunt miſſi, & dederunt gloriam Deo cœli.*] Quos hic reliquos intelligimus? Illos qui in fide permanſerunt, an illos qui poſt abnegationem fidei, ex pereuntium numero ſupereſſe metuerunt? an illos qui fidem necdum habuerunt, & tamen ex illis etiam ad fidem conuertendi erunt? Certè ſi ſubtiliter inſpicimus, & his forte & illis atque illis hanc ſententiam conuenire probamus. In ſingulis enim his partibus reliquos dicere valemus: atque omnes in ſumma, qui ad numerum perditorum non pertinent, reliquos appellare debemus. Non eſt itaque dubium, quod reprobis cadentibus, pa-

A uceant electi,dentque gloriam Deo cœli,quod nullus niſi iuſto iudicio eius ad iniquitatis errorem recurrat, nullus niſi miſericordia eius ab iniquitatis errore ſaluus fiat. Nec eſt ambiguum quod ex his qui à fide diſceſſerunt, ſanctorum prædicatione quidam ad fidei cognitionem redeant, redeuntes paueant,ac Deo cœli gloriam tribuant, in eo quod & iuſtè cadere permiſſi,& miſericorditer ſunt poſt ruinam erecti.Nec cuilibet incertum,quod illis quoque qui fidem necdum habuerunt, Enoch & Elia docentibus,ad cognitionem eiuſdem fidei veniant,venientes timeant , dentque creatori gloriam , in eo quod poſt tam longum iniquitatis errorem,tandem ad veritatis notitiam pertingere meruerunt. Quod maximè Iudæis aſſignandum eſt,à quibus vtique priuſquam ipſi ad fidei cognitionem redeant,non ſolum ex gentibus,verumetiam ex ipſis qui crediderint Iudæis , electorum Eccleſia grauiſſimas perſecutiones ſentit,ſed poſtmodum multos ex his,ad to-
B lerandas paſſiones ſibi aſſociat. Vnde & ad Iezechielem
Iezec. 3. Prophetam figuratim Dominus loquitur,dicens:*Et tu fili hominis, ecce data ſunt ſuper te vincula , & ligabunt te in eis,& non egredieris in medio eorum. Et linguam tuam adhæreſcere faciam palato tuo,& eris mutus nec quaſi vir obiurgans , quia domus exaſperans eſt*. Propheta etenim in domo ſua vincula ſuſcipit , & ligatur : quia in extremis cum Iudæa crediderit,ſæuiſſimas antichriſti tempore perſecutiones ſentit , ita vt prædicationem eius miniſtri iniquitatis non recipiant, ſed reſiſtendo hanc vinculis dolorum premant. Et in medio eorum non egredietur , quia ad corda prauorum prædicatio non peruenit, dum lingua bonorum ligata tribulationibus tacet. Erunt etenim (ſicut præmiſimus) tunc multi ex Iudæis infidelibus , qui eoſdem ipſos qui ex Iudæis crediderint,perſequentur.Vnde notandum eſt,quia in domo ſua Propheta vincula ſuſtinet,vt videlicet deſignetur, quoniam ex ipſo ſuo gene-
C re Iudæa, cum fidelis fuerit, perſecutionem tribulationis portabit.Dum enim vnigenitus ſummi patris, incarnatus ac mortuus , reſurrexiſſe atque ad cœlos aſcendiſſe non creditur,ſicut per ſacræ Scripturæ paginas prædicatur,nimirum apud eos prophetia ligata erit.Quæ ſi (vt dictum eſt) in eorum intellectum decurreret, quaſi greſſus liberos ſuæ prædicationis Propheta habuiſſet.Reprobis ergo tunc prædicatorum ſcientia tacere compellitur. Vnde &
Ibid. hic ſubditur : *Et linguam tuam adhæreſcere faciam palato tuo , & eris mutus nec quaſi vir obiurgans , quia domus exaſperans eſt*.Sed quia (vt præfari ſumus) Enoch & Elia prædicantibus , multi ex his qui tunc ex Iudæis infideles remanſerant, ad cognitionem veritatis redeunt , ſicut de
Matt 17. vno eorum dicitur : *Elias veniet, & ipſe reſtituet omnia* :
Iezec.3. rectè hic quoque ſubiungitur , *Cum autem locutus fuero ad te,aperiam os tuum,& dices ad eos:Hæc dicit Dominus*
D *Deus*.Tunc enim velut in extremis os prophetæ aperitur, cum ad prædicationem Enoch & Eliæ Iudæis ad fidem redeuntibus, prophetia ſacri eloquij de Chriſto fuiſſe cognoſcitur.Et hos certè ex perditorum numero ereptos,dignè poſſumus appellare reliquos:quia aliis pereuntibus, in timorem conuerti,& Domino cœli gloriam dare narrantur. Sequitur :

Væ ſecundum abiit , & ecce væ tertium venit citò.

Hic finis eſt duplicis recapitulationis ſed non huic ſecundum væ adſcribitur. Dictum namque ſuperius fuerat peracto prœlio locuſtarum , væ vnum abiiſſe, & alia duo ventura eſſe : atque enarratis quæ ad ſecundum væ pertinebant,id eſt, ſolutionem quatuor Angelorum, & innumeroſa millia equitum , non eſt redditum væ ſecundum. Hoc autem idcirco , quia recapitulatio ab aduentu Chriſti ſequebatur , ne putaremus ſi ibi dictum fuiſſet , væ ſecundum abiit , tertium væ ad recapitulationem pertinere. Finita autem recapitulatione , væ ſecundum in Angelis & equis abiiſſe deſcribitur. Ac ſi apertè diceretur : Non ad hunc , ſed ad ſuperiorum locum , væ ſecundum ſubauditionem habet. Enarata ergo recapitulatione , quæ ordinem concidit , væ ſecundum red-

E datur ordini concilio. Quod ſit autem tertium væ, quod citò venturum prædicitur , manifeſtatur cum ſtatim ſubiungitur.

Et ſeptimus Angelus tuba cecinit , & factæ ſunt voces magnæ in cælo , dicentes : Factum eſt regnum huius mundi Domini noſtri & Chriſti eius , & regnabunt in ſæcula ſæculorum. Et vigintiquatuor ſeniores qui in conſpectu Dei ſedent in ſedibus ſuis , ceciderunt in facies ſuas , & adorauerunt Deum , dicentes : Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotens , qui es & qui eras,
F *qui accepiſti virtutem tuam magnam , & regnaſti & iratæ ſunt gentes, & aduenit ira tua, & tempus mortuorum.*

Poſt immanitatem illius nouiſſimæ perſecutionis, apparente etiam Domino ad iudicandum in maieſtate ſua, hic ſeptimus Angelus tuba canere perhibetur : in quo certè nil aliud quam Eccleſia exprimitur , non quidem populis iam tunc prædicans, ſed in conſpectu iudicis ſui miſericordiam & iudicium decantans. Iam enim tunc deſinet prædicare,cum tempus recipiendi mercedem pro labore prædicationis aduenerit. Hinc eſt quod Angelus ſuper mare ac ſuper terram ſtans, per viuentem in ſæcula ſæculorum iurat, quia tempus iam non erit.Sed in diebus vocis ſeptimi Angeli , & cum cœperit tuba canere, Apoc.10.
conſummabitur myſterium Dei ſicut euangelizauit per ſeruos ſuos prophetas. Septimo autem Angelo tuba ca- G
nente , voces magnæ fiunt in cœlo , id eſt in ipſa electorum Eccleſia,quæ cœlum & ſedes eſt Dei,gratiarum perſonant actiones. Nec ſimpliciter , ſed cum additamento, magnæ voces eſſe perhibentur : quia nimirum de magnis rebus , magnum exoritur cordis deſiderium. Quid vero ſit,vnde in has tunc voces erumpant electi , Ioannes inſinuat, qui eos ita perhibet dicturos : [Factum eſt regnum huius mundi,Domini noſtri & Chriſti eius, & regnabunt in ſæcula ſæculorum.] Hinc voces , hinc magnæ in cœlo reſonant voces,cum regnum huius mundi,cui pridem antiquus hoſtis dominabatur,factum ſit regnum Dei noſtri & Chriſti eius , patris ſcilicet filiíque eius. Vbi conſequenter ſecundum illam intelligentiæ formam , quam longe ſuperiùs in hac Apocalypſi coatteſtantibus ac concordantibus diuinarum Scripturarum oraculis expreſſimus , amborum ſpiritum intelligere debemus : quibus æqualis maieſtas , æqualis æternitas æqualis eſt regnandi H
potentia. Quamquam autem in ſuperioribus huius operis partibus, de vigintiquatuor ſenioribus pleniſſimè tractatum ſit,ea nunc breuiter exponendo retexímus : ne forte dum lectoris mens quid inde ſuperius tractatum fuerit non reminiſcitur , expoſitionem nos in his præteriſſe arbitretur. Seniores namque prædicatores Eccleſiæ vocantur,Petro atteſtante qui ait:*Obſecro vos ſeniores conſenior* 1.Pet. 5.
& teſtis reuelationis.Vnde & Iſaias dicit : *Ecce venit Do-* Iſai.3.
minus ad iudicium cum ſenioribus populi ſui. Qui vero eſſent iſti ſeniores idem Dominus qui cum illis in iudicio apparebit,oſtendit dicens ad Apoſtolos:*Cum ſederit filius* Matt. 19.
hominis in ſede maieſtatis ſuæ , ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim,iudicantes duodecim tribus Iſraël.

Benè autem vigintiquatuor, quia videlicet ex vtroque teſtamento in duodecim tribubus ac duodecim Apoſtolis;plerumque vero in his vigintiquatuor ſenioribus, quibus omne corpus deſignatur præpoſitorum , tota figuratur Eccleſia iuſtorum , tanquam ſcilicet genus in ſpecie videatur expreſſum, Id eſt, generale corpus electum,ſpeciali corporis parte omnium formam gerentis prædicatorum. Cùm vero ſicut nunc in ſedibus ſuis ſedere perhibentur ſeniores , per ſedes quibus præſident , ſubiectæ plebes intelligũtur quas diiudicantes regunt:cũ quoq; &

A ſeniores & ſedes ad principem ſeniorum, qui cunctos ſingulari iudicio examinat, referuntur: & ſeniores & ſedes, vna Chriſti ſedes reperiuntur. Recte etiam ſeniores non in conſpectu hominum, ſed in conſpectu Dei in ſedibus ſuis ſedere perhibentur: quatenus ſubiectorum facta examinantes, non humanam per hoc gratiam ſed Dei gloriam requirant. In conſpectu Dei ſedent, qui in cunctis quæ dicunt vel agunt, Deum ſibi præſentem ſemper attendunt. Hinc Ioannes Euangeliſta dicit: *In conſpectu eius perſuademus corda noſtra.* Hinc Paulus ait: *Tanquam ex Deo coram Deo, in Chriſto loquimur.* Hinc Dauid atteſtatur, dicens: *Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper.* Hinc de ipſo Dauid poſt acceptum diuinæ repromiſſionis oraculum, vt ei Dominus domum fidelem conſtitueret, dicitur quod ſederit coram Domino gratiarum vota perſoluens. Sed quid ſibi vult, quod ſeniores qui in conſpectu Dei ſedent, cum gratias agentes Deum adorant, de ſedibus ſuis in faciem cadunt niſi quia illi omnia tribuunt, à quo ſe talia poſſe præſumunt? Quid autem adorantes dicant, audiamus. Aiunt enim: [*Gratias tibi agimus Domine Deus omnipotens, qui es & qui eras.* In quibus verbis liquido claret, hæc omnia in extremo iudicio dicenda vel agenda eſſe: quia cum Domino dicunt, qui es & qui eras: ac nequaquam ſubiungunt, vt ſolebant, & qui venturus es: præſentem iam demonſtrant, quem venturum eſſe minime prædicant. Vnde vero gratiarum perſoluant actiones, ſequentes demonſtrant cum dicunt. [*Quia accepiſti virtutem tuam magnam, & regnaſti & iratæ ſunt gentes, & aduenit ira tua & tempus mortuorum.*] In quibus videlicet gratiarum actionibus, duos Domini aduentus comprehendunt, primum & ſecundum, humilem & excelſum, occultum & manifeſtum.

Cum enim dicunt, accepiſti virtutem tuam magnam, & regnaſti, & iratæ ſunt gentes ſine dubio primum eius aduentum in carne deſignant: cum vero ſubiungunt, aduenit ira tua & tempus mortuorum, ſecundum in maieſtate præclarum. Tunc autem mediator noſter magnam virtutem ſuam accepit, & regnauit, cum reſurgens à mortuis, gloriam mundi ſibi proſtrauit. Magnam vero virtutem accepit, ſubaudis in humanitate, qui virtus indeficiens eſt in ſua diuinitate. Chriſtus enim ſecundum Apoſtolum: *Dei virtus eſt & Dei ſapientia.* Hanc illam eius beata humanitas accepit, cum ex carnis infirmitate in fortitudinem diuinæ virtutis excreuit, Paulo atteſtante qui ait: *Etſi crucifixus eſt ex infirmitate ſed viuit ex virtute Dei.* Vel certe magnam virtutem accepit in membris, per quæ totum mundum debellans ſibi ſubiecit: ex quorum perſona, ipſa in Chriſto humanitas dicit: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.* Et hinc gentes iratæ fuiſſe perhibentur, ſicut Pſalmiſta teſtatur: *Dominus regnauit iraſcantur populi.* Iraſcantur igitur ſæuiant, fremant Dominus humilis, humilitatis regnum tenens & regens, patiens perſiſtit, tempus expectans quo & gentium ira deſinat, & ſua in peccatores exardeſcat. Apparuit quidem humilis, manſuetus, mitis & iratæ ſunt gentes. Veniet quandoque tempus, vt is qui benignus apparuit, iratus adueniat, & iraſcentium ceruices conſtringat. Sed cum idem Dominus præcipiat, diligite inimicos veſtros benefacite his qui oderunt vos & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos: quomodo iſti de aduentu iræ eius in reprobos, gratias agere referuntur? dicunt enim: *Gratias agimus tibi, quia aduenit ira tua & tempus mortuorum.* Sciendum nobis eſt, quia non ideo gaudent electi, quia reprobi damnantur: ſed ideo gaudent, quia illud tempus aduenit, quo & impij iuſtam damnationem, & ipſi recipiunt bonorum operum dignam mercedem. Neque enim dicunt gratias agimus tibi quia iniquos condemnas: quod omnino ſi facerent, nil delinquerent ſed potius iuſta iudicia eius collaudarent; ſed aiunt quia aduenit ira tua & tempus mortuorum, ſcientes proculdubio quia nequaquam tranſeunt ad regnum corpora piorum niſi præceſſerit damnatio impiorum. Iuxta hunc intellectum, animæ occiſorum ſubtus altare Dei clamare perhibentur: *Vſquequo Domine ſanctus & verus non iudicas & vindicas ſanguinem noſtrum de his qui habitant in terra?* Non quo ſcilicet vindictam expoſcant, ſed quo tempus vindictæ adueniat, in quo ipſi poſt ipſam malorum vindictam, etiam cum corporibus æternam recipiant vitam. Secundum hanc rationem & Pſalmiſta loquitur, dicens: *Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam impiorum.* Ira autem iudicis, non perturbationem mentis, ſed rectitudinem inſinuat. Qui enim iuſte tunc iniquos damnabit, & nequaquam indignis miſericordiam præſtabit, non in ſua, ſed in illorum conſcientiis quos damnabit, iratus apparebit. Qualem itaque ante eum conſcientiam quis tulerit, talem & illum videbit. Nam in mentibus electorum non iratus, ſed benignus videbitur. Hinc namque ſcriptum eſt: *Cum exarſerit in breui ira eius, beati omnes qui confidunt in eo.* Non enim iratum, ſed placatum conſpiciunt hi, qui in eum confidunt, quique adhuc in eius laudem ſubiungunt:

Iudicare & reddere mercedem ſeruis tuis Prophetis & ſanctis, & timentibus nomen tuum, puſillis & magnis.

Cum Paulus dicat fidelibus, *Gratia ſalui facti eſtis per fidem*, & hoc non ex operibus? vt ne quis glorietur: & illud de largitore omnium bonorum, *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* quomodo iſtis reddi merces narratur? Non enim redditur, niſi quod debetur. Et certè idem Paulus alio loco quaſi ſibi contrarius, dicit: *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex.* Quid eſt ô doctor gentium, ô prædicator egregie, quod ita varias ſibique contrarias introducis ſententias? Si enim nullus illi prior dedit vt retribuatur ei, quid eſt quod dicis, tibi in die illa à iuſto iudice reddi coronam? Sed ſciendum nobis eſt, quia vt aliquid Deo daremus, prius ab illo accepimus, ſicut idem Apoſtolus teſtatur: *Quid habes quòd non accepiſti?* Et hoc omnino quod accepimus, & Dei, quia ipſe dedit: & noſtrum, quia nos accepimus, veraciter pronuntiamus. Quamobrem cum Deus mercedem ſeruis reddit, ipſa ſua in eis dona remunerat. Non enim reddere mercedem ſe diceret, niſi opera mercedis accepiſſet. Sed nos opus mercedis habere nequiuimus, niſi ab illo vt operaremur accepiſſemus. Sub hac certe intelligentia quotidie oramus: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Si noſtrum eſt, cur vt detur petimus? Sed ſit noſter accipiendo, qui non erat habendo. Quæri autem poteſt, cur nominatis Eccleſiæ membris, id eſt, ſeruis & prophetis, ſanctis & nomen Domini timentibus, puſillis & magnis, ad hanc percipiendam mercedem Apoſtoli non deſcribuntur. In qua nimirum ſententia illud datur intelligi, quia prophetarum vocabulo, iidem Apoſtoli, noui ſ. prophetæ cum veteribus, exprimuntur. An non prophetæ noui digne vocantur Apoſtoli, cum Ioanni de cœlo per hanc reuelationem dicatur, *Oportet te iterum prophetare?* Magna igitur conſolatio demonſtratur in eò quod ſubditur: [*Timentibus nomen tuum, puſillis & magnis.*] Nullus itaque de ſua imperfectione deſperet, ſi tamen perfecta agere contendit, nec valet: quia non ſolum magni, verumetiam puſilli ad illam mercedem pertingunt. Huic ſententiæ beatus & iuſtus Iob concinit, dicens: *Paruus & magnus ibi ſunt.* Hinc eſt quod idem Dei homo, filiabus ſuis hæreditatem dediſſe inter fratres ſuos perhibetur. Hic ſanctorum Eccleſia Domino dicit: Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur, Omnes, vtique & perfecti & imperfecti. Hinc eadem iuſtorum Eccleſia in Canticis canticorum ſponſo ſuo dicit: *Vnguentum effuſum eſt nomen tuum, ideo adoleſcentulæ dilexerunt te.* Et quia talium numeroſior ſumma inuenitur, ideo in ſubſequentibus Salomon ait: *Adoleſcentularum autem non eſt numerus.* Sit ergo voluntas, deſiderium, atque ſtudium perficiendi. Et ſi non fuerit attributa perfectio, nulla ſubrepat de imperfectione deſperatio. Verax eſt omnino vox, quia in veteri teſtamento dicitur: *Paruus & magnus ibi ſunt.* Verax & hæc in nouo, qua puſillis & magnis merces reddi perhibetur. Enarrata autem retributione iuſtorum, ſubiungunt ſeniores de damnatione reproborum, dicentes:

Margin (left): A; 1.Ioan.3.; 2.Cor.2.; Pſal.15.; B; C; 1.Cor.1.; 2.Cor.13.; Matth. 28.; Pſal.98.; D; Matth.5.; Apoc.6.
Margin (right): B; Pſal.57.; Pſalm.2.; F; Ephe. 2.; Rom.11.; 2.Tim.4.; 1.Cor.4.; G; Luc.11.; Apoc.10.; H; Iob 3.; Iob 42.; Pſal.138.; Cant.1.; Cant.6.; Iob 3.

A

Et exterminandi eos qui corruperunt terram.

Subaudi, tempus aduenit. Qui videlicet ideirco non
occidi, ſed exterminari dicuntur: quatenus ipſius exter-
minari vocabulo, perpetuum damnationis exilium, æter-
naque illorum demonſtraretur mendicitas atque inopia.
Exterminatur enim, quod extra terminum eiicitur. A
cælorum igitur limite excluſi, atque ab hæreditate ſan-
ctorum eliminati, perpetuoque damnari liminio tenebra-
rum atque ignium receptaculis, quaſi quibuſdam retru-
duntur carceribus, vbi maximam omnium abſentiæ Dei
patiantur inopiam. Illa certe eſt deterior mors, illa nequior
fames. Non enim dubium quod ſicut recedente anima
moritur caro, ſic Deo deſerente anima moriatur. Et reuera
dignum eſt vt hi qui terram, ne debitos fructus redderet,
corruperunt: à terra viuentium excluſi, perpetuæ fami
mancipentur. Quid eſt autem terram corrumpere, niſi pra-
B uis dogmatibus quorundam mentes peruertere? Quid eſt
terram corrumpere, niſi iniquis operibus vitam deprauа-
re? Quid eſt terram corrumpere, niſi comeſſationibus,
ebrietatibus, fornicationibus, adulteriis, homicidiis, fur-
tis, periuriis, falſis teſtimoniis, odiis, detractionibus, ma-
ledictis. & cæteris peruerſorum actionibus conuerſatio-
nem maculare? Iſta eſt certe illa terra, quæ ſpinas & tri-
bulos germinans, ſemen Dei ſuffocat, ne incrementa
Hebr. 6. frugum proficiant. De hac Apoſtolos dicit: *Terra pro-
ferens ſpinas ac tribulos, reproba eſt & maledictioni proxi-
ma: cuius conſummatio in combuſtionem.* Hinc pendet
tertium væ malorum, quod in ſeptimo Angelo prædi-
ctum fuerat cito venturum. Sequitur:

Et apertum eſt templum Dei in cælo, & viſa eſt arca teſtamenti eius in templo eius.

Hæc locutio ad initium fidei recurrit, & recapitulata
redemptoris corporea natiuitate, actus corporis eius quod
C eſt Eccleſia, conflictuſque quos aduerſus antiquum ho-
ſtem agit, aliis diuerſiſque figuris intexit. Quid enim aliud
hoc loco per Dei templum, niſi Dominum intelligimus
Ieſum Chriſtum? Bene apertum, & non clauſum cerni-
tur templum: quia videlicet Dei filius manifeſte incar-
natus, veraciter in carne paſſus, mirabiliter in carne ſuſ-
citatus, potenter in carne ad cælos eleuatus perhibetur.
Quanquam enim omnes ſancti templum Dei veraciter
appellentur, illud tamen corpus pro humana ſalute ſuſce-
ptum, ſingulariter ac principaliter templum Dei vocatur,
in quo omnis plenitudo diuinitatis inhabitat corporaliter.
De quo nimirum templo idem ad Iudæos loquitur, dicẽs:
Col. 2. *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.*
Ioan. 2. Quod vero eſſet templum de quo diceret, Euangeliſta ſub-
ſecutus expoſuit, dicens: Hoc autem dicebat de templo
corporis ſui. In cælo autem hoc templum aperitur, quia
videlicet redemptor noſter diſpenſationem humanæ ſalu-
tis peregiſſe in Eccleſia prædicatur ac retinetur. Vbi recte
2. Cor. 3. adhuc ſubiungitur: [*Et viſa eſt arca teſtamenti eius in tem-
plo eius.*] Ipſa deſignatur per arcam teſtamenti, quæ vide-
D tur in templo, ipſa per cælum in quo aperitur templum,
id eſt, electorum Eccleſia. Quæ propterea arca teſtamen-
ti vocatur, quia duorum in ea teſtamentorum virtus di-
gito Dei, hoc eſt, in Spiritu ſancto inſcribitur, non iam in
tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus. Quæ
Exod. 25. etiam iuxta fidem Exodi quatuor circulos aureos habere
perhibetur, in quibus à quatuor vectibus portetur: quia
videlicet quatuor Euangeliis armatur, per quæ à ſanctis
prædicatoribus gubernatur, in qua vrna quoque aurea,
Hebr. 9. manna continens, ineſſe dicitur, id eſt, diuini verbi ſapien-
tia, pabulum continens vitæ: necnon & virga Aaron quæ
fronduerat, hoc eſt, approbatio regalis ſacerdotij, ad cuius
1. Pet. 2. membra Apoſtolus dicit: *Vos genus regium, regale ſacer-
dotium.* Aperto itaque templo, arca teſtamenti apparet:
quia peracta noſtræ ſalutis diſpenſatione, in Chriſto ag-
gregatur Eccleſia. Poteſt autem in eo templum intelligi
apertum, quo mediatorem noſtrum legimus in cruce
lancea perforatum: & viſa in templo arca teſtamenti,
ſubaudis, ſanguinis & aquæ ſacramenta, quibus ædifi- E
catur Eccleſia. Sicut enim ex coſta Adæ dormientis for- Ioan. 19.
mata eſt mulier, ſic è latere Chriſti pendentis in cruce fa-
bricata eſt Eccleſia. Vnde nec immerito aperto lancea
latere, cum exiſſet ſanguis & aqua, Ioannes dixiſſe cogno-
ſcitur: *Et qui vidit, teſtimonium perhibuit.* Ac ſi aliis ver- Ibidem.
bis diceret: Qui arcam Dei in templo aperto vidit, quod
verum eſſet quia videret, teſtimonium perhibuit. In cælo
autem vt diceret, in conſpectu ſuo intelligi voluit. De
illorum enim numero erat, de quibus ſcriptum memine-
rat: *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius* Pſal. 18.
annuntiat firmamentum. Sequitur:

Et facta ſunt fulgura, & voces, & tonitrua, & terræmotus, & grando magna.

Quid per fulgura, niſi (vt ſæpe iam diximus) miracu-
lorum ſigna figurantur? Fulgur quippe terrorem incutit, F
ac ſubita coruſcatione humanam virtutem debilitat.
Quod omnino recte miraculis congruit, quibus mentes
perculſæ, fractis mox ſuperbiæ viribus, humiliati ſe ſub- Pſal. 17.
diderunt. Hinc per Pſalmiſtam Domino dicitur: *Fulgura
multiplicabis, & conturbabis eos.* Fulgura etenim multi-
plicauit, quia videlicet innumera miraculorum ſigna per
Apoſtolos atque Apoſtolicos viros per orbem oſtendit.
Conturbauit vero eos, ſubaudis reſiſtentes ſibi aduerſa-
rios, à propria fortitudine deiecit. Hinc rurſum alius Pſal. 76.
Pſalm. dicit: *Illuxerunt coruſcationes tuæ orbi terræ: vidit,
& commota eſt terra.* Quid autem aliud vocibus, quam
prædicationes Eccleſiæ deſignantur? Vnde & merito ſe-
ptem tonitrua voces ſuas locuta fuiſſe memorantur. Bene
autem prius fiunt fulgura ac deinde ſubſequuntur voces:
quia nimirum prædicatores ſancti vt corda infidelium ad
noua credenda loquendo perducerent, prius noua mi-
racula exhibuerunt. Hinc eſt quod Petrus vt Iudæorum
mentes ad fidem verbis informaret, prius ad portam tem-
pli paralyticum curauit. Hinc Paulus vt populum Meli- G
tenum, prædicando conuertat à dyſenteria patrem Pu-
blij ſanat. Poſt voces vero tonitrua fiunt, vt hi qui forte
miracula contemnunt, verba deſpiciunt, terrore iudicij
quatiantur. Poſt tonitrua quoque fiunt terræmotus, id Act. 3.
eſt, perſecutio ingens paganorum. Recte etiam hi qui
perſecutionem commouent, per grandinem deſignantur:
Grando quippe, etſi fruges terræ illiſa comminuit, com-
minuendo tamen & ipſa comminuitur: fitque vt grando
funditus deficiat, & terram auferre conata, ad nihilum
redacta eſt, aut viribus ſcilicet, aut certe commutatione
in melius. Plures etenim de his qui Eccleſiam Dei per-
ſecuti ſunt: ad fidem mediatoris redierunt, & cœperunt
pati quod ipſi prius aliis inferebant. Sequitur:

Et ſignum magnum apparuit in cælo mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius. Apocal. cap. 12.

Vt hoc ſignum peteret, Achaz à Domino admonitum
nouimus, dicente: *Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo in* H
profundum inferni, ſiue in excelſum ſupra. Vbi cum idem Iſaiæ 4.
perfidus rex reſponderet, *Non petam, & non tentabo Do-
minum:* protinus ad domum Dauid ſermo dirigitur, quo
dicatur: *Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum,
Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabunt nomen
eius Emmanuel.* Hoc certe ſignum nunc vſque videtur in
cælo, id eſt, in Eccleſia ſanctorum. Dicatur itaque apertius
quod ſit hoc ſignum. Denique ſequitur: [*Mulier amicta
ſole.*] Ac ſi diceretur, Beata ſemperque virgo Maria, obum-
brata altiſſimi virtute, cui videlicet dictum ab Angelo ſci-
mus: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi
obumbrabit tibi: illa ſcilicet virtus, de qua Paulus dicit.
Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam. Et quia plerun- Luc. 1.
que genus inuenitur in ſpecie, ipſa beata ac pia virgo hoc
loco perſonam gerit Eccleſiæ, quæ nouos quotidie po- 1. Cor. 1.
pulos parit, ex quibus & generale mediatoris corpus
formatur. Non autem mirum, ſi illa typum Eccleſiæ

præten

A præterdat, in cuſus, beato vtero capiti ſuo eadem Eccleſia vniri meruit. Nam & in ſequenti lectione aliqua narrantur, quæ iuxta literam beatæ virgini ſpecialiter congruere non poſſunt, ſed electorum Eccleſiæ ſecundum myſticam narrationem generaliter conueniunt. Sequamur ergo per omnia genus in ſpecie, & totum etiam quod vni aptari poſſe videmus, de omnibus dictum intelligamus. Dicatur igitur mulier amicta ſole, quod omnino aptiſſime fidelium animabus conuenit. An non ſolis amictu veſtiuntur, quibus per Paulum dicitur: (Galat. 3.) *Quotquot baptizati eſtis Chriſtum induiſtis?* *Chriſtus enim ſol iuſtitiæ & candor lucis æternæ.* De hoc nimirum ſole impij in inferno dicturi ſunt: *Sol non ortus eſt nobis*: (Sap. 5.) Quo contra electi audiunt: *Vobis qui timetis Dominum, orietur ſol iuſtitiæ.* (Malac. 4.) Quid autem hoc loco deſignatur per lunam, niſi mutabilitas rerum temporalium? Quia enim per incrementa temporum luna deficit, recte per eam defectus mutabilitatis ſignatur. B Qui igitur corporalium rerum cuncta labentia deſpicit, quaſi lunam ſub pedibus premit. Poſſunt autem per lunam, quæ ſub pedibus mulieris conſiſtit, hæretici deſignari, non quo ſemper tempore manifeſtationis eorum, ſuperior illis ſæculari potentia extiterit Eccleſia, præſertim cum ſæpius ab illis fuerit oppreſſa: ſed quo veritate luminis, qua totum corpus veſtitur, obtenebrati atque defecti, ita ab ſtatu eiuſdem corporis merito reprobationis ceciderunt, vt ſaltem nec ad vltima eius membra, quæ deſignantur in pedibus, pertinere meruerint: ſed in his delectari potius, in his toto mentis annisu verſari, quæ ſancti totis viribus appetunt conculcare, id eſt, prauis dogmatibus, ac mundi iſtius vanis honoribus: Sub pedibus ergo electorum ſunt quia ima quærunt, quia terrenis inhiant. Non autem mirum, ſi vnde alij prouectum ſtabilitatis, inde alij defectum incurrant mutabilitatis: & vnde alij tanquam ſol lucent, inde alij tanquam luna deficiant, cum Simeon de Domino dicat: (Lucæ 2.) *Ecce poſitus eſt hic in ruinam & in reſurrectionem multorum in Iſrael.* (Eccl. 27.) Quorum mutabilitatis defectum bene C Salomon indicat, dicens: *Stultus vt luna mutabitur.* Quid enim ſtultius, ſibique magis contrarium, quam quod hæretici de Chriſto opinantur? Aliter itaque de illo ſenſit Valentinus, aliter Bardezanes, aliter Apollinarius, aliter Arrius, aliter Sabellius, aliter Photinus: & pene rari inueniuntur, qui ſibi in ſuis ſententiis concordari videantur. Et quid in his niſi ſtultitiam, quid in his niſi defectum lunæ ac mutabilitatem intelligimus? Et ab his pro certo integritas Chriſti perſequitur, qui immutabilitatis ac fidei defectum patientes, in imis ſub pedibus iacere videantur. Hæc autem quæ de hæreticis intelleximus, falſis poſſunt Chriſtianis aptari qui & terrenis cupiditatibus inhiant, & prauis moribus electorum vitam excruciant. Poſſunt etiam vocabulo lunæ illi non inconuenienter exprimi, qui ita rerum curas Eccleſiaſticarum agere videntur, vt nil de exterioribus ſpiritales viri tractare conentur: ſicque vt dum hi terrenis inhærent Eccleſia in ſpiritalibus viris terram minime tangat. Sequitur:

D *Et in capite eius corona ſtellarum duodecim.*

Sicut ſæpe iam diximus, & omnes veræ fidei tractatores dixerunt, Dominus & Eccleſia vna perſona eſt, caput & membra vnum ſunt corpus. In capite ergo ſuo coronatur Eccleſia, id eſt, in Chriſto Ieſu, de quo per Paulum (Epheſ. 1.) dicitur: *Ipſe eſt caput omnium Eccleſiarum.* In duodecim autem ſtellis, quibus aptatur regis corona, quid aliud quam Apoſtolos intelligere debemus, qui primi capiti noſtro inhæſerunt, qui primi ornamentum eiuſdem capitis extiterunt? Et recte per ſtellas deſignantur, quia tenebras ignorantiæ radio veritatis illuſtrare probantur. Vnde & Angelus generaliter de cunctis veræ fidei prædi(Dan. 12.)catoribus Danieli loquitur, dicens: *Qui docti fuerint, fulgebunt ſicut ſtellæ firmamenti: & qui ad iuſtitiam erudiunt* (Philip. 2.) *multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Hinc Paulus dicit: *In medio nationis prauæ & peruerſæ, inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes.* Quanquam autem & in Apoſtolorum numero omnes fidei prædicatores tanquam genus in ſpecie poſſint videri; E ideo tamen illi ſpecialiter corona capitis extiterunt, quia primum per eos ipſum caput de toto mundo victoriam reportauit. Sequitur:

Et in vtero habens, clamat parturiens, & cruciatur vt pariat.

Hæc beatæ virgini Mariæ ſecundum literam aptari nequeunt, quia cruciatum in partu habere non potuit, quæ nullum peccatum libidinis in conceptu contraxit. Sed iuxta myſticum intellectum certiſſime ad Eccleſiam refertur, cuius excellentiſſimum membrum ipſa beata virgo eſſe cognoſcitur. Idcirco autem electorum Eccleſia mulier vocatur, non quo mollis in fide vel actu, ſed quo redemptoris ſui corpus in credentibus populis quotidie pariat. Niſi enim Eccleſia Chriſtum pareret, nequaquam F eidem eius filius diceret: (Matt. 12.) *Quicunque fecerit voluntatem patris mei qui in cælis eſt, hic meus frater & ſoror & mater* (Pſal. 86.) *eſt*: nequaquam & per Pſalmiſtam diceret, *Mater Sion* (1. Cor. 4.) *dicet homo, & homo factus eſt in ea, & ipſe fundauit eam altiſſimus.* An non in credentibus Chriſtum Paulus generat, qui dicebat: *Etſi multa millia pædagogorum habeatis in Chriſto Ieſu, ſed non multos patres? Nam in Chriſto per Euangelium ego vos genui.* Sed vſquequo Eccleſia pariat, parturiẽs clamat, & cruciatur vt pariat: quia niſi ad tempus vltimum peruenerit, quo perfecte filium enixat, quando iam nihil de corpore ſuperſit, quandam partus difficultatem hic paritur, dum in quibuſdam quos iam pepererat, denuo parturit. Talibus namque quaſi mater parturiens & gemens, dicebat Paulus: *Filioli mei, quos iterum* (Galat. 4.) *parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.* (Epheſ. 4.) *Vſquequo ergo,* ſicut idem Apoſtolus dicit, *occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti*: mater Eccleſia parturiens clamat, & cruciatur vt pariat: ſed cum ad tempus vel horam illã peruenerit, qua vltima corporis membra ad lucẽ G fidei naſcendo procedant, tunc ceſſabit cruciatus ac parturitionis clamor, tũc in obliuionẽ veniet gemitus preſſurarũ, & ſuccedet inenarrabilis lætitia futurorũ bonorum.

Vnde & Dominus in Euangelio dicit: (Ioan. 16.) *Mulier cum parturit, triſtitiam habet, quia venit hora eius: cum autem pe*(Ibidem.)*perit maſculum, iam non meminit preſſuræ propter gaudiũ, quia natus eſt homo in mundo.* Quid autem eſſet quod dicebat, ipſe expoſuit, dicens: *Ita & vos nunc quidem triſtitiam habetis: veniam autem iterum ad vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Sequitur:

Et viſum eſt aliud ſignum in cælo: & ecce draco magnus rufus, habens capita ſeptem & cornua decem, & in capitibus ſeptem, diademata.*

* ſuis

Nulli dubium quin per draconem antiquus hoſtis figuretur, qui & propter malitiam draco, & propter inſidiarum H multiplicitatem magnus, & propter homicidium rufus vocatur. *Ille enim homicida erat ab initio.* In cælo autem, non quo cælum poſſideat, ſed quo cælo aduerſetur. Cælum vero hoc loco nil aliud quam electorum Eccleſiã intelligimus. Ipſa enim cælum, ipſa mulier in cælo: ſic genus varias diuiditur in ſpecies, cum hoc ſit vna ſpecies quod altera. In ſeptem vero capitibus & decem cornibus, vniuerſum antiqui hoſtis regnum accipimus: tanquam ſcilicet ſeptem capita, contra ſeptem Eccleſias: ſeptem ſpiritus nequã, cõtra ſeptiformẽ ſpiritum Dei: decem cornua, contra decem præcepta legis veniẽtia: ſeptem capita, (Apoc. 13.) propter veriſimilem fraudem: decem vero cornua, propter ſæcularem potentiam. Et quia inferius hæc ſeptem draconis capita, hæc decem cornua beſtiæ, quæ corpus eſt draconis, in quâ & ipſe conſiſtit, quia caput & corpus vna eſt beſtia, vnus eſt draco: quia inquam & beſtia hæc eadem illic habere dicitur, quæ draco hic poſſidere narratur, cum ad loca illa tractanda Domino, adiuuante venerimus, plenius de his ac ſubtilius diſputare conabimur. Sequitur:

A

Et cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum cæli, & miſit eas in terram.

Quid per caudam draconis, niſi peruerſos intelligimus prædicatores? Vnde ſcriptum eſt: Iſaiæ 9. *Propheta docens mendacium ipſe cauda eſt.* Quid vero per ſtellas cæli, niſi illos debemus accipere, qui intra ſanctam Eccleſiam conſtituti, ante humanos oculos velut magnis operibus lucere videntur: ſed prauorum hominum dogmatibus illecti, pro terrenis commodis aperto errore obſcurantur? Stellas namque in terram tueto, eſt, eos qui videntur ſtudio vitæ cæleſtis inhærere, ex amore terrena iniquitate aperti erroris inuolui. Non autem mirum, ſi in terram aperte ruunt ſtellæ, quæ ſi exterius lucebant, tamen interius obſcuræ iam erant: vt per apertum errorem tenebræ cognoſcantur, quæ per ſimulationem lucem ſe eſſe fingebant. Ipſa eſt certe illa pars tertia, quæ in quinto Angelo obſcurata fuiſſe perhibetur. Apoc. 9. B Vnde & beatus Iob dum apoſtatæ ſpiritui maledictionem intorqueret, dicens: Iob. 3. *Si nox illa ſolitaria nec laude digna:* poſt paululum ſubiecit, *obſcurentur ſtellæ caligine eius.*

Sunt namque nonnulli, qui (vt præmiſimus) ante humanos quidem oculos quaſi piis operibus lucent, ſed quia hæc opera à mundo corde non prodeunt, capti in occultis cogitationibus noctis huius tenebris obſcurantur: qui ſæpe quæ mundo non faciunt opera, etiam amittunt. Quia ergo nox præualere permittitur, recte dicitur: Iob. 3. *Obſcurentur ſtellæ caligine eius*, id eſt, contra eos qui ante humanos oculos quaſi bonis operibus ſplendent malitia antiqui hoſtis obſcura præualeat: & hoc quod ante humana iudicia ſumpſerant, lumen laudis deponant. Caligine quippe noctis obſcurantur, cum eorum vita aperto errore confunditur: vt nimirum tales etiam foris in actione appareant, quales apud ſemetipſos in diuino patere iudicio non formidabant. Quia vero cauda finis eſt corporis, poteſt per eam ſpecialiter damnatus ille C homo, id eſt, Antichriſtus eiuſque prædicatores, deſignari. Tunc enim manifeſtior ſtellarum deiectio, tunc apertior obſcuritas erit, cum hinc blandimentis, illinc tormentis: hinc prædicamentis, illinc decipientur falſis miraculorum ſignis. Quod autem præteritum tempus pro futuro ponitur, vt dicatur, trahebat: & huius reuelationis, & omnium pene voluminum conſuetudo eſt. Sic vero ſpecialiter harum deiectionem ſtellarum ad nouiſſimum tempus referimus, vt tamen retroactis perſecutionum temporibus eam iam obſcuratam fuiſſe dicamus, tanquam ſcilicet in fine temporum Ioannes in ſpiritu conſiſtens, ac quodammodo retro aſpiciens, de toto tempore tranſacto dicat: [*Trahebat tertiam partem ſtellarum cæli.*] Ab aduentu enim redemptoris, quo ſtellæ ſpiritales in cælo ſplendere cœperunt, & iſtæ cadere inchoauerunt, cum imminente perſecutionis articulo ab ſtatu fidei & rectæ operationis, ad iniquitatem erroris vel prauæ operationis decepti redierunt. Sequitur,

D

Et draco ſtetit ante mulierem quæ erat paritura, vt cum peperiſſet, filium eius deuoraret.

Stetit tunc idem draco ante virginem Mariam, vt natum corporis caput deglutiret. Stetit imo poſtea ſemper ante Eccleſiam, vt membra capitis degluriat. Sed ſi idcirco filius mulieris morſum draconis euaſiſſe creditur, quia ad thronum patris raptus fuit, vt in conſequentibus patet: & raptus ille in eo intelligitur, quo vel caput noſtrum carnem & animam virtute diuinitatis ſuæ ad ſedem paternam euexit, vel electorum animas quotidie ad ſeipſum eleuat, ſibique aſſociat, vt fiat quod repromiſit: Ioan. 17. *Volo vt vbi ego ſum, & illi ſint mecum.* Et illud: Matt. 24. Luc. 17. *Vbicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.* Siue corporalis, ſiue ſpiritalis credatur draconis deuoratio, difficilis hic ad ſoluendum exoritur quæſtio. Et quidem apperit hoſtis antiquus caput corporis Eccleſiæ ſtatim vt de virgine natum apparuit, corporalis necis paſſione E erroris officio deglutire: ſed non ideo tunc eum euaſit, quia ad thronum Dei corporaliter aſcendit, ſed quia in Ægyptum cum parentibus fugit. Matt. 2. Quia vero nequiuit eum tunc corporaliter extinguere, ei tentationum laqueos in deſerto tendens, poſtmodum concupiuit ſpiritaliter necare. Matth. 4. Sed nec tunc idcirco illum aufugit, quia ad ſedem paternam corporaliter aſcendit, ſed quia ſcripturarum teſtimonia objiciens, præcepta legis cuſtodiuit. Et ne in longum eamus, forte hinc totam quæſtionem exoluimus. Nam fides recta quæ vitæ præcepta conſeruans, per ſacras ſcripturarum paginas declaratur, aſcenſus mentis eſt ad Deum, qua draconis malitia vitatur. Cæterum nec caput idcirco deuorationem ſerpentis corporalem vel ſpiritalem euaſit, quia corporaliter ad cælos aſcendit: nec F membra eius ideo dentes malitiæ aufugiunt, quia corpus temporali morte funditus deſerentes, ad caput ſuum perueniunt, ſed quia (vt diximus) & illud & hæc mandata vitæ per fidem cuſtodiunt. De hoc mentis conſenſu Mariæ poſt reſurrectionem à Domino dicitur: Ioan. 20. Matt. 28. *Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad patrem meum.* Neque enim poſt reſurrectionem ſuam mediator noſter refugiit fœminarum tactus, cuius ad monumentum duæ tenuiſſe feruntur, ſed tactum voluit intelligi, cordis aſcenſum. Ac ſi eidem mulieri apertius diceretur: Quia me recta fide æqualem patri non credis, propterea in corde tuo ad patrem necdum aſcendi, nam in ſanctorum meorum cordibus aſcenſum diſpoſui.

Vt ergo malitiam draconis euadat, nec caput nec corpus aſcenſum corporalem petit, ſed ſpiritalem. Gen. 3. Is autem qui ſemper calcaneo mulieris inſidiari conatur, inuitus ante mulierem ſtetiſſe perhibetur, qui ſemper voluntarius poſteriora appetere probatur, quatenus ne qui eſſet agnoſceretur, & caput ſuggeſtionis eius calcaretur. Ante Paulum namque, & non retro Paulum ſteterat, cum de illo fidelibus dicebat: 2. Cor. 2. *Non enim ignoramus aſtutias eius.* Quo contra reproborum calcaneum mordens, extrema illorum vel ſuggeſtione vel terrore illaqueat. G Sequitur:

Et peperit filium maſculum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur.

Siue tunc matrem & virginem Mariam, ſiue tunc matrem & virginem Eccleſiam, Chriſtum peperiſſe vel parere dicamus à veritatis ratione non diſcrepamus. Illa caput peperit, hæc membra capitis gignit. Sed quid ſibi vult, quod non ſimpliciter filium ſed cum additamento, filium maſculum mulier genuiſſe perhibetur? Quid enim neceſſarium fuit addere maſculum, cum vocabulum filij præceſſerit? Aut nunquid filij appellatione fœminam intellecturi eramus, filij adderetur maſculus? Pater enim omnibus quia is qui filius vocatur, non fœmina, ſed maſculus eſſe probatur. H Quapropter ſciendum nobis eſt, quia cum in diuina ſcriptura maſculus ponitur, aliquando in bono pro excellentia fortitudinis, aliquando vero in malo pro immenſitate ſceleris intelligitur. Nam ſi hoc loco in bonum pro fortitudine ac virtute capitis noſtri, quo totum ipſius corpus viget, maſculus interſeritur: ſic in Ieremia propter immanitatem ſcelerum, filius maſculus humanum genus appellatur, ipſo dicente: Iere. 20. *Maledictus vir qui annunciauit patri meo, dicens: Natus eſt tibi filius maſculus.* Quod omnino nequaquam de Ieremia vel patre eius iuxta literam intelligendum eſſe, ſanus ordo permittit. Sed in hac ſententia idem propheta humani generis perſonã gerit, & eius voce loquitur cuius pater quis alius quam hic mundus intelligitur: Hinc ad Eccleſiam Dñs per Pſalmiſtã dicit: Pſal. 44. *Audi filia & vide, & inclina aurẽ tuam, & obliuiſcere populum tuum & domum patris tui.* Vir autem qui patri annuntiat quod natus eſt ei filius maſculus, antiquus hoſtis intelligitur. Iure namq; humanum genus maſculus vocatur, quia (vt præmiſimus) in malum viribus excellens inuenitur. Vnde & humana cõſuetudine

dum

A dum malum quiſque fortiter peragit, ab his qui eius ope-
ribus delectantur audit: Feciſti ſicut maſculus. Quo
contra dicatur de Chriſto, dicatur de eius corpore, quia
mulier peperit filium maſculum. Ac ſi aperte diceretur:
Non effœminatum, non ignauia torpentem, ſed ad bel-
landas aërias poteſtas caput & corpus virile atque robu-
Pſal. 23. ſtum. Nam de capite noſtro ſcriptum eſt: *Dominus fortis*
1. Petr. 5. *& potens in prælio.* Ad eius vero corpus Petrus loquitur,
Pſal. 30. dicens: *Aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens*
Prou. 31. *circuit, quærens quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide.*
Hinc Pſalmiſta admonet, dicens: *Viriliter agite & con-*
fortetur cor veſtrum omnes qui ſperatis in domino. Hinc
ſub typo mulieris, de ſancta Eccleſia Salomon ait: *Mu-*
lierem fortem quis inueniet? Atque poſt pauca: *Manus*
ſuas, inquit, *miſit ad fortia.* Quod autem hic filius maſcu-
lus gentes in virga ferrea recturus prædicitur & ad caput
& ad corpus omnino redigitur. Vnde & longe ſuperius
Apoc. 2. prædicatori Thyatiræ dicitur: *Qui vicerit & cuſtodierit*
B *opera mea in finem, dabo illi poteſtatem ſuper gentes, &*
reget illas in virga ferrea & tanquam vas figuli confringen-
tur, ſicut & ego accepi à patre meo. Sed ſciendum quia
in vno atque per vnum caput, gentes in virga ferrea re-
gunt membra, ſine quo nil agere poſſunt omnia mem-
bra, ipſo capite ad membra loquente: *Sine me nihil po-*
teſtis facere. Quid autem deſignatur in virga ferrea niſi (vt
ſupra meminimus) rectitudo iuſtitiæ: Vnde eidem quo-
Ioan. 15. que Domino dicitur: *Virga recta eſt, virga regni tui. Di-*
Pſal. 44. *lexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem.* In eo autem ipſa
conſtat rectitudo iuſtitiæ, quo in vno eodemque homine
& diligimus bonum quod Deus fecit, & inſequimur ma-
lum quod homo nequiter geſſit: quatenus & compaſſio
humanæ reddatur naturæ, & vitiis correptio diſciplinæ.
Pſal. 22. Hinc Pſalmiſta Domino ait: *Virga tua & baculus tuus,*
ipſa me conſolata ſunt.

Iob. 6. Virga etenim percutimur, baculo autem ſuſtentamur
& regimur. Vbi notandum eſt, quod ſanctus Dei pro-
pheta non ſolum in baculo ſuſtentationis, verumetiam in
virga percuſſionis conſolatum ſe aſſerit. Hinc beatus Iob
C optando dicit: *Soluat manum ſuam, & ſuccidat me, &*
hæc mihi conſolatio, vt affligens me dolore, non parcat.
Sancti enim viri qui aperte per temporalia flagella ab
æterno verbere liberari ſe ſciunt, eadem flagella conſo-
lationem vocant. Quid eſt autem, quod gentes quæ in
virga ferrea reguntur, tanquam vas figuli confringi nar-
rantur: niſi quia cenſura iuſtitiæ lutulenta in ſubditis
opera conteruntur, vt fiant ex vaſis contemptibilibus
vaſa honoris & ſanctificationis: Huic ſenſui Paulus con-
2. Tim. 2. cinit, dicens: *In magna domo non ſolum ſunt vaſa aurea*
& argentea, ſed & lignea & fictilia; & quædam qui-
dem in honorem, quædam autem in contumeliam. Si
quis autem emundauerit ſe ab his erit vas ſanctum in ho-
norem ſanctificatum & vtile Domino, ad omne opus
bonum paratum. Hinc eſt quod Ieremias ad domum fi-
guli ire iubetur ibique vas confractum pro voluntate fi-
guli reformatum melius contemplatur, ne enim hoc in
Iere. 18. caſſum putarêmus geſtum illico ſermone prophetico
D ſubinfertur: *Nunquid non ſic potero vobis facere domus*
Iſrael, ait Dominus? Sciendum vero quia vaſa figuli in
ſcriptura ſacra, aliquando pro infirmis actibus, aliquan-
do vero ponuntur pro carnis corruptione. Vnde & Apo
ſtolus cum hac præmiſſa ſententia, propter opera cor-
ruptionis vaſa fictilia contumeliis perhibeat apta, vaſa
vero aurea atque argentea propter virtutum excellen-
tiam, honore & magnificentia prædicet digna: alibi
2. Cor. 4. tamen propter carnis corruptionem, eadem vaſa au-
rea atque argentea fictilia vocat, dicens: *Habemus*
theſaurum iſtum in vaſis fictilibus. Poteſt autem per vaſa
fictilia quæ ad tactum virgæ conteri narrantur, illa pars
Eccleſiæ non inconuenienter intelligi, quæ ex reprobis
conſtat Chriſtianis: vt ſcilicet in eo quod de maſculo
nato dicitur: [*recturus erit gentes in virga ferrea*] ad vitam
præordinati intelligantur: in eo vero quod ſubditur, [*&*
tanquam vas figuli confringentur] non ipſi qui reguntur,
ſed illi qui confringuntur, id eſt, ad nihilum rediguntur,
deſignari credantur: vt nimirum vna eademque cæleſtis
diſciplina regat bonos, conterat malos. Quia enim inde E
mali deficiunt, vnde boni proficiunt, teſtatur Apoſtolus
dicens: *Chriſti bonus odor ſumus in omni loco, & in his*
qui ſalui fiunt: & aliis odor mortis in mortem, & aliis odor 2. Cor. 2.
vitæ in vitam. Sequitur:

Et raptus eſt filius eius ad Deum & ad thronum eius.

Hæc qualiter intelligenda ſint, paulo ſuperius præoc-
cupantes iam diximus. Non enim arbitror, ſi filius mu-
lieris ideo morſum draconis euaſit quia ad Deum & ad
thronum eius raptus fuit: quod corporalis, ſed ſpiritalis
raptus intelligitur. Quaſi enim quidam mentis aſcenſus
ab hoc mundo ad Deum fit cum fides recta cuſtoditur
interius, & pia opera geruntur exterius. Hic certe aſcen-
ſus venenum antiqui ſerpentis aufugit. Hinc eſt quod
populus Iſraël in eremo ignitis ſerpentibus percuſſus,
ſerpentis ænei conſpectione myſtice ſanabatur. De hoc F
ſpiritali raptu per Pſalmiſtam dicitur: *Aſcenſus in corde* Num. 21.
eius diſpoſuit. De hoc Paulus dicit: *Conreſuſcitauit &* Epheſ. 2.
conſedere nos fecit in cæleſtibus. Ad hunc mentis credu- Philip. 3.
litate peruenerat cum dicebat: *Noſtra conuerſatio in cælis* Col. 3.
eſt. Hinc auditores ſuos idem admonebat, dicens: *Si con-*
ſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite. Sequitur:

Et mulier fugit in ſolitudinem, vbi habet locum præparatum à Deo vt ibi paſcant illam diebus mille ducentis ſexaginta.

Hoc eſt mulierem in ſolitudinem fugere, quod eſt,
filium mulieris ad Deum & ad thronum eius euehi. Fugit
autem mulier, ſubaudis S. Eccleſia in electis ſuis, non cor-
porali abſceſſu, ſed ſpiritali aſcenſu. Nam paulo infe-
rius duas alas aquilæ magnæ accepiſſe perhibetur, qui-
bus in ſolitudinem ſubuecta tolleretur: per quas nimirum
ſiue duo teſtamēta, ſiue duo charitatis præcepta, *in quibus*
tota lex pendet & prophetæ apertiſſime figurantur. Sed vi- Matt. 22.
deamus quæ ſit ſolitudo, ad quam mulier fugiens, locum à G
Deo præparatum inueniſſe perhibetur. Et quænā alia eſſe
creditur, niſi quies mentis, quæ inordinatos motus deſi-
deriorū a ſecreto cordis eiiciens, ſolatium in Deo inuenit?
Sancti etenim viri quia alibi draconis inſidias euadere
non poſſunt, ſeipſos deſertum quietis faciunt; vt habeant
quo ſalubriter fugere poſſint. Prius quippe terrenorum
deſideriorum motus manu conſiderationis à corde eii-
ciunt, & poſtmodum quietis locum in ipſa ſolitudine quo
latere poſſint, inueniunt. Quia enim tranſitoria cuncta de-
ſpiciunt, ex his naſcentes cogitationum inſolentias non
patiuntur. Solam namque æternam patriam appetunt, &
quia nulla huius mundi diligunt, magna mentis tranquil-
litate perfruuntur. In qua videlicet cordis ſolitudine lo-
cum inueniunt quo ſaluantur, conditorem vtique ſuum,
cui Pſalmiſta dicit: *Eſto mihi in Deum protectorem & in* Pſal. 30.
locum refugii, vt ſaluum me facias. Ad hanc ſolitudinem,
in qua idem locus refugii inuenitur, aduolare concupi-
uerat idem Pſalmiſta, cum diceret: *Quis dabit mihi pen-* Pſal. 54.
nas ſicut columbæ, & volabo & requieſcam? Ad quam H
iuxta optantis deſiderium deductus, locum quo ſaluare-
tur quærebat, dicens: *Ecce elongaui fugiens; & manſi in ſo-* Ibidem.
litudine. Expectabam eum, qui ſaluum me faceret à puſillo Pſal. 26.
animo & tempeſtate. Ad hanc idem confugiens, dicebat:
Vnam petii a Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo
Domini omnibus diebus vitæ meæ. A frequentia quippe ter-
renorum deſideriorum fugiens, ad magnam videlicet ſoli-
tudinem ſemetipſum, vbi nil extraneum conſpiceret, quo
incompetens nil amaret, à tumultu rerum corporalium
magnum quoddam ſecretum petierat quietam mentem, in
qua tanto purius Deum cerneret quanto hunc cum ſe ſo-
lo ſolum inueniret. Qui vero ſunt qui hanc mulierem in
ſolitudine paſcunt, niſi ſancti prædicatores? Quis eſt autem
cibus quo mulierem ſuſtentant, niſi idem qui locus refu-
gii? Ipſe enim temporalia fugientibus, via: ipſe in ſolitudi-
ne peruenientibus, locus: ipſe in eadem ſolitudine eſu-
rientibus, efficitur cibus. Quia itaque ad eum fugientibus

A ipſe ſit via, per ſemetipſum in Euangelio teſtatur, dicens: Ioan. 14. *Ego ſum via.* Quia vero in ſolitudinem peruenientibus idem ſit locus refugij, ſicut præmiſimus, perhibet, dicens: Pſal. 30. *Eſto mihi in Deum protectorem & in locum refugij.* Quia quoque in ſolitudine commorantibus ipſe etiam ſit cibus, locus ille in Euangelio manifeſtiſſime declarat, quo ipſum electorum manna Iudæis clamat & dicit: Ioan. 6. *Ego ſum panis viuus qui de cælo deſcendi.* Sancti ergo prædicatores dum ſolitarias mentes ac Deo inhærentes internam dulcedinem prædicant, mulierem in ſolitudine paſcunt. Numerus autem dierum mille ducentorum ſexaginta, quibus in ſolitudine mulier commoratur & paſcitur: ſic prædicationis decurſum vel finem perſecutionis quo antiquus aduerſarius contra ſanctam Eccleſiam per damnatum illum quem aſſumpſerit hominem, efferari permittitur, deſignat: vt tamen initium ſiue prædicationis ſiue perſecutionis, quo Chriſtus vel prædica- B re vel pati incepit comprehendens, totum etiam tempus vitæ præſentis, quod inter initium & finem medium verſatur, aſſumat. Eodem enim dierum numero Euangelica prædicatio à Domino edita eſt, quo in finem per nouiſſimos prædicatores terminanda. Omnia quæ hic myſtica locutione de hac muliere dicuntur, in veteri quoque teſtamento factis præfigurata noſcuntur: cum perſecutionem Ægyptiam populus Hebraïcus fugiens, in deſertum quo manna veſceretur, perductus perhibetur. Pharao namque Iſraëlem perſequens, perſonam gerebat huius draconis. Vnde & in typo cuidam Pharaoni dictum le- Iezech. 29. gimus: *Pharao draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum.* Populus autem Iſraël, hanc eandem mulierem deſignabat. Deſertum vero ad quod ille tunc populus venit, mentium ſolitudinem figurabat: in qua & ſi ignici ſerpentes malitiæ virus conantur infundere non Marc. 16. C nocent: quia de his qui in ſolitudine commorantur, à Domino dicitur: *Serpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit.* Sed nec mirum ſi non nocent, cum habitantes in eremo, indeſinenter ſerpentem æneum, id eſt, mortem redemptoris ſui, aſpiciunt. Manna vero quo ille populus vſus eſt, incarnati verbi myſterium præ- Ioan. 6. figurabat: ſicut per ſemetipſum idem etiam electorum manna Iudæis teſtatur, dicens: *Amen amen dico vobis, non Moyſes dedit vobis panem de cælo, ſed pater meus dat vobis panem de cælo verum. Verum enim panis Dei eſt, qui deſcendit de cælo, & dat vitam mundo. Cui cum dicerent, Domine, ſemper da nobis panem hunc: reſpondit ad* bide m. *eos; Ego ſum panis vitæ.* Qui venit ad me, non eſuriet: & qui credit in me, non ſitiet vnquam. Atque poſt paululum hoc ipſum inculcans, ait: *Ego ſum panis vitæ, patres veſtri manducauerunt in deſerto manna, & mortui ſunt.* Hic eſt panis de cælo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducauerit, non moriatur. De quibus omnibus paulo poſt plenius diſputandum erit: Sequitur:

D *Et factum eſt prælium magnum in cælo. Michaël & Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat & Angeli eius.*

Abſit à fidelium cordibus, vt hoc prælium in initio temporis, quando per ſuperbiam antiquus hoſtis cum ſatellitibus ſuis de cæleſti patria ruit, factum fuiſſe exiſtiment: ſed à paſſione Chriſti in Eccleſia inchoatum fuiſſe, & nunc vſque fieri, & in fine ſæculi quando etiam ſolutus fuerit, conſummari. Quod in præfatione huius operis breui quidem, ſed manifeſtiſſima ratione colligimus. Cælum itaque eſt electorum Eccleſia, in qua id prælium Epheſ. 6. ab eo inchoatum fuiſſe creditur, quo Apoſtolica voce clamatur: *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritalia nequitiæ in cæleſtibus.* Sic enim dicitur, *Factum eſt prælium magnum in cælo,* vt ab initio fidei Chriſtianæ vſque ad finem, totum tempus vitæ præſentis comprehendi ſine aliqua dubitatione credatur: quatenus & factum in præteritis, & eſſe in præſentibus, & conſummandum in nouiſſimis aſſeratur. Sed ſi ſecundum præmiſſam Apoſtoli E ſententiam, à nobis ac per nos cum antiquo hoſte prælium id conficitur, quem fallacem nulli affirmare vel opinari conceditur: quid ſibi vult, quod in reuelatione per Michaëlem & Angelos eius fieri perhibetur? Et certe non ſolum hoc tempore ſecundum hanc Apocalypſim, ſed etiam in nouiſſmis diebus iuxta Danielis prophetiam idem ipſe pro populo Dei, qui ex plebe Iſraelitica, Enoch & Elia prædicantibus, crediturus eſt, pugnaturus aſſeritur, ſicut illic Angelica voce ad eundem prophetam dicitur: *In tempore illo conſurget Michaël princeps ma-* Dan. 12. *gnus, qui ſtat pro filiis populi tui, & veniet tempus quale non fuit ab eo quo gentes eſſe cœperunt, vſque ad tempus illud: & in tempore illo ſaluabitur populus tuus.* Quapropter ſciendum nobis eſt, quia contra hoſtem noſtrum & eius ſpiritales nequitias, vt vincamus, & noſtrum & Angelorum certamen eſt. Quia enim contra dæmonum verſutias & noſtrum & Angelorum certamen ſit, non ſo- F lum in his duabus ſententiis colligimus, verumetiam in aliis quam plurimis hoc ipſum reperimus. Nam cum Petrus Apoſtolus de hoſte humani generis fidelibus dicat, *Aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit,* 1. Petr. 5. *quærens quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide:* & Iacobus Iacob. 4. admoneat, *Reſiſtite diabolo & fugiet à vobis:* tamen hoc ipſum & per Angelos fieri Pſalmiſta teſtatur, dicens, *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, &* Pſal. 33. *eripiet eos.* Hinc & Apoſtolus dicit, *Nonne omnes ſunt* Hebr. 1. *adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui æternæ ſalutis capiunt hæreditatem?* In quibus nimirum ſententiis aperte datur intelligi, quia nec nos ſine Angelorum, nec rurſus Angeli ſine noſtro conflictu contra antiquum aduerſarium dimicant. Erigamus ergo arma ſecuri, qui fortiſſimos noſtræ patriæ conciues & inuictos adiutores habemus. Inde autem illi fortes, vnde & nos: inde illi inuicti, vnde & nos, id eſt, ex diuina virtute, ſine qua nec illi aliquid valent, nec nos. Cauenda prorſus G hæreticorum veſania, in eo quod Michaëlis Angeli eſſe dicuntur hi, qui cum illo contra antiquum hoſtem pugnare perhibentur. Dixerunt enim quidam vaniloqui, alia per Deum, alia per Angelos facta fuiſſe: & neſcio ſi per hanc ſententiam deceptionis ſuæ illam occaſionem inuenerunt. Vt autem talium perfidiam confutemus, ſic Michaëlis Angelos fateamur, non quo ipſe creauerit, ſed quo vel in adiutorium à Deo acceperit, vel etiam vt verius, quo ex vna ciuitate ſub vno rege militare creduntur: & ideo eius eſſe fateantur. Sic enim & humana conſuetudine cum inter turbas populorum eos cognoſcimus, qui ſub eius imperio degunt, quo & noſipſi militamus, dicere ſæpius ſolemus: Ecce mei, ecce noſtri, ſed quid de humana conſuetudine loquimur, cum hoc ipſum & in diuinis ſcripturis plerunque reperiatur? Hinc enim Dominus in Euangelio de puſillis ait, *Angeli eorum ſemper* Matt. 18. *vident faciem patris mei qui in cælis eſt.* Hinc de Petro Act. 12. ad ianuam pulſante dicitur, quia Angelus eius eſt. Hinc Ioſue 5. Ioſue principem exercitus Domini interrogat, dicens: *Noſter es, an aduerſariorum?* Quod autem & draco Angelos nequam habere deſcribitur, nec ipſe eos creaſſe, ſed H ſuperbiæ ruina ſecum pariter deiecisſe intelligitur. Ideo namque eius vocantur, quia ad eum pertinere & eius voluntatem perficere comprobantur vbi etiam pariter malorum hominum forma comprehenditur. Nam pro qualitatibus voluntatum, & de diabolo ſcriptum eſt, *Inimicus homo hoc fecit.* Et de Iuda ad Apoſtolos dicitur, Matt. 13. *Vnus ex vobis diabolus eſt.* Quod ſi ita eſt, imo quia ita Ioan. 6. eſt ergo & nos in bonorum Angelorum numero comprehendimur, iſtius reuelationis atteſtantibus verbis, quibus poſt modicum homines viciſſe referuntur, cum hic Angeli pugnaſſe dicantur. Sequitur.

Et non valuerunt, neque locus inuentus eſt eorum amplius in cælo.

Cum maligni ſpiritus multa præualeant aduerſus quoſdam electos, quos nonnunquam poſt abrenuntiationem eius dum reſiſtentes impugnant, ſibi per operationem

A ,nequaquam ſubiiciũt: ſiuntque habitatio & locus peremptoris, qui pridem erant habitatio & locus redemptoris: quos tamen quia electi ſunt, aut celerius aut tardius amittunt: quomodo aduerſus repugnantes non valuiſſe, neque in cælo quod eſt cor electorum, vltra locum non habuiſſe iidem maligni ſpiritus dicuntur? O quam multi poſt abrenuntiationem hoſtis noſtri iam pene victores, ad eum ſunt reuerſi; & locus habitatioque eius facti: qui tamen diuina ante mortem præuenti, reſipiſcunt à laqueis diaboli à quo tenebantur captiui: & denuo ſentiunt bene agentes impugnatorem quem ante paululum habuerant mala agentes fautorem. Quomodo ergo (vt diximus) non præualent in cælo, neque locus eorum amplius in illo inuenitur niſi pars à toto intelligenda eſt, cui præualere ad æternam mortem malignorum turba noo poteſt? In qua locum habitationis inuenire non potuit, quia poſt abrenuntiationem eius, nullum eis vel infide-
B litatis crimen, vel operationis perſuadere poteſt. Hoc eſt enim non valere pugnantibus reſiſtere, nec in eis vltra locum inuenire: nullum ſcilicet mortale crimen poſſe impingere, per quod illorum corda debeat poſſidere. Vnde Paulus admonet, dicens: *Nolite locum dare diabolo.* Ille enim locum dat antiquo hoſti, qui quodlibet mortale crimen admittit. Nam hi qui minima committunt, & tamen à maximis cauent, habitatio antiqui hoſtis non fiunt, nec eo præualente ſuccumbunt quia & ſi per delectationem corda eorum nonnunquam penetrat, non tamen per conſenſum inhabitat. Intrat inquam per minima, ſed non inhabitat per maxima. Ille namque eius fit habitatio, in cuius mente regnat peccatum. Tolle regnum peccato: non inuenitur locus diabolo. Vnde & Apoſtolus quia introitum eius ad corda fidelium in minimis excludi non poſſe præuidit, perpetuam illi habita-
Epheſ. 4. tionem auferendam præmonuit, dicens: *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore.* Vel certe ad nouiſſi-
C mum Eccleſiæ certamen, quod temporibus antichriſti immanius contra hoſtes ſuos habebit, oculos hæc nouiſſima prophetia tendit, quando ab eo funditus excludendi, ex toto ſuperandi erunt. Et ideo dixit, aduerſus eam malignos ſpiritus vel prauos homines non valuiſſe, neque locum amplius in ea habuiſſe: tanquam ſcilicet ab aduentu redemptoris inito contra hoſtes certamine, ac deinceps toto tempore ſemper innouato, & nunquã finito, in conſumptione ſæculi terminetur, quo peracto, iſta ſententia compleatur qua dicitur, [*Non valuerunt, neque locus*
Rom. 6. *eorum inuentus eſt amplius in cælo.*] Non valuerunt ſcilicet, quia in fine certaminis ſuccumbent. Neque locus inuentus eſt eorum amplius in cælo, quia funditus ab electis excluſi, decipiendi tempus vltra nou habent. Sequitur:

Et eiectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus & ſathanas, qui
D *ſeducit vniuerſum orbem: & proiectus eſt in terram, & Angeli eius cum illo miſſi ſunt.*

Hoſtis noſter, vt iam diximus, propter malitiam draco: propter immanitatem ſceleris, magnus: propter occultas inſidias, ſerpens: propter ſeductionis diuturnitatem antiquus: propter lapſum & accuſationem, diabolus vocatur. Diabolus enim, & deorſum fluens, & criminator ſonat. Vt autem de prima eius ruina taceamus, deorſum quotidie fluit, cum ab electorum cordibus expulſus reprobos inuadit. Quibus ſibi ſubiectis, contra eos accuſationem intorquet, quos inuitus deſerit: & inde accuſat, vnde ſathanas ſonat. Sathanas enim dicitur contrarius quique vniuerſum orbem ſeducit, partem ſcilicet orbis in his pereunt, quanquam & multos electorum plerunque ſeducat, non tamen in perpetuum nec ad æternam mortem. Proiectus eſt autem, vnde & quo, niſi de cælo in terram, id eſt, de mentibus electorum in corda reproborum? Non quo in eis & ante non erat; ſed quo ab iſtis

E excluſus; amplius illis dominari cœpit. Digne igitur ruinam eius terra excipit, quia nimirum terrena ſapientium, terrena quærentium mentes inuadit. De qua ſcilicet terra, eidem ſerpenti in prima maledictione figura-
Geneſ. 3. tim dicitur: *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Sed
Habac. 1. ſi terram comedit cunctis diebus vitæ ſuæ, quid eſt quod alia ſcriptura de illo dicit, *Eſca eius electa*: niſi quia etiam deuorat, qui apud humanam quidem æſtimationem adhuc electi parebant, ſed in diuina præſcientia terra iam erant? Sequitur:

Et audiui vocem magnam, dicentem: Nunc facta eſt ſalus & virtus & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti eius: quia proiectus
F *eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri die ac nocte.*

Toties draco de cælis in terram ruit, quoties ab electis excluſus reprobos petit. Et quia quotidie id fieri certum eſt conſtat nimirum, quia vox hæc ab aduentu quidem redemptoris cœpit; ſed vſquequo ad conſummationem mundi perueniat, clamare non deſinit. Toto quippe iſto in tempore fit, quod ipſa factum laudibus attollit. Et quid eſt illud audi, [*nunc facta eſt ſalus & virtus & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti eius.*] nunc, ſubaudis omni tempore vitæ præſentis, ab aduentu ſcilicet mediatoris vſque ad fidem eiuſdem prædicationis. Salus autem, qua gratuita Dei bonitate ſaluati: virtus; qua roborati: poteſtas, qua per ipſum in beatitudinis gloria ſumus collocati. Cuncta igitur hæc in hominibus facta ſunt, ſed non ab homiuibus, neque per hominem, ſed per Ieſum
G Chriſtum, & Deum patrem. Domini eſt ſalus, Domini virtus, Domini regnum, Domini poteſtas: quod totum
Pſalm. 3. mediator noſter in corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, homo
Matt. 28. factus accepit. Vnde & dicit: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.* Qui ſunt autem iſti, qui hæc in cælo gratulantes clamant, niſi ſancti in Eccleſia. Vox vero magna ſanctorum, vt paulo ſuperius præfatus ſum, magnus deuotionis affectus, magnus eſt internæ laudis conuentus. Vnde vero ſalus, vnde virtus, vnde regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti eius, ſubiungunt dicentes: Quia proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri die ac nocte. Hinc attendant, & hinc erubeſcant, qui hoc certaminis bellum in ſupernis ſedibus factum fuiſſe contendunt. Dicant itaque ſi valent, quomodo hoſtis noſter antequam caderet, fratres accuſabat, qui prius cecidit quam homines fie-
Ioan. 8. rent quos accuſaret. De illo namque ſcriptum eſt, *quia in veritate non ſtetit.*

Quamobrem ſtatim vbi creatus eſt: cecidit. Conſtat autem Angelos prima die conditos, hominem vero ſexta
H ad imaginem Dei formatum. Quomodo autem fratres antequam & caderet accuſabat, cum adhuc creati non eſſent quos accuſaret? Dicunt fortaſſe, quia vſu ſcripturarum pro futuro tempore, accuſabat, ſit poſitum.

Reſpondemus: Conſequens ergo eſt, vt & illud quod præmittitur, proiectus eſt, ſimiliter pro futuro tempore accipiatur. Ac per hoc niſi inſaniunt, omnino nobis contendunt. Quia igitur primæ illius ruinæ nequaquam conuenit quod dicitur accuſabat fratres noſtros ante conſpectum Dei noſtri die ac nocte, videamus quemadmodum ſecundæ conueniat. Et quidem quorundam hominum mentes cum eas maligni ſpiritus poſſident, in præſcientia deſtinatione iam cælum ſunt, ſed tunc in re cælum apparent; cum eoſdem malignos ſpiritus à ſe repellunt. Sed nunquid tales Apoſtatæ ſpiritus accuſant, quales adhuc poſſident? Sed ſciendum quia iuxta conſuetudinem ſcripturarum, ſicut ex aliorum perſona obiectum præmiſi, in hac ſententia præteritum tempus pro futuro accipiendum eſt. Tunc enim hoſtis noſter homines accuſat, cum fratres fiunt: tunc accuſat, cum eum ab habitaculo cordis eiiciunt. In die autem & nocte accuſat, id eſt, in pro-

A ſperis & aduerſis. In die & nocte accuſat, cum alios in proſperitatibus extolli, alios inſpicit in aduerſitatibus frangi. In die & nocte accuſat, cum quoſdam de virtutibus erigi, quoſdam attendit de aperto etiam iniquitatis opere gloriari. Sed ab hac accuſatione ille per omnia liber apparet, qui hoc ipſe accuſare ſtudet, quod ab aduerſario accuſari poſſe cognoſcit, confitendo ſcilicet, damnando, flendo & pœnitendo. Occulto autem aduerſario fratres accuſare, eſt non loquendo exterius, ſed odiendo interius. Malitia enim ipſius, accuſatio eſt aduerſus ſanctos. Dicatur itaque [*Nunc facta eſt ſalus & virtus & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti eius: quia proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſat illos ante conſpectum Dei noſtri die ac nocte.*] Quod nimirum ſi quis ab Angelicis ſpiritibus dictum intelligat, citius ſequendus eſt, dum tamen cælum Eccleſiam ſentiat, atque in eo dictum accipiat. Non enim dubium quod ipſi in ſaluatione hominum talia dicant, (B) qui nato Dominò ſecundum carnem gratulantes, in terra clamant: (Luc. 2.) *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Sed nec illud abſurdum poteſt videri, quod Angeli homines à ſeruitute diabolica liberatos, fratres vocant, quos maius aliquid habere iam cernunt. Multo enim excellentius eſt, mediatorem Dei & hominum, hominem Ieſum Chriſtum, fratrem homines habere quam Angelos. (Pſal. 21.) Ipſe enim per Pſalmiſtam dixit: *Narrabo nomen tuum fratribus meis.* (Ioan. 20.) Ipſe in Euangelio per ſemetipſum: *Vade ad fratres meos, & dic eis.* Non enim dedignantur habere homines fratres, qui Deum habent hominum fratrem. Fratres itaque dicimus Angelos & homines, non natura, ſed dignitate, ſed æqualitate, ſed futura beatitudine. Sequitur:

Et ipſi vicerunt illum propter ſanguinem agni, & propter verbum teſtimonij ſui, & non dilexerunt animas ſuas vſque ad mortem. (C)

Hic manifeſtiſſime claret, quod ſit cælum, quive ſunt qui hoc bellum cum dracone & Angelis eius geſſerint in cælo. Paulo namque ſuperius dictum fuerat, *factum eſt prælium magnum in cælo. Michael & Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat & Angeli eius, & non valuerunt, neque locus inuentus eſt eorum amplius in cælo:* hic autem de hominibus dicitur, *ipſi vicerunt illum propter ſanguinem agni, & propter verbum teſtimonij ſui.* Propter ſanguinem vero agni vincunt, quia paſſiones Chriſti ſequuntur: propter verbum teſtimonij ſui vincunt, quia fidei rectitudinem cuſtodiunt. De quibus adhuc ſubditur: [*Et non dilexerunt animas ſuas vſque ad mortem.*] Tanquam diceretur: Ante elegerunt mori, quam vt animas ſuas carnaliter diligerent. Vſque ad mortem ſe poſuerunt, ne eas nequiter amarent. Hinc Paulus (Act. 21.) de ſeipſo ait: *Ego non ſolum alligari, ſed & mori in Ieruſalem paratus ſum pro nomine Domini Ieſu, nec facio animam meam pretioſiorem quam me.* (D) (Ioan. 12.) Quo contra Dominus ait: *Qui amat animam ſuam, perdet eam.* Imitantur itaque omnes electi redemptorem ſuum, inquantum humana fragilitas patitur, in non diligendo vſque ad mortem animas ſuas, quem ſciunt pro ſua redemptione non pepercisse etiam animæ ſuæ. Et quia glorioſo certamine quotidie dimicantes hoſtem humani generis exuperant, ſiue ipſi, ſiue etiam Angelici ſpiritus, mutua exhortatione ſubiungunt:

Lætamini cæli, & qui habitatis in eis.

Plurali autem numero cælos ad lætandum inuitant, quia numeroſitatem Eccleſiarum aſſignant, quæ omnes vnam de ſe reddunt. Habitantes vero in cælis, homines ſanctos vel beatos Angelos innuunt, quibus concorditer in Domino conuenit gratulari: cum & homines, deuicto hoſte, ad conſortium Angelorum redeunt, & Angeli redintegratum numerum ſuum iſtis receptis aſpiciunt: vbi non eſt aliud quod exponi debeat, niſi vt hac manente lætitia, hic liber debitum ſoluat, finem accipiat.

(E)

D. AMBROSII ANSBERTI Presbyteri, in Apocalypſim Ioannis Apoſtoli.

LIBER SEXTVS.

INfulgente gratia redemptoris noſtri, qua nullis præcedentibus bonorum actuum meritis, cæleſtibus indigni perfruimur donis, nuper in prioribus Apocalypſis partibus quinque edidi libros. Nunc autem eadem gratia annuente, imo etiam impellente, ad ea quæ reſtant enodanda, ſtylum conuerto. (F) Et quia notariorum ſolatia deeſſe videntur, ea quæ dictauero, manu propria exarare contendo. Et tunc quidem ſolius diuinæ aſpirationis inſtinctu, nunc vero adiuncta etiam admonitione fraterna, id agere tento. Cur autem poſtquam omnes Eccleſiaſtici ſcriptores ſiluerunt, hoc agere ſtudeo, in initio huius operis, vera ſuffragante ratione, lectori ſatisfeciſſe me recolo, oſtendens vtique nequaquam me auſu temeritatis, ſed diuina gratia ad hoc opus impulſum: ſed nec mirum eſſe, ſi nunc ſpiritus ſanctus per hominem vtcunque Chriſtianum, ſua verba (Num. 23.) depromat, qui dudum per impios prophetauit: (Ioan. 11.) tempuſque per omnia ſcripturas diſſerendi eſſe, ſi Spiritus ſancti gratia cuiquam dignetur adeſſe: nec præiudicandum eſſe, quo quiſque tempore ſcribat: ſed hoc ſolummodo diſcernendum, vtrumnam vera & catholica, an falſa & hæretica ſint quæ deſcribit. Sed iam ne idipſum in ea excuſatione repetens, faſtidium lectori generem, ad expoſitionis tantum exordium, locutionis cõſuerto ſermonem. Igitur poſtquam Ioannes factum in cælo prælium magnum, (G) atque antiquum hoſtem in terra deiectum fuiſſe, vocemque in cælo lætantium pro eius deiectione ac ſua ereptione audiſſe ſe diceret: illico de reprobis ſententiam protulit, dicens:

Væ terræ & mari, quia deſcendit diabolus ad vos, habens iram magnam, ſciens quod modicum tempus habet.

Iniquorum ſcilicet corda, terræ mariſque nomine deſignans, ad quæ verſutus inimicus, ab electis excluſus, deſcendit: non quo & ante in eis non eſſet, ſed quo expulſus à non ſuis, quos ante iniuſte poſſidebat, amplius ſuis, reprobis ſcilicet, dominari cœperit. Qui recte vocabulo terræ deſignantur, quia contemnentes cæleſtia, terrenis ſemper deſideriis inhiant: deſpicientes æterna, adipiſci temporalia deſiderant. De quibus in primæ maledictionis ſententia ad antiquum ſerpentem dicitur: (Gen. 3.) *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Bene autem maris nomine iidem ipſi deſignantur, (H) quia ſemper & ſuperbiæ fluctibus tumidi, & vitiorum inueniuntur illecebris amariſſimi. De quibus recte Iudas Apoſtolus dicit: (Iud. 1. d.) *Hi ſunt fluctus maris feroces, deſpumantes ſuas confuſiones.* Quibus ſcilicet idcirco væ futurum prædicitur, non quo illis væ in æternum deeſſet, etiam ſi inimicus ab electis non excluderetur: ſed quo validius ab eo poſſeſſi, nequius per eos malitiæ ſuæ nequitiam exerceret, quam faceret, ſi de Eccleſia eiectus non fuiſſet: quique tanto fit feruentior ad ſæuitiam, quanto ſe viciniorem ſentit ad pœnam. Conſiderat quippe quod iuxta ſit, vt licentiam nequiſſimæ libertatis amittat. Et quanto breuitate temporis anguſtatur, tanto multiplicitate crudelitatis expanditur. Vnde & hic quoque recte dicitur: [*Væ terræ & mari, quia deſcendit diabolus ad vos, habens iram magnam, ſciens quod modicum tempus habet.*] Quia enim præſens tempus quandoque ſine debito concluditur, quamlibet prolixis morarum ſpatiis protuletur, ab ipſo

A etiam exordio ſui modicum eſſe veraciter dicitur: quanto magis aduerſario noſtro à tempore redemptionis, ex quo Apoſtolica voce clamatur, [1. Ioan. 2.] *Nouiſſima hora eſt*, ad exercendam malitiam ſuam anguſtum videtur? Abſit autem à fidelium cordibus, vt hunc in illis ſupernis ſedibus pugnare valuiſſe credant, aut illam primam eius ruinam in hac Apocalypſi narrari exiſtiment: ſed in aduentu redemptoris hoc prælium in Eccleſia, quæ cælum eſt Dei, factum fuiſſe, ex quo in eodem cælo Apoſtolica voce clamatur: [Epheſ. 6.] *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritalia nequitia in cæleſtibus*: maxime cum & eo profecto, ſtatim in laudibus Dei dicatur: [Ioan. 8.] *Cecidit accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri die ac nocte.* In quibus ſcilicet verbis patenter intelligi datur non de prima eius ruina hoc dictum fuiſſe. Si enim (vt verum eſt) Angelus prima, homo vero ſexta die eſt B conditus Apoſtata autem ſpiritus Domino affirmante in veritate non ſtetit, ac per hoc ſtatim vt creatus eſt, cecidit: vnde & cum homo conderetur, iam ille ſerpens erat qui homini inuideret: ſi inquam hoc ita eſt, quomodo in hac Apocalypſi eum proiici de cœlo dicitur, accuſaſſe antea fratres die ac nocte aſſeritur? Et certe quando ille tunc cecidit, homo adhuc non erat quem accuſaret. Reſtat ergo vt hanc eius ruinam & in aduentu redemptoris noſtri factam fuiſſe, & nunc vſque fieri credamus. Hic enim fortis Eccleſiæ præliator dicit: [Ioan. 12.] *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras.*

Sciendum vero nobis eſt, quia ſic generaliter hoc præſens tempus ab aduentu redemptoris modicum vocatur, atque in tribus annis & ſex menſibus ſæpe deſcribitur, vt illud ſpecialiter comprehendat, quod futurum eſt ſub Antichriſto, in quo & diabolus ſolui deſcribitur, dum [Apoc. 20.] de eo dicitur: *Oportet eum ſolui modico tempore.* Cur autem hoc totum Eccleſiæ tempus tribus annis & ſex menſibus generaliter deſignetur, patet ratio: propter C Euangelicam ſcilicet prædicationem, quæ trium temporum & dimidij ſpatiis edita fuiſſe cognoſcitur.

Quandiu ergo hæc eadem mundum circuit, totum [Iſai. 18.] eius tempus in quo edita eſt deſignat. Sciendum etiam quia quamuis hoc quod dicitur, *væ terræ*, ad omnes generaliter reprobos pertineat, quos hoſtis antiquus poſſidens contra Eccleſiam deſæuit: ſpecialiter tamen illi terræ ac principaliter congruit, de qua per prophetam dicitur: Væ terræ cymbalo alarum, quæ eſt trans flumina Æthiopiæ, quæ mittit in mari legatos in vaſis papyri ſuper aquas. Terra quippe cui væ dicitur, ille principaliter damnatus eſt homo videlicet Antichriſtus, quem diabolus ſingulariter aſſumet. Qui alarum cymbalum vocatur, quia hi qui ſuperbiam in altitudinem cogitationis euolant, eundem peruerſum hominem prædicando ſonant: Quæ ſcilicet terra, recte trans flumina Æthiopiæ eſſe perhibetur. Æthiopia enim nigrum populum mittit. Et omnem hominem mundus iſte quia pecca- D torem profert quaſi nigrum Æthiopia populum parit: Sed terra cui væ dicitur, trans flumina Æthiopiæ eſſe perhibetur: quia damnatus ille homo tanta immenſitate iniquus eſt, vt omnium peccantium peccata tranſcendat. Qui mittit in mari legatos quia prædicatores ſuos [Ibidem.] in ſæculo ſpargit. De quibus recte ſubditur qualiter mittantur, dum dicitur: *In vaſis papyri ſuper aquas.* Ex papyro quippe charta eſt. Quid itaque per papyrum niſi ſæcularis ſcientia deſignatur? Vaſa ergo papyri, ſunt corda doctorum ſæcularium. In vaſis igitur papyri legatos ſuper aquas mittere, eſt, prædicationem ſuam in ſapientium carnalium ſenſibus ponere, & defluentes ad culpam populos vocare. Sic etiam quamuis generaliter omnibus reprobis væ mari congruat quod nunc diuino imperio propriis terminis refrenatur: ad illud tamen ſpecialiter refertur, quod in nouiſſimo vltra terminos egreſſum cunctam operit ſuperficiem terræ. Dicatur ergo: *Væ terræ, & mari, quia deſcendit diabolus ad vos, habens iram magnam, ſciens quod modicum tempus habet.* Ac ſi diceretur: Generaliter quidem væ terræ & mari, ad omnes pertinet iniquos: ſpecialiter tamen illi peruerſo homini, eiuſque complicibus pertinere videtur, tanquam eiſdem diuina vox diceret: idcirco ſpecialiter væ vobis futurum denuncio, quia ſolutus diabolus cum modicum ſibi supereſſe conſpexerit, vehementius per vos iratus, contra Eccleſiam deſæuiet. Iratus vtique non contra vos terra & mari figuratos ſed contra eos qui in cælo habitant à quibus victus excluditur. Vnde & ſequitur.

Et poſtquam vidit draco quod proiectus eſt in terram, perſecutus eſt mulierem quæ pepererat maſculum.

Ipſa deſignatur per mulierem quæ & per cælum. Et cum diabolus de cælo proiectus perſequitur mulierem, nimirum cælum inſequitur in muliere. Electorum autem F Eccleſiam vt ſupra iam diximus, idcirco diuinum eloquium mulierem appellat, quia ab ſponſo cæleſti tanquam ſponſa annulo fidei ſubarratur: eique ſacramentis cæleſtibus vita & moribus, vt vxor, coniungitur: atque eundem Chriſtum prædicationis verbo in cordibus Chriſtianorum, vt mater parere videtur. Hæc enim eſt illa ſponſa, cui à Domino per prophetam dicitur: *Deſponſaui te mihi in iuſtitia.* [Oſeæ 2.] Et cuius membra Paulus alloquitur, dicens: *Deſpondi vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.* [2. Cor. 11.] De qua etiam in hac Apocalypſi Angelica voce ad Ioannem dicitur: *Veni, oſtendam tibi ſponſam uxorem agni.* [Apoc. 21.] Ipſa etiam (vt dixi) mater eſt, quæ ſponſa & vxor: quia nouos populos quotidie Deo gignit, ipſo ſponſo viro & filio atteſtante: *Si quis fecerit voluntatem patris mei qui in cælis eſt, hic meus frater, ſoror & mater eſt.* [Matth. 12.] Credendo ergo ſponſa, operibus inhærendo vxor, vocibus prædicando mater efficitur Chriſti. Toties enim parit Chriſtum, quoties per officium prædicationis membra eius quæ nos ſumus, ad fidem & operationem conformat. Et notandum quod malitioſius draco ab aduentu tantum redemptoris, principaliter inſectetur mulie- G rem quia etſi in patriarchas atque prophetas gentilitatem adhuc inhabitans, malitiam ſuæ crudelitatis exercuit, Domino ad Apoſtolos dicente: *Sic enim perſecuti ſunt prophetas qui fuerunt ante vos*: [Matth. 5.] tamen ad comparationem illius ſæuitiæ, quam poſteaquam de illa expulſus eſt, irrogauit perſecutio dici non potuit. Nam (vt ita [Geneſ. 4.] dixerim) hanc veternoſus ſerpens in exordio natiuitatis ſuæ perſecutus eſt, cum innocentem Abel parricidali Cain inuidia interfecit. Hanc vſque ad aduentum Domini in ſingulis patribus tanquam adhuc adoleſcentulam, ac fidei annulo ſubarratam, perſequi nequaquam deſtitit. Sed hanc iam Chriſto coniunctam nouam intuens nuptam acrius perſequi aggreſſus eſt. Cum hanc inquam fidei verbo plenius grauidari aſpexit, ſeque ab ea excluſum cognouit, vehementer ingemuit, atque ad argumenta perſecutionum callidus ſemetipſum conuertit. Alios H enim hoc in tempore per membra ſua lapidibus obruit, alios igni conſumpſit, alios terræ hiatu humanæ vitæ ſubtraxit, alios gladio peremit, alios fluctibus aquæ demerſit, alios per præceps comminuit, alios crucis patibulo affixit, alios verberibus extinxit, alios ferarum dentibus laniauit, alios ſerpentibus tradidit. Et hæc quidem religatus contra eam exercuit. Sed vehementiſſime tunc contra eam exurget, cum & ipſe vinculis diuinæ poteſtatis abſolutus, & Eccleſia Chriſtum quem diu parturiuit, gaudens enixa maſculum fuerit. Tunc quicquid callidius, quicquid malignius excogitare valuerit, cum illum damnatum hominem poſſederit, contra eam exercet. Tunc etiam quod adhuc nuſquam apparuit, ſubtractis ab Eccleſia magna ex parte ſignis & virtutibus, perſecutores eiuſdem Eccleſiæ, etſi falſis, miraculis coruſcabunt. Vnde & in Euangelio Dominus dicit: *Tunc ſurgent pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna, ita vt in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi.* [Matt. 24.] O quam dura erunt corporis vulnera, atque omnium cruciamentorum tormenta: ſed quam duriora

erunt

A erunt aduerſariorum miracula? & quidem Eccleſia in prioribus ſuis perſecutionibus habuit ſolatia ex miraculorum ſignis, ſed in extremis & miraculis caret & grauiſſimas perſecutiones ſentit. Et cuius cor quamuis robuſtiſſimi, inter perſecutorum miracula & ſua vulnera non à fundo quatiatur, non formidoloſa trepidatione moueatur: Nullumne erit adiutorium? Erit certe. Tanto namque robuſtior tunc ſanctorum erit conſtantia, quanto immanior perſecutorum ſæuitia. Sed iam nunc videamus, quod ſit maximum ſaluationis eorum adiumentum, per quod in ſtadio vitæ præſentis hoſtem callidum valent ſuperando euadere. Denique ſequitur.

Et datæ ſunt mulieri duæ alæ aquilæ magnæ, vt volaret in deſertum in locum ſuum: vbi alatur per tempus & tempora & dimidium temporis, à facie ſerpentis.

B Sic dicitur, datæ ſunt mulieri duæ alæ aquilæ magnæ: tanquam diceret, Hoc donum ipſa mulier meruit, vt aquila magna efficeretur. In duabus autem eiuſdem mulieris alis, ſiue duorum teſtamentorum eloquia, ſiue duo charitatis præcepta, in quibus tota lex pendet & prophetæ, ſiue actiuam vitam, ſiue contemplatiuam, non incongrue dicimus figurari: quibus ſubuecta Eccleſia, inquietos vitæ præſentis tumultus deſerens, ſolitudinem petit, in qua locum ſuum inueniat. Et quæ eſt illa ſolitudo, niſi corda electorum à terrenorum deſideriorum tumultibus quieta? Sancti etenim viri ſeipſos deſertum quietis faciunt, vt habeant quo fugere poſſint. Prius namque à ſemetipſis inordinatos deſideriorum motus manu ſanctæ conſiderationis eiiciunt, vt poſtmodum quietis locum in ipſa cordis ſolitudine quo fugere poſſint, inueniant. Quia enim tranſitoria cuncta deſpiciunt, ex his naſcentes cogitationum inſolentias non patiuntur: ſolam namque æternam patriam appetunt. Et quia

C nulla huius mundi diligunt, magna mentis tranquillitate perfruuntur. In qua videlicet ſolitudine locum inueniunt, quo fugientes ſaluentur, quia videlicet in ſecreto mentis à quærentibus Deus inuenitur. Cui per Pſalmiſtam

Pſal. 30. dicitur: *Eſto mihi in Deum protectorem & in domum refugij, vt ſaluum me facias.* Ad hanc ſolitudinem, in qua

Pſal. 54. locus inuenitur refugij, auolare concupierat idem Pſalmiſta cum diceret. *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo & requieſcam?* Ad quam videlicet ſolitudinem iuxta deſiderium voluntatis ſuæ deductus,

Ibidem. locum quo quieſceret quærebat, dicens: *Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine. Expectabam eum qui me*

Pſal. 26. *ſaluum faceret à puſillo animo & tempeſtate.* Ad hanc ipſe idem confugerat, cum diceret: *Vnam petij à Domino, hanc requiram: vt inhabitem in domo Domini.* A frequentia quippe terrenorum deſideriorum fugiens, ad magnam videlicet ſolitudinem ſemetipſum, vbi eo tutius nihil extraneum conſpiceret, quo incompetens nil amaret, à tumultu rerum corporalium magnum quoddam ſeceſſum petierat quietam mentem, in qua tanto purius

D Deum cerneret, quanto hunc cum ſe ſolo ſolum inueniret. Quis vero huius mulieris cibus eſt, quo veſcitur in deſerto, niſi ille qui & locus deſerti? Ipſe enim temporalia fugientibus, via: ipſe ad ſolitudinem peruenientibus, locus: ipſe in eadem ſolitudine eſurientibus, cibus. In loco autem deſerti per tempus & tempora & dimidium temporis hoc cibo mulier veſci perhibetur, ſubaudis, per tempus hoc totum vitæ præſentis, quo Euangelica profectio eorundem temporum quantitate prolata, electorum numerum creatoris ſui amore ſuccenſum, ad æterna ac ſublimia contemplanda à terrenorum deſideriorum tumultibus remouens, dum perficit, ſolitarium reddit. De

Iere. 15. qua ſolitudine Ieremias Domino dicit: *A facie manus tuæ*

Pſal. 101. *ſedebam ſolus.* Hinc ipſum perfectorum caput per Pſalmiſtam loquitur, dicens: *Similis factus ſum pelicano in ſolitudine, factus ſum ſicut nycticorax in domicilio. Vigilaui, & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto.* Illa ergo mulier perſecutionem draconis euadit, quæ duabus alis

E vtens, in deſertum in locum ſuum auolat: quia videlicet electorum Eccleſia, ſiue duorum teſtamentorum verbis & exemplis, ſiue duobus charitatis præceptis à terreno amore ſuſpenſa, ac per hoc ſolitudo effecta, Deum intra ſe locum refugij inueniens, eius virtute ac protectione, & occultas inimici inſidias præcauere, & apertas perſecutiones nouit contemnere. Qui videlicet ſit ei etiam cibus, quia omnipotens Deus quos protectione defendit, interna contemplatione reficit. Sic denique dudum populus ille Hebraicus perſecutionem Pharaonis fugiens, Exod. 13.

columna nubis in die, & ignis in nocte, veluti duabus alis myſtice fultus, in deſertum quo manna veſceretur, peruenit. Pharao namque Iſraelem perſequens, figuram gerebat huius draconis, à cuius facie mulier iſta auolare dicitur in deſertum. Vnde & in typo cuidam Pharaoni dicitur: *Pharao draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum.* Populus autem Iſraël hanc eandem mu- Ezec. 29.

lierem deſignabat, imo magis in ipſis iſta mulier erat. F

Columna vero nubis in die, & ignis in nocte, vt dictum eſt, vetus & nouum teſtamentum figurabat, quæ ad patriam euntibus iter oſtendunt. Nubes etenim in die, viſionis lene blandimentum eſt: ignis vero in nocte, terror aſpicientibus. Per nubem ergo in die, nouum teſtamentum figuratur: in quo non vindicta peccantibus, ſed miſericordia lenitatis oſtenſa eſt. Vnde & ipſe autor noui teſtamenti cuidam in adulterio deprehenſæ dicit: *Nemo te condemnauit?* Cui cum diceret, *Nemo Domine:* ait Ioan. 8.

illi, *Nec ego te condemnabo: vade, & amplius noli peccare.* Et bene in die apparuit columna nubis, quia nouum teſtamẽtum à ſole iuſtitiæ, id eſt Chriſto, initium ſumpſit. Per ignem vero in nocte, qui terror eſt viſionis, recte vetus teſtamentum deſignatur: in quo peccantibus non venia promittebatur, ſed ſupplicium minabatur. Vnde & illic frequentius inculcatur: Si quis hoc vel illud fecerit, morte moriatur, lapidibus obruatur. Et bene in nocte apparuit, quia necdum in mundum Chriſtus aduenerat. G

Deſertum quoque ad quod ille tunc populus venit, mentium ſolitudinem deſignabat. In qua etſi igniti ſerpentes virus malitiæ conantur infundere, non nocent, quia de eiſdem in ſolitudine commorantibus, dicitur: *Serpentes* Marc. 16.

tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Et nec mirum ſi non nocent, cum habitantes in eremo, indeſinenter ſerpentem æneum, id eſt, mortem redemptoris, aſpiciunt. Manna vero quo ille populus vſus eſt, internam mentis refectionem, id eſt, diuini verbi contemplationem, deſignabat de quo cæleſti manna per Pſal- Pſal. 77.

miſtam dicitur: *Panem Angelorum manducauit homo.* Ioan. 6.

Hinc idem electorum manna loquitur, dicens: *Ego ſum panis viuus qui de cælo deſcendi.* Hinc Eccleſiæ à Domino per prophetam in munere repromittitur: *Suſtollam te ſuper altitudinem terræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui.* De qua etiam ad iuſtum virum dicitur: *Nunquid ad* Iſaiæ 58.

præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum ſibi? in petris manet, & in præruptis ſilicibus atque Iob. 39.

inacceſſis rupibus commoratur, inde contemplatur eſcam. Poteſt autem deſerti nomine illa regio deſignari, quam apoſtata Angelus & homo deſeruit. In hoc enim deſerto H

nonagintanouem oues remanſerant, quando Dominus vnam in terra quærebat. In qua certum refugij locum inuenit Eccleſia, quæ vndique perſecutionibus anguſtatur in terra: ibi cibum indeficienter reperit, quæ hic dum Luc. 15.

affligitur, iuſtitiam eſurit. In alis autem mulieris, ipſa ſuſpenſio intelligitur contemplationis. Solet autem hoc donum proprium eſſe ſanctorum, vt quo magis preſſuris anguſtantur in terra, eo amplius contemplationis penna leuentur ad ſumma. Hinc Paulus tribulationibus circumdatus preſſuris anguſtatus, & fortaſſe catena conſtrictus, dicebat: *Noſtra conuerſatio in cælis eſt.* Hinc idem ait: Philip. 3.

Quando infirmor, tunc fortior ſum. Et quia iuſtorum Ec- 2. Cor. 12.

cleſia ſecundum eundem Apoſtolum, ea quæ retro ſunt obliuiſcitur, ad ea vero quæ in ante ſunt extenditur: eique de mundo euolanti, antiquus aduerſarius, malitiæ ſuæ mole depreſſus, vtpote ſerpens, terræ inhærens, obuiare non valet, quid à tergo contra eam exerceat, audiamus. Sequitur.

A

Et miſit ſerpens ex ore ſuo poſt mulierem aquam tanquam flumen, vt eam trahi faceret à flumine.

Solent per aquas in ſcriptura ſacra, perſecutionum impetus deſignari, Pſalmiſta atteſtante, qui voce martyrum ait: *Cum inſurgerent homines in nos, forſitan viuos deglutiſſent nos: & cum iraſceretur animus eorum aduerſum nos, forſitan velut aqua abſorbuiſſet nos.* Per os vero antiqui ſerpentis, ſuaſio illius non incongrue accipitur, quia conſiliis eius agitur, vt contra Eccleſiam reprobi eleuentur. Poſt mulierem ergo in deſertum volantem, ex ore ſuo ſerpens flumen emittit: quia Eccleſia appropinquante cœleſtibus, antiquus hoſtis ſuaſione iniquitatis ſuæ, infidelium hominum multitudinem in eius necem commouet, ad hoc vſque, vt eam in corpus ſuum traiiciat. Sed quid impedimenti præſtabit aqua, quamlibet elationum fluctibus tumida, quamuis impetus ſui velocitate rapidiſſima, ei qui ad volandum alis vtitur? nil omnino. Occidi poteſt, ſed trahi a flumine non poteſt. Occiduntur martyres in carne, ſed poſt mortem carnis veraciter dicunt: *Torrentem pertranſiuit anima noſtra.* Quia vero hanc perſecutores eius in corpus ſuum traiicere non valuerunt, funditus delere conati ſunt. Sed quam Deus voluit vſque in finem perſeuerare, nec de mundo poteſt eius memoria perire, nec in corpus draconis à flumine trahi. Vnde & bene ſequitur:

Pſal.123.

B

Pſal.125.

Et audiuit terra mulierem, & aperuit terra os ſuum, & abſorbuit terra flumen quod miſit draco ex ore ſuo.

Solet in ſacro eloquio terræ nomine, humana natura deſignari. Vnde & primo homini peccanti dicitur: *Terra es, & in terram reuerteris.* Quam videlicet naturam ipſe conditor ſuſcipere dignatus eſt, ſicut de illo ſcriptum eſt: *Cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo,* & rurſus: *Factus eſt primus homo in animam viuentem, nouiſſimus in ſpiritum viuificantem,* & iterum, *Primus homo de terra terrenus ſecundus homo de cælo cæleſtis.* Quæ videlicet humana natura, in Adam maledictionis ſententiam: in Chriſto autem benedictionis gratiam conſecuta eſt. Vnde per Pſalmiſtam dicitur: *Benedixiſti Domine terram tuam, auertiſti captiuitatem Iacob.* Hoc autem in loco, quid aliud terræ vocabulo deſignari credimus, niſi humanam in Chriſto naturam? quæ tempore paſſionis, perſecutorum impetus ſuſtinuit ex carnis infirmitate: ſed tertia die reſurgens, abundantia vitæ ſuæ mortis principem deglutiuit, & inundantes paſſionum fluctus abſorbuit potentia diuinitatis: & quia de eo ſcriptum eſt, *Ad hoc Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit, vt & viuorum & mortuorum dominetur.* Et de quo rurſus dicitur, *Dedit illi Deus nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris,* præualente victoria eius in cœlo & in terra, quia impetus perſecutionum in ſe ſuſcipiens, ſuperauit, electorum Eccleſia non ſinitur flumine perſecutionis in corpus diaboli trahi. Ac ſi ipſa terra flumen abſorbens, diceret: Corpus meum quod eſt Eccleſia, propterea non poteſt flumine perſecutionis dimergi, quia prior ego paſſiones eius bibi, bibenſque ſuperaui. Fruſtra ergo draco flumen euomit, quod iam terra abſorbuit: quia nil vltra amplius præualebit in corpore, quam quod præualuit in capite. Sed quia idem malitioſus vt iniquo voluit conſilio, eam nec in corpus ſuum trahere, nec de mundo funditus eradere valuit, per ſingulas hanc generationes perſequi, * arctius non deſtitit, recte ſubiungitur:

Geneſ.3.
Philip.2.
C
1.Cor.15.
Pſal.84.
Rom.14.
Philip.2.
D

* *acrius.*

E

Et iratus draco in mulierem, abiit facere prælium cum reliquis de ſemine eius, qui cuſtodiunt mandata Dei, & habent teſtimonium Ieſu, & ſtetit ſuper arenam maris.

Quanto namque à præcedentibus diuino munere roboratis vincitur, tanto amplius in ſubſequentibus Eccleſiæ membris deſæuire probatur. Hinc eſt enim quod cum ab homine expulſus exire dicitur, cum ſeptem aliis ſpiritibus ſe nequioribus reuerti deſcribitur. Et notandum quia iratus draco, cum his tantum prælium inire dicitur, qui & de ſemine mulieris naſcuntur, & mandata Dei cuſtodire & teſtimonium Ieſu habere videntur. Semen enim mulieris verbum intelligitur prædicationis, quo in credentium cordibus proles concipitur cœleſtis. Tunc vero naſcitur, cum baptiſmatis vnda perfunditur. Hunc enim nouum hominem quotidie molitur extinguere diabolus, qui leges eius contemnens, Dei ſe mandatis humiliter ſubdit. Quis autem vnquam contra ſuos bellum gerit? quis ſibi obedientes expugnat? Hinc certe, hinc probate ſe poſſunt homines, vtrum cuſtodiant mandata Dei, & habeant teſtimonium Ieſu. Ait namque Apoſtolus: *Omnes qui pie volunt viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur.* Si ergo quiſquam perſecutionem non patitur, adhuc pie viuere non probatur. Si pie viuere non videtur, ab aduerſario perſequi dedignatur. Sed cum videamus homicidas & maleficos, fures & latrones tormentis affici: ſuppliciis conſumi, quomodo tantum electos perſecutionem pati ſermo diuinus hoc loco pronuntiat? Sed ſciendum nobis eſt, quia aliud, ſit ſubiectum quemplam cum voluerit quiſque, interfici: aliud vero ſibi repugnanti perſecutionem ingerere. Cum his ergo (vt dictum eſt) ſolummodo bellum draco facit, quos ſibi repugnare videt: quia nequaquam bellum fieri poteſt, niſi inter duas partes alninſecus concertantes.

Vbi enim non eſt qui percutienti reſiſtat, & ſi vnus ab altero ſuccumbat, prælium non fit. Sic ergo iniqui quilibet & mala tolerant, ſed nequaquam aduerſus eos diabolus bellum intorquet. Sed iam videamus quæ ſint mandata Dei, & quod teſtimonium Ieſu. Aliud enim ſunt mandata, aliud teſtimonia. Mandata namque Dei ſunt, quibus ad bene viuendum inſtruimur. Vnde eſt illud, *Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & proximum tuum ſicut te ipſum.* In quibus duobus mandatis, ſecundum Apoſtolum, *tota lex pendet & Prophetæ.* Teſtimonium vero Ieſu eſt, quo teſtificati ſunt Prophetæ, imo Spiritusſanctus per Prophetas de Chriſti & Eccleſiæ Sacramentis. Hinc eſt illud primi prophetantis teſtimonium: *Relinquet homo patrem ſuum & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ: & erunt duo in carne vna.* Quod Apoſtolus exponens, ait: *Magnum eſt hoc Sacramentum. Ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Ergo mandata ad charitatem, teſtimonium vero ad fidem pertinere probatur. Quamobrem proles huius mulieris, charitate & fide contra antiqui aduerſarij machinamenta erigitur. Ne autem dubium ſit, vtrumnam teſtimonium ad fidem pertineat, Angelus Iohanni inferius declarat, dicens: *Hic patientia ſanctorum eſt qui cuſtodiunt mandata Dei & fidem Ieſu.* Sed cum prius ſit credere, ac deinde fidem operibus fulcire: quid ſibi vult, quod hoc loco mandata præponuntur fidei, niſi quod aperte innuitur, quia quamuis ad cœleſtem patriam via fides ſit, tamen charitas quæ in mandatis conſtat, maior eſſe videtur, Apoſtolo atteſtante qui ait: *Nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hæc: maior autem his eſt charitas.* Et idcirco quæ fidei altitudinem ſupergreditur, iure eidem ſæpe antefertur. Notandum vero quod idem teterrimus draco contra ſanctos prælium exercens, non ſuper petram, non ſuper ſolidam terram, ſed ſuper arenam ſtare perhibetur. Cunctis autem liquet, quia ſerpens in petra veſtigium imprimere non valet: in arena vero quæque loca tetigerit, ſigna ſui corporis relinquit. Quid autem ſunt corda ſanctorum, niſi quædam ſoliditas petræ? In

Luc.11.
F
* *iniqui.*
2.Tim.3.
G
Deut.6.
Matth.22.
Rom.13.
Gen.2.
Epheſ.5.
H
Apoc.14.
1.Cor.13.

quibus

A quibus idcirco malignus hoſtis veſtigium imprimere non
valet, quia peccata voluptatis ea nequaquam emolliunt.
Quid vero ſunt Iniquorum mentes, niſi quædam arenæ
mobilitas? In quibus idem antiquus aduerſarius eo fœdi-
tatis ſuæ veſtigia informat, quo eas per terrena delecta-
menta fluidas inuenit. Ibi ergo ſtat, vbi molliter quieſce-
re valet: non ibi vbi petræ duritiam ſentit. Hinc eſt enim,
quod cum Dominus ſub quadam figurata locutione in lo-
Iob 40. cis humentibus dormire perhibet. Loca ergo humentia
ſunt, terrenorum hominum mentes, quas humor carnalis
concupiſcentiæ, quia replet, fluidas facit. In quibus ma-
lignus aduerſarius iniquitatis ſuæ veſtigia tanto altius im-
primit, quanto in eiſdem mentibus per tranſitus illius qua-
ſi in fluxa terrena deſcendit. Loca quoque humentia ſunt,
opera voluptuoſa. Pes quippe in arida terra non labitur, fi-
xus vero in lubrica, vix tenetur. In locis ergo humentibus
iter vitæ præſentis faciunt, qui in hac recti ad iuſtitiam
ſtare non poſſunt. In his itaque locis humentibus hoſtis
noſter dormit, quia in reproborum hominum lubrica ope-
B ratione requieſcit, Quem ergo Dominus in locis humen-
tibus dormire perhibet, hunc Iohannes ſuper arenam ſtare
affirmat. Sequitur:

Apocal. cap. 13. *Et vidi de mari beſtiam aſcendentem habentem capita ſeptem & cornua decem, & ſuper cornua eius decem diademata: & ſuper capita eius nomina blaſphemiæ.*

Apoc. 11. Hanc beſtiam quam nunc de mari, ſuperius de abyſſo
aſcendiſſe iam dixerat: quatenus nobis oſtenderet hoc eſſe
in ſignificatione mare, quod eſt abyſſus. Videamus ergo
quod ad rem magis pertinere videtur, quid ſignificet abyſ-
ſus: & tunc demum quæ ſit hæc beſtia, requiramus. In ſa-
cro enim eloquio abyſſi nomine aliquando inſcrutabilia
Dei iudicia, aliquando hoc ipſum ſacrum eloquium ali-
quando inferni profundum, aliquando deſignantur infi-
C delium corda, Chriſto eccleſiæque reſiſtentia. Abiſſi no-
mine incomprehenſibilia Dei iudicia figurantur, Pſalmiſta
Pſal. 35. atteſtante, qui Domino dicit: *Iudicia tua abyſſus multa.*
Rom. 11. Iudicia enim Dei recte abyſſo comparantur, quia immen-
ſitas ac profunditas eorum à nobis non comprehenditur.

Huius immenſitatem abyſſi penetrare non quiuerat
Apoſtolus, qui dicebat: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ
& ſcientiæ Dei, quam inſcrutabilia ſunt iudicia eius, &
inueſtigabiles viæ eius?* Eiuſdem abyſſi nomine ſacrum elo-
Pſal. 41. quium figuratur, ipſo Pſalmiſta dicente: *Abyſſus abiſſum
inuocat in voce cataractarum tuarũ.* Abyſſus namque abiſ-
ſum inuocat, quia vetus teſtamentum nouum præſtola-
tur: in voce cataractarum, id eſt, in voce prædicantium.
3. Reg. 17. Qui veluti cataractæ cæli conſtituuntur, dum quibuſdam
Iacob. 5. retinent, quibuſdam vero benedictionis imbrem effun-
dunt. An non cæli cataractam modo clauſam, modo aper-
tam in Elia cognoſcimus qui oratione orauit, vt non plu-
eret ſuper terram, & non pluit annis tribus & menſibus
ſex: & rurſum orauit, & cælum dedit pluuiam, & terra
D dedit fructum ſuum? Quod tunc hiſtorialiter factum, nunc
ſpiritaliter fieri cernimus, cum prædicatores ſancti nunc
quidem propter peccatum populi, prædicationis imbrem
retinent, nunc vero propter electos eundem largiter effun-
dunt. Hinc eſt quod Iezechieli prophetæ à Domino dici-
Ezech. 3. tur: *Adhæreſcere faciam linguam tuam palato tuo, & eris
mutus, nec quaſi vir obiurgans: quia domus exaſperans eſt.*
Ecce propter exaſperantem domum, reprobos ſcilicet,
cæli cataractam clauſam. Videamus nunc vtrum ne pro-
Ibid. pter electos aperiatur. Ait namque: *Cum locutus fuero ad
Matth. 16. & 18. te, aperiam os tuum, & dices ad eos: Hæc dicit Dominus
Deus.* Vel certe accepta poteſtate ligandi atque ſoluendi,
more cataractarum quibuſdam claudunt, quibuſdam ve-
Luc. 8. ro aditum regni cæleſtis aperiunt. Rurſum abyſſi nomine
ſignantur inferni profunda, ſicut in euangelio legimus le-
gionem ab homine abiectam, Dominum poſtulaſſe, ne
eos imperaret in abyſſum ire, quin potius permitteret in-
troire porcos. Hinc eſt quod Pſalmiſta de perſecutoribus
Pſal. 106. Eccleſiæ, fluctibus eos comparans dicit: *Aſcendunt vſque
ad cælos, & deſcendunt vſque ad abyſſos* Vſque ad cælos E
namque aſcendunt, quia vſque ad ſummæ ſanctitatis viros
perſequendos elationis vento eleuantur. Sed vſque ad abyſ-
ſos deſcendunt quia vnde tẽporaliter ſuper bonos erigun-
tur, inde ad inferni profunda dimerguntur. Rurſus abyſſi
vel maris nomine, figurantur infidelium corda, Chriſto
eccleſiæque contraria, ſicut ſancto viro narrante didici-
mus, qui de ſapientia Dei patris ab ipſis dictum perhi-
bet: *Abyſſus dicit, non eſt in me: & mare loquitur, non* Iob. 28.
eſt mecum. Ac ſi aperte diceret: Infideles & reprobi vita
& moribus loquuntur, quia æterna Dei ſapientia nec in
illis, nec cum illis inuenitur. In illis enim non eſt, quia
per reſpectum gratiæ longe abeſt, quibus tamen per retri-
butionis vindictam præſens adeſt. Hinc enim ſcriptum eſt:
Longe à peccatoribus ſalus. Cum illis vero non eſt, quia Pſal. 118.
eam omnino neque eſſe ſuſpicantur. Vnde Pſalmiſta ait: Pſal. 13. & 52.
Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus. Quia enim Pſal. 103.
abyſſi nomine, Iniquorum atque infidelium corda ſi-
gnentur, eodem Pſalmiſta teſtante didicimus, qui de F
Domino loquitur, dicens: *Fundauit terram ſuper ſtabi-
litatem eius, non inclinabitur in ſæculum ſæculi.* Abyſſus
ſicut pallium amictus eius, ſuper montes ſtabunt aquæ.
In quibus ſcilicet verbis quaſi hiſtorialiter inchoaſſe vi-
detur. Sed ſequentis verſiculi finis indicat, non hæc hi-
ſtorialiter, ſed myſticè dicta intelligi debere. Cum enim
dicit, qui fundauit terram ſuper ſtabilitatem eius, non
inclinabitur in ſæculum ſæculi ac deinde ſubiungit, Abyſ-
ſus ſicut pallium amictus eius terræ vtique amictus ad-
deret autem, ſuper montes ſteterunt aquæ, & non ſta-
bunt, totum iuxta literam accipi poterat. Sed melius
oſtendimus quemadmodum ſpiritaliter intelligatur, ſi
qualiter abyſſus ſicut pallium terræ amictus hiſtorialiter
fuerit, demonſtremus. Terram namque ſuper ſtabilita-
tem ſuam conſiſtentem, in diebus Noë legimus dudum
abyſſo adopertam fuiſſe, ſicut in ipſa hiſtoria dicitur: *Ru-* Gen. 7.
*ptæ ſunt omnes fontes abyſſi magnæ, & cataractæ cæli aper-
tæ ſunt.* Quæ vtique abyſſus dum eam vndique circunde- G
dit, quaſi pallium amictus eius fuit. Cuius etiam abyſſi
immenſitas non ſolum ad cacumina montium peruenit,
verumetiam quindecim cubitis altior illis fuit. Sed ſi hoc
propheta ſecundum litteram, & non ſecundum myſti-
cum ſenſum intelligi voluiſſet nequaquam vt præfati ſu-
mus, cum diceret, *Abyſſus ſicut pallium amictus eius*: ad- Pſal. 103.
deret, ſuper montes ſtabunt aquæ, ſed ſteterunt. Videa-
mus ergo quid ſignificet hæc terra, quid ſtabilitas eius,
quid abyſſus eam amictans, ac montium cacumina tran-
ſcendens. Sicut in malo frequenter terram accipimus,
propter terrenos terrena quærentes: ſic ſæpe in bonum,
propter illud quod à ſaluatore dictum eſt: *Ignem veni* Luc. 12.
mittere in terram, & quid volo niſi vt accendatur? terram
vtique ſanctorum corda eſſe deſignans. Hoc autem in lo-
co terram, Eccleſiam intelligimus. Et quæ huius terræ,
alia eſt ſtabilitas ſuper quam fundata, non inclinabitur in
ſæculum ſæculi, niſi Chriſtus qui hanc ſuper ſe conſtrui
voluit? Hinc eſt quod Petro figuram eiuſdem Eccleſiæ H
gerenti, dicit: *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo* Matth. 16.
Eccleſiam meam. Tanquam diceret, *ſuper me ædificabo te.* Pſal. 103.
Quod enim Pſalmiſta de Domino dicit, *Fundauit terram
ſuper ſtabilitatem eius*: hoc ipſe Dominus Petro ait: *Tu es
Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam,* Et Matth. 16.
quod ab eodem Pſalmiſta dicitur, *non inclinabitur in ſæcu-* 1. Cor. 3.
*lum ſæculi: hoc à Domino confirmatur. Et portæ inferi non
præualebunt aduerſus eam.* Hinc per Paulum dicitur: *Fun-
damentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum
eſt quod eſt Chriſtus Ieſus.* Terram autẽ abyſſus circumami-
ctans operuit, quia Eccleſiam vndique perſequẽtium tur-
ba circundedit. Cuius altitudo cacumina montium tran-
ſcendit, quia Apoſtolos etiam eadem perſecutorum nume-
roſitas interfecit. Vel certe terram ſimul & mõtes abyſſus Ioan. 20.
operuit, quia ante aduentum ſpiritusſancti, propter metum
perſecutorum, neque Apoſtoli neque alij diſcipuli mani-
feſte Chriſtũ prædicare audebant. Quia ergo propter me-
tum hominum ſilebant, ſuper terram & montes ſtabant
aquæ: ſed quia adueniente ſpiritusſancto ſuper diſcipulos,
metus populi perſequentium contemptus eſt, bene illic

A Pſal. 103. ſubditur : *Ab increpatione tua fugient, à voce tonitrui tui formidabunt.* Ab increpatione etenim Dei aquæ fugerunt, à voce tonitrui eius formidauerunt : quia vt dictum eſt, adueniente Spiritu Sancto ſuper diſcipulos, alij ex nouis linguis, ſignis & virtutibus, metu etiam fidelis populi territi, frementes ſiluerunt : alij ſalubriter conuerſi, crediderunt : & cœperunt apparere montium cacumina ac terræ ſoliditas in eis, qui dudum fuerant perſecutionum fluctibus adoperti. Ibid. Sicque adimpletum eſt, quod in eodem Pſalmo ſubiectum eſt : *Aſcendunt montes & deſcendunt campi in locum quem fundaſti eis.* Ac ſi apertè diceretur: Apoſtoli ſiue credentes, qui metu perſequentis populi tanquam quibuſdam fluctibus fuerant adoperti, in ſublime erigentur : & iidem perſecutores abyſſi more intumeſcentes, viribus exſiccati, atque aridi effecti, in imis apparebunt campi. Quis autem locus eorum ſit à Deo illis fundatus, exponi neceſſe non eſt, cum videamus eos in loco ſubiectionis & ſeruitutis nunc vſque manere, qui dudum in ſublimi ſolio regni ſtare videbantur. Huic ſenſui, quem de
B Ionæ 2. perſecutorum multitudine ſub figurata abyſſi locutione ſequimur, Ionas Propheta concinit, qui ex voce capitis noſtri dicit : *Abyſſus vallauit me, pelagus cooperuit caput meum.* Tempore etenim paſſionis, humani generis redemptorem abyſſus vallauit: quia à perſecutoribus hinc ſputa,
Matt. 27. illinc flagella: hinc maledicta, illinc ſuſtinuit probra. Pelagus vero operuit caput eius, quia ab eiſdem perſecutoribus facie velatus, arundine cerebro percuſſus, ſpinis etiã fuit coronatus. Iſta perſequentium abyſſus Chriſtum operuerat, cum diceret : Pſal. 68. *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam.* Quid autem hoc loco abyſſi vel maris nomine figuretur, de quibus iſta beſtia aſcendere dicitur, cum quid ſignificet eadem beſtia ſubiliter inueſtigauerimus, neceſſario proferemus. Nunc ergo quæ ſit prædicta beſtia, quibuſve modis accipiatur, requiramus. In alia enim Scriptura cum nomen beſtiæ ſingulari numero ponitur ipſe malignorum ſpirituum princeps per illud deſignatur: cum vero plurali, aut vniuerſa dæmonia, aut beſtiales hominum motus demonſtrantur. Beſtiæ
C nomen cum ſingulari numero ponitur malignorum ſpirituum principem deſignat, ſicut per Prophetam contra
Oſeæ 13. Ephraim dicitur: *Beſtia agri ſcindet eos.* Vel ſicut Iſaias ait,
Iſai. 35. Iob. 40. *Mala beſtia non tranſibit per eam.* Cum autem plurali, vniuerſa dæmonia figurat, ſicut Dominus ad Iob de iniquorum cordibus dicit: *Omnes beſtiæ agri ludent ibi.* Eiuſdem nomine beſtiæ plurali numero poſito, beſtiales ho-
1. Cor. 15. minum motus exprimuntur, ſicut B. Apoſtolus ait : *Si ſecundum hominem ad beſtias pugnaui Epheſi, quid mihi prodeſt ſi mortui non reſurgunt.* Vel ſicut gentilis cuiuſdam teſtimonio vſus loquitur, dicens: *Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri.* Quod etiam ex ſeipſo affirmat, dicens : *Teſtimonium hoc verum eſt.* In hac vero Apocalypſi cum ſingulari numero beſtiæ nomen ponitur, generaliter quidem eſt agno contrarium, quo cuncta generaliter complecti dicimus. Sed in locutionis textu ſubtiliter conſiderandum eſt, quæ pars beſtiæ interſeratur. Aliquando enim Autor huius hiſtoriæ, vnius eiuſdemque vocabulo beſtiæ, diabolum: aliquando autem corpus
D eius, videlicet omnes infideles & reprobos : aliquando vero vnum ex capitibus eiuſdem beſtiæ, antichriſtum ſcilicet, quod quaſi occiſum reſurrexit, ſimulatione vtique, non veritate : aliquando quoque ſolos prædicatores eiuſdem peruerſi hominis atque miniſtros deſignet. Quod vtrumuis ſit, ex hac eadem Apocalypſi neceſſarium ducimus affirmare quia enim per huius beſtiæ nomen diabolus deſignetur, paulò inferiùs innuitur, cum de beſtia à reprobis adorata, dicitur : Adorauerunt beſtiam, dicentes: Quis ſimilis beſtiæ? & quis poterit pugnare cum ea? Et poſt paululum: Data eſt ei poteſtas in omnem tribũ & populum & linguam & gentem, & adorabunt eum omnes qui inhabitant terram. Nonne beſtia nomen fœminini generis poſitum fuerat ? & quid ſibi vult quod ſequitur, adorabunt eum? Cur non fœminini generis pronomen ſubiectum eſt nomini, ſed maſculini, niſi quia per hanc beſtiam (vt dictum eſt) plerumque diabolus deſignatur ? Et cum quælibet pars huius beſtiæ adorari dicitur, diabolos in ea ſine dubio adoratur : quia in omni-
E bus eius officiis, in omnibus eius partibus diabolus eſt qui eſt beſtia. Quia vero huius beſtiæ nomen corpus diaboli, omnes ſcilicet reprobos, figuret Angelica vox inferius indicat, quæ Ioanni dicit : *Veni ; & oſtendam* Apoc. 17. *tibi damnationem meretricis magnæ, quæ ſedet ſuper aquas multas.* Quid autem ſignificarent iſtæ aquæ, hoc ipſum illi exponens, ait : *Aquas quas vidiſti vbi meretrix ſedet, populi ſunt & gentes & linguæ.* Et ſi forte quæreremus, vtrum aquæ iſtæ populus & gentes & linguas deſignantes beſtia vocarentur : poſtquam hanc meretricem eidem ſuper aquas ſedentem Angelus oſten- Ibid. diſſet, ſecutus Ioannes expoſuit dicens : *Et vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam plenam nominibus blaſphemiæ, habentem capita ſeptem & cornua decem.* Quia ergo ſimul ſuper aquas, id eſt, ſuper populos & gentes & linguas & ſuper beſtiam meretrix ſedet, hoc eſt vtique beſtia, quod populi & gentes &
F linguæ. Rurſum, quia vnum ex capitibus huius beſtiæ & tota ipſa vocetur beſtia, locus ille indicat, quo cum dictum eſſet, & vnum de capitibus ſuis quaſi occiſum in mortem, & plaga mortis eius curata eſt : poſt paululum de ſecunda beſtia ſubinfertur. Et facit terram & inhabitantes in ea, adorare beſtiam primam cuius curata eſt plaga mortis. Rurſum, quia ſoli prædicatores atque miniſtri antichriſti, beſtia vocentur, idipſum locus ille inſinuat, quo per Ioannem dicitur : & vidi aliam beſtiam aſcendentem de terra, & habebat cornua duo ſimilia agni & loquebatur ſicut draco ; & poteſtatem prioris beſtiæ omnem faciebat in conſpectu eius. Sed quia iam oſtendimus quid hæc ſignificet beſtia, quibuſve modis accipiatur : videamus nunc quid eius ſeptem capita, quidve figurent decem cornua. Hoc vtique ſignificant ſeptem capita, quod omnis beſtia hoc omnis beſtia ſeptemque eius capita, quod decem cornua regnum videlicet diaboli, Chriſto Eccleſiæque contrarium : quia ſeptem & decem non numero ſunt, ſed
G ſignificatione vniuerſitatis regni terreni. Quia enim hoc ſit tota beſtia, quod ſeptem eius capita, locus ille declarat, quo cum meretricem ſuper beſtiam Angelus ſedere Ioanni oſtendiſſet, poſt paululum ſubdidit : Ibid. *Hic eſt ſenſus qui habet ſapientiam.* Septem capita ſeptem montes ſunt, ſuper quos mulier ſedet & reges ſeptem ſunt, & paulò poſt : *Aquas*, inquit, *quas vidiſti vbi meretrix ſedet, populi ſunt & gentes & linguæ.* Si ſuper beſtiam ſedet, quomodo ſuper capita ſeptem, quæ reges ſimul & montes dicuntur ? & ſi ſuper ſeptem capita, quomodo ſuper aquas ſedet ; quæ populi & gentes & linguæ vocantur ? niſi quia hoc eſt (vt diximus) omnis beſtia, quod ſeptem capita ; hoc etiam ſeptem capita, quod aquæ multæ, regnum videlicet huius ſeculi ; de qua adhuc beſtia voce Angelica dicitur Ioanni : *Beſtia quæ erat, & non eſt, & ipſa octaua eſt, & de* Ibid. Apoc. 13. *ſeptem eſt, & in interitum vadit.* Nonne ſuperius vnum caput tanquam occiſum in mortem dixerat reuixiſſe ? Nunc quid ſibi vult, quod hic non vnum caput ex ſeptem capitibus, ſed beſtiam vocat tanquam ex ſeptem beſtiis,
H niſi quia quæque loca beſtiæ tangit ? In ſeptenario numero, quo ſpiritus nequam ſignificatur in malum, totam beſtiam collocat, caput ergo tanquam occiſum, & ex ſeptem capitibus eſt ; id eſt ex beſtia ſeptenario numero deſignata, & octauo loco poſitum cum ſeptem capitibus eſt, tanquam pars nequior, numerum ſeptenarium excedens. Ac per hoc inuenimus quod ſupra non expoſueramus, hoc etiam vnum eſſe caput beſtiæ, quod ſeptem capita: quia ipſum caput ex ſeptem capitibus, capita ſeptem habere deſcribitur, ſuper quæ nomina blaſphemiæ ineſſe dicuntur : dum Chriſtum ſpernens, ſe vult haberi pro ipſo, & vt hoc eſſe ſeptem capita, quod decem cornua oſtendamus, Danielem ad medium deducamus : qui dum quartam beſtiam diceret decem cornibus fultam ; protinus adiunxit, dicens : *Conſiderabam cornua, & ecce* Dan. 7. *cornu aliud paruulum ortum eſt de medio eorum, & tria de cornibus prioribus euulſa ſunt à facie eius : & ecce oculi quaſi oculi hominis erant in cornu iſto, & os loquẽs ingentia.*

A Omne enim peccatum vndenarium eſt : quia dum per-
uerſa agit, præceptum Decalogi tranſcendit, & quia
in cilicio peccatum plangitur, hinc eſt quod in taber-
naculo vela cilicina vndecim fiunt. Hinc per vndeci-
Exod.36. mum Pſalmum dicitur : *Saluum me fac Domine, quo-
niam defecit ſanctus, quoniam diminutæ ſunt veritates
à filiis hominum.* Hinc Petrus in vndenario numero re-
Act. 1. manere Apoſtolos metuens, Matthiam duodecimum
ſorte miſſa requiſiuit. Niſi enim ſignificari culpam per
vndenarium cerneret, impleri Apoſtolorum numerum
tam feſtine duodenario non curaret. Quia ergo per vn-
denarium numerum tranſgreſſio exprimitur, huius be-
ſtiæ cornu vndecimo, ipſe Autor tranſgreſſionis indi-
catur. Quia videlicet paruulum oritur, quia purus
homo generatur. Sed in immane creſcit, quia vſque ad
coniunctam ſibi vim angelicæ fortitudinis proficit. Ec-
ce vt apertè videmus, quem Ioannes caput ex ſeptem
capitibus octauum futurum dicit, hunc Daniel cornu
paruulum de medio decem cornuum ortum, vndeci-
B mum ponit;& vt hi decem reges ad ſeptenarium nume-
rum redigerentur, & antichriſtus ex ipſis ortus, octauus
Dan.7. ſupponeretur, ſequitur Scriptura illa,& dicit : *Et tria de
cornibus prioribus euulſa ſunt à facie eius.* Dum enim tria
ex decem euelluntur, ſeptem vtique remanent, quibus
ille Autor tranſgreſſionis vndenarius, octauo loco ſub-
rogetur : manifeſtiſſime certè cognoſcimus hoc figu-
rare decem cornua, quod ſeptem capita, vniuerſum ſci-
licet regnum diaboli; & hanc beſtiam cum capitibus &
cornibus iam fuiſſe & eſſe & futuram eſſe non dubita-
mus quia vt ſæpè iam diximus,ſiue ſeptem capita,ſiue de-
cem cornua non numero, ſed ſignificatione vniuerſitatis
poſita videmus.

Quæ idcirco liquidius non explanamus, quia inferius
locis ea opportunioribus exponenda eſſe à nobis ſci-
mus. Nunc de qua abyſſo vel mari iſta beſtia aſcendat,
videamus : & vtrum generaliter tota beſtia, an pars
quædam ex ea aſcendat, conſideremus : ſuperius nam-
que præmiſimus, abyſſum vel mare aliquando inſcru-
C tabilia Dei iudicia, aliquando diuina eloquia, ali-
quando inferni profunda, aliquando figurari infidelium
corda, Chriſto Eccleſiæque contraria. Hoc autem in
locu abyſſi vel maris nomine, ſiue occulta Dei iudi-
cia, ſiue infidelium corda non inconuenienter accipi-
mus. Hanc verò beſtiam, in qua nunc diabolus, nunc
caput velut occiſum, id eſt, antichriſtus, nunc totum
diaboli corpus deſignatur, & ſingulatim in ſingulis
partibus, & generaliter in toto corpore de hac abyſſo
vigilanti ſtudio aſcendere peruidemus. Diabolus nam-
que qui eſt pars beſtiæ, de abyſſo aſcendit : quia pro-
pinquante nouiſſima perſecutione, occulto quidem,
ſed tamen iuſto Dei iudicio ex infidelium cordibus
prodiens, eoſque non deſerens, in quibus nunc reli-
gatus tabeſcit contra ipſum vitæ Autorem, eiuſque
Eccleſiam ſuperbiens eleuatur. De abyſſo aſcendit, quia
vnde diuinæ poteſtatis vinculis abſoluitur, inde in fa-
2.The.2. ſtum ſuperbiæ erigitur. De quo ſcriptum eſt : *Qui ad-*
D *uerſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur, aut quod
colitur Deus, ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe
tanquam ſit Deus.* De hac abyſſo caput veluti occi-
ſum, videlicet antichriſtus qui eſt pars beſtiæ, aſcen-
dit : quia ex profundiſſimo incredulitatis Iudæorum
populo purus homo generatur, Autorem tranſgreſſio-
nis ſuæ imitans, in tantam veſaniam erigitur, vt ſe
velit haberi pro Chriſto, execrans & deteſtans nu-
men redemptoris nomenque Eccleſiæ eius, ſicut de
illo in hac Apocalypſi dicitur : *Aperuit os ſuum in
blaſphemias ad Deum, ad blaſphemandum nomen eius,
& tabernaculum eius,& eos qui in cælo habitant.* Inde &
ipſe aſcendens, vnde diuinæ poteſtatis vinculis ad modi-
cum caret,& totum corpus diaboli,quod eſt omnis be-
ſtia, aſcendit, cum contra Deum & Eccleſiam ceruicem
ſuperbiæ extendit. Sequitur :

Et beſtia quam vidi, ſimilis erat pardo : & pedes eius ſicut vrſi, & os eius vt os leonis. E

Cum de hac beſtia præmiſſum ſit, quod ſeptem ca-
pita haberet, nunc quid ſibi vult, quod deſcripto cor-
pore eius, non ſeptem, ſed vnum habere eam os Au-
tor huius reuelationis dicit : niſi quia vt ſupra memi-
nimus, ſeptem non numero ſunt, ſed ſignificatione ?
Et hoc eſt omnis beſtia, quod ſeptem capita : hoc ſe-
ptem capita, quod vnum caput. Vel certè deſcripto cor-
pore beſtiæ, idcirco ſiluit de ſeptem capitibus, vt & in
ore leonis ſpecialiter antichriſtum deſignaret : & in be-
ſtiæ corpore, quæ ſine capitibus non eſt omnes repro-
bos figuraret. Sicque fit, vt idem homo peccati, filius
perditionis, ſeptenarium numerum excedens, Autor
tranſgreſſionis appareat. Hinc eſt etiam quod inferius F
de eo dicitur : Et vnum de capitibus ſuis quaſi occiſum
in mortem, cuius plaga mortis curata eſt. Quod vide-
licet caput, & vnum ex ſeptem eſſe, & octauum proba-
tur, cum de eo quaſi de tota beſtia dicitur : *Beſtia quæ* Apoc.17.
erat & non eſt, & ipſa octaua eſt, & ex ſeptem eſt. Et
quidem huius capitis corpus, vt ſuprà iam diximus, ap-
paruit, & nunc videtur, & futurum eſſe creditur. Ipſum
vero membrorum caput, quod necdum apparuit in ſe,
iam apparuit in ſuis. De quo ſcriptum eſt : *Datum eſt
ei os loquens magna & blaſphemias.* O quanti illius ten-
tationis tempora non viderunt, & tamen in eius tenta-
tionis procella verſantur. Cain tempus antichriſti non Gen.4.
vidit, & tamen membrum antichriſti per meritum fuit. Matt.26. Act. 8.
Iudas ſæuitiam perſecutionis illius ignorauit, & tamen
crudelitate eius auaritia ſuadente ſuccubuit. Simon di-
uiſus longè ab antichriſti tempore extitit & tamen eius
ſuperbiæ ſe,miraculorum potentiam peruerſe appetendo,
coniunxit. Sic iniquum corpus ſuo capiti, ſic membris
membra iunguntur, cum & cognitione ſe neſciunt,& ta- G
men praua ſibi actione copulantur. Neque enim Perga-
mus Balaam libros aut verba cognouerat, & tamen eius
nequitiam ſequens,voce ſupernæ increpationis audiebat :
Habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac Apoc.2.
mittere ſcandalum coram filiis Iſraël, edere & fornicari.
Thyatiræ quoque Eccleſiam ab Iezabel notitia, & tem-
pora & loca diuidebant:ſed quia eam par reatus aſtrinxe-
rat,ineſſe ei Iezabel dicitur,atque operibus peruerſis inſi-
ſtere,Angelo atteſtante qui ait:*Habeo aduerſus te,quia per-* Ibid.
*mittis mulierem Iezabel, quæ ſe dicit propheta̅m, docere &
ſeducere ſeruos meos,fornicari & manducare de idolothytis.*
Ecce quia reperiri potuerunt, qui Iezabel vitam reproba
actione ſecuti ſunt,Iezabel illic inuenta memoratur:quia
videlicet prauum corpus coniuncti mores vnum faciunt,
etiam ſi hoc loca & tempora ſcindunt. Vnde fit vt in per-
uerſis ſuis imitatoribus & iniquus quiſque maneat, qui
iam præteriit:& in ſuis operatoribus ipſe iniquorum au-
tor iam appareat,qui necdum venit. Hinc Ioannes in epi- H
ſtola ſua ait : *Omnis ſpiritus qui confitetur Ieſum Chriſtum* 1.Ioan.4.
*in carne veniſſe,ex Deo eſt : & omnis ſpiritus qui ſoluit Ie-
ſum Chriſtum, ex Deo non eſt. Et hic eſt antichriſtus, quem
audiſtis quoniam venit, & iam nunc in mundo eſt*, & ne
putaremus hoc non de membris eius, ſed de ipſo eorum
capite intelligi debere, in ipſa epiſtola alibi dicit : *Nunc* 1.Ioan.2.
antichriſti multi facti ſunt;ac ſi diceret:Iniqui omnes eum
imitando, quotidie membra eius fiunt, quæ ſcilicet per-
uerſe vel diuiſe edita, caput ſuum malè viuendo inuene-
runt.Hinc Paulus ait:*Vt reueletur in tempore ſuo,nam my-* 2.The.2.
ſterium iam operatur iniquitatis; tanquam diceret : Tunc
antichriſtus manifeſtus videbitur. Nam in cordibus ini-
quorum ſecreta ſua iam nunc occultus operatur. Nemo
ergo illa extremæ perſecutionis tempora quaſi ſola per-
horreſcat. Apud iniquos namque quotidie res antichriſti
agitur,quia in eorum cordibus (vt dictum eſt) * miniſte- * myſterium.
rium ſuum iam nunc occultus operatur. De cuius corpore
ipſoque corporis capite à Ioanne rectè nunc dicitur :
[*Et beſtia quam vidi,ſimilis erat pardo, & pedes eius ſicut*

A *vrſi, & os eius ſicut os leonis.*] Pardus etenim beſtia ſæua atque impatientiſſima, varietate cutis inuenitur diſcolor. Vrſus autem & ſpurciſſima eſt beſtia, & inſania cæca: quæ etiam dum irata ſæuit, quicquid arripere valuerit, prius pedibus conculcat, quam dentibus laniet. Leo vero cum ſit fortiſſimus beſtiarum, & ad nullius paueat occurſum, prædam tamen inſidiando præripit ſibi. Niſi enim inſidians prædam caperet,
Prou. 30. Pſal. 9. nequaquam Pſalmiſta antichriſtum aſſimilans leoni, diceret: *Inſidiatur vt rapiat pauperem.* Cuius etiam maximus terror in lingua eſſe demonſtratur, cum ad eius rugitum omnes beſtiæ pauere dicuntur, ſicut ſcriptum
Amos 3. eſt: *Leo rugiet, quis non timebit?* Et quid in varietate huius beſtiæ accipimus, niſi quicquid ad reproborum corpus pertinere ſcimus? Significatur etenim in ea diuerſitas gentium, numeroſitas hæreticorum, fictio hypocritarum, atque omnium actiones reproborum. Quia enim ex diuerſis gentibus hoc corpus extruitur, recte pardo ſimilis vocatur: & quia hæretici quilibet diuerſa
B quidem inter ſe ſentiunt, ſed vniti contra Eccleſiam inſaniunt, dignè ipſi pardo comparantur. Dum enim Arrius Patrem & Filium & Spiritum Sanctum non vnius eiuſdemque ſubſtantiæ eſſe, ſed Filium creaturam, Patréque minorem, Spiritum vero Sanctum & ipſam creaturam creaturæ, id eſt, à filio creatum dicit: dum Carpocrates Chriſtum hominem tantummodo, ex vtriuſque ſexu maris & fœminæ natum fuiſſe affirmat: dum hunc Photinus ex Maria Virgine initium ſumpſiſſe aſtruit: dum Apollinaris eundem ſaluatorem, carnem ſolam ſine anima ex eadem Beata Virgine aſſumpſiſſe docet: dum Eutyches veram hunc carnem habuiſſe denegat: dum Seleucius eundem ipſum & in carne ſedere ad dexteram patris abhorret, & baptiſmum reſpuit, & futuram reſurrectionem non credit: dum Donatus vbique Eccleſiam Dei diffuſam eſſe per orbem, non vult confiteri: dum Pelagius atque Cœleſtinus, ſine gratia Dei per liberum arbitrium nos poſſe implere
C mandata Dei docent: dum Saturninus ſolos Angelos ſeptem, ſine conſcientia Dei patris mundum feciſſe dicit: dum Patritius animas hominum non à Deo, ſed à diabolo factas aſtruit: dum Priſcillianus eaſdem animas, eiuſdem naturæ, eiuſdem ſubſtantiæ cuius eſt Deus, aſſeuerat: dum Origenes Angelos apoſtatas atque hómines reprobos, æterno ſupplicio deputatos, ad veniam reuerſuros docet: quid aliud in his eorum dogmatibus, atque innumeris prauæ hæreſeos Doctoribus, niſi (vt ita dixerim) varietatem huius beſtiæ intuemur? Et quia hæc de qua loquimur beſtia, cum ſit intrinſecus natura impatientiſſima, extrinſecus tamen varietate cutis ſuæ apparet pulchra, poteſt per eam non inconuenienter hypocritarum fictio deſignari, qui & hominibus ſe ſemper aſpicientibus, ex ſingulari actione forinſecus placent, & ex occulta ac nequiſſima intentione intrinſecus Deo diſplicent. Quia ergo & foris ex ſimulatis virtutibus pulchri, intus vero inueniuntur nequitia pleni, rectè pardo ſimiles eſſe dicuntur. Proprium
D enim eſt ſemper hypocritarum, vt quicquid boni egerint, ſemper hoc ante oculos humanos oſtendant: quicquid vero mali, ex voto abſcondant. Hinc eſt quod eos Dominus ſepulcris dealbatis comparat, quæ foris quidem apparent hominibus pulcra, intus autem plena ſunt oſſibus mortuorum & omni ſpurcitia. At con-
Matt. 23. tra de electorum Eccleſia per Pſalmiſtam dicitur: *Omnis*
Pſal. 44. *gloria eius, filiæ regum ab intus.* Hinc Paulus dixit: *Gloria*
2. Cor 1. *noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Hinc Domi-
Matth. 6. nus admonet, dicens: *Cum ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes: exterminant enim facies ſuas, vt pareant hominibus ieiunantes.* Formamque rectè ieiunantium exprimit, dicens:
Ibid. *Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, ſed patri tuo qui eſt in abſcondito: & pater tuus qui videt in abſcondito, reddet tibi.*
Ibid. Hinc iterum exhortatur, dicens: *Orantes, nolite multum loqui ſicut hypocritæ faciunt, qui amant in ſynagogis & angulis platearum ſtantes orare.* Quibus benè orandi formam ſubinfert, dicens: Tu autem cum oraue-
E ris, intra in cubiculum tuum: & clauſo oſtio, ora patrem tuum: & pater tuus qui videt in abſcondito, reddet tibi. Hinc rurſum dicit: *Cum facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt.* Formamque miſericor-
Ibid. diæ impendendæ exprimit, dicens: *Faciente te eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua.*

Sed ſit eleemoſyna tua in abſcondito: & pater tuus qui videt in abſcondito, reddet tibi. Sed cum Dominus ad diſ-
Matth. 5. cipulos dicat, *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt:* quid ſibi vult, quod illud hic facere prohibet, quod illic fieri iubet: niſi quod in his dictis colligimus, quia & iſti ad hoc opera ſua faciunt, vt gloriam propriam ex ipſis ab hominibus accipiant: & illi ad hoc opera ſua hominibus oſtendere iubentur, vt non ipſi per ea, ſed pater cœleſtis glorificetur. Quia vero huius beſtiæ varietas omnium actiones reproborum ſignificet, exponi neceſſitas
F nulla cogit, cum hoc ipſum prudens lector in ipſa peccantium diuerſitate colligere poſſit. Quaſi enim varia cutis in hoc corpore apparet, dum alium ſuperbia inflat, alium iactantia extollit, alium auaritia inflammat, alium inuidia dilaniat, alium ira exulcerat, alium luxuria fœdat, alium homicidia cruentant, alium periuria maculant: & cum vnus iſto, alius autem lædetur illo vitio, tamen quia propter reprobam vitam vnum corpus diaboli vterque fiunt, totum in ſui perniciem poſſidet vnus in altero, quod non habet in ſeipſo: ſicut è contrario ſancti atque electi, virtutes quas non habent in ſeipſis, per humilitatis atque charitatis coniunctionem, poſſident in aliis.

Quid autem in pedibus huius beſtiæ, vrſi pedibus aſſimilatis, qui & inſania cæcus, & malitia inuenitur ſæuus: niſi poteſtates huius ſæculi accipimus, quæ æternam Dei ſapientiam non intuentes, terreno amore cæcati, veſaniam patiuntur mentis: & fraternæ charitatis ac naturæ æqualitatis immemores, pede ſecularis potentiæ conculcare videntur pauperes & debiles, orphanos & viduas humiles &
G Dei ſeruos: Niſi enim vrſi vocabulo poteſtates ſeculi figurarentur, nequaquam Eliſeus pueros ſibi inſultantes in typum maledicens vrſis deuorandos tradidiſſet. Scriptum
4. Reg. 2. quippè eſt: *Cumque aſcenderet Eliſeus per viam, pueri parui egreſſi ſunt de ciuitate, & illudebant ei dicentes: Aſcende calue, aſcende calue. Qui cum reſpexiſſet, vidit eos, & maledixit eis in nomine Domini. Egreſſique ſunt duo vrſi de ſaltu, & lacerauerunt ex eis quadraginta & duos pueros.* Pueri etenim Hebræorum Eliſeum aſcendentem irrident, quia Iudæi ſaluatorem crucem ſubeuntem inſultant. Sed Eliſeo illis maledicente, duo vrſi de ſaltu egreſſi, quadraginta & duos ex eis lacerant: quia ſanguine eiuſdem redemptoris contra eos inclamante duo ſeculi principes Veſpaſianus ſcilicet & Titus, de gentium ſyluis egreſſi, poſt quadrageſimum & ſecundum paſſionis Domini annum, ipſam Iudaicam gentem peremerunt. Sed quia adiuuante Domino, quid corpus huius beſtiæ, quidve pedes eius ſignificent oſtendimus: nunc ſupereſt, vt de capite eiuſdem be-
Prou. 30. ſtiæ in ore leonis ſpecialiter oſtenſo, loquamur. Vt enim ſu-
H pra præmiſimus leo cum ſit fortiſſimus beſtiarum & ad nullius paueat occurſum, inſidias tamen tendit cum prædam ſibi præripit. Cuius etiam maximus terror in lingua oſtenditur, cum ad eius rugitum omnes beſtiæ pauere di-
Amos 3. cuntur, ſicut ſcriptum eſt: *Leo rugiet, quis non timebit?* Per quem videlicet rectè autor tranſgreſſionis, id eſt, Antichriſtus, deſignatur: qui & inaudita prædicans, & inaudita comminans, terret & fraude decipit, & vi ſæcularis
Pſal. 9. potentiæ premit. De quo per Pſalmiſtam dicitur: *Sub lingua eius labor & dolor, ſedet in inſidiis cum diuitibus in occultis.* Propter peruerſa etenim dogmata ſub lingua eius labor & dolor quia multo labore* a cordis dolore ſatagit, vt plurimos per falſam prædicationem decipere valeat. Sed quia quos verbis ſuadere non valet, miraculorum ſpecie ſeducere quærit, rectè in inſidiis ſedere dicitur. Et quia quos nec dogmatibus, nec ſpecie miraculorum decipere valet, potentia ſæculari conatur opprimere, bene cum diuitibus in occultis. Quia vero ſimul & miraculorum fraude, & terrena poteſtate vtitur, in occultis &

* ac

A cum diuitibus ſedere pethibetur. Non enim ſola tunc poteſtate ſæculi eleuatur nec ſola ſignorum oſtenſione fulcitur ſed poteſtate ſimul eleuatur, & miraculorum ſignis fulcitur. De quo rurſùm per eundem Pſalmiſtam dicitur : *Inſidiatur ſicut leo in cubili ſuo.* Ad apertam namque potentiam ſuffeciſſet vt leo eſſet , etiamſi inſidians non fuiſſet rurſumque ad occultas verſutias ſuffeciſſet vt inſidians fuiſſet , etiamſi leo non eſſet. Sed quia per hunc damnatum hominem antiquus adoerſarius in cunctis ſuis viribus efferatur, ſæuire per vtraque permittitur , vt contra electos in certamine poſitos & fraude, & virtute laxetur : virtute,per potentiam, fraude per ſigni. Rectè ergo & leo , & inſidians dicitur : inſidians,per miraculorum ſpeciem, leo per fortitudinem ſecularem. Vt enim eos qui apertè iniqui ſunt pertrahat, ſecularem potentiam oſtentat : vt verò etiam iuſtos fallat , ſignis ſanctitatem ſimulat. Illis enim ſuadet elatione

B magnitudinis, iſtos decipit oſtenſione ſanctitatis.Et quid mirum ſi contra homines valeat , qui etiam contra conditorem omnium ſe eleuat ? De quo per Danielem prophetam ſub antichriſti ſpecie dicitur : Vſque ad principem fortitudinis magnificatus eſt. Vſque ad principem enim fortitudinis magnificatur , quia contra ipſum Au-

Dan. 8. torem virtutis extollitur. Sed vnde ad tantæ fortitudinis potentiam eleuatur , niſi quia virtute ſatanæ roboratur ? Vnde rurſum per eundem Danielem prophetam dicitur :

Ibid. *Conſurget rex impudens facie, & intelligens propoſitiones : & roborabitur fortitudo eius, ſed non in viribus ſuis.* Illius namque peruerſi hominis fortitudo non in ſuis viribus roboratur : quia vt dictum eſt, ſatanæ virtute ad gloriam perditionis attolitur.Sequitur :

Et dedit illi draco virtutem ſuam & poteſtatem magnam.

C Cui dedit hanc virtutem vel hanc poteſtatem , niſi beſtiæ ? In qua parte beſtiæ , niſi in illo capite ore leonis deſignato , quod etiam inferius tanquam occiſum ſimulatè reuixiſſe dicitur ? Cunctis autem vera ſcientibus liquet , quia apoſtata ille ſpiritus gloriam quidem beatitudinis perdidit ſed naturæ fortitudinem non amiſit. Quam ſcilicet virtutem ei beſtiæ dare, eſt, per illum damnatum quem aſſumpſerit hominem, eandem exercere cum ſolutus fuerit. Quam etiam nunc habet ſed ea provt vult non vtitur , quia vinculis diuinæ poteſtatis retinetur. Quia enim damnatum illum hominem hæc ſatanæ virtus roborabit , quicquid nequiter cogitare valuerit , nequius ad tempora exercere valebit. Nec vlla ei erit difficultas peragendi malum , quia ille eum inhabitabit, qui per ſe omne malum adinuenit. Quid autem idem antiquus aduerſarius poteſtatem magnam habere dicitur , ita intelligendum eſt : Non quod ab ipſo ſit,

D ſed quod occulto Dei iudicio ad tempus illi collata. Quam poteſtatem tunc beſtiæ tradet cum per antichriſtum vbique ſuper gentes & regna eleuatus , contra bonos deſæuiet. De quo in hac ipſa Apocalypſi dicitur : Et datum eſt illi bellum facere cum ſanctis & vincere illos. Et data eſt ei poteſtas in omnem tribum & populum & linguam & gentem. Et quia vt ſæpè iam diximus , non ſolum potentia temporali opprimet, verumetiam ſignis & virtutibus plures decipiet , idcirco hæc poteſtas magna vocatur. Huic ſenſui Pau-

2.The.2. lus Apoſtolus concinit , dicens : *Tunc reuelabitur ille iniquus , quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui , & deſtruet illuſtratione aduentus ſui eum , cuius eſt aduentus ſecundum operationem ſatanæ , in omni virtute & ſignis & prodigiis mendacibus , & in omni ſeductione iniquitatis , in his qui pereunt.* Sequitur :

E *Et vidi vnum de capitibus ſuis quaſi occiſum in mortem , & plaga mortis eius curata eſt.*

Sic vnum hoc caput veluti occiſum vt ſæpè iam diximus ex ſeptem beſtiæ capitibus eſſe dicitur , vt & ex ſeptem ſit & tamen ipſum ſeptenarium numerum excedens , octauum inueniatur , habens & ipſum ſeptem capita : quia & ipſum caput in ſubſequentibus tota beſtia appellatur , cum dicitur : *Facit terram & inhabitantes in ea , adorare beſtiam primam , cuius curata eſt plaga mortis.* Frequenter autem diximus , quia in ſeptem huius beſtiæ capitibus vniuerſam ſecularis regni potentiam intelligimus. Sicut enim in bonum ſeptena-

F rius numerus propter ſeptiformem Spiritus Sancti gratiam , ſic plerumque in malum propter ſeptenariam immundi ſpiritus nequitiam accipitur. Et ſicut in bonum idem numerus vniuerſam Eccleſiam deſignat , ſic in malum totam malorum ſummam exprimit. Et hæc quidem capita ſeptem , vniuerſum ſcilicet ſæculi regnum , contra ſeptem Eccleſias , ſcilicet vniuerſalem Eccleſiam quæ regnum Dei eſt opponuntur. Et quia nunc antichriſtus in hoc ſeculi regno myſterium ſuum iam occultus operatur , Idcirco ex ſeptem beſtiæ capitibus eſſe pronuntiatur. Quia vero nouiſſimis ſæculi diebus manifeſtius apparens , ſuper hoc regnum eleuatur , propterea & ipſe tota eſſe beſtia deſcribitur , quæ ſine ſeptem capitibus eſſe non poteſt. Vnum ergo caput de ſeptem beſtiæ capitibus , antichriſtus eſt , ex vniuerſo potentatu ſæcularis regni, Chriſto Eccleſiæque contrarij. Quod videlicet caput quaſi occiſum , & plaga mortis eius curata fuiſſe aſſeritur : quia damnatus ille homo tanta tunc temeritate progreditur , vt ad illudendos

G animos paruulorum , imitatione veri capitis ſe quaſi occiſum reſurrexiſſe : & pro Chriſto qui hoc verè fecit , ſe ſuſcipiendum audeat exhibere. Et ne fortè veritas , & non potius illuſio putaretur , idcirco nequaquam affirmando dicitur : & vnum de capitibus ſuis occiſum in mortem , & plaga eius mortis curata eſt : ſed præmittitur quaſi aduerbium ſcilicet ſimilitudinis , vt per hoc (ſicut dictum eſt) apertè oſtendatur , non eſſe illud veritatis perfectionem ſed veri ſimilem fraudem.Quamquam illa particula non ſemper pro aduerbio ſimilitudinis ſed aliquando etiam pro affirmatione veritatis in Scriptura ponatur. Pro ſimilitudine enim ponitur ſicut Apoſtolus de ſe ac cæteris prædicatoribus di-

2.Cor.6. cit : *Quaſi triſtes , ſemper autem gaudentes.* Nam cum dicit , quaſi triſtes : ac deinde ſubiungit , ſemper autem gaudentes , oſtendit quia pars illa pro ſimilitudine illo in loco ponitur. Pro veritate autem eadem pars aduerbij

H ponitur , ſicut in Euangelio de Domino per Ioannem di-

Ioan.1. citur : *Vidimus gloriam eius , gloriam quaſi vnigeniti à patre , plenum gratiæ & veritatis.* Abſit autem vt hoc loco pro veritate illa particula orationis poneretur , & non magis pro veriſimili deceptionis fraude , maximè cum Apoſtolus de illo nequiſſimo homine hoc quod

2.The.2. præmiſimus dicat : Eum cuius eſt aduentus ſecundum operationem ſatanæ , in omni virtute & ſignis & prodigiis mendacibus,& in omni ſeductione iniquitatis, in his qui pereunt.Sequitur :

Et admirata eſt vniuerſa terra poſt beſtiam.

Nulli dubium , quin per terram hoc loco terreni figurentur. Quia vero (vt certum eſt) beſtiam iſtam quæ ex ſeptem capitibus octaua eſt , cuius etiam plaga mortis curata eſt terreni admirantes ſequuntur , antichriſtum ſcilicet , quem à mortuis reſurrexiſſe putant , beſtia illa cum ſeptem capitibus , nil aliud quam terrenos deſignat. Hoc nunc huius hiſtoriæ ſcriptor propter altitudi-

A nem diuini eloquij, honeſtatis ſuæ cauſa tranſlationem nominum faciens, poſt beſtiam admirantes ire denuntiat. Poterat enim dicere admirata eſt beſtia poſt beſtiam. Sed ſi feciſſet, textus ſcribentis honeſtatis ratione caruiſſet, cum tamen veritatis ſententia vſus fuiſſet. Quid ſit autem admirari vniuerſam terram poſt beſtiam ſequens verſus declarat quo dicitur:

Et adorauerunt draconem, qui dedit poteſtatem ſuam beſtiæ: & adorauerunt beſtiam dicentes: Quis ſimilis beſtiæ? & quis poterit pugnare cum ea?

Vnum eſt, vt ſi quis vel draconem adoret vel beſtiam: quia non ſeparatim draconem, nec ſeparatim beſtiam, ſed
B ſimul draconem adorent & beſtiam, cum in antichriſto tanquam in ſimulacro diabolum terreni adorant, qui ſuum & mediatoris ſui id eſt antichriſti, locum implet. Ita enim dicitur, [*Et adorauerunt draconem, qui dedit poteſtatem ſuam beſtiæ:*] tanquam diceretur, In eo draconem adorauerunt quo beſtiam illam, videlicet antichriſtum, non ſolum diuitiis & potentatibus, verumetiam ſignis & virtutibus ſuffultum eſſe Chriſtum putauerunt. Contemnenda fortaſſis talis beſtia fuiſſet, ſi ſolummodo ſeculari potentia, & non ſignis & virtutibus vallata fuiſſet, rurſumque deſpicienda fortaſſis eſſet, ſi ſolis ſimularis virtutibus & non etiam ſeculari potentia viſa fuiſſet. Ac cum & ſeculari potentia eleuata, & ſignis & prodigiis videatur fulta, quis non ſolum reproborum verum etiam electorum non trepidet, non à fundo cordis, quatiatur: Vnde & adorantes dicunt: *Quis ſimilis beſtiæ: & quis poterit pugnare cum ea?* Ac ſi dicerent: Etſi ſecularis gloriæ faſtus in ea deſpiciendus eſt, nunquid ſignis & virtutibus reſiſtendum eſt. Et quamquam errore decepti tamen verum dicunt iſti qui adorant hanc beſtiam: quia neque in ſeculari potentia, neque in miraculorum fraude, in retro actis temporibus ſimilis ei apparuit. Sed nec
C minus admiranda hæc beſtia in ſignorum fraude quam eſt in potentia ſeculari: nec plus metuenda in terrori comminatione, quam in falſa prædicatione. De qua nunc & bene ſequitur:

Et datum eſt ei os loquens magna & blaſphemias.

Abſolutè videlicet diaboli & antichriſti hoc loco perſonam introducens, cui datum eſt os loquens magna: quia diuino iuſtoque iudicio ad illudendos animos reproborum permittitur ei magna loqui. Magna vtique, non quia bona ſed quia inaudita, ſed quia terribilia. Quæ etiam di-
D gnè blaſphemias proferri in vocibus: quia & his nominibus titulatur in ſuis capitibus, vt omni videlicet ex parte damnatus ille homo, habitorque eius oſtendatur blaſphemus, ne quicquam eius deeſſe putetur exceſſibus. Vnde &
Apoc.17. rectè de hac beſtia inferius à Ioanne dicitur: *Vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam, plenam nominibus blaſphemiæ.* Tanquam diceret: Nulla ex parte in antichriſto à blaſphemiis locus vacat, quia & vocibus Chriſtum abnegans, ſe pro illo adorandum ingerit: & in hac pertinacia mentis perdurans, ſecundum duritiam ſuam & cor impœnitens vſque in finem perſeuerat. Si enim ab hac pertinacia reſipiſcens, Chriſtum fateretur verum Deum eſſe, quem ſeipſum affirmat, veniæ locus ei quodammodo pateret. Sed quia deſperans in ſemetipſum, ad pœnitentiam non recurrit, ac per hoc in ſpiritum etiam ſanctum per quem remiſſio peccatorum datur,
Matt.12. blaſphemiam intorquet, veniam peccatorum accipere non meretur; hinc Dominus in Euangelio ait: *Si quis dixerit blaſphemiam in filium hominis remittetur ei: qui autem dixerit blaſphemiam in Spiritum Sanctum, non dimittetur ei neque hic neque in futuro ſæculo.* Ac ſi diceret: Poſtquam me quiſquam abnegauerit: ſi ad confeſſionem veræ fidei atque ad pœnitentiam reuerſus fuerit, dimittetur ei. Si quis vero poſtquam me denegauerit, cor impœnitens vſque in finem geſſerit, atque E
deſperans ſemetipſum remiſſionem peccatorum, quæ per Spiritum Sanctum largitur, poſſe accipere dubitauerit incredulitque in hac parte extiterit, huic neque in præſenti, neque in futuro ſæculo remittetur. Ille etenim in Spiritum Sanctum blaſphemiam dicit, qui (vt dictum eſt) cor impœnitens gerens, remiſſionem peccatorum in Spiritu Sancto accipere ſe poſſe deſperat. De huius namque damnati hominis duritia cordis, iuſto electoque Iob à Domino dicitur: *Cor eius indurabitur quaſi lapis.* Cor enim eius vt lapis induratur; Iob.41.
quia nulla vnquam conuerſionis pœnitentia mollitur. Sequitur:

Et data eſt illis poteſtas facere menſibus quadraginta duobus.

Horum dierum numerus in quadraginta ac duobus menſibus comprehenſus, ſuperius quidem totum Eccleſiæ tempus deſignat, nunc vero nouiſſimæ perſecutionis aſperitatem ſpecialiter comprehendit. Sed ſciendum, quia quamquam præfatus numerus, quadragenarius ſ. ac ſecundus, nouiſſimæ perſecutionis tempus ſimpliciter ſignificare poſſe credatur: videtur tamen nobis, non ſine cauſa memoratum tempus, quod mille ducentorum quadraginta dierum vel trium temporum ac dimidij curriculis ſuperius comprehenſum fuerat, nec in quadraginta duobus menſibus, recapitulando complecti. Poterat enim huius hiſtoriæ ſcriptor, ſicut ſupra iam fecerat, eiuſdem temporis ſummam in tribus annis & ſex menſibus, vel in mille ducentis quadraginta diebus concludere, niſi aliquid nobis in quadragenario atque ſecundo numero ſubtiliter requirendum ille admoneret. Qui videlicet numerus ſi ſubtiliter intueatur & ipſam immanitatem vltimæ vexationis & contra eandem immanitatem ſanctorum firmitatem ſignifi-
care videtur. Niſi enim idem numerus ſæuitiam perſecu- 4.Reg.2.
tionis deſignaret, nequaquam Eliſeus Propheta inſultantes ſibi pueros in typum maledicens quadraginta & duos G
ex eis, vrſis lacerandos tradidiſſet. Quod tunc quidem in quadraginta duobus pueris geſtum, in tota Iudæorum gente ſignificauit gerendum. Nam poſt aſcenſionem redemptoris ad patrem, cui iidem Iudæi pendenti in ligno inſultabant, ſententia maledictionis ipſius aduerſus eos præualente, qui ad crucem pergens, filiabus Ieruſalem dixiſſe fertur: *Filiæ Ieruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper voſipſas flete & ſuper filios veſtros: quoniam ecce venient dies in quibus dicent: Beatæ ſteriles quæ non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus, cadite ſuper nos: & collibus, operite nos.* Hac inquam maledictionis ſententia aduerſus eos præualente, Veſpa-
ſianus & Titus tanquam duo vrſi de ſaltu egreſſi, eandem gentem vaſtauerunt: alios ſcilicet fame in obſidio- H
ne ciuitatis morti tradiderunt, alios apprehenſos peremerunt: alios in captiuitatem redigentes, propriis ſedibus expulerunt, ita vt gens illa nequaquam vltra in potentiam regni exurgeret. Hinc eſt enim quod idem populus Iſrael ſeruitutem Ægyptiam fugiens, fame ſitique in deſerto laborans, quo vſque ad repromiſſionis terram veniret, xl. & duas manſiones in itinere habuit. Sed quia hic numerus preſſuras & anguſtias, calamitates atque perſecutiones deſignat, videamus vtrumne firmitatem ſanctorum in certamine poſitorum figuret. Nam ſiue propter quatuor flumina paradiſi, ſcilicet quatuor Euangelia, ſiue propter quatuor virtutes legalem decalogum quater ducamus, in quo perfectionis eſt ſignum, quadragenarium numerum compleuimus: cui dum duo charitatis præcepta, in quibus tota lex pendet & prophetæ, adiicimus, quadragenarium ſecundum perficimus: quibus nouiſſimi atque eximij bellatores Eccleſiæ muniti contra fortes fortiores, contra robuſtos inueniuntur robuſtiores. Dicatur ergo de immaniſſima ac ſæuiſſima beſtia: *Data eſt illi poteſtas facere menſibus xl. duobus.* Ac ſi diceretur: Poteſtatem quidem iuſtè Deo permittente

A aduerſum ſanctos accipiet, ſed Idcirco inquantum vult
non præualebit: quia & ſi immaniſſime deſæuiet, tamen
contra robuſtos ac Dei præceptis munitos certamen In-
ibit. Sed ſi (vt diximus) inquantum vult non præualebit,
quid eſt quod poſt paululum de huius poteſtate ſubiun-
gitur, datum eſt illi bellum facere cum ſanctis & vincere
illos? Si ſanctos vincet, quomodo inquantum vult non
præualebit, maximè cum & de antechriſto Angelus Da-
Dan.8. niell dicat, & *proſperabitur & faciet & interficiet robuſtos*
Dan.7. *& populum ſanctorum ſecundum voluntatem ſuam*: vel
cum rurſum idem Daniel de eo loquatur, dicens: *Aſpi-
ciebam, & ecce cornu illud faciebat prælium aduerſus ſan-
ctos & præualebat eis*? Sciendum nobis eſt, quia & ad
aliquid contra ſanctos præualebit, & ad aliquid non præ-
ualebit: ſed nec nos diximus quia aduerſum eos non præ-
ualebit, ſed Inquantum vult non præualebit.

Præualebit namque aduerſus eos, & vincet eos, cum
B corporalibus pœnis morti eos carnis tradiderit. Non præ-
ualebit autem aduerſum eos, quia ad conſenſum ſuum ne-
quaquam pertrahet eos, quique tunc melius victores exi-
ſtunt, cum vinci putantur, vel certè in hac ſententia illi
vinci dicuntur, qui humana, & non diuina æſtimatione
ſancti eſſe videbantur. Sequitur:

Et aperuit os ſuum in blaſphemias ad Deum, blaſphemare nomen ipſius & tabernaculum eius, & eos qui in cælo habitant.

In quibus patenter datur intelligi, quia hæc beſtia
quæ nunc os ſuum aperire dicitur, iam antea blaſphe-
mantium ora aperuerat. Et quæ illa beſtia eſt, niſi oc-
cultus aduerſarius in antichriſto tanquam beſtia intra
C beſtiam latens? Quotquot autem blaſphemauerunt aut
blaſphemant, ille ſine dubio eorum ora aperit. Sed tunc
principaliter ſuum os aperit, cum corporaliter in illo
damnato homine habitare cœperit. Hoc etiam genus
locutionis in Euangelio quamquam diſſimiliter oſten-
ditur, dum de ſaluatore in monte cum diſcipulis ſe-
Matth.5. dente, dicitur: *Tunc aperuit os ſuum, & docebat eos*,
Ac ſi diceretur: Qui dudum aperuerat ora propheta-
rum, in præſentia carnis apparens, os ſuum aperuit:
ſed agnus hoc ad doctrinam, beſtia ad blaſphemias.
Vel certè quia nunc intra ſanctam Eccleſiam per mem-
bra ſua metu fidelis populi apertè non præſumens blaſ-
Pſal.62. phemare, os eius obſtruitur, Pſalmiſta dicente: *Obſtru-
ctum eſt os loquentium iniquitatem* in futurum os aperire
dicitur, quando damnatum illum hominem poſſidens,
ſeculari potentia contra Deum & Eccleſiam eleuatus,
Iſai.14. publicè auſus fuerit blaſphemare. Qui in tantam temeri-
tatem progreditur, vt qui initio Deo ſimilis eſſe concu-
D piuerat, nequaquam hoc ſolummodo iam contentus, Deo
eſſe æqualis deſpiciat.

2.Theſ.2. De quo per Apoſtolum dicitur: *Qui aduerſatur &
extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod coli-
tur*. Et quia ſuper ipſum creatorem omnium eleuari ni-
titur, deterior omnibus in illo blaſphemia inuenitur.
Quod eſt autem nomen Dei, quod tunc ille Ipſo ela-
tionis ore blaſphemat, niſi illud de quo per eundem
Phil.2. Apoſtolum filio à patre traditum dicitur: *Propter quod
& Deus illum exaltauit, & donauit illi nomen quod eſt
ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flecta-
tur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum: & omnis
lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in glo-
ria eſt Dei patris*? Tabernaculum vero Dei quod per
antichriſtum apoſtata ille ſpiritus dicitur blaſphemare,
caro eſt eiuſdem redemptoris noſtri. Ipſa enim ſpecia-
liter eſt tabernaculum Dei ipſa domus Dei, ipſa & tem-
plum Dei, In qua plenitudo inuenta eſt maieſtatis Dei.
Quam tunc diabolus blaſphemauit, cum ſe & illum
nec nominandum hominem, filium Dei, filiumque
hominis affirmare ſimulatis virtutibus sataget. Vnde
2.Theſ.2. rurſum per Paulum dicitur: *Ita vt in templo Dei ſe-
deat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus.* Quos vero alios
qui in cœlo habitare dicuntur, accipimus, niſi ſanctos
& electos Dei homines, ſiue qui iam Chriſtianitatis E
tempore præceſſerunt, ſiue qui nunc ſunt ſeu qui tunc
futuri ſunt? quique dum cœleſtia appetunt, dum
choris Angelicis per contemplationis exceſſum ſemet-
ipſos quotidie immiſcent, rectè in cœlo habitare pro-
nuntiantur. Hinc per Beatum Apoſtolum dicitur:
Noſtra conuerſatio in cælis eſt. Hinc rurſum admo- Phil.3.
net, dicens: *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſur-* Col.3.
*ſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſe-
dens.* Quos tunc homo ille peccati, filius perditionis,
maligno ſpiritu agitatus, in eo blaſphemat, quo
dum vult eos qui ſuperſunt, quaſi nouos Chriſtianos,
imo veteres antichriſtos facere, nec præualet: nullum
ante ſe in retro actis temporibus verum Chriſtianum,
ſed omnes antichriſtos fuiſſe affirmat. Et quia Deo iuſtè
permittente, contra ſanctos quos infideles iudicat, ad
tempus graſſari permittitur, rectè de huius beſtiæ per- F
ſona ſubiungitur:

Et datum eſt illi bellum facere cum ſanctis & vincere illos.

Hinc Daniel hoc quod ſupra protulimus, ait: *Aſpi-* Dan.7.
*ciebam, & ecce cornu illud faciebat bellum cum ſanctis:
& præualebat eis.* Et rurſum: *Sermones, ait, contra ex-
celſum loquetur, & ſanctos altiſſimi conteret, & tra-
dentur in manu eius vſque ad tempus & tempora & di-
midium temporis.* Quomodo autem aduerſum ſanctos
præualeat, aut quomodo eos hæc beſtia vincat, præ-
cedenti verſiculo breuiter comprehendimus. Vincet nam-
que ſanctos, occidendo corpora, non decipiendo ani-
mas. Sed ecce dum quilibet infirmi talia perpeti ſanctos
Deo permittente conſiderant, forte in querelam proſi- G
liunt, dicentes: Si Dominus ſanctos & electos ſuos di-
ligit, cur eos ita vehementiſſimè affligi permittit? Qui-
bus è contrario dicimus: *Quia ſi filij ſunt, idcirco fla-* Prou.3.
gellantur, quia à patre diliguntur, ſicut ſcriptum eſt:
Quem enim diligit Dominus, corripit. Flagellat autem om- Hebr.12.
nem filium quem recipit. Hinc prædicatori Laodicenſi di- Apoc.3.
citur: *Ego quos amo, arguo & caſtigo.* Nil ergo de preſ-
ſuris ſanctorum ab infirmis debet conqueri, cum in his
dictis per omnia ſciant eos à Domino diligi, qui pater-
no amore cognoſcuntur flagellari. Niſi enim flagellaren-
tur, minus diligerentur, imo nec diligerentur. Quamob-
rem in eo magis diliguntur, quo acrius affligi permit-
tuntur. Hinc Dominus in Euangelio ad diſcipulos ait:
Sicut dilexit me pater, ita & ego diligo vos. Pater etenim Ioan.15
filium dilexit, quem tamen in mundum venire ad paſ-
ſiones voluit: ita ergo & diſcipuli à Domino dili-
guntur, qui tamen ad tolerandas mundi perſecutio-
nes mittuntur. Et quid mirum, ſi Chriſtus poteſta-
tem reprobis contra ſanctos ad tempus tribuit, qui H
ſine peccato, quamdiu in hac vita conſiſtunt, eſſe
nullatenus poſſunt: ſi hanc ſuis perſecutoribus in ſe
exercendam ad momentum tradidit, qui ſine pecca-
to in mundum venit & vixit? De qua poteſtate in
filium Dei perſecutoribus tradita, Ipſe ad Pilatum ait:
Non haberes aduerſum me poteſtatem vllam niſi deſuper Ioan.18
datum tibi fuiſſet. Quam poteſtatem ſuper electos iuſtè
dominari veritatis ratione affirmat Dominus, dicens: Ioan.15
Mementote ſermonis mei quem ego dixi vobis, non eſt diſ- & 13.
*cipulus ſuper magiſtrum, neque Apoſtolus maior eo qui mi-
ſit illum. Si patrem familias Beelzebub vocauerunt, quan-
to magis domeſticos eius? Si me perſecuti ſunt, & vos per-* Matt.10
ſequentur. Conquieſcat ergo humana aduerſum Deum Ioan.15.
querela: laudemus potius irreprehenſibilia eius iudicia,
quibus & electos ſuos miſericorditer manibus tradit per-
ſequentium cruciandos, & reprobos contra bonos ſæui-
re permittit iratus: vt & iuſti tanquam filij cariſſimi hæ-
reditate paterna ditandi, nequaquam ſine diſciplina vi-
tiis inſoleſcant: & reprobi ad numerum filiorum Dei
non pertinentes, nullatenus incaſſum ad tempus affligan-
tur minimè corrigendi. Et reuera qui piè de Domino
ſentiunt, vtiliter ad tempus iram ſuperni iudicis, quæ ex

A vitio humanæ corruptionis accenditur, in ſanctos graſſari cognoſcunt: quatenus eo poſt in Iudicio placatum illum inueniant, quo in hac vita ſuper eos ira eius quæ diſplicebant vindicauit. Hinc eſt etiam quod B. Petrus Apoſtolus dicit: 1.Pet 4. *Tempus eſt vt incipiat iudicium de domo Dei.* Iudicium etenim de domo Dei incipit, quia hic miſericorditer Dei ira à ſanctis inchoat, vt in reprobis quandoque ſine miſericordia conquieſcat. Qui ſine dubio tanto tunc diſtrictius feriendi ſunt, quanto nunc in diſtrictæ diuinæ * pietatis vinculis relaxantur. * *poteſtatis.* Sequitur de illa beſtia:

Et data eſt ei poteſtas in omnem tribum & populum & linguam & gentem, & adorabunt eum omnes qui inhabitant terram, quorum non ſunt nomina ſcripta in libro vitæ agni, qui occiſus eſt ab origine mundi.

B Superius meminiſſe me recolo, ſic vnam eandemque beſtiam modo generaliter corpus diaboli, modo ſpecialiter antichriſtum deſignare: vt tamen caput corpori inhærens, in omnibus eius officiis, in omnibus eius partibus eſſe inſinuetur: quod hic certe manifeſtiſſime declaratur. Nam cum ſuperius in antichriſti perſonam Ioannes de terrenis dicat, & adorauerunt beſtiam, dicentes: *Quis ſimilis beſtiæ? & quis poterit pugnare cum ea?* & cætera quæ in eodem loco ſequuntur: nunc autem adiungat, & adorabunt eum, & non eam, maſculini ſcilicet generis, & non fœminini pronomen interſerens: aperte innuit, quia cum antichriſtus à ſubditis adoratur, diabolus in eo adoratur: & cum idem homo peccati poteſtatem diuinitus ſuper regna accipit, habitator vtique eius hanc in ipſo accipit. Hoc autem quod de hac beſtia dicitur, data eſt ei poteſtas in omnem tribum & populum C & linguam & gentem, duobus modis intelligi poteſt: ſcilicet quia aut recapitulando connexit, quod in præcedenti verſiculo iam dixerat, *Et datum eſt bellum illi facere cum ſanctis & vincere illos*, oſtendens in omni tribu & populo & lingua & gente ſanctos eſſe, contra quos temporaliter ipſa beſtia præualebit: aut certe quia iam de ſanctorum nece dixerat, nunc eos qui illi ſubiiciuntur, quibus & prout libitum fuerit damnabitur, ſubdendo manifeſtat. Et quia ex Iudæis & gentibus * exierunt qui certamen cum beſtia habebunt, id eſt, ſancti: & hi qui ei miſerabiliter ſuccumbent, hoc eſt, reprobi: in tribu & populo, Iudaïcam plebem: in linguis vero & gentibus, omnes gentium nationes deſignauit. * *& hi erunt.* Sed iam nunc videamus quo vocentur nomine, quibuſve meritis æternæ vitæ iudicentur indigni hi, qui antiquum aduerſarium in antichriſti ſimulatione dicuntur adorare. At namque: [*Et adorabunt eum omnes qui inhabitant terram, quorum non ſunt nomina ſcripta in libro vitæ agni, qui occiſus eſt ab ori-* D *gine mundi.*] Terram etenim inhabitant hi, qui ſolis terrenis inſeruiunt deſideriis: quorum nomina idcirco in libro vitæ agni non aſſumuntur, quia per meritum reprobationis in terra ſcribuntur. De quibus Ieremias dicit: Iere. 17. *Recedentes à te, in terra ſcribentur.* Recedentes enim in terra ſcribuntur, qui à cognitione diuina vel à mandatis eius extranei, inferni ſuppliciis mancipandi præſciuntur. Terra namque plerumque infernus vocatur, Iob atteſtante qui Domino ait: Iob. 10. *Dimitte me, vt plangam paululum dolorem meum, antequam vadam & non reuertar, ad terram tenebroſam & opertam mortis caligine, terram miſeriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.* De hac terra in qua reproborum nomina ſcribuntur, per Iezechielem Prophetam dicitur: Iezec. 32. *Ibi Helam & omnis multitudo eius per gyrum ſepulchri eius: omnes hi interfecti ruenteſque gladio, qui deſcenderunt incircumciſi ad vltimam terram.* Et vt oſtenderet, quid ſignificaret terra illa, poſt paululum de eiſdem reprobis ſubiecit & ait: *Dormient cum fortibus cadentibuſque & incircumciſis, qui deſcenderunt in infernum cum armis ſuis.* Quis eſt autem liber vitæ agni, in quo illorum nomina non merentur adſcribi, niſi vis quædam diuina, qua ante mundi conſtitutionem ad vitam æternam ſanctos prædeſtinauit futuros? Vnde & Apoſtolus dicit: Eph. 1. *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto, ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius in charitate; qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gratiæ ſuæ.* Hinc rurſum ait: Rom. 8. *Scimus quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti. Nam quos præſciuit & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filii ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iuſtificauit: quos autem iuſtificauit, illos & magnificauit.* Qui videlicet liber prædeſtinationis ſicut fixa æternitate electos tenet adſcriptos, ita nequaquam vlla ratione reprobos admittit ſcribendos. F Sed cur hoc? Si à me quæritur, citius reſpondeo, quia Deus ſumme bonus & clemens & iuſtus eſt. Clemens, quia gratis quoſdam ſaluat peccatores: iuſtus, quia propter meritum reprobationis non ſine iuſtitia damnat iniquos. Cuius profunditatem quæſtionis ſoluendam ingreſſus Apoſtolus, inter cætera de duobus geminis ait: Rom. 9. *Cum enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid egiſſent boni vel mali, vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, quia maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt, Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Gen. 25. Malac. 1. Rom. 9. Et vt iuſtitiam reprobantis demonſtraret, ſecutus ait: *Quid ergo dicemus? Nunquid iniquitas apud Deum?* Abſit. Vt vero miſericordiam ſimul qua gratis ſaluat quoſdam peccatores, & iuſtitiam qua iuſte damnat iniquos, oſtenderet: poſt paululum quaſi rationem reddens, ait: Ibid. *Ergo cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.* Quia autem præſciebat quoſdam de Dei ſaluantis gratia, & iuſtitia repellentis poſſe G conqueri, tanquam cogitationibus humanis occurrens obuiat, & dicit: Ibid. *Dicis itaque mihi, Quid adhuc quæritur? Voluntati enim eius quis reſiſtit? O homo, tu quis es qui reſpondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui ſe finxit, quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam?* Digne etenim quæreret homo, cur omnipotens Deus alios in libro vitæ ſcribit, alios vero ne ſcribantur repellit, ſi ex illa maſſa iniquitatis vnus natus, ſuo merito ſaluaretur homo. Nemo quippe vt diuina illum gratia ſubſequatur, prius aliquid contulit Deo. Vnde & Apoſtolus idem admirando dicit: Rom. 11. Pſal. 58. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Quis enim cognouit ſenſum Domini? Aut quis conſiliarius eius fuit? Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Nam ſi nos Deum bene operando præuenimus, vbi eſt quod propheta ait, miſericordia eius præueniet me? Sed quid nos bonæ operationis dedimus, vt eius gratiam mereremur? H Vbi eſt quod Paulus Apoſtolus dicit, Eph. 2. *Gratia ſalui facti eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt, non ex operibus?* Si noſtra dilectio Deum præuenit, vbi eſt quod Ioannes Apoſtolus dicit: 1. Ioan. 4. *Non quia nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos?* Vbi eſt etiam quod per Oſee Dominus dicit, Oſe. 14. *diligam eos ſpontaneè?* Si ſine eius munere noſtra virtute Deum ſequimur, vbi eſt quod per Euangelium veritas proteſtatur, dicens: Ioan. 15. *Sine me nihil poteſtis facere?* Vbi quod ait, Ioan. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum?* Vbi quod iterum dicit, Ioan. 15. *Non vos me elegiſtis, ſed ego vos elegi?* Si ſaltem dona bonorum operum virtute noſtra bene cogitando præuenimus, vbi quod rurſum per Paulum tam ſubtiliter dicitur, vt omnis de ſe humanæ mentis fiducia, ab ipſa cordis radice ſiccetur, cum ait: 2. Cor. 3. *Non quia ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt:* Nemo ergo Deum meritis præuenit, vt tenere eum quaſi debitorem poſſit: ſed miro modo æquus omnibus conditor, & quoſdam in libro vitæ ſcribendos præeligit, & quoſdam in ſuis reprobis moribus damnandos iuſte derelinquit.

A relinquit. Nec tamen electis ſuis pietatem ſine iuſtitia exhibet, quia hic eos duris affectionibus ſpremit: nec rurſum iuſtitiam in reprobos ſine miſericordia exercet, quia hic eos æquanimiter tolerat, quos quandoque in perpetuum damnat. Si ergo & electi præuenientem ſe gratiam ſequuntur, & reprobi iuxta quod merentur accipiunt: & de miſericordia inueniunt electi quod laudent, & de iuſtitia non habent reprobi quod accuſent. Notandum vero, quod agnus ille, in cuius vitæ libro reprobi non merentur ſcribi, ab origine mundi pronuntiatur occiſus. Et quis ille eſt, vtique exponi opus non eſt, quia omnibus fidelibus notus. Ille quippe eſt, de quo Ioannes Baptiſta proteſtatus eſt, dicens (Ioan. 1.): *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Et de quo per Iſaiam dicitur (Iſa. 53.): *Sicut agnus coram tondente ſe fuit ſine voce, ſic non aperuit os ſuum.* Quem etiam Ioannes Euangeliſta propter totius mundi ſacrificium atque ipſius innocentiam commendandam, frequenter in hac Apocalypſi inculcat. Quid idcirco ab origine mundi (Gen. 4.) B occiſus adſcribitur, quia aut agnus ille quem Abel obtulit, aut certe (vt verius) ipſe Abel innocens à fratre peremptus, eum præfigurauit. Toties enim agnus iſte occiditur, quoties in membris ſuis compatitur. Hinc eſt quod Saulo ſæuiſſimo lupo agnos vaſtanti, ab eodem ſingulari agno de cœlis dicitur (Act. 9.): *Saule Saule, quid me perſequeris.* Hic idem Paulus ex lupo agnus effectus, dicit (Col. 1.): *Compleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne mea.* Et iterum (Gal. 6.): *De cætero*, ait, *nemo mihi moleſtus ſit: ego enim ſtigmata* IESV *in corpore meo porto.* Sequitur:

Si quis habet aurem, audiat. Qui in captiuitatem duxerit, in captiuitatem vadet: & qui gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. Hic eſt patientia & fides ſanctorum.

C Quoties in hac reuelatione ea per Ioannem ſpiritus Sanctus dicit, quæ attentius audienda ſunt, ita vel ſubſequitur vel præmittit, aurem ſcilicet cordis requirit, quæ dicta ſpiritus intelligere poſſit. Audiamus ergo & nos ſollicitius, atque ante cordis percipiamus dicta ſpiritus, quibus ſanctos ad tolerandas exhortatur paſſiones. Facta etenim mentione illius poteſtatis, quam accepturus eſt draco & beſtia, id eſt, diabolus & antichriſtus, ſuper omnem tribum & populum & linguam & gentem, ne magni pendendum eius ruinoſi culminis momentaneum ſupercilium ſancti in tribulationibus æſtimarent, cogitationibus eorum occurrens, inſtruit dicens: [*Qui in captiuitatem duxerit, in captiuitatem vadet: & qui gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.*] Ac ſi diceret: Nolite terreri, nolite expaueſcere, nolite puſillanimes exiſtere, ſed eſtote fortes contra robuſtos: quia & hoc quod patimini, cito tranſit: & hi à quibus patimini, ſine tarditate vindictam recipient. Et quia diabolus eiuſque damnatus D homo vnum ſunt, vtraque perſona, idcirco indefinite dixit: qui in captiuitatem duxerit, & qui gladio occiderit: qui tunc quidem accepta ad tempus poteſtate, alios inſidiarum ſuarum fraude decipiens, in perpetuam captiuitatem, vtpote crudeliſſimus hoſtis, deducet: alios, aperta nequitia ſæuiens, Enoch etiam & Eliam cum ipſis gladio trucidabit: ſed aduentu protinus Dei filij ipſe æternæ captiuitatis vinculis redigendus, & morte perenni erit plectendus. De quo ſcriptum eſt (2. Theſ. 2.): *Tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus* IESVS *interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui.* Quia ergo nouiſſimi illi atque extremi martyres Chriſti, quanto multiplicitatem crudelitatis à perſequentibus ſuſtinent, tanto victoriam ſuam qui victi putantur, citius adfuturam attendunt, quam qui in ipſis paſſionibus poſiti patienter expectabant, bene nunc de his dicitur: [*Hic eſt patientia & fides ſanctorum.*] Ac ſi aperte diceretur: in eo patientia & fides ſanctorum inter preſſuras atque anguſtias conſtare videtur, quo triumphaturos ſe poſt paululum, ſi perſeuerauerint, de mortis principe ſciunt. Hinc Apoſtolus admonet, dicens (Iacob 5. 1. Theſ. 5.): *Patientes eſtote vſque ad aduentum Domini.* E Sequitur:

Et vidi aliam beſtiam aſcendentem de terra, & habebat cornua duo ſimilia agni, & loquebatur ſicut draco: & poteſtatem prioris beſtiæ omnem faciebat in conſpectu eius.

Priorem etenim beſtiam hoc loco in capite veluti occiſo intelligimus, id eſt, antichriſto: hanc vero ſequentem, ſicut ſupra meminimus, in præpoſitis atque prædicatoribus eiuſdem antichriſti, cum hoc totum generaliter vna ſit beſtia, quæ videlicet ſecunda beſtia, id eſt, pars beſtiæ, poſt illam priorem quæ de mari aſcenderat, de terra aſcendere dicitur: quia poſt antichriſtum multitudo prædicatorum illius ex terrena poteſtate gloriatur. De terra quippe aſcendere, eſt terrena gloria ſuperbire. F Quæ etiam beſtia habet duo cornua ſimilia agni, quia per hypocriſin ſanctitatis, eam in ſe Dominus veraciter habuit ſingularem, ſibi ineſſe & ſapientiam mentitur & vitam, innocentiam atque virtutem. Sed quia ſub agni ſpecie auditoribus reprobis ſerpentinum virus infundit, recte ſubiungitur: [*Et loquebatur ſicut draco.*] Si enim aperte vt draco loqueretur, agno ſimilis non apparere. Sed aſſumit agni ſpeciem, vt draconis exerceat operationem. Agnum fingit, vt agnum inuadat. De qua adhuc dicitur: [*Et poteſtatem prioris beſtiæ omnem faciebat in conſpectu eius.*] Illam poteſtatem hæc beſtia corã beſtia facit, quam draco priori beſtiæ aſcendenti de mari, in illo capite tanquam occiſo dederat. Et quam aliam poteſtatem, niſi quæ & vi premit, & fraude decipit? Quam videlicet poteſtatem in conſpectu beſtiæ beſtia facit, non quo prædicatores atque præpoſiti damnati illius hominis, ſemper coram oculis eius acceptam poteſtatem in populos exerceant, ſed quo dum prædicant & imperant, caput nequitiæ ſuæ ſibi G præferentes intantum honorant, vt quicquid agunt, coram ipſo ſe agere dicant, tanquam eum vt Deum latere nil poſſit, quem adorare & fraude & potentia compellunt. Omnia enim ſimulate agere contentabunt, quæ ſanctos veraciter egiſſe cognoſcimus. Nam Apoſtolus de ſe & cæteris prædicatoribus dicit (2. Cor. 2.): *Tanquam ex Deo coram Deo in Chriſto loquimur.* Et Elias ait (3. Reg. 17.): *Viuit Dominus in cuius conſpectu ſto.* Cum ergo prædicatores nequam in omne quod dicunt, in omne quod agunt, caput ſuum in malum ſibi præponunt, quaſi in conſpectu eius poteſtatem ipſius ſuper populos exercent. In tantum enim vtramque beſtiam apparet vnum eſſe corpus, atque vnius cultum nequitiæ exercere, vt etiam ſequentis beſtiæ ſimulatio illi priori hypocriſin beſtiæ aſſimilare videatur: vtpote quot ſunt membra, tot videantur antichriſti eſſe: & tanquam multi antichriſti vni antichriſto, imo diabolo in antichriſto militare certantur. Vnde & de hac ſequenti beſtia bene nunc ſubditur:

H *Et facit terram & inhabitantes in eas adorare beſtiam primam, cuius curata eſt plaga mortis.*

De ſequenti namque dicitur: Vidi aliam beſtiam aſcendentem de terra, & habebat cornua duo ſimilia agni. De priore vero dicitur, cuius curata eſt plaga mortis: quod vtrumque ad fraudis nequitiam & ſimulationem veræ fidei pertinere probatur. Quærendum vero nobis eſt, quid ſit quod hoc loco dicitur, facit terram & inhabitantes in ea, adorare beſtiam primam. Si enim hæc terra ſimpliciter accipienda eſt, habitantes vero in ea, terreni: quomodo terram compellit beſtia adorare beſtiam? Nunquid inſenſibilis hæc terra aut vult, aut nouit aliquem adorare? Si autem (vt verum eſt) terra hoc loco pro terrenis poſita eſt: quid ſibi volunt inhabitantes in ea alij terreni, qui ſimul beſtiam cum terra adorant? Aut nunquid non ſuffecerat dixiſſe, facit terram, aut facit inhabitantes terram, ado-

rare

A rare beſtiam ? Sed ſciendum nobis eſt, quia terra, pro terrenis corporibus: habitantes vero in terra, pro animabus dictum intelligi voluit: ac per hoc vim ſeductionis oſtendit, quæ & animam & corpus miſerabiliter mancipare ſibi compellit. Qui enim vi cadit non ſeductus, ſolo corpore captiuus eſt: qui autem ſeducitur, & corpore & mente captiuatur. Sed quomodo hæc beſtia, cuius plaga mortis curata eſt, prima eſſe dicitur, cum ex ſeptem beſtiæ capitibus vnum caput eſſe pronuntietur ? Dictum enim fuerat ſuperius, & vnum de capitibus, eiuſdem ſcilicet beſtiæ, tanquam occiſum in mortem, cuius plaga mortis curata eſt: nunc autem dicitur, facit terram & inhabitantes in ea, adorare beſtiam primam, cuius curata eſt plaga mortis. Quid in his intellecturi ſumus, niſi quia vt aperte nobis elucet, caput iſtud tanquam occiſum in illa beſtia, cum ſeptem capitibus primatum tenuit, & idcirco prima beſtia vocatur ? Nec immerito hoc vnum

B caput ex ſeptem beſtiæ capitibus, tota beſtia vocatur, quia corpus totum ad caput refertur. Fit etiam hoc loco propter altitudinem diuini eloquij honeſtatiſve cauſam, tranſlatio nominum. Beſtia ſcilicet illa cum capitibus, vocatur terra & inhabitantes in ea: caput vero eius, totum obtinet beſtiæ nomen: & cum terreni hanc beſtiam, cuius curata eſt plaga mortis, adorant, beſtia vtique illa cum capitibus illam adorat. Beſtia ergo cum duobus cornibus, quæ eſt pars beſtiæ, facit vt adoret beſtia beſtiam. Quia vero vt ſæpe iam diximus, cum hæc beſtia à terrenis adorari dicitur, diabolus in ea adoratur qui eſt beſtia: vtrum nam ita ſit, probabili ratione neceſſarium ducimus affirmare: intentumque volumus eſſe lectorem in his, quæ paterna traditione cupimus indagare. Paulo namque ſuperius in hac Apocalypſi legimus adoratum draconem, adoratam & beſtiam, cum ſolus draco adoretur à ſuis. Sed cur ſolus draco adoratur à ſuis, cum & beſtia adorari dicatur à terrenis: niſi quia non habet diabolus mediatorem inter ſe & ſuos, ſicut Deus inter ſe & Eccleſiam ſuam ? Vt quid autem non habet mediatorem

C inter ſe & ſuos, ſicut Deus inter ſe & Eccleſiam ſuam ? Vt quid autem non habet mediatorem antiquus hoſtis inter ſe & ſuos, cum cernatur Antichriſtos in medio poſitus, niſi quia non in veritate, ſed in ſola eſt ſimulatione, quod ſe dicunt homines adorare Chriſtum, qui mortuus eſt & reſurrexit? In qua ſcilicet ſimulatione illum adorant, qui hanc ipſam ſimulationem ſuis damnabiliter

2.Cor.11. adinuenit, id eſt, diabolum, de quo ſcriptum eſt: *Ipſe autem ſathanas transfigurat ſe velut angelum lucis*: Et quia non veritas, ſed ſimulatio veritatis eſt, idcirco mediator inter diabolum & eius corpus, nullus alius niſi ſimulatio veritatis eſt. Hac denique ſimulatione dicit beſtiam plagam gladij habere, & viuere in ſimilitudine vtique mediatoris noſtri Domini Ieſu Chriſti, qui clauis patibulo crucis affixus, lancea latere perfoſſus, poſt triduum reſurrexit. Tres ſiquidem, diabolus, beſtia velut occiſa, populus cum præpoſitis, tantummodo duo ſunt: quia non mediatorem veritatis, ſed ſimulationem habent veri mediatoris. Et reuera adorabunt terreni Antichriſtum, ſed

D tanquam Dei filium. In quo videlicet nomine quia non veritatem, ſed mendacium adorant, diabolum vtique adorant, qui ipſum mendacium reprobis adorandum

Ioan. 8. ſimulata veritate opponit. De quo ſcriptum eſt: *Qui loquitur mendacium, de proprio loquitur: quia mendax eſt, & pater eius.* Quamobrem vt aperte videmus, ſi quando beſtia adorari dicitur, quæ habet plagam gladij & vixit, diabolus ſine dubio oſtenditur. De quo Apoſtolus dicit:

2.Theſ.2. *Qui aduerſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus.* Idem ergo diabolus, qui & ſuum & mediatoris ſui locum implet, in beſtia intelligitur, qui ſe ſuis nequiter adorandum opponit, de imitatione furti ſimulata obumbratione vocabuli. Et quia prædicatores damnati illius hominis, vt plures ſeducant, non ſolum verbis ſuadebunt, ſed etiam miraculis (etſi falſis) coruſcabunt, recte de hac beſtia ſubditur:

Et fecit ſigna magna, vt etiam ignem faceret de cælo deſcendere in conſpectu hominum.

Hoc etiam de his Dominus (quod ſæpe protulimus)

Matt. teſtatur, dicens: *Tunc ſurgent pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi.* Interque admiranda atque ſtupenda ſigna & prodigia, hoc vnum prætulit, quod ignem de cælo deſcendere faciant. Et quid hic per cælum, niſi electorum Eccleſiam: quid vero per ignem, niſi Spiritus ſancti donũ accipimus, qui dudum in igneis linguis ſuper centum viginti homines deſcendiſſe legitur?

Act. Luc. De quo etiam Dominus ait: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt ardeat?* Beſtia ergo cum duobus cornibus ignem de cælo deſcendere facit in terram: quia prædicatores Antichriſti, falſa imitatione Eccleſiæ

F per impoſitionem manus dare ſe ſuis ſpiritumſanctum ſequacibus fingunt. Et quia hi quibus Apoſtoli ſpiritumſanctum dabant, ſtatim linguis loquebantur nouis; hoc etiam iſti per hypocriſin ſimulatæ veritatis faciunt, cum aut ex varietate gentium, aut ex fallentis inimici aſtutia, nouis ac plurimis linguis ſuos loqui faciunt ſequaces. Quod etiam inter cætera miracula præcipue credentium ſignum, Dominus quoque aſcenſurus ad patrem, com-

Marc. mendat, dicens: *Signa autem eos qui credituri ſunt, hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis*, &c. Hinc ergo vehementia ſeductionis oſtenditur, quo illud Spiritus ſancti donum beſtia habere vel dare putatur, quo Eccleſiam ſuam Dominus confirmans, eminere voluit ſuper omnia regna mundi. Nam cum multa nobiſcum videantur hæreſes habere communia; & hoc ſpecialiter donum ſola gloriatur ſe habere Chriſti Eccleſia. Hinc eſt quod magos Pharaonis ſimilia Moyſi ſigna facientes, Spiritus ſanctus legitur fruſtrauiſſe, cum in ſuis aſſumptionibus ſuccumbentes, vera victi confeſ-

Exod. Luc. 11 Matt. 1 ſione, dixiſſent: *Digitus Dei eſt hic.* Digitum autem Dei, Spiritum ſanctum appellari, Euangeliſtarum nos reuelatio docuit, cum vnus horum aſſerit Dominum dixiſſe: *In*

G *digito Dei eijcio dæmonia.* alter vero *in ſpiritu Dei.* Quocirca hinc (vt diximus) vehementia fraudis oſtenditur, vt illum habere aut dare Spiritum ſanctum miniſtri ſathanæ arbitrentur, quo reſiſtente, victrix Eccleſia contra aduerſarios ſuos, magorumque fraudulentias iam tunc in Moyſe erigi videbatur. Et nec mirum ſi illa beſtia, quæ duo cornua agni ſimilia, id eſt, virtutem atque innocentiam Dei filij, habere ſe ſimulat, hanc etiam ſancti Spiritus largitatem per fraudis nequitiam ſpecietenus ſibi vindicet, ſuiſque ſequacibus dare ſimulet. Sed cum terra ſuper quam iſte ignis de cælo deſcendit, nil aliud quam terrenos deſignet, quid eſt quod eundem ignem beſtia illa in terram in conſpectu hominum deſcendere facit ? Nunquid non terra homines ſignificat, niſi quia ſicut terræ nomine, reprobi terrenis voluptatibus dediti, beſtiæ ſignis decepti;

H ſic hoc in loco hominum vocabulo ſancti figurantur & electi, rationabiles vtique, Dei imaginem habentes? Quos vt illi miniſtri ſathanæ facilius decipere poſſint, coram ipſis Spiritum ſanctum dare ſe ſimulant: vt videlicet ex concupito eiuſdem Spiritus ſancti dono, ad ſuam eos perfidiam efficacius trahant. Sicut dudum Simon Magus per impoſitionem manus Apoſtolorum

Act. 8. Spiritum ſanctum dari conſpiciens, idcirco credidiſſe ac pecuniam eiſdem Apoſtolis obtuliſſe ſcitur, vt ſimilia illis facere poſſet. Vel certe ignem de cælo deſcendere facit, non in conſpectu ſpiritualium, ſed in conſpectu ipſorum quibus dari fingitur Spiritus ſanctus: qui non immerito homines vocantur, quia non diuina, ſed humana ſapiunt. Ipſi etenim terra, ipſi & homines digne appellantur. Verbi gratia, qui per hanc ſimulationem non oculos ſpiritaliũ, ſed carnalium ludificare probantur, ideò in conſpectu hominum hunc ignem de cælo deponere dicuntur. Poteſt autem hoc, quod iſta beſtia ignẽ de cælo deponere dicitur, & aliter intelligi. Quia enim electi quique nouiſſimis tribulationibus deprehenſi, eos qui

A prius fideles eſſe videbantur, ſignis & virtutibus à fide retrahi conſpiciunt, zelo feruoris accenſi, anathematis fulmine deceptores percutiunt, rectè de cœlo in terram ignis deſcendere dicitur. Quem ſine dubio ignem illa beſtia de cœlo deſcendere facit, quæ propter immanitatem ſeductionis ſuæ, ad nimium zeli feruorem ſanctos commouet. Ignem quippe de cœlo deſcendere, eſt, de cœleſtibus electorum animis zeli flammas emanare. Ac ſi ſpiritus Sanctus diceret: Intantum proficient ſigna beſtiæ atque prodigia, vt illa ſanctorum pectora patientiſſima zeli flammas accendant, quibus ipſi reprobi damnabiliter Apoc.11. concrementur. Vnde & in hac Apocalypſi longe ſuperius de ſanctis ac nouiſſimis prædicatoribus ſpecialiter dicitur: Si quis eos voluerit nocere, ignis exiet de ore illorum, & deuorabit inimicos eorum. Quod etiam figuraliter in illis duobus quinquagenariis factum fuiſſe cognouimus, qui cum proteruo ſpiritu inflati, vt ad iuſſionem perfidi regis Elias deſcenderet, inclamarent, ad B 4.Reg.1. vtrumque ait: *Si homo Dei ego ſum, deſcendat ignis de cœlo, & deuoret te & quinquaginta tuos. Et deſcendit ignis de cœlo, & deuorauit eos.* Quo videlicet in facto, ex ore Eliæ videtur nobis ignis deſcendiſſe, cum vt deſcenderet, ſolo verbo probatur feciſſe. Illique ignem eundem de cœlo deſcendere feciſſe credendi ſunt, qui hominem Dei ad zeli feruorem commouerunt. Quod tunc hiſtorialiter factum, ſignificauit ſpiritaliter gerendum, Apoſtolo dicen- 1.Cor.10. te: *Hæc autem omnia in figura contingebant illis.* Quia vero vltimi ac peruerſi illius hominis prædicatores, non tantum potentia ſæculari, quantum ſignis & prodigiis pene omnes decipient: rectè cum de hac beſtia dictum fuiſſet, fecit ſigna magna, vt etiam ignem faceret de de cœlo ruere in conſpectu hominum, apte mox ſubditur:

Et ſeduxit inhabitantes terram, propter ſigna quæ data ſunt illi facere in conſpectu beſtiæ, C *dicens habitantibus terram, vt faciant imaginem beſtiæ quæ habet plagam gladij, & vixit.*

Ac ſi apte diceretur: Hæc ſimulatio virtutum adeo præualuit, vt terreni ſeducti, imaginem beſtiæ facerent: tanquam non verbis, ſed ipſis hoc ſignis & virtutibus iidem prædicatores loquerentur. Hoc ſane in loco beſtiam quæ habet plagam gladij, & vixit, cui etiam imago ab illis prædicatoribus fieri iubetur, diabolum eſſe cognoſcimus. Quæ eſt autem imago eiuſdem beſtiæ, niſi illa ſimulatio, qua putatur antichriſtus vere eſſe Dei filius, cum ſit in eo diabolus idemque malignus in illa ſimulatione ſpiritus? Qui vero ſunt qui faciunt imaginem huius beſtiæ, niſi qui illam imitantur ſimulationem? Omnis enim imago ſimilitudinem prætendit eiuſdem rei, ad cuius ſimilitudinem aut formatur, aut ſculpitur, aut depingitur. Et re- D uera quanquam omnes iniqui pro eo quod diabolum imitantur, imago illius eſſe probentur: ſpecialiter tamen damnatus ille homo, quem corporaliter inhabitando aſſumet, illius imago eſſe cognoſcitur, in quo ſcilicet eius ſimilitudo plenius oſtenditur. Et nec mirum, ſi in eo expreſſius tanquam in filio imago Patris appareat, qui in omni tranſgreſſione diſſimilis diabolo non erit. Ad cuius Ioan.8. membra Saluator in Euangelio ait: *Vos ex patre diabolo eſtis,* Ac ſi in aliis verbis diceret, *Imago patris veſtri eſtis.* Ergo (vt dictum eſt) imaginem beſtiæ, quæ habet plagam gladij & vixit, facere terrenis, eſt ad ſimilitudinem illius imaginis ſe ipſos informare, id eſt ſimulationem illam colendo ac venerando imitari, qua putatur antichriſtus vere Dei eſſe filius, ac reſurrexiſſe à mortuis, cum ſit in eo autor mortis, ac malignorum ſpirituum princeps. De qua adhuc ſimulatione ſubditur:

E *Et datum eſt illi, vt daret ſpiritum imagini beſtiæ, & vt loquatur imago beſtiæ, & facit vt quicumque non adorauerint imaginem beſtiæ, occidantur.*

Cui datum eſt, niſi beſtiæ cum duobus cornibus, quæ eſt pars beſtiæ, prædicatoribus videlicet antichriſti? A quo illi datum eſt, niſi ab eo cuius iuſto iudicio, id eſt Deo ſumme bono fieri permiſſum eſt? Quid illi datum eſt, niſi hoc quod præmiſſum eſt, vt daret ſpiritum imagini beſtiæ, & vt loquatur imago beſtiæ? Quomodo autem intelligendum eſt dare illi ſpiritum niſi quia ſiue prædicationibus, ſeu ſignis & miraculis ſuadere hominibus conatur, ſpiritu prophetiæ plenum eſſe antichriſtum, cum conſtet eum repletum eſſe ſpiritu dæmoniorum? Sic F enim dicitur, *Datum eſt illi, vt daret ſpiritum imagini* Pſal.67. *beſtiæ*: tanquam diceretur, permiſſum eſt illi ſiue prauis Pſal.55. dogmatibus, ſeu ſignis & miraculis intantum ad tempus eminere, vt illa de antichriſto teſtimonium perhibente, credatur à terrenis quod vere ſit ſpiritu Sancto plenus? Vſus enim ſcripturæ eſt, ita ſæpiſſime loqui, vt eſt illud *Date honorem Deo*: & rurſum, *& exaltemus nomen eius* 1.Cor.12. *in inuicem.* Et ne putarent homines falſum eſſe, quod etiam verbis ſignis & miraculis ſuaderent habere ſpiritum prophetiæ beſtiam illam, ſubiecit pene ineuitabilem ſeductionis fraudem, & ait: *Et vt imago beſtiæ loquere-* Gen.3. *tur.* Ac ſi diceret: Intantum beſtiæ illius ſeductio præualuit, vt quod verbis ſimul & miraculis prædicat, operibus oſtendat: vt ſcilicet imago illa quæ putatur ſpiritu prophetiæ plena maligno agente ſpiritu, conſulentibus ſibi reddat reſponſa. Non enim dubium, quin diabolus per damnatum illum quem aſſumpſerit hominem, tunc reſpondeat ſuis, qui olim per ſimulacra muta & ſurda loquebatur cultoribus ſuis, qui etiam ſeducendo homini G ore ſerpentis allocutus eſt Euam. O quanta ſunt hæc, qualia ſunt hæc? Quid hic ad deceptionis laqueum non eſt, præparatum? Quid ſeductionis armis videtur minus expreſſum? Ecce prædicationum dogmata, ecce miraculorum ſigna. Ecce tanquam ex ſpiritu prophetiæ ad omnia parata reſponſa. Quis iſta videns non trepidet? Quis talia conſiderans, non à fundo cordis contremiſcat? Quis etiam hæc contemnens, à perfidis ſententiam mortis non accipiat? Vnde hic quoque enarratis tot tantiſque inſidiarum portentis, cum in calce locutionis de hac beſtia Ioannes dixiſſet, & datum eſt illi vt daret ſpiritum imagini beſtiæ & vt loquatur imago beſtiæ, ſubiecit dicens: Et facit vt quicunque non adorauerint imaginem beſtiæ, occidantur. Sequitur:

Et faciet omnes puſillos & magnos, & diuites & pauperes, & liberos & ſeruos, habere H *characterem in dextera manu aut in frontibus ſuis.*

Quia igitur ſunt nonnulli, qui hæc quæ præmiſſa ſunt, cum ea aut legunt, aut audiunt, ad literam accipere volunt, id eſt, aut imaginem beſtiæ, aut ignem de cœlo delapſum: dicant, quæſumus, quam ſimilitudinem imago illa habebit: beſtiæ cum ſeptem capitibus, an hominis? Certe ipſi etiam paruuli ſciunt, quod beſtia illi antichriſtum maligno ſpiritu repletum deſignet: nulluſque eorum ignorat, eundem antichriſtum hominem eſſe peccati filium perditionis. Si ergo dixerint, quia imago illa ſpeciem hominis prætendat, quam in antichriſti honorem terreni dicuntur adorare: quia & hoc poſt paululum dictum recognoſcunt, cum de numero eiuſdem beſtiæ ſubditur: Qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ, numerus enim hominis eſt: reſpondemus, Cur ergo non hominis imaginem, ſed beſtiæ iidem terreni fingere dicuntur? Si vero dixerint, idcirco quia be-

A ſtia illa antichriſtum ſpecialiter eiuſque habitatorem ſig-
nificat: nos econtra dicimus, quia ſicut illa beſtia figura-
liter diabolum & antichriſtum deſignat, ſic imago illa
non corporalem ſpeciem, ſed ſpiritalem demonſtrat. Hoc
autem propter paruulos tantum dixerim, quos ad ſpirita-
lem intellectum perducere quæro. Sicut igitur illa quæ
modo præmiſimus, ad literam accipi non poſſunt, ſic nec
iſta quæ de charactere ſequuntur. Videamus ergo qui ſint
puſilli & magni, diuites & pauperes, liberi & ſerui, atque
ipſum characterem quo ſignari dicuntur. Non enim hic
de bonis, ſed de reprobis hominibus mentio fit, ex qui-
bus totum diaboli corpus extruitur. Ipſi ſunt etiam illa
beſtia generalis, cum ſeptem capitibus præmiſſa. Sed ſin-
gulos voluit per membra diuidere, quos ſæpiſſime in vno
complectitur corpore, & in beſtiæ nomine. Puſillos in
malum eos accipimus, qui & ſi perfectam nocendi ma-
litiam habent, tamen effectum perficiendi vt cupiunt, ha-
bere non valent. Magni ſunt hi, qui ad omne quod vo-
B luerint ſcelus prorumpere, vt nequiter cogitauerint, ne-
quius implere valent. Diuites ſunt, qui & terrenis diui-
tiis ſuffulti, & ſuperbiæ ſpiritu inueniuntur inflati, quibus
Iacob. 5. per Iacobum Apoſtolum dicitur: *Agite nunc diuites, plo-
rate vlulantes in miſeriis quæ aduenerunt vobis.* Pauperes
ſunt hi, qui non tantum terrenis diuitiis, quantum virtu-
tibus inopes videntur: qui etiam cum ſint pauperes, di-
uites ſe eſſe iactant virtutibus. Ad quorum perſonam in
Apoc. 3. hac Apocalypſi voce Angelica dicitur: *Dicis quia diues
ſum & locupletatus, & nullius egeo, & neſcis quia tu es
miſer & miſerabilis & pauper & cæcus & nudus.* Liberi
ſunt & ſerui, hi qui ſub peccati iugo degentes, nequa-
quam iuſtitiæ colla mentis ſubmittunt. De talibus nam-
que iam ſancti fuerant effecti, quibus beatus Apoſtolus
Rom. 6. dicebat: *Cum enim ſerui eſſetis peccati, liberi fuiſtis iuſti-
tiæ.* Qui videlicet ſimul ad beſtiæ characterem, ſignan-
di accurrunt. Et quid per characterem, niſi notam cri-
minis debemus accipere? Sed cum ſemper reprobis ſini-
ſtra congruat, electis vero dextra: mirandum valde, quo-
C modo hoc loco in dextra manu iidem reprobi characte-
rem accipere dicantur, cum non poſſint habere dextram
hi, qui characterem beſtiæ ſuſcipere videntur? Et quid
per manum dexteram, niſi operatio virtutum, quæ nihil
habet commune cum reproba actione? Quid vero per
frontem, niſi fidei profeſſio debet intelligi. Quamobrem
ſubaudiendum nobis eſt, quia vbi debuerant habere dex-
teram reprobi, puramque & ſine reprehenſione frontem,
ibi inueniuntur nota criminis deturbati. Quia ergo vtro-
que bono, id eſt, virtutum operatione ac fidei profeſſione
tales inueniuntur fraudati, recte vtrobique nota criminis
narrantur characterizari. Hoc deniq; ſignum & intra Ec-
cleſiam in manu, & extra Eccleſiam in frontibus nunc
ferre aſpicimus: extra Eccleſiam ſcilicet in frontibus Iu-
dæos, qui Chriſti fidem abnegantes, antichriſtum expe-
Ioan. 5. ctant pro eo ſuſcipiendum, ipſo Domino dicente: *Ego ve-
ni in nomine Patris mei, & non ſuſcepiſtis me: alius autem
veniet in nomine ſuo, & hunc ſuſcipietis.*

D Intra Eccleſiam vero ab his in manu geſtatur, qui fi-
dem verbotenus habent, ſed opera fidei non habent. De
Tit. 1. talibus enim Apoſtolus dicit: *Confitentur ſe noſſe Deum,
1. Ioan. 4. factis autem negant.* Si enim vt Ioannes in ſua epiſtola
dicit, iam nunc Antichriſtus in mundo eſt, ſine dubio &
hoc ſignum in membris eius impreſſum eſt. Proprie au-
tem atque ſpecialiter nouiſſimis illis diebus, quibus
2. Theſ. 2. manifeſte idem homo peccati, qui nunc occulte in
ſuis myſterium iam operatur iniquitatis, apparuerit:
characterem in manu dextera aut in frontibus, repro-
bos habere, eſt, eundem ipſum reproba fide, ac re-
proba ſequi actione. Cur autem hoc ſignum per ſuos
prædicatores terrenis imponat, ſequens verſus indicat
quo dicitur:

E *Ne quis poſſit emere aut vendere, niſi qui
habet characterem aut nomen beſtiæ, aut
numerum nominis eius.*

Quaſi quoddam negotium faciunt, qui prædicatio-
nem prærogant, & à populis fidem reportant. Fidem
impartiunt, & eorum ſanctam protinus vitam ſumunt.
Si enim iuſtorum prædicatio negocium non fuiſſet, pro-
fecto Pſalmiſta non diceret: *Sumite pſalmum, & date* Pſal. 80.
tympanum. In tympano etenim corium ſiccatur, vt ſonet.
Quid eſt ergo dicere, *ſumite pſalmum, & date tympanum:*
niſi, accipite ſpiritale canticum cordis, & reddite tem-
poralem macerationem corporis? Si ſuperna prædicatio
negotium non fuiſſet, nequaquam ſub typo fortis mu-
lieris Salomon de ſancta Eccleſia diceret: *Sindonem fecit* Prou. 31.
& vendidit, & cingulum tradidit chananæo.

Quid ſignatur linteo ſindonis, niſi ſubtilis intextio F
ſanctæ prædicationis, in qua molliter quieſcitur, quia
mens in illa fidelium ſpe ſuperna refouetur. Vnde & Pe- Act. 10.
tro animalia in linteo demonſtrantur: quia peccatorum
animæ miſericorditer aggregatæ, in blanda fidei quiete
continentur. Hanc ergo ſindonem Eccleſia fecit & ven-
didit, quia fidem quam credendo texuerat, loquendo
dedit, & ab infidelibus vitam rectæ conuerſationis ac-
cepit. Quæ & chananæo cingulum tradidit: quia per
vigorem demonſtratæ iuſtitiæ, fluxa gentilitatis aſtrinxit.

Vt ergo hanc negotiationem peruerſi tunc illi præ-
dicatores auferant, omnes reprobos Antichriſti ſigno
depingunt: vt non iam veri negotiatores, ſed (vt ita dixe-
rim) quidam appareant mangones. Multis enim præſti-
giis ſatagent prædicationem & fidem Eccleſiæ, quæ vſque
ad tempus illud quaſi quædam mercatio celebrata eſt,
auferre: omneſque ſic vnius prædicationis & fidei ſigno
cenſeri, ſicut mercatores qui vna videntur naue portari, G
vniformi cognoſcuntur ſigno teneri. Sic namque dicitur:
[*Ne quis poſſit emere aut vendere, niſi qui habuerit chara-
cterem beſtiæ.*] Tanquam diceretur: Vt nemo iſtas tunc
merces aut dare poſſit, aut accipere, quibus nunc fideles
charactere Chriſti ſignari, mercari videntur: ſed illas
quas in tempore illo miniſtri ſathanæ offerunt & acci-
piunt, Antichriſti ſigno cenſeri. Quod vtique præuale-
bunt in ſuis: ſed nunquid in noſtris? abſit. Non enim
iſta mercatio ceſſabit inter noſtros, quia ad beſtiæ cha-
racterem nullus electorum accurret. Ad illas namque
nundinas illi negotiatores eximij atque extremi Enoch
& Elias occurrent, qui in tantum merces Eccleſiæ præ-
claras oſtendent, vt non ſolum Chriſtianæ fidei dediti,
verumetiam ipſi eas concupiſcant, qui ſigno beſtiæ vi-
debantur cenſeri, Domino de vno eorum dicente: *Elias* Matt. 17.
veniet, & ipſe reſtituet omnia. Et quia prout Domino
largiente potuimus, quid ſignificet character beſtiæ, di-
ximus: nunc ſupereſt, vt etiam figuram eius exprima- H
mus, quodve ſit nomen beſtiæ, numeruſque nominis
eius, ſubtiliter requiramus. Sed cum ſimilitudinem cha-
racteris expreſſerimus, prudentem lectorem admone-
mus: ne hunc ſecundum literam aut in manu, aut in
frontibus poni exiſtimet: ſed ex eodem charactere forin-
ſecus expreſſo, intelligat quæ ſit nota criminis, reprobo-
rum animabus interius depicta. Et quidem ſuperius ſo-
lum characterem poſuerat: nunc vero per ſynonyma, &
caracterem & nomen beſtiæ numerumque nominis eius
iterando inculcat: vnumque eſſe, qui habuerit aut ca-
racterem beſtiæ, aut nomen eius, aut numerum eius,
oſtendit. Et quia valde ad intelligendum hæc quæ deſcri-
bebat, obſcura cernebat, dedit ſignum per quod & ca-
racterem & nomen beſtiæ lector intelligere poſſet. Deni-
que exhortando ſubiungit, dicens:

Qui

A


Qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ. Numerus enim hominis eſt, & numerus eius ſexcenti ſexaginta ſex.

Et reuera quaſi indicium dedit quo poſſint hæc ad intelligendum penetrari. Sed adhuc nobis nimium obſcura cernuntur, quia intellectus ille (vt cupimus) nobis ineſſe non videtur. Oremus ergo neceſſe eſt datorem intellectus, ac gemitibus cordis dicamus: *Da mihi intellectum Domine.* Obſecro mi Domine IESV, dator prudentiæ, qui das & oon improperas: obſecro inquam, dic interiori homini meo: *Intellectum dabo tibi, & inſtruam te.* Et ecce dum orans loquor, præſentiam tui adeſſe cognoſco, qui etiam inuocantes te, pia munera largiturus præoccupans, dicis: *Antequam me inuocauerint, dicam, ecce adſum.* Quæ ergo à te mihi elucent, perducam neceſſe eſt ad cognitionem lucis. Age nunc, faciamus numerum: quem dixit Ioannes accipi, vt in numeru nomen etiam cognoſcamus & characterem: ac primum ponamus characterem, deinde nomen: ad extremum, numerum nominis, ipſumque numerum in nomine requiramus, quod vtique in ea lingua faciendum eſſe cognoſcamus, in qua prius hæc Apocalypſis initium ſumpſit: in Græca ſcilicet in qua præter Euangelium Mathæi & epiſtolam Pauli ad Hebræos, nouum teſtamentum initium dediſſe nullum dubium eſt.

Pſal. 118.
Pſal. 31.
Iſa. 65. fortaſſis.
B

Quia enim hæc reuelatio Græca locutione ſit edita atque conſcripta, ipſe Ioannes autor eiuſdem hiſtoriæ indicat, qui Angelum in perſona Chriſti dicentem ſecundum idioma eiuſdem linguæ introducit, dicens: *Ego ſum α & ω.* Characterem ſane ex minio ſcribendum cenſemus, nomen autem ſimiliter rubeo colore. Numerum vero nominis, nigro ſuper ipſum nomen exprimere ſcriptorē admonemus. Et quia his qui græcas literas ignorāt, conſulimus, ipſum etiam characterem & nomen latinis literis ſequenti loco ſcribimus. Eſt autem character in hunc modum expreſſus, vbi compendio totum Chriſti nomen includitur.

Apoc. 1. & 22.
C



Nomen - i l ccc v xl lxx cc - Antemos. vero eſt - α ν τ ε μ ο ς -

Numerus autem nominis eſt, ſexcenti ſexaginta ſex. Quem numerum vt ſieri decreuimus, ſecundum quod Græci per characteres ſuos ſcribunt numeros & lectitant, ſuper ipſum nomen affiximus. Sed quid prodeſt inueniſſe characterem, inueniſſe nomen beſtiæ, numerumque nominis eius: niſi quid ipſum nomen interpretatum in noſtra lingua ſignificet, indagemus? Niſi enim interpretatio nominis appareat, character poſitus, vtpote Chriſti nomen, nil mali oſtendit. Præmiſſis namque in quatuor voluit autor huius hiſtoriæ, ſimulationibus partis aduerſæ, quibus ſibi indebitum deitatis nomen diabolus nititur vſurpare, in charactere ſcilicet quo Chriſti nomen exprimitur, vt oſtenderet antichriſtum ipſo honore contrarium, admonuit per numerum nomen quærere, atque ex nomine qualitatem meritorum agnoſcere. Nomen autem per numerum inuentum, id eſt, *antemos*, in noſtra lingua interpretatum, honori contrarius, ſonat. Nec immerito: Nam & antichriſtus Chriſto contrarius interpretatur. Ac ſi ipſa interpretatio nominis loqueretur, dicens: Honori qui ſolum competit Chriſto, in eo contrarius, quo docetur ineptus, importunus, incongruus. Neque enim honor ei, ſed anathema conuenit. Quamobrem per numerum nomen, & ex nomine ſupputatus numerus inuenitur: atque ipſius interpretatione nominis, qualitas meritorum agnoſcitur. Eſt autem adhuc aliud nomen, imo Græcum verbum, quod eiuſdem numeri complectitur - i c l lxx cccc xl v - arnoume. Qui ſimul ſummā, id eſt, - α ρ ν ο υ μ ε - ducti, faciunt ſexcentos ſexaginta ſex. Interpretatio autem eiuſdem intelligitur, nego. Sed nec mirum quod hoc vocabulo dignus iudicetur antichriſtus, id eſt, negationis, cum Domino Ieſu Chriſto nomen congruat credulitatis, ipſo dicente: *Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum, qui me miſit:* Itemque, *Creditis in Deum? & in me credite,* ac per hoc, ſiue honori contrarius, quod eſt *antemus*: ſiue nego, quod eſt *arnoume*: digne ad antichriſti perſonam poteſt vtrumque referri, vtpote per duas partes orationis, nominis ſcilicet ac verbi, & perſonæ qualitas, & operis inſinuetur aſperitas. Eſt quoque adhuc aliud nomen, græca latinaque conſuetudine apud poëtas huius ſæculi vſurpatum, apud vulgi vero multitudinem pene ignotum. Quod ſi græcis literis quibus ipſi numeros ſcribunt, exaretur, ipſo ſexcenteſimus ſextus numerus impleri vi-ccc vx ccc l l-Titā, vero dicitur detur. Eſt enim nomen - v ι ι ν α ι - ſol. Et reuera non abſurdum habet intellectum, vt damnatus ille homo tunc ſolem ſe iuſtitiæ aſſerat, ac lucem veram quæ illuminat omnem hominem veniētem in hunc mundum: cum ſit in eo apoſtata Angelus, trāſfigurans ſe in Angelum lucis, ſuadens hominibus ſe lucem veram profiteri, quos vult à luce iuſtitiæ ſeparare. Nam etſi latine proferamus qualiter ille homo peccati, fraudulēter lucem ſe vocare ſuadeat, in ipſis etiam latinis literis hūc nu - d i c l v x - Nam apud nos merum inuenimus hoc modo: - d i c l v x - n, quingentos, i. vnum: c, centum: l, quinquaginta: v, quinque: x, decem perficiunt. Qui ſimul ducti, ſexcentos ſexagintaſex conſūmant. Et quia latino ſermone hūc numerum etiam nomine in latino inuenimus, poſſumus adhuc eundem numerum, ſi per literas græcas ſcribatur, Gothico nomine reperire hoc - iii v l cc viii cxxx lxx cc - genſericus. Qui ſimul modo. - γ ι ν σ η ρ ι κ ο ς - ducti, faciunt ſexcentos ſexaginta ſex. Interpretatio autem nominis eſt eiuſdem, gentium ſeductor, in eo Chriſto contrarium, quo ille ſeductor, iſte vero dicitur gentium ſaluator. Siue ergo hoc, ſiue illo modo, ſiue in Græca, ſiue in Latina, ſiue in Gothica lingua hic numerus accipiatur, non incongrue ad antichriſti perſonam refertur. Sed eſt adhuc quod de eodem numero ſubtili inueſtigatione penſemus, vt plura de eo offerentes, lectori plenius ſatisfaciamus. Dicatur ergo. Numerus eius ſexcenti ſexaginta ſex. Senarius quippe numerus apud ſecularem ſcientiam ideo perfectus eſt, quia primus in numeris completur partibus ſuis, id eſt, ſexta ſui parte, tertia & dimidia, quæ ſunt vnum & duo & tria: quæ in ſummam ducta, ſex faciunt: nec alius ante ſenarium numerum reperitur, qui ſuis partibus dum diuiditur, tota eius ſumma compleatur: quique dum à ſexta ſui parte, id eſt, ab vno in denarium, à tertia autem in vicenarium, à dimidia vero multiplicatus, in tricenarium ſurgit, quaſi quadratum denarium reddit. Sed vt ſolidetur ruſum, à ſexta ſui parte, quæ in denarium ſurgit, ad centenarium peruenit: ſicque in ſuis partibus multiplicatus, ſexcentos conſummat. Sed quia cuncta hæc per Sacræ ſcripturæ celſitudinem proficiendo tranſcendimus, ibi ſenarium, ibi denarium, ibi ſexagenarium, ibi centenarium, vnde ſit perfectus, inuenimus. In ſcriptura etenim ſacra numerus ſenarius ideo perfectus eſt, quia in mundi origine Dominus ea quæ primo die cœpit, ſexto die opere impleuit, cum hominem propter quem cuncta creauerat, ad imaginem ſuam fecit. Denarius numerus in eo perfectus eſt, quia lex in decem præceptis concluditur. Omnis culpa non amplius quam per decem verba cohibetur: atque enarrante veritate, operarores vineæ denario remunerantur. Sexagenarius in eo perfectus eſt, quia omnia quæ in ſex diebus operantur, eiuſdem decalogi mandatis concluduntur: atque euangelico proteſtante eloquio, *terra bona fructum ſexageſimum reddit.* Centenarius in eo perfectus eſt, quia dum decalogi mandata decies multiplicata comprehendit, omnem operationis ſummam concludit. Niſi enim centenarius numerus perfectionem deſignaret, nequaquam Dominus ad diſcipulos diceret: *Omnis qui reliquerit domum vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum: centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Quia ergo primus homo ſexta die conditus, vitæ præcepta contemnens, humanum genus à lege conditoris excluſerat: ſed ne ſine lege periret, diuina eum pietas decalogi mandatis adſtrinxit, recte à ſexta parte ſenarij, vnus ad decem peruenit. Et quia eadem

D
E
Ioan. 6.
Ioan. 14.
Ioan. 1.
2. Cor. 11.
F
G
Gen. 1.
H
Matt. 20.
Matt. 13.
Matt. 19.

A præcepta ſex diebus quibus operari licet,ita peraguntur, vt etiam ſaluatore in ſexta mundi ætate apparente ac legem mandatorum in decretis euacuante,nequaquam aboleri,ſed impleri præcipiantur:bene idem denarius ſexies multiplicatus,ſexaginta perficit.Quia autem ipſa decalogi mandata quidam tranſcendentes, in perfectionis culmen eriguntur:iure idem denarius numerus decies multiplicatus, ad centenarium pertingit. Quia vero ſiue elementis mundi viſibilibus in ſex diebus peractis, ſiue decalogi mandatis ſex diebus peragendis, ſeu perfectioni laboris finis creditur imponendus : digne idem numerus centenarius ſexies multiplicatus,ad ſexcentos peruenit.Quæ cum ita ſint,non inconuenienter exiſtimamus,vt idem ſenarius numerus ſuis partibus multiplicatus , omnē tempus vitæ præſentis quod ſex mundi ætatibus peragitur, ſignificando præcurrens : nouiſſimum etiam tempus, quo finis expectatur adfuturus, ſpecialiter deſignet , & vt initia ſibi cum fine concordari videantur,adiicitur ad ſexcentos ſexaginta,idem ſenarius:& fiunt ſexcenti ſexagintaſex.Nam
B & nomen Chriſti , quod per hypocriſin ſanctitatis antichriſtus nititur vſurpare, prope illum dierum perficit numerum,quem in perſecutione eiuſdē antichriſti hæc Apocalypſis ſæpius pronuntiat affuturum, id eſt, dierum mille ducentorum viginti- dc c x cc ccc v x - Chriſti. In cuius quinque, hoc modo:- χ ρ ι σ τ ι ε - ſpecie fraudulenter ſe opponit aduerſitas , in charactere ſcilicet ſuperius



expreſſo, vbi compendio totum Chriſti nomen includitur.Quia ergo homo ille peccati, filius perditionis,Chriſtum ſe ſe eſſe fallaciter nouiſſimis ſæculi diebus affirmat, tanquam ipſe ſit conditor omnium,quæ in ſex diebus peracta voluntur, ſeque α & ω, principium & finem, & Deum ſcilicet ante ſæcula , & hominem in fine ſæculorum mentitur : recte numerus beſtiæ per intellectum computatus ſexcenteſimos ſexageſimusſextus, omne tempus vitæ præſentis comprehendens , & diabolicæ fraudis
C nequitiam , & finalem ſæculi terminum oſtendit. Verum quia ſolutus quoque numerus nominis, præfatam rurſum dierum mille ducentorum viginti quinque perficit ſummam , non debemus eſſe ad indagandum pigri , maxime cum aptus ſit idem ſenſus huic expoſitioni. In quadragenario etenim atque ſenario numero , inſinuatam nobis meminimus dominici corporis formam , quam pro primi Adam erroribus corrigendis , ſecundus Adam Chriſtus de beata Virgine ſuſcepit. Propter quod in Euange-
Ioan. 2. lio ait : *Soluito templum hoc , & in tribus diebus excitabo illud.* Et reſpondentibus Iudæis , *quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum hoc,& tu in tribus diebus excitabis illud ?* Quod euangeliſta exponens, ait : *Hoc autem dicebat de templo corporis ſui.* In quibus ſcilicet verbis & errantes non errabant , quia hoc quod de templo terreno æſtimabant , de corpore Chriſti prophetabant. Nec immerito. Nomen quippe Adam literis Græcis exaratum , ſecundum quod ipſi numeros computant , quadra-
D genarium & ſenarium complet hoc modo.
i iiij l xl-Adam.qui faciunt quadraginta ſex.Si autem ipſe α δ α μ quoq; numerus fuerit ſolutus,& per ſemetipſum ſicut Latinè dicitur,Græcis literis ſcriptus & ductus,id eſt, quadraginta ſex , illum profecto numerum complet hoc mo- xx lxx cccc i iiij c i iij x l ccc i cc v lx - Quadragindo:- κ ο υ α δ ρ α γ ι ν τ α σ ι ξ - taſex, qui ſimul ducti , faciunt mille ducentos vigintiquinque. Ecce etenim tempus illud, quod ſuperius in charactere expreſſum oſtendimus, nunc ſoluti nominis digeſta ſeries, eiuſdem numeri ſumma demonſtrat concludi. Quamobrem dum ſibi vtraque conueniunt,non inanis ſed certi cauſam myſterij indubitanter oſtendunt. Hinc eſt enim quod de
2. Theſ. 2. ſimulatione antichriſti Apoſtolus ait:*Ita vt in templo Dei ſedeat,oſtendens ſe tanquam ſit Deus.*Vt videlicet ſicut falſa agni occiſi imitatione ac rerum ſimilium , quæ ſupra meminimus, ſic etiam in templum ſe Dei arte, non veritate transfiguret.

Poſſunt quidem de hoc numero plura etiam intellectui apta proferri, ſed iam iſta debent ſufficere. Inter hæc autem quæſtio animum pulſat , quomodo vera ſit expoſitio hæc,quam modo protulimus, cum dies mille ducenti viginti quinque in charactere comprehenſi,à tribus annis & ſex menſibus qui in perſecutione antichriſti ſpecialiter ac ſæpius deſcribuntur,duos & quinquaginta dies minus habere videantur. Quam quæſtionem niſi enodauerimus, irridendus potius erit,quam ſuſcipiendus,præmiſſæ expoſitionis ſenſus. Sed ſciendum nobis eſt , quia præfatum perſecutionis tēpus nec vno ſemper modo, nec ſub vnius eiuſdemque numeri definitione , Sacra ſcriptura ponere conſueuit. Nam & in hac Apocalypſi de muliere quidem parturiente dicunt:*Data ſunt mulieri duæ alæ aquilæ magnæ,vt volaret in deſertum in locū ſuum,vbi alatur per tēpus & tempora & dimidium temporis,à facie ſerpētis.*Rurſumq; Apo
idem tempus recapitulando complectitur. cum de dracone & beſtia dicitur : *Data eſt ei poteſtas facere menſibus quadraginta duobus.* Superius vero eiuſdem temporis numerus ita terminatur:*Et dabo duobus teſtibus meis,& prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta.*Et certe quadraginta & duo menſes,id eſt,tempus & tempora & dimidiū tempus, decem & ſeptem dies ſuper mille ducentos ſexaginta,habere videntur. Sed nec in iſta tantum Apocalypſi eiuſdem temporis numerus variatur , cum in Danielis viſione idipſum fieri reperiatur. Nam cum Angelus qui eidem prophetæ viſionem oſtendebat, de nouiſſimis tribulationibus diceret : *Veniet tempus quale non fuit, ab eo ex* Dan
quo gentes eſſe cœperunt ſuper terram, vſq; ad tempus illud, &c.atque idem beatus interrogaret Daniel,vſque quo finis horum mirabilium, ſecutus Angelus expoſuit, dicens: *Quia in tempus temporum, & cum completa fuerit diſperſio manus populi ſancti,complebuntur vniuerſa hæc:*tempus ſcilicet temporum, vnum & duos annos ſignificans , qui faciunt dies mille nonagintaquinque. Quod rurſum tempus exprimit, dicens : *A tempore cum ablatum fuerit iuge* Ibid.
ſacrificium,& poſita fuerit abominatio in deſolatione,diebus mille ducentis nonaginta : Rurſumque hoc ipſum tempus concludit, dicens:*Beatus qui expectat & peruenit ad dies* Ibid.
C *mille trecentos trigintaquinque.* De cuius expreſſione temporis alibi ait , cum ſanctos in manu antichriſti ipſo in tempore tradi denunti c:*Sermones contra excelſum loque-* Dan
*tur,& ſanctos altiſſimi conteret , & tradentur in manu eius vſq; ad tempus & tempora & dimidium temporis,*id eſt,tribus annis & ſex menſibus,qui faciunt dies mille ducentos ſeptuaginta & ſeptem.Ecce etenim vno in loco dies mille nonagintaquinque,alio autē mille trecētos trigintaquinq; alias vero mille ducentos ſeptuaginta,poſitos inuenimus, qui eiuſdem temporis ſignificant quantitatem. Quæ cum ita ſint,non abſurde in charactere, quo dies mille ducenti vigintiquinque continentur, eiuſdem temporis quantitatem expreſſam fuiſſe diximus, per quam fraus & nequitia illius hominis peruerſi oſtenderetur. Nam & in Græco ccc v cc cc v c i xx lxx l ccc i v lx-teſſera conta hex,id eſt, τ ε σ σ ε ρ α κ ο ν τ α ε ξ - quadragintaſex ; per ſuos characteres ſcriptum , ſpecialibus numeris ſi aſſumetur , ab ipſius ſignificatione temporis non elongat. Facit enim mille trecentos decem & ſeptem.Sed quid ſibi vult,
D quod hic numerus circa ipſius ſignificationem temporis ita variatur,niſi quia per hoc factum & diei iudicij ac ſecundi aduentus notitia in ipſis etiam nouiſſimis ſæculi diebus poſitis hominibus denegatur,& deuotis lectoribus exercitium pij laboris miniſtratur.Inquirentibus denique diſcipulis ac dicentibus,*Domine,ſi in tempore hoc reſtitues* Act.
regnum Iſraël ? Reſpondit , *Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta quæ pater poſuit in ſua poteſtate* , hinc pendant, hinc erubeſcant, qui ſex mundi ætates ſexies ſenis millibus computantes , nouiſſimum tempus ſua temeritate ſcire ſe iactant , ſi etiam in ipſo fine poſitis hæc cognitio denegatur. Non enim ſex millia annorum ſcriptura computare nos docet,ſed ex mundi ætatibus omne tempus vitæ præſentis concludi. Prima etenim ſæculi ætas , duorum millium ac quadragintaduorum annorum curriculis euoluta cognoſcitur.Sexta autem ac nouiſſima eſt, quæ nunc agitur, quæ quanto temporis ſpatio proteletur , ignoramus. Et quidem ſigna quæ à Domino in Euangelio de fine ſæculi prædicta ſunt completa iam cer-

[A] nimus : ſed quantum adhuc ipſius temporis finis in longum protrahatur, neſcimus. At contra qui dicunt cum finiti fuerint ſex mille anni, tunc erit conſummatio : quid aliud agunt, quam contra Domioum interdicta tempora ſe ſcire iactant? Sed abſit à fidelium cordibus, vt hoc ſe ſcire aut dicant aut cupiant, quod Dominus etiam Angelos latere voluit. Sequitur:

[Apoc.14.] *Et vidi, & ecce agnus ſtabat ſupra montem Sion, & cum illo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen eius & nomen Patris eius ſcriptum in frontibus ſuis.*

Nunc vſque triſtia exponebamus, ſed Deo gratias, quia ad læta enodanda tranſiuimus. [B] Hinc ergo læta procedat oratio, hinc iucunda proueniat expoſitio. Quid autem accipimus per montem Sion, qui interpretatus ſpeculam ſonat : niſi ſanctam Eccleſiam, quæ & ventura mala cauenda denuntiat, & bona æterna, indeſinenter ſpeculari contendit? Quia enim Sion Eccleſiam deſignet, teſtatur [Pſal.86.] Pſalmiſta, dicens: *Mater Sion dicet homo, & homo factus eſt* [Pſal.124.] *in ea, & ipſe fundauit eam altiſſimus.* De qua rurſum per eundem Pſalmiſtam dicitur *Qui confidunt in Domino ſicut mons Sion, non commouebitur in æternum, qui habitat in Ieruſalem.* Ipſa eſt ergo Sion, quæ & Ieruſalem, ſancta videlicet electorum Eccleſia. Quis vero iſte agnus ſit, exponi neceſſe non eſt, ſed dici opus eſt. Ipſe vtique eſt, qui in veſpera dici pro ſalute mundi immolatus eſt. De quo à nobis pro amoris eius magnitudine, Ioannis voce ſæpiſſime [Ioan.1.] dictum eſt: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* [Iſa.53.] Et de quo alibi ſcriptum eſt : *Oblatus eſt, quia ipſe voluit: & peccata noſtra ipſe portabit.* Qui autem ſignificantur per hunc numerum ſacratum, niſi (vt ex conſequentibus ag- [C] noſcimus) carne & anima virgines Chriſti? Qui videlicet numerus tanquam finitus pro infinito debet intelligi, & ſacratus ſecreti ſignificatione myſterij. Centenarius etenim numerus in diuina ſcriptura, ſemper perfectus oſtenditur. Vnde & à Saluatore in Euangelio de iactis ſeminibus di- [Luc.8.] citur : *Aliud cecidit in terram bonam, & ortum, fecit fructum centuplum.* Quod ſcilicet iuxta paternam traditionem, ad Virginum pertinere probatur profeſſionem. Rur- [Luc.15.] ſumque Phariſæis parabolam proponens, ait : *Quis ex vobis homo qui habet centum oues, & ſi perdiderit vnam ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem in deſerto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inueniat?* & illud, quod ſupra po- [Matt.19.] ſuimus eiuſdem Saluatoris dictum : *Omnis qui reliquerit domum vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum: centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Quadragenarius autem numerus quanquam multis diuinis coatteſtantibus oraculis probetur perfectus, in eo tamen nobis [D] maxime commendatur, quo vel decalogi mandata per quatuor libros ſancti Euangelij quater ducta adimplentur, vel quo Dominus noſter quadraginta diebus ieiunium peregiſſe cognoſcitur. Quaternarius vero, ſiue propter quatuor paradiſi flumina, quatuorque Euangelia Chriſti, ſeu propter quatuor notiſſimas mundi partes, quatuorque principales virtutes, manifeſte perfectus habetur. Sed & millenarius in ipſa Sacra ſcriptura vere perfectus habetur, quia appellatione eiuſdem, vniuerſitas deſignatur. [Pſal.104.] Vnde ſcriptum eſt : *Verbi quod mandauit in mille generationes.* Cum enim nequaquam, credendum ſit, quod ad centum generationes mundus extendatur : quid aliud mille generationibus, niſi generationum vniuerſitas figuratur? Hinc eſt, quod hoc præſens tempus à paſſione Domini vſque ad finem ſæculi millenario annorum numero in hac Apocalypſi deſignatur, cum per Ioannem [Apoc.20.] de ſanctis dicitur : *Et vixerunt, & regnauerunt cum Chriſto mille annis : cæteri mortuorum non vixerunt, donec conſummentur mille anni.* Sciendum etiam quod hic numerus ex alia ratione inuenitur perfectus. Nam propter rationem conquaternantem Trinitatis, ſiue tres per quatuor, ſiue quatuor per tria ducamus, ad duodenarium [E] peruenimus, quo ſcilicet pene nullus in numeris ſacratior inuenitur. Siue autem ter duodenos per quatuor, ſiue quaterdecies dipondius per tria ducamus, centum quadragintaquatuor perficimus. Siue ergo iſto, ſiue illo modo, hic numerus quia perfectus oſtenditur, tanquam finitus pro infinito debet accipi. Dicatur igitur : [*Vidi, & ecce agnus ſtabat ſupra montem Sion, & cum eo centum quadragintaquatuor millia, habentes nomen eius & nomen patris eius ſcriptum in frontibus ſuis.* O quam mira, ô quam artificioſa ſunt eloquia, ô quam opportune hoc in loco agnus victor contra beſtiam opponitur : agni victores, agno triumphatori adhærentes : agni cum agno, contra beſtias & lupos pugnantes : agni cum agno, beſtias & lupos ſuperantes : agni bellatores, characterem beſtiæ abnuentes, victoris agni depictas & characteres fronte habentes. Et reuera oportebat vt oſtenſa imaginaria ſimilitudine, quam colit & cui ſe ſimilem facit aduerſi- [F] rus, in charactere ſcilicet aut oomine vel numero nominis, inuicta quoque Eccleſiæ caſtra demonſtrarentur, ne tam vehementi perſecutionis impetu eandem Eccleſiam vel ſuccubuiſſe, vel periiſſe infirmos animus arbitraretur. Ac ne de electorum numero quempiam cecidiſſe putaret, de ſolis Virginibus hic mentionem fieri decuit, qui arctioris vitæ & anguſtioris ſemitæ iter arripere maluerunt : vt cum de his tam copioſa oſtenditur multitudo, maior de cæteris Eccleſiæ membris in fide permanſiſſe non dubitetur. Et notandum quod hi qui cum agno contra beſtiam pugnant, ſupra montem Sion ſtare perhibentur, cum ipſi ſint ille mons Sion ac Ieruſalem. Niſi enim quilibet ſeipſo altior fuerit, niſi ſemetipſum deſpiciendo calcauerit, niſi æterna contemplando ſeipſum tranſcenderit, de beſtia non triumphabit. In magna enim mentis celſitudine ſtare debet : qui contra ſæculi principem certamen init. Sed cum deuicta morte, idem leo & agnus, Dominus ſcilicet Ieſus Chriſtus ad dexteram Patris ſede- [G] re dicatur : quid eſt quod hoc in loco ſcriptura iſta nouiſſimo eum tempore ſuper montem Sion ſtare teſtatur, niſi quia ſedere iudicantis eſt, ſtare vero adiuuantis? Qua videlicet narratione Chriſtus pro Eccleſia, quæ adhuc in laboris certamine deſudat, dimicare oſtenditur. Hinc eſt etiam quod beatiſſimus ille protomartyr Stephanus, manibus perſequentium comprehenſus, intuens in cœlum, ait : *Ecce video cælos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris virtutis Dei.* [Act.7.] Et nec mirum, ſi tunc illis abundantius adiuuando inhæreat, quando immanior perſecutio illos arctabit, qui aſcenſurus ad Patrem, omnibus in commune ait : *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* [Matt.28.] Et quia verum agnum ſequuntur, veri agni charactere ſignantur : qui & in virginitatis cuſtodia diu multumque laborauerunt, inſuper etiam & martyrij tormenta ſuſtinuerunt : poſt tam laborioſam virginitatis cuſtodiam, poſt tantæ immanitatis ſæuitiam, quæ ſit eorum cæteris eminentior gloria manife- [H] ſtatur, cum protinus ſubinfertur:

Et audiui vocem de cælo tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitrui magni : & vocem quam audiui, ſicut citharœdorum citharizantium in citharis ſuis. Et cantabant quaſi canticum nouum, ante ſedem & ante quatuor animalia & ſeniores. Et nemo poterat dicere canticum illud, niſi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti ſunt de terra. Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, virgines enim ſunt. Hi ſequuntur agnum quocunque ierit.

Hoc loco per cœlum quid aliud, quam ipſa citharizantium corda ſignantur? Vox autem illa de cœlo audita,

A non corporalis, ſed ſpiritalis debet intelligi. Amor etenim ſanctorum, vox eſt clamoris ad aures incircumſcripti ſpiritus. Et quia idem numerus virginum ex diuerſis populis conficitur, idcirco vox decantantium tanquam vox aquarum multarum dicitur. Quia vero venturo examini ex ipſis prædicatores aſſiſtunt, ideo vox eorum voci tonitrui comparatur. Quia quoque paſſionem Chriſti imitando adimplent, propterea vox eorundem cantantium, voci aſſimilatur citharizantium. Sed cum ſint idem, virgines, ſedes Dei, quatuorque animalia ac ſeniores; quid ſibi vult, quod ante ſedem & ante quatuor animalia ac ſeniores, hoc canticum decantare dicuntur? An forte, vt de cæteris taceam, Ioannes Euangeliſta vtique virgo non eſt ſedes Dei? aut non computatur in numero animalium ac ſeniorum? abſit vt credatur. Quid eſt ergo quod ante ſedem & quatuor animalia ac ſeniores nouum canticum iſti decantant, cum ſint ipſi ſedes Dei, animalia Dei, atque eminentiores Eccleſiæ Dei; niſi quia B remotis temporalium cogitationum viciſſitudinibus; hi quos æternitas fixa ſtabilitate ſuſceperit, ſemper ante ipſos ſtare compellit? Ante ſe etenim conſiſtunt, qui nulla rerum mutabilium varietate, à contemplatione conditoris animos elongant. Cum vero eminere Apoſtolos certum ſit Eccleſiæ Dei, quorum vnus, vt de cæteris taceam, Petrus videlicet Apoſtolus, qui vxorem habuiſſe legitur, in eo quod ſocrus eius febricitans, à Domino in Euangelio ſanari manifeſtatur: quomodo quoſlibet fide & carne virgines, illi præferre ſecundum hanc ſcripturam valemus, Matth. 8. qui etiam ſpecialiter audire meruit: *Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis?* Quique cum cæteris coapoſtolis principaliter ad iudicandum Matt. 16. Matt. 19 cum Domino ſeſſurus eſt, ſicut illis Dominus dicit, *In regeneratione cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Iſrael.* Iſa. 56. Et certe de virginibus Iſaias Propheta dicit: *Hæc dicit Dominus eunuchis, qui cuſtodierint ſabbata* C *mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum: dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus, nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit.*

Quique & nouum cantant canticum, quod nemo alius poteſt dicere: & agnum quo cæteri ſequi non valent, ſoli ſequi dicuntur. An forte dicere poterimus, hoc non ſolum de fide & carne ſolis virginibus dictum intelligi 2. Cor. 11. debere, ſed de his etiam quibus Apoſtolus dicit, *Deſpondi vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto?* Quod ſi ita eſt, quomodo ſolummodo dicere poſſunt canticum illud, cæteri non poſſunt? Aut quomodo hi agnum virgines ſequi valent, quo cæteri non valent? Quomodo de his ad comparationem aliorum dicitur, hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, virgines enim ſunt? An forte dicere quiſquam audebit, in legitimo coniugio hanc inquinationem deeſſe? Niſi enim in ipſo legitimo cõiugio hæc peccati inquinatio ineſſet, nequaquam Dauid Propheta de legitimo vtique coniugio conceptus & natus, Pſal. 50. D diceret: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis peperit me mater mea.*

Quid in his intellecturi, quid de his ſumus dicturi? Et certe affirmare non audemus, quamlibet virginitate præclarum, in illa ſuperna beatitudine aliquem beato Petro Apoſtolo anteferri, præter ſcilicet beatam illam ac ſacratiſſimam virginem, * quæ ſingulari merito atque integerrima virginitate, & ſponſa ſimul & mater effici meruit Dei. [* qua de] Quod nomen nulli vnquam alij diuina largitate conceſſum eſt. Exuperat igitur hoc ſolum omnia ſanctorum merita, cum vna eademque puella, & virgo & mater permanet ſempiterna. Vnum tamen eſt quod audenter & veraciter dicimus: quia ſi verum eſt quod de eodem beato Petro dicitur, id eſt, quod vxorem habuerit, nec canticum illud dicere, nec agnum quocumque ierit poteſt ſequi. Sed ſi (vt dicitur) verum eſt, quia idem Apoſtolus coniugem habuit, ac per hoc nec canticum illud dicere, nec agnum quocumque ierit ſequi valebit, minus beatus erit. Quis hoc dixerit? Quomodo ergo hanc abſoluimus E quæſtionem, niſi eo forte, quo ſequeſtrata Apoſtolorum, Prophetarum, Patriarcharum atque Doctorum præcipua dignitate, quos Chriſtus & hic & in futurum ſuper Eccleſiam ſuam voluit eminere, qui fortaſſe legitimo adhæſerunt coniugio, de cæteris Eccleſiæ membris dictum intelligi debere? Sed quis audeat affirmare, quod in diuinis voluminibus non poteſt inueniri? Habent certe ſecundum huius ſcripturæ ſententiam in illo futuro regno virgines, quod non poſſunt habere ſortiti coniugiis: quia & nouum canticum, quod nemo alius poteſt, inſonant? & agnum, quo nemo alius poteſt, ſequuntur. Et reuera multos hodie intra Eccleſiam ſanctam poſitos cernimus; qui dudum coniugio obligati fuerunt, virgines quoſdam præcellere in ſanctis operibus. Qui tamen vtrique ad vitam perducti, quo ordine iſti qui fide virgines ſunt & corpore, eos in eadem vita antecellant, neſcimus. Ruſumque alios inuenimus carnis copula ſortitos multas pro Chriſto pertuliſſe paſſiones, atque in ipſis ſpiritum exhalantes, ad regnum peruemiſſe: alios vero in pace Eccleſiæ, virginitate F cuſtodita, quieſcentes ad eandem patriam perueniſſe: Et tamen qua ratione hi qui confeſſores & virgines eſſe videntur, in illo immortali regno qualiter martyribus prælati ſint, ſimiliter ignoramus. Vnum eſt quod ſæpius replicamus, quia quo pacto ignorantes: tamen ibi eſt quædam egregia gloria virginum, * quam non poteſt habere [* iuxta quam] grex reliquus Chriſti. Dicere forte poſſumus, quod veraciter affirmare non audemus: quia non omnes virgines in illo beato regno coniugatos præcedunt, ſed hi ſpecialiter, qui & vita & moribus ac tormento paſſionis, virginitate inſuper cuſtodita, coæquantur coniugatis martyribus. Verbi gratia, ſi Ioannes Apoſtolus in cruce fuiſſet leuatus vt Petrus; ſi verum eſt quod de Petro dicitur, vtique præcelleret eum: quia ille virgo, hic vero eſſet non virgo.

Sic duo martyres, ſic duo monachi ſibi præire videntur. Sed quid agimus, quia hanc differentiam in hac ſcriptura non inuenimus? Neque enim hic dicitur, quidam G virgines cantant illud canticum nouum, quod nemo poteſt alius dicere: nec dicitur, quidam virgines agnum ſequuntur, quo nemo eum alius poteſt ſequi: ſed indiffinite hoc de cunctis virginibus pronuntiatur. Et forte idcirco, quia in tantum virginitas carnis & cordis omnes virtutes antecellit, vt etiam martyrio ſuperior ſit: ac per hoc, meritum dignitatis virginum omnes eminere, in hac præcipue ſcriptura teſtatur diuina autoritas. Sed quid nos intellectu pauperes, quid in his ambages circuitus facimus, cum beatiſſimus Auguſtinus vt doctor facundiſſimus, in libro quem de ſancta Virginitate edidit, de his pleniſſime inueniatur diſputaſſe? Cuius etiam hoc in loco expoſitione vſus fuiſſe Primaſius, qui ante nos iſta tractauit. Veniat ergo ipſe ad medium, de quo nullus dubitat fidelium. Veniat inquam, & dicat quid ipſe de his ſentiat. Ait autem in eodem libro inter cætera ſua: *Habeant coniugia bonum ſuum, non quia filios procreant, ſed quia honeſte, quia licite, quia pudice, quia ſocialiter procreant, & procreatos ſalubriter inſtanterque educant, quia thori inuicem fidem ſeruant, quia Sacramentum connubij non violant.* Hæc tamen om- H nia, humani officij ſunt munera. Virginitatis autem integritas, & per piam continentiam ab omni concubitu immunitas, Angelica portio eſt: & in carne corruptibili, incorruptionis perpetuæ meditatio. Cedat huic omnis fœcunditas carnis, cedat pudicitia coniugalis. Et poſt paululum: *Habebit*, inquit, *magnum aliquid præter cæteros in illa communi immortalitate, qui habet aliquid iam non carnis in carne.* Et iterum: *Propterea*, inquit, *præceptum Domini* 1. Cor. 7. *de virginibus nullum eſt*: ſed quoniam deuitatis remiſſiſque peccatis, adeunda eſt vita æterna, in qua eſt quædam egregia gloria, non omnibus in æternum victuris, ſed quibuſdam ibi tribuenda; cui conſequendæ parum eſt, liberatum eſſe à peccatis, niſi aliquid ipſi liberatori voueatur, non quod ſit criminis, non vouiſſe: ſed vouiſſe & reddidiſſe, ſit laudis. Et poſt pauca in ſubſequentibus dicit, quia ipſa vita æterna pariter erit omnibus ſanctis æqualis denarius attributus: quia vero in ipſa vita æterna diſtincte fulgebunt lumina meritorum, *multæ manſiones* Ioan. 14. *ſunt apud Patrem.* Ac per hoc in denario quidem non

[A] impari, non viuit alius alio prolixius, In multis autem manſionibus bonoratur alius alio clarius. Pergite itaque ſancti Dei, pueri & puellæ, mares ac fœminæ, cœlibes & innuptæ, pergite perſeueranter in finem. Laudate Dominum dulcius, quem cogitatis huberius: ſuſpirate felicius, cui ſeruicis attentius: amate ardentius, cui placetis attentius. [Luc. 12.] Lumbis accinctis & lucernis ardentibus expectate Dominum quando veniat à nuptiis. Vos afferetis in nuptias agni canticum nouum, quod cantabitis in citharis veſtris, hoc eſt, in cordibus dicatis laudibus: non vtique tale quale cantat vniuerſa terra, ſed tale quale nemo [Ioan. 13.] poterit dicere niſi vos. Sic enim vos vidit in Apocalypſi, quidam præ cæteris dilectus agno, qui diſcumbere ſuper pectus eius ſolitus erat. Ipſe vos vidit duodecies duodecim millia ſanctorum citharœdorum, illibatæ virginitatis in corpore, inuiolatæ veritatis in corde. Et quia ſequimini agnum quocunque ierit, ſcripſit ille de vobis. Quo ire putamus hunc agnum, quo nemo eum ſequi vel audeat, [B] vel valeat, niſi vos? Quo putamus enim ire? in quos ſaltus & prata? Vbi credo ſunt gramina gaudia, non gaudia ſæculi huius vana, nec gaudia qualia in illo regno Dei cæteris non virginibus; ſed à cæterorum omnium gaudiis ſorte diſtincta, gaudia virginum Chriſti. Quo in quam cum putamus ire, niſi de Chriſto in Chriſtum, cum Chriſto poſt Chriſtum, per Chriſtum propter Chriſtum? Gaudia propria virginum Chriſti, non ſunt eadem non virginum, quamuis Chriſti. Nam ſunt aliis alia, ſed nullis talia. Ite in hæc, ſequimini agnum: quia & agni caro vtique virgo. Hoc inſerit in corporibus & cordibus veſtris, quod matri non abſtulit conceptus & natus. Merito eum ſequimini virginitate cordis & carnis, quocunque ierit. Quid eſt eum ſequi, niſi imitari? Quia Chriſtus pro nobis paſſus eſt, relinquens vobis exemplum, ſicut [1. Pet. 2.] ait Petrus Apoſtolus, *vt ſequamini veſtigia eius.* Hunc in eo quiſque ſequitur qui imitatur, non inquantum ille Filius Dei eſt, vnus per quem facta ſunt omnia, ſed inquan[C]tum filius hominis: quæ oportebant, ipſe præbuit imitanda. Et multa in illo homine ad imitandum omnibus proponuntur, virginitas autem carnis non omnibus. Non enim habent quid faciant vt virgines ſint, in quibus iam factum eſt vt virgines non ſint. Sequantur itaque agnum cæteri fideles, qui virginitatem corporis amiſerunt, non quocumque ille ierit, ſed quouſque illi potuerint. Poſſunt autem vbique, præter cum in decore virginitatis in[Matth. 5.]cedit. *Beati pauperes ſpiritu.* [1. Cor. 8.] Imitamini eum qui propter [Matth. 5.] vos pauper factus eſt, cum diues eſſet, *Beati mites.* Et cæteris beatitudinibus pariter decurſis, ſubiungit dicens: Sed certe etiam coniugati poſſunt ire per veſtigia, etſi non perfecte in eadem forma ponentes pedem, verumtamen in eiſdem ſemitis gradientes. Sed ecce ille agnus graditur itinere virginali. Quomodo poſt eum ibunt, qui hoc amiſerunt quod nullo modo recipient? Vos ite poſt eum virgines eius, vos & illuc ite poſt eum: quia propter hoc vnum, quocumque ierit, ſequimini eum. Ad quodlibet [D] enim aliud ſanctitatis donum, quo eum ſequantur, hortari poſſumus coniugatos, præter hoc quod irreparabiliter amiſerunt. Vos itaque ſequimini eum, & tenendo perſeueranter quod vouiſtis, ardenter facite cum poteſtis, ne virginitatis bonum à vobis pereat, cui facere nihil poteſtis vt redeat. Videbit vos multitudo cætera fidelium, quæ agnum ad hoc ſequi non poteſt. Videbit, nec inuidebit, & collætando vobis, quod in ſe non habet, habebit in vobis. Nam & illud canticum nouum proprium noſtrum, dici ab eis non poterit: audiri autem poterit, & delectari veſtro tam excellenti bono. Sed vos qui & dicitis & auditis, quia hoc quod dicitis, à vobis audiris, felicius exultabitis, iucundiuſque regnabitis. De maiore tamen veſtro gaudio nullus mœror erit quibus hoc deerit. Agnus quippe ille quem vos quocumque ierit ſequimini, nec eos deſerit qui eum quo vos, non valent ſequi. Et vos enim præibit, & ab eis non abibit, cum erit Deus omnia [1. Cor. 15.] in omnibus. His ſancti Auguſtini dictis oſtenditur, quali debeat hic locus intentione cognoſci. Ipſi credatur, ipſi conſentiatur, qui in omnibus egregius præ cæteris tractatibus habetur. Sequitur:

[E] *Hi empti ſunt ex omnibus primitiæ Deo & agno.*

In quibus verbis veraciter intelligere poſſumus, in illo regno beatitudinis eminentiores exiſtere virgines Chriſti illis, in quibus actum eſt ne eſſe poſſent iam virgines, quãuis ſint familia Chriſti. Et quid mirum, ſi in cœleſtibus regnis ſunt eminẽtiores atque clariores, qui in hac vita ſunt mundiores? Qui enim non ait, hi omnes empti ſunt: ſed, hi empti ſunt ex omnibus, oſtendit proculdubio quia egregij de cæteris ac meliores præelecti ſint. Digne autem primitiis frugum comparantur, ex omnibus frugibus ad emendum electis, hi qui virginitatem carnis & cordis habere videntur, quia primum ſanctitatis fructum ac centeſimum afferre videntur. Nam cum alij ſexageſimum, alij dicantur afferre triceſimum, hi tanquam primitias ſeipſos offerentes, centeſimum referunt. Quantæ namque ſit celſitudinis virginale decus, apertiſſime locus ille euangelicus indicat: [F] quo cum diſcipuli inſolubile cõiugale vinculum, excepta cauſa fornicationis, à Domino audiſſent, carnis integritatem coniugio præferentes, aiunt ad eum: *Si ita eſt hominis* [Matth. 19.] *cauſa cum vxore, non expedit nubere.* Et ne forte alio modo Apoſtolorum dictum quis intelligere vellet, cum Dominus illis ad hæc reſpondiſſet, non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt: ſubiecit & expoſuit cauſam, dicens: Sunt enim eunuchi qui de matris vtero nati ſunt, & ſunt eunuchi qui facti ſunt ab hominibus, & ſunt eunuchi qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum Dei: Adiiciens raritatem imitantium, *Qui poteſt capere, capiat.* [1. Cor. 7.] Ac ſi diceret: Ego non impero, ego non præcipio, ſed admoneo, vt propria volũtate, qui poteſt capere, capiat, id eſt, ad huius rei notitiam non coactus, ſed ſpontaneus obſeruantia ſancta pergat. Hinc eſt etiam quod Apoſtolus ait: *De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do.* O beata Virginitas carnis, ſed ſi affuerit integritas mentis. Nihil enim prodeſt eſſe virginem corpore, ſi contigerit [G] mente corruptum quempiam eſſe. Sed nec proderit cuiquam virginitatem carnis non iuſſam cuſtodire, niſi ea quæ à Domino iuſſa ſunt, ſtuduerit adimplere.

Et quis poteſt cuilibet gratus apparere non iuſſa faciens, niſi ea quæ iuſſa ſunt, faciat? In ſcriptura etenim Sacra quædam prohibentur, quædam præcipiuntur: aliqua conceduntur, nõnulla ſuadentur. Prohibentur ſcilicet mala, præcipiuntur bona: conceduntur media, ſuadentur perfecta. Et in duobus namque illis quæ priori loco ſunt, peccatum omne concluditur: atque in vtriſque Dei imperium continetur, quia non ſolum præcipere, ſed etiam prohibere ipſum, iubentis eſt. Generaliter namque omnibus iuſtitia mãdatur, quam Saluator in Euangelio breuiter quidẽ, ſed pleniſſime comprehẽdens, ait: *Quæcunque vultis vt faciant vobis homines bona, & hæc vos facite illis.* [Matth. 7.] Ac ſi diceret: Et bona quæ iuſte vobis ab alijs impendi deſideratis, ipſi proximis veſtris impendite: & mala quæ omnino pati à quibuſlibet non vultis, nulli inferre præſumite. Hæc ſententia æquo iure præcepti vniuerſos tenet aſtrictos. Nec vni [H] omnino tranſgredi licet, quod omnibus imperatum eſt. Apertus enim cõtemptus Dei eſt, facere prohibita, & iuſſa nõ facere. Duo vero reliqua quæ ſequũtur, quorum vnum cõceditur, ſuadetur aliud, in noſtra poteſtate dimiſſa ſunt: vt aut cum minori gloria cõceſſis vtamur ac licitis, aut ob maius præmium etiam ea quę nobis permiſſa ſunt, reſpuamus. Conceduntur quidem nuptiæ, carnium eſus ac vini: ſed horum omnium abſtinentia, conſilio perfici ſuadetur. Ad virginitatis autem honorem pertinet licẽtia nuptiarũ: eſcarum vero indulgentia, virtutem abſtinentiæ clariorem facit. Ex comparatione namque illorum, illa fulgeſcunt. Sed nunquid à lege mandatorum Dei ſolutus eſt qui tantummodo non iuſſa cuſtodire contendit? Minime, Domino atteſtante, qui adoleſcenti ait: *Si vis ingredi ad* [Matth. 19.] *vitam, ſerua mandata.* In cauſa enim iuſtitiæ vnum debemus omnes, virgo vidua, nupta: medius, ſummus, & infimus gradus, æqualiter iubetur omnibus implere præcepta: nec à lege ſoluitur, qui ſupra legem eſſe propoſuit: quinimo nullus magis illicita vitare debet, quam qui reſpuit quæ licebant, nec quiſquam ita à ſe mandata pol-

A licetur implenda, vt ille qui amore perfectionis ſupra mandata conſcendit: quique dum amplius ſtatuit facere quam præceptum eſt, oſtendit minus ſibi præceptum eſſe Matt. 19. Matth. 3. & 7. quam facere poteſt. De Virginitate namque dicitur: *Qui poteſt capere, capiat*: de iuſtitia vero non dicitur, qui poteſt facere, faciat: ſed dicitur, *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.* Ac per hoc multum à conſilio diſtat imperium. Ibi aliquos, hic omnes generaliter comprehendit: ibi præmium proponit, hic pœnam: ibi inuitat vt fiat, hic niſi factum fuerit comminatur. Hoc autem idcirco dicimus, vt de ſola carnis integritate nullus ſibi applaudat: quia niſi fecerit quæ iuſſa ſunt, nequaquam apud Deum accepta ſunt, quæ non iuſſa offerre conatur. Multi etenim ſibi de ſola caſtitate applaudunt, & vt poſt ſuas voluptates eant, Dei voluntatem abiiciunt. Quique perpetuæ caſtitatis bonum non cum iuſtitia, ſed pro iuſtitia offerre volunt, & in compenſatione peccatorum, præmium Virginitatis annumerant, B atque in regno cœlorum cæteris ſe præferendos putant, hi ſibi mandatorum tranſgreſſione aditum claudunt ipſius regni cœlorum. Admonendi autem ſunt hi qui Virgines permanere decreuerunt, vt conſiderent quid Apoſtolus 1. Cor. 7. de Virginibus loquitur, dicens: *Innupta & virgo cogitat quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu.* Illa etenim Virgo quæ corpore & ſpiritu Sancta eſt, nec in membris, nec in mente corrupta eſt. Peccare autem non in cauſa tantum Virginitatis eſt, ſed etiam in quacunque parte iuſtitiæ. Quamuis enim corpore quælibet ſit Virgo, & tamen aut manibus, aut oculis, aut auribus peccet, aut lingua, quomodo corpore ſancta dicenda eſt? Deinde ſi odio infecta, ſi inuidia, ſi auaritia, ſi iracundia, ſi ſuperbia, quomodo ſpiritus obtinet ſanctitatem? In qualibet enim parte horum quæ diximus ſi delinquat, maculam Virginitati ſuperducit. Quod vtique non ſolum de fœminis, verumetiam de maſculis Virginibus ſentiendum eſt. Attendant igitur qui de ſola carnis C Virginitate ſibi complacent, quia non in hoc beatiores futuri ſunt, quia non iuſſa fecerunt; ſed in hoc quo iuſſa perfecerunt, inſuper & non iuſſa addiderunt. De quibus adhuc ſubditur:

Et in ore ipſorum non eſt inuentum mendacium, ſine macula ſunt.

Quæſtio nobis in hoc verſu magna occurrit, ſed ita à maioribus noſtris enodata, vt nihil in ea remanſerit dubietatis. Dicamus tamen & nos de ea poſt ipſos, vt poſſumus, ſed eadem quæ ab ipſis didicimus. Hoc autem habet quæſtionis, quod cum hic de tot millibus beatiſſimorum martyrum dicatur, in ore ipſorum non eſt inuentum Pſal. 115. mendacium, Pſalmiſta econtrario obuiat, dicens: *Ego dixi in exceſſu mentis meæ, omnis homo mendax.* Quique dum dicit, *omnis homo*, nullum prætermiſit, nullum excluD ſit, ſed omnes hoc dicto comprehendit. Ergo ſi omnis homo mendax, quomodo tibi credendum eſt quod dicis, ô Pſalmiſta veridice? Nunquid tu mendax? Dicit fortaſſe aliquis. Idcirco hoc dixit, quia ſicut aliæ tranſlationes habent, in pauore poſitus fuit. Quod ſi ille in pauore poſitus fuit, nunquid Paulus in pauore vel in exceſſu mentis ſe fuiſſe dixit, cum hoc ipſo verſiculo vſus fuit & Rom. 3. dixit, *Omnis homo mendax, ſolus autem Deus verax*? Ioannes de tot millibus dicit, *In ore ipſorum non eſt inuentum mendacium*: Propheta & Paulus econtrario. *Omnis homo mendax.* Quid ſibi volunt hæc? Nunquid putandum eſt, vnum horum mentitum fuiſſe alterum, verum dixiſſe? Abſit. Vnus enim idemque ſpiritus Sanctus qui docet omnem veritatem, per eos locutus eſt. In qua ſcilicet quæſtione, quæ (iam vt diximus) à noſtris enodata eſt, verborum circuitus quærendus non eſt. Dicamus ergo breuiter, qualiter & quibus modis abſoluenda ſit. Igitur ſicut euangelica docet autoritas, cum veniſſet Dominus in partes Cæſareæ Philippi; interrogauit diſcipulos Matt. 16. ſuos, dicens: *Quem dicunt homines eſſe filium hominis*? Cui cum reſpondiſſent, *alij Ioannem Baptiſtam, alij Eliam, alij Hieremiam, aut vnum ex prophetis*: ruſum ait illis, *Vos autem quem me eſſe dicitis*? Reſpondens Simon Petrus E omnium voce, ait: *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Et ille: *Beatus es*, inquit, *Simon Bariona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui eſt in cœlis.* Ecce homo in confeſſione Filij Dei verax, imo veraciſſimus homo. Sed vnde verax? Quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis eſt. Ruſum, cum idem Dominus & Saluator omnium eiſdem diſcipulis diceret, *Ecce aſcendi-* Luc. 18. *dimus Hieroſolymam, & conſummabuntur omnia quæ ſcripta ſunt per prophetas de filio hominis, tradetur enim gentibus & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur: & poſtquam flagellauerint, occident eum, & die tertia reſurget*: Petrus veritate pridem clariſſimus, ſeorſum ait illi: *Abſit à te Domine, non fiet iſtud.* Cui ille: *Vade retro me ſathanas, quia* Matt. 16. *ſcandalum es mihi, non enim ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum.* Ecce homo mendax. Sed vnde mendax? Vtique Inde, quia non ſapit ea quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum. F Ergo omnis homo quantum de ſe, mendax: quantum de Deo, verax. Sed nunquid hinc abſoluta putabitur hæc quæſtio? Et quidem quantum generaliter ad cunctos pertinet, traditione paterna abſoluta iam cernitur. Sed quia de ſolis virginibus ſpecialiter hoc dictum intelligimus, ſicut de ſolis virginibus dictum accipimus, *Nemo poterat dicere canticum illud, niſi illa centum quadraginta quatuor millia*: & illud, *hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, virgines enim ſunt, hi ſequuntur agnum quocunque ierit*: nimirum quæſtio quæ putabitur iam ſoluta, adhuc reſtat enodanda. Vere enim (vt paterna traditione iam diximus) ad omnes pertinet electos, quod & ex ſe mendaces, & ex Deo pronuntiantur veraces. At vero cum ſpecialiter de ſanctis dicat virginibus, *In ore ipſorum non eſt inuentum mendacium*: ſine dubio oſtenditur, quia ad comparationem aliorum, tanquam ſoli Virgines dicuntur veraces, non quo alij non ſint ex Deo veraces, ſed quo (vt dictum eſt) ad comparationem virginum, non ſint veraces. Sed nec mirum vt hi veraciores æſtimentur, G qui veritati quæ eſt Chriſtus, propter virginitatem carnis & mentis amplius inhærere videntur. Et cum ſit Chri- Eph. 1. ſtus caput Eccleſiæ, virgo vtique ex virgine natus, qui illi inhærent primi? nimirum virgines corpore & fide. Et cum ſint omnes electi in illa communi beatitudine ſine macula, ad comparationem tamen illorum, ſoli virgines carne & mente dicuntur ſine macula. Et hoc Sacræ ſcripturæ vſus eſſe probatur, ita ſæpiſſime loqui, vt eſt illud. *Nemo bonus niſi ſolus Deus*, cum dicantur etiam homi- Luc. 18. Matt. 12. nes boni, ſicut ſcriptum eſt: *Bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bona.* Sic inquam & hoc quod generaliter de omnibus præmiſimus, id eſt, *in ore ipſorum non eſt inuentum mendacium*: & illud, *Ego dixi in extaſi mea,* Pſal. 115. *omnis homo mendax*: poteſt intelligi, vt ex comparatione aliorum hominum ſoli virgines dicantur ſine macula atque veraces: ex comparatione vero Dei, & ipſi cum macula atque mendaces. Sequitur:

H

Et vidi alterum Angelum volantem per medium cælum, habentem Euangelium æternum, vt euangelizaret ſedentibus ſuper terram, & ſuper omnem gentem & tribum & linguam & populum, dicens voce magna: Timete Dominum & date illi honorem, quia venit hora iudicij eius: & adorate eum qui fecit cælum & terram, mare & fontes aquarum.

Cum in præcedenti locutione nequaquam Angelorum mentionem fecerit, quid ſibi vult, quod nunc alterum Angelum introducit: Non enim dicimus alterum, niſi cum præcedit vnus, & ſubſequitur alter. Quod idcirco feciſſe credendus eſt, quia aut alteram viſionis figuram oſtendit prodire ex altera: aut certe, quod verius, quia in agno Angelum intelligi voluit de quo ſcriptum eſt: *Vocabitur* Iſa. 9. *nomen eius magni conſilij Angelus.* Ipſe enim agnus, propter

A innocentiam & ſacrificium : ipſe appellatur Angelus,
propter nouam regni cœlorum annuntiationem. Et idcir-
co hunc, quem modo interſerit, in cuius etiam vocabu-
lo nil aliud quam prædicantium ordinem ſignat, alterum
vocat : non quo Chriſtus eiuſque prædicatores vnus non
ſunt, inquantum ille homo eſt, ſed quo in narratione
non vnus. Non enim de angelicis ſpiritibus hic mentio
fit, ſed de ſanctis prædicatoribus de quibus ſcriptum eſt :
Iſa.33. *Et Angeli pacis amare flebunt.* De quorum etiam perſo-
Malac.2. na per Malachiam dicitur : *Labia ſacerdotis cuſtodiunt*
ſcientiam, & legem requirunt de ore eius quia Angelus
Domini exercituum eſt. Neque enim illis ſupernæ patriæ
angelicis ſpiritibus Euangelium annuntiare commiſſum
eſt, ſed ſanctis prædicatoribus. Qui videlicet prædican-
tium ordo, plerumque in ſeptenario numero propter ſe-
ptiformem Spiritus ſancti gratiam, qua replentur, in hac
Apocalypſi poni videtur. Hoc autem in loco propter Tri-
nitatis annontiationem, qua electos ad fidem aggregant,
B in ternario deſignatur. Quid autem per cœlum hic in-
telligimus, niſi (vt ſæpe iam diximus) electorum Eccle-
ſiam, quæ ſemper cœleſtia meditatur, vt ipſa cœlum in
quo Deus habitet, efficiatur : Per cuius medium bene iſte
Angelus non ambulare, ſed volare dicitur, quia ſancti
prædicatores & penna contemplationis ad ſuperna ſemet-
ipſos ſuſpendunt, & tamen curam proximorum intueri
non negligunt. Per medium cœlum volant, quia & ter-
renis deſideriis non inhærent, & hinc inde depoſitos po-
pulos, ſiue literis ſeu verbis, ad cœleſtia inuitant.
Iſa.60. Quos Propheta intuens ait : *Qui ſunt iſti qui vt nubes*
volant & ſicut columbæ ad feneſtras ſuas, Vt nubes enim
volant, qui à terrenis deſideriis penna virtutis ſubleuati,
* mira- culis. & verbis pluunt & * virtutibus coruſcant. Quique vt co-
lumbæ ad feneſtras ſuas ſunt : quia per hoc quod exterius
conſpiciunt, nil terrenum concupiſcunt. Qui recte etiam
Euangelium æternum habere dicuntur, non quo aliquan-
do non deſinat euangelica prædicatio, ſed quo vita futura
C quam prædicat, æterna eſſe cognoſcatur.
Quod videlicet tropice dictum, prudens lector facile
animaduertit : ab eo ſcilicet quod nuntiat illud quod
nuntiatur, oſtenſum fuiſſe. Quid autem iſte Angelus præ
dicet, audiamos. Ait enim : Timete, Dominum, & date
illi honorem, quoniam venit hora iudicij eius : & adora-
te eum qui fecit cœlum & terram, mare & fontes aqua-
rum. Licet enim ab exordio fidei Chriſtianæ regnum
cœlorum appropinquare nouerimus, Domino & Ioanne
Matth.3. & 4. Baptiſta dicente : *Pœnitentiam agite appropinquauit enim*
regnum cœlorum : hoc tamen in loco inſtantiſſime ho-
ram iudicij eius iam iamque nuntiat affuturam : & ideo
huiuſcemodi prædicationem neceſſario præmiſit omnibus
exhibendam dicens : *Vt euangelizaret ſedentibus ſuper ter*
ram, & ſuper omnem gentem tribum & linguam & popu-
lum: Vnde & Dominus ait : *Prædicabitur hoc Euange-*
Matt.24. *lium vniuerſo orbe, & tunc veniet conſummatio.* Bene au-
tem prædicatorum voce dicitur : *Timete Dominum, &*
date illi honorem, quia venit hora iudicij eius : adorate
D *eum qui fecit cœlum & terram mare & fontes aquarum.*
Matt.10. Ac ſi diceretur, *Eum potius timete, qui poteſt animam &*
corpus perdere in gehennam : quam beſtiam, quæ ſolis poteſt
prævalere corporibus hominum. Illique honorem tribui-
Dan.7. te de quo per Danielem dicitur : *Aſpiciebam in viſu no-*
ctis, & ecce cum nubibus cœli quaſi filius hominis venie-
bat, & vſque ad antiquum dierum peruenit : & in conſpe-
ctu eius obtulerunt eum, & dedit ei poteſtatem & honorem
& regnum, & omnes populi, tribus & linguæ ipſi ſeruient.
Poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non auferetur, & re-
gnum eius non corrumpetur. Et de quo per Paulum di-
Philip.2. citur : *Propter quod illum exaltauit, & donauit illi no-*
men quod eſt ſuper omne nomen ; vt in nomine IESV omne
genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, &
omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in
gloria eſt Dei Patris. Illi inquiunt, date honorem, & non
antichriſto quia honori contrarius in charactere & no-
mine ac numero nominis eius cognoſcitur : atque eum
adorate, qui fecit cœlum & terram mare & fontes aqua-
rum : & non imaginem illam diabolicæ ſeductionis, qua

potatur antichriſtus conditor eſſe creaturæ. In cœlo enim, E
terra, mari & fontibus aquarum omnis creatura in tem-
pore condita, demonſtratur. Sequitur :

Et alius Angelus ſecutus eſt eum, dicens : Cecidit
cecidit Babylon illa magna, quæ à vino iræ
fornicationis ſuæ potauit omnes gentes.

In eo quod iſte Angelus primum ſecutus aſſeritur, ſuc-
cedens prædicatorum ordo monſtratur. Bene autem An-
gelus Angelum ſequitur quia eius prædicationem imita-
tur. Ille dicit, *Timete Dominum, & date illi honorem,*
quia venit hora iudicij eius : hic autem ait, *Cecidit cecidit*
Babylon illa magna. Babylon autem interpretatum, *confu-*
ſio ſonat. Et quid aliud Babylonis nomine, niſi mundus in
maligno poſitus intelligitur, totum ſcilicet corpus diabo-
li, totaque ciuitas eius, quæ ab impio Cain ſuper terram
fundamenta iecit ? quæ ſcilicet quanquam in bono ali- F
quando reædificanda deſtrui narretur, vt eſt illud quod
Dominus ad Ieremiam dicit : *Ecce conſtitui te hodie ſu-* Ierem.1.
per gentes & ſuper regna, vt euellas, & deſtruas, & diſper-
das & diſſipes, & ædifices & plantes : hoc tamen in loco
ruina eiuſdem perfidæ ciuitatis nil boni ſignificat, quia
eam ſermo diuinus aut temporalibus bonis deſtitui, aut
contra Deum & Eccleſiam oſtendit ſuperbire. Nam quia
mundus à propria ceciderit gloria ipſe hoc indicat qui
pene cum ſenectute inopia diuitiarum iam iamque con-
ſumitur. Et quid mirum, ſi illi prædicatores extremi, vt
ad cœleſtem patriam inuitent electos, iam temporalem
gloriam cecidiſſe denuntiant, qui eius ruinam qua fundi-
tus conteratur, præ oculis habent cum nos etſi indigni id-
ipſum agere tentemus, qui quando corruat ad plenum,
ignoramus ? An non veraciter mundum à ſua gloria, etſi
necdum funditus, corruiſſe dicimus, cuius diminutio-
nem in rerum facultatibus, in robore fortitudinis, in ædi-
ficiorum munitionibus videmus ? Quod ſi ita non eſt, G
vbi eſt illa dudum ſuper omnia regna exaltata inclyta,
Roma, Babylon ſecunda ? *Vbi etiam prima illa Babylo-* Dan.2.
nia, cuius regni nobilitas capiti ex auro optimo compara-
tur ? Nonne vbique ciuitates deſtructas, vbique caſtra
euerſa vbique mœnia diruta conſpicimus ? Supereſt ergo
vt non ſolum talis iam non timetur verumetiam ne quis
ruinam eius excipiat, intentione cordis ab ea longe reſi-
liat : quia vero tunc irreparabiliter reproba ciuitas cadat,
quando contra Deum & Eccleſiam erigitur, & hoc ma-
nifeſte cognoſcimus. Quanquam enim iniqui tunc fun-
ditus cadant cum æterna morte plectendi, ad mortem
carnis peruenerint, iam tamen tunc cognoſcuntur cadere
cum auſi fuerint ſuperbire, ſicut per Pſalmiſtam Domino
de eis dicitur : *Deiecisti eos dum alleuarentur.* Ac ſi dice- Pſal.72.
ret : Tunc deieciſti, quando eos in ſuperbiam erigi per-
miſiſti. Sic denique nos vſitato humanæ locutionis mo-
do cum in ſuperbiam aliquem erectum conſpicimus, eum
iam cecidiſſe pronuntiamus. Quod autem idem Angelus, H
prædicatorum videlicet ordo ruinam peruerſæ ciuitatis
ſecundo repetens ingeminat : aut pro confirmatione rei
idipſum facit, aut forte in eadem congeminatione ſimul
gloriam temporalem cum ſuperbis cecidiſſe denuntiat. Ac
ſi diceret : Et ſæcularis gloria, & amatores eiuſdem tempo-
ralis gloriæ, pariter ceciderunt.
Quod maxime tunc fiet, cum iam & mundus peruene-
rit ad temporis articulum, & ſuperbi contra Deum am-
plius intumuerint. Quæ ſcilicet impia ciuitas propter
temporalis gloriæ appetitum, quam magna ex parte iam
perdidit, calicem adhuc aureum in manu habere deſcri-
bitur, ſicut de ea longe inferius per Ioannem ſub typo
meretricis dicitur : *Et mulier erat circumdata purpura &* Apoc.17.
coccino, & inaurata auro & lapide pretioſo & margaritis,
habens poculum aureum in manu ſua, plenum abominatione
& immunditia fornicationis. Mulier enim poculum au-
reum in manu habet, quia reprobi omnem laborem pro
temporalis gloriæ appetitu exercent. Quod videlicet po-
culum plenum eſt abominatione & immunditia forni-
cationis, quia omnium vitiorum ſumma intra temporalis

gloriæ

A gloriæ ambitum retineatur. Nihilque in ea vacat à vitiis, quæ plena abominatione & immunditia fornicationis eſſe deſcribitur. Pulchrè autem vitia temporalis gloriæ, vino iræ & fornicationis comparantur. Solent enim hi qui inebriantur, dum fuerint mentis inſania compaſſi, ſæuientes turpiter furere. Quod ita certum eſt reprobis euenire, qui dum illecebrarum omnium vitiis fuerint debriati, atque (vt ita dixerim) inſenſibiles effecti, furore cæcu ad quodlibet ſcelus abſque vllo pudore prorumpunt. Hinc per Ieremiam

Iere. 51. Prophetam dicitur: *Calix autem Babylon in manu Domini, inebrians omnem terram. De vino eius biberunt omnes gentes, & ideo commota ſunt.* Et quid per Babylonem, quæ calix aureus eſſe deſcribitur, niſi ipſius reprobæ ciuitatis temporalis gloria accipitur? Quæ rectè calix aureus eſſe dicitur, quia dum pulcra eſſe temporalia oſtentat, ſtultas mentes in ſui concupiſcentiam debriat, vt ſpecioſa temporalia appetant, & inui-

B ſibilia pulcra contemnant. Hoc aureo calice prima ſponte ſua Eua debriata eſt, de qua hiſtorica veritas dicit: quia cum vetitum lignum concupiſceret; *Vidit*

Gen. 3. *quod eſſet pulchrum viſu, aſpectuque delectabile, & comedit.* Aureus ergo Babylon calix eſt, quia dum viſum exterioris pulchritudinis oſtendit, ſenſum internæ rectitudinis ſubtrahit. Quæ ſcilicet idcirco in manu Domini eſſe dicitur, quia cuncta temporalis gloria cum ſuis ſectatoribus, & ſi inuita, eius ditioni deſeruit.

Iere. 51. Quantæ autem corruptelæ vitiorum intra hanc lateant, manifeſtatur cum ſubditur: *De vino eius biberunt omnes gentes, & ideo commota ſunt.* Ac ſi diceretur: Quia gloriam temporalem velut aurum fulgens exterius concupierunt, ex eadem concupita gloria multa flagitiorum vitia hauſerunt. Quæ rectè, vt dictum eſt, vino comparantur, quod dum inordinatè percipitur, homines inſenſibiles facere videtur. Sic, ſic reprobi, ſic dum innumera vitia ex temporalis gloriæ ſupercilio ſumunt, ad hoc

C vſque perueniunt, ne ſentiant cum delinquunt. Sciendum vero nobis eſt, quia hæc eadem reproba ciuitas cum à vino iræ fornicationis ſuæ omnes gentes debriat, vno eodemque aureo calice id eſt potentia ſeculari, alios vitiis, alios propinat ſuppliciis: conſentientes ſcilicet ſibi propinat vitiis: abnegantes vero eius voluptates inebriat ſuppliciis. Vnde & inferius de hac ciuitate vel me-

Apoc. 18. retrice martyribus, qui ab ea paſſi ſunt, dicitur: Reddite illi ſicut & illa reddidit vobis, & duplicate duplicia ſecundum opera eius. In poculo quo miſcuit vobis, miſcete illi duplum. Ad hoc etiam pertinet, vt manifeſtior ſenſus elucet, quod poculum meretricis vino iræ & fornicationis plenum eſſe deſcribitur, vt ſcilicet hinc ira exaſperans cruciet, illinc fornicatio titillans emolliat. Sciendum etiam, quia cum ex ea parte calicis, qua vitia continentur, ipſa ciuitas omnes gentes propinat, ſeipſam quæ ex eiſdem gentibus conſtare videtur, inebriat. Sed diuiditur genus in partes vel ſpecies, vt imitatione præceden-

D tium, per ſingulas nationes ſubſequens genita proles perite doceatur. Sequitur:

Et Angelus tertius ſecutus eſt illos, dicens voce magna: Si quis adorauerit beſtiam & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte ſua aut in manu ſua, bibet de vino iræ Dei, mixto mero in calice iræ ipſius.

Cur tres Angelorum perſonæ in typum prædicantium hoc in loco ponantur, quomodo etiam Angelus Angelum in prædicatione ſequatur, ſuprà iam diximus: Quod autem voce magna clamare dicuntur, quia temporalem beſtiæ poteſtatem deſpiciant, in libertate vocis oſtenditur. Quid ſit vero adorare beſtiam & imaginem eius, & accipere characterem in fronte aut in manu, hoc ipſum à nobis ſuperius enodatum meminimus: nunc ſupereſt vt quid ſignificet vinum iræ Dei, in calice iræ poſitum mero mixtum, requiramus. Hoc enim eſt vinum iræ, quod calix iræ. Nam & nos cum vinum in calice ponimus, non dicimus ecce vinum & calix: ſed tantum, aut vinum aut calix. Sed idcirco & vinum & calicem poſuit, vt oſtenderet quia vinum quod erat in calice cum mero mixtum, ad comparationem meri, turbidum erat. Merum enim dicitur purum. Hinc namque Pſal.

per Pſalmiſtam dicitur: *Calix in manu Domini, vini meri plenus eſt mixto.* Et inclinauit ex hoc in hoc, verumtamen fex eius non eſt exinanita: bibent ex eo omnes peccatores terræ. Quod vtrumque iuxta humanam rationem impoſſibile eſſe videtur, vt in vno eodemque calice & purum ſit vinum, & fecibus mixtum: *Bibent,* inquit, *ex eo omnes peccatores terræ.* Ex quo niſi ex calice? Ex qua parte? ex ea vtique, qua feces continere cernitur, non ex ea qua merum habere videtur. Quid autem accipimus per calicem iræ Dei, niſi ſupernæ animaduerſionis vindictam, qua & in æternum iniqui damnantur, F

& ad tempus electi cruciantur? Et electi quidem potantur mero, vt ex percuſſione ſuperni iudicis quandoque lætiores reddantur: reprobi verò debriantur fecibus, vt excæcati, æterna morte damnentur. Bibunt nunc electi quod merum eſt in calice, & non bibunt reprobi: quia in præſenti vita miſericorditer iuſti flagellantur, iniqui vero ſine flagello deſeruntur. Bibent vero in futurum reprobi quod remanet in calice, id eſt, feces, & non bibent electi: quia & reprobi iam tunc poſt voluptatis laſciuiam æternis verberibus incurabiliter coërcentur, & electi poſt paternæ eruditionis diſciplinam, in potentiam regni erigentur. Dicatur ergo: Si quis adorauerit beſtiam & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte ſua aut in manu ſua, bibet de vino iræ Dei, mixto mero in calice iræ ipſius. Ac ſi diceretur: Si quis diabolum eiuſque imaginem, videlicet antichriſtum, adorauerit, eumque aut fide aut operibus imitatus fuerit:

non hic ad præſens flagella recipit, tanquam mero vino G

potatus, ſed in futurum perenni vindicta plectetur, tanquam fecibus debriatus. Sed quia multi ex his per ſanctorum prædicationem ad fidem & opera Chriſtianæ religionis, Enoch etiam & Elia eximiè prædicantibus, reuertentur: hoc de his intelligendum eſt, qui ad mortem præſciti, nulla vnquam ſunt correctione ſaluandi: quorum adhuc damnatio expreſſius ſubditur, cum de quolibet eorum dicitur:

Et cruciabitur igne & ſulfure in conſpectu Angelorum ſanctorum, & ante conſpectum agni.

Cum ſint tanta in illa æterna damnatione ſupplicia, quanta nec dici nec æſtimari poſſunt, breuiter tamen in his duobus tormentis omnem illam ſummam pœnarum H

ſacrum eloquium expreſſit. *Ibi enim fletus & ſtridor dentium, ibi tenebræ exteriores ibi vermes immortales, ibi* Matth. 8. & 13.

horror ſempiternus, & alia multa incogitabilia, quæ nec Marc.

nos dicere poſſumus, nec (quod peius eſt) expaueſcimus. Iob.

Sulfur autem quid aliud quam fomentum ignis eſt? Quod tamen ſic ignem nutrit, vt fœtorem grauiſſimum exhalet. Et fœtorem igitur habet & ardorem nimium obtinet: ac per hoc & ex igne fœtor, & ex fœtore ignis ſuccreſcit. Suffecerat enim ad intolerabilem pœnam, ſi ſolus ignis exurens, ſempiternus fuiſſet, etiam ſi fœtor ſulfuris ignem non comitaretur. Ruſumque ſuffecerat ad pœnale ſupplicium, ſi ſolus fœtor ſulfuris adeſſet, etiamſi ignis æternus defuiſſet. Sed dignum eſt vt illic ſimul ignis ardore ac ſulfuris crucientur fœtore, qui hic dum adiuuerent, ad peruerſa deſideria ex carnis arſerunt fœtore. Ipſa namque cruciamenta reproborum, actus ſignificant eorundem hominum peruerſorum. Quid itaque in ſulfure, niſi carnalem concupiſcentiam accipimus? Quæ dum peruerſis cogitationibus quaſi quibuſdam fœtoribus mentem replet, æterna incendia præparat: & dum fœtoris ſui nebulam in mente reproba

A dilatat, contra eam flammis ſequentibus quaſi nutrimenta ſubminiſtrat.

Gen. 19. Nam quia ſulfur fœtorem carnalis concupiſcentiæ deſignet, ipſa ſacra eloquia teſtantur: quæ contra Sodomam ignem & ſulſurem Dominum pluiſſe narrant. Qui cum carnis eius ſcelera punire decreuiſſet, in ipſa qualitate vltionis notauit maculam criminis. Sulfur quippè (vt diximus) fœtorem habet, ignis ardorem. Qui ergo ad peruerſa deſideria ex carnis fœtore arſerant, dignum fuit vt ſimul igni & ſulfure perirent: quatenus & iuſta pœna diſcerent, ex iniuſto deſiderio quid feciſſent. Quique æternis ſuppliciis deputati, ideo ante conſpectum agni cruciari dicuntur, non quo ipſi eundem manſuetudinis agnum videant, cum ſint exterioribus tenebris mancipati: ſed quo nec inter ipſa ſupplicia eius terrorem euadant, quem dudum ſuperbè contemnebant. Angelorum autem vocabulo, in quorum etiam conſpectu illi cruciari dicuntur, non ſolum illi Angelici ſpiritus, verumetiam electorum Eccleſia exprimitur, quæ in ſeptem Angelis ſæpè figuratur. B Sed mirandum valde eſt, cur hi qui ſumma felicitate perfruuntur, miſerorum cruciatus ſub oculis habere dicuntur. Quia enim cœleſtis patriæ ciues perfectum gaudium ex viſione ſui conditoris habebunt, proculdubio ex miſerorum cruciatu nullum mœrorem contrahent: & quia eos minimè ad veniam redire poſſe conſiderant, profectò ad eos nulla miſericordia ſeipſos inclinant. Cur ergo in conſpectu eorum cruciantur, qui nec illorum miſeriis vltra compati, vt pro eis apud iuſtum iudicem interueniant, nec de illorum ſuppliciis vllum mœrorem habere probantur? Sed ſciendum nobis, quia ordinante diuina Iuſtitia hoc ideo fit, vt dum impiorum cruciatus iuſti conſpiciunt, in Dei laudibus creſcant: quia & in ſe cernunt bonum, quo gratis remunerati ſunt: & in illis aſpiciunt ſupplicium, quod miſericorditer euaſerunt: Eritque vt malorum tormentum, ad electorum proficiat laudis incrementum. Ita enim tunc pulchra erit vniuerſitas, dum C & gehenna iuſtè cruciat impios, & æterna felicitas iuſtè remunerat pios. Sicut niger color in pictura ſubſternitur, vt ſuperiectus albus vel rubeus pulchrior oſtendatur: ita inquam tunc malos benè ordinans Deus, feliciora exhibet gaudia beatorum, oſtenſis ante oculos eorum ſuppliciis reproborum. Et quamvis illud ex viſione dominica eorum gaudium non ſit quo creſcat, magis tamen Autori ſuo ſe debitores ſentiunt, quando & bonum cernunt quod gratis percipiunt, & malum quod miſericorditer euaſerunt. Sequitur autem adhuc de malorum ſuppliciis, & dicitur:

Et fumus tormentorum eorum in ſæcula ſæculorum aſcendet.

Fumus quippè indicium dat futurarum flammarum: & quia quamvis ſine nutrimento lignorum, corporeus tamen manet ignis reproborum, ideo fumum eius ſempiternum dicit ineſſe. D Quia inquam ſine fine reprobos ardere conſpicit, idcirco fumum tormentorum in ſæcula ſæculorum aſcendere dicit: quæ magis timore indigent, quam expoſitione. Apertè namque tormenta impiorum ſine fine futura denuntiat. Sed quia ſunt plerique intra ſanctam Eccleſiam conſtituti, qui Origenianum ſecuti errorem, peruerſe viuentes Chriſtianos, gehennæ ignibus traditos, dicunt ad veniam poſſe redire: non incongruè puto, quamquam hoc plurimi ante nos fecerint contra eorum veſaniam aliqua reſpondere. Tales etenim idcirco peccatis ſuis finem ponere negligunt, quia habere quandoque finem futura ſuper ſe iudicia ſuſpicantur. Quibus breuiter reſpondemus, quia ſi quandoque finienda ſunt ſupplicia reproborum, quandoque ergo finienda ſunt gaudia beatorum. Per ſemetipſam namMatt. 25. que veritas dicit; *Ibunt hi in ſupplicium æternum, iuſti autem in vitam æternam.* Si igitur hoc verum non eſt quod minatus eſt, neque illud verum quod promiſit. At (inquiunt) ideo æternam pœnam peccatoribus minatus eſt, vt eos à perpetratione peccatorum compeſceret, E quia creaturæ ſuæ æterna ſupplicia minari debuit, non inferre. Quibus citiùs reſpondemus: Si falſa minatus eſt, vt ab iniuſtitia corrigeret: etiam falſa eſt pollicitus, vt ad iuſtitiam prouocaret. Et quis hanc eorum veſaniam toleret, qui dum promiſſionibus ſuis reproborum ſupplicia finiri aſſerunt, aſſertione ſua etiam electorum præmia remunerationeſque confundunt? Quis hanc eorum ſtoliditatem toleret, qui conantur aſtruere verum non eſſe, quod veritas de æterno igne minata eſt? Quique dum ſatagunt Deum perhibere miſericordem, non verentur prædicare fallacem. At, inquiunt, ſine fine non debet puniri culpa, quæ cum fine perpetrata eſt. Iuſtus nimirum eſt omnipotens Deus, & quod non æterno peccato commiſſum eſt, æterno non debet puniri tormento. Quibus velocius reſpondemus quod rectè dicerent, ſi iuſtus iudex diſtrictuſque veniens, non voluntates hominum, ſed facta penſaret. Iniqui enim ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt. F Voluiſſent quippè ſine fine viuere, vt ſine fine potuiſſent in iniquitatibus permanere. Nam magis appetunt peccare quam viuere: & ideo ſemper hic viuere cupiunt, vt nunquam deſinant peccare cum viuunt. Ad diſtricti ergo iudicis iuſtitiam pertinet, vt nunquam careant ſupplicio, quorum mens in hac vita nunquam voluit carere peccato: & nullus detur iniquo terminus vltionis, qui quamdiu valuit, habere noluit terminum criminis. At, inquiunt, nullus iuſtus crudelitatibus paſcitur, & delinquens ſeruus, à iuſto Domino idcirco cædi præcipitur, vt à nequitia corrigatur. Ad aliquid ergo cæditur, cum non eius Dominus cruciatu delectatur. Iniqui autem gehennæ ignibus traditi, quo fine ſemper ardebunt? Et quia certum eſt, quod pius atque omnipotens Deus non paſcitur cruciatibus iniquorum, cur cruciantur miſeri ſi non expiantur? Quibus citiùs reſpondemus, quod omnipotens Deus quia pius eſt, miſerorum cruciatu non paſcitur: quia vero iuſtus eſt, ab iniquorum vltione in perpetuum non ſedatur.

G Quod ſi fortè reſumpta temeritate controuerſiam dicunt, imo quia dicunt, æternum quidem ſupplicium Dominum deſignaſſe, ſed male viuentes Chriſtianos in eodem ſupplicio nequaquam æternaliter cruciari, apertis verbis declaraſſe: dicant, quæſumus, quid ſit illud quod Beatus Iob, homo vtique verax, ſpiritu prophetiæ plenus, ait: *Sicut conſumitur nubes & pertranſit ſic qui deſcendit ad inferos, non aſcendet.* Iob. 7. Et certè negare non poſſunt, in futuro iudicio peruerſos Chriſtianos ad inferos deſcendere. Qui ſi ad hæc ora ſua oppilata inueniunt, quia quod iuſtè reſpondeant, non habent: dicimus nos voce veridica, quod ipſi nolunt audire quia qui ſemel ad inferni profunda deſcenderit, nequaquam vlterius ad beatorum ſupernam habitationem conſcendet.

Ac ſi idem beatus vir ſententiam ſuam exponeret, dicens: *Reprobus quilibet in alto currendo vt nubes deficit, quia ſuperbiendo ad interitum tendit*: quem ſi ſemel pœna ad tartarum pertrahit, miſericordia vlterius ad veniam non reducit. Ibid. H De quo adhoc ſubditur: *Nec reuertetur vltra in domum ſuam.* Et quæ huius alia domus à talibus, de quibus nunc loquimur, eſſe credatur, cum in falſa Chriſtianitatis religione viuerent, niſi illa de qua per Pſalmiſtam Deo dicitur: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæculum ſæculi laudabunt te*? Pſal. 83. Iob 7. Pſal. 30. De quo rectè etiam adhuc ſubiungitur: *Neque cognoſcet eum amplius locus eius.* Et quis eius locus ab eiſdem putabatur, niſi ille cui idem Pſalmiſta dicit: *Eſto mihi in Deum protectorem & in locum munitum, vt ſaluum me facias*? Et quidem poſt acceptam maledictionis ſententiam, conabuntur reuerti ad locum, & dicent: *Domine, Domine, aperi nobis.* Matt. 25. Sed locus eis reſpondit, dicens: *Amen dico vobis, neſcio vos.*

Cùm igitur Pſalmiſta dicat, *Eſto mihi in Deum protectorem & in locum munitum*: idem autem locus reſpondeat impiis, *Amen dico vobis, neſcio vos.* Iob quoque occurrat, ac de quolibet reprobo dicat: Neque cognoſcet

A cum amplius locus eius: apertiſſimè claret, quia ſemel æternis ſuppliciis iniqui deputati, nequaquam vlterius ad beatitudinis gloriam pertingent. Hæc breuiter aduerſum Origenianos dixiſſe ſufficiat: nunc quid de malorum ſuppliciis ſubdatur, audiamus. Sequitur:

Nec habent requiem die ac nocte, qui adorauerunt beſtiam & imaginem eius, & ſi quis acceperit caracterem nominis eius.

Mirum non eſt, ſi æterno ſupplicio deputatis requies nulla eſt. Sed mirandum valde eſt, quomodo die ac nocte cruciari dicantur hi, qui æterna nocte damnantur. Neque enim ibi dies eſt, vbi lux nulla eſt. Sed ſciendum nobis eſt; quia cum ſit æternus malorum cruciatus, in die & nocte defectum mutabilitatis eorum exprimit:
B vt ſicut diei & noctis viciſſitudine ſuccedente tempora deficiunt, ſic illi ſine omnimodo defectu deficiant, qui à conſpectu creatoris damnandi reſiliunt. Hinc eſt etiam
Pſal. 80. quod cum æternitate adueniente iam tempora eſſe deſinant, de reprobis per Pſalmiſtam dicitur: *Erit tempus eorum in æternum.* Neque enim (vt dictum eſt) iam tempora erunt, quando poſt finita tempora æternitas ad-
Apoc. 10. uenerit, Angelo atteſtante, qui per viuentem in ſæcula ſæculorum confirmat, dicens *quia tempus iam non erit.* Qualiter vero beſtia & imago eius adoretur à reprobis, quibuſve modis caracterem eius accipiant in frontibus aut in manibus ſuis, pleniſſimè iam tractauimus. Et ideo cum ſæpius inculcatur, ſtudioſè à nobis in expoſitione non iteratur, ne faſtidium lectori ipſa repetitio generare videatur. Sequitur:

Hic patientia ſanctorum eſt, qui cuſtodiunt
C *mandata Dei & fidem Ieſu.*

Enarratis malorum futuris tormentis, pro præterito vtens futuro tempore, ad eos conuertit ſermonem, qui in medio malorum poſiti, ne beſtiam & ſimulacrum eius adorent, eiuſque caracterem accipiant, ſola patientia victores exiſtunt. Quæ ſint autem mandata Dei & fides Ieſu, ſuperius abundanter expreſſimus. Sed quia toties in hoc libro tanquam eminentior aliis inter preſſuras virtus patientiæ reperitur, libet de ea aliquid breuiter dicere, quantæque ſit excellentiæ demonſtrare. De hac namque Dominus inter ſcandala mundi diſcipulos
Luc. 21. mittens, ait: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Sic quippè mirabiliter conditi ſumus, vt ratio animam, & anima poſſideat corpus. Ius vero animæ à corporis poſſeſſione repellitur, ſi non prius anima à ratione poſſideatur. Benè ergo cuſtodem conditionis noſtræ patientiam eſſe Dominus expreſſit, quia in ipſa
D nos poſſidere noſmetipſos docuit. De qua etiam per Sa-
Prou. 16. lomonem dicitur: *Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium.* Minor eſt enim victoria vrbium, quia extra ſunt quæ ſubiiciuntur. Valdè autem maius eſt quod per patientiam vincitur, quia ipſe à ſe animus ſuperatur: & ſeipſum ſibimet ſubiicit, quando eum patientia intra ſe frenari compellit. Hinc rurſum per eundem Salomonem dicitur: *Do-*
Prou. 19. *ctrina viri per patientiam noſcitur.* Tanto enim quilibet amplius videtur eſſe ſapiens, quanto amplius probatur
1. Cor. 13. eſſe patiens. Et vt ad radicem virtutum redeamus, *Charitas*, ait Apoſtolus, *patiens eſt.* Ac ſi diceret: Charitatis indicium, patientia eſt. Si ergo indicium charitatis patientia eſſe probatur, ſi doctrina viri per eam dignoſcitur, ſi expugnatore vrbium fortior inuenitur, ſi ipſa animarum cuſtodia eſſe verè dicitur: ipſa eſt quæ omnibus virtutibus ineſt, & ſine ipſa nulla virtus eſt. Nulla etenim virtus ſine patientia inter mundi preſſuras illæſa cuſtodiri poteſt. Et quid de ea amplius dicere valemus? Ipſa eſt quæ cuncta aduerſariorum tela repellit, vniuerſa ignita diaboli iacula longè propulſat: contra quam ſi totus mundus inſurgat, non trepidat. Ipſa eſt inquam

E quæ maledicentibus benedictionem opponit, detrahentibus laudem rependit, iraſcentibus lenitatem offert, inuidentibus benignitatem obiicit, perſequentibus opem orationis impendit. Quid multa? Ipſa in omnibus victrix, in omnibus triumphans, ſequaces ſuos mundo ſuperiores exiſtere facit, amatores ſuos cum lenitate dura & aſpera tolerare compellit. O beata vera patientia; quæ ſine labore omnia toleras, ſine ſudore cuncta aduerſantia ſuperas: quæ in nullo læderis, in nullo detrimentum pateris. Et nec mirum ſi inter homines cuſtodias tuos illæſos, quæ etiam inter carceres dæmonum eos triumphare facis. Merito enim beſtiam & imaginem eius in tuis vincls, quia illis etiam corpore cadentibus illæſa perſiſtis. Sed quid nos miſeri, quid de huius tantæ excellentia virtutis dicere præſumimus, cuius nec (vt dignum eſt) præconium verbis attollere poſſumus, nec eam (vt cupimus) nobis ineſſe cognoſcimus?
F Quomodo alios ad hoc quod non habemus, laudando inuitamus? Sed nunquid propterea tacebimus, quia minus eam nobis ineſſe conſpicimus, & non potius noſipſos pariter cum auditoribus ad hanc appetendam prouocabimus? Remedium enim imperfectorum ſolet eſſe prædicatorum, vt ex ipſa ſua prædicatione qua auditorum mentes inſtruere cupiunt; ſe pariter cum illis inſequantur, ſe increpent, ſe redarguant, ſe accuſent; ſeque ad meliora ſemper prouocent: vt foris aliis, intus loquantur ſibi. Sicque fit, vt dum ſecum aliis pariter prædicant, pariter increpant, pariter accuſant: nec ipſi de bonis quæ fortè non habent, & aliis prædicant, apud diſtrictum iudicem teneantur rei, nec auditores ſanctæ prædicationis, officio inueniantur extranei. Sequitur:

Et audiui vocem de cælo dicentem: Scribe, Beati mortui qui in Domino moriuntur. A
G *modo iam dicit ſpiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis.*

Hæc vox quæ tunc de cælo ſonuit, hodieque ſonat ſiue ad Ioannem, ſiue ad Eccleſiam cuius figuram ille gerebat, ſpiritalis in corde facta cognoſcitur: quia & ille tunc in ſpiritu raptus, ſpiritali hanc aure percipiens, eodem ſpiritu Eccleſiam replendam eſſe, vt eandem vocem poſſit audire, in ſua perſona oſtendebat. Hanc enim nos in Ioanne audiuimus, hanc per Ioannem accepimus, hanc quotidie cœleſti aſpiratione cordis aure percipimus: ſed quam magnum ſit quod dicit, penſare non valemus. Ait enim: *Scribe, beati mortui qui in Domino moriuntur.* Ac ſi Ioanni diceret: Quia maximum eſt quod nunc ſolus audis, ſtylo exprime, vt ad eius aures perueniat, cuius figuram geris. Hoc ille iuſſus ex-
H preſſit literis, hoc commendauit memoriæ, hoc nos ſtylo ſcribimus, memoriæ infigimus: hoc vt in cordibus ſuis ſpiritu Dei viui ſcribant, omnes admonemus. Omnes inquam idipſum ſiue ſtylo, ſiue ſpiritu ſcribant: omnes qui cœleſtem patriam deſiderant, cum ſummo ardore dicant: *Beati mortui qui in Domino moriuntur.* Quid eſt enim in Domino mori, niſi per paſſiones illius de ſæculo tranſire? Quid eſt in Domino mori, niſi plenum fide & ſanctis operibus quemquam de mundo migrare? De quibus adhuc ſubditur: A modo iam dicit ſpiritus; vt requieſcant à laboribus ſuis. Et reuera dignum fuit, vt facta mentione malorum, quos requiem die ac nocte in tormentis poſitos minimè inueniſſe dixerat, bonorum quoque beatitudo requies ac plenitudo prædicaretur. De illis namque dictum: *Nec habebunt requiem die ac nocte*: de iſtis verò ſequitur, *A modo iam dicit ſpiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis.* Quis dicit? Spiritus vtique. Qui Spiritus? Nimirum Deus: quia Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, vnus Spiritus eſt Deus. Et quid dicit? A modo iam requieſcant à laboribus ſuis. In quibus verbis oſtenditur, ſanctos in hoc mundo nequaquam à labore ceſſaturos, nec requiem illis

A eſſe quærendam. Quovſque enim labor conſummetur,
neceſſe eſt vt ab opere manus intentionis non diſſoluan-
tur. Qui enim dicit, *A modo iam requieſcant à laboribus*
ſuis: oſtendit, quia antè nequaquam debent ceſſare à la-
boribus: ſed cum nihil ad laborandum remanſerit, tunc
perfectam quietem percipere. Hinc Paulus admonet, di-
Gal. 6. cens: *Fratres, non deficiamus, tempore enim ſuo metemus*
Matt. 10. & 24. *non deficientes.* Hinc Dominus ait: *Qui perſeuerauerit*
vſque in finem, hic ſaluus erit. Sed quia omnes quos in
Domino mortuos vox cœleſtis beatos pronuntiat, in
Prælatis conſtant atque ſubiectis, poteſt hoc quod ait:
Beati mortui qui in Domino moriuntur, generaliter om-
nibus congruere: hoc verò quod ſubiungit, *A modo iam*
dicit ſpiritus, vt requieſcant a laboribus ſuis, ſpecialiter
ſanctis prædicatoribus aptari: vt videlicet ſic vniuerſis
in Domino morientibus promittatur beatitudo vitæ pe-
rennis, quatenus populorum rectoribus tanquam agrum
Domini excolentibus, tanquam in vinea laborantibus,
B ſpecialis atque uberior requiei fructus polliceatur poſt
laborem. Ad quorum perſonam ſpecialiter Dominus
Matt. 25. dicturum ſe eſſe pronuntiat ita: *Euge ſerue bone & fide-*
lis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam,
intra in gaudium Domini tui. Nam cum omnes electi in
ſanctis laboribus ſemetipſos exerceant, ſpecialiter tamen
illi laboratores vocantur, qui gregem Domini commiſ-
ſum habere videntur. De quibus Apoſtolus exhortatur
1. The. 5. fideles, dicens: *Rogamus vos fratres, vt noueritis eos qui*
laborant in vobis, & præſunt vobis in Domino, & monent
vos, vt habeatis illos abundantes in charitate. Hinc dile-
2. Tim. 4. ctum diſcipulum admonet, dicens: *Labora, opus fac*
Euangeliſtæ. Hinc de ſeipſo, quod omnes Apoſtolos in
1. Cor. 15. hoc labore præceſſerit, ait: *Plus illis omnibus laboraui.*
Ioãn. 4. Hinc Dominus ad diſcipulos dicit: *Alij laborauerunt,*
& vos in labores eorum introiſtis. Generaliter autem de
omnibus ſubditur:

Opera enim illorum ſequuntur illos.

C
Pſal. 89. Huic ſenſui Pſalmiſta concinit, dicens: *Opera ma-*
nuum noſtrarum dirige ſuper nos, & opus manuum noſtra-
rum dirige. Sed cum præmiſerit, à modo iam requieſcant
à laboribus ſuis nunc quid ſibi vult quod dicit, opera
enim illorum ſequuntur illos, niſi quia tropica locutio-
ne mercedem laboris dicit ſubſequi ſanctos poſt labo-
Iere. 31. rem? Hinc per Prophetam dicitur: *Ceſſet vox tua à plo-*
ratu, & oculi tui à lacrymis: quia eſt merces operi tuo,
ait Dominus. Quia enim opus efficit mercedem, cum mer-
ces poſt laborem electos ſubſequitur, quaſi ipſum opus
eos comitari dicitur. Vbi autem finis annuntiatur operis,
ibi tandem huius libri ſit finis.

D
D. AMBROSII ANSBERTI Presbyteri, in Apocalypſim Ioannis Apoſtoli.

LIBER SEPTIMVS.

SOLET nonnunquam in ſacro eloquia vna ea-
demque res ſic ambiguè proferri, vt incertum
ſit, in quam magis partem debeat accipi, vt
Pſal. 74. eſt illud: *Calix in manu Domini vini meri ple-*
nus eſt mixto. Dubium eſt enim, vtrum iram Dei magis
ſignificet, non vſque ad nouiſſimam pœnam, id eſt,
vſque ad feces, an potius gratiam Scripturarum à Iudæis
ad gentes tranſeuntem, quia inclinauit ex hoc in hoc,
remanentibus apud Iudæos obſeruationibus quas carna-
liter ſapiunt, quia fex eius non eſt exinanita. Sed ſicut
ignoramus in quam partem certiſſimè accipi debeat, ſic
pro certo ſcimus, quia in quamlibet earundem partium
eam acceperimus, à veritate non diſcordamus. Sciendum E
etiam, quia ſicut à ſano intellectu non diſcrepamus, cum
talem ſententiam in quamlibet partem ſibi congruentem
acceperimus, ſic vtilius ac plenius ſenſum eius proferi-
mus, ſi cum eandem exponimus, ex vtriſque partibus no-
ſtram expoſitionem munimus, quatenus in illis duobus
ſenſibus vtcumque Spiritus Sancti intellectum attinga-
mus. Quod forte facere non valeremus, ſi vnũ ſolummo-
do eiuſdem ſententiæ ſenſum ſequeremur. Hoc autem id-
circo ad medium proferimus, quia nobis quædam ſimi-
lia in hac nunc Apocalypſi ad exponendum occurrunt,
de quibus ſeptimo huius operis libro initium damus. Et
vt ſummatim ac breuiter ea perſtringamus, introducit
hoc loco Ioannes, imo per Ioannem Spiritus Sanctus An-
gelos quatuor, duos & duos: duos videlicet imperantes, &
duos iuſſa complentes. Quorum vnus falcem meſſoriam,
alter vero vindemiatoriam habere deſcribitur, quique
iuſſis Angelorum imperantium obtemperantes, ſegetem
terræ meſſuiſſe, ac botros vineæ terræ vindemiaſſe refe- F
runtur. Sed cum ſubtiliter ipſius hiſtoriæ textum intue-
mur, & duos qui imperant, vnum; & duos qui obediunt,
vnum Angelum eſſe inuenimus. Cum enim dicat vnum
horum terram meſſuiſſe; alterum vero vindemiaſſe botros
vineæ terræ: atque in expreſſione ſententiæ ſileat, quid fa-
ctum ſit de ſegete, tantumque vuas in torculari vel lacu
dicat calcatas fuiſſe: oſtendit proculdubio hoc eſſe ſege-
tem terræ, quod ſunt botri vineæ terræ: & hoc eſſe torcu-
lar vel lacum, quo vuæ mittuntur, quod eſt area qua ma-
nipuli ſegetum congregantur. Si ergò (vt apertiſſimè co-
gnoſcimus) hoc ſunt ſegetes terræ, quod ſunt botri vineæ
terræ: patet ſine dubio, quia & qui metit, & qui vinde-
miat, vnus eſt Angelus: Si inquam & qui metit, & qui vin-
demiat, vnus eſt Angelus: profecto & hi qui imperant,
non iam duo ſed vnus eſt Angelus. Sciendum præterea
quia & hi qui imperant, Domini perſonam figuratim ex-
primunt & hi qui obediunt, nunc Domini, nunc Eccleſiæ
typum præferunt, ſicut locis congruentibus inferius ma- G
nifeſtabimus. Omnia autem quæ hic de meſſoribus vel
vindemiatoribus Angelis facta narrantur, ſic ad vtraque
tempora primi ſcilicet Domini ac ſecundi aduentus per-
tinere videntur, vt incertum ſit ad quod magis redigi de-
beant. Quia enim ad primum Domini aduentum terræ
demeſſio pertineat, ipſe teſtatur, qui ad Apoſtolos loqui-
tur, dicens: *Leuate oculos veſtros & videte regiones, quia* Ioan. 4.
albæ ſunt iam ad meſſem: & qui metit, mercedem accipit, &
qui congregat fructum in vitam æternam. Et rurſum: *Ego* Matth. 9.
miſi vos metere, quod non ſeminaſtis. Alij laborauerunt, &
vos in labores eorum introiſtis. Ruſſumque raros ad multi-
plicitatem ſegetis operarios conſpiciens, ait: *Meſſis qui-*
dem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo Dominum
meſſis, vt eiiciat operarios in meſſem ſuam. Quia vero eiuſ-
dem terræ demeſſio ad ſecundum Domini pertinet ad-
uentum ipſe etiam hoc ipſum confirmat, qui parabolam
diſcipulis exponens, ait: Meſſis quidem conſummatio eſt Matt. 13.
ſæculi, meſſores autem Angeli ſunt. Quamobrem cum hæc
ita ſint, liber vt ſupra promiſimus, qualiter ea quæ de meſ- H
ſoribus vel vindemiatoribus Angelis narrantur, ad vtra-
que tempora conueniant, aperire. Ait namque:

Vidi, & ecce nubes candida: & ſuper nubem, ſedentem ſimilem filio hominis, habentem coronam auream in capite ſuo, & in manu ſua falcem acutam.

Satis manifeſtiſſimè apparet, quis ſit iſte Angelus qui
ſuper nubem ſedet. Neque enim ad Angelicum ſpiritum
pertinet, vt ſimilis filio hominis vocetur: ſed ad Domi-
num noſtrum Ieſum Chriſtum, de quo ſcriptum eſt: *Cum* Philip. 2.
in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqua-
lem Deo: ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui acci-
piens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus
vt homo. Qui vero deſignatur per nubem, ſuper quam
idem Angelus ſedet, niſi caro eiuſdem redemptoris? Vn-
de ſcriptum eſt: *Ecce Dominus ſedet ſuper nubem leuem,* Iſai. 19.

A *& ingreditur Ægyptum*. Benè autem candida vocatur,
quia omnino maculis peccatorum non conſpergitur: vel
certè (vt manifeſtius apparet) per eandem nubem Ec-
cleſia eiuſdem redemptoris exprimitur, ſuper quam Do-
minus tanquam in throno ſedere deſcribitur, quia per
eam iudicio æquitatis mundum examinat. De cuius præ-
Iſai. 60. dicatoribus Propheta loquitur, dicens: *Qui ſunt iſti qui vt*
Epheſ. 5. *nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas.* Quæ vi-
delicet nubes, quam ſimilis filio hominis præſidet, rectè
candida vocatur: quia electorum Eccleſia, quam ſibi Do-
minus exhibuit non habentem maculam aut rugam, la-
uacro aquæ in verbo mundatur. Sciendum verò, quia &
nubes & ſuper nubem ſedens, vnum ſunt corpus. Et cum
Dominus ſuper nubem ſedet, vtique ipſa nubes cum Do-
mino ſedet, id eſt, iudiciariam poteſtatem in mundo exer-
cet. Quod autem hic ſedens, coronam auream in capite
habere deſcribitur, ſic intelligendum eſt: tanquam dice-
retur, Corpus Chriſti quod eſt Eccleſia, in capite poſſidet
coronam victoriæ. Ad cuius principes ipſum caput loqui-
B
Ioan. 16. tur, dicens: *Gaudete, quia ego vici ſeculum.* Hinc eſt quod
ſuperius vigintiquatuor ſeniores coronas aureas habere
narrantur. Quod vero ſubiungitur, & in manu ſua falcem
acutam: & ad caput & ad corpus vtrumque poteſt refer-
ri. Et quæ alia eſſe falx iſta creditur, niſi Euangelica præ-
dicatio, qua homines à terrena cupiditate videntur deme-
ti: & vt ad horrea cœleſtia tranſeant purgari, in vni-
tate fidei tanquam manipuli congregati, tritura tribu-
lationis agnoſcuntur conteri? Hanc enim falcem Do-
Matt. 10. minus alibi gladium vocat, dicens: *Non veni pacem
mittere in terram, ſed gladium: veni enim ſeparare homi-
nem aduerſus proximum ſuum, &c.* Quid vero eſt fal-
cem in manu habere, niſi Euangelium quod quiſque
voce prædicat, manu ſanctæ operationis implere? Ope-
Act. 1. ra enim ſignificantur plerumque per manum. Vnde &
de eiuſdem Euangelij Autore dicit Lucas: *Quæ cœpit
Ieſus facere & docere.* Sequitur:

C *Et alter Angelus exiuit de templo, clamans vo-
ce magna ad ſedentem ſupra nubem: Mitte
falcem tuam acutam & mete, quia venit
hora vt metatur, quoniam aruit meſſis
terræ. Et miſit qui ſedebat ſuper nubem, fal-
cem ſuam in terram, & meſſa eſt terra.*

Certum quippè eſt omnibus, manifeſtè apparet cunctis
nullum alium per ſedentem ſupra nubem ſimilem filio
hominis, accipi debere, niſi redemptorem noſtrum eiuſ-
que Eccleſiam. Quis ergo eſt iſte Angelus, qui ei vt ſege-
tem terræ metat, imperat? Nunquid nam Pater aut Spi-
ritus Sanctus? Abſit vt hoc affirmare tentemus, quod
nunquam in diuinis voluminibus aliquando reperire po-
terimus. Nunquam enim Spiritus Sanctus in diuino elo-
quio Angelus vocatur. Quis inquam eſt? Certè idem
D ipſe, qui & ſuper nubem ſedens. Cur autem alterum eum
Spiritus Sanctus appellauit, niſi vt in nubem id eſt in
Eccleſiam, nomen Angeli transferre: atque vt eandem
nubem, quam Angelum præſidere docuerat, nunc Ange-
lum vocans, pariter conſedere denuntiaret? Angelum
ergo Angelo, vt falcem ſuam in terram mittat & metat,
imperare, eſt, redemptorem noſtrum Apoſtolorum cor-
da verbis atque occultis inſpirationibus admonere qua-
tenus plebem Iudaicam credituram, quam Patriarchæ
atque Prophetæ vt agrum excoluerant, verbis complu-
erant, ac ſegetem fructuum vſque ad maturitatem per-
duxerant, Euangelica falce ab intellectu literæ legis,
quæ terrena ſectatoribus ſuis permittit, abſcidant, at-
que in vnitatem fidei Chriſtianæ tanquam manipulos re-
Act. 7. digant. Quid ſit autem, hunc Angelum (id eſt, redempto-
rem noſtrum) de templo exire, quidve ſit hoc templum,
debemus inquirere. Neque enim in manufactis, vt Scri-
ptura pronuntiat, aut habitaſſe, aut habitare creditur is,
quem nec cœlum, nec cœli cœlorum poſſunt capere.

Fortè ergo, imò certè ipſe eſt in diuinitate ſua illud tem- E
plum, ex quo ipſe exire narratur. Apoſtolus namque ait:
Scimus quia ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis 2. Cor.
*diſſoluatur, quod ædificationem habemus ex Deo, domum
non manufactam, æternam in cœlis.* Quæ autem ſit iſta do-
mus, Ioannes in hac Apocalypſi manifeſtius indicat: qui
poſtquam in cœleſti Ieruſalem templum ſe vidiſſe dene-
gaſſent, vtique manufactum, continuo ſubiecit & ait: *Do-* Apoc.
minus enim Deus omnipotens, templum illius eſt, & agnus.
Quid ergo eſt, hunc Angelum exire de templo, niſi re-
demptorem noſtrum corpus de immaculata Virgine aſ-
ſumere, qui poſſit ab hominibus videri? de quo & Apo- Philip.
ſtolus hoc quod præmiſimus, dicit: *Cum in forma Dei
eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo: ſed
ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitu-
dinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Quique
de ſeipſo pridie quam eſſet paſſurus cum diſcipulis cœ-
nam peragens, dixit: *Exiui a patre, & veni in mundum.* Ioan.
Ecce Angelum ad humanos oculos egredientem de tem- F
plo. Quod autem ſubiungitur, & miſit qui ſedebat ſuper
nubem, falcem ſuam in terram, & meſſa eſt terra, iam non
ſolum de iudaica plebe, ſed de cunctis etiam gentibus
intelligendum eſt. Meſſores etenim illi ab Ieruſalem in-
choauerunt, ſed vſque ad fines terræ metendo peruene-
runt. Vnde ſcriptum eſt: *Oportebat Chriſtum pati & re-* Luc.
*ſurgere à mortuis die tertia & prædicare in nomine eius pœ-
nitentiam & remiſſionem peccatorum per omnes gentes, in-
cipientes ab Ieruſalem.* Hinc ſurſum ad Apoſtolos dicitur:
Accipietis virtutem ſuperuenientis Spiritus Sancti in vos, Act. 1.
*& eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Iudæa & Sa-
maria, & vſque ad vltimum terræ.* Sequitur:

*Et alius Angelus exiuit de templo quod eſt in
cœlo habens & ipſe falcem acutam. Et alius
Angelus de altari, qui habebat poteſtatem
ſuper ignem clamauit voce magna ad eum
qui habebat falcem acutam dicens: Mitte* G
*falcem acutam, & vindemia botros vineæ
terræ, quoniam maturæ ſunt vuæ eius.*

Si hoc ſignificant ſegetes terræ, quod botri vineæ ter-
ræ: ſine dubio (vt ſuprà iam diximus) ipſe habet falcem
vindemiatoriam, qui & meſſoriam id eſt, Dominus Ec-
cleſiam. Quis vero eſt iſte ſequens Angelus de altari, qui
habet poteſtatem ſuper ignem, quique hunc ad vinde-
miandum inuitat, niſi idem Dominus? Sed in ſolo Eccle-
ſiæ capite. Quæ idcirco (vt ſuprà meminimus) alius vel
alter à Spiritu Sancto vocatur, vt videlicet neceſſario ge-
nus in ſpecies diuiſum in membris nomen Angeli trans-
ferat: quibus caput, vt vindemient, falcem dediſſe non
dubium eſt. In eo enim quod Angelus iſte de templo exit,
figuram capitis gerit: in eo vero quod imperanti obedit,
Eccleſiæ figuram reſumit.

Et ipſe eſt qui iubet, & ipſe eſt qui obedit. Iubet ſcilicet H
ex capite, obedit vero in membris. Sed & membra cum
in capite imperante quippiam gerunt, hoc ipſum per ca-
put cui inhærent, agunt. Quid ſit autem Angelum exire
de templo breui quidem, ſed aperta expoſitione ſuprà do-
cuimus. Sed ibi tantummodo Angelum de templo exiiſſe
dixerat, nunc autem vbi hoc templum viſum fuerit, indi-
care curauit, dicens: Angelus alius exiuit de templo quod
eſt in cœlo. Et quod eſt hoc cœlum, in quo templum il-
lud cernitur, niſi illud quod in eodem templo habitare
cognoſcitur, rationabilis videlicet creatura, ad cognoſcen-
dum Deum condita in principio, in qua ſolummodo cum
quæritur, Deus proculdubio inuenitur? Hoc enim tem-
plum in cœlo, & cœlum in eodem templo futurum eſſe
conſpexerat, qui dicebat: *Erit Deus omnia in omnibus, &* 1. Cor.
nos in illo. Benè autem Angelus qui ad vindemiandum
Angelum prouocat, de altari exiſſe dicitur: quia & ille
Pontifex noſter, & nos altare ipſius & ſacrificium ſumus,
cum corpora noſtra hoſtiam illi viuentem exhibemus.

A Sed & nos cum illo vnus Pontifex, & ipſe nobiſcum altare & ſacrificium inuenitur. Quærendam verò nobis eſt, quomodo iſte Angelus, ſacerdos videlicet noſter, ſuper ignem altaris, quo ſignificatur Spiritus Sanctus qui ſuccenſus eſt in Patriarchis & Prophetis atque Apoſtolis, & nunc vſque in eodem ardet altari, poteſtatem habere dicatur, cum ſit Pater & Filius & Spiritus Sanctus, beata & inſeparabilis Trinitas, vnus verus Deus, vnius naturæ, vnius maieſtatis. Hinc fortè putauerunt hæretici Spiritum Sanctum creaturam eſſe filij, eo quod ſuper hunc ignem poteſtatem habere dicatur. Sed ſciendum nobis eſt, ita dici oportere, ita dici debere poteſtatem eum ſuper hunc ignem habere tanquam diceretur: Nullus per ſemetipſum hunc ignem valet habere, niſi per eum meruerit
Ioan. 16. accipere. Vnde & ipſe Dominus diſcipulis ait: *Niſi ego abiero, paraclitus non veniet ad vos, ſi autem abiero, mittam eum ad vos.* Hinc eſt quod poſt reſurrectionem ſuam
Ioan. 20. diſcipulis apparens, inſufflauit & dixit: *Accipite Spiritum Sanctum.* Hinc alibi ait: *Ignem veni mittere in terram: &*
B *quid volo niſi vt ardeat?* Quid autem obediens Angelus,
Luc. 12. id eſt, Eccleſia in ſanctis prædicatoribus, iſto iubente fecerit, audiamus. Sequitur:

Et miſit Angelus falcem ſuam in terram, & vindemiauit botros vineæ terræ, & miſit in lacum iræ Dei magnum.

Iam quia hoc ſit vindemiare vineam terræ, quod eſt ſegetem metere, apertè docuimus. Nunc autem quid de eiſdem vuis, quas Angelus vindemiauit, id eſt, de credentibus quos vel à priſtino errore, vel à terreno amore abſcidens, vnitati fidei coniunxit, conſequenter fecerit, audiamus. Et miſit, inquit, in lacum iræ Dei magnum. Quid miſit? Vtique hoc quod meſſuit vel vindemiauit. Quid eſt illud quo miſit, niſi lacus vel (ſicut alia tranſlatio habet) torcular iræ Dei magnum? Quid verò deſignatur per lacum vel torcular, niſi temporalis afflictio, in quo ſancti
C. tanquam ſegetes triturantur, vt à paleis ſeparati, cœleſtibus horreis recondantur? Tanquam calcibus tunduntur, vt à vinaceis expreſſi, æternis promptuariis includantur. Benè ergo dicitur: Et miſit Angelus falcem ſuam acutam in terram, & vindemiauit botros vineæ terræ, & miſit in lacum iræ Dei magnum. Ac ſi diceretur: Miſſa Euangelicæ prædicationis falce in mundo, quos à priſtino errore vel terreno deſiderio abſcidens Eccleſia fidei vnitati aggregauit magnis tribulationibus tradidit. Quæ videlicet preſſuræ idcirco lacus iræ Dei magnus vocantur, quia quamquam per eas ad paternam hæreditatem dilecti filij erudiantur, tamen ex ira diſtricti iudicis humano generi eueniſſe probantur, quæ hic temporaliter iuſtos affligunt, vt ſint quibus Deus miſericors poſtea in æternum parcere poſſit.

Quam vtique iram nunc patienter ſuſtinent filij, quia per hanc ſe ad regnum ſciunt erudiri, Apoſtoli ſine du-
D bio, verba meditantes quibus dicit: *Oportet nos per mul-*
Act. 14. *tas tribulationes introire in regnum Dei.* In hoc namque torculari immenſis ponderibus premebatur idem Apo-
1. The. 3. ſtolus, cum de hac ipſa ſua preſſione diſcipulorum animos permoueri formidaret, dicens: *Nemo moueatur in his preſſuris: ſcitis enim quia in hoc poſiti ſumus.* Ac ſi aliis verbis diceret: *Nemo nos in torculari calcibus tundi, ponderibus deprimi conſiderans, pertimeſcat, aut nos infelices exiſtimet, ſciens quod in hoc poſiti ſumus, vt his calcibus vel depreſſionibus in vini ſaporem liquemur, atque æternis cellariis*
2. Cor. 1. *recondamur.* Hinc alibi ait: *Nolumus vos fratres ignorare de tribulatione noſtra quæ facta eſt in Aſia, quoniam ſupra modum facta eſt & ſupra virtutem, ita vt tæderet nos etiam*
1. Pet. 4. *viuere.* Hinc Petrus admonet, dicens: *Cariſſimi, nolite expaueſcere ardores accedentes vobis in tentationibus, nolite trepidare quaſi noui aliquid contingat: ſed quotieſcumque communicatis Chriſti paſſionibus, gaudete, & vt in aduentu gloriæ eius gaudeatis exultantes.* Sequitur:

E

Et calcatus eſt lacus extra ciuitatem.

Hæc locutio tropica eſſe cognoſcitur, ab eo ſcilicet quod continet, id quod continetur oſtendens tanquam ipſi ſint lacus, qui calcantur in lacu. Vſitata namque ſiue communi, ſeu diuinarum Scripturarum locutione, talis ſententia profertur. Mirandum autem valde eſt, cum vna perſecutio, vna temporalis afflictio & electos & reprobos intra ſanctam Eccleſiam deprimat, quomodo extra ciuitatem calcari dicitur lacus, & quæ alia eſt iſta ciuitas niſi electorum Eccleſia. Si ergo eiſdem preſſuris affliguntur electi, quibus & reprobi Chriſtiani: quomodo extra ciuitatem, quæ eſt Eccleſia Dei, dicitur idem lacus calcari? Sed ſciendum nobis eſt, quia (vt ſolet) Scriptura ſacra genus diuidit in partes, & à parte tranſit ad partem: atque eos quaſi ſolos dicit in lacu calcatos, de quibus conſequenter ſanguinem dicit emanaſſe, cum & ſolidas & putridas vuas vna probauerit calcatio tribulationis. F
Dicatur ergo: Calcatus eſt lacus extra ciuitatem ſubaudis, idcirco in reproba ſui parte, quæ iam tunc per meritum reprobationis foris erat, cum intus lateret calcatus eſt, non vt vinum, ſed vt ſanguinem emanaret. Vnde & rectè ſubiungitur:

Et exiuit ſanguis de lacu vſque ad frenos equorum per ſtadia mille ſexcenta.

Abſit autem vt de bonis vuis, quæ ſecundum electionis gratiam intus calcantur, ſanguis exiſſe credatur: ſed de illis quæ propter meritum reprobationis foris conteruntur, quamquam intus eſſe videantur: de illis ſcilicet, quas terra illa inculta protulit, de qua per Prophetam
Dominus dicit: *Suſtinui vt faceret vuas, fecit autem la-* Iſai. 5.
bruſcas. Hinc alibi ſcriptum eſt: *Ex vinea Sodomorum* Deut. 32.
vitis eorum, & propago eorum ex Gomorra. Sanguinis autē nomine in Scriptura ſacra aliquando propagatio huma-
næ ſobolis, aliquando vindicta diſtrictæ animaduerſionis, G
aliquando infidelitas mentis, aliquando deſignantur peccata carnis. Sanguinis enim nomine in ſacro eloquio propagatio humanæ ſobolis accipitur, Ioanne atteſtante, qui
de filiis Dei ſecunda generatione procreatis, ait: *Quotquot* Ioan. 1.
autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Eiuſdem ſanguinis nomine vindicta animad-
uerſionis diſtrictæ exprimitur, Domino ad Iudæos dicen- Matt. 23.
te: *Ecce mitto ad vos Prophetas & ſapientes & ſcribas, & ex illis occidetis & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in ſynagogis veſtris, & perſequemini de ciuitate in ciuitatem, vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, à ſanguine Abel iuſti vſque ad ſanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidiſtis inter templum & altare.* Ruſum autem vocabulo ſanguinis infidelitas mentis
deſignatur, ſicut in Exodo atque in hac Apocalypſi con- Exod. 7.
ſona veritate in ſanguinem aquæ commutari narrantur. H
Ruſumque peccata carnis per ſanguinem figurantur, ſi-
cut per Dauid admiſſo adulterij crimine, dicitur: *Libera* Apoc. 8.
me de ſanguinibus Deus. Et illud: *Sanguis ſanguinem tan-* Pſal. 50.
git. Sanguis enim ſanguinem tangit, cum peccatum pec- Oſeæ 4.
cato coniungitur. Quid autem hoc loco per ſanguinem de lacu egreſſum intelligere debemus, niſi infidelitatem mentis? Miſſis ergo vuis in lacu vel torculari, ſileatur quidem de vino ex bonis vuis interius eliquato, atque in promptuariis recondito: tantumque de vuis acerbis, atque (vt ita dixerim) labruſcis vel hyemalibus racemis, qui ſimul cum vuis exorti, ad maturitatem non valent peruenire, in torculari calcatus ſanguis dicitur emanaſſe: quia exorta intra S. Eccleſiam perſecutione, quidam à fide declinantes, perfidiæ cruore infecti, foras dilabuntur: atque ideo extra ciuitatem calcari dicuntur, permanentibus electis intrinſecus vino fidei debriatis. Et quia non ſolum minimos intra ſanctam Eccleſiam conſtitutos, verumetiam magnos preſſura tribulationis ad infidelita-

A tem mentis perducit, recte vſque ad frenos equorum ſanguis perueniſſe narratur. Quid enim aliud per equos, niſi ſubiectos populos: quid vero per frenos equorum, niſi rectores accipimus populorum? Ac ſi aperte diceretur: Afflictio temporalis intantum præualuit, vt ipſos etiam qui plebes regere videbantur, cruore infidelitatis macularet. Quod autẽ per ſtadia mille ſexcenta hic ſanguis effluxiſſe narratur, omnium à fide declinantium ſumma in eodem numero cõcluditur, quæ in quatuor mundi partibus conſiſtit. Propter quatuor nanque eiuſdem mundi plagas, mille ſexcenti tanquam quaternitas conquaternata, vniuerſitatem deſignat. Quater enim quadringenti, mille ſexcentos faciunt. Quia vero hoc in tempore per voluptatum*

*lubrica. ludibria currunt, idcirco ſtadiorum vocabulo eorum ſumma comprehenditur. Hæc de his quatuor, qualiter ad primum Domini aduentum pertineant, beatum Hieronymum in quibuſdam ſecuti, prout Dominus noſſe nos dedit, diſputauimus: nunc autem quemadmodum ſecundo

B aduentui congruant, ipſo Domino annuente, demonſtremus. Nouiſſimi nanque examinis die iudicium per Angelos exerceri, nullus qui euangelium legit ignorat. Hinc eſt enim quod cum de zizaniis ſimul cum tritico exortis, ſer-

Matt. 13. uis patris familias dicentibus, *Vis imus & colligimus ea.* Ait, *Non ne forte colligentes Zizania, eradicetis ſimul & triticũ. Sed ſinite vtraque creſcere vſque ad meſſem, & in tempore meſſis dicam meſſoribus: Colligite primum Zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum: triticum autem congregate in horreum meum.* Quid ſit autem tempus meſſis,

Ibid. quidve meſſores, ipſe alibi indicat, dicens: *Meſſis quidem conſummatio eſt ſaeculi: meſſores autem, Angeli ſunt.* Quid eſt enim, meſſores primum zizania colligere, & ad comburendum faſciculis alligare, niſi malos de medio iuſtorum auferre, ac pares cum paribus æternis incendiis tra-

Ibid. dere? Hinc rurſum dicit: *Simile eſt regnum cælorum sagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti.* Quam, cum impleta eſſet, educentes, & ſecus littus ſedentes, elegerunt bonos in vaſa ſua malos autem foras miſe-

C runt. Quique ſecutus quid dixerit, exposuit dicens: *Sic erit in conſummatione ſaeculi. Exibunt Angeli & ſeparabunt malos de medio iuſtorum, & mittent eos in caminum ignis ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Sed ſciendum nobis eſt, quia hoc quod Angeli obſequio miniſtrantium, hoc Dominus & Eccleſia in iudicio ſedens exercet poteſtate: ad cuius

Matt. 19. principes, ipſe omniũ iudex loquitur dicens: *In regeneratione cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper duodecim ſedes iudicantes duodecim tribus Iſraël.* Hinc eſt quod cum ad Angelos hoc quod præmiſi-

Matt. 13. mus dicatur, *Colligite primum zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum:* quis tamen hoc principaliter iudicio poteſtatem exerceat, Ioãnes Baptiſta inſinuat, qui de

Matth. 3. Domino ſub alia figura loquitur, dicens: *Cuius ventilabrum in manu ſua, & permundauit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum ſuum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Et quid eſt aream permundare ac paleas comburere, niſi zizaniam colligere, & ad comburendum

D faſciculis alligare? Hinc eſt etiam, quod cum ipſum hoc apertius Dominus obſequio Angelorum dicat fieri, *Exibunt Angeli & ſeparabunt malos de medio iuſtorum* quis tamen hoc iudicio poteſtatẽ principaliter exerceat, indicat

Matt. 25. dicẽs: *Cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, tunc cõgregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab inuicem ſicut paſtor ſegregat oues ab hœdis.* Quamobrem ſecundum huius intelligentiæ regulam, in hac Apocalypſi de iſtis Angelis, meſſoribus ſcilicet ac vindemiatoribus, ſentiendum eſt: quia nec aliter, vt vobis videtur, fieri poteſt. Nulli enim alii conuenit hoc quod de illis dicitur, niſi incarnato Dei filio, eiuſq; corpori quod eſt Eccleſia. Dicatur ergo: [*Vidi, & ecce nubem candidam: & ſupra nubem, ſedentem ſimilem filio hominis habentem in capite ſuo coronam auream, & in manu falcem acutam.*] Quæ ſit nubes candida, qui Angelus deſuper ſedens, quæ corona in capite eius, ſupra iam diximus: nec aliud quam hic, ibi intelligimus. Tantummodo falx aliud hic ſignificare videtur quam ibi: quia nequaquam iam tunc Euangelicæ doctrinæ falx per campos cordis diſcurret, vt in fidei manipulos populorum turbas aſtringat, quando reddendi rationem de contempta eadem prædicatione tempus aduenerit. Quid ergo hoc lo- E

co falcis appellatione ſignatur, niſi poteſtas diuini iudicii? Poteſtas enim diuini iudicij quia intra ſe omnia incidendo complectitur, recte falcis vocabulo deſignatur. In falce enim quicquid inciditur, quaquauerſum flectatur, intus cadit. Et quia poteſtas superni iudicij nullatenus euitatur, intra ipſam quippe ſumus, quolibet fugere conemur: recte cum iudex venturus oſtenditur, falcem tenere perhibetur: quia cum potenter ad omnia obuiat, incidendo circundat. Eſſe ſe intra huius iudicij falcem viderat pro-

pheta, cum diceret: *Si aſcendero in cælum, tu illic es: ſi* Pſal. 138.

deſcendero ad infernum, ades. Intra quandam falcem ſe vidit, cum ex nullo ſibi loco patere fugæ aditum cogno-

uit, dicens: *Quia neque ab oriente, neque ab occidente, ne-* Pſal 47.

que a deſertis montibus ſubaudis patet fugiendi locus. Atque mox ipſam supernæ potentiæ omnimodam comprehenſionem ſubdens ait: *Quoniam Deus iudex eſt.* Ac ſi diceret: Fugiendi via vndique deeſt, quia ille iudicat qui

vbique eſt. Sequitur: *Et alter Angelus exiuit de templo,* F

clamans voce magna ad ſedentem ſupra nubem: Mitte falcem tuam acutam & mete quia venit hora vt metatur quoniam aruit meſſis terræ. Et miſit qui ſedebat ſupra nubem, falcem ſuam in terram, & meſſa eſt terra.] Vt ſupra meminimus, ipſe eſt iſte Angelus qui de templo exiit, qui eſt & qui ſuper nubem ſedet. Sed ideo alterum vocat, vt in nube, id eſt, in Eccleſia, Angeli nomen transferatur: quia nec ratio poſcebat vt diceretur, clamauit Angelus qui ſedebat ſuper nubem, ad eandem nubem vt falcem ſuam mitteret in terram: ſed vt Angelus ad Angelum, id eſt, caput ad membra ſua. Quid eſt autem, iſtum Angelum exire de templo, niſi redemptorem noſtrum à ſecreto diuinitatis ſuæ in forma humana in iudicio omnibus apparere? Quid vero eſt, Angelum ad Angelum vt metat, voce magna clamare, niſi eundum redemptorem noſtrum

Eccleſiæ ſuæ poteſtatem iudicandi tribuere? *Sedebitis,* in- Matt. 19.

quit, *mecum iudicantes duodecim tribus Iſraël.* Quod autem ſegetem terræ Angelus aruiſſe dicit, finem vniuſ- G

cuiuſque aduenisse deſignat. In qua ſcilicet ſegete, quia & in culmis ariſtiſque fragilibus paleæ, & granis frumenta cognoſcuntur ineſſe recte hoc loco bonorum & malorum debitos fines ſignificari maturitate meſſium dicimus. Dicatur ergo: *Miſit qui ſedebat ſuper nubem falcem ſuam in terram, & meſſa eſt terra.* Ac ſi diceretur: Eccleſia cum Domino ſedens, iudicio poteſtatis inter malos & bonos diſcernens, cuncta examinauit. Nouiſſimi enim examinis tempore peractis cum beſtia ſpiritaliter præliis, sagaci diſcretionis iudicio inter bonos & malos Eccleſia diſcernet: tuncque Dei illuſtrata lumine, lucem à tenebris diuidet, cum alios æterna claritate perfrui, alios denſiſſimis tenebris obſcurari, iudicio poteſtatis iuſtæ decreuerit. Sequitur: [*Et alius Angelus exiuit de templo quod eſt in cælo habens & ipſe falcem acutam. Et alius Angelus de altari, qui habet poteſtatem ſuper ignem clamauit voce magna ad eum qui habebat falcem acutam, dicens: Mitte*

falcem tuam & vindemia botrõs vineæ terræ, quoniam ma- H

turæ ſunt vuæ eius.] Qui habet falcem meſſoriam, vt iam diximus, ipſe & vindemiatoriam. Et qui dixit meſſori, mete: ipſe & vindemiatori, vindemia: quia & hoc figuratim valet tritura areæ ad meſſem, quod lacus vel torcular ad vuarum expreſſionem. In qua ſcilicet locutione, & ſi tempus exurendi paleas vinaceaque proiicendi, nec non & frumenta ac vina recondendi aduenisse audimus: tamen in meſſe atque vindemia non duo quædam, ſed vnum ſignificari ſcimus. Et hoc iuxta conſuetudinem ſacri eloquii, cuius figurata locutio multis in locis ſimilis reperi-

tur, vt eſt illud Apoſtoli, *Dei agricultura eſtis, Dei ædifi-* 1. Cor. 3.

catio eſtis. Quamobrem ſi hoc ſignificat ſeges terræ, quod botri vineæ terræ vtique hoc eſt Angelum metere, quod eſt vindemiare. Quid ſit autem cælum, quodque templum in cœlo, quidve ſit Angelum exire de templo, alterumque ad eum vt metat vel vindimiet clamare, latius ſupra expreſſimus. Cur autem is qui imperat, alter vocetur, cum vnum ſint, & qui iubet, & qui iubentis voci obtemperat, id eſt, Chriſtus & Eccleſia, caput videlicet

A & membra, hoc iam diximus. Necnon & illud, cur vnus horum qui imperat, Angelus de altari eſſe dicatur: quove modo ſuper ignem altaris poteſtatem habeat, niſi fallor, indiſcuſſum non præteriuimus. Quapropter in his quæ iam diſſeruimus, immorandum non eſt, ſed ad indiſcuſſa tranſeundum. Sequitur: [*Et miſit Angelus ſalcem ſuam in terram, & vindemiauit botros vineæ terræ, & miſit in lacum iræ Dei magnum, & calcatus eſt lacus extra ciuitatem.*] Quid igitur eſt, Angelum falcem mittere in terram, & vindemiare botros vineæ terræ vel metere ſegetem terræ, niſi (vt præfati ſumus) Dominum & Eccleſiam iudicio intimæ diſcretionis, zizania à mundis manipulis, paleas à granis, vinacea à vino. i. reprobos ab electis ſeparare? *Et miſit*, inquit, *in lacum iræ Dei magnum.* Quis miſit, niſi Chriſtus & Eccleſia? Quid miſit, niſi hoc quod vel meſſuit vel vindemiauit? Quo miſit, niſi in lacum iræ Dei? Quid eſt autem B lacus vel torcular iræ Dei, niſi eadem ira, torcularis vel laci nomine deſignata? Quæ videlicet ira, id eſt, diſtrictæ animaduerſionis ſententia, mirum in modum dum putribilia conterit, imputribilia tantummodo probat: hoc eſt, dum cunctos vltimo iudicio examinat, non electos, ſed ſolos reprobos calcat. Quamobrem tacetur hoc in loco de vuis bonis vinum eliquantibus, ac ſolummodo illi in lacum calcati referuntur, de quibus pro vino ſanguis exire narratur. Vnde & idem lacus vel torcular, illi ſcilicet qui in lacum vel torcular, mitti dicuntur, extra ciuitatem, (id eſt, extra Eccleſiam) calcari narrantur. Quod ita quoque eſſe exemplaria Græca demonſtrant, in quibus ſecundum idioma linguæ ipſorum torcular non vt in noſtris, neutri generis, ſed fœminini poſitum reperitur, magnum vero maſculini. Quo videlicet in facto non torcular magnum vocatur, ſed magnus in torcular miſſus fuiſſe narratur, antiquus videlicet hoſtis, totumque eius corpus tanquam vna perſona. Vnde & idem reproborum princeps, draco magnus C vocatur: eiuſque ſocietas, propter immanitatem ſceleris, magna ciuitas conſequenter appellatur. Non autem hæc noſtra coniectura aſtruimus, ſed ſenſum patrum qui ante nos iſta tractauerunt, ſequimur: & vt vnius horum verbis vtamur, dicendo, inquit, iræ Dei ſubaudis, torcularis nomine deſignatæ. Sententiam hic pro ira poſuit, quam ſuperbo dicit inflictam, quem etiam magnum vocat. *Tu*, inquit, *humiliaſti ſicut vulneratum ſuperbum.* Quique breuiter exponendo, cætera percurrit, dicens: Extra ciuitatem, extra Eccleſiam, futura videlicet diſceſſione facta, foris erit omnis homo peccati. Calcatio hic torcularis vel tritura areæ inutilia conterit, imputribilia probat: vt ignis vaſa, & iuſtos tentatio tribulationis. Sequitur: [*Et exiuit ſanguis de lacu vſque ad frenos equorum, per ſtadia mille ſexcenta.*] Quid hic per ſanguinem, niſi vindictam accipimus ſanguinis? Vnde exiit iſte ſanguis, id eſt vindicta ſanguinis niſi ab illa ſententia diſtricti iudicis, qua diaboli corpus, ſiue pro interfectione martyrum, ſeu pro corruptionibus vitiorum damnatur? Quo excreuit? Nimirum vſque ad frenos equorum. Ac ſi diceretur: Non ſolum D pedes tetigit, id eſt, extrema atque vltima, verumetiam vſque ad frenos equorum, id eſt, vſque ad rectores populorum peruenit. Cum enim perſecutionis illatæ, corruptioniſque perpetratæ pœnas diabolus cum ſuis cœperit luere: ſanguis ſanctorum quondam effuſus, carnaliumque corruptionum atque omnium vitiorum cruor, vſque ad eum & principes eius non incongrue dicitur inundare. Quod autem per ſtadia mille ſexcenta hic ſanguis emanaſſe perhibetur, omnis malorum ſumma in eodem numero comprehenditur, ſecundum ſuperiorem ſcilicet intellectum, qua quaternitas conquaternata, quatuor cardines cœli comprehendit. Vt enim ſupra meminimus, quater quadringenti, mille ſexcentos faciunt. Poteſt autem per lacum iræ Dei, infernus deſignari: vt iſte ſit ſenſus, quod inutiles atque hyemales racemos non vinum, ſed ſanguinem reddentes, à maturis vuis ſegregatos, in laci profunda Angelus miſerit, æternis calcibus conterendos. Niſi enim vocabulum laci infernum deſignaret, nequaquam propheta diceret: *Loquentur potentiſſima robuſtorum de medio inferni, qui cum auxiliatoribus eius deſcenderunt, & dormierunt incircumciſi interfectique gladio.* Ibi Aſſur & multitu-

[margin: Apoc. 12. Apoc. 16. — Pſal. 88. — Eccl. 27. — Ezech. 32.]

E do eius, in circuitu illius ſepulchra eius: omnes interfecti & qui ceciderunt gladio, quorum data ſunt ſepulchra in nouiſſimis laci. Et rurſum: *Ibi Helam & omnis multitudo eius, per gyrum ſepulchri eius.* Omnes hi interfecti ruenteſque gladio, qui deſcenderunt incircumciſi ad terram vltimam, qui poſuerunt terrorem ſuum in terra viuentium: qui portauerunt ignominiam ſuam cum his qui deſcendunt in lacum. Hinc Pſalmiſta Domino dicit: *Saluaſti me à deſcendentibus in lacũ.* De quo & recte nunc dicitur: *Calcatus eſt lacus extra ciuitatem.* Ac ſi aperte diceretur: Quia nunc reprobi intra ciuitatem, id eſt, intra ſanctam Eccleſiam, cœleſti diſciplina conteri refugiunt: ab ea proiecti, tunc æternis contuſionibus plectendi erunt, quando illa ex diſciplinæ verbere ad paternam hæreditatem tranſierit. O ſi nunc vellent cum Eccleſia vindictam de commiſſis recipere, ne in poſterum cum cœperit illa lætari, contingeret illis extra eam affligi atque cruciari. De quorũ F perpetuis tormentis aperte nunc dicitur: Exiuit ſanguis de lacu vſque ad frenos equorum per ſtadia mille ſexcenta. Tanquam diceretur: Nulli ſanctorum latebit quæ ſit interior mors reproborum, quando vindicta ſanguinis à minimo vſque ad maximum exterius apparebit. Sequitur:

[margin: Ibid. — Pſal. 29.]

Et vidi aliud ſignum in cœlo, magnum & mirabile, Angelos ſeptem habentes plagas ſeptem nouiſſimas, quoniam in ipſis conſummata eſt ira Dei. Apocal. Cap. XV.

Quiſquis diuinarum ſcripturarum locutiones intelligit ſanctorumque patrum ſenſibus inuigilat, minime hanc Apocalyſim iuxta literam accipi poſſe facile cognoſcit. Et quia frequenter idipſum propter minus intelligentes repeto, prudentem lectorem admoneo, vt patienter imo libenter ferat ſi quod per hoc factum paruulorum lucrum intelligit. Si cui autem faſtidioſus in hoc facto appareo, G hunc vt ad ſuperiores huius hiſtoriæ tractatores recurrat, admoneo: in quibus non ſolum erudiri, verumetiam (ſi ſtudioſus eſt) amplius valet exerceri. Si quis vero propter excellentiam magnitudinis, ſenſum illorum (vt dignum eſt) non valet attingere hunc vt ad me veniat, inuito. Qui etſi propter diuini eloquij altitudinem eiuſque figuratæ locutionis minutias prolixam forte expoſitionem incurret, nil tamen in ea ad intelligendum difficile inueniet. Ad hoc enim in his meum ſtudium inſudat vt ea quæ diſſero, tanquam cibum dentibus mãſum, in paruulorum corda traiiciam. Quamobrem nec verborum circuitus euito, dummodo tam ſubtilis eloquentiæ profunditates, prout dominus largiri dignatur, legentibus pandam. Ob quam cauſam opus iſtud, paruulorum ſpeculum vocari decreui. Sunt enim plerique, vt ſæpe iam diximus, qui nil in hac reuelatione niſi quod in ſuperficie literæ ſonat, figurari intelligunt. Qui in tantum intellectu ſunt pauperes, vt nec ipſum literæ textum dum legunt, agnoſcant. In quo locis quibuſdam remota litera ſenſus ſpiritalis aperitur ſicuti per Angelum perſonam domini gerentem Ioanni dicitur: *Septem ſtellas quas vidiſti in dextera mea, ſeptem Angeli ſunt ſeptem Eccleſiarum.* Et iterum longe inferius: *Aquas quas vidiſti vbi meretrix ſedet, populi ſunt & gentes & linguæ.* Rurſum autem ſunt quidam, qui cuncta quæ in ea narrantur, ſpiritalem habere intelligentiam credunt: ſed tamen vt litteræ textus ſonat ita ſecundum materiales formas ea Ioannem vidiſſe affirmant. Quod omnino nequaquam ita eſſe, ſi ſubtiliter inſpicitur, ipſius etiam reuelationis verba inſinuant. Et vt de multis pauca dicamus, ecce Ioannes mulierem ſe aſſerit in cœlo vidiſſe, ibique peperiſſe: draconem vero ante eam, vt filium eius deuoraret, ſtetiſſe: ſed filium mulieris, ad thronum patris raptum fuiſſe. Si enim hoc iuxta litteram accipitur, quid magis mendacius, cum in cœleſti patria carnales generationes & ipſi carnales intelligamus? Quique poſt paululum narrat prælium magnum in cœlo factum fuiſſe, & draconem ſuperatum in terram ruiſſe ac deinceps mulierem perſecutum fuiſſe, ipſamque in ſolitudinem fugiſſe. Si enim draco de cœlo deiectus, in terram corruit quæ neceſſitas mulierem compulit, vt de cœlo in ſolitudinem fugeret? Aut quomodo eam in cœlo perſecutus eſt

[margin: Apoc. 1. — Apoc. 17. H — Apoc. 12. — Ibid.]

A dtaco, vbi etiam locus inuentus non eſt? Rurſum idem
Apoc.16. Ioannes ſeptimo Angelo phialam in aerem effundente,
grandinem talenti ponderis de cœlo ſuper homines dicit
ruiſſe, atque homines propter plagam grandinis Deum
blaſphemaſſe, Si enim (vt apud Latinos penſatur) ſeptua-
ginta duarum librarum pondus grandinis ſuper homines
cadit, quomodo vel vnum momentum viuere poſſunt, vt
Deum pro irrogata plaga blaſphement? Longe autem infe-
Apoc.17. rius eidem Ioanni Angelus dicit: *Decem cornua quæ vidi-
ſti & beſtia, odient fornicariam, & deſolatam facient illam
& nudam, & carnes eius manducabunt, & ipſam igni con-
cremabunt.* Nunquid nam cornua quippiam poſſunt man-
ducare vt homo vel animal? Aut nunquid aliud ſunt car-
nes fornicariæ, atque aliud ipſa, vt prius carnes eius cor-
nua & beſtia manducent & ſic eam igni concrement? At
ſi hoc eſt fornicaria quod carnes eius, eam ſi prius mandu-
cant, quomodo poſtea igni conſumunt? Reſtat ergo vt in-
telligat nihil in ea hiſtorialiter factum narrari, ſed myſtica
B ſacramenta (ſicut in Canticis canticorum) ſub velamine
locutionis tropicæ figuratæque contegi, ac proinde in hoc
ſacrato Angelorum numero Eccleſiam Dei accipi.

Sed huic noſtro intellectui niſi ſubtiliter enodetur, illud
contrarium eſſe videtur, quod Ioannes in ſubſequentibus
vnum ſe ex his ſeptem plagas nouiſſimas habentibus, ado-
Apoc.21. rare voluiſſe teſtatur. Ait namque: *Et venit vnus de ſeptem
Angelis habentibus phialas plenas ſeptem plagis nouiſſimis,
& locutus eſt mecum dicens: Veni, & oſtendam tibi ſpon-
ſam vxorem agni.* Et poſt pauca infert & dicit: *Ego Ioan-
nes qui vidi & audiui hæc & poſtquam audiſſem & vidiſ-
ſem cecidi vt adorarem ante pedes Angeli, qui mihi hæc
Apoc.22. oſtendebat, & mihi dixit: Vide ne feceris, conſeruus tuus
Apoc.19. ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium Ieſu. Deum
& 22. adora.* In quibus verbis patenter innuitur, quia Angelus
eſt quem Ioannes vult adorare. Sed cum conſtet, quia hæc
Apocalypſis non per plures ſed per vnum Angelum Ioan-
ni ſit reuelata, ſicut initium & finis libri demonſtrant:
quid ſibi vult Angelus iſte vnus ex ſeptem, aliunde ve-
C niens & Ioannem docens? Et certe idem Ioannes Ange-
lo oſtendente qui ad eum miſſus fuerat hos ſeptem Ange-
los in cœlo viderat. Quaſi ergo iſte Angelus qui eidem
Ioanni illos ſeptem oſtenderat, det locum dimittatque
Ioannem, & alius ex ſeptem veniens, reliqua quæ narran-
tur, eundem doceat, abſit vt credatur: maxime cum Do-
minus in fine iſtius reuelationis non de pluribus, ſed de
vno Angelo dicat: Ego Ioannes miſi Angelum meum te-
tificari vobis in Eccleſiis. Quæ cum ita ſint neceſſe eſt
vt qualiter intelligi debeant aperiamus.

Apoc.22. Conſtat namque & verum eſt, Dominum Ieſum Chri-
ſtum imo totam ſimul Trinitatem, per aſſumptam Angeli
creaturam omnia hæc Sacramenta Ioanni reuelaſſe: eun-
demque Angelum, modo capitis noſtri, modo prædica-
torum eius, modo propriam geſſiſſe perſonam: Ioannem
vero cui apparuit, nunc prædicatorum nunc auditorum
nunc propriam formam tenuiſſe: ac per hoc cum idem
Angelus vnus ex ſeptem eſſe perhibetur, non iam ad pro-
prietatem, ſed ad figuram pertinere videtur. Sed nec illud
D ad propriam Ioannis refertur perſonam, quod ad ſe vnum
ex ſeptem Angelis veniſſe fatetur: ſed ad eius cuius typum
tunc ille portaſſe cognoſcitur. Neque enim vel ad Ange-
lum proprie, vel ad Ioannem proprie pertinere videntur,
quæ in hac reuelatione narrantur, exceptis duobus in lo-
cis, quibus & Ioannes vult adorare Angelum: & idem
Angelus ne ſe debeat adorare prohibet, quod idem Ioan-
Apoc.19. nes oſtendit. Cui cum certum ſit, quia ab vno Angelo
& 22. hæc ei myſteria reuelata ſint, quædam ſe narrat aduerſo-
rum vocabulorum perſonis vel audiſſe vel didiciſſe. Ait
Apoc.6. enim: *Et vidi cum aperuiſſet agnus vnum de ſeptem ſigna-
Apoc.7. culis audiui vnum ex quatuor animalibus, tanquam vocem
tonitrui, dicens: Veni & vide.* Et rurſum: *Reſpondit,* inquit,
*vnus de ſenioribus, dicens mihi: Hi qui amicti ſunt ſtolis
albis, qui ſunt & vnde venerunt:* Et dixi illi: *Domine mi,
tu ſcis.* Et dixit mihi: *Hi ſunt qui venerunt de magna tri-
bulatione, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſan-
guine agni.* O beate Euangeliſta Ioannes, quid ſibi volunt
hæc tua verba? Nunquid non tu dixiſti de hac Apocaly-
pſi, quod eam tibi Chriſtus per Angelum oſtenderit? Vt E
quid ab aliis diſcis hoc, quod tibi ab vno Angelo reuela-
tum fuiſſe fateris? Dic ergo quod verum eſt, quia (ſicut te
veritas docuit) hoc eſt in figura vnus ex ſeptem Angelis,
quod vnum ex quatuor animalibus, atque vnus de ſenio-
ribus: & hoc tu ipſe in eadem figura es, quod eſt vnus ex
ſeptem Angelis, quodque vnus de ſenioribus, vel vnum ex
quatuor animalibus, vnum ſcilicet corpus Dominus &
Eccleſia, caput & membra.

Sed quia genus diuiditur in ſpecies, tu doctorum for-
mam hoc in loco figuraliter geris: Angelus vero vel ani-
mal vel ſenior, domini Redemptoris. Sicut enim Domi-
nus noſter mons montium, ouis ouium, paſtorque dicitur
paſtorum: ſic Angelus Angelorum, animal animalium,
ſeniorque vocatur ſeniorum. Poteſt autem in vno ex ſe-
ptem Angelis, vel vno ex quatuor animalibus, vnoque de
ſenioribus, prædicatorum ordo intelligi: In Ioanne vero,
fidelis populi auditorum multitudo deſignari. Quid eſt
ergo vnum ex ſeptem ſignaculis ſoluere, niſi redemptorem F
noſtrum (vt longe ſuperius expoſuimus) natiuitatis ſuæ,
paſſionis, ac reſurrectionis claui, diuinarum ſcripturarum
ſacramenta aperire? Quid vero eſt, vnum ex quatuor ani-
malibus Ioannem, vt veniat & videat, vocare, niſi eundem
redemptorem noſtrum, ſiue per internam aſpirationem,
ſiue per vocem prædicatorum, ſubſequenter Eccleſiam ad
fidem inuitare? Rurſumque quid eſt vnum de ſenioribus
Ioanni dicere hi qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt &
vnde venerunt, vel cætera, niſi per ſemetipſum aut per offi-
cia prædicantium, caput membra inſtruere quæ ſint futuræ
remunerationis gaudia illis, qui pro Deo in paſſionis cer-
tamine deſudant? Rurſum etiam quid eſt, vnum ex ſeptem
Angelis Ioanni dicere, *Veni & oſtendam tibi ſponſam vxo-
rem agni:* niſi Dominum Ieſum Chriſtum, ſiue per ſeipſum,
ſeu per ſanctos prædicatores, quæ ſint eius Eccleſiæ, quæ
eius cœleſtia ſacramenta, fidelibus populis demonſtrare?
Intelligant ergo tandem paruuli, pro quibus in hoc opere
deſudo, in Angelo & Ioanne ſiue Chriſtum cum ſanctis
prædicatoribus, ſiue electos prædicatores cum piis audi-
ditoribus loqui. Intelligant etiam ſanctam Trinitatem per G
Angelum Ioannem docuiſſe: ſicque Spiritum ſanctum
vel potius ipſam Trinitatem in Angeli atque Ioannis per-
ſona, ſicut in animalium vel ſeniorum, Chriſtum & Eccle-
ſiam deſignaſſe, ac per omnia nil in hac reuelatione iuxta
litteram ſonuiſſe. Sed iam ad propoſitum reuertamur: [*Et* Iſai.6
vidi aliud ſignum in cœlo magnum & mirabile, Angelos Sap.7.
ſeptem habentes plagas ſeptem nouiſſimas, quoniam in ipſis 1.Cor
conſummata eſt ira Dei.] Et quid cœli nomine, niſi Eccle-
ſiam intelligimus figurari? Quia enim (quod ſæpe protu-
limus) Dominus per prophetam dicit, *Cœlum mihi ſedes
eſt:* & Salomon ait, *Anima iuſti ſedes ſapientiæ:* Paulus
quoque affirmat, dicens Chriſtum Dei virtutem & Dei
ſapientiam: recte cœli nomine, Eccleſiam dicimus deſi-
gnari. An non cœlum recte vocatur, in quo creaturæ con-
ditor ſedere comprobatur? An non cœlum recte vocatur,
quæ dum terrena cuncta deſpiciens calcat, per mentis de- H
ſiderium ad ſuperna euolat? Vnde & Paulus dicit: *Noſtra* Philipp
conuerſatio in cœlis eſt. Et rurſum: *Qui conreſuſcitauit, &* Ephes
conſedere nos fecit in cœleſtibus.

Quia vero eadem Eccleſia ad vniuerſas ſæculi gentes
prædicando pertingit, digne in ſeptenario Angelorum nu-
mero figurata conſiſtit. Septenarius enim numerus, qui ex
impari & pari conſtat, vniuerſitatem deſignat. Vnde & ip-
ſa electorum Eccleſia, eo quod ſæculum totum, id eſt, vni-
uerſa poſſideat, græca locutione catholica, id eſt, vniuer-
ſalis vocatur. Sed ſi cœlum eſt Eccleſia, quomodo in cœlo
horum numero Angelorum alia demonſtratur Eccleſia?
Sed ſciendum nobis eſt, quia ſic plerunque autor huius hi-
ſtoriæ generi ſpeciem permiſcet, vt in ipſa ſpecie genus
etiam oſtendat. Cœli enim nomine, generaliter cunctam
complectitur Eccleſiam: Angelorum vero, ſpecialiter præ-
dicatorum ordinem. In qua videlicet ſpecie genus etiam
oſtenditur: quia non ſolum per hanc prædicatores ſancti,
ſed omnis Eccleſia ſeptiformi ſpiritusſancti gratia repleta
figuratur. Angeli ergo in cœlo, id eſt, prædicatores ſancti
in Eccleſia, ſpecies eſt in genere. Sed cum poſt paululum

A ſiletur de cœlo, inuenitur genus in ſpecie, quia Angelorum numerus omnem complectitur electorum ſummam. Ipſa enim in ſeptem Eccleſiis, ipſa in ſeptem candelabris, ipſa in ſeptem ſtellis, ipſa in ſeptem cornibus agni, ipſa in ſeptẽ tonitruis, ipſa in ſeptem Angelis tubis clangentibus, ipſa in ſeptem phialas effundentibus, ipſa in viginti quatuor ſeniotibus, totidemque thronis, ipſa in duodecim tribubus; ipſa in quatuor animalibus, ipſa in duobus candelabris, ipſa in duabus oliuis, ipſa in inſulis, ipſa in montibus, ipſa in cœlo, ipſa in templo, ipſa in throno, ipſa in altari, ipſa in arca teſtamenti, ipſa in Angelo forti, medio cœlo volante, atque æternum Euangelium prædicante: ipſa in Angelo in ſole ſtante, ipſa in aquila, ipſa in muliere ſole amicta, ipſa in vxore agni & ſponſa, ipſa in ciuitate dilecta, ipſa etiam in Apocalypſi diuerſis quidem ſed congruis exprimitur figuris. Et quia cognouimus quid ſignificent ſeptem Angeli, videamus nunc quæ ſint eorum ſeptem plagæ. Quas videlicet plagas nunc quidem ſpiritusſanctus, vt ei moris eſt, in ſeptenario numero qui vniuerſitatem deſignat, generaliter breuiterque perſtringit. B In ſubſequentibus vero idem genus in ſpecies diuidens, ipſaſque plagas in ſeptem phialis effundendas accepiſſe deſignans, latius explicat. Et quid in ſeptem phialis accipere debemus, niſi hoc quod & in ſeptem Angelis? Non enim aliud ſunt ipſi, atque aliud eorum phialæ, vt textus ſolet narrare hiſtoricus, ſed figuratim hoc ipſi, quod eorum phialæ, id eſt, Eccleſia verbi prædicatione repleta. Hæc enim ſunt vaſa illa aurea in domo Domini magna, ab Apoſtolo myſtice expreſſa. Sed ſi (vt dicimus) non aliud ſunt ſeptem Angeli, atque aliud ſeptem phialæ, quomodo inferius eaſdem phialas aureas ab vno ex quatuor animalibus effundendas accipiunt? [a.Tim.2.] Non poſſumus (vt dignum eſt) minutias diuini eloquij ad liquidum comprehendere: tamen vt nobis paululum interlucet, idcirco ſeptem Angeli ſeptem phialas aureas quæ ipſi ſunt, accipiunt: quia ſpiritu ſancto modificante, figura figuram gignit, quatenus quod ſit in actione Angelorum officium, lector agnoſcat, & certe Eccleſia propter prædicationis inſtantiam, Angelorum vocabulum ſortitur. C Sed narrationis cogit neceſſitas, vt phialas accipiat: quia ſi de Angelis diceretur, primus effudit ſemetipſum, ambiguum eſſet & ad intelligendum minus perſpicuum, quid ſibi vellet illa effuſio. At cum dicitur, primus effudit phialam ſuam, nulli dubium eſt, quin prædicationis verbum in effuſione phialæ intelligatur. Vnum autem ex quatuor animalibus ſeptem Angelis, ſeptem phialas dare, eſt redemptorem noſtrum ſanctos prædicatores ſapientia verbi replere. Seruat autem ſpiritusſanctus ordinem recte loquendi, ne myſterium in numero ſoluens, dicat: Vnus ex ſeptem Angelis dedit ſex reliquis ſeptem phialas, quod abſurdum & myſterio carens eſſe videretur, ſi feciſſet. Poteſt etiam in vno ex quatuor animalibus, prædicatorum ordo: in ſeptem vero Angelis, auditorum multitudo ſignari: quia & auctor huius reuelationis ſolet nonnunquam ita ſpeciem ſpeciei coniungere, vt vna earum in propria ſignificatione manente, alteram à propria ſignificatione in alteram deriuet. Sic nunc forte in vno ex quatuor animalibus, prædicatorum ſpeciem in propria ſignificatione manente, D ſeptem Angelorum ſpeciem commutat, vt per eos non ſicut ſupra, prædicatorum ordinem, ſed auditorum demonſtret. Dicatur ergo: *Vnum ex quatuor animalibus dedit ſeptem Angelis ſeptem phialas aureas.* Ac ſi diceretur: prædicatores ſancti quoſdam auditores ſuos ita diuini verbi ſapientia replent, vt eis competenter & aliis prædicandi officium iniungant: poteſtatem ligandi atque ſoluendi, annuente ſibi diuina auctoritate, tribuant. Sed nec poſſunt Angeli eſſe, niſi fuerint phialæ effecti, [Exod 25. & 37.] ſic enim dicitur: *Vnum ex quatuor animalibus, dedit ſeptem Angelis ſeptem phialas.* Tanquam diceretur: Eis qui in præſenti notione Angeli erant, à prælatis ordinibus prædicandi potentia, ligandi atque ſoluendi poteſtas collata eſt, quatenus in effuſione phialæ, nomen appareat Angeli. Has denique illæ tunc profigurabant, quæ per Moyſen aptatæ in tabernaculo teſtimonij myſtice ponebantur: quibus in nuptiis ſponſi cœleſtis vino bono repletis, gentes ad fidem venientes, ſalubriter debriantur, infideles vero & reprobi fecibus excæcantur. E Et vt ita dixerim, alij ex eis poculum vitæ, alij autem accipiunt mortis venenum. Vnde & inferius vno in loco iracundia Dei, alio vero ſeptem plagis nouiſſimis plenæ memorantur. Quotquot enim ſalubria, quotquot mortifera animarum eſſe vulnera poſſunt, in eis conſiſtunt: quia aut per Eccleſiæ prædicationem quidam à priſtino errore vel terreno abſciſi amore, ad vitam perueniunt: aut propter eiuſdem prædicationis contemptum, æternis verberibus addicti traduntur. Sciendum præterea duobus modis per Eccleſiæ prædicationem reprobis animarum vulnera infligi: ſcilicet vel quia eorundem vulnera non ſanat, ſed vulneratos æterna morte condemnat: eo locutionis modo irrogat, quo Deus indurare dicitur cor Pharaonis, [Exod.4. 7. 10. & 14.] cuius duritiam miſericorditer non emollit, ſed æternis verberibus induratum addicit: vel qui tanquam medicamentum reproborum vulneribus oblatum, non ſolum vulneratos non ſanat: verumetiam recedentibus plagis, vt inſanabilia fiant, exaggerat. Si cui forte dubium eſt, vtrum in effuſione phialarum, F per quas reprobi deteriores effecti, nouiſſimis plagis dicuntur vulnerati, ſancta prædicatio debeat intelligi, reflectat mentis intuitum ad eum locum, [Apoc.8.] quo ſuperius in hac Apocalypſi ſeptem Angelis ſeptem tubis clangentibus, pene ſimili ſermone humano generi eadem vulnera narrantur inflicta. Et certe ibi nullus dubitare poteſt, quin per Angelos tubas habentes Eccleſia Dei prædicans accipi debeat cui à domino per prophetam dicitur, [Iſai.58. loſ.6.] *Quaſi tuba exalta vocem tuam.* Iſtis etenim perſonantibus tubis, in electorum parte mundus in melius reædificandus deſtruitur: in reproba vero, ne vnquam ædificetur, perpetuo anathemate condemnatur. Quod vtrunque ſeptem illis iubilei tubis perſonantibus, Iericho ruente, myſtice factum fuiſſe cognoſcimus: in qua & Rahab meretricem ſaluatam, & cæteram multidinem gladio peremptam fuiſſe, ſacris literis perdocemur. Et ut breuiter quædam perſtringamus, qualiter ſeptem Angelis tubis clangentibus, ſeptemque phialas effundentibus, altrinſecus ſibi plagæ irrogatæ conueniant, ibi dicitur: [Apoc.8.] *Vidi* G *ſeptem Angelos ſtantes in conſpectu Dei, & data ſunt illis ſeptem tubæ*: hic autem, *poſt hæc vidi, & ecce apertum eſt templum tabernaculi teſtimonij in cœlo, & exierunt ſeptem Angeli habentes ſeptẽ plagas de templo, & vnum ex quatuor animalibus dedit ſeptem phialas.* Ibi dicitur, *ſeptem Angeli qui habebant ſeptem tubas, parauerunt ſe vt tuba canerent:* hic autem, *& audiui vocem magnam de templo dicentem ſeptem Angelis: Ite, & effundite phialas iræ Dei in terra:* ibi dicitur, [Ibid.] *& primus Angelus tuba cecinit, & facta eſt grando & ignis mixtus in ſanguinem, & miſſum eſt in terram:* hic autem *& abiit primus, & effudit phialam ſuam in terram, & factum eſt vulnus ſæuum ac peſſimum in homines:* ibi dicitur, *& ſecundus Angelus tuba cecinit, & facta eſt tertia pars maris ſanguis, & mortua eſt tertia pars creaturæ quæ habent animas:* hic autem, *ſecundus effudit phialam ſuam in mare & factum eſt ſanguis tanquam mortui, & omnis anima viuens mortua eſt in mari,* & cætera, quæ longum eſt perſequi altrinſecus ſibi concordantia. Libet autem ab exordio mundi vſque ad finem eius, H mentis oculos tendere, & humanum genus qualiter vulneretur inſpicere. Cunctis namque vera ſcientibus liquet, nequaquam primum hominem in paradiſo peccaſſe, niſi ei à ſummo bono obedientiæ bonum indictum fuiſſet. Sed nunquid in eo accuſandus eſt Deus ſumme bonus quo bonum præcipit: & non magis homo, qui magis in contemptum abuti, quam in bonum voluit vti? Cui etiam quia occultus aduerſarius ex bono obedientiæ malum facere inobedientiæ perſuaſit, idem vero homo conſenſit, Deus certe non niſi iuſte fieri permiſit. Et quia quod idem antiquus hoſtis fieri perſuaſit, homo autem conſenſit, Deus vero iuſte fieri permiſit, ei minime placuit ſtatim quod factum fuerat, mortis ſententia damnauit. Quo videlicet in facto patenter elucet, quia & diabolus homini peccati vulnus inflixit quia malũ fieri ex bono perſuaſit: & homo ſemetipſũ plaga ſauciauit, quia cõſenſit: & Deus percuſſit, vel quia bonum præcepit, vel quia malum iuſtè fieri permiſit, ſtatuſque nequaquam abſtulit, ſed damnauit. Ecce

A

quomodo humano generi in primo parente peccati vulnus & diabolus, & idē homo & Deus intorſit. De quo videlicet humano genere à malignis ſpiritibus vulnerato, ſub quadam figurata locutione Dominus in Euangelio ait:

Luc. 10.

Homo quidam deſcendebat ab Ieruſalem in Iericho, & incidit in latrones. Qui etiam deſpoliauerunt eum, & plagis impoſitis, abierunt, ſeminino-relicto. Quodque à paradiſi gaudiis expulſum, vtinam his plagis tantum confoſſum iacuiſſet, & non etiam iterato ſemetipſum ferire tentaſſet. Deſpecto namque creatore, quem pro certo Deum eſſe ſciebat, idola adorauit & coluit. Et quia ſua ſponte ſemetipſum his plagis addixit, & ipſum omnipotens Deus præcedentium plagarum meritis vulnerandum corruptionibus carnis tradidit, Paulo atteſtante, qui de eis loquitur,

Rom. 1.

dicens: *Cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum & ſerpentium. Propter*

B

quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam, vt contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis: qui commutauerunt veritatem in mendacium, & coluerunt & ſeruierunt creaturæ potius quam creatori, qui eſt benedictus in ſæcula. Sed prius conditor qui non niſi iuſtè damnat iniquos, vt oſtenderet diuitias miſericordiæ ſuæ, quibus ſaluat electos miſit legem per ſeruum, tanquam alligaturam vulnerum: non quidem vt ſanaret originalia, ſed vt recentia mederetur vulnera, quoadoſque veniret Sa-

Luc. 10.

maritanos ille medicus Eccleſiæ, qui infuſione olei & vini, id eſt, Sacramento baptiſmatis, omnium ſpiritalium al-

Rom. 7.

ligans plagas vulnerum, languidum perfectè ſanaret. Sed quia carnalis ille & Hebraicus populus acceptam legem, quæ ſecundum Apoſtolum ſpiritalis eſt, iuxta literam intellexit, ac per nouum Teſtamentum, in quo illud medici illius cataplaſmum inuenitur, quo in remiſſionem omnium peccatorum baptizamur, ſuſcipere contempſit: ipſū ei ſalutare remedium conuerſum eſt in vulnus ſæuiſſimū,

C

vt iuſto internoque Dei iudicio, vnde ſanari debuerat ſub gratia pietatis ſemetipſum humilians, inde moreretur ſub

Iſai. 53.
Iſaiæ 1.

obſeruatione legis ſuperbiens. Quia inquam & ſpiritalem legem carnaliter intellexit, & ea quæ in ipſa iubebantur, nec iuxta literam perfectè implere curauit: atque illius præfati verique medici, de quo ſcriptum eſt, *Languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit* ſalutare medicamentum ſuis vulneribus adhiberi noluit, rectè ei à Domino per Prophetam dicitur: *Super quo percutiam vos vltra addentes præuaricationem? Omne caput languidum, & omne cor mœrens: à planta pedis vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas. Vulnus & liuor & plaga tumens non eſt circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.* Hinc eſt quod cum in Actibus Apoſtolorum de paulò ad Iudæos

Apoc. 28.

loquente diceretur: *Quia exponebat illis teſtificans regnum*

Iſai. 6.

Dei ſuadenſque eis de Ieſu ex lege Moyſi & Prophetis amane vſque ad veſperam, mox illic ſubditur: *Cumque inuicem non eſſent conſentientes diſcedebant, dicente Paulo vnum*

D

verbum; Quia benè Spiritus Sanctus locutus eſt per Iſaiam Prophetam ad patres noſtros, dicens: *Vade ad populum iſtum, & dic: Aure audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non perſpicietis incraſſatum eſt enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos ſuos compreſſerunt, ne forte videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & ſanem illos.* Hinc eſt etiam quod minimè credituro eidem Iudæorum populo, Domi-

Iere. 30.

nus iterum dicit: *Plaga inimici percuſſi te, caſtigatione cru-*

Rom. 8.

deli. Et quid eſt dicere, plaga inimici percuſſi te, niſi litera occidi te? *Sapientia enim carnis*, ſecundum Apoſtolum, *inimica eſt Deo: & ſapere ſecundum carnem, mors eſt.* Hoc etiam vulnere illi periclitari narrantur, de quibus in hac

Apoc. 19.

Apocalypſi dicitur: *Cæteri occiſi ſunt gladio ſedentis ſuper equum, qui procedit de ore ipſius.*

Hinc iam ad comparationem iſtius vulneris, quaſi nihil ſunt cætera vulnera, cum hoc ſolo in reprobis principaliter omne depereat genus humanum: ac per hoc quaſi in eo concluduntur omnia ſpiritalia ac mortifera vulnera, quod principale eſt omnium vulnerum quo vigente; vigent omnia: quo ſanato, ſanantur omnia noxia vulnera.

B

Omnium enim vulnerum principale eſt Chriſtum abnegare, qui vulneratorum ſalus eſt. Vnde & Dominus de Iu-

Ioan. 15.

dæis ait: *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent:* non quo peccatum omnino non haberent; ſed quo ad comparationem illius peccati, nec peccatum dici poſſet quod habebant: O ſi conſiderent miſeri quid eſt ex quo percuſſi moriuntur: quam artificioſum ferramentum, per quod electorum vulnera vt ſanitatem recipiant; ſecantur: conſiderantes autem, ex carnalibus ſpiritales fierent, vt non gladio literæ morerentur, ſed à gladio ſpiritus

2. Cor.

viuificarentur. *Litera enim occidit, ſpiritus autem viuificat.* Hoc certè gladio in ſuæ ſalutis remedium à ſanctis prædicatoribus percuſſa fuerat Eccleſia, quæ in Canticis Can-

Cant.

ticorum ardens & amans dicebat: *Inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt ciuitatem, percuſſerunt me, & vulnerauerunt me.* Quia enim ex vna eademque Eccleſiæ prædicatione, & electis vita, & reprobis mors ſempiterna prouenniat, teſtatur Paulus Apoſtolus, dicens: *Deo gratias, qui*

F
2. Cor.

ſemper triumphat nos in Chriſto Ieſu, & odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco: quia Chriſti bonus odor ſumus, & in his qui ſalui fiunt, & in his qui pereunt: aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam: Hinc de Domino per Simeonem ad ſacratiſſimam Ma-

Luc. 2.

riam Virginem dicitur: *Ecce poſitus eſt hic in ruinam & in reſurrectionem multorum in Iſraël, & in ſignum cui contradicetur.* Hinc percutit Eccleſia aduerſarios ſuos, hinc vulnerat, hinc ſempiterna morte condemnat, hinc ſe defendit, hinc peccatorum ſuorum vulnera aperit, hinc etiam à mundi amore ſemetipſam feriens occidit. Sed ecce intra ſanctam Eccleſiam multi ſunt, qui Chriſtum verbotenus tantum profitentur, in nomine ſanctæ Trinitatis baptizātur, Sacramentis cœleſtibus participantur. Ideo ergo ſani æſtimandi ſunt, quia vnum incredulorum vulnus, ſcilicet Chriſti abnegationem, non habent? Nequaquam, quia eandem abnegationem quam non habent in voce; habent in operatione. De talibus enim dicit Apoſto-

Tit. 1.

lus! *Confitentur ſe noſſe Deum; factis autem negant.* His

G

denique (vt dictum eſt) ſpiritalibus plagis per Eccleſiæ prædicationem diuina iudicia quibus phialæ replentur, certum eſt humanum genus vulnerari, eo videlicet locutionis modo, quo ſuprà iam diximus. Vnde & prioribus

Marc. 16.

Eccleſiæ prædicatoribus dicitur: *Ite in orbem vniuerſum, & prædicate Euangelium omni creaturæ: & qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui vero non crediderit, con-*

Matt. 16.

demnabitur. Hinc Petro huius typum gerenti dicitur: *Tibi dabo claues regni cælorum: & quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.* Hinc rurſum omnibus

Ioan. 20.

Apoſtolis, imò Eccleſiæ dictur in Apoſtolis: *Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum detinueritis, detenta ſunt.* Hæc interim de ſpiritalibus plagis, imò magis de efficientia plagarum dixiſſe ſufficiat. Iam vero ſi ſolerter inſpicimus qualiter Euangelica prædicatio incitet infideles ad perſequendam

H

Eccleſiam: in effuſione phialarum, perſecutionum etiam ſupplicia videmus permiſceri. Quia enim electorum Eccleſia verbo prædicationis ad perſequendum ſe Infideles ſuſcitat, ipſa ſibi (vt ita dixerim) perſecutionum plagas irrogat, quibus affligi debeat: quæ ſi à prædicatione ceſſaret, proculdubio eadem perſecutio in mundo non exurgeret. Quaſi ergo inde exeunt corporales plagæ, vnde efficientiam accipiunt vt in mundo crebreſcant? Hinc eſt quod cum ſeptimo Angelo phialam in aërem effunden-

Matt. 24.

ti diceretur: *Exiuit vox magna de templo à throno*, dicens: *Factum eſt. Et facta ſunt fulgura & voces & tonitrua;* quæ vtique quia omnia ſpiritalia ſunt, protinus ſubinfertur: & terræmotus eſt factus magnus, qualis nunquā fuit ex quo homines in terra fuerunt: talis terræmotus, ſic magnus. Ac ſi diceretur: Ipſa ſua prædicatione per quam infideles ſpiritaliter zelo liuoris vulnerauit, immani terræmotus perſecutione ſemetipſam concuſſit. Quis autem ſit terræmotus quem dixit, in Euangelio Dominus expoſuit, dicens: *Erit tunc tribulatio qualis non fuit*

A *ex quo homines eſſe cœperunt ſuper terram vſque in diem illum*; nec fiet. Huic autem noſtro intellectui illud contrarium eſſe videtur, quod Ioannes in fine huius reuela- Apoc. 22. tionis comminando dicit: *Si quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro hoc*: plagas ſine dubio non corporales, quæ temporaliter affligunt etiam iuſtos, vt iuſtiores exiſtant: ſed ſpiritales vocans, quæ reproborum animas interficere probantur. Sed poteſt hoc ita dictum intelligi, vt illas hic plagas Ioannes comminatus ſit, quæ reprobis aut ex ſola prædicatione, aut ex temporali afflictione euenire ſolent, tanquam ſcilicet ex corporalibus ſpiritales plagas crebreſcentes. Multi enim intra ſanctam Eccleſiam dum temporalibus plagis tanguntur, deterius in anima vulnerantur. Qui tamen intellectus ſi cuiuſquam animum offendit, ego in hac parte nec temerarius aſſertor, nec contentioſus apparere volo. Apo- 1. Cor. 11. ſtoli enim ſententiam ſequor, dicentis: *Si quis vult contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neque* B *Eccleſia Dei.* Mouet tamen quod beatæ recordationis Gregorius Papa Romanus, tractator egregius, in effuſione phialæ, perſecutionis ſupplicium dixerat figurari, cum in libris moralibus quartum Angelum in ſolem phialam effundentem, aſſumpſiſſet exponendum. Abſit autem vt credamus tam ſubtilis ingenij virum, aliud hic per Angelum quam ſanctos prædicatores intellexiſſe. Si ergo vtcunque fieri poteſt, eſſe diuinam prædicationem corporalium plagarum efficientiam fit miram in modum, vt ipſa quidem fiat earundem perſecutionum efficientia: ipſæque perſecutionum plagæ, ſint efficiẽtia ſpiritalium plagarum, quibus extra Eccleſiam infideles moriuntur. Quod & idem beatus Gregorius ſimiliter intellexit, quatenus falſos Chriſtianos quos per ſemetipſum qui eſſent non oſtendebat, efficientia corporalium plagarum effecta, per eaſdem exteriores plagas eos ab intus foras in publicum educens, quibus vulneribus digni ſunt mori, demonſtret. Cum autem certum ſit, ab exordio ſanctæ Eccleſiæ has C plagas præceſſiſſe, idcirco eas nunc ſpiritusſanctus nouiſſimas appellat, vt ſpecialiter vltimæ perſecutionis tempus deſignans, finalem earum terminum oſtendat, quo in ipſis ira Dei conquieſcat. De quo futuro tempore tanquam de Pſal. 84. præterito, Pſalmiſta Domino dicit: *Mitigaſti omnem iram tuam, auertiſti ab ira indignationis tuæ.* Sunt quidem & alia multa, quæ de his plagis poſſent tractari. Sed hoc tunc plenius faciemus, cum ad effuſionem phialarũ enodandam venerimus. Puto etiam hinc intelligere paruulos, quibus modis Eccleſia prædicante, diuina iudicia humanum genus ex ipſa prædicatione verberibus affligant. Sequitur:

Et vidi tanquam mare vitreum igni permixtum: & eos qui vicerunt beſtiam & imaginem illius & numerum nominis eius, ſtantes ſupra mare vitreum, habentes citharas D *Dei, & cantantes Canticum Moyſi ſerui Dei & Canticum agni.*

Quoties iſte ordo diuinæ locutionis in hac Apocalypſi reperitur, toties à nobis neceſſario in expoſitione iteratur: vt dum frequenter inculcatur, qualis ſit, obliuioni minimè tradatur. Qui videlicet locutionis ordo quædam ad enarrandum præpoſita paululum intermittit, & alia quædam quaſi non ad eadem pertinentia quæ prætermiſerat, medio interſerit, cum vnum ſint in ſignificatione myſterij diuerſis figuris obumbrata: quibus expletis, ad ea quæ dicere propoſuerat, redit. Præmiſerat enim Ioannes, imo ſpiritusſanctus per Ioannem, hoc quod modo Chriſto largiente tractauimus: Vidi aliud ſignum in cœlo magnum & mirabile, Angelos ſeptem habentes plagas ſeptem nouiſſimas, quantum in ipſis conſummata eſt ira Dei. Quod ad modicum prætermittens, hoc quod nunc tractari diſponimus, quaſi aliud quiddam & non hoc quod propoſuerat, interponit & dicit: *Vidi tanquam mare vitreum igni permixtum, & eos qui vicerunt beſtiam & imaginem illius & numerum nominis eius, ſtantes ſupra mare vitreum* E *habentes citharas Dei, & cantantes Canticum Moyſi ſerui Dei & Canticum agni, & cætera quæ ab ipſis in Dei laudibus dicuntur.* Quibus expletis, quaſi ad ordinem redit: & quæ de ſeptem Angelis cœperat, enarrando percurrit, cum non alij ſint iſti ſeptem Angeli ſeptem plagas habentes, atque alij ſupra mare vitreum ſtantes, ſed iidem ipſi qui & illi. Et hi enim qui ſeptem phialas habent, ſupra mare vitreum ſtantes, Canticum Moyſi & agni citharis decantant: & qui ſupra ipſum mare ſtant, ac citharis canticum Moyſi & agni perſonant, eaſdem phialas habent. Quod ſuperius apertiſſime declaratur, vbi cum dictum eſſet, *& in conſpectu ſedis tanquam mare vitreum ſimile cry-* Apoc. 4. *ſtallo*, poſt paululum ſubiungitur, *Cum aperuiſſet agnus librum, quatuor animalia & viginti quatuor ſeniores*, ſubaudis, Eccleſia, *ceciderunt coram agno, habentes ſinguli citharas & phialas aureas, & cantantes canticum nouum.* Quæ cum ita ſint, facile animaduertitur, cur hic ordo diui- F næ locutionis ita varietur, vt ſic in eo vna eademque res variis proferatur adumbrata figuris, vt non eadem credatur repeti potuiſſe, ſed altera. Quod ſcilicet idcirco fit, ne aut facile diuina ſacramenta ab omnibus cognita, faſtidium generent: aut illis quibus non debent, cognita fiant: vt videlicet altitudo & profunditas eloquiorum Dei, ſic vtcunque per exercitium electorum inſpiciatur ac pertractetur, quatenus ſanctum canibus minime detur. Sed iam nunc ad propoſitum reuertamur. Ait enim: *Et vidi tanquam mare vitreum igni permixtum, & eos qui vicerunt beſtiam & imaginem illius & numerum nominis eius, ſtantes ſupra mare vitreum, habentes citharas Dei, & cantantes canticum Moyſi ſerui Dei & canticum agni.* Solet nonnunquam in ſcriptura diuina per mare, baptiſmatis Sacramentum deſignari, Paulo atteſtante qui ait: *Pa-* 1. Cor. 10. *tres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube & in mari.* Per ignem vero effuſio ſanctiſpiritus, ſimul & paſſio re- G demptoris. In quibus Ioannes Baptiſta eundem redem- Matth. 3. ptorem noſtrum aſſerit homines baptizare, dicens: *Ipſe vos baptizabit in ſpirituſancto & igni*: ignem, eiuſdem videlicet Domini paſſionem vocans: quia cum ſpiritusſanctus ignis appellatione deſignetur, nequaquam hoc loco idem Ioannes præmiſſo ſpirituſancto adderet ignem, niſi per eum Domini paſſionem vellet intelligi. Paulus deni- Rom. 6. que ait: *Quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu in morte ipſius baptizati ſumus.* Sed quia hoc mare ignis calore in vitrum conuerti videtur, fides per eum tranſeuntium tropice declarat. Bene autem ne fluida ſit, ignis ardore, vitro comparatur: vt videlicet ſpiritusſancti facibus inflammata, Chriſtique paſſionibus tanquam aurum probata, & puritate reſplendeat, & omni vento doctrinæ non fluctuet. Hoc eſt enim ſupra mare vitreum ſtare, ac de beſtia eiuſque imagine triumphare. Ille etenim ſupra mare vitreum igni permixtum ſtat, qui fidei baptiſmum virtute ſanctiſpiritus ac Domini paſſione roboratus, firma ſtabilitate ab hoſtibus cuſtodit, atque defendit. Scriptum eſt enim: H Eccl. 27. *Vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribu-* Pſalm. 6. *lationis.* Quorum vox in Pſalmis reſonat dicens: *Tranſiuimus per ignem & aquam & induxiſti nos in refrigerium.* Ac ſi dicerent: Quia per baptiſmatis Sacramentum dominique paſſiones tanquam vaſa figuli probandi tranſiuimus, idcirco ad hoc peruenire meruimus vt nullis terrorum imbribus, nullis perſecutionum pruinis, in mollitiem conuertamur. De quorum fidei firmitate ſub alia figura Pſal. 103. per Pſalmiſtam dicitur: *Qui fundauit terram ſuper ſtabilitatem eius non inclinabitur in ſæculum ſæculi.*

Et quid hic per terram, niſi eccleſia deſignatur? Quæ vero huius terræ ſtabilitas eſt niſi baptiſmi obſeruantia? Quæ idcirco in ſæculum ſæculi non inclinabitur, quia ſpiritusſancti calore ac domini imitatione paſſionum, in vitri ſoliditatem aqua baptiſmatis conuertitur. De qua videlicet Eccleſia ruſum per Pſalmiſtam dicitur: *Qui* Pſal. 23. *fundauit terram ſuper aquas*, ſubaudis electorum Eccleſiam ſuper baptiſmum fidei. Vnde & ipſa Eccleſia eiuſdem Pſalmiſtæ voce dicit: *Dominus regit me, & nihil mihi de-* Pſal. 22. *erit in loco paſcuæ ibi me collocauit: ſuper aquam refectio-*

nis

nis educauit me. Quod autem citharas Dei de beſtia triumphantes habere dicuntur, ſic intelligendum eſt tanquam diceretur: Ipſi erant citharæ Dei, laudibus ſcilicet corda habentes dicata, & vtriuſque teſtamenti conſona veritate canora. In Moyſi etenim cantico, vetus teſtamentum: in agni vero nouum deſignatur. Vel certe citharas habent voluptates ſcilicet carnis ligno paſſionis affixas. Paſſio etenim Chriſti, lignum eſt citharæ. Chordæ vero ſuper extenſæ ſanctorum ſunt corpora, terrenis concupiſcentiis emortua. De quibus Paulus dicit: [Gal. 5.] *Qui ſunt Chriſti carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* Quorum voce etiam Pſalmiſta ait: [Pſal. 118.] *Confige timore tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui.* Sed cum ſuperius in apertione libri, electorum Eccleſia quæ in vtriſque teſtamentis armata, & in vtriſque perfecta fuiſſe cognoſcitur, ſolummodo nouum canticum coram agno decantare dicatur: innuitur nobis aliquid, cur hoc loco non ſolum agni canticum, quod vocatur nouum, verumetiam canticum Moyſi, quod eſt vetus, iſti decantare dicuntur. Et quid nobis in his datur intelligi, niſi quia illo in loco quando Iudæa ſuæ perfidiæ tenebris obuoluta, ad cognitionem Chriſti non peruenerat, Eccleſia ex gentibus quæ per euangelium in ſaluatorem crediderat, principaliter nouum canticum decantabat: iſti vero ſub nouiſſima perſecutione, quando vnitati Eccleſiæ adiungenda erit ſynagoga, quæ nunc repulſa eſſe videtur, non ſolum agni, verum etiam canticum Moyſi reſonare dicuntur? Quæ enim pacis tempore Chriſtum ſuſcipere recuſat, tunc eum ſuſcipiet, quando perſecutionis tempora Eccleſiam apprehenderint. De quorum ſuſceptione Paulus Apoſtolus clamat & dicit: [Rom. 11.] *Donec plenitudo gentium introiret, & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret.* Vbi cum dicit, *omnis*, à toto pars intelligenda eſt quæ in Chriſtum creditura eſt. Cæterum in conſummatione ſæculi nulla gens ita contra Eccleſiam deſæuiet, ſicut illa, cum ſecundum Euangelicam ſententiam antichriſtum pro Chriſto ſuſceperit. Quid autem in Chriſtum credentes & Iudæi & gentes, ſiue piis affectibus, ſiue carnis paſſionibus, Moyſi & agni cantico dicant, audiamus:

Magna & mirabilia ſunt opera tua Domine Deus omnipotens, iuſtæ & veræ viæ tuæ ſunt Rex ſæculorum.

Vtriuſque teſtamenti paginæ hoc nobis conſona veritate teſtantur, quia magna & mirabilia ſunt opera Dei omnipotentis, iuſtæ & veræ viæ eius. O quam magnum & admirabile eſt, cuncta Deum per verbum ex nihilo creaſſe cœleſtia ſimul & terreſtria, viſibilia & inuiſibilia, ſenſibilia & inſenſibilia rationabilia & irrationabilia. O quam magnum & admirabile eſt conſiderantibus, per aſſumptam angeli creaturam Deo apparente in rubo, ipſum rubum feciſſe ardere, nec defeciſſe: [Exod. 3. 4. 7. & 14.] virgam Moyſi in ſerpentem conuertiſſe, aquas Ægypti in ſanguinem mutaſſe, coram filiis Iſrael mare aperuiſſe aquas amaras immiſſione ligni dulcoraſſe, ſitienti populo aquam de petra eduxiſſe: & vt murmurantes abſorberet, terram aperuiſſe: aquas Iordanis coram arca fœderis à ſuperioribus ſtare, ab inferioribus vero defluere, diuina potentia iuſſiſſe, muros Ierichuntinos ſeptenario dierum numero ſacris perſonantibus tubis, ſubito ſtrauiſſe. [Exod. 15. Deut. 32.] Magna certe & mirabilia ſunt hæc opera Dei, & alia innumerata, quæ Moyſi cantico ſcripta cernuntur. Iam vero ſi attendamus, quid agni canticum reſonet, pene elingues efficimur: quia hoc quod dicere volumus, etiam ſi linguam Angelorum haberemus vt dignum eſt, loqui nequaquam valeremus. Et quis vnquam poteſt æſtimare quam magnum & admirabile ſit, Deum hominem fieri, creatorem creaturam effici, vitam Angelorum, ne fame moriatur, lacte mulieris nutriri: eum qui orbem portat puellæ manibus baiulari: Dei virtutem, humana imbecillitate laſſari: ex quo & per quem omnia viuunt, occidi, ſed die tertia à mortuis excitari: quadrageſima vero cœlos penetrare, miſſo etiam ſpirituſancto ſuper Apoſtolos, eiſdem legatis interuenientibus, eundem gentibus ſibi ad pacem reconciliare, quibus iuſte debuerat iram irrogare? Quis hæc dicere, quis digne conſiderare ſufficiat? Sed tamen quia vt dignum eſt, dicere non valemus, ne ingrati tantis beneficiis appareamus, dicamus in laude ipſius creatoris prout valemus. Nam & ipſi qui hoc canticum in nouiſſimis decantare dicuntur, tantundem facere valent. Et quia hæc nunquam debent recedere ab animo Chriſtiani dicamus, qualiter ab amatoribus huius cantici breuiter poſſint comprehendi. Dei filius in principio manens verbum; quia noua natiuitate in tempore de beata virgine natus, nouo ordine indutus hominem, Deus veraciter in cruce pro nobis mortuus, mirabiliter ſuſcitatus, quando voluit ſuper cœlos eleuatus miſſo ſpirituſancto, nos gentes ſibi miſericorditer conciliauit hoc nobis canticum nouum iugiter decantandum reliquit. Quod autem vias Dei iuſtas & veras eſſe laudibus concrepant, illam irreprehenſibilem eius operationem inſinuant qua cum gratuita ac bona voluntate quoſdam qui digni fuerant morte, ad vitam prædeſtinans ſaluat, non tamen iniquo, ſed iuſto iudicio reprobos ad mortem præſcitos, damnat. Niſi enim reprobos damnaret, iniquitas ei (quod abſit) placeret: ac per hoc non iam iuſtus, quod nefas eſt dicere, ſed iniuſtus putaretur. Sed quia iuſtitia exigente iniquos damnat nunquid propterea iuſtitiam amiſiſſe credendus eſt quia quoſdam ex illa maſſa iniquitatis miſericorditer ſaluat? Abſit maxime cum idem & iuſtus & miſericors iudex vocetur. Sic enim miſericors & iuſtus exiſtit, vt nec cum electos ſaluat iuſtitiam amittat: nec cum reprobos damnat, immiſericors exiſtat. Et certe in Deo nequaquam debet ab homine reprehendi, quod in hominibus certum eſt collaudari: vt ſcilicet qui iudex exiſtat, iuſtus & miſericors appareat. Idem enim dominus iuſtus & valde laudabilis extitit iudex, in eo quod humanum genus in primo parente ad pœnitentiam nolens reuerti, damnauit: eumque per abrupta vitiorum ire atque in cæcitate incredulitatis manere permiſit: miſericors autem in eo, quod Hebraicum populum legem mittens per ſeruum, & ad cognitionem ſuam perduxit, & flagitia perpetrare prohibuit. Rurſumque iuſtitia eius in eo apparuit, quo eundem hebraicum populum de legis obſeruantia gloriantem, ac per hoc Chriſti doctrinam reſpuentem in perfidia cæcitatis ſuæ deſeruit: miſericors vero, in eo quod gentium populos nullis præcedentibus bonorum actuum meritis, ad fidem perduxit. Vnde & Apoſtolus eiſdem gentibus loquitur dicens: [Rom.] *Sicut aliquando & vos non credidiſtis Deo, nunc autem miſericordiam conſecuti eſtis propter illorum incredulitatem, ita & iſti nunc non crediderunt in veſtra miſericordia, vt & ipſi miſericordiam conſequantur.* Concluſit autem Deus omnia in credulitate, vt omnium miſereatur. Et rurſum: [Rom.] *Quid ergo dicemus? quod gentes quæ non ſectabantur iuſtitiam, apprehenderunt iuſtitiam, iuſtitiam autem quæ ex fide eſt. Iſraël autem ſectando iuſtitiam quæ ex lege eſt, in legem iuſtitiæ non peruenit?* De qua etiam vocatione gentium ac Iudæorum reprobatione, idem Apoſtolus ſuperius cum de duobus geminis, Eſaü videlicet & Iacob, diſputaret, ait: [Ibid.] *Cum enim nondum nati eſſent aut aliquid boni egiſſent vel mali, vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt: Maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt: Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Et vt vocantis miſericordiam ac repellentis iuſtitiam, oſtenderet, ſubiecit & ait: [Gen. Malac.] *Quid enim dicemus? Nunquid iniquitas apud Deum? Abſit. Moyſes enim dicit: Miſerebor cui miſertus fuero, & miſericordiam praſtabo cuius miſerebor. Igitur non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Bene ergo de beſtia triumphantes, in laudibus Domino dicunt: Iuſtæ & veræ viæ tuæ ſunt Rex ſæculorum. Ac ſi dicant: Et cum gentes quibus iram irrogare debueras, ad miſericordiam perducis, nequaquam iuſtus eſſe deſiſtis: & cum Iudæos quibus pro legis obſeruantia mercedem te dare promiſeras, iratus repellis, nullatenus veritatem amittis. Quique adhuc ſubiungunt, dicentes:

A

Quis non timebit te Domine, & non magnificabit nomen tuum, quia tu ſolus pius, quoniam omnes gentes venient & adorabunt in conſpectu tuo, quoniam iudicia tua manifeſta ſunt?

O quam profunda eſt diuinarum ſcripturarum abyſſus ad intuendum. Quid ſibi volunt talia? vt quid iſti dicunt talia? Nunqoid nam ſi timendus eſt, quia iudicia eius manifeſta ſunt: timendus erit etiam quia pius eſt, vel quia omnes gentes ad adorandum eum veniunt? Sed ſciendum nobis eſt, quia gentium hic humilitas oſtenditur, ne quiſquam de gratia pietatis ac ſua numeroſitate contra Iudæorum reprobationem vel paucitatem inflari præſumeret, ne forte de gratia ſaluatis ex gentibus vocati, cum illis & ipſi appareant reprobi, qui de legis obſeruan-
B
tia tumentes, Chriſtum noluerunt ſuſcipere. Vnde & Apoſtolus ad eaſdem gentes loquitur, dicens: *Vobis dico*
Rom. 11.
gentibus, quam diu ſum gentium Apoſtolus, miniſterium meum honorificabo; ſi quomodo ad æmulandum prouocem carnem meam, vt ſaluos faciam aliquos ex illis. Si enim amiſſio eorum reconciliatio eſt mundi, quæ aſſumptio niſi vita ex mortuis? Quod ſi delibatio ſancta eſt, & maſſa: & ſi radix ſancta & rami. Quod ſi aliqui ex ramis fracti ſunt, tu autem cum oleaſter eſſes, inſertus es in illis, & ſocius radicis & pinguedinis oliuæ factus es, noli gloriari aduerſus ramos. Quod ſi gloriaris, non tu radicem por-
Ibid.
tas, ſed radix te. Quique adhuc ſubiungit, dicens: *Dicis ergo: Fracti ſunt rami vt ego inſerar. Bene: Propter incredulitatem fracti ſunt, tu autem fide ſta. Noli altum ſapere, ſed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat.* Ne ergo plenitudo ac numeroſitas gentium contra Iudæos, ad comparationem ſui numeri pauciores, audeat tumere, in illo nouiſſimo conuentu ex vtriſque congregato humiliter dicitur: Quis non timebit
C
te Domine, & magnificabit nomen tuum, quia tu ſolus pius, quoniam omnes gentes venient & adorabunt in conſpectu tuo? Ac ſi dicerent: Quis pietatis tuæ ineffabilem miſericordiam attendens, qua nos nullis præcedentibus meritis ex peccati ſeruis regnum tibi libertatis efficis, non pertimeſcat iuſtitiam, qua filios regni de legis obſeruantia glorianres à conſpectu gloriæ tuæ proiicis? Quis clementiam tuam inſpiciens, qua ad menſam cœleſtem dudum canes nec micis filiorum dignos, id eſt, nos gentes introduxiſti, non pertimeſcat ſeueritatem, qua filios (id eſt, Iudæos) de conuiuio expuliſti? Hinc eſt etiam quod quaſi poſtpoſitis eiſdem Iudæis, ſolæ gentes, vtpote numeroſior pars regni, ad veſtigia æterni regis adoranda
Gen. 27.
introduci dicuntur. Nec mirum. Nam ſi ad cognitionem fidei, prior eſt populus Iſraël gentium populo, tamen ſuppoſito à matre gratia populo Chriſtiano, tanquam Iacob à Rebecca, primogenita illius populi in benedictionibus accipit, quæ ille pro cibo terreno iam ſponte vendiderat.
D
Vnde & in alia tranſlatione propter hanc gentium dignitatem, nequaquam Dominus rex ſæculorum, ſed rex gentium à laudantibus vocatur, cum & credentium Iudæorum pro certo rex eſſe credatur. Cui ſententiæ Ieremias
Ier. 10.
quoque Propheta concordans, ait: *Non eſt ſimilis tui Domine. Magnus tu, & magnum nomen tuum in fortitudine.* Quis non timebit te ô rex gentium? Quod enim in Apocalypſi dicitur, *Iuſtæ & veræ viæ tuæ ſunt rex gentium, quis non timebit te Domine, & magnificabit nomen tuum?* hoc hic Ieremias ait, *Non eſt ſimilis tui Domine. Magnus tu, & magnum nomen tuum in fortitudine.* Quis non timebit te ô rex gentium? Hinc enim agendæ ſunt gratiæ redemptori omnium à populis gentium Apoſtolo hoc ipſum
Rom. 15.
exhortante: *Gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum.* Hinc amoris vinculo eidem inhærendum, ac nequaquam de gratia pietatis ſuperbiendum: quia non iam apud Iudæos tantum notus Deus, ſed ſicut per Malachiam
Malac. 1.
Prophetam dicitur, *A ſolis ortu ad occaſum magnum eſt nomen eius in gentibus, & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini eius oblatio munda.* Hinc Paulus ait: *Nunquid* E
Iudæorum tantum Deus? Nonne & gentium? Imo & gentium. In quibus verbis vtique apertè innuitur, magis pertinere vt gentium Deus vocetur quam Iudæorum, quan- Rom. 3.
quam in titulo Pilatus ſcripſerit: *Ieſus Nazarenus rex Iudæorũ.* Cum enim hoc quod præmiſimus, idem Apoſtolus Ioan. 19. Rom. 3.
dicit, *nunquid Iudæorum tantum Deus? Nonne & gentium?* ac deinde ſubiungit, *imo & gentium*, quod ſcilicet aduerbium electionis eſt quo ſententia in aptiorem ſenſum corrigitur, procul dubio oſtendit potius eum gentium quam Iudæorum Deum eſſe. De quo etiam per Iacob Patriar-
chan dicitur: *Non deficiet princeps de Iuda, neque dux de femoribus eius, donec veniat qui mittendus eſt:* & ipſe Gen. 49.
erit expectatio gentium. Adoratio autem gentium illa eſſe creditur, de qua Dominus Samaritanæ mulieri loquitur, dicens: *Mulier, crede mihi, quia veniet hora quando neque in monte hoc, neque in Hieroſolymis adorabitis patrem, ſed in ſpiritu & veritate veri adoratores adorabunt patrem.* Iam vero cum triumphantes de beſtia, iudicia Dei manifeſta prædicent, quis non timeat? Et quia iuſta & pia ſunt, quis nomen eius non magnificet? Sed cum eadem Dei iudicia inſcrutabilia atque occulta eſſe multarum ſcri- F
pturarum conteſtantibus oraculis credantur, maximè Apoſtolica auctoritate, qua dicitur: *Quam inſcrutabilia* Rom. 11.
ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius? Quis enim cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit? Quid eſt quod idem de beſtia triumphantes, in laudibus domino dicunt, quis non timebit te domine, & magnificabit nomen tuum, quoniam iudicia tua manifeſta ſunt? Si autem à me quæritur, quid ſibi vult hoc quod Apoſtolus incomprehenſibilia, iſti vero aſſerunt manifeſta eſſe Dei iudicia: vt verum dicam, neſcire me fateor: niſi forte quod certa ratione colligere poſſum, quia & incomprehenſibilia ſunt, & manifeſta: incomprehenſibilia ſcilicet, quia nec à nobis, nec ab vllo homine ſcitur, qua ſubtilitate & prius gentes in errore Deus deſerens, ad cognitionem ſuam Iudæos perduxerit: & poſtmodum Iudæos repellens, gentes aduocauerit: manifeſta vero, quia G
ſiue prius gentes ad intelligentiam ſuam minime perducens, Iudæos miſericorditer aduocauerit: ſiue poſtmodum eoſdem repellens, gentes ſuſceperit & à nobis & ab omnibus vera ſcientibus intelligitur iuſte & vere hoc ipſum feciſſe. Hæc etiam Dei iudicia eo manifeſta, id eſt, iuſta & vera ſunt, quo intra ſanctam Eccleſiam ex vna eademque verbi prædicatione, & electi miſericorditer ſaluantur, & reprobi non niſi iuſte damnantur: atque ex vno eodemque temporali flagello, & ad vitam prædeſtinati interius mundantur & ad mortem præſciti, deterius ſordidantur: & in hoc ergo vias Dei iuſtas eſſe cognoſcimus & veras. Et quia pietate ſua dominus multos
vocat, ſed iuſtitia exigente paucos eligit, ſicut ipſe dicit: Matt. 20.
Multi ſunt vocati, pauci vero electi: quis non expaueſcat, vtrumne ad electorum numerum non tranſeat? Et quidem quia vocati ſumus & quia inter ſanctos viuimus ſcimus: vtrum autem electi & ad electorum numerum pertineamos, omnino neſcimus, Salomone atteſtante qui
ait: *Neſcit homo vtrum amore an odio dignus ſit.* Quis enim Eccl. 9.
H
mortalium valet ſcire, vtrumne qui hodie catholicus apparet, cras in perfidiam hæreſeos incidat? Aut quis noſtrum cognoſcit, vtrumne qui hodie in agro cordis excepto ſemine verbi, fructum euangelicæ perfectionis ferre videtur, cras orto ſole, id eſt, excitata perſecutione, ſimul fidem & operationem amittat? Quis inquam è nobis ſcit, vtrum qui hodie eſt humilis, cras appareat ſuperbus: qui hodie caſtus, cras impudicus: qui hodie in cibo & potu parcus, cras vorax & ebrioſus: qui hodie manſuetus, cras iracundus: qui hodie dilectione plenus, cras odio repletus: qui hodie cum Domino nudus, cras incedat cum ſeculo ornatus & comptus? Quamobrem tanto neceſſe eſt, vt ſub gratia pietatis conſtituti pauidi ſemper atque ſuſpecti noſmetipſos humiliemus, quanto ſi ſimus electi neſcimus. Dicant ergo electi, dicant, atque in laudibus Domino gemitibus cordis dicant: Magna & mirabilia ſunt opera tua Domine Deus omnipotens, iuſtæ & veræ viæ tuæ ſunt rex ſæculorum. Quis non timebit te Do-

mine,

A mine, & magnificabit nomen tuum, quia tu ſolus pius, quoniam omnes gentes venient & adorabunt in conſpectu tuo, quoniam iudicia tua manifeſta ſunt? Sequitur:

Et poſt hæc vidi, & ecce apertum eſt templum tabernaculi teſtimonij in cælo.

Apoc. 11. Superius dixerat, apertum eſt templum Domini in cælo, & viſa eſt arca teſtamenti eius in templo eius: vbi intelleximus, ſacramenta de Chriſto & Eccleſia, opere reuelata: in templo ſcilicet Chriſtum natum & paſſum, ac ſuſcitatum: in arca vero teſtamenti, electorum Eccleſiam. Et quia caput & membra, Chriſtus videlicet & Eccleſia, vnum ſunt corpus, & in templo nunc Chriſtum, nunc Eccleſiam: & in arca teſtamenti, nunc caput, nunc membra intelligimus deſignari. Eſt enim Dominus ſecundum hominem templum Dei, eſt & Eccleſia, quia idem Dominus de ſemetipſo Iudæis ait: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Et Apoſtolus fidelibus loquitur, dicens: *Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Eſt B Ioan. 2. 1. Cor. 3. Dominus arca teſtamenti, quia in eo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. Eſt & Eccleſia, quia intra ipſam duæ tabulæ teſtamenti, & vrna aurea habens manna, & virga Aaron quæ fronduerat, myſtice contineri videntur. Hebr. 9. Et quid in duabus tabulis typice nouimus deſignatum, niſi aut duo teſtamenta vetus & nouum, aut duo charitatis præcepta, in quibus tota lex pendet & prophetæ: quæ non iam in tabulis lapideis ſcribuntur, ſed in tabulis cordis carnalibus ſpiritu Dei viui? Quid autem in vrna aurea habente in ſe manna, niſi corpus redemptoris noſtri ſeconditum, in ſe perpetuæ diuinitatis manna continens, & Angelici illius panis perennem cœleſtemque dulcedinem gerens? Quid vero in virga Aaron ſacerdotis frondente, niſi eiuſdem ſummi verique pontificis noſtri Ieſu Chriſti, ſalutare vexillum, immortalis memoriæ ſemper viriditate frondeſcens? Tunc autem hoc templum apertum, & arcam teſtamenti hanc viſam fuiſſe cognoſcimus, cum moriente redemptore noſtro, ſciſſoque templi velo, in veritate C apparuerunt peracta, quæ dudum in eodem Iudæorum templo fuerant myſtice coaptata. Quod autem illic Apoc. 11. Ioannes per ſynonyma dixit, *apertum eſt templum Domini in cælo, & viſa eſt arca teſtamenti eius in templo eius.* hoc hic ſub vno comprehendit, dicens: *Vidi, & ecce apertum eſt templum in cælo tabernaculi teſtimonij.* Sed cum ſit Eccleſia cœlum, vt ſupra iam diximus, quomodo in cœlo alteram intelligimus Eccleſiam quam in templo tabernaculi teſtimonij deſignari docuimus: Sed ſciendum nobis eſt, quia certa ratione autor huius hiſtoriæ genus diuidit in partes, cum hoc ſit cœlum, quod templum tabernaculi teſtimonij in cœlo: tanquam hoc agens, diceret de Chriſto & Eccleſia: Dudum figurata ſacramenta, non alibi aperiuntur, niſi intra eandem Eccleſiam. Sequitur:

Et exierunt ſeptem Angeli, habentes plagas ſeptem, de templo.

D Cum hoc ſit templum quod ſeptem Angeli, id eſt, vniuerſalis Eccleſia: quid ſibi vult, quod iſti ſeptem Angeli ſeptem plagas habentes, de templo exire narrantur? Nunquidnam pars Eccleſiæ de Eccleſia exire creditur? Abſit. Si enim iidem Angeli de templo exeunt, iam non ſunt Eccleſia, ſed hæretici abſciſi ab Eccleſia, Ioanne atteſtante qui ait: 1. Ioan. 2. *Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis.* Nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum. Quod certe Donatiſta Ticonius non intellexit, qui impudenti temeritate, hoc loco exire Eccleſiam ab Eccleſia, quod videlicet agens, peſtifero ore aſtruere voluit, in parte Donati à nobis exeunte, hanc poteſtatem remanſiſſe, vt mundum plagis percutiat, noſtramque Eccleſiam illis exeuntibus, ſtatim ignorantiæ fumo repletam. Cuius nos vanitatem, imo perfidiam poſtponentes, quid ſit Angelos cum plagis exire de templo, aperiamus. Sancta itaque Eccleſia dum in electis ſuis prædicatoribus tumultus ſæcularium negotiorum fugiens, diuinæ contemplationis interna penetrat, quaſi in templo, id eſt, in ſecreto mentis ſuæ quieſcit: dum vero ad carnalium mores componendos pauliſper interna deſerens, ſemetipſam conuertit, quaſi de templo ad publicum exit. Sicque fit vt vna eademque & internis inhians, in templo ſedeat: & rurſum curam proximorum non negligens, de templo exeat. Inde enim in templo ſedet, vnde diuinis intenta, exterius ſilet: inde vero de templo exit, vnde per officium prædicationis etiam carnalium vitam foris diſponit. Si igitur hoc eſt illi de templo egredi, quod eſt, à ſecreto mentis ad proximorum curam per officium prædicationis ſeipſam aptare: procul dubio in eius egreſſu plagarum exitus declaratur, quia efficientia omnium vulnerum, ipſa prædicatio eſſe dignoſcitur. Gladius enim bis acutus eſt de ore Domini procedens, ſed diuerſis modis plagas infligens. Quot enim ſalutaria de Eccleſia exeunt verba, tot ſunt reproborum vulnera. imo non ſolum reproborum mortifera, verumetiam electorum ſaluberrima. Aliquando enim exaudita verbi prædicatione, in quibuſdam electis diuina iudicia lamentorum vulneribus virtutes examinant, atque à præſentis F vitæ amore abſciſos, Dei charitati coniungunt. In quibuſdam autem eiſdem ſaluberrimis plagis, mortifera animarum vulnera ſanant. Quot enim ſunt pœnitentiæ gemitus, quot conuerſorum lamenta, tot ſunt animarum ſalubria vulnera. Niſi enim quoddam ſalutare vulnus diuina iudicia per Eccleſiæ prædicationem infligerent, nequaquam eadem de ſanctis prædicatoribus Eccleſia in Canticis canticorum diceret: *Inuenerunt me cuſtodes qui circumeunt ciuitatem percuſſerunt me, & vulnerauerunt me.* Cant. 5. 1. Reg. 24. Hinc enim de Dauid pœnitente, eo quod Saülis chlamydem abſcidiſſet, dicitur: *Poſt hæc percuſſit Dauid cor ſuum.* Quæ videlicet iuſta veraque Dei iudicia in cordibus reproborum intra eccleſiam conſiſtentium, ex eadem Dei verbi prædicatione vulneribus vulnera exaggerant: ſed non eiſdem modis, quibus electorum plagas ad ſanitatis remedium perducunt: Dumque per eandem prædicationem eorum vulnera non ſanant ſed augent, morte perpetua vulneratos addicunt. Quod etiam de infidelibus extra Eccleſiam conſtitutis, intelligendum eſt. Iam vero G ſicut ſupra meminimus, verum eſt, quod in effuſione phialarum ſupplicium etiam intelligatur perſecutionis: quia nec perſecutio graſſaret in mundo, ſi Eccleſia ceſſaret à prædicatione. Ac per hoc ipſa eandem perſecutionem effundit, quæ efficientiam eius qua infideles contra eam incitantur, emittit: vt quod illi patiuntur in anima ad perniciem, patiantur iſti in corpore ad ſalutem. Videamus quibus modis ipſa vulnera ab ea procedant. Aliquando enim dum propter auditam Euangelij prædicationem atque contemptam, plagæ in mundo crebreſcunt, ideo diuina iudicia quoſdam electos eiſdem diuinis plagis caſtigant, vt ſolum modo in eis virtutes examinent & augeant: quoſdam autem, vt ſcelerum ac negligentiarum vulnera, quibus intra ſanctam Eccleſiam ſauciati fuerant, in eis ſanent: quoſdam vero, vt ſanctorum effuſum ſanguinem miſericorditer in eis vindicent, qui nuper ad fidem conuertuntur, ne in futurum vltionem de eis expetant. Quæque idcirco eadem perſecutione latentes intra Eccleſiam falſos Chriſtianos cruciant, vt qui ſint appareant, ac H nequaquam vltra lateant, ſed quibus ſint digni vulneribus addici, cuncti agnoſcant. Quia ergo iſta quæ dicimus, minime fierent, ſi prædicatio Chriſti ceſſaret: forte ſicut ſpiritalium, ſic etiam corporalium plagarum non incongrue eiuſdem Eccleſiæ prædicationem efficientiam dicimus eſſe. Vnde & cum dicitur, effudit Angelus phialam ſuam, poteſt ita intelligi tanquam diceretur: Eccleſia concitauit perſecutionem verbis ſuis, operibus religioſis atque virtutibus. Sunt etiam & alia vulnera, quæ ex contempta prædicatione non ſolum fidelibus, verumetiam quibuſdam infidelibus irrogantur. De quibus nunc longum eſt diſputare, ſed nec vlla neceſſitas, cogit vt fiat. Nunc ergo ſequentia attendamus, & ſeptem Angeli has plagas habentes, nomenque proprium reſumentes, quo habitu induti appareant, videamus. Denique poſt quam dixiſſet, *Vidi & ecce apertum eſt templum tabernaculi teſtimonij in cælo: & exierunt ſeptem Angeli habentes ſeptem plagas de templo:* ſecutus adiunxit:

A *Veſtiti lapide mundo & candido, & præcincti circa pectora*
Zonis aureis.
Et quid in lapide mundo & candido accipimus, niſi
dominum Ieſum Chriſtum quem ſibi electorum Eccleſia
in baptiſmatis ſacramento circumamictat, Apoſtolo atte-
ſtante qui ait: *Quicunque baptizati eſtis, Chriſtum indu-*
Galat.3. *ſtis?* Qui bene lapis, quia murus Eccleſiæ impenetrabilis,
Sap.7. procul ſagittas diaboli ignitas repellens: recte mundus,
Ioan.1. quia omnino ſine vllo peccato conceptus & natus: digne
candidus vocatur, quia candor eſt lucis æternæ, & lux
vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc
mundum. Quia vero idem Dominus caput Eccleſiæ, per
aſſumptam Angeli creaturam Ioanni ad mamillas zona
aurea cinctus apparuit, dignum fuit vt & membra zonis
aureis circa pectora oſtenderentur præcincta, quæ iam
tunc in illo fuerant oſtenſa. Quid autem in zonis aureis
niſi & charitas, quæ ab Apoſtolo vinculum perfectionis
Col.3. vocatur, & caſtitas mentis deſignatur? Recte enim An-
B geli circa pectora præcincti zonis aureis oſtenduntur, quia
nimirum ſáctorum prædicatorum corda dum pœnali iam
timore nequaquam ſubiecta ſunt, quem charitas foris ex-
cludit, atque à ſe viciſſim nulla ſciſſione ſoluuntur, ex ſo-
la ſe charitate conſtringunt. Recte zonis aureis circa pe-
ctora præcinguntur Angeli, quia videlicet iidem ſancti
prædicatores ſupernorum ciuium amore deuincti, non
ſolum pollutiones quæ in lumbis reſtringi videntur, veru-
metiam ipſas immundas cogitationes vigore mentis refre-
nans. Sed quia iuxta aliam tranſlationem nequaquam
iidem Angeli lapide mundo & cádido ſed linteis mundis
& candidis induti apparuiſſe deſcribuntur, libet etiam
quid ſignificent lintea munda & cádida demonſtrare, ma-
xime cum & ad ſuperiorem intellectum magis videatur
pertinere, Solet enim nonunquam mortificatio in linteo
figurari, pro eo quod mortuorum corporibus videtur ad-
hiberi. Quæ ſcilicet mortificatio magis ad interiorem
hominem pertinere probatur, quam ad exteriorem: quæ-
C que in hoc præcipue cognoſcitur eſſe, quo iudicia Dei in
nullo reprehendere, ſed in omnibus collaudare vnuſquiſ-
que ſtudet: vnde & bene ipſa lintea candida demonſtran-
tur. Candos enim in linteis apparet, quando mortificatus
à propria voluntate animus, irreprehenſibilia eſſe Dei iu-
dicia in cunctis ſupernis diſpoſitionibus & credit & firmi-
ter tenet. Si igitur in candore irreprehenſibilia Dei iu-
dicia recte intelligimus figurari, non incongrue mundis
linteis mortificatus videtur animus aptari: vt ſcilicet
mortificati hoc etiam candore fulgeſcant electi cum reue-
lata cordis facie iudiciorum Dei gloriam ſpeculantur. Ad
quorum perſonam exhortantis ſermo dirigitur, quo dici-
Eccl.9. citur: *Omni tempore ſint veſtimenta tua candida.* Ac ſi
aperte diceretur: Tempore quo moraris in terra, in cun-
ctis ſupernis diſpoſitionibus Dei iudicia collauda. Quaſi
enim inquinatur mortificationis indumentum, cum iudi-
ciorum Dei laudis præconio obtrectationis macula ſuper-
ducitur. Quod autem cincti circa pectora zonis aureis
Angeli narrantur, poteſt huic ſenſui congruenter aptari, ſi
Prou.16. in auro ſapientiam intelligamus figurari. Vnde ſcriptum
Prou.21. eſt: *Accipite ſapientiam ſicut aurum.* Vnde eſt illud, The-
D ſaurus deſiderabilis in ore ſapiétis requieſcit. Præcingũtur
igitur Angeli circa pectora zonis aureis tanquam membra
ſummi pontificis: vbi certum eſt, priſcis temporibus ſa-
cerdotis pectus legaliter ſæpe geſtaſſe logium, id eſt, ra-
tionale, vt ſcilicet electorum corda ſpiritali ſapientia con-
ſtricta, ſibique bene conſcia, diuina non reprehendere, ſed
laudare iudicia ſtudeant: & illius auſi fulgore illuſtratio-
ne videlicet ſapientiæ, alios quoque ad laudandum indu-
bitanter hortétur: quique iam dicere cum Pſalmiſta noue-
Pſal.118. runt: *Iuſtus es domine, & rectum iudicium tuum.* Sequitur.

Et vnum ex quatuor animalibus dedit ſeptem Angelis ſe-
ptem phialas aureas, plenas iracundia Dei viuentis in
ſæcula ſæculorum.

Cum hoc ſint ſeptem Angeli quod ſeptem phialæ, quid
ſit quod idem Angeli hoc accipiunt quod ſunt, paulo ſu-
perius anticipantes expoſuimus: ſcilicet quia ideirco præ-
fati Angeli phialas effundendas accipiunt, vt ſpiritu ſancto
modificante, figura ex ſe gignat figuram: quatenus quod B
ſit Angelorum officium, apertius oſtendat, ne ſi diceret,
primus Angelus effudit ſemetipſum, ambiguitatem legen-
tibus daret, quænam eſſet illa effuſio.
At cum dicit, primus effudit phialam ſuam, nulli du-
bium quin prædicationis verbum in ipſa effuſione deſi-
gnet. Seruat etiam recte loquendi ordinem, ne interrupto
ſeptenario ſacratoque numero, dicat: vnus ex ſeptem An-
gelis, dedit ſex reliquis ſeptem phialas: ſed vnum inquit,
ex quatuor animalibus, cum & vnus ex ſeptem Angelis,
atque vnum ex quatuor animalibus, non diuerſa, ſed vnum
ſignificent. Quid autem eſt, vnum ex quatuor animalibus,
ſeptem Angelis ſeptem phialas dare, niſi redemptorem
noſtrum ſanctis prædicatoribus verbum ſapientiæ ab oc-
cultis infundere: quatenus qui officio prædicatorum fun-
gi præelecti ſunt, hoc appareant in effuſione verborum,
quod dudum iam erant in prædeſtinatione diuinorum iu-
diciorum? Quod tale eſt, quale ſi diceretur: Vnum ex
quatuor animalibus, dedit ſeptem Angelis, id eſt, Do-
minus qui ante mundi conſtitutionem prædicantium F
ordinem præelegit, cum eos in tempore ad prædicandam
ſuam Eccleſiam per mundum ſparſit, effuſione ſancti ſpi-
ritus verbi ſapientia repleuit. Vel certe in vno ex quatuor
animalibus, ordinem prædicantium deſignans, in ſeptem
vero Angelis auditorum multitudinem exprimens, præ-
cedentia Eccleſiæ membra per ſingulas generationes, præ-
dicandi potentiam, ligandi atque ſoluendi libertatem,
ſubſequentibus membris annuente eis diuina autoritate, tra-
dere perhibentur. Quod vtique quotidie agunt, cum per
impoſitionem manuum in ciuitatibus præſules animarum
conſtituunt. Bene autem phialæ quas accipiunt, aureæ eſſe
deſcribuntur: quia vt prædicandi officium implere poſ-
ſint, cœlitus ſapientiæ fulgore illuſtrantur. Vel certe vt
cœleſtes diuitias in ſe reconditas ſeruent ſeruatas oppor-
tuno tempore Dei populis conferant, igne tribulationis
purgantur, preſſurarum contuſionibus extenduntur, ſic-
que in aurea vaſa ex terræ arena commutantur. An non
phialam auream acceperat, imo phiala aurea effectus fue- G
rat Paulus, de quo Dominus dicebat ad Ananiam, *Vas* Act.19.
electionis eſt mihi; Notandum vero quod præfatæ phialæ Apoc.5.
ſuperius quidem odoramentis, id eſt, orationibus ſancto-
rum: nunc autem iracundia Dei viui, inferius vero ſeptem
plagis nouiſſimis plenæ referuntur. Si enim odoramentis
plenę, quis in eis locus vacuus quo ſcilicet poſſint vel ira-
cundia Dei, vel 7. plagæ recipi? Sed ſciẽdum nobis eſt, quia
non ſicut in materialibus rebus, ita in ſpiritalibus diffi-
cultatis apparet effectus, ac per hoc in ſingulis præno-
minatis partibus, ipſæ phialæ plenæ reperiuntur. Quia
enim & perfecta electorum ſalus, & conſummata repro-
borum damnatio in eis continetur, recte in ſingulis parti-
bus plenæ memorantur. Nam propter electorum ſalutem,
plenæ odoramentis: propter reproborum vero mortem, ira-
cundia Dei plenæ. Et quia ipſius diſtricti iudicis ira agi-
tur, vt vnde electi viuunt conuerſi, inde reprobi morian-
tur minime conuerſi, iuſte plagarum vocabulum ipſa vl-
tionis ira ſortitur. Sed nec mirum ſi præfatæ phialæ &
ſuauitatem orationum, & iram plagarum continere dican- H
tur: cum à SS. pro regni Dei aduentu funduntur, cum Apo-
ſtolus dicat, *Chriſti bonus odor ſumus Deo, & in his qui* 2.Cor.2.
ſalui ſiunt, & in his qui pereunt: & aliis odor mortis in mor-
tem, aliis odor vitæ in vitam. Si enim de domino noſtro
ſcriptum eſt, *ecce poſitus eſt hic in ruinam & in reſurrectio-*
nem multorum in Iſrael, & in ſignum cui contradicetur: quid
mirum, ſi phialæ, id eſt, eiuſdem Domini prædicatores, Luc.2.
iuſtis ſuauitatem præbeant, impiis vero plagarum irrogent
vltionem? Sequitur:

Et impletum eſt templum fumo à maieſtate Dei, & de
virtute eius: & nemo poterat intrare in templum, donec
conſummarentur ſeptem plagæ ſeptem Angelorum.

Templum fumo repletum non in capite, quod abſit,
ſed in membris intelligamus, ne forte & ipſi eandem ca-
liginem patiamur. Plagis autem de templo exeuntibus,
quid eſt templum fumo repleri, niſi electorum Eccleſiam
in infirmioribus membris ſuis ex conſideratione inflicta-

A rum plagarũ mentis caliginẽ pati.Cum enim infirmi quilibet
intra ſanctã Eccleſiã cõſtituti, non valẽt conſiderare,cur hic
malis bene,& bonis ſit male : cur hic mali incolumes gau-
deant,& boni preſſuris gemant:cur mali diuitiis abũdent,&
boni inopes fiant:cur malis proſpera,& bonis aduerſa ſucce-
dant:cur reprobi exaudita verbi prędicatione,detrimentũ in-
currant,per quam omnes iuſti incrementũ ſaluationis inue-
niunt : cur falſi fratres,excitata in Eccleſia perſecutione,per
temporalia flagella ad æternam mortem perueniant,per quæ
electi ad ſempiternã vitam proficiunt?Cum inquam hæc &
his ſimilia ab eiſdem infirmis non valẽt inſpici,in eorũ parte
certũ eſt templũ fumo repleti,de quibus & ſubdiditur:Nemo
poterat intrare in tẽplum.Ac ſi diceretur:Nullus eorum qui
hanc caliginẽ paſſus eſt, intra mentis ſuæ domũ illud pene-
trare valuit iudiciorũ Dei ſecretũ.Quod vero vſque ad con-
ſummationẽ plagarũ & idem fumus in templo perdurare aſ-
ſeritur, & aditus introeundi in eum denegatur,ita intelligen-
dum eſt,tanquã diceretur:Vſquequo ad finẽ Eccleſia perue-
B niat,tales in ea deeſſe non poterunt,qui ignorantia caliginis
tacti, nequaquã intra mentis ſuæ ſecretũ iudiciorũ Dei glo-
Pſal.72. riam ſpeculari valeant. Vnde & Pſalmiſta Eccleſiæ voce de in-
firmãtibus loquitur,dicens:*Exiſtimabam vt cognoſcerem, hoc
labor eſt ante me, donec intrem in ſanctuarium Dei, & intelli-
gam in nouiſſima*.Inter hęc autem ſciendũ eſt nobis,quia ſicut
in parte infirmantiũ templũ fumo repletur,quo perſeueran-
te nullus ex his in illud ingreditur,ſic in robuſtorũ ſorte nec
eodẽ fumo tangitur, nec eis in illud intrandi aditus denega-
tur, illis ſcilicet qui induti ſunt linteis mũdis & cãdidis,atq;
circa pectora præcincti aureis zonis.Quia enim nulla dubie-
tatis caligo eorũ mentes valet obnubilare, quatenus iudicia
Dei iuſta & pia ceſſent cõſiderare:certũ eſt eos quotidie in-
gredi templũ,non de maieſtate eius fumo repletũ,ſed eadem
Exod.33. maieſtate atque virtute illuminatũ. Quas vtique perſonas,in-
trantium ſcilicet ac minime intrantiũ,Moyſes figuraliter geſ-
ſit,qui & tabernaculum fœderis ingreſſus,facie ad faciẽ cum
domino loquitur,ſicut loqui ſolet homo ad amicum ſuum &
C rurſum in eodem non valet ingredi,nube operiẽte omnia,&
Exod. 40. gloria domini illud implẽte,eiuſque maieſtate coruſcante.Et
ne forte quis dicat,quomodo aliis in hoc templum intrandi
aditum prædicas,aliis vero denegas, cum hæc ſententia qua
dicitur,nemo poterat intrare in tẽplum,omnes excludat,nul-
lum intromittat, Euangelicam locutionem huic pene ſimilẽ
neceſſario introducimus vt qualiter non ſit contrarium quod
dicimus,probabiliter oſtendamus. Baptiſta denique Ioannes
Ioan.3. cum quædam de Chriſto loqueretur,inter cætera ait : *Teſti-
monium eius nemo accipit*.Qui autem accipit eius teſtimoniũ,
ſignauit quia Deus verax eſt. Vbi iuſte quæritur,ſi teſtimoniũ
eius nemo accipit , quomodo qui accipit , ſignat ? Verax
enim Euãgeliſta loquitur,quia teſtimoniũ eius nemo accipit:
& idẽ verax Euangeliſta loquitur,quia qui accipit eius teſti-
moniũ,ſignat. Quemadmodũ autẽ hæc intelligenda ſunt,niſi
quia ſicut ſunt plerique quorum nemo teſtimonium Chriſti
accipit,ſic & rurſum ſunt nonnulli quorũ aliquis eius teſti-
moniũ accipit?Sic ergo & hoc loco intelligendum eſt quod
dicitur , nemo poterat intrare in templum. Tale eſt & illud
Pſal. 13. & 52. Pſalmiſtæ dictũ:*Non eſt qui faciat bonũ non eſt vſque ad vnũ.*
D Sed eſt adhuc quod vtilius atque ſalubrius de tẽplo fumo re-
pleto, conſiderare valeamus. In ſcriptura etenim ſacra ſolet
nonnunquã fumi nomine,cõfeſſio peccatorũ deſignari.Sicut
namq; fumus præcedit incendium ſic flammã fidei & chari
tatis præcedit cõfeſſio peccatorũ. A maieſtate autem Dei &
de virtute eius impletur templũ fumo, quia ille in cordibus
hominũ confeſſionem peccatorum gignit, de quo per Pſal.
Pſal.110. dicitur : *Confeſſio & magnificentia opus eius*. Et rurſum,*Con-*
Pſal.95. *feſſio & pulchritudo in conſpectu eius*. Et de quo iterum dicit:
Pſal. 103. *Qui tangit montes,& fumigãt*. Montes etenim Dominus tan-
git,& fumigant : quia dum ſæculariũ mentes ſuperbas ac tu-
midas,per reſpectum gratiæ de reatu priſtinæ conuerſationis
Math. 26. compungit,mox confiteri peccata atque deflere cõpellit. Sic
denique Petrum reſpiciendo tetigit,vt confeſſionum lachry-
mis deleret,quod negans pauore contraxerat. Repletur ergo
tẽplum fumo à maieſtate Dei & de virtute eius, quia inful
gente diuina gratia,non ſolum ex his qui intra ſanctam Ec-
cleſiam Chriſtũ confitentes,ſcelera perpetrarunt:verumetiam
qui eandẽ Eccleſiã Dei in nouiſſimis perſequẽtur, intra eam
aggregati,confeſſionũ lachrymis vulnera ſua ſanandi lauant: B
quæ propter contẽptam eiuſdem Eccleſiæ prædicationẽ,ex-
tra eam ſibi inflicta fuiſſe cognoſcunt.Nemo autẽ poteſt in-
trare in tẽplum fumo repletum,donec ſeptẽ finiantur plagæ:
quia nullus adhuc intra mentis ſuæ ſecretũ ſecuritatis lætitia
ſolẽnia laudis de indulgẽtia ſcelerũ Domino valet celebrare;
niſi qui prius ſtuduerit de eiſdem ſceleribus tempus dignæ
pœnitentiæ explere , vt conſequenter cum Pſalmiſta valeat
Domino dicere:*Deambulabã in innocẽtia cordis mei in medio* Pſal.100.
domus tuæ,ſubaudis,in medio cordis mei vbi eſt domus Dei.
Ille etenim ſecurus atque de recepta innocentia gaudens in
tẽplo deambulat,cui nihil iam de præteritis criminibus quæ
dum à maieſtate Dei & virtute eius cremarentur,templũ fu-
mo replebant,remanſiſſe cognoſcitur.Cui etiam per prophe-
tã dicitur:*Quieſcat vox tua a ploratu,& oculi tui a lachrymis.* Ierem.31.
Hinc rurſum per Pſalmiſtã Domino dicitur : *Cogitatio homi-* Pſal. 75.
nis confitebitur tibi,ſubaudis,ecce fumus de maieſtate Dei &
virtute eius in tẽplo quo peccata cremantur,exurgens. Sub- F
iungit autẽ Pſalmiſta,dicens : *Reliquiæ cogitationis diem feſtũ* Ibid.
agent tibi.Ac ſi aliis verbis diceret : Succreſcente igne diuini
amoris ; ac per hoc euaneſcente fumo timoris,in emundatis
cordibus tanquã in Dei tẽplo reliquiæ cogitationis ingreſſæ,
de impetrata peccatorum venia iam ſecuræ atque gaudẽtes,
tibi Domino ſolẽnia laudis celebrabunt,vt ſe.vbi ante cogi-
tatio peccata confitens diem feſtũ habebat in luctu, tanquã
tẽplum fumo repletũ, conſequẽter eiuſdem reliquiæ cogita-
tionis,de ſpe veniæ præſumentes, ſublata mœroris caligine,
ſolennitatẽ ſibi in lætitiã videãt conuerſam, tanquã domum
immenſis luminibus coruſcantẽ.Ergo & ſecundum hanc in-
telligentiã cum electorũ Eccleſia nunc in quibuſdam mẽbris
lamẽtationis fumo repletur:nunc vero in quibuſdã conſum-
matis delictorũ lamẽtis,de ſpe futuræ remunerationis ineffa-
bili lætitia perfunditur,& ſẽper in iuſtificãdis timore ſuppli-
cij incõparabilibus lachrymis exũdat,& ſemper in iuſtificatis G
lætitia inenarrabili exultat:in illis ſc.ſanãdis,in iſtis autẽ iam
ſanatis ab iis vulneribus,quæ Eccleſiaſtica prædicatio aut ſa-
nat,aut exaggerat,poſſunt quidẽ hæc non inconuenienter ita
accipi.Sed quia ſiue iam à perpetratis ſceleribus per pœnitẽ-
tiæ lamentũ quidã emundati,ſiue qui nullis ſunt criminibus
inquinati, dum vterque neſcit vtrum aut illius anteacta pœ-
nitentia ſatisfactione appareat digna , aut iſtius ſeruata vitæ
munditia,ab eo cuius cõparatione immunda ſunt omnia,iu-
dicetur æterna claritate perfrui condigna, quique ſe in multis
ſe videt offendere,nec ita facere bonum poſſe,vt in quibuſ-
dam non peccent:quibus & illud abſconditur,vt vtrum ſint
electi ignorent : & tamen pietatem redemptoris aſpicientes,
ſuamque dilectionẽ quam erga illum habent, examinantes,
peruenire ſe ad eius miſericordiã poſſe præſumunt. Sed rur-
ſum ne eum cui ardenti deſiderio inhærere concupiſcunt,
amittant, amplius timent : ac per hoc & metuunt & præſu-
munt,gemunt & gaudent:cogimur fateri tandiu in hoc ele-
ctorũ templo,ſiue in illis qui pœnitentiæ lamentis præterita
ſcelera diluerunt,ſiue in his qui ſe nullis criminum inquina-
mentis ſordidauerunt,fumum perdurare , quandiu vnuſquiſ-
que eorum ad debitum carnis ſoluendum peruenerit in quo
omnium vulnerum plagæ debitũ finem accipiant. Sequitur: H

Et audiui vocem magnam de templo,dicentem ſeptem Angelis: Apocal. Cap.xvi.
Ite,effundite phialas iræ Dei , quas accepiſtis , in terram.

Vocem de tẽplo ad ſeptem Angelos factam,idem tẽplum
certum eſt alloqui : quia vt ſupra diximus,hoc eſt templum
quod ſeptẽ Angeli,id eſt,vniuerſalis Eccleſia,ſicut arca Noë,
& octo animæ in ea.Sed à capite exit,& ad mẽbra peruenit.
Et vt breuiter cuncta de hoc templo repetens perſtringam,
aperitur tẽplum in capite ſimul & in mẽbris, id eſt,in Chri-
ſto & in Eccleſia. Exeunt cum Angelis plagæ de templo, ſed
iudicio capitis per membrorũ prædicationem impletur tem-
plum fumo a claritate Dei & de virtute eius, ſed in mẽbris.
Auditur vox magna de templo,ſed à capite.Bene autem non
ſimpliciter vox,ſed magna vox de tẽplo audiri dicitur : quia
per hãc diuinæ iuſſionis ineuitabilis exitus declaratur. Quid
autem eſt,ad Angelos Deum dicere.Ite,effundite phialas iræ
Dei quas accepiſtis , in terram , niſi ite & offerte vulneratis
potionem ſanitatis?Quam ſi ſuſcipere renuerint, ne ſine ex-
cuſatione pereant,eo quod eis non fuerat oblatum remediũ

A ſalutis inuitos eos etiam perfundite: vt quod eis peruenire non valuit ad remediũ ſalutis in teſtimoniũ cedat damnationis. Et addat adhuc deteriora vulnera, medicamentũ potionis perfuſum, quod curare poterat prædicẽtia, ſi gratanter hauſtũ fuiſſet: fiatque illis modo miſerabili, vt vnde alij veniã placationis inde ipſi ſumãt iram vltionis. Hæc denique eſt illa poteſtas Eccleſię, quam principaliter meruit accipere à Chriſto, videlicet in cœlo pariter & in terra ligãs & ſoluens, aliis ſua prædicatione conuerſis veniã placationis, aliis vero minime conuerſis irã irroget vltionis. Quærendum autem nobis eſt, cum iſtis ſeptẽ Angelis diuina iuſſio phialas acceptas ſolummodo in terrã effundere præcipiat quid ſit quod quaſi mandatũ transgredientes, alius in terrã, alius in mare, alius in flumina & fontes aquarũ, alius in ſolẽ, alius ſuper ſedem beſtiæ, alius in flumen Euphraten, alius in aërem phialam effundit? Quantum enim ad litteram, quaſi mandatum videntur tranſgredi: quantum vero ad myſticæ locutionis ſenſum, diuinæ iuſſionis præcepta probantur implere: quia proculdubio hoc B ſignificat terra quod mare, hoc mare quod flumina & fontes aquarum, hoc flumina & fontes aquarum quod ſol, hoc ſol quod ſedes beſtiæ, hoc ſedes beſtiæ, quod flumen magnum Euphrates, hoc flumen Euphrates quod aër. Sicut ergo iſta omnia vnum ſunt, ſic & ſeptem Angeli vnum ſunt. Ac per hoc vbi audimus primum, ſeptem intelligere debemus. Similiter vbi ſecundum vel tertium vel omnes, ſemper ſeptem eſſe in myſterio attendere debemus. Sequitur:

Et abiit primus, & effudit phialam ſuam ſuper terram: & factum eſt vulnus ſæuum ac peſſimum in homines, qui habent characterem beſtiæ, & eos qui adorauerunt imaginem eius.

Sic hoc loco per terrã generaliter omne malorum corpus deſcribitur, de quo ad diabolum in prima maledictionis ſen-
Gen. 3. tentia dicitur, *Terrã comedes cunctis diebus vitæ tuæ:* vt tamen illi per eã ſpecialiter deſignentur, de quibus figurata locutio-
Iob 28. ne per beatũ Iob dicitur: *Terra de qua ante panis oriebatur in loco ſuo igni conſumpta eſt:* Iudæorum ſcilicet gentem ſignãs, de qua prius panes, id eſt, eloquia prophetarũ fructificabant.
C Quid eſt autem, Angelum in terram effundere phialã, niſi (vt dictum eſt) prædicationẽ Euangelicã omnibus plagis repletam, per orbẽ vniuerſum diffundere, & ab Ieruſalem incipere? Qua videlicet effuſa phiala, fit vulnus in omnibus non qualecunque, ſed ſæuum ac peſſimũ, irremidiabile ſcilicet atque mortiferũ. Et quid eſt vulnus ſæuum ac peſſimum, niſi nolle homines credere in Chriſtũ? Quo quiſque ſauciatur irremediabiliter perire probatur. Hoc Iudæi, hoc ex gẽtibus infideles mori videntur, ſed miſerabilius Iudæi quam gentes: quia licet prædicatio ſaluatoris eiſdem gentibus vulnus intulerit mortis, non tamen de obſeruantia legis, quam nec habuerũt, mercedem laboris perdiderunt, ſicut gens illa Iudaica, de qua Antichriſtus naſciturus traditur, hoc vno peccati vulnere confoſſa ſi quas habere poſſet legis iuſtitias perdidit, & ipſa irremediabiliter periit, eo quod Chriſtũ ſibi promiſſum ſuſcipere noluit. Et quidem de obſeruantia legis tanquã de tota corporis mole ſana applaudet ſibi gens illa. Sed vtinã attenderet mortiferi vulneris qualitatem. Qualitas itaque lethalis vulneris ita eſſe cognoſcitur, vt plus præualeat modicus, quẽ
D obtinuerit in corpore, locus ad inferendã mortem, quam reſidua pars corporis ſana vel amplior ad reſeruandam hominis ſanitatẽ. De hoc peccato tanquam de hulcere peſſimo vt ſu-
Ioan. 15. pra meminimus Dominus dicit: *Si non venissẽ & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent.* Nunc autem excuſationẽ non habẽt de peccato ſuo. Si opera non feciſſem in eis quæ nemo alius fecit, peccatũ non haberent. Nunc autem & viderũt, & oderunt & me & patrẽ meum. Hoc eſt certe irremediabile atque inſanabile vulnus, quò ſolo etiam ſi alia deſint, quilibet vulnerari, æterna iudicantur pœna plectendi. Quia vero nouiſſimas plagas nouiſſimamque Iudæorũ cæcitatem, qua ſecũdum ſaluatoris ſententiã Antichriſtum pro Chriſto ſuſcipient, Spiritus ſanctus deſcribit: idcirco eos homines dicit prædicatione Chriſti peſſime vulnerari, qui characterẽ beſtię videntur habere eiuſque imaginẽ adorare: cum & nunc antequam eadem beſtia in mundo appareat præfato moriãtur vulnere. Sed & cum ſubtiliter in his intendimus, & nunc iidem Iudæi cum hoc moriuntur vulnere, Antichriſtũ vidẽtur tenere eiuſque imaginẽ adorare, frontes manuſque charactere ipſius ſignare, quẽ toto mẽtis deſiderio vidẽtur præſtolari. B
Sed hoc (vt dictũ eſt) ad illud ſpecialiter tempus refertur, quo eundẽ peruerſũ hominẽ aperte ſuſcipiẽt, quẽ nunc voto iam tenẽt. Ex quorũ perſona ſenior frater de agro regreſſus, ac de ſalute minoris fratris inuidia ſtimulatus, ait patri: *Ecce tot an-* Luc. 15.
nis ſeruio tibi, & nunquã mandatũ tuũ præterivi, & nunquam dediſti mihi hædum vt cum amicis meis epularer. Poſtquã autẽ hic filius tuus, qui diſſipauit ſubſtãtiã ſuã cum meretricibus, venit, occidiſti illi vitulũ ſaginatũ. Quiq; ſuper hoc vehemẽter indignãs, nolebat ad hoc conuiuiũ introire. O miſer, propter inuidiã fratris, ad conuiuiũ quod pater ex vitulo ſaginato præparauit, non intras & cum tibi hœdũ non dederit, in querelã proſilis? Expecta paululum certe accipies hœdũ pro quo cauſaris. Audi quid tuus, imo noſter immolandus loquatur vitulus: Ego veni in nomine patris mei, & non ſuſcepiſtis me: alius veniet in nomine ſuo, & hunc ſuſcipietis. Et reuera dignũ eſt, vt is qui vituli ſaginã tumens deſpicit, hœdũ accipiat: contẽnens videlicet Chriſtũ, ſuſcipiat Antichriſtũ. Quãobrem ſpecialiter de illis dictũ intelligimus, factũ eſt vulnus ſæuũ ac pæſſimũ in homines, qui habẽt characterẽ beſtiæ, & qui adorãt imaginẽ eius, quanquã hoc & incredulis gentibus generaliter cõgruere videamus. Multos enim in ſuſceptione Antichriſti ex incredulis gentibus iidẽ Iudæi ſequaces habebunt & non ſolũ multos ſed etiã innumerabiles turbas. Nam ſicut in bonũ per imitationẽ fidei, gẽtes quoq; filios Abrahæ ſcriptura ſacra vocitat, non de eius carne naſcẽdo, ſed confitẽdo Chriſtũ de tribu Iuda à mortuis reſurrexiſſe victorẽ: ſic in malũ Iudæos ex gẽtibus ſectatores credẽdũ eſt habituros, qui Antichriſtũ qui de tribu Dan dicitur naſciturus, ſuſcipiẽdo atq; ſequẽdo eorũ notẽtur eſſe cõplices in charactere criminis, quorũ participes erunt in pœna ſẽpiternæ dãnationis. Sciendum præterea, quia ſicut Iudæi & gentes pro eo quod Eccleſiæ contẽpta prædicatione Chriſtũ ſuſcipere noluerũt, ad hoc perueniũt vt merito præcedẽtis culpæ tanquã vulneri addito vulnere, ſuſcipiant Antichriſtũ: ſic reprobi intra ſanctã Eccleſiã conſtituti, terrenis cõcupiſcentiis dediti, quia Chriſtũ quem voce profitentur, operibus abnegant: dignum eſt vt G imminẽte perſecutionis articulo, ipſoq; victi tormento, fidei profeſſionẽ amittãt quã geſſẽ in lingua, & characterẽ beſtiæ aperte habeant in fidei abnegatione, quem dudũ occultũ habebant in operibus manuũ: atque imaginẽ ſimulationis eius palã adorẽt, cui pridem occulte ceruicem cordis inclinabant quãdo in eiſdẽ author trãſgreſſionis myſteriũ iam operabatur iniquitatis: eundemque Antichriſtũ manifeſte ſequantur, poſt quem dudum occulte ambulabant: quatenus per hoc factum qui ſint appareant, nec vltra latere poſſint. Quia enim præcedentium iniquitatum meritis per temporalia flagella reprobi intra ſanctam Eccleſiam conſtituti, ad hoc quod diximus perueniãt, ſcimus: vtrum autẽ in effuſione phialæ, perſecutionis ſupplicium intelligi debeat, lectoris iudicio relinquimus.

Vnum ſane audenter dicimus, quia ſi verũ eſt quod beatæ recordationis Hieronymus dixit, in ſingulis Apocalypſis verbis multiplices latent intelligentiæ: poſſe non inconueniẽter hoc loco vnam ex illis, iſtam quam poſuimus, æſtimari, ſicut H
B. Gregor. tractatorũ Eccleſiæ egregius intellexit. Sequitur:

Et ſecundus effudit phialã ſuam in mare, & factum eſt ſanguis tanquam mortui, & omnis anima viua mortua eſt in mari.

Non vſquequaque laborandũ eſt nobis, quatenus quid ſit aqua in ſanguinem conuerſa, intelligimus. Lex enim veteris Rom. 7.
teſtamenti quæ ab Apoſtolo idcirco ſpiritalis vocatur, quia nouũ in ea teſtamentũ reuelatur, dum quorundã mentes perfundit, in vini ſaporẽ cõmutat: quia Chriſtũ in ſe myſtice deſignatũ oſtẽdit, vt illorũ qui in nuptiis ſponſi cœleſtis ex aqua vinũ facta ſpiritalibus poculis debriantur, quorundã vero in ſanguinis feculentiã conuertit: quia eundẽ redemptorem ſub tegmine litteræ reprobis abſcondit, vt illorũ de quibus in libro ſapiẽtiæ dicitur: *Sanguine ſordidę turbati in redargutionẽ.* Ioan. 3.
Littera enim quæ occidit, hunc ſanguinẽ de cordibus infideliũ emanare fecit. Sed hac labe illi periculoſius perire probãtur, qui in ſui perditionẽ ante faciẽ Pilati Chriſtũ abnegãtes, dixiſſe referũtur: Sãguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Matth. 27.
Quod iam dudũ in illa plagarũ prima, quas Ægypto legimus inflictas apertiſſime nouim° figuratũ. Sed illud animũ mouet, Exod. 7.
quid ſibi velit quod ibi dulces aquæ in pr. plaga, hic autẽ in

A ſecunda phiala amaræ dicuntur in ſanguinem conuerſæ.

Et reuera vt apparet, idem ſignificatur per aquas Ægypti, qui & hoc loco per mare. Sed ibi vt dictum eſt, ad hoc dulces in prima plaga in ſanguinem verſæ, hic vero iam amari effecti, ſecunda phiala deterius vulnerati. Et quid eſt, in prima plaga aquas Ægypti, ſiue fluminum, ſiue imbrium, in ſanguinem verti: niſi vt dictum eſt, in ſpiritali lege à carnali Iudæorum populo Chriſtum non intelligi? Quid vero eſt, aquas maris amaras & ſalſas, ſecunda phiala in ſanguinem commutari, niſi antichriſtum pro Chriſto adorandum exſtimari? Sed nec abhorret vero, quod hoc loco per mare illos diximus ſignificari, qui in populo Iudæorum non ſolum ſpiritalem legem carnaliter ſapere ſtuduerunt, vnde nec Chriſtum in ea cognoſcere potuerunt: quia

1.Cor.2. Apoſtolus dicit, *Si cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*: verum etiam eo vſque ſunt pondere meritorum adducti, tanquam ſecundo vulnere deterioris plagæ percuſſi, vt imaginem beſtiæ libenter ſuſcipiant, atque inſcriptionem nominis eius habentes, antichriſtum pro

B Chriſto adorandum exiſtiment: atque ideo putandum eſt, hoc loco in ſecunda phiala poſitum fuiſſe, quod in Exodo prima plaga deſcribitur contigiſſe.

Quod autem ex hac labe omnis anima viuens mortua in mari dicitur, à toto pars intelligenda eſt quæ occiditur, ſicut eſt illud Pſalmiſtæ dictum: Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Neque enim hac morte pereunt illi centum quinquaginta & tres piſces ſaciati, ab aſſo in paſſione piſce electi, qui à retibus Apoſtolorum incluſi, trahun-

Ioan.21. tur ad littus. Et quid aliud ſunt retia Apoſtolorum, niſi teſtamentum nouum? Et hoc eſt piſces intra retia includi, quod eſt, in electorum parte aquas in ſanguine minimè conuerti: atque hoc eſt mare in ſanguinem conuerti, quod eſt, omnem animam in eo necari. Ipſi enim ſanguine mori narrantur, qui fuiſſe cognoſcuntur in ſanguinem verſi. Sed quia multi tunc intra ſanctam Eccleſiam conſtituti reperiuntur, qui quidem legem ſpiritaliter intellexerunt, atque in ea nouum Teſtamentum reuelatum ſuſ-

C ceperunt Chriſtum, quem etſi fictè coluerunt, ſed corruptionibus carnis tanquam ſanguinibus debriati, ſecundum eam viuere noluerunt. Si vtcumque fieri poteſt, vt in effuſione phialæ perſecutionis ſupplicium intelligatur, diuino æternoque iudicio agitur, quod eædem phialæ plenæ referuntur: vt ex ipſa prædicatione Eccleſiæ, infidelium excitata perſecutione, tanquam effuſa phiala ſecunda deterius vulnerentur: quatenus qui prius contemptæ prædicationis exigentibus peccatis, vita & moribus, poſtea ſimul fide & operibus appareant ſanguis, in quo & peccatum cognoſcitur, & plaga peccati, & pœna peccati. Sequitur:

Et tertius effudit phialam ſuam ſuper flumina & fontes aquarum, & facta ſunt ſanguis.

In fluminibus vel fontibus aquarum, gentilitatem hoc loco cognoſcimus figurari: quæ ſcilicet ſicut fuerat naturali errore præuenta, atque ad mortalitatem defluens, lu-

D tulentis operibus implicata, adiecit inſuper in Doctoribus ſuis, id eſt philoſophis huius ſæculi de diuinis carnaliter ſapere. Multa enim à lege & Prophetis vera didicerunt, quæ tamen poſtea in prauum dogma conuerterunt. Referunt enim quidam, vt de cæteris taceamus, multa Platonem à Ieremia Propheta in Ægypto poſito, vera didiciſſe ſed hæc ipſa poſtmodum (vt dictum eſt) in prauiſſimum dogma conuertiſſe. De talibus enim di-

Rom.1. cit Apoſtolus: *Cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis.* Hoc eſt certè aquam in ſanguinem verti, id eſt, ſpiritalem intellectum abnuere, & carnalem per omnia ſequi. Hinc Petro carnaliter ſapienti à

Matt.16. Domino per increpationem dicitur: *Vade retro me ſatanas, quia ſcandalum es mihi. Non enim ſapis quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum.* Quo contra rectè de eius diuinitate intelligenti, eidem ab ipſo præmittitur: *Beatus es Simon Barjona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus qui eſt in cœlis.* Hinc quibuſdam verba ſua carnaliter intelligentibus dicitur: *Spiritus eſt qui viuificat, caro autem nihil prodeſt.* Hinc doctor gentium loquitur, dicens: *Sapere autem ſecundum carnem, mors eſt.* Et rurſum: *Sapientia carnis, inimica eſt Deo.* Quæ videlicet plagæ quibus meritis & Iudæis & gentibus fuerint inflictæ, Ioannes indicat, qui in laudem Domini iuſtè hæc omnia fieri permittentis, Angelum aquarum refert ſe audiſſe dicentem. Ait enim: ..E Ibid. Ioan. Rom. Ibid.

Et audiui Angelum aquarum, dicentem: Iuſtus es, qui es & qui eras ſanctus, qui hæc indicaſti: quia ſanguinem ſanctorum & Prophetarum effuderunt, & ſanguinem eis dediſti bibere vt digni ſunt.

Superius iam diximus, quia hoc eſt vnus Angelus quod ſeptem, quique in ſeptenario numero lapide mundo & candido veſtitus, ac zona aurea præcinctus intelligitur. F

Qui videlicet Angelus aquarum, id eſt, nuntius populorum interiori affectu laudibus diuinis concrepat: atque iudicia eius, quæ ſuperius manifeſta eſſe citharis canticum decantans prædixerat, hic eadem repetens iuſta commemorat in eo ſcilicet quod iuſtè dederit ſanguinem bibere illis, qui ſanguinem ſanctorum & Prophetarum non timuerunt effundere. Ac ſi dicat: Iuſtitia tua exigit, vt ad cognitionem tuam minimè perueniant hi, qui bona ſibi annuntiantes, non ſolum non audierunt, verumetiam crudeliter peremerunt. Sed nec valent à ſanguine infidelitatis emundari, contra quos ſanguis innoxius clamat effuſus. Vnde & Dominus Iudæis loquitur, dicens: *Ecce mitto ad vos Prophetas & ſapientes & ſcribas, & ex illis occidetis & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in ſynagogis veſtris, & perſequemini de ciuitate in ciuitatem, vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, à ſanguine Abel iuſti, vſque ad ſanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidiſtis inter templum & altare.* Sed licet corporaliter Iudæi quoque & gentes ſanctorum ſanguinem fuderint, quem Dominus (vt præmiſimus) ita memorat Matt.23.

G exigendum, poteſt tamen illius plaga cæcitatis in eo intelligi, vt & illi cognoſcantur Prophetarum ſanguinem fudiſſe, qui eis abutentes, eorum ſenſum in aliud deriuarunt: eo ſcilicet locutionis modo, quo nos Moyſen legere dicimur, cuius verba percurrimus: ac per hoc & Moyſi ſanguinem fundimus, ſi verba legis iuxta literam quæ occidit, intelligimus. Cuius interſectores idcirco Dominus ſanguinem bibere compellit: quia videlicet iuſtitia rectè omnia iudicantis exigit, vt hi qui ſpiritale vinum bibere noluerunt, corruptionibus vitiorum tanquam ſanguinibus debrientur. Ac ſi idem Angelus dicat: Qui ſpiritalem legem carnaliter ſapuerunt, iuſtè corruptioni carnis & ſanguinis addicti traduntur, vbi & peccatum & pœna cognoſcitur peccati. Vnum & Apoſtolus hoc quod ſæpè præmiſimus, de eiuſdem dicit: *Cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt aut gratias egerunt; ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium. Propter quod tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, in deſideria cordis eorum, vt contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis.* Hinc rurſùm ait: *Pro eo quod charitatem veritatis non receperunt, vt ſalui fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, & iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati.* Quia vero & meritum iniquitatis & iuſtitia punientis exigit, vt hæc ita fiant, quam iuſtè & irreprehenſibiliter agantur, Angelus aquarum inſinuat: qui poſtquam dixiſſet, iuſtus es, qui es & qui eras ſanctus, qui hæc iudicaſti, quia ſanguinem ſanctorum & Prophetarum effuderunt, & ſanguinem dediſti eis bibere, vt digni ſunt eadem affirmando, in laudibus eiuſdem Dei omnipotentis ingeminat. Nam ſequitur: Rom.1. H Rom. 2.Theſ.

A

Et audiui alterum, dicens: Etiam Domine Deus omnipotens, vera & iuſta iudicia tua.

Ac ſi diceret: Verum eſt Domine Deus omnipotens, quia in eo quod impios præcedentibus meritis deteriorari permittis, iuſta & vera ſunt iudicia tua. Vt autem oſtenderet Ioannes vnum eſſe Angelum, qui hoc in laudibus repetit, non duos, nequaquam ait, audiui alterum dicentem, ſed alterum dicens id eſt alterum verbum ab eo repetitum. Quod alia tranſlatio manifeſtius indicat, in qua ita ſcribitur: Audiui alteram vocem, dicentem: Etiam Domine Deus omnipotens.

Quod nos vtique imitando debemus dicere, ac nequaquam exponendo ſenſum apertum moras innectere. Sed quia poſſunt per flumina & fontes aquarum, hæreſiarchæ eorumque ſequaces intelligi, liber breuiter diſtrictimque

B ſuccingere, quod in expoſitione ſuperius præmiſimus inenodatum. Iure autem per flumina & fontes aquarum hæretici deſignatur, ex quorum ore abundantia eloquiorum tanquam flumina decurrere videntur. Sed hi qui ſanguinem ſanctorum & prophetarum fundunt, in ſanguinem conuerſi, ſanguinem bibunt: ſcilicet quia dum verba legis, eloquia Prophetarum, dictaque Apoſtolorum in alium ſenſum quam prolata ſunt commutant, agente perſecutionis articulo, ipſum nomen Chriſti quod falſo tenebant, amittunt: & deſideriis carnis quæ calcauerant, poſt abuegationem publicè inſeruiunt: quatenus non iam vno mortifero vulnere, ſed addito etiam alio, miſerabilius cæteris moriantur. In eo enim quo dicta ſanctorum patrum malè intelligunt, ſangnis fiunt: in eo vero quo Chriſtum apertè abnegant atque corruptioni carnis deinceps inſeruiunt, ſordidiorem feculentioremque bibunt. Dicatur ergo illi cuius iudicia, quia abyſſus ſunt, nullus valet penetrare: Iuſtus es, qui es & qui eras ſanctus, qui hæc iudicaſti, quia ſanguinem ſanctorum &

C Prophetarum effuderunt, & ſanguinem eis dediſti bibere vt digni ſunt; tanquam diceretur: Quia verba legis, eloquia Prophetarum, dictaque Apoſtolorum deprauantes, quaſi ipſos occiderunt, dignum eſt vt per temporalia flagella ipſum ſanguinem quem effuderunt, quo & animas ſuas cruentauerunt, coram omnibus bibant, id eſt, nomen tuum quod falſo colebant, publicè negent: & corruptionibus carnis, quas inanis gloriæ appetitu refrenauerunt, iterare præſumant. Sequitur:

Et quartus Angelus effudit phialam ſuam in ſolem, & datum eſt illi æſtu afficere homines & igni, & æſtuauerunt homines æſtu magno: & blaſphemauerunt nomen Domini Dei, habentis poteſtatem ſuper has plagas, neque egerunt pœnitentiam vt darent

D *illi claritatem.*

Quid hic aliud ſolis nomine accipere debemus, niſi illum peruerſum hominem, qui ſe nouiſſimis ſæculi diebus ſolem iuſtitiæ mentitur, cum ſint in eo tenebræ denſiſſimæ & vmbræ mortis, antichriſtum videlicet, eiuſque peruerſorum dogmatum prædicatores, qui ſe in illorum forma atque ſpecie hominibus palliare conantur? De quorum perſona à Salomone per comparationem dicitur: Sapiens vt ſol permanet, ſtultus autem vt luna mutatur. Quid eſt autem, Angelum phialam in ſolem effundere, niſi contra antichriſti eiuſque miniſtrorum peruerſa dogmata

Eccl. 27. veritatis prædicationem proferre: *Et datum eſt*, inquit, *illi æſtu afficere homines & igni*. Cui datum eſt: Soli qui perfuſus eſt, an Angelo qui ſolem perfudit? Certè non hic ſatis elucet. Sed quia ambiguum eſt, ad vtrumque referri poteſt: Quis vero alius eſt vel ignis, vel æſtus, quo pars beſtiæ æſtuari dicitur: niſi Inuidiæ, niſi liuoris, niſi iræ, niſi zeli, niſi æmulationis, niſi animoſitatis? De hoc igne legimus: Zelus apprehendit populum ineruditum, & nunc ignis aduerſarios conſumit. Angelo ergo phialam in ſolem effundente, datur æſtu afficere homines & igni, id eſt ipſum

E ſolem inflammari atque æſtuari: quia diuino iudicio agitur, vt igne tribulationis & æſtu quibus afficiuntur exterius ſancti, reciprocata viciſſitudine, interius æſtuent aduerſarij. Vnde ſcriptum eſt: *Si quis eos voluerit nocere, ignis exiet de ore illorum, & deuorabit inimicos eorum.* Apoc. 11.

Quod iam priorum Martyrum paſſionibus ita factum cognouimus. Ampliorem enim tribulationem & anguſtiam nouimus ſuſtinuiſſe perſecutores in anima, quam ſanctos Martyres in carne. Iſti in tormentis ridebant, illi dentibus ſtridebant: iſti gaudebant, illi mœrebant: iſti Deum laudabant, illi penè examines fiebant: iſti vincebant, illi gemebant. Et vt ipſi ſancti fatebantur, iudicantibus ſublimiores, ferientibus robuſtiores manebant. Poteſt autem ſicut iam diximus, ita intelligi, vt hunc ignem & æſtum de prædicatione atque ſtabilitate ſanctorum, ipſe ſol ſibi iniiciat, id eſt, infideles ſeipſos inuidentiæ flammis conſumant. Benè autem ſubditur: Et æſtuauerunt homines æſtu magno, & F

blaſphemauerunt nomen Domini Dei, habentis poteſtatem ſupra has plagas. Sicut enim vaſa ænea incendio graui ſubacta, ab intimis exiliendo, ſcatentia foris ebulliunt, & ſuæ capacitatis metas excedunt: ſic & pars beſtiæ in victoria exiſtens, cum Chriſti Eccleſiam inſatigabili viderint dimicare conſtantia, intolerabilius inuidentiæ facibus inflammati, conceptum corde incendium oris impuri exhalant blaſphemiis. Quod autem ſuper has plagas Deus poteſtatem habere dicitur, ſic intelligendum eſt, tanquam diceretur: Vtrum eas miſericorditer à quibuſdam amoueat, an iuſtè quibuſdam eo locutionis modo irroget, quo Pharaonis (vt ſæpè iam dictum eſt) cor dicitur indurare, cuius duritiam miſericorditer non emolliit, in eius poteſtate conſiſtit. Habent autem & ſancti poteſtatem ſuper has plagas, quia ex eorum prædicatione prodeunt, de quibus dicitur: *Hi habent poteſtatem* Ibid.

claudere cœlum nubibus, ne pluant diebus prophetiæ ipſorum G

& poteſtatem habent ſuper aquas conuertendi eas in ſanguinem, & percutere terram plaga quotieſcumque voluerint, ſed in Chriſto, cuius ita (id eſt æquitatis iudicio) eorum phialæ plenæ referuntur.

Adhuc autem de vulneratis ſubiungitur: *Neque egerunt pœnitentiam, vt darent illi claritatem.* Quod ſi agerent, certè ſanarentur. Vt quid autem pœnitentiam non agunt? Si à me quæritur, cito reſpondeo. Quia nec volunt, nec poſſunt: & ideo non poſſunt, quia nec volunt: atque ideo nolunt, quia nec poſſunt. Aliud ſi millies à me quæratur, non reſpondeo. Quid vero eſt, dare claritatem Deo, niſi de præteritis ſceleribus dignam ei confeſſionem exhibere? Ille etenim claritatem Deo dat, qui & iniquitates ſuas in conſpectu eius accuſat, & iuſta iudicia eius collaudat. At contra blaſphemantium iſte mos eſt, vt non ſe impietatis ſed Deum malint iniquitatis arguere: nec poſt plagas ſubaudis, peccata peccatis inflicta, pœnitentiam agere, ſed etiam flagellati contumelias irrogare. H

Quo videlicet in facto & peccatum cognoſcitur, & peccatum ſimul & plaga peccati, & pœna peccati: De quibus aptiore loco ſubſequenti diſputabimus. Iam vero ſi in ipſa effuſione phialæ ſupplicium perſecutionis poſſit intelligi, quid per ſolem, qui eadem phiala perfunditur, intelligere debemus, niſi (vt Beatus Gregorius) eos qui intra ſanctam Eccleſiam ſapientia verbi videntur fulgere? Vnde & hoc quod ſupra de ſimulatione antichriſti nos intelleximus, Salomon de ſanctis veraciter dicit: *Sapiens vt Sol permanet, ſtultus vt Luna mutatur.* Quid eſt ergo, Angelum in ſolem phialam effundere, niſi perſecutionis ſupplicium, viris ſapientiæ ſplendore fulgentibus irrogare? Quod idcirco fortaſſe, vt ſæpè iam diximus, per Eccleſiam fieri creditur, quia ex eius prædicatione ad vim furoris incitati, infideles eam cuius verbis debuerant obedire, immaniter perſequuntur. Et datum eſt, inquit, illi æſtu afficere homines & igni, quia dum ſapientes viri cruciatibus victi, male operandi errore tanguntur: illorum exemplo perſuaſi

A infimi quique, temporalibus deſideriis inardeſcunt. Ruinæ namque fortium, augmenta præſtant perditionibus infirmorum. Hinc eſt quod ſuperiùs in hac Apocalypſi

Apoc. 16. per Ioannem dicitur: *Tertius Angelus tuba cecinit, & cecidit de cœlo ſtella magna, ardens tanquam facula, & cecidit in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum, & nomen ſtellæ dicitur abſinthium: & facta eſt tertia pars aquarum in abſinthium, & multi hominum mortui ſunt de aquis, quoniam amaræ factæ ſunt.* Angelo enim tuba canente, ſtella magna de cœlo cadit, quia Eccleſia prædicante, de credentium cordibus diabolus expellitur. Quæ benè abſinthium vocatur, quia nulla in antiquo hoſte internæ dulcedinis potio inuenitur. De cœlo autem cadens, in tertiam partem fluminum & fontes aquarum venit, quia ab electis excluſus, plus iniquos poſſidere incipit. Stellæ vero in amaritudinem atque in abſinthium vertuntur, quia quos humani generis hoſtis inuadit, ſibi per omnia ſimiles facit. De aquis quoque multi homines moriuntur, quia amaræ fiunt, ſcilicet quia prauorum exemplis, quos mali-

B gnus ſpiritus arctius ſibi aſtringit infirmi quilibet depereunt. Et notandum quod non ſimpliciter æſtuari, ſed æſtu magno dicuntur homines ſolis incendio tacti cruciari: videlicet quia toto mentis deſiderio, totaque intentione exempla terrenæ ſapientiæ ſecuti, deſpectis cœleſtibus, terreno amore ſeipſos conflagrant. Quod verò ſubditur, *Et blaſphemauerunt nomen Domini Dei, habentis poteſtatem ſuper has plagas,* & de ſole vltra modum accenſo, & de hominibus ab eo æſtuatis debet intelligi. Sciendum verò, duobus modis homines pro irrogatis plagis Deum blaſphemare, voce ſcilicet & cordis obduratione. Sciendum etiam, pernicioſam eſſe oris blaſphemiam, ſed pernicioſiorem cordis obdurationem, quia illa remiſſionem poteſt accipere, ſi quiſquam blaſphemare deſinat: iſta vero nequaquam, quia Spiritus Sancti eſt blaſphemia. Blaſphemia etenim Spiritus Sancti eſt, contemnere quemlibet ad pœnitentiam redire atque in hac obduratione vſque in finem manere. Quia enim pœnitentibus nobis per Spiritum Sanctum remiſſio peccatorum datur, ille in

C ſpiritum blaſphemare inuenitur, cuius cor ad pœnitentiam nunquam emollitur. Vnde & hic cum diceret, blaſphemauerunt nomen Domini Dei, habentis poteſtatem ſuper has plagas: protinus addidit, neque egerunt pœnitentiam. Ac ſi diceret: Ideo ad irremiſſibiles blaſphemias proruperunt, quia nunquam ad pœnitentiæ lamentum cucurrerunt. Ad quorum perſonam Paulus Apo-

Rom. 2. ſtolus loquitur, dicens: *Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem ſecundum duritiam tuam & cor impœnitens, theſaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei, in quo reddet vnicuique ſecundum opera ſua.* Sequitur:

Et quintus effudit phialam ſuam ſuper ſedem beſtiæ, & factum eſt regnum eius tenebroſum, & commanducauerunt linguas ſuas

D *præ dolore, & blaſphemauerunt Deum cœli præ doloribus & vulneribus ſuis, & non egerunt pœnitentiam ex operibus ſuis.*

Hoc eſt ſedes beſtiæ, quod regnum eius, ſcilicet corpus diaboli. Sed & ipſa ſedes beſtiæ, vel regnum eius & ipſa beſtia, vna videtur eſſe beſtia, propter vnitatem omnino vnius corporis. Sed neceſſario genus diuiditur in ſpecies vel partes, vt aliquando eiuſdem beſtiæ nomine diabolum, aliquando autem antichriſtum, aliquando vero eiuſdem peruerſi hominis æquè præpoſitos cum plebibus ſubiectis demonſtret, quod totum vnum corpus beſtiæ agnoſcitur. Hoc autem in loco beſtiæ nomen diabolum ſignificat, qui (vt ſæpè iam diximus) idcirco vel ipſe, vel corpus eius beſtia vocatur, quia aut latenter inſidians, aut aperte ſæuiens, agnum (id eſt, corpus Christi) inuadere nititur. Effuſa autem prædicationis phiala ſedem

E beſtiæ vel regnum eius eo locutionis modo obſcurat, quo præcedentibus infidelium meritis non illuminat. Vnde &

2. Cor. 4. Paulus dicit: *Quod opertum eſt Euangelium noſtrum, in his qui pereunt, eſt opertum:* in quibus Deus huius ſæculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illis illuminatio Euangelij gloriæ Christi, qui eſt imago Dei. Hinc Ioannes

Ioan. 1. dicit: *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Hinc alibi Dominus in Euangelio dicit: *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam*

Ioan. 3. Iob. 18. *lucem.* Hinc iuſtus Iob dicit: *Auferetur ab impiis lux ſua.* Hinc & Pſalmiſta non optantis, ſed prophetantis animo

Pſal. 68. dicit: *Obſcurentur oculi eorum ne videant.* Et quia præcedentibus meritis à luce non merentur illuſtrari, ipſa eis lux in tenebras conuertetur. Quæ ſcilicet tenebræ præcedentium delictorum vulnera eſſe cognoſcuntur, quorum dolore vulnerum commoti, vtique inuiſibiles ac tenebroſi, ad hoc vſque perueniunt, vt linguas ſuas commanducent. Et quid ſignificatur in impiorum comeſtione linguarum, niſi hoc quod aut iniuſtus laudatur, aut iuſtus vi-

F tuperatur per linguam? Et notandum quod non ait, manducauerunt linguas ſuas, ſed commanducauerunt: quod iuxta literam ſtare nullatenus valet. Nunquid nam quilibet poteſt alterius linguam laniare, qui ſuam præ doloribus manducat? Sic enim dicitur commanducauerunt linguas ſuas: tanquam diceretur, Singuli ſuam alterius linguam dilaniauerunt. Quamobrem in commanducatione linguarum, mutua intelligitur exhortatio infidelium, qua ſe inuicem monent, monentes conſentiunt, conſentientes fauent, veritatem non recipere & mendacium ſequi, id eſt, Christum reſpuere, antichriſtum vero ſuſcipere: hoc eſt enim infidelibus linguas ſuas præ dolore inſenſibilis vulneris commanducare. Iſtis namque cibis miſerabili paſtu ad ſupplicium ſuas animas enutriunt: iſtis vt durius concrementur, corda ſua ſaginant. De quibus ſcri-

Pſal. 143. Pſal. 72. ptum eſt: *Quorum os locutum eſt vanitatem.* Et rurſum: *Cogitauerunt & locuti ſunt nequitiam, iniquitatem in excelſo locuti ſunt.* Quæ autem eſſet commanducatio lin-

G guarum, Ioannes ipſe indicat, qui poſtquam dixiſſet præ dolore tenebrarum linguas ſuas commanducaſſe infideles, ſtatim ſubdens ait: *Et blaſphemauerunt Deum cœli præ doloribus & vulneribus ſuis.* Qui enim præmiſit, commanducauerunt linguas ſuas præ dolore: ac deinde ſubiunxit, & blaſphemarunt Deum cœli præ doloribus & vulneribus ſuis: oſtendit hoc eſſe linguas commanducare, quod eſt, mutua exhortatione Deum cœli blaſphemare. De quibus adhuc ſubditur: *Neque egerunt pœnitentiam ex operibus ſuis.* Ac ſi diceretur: Ita vehemens dolor ex plaga blaſphemiæ eos depreſſit, vt ad fructuoſam pœnitentiam ſurgere nullatenus poſſent. Poteſt autem hoc, quod regnum beſtiæ Angelo phialam effundente, obſcurari dicitur: atque ipſo vulneris dolore tenebrarum videlicet, ad commanducandas linguas ſuas infideles excitari narrantur, ac Deum cœli blaſphemare, ita intelligi, vt ex peccato contemptæ prædicationis permanentibus tenebris infidelitatis, odij adhuc atque inuidiæ craſſioribus obtenebrentur, cum ad perſequendam Eccleſiam Dei inci-

H tantur. Has enim tenebras Ioannes in Epiſtola ſua deſi-

1. Ioan. 2. gnauit, cum diceret: *Qui odit fratrem ſuum, in tenebris ambulat, & in tenebris eſt vſque adhuc, & neſcit quo eat, quia tenebræ occæcauerunt oculos eius.* Ab his forte tenebris flagellantur, ab his vulnerantur, ab his intolerabiles dolores patiuntur: quibuſque vehementer afflicti ad hoc vſque perueniunt, vt præ ipſis doloribus, eo intellectu quo ſuprà iam diximus, linguas commanducent, ac Deum cœli blaſphement. Vel certè effuſa prædicationis phiala, quæ ad mundi contemptum vocat, ad lamentum, inuitat, dum non recipitur, ſed tamen ingeritur, regnum beſtiæ obſcurari dicitur, quia ſpretis bonis cœleſtibus terrenæ felicitatis contenebrantur lætitia, quique dum bona temporalia pro ſumma felicitate pariter poſſidendo collaudant, collaudando ſimul inſumunt, linguas ſuas commanducant. Supercilio enim momentaneæ proſperitatis vt fumus elati, vnde pœnitendo conuerti debuerunt, inde contenebrati lætantur. *Ducunt enim in bonis dies*

Iob. 21.

A *ſuos*, vt Iob iuſtus ac probatiſſimus dicit, *& in puncto ad*
inferna deſcendunt. Iam vero ſi ex phiala prædicationis
creditur mundo ſupplicium irrogari perſecutionis, at-
tendamus intra ſedem Chriſti, ſedem beſtiæ latentem :
quibus modis & ipſa nunc quaſi lucida, tunc tenebro-
ſa, ac præ dolote vulnerum homines linguas ſuas com-
manducent, Deumque cœli blaſphement. Niſi enim hæc
ſedes intra ſedem Chriſti lateret, nequaquam per aſſum-
ptam Angeli cteaturam Eccleſiæ ſuæ Dominus loquere-
Apoc.2. tur, dicens : *Scio vbi habitas, vbi ſedes eſt ſatana.* Hæc de-
nique beſtiæ ſedes vel regnum eius, tam diu lucere vide-
tur, quamdiu intra fidei ſinum latens, aduerſitatibus noo
afficitur. At ſi preſſuris cœperint fatigari, qui dudum in-
tra ſacram Eccleſiam videbantur luce fidei reſplendere,
ſtatim ad apertum iniquitatis errorem declinantes, iuſto
rectoque Dei iudiciu fiunt tenebris infidelitatis obſcuri,
2.Cor.11. vt nouiſſima diſcuſſione futura iuſtè appareant tenebræ,
qui dudum caput ſuum imitantes, qui ſe transfigurat ve-
lut Angelum lucis, miniſtros ſe eſſe iuſtitiæ oſtentabant.
Sciendum verò quia ſicut in bono ſpecialiter dicuotur
B ſedes Dei, hi quos ipſe omnium Dominus præſidens iudi-
cio intimæ diſcretionis cuncta examinat, quamquam om-
nis electorum Eccleſia ſit thronus Dei, ita in malo ſedes
beſtiæ hi eſſe ſpecialiter cognoſcuntur, quos in regimine
Eccleſiaſticæ diſciplinæ poſitos, ſub velamento ſimulatæ
fidei occultus aduerſarius poſſidens, nequitiam ſuæ ini-
quitatis abundantius exercet: quique nouiſſimis tempori-
bus phiala perſecutionis propinari, rectè dicuntur con-
tenebrari, vt qui fidem operibus abnegantes, ſolo Chri-
ſtianitatis nomine cenſebantur, illud quoque quo lucere
videbantur, id eſt, fidem amittentes, nulla iam ex parte lu-
men habere mereantur. Qui etiam linguas ſuas comman-
ducant, quia à fidei rectitudine perſecutioois ſupplicio vi-
cti declinantes, ipſam fidem quam prius defenderant, im-
pugnant : ac per hoc cum vnus alteri dicit, non erat ipſe
Chriſtus quem colebamus, nec rectam fidem defende-
bamus, alterque ſimiliter reſpondet, atque boc ipſum
C quod prior dixerat, affirmat: linguas ſuas ſine dubio com-
manducant, mordeotes ſcilicet incredulitatis dente ac di-
laniantes, quod dudum fuerant profeſſi. Tropica enim lo-
cutio eſt, qua ſolet plerumqoe in diuina Scriptura ab ef-
ficiente id quod efficitur, oſtendi: tanquam hoc loco pro-
feſſio per linguam prolata, ponatur pro lingua. Quod au-
tem præ doloribus & vulneribus, ſiue linguas ſuas com-
manducare, ſiue Deum cœli blaſphemare dicuntur, quam-
quam ad vtroſque dolores poſſit pertinere, ſiue ſcilicet
corporales ſeu ſpiritales, videtur tamen nobis magis
hoc de ſpiritalibus ſentiri debere, quia per temporalia
flagella in tenebras infidelitatis conuerti dicuntur. Quæ
vtique tenebræ præcedentium ſuppliciorum tanquam
ſcilicet corporales plagæ, ſpiritales inflixerint plagas,
quibus reprobi ad mortem vulnerati, linguas ſuas com-
manducant ac Deum cœli blaſphemant : & hoc eſt
illis (vt dictum eſt) linguas ſuas commanducare, quod
eſt, mutua exhortatione Deum cœli blaſphemare, ad-
D dita inſuper adhuc ſpiritus blaſphemia, qua ſemet-
ipſos obdurantes, ad pœnitentiam nolunt reuerti. Se-
quitur :

Et ſextus effudit phialam ſuam ſuper flumen illud magnum Euphraten, & ſiccauit aquas eius, vt prepararetur via regibus ab ortu ſolis.

Hinc iam io ſexto Angelo omnes, quos per partes
enumerando, vulneratos oſtenderat, generaliter com-
plectitur. Euphrates enim fluuius eſt Babyloniæ, qui
) vt fertur) eandem Babyloniam ingrediens, plures in
riuos diuiditur. Sic, ſic nimirum, ſic generaliter cor-
pus omne malorum dum ad voluptatum fluxus in con-
fuſionem decurrit, in diuerſarum ſectarum diuerſorumque
ſchiſmatum riuos expanditur. Rectè autem eiuſdem flu-
minis vocabulo, malorum ſummam decimus exprimi,
quod in diuinis voluminibus tam frequenter in malum E
videmus poni. Hinc eſt quod Eccleſia poſt huius exilij
peregrinationem, poſt captiuitatis multimoda lamenta,
iam in cœleſtibus conſtituta, membrorum ſuorum voce
dictura prouuntiat : *Super flumina Babylonis illic ſedimus* Pſal.136.
& fleuimus, dum recordaremur tui Sion. Sancta etenim
Eccleſia ex recordatione Sion, ſuper flumina Babylonis
ſedens, plangit : quia conſiderata cœleſtis patriæ gloria,
adhuc cum reprobis confuſione permixta degens, illis ſu-
perbiæ vndis tumeſcentibus, momentaneæ proſperitatis
ſpumantibus gaudiis, non nouit cum illis erigi, ſed inter
illos humiliari : non nouit eorum gaudiis perfrui, ſed ſuis
lamentis cruciari. Penſat enim quam ſit abſurdum, in loco
humiliationis velle quempiam eleuari, in conualle plora-
tionis cupere quemlibet gaudere. Rurſum præfati flumi-
nis Euphratis nomine, reproborum perditio figuratur, Ie-
remia Propheta atteſtante, quia ait: *Dies ille Domino Deo* Iere.46.
noſtro dies vltionis, vt vlciſcatur ſe de inimicis ſuis, & de-
uorabit gladius, & implebitur ſagina eorum: quoniam ſacri-
ficium Domini ſabaoth in terra aquilonis, in flumine Eu- F
phrate. In die enim vltionis gladius deuorat, quia extrema
animaduerſionis ſententia in æterna reprobos damnat.
Quorum ſcilicet ſagina gladius impletur, quia nimirum
ſententia diſtricti iudicis, cum reproborum corda vitiis
impinguata damnat, eorum perditione quaſi ſaturatur. De
qua interfectione rectè nunc dicitur: Quoniam ſacrificium
Domini ſabaoth in terra aquilonis, in flumine Euphrate :
ſacrificium, ſubaudis, non placationis, ſed iugulationis. In
terra aquilonis, id eſt, in frigidis reproborum cordibus : in
flumine Euphrate, hoc eſt, in mentium ſciſſuris. Quid au-
tem in exſiccatione eiuſdem fluminis intelligimus, niſi
reproborum conſummatam nequitiam, tanquam ſcilicet
peracta perſecutione, nihil iam remanſerit, quod reprobi
faciant, niſi vt adhuc necem ſanctorum velut arida terra
ſitiant ? Flumen eius exſiccari, eſt perſecutionum fluctus
conquieſcere, ſed adhuc exerceodæ nequitiæ mentis ardo-
rem pati. Ita enim tunc reprobi, ita omnes iniqui, ex illa
Eccleſiæ nouiſſima prædicatione deteriorantur, vt cum
dies iudicij aduenerit, nihilque eis exercendæ malitiæ re- G
manſerit, voluntatē tamen adhuc mali operandi habeant,
necemque ſanctorum ſitiant, ſi eos in priſtino ſtatu viuere,
liceret. Vnde & Dominus illis repulſis nequaquam dicit
Diſcedite à me qui operati eſtis iniquitatem, ſed qui operami- Matth.7.
ni. Tanquam diceret : Qui nunc vſque mali operandi vo-
luntatem habetis, & ſi effectum inuenire non valetis. Di-
catur ergo de Angelo: *Effudit phialam ſuam in flumen il-* Apoc.14.
lud magnum Euphraten, & ſiccauit aquas eius. Ac ſi dice-
retur: Oblata vitæ cœleſtis prædicatio in tantam eos ma-
litiam excitauit, vt cum eis de exercenda oequitia nihil
remanſerit, volootas tamen iniqua permanſerit : ſatiſque
iam eſſe vt debitum finem acciperent, quo tandem ignis
diei iudicij propinquantis, eos velut aridam terram exa-
minando ſuſcipiat. Sicot enim ſuperius meſſis dicitur ma-
turitate aruiſſe, & vindemia occurriſſe : ſic quoque & hic
tropice aqua fluminis perhibetur ſiccata fuiſſe, ſcilicet
nihil reprobis de exercenda malitia remanſiſſe: ſed (vt di-
ctum eſt) propinquanti futuræ examinationis igni præpa- H
ratos fuiſſe, quo vel iidem comburantur vt paleæ, vel ſan-
cti approbentur vt aurum. Cur autem aqua fluminis ſic-
cetur, cauſa ſubiungitur cum protinus ſubinfertur: Vt præ-
paretur via regibus ab ortu ſolis. Et quos hoc loco alios
intelligimus reges, niſi S. Apoſtolos atque doctores Eccle- Malac.4.
ſiæ? Qui idcirco ab ortu ſolis venire dicuntur, quia à Do-
mino qui Sol iuſtitiæ vocatur, iudicandi poteſtatem acci-
piunt. Quique benè reges appellantur, qui & ſe & Eccle-
ſiam Dei magno laboris certamine regere ſtuduerũt, atq;
æterno regi incarnato principaliter inhæſerunt. Qui vide-
licet viam traoſeundi per flumen non, niſi exſiccetur, in-
ueniunt: quia niſi prius malorum nequitia fuerit conſum-
mata, nequaquam ad iudicandum apparebunt. Per eos
enim tranſeunt, cum completam eorum nequitiam exa-
minantes diiudicant. Ideo ergo Angeli phiala flumen
ſiccatur, vt per eum regum tranſitus præparetur, quia
videlicet reprobi idcirco prædicationem vitæ audiunt,
non quo per eam in melius proficiant, ſed quo de-

A teriores effecti, mala ſua adimplentes, iter iudicij in ſeipſis præparent. In alia autem tranſlatione quam Primaſius expoſuit, nequaquam dicitur, vt præparetur via regibus ab ortu ſolis, ſed, vt præparetur via venienti regi ab ortu ſolis, Chriſto videlicet, de quo legimus: *Ecce vir oriens nomen eius.* (Zach. 6.) Cui venturo ad iudicandum, eo quo prædiximus modo via præparatur. Sequitur:

Et vidi de ore draconis & de ore beſtiæ & de ore Pſeudoprophetæ, ſpiritus tres immundos in modum ranarum exiſſe: ſunt enim ſpiritus dæmoniorum, facientes ſigna.

Hinc iam recapitulando quod prætermiſerat, potiuſve diſtulerat, ſummatim breuiterque complectitur, & quid in illa ſæua perſecutione agatur, inſinuat. Sed ſi (vt apparet) in dracone Diabolus intelligitur, mirandum valde B eſt, quomodo ex eius ore ſpiritus immundus prodire dicatur, cum ipſe ſit non ſolum immundus, verumetiam immundiſſimus ſpiritus, atque ſpirituum immundorum princeps. Quod cur ita ſit dictum, facile animaduertimus, ſi & vnitatem vnius corporis attendamus: & qui ſit exitus ſpirituum immundorum, intelligamus. Sciendum enim quia in his tribus perſonis totum malorum corpus, ſolitis compactum atque connexum differentiis, Spiritus Sanctus demonſtrat, illa memorans, quæ maiorem poteſtatem obtinent in ipſo malorum corpore, draconem ſcilicet Diabolum, beſtiam autem Antichriſtum: pſeudo vero Prophetam, eiuſdem peruerſi hominis Doctores cum ſubiectis plebibus. Atque vt oſtenderet omne illud corpus malorum ſe in his perſonis tribus deſignaſſe, & vniformi maligno ſpiritu agi, cum pro variis vexationum paſſionibus cunctorumque vitiorum inquinationibus iidem maligni ſpiritus diuerſas qualitates habere dicantur, ab eis ſcilicet quos decipiunt, vocabula ſortiuntur, ſicuti ſpiritus mendax, ſpiritus fornica- C tionis, ſpiritus immundus, ſpiritus mutus & ſurdus. Totos tres hic immundos vocauit, vnius videlicet generis, imò (vt dictum eſt) vniformem ſpiritum immundum eſſe deſignauit. Vnum enim ſpiritum immundum vidit, ſed pro numero partium eiuſdem corporis, tres dicit: vnum ſcilicet tanquam vnitatem. Et quia de ore draconis ſpiritum immundum exire dixerat, cum ipſe ſit ſpirituum immundorum princeps immundus: hoc eſſe ipſum draconem, beſtiam ac Pſeudoprophetam oſtenderat, quod ſunt ſpiritus tres immundi. Quid eſt autem, de ore eiuſdem draconis, beſtiæ ac Pſeudoprophetæ immundos ſpiritus exire, niſi omne corpus Diaboli ad apertas blaſphemias ac perſecutiones prorumpere? Quod apertiſſimè in ſubſequenti verſiculo vera ſuffragante ratione demonſtrabimus. Quærendum ſanè adhuc nobis eſt, cur poſtpoſitis aliis dæmonum nominibus, immundos de eis ſpiritus in modum ranarum prodire dixerit, cum magis ad rem pertinuiſſe videretur, ſi ſpiritum men- D dacem poſuiſſet. Quamobrem ſciendum nobis eſt, quia in hoc facto & ſanctorum conſtantia roborari videtur, & ignotorum atque infirmorum mentibus indicium præcauendæ ſuaſionis oſtenditur; malorumque pars pro nihilo ducenda admonetur, Antichriſtus ſcilicet eiuſque prædicatores, comparantur luto & cœno paludico: Diabolus vero cum ſuis ſatellitibus, ranis. Ac ſi eis Spiritus Sanctus diceret: O martyres Dei, ô milites inuicti, pro nihilo ducite temporalem beſtiæ poteſtatem prædicatorumque eius quæ luto ac cœno comparatur. Sed & vos ô minus cauti, verba eorum nolite attendere, quia ranæ fœdæ atque horrendæ ſunt, quæ non loqui, ſed magis perſtrepere garrulis ſtridoribus videntur. Talibus enim ranarum more tanquam animantibus luculentis atque cloaquoſis, erroris latratu nocte damnabiliter conuenit perſtrepere. Ranæ enim & loco & victu moleſtoque ſtrepitu, ſic odibiles habentur, ſicut diabolus cum ſuis cognoſcitur abominabilis. Deſpiciatur ergo lutum, contemnantur, imò irrideantur ranæ. Atque vt hoc fiat, Ioannis voce, imò Spiri- E tus Sancti exhortentur, dicentis: Vidi de ore draconis & de ore beſtiæ & de ore Pſeudoprophetæ, ſpiritus tres immundos in modum ranarum exire. Ac ſi apertè ab eo illis diceretur: Lutum eſt quod intuemini, non cœlum, ranæ ſunt perſtrepentes quos auditis, non ſancti prædicantes. Nolite ergo cœnum, quod conuenit habitationi ranarum, comparare cœlo. Nolite autem accommodare latratibus ranarum, tanquam vocibus prædicatorum. In quibus ſcilicet verbis, beſtiæ vel Pſeudoprophetæ horrendas (vt dictum eſt) blaſphemias, tantum diſtare à doctrina aſſerit veritatis, quantum ranas ab hominibus ſanctis: quatenus per hoc (vt diximus) & ſanctis conſtantia, & ignotis cautela tribuatur, vt qui fortè nequitiam fraudis illorum ſpiritu diſcretionis non valent præcauere, ranarum ſaltem horrore perculſi, tales ſtudeant deuitare. Sicut enim ranæ corporalem quietem impediunt, ita & iſti ſpiritalem. Quorum latratu agitur, ne quieto deuotionis otio quidam percipiant veritatem. Et quia iidem tunc miniſtri ſatanæ non ſolum terroribus atque blanditiis, verumetiam falſis F deceptionum ſignis ſeducent ad mortem præſcitos, idcirco de immundis ſpiritibus ſubiungitur: quia ſunt ſpiritus dæmoniorum, facientes ſigna, ſubaudis, non vera, ſed falſa: per quæ non Iſraël, ſed Ægyptij decipiuntur. Talia enim ſigna facturi ſunt, qualia dudum per magos Pharaonis feciſſe narrantur. Nec immerito eorum meminit, facta mentione ranarum, niſi quia miniſtri ſatanæ tunc quoque ſimilia prædicerentur ſigna facturi. Tantummodo enim vſque ad ſignum ranarum ſuis magi incantationibus valere permiſſi ſunt. (Exod. 8.) Huic ſenſui Paulus Apoſtolus concinit, dicens: *In nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa, & erunt homines ſeipſos amantes.* Atque quibuſdam interpoſitis: (2. Tim. 3.) *Quemadmodum*, inquit, *Iannes & Mambres reſtiterunt Moyſi, ita & iſti reſiſtunt veritati, homines corrupti mente, & reprobi circa fidem, ſed vltra non proficient. Inſipientia enim eorum manifeſta erit ſicut & illorum fuit.* Ac ſi diceret: Non ſolum verbis, verumetiam falſis miraculorum ſignis obuiare conabuntur ſanctis. Sed vltra non proficient, quia vſque ad ſignum ranarum tantummodo per- G uenire permittuntur, ibique inſipientia eorum manifeſta videbitur. Non proficient autem, ſubaudis ad ſanctos Dei decipiendos. Citò enim ab electis digito Dei pro eis ſe opponente, id eſt, Spiritu Sancto dignoſci poterit, non ſanctorum eſſe verba quæ dicunt; ſed ranarum quaſſum ſtridorem: nec electorum vera miracula quæ oſtendunt, ſed ranarum illuſionem quæ fingunt. Vnde & ſuperius cum de ſeductionum ſignis, quæ factura eſt beſtia, diceretur, ita interpoſitum eſt: (Apoc. 13.) *Et fecit ſigna magna, vt etiam faceret ignem deſcendere de cœlo in terram in conſpectu hominum.* Ac ſi diceretur: Omnium ſignorum potius ſignum oſtendens, ignem de cœlo faciet deſcendere in terram, id eſt, in ſimilitudinem Eccleſiæ Spiritum Sanctum ignis appellatione ſignatum ſe accepiſſe oſtendet, cum ſit repleta ſpiritu ſeductionis. Sed in conſpectu hominum, qui non ſapiunt ea quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum: in conſpectu inquam hominum, Spiritus Sancti igneis linguis verba formare credentur, ſed in conſpectu H electorum, ranæ ſine linguis eſſe apparebunt, quia certum expreſſum, ac definitum eſt, vltra ranarum ſignum eos ſub oculis electorum non poſſe proficere. De quibus adhuc ſubiungitur:

Et procedent ad reges totius terræ, congregare illos in prælium ad diem magnum Dei omnipotentis.

Quia in his tribus ſpiritibus horrendis, ranarum ſimilitudinibus comparatis, vnitas malorum ſpirituum expreſſa ſit, ex alio huius Apocalypſis loco facile animaduertimus. Quod enim hic plurali numero dicitur, procedent ad reges totius terræ, congregare illos in prælium: hoc illic, cum conſummati fuerint mille anni, ſoluetur ſatanas de carcere ſuo, & exibit, & ſeducet gentes multas, quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ, Gog & Magog: &

A
congregabit eos in prœlium, quorum eſt numerus ſi-
Apoc.20. cut arena maris. Sed cum iidem ſint maligni ſpiritus in ipſis regibus quomodo procedunt ad reges, niſi per ſeipſos ad ipſos, niſi in ipſis ab ipſis? Procedunt autem ad reges totius terræ, ſubaudis, per eoſdem reges ad apertas blaſphemias atque perſecutiones. Congregant vero illos (vt dictum eſt) in prœlium, non quo ex toto orbe ad vnum locum colligant, ſed quo vnamquamque gentem in loco habitationis ſuæ ſuis aptam velint ſuperſtitionibus militare. Quæ ſit autem magna illa dies, In qua reges terræ ad prœlium congregantur, locus ille inferius manifeſtè indicat, quo per Ioannem
Apoc.19. dicitur: *Vidi beſtiam & reges terræ, & exercitus eorum congregatos ad faciendum prœlium cum illo, qui ſedebat in equo, & cum exercitu eius.* Et vt manifeſtius nobis inſinuaret, quænam eſſet præfata dies, in qua iidem reges terræ ad prœlium congregantur, ſtatim ſubiecit & ait: *Apprehenſa eſt beſtia, & cum illa Pſeudopropheta, qui fecit ſigna coram ipſa, quibus ſeduxit*
B *eos qui acceperunt caracterem beſtiæ, & qui adorauerunt imaginem eius, viui miſſi ſunt hi duo in ſtagnum ignis ardentis ſulfure.* Quis autem neſciat, in fine diei quo peragitur pugna, beſtiam deuictam ac Pſeudoprophetam, Antichriſtum ſcilicet eiuſque prædicatores, æterna pœna dimnati? Quid eſt autem huius diei initium, quo principaliter reges terræ in prœlium congregantur, niſi primordia nouiſſimæ perſecutionis? Quia enim ſicut textus iſtius reuelationis indicat, non adhuc alligatus, ſed iam ſolutus Diabolus hos reges in prœlium congregat: omnium conſtat, quia ſpecialiter per hanc magnam diem illa nouiſſima perſecutio deſignatur quamquam & à paſſione Chriſti prout ligatus eoſdem reges in prœlium congregauerit. Vnde ipſa dies & magna, & Dei vocatur, quia ſcilicet in ea principaliter agnus victor cum ſuis contra ferociſſimas beſtias pugnabit. Hinc eſt etiam quod iidem reges cum iam præceſſerint, & nunc ſint in mundo regnum tenentes, necdum tamen illud regnum accepiſſe narrantur, quod poſt beſtiam
C ſunt accepturi. Sequitur:

Ecce venio ſicut fur, Beatus qui vigilat & cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius.

In figuratis locutionibus vt ſæpè iam diximus, nec obſeruatur, nec requiritur ordo hiſtoricus. Prætermiſit enim nunc etiam Spiritus Sanctus ſequentem verſiculum, quo de aggregatione regum bellantium hoc modo concluditur: Et congregauit illos in locum, qui vocatur Hebraicè Armageddon: atque ex perſona Dei filij loquentis, hunc interpoſuit quem nunc tractare
Matt.24. conamur. Cur autem hoc fiat, ſæpius expoſuimus.
Luc.12. Apta ſanè furis comparatio non ſolum hoc loco, ſed
1.Theſ.5. & in Euangelio atque Apoſtolo de aduentu iudicis introducitur. Sed non ideo homines pro veſtimentis ſeruandis vigilare admonentur, vt Dominus tanquam
D fur veniens, eadem veſtimenta proripiat, ſed vt a malignis ſpiritibus cuſtodiantur, ne cum Dominus improuiſus venerit, nudos eos inueniat. Qui videlicet aduentus quamquam in nouiſſimis eſſe credatur,
Matt.25. ſicut Paulus dicit: *Dies Domini ſicut fur ita in nocte veniet:* tamen omni die ſic dormientes quoſdam præoccupat, vt (quod lugendum eſt) expoliatos ac confuſione plenos inueniat. Hinc Dominus admonet, di-
Luc.12. cens: *Vigilate, quia neſcitis diem neque horam.* Et quæ ſunt veſtimenta, quæ vigilanti ſtudio monentur ſeruanda, niſi baptiſmatis Sacramenta, quæ illam in omnibus peccatorum turpitudinem operire dicuntur, quam protoplaſti à malignis ſpiritibus immortalitate nodari, pro certo cognoſcuntur paſſi. Seruat autem hæc veſtimenta, quiſquis ea vel iterato baptiſmate non reſcindit, vel criminum maculas ſuperducens, nequaquam peccati corpus quod interius opertum fuerat, exterius oſtendit. In vtroque enim præuaricatorum detegitur

turpitudo, quam vigilantius perſeuerans deuitat intentio. E
Sed ecce inter ſacram Eccleſiam quamquam rari inueniantur, qui iterato baptiſmatis Sacramento ſe nudent: probrorum tamen maculis multi eadem veſtimenta fœdantes, peccati corpus nudatum exterius oſtendunt. Toties turpitudo corporis peccati detegitur, quoties quilibet crimen admittit. Quid ergo agendum eſt, niſi ad ſecundum baptiſma recurrendum? quod vtique nec inhoneſtius operit corpus peccati, ſi auide à conuerſis
appetatur. Hoc denique negationis ſuæ turpitudinem Matt.26.
Apoſtolus Petrus operuit, cum poſt eandem negationem, ad fontem lacrymarum iterum baptizandus cucurrit. Non ſolum enim de primo baptiſmate tinctis,
ſed etiam de ſecundo dicitur: *Beati quorum remiſſæ* Pſal.31.
ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Sunt autem alia pretioſa veſtimenta, quæ non minori ſtudio præcipiuntur ſeruanda. Quæ ſi quis non habuerit, cum ſponſus cœleſtis tanquam fur media nocte aduenerit, ſine dubio ab ipſius ſponſi nuptiis foras eiicietur. Et quæ
ſunt illa, niſi præcepta charitatis, de qua ſcriptum eſt: F
Charitas operit multitudinem peccatorum? Quæ ſcilicet 1.Pet.4.
charitas & vna veſtis dicitur, quia principalis eſt virtus: & multa, quia ad cuncta virtutum facta dilatatur. Quæque à duobus quidem præceptis incipit, ſed ſe ad innumera extendit. Huius namque Initium dilectio Dei eſt, ac dilectio proximi. Sed dilectio Dei per tria diſtinguitur, quia ex toto corda, ex tota anima, ex tota virtute diligi conditor iubetur. Qua in re notandum eſt, quod diuinus ſermo cum Deum diligi præcipit, non ſolum narrat ex quo, ſed etiam informat ex quanto, cum ſubiungit, ex tota fortitudine, vt videlicet qui perfectè Deo placere deſiderat, ſibi de ſe nihil relinquat. Proximi autem dilectio ad duo præcepta deriua-
tur, cum & per quendam iuſtum dicitur: *Quod ab alio* Tob.4.
tibi odis fieri, vide ne tu alteri facias. Et per ſemetipſum
veritas dicit: *Quæ vultis vt faciant vobis homines, ita* Matth.7.
& vos facite illis. Quibus duobus ſcilicet vtriuſque Te-
ſtamenti mandatis, per vnum malitia compeſcitur, per G
aliud benignitas prærogatur, vt malum quod non vult pati quiſque, ceſſet à nocendi opere: & rurſus bonum quod ſibi fieri appetit, impendens erga vtilitatem ſe proximi exerceat & benignitatem. Sed hæc nimirum duo dum ſolicita intentione cogitantur, cor ad innumera virtutum miniſteria extendunt, vt ne vel ad inferenda quæ non debet, deſideriis inquieta mens ferueat: vel erga exhibenda quæ debet otio ſoluta torpeſcat. Nam cum cauet alteri facere, quod nequaquam vult ab altero ipſe tolerare, ſolicita ſe intentione circumſpicit, ne ſuperbia eleuet, & vſque ad deſpectum proximi animum deiiciens exaltet, ne ambitio cogitationem laniet, & cum hanc ad appetenda aliena dilatat, anguſtiet: ne cor luxuria polluat, & ſubiectum deſideriis per illicita corrumpat: ne ira exaſperat, ne vſque ad proferendam contumeliam inflammet, ne inuidia mordeat, & alienis felicitatibus æmula, ſua ſe face conſumat: ne immoderatè linguam loquacitas pertrahat, eamque vſque ad laſciuiam obtrectatio-
nis extendat: ne odium malitiam excitet, & vſque ad H
iaculum maledictionis irritet. Rurſum, cum cogitat vt ea alteri faciat, quæ ipſa ſibi fieri ab altero expectat: penſat nimirum, vt malis bona, & bonis meliora rependat, vt erga procaces manſuetudinem longanimitatis exhibeat, vt malitiæ peſte languentibus gratiam benignitatis impendat, vt diſcordes ad pacem reducat, vt concordes ad concupiſcentiam veræ pacis accendat, vt indigentibus neceſſaria tribuat, vt errantibus viam rectitudinis oſtendat, vt afflictos verbo & compaſſione mulceat, vt accenſos in huius mũdi deſideriis increpatione reſtringat, vt minas potentiam ratione mitiget, vt oppreſſorum anguſtias quanta præualet ope leuet, vt foris reſiſtentibus patientiã opponat, vt intus ſuperbientibus patientiam exhibeat, vt erga errata ſubditorum ſic manſuetudo zelum temperet, quatenus à iuſtitiæ ſtudio non eneruet, ſic ad vltionem zelus ferueat; ne tamen pietatis limitem feruendo tranſeat: vtque ingratos beneficiis ad amorem prouocet, vt gratos miniſteriis in amorem ſeruet, vt proximorum mala cum

A corrigere non valet, taceat, vt quæ corrigi loquendo poſſunt, in horum ſilendo conſenſum eſſe pertimeſcat, vt ſic ea quæ tacet, toleret: ne timens, in animo virus doloris occultet, vt ſic maleuolis munus benignitatis exhibeat, ne tamen per gratiam à iore rectitudinis excedat, vt ſic proximis cuncta quæ valet, impendat, ne hæc impendendo tumeat, vt ſic in bonis quæ exhibet, tumoris præcipitium paueat, ne tamen à bonis exercitatio torpeſcat: vt ſic quæ poſſidet tribuat, quatenus quanta ſit largitas remunerantis, attendat, ne cum terrena largitur, ſuam pluſquam neceſſe eſt inopiam paueat, & in oblatione muneris, hilaritatis lumen triſtitia obſcuret. Sic, ſic nimirum, ſic ab ſtudioſis veſtimenta ſeruantur, quibus multitudo peccatorum operitur. Quorum multiplicitatem veſtimentorum bene Paulus enumerat, cum de vna eademque
1. Cor. 13. charitate loquitur, dicens: *Charitas patiens eſt, benigna eſt. Non æmulatur, non inflatur, non agit perperam, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem*
B *veritati. Patiens* quippe *eſt charitas*, quia illata mala æquanimiter tolerat. *Benigna* vero eſt, quia etiam malis bona largiter miniſtrat. *Non æmulatur*, quia per hoc quod in præſenti mundo nil appetit, inuidere terrenis ſucceſſibus neſcit. *Non inflatur*, quia cum præmium æternæ retributionis anxie deſiderat, de bonis ſe exterioribus non exaltat. *Non agit perperam*, quia quo ſe in Dei ac proximi amore dilatat, quicquid à rectitudine diſcrepat, ignorat. *Non eſt ambitioſa*, quia quo ardentius intus ad ſua ſatagit, foris nullatenus aliena concupiſcit. *Non quærit quæ ſua ſunt*, quia cuncta quæ hic tranſitoriè poſſidet, velut aliena negligit. Cum quid ſibi deeſſe conſpicit, non irritatur: quia & iniuriis laceſſita, ad nullos ſe vltionis motus excitat, dum magnis laboribus maiora poſt præmia expectat. *Non cogitat malum*, quia in amore munditiæ mentem ſolidans, dum omne odium radicitus amputat, verſare in animo quod inquinat neſcit. *Non gaudet ſuper iniquitate*, quia ſola dilectione erga omnes inhiat, nec
C de perditione aduerſantium exultat. *Congaudet autem veritati*, quia vt ſe cæteros diligens, per hoc quod rectum in aliis conſpicit, quaſi de augmento proprij prouectus hilareſcit. Sicque fit, vt nulla ex parte nuditas vel turpitudo præuaricationis appareat, in quibus hoc vigilans ſtudium permanſerit. Sequitur autem verſus ordini conciſo reddendus, quo de regibus terræ in prælium congregatis, dicitur:

Et congregauit eos in locum, qui vocatur Hebraïcè armageddon.

Qualiter in præmiſſis tribus ſpiritibus vnitas malorum ſpirituum deſignetur, hic apertiſſime declaratur. Quod enim ſuperius quaſi de tribus loquitur, procedunt ad reges totius terræ congregare illos in prælium: hoc
D nunc idipſum inculcando tanquam de vno profertur, congregauit eos in locum qui vocatur Hebraïcè armageddon. Quamobrẽ ſiue in tribus ſeu in ſeptem, ſeu etiam in legione eorum nequitia deſcribatur, ad vnum refertur. Hinc eſt quod Dominus cum hominem à legione liberat
Marc. 5. tanquam vnum interrogat, dicens: *Quod tibi nomen eſt?* Cui ipſa vnitas reſpondens, ait: *Legio.* Si enim in legione non vnus, ſed multiplex ſpiritus: cur non ait, quæ vobis nomina ſunt, ſed quod tibi nomen eſt? Sic, ſic nimirum, ſic cum tres nequam ſpiritus de ore draconis & de ore beſtiæ & de ore pſeudoprophetæ, ad reges terræ procedunt: ſathanas in illis de carcere ſuo, id eſt, de abyſſo, quæ ſunt ipſi reges, vel beſtia vel pſeudoprophetæ, ad ſeducendas gentes idem ipſe ſolutus egreditur, ſubaudis, in apertam perſecutionem excitatur. De ipſis enim egreditur, ſed per ipſos exit ad ipſos. Quanquam autem hoc eſſe dictum ſit, procedunt ad reges terræ totius congregare illos in bellum: quid eſt, congregauit eos in locum qui vocatur Hebraïcè armageddon: ſicut in alia recapi-
Apoc. 20. tulatione inferius dicitur, *congregauit eos in prælium, quorum eſt numerus ſicut arena maris*: innuitur tamen nobis aliquid, cur ipſius prælij locus tali vocabulo deſignetur.
E Armageddon quippe, vt beatus Hieronymus dicit, in Latino ſermone conſurrectio teſtium impiorum ſonat, ſiue mons à latrunculis, vel mons globoſus. Nec immerito. Nam in eo diabolus reges terræ, id eſt, omne regnum ſeculi in prælium reuocat, quo principaliter contra Chriſtum & Eccleſiam falſa loqui perſuadet. Hinc Pſalmiſta eiuſdem redemptoris voce ait: *Inſurrexerunt in me teſtes* Pſal. 26.
iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi. Recte autem idem locus pugnæ, mons etiam à latrunculis vocatur. Et quis iſte mons eſt, niſi ille caliginoſus, qui ſe per illum damnatum quem aſſumpſerit hominem, cunctis eminere volens, Dei filium (de quo ſcriptum eſt; *Erit in nouiſſimis diebus præ-* Iſa. 2.
paratus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes) ſe eſſe mentitur? Qui videlicet non à fidelibus ſeruis, ſed à latrunculis mons vocatur, id eſt, à miniſtris eiuſdem peruerſi hominis, qui fidem electorum latenter præcipere deſiderant, vt eos à monte tuto ac lucidiſſimo abſtrahen- F
tes, in montem naufragoſum impingere faciant, quia eius celſitudo tanto ab eiſdem electis deſpicitur, quanto per internam conſtantiam quicquid temporaliter tranſit, deridenr. Quibus & dicitur: *Ecce dedi vobis poteſtatem* Luc. 10.
calcandi ſuper omnem virtutem inimici. O quàm magnus, ô quam altus à latrunculis æſtimabitur, ſed Deo gratias, quia fidelium ſeruorum conſtantia atque fortitudine vt viliſſimus terræ puluis conculcabitur. Recte etiam locus ejuſdem pugnæ, mons globoſus dicitur, id eſt, diabolus in antichriſto, innumeris Chriſtianæ fidei inſidiantibus beſtiis conſtipatus, denſatus, atque conglobatus. Vel certe vt verius dixerim, ideo mons globoſus vocatur, quia diuerſos in ſuo corpore errores oſtendit, dum hinc aperte ſæuit, illinc fraudulenter decipit. Quaſi enim vnum debellantium globum contra electos emittit, dum eos per temporalem potentiam affligit. Sed dum eius inſana potentia contemnitur, quem fortiorem dimittit, cum per miracula & falſa prodigia illaqueare ſatagit. Sequitur: G

Et ſeptimus Angelus effudit phialam ſuam in aërem: & exiuit vox magna de templo à throno, dicens: Factum eſt, & facta ſunt fulgura & voces & tonitrua, & terræmotus factus eſt magnus, qualis nunquam fuit ex quo homines fuerunt in terra: talis terræmotus, ſic magnus.

In ſeptimo Angelo ſic nouiſſimæ perſecutionis finis oſtenditur, vt breui recapitulatione eiuſdem perſecutionis tempus complectatur. In eo enim quod Angelo phialam effundente, voce magna de templo à throno dicitur, Factum eſt, conſummatio perſecutionis declaratur. H
In eo vero quod ſubditur, & facta ſunt fulgura & voces & tonitrua, & cætera quæ ſequuntur, eiuſdem perſecutionis tempus recapitulatum comprehenditur. Hoc ſane eſt templum, quod thronus in templo, electorum videlicet Eccleſia, quam Dominus & inhabitando præſidet, & præſidendo inhabitat. Et à ſedente in throno atque inhabitante in templo, vox iſta procedit, cuius iudicio conſummantur omnia. Videamus autem quæ ſint fulgura & voces ac tonitrua, in eadem perſecutione ſonantia. Et quid aliud in fulguribus, niſi miraculorum ſigna: quid autem in vocibus, niſi prædicationes: quid vero in tonitruis, niſi comminationes figurari intelligimus? Sed quia inter verba prædicationis, inter comminantium terrores, miraculorum ſigna narrantur futura: verum illa miracula à parte bonorum falſitati contradicentium, an à parte malorum veritati reſiſtentium, ad exercendos bonos & obdurandos malos, an ex vtraque parte altrinſecus ſibi cohæreant, hic quidem non ſatis elucet. Sed cum ad alias Sanctarum ſcripturarum paginas recurrimus, malos tunc ſigna facturos inuenimus: bonos vero, neſcio ſi alicubi

A in eiſdem ſacris litteris inuenire poſſimus miracula fa-
cturos illis diebus. Quod enim Eccleſiæ perſecutores mi-
raculis coruſcent illis diebus, teſtatur Dominus, dicens:
Matt.24. *Tunc ſurgent Pſeudochriſti & Pſeudoprophetæ, & dabunt*
ſigna magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur, ſi
fieri poteſt, etiam electi. Hinc eſt quod cum tormentorum
omnium paſſiones iam ſuſtinuerint martyres ſancti, ea-
dem perſecutio omnibus præfertur, ſicut hic dicitur: *Fa-*
ctus eſt terræmotus magnus, qualis nunquam fuit ex quo ho-
mines fuerunt in terra: talis terræmotus, ſic magnus. Cui
Ibid. ſententiæ Dominus in Euangelio concordans, ait: *Erit*
tunc tribulatio qualis non fuit ex quo homines eſſe cœperunt
ſuper terram, vſque ad tempus illud, ſed nec fiet. Quæ enim
pœnarum genera nouimus, quæ non iam vires martyrum
exercuiſſe gaudeamus? Alios namque improuiſo ictu im-
merſus iugulo gladius ſtrauit, alios crucis patibulum af-
fixit: in quo mors & prouocata repellitur, & repulſa pro-
uocatur: alios hirſutis ſerra dentibus attriuit, alios arma-
B ta ferro inſulcans vngula ſparſit, alios belluina rabies
morſibus detruncando comminuit, alios ab intimis vi-
ſcerum per cutem preſſa vis verberum erupit, alios effoſ-
ſa terra viuentes operuit, alios in altum dimerſos in mor-
tem præcipitium fregit, alios in ſe proiectos aqua repen-
te abſorbuit, alios edax flamma vſque ad cineres depaſta
conſumpſit. Quid ergo eſt quod his tormentis tunc atro-
cius creſcit, niſi hoc quod (ſicut diximus) in Euangelio
Ibid. per ſemetipſam veritas dicit, *ſurgent Pſeudochriſti & Pſeu-*
doprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia, ita vt in
errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi? In priori-
bus namque temporibus fideles noſtri mira fecerunt, cum
peruerſa paterentur: illis vero extremis aduerſarij fide-
Ex Greg. 33. moral. cap 12. lium etiam cum peruerſa inferunt, mira facturi ſunt. Pen-
ſemus ergo quæ erit humanæ mentis illa tentatio, quan-
do pius martyr & corpus tormentis ſubiicit, & ante eius
oculos miracula tortor facit. Cuius tunc virtus non ab
ipſo cogitationum fundo quatiatur, quando is qui flagris
C cruciat, miraculis coruſcat? Hinc eſt forte quod Domi-
Iob.41. nus de diabolo eiuſque vaſe antichriſto dicit: *Faciem*
eius præcedet egeſtas. Ante enim à fidelibus miraculorum
diuitiæ ſubtrahuntur, & tunc contra eos antiquus ille ho-
ſtis per aperta prodigia oſtenditur, vt quo ipſe per ſigna
extollitur, eo à fidelibus ſine ſignis robuſtius laudabiliuſ-
que vincatur. Et forte in eius certamine ſigna à fidelibus
non deerunt, ſed tanta erunt illius, vt noſtrorum ſi fue-
rint, aut pauca, aut nulla videantur. Quorum tamen vir-
tus omnibus ſignis ſit potior, cum omne quod ab illo fieri
terribiliter conſpicit, per internæ conſtantiæ calcem pre-
mit. Sequitur:

Et facta eſt ciuitas magna in tres partes.

Ab exordio mundi vſque ad finem, duæ ciuitates ædi-
ficari videntur, quarum vna eſt Dei, altera diaboli: vna
quæ ab Abel iuſto cepit, altera quæ à Cain impio ini-
D tium dedit: vna quæ ſupra petram ædificatur vt maneat,
altera quæ ſuper arenam vt cadat. Hoc autem in loco
diaboli ciuitas in tres partes diuidi pronuntiatur, non
quo & ante diuiſa non eſſet, vt tunc ſolummodo diuida-
tur, ſed quo certum ſit, ex quibus hominum qualitatibus
ipſa impia ciuitas conſtet quæ in futuro caſura denuntia-
tur. Cuius vna pars & eſt & erit in gentilitatis errore, al-
tera in hæreticis & Iudæis: & vna in falſis fratribus, quæ
nunc intra ſinum fidei latet. Quo videlicet ciuitas, ſiue
pro magnitudine populorum, ſeu propter immanitatem
ſcelerum, magna (id eſt, vaſta) vocatur: cuius etiam caput,
propter immenſitatem malitiæ, draco magnus appellatur.
Sequitur:

Et ciuitates gentium ceciderunt.

Genus in ſpecies diuiſum, ipſam diuiſam ciuitatem
corruiſſe denuntiat. Nam cum hic dicat ciuitates gen-
tium cecidiſſe, inferius vero Angelus clamet, *Cecidit ce-*
cidit Babylon magna: oſtendit proculdubio hoc eſſe ciui-
tates gentium quod Babylonem ciuitatem magnam. Sed
ideo hoc loco genus diuiditur in ſpecies, ne ſi diceretur, E
& facta eſt ciuitas magna in tres partes, & ciuitas magna
cecidit, & Babylon magna venit in memoriam ante
Deum, inhoneſta narratio contexeretur: vel quod ve-
rius, ideo vna eademque res diuerſis obumbratur figuris,
ne facile cognita ſcriptura Sacra, vilis putetur. Quæ ſcili-
cet reproborum ciuitas, in ſpecies ciuitatum diuiſa: nunc
quidem per partes, in nouiſſimis vero funditus ruet cum
perſequendi ſanctos vltra modum poteſtatem acceperit.
Et quæ eius principalis ruina eſt niſi ſuperbia, per quam
caput eiuſdem ciuitatis de ædificio cœleſtis patriæ ruit?
Scriptum quippe eſt: *Ante ruinam exaltabitur cor; &* Prou.16.
ante gloriam humiliabitur ſpiritus. Hinc Pſalmiſta Domi- Pſal.72.
no de cadentibus dicit: *Deieciſti eos dum alleuarentur.*
Quique admirando ſubiungit, dicens: *Quomodo facti*
ſunt in deſolationem, ſubito defecerunt, & perierunt propter
iniquitatem ſuam, velut ſomno exurgentes? Ac ſi diceret:
Quomodo deſolationis ruinam pene ante paſſi ſunt, F
quam in ſuperbiam alleuarentur? Hinc per Daniele indici- Dan.4.
tur: *In aula Babylonis deambulabat rex reſpondítque &*
ait: Nonne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificaui in Ibid.
domum regni, in robore fortitudinis meæ, in gloria decoris
mei? Sed hanc exaltationem quam concita ſit ruina ſub-
ſecuta, ilico adiungit, dicens: Cum adhuc ſermo eſſet in
ore regis, vox de cœlo ruit: *Tibi dicitur Nabuchodono-*
ſor Rex. Regnum tuum tranſiet à te, & ab hominibus eii-
cient te, & cum beſtiis feriſque erit habitatio tua. Hæc de
principali reproborum ruina diſſerimus. Cæterum quot
ſunt ſceleta vitiorum, tot ſunt ruinæ malorum. Redit au-
tem huius hiſtoriæ autor ab ſpeciebus ad genus, & eaſ-
dem ciuitates gentium vnam ciuitatem eſſe deſignans,
dicit:

Et Babylon magna venit in memoriam ante Deum dare illi calicem vini indignationis iræ eius. G

Cum ſit natura incommutabilis beatus ille ac ſummus
ſpiritus, nullaque viciſſitudine in ſe diſſimilis Deus, Iaco-
bo atteſtante qui ait: *Apud quem non eſt tranſmutatio, nec* Iacob.1.
viciſſitudinis obumbratio: nequaquam aut obliuiſcitur, aut
recordatur. Sed tamen ſcriptura Sancta paruulis con-
gruens, non ſolum hæc, ſed & alia innumera quæ ad na-
turam Dei non pertinent, humano more relata ſtudet re-
ferre, quatenus imitatione patris vel matris, balbutienti-
bus paruulis, vt intelligi poſſint quæ ab ipſa dicuntur, &
ipſa balbutiat. Quæ ſi ita non ageret, ſed vt eſt diceret,
humana corda ad agnitionem ſuam nunquam leuaret. Sed
quia tempus nunc non ſuppetit, vt de omnibus obliuio-
nis vel recordationis Dei modis loquamur: tamen quoſ-
dam præterire non debemus, qui principaliter ad electos
vel reprobos pertinere videntur. Sciendum enim quia om-
nipotens Deus quædam nunc ex parte electorum obliui- H
ſcitur, quædam vero recordatur. In futuro autem iudicio
non quidem ſimiliter, ſed diſſimiliter, quia ex ea parte
quæ nunc electorum obliuiſcitur, tunc recordatur, & ex
ea quæ nunc recordatur, tunc obliuiſcitur. Qui videli-
cet obliuionis vel recordationis modi, eadem ratione
reproborum perſonis aptantur. Quadam enim ex parte
omnipotens Deus nunc electorum obliuiſcitur, quadam
vero recordatur, quia & eorum bona opera in præſenti
non remunerat & mala duris flagellis excruciat. At con-
tra quadam eorum ex parte in iudicio recordatur, qua-
dam vero obliuiſcitur: quia & dilata eorum pia opera
tunc remunerat, quæ nunc quaſi obliuioni tradens non
remunerat, & mala tunc non damnat, quæ nunc iudicio
ſeueritatis ſciens cruciat. Quamobrem ſicut dictum eſt,
vnde nunc obliuiſcuntur, inde tunc recordantur: & vnde
nunc recordantur, inde tunc obliuiſcuntur. Econtra re-
probi quadam nunc ex parte obliuiſcuntur à Deo, qua-
dam vero recordantur, quia & hic pro malis quæ com-
miſerunt, flagella non tolerant, & pro bonis quæ forte
habere potuerunt, terrena munera recipiunt. In futuro
vero iudicio ex ea parte obliuiſcuntur, qua nunc remu-

A nerantur, & ex ea parte recordantur, qua nunc non flagellantur. Babylon ergo magna, corpus videlicet diaboli, vnde nunc obliuiſci meruit, inde tunc ad memoriam redit, vt ſcilicet illic æterna flagella ſuſcipiat; quæ hic cum electa ciuitate temporaliter affligi verberibus recuſat. Vnde & bene nunc de eadem dicitur : *Venit in memoriam ante Dominum, dare ei calicem vini indignationis iræ eius.* Et quid per calicem iræ Dei hoc in loco, niſi nouiſſima pœna intelligitur ? Quo videlicet calice nunc Babylon electis ſemel propinat, cum eos carne tantummodo cruciat, ſed eodem ipſa tunc dupliciter propinabitur, quando carne ſimul & anima igne cremabitur. Vnde & in hac
Apoc. 18. Apocalypſi inferius dicitur : *Recordatus eſt Dominus Deus iniquitatum eius : reddite illi ſicut & illa reddidit vobis, & duplicate duplicia ſecundum opera eius.* In poculo quo miſcuit vobis, miſcete illi duplum. Ipſa enim (vt dictum eſt) quæ nunc electos ex ſuperiore parte calicis temporalium tribulationum vino debriat, bibitura eſt quandoque ſine
B fine nouiſſimas feces, id eſt, nouiſſimas pœnas. Hinc eſt quod ſermo diuinus enumeratis tribulationibus huius temporis, quas plerumque & nolentes mali patiuntur cum bonis, de nouiſſima pœna ſententiam protulit, di-
Iere. 25. cens : *Rex Seſach bibet poſt eos* : ſubaudis, finitis temporalibus preſſuris, tanquam hauſto de calice mero malorum, pars nouiſſimas pœnas perſoluet, tanquam feces ebibens.
Ibid. Ad quorum perſonam Ieremias Propheta loquitur, dicens: *Bibite & inebriamini, & vomite, & cadite neque ſurgatis à facie gladij, quem ego mittam inter vos.* O timendum poculum, quod ſic debriat impios, vt tamen à pœnis nequaquam ſenſibiles reddat. O formidandus gladius, qui ſic trucidat, vt ab interfectione non deſinat, & eos quos indeſinenter occidit, ſemper ad interfectionem reſeruet. Poculum iſtud flamma ſulfurea eſt, gladius iſte vermis immortalis eſt. Illa interius hauſta, animum necat : iſte exterius ſaucians, corpus dilaniat. Quia enim æternis ſuppliciis deputatos, & ignis indeficiens exurat, & vermis
C immortalis adrodat, ſcripturæ Sacræ auctoritas probat.
Iſa. 66. Hinc Iſaias ait : *Quorum vermis non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* O quam multa ibi erunt, ſed hæc puto quia principalia ibi erunt. Erunt ſiquidem tenebræ exteriores, fletus & ſtridor dentium, Domino in Euan-
Matt. 25. gelio de ſeruo nequam dicente : *Mittite eum in tenebras*
Luc. 16. *exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Erit ſitis, ſicut diues ad Abraham dicit : *Mitte Lazarum vt intingat extremum digiti ſui in aqua, vt refrigeret linguam meam,*
Iob. 10. *quia crucior in hac flamma.* Erit *pauor & horror*, vt Iob deprecans Domino dicit : *Dimitte me vt plangam paululum dolorem meum, antequam vadam & non reuertar, ad terram tenebroſam & opertam mortis caligine, vbi nullus ordo ſed ſempiternus horror inhabitat.* Erunt & alia innumera, quia profecto quæque mala poſſunt eſſe, nil de his, damnatis deerit. De quibus melius lugendo interius, quam loquendo exterius aliquid proferimus. Sequitur:

D

Et omnis inſula fugit, & montes non ſunt inuenti.

Inſularum ac montium nomine, more ſolito Eccleſiam complectitur : in inſulis ſcilicet populorum fidelium ſubiectas plebes : in montibus vero, earumdem plebium doctores deſignans. Audi denique quæ ſint iſtæ in-
Iſa. 24. ſulæ. Ait enim Iſaias Propheta : *In doctrinis glorificate*
Iſa. 49. *Dominum, in inſulis maris nomen Domini Dei Iſraël.*
Iſa. 2. Hinc idem alibi dicit : *Audite inſulæ, & attendite populi de longe.* Audi etiam qui ſint montes. Propheta namque ait : *Erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & fluent ad eum omnes gentes.* Mons enim domus Domini in vertice montium præparatus, Dominus eſt Saluator noſter, omnium ſanctorum virtutes tranſcendens. De quibus etiam montibus Pſal-
Pſal. 124. miſta dicit : *Montes in circuitu eius, & Dominus in cir-*
Pſal. 120. *cuitu populi ſui.* Et rurſum : *Leuaui oculos meos ad montes, vnde veniet auxilium mihi.* Inſulæ autem & montes non inueniuntur, ſubaudis mente, non corpore in medio peccatorum. Quibus per Prophetam dicitur : *Exite de* E
medio Babylonis, & *ſaluate vnuſquiſque animas veſtras*, Iere.
& *immundum ne tetigeritis.* Vnde & in Apocalypſi infe- Iſa. 5
rius per Ioannem dicitur : *Audiui vocem de cœlo dicen-* Iere.
tem : Exi de ea populus meus, & ne particeps ſis delicto- Apoc.
rum eius, & de plagis eius non accipiatis, quoniam perue- Apoc.
nerunt peccata eius vſque ad cœlum. Quo autem exeunt, niſi in ſolitudinem ſicut ſuperius dicitur : *Mulier fugit in ſolitudinem, vbi alatur per tempus & tempora & dimidium temporis, à facie ſerpentis* ? Vnde & Dominus ad-
monet, dicens : *Tunc qui in Iudæa ſunt, fugiant ad mon-* Matt.
tes. Et vbi hanc inueniunt ſolitudinem, niſi in ſeipſis ? Iob. 3
Hinc enim per iuſtum Iob dicitur : *Nunc dormiens ſilerem, & ſomno meo requieſcerem cum his qui ædificant ſibi ſolitudines.* Ad hanc ſolitudinem Dauid regali fultus obſequio, populorum turbis circumdatus, fugerat qui dice-
bat : *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo &* Pſal. 5
requieſcam ? Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine.
Ille etenim in ſeipſo ſolitudinem ædificat quo fugiat, qui F
& tumultus vitiorum & gloriam temporalem per conſtantiæ vigorem interius premit. Vel certe hoc loco fuga electorum illa eſſe creditur, qua malorum ſocietatem ſic in extremis deſerit, vt nulla eius deinceps cum eiſdem reprobis inueniatur confuſa permixtio. Hinc ſuperius dici-
tur : *Cœlum receſſit quaſi liber inuolutus, & omnes mon-* Apoc.
tes & inſulæ de locis ſuis motæ ſunt. De locis enim ſuis mouentur, cum vtique à communi reproborum conuerſatione ſeparantur. Neque enim vt nunc, permixti reprobi intra bonos latebunt : quia ignis tribulationis vbi accenſus, dum aurum probat, paleas comburit. Dicatur ergo : *Et omnis inſula fugit, & montes non ſunt inuenti.* Ac ſi aliis verbis diceretur : Sic tunc electorum Eccleſia à reproborum commixtione ſeparabitur, vt manifeſtum ſit qui terræ inhæreant, & qui ad ſuperna euolent. Sequitur :

G

Et grando magna ſicut talentum deſcendit de cœlo in homines, & blaſphemauerunt homines Deum propter plagam grandinis, quoniam magna facta eſt vehementer.

Manifeſtæ rationis ſenſus expoſcit, per grandinem hoc loco iram vltionis intelligi. Vnde ſcriptum eſt : *Ira Domini ſicut grando deſcendens.* Hac denique ſeptem phialæ ſeptem Angelorum plenæ fuiſſe memorantur. De hac
Paulus dicit : *Reuelatur ira Dei de cœlo ſuper omnem im-* Rom. 1
pietatem & iniuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent. Talenti autem ponderis pro magnitudine vindictæ, ipſa grandinis ira fuiſſe perhibetur. Quia enim ſeptuaginta duarum linguarum gentes percutit, nulluſque ad mortem præſcitus hanc mortem euadit, idcirco talenti ponderis magnitudinem eiuſdem
iræ ſpiritus Sanctus deſignat. Nec immerito. Nam talen- H
tum apud Latinos, ſeptuaginta duarum librarum pondere penſatur. Quæ videlicet ira non niſi præcedentis cul-
pæ merito infligitur, Paulo atteſtante qui ait : *Reuelatur* Ibid.
ira Dei de cœlo ſuper omnem impietatem. Præcedit ergo (vt dictum eſt) peccatum in hominibus cuius merito grando deſcendit de cœlo. Deſcendens autem, plaga magna reprobos vulnerat : quia ipſius diſtricti iudicii ira agitur, vt qui peccatum commiſſum manu pœnitentiæ citò non tergunt, in aliud deterius cadant. Quod videlicet non iam peccatum tantummodo eſt, ſed peccatum ſimul & plaga peccati, & pœna peccati. Omne quippe peccatum, quod tamen citius pœnitendo non tergitur, peccatum eſt ſimul & plaga peccati & pœna peccati. Peccatum namque quod pœnitentia non diluit, ipſo ſuo pondere mox ad aliud tranſit. Vnde fit vt non ſolum peccatum ſit, ſed peccatum & cauſa peccati. Ex illo quippe vitio culpa ſubſequens oritur, ex quo cæcata mens ducitur, vt peius & alio ligetur. Sed peccatum quod ex peccato oritur, non iam peccatum tantummodo, ſed peccatum eſt ſimul & plaga peccati & pœna peccati. Quia iuſto iudicio

A omnipotens Deus cor peccantis obnubilat, vt præceden-
tis peccati merito etiam in aliis cadat. Quem enim libe-
rare noluit, deſerendo percuſſit. Non ergo immerito pla-
ga ſimul & pœna peccati dicitur, quod iuſta deſuper in-
rogata excitatur, ex præcedentis peccati vltione perpetra-
tur. Quod videlicet agitur diſpoſitione quidem ſuperius
ordinata, ſed inferius iniquitate confuſa: vt & præcedens
culpa cauſa ſit ſubſequentis, & culpa ſubſequens ſit plaga
ſimul & pœna præcedentis. Et vt manifeſtius fiat quod
dicimus, ecce Dominus in Euangelio de Iudæis loquitur,
Ioan.15. dicens: *Si non veniſſem & locutus eis fuiſſem, peccatum non
haberent.* Nunc autem excuſationem non habent de pec-
cato ſuo.

Quod videlicet peccatum ſi citius conuerſionis pœni-
tentia delere voluiſſent, peccatum ſolummodo fuiſſet. At
quia non eſt conuerſionis emendatione mundatum, non
ſolum iam peccatum, ſed peccatum ſimul & cauſa pec-
cati extitit: quia ex ſe aliud genuit, vt videlicet iuſto in-
B ternoque Dei iudicio qui Chriſtum ſuſcipere noluerunt,
ſibi promiſſum, ſuſcipiant quandoque Antichriſtum, ipſo
Ioan.5. Domino dicente: *Ego veni in nomine Patris mei & non
2.Theſ. 2. ſuſcepiſtis me, alius veniet in nomine ſuo, & hunc ſuſcipie-
tis.* Hinc Paulus dicit: *Pro eo quod charitatem veritatis
non receperunt vt salui fierent, ideo mittet illis Deus opera-
tionem erroris, vt credant mendacio, & iudicentur omnes
qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati.* In
quibus verbis aperte innuitur, quia præcedens culpa ſub-
ſequentis cauſa extitit culpæ. Quæ ſcilicet non iam pec-
catum ſolummodo, ſed peccatum ſimul & plaga pœna-
que præcedentis peccati facta eſt. Hoc quippe agitur, vt
culpis culpæ feriantur, quatenus ſupplicia fiant peccan-
tium, ipſa incrementa vitiorum. Nam quia omnipotens
Deus ad pœnitentiam tempus indulget, quod tamen hu-
mana malitia ad vſum ſuæ iniquitatis intorquet: nimi-
rum iuſto iudicio augeri culpa permittitur, vt ad ferien-
dum altius quandoque cumuletur. Hinc enim de quibuſ-
C dam Paulus dicit: *Vt impleant peccata ſua ſemper.* Hinc
1.Theſ. 2. voce angelica Ioanni dicitur: *Qui nocet, noceat adhuc:
Apoc.22. & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc.* Hinc Dauid ait: *Ap-
Pſal.68. pone iniquitatem ſuper iniquitatem ipſorum, vt non intrent
Pſal.77. in iuſtitiam tuam.* Hinc rurſus de Domino ab eodem
Pſalmiſta dicitur: *Immiſſiones per Angelos malos, viam
fecit ſemitæ iræ ſuæ.* Cor quippe Dominus prioribus meri-
tis aggrauatum, iuſte permittit etiam in ſubſequentibus
malignorum ſpirituum perſuaſione falli: quod dum di-
gne in culpam trahitur, reatus eius in pœna cumulatur.
Vnde & iræ ſuæ Dominus viam de ſemita feciſſe perhi-
betur. Latior eſt enim via quam ſemita. Ex ſemita vero
iræ ſuæ viam facere, eſt iræ cauſas diſtricte iudicando di-
latare, vt qui illuminati recta agere noluerunt, iuſte cæ-
cati, adhuc faciant vnde amplius puniri mereantur. Hinc
Gen.15. per Moſen dicitur: *Nondum completa ſunt peccata Amor-
Deut.32. ræorum.* Hinc per eundem Moyſen Dominus dicit: *Ex
vinea enim Sodomorum vitis eorum, & propago eorum ex
D Gomorra. Vua eorum vua fellis, botrus amaritudinis ipſis.
Furor draconum vinum eorum & furor aſpidum inſanabi-
lis. Nonne hæc congregata ſunt apud me, & ſignata in the-
ſauris meis? In die vltionis reddam illis.* Quam multa eo-
rum mala narrauit, & ilico adiungit, in tempore quo la-
pſus fuerit pes eorum. Ecce atrociſſima eorum facinora
deſcribuntur, & tamen ad vltionis diem adhuc ſubſe-
quens lapſus aſpicitur, quo eorum peccata cumulentur.
Habent iam quidem vnde feriri mereantur: ſed tamen
ſuſtinet adhuc peccatum creſcere, vt peccantes poſſit
atrocius pœna cruciare. Iam meretur ſupplicium pecca-
tum & cauſa peccati: ſed expectatur adhuc, vt augmen-
tum ſupplicij ſubroget peccatum & plaga peccati. Scien-
dum vero quia plerumque vnum idemque peccatum, &
peccatum & plaga eſt & cauſa peccati. Quis enim neſcit
idcirco Iudæos ad cognitionem Chriſti non perueniſſe,
quia de obſeruantia legis tumentes, eandem ſpiritalem
legem ſpiritualiter intelligere noluerunt? Et rurſus quis
ignoret eo peccati merito quo in eundem redemptorem
credere noluerunt, ad hoc eos quandoque venturos, vt
Antichriſtum ſuſcipiant, quem nunc magni ardoris deſi-
derio expectant? In tumorem itaque de legis obſeruantia E
& Antichriſti ſuſceptione poſitus Chriſti contemptus,
peccatum & plaga eſt & cauſa peccati. Peccatum vero
eſt per ſemetipſum: plaga vero peccati eſt, quia præce-
dens culpa tumoris illud inflixit. Cauſa vero peccati eſt,
quia ſubſequentem culpam qua diabolus in Antichriſto
adorandus ſuſcipitur, ex ſe genuit. Fit namque modo mi-
ſerabili, vt vnum idemque per ſemetipſum peccatum &
plaga præcedentis, & cauſa ſit culpæ ſubſequentis: quia
& tranſacta dum exaggerat, damnat: & adhuc ſequen-
tia quæ damnari debeant, ſeminat. Dicatur igitur de
vulneratis: Blaſphemauerunt homines Deum propter pla-
gam grandinis, quoniam magnificata eſt vehementer. Ac
ſi diceretur: Ita diſtricti iudicis actum eſt, vt qui chari-
tatem veritatis non receperunt vt ſalui fierent, operationi
erroris famulatum exibeant vt pereant, id eſt honorem
qui ſoli competit Chriſto, deferant filio diaboli. Et vt
apertius propter minus intelligentes dicamus, propter
plagam grandinis Deum blaſphemare, eſt, propter præ- F
cedens peccati meritum ira ſuperni iudicis permittente,
blaſphemiæ plagas incurrere. Sic enim dicitur, Blaſphe-
mauerunt homines Deum propter plagam grandinis: tan-
quam diceretur, Ideo blaſphemauerunt, quia ipſius blaſ-
phemiæ plagas à grandine incurrerunt. Poteſt autem (vt
arbitror) per grandinem de cœlo ſuper homines ruen-
tem, ipſa perſecutio nouiſſima intelligi, quæ ira Dei ho-
minibus irrogatur, vt quod ſupra iam dixerat, terræmo-
tus factus eſt magnus, qualis nunquam fuit ex quo ho-
mines fuerunt in terra, talis terræmotus, ſic magnus: hoc
nunc repetiſſe credatur, grando magna ſicut talentum de-
ſcendit de cœlo in homines, & blaſphemauerunt homines
Deum propter plagam grandinis, quoniam magna facta
eſt vehementer: quatenus ipſis temporalibus flagellis re-
probi intra ſanctam Eccleſiam Chriſtiani, ad blaſphe-
mandum Deum cogantur, quem pridem iam reprobis
operibus blaſphemaſſe videbantur. Sed ad ſuperiorem in- G
tellectum lectorem inuito: quia quo ſubtilior, eo inue-
nitur per omnia verior. Hæc de his ſeptem nouiſſimis
plagis, patrum traditionem ſequentes, prout Dominus
largiri dignatus eſt, diſputauimus. Nunc autem quia &
finis earundem plagarum adfuturus eſſe dicitur, & hic li-
ber quaſi in immenſum tenditur, niſi congruo fine termi-
netur: accipiat tandem de vulneribus diſputans, quietis
repauſationem vulneratus ſed diuina miſericordia ſanan-
dus tractator, qui nouit dicere: *Sana me Domine, & ſa- Ier.17.
nabor.: ſaluum me fac, & ſaluus ero.* Et illud: *Ego dixi, Do- Pſal.40.
mine miſerere mei, ſana animam meam, quia peccaui tibi.*
Quique Samaritani illius medici ſalutare infuſionis cata-
plaſmum, ſuis vulneribus poſt alia cordis eloquia fidei
oculis cœlitus conſpicit adhiberi, quia nec immemor eſſe
cognoſcitur beatæ illius ſententiæ qua dicitur: *In qua- Ezec.18.
cunque die peccator conuerſus ingemuerit, ſaluus erit.*

H

D. AMBROSII ANSBERTI Presbyteri, in Apocalypſim Ioannis Apoſtoli.

LIBER OCTAVVS.

RARISSIMOS tractatorum fidelium inueni-
mus, quos non ſæculi literatura prius imbuerit,
quam ad diuinas tranſierint enodandas ſcriptu-
ras quoſque de Ægypto exeuntes, non Ægyptiorum di-
uitiæ locupletaſſint, vt Hieronymum, Auguſtinum Cy-
prianum, Hilarium, Ambroſium & alios multos, quod
tamen mihi vltimo omnium, eueniſſe minime cognoſco.
Non enim oneratus diuitiis exiui de Ægypto, quia ne-
quaquam me in ſchola mundanæ ſapientiæ erudiri conti-
git. Nihil mihi Plato, nihil Cicero, nihil Homerus, nihil

A Virgilius, nihil Donatus, nihil Pompeius, nihil Seruius,
nihil Sergius, nihil Priſcianus contulit, ſed ſi quid fortaſſe
habere videor, hoc de horreo dominicæ prædicationis à
Chriſto accepiſſe me fateor, non quo mihi & eorum
ſcientia fuerit denegata, ſed quo plus delectatus ſim ver-
bis humillimi piſcatoris, quam ſuperbiſſimi oratoris: plus
diuinis intenderim, quam humanis eloquiis. Et vt verum
dicam, ecce coram Deo in Chriſto loquor, quia cum ad
hoc opus tranſire vellem, modos diuinæ locutionis igno-
rabam, qui ſi ſcire tunc potuiſſem, quantum laborem,
quantumque ſudorem cœleſtium Sacramenta depoſce-
rent pertractanda: non ſolum hunc cunctis diuinarum
Scripturarum (vt mihi videtur) obſcuriorem librum ag-
gredi non præſumpſiſſem, verumetiam apertiora quæque
tangere refugiſſem. Ingreſſus autem tam arduæ diſputa-
tionis opus, verum fateor, quia (vt eſt humani ingenij
præſumptio) prius docere quam diſcere concupiui, ſed
egit hoc diuina gratia, vt vnde docere cupiebam, inde
B diſcerem: quatenus & docens diſcerem, & diſcens do-
cerem. Et quia nunc vſque idipſum ago, fit miro omni-
potentis Dei diſpoſitionis ordine, vt quod heri neſcie-
bam, hodie inueniam: & quod hodie cum magno diffi-
cultatis labore comprehendere non valeo, cras ſine labo-
re percipiam. Quamobrem quia quotidie in docendo
creſcit ſcientiæ fructus, dum ea quæ nunc diſſero inten-
do, ductis poſt tergum oculis, multa quæ iam enodaui,
ſubtilius iterato tangenda, ſi ſpatium vitæ adfuerit, per-
cenſeo. Sed iam nunc quia doctorum mundanæ ſapientiæ
diſcipulum me eſſe veraciter denegat, dicat beatus Ioan-
nes qui ſit qui in ipſo me doceat, Ait enim:

Apoc. 17. *Et venit ad me vnus ex ſeptem Angelis, qui
habebant ſeptem phialas, & locutus eſt me-
cum, dicens: Veni, & oſtendam tibi damna-
C tionem meretricis magnæ, quæ ſedet ſuper
aquas multas.*

Et cuius hoc loco Ioannes perſonam gerit, niſi Ec-
cleſiæ? Cuius vero vnus de ſeptem Angelis habentibus
phialas, niſi Domini Ieſu Chriſti, vel certe Prophetarum
& Apoſtolorum, atque omnium doctorum, qui ſpiritu
Sancto repleti, quæ ſit damnatio impiorum, Eccleſiam
inſtruunt: quatenus cum malos in præſenti florere, ſe-
que conſpiciunt egere, ductis ad remunerationis terminũ
oculis, nihil de eorum proſperitatibus appetant, quos tam
ſeueriter damnandos in futurum cognoſcunt? Dicat ergo
Eccleſia de Chriſto, dicat de ſanctis prædicatoribus: *Ve-
nit ad me vnus de ſeptem Angelis, dicens: Veni, & oſten-
dam tibi damnationem meretricis magnæ.* Ac ſi dicat: Vt
præſentium rerum voluptates quibus mundus à Deo for-
nicando inhiat, preſſuraſque ac tribulationes quibus ſan-
ctos mali excruciant, pro nihilo ducam, præſentia Chri-
D ſti in carne apparentis, eiuſdemque prædicatorum edo-
cta ſum. Et notandum quod & Angelus vt Ioannem do-
ceat, venit, & idem Ioannes vt docendus veniat, inuita-
tur. Greſſus etenim Angeli ſunt ad Ioannem venientis,
ſiue interna Chriſti aſpiratio, ſiue vox exterior prædican-
tium tranſiens ad corda auditorum. Greſſus vero Ioan-
nis ſunt, fides auditorum, ſequens verba doctorum. Scien-
dum vero quia vox dolentis eſt, qua dicitur: *Veni, &
oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ.* Cui ſenten-
Philip. 3. tiæ Paulus Apoſtolus concordans, ait fidelibus: *Multi
ambulant, quos ſæpe dicebam vobis, nunc autem & flens
dico, inimicos crucis Chriſti, quorum Deus venter, & glo-
Iſa. 14. ria in confuſionem ipſorum qui terrena ſapiunt.* Hinc Iſaias
ait: *Quomodo cecidiſti de cœlo lucifer?* Vlula fili dilucu-
li, ſubaudis, lamentum aſſume, vel ſicut alia tranſlatio
habet, quomodo cecidiſti de cœlo lucifer qui mane orie-
baris: quod magis ad corpus diaboli, quam ad ipſum re-
ferendum eſt, quodque per quotidiana incrementa cœle-
ſtibus Eccleſia propinquante, ab eius conuerſatione per
præceps ad ima vitiorum ruit. Conſiderans autem ſpiri-
tus Sanctus corpus omnium perditorum, quod diuerſis

quidem, ſed congruis vocabulis nominat, innumeris iam E
dudum exceſſibus progredi, corrumpi flagitiis, erroribuſ-
que raptari, tantaque impietate ſæuire, vt moribus etiam
aduerſetur, congrua peritarum circumſcriptione depin-
git, meretricem ſcilicet vocans: quia relicto creatore,
dæmonibus ſe proſtituit conſtuprandam. Magna autem,
vt ſupra iam diximus, aut propter immanitatem præuari-
cationum, aut propter multitudinem populorum. Cui à
Domino per Iſaiam Prophetam ſub ſpecie Iſraëlis dici-
tur: *Super montem excelſum & ſublimem poſuiſti cubile* Iſa. 57.
*tuum, & illic aſcendiſti vt immolares hoſtias & poſt
oſtium & retro poſtem, poſuiſti memoriale tuum: quia
iuxta me diſcooperuiſti, & ſuſcepiſti adulterum: dilataſti
cubile tuum, & pepigiſti cum eis fœdus, dilexiſti ſtratum
eorum manu aperta, & ornaſti te regio vnguento, & mul-
tiplicaſti pigmenta tua, miſiſti legatos tuos procul, & hu-
miliata es vſque ad inferos.* Cui etiam per Ieremiam Pro-
phetam dicitur: *Leua oculos tuos in directum, & vide* Ier. 3.
*vbi non proſtrata ſis. In viis ſedebas, expectans eos quaſi
latro in ſolitudine, & polluiſti in fornicationibus tuis ter-* F
ram. Et iterum: *Frons meretricis mulieris facta eſt tibi,* Ier. 3.
erubeſcere noluiſti. Hinc ſpecialiter de Iſraël & Iuda ad
eundem Ieremiam Dominus loquitur, dicens: *Nunquid* Ibid.
*vidiſti quæ fecerit aduerſatrix Iſraël? Abiit ſibimet ſuper
omnem montem excelſum, & ſub omne lignum frondoſum,
& fornicata eſt ibi. Et vidit præuaricatrix ſoror eius Iuda,
quia pro eo quod mœchata eſſet aduerſatrix Iſraël, dimiſiſ-
ſem eam, & dediſſem illi libellum repudij, & non timuit
præuaricatrix ſoror eius Iuda, ſed abiit & fornicata eſt
etiam ipſa, & facilitate fornicationis ſuæ contaminauit ter-
ram, & mœchata eſt cum lapide & ligno.* Hæc de vna ſpe-
cie fornicationis diximus, cæterum paulo inferius de
genere alio ſimul itaque alia dicemus. Quia autem hic
meretrix nunc ſuper aquas multas, nunc ſuper beſtiam
coccineam, nunc ſuper ſeptem montes, qui ſunt ſeptem
beſtiæ capita, ſedere dicitur: cum hoc totum vna ſit me-
retrix, ſcilicet diaboli ciuitas, Babylonis nomine deſigna-
ta: quam difficile ſit minutias ſacri eloqui ad liquidum G
cuilibet attingere, prudens lector facile animaduertit.
Non ſolum autem, ſed eſt adhuc ad explicandum diffici-
lius, cum genus quo generaliter totum complectitur, ſic
varias diuiditur in ſpecies, vt in ipſis etiam ſpeciebus in-
ueniatur genus expreſſum. Sicque neceſſitate narrationis
ſpecies quælibet generi reſpondet, vt ſubito & quaſi ex
obliquo ipſum genus ab ea procedat. Et quis erit tam
eloquentiſſimus tractator, vt cum hæc forte explananda
ſuſceperit, non ſtatim eius lingua balbutiat? Sed eſt no-
bis ad hæc magna conſolatio ipſa humilitas mentis, qua
vltra vires noſtras progredi non tendamus. Scriptum
namque ſcimus: *Altiora te ne quæſieris.* Quæ videlicet Eccleſ. 3.
nobis cuſtodientibus, fit miro atque ineffabili diuinæ
pietatis modo vt plerumque quod lingua carnis minime
poſſe præſumit, ſpiritus Sanctus lingua eliciat, qui nos
in omnem veritatem inducit. Dicat ergo lingua noſtra,
prout loqui tribuit lingua ſpiritus Sancti. Dicat inquam,
vt nequaquam in dicendo tumeat, quia ſpiritus Sancti lo- H
cutionem non explicat, niſi lingua eiuſdem ſpiritus San-
cti eam ad loquendum moueat. Cum igitur (vt dictum
eſt) hoc ſint aquæ multæ, quod eſt meretrix ſuper aquas
ſedens, ſciendum nobis eſt, quia idcirco genus in varias
neceſſario diuiditur ſpecies, vt oſtendatur ex ea parte am-
plius diabolum regnare in ſuis, qua à Deo fornicantes re-
probi, principaliter perire probantur. De quibus per Pſal-
miſtam Deo dicitur: *Perdes omnes qui fornicantur abs te.* Pſal. 72.
Quæ videlicet fornicatio non ſolum ſpiritalis, verum
etiam & carnalis intelligenda eſt. Vnde & cum de huius
meretricis capite Dominus ad Beatum Iob multa narraſ-
ſet, principalem eius potentiam exprimens, ait: *Fortitu-* Iob. 40.
*do eius in lumbis eius, & virtus illius in vmbilico ventris
eius.* Seminarium quippe coitus, vt ſcripturæ autoritate
beatus docet Gregorius, viris in lumbis, ineſſe autem fœ-
minis in vmbilico cognoſcimus. Quia enim fœmina-
rum coitus viris in lumbis ſit, Dominus indicat, qui de
refrenandis luxuriæ motibus diſcipulos admonet, dicens:
Sint lumbi veſtri præcincti. Hinc Paulus cum per Abraha

ſacrificium

A ſacrificium Melchiſedec tempore Leui Sacerdotium di-
Luc.12. ceret decimatum, vbi tunc in Abrahæ corpore Leui la-
teret, oſtendens, ait: *Adhuc enim in lumbis Patris erat.*
Quia vero ſeminarium luxuriæ fœminis in vmbilico ſit,
Hebr.7. Propheta teſtatur, qui ſub fœminæ ſpecie proſtitutæ, Iu-
dææ petulantiam increpans, ait: *In die ortus tui non eſt*
Ezec.16. *præciſus vmbilicus tuus.* In die quippe ortus vmbilicum
præcidere, eſt, conuerſionis tempore carnis luxuriam re-
ſecare. Quia igitur in vtroque ſexu poteſtas diaboli per
luxuriæ inquinamenta principalis oſtenditur, recte forti-
tudo eius in lombis eius, & virtus illius in vmbilico ven-
tris eius eſſe perhibetur. Sciendum etiam, quia hæc ipſa
corporalis fornicatio, propter diuerſitatem cauſarum, di-
uerſitatem etiam gignit culparum, cum ſit ſolummodo
vna carnis corruptio. Verbi gratia, cum quis petulan-
tia carnis deuictus, virginitatem carnis illicite corrumpit,
alterius pœna peccati eſt, ſi Deo dicatus eſt: alterius ve-
ro, ſi votum ſanctitatis minime profeſſus fuit. Similiter
B etiam maioris culpæ reatui tenetur obnoxius, qui viuente
iugali, illicitis fruitur concubiis, quam is qui defuncto
ſubſternitur. Excellet autem reatus criminibus iſtis,
cum quis relicto naturali vſu, ſiue inceſtis, ſeu irrationa-
bilibus iungitur amplexibus. Quia ergo fornicatio in re-
probis principaliter ius poteſtatis exercet, recte ſuper
aquas multas meretrix ſedet. Sciendum præterea quia
hæc quidem ad concupiſcentiam carnis, ſpiritalis vero
fornicatio ad concupiſcentiam oculorum pertinere pro-
1.Ioan.2. batur. Vnde & Ioannes in Epiſtola ſua dicit: *Omne quod*
in mundo eſt, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia
oculorum. Cum enim concupiſcat caro cibum, potum,
ſomnum, & cætera huiuſmodi, non tamen incongrue
ſpecialiter carnis concupiſcentia, ipſa fornicatio appella-
tur, quæ omnibus voluptatibus antefertur. Hinc eſt
quod cum Paulus Apoſtolus multa opera, quæ non niſi
1.Cor.6. per corpus aguntur, enumeraret dicens: Neque fornica-
tores, neque idolis ſeruientes, neque adulteri, neque
C molles, neque maſculorum concubitores, neque fures,
neque auari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapa-
ces regnum Dei poſſidebunt: ſubiunxit, dicens: Fugite
fornicationem fratres. Omne enim peccatum quodcun-
Ibid. que fecerit homo, extra corpus eſt. *Qui autem fornica-*
tur, in corpus ſuum peccat. Vt enim de cæteris taceamus,
nunquid fur vel ebrioſus vel maledicus vel rapax, extra
operationem corporis ad effectum ipſius nequitiæ, cuius
vocabulum ſortiuntur, poteſt peruenire, quamuis nec ipſa
idololatria, nec ipſa auaritia aliter exerceri poſſint? Quid
ergo eſt ô beate Apoſtole, quod omne peccatum, exce-
cepta fornicatione, extra corpus propulſas? Nunquid
nam tu non dixiſti, manifeſta ſunt opera carnis, atque
Gal.5. executus es, dicens: *quæ ſunt fornicationes, immunditia,*
contentiones, æmulationes, animoſitates, diſſenſiones, hæreſes,
inuidiæ, ebrietates, & his ſimilia. Quæ prædico vobis, ſicut
prædixi, quoniam, qui talia agunt, regnum Dei non conſe-
quentur? Nunquid enim videntur extra corpus fieri, æmu-
lationes, animoſitates, diſſenſiones, inuidiæ, hæreſes, quæ
D tu opera carnis eſſe pronuntias? Quid ergo inquam eſt,
quod cuncta opera carnis extra corpus excludis, ſolam
vero fornicationem intra corpus eſſe perhibes, niſi quia
cætera vitia quæ à carnalibus committuntur, nequa-
quam ita ſibi vnire atque vincire totum hominem poſſe
doces, vt ſolum facere poteſt malum fornicationis? Non
enim vt in aliis quibuſlibet ſcelerum temporibus, ita for-
nicationis tempore facultas eſt animo humano, & vnum
eorum aliquid operari, & eo ipſo tempore alia cogita-
tione diſtendi: quia ſic totus homo abſorbetur ab ipſo
& in ipſo meretricis corpore, vt non iam dici poſſit ipſe
animus ſuus eſſe, ſed ſimul totus homo dici poſſit
Pſal.77. quod caro ſit, & ſpiritus vadens & non reuertens. Hinc
eſt quod expreſſius atque inculcatius idem Apoſtolus hoc
malum hominibus præcauendum commendare volens,
exprobrando dicit: *Tollens ergo membra Chriſti, faciam*
1.Cor.6. *membra meretricis?* Et execrans ac denegans, ſubiungit di-
Ibid. cens: *Abſit. An neſcitis*, inquit, *quoniam qui adhæret me-*
retrici, vnum corpus efficitur? Erunt, inquit, *duo in carne*
vna: quod omnino de aliis atque aliis quibuſque faci-
noribus hominum dicere non auderet. Quamobrem (ſi- E
cut iam diximus) recte ad comparationem libidinis, cæ-
tera extra corpus quæcumque peccata excluduntur: at-
que hoc ſolo fornicationis malo in corpus proprium
peccare homo dicitur, quo maiore libidinis ardore, quo
ſuperior nulla eſt voluptas ipſius corporis, tenet ſeruum,
efficitque captiuum. Iam vero ſpiritalis fornicatio, quam
ad viſum oculorum redigendam prædiximus, quantum
ſit multiplex, quis noſtrum explicet verbis? Quicquid
enim oculorum viſu animus concupiſcit, neſcio ſi ma-
gis ad aliud quam ad libidinem fornicationis pertinere
videatur. Nam ſi idolorum cultura recte ſpiritalis forni-
catio intelligitur, Domino per Prophetam dicente: *Vidit* Ier.3.
præuaricatrix Iuda, quia pro eo quod mœchata eſſet auer-
ſatrix Iſraël, dimiſiſſem eam, & dediſſem illi libellum re-
pudij, & non timuit præuaricatrix Iuda ſoror eius, ſed abijt
& fornicata eſt etiam ipſa, & facilitate fornicationis ſuæ
contaminauit terram, & mœchata eſt cum lapide & cum
ligno & Pauli ſententia vera eſſe prountiatur, qua dici- F
tur: Et auaritia quæ eſt idolorum ſeruitus: quicquid in Col.3.
mundo carnaliter concupiſci poteſt, iure ad fornicationis Eph.5.
vitium refertur. Dum enim alius auream, alius argen-
team, alius lapideam ſtatuam pro Deo veneratur, alius
nummorum multitudinem, veſtium ac lapidum pretio-
ſorum, alius prædiorum ſummam, mancipiorum vehicu-
lorum, iumentorum copiam, humanæ carnis ſpeciem
epularum indifferentem voluptatem pluſquam Deum
amare probatur, omnes ſimul reprobi vno fornicationis
telo confoſſi, etſi non æquali pœna plectendi, morien-
tur. Maius enim peccatum eſt, ſtatuam auream quam
nummorum multitudinem pro Deo amare. Hæc eſt
namque generalis illa perditorum fornicatio, de quibus
Deo dicitur: *Perdes omnes qui fornicantur abs te.* Ac ſi Pſal.72.
diceretur: *Tanquam adulteros damnabis, qui plus mun-*
dum quam te diligere probantur. At contra electorum Ibid.
perſona mox ſubſequitur, dicens: *Mihi autem adhærere*
Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam: non G
adultero ſcilicet ac terreno, ſed caſto cœleſtique ſponſo.
Hinc Ioann. in Epiſtola ſua hoc quod ſupra præmiſimus,
admonet, dicens: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ* 1.Ioan.2.
in mundo ſunt: quia ſi quis diligit mundum, non eſt chari-
tas Patris in eo, quia omne quod in mundo eſt, concupiſ-
centia carnis eſt, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vi-
tæ, quæ non eſt ex Patre, ſed ex mundo eſt. O quam mul-
tos non ſolum in ſeculari vita degentes, verumetiam eos
qui ſæculo renuntiaſſe videntur, hæc ſententia redar-
guit. Et vereor ne in illorum numero & ipſe inue-
niar. Quem ſi forte dies vltima interroget, vtrum ſæcu-
lum, à Deo ſcilicet meretricans, velim relinquere, & ad
cœleſtis ſponſi amplexus caſtiſſimos peruenire: tremo,
paueſco, atque inducias viuendi magnopere poſtulo. Vt
quid hoc? Si enim adulterum non amo, cur cum illo
habitare cupio? Sed hac in re occurrit humanæ infirmi-
tati magna conſolatio, ſi non ſponte, ſed inuitus hunc
amorem tolero. Tanta eſt enim amicitia carnis & ani- H
mæ, tantaque amoris conglutinatio, vt etiamſi ad cul-
men virtutum perueniens, ſecundum interiorem homi-
nem cum Chriſto iam eſſe concupiſcam, mori tamen ſe-
cundum exterioris hominis infirmitatem, ſi fieri poſſit,
refugiam. Hinc eſt quod beatus Apoſtolus ex vaſe ini-
quitatis vas electionis effectus, ad tertij cœli ſecreta per-
ductus, Euangelicæ doctrinæ reuelatione ſaturatus, gen-
tium Apoſtolus, non ab hominibus, neque per homi-
nem, ſed per Deum Patrem & Ieſum Chriſtum Filium
eius ordinatus, omnium Apoſtolorum labores ſupergreſ- Philip.1.
ſus, cum ex vigore ſpiritus diceret: *Cupio diſſolui & eſſe* Act.21.
cum Chriſto, multo autem melius: & rurſum, *Ego au-* 2.Cor.5.
tem non ſolum alligari, ſed & mori in Ieruſalem paratus
ſum pro nomine Domini Ieſu Chriſti: & iterum, *Scimus*
quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſo-
luatur, quod ædificationem habemus ex Deo, domum non
manufactam, æternam in cœlis: nam & in hoc ingemiſ-
cimus, habitationem noſtram quæ de cœlo eſt, ſuperin-
dui cupientes, quid de carnis infirmitate ſentiret, illico
aperuit, dicens: *Si tamen veſtiti, & non nudi inueniamur.*

Nam

A Nam & qui ſumus in hoc habitaculo, ingemiſcimus grauati, eo quod nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri, vt abſorbeatur hoc quod mortale eſt, à vita. Cupit ergo Paulus diſſolui, & non vult expoliari, ſed ſuperueſtiri: quia hoc quod ex virtute ſpiritus appetit, ex carnis infirmitate
Ioan.21. refugit. Hinc eſt quod B. Petro à Saluatore dicitur: *Cum eſſes iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas: cum autem ſenueris, extendes manum tuam, & alius te cinget, & ducet quo tu non vis.*

Quid vero per hoc dictum intelligi vellet, Euangeliſta ſubſecutus expoſuit, dicens: *Hoc autem dixit, ſignificans qua morte clarificaturus eſſet Deum.* Sed hæc in conſolatione humanæ infirmitatis breuiter dicta ſint, nunc autem ad propoſitum expoſitionis ordinem reuertamur. Sequitur de illa meretrice, cum qua fornicati ſunt reges terræ, *& inebriati ſunt qui inhabitant terram, de vino fornicationis eius.* Quia ex duabus atque in duabus perſonis nefandum fornicationis committitur ſcelus, idcirco ordi-
B nem ſeruans ſpiritus Sanctus, reges terræ cum meretrice fornicatos dicit, cum ipſa meretrix in illis regibus atque terrigenis diuiſa intelligatur. Vnum enim idemque diaboli corpus in varias, ſed congruas ſpecies, iuxta morem ſacri eloquij diuiditur. Quia namque antiqui hoſtis regnum, contempto creatore, terrenis voluptatibus inhiat, recte meretricis vocabulo deſignatur: quia vero momentaneæ dominationis ſupercilio in ſuperbiam erigitur, iure regum appellatione figuratur. Sic ergo de meretrice dicitur, cum qua fornicati ſunt reges terræ: ac ſi diceretur, Reprobi terrenos honores ac voluptates ſuperbe appetentes, ipſiſque pro Deo vtentes, vnum meretricis corpus ſeipſos fecerunt. Hinc eſt quod Paulus nec de viro propriè, nec de muliere proprie, ſed indefinitè exprobrans
1.Cor.6. dicit: *Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Abſit. An neſcitis, quoniam qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur?* De qua adhuc ſubiungitur: [*Et inebriati ſunt qui inhabitant terram, de vino fornicationis*
C *eius.*] Hic manifeſte apparet, vnum diaboli corpus varias diuidi in ſpecies, variis nuncupari vocabulis. Nunquid nam reges terræ cum meretrice fornicantes, terram non inhabitant? Aut nunquid iidem ipſi qui meretrici adhærent, de vino fornicationis eius non bibunt? Quis hoc dixerit? Ipſi ergo ſunt (vt dictum eſt) ipſa meretrix, ipſi meretrici adhærentes, ipſi terram inhabitantes, ipſi de vino meretricis ebrietate nutantes. Quia vero præcedentium malorum exempla, ſubſequentium ſunt imitationis detrimenta, poteſt hoc loco ita vnum meretricis corpus intelligi diuiſum, vt ipſo meretricis nomine ac regum terræ, authores malorum: inhabitantes vero terram, imitatores eorumdem accipiantur. Quod ſuperius ſimili pene ſermone narrari videtur, vbi de hac meretrice ſub Iezabelis ſpecie Angelo Thyatiræ Eccleſiæ dicitur:
Apoc.2. *Habeo aduerſum te, quia permittis mulierem Iezabel, quæ ſe dicit propheten, docere & ſeducere ſeruos meos, fornicari & manducare de idolothytis, & dedi illis tempus vt pœnitentiam agerent, & non vult pœnitere à fornicatione ſua.*
D *Ecce pono eam in lecto, & qui mœchantur cum ea, in tribulatione maxima erunt, niſi pœnitentiam egerint ab operibus eius, & filios eius interficiam in mortem.* Cum enim ſingulari numero de meretrice dicitur, dicit ſe Propheten, docere & ſeducere ſeruos meos, fornicari & manducare de idolothytis: ac deinde plurali ſubiungitur, dedi illis tempus vt pœnitentiam agerent, rurſumque ſingulari additur, & non vult pœnitere à fornicatione ſua: per hoc dictum patenter innuitur, quia & Iezabel & mœchantes cum ea, vnum fornicariæ totius mundi corpus efficiunt. Sed quia ex hac fornicatione filij narrantur procreati, vtique malæ imitationis ſoboles, ex præcedentium reproborum exemplis naſcuntur. Recte autem incentiua fornicationis, vino comparantur ebrietatis. Vinum etenim quemlibet inficiens, ita inſenſibilem reddit, vt non ſolum animæ, verumetiam corporis periculum non trepidet. Sic, ſic libido vitiorum ſic agit, cum mentes debriat reproborum. Quibus per Iſaiam Prophetam
Iſa.29. exprobrando ſpiritus Sanctus loquitur, dicens: *Fluctuate & vacillate, inebriamini & non à vino mouemini & non*
E *ebrietate.* Hinc Ioël Propheta enumeratis vitiorum peſtibus, quæ agrum cordis deuaſtant, admonendo intulit, di- Ioel.1.
cens: *Expergiſcimini ebrij & flete, & vlulate omnes qui bibitis vinum in dulcedine,* ſubaudis, non vinum creationis, ſed libidinis. Sequitur:

Et abſtulit me in deſertum in ſpiritu.

In ſcriptura Sacra deſerti nomine aliquando ſuperna patria, aliquando vitæ huius peregrinatio, aliquando autem electorum corda, aliquando vero reproborum deſignantur. Deſerti nomine in ſacro eloquio ſuperna patria figuratur, Domino atteſtante, qui ſub quodam paradigmate in Euangelio Phariſæis loquitur, dicens: *Quis* Luc.15.
ex vobis homo qui habet centum oues, & ſi perdiderit vnam ex illis, nonne dimittit nonagintanouem in deſerto, & vadit ad illam quæ perierat donec inueniat? ſe ſcilicet hoc feciſſe inſinuans, qui derelictis in ſuperna patria Angelorum choris, humanum genus tanquam ouem perdi- F
tam quærere dignatus eſt in terris. Vnde & alibi ait:
Venit filius hominis quærere & ſaluum facere quod perierat. Luc.19.
Eiuſdem deſerti nomine peregrinatio vitæ præſentis intelligitur, ſicut Moyſes electorum numerum ſub ſpecie Iſraelis à Domino in hac peregrinatione tanquam ouem errantem inuentum teſtatur, dicens: *Inuenit eum* Deu.32.
in terra deſerta, in loco horroris & vaſtæ ſolitudinis. In quo videlicet deſerto à ſerpentibus ferimur, fame ad momentum ſitique laboramus, quia adhuc & ſuggeſtiones ignitæ vigent, & vt eſt æterna ſatietas, plene à nobis non comprehenditur. Sed ne funditus extinguamur, ſerpentem æneum, id eſt, mortem redemptoris aſpicimus. Ne ab illa interna ſatietate ad plenum ieiunemus, manna cœleſti in myſterio nutrimur. Electorum autem corda per deſertum figurantur, ſicut iuſtus Iob teſtatur,
dicens: *Nunc dormiens ſilerem, & ſomno meo quieſcerem* Iob.3.
cum his qui ædificant ſibi ſolitudines. Electi enim ſibi ſo- G
litudines ædificant, quia per vigorem mentis vitiorum repreſſis tumultibus, ſoli cum Deo habitare contendunt. Vnde & David regalibus fultus obſequiis, populorum
circumdatus turbis ait: *Ecce elongaui fugiens, & manſi in* Pſal.54.
ſolitudine. Quia reproborum corda deſerti nomine figurentur, Ieremias Propheta teſtatur, qui de Iudæa à Deo
derelicta loquitur, dicens: *Quomodo ſedet ſola ciuitas, ple-* Thren.1.
na populo? Si enim *plena populo*, quomodo *ſola*, niſi quia Deo deſerente draconum (id eſt, dæmonum) facta fue-
rat ſolitudo? Hinc Iſaias ait: *Vox clamantis in deſerto,* Iſa.40.
dirigite viam Domini. Hinc prima diaboli ſolitudo, ait Do-
mino: *Ecce eijcis me hodie, & à facie tua abſcondar, eroque vagus & profugus ſuper terram.* Gen.4.
An non iure deſertum vocantur, quos omnipotens Deus per gratiam non inhabitat? Dei enim abſentia, ſolitudo dæmoniaca: Dei præſentia, paradiſi eſt frequentia. Quid autem hoc loco deſerti vocabulo intelligere debemus, niſi iniquorum corda abſentia diuinitatis cæcata? Cuius vero Angelus figuram ge-
rit, niſi (vt ſæpe iam diximus) Domini redemptoris, vel cer- H
te prædicatorum eius? Cuius quoque Ioannes niſi Eccleſiæ? Angelus enim Ioannem in deſertum ducit, cum redemptor noſter ſiue per internæ aſpirationis doctrinam, ſiue per vocem prædicantium, ad intuenda ac diſcernenda reproborum opera, eorumque futuram damnationem inſpiciendam Eccleſiam inſtituit. Bene autem dicitur, *Abſtulit me in deſertum in ſpiritu:* ac ſi apertè diceretur, Vt ad intelligentiam diſcernendi inter bonum & malum ſapientia Patris me perduceret, ſpiritu diſcretionis impleuit. Quamobrem obſecro Patris vnice, quia valde obſcura ſunt ad quæ exponenda tranſire compellor, vt te in deſertum me ducente, ſpiritus veritatis aſſumat: ſicque huius deſerti horribilia monſtra perducto oſtendat, quatenus viſis atque diſcretis quæ in ipſo aguntur, non ibi permaneam ſed potius fugiendo pertranſeam. Sequitur:

A

Et vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam, plenam nominibus blaſphemiæ, habentem capita ſeptem & cornua decem.

Ipſam vocat mulierem, quam paulo ſuperius appellauerat meretricem. Et quid congruentius, quidve magis conueniens malorum corpori poteſt aptari? aut in cuius
Eccl. 25. eum ſermo diuinus potiſſimum ſpecie ſubornaret, niſi in mulieris, à qua peccati initium ſumpſit, & *per quam* (vt ſcriptora teſtatur) *morimur omnes?* Cum autem vnum ſit & meretrix & beſtia, quid ſit mulierem ſuper beſtiam ſedere, ſupra expoſuimus, aſſerentes ſcilicet idcirco genus diuidi in ſpecies, vt oſtendatur ex qua parte regnum diaboli amplius præualeat: ex ea ſcilicet qua à Deo fornicantes reprobi ad tempus exaltantur, & quaſi inde ſuper ſeipſos fiunt, vnde amplius nocent: vel certe quia ipſius
B beſtiæ vocabulo nonc ſpecialiter vel diabolus, vel habitaculum eius Antichriſtus, vel totum antiqui hoſtis generaliter corpus deſignatur. Si hoc loco per beſtiam non corpus, ſed caput intelligitur: poteſt hoc quod mulier ſuper beſtiam ſedere perhibetur, & aliter intelligi. Sic enim ipſius beſtiæ vocabulo generaliter corpus omne malorum complectitur, vt ſubito & quaſi ex obliquo ſpecialiter ad caput referatur. Quid eſt ergo mulierem ſuper beſtiam ſedere, niſi malorum corpus ſuper diabolum atque damnatum illum hominem, tanquam ciuitatem ſubito ruituram, conſtructum ſe gloriari ad ſimilitudinem ſcilicet Eccleſiæ, quæ ſuper Chriſtum quotidie ædificatur? Sed illa ciuitas tanquam meretrix ſuper beſtiam agno contrariam, hæc autem tanquam ſponſa ſuper agnum qui beſtiam vincit. Illa ſuper arenam mox ruitura, hæc vero ſuper petram in æternum manſura. Quod autem hæc beſtia coccinea eſſe deſcribitur, non iam ad caput ſolummodo, ſed ad omne corpus refertur.
C Cruentus enim impietatis habitus hoc loco per coccum demonſtratur, ſiue ſcilicet propter ſanguinem martyrum, ſiue pro eloquiis ſcripturarum, male iuxta literam intellectis, ſeu pro corruptionibus carnalium vitiorum. De qua adhuc ſubditur. *Plena nominibus blaſphemiæ*: ac ſi diceret, Nulla pars in ea à blaſphemiis vacat, quia opere ſimul & voce blaſphemat. Ne enim quicquam eius deeſſe putetur exceſſibus ideo plena dicitur blaſphemiæ nominibus quod ſic generaliter ad omne reproborum corpus redigitur, vt tamen ſpecialiter Antichriſti perſonam nutare videatur. Et quidem pro irrogatis vulnerum plagis, Deum blaſphemare in hac Apocalypſi ſæpe reprobi memorantur, ſed nullus horum ita peſſime, vt damnatus ille homo filius perditionis. Qui cum ſit contrarius Chriſto, quod & nomen eius Antichriſtus indicat, ſe vult haberi pro Chriſto, aſſerens ſe tanquam occiſum, à mortuis
2. Theſ. 2. reſurrexiſſe. De quo etiam per Apoſtolum dicitur: *Qui aduerſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tan-*
D *quam ſit Deus.* Iam vero de ſeptem beſtiæ capitibus, decemque eius cornibus diſſerendum eſt. Appropinquante igitur nouiſſimæ perſecutionis tempore, decem reges futuros Angelo narrante didicimus, qui Danieli loquitur
Dan. 7. dicens: *Beſtia quarta, regnum quartum erit in terra, quod maius erit omnium regnis, & deuorabit vniuerſam terram, & conculcabit & comminuet eam.* Porro decem cornua, ipſius regni decem reges erunt. Quos videlicet hæc Apocalypſis in ſeptem beſtiæ capitibus ac decem cornibus commemorat. Super quos etiam paulo ſuperius idcirco diademata eſſe dixit, quod regnis omnibus interemptis, ſoli poterunt in toto orbe regnare. Nec mirum, ſi hoc ſignificent ſeptem capita quod decem cornua, cum mulier vel meretrix nunc ſuper aquas multas, nunc ſuper beſtiam, nunc ſuper ſeptem montes, qui ſeptem beſtiæ capitibus figurantur ſedens, hoc totum vnum corpus eſſe oſtendat. Propter diuerſitatem enim ſcelerum, nunc in ſeptem beſtiæ capitibus, nunc in decem cornibus ipſa beſtia diuiditur, quæ & fraude decipit, & vi premit: de quibus, agno adiuuante victore, patrum ſe-

E quentes ſententias, ſubtilius diſputare intendimus. Hoc ſane primum ſcire debemus, ſic per hos reges nouiſſimi temporis regnum deſignari, vt nunc quoque iam in ſæculo, etſi non tam in ſublimi poteſtate regnum videantur tenere.

Si enim de eorum capite Ioannis ſententia vera eſſe pronuntiatur, qua fidelibus loquitur, dicens: *Omnis* 1. Ioan. 4.
ſpiritus qui ſoluit Ieſum Chriſtum, de Deo non eſt: & hic eſt Antichriſtus, de quo audiſtis, quoniam veniet, & nunc iam in mundo eſt: quid mirum, ſi iidem reges futuri iam nunc videantur regnare in mundo quamquam propter excellentiam iniquitatis, qua nouiſſimis diebus contra ſanctos deſæuient, necdum regnum accepiſſe dicantur? Vnde & conſequenter Angelus Ioanni dicit: *Beſtia quam* Ibid.
vidiſti, fuit & non eſt, & aſcenſura eſt de abyſſo. Hinc eſt fortaſſe, quod cum ſingulari numero de Antichriſto Ioannes (ſicut præmiſimus) diceret, nunc iam in mundo eſt: ſubiecit & ait: Nunc Antichriſti multi facti ſunt. Sic
F enim vna eademque ſententia ſpecialiter nouiſſimum tempus deſcribit, vt tamen retro ac generaliter tempora comprehendat. Quod ſi ita non eſt, quid ſibi vult quod eidem Ioanni de futura (vt dictum eſt) beſtia Angelus loquitur, dicens: Fuit, & non eſt, & aſcenſura eſt de abyſſo? Propterea autem ſeptem capita, ſeptem montes, ſeptemque reges eſſe per ſapientiæ ſenſum in ſubſequentibus cognoſcere Angelus mouit: vt ad iſtorum regum ſimilitudinem, Romam (quæ ſuper ſeptem montes præſidens, omni quondam orbi monarchiæ præfuit dominatu) ſe adduxiſſe oſtenderet: atque in ipſius ciuitatis nomine, totius terreni regni potentiam figuraſſe.

Septenario enim numero vniuerſitatem ipſius dominationis voluit oſtendere, eo quod ex impari & pari id eſt, ex ternario & quaternario tanquam ediuerſo confectus idem numerus vniuerſitatem deſignet: ſicut ſatis in initio huius operis iam dictum eſt, quod de ſeptem Eccle-
G ſiis in bonis præmiſimus figuratum, cum vna Chriſti Eccleſia pronuntiaretur orbem poſſeſſura terrarum. Cui nunc idem numerus ex aduerſo in iſtis quos memorat, ſeptem capitibus videtur opponi. In quibus ſignificata vniuerſitate potentiæ, aperte dicitur principari, vt ſcilicet contra agnum eiuſque per orbem diffuſam Eccleſiam, ſeptiformem ſcilicet id eſt vniuerſalem ſeptiformique ſpiritus Sancti gratia repletam, beſtia cum ſeptem capitibus ſeptemque ſpiritibus nequam, id eſt, ſeptiformi ſpiritu repletis, vbique repugnans occurrat. Et in bono enim & in malo ſeptenarium numerum frequenter poni ſcriptura Sacra teſtatur. Nam cum ſpiritus Sanctus pro Iſa. 11.
ſeptenaria operatione, Iſaia teſtante, ſeptiformis eſſe credatur in bono, ſpiritus etiam nequam ſeptiformis ſæpius deſignatur in malo. Hinc eſt quod ſeptem dæmonia de Maria Magdalene Dominus eiecisse teſtatur. Et quoniam horum monarchia regum quæ Chriſti Eccleſiæ contraria frequenter opponitur, non ſolum aperta oppreſſione potentiæ fideles impugnat, verumetiam ſub ementita ſpe-
H cie veritatis illaqueare deſiderat, manifeſtam eius potentiam in decem cornibus veri autem ſimilem fraudem in ſeptem capitibus deſignauit: tamquam ſcilicet beſtia agno contraria, nunc cornibus potentiæ ventilet, nunc Chriſti atque Eccleſiæ ſimilitudinem fraudulenter vſurpans, ad nequitiam ſeptem capitibus perſuadeat. Hinc eſt quod de prædicatoribus Antichriſti ſub figurata beſtiæ locutione ſuperius per Ioannem dicitur: *Vidi* Apoc. 13.
aliam beſtiam aſcendentem de terra, & habebat cornua duo ſimilia agni, & loquebatur ſicut draco. Propterea & ipſius nouiſſimæ perſecutionis tempus, aſperrimum ac vehementiſſimum pronuntiatur adfuturum. In quo & ars fallendi, potentiæ ſuffragatur: & quod ſimulationi deerit, poteſtate ſupplebitur, cum damnatus ille homo, filius perditionis, eiuſque miniſtri, non ſolum per apertam nequitiam, verumetiam ſimulatis virtutibus ac prodigiis deceperint plurimos. Cuius præſtigia fraudis ſpiritus Sanctus ſuperius memorat, dicens: *Et vnum caput ex capitibus ſeptem* Ibid.
quaſi occiſum in mortem, & plaga mortis eius curata eſt.

Ex

A Ex vniuerſo ſcilicet potentatu ſæcularis regni Eccleſiæ
contrarij, vnum caput id eſt Antichriſtus, qui ſe pro Chri-
ſto vult ſuſcipi, aſſerens ſe à mortuis reſurrexiſſe: quate-
nus quos non poteſt violenter terroribus frangere, adum-
brata ſtudeat veritate ſeducere: & apertum declinantes
errorem, veriſimilem incurrere adigat falſitatem. Hanc
peſtem Dominus in Euangelio docuit præcauendam, ita
Luc.11. dicens: *Cum immundus ſpiritus exierit ab homine, ambu-
lat per loca inaquoſa, quærens requiem, & non inueniens,*
dicit: *Vadam & reuertar ad domum meam vnde exiui.* Et
tunc vadit, & aſſumit ſecum ſeptem alios ſpiritus nequio-
res ſe, & ingreſſi, habitant ibi, & fiunt nouiſſima homi-
nis illius peiora prioribus. Nonne de vno ſpiritu immun-
do ſuperius loquebatur? cur alios ſeptem introducit?
Nunquid non ſuffecerat dixiſſe, *vadit & aſſumit ſeptem
ſpiritus nequiores ſe?* Quid ſibi vult, quod alios ſeptem
dicit, niſi quia & in vno ſeptem voluit intelligi, qui ſic
ſeptiformis in aperto errore tanquam in decem cornibus
B cognoſcitur, vt etiam latentibus malis in veriſimili frau-
de nequior ſeptuplum inueniatur? Et vt quod dicimus
manifeſtius appareat, ſpiritus bonus quo aduerſitati reſi-
ſtens impletur Eccleſia, ſpiritus eſt ſapientiæ. Cui contra-
rio malus opponitur ſpiritus inſipientiæ, quo apertæ ve-
ritati cornibus reſiſtens, pars inſanit aduerſa: alter peior
ſimilatur ſapientiæ, quo in veriſimili fraude ſepties ac
multiplicius pars aduerſa ad ſeducendum præualet. Spiri-
tus bonus, ſpiritus intellectus: malus autem, ſpiritus ſtul-
titiæ: alter peior, ſimulatio diſciplinæ. Spiritus bonus
conſilij, malus autem ſpiritus imprudentiæ: alter peior,
ſimulatio prouidentiæ. Spiritus bonus ſpiritus fortitudi-
nis: cui opponitur malus, apertæ ignauiæ ſpiritus: alter
peior, infirmitas fallens obumbratione virtutis. Spiritus
bonus, ſpiritus ſcientiæ: cui contrarius opponitur malus,
ſpiritus ignorantiæ: nequior autem, vſurpatio ſcientiæ.
Spiritus bonus, ſpiritus pietatis: malus vero, ſpiritus im-
pietatis: alter peior, falſæ pietatis obtentus. Spiritus bo-
nus, ſpiritus timoris Dei, cui contrarius eſt ſpiritus teme-
C ritatis: alter peior, dolus fictæ religioſitatis. Hinc eſt
quod ipſa beſtia cum ſit ex ſeptem, ipſum ſeptenarium
excedens numerum, octaua inuenitur. Hinc per Pſalmi-
ſtam ſpecialiter de Antichriſto dicitur: *Sedet in inſidiis
Pſal. 9. cum diuitibus in occulto.* De quo etiam Apoſtolus dicit:
2.Tim. 2. *Tunc reuelabitur ille iniquus quem Dominus* Iesvs *inter-
ficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui:
eum cuius eſt aduentus ſecundum operationem ſathanæ, in
omni virtute & ſignis & prodigiis mendacibus, & in omni
ſeductione iniquitatis in his qui pereunt.* In virtute ſcilicet
apertam potentiam: in ſignis vero & prodigiis mendaci-
bus ac ſeductione iniquitatis, hypocriſin ſimulatæ virtutis
deſignauit. Sequitur:

Et mulier erat circumdata purpura & coccino, & inaurata auro & lapide pretioſo & margaritis.

D Pulchrè ſermo diuinus vnum idemque corpus diui-
dens, in ſingulis partibus proprietatem locutionis ſeruat.
Quantum enim ad literam, contrarium eſſe videretur, ſi
vel mulierem cornuta habere diceret, vel beſtiam auro ac
lapide pretioſo circumdatam pronuntiaret: cum tamen in
myſtico intellectu (vt ſæpe iam diximus) hoc ſit mulier
ſuper beſtiam ſedens, quod eſt beſtia quæ mulierem por-
tat: ac per hoc in figura iam & mulier cornuta, & be-
ſtia deaurata inuenitur. Sic autem in his ſpeciebus, pur-
pura ſcilicet, coccino & auro vel lapide pretioſo vel
margaritis, mundi oſtenduntur diuitiæ, quæ reproborum
animos ad voluptates illiciunt, quatenus per eas eorun-
dem vitia deſignentur: ſicque eiſdem ſpeciebus iniquo-
rum figurantur mala, vt tamen altrinſecus per eas & bona
figurentur electorum. Sed nec mirum, ſi illa quæ re-
proborum mala ſignificant, ſignificent bona electorum:
cum & ea quæ in parte Eccleſiæ deſignent, reprobi ſe
habere contendant. Vt enim de multis pauca perſtrin-
E gam, de hac meretrice dicitur, mulier erat circundata
purpura & coccino: de ſponſa vero Christi Salo-
mon loquitur, dicens: *Stragulatam veſtem fecit ſibi, byſſus
Prou.31. & purpura indumentum eius*, de meretrice dicitur, *inau-
rata erat auro & lapide pretioſo & margaritis*: de ſponſa
autem Pſalmiſta Deo dicit: *Aſtitit regina à dextris tuis in
Pſal.44. veſtitu deaurato, circumamicta varietate.* De qua etiam
in hac Apocalypſi alibi dicitur: *Lumen eius ſimile lapidi
pretioſo.*

Quid ergo mirum, ſi vna eademque res cum reprobo-
rum ſimulationem demonſtrat, demonſtret etiam electo-
rum veræ fidei religionem? Quid autem in reproborum
parte ſignificatur per purpuram vel coccinum, niſi ſimu-
lati regiminis fucus? Et quia vera purpura in ſanguine
tingitur, per eam illa charitas deſignatur in bonum, de
Ioan 15. qua in Euangelio Dominus dicit: *Maiorem hac charita-
Rom.5. tem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis
ſuis.* Coccus vero, ignis ſpeciem tenet. Et quid per eum
niſi eadem charitas figuratur, quæ per ſpiritum Sanctum
F in cordibus noſtris diffunditur? Sed nec mirum, Ipſe
enim ſpiritus Sanctus ignis appellatione deſignatur. Hinc
Luc.12. Dominus dicit: *Ignem veni mittere in terram, & quid vo-
lo niſi vt ardeat?* Hinc in actibus Apoſtolorum dicitur:
Act.2. *Factus eſt repente de cœlo ſonus tanquam aduenientis ſpiri-
tus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant ſeden-
tes: & apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis.*
Per hanc charitatem, contra delinquentes in zeli feruo-
rem accenduntur electi: per huius ſimulationem, contra
bonos in odij furorem excitantur reprobi: per hanc cha-
ritatem & ipſos quos patiuntur inimicos diligunt electi:
per huius ſimulationem, ne ipſis parcunt ſanctis reprobi.
Hanc certe ſectantur prædicatores ſancti, cum ab errore
ad cognitionem veritatis reducunt errantes: hanc ſe ha-
bere ſimulant peruerſorum dogmatum ſectantes, cum à
veritate in mendacium trahere feſtinant Dei electos.

Quod autem infauſta meretrix, inaurata auro & lapide
pretioſo ac margaritis dicitur, ad eandem rem pertinere
G videtur, ad reproborum ſcilicet ſimulationem, per quam
plurimi decipiuntur. Quid enim per aurum, niſi ſapientia:
quid autem per omnem lapidem pretioſum, niſi ſumma
omnium virtutum: quid vero per margaritas, niſi ſtu-
dium vitæ cœleſtis exprimitur? Quæ (vt dictum eſt) cum
ſola ſe Chriſti habere glorietur Eccleſia, fallaciter vſur-
pare nititur pars aduerſa: quatenus dum quoſlibet aper-
ta potentia ad errorem trahere non valet, obumbrata ſe-
ductione vtrique ſimili fraude decipiat: de quibus cum
præcedenti verſu de ſeptem beſtiæ capitibus ſeptemque
nequam ſpiritibus ageretur, pleniſſime diſputauimus.
Quid autem intra huius pulchritudinem lateat aperitur,
cum de compta meretrice ſubditur:

Habens poculum aureum in manu ſua, plenum abominatione & immunditia fornicationis eius.

H Ipſa enim ſignificatur per poculum aureum, quæ &
Iere.51. per mulierem inauratam auro, Propheta dicente: *Calix
aureus Babylon*, quæ in manu (id eſt in operatione) foris
quidem per ſimulationem quaſi pulchra apparet, cum ſit
intus abominatione atque immunditia fornicationis ple-
na. Aurum enim ſimulatæ veritatis per hypocriſin fingit,
vt facilius ad immunditiam fornicationis quemlibet bi-
bendum inuitet. Tale enim quiddam in Euangelio Do-
Matt.23. minus exprobans, dicit: *Væ vobis ſcribæ & Phariſæi hypo-
critæ, qui ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ foris qui-
dem parent hominibus ſpecioſa, intus vero plena ſunt oſſibus
mortuorum & omni ſpurcitia.* Sequitur:

A

Et in fronte eius nomen ſcriptum, myſterium: Babylon magna mater fornicationum & abominationum terræ.

Ne ſuperſtitio erroris pallio ſimulationis obtecta falleret incautos, diuina miſericordia ex titulo frontis fecit eſſe ſollicitos. Sed cur tam innumeros ipſa ſimulationis arte decipit, cum in fronte nomen Babylonis portet, id eſt, confuſionis: niſi quia non omnibus datum eſt noſſe myſterium eius, ſicut nec omnibus datum eſt noſſe myſterium regni cœlorum? Nomen quidem eius in fronte, id eſt, in aperto ſcribitur, ſed quibuſdam in myſterio clauditur. Vode & in hac Apocalypſi propter reprobos qui- Apoc.10. dem, Ioanni Angelica voce dicitur: *Signa quæ locuta ſunt ſeptem tonitrua, & noli ea ſcribere*, ſed propter ele- Apoc.22. ctos ab eodem Angelo affatur: *Ne ſignaueris verba Prophetiæ libri huius.* B Cum vero conſtet quia initium peccati à diabolo cœperit, quid ſibi vult quod Babylon mater fornicationum vocatur, niſi quia antiqoos hoſtis tanquam adulter ſemen fudit, mulier vero concepit & peperit? Et idcirco conſequenter Babylon peccati mater appellari meruit. Ambo enim peccati genitores fuerunt, quia adulter & meretrix vnum corpus effici meruerunt. Vel certe quia ex reproba actione malæ imitationis ſoboles procreantur, propterea Babylon in autoribus tranſgreſſionum mater fornicationum appellatur. Sequitur:

***Et vidi mulierem ebriam de ſanguine ſanctorum, & de ſanguine martyrum* Iesv.**

Quis vidit? Ioannes, aut nos in Ioanne? Vt autem verius dicam, & ille, & nos. Quid vidit ille? vel quid nos vidimus aut viſuri ſumus? Mulierem vtique ſanguine ſan- C ctorum ebriam, quod proculdubio duobus modis poteſt intelligi, ſicut in præcedenti libro iam diximus, ſcilicet vel quia corporaliter ſiue Iudæi ſeu gentes ſanguinem ſanctorum fuderunt, vel qoia ſenſum Prophetarum in carnalem intellectum commutauerunt, ideo carnis corruptionibus addici meruerunt. Meritum enim effuſi ſanguinis exigit, vt carnalium corruptionibus tanquam ſanguine debriati inſaniant. Hinc eſt quod ſuperius in Apoc.16. Dei laudibus Angelus aquarum concrepat: *Iuſtus es, qui es, & qui eras ſanctus, qui hæc indicaſti, quia ſanguinem ſanctorum & Prophetarum effuderunt, & ſanguinem eis dediſti bibere, vt digni ſunt.* Quaſi enim ipſum ſanctorum ſanguinem bibunt, qui ob meritum effuſionis illius, carnalium vitiorum illecebris debriantur. Sequitur:

Et miratus ſum cum vidiſſem illam admiratione magna. Et dixit mihi Angelus: Quare miraris? Ego tibi dicam Sacramentum mulieris & beſtiæ quæ portat eam, quæ habet capita ſeptem & cornua decem.

D

Quid eſt beate Ioannes Apoſtole, quod viſa muliere miraris? Nunquid nam quia in ſpiritu raptus corporalia cernis, & quid ſignificent ignoras? Qui enim diuinitatis ſpiritu ſubleuatur, vtique non corporalia corporalibus, ſed ſpiritualia ſpiritualibus, oculis intuetur: atque ipſa ſpiritualis viſio in intellectu eſt. Quid inquam eſt, quod viſa meretrice miraris, niſi quia noſtram perſonam in tua aſſumis? Qui dum in ſacro eloquio obſcura quæque ac diuerſarum figurarum vmbris adoperta plerumque non intelligimus, mentis ſtuporem incurrimus. Haoc enim admirationis ignorantiam nos modo in tam obtectis locutionibus pateremur, niſi Ioannes in noſtra perſona ea quæ iam nouerat didiciſſet. Quamobrem quaſi ex hac occaſione admirando dubitat, vt Sacramentum meretricis & beſtiæ in nobis diſcat: quod ſine dubio nunc vſque fieri cernimus. Nam quotidie Ioaones in hac parte E admirans & ignorans ab Angelo docetur, cum prædicatores ſancti, vt obſcura quæque in diuinis voluminibus intelligere poſſint, in quibus antea ſenſu nutabant, ſubito per internam aſpirationem à Chriſto inſtruuntur: quod mihi omnium minimo ſæpe eueniſſe congaudeo, hanc incorpoream vocem qua dicitur, quare miraris? ego oſtendam tibi, interius freqoenter audiui. Quamobrem obſecro mi beate Angelorum Angele, vt eo modo cætera quæ ſequuntur oſtendas. Sequitur:

Beſtia quam vidiſti, fuit & non eſt, & aſcenſura eſt de abyſſo, & in interitum ibit.

Ab exordio mundi quo primum Antichriſti membrum Cain reprobus apparuit, vſquequo ipſe tranſgreſ- F ſionum author Antichriſtus appareat, huius beſtiæ corpus extruitur, ſicut Eccleſia ab Abel iuſto vſque ad nouiſſimum Chriſti aduentum: & ideo de eadem beſtia dicitur, fuit & non eſt, quia decedentium ac ſuccedentium ſibi generationum ordine ſuppletur. Ac ſi diceretur: Fuit in præcedentibus membris, non eſt adhuc in ſubſequentibus. Quod vero de abyſſo aſcenſura prædicitur, populus è populo exurgere narratur. Ipſa enim beſtia abyſſus eſt, de qua pars beſtiæ aſcendere dicitur: in qua etiam nunc diabolus, ne quantum vult nocere valeat, religatus tenetur. Bene autem natiuitas beſtiæ, aſcenſus vocatur: quia ab ipſo exordio carnis, in ſuperbiam contra authorem eleuatur: De cuius membris per Pſalmiſtam dicitur: *Poſuerunt in cœlum os ſuum, & lingua eorum tranſiuit in terra.* Pſal.72. Et rurſum: *Superbia eorum qui te oderunt, aſcendit ſemper.* Pſal.73. Et de quorum principe ſpecialiter dicitur: *Aduerſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur.* 2.Theſ.2. G Quod vero de præfata dicitur, in interitum ibit, generaliter hoc de omni malorum corpore intelligere debemus. Inter hæc autem extitiſſe quoſdam ſcimus, qui hunc locum ita exponendum aſſumpſerunt, vt in eo quod dicitur, *Beſtia quam vidiſti, fuit & non eſt, & aſcenſura eſt de abyſſo*, Neronem fuiſſe putarent, ipſumque ab inferis reſuſcitandum & Aotichriſtum fieri aſſererent. Septem enim beſtiæ capita, ſeptem Romanos reges intelligentes, & vnum de eiuſdem beſtiæ capitibus in mortem occiſum, Neronem aſtruentes, qui ſeipſum interfeciſſe, vt & ipſi dicunt, narratur. Plagam mortis eius in eo curari dixerunt, quo hunc ab inferis reſuſcitandum putauerunt. Quem profecto intellectum cuilibet ſequi (vt minus ſapiens) non facile dixerim, maxime cum & ab ipſis mediocribus quam ſit abſurdus, poſſit ſciri. Sequitur:

Et mirabuntur inhabitantes terram, quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ à conſtitutione mundi, videntes beſtiam quæ erat & non eſt. H

Tranſlationem nominum quis hoc in loco fieri non videat? Nam ipſi ſunt inhabitantes terram, ex quibus damnandum beſtiæ corpus extruitur. Sed diuiditur corpus in partes, vt in caput veluti occiſum nomen beſtiæ ſpecialiter transferatur. Pars enim beſtiæ, quæ beſtiam videns admiratur id eſt vnius corporis membra, quæ in nouiſſimis viſa damnatione ſui capitis conturbantur. Ipſi namque quos finis ſæculi viuentes inuenerit in carne, ſuæ damnationis interitum experiẽtes, ſera cognitione mirantur, non ipſum fuiſſe Chriſtum quem putabant, obumbrata beſtiæ ſeductione decepti: ſed Chriſtum vtique noſtrum, quem ſine dubio iudicem ſentient iuſtiſſime condemnati. Quod autem de hac beſtia reperitur, fuit & non eſt: ſi ſpecialiter ad ipſum tranſgreſſionis caput referatur, ita ſentiendum eſt, ſicuti generaliter

A de toto malorum corpore intelleximus. Dicatur ergo de principali beſtia, id eſt, de capite beſtiæ, *fuit & non eſt.* Ac ſi aperte diceretur: Et in membris ſuis iam apparuit, & tamen adhuc ipſum membrorum caput per ſemetipſum non venit. Quod beatus Ioannes in Epiſtola ſua 1.Ioan.4. confirmat, dicens: *Omnis ſpiritus qui ſoluit* IESVM, *ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus, de quo audiſtis quoniam veniet.* Hinc eſt quod Apoſtolus cum de manifeſtatione eiuſdem nequiſſimi hominis futura fidelibus patefactis, loqueretur, 2.Theſ.2. ſubiunxit dicens: *Non retinetis quod cum adhuc eſſem apud vos, hæc dicebam vobis? Et nunc quid detineat ſcitis, vt reueletur in ſuo tempore.* Nam myſterium iam operatur iniquitatis. Efferatus ſane idem homo peccati, de abyſſo aſcendere dicitur quia de profundiſſimæ iniquitatis Iudæorum populo generatus, humanæ naturæ metas tranſcendens, ſupra omne quod dicitur Deus aut quod colitur, eleuari nititur. Quis autem ſit liber vitæ, in quo reproborum nomina non inue- B niuntur ſcripta, ſuperius (niſi fallor) docuimus. Vis enim quædam diuina eſt, qua ante ſecula electos prædeſtinauit ad vitam æternam. Vt quid vero perditorum nomina in libro hoc non inueniuntur ſcripta, niſi quis in partem beſtiæ futuri, atque ab electorum corpore reparandi, diuina præſcientia ante ſæcula ſunt præcogniti, quamuis & electos ſe noſſe & reprobos ignorare dicat? Sicut enim nouit qui ſunt eius, quibus ſe etiam dicturum eſſe 2.Tim.2. repromiſit, dicens: *Venite benedicti Patris mei, percipite* Matt.25. *regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi:* ita & qui non ſunt eius, non habet ſcriptos in libro vitæ à conſtitutione mundi, id eſt, ad vitam prædeſtinatos, ſed tanquam ſibi incognitos & à longe præſcitos, æterni ignis ſupplicio tradet cruciandos, qui paratus eſt diabolo & an- Matth.7 gelis eius. Quibus & dicet, *non noui vos, diſcedite à me operarij iniquitatis.* Sed quia hæc paulo ſuperius latius digeſta ſunt, in his moras nobis facere non debemus. Sequitur autem author huius reuelationis, admonens per C ſapientiæ ſenſum ea quæ ingerit, animaduertere. Ait enim:

Et hic eſt ſenſus, qui habet ſapientiam. Septem capita, ſeptem montes ſunt, ſuper quos mulier ſedet & reges ſeptem ſunt. Quinque ceciderunt, vnus eſt, alius nondum venit. Et cum venerit, oportet illum breui tempore manere.

Sæpe enim dixiſſe me recolo, in vnaquaque ſpecie genus plerumque oſtendi, quod hic fieri prudens lector facile animaduertit. Nam quod eſt omnis beſtia, hoc ſeptem capita. Denique capita & ſeptem montes, dicit eſſe & ſeptem reges, id eſt, vniuerſam malorum partem, quæ in præpoſitis tanquam in regibus conſtat & ſubiectis plebibus. Hoc autem nunc requirendum eſt, cur ipſe ſepte- D narius numerus in quinario ac ſingulari bis poſito diuiditur. Nulli namque dubium, quin humanæ vitæ primordia, antequam rationis capax fiat, quinque corporis ſenſibus regantur: ſcilicet viſu, auditu, guſtu, odoratu & tactu: per quos non ſolum humanus animus, verumetiam beſtiarum, appetit quicquid demulcet, fugit quicquid offendit. Poſtquam autem vtendi ratione tempus aduenerit, aut ſpiritalis intellectus qui ad æterna regat, aut error qui ad interitum ducat, ſuccedit. Et quia poſt primordia carnalis vitæ error dominium in reprobis capit, quaſi quinque ſubtractis regibus, vnus ſupereſſe dicitur. Ac ſi aperte diceretur: Et ad perfectam intelligendi ætatem peruenerunt, & tamen errorem ſuper ſe regnare vo- Rom.1. luerunt. Hinc eſt quod de quibuſdam Deum cognoſcentibus, & tamen errorem ſequentibus dicit Apoſtolus: *Cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* Quorum ſpeciem illa mulier Samaritana geſſiſſe mihi videtur, antequam ad ſpiritalem intellectum perueniret, cui à Domino dicitur: *Quinque viros habuiſti, & nunc quem habes non eſt tuus vir:* non legitimo ſcilicet eam, ſed adultero viri deſignans. E Ioan.4. Ac ſi eidem mulieri aliis verbis diceret: Quinque reges in te iam ceciderunt, vnus autem qui remanſit, non eſt tuus: quia poſt primordia carnalis vitæ non ſpiritalis intellectus, qui ad vitam æternam regat, ſed nequiſſimus error vitæ dominari cœpit, qui ad perpetuam mortem trahat. Quod autem ſequitur, alius nondum venit, illa eiuſdem mali corporis reſidua pars intelligitur: quæ non ſolum per apertum errorem nocet, verumetiam per veriſimilem fraudem miſerabilius decipit: quæque decedenti ſucceſſura generationi, eodem maligno ac ſeptiformi ſpiritu poſſidenda declaratur: illa ſcilicet quæ triennio & ſex menſibus hinc aperto errore raptatur, illinc ne agnoſcatur, miraculorum ſignis obtegitur. Quia enim illius nouiſſimi temporis regnum per hanc reſiduam corporis partem deſignetur, huius reuelationis verba teſtantur, quibus dicitur: *Cum venerit, oportet illam breui tempore* Matt. F *manere.* Vnde & Dominus in Euangelio ait: *Niſi abbreuiati fuiſſent dies illi, non fuiſſet ſalua omnis caro: ſed propter electos abbreuiabuntur dies illi.* Sic autem in ſeptimo qui necdum venit, reſiduam ac nequiorem illam dicimus partem deſignari, vt in ipſo ſeptimo ſeptem etiam intelligamus, id eſt quinque & vnum, & alium qui necdum venerat: quia & ſi ſeptenarium numerum excedit, tamen non alterius generis, ſed ex ſeptem eſſe perhibetur. Vnde & ſequitur:

Et beſtia quæ erat & non eſt, & ipſa octaua eſt, & ex ſeptem eſt, & in interitum vadit.

Ac ſi diceretur: Illa reſidua pars corporis, quæ iam in præcedentibus membris erat, ſed necdum in ſubſequentibus apparuit, cum proprio inhæſerit corpori: & ſeptenaria & octaua erit, vt ſcilicet (ſicut præmiſimus) & eiuſ- G dem generis maligni eam oſtenderet, & ſeptenarium numerum tranſcendendo, ſeptuplum nequiorem in hypocriſi ſimulatæ veritatis deſignaret. Sicut enim Dominus ſuo teſtimonio quaſi de vno immundo ſpiritu loquens, ſeptem in eo deſignans, repente ſubiecit, dicens: *Aſſumet* Matt. *ſecum ſeptem alios ſpiritus, nequiores ſe:* ſic author huius hiſtoriæ, nunc à ſeptem inchoans, alios ſeptem eiuſdem generis id eſt octauo, voluit deſignare. Sciendum vero quia ſicut iam diximus, cum eiuſdem partis aduerſæ ſimulatio in ſeptem capitibus deſcribitur, aperta potentia in decem cornibus oſtenditur: cum vero eiuſdem obtecta fraus octauo numero ſupponitur, manifeſta potentia in ſeptem capitibus declaratur. Sicque fit, vt diuerſo narrationis ordine, cum ſeptem ad decem reſpiciunt, occulta nequitia in ſeptem capitibus: aperta vero potentia, in decem cornibus demonſtretur. Et rurſum cum ſeptenarius ſeptimus octauo loco ſuppoſitus, ſeptem intendit, per ſeptenarium ſeptimum octauo loco ſubrogatum, veriſimilis fraus: per ſeptem vero capita, manifeſta nequitia declaretur. Ipſa vero reproba ac nouiſſima pars corporis, & in decem cornibus per apertam ſæuit potentiam, & in ſeptem capitibus per veriſimilem decipit fraudem. Rurſumque & in ſeptem capitibus per eandem ſecularem potentiam vi premit, & ſeptenarium numerum ſeptuplum excedens, octaua per hypocriſin ſanctitatis fallit. Quod autem de beſtia ſubditur, & in interitum vadit, de omni proculdubio perditorum corpore dictum intelligere debemus, quando futuro iudicio caput cum corpore videntibus cunctis præcipitabitur: quia cum ſacræ hiſtoriæ ſcriptor de eadem beſtia dicat, ex ſeptem eſt, & in interitum vadit: abſque dubio eiuſdem damnationis meritum vnius generis eſſe confirmat. Sequitur:

A

Et decem cornua quæ vidiſti, decem reges ſunt, qui regnum nondum acceperunt: ſed poteſtatem tanquam reges vna hora accipient poſt beſtiam.

Ipſum ſæculi regnum cum ſubiectis plebibus apertè contra Chriſtum & Eccleſiam ſæuiens, in decem cornibus deſcribitur. Congruum enim erat, vt narrata imaginaria beſtiæ ſeductione, quam nunc in ſeptem capitibus, nunc in octauo ac ſeptenario ſeptimo deſignauerat de aperta eiuſdem beſtiæ ſæuitia loqueretur, quam in decem cornibus conſtare præmiſerat. Cùm autem eadem decem cornua, id eſt, decem reges iam præceſſerint, & ſint in mundo regnantes, idcirco adhuc regnum necdum accepiſſe dicuntur: quia nunquam in retroactis temporibus ita in ſublimi erecti ſunt, ſicut erigendi B erunt cum caput eorum in mundo apparuerit, ſicut & regnum Eccleſiæ ante redemptoris aduentum erat quidem in mundo, ſed tunc in celſitudinem ſurrexit, cum caput eius in carne apparuit. Sic enim dicitur: Decem cornua quæ vidiſti, decem reges ſunt, qui regnum nondum acceperunt, ſed poteſtatem tanquam reges vna hora accipient poſt beſtiam. Tanquam diceretur: Et nunc quidem reges ſunt, ſed tamen ad comparationem illius extremæ potentiæ necdum perfectè regnum acceperunt: ſed hanc poteſtatem poſt beſtiam, id eſt, in ſubiectione illius capitis, quod quaſi occiſum ſimulate reuixit, tanquam membra & ipſi vtique beſtiam percipient. Vnde & per Angelum Danieli dicitur (Dan. 7.): *Beſtia quarta regnum quartum erit in terra, quod maius erit omnibus regnis, & deuorabit vniuerſam terram, & conculcabit & comminuet eam.* Porrò cornua decem ipſius regni, decem reges erunt: & alius conſurget poſt eos, videlicet Antichriſtus, & ipſe potentior erit prioribus, & tres C reges humiliabit: ſubaudis omnes ſibi adiacentes, & ſermones contra excelſum loquetur, & ſanctos altiſſimi conteret. Quid enim per quartum regnum, niſi Romanorum imperium deſignauit, in quo videlicet iſti decem reges eſſe memorantur, poſt quos vtique Antichriſtus dicitur ſurrecturus? Cùm ergo eoſdem reges hæc Apocalypſis necdum regnaſſe, ſed poſt beſtiam regnum dicat accepturos, quos Danielis Prophetia Antichriſtum præceſſiſſe, & ab eo quoſdam eorum humiliatos inſinuat, conſtat proculdubio, quia & ante eum regnum tenuerunt: & tamen cum vltra modum erigi vellent, non valuerunt, niſi eius ditioni ſubderentur. Quod autem vnius horæ ſpatio regnum eorum futurum eſſe poſt beſtiam deſcribitur, ipſius nouiſſimæ perſecutionis tempus inſinuatur: quo ſcilicet vltra modum ſæculi regnum contra Chriſtum & Eccleſiam tanto immanius ſæuiet, D quanto nullam ſuorum diſſenſionem ad malum habebit. Vnde & ſequitur: *Hi vnum conſilium habebunt, & virtutem & poteſtatem ſuam beſtiæ tradent.* Et quod erit hoc conſilium, niſi illud quo tanquam beſtia agnum inuadant, quo corpus Chriſti in ſuum corpus traiiciant? Sed conſilium beſtiæ, innocentia agni deſtruet. Scriptum (Pſal. 32.) namque eſt: *Dominus diſſipat conſilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat conſilia principum. Conſilium vero Domini manet in æternum cogitationes* (Prou. 21.) *cordis eius in ſæculum ſæculi.* Et rurſùm: *Non eſt ſapientia, non eſt ſcientia, non eſt conſilium contra Dominum.* Vt enim agni regnum diſſipent, poteſtatem ſuam beſtiæ tradent, illi ſcilicet capiti, quod quaſi occiſum ſimulate reuixit. Sed illorum potius minuetur, quia regnum agni omnia regna comminuens, in æternum ſtabit, & populus ſciens Deum ſuum, obtinebit & faciet. Vnde & ſequitur:

E

Hi cum agno pugnabunt, & agnus vincet illos, quoniam Dominus dominorum eſt & Rex regum: & qui cum illo ſunt, electi, vocati & fideles.

Cùm partis aduerſæ certamen Angelus exprimeret, congruentiſſime in conſolationem electorum, agni victoriam ſubiunxit. Quamquam enim ſingularis agnus inter lupos miſerit ſuos, ipſe tamen pugnat in ſuis, ipſe vincit in ſuis, qui ante paſſionem ait ſuis (Ioan. 16.): *Gaudete, quia ego vici ſæculum.* Quique vſque in finem nobiſcum ſe manſurum in certamine promittit, dicens (Matt. 28.): *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* Ne ergo paueant agni inter dentes luporum, attendant in ſe pugnantem agnum victorem, audiant agni inter beſtias conſtituti: Mainr eſt qui in vobis eſt, F quam qui in hoc mundo: audiant quod Ieremiæ Prophetæ in perſona Eccleſiæ à Domino dicitur (Ierem. 1. & 15.): *Bellabunt aduerſum te, & non præualebunt: quia ego tecum ſum vt ſaluem te & eruam te, dicit Dominus.* Subiungitur autem [illegible] cauſa tantæ victoriæ, cum de agno dicitur: *Quoniam Dominus dominorum eſt & Rex regum.* Ac ſi diceretur: Idcirco agnus triumphat in ſuis, quia etſi reprobi filiorum Dei gloriam perdiderunt, dominium tamen eius non euaſerunt. Vtitur enim eis ad vtilitatem ſanctorum, etiam cum pugnat aduerſus eorum perfidiam. Secundum etiam hunc intellectum Nabuchodonoſor *ſeruus Dei* (Iere. 25.) vocatur: *Angelus refuga, ſpiritus Domini malus.* Adhuc autem ſubiungitur cauſa, cur agnus vincat in ſuis cum dicitur (Matt. 20.): *Et qui cum illo ſunt electi, & vocati, & fideles:* ſubaudis, propterea reges exuperat. Benè autem præmittuntur electi, ac deinde ſubiunguntur *vocati & fideles:* quia ſecundum Saluatoris ſententiam, *multi ſunt vocati, pauci vero electi.* Tanquam apertè diceretur: Agni ſunt, ad agnum pertinentes, agno inhærentes non lupi, G ſpeciem agni ſimulantes. Quod multi ex his facere videntur, qui tantummodo vocati, ſed non erunt electi. Agni ergo ſunt cum beſtia bellantes, innocentes & recti: innocentes ſcilicet quia morſum malitiæ non habent: recti vero, quia luporum inſidias cauent. De quibus idem vnicus agnus clamat & dicit (Pſal. 24.): *Innocentes & recti adhæſerunt mihi.* Quos etiam adhortatur, dicens (Matt. 10.): *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Hinc de iuſto viro dicitur (Iob 1.): *Erat vir ille ſimplex & rectus.* Sed ecce iam agni innocentes ſunt quia malum pro malo non reddunt: iam recti ſunt, quia malorum inſidias cauent. Nunquid in his tantummodo vincent? Minimè. Innocentem enim & rectum quemlibet eſſe, legitimæ ætatis eſt, atque ad bellum promptiſſimæ. Sed aſſumat neceſſe eſt gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei, quo poſſit hinc inde feriendo quoſdam ad cœnam Dei præparare, quoſdam vero immundis volucribus in eſcam H dare. Hinc Ieremias ait (Iere. 4.): *Non tacebo quoniam vocem buccinæ audiuit anima mea, clamorem prælij.* Hinc eidem (Iere. 1.) Prophetæ à Domino dicitur: *Ecce dedi verba mea in ore tuo, ecce conſtitui te hodie ſuper gentes & regna, vt euellas & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes.* Hinc Iſaias ait (Iſai. 49.): *Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus eſt nominis mei, & poſuit os meum quaſi gladium acutum.* Hoc enim gladio idem agnus vti declaratur, ſicut inferiùs in hac Apocalypſi per Ioannem dicitur (Apoc. 19.): *De ore eius procedit gladius vtraque parte acutus.* Atque poſt paululùm ſubditur (Ibid.): *Vidi beſtiam & reges terræ, & exercitus eorum congregatos* (Ibid.) *ad faciendum prælium cum illo qui ſedebat in equo.* Rurſumque pòſt pauca: *Cæteri quidem occiſi ſunt gladio ſedentis ſuper equum, qui procedit de ore ipſius.* Hinc electorum Eccleſiæ Angelica voce Dominus promittit, dicens (Apoc. 2.): *Venio tibi cito, & pugnabo cum illis in gladio oris mei.* De hoc gladio venienti propugnatori per Pſalmiſtam dicitur (Pſal. 44.): *Accingere gladio tuo circa femur tuum potentiſſime.* Quid enim eſt, gladium circa femur redem-

ptorem

A protem noſtrum accingere, niſi prædicationis ſuæ doctrinam ex carnis aſſumptione roborare? Sed non diutius iam in his debemus immorari, quæ nos ſuperius latiſſimè nouimus digeſſiſſe. Ergo ſequentia videamus. Ait enim:

Et dixit mihi: Aquas quas vidiſti vbi meretrix ſedet, populi ſunt & gentes & linguæ.

Quid ſignificent aquæ, non humana, ſed diuina vox per Angelum docet. Sed cur ipſa meretrix ſuper aquas ſedere dicatur cum ex ipſis aquis ipſa conſtare credatur, nobis inquirendum reliquit. Quod vtique paulò ſuperiùs iam nos feciſſe meminimus, apertè ſcilicet oſtendentes, idcirco vnum idemque generale corpus in partes vel ſpecies diuidi, id eſt, in meretricem & in aquas multas, vt
B nobis pro certo daretur intelligi quia ex parte regnum diaboli amplius dominetur in ſuis, id eſt, ex qua ſiue ſpecialiter, ſeu generaliter, à Deo reprobi fornicantes perire probantur. Meretrix enim ſuper aquas ſedet, quia dominationis regnum libido vitiorum in reprobis tenet: vel certè quia ipſum antiqui hoſtis regnum, ex multitudine populorum præſumptionis faſtu gloriatur, ideo meretrix ſuper aquas multas ſedere deſcribitur, tanquam ſcilicet vnum corpus in abiectis membris principatum tenens. Sed hæc quia paulò ſuperiùs latiùs expreſſa ſunt, ne vltra quam decet, lectorem oneremus, ea nunc plenius repetere ſtudioſè vitamus. Sequitur:

Et decem cornua quæ vidiſti & beſtia, odient fornicariam.

Non arrogans debeo videri, ſi difficultates huius
C Apocalypſis propter paruulorum ſenſum toties inculcando repeto, quoties videntur incurrere: quia nec eos ad eius intellectum perducere valeo, niſi qualiter iuxta literam ſibi contraria ſint quæ narrat, inſinuare ſtuduero. Ecce etenim dicit: *Decem cornua quæ vidiſti & beſtia, odient fornicariam cum decem cornua & beſtia, ſint ipſa fornicaria.* De qua adhuc ſubiungit: *Et carnes eius manducabunt, & ipſam igni concremabunt.* Nunquid enim aliud ſunt carnes meretricis quam ipſa, vt carnes eius manducent, & ipſam igni concrement? Aut ſi hoc eſt fornicaria quod carnes eius, ſi eam manducant, quomodo carnes eius concremant? Sequitur autem & dicit: Deus enim dedit in corde illorum, vt faciant quod illi placitum eſt, vt dent regnum ſuum beſtiæ. Quibus dedit, niſi beſtiæ & regibus, qui fornicariam odient? Quid in illorum cordibus dedit, niſi vt beneplacitum eius facientes, regnum ſuum beſtiæ tradant? Reges ergo & beſtia qui odiunt fornicariam, & deſolatam & nudam faciunt
D illam, & carnes eius manducant, & ipſam igni concremant, in faciendo beneplacitum Dei, poteſtatem ſuam beſtiæ tradunt: ac reges & beſtiæ odiunt fornicariam, ac iidem reges & beſtia poteſtatem ſuam beſtiæ tradunt. Quid eſt hoc? Et certè vt ſæpè iam diximus, & timeo ne forte faſtidioſe dixerimus, hoc ſunt reges & beſtia meretricem odientes, quod ipſa meretrix quæ odio habetur: ac per hoc cum reges & beſtia meretricem odiunt, ſe ipſos odiunt. In quorum odium & ipſa beſtia venit, cui poteſtatem ſuam reges & beſtia tradunt, quia vnum eſt generale corpus, caput videlicet & membra, ſed propter minutias diuini eloquij in partes vel ſpecies diuiſum, nobis penè inattingibile. Sed annuente agno victore, cum quo reges & beſtia pugnant, dicamus prout valemus, vtcumque valemus, qualiter accipiendum ſit, quod iidem reges & beſtia fornicariam odiant. Quod videlicet odium tribus modis valet intelligi. Vnum igitur idemque malorum corpus, diuiſum in partes tanquam genus in ſpecies, cum fornicariam odit, ſeipſum odio inſequitur:
Pſal. 10. quia ſicut ſcriptum eſt: *Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam.* Cui tamen ſententiæ illud Domini dictum quaſi contrarium eſſe videtur, quo dicitur: *Qui amat animam ſuam, perdet eam: & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.* Sed ſciendum nobis eſt, quia aliud eſt odium quo electorum animæ in præſenti vita perduntur, vt in futurum cuſtodiantur: atque aliud quo reproborum in hoc ſæculo amantur, vt pereant. Et vnde electi ſuas animas in præſenti videntur odiſſe, inde amplius probantur dilexiſſe: atque vnde reprobi amaſſe, inde conuincuntur odiſſe. Ille etenim odiendo animam ſuam diligit, qui carnales eius concupiſcentias in hac vita interficiens, ad capiendam futuræ hæreditatis dignitatem præparat. At contra quaſi diligendo quiſque animam ſuam odit, qui voluptatum eius illecebras in hoc ſæculo non refrenans, ad ſuſcipiendam futuræ famis miſeriam aptat. E Iōan. 12.

Quamobrem concordari ſibi videntur vtraque dicta, quia & quiſquis diligit iniquitatem, odit autem iuſtitiam, ipſe vtique male amando odit animam ſuam. Et è contra quiſquis odit iniquitatem, diligit vero iuſtitiam; ipſe proculdubio benè odiendo diligit animam ſuam. Vel F certè, qua (ſicut legimus) ſemper inter ſuperbos iurgia ſunt, idcirco reges & beſtia fornicariam odiſſe, id eſt, ſeipſos, narrantur. De quibus per Paulum dicitur: *Inuicem inuidentes, inuicem odientes.* Vel certè reges terræ & beſtiam, fornicariam odiſſe, eſt, ipſas carnalium vitiorum illecebras nouiſſimi examinis die reprobos examinare, ac ſi Angelus ex perſona Eccleſiæ diceret: Carnalium deſideriorum corruptiones, quas nunc reprobi à Deo fornicantes ardentiſſime diligunt, cum circa finem ſe ineuitabili iudicio damnandos agnouerint, manifeſtam agni victoriam vltimo illuceſcente die perſpexerint, in odium eis conuertentur, ſed nihil proderit odiſſe tunc malum quod fecerunt, quando ipſo malo non carebunt. Accuſabunt namque ſeipſos, ſed in accuſando non excuſabunt. E contrario verò ipſi ſe ſua ſententia condemnabunt, cum enumeratis à Domino Eccleſiæ bonis dixerint ſe illa minimè adimpleſſe. Quibus & merito dicetur: *Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus eſt diabolo & Angelis eius.* De quibus adhuc ſub ſpecie meretricis ſubiungitur. Gal. 5. G Matt. 25.

Et deſolatam facient illam & nudam, & carnes eius manducabunt, & ipſam igni concremabunt.

Ecce eſt illud deſertum quo Ioannes ducitur in ſpiritu ab Angelo, vt damnationem meretricis aſpiciat, illud ſcilicet, in quo Deus non inuenitur pacis & charitatis habitator, quodque ſecundum cuiuſdam iuſti Prophetiam in membris ſuis dicere videtur: Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus. Hinc Ieremias, deſerente Deo, deſolatam Iudæam aſpiciens, lamentabili voce deplorat, dicens: *Quomodo ſedet ſola ciuitas; plena populo?* Si plena populo, quomodo ſola, niſi quia Deo deſerente idem populus factus fuerat draconum, videlicet immundorum ſpirituum ſolitudo? quid autem in nuditate meretricis accipere debemus, amiſſionem baptiſmatis an charitatis, an immortalitatis? Sciendum proculdubio, quia dum alij baptiſmatis Sacramenta iterando reſcindunt, alij probrorum maculis ſe reſpergunt, charitatiſque iura derelinquunt, alij neutra recipiunt, ſimul omnes reprobi immortalitatis veſte ſe nudant. In eo enim quiſque immortalitatem animæ perdit, quo vel eam per baptiſmatis Sacramenta charitatiſque præcepta non ſuſcipit, vel ſuſcepta malè viuendo amittit. Et quia reproborum corpus ex apertis infidelibus ac falſis fratribus, conſtruitur, rectè in expoliatione meretricis vtraque conueniunt, de qua adhuc ſubditur: Et carnes eius manducabunt, & ipſam igni concremabunt. O miſerabilem paſtum, durum cruciatum. Quid enim eſt reges & beſtiam ſub ſpecie meretricia carnes ſuas manducare, niſi inter immortalium continuas vermium lacerationes, ipſo ſuo cruciatu reprobos paſci? Quique ſeipſos igni concremant, quia dum in hoc ſæculo viuerent, ipſi Thren. 1. H

A ſibi æternum incendium quo crucientur, præparauerunt, ſeque vltro reprobis actionibus eiſdem incendiis præcipites dederunt. Quibus iuſtè à Domino per Prophetam dicitur: Iſai.50. *Ambulate in lumine ignis veſtri, & in flammis quas accendiſtis.* Ac ſi Angelus ex perſona Eccleſiæ diceret. Perſecutores mei qui nunc aduerſum me conſurgunt, atque vt malitiæ ſuæ dentibus carnes meas comedant, ſuper me appropinquant, cum iudicij tempus aduenerit, immortalium vermium dentibus quos ipſi reprobis ſuis ſceleribus acuerunt, carnes ſuas manducabunt: atque in igne quem ſibi præparauerunt, ſine fine ardebunt, ſicque fiet vt dum vermes morſibus incorruptibiliter, ſed tamen miſerabiliter laniant, ipſi miſerabili paſtu eiſdem lacerationibus ad pœnam proficiant, nec deficiant: Manducant enim carnes ſuas æterno ſupplicio traditi: ſed alienis dentibus, non ſuis, vermium ſcilicet immortalium, quos ipſi ad deuorandum ſe iniquitatibus exacuerunt: dumque eiſdem ſuis iniquitatibus quaſi quibuſdam lignis ignem quo comburantur indeſi-
B nenter accendunt, ipſi ſe concremant. Sic enim vſitata locutione quod in ipſis contigerit, reprobi facere perhibentur: ſicut nos quemlibet ſeipſum interfeciſſe dicimus qui periculum mortis cum poſſet non declinauit, vel ſeipſum incendiſſe, qui ſemel volens in ignem præcipitem dedit. Cur autem iſta patiantur reprobi, aperitur, cum protinus ſubinfertur:

Deus enim dedit in cordibus eorum, vt faciant quod illi placitum eſt, vt dent regnum ſuum beſtiæ, donec conſummentur verba Dei.

In quibus verbis valde perplexa nobis oritur quæſtio. Et certè propter præcedentium peccatorum merita, poteſt veraciter intelligi, ita Deum dediſſe in cordibus re-
C proborum, vt dent regnum ſuum beſtiæ, ſicut de quibuſdam per Apoſtolum dicitur: 2.The.2. *Pro eo quod charitatem veritatis non receperunt, ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, & iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati.* Nunquid autem ita quis deſipiet, vt audeat dicere, hoc ipſum quod reprobi contra Deum oppugnantes, regnum ſuum beſtiæ tradunt, voluntatis eius eſſe? Qui enim hoc dicit, quod nefas eſt audire, Deum iniquitatis conatur arguere. Et quomodo verum erit hoc, quod per Pſalmiſtam di-
Pſal.44. citur: *Dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem?* Si enim iniquitatem odit, quomodo ei iniquitas reproborum placet? Aut cur damnat eos, qui quod illi placitum eſt faciunt? Sed ſciendum nobis eſt, quia ſic dicitur, Deus dedit in cordibus eorum vt faciant quod illi placitum eſt tanquam diceretur: Præcedentium iniquitatum merita exigunt, vt reprobi in errorem à Deo ire permiſſi ita agant, vt non miſericordia parcentis ſaluentur, ſed iuſtitia punientis damnentur. In eo enim Dei placitum
D perficiunt, quo iniquitatem amando quam Deus odit, iuſtitia ſe damnandos præparant, quæ Deo per omnia placet. Cui per Pſalmiſtam hoc quod præmiſimus, di-
Rom.3. citur: *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem.* Cui enim placere nequaquam poteſt iniquitas reproborum, placet ſine dubio iuſtitia, qua damnat perpetratas iniquitates ipſorum. Et exigente iuſtitia volens perpetrata ſcelera punit, quæ perpetrari nolens diu miſericorditer tolerat. Quamobrem vnde per omnia Deo diſplicent, inde quod illi placitum eſt, perficiunt: quia vt dictum eſt, cui nunquam placet reproborum iniquitas, placet procul dubio ſua iuſtitia, per quam eiſdem vltionis irrogat pœnam. Qui ſi facta eorundem damnare nollet, ei profecto iuſtitia non placeret. Manifeſtiſſime ergo apparet, Deum nequaquam iniquitatis argui poſſe, qui in eo quod reproborum mala minimè correcta volens damnat, ac per hoc placet ei quod facit, maximè iuſtitiam ſuam commendat. Nam & Apoſtolus huic intellectui concinit, dicens: *Si iniquitas noſtra iuſtitiam Dei commendat,*
quid dicemus? Nunquid iniquus Deus qui infert iram? B
Secundum hominem dico. Abſit. Ac ſi diceret: Si reproborum iniquitas à Deo damnata, teſtimonium illi dat, quia in eo quod iram infert, non iniquitatem, ſed iuſtitiam diligit: quomodo iudex æquitatis, argui poterit iniquitatis? Si enim iniquitas ei placeret, iniquos vtique non damnaret. At quia iuſtitiam diligit iniquitatem ſine dubio minimè correctam volens damnat. Quod ſi nollet, vt præmiſimus, iuſtitiam non amaret. Dicatur ergo de reprobis: *Deus dedit in cordibus eorum, vt faciant quod illi placitum eſt.* Ac ſi diceret: Exigentibus illorum meritis, ſummus ac viuificator ſpiritus ita eorundem corda permiſit obſcurari, vt ſic agerent, quatenus illorum ſceleribus ſuam Deus diligeret æquitatem, quæ omne quod iniuſtum eſt, ſolet damnare. Vſquequo autem reges terræ regnum ſuum beſtiæ tradentes, iuſtitiam quæ Deo placet, per quam & damnantur, contra ſe diligunt, manifeſtatur cum ſubiungitur: *Donec conſummentur verba Dei.*

F Ecce iterum cum nondum quæſtionis abſoluiſſe nos gaudemus, in aliud perplexum quodammodo nolentes abſoluendum locutionis iniecimus manum. Si enim verum eſt quod veritas loquitur: *Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſient:* Luc.21. quomodo hæc ipſa Dei verba conſummari dicuntur? Qua in re notandum eſt nobis, quia & ad aliquid Dei verba conſummantur, & ad aliquid non tranſeunt. Conſummantur ſcilicet cum opere completa fuerint, quæ prædixerunt: non tranſeunt autem, quia finem non habebunt quæque futura narrauerunt. Tunc enim eadem Dei verba conſummabuntur, cum iuxta illorum annuntiationem, & electorum numerus miſericorditer ſaluatus, & reproborum ſeueriter fuerit condemnatus. Tùm inquam, cum & electi ad regnum, & reprobi ad æternum tranſibunt ſupplicium. Ceſſabunt enim iam tunc verba, cum ventum iam fuerit ad recipiendum quod eadem promiſerunt verba. Sic namque dicitur, Donec conſummentur verba Dei, tanquam diceretur, Vſquequo & boni & mali recipiant ſecundum G
eloquia Dei. Sequitur.

Et mulier quam vidiſti, eſt ciuitas magna, quæ habet regnum ſuper reges terræ.

Illa ipſa eſt, quæ corruptionibus carnis & ſanguinis dedita, mundanique regni præmiſit floruiſſe potentia. Quæ cum ex ipſis regibus conſtet, ſicut ſæpè inculcauimus, ſuper eos eam dicit more ſuo regnare, vnam ſcilicet diuidens eandem per partes, tanquam à genere ad ſpecies in muliere, in ciuitate, in regibus, ſuper reges. Cur autem ipſum malorum corpus, nunc in meretrice, nunc in aquis multis, nunc in beſtia, nunc in ſeptem beſtiæ capitibus, nunc in decem cornibus, nunc in ciuitate deſignetur: cur etiam ſuper aquas multas, ac ſuper beſtiam, ſeptemque eius capita meretrix ſedere deſcribitur, cum hoc totum vna ſit meretrix, paulo ſuperius vt nobis diuina
gratia largiri dignata eſt, expreſſimus. Super reges autem H
terræ regnum habere mulier vel ciuitas dicitur, quia ipſum reproborum corpus ex regibus terræ conſtans, ſuper mundani regni potentiam in faſcibus eleuatur. Sic enim dicitur, Ciuitas enim magna habet regnum ſuper reges terræ: ac ſi diceretur, Ipſum ſæculi regnum in cunctis terrena ſuperbe petentibus regnat. Sequitur:

Et poſt hæc vidi alium Angelum deſcendentem Apoc.18.
de cælo, habentem poteſtatem magnam, & terra illuminata eſt à gloria eius.

Niſi fallor, ſæpe dixiſſe me recolo, non eſſe diuerſitatem temporis in eo quod dicit, poſt hæc, ſed ordinem narrationis. Hanc enim reuelationem ſicut ipſe Ioann. fatetur, vna Dominicæ reſurrectionis die in ſpiritu eleuatus meruit videre. Cur autem alium Angelum vocat, cum idem ipſe ſit, quem in vno ex ſeptem Angelis paulò ſu-

A perius deſignauerat, niſi quia aliæ viſionis vocabulum ſortitur idem Angelus? Quaſi enim alius eſt in diuerſa viſione, qui vnus eſt in perſona. Sic etiam nos de quolibet dicimus: Alius mihi videbaris cum illa & illa verba diceres, alius nunc appares cum diſſimilia loqueris. Et quis iſte Angelus eſt, niſi ille de quo in Iſaia iuxta Septuaginta interpretes legimus, & nos Iſai. 9. non incaſſum ſæpè protulimus, *Vocabitur nomen eius magni conſilij Angelus?* Qui videlicet de cœlo deſcendere narratur non quo de loco ad locum tranſeat, qui localis non eſt, & tamen vbique eſt: ſed quo ab illa celſitudinis ſuæ potentia ſemetipſum exinaniens, atque vt videri poſſet à mortalibus, humanam carnem & animam de Beata Virgine aſſumens, humilis inter eos apparuiſſe credatur. De quo & per Paulum dici- Philip. 2. tur: *Cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudine hominum factus, & habitu inuentus vt homo, humiliauit ſeipſum, factus* B *obediens vſque ad mortem.* In eo autem quod poteſtatem magnam habere dicitur, ſiue illa intelligatur, quam ante ſæcula cum patre habuit, ſiue iſta quam in nobis homo factus, à patre accepit in tempore, vtrumque apertiſſimè conuenit. De hac enim poteſtate quam in nobis à patre accepit in tempore, ipſe in Matt. 28 Euangelio poſt reſurrectionem dicit: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.* De illa vero quam ante Dan. 7. tempora habuit, & habet cum patre, Danielis Prophetia teſtatur, dicens: *Poteſtas eius, poteſtas æterna.* De quo adhuc aptè ſubiungitur: [*Et terra illuminata eſt à gloria eius.*] Quæ terra niſi electorum Eccleſia, quæ dudum in tenebris perfidiæ ambulaſſe cognoſcitur, cum ſecundum principem aëris huius viueret? Iſaiæ 9 Vnde & per Iſaiam Prophetam dicitur: *Gentium populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis.* C Hinc eadem in Euangelio lux ad diſcipulos ait: *Quan-* Ioan. 3. 8. 3. & 1. *diu ſum in mundo, lux ſum mundi.* Hinc rurſum dicit: *Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.* Hinc iterum ait: *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.* Hinc per Ioannem dicitur: *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Et rurſum: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc* Ioël 41. *mundum.* Quia igitur iſte Angelus ad eius regnum deſtruendum venerat, de quo dicitur: *Non eſt poteſtas ſuper terram quæ comparetur ei*: rectè magnam poteſtatem habere perhibetur, vt videlicet contra fortem fortior, contra potentem potentior aduenisse inſinuetur. Quia vero ad euacuandam mundanæ ſapientiæ tenebroſam fraudem acceſſerat, benè terra à gloria eius illuminata pronuntiatur. Ac ſi diceretur: Contra tumentem ſæculi poteſtatē: contra falſæ doctrinæ tenebras, veræ ſcientiæ lux apparuit: vt ſcilicet terrenis regibus mundique ſapientibus, ſuæ virtutis robore atque ſcientiæ faſtu D glorianelbus, & virtute & ſcientia monſtretur inuictus: quatenus ad comparationem eius, nec virtus, nec ſapientia vltra iam vocari poſſet, in quibus mundus ante glorians conſitebat. Quod nos vtique iam factum gaudemus, qui mundum in terræ principibus ac ſapientibus ſuis, per piſcatores huius Angeli atque idiotas ſalubriter eruditum videmus.

Et exclamauit in forti voce, dicens: Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta eſt habitatio dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi, & cuſtodia omnis volucris immundæ.

Fortem vocem, intelligimus prædicationem, qua idem Angelus, Deus ac Dominus Ieſus Chriſtus, ita ſæ- Matth. 4. cularis regni molimina deſtruere exorſus eſt, vt diceret: *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum.* Quod enim in eodem Euangelio Prophetæ teſtimonio E dicitur: *Gentium populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis*: atque mox ſubinfertur, *Exinde cœpit Ieſus prædicare & dicere, pœnitentiam agite*: hoc nunc per Ioannem in hac Apocalypſi figuraliter profertur, cum de Angelo loquitur: *Terra illuminata eſt à gloria eius, & exclamauit in forti voce.* Quæ ſcilicet vox, ab ipſo ore Domini procedens, in modum generalis tonitrui per Apoſtolos totum orbem clamore compleuit. Vnde ſcriptum eſt: *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in* Pſal. 18. *fines orbis terræ verba eorum.* Vnde & per Pſalmiſtam ei- Pſal. 76. dem Angelo dicitur: *Vox tonitrui tui in rota.* Quid autem clamat audiamus. Ait namque: *Cecidit cecidit Babylon magna, & facta eſt habitatio dæmoniorum.* Cuius videlicet ruinæ modos niſi ſubtiliter conſiderantes indagemus, cum eam in melius reædificandam, deſtrui narramus: contrarium erit, quod ſermo diuinus ruinam eius dæmoniorum habitationem narrat extitiſſe. Si enim ideo cecidit, vt ex lapidibus eius habitatio Dei conſtrua- F tur: quomodo ruina eius habitatio dæmoniorum extitiſſe narratur, niſi quia non vno eodemque modo vel cecidit vel cadit? Alia namque eius ruina eſt, qua prædicationis verbo ab ſtatu priſtinæ conuerſationis, tanquam vetus diaboli ciuitas, Babylon impia, ſuper arenam ædificata, deiicitur: vt cœleſtis vitæ ſtudio informata, tanquam Ieruſalem noua Dei habitatio, ſupra petram nunquam ruitura conſtruatur: alia, qua in ſuperbiam multa tranſgreſſionum immanitate erigitur, vt nunquam reædificandas ruinas patiens, antiqui hoſtis æternum exiſtat habitaculum. Hanc enim ruinam habitator huius ciuitatis primus cum ſuis paſſus eſt, quando ſola ſuperbia ab illo beato cœleſtique ædificio irreparabiliter ruit. Hanc & ipſa pari videtur, quæ caput ſuum imitans, contra Deum ad tempus in ſuperbiam erigitur. Hinc namque Prou. 16. ſcriptum eſt: *Ante ruinam exaltabitur cor.* Hinc Pſalmi- Pſal. 72. ſta Domino dicit: *Deiecisti eos dum alleuarentur.* Alia G autem eiuſdem ciuitatis ruina eſt, quam ædificante diuina pietate, ne quantum vult nocere ſanctis præualeat, à propria virtute confracta, cadendo ſuccumbit. Quæ etiam in huius ſæculi latiſſimo mari dudum contra Chriſti fidem validis perſecutionum fluctibus tumendo inſurgebat, terminis arctioribus gemit frenata, & in modum vtris fremit incluſa, Pſalmiſta atteſtante qui ait: *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis* Pſal. 32. *virtus eorum, congregans ſicut in vtre aquas maris, ponens in theſauris abyſſos.* Nam illa quæ pridem à Chriſtianis timebatur, ipſa nunc metuit Chriſtianos, cum eorum priuilegio religioſorum quoque latè principum decreta militare per orbem conſpicit. Alia vero præfatæ ciuitatis ruina eſt, qua diminutione rerum humanarum, ac contritione gentium diuerſarum, à priſtina decoris ſui gloria humiliata ſæpè deiicitur. In eo ergo quod diuina voce dicitur: *Cecidit cecidit Babylon magna*, diuerſos ſcilicet caſus in repetitione verbi ſignificans, & ad illam partem quæ in melius reædificanda deſtruitur, & ad eam H quæ corruens nunquam reædificatur redigendum eſſe videtur. In eo vero quod ſubiungitur, *Et facta eſt habitatio dæmoniorum*, non iam ad vtraſque, ſed ad ſolam reprobam ſortem pertinere probatur. More autem ſolito Autor huius reuelationis vnam eandemque rem diuerſis modis ſignificans, habitatores ciuitatis impiæ in dæmonibus ſpiritibus immundis, atque in volucribus immundis deſcribit, propter diuerſitates ſcilicet operationum, quibus reprobi ab ipſis depereunt illecti. Ab eis enim quos decipiunt, & ipſi vocabula trahunt. Nam propter malitiam dæmones, propter carnis autem illecebras, ſpiritus immundos: propter mentis vero elationem, volucres poſuit. Hinc per aliam ſignificationem à Domi- Iob. 40. no dicitur: *Omnes beſtiæ agri ludent ibi.* Et quid per beſtias, niſi (vt longè ſuperius diximus) immundi ſpiritus figurantur? Vnde & de ipſo malignorum ſpirituum prin- Oſeæ 13. cipe contra Ephraim dicitur: *Beſtia agri ſcindet eos.* Vel Iſai. 35. ſicut Iſaias ait: *Mala beſtia non tranſibit per eam.* Quid autem per agrum, niſi præſens ſæculum deſignatur, ſicut

A in Euangelio à Domino dicitur : *Ager autem eſt mundus ?* Matt. 13. Agri ergo beſtiæ in reproborum cordibus ludunt, quia proiecta de ſuperioribus in hoc mundo dæmonia, a prauis eorum operibus delectantur : *Beſtiæ ibi ludunt*, cum reprobi ſpiritus humana corda ad illicitas cogitationes pertrahunt. An non ſpiritibus immundis ludere eſt, mentes hominum carnalium modo ficta promiſſione decipere, modo minis deterrere : & nunc quidem tranſitoria gaudia eiſdem reproborum cordibus quaſi manſura imprimere, nunc manſuras pœnas quaſi tranſitorias leuigare ? Au non in eis ludunt, cum ea ad quæ voluerint ludibria incitant ? Quia enim reproborum cor ad omne vitium ſternitur, vt cuilibet irruenti maligno ſpiritui praua cogitatione præparetur, rectè illic dicitur : Iob 40. *Omnes beſtiæ agri ludent ibi.* Ac ſi apertè diceretur : Pro eo quod reprobi quilibet nullum malum cogitando prætereunt, nulla eſt agri beſtia, quæ in illorum cordibus non ludat. Hinc eſt namque quod de hac ipſa impia ciuitate per Prophetam dicitur : Iſai. 34. *Erit cubile draconum &* B *paſcua ſtruthionum, & occurrent dæmonia, onocentaurus & piloſus, & clamabit alter ad alterum.* Quid namque per dracones, niſi aperta malitia ? Quid vero ſtruthionum nomine, niſi hypocriſis deſignatur ? Struthio quippe ſpeciem volandi habet, ſed vſum volandi non habet : quia & elatio hypocriſis cunctis intuentibus imaginem de ſe ſanctitatis inſinuat, ſed tenere vitam ſanctitatis ignorat. In peruerſa igitur mente draco cubat, & ſtruthio paſcitur : quia & latens malitia callide tegitur, & intuentium oculis ſimulatio bonitatis anteferrur. Quid vero onocentauri nomine, niſi & lubrici figurantur & elati ? Græco quippe eloquio ὄνος, aſinus dicitur. Et appellatione *aſini*, luxuria deſignatur, Propheta atteſtante qui ait : Ierem. 23 *Vt carnes aſinorum, carnes eorum.* *Tauri* autem vocabulo ceruix ſuperbiæ demonſtratur, ſicut voce dominica de Iudæis Pſal. 21. ſuperbientibus per Pſalmiſtam dicitur : *Tauri pingues obſederunt me.* Onocentauri ergo ſunt, qui ſubiecti luxuriæ C vitiis, inde ceruicem erigunt, vnde humiliari debuerunt. Qui carnis ſuæ voluptatibus ſeruientes, expulſa longè verecundia, non ſolum ſe amiſiſſe rectitudinem non dolent, ſed adhuc etiam de opere confuſionis gaudent. Onocentauris autem dæmonia occurrunt, quia maligni ſpiritus valde eis ad votum deſeruiunt, quoq; de his gaudere conſpiciunt, quæ flere debuerunt. Vbi aptè ſubiungitur : Iſai. 34. *Et piloſus clamabit alter ad alterum.* Qui namque alij piloſi appellatione figurantur, niſi hi quos Græci panas, Latini incubos vocant ? Quorum nimirum forma ab humana effigie incipit, ſed beſtiali extremitate terminatur. Piloſi ergo nomine, cuiuſlibet peccati aſperitas deſignatur : quod etſi quandoq; quaſi ab obtentu rationis incipit, ſemper tamen ad irrationabiles motus tendit. Quaſi enim homo in beſtiam deſinit, dum culpa per rationis imaginem inchoans, vſque ad irrationabilem effectum tranſit. Nam ſæpè edendi delectatio ſeruit gulæ, & ſeruire ſe ſimulat indigentiæ naturæ. Cumque ventrem in ingluuiem extendit, membra in luxuriam erigit. Piloſus autem alter ad alterum clamat, cum perpetrata D nequitia perpetrandam malitiam prouocat : & quaſi quadam cognationis voce commiſſa iam culpa, culpam quæ committatur inuitat. Sæpè namque (vt diximus) gula dicit : Si abundanti alimento corpus non reficis, in nullo vtili labore ſubſiſtis. Cumque mentem per deſideria carnis accenderit, mox quoque luxuria verba propriæ ſuggeſtionis facit, dicens : Si miſceri Deus homines corporaliter nollet, membra ipſa coëundi apta non feciſſet. Cumque hæc quaſi ex ratione ſuggerit, mentem ad libidinum effrenationem trahit. Quæ ſæpè deprehenſa, patrocinium mox fallaciæ & negationis inquirit : reamque ſe non æſtimat ſi mentiendo vitam defendat. Piloſus ergo alter ad alterum clamat, quando ſub aliqua ratiocinandi ſpecie peruerſam mentem culpa ſubſequens, ex occaſione culpæ præcedentis illaqueat. Cumque hanc peccata dura atque aſpera premunt, quaſi conuocati in ea piloſi commorantur. Sicque mentem reprobam culpa per culpam ligat. Sunt quidem & alij in ruinam huius ciuitatis dæmoniorum innumerabiles luſus, de quibus nunc longiſſimum eſt diſputare. Sequitur : E

Et de ira fornicationis eius biberunt omnes gentes, & reges terræ cum illa fornicati ſunt, & mercatores terræ de virtute deliciarum eius diuites facti ſunt.

Si Babylon quæ poteſtatem habere dicitur ſuper reges terræ, ex gentibus ac regibus conſtat : cum gentes de ira fornicationis eius bibunt, ipſa nimirum ſe ſuis fornicationibus debriat. Et cum reges terræ cum illa fornicantur, ipſa vtique ſecum fornicatur : Et cum mercatores terræ de virtute deliciarum eius diuites fiunt, ipſa ſine dubio ipſis deliciis ditatur. Sed more Scripturarum, vnum idemque corpus diuiditur in partes, vt vitiorum diuerſa genera, reproborum diuerſis oſtendantur perſonis. Tria namque vitiorum genera hoc loco, totidemque perſonæ F ponuntur : voluptatum ſcilicet laſciuia, gaſtrimargia, & auaritia. In nomine enim fornicationis, laſciuia voluptatum : in virtute autem deliciarum, gulæ appetitus; in ditatione vero mercatorum, auaritia deſignatur. Sed in eorundem mercatorum nomine duorum perſonæ vitiorum : in nomine autem gentium ac regum, vnius vitij perſonæ figurantur. Quia enim non de virtute diuitiarum eius, ſed de virtute deliciarum diuites facti mercatores terræ narrantur : apertè innuitur, quia deliciæ diuitiis iunguntur, ac per hoc duorum vitiorum perſonæ in eiſdem mercatoribus terræ figurantur. Deliciæ namque ad gulæ appetitum, diuitiæ autem ad auaritiam pertinent. Sed libet intueri quam ſint perplexa ſibique connexa tria hæc vitiorum genera. Quæ etſi in diuerſis perſonis demonſtrantur, in vna tamen cuiuſlibet reprobi perſona inueniuntur. Quis enim poteſt ſeparare à gulæ illecebris fornicationem ? Nam cum immoderatius caro reficitur, ſtatim membrum propagini dedicatum, voluptuoſe ad illicita carnis deſideria excitatur. Anmun per immo- G deratum appetitum ad nefandos atque inceſtos Sodoma peruenerat amplexus, de qua per Prophetam Iudeæ fornicanti à Domino dicebatur : *Quid peccauit ſoror tua Sodoma, niſi quia panem ſuum in ſaturitate comedebat ?* Ieze. 16. In quo ſcilicet panis vocabulo, omnium generum deliciæ intelliguntur inſertæ, ſicut ſæpiſſime Scriptura ſancta commemorat. Ruſum quis valet à carnis voluptate auaritiam diſiungere ? Eo enim quiſque ad lucra mundi æſtuat, quo eum vis ingens libidinis ſibi ad votum ſeruire ac famulari compellit. Vnde & Apoſtolus dicit : *Qui ſine vxore eſt, cogitat quæ ſunt Domini, quomodo placeat Domino. Qui autem cum vxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt huius mundi, quomodo placeat vxori.* 1.Cor. 7. Hoc autem idcirco Apoſtolica autoritate ingerimus, non vt omnes coniuges fideles, aut ille aut nos tales eſſe affirmantes damnemus, ſed vt oſtendamus quæ ſit mundi maxima radix cupiditatis. Quia ergo reprobi in voluptatum laſciuiam reſoluuntur, rectè omnes gentes fornicatione meretricis inebriari, ac reges terræ cum illa mœchari di- H cuntur : quia vero iidem ipſi gulæ illecebris atque auaritiæ ſtudent, iure mercatores terræ de virtute deliciarum meretricis diuites facti memorantur. Quique pro Deo ventri ſeruientes, quoniam terrenis lucris inhiant, pro abundantia temporali ſuas infelici mercatu animas venundant, contraria dictis Domini peragentes qui dicit : *Quam dabit homo commutationem pro anima ſua ?* Matt. 16. & vt breuiter cuncta repetamus, ſi gentes, ſi reges, ſi mercatores Babylonia ſunt, cum gentes de vino fornicationis Babyloniæ bibunt, ipſa (vt diximus) Babylonia ſua ſe fornicatione debriat : Et cum reges terræ cum illa mœchantur, vtique ipſa Babylonia in regibus mœchatur ? & cum mercatores terræ de virtute deliciarum eius diteſcunt, ipſa ſine dubio ſuis diuitiis locupletatur. Sed manente genere in ſua proprietate, prodeunt ab ipſo ſpecies, vt aut diuerſæ vitiorum qualitates in eis deſignentur, aut certè Autores malorum

A atque imitatores eorum in hoc facto demonſtrentur. Se-
quitur:

Et audiui alteram vocem de cælo, dicentem: Exi de ea populus meus, & ne participes ſitis delictorum eius.*

Tempus quo de medio Babylonis exire quis poſſit,
nunc eſt, quando delictorum participatio cauenda eſt.
Et ille de medio Babylonis exit, qui peruerſorum erro-
Iſai. 52. res deuitat. Hinc alibi per Prophetam dicitur: *Exite
de medio Babylonis, & immundum ne tetigeritis.* Ac ſi di-
ceretur: Cauete contagia peccatorum, quia in eo tan-
tummodo nunc exire valetis de medio reproborum. Ad
quem autem vox iſta dirigitur, niſi ad eum cui ipſa vo-
ce dicitur. Exi de ea populus meus? Ex eiuſdem enim
B populi perſona, eandem vocem audiſſe ſe Ioannes teſta-
tur. Hanc quippe de cœlo quotidie audit Eccleſia, cum
eam aut à ſanctis prædicatoribus aure corporis exterius
percipit, aut cum eam ſolà diuina aſpiratione aure cordis
intelligit. Sed hanc quæ per officium prædicatorum
corporales percutit aures, ſimul electi & reprobi au-
diunt: illam vero quæ diuina aſpiratione interiores
pulſat aures, ſoli electi percipere poſſunt. De illa ergo
aliquid loquamur quæ electos de medio Babylonis exi-
re compellit: quæque niſi interiores fidelium pulſauerit
aures, in vacuum laborat vox dicentium ad aures exte-
1 Ioan. 2. riores. Vnde & Ioannes fidelibus dicit: *Non neceſſe ha-
betis vt aliquis doceat vos, ſed vnctio eius docet vos de
omnibus.* Sciendum verò, quia cum hac voce per ſemet-
ipſum humana corda Deus inſtituens loquitur, ſola no-
bis vis internæ aſpirationis aperitur. Cum inquam hac
voce per ſemetipſum loquitur, de verbo eius ſine verbis
ac ſyllabis cor docetur: quia virtus eius intima quadam
ſubleuatione cognoſcitur, ad quam mens plena ſuſpen-
C ditur, vacua grauatur. Pondus enim quoddam eſt, quod
omnem animam quam replet, leuet. Incorporeum lumen
eſt, quod & interiora repleat, & repleta exterius circum-
ſcribat. Sine ſtrepitu ſermo eſt, qui & auditum aperit, &
habere ſonitum neſcit. Quod enim de aduentu Sancti
Act. 2. Spiritus ſcriptum eſt? *Factus eſt repentè de cœlo ſonus
tanquam aduenientis Spiritus vehementis, & repleuit to-
tam domum vbi erant ſedentes: & apparuerunt illis diſ-
pertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eo-
rum.* Per ignem quidem Dominus apparuit, ſed per ſe-
metipſum locutionem interius fecit, & neque ignis
Deus, neque ille ſonitus fuit. Sed per hoc quod exterius
exhibuit, expreſſit hoc quod interius geſſit. Quia enim
diſcipulos & zelo accenſos, & verbo eruditos intus reddi-
dit, foris igneas linguas oſtēdit. Ad ſignificationem igitur
admota ſunt elementa, vt ignem & ſonitum ſentirēt cor-
pora, igni vero inuiſibili & voce ſine ſonitu docerentur
corda. Foris ergo fuit ignis qui apparuit, ſed intus qui
ſcientiam dedit. Et cum reginæ Candacis eunuchus cur-
D rum præſidens iter carperet, atque Iſaiam in manibus non
intelligens haberet, in corde nimirum Philippo ſpiritus
Act. 8. dixerat: *Adiunge te ad currum.* Et cum ad euocandum Pe-
trum timentes Deum milites Cornelius direxiſſet, in men-
Act. 10. te proculdubio ab ſpiritu Petrus audiuit: *Ecce tres viri
quærunt te, ſurge itaque, deſcende & vade cum eis.* Spiritui
enim Dei quaſi quædam nobis verba dicere, eſt, occulta
vi ea quæ agenda ſunt intimare, & cor hominis ignarum,
non adhibito ſtrepitu & tarditate ſermonis, peritum re-
pentè de abſconditis reddere. Nam quia auditus ea quæ
ad ſe fiunt, non ſimul omnia dicta comprehendit, quippè
qui & cauſas per verba, & particulatim verba per ſyllabas
percipit: viſus autem noſter in eo quo ſe direxerit, totum
ſubito & ſimul apprehendit: Dei locutio ad nos intrinſe-
cus facta, videtur potius quam auditur, quia dum ſemet-
ipſam ſine mora ſermonis inſinuat repentina luce igno-
rantiam noſtram è tenebris illuſtrat. Lumen ergo incor-
poreum eſt, oſtendens qua egredi debeamus, ipſa vox, quæ
nos etiam ſine ſonitu exterius perſonante admonet, vt re-
proborum conſortia vita & moribus fugiamus, quos cor-
poralì abſceſſu, relinquere non valemus. Sed vt dictum
eſt, illos admonet, imo iter oſtendens exire compellit,
quos Deus pater præſciuit & prædeſtinauit conformes Rō.
fieri imaginis filij ſui, quos etiam ſe ex nomine vocare
inſinuat. Si igitur creatoris noſtri beata prædeſtinatio
electos à reprobis diſſociat atque diuidit, ipſa vtrique
eſt vox illa, quæ de medio Babylonis exire nos monet;
nequaquam ſcilicet literis ac ſyllabis ſonans vel tran-
ſiens, ſed ineffabiliter atque inceſſabiliter ipſo pietatis
opere clamans. Oſtendit autem cauſam, cur eos à ma-
lorum conſortio gratia præueniente ſeparet, cum proti-
nus ſubinfert:

Et non accipiatis de plagis eius, quoniam peruenerunt peccata eius vſque ad cælum.

Ac ſi ipſo pietatis opere diceret: idcirco miſericordia
præueniente vos à delictorum eius diſiungo inquinamen-
tis, ne cum peccata eius fuerint conſummata, pariter cum
illa incipiatis affligi. Quorum enim vitam conuerſi ſimi-
lem in peccatis habere noluiſtis, vltionem cum eis parem
non recipietis, ſed hoc (vt dictum eſt) non noſtris meritis,
ſed gratia ipſius ſaluantis, neque enim noſtris viribus eaſ-
dem plagas euadere poſſumus, cum nobis hoc ſolo Dei
beneficio concedatur, qui nos etiam poſt admonitionem
retardantes à ruina perfidæ ciuitatis vi quodammodò exi-
te compellit. Quod figuraliter factum in Loth de Sodomis Gen.
exeunte legimus, quem propter carnis conſanguinitatem
Angeli retardantem manu apprehenderunt, atque ab in-
cendio eiuſdem ciuitatis eruerunt. Sed rectum ordinem
tenens Spiritus Sanctus, ac liberum arbitrium gratia præ-
ueniente & ſubſequente medio ſtabiliens, in eo quod di-
cit: *Exi de ea populus meus, & ne participes ſitis delicto-
rum eius, & non accipiatis de plagis eius*: voluit declara-
re, illos qui impietatis aſſenſu non capiuntur in corde,
nullatenus impiorum tormentis perſtringi. Notandum ve-
ro quod Babylon nequaquam ad plagas ante peruenit, niſi
cum peccata eius ad cœlum pertingunt. Nam quilibet re-
probi dum tempus pœnitentiæ vertunt in augmentum
culpæ, ira diſtricti iudicis agitur, vt vnde diutius expectan-
tur, inde durius puniantur. Iam enim pro commiſſis ſcele-
ribus digni ſunt æternis percuti plagis, ſed expectantur
adhuc vt amplius delinquant, quatenus qui conuerti à
prauitatibus ſuis nolunt, vt durius feriantur, non niſi con-
ſummatis delictis damnentur. Vnde & Apoſtolus dicit: *Vt* 1. Th
impleant peccata ſua ſemper. Hinc per Angelum ad Ioan-
nem dicitur: *Qui nocet, noceat adhuc: & qui in ſordibus eſt,* Apoc
ſordeſcat adhuc. O quam multis abominationibus adſtri-
ctus fuerit populus Amorræorum, & tamen expectabatur
adhuc, vt ad cumulum damnationis ſuæ ipſas abomina-
tiones augerent. Vnde & ingreſſum filiorum Iſraël in ter-
ram repromiſſionis, ipſa necdum completa peccata pro-
hibuiſſe narrantur, Domino ad Abraham dicente: *Nec-* Gene
dum completa ſunt peccata Amorræorum; ac ſi diceret: Ex-
pectate interim vſque dum impleant peccata ſua, quia
non eſt meæ conſuetudinis ante eos feriendo damnare. De
quibus præcedente libro multa iam diximus, cum de ſe-
ptem nouiſſimis plagis tractaremus. Et hæc quidem ſpe-
cialiter de ſingulis Babyloniæ membris, dixerimus, cæte-
rum generaliter tunc peccata eiuſdem corporis vſque ad
cœlum perueniunt, cum nouiſſime principaliter contra
Deum in ſuperbiam erigitur. Sic quippè de reproba ciui-
tate dicitur, Peruenerunt peccata eius vſque ad cœlum: ac
ſi diceretur, Immanitas tranſgreſſionis eius indicat, quia
non eſt vltra quo peccando tranſeat. Cum enim adunata
compage membrorum, coniuncto etiam per Antichri-
ſtum capite membris, de quo ſcriptum eſt, Qui ad-
uerſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus
aut quod colitur, hæc impia ciuitas intumuerit princi-
paliter contra Deum, tunc peccata eius vſque ad cœlos
perueniunt. Vox ergo qua dicitur, *Exi de ea populus meus,* 2. Th
& ne ſitis participes delictorum eius: toto quidem nunc
tempore aures electorum pulſat, ſed tunc inſtantius cla-
mabit, cum iam iamque delictis cœlum tangentibus

A perfida ciuitas ad debitas ſuppliciorum plagas in articulo diei peruenerit. Dicatur igitur: *Exi de ea populus meus, & ne participes ſitis delictorum eius, & non accipiatis de plagis eius, quoniam venerunt peccata eius vſque ad cælum.* Ac ſi diceretur: Vt in æternis verberibus cum reproba ciuitate non affligamini, dum adhuc modicum tempus ſupereſt, participationem delictorum eius fugite: quoniam iam terminus appropinquabit, quo peccata debitum finem accipiant. Sequitur:

Et recordatus eſt Dominus Deus iniquitatum eius: Reddite illi ſicut & ipſa reddidit vobis, & duplicatè duplicia ſecundum opera eius. In poculo quo miſcuit vobis, miſcete illi duplum.

B Cùm ſit Deus natura incommutabilis, nequaquam obliuiſcens vel recordans, humano tamen more (vt ſuprà plenius diſſeruimus) Scriptura ſancta paruulis congruens loquitur. Quorum enim peccata nunc ferire diſſimulat, quaſi obliuiſcitur. Sed cum peccata reproborum quæ diu tacens mletauit, in publicum examen deducens damnat, quaſi recordatur eorum. Vt enim illic recordentur, hic obliuiſcuntur, id eſt, vt illic damnentur, hic non feriuntur. At contra electorum hic recordanir delictorum, quia duris ea flagellis inſequitur: illic verò obliuiſcitur, quia illa quæ iam in præſenti percuſſit, non vult vt rurſum peccata damnentur. In eo autem quod ſequitur, *Reddite illi ſicut & ipſa reddidit vobis*, quæſtio nobis exoritur. Nā quia Eccleſia in principibus religionis ſuæ ſedens cum Domino iudicabit, mirandum non eſt quod ad electorum eius perſonas de reproba ciuitate dicitur, *Reddite illi*. Sed mirandum valde eſt, quod ſubiungitur, Sicut & ipſa reddidit vobis. Si enim diceret, *Reddite illi ſicut & ipſa fecit vobis*, quæſtio nulla eſſet. Certum eſt enim, Eccleſiam tunc malis

C reddere, quod in illam exercuerunt. Sed nunquid de eadem Eccleſia aliquis in reprobos deliquit vt ab ipſis in præſenti affligeretur, cuius membra alloquitur Chriſtus,

Matth. 5. *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos?* Quid ſibi vult ergo quod dicitur, *Reddite illi ſicut & ipſa reddidit vobis*: niſi quia dum ipſa impia ciuitas in electos deſæuit peccata quæ in Deum commiſerunt, vindicat? Virga enim Dei eſt, quæ commiſſa electorum percutiens corrigit. Vn-

Iſai. 10. de per Prophetam Dominus dicit: *Væ Aſſur, virga furoris mei.* Dicatur ergo, *Reddite illi ſicut & ipſa reddidit vobis*: ac ſi diceremus, Vindicate in illam meam iniuriam, ſicut & illa fecit in vobis. Quod autem ſubiungitur, *Et duplicate duplicia ſecundum opera eius*, ſic intelligendum eſt tanquam diceretur, Pro eo quod impiorum ciuitas ſemper voluit in carne manere, ne vnquam peccare deſineret: dignum eſt vt veſtro iudicio, quia ab ipſa temporaliter afflicti eſtis, æternas pœnas ſecundum qualitatem vniuſcuiuſque peccati, in ſingulis ſuis membris recipiat,

D quæ tamen non æternaliter, quia non potuit, cum vellet vtique, ſi poſſet, ſed temporaliter deliquit, atque æternis crucietur tormentis, quæ tranſitoriis fruebatur deliciis. Iſtæ etenim ſunt illæ reproborum vſuræ, de quibus electorum animas à Domino liberari Pſalmiſta

Pſal. 71. teſtatur, dicens: *Ex vſuris & iniquitate liberauit animas eorum.* Quaſi enim quædam reproborum vſuræ ſunt, æterna tormenta pro ſceleribus temporaliter commiſſis. Ad quos iterato ſententia dirigitur, qua dicitur: *In poculo quo miſcuit vobis miſcete illi duplum.* Et quid hoc loco in poculo Babylonis intelligere debemus, niſi ſupplicium paſſionis, quo martyres Chriſti temporalibus affligit tormentis? In quo ſcilicet poculo duplo propinatur: quia cum corpore ſimul & anima æternis ſuppliciis mancipatur, quæ ſolam electorum carnem laceraſſe cognoſcitur. Sequitur autem de reproba ciuitate, & dicitur:

E *Quantum glorificauit ſe & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.*

Cùm præcedenti verſu de hac reproborum parte dictum ſit, duplicate duplicia ſecundum opera eius: quid ſibi vult, quod nunc ſimplicia tantum dicitur receptura, niſi quia in vno eodemque corpore diuerſorum actuum diuerſæ ſignificantur perſonæ, vna plus, alia minus delinquens? Ac ſi diceretur: In quantum quis gloria temporali elatus, deliciis ac voluptatibus deuinctus, ſemetipſum in hac vita procliuiorem præbuit ad peccandum, in tantum date illi tormentum & luctum: velut ſi etiam adhuc apertius ſermo gratiæ electos admoneat, dicens: Vnicuique reproborum iuxta propriam operationem dupla reddite, etſi alij minus, alij maius, vnicuique autem duplicia date. Sed ſiue ſimpla ſeu dupla reprobi tunc recipiant,

F vtrique ſententiæ illud contrarium occurrit, quod Pſal- Pſal. 78.
miſta in perſona Eccleſiæ exorat, dicens: *Redde vicinis noſtris ſeptuplum*: niſi ita forte ſentiendum ſit, quia alius ſimpla, alius autem dupla, alius vero recipiat ſeptupla. Et quidem ad comparationem aliorum, alius ſimpla, alius dupla, alius recipit ſeptupla. Sed cum ſubtilius iſta inſpicimus, vileſcit talis intellectus, cum & ſeptenarius ad retributionem malorum numerus, quantitatem ſimplicis vel duplicis habere videatur. Quapropter ſciendum nobis eſt, quia propter diſcretionem pœnarum hæc ipſa impia ciuitas tantum recipit, in quantum deliquit. Propter quod autem æternis cruciatur tormentis, quæ temporaliter peccauit, duplicia recipit. Et quia nil mali in pœna illi deerit, quæ ſeptenario dierum circulo voluptatum omnium illecebris ſemetipſam maculauit, ſeptula ſine dubio recipit. Cur autem hæc illi in extremis contingant, aperitur cum ſubiungitur:

Quia in corde ſuo dicit: Sedeo regina, & vidua non ſum, & luctum non videbo. Ideo in una die venient plagæ eius, mors & luctus & fames, & igne cremabitur: quia fortis eſt Deus qui iudicabit in illam. G

Vniuſcuiuſque electi anima vidua non eſt, ſed ſedet regina: quia ab ſpiritali intellectu tanquam à viro ad æterna regitur, vt ſcilicet intimo diſcretionis examine terrena deſpiciat, ſupernis inhiet. Quo contra impudens ancilla, cum errorem qui ad interitum minet, ſuſceperit, intellectu ſpiritali ſua intima diſponere ſe iactat. Iam enim quinque reges amiſit, ſed vnus qui ſupereſt, non eſt eius, quia & ad perfectam intelligendi ætatem poſt primordia vitæ, quæ quinque corporis ſenſus regit, peruenit, & tamen non ſpiritalem intellectum qui ad æterna regat, ſed errorem qui ad præcipitium minet, in ſe damnari voluit. Cui rectè à Domino per Prophetam

dicitur: *Deſcende, ſede in puluere virgo filia Babylon: ſede in terra, non eſt ſolium filiæ Chaldæorum, quia vltra non vocaberis mollis & tenera. Tolle molam, mole farinam, denuda turpitudinem, diſcooperi humerum, reuela crus, tranſi flumina.* Ac ſi ei apertè diceretur: quia cum ſpiritali intellectu ſuperna non requiris, cum errore ad opus ancillæ (id eſt, ad terrena quærenda) deſcende. Sed cum hæc Apocalypſis Babylon meretricem vocet, valde notandum eſt, quid ſibi velit quod Propheta filiam Babylonis virginem vocat. Sed hac in re opportuna nobis ratio occurrit, quia humana mens à Propheta virgo non incorrupta, ſed infœcunda vocatur. Quia enim Babylon confuſio interpretatur, rectè infœcunda mens filia Babylonis vocatur: quia in eo quod nequaquam bona opera germinat, dum nullo ordine rectæ vitæ componitur, quaſi confuſionis matre generatur. Cui etiam poſt deſcenſionem congruè per increpationem dicitur, *Sede in puluere.* Deſcendens enim in puluere ſedet, quia dum ſpiritali intellectu ſuperna non requirit amiſſo diſcretionis iu- Iſai. 47. H

A dicio, terrenis cogitationibus aſperſa, in infinis tabeſcit. Vbi adhuc ingeminando ſubiungitur, *Sede in terra*: Ac ſi exprobrans dicat: Quia te ad ſuperna cum ſpiritali viro erigere noluiſti, ſed temetipſa proſtrata in terrenis actibus humiliate. Vnde & neceſſario protinus additur, non eſt ſolium filiæ Chaldæorum. Chaldæi namque interpretantur feroces. Valde autem feroces ſunt, qui voluntates ſuas ſequentes nec ſuis parcere moribus ſciunt. Ferocia ſunt terrena deſideria, quæ non ſolum contra præcepta conditoris, ſed ſæpè etiam contra percuſſionum verbera duram atque inſenſibilem mentem reddunt. Sed filia ferocium ſolium non habet, quia mens quæ ad amorem mundi ex prauis deſideriis naſcitur, atque in eiſdem deſideriis obduratur, in eo quod ſe terrenis concupiſcentiis ſubiicit, ſedem iudicij amittit: nullumque apud ſe ſolium præſidet, quia examine diſcretionis caret: & quaſi à iudicij ſui ſeſſione repellitur, quia per exteriores concupiſcentias vagatur. Liquet enim
B quod mens quæ intus conſilij ſedem perdiderit, foris ſe per deſideria innumera ſpargit. Et quia agere intellecta diſſimulat, cæcatur rectè, vt etiam neſciat quod agat. Et ſæpè iuſto iudicio in ipſa ſua voluntate relinquitur,
Iſai. 47. & ſub ea quæ anxiè appetit, laborioſa mundi miniſteria relaxatur. Vnde aptè illic ſubditur: *Quia vltra non vocaberis mollis & tenera, tolle molam, mole farinam.* Conſtat nimirum quod teneræ ſuæ filiæ parentes parcunt, nec duris atque ſeruilibus hanc operibus affligunt. Omnipotens ergo Deus quaſi teneram filiam nominat, quando dilectam vniuſculuſque animam à laborioſis huius mundi ſeruitiis reuocat: ne dum exterioribus actibus afficitur, ab internis deſideriis induretur. Sed Chaldæorum filia mollis & tenera non vocatur: quia mens prauis deſideriis dedita, in eo quem anxiè appetit, huius ſæculi labore relinquitur, vt foris mundo velut ancilla ſeruiat, quæ intus Deum vt filia nequaquam amat. Vnde & molam tollere, & farinam molere iubetur. Mola in gyrum ducitur, & farina profertur. Vnaquæque autem mundi huius actio,
C mola eſt: quæ dum multas curas congerit, humanas mentes quaſi per gyrum vertit, atque ex ſe velut farinas proiicit, quia ſeducto corde, ſemper minutiſſimas cogitationes gignit. Et quia reproborum mentes ad ea quæ turpiter interius concupiſcunt, abſque vlla pudoris reuerentia exterius adimplenda perueniunt, aptè illic ſubinfertur: Denuda turpitudinem tuam, diſcooperi humerum tuum, reuela crus, tranſi flumina. Vnaquæque enim mens turpitudinem ſuam denudat, dum hoc quod turpiter intus concupiſcit, exterius ſine reuerentia peragit. Humerum diſcooperit, dum opus quod pridem latenter operabatur, cunctis fieri palam
Iſai. 3. non erubeſcit. Hinc de quibuſdam dicitur: *Peccata ſua quaſi Sodoma prædicauerunt, nec abſconderunt.* Flumina etiam reuelato crure tranſit, quia actiones huius ſæculi quæ quotidie ad terminum defluunt, & indeſinenter & apertè appetit. Dumque alia relinquit, alia aſſequitur, quaſi ſemper de flumine ad flumen tendit. Sed quæ damnationis ſententia Babyloniam ſequatur ſu-
D perbientem, manifeſtatur cum per Angelum ſubinfertur: Ideo in vna die venient plagæ eius, mors & luctus & fames, & igne cremabitur. Mors namque reproborum principalis illa eſt, qua Deo deſerente interior moritur homo, manente exteriore cruciatu, quo & exterior & interior affligitur homo. Sicut enim anima diſcedente moritur corpus, ſic Deo deſerente moritur anima. Et reuera nihil certius. Quo enim pacto viuere poteſt anima, quæ non habet viuificatricem vitam æternam, etiam ſi non adſit exterius tormentum? Secundum hunc intellectum in hac etiam adhuc vita mortui pronuntiantur illi, de quibus à ſaluatore cuidam
Matth. 8. Luc. 9. in Euangelio dicitur: *Sine mortuos vt ſepeliant mortuos ſuos.* Luctus porrò nefandæ ciuitatis ille eſt æternalis,
Luc. 6. Matt. 8. 13. 25. 24. 25. Apoc. 1. de quo eiſdem per eundem ſaluatorem dicitur: *Væ vobis qui ridetis nunc, quia plorabitis & flebitis.* Et illud: *Ibi erit fletus & ſtridor dentium.* De quo & Ioanni dicitur: *Plangent ſe ſuper ſe omnes tribus terræ. Etiam amen.* Inter

E hæc autem cogit nos gemitus dicere, quam ineffabilis atque incogitabilis ſit illa interminabilis pœna, quæ in nullo poteſt aſſimilari iſtis temporalibus pœnis. Nullus etenim valet in temporali poſitus igne, ſimul ardere, lugere, ac frigus ſentire, quod omnino ibi fiet, vbi de pœnis nil deerit, ſed nec viciſſitudo in eiſdem pœnis ſuccedit, vt nunc iſta, nunc ſæuiant illa, ſed ſimul graſſabunt omnia, ſimul vndique miſeros afficient omnia. Quod autem fame ciuitas meretrix dicitur cruciari, quamquam in illis malorum ſuppliciis ineſſe etiam fames ſecundum quam nunc corporaliter affligimur credatur, vbi nulla miſeria deeſt illa tamen deterior atque immanior intelligenda eſt, qua impij à Dei contemplatione in perpetuum remanebunt ieiuni. Sicut enim præſentia Dei vita & cibus eſt electorum, ſic eiuſdem abſentia mors & fames reproborum. Iſto etenim cibo iu- Matth. 5.
ſtos in futurum alendos Dominus denuntiat, dicens: *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.* Hinc Pſalmiſta ait: *Satiabor dum manifeſtabitur* Pſal. 16.
F *gloria tua.* Hinc in hac reuelatione ex perſona Domi- Apoc. 2.
ni Angelus dicit: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo Dei mei.* Et iterum: *Vincenti dabo* Ibid.
manna abſconditum. Tot autem tantiſque miſeriis deprehenſa ciuitas meretrix, igni inſuper corporali dicitur concremari. Benè autem ſubditur: *Quia fortis eſt Dominus qui iudicabit illam.* Ac ſi diceretur: Idcirco in æternum cruciabitur, quia nullus eidem iudici, ſiue Angelorum, ſeu hominum, vel audebit vel valebit vel ſupplet precibus obuiare, cum fortem damnationis ſententiam in reprobos dederit. Vnde & ipſe cum de damnatione antiqui hoſtis eiuſque corporis ad Beatum Iob multa loqueretur, ſubiecit & ait: *Quis enim reſiſtere pote-* Iob 41.
rit vultui meo? ſubaudis, *nemo.* Fortis enim eſt, nec flecti tunc valet ad miſericordiam, cum ira eius exarſerit in peccatoribus. Sequitur:

Et flebunt & plangent ſe ſuper illam reges terræ, qui cum illa fornicati ſunt & in deliciis vixerunt, cum viderint fumum incendij eius, longè ſtantes propter timorem tormentorum eius, & dicentes: Væ, væ ciuitas illa magna Babylon, ciuitas illa fortis, quoniam vna hora venit iudicium tuum. G

Quia hæc eadem Babylonia diuerſis nuncupetur vocabulis, & ſiue in regibus, ſeu in gentibus ſiue in mercatoribus conſiſtat, ſæpe dixiſſe me recolo: & valde laborioſum eſt, idipſum per ſingula inculcando repetere. Sed quia latebroſæ in ſingulis ad ſoluendum incurrunt quæſtiones, inuiti quodammodo ad hoc ipſum pertrahimur. Quærendum enim nobis eſt, quomodo ſit certum, præfatam Babyloniam diuerſis ſignificari vocabulis, eandemque ſiue ex regibus terræ, ſeu ex gentibus, ſiue ex mercatoribus exiſte-
re: cum ipſa ſuccenſa, iſti dicantur à longè conſequenter H
ſtare, atque eam non communi dolendo cruciatu, ſed libera conſideratione miſerabiliter deflere. Qua de re ſciendũ eſt nobis, quia autor huius hiſtoriæ, narrata omnium malorum extrema damnatione, recapitulando ad præſens tẽpus recurrit: vnumque diaboli corpus in partes diuidens, oſtendit qualiter Babylonia ſuperſtes, deſolationem Babyloniæ pereuntis defleat. In hac enim recapitulatione ſæculi pompam impiis prædicit auferri, per quam prauis voluptatibus adimplendis hinc inde circumfluens, carnalium deliciarum opportuna quodammodo importunitate ſuffragabatur occaſio. Quia ſublata, per defectum ad deſolationem diuinis mundo iudiciis irrogatam, certi (vt dictum eſt) ſuperſtites aliorum perhibentur interitum plangere, qui ſimul vitam cum diuitiis amiſerunt, & ideo dicuntur à longè ſtare, ac metu ſimilis pœnæ formidare. Quod tunc eis minimè licebit, cum laqueus ruinæ ſimul omnes apprehenderit. Quis eſt

A autem fumus incendij eiuſdem ciuitatis,niſi ipſa diminu-
tio rerum humanarum ac preſſuræ tribulationum? Quid
enim præſentes tribulationes,niſi (vt ita dixerim) fumus
ſunt futurarum pœnarum? Sicut enim fumus futuris dat
indicium flammis, ſic præſentes tribulationes futurorum
tormentorum ſpecimen eſſe videntur, tanquam ſcilicet
prænuntiæ ignis æterni. Hinc Dominus ad diſcipulos ait:
Marc. 13. *Audituri eſtis prælia & opiniones præliorum, videte ne tur-
bemini. Oportet hæc fieri, ſed nondum eſt finis. Conſurget enim
gens in gentem, & regnum in regnum, & erunt peſtilentiæ &
fames & terræmotus per loca. Hæc autem omnia, initia ſunt
dolorum.* Ac ſi aliis verbis diceret: Fumus ſunt futuræ for-
nacis, id eſt, ſpecimen ignis æterni. Quo contra iſtis pro-
pter metum preſſurarum atque amiſſionem humanarum
Luc. 13. rerum lugentibus, electi nihil in hoc mundo appetentes
monentur, ſicut in Euangelio illis à Domino dicitur: *His
autem fieri incipientibus, reſpicite & leuate capita veſtra,
quoniam appropinquabit redemptio veſtra.* Tanquam eiſ-
B dem apertiùs diceret: Cùm crebreſcentibus plagis mundi
finis in proximo oſtenditur, leuate vos capita, id eſt, læti-
ficate corda, quia dum finitur is quem non amatis, propè
fit redemptio quam quæſiſtis. Sed quid reprobi de mundi
deſtructione lugentes dicant, audiamus. Aiunt enim: *Væ,
væ ciuitas illa magna Babylon, ciuitas illa fortis, quoniam
vna hora venit iudicium tuum.* Ac ſi incomparabilibus ge-
mituum lacrymis atque ſingultibus dicant: Cur præſen-
tium rerum voluptatibus non licuit perfrui his, quibus ſi-
mul diuitias & vitam amiſiſſe contigit? Hinc enim lugent,
hinc mœrore ſemetipſos afficiunt, quia ſecundum illorum
votum nequaquam permittuntur carnalium rerum volu-
ptatibus in æternum perfrui. Qui ſi poſſent, vtique vellent
ſemper in deliciis viuere, & nunquam peccare deſiſtere,
vel hanc miſerabilem vitam amittere. Vnam etenim ho-
1 Ioan 2. ram pro præſenti tempore, ex quo Apoſtolica voce cla-
matur: *Filioli, nouiſſima hora eſt,* à paſſione ſcilicet Chriſti
vſque ad ſæculi finem, poſitam intelligimus. Cuius nunc
quidem medietas fumum arſuræ ciuitatis demonſtrat, ſed
C extremitas ad integrum ſuccenſam declarabit. Tota nam-
que iſto in tempore ligna, fœnum, ſtipulam, quibus cre-
metur, ipſa meretrix aggregat: & quia non vt perpetuas
pœnas euadat, ſed vt à temporalibus inſipiens, ad æterna
tormenta perueniat, pro perpetratis facinoribus tempora-
liter plerumque cruciatur: rectè nunc fumari dicitur, vt
quandoque ſempiternis tormentorum flammis confla-
gretur. De qua adhuc ſequitur:

*Et mercatores terræ flebunt ſuper illam, quo-
niam merces eorum nemo emet amplius.*

Cùm enim per orbem terræ quædam prouinciarum
loca clade deſolantur, quædam gladio conſumuntur, quæ-
dam hoſtili inuaſione prædantur, quædam fame crucian-
tur, quædam terræ hiatibus abſorbentur, in cunctis mun-
di partibus hic mercatorum fletus oſtenditur. Iam enim à
propria mundus gloria cecidit, iam ad comparationem
præteriti temporis inops oſtenditur, iam nec tales in eo
inueniuntur, qui aut virtute corporis, aut ingenio animi
D ipſas ædificiorum eius ruinas erigere valeant. Et hinc lu-
get, hinc gemit mundus damnatus, mundus minimè re-
conciliatus, mundus in maligno poſitus, qui radices cor-
dis in præſentium rerum voluptatibus & amore defixit,
qui æternam vitam non concupiſcit, qui etiam in innu-
meris ſuorum nequaquam eſſe creditur. Qui nihil diligere
niſi quicquid ad voluptatem carnis illicit, nouit; quicquid
ſcilicet viſu pulcrum, auditu canorum, tactu blandum,
odoratu ſuaue, guſtuque eſt delectabile. Amat enim quod
perdit ad præſens inuitus, nec amat quod in æternum poſ-
ſideat voluntarius. Enarrat proinde Spiritus Sanctus ſin-
gulatim ac per partes, ſi qua humanis vſibus neceſſaria, ſi
qua ſæcularibus nouit vtilitatibus à cupidis, atque carna-
libus magnopere concupiſci: nec non & illa, quæ nouiſſi-
mis quinque corporis ſenſibus delectabiliter nouit hauri-
ri, eaque pronuntiat de futura hoc mundo:

E *Mercem auri & argenti, & lapidis pretioſi, &
margariti, & byſſi, & ſerici, & cocci, &
omne lignum thyinum, & omnia vaſa ebo-
ris, & omnia vaſa de lapide pretioſo & æra-
mento & ferro & marmore.*

Hæc ad ſenſum oculorum rediguntur, quæque in tan-
tum ardentius à carnalibus deſiderantur, in quantum ra-
riora cæteris inueniuntur. Quia vero (vt ſuprà meminì-
mus) ablatæ reproborum diuitiæ, etiam hypocriſin ſimu-
latæ veritatis, quæ plerumque detecta vacuatur deſignant:
libet prius inquirere, qualiter nunquam pereuntes electo-
rum diuitias figurent: & ſic demum, quibus modis ea ſibi
fallaciter pars aduerſa vſurpare nitatur, demonſtrare. In
auro ſiquidem ſolet eximio fulgore radians ſapientia de-
ſignari, vnde ſcriptum eſt: *Accipite ſapientiam ſicut aurum.* Prou. 16.
Argenti autem nomine ſacra figurantur eloquia, Pſalmiſta F
atteſtante qui ait: *Eloquia Domini eloquia caſta, argentum* Pſal. 11.
igni examinatum. Lapidis vero vocabulo, cum ſingulari
numero ponitur ipſe Saluator omnium deſignatur. Vnde
& Petrus teſtimonium Prophetæ exponens, dicit: *Ecce* 1. Pet. 2
*pono in Sion lapidem angularem, electum, pretioſum: & qui
crediderit in eum, non confundetur.* Cùm autem plurali nu-
mero interſeritur, membra eiuſdem redemptoris per eum
figurantur: ſicut idem beatiſſimus Petrus cum de Chriſto
præmitteret dicens: *Ad quem accedentes lapidem viuum,* Iſai. 28.
ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum, 1. Pet. 2.
pretioſiſſimum; ſecutus adiunxit, *Et ipſi vos tanquam lapi-
des viui ſuperædificamini in domos ſpiritales.* Hinc eſt etiam
quod murus cœleſtis Ieruſalem ex omni lapide pretioſo
conſtructus eſſe deſcribitur. Margariti etiam nomine in
ſingulari numero Dominus Ieſus Chriſtus, in plurali vero
Apoſtoli eiuſdem figurantur. Quia enim per margaritum
ſingulari numero poſitum, ipſe autor omnium deſignetur
Euangelium teſtatur quo dicitur: *Simile eſt regnum cœlo-* Matt. 13.
*rum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas: & in-
uenta vna pretioſa margarita dedit omnia ſua & compara-* G
uit eam. Quia vero margariti nomine Apoſtoli figurentur, Apoc. 21
in hac Apocalypſi declaratur, cum de præfata cœleſti Ie-
ruſalem quæ eſt Eccleſia, dicitur: Et duodecim portæ,
duodecim margaritæ ſunt per ſingulas, & ſingulæ portæ
erant ex ſingulis margaritis. Iam vero quis non videat in
byſſo iuſtificationes ſanctorum, in purpura martyrium, in
ſerico virginitatem, in cocco charitatem, in ligno thyino
ac pretioſo conſtantiam durabilem, in ebore virtutum
pulchritudinem, in ære fortitudinem ac longanimitatem
vel prædicationem, in ferro ſubtilitatis acumen, in mar-
more inuictam humilitatem figurari? Hæc denique omnia
plerumque ſe habere, obumbrata veri ſimilitudine gloria-
tur beſtia vel ciuitas meretrix, cum in auro vel argento,
Philoſophorum vel hæreticorum doctrinam oſtendit: in
lapide pretioſo ac margarito, vel Pſeudochriſtos, vel Pſeu-
doprophetas atque Hereſiarchas opponit: in byſſo, iniuſti-
tiam obtentu iuſtitiæ adopertam: in purpura, interfectio-
nem hæreticorum tegmine martyrum Chriſti velatam: in H
ſerico, corruptionem mentis integritate carnis oppanſam:
in cocco, ſimulatione charitatis crudelitatem palliatam:
in ligno thyino ac pretioſo durabili, conſtantia mentis
obſtinationem obumbratam: in ebore, ſimulatione virtu-
tum, vitiorum turpitudinem obtectam: in ære, firmiſſimæ
prædicationis tegmine durabilem atq; inſanabilem perfi-
diam palliatam: in ferro, acumine ſubuentionis aſtutiam
deceptionis cœlatam: in marmore, humilitatis ſimili-
tudinem falſæ ſubiectionis muſcipula obumbratam an-
teponit. Quia igitur ſuperno moderamine mundanæ ſa-
pientiæ faſtus deiicitur, eiuſdemque Doctores ſubtra-
huntur, Pſeudochriſti ac Pſeudoprophetæ, Hæreſiar-
chæ eorumque complices ad interitum tolluntur, falſæ
religionis obtentus à vera Chriſti religione confunditur,
mundus in reprobis iiſdem diuitiis inops effectus, flere
deſcribitur. Sequitur:

A

Et cinamomum & amomum, & odoramentorum & vnguenti & thuris.

Hæc iuxta literam ad olfactum pertinere videntur & tactum. Cinamomum enim & amomum, diuerſorumque odoramenta pigmentorum & thus, ad olfactum: vnguentum vero, ad tactum ſimul & olfactum redigitur. Sed quia non ſunt in hac Apocalypſi ſine myſticis ſenſibus literæ interpoſitæ, quæramus (vt cœpimus) qualiter illa quæ in bonum iſtæ ſpecies ſignificant, vſurpet pars aduerſa, quibuſque ablatis amariter defleat. Et vt hoc paruitas noſtra queat implere, prius quid boni ſignificent demonſtremus. Quid enim deſignatur per cinamomum & amomum, niſi odor virtutum? Vnde & ſapientia voce Eccle-
Exod.14 ſiæ dicit: *Sicut cinamomum & amomum aromatizans*
2.Cor.2. *odorem dedi.* Hinc Paulus dicit: *Chriſti bonus odor ſumus*
B *Deo in omni loco, & in his qui pereunt, & in his qui ſalui ſunt.* Quid vero in diuerſorum odoramentis pigmentorum & thure, niſi orationes exprimuntur ſanctorum? Hinc enim in Canticis Canticorum ſponſi voce in laude
Cant. 3. Eccleſiæ dicitur: *Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris & vniuerſi pulueris pigmentarij?* Sancta quippe electorum Eccleſia cum ab hoc mundo in ſanctis precibus ardenti amore ſe erigit, per deſertum quod deſerit, aſcendit. Qualiter vero aſcendat ſubiungit: *Sicut virgula fumi ex aromatibus.* Fumus de incenſo naſcitur. Et per Pſalmiſtam di-
Pſal.140. citur: *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Fumus excutere lacrymas ſolet. Itaque fumus ex aromatibus, eſt compunctio orationis ex virtutibus amoris. Quæ tamen oratio, fumi virgula dicitur: qui dum ſola cœleſtia poſtulat, ſecreta progreditur, vt ad terrena atque temporalia appetenda pro terreno ſtudio minimè reflectatur. Et notandum quod non virga, ſed virgula nuncupatur, quia
C interdum in compunctionis ardore tantæ ſubtilitatis eſt vis amoris, vt hanc nec ipſe animus poſſit comprehendere, qui illuminatus meruit habere. Benè autem dicitur, myrrhæ & thuris. Thus enim ex lege, Domino in ſacrificium incenditur. Per myrrham vero corpora mortuorum condiuntur, ne à vermibus corrumpantur. Myrrhæ ergo & thuris ſacrificium offerunt, qui & carnem affíciunt, ne eis corruptionis vitia dominentur, & redolentem in conſpectu Domini amoris ſui hoſtiam incendunt. Myrrham ergo, quia ſe cruciant, & cruciando à vitiis conſeruant: thus vero, quia Dei viſionem diligunt, ad quem venire medullitus inardeſcunt, ſeque ipſos ei in ſanctis virtuti-
Cant.3. bus exhibent. Vnde & illic ſubditur: *Et vniuerſi pulueris pigmentarij.* Puluis pigmentarij, eſt virtus benè operantis. Et notandum quod virtutes benè operantium, non pigmenta, ſed pulueres dicuntur. Cum enim quælibet bona agimus, pigmenta efficimus, cum vero etiam ipſa quæ agimus retractamus, & ne quid in his ſiniſtrum ſit, iudicio retractationis attendimus, quaſi ex pigmentis puluerem
D facimus vt orationem noſtram Domino per diſcretionem ſubtilius incendamus. Quid quoque vnguenti nomine,
Cant.1. niſi ipſe autor ſuauitatis exprimitur, cui in Canticis Canticorum dicitur: *Vnguentum effuſum nomen tuum?* Vnguentum quippè effuſum, eſt diuinitas incarnata. Si enim ſit vngentum in vaſculo, odorem exterius minorem reddit. Si verò effundatur, odor effuſionis vnguenti dilatatur. Nomen ergo Dei, vnguentum effuſum eſt: qui cum ab immenſitate diuinitatis ſuæ ad naturam noſtram ſe exterius fudit, ab eo quod eſt inuiſibilis, ſe viſibilem reddidit. Si enim ſe non effunderet, nequaquam nobis innoteſceret. *Effudit autem ſe vnguentum, cum & Deum ſeruauit, &*
Philip. 2. *hominem exhibuit.* De qua effuſione Paulus dicit: *Cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens.* Quod enim Paulus dicit, *Exinaniuit*: hoc Salomon, *effudit.* Nam & in alia tranſlatione non dicitur, *Vnguentum effuſum eſt nomen tuum*: ſed, *exinanitum.* Cui etiam in
Cant.4. iiſdem Canticis Cantic. Eccleſia dicit: *Odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata.* Habet enim hic ſancta

E Eccleſia aromata, dum virtute ſcientiæ, virtute caſtitatis, virtute miſericordiæ, virtute humilitatis, virtute charitatis pollet. Si enim ſanctorum vita odorem aromatum ex virtutibus non haberet, nequaquam hoc quod præmiſi-
mus, Paulus diceret: *Chriſti bonus odor ſumus in omni* 2.Cor.2.
loco Deo. Sed longè excellentior eſt illa vnctio contemplationis Dei, ad quam quandoque ducendi ſumus. Longè excellentior eſt odor vnguentorum Dei, aromatibus virtutum noſtrarum, quia etſi iam magna ſunt quæ accepimus, valde tamen potiora ſunt quæ de contemplatione creatoris noſtri accepturi ſumus. Iam verò ſi attendamus, qualiter hæc fraudulenter ſe habere dicat pars aduerſa, quibuſque ablatis vehementer videatur affligi, in cinamomo & amomo fœtentem vitam hæreticorum ſub obtentu odoris, qui manat ex virtutibus ſanctorum, imitandam opponit. Quo contra re-
ctè de illis dicitur: *Et erit pro ſuaui odore fœtor.* In di- Iſai. 3.
uerſis autem odoramentis, fictam hypocritarum orandi ſedulitatem, benè orantium ſimilitudine obumbratam, obiicit: in vnguento vero, Pſeudochriſtorum aſperitatem ſub velamine lenitatis Chriſti tectam; oſtentat. F
Quarum ſimulationum ſubtractatis autoribus; amariter mundus flere deſcribitur. Quis enim noſtrum ſcire valet, quantus mœror Neronis animum de nece Simonis magi tenuerit, qui vſque ad necem Apoſtolorum ipſo mœroris cruciatu impulſus exarſit? Quantus dolor de interitu Arrij hæreticos aſtrinxit, qui eum nec damnatum imitari deſierunt? Sic, ſic mundus, ſic in vtriſque rebus ablatis, flere cognoſcitur in reprobis hominibus. Sequitur:

Et vini, & olei, & ſimilæ, & tritici.

Hæc ſecundum hiſtoriam, quæ neſcio vtrum in hac reuelatione facilè inueniri poſſit, ad guſtum rediguntur: quæque ita illiciunt fauces carnis, vt & ea quæ in veritate ſignificant, electorum demulceant cordis palatum: & G
ea quæ ex eorum falſa imitatione aſſumunt, ſuauia credantur mentibus reproborum. Quid enim deſignatur per vinum, niſi nouum Teſtamentum, quod auditorum mentes debrians, à mundi concupiſcentiis inſenſibiles
reddit? Hinc eſt quod Dominus in nuptiis de aqua vinum Ioan. 2.
feciſſe narratur. Quid autem per oleum, niſi vnctio Spiritus Sancti figuratur? Vnde & per Pſalmiſtæ vocem re- Pſal.44.
demptori noſtro dicitur: *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* De quo etiam oleo per Prophetam
dicitur: *Computreſcit iugum à facie olei.* Hinc per Moyſen Iſai.10.
dicitur: *Suxerunt mel de petra, oleum de firma petra.* Deut.32.
Quid vero per ſimilam vel triticum, niſi caro exprimitur
redemptoris? Quæ & in paſſionis fixura cibum ſe exhi- Ioan.12.
buit electorum, & vt granum tritici cadens in terram, ac poſt triduum reſurgens à mortuis, multarum frugum extitit incrementum. De qua videlicet electorum opulen- Pſal.4.
tia, rurſum per Pſalmiſtam dicitur: *A tempore frumenti, vini & olei ſui, multiplicati ſunt.* Ac ſi diceretur: Ab H
eo quod illud cœleſte granum in terram cecidit, atque Euangelicæ prædicationis vinum mentes electorum debriare cœpit, oleumque Spiritus Sancti de cœlo miſſum,
corda fidelium inunxit: tanquam * gratia ad granum * granū
pertinentes, multiplicati ſunt. Hinc iterum per eundem
Pſalmiſtam dicitur: *Vt educas panem de terra, & vi-* Pſal.103.
num lætificet cor hominis, vt exhilares faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet: ſubaudis, tempus aduenit Deus enim pater de terra panem eduxit, quia de Beata Virgine vnigenitum ſuum, Deum, hominem natum,
mundo oſtendit. Vnde ſcriptum eſt: *Veritas de terra orta* Pſal.84.
eſt, & iuſtitia de cœlo proſpexit. Vinum autem cor hominis lætificauit, quia Euangelica prædicatio, de peccati mœrore ad ſpem veniæ reformauit. Faciem vero in oleo exhilarauit; quia hoc quod Dominus voce pietatis promiſit, Spiritus Sancti effuſione confirmauit. Vnde & merito idem ſpiritus, paraclitus, id eſt, aduocatus vel conſolator in noſtra lingua ſonare videtur. Panis quoque cor ho

A minis confirmauit, quia comeſta redemptoris caro, ad
tolerandas paſſiones roborauit. Quæ ſcilicet dum pars
reprobæ ciuitatis obumbrata beſtiæ ſeductione ſe putat
habere, tanto amplius dolet, ſi contigerit perdidiſſe, quan-
tum magnarum opum diuitias iſta ſignificare videntur.
Nam vinum & oleum amiſiſſe ſe dolent, cum vinacea &
amurcam perdiderint. Similam & triticum perdidiſſe ſe
gemunt cum zizania & paleas amiſerint. Subaudis, exi-
ſtimant ubi veræ fidei prædicatores ſubtractos, ſpiritali
doctrina repletos, Spiritus Sancti illuſtratione afflatos,
cœleſtibus Sacramentis ad vitam enutritos, cum prauæ
hæreſeos ſeductores corrupta ſcientia infectos, ſpiritu
dæmoniorum plenos, abuſione diuinorum Sacramento-
rum damnatos, ſi vellent imò ſi poſſent, de mundo ſubla-
tos cognoſcerent. Sequitur:

Et iumentorum & ouium & equorum &
B *rhedarum, & mancipiorum, & anima-*
rum hominum.

Quia etenim in hac noſtra expoſitione paruulis ſem-
per congruimus, ne cui forte dubium ſit quid ſint rhedæ,
aperimus. Rhedas namque antiqui plauſtra vocabant, ſiue
ſcilicet illa quæ ruſticanis vſibus erant apta, ſiue quæ di-
uitibus huius ſæculi ad ſedendum erat præparata. Quæ
etiam alio vocabulo currus vocantur. Inter hæc autem
quæri poteſt, quid ſit quod Spiritum Sanctum cum mer-
cem ex negotio mancipiorum de ſæculo auferri dicat,
addat etiam animarum hominum. Nunquid nam manci-
pia homines non ſunt, aut animam non habent? Quis
hoc dixerit? Sed ſciendum eſt nobis, quia ſunt plerique
qui ſolummodo ad exteriorem ſeruitutis conditionem
pretiis diſtrahuntur, manente interius animæ libertate,
plerique vero ſimul anima captiuantur & corpore: & ideo
diſtinctionem fecit inter mercem mancipiorum & ani-
marum hominum. Iam verò ſi quæritur quid boni iſta ſi-
C gnificent, quæ ſe perdidiſſe pars aduerſa dolet, cum tan-
tum in veriſimili fraude eadem ſe habere oſtenderit, bre-
uiter dicimus, quia ſingulæ iſtæ ſpecies electos deſignant.
Niſi enim aliquando in diuina Scriptura iumenta electos
figurarent, nequaquam eorum caput per Pſalmiſtam Deo
Pſal. 72. patri diceret: *Vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſem-*
per tecum. Et illud quod de ſeipſo figuratim in Euangelio
Luc. 10. expreſſit, dicens: *Samaritanus quidam iter faciens, videns*
vulneratum, miſericordia motus eſt ſuper illum: & appro-
pians, alligauit vulnera eius, infundens oleum & vinum, &
imponens illum in iumentum ſuum. Niſi plerumque iumen-
torum nomine electi figurarentur, nequaquam Pſalmiſta
Pſal. 146. de Deo diceret: *Producens fœnum iumentis.* Et tanquam
quæreremus ab eo quid figuraliter per hæc expreſſerit,
Ibid. ſubſecutus expoſuit dicens: *Et herbam ſeruituti hominum.*
Quod autem oues electos omnes deſignent, nulli paruu-
Ioan. 10. & 21. lorum dubium eſt. Hinc Dominus ait: *Oues meæ vocem*
meam audiunt & ſequuntur me, & ego vitam æternam do
D *eis.* Hinc Petro dicit: *Simon Ioannis, diligis me plus his?*
Matt. 10. Cui cum reſponderet, *Domine, tu ſcis quia amo te:* intulit,
dicens: *Paſce oues meas.* Hinc alibi ait: *Ecce ego mitto vos*
ſicut oues in medio luporum. Sed & equorum vocabulo
prædicatores figurari, nulli dubium eſt, dicente Propheta:
Habac. 3. *Miſiſti in mare equos tuos, turbantes aquas multas.* Rheda-
rum etiam nomine eoſdem prædicatores nouimus deſi-
gnari, Eliſeo atteſtante, qui ad cœlum Elia aſcendente, la-
4. Reg. 2. mentabili voce deplorat, dicens: *Pater mi, pater mi, currus*
Iſraël & auriga eius. Currus ſcilicet, quia infirmorum im-
becillitates portant: auriga verò, quia vt ad deſtinatum
patriæ cœleſtis locum tendant, quos portant, agitant. Si
autem mancipia in bonum accipiantur, non facilè di-
xerim: niſi fortè pro carne ſpiritui ſubdita, alicubi fi-
guratim poſita inueniantur. Cuius vox in Pſalmis reſo-
Pſal. 41. & 42. nat, dicens: *Quare triſtis es anima mea? & quare con-*
Pſal. 122. *turbas me? Spera in Deum, quoniam adhuc confitebor illi.*
Pſalmiſta denique aliàs dicit: *Sicut oculi ſeruorum in ma-*
nibus Dominorum ſuorum, & ſicut oculi ancillæ in manibus
dominæ ſuæ, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum,
donec miſereatur noſtri. Quo contra pars beſtiæ ſupernis E
iudiciis mundo deſolato, amiſiſſe ſe dolet iumenta &
oues, equos & rhedas, id eſt, ad portanda ſuorum onera vi-
ros fortes atque innocentes, cum debiles ad omne opus
bonum & noxios in malum amiſerit, gemit ſe perdidiſſe
mundo exterius mortuos, cum interius nequiter eidem
viuentes perdiderit. Sequitur autem quæ ad viſum ſimul
rediguntur & guſtum. Nam dicitur:

Et poma tua deſiderium animæ tuæ diſceſſit
à te.

Hoc denique iuxta literam fit, cum inſurgente re-
gno in regnum, deſolantur vrbes, depopulantur agri,
ſucciduntur arbores. Quod autem ad aſpectum & gu-
ſtum concupiſcentia redigatur pomorum, teſtatur Sa-
cra Scriptura quæ dicit: *Vidit mulier quod bonum eſ-* Geneſ. 3.
ſet lignum ad veſcendum, pulchrum oculis, adſpectuque
delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit, dedit-
que viro ſuo. Et notandum quod in ſolis pomorum fru- F
ctibus hæc Apocalypſis adiungat deſiderium animæ,
cum certum ſit plus homines in aliis rerum ſpeciebus
delectari. Sed ne pro nihilo ducerent, illicitè arborum
fructus concupiſcere, propterea malum deſiderium in
eo conſtituit, quo omnis mundus olim periit. Cùm au-
tem ſoleant in pomis arborum virtutes ſanctorum ſigna-
ri, vt eſt illud ſponſi in laudibus Eccleſiæ dictum: *Emiſ-* Cant. 4.
ſiones tuæ paradiſus malorum punicorum cum pomorum
fructibus: & illud eiuſdem Eccleſiæ, *Fulcite me floribus,* Cant. 2.
ſtipate me malis, quia amore langueo: oſtendunt tamen
ſimulationem reproborum in hac nunc Apocalypſi.
Reprehendi debeo in hac aſſertione, ſi non pars be-
ſtiæ omnia ſe ſimulatè dicit habere, quæ in veritate pars
poſſidet agni. Sequitur:

Et omnia illa pinguia & clara perierunt à te, G
& amplius illa iam non inuenientur.

Hæc quoque ad guſtum vel gaſtrimargiam redigenda
videntur. Significant etiam vt cætera aliquid bonorum,
dum oſtendunt ſimulationem impiorum. Nam cum Pſal-
miſta dicat, *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima* Pſal. 62.
mea: oſtendit, ſaginam illam in ſignificatione virtutes eſſe
animarum. Iſta etenim ſagina in nouæ vitæ prædicatori-
bus apparuit, quam ſe perdidiſſe in hæreticis dolet pars
reproborum. Sequitur:

Et mercatores horum qui diuites facti ſunt
ab ea, longè ſtabunt propter timorem tor-
mentorum eius, flentes & lugentes ac di-
centes: Væ, væ ciuitas illa magna, quæ
amicta erat byſſino & purpura & cocco,
& deaurata auro & lapide pretioſo & H
margaritis, quoniam vna hora deſtitutæ
ſunt tantæ diuitiæ.

Paulò ſuperiùs pro gentium contritione ac mundi
deſolatione, reges terræ ac mercatores fleuiſſe de-
ſcripſerat. Sed quia eoſdem ſæculi reges fleuiſſe ſi-
mul ac propter metum tormentorum longè ſtetiſſe,
mercatores vero ſolummodo lamentaſſe, non autem
timore incendij à longè ſtetiſſe dixerat, idcirco
hoc quod de mercatoribus prætermiſerat, inculcan-
do replicat, quamquam & ipſi reges mercatorum
nomine debeant intelligi. An non mercatores terræ
& ipſi reges ſunt, qui pro terrenis lucris infelici mer-
catu ſuas animas commutant, Domini dictis contra-
ria agentes: *Quam dabit homo commutationem pro* Matt. 16.
anima ſua? Et ne fortè quis hanc ſententiam veram
non eſſe contendat, audiat quid paulò inferiùs An-
gelica voce perituræ ciuitati dicatur: Vox ſponſi &

A ponſæ non audietur in te amplius, quoniam mercatores qui erant principes terræ. Et qui alij principes terræ, niſi reges terræ? Cùm ergo ipſi ſint reges, qui mercatores, in hac reuelatione ſententiæ innuitur nobis, quia pro magnitudine fletus & planctus, in vno locutionis genere diuerſas ſpecies tangens, ingeminando ſynonymiam facit. Aliis ſanè pereuntibus, terreniſque rebus ſublatis, propter metum tormentorum perfidæ ciuitatis, ſuperſtites eius (vt ſuprà meminimus) à longè ſtare, eſt, talia perpeti, ſi fieri poſſet, omni mentis anniſu fugere. Quod verò vna hora tantas diuitias periſſe denuntiat, à paſſione Domini vſque ad finem ſæculi hoc ipſum debemus in-
1.Ioan.2. telligere, ex quo ſcilicet Apoſtolica voce clamatur: *Filioli, nouiſſima hora eſt.* Sequitur:

Et omnis gubernator, & omnes qui in longum nauigant & nautæ, & qui in mari operan-
B *tur, longè ſteterunt & clamauerunt, videntes locum incendij eius, & dicentes: Quæ ſimilis huic ciuitati magnæ?*

Eoſdem ipſos reperit, quos præcedenti verſu iam fleuiſſe deſcripſerat. Locum autem incendij ciuitatis videre dicuntur, ſubaudis, per indicium fumi, id eſt, per præſentium tribulationum anguſtias, futurarum pœnarum notitiam prægustare. Quid verò lugentes dicant, audiamus. Aiunt enim: Quæ ſimilis huic ciuitati magnæ? Carnalium quippè animus nil nouit magnum, niſi quod corporeis oculis valet intueri. Terrenam enim peregrinationem, pro habitatione deputat cœleſtis patriæ: ſalutem corporis, pro ſumma ducit felicitate: carnis ſpeciem in viſu atque concubito, Dei amori præponit: conſortia carnalium filiorum, conſortiis præfert Angelorum, auri fulgorem, argenti claritatem, gemmarum pulchritudinem, anteponit vi-
* cæteri tæ coronis: errorem nequitiæ, præfert veritati, & idcir-
C co ſublatis de mundo habitatoribus atque diuitiis,* cæteri ſuperſtites negando inferunt, dicentes: Quæ ſimilis ciuitati huic magnæ? Ac ſi dicerent, nulla. De quibus adhuc ſubditur:

Et miſerunt puluerem ſuper capita ſua, & clamauerunt flentes & lugentes & dicentes: Væ væ ciuitas illa magna, in qua diuites facti ſunt omnes qui habent naues in mari, de pretiis eius, quoniam vna hora deſolata eſt.

Quid per caput, niſi hoc principale quod noſtrum eſt, mens videlicet, vocatur? Et quid per puluerem, niſi terrena concupiſcentia ſignatur? Quid eſt autem mundo ab ſtatu ſuo cadente, reprobos ſuper capita ſua puluerem mittere, niſi terreno amore, ne cœleſtia poſſint intueri, mentis ſuæ oculos corrumpere? quod nos nunc quoque dolentes fieri
D aſpicimus. Iam enim mundus à propria gloria cecidit, iam tranſeuntibus annis, à iuuentute ad ſenectutem perductus eſt: & tamen (vt ita dixerim) ad comparationem præcedentium, ipſi qui remanſerunt homunciones, hunc rurſum in priſtinum ſtatum, etſi non valentes, conantur erigere, terrenarum rerum fucis illam diu inueteratam faciem exornare, ſtrictiſque complexibus deoſculari, qui ſi deformitatem eius conſpicerent, proculdubio talem amare erubeſcerent. Sed cur deformis, pulcer apparet in eorum oculis, niſi quia (vt dictum eſt) ſuper capita ſua puluerem ſpargunt, id eſt, terreno amore oculos præcordiorum ſuorum cæcant? Quo contra conuerſorum perſonæ
Apoc. 3. Angelica voce dicitur: *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, vt locuples fias, & veſtimentis albis induaris, vt non appareat confuſio nuditatis tuæ, & collyrio inunge oculos tuos, vt videas.* Quibus emundatis, conſequen-
Matth. 5. ter audire mereantur: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Sed iam quid diuina vox admonens ſubiungat, audiamus:

E

Exulta ſuper ea cælum, & Sancti, & Apoſtoli, & Prophetæ, quoniam iudicauit Deus de ea iudicium veſtrum.

In quibus verbis valde notandum eſt, cum ſecundum Sap. 1. ſcripturæ autoritatem Deus mortem non fecerit, nec lætetur in perditionibus impiorum: cur hoc loco deſolatione reprobæ ciuitatis, electos admoneat gaudere, quos ſuos imitatores fieri voluit, quibus & dicit: *Diligite inimicos* Matth. 5. *veſtros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, vt ſitis filij patris veſtri qui in cœlis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.* Et rurſùm: *Eſtote* Ibid. *perfecti ſicut & pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* Hinc Paulus admonet, dicens: *Eſtote imitatores Dei ſicut filij* Epheſ. 5. *chariſſimi.* Si enim Deus non lætatur in perditionibus impiorum quomodo iſti qui Deum imitari iubentur, de in- F teritu malorum lætari admonentur? Et certè Pſalmiſta huic intellectui concinit, dicens: *Lætabitur iuſtus cum* Pſal. 57. *viderit vindictam impiorum, manus ſuas lauabit in ſanguine peccatorum.* Sed ſciendum nobis eſt; quia non ſuper damnis impiorum, ſed ſuper iudiciis Dei, quibus Deus iuſtè mundum examinat, electi hilareſcere præcipiuntur. Vnde & hoc loco cum dicitur: *Exulta ſuper ea cœlum, & Sancti, & Apoſtoli, & Prophetæ*: protinus cauſa ſubinfertur qua dicatur, *Quoniam iudicauit Deus de ea iudicium veſtrum.* Sed nec Pſalmiſta ait: *Lætabitur iuſtus in perditione impiorum*: ſed ſignanter, *cum viderit vindictam impiorum.* Iuſto enim iudici non concordarent; ſi ſuper iudiciis eius non gauderent. Sciendum etiam, idcirco electos in mundi deſolatione ſuper iudiciis Dei delectari, non quo (vt dictum eſt) ipſe perit, ſed quo eorum gloria citiùs appropinquat. Hinc Dominus cum mundi deſolationem futuram denuntiaſſet, admonendo ſubiunxit, dicens: *His autem fieri incipientibus, reſpicite* Luc. 21. *& leuate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio* G *veſtra.* Ac ſi diceret: Cùm ex mundi deſolatione finem eius appropinquaſſe cernitis, leuate vos capita, id eſt, ad amorem cœleſtis patriæ alacriter mentem erigite, corda exhilarate: quia cum diuino iudicio mundus deſolatur, his ſuis tribulationibus æternas delitias appropinquaſſe denuntiat. Dicatur ergo: *Exulta ſuper ea cœlum, ſubaudis electorum Eccleſia.* Quod autem eſſet hoc cœlum; diſtinctè expoſuit, dicens: *Et Sancti, & Apoſtoli, & Prophetæ.* Vt quid vero ſuper ea exultare debeant, cauſa manifeſtatur cum dicitur: Quoniam iudicauit Deus de ea iudicium veſtrum; ac ſi diceretur: Quia iuſto iudicio mundus à Deo fornicans deſolatur, gaudete ſuper his iudiciis, quia propè eſt vt æternis bonis perfruamini. Verum quia multos ex hac contritione nouimus ad fructuoſam pœnitentiam ſæpè confugere, libet breuiter ſtrictimque ea quæ de reprobis diximus, qualiter conuerſorum poſſint aptari perſonis percurrere: quidve ſit eis, aliis pereuntibus, à longè ſtare, aut cur ex mundi deſtructione dicantur flere, ac ſuper capita H ſua puluerem iacere. Plures enim vt certis tenemus exemplis, quos diuina prædicatio non potuit ad melioris vitæ ſtudium inuitare, huius ſæculi aduerſitatibus fracti, cœleſtia repedarunt. Hinc eſt quod de talium perſona Dominus per Prophetam dicit: *Ecce ego* Oſeæ 2. *ſepiam vias eius ſpinis, & ſepiam eas maceria, & ſemitas ſuas non inueniet: & ſequetur amatores ſuos, & non apprehendet eos: quæret & non inueniet eos.* Tunc dicet: *Vadam & reuertar ad virum meum priorem, quia benè mihi erat tunc magis quam nunc.* Siue ergo ex regibus terræ, ſiue ex mercatoribus, ſiue ex gubernatoribus vel nautis omnium, ex vniuerſo ſcilicet potentatu ſæcularis regni, aliis cadentibus, mundique deſolationem patientibus, propter metum tormentorum à longè ſtare, eſt ea mala quæ poſt has tribulationes paſſura eſt impia ciuitas, pœnitendo præcauere. Ille etenim à damnatione reproborum longè eſſe perhibetur, qui nunc confeſſionis lamento ab eorum prauis operibus elongatur. Ille à ruina

A malorum longe ſtare creditur, qui iram diſtricti iudicis
confeſſionis lamento præoccupare nititur. Vnde & Pſal-
Pſal. 94. miſta admonet, dicens: *Præoccupemus faciem eius in con-
feſſione.* Et notandum quod incendium ciuitatis per indi-
cium fumi intuentes conuerſi, non ſedere, ſed præ timo-
re ſtare perhibentur. Ac ſi diceretur: Hi qui æternum
incendium præcauere deſiderant, quanquam per con-
feſſionem iam ab eo elongauerint, nequaquam in corpo-
ris negligentia ſedent: ſed recte fidei operatione ſtabiliti,
huc illucque à ſancto propoſito intentionis pedem non
mouentes, in eo quod cœperant, erecti contra vitia per-
1.Cor.16. ſiſtunt. Quibus iam per Apoſtolum præcipitur: *Vigilate
& ſtate in fide, viriliter agite, & confortamini.* De hac ſta-
bilitate cuidam ſuperbienti idem egregius prædicator, di-
Rom.11. cit: *Tu qui ſtas, vide ne cadas.* Et iterum: *Tu quis es qui
iudicas alienum ſeruum? Suo Domino ſtat aut cadit.* Sta-
Rom.14. bit autem. *Potens eſt enim Deus iterum ſtatuere illum.*
Quod non loci corporalis ſtatus, ſed animi debet intelli-
B gi, immobilis conſtantia fidei atque operationis. Quo-
rum videlicet conuerſio, gratia præueniente diuina, ex
eo initium dare videtur, quo viſo ciuitatis flammarum
fumo, eaſdem incendiorum flammas pertimeſcunt. Re-
putant enim plerumque tales ſibi in animo dicentes. Si
præſentes tribulationes quas præceſſores noſtros pati
conſpicimus, ad momentum ferre non valemus, quo pa-
cto de perpetratis iniquitatibus æterna ſupplicia ſuſtine-
bimus? Ac ſi aliis verbis dicant: Si fumum arſuræ ciui-
tatis nunc ſuſtinere non valemus, quomodo flammas in-
cendiorum eius ſuſtinebimus? Quod autem ſublatis tem-
poralibus lucris iidem conuerſi lugere dicuntur ſic intel-
ligendum eſt tanquam diceretur: Iam in ſtatu fidei &
operationis ſolidati, pro eorum dementia lamentabunt:
quia ea ſolummodo concupierant, quæ vnius horæ ſpatio,
id eſt, temporaliter perierunt. Ac ſi dicant: *Væ tibi im-
pia ciuitas, Væ tibi ſæculum in maligno poſitum: quia vbi
theſaurizare quæſiſti, ibi omnia perdidiſti: & temporalia
C amiſiſti, & ad æternas miſerias perueniſti.* Quid vero ſit
talibus conuerſis, præ ingenti triſtitia puluerem ſuper ca-
pita ſua mittere, attendamus. Vt enim ſupra meminimus,
capitis nomen hoc quod principale noſtrum eſt, mens vi-
delicet, deſignatur. Pulueris quoque vocabulo, conſide-
ratio infirmitatis ac reatus noſtri demonſtratur. Hinc Pſal-
Pſal. 102. miſta ait: *Memento Domine quoniam puluis ſumus.* Hinc
Gen.18. Abraham Dei vſus locutione, dicit: *Loquar ad Domi-
Iob.42. num meum, cum ſim puluis & cinis.* Hinc probatiſſimus
Iob dicit: *Vnum locutus ſum, quod, vtinam non dixiſſem,
& alterum, quibus vltra non addam: ſed ſuperponam digi-
tum ori meo, & agam pœnitentiam in fauilla & cinere.* Pul-
uerem ergo conuerſis ſuper capita ſpargere eſt, ex conſi-
derato propriæ actionis reatu, humilia de ſeipſis ſentire:
vel certe ab errore ad veritatem conuerſi, puluerem ſu-
per capita mittunt. Ac ſi diceretur: Principum ſuorum
faciem exprobrant, à quibus ſeducti peribant. Subiungi-
tur autem vox exhortantis, conuerſorum perſonis con-
gruens, qua dicitur: Exulta ſuper ea cœlum, & ſancti &
D Apoſtoli & Prophetæ: quoniam iudicauit Deus iudicium
veſtrum de illa. Pridem enim fuerant ipſi illi reproba ci-
uitas, ſed iam per gratiam redemptoris ad cœlorum &
ſanctorum, Apoſtolorum quoque & Prophetarum nume-
rum tranſierunt. Omnis autem Eccleſia à principio vſque
ad finem decurrens, iſtis comprehenditur nominibus.
Hanc quoque regulam Dominus tenens, ait Apoſtolis,
vtique nequaquam vſque in finem ſæculi in hac vita
Matt.28. manſuris: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad
conſummationem ſæculi.* Quæ ſcilicet verba omni electo-
rum Eccleſiæ conuenire, nullus ambigit. Hanc Paulus
1.Theſ. 4. tenens, dicit: *Nos qui viuimus, qui reſidui ſumus in ad-
uentu Domini, non præueniemus eos qui dormierunt.* Et
rurſum: *Deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, ſimul
rapiemur cum illis in nubibus obuiam Chriſto in aëra, &
ſic ſemper cum Domino erimus.* Secundum ergo hanc re-
gulam ipſi conuerſi ſunt cœlum, ipſi ſancti, ipſi Apoſtoli,
Ibid. ipſi & Prophetæ. Dicatur ergo: *Exulta ſuper ea cœlum,
& ſancti & Apoſtoli & Prophetæ quoniam iudicauit Deus
iudicium veſtrum de illa.* Tanquam diceretur: Gaudete

ad Chriſtum conuerſi, quia cum eſſetis Babylon impia E
ciuitas, & contra ſalutem veſtram ageretis, vindicauit in
vobis Deus quod illi diſplicuit in vobis, ſed pro vobis,
Iudicium enim veſtrum exercuit, cum veſtris carnalibus
deſideriis obuiauit: ac per hoc & ſe & vos de vobis vin-
dicauit. O quam ſæuus ipſe ſibi extiterat Saulus ille per- Act. 9.
ſecutor, qui omni conamine contra ſemetipſum pugna-
bat. Et quis pro illo contra ipſum repugnaret, niſi vox
illum de cœlo proſterneret? Quamobrem gaudere &
exultare debemus, cum aliqua aduerſa in hac peregrina-
tione rebelles patimur, ſcientes proculdubio quia pater-
no affectu pro nobis ipſe conditor noſter iuſto iudicio
contra nos oppugnat. Huic ſenſui Pſalmiſta concinit, di-
cens: *Eripe me Domine ab homine malo, à viro iniquo li-* Pſal.139.
bera me: ſubaudis, à meipſo. Hinc rurſum dicit: *Domine,* Pſal.119.
libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua doloſa. Pſal.118.
Hinc iterum exorat, dicens: *Iudica iudicium meum, &
redime me.* Ac ſi diceret: *Fac mihi vindictam de me.* Et
poſtquam vindicaueris à ſeruitute diabolicæ dominatio- F
nis, redime me. His igitur conuerſorum perſonis con-
gruenter aptatis, quæ reproborum etiam conuenire vi-
dentur, ad propoſitum nunc expoſitionis ordinem reuer-
tamur. Sequitur:

Et ſuſtulit vnus Angelus fortis quaſi molarem magnum, & miſit in mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babylon magna ciuitas illa, & vltra iam non inuenietur.

Quis igitur iſte Angelus eſt, niſi ille de quo (vt ſæpe
iam diximus) à Propheta dictum eſt, *Vocabitur nomen* Iſa.9.
*eius magni conſilij Angelus, videlicet Dominus Ieſus Chri-
ſtus?* Quia enim Angelus interpretatur nuntius, & Do-
minus de beata Virgine natus, euangelium (id eſt bonum
nuntium) hominibus primus attulit, recte vocabulum
Angeli ſingulariter inter cæteros prædicationis ſuæ nun- G
tios accepit. Qui bene & *vnus*, & *fortis* vocatur: quia & 1.Tim.2.
*vnus eſt Deus, vnus & mediator Dei & hominum; homo
Chriſtus Ieſus*: & ad debellandas aërias poteſtates; is qui
in carne infirmus apparuit, per internam diuinitatis ſuæ
virtutem fortis & potens extitit. De quo ſcriptum eſt:
Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio. Et rur- Pſal.23.
ſum: *Dominus virtutum ipſe eſt rex gloriæ.* Quid autem ſi-
gnificatur per lapidem magnum molarem, niſi pondus
peccatorum quod ex temporali contrahitur actione? Quia
enim per molam figuratim actio temporalis exprimitur,
poteſt congruenter lapis molaris pro pondere peccato-
rum accipi, quod ex eadem actione contrahitur: tropica
ſcilicet locutione, ab efficiente illud quod efficitur, oſten-
dente. Recte namque per molam actio ſæcularis deſigna-
tur, quæ mentes hominum dum pro appetendis terrenis
voluptatibus, exercitatas reddit, quaſi quibuſdam rotatibus
in gyrum vertit. Nam quia temporalis actio molæ ſigni-
ficetur vocabulo, teſtatur Dominus qui de hominibus in H
extremitate ſæculi poſitis loquitur, dicens: *Tunc erunt* Matt.24.
duæ molentes in mola, quarum vna aſſumetur, & altera Luc.17.
relinquetur. Quod tale eſt tanquam ſi diceret: Cum dies
iudicij improuiſus aduenerit, in actione ſæculari & ele-
ctæ animæ quæ in ſupernis aſſumantur, & reprobæ quæ
deorſum mergendæ relinquantur, inuenientur: propter-
ea ſcilicet, quia quædam earum frumentum ex quo refi-
ciantur, quædam vero zizania molendo conterunt, ex
quibus cæcentur: quædam ſubaudis virtutes, quædam
autem vitia in ipſis contrahunt actionibus. Si ergo per
molam actio ſæcularis exprimitur, non incongruè (vt
diximus) pondus peccatorum, quod ex ipſa contrahitur
actione, ipſius molaris magni nomine dicimus figurari.
Quid vero profundum ſignificat maris, niſi extremam
damnationem peccatoris? Quid itaque, eſt Angelum
vnum ac fortem quaſi molarem magnum in mare mitte-
re, & ad inſtar illius Babyloniam ſubmergi denuntiare,
niſi Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM,
manentes ſententias tranſeuntibus verbis de reproborum

extrema.

A extrema damnatione figuratim proferre? Quod tunc mihi videtur per ſemetipſum primum feciſſe, cum Matt. 18. dixit: *Qui ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis qui in me credunt, expedit ei vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Quod non de ſolo litis ſcandalo debemus accipere, ſed de omni ſpecie peccatorum, ſecundum illam regulam Ibid. quam Sancta ſcriptura frequentat. Hinc Dominus ait: Si ſcandalizat te oculus tuus, manus vel pes, abſcide eum & proiice abs te. Et quid per oculum, manum, vel pedem, niſi carnalis cogitationum propinquitas hoc loco debet intelligi? Nunquid nam qui inimicos iubemur diligere, propter ſcandalum litis propinquos debemus abiicere? Abſit. Sed propter illud ſcandalum peccati, quod Matth. 5. ex eorum imitatione contrahit anima noſtra. Hinc eſt quod Mariæ Magdalenæ poſt abiecta crimina dicitur: Luc. 7. *Vade in pace.* Ac ſi ei diceretur: Nunc vſque in peccati ſcandalo fuiſti, ſed iam in pace virtutum perfice curſum.

B Quod enim ad omnem peccatorum ſpeciem ſcandali nomen pertineat, teſtatur etiam Paulus Apoſtolus, dicens: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur,* 2. Cor. 11. *& ego non vror?* ſubaudis, non ſcandalizor? In ipſa enim ſua vſtione, ſcandali nomen incluſit: quia conſequens ratio fuit, vt ſicut negando dixit, *quis infirmatur; & ego non infirmor?* ſic etiam diceret, *quis ſcandalizatur, & ego non ſcandalizor?* Quod vtique compaſſione tantum ac pia ſimulatione eum feciſſe dubium non eſt. Sed multum eſt quod dico, ſi hoc ex ipſius verbis non affirmo. Ait enim 1. Cor. 9. idem egregius prædicator: *Cum liber eſſem ex omnibus, omnium me ſeruum feci, vt plures lucrifacerem: & factus ſum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer: his qui ſub lege ſunt, quaſi ſub lege eſſem, cum ipſe non eſſem ſub lege, vt eos qui ſub lege erant, lucrifacerem: his qui ſine lege erant, tanquam ſine lege eſſem, cum ſine Dei lege non eſſem, ſed in lege eſſem CHRISTI, vt lucrifacerem eos qui ſine lege erant.* Factus ſum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem. Quod forte quis temere contendat, vſtionem non pertinere ad ſcandalum peccati: reſpondeat

C Pſal. 120. quiſquis ille eſt, qualiter accipiendum ſit, quod huic ſenſui conſona voce Pſalmiſta concordans, dicit: *Per diem ſol non vret te, neque luna per noctem.* Et qui alij hoc loco per diem & ſolem & lunam & noctem intelligendi ſunt? niſi Chriſtus & Eccleſia, vel certè proſperitas & aduerſitas? Illos etenim per diem ſol non vrit, neque luna per noctem: qui in eo quod rectè ſentiunt de Chriſto & Eccleſia, nequaquam erroris ſcandalum incurrunt, vel certè Mala. 18. neque in proſperis elatione depereunt, neque in aduerſis deſperatione ſuccumbunt. Quid eſt ergo dicere, *Qui ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis qui in me credunt; expedit ei vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris:* niſi, tolerabilius eſt vt quiſpiam ſingularium actionum aggrauatus peccatis, vltima pœna ſolus damnetur; quam vt religioſam vitam degentibus ſemet aſſocians, atque exemplum malæ operationis præbens, tot cælibatum tenentes ad peccati voraginem

D trahat, & ad extremum cum pluribus ſuis ſequacibus, imo pro pluribus æterna ſupplicia ſuſtineat? Patet certè, vt mihi videtur, omnes tranſgreſſionum ſpecies nomine ſcandali generaliter deſignari. Quod autem poſt reprobæ ciuitatis ſubuerſionem dicitur, & amplius non inuenietur: ſubaudiendum eſt, in Ieruſalem, id eſt, in electorum Eccleſia, in qua nunc communiter mali cum bonis præſentem viam peragunt. Quodque ad ſimilitudinem molaris magni mergenda prædicitur, non Dei voluntatis eſſe, ſed ſuis probatur perire iniquitatibus, cuius vox (vt arbitror) in Pſalmis reſonat, dicens: Pſal. 37. *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.* Inſinuat ergo Dominus quo merito prauorum damnetur iniquitas, ſeque ab his immunem eſſe denunEzech. 18. & 33. tiat, dicens: *Nolo mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur & viuat.* Sequitur:

E *Et vox citharœdorum & muſicorum, & tibia canentium & tuba, non audietur in ea amplius.*

De iſtis quinque corporis ſenſibus ſonum ſpiritus Sanctus ſupra diſtulerat, quem nunc repetendo complectens, ſimul de mundo inter alia auferri prædicit. Ex cuius autem perſona hoc idem ſpiritus Dei dixerit, curioſus fortaſſe animus inquirit. Cui ad hæc reſpondere nobis quidem non pigrum, illi autem exiſtimamus neceſſarium: niſi enim fallor, iam ſæpe in hoc noſtræ expoſitionis opere dixiſſe me memini, quia præfatus ſpiritus in hac Apocalypſi cum per Ioannem loquitur, modo ex perſona propria, modo ex vniuerſalis Eccleſiæ, modo autem ex eiuſdem Ioannis, modo vero de Domini Saluatoris verba depromit. Ex perſona ſcilicet propria, cum dicit: *Qui* Apoc. 2. & 3. *habet aurem audiendi, audiat quid ſpiritus dicat Eccleſiis.*

F Ex vniuerſalis autem Eccleſiæ, cum dicit: *Audiui alteram vocem de cælo, dicentem: Exite de ea populus meus.* Et il- Apoc. 18. lud: *Venit ad me vnus ex ſeptem Angelis habentibus ſeptem plagas nouiſſimas, & locutus eſt mecum, dicens: Veni, & oſtendam tibi ſponſam vxorem agni.* Ex Ioannis vero perſona, cum per eum dicit: *Ego Ioannes qui audiui &* Apoc. 18. *vidi hæc. Et poſtquam audiſſem & vidiſſem, cecidi vt adorarem ante pedes Angeli, qui mihi hæc oſtendebat.* Ex Domini quoque redemptoris, cum dicit: *Vidi Angelum deſcendentem de cælo, habentem claritatem magnam, & terra illuminata eſt à claritate eius.* Rurſum hoc quod ſupra præmiſſum eſt: *Suſtulit vnus Angelus fortis quaſi molarem magnum, & miſit illum in mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babylon magna, & vltra iam non inuenietur.* Et vt breuiter quæ ad huius loci pertinent conſonantiam perſtringamus, præmiſit idem Spiritus Dei filium in forti voce exclamaſſe, ac perfidæ ciuitatis ruinam iam factam narraſſe: deinde ex perſona Eccleſiæ ſubiunxit, qualiter ab

G eodem ſit cæleſti voce compulſa de medio Babylonis exire, atque in extremis vindictam ſuis perſecutoribus iubeatur rependere: qualiterque omnia terrena atque caduca de mundo ſint peritura, ex perſona propria conſequenter oſtendit: rurſumque ad perſonam filij Dei redit, & ipſum loquentem introducit, qualis ad vltimum ruina malorum ſit: indeque ad propriam apoſtrophen facit, & hoc quod in præmiſſo verſu dicitur, ex ſua commendat. Sed iam ſequentia videamus. Adhuc enim quæ ad vſum humanæ vitæ pertineant, proſequitur & dicit:

Et omnis artifex & omnes artes non inuenientur in te amplius, & vox molæ non audietur in te amplius, & lumen lucernæ non lucebit in te amplius, & vox ſponſi & ſponſæ non audietur in te adhuc.

H Hæc quia aperta ſunt, expoſitione non indigent. Quia vero expoſitione non egent, ſilentio præteriri debent. Cur autem his bonis fraudetur impudens meretrix, cauſa ſubinfertur qua dicitur:

Quia mercatores tui erant Principes terræ, & quia in veneficiis tuis errauerunt omnes gentes.

Quod tale eſt tanquam ſi diceretur, quia in vita tua mala vſa es temporalibus bonis, & ipſis iuſte vltra fraudaberis, & ſuppliciis æternis damnanda ſubmergeris. Ex ipſis enim principibus terræ ac mercatoribus, ſed & ex omnibus gentibus ipſa impia ciuitas conſtat: & cum mercatores eius principes terræ fiunt, ipſa infelici commutatione pro terrenis lucris, ſuorum animas venales tradens, elationis faſtu ſuper ſubiectos in ſublime tollitur: atque cum in veneficiis eius, id eſt, in maleficiis eius omnes

A gentes errant, ipſa proculdubio ſuis ſe maleficiis vt nutabundam reddit. Sed more ſolito diuiditur genus in ſpecies, vt intelligamus eos qui principatum ſuper cæteros tenent amplius auaritiæ ſtudere, ac magnorum nefandis exemplis, vulgi multitudinem deperire. Sequitur:

Et in ea ſanguis Prophetarum & ſanctorum inuentus eſt, & omnium qui interfecti ſunt in terra.

Vſus diuinæ locutionis eſt, vt cum ad præſentem perſonam ſermo loquentis dirigitur, ſubito tanquam de abſente verbum proferatur: quod in hac præmiſſa locutione prudens lector ſæpiſſime fieri facilè animaduertit. Ita enim variatur in ſingulis, vt modo ad ſecundam perſonam, modo de tertia ſermo proferatur. Et vt in dubium non veniant quæ dicimus, ſuperiori verſu tanquam ad ſecundam præſentemque perſonam dictum fuerat: Et om-B nis artifex & omnes artes non inuenientur in te amplius, & vox molæ non audietur in te amplius & lumen lucernæ non lucebit in te amplius, & vox ſponſi & ſponſæ non audietur in te adhuc: quia mercatores tui erant principes terræ, & in veneficiis tuis errauerunt omnes gentes. In hoc vero ſequenti, quaſi de tertia abſenteque dicitur: *Et in ea ſanguis Prophetarum & Sanctorum inuentus eſt, & omnium qui interfecti ſunt in terra.* In quibus vtique verbis apertiſſimè declaratur, totum in vna ciuitate Babylonia, corpus diaboli ex ſuis exceſſibus increpari. Si enim omnium qui interfecti ſunt in terra, ſanguis in ea inuentus eſt, ſine dubio per totum orbem quo martyres interfecti ſunt, ipſa execrabilis ciuitas crudelitatem necis exercuit. Sanguis autem in ea inuentus dicitur, ſubaudis, peccatum ex effuſione ſanguinis perpetratum. Sciendum vero, quia (vt ſæpe iam diximus) & illi ſanguinem Prophetarum atque ſanctorum fudiſſe inueniuntur, qui dicta illorum in alium ſenſum quam prolata ſunt, deriuantes, pra-C uæ hæreſeos dogma conſcripſerunt: eo videlicet modo, quo dicere ſolemus, cum quis ſermones noſtros contra votum caſſare voluerit, occidis me. Secundum hunc etiam locutionis modum nunc vſque Chriſtus ab hæreticis occiditur. Siue autem carnalium vitiorum authores, ſiue martyrum interfectores, cœleſtis iræ vindicta damnentur, ſuper eorum perditionem iudicia Dei dignis neceſſe eſt laudibus cumulari. Vnde & ſequitur.

Apoc. 19. *Poſt hæc audiui quaſi vocem magnam tubarum multarum, dicentium: Alleluia, laus & gloria, & virtus Deo noſtro eſt, quia vera & iuſta ſunt iudicia eius, qui iudicauit de meretrice magna, quæ corrupit terram in proſtitutione ſua, & vindicauit ſanguinem ſeruorum ſuorum de manu eius. Et iterum dixe-* D *runt: Alleluia.*

Si quærimus ex cuius perſona hæc ſpiritus Sanctus dicat, facilè inuenimus, quia ex vniuerſalis Eccleſiæ cuius figuram tunc gerebat Ioannes: hanc enim vocem ipſa profert, hanc ipſa audit. Sciendum vero quia in eo quod dicit, poſt hæc: quantum ad viſionem pertinet huius reuelationis, non eſt diuerſitas temporis, ſed ordo narrationis. Quæ ſit autem vox quam audierit, aperit cum ſubiungit: *Quaſi vocem magnam tubarum multarum. Magna ſcilicet quia valde magnum eſt quod loquitur.* Tubarum autem multarum, ſubaudis, prædicatorum multorum. Multæ tubæ, ſed vna vox: quia omne quod loquuntur, Leuit. 25. in vnius fidei concordia altrinſecus ſibi coit. Iſtæ etenim Num. 10. ſunt ſacratiſſimæ illæ iubilæi tubæ, quæ ſeptenario die- Ioſue 6. rum numero, quibus præſens tempus euoluitur, muros Ierichuntinos myſticè deiiciunt. Vbi autem hæc vox auditur, niſi in cœlo quod eſt Eccleſia? In ipſa enim auditur, per quam & profertur. Sed iam quid dicat, audia- E mus. *Alleluia, laus & gloria & virtus Deo noſtro eſt, quia vera & iuſta ſunt iudicia eius.* Hoc præcedentes fortiſſimi patres, hoc nos infirmantes paruuli dicimus, hoc dicere admonemus, ſcilicet vt omnes in eo laudem & gloriam & virtutem Dei prædicent, quo vera & iuſta ſunt iudicia eius. Alleluia enim interpretatur, *laudate Dominum*, vel *laus Domini*. Hinc namque in Pſalmo cani- Pſal. 118. mus: *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum.* In quo autem iuſta & vera ſunt iudicia eius, niſi in eo quo iudicauit de meretrice magna, quæ corrupit terram in proſtitutione ſua: Terram itaque in proſtitutione ſua meretrix corrumpit, cum carnales quilibet corpora ſua ſimul & corda voluptatibus enutriunt quibus per Iacobum exprobrando dicitur: *Epulati eſtis ſuper terram, & in luxu-* Iacob. 5. *riis enutriſtis corda veſtra in die occiſionis.* Subiungitur autem adhuc cauſa iudiciorum Dei, cum dicitur: *Et vindicauit ſanguinem ſeruorum ſuorum de manu eius:* ſubaudis in eo vera & iuſta iudicia eius, quod ſe facturum eſſe per ſemetipſum ſeptumiſit, cum in Euangelio de huius cor- F poris perſona generaliter iuſtorum ſanguinem exigendum, ſub ſpecie Iſraëlis prædixit. Ait enim: *Ecce mitto* Matt. 23. *ad vos ſapientes, & ſcribas, & ex illis occidetis & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in ſynagogis veſtris, & perſequemini de ciuitate in ciuitatem, vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, à ſanguine Abel iuſti, vſque ad ſanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidiſtis inter templum & altare.* Quod vtique ad Iudæorum quidem gentem ſpecialiter pertinet: ſed in illa ſpecie, vt ſcripturæ moris eſt, genus locutionis interſeritur. Quantum enim ad ſignificationem templi atque altaris nomine, populorum ac ſacerdotum ſumma complectitur: quia templum ad populum, altare vero ad ſacerdotes pertinere videtur. Inter templum itaque & altare ſanguis Prophetarum effunditur, quia nimirum populorum ac ſacerdotum crudelitate Chriſti martyres iugulantur. Quod non ſolum in Iudaica plebe atque in incredulis nationibus corporaliter factum fuiſſe, verum- G etiam nunc vſque in falſis Chriſtianis ſpiritaliter ac per hoc nequius fieri cernimus. Et vtinam non crudelius nunc perſequerentur Dei populum, malo imitationis exemplo animas occidendo, quam tunc perſecuti ſunt gladiis, ſola corpora trucidando. Vtinam inquam non deterius nunc perſequerentur ſacerdotes Chriſtianorum, tacendo ac male operando: quam tunc perſecuti ſunt Pontifices Iudæorum, contra Chriſtum oblatrando. De quorum ſcilicet manibus auditorum ſanguis Propheta atteſtante exquiritur. Quod autem de electis ſubditur, *&* Ezech. 3. & 33. *iterum dixerunt Alleluia*, in repetitione verbi, indeficiens atque ſuccreſcens eorundem laudis affectus ſuper iudiciis Dei declaratur. Ex quorum perſona Pſalmiſta loquitur, dicens: *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper* Pſal. 33. *laus eius in ore meo.* Quæ ſcilicet laus in hac quidem vita perfecta monſtratur, ſed poſt hanc vitam tunc erit perfectior, quando de reproborum damnatione nullus remanſerit compaſſionis dolor. Sequitur autem adhuc de impiorum manentibus pœnis, ſub ſpecie ciuitatis meretricantis, H ac dicitur:

Et fumus eius aſcendet in ſæcula ſæculorum.

Ac ſi diceretur: Æternalis & tetra erit flamma, cuius fumus aſcendere non deſinet. Eccleſia enim in præmiſſa perſeuerante laudis lætitia perditionis fumus permanet impiorum. Sed ſi ſuperius hunc arſuræ ciuitatis fumum in præſenti adhuc vita reprobi degentes, atque à præfata ciuitate longe ſtantes, vidiſſe perhibentur: quærendum nobis eſt, ſi de corporeo fumo ex corporeo vtique igne aſcendente dictum eſt, quomodo eum iidem reprobi valuerint intueri? Et certe quia nihil aliud quod ſano intellectui congrueret inuenire potuimus, per fumum eiuſdem arſuræ ciuitatis, præſentes tribulationes figuratas fuiſſe expoſuimus, tanquam ſcilicet ſpeciem ignis æterni, qood nunc reprobi valent videre. Nunc enim ipſa meretrix ciuitas ligna ſibi quibus cremetur, id eſt, peccata aggregans, præſentium tribulationum anguſtiis fumat: quas

A videlicet quia in futurum æterna pœna ſubſequitur, quaſi poſt fumum flamma erumpit. Sed quia æternorum pœnarum fumus in ſecula ſeculorum aſcendere dicitur, præſentes vero ac temporales preſſuras cum tempore venire veraciter dicimus, cogimur fateri, non vno modo fumum eiuſdem ciuitatis intelligi debere: ſed vnum eſſe figuraliter expreſſum, qui nunc à reprobis aſpicitur, & quandoque finitur: alterum corporeum, qui nunc ab eiſdem non videtur, quos cum inuoluerit, nunquam finietur. Sequitur:

Et ceciderunt ſeniores vigintiquatuor & quatuor animalia, & adorauerunt Deum ſedentem ſuper thronum, dicentes: Amen, Alleluia.

Sicut plerumque in ſcriptura Sacra genus in ſpecies
B diuiditur, ſic ſæpe genus generi iungitur, cum vnum horum ad narrandum ſufficere probetur. Hoc enim generaliter ſignificant vigintiquatuor ſeniores, quod quatuor animalia, electorum videlicet Eccleſiam. Quia enim ſubiectorum facta, vice Dei examinat; recte per ſeniores: quia vero internæ viriditatis paſcoa inquirit, dignè per animalia figuratur. Quod autem iidem ſeniores atque animalia adorantes cadere dicuntur, Eccleſiæ humilitas deuotionis intentio in hoc facto declaratur. Quid vero adorantes dicant, audiamus. Aiunt enim dicentes: *Amen, Alleluia.* Ac ſi iuſtorum Eccleſia, quod ſupra iam fecerat, ingeminando dicat: In eo vero laudandus es, quo ſiue propter voluptatum illecebras, ſeu propter ſanctorum ſanguinis effuſionem, non niſi iuſtè reprobos condemnas. Amen quippe interpretatur, *vere*: Alleluia autem, vt ſupra meminimus, *laudate Dominum*, vel *laus Dei*. Sciendum ſanè quia iidem ipſi generaliter thronus Dei ſunt, qui ſedentem ſuper thronum adorantes collaudant:
C iidem ſpecialiter in vigintiquatuor thronis ſedere deſcribuntur, quia vna eademque Eccleſia & generaliter in cunctis ſuis membris, vt vnus thronus præſidentur à Chriſto: & ſpecialiter in quibuſdam, bis duodenos myſticè præſidet thronos. Sequitur:

Et vox de throno exiuit, dicens: Laudem dicite Deo noſtro omnes ſerui eius, & qui timetis eum puſilli & magni.

Hoc non ſemel, ſed iam ſecundo in præmiſſa locutione Eccleſia feciſſe narratur, quod hic fieri iubetur. Iam enim in tubis cœleſtibus prædicans, iam in viginti quatuor ſenioribus quatuorque animalibus adorans, Deum ſuper iudiciis eius collaudaſſe deſcribitur. Sed vt hæc eadem laus indeficiens perſeueret, mutua membrorum ſuorum exhortatione ſemetipſam informat. Nam cum vox de throno exiens, ſeruorum aures penetrat nimirum ſerui
D ad conſeruos exhortationis ſermonem proferunt. Puſilli itaque ſunt in Eccleſia; ad quos Apoſtolica vox dirigitur,
1. Cor. 3. qua dicitur: *Non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus: tanquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam. Nondum enim poteratis; ſed nec adhuc quidem poteſtis.* Magni vero ſunt, de quibus Saluator in Euangelio ait:
Matth. 5. *Qui fecerit & docuerit ſic homines, magnus vocabitur in regno cælorum*, ſubaudis, in Eccleſia
1. Cor. 2. Iob. 3. electorum. De quibus etiam per Apoſtolum dicitur: *Sapientiam loquimur inter perfectos.* De vtriſque autem iuſtus homo & ore Domini laudatus, dicit: *Paruus & magnus ibi ſunt*, ſubintelligis in regno filij dilectionis Dei. Inter hæc autem quæri poteſt, cum Ioannes in epiſtola ſua
1. Ioan. 4. dicat: *Timor non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foras mittit timorem; quoniam timor pœnam habet: qui autem timet, non eſt perfectus in charitate*: cur hoc loco ſimul magni cum ſeruis puſillis Deum timere dicantur, quem amare iubentur? Si enim magni ſunt vtique in charitate perfecti ſunt: ac per hoc iam non eſt timor in charitate, ſed perfecta charitas foras mittit timorē. In qua tamen ſoluenda quæſtione nullus nos labor aſtringit, quia
E hanc ſanctorum Patrum ſedulitas ad plenum enodauit. Eſt enim timor dilectionis charitati coniunctus, quo timent magni perfectique ſerui, ne in ipſam dilectionem peccent, ne ipſam dilectionem amittant; propter quam omnia in hac vita peragunt. *Deus enim charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Ibid. In hac itaque dilectione poſitus, tantum quia bonum operatur, quantum ſobrie metuit: & tantum ſobrie metuit ac bonum operatur, quantum caſte diligit. Rurſum eſt timor ſeruilis, à charitate ſecluſus; quo timent ſerui imperfecti ne cædantur, ne torqueantur, ne damnentur: & ideo præcepta Domini ſui implere contendunt: nequam ſcilicet quia Dominum diligunt, ac ne eius dilectionem amittant, iuſſa peragunt: ſed quia, vt dictum eſt, damnari metuunt. Sequitur:

Et audiui quaſi vocem tubæ magnæ; & ſicut vocem aquarum multarum, & ſicut vocem tonitruum magnorum dicentium: Alleluia, quoniam regnauit Dominus Deus noſter omnipotens. F

Hoc loco iuſtorum Eccleſia quod fieri monuerat agens, non ſolum iam ſuper iuſtitiam qua damnat iniquos, ſed etiam ſuper miſericordiam qua ſaluat electos, Deum dum prædicat, collaudat. In tuba itaque prædicatio exprimitur, de qua per Iſaiam dicitur: *Quaſi tuba exalta vocem tuam.* Iſa. 58. Et quia hæc non aliis niſi populis congruunt, idcirco vox tubæ, prædicationis ſcilicet vox aquarum multarum; id eſt, populorum multorum eſſe perhibetur. In voce autem tonitruum magnorum, non ſolum ille timor ſeruilis, quo diem iudicij ſerui paueſcunt puſilli, verumetiam ille deſignatur caſtus & ſobrius, quo diligendo timentes, eundem diem aduenire deſiderant G magni. Quid itaque Eccleſia ſiue concorditer prædicans, ſiue diſſimiliter metuens dicat, audiamus. Ait enim: [*Alleluia, quoniam regnauit Dominus Deus noſter omnipotens.*] Ac ſi ſinguli eius dicerent membra: In eo fortiter à nobis collaudandus eſt, quo ſuper nos qui dudum regnum eramus diaboli, regnare voluit, moriens & reſurgens pro nobis. Cuius etiam omnipotentia in eo principaliter eſſe cognoſcitur, quo is qui potuit in principio temporis mirabiliter hominem formare, potuit etiam in fine temporum idem Deus homo factus, mirabilius reformare. Sed huius magis eſt diligenda, magis eſt amplectenda charitatis miſericordia, quam admiranda potentia. Denique is qui omnipotens eſt, poterat (ſi vellet) quolibet alio ingenio redimere perditos homines, vt ipſe Deus non fieret pro hominibus homo: ſed pietatis viſceribus tactus, vt oſtenderet inquantum eum diligeret, *formam ſerui accipiens, paulominus quam Angeli minoratus, ſemetipſum exinaniuit.* Philip. 2. Hebr. 2. H Hac ſua charitatis miſericordia eos qui perierant, quæſiuit: hac ſua humilitate quos quæſiuit, inuenit. Inuenit autem puniendos, ſed ex eis quos voluit, miſericorditer elegit ſaluandos. Ex his denique per ſanguinem paſſionis ſuæ Eccleſiam ſibi adunauit: quamque ad tantæ dignitatis gloriam perduxit, vt eam ſibi eligeret ſponſam, quæ nec vtilis eſſe meruerat ſerua. Quamobrem de tam ineffabili pietatis Sacramento mutua exhortatione lætari narrantur electi, cum eorum voce protinus ſubinfertur:

Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei, quoniam venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit ſe.

Quis hinc non gaudeat, quis hinc non exultet, niſi is qui ſe extraneum à Chriſti conſortio exiſtimat? Tempus autem nuptiarum non iam illud hoc loco ſignificatur, quo toto iſto in tempore per fidem & ſpem Eccleſia Chriſto coniungitur, ſed illud quo eadem Eccleſia hic ſe

virtutibus

A virtutibus præparat, ſed illud quo iam remuneranda illic peractas ſuas virtutes enumerans, ad ſponſi ſui ſpeciem ſe aptat. Denique audi tempus huius præparationis. Scri- Matt.25. ptum eſt enim: *Media nocte clamor factus eſt: Ecce ſponſus venit, exite obuiam ei. Tunc ſurrexerunt omnes illæ virgines, & ornauerunt lampades ſuas.* Audi etiam tempus Ibid. coniunctionis. Sequitur in eadem lectione, & dicit: *Venit ſponſus, & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clauſa eſt ianua.* Si quod igitur gaudium, ſi qua exultatio in hac peregrinatione electis eſſe poteſt, imo quia poteſt, hinc proculdubio principaliter eſt. Inter mundi namque preſſuras, inter ſæculi aduerſitates hinc gaudent electi, in ſpe per fidem ambulantes, & non per ſpeciem. Quod autem iſtæ nuptiæ quæ in fine ſæculi celebrandæ ſunt, iam aduenisse dicuntur, ſic intelligendum eſt tanquam diceretur: Illa Chriſti Eccleſiæque vltima per ſpeciem coniunctio, quæ adhuc futura eſt, iam in præſcientia Dei facta eſt. Quia enim nunc per fidem am- B bulat Eccleſia, nec tamen ſpecie fraudandam ſe credit, profecto quod futurum eſt tenet. Hanc igitur fidem & nos habentes, ad illam coniunctionis ſpeciem ſpe anhelantes, dicamus ſinguli, dicamus omnes, atque inter ſuſpiria & gemitus, inter anguſtias ac tribulationes, his verbis adhortemur: *Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei, quoniam venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit ſe.* In eo autem illi damus gloriam, quo nullis præcedentibus bonorum actuum meritis, ſed ſola nos eius miſericordia ad tantam dignitatem perueniſſe fateamur. Poteſt autem hoc quod iam iſtæ nuptiæ aduenisse ab exultantibus narrantur, ita intelligi, vt illo tempore Spiritus ſanctus iſta dicentem perhibeat Eccleſiam, quo ad ipſam coniunctionis lætitiam peruenerit. Iuxta conſuetudinem ſanè ſcripturarum, ſponſa hoc loco vxor vo- Matth.1. catur. Vnde & Angelus ſponſo Mariæ dicit: *Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Sic etiam & ſponſus vir vocatur iuxta illud quod in Apocalypſi dictum eſt: *Ciuitatem ſanctam Ieruſalem nouam vi-* Apoc.21. *di, deſcendentem de cœlo, à Deo paratam, ſicut ſponſam* C *ornatam viro ſuo:* vel certè quia nunc per fidem & ſpem Eccleſia Chriſto coniungitur, ideo iam vxor vocatur. Quia vero adhuc illi non hæret per ſpeciem, ſed beatos ac deſideratos eiuſdem ſponſi ſui futuros expectat viſionis amplexus, idcirco interim tanquam annulo fidei atque ſpei ſubarrata, ſponſa vocatur. Quamobrem quantum ad fidem & ſpem, iam vxor: quantum vero pertinet ad ſpeciem, adhuc per fidem atque per ſpem ſponſa prædicatur. Sicque fit, vt vna eademque fides atque ſpes, in præſenti vita modo arræ deſponſionis, modo vocentur nuptiæ coniunctionis. Ne autem tantæ dignitatis gratiam ſuis meritis tribuat, cauſa protinus ſubinfertur, qua dicitur:

Et datum eſt illi vt cooperiat ſe byſſino ſplendente candido. Byſſinum enim, iuſtificationes ſunt Sanctorum.

D Si enim datum eſt illi, proculdubio non à ſe habuit, ſed deſuper accepit. Vnde & Apoſtolus dicit: *Quid enim* 1.Cor.4. *habes quod non accepiſti?* Hinc Iacobus ait: *Omne datum* Iacob.1. *optimum, & omne donum perfectum, de ſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.* Quod ſit autem operimentum byſſinum, quo ſponſa nuptura induitur, ipſius reuelationis verba teſtantur: Byſſinum enim iuſtificationes ſunt Sanctorum. Sed nobis quærendum eſt, in quo maximè iuſtificationes Sanctorum conſtant. Paulus denique ait: Rom.5. *Iuſtificati ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Rom.4. Idem etiam Apoſtolus ex Gal.3. fide dicit Abraham iuſtificatum, non ex operibus, ſed Iacob.2. quia fides ſine operibus otioſa eſt, iunguntur fidei opera, vt proſit fides credenti quæ per dilectionem operatur. Et quidem in hac vita non niſi in his iuſtificatur homo, in fide ſcilicet quæ per charitatem operatur, atque in eiſ- Gal.5. dem operibus fidei charitatique coniunctis. Sed quia cum ad amplexus ſponſi cœleſtis nouiſſimè peruenerit Eccleſia, tranſit fides, permanet charitas: nequaquam tunc fidei indumento, per quam nunc iuſtificata induitur, ſed E ſola charitate, quæ veſtis eſt nuptialis veſtitur. Reſtat ergo vt cum Chriſti ſponſam ad nuptias ingredientem, byſſino (per quod iuſtificationes figurantur Sanctorum) coopertam audimus, charitatem in byſſo intelligamus, quæ præmium eſt fidei noſtræ atque operationis. In ipſa itaque omnes Sanctorum iuſtificationes principaliter conſiſtunt, propter quam cuncta per fidem operantur. Benè autem byſſinum quo induitur, ſplendens & candidum vocatur: quia nequaquam delictorum maculis iam tunc ipſa electorum conſcientia reſpergitur, quibus nunc quamuis in fide atque operibus charitatis iuſtificetur, carere ad integrum minimè valere probatur. Sed iam quid optata iubentis vox dicat, audiamus. Ait enim:

Et dicit mihi: Scribe, Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati ſunt.

F Et quis hoc dicit, niſi qui hanc reuelationem per Angelum miſit? Cui autem hoc ipſum dicit, niſi Eccleſiæ ſuæ, niſi ſponſæ ſuæ, cui ſingulariter notas facere voluit diuitias gloriæ ſuæ? Hinc enim idem Eccleſiæ ſponſus ad diſcipulos ſuos loquitur, dicens: *Omnia quæcunque au-* Ioan.15. *diui à Patre meo, nota feci vobis.* Ait ergo: *Scribe, Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati ſunt.* Tunc itaque hoc Eccleſiæ vt ſcribat dicit, quantum per internam aſpirationem ad amorem hunc bonorum ſupernorum accendit. Scribit autem ea quæ iubentur, imo quæ diuinitus de æterna refectione aſpirantur, non tantum in tabulis aut membranis ſtylo vel atramento, quantum in emundatis cordibus ſpiritu Dei viui. Quæ ſit autem nuptiarum cœna, id eſt, interna diuinæ contemplationis refectio, dicere non valemus: *quia nec oculus vidit, nec auris audiuit,* 1.Cor.2. *nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.* Deſiderantes ſolummodo dicere valemus, quod ſcribere iubemur: *Beati qui ad cœnam nuptiarum agni* G *vocati ſunt.* De hac quidem in Euangelio Dominus dicit: Luc.14. *Beatus qui manducabit panem in regno Dei.* Ad hanc cœ- Pſal.16. nam anhelabat Pſalmiſta cum diceret: *Satiabor cum ma-* Luc.12. *nifeſtabitur gloria tua.* In qua ſcilicet cœna ipſe Dominus miniſtraturum ſe fidelibus repromiſit, dicens: *Amen dico vobis, quod præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.* O beatum conuiuium, quod ſic incipit vt nunquam finiatur: ſic ab appetentibus ſumitur, vt appetitum ſatietas, & ſatietatem appetitus comitetur: vbi non eſt aliud epulari quam nubere, nec aliud nubere quam epulari: vbi non ſicut in carnalibus nuptiis quidam nubent, quidam non nubent, ſed omnes nubent. Quod autem in Euangelio Dominus dixit: *In reſurrectione ne-* Matt.22. *que nubent neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in cœlo:* de carnalibus nuptiis, carnalia vtique ſapientibus hoc ipſum reſpondit. Quia itaque iſtæ nuptiæ in fine ſæculi debeant celebrari hæc eadem Apocalypſis teſtatur, quæ ad cœnam nuptiarum agni vocatos ſecundum prædeſtinationem electorum beatos appellat. Conſtat enim H & verum eſt, nequaquam omnes qui has præſentis temporis nuptias, quibus per fidem & ſpem Eccleſia Chriſto coniungitur, intrant, futuros beatos: ſed eos ſolummodo, qui per electionis gratiam ad illas tranſeunt, quibus iam non per fidem & ſpem, ſed per ſpeciem eadem Eccleſia ſponſo ſociatur. Iſtæ etenim communiter bonos & malos, illæ vero ſolos recipiunt bonos. Has multi exituri intrant, ſed illas quiſquis intrauerit, vlterius foras non exibit. Ad has quidam ſine nuptiali veſte conueniunt, ad illas vero omnes induti byſſino occurrunt. Patet certè de quibus nuptiis hoc loco mentio fiat, ad quarum cœnam vocatos hæc ſcriptura beatos appellat. Inter hæc autem ſciendum nobis eſt, quia non vno modo in hac Apocalypſi cœnæ vocabulum accipitur. Sed aliquando etiam illud conuiuium per ipſum deſignatur, quo in vnitate fidei electi aggregantur, vt in corpus Chriſti traiiciantur. Vnde & Petro dicitur: *Surge, macta & manduca.* Ad Act.10. quam ſcilicet mactationem cœnæ, cum electis reprobi etiam deducuntur. Sed vno eodemque gladio bis acuto,

Dei videlicet verbo, hinc electi feriuntur, vt in corpus Chriſti traiiciantur: illinc reprobi iugulantur; vt volatilibus cœli (id eſt, malignis ſpiritibus) eſca tradantur. Quod paulo inferius in hac reuelatione, Domino adiuuante, certis documentis declarabimus. Sequitur:

Et dicit mihi: Hæc verba Dei vera ſunt.

Tunc Eccleſiæ hoc ipſum diuinitus dicitur, quando ei Verbum Dei eademque veritas reuelatur. Quaſi enim verba Dei ad hominem fiunt, cum occulta atque interna aſpiratione motus cordis ſine ſtrepitu vocis idem Dominus erudit. Quod mihi omnium minimo, quamuis peccatorum ponderibus aggrauato, quamuis ad capiendum minus idoneo, in hoc opere diuinitus factum fuiſſe, ſi tamen ita eſt vt ſenſi, cum gratiarum actione recolo. Huius enim reuelationis verba in eo vera eſſe audiui, ſi tamen vtcunque audiui, quo ſpiritum qui viuificat ſequens, ne à litera occideret, myſticis tantummodo ſenſibus deſeruiſſe, vt minus ſapiens, intellexi & docui. Sequitur:

Et cecidi ante pedes eius vt adorarem eum. Et ait mihi: Vide ne feceris, conſeruus tuus ſum & fratrum tuorum habentium teſtimonium IESV. *Deum adora.*

Hic iam à genere ad ſpeciem ſermo recurrit, & Angelus, & Ioannes proprias perſonas reſumunt. Notandum autem quod is qui apparuit Angelus, ex aëre corpus aſſumpſit, & idcirco pedes habere deſcribitur, ante quos Ioannes vt adoraret, ruiſſe ſe dicit, cui protinus ab eo reſpondetur: *Vide ne feceris, conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium* IESV, *Deum adora.* Ac ſi ei diceret: Caue ne honorem qui ſoli competit Deo, ad creaturam referre coneris, quin potius attende, gratiaſque perſolue: quia is quem adorare niteris, in nullo tibi ſuperior, in nullo iam tibi excellentior inuenitur: quia vnius Domini conſerui, vnius ciuitatis ſumus conciues: licet pro diſpenſatione Sacramenti, nunc tibi videatur eſſe prælatus. Hinc certè agendæ ſunt gratiæ redemptori omnium, quia natura illa quæ dudum Angelos adorabat, nec prohibebatur: iam per eius aduentum ab eis & adorari renuitur, & in nullo inferior iudicatur. Et ne hanc dignitatem ſoli competere Ioanni crederemus, cum eidem Angelus dixiſſet: *Vide ne feceris, conſeruus tuus ſum:* ſtatim ſubiecit atque ait, *& fratrum tuorum habentium teſtimonium* IESV. Quod ſit autem teſtimonium, ipſe aperiat, ipſe exponat. Denique ſequitur:

Teſtimonium enim IESV, *eſt ſpiritus Prophetiæ.*

1.Ioan.5.
Matt.17.

Hinc per Ioannem dicitur: *Spiritus eſt qui teſtificatur, quoniam Chriſtus eſt veritas.* Omnis quippe ſumma Prophetiæ, in teſtimonio Ieſu Chriſti conſiſtit, cui omnis lex & prophetia deſeruit. Hinc eſt quod in monte ſancto coram tribus diſcipulis idem Dominus, dator legis & prophetarum doctor gloriam ſuam ex parte demonſtrans, inter Moyſen & Eliam, vultus veſtiſque ſuæ claritate reſplenduit, oſtendens ſcilicet teſtimonium ſe à lege & prophetis habere: cui hinc conſcriptor legis, inde colloquitur propheta. Hinc eſt quod ipſe Moyſi teſtimonium perhibet, dicens: *De me enim ille ſcripſit.* Hinc poſt reſurrectionem ſuam diſcipulis dicit: *Neceſſe eſt impleri omnia quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi & prophetis & pſalmis de me.* Hinc Lucas de ipſo Domino in via cum duobus diſcipulis colloquente, ait: *Incipiens à Moyſe & omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus ſcripturis quæ de ipſo erant.* Vbi ſubaudiendum eſt, non omnia quæ in lege & prophetis ſcripta ſunt, myſteriorum ænigmatibus obtecta fuiſſe: cum ea ſolummodo in breuitate temporis interpretatus ſit illis; quæ de eo ſcripta erant in omnibus ſcripturis: in quibus ſcilicet pro his quæ aliquid reſonant, etiam illa quæ nihil ſignificant, connexa videntur. Sicut enim in citharis & eiuſmodi organorum muſicis, non quidem omnia quæ tanguntur, canorum aliquid reſonant, ſed tantum chordæ: cætera tamen in toto citharæ corpore ideo facta ſunt; vt eſſet vbi connecterentur & quò tenderentur illa, quæ ad cantilenæ ſuauitatem modulaturus eſt artifex: ita in propheticis narrationibus quæcunque dicuntur, aut aliquid ſonant in ſignificationem futurorum, aut ſi nihil ſonant; ad hoc interponuntur, vt ſit vnde illa ſignificantia tanquam ſonantia connectantur. Sic itaque omnis lex & prophetia Chriſto deſeruire perhibetur, cum non omnia quæ lex & prophetia narrant, de illo dicta videantur. Habent autem hoc teſtimonium IESV hi, qui non ſolum verbo tenus ea quæ de illo prophetata ſunt, credunt; ſed qui ea fide pollent, quæ per dilectionem operatur: quia etſi per Ioannem dicitur: *Qui credit in filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe.* Paulus tamen ad hæc obuiat; & de quibuſdam dicit: *Confitentur ſe noſſe Deum; factis autem negant.* Sed iam vbi omnis ſumma fidei de Chriſto enuntiata concluditur, ibi tandem huius prolixitas libri debito fine terminetur: quatenus ad modicum per ſilentium viribus receptis, ad ea quæ reſtant exponenda, validius exurgamus.

1.Ioan.5.
Tit.1.

D. AMBROSII ANSBERTI Presbyteri, in Apocalypſim Ioannis Apoſtoli.

LIBER NONVS.

SCRIPTVRA Sacra diuinitus promulgata, quia diuerſorum hominum variis qualitatibus congruit, variis vocabulis nuncupatur. Aliquando enim lactis nomine, aliquando autem cibi, aliquando vero potus, aliquando quoque voluminis, aliquando etiam ſpeculi deſignatur: & nunc quidem gladij vel ſagittarum, nunc autem ſpiritus vitæ, nunc vero defluentium aquarum, nunc quoque pluuiæ deſcendentis in terram, nunc etiam tenebroſæ aquæ in nubibus aëris, vocabulo figuratur: plerumque autem abyſſi profunditati comparatur. Quia enim rudes adhuc in fide ſola ſuperficies paſcit hiſtoriæ, rectè lactis nomine deſignatur. Vnde & Paulus ad Chriſtum nuper conuerſis dicit: *Tanquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam: nondum enim poteratis, ſed nec quidem adhuc poteſtis, adhuc enim eſtis carnales.* Ad quorum perſonam Spiritus ſanctus per Salomonem loquitur, dicens: *Sufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos.* Ac ſi diceret: Vſquequo tenera ætas ſolidum cibum non poteſt inſumere; id eſt, altitudinem diuini eloquij non valet attingere, ſolo contenta ſit lacte caprarum: ſubaudis; ea doctrina prædicatorum, quæ ſola hiſtoria nutrit animas paruulorum. Quia autem ſuccreſcente ætatis intellectu; quidam ab hac inchoatione ad maiora percipienda perueniunt, iure tanquam perfectus & ſolidus cibus eadem ſcriptura occurrit. Vnde & per egregium prædicatorem dicitur: *Perfectorum eſt ſolidus cibus.* Hinc rurſum dicit: *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Sicut enim ſolidus cibus vt gluttiatur; diu manditur: ſic in ſcriptura Sacra obſcuræ ſententiæ diu retractantur, vt in intelligentiæ corpus traiiciantur. Sed quia is qui ſumma capit, etiam ad intelligendum faciliora vilia æſtimare non debet, rectè poſt cibum potum ſe præbet. Quia enim facilius potum quam cibum gluttimus, non incongruè eiuſdem potus nomine apertiora

1.Cor.3.
Prouer.27.
Heb.5.
1.Cor.2.

A quæque in diuinis voluminibus deſignantur, quæque plus
ſolent ad amorem patriæ cœleſtis auditorum animos ex-
citare, quam illa quæ figurarum vmbris adoperta, multi-
moda indigent expoſitione. Vnde & per Pſalmiſtam Deo
Pſal.22. dicitur: *Poculum tuum inebrians quam præclarum eſt.* Quia
vero is qui ſumma intelligendi ingenium percepit, nequa-
quam in exterioribus ſæculi occupari debet actionibus,
ſed indeſinenti meditatione diuinis eloquiis inhærere: be-
ne poſt cibum vel potum, ſcriptura Sacra legentibus vo-
Pſal.1. lumen ſe præbet. De quo ſcilicet per Pſalmiſtã dicitur: *In*
lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac
Pſal.118. *nocte.* Hinc rurſum idem Pſalmiſta ait: *Quomodo dilexi*
legem tuam Domine? Tota die meditatio mea eſt. Hinc
1.Tim.4. Paulus dilectum diſcipulum admonet, dicens: *Dum ve-*
nio, attende lectioni. De hac aſſidua meditatione ſcriptu-
rarum Propheta commouetur, cum ei diuina voce dici-
Iezec.3 tur: *Fili hominis, comede volumen iſtud quod ego do tibi.*
Apoc.10. Hinc Ioanni, imo etiam Eccleſiæ in Ioanne dicitur: *Acci-*
B *pe librum & deuora illum.* Quibus vtique verbis memet-
ipſum loquendo percutio, qui accepto intelligendi inge-
niolo, plerumque nulla cogente neceſſitate per inania
diffluo: plerumque etiam ſub obtentu prædicationis di-
uinæ, ſæcularibus viris pluſquam decet familiaritate con-
iungor. Cui contraria opponitur ſententia qua dicitur: *Sa-*
pientiam ſcribe in tempore otij: & qui minoratur actu,
Eccl.38. *ipſe percipiet eam.* Sed in vno horum quæ dixi, occur-
rit nobis magna conſolatio: quia quo propter multorum
vtilitatem charitate exigente ad ima deſcendimus, eo va-
lenter ad ſumma intelligenda conſurgimus. Sed nec mi-
rum ſi hoc agentes plus ſcimus, cum ſcriptum noueri-
Rom.13. mus: *Plenitudo legis eſt dilectio.* Inter hæc autem neceſſe
eſt, vt cum à familiari ſcripturarum meditatione ad offi-
cium egredimur prædicationis, atque ab officio prædica-
tionis ad familiarem rurſum ſcripturarum meditationem
reuertimur: ſolicita inquiſitione noſmetipſos diſcutiamus,
& quæ vel quanta ſint, in quibus aut proficimus, aut de-
C trimentum paſſi ſumus, ſagaci intentione perpendamus:
quatenus hinc inde & formidine & ſpe animum pulſan-
tibus, nec elatio per præceps impingat, nec rurſum deſ-
peratio in profundi voraginem mergat. Et vt ea quæ cœ-
pimus exequamur, quaſi quoddam ſpeculum ſcriptura
Sacra ſe nobis obiicit, in qua ſanctorum dicta & acta
conſiderantes, ſiue pulchritudinem virtutum, ſeu fœdita-
tem vitiorum noſtrorum inſpicere valeamus. An non elo-
quia Dei quaſi quoddam ſpeculum facta fuerant ei qui
Pſal.118. dicebat: *Tunc non confundar, dum reſpicio in omnia man-*
data tua? An non diuina præcepta ſpeculum humano ge-
Iacob.1. neri facta conſpexerat, qui dicebat: *Eſtote factores verbi,*
& non auditores tantum, fallentes voſmetipſos: quia ſi quis
auditor eſt verbi, & non factor, hic comparabitur viro con-
ſideranti vultum natiuitatis ſuæ in ſpeculo: conſiderauit enim
ſe, & abiit, & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit? Quique pul-
chritudinem ſanctorum in eo conſiderantium ſubiungit,
Ibid. dicens: *Qui autem perſpexerit in lege perfectæ libertatis &*
D *permanſerit, non auditor obliuioſus factus, ſed factor operis,*
hic beatus in facto ſuo erit. Sciendum præterea nobis eſt,
quia hæc eadem Dei præcepta, pro eo quod carnales
quoslibet per ora prædicantium à mundi amore ſeparan-
tur, nonnunquam gladij vocabulo figurantur, vt eſt illud
Matt.10. Saluatoris noſtri euangelicum dictum: *Nolite arbitrari*
quia veni mittere pacem in terram, non veni pacem mit-
tere, ſed gladium. Veni enim ſeparare hominem aduerſus
patrem ſuum, & filiam aduerſus matrem ſuam, & nu-
Eph.6. *rum aduerſus ſocrum ſuam.* Hinc Paulus ait: *Et gladium*
Apoc.1. & 19. *ſpiritus, quod eſt verbum Dei.* Hinc ſæpe in Apocalypſi de
ipſo prædicationis authore dicitur: *Gladius vtraque parte*
acutus exiebat de ore eius. Hoc nempe gladio vulnerata
Cant.5. fuerat Eccleſia, quæ in Canticis Canticorum dicebat: *In-*
uenerunt me cuſtodes qui circumeunt ciuitatem: percuſſe-
runt me, & vulnerauerunt me. Qui autem quorundam du-
ritiam acutis inuectionum ſententiis transfodiunt, bene
ſagittarum vocabulo deſignantur.

Pſal.44. Hinc propugnatori Eccleſiæ per Pſalmiſtam dicitur:
Pſal.76. *Sagittæ tuæ acutæ potentiſſime: populi ſub te cadent in corde.*
Ibid. Hinc rurſum idem Pſalmiſta ait: *Sagittæ tuæ pertranſie-*
runt. Et quaſi quæreremus ab eo quibus loqueretur, ſubie- E
cit & ait: *Vox tonitrui tui in rota.* De his ſagittis iterum di- Pſal.63.
cit: *Sagittæ paruulorum factæ ſunt plagæ eorum*: quia ſcili-
cet verba humilium, penetrarunt corda prauorum. Quia
vero his quos à mundi amore diuina eloquia velut gla-
dius abſcindunt, atque duritiam cordis eorum tanquam
ſagittæ confodiunt, ſpiritaliter deinceps viuunt: congruè
poſt gladium & ſagittas, & ſpiritus & vita eiuſdem occur-
runt. Hinc Dominus diſcipulis ait: *Verba quæ locutus ſum* Ioann.6.
vobis, ſpiritus & vita ſunt. Hinc per Salomonem dicitur: Prou.4.
Fili, auſculta ſermones meos, & ad eloquia mea inclina
aurem tuam, & ne recedant ab oculis tuis: cuſtodi ea in me-
dio cordis tui. Vita enim ſunt inuenientibus ea, & vniuerſæ
carni ſanitas. Hinc Iezechiel Propheta ait: *Spiritus vitæ* Iezec.1.
erat in rotis: ſubaudis, in diuinis eloquiis. Sciendum
etiam, quia pro eo quod in ſanctis prædicatoribus abun-
dantiori largitate redundant hæc eadem Dei eloquia, per
fluentium aquarum vocabula figurantur. Hinc eſt enim
quod Pſalmographus, Moyſi virga myſticè petra percuſſa, F
narrat aquas manaſſe cum dicit: *Percuſſit petram, & flu-* Pſal.77.
xerunt aquæ, & torrentes inundauerunt. Quem autem 1.Cor.10.
alium petra illa deſignabat, niſi principem prædicatorum,
Dominum videlicet Ieſum Chriſtum, Paulo atteſtante
qui ait: *Bibebant autem de ſpiritali conſequenti eos petra,* Exod.17.
petra autem erat Chriſtus? Quæ ſcilicet petra virga Moyſi Num.20.
percuſſa, aquas manauit: quia redemptor noſter accuſa-
tione plebis Iudaicæ diſtrictè iudicatus, flagellis cæſus,
ſpinis coronatus, clauis affixus, lancea percuſſus, mortuus
& ſepultus, tertia die reſurgens, legis ac prophetarum
eloquia, tanquam ſcilicet à fonte flumina, à ſe habuiſſe
monſtrauit originem. Et quia hæc aquarum inundatio
per gratiam Sancti ſpiritus de cœlo miſſi, prædicatorum
corda repleuit, rectè illic additur: *Et torrentes inundaue-* Pſal.77.
runt. Hinc Salomon ait: *Aqua profunda verba ex ore vi-* Prou.18.
ri, & torrens redundans fons ſapientiæ. Hinc idem fons ſa- Ioan.7.
pientiæ omni tempore aquas manans, in Euangelio de Ioan.4.
doctrina ſpiritus Iudæis dicit: *Qui credit in me, ſicut dicit*
ſcriptura flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hinc G
rurſum ait: *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet*
in æternum: ſed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ
ſalientis in vitam æternam. Sed quia hæc aquarum abun-
dantia quæ corda prædicantium velut quoſdam torrentes
redundare facit, diſcrete auditorum mentes irrigare de-
bet, aptè pluuiarum guttis ſcriptura Sacra figuraliter de-
ſignatur. Hinc per Moyſen dicitur. *Attende cœlum &* Deut.32.
loquar, & audiat terra verba ex ore meo: expectetur ſi-
cut pluuia eloquium meum, & deſcendant ſicut ros verba
mea. Quo contra de reprobatione iſraeliticæ plebis, ſub
vineæ figura Dominus dicit: *Nubibus mandabo ne pluant* Iſa.5.
imbrem ſuper eam. Hinc alibi dicitur: *Prohibitæ ſunt ſtellæ* Ier.3.
pluuiarum. Deo autem gratias, quia etſi apud Iudæos
aquarum illa affluentia exaruit, gentium torrentes (id
eſt, ſanctos prædicatores) impleuit: atque illæ nubes
quæ tenebroſam aquam continebant, nobis clariſſimos
imbres fuderunt. Quia enim eloquia Prophetarum ſub H
obſcuris ænigmatum ſententiis tegebantur, ac per hoc
à vulgi multitudine non intelligebantur, rectè tenebro-
ſa aqua in nubibus eſſe pronuntiabatur. Vnde & per
Pſalmiſtam dicitur: *Tenebroſa aqua in nubibus aëris.* Pſal.17.
Sed ecce intra ſanctam Eccleſiam quidam tanquam
paruuli lacte potationis, Scripturam ſanctam perci-
piunt, vſque quo ad ſoliditatem cibi potuſque perue-
niant: quidam autem intelligendi ingenio diuinitus per-
cepto, aſſidua meditatione ſacras paginas reuoluentes
quaſi deuorant, cum earum myſticos intellectus mentis
ſagacitate penetrant: quidam vero hoc ſolum in eis tan-
quam in ſpeculo attendunt, vtrumnam virtutibus pul-
chri, an à vitiis appareant fœdi. Rurſum alij carnalibus
obligati voluptatibus, diuina gratia præueniente, gladio
præcepti ſe immolant vt hoſtia viua fiant: omnia mun-
di deſerunt, in cunctis ſemetipſos humiliant, nihilque eis
amplius libet, quam vt ipſis mundus, ipſique mundo
mortui appareant. Alij autem mala conſuetudine deuicti,
ſubitò duritiam præcordiorum ſuorum quaſi quibuſdam
diuinorum eloquiorum ſpiculis confodiunt, vt nequa-

[A] quam ſibi vltra theſaurizent iram in die iræ & reuelationis iuſti Iudicij Dei: quiqoe dum hoc in ſemetipſis interficiunt quod fuerunt, incipiunt vita viuere qua mortui erant. Ruſumque alij tanta auiditate oblata ſibi diuinitus ſacra eloquia bibunt, vt in modum fluminis prædicationis verba eructent: ſed tamen auditorum intuentes opportunitatem, ipſam aquarum abundantiam in minutiſſimas guttas tanquam nubes conuertunt, quæ dudum in propheticis locutionibus obſcura cernebantur. Ecce inquam intra ſinum matris Eccleſiæ, iuxta propriam menſuram atque intentionem, prout poſſunt, iſta quæ diximus capiunt ac ſubminiſtrant. Sed quia in quibuſdam ſuis ſententiis ſacrum eloquium abyſſi profunditati comparatur, quis horum profunditatem eius valet attingere? Et quidem ô prudens ac pie lector, in aliis diuinis voluminibus quibuſdam locis agnus pene tranſit, quibuſdam autem elephas gurgiti merſus innatat. In hac Apocalypſi a ripa in ripam, ab exortu vſque ad nouiſſimum decurſum tan- [B] ta profunditate tumeſcit, vt præ nimia altitudine tenebroſa appareat. Cuius profunditatem exponendo ingreſſus, verum fateor, tantum de ea attingere poſſum, quan- [Pſal.41.] tum homo haurire ex profundiſſimo pelago. Sed nec hoc quidem valerem, niſi abyſſus abyſſum inuocaret. Et quid eſt abyſſum abyſſum inuocare, niſi obſcuram atque profundam ad exponendum ſententiam vt intelligi poſſit, ex alia ſcriptura verum teſtimonium requirere: ſi enim inuocante abyſſo abyſſus occurrat, pene nulla eſt in ea ita obſcura locutio, vt alterius teſtimonio non fiat perlucida. Quod me in hoc opere deſudante, ita ſibi inuicem occurriſſe cum gratiarum recolo actione: non tamen per hoc profunditatem me Apocalypſis ad plenum attigiſſe profiteor. Deo itaque gratias agentes, qui nos hoc ipſum poſſe donauit, eo quo cœpimus more eius ſecreta ac myſtica Sacramenta pandamus. Denique, vt ſæpe iam diximus, author huius reuelationis qui ſub vno (vt ſolet in hiſtoria fieri) non valet myſticis locutionibus ſimul viſa [C] pandere myſteria, ſæpius recapitulando ac per partes eadem repetendo, complectitur. Nam vt præcedens locutio indicat, quam in octauo huius operis libro, qui iſtum præcedit expoſuimus, ab aduentu redemptoris vſque ad finem ſæculi ſermonem extendit. Nunc autem latius eadem repetens contexit, dicens:

Et vidi cælum apertum, & ecce equus albus. Et qui ſedebat ſuper eum, vocabatur fidelis & verax, & iuſtitiam iudicat.

[Iſa.66.] Sæpe iam diximus, cœli nomine electorum Eccleſiam [Sap.7.] deſignari: quia cum Dominus per prophetam dicat, *cœ-* [1.Cor.1.] *lum mihi ſedes eſt*: Salomon autem occurrat, dicens: *Anima iuſti, ſedes ſapientiæ*, Paulus vero confirmet Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam: nimirum cœlum eſt iuſtorum Eccleſia. Quod videlicet cœlum pridem fuerat clauſum: quia Eccleſiæ prædicatio ad omnes non [D] peruenerat gentes. An non clauſum fuerat, quãdo poſt re- [Ioan.20.] ſurrectionem Domini diſcipuli in vno conclaui propter [Act.1.] [Act.2.] metum Iudæorum reſidebant, & ſub ſilentio ſeipſos tegebant? Sed tunc cœpit aperiri, cum peractis quinquaginta diebus, miſſo de cœlis ſpiritu Sancto, omnium gentium ſunt linguis locuti: & qui prius nec in vna lingua Chriſtum confiteri audebant, poſtea hunc innumera linguarum diuerſitate publicè prædicabant. Quid autem in equo albo accipimus, niſi carnem atque animam noſtri redemptoris, qui propter eiuſdem carnis aſſumptio- [Pſal.72.] nem ad Patrem loquitur, dicens: *Vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum: tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria aſſumpſiſti me?* Quid vero per ſeſſorem eiuſdem equi, niſi diuinitatem eius? Quæ non ſolum venerabile illud corpus & animam quam ſibi veraciter coniunxit, verumetiam omnem creaturam regendo præſidet. Hunc autem equum tunc diuinitas aſcendit, quando ſpiritu Sancto operante, intra vterum beatæ Virginis humanam ſibi carnem & animam creando atque ſuſcipiendo vniuit. Cum autem [*alius.] aliud ſit ſeſſor, atque alius equus qui regitur a ſeſſore, ibi ſit vt alius ille, atque alius intelligatur iſte: ſed vnus idemq; ex vno præſidendo ſuperior, ex altero ſemetipſum ſubiiciendo inferior: ex vno ſibi maior, ex altero minor. [E] Bene autem equus, quem diuinitas ſingulariter præſidet, albus eſſe deſcribitur: quia omnino in homine illo aſſumpto nullius peccati obfuſcatio inuenitur: propter quod dicitur: *Qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius.* Cœlo itaque aperto, equus albus & ſeſſor ſtatim conſpicitur: quia Eccleſia prædicante, humanitas Chriſti eiuſque diuinitas gentibus manifeſtatur. De cuius adhuc diuinitate ſubiungitur: *Et qui ſedebat ſuper eum, vocabatur fidelis & verax, & iuſtitiam iudicat.* fidelis ſcilicet quia quodcunque promittit, ſine dubio & implet: verax autem, quia ipſe eſt Patris veritas, quæ nunquam poteſt mentiri. Vnde & pro confirmatione ſententiæ, Angelica [Apoc.3.] voce ſuperius in Apocalypſi dicit: *Hæc dicit amen teſtis fidelis.* Iuſtitiam vero vt rex ſæculorum iudicat, quia nec [F] aliter poteſt, qui in omnibus juſtus eſt. In quibus ſcilicet ſententiis & ſpes pœnitentium, & formido declaratur negligentium. Dicatur itaque de ſeſſore equi, *Qui vocabatur fidelis*: ac ſi diceretur, Qui ſpem veniæ conuerſis tribuit, non fruſtrabitur quenquam in ſuis promiſſionibus, quia fidelis eſt in omnibus, ſed quia vana ſecuritate poſt conuerſionis gratiam, à feruore ſancti certaminis in tepiditatem veniunt vitæ remiſſioris, cum attendunt fidelem veniæ promiſſorem, debent vtique pertimeſcere veracem & iuſtum in ſuis ſententiis iudicem. Vnde & hic dicitur: Verax vocatur, & iuſtitiam iudicat: vbi ſubaudiendum eſt, quia ſi verax eſt & iuſtitiam iudicat, nullum impœnitentem impunitum relinquit, nullum non conuerſum miſericordia ſaluat. De quo & ſequitur:

Oculi autem eius ſicut flamma ignis: & in capite eius diademata multa, habens nomen ſcriptum quod nemo nouit niſi ipſe. [G]

Quid enim per oculos huius intelligimus ſeſſoris, flammæ ignis comparatos, niſi (vt ſæpe iam diximus) ſpiritum Sanctum, qui ad fidem illuminat & accendit Eccleſiam? Vnde & longe ſuperius in hac reuelatione per Ioannẽ di- [Apoc.5.] citur, *Vidi, & ecce in medio throni & quatuor animalium & ſeniorum agnum ſtantem tanquam occiſum, habentem cornua ſeptem & oculos ſeptem, qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei, miſſi in omnem terram.* Quid vero per caput illius, niſi Patrem eiuſdem noſtri mediatoris, Paulo atteſtante qui ait: [1.Cor.11.] *Caput Chriſti Deus?* Quid quoque per diademata multa, niſi triumphus victoriæ? Sciendum vero, quia cum ſint hæc etiam diademata in Chriſto, per quẽ aut in quo vincimus & coronamur, idcirco in Patre ſolo eſſe narrantur, quia omnia ad ipſum referuntur, ex quo ſecundum Apo- [Rom.11.] ſtolum omnia eſſe probantur. *Pater enim à ſeipſo, filius autẽ à Patre, non à ſeipſo: ſpiritus vero Sãctus, à Patre & filio cognoſcitur eſſe.* à quo ergo ſũt omnia, in ipſo diademata mul- [H] ta. Et vt breuiter ac ſub vno cũcta repetam, in equo, id eſt in homine Chriſto, quia corpus eius ſumus, à diuinitate ipſius regimur ac præſidemur: in oculis autem eius, id eſt, in ſpiritu Sancto, illuminamur: in capite vero ipſius, id eſt in Patre, poſt victoriam coronamur. Sed in his quæ ſequũtur, valde nodoſiſſima atque ad ſoluendum perplexa nobis exoritur quæſtio, cum de equi ſeſſore dicitur: *Habet nomẽ ſcriptũ quod nemo nouit niſi ipſe.* Nũquid nam aut Patri aut ſpiritui S. hoc nomen incognitũ eſſe poteſt, cum ſit Pater & Filius & ſpiritus S. vnius naturæ, vnius eſſentiæ, vnius potentiæ, vnius maieſtatis, vnius æternitatis, ſolus & verus, non trinus, ſed Trinitas Deus? Sed ſciẽdum nobis, eſt quia quantum ad Trinitatis attinet vnitatem, vſitata ſcripturarum locutione hoc fuit expreſſum: quia ſi quid ſolus filius noſſe dicitur, omnis prorſus Trinitas ſcire docetur: & ſi quid ſolus Pater ſcire narratur, cũ ſua proculdubio ſapiẽtia quæ eſt Chriſtus, vel cum ſuo ſuæque ſapientiæ ſpiritu noſſe probatur: & ſi quid ſpiritus Sanctus ſolus ſapere perhibetur, omnino cum Patre & Filio, quorum ſpiritus eſt, ſcire creditur: Nam cum Dominus in Euangelio dicat,

A *nemo nouit Patrem niſi filius, & cui voluerit filius reuela-*
Matt.11. *re*: Apoſtolus tamen de ſpiritu Sancto loquitur, dicens:
1.Cor.2. *Nemo ſcit hominum quæ ſint hominis, niſi ſpiritus hominis,*
Matt.24. *qui in ipſo eſt: ita & quæ in Deo ſunt, nemo nouit niſi ſpi-*
Marc.13. *ritus Dei.* Iam vero quod ſolus Pater diem iudicij ſcire narratur, quis ab hac cognitione ſapientiam ſeparet Patris, in qua hoc ipſum nouit. Quis ab hac cognitione ſeparet ſpiritum Patris, eiuſque ſapientiæ, qui ſcrutatur
1.Cor.2. etiam profunda Dei? Poteſt autem in eo quod filius diem iudicij neſcire ſe dicit, illa locutionis regula intelligi, qua ſciendo aliquid ſcientes facit, & neſcientes efficit neſciendo. Hæc de æquali in diuinitate perſonarum cognitione dicta ſufficiant: nunc videamus, vtrum hoc ipſum nomen, nulli alij niſi ipſi ſoli cognitum, Eccleſiæ fuerit propalatum. Nunquid igitur ab hac cognitione Dominus noſter alienam voluit fieri Eccleſiam ſuam, ſponſam ſuam, dilectam ſuam, vnicam ſuam, columbam ſuam, perfectam ſuam, quam acquiſiuit ſanguine ſuo? Abſit vt cre-
B datur. Mentior ſi hoc ipſum Ioannes non atteſtatur. Denique in ſubſequenti verſiculo idem de ſeſſore equi ait: *Vocatur nomen eius verbum Dei.* At poſt pauca: *Et habet in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum, Rex Regum & Dominus dominantium.* Sed obſecro mi beate Ioannes, ſi nullus nomen eius ſcit, vt tu aſſeris, niſi ipſe, quomodo to ipſum nomen te ſcire, profiteris? Hic dicis, Habet nomen ſcriptum quod nemo nouit niſi ipſe: illic autem affirmas, quia vocatur verbum Dei, & habet in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum, *Rex regum & Dominus dominantium.* Et certe niſi ſubtiliter quid interius in his tuis lateat veibis, timetur, contraria ſibi eſſe videntur. Si enim nulli nomen hoc niſi ipſi noſſe conceditur, quomodo per te Verbum Dei & rex regum & Dominus dominantium apertè prædicatur, niſi quia ſubaudiendum eſt, nemo extraneus cognoſcit niſi caput & membra, Chriſtus videlicet & Eccleſia? Huic ſimilis eſt illa Saluatoris no-
Ioan.3. ſtri locutio, qua per eum dicitur: *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui de cœlo deſcendit, filius hominis qui eſt in cœ-*
C *lo.* Vbi intelligimus quod ſi quis membrorum aſcenderit, non per ſe, ſed per ipſum & in ipſo capite aſcendere valet, id eſt in Domino Ieſu Chriſto, qui hoc membris ſuis & ſperare dedit promittendo, & poſſe dabit implendo,
Matt.24. *quia vbi fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.* Sic itaque & hoc loco ſolus Chriſtus noſſe dicitur, quod ſponſæ in ipſo ſcire conceditur, per quem & in quo ea-
1.Cor.6. Eph.5. dem beata ſponſa inſtituitur atque docetur. Ipſa certè nouit quod Eccleſia in ipſo ſcire meruit: quia vt Apoſtolus dicit, qui adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt: &
1.Cor.2. illud de Chriſto & Eccleſia, *Erunt duo in carne vna.* Quod videlicet nomen nec Iudæi, nec incredulæ nationes, nec hæretici cognoſcere meruerunt. Si enim cognouiſſent, nec Iudæorum nec gentium principes Dominum gloriæ crucifixiſſent, eiuſque Eccleſiæ infeſti eſſent, nec hæretici tanta diuerſorum ſchiſmatum dogmata, Chriſto Eccleſiæque contraria condidiſſent. Sed audi cur eum alij cognouerunt, cur alij ad eius notitiam nooperuenerunt. Ipſum denique incaroatum verbum ad diſcipulos
D
Matt.13. ait: *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei: cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non*
Ioan.3. *intelligant.* Hinc Ioannes B[illegible] dicit: *Teſtimonium eius nemo accepit, qui autem [illegible]perit eius teſtimonium, ſignauit quia Deus verax eſt.* Hinc à Thadæo voce om-
Ioan.14. nium Apoſtolorum reſpondetur: *Domine, quid factum eſt, quia nobis manifeſtaturus es teipſum, & non mundo?* Ad huius cognitionem nominis nec dum eos perueniſſe conqueritur, cum Philippo viſionem Patris quærenti di-
Ibid. cit: *Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognouiſtis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum.* Hanc etiam cognitionem quam nunc habent in fide & ſpe, habitaturos quandoque docuit in re, cum omnibus electis in Apoſtolis repromiſit, dicens: *Vos videbitis me, quia ego viuo, & vos viuetis: in illo die vos cognoſcetis, quia ego in Patre, & vos in me, & ego in vobis.* De quo adhuc ſequitur:

E

Et veſtitus erat veſtem aſperſam ſanguine, & vocatur nomen eius verbum Dei.

Quid aliud eſt veſtis verbi Dei, niſi corpus quod ſumpſit ex Virgine? Quid vero in aſperſione ſanguinis, niſi indicia demonſtrantur paſſionis? Hanc quoque veſtem longe ante Iſaias aſpiciens per crucem paſſionis ſanguine cruentam, dixit: *Quare rubrum eſt indumentum tuum, &* Iſai.63.
veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari? Cui ipſe reſpondit: *Torcular calcaui ſolus.* Solus enim torcular, in quo calcatus eſt, calcauit: quia ſua potentia eam quam pertulit paſſionem, vicit. Nam qui vſque ad mortem crucis peruenit, de morte cum gloria ſurrexit. Bene autem dicitur, *& de gentibus non eſt vir mecum.* Quia hi pro Ibid.
quibus pati venerat, paſſionis eius eſſe participes debuerant: qui pro eo quod illo in tempore needum crediderant, de ipſis in paſſione queritur, quorum vita illa paſſione quærebatur. Poteſt autem per veſtem aſperſam ſan- F
guine, Eccleſia in beatis martyribus intelligi, de quibus longe ſuperius in hac Apocalypſi dicitur: *Hi ſunt qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt ſtolas ſuas in* Apoc.7. Gal.6.
ſanguine agni. Vnde & Apoſtolus ad hanc ſe veſtem pertinere cognoſcens, ait: *De cætero nemo mihi moleſtus ſit.* Col.1.
Ego enim ſtigmata IESV *in corpore meo porto.* Et rurſum: *Compleo ea quæ deſunt preſſurarum Chriſti, in carne mea,* Act.9.
memor ſcilicet vocis auditæ: Saule Saule, quid me perſequeris? Quicquid enim Eccleſia patitur, Chriſtus pati veraciter comprobatur. Sequitur:

Et exercitus qui ſunt in cœlo, ſequebantur eum in equis albis, veſtiti byſſinum album mundum.

Sic dicuntur exercitus qui ſunt in cœlo Chriſtum ſe- G
qui, cum ipſi exercitus ſint cœlum, ſicuti in caſtris inire homines certamen, cum ipſa caſtra ſint ipſi qui præparantur ad bellum. Propheta namque de ſanctis animalibus dicit:
Cum ambularent quaſi ſonus erat multitudinis vt ſonus ca- Iezec.1.
ſtrorum. Recte autem multitudinem ſanctorum, quæ in hoc martyrij bello deſudat, exercitum vocat. Qui bene etiam in equis albis ſedere feruntur, quia nimirum eorum corpora & luce iuſtitiæ, & caſtimoniæ candore clareſcunt. Equus quippe eſt vnicuique ſanctæ animæ, corpus ſuum: quod videlicet nouit & ab illicitis continentiæ fræno reſtringere, & rurſum charitatis impulſu in exercitationem boni operis relaxare. Quod etiam in byſſino indumento myſtice figuratur. *Byſſinum enim, ait, iuſtificationes ſunt ſanctorum.* Chriſtum itaque ſequuntur, quia vtique imitantur, quibus & dicitur: *Chriſtus paſ-* 1.Pet.2.
ſus eſt pro vobis, relinquens vobis exemplum, vt ſequamini veſtigia eius. Quique in Canticis Canticorum eiuſdem exercitus principi ſe præcedenti dicunt: *Poſt te in odorem* Cant.1.
vnguentorum tuorum curremus. Sed nunquid ſoli hunc H
martyres ſequuntur in equis atque in veſtibus albis? Sequuntur plane & alij, ſiue Virgines ſiue continentes, ſiue coniugati, in pace Eccleſiæ conſtituti. Itaque cum in decore virginitatis imitandus incedit, excellentior hunc, ſed numero minor exercitus ſequitur. Cum autem ante continentes ac mundum relinquentes imitandus in aliis virtutibus graditur, robuſtiſſima quidem ac numeroſior, ſed minoris Eccleſiæ quam Virginum, hunc agmina ſequuntur. Cum vero ante coniugatos, iam innumerabilis turba gradus ſui honore prædita, eundem proſequitur: & ſi ſubtiliter intuemur, omnes hi etſi non aperti, occulti tamen imitatione martyrij poſt eum currunt. Quia generaliter omnibus arcta & anguſta via ad ambulandum proponitur, in commune omnibus dicitur: *Non coronabi-* 2.Tim.2.
tur niſi qui legitime certauerit. Sequitur:

A

Et de ore ipſius procedebat gladius vtraque parte acutus, vt in ipſo percutiat gentes, & ipſe reget eos in virga ferrea.

Per gladium vtraque parte acutum, ſæpe iam diximus geminum teſtamentum figurari: quo ſcilicet alij à priſtino errore abſtracti, ſpiritaliter viuant: alij à bonorum conſortio extranei, miſerabili morte depereant. Quod non immemor Apoſtolus gentium, cum ſanctam prædicationem gladium ſpiritus diceret, qualiter & electi ad vitam & reprobi ad mortem ex eadem percuterentur, & alibi ait: *Chriſti bonus odor ſumus Deo, & in his qui pereunt, & in his qui ſalui fiunt: & aliis odor mortis in mortem, aliis vita in vitam.* De hoc gladio ſicut paulo ſuperius diximus, Dominus in Euangelio ait: *Non veni mittere pacem in terram, ſed gladium.* Cui etiam & per Pſalmiſtam dicitur: *Accingere gladium tuum circa femur tuum potentiſſime.* Ac ſi diceretur: Ex incarnationis tuæ myſterio non tantum potenter vt dudum in prophetis, ſed etiam potentiſſime gladio prædicationis in ſanctis doctoribus accingere. Cum enim ſanctos Apoſtolos ex incarnata Dei ſapientia prædicationis verbum contra aduerſarios roborat, Chriſtum nimirum circa femor gladio fortiſſime accingunt: vel certe ex ore eius gladius vtraque parte acutus egreditur, quia ſicut de ſapientia dicitur, legem & miſericordiam in lingua portat, tanquam ſcilicet iudicium & clementiam, ſeueritatem ac manſuetudinem. Quamobrem ex vna parte gladij reprobos ſeueriter damnat, ex altera electos miſericorditer ſaluat. Quia enim gladius gemino modo deſignatus, alios ad vitam percutit, alios ad mortem iugulat: hæc ipſa Apocalypſis manifeſtiſſime declarat, quæ & hic in bonum, & inferius in malum gentes percuti narrat. Hoc enim loco gentes gladio percuſſæ, non aliæ quam bonæ intelliguntur, pro eo quod poſt percuſſionem in virga ferrea regi dicuntur: illæ certe ſunt, de quibus paterna voce ad filium dicitur: *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, tanquam vas figuli confringes eos:* ſubaudis, non alienam, ſed tuam in virga ferrea regendam à me pete hæreditatem: paulo vero inferius de reprobis contra Chriſtum & Eccleſiam pugnantibus dicitur: *Cæteri occiſi ſunt gladio ſedentis ſuper equum album, qui procedebat de ore ipſius.* Quid autem deſignatur per virgam ferream, niſi ipſius regni fortitudo vel certe inflexibilis iuſtitiæ rectitudo? Vnde & eidem per Pſalmiſtam dicitur: *Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi, virga recta eſt virga regni tui.* Et quaſi quæreremus ab eo quæ eſſet hæc virgæ rectitudo, ſubiecit & ait: *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem.* De quo & ſubditur:

Eph. 6. — 2. Cor. 2. — Matt. 10. — Pſal. 44. — B — Prou. 31. — Pſal. 2. — C — Pſal. 44. — Ibid.

Et calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis.

Quid per torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis, niſi vt ſupra meminimus, mors intelligenda eſt? Quapropter primum originale delictum ad iracundiam Deus prouocatus hominibus infixit, quamque miſericorditer pro nobis Dei filius ſuſcipiens, in qua calcatus eſt, calcauit quia hanc, à mortuis reſurgens, potenti virtute depreſſit: vel certe ipſe calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis, quia electos pariter & reprobos preſſurarum anguſtiis deprimens approbat. Sicut enim in torculari vuæ calcibus tunduntur, vt vino promptuaria repleantur: ſic nimirum electi preſſurarum afflictionibus conteruntur, vt in cœleſtibus habitaculis recondantur. Et ſicut vna calcatione atque vna ponderis depreſſione, vinacea foras proiicienda a vino ſeparantur: ſic vna eademque tribulatione reprobi ab electorum vita & moribus, quorum iudicantur indigni conſortio, diſtinguntur. Dictum eſt autem calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis eos qui in torculari mittuntur calcandi. Sed cum ſint vinum electi, & vinacea reprobi, cur vinum furoris vocantur, niſi quia in hoc preſſurarum tempore iram Dei, quæ peccatoribus in perpetuum debetur, patienter ſuſtinent, vt quandoque in perpetuum Deum ſibi placatum inueniant? Tanquam ipſi ſint ira eius, qui temporaliter iram ſuſtinent iudicis eiuſdem. Vnde & per Petrum dicitur: *Tempus inchoationis iudicij ex domo Dei.* Electi ergo vinum furoris ſunt, ſed ſciendum quia tam diu, quoadusque in torculari tanquam vuæ tunduntur, vt à vinaceis ſeparentur: at vbi ad æterna promptuaria poſt preſſurarum anguſtias incurrerint, iam deſiſtunt eſſe furor, quia deſinit torcularis calcatio. Sequitur:

D — E

Et habet in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum, Rex regum & Dominus dominantium.

Per veſtimentum, ſicut & ſupra iam diximus, corpus illud deſignatur, quod verbum Patris, anima mediante, ſumpſit ex Virgine: per femur vero, propagatio carnis intelligitur. Quia ergo per propagationem generis humani, ſicut generationum ordines Matthæo vel Luca narrantibus deſcribuntur, in hoc mundo venit ex Virgine, & per incarnationis ſuæ myſterium, quia rex eſſet & Dominus, cunctis vbique gentibus indicauit, in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum habuit, *Rex regum & Dominus dominantium.* Vnde enim in mundo innotuit, ibi de ſe locutionis ſcientiam infixit. Poteſt autem hoc loco ſecundum ſuperiorem intellectum, per veſtimentum Eccleſia deſignari: quam ſecundum Apoſtolum Chriſtus mundauit lauacro aquæ in verbo, vt exhiberet ſibi ipſe glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid eiuſmodi. Quæ videlicet vt veſtis mundatur, ne maculam incurrat: vt veſtis extenditur, ne rugam contrahat. Per femur vero, poſteritas ſeminis eius figuratur, de qua proſapia per Iohannem dicitur: *Quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius: qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Ex Deo ſcilicet ſubaudis per verbum prædicationis & lauacrum regenerationis, quibus quotidie Sacramentis Chriſtus ſibi generat hæredes. Non ſibi ergo quiſquam de prædicatione, non ſibi applaudat de baptiſmatis Sacramento: quia & per ora docentium Chriſtus docet, & per manus ſacerdotum Chriſtus baptizat, cui ſucceſſores hæredes tanquam defuncto fratris ſemen ſpiritaliter ſuſcitant. Hinc eſt quod egregius prædicator, qui ab Ieruſalem vſque in Illyricum omnia Euangelio repleuerat, quibus veraciter diceret, *in Chriſto Ieſu per Euangelium vos genui:* vt oſtenderet non ſibi, ſed Chriſto hoc ſemen ſe ſuſcitaſſe, Corinthios increpat, dicens: *Nunquid Paulus crucifixus eſt pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati eſtis?* Ac ſi vtraſque ſententias concordaret, dicens: *Ego quidem per Euangelium prolem genui cæleſtem, ſed in nomine prioris fratris defuncti, in quo benedicentur omnes gentes terræ.* In iſto ergo femore tanquam in propagatis filiis, Chriſti notitia non atramento, ſed ſpiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus ſcribitur: qui eum regem regum & Dominum fatcantur omnium dominorum, quibuſque hæc inſcriptio femoris reputatur credentibus in eum, & benedicuntur cum fideli Abraham. Sequitur:

Matth. 1. — Luc. 3. — F — Eph. 5. — Ioann. 1. — G — Rom. 15. — 1. Cor. 4. — 1. Cor. 1. — 2. Cor. 3. — H

Et vidi alium Angelum ſtantem in ſole, & exclamauit voce magna, dicens omnibus auibus quæ volabant per medium cæli: Venite, congregamini ad cœnam magnam Dei.

Poteſt hoc loco per Angelum in ſole ſtantem, incarnatus Dominus, quanquam ipſe frequenter ſolis nomine deſignetur, poteſt & eius Eccleſia intelligi. Solis autem nomine aliquando, vt dictum eſt, idem Dominus: aliquando perſecutio: aliquando autem vita prædicantium, aliquando vero de re qualibet manifeſtæ viſionis oſtenſio. Per ſolem quippe Dominus figuratur, ſicut in ſapientiæ libro perhibetur, quod omnes impij in extremi die iudicij cognita ſua damnatione, dicturi ſunt: *Errauimus à via veritatis, & lumen iuſtitiæ non luxit nobis; & ſol non eſt ortus nobis.* Ac ſi aperte dicant: Interni nobis luminis radius non reSap. 5.

A fulſit: Vnde & Ioannes longe ſuperius in hac Apocalypſi Apoc.12. dicit: *Mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius.* In ſole etenim illuſtratio veritatis: In luna autem quæ menſtruis ſuppletionibus deficit, mutabilitas temporalitatis accipitur. Sancta autem Eccleſia, quia ſuperni luminis ſplendore protegitur, quaſi ſole veſtitur: quia vero cuncta temporalia deſpicit, lunam ſub pedibus premit. Rurſum ſole perſecutio deſignatur, ſicut in Euangelio veritas dicit, quod nata ſine radicibus ſemina, orto ſole aruerunt: quia videlicet verba vitæ in corde terrenorum hominum temporali momento virentia, ſuperueniente perſecutionis ardo- Matt.13. Marc.4. Luc 8. re ſiccantur. Rurſum ſolis nomine vita prædicantium exprimitur, ſicut in hac eadem Apocalypſi dicitur: Apoc.6. *Cum aperuiſſet ſigillum ſextum, factus eſt ſol tanquam ſaccus cilicinus.* Nouiſſima quippe ætate ſæculi aduesperaſcente, ſol tanquam ſaccus cilicinus oſtenditur: quia nimirum ante oculos perſecutorum, vita prædicantium deſpecta & aſpera monſtratur. Rurſum ſole manifeſtæ viſionis oſtenſio B deſignatur, ſicut propheta Dominum cunctorum clare ap- Pſal.18. parentem denuntiat, dicens: *In ſole poſuit tabernaculum ſuum.* Ac ſi diceret: Humanitatis aſſumptæ Sacramentum, in lumine manifeſtationis oſtendit. Et ſicut eidem 2. Reg. 12. prophetæ diuina voce dicitur: *Tu feciſti in abſcondito, ego vero faciam verbum iſtud in conſpectu omnis Iſraël & in conſpectu ſolis.* Quid enim per conſpectum ſolis, niſi cognitionem inſinuat manifeſtæ viſionis? Hoc autem in loco quid ſolis nomine deſignari credimus, niſi eandem oſtenſionem manifeſtæ viſionis? Redemptorem igitur noſtrum, magni conſilij Angelum, in oſtenſione manifeſtæ viſionis ſtare dixit, vbi iam non lateat, ſed toto orbe cla- Matt.13. reſcat. De quo adhuc ſubditur: [*Exclamauit voce magna omnibus auibus quæ volabant per medium cœli: Venite, congregamini ad cœnam magnam Dei omnipotentis.*] Aues in Sacra ſcriptura pro locorum qualitatibus, aliquando bonæ, aliquando vero intelliguntur malæ. Bonæ ſcilicet illo in loco, quo in ramis illius arboris, quæ ex paruo, ſinapis grano orta eſt, nidificare dicuntur. Granum enim ſinapis C in horto ſeminatum, Dominus noſter eſt in horto ſepul- Ioan.12. tus. Qui ſub alia figura de ſeipſo loquitur, dicens: *Niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Granum autem ſinapis, minimum eſt omnium olerum ſeminibus: quia idem Deus homo, tempore paſſionis deſpectior cunctis hominibus ab impiis viſus eſt. Sed granum ſinapis creuit in arborem magnam, qui Chriſtus ſurgens à mortuis, Deus excelſus totum claruit per orbem. In cuius ſcilicet ramis aues cœli nidificant: quia ſancti prædicatores, vt cœleſtis patriæ prolem gignant, in elo- Matt 13. quiorum illius dictis quieſcunt. Malæ aues intelliguntur autem quæ iacta verbi ſemina fidelium cordibus tollere narrantur. Hoc ſane in loco auium nomine prædicatores ſanctos intelligimus deſignari, ſicuti & ſuperius aquilæ Apoc.8. volantis per medium cœlum. Et ibi quidem propter vnitatem aquila, hic vero propter multitudinem prædicantium, aues cœli introducuntur. Quæ etiam bene per me- D dium cœlum volare dicuntur, quia nimirum prædicatores ſancti vt ad cœleſtia poſſint animas eleuare credentium, nequaquam terrenis deſideriis inhærent, ſed per cœleſte deſiderium ad ſublimia virtutum pennis tollun- Iſa.60. tur. De quibus per prophetam dicitur: *Qui ſunt iſti qui vt nubes volant, & ſicut columbæ ad feneſtras ſuas?* In magna autem voce ille reſpectus diuinæ gratiæ oſtenditur, quo per internam aſpirationem prædicatorum corda ad colligendas fidelium animas accendit. Vnde & ad Petrum in extaſi poſitum ſpiritalis vox dirigitur, qua ei dici- Act.10. tur: *Surge Petre, macta & manduca.* Iam ſane aperte claret, ad quam cœnam aues cœli inuitentur: ad eam ſcilicet qua fidelium animæ gladio prædicationis à priſtino errore funditus occiſæ, in corpus Chriſti traiiciuntur. Sed ad hanc cœnam inter inuitatas aues occurrunt minime vocatæ, maligni videlicet ſpiritus, ſi quod forte morticinum proiectum, quo iniquitatis ſuæ ventrem tanquam [illegible]lul, & corui repleant, inuenire poſſint. Poteſt autem, vt ſupra meminimus, per Angelum in ſole ſtantem, id eſt in aperta oſtenſione Eccleſia Chriſti in ſanctis prædicatoribus deſignari, qui ſuccedentes ſibi animarum præſu- E les, ad lucrandas Deo animas verbo exhortationis accendunt. Sed & ſi ab ſpecie ad ſpeciem (vt ſolet) ſermo recurrat, non incongruè per hunc Angelum in ſole ſtantem, eximium illum prædicatorem Eliam intelligimus: qui nunc humanis oculis ſubtractus, in quadam terræ regione diuinitus celatur: ſed in nouiſſimis ſæculi diebus ad cœnam Dei aues vocaturus, in ſole, id eſt in aperta manifeſtatione demonſtrandus docetur, Domino atteſtante, qui ait: *Elias veniet, & ipſe reſtituet omnia.* Inde fortaſſe & Matt.17. hæc cœna magna vocatur, quæ non ſolum gentium populos, verumetiam Iſraëliticam plebem corpori Chriſti conſociat. Quæ ſit autem præparatio huius cœnæ, aperitur cum inuitatis auibus dicitur:

Vt manducetis carnes regum, & carnes tribunorum, & carnes fortium, & carnes equorum & ſedentium in ipſis, & carnes omnium liberorum ac ſeruorum & puſillorum ac magnorum. F

Sicut ſolet ſcriptura Sacra totum hominem per ſolam animam deſignare, vt eſt illud, *Deſcendit Iacob in Ægyptum in animabus ſeptuaginta*: ſic plerumque per ſolam Gen 46. Exod.1. Iſa 40. carnem, vt eſt illud, *Videbit omnis caro ſalutare Dei noſtri.* Carnes enim regum, tribunorum ac fortium, aues comedunt cœli: quia ſancti prædicatores gladio verbi tales tranſuerberantes, in Chriſti corpus quod eſt Eccleſia, traiiciunt. Percurrit autem deinde author huius hiſtoriæ ſingulas hominum qualitates ad Chriſtum conuertentium, & dicit, carnes equorum & ſedentium in ipſis, &c. ſubaudis ad aues dicitur, vt manducetis. Et quid per equos, niſi prauis dogmatibus plebes ſeductas intelligimus? Vnde & ſcriptum eſt: *Homo cum in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Pſal.48. Et rurſum: *Equi emiſſarij facti ſunt, vnuſquiſque ad vxorem proximi ſui hinniebat.* Ier 5. Hinc Pſalmiſta admonet, dicens: Pſal.31. G *Nolite fieri ſicut equus & mulus, in quibus non eſt intellectus.* Quid autem per ſeſſores equorum, niſi hæreſiarchas intelligimus figurari? Qui dum eloquiorum ſcientia carnalibus eminent, quaſi ſuper bruta animalia conſident, eiſque iure poteſtatis ad quodlibet facinus abutuntur. Quid vero per liberos ac ſeruos, niſi carne virgines & coniugio obligatos? Vnde & Apoſtolus dicit: *Alligatus es vxori? noli quærere ſolutionem: ſolutus es ab vxore, noli quærere vxorem*: 1.Cor.7. vel certe quia iuſtitiæ inobedientes, peccato autem ſubditos eſſe cognouit, idcirco eos liberos & ſeruos appellauit. Vnde & idem prædicator gentium dicit: *Cum ſerui eſſetis peccati, liberi fuiſtis iuſtitiæ.* Rom.6. Quid quoque per puſillos, niſi promiſcuum & ignobile vulgus? Quid etiam per magnos, niſi aut philoſophos, aut genere vel facultate ſublimes debemus accipere? Ex quibus omnibus magnum illud cœnæ conuiuium ab exortu, quidem ſanctæ Eccleſiæ præparatur, ſed in extremis eius abundantius immolandi occurrunt, quando H etiam (vt dictum eſt) ipſi Iudæi ad Chriſtum conuertuntur. Hinc eſt quod beatus Iob typum capitis noſtri eiuſque corporis tenens, poſt flagella ac laboris certamina, dupla myſtice recipit. Tunc ad eum fratres eius & ſorores conueniunt, munera offerunt, conuiuium celebratur: tunc amici in oblatione ſeptem tauros ſeptemque arietes deferunt. Iob.42. Quæ omnia myſticis plena Sacramentis, vt beatæ recordationis docet Gregorius, ad illud nouiſſimum Chriſti Eccleſiæque conuiuium redigenda ſunt. Sequitur:

Et vidi beſtiam & reges terræ & exercitus eorum congregatos ad faciendum prælium cum illo qui ſedebat in equo, & cum exercitu eius.

Pro locorum qualitatibus, vt ſupra meminimus, in Apocalypſi beſtia intelligenda eſt. Aliquando enim diabolus,

A aliquando caput velut occiſum, id eſt, Antichriſtus: ali-
quando ſoli præpoſiti einſdem peruerſi hominis, aliquan-
do autem generaliter totum malorum corpus deſign itur.
Hoc vero loco, beſtiæ vocabolo diabolus cum ſuo quem
aſſumpſerit homine, Antichriſto videlicet, exprimitur: r-
gum vero atque exercituum, præpoſiti einſdem cum ſub-
iectis plebibus figurantur. Et quanquam ab ipſo redem-
ptoris aduentu, bellum certaminis contra Chriſtum &
Eccleſiam diabolus cum ſuis inierit, verſutius tamen at-
que validius tunc pugnam inſtaurat, quando nouiſſimis
diebus ſæculi diuino ſolutus iudicio, propriis viribus ef-
feratur, quandoque non ſolum ſæculari potentia, verum-
etiam ſignis & miraculis caſtra ſanctorum turbare cona-
tus fuerit, tunc arma ſua ſubtilius exacuet: & quicquid
nequiter valuerit, callidis machinamentis inquiret, con-
tra cuius duriſſimum bellum noſtri inient certamen. Sed
Iob.41. quid dicit ſcriptura? *Non fugabit eum vir ſagittarius.*
Quid enim ſagittas, niſi verba prædicatorum accipimus?
B Quæ dum ex voce bene viuentium diriguntur, audito-
Cant.2. & 5. rum corda transfigunt. His ſagittis ſancta Eccleſia per-
Pſal.63. cuſſa fuerat, quæ dicebat: *Vulnerata charitate ego ſum.*
Pſal.44. De his ſagittis Pſalmiſtæ voce dicitur: *Sagitta paruulo-
rum facta ſunt plaga eorum, quia ſcilicet verba humilium,
penetrauerunt animos ſuperborum.* De his ſagittis venienti
pugnatori dicitur: *Sagitta tua acuta potentiſſime: populi
ſub te cadent in corda.* Vir itaque eſt ſagittarius, qui per
ſanctæ locutionis arcum, audientium cordibus verba re-
ctæ exhortationis infigit. Quia igitur efferatus contra
bonos tunc hoſtis inter verba prædicantium deſpicit: &
cum reproborum mentes male ſuadendo momorderit,
durius inter iacula eas omnimodo non relinquit: recte
Iob.41. dicitur, *Non fugabit eum vir ſagittarius.* Ac ſi aperte di-
ceretur: A reproborum cordibus eum ſancti prædicato-
ris ſagitta non excutit, quia quiſquis ab illo apprehendi-
tur, verba iam prædicatorum audire contempſit. De
Ibid. quorum rurſum dicitur: *In ſtipulam verſi ſunt ei lapides
C funda.* Quid per fundam, niſi ſancta Eccleſia figuratur?
Funda namque dum in gyrum mittitur, ſicut de illa la-
pides exeunt, quibus aduerſariorum pectora feriantur, ita
ſancta Eccleſia dum volubilitate temporum per tribula-
tionum circuitum ducitur, fortes ex illa viri prodeunt,
quibus quaſi lapideis ictibus iniquorum corda turbantur.
Vnde & ad prophetam de bonis doctoribus Dominus
Zach.9. dicit: *Deuorabunt & ſubycient lapidibus funda.* Sancti
quippe doctores qui & ad vitam alios inſtruunt, hoſtes
deuorant, dum eos intra corpus ſuum per vim conuerſa-
tionis immutant. Quos lapidibus fundæ ſubiiciunt: quia
dum fortes quoſque in ſancta Eccleſia viros inſtituunt,
1.Reg.17. per eos aduerſariorum ſuperbientium pectora dura con-
ſtringunt. Vnde & Golias immaniſſimus ſaxo fundæ mo-
ritur, quia ſingularis ſanctæ Eccleſiæ lapide diabolica cel-
ſitudo ſuperatur. Itaque quia ſolutus aduerſarius quoſli-
bet fortes Eccleſiæ velut infirmos deſpicit, eorumque vi-
D res temporaliter premit, recte nunc dicitur: In ſtipulam
Iob.41. verſi ſunt ei lapides fundæ. Ac ſi aperte diceretur: San-
ctorum robur quaſi in ſtipulæ mollitiem redigit, quorum
lingua prius pectus illius duris ictibus tutudit. Sed cur
eos eorumque prædicationis verba non deſpiciat, qui
per ſe ſuoſque miniſtros miraculis coruſcat? Scriptum
Matt.24. namque eſt: *Tunc ſurgent pſeudochriſti & pſeudoprophetæ,
& dabunt ſigna magna & prodigia, ita vt in errorem in-
ducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi.* Qua in re valde
quærendum eſt, quomodo aut hi qui electi ſunt, in erro-
rem poſſunt induci: aut cur, ſi fieri poteſt, ex dubietate
ſubditur, cum quicquid fieri dimiſit Dominus, omnia
ſciens præſtolatur. Sed quia electorum cor & trepida
cogitatione concutitur, & tamen eorum conſcientia non
mouetur, vna hac ſententia Dominus complexus eſt, di-
cens: *Ita vt in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam
electi.* Quaſi enim iam errare eſt, in cogitatione titu-
bare. Sed protinus, ſi fieri poteſt ſubiungit: quia procul-
dubio fieri non poteſt, vt in errorem plene electi capian-
tur. Quærendum etiam adhuc nobis eſt, quomodo aut
hæc beſtia ac reges terræ, ſed & exercitus eorum inſupe-
rabiles eſſe, per hæc quæ protulimus dicantur, cum de

eis in Apocalypſi ſpiritus Sanctus aperte fateatur: *Hi* E
cum agno pugnabunt, & agnus vincet illos, ſubaudis in Apoc.17.
electis ſuis: aut rurſum, quomodo agnus inuictus eſſe
perhibeatur in ſuis, cum de huius beſtiæ poteſtate dica-
tur: Datum eſt illi bellum facere cum ſanctis & vincere
illos: ſed ſciendum nobis eſt, quia & beſtia vincet cum
ſuis, necem corporibus irrogando: & agnus triumphat
in ſuis, vſque ad mortem falſitati reſiſtendo. *Beſtia vin-* Matt.10.
cit crudelitate, agnus prudentia & manſuetudine. Hinc
enim idem agnus inter fauces luporum agnos mittens,
loquitur dicens: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſim-
plices ſicut columbæ.* O beatum certamen ſanctorum, in
quo dum quis eorum ab infidelibus ſuperari creditur,
tunc ille magis ſuperare comprobatur. O præclara vir-
tus ſanctorum, ô robuſta vis noſtrorum, quæ nec prauis
dogmatibus irretitur, nec miraculis inclinatur, nec di-
uerſis tormentis conſtringitur. Beſtia ſiquidem illa, cui Apoc.13.
datum eſt os loqui ingentia, primo perſuadet falſis præ-
dicamentis: quæ cum noſtri irridentes adhibet & falſa mi- F
racula: quibus dum aſſenſum fideles non præbent, tanto
contra eos acriori immanitate deſæuit, quanto ſe deſpici
etiam clareſcentibus ſignis dolet. Hinc etiam fit, vt ad
exercendam malitiam ſuam conctos reprobos in necem
noſtrorum vnanimi crudelitate coniungat, quatenus ſæ-
uitiam ſuam tanto robuſtius exerat, quanto & in eis quæ
peruerſe agere appetit, nulla ſibi ſui corporis membra di-
ſcordant. Vnde & Ioannes contra Chriſtum & Eccle-
ſiam bellum præparari, conſpiciens, ait: *Vidi beſtiam &
reges terræ & exercitus eorum congregatos, ad faciendum
prælium cum illo qui ſedebat in equo, & cum exercitu eius.*
Ac ſi diceret: Vnum votum, vnaque voluntas in necem
ſanctorum reprobos conſtringet, cum per damnatum
illum hominem antiquus aduerſarius in ſæculari potentia
ſe eriget. Ne autem infirmorum animus his auditis pa-
uore * ſtringatur, mox de huius beſtiæ ſubiectorumque * frangatur.
eius interitu conſolatio ſubinfertur qua dicatur: G

*Et apprehenſa eſt beſtia; & cum illa pſeudo-
propheta, qui fecit ſigna coram ipſa, quibus
ſeduxit eos qui acceperunt characterem be-
ſtiæ, & qui adorant imaginem eius: viui
miſſi ſunt hi duo in ſtagnum ignis ardentis
ſulfure.*

Beſtia, ſcilicet diabolus & antichriſtus, habitator cum
habitaculo: pſeudopropheta vero, prædicatores eiuſdem
antichriſti cum ſubiectis plebibus. Quæ ſint autem ſigna
quæ pſeudopropheta faciet coram beſtia, quibuſve mo-
dis eiuſdem ſignis ſeducet inhabitantes terram, vel quid
ſit accipere characterem beſtiæ, eiuſque adorare imagi-
nem, iam ſuperius ampliſſime diſſeruimus: idcirco ea-
dem nunc repetere vitamus, ne faſtidium lectori gene-
remus. Quod vero hi duo, caput videlicet & corpus, vi- H
ui in ſtagnum ignis mitti dicuntur, duobus modis valet
intelligi. Viui etenim in ſtagnum ignis mittuntur hi,
quos viuentes in carne ſecundus inuenerit Chriſti aduen-
tus: qui etſi momentaneam carnis mortem guſtabunt,
tamen quia in ictu oculi ipſa mors fiet, ſicut & reſur-
rectio mortuorum, neſcio ſi mors dici poterit. Vel certe
viuentes in ſtagnum ignis mittuntur, qui tanquam ſcien-
tes bonum, & malum facientes, æterno ſupplicio dam-
nantur: hi videlicet, quos ſanctæ prædicationis gladius,
protegente obſtinationis lorica, non valuit penetrare. De
quibus per Pſalmiſtam dicitur: *Deſcendant in infernum vi-* Pſal.54.
uentes. Viui enim ſunt, qui ſentiunt quæ erga illos fiunt,
mortui autem neſciunt omnino nec ſentiunt. Mortui ita-
que qui non ſentiunt, pro neſcientibus: viuentes vero qui
ſentiunt, pro ſcientibus poni ſolent. Viuentes ergo eſt in
infernũ deſcendere, non ignaros iuſtitiæ, ſed ſcientes præ-
uaricatores æterno ſupplicio quoſdã dimergi. Terribiliter
autem locus ſupplicij, ſtagnum ignis & ſulfuris eſſe perhi-
betur. Stagnum ſcilicet, quia dimergit: ignis autem, quia
exurit: ſulfur vero, quia quos dimergit, ſimul & exurit, &

A continuis fœtoribus replet : quia enim voluptates mundi tanquam aquam hauſerunt , inuidiæ ardoribus æſtuauerunt , ac luxuriæ fœtoribus tabernaculum corporis ſui ſparſerunt : digne in ſtagnum ignis ardentis ſulfure, mitti cum illo perhibentur , quem ad hæc perpetranda incentorem habuerunt. Quod autem non ait , mittentur : ſed miſſi ſunt ſecundum ſcripturæ authoritatem , quæ ſolet
Pſal. 21. præterito vti pro futuro tempore , vt eſt illud : *Foderunt manus meas & pedes meos*: præoccupata narratione, quod adhuc extremo futurum eſt tempore,poſitum eſſe certiſſime retinemus. Sequitur:

Et cæteri occiſi ſunt gladio ſedentis ſuper equum, qui procedit de ore ipſius : & omnes aues ſaturatæ ſunt de carnibus eorum.

B Narrata reproborum perditione, ad eos qui à priſtinis erroribus ad Chriſtum conuerſi ſunt , redit : eoſque gladio ſedentis ſuper equum , occiſos narrat , illos ſcilicet, quos præueniente diuina gratia, à peruerſorum ſocietate in vnitate ſanctæ Eccleſiæ prædicatio ſancta collegit. Ex quibus omnes aues ſaturantur, quia nimirum prædicatores ſancti dum tales in ventrem matris Eccleſiæ prædicationis dente traiiciunt, ſuauiſſimis (vt ita dixerim) cibis confortantur. Si quis autem hoc loco non electos , ſed reprobos aſſerat gladio ſedentis ſuper equum occiſos: ſciendum nobis eſt , quia vnum corpus diuiditur in partes, vt oſtendantur etiam pridem mortui & illi , quos viuentes in carne Chriſti ſecundus inuenerit aduentus : vt ſcilicet eoſdem ipſos viuos in ſtagnum ignis intelligamus miſſos quos gladio ſedentis ſuper equum, audimus occiſos. Sic enim ſacra eloquia gladij nomine deſignata,occidunt electos vt viuificent,ſic reprobos percutiunt vt damnent, illos ſcilicet, de quibus in Apocalypſi dicitur : *Cæ-*
Apocal. 20.
Matth. 8. *teri mortuorum non vixerunt donec conſummentur mille*
C *anni.* Et de quibus Saluator in Euangelio cuidam dicit : *Sine mortuos vt ſepeliant mortuos ſuos.* Ex quorum carnibus ſi bonæ aues, id eſt, ſancti prædicatores ſaturari narrantur , ſic intelligendum eſt tanquam diceretur : Eo internæ contemplationis dulcedine interius ſatiantur electi, quo reproborum tormenta exterius conſpiciunt, quæ
Iſai. 66. diuina miſericordia euaſerunt. Hinc enim Iſaias ait : *Et erunt vſque ad ſatietatem viſionis omni carni.* Quaſi enim damnatio reproborum cibus eſt electorum:quia quo cruciatur eorum indeſinenter aſpiciunt , eo amplius diuinæ
Pſal. 51. contemplationis gaudiis perfruuntur. De quorum vnitate corporis per Pſalmiſtam dicitur : *Videbunt iuſti & timebunt , & ſuper eum ridebunt.* Iuſtus cum iniquos omnes extrema vltione percuti conſpicit , ipſe de gloria dignæ retributionis hilareſcit : nec damnatis iam tunc ex humanitate compatitur, quia diuinæ iuſtitiæ per ſpeciem inhæret, cuius intimo diſtrictionis vigore ſolidatur. Erectas namque in claritatem ſupernæ rectitudinis electorum mentes nulla miſericordia afficit , quia has à mi-
D ſeriis altitudo beatitudinis alienas reddit : quin potius eorum (vt dictum eſt) tormentum aſpicientes, de ereptione ſua amplius lætantur : minus enim internam dulcedinem deguſtarent, ſi malorum cruciatum indeſinenter non attenderent : Si vero hoc loco aues non bonas, ſed malas accipimus, id eſt, Angelos tranſgreſſores , cum ad interitum ſuos perduxerint ſectatores , malo deſiderio expleto, ſatiari dicuntur carnibus perditorum, de eorum ſcilicet captantes damnatione ſatietatem , quibus ſe auctores præbuerunt ad errorem. Sed vt dictum eſt, iſtæ aues non vocatæ ad mactationem cœnæ occurrunt , ſed tanquam corui & milui,ſi quod à fidelibus aut morticinum aut inutile proiectum fuerit,inſumant.His igitur ita ſub duplici intellectu diſcuſſis,ad ea quæ ſequuntur,quæque valde interius obſcura ſunt , Illuminante gratia redemptoris, enodanda tranſeamus. Sequitur:

E
Et vidi alium Angelum deſcendentem de cœlo, habentem clauem abyſſi,& catenam magnam in manu ſua. Apoc. 20.

Ad finem vſque decurſa oratione , ad initium ſcriptor huius hiſtoriæ redit : & recapitulando vt in tropicis locutionibus fieri ſolet , quæ prætermiſerat , percurrit. Quem autem alium in Angelo deſcendentem de cœlo, accipimus, niſi illum de quo per Prophetam dicitur : *Vo-* Iſai. 9.
cabitur nomen eius magni conſilij Angelus , videlicet Dominum Ieſum Chriſtum ? Sed quo deſcendit , qui vbique eſt ? Nonne ipſe per Prophetam loquitur , dicens:*Cœlum* Ier. 23.
& terram ego impleo : niſi quia ſecundum Apoſtoli ſen- Philip. 2.
tentiam , *ſemetipſum exinaniuit , formam ſerui accipiens,* Hebr. 2.
in ſimilitudinem hominum factus , & habitu inuentus vt Pſal. 8.
homo, humilians ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem ? De cœlo deſcendit , quia homo factus , paulominus F
quam Angelis minoratus eſt. Ibi ergo deſcendit humanitate, vbi erat diuinitate , ipſo atteſtante qui ait : *Nemo aſ-* Ioan. 3.
cendit in cœlum , niſi qui de cœlo deſcendit , filius hominis qui eſt in cœlo. Quid vero clauis deſignat abyſſi , niſi vim diuinæ diſcretionis , quæ perſecutores Eccleſiæ , & cum opportunum fuerit, de latebris vitiorum ad ſæuitiam exire permittit : & rurſum , ne quantum volunt noceant, includit ? Quid quoque abyſſi vocabulo , niſi eorundem perſecutorum corda figurantur , quæ & per lapſum fluida , & per duplicitatis ſunt caliginem tenebroſa ? Quid etiam per catenam magnam dicimus figurari, niſi ineuitabilem atque omnia conſtringentem diuinæ maieſtatis potentiam ? Hac enim catena illi narrantur à ſanctis alli-
gari,de quibus per Pſalmiſtam dicitur : *Exultationes Dei* Pſal. 149.
in faucibus eorum, & gladij ancipites in manibus eorum: ad faciendam vindictam in nationibus , increpationes in populis : ad alligandos reges eorum in compedibus , & nobiles G
eorum in manicis ferreis , vt faciant in eis iudicium conſcriptum. Quod omnino tunc fiet , quando Eccleſia ex poteſtate capitis ſui in iudicio malis retribuet vindictam. Iam quid manus Angeli ſignificet , videamus. Manus ſiquidem eiuſdem Angeli , id eſt , diuinitas Chriſti , per quam idem homo & Deus virtutes & miracula facit, per quam etiam Deus Pater omnia operatus eſt , cœleſtia & terreſtria , viſibilia & inuiſibilia : In qua videlicet manu clauem abyſſi & catenam magnam habere dicitur , ſubaudis , quandam internæ diſpoſitionis omnia moderantem,atque ineuitabilem & vbique conſtringentem poteſtatem. De quo & ſubditur:

Et apprehendit draconem ſerpentem antiquum qui eſt diabolus & ſathanas , & ligauit eum per annos mille , & miſit eum in abyſſum. H

Dei enim filius in carne Infirmus , in diuinitate fortis, mortalium viſitans regionem fortior alligauit fortem : vt eos qui pridem vaſa iræ fuerant,in vaſa miſericordiæ commutaret:hoc ſcilicet in ſua paſſione peragens opere, quod ante promiſerat in ſua prædicatione. *Nemo*, inquiens,*po-* Matt. 12.
teſt domum fortis intrare , & vaſa eius diripere , niſi prius Marc. 3.
alligauerit fortem, id eſt,draconem. Quique propter mali- Luc. 11.
tiam draco, propter verſutiam ſerpens, propter iniqua atque exercitata conſilia, antiquus vocatur:& quia à ſupernis ruens,ſemper ima petit,diabolus, id eſt,deorſum fluẽs: quia vero Chriſto & Eccleſiæ aduerſatur,ſathanas,(id eſt, contrarius) appellatur. Millenarius autem numerus apud ſæcularem ſcientiam idcirco perfectus habetur , quia denarij numeri quadratum ſolidum reddit. Decem quippe decies ducti, fiunt centum : quæ iam figura quadrata , ſed plana eſt. Vt autem in altitudinem ſurgat & ſolida ſit, rurſum centum decies multiplicantur , & mille ſunt. Sed quia nos qui iam prædicamenta vitæ ſuſcepimus , hanc ſæcularem ſciẽtiam pro nihilo ducimus,quæramus in ipſa

A ſacra Scriptura, vbi millenarius numerus perfectus habeatur. Millenarius etenim numerus in ſacro eloquio perfectus accipitur, quia appellatione ejus vniuerſitas
Pſal. 104. deſignatur. Vnde ſcriptum eſt: *Verbi quod mandauit in mille generationes.* Cùm enim nequaquam credendum ſit, quod ad centum vſque generationes mundus extendatur: quid aliud mille generarioo ibus, niſi generationum vniuerſitas figuratur? Sic ergo & hoc loco millenario annorum numero, quo diabolus religatus dicitur, vniuerſum pro perfectione ſua hoc, quantumlibet ſit, ſanctæ Eccleſiæ tempus exprimitur. Sed cum antiquus hoſtis diuino iudicio ac poteſtate à bonorum cordibus religatus dicitur, mirandum valde eſt, cur in abyſſum, in qua & antea vt veternoſus coluber innatabat, mitti dicatur. Sed ſciendum nobis eſt, quia idcirco illuc mitti perhibetur vbi erat: quia excluſus à non ſuis, quos iniuſtè detinebat, multiplicior inuenitur in ſuis, quibus antè mitiùs præerat. Eiectus enim à fidelibus, atrocius cœpit dominari in ſuis. Sequitur:

B

Et clauſit & ſignauit ſuper illum, vt non ſeducat amplius gentes, donec conſummentur mille anni: & poſt hæc oportet illum ſolui modico tempore.

Et quid eſt dicere, clauſit, niſi aditum illi egrediendi interdixit, ne alibi greſſus nequitiæ extendere præſumat, niſi quo occulta ſed iuſta Dei iudicia atque poteſtas abire permittunt? De quo aliàs dicitur: *Qui fecit eum applicauit gladium eius.* Gladius quippe antiqui hoſtis eſt, ipſa nocendi malitia. Sed ab eo à quo bonus per naturam factus eſt, gladius applicatur: quia eius malitia diuina diſpenſatione reſtringitur, ne ferire tantum mentes hominum quantum appetit, permittatur. Quod ergo hoſtis noſter, & multum poteſt, & minus percutit: eius
C gladium pietas conditoris aſtringit, vt replicatus intra eius conſcientiam lateat: & vltra quam iuſtè deſuper diſponitur, ſeſe in mortes hominum eius malitia non extendat. Quod inquam ad multa fortiter præualet, hoc de principio magnæ conditionis poteſt: quod vero à quibuſdam vincitur, eius nimirum gladius ab autore replicatur. De quo etiam rurſum cuidam homini dicitur:
Iob 40. *Nunquid pones circulum in naribus eius?* Sicut enim per nares inſidiæ, ita per circulum diuinæ virtutis omnipotentia deſignatur: quæ cum apprehendi nos tentationibus prohibet, miris ordinibus antiqui hoſtis inſidias circumplectens tenet. Circulus ergo ei in naribus ponitur, dum circumducta protectionis ſuæ fortitudine, eius ſagacia retinetur, ne contra infirmitates hominum tantum præualeat, quantum perditionis argumenta latenter explorat. Poteſt etiam circuli nomine, occulti iudicij adiutorium deſignari, quod in antiqui hoſtis naribus ponitur, dum à calida ſua crudelitate refrenatur. Vnde benè per Prophetam cum ab Iſraëlitarum læſione
Iſai 37. D prohibetur Rex Babyloniæ, dicitur: *Ponam circulum in naribus tuis.* Ac ſi apertè diceretur: Cogitando inſidias ſuſpiras, ſed explere quæ apperis non valendo, omnipotentiæ meæ circulum in naribus portas: vt cum bonorum mortem ardentius anhelas, ab eorum vita vacuus redeas. Quia ergo ſuperna pietas, crudelis aduerſarij argumenta, vndique nos protegens, potentia virtutis frangit, benè dicitur: *Miſit eum in abyſſum & clauſit.* Quia vero eiuſdem maligni hoſtis humanæque notitiæ, qui ſint qui ad electorum numerum pertineant, abſconditur, rectè ſubiungitur: *Et ſignauit ſuper illum, id eſt, ſigillauit.* Quaſi enim ſub quodam ſigillo clauſus in abyſſo tenetur, quia qui ſint vel ex his quos iure poteſtatis tenet, vel ex his quos amiſit, qui ad electorum numerum pertineant, nec ei qui in reproborum cordibus clauditur, nec nobis à quibus excluditur, ſed illi ſoli cognitum eſt à quo includitur. Aliquando enim ex his qui eius eſſe videbantur, ſubitò ad electorum numerum tranſeunt: aliquando vero ex eis qui eius dominium euaſerant, ad eum quem deſeruerant, recurrunt: aliquando etiam multos ex eis quos poſt abrenuntiationem reſumpſerat, ab ipſis faucibus amittit. Quod omninu ex quibus fiat, niſi cum factum fuerit, & illi latet & nobis: quodque idcirco fortaſſe ſupernæ diſpoſitionis incomprehenſibili iudicio agitur, ne aut ille intra ſuos latentes electos conſpiciens, dum eis dominari videtur, funditus interimat: atque ab eorum tentatione quos iam amiſit, recedat, aut reprobi cum quadam excuſatione pereant. Si enim hoſtis noſter cognoſcere poſſet qui ſint ex his quos ad tempus poſſidere videtur, qui ad Chriſtum pertineant, ſeſe in necem eorum extenderet. Sed diuina pietas quæ ſola nos potentia virtutis in omnibus valet defendere, tales tamen abſcondendo mauult protegere. Niſi enim in quibuſdam ſuos celando protegeret, nequaquam eidem aduerſario noſtro Sacramentum ſuæ diſpenſationis abſconderet, cum contra eius ordinationem venire ille non poſſet. Vt enim ſecundum hominem & ob veniam Chriſti loquar, quaſi timuiſſe videtur, vt redemptionem ſalutis noſtræ diabolus agnoſceret quaſi eius ordinationi reſiſtens, impedimenti quippiam præſtare poſſet, cuius voluntatem inuitus peragit. Abſit vt credatur. Non tanta dubietatis caligo eum tunc preſſit, vt hunc quem in quibuſdam locis Dei filium tentando profeſſus fuerat, ad ſuam perniciem neſciens morti deſtinaret. Hinc certè apertè colligimus dubitantis atque tentantis animo à dæmonibus Dei filium Dominum noſtrum appellatum fuiſſe, ſiue ſcilicet cum vnus horum dicit: *Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant*: ſiue cum multi, *Scimus qui ſis, filius Dei*, vel certè ſecundum alium Euangeliſtam numero ſingulari, *Scio qui ſis, filius Dei altiſſimi, obſecro te ne me torqueas*: ſeu cum alibi multi clamant, *Si eiicis nos, mitte nos in gregem porcorum.* Si igitur Dei filium eum eſſe agnoſcunt, cur & ad ſuam deiectionem & ad noſtram ſalutem hunc occidi à membris ſuis voluerunt? Ruſſus, ſi idem antiquus hoſtis ſcire poſſet, qui ſint intra ſanctam Eccleſiam qui ad eius ſocietatem non pertineant, nunquam eos tentare aut vellet aut præſumeret, ne vel ipſe fruſtra in tentando laboraret, vel eos ſuis tentationibus meliores redderet. Dum enim electos tentare appetit eorum prouectibus neſciens ſeruit. Hinc eſt quod redemptionem noſtram futuram tarde conſpiciens, Chriſtum noluit crucifigi, quem neſciens morti deſtinauerat, propter quam cauſam vxorem flagellauit Pilati. Ruſſumque, ſi eiuſdem aduerſarij membra, videlicet omnes reprobi, cognoſcerent, quia ad mortem eſſent præſciti, excuſationem prætendere poſſent: idcirco ſe bonum non operaſſe, ne à bonis æternis alieni, in vacuum decertaſſe viderentur. Sed ſignatur ſuper antiquum hoſtem occulta diſpoſitione abyſſus, ne (vt dictum eſt) aut eos quibus adhuc idem malignus hoſtis dominari videtur & ad electorum pertinent numerum, qualibet excogitata arte perimat, aut eos qui iam eius dominium euaſerunt, ad prouectum tentare deſiſtat: aut admixti fidelibus reprobi, cum aliqua excuſatione pereant. Si enim quilibet ſub ſigillo claudatur, nec ille ab intus aliquem exterius nec aliquis eum à foris valet inſpicere: ſicſic nimirum, ſic & antiquo hoſti membra celantur Chriſti, & eiuſdem antiqui hoſtis corpus abſconditur illis, qui videntur eſſe in corpore Chriſti: ac per hoc agitur etiam, vt nec ille qui ſint eius ad plenum cognoſcat: nec nos, qui ſint Chriſti, ſcire valeamus. Sed hæc melius intelligimus, ſi in abyſſi ſigillo obſerationis diuinæ firmitatem accipiamus, vt ſcilicet ad ſeducendas gentes nullo pacto verſutus hoſtis egredi valeat, niſi ille ſignaturum reſignet. De quo dicitur: *Qui aperit, & nemo claudit, claudit & nemo aperit.* Apoc. In his planè quæ ſequuntur, grauis nobis ad ſoluendum quæſtio oritur. Si ergo diabolus idcirco catenis ligatus, in abyſſum miſſus, clauſus atque ſignatus eſt, vt vltra iam non ſeducat gentes, donec conſummentur mille anni: quid eſt quod tantas gentes ſeducit? Quod ſi alligatio eius in eo eſſe creditur, quod nunc gentes in Chriſtum credentes, ad æternam mortem ſeducere non valet, vt ſcilicet in vno gentium vocabulo, iuxta conſuetudinem Scripturarum, à

Matt. Marc. Luc. Matt. Matt.

A oto pars intelligenda ſit quæ non poteſt ſeduci : in eo quod ſequitur,poſt hæc oportet illum ſolui modico tempore, earundem gentium ſeductio intelligenda erit , abſit vt credatur. Eph. 1. Nunquam enim ad æternam mortem ab illo ſeducentur illæ gentes, ex quibus tota conſtat Eccleſia , quaſque ante mundi conſtitutionem Deus elegit in Chriſto , quas etiam prædeſtinauit eripere de poteſtate tenebrarum , & transferre in regnum filij dilectionis ſuæ. Pſal. 2. De quibus certè paterna voce eidem filio dicitur : *Poſtula a me , & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ* : ſubaudis , non alienam, vel à tua fide ſeducendam , ſed poſſeſſionem tuam. Vnde 2.Thi. 2. rurſum ſcriptum eſt : *Firmum ſtat fundamentum Dei,habens ſignaculum hoc, Nouit Dominus qui ſunt eius.* Hinc Ioan. 10. Dominus ait : *Oues meæ vocem meam audiunt , & ſequuntur me, & ego vitam æternam do eis.* De quibus rurſum Ibid. dicitur : *Nemo rapiet eos de manu mea.* B Ex his enim etſi ad momentum ſeducit , tamen ad æternam damnationem neque nunc alligatus , neque tunc ſolutus aliquem ille ſeducit : quia ſicut nunc alligatus à perpetua læſione fidelium cohibetur , ſic etiam tunc ſolutus à ſeductione virtutia potentia comprimetur. In quo ergo alligatio eius atque ſolutio intelligenda eſt ? conſtat namque & verum eſt, & ideo eum alligatum eſſe , ne gentes in Chriſtum credentes, quas antea ſeductas tenebat, donec conſummentur mille anni alligationis eius ſeducat : & rurſum certiſſimè credendum eſt, eaſdem cum ſolutus fuerit, nequaquam poſſe ſeducere. Et certè ordo verborum talis eſt quo dicitur : Apprehendit draconem ſerpentem antiquum , qui eſt diabolus & ſatanas , & ligauit eum per annos mille, & miſit eum in abyſſum, & clauſit & ſignauit ſuper illum , vt non ſeducat amplius gentes, donec conſummentur mille anni : poſt hæc oportet illum ſolui modico tempore. Atque poſt paulùlum , cum conſummati fuerint mille anni , ſoluetur ſatanas de carcere ſuo : & exibit , & ſeducet gentes. C Quam quæſtionem ita abſoluimus , vt in eo quod diabolum alligatum audimus , & funditus eum à ſeductione gentium bonarum , & modo quodam à ſeductione gentium malarum cohibitum eſſe doceamus.In eo vero quod abſolutionem eius futuram audiuimus , ſeductionem illam non in bonis , ſed in malis gentibus intelligamus. Alligatur enim nunc antiquus hoſtis, includitur atque ſignatur , vt à læſione gentium in Chriſtum crediturarum funditus cohibeatur , ne ſcilicet aliquem ex eis etſi ad modicum tentat, ad æternam mortem ſeducat. Alligatur etiam nunc, ne illas quas ad mortem ſeductas tenet , ſupra modum ſeducens , in necem ſanctorum vnanimes atque concordes efficiat. Soluetur autem nouiſſimis ſæculi diebus , non tamen vt eas gentes quas Chriſtus ante mundi conſtitutionem elegit, ſeducat : ſed eas quas antequam ſolueretur , ſeductas tenebat. Et quia ſeductio illa nequior erit omnibus ſeductionibus ad comparationem eius iſta quæ nunc agitur, ſeductio eſſe denegatur. D Quia vero inter gentium & gentium ſeductionem , prout Dominus poſſe nos dedit , fecimus diſcretionem : videamus nunc quomodo & bonis & malis gentibus aptetur hoc, quod ſeductio illa millenario annorum numero terminatur.Sic enim interponitur : *Donec conſummentur mille anni.* Cum igitur hoc ipſum ad bonarum gentium protectionem redigitur , ita intelligendum eſt tanquam diceretur : Ideo clauſit donec finiantur mille anni id eſt totum tempus vitæ præſentis , vſque quo ille tentare poteſt vt non ſeducat iam gentes. Cùm verò ad malarum quandam reſtrictionem , ita ſubaudiendum eſt , vſque quo idem diabolus diuino iudicio abſoluatur , ab illa ſeductione compeſcitur , qua contra Chriſtum & Eccleſiam omnes gentes in prœlium concitare perhibetur : tanquam ſcilicet idem millenarius annorum numerus , & ad electarum gentium ſeductionem , nullum diem extra ſe relinquat : & ad reprobarum extremam deceptionem, triennium & ſex menſes ſuperadiungat. Dicatur autem : *Clauſit & ſignauit ſuper eum , vt non ſeducat amplius gentes , donec conſummentur mille anni.* Ac ſi diceretur : Diuina nos vbique protegens virtus , idcirco aduerſarij vires repreſ-

E ſit, ne aut ad vitam æternam gentes prædeſtinatas , toto nunc tempore vel apertè vel occultè decipiat : aut eas, quas ad mortem ſeductas poſſidet , ita nequius ac deterius ſeducat, vt in necem fidelium vnanimes atque concordes efficiat. Quod ſi nunc ita eaſdem reprobas gentes ſeducere permitteretur,vt per eas ſicut quandoque facturus eſt, vim ſuæ virtutis exereret : in tam longo tempore & tanta infirmitate multorum , plurimos tales quales Deus id perpeti non vult , & fideles deiiceret. Tunc autem eiſdem gentibus ſeductis contra bonos propriis viribus efferari permittentur , quoniam & breue tempus id eſt triennij & ſex menſium, erit. Et tales Deus ad certamen præparabit , qui , vinci eius tanto impetu non poſſint, quorum nimirum virtus omnibus ſignis & verberibus ſit potior : quia omne quod ab illo terribiliter fieri conſpicit, per internæ conſtantiæ calcem premit. Bonorum etenim hoſtis ſuis viribus traditus , pauco quidem F tempore , ſed multa contra nos virtute laxatur : quem tamen quamvis ſæuitia ad crudelitatem dilatet , ſuperna hunc miſericordia breuitate temporis coanguſtat. Hinc enim per ſemetipſam veritas dicit : *Erit tunc tribulatio* Matt.24. *magna , qualis non fuit ab initio mundi vſque modo, neque fiet.* Hinc rurſum ait : *Niſi breuiati fuiſſent dies illi , non* Marc.13. *fuiſſet ſalua omnis caro , ſed propter electos abbreuiabuntur* Ibid. *dies illi.* Quia enim & ſuperbos nos, & infirmos Dominus conſpicit, dies quos ſingulariter malos intulit , miſericordia breuiatos dicit, profectò vt ſuperbiam terreat de aduerſitate , & infirmitatem refoueat de breuitate. Patet ergo , quia & cum ſolutus fuerit , vbique nobis diuina miſericordia ſuccurrit : ac nequaquam gentes à patre Chriſto traditas , ex quibus vniuerſalis conſtat Eccleſia, ad æternam mortem ſeducet , ſed magis publico certaminis bello cautiores ac fortiores reddet. Inter hæc autem fortaſſe infirma conſcientia dicit : Cur omnipotens Deus eum quem ſemel ſua virtute alligauit , ſolui quamvis modico tempore voluit ? Si à me quæritur cur hoc voluerit , cito reſpondeo , quia magnæ pietatis conſilio G hoc ipſum fieri decreuit, vt electi intelligant quam fortis erat, quem diuina virtute etiam puſilli vincebant,& idem magnus ſpiritus virtute efferatus erubeſcat,quia nec tunc præualet, quando ſolutus totis viribus ſæuit.Si enim nunquam ſolueretur , minus appareret eius maligna atque crudelis potentia. De quo etiam dicitur : *Non eſt poteſtas ſuper terram quæ comparetur ei.* Iob. 41. Si non ſolueretur, minus ſanctarum gentium fideliſſima patientia probaretur, minúſve perſpiceretur , tam magno eius malo quam benè fuerit vſus omnipotens Deus. Sciendum præterea nobis eſt, quod ſuperius memoriæ defuiſſe videtur , quia ipſa alligatio diaboli , qua nunc in reproborum cordibus incluſus fremit , non ſolum tunc facta eſt , ex quo cœpit Eccleſia extra terminos Iudæorum in alias nationes dilatari : ſed etiam nunc fit , & fiet vſque ad finem ſæculi , quo ſoluendus eſt propriis viribus : quia & nunc homines quando ab infidelitate vel prauis operibus , in H quibus eos poſſidebat , conuertuntur ad fidem vel pia opera : ille vtique fortis diuina virtute alligatur , atque ab eo vas eius eripitur , vt inter vaſa Chriſti adnumeretur. Sequitur :

Et vidi ſedes , & ſederunt ſuper eas , & iudicium datum eſt illis.

Quid per ſedes , niſi electorum Eccleſia exprimitur ? Quid per ſedentes in ſedibus, niſi prædicatores ſancti deſignantur ? Ipſa enim electorum Eccleſia in vna figuratur ſede quia hanc ſingulariter præſidet Chriſtus : ipſa in pluribus , quia multis eſt rectoribus commiſſa : Ipſa in vna ſede propter vnitatem fidei , ipſa in pluribus deſignatur propter multiplicitatem religionum atque virtutum De hac enim longè ſuperiùs in hac Apocalypſi per Ioannem dicitur : *Sedes poſita erat in cœlo.* Apoc.4. Ac ſi diceretur,Eccleſia in cœleſti conuerſatione conſtituta.Et ſuper ſedem Ibid. ſedens , ſubaudis, vnus ac verus Deus in Trinitate perfectus , omnia virtute ſuæ maieſtatis regens & præſidens

Quam

A Quam etiam vel propter generale regimen animarum, quo à Prælatis diſponuntur ſubditi, vel propter geminum teſtamentum, vetus ſcilicet & nouum, in vigintiquatuor ſeniores mox ſubdiuidit, & ait: (Ibid.) *Et in circuitu ſedis ſedilia viginti quatuor & ſuper thronos viginti quatuor ſeniores ſedentes*. Nequaquam ſanè, vt quidam hæretici putauerunt, hoc de vltimo iudicio accipiendum eſt: ſed more ſolito ſcriptor huius hiſtoriæ, cum dixiſſet alligato diabolo per mille annos, ſeducendi ademptam fuiſſe ſolitam poteſtatem, eiuſque ſolutionem futuram breui tempore indicaſſet: recapitulando quæ in his mille annis agat Eccleſia, vel quid agatur in ea, texuiſſe credendus eſt. Cùm enim de Angelo de cœlo deſcendente dicat, *Apprehendit draconem ſerpentem antiquum, qui eſt diabolus & ſatanas, & ligauit eum per annos mille*: atque pòſt paululum, *Vidi ſedes, & ſederunt ſuper eas, & iudicium datum eſt illis, & animas decollatorum propter teſtimonium Ieſu & propter verbum Dei, & vixerunt, & regnauerunt cum Chriſto mille annis*; rurſumque poſt pau- B ca: *In his ſecunda mors poteſtatem non habet, ſed erunt ſacerdotes Dei & Chriſti, & regnabunt cum eo mille annis, & cum conſummati fuerint mille anni, ſoluetur ſatanas de carcere ſuo*: patet proculdubio, quia antè ſolutionem diaboli iſti voluantur anni mille, regnumque iſtud nunc teneat Eccleſia cum Chriſto: In quo ſicut textus narrationis modo nos ducit, has ſedes atque in eis ſedentes vidit Ioannes. Quod eſt autem hoc iudicium, quod accipiunt ſedentes in ſedibus, niſi iuſtè ligandi iuſtèque ſoluendi poteſtas? (Matt. 17.) Vnde & Petro perſonam Eccleſiæ gerenti dicit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam, & tibi dabo claues regni cœlorum: & quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis*. Hinc Paulus ait: *Quid mihi de his qui foris ſunt iudicare? nonne de his qui intus ſunt, vos iudicatis?* Hinc rurſum dicit: *Neſcitis quoniam Angelos iudicabimus: quanto magis ſecularia?* Angelos ſubaudis prædicatores, quia C (1. Cor. 5. 1. Cor. 6. Malac. 2.) *labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem exquirent de ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt*. Iudicantur ſiquidem & ipſi à reliquo Angelorum, videlicet Sacerdotum, cœtu: vel certè Angelos tranſgreſſores id eſt ſpiritales nequitias in futuro examine iudicare dixit Eccleſiam. Ac ſi diceret: Si ſubtilioris naturæ refugas ſpiritus iudicaturi ſumus, quanto magis homines ſecundum carnem & non ſecundum ſpiritum ambulantes, ſecundum ſæculum & non ſecundum Deum viuentes? Sequitur:

Et animas decollatorum propter teſtimonium Ieſu & propter verbum Dei, & qui non adorauerunt beſtiam neque imaginem eius: nec acceperunt caracterem eius in frontibus aut in manibus ſuis, & vixerunt, & regnauerunt cum Chriſto mille annis.

D Cunctis vera ſcientibus liquet, vnam eandemque Eccleſiam eſſe, nec diuiſam, nec ſeparatam, quæ iam & in quibuſdam membris ſuis adhuc in bello deſudans vndique ſuſpecta, cum Chriſto regnat in terris, Apoſtolo atteſtante qui ait: (Rom. 14.) *Propterea mortuus eſt Chriſtus & reſurrexit, vt & viuorum & mortuorum dominetur*. Quod ſi hoc non rectè ſentimus: cur præſens Eccleſia regnum Dei, regnumque cœlorum vocatur? De quo etiam regno zizania ab Angelis colligi narrantur. Quod ſi nunc non regnat Eccleſia in viuis cum Chriſto, cur Iſaias propheta de ipſo Eccleſiæ principe loquitur, dicens: (Iſaiæ 9.) *Paruulus natus eſt nobis, filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum eius, & vocabitur admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, pater futuri ſeculi, princeps pacis, multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis, ſuper ſolium Dauid & ſuper regnum eius, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio & iuſtitia à modo & vſque in ſempiternum?* E An fortè regnat Chriſtus nunc in viuis & mortuis, Eccleſia vero in ſolis defunctis? Quis hoc dixerit? Nunquid nam ſi iam ſecura in defunctis regnat in cœlis, non regnat in viuis, cum armis virtutum ipſum regnum defendat in terris? Regnat certè nunc cum Chriſto non ſolum in animabus decollatorum, verumetiam in ipſis qui ſpiritaliter quotidie moriuntur pro Chriſto. Quibus & dicitur: *Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo*. (Col. 3. Pſal. 41. Rom. 8.) Ex quorum rurſum perſona Pſalmiſta & Apoſtolus dicunt: *Propter te morte afficimur tota die, æſtimati ſumus vt oues occiſionis*. Regnat inquam nunc in ſingulis membris ſuis, in viuis ſcilicet & mortuis, ſed glorioſius in ſanctis martyribus: & idcirco animas decollatorum in gloria regnantium cæteris prætulit membris, in quibus totum Eccleſiæ corpus comprehendit. Quas etſi exutas corporibus, tamen propter vnitatem Eccleſiæ viuis in carne electis nouerat coniunctas. Si enim ſeparatæ ſunt ab vnitate Eccleſiæ, quid eſt quod Apoſtolus dicit, (1. Theſ. 4.) *nos qui viuimus, qui reſidui ſumus in aduentu Domini, non præueniemus eos qui dormierunt?* F Nunquid nam idem Apoſtolus eiuſque in præſentiarum tunc temporis ſocij, vſque ad aduentum Domini erunt in carne victuri? Et certè ipſa repetitio verborum indicat, quia in animabus decollatorum à parte totum ſignificans, omnes electos comprehendit: ſiue ſcilicet ſpiritaliter iã corporibus exutos. Nam ſubditur: *Et qui non adorauerunt beſtiam neque imaginem eius, nec acceperunt characterem in frontibus aut in manibus ſuis & vixerunt, & regnauerunt cum Chriſto mille annis*. Nunquid igitur ob aliam cauſam ſunt ab infidelibus martyres, niſi quia non adorauerunt beſtiam neque imaginem eius, vt alios in animabus decollatorum, alios in his qui non adorant beſtiam, intelligere vellet? Reſtat ergo vt in eiſdem animabus decollatorum, totum electorũ numerum comprehenſum intelligamus. Quid autem hoc loco per beſtiã, niſi diabolum eiuſque impiam ciuitatem, quæ ex apertis infidelibus ac reprobis conſtat Chriſtianis, debemus intelligere? Ipſe namque in infidelibus aperta beſtia, ipſe in falſis Chriſtianis imago eſt beſtiæ: quia hoc quod illi apertis G vocibus, hoc iſti contradicunt reprobis moribus. Et qui ſunt qui non adorant beſtiam, niſi qui & Iudæorum antichriſtum expectantium perfidiam, & hæreticorum dogmata ac gentium non ſequuntur errorem? Vnde & Apoſtolus admonet, dicens: (2. Cor. 6.) *Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas lucis ad tenebras? Quæ autem conuentio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem conſenſus templo Dei cum idolis?* Qui vero ſunt qui non adorant imaginem beſtiæ, niſi qui non imitantur ſimulationem reproborum, eorum ſcilicet qui fidei confeſſionem ore proferunt, ſed infideliter viuunt? Fingunt enim ſe eſſe, quod non ſunt, & oſtendunt verbis quaſi verã effigiem regis, ſed operibus fallacem prætendunt imaginem peremptoris. De quibus per Paulum dicitur: (Tit. 1.) *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant*. Hinc per Iacobum dicitur: (Iacob. 2.) *Fides ſine operibus mortua eſt*. Hinc fons & origo ſapientiæ dicit: (Matth. 7.) *Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum: ſed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum cœlorum*. H (Matt. 13.) Ad eandem enim beſtiam pertinent non ſolum aperti inimici nominis Chriſti & eius glorioſiſſimæ ciuitatis, verumetiam zizania, quæ de regno eius (id eſt Eccleſia) in fine ſæculi colligenda ſunt, & in ignem mittenda. Ad vtraque autem conueniunt ea, quæ de ſanctorum conſtantia ſequuntur, nec acceperunt characterem in frontibus aut in manibus ſuis. Repetitio enim ſententiæ, hoc ipſum quod dixerat affirmat. Nam hoc eſt non adorare beſtiam neque imaginem eius, quod eſt, non accipere characterem in frontibus aut in manibus. Et quid per characterem, niſi infidelitatis nota? Quid autem per frontem, niſi cuiuſlibet vitæ profeſſio? Quid vero per manum, niſi opera exprimuntur? Non accipiunt ergo characterem in frontibus, vel qui non recurrunt ad apertos errores, vel qui non permanent in aperto errore: non accipiunt in manibus, vel qui non macu-

A lant vitam fidei prauis operibus, vel quid non vſque in
finem perſeuerant in ipſis. Ab his igitur malis alieni, ſiue
adhuc in iſto mortali corpore, ſeu iam de corpore egreſſi,
regnant ſancti cum Chriſto, ratione quadam huic tem-
pori congrua, quod numero ſignificatur mille annorum.
Sequitur:

Cæteri mortuorum non vixerunt, donec conſumentur mille anni.

Viuunt enim poſt ſolutum carnis debitum ſancti fe-
liciter, viuunt etiam adhuc in corpore conſtituti viuifi-
cante ſpiritu, qui mortui eſſe comprobantur peccato. Illis
Ioan. 14. namque dicitur, *Quia ego viuo, & vos viuetis*: iſtis verò
Col. 3. per Apoſtolum dicitur, *Mortui eſtis, & vita veſtra abſ-*
Rom. 6. *condita eſt cum Chriſto in Deo.* Et rurſùm: *Si enim com-*
plantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſubaudis
B Chriſti, *Simul & reſurrectionis erimus: hoc ſcientes, quia*
vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, vt deſtruatur corpus
peccati vt vltra iam non ſeruiamus peccato: atque idipſum
Ibid. inculcando explanat, dicens: *Qui enim mortuus eſt, iuſti-*
ficatus eſt à peccato. Si enim mortui ſumus cum Chriſto,
credimus etiam quia ſimul viuemus cum Chriſto. Atque
Ibid. poſt pauca ſubiungit, dicens: *Quod enim mortuus eſt pec-*
cato, mortuus eſt ſemel: quod autem viuit, viuit Deo: ita
& vos exiſtimate vos mortuos eſſe peccato viuentes autem
Rom. 12. *Deo in Chriſto Ieſu.* Quibus etiam alibi ait: *Obſecro vos*
per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam
viuentem. Qui verò ſunt cæteri mortuorum qui non vi-
xerunt, donec mille anni conſummentur: niſi & illi
qui exeuntes de corpore, æterna pœna damnati ſunt: &
Matth. 8. illi qui hoc degunt in tempore, amore animæ non reui-
xerunt? De quibus ſaluator cuidam in Euangelio ait: *Sine*
mortuos vt ſepeliant mortuos ſuos. Ac ſi diceret: *Dimitte*
vt hi qui mortui intus ſunt in anima, ſepeliant exteriora
C *mortuorum cadauera.* Quod autem ſic interponitur, *Do-*
nec conſummentur mille anni, ita intelligendum eſt, ac ſi
diceretur: vt hi qui iam æterna pœna damnati ſunt, eo
tempore quo poſt mortem quibuſdam ſperatur venia
poſſe largiri, à perpetuis cruciatibus eripi nequiuerunt:
& hi qui adhuc expectantur vt redeant, eo tempore non
vixerunt quo viuere debuerunt, tranſeundo ſcilicet de
morte peccati ad vitam iuſtitiæ. Hinc Paulus dicit:
2. Cor. 6. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.* Hinc
Epheſ. 5. rurſum admonet, dicens: *Surge qui dormis, & exurge a*
mortuis, & illuminabit te Chriſtus. O ſi nunc hanc vo-
Ioan. 5. cem audirent, & de morte ad vitam tranſirent. Hora
enim ſecundum ſaluatoris eloquium nunc eſt, quoniam
mortui audiunt vocem filij Dei, & qui audierint, viuent.
Hinc eſt quod vt Lazarum quatriduanum ſuſcitaret, voce
Ioan. 11. magna clamauit. Hanc enim vocem qua nunc per gratiam
Chriſti animæ viuificantur, quiſquis non audierit, & de
peccato ad iuſtitiam non ſurrexerit, proculdubio cum illa
dies aduenerit, quo fiet corporum etiam reſurrectio, non
ad vitam de monumentis procedent, ſed ad iudicium, ſed
D ad damnationem, quæ ſecunda mors erit, Domino atte-
Ioan. 5. ſtante qui ait: *Veniet hora vt hi qui in monumentis ſunt, au-*
dient vocem filij Dei, & procedent: qui bona fecerunt, in re-
ſurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt in reſurrectionem
Matt. 25. *iudicij.* Et rurſùm: *Ibunt hi in ſupplicium æternum, iuſti au-*
Dan. 12. *tem in vitam æternam.* Hinc per Danielem dicitur: *Multi*
ex his qui in puluere dormiunt, euigilabunt: alij in vitam
æternam alij in opprobrium vt videant ſemper. Donec ergo
finiantur mille anni, quicumque non vixerint, ſubaudis
toto iſto tempore quo agitur prima & beata reſurrectio
animarum, non audierint vocem filij Dei, & ad vitam iu-
ſtitiæ de morte peccati non tranſierint: profectò in ſecun-
da reſurrectione, quæ carnis, eſt, ad mortem ſecundam
(vt diximus) cum ipſa carne tranſibunt. Sicque fiet, vt
& electi de vita iuſtitiæ ad vitam tranſeant beatitudinis
per carnis reſurrectionem, & reprobi de morte peccati
ad mortem tranſeant vltionis per eandem carnis reſurre-
ctionem. Sequitur:

Hæc eſt reſurrectio prima, Beatus & Sanctus qui habet partem in reſurrectione prima. E

Hinc certè cunctis manifeſtè datur intelligi, in anima-
bus decollatorum ſuperius omnem deſignatam fuiſſe
ſummam electorum, qui in prima reſurrectione mille
annis narrantur cum Chriſto regnare. De quibus & ſub-
ditur: *In his ſecunda mors non habet poteſtatem, ſed erunt*
Sacerdotes Dei & Chriſti & regnabunt cum illo mille an-
nis. Nequaquam enim diceretur reſurrectio prima, niſi
ſequeretur & ſecunda. Si ergo ante ſecundam reſurre-
ctionem hæc omnia fiunt quæ ſuperius narrantur, in pri-
ma reſurrectione fiunt: & quiſquis in prima reſurrectio-
ne partem non habet, non de puluere ad carnis reſurre-
ctionem ſed de peccato ad vitam animæ tranſit: conſtat
proculdubio, quia in numero decollatorum viuentes, mil- F
le annis cum Chriſto regnant. Dicatur igitur: [*Hæc eſt*
reſurrectio prima. Beatus & ſanctus qui habet partem in
reſurrectione prima.] Ac ſi apertè diceretur: Felix qui
dum adhuc in carne mortali viuit, à morte animæ reſur-
git: quia dum reſurrectio carnis aduenerit, ſimul cum
eadem carne ſolutis doloribus, fugatis mœroribus, ab-
ſterſiſque lacrymis in æterna lætitia viuit. Ille etenim poſt
in carne feliciter reſurget, qui non ſolum à morte quæ
in peccatis eſt, reuiuiſcit: verumetiam in eo quo reui-
xerit, permanere ſtudet: quia non qui cœperit, ſed
qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Hinc
eſt illud quod ſuperiùs dictum eſt: *Beatus qui vigilat &* Matt. 10.
cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet, & videant & 24.
turpitudinem eius. Veſtimenta etenim cuſtodimus, cum Apoc. 16.
præcepta innocentiæ in mente ſeruamus: vt cum nos iu-
dicij culpa nudat, ad amiſſam redeuntes innocentiam pœ-
nitentia operiat. Sequitur:

In his ſecunda mors non habet poteſtatem, ſed erunt Sacerdotes Dei & Chriſti, & regnabunt cum illo mille annis. G

Subaudis, habet in reliquis, de quibus ſuprà iam dixe-
rat, cæteri mortuorum non vixerunt donec conſumentur
mille anni: propterea ſcilicet quoniam toto iſto tempo-
ris interuallo, quod millenario deſignatur annorum nu-
mero, quantumcumque in eo quiſque eorum vixit, in
corpore, non reuixit à morte animæ. Quod autem de
electis dicitur: In his ſecunda mors poteſtatem non ha-
bet, ſed erunt Sacerdotes Dei & Chriſti, & regnabunt
cum illo mille annis: ſecundum intelligentiæ regulam
non ſolum de his qui carne exuti, poſt victoriam in illa
feliciſſima patria regnant, verumetiam de illis intelligen-
dum eſt, qui adhuc in præſenti vita, quæ (vt ſæpè iam di-
ximus) millenario annorum numero deſignatur, in cer-
taminis bello laborant. Neque enim regnare cum Chriſto
deſiſtunt hi, qui cum eo in acie contra hoſtes conſiſtunt:
Vnde & Apoſtolus hoc quod præmiſimus, dicit: *Ad hoc* Rom. 14.
Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit, vt & viuorum & mor- H
tuorum dominetur. Et quia Chriſtus Rex & Sacerdos no-
bis exiſtit, Rex ſcilicet quia regit quos condidit: Sacerdos
vero, quia ſemetipſum pro nobis in cruce ſacrificium fe-
cit: rectè membra eiuſdem Summi Pontificis ac regis,
Sacerdotes eſſe & regnare dicuntur. Hinc Petrus Apoſto-
lus fidelibus dicit: *Vos genus regium, regale ſacerdotium.* 1. Pet. 2.
Quod omnino non de ſolis Epiſcopis vel Presbyteris, ſed
de his etiam, qui & ſupra motus carnalium cogitationum
quaſi ſuper ſubiectas plebes lege virtutis regnant: & vo-
luptates carnis exercitio ſancti certaminis mortificantes,
hoſtia viua fiunt. De quibus per Prophetam dicitur: *Iſti* Iere. 44.
ſunt filij Sadoc, qui accedunt de filiis Leui ad Dominum,
vt miniſtrent ei. Sadoc namque, latinè dicitur *iuſtus*. Quis Pſal. 118.
autem iuſtus eſt, niſi ipſe cui dicitur, iuſtus es Domine &
rectum iudicium tuum? Qui verò ſunt filij iuſti, niſi hi
de quibus ſcriptum eſt: *Quotquot autem receperunt eum,* Ioan. 1.

A *dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius?* Leui autem interpretatur, aſſumptus. Quis vero à Domino aſſumptus eſt, niſi populus fidelis, qui per Sacramenta fidei à perfidis eſt ſegregatus? Omnes ergo qui inſtanter ſpiritalibus actibus intendunt, Filij iuſti ſunt. Et de filiis populi aſſumpti accedunt ad Deum, vt miniſtrent ei: quia de ipſis quoque fidelibus eliguntur, qui ad omnipotentis Domini miniſterium veniant, & cœleſtibus ſtudiis pro eruditione populi inſident. Sed nobis ſolerter inquirendum eſt, qui ſunt qui Domino miniſtrent. Neque enim omnes qui legunt, omnes qui prædicant, omnes qui propria tribuunt, omnes qui per carnis abſtinentiam corpus caſtigant, omnes qui panem & vinum in commemoratione paſſionis Chriſti offerunt, omnes qui ea quæ mundi ſunt derelinquunt, omnes qui aſſiduis vigiliis inſiſtunt, omnes qui quotidianis lamentis ſemetipſos afficiunt, Domino miniſtrant: ſed qui in omne quod viuunt, in omne quod agunt, non ſuam, ſed Domini gloriam quærunt. Qui enim legendo atque prædicando
B gloriam propriam quærunt, largiendo quæ habent, & corpus in abſtinentia macerando, miſſarum ſolemniis inhærendo, bona mundi deſerendo, aſſiduis vigiliis inſiſtendo, quotidianis lamentis ſemetipſos afficiendo, laudes ab hominibus recipere appetunt, ſibi, & non Deo miniſtrant.
Pſal. 100. Quo contra per Pſalmiſtam Dominus dicit: *Ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabat.* Habet enim maculam in via, qui in bono opere quod agit, tranſitoriæ gloriæ ſibi præmium proponit: qui in hoc mundo recipere mercedem requirit, & fœdat in conſpectu Dei ſpeciem boni operis macula prauæ intentionis. Fortaſſis etenim qui diſciplinæ ſtudio intentus feruet, culpas delinquentium reſecat: qui tamen ad hæc agenda ſi non ex omnipotentis Domini amore, ſed zelo proprio ducitur, ſibi in his, & non Domino miniſtrat: alius, ne aſper eſſe videatur, multa leniter tolerat, quæ praue perpetrantur. Iſte autem qui videri pro Domino diſtrictus non vult, per lenitatis ſuæ ſtudium ſibi, & non Domino miniſtrat. Reſtat ergo
C vt ſiue verbi miniſterio fatigemur, ſeu indigentibus noſtra largiamus, ſiue per abſtinentiam carnem domemus, ſeu zelo moueamur, ſiue per patientiam aliquando leniter praua toleremus, ſeu aliquid ex reliquis bonis quæ enumerata ſunt faciamus: vt nos ſummopere debeamus intentione noſtra diſcutere, quatenus omne quod agimus, non inanis gloriæ cupiditate, ſed Domini amore agamus: ne in his quæ facimus, nobis potius quam Domino miniſtremus. Neque enim Domino, ſed ſibi miniſtrauerunt, de
Philip. 2. quibus Paulus dicebat: *Omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Ieſu Chriſti.* Idem vero Paulus cum coëlectis fratribus non ſibi miniſtrare, ſed Domino, & viuendo & moriendo feſtinabat, dicens: *Nemo noſtrum ſibi viuit, & nemo*
Rom. 14. *noſtrum ſibi moritur. Siue enim viuimus, Domino viuimus: ſiue morimur, Domini ſumus. Sibi enim ſancti nec viuunt, nec moriuntur.* Sibi non viuunt, quia per omne quod agunt, ad lucra ſpiritalia anhelant, atque orando, prædicando, ſanctis operibus inſiſtendo, cœleſtis patriæ ciues multiplicare deſiderant. Sibi minimè moriuntur:
D quia in conſpectu hominum Deum de ſua morte glorificant, ad quem peruenire etiam moriendo feſtinant. Penſemus itaque mortem ſanctorum quantum eorum opprobrium ab infidelibus, fuit, ſed quanta laus Domini in corde fidelium excreuit: qui ſi ſuam laudem quærerent, profecto pari tot opprobria in morte timuiſſent. Sed *nemo noſtrum ſibi moritur*: quia ſuam gloriam nec viuendo nec moriendo quæſierunt. Videamus ſi ipſe primus paſtor Eccleſiæ, qui ſibi non vixit, ſibi ſit mortuus.
Ioan. 21. Ioannes eius ſocius requiratur, & de verbis Dei ex morte paſtoris eiuſdem dicat: Hoc autem dixit, ſignificans qua morte clarificaturus eſſet Deum. Non ergo ſibi eſt mortuus, qui Deum glorificauit in morte. Diſcamus igitur intentionem noſtram in omne quod agimus, ſolicita inquiſitione diſcutere, & noſtra non quærere, ſi omnipotenti Domino volumus miniſtrare. Formidoloſè namque debemus audire hoc quod de quibuſdam veri-
Matt. 23. tas dicit: *Omnia opera ſua faciunt vt honorificentur ab*
Matth. 6. *hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam.*

Sed quia qualia debent eſſe membra ſummi Sacerdotis, diximus, nunc ad propoſitum expoſitionis ordinem redeamus. Sequitur: E

Et cum conſummati fuerint mille anni, ſoluetur ſatanas de carcere ſuo: & exibit, & ſeducet gentes multas quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ, Gog & Magog: & congregabit eos in bellum, quorum eſt numerus ſicut arena maris.

Duas malarum gentium ſeductiones eſſe, quarum vna nunc agitur, altera in nouiſſima perſecutione complebitur, paulò ſuperiùs ſecundum vires noſtras expoſuimus. Vna etenim qua nunc occultus hoſtis innumerabiles gentes decipit, & à qua diuinitus non prohibetur: illa ſcilicet qua agitur vt infideles ad Chriſti cognitionem iſto nunc F
tempore non pertingant: altera vero eſt, à qua & nunc religatur, & quandoque in fine ſæculi ſoluetur. Qua videlicet fiet, vt in electorum necem cunctas generaliter reprobas gentes vnanimes atque concordes efficiat: & quidem eaſdem gentes iam ad hoc ſeduxit, vt contra Eccleſiam deſæuirent. Sed quia acrior erit immanitas nouiſſimæ perſecutionis, quia (vt dictum eſt) contra Eccleſiam omnes reprobæ gentes ſeductæ vnanimes exurgent, idcirco ad comparationem illius vltimæ ſeductionis, iſta quæ nunc agitur, ſeductio eſſe non dicitur. Ad hoc ergo tunc ſeducet, vt generaliter in publicum bellum pertrahat. Nam & antea modis quibus poterat per innumera & grauia ſcelera ſeducebat. Exibit ergo, vt dictum eſt, ad apertam perſecutionem de latebris erumpet odiorum. Quæ ſcilicet perſecutio non ſpecialis, ſed (vt dictum eſt) generalis, id eſt non in partibus, ſed vbique erit, quamque vniuerſa ciuitas agni ab vniuerſa patietur beſtiæ ciuitate: non iam à duabus, ſicut quidam arbitrati
ſunt, gentibus Gog & Magog ipſa perſecutio, ſed ab omnibus ſeductis gentibus exurget. Putauerunt enim plerique Gog & Magog propter primas horum nominum literas, Getas & Maſſagetas ſpecialiter fuiſſe deſignatas. Sed abſit vt duas tantummodo gentes tunc diabolum ſeducturum eſſe credamus, maximè cum & in eiſdem gentium nominibus Gog ſcilicet & Magog, iuxta ipſam hiſtoriæ literam, gentes multas legamus inſertas. Sic enim dicitur: *Exibit & ſeducet gentes multas.* Si ergo multæ, quomodo Gog & Magog duæ tantummodo, niſi quia (vt dictum eſt) in eiſdem duobus gentium nominibus omnes reprobæ gentes ſcribuntur? Nam & ipſæ cœli plagæ, id eſt, quatuor anguli terræ, in quibus præfatæ gentes figuraliter ſedere dicuntur, ſic ſæpè ſignificant ſummam reproborum, ſicut plerumque ſolent deſignare omnem plenitudinem electorum. Sed neque Getæ & Maſſagetæ quatuor incolunt angulos terræ, ſed ſuis terminis inter alias coartantur nationes. Dicunt etiam alij, Alexandrum Magnum Macedonem, in partibus aquilonis has gentes Gog & Magog incluſiſſe, eaſque in tantum H
multiplicatas fuiſſe, vt viginti & quatuor regna de ſe reddidiſſent. Sed hæc ſententia humana eſt, non diuina. Quæ ſcilicet etſi vera eſſet, de illis tamen hoc in loco dictum non fuiſſe quis ignoraret, cum iſtæ gentes non in vna parte cœli, ſicut illæ in aquilonis, ſed in quatuor plagis cœli habitare dicantur? Quæramus ergo cur reproborum multitudo Gog & Magog nomine deſignetur. Gog namque interpretatum, ſonat tectum, Magog vero, de tectu. Quid igitur per Gog (id eſt, tectum) intelligimus, niſi reprobas gentes in quibus nunc tegitur inimicus? Et quia idem malignus hoſtis eiuſque ſequaces, caput ſcilicet & membra, vnum ſunt corpus, Gog (id eſt, tectum) ad membra, Magog vero (hoc eſt, de tecto) ad caput referri videtur: tanquam ſcilicet domus, & ipſe qui procedit de domo. Ergo (vt dictum eſt) gentes ſunt, in quibus diabolum velut in abyſſo ſuperius intelligebamus incluſum, & ille quodammodo de ipſis egrediens & pro-

cedens,

A cedens, vt (ſicut iam inculcando præmiſimus) illæ ſint
tectum, iſte vero prorumpens de tecto. Si autem (vt me-
lius vtraque nomina referamus ad gentes, & non vnum
horum ad illas, alterum vero ad diabolum) & tectum
ipſæ ſunt, quia & inimicus in eis nunc latet, & con-
tra bonos erumpere non valentes, infra latebras odio-
rum tabeſcunt : & de tecto ipſæ exeunt, quoniam in
apertam perſecutionem prorumpent. Congregat ſanè
eaſdem gentes in prœlium verſutus inimicus, non vt
ad vnum eas locum colligat, ſed (vt dictum eſt) in ne-
cem ſanctorum vnitas atque concordes efficiat. De qui-
bus etiam adhuc ſubditur :

Et aſcenderunt ſuper latitudinem terræ, & circumierunt caſtra ſanctorum & dilectam ciuitatem.

B Cùm Dominus in Euangelio dicat : *Multi venient ab*
Matt.8. *Oriente & Occidente, & ab aquilone & auſtro, & accum-*
Luc.24. *bent in regno Dei :* Et rurſum ; *Oportebat pati Chriſtum*
& reſurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine
eius pœnitentiam & remiſſionem peccatorum per omnes
Matt.24. *gentes :* Et iterum ; *Prædicabitur hoc Euangelium in toto*
orbe, & tunc veniet conſummatio. Conſtat nimirum, quia
vſque ad quatuor cardines cœli pertendit Eccleſia Dei,
quæ ſcilicet quia aduerſariorum inſidias præcauet, rectè
ciuitas : quia vero in publico certaminis bello deſudat,
bellorum caſtra vocatur. Si ergo in omnibus gentibus
erit Eccleſia Dei, quo aſcendent reprobæ gentes, vt ca-
ſtra ſanctorum & dilectam ciuitatem circumeant ? ne-
que enim (vt præcedenti verſiculo iam diximus) ad
vnum locum venturæ credendæ ſunt gentes, vt caſtra
ſanctorum & dilectam ciuitatem circumdent : quia nec
in vno ſegregato loco futura erunt eadem caſtra ſancto-
rum & dilecta ciuitas, cum hæc non ſint niſi Chriſti
Eccleſia toto orbe diffuſa. Quam orbem vbicumque tunc
C erit, quæ ſine dubio in omnibus gentibus erit : quod ſi-
gnificatum eſt nomine latitudinis terræ, ibi erunt caſtra
ſanctorum, ibi dilecta Deo ciuitas erit : ibi ab omnibus
inimicis ſuis immanitate illius perſecutionis cingetur,
preſſurarum anguſtiis coarctabitur, odiorum inſidiis con-
cludetur. Nec tamen credendum eſt, quod militiam ſuam
deſerat & ſuccumbat, quæ vocabulo eſt appellata ca-
ſtrorum. Si inquam in omnibus gentibus tunc erit Ec-
cleſia Chriſti, quo reprobæ gentes aſcendent, vt eandem
circumeant Eccleſiam Chriſti, niſi quia vnaquæque illa-
rum in loco habitationis ſuæ aſcendet, id eſt, in apertam
perſecutionem contra bonos per temporalem potentiam
exurget ? Sic enim dicitur : *Aſcenderunt ſuper latitudi-*
nem terræ, & circumierunt caſtra ſanctorum. Ac ſi dicere-
tur : Per omnem terram habitationis earum, electorum
Eccleſiam preſſuris arctauerunt : inde aſcendentes, vnde
contra electos tumentes, caput ſcilicet ſuum imitantes
Iſai. 14. qui dixit : *Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero*
altiſſimo. Et hic quidem ſuper altitudinem nubium, illæ
vero ſuper terræ latitudinem aſcendunt : quia videlicet
caput ſpecialiter contra Deum, membra vero generaliter
Pſal.73. contra electos. De quibus etiam per Pſalmiſtam Deo di-
D citur : *Superbia eorum qui te oderunt, aſcendit ſemper.* Sæ-
piſſimè enim aſcenſus nomine, ſuperborum exprimitur
erectio. Vnde & in Apocalypſi de ſocietate diaboli dici-
Apoc. 13. tur : *Vidi de mari beſtiam aſcendentem, habentem capita*
ſeptem & cornua decem : & ſuper cornua eius decem dia-
Ibid. *demata, & ſuper capita eius nomina blaſphemiæ.* Et rur-
ſum : *Vidi beſtiam aſcendentem de terra, & habebat cor-*
nua duo ſimilia agni, & loquebatur ſicut draco. Quo con-
tra aliquando aſcenſus in bonum accipitur, ſicut in Can-
ticis Canticorum de electis Eccleſia ſponſo ſuo dicit :
Cant.4. *Capilli tui ſicut grex caprarum, quæ aſcenderunt de mon-*
te Galaad. Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcende-
runt de lauacro. Omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt
Iſai. 40. *inter eas.* Hinc prædicatori plebium dicitur : *Super mon-*
tem excelſum aſcende tu qui Euangelizas Sion. Sed illi à
ſuperbia vt ruant, iſti ab humilitate vt nullum caſum in-
currant. Vnde ſcriptum eſt : *Omnis qui ſe exaltat, humi-* E
liabitur : & qui ſe humiliat exaltabitur. Hinc Propheta Luc.14. & 18.
ait : *Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis hu-* Iſai.40.
miliabitur. De reproborum enim perſona dicitur : *Vidi*
impium ſuperexaltatum & tempore quidem inchoationis
regni ſanctorum, alligatio *eleuatum ſicut cedros Libani :*
tranſiui, & ecce non erat : quæſiui eum, & non eſt inuentus
locus eius. De electorum vero per eundem Pſalmiſtam Pſal. 36.
dicitur : *Aſcenſus in corde eius diſpoſuit in conualle lacry-* Pſal. 83.
marum, in loco quem diſpoſuiſti eis. O ſi conſiderare poſ-
ſemus, quæ erit illa tunc virtus ſanctorum, quæ inter ſi-
gna & prodigia, inter virtutes & miracula, inter ſæcula-
rem tumorem atque potentiam, quibus aduerſarij Chri-
ſti ſuper latitudinem terræ aſcendere dicuntur : ita du-
rabilis, ita inflexibilis permanet, vt miraculis penè alie-
na, verberibus afflicta, flagris interrogata, carceribus
tradita, equuleis ſuſpenſa, ad conuallem tantum plora-
tionis mentis aſcenſu ſuper affligentes ſe eleuetur. Nam F
quanto eas falſis prodigiis intumeſcere, ac ſæculari
potentiæ leuari martyres conſpiciunt, tantum per in-
ternam conſtantiam, quicquid ab his fieri vel ſibi iu-
beri cognoſcunt, calce deſpectionis premunt, vt tan-
to glorioſiores de victoria palmas reportent, quanto
& inter ſigna atque flagella ſine miraculis aduerſariis re-
ſiſtunt. Sequitur :

Et deſcendit ignis à Deo de cælo, & deuorauit eos.

Sanctorum Patrum ſententiis potius debemus crede-
re, quam nobis de noſtris applaudere. Et quidem pro-
pter conſonantiam ſequentis verſiculi, potueramus for-
te hoc loco per ignem intelligere æternum ſupplicium,
quo impios nouimus cruciari. Sed quia beatæ recorda-
tionis Auguſtinus hunc verſum exponendum aſſumens,
cœli nomine Eccleſiam, ignis vero appellatione inuidiam G
ſignificari dixit, illi magis quam nobis credimus. Hoc au-
tem ſolummodo requirendum eſt, quomodo de Eccleſia
quod cœlum vocatur, ignis inuidentiæ ſuper reprobos
à Deo deſcendat, eoſque conſumat. Sciendum enim quia
dum omnipotens Deus per Eccleſiam ſuam quam inha-
bitat, verbum prædicationis in reproborum aures iaculat,
dum eam inter mortes & verbera fortiſſimam tanquam
cœli firmamentum reddit, ſuper eos ignem cœli deſcen-
dere compellit : Quaſi enim à Deo ignis de cœlo deſcen-
dit, cum exaudita diuini verbi prædicatione, aduerſariis
liuor inuidiæ accreſcit : & vnde aliis firmitas ſtabilitatis,
inde illis deſcendit flamma liuoris, ſicuti Paulo atteſtan-
te, *Ex vno Chriſti bono odore alij viuificantur alij moriun-* 2. Cor.2.
tur. Ait enim : *Chriſti bonus odor ſumus Deo in omni loco,*
& in his qui pereunt, & in his qui ſalui fiunt : & aliis odor
mortis in mortem, aliis odor vitæ in vitam. De hoc nam-
que igne qui aduerſarios conſumere dicitur, alias ſcri-
ptum eſt : *Zelus apprehendit populum ineruditum, & nunc*
ignis aduerſarios conſumet. Hinc eſt etiam quod miſſo in
terram igne Spiritus Sancti, quem Dominus voluit ac-
cendi, tertia pars terræ in malis arſiſſe deſcribitur. Hinc
de ſanctis prædicatoribus dicitur : *Si quis eos voluerit no-* Apoc. 11.
H *cere, ignis exiet de ore illorum, & deuorabit inimicos eo-*
rum : & ſi quis eos voluerit lædere, ſic oportet eum occi-
di. Ac ſi diceretur : Si quis reproborum ſanctis prædica-
toribus perſecutionem inferre tentauerit, eorum verba
quæ in aliis charitatis flammam accendunt, illis odio-
rum incendia per meritum reprobationis ſubminiſtra-
bunt. Quod autem dicitur, ſi quis eos voluerit lædere,
ſic oportet illum occidi : ſubaudiendum eſt, non eos hic
corporalem vindictam recipere, ſed in ſola anima incen-
dio ſui liuoris perire. Quod myſticè hiſtorialiter tunc fa- 4. Reg. 1.
ctum fuiſſe cognoſcimus, cum ad verba Eliæ duos quin-
quagenarios ignis de cœlo deſcendens conſumpſit. Sed
quia paulò ſuperiùs millenario annorum numero præ-
ſens Eccleſiæ tempus : quantumlibet in longum prote-
letur, ſignificari diximus, eandemque Eccleſiam non
ſolum in his, qui adhuc poſt laborem certaminis ſatci

A nam carnis depoſuerunt, verumetiam in his qui adhuc in bello certaminis carne veſtiti deſudant, vſque quo peracta nouiſſima perſecutione, apparente Chriſto ad iudicandum ſæculum per ignem, omnes indumentum veſtiantur incorruptionis, modis omnibus regnare cum ipſo redemptore aſſeruimus: magna nobis & difficilis, imò etiam ad ſoluendum penè impoſſibilis exoritur quæſtio, cum propinquante nouiſſima perſecutione, quæ triennio & ſex menſibus contra electos deſæuiet, de diaboli ſolutione dicatur: Cùm conſummati fuerint mille anni, ſoluetur ſatanas de carcere ſuo. In quibus ſcilicet verbis, ab hoc millenario numero tres illi nouiſſimæ perſecutionis anni & ſex menſes excludi videntur. Sed rurſum cum de ſanctis, ſiue iam carne exutis, ſiue adhuc in corpore viuentibus dicatur, Animæ decollatorum propter teſtimonium Ieſu & propter verbum Dei, & qui non adorauerunt beſtiam neque imaginem eius, nec acceperunt caracterem in frontibus aut in manibus ſuis, & vixerunt, & regnauerunt cum Chriſto mille annis: quia præcipuè in ipſa
B perſecutione cum Domino ſancti regnabunt, aut ab eodem numero nequaquam videntur excludi, aut certè eidem narrantur ſuperadiungi. Quamobrem quia prius deſinit alligatio diaboli quam regnum ſanctorum, quod vtrumque ſignificatum eſt millenario annorum numero, tempus illud nouiſſimæ perſecutionis quamvis exiguum, vtrum ad mille annos pertineat, quibus & diabolum ligatum dicit, & ſanctos regnare cum Chriſto, an eiſdem annis hoc ſpatium ſuperaddatur, atque extrema computetur, merito ambigitur: quia ſi dixerimus ad eoſdem mille annos pertinere illud tempus, proculdubio non tanto tempore, ſed prolixiore cum Chriſto regnum ſanctorum reperietur extendi, quam alligatio diaboli. Et certè ſancti cum ſuo rege etiam in ipſa maxima perſecutione, vt præfati ſumus, regnabunt mala tanta vincentes, quando iam diabolus non erit alligatus, ſed ſolutus, vt eos viribus omnibus perſequi poſſit: quomodo ergo hæc reuelatio eiſdem mille annis vtrumque determinat, diaboli ſcilicet alligationem, regnumque ſanctorum, cum trium annorum
C & ſex menſium interuallo, prius deſignat alligationem diaboli, quam regnum ſanctorum in his mille annis cum Chriſto? Si autem dixerimus paruum illud perſecutionis tempus non computandum in mille annis, ſed eis impletis potius adiiciendum, vt propriè poſſit intelligi, quod cum dixiſſet, Sacerdotes Dei & Chriſti regnabunt cum illo mille annis: adiecerit, & cum finiti fuerint mille anni, ſoluetur ſatanas de carcere ſuo; quo ſcilicet modo & regnum ſanctorum, & vinculum diaboli ſimul ceſſaturum eſſe ſignificat: ac per hoc perſecutionis illius tempus, nec ad ſanctorum regnum, nec ad cuſtodiam ſatanæ, quod vtrumque mille annis determinatur, pertinere: ſed ſuperadditum, atque ex vtraque computandum eſſe credamus: cogimur fateri, ſanctos in illa perſecutione regnaturos non eſſe cum Chriſto. Sed quis vel deſipiens audeat dicere, tunc cum illo non regnatura ſua membra, quando maximè atque fortiſſime cohærebunt: & quo tempore quanto erit acrior impetus belli, tanto maior gloria non cedendi: quanto durior pugna, tanto denſior Martyrij
D corona? Quocirca cum Chriſto regnantium plures erunt anni ſanctorum, quam alligationis diaboli. Sed nunquid hanc quæſtionem tam magno ſudoris certamine ventilatam ita prætéribimus, vt de abſolutione eius, etſi pedetentim, quid ſentimus non aperiamus? Si enim ita relinquimus non eius nodum abſoluiſſe videmur: ſed quam eſſet ad ſoluendum perplexa, oſtendiſſe. Sciendum igitur nobis eſt, quia ſicut millenarius numerus in Scriptura ſacra myſticus habetur, ac per hoc quibuſdam locis non ad ſuppuationem literæ ſonantis, ſed ad ſignifica-
Pſal. 104. tionem refertur Sacramenti: vt eſt illud, *Verbi quod mandauit in mille generationes*: ſic poteſt hoc loco in ſingulis ſuis partibus, diaboli ſcilicet alligationis regnique ſanctorum, diuerſas ac proprias prolixitates habere, vt videlicet ampliores regni ſanctorum, breuiores verò alligationis diaboli annos deſignet. Quod ſi ita eſt, reſtat vt cum audimus, Sacerdotes Dei & Chriſti regnabunt cum eo mille annis & cum finiti fuerint mille anni, ſoluetur ſatanas de carcere ſuo: nequaquam in præſenti vita ſanctorum, intelligamus annos mille finiri, ſed alligationis

E diaboli. Alligatio etenim hoſtis noſtri, quæ à tempore redemptionis cœpit, quandoque in fine ſæculi modico tempore eſſe deſinet: regnum verò ſanctorum hic quidem incipit, ſed hic finem non accipit. Quamobrem in regno ſanctorum millenarius numerus præſenti tempori vitam æternam coniungit: in alligatione verò diaboli, tantum præſens tempus vſque ad nouiſſimam perſecutionem deſignat. Dicatur ergo de membris Summi Pontificis, Regnabunt cum eo mille annis, ac ſi apertè diceretur, A tempore inchoationis regni eorum, ſubaudis, à tempore redemptionis vſque in æterna ſecula ac ſine fine manentia. Dicatur de antiquo aduerſario, ligauit eum per annos mille: & cum conſummati fuerint mille anni, ſoluetur de carcere ſuo: tanquam diceretur, A, ipſius cœpit: ſed manente regno ſanctorum, modico tempore quandoque eſſe deſinit. Abſit autem vt millenarius annorum numerus, regni ſanctorum finem ſignificaret, cum hoſtis no-
F ſtri alligationem quandoque futuram demonſtrare vellet. Scriptum quippè eſt: *Regnum tuum Domine, regnum* Pſal. 144.
omnium ſæculorum: ſubaudis, *& præſentium & futurorum*
ſæculorum. Hinc per Danielem dicitur: *In diebus regum* Dan. 2.
illorum ſuſcitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & regnum eius populo alteri non tradetur. Comminuet autem & conſumet vniuerſa regna hæc; ipſum autem ſtabit in æternum. Si enim ipſum regnum; videlicet electorum Eccleſia, in æternum ſtabit, millenarius annorum numerus in parte ſanctorum perpetuitatem regnandi demonſtrat: quod electorum (vt dictum eſt) regnum hic quidem cum alligatione diaboli inchoat, ſed cum illa deſinit, illud in infinita ſæcula pertendit. Poſt hanc autem commemorationem nouiſſimæ perſecutionis, totum breuiter complectitur, quod vltimo iudicio antiquus hoſtis eiuſque ſocietas paſſura eſt. Nam ſequitur:

Et diabolus qui ſeducebat gentes, miſſus eſt in G
ſtagnum ignis & ſulfuris, vbi beſtia &
Pſeudopropheta eſt, & cruciabuntur die ac
nocte in ſæcula ſæculorum.

Sicut pro locorum qualitatibus ſolet autor huius hiſtoriæ, appellatione beſtiæ ſpecialiter nunc Antichriſtum deſignat: Pſeudoprophetam verò, præpoſitos cum ſubiectis plebibus: vel certè, vt quidam intelligi volunt, beſtia eſt ipſa diaboli ciuitas, id eſt, vniuerſum eiuſdem nequiſſimi ſpiritus corpus: Pſeudopropheta vero eius, Antichriſtus. Cur autem reproborum tormenta ſtagnum ignis & ſulfuris eſſe dicantur; ſuprà iam diximus: pro eo ſcilicet quod æterna pœna quos ſuſcipit, demergit, rectè per ſtagnum: pro eo autem quod eos quos demergit, exurit, dignè per ignem: pro eo vero quod eos quos demergit ſimul & exurit, perpetuis fœtoribus replet, congruè deſignatur per ſulfurem. Sed
H cum in reproborum tormentis nequaquam dies illuceſcat, ſed nox æterna perſeueret, Domino atteſtante qui ait: *Me oportet operari opera eius qui miſit me,* Ioan. 9.
donec dies eſt: veniet autem nox quando nemo poteſt operari: vel cum de quolibet impio dicturum ſe eſſe in futurum fateatur: *Tollite eum, & ligatis ma-* Matth. 25.
nibus & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores: quid ſibi vult, quod impij in inferno poſiti, die ac nocte cruciari dicuntur? Nunquid nam tunc viciſſitudo temporum erit, & non potius apud electos æterna dies, apud impios verò æterna nox? Sed ſciendum nobis eſt, quia pro defectu mutabilitatis malorum, diem & noctem ponere voluit. Hunc mutabilitatis reproborum defectum Paulus conſpiciens, ait: *Omnes quidem* 1. Cor. 15.
reſurgemus, ſed non omnes immutabimur. Propter hunc malorum mutabilitatis defectum, cum finitis annorum curriculis tempora iam non ſuccedant, Angelo confir-

A mante quia iam tempus non erit, alibi dicitur: *Et erit*
Apoc.10. *tempus eorum in æternum.* Ac ſi diceretur: Sine omnimo-
Pſal.80. do defectu deficient hi qui à contemplatione æternitatis
recedunt. Die ergo ac nocte in ſæcula ſæculorum cru-
ciantur reprobi: ſubaudis, & defectum mutabilitatis inde-
ſinenter patiuntur, & tamen deficiendo nunquam defi-
ciunt, quia in ſæcula ſæculorum ipſe mutabilitatis defe-
ctus perſeuerat, vel certè die ac nocte cruciantur, quia &
ex recordata electorum vita quam imitari noluerunt, &
ex memoratis facinorum ſuorum iniquitatibus afficiun-
tur: quaſi enim in die cruciantur, cum ad memoriam
reuocant bonum quod agere ipſi noluerunt: & quaſi
in nocte torquentur, cum malum quod voluntate ad-
miſerunt, ad notitiam ſui reducunt. Dies enim in ſa-
cro eloquio aliquando vita iuſti, & nox ſæpè accipitur
vita peccatoris. Iuxta hunc ergo intellectum, cum die ac
nocte cruciantur, non ſolum de ſuis reprobis actionibus
quas inhianter perpetrauerunt, verumetiam de aliorum
B ſanctis operibus, quos imitari noluerunt, in æternum tor-
quentur. Sequitur:

Et vidi thronum magnum & candidum, & ſedentem ſuper eum, à cuius aſpectu fugit terra & cælum: & locus non eſt inuentus ab eis.

Præoccupata narratione, hoc quod præcedenti verſu
expoſuimus, de malorum tormentis interſeruit: nunc au-
tem recapitulando, quid in iudicio quo iidem impij iudi-
cabuntur, agatur, contexit. Quid igitur in throno magno
& candido accipimus, niſi electorum Eccleſiam? Benè
autem candidus eſſe thronus perhibetur, quia recepta
carnis incorruptione, nil iam tunc ex vetuſtate prioris
vitæ in electis remanebit, quod nigredinis maculam ſu-
Matt.25. perducat. Sed cum Dominus de ſemetipſo dicat, *Cum ſe-*
derit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, tunc congrega-
C *buntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab inuicem,*
ſicut paſtor ſegregat oues ab hædis: quomodo nos hunc
thronum magnum & candidum, Eccleſiam dicimus eſſe,
ante quem electi ſimul cum reprobis congregari dicun-
tur, quomodo inquam ipſa & thronus & ante thronum
2.Cor.5. conſiſtens? Nam & Apoſtolus dicit, *Oportet nos aſtare*
ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corpo-
ris, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum ſit. Quapropter
ſciendum eſt nobis, quia ſancta Eccleſia in eo quod à
præſidente conditore regitur, ſedes vocatur: in eo vero
quod examinatur, ante ſedem (id eſt ante ſeipſam, ante
conſcientiam videlicet ſuam, qua vel regitur vel examina-
tur) aſtare perhibetur. Quod tamen melius intelligimus,
ſi eandem Eccleſiam & in quibuſdam membris ſuis thro-
num, & in quibuſdam ante thronum ſtantem dicamus.
Nam cum omnem Eccleſiam Dominus ſingulariter præ-
ſideat, ſpecialiter tamen illi ſedes dicuntur, qui cum Do-
Pſal.121. mino ſedentes iudicant. De quibus ſcriptum eſt: *Illic ſede-*
D *runt ſedes in iudicio, ſedes ſuper thronum Dauid.* Poteſt au-
tem per thronum magnum & candidum, ſolium iudicia-
riæ poteſtatis intelligi: hoc ſcilicet tropica locutione Scri-
ptura ſacra deſignante per thronum, quod agitur in thro-
no: valde admirabilis ſpectatio ſubinfertur, cum de ſeſ-
ſore throni dicatur: *A cuius aſpectu fugit terra & cælum.*
Et quid eſt, ab eius aſpectu terram & cœlum fugere, niſi
corporalium ignium concremationem ſpeciem ſuam im-
2.Pet.3. mutare, Petro atteſtante qui ait: *Aduenit dies Domini vt*
Matt.24. *fur, in qua cæli magno impetu tranſient, elementa vero ca-*
Marc.13. *lore ſoluentur?* Hinc Dominus in Euangelio ait: *Cælum*
Luc.21. *& terra tranſibunt, verba autem mea non tranſient*: ſub-
Apoc.21. audis, tranſibunt per ignem ab ea ſpecie quam nunc ha-
bent, ſed vt oſtendant pulcriorem quam nunc celant.
Vnde & in Apocalypſi poſt paululum ſubditur: *Vidi cæ-*
lum nouum & terram nouam. Primum enim cælum abiit,
& prima terra. Quod nos quoque exemplo colligimus,
qui hyemalium dierum reuolutionibus vernum tempus
abundantiore ſolis lumine ſuperius ſplendeſcere, varieta-
tem florum inferius candeſcere conſpicimus. Hinc eſt E
quod per quandam ſimilitudinem regnum Dei æſtati
comparetur. Sciendum verò quia tantummodo ipſa ele-
menta per ignis conflagrationem tranſibunt, quæ iam di-
luuij quondam effuſione perierant. Vnde rurſum per Pe-
trum dicitur: *Cæli erant prius & terra, de aqua & per* 2.Pet.3.
aquam conſiſtentes Dei verbo, per quæ ille tunc mundus
aqua inundatus periit. Cœli autem qui nunc ſunt, & terra,
eodem verbo repoſiti ſunt, igni reſeruati in diem iudicij
& perditionis impiorum hominum. Inter hæc autem in-
diſcuſſe prætereire non debemus, quod quidam minus
caute Scripturæ ſacræ lectionem conſiderantes, prius cœ-
lum & terram per ignem tranſire, & tunc Dominum ad
iudicium venire: quidam vero ante reſurrectionem mor-
tuorum & iudicium fieri, & ſic cœlum & terram per ig-
nem tranſire confirmant: & iſtos enim & illos minus cir-
cumſpecta intentio fefellit. Si enim elementa caloris igne
ante ſoluentur, quam Dominus ad iudicium veniat: quid
eſt quod Apoſtolus dicit, *Dies Domini declarabit quia in* 1.Cor.3.
igne reuelabitur. Quid eſt quod Pſalmiſta dicit, *Ignis in* F
conſpectu eius ardebit, & in circuitu eius tempeſtas valida? Pſal.49.
Quid eſt quod Petrus dicentem præmiſimus, *Adueniet dies* 2.Pet.3.
Domini vt fur, in qua cæli magno impetu tranſient, elementa
vero calore ignis ſoluentur? Rurſum ſicut quidam affir-
mant & dicunt, prius reſurrectio mortuorum & iudicium
fiet, quam cœli & terra tranſeant? Quid eſt quod B. Iob
de eadem mortuorum reſurrectione dicit, *Non euigila-* Iob.14.
bunt donec atteratur cælum? Reſtat ergo, vt & reſurre-
ctionem mortuorum & elementorum conflagrationem,
ſub vno aduenire credamus. Nam cum Dominus dicat, Ioan.5.
Veniet hora quando hi qui in monumentis ſunt, audient vo-
cem filij Dei, & procedent: qui bona fecerunt, in reſurrectio-
nem vitæ: qui vero mala egerunt, in reſurrectionem iudicij.
Paulus verò proſequatur, dicens: *Nos qui viuimus, qui re-* 1.Th.4.
ſidui ſumus in aduentu Domini, non præueniemus eos qui
dormierunt: quoniam ipſe Dominus in iuſſu & in voce Ar-
changeli & in tuba Dei deſcendet de cælo, & mortui qui in
Chriſto ſunt, reſurgent primi: Pſalmiſta quoque ad hæc
obuiet & dicat, *Ignis ante eum præibit, & inflammabit in* Pſal.96.
circuitu inimicos eius: & rurſùm, *Ignis in conſpectu eius ar-* G
debit: patet proculdubio, quia & reſurrectio mortuorum Pſal.49.
& concrematio elementorum ſimul aduenient, atque om-
nia Deo iudicante per ignem, cum aduerſarios idem ignis
inuoluens in infernum abſtulerit, & purgatos quoſdam
electos ad regnum miſerit, *tunc cælum nouum & terra*
noua parebunt. Quod autem de tranſeuntibus elementis
dicitur: *& locus non eſt inuentus ab eis*: ita ſubaudiendum
eſt, tanquam diceretur: Nullum recordationis veſtigium
ex priore habebunt viſione, cum per ignem mundanda
tranſierint. Vnde & Apoſtolus dicit: *Præterit enim figura* 1.Cor.7.
huius mundi. Ac ſi diceret: *Figura præterit, natura perma-*
net. Poſt autem per immutationem elementorum, depoſi-
tio corruptionis intelligi: quæ à conſpectu ſedentis in
throno tunc fugabitur, cum hi qui in monumentis ſunt,
audient vocem filij Dei, & procedent. Locus etiam non
inuenietur ab eis, ſubaudis, nullum veſtigium corruptio-
nis. Quæ videlicet incorruptio non tantum ad carnis im- H
mortalitatem, quantum ad mentis incommutabilitatem
redigitur. Vnde & Apoſtolus cum omnes dicat reſurgere
incorruptos, quæ ſit tamen electorum mentis incorruptio
deſignat dicens: *Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes* 1.Cor.15.
immutabimur. Ergo quia non ſolum incorruptionem cor-
poris, verumetiam incommutabilitatem mentis reci-
piunt, ab ea ſpecie quam nunc habent, tanquam terra
& cœlum, tranſeuntes, in pulcriorem ſtatum commu-
tantur: & quaſi ipſi iam non ſunt, ſed alij, dum à vetu-
ſtate primæ corruptionis in nouitatem tranſeunt ſecun-
dæ regenerationis: non quo (vt quidam hæretici puta-
uerunt) veritatem carnis habere deſinant, ſed quo (vt
dictum eſt) vetuſtatem corruptionis ac mutabilitatis
amittant. Sequitur:

A

Et vidi mortuos magnos & puſillos, ſtantes in conſpectu throni: & libri aperti ſunt & alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ: & iudicati ſunt mortui ex his, quæ ſcripta erant in libris ſecundum opera ipſorum.

Qui ſint mortui magni & puſilli, ſequenti verſiculo declarabimus, nunc de apertione librorum & libri, dicamus. Libros enim apertos vidiſſe ſe dixit & librum: ſed librum cuiuſmodi non tacuit. Ait enim: *Et alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ: in quo, vt nobis videtur, apertorum librorum Scriptura patuerunt.* Liber namvitæ eſt ipſa viſio aduenientis iudicis, in quo, quaſi ſcriptum eſt omne mandatum: quia quiſquis eum viderit,

B

mox teſte conſcientia, quicquid fecit vel quicquid non fecit, intelligit. Libri ergo aperti id eſt vetus & nouum Teſtamentum in libro vitæ leguntur, vt cum in eis oſtenditur quid Deus fieri præcepit, in illo clareſcat quid horum quis non ſit operatus, vel opere compleuerit. Aut certè libri aperti referuntur, quia iuſtorum vita tunc conſpicitur, in quibus mandata cœleſtia operibus impreſſa cernuntur. Et iudicati ſunt mortui ex his quæ ſcripta erant in libris: quia in oſtenſa vita iuſtorum, quaſi in expanſione librorum, legunt bonum quod agere ipſi noluerunt, neque ex eorum qui fecerunt comparatione damnantur. Ne ergo tunc vnuſquiſque videns eos quod non fecit, defleat: nunc in eis quod imitetur, attendat: quod quidem facere electi non ceſſant: meliorem namque vitam conſiderant: & deteriores vſus conuerſatione immutant. Vnde ſponſi voce in Canticis Canticorum

Cant. 7. & 1. ſanctæ Eccleſiæ dicitur: *Duo ubera tua ſicut duo hinnuli capreæ, qui paſcuntur in liliis, donec aſpiret dies, & inclinentur umbræ.* Quæ enim ſunt duo ubera, niſi ex

C

Iudæa ac gentilitate veniens vterque populus, qui ſanctæ Eccleſiæ corpore per intentionem ſapientiæ arcano eſt corde infixus? Ex quo populo hi qui electi ſunt, idcirco capreæ hinnulis comparantur, vt intueri poſſimus, quin neceſſe eſt vt eorum qui illum perfectè ſecuti ſunt, conſpectis actionibus incitemur. Intueamur quam pulcra eſt agilitas ſequentium, & videamus quam turpis ſit hebetudo pigrorum. Statim namque vt benè agentium geſta reſpicimus, noſipſos confuſione intima viciſcente iudicamus: mox verecundia mentem concutit, mox iuſtè ſæuiens reatus addicit: & vehementer hoc etiam diſplicet, quod adhuc fortaſſè turpiter libet. Qui enim pleniſſimè intelligere appetit qualis eſt, debet nimirum tales conſpicere qualis non eſt, vt in bonorum forma metiatur, quantum ipſe deſerto bono deformis eſt. Ex his quippè quibus pleniſſimè bona adſunt, perpendit recta quæ ſibi minus ſunt: atque in illorum pulcritudine conſpicit fœditatem ſuam quam in ſeipſo & poteſt perpeti, & ſentire non poteſt. Lucem

D

namque debet conſpicere, qui vult de tenebris iudicare: vt in illa videat quid de tenebris æſtimet, per quas videre præpeditur. Peccator namque ſi incognita vita iuſtorum ſemetipſum conſpicit, peccatorem ſe nullatenus deprehendit. Videre enim ſe non poteſt, quia fulgorem lucis neſciens, cum ſemetipſum conſpicit, quid aliud quam tenebras agnoſcit? Iuſtorum ergo debemus vitam conſpicere, vt ſubtiliter deprehendamus noſtram. Illorum enim ſpecies dum quaſi quædam forma nobis imitanda proponitur, viua lectio eſt vita bonorum. Sed hæc reprobi neſciunt, quia mentis oculos ſemper in infimis premunt: qui & ſi quando in viam Domini veniunt, non ad meliorum veſtigia, ſed intuenda ſemper deteriorum exempla vertuntur. Neque enim eorum vitam conſiderant, quibus ſe humiliando poſtponant, ſed quibus ſuperbiendo ſe præferant. Deteriores namque reſpiciunt quibus meliores eſſe glorientur: & idcirco proficere ad meliora non poſſunt, quia hoc ſibi

E

ſufficere æſtimant, quod peſſimos antecedunt. Hæc per exceſſum breuiter diximus, vt oſtenderemus quam ſtudioſe in ſanctorum Patrum exemplis nunc vitam noſtram tanquam in libris mandatorum attendere debeamus, ſi tunc cum vltimo iudicio eorum nobis opera oſtenſa fuerint, ex eorum comparatione damnari metuimus. Nunc ergo ad propoſitum expoſitionis ordinem reflectamus ſermonem. Sequitur:

Et dedit mare mortuos qui in eo erant.

Hoc namque prius fiet, quam libris apertis mortui iudicentur: ſed more ſolito narrationis ordine poſtpoſito, potiúſve paululum intermiſſo, præcedens verſus medio interſeritur: quia de apertione librorum ac iudicio mortuorum breui expleta narratione, ad ordinem dicendi redit: & repetendo hoc quod prætermiſerat, imò magis diſtulerat, contexit dicens: *Dedit mare mortuos qui in eo erant.* Iam (vt arbitror) liquet omnibus, quod hoc loco mare ſæculum ſignificet, cauſarum

F

negotiis tumidum, amaritudinibus plenum. Qui ſunt autem mortui quos dedit mare, niſi illi quos & viuentes in carne, & tamen iuxta quandam rationem mortuos, ſecundus in carne Chriſti inuenerit aduentus? Et boni ſcilicet & mali, mortuorum nomine ſunt deſignati: boni, quibus dicitur: *Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo*: mali verò, de quibus ſaluator in Euangelio cuidam dicit: *Sine mortuos ut ſepeliant mortuos ſuos.* Poſſunt autem propter hoc etiam mortui vocari, eo quod mortalia corpora gerant. Vnde & Apoſtolus dicit: *Corpus quidem mortuum eſt propter peccatum, ſpiritus autem viuit propter iuſtificationem.* Vtrumque enim in homine ſecundum carnem viuente eſſe deſignat. Sic autem dictum eſt, *Dedit mare mortuos qui in eo erant*: tanquam diceretur, Sicuti inuenti ſunt in ſæculo, præſentes aſtiterunt, quia nec abſcondi potuerunt. Magni verò & puſilli, ſiue in bonum propter differentiam virtutum, ſiue in malum propter diſcretionem ſcelerum ponuntur. Sequitur: Col. 3. Matth. 8. Rom. 8.

G

Et mors & infernus dederunt mortuos qui in ipſis erant, & iudicatum eſt de ſingulis ſecundum opera ipſorum.

Mortis nomine, pro locorum qualitatibus in Apocalypſi nunc figuraliter autor mortis, nunc ſimpliciter mors carnis: nunc (vt ſuprà meminimus) aut electi mundo, aut reprobi Deo mortui deſignantur. Inferni autem vocabulo, modo ſocietas diaboli, modo ſuppliciorum loca videntur deſignari. Quia enim mortis nomine diabolus, inferni verò, ſocietas eius deſignetur: ſequenti verſiculo apertiſſimè declaratur, quo dicitur: *Et infernus & mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis.* Ac ſi diceretur, & membra & caput, vnum videlicet corpus, inferni ac mortis nomine deſignatum, in ſtagnum ignis mitti referuntur. De hac morte & de hoc inferno longè ſuperiùs per Ioannem in

H

Apoc. 6. hac reuelatione dicitur: *Cum aperuiſſet agnus ſigillum quartum, audiui vocem quarti animalis, dicentis: Veni & vide. Et ecce equus pallidus, & qui ſedebat deſuper, nomen illi mors, & infernus ſequebatur eum.* Quia vero mortis vocabulo, ſimpliciter mors carnis: inferni autem, loca tenebrarum debeant intelligi: verſus iſte quem exponendum in manibus tenemus, apertiſſimè declarat quo dicitur: Et mors & infernus dederunt mortuos qui in ipſis erant. *Mors enim & infernus dederunt mortuos qui in ipſis erant*, ſubaudis, vitæ de qua iam dixerat, reddiderunt. Sed cum conſtet omnibus, quod mors carnis & electos & reprobos in iudicium reſtituat, quid ſibi vult quod infernus pariter mortuos qui in ipſo ſunt, reddere narratur? Nunquid nam mors carnis non reſtituet in iudicio eos qui in tormentis pœnarum ſunt conſtituti? Neque enim fruſtra vterque mortuos reddere narratur, mors

A ſcilicet & infernus. Quamobrem ſciendum eſt nobis, quia
mors propter bonos qui tantummodo in corpore mori
potuerunt, non autem pœnarum locis deputari, poſita eſſe
videtur: infernus vero propter malos, qui & pœnas apud
eum poſt mortem carnis perpeti meruerunt. Si enim non
mendaciter, ſed veriſſime creditur, antiquos etiam ſanctos
qui diſpenſationis Chriſti fidem non ſolum verbis ve-
rumetiam ſanctis prophetauerunt actionibus, etſi apud
inferos, locis tamen à tormentis impiorum remotiſſimis
fuiſſe, donec eos Chriſti ſanguis deſcenſuſque eius ad ea-
dem loca exinde eriperet: profecto deinceps boni Chri-
ſtiani qui ea fide pollent quæ per dilectionem operatur,
effuſo illo pretio iam redempti, prorſus inferos neſciunt,
donec etiam receptis corporibus, bona recipiant duplicia
quæ merentur. Atqui nunc poſt redemptionis tempora ad
inferos deſcenderint, nequaquam ad vitam, ſed ad con-
demnationem in futurum de monumentis reſurgent. Re-
ſtat ergo vt alius ignis vel aliud ſupplicium eſſe credatur,
per quod nunc purgandi tranſeant illi, qui hic rectè vi-
B xerunt, & tamen minima peccata vel non vitauerunt, vel
commiſſa non diluerunt, vel certè tempus pœnitentiæ in
lamentis non expleuerunt, cum conſtet apud inferos nul-
lum poſſe purgari, ille ſanè veraciter eſſe creditur, qui ſu-
pra fundamentum Chriſti ædificantes, alios eorum exa-
minans vt aurum approbat, alios vero exurens vt ſtipulam
concremat. Qui & ſi in illa vſtione detrimentum patiun-
tur, tamen per ignem ſaluantur. Quod autem ſubditur, &
iudicatum eſt de ſingulis ſecundum opera ipſorum, ad
ſuperiorem locum ſubauditionem habet, quo dicitur:
1. Cor. 3. *Vidi mortuos magnos & puſillos ſtantes in conſpectu thro-
ni, & libri aperti ſunt. Et alius liber apertus eſt qui eſt vitæ,
& iudicati ſunt mortui ex his quæ ſcripta erant in libris ſe-
cundum opera ipſorum.* Qualiter vero iudicati, imò etiam
iudicandi ſint, ſequens verſus declarat quo dicitur:

Et infernus & mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis.
C *Hæc mors ſecunda eſt ſtagnum ignis. Et
qui non eſt inuentus in libro vitæ ſcriptus,
miſſus eſt in ſtagnum ignis.*

Præcedenti verſu præoccupando iam diximus, hoc lo-
co inferni nomine omnes deſignari iniquos. Quid idcir-
co per infernum figurantur, vel quia locus tormentorum
& habitantes in eis, vna ſunt domus: vel quia in præſen-
tium rerum voluptatibus poſiti, quo magis adipiſcuntur
quæ deſiderant, eo amplius ac multiplicius deſiderium
concupiſcentiæ in immenſum expandunt, quibus illud
Iſai. 5. videtur congruenter poſſe aptari, quod dicitur: *Dilata-
uit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque vllo
termino.* Infernus enim animam ſuam dilatat, quia iniqui
omnes in terrenarum concupiſcentiarum ambitu deſide-
rio ſemetipſos expandunt. Os verò ſuum abſque vllo ter-
mino aperit, quia hoc ipſum deſiderium quo terrena
D concupiſcunt, poſt adepta quæ deſiderant, in immen-
ſum extendunt. Quo enim terrena ambiendo quaſi lam-
bunt, eo poſt expletionem voluptatum amplius eſuriunt,
atque in apertione oris terminum non habent, quia ade-
ptis carnalium rerum voluptatibus, ſufficit, nunquam di-
cunt. Mors autem quæ pariter cum inferno in ſtagnum
ignis mittitur, ipſe autor mortis debet intelligi. Poſſunt
quidem hæc non inconuenienter ita accipi, vt ſcilicet
vnum horum ad antiquum aduerſarium: aliud vero ad
iniquos homines referatur, eidem per nequitiam coniun-
ctos. Sed quia præmiſſo inferni mortiſque nomine, ita ter-
minatur hic verſus, vt dicatur, & qui non eſt inuentus in
libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis: quod vtri-
que ad homines pertinere videtur, de quibus per Pſalmi-
ſtam non optantis animo, ſed prophetantis intentione di-
Pſal. 68. citur: *Deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis non
ſcribantur:* Et de quibus Ieremias ait: *Recedentes à te
in terra ſcribentur,* melius hæc intelligimus, ſi inferni vo-
cabulo, dæmonum multitudines ſignificari dicamus. Ma-
ligni itaque illi ſpiritus, quia & malitiæ ſuæ igne tabeſ-
cunt, & in ſuſceptione reproborum nequitiæ ſinum in E
immenſum expandunt, rectè per infernum deſignantur
De quorum adhuc ſocietate ſubiungitur: Et qui non eſt
inuentus in libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ig-
nis: ſubaudis, reproborum hominum ſocietas atque com-
pago, tanquam in vno homine reprobata atque damnata.
Sciendum verò, quia ſic dicitur, qui non eſt inuentus ſcri-
ptus in libro vitæ: ac ſi diceretur, qui non eſt ad vitam
prædeſtinatus. Neque enim liber iſte carnaliter cogitan-
dus eſt, & tanquam atramento vel quolibet ingenio exa-
ratus, nomina continere iuſtorum: quatenus Deo noti-
tiam præbeat, ne obliuione fallatur: atque in eo relegat,
vt ad memoriam reuocet: ſed prædeſtinationem eorum
ſignificari, quibus æterna dabitur vita. Nequaquam igitur
neſcit eos Deus, & recognitionis (vt dictum eſt) libro
legit vt ſciat, ſed potius ipſa eius præſcientia, imò etiam
prædeſtinatio de illis quæ falli non poteſt, liber eſt vitæ,
in quo ſcilicet libro electi ante ſecula ſunt conſcripti:
ſubaudis, præcogniti vel prædeſtinati. Vnde & Apoſtolus F
dicit: *Quos præſciuit & prædeſtinauit conformes fieri ima-
ginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.* Rom. 8.
*Quos autem præſciuit & prædeſtinauit, hos & vocauit: &
quos vocauit hos & iuſtificauit: quos autem iuſtificauit, illos
& magnificauit.* Hinc iterum ait: *Benedictus Deus & pa-* Epheſ. 1.
*ter Domini noſtri Ieſu Chriſti qui benedixit nos in omni be-
nedictione ſpiritali in cœleſtibus in Chriſto: ſicut elegit nos
in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & im-
maculati in conſpectu eius in charitate, qui prædeſtinauit
nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum,
ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ in laudem gloriæ gra-
tiæ ſuæ.* Hinc rurſum dicit: *Secundum bonum placitum* Ibid.
*Dei, quod propoſuit in eo in diſpenſatione plenitudinis tem-
porum inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cœlis & quæ in
terra ſunt in ipſo:* in quo etiam ſorte vocati ſumus præ-
deſtinati ſecundum propoſitum eius, qui omnia operatur
ſecundum conſilium voluntatis ſuæ, vt ſimus in laudem
gloriæ ipſius. Finito autem iudicio, quo omnipotens Deus G
omnia examinabit per ignem Apoſtolo dicente: *Dies Do-* 1. Cor. 3.
mini declarabit, quia in igne reuelabitur, tranſductiſque per
eiuſdem ignis conflagrationem elementis: reſtat vt non
ſolum de innouatione eorundem elementorum, verum
etiam de ſanctorum noua generatione figuraliter diuinus
ſermo loquatur. Ait enim:

Et vidi cœlum nouum & terram nouam. Pri- Apoc. 21.
*mum enim cœlum & prima terra abiit, &
mare iam non eſt.*

Vt enim ſecundum elementorum qualitatem cœlum
nouum & terra noua appareat, primum cœlum & prima
terra abire deſcribitur: ſubaudis, vt quam pulcra ſint quæ
interius ſecundum naturam celant, appareat: tranſducta
per ignem, ſpeciem vel figuram immutant: quia & Apo-
ſtolus dicit: *Præterit enim figura huius mundi.* Vt vero iux- 1. Cor. 7.
ta myſticum intellectum idem cœlum eademque terra H
noua appareat, primum cœlum & prima terra abiiſſe nar-
ratur: ac ſi apertè diceretur, vt incorruptio atque incommu-
tabilitas in electis nouam vitam oſtendant, omnem cor-
ruptionis ac mutabilitatis vetuſtatem ſecunda generatio
ab eiſdem fugabit. Et ne fortè quis nos per cœlum nouum
& terram nouam electos temerè deſignari dixiſſe cauſe-
tur, audiat quid Pſalmiſta huic intellectui continens dicat.
Ait enim: *Aduocauit cœlum ſurſum & terram, vt diſ-* Pſal. 49.
cerneret populum ſuum. Ac ſi diceret: Vt in iudicio
inter electos & reprobos diſcretionem faceret, cœlum
& terram ſurſum aduocauit, inuolutos ſcilicet igni re-
probos deorſum relinquens, electos iam innouatos ad
ſuperiora prouexit. Quod Apoſtolus quoque confirmat,
dicens: *Simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam* 1. Theſ. 4.
Chriſto in aëra, & ſic ſemper cum Domino erimus. Et
reuera congruè vtriuſque mutationis qualitas, cœli
ſcilicet ac terræ, & elementis mundanis, & ſanctis
innouandis congruit. Quod autem ſequitur: *Et mare iam
non eſt:* vtrum maximo illo concremationis ardore

A ſiccetur, an & ipſum vertatur in melius, non facilè dixe-
rim, maximè cum hoc ipſum ex diuinis voluminibus af-
firmare non poſſim. Cœlum quippè nouum & terram
nouam futuram legimus : de mari autem nouo aliquid
me vſpiam legiſſe non recolo. Tamen B. Auguſtinus hac
ſententia confiſus, quodam loco ait : *Mare ſiccabitur.*
Quod forte autor huius hiſtoriæ, vt adſolet prophetica
locutione propriis verbis tranſlata miſcere, ac ſi quo-
dammodo quod dicitur velare, non abſurdè credendus eſt
de illo mari hoc dixiſſe, cuius vocabulo præſens ſæculum
iam ſupra ſignificaſſe ſe nouerat. Iam enim tunc non erit
hoc ſæculum vita mortalium turbulentum, cauſarum di-
uerſitatibus procelloſum, rixarum vel diſcordiarum ama-
ritudinibus plenum, quod pertinere videtur ad maris qua-
litatem. Sequitur :

Et ciuitatem ſanctam Ieruſalem nouam vidi,
deſcendentem de cælo, à Deo paratam, ſicut
B *ſponſam ornatam viro ſuo.*

Ipſis (vt arbitror) paruulis liquet, per hanc ciuitatem
nihil aliud quam electorum Eccleſiam intelligi debere.
Quæ ſcilicet propter inhabitantem in ſe Deum, ciuitas
propter lauacrum regenerationis ſancta, propter viſionem
intimæ pacis, Ieruſalem, propter cœleſtem conuerſatio-
nem vel futuram remunerationem, noua, & propter præ-
cipuam dilectionem morumque ornatus, ſponſa vocatur.
2.Cor. 5 De cuius nouitate per Apoſtolum dicitur : *Si qua in*
Chriſto noua creatura, vetera tranſierunt : & ecce facta
1 Cor.15. *ſunt omnia noua.* Quod alibi apertiùs intimat, dicens: *Pri-*
mus homo de terra terrenus, ſecundus de cœlo cœleſtis. Igi-
tur qualis terrenus, tales & terreni : & qualis cœleſtis, tales
Col. 3. *& cœleſtes.* Hinc rurſum fidelibus dicit, *Expoliantes vos*
veterem hominem cum actibus eius, & induentes nouum
eum qui renouatur in agnitionem Dei. Ad veterem enim
hominem pertinet, ceruicem ſuperbiæ contra Deum eri-
C gere, vetita contingere, terrenis concupiſcentiis inhia-
re, gulæ atque ebrietati deſeruire, luxuriæ inquinamentis
ſordidari, ira vſque ad diuiſionem exulcerari, zelo atque
inuidia exuri, de aliorum felicitatibus contriſtari, de ter-
renis damnis mœrore affici, de adeptis lucris immodera-
tius lætari, elatione ſuper cæteros extolli. Ac contra ad
nouum hominem pertinet, omni humilitate creatori ſuo
ſe ſubdere, illicita non præſumere, terrena deſpicere, cœ-
leſtia appetere, ieiuniis vacare, caſtitate fulgere, pacis
abundantia repleri, charitate vigere, de alienis felicitati-
bus gaudere, de terrenis damnis nullo mœrore affici, de
adeptis lucris nunquam immoderatius lætari, cunctis
electis fratribus ſemetipſum inferiorem exiſtimare. Hæc
enim ſunt quæ ad nouam ciuitatem pertinere videntur,
quæ non in terra ſuper arenam, ſed in cœlis ſuper terram
ædificatur. De cœlo autem deſcendere dicitur, quia ab
exordio ſui iam illa cum capite ſuo deſcendit, cum quo
& per quod ſurſum aſcendit. Vnde & idem caput eius lo-
Ioan 3 quitur, dicens : *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui de*
D *cœlo deſcendit, filius hominis qui eſt in cœlo.* Tunc ergo
cum illo deſcendit, quando intra vterum Virginis ei vni-
Pſal. 18. ri meruit, de quo ſcriptum eſt : *In ſole poſuit tabernacu-*
lum ſuum, & ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo
ſuo. Vel certè vt beatæ recordationis ſenſit Auguſtinus,
de cœlo deſcendit iſta ciuitas, quia cœleſtis eſt gratia,
qua Deus eam fecit : propter quod etiam ei per Iſaiam
dicit : *Ego ſum Deus faciens te*, vnde & hoc loco, à Deo
parata, ſicut ſponſa ornata viro ſuo, de cœlo deſcende-
re dicitur : De cuius etiam ornatu per Pſalmiſtam Deo
Pſal. 44. dicitur : *Aſtitit regina a dextris tuis in veſtitu deaurato,*
circumamicta varietate. Sed cum hæc pacis ciuitas,
ſponſæ ſimilitudini comparetur, cur non ſponſus, ſed
vir eius Dominus vocatur ? Sciendum verò quia hoc
iuxta conſuetudinem Scripturarum fieri videtur, quæ
Matth. 1. ſolent ſponſas coniuges vocare, vt eſt illud : *Ioſeph*
fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam.
Sic inquam & hoc loco ſponſus vir vocatur. Nam &
ipſa quæ tunc ſponſa dicitur, paulò inferiùs vxor agni
E vocatur, quæ ſcilicet propter incomparabilem amo-
rem vel fidei Sacramenta, dignè ſponſa, propter æter-
nos vero coniunctionis amplexus, rectè vxor appellatur.
Sequitur :

Et audiui vocem magnam de throno, dicentem :
Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, &
habitabit cum eis. Et ipſi populus eius erunt,
& ipſe Deus cum eis erit Deus eorum.

Tunc Ioannes, id eſt, Eccleſia cuius figuram penè in
omnibus locis tenet, à throno, hoc eſt, à ſedente in thro-
no, Patre ſcilicet & Filio atque Spiritu Sancto ; vno ac
vero Deo, qui Angelicam atque humanam præſidet crea-
turam : hanc vocem audit, cum per internam gratiam ta-
bernaculũ Dei ſe effici cognoſcit. Magna autem vox iſta
dicitur, quia de magnis loquitur, quibus maius nihil eſſe
F probatur, vt ſcilicet tabernaculum eius per gratiam ho-
mines fiant, cuius magnitudinem mundus non capit. Sic
enim dicit, *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus :* tan-
quam diceretur, Tabernaculum Dei facti ſunt homines.
Vnde & benè hic ſubditur: *Et habitabit cum eis:* ſubaudis,
cum his qui tabernaculum eius effici meruerunt. Hinc
eidem Eccleſiæ per Prophetam dicitur: *Exulta & lauda* Iſai.12.
habitatio Sion, quia magnus in medio tui ſanctus Iſraël.
Hinc Pſalmiſta loquitur : *Magnu Dominus & laudabilis* Pſal.47.
nimis, in ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius. O ſi con-
ſiderare poſſimus, quam magnum ſit pietatis Sacramen-
tum, Deum in hominibus quærere habitaculum, quem
non capit cœlum : prauos hominum mores perſeueranti
patientia tolerare, qui Angelorum deuotiſſimis obſequiis
cognoſcitur honorari. Sed non eſt mirum vt habitare di-
gnetur in nobis cuius pietate actum eſt, vt vna ex Trini-
tate perſona, ſecundum carnem moreretur pro nobis. Dei
G enim Filius à Patre & Spiritu Sancto nunquam recedens,
Angelos nequaquam deſerens, amore ſuo in terris quæſi-
uit nos, carnem aſſumens, inuenit nos: ſanguinem fundens
redemit nos à morte reſurgens, innouauit & viuificauit
nos: perpetua nobiſcum habitatione defendit nos, quique Matt.
aſcenſurus ad patrem, ait nobis : *Ecce ego vobiſcum ſum*
omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi. Sed nos
debemus conſiderare ſi habitaculum eius ſumus. Ipſe
enim dixit : *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit: &* Ioan. 1
pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem
apud eum faciemus. In quibus verbis apertè innuitur, eum
effici poſſe tabernaculum Dei, qui ſeruauerit ſermonem
Dei. Et quis eſt hic ſermo, niſi ille qui principaliter de di-
lectione loquens, omnia præcepta concludit, quia in ſola
dilectione tota lex pendet & Prophetæ ? De qua etiam
per Apoſtolum dicitur: *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus* Rom. 5
noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis Qui enim
hac dilectione plenus non eſt, quomodo habitaculum Dei
fieri poteſt ? Et certè Ioannes in epiſtola ſua dicit : *Deus* 1.Ioan.
dilectio eſt: & qui manet in dilectione, in Deo manet, & Deus
H *in eo.* Quis eſt autem qui non manet in hac dilectione, niſi
qui amorem Dei in amorem commutat ſæculi ? Vnde &
per eundem Ioannem dicitur: *Si quis diligit mundum, non* 1.Ioan.
eſt charitas patris in eo : quia omne quod in mundo eſt, con-
cupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuper-
bia vitæ: quæ non eſt ex patre, ſed ex mundo eſt. Beoè autem
de electis ſubauditur, *Et ipſi populus eius erunt, & ipſe* Philip.
Deus cum eis erit Deus eorum : ſubaudis, qui prius alterius
fuerant populus, quem etiam pro Deo habebant, gratuita
benignitate populus Dei fieri meruerunt. Et cuius antea
fuerant populus, niſi ſæculi huius. De cuius ſcilicet populo
Apoſt. loquitur, dicens: *Multi enim ambulant quos ſæpe di-* Ibid.
cebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Chriſti
quorũ Deus venter & gloria in confuſione eorum, qui terrena
ſapiũt. Quid autem ô B. Paule iam de talibus populis Dei
effectis ? *Noſtra autem, inquit, conuerſatio in cœlis eſt.* Huic
ſententiæ Pſalmiſta concinit, dicens: *Eripe me & libera me* Pſal. 1
de aquis multis, & de manu filiorum alienorum : quorum os
locutum eſt vanitatem, & dextera eorum dextera iniqui-

A *tatis : quorum filij ſicut nouella plantationes, ſtabiliti à iuuentute ſua : filia eorum compoſita, circumornata vt ſimilitudo templi : promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud : oues eorum fœtoſa, abundantes in itineribus ſuis, boues eorum craſſe : non eſt ruina maceria, neque tranſitus, neque clamor in plateis eorum : beatum dixerant populum cui hac ſunt.* Tanquam diceret : Talia amantes, talia quærentes, ac per hoc Deum habitatorem non habentes, talia protulerunt loquentes, id eſt, tales beatos dixerunt. Ibid. Quid autem gens ſancta, populus acquiſitionis ad hæc reſpondeat, innoteſcit dicens : *Beatus populus cuius eſt Dominus Deus eorum.* Sciendum vero nobis eſt, quia hoc habitaculum Dei, hæc ciuitas Dei hæc ſponſa Dei, nunc quidem in hac peregrinatione fit noua habitatio Dei : ex quo per huius ſæculi tempus, deſuper gratia Dei veniente, per lauacrum regenerationis in Spiritu Sancto de cœlis miſſo, ſubinde ciues eius accreſcunt. Sed in vltimo iudicio Dei, quod fiet per eius filium Ieſum Chriſtum, tanta eius & tam noua de Dei munere B Pſal.6. claritas apparebit, vt nulla remaneant veſtigia vetuſtatis, nec vltra iam dicat : *Inueterani inter omnes inimicos meos :* quandoquidem & animæ ad incommutabilitatem, & corpora ad incorruptionem & immortalitatem noua ex vetere corruptione ac immortalitate tranſibunt. Vnde & autor huius reuelationis cum deſcenſionem eius quæ nunc fit de cœlo, atque innouationem circumſpiceret quæ efficitur habitatio Dei, repentè oculos mentis ad finem reflectens, quæ ſit eius maxima renouatio ad futura, innotuit dicens :

Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum : & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra, quia prima abierunt. Et dixit qui ſedebat in throno : Ecce noua facio omnia.

C Quæ ſcilicet non huic, ſed futuræ vitæ certum eſt conuenire. Nunc enim in hac vita quanto quiſque fuerit ſanctior, ſanctiſque deſideriis plenior, tanto eſt eius in oratione fletus hubertior. Hinc enim dicitur : Pſal.41. & 6. Matth.5. Iere.31. *Fuerunt mihi lacryma mea panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi eſt Deus tuus?* Et illud : *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo :* &, *Caligauerunt oculi mei a fletu,* &, *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Illic verò dicitur : *Quieſcat vox tua a ploratu, & oculi tui a lacrymis.* Libet autem intueri, quando ſit quod omnem lacrymam Spiritus Sanctus ab oculis ſanctorum dicat abſtergi, cum ſufficere potuiſſet, ſi diceret, abſterget Deus oculos eorum à lacrymis : ſicut & Pſalmiſta ſimpliciter dicit : Pſal.114. *Liberabit animam meam de morte, oculos meos à lacrymis.* Sciendum vero quia diuerſæ ſunt qualitates lacrymarum, quibus in hac vita affliguntur electi : & idcirco in futurum fugatis doloribus omnis lacryma, multiplex videlicet, ab oculis eorum dicitur abſtergi. D Aliquando enim propter timorem tormentorum, aliquando propter amorem viſionis Dei, ac propter ſupernorum ciuium conſortia, atque elongatam ſuam peregrinationem, qua nunc militant inter aduerſa : aliquando propter errata ſua & aliorum, electi lacrymas fundunt. Sed iam tunc omnis lacryma ab eorum oculis abſtergitur, quia & à timore ſupplicij alieni, & Deo ſanctiſque ciuibus coniuncti, atque à peregrinatione vitæ præſentis educti, à ſuis quoque erratibus exuti, & à malorum compaſſione extranei, incommutabili lætitia perfruentur. Benè autem ſubditur, *Et mors vltra non erit* : ac ſi diceretur, In electis vel animæ vel carnis. Neque luctus, ille ſcilicet multiplex, quo nunc affliguntur iidem electi. Quod verò additur, *Neque clamor* ſubtilius pertractandum eſt. Cunctis namque vera ſcientibus liquet, quia ad hoc primus homo in paradiſo poſitus fuerat, vt ſi in creatoris ſui obedientia vinculis ſe charitatis aſtringeret, ad cœleſtem Angelorum patriam quandoque ſine carnis morte tranſiret : ſic autem immortalis E eſt conditus, vt ſi peccaret, & mori poſſet : & ſic mortalis eſt conditus, vt ſi non peccaret etiam non mori poſſet, atque ex merito liberi arbitrij beatitudinem illius rectitudinis attingeret, in qua vel peccare vel mori non poſſet. Vbi igitur poſt redemptionis tempus carnis morte interpoſita electi tranſeunt, illic proculdubio parentes primi, ſi in conditionis ſuæ ſtatu perſtitiſſent, etiam ſine morte corporis transferre potuiſſent : ibi in magna quietè iam viuerent, nec poſt peccatum reſiſtente carne ſpiritui, clamorem pugnæ tolerarent. Poſt peccatum namque homo quaſi clamans laborat, qui contentionem carnis propriæ repugnans portat. Sed, quietis ſilentium homo inuenit, cum contra hoſtem ſuum liberum voluntatis arbitrium accepit. Cui quia ſua ſponte ſuccubuit, mox de ſe quod contra ſe perſtreperet inuenit, mox in certamine infirmitatis tumultus inuenit. Et quamquam in pacis ſilentio ab autore fuerat conditus, hoſti tamen ſponte ſubſtrans, clamorem de pugna tolerauit. Ipſa enim F carnis ſuggeſtio, quaſi quidam clamor eſt contra quietem mentis, quam ante tranſgreſſionem homo non ſenſit, quia nimirum quod de infirmitate poſſet tolerare, non habuit. Poſtquam vero ſe ſponte hoſti ſubdidit, adſtrictus culpæ ſuæ vinculis, in quibuſdam ei nolens ſeruit : & clamores in mente patitur, cum caro ſpiritui reluctatur. An non clamores intrinſecus audiebat, qui prauæ contra ſe legis verba tolerabat, dicens : Rom.7. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis mea, & captiuum me ducentem in lege peccati, qua eſt in membris meis?* Qui videlicet clamor etſi ad momentum compeſcitur, cum electorum mens in contemplatione rapitur : poſt paululum tamen tanquam viribus receptis tantum altius reſtationum verberibus attollitur, quantum poſt ſilentium loquacitas linguæ immoderatius relaxari videtur. Vnde & hæc Apocalypſis nequaquam hoc quietis ſilentium in hac vita poſſe perpetuum eſſe aſtruit, dicens : *Factum eſt ſilentium in cœlo quaſi media hora.* Apoc.8. In cœlo ſcilicet ſubaudis in mentibus electorum. Et notan G dum quod nec ipſa media hora idem ſilentium perduraſſe deſcribitur, cum hæc orationis particula, id eſt, quaſi, anteponitur. Sed hic tumultuoſus clamor quandoque interueniente quietis ſilentio reprimitur, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem. Tunc idem clamor tumultuari contra electos ceſſabit, cum æterna quies eos ſuſceperit, quos mutabilitas temporalitatis in hac vita quieſcere non ſinebat. Sed & dolor poſt hæc non erit, quia nequaquam electorum caro vltra ſpinas & tribulos, id eſt, punctiones peccatorum, germinabit. Videamus autem verum ad commutationem elementorum iſta conueniat nouitas electorum. Superius enim de elementis dicitur, 1.Cor.15. *Vidi cœlum nouum & terram nouam, primum enim cœlum & prima terra abiit.* Hic autem de electorum innouatione poſt abiectam vetuſtatem dicitur, prima abierunt. Et dixit qui ſedebat in throno : *Ecce noua facio omnia,* vt videlicet ſicut emundata à vetuſtate quam nunc habent, per ignem elementa, tanquam tranſacta hyeme, fugatiſque nubibus quod H dam vernum tempus oſtendunt, ſic à mortalitate corruptionis humana corpora per gloriam reſurrectionis innouata, abſterſis etiam lacrymis, ſedato fletu, compreſſo clamore, ablatoque dolore, perfectam in ſe primi temporis qualitatem demonſtrent. De hac electorum innouatione ſponſi voce in Canticis Canticorum figuraliter mihi dicere videtur : Cant.2. *Surge, propera amica mea, columba mea, perfecta mea, & veni : iam enim hyems tranſiit, imber abiit & receſſit, flores apparuerunt in terra, tempus putationis aduenit, vox turturis audita eſt in terra noſtra, ficus protulit groſſos ſuos, vinea florentes dederunt odorem.* Quibus ſcilicet verbis præterito pro futuro vtens tempore, Eccleſiam ad amorem verni temporis, id eſt, futuræ innouationis, inuitare cognoſcitur ſermo diuinus. Quid enim per hyemem vel imbrem, niſi tempus mortalitatis deſignat? Benè autem poſt hæc ſubdit, *Flores apparuerunt in terra, tempus putationis aduenit, vox turturis audita eſt in terra noſtra, ficus protulit groſſos ſuos, vinea florentes dederunt odorem.*

A Quibus proculdubio ſimilitudinibus, vt ſupra dictum eſt
tempus futuræ reſurrectionis ſignificari videtur. Flores
enim in terra apparuerunt, quia videlicet reſurgentium
electorum corpora, & alba poſt vetuſtatem, & odorifera
poſt corruptionis putredinem apparent. Tempus putatio-
nis aduenit ſubaudis ſeparandi malos à bonis, quando
Ioan.5. inutilia ſarmenta in ignem proiicientur. *Vox turturis au-*
Pſal.83. *dita eſt in terra noſtra*, tanquam diceret, *Veniet hora quan-*
do hi qui in monumentis ſunt, audient vocem filij Dei, &
procedent. ille etenim ſingulariter turtur vocatur, de quo
per Pſalmiſtam dicitur: *Paſſer inuenit ſibi domum, & tur-*
tur nidum vbi reponat pullos ſuos. Cuius ſcilicet vox ſicut
flores niſi in terra, tempuſque putationis vineæ, ſic verni
temporis figuraliter beatitudinem futuræ reſurrectionis
deſignet. Vel certe vox turturis in terra auditur, cum ele-
ctorum Eccleſia apparente noua incorruptionis ætate,
nouæ exultationis canticum, nouæ laudis vocem emittit.
Ficus protulit groſſos ſuos: quia hi qui nunc intra ſinum
B fidei quaſi ſub tegmine corticis latent, vt perfecte fructus
Eccleſiæ ſubſequens appareat, tanquam acerbæ ficus, illius
iudicij turbine mox à ſoliditate eiuſdem Eccleſiæ caſuri
foris apparent. Vineæ florentes dederunt odorem, quia
electi quique fructus diuinæ remunerationis quos in
æternum habituri ſint, in ipſa carnis reſurrectione tan-
quam flores oſtendunt odorem. Sequitur:

Et dicit mihi: Scribe, hæc verba fideliſſima ſunt & vera. Et dixit mihi: Factum eſt.

Quis dicit niſi Dominus? Cui dicit niſi Eccleſiæ?
Sciendum vero quia hoc eſt hanc vocem audire, quod eſt
in tabulis cordis carnalibus eadem ſcribere. Cum enim
per internam gratiam deſiderium nobis futuræ reſurre-
ctionis infunditur, ipſa nobis aſpiratio & vox fit & ſty-
lus. Hanc enim vocem cordis aure nos percipimus, hanc
C ſtylo ſpiritus Sancti nos exaramus, cum de prædicta eiuſ-
dem ſpiritus Sancti promiſſa audientes, fidei aſſenſum
præbemus, ac nequaquam de eius promiſſionibus dubi-
tamus. Et notandum quod non ait, *Scribe, quia hæc ver-*
ba fideliora: ſed ait, *ſcribe quia hæc verba fideliſſima ſunt*.
Ac ſi diceret: Eo in cordis memoria arctius debent im-
primi quæ loquuntur, quo nullis verborum Dei compa-
rantur, ſed cuncta præcellere videntur. Et revera dignum
erat vt verba fideliſſima vocarentur, quæ de tota fidei
ſumma, de tota ſpei fiducia loquerentur. Qui autem de
carnis reſurrectione dubitant, ad beatum Iob recurrant:
Iob.19. & quid de hac ſenſerit ſubtiliter attendant. Ait enim: *Cre-*
do quia redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra
ſurrecturus ſim: & in carne mea videbo Deum, Saluatorem
meum: quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi
ſunt, & non alius. Quibus dubitantibus prout diuina gra-
tia poſſe nos dedit, argumentis fidei ac diuerſis ſcriptura-
rum teſtimoniis obuiaremus: niſi & beatæ memoriæ
Gregorium ante nos excellentiſſime hoc ipſum feciſſe in-
D uenitemus, & hoc opere iam ad finem properante, tanto
onere eius nos exonerari quæreremus. Qui vult ergo in-
de plenius ſatisfieri, ad prædictum egregium tractatorem
recurrat. Nobis autem hoc loco ad confirmandam rei
veritatem, ſufficit illud quod ſequitur: *Et dixit mihi, Fa-*
ctum eſt. Quod omnino credi magis oportet quam expo-
ni, præſertim cum ſic dicat factum eſt de præterito, vt
dubitare quemquam non ſinat de futuro. Solet enim diui-
na ſcriptura ea quæ indubitanter fieri nouit ventura, tan-
Pſal.21. quam iam facta narrare, vt eſt illud: *Foderunt manus*
meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia oſſa mea: & alia
innumera hiſque ſimilia. Nam & hoc quod in nobis futu-
rum eſt, iam in præſcientia Dei factum eſt. Vt autem ple-
nius dubietatis caliginem de his quæ dicta ſunt, à fide-
lium cordibus remoueret, quis eſſet qui iſta per Angelum
ſit locutus, ſubiecit & ait:

Ego ſum α & ω, initium & finis.

Quod videlicet nomen ſuum hoc iam tertio Dei filius
per Angelum in hac Apocalypſi inculcat, quatenus per E
hoc factum duo nobis quædam inſinuet: vnum ſcilicet,
per quod intelligamus neque ad Angelum proprie, neque
ad Ioannem proprie pertinere, quæ in hac reuelatione
continentur: quia ſicut Angelus ex alterius perſona lo-
quitur, ſic Ioannes alterius perſonam gerit cui loquitur:
aliud vero, quod ſcire poſſumus, ipſum eſſe & Deum ante
tempora, & hominem in fine ſæculorum. Quod autem
ſubiungitur, *initium & finis*, repetitio ſermonis eſſe vi-
detur. Initium quippe dicitur eo, quod ab illo omnis
creatura quæ facta eſt, in tempore principium ſumpſiſſe
docetur. Vnde ſcriptum eſt: *In principio erat verbum,* Ioan.1.
& verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Omnia
per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Hinc enim
longe ſuperius in hac Apocalypſi Angelica voce ad Ioan- Apoc.3.
nem dicitur: *Hæc dicit amen teſtis fidelis, qui eſt princi-*
pium creaturæ Dei: ſubaudis, principium non quo ab
alio ipſum cœperit, ſed quo ab ipſo cuncta proceſſerint.
Finis autem dicitur, eo quod cuncta conſummet atque F
concludat. Vnde per Paulum dicitur: *Chriſtus finis legis* Rom.10.
ad iuſtitiam omni credenti: quique hac deſideranda voce
ſubiungit, dicens:

Ego ſitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis.

De hoc fonte irrorat nunc credentes in via, quem vin-
centibus uberem hauriendum præbet in patria. Ne igi-
tur in hac peregrini eremo ſiti deficiant, compluuntur
ſtillarum guttis, vt ciues quandoque effecti, ex torrente
deliciarum Dei debrientur: vtrumque autem gratis, quia
gratia Dei (ait Apoſtolus) vita æterna. Ad hunc fontem Rom.6.
ſitientes vocabat idem fons, cum diceret: *Qui ſitit, veniat* Ioan.7.
ad me & bibat: & qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura
flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Et quis eſt iſte
fons vitæ, niſi beata atque inſeparabilis Trinitas, quæ eſt
vnus verus Deus? Pater enim fons, Filius fons, ſpiritus
Sanctus fons: ſed tamen non tres fontes, ſed vnus eſt G
fons. De hoc fonte illi potari narrantur, de quibus per
Pſalmiſtam Deo dicitur: *Inebriabuntur ab ubertate do-* Pſal.35.
mus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos: quoniam
apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.
Huius fontis aquam ſe daturum eſſe ſuis idem fons vitæ
promittit, dicens: *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei,* Ioan.4.
non ſitiet in æternum: ſed aqua quam ego dabo ei fiet in eo
fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Et notandum quod
non aliis, ſed ſitientibus iſte fons potandus repromittitur,
illis ſcilicet de quibus dicitur: *Beati qui eſuriunt & ſitiunt* Math.5.
iuſtitiam quoniam ipſi ſaturabuntur. Quibus etiam per Iſai.55.
Iſaiam Prophetam dicitur: *Omnes ſitientes venite ad*
aquas. Ad hunc enim fontem non pertingit, niſi qui vo-
luptates mundi haurire deſiſtit. Ad hunc fontem non per-
uenit, niſi qui Deum anxiè quærit. Videamus autem quo
æſtu ad hunc fontem electi anhelant. Pſalmiſta denique
ait: *Sicut ceruus deſiderat ad fontes aquarum, ita deſide-* Pſal.41.
rat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum
viuum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Et H
rurſum: *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo*: ſitiuit in Pſal.62.
te anima mea, quam multipliciter & caro mea. Ad hunc
fontem intolerabili ſitis ardore fatigatus pertingere quæ-
rebat Paulus cum diceret: *Cupio diſſolui, & cum Chriſto* Philip.1.
eſſe, multo autem melius. O ſi nunc diſpliceret aqua cu-
piditatis ô ſi nunc carnalibus faſtidio eſſet aqua volupta-
tis, vt ſitiri poſſet aqua vitæ quæ dabitur gratis: quæ ſic
debriat ſitientes, vt & pleniter ſatiet, & ſatiatus amplius
ad bibendum prouocet, vt & ſitim auferat, & bibendi
deſiderium non tollat. De quibus melius vtcunque aliquid
cogitare quam dicere valemus. Sequitur:

Qui vicerit, poſſidebit hæc, & ero illi Deus, & ipſe erit mihi filius.

O ineffabilis pietatis affectus, ô inæſtimabilis ardor
charitatis. Superius namque dixerat, Ecce tabernaculum
Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipſi popu-

A lus eius erunt, & ipſe Deus cum eis erit Deus eorum:
nunc autem ait, Qui vicerit, poſſidebit hæc, & ero illi
Deus, & ipſe erit mihi filius. Quid amplius debuit aut
potuit promittere? Seipſum promiſit in præmium dari
poſſidendum, ſe partem adoptatis exiſtere, atque hære-
ditatem cum illis diuidere. Illa enim generatio hic vide-
tur deſcribi, de qua per Euangelium Ioannis dicitur: *Quot-*
Ioann. 1. *quot receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his*
qui credunt in nomine eius: qui non ex ſanguinibus, neque
ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo
Gal. 3. *nati ſunt,* Hinc Paulus ad Galatas loquitur, dicens: *Si er-*
Gal. 4. *go vos Chriſti, ergo ſemen Abrahæ eſtis, ſecundum promiſ-*
ſionem heredes. Et poſt pauca: *Quoniam eſtis, ait, filij*
Dei, miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda, clamantem, Abba
Pater. Itaque iam non eſt ſeruus ſed filius. Quod ſi filius, &
Ibid. *heres per Deum.* Atque poſt paululum. *Nos autem fratres*
2. Cor. 6. *ſecundum Iſaac, promiſſionis filij ſumus.* Hinc ad Corin-
Leuit. 26. thios loquens, teſtimonio ſcripturæ vſus eſt, dicens: *Vos*
Iſa. 52. *eſtis templum Dei viui, ſicut dicit Deus: quoniam inhabi-*
B *tabo in illis & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipſi*
erunt mihi populus. Propter quod exite de medio eorum, &
ſeparamini, dicit Dominus: & immundum ne tetigeritis,
& ego recipiam vos: & ero vobis in Patrem, & vos eritis
mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens. Et qui-
dem in hac peregrinatione, in hac eremo, interim hac
ſpe ſalui facti ſumus: ſed cum per ſpem peruenerimus ad
rem, ipſe Deus erit electis æternæ beatitudinis præmium,
quod ab eo poſſeſſi poſſideant in æternum. Vnde & Ioan-
1. Ioa. 3. nes in epiſtola ſua dicit: *Chariſſimi, nunc filij Dei ſumus,*
& nondum apparuit quid erimus. Scimus autem quoniam
cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum
ſicuti eſt. Qui ſint autem ab hac filiorum dignitate, ab hac
hæreditatis ſorte indigni atque extranei, ſequens verſus
declarat, dicens:

Timidis autem & incredulis, & execratis, &
C *homicidis, & fornicatoribus, & veneficis,*
& idololatris, & omnibus mendacibus, pars
illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulfure,
quod eſt mors ſecunda.

Et quos hoc loco alios timidos intelligere debemus,
niſi aut eos qui perſecutionis tempore, metu mortis vel
ad fidem non accedunt, vel à fide recedunt: aut eos qui
in pace Eccleſiaſtica, ſiue malignorum ſpirituum, ſiue
peruerſorum hominum terroribus fracti, ſeu etiam ſubla-
to carnalis necis timore, æterna quidem ſupplicia paueſ-
cunt, & tamen bonum operari refugiunt? Sed in his ho-
minum diuerſis qualitatibus, duo tamen inueniuntur ge-
nera timoris. Siue enim perſecutionis tempore quilibet
vel ad fidem accedere territus non audeat, vel à fide re-
cedat: ſeu in pace Eccleſiaſtica terrore cuiuſlibet bonum
operari paueſcat, vnius generis timor eſſe videtur. Reſtat
D autem aliud timoris genus, quod quidem reprobos in
pace Eccleſiæ conſtitutos, de pœnis ſecuturis terret, ſed
eos ad bene operandum incitare non valet. De illis nam-
Pſal. 13. que dicitur: *Illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor.*
& 52. Quo contra ad electos ſermo dirigitur: *Dico vobis ami-*
Luc. 12. *cis meis, ne terreamini ab his qui occidunt vos, & poſt hæc*
non habent quid faciant. Oſtendam autem vobis quem ti-
meatis. Timete eum, qui poſtquam occiderit, habet pote-
ſtatem mittere in gehennam, Bene autem cuilibet iſtius
generis timido ſententia illa Salomonis aptatur, qua di-
Eccl. 11. citur: *Qui obſeruat ventum, non ſeminat: & qui conſide-*
rat nubes nunquam metet. Quid enim per ventum, niſi
malignorum ſpirituum tentatio exprimitur? & quid per
nubes quæ mouentur à vento, niſi aduerſitates prauorum
hominum deſignantur? A ventis videlicet impelluntur
nubes, quia immundorum ſpirituum afflatu praui exci-
tantur homines. Qui ergo obſeruat ventum, non ſemi-
nat: & qui conſiderat nubes, nunquam metet: quia quiſ-
quis tentationes malignorum ſpirituum, quiſquis perſe-
cutiones prauorum hominum metuit, neque nunc grana
operis ſeminat, neque tunc manipulos ſanctæ retributio- E
nis ſecat. Quo contra de conſtantibus ventum ac nubes
non obſeruantibus, ſed imbres & frigus tempore ſationis
ſuſtinentibus, dicitur: *Euntes ibant & flebant, mittentes* Pſal. 125.
ſemina ſua, venientes autem venient in exultatione, por-
tantes manipulos ſuos: De his autem qui æterna quidem
ſupplicia pertimeſcunt, ſed tamen malum operari non de-
ſiſtunt, recte per quendam ſapientem dicitur: *Cum ſit* Sap. 17.
timida nequitia, dat teſtimonium condemnationi. Ac ſi di-
ceretur: Reprobi quilibet dum & pœnam perpeti pro his
quæ operantur, pauent, & tamen pauentes, nequiter ope-
rari non deſiſtunt: ipſi ſuæ conſcientiæ teſtes exiſtunt,
quia quamuis eos timor excruciet, non tamen ab æter-
na condemnatione liberos reddit: Quo contra cum ſit
electorum cogitatio ex conſiderata pœna reproborum ti-
mida, dat teſtimonium ſaluationi: quia quo magis futura
mala paueſcit, eo amplius ad meliora operanda conuale-
ſcit. Percurrit autem conſequenter cæteros diuerſorum
authores vitiorum, & dicit: *Et incredulis & execratis,* F
& homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, Tit. 1.
& omnibus mendacibus: incredulos ſcilicet vocans, ſiue
apertos infideles, ſeu falſos Chriſtianos, qui confitentur
ſe noſſe Deum, factis autem negant; execratos autem,
Iudæos atque hæreticos: homicidas vero, ſiue qui mate-
riali gladio, aut quolibet ingenio viua corpora trucidant,
ſeu qui odio fraterno ſemetipſos necant. Vnde ſcriptum
eſt: *Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt.* Fornicatores 1. Ioan. 3.
quoque ſiue qui per corpus nefandum illud opus exer-
cent, ſeu qui ſpiritaliter à Deo fornicantur: veneficos
etiam, qui poteſtatem (vt Dominus docet) exercent ſu-
per mundi amatores, & ipſi ſæculum amantes. Sed &
idololatras non alios quam cupidos atque auaros vult in-
telligi, qui mundi diuitias pro Deo videntur amare, cum
iam præmiſerit incredulos. Qui enim auaritia ad idolo-
rum pertinet culturam, teſtatur Paulus, dicens: *Et aua-* Col. 3.
ritia quæ eſt idolorum ſeruitus. Nominatis autem per or-
dinem ſingulorum authoribus vitiorum, ad extremum in- G
tulit, & omnibus mendacibus. Vbi cum dicit, omnibus,
aperte innuit, non vnum mendacij genus, ſed diuerſa eſſe
mendaciorum genera, quibus homines ad æterna ſuppli-
cia tendunt. Vt enim reuerendus pater Auguſtinus do-
cuit octo eſſe mendacij genera comprobantur: de quibus
nunc longiſſimum eſt diſputare, non autem pigrum, ſed
nec vlla neceſſitas cogit, maxime cum nouerimus ſum-
mopere cauendum eſſe non quolibet, ſed omne menda-
cium, quamuis nonnunquam ſit aliquod mendacij genus
culpæ leuioris, ſi quiſquam præſtando mentiatur. Scri-
ptum quippe eſt: *Os quod mentitur, occidit animam, &* Sap. 1.
Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Hoc quoque Pſal. 5.
mendacij genus perfecti viri ſummopere fugiunt, vt nec
vita cuiuſlibet per eorum fallaciam defendatur: ne ſuæ
animæ noceant, dum præſtare nituntur carni alienæ:
quanquam hoc ipſum peccati genus facillime credatur
poſſe relaxari, quoniam ſi ſequenti pia operatione ſolet
peccatum purgari, quanto magis illud facile abſtergitur, H
quod mater boni operis pietas ipſa comitatur? Quodque
factum fuiſſe in Rahab meretrice cognoſcimus, quæ nun-
tios Iſraëliticæ plebis pie mentiendo abſcondit: quæque
ad cognitionem vnius Dei pertingere, & in medio po-
puli eius deinceps habitare meruit. Nonnulli vero ex ob- Ioſ. 2.
ſtetricum fallaciis conantur aſſerere, hoc mendacij genus
non eſſe peccatum, maxime quod illis mentientibus ſcri-
ptum eſt, *quia ædificauit eis Dominus domos.* In qua magis Exod. 1.
recompenſatione cognoſcitur, quid mendacij culpa me-
reatur. Nam benignitatis earum merces, quæ eis in æter-
na potuit vita retribui, pro admiſſa culpa mendacij, in
terrenam eſt recompenſationem conuerſa: vt in vita ſua
quam mentiendo tueri voluerunt, ea quæ fecerunt bona,
reciperent: & vlterius quod expectarent, mercedis ſuæ
præmium non haberent. Nam etſi ſubtiliter perpenda-
tur, amore vitæ præſentis mentitæ ſunt, non intentione
mercedis: quia ſi hoc pietatis affectu, & non terrenæ cu-
piditatis lucro feciſſent, conuerſionem earum ad Deum
Iſraël ſicut Rahab meretrici, & non terrenæ recompenſa-
tionis lucrum eis à Domino redditum in præſenti fuiſſe,

ſcriptura

A ſcriptura Sacrá fortaſſe declararet. Quod ſi forte (vt quidam volunt) in bonum eis ipſa recompenſatio conuerſa eſt, aliquod ſcilicet futuræ remunerationis bonum ſignificans: tanquam pro viuificatione paruulorum æterna illis Deus præparauerit habitacula: ſciendum nobis eſt, nequaquam in eis remuneratam eſſe fallaciam, ſed beneuolentiam, benignitatem mentis, non iniquitatem mentientis ipſumque peccatum mendacij deletum fuiſſe pietatis miſericordia, non ad imitandum laudibus proſecutum. Sicut enim mirum abſurdumque non eſt, ſi alio primo tempore commiſſa ab eis opera mala propter poſteriora opera bona, viuificationem ſcilicet paruulorum, Deus vellet ignoſcere: ita mirandum non eſt, quod vno tempore in vna cauſa Deus vtrumque conſpiciens, id eſt, factum miſericordiæ factumque fallaciæ, & bonum remunerauit, & propter hoc bonum illud malum ignouit. Si enim peccata quæ propter carnis concupiſcentiam, & non propter miſericordiam fiunt, propter poſteriora tem-
B pora miſericordiæ dimittuntur: cur non merito dimittantur, quæ propter ipſam miſericordiam committuntur? Grauius eſt enim peccatum quod animo nocentis, quam quod animo ſubuenientis efficitur. Quamobrem ſi illud delentur ſubſequente pietatis opere, cur hoc quod eſt leuius, non deleatur ipſa pietatis miſericordia, & præcedente vt peccet, & comitante cum peccat? Verumtamen aliud eſt dicere, peccare non debui, ſed opera miſericordiæ faciam, quibus deleam quod ante peccaui: atque aliud, peccare debeo, quia non poſſum aliter miſereri. Aliud eſt inquam dicere, quia iam peccauimus, benefaciamus: & aliud eſt dicere; peccemus vt bonum facia-
Rom. 3. mus. Ibi dicimus, *faciamus bona, quia fecimus mala*: hic autem, *faciamus mala vt veniant bona.* Quamobrem ibi exhaurienda eſt ſentina peccati, hic cauenda eſt doctrina peccandi. Hæc de mentientibus Ægypti obſtetricibus duos egregios tractatores Gregorium ſcilicet atque Auguſtinum ſequens, neutrum eorum reprehendens, ſed
C vtraſque collaudans, ſub duplici intellectu, prout potui diuina gratia adiutus, ſtylo proprio ſum proſecutus, arbitrio lectoris relinquens, quem ex his duobus ad ſequendum eligat ſenſum. Vnum ſanè firmiter debemus retinere, nullum mendacij genus inultum manere, quod hic relaxatum non fuerit pœnitentia, vel quolibet opere pietatis.

D. AMBROSII ANSBERTI Presbyteri, in Apocalypſim Ioannis Apoſtoli.

LIBER DECIMVS.

D DECIMVS nobis, qui & extremus, ad exponendum huius operis remanet liber: & quia in eo maxima quæque Sacramenta, quæ ad amorem patriæ cœleſtis ſolent auditorum animos incitare, enodanda ſeſe nobis ingerunt, libet hunc ſtudioſius ac remiſſius tractare. Diſcuſſis enim multo ſudoris labore locis obſcurioribus, veluti quibuſdam opacitatum vmbris ſpinarumque denſitatibus adopertis anguſtiſque itinerum ſemitis pertranſitis, albeſcentes liliis, vernanteſque roſis campos ingredimur. In quibus tanto amplius immorari libet, quanto & manu locutionis decerpta, non marceſcentem vultus decorem, ſed perennem gloriæ oſtendunt candorem: non tranſeuntem ſuauitatis odorem ſed ſine fine manentem demonſtrant fragrantiam electorum. Ibi enim ſponſa & vxor agni cultu regio decorata, ibi ciuitas æterni regis omni lapide pretioſo conſtructa, Angelorum cuſtodia munita, auro puriſſimo vtroque perlucido ſtrata, habens portas ex margaritis: nec huius creationis templo, nec huius viſione luminis indigens: quia templum illius & lux, ipſe eſt cuius habitatio, ipſa ciui- E
tas facta eſt, & à quo per gratiam illuminata eſt: cuius
plateæ flumen aquæ non cuiuſcumque, ſed vitæ redun- Gen. 3.
dat: & ex vtraque parte fluminis habens lignum vitæ, quod dudum veſci prohibitum fuerat, poſt tranſgreſſionem afferens fructus duodecim per menſes duodecim: ibi continua viſio vultus Dei, & cætera quæ nunc enumerare nimis longum eſt, quæ in tantum ſunt pulchra, vt etiam iuxta literam ipſos animos paruulorum ad amorem excitent ſui. Sed quia auide iſta tractare concupiſcimus, longas moras iam in præfatione ipſi nobis facere non debemus. Igitur poſtquam Ioannes ciuitatem ſanctam Ieruſalem, nouam, ac de cœlo deſcendentem, ſicut ſponſam vidiſſe ſe dixit, quibuſdam interpoſitis, qualiter hæc ſibi vel à quo oſtenſa fuerit, aperuit dicens:

Et venit vnus de ſeptem Angelis, habentibus phialas plenas ſeptem plagis nouiſſimis, & locutus eſt mecum: dicens: Veni, & oſtendam tibi ſponſam vxorem agni. F

In ſeptimo huius operis libro dixiſſe me memini, ſeptenario hoc Angelorum numero nihil aliud quam Eccleſiam ſeptiformi ſpiritu repletam, in ſanctis prædicatoribus deſignari: nihilque in eo iuxta literam accipi poſſe, ſed omnia myſticis Sacramentis deſeruire. Septem enim Angeli, ſeptem phialas habent: quia electorum Eccleſia in ſanctis prædicatoribus illuſtratione ſeptiformis ſpiritus afflata, Euangelium regni & annuntiat & poſſidet. Quod videlicet Euangelium pacis, ſeptem plagis nouiſſimis plenum eſſe memoratur: quia in hac nouiſſima ſæculi hora clamans, omnes reprobos, dum non ſanat, vulnerat. Iſte autem Angelus qui Ioanni hæc Sacramenta oſtendit, non ſolum à filio, ſed etiam à Patre & G
ſpiritu Sancto, ſicut circumſtantia eiuſdem reuelationis declarant, miſſus; hoc in loco perſonam incarnati verbi, id eſt, Domini Ieſu Chriſti, tenet. Et idcirco vnus ex ſeptem Angelis, habentibus phialas plenas ſeptem plagis nouiſſimis, eſſe perhibetur: vnus ſcilicet ex ſeptem Angelis, ſubaudis, quia carnem ſuſcepit ex nobis, & in qua excepto peccato, ſimilis factus eſt nobis Apoſtolo atte-
ſtante qui ait: *Eum qui modico quam Angeli minoratus* Hebr. 2.
eſt, videmus IESVM *per paſſionem mortis gloria & honore coronatum, vt gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem. Decebat enim eum, per quem omnia, & propter quem om-*
nia, qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem ſa- Pſal. 21.
lutis eorum, per paſſiones conſummari. Qui enim ſancti- Heb. 2.
ficat, & qui ſanctificantur, ex vno omnes: propter quam cauſam non confunditur fratres eos vocare, dicens: Nuntiabo nomen tuum fratribus meis, in medio Eccleſiæ laudabo te. Hinc poſt paululum dicit: *Quia ergo pueri communicauerunt ſanguini & carni, & ipſe ſimiliter participa-*
uit iiſdem. Quique fidelibus de Iudæis loquens quia H
Chriſtus vnus ex ſeptem Angelis eſſet, antiquorum pa-
trum memoriam faciens, innuit dicens: *Quorum adoptio* Rom. 9.
eſt filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legiſlatio & obſequium & promiſſa, quorum patres ex quibus Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula. Hinc iterum de eodem Angelorum Angelo dicit:
Qui factus eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem, qui præ- Rom. 1.
deſtinatus eſt filius Dei in virtute. Cur enim non vocetur vnus ex ſeptem Angelis, qui ſecundum carnem filius
eſt Eccleſiæ, ſicut ſcriptum eſt: *Mater Sion dicet homo,* Pſal. 86.
& homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam altiſſimus? Cuius autem hoc in loco Ioannes figuram gerit, niſi (vt iam diximus) electorum Eccleſiæ? Ac per hoc cum vnus ex ſeptem Angelis ad Ioannem venit, Chriſtus vtique ad ſeptem Angelos venit: quia hoc eſt Ioannes, quod iidem ſeptem Angeli.

Dicat ergo Ioannes, dicat, imo in Ioanne de Chriſto Eccleſia dicat: *Venit vnus de ſeptem Angelis.* Ac ſi diceret: Quia ad illum reuerti nec noueramus, nec valebamus, pietatis viſceribus tactus, per id quod ſumpſit ex

A nobis, venit ad nos. Sed & quotidie iſte Angelus ad Ioannem venit, quia per Internam aſpirationem Eccleſiam ſuam erudit. Poteſt autem ſicut & ſuperius iam dictum eſt in vno ex ſeptem Angelis, prædicatorum ordo figurari: In Ioanne vero, auditorum multitudo deſignari. Sed ſciendum quia cum prædicatores ſancti ad auditorum mentes loquendo veniunt, Chriſtus vtique per eos venit qui & per eos loquitur. Hac confidentia Paulus di-
2.Cor.13. cit: *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus:* Siue enim per internam aſpirationis gratiam per ſemetipſum ſine ſono vocis humana corda nunc illuſtret, ſiue per ſanctos prædicatores eorum mentes verbo
Ioan.14. fidei tangat, Ipſe venit certe qui dixit: Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit: & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apod eum faciemus. Quia vero author huius reuelationis, hanc ſponſam vel hanc ciuitatem iam in præcedentibus de cœlo deſcendentem vidiſſe ſe dixerat, ſed nec quo deſcendentem, nec
B vbi viderat pleniter dixerat, idcirco & vnum ex ſeptem Angelis ad ſe veniſſe inſinuat, & eadem quæ viderat, recapitulando latius explicat. Sed quærendum cur ſeptem Angelorum phialas plenas ſeptem plagis nouiſſimis nunc introducat, cum eas ſuperius iam effuſas narrauerit. Si enim illas quas ſupra perhibuit effuſas, nunc aſſerit plenas: mirandum valde, quomodo mundo ſiluerit irrogatas niſi forte, imo certe quod aperte datur intelligi, quia hic ſenſum voluit perſtringere, quod ſe latius iam nouerat digeſſiſſe: vt ſcilicet nec malorum omitteret mentionem qui ex Angelorom phialis, id eſt, ex prædicatione Eccleſiæ deficiunt, & intentionem ſuam ad bona mox Eccleſiæ futura dirigeret. Quid autem ſiue per ſemetipſum interius ſine ſono vocis, ſeu per ſanctos prædicatores exterius verborum ſtrepitu Angelus Ioanni, id eſt, Chriſtus Eccleſiæ dicat audiamus. Ait enim: *Veni & oſtendam tibi ſponſam vxorem agni.* Ac ſi diceret: Credulitatis paſſibus ad fidei cognitionem accede & tunc ſpiritu Sancto repleta cognoſces quanta tibi ſit diuino munere dignitas collata, vt
C ſponſa illius & vxor voceris, cuius nec ſerua digna eſſe merebaris. Vnde & ſequitur:

Et ſuſtulit me in ſpiritu in montem magnum & altum & oſtendit mihi ciuitatem ſanctam Ieruſalem deſcendentem de cælo à Deo habentem claritatem Dei.

Liquet omnibus in ſpiritu Ioannem fuiſſe, quando hæc omnia Angelo narrante qui perſonam Domini pro diſpenſatione Sacramenti gerebat vel audire vel videre meruit. Sed ſciendum quia illa quæ narrat, nequaquam ſpecialiter ex ſua, ſed generaliter ex perſona Eccleſiæ profert in ſua: quæ ſpiritu Sancto afflata, quotidie ab Angelo in monte ducitur, vt cœleſtem Ieruſalem de cœlo deſcendentem contempletur. Et quis iſte mons eſt, niſi ille
D de quo ſcriptum eſt, *Erit nouiſſimis diebus præparatus*
Iſai.2. *mons domus Domini in vertice montium?* Domus enim Domini, Iſraëliticus populus fuit. Mons itaque domus Domini, ille appellatus eſt, qui in Iſraëlitico populo incarnari dignatus eſt. Fuerunt autem in eodem populo ſancti qui montes iure vocarentur, quia per vitæ meritum ad cœleſte regnum propinquauerunt. De quibus alibi
Pſal.71. dicitur: *Suſcipiant montes pacem populo tuo, & colles iuſtitiam.* Sed incarnatus vnigenitus his montibus æqualis non fuit, quia naturam & vitam meritorum omnium ex ſua diuinitate tranſcendit. Vnde & recte mons ſuper verticem montium dicitur quia excelſus ex diuinitate ſua inuentus eſt etiam ſuper cacumina ſanctorum, vt hi qui in Deum multo profecerant, eius veſtigia vix potuiſſent tangere ex vertice cogitationis. Vnde & vnus horum
Marc.1. Iſa.2. montium dicit: *Veniet fortior me, poſt me, cuius non ſum dignus corrigiam calceamenti ſoluere.* Qui ergo per Prophetam mons ſuper verticem montium, ipſe per Ioannem mons magnus & altus vocatur, ſuper quem ædificanda Eccleſia in eodem Ioanne ab Angelo, id eſt, ab incarnato Dei filio, dicitur. Ipſe enim Angelus, ipſe & mons iure vocatur. Quamobrem cum Angelus Ioannem in montem magnum & altum ducit Chriſtus Eccleſiam ſuper ſemetipſum conſtruendam adducit. E

Recte enim Dominus per Angelum ſignatur & montem quia & ipſe nouus nuntius Eccleſiæ apparens, ad cœleſtem patriam electos inuitat: & ipſe eandem electorum Eccleſiam portat, & portando ad cœleſtia ſubleuat quique in ſancto Euangelio loquitur dicens: Qui intrat per oſtium, paſtor eſt ouium. Et paulo poſt. *Ego ſum* Ioan.10.
oſtium. Atque iterum. *Ego ſum paſtor bonus.* Si igitur ipſe paſtor, ipſe oſtium & intrat paſtor per oſtium: cur non hoc in loco & ipſe mons & ipſe Angelus intelligatur qui Ioannem, Id eſt, Eccleſiam adducit in montem? Sed iam quod ædificium ciuitatis ſuper hunc montem oſtendatur, videamus. Ait enim: *Oſtendit mihi ciuitatem ſanctam Ie-* Matth.5.
ruſalem deſcendentem de cælo à Deo, habentem claritatem Dei. Ipſa illa eſt, de qua in Euangelio Dominus dicit: *Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita*, Eccleſia videlicet electorum ſuper Chriſtum ſtabilita. Ipſa inquam F
eſt, quæ in Ioanne ſupra montem adducta eſt. De qua etiam per Pſalmiſtam dicitur: *Ieruſalem quæ ædificatur vt* Pſal.121.
ciuitas. Quia enim illa internæ pacis viſio ex ſanctorum ciuium congregatione conſtruitur, Ieruſalem cœleſtis vt ciuitas ædificatur. Quæ ſcilicet in hac peregrinationis terra dum flagellis percutitur, dum tribulationibus tunditur, eius lapides quotidie quadrantur: & ipſa ciuitas, ſcilicet ſancta Eccleſia, quæ regnatura eſt in cœlo adhuc laborat in terra: & quamquam depoſita carnis corruptione illic quotidie ædificanda ducatur vbi fundamentum eius eſt id eſt in cœlo, habet tamen hic in ſanctorum moribus magnum iam ædificium ſuum. Nam & quædam ſic de illa narrantur, vt ad præſens tempus & ad futurum ſimul pertineant: quatenus quod hic ædificatur in ſanctis moribus, illic appareat in præmio remunerationis. Cuius ciues in hac adhuc vita degentes, ſanctis operibus ſuper Chriſtum ædificari conſpiciens, affatur Petrus Apo-
ſtolus: *Et vos tanquam lapides viui ſuperædificamini in* G
domos ſpiritales. Quibus etiam Paulus dicit: *Dei agricul-* 1.Pet.2.
tura eſtis, Dei ædificatio eſtis. Sciendum vero quia ſicut 1.Cor.3.
in ædificio materiali lapis lapidem portat, quia lapis ſuper lapidem ponitur: & qui portat alterum, portatur ab altero ſic in ſancta Eccleſia vnuſquiſque & portat alterum, & portatur ab altero. Nam viciſſim ſe proximi tolerant, vt per eos ædificium charitatis ſurgat. Hinc enim
Paulus admonet, dicens: *Inuicem onera veſtra portate,* Gal.6.
& ſic adimplebitis legem Chriſti. Cuius legis virtutem de- Rom.13.
nuntians, ait: *Plenitudo legis charitas.* Soli autem lapides, qui in ſummitate atque extremitate fabricæ ponuntur, ipſi quidem portantur ab aliis, ſed alios nequaquam portant: quia hi qui In fine Eccleſiæ id eſt in extremitate mundi naſcituri ſunt, tolerantur quidem à maioribus, vt eorum mores ad bona merita componantur; ſed cum non eos ſequuntur qui per illos proficiant, nullos ſuper ſe fidelis fabricæ lapides por-
tant. Nunc itaque alij portantur à nobis, nos vero portari ſumus ab aliis: omne autem pondus fabricæ fundamentum portat, quia mores ſimul omnium redemptor H
noſter tolerat de quo per Paulum dicitur: *Fundamentum* 1.Cor.3.
aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Portat fundamentum lapides, & à lapidibus non portatur, quia redemptor noſter mala noſtra tolerat, ſed in ipſo malum non fuit quod tolerari debuiſ-
ſet. Quique per Prophetæ vocem de peruerſe adhuc vi- Iſa.1.
uentibus dicit: *Laboraui ſuſtinens.* Non autem ſuſtinendo Dominus laborat, cuius diuinitatis omnipotentiam nulla fatigatio contingit, ſed verbis humanis loquens ipſam ſuam circa nos patientiam, laborem vocat. Et notandum quod iſta ciuitas prius in Ioanne ſuper montem ducitur, & ſic de cœlo deſcendere videtur quia videlicet electorum Eccleſia prius verticem fidei conſcendit, & ſic cœleſti gratia per lauacrum regenerationis innouata, piis operibus ſuper ipſum montem in ædificium ſpiritale conſurgit. Quæ videlicet non ſuam, ſed claritatem Dei habere dicitur *quia omne datum optimum, & omne donum*

A *perfectum, deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum.*
Iacob.1. Nam etſi Apoſtolis dicit, *Vos eſtis lux mundi*, tamen
Matth.5. per hoc dictum, quia *lumen non illuminans debeat intel-*
Ioan.8. *ligi*, ſed illuminatum, ipſe alibi ait: *Ego ſum lux mundi.*
Ioann.9. *Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lu-*
Ioan.1. *men vitæ.* Et iterum. *Quandiu ſum in mundo, lux ſum*
mundi. Vnde & Ioannes Euangeliſta ab illuminata luce
volens illuminantem diſcernere lucem, ait de Ioanne Ba-
ptiſta: *Non erat ille lux, ſed vt teſtimonium perhiberet de*
lumine, vt omnes crederent per illum. Erat lux vera, quæ
illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.
Hinc ipſa lux illuminans, de illuminato lumine, id eſt, de
Ioan.5. eodem Ioanne Baptiſta dicit: *Ille erat lucerna ardens &*
lucens: ſubaudis, lucens in nocte, non in die: in tenebris ra-
dians, non in ſole. Sequitur:

Lumen eius ſimile lapidi pretioſo tanquam lapidis jaſpidis ſicut cryſtallum.

B

In quibus verbis valde quærendum eſt, cum lapis jaſ-
pis viridi ſit ſpecie, quomodo poſſit comparari cryſtallo,
qui ex aqua mundiſſima reducet: aut cum ſint alij lapi-
des pretioſiores quam jaſpis, cur lumen Dei quod eſt præ-
cipuum bonum ciuitatis Ieruſalem huic lapidi compare-
tur. Neque enim à magno iſta vacant myſterio, quæ iuxta
literam ita ſibi ſuis diuerſitatibus contradicunt. Sed ſcien-
dum nobis eſt, quia tanto in ſpiritali intellectu iſtæ ſimi-
litudines concordari videntur, quanto & in ſuperficie li-
teræ ipſis ſuis qualitatibus diſcrepari: tantoque pretio-
ſiores eſſe in ſignificatione, quanto ſunt viliores in deſcri-
ptione. Ipſa enim internæ contemplationis lux quia vi-
ſione ſua dum electos illuſtrat, æternæ viriditatis pabulo
nutrit, recte per jaſpidem viridi ſpecie lapidem deſigna-
tur. De hac viriditate perennis lucis Dominus in Euan-
Ioan.10. gelio dicit: *Per me ſi quis introierit, ſaluabitur, & ingre-*
C *dietur & egredietur, & paſcua inueniet*, ingredietur ſcili-
cet ad fidem, egredietur vero ad ſpeciem, paſcua autem
inueniet in æterna contemplatione. In his virentibus lo-
cis Eccleſiam per mentis deſiderium habitare conſpexe-
rat eius ſponſus qui in Canticis Canticorum loquebatur,
Cant.8. dicens: *Quæ habitas in hortis, amici auſcultant, fac me*
audire vocem tuam. In hortis enim ſancta Eccleſia, in
hortis vnaquæque anima habitat, quæ iam viriditate ſpei
eſt repleta. Quia ergo in hortis habitat, oportet vt ſpon-
ſum ſuum vocem ſuam audire faciat, id eſt, canticum
bonæ prædicationis emittat, in qua ille delectetur quem
deſiderat. Quia amici auſcultant, videlicet omnes electi,
qui vt ad cœleſtem patriam reuiuiſcant, verba vitæ audi-
re deſiderant. Iſta enim viriditatis paſcua indeſinenter
perfecti viri mentis deſiderio conſpiciunt, & quo tem-
poralia cuncta quaſi arentia deſpiciunt, eo interno viri-
ditatis pabulo ſaginantur. Vnde & de vnoquoque ſan-
Iob.39. ctorum ſub figura onagri bene dicitur: *Circumſpicit mon-*
Ibid. *tes paſcua ſua.* Montes etenim paſcuæ ſunt, altæ con-
templationes internæ refectionis. De quo poſt paululum
D ſubditur: Virentia quæque perquirit. Arentia quippe ſunt
omnia, quæ temporaliter condita, venturo fine à iucun-
ditate vitæ præſentis quaſi æſtiuo ſole ſiccantur. Virentia
autem vocata ſunt, quæ nulla temporalitate marceſcunt.
Huic ergo onagro virentia perquirere, eſt, ſancto vnicui-
que viro deſpectis rebus tranſitoriis, in æternum manſu-
ra deſiderare. Hinc per Iſaiam Prophetam ſanctæ Eccle-
Iſa.54. ſiæ Dominus repromiſit, dicens: *Ponam jaſpidem propu-*
gnacula tua. Omnipotens enim Deus ſanctæ Eccleſiæ
propugnacula jaſpidem qui lapis (vt ſupra iam diximus)
ex virenti ſpecie conſtat, poſuit, quia prædicatorum illius
mentes internæ viriditatis amore ſolidauit, vt tranſitoria
mundi cuncta deſpiciant, nihil in mundo quod fine clau-
ditur appetant, cuncta eius gaudia velut arentia contem-
nant. Sicca quippe ſpes eſt huius ſæculi, quia omnia quæ
hic amantur, cum feſtinatione marceſcunt. Quo contra
primus paſtor Eccleſiæ, auditores ſuos ad paſcua æternæ
1.Pet.1. viriditatis vocans, de Deo loquitur, dicens: *Secundum*
magnam miſericordiam ſuam regenerauit nos in ſpem vi-
uam, per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis in hæredi- B
tatem incorruptibilem & incontaminatam & immarceſci-
bilem, conſeruatam in cælis.
Quia ergo viſio internæ pacis electos dum illuſtrat,
æternæ viriditatis paſtu reficit, recte lumen Dei quo ſan-
cta illuminatur ciuitas, lapidi jaſpidi, qui ex virenti eſt ſpe-
cie, comparatur: quia vero præmium beatorum in ipſa
viſione conſpicitur, bene ipſa lux cryſtallo aſſimilatur.
Cryſtallum enim ex aqua fieri probatur. Et quaſi aqua
cryſtallum effecta, in Dei viſione cernitur, dum præ-
mium ex aqua & ſpiritu renatorum ipſa contemplatio ef-
ficitur: quia quæque fidei ac bonorum operum remunera-
tio eſſe poteſt, electi in ipſa Dei viſione conſpiciunt: imo
ipſa eius viſio fidei ac bonorum operum merces efficitur.
Vnde ſcriptum eſt: *Erit Deus omnia in omnibus.* Se- 1.Cor.15.
quitur:

Et habebat murum magnum & altum, habens portas duodecim, & in portis angulos duodecim & nomina ſcripta, quæ ſunt nomina duodecim tribuum filiorum Iſraël.

F

Quantum ad ſpeciem pertinere videtur, murus Eccle-
ſiæ ſingulariter Dominus eſt Ieſus Chriſtus, Iſaia atteſtan-
te qui ait: *In die illa cantabitur canticum iſtud in terra Iu-* Iſa.26.
da, Vrbs fortitudinis noſtræ Sion, Saluator ponetur in ea
murus & antemurale: quem & magnum legimus, & ex-
celſum. Nam de eo ſcriptum eſt: *Dominus in Sion ma-*
gnus, & excelſus ſuper omnes populos. Quantum vero ad
genus, ipſa Eccleſia intelligitur in muro: quia cum de
Domino dictum ſit, *Fundamentum aliud nemo poteſt po-* 1.Cor.3.
nere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus:
conſtat nimirum, quia ſuper ipſum idem murus ciuitatis
conſtruitur. Quodque in ſubſequentibus duodecim ſuo
damenta habere perhibetur, quæ non omnia portantem G
quod abſit credere, ſed Eccleſiam cum vno, imo in vno
fundamento portare videtur, Paulo atteſtante qui fideli-
bus loquitur, dicens: *Iam non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed* Eph.2.
eſtis ciues ſanctorum & domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper
fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo
angulari lapide Chriſto Ieſu, in quo omnis ædificatio con-
ſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino in quo &
vos coædificamini in habitaculum Dei in ſpiritu Sancto:
quamquam & hi qui ædificium ciuitatis cum Domino
portant ipſum Dominum portare videantur in membris
eius. Sed & ſi ſubtiliter conſideramus, ſicut in vno
fundamento, videlicet Chriſto, duodecim fundamenta,
id eſt duodecim Apoſtolos, ſic in duodecim fundamen-
tis omnes ſanctos Eccleſiæ rectores coniungi videmus:
quia Apoſtolus hoc quod præmiſimus, fidelibus dicat,
iam non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorum
& domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apo-
ſtolorum & Prophetarum: quantum ad literam, non iam
duodecim, ſed plura reperiuntur fundamenta.
Siue ergo Chriſtus, ſiue Eccleſia murus, ſiue Chriſtus H
fundamentum, ſiue Apoſtoli atque doctores fundamenta,
omnia vnum, omnia per vnum omnia conſtant in vno: &
hoc totum vnus murus eſt, quia Chriſtus & Eccleſia, ca-
put & membra, non duo, ſed vnum ſunt corpus. Sed iam
quæ ſint portæ muri ciuitatis, videamus. Ipſi enim deſig-
nantur per portas, qui & per fundamenta, ſancti ſcilicet
Eccleſiæ prædicatores atque paſtores: quia & ipſi eandem
Eccleſiam regendo quaſi ſuperimpoſitum ſibi ædificium
portant & portando aditum regni cœleſtis eidem ape-
riunt. Quiſquis enim nobis ianuam regni cœleſtis ore
ſuo aperit porta eſt. Quid autem per angulos duodecim,
qui ſunt in portis duodecim, niſi minoris ordinis ſacer-
dotes atque paſtorum auditores, ſiue in veteri, ſeu in no-
uo teſtamento deſignantur? Qui etſi magna non valent,
tamen minora quæ acceperunt, fideli populo annuntiare
non deſiſtunt. *Labia enim ſacerdotis cuſtodiunt ſcien-* Malac.2.
tiam, & legem exquirunt de ore eius, quia Angelus Dei
exercituum eſt. Et notandum quod in portis nomina duo-

A decim tribuum Iſraël ſcripta referuntur: quod nequaquam ſolummodo de illo hebraico populo dictum fuiſſe credendum eſt, ſed de omni Eccleſia, quæ & Iſraël, id eſt videns Deum, rectè vocatur: & in duodenario ſacrato numero, pro eo quod in quatuor mundi partibus Trinitatem quæ Deus eſt, annunciat, digne figuratur. Siue enim tres per quatuor, ſiue quatuor per tria ducamus, ſed duodenarium numerum peruenimus. Abſit autem vt ſolus ille Hebraicus populus, ſicut quibuſdam placet, has portas in quibus duodecim nomina tribuum filiorum Iſraël ſcripta narrantur, & non potius omnis Eccleſia ſiue ex Iudaico ſiue ex gentili populo habuiſſe & habere credatur, cui iuxta ſuperiorem de fundamentis intellectum Chriſtus
Ioan. 10. porta ſingularis eſt, qui dixit: *Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit ſaluabitur.* Si enim non alius niſi qui per hanc portam introierit, ſaluabitur: & hæc ciuitas duodecim portas habere perhibetur conſtat nimirum quia duo
B decim portæ in vna porta inueniuntur. Vnde & Pſalmi-
Pſal. 117. ſta dicit: *Aperite mihi portas iuſtitiæ, & ingreſſus in eas, confitebor Domino, hæc porta Domini, iuſti intrabunt per eam,* tanquam Eccleſia ex gentibus veniens ſanctis prædicatoribus diceret: Aditum mihi fidei pandite, vt veſtræ religionis lumini inhærens in vnius Dei confeſſionis laude perſeuerem. Et ne forte hoc tantæ gratiæ bonum illis tribuere vellet, per quos ad hanc fidem intrauit, Pſalmiſta ilico ſubiecit & ait. *Hæc porta Domini, iuſti intrabunt per eam.* Conſequens enim iuxta literam ratio fuerat, vt cum dixiſſet, *Aperite mihi portas iuſtitiæ, & ingreſſus in eas, confitebor Domino:* ſubderet, *Iſta porta Domini, iuſti intrabunt per eas.* Sed cum prius plurali numero portas ſibi aperiri poſtulat, ac deinde portas ingreſſus, ſingulari numero vnam apertam ſe vidiſſe teſtatur, per quam iuſtos in ciuitatem intrare conſpexit: patet proculdubio, quia quiſquis per illas ingreditur per vnam quæ principalis ac ſingularis eſt omnium, imo quæ in omnibus vna eſt ac ſingularis, ingreditur. Videamus autem qualiter in portis
C nomina duodecim tribuum filiorum Iſraël ſcribantur, Ait enim vna ex magnis, & ipſa magna Eccleſiæ porta, in-
2. Cor. 3. trantibus per portas: *Epiſtola noſtra vos eſtis, ſcripta in cordibus noſtris, quæ ſcitur & legitur ab omnibus hominibus manifeſte: quoniam epiſtola eſtis Chriſti, miniſtrata a nobis & ſcripta non atramento, ſed ſpiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus.* Quid ſi quiſquam in duodecim portis Patriarchas ac Prophetas ſolummodo vult intelligi, in duodecim vero angulis illos ſacerdotes ac ſeniores, quorum diſpenſatione ac ducatu illa gens mirabiliter gerebatur, omnino quia contrarium eſt, renitimur. Si autem ita in eiſdem portis Patriarchas atque Prophetas, in angulis vero ſimiliter ita ſeniores illos ac ſacerdotes populi illius intelligat, vt conſequenter Apoſtolos omnes Eccleſiæque doctores eiſdem coniungat: & nos conſentimus, quia nec aliter debemus. Nunquid enim quia Patriarchæ & Prophetæ venturum Chriſtum in eadem gente prædicauerunt, ideo ipſi ſoli portæ huius ciuitatis extiterunt, & non potius cum eis Apoſtoli
D atque omnes doctores, qui vniuerſis gentibus ad fidem introitum præbuerunt? Sed ſicut Apoſtoli atque omnes ſancti doctores pariter cum Patriarchis atque Prophetis in duodecim portis inueniuntur, ſic nimirum Patriarchæ atque Prophetæ in duodecim Apoſtolorum omniumque ſanctorum prædicatorum fundamentis reperiuntur. Sequitur:

Ab oriente portæ tres, & ab aquilone portæ tres, & ab auſtro portæ tres, & ab occaſu portæ tres.

Illum hoc loco duodenarium complectitur numerum, qui in Apoſtolis ſimul ac ſedibus pro vniuerſitatis plenitudine nobis inſinuatur ſæpe ſacratus: quique veteris ac noui teſtamenti populum certiſſime deſignare videtur,
Matt. 19. Domino atteſtante qui ad Apoſtolos ait: *Cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Iſraël.* Conſtat enim Apoſtolos non ſolas duodecim tribus Iſraël E
iudicaturos, ſed ex circumciſione ſimul & præputio adunatos populos. Qui videlicet duodenarius numerus propter quatuor qualitates hominum, quibus notitia Trinitatis à ſanctis prædicatoribus aperitur, in quatuor plagis cœli diuiditur. Habet enim electorum ciuitas ab Oriente portas tres, ſiue ſcilicet in Patriarchis ac Prophetis, qui gloriam Trinitatis Hebraico populo nunc aperte, nunc per ænigmata prædicauerunt: ſeu in Apoſtolis, qui ad eandem Trinitatis confeſſionem primitias Iudæorum perduxerunt. Iure enim ille populus oriens vocatus eſt, de cuius carne ille natus eſt, qui ſol iuſtitiæ à Propheta vocatus eſt, de quo etiam prophetica voce ruſum dicitur: *Vobis qui timetis Dominum, orietur ſol iuſtitiæ.* Habet au- Malac. 4.
tem ad aquilonem portas tres: quia ſanctæ Eccleſiæ prædicatores non ſolum Iudaïcum populum, verumetiam gentilem ad cognitionem ſanctæ Trinitatis perduxerunt. Solet enim per aquilonem gentilitas figurari, quæ diu in perfidiæ ſuæ frigore torpuit: & in cuius corde ille reg- F
nauit, qui atteſtante Propheta, apud ſemetipſum dixit: *Ponam ſedem ad aquilonem.* Habet quoque ab auſtro Iſai. 14.
portas tres: quia eandem Trinitatis fidem quam primi Eccleſiæ prædicatores, ſiue Iudæis ſeu incredulis gentibus prædicauerunt, nunc quoque per totum tempus Eccleſiæ, quo iam ſol meridianas horas conſcendit, id eſt, fides ad celſitudinis culmen peruenit, ex eiſdem prædicatoribus, alij per doctrinam ſanctæ exhortationis generati, etiam fidelibus charitatis amore flammatis prædicare non deſiſtunt. Vnde & in hac Apocalypſi de ſanctis animalibus, videlicet electis prædicatoribus: *Requiem non* Apoc. 4.
habent, die ac nocte dicentia: Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus omnipotens. Requiem ſcilicet non habent, ſubaudis clamare non ceſſant. Quod nos quoque & ſi impares tantæ diſpenſationis officio, prout valemus, facere curamus, cum in vno Deo, in vna diuinitatis ſubſtantia tres eſſe perſonas prædicamus: & nec ipſum eſſe Patrem qui eſt Filius aut ſpiritus Sanctus, nec ipſum eſſe Filium qui G
eſt Pater aut ſpiritus Sanctus, nec ipſum eſſe ſpiritum Sanctum qui eſt Pater aut Filius: cum tamen non aliud Patrem, aliud Filium, atque aliud ſpiritum Sanctum aſſeramus. Sicut enim hanc Trinitatem in perſonis diſcernimus, ita vnitatem in natura deitatis coniungimus: quia nec Patrem à Filio & ſpiritu Sancto, nec Filium à Patre & ſpiritu Sancto, nec ſpiritum Sanctum a Patre & Filio ſeparari poſſe prædicamus. Nam quia alius ſit Pater, alius Matth. 3.
Filius, alius ſpiritus Sanctus, ſcripturæ nos authoritas docet: neque enim Pater aut ſpiritus Sanctus carnem ſuſcepit pro nobis, ſed ſolus Filius: nec ſpiritus Sancti vox ſuper ipſum mediatorem noſtrum ad fluenta Iordanis ſonuit, ſed ſolius Patris: nec Pater in columbæ ſpecie ſuper eum deſcendit, ſed ſpiritus Sanctus. Cum enim hinc ad ripam Iordanis incarnatum Dei verbum ſtaret, hinc de nube paterna vox ſonaret, hinc ſpiritus Sanctus ſuper eum in ſpecie columbæ deſcenderet, ſi tamen hic in tali locu-
tione oportet dicere: patet ratio, non vnam perſonam, ſed H
tres Deum eſſe, & tamen in his tribus vnum Deum eſſe: quia Dominus Deus tuus, vt ſcriptum eſt in lege & Euan- Deut. 6.
gelio. Deus vnus eſt. De quibus nulla nos neceſſitas cogit Marc. 12.
in ſcribendo laborare, quæ iam totus mundus & credit & prædicat: quæque ita ſubtiliter, ita inſigniter à præceſſoribus noſtris tractata atque diſcreta ſunt vt ſi de his aliquid conſcribere conemur magis faſtidium lectori quam amorem generemus. De quibus tamen nunc tacere omnimodis non audemus, nec debemus, maxime cum in hac Trinitatis confeſſione baptizemur, in hac vnitatis fide ſaluemur. Vnuſquiſque enim de hac dicit prout valet, cuius memoria iam de mundo perire non poteſt, quæ quia vſque ad finem ſæculi ab ore fidelium & corde non receſſit, rectè Ieruſalem ciuitas electorum ſcilicet Eccleſia, ab occaſu portas tres habere memoratur, ſanctos videlicet prædicatores, qui dum Iudaïcam perfidiam atque errorem gentilium nouiſſima prædicatione ad Trinitatis notitiam reducunt quaſi tres portæ eis fiunt quibus ad vitam æternam introëant. Sequitur:

A

Et murus ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim nomina duodecim Apoſtolorum & agni.

Hoc loco murus ciuitatis non ſpecialiter Dominus,ſed generaliter totum corpus quod eſt Eccleſia, accipitur. Quæ ſuper duodecim fundamenta id eſt ſuper Apoſtolorum, Prophetarum,reliquorumque doctorum ſoliditatem conſiſtit, cum (ſicut diximus) vnum ſit ſingulare eius
1.Cor.3.
fundamentum, id eſt Chriſtus, ſicut ſcriptum eſt: *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt Chriſtus Ieſus*: De quibus quamuis ſuperius aliquid prælibati ſumus, libet tamen adhuc ſubtilius inquirere, quomodo poſſit hæc ciuitas duodecim habere fundamenta, cum fundamentum aliud nemo poſſit ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Et
Ephe.2.
B
certe idem Paulus qui hæc dixit, alibi fidelibus ait: *Iam non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorum & domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum.* Si enim fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus: quomodo tu beate Paule Eccleſiam Dei ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum aſſeris ædificatam, niſi quia in vno fundamento duodecim reperiuntur fundamenta, vt videlicet ſicut eſt Chriſtus rex regum & Dominus dominantium, paſtorque paſtorum, ſic vocetur fundamentum fundamentorum? Vnde & idem Paulus cum Apoſtolos & Prophetas fundamenta
Ibid.
vocaſſet, ſtatim cui inhærerent ſubiecit, & ait: *Ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu, in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino.* Sic etiam Apoſtoli in Chriſto lux eſſe meruerunt, ipſo eis dicente: *Vos eſtis lux mundi*, cum tamen ſecundum Euangelicam doctrinam, ſolus Chriſtus ſit lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.
C
Chriſtus itaque lumen illuminans, illi autem lumen illuminatum. Iacobus denique Apoſtolus de Domino dicit:
Matth.5.
Ioan.1.
Iacob.1.
1.Cor.4.
Voluntarie genuit nos verbo veritatis, vt ſimus initium aliquod creaturæ eius. Securus tamen Apoſtulus plebem Dei alloquitur, dicens: *In Chriſto Ieſu per Euangelium ego vos genui.* Generat itaque Deus per adoptionem gratiæ, generat Paulus in Chriſto vel Sacramenti adminiſtratione vel prædicatione doctrinæ. Memor tamen di-
Matt 23.
uinæ admonitionis qua dicitur, *Et Patrem nolite vocare vobis ſuper terram, vnus eſt enim Pater veſter qui in cælis eſt*: eos quos in Chriſto Ieſu generauerat, alibi alloqui-
1.Cor.1.
1.Cor.3.
tur, dicens: *Nunquid Paulus pro vobis crucifixus eſt, aut in nomine Pauli baptizati eſtis?* Et rurſum: *Quid*, inquit, *eſt Paulus: Quid vero Apollo?* Miniſtri eius cui credidiſtis, quatenus per hoc dictum omnem fidei intentionem atque ſpem ab hominibus ſuſpendens, in Deum ſalubri doctrina defigeret. Huic etiam ſenſui Pſalmus concinit,
Pſal.120.
dicens: *Leuaui oculos meos ad montes, vnde veniet auxilium mihi*, montes ſcilicet Apoſtolos vocans atque Pro-
D
phetas, quos ſol iuſtitiæ Chriſtus principaliter irradiauit. Et ne in montibus fiducia collocanda putaretur, protinus
Ibid.
intulit, dicens: *Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram.* Sic, ſic nimirum, ſic etiam hoc loco, vt ſupra meminimus, duodecim fundamenta ſanctos doctores, in vno tamen fundamento Chriſto Ieſu, vocatos debemus agnoſcere, vt ſint illi fundamenta, ipſe autem fundamentum fundamentorum. Ad hoc enim pertinet quod etiam nominatis fundamentis, agni nomen non ſiluit, ſed ait: Et in ipſis duodecim nomina duodecim Apoſtolorum & agni. Notandum vero quod in fundamentis Apoſtolorum nomina eſſe dicuntur, quia videlicet quiſquis à tempore Apoſtolicæ prædicationis doctrina ac vitæ merito animarum regimen ſuſcipit, locum Apoſtolorum tenet. Quorum enim doctrinam & actus imitatur, cum ipſis imo in ipſis fundamentum Eccleſiæ eſſe videtur. Sicut enim in duodenario ſedium numero, cum Apoſtolis in cunctis ſuis prædicatoribus ſancta Eccleſia ad iudicandum ſedet, ſic in duodecim fundamentis, videlicet

E

eiſdem ſanctis Apoſtolis, ſequentis ordinis ſanctos prædicatores fundamenta habet. Vel certe idcirco in duodecim fundamentis duodecim Apoſtolorum nomina eſſe perhibentur, vt quæ ſint eadem fundamenta, ipſa nominum inſcriptione ſimpliciter oſtendatur. Sed ecce cum de Eccleſiæ fundamentis loquimur, quæſtio animum pulſat, quid ſibi velit quod Pſalmiſta de eiuſdem Eccleſiæ fundamentis dicit, *Fundamenta eius in montibus ſanctis.* Nunquid Pſal.86.
enim non fuerunt montes iidem Apoſtoli ſuſcipientes pa- Pſal.71.
cem populo Dei, qui portandum ſuſceperunt ædificium Eccleſiæ Dei? Sed hæc quæſtio citius ſoluitur, ſi (ſicut ſupra meminimus) non ſolum Apoſtoli, verumetiam Prophetæ intelligantur in montibus ſanctis: ſuper quos noui teſtamenti doctores fundamenta Eccleſiæ ponuntur, quia eorum doctrina ad portandum Eccleſiæ ædificium muniuntur, tanquam ſcilicet fundamenta ſuper fundamenta, quia & ipſi montes fundamenta eſſe noſcuntur. Vel certe in montibus ſanctis hæc fundamenta ponuntur, quia in excelſis terræ viuentium locis, id eſt, in cœleſtibus, vbi & fundamentum fundamentorum ſecundum carnem con- F
ſcendit, vbi & ipſius beatæ ciuitatis lapides ſuper fundamentum ponendi quadrati perueniunt, in ipſo ſpiritali ædificio prædicatores ſancti tanquam firmiores ac pretioſiores lapides coaptantur: non quo iam in portando aliquod laboris pondus ſuſtineant, ſed quo in illa beata remuneratione ipſum eis pondus laboris præmium exiſtat felicitatis. Sequitur:

Et qui loquebatur mecum, habebat menſuram arundineam auream, vt metiretur ciuitatem & portas eius & murum eius.

Superius dicit ſibi Ioannes arundinem datam, nunc vero Angelum qui ei loquebatur, auream habere dicit arundinem. Et Ioanni quidem dictum eſt, *Surge & metire tem-* Apoc.11.
plum Dei altare & adorantes in eo: de Angelo vero idem Ioannes dicit, *habebat menſuram arundineam auream, vt metiretur ciuitatem & portas eius & murum eius.* Quid G
igitur eſt, quod & Ioannes & Angelus ſpiritalis ciuitatis ædificium menſura arundinea metiuntur? Et quis hoc loco per Angelum ciuitatem metientem intelligitur, niſi ille qui omnia ſicut ſcriptum eſt, in numero & menſura & pondere diſpoſuit, Dominus videlicet Ieſus Chriſtus? *Ipſe* Sap.11.
eſt enim ſapientia Dei, attingens à fine vſque ad finem for- Sap.8.
titer, & diſponens omnia ſuauiter. Et rencra illi ſoli principaliter metiri ciuitatem conuenit, qui hanc ædificauit. Cur ergo & Ioannes ædificium eiuſdem ciuitatis metitur, niſi quia per Ioannem atque in Ioanne idem Angelus metitur? Cuius autem figuram illo in loco geſſit Ioannes, niſi ſanctorum prędicatorum? An nō in Ioanne Angelus ædificiū metitur ciuitatis, cum idem ad Angelos, id eſt, Dominus
ad ſanctos prædicatores, loquebatur dicens: *Sine me nihil* Ioan.15.
poteſtis facere? Hinc Paulus nihil ſibi de prædicationis Sa- 2.Cor.13.
cramento tribuens, ait: *An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Chriſtus?* Quid autem per menſuram arundineam auream intelligimus, niſi diuini verbi prædicatio- H
nem? Quia enim arūdine ſcribitur, recte ab efficiente illud quod efficitur, id eſt, ſacrū eloquium, deſignatur. Niſi enim per arundinem ſancta prædicatio figuraretur, nequaquam Dominus per Pſalmiſtā diceret: *Lingua mea calamus ſcribæ* Pſal.44.
velociter ſcribentis. Bene autem arundo aurea eſſe deſcribitur, quia dum quoſdam metiens tangit, ſapientiæ verbo
adimplet. Vnde ſcriptum eſt: *Accipite ſapientiam ſicut au-* Prou.16.
rum. Quid igitur eſt, Angelum de arundine ciuitatem metiri, niſi redemptorem noſtrum gratiam Euāgelicæ prædicationis electos ſuos virtutibus perficere? Dū enim ea percepta nouæ vitæ prædicatione ad hoc Eccleſia proficit, vt in alio ſermonem ſapientiæ, in alio ſermonem ſcientiæ, in alio plenam fidem, in alio gratiam ſanitatum, in alio operationem virtutum, in alio prophetiam, in alio diſcretionem ſpirituum, in alio genera linguarum, in alio interpretationem ſermonum accipiat: hoc eſt nimirum quod diximus, quia Angelus de menſura arundinea ciuitatem metitur. Sed cum ſit Dominus murus huius ciuitatis, Iſaia atteſtante qui ait: *Vrbs fortitudinis noſtra Sion, Saluator* Iſa.26.

A *ponetur in ea murus:* quid ſibi vult, quod Angelus qui eſt
vtique Dominus cœleſtis ædificij, murum metiri deſcri-
bitur, niſi quia ſic in vna horum qualibet ſpecie Chriſtus
oſtenditur, vt conſequenter etiam prædicatorum perſona
in ea demonſtretur? Nam hoc loco Angelus perſonam
Chriſti gerit, portæ vero ciuitatis & murus eius, ſancto-
rum prædicatorum officia deſignant: qui & Eccleſiæ re-
gni cœleſtis aditum aperiunt, & contra mundi aduerſita-
tes murus eidem exiſtunt, ſed hoc cum Chriſto & in
Chriſto. Ipſi enim duodecim portæ in vna porta, ipſi duo-
decim fundamenta in vno fundamento, ipſi murus in mu-
ro, ac per hoc conſequenter ipſi Angeli in Angelo. Cum
ergo hæc ita ſe habeant, quando Angelus ciuitatem &
portas eius & murum eius metitur, ſeipſum vtique meti-
tur, ſiue ſcilicet caput in membris, ſiue membra per vnum
caput ſeipſa. Niſi enim ſancti prædicatores hac menſura
ſeipſos metirentur, nequaquam Paulus fidelibus diceret.
2.Cor.10. *Non audemus inſerere aut comparare nos quibuſdam qui
ſeipſos commendant, ſed ipſi in nobis noſipſos metientes, &*
B *comparantes noſmetipſos nobis: nos autem non in immen-
ſum gloriabimur, ſed ſecundum menſuram regula qua men-
ſus eſt nobis Deus menſuram pertingendi ad vos.* Non enim
quaſi non pertingentes ad vos ſuperextendimus nos: vſque
ad vos enim peruenimus in Euangelio Chriſti. Proprium
namque ſolet eſſe bonorum prædicatorum, vt qui alios
virtutibus perficere ſtudent, ſeipſos prius perfectos oſten-
dant: & eo de ſe humilia ſentiant, quo ad meliora amplius
proficiunt. Sequitur:

Et ciuitas in quadro poſita eſt, & longitudo eius tanta eſt, quanta & latitudo.

In longitudine ac latitudine, æqualis omnis quadratura
conſiſtit. Quæ eſt autem longitudo huius ciuitatis, niſi
longanimitas ſpei? Quæ vero latitudo, niſi charitatis am-
plitudo? Ipſa autem longanimitas ſpei & latitudo chari-
C tatis, vacua in cordibus fidelium non eſt. Nam per fidem
Gal. 5. quicquid valet operatur. Vnde & per Paulum dicitur: *In
Chriſto Ieſu neque circumciſio aliquid valet, neque præpu-
tium, ſed fides quæ per dilectionem operatur.* Quia ergo in
vita fidelium iuxta quendam modum perfecta eſt longa-
nimitas ſpei, perfecta latitudo charitatis, perfecta certi-
tudo fidei, perfectum ſtudium operationis, recte cœleſtis
ciuitas in quadro poſita eſſe deſcribitur. In menſura au-
tem quadra non aliud latus maius eſt, atque aliud mi-
nus, ſed cuncta ſimul quatuor latera æquali ſpatio ten-
duntur: quia & ipſas eaſdem virtutes quas diximus, fidem
ſcilicet, ſpem, charitatem atque operationem, quandiu in
hac vita viuimus, æquales ſibi eſſe apud noſipſos inueni-
1.Cor.13. mus. Idcirco autem maior ſpe & fide charitas dicitur,
quia poſtquam ad autoris noſtri ſpeciem peruenitur, ſpes
quidem & fides tranſeunt, ſed charitas permanet.

Nam nunc & quantum credimus, tantum amamus: &
quantum amamus, tantum de ſpe præſumimus. De fide
quoque & operatione Ioannes Apoſtolus fatetur, dicens:
D *qui ſe dicit noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit,*
1.Ioa.2. *mendax eſt.* Notitia quippe Dei ad fidem pertinet man-
datorum, cuſtodia ad operationem. Cum ergo virtus,
tempus & locus operandi ſuppetit, tantum quis operatur,
quantum Deum nouerit: & tantum ſe noſſe Deum indi-
cat, quantum pro Deo bona operatur. Deſcribatur ergo
electorum ciuitas in quadro: quia vnuſquiſque qui in
actiuæ vitæ exercitio verſatur, tantum credit, quantum
ſperat & amat & operatur: tantum amat, quantum cre-
dit, operatur & amat: tantum amat, quantum credit, ſpe-
rat & operatur: tantum operatur, quantum credit, amat
& ſperat. Quia itaque in ſanctæ Eccleſiæ populis multi
ſunt & robuſti per fidem, & longanimes per ſpem & am-
pli per charitatem, & efficaces per operationem, bene
cœleſtis ædificij ciuitas in quadro poſita eſſe perhibetur.
Nam vt aliquid quoque de electorum virtutibus loqua-
mur, ſæpe ex eis quoſdam videmus prudentes per intelli-
gentiam, fortes in aduerſitate, iuſtos in operatione, tem-
perantes à voluptatibus, atque in omni zelo diſcretionis
ſe menſura moderantes. Qui dum prudentiam, forti- E
tudinem, iuſtitiam atque temperantiam, vel ſicut eas
enumerare quibuſdam placet, prudentiam, temperan-
tiam, fortitudinem atque iuſtitiam tenent, menſuram
ſpiritalis ciuitatis in quadro habent. Ecce etenim ipſæ
virtutes quas habere bonos & fideles diximus, ita in
quadro ſunt, vt vna alteram non excedat. Magna quip-
pe eſt prudentia, ſed ſi minus eſt à voluptatibus tempe-
rans, minus in periculis fortis, minus in operatione iu-
ſta, profecto minus eſt prudens. Magna eſt temperantia:
ſed ſi minus intelligit vnde ſe temperet, ſi aduerſa ſuſti-
nere per fortitudinem minus valet, atque in timorem
animum deiicit, ſi per præcipitationem ſuam aliquando
ad iniuſtitiæ opera proruit, minus eſt temperans. Magna
eſt fortitudo: ſed ſi minus intelligit quæ bona cuſtodiat,
quibus malis reſiſtat, ſi minus à voluptatis appetitu ſe
temperet, ſed vincitur delectatione, ſi iuſtitiæ opera mi-
nus tenet atque aliquando iniuſtitiæ dominatione ſupera-
tur, minus eſt fortis. Magna eſt iuſtitia, ſed ſi minus quam F
debet, inter iuſta & iniuſta opera diſcernit, ſi minus
cor à mundi delectatione temperet, ſi minus ſe contra
aduerſa confortat, minus eſt iuſta. Menſuretur ergo per-
fectorum vita fidelium per quadrum: & tantum habeat
cœleſtis ciuitatis latus vnum, quantum latera ſingula: quia
vnuſquiſque tantum prudens eſt, quantum temperans, for-
tis & iuſtus: tantum temperans, quantum prudens, fortis
& iuſtus: tantum fortis, quantum prudens, temperans &
iuſtus: tantum iuſtus, quantum prudens, temperans & for-
tis fuerit. Sequitur:

Et menſus eſt ciuitatem de arundine per ſtadia duodecim millia.

Quid namque in duodecim millium ſtadiis, niſi perfe-
ctionis ſumma in ſtadio currentium debet intelligi? Re-
cte autem per ſtadium hoc figurari dicitur, quod in ſta-
dio agitur. Hinc Paulus fidelibus dicit: *Neſcitis quod hi* G 1.Cor.9.
*qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed vnus ac-
cipit brauium? Sic currite, vt comprehendatis. Omnis
enim qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet. Et
illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem
incorruptam.* Duodenarius vero numerus idcirco perfe-
ctus habetur, quia & decem præcepta legis, duoque
mandata charitatis, in quibus tota lex pendet & Pro-
phetæ, in ſe oſtendit, & ex ſeptenarij numeri multipli-
catis partibus conficitur: in quo & perfectio Euangelica,
& Trinitatis notitia declaratur. Siue enim quatuor per
tria, ſiue tres per quatuor ducamus duodenarij numeri
ſummam implemus: quia videlicet ſiue per Euangelium
ad Trinitatis notitiam pertingamus, ſeu per Trinitatis
cognitionem ad Euangelicam perfectionem conſcenda-
mus, hoc eſt nimirum quod diximus: quia ex multipli-
catis ſeptenarij numeri partibus, myſtice in duodenario
ſacrato perficimur. Millenarius vero numerus, vt ſæpe
iam diximus, & in ſæculari ſcientia, & diuina ſcriptura H
perfectus oſtenditur. In ſæculari ſcilicet ſapientia idcir-
co perfectus habetur, quia denarium numerum quadra-
tum ſolidum reddit. Decem quippe decies ducta, fiunt
centum. Quæ iam figura quadrata, ſed plana eſt. Vt au-
tem in altitudinem ſurgat & ſolida fiat, rurſum centum
decies multiplicantur & mille ſunt. In ſacro autem elo-
quio idem numerus perfectus monſtratur, quia appella-
tione eius vniuerſitas deſignatur. Vnde ſcriptum eſt: *Verbi* Pſal.104.
quod mandauit in mille generationes. Cum enim nequa-
quam credendum ſit, quod non ſolum vſque ad ducentas,
verumetiam nec ad centum fortaſſe generationes mun-
dus extendatur: quid aliud mille generationibus, niſi ge-
nerationum vniuerſitas figuratur? Huius numeri perfectio-
nem illud etiam deſignat, quod probatiſſimus Iob in veri- Iob 42.
tatis hiſtoria figuraliter mille iuga boum & mille aſinas
poſt flagella recepiſſe deſcribitur. Ad huius numeri perfe-
ctionem pertinet illud, quod beatiſſimus Petrus fidelibus
dicit: *Vnum hoc non lateat vos fratres chariſſimi, quia vnus* 2.Pet.3.
dies apud Dominum ſicut mille anni, & mille anni ſicut

A *dies vnus.* Quia igitur ſiue duodenarius, ſiue millenarius oumerus in ſacro eloquio ſua perfectione habetur ſacratus, recte de Angelo, redemptore videlicet noſtro, dicitur: *Menſus eſt ciuitatẽ de arundine per ſtadia duodecim millia.* Ac ſi diceretur: Etſi diſcretionis eius iudicio non omnibus omnia, ſed ſingulis iuxta propriã mẽſuram ſpiritalium do-
1.Cor.12. na diſtribuit, ſicut etiam de eius dono ſcriptum eſt: *Omnia operatur vnus atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult:* omnes tamen quos eodem ſpiritu tangit, in his quæ acceperunt, perfectos oſtendit. Duodenarius quippe ac millenarius ſacratus numerus, nulla ex parte habetur imperfectus: quia & ſi quorumdam vita qui in ſtadio currunt, id eſt, in ſpiritali labore deſudant, ad metas donorum omnium non pertingit, intra meoſuram tamen qua currit, ad poſitam brauij coronam agiliter peruenit. Abſit autem vt dona ſpiritus Sancti, quia non omnibus omnia largiuntur, idcirco diuiſa in ſingulis ſuis partibus imperfecta æſtimentur, cum hoc quod alter ooo accepit in ſe,
B per charitatis ſtudium poſſideat in altero. Angelus enim qui ciuitatem metitur, ſicut vnicuique iuxta propriam menſuram dona eiuſdem ſpiritus Sancti partitus eſt, ſic etiam ſingulis proprij curſus metas ſtatuit. Ad qoas dum
Ibid. quiſqoe pertingit, ſtatim coronæ brauium accipit. *Ecce etenim a.ii ſermonem ſapientiæ, alij ſermonem ſcientiæ, alij plenam fidem, alij gratiam ſanitatum, alij operationem virtutum, alij prophetiam, alij diſcretionem ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretationem ſermonum tribuit,* quatenus in vno eodemque ſpiritu iſte verbo ſapientiæ polleat, oec tamen ſermone ſcientiæ, id eſt, doctrinæ fulciatur: quia ſentire atque inuenire ſufficit etiam, quod per diſcendi ſtudium oon apprehendit: ille ſermone ſcientiæ fulgeat, nec tamen in verbo ſapientiæ conoaleſcat: quia & ſufficit explere quantum didicit, & tamen ad ſentiendum ex ſemetipſo ſubtile aliquid ooo aſſurgit. Iſte per fidem & elementis imperat, nec tameo per ſanitatum gratiam infirmitates corporum curat: ille orationis ope mor-
C bos ſubtrahit, nec tameo arenti terræ verborum pluuias reddit. Iſte operatiooe virtutum ad præſentem vitam etiam mortuos reuocat, & tamen prophetiæ gratiam non habet, quæ ſibi ventura ſunt ignorat: ille ventura quæque velut præſentia attendit & tamen in nulla operatione ſignorom ſe exerit. Iſte per diſcretionem io factis ſubtiliter mentes conſpicit, ſed tamen diuerſi generis linguas neſcit: ille diuerſi generis linguas examinat, & tamen in rebus ſimilibus diſſimilia corda noo penſat. Alius in vna lingua quam nooit, ſermonum pondera interpretando prudenter diſcutit, & tamen reliquis bonis quæ non habet, patienter caret. Sic itaque creator noſter ac diſpoſitor cuncta moderatur, vt qui extolli poterat ex dono quod habet, humilietur ex virtute quam non habet. Sic cuncta moderatur, vt cum per impenſam gratiam vnumquemque ſubleuat, etiam per diſparem alterum alteri ſubdat: & meliorem quiſque ex dono alio eum qui ſubiicitur, attendant: ac licet ſe præire ex aliis ſentiat, eidem tamen quem ſuperat, ſe in aliis poſtponat. Sic cuncta modera-
D tur, vt dum ſingula quæque ſunt omnium, interpoſita quadam charitatis neceſſitudine, fiant omnia ſingulorum: & vnuſquiſque ſic quod oon accepit, in altero poſſideat, vt ipſe alteri poſſidendum quod accepit, humiliter impen-
1.Pet.4. dat. Hinc enim per Petrum dicitur: *Vnuſquiſque ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei.* Tunc namque bene multiformis gratia diſpenſatur, quando acceptum donum & eius qui hoc non habet, creditur: quando propter eum cui impenditur, datum putatur.

Gal.5. Hinc per Paulum dicitur: *Per charitatem ſeruite inuicem.* Tunc enim nos charitas à iugo culpæ liberos reddit, cum viciſſim oos noſtro per amorem ſeruitio ſubiicit. Cum ergo aliorum bona, noſtra credimus: & noſtra aliis quaſi ſua offerentes exhibemus, ex multis membris vnum
1.Cor.12. corpus efficimur. Hinc rurſum per Paulum dicitur: *Nam corpus non eſt vnum membrum, ſed multa. Si dixerit pes quoniam non ſum manus non ſum de corpore non ideo non eſt de corpore? Si totum corpus oculus, vbi auditus? Si totum auditus, vbi odoratus?* Et paulo poſt: *Quod ſi eſſent omnia vnum membrum, vbi corpus? Nunc autem multa quidem membra vnum vero corpus.* Quid enim ſancta Eccleſia niſi ſuperni ſui capitis corpus eſt, in qua alius alta videndo oculus: alius recta operando manus: alius ad iuſta diſcurrendo, pes: alius præceptorum vocem intelligendo, auris: alius malorum fœtorem bonorumque fragrantiam diſcernendo, naris eſt. Qui corporalium more membrorum dum viciſſim ſibi accepta officia impendant, vnum de ſemetipſis omnibus corpus reddunt: & cum diuerſa in charitate peragunt, diuerſa eſſe perhibent vbi continentur. Si autem vnum quid cuncti agerent corpus vtique quod ex multis continetur, non eſſent: quia videlicet multipliciter compactum non exiſteret, ſi hoc concors membrorum diuerſitas non teneret. Hinc rurſum per eundem Apoſto- E
lum dicitur. *Ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis, ſecundum operationem in menſuram vniuſcuiuſque membri augmentum corporis facit in ædificationem ſui in charitate.* Sed cum Eph.4.
mito conſilio author ac diſpoſitor noſter huic illa largitur quæ alij denegat, alij hæc deoegat quæ iſti largitur, F
extra menſuram arundinis egredi nititur, quiſquis poſſe pluſquam acceperit conatur: vt fortaſſe is cui tantummodo datum eſt præceptorum occulta diſſerere, tentat etiam miraculis coruſcare: aut is quem supernæ virtutis donũ ad ſola miracula roborat, etiam diuinæ legis pandere occulta contendat. In præcipiti enim pedem porrigit, qui menſurarum ſuarum limitem non attendit. Et plerumque amittit hoc & quod poterat, qui audacter ea ad quæ pertingere non valet, arripere feſtinat. Nam & membrorum noſtrorum tunc bene miniſteriis vtimur cum ſua eis officia diſtincte ſeruamus. Lucem quippe ocolis cernimus, vocem vero auribus audimos. Si quis autem mutato ordine voci oculos, luci aures accommodet, hoic vtraque in caſſum patent. Si quis odores velit ore diſcernere, ſapores nare guſtare, vtriuſque ſenſus ſibi miniſterium, quia peruertit, interimit. Dum enim propriis hæc vſibus non aptantur, & ſua officia deſerunt, & ad extranea non aſſurguot. Bene Dauid intra has diuinæ largitatis menſuras pe- G
dem cordis preſſerat, cum dicebat: *Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus ſuper me.* Super ſe quippe Pſal.130.
in mirabilibus ambularet, ſi appetere magna vltra quam poteſt quæreret. Super ſe namque in mirabilibus attollitur qui & in his ad quæ non ſufficit, videri conatur. Bene intra has menſuras etiam io ipſa Paulus prædicationis ſuæ ſe latitudine coarctabat, cum diceret: *Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Chriſtus.* Qood Rom.15.
videlicet dum electi humiliter peragunt, tanto in conſpectu metientis in his quæ acceperunt perfectiores apparent, quanto & ad ea quæ necdum acceperunt, præſumptionis pedes non extendunt. Quia igitur omnium virtutum dona in ſingulis Eccleſiæ membris diuiſa charitatis compagine inueniuntur perfecta, bene de Angelo dicitur: Menſus eſt ciuitatem de arundine per ſtadia duodecim millia. Sequitur:

Longitudo & latitudo & altitudo eius æqualia ſunt. H

Omnipotens Deus qui nec in magnis tenditur, nec in minimis anguſtatur ſic de tota ſimul Eccleſia loquitur, ac ſi de vna anima loquatur. Et ſæpe quod ab eo de vna anima dicitur, nil obſtat ſi de tota ſimul Eccleſia intelligatur. Loogitudo quippe ciuitatis ad longanimitatem patientiæ, quæ exhibetur proximo, poteſt referri. Latitudo autem eius illam ſine dubio charitatem deſignat, quæ ſinum mentis aperit, & amicos ſimul atque inimicos in amorem recipit, de qua Pſalmiſta dicit: *Latum mandatum tuum* Pſal.118.
nimis. Nihil enim latius quam omnes in ſinu amoris recipere, & nullas odij anguſtias ſuſtinere. Sic quippe lata eſt charitas, vt in amplitudine dilectionis ſuæ capere etiã inimicos poſſit. Vnde & Dei dilectoribus præcipitur: *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos.* Altitudo vero Matt.5.
eiuſdem ciuitatis ipſa eſt contemplatio diuinitatis: quia

A vnaquæque electorum anima de his quæ videntur, ad ea, quæ non videntur, extenditur. Longitudo itaque ciuitatis & latitudo atque altitudo, æqualia ſunt: quia quantum patiens fuerit mens per longanimitatem, tantum lata erit per amorem & quantum patiens fuerit per longanimitatem, & alta per contemplationem. Tantum enim ad ea quæ vltra nos ſunt, per contemplationis exceſſum eleuamur quantum ad toleranda mala proximorum per charitatis ſtudium noſmetipſos mittimus. Dicatur ergo de ſancta ac noua ciuitate. *Longitudo & latitudo & altitudo eius æqualia ſunt:* ac ſi diceretur, In quantum longanimis inter aduerſa, in quantum charitate erga omnes dilatata, in tantum eſt electorum Eccleſia alta per contemplationem. Sequitur:

Et menſus eſt muros eius centum quadraginta & quatuor cubitorum, menſura hominis quæ
B *eſt Angeli.*

Denatius namque numerus per ſemetipſum multiplicatus, in centenarium ſurgit. Vnde & recte per centenarium magna perfectio deſignatur, ſicut de electis dicitur:
Matt. 19. *Omnes qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum: centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Neque enim ſanctus quiſque ideo terrena deſerit, vt hæc poſſidere in hoc mundo multiplicius poſſit: quia quiſquis terreno ſtudio terram relinquit, terram non relinquit, ſed appetit: nec qui vnam vxorem deſeruit, centum recepturus eſt: ſed per cẽtenarium numerum perfectio deſignatur. Poſtquam etiam vita æterna promittitur, quia quiſquis pro Dei nomine temporalia atque terrena contemnit, & hic perfectionem mentis recipit, vt iam ea non appetat quæ contempſit, & in ſequenti ſæculo ad æternæ vitæ beatitudinem peruenit. Centies itaque recipit quod dedit, qui perfectionis ſpiritum accipiens,
C terrenis non indiget, etiam ſi hæc non habet. Ille enim pauper eſt, qui eget illo quod non habet. Nam qui & non habens, habere non appetit, diues eſt. Paupertas quippe in inopia mentis eſt, non in quantitate poſſeſſionis. Nam cui cum paupertate bene conuenit, non eſt
2 Cor. 6. pauper. Hinc Paulus dicit: *Tanquam nihil habentes, &*
1. Pet. 3. *omnia poſſidentes.* Quadragenarius autem numerus in ſcri-
Matth. 4 ptura Sacra multimoda ratione habetur perfectus, ſiue
Exod. 34 ſcilicet propter quadraginta dierum inundationem dilu-
3. Reg. 19 uij, in qua effuſione iuxta ſententiam Apoſtoli Petri, baptiſmum figuratum eſt: ſiue propter ſacratum ieiunij tempus quod Dominus & Moyſes atque Elias ieiunauerunt: ſeu etiam propter quatuor Euangelia, in quibus decalogus legis quater multiplicatus oſtenditur. Quaternarius vero, ſiue propter quatuor flumina paradiſi, quæ Euangelicam ſignificant doctrinam: ſiue propter quatuor cardines cœli, ſeu etiam propter quatuor principales virtutes, de quibus paulo ſuperius latiſſime diſſeruimus, ſacratus monſtratur. Quid quoque per cubitum, niſi operatio
D deſignatur virtutum? Quia enim manus in cubito eſt, recte per cubitum opus manuum exprimitur. Menſus eſt ergo Angelus muros ciuitatis centum quadraginta & quatuor cubitorum: quia redemptor noſter quotidie ſpiritalium donorum gratiam diſtribuens, vel in exhibitione boni operis per fidem, vel in ſanctis deſideriis per contemplationem, electorum perficit vitam. Et quia ipſa perfectio virtutum quandoque electos ad Angelicam celſitudinem perducit, recte ſubiungitur, Menſura hominis quæ eſt Angeli. Ac ſi diceretur: Eccleſiæ menſura quæ nunc eſt hominis, quandoque fit Angeli quia quæ nunc in perfectione virtutum ſolidatur, quandoque ad ingenitam Angelorum dignitatem perducitur. Idcirco autem non dicitur, menſura hominis quæ erit Angeli quia vt moris eſt diuinæ Scripturæ, præteritum tempus pro futuro in narratione contexitur: vel certe menſura hominis quæ eſt Angeli, ciuitas metitur: quia tanta ad æternam patriam bene operantium graditur multitudo hominum, quantos illic contigit electos Angelos remanſiſſe.

E Vnde ſcriptum eſt: *Statuit terminos gentium ſecundum*
Deut. 32. *numerum Angelorum Dei.* Sic quippe dicitur, *Menſus eſt muros ciuitatis menſura hominis quæ eſt Angeli:* tanquam diceretur, Talem in ea menſura ſortem in numero ac perfectione hominem habere fecit, qualem habet & Angelus. Quia ergo ex hominibus & Angelis conſtat, tantaque in ea multitudo erit hominum, quanta eſt & Angelorum: recte menſura eiuſdem ciuitatis, hominis & Angeli eſſe perhibetur. Sequitur:

Et erat ſtructura muri eius ex lapide & jaſpide, ipſa vero ciuitas aurum mundum, ſimile vitro mundo.

Superius iam diximus, idcirco per lapidem jaſpidem, qui viridis eſt coloris, electos deſignari: quia dum internæ viriditatis gaudia quotidie appetunt, ipſa eos diuinæ contemplationis lux dum illuſtrat, paſcit. Hinc Pſalmiſta, ait:
F Pſal. 22. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ ibi me*
1. Pet. 1. *collocabit.* Vnde & ipſe primus paſtor Eccleſiæ auditores ſuos ad paſcua æternæ viriditatis vocans, de Deo loquitur, dicens: *Secundum magnam miſericordiam ſuam regenerauerit nos in ſpem viuam, per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem & incontaminatam, & immarceſcibilem, conſeruatam in cælis.* Structura ergo muri cinitatis ex lapide jaſpide eſſe deſcribitur, quia electi quique eo in amorem charitatis coniunguntur aliis, quos ardentius ad æterna paſcua mentis deſiderio quotidie tranſeunt.

Iam vero quod ſequitur, ipſa ciuitas aurum mundum, ſimile vitro mundo: non ad præſentis, ſed ad futuri temporis Eccleſiam referendum eſt. Auri namque metalla nouimus, potiora metallis omnibus claritate fulgere. Vitri vero natura eſt, vt extrinſecus viſum, pura intrinſecus perſpicuitate perluceat. In alio metallo quicquid intrinſecus continetur, abſconditur: in vitro vero quilibet liquor qua-
G lis continetur interius, talis exterius demonſtratur: atque vt ita dixerim, omnis liquor in vitreo vaſculo clauſus patet. Quid ergo aliud in auro vel vitro accipimus, niſi illam ſupernam patriam illam beatorum ciuium ſocietatem, quorum corda ſibi inuicem & claritate fulgent, & puritate tranſlucent? Quia enim ſancti omnes ſumma in ea beatitudinis claritate fulgebunt, recte aurum mundum ipſa ciuitas eſſe perhibetur. Et quoniam ipſa eorum claritas viciſſim ſibi in alternis cordibus patet, & cum vniuſcuiuſque vultus attenditur, ſimul & conſcientia penetratur, hoc ipſum aurum vitro mundo ſimile eſſe memoratur. Ibi quippe vniuſcuiuſque mentem ab alterius oculis membrorum corpulentia non abſcondet: ſed patebit animus, patebit corporalibus oculis ipſa etiam corporis harmonia, Sicque vnuſquiſque tunc erit conſpicabilis alteri, ſicut nunc eſſe non poteſt conſpicabilis ſibi. Nunc autem corda noſtra quandiu in hac vita ſumus quia ab altero in alterum videri non poſſunt, non intra vitrea, ſed intra lutea vaſcula concluduntur. Cui ſcilicet luto per paſſionem
H mentis inhærere Propheta formidabat, cum diceret: *Eripe*
Pſal. 68. *me de luto vt non inhæream.* Quod nimirum habitaculum
2. Cor. 5. corporeum Paulus domum terreſtrem nominat, dicens: *Scimus quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quod ædificationem habemus ex Deo domum non manufactam æternam in cælis.* In hac itaque terreſtri domo quouſque viuimus, ipſum (vt ita dicam) corruptionis noſtræ parietem mentis oculis nullatenus penetramus, & viciſſim in aliis videre occulta non poſſumus. Vnde ſancta Eccleſia ſponſi ſui ſpeciem videre in diuinitate deſiderans, nec tamen valens: quia æternitatis illius formam quam intueri concupiuerat, ab eius oculis aſſumpta humanitas abſcondebat, in Canticis Canticorum mœrens dicit: *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum.* Ac ſi aperte dicat: Ego hunc in diuinitatis ſuæ ſpecie iam videre deſidero, ſed adhuc à viſione illius per aſſumptæ carnis parietem, excludor. Quouſque vtique in hac corruptibili carne viuimus, cogitationes noſtras in alterutrum non videmus. Vnde rurſum per Paulum dicitur: *Quis* Cant. 2.

ſcit

A *ſcit hominum quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt?* 1.Cor.2. Et rurſum: 1.Cor.4. *Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium.* Illa vtique ciuitas quæ ſua viciſſim ſingulis corda manifeſtat, ex auro dicitur eſſe, ſimili vitro mundo, vt deſignetur auro clara, vitro perſpicua. Sequitur:

Fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioſo ornata.

De his lapidibus venienti Eccleſiæ per Prophetam Iſa.54. Dominus pollicetur, dicens: *Ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in ſapphiris, & ponam jaſpidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides ſculptos, & omnes terminos tuos in lapides deſiderabiles, & vniuerſos filios tuos doctos à Domino.* Strauit namque in illa per ordinem lapides quia in ea ſanctas animas meritorum B diuerſitate diſtinxit. Fundauit eam in ſapphiris, qui ſcilicet lapides coloris aërij ſimilitudinem tenent, quia robur Eccleſiæ in animibus cœleſtia petentibus ſolidatur. Et quoniam (vt ſæpe iam diximus) jaſpis viridis eſt coloris, jaſpidem propugnacula eius poſuit: quia illi contra aduerſarios pro ſanctæ Eccleſiæ defenſione obiecti ſunt, qui internis deſideriis virentes, nulla temporalis rei ariditate marceſcant. Portas vero eius poſuit in lapides ſculptos. Hi quippe portæ ſunt Eccleſiæ, per quorum vitam atque doctrinam intra eam multitudo credentium aggregatur. Qui pro eo etiam quod magnis operibus pollent, & id quod loquentes aſſerunt, viuendo oſtendunt: non puri, ſed ſculpti lapides eſſe memorantur. In quorum enim vita recta operatio cernitur, quaſi in eiſdem exprimitur quod egerunt. Vbi omnem quoque ſanctorum numerum generali collectione concludens, ſubdit: *Omnes terminos tuos in lapides deſiderabiles.* Et tanquam ſi audientes iſta, peteremus vt hos lapides quos diceret indicaret, ſubiecit: C *Vniuerſos filios tuos doctos à Domino.* Quod ergo Ioannes dicit, *fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioſo ornata:* hoc Dominus per Prophetam eidem ciuitati repromittit, dicens: *Ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in ſapphiris, & ponam jaſpidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides ſculptos.* Sequitur autem idem Ioannes & enumerat fundamenta per ordinem, dicens:

Fundamentum primum, jaſpis: ſecundum, ſapphirus: tertium chalcedonius: quartum, ſmaragdus: quintum, ſardonyx: ſextum, ſardius: ſeptimum, chryſolithus: octauum, beryllus: nonum, topazius: decimum, chryſopraſus: vndecimum, hyacinthus: duodecimum, amethyſtus.

D

Iſtis ſimilitudinibus lapidum ſignificantur omnia firmamenta virtutum. Quibus & vnuſquiſque ſanctorum ſpiritaliter perornatur, & ipſa tota ciuitas tanquam iiſdem lapidibus & robore firma, & varietatis ornatu compta deſcribitur. Sed libet breuiter inquirere, qualiter lapidum iſtorum ſimilitudines congruant Eccleſiæ virtutum ornamentis. Primum enim fundamentum jaſpis, Chriſtum Iaſpis. deſignat, de quo per Paulum dicitur: 1.Cor.3. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt quod eſt Chriſtus Ieſus.* Qui videlicet lapis (vt ſupra meminimus) viridis coloris eſt, quia ſanctorũ æternæ viriditatis refectio Sapphirus. Chriſtus eſt. Lapis ſapphirus in natura ſua nequaquam eſt pretioſus, ſed in myſterio valde inuenitur præclarus. Qui videlicet aeris ſpeciem tenet cum purpura habens pulueres aureos. Et quid in colore aerio, niſi cœleſtis conuerſatio? Quid autem in purpura, niſi charitas? Quid enim in pulueribus aureis, niſi diuini verbi ſapiẽtia demonſtratur? Quia enim in aerio colore cœleſtis conuerſatio exprimatur, ſcriptura ſacra teſtatur, quæ eccleſiam ima deſerentem E cœleſtibus propinquare docet, Iſa.58. *Suſtollam te,* inquit, *ſuper altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui.* Philip.3. Hinc Paulus dicit: *Noſtra conuerſatio in cœlis eſt.* Quæ ergo quotidie de imis ad ſuperiora tollitur, non eſt mirum ſi per hoc quo eleuatur, vita eius figuretur. Quia autem purpura charitatem deſignet, humana ſimul ac diuina ratione colligimus. Vera enim purpura, ſanguinis ſpecie fulget.

Et Dominus in Euangelio teſtatur, dicens: Ioan.15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Quia vero auri vocabulum ſapientiam figuret, ſcriptura teſtatur quæ dicit: Prou.16, iuxta quoſdã. *Accipite ſapientiam ſicut aurum.* Bene itaque lapis ſapphirus in natura quidem vilis, ſed in figura pretioſus, in fundamento ciuitatis ponitur: quia tales ad portandam Eccleſiæ fabricam à Domino electi ſunt qui, & cœleſti conuerſatione pollerent, & erga Dei & proximi amorem flagrarent & ſupernæ ſapien- F tiæ claritate reſplenderent: quatenus ſpiritalis ædificij lapides ſuperponendi, tale in eis fundamentum reperirent, quod nec vita carnalis diſſiparet, nec malum diſcordiæ commoueret, nec ignorantia ſapientiæ per omnem ventum doctrinæ circumferret. Chalcedonius lapis, ter- Chalcedonius. tio loco in ordine poſitus, multo vilior eſt in natura ſua quam ſapphirus, ſed in myſticis ſenſibus valde inuenitur & ipſe pretioſus. Ita enim (vt fertur) duriſſimæ atque fortiſſimæ naturæ eſt, vt omnium ſculpentium inſtrumentis reſiſtat. Per quem non immerito figuraliter doctorum inuicta demonſtratur fortitudo, qui & ad portandum Eccleſiæ pondus fortiſſimi, & in bello certaminis inueniuntur inuicti. Huius lapidis fortitudinem Paulum habuiſſe video, qui ait: Rom.8. Pſal.43. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio? an anguſtia? an perſecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius?* ſicut ſcriptum eſt, *Quia propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus vt oues occiſionis; ſed in his omnibus ſuperamus propter eum* G *qui dilexit nos.* Quique de hac fortitudine adhuc ſubiungit, dicens: Rom.8. *Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* Vt autem in Chriſto fundamentum Eccleſiæ ſe eſſe oſtenderet, fidelibus loquitur, dicens: 1.Cor.4. & 11. *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* Smaragdus, pre- Smaragdus. tioſus eſt lapis in ſua natura, ſed pretioſior in electorum figura. Quique tam viridis eſt naturæ, vt ſi de primo optimoque genere ſit, omnium lapidum omniumque viriditatem ſuperet herbarum. Reddit etiam imagines in ſe aſpicientium, ſi moles eius fuerit ampla.

Sciendum autem quia in his fundamentorum lapidibus, quidam ſic tenent generaliter figuram doctorum, vt tamen deſignent ſpecialiter doctorem doctorum, ac fundamentum fundamentorum. Et quid mirum ſi in quibuſdam eorum inueniatur expreſſus, qui omnium fundamentorum principale eſt fundamentum? Et licet propter myſticum Sacramentum duodecim illi vocentur funda- H menta, tamen cum Chriſto, imo in Chriſto vnum ſunt Eccleſiæ fundamentum. Deſignet ergo hoc loco lapis ſmaragdus, omnium gemmarum viridiſſimus, ſpecialiter Dominum Ieſum Chriſtum, qui eſt electorum æternæ viriditatis refectio: deſignet ſanctos doctores, qui eiſdem paſcuis quotidie per mentis deſiderium inhærent. Ad huius lapidis ſpeciem illos pertinere præuiderat, de quibus in Ioan.10. Euangelio Dominus dicebat: *Per me ſi quis introierit, ſaluabitur: & ingredietur & egredietur, & paſcua inueniet.* Iob.39. Hinc eſt quod (ſicut ſupra præmiſimus) de electorum perſona ſub quadam figura dicitur: *Virentia quæque perquirit.* Sardonyx. Sardonyx lapis quinto loco ſuppoſitus, trium colorum ſpecies reddit. Subterius enim ex nigro, medio autem ex candido, ſuperius vero cõſtat ex colore rubeo. Et quid per nigrum huius lapidis colorem, niſi præſentis vitæ tribulationem, quid autem per cãdidum, niſi cœleſtem intelligere debemus innouationem? Hinc eſt quod electorum Eccleſia & terrenis tribulationibus depreſſa, & cœleſtis vitæ cõuerſatione innouata, deſpici ſe à quibuſdam pro eiſdem

A Cant. 1. ſuis tribulationibus conſpiciens, ait: *Nolite me conſiderare quod fuſca ſim, quia decolorauit me ſol.* Ac ſi diceret: In præſentium tribulationum anguſtiis deſpectui eſſe non debeo: quia quo magis exterius affligor, eo amplius Illuſtrante deſuper ſole iuſtitiæ, interius noua appareo. 2. Cor. 4. Huic ſenſui Apoſtolus concinit, dicens: *Licet is qui exterius eſt homo noſter corrumpatur: tamen interior renouatur de die in diem.* Quid vero per minium colorem accipimus, niſi aut martyrij gloriam, aut charitatis inſignem Sardius. decorem? Sardius lapis ſexto loco ſubrogatus, terræ rubræ ſpeciem habet. Quique in natura propria omnium eſt gemmarum viliſſimus, ſed in myſterio præclarus. Quid autem per eum deſignatur, niſi conſideratio humanæ infirmitatis? vt ſcilicet cum doctor quilibet ad ſublimia intelligenda perducitur, ne de accepto cœleſtis gratiæ dono extollatur, ſemper ad memoriam, quis ſit & vnde Iezec. 2. 3. 4. &c. venerit reducat. Hinc eſt enim quod Iezechiel Propheta cum ad ſublimia contemplanda ducitur, frequenter filius B hominis vocatur. Bene autem ſexto loco iſte lapis ſubrogatur, qui terræ rubræ ſpeciem tenere videtur quia & primus homo ſexta die conditus inuenitur, cui dictum Gen. 3. eſt: *Terra es, & in terram ibis.* Nam & ipſe Adam in lingua noſtra, *terra rubra interpretatus ſonat.* Ne enim ſancti in magnis quæ acceperunt, elationis tabe corrumpantur, ſemper (vt dictum eſt) propriæ infirmitatis conſideratione humiliantur. Hinc enim Abraham qui ad Dei collocutionem ductus fuerat, propriæ infirmitatis Gen. 18. non immemor, ait: *Loquar ad Dominum meum, cum* Pſal. 102. *ſim pulvis & cinis.* Hinc Pſalmiſta ait: *Memento Domine quod pulvis ſumus.* vt apparet. Chryſolithus. Chryſolithus lapis hoc loco in ordine ſeptimus, auri colore reſplendet, ſuccino ſimilis. In quo ſcilicet ſi incarnata Dei ſapientia accipiatur, nequaquam Prou. 16. vt volūt. aberrari à vero creditur. Si vero ſanctos doctores Beryllus. eidem inhærentes ſapientiæ, eandemque contemplantes, quibus & dicitur, *Accipite ſapientiam ſicut aurum,* & hoc non inconuenienter fieri exiſtimatur. Beryllus, lapis colore C viridis, ſed pallorem habens, octauus in ordine inuenitur: per quem illorum vita deſignatur, qui & æternorum contemplationi bonorum ad tempus inhærent, & tamen cura fraternæ adminiſtrationis, ab illa viriditatis refectione palleſcunt: vel certe viriditas in eis contem- Philip. 3. plationem, pallor oſtendit timorem. Hinc eſt forte quod 1. Cor. 9. Paulus, quid vnum quod retro oblitus, ad ea quæ in an- 2. Cor. 5. te ſunt per contemplationis virtutem extendebatur, timore pauidus dicit: *Caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo, ne forte aliis prædicans, ipſe reprobus efficiar.* Et rurſum cum ex virtute contemplationis diceret, ſiue mente excedimus Deo, pauidus tamen atque ſuſpectus de tranſacta conuerſatione, loquitur dicens: *Non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei.*

1. Cor. 15. Topazius. Col. 2. Topazius inter omnes pretioſiſſimus, nono loco conſtitutus, ex virenti quidem ſpecie eſt: ſed omni colore reſplendens. Quia enim Græca lingua *pan, omne* dicitur: pro eo quod omni colore reſplendet, topazium, quaſi topazion D vocatur. Deſignet ergo idem lapis Dominum redemptorem, in quo omnium virtutum ſumma conſiſtit, & *in quo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ ſunt abſconditi.* Deſignet & illa eius membra: quæ ita ſunt dono ſpiritus Sancti locupletata, vt quaſi multis coloribus, ſic multis virtutibus luceant: vel certe, vt ſolet in myſticis locutionibus fieri, virtutes ſanctorum per partes in ſingulis lapidibus enumeratæ, in hoc vno generaliter con- Chryſopraſus. cludantur. Chryſopraſus, auri ſimul praſinique colore mixtus, ac parum à beryllo diſtans, decimo loco in fundamentis ſtatuitur. Quique ſi parum diſtat à beryllo colore forte nil diſtat ſignificatio eius ab illius ſignificatione, niſi forte nominum qualitate ſit diuerſus in ſignificatione, qui eſt ſimilis in colore. Nam poſſunt per eum illa corda ſignari, quæ & verbi ſapientia fulgent, & in- Hyacinthus. ternæ contemplationis refectione vigent. Hyacinthus, & nomine & natura illuſtris, vndecimi ordinis tenet principatum. Quique cæruleo colore reſplendens, nec rarus eſt, nec denſitate obtuſus ſed vtroque temperamento lucens, purpuraque refulgens. In quo ſcilicet & cœleſtis vitæ conuerſatio, & in his quæ agenda ſunt, vera diſcretio: atque E in Dei ac proximi amore, pia charitatis coniunctio declaratur. Nam & bene viuere, & bona à malis ſeparare, & charitatis concordia vniri, vere eſt fundamentum ſtabilitatis, ſemetipſum quempiam cæteris exhibere, Amethyſtus. Amethyſtus, lapis purpureus, permixto violaceo colore, & quaſi roſæ nitore leniter quaſdem flammulas fundens, duodecimo atque vltimo loco myſtice ſtatuitur, in quo virtutum omnium conſtructio, imo ſolidamentum fidei oſtenditur: in purpureo ſcilicet colore charitatem, in violaceo humilitatem, (violæ enim quæ & odorem habent, & tamen in altitudinem non ſurgunt, humilitatem, deſignant) in roſaceo autem ſplendore martyrij coronam oſtendere videtur. His itaque lapidum ſimilitudinibus, vt ſupra iam dixi, ſignificantur omnium firmamenta virtutum, quibus & vnuſquiſque ſanctorum ſpiritaliter perornatur, & ipſa tota ciuitas iiſdem tanquam lapidibus & F robore firma, & varietatis decore compta deſcribitur. Et hic quidem firmatur virtutibus, in ſequenti vero ſæculo perfectis ditatur remunerationibus: atque hoc illic apparet in eius remuneratione: quod hic exercuit in labore. Sequitur:

Et duodecim portæ, duodecim margaritæ ſunt per ſingulas, & ſingulæ portæ erant ex ſingulis margaritis.

Horum verborum ordinem vix vtcunque in ſuperficie hiſtoriæ intelligere valeamus. Nam cum dictum ſit, duodecim margaritæ ſunt, quid ſibi vult, quod additur per ſingulas? aut cur repetitur, & ſingulæ portæ erant ex ſingulis margaritis, cum hoc ipſum iam præmiſſum ſit, & duodecim portæ duodecim margaritæ ſunt, niſi quia duodenarius numerus ſacratus in ſingulis ſuis partibus oſtenditur multiplicatus? Sic enim dicitur, Duodecim por- G tæ, duodecim margaritæ ſunt per ſingulas: ac ſi diceretur, per ſingulas portas duodecim portæ duodecim margaritæ ſunt: tanquam ſcilicet duodenarius numerus duodecies ductus, centeſimum ac quadrageſimumquartum conſummans, in quo non ſolum Apoſtoli, verumetiam omnis doctorum ſumma concluditur: Quod vero additur, & ſingulæ portæ erant ex ſingulis margaritis: quaſi ex obliquo innuitur, eundem duodenarium numerum non quantitate literæ, ſed myſterio ſuis partibus multiplicari: quatenus & omnes doctores multiplicatos oſtendat, & tamen duodenarius permaneat: ac nequaquam ſpecies in genus conuerſa, dum prædicatores ſignificat per portas, & illi deſignentur, qui nequaquam verbo prædicationis aditum regni cœleſtis Eccleſiæ aperiunt. Ac ſi aperte diceretur: ne putaret aliquis ſolos Prophetas vel Apoſtolos, & non omnes doctores, portas huius ciuitatis exiſtere, idcirco duodenarius numerus ſuis eſt partibus multiplicatus, vt diceretur: Duodecim portæ duodecim margaritæ ſunt per ſingulas: ſubaudis, per ſingulas duodenas portas, duodecim portæ duodecim margaritæ ſunt. Ac ne H ad vulgi multitudinem officium prædicationis referri videretur, duodenarius numerus repetitus eſt, vt diceretur: & ſingulæ portæ erant ex ſingulis margaritis. Iam enim ſuperius centum quadragintaquatuor cubitos murus ciuitatis habere dictus fuerat. Qui numerus ex duodenario duodecies multiplicato confectus, omnem electorum ſummam demonſtrat, quæ in doctoribus atque auditoribus conſiſtit: Sciendum ſane, quia hoc quod de vno fundamento ac duodecim fundamentis ſatis ſuperque iam diximus, hoc etiam de vna margarita ac duodecim debet intelligi: vt ſcilicet duodecim fundamenta in vno fundamento quod eſt Chriſtus, ſolidantur, ſic duodecim mar- Matt. 13. garitæ in vna inueniantur inſertæ. Hanc enim ſollicitus negotiator, dum bonas margaritas quæreret, inueniens venditis omnibus comparauit: quia videlicet electorum Eccleſia dum noui teſtamenti patres ex deſiderio quæreret, Chriſtum per eos atque in eis inueniens, deſpectis terrenis, mercauit. Sequitur:

A

Et platea ciuitatis aurum mundum tanquam vitrum perlucidum.

Supra denique iam dictum fuerat, quod iſta ciuitas auro mundo ſimili vitro mundo, refulgeret: nunc autem de platea eius additur, & platea ciuitatis aurum mundum tanquam vitrum perlucidum. Nunquid nam ad deſcriptionem aureæ ciuitatis, platea pertinere non creditur, vt aliud eſſe ciuitas, atque aliud platea ciuitatis narretur? Quod cur factum fuerit, duobus modis intelligi valet. Sicut enim in hac vita alius inuenitur alio ſanctior, ſic in illa beatitudine alius inuenitur alio eminentior, Apoſtolo (1.Cor. 15.) atteſtante qui ait: *Stella ab ſtellæ differt in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum.* (Ioan. 14.) Hinc eſt quod in domo patris manſiones multæ eſſe perhibentur. (Iob 3.) Hinc per B. Iob dicitur: *Paruus & magnus ibi ſunt.* Deſignent ergò ſpecialiter fundamenta ciuitatis, fortiſſimos Eccleſiæ Doctores: murus (B) autem ſuper fundamenta conſtructus, omnes perfectos, ſed per Chriſtum atque in Chriſto. Platea verò eiuſdem ciuitatis, minoris meriti conciues. Sicut enim platea ab ædificio ciuitatis inferius iacet, ſic & tales quilibet minoris gloriæ loco videntur ſaluari. Ex quorum voce Pſalmiſta loquitur, (Pſal. 138.) dicens: *Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur.* Et quia tanto bono etiam tales non fraudantur, vt & ſupernæ claritatis luce reſplendeant, & viciſſim intima ſua videntibus ſe indicent, benè ciuitatis platea, aurea eſſe deſcribitur. Vel certè vt in myſticis locutionibus fieri ſolet, quia autor huius hiſtoriæ diuerſis vocabulis perfectos deſignari voluit idcirco & ciuitatem & plateam ciuitatis, auream eſſe deſcripſit. Et cum hoc totum ſimul vna ſit ciuitas, vt ſcilicet ipſi per ciuitatem, ipſi per plateam ciuitatis deſignentur. Si enim per plateam quæ in Latino eloquio latitudo ſonat rectè intelligitur amplitudo charitatis, atque in illa beata ciuitate nullus habitare creditur, qui non prius dilatetur in amorem dilectionis non incongruè per eandem (C) plateam perfectos omnes dicimus deſignari. Sed ecce dum iſta coniicimus, quæſtionem nobis ipſi legamus. Si enim per fundamenta & murum portaſque ciuitatis perfecti omnes creduntur figurari, quis erit in ea locus paruulorum, de quorum perſona hoc quod protulimus, B. Iob (3) loquitur, dicens: *Paruus & magnus ibi ſunt?* Sed ſciendum nobis eſt, quia in illa beatorum ſorte, etſi ad comparationem alterius gloriæ, alius minus habebit, tamen quod in ſe non habet, per charitatis amorem in alio poſſidebit, ac per hoc imperfectus ibi nullus erit. Nam etſi diuerſitas manſionum ibi erit, tamen vnius denarij remuneratio æqualis omnibus erit. Nequaquam enim perfectum ibi de muneris largitate gaudium cunctis eſſet, ſi aliquo in illa ſorte quiſpiam indigeret. Quod ergo S. Iob paruum cum magno in illa hæreditate dicit eſſe, non ad imperfectionem: ſed ad diſparilitatem meritorum redigendum credimus. Sequitur:

D

Et templum non vidi in ea. Dominus enim Deus omnipotens, templum illius eſt & agnus.

Cùm templum ſe in ea vidiſſe denegat, & tamen templum illius Deum eſſe & agnum confirmat, nimirum vult nos ab his quæ videntur, ad ea quæ non videntur, erigere: nequaquam ſcilicet in ea templum materiale vel corporale ex lignis aut lapidibus eſſe, ſed ſpiritale atque incorporeum quod conſtat diuina maieſtate. Hinc enim Paulus (Hebr. 3.) dicit: *Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum, non manufactum, id eſt, non huius creationis, introiuit ſemel in ſancta, æterna* (Ibid.) *redemptione inuenta.* Et rurſùm: *Non enim in manufactis ſanctis idem Ieſus introiuit.* Erit ſiquidem & ipſa beata ciuitas, quam Deus nunc per fidem inhabitat, ſpiritale tunc templum illius, cum peruenerit ad ſpeciem eius. Quamobtem & ipſe dignanter in Eccleſia, & Eccleſia feliciter habitabit, in illo, cum illud impletum fuerit, *Erit Deus omnia in omnibus, & nos in illo.* (E) (1.Cor. 15.) Si igitur templum Dei æternum Eccleſia eſt, quam inhabitat: & templum eiuſdem Eccleſiæ ipſe Deus eſt, in quo ipſa inhabitat: ſciendum nobis eſt, quia inhabitat ille regendo; inhabitat iſta quieſcendo. In qua ſcilicet manſione quies ex tribus qualitatibus vigebit, id eſt, eſſe, noſſe atque diligere. Eſſe videlicet feliciter, noſſe perfectè, diligere caſtè. Dicuntur ſiquidem in illa beata remuneratione per ſignificationem & alia multa, ſed tamen illa cuncta ad hæc referuntur. In his enim tribus beatitudinum qualitatibus, omnis ſumma beatitudinis conſiſtit. Quid enim eſt aliud feliciter eſſe, quam beate in æternum regnare? Quid eſt autem, Deum perfectè cognoſcere, niſi ipſa beata cognitione feliciter atque æternaliter viuere? *Hæc eſt*, inquit, *vita æterna, vt cognoſcant te vnum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* (Ioan. 17.) Quid verò aliud eſt, Deum caſtè diligere, quam ipſa dilectione quæ Deus eſt, æternaliter perfrui? Scriptum quippè eſt: *Deus dilectio eſt, & qui manet in dilectione, in Deo manet, & Deus in eo.* (1.Ioan 4.) (F) Dicatur itaque de ſancta ac beata ciuitate: *Dominus Deus omnipotens, templum illius eſt & agnus.* Ac ſi apertè diceretur: Cùm per fidem ad ſpeciem peruenerit Eccleſia Dei, non iam per virtutum exercitia laborabit, ſed æterna illam quies ſuſcipiet. Sed quid ſibi vult, quod ſigillatim agnus, nominato Domino Deo omnipotente, ſubiungitur: niſi quia per hoc dictum quorundam hæreticorum figmenta vacuari videntur, qui dum Ieſum Chriſtum purum hominem exiſtimantes, non vnius naturæ cum patre in diuinitate eſſe, ſed per gratiam adoptatum fuiſſe aſſerunt? Hinc itaque conuincantur, hinc confundantur, cum audiunt agnum in ſua diuinitate cum patre templum requiei electorum eſſe: quique ſe in aſſumpta humanitatis carne Dei templum commemorat, dicens: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* (Ioan. 2.) Sequitur:

Et ciuitas non eget ſole neque luna, vt luceant in ea: nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna eius eſt agnus. (G)

His dictis apertè oſtenditur, mentium eſſe lucem quæ illuminat illam ciuitatem, quæque non oculis corporeis, qui iſtam viſibilem lucem cernere conſueuerunt, ſed emundatis cordibus videnda repromittitur Domino in Euangelio atteſtante, qui ait: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt:* (Matth. 5.) ſubaudis, felices qui cordis oculos mundos habuerint, quibus ſubſtantia illa diuinitatis poteſt intueri. Vnde & Spiritus Sanctus volens mentes ſpiritualium ab vſitata diurni nocturnique luminis viciſſitudine omnino ſuſpendere, quam ſoli corporis oculi videre nouerunt, & ad illud lumen incommutabile, ad illam lucem ineffabilem atque inacceſſibilem reuocare, quam ſoli cordis oculi valent intueri, dicit: *Et ciuitas non eget ſole neque luna, vt luceant in ea*: nam claritas Dei illuminabit eam. Quod verò ſubiungitur, & lucerna eius eſt agnus: ſic dicitur, non quo in illa ciuitate aliud ſit claritas Dei, aliud lucerna agni: ſed quo vt ſupra iam diximus, (H) doceatur & ipſe agnus cum Patre & Spiritu Sancto lumen eſſe ciuitatis. *Ipſe enim eſt verus filius, & vita æterna, veraque lux, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum.* (Sap. 7. Exod. 33. 1.Cor. 13.) De illo namque alibi ſcriptum eſt: *Candor eſt enim lucis æternæ.* Quia verò (vt dictum eſt) hanc lucem in iſta mortali carne vt eſt, nullus intueri valet, Deo ad Moyſen dicente: *Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo & viuet*: & iuxta illud Apoſtoli: *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*: quæ ſit eadem lux, melius explicari per linguam carnis non potuit, quam vt diceretur, *Claritas Dei illuminabit eam, & lucerna eius eſt agnus.* De quo opportuniori loco inferiùs dicemus. Sequitur:

A

Et ambulabunt gentes per lumen eius, & reges terræ afferent gloriam ſuam & honorem in illam.

Hoc quod gentes per lumen eius ambulare dicun-
tur, non ad futuri temporis remunerationem, ſed ad
præſentis laborem referendum eſſe ſatis elucet. Neque
enim iam tunc in ambulando laborabunt, ſed poſt labo-
rem beate viuentes quieſcent. Tempus ergo nunc eſt
quo ambulant peregrini per lumen agni, vt quandoque
Ioan.9. peruenientes ad patriam in ipſo quieſcant lumine agni.
Matt.28. Hinc ipſa lux & via peregrinantium dicit: *Quamdiu*
Ioan 12. *ſum in mundo, lux ſum mundi. Quamdiu Domine? Ec-*
ce ego, inquit, *vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad*
conſummationem ſæculi. Quique adhuc exhortando ſub-
iungit: *Ambulate dum lucem habetis vitæ, ne tenebræ*
vos comprehendant. De hac luce per quam ad patriam
B redeuntes illuſtrantur electi, per Prophetam Iſaiam dici-
Iſai.60. tur: *Surge illuminare Ieruſalem, quia venit lumen tuum,*
Ibid. *& gloria Domini ſuper te orta eſt.* Atque poſt pauca: *Et*
ambulabunt gentes in lumine tuo, & cuncti reges in ſplen-
dore ortus tui. Qui ſunt autem reges terræ, niſi qui &
corpora ſua & motus cogitationum diſciplinæ vigore
regere nouerunt? Qui videlicet in illam ciuitatem, glo-
riam & honorem ſuum afferre narrantur: tanquam di-
ceretur. Quia in hac peregrinatione gloriam ſæculi quæ
tantummodo reproborum eſt, non amauerunt, idcirco
ſuam ad æternam felicitatem detulerunt. Qui enim hic
ab hominibus voluntariè recipiunt gloriam & honorem,
illic proculdubio iam quod deſerant, non habent. De
Matt.25.6. quibus ſcriptum eſt: *Omnia opera ſua faciunt, vt bea-*
tificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mer-
cedem ſuam. Vel certè gloriam ſuam & honorem in illam
reges afferre, eſt, prædicatores ſanctos qui propter regi-
men animarum iure reges vocantur, turbas fidelium ad
æternam patriam ſecum perducere. Hinc Paulus fideli-
C bus dicit: *Gloria veſtra ſumus, ſicut & vos noſtra in die*
2.Cor.1. *Domini Noſtri Ieſu Chriſti.* Hinc rurſùm ait: *Quod eſt*
1.Theſ.2. *gaudium noſtrum aut corona? nonne vos ante Dominum*
noſtrum Ieſum Chriſtum? Rectè enim gloria, regnum &
honor vocantur hi, pro quibus iidem reges coronantur,
Luc.19. quibus pro meritorum diuerſitate dicitur: *Eſto in ſuper*
quinque ciuitates & tu ſuper decem, vt ſcilicet cum tantis
& pro tantis æternos recipiant honores, quantos in hac
vita ſpiritali vigore regere ſtuduerunt. De quibus alibi di-
Iob 36. citur: *Reges in ſolio in perpetuum collocat, & illic erigentur:*
ſubaudis, quia hic in loco afflictionis ſunt humiliati, illic
in loco gaudij erecti. Sciendum præterea, quia in alia
tranſlatione nequaquam dicitur, & afferent gloriam ſuam
& honorem in illam: ſed, conferent: vt ſcilicet per hoc di-
ctum, debitis inuicem doceantur laudibus de honore con-
ferre largitoris. Sequitur:

D

Et portæ eius non claudentur per diem, nox enim non erit illic.

Sicut prædicatores ſancti ad vitam ingredientibus por-
tæ apertæ ſunt, ſic quoque in nocte vitæ præſentis, ne
occultus aduerſarius eoſdem inuadat, aditum introëundi
claudunt. Dum enim occultas inimici inſidias exhorta-
tionis verbo præcauere inſinuant, quid aliud agunt, quam
aditum ciuitatis præcludunt? An non aditum muniunt,
Matt.26. qui Euangelica voce in nocte vitæ præſentis clamant, *Vi-*
gilate & orate, vt non intretis in tentationem? An non adi-
tum ciuitatis per quem inſidiator poſſet intrare, claude-
1.Pet.5. bat Petrus cum diceret: *Sobrij eſtote & vigilate, quia*
aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit,
quærens quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide? Huius
ciuitatis aditum cuſtodiunt, imò ipſius ciuitatis aditus
contra inimicum obſtructus fiunt, de quibus per Salo-
Cant.3. monem dicitur: *Vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum*
Ibid. *propter timores nocturnos.* Et rurſùm: *En lectulum Salo-*
monis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël. Sed E
vſque quo iſta cuſtodia erit, vſquequo iſtæ portæ clau-
dentur, niſi vſquequo nox vitæ præſentis, nox aduer-
ſitatis, nox mortalitatis, nox corruptionis tranſierit
& dies æterna, dies pacis, dies immortalitatis, dies
incorruptionis illuxerit? Dicatur itaque: *Et portæ eius* Marc.14.
non claudentur per diem, nox enim non erit illic. Ac ſi
diceretur: *Sublato noctis timore, diei ſecuritas electos il-* Pſal.45.
luſtrabit. Sic enim dicitur, portæ eius non claudentur per
diem, nox enim non erit illic: tanquam diceretur. Ideo
portæ eius non claudentur, quia iam ibi vltra nox non
erit, ſed perpetua dies fulgebit. Non enim iam ibi di-
cetur, *Vigilate & orate, quod vtique ad noctis pertinet ad-*
uerſitatem: ſed, *Vacate & videte quoniam ego ſum Deus,*
quod ad diei redigitur ſecuritatem: vbi certè honeſtè di-
ligetur quod videtur, ſine ceſſatione laudabitur quod
amatur: vbi nec marceſcit quiſquam otio, nec fatigatur
laudis æternæ præconio. Sequitur:

F

Et afferent gloriam & honorem gentium in illam.

Et qui alij gentium gloriam & honorem in illam af-
ferent ciuitatem, niſi reges terræ, prædicatores videli-
cet ſancti? Quid eſt autem, gloriam & honorem gen-
tium in illam ciuitatem afferre, niſi ex aggregata turba
fidelium, ipſam electorum ſocietatem glorioſam atque
honorificam reddere? Quod ſingulariter Dominus face-
re perhibetur, ſicut per Paulum dicitur: *Cum tradiderit* 1.Cor.15.
regnum Deo & patri. Magna enim gloria magnuſque ho-
nor gentium in illa ciuitate affertur, quia maxima ex
parte ex ipſis gentibus decoratur: non ſolum ſcilicet
ipſa gentium numeroſitate, verumetiam ingente digni-
tatis adepta poteſtate. Quam vtique Eſaü immoderatius
terrenos cibos quærens, vili pretio comparauit: quia de-
ſpectis terrenis voluptatibus, quibus carnalis ille &
Hebraicus populus ſemetipſum illicit, in domo paterna
primis ſedibus primiſque recubitis honorati, ac primis G
terræ viuentium funiculis meruit in poſſeſſionem dilata-
ri, Domino atteſtante qui ait: *Multi venient ab Orien-* Matth.8.
te & Occidente, ab aquilone & auſtro, & accumbent
in regno Dei: filij autem regni eijcientur in tenebras ex-
teriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium. Quos au-
tem alios filios regni vocat, niſi Iudæos? Quibus ex-
pulſis, conſtat nimirum, quia ex canibus filios ſibi
adoptauit in regnum. An non canes erant gentes, de
quibus Dominus in Euangelio propter probandam eo-
rum humilitatem, ad condemnandam Hebræorum
perfidiam dicebat: *Non eſt bonum tollere panem filio-* Matt.15
rum, & mittere canibus? Ad hæc Eccleſia ex gentibus
in illa Chananæa reſpondit: *Vtique Domine, nam &*
catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa Dominorum
ſuorum. Hinc enim agendæ ſunt gratiæ redemptori om-
nium, hinc ad amorem eius accendenda ſunt corda fi-
delium, quia ex canibus filij, ex ſeruis liberi, ex ter-
renis conciues cœli, atque ex deformibus gloria & ho-
nore condigni eſſe meruerunt. De quibus melius vtcum- H
que interius animus aliquid concipit, quam lingua ex-
terius profert. Sequitur:

Nec intrabit in eam aliquid coinquinatum, & faciens abominationem & mendacium, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ agni.

Futuri temporis hoc loco, ſicut & ſupra, Eccleſia cir-
cumſcribitur, quando non ſicut nunc, permixtos cum bo-
nis cohabitantes patitur malos: quia ſoli cum Chriſto bo-
ni regnabunt, cum quo & in quo in eadem Ieruſalem cœ-
leſti feliciter permanebunt. Quis ſit autem liber agni,
quidve ſit, in illo nomina iuſtorum ſcribi, paulò ſuperiùs
diſſeruimus. Inter hæc autem indiſcuſſum relinquere
non debemus, quod quidam heretici non ſolum priſ-
cis, verum etiam noſtris modo temporibus aſſeuerant,

poſt

A

poſt diem iudicii poſſe ex æterno ſupplicio liberari eos qui per gratiam Chriſti fidem & baptiſma ſunt conſecuti: illiſque cruciatibus propter fidem quam ſine operibus tenuerunt, poſſe purgari. Pro qua aſſertione aliiſque In-auditis blaſphemiis, ſanctorum concilium Origenem dudum eiuſque ſequaces anathematis fulmine percuſſit, Quod quidem non facerem, maxime cum ad hoc Eccleſiaſticos doctores, de quibus vnum nominatim exprimo, beatum Gregorium pontificem Romanum, ita argumentis fidei ac teſtimoniis ſcripturarum obuiaſſe cognoſcam, vt ita eorum imperitiæ atque perfidiæ ora contuderint atque oppilauerint, vt vltra quippiam de hac re loqui non poſſent: niſi nuper quidam ex numero fratrum, cuius nomen ideo reticeo, quia adhuc aut non audet, aut certe confunditur in publicum prorumpere, hæc quæ à ſanctis patribus condemnata ſunt, vera eſſe mihi pertinaciter ingeſſiſſet. Sed non ideo contra eius obiecta reſpondeo, vt eum qui huiuſmodi eſt confun-

B

dam: ſed vt ſi forte hæc quæ ſcribimus, vera ratione ſuperatus, ab errore vitæ ſuæ pedem intentionis remoueat: aut certe quia nunc intra ſanctam eccleſiam deeſſe tales non poſſunt, in illius tacita perſona omnibus

Mat. 25.

reſpondeam. Initium autem verborum illius ad me huiuſcemodi fuit: Indica, inquit, ſi in ſupplicio damnatis Chriſtianis poſt diem iudicii poteſt eſſe aliqua purgatio? Cui ego: Si verum eſt quod Dominus de reprobis ac falſis Chriſtianis dicit, *Ibunt in ſupplicium æternum:* nulla ratio admittit, vt poſt veniam conſequi poſſint: quia non poteſt eſſe mendacium, quod veritas de æterno ſupplicio dixit. Et ille: Sed hoc de igne potuit dici, qui propter diabolum eiuſque angelos vel incredulos exurendos, æternus vocatur, nam aperte ſcriptura non eos dicit in perpetuum cruciari. Cui, inquam: Si ve-

Ibidem.

rum non eſt quod minatus eſt, falſum proculdubio erit quod promiſit. Ait enim: *Ibunt hi in ſupplicium æternum, iuſti autem in vitam æternam.* Et ille: *Da*, inquit, *apertum teſtimonium, quo doceamur, quanquam multis ſceleribus obnoxii, in perpetuum cruciari.* Ad hæc ego non

1.Cor. 6.

meis, ſed Apoſtoli Pauli verbis reſpondi: *An neſcitis*

C

quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt? Nolite errare, neque fornicarii, neque idolis ſeruientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque auari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regnum

Ibidem.

Dei poſſidebunt. Ruſumque ille: Potuit hoc de illo tempore dici, antequam fierent Chriſtiani, maxime cum ita ipſe concludat: *Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis.* Cui, inquam: Non nego quod abluti fuerint his malis, ſed interrogo vt reſpondeas, vtrum poſſit homo poſt lauacri baptiſmum fieri iniquus, aut fornicarius, aut idolis ſeruiens, aut adulter, aut mollis, aut maſculorum concubitor, aut fur, aut auarus, aut ebrioſus, aut maledicus, aut rapax. Ad hæc ille: *Poteſt*, inquit. Cui ego: *Ergo ſi poteſt, niſi hunc fructuoſa pœnitentia ante diem obitus liberauerit*, vt Apoſtolus docet, *regnum Dei non poſſidebit.* Ruſumque ille vt erat obſtinatæ mentis, ait: *Si ergo quandoque regnum Dei non poſſidebit, quid eſt quod euangelium loquitur, dicens:*

D

Exactor mittet te in carcerem, amen dico tibi, non exies inde donec reddas nouiſſimum quadrantem? Ecce, ait, in his verbis aperte innuitur, tamdiu eum ſolummodo in ſupplicio cruciari, vſquequo nouiſſimum quadrantem, id eſt, minimum perſoluat peccatum. Cui ego: Si illa orationis particula, id eſt, donec, ita interponitur, vt poſt ſolutum nouiſſimum quadrantem de carcere eum exire doceat: ergo quod nefas eſt credere, & beata Vir-

Matth. 1.

go Maria poſt ortam in carne veritatem, Ioſeph virum

Pſal. 122.

ſuum cognouit. Sic enim illic dicitur: *Non cognouit eam donec peperit filium ſuum primogenitum.* Et illud. *Ecce ſicut oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum, & ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ, ita oculi noſtri ad dominum Deum noſtrum, donec miſereatur nobis.* Ergo quandiu ſeruis miſereatur dominus, tandiu oculi eorum intendent in eum poſtquam vero miſertus fuerit, auertent oculos ſuos ab eo? Ad hæc ille nil reſpondere valuit. Cui cum dicerem, vtrum nam adhuc in ſua ſen-

E

tentia perduraret, ſtulte reſpondit: nam nec illud, nec iſtud ſe credere profeſſus eſt. Sed iam quia nec prolixiorem locutionem ex his habuimus, quid de hac re ſentiamus, & illi & omnibus manifeſtius aperiamus. Conſtat namque & verum eſt, non de aliis dominum redemptorem dixiſſe, niſi de his qui fidei baptiſmum ſunt con-

Matt. 20.

ſecuti: *Multi ſunt vocati, pauci vero electi.* Si ergo multi ſunt vocati, ſed pauci electi, conſtat nihilominus quia nullus niſi electus ad vitam æternam intrabit. Apoſtolus

Tit. 1.

denique de quibuſdam Chriſtianis dicit: *Confitentur ſe*

Mat. 10.

noſſe Deum, factis autem negant. Et dominus definite ait: *Qui autem me negauerit coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo & coram angelis eius.* Quique alibi

Matt. 7.

ait: *Non omnis qui dicit mihi, domine, domine, intrabit in regnum cælorum: ſed qui facit voluntatem patris mei qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum.* Quid apertius, quid lucidius ſuper hac re poteſt inueniri? Ecce etenim apertiſſime veritas docet, non omnes Deum

F

per fidem confitentes, intraturos in regnum cælorum: & audet quiſquam ore diabolico mendaciter fingere, quod eadem veritas denegat? Neque enim ait, qui me nunc per fidem inuocauerit, voluntatemque patris non fecerit poſt inferni ſupplicia regnum cælorum intrabit: ſed ait, non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, quod vtique ad confeſſionem fidei pertinere videtur: ſed qui facit voluntatem pa-

Mat. 7.

tris mei qui in cælis eſt, ſubaudis operando iuſtitiam, ipſe intrabit in regnum cælorum. Teſtatur etiam Dominus alibi in futurum impios dicturos: *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in tuo nomine virtutes multas fecimus?* Qui-

2. Tim. 2.

bus ſe ilico reſponſurum eſſe fatetur, dicens: *Tunc confitebor illis quia nunquam noui vos: diſcedite à me operarii iniquitatis.* Paulus quoque affirmat, dicens: *Firmum ſtat Dei fundamentum, nouit Dominus qui ſunt eius.* Si ergo

Pſal. 68.

verum eſt quod veritas dicit, & ſi verum eſt quod Apoſtolus concors veritatis dicit, proculdubio quos nun-

G

quam ſe Dominus nouiſſe in futurum proteſtatur, non ſunt eius, quia nouit dominus qui ſunt eius. Si, inquam, nouit dominus qui ſunt eius, & in futurum de miraculis conquerentibus dicit, nunquam noui vos: illos ſolummodo quos nouit, in libro vitæ ſcriptos tenet. Quo contra de illis quos non nouit, per Pſalmiſtam dicitur: *Deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur.* Et vt nimis in longum ſermo non proſiliat, in iſtius Apocalypſis locutione apertiſſime innuitur, poſt vltimum iudicii diem, nullum introeundi aditum ad electorum ſocietatem reprobis eſſe. In hoc enim verſu, ex quo iſta prouenit occaſio de hac re diſputandi, ita de ſancta cæleſtique ciuitate dicitur: *Et omne maledictum non intrabit in eam, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ agni.* Et quid

Mat. 25.

eſt omne maledictum, niſi illud quod benedictionem illam ſuſcipere non meretur, de qua voce redemptoris dicitur: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi:* ſed illam maledictionem audire, *diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis eius?* Sed ecce dum iſta fi-

1 Cor. 3.

nire quærimus, ad memoriam redit quod ſuperius eidem memoriæ defuiſſe videtur: quod idem vir qui nos ad iſta

H

loquenda compulit, vehementiſſime quærebat, dicens: Si criminoſi Chriſtiani poſt ſupplicium non ſaluantur, quid eſt quod Apoſtolus de eo cuius opus arſerit dicit: *Ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem?* Ad hæc autem agiliter ego reſpondi, nequaquam ignem æternum eſſe in quo dies domini reuelabitur, per quem & non alii niſi hi qui Chriſtum in fundamento habuerint, poſſunt ſaluari: hi ſcilicet qui ligna, fœnum atque ſtipulam, id eſt, minuta peccata quæ facile poſſunt igne cremari, in Chriſtum credentes, committunt. Sed nunquid fornicarius aut adulter Chriſtum habet in fundamento, & non potius meretricem in ruinoſam arenam? *Qui adhæret*, inquit Apoſtolus, *meretrici, vnum corpus efficitur.* Et rur-

1. Cor. 6.

ſum: *Qui adhæret domino, vnus ſpiritus eſt.* Ergo cui adhæret quiſque ipſum & pro fundamento habet. Concedat ergo quiſquis ille eſt, illum poſſe per illum ignem

purgatorium

A purgatorium ſaluari, qui Chriſtum habuerint in fundamento, id eſt, qui fidem criminoſis operibus hinc non detulerit ioacularam, ac nequaquam gehennæ ignem dicat eſſe in quo dies domini declaratur, ſed illum, qui ſecun-
2. Pet. 3. dum Petri ſeotentiam hæc viſibilia elementa concremabit. Dicamus etiam illi qui eiuſmodi eſt, ſi nos recipit, quid ſit illud de quo dubliat, *Amen dico tibi, non exies inde donec reddas nouiſſimum quadrantem.* Sic enim dicitur,
Matth. 5. *Non exies inde donec reddas nouiſſimum quadrantem:* ac ſi diceretur, qoouſque etiam pro minimis peccatis mortis vindictam accipias. Nam & humana locutione ſic homines dicere ſolent homicidis vel furibus in carceribus retruſis: Non exies hinc vſquequo pro malis tuis ibidem moriaris. Quia enim æteroum ſupplicium mors ſecunda vocatur, & eadem mors quos ſuſcipit, ſemper quidem occidit, ſed ounquam perfecte extinguit: io eo quod dicitur, non exies inde donec reddas nouiſſimum quadrantem, non ſolum pro magnis, verum etiam pro mioimis peccatis vltiooem æternam iniqui perſoluere docentur. Sed iam
B ne iſta reſumpto locutionis flatu, vltra quam debent in immenſum extendantur, poſtponenda ſunt, maxime cum & de his beatum Auguſtinom atque Gregorium ſequens, in hoc opere alibi me diſputaſſe recognoſcam. Sequitur:

Apocal. ca. XXII. *Et oſtendit mihi flumen aquæ vitæ, ſplendens tanquam cryſtallum, procedens de ſede Dei & agni, in medio plateæ eius, & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menſes ſingulos reddens fructum ſuum, & folia ligni ad ſanitatem gentium.*

C Poſſunt cuncta hæc non inconueoienter ad præſens tempus referri, quo adinſtar paradiſi prædicationis flumine ſancta rigatur Eccleſia. Niſi enim prædicatio ſancta fluminis vocabulo deſignaretur, oequaquam Salomon dice-
Pro. 18 Iohan. 7. ret: *Aqua profunda, verba ex ore viri: & torrens redundans, fons ſapientiæ.* Niſi prædicatioois ſermo per flumen expri-
Pſal. 106. meretur, nequaquam Dominus in Euangelio dixiſſet: *Qui credit in me ſicut dicit ſcriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Iſtis fluminibus gentilitatis corda irrigari conſpexerat Pſalmiſta, cum diceret: *Poſuit deſertum in ſtagnum aquæ, & terram ſine aqua in exitus aquarum.* Quæ videlicet ſancta prædicatio, & vnum eſt flumen & multa flumina: quia & vnitatem fidei annuntiat, & tameo vt multos irriget, per multorum ora diffunditur. De ſede autem Dei & agni, in plateam ciuitatis deriuatur, quia per Prophetas atque Apoſtolos ad gentes percurrit. Bene etiam flumeo aquæ vitæ vocatur, quia quos irrigat, viuificat. Recte cryſtallo ſplendido comparatur, quia quos irrigando viuificat, ad aquam baptiſmatis perduceos,
D mox & puritate ſplendidos, & robore fortiſſimos reddit. Ex qua proculdubio irrigatione fluminis, illud lignum in
Pſal. 1. cordibus fidelium radicatur, de quo per Pſalmiſtam dicitur: *Et erit tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum.* Quod eſt autem hoc lignum, ad humo-
Pro. 3. rem aquæ virens, niſi incarnata Dei ſapientia, de qua per Salomonem dicitur: *Lignum vitæ eſt his qui apprehenderint eam?* Hoc inquam eſt illud lignum, ad quod nunc ſi quis extenderit manus viuet in æternum. Quodque ex vtraque parte fluminis eſſe deſcribitur, quia & vetus & nouum teſtamentum Chriſtum annuntiant. Qui ſunt autem fructus ligni duodecim, niſi virtutes ſanctorum, quæ ex prædicatione naſcuntur Apoſtolorum? Sicut enim redemptor noſter annus, ſic apoſtoli non incongrue menſes vocantur eiuſdem Redemptoris. Sicut etiam ille dies, ſic iſti horæ appellantur. Et quia Dominus & Eccleſia vna eſt arbor, conſtat oimirum quia ex radice ſtipitis
Iohan. 15. prodeunt duodecim fructus quos rami per ſingulos menſes reddunt. Ipſe enim dixit, *Sine me nihil poteſtis facere.* Quid vero per folia ligni, quæ ad ſanitatem gentium pro-

E uenſunt, credimus deſignari, niſi ex doctrina Apoſtolorum, ortos in Eccleſia prædicatores, qui & fide virentes, & vnitatis concordia inuicem inhærentes, nullis tentationum flatibus, nulliſque perſecutionum turbinibus ab vnitate Eccleſiæ poſſunt euelli, Pſalmiſta atteſtante, qui de eodem ligno loquitur, dicens: *Folium eius non deſluet?* Quique in ſanitatem gentium proficiunt, Pſal. 1.
quia dum & in ſeipſis fidei vigorem atque vnitatis concordiam oſtendunt, & hæc eadem aliis prædicant, nimirum ex ſeipſis medicamentum quodammodo vulneris, exemplo & verbo faciunt quo ſanetur. Poſſunt quidem (vt dictum eſt) oon inconuenienter hæc ita accipi, ſed ſequens verſus ad futurum tempus hæc eadem nos cogit referre. Dicatur ergo: [*Et oſtendit mihi flumen aquæ vitæ, ſplendens tanquam cryſtallum, procedens de ſede Dei & agni, in medio plateæ eius: & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menſes ſingulos reddens fructum ſuum: & folia ligni ad ſanitatem* F
gentium.] Flomen aquæ vitæ, hoc loco ille debet intelligi, qui & fons, ſcilicet ſummus atque incircumſcriptus ſpiritus, de quo ſcriptum legimus: *Apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Supra denique dixerat, *Ego ſitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis.* Vnde & Pſalmiſta vt oſtenderet fontem eſſe ipſum qui Pſal. 35
flumen eſt, ait: *Filii hominum in protectione alarum tuarum ſperabunt: inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, &* Apo. ca. 21 Pſal. 35.
torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te eſt fons vitæ. Quod videlicet flumen recte cryſtallo ſplendido comparauit, quia ſitientes quos rigando ſatiat, incommutabili fortitudine ſolidat. Quodque à ſede Dei procedere dicitur, & in plateam ciuitatis deriuari. Vbi magnopere cauendum eſt, ne carnalis cogitatio ſurrepens, in his vocabulorum diuerſis nominibus diuerſa ſignificari arbitretur: tanquam ſcilicet aliud cogitet eſſe ſedem Dei, de qua idem flomen emanat: atque aliud plateam ciuitatis, ad quam defluit: aut aliud arbitretur deſignari per ſedem in ſede, aliud per flumen vitæ procedens de ſede, atque aliud per lignum vitæ ex G
vtraque parte fluminis conſitum: ſed ipſam eſſe ſedem Dei & agni, quæ eſt & ciuitas ac platea ciuitatis: atque ipſum eſſe qui ſedet vt rex in throno, ipſum qoi vt fons vitæ redundat in ſede, ipſum qui vt flumen deriuatur ad ciuitatis plateam, ipſum etiam lignum vitæ, quod hinc inde poſitus eſt ad refectionem. Deus enim omnipotens, quia angelicam atque humanam creaturam præſidendo tegit, recte ſuper thronum ſedet. Quia autem quos præſidendo tegit, ipſa vbertatis ſuæ viſiooe debriat, bene in ſede tanquam fons redundat. Quia vero ipſa hubertas potationis quæ ſimul habetur ab omnibus, pro ſingulorum meritis vnicuique diſtribuitur, iure in medio plateæ ciuitatis tanquam de fonte deriuari dicitur, ex quo vnuſquiſque habitator ciuitatis pro viribus hauriat, pro meritis accipiat. Et quia aogelicam atque humanam naturam hinc inde ſatiat, ipſaque viſio- * Potatio.
nis * potio ita eſt multimoda, vt quicquid tunc cuiquam in deſiderium venerit, hæc eadem viſio fiat, dig- Exod. 16
ne lignum vitæ hinc inde poſitum eſſe deſcribitur. Sed nec mirum, cum & ipſum manna filiis Iſraël de cælo H
attributum, per quod æterna ſatietas figurabatur, hoc ſecundum ſcripturæ ſententiam vnicuique ſapuerit in ore, quo fuiſſet delectatus. Ad hoc enim pertinere videtur, quod de eodem ſummo atque incomprehenſibili ſpiritu dicitur: *Erit Deus omnia in omnibus.* Propter hanc namque 1. Cor. 15.
rationem ipſe lux illuminans, ipſe vita viuificans, ipſe fons vel flumeo vel torrens inebrians, ipſe panis vel lignum vitæ ſatians vocatur. Qui ſunt autem fructus ligni duodecim, redditi per menſes duodecim, niſi ipſa viſio ſatietatis ſine fine manens? Solet enim in diuinis voluminibus Dei æternitas aliquando per vnum diem, aliquando per multos, aliquando per menſem vel menſes, aliquando per annos deſignari. Æternitas enim Dei vnius diei ſpatio deſignatur, ſicut eidem per Pſalmiſtam dici- Pſal. 83.
tur: *Melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper millia.* Multorum autem dierum figuratur, ſicut de Domino per beatum Iob dicitur, *Qui nouerunt eum, ignorant dies illius.*

Menſis

A Menſis vero vnius vel multorum, ſicut per Prophetam
de electorum requie dicitur, *Et erit eis menſis ex menſe:*
Iſai 66. atque ſicut hac in Apocalypſi duodecim menſes in red-
dito electorum fructu deſcribuntur, annorum quoque
ſpatiis ipſa beata æternitas exprimitur: ſicut eidem per
Pſal.60. Pſalmiſtam dicitur, *In ſæculum ſæculi anni tui.* Et rur-
Pſal.101. ſum: *Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.*
Lignum ergo vitæ per menſes duodecim fructus reddit:
quia ipſa merces beatæ immortalitatis qua fruuntur ele-
cti, nullum tranſitum habet, ſed ſine fine manet. Quid
verò hoc loco per folia ligni accipimus, quæ ad ſani
tatem gentium proficiunt, niſi perpetuæ laudis harmo-
niam, quæ ex ipſa viſione conditoris in electorum cor-
dibus exoriens, in ſanitatem cedit felici iam ſorte lau-
dantibus? Quo circa vbi æternus vigor, nulla vnquam
ineſſe ſinitur ariditas: vbi perfecta & ſtabilis ſanitas,
Iſai. 35. nulla prorſus interpolat infirmitas, quod Spiritus San-
ctus per Prophetam repromittit, dicens: *Gaudium &
lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.* Ibi enim
B gentium ſanitas vera, redemptio plena, & felicitas per-
manet ſempiterna. Itaque quaſi quoddam ſanitatis cata-
plaſmum ex foliis ligni, gentibus ad ſanitatē imponitur,
cum earum corda perpetua creatoris laus obtinens, nul-
lam in eis fatigationem, nullam laſſitudinem, nullam tri-
ſtitiam, nullum mœrorem ſinit ineſſe. Sequitur:

Et omne maledictum non erit amplius.

Subaudis, in illa ciuitate, in illa ſanctorum ſocietate,
in illa æterna felicitate. Nimirum quia & ipſa electa
Matt.25. ciuitas in ſuis habitatoribus audiet: *Venite benedicti pa-
tris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab ori-
Ibid. gine mundi:* & reprobam maledictionis ſententiam ac-
cipiens, audiet: *Ite maledicti in ignem æternum, qui pa-
ratus eſt Diabolo & Angelis eius.* Maledictum itaque in
illa ciuitate non erit, quia omnes tanquam filij benedi
ctione paterna potientur. Quod Pſalmiſta in Spiritu San-
Pſal.84. cto futurum præuidens, de præterito tanquam de futuro
C loquitur, dicens: *Benedixiſti Domine terram tuam, auer-
tiſti captiuitatem Iacob: remiſiſti iniquitatem plebis tuæ, ope-
ruiſti omnia peccata eorum, mitigaſti omnem iram tuam,
auertiſti ab ira indignationis tuæ.* Sequitur:

Et ſedes Dei & agni in illa erunt, & ſerui eius ſeruient illi.

Vnam ſedem ſingulari numero ſuperiùs memoraue-
rat, de qua flumen aquæ vitæ manare vidiſſe ſe dixerat:
nunc autem plurali numero ſedes introducit. Sed hoc
ſignificant plures ſedes, quod vna ſedes, electorum ſci-
Pſal. 121. licet Eccleſiam, de qua per Pſalmiſtam dicitur: *Illic ſede-
runt ſedes in iudicio, ſedes ſuper thronum Dauid.* Nam &
in hac Apocalypſi in viginti quatuor ſenioribus totidem-
que ſedibus, ipſa electorum Eccleſia ſæpè figuratur. Quæ
ſcilicet & propter vnitatem fidei in vna ſede, & propter
D diuerſitatem gentium ac populi Iſraëlis in viginti qua-
tuor ſedibus exprimitur, & quia à ſummo ſine fine in-
Pſal 47. ferior regitur, etiam in illa patria ſedium nomina nulla-
tenus amiſit. Vnde ſcriptum eſt: *Hic eſt Deus noſter in
Pſal.22. æternum & in ſæculum ſæculi, ipſe reget nos in ſæcula.* Hinc
rurſùm dicitur: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in
loco paſcuæ ibi me collocabit.* Ne autem ab hac ſeſſione
quaſi creatura à ſummo atque incommutabili ſpiritu ſe-
cundum hæreticorum figmenta Dei filius pro nobis in-
carnatus, putaretur alienus: idcirco Dei & agni ſedes in
illa ciuitate eſſe referuntur, non quo ſcilicet alia ſit agni
ſedes, alia Patris & Spiritus Sancti, ſed quo in ſua diui-
nitate æqualis eſſe per omnia doceatur. Sed cum Domi-
Ioan. 15. nus diſcipulis adhuc mortalibus dicat: *Iam non dicam
vos ſeruos, ſed amicos meos: quia omnia quæcumque au-
diui à patre meo, nota feci vobis:* mirandum valde eſt,
quomodo iam immortales effectos, ipſaque omnia quæ
ibi facta fuerant, nota cernentes, ſeruos iſta Scriptura
vocet, aut ſi iam à ſeruitute corruptionis liberati, ad li-
bertatem & gloriam filiorum Dei tunc peruenient, quo- E
modo in illa æterna quietè ſeruire narrantur? Sed ſcien-
dum nobis eſt, quia in eo quod iam in laboris certa-
mine non deſudabunt, ſed in æterna quietè fouentur;
liberi erunt ac nulla ſeruitute obnoxij; quia vero à ſu-
periore etiam tunc reguntur, non timoris, ſed amoris
ſerui erunt. Nunc autem eis dicitur, *Seruite Domino in* Pſal.2.
timore: tunc autem, *Vacate & videte quoniam ego ſum* Pſal.45.
Deus. Et quæ erit illa ſeruitus, niſi laus infatigabilis;
laus indeficiens, laus ſemper amore ſuccreſcens? De
quibus adhuc ſubditur:

Et videbunt faciem eius.

Hic manifeſtè oſtenditur, quæ ſit illa ſeruorum ſer-
uitus, qui faciem Domini ſui indeſinenter aſpiciunt. Et
quid per faciem Dei, niſi cognitionem viſionis eius in-
telligere debemus? Abſit autem vt aliquid corporeum
in eo mens humana fingat, & talem eum faciem habe-
re, qualem conſueuit corporeis oculis videre, exiſtimet. F
De qua viſionis cognitione per Paulum dicitur: *Vide-* 1.Cor.13.
*mus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad
faciem.* Sciendum verò nobis eſt, quod fuere nonnulli,
qui Deum dicerent in illa regione beatitudinis, in cla-
ritate ſua quidem conſpici, ſed in natura minimè vide-
ri: quos nimirum minor inquiſitionis ſubtilitas fefellit.
Neque enim illi ſimplici atque incommutabili eſſentiæ
aliud eſt claritas, aliud natura, ſed ipſa ei natura ſua cla-
ritas, ipſa claritas natura eſt. Quia enim in illa beata in-
uiſibilique natura, vt eſt, quandoque videndus ſit Deus,
teſtatur Ioannes in Epiſtola ſua, dicens: *Chariſſimi, nunc* 1.Ioan. 3.
*filij Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus: ſcimus
autem quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quo-
niam videbimus eum ſicuti eſt.* Hinc Dominus dilecto-
ribus ſuis pollicetur dicens: *Si quis diligit me, diligetur* Ioan. 14.
*à patre meo: & ego diligam eum, & manifeſtabo ei me-
ipſum.* Ac ſi patenter dicat: Qui in veſtra me cernitis,
reſtat vt in mea me natura videatis. Hinc rurſùm ait:
Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Sed Matth. 5.
quia de Deo per primum Eccleſiæ paſtorem dicitur, *In* 1.Pet.1.
quem deſiderant Angeli proſpicere: ſunt nonnulli qui ne- G
quaquam Deum videre vel Angelos ſuſpicantur, & ta-
men dictum per veritatis ſententiam ſcimus. *Angeli eo-* Matt.18.
rum in cælis ſemper vidēt faciem patris mei qui in cælis eſt.
Nunquid enim aliud veritas, aliud prædicator inſonat
veritatis? Sed ſi ſententia vtraque conſpicitur, quia ſibi
nequaquam diſcordet, agnoſcitur. Deum quippe Angeli
& vident, & videre deſiderant: & intueri ſitiunt, & in-
tuentur. Si enim ſic videre deſiderant, vt effectus ſui de-
ſiderio minime perfruantur, deſiderium ſine fructu an-
xietatem habet, anxietas pœnam. Beati vero Angeli ab
omni pœna anxietatis longè ſunt, quia nunquam ſimul
pœna & beatitudo conueniunt. Rurſum, cum eos dici-
mus de Dei viſione ſatiati, quia & Pſalmiſta ait, *Satiabor* Pſal.16.
dum manifeſtabitur gloria tua: conſiderandum nobis eſt,
quoniam ſatietatem ſolet faſtidium ſubſequi. Vt ergo re-
ctè ſibi vtraque conueniant, dicat veritas quia ſemper
vident: dicat prædicator egregius, quia ſemper videre de- H
ſiderant. Ne enim ſit in ſatietate faſtidium, ſatiati deſide-
rant, & ſi deſiderant, igitur ſine labore ſunt: quia deſi-
derium ſatietas comitatur, & ſatiantur ſine faſtidio, quia
ipſa ſatietas ex deſiderio ſemper accenditur. Sic quoque
& nos erimus, quando ad ipſum fontem vitæ venerī-
mus. Erit nobis delectabilis impreſſa ſitis ſimul atque ſa-
tietas, ſed longè aberit à ſiti neceſſitas, longè à ſaturitate
faſtidium, quia & ſitientes ſatiabimur, & ſatiati ſitiemus.
Videbimus igitur Deum ipſum qui erit præmium labo-
ris noſtri, & poſt mortalitatis huius tenebras accenſa
eius luce gaudebimus. Iam nunc requirendum eſt, verum
tunc in illa beatitudine ineffabilem & inacceſſibilem at-
que incommutabilem lucem, corporeis oculis videre
poſſimus: de qua ſcilicet viſione glorioſus antiſtes, Pa-
ter Auguſtinus à quadam religioſa Dei rogatus vt ſcribe-
ret, autoritate plenam Epiſtolam edidit, quique petitio-
nem eius diu diſtulit, quia (vt ipſe ait) de tanta re diu

A multumque cogitandum fuit. Tandem autem ad ſcribendum compulſus, quia à multis de eadem re ſuam ſententiam credi poſſe dubitabat, quod & contigit: adhibuit firmiſſimos Eccleſiæ teſtes, hæc eadem quæ ipſe ſentiebat, affirmantes: Hieronymum ſcilicet Presbyterum, in diuinis Scripturis doctiſſimum, Ambroſium Mediolanenſem, Gregorium Nazianzenum, Athanaſium Alexandrinum. Et quamquam ſua & eorum dicta non pro Canonicis libris accipienda docuerit, ex eiſdem tamen libris eadem dicta munita oſtendit. Cuius ergo aſſertiones tam firmas tamque roboratas, huic operi credidi annectendas, ſed non ea prolixitate vel ordine, quo ab illo digeſtæ ſunt, ſola & breuitatis compendio vtens, pauca de multis aſſumo, & quædam ſtylo propriæ locutionis exprimo. Age nunc, videamus primum vtrum ad corpus, an ad ſpiritum ſublimior atque beatior viſus pertineat: & tunc demum cautiſſime pertractemus, an aliquando hoc poſſit intueri inferior, quod poteſt viſus

Ioan. 4. ſuperior. Cuoctis itaque vera ſcientibus liquet, quia Deus

B nou corpus, ſed ſpiritus eſt: ſpiritus autem nec localis nec circumſcriptus, Pater & Filius & Spiritus Sanctus. Quis autem ita deſipiet, vt neget videre Patrem Filium, aut Filium Patrem, vel Spiritum Sanctum Patrem & Filium? Ergo ſi ſecundum rectam fidem & Pater videt Filium, & Filius Patrem, & Spiritus Sanctus Patrem & Filium, quia & hoc Scriptura ſancta teſtatur, & tamen nec Pater nec Filius nec Spiritus Sanctus per corpus ſe videt: patet proculdubio, quia potior ac beatior viſus nou corpori, ſed ſpiritui tribuendus eſt. Non ſolum autem, ſed & creaturam ſuam videre dicitur is, qui nulla corporis mole circumſcribitur, vt eſt illud in principio creationis mundi, *Vidit Deus lucem quia bona eſt, & firmamentum & mare & aridam & omne fœnum atque omne lignum, Solem, Lunam, ſtellas, reptilia animarum viuarum, volatilia cæli*: & ad extremum, *Vidit*

Geneſ. 1. *Deus omnia quæ fecerat, & erant valde bona.* Hæc de incircumſcripti atque incorporei ſpiritus viſione, qua & ſe & ſua ſine corpore videt, dicta ſufficiant. Iam ve-

C rò ſi ad noſmetipſos recurrimus, longè præſtantiorem, longè meliorem, longè clariorem inuenimus viſionem cordium, quam corporalium oculorum, qua ſi quis perfruitur, clauſis etiam corporalibus oculis, ſumma & infima valet intueri: à qua ſi quis excluditur, etiam patentibus eiſdem oculis, optima quæque non valet inſpicere. Hinc namque videntes appellati ſunt Prophetæ, non quia corporalibus, ſed ſpiritalibus oculis ventura & abſcondita videbant. Secundum itaque potiorem viſionem, qua per ſpiritum ſpiritalia ſimul & corporalia inſpicimus, videre Deum in futurum certiſſimè retinemus: ſecundum verò inferiorem, qua per corpus corporalia tantum atque localia aſpicimus, non facile dixerim, quis (vt dictum eſt) ſummus ille ac viuificator ſpiritus, nec corporeus nec localis eſt. Erigamus ergo oculos vbi ad imaginem Dei conditi ſumus, & ibi Deum videre quæramus, vbi quantulacumque eius imago ſumus. Sed ponenda ſunt exempla, quibus probemus Deum non corporalibus, ſed ſpiritualibus poſſe

D intueri. Quis enim neſciat, charitatem minimè poſſe oculis cerni corporalibus? Si igitur doceri poteſt, quod charitas corporalibus oculis valeat intueri, fortaſſe poteſt & Deus: ſi autem iſta nunquam, multo minus ipſe fons eius. Neque enim per oculos corporis, vel magnitudinem vel pulcritudinem charitatis valemus videre, quia nec corpus eſt aliquod, nec in loco videtur charitas. Et quidem magna res eſt charitas, pulcra res eſt, ſed (vt diximus) nec localis, nec corporalis res eſt. Quia vero nec localis nec corporalis res eſt, ſine mole magna eſt, ſine colore pulcra eſt, ſine ſtrepitu ſonabilis eſt, ſine viſu conſpicabilis eſt, ſine tactu palpabilis eſt, ſine ſitu præſens eſt. Hanc quippè nec cum magnam intelligimus, aliquam molem intelligendo luſtramus: nec cum pulcritudinem eius cogitamus, quoſdam imaginarios colores introducimus: nec cum nobis intus loquitur, vt ſecundum eam viuamus, vllos perſtrepere ſonos audimus: nec vt eam cernamus, corporalium lumen eri-

E gimus oculorum: nec vt eam teneamus, fortiter corporalium vires præparamus lacertorum: nec cum nobis venit, in mente ſentimus eius inceſſum. Quamobrem ſi pignus æternæ claritatis nec in loco videtur, nec corporalibus oculis cernitur, nec circumſcribitur inceſſu: quanto magis ipſa lux, fons & origo ipſius pignoris? Et vt inculcando idipſum repetamus, ſi interior noſter homo quantulacumque imago eius, non de illo genita, ſed ab illo creata, quamvis adhuc renouetur de die in diem, iam tamen tali inhabitatur lumine, quo nullus oculorum corporalium ſenſus accedit: quanto magis Deus qui lucem habitat inacceſſibilem corporis ſenſibus, quo nec ipſius niſi mundi poteſt eſſe cordis acceſſus? Si inquam optimum noſtrum, hoc eſt, interior homo, inuiſibilis eſt inferiori noſtro id eſt, homini exteriori: quomodo non magis id quod eſt melius optimo noſtro, Deus ſcilicet animæ noſtræ, inuiſibilis erit inferiori noſtro, ſubaudis, corpori noſtro? O corporis oculi, radios æterni ſolis animam illuſtrantes, non valetis inſpicere, &

F in ipſum ſolem procaciter vultis intendere? Abſit autem ô quæcumque es anima Chriſtiana, vt tam exiguam rem Deum eſſe arbitreris, quæ poſſit per oculos corporis quantalibet excellentia illuſtratos, videri. Introducit itaque idem Beatus Auguſtinus ad hæc confirmanda teſtes idoneos, & dicit: Magni viri & in Scripturis ſanctis doctiſſimi, qui plurimum Eccleſiam Dei & bona ſtudia fidelium ſuis literis adiuuerunt, vbi eis occaſio data eſt, dixerunt inuiſibilem Deum inuiſibiliter videri: hoc eſt, per eam naturam quæ nobis inuiſibilis eſt, id eſt,

per ſpiritum & cor mundum. Quique quatuor adhibet, Deut. 17. Matt. 18.

ſed mihi cuius ſtudium eſt iſta breuiter comprehendere, duo ſufficiunt, præſertim cum Scriptura pronuntiet, in duobus vel tribus teſtibus ſtabit omne verbum. Denique de vno horum idem ſic loquitur: Sanctus, inquit, Hieronymus dicit non ſolum Patris diuinitatem, ſed nec Filij quidem & Spiritus Sancti, quæ vna in Trinitate natura eſt, poſſe oculos carnis aſpicere, ſed oculos men-

tis, de quibus ipſe Saluator ait: *Beati mundo corde, quo-* Matt. 5.

G *niam ipſi Deum videbunt.* Quid hac manifeſtatione lucidius? Si enim tantummodo dixiſſet, nec Patris, nec Filij, nec Spiritus Sancti diuinitatem poſſe oculos carnis aſpicere: nec addidiſſet, ſed oculos mentis, fortè diceretur, carnem iam non eſſe appellandam, cum corpus fuerit ſpiritale. Addendo ergo & dicendo, ſed oculos mentis, ab omni genere corporis alienauit huiuſmodi viſionem. Ne quis autem putaret eum tantummodo de præſenti tempore locutum, ſubiecit etiam Domini teſtimonia, volens oſtendere quos dixerit oculos mentis. Quo teſtimonio non præſentis, ſed futuræ viſionis promiſſio declaratur: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Quæ ſcilicet Beati Hieronymi aſſertio vt firma maneret, alterius hanc idem Pater Auguſtinus curauit teſtimonio roborare, dicens: Hinc eſt quod etiam Beatiſſimus Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus, in ipſa reſurrectione dixit, non facilè eſſe Deum videre, niſi his qui mundo ſunt corde, & ideo ſcriptum eſt, Beati mundo cordè, quoniam ipſi Deum

H videbunt. Quantos, inquit, iam numerauerat, & tamen eis videndi Deum non promiſerat facultatem? Deinde adiungit & dicit: Si ergo hi qui mundo ſunt corde, videbunt, vtique alij non videbunt. Et ne illos

alios acciperemus, de quibus dixerat, *Beati pauperes,* Ibidem.

beati mites, & cætera, continuo ſubiunxit: *Neque enim indigni Deum videbunt*: indignos vtique illos volens intelligi, qui licet reſurgant, Deum videre non poterunt, quoniam ad damnationem reſurgent, quia per fidem veram quæ per dilectionem operatur, cor mundare noluerunt, & ideo ſequitur & dicit, neque is qui Deum videre noluerit, poteſt Deum videre: deinde quia occurrebat, etiam omnes impios velle Deum videre, ſtatim vt oſtenderet quare dixerit, qui Deum videre noluerit, quia vtique illo modo Deum non vult videre impius, quia cor mundare non vult quo ille videri poteſt, ſecutus adiunxit & ait: Nec in loco Deus videtur, ſed corde mundo, nec corporalibus oculis Deus quæritur,

nec

A nec circumſcribitur viſu, nec tactu tenetur, nec auditur
affatu, nec ſentitur inceſſu. Quibus verbis Beatus Am-
broſius voluit admonere, quid debeant homines præpa-
rare, qui volunt Deum videre, hoc eſt, cor mundare per
fidem, quæ per dilectionem operatur dono Spiritus ſan-
cti, vnde pignus accepimus, quo illam viſionem deſide-
rare nouerimus. De qua etiam beata, & (vt ita dixerim)
inuiſibili Dei viſione, vtrum ad oculos corporis referri
poſſe credatur, diligentius ſe inquiſiturum idem egregius
tractator promittens, ad eandem religioſam ancillam
Chriſti Paulinam præmiſit, dicens: Donec diligenti in-
quiſitione, ſi Dominus adiuuerit, reperiatur, quid ſecun-
dum ſcripturas de ſpiritali corpore quod in reſurrectione
promittitur, probabilius ſentiendum ſit: interim nobis
ſufficiat, quod vnigenitus filius idemque mediator Dei
& hominum homo Chriſtus Ieſus, ita videt patrem ſi-
cut videtur à patre. Sed obſecro te doctor Iſraël, cur non
addidiſti, quomodo nunc filium videat pater. Nunquid
nam cum voluerit videre, corpus aſſumit vt per oculos
B eum conſpiciat? Quod idcirco non feciſti, quia ipſos
etiam paruulos intelligere credidiſti, nequaquam patrem
per corpus intueri filium. Deinde ſubinfert & dicit: Nos
autem ad illam viſionem quæ nobis in reſurrectione pro-
mittitur, non ex hoc mundo iſtam concupiſcentiam
oculorum transferre conemur, ſed mundandis cordibus
pio ſtudeamus affectu, nec corporalem faciem cogite-
mus, cum Apoſtolum dicere audimus. Videmus nunc per
ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, præ-
1.Cor.13. ſertim cum expreſſius dixerit: *Tunc autem cognoſcam ſi-
cut & cognitus ſum.* Si igitur tunc corporali facie Deum
cognoſcemus, corporali nunc etiam facie (quod nefas
eſt credere ab ipſo cogniti ſumus. *At*, inquit, *tunc cog-
noſcam ſicut & cognitus ſum.* Vnde quis eum non intelli-
2. Cor. 3. gat, eo loco etiam noſtram faciem ſignificare illum vo-
luiſſe, de quo dicit alio loco: *Nos autem reuelata facie
gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transfor-
mamur, de gloria in gloriam tanquam à Domini ſpiritu*:
De gloria ſcilicet fidei, in gloriam contemplationis æter-
C næ? Quæ eſſet autem hæc reuelata facies, idem adhuc
Beatus Epiſcopus eiuſdem Apoſtoli teſtimonio in ſubſe-
Ibidem. quentibus explanat, dicens: *Quandiu legitur Moyſes,
idipſum velamen eſt ſuper cor eorum.* Ibi ergo electos re-
uelatam faciem habere dixit Apoſtolus, *vbi velamen eſt
Moyſi legis*, id eſt in corde. Itemque de eadem futura vi-
ſione cuidam conſacerdoti ſcribens, ait: Si enim hoc in-
uenerit inquiſitio diligentior tantam futuri corporis mu-
tationem, vt poſſit videre inuiſibilia, non (vt opinor)
talis potentia corporis, menti auferet viſionem, vt ex-
terior homo Deum videre nunc poſſit, non poſſit inte-
rior: quaſi tantum foris ſit Deus ad hominem, vt intus
non ſit, cum ſit Deus omnia in omnibus: aut ita ſit in-
tus ille, qui ſine vllis locorum ſpatiis vbique totus eſt,
vt foris tantum videri ab exteriore homine poſſit, intus
autem ab interiore non poſſit. Quod ſi abſurdiſſimè pu-
tatur, magis enim pleni erunt Deo, non inanes intrin-
ſecus, ab illo circumdabuntur extrinſecus: nec cæci
eum intrinſecus quo pleni erunt, non videbunt, & tan-
tum forinſecus oculati eum, quo circumdabuntur, vide-
D bunt, reſtat interim, vt nunc de viſione Dei ſecundum
interiorem hominem certi ſimus, ſi autem etiam corpus
mira commutatione hoc valuerit, aliud accedet, non il-
lud abſcedet. Melius ergo id affirmamus, vnde minimè
dubitamus, quod homo interior videbit Deum, quomo-
do ſolus poteſt videre charitatem, quæ cum laudaretur,
dictum eſt, *Deus charitas eſt.* Solus videre poteſt pacem
1.Ioan.4. & ſanctificationem ſine qua nemo poteſt videre Deum.
Heb. 12. Neque enim charitatem, pacem, ſanctificationem, & ſi
qua ſimilia videt modo vilus oculus carnis, quæ tamen
omnia iam videt (quantum poteſt) oculus mentis tanto
purius, quanto purior. Vt autem eorum dementiam con-
futaret, qui poſt reſurrectionem corpora noſtra in ſpiritu
conuerti affirmant, in hac ipſa Epiſtola ait: Cogitandum
eſt, ne quid inſolenter audeamus, ſi dixerimus corpus
non ſolum mortalitatem & corruptibilitatem, verum-
etiam hoc ipſum quod corpus eſt, per gloriam reſurre-
ctionis amittere & ſpiritum fieri. Eo quippe modo aut E
conduplicabitur ſubſtantia ſpiritus, ſi & corpus ſpiritus
erit, aut ſi vnus erit ſpiritus hominis, ita vt commutetur,
& conuerſo in ſpiritum corpore, neque geminatione ne-
que incremento conduplicetur, nec omnino vllius acceſ-
ſu quantitatis vigeatur, metuendum eſt, ne dici aliud vi-
deatur, quam corpora non illa mutatione immortalia
manſura, ſed nulla potius futura & omnia peritura. Sed
hæc idem venerabilis ac facundiſſimus doctor agens, po-
tentius talium dementiam fregiſſet, ſuamque ſententiam
firmius roboraſſet, ſi illo Euangelico teſtimonio vſus fuiſ-
ſet, quod poſt reſurrectionem Dominus diſcipulis appa-
rens dixit: *Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa* Luc. 24.
non habet, ſicut me videtis habere. Abſit autem vt non ta-
lis permanere in æternum credatur, qualis reſurrexiſſe à
mortuis comprobatur. An forte in illo permanebit veri-
tas carnis, in nobis commutabitur? Quis hoc vel deſi- Philipp. 3.
piens dixerit, cum Apoſtolus clamet, Saluatorem expe-
ctamus Ieſum-Chriſtum, qui reformabit corpus humili-
tatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ? *Erit er-* F
go gloria corporis, ſed permanebit veritas carnis. De hac fu-
tura Dei viſione idem doctor Catholicus in libro de ciui-
tate Dei extremo, cautiſſimè diſputans, ait: Cum ex me
quæritur quid acturi ſunt ſancti in illo corpore ſpiritali,
non dico quid iam video, ſed dico quid credo, ſecundum
illud quod in Pſalmo lego: *Credidi propter quod locutus* Pſal. 115.
ſum. Dico itaque, viſuri ſunt Deum in ipſo corpore, ſed
vtrum per ipſum, ſicut per corpus nunc videmus Solem,
Lunam, ſtellas, mare ac terram, & quæ ſunt in ea, non
parua quæſtio eſt. Durum eſt enim dicere, quod ſancti
talia corpora tunc habebunt, vt non poſſint oculos clau-
dere aut aperire, cum volunt: durius autem, quod ibi
Deum, quiſquis oculos clauſerit, non videbit. Si enim
Propheta Eliſeus puerum ſuum Giezi, abſente corpore,
vidit accipientem munera quæ dedit Naaman Syrus, quem 4 Reg. 5.
Propheta memoratus à lepræ deformitate mundauerat;
quod ſeruus nequam Domino ſuo non vidente latenter ſe
feciſſe putauerat: quanto magis in illo corpore ſpiritali
videbunt ſancti omnia, non ſolum ſi oculos claudant,
verum etiam vnde ſunt corpore abſentes? Tunc enim
erit perfectum illud, de quo loquens Apoſtolus: *Ex par-* G
te, inquit, *ſcimus, & ex parte propheſamus: cum autem
venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt.* 1.Cor. 13.
Deinde vt quo modo poſſet aliqua ſimilitudine oſtendere,
quantum ab illa quæ futura eſt, diſtet hæc vita non qua-
liumcumque hominum, verum etiam qui præcipua hic
ſanctitate ſunt præditi: *Cum eſſem*, inquit, *paruulus, qua-
ſi paruulus ſapiebam, quaſi paruulus loquebar, quaſi paruu-* Ibidem.
*lus cogitabam, cum autem factus ſum vir, euacuaui quæ par-
uuli erant. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc
autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum.* Si autem in hac vi-
ta vbi omnium mirabilium excellentior Prophetia, ita
comparanda eſt illi vitæ, quaſi paruuli ad iuuenem, vidit
tamen Eliſeus accipientem munera ſeruum ſuum, vbi ipſe
non erat, itane cum venerit quod perfectum eſt, nec
iam corpus corruptibile aggrauabit animam, ſed incor-
ruptibile nihil impediet illi, ad ea quæ videnda ſunt, ſan-
cti oculis corporis, quibus Eliſeus abſens ad ſeruum
ſuum videndum non indiguit, indigebunt? Nam ſecun-
dum Septuaginta Interpretes, ita ſunt ad Giezi verba 4. Reg. 5.
Prophetæ: *Nonne cor meum fuit tecum, quando conuer-* H
*ſus eſt vir de curru ſuo in obuiam tibi, & accepiſti pecu-
niam, & cætera?* ſicut autem ex Hebræo interpretatus
eſt Presbyter Hieronymus, *Nonne cor meum*, inquit, *in
præſenti erat, quando reuerſus eſt homo de curru ſuo in oc-
curſum tui?* Corde ſuo ergo ſe dixit hoc vidiſſe Propheta,
adiutus quidem mirabiliter nullo dubitante diuinitus.
Sed quanto amplius tunc omnes munere iſto abunda-
bunt, cum Deus erit omnia in omnibus? Habebunt ta-
men illi oculi corporei officium ſuum, & in loco ſuo
erunt. Neque enim & ille Propheta quia non eis indiguit,
vt videret abſentem, non eis vſus eſt ad videnda præſen-
tia, quæ tamẽ ſpiritu videre poſſet, etiam ſi illos clauderet,
ſicut vidit abſentem vbi cum eis ipſe non erat? Abſit ergo
vt dicamus illos ſanctos in illa vita Deũ clauſis oculis non

A viſuros, quem ſpiritu videbunt. Sed vtrum videbunt &
per oculos corporis cum eos apertos habebunt, inde
quæſtio eſt. Si enim tantum poterunt in corpore ſpiri-
tali, eo modo vbique etiam ipſi oculi ſpiritales, quan-
tum poſſunt iſti quales nunc habemus, procul dubio
per eos Deus videri non poterit. Longe itaque alterius
erunt potentiæ, ſi per eos videbitur incorporea illa na-
tura, quæ non continetur loco, ſed vbique tota eſt.
Non enim quia dicimus Deum & in cœlo eſſe & in ter-
Iere. 23. ra (ipſe quippe ait per Prophetam, *cœlum & terram
ego impleo*) aliam dicturi ſumus eum in cœlo partem
habere, & in terra aliam, ſed totus in cœlo eſt & to-
tus in terra non alternis temporibus, ſed vtrumque ſi-
mul, quod nulla natura corporalis poteſt. Vis itaque
præpollentior oculorum erit illorum, non vt acrius vi-
deant, quam quidam perhibentur videre ſerpentes vel
aquilæ. Quantalibet enim acrimonia cernendi, eadem
quoque animalia nihil aliud poſſunt videre quam cor-
pora. Et certe quod ſæpe protulimus, quia Deum cor-
B dis oculis in futurum ſancti videbunt, certiſſime retine-
Matt. 5. mus, quia & hoc in Euangelio legimus: *Beati mundo
corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Quos etiam Apo-
Epheſ. 1. ſtolus illuminari interius cupiebat, cum fidelibus dice-
ret, illuminatos oculos habere cordis veſtri. Sed vtrum
corporalibus oculis ibi eum videant: hoc in iſta quæ-
ſtione verſamus. Et quidem poſſumus iſta vel illa au-
tumantes dicere, ſed non videntur aperta ſcripturarum
teſtimonia occurrere. Illud vero quod ſcriptum eſt, &
videbit omnis caro ſalutare Dei, ſine vllius modo diffi-
cultatis ſic intelligi poteſt, ac ſi dictum fuerit: *Et vi-
Iſa. 40. debit omnis homo Chriſtum Dei.* Qui vtique in corpo-
re viſus eſt, & in corpore videbitur, quando viuos &
mortuos iudicabit. Quod autem ipſe ſit ſalutare Dei,
multa ſunt & alia teſtimonia ſcripturarum. Sed euiden-
tius venerandi illius ſenis Simeonis verba declarant, qui
cum infantem Chriſtum accepiſſet in manus ſuas: *Nunc*,
Luc. 2. inquit, *dimittis Domine ſeruum tuum ſecundum verbum
Iob. 19. tuum in pace, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.* Il-
lud etiam quod Beatus Iob ait, *& in carne mea videbo
C Deum ſaluatorem meum, quem viſurus ſum ego ipſe, &
oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius*: Reſurrectionem
quidem carnis prophetauit, non tamen dixit per car-
nem meam. Quod quidem ſi dixiſſet, poſſet Deus Chri-
ſtus intelligi, qui per carnem in carne videbitur: nunc
vero poteſt & ſic accipi, in carne mea videbo Deum,
1. Cor. ac ſi diceret, in carne mea ero cum videbo Deum. Et
13. illud quod ait Apoſtolus, *facie ad faciem*, non cogit vt
Deum per hanc faciem corporalem, vbi ſunt oculi cor-
porales, nos viſuros eſſe credamus, quem in ſpiritu ſine
2. Cor. 3. intermiſſione videbimus. Niſi enim eſſet interioris etiam
hominis facies, non diceret idem Apoſtolus: *Nos au-
tem reuelata facie Domini gloriam ſpeculantes, in ean-
Pſal 33. dem imaginem transformamur, de gloria in gloriam tan-
quam à Domini ſpiritu*: nec aliter intelligimus quod in
Pſalmo canitur, *Accedite ad eum & illuminamini, &
facies veſtra non erubeſcent.* Fide quippe acceditur ad
Deum, quam cordis conſtat eſſe, non corporis. Sed
Sap. 9. quia ſpiritale corpus neſcimus quantos habebit acceſſus,
D de re quippe inexperta loquimur, vbi aliqua quæ aliter
intelligi nequeant, diuinarum ſcripturarum non occur-
rit & ſuccurrit autoritas, neceſſe eſt vt contingat in no-
bis quod legitur in libro Sapientiæ: *Cogitationes mor-
talium timidæ & incertæ prouidentiæ noſtræ.* Ratiocina-
tio quippe illa Philoſophorum, qui diſputant ita mentis
aſpectu intelligibilia videri & ſenſu corporis ſenſibilia,
id eſt, corporalia, vt nec intelligibilia per corpus, nec
corporalia per ſeipſa mens valeat intueri, ſi poſſit nobis
eſſe certiſſima, profecto certum eſſet, per oculos cor-
poris etiam ſpiritales nullo modo poſſe videri Deum.
Sed iſtam ratiocinationem & vera ratio & prophetica
irridet autoritas. Quis enim ita ſit auerſus à vero, vt di-
cere audeat Deum corporalia iſta neſcire? Nunquid er-
go corpus habet, per cuius oculos ea poſſit addiſcere?
Deinde quod de Propheta Eliſeo paulo ante diximus,
nonne ſatis indicat, etiam ſpiritu, non per corpus cor-
poralia poſſe cerni? Quando ergo ſeruus ille munera E
accepit, vtique corporaliter geſtum eſt: quod tamen Pro-
pheta non per corpus, ſed per ſpiritum vidit. Hac quippe
ſententia conſtat ſpiritu videri corpora. Quid? Si tanta
erit potentia ſpiritalis corporis, vt corpore videatur &
ſpiritus? *Spiritus eſt enim Deus.* Deinde vitam quidem Ioan. 4.
ſuam, qua nunc viuit in corpore, & hæc terrena mem-
bra vegetat facitque viuentia, interiori ſenſu quiſque non
per corporeos oculos nouit: aliorum vero vitas, cum *Vides.
ſint inuiſibiles, per corpus * videmus. Nam vnde viuen-
tia corpora diſcernimus à non viuentibus, niſi corpora
ſimul vitasque videamus, quas niſi per corpus videre non
poſſumus? Vitas autem ſine corporibus, corporeis ocu-
lis non videmus. Quamobrem ſi fieri poteſt, valdeque
credibile eſt, ſic nos eſſe viſuros mundana tunc cor-
pora cœli noui & terræ nouæ, vt Deum vbique præſen-
tem & vniuerſa etiam corporalia gubernantem, per cor-
pora quæ geſtabimus & quæ conſpiciemus, quaquauer-
ſum oculos duxerimus, clariſſima conſpicuitate videbi- Rom. 1.
mus: non ſicut nunc inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt,
intellecta conſpiciuntur per ſpeculum in ænigmate ex F
parte, vbi plus in nobis valet fides qua credimus, quam
rerum corporalium ſpecies, quas per oculos cernimus
corporales, ſed ſicut homines, inter quos viuentes mo-
tuſque vitales exerentes, mox vt aſpicimus credimus vi-
uere, ſed videmus, cum eorum vitas ſine corporibus vi-
dere nequeamus. Quam tamen in his per corpora remo-
ta omni ambiguitate conſpicimus, ita quacunque ſpiri-
talia illa lumina corporum noſtrorum circumferimus, in-
corporeum Deum omnia regentem, etiam per corpora
contuebimur. Aut ergo ſi per illos videbitur Deus, vt ali-
quid habeant in tanta excellentia mentis ſimile, quo &
incorporea natura cernatur, quod vllis exemplis ſiue ſcri-
pturarum teſtimoniis diuinarum, vel difficile eſt vel im-
poſſibile oſtendere: aut quod eſt ad intelligendum faci-
lius, ita Deus nobis erit notus atque conſpicuus, vt vi-
deatur ſpiritu à ſingulis nobis, videatur alter in altero, vi-
deatur in ſeipſo, videatur in cœlo novo & terra noua, at-
que in omni quæ tunc fuerit, creatura: videatur & per
corpora in omni corpore, quacumque fuerint ſpiritales G
corporis oculi acie perueniente directi. His dictis ſancti
Auguſtini aperte declaratur, quid de illa futura viſione
certiſſime credendum ſit, quid dubie æſtimandum. Te-
neamus itaque interim plena fide, quod non ſolum ipſe,
verum etiam alij tractatores Eccleſiæ certiſſime tenue-
runt: ſuſpiremus vero ad tantæ viſionis claritatem, ad
quam ſi ipſa illuminante peruenerimus, quod nunc nobis
adhuc peregrinis latet, tunc ciuibus effectis patebit. Se-
quitur:

Et nomen eius ſcriptum in frontibus eorum.

Quid per frontem niſi fides exprimitur? Sed cum con-
ſtet omnibus, quia cum per fidem atque ſpem peruene-
rimus ad rem, nequaquam vltra fides vel ſpes erunt: quid
ſibi vult, quod in illa æterna felicitate electi nomen Dei
in frontibus habere perhibentur? Neque enim (vt dictum
eſt) iam tunc fides aut ſpes erit: quia quod nunc fides cre-
dit, ſpes patienter expectat, in re apparebit, Apoſtolo at-
teſtante qui ait: *Quod enim videt quis, quid ſperat?* Ac ſi H
diceret, nihil. Hinc namque idem ipſe alibi ait: *Cum ve-
nerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt.*
Quid autem eſſet quod dicebat ex parte, alibi expoſuit,
dicens: *Per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem.*
Vnde & hic cum diceret, *Cum venerit quod perfectum eſt,* Rom. 8.
euacuabitur quod ex parte eſt: ſtatim ſubiecit & ait, *Vi-* 1. Cor.
demus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc facie ad faciem: 13.
& nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam ſicut & 2. Cor. 5.
cognitus ſum. Quid ergo eſt, quod in illa beatorum patria, 1. Cor. 13.
iam in re vel in ſpecie gaudentibus electis, nomen Dei
in frontibus eſſe perhibetur, niſi quia ipſius fidei remu-
neratio, ipſius fidei retributio pro fide hoc in loco po-
nitur, tropica ſcilicet locutione ab eo quod efficit, illud
quod efficitur, Scriptura ſacra demonſtrante? Et reuera
dignum fuerat, vt illud ſacri verbi ſcriptor præcipue
commendaret, illic ſanctos habituros pro titulo laudis,

quod

A quod hic forte tenuerunt inter reprobos, etiam cum ignominia vituperationis. Hinc eſt etiam quod ipſa electorum ſocietas, ſicut & ſuperius præfati ſumus, in ſuperna patria iam conſtituta, hoc oſtenditur in ſuis habere remunerationum ædificationibus, quod hic geſſit in ſanctis actionibus. Quia enim per fidem ipſa ciuitas in hac vita ſecundum Apoſtolum iuſtificari creditur, ſine qua etiam nullus Deo placere probatur, recte cum acceperit quod per fidem credidit, ipſum fidei præmium pro titulo gloriæ in ſuis frontibus geſtare videtur. Ac ſi ipſa tunc frontium inſcriptio loquatur, dicens: Hinc præmium nunc pro titulo laudis ferre videtis, vnde pridem iuſtificati meruiſtis. Sequitur:

Et nox vltra non erit, & non egebunt lumine lucernæ, neque lumine ſolis, & regnabunt in ſæcula ſæculorum.

B

Apoc. 21. Hæc namque ſupra iam dixerat, ſed in repetitione verbi demonſtrat, quam appetendum ſit lumen illud, quod toties loquendo inculcat. Memorat autem tranſitura, quibus nunc fragilitas noſtrorum indiget corporum, viciſſitudinibus temporum & conſolationibus elementorum. Nam nunc humana infirmitas ad exercenda diuina opera, noctis quiete redditur idonea, vtitur etiam nocte pro conſolatione lucerna. Tunc autem quando erit Deus omnia in omnibus, qui eſt lux vera illuminans omnes, his elementis ibi * indignus, nullus erit vnquam obnoxius, maxime cum ipſe ſit (vt dictum eſt) lumen ſanctis regnantibus, qui totius autor eſt operis. Si vero noctem intelligamus ignorantiam, lucernam vero vel ſolem, diuini verbi prædicationem, neque nox tunc erit, quia vitæ ſapientiam omnes in commune habentes, nullus inter eos ignorans erit: neque lux lucernæ aut ſolis opus erit, quia C neque perfectorum exhortatione, neque legis diuinæ prædicatione, quæ nunc lucernæ eſſe dicuntur in obſcuro loco, in illa beata regione aliquis indigebit, in qua æternæ ſapientiæ inhærentes, perfecta ſciētia fulgebunt. Sequitur:

* Indigus.

Et dixit mihi: Hæc verba fideliſſima & vera ſunt.

Cum potentiora cæteris in hac Apocalypſi Spiritus ſanctus narrat, ita interponit, vt ſcilicet tanto de his quilibet minus dubitet, quāto non ſolum fidelia, verum etiam ad comparationem aliorum fideliſſima vocantur. Tunc autem Eccleſiæ in Ioanne hæc verba fideliſſima & vera eſſe ab Angelo (id eſt, à Chriſto) intimantur, cum eidem per internam aſpirationem ipſa verborum veritas reuelatur. Non itaque tunc idem Angelus, imo in Angelo Dominus, de Ioannis diffidentia dubitabat, cum ipſa veritas D iam manifeſtius elucebat, ſed veram viſionem omni Eccleſiæ, in qua cum magnis paruulos futuros nouerat, commendabat. Nullus autem in tantum hebes debet fieri, vt aliquo modo dubitet de his, quæ ſub tam magno conteſtationis firmamento veriſſima pronuntiantur. Sequitur:

Et Dominus Deus omnipotens ſpiritus Prophetarum miſit Angelum ſuum oſtendere ſeruis ſuis quæ oportet fieri cito.

Sicut in initio huius operis dixiſſe me recolo, hanc Apocalypſim non ab vna ſola de Trinitate perſona, ſed à beata & inſeparabili Trinitate per Angelum miſſam fuiſſe, imo in Angelo ipſam fuiſſe cognoſcimus: eundem vero Angelum, nec patris, nec Spiritus ſancti, ſed ſolius incarnati verbi perſonam geſſiſſe. In principio enim huius reuelationis eiuſdem ſcriptor ſic exorſus eſt, dicens: *Apocalypſis Ieſu-Chriſti, quam dedit illi Deus palam facere ſeruis ſuis, quæ oportet fieri cito, & ſignificauit mittens per Angelum ſuum.* Quis enim eſt qui incarnato filio hanc reuelationem dedit, niſi Deus pater? Ipſe ergo qui hanc E dedit, ipſe vtique & ſignificans per Angelum miſit, ſed cum filio ſibi coæterno, per quem eandem hominibus patefecit. Vnde & in fine eiuſdem reuelationis idem filius per Angelum loquitur, dicens: *Ego Ieſus miſi Angelum meum teſtificari vobis hæc in Eccleſiis.* Sed obſecro; Domine Ieſu patris vnice, ſi tu in Angelo & per Angelum loqueris, dicens: *Ego ſum primus & nouiſſimus, & viuus ſui & mortuus, & ecce ſum viuens in ſæcula ſæculorum:* Quid ſibi vult, quod eundem Angelum miſiſſe te in Eccleſiis hanc reuelationem teſtificari aſſeris, cum in eo tu ipſe fueris, cum per eum tu ipſe locutus fueris: niſi quia miſſio illa exterius oſtendit Angelum, interius celauit tuam patriſque maieſtatem? Iam itaque apparet, quia cum patre filius etiam hanc Apocalypſim miſerit. Sed videamus verumnam & Spiritus amborum eandem cum illis pariter miſerit. Nam per eundem qui miſſus eſt Angelum, F ſiue filius de ſuo patriſque ſpiritu, ſiue idem Spiritus ſanctus de ſe tanquam de alio, ſeu etiam ipſe Angelus de eodem Spiritu ſancto loquitur, dicens: *Et Dominus Deus omnipotens ſpiritus Prophetarum, miſit Angelum ſuum oſtendere ſeruis ſuis quæ oportet fieri cito.* Ipſe enim eſt ſpiritus Prophetarum, qui etiam potens: ipſe itaque ſecundum regulam fidei ſpecialiter per Prophetas locutus fuiſſe cognoſcitur, Petro dicente: *Non enim voluntate humana allata eſt aliquando Prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines.* Quia enim ipſe Dominus, per Prophetam per quem locutus eſt, teſtatur, dicens: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Et illud, *Principium loquendi Domino in Oſee.* Propter vnius ergo diuinæ Trinitatis eſſentiam, opportune etiam hic Spiritum ſanctum in Angeli miſſione commendauit, quando patris & filij nuper fecerat mentionem. Inſeparabiliter enim Pater & Filius & Spiritus ſanctus hæc cūcta reuelauerunt myſteria, quanquam pro diſpenſatione Sacramenti, Angelus per quem miſſa eſt, ſolius (vt dictum eſt) incarnati verbi perſonam geſſerit. Et notandum G quod non ait, Dominus Deus omnipotens ſpiritus Prophetarum, miſit Angelum ſuum oſtendere Ioanni quæ oportet fieri cito, cum ſupra dixerit, mittens per Angelum ſuum ſeruo ſuo Ioanni. In quibus verbis apertiſſimè declaratur, exceptis illis in locis, quibus Angelum vult adorare, non propriam, ſed ſemper Eccleſiæ figuram portaſſe Ioannem. Qui enim non ait, miſit Angelum ſuum oſtendere ſeruo ſuo ſed ſeruis ſuis, oſtendit vtique non vni ſpecialiter Ioanni, ſed omnium ſe vtilitati in Ioanne generaliter proſpexiſſe. Sequitur:

2. Petr. 1.

Pſal. 84. Oſee 1.

Apoc. 1.

Et ecce venio velociter.

Luc. 12. Nulli dubium quin incarnati verbi perſona hæc dicat quæ in Euangelio diſcipulos affatur, dicens: *Eſtote parati quia neſcitis qua hora filius hominis venturus eſt.* Velociter autem Dei filius venturum ſe dicit, quia omne tempus vitæ præſentis, quamuis longis moratum ſpatiis proteletur, tamen quia non ſtat, ſed tranſit, ipſo ſuo curſu demonſtrat, quia velociter finitur. Propter hunc eius velociſſimum curſum, vnius horæ ſpatio à Ioanne quantitas eius definitur, cum per eum dicitur: *Filij, nouiſſima hora eſt.* Ob hanc cauſam etiam Dominus noſter ita nos aduentus ſui præſentiam docuit præſtolari, dicens: *Vigilate, quia neſcitis diem neque horam.* Sequitur:

1. Ioann. 2.

Matt. 25.

H

Beatus qui cuſtodit verba Prophetiæ libri huius.

Ac ſi diceret: Qui omne quod loquitur, verum & myſticum credit: omne quod minatur, timet: omne quod iubet, adimplet: omne quod promittit, ſperat. Sequitur:

A

Et ego Ioannes qui audiui & vidi hæc : & poſtquam audiſſem & vidiſſem, cecidi vt adorarem ante pedes Angeli qui mihi hæc oſtendebat, & dixit mihi : Vide ne feceris conſeruus tuus ſum & fratrum tuorum Prophetarum, & eorum qui ſeruant verba libri huius. Deum adora.

Reuelationis atteſtatio, inſinuati nominis firmatur indicio. Ne enim quiſquam de conſcriptione libri dubitaret, autoritatem perſonæ interpoſuit. Hoc ſanè in loco, ſicut & ſuperius, & Ioannes & Angelus reſumunt proprias perſonas. Sed mirandum valde eſt, cur Ioannes contra interdictum Angeli, ſecundo eum Apoc.19. voluerit adorare. Superius enim iam illum ſimili mo- B do adorare ſe vetuerat, vnumque Deum adorandum eſſe docuerat. Quid itaque ſibi vult, quod contra præceptum eius, qui vtique ei vt veritatis nuntius, hunc reuerentiæ honorem non creaturæ, ſed creatori competenter offerendum eſſe prædixerat, eum iterato vult adorare : niſi quia aut forte iſtam & ſuperiorem viſionem coniunxit, & hoc quod ſupra iam fecerat, à ſe factum repetiuit : aut certè magno viſionum ſtupore perculſus, oblitum ſe fuiſſe quod eidem præceperat, eumque ſe adorare iterum voluiſſe, confitetur? Solet enim eos qui ad ſublimia contemplanda ducuntur, quidam admirationis pauor concutere, Propheta Habac.3. atteſtante qui ait : *Domine, audiui auditum tuum, &* Dan.8. *timui, conſideraui opera tua, & expaui*, quique poſt pauca ſubiongit, dicens : *Introiuit tremor in oſſa mea, & ſubter me turbata eſt virtus mea.* Hinc Daniel contemplata viſione mirabili, elanguiſſe & ægrotaſſe per dies multos perhibetur. Inter hæc autem libet ad noſmetipſos oculos mentis reducere, & qui vel vnde ve- C nerimus, qui ad tantæ gloriæ dignitatem pertingere meruimus, vt Angelis Dei æquales ſimus, ſubtiliter conſiderare. Et certè de noſtro genere ſcriptum eſt : Pſal 48. *Homo cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Quamobrem qui ab illa ingente dignitatis beatitudine per primæ præuaricationis culpam in primo parente lapſi, iumentis inſipientibus aſſimilati eramus, hinc factum eſt, vt Angelis deſpectui haberemur. Niſi enim in illis Angelicis ſpiritibus dudum humana natura deſpicabilis viſa fuiſſet, nequaquam ab hominibus, non dicam impiis, verumetiam iuſtis adorari ſe permiſiſſent. Sed quia creator hominum & Angelorum abiectam humani generis naturam ſuſcipiens, fieri voluit ipſe quod fecerat, non amittendo diuina, ſed ſuſcipiendo humana : iam poſt eius aduentum refugiunt Angeli ab hominibus adorari, iam venerantur vt ſocios, quos dudum arbitrabantur abiectos. Sed nec mirum, ſi habere non dedignantur ſub ſe in terris hominem ſocium, qui D ſuper ſe adorant in cœlis Deum hominem factum. Coheres enim beatæ Trinitatis humana natura in filio Dei facta eſt : quia Chriſtus Deus & homo, vna perſona eſt : ac per hoc domina Angelorum facta eſt, quæ dudum vilis ab Angelis deducta eſt. Veneretur ergo neceſſe eſt ab Angelis, deputetur ſocia etiam in peregrinis, quæ domina eſt eorum in cœlis. Conſideret itaque humana fragilitas in precio ſuo quo redempta eſt, id eſt in ſanguine Chriſti, quam magna eſt quæ tantum valet, perpendat ſolicitè quo caput præceſſit, & quæ ad viuendum præceptis adſtringitur, ad ſperandum exemplis roboretur : præſumat cœlos, ſperet ſupernam patriam Angelorum ſocietatem ſciat,atque in ſuo capite Prælatam ſe etiam Angelis gaudeat : deſideret videre talem,per quem effici meruit talis, abſentiam eius, mortem : præſentiam vero,deputet vitam : omnique niſu atque omni inſtantia ita laboret,ita deſudet,vt tantæ dignitatis gloria,vita non ſit inferior. Sequitur :

E

Et dicit mihi : Ne ſignaueris verba Prophetiæ libri huius, tempus enim propè eſt.

Quid eſt quod media huius reuelationis ſerie Ioanni dicitur : *Signa quæ locuta ſunt ſeptem tonitrua, & noli ea* Apoc.10. *ſcribere* : in poſterioribus verò eius partibus eidem præ- Matt.7. cipitur, *Ne ſignaueris verba Prophetiæ libri huius, tempus enim propè eſt?* Quod duobus modis valet intelligi aut enim illic propter malos ſignari præcipitur, de qui- Matt.13. bus in Euangelio ad Apoſtolos dicitur : *Nolite mittere margaritas veſtras ante porcos* : & hic propter electos ſignari prohibetur, quibus dicitur : *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei, cæteris autem in parabolis* : aut certè quod magis elucet, in eo quod dicitur : *Signa quæ locuta ſunt ſeptem tonitrua*, Iudæorum cæcitas ſpecialiter deſignatur, quibus nunc diuina Sacramenta clauduntur : in eo vero quod hic iubetur, *Ne ſignaue-* F *ris verba Prophetiæ libri huius*, eorum nouiſſima in fine ſæculi illuminatio declaratur : vel certè quia præuidens Dominus electorum Eccleſiam, medio huius temporis interuallo in ſuis temporibus magna ex parte ignorantiæ caligine premi, ac nequaquam occulta Sacramenta inueſtigare, idcirco huius reuelationis media locutione iubet vt ſignentur quæ ſeptem tonitrua loquuntur. Ac ſi diceret : Illis ſub quodam abſconſionis ſigillo diuina Sacramenta latebunt, qui illa tempora incurrent, *Quo abundabit iniquitas, refrigeſcet* Matt.24. *charitas multorum.* Quia vero appropinquante extremo iudicio, ſub nouiſſima Antichriſti perſecutione ad priorem intelligentiæ ſuæ ſtatum Eccleſia recurrit, propterea in poſterioribus hæc Apocalypſis ſignari prohibetur. *Fallor, ſi hæc ipſa quæ dico, Scriptura non loquitur,* Dan.12. ad Danielem namque Angeli voce dicitur : *Pertranſibunt plurimi, & multiplex erit ſcientia* : ſubaudis, cum plurimi ſine ſcientia pertranſierint, tunc eadem ſcientia in extremis prædicatoribus largiter abundabit. Eccleſia enim quæ nunc in rectoribus ſuis obmutuit, tunc G magnis clamoribus contra inimicos intonabit : & quæ nunc ignorantia tenebreſcit, tunc ſcientia fulgeſcit : tunc etiam ita per ora docentium manifeſta ſeſe cœleſtia Sacramenta diffundunt, vt etiam Iudæorum obtenebratis perfidia mentibus illuceſcant. Tunc inquam hæc Apocalypſis ſignari prohibetur, quando Enoch & Elia apparentibus, ab oculis fidelibus ignorantiæ caligo abſtergitur. Sed nec mirum, ſi propinquante futuro iudicio,largius quam nunc aperiri credantur Scripturarum myſtica Sacramenta, quando fallax doctrina vbique contra veritatem oppugnans, totum oblatrat per orbem. Quod magnæ pietatis diſpenſatione fiet, vt tunc ſeſe lumen veritatis manifeſtius quam nunc demonſtret, quando totius mendacij tenebroſa nox totum in reprobis mundum obſcurat. Sequitur :

Qui nocet, noceat adhuc : & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc : & iuſtus iuſtitiam faciat H *adhuc, & ſanctus ſanctificetur adhuc.*

Neque imperatiuo modo, neque optatiuo cuilibet diuinitus dicitur : Qui nocet, noceat adhuc : & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc : ſed permittentis eſt vox. Ita enim diſtricti iudicis exigit, vt qui eam ſequi ad innocentiam contemnunt, adhuc magis nocere permittantur. Vnde ſcriptum eſt : *Et non audiuit populus* Pſal.80. *meus vocem meam, & Iſraël non intendit mihi : & dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum, & ibunt in voluptatibus ſuis.* In qua ſcilicet ſententia culpa præceſſiſſe docetur inobedientiæ, per quam à Deo dimiſſi, ire permiſſi ſunt in voluptatibus ſuis. Sed valde à nobis cum tremore conſiderandum eſt, quod iuſtus & omnipotens Deus cum præcedentibus peccatis iraſcitur, permittit vt cæcata mens etiam malis labatur. Vnde Geneſ.15 Moyſes ait: *Nondum completa ſunt peccata Amorrhæorum,*

Dauid

A Pſal. 68. David quoque dicit : *Appone iniquitatem ſuper iniquitates ipſorum , & non intrent in iuſtitia tua.* Propheta etiam alius dicit : *Maledictum & mendacium & homicidium & furtum & adulterium inundauerunt , & ſanguis ſanguinem tetigit.* Sanguis enim ſanguinem tangit , quando peccatum peccato additur , vt ante Dei oculos adductis iniquitatibus anima cruentetur. Hinc

1.Theſ.2. Paulus Apoſtolus ait : *Vt impleant peccata ſua ſemper.*

Ezech.3. & 33. Vnde etiam Dominus per alium Prophetam dicit : *Si conuerſus iuſtus à iuſtitia ſua , fecerit iniquitatem , ponam offendiculum coram eo.* Ac ſi apertè dicat : Quia videre pœnitendo noluit vbi iam impegit , iuſto eum iudicio deſerens , ponam ei vt alibi impingat. Quod tamen Deum ponere , eſt , nequaquam ad peccandum premere , ſed nolle à peccato liberare , ſicut de Pharaone quod

Exod. 4. & 7. ſæpè protulimus , dicitur : *Ego indurabo cor eius.* Non enim cor peccantis Dominus obdurat , ſed obdurare dicitur , cum ab obduratione non liberat. Miſericors enim Deus , tempus nobis ad pœnitentiam relaxat. Sed

B cum eius prærogatam pœnitentiam nos in augmentum vertimus culpæ , hoc ipſum tempus quod ad parcendum piè diſpoſuit , diſtrictius ad feriendum vertit : vt cum reuerti quis etiam ſpatio temporis accepto per hoc mala ſua ad reatum augeat , per quod ea diluere potuit,

Rom.2. ſi conuerti voluiſſet. Vnde ſcriptum eſt : *Ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit ? Secundum duritiam autem tuam & cor impœnitens,theſaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei.* De benignitate ergo omnipotentis Dei , iram ſibi in die iræ reprobi theſaurizant : quia dum ad pœnitendum tempus accipiunt , & ad peccandum exhibetur , ipſum remedium gratiæ vertunt in augmentum culpæ. Vnde & omnipotens Deus , qui collata remedia conſpicit in culpæ augmentum trahi , ipſam benignitatem quam contulit, in iudicij diſtrictionem vertit : vt inde poſt amplius feriat , vnde modo amplius expectat. Et quia homo deſerere malum non vult vt viuat , auget vnde moriatur. Sed ecce iam præcedentia mala fortaſſe di-

C luimus digna pœnitentia : iam diſplicent culpæ quas perpetrauimus , iam placet iuſtitia qua viuere cœpimus , iam forte in oculis hominum ſine querela conuerſamur. Nunquid in hoc gradu perſiſtere , & non magis alios conſcendere debemus ? Scriptum quippe

Pſal.83. & 47. eſt : *Ibunt de virtute in virtutem.* Et ruſùm : *Deus in gradibus eius dignoſcetur , dum ſuſcipiet eam.* Si enim per virtutum gradus cœleſtia conſcendimus , nimirum quovſque viuimus , ſemper in eiſdem virtutibus ſuccreſcere debemus, quibus (vt dictum eſt) quaſi quibuſdam paſſibus graduum , ad ſuperiora conſcendimus. Vnde & hic quoque benè nunc ſubditur : Et iuſtus iuſtitiam faciat adhuc , & ſanctus ſanctificetur adhuc. Quamlibet enim quiſque in hac vita ſit iuſtus & ſanctus , nunquam tamen ita perfectus , vt quotidie non inueniat quo in virtutibus creſcat. Quod Pſal-

Pſal.76. miſta quoque intuens , ait : *Nunquid obliuiſcetur miſereri Deus ? aut continebit in ira miſericordiam ſuam ?*

D Et *dixi , nunc cœpi.* Quaſi enim quædam inchoatio eſt electorum , ipſe prouectus virtutum. Quotidie enim electi inchoant , quia per momenta temporum virtutes addunt. Sequitur :

Ecce venio citò, & merces mea mecum eſt reddere vnicuique ſecundum opera ſua.

Hæc locutio & electos ad meliora proficere,& reprobos,ne ſine excuſatione pereant,à malis recedere cohortatur.Satis autem hinc dicta ſunt : hæc expoſitione non indigent , ipſe locus ſeipſum explanat : multa diuinarum ſcripturarum huic ſententiæ coatteſtantur oracula. Quæque ſicut aperta, ſic vera ſunt. Veritas ea loquitur , quæ etiam de ſeipſa adhuc teſtimonium perhibet, dicens :

E *Ego ſum α & ω , primus & nouiſſimus ; principium & finis.*

Quia non ſemel, bis, terque, ſed iam quater idem qui in Angelo apparuit , α & ω ſe eſſe commemorat , ſecretioris myſterij intellectum , interius earundem expreſſionem literarum habere perdocet : accommodet quiſque prout valet intellectum. Ego enim in eo quod ſæpius iteratum hoc nomen video , non inaniter, ſed certi cauſa myſterii factum fuiſſe cognoſco. Sine igitur propter vnius Chriſti diuinitatem & humanitatem ſæpius inſinuandam , in qua totius ſalutis ſumma conſiſtit , vt ſcilicet ipſe ſit in α principium manens cum patre , ipſe in ω finis conſummans , temporaliter natus ex matre , Rom. 10. Apoſtolo dicente : *Chriſtus finis legis ad iuſtitiam omni credenti* , ſeu vt vnius naturæ trinitas intimetur, quæ per

F Angelum ſolius filij perſonam gerentem locuta eſt, quæ per Prophetam dicit : *Ante me non eſt formatus Deus, & poſt me non erit : ego ſum Deus , & abſque me non eſt Saluator* : vel cui Propheta dicit , *Tu es Deus , & in te eſt Deus , & præter te non eſt alius Deus* : ſeu aliquid melioris ſecretioriſque intellectus , non tamen dubito ad hoc ſæpiùs iteratum , vt intelligendi gratia fidelibus maneat fructuoſum. Puto enim, imo veraciter credo , quia præuidit Deus omnipotens quoſdam intra ſanctam Eccleſiam hæreticos exurgere , qui negarent filium patri conſubſtantialem & coæternum , Spiritum vero ſanctum à patris & filij natura alienum. Quod Arrium eiuſque ſequaces feciſſe nulli Catholicorum latet , & idcirco per Angelum loquens , α & ω ſe eſſe inſinuat , vt in eiſdem Græcis apicibus vnius eſſe ſubſtantiæ ipſam beatam Trinitatem , quæ ipſe eſt , oſtendat. Poterat enim dicere ; ego ſum primus & nouiſſimus, principium & finis , niſi aliquid ſecretius nobis in his literis quærendum indicare voluiſſet. Sed iam quod in eiſdem characteribus la-

(Pſal. 43. Eccle.36. Baruch.3.)

G teat myſterium, aperiamus. Non ſicut Latini, ita numeros ſcribunt Græci, ſed in ſingulis alphabeti literis proprios numeros concludunt. In alpha enim quæ apud illos prima litera eſt, exprimunt mya , quod eſt vnum : in in ω vero extrema, octacos, qui ſunt octingenti. Vt autem filium patri coæternum & conſubſtantialem oſtendamus , huius numeri conſonantiam , qui in α & ω inuenitur , in alio , imo in aliis nominibus quæ patrem & filium aperte demonſtrent , requiramus : Deum certe Abrahæ , quod nomen ſuum teſtatur , totam debere accipere Trinitatem nouimus.

Sed ſi huic nomini ſempiternam quoque veritatem coniungimus,perſonarum profecto proprietates introducimus:vt ſcilicet nomine Dei Abrahæ,ſolius patris ſignificari videatur perſona, ſicuti & ille in Daniele locus inſinuat, vbi dicitur: *& antiquus dierum ſedit*, id eſt, pater, Daniel.7. ſempiterna autem veritas indubitanter filius accipiatur , Ioan.14. qui dixit : *Ego ſum via,veritas & vita.*Quæ videlicet duo perſonarum nomina , Deus ſcilicet Abraham , ac ſempi-

H terna veritas, id eſt,pater & filius,ſi in ea lingua,qua hæc reuelatio ſcripta eſt , per ſuos characteres exarentur , eundem numerum implere videntur , quem α & ω adimplent hoc modo:

θ ε ο ς ἀ β ρ α α μ ἡ ἀ ι δ ι ο ς ἀ λ η θ ε ι α
ix v lxx cc i ii c ii xl viii i v x iiii x lxx cc i xxxviii lxvxi

theos Abraham,hi aidios alithia,qui ſimul ducti, faciunt octingentos & vnum.Non ergo alia ſubſtantia eſt patris, alia filij quæ in huius numeri Sacramento vna eſſe declaratur. Verum ne quiſquam ſanctum Spiritum à patris & filij natura putaret alienum , ſicuti iidem putant Ariani , eorumque ſequaces:idem etiam numerus in α & ω, DeoqueAbrahæ ac ſempiterna veritate inuentus,comprehendit columbam. Inuenimus autem in ſacro eloquio ſpiritum in columbæ ſpecie ſuper Dominũ deſcendiſſe. Vnde & nunc vſq; apud fideles idem ſpiritus columba vocatur. Columba vero inGræco eloquio periſtera dicitur. Quod ſcil.nomẽ ſi in ſua lingua ac per ipſius linguæ characteres

A ſcribatur, ipſum profecto numerum in eo inuenimus, quem in α & ω, ac theos Abraham, hi aidios alithia, hoc modo:

π ε ρ ι σ τ ε ρ α
LXXX V C X CC CCC V C I peristera. Vt ergo Arrianorum aliorumque hæreticorum fruſtraretur inſania, qui Spiritum Sanctum à Patris & Filij natura aſſerunt alienum, per huius conſonantiam numeri hæc quoque reuelatio cœleſtis, conſubſtantialem & coæternum eidem patri & Filio ipſum amborum ſpiritum declarare ſtuduit, tale videlicet nomen interſerens, cuius numerus trium perſonarum æqualitatem demonſtraret. Et vt breuiter eadem repetamus, quia theos Abraham & hi aidios alithia, id eſt, Deus Abraham & ſempiterna veritas: ac periſtera, id eſt columba, illius numeri quantitatem quam α & ω, explent: patet proculdubio, quia Patris & Filij atque Spiritus ſancti vna eſt natura, vna æternitas, vna maieſtas, vna poteſtas. Congruus ſiquidem atque vtilis hic videtur intellectus, ſed & ille per om-
B nia ſtare poteſt, quem præmiſimus. Dei enim Filius in natura diuinitatis eſt primus ac principium creaturæ, quod ſignificatur in α, id eſt, in ſuſcepta humanitate: nouiſſimus ac finis eſt legis, quod deſignatur per ω, ipſe apud Patrem Deus ante tempora, ipſe inter homines homo in fine temporum. Quod etſi verbis diſſimilibus, tamen eodem ſenſu ipſe Iohannes teſtatur in ſuo Euangelio. Ait enim: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine*
Ioan. 1. *ipſo factum eſt nihil.* Ecce α principium elementorum. Moxque poſt pauca ſubiungit: *Et verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* Ecce ω finis elementorum. In his enim totius ſalutis Chriſtianæ ſumma conſiſtit, vt ſcilicet in vno eodemque Chriſto & perfecta deitas, & vera credatur humanitas. Sequitur:

Beati qui lauant ſtolas ſuas, vt ſit poteſtas
C *eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in ciuitatem.*

Quid enim eſt ſtolas lauare, niſi quotidianis lamentis vitæ innocentiam, quæ aut ſponte, aut contra votum ipſa corruptione carnali, quamuis vel modice, vel multum inquinatur, diluere? Sed ſciendum quia ille à priſtinis inquinamentorum ſordibus perfecte lauat ſtolam ſuam, qui poſt lachrymarum tempus ad iniquitatem non recurrit, ſed ſtatim ad cuſtodiam mandatorum ſemetipſum conuertit, vt tanto iam conditori ſuo placere ſtudeat poſt pœnitentiæ luctum per obedientiam mandatorum, quanto ante conuerſionem eidem diſplicebat impœnitens per inobedientiam mandatorum. Quamobrem in ſtola candida vita ſignificatur immaculata. Eſt autem & alia vitæ lauatio, in Chriſti ſcilicet confeſſione effuſio ſanguinis, quæ non ſolum maculas
D detergit peccatorum, verum etiam dignitatem promeretur filiorum Dei. Quæ ſit autem ſiue iſtis ſiue illis pro ablutione ſtolarum merces, aperitur cum protinus ſubinfertur, vt ſit poteſtas eorum in ligno vitæ. Lignum vitæ ſicut ſupra iam diximus, ſapientia Dei Patris eſt, videlicet Ieſus-Chriſtus Dominus noſter, vnde ſcrip-
Prou. 3. tum eſt: *Sapientia lignum vitæ eſt his qui apprehenderint eam, & qui tenuerit eam, beatus.* Quæ eſt autem illa poteſtas quam habent electi in ligno vitæ, niſi illa de qua idem Ioannes, cuius & hæc Apocalypſis eſt, in
Ioan. 1. Euangelio ſuo loquitur, dicens: *Quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius?* Cum itaque ad gloriam filiorum Dei peruenerint, & hæreditatem in Chriſto accipient paternam, & poteſtate regnandi potientur ſempiterna: ipſeque erit illis in præmium, cui omnem nunc debiti honoris exhibent famulatum. Vnde & ſuperius cum
Apoc. 21. dixiſſet: *Ego ſitienti dabo fontem aquæ vitæ gratis:* Ilico adiunxit: *Qui vicerit poſſidebit hæc, & ero illi Deus, & ille erit mihi filius.* Quid excellentius, quid beatius di-

E ci potuit? Ecce ſemetipſum pro eius fide decertantibus dare in præmium repromiſit, ſed poteſtati eorum ad fruendum tradere perhibuit, ſe filios ex ſeruis facere teſtificauit. Quod autem hi qui ad tantam dignitatem perueniunt, vt lignum vitæ (id eſt, Dei Filium) poſt laboris certamen in præmium accipiant, per portas in ciuitatem intrare dicuntur: ſic ſubaudiendum eſt, vt in pluribus portis vna principalis porta, id eſt, Chriſtus in ſanctis prædicatoribus intelligatur. Vnde & Pſalmiſta cum plurali numero diceret, *Aperite mihi portas* Pſal. 117.
iuſtitiæ, & ingreſſus in eas confitebor Domino: ſtatim ſingulari numero intulit, dicens: *Hæc porta Domini, iuſti intrabunt per eam.* Cum enim fideles quilibet per ora doctorum aditum intrant regni cœlorum, nimirum per illum ingrediuntur, qui per eos loqui videtur. Hinc Paulus dicit: *An experimentum quæritis eius qui in me* 2. Cor. 13.
loquitur Chriſtus? Ipſe enim eſt principalis ac ſingularis porta cœleſtis, qui dixit: *Ego ſum oſtium, per me ſi* Ioan. 10.
quis introierit, ſaluabitur: & ingredietur & egredietur, & paſcua inueniet. Et rurſum: *Nemo venit ad patrem* F
niſi per me. Sed Hæretici qui per has portas introire nolunt, ſed aliunde aſcendere cupiunt, id eſt, non per veræ fidei doctrinam, ſed per falſitatis figmenta aditum regni cœleſtis inueniſſe ſe iactant, tanquam fures & latrones à murorum cuſtodibus longius propulſantur. Sed & omnes qui fidem Apoſtolorum verbotenus tenent fidei vero opera non habent, aditum per quem ad æternam valeant intrare vitam, non inueniunt: quia ſcriptum eſt, *Fides ſine operibus otioſa eſt.* Oſtium enim quod Iacob. 2.
fides aperit, opus reprobum claudit. Vnde & illi qui etiam per fidem prophetauerunt, per fidem dæmonia eiecerunt, per fidem multas virtutes in Chriſti nomine fecerunt, ſed tamen illa fidei opera quæ ad æternam vitam perducit, non habuerunt: in extremis ad ianuam beatæ ciuitatis pulſantes, audient: *Nunquam noui vos,* Matth. 7.
diſcedite à me operarij iniquitatis. Vnde & hic quoque in ſecreto cœli iam receptis electis, ſubiungitur:

Foris canes & venefici, & impudici, & G
homicidæ, & idolis ſeruientes, & omnis qui amat & facit mendacium.

Hæc magis cogitanda ſunt, magis metuenda, magis vitanda, magis cauenda quam exponenda. Aperta enim ſunt quæ narrantur, & valde formidoloſa, ſed tamen eadem reproborum vitia ſtudioſis per gratiam Dei ad vitandum poſſibilia. Quæque ſuperius iam latius digeſta ſunt, amor ſolummodo mendacij in hac repetita locutione additur. Ibi enim dicitur, *& omnis mendax*, hic autem, *& omnis qui amat & facit mendacium.* Multi itaque humana facilitate, malaque linguæ conſuetudine, non tamen ſtudio atque amore peccandi mentiuntur. Sed ſicut iſti in tali mendacio niſi emendationis ſtudium ſubſequatur, perditione non carent ſcriptura teſtante, *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*: & illud, *Os* Pſal. 5.
quod mentitur, occidit animam: ſic iſti grauioris vin- Sap. 1.
dictæ pœna plectendi ſunt, qui ſtudio, voluntate atque amore fallaciis illaqueantur. Quia vero iam quibuſ- H
dam expletionum funibus nauem operis noſtri ad terram trahimus, & ea malorum vitia quæ in hoc verſu narrantur, quibuſque amatores mendacij interſeruntur, à nobis diſcuſſa ſunt, in expoſitione iteranda non ſunt: ſed pauca quæ reſtant, breui etiam locutione tranſcurrenda. Iam enim littus tenemus, & idcirco anxia frequentatione merces negocij noſtri ad ſinum quietis pertrahimus. Sequitur:

Ego Ieſus miſi Angelum meum teſtificari vobis hæc in Eccleſiis.

Hic (ſicut ſupra diximus) patenter elucet, cuius figuram Ioannes in hac reuelatione tenuerit, cum initio eidem ipſa reuelatio per Angelum miſſa dicatur: hic autem

non

A non ſpecialiter illi, ſed generaliter cunctæ Eccleſiæ, quæ in ſeptenario Eccleſiarum ſacrato numero figuraliter perfecta deſcribitur. Pulchre autem finis libri cum principio conſonat, cuius reſumpta ſeries, intentionem primæ reuelationis aſſignat. Vt enim prioribus poſteriora conueniant, & hic Ieſus Angelum ad plures Eccleſias miſiſſe ſe perhibet: & ibi Ioannes admonetur, vt ad ſeptem Eccleſias ſcribat, quas in ſua perſona iam tunc idem ipſe ferebat. Quod autem & hic Ieſus Angelum mittit, & tamen ipſe eſt in Angelo quem mittit, miſſio illa exterior Deum celat interius. Gerit autem ſolius filij perſonam idem Angelus, ſed tota in eo Trinitas eiuſdem Filii atque Eccleſiæ pandit myſteria. Sequitur autem ex perſona propria incarnatum verbum, commendans humanitatem ſuam, & dicit:

B

Ego ſum genus & radix Dauid, ſtella ſplendida & matutina.

Ac ſi diceret: Illam generationem, illamque humanitatem aſſumpſi ex Virgine, quæ fuit in Dauid. Nihil enim eſt aliud dicere, *ego ſum genus & radix Dauid*: niſi ego ſum ipſa natura Dauid. Cæterum ſecundum diuinitatem non genus & radix Dauid, ſed Dominus eſt Dauid. Nam cum hunc ſecundum carnem cæci quoque illuminandi, Filium Dauid vocarent: tamen cum Phariſæos idem interrogaret de Filio hominis, id eſt, de ſeipſo, cuius filius eſſet, atque eidem reſpondiſſent, Dauid: continuo ſubiecit, & ait: Matt. 22. Pſal 109. *Quomodo ergo in ſpiritu eum Dauid dominum vocat, dicens: Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis?* Ergo vt dictum eſt, ſecundum diuinitatem ipſe eſt Dominus Dauid: ſecundum humanitatem non alius, ſed idem ipſe genus & radix Dauid, id eſt natura Dauid. Sed ô genus & radix Dauid, ætate & ſapientia proficiens, eſuriens & ſitiens, laſſeſcens & dormiens, opprobria ſuſtinens & moriens, indica nobis qui ex potentia diuinitatis factus es, qui C infirmitate carnis talis viſus es. *Stella*, inquit, *ſplendida & matutina.* Splendidam autem ac matutinam ſtellam, nos quoque luciferum vocamus: quæque dum extremas noctium horas illuſtrat, mane citius affuturum declarat. Sic, ſic redemptor noſter dum extrema mortalitatis noſtræ tempora reſurrectionis ſuæ luce perfudit, naturæ quoque noſtræ innouationis mane in proximo demonſtrauit. Ad quod vtique peruenientes etiam nos, ipſi perfecta dies in æterno die erimus: quia ſecundum Saluatoris ſententiam, ſepties ſole in regno patris eius fulgebimus. An non ſtella ſplendida & matutina nobis factus eſt, qui diſcuſſis mortalitatis noſtræ tenebris, noua vita fulgens diluculo ab inferis reſurrexit? Huius ſtellæ radios æterni diei prænuntios in nocte vitæ præſentis refulſiſſe Paulus conſpexerat, qui dicebat: Roman. 13. *Nox præceſſit, dies autem appropinquauit.* Sequitur:

Et ſpiritus & ſponſa dicunt: Veni, & qui audit, dicat: Veni.

Ac ſi diceret: Quia ſtella matutina iam fulget, relicto corporis lecto, diſcuſſo ignauiæ ſomno, ad æternam D diem quælibet anima ſancta feſtinet. Sciendum vero, quia pro eo quod ſine additamento hoc loco ſpiritus ponitur, qui ad incommutabilem diem electorum animas inuitat, non de ſola Spiritus ſancti perſona, ſed de tota ſimul Trinitate dictum intelligitur, quæ vnus verus & ſummus eſt ſpiritus. Nam & aliis ſcripturarum locis cum ſpiritus ſine additamento ponitur, ad totam diuinitatem refertur. Vnde eſt illud Saluatoris eloquium, Ioan. 4. *Deus ſpiritus eſt*, & illud, Ioan. 6. *ſpiritus eſt qui viuificat.* Sic ergo (vt dictum eſt) & hoc loco pater & filius amborumque ſpiritus, vnus vocatur ſpiritus. Si enim de ſola Spiritus ſancti perſona diceretur, certe cum additamento interponeretur, ſcilicet aut Spiritus ſanctus, aut ſpiritus Prophetarum appellaretur. Quamobrem manifeſtè colligimus, per Angelum filij perſonam gerentem, E totam Trinitatem Eccleſiam in Ioanne docuiſſe. Spiritus autem & ſponſa dicunt, *Veni*: quia & omnipotens Deus interius aſpirando, & Eccleſia exterius admonendo, ad æternam diem, ad æternam claritatem electos inuitant. Benè autem ſubditur, & qui audit, dicat, *Veni*: quia cui iam vox vocantis Dei efficitur in corde, neceſſe eſt vt proximo per prædicationis officium erumpat in vocem: & idcirco alium vocet, quia iam ipſe vocatus eſt. Sequitur:

Et qui ſitit, veniat: & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.

Quomodo qui vult, beatæ potationis aquam accipit, ſi cuilibet gratis tantummodo datur? Et certè Apoſtolus dicit, *Non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Rom. 9. Quomodo qui vult accipiat, ſi gratis accipit, niſi quia in vtriſque Dei gratia commendatur, quæ & ex nolente Philip. 2. F quolibet volentem efficit, & tamen iam volentem ad hoc quod deſiderat, gratuite perducit? Ac ſi eiuſdem gratiæ largitor dicat: Qui gratuite inſpiratus, æterna deſiderare cœpit, gratuite etiam ad ea ſe pertingere poſſe confidat. Non enim alius niſi qui vult, aquam vitæ gratis accipit: quia nemo ad æternam vitam gratis perducitur, niſi qui prius velle cœperit gratia præuentus. Hinc alibi per egregium prædicatorem dicitur: *Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Huic autem ſuæ ſententiæ quaſi contrarius eſſe videtur idem Apoſtolus, cum alio in loco dicit: Roma. 7. *Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio.* Sed ſciendum eſt nobis, quia in eo ſibi velle adiacere dicit, quo ſe hoc ipſum velle diuinitus accepiſſe cognouit. Quod ipſe quoque comprobans, ait: 1. Cor. 4. *Quid habes quod non accepiſti?* Subaudis, per omnia *nihil.* Dicatur itaque: *Qui ſitit, veniat*, ac ſi diceretur: Qui æternas delicias præueniente ſe gratia deſiderare cœpit, paſſibus amoris ad eas tendat. *Et qui vult, accipiat aquam vitæ gratis*: ſubaudis, qui ex nolente volens effectus eſt, nullis præcedentibus G bonorum actuum meritis, ſed gratuita Dei voluntate, ex inuiſibili fonte hubertim hauriat aquam æternæ delectationis. Sequitur:

Conteſtor ego Ioannes omni audienti verba Prophetiæ libri huius: ſi quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto: & ſi quis diminuerit de verbis prophetiæ libri huius, auferet Deus partem eius de ligno vitæ, & de ciuitate ſancta, & de his quæ ſcripta ſunt in libro iſto.

Eo tempore quo Ioannes iſta conſcripſit, ſurrexerunt in Aſia hæretici, Valentinus ſcilicet, Ebion atque Cherinthus, quos in Epiſtola ſua Antichriſtos vocat: 1. Ioan. 2. & 4. & idcirco hanc conteſtationem adiecit, ne aut in hac reuelatione adderetur quippiam veneni prauæ hæreſeos, aut doctrina ſalubris de ea minueretur. Quæ ita nunc vſque intemerata manſit, & vſque in finem manebit, vt nec in H ea aliquid mendacij addatur, nec de ea aliquid veritatis minuatur. Cæterum eos qui propter hanc verborum occaſionem Apocalypſim exponi non debere confirmant, irridendos potius vt hebetes atque ſtultos exiſtimamus, quam audiendos: quique ſi in hac ſua dementia permaneut, ad fortiſſimas valde Eccleſiæ columnas arietant: quibus frontes quidem ſuas impingendo, contundere valent, ſed mouere non valent: Hieronymum videlicet dico, Victorinum, Auguſtinum, Primaſium, atque Gregorium. Quorum alij ad integrum eandem reuelationem expoſuerunt, alij de ea in ſuis opuſculis explanando aſſumpſerunt. Ad confutandam autem dementiam talia di-

A centium, obuiat ſpiritus Sanctua per Salomonem loquens: & non ſolum de iis libris, ſed de omni eloquio Dei dicit: *Ne addas quicquam verbis illius, & arguaris inueniariſque mendax.* Si igitur propter hanc ſententiam qua dicitur, ſi quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto: hæc Apocalypſis exponi non debet, ergo nec omnia eloquia Dei, quia & illis nihil addere ſpiritus Sanctus vetat. Intelligant tandem in hac ſententia hoc conteſtari, vt nec prauæ hæreſeos aliquid in præfata hiſtoria admiſceatur, nec de ea quicquam Catholicum auferatur. Et quidem Salomon ſine additamento minarum hoc fieri prohibuit, Ioannes vero etiam terrorem plagarum atque amiſſionem æternorum bonorum adiecit: vt non ſolum monendo, pondere autoritatis vrgeret, verumetiam terrorum minis coërceret temerarios. Sequitur:

B *Dicit, qui teſtimonium perhibet iſtorum: Etiam venio cito. Amen.*

Quam magnæ ſint authoritates quæ in hac hiſtoria narrantur, hinc liquido colligitur: quod is qui ſe cito venturum annuntiat, id eſt, Dominus Ieſus Chriſtus, teſtimonium perhibere probatur. Vnde miraculum valde eſt, cur apud Orientales ſecundum quorundam ſententiam de hoc libro dubitetur, ac nequaquam plenæ authoritatis putetur: maxime cum & fidelis eiuſdem hiſtoriæ ſcriptor Ioannes retineatur, & locus in quo viſa fuerit, à quo & per quem miſſa, à quo & per quem reuelata, cuiuſque teſtimonio ſit roborata, apertiſſime declaretur. Ne enim quiſquam de his quæ in ea narrantur, dubitaret: ſubiecit adhuc idem qui teſtimonium perhibet eorum, ac cito ſe venturum, & tempus prædixit, ſolitæque confirmationis iuramentum, & ait: *Amen*, id eſt, vere ſine fideliter. In alia ſane tranſlatione, Domino dicente: *Ecce venio cito, amen*: C Eccleſia reſpondere videtur, [*Veni Domine Ieſu Chriſte.*] Matth.6. Hoc enim quotidie vocibus, hoc ſanctis Pſal.79. clamat deſideriis, cum dicit: *Adueniat regnum tuum*: & illud, *oſtende faciem tuam, & ſalui erimus.* Quia vero eandem Eccleſiam noui prædicatores non per legem, ſed per gratiam iuſtificari docuerunt, recte Ioannes in ſalutatione concludit, dicens:

Apoc.22. *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti vobiſcum Amen.*

A gratia enim cœpit, dicens: *Gratia vobis & pax ab eo qui erat, & qui venturus eſt*: & ad gratiam recurrens, finem locutionis fecit cum dixit: *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti vobiſcum, amen*: hoc ſcilicet in facto docens, quia & præueniente gratia ſaluamur, & ſubſequente iuſtificamur. Hanc enim conſuetudinem prædicator gentium tenuit, qui & in principiis epiſtolarum ſuarum gra- D tiam ſalutationis ſemper fidelibus præmiſit: & in eiſdem omnibus epiſtolis, vt ipſe loquitur, ſic terminauit. Ipſa enim præcedit hominem, vt in eiſdem quo pergere debeat, iter oſtendat: ipſa & ſubſequitur, vt ad id quod oſtendit, etiam impellat. Inter hæc autem expleto in decem libris hoc valde laborioſo opere, ductis poſt tergum mentis oculis, dum conſidero quæ & quanta per Chriſtum potui, admirans ſtupeſco. Qui ad me ipſum intuitum reflectens, vita me peccatrice vincere deprehendo, qui doctrinæ cœleſtis gratia fultus appareo. Sed cum ex alio opera Dei conſidero magis de vita peccatrice pa- Num.22 uens tremiſco, quam de gratia admirans ſtupeſco. Num.24. Quis enim neſciat Deum omnipotentem brutus aſinæ ſenſus 1.Reg 19. in modos humanæ locutionis diſtinxiſſe? Ioan.11. Quis neſciat Balaam ariolum, eiuſdemque aſinæ ſeſſorem, de Chriſti aduentu luculentiſſime prophetaſſe? Quis neſciat Saulem reprobum regem, inter ſanctos Prophetas ſpiritu prophetiæ repletum vaticinaſſe? Quis neſciat Caipham impiiſſimum, remedia vitæ prophetando ſimul & neſciendo procuraſſe, & tamen neutrum eorum ad vitam beatam perueniſſe? E & reuera nihil prodeſt prophetia, vbi fuerit reproba vita. Nihil inquam prodeſt bene docere & male viuere. O quam multi recta & vera docuerunt, & tamen ſecundum ea quæ docuerunt, noluerunt viuere. Sed obſecro mi Domine, doctor Angelorum & hominum, ne in talium numero computes eum, qui emendatiorem vitam cum ſalubri doctrina arripere quærit. Et quia hoc ipſum niſi à te acceperit, facere non poteſt: qui tribuiſti ſcientiæ donum, quæſo vt tribuas etiam voluntatem, ſtudium atque virtutem operandi bonum. Quod ſi voluntas, ſtudium, virtuſque operandi bonum non proſequitur ſcientiæ donum, ſatis mihi eſt Domine, ſtultum hebetemque eſſe: neque enim ideo patriam parenteſque reliqui, vt mihi ſcientiæ dona largireris, ſed vt perfectione virtutum ad vitam æternam perduceres. Nolo certe hanc commutationem. Quod ſi vtraque non mereor, doctrinam ſcilicet atque operationem, aufer quæſo doctrinam, tantum vt tribuas operationem virtutum. F Quid enim mihi prodeſt aliis iter perfectum oſtendere, & me imperfecte ambulare? Sed quid ſi iſta non dederis? Nunquid ideo laudandus ac prædicandus in his quæ dediſti, non eris? Magna ſunt certè quæ dediſti, ſed * paruus & miſer cui dediſti, recti autem & beati pro quibus dediſti. *prauus. Ita enim me obſcuritates huius libri denſiſſimas elucidare feciſti, vt teſtimonia reſponderent ſcripturarum ad ea quæ dixi: ſicque illa teſtimonia veritatis cuilibet ſententiæ perhiberent, quatenus in nullo à fide ſanctorum Patrum praue poſita diſcreparent. Quantum itaque ad fidei attinet rectitudinem, ita in ſingulis ſententiis cauta ſeruatur expoſitio, vt ſi forte me voluerit in his reprehendere, reprehendat etiam (vt de multis paucos commemorem) Hieronymum, Auguſtinum, Ambroſium, atque noſtrum Gregorium. Et hoc vt dixi, quantum ad fidei pertinet Sacramentum. Cæterum nunquid ego tam occultas, tam myſticas, tam obſcuras, tamque profundas Apocalypſis locutiones ad plenum me attigiſſe G iactans profiteor? Et quidem quæ dixi ad ea contona ſcripturarum teſtimonia occurrerunt: ſed qui ſciat, vtrum ne aliquod ſecretius ac melius myſterium lateat in his quam ego intellexi? Quia enim valde intima eſt eadem hiſtoria, atque (vt ita dixerim) radices in cœlo tenens, multa forte, imo certe in ea nobis latent, quæ Angelis patent. Vnde per Pſalmiſtam quoque conditori Pſal.103. noſtro dicitur: *Extendens cœlum ſicut pellem, qui tegis aquis ſuperiora eius.* Quid enim hoc loco cœli nomine niſi Sacra ſcriptura ſignatur, de qua nobis & ſol ſapientiæ, & luna ſcientiæ, & ex antiquis patribus ſtellæ exemplorum atque virtutum lucent? Quod videlicet cœlum ſicut pellis extenditur, quia per ſcriptores ſuos carnis lingua formatum, ante oculos noſtros per verba doctorum exponendo diſplicatur. Quid vero aquarum nomine, niſi ſanctiſſimi Angelorum ſignificantur chori? De quibus Pſal.148. ſcriptum eſt: *& aquæ quæ ſuper cœlos ſunt, laudent nomen Domini.* Huius ergo cœli ſuperiora Dominus in aquis tegit, quia alta ſacri eloquij & nobis adhuc in- H comprehenſibilia, ſolis Angelis ſunt cognita. Cœlum itaque & hoc coram nobis extenditur, & tamen in aquis ſuperiora illius conteguntur: quia & quædam ſacri eloquij iam nobis per apertionem ſpiritus patent, & quædam quæ ſolis Angelis poſſunt eſſe manifeſta, nobis adhuc ſeruantur occulta. De quibus tamen occultis iam partem per ſpiritalem intelligentiam ſentimus, qui videlicet ea quæ per fidem cernimus, coatteſtantibus ſcripturarum Sanctarum oraculis, Spiritus ſanctus vera eſſe demonſtrat. Sed tandem vt in principio cœpimus, hoc opus orando claudamus: Sancta & incommutabilis Trinitas, beata & inſeparabilis Vnitas, adoranda & vera paternitas, præcipua & inacceſſibilis claritas, clara & amanda charitas, Pater & Filius & Spiritus ſanctus, vnus verus, non trinus, ſed Trinitas Deus: vnus in natura, Trinitas in perſonis: quantum ad vnitatis ſubſtantiam, Pater in Filio, Filius in Patre, Spiritus ſanctus in Patre & Filio: quantum ad perſonarum proprietates, alius Pater, alius Filius, alius Spiritus ſanctus. Qui cum à nobis inueſtigaris, vt es non inueniris: cum amaris, apprehenderis:

qui

A qui ſic cœlum & terram imples, vt tamen nulla mole aut corporalis aut ſpiritalis æſtimeris: qui ſic es totus in totis, vt tamen in vno totus inueniaris: & nec maior in magnis, nec minor in paruis: ſed in magnis magnus, & in paruis magnus, ac nuſquam diuiſus credaris: cuius non alia pars in cœlis, atque alia in terris, ſed totus in cœlis & totus in terris eſſe cognoſceris: qui ſic cuncta diſpenſas tempora, vt tamen ad æternitatem tuam non accedant tempora: ſic omnia mutabilia diſponis, vt nunquam ipſe muteris: ſic diſſimiliter tuos diligis, vt diſſimilis in te non inueniaris: ſic prædicatorum eloquia in ſtylo diuerſa conformas, vt non ſit diuerſum quod ſonant. Te Deum meum inuoco, te creatorem meum exoro, te redemptorem meum deprecor, vt attendas inuocantem, audias exorantem, ſuſcipias deprecantem. Quæſo Domini miſericordia mea, exoro redemptio mea, deprecor charitas mea, vt qui ignorantiæ meæ tenebras B ſcientiæ luce perfudiſti interius, operum etiam claritate circumdes exterius: quatenus: qui in doctrina parui clarus, in operatione quoque non remaneam obſcurus. Da etiam Domine, vt hoc opus tanto labore confectum, Eccleſiæ tuæ fiat acceptum. Nullique tuorum ſit oneroſum, quibus poteſt eſſe fructuoſum. Et qui de meo nec tibi nec tuis placere poſſum, obſecro vt ex tuo & tibi & tuis complaceam. Illud autem attentius poſtulo, vt ſic cui hoc opus ad manus venerit, ipſumque perlegerit, tua inſpiratione tactus, meam orationem compleat ac dicat: Domine, fiat: Domine, fiat, Amen, Amen.

Ambroſius qui & Anſbertus, ex Galliarum Prouincia ortus, intra Samnij vero regionem apud monaſterium martyris Chriſti Vincentij maxima ex parte diuinis rebus imbutus, non ſolum autem, ſed & ſacroſanctis altaribus ad immolanda Chriſti munera traditus, operante beata & inſeparabili Trinitate, ſuffragantibus etiam meritis C *beatæ Mariæ Virginis, temporibus Pauli Pontificis Romani, necnon & Deſiderij regis Longobardorum, ſed & Arechiſi Ducis eiuſdem prouinciæ, quam incolo, hoc opus confeci atque compleui. Quodque propter facilitatem ipſum intelligendi ſpeculum paruulorum vocaui.*

Iodocus Coccius putat eſſe ſcriptum hunc librū ſeculo 8. vel 9.

ORDO ROMANVS

Antiquus de Diuinis Catholicæ Eccleſiæ Officiis, Et miniſteriis per totius Anni Circulum.

ORDO PROCESSIONIS

Ad Eccleſiam ſiue Miſſam.

D DENVNTIATA ſtatione diebus feſtis, primo mane præcedit omnis clerus Pontificem ad Eccleſiam, exceptis qui in obſequio illius comitantur, qui ordine ſuo ſcribuntur expectantes Pontificem in Eccleſia.

Sed dum venerit Pontifex prope Eccleſiam, exeuntes acolyti & defenſores ex regione illa, cuius dies ad officium fuerit in obſequio, præſtolantur eum loco ſtatuto, antequam veniat vbi deſcenſurus eſt. Similiter Presbyter tituli vel Eccleſiæ vbi ſtatio fuerit, vna cum Maioribus domus illius, ciuitatis, vel patre diaconiæ, ſi tamen illa Eccleſia diaconiæ fuerit, cum ſubdito ſibi Presbytero & manſionario, thymiamateria deferentibus in obſequium illius, inclinato capite dum venerit. Acolyti quidem cum defenſoribus primum, deinde Presbyteri cum ſuis petita benedictione, diuiſis hinc inde partibus, prout militant, præcedunt Pontificem vſque ad Eccleſiam.

Cum vero Eccleſiam introierit Pontifex, non aſcendit E continuo ad altare, ſed prius intrat in ſecretarium ſuſtentatus à diaconibus, qui eum ſuſceperint de ſella deſcendentem. Vbi cum intrauerit, ſedet in ſella ſua. Et diaconi ſalutato Pontifice, egrediuntur è ſecretario, & ante fores eiuſdem mutant veſtimenta ſua. Et parat Euangelium qui lecturus eſt, reſerato ſigillo ex præcepto archidiaconi ſuper planetam acolyti.

Pontifex autem per manus ſubdiaconorum regionariorum mutans veſtimenta ſolemnia, ordinabiliter compoſitis per primicerium & ſecundicerium veſtimentis eius, vt bene ſedeant nouiſſime per diaconum vel ſubdiaconum, cui ipſe iuſſerit, pallio ſuperinduitur, & configitur per acus in planeta retro & ante, & in humero ſiniſtro. Deinde ſubdiaconus regionarius porrigit ei mappulam, inclinans ſe ad genua ipſius.

His ita compoſitis, inuitante ad regiam ſecretarij præfato ſubdiacono ſcholam, quartus ſcholæ, qui ſemper nuntiat Pontifici de cantoribus, adſtans ante faciem Pontificis, & nutum eius ad pſallendum expectans, ſtatim dum F innuit ei, egreditur ante fores ſecretarij & dicit, Accendite.

Qui dum incenderint, ſtatim ſubdiaconus ſequens, tenens thymiamaterium aureum pro foribus, ponit incenſum, vt pergat ante Pontificem. Et ille quartus ſcholæ ad priorem vel ſecundum, ſiue tertium, inclinato capite, dicit: Domini iubete, Tunc ſtatuuntur duæ acies in choro, per ordinem ab vtroque latere, & mox incipit prior ſcholæ antiphonam ad introitum. Subdiaconi vero de ſchola, leuant planetas cum ſinu. Quorum vocem diaconi dum audierint continuo intrant ad Pontificem in ſecretarium.

Tunc Pontifex eleuans ſe, dat manum dexteram duobus Presbyteris, & illi oſculatis manibus ipſius, procedunt cum ipſo ſuſtentantes eum, præcedentibus ante eos diaconibus ſeptem.

Tunc miniſtri cum thymiamaterio & thuribulis non amplius ternis, procedunt ante ipſum mittentes incenſum G & VII. Acolyti portantes ſeptem cereoſtata foras Eccleſiam accenſa, procedunt ante Pontificem vſque in chorum. Poſt thuribula portatur Euangelium propius Epiſcopo. Eadem autem proceſſio fit ab auſtro in ſeptentrionem.

Tunc procedit Pontifex, & antequam veniat ad ſcholam, diuiduntur cereoſtata quatuor ad dexteram, tria ad ſiniſtram.

Et pertranſit Pontifex in caput ſcholæ, & in gradu ſuperiore, inclinato capite ad altare, primo adorat ſancta, & ſtat ſemper inclinatus vſq. ad verſum prophetalem. Tunc * ſurgens, & faciens crucem in fronte ſua, dat pacem Presbyteris duobus & diaconibus omnibus, qui dextera læuaque ſunt, de altiore gradu, numero minori: & de inferiore, maiori: & reſpiciens ad priorem ſcholæ annuit ei vt dicat, Gloria Patri. Et prior ſcholæ inclinans ſe Pontifici, dat gloriam Trinitati. Et Pontifex à ſæpe dictis Presbyteris in ſuperiorem ducendus eſt gradum, non omnino ad altare. In quo etiam loco figendus eſt greſſus, vſquequo Presbyteri primum, & tunc duo & duo diaconi altaris cornua H oſculentur, & nouiſſime archidiaconus ſolus. Euangelium vero, ſtatim poſtquam ad altare ventum fuerit, ſuperponitur. Subdiaconi autem, quaſi quadam linea porrecti vſque ad altare progredientes, ſimul ſe inclinant coram eo, atque Euangelio, vt prædictum eſt, ſuperpoſito, redeuntes in chorum, quatuor in dextera, & tres in ſiniſtra parte conſiſtunt.

Erigens ſe.

Diaconi vero ſicut prius ſtantes retro Epiſcopum inclinati, quando dicit. *Sicut erat in principio*, ſurgent vt ſalutent latera altaris prius, id eſt, ante Epiſcopum, duo & duo viciſſim, & redeunt ad Epiſcopum.

Tandem Epiſcopus oſculatur Euangelium & altare, & pergit ad dexteram altaris ad ſedem ſuam, & ſtat erectus & verſus Orientem, & diaconi retro illum, vnus poſt vnum ſtantes erecti, plures ad dexteram, pauciores ad ſiniſtram altaris.

Schola vero ad nutum diaconi, imponit Litaniam, *Kyrie eleiſon Chriſte eleiſon*, & reliqua. Et continuo acolyti ponunt cereoſtata in pauimento Eccleſiæ quatuor quidem

A Quartus vbi ſubinfertur : *Hoſtiam puram, Hoſtiam ſanctam, Hoſtiam immaculatam, panem ſanctum vitæ æternæ, & Calicem ſalutis perpetuæ.* Quintus, vbi dicitur : *Per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas, ſanctificas, viuificas, benedicis.* Sextus quidem ordo ſequitur, quando profertur : *Per ipſum, & cum ipſo, & in ipſo,* quando cum cum oblata calix tangitur.

In eodem officio Diaconi adhuc inclinati, per miniſterium acolytorum lauant manus ſuas. Et Sacerdos quando dicit, *Supplices te rogamus,* humiliato capite, inclinat ſe antè altare. Et cum dixerit, aperta clamans voce, *Nobis quoque peccatoribus* : ſurgunt Subdiaconi, & ſtant in loco, vbi ante ſteterunt, & ſurſum adſpiciunt in faciem Pontificis.

Cùm dixerint, *Per quem hæc omnia Domine*, erigit ſe Archidiacoous ſolus. Et cum dixerit, *Per ipſum, & cum ipſo,* leuat cum offertorio Calicem per anſas, & tenet exaltans illum iuxta Pontificem. Pontifex autem tangit è latere Calicem, cum oblatis duas faciens Cruces, & dicens:

B Microl. can. 17. *Per ipſum, & cum ipſo,* vſque, *Per omnia ſæcula ſæculorum.* Et ponit Pontifex oblationes in loco ſuo, & Archidiaconus Calicem iuxta eas, dimiſſo offertorio in anſas eiuſdem. Sequitur in altum præfatio Dominicæ orationis, & oratio Dominica cum emboli ſua, io qua nes articuli orationis inueniuntur.

Microl. can. 10. Subdiaconi autem poſtquam viderint Calicem, in quo ſanguis Domini eſt, fanone circumdatum, & audierint : *Sed libera nos à malo :* vadunt & præparant Calices, ſiue ſindones mundas, in quibus recipiant corpus Domini, ne in terram cadat, & in puluerem vertatur, poſt Diaconos ſtantes, donec ex eo populus vitæ ſumat confortationem æternæ.

Nam quod intermiſimus de patena, quando inchoatur Canon, venit acolytus, ſub humero habens ſindonem io collo ligatam, tenens patenam antè pectus ſuum

Microl. can. 17. in parte dextra vſque medium Canonem. Tunc Subdiaconus ſequens ſuſcipit eam ſuper planetam & venit an

C te altare, expectans quando eam ſuſcipiat Subdiaconus regionarius. Finito autem Canone, Subdiaconus regionarius ſtat cum patena nuda poſt Archidiacooum : quando dixerit *Et ab omni perturbatione ſecuri*, vertit ſe Archidiaconus, & oſculata patena, dat eam renendam Diacono ſecundo

Poſt ſolutas, vt in his partibus mos eſt, Pontificales benedictiones, cum dixerit, *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum,* mittit in Calicem de ſancta oblata. Sed Archidiaconus pacem dat Epiſcopo priori : deinde cæteri per ordioem, & populus ſeparatim viri & fœminæ. Tunc Pontifex rumpit oblatam ex latere dextro, & particolam quam rumpit, ſuper altare relinquit. Reliquas verò oblationes ſuas ponit in patenam, quam tenet Diaconus, & redit ad ſedem.

Iam Archidiaconus leuat Calicem, & dat eum Archiſubdiacono, quem tenet iuxta cornu altaris dextrum. Et accedentes Subdiaconi cum acolytis, qui ſacculos por-

al. extendentibus. tant à dextris & à ſiniſtris, & * tendentibus acolytis bra-

D chia cum ſacculis, ſtant à fronte vt pateat ſinus ſacculorum Archidiacono, ad ponendas oblationes, prius à dextris, deinde à ſiniſtris.

Tunc acolyti vadunt dextra læuaque poſt Epiſcopos circa altare, reliqui deſcenduot ad Presbyteros, vt frangant Hoſtias, patena præcedit iuxta ſedem, deferentibus eam duobus Subdiaconibus ad Diaconos vt frangant. Sed illi adſpiciunt ad faciem Pontificis, vt eis innuat frangere. Et dum innuerit, reſalutato Pontifice confringunt, & Archidiaconus euacuato altari oblationibus, reſpicit in ſcholam, & inouit eis vt dicant, *Agnus Dei* : & vadit ad patenam cum cæteris.

al. conſecratione. Expleta * confractione, Diaconus minor leuatam de Subdiacono patenam defert ad ſedem, vt communicet Pontifex. Qui dum communicauerit, de ipſa ſancta quam momorderat, ponit inter manus Archidiaconi in Calicem, faciens crucem ter, dicendo : *Fiat commixtio & conſecratio Corporis & Sanguinis Domini Noſtri Ieſu Chriſti, accipientibus nobis in vitam æternam.* Reſp. *Amen. Pax tecum.* Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.*

E Deinde venit Archidiaconus cum Calice ad cornu altaris, & annuntiat ſtationem, & refuſo parum in Calicem de ſcypho inter manus acolyti, accedunt primum Epiſcopi ad ſedem, vt communicent de manu Pontificis ſecundum ordinem. Sed & Presbyteri omnes aſcendunt, vt communicent, ad altare. Epiſcopus autem primos accipit Calicem de manu Archidiaconi, & ſtat in cornu altaris, vt confirmet ſequentes ordines.

Deinde Archidiaconos accepto de manu illius Calice, refundit in ſcypho, quem ſuprà diximus, & tradit Calicem Subdiacono regionario. Qui tradit ei pugillatem, cum quo confirmet populum. Calicem autem Subdiaconus accipit ſequens, & dat acolyto, & ille reuocat in paratorium.

Quos dum confirmauerit, id eſt, quos Papa communicat, deſcendit Pontifex à ſede, reneotibus ei manus, qoi eum duxerint, vt communicet eos, qui in ſenatorio ſunt : poſt quem Archidiaconus confirmat.

Poſtea Epiſcopi communicant populum, innuente Pontifice, & poſt eos diaconi confirmant. Presbyteri autem iuſſu Pontificis communicant populum, & ipſi viciſſim confirmant. Nam mox vt Pontifex cœperit communicare populum in ſenatorio, ſtatim ſchola incipit antiphonam ad communionem, & pſallunt vſque dum communicato omni populo, etiam in parte mulierum, redit in ſedem: & repetito verſu quieſcunt. F

Poſt omnes hos, communicat ad ſedem regionarios poſt ordinem, & eos qui io filo ſteterant, & ſacellarium & acolytum, qui patenam tenet, & qui ioanutergium tenet. Et qui aquam dat, & poſt Pontificem Archidiaconus eos confirmat.

Pontifex verò contemplans populum commonicatum eſſe, innuit per Subdiaconum primo ſcholæ, & ille reſalutato eo, dicit, *Gloria Patri,* & *Sicut erat,* & verſum. Et finita Antiphona, ſurgit Pontifex cum Archidiacono, & veniens ad altare, dat oratioocm ad complendum.

Qua finita cui præceperit Archidiaconus de Diaconibus adſpicit ad Pontificem, vt ei innuat, & dicit ad populum. *Ite, Miſſa eſt.* Reſp. *Deo gratias.* G

Tunc ſeptem cereoſtata præcedunt Pontificem, & Subdiaconus cum thuribulo ad ſecretarium.

Deſcendente autem illo in Presbyterium, Epiſcopi primum dicunt. *Iube Domne benedicere.* Reſp. *Benedicat vos Dominus.* Reſp. *Amen.*

Poſt Epiſcopos, Presbyteri, deinde Monachi, deinde ſchola, deinde omnes proceſſores, & manſionarij, & intrat in ſecretarium.

ORDO PROCESSIONIS, SI *quando Epiſcopus feſtiuis diebus Miſſam celebrare voluerit, ita vt ab antiquis patribus occidentalium inſtitutione eſt conſtitutus, hic adeſſe cernitur ſcriptus.* H

POSTQVAM prima hora celebrata fuerit in conuentu fratrum, qui apud quoſdam Capitulum nuncupatur, à decano vel cantore ſinguli ad Miſſam miniſteria acturi, deſtinandi ſunt. Et cum tintinabulum ad Tertiam ſonuerit omnes ſimul fratres in chorum ordinatim conuenire debent humeralibus & albis, apud quoſdam autem caſulis induti. Sed proceſſionem coram Epiſcopo acturis, à cuſtode Eccleſiæ in ſactario ornamenta præbenda ſunt : Presbyteris duobus, qui Epiſcopum ducturi ſunt, cappæ : Diaconis ſtolæ & dalmaticæ, Sobdiaconis verò ſibi congruæ veſtes, quæ apud quoſdam Subdiaconales nominantur, & mappulæ in ſiniſtra manu ferendæ : acolytis candelabra, & thuribulum portaturis caſulæ.

His cum induti fuerint, acolytis candelabra portantibus, Subdiaconibus Archidiacono, qui Euangelium feri

A in medio ſtante,extra ſacrarium ſiue intra,vbi ſe Pontifex parat, retro acolytos ordinatim ſtandum eſt, Duo autem Presbyteri, ita vt ad Miſſam, excepto quod cappis induti ſint, veſtiri vna cum ſeptem Diaconis coram Epiſcopo ſtantes,miniſtrent ei,cantantes cum illo ſeptem pœnitentiales Pſalmos cum litania.

Tertia verò à fratribus impleta, procedant diaconi de ſacrario, diuidentes ſe in duas partes, quatuor ad dexteram,tres ad ſiniſtram.Et tunc procedat Epiſcopus,ſtetque extra chorum, ſic propè adeo, vt cantori manu innuere valeat, cui etiam ſilendum eſt,vſquequo Epiſcopus cantare iuſſerit.

Dehinc innuente Epiſcopo, canetur Introitus,& Pontifex à cuſtode Eccleſiæ, qui alba indutus eſſe debet, incenſum accipiens, ponat in thuribulum, & Archiſubdiacono apportante Euangelium; complicatum oſculetur: quo tamen à pleriſque reuoluto, illud Euangelium,quod illo die legendum eſt, oſcolatur.

B His impletis, cum Pſalmus cantatur, innuente Epiſcopo procedant acolyti cum candelabris. Primum vnus, tum duo & duo, & Subdiaconi ſimiliter: protinus Diaconi ſecuturi, & ſic procedat Sacerdos in chorum, ducentibus eum duobus Presbyteris; quos cappis iam ante prædiximus eſſe indutos, ſiue,vt alij volunt, Diaconibus.

Apud quoſdam autem in hac proceſſione aliis Subdiaconis præcedentibus, Ille qui lectionem lecturus eſt cum Euangelio, retro Diaconos Epiſcopum præcedit: coram quo duo acolyti cum candelabris, vnuſquiſque cum thuribulo antecedunt, quibus vtique in hoc conſentiendum eſſe volumus.

Igitur vt omnis proceſſio in chorum venerit, acolyti cum candelabris ſe diuidant, quatuor ſcilicet in dexteram & tres in ſiniſtram. Similique modo Diaconi faciant. Subdiaconi autem protinus, vt in chorum venerint, quaſi quadam linea porrecti, vſque, ad altare progredientes, ſimul ſe inclinent coram eo, atque Euangelio ſuperpoſito, quatuor in dextero ei cornu, & tres conſiſtant in ſiniſtro.

C Pontifex igitur, poſtquam in medietatem chori perducitur, Presbyteris qui eum ducebant, ſiue Diaconibus manus eius oſculantibus, propriaque repetentibus loca, inclinans ſe, Deum pro peccatis ſuis deprecetur.

Tunc erectus, primum duobus Presbyteris, deinde Diaconis omnibus, pacis oſcula dabit per ordinem. In quibuſdam enim locis vſus eſt, & conſuetudo, vt his finitis, miniſter cum thuribulo, Subdiaconum Euangelium portantem antecedat ante altare, coram illo incenſum ponens, & Subdiaconus deſuper Euangelium deponens, reuertatur. In aliis verò non incenſum ad altare portatur, ante quam oblationes altari ſuperponuntur.

Igitur his peractis cum *Gloria*, innuente Epiſcopo cantabitur à ſæpè dictis Presbyteris in ſuperiorem ducendus eſt gradum non omnino ad altare. In quo etiam loco greſſus figendus eſt, vſquequo primum Presbyter, D & tunc duo & duo Diaconi altaris cornua oſculantur, & nouiſſimè Archidiaconus ſolus. Sed continuo vt Epiſcopus in altiora ſcandere inceperit,Subdiaconis qui prius iuxta altare ſtabant. *Gloria Patri* choro canente,ad propria loca reuertendum eſt, & quatuor in dextero choro, tribus in ſiniſtro ſtandum erit. Quibus ita finitis, item verſus à choro cantandus eſt, & Pontifex vſque in medietatem altaris ducendus, vbi ſe altari inclinans Euangelium oſculetur,& ſic demum dextro cornu altaris, vbi etiam ſibi ſedes parata eſt oſculum ferat.Tunc alius Presbyter proprium repetat locum, alius autem librum Epiſcopo porrigat,atque reuoluat,& Diaconi quatuor in dextro,tres in ſiniſtro altaris cornu conſiſtant.Peracto itaque introitu, annuente Epiſcopo,cantandum eſt *Kyrie eleiſon*. Sine cuius inſinuatione cantorem nihil canere licebit.Et tunc acolyti candelabra in inferiori gradu quaſi quodam filo per rectam lineam ponant, vel, vt quidam volunt, in modum crucis.

E Igitur cum *Gloria in excelſis Deo* percantabitur, & Pontifex ſe ad populum, *Pax vobiſcum* dicturus, conuertit, Diaconi ſimul cum eo ſe conuerſuri ſunt: cumque collectam finierit, lectio legatur, & ſedente Epiſcopo, accedat Archidiaconus, & genu flexo ante eum, regat veſtimenta illius, & præbens ſe ad pedem, reuertatur. Finita verò lectione, illis qui gradualem, & *alleluia* cantaturi ſunt iuxta pulpitum, in inferiori gradu ſtandum eſt.

Cùm autem omnia vſque ad Euangelium impleta fuerint, accedat Princeps Eccleſiæ ad Epiſcopum, pyxidem, qua thus habetur, in manus ferens, ſequente acolyto, qui thuribulum portat, & impoſito in illud incenſo ab Epiſcopo, & Subdiacono in dextera parte altaris Diaconum præſtolante, accedat Diaconus ad altare, Deum his verbis adoraturus: *Domine, labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.* Et adorato F altari, genu flectens ante Epiſcopum, accipiat ab eo benedictionem & præbens ſe ad pedem eius & adhibente manum Epiſcopo, oſculetur eam: & protinus ad altare progrediens, ſumat Euangelium continuo lecturus. Candelabra autem ferentes, infra pulpitum contra Diaconum ſtare debent, ſed ille, qui thuribulum tenet, iuxta eum ſtet in ſiniſtra parte, vſquequo Euangelium perlegatur.

Vt autem Diaconus legere inceperit,duo acolyti inuoluta in ſacrario à cuſtode Eccleſiæ, ſacra vaſa accepturi ſunt,& ea in chorum portaturi,& alter cum calice corporali cooperto, & vino cum aqua mixta, infuſo in dextera parte,alterque cum patena in ſiniſtra parte erit.

Itaque perlecto Euangelio,accipiat Subdiaconus pulpitar, & Euangelium à Diacono, eumque præcedat. Coram quo etiam vnus cum thuribulo, & ſeptem acolyti cum candelabris, vſque ante altare antecedant. Quo cum peruenerint, Epiſcopus accepto odore incenſi, & Euangelio deoſculato,ad prædicationem per manus Presbyteri & Archidiaconi perducendus eſt. Et interim dum ſermonem facit ad populum, Subdiaconus circumeundo fratribus Euangelium ad portet, ab omnibus ordinatim G deoſculandum. Sin autem Epiſcopus prædicare noluerit, alia voce incipiat canere, *Credo in vnum Deum*: & ita omnis chorus incipiens, *Patrem omnipotentem*, ad finem vſque perducat.

Diaconus verò ſtatim, vt à pulpito gradum ad altare aſcenderit, accipiens corporale ab acolyto, alio ſe adiuuante Diacono, ſuper altare diſtendat: quod vtique linteum, ex puro lino eſſe contextum debet, quia ſindone munda corpus Domini legitur inuolutum in ſepulcro, & tantæ quantitatis eſſe debet, vt totam altaris ſuperficiem capiat.

Archiſubdiaconus quippè, vt Euangelium, ab omnibus Clericis deoſculatum, ſuper altare depoſuerit, accipiens Calicem ab acolyto,Archidiacono apportet vinum per colum, quod in ſiniſtra manu Romanus ordo Archiſubdiaconum auriculari digito ferre iubet, purgandum. Quod vtique vas in id opus ex aliquo metallo formatum, in medio ſui plurima quaſi acus foramina,ad excolandum vinum oſtendit: & illud Archiſubdiaconus per totum H Miſſæ officium in ſiniſtra manu, illo quo prædiximus digito, annulo ſuſpenſum portaturus eſt.

Quibus ita peractis, & ſymbolo finito, dicat Pontifex ad populum, vna cum illo Diaconis, vt præfati ſumus, conuerſis: *Dominus vobiſcum*, & *Oremus*.Et tunc illo innuente offertorium cantetur à choro, & ille à Presbytero & Archidiacono ad locum vbi oblationes à fidelibus laïcis, ſiue viris ſiue fœminis offeruntur, eaſdem accepturus ducatur,præcedentibus coram eo Subdiacono cum Calice,& acolyto cum patena.

Quo cum peruenerit, Diaconus à Subdiacono Calicem accipiens, omnibus qui oblationes obtulerunt, eiſdem ab eo acceptis, & in patenam impoſitis, manum ſuam cum Calice ad oſculandum præbeat,& illum iterum Subdiacono det ad portandum.Ille autem cum Presbytero Epiſcopum ad altare reducat, ſimiliter, vt ante,præcedentibus illis cum Calice & patena.

A Vbi cum ventum fuerit & Epiſcopus ſedem petierit, antecedant duo acolyti cum manutergio & genuflexo ante eum totum illi ſinum eodem cooperiant, ne lauans manus, aqua caſulam ſpargat. Tertius autem acolytus, aquam illi miniſtraturus, in medio duorum, genuflectat coram eo. Quod ideo ab antiquis patribus decretum fertur, vt Pontifex, qui tunc cœleſtem panem accepturus eſt à terreno pane, quem iam à laicis accepit, manus lauando expurget.

Lotis autem manibus, ſurgat Epiſcopus, vt accipiat oblationes à duobus presbyteris & diaconibus, & ab omnibus clericis: quos non tam patrũ inſtituta iubẽt quam propriũ arbitrium immolare ſuadet: quas cum acceperit, atque altari ſuperpoſuerit, apportante ſibi archidiacono oblatas in patena, à nullo immolatas, accipiat ex illis quantum ſibi ſufficere videatur, & alias archidiacono reſtituat, quas ille cuſtodi Eccleſiæ ad obſeruandum committat. Igitur oblatione altari ſuperpoſita, accipiens diaconus calicem ab archiſubdiacono, ſuper altare continuo ponat. B

Tunc Epiſcopus benedicens hoſtias, & dicens: *Veni ſanctificator omnipotens, æterna Deus, benedic hoc ſacrificium tibi præparatum, qui viuis & regnas in ſæcula ſæculorum*: conuertat ſe, & ſumat incenſum à cuſtode Eccleſiæ, ponenſque in thuribulum, offerat illud altari deinque archidiacono.

Ille vero poſtquam hoc commendauerit acolyto, eat in locum ſuum, ſcilicet in medio diaconorum, qui omnes coram altari retro Epiſcopum per rectam lineam ſtare debent.

Tunc Epiſcopus dicat ad populum conuerſus: *Orate pro me*. Hoc cum dixerit, ſubdiaconi eant retro altare: & ſtantes, cantaturi ſunt quindecim gradus & diaconi coram altari ſimiliter. Apud quoſdam autem vſus obtinuit, ſubdiaconos in choro ſtare vſque dum *Sanctus* canatur, & hoc finito, eos coram altari retro diaconos aliquot gradibus infra conſiſtere, & tum retro ſubdiaconus acolytum patenam & fiſtulam habentem, inferius ſtare. C

Ergo cum dictum fuerit, *Sanctus*, veniant tres acolyti, aquam diaconis miniſtraturi, qui cum loti fuerint, & archidiaconus cum Epiſcopo calicem leuauerit, & ille dixerit, *Per omnia ſæcula ſæculorum*; in aliquibus locis, ſubdiaconis in priorem locum euntibus, diaconi ibi perſiſtunt, vſque dum *Pater noſter cantabitur*, & ſic demum omnes reuertuntur. Cumque Epiſcopus, *Pater noſter*, finierit, accipiens archiſubdiaconus patenam ab acolyto, offerat eam archidiacono.

Ille autem vt Epiſcopus dicit, *Da propitius pacem* patenam illi accommodans, humerum eius oſculetur, ſtatimque Epiſcopo dicente, *Per omnia ſæcula ſæculorum*, accipiat benedictionalem librum, & conuerſus ad populum dicat, *Humiliate vos ad benedictionem*: & clero reſpondente, *Deo gratias*, porrigat Epiſcopo librum.

Expleta autem benedictione, veniens presbyter, accipiat pacem ab Epiſcopo, eandem cæteris oblaturus: diaconus vero ſumens calicem & patenam ab altari, ſubdia- D cono patenam porrigit, quam ille acolyto ad tenendum præbeat. Ipſe autem diaconus tenens calicem & fiſtulam, ſtet ante Epiſcopum, vſque dum ex ſanguine & corpore Chriſti, quantum voluerit ſumat, & ſic calicem & fiſtulam ſubdiacono commendet. Quo protinus in ſiniſtrum cornu altaris pergente, acolytus ibi cum patena coram Epiſcopo conſiſtat. Presbyteri ergo & diaconi oſculando Epiſcopum, corpus Chriſti ab eo manibus accipiant, in ſiniſtra parte altaris communicaturi. Subdiaconi autem, oſculando manum Epiſcopi, ore accipiant corpus Chriſti ab eo.

Poſtquam vero diaconi in ſiniſtro cornu altaris de ſanguine Chriſti communicent, venientes ſubdiaconi ordinatim, accipiant ſanguinem Chriſti ab archidiacono, manus eius oſculantes. Et eidem diacono nimis caute procurandum eſt, ne quid in calice aut patena ſanguinis vel corporis Chriſti remaneat.

His ita peractis, duo diaconi complicantes corporale, ponant ſuper calicem, fiſtula in eo adhuc remanente.

Interim autem canetur *Agnus Dei*, & quæ tunc canenda ſunt. E Dehinc omnes cum iam communicauerint, acolytus qui patenam portat, in ſiniſtram partem altaris pergens, cum ſubdiacono conſiſtat. Sedente vero Epiſcopo, ſecundum prædictum ordinem tres acolyti, genu flexo ante eum, aquam manibus miniſtrent.

Lotis autem manibus, ſurgente Epiſcopo, conuertente ſe ad populum, & dicente: *Dominus vobiſcum*, ſubdiaconus cum calice, & acolytus cum patena, vna cum diaconibus ſe conuerſuri ſunt. Cumque Epiſcopus Collectam finierit, & Diaconus: *Ite, Miſſa eſt*, & clerus *Deo gratias* dixerit, duo diaconi accipientes manus Epiſcopi, & ſubdiaconus cum calice, & acolytus cum patena cum antecedentes, vt prædiximus, intrantem, ita exeuntem cum omni proceſſione ad ſacrarium reducant.

INCIPIT ORDO ECCLESIASTICVS Romanæ Eccleſiæ, vel qualiter Miſſa celebratur. F

PRimum omnium obſeruandum eſt, ſeptem eſſe regiones Eccleſiaſtici ordinis vrbis Romæ & vnamquamque regionem ſingulos habere diaconos, regionarios, & vniuſcuiuſque regionis acolyti per manum ſubdiaconi regionarij diacono regionis ſuæ officij cauſa ſubduntur. Quorum diaconorum, ſi quando quiſpiam moritur, donec loco eius ſubrogetur alius, illius regionis acolyti archidiacono obediunt: quia omnes acolyti, cuiuſcunque regionis ſint, cauſa Eccleſiaſtici officij ad miniſterium eius pertinent. Quod etiam de ſequentibus ordinibus intelligendum eſt, ſeruato vnicuique per eum proprij gradus (miniſteriali ordine) archidiacono in ſui ordinis miniſterio ſubditis. Vt ſi quis, verbi gratia, vim paſſus fuerit, ſiue ab Eccleſiaſtico, ſeu à quacunque militari perſona, ſiue à ſui ordinis primo, eius cauſa ad ef- G fectum minimè peruenerit, habeat archidiaconus, id eſt, vicarius Pontificis cauſam, qualiter ſubditorum ſibi querelas abſque notitia poſſit explicare pontificis: cætera vero per minores ordines finiantur. Nam primo oportet, vt poſt numerum Eccleſiaſticarum regionum, ſciat, qui voluerit, numerum dierum per hebdomadam, quo ordine circulariter obſequantur. Nam prima feria, regio tertia, id eſt, Paſchæ: ſecunda feria, regio quarta: tertia feria, regio quinta: feria quarta: regio ſexta: feria quinta: regio ſeptima: feria ſexta: regio prima: ſabbato, regio ſecunda ordine proprio, tam in proceſſione, quam in Eccleſia vbicunque eos propria dies ratione ſui gradus ſecundum * priſcam conſtitutionem ire vel miniſtrare compulerit, à miniſterio Pontificis non poterit ſine vllâ ſui deeſſe excommunicationis ſententia, vel animaduerſionis diſciplina. Quorum miniſteria primitus ſecundum rationem ſimplicem dupliciter diebus ſingulis * diuidebantur, id eſt, in proceſſione Apoſtolici ad ſtationem: & in H egreſſu è ſacrario vſque ad Miſſarum conſummationem. Diebus itaque ſolemnibus, ſicuti eſt Paſcha, primo omnes acolyti regionis tertiæ, & defenſores omnium regionum conuenientes diluculo in Patriarchio Lateranenſi, præcedunt Pontificem pedeſtres ad ſtationem: ſtratores autem laïci à dextris & ſiniſtris equi ambulant, ne alicubi titubet: qui autem eos equitantes præcedunt, hi ſunt, diacones, primicerius & duo notarij regionarij, defenſores regionarij, ſubdiaconi regionarij. Procedunt vero diuiſis turmis, ſpatium inter ſe & Apoſtolicum facientes. Poſt equum vero hi ſunt qui equitant, Vicedominus, Veſtiarius, nomenclator atque ſacellarius: vnus autem ex acolytis ſtationarius præcedit pedeſter equum Pontificis, geſtans ſanctum chriſma manu in mappula inuoluta cum ampulla: ſed & omnes acolyti abſque ſacculis & ſindone & chriſmate non procedunt, quod diſponit ſtationarius. Si quis autem adire voluerit Pontificem, ſi equitat, ſtatim vt eum viderit, deſcendit de equo, & ex latere viæ, expectat vſq; dum ab eo poſſit audiri, & petita benedictione, diſcutitur à nomenclatore vel ſacel-

* *priſca ſtatione. al. priſca conſtitutione. al. diuidantur.*

A

lario cauſa eius, & ipſi indicant Pontifici, & finiunt. Quod & ſimiliter obſeruabitur, etiamſi abſque vlla petitione ei quiſquam obuius fuerit. Qui vero pedeſter fuerit, tantummodo loco ſuo figitur, vt ab eo audiatur vel benedicatur. Die autem reſurrectionis Dominicæ, procedente eo ad ſanctam Mariam, notarius regionarius ſtat in loco, qui dicitur *Merulanas*: & ſalutato Pontifice, dicit: *In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, baptizati ſunt heſterna nocte in ſancta Dei genitrice Maria infantes, maſculi numero tanti, fœmina tanta.* Reſpondet, *Deo gratias*, & accipit à ſacellorio ſolidum vnum: Pontifex autem pergit ad ſtationem feria ſecunda ad Miſſam ſimiliter. Feria tertia, in reflexione portici ſancti Pauli, tantum obſequuntur ij qui pedeſtres. In die vero ſancto Paſchæ, omnes acolyti regionis tertiæ, ſimul & defenſores omnium regionum, conueniunt primo diluculo in Patriarchio Lateranenſi, vt dum proceſſerit Pontifex, equum illius præcedant. Acolyti autem qui inde fuerint, obſeruant, vt portent chriſma ante Pontificem &

B

Euangelia, ſindones & ſacculos, & aquam manus poſt eum, ſicut ſupra diximus. Apoſtolum autem ſubdiaconus, qui lecturus eſt, ſub cura habebit: Euangelium, archidiaconus: Aquam manus, patenam quotidianam, calicem, ſcyphos & pugillares, & alios aureos & genelliones argenteos, cum colatorio argenteo & aureo & alio maiore argenteo, amulas argenteas, cantatorium, & cætera vaſa aurea & argentea, cereoſtata aurea & argentea de Eccleſia Saluatoris, per manus primi manſionarij ſumunt, & baiuli portant. Diebus vero feſtis, calicem & patenam maiores, Euangelia maiora: de veſtiario Dominicu exigant ſub ſigillo veſtes per numerum, vt non perdantur, Sellam Pontificis cubicularius laicus præcedens deportat, vt parata ſit dum in ſacrario venerit ad denuntiatam ſtationem. Denuntiata ſtatione diebus feſtis primo mane præcedit omnis clerus Apoſtolicum ad Eccleſiam, exceptis his, qui in obſequio illius comitantur, vt ſupra diximus, & expectantes Pontificem in Eccleſia cum ſupplementario, & baiulis, & reliquis qui

C

cruces portant, ſedentes in presbyterio. Epiſcopi quidem ad ſiniſtram intrantes, presbyteri vero in dextram, vt quando Pontifex ſederit, ad eos reſpiciens, Epiſcopos ad dexteram ſui, presbyteros vero ad ſiniſtram contueatur: ſed dum venerit Pontifex prope Eccleſiam, exeuntes acolyti & defenſores ex regione illa, cuius dies ad officium fuerit in obſequio, præſtolantur eum loco ſtatuto, antequam veniat vbi deſcenſurus eſt. Similiter & presbyteri tituli vel Eccleſiæ, vbi ſtatio fuerit, vna cum maioribus domus Eccleſiæ Romanæ, vel parte diaconiæ (ſi tamen illa Eccleſia diaconiæ fuerit) cum ſubdito ſibi presbytero & manſionario, thymiamaterium deferentibus in obſequium illius, inclinato capite dum venerit. Acolytus quidem cum defenſoribus primum, deinde presbyter cum ſuis, petita benedictione, diuiſis hinc inde partibus, prout militant, præcedunt Pontificem vſque ad Eccleſiam. Aduocatores autem Eccleſiæ ſtant quidem cum maioribus: non autem procedunt cum eis, ſed ipſi tantummodo ſequuntur ſellarem Pontificis

D

cum acolyto, qui aquam manus portat, quem ſemper neceſſe eſt, ſequi Pontificem, vſque dum ad altare aſcendit, paratus ſub humero in presbyterio, quando vocabitur à ſubdiacono regionario ad aquam tradendam. Cum vero Eccleſiam introierit Pontifex, non aſcendit continuo ad altare, ſed prius intrat in ſecretarium, ſuſtentatus à diaconibus, qui eum ſuſceperant de ſellario deſcendentem: vbi dum intrauerit, ſedet in ſella ſua, & diacones ſalutato Pontifice, egrediuntur ſecretarium, & ante fores eiuſdem mutant veſtimenta ſua, & parat Euangelium qui lecturus eſt, reſerato ſigillo ex præcepto archidiaconi ſuper planetam acolyti: &, ſi neceſſe fuerit propter maiora Euangelia, duobus acolytis ſuper planetas tenentibus, parat Euangelium: quo facto, acolytus defert Euangelium vſque ante altare in presbyterium, præcedente eum ſubdiacono ſequente, qui eum deſuper planetam illius ſuſcipiens in manibus ſuis, honorificè ſuper altare ponat. Nam egredientibus diaconibus de ſecreta-

E

rio, remanent cum Pontifice primicerius defenſorum, notarij regionarij, & ſubdiaconus ſequens, qui tenet pallium Pontificis in brachio ſuper planetam in ſiniſtro cum acu. Pontifex autem per manus ſubdiaconorum regionariorum mutat veſtimenta ſolemnia hoc ordine. Deſert ea plicata cubicularius tonſuratus, accepta de manibus oſtiarij, iuxta caput ſcamni ſubdiacono regionario, & tunc cæteri ſubdiaconi regionarij ſecundum ordinem ſuum accipiunt ad induenduin Pontificem iſta veſtimenta, alius lineam, alius cingulum, alius anabolagium, id eſt, amictum: alius laneam Dalmaticam, & alius planetam, & per ordinem, ſic induunt Pontificem. Primicerius autem & ſecundicerius componunt veſtimenta eius, vt benè ſedeat. Nouiſſimè autem quem voluerit Dominus Pontifex de diaconibus vel ſubdiaconibus, cui ipſe iuſſerit, ſumit de manu ſubdiaconi ſequentis pallium, & induit ſuper Pontificem, & configit eum cum acu in planeta retro & ante, & in humero ſiniſtro, & ſa-

F

lutat Dominum, & dicit: *Iube Domne benedicere.* Reſpondet: *Saluet nos Dominus, Amen.* Deinde ſubdiaconus regionarius, tenens mappulam Pontificis in ſiniſtro brachio ſuper planetam reuolutam, exiens ad regiam ſecretarij, dicit, *Schola*: Reſpondet. *Adſum*: & ille, *Quis pſallit?* Reſpondet, *ille & ille*: & rediens ad Pontificem ſubdiaconus, porrigit ei mappulam, inclinans ſe ad genua ipſius, & dicens: Serui Domini mei, talis ſubdiaconus regionarius legit Apoſtolum, & talis de ſchola cantat. Et poſtea non licet alterum mutare in loco lectoris vel cantoris: quod ſi factum fuerit, archiparaphoniſta à Pontifice excommunicabitur, id eſt, quartus ſcholæ, qui ſemper Pontifici nuntiat de cantoribus. Quod dum nuntiatum fuerit Pontifici, ſtatim ſequitur quartus ſcholæ ſubdiaconum, adſtans ante faciem Pontificis, vſque dum ei annuat Pontifex vt pſallant: cui dum annuerit, ſtatim egreditur ante fores ſecretarij, & dicit: *Accendite*: qui dum incenderint, ſtatim ſubdiaconus ſequens, tenens thymiamaterium aureum pro foribus, ponit incenſum, vt pergat ante Pontificem. Et ille quartus

G

ſcholæ perueniens in presbyterio ad priorem ſcholæ, vel ſecundum ſiue tertium, inclinato capite, dicit; *Domini iubete*: tunc illi eleuantes per ordinem, vadunt ante altare, & ſtatuuntur per ordinem acies duæ, paraphoniſtæ quidem hinc inde à foris, infantes ab vtroque latere infra per ordinem: & mox incipit prior ſcholæ antiphonam ad introitum, quorum vocem diaconi dum audierint, continuo intrant ad Pontificem in ſecretarium, & tunc Pontifex eleuans ſe, dat manum dextram archidiacono, & ſiniſtram ſecundo, vel qui fuerint in ordine: & illi oſculatis manibus ipſius, procedunt cum ipſo, ſuſtentantes eum. Tunc ſubdiaconus ſequens cum thymiamaterio, præcedit ante ipſum mittens incenſum, & ſeptem acolyti illius regionis, cuius dies fuerit, portantes ſeptem cereoſtata accenſa, præcedunt ante Pontificem vſque ante altare.

Sed priuſquam veniant ante altare, diacones in preſ-

H

byterio exuuntur planetis, & ſuſcipit eas ſubdiaconus regionarius, & porrigit illas acolytis regionis, cuius fuerint diaconi: & tunc duo acolyti tenentes capſas cum ſancta apertas, & ſubdiaconus ſequens cum ipſis, tenens manum ſuam in ore capſæ, oſtendit ſancta pontifici, vel diacono qui præceſſerit. Tunc inclinato capite pontifex vel diaconus ſalutat ſancta & contemplatur vt ſi fuerit ſuperabundans, præcipiat vt ponatur in conditorio. Tunc procedens antequam veniat ad ſcholam, diuiduntur cereoſtata, quatuor ad dexteram, & tria ad ſiniſtram partem: & pertranſit pontifex in caput ſcholæ, inclinato capite ad altare, ſurgit: & orans, & faciens crucem in fronte ſua, dat pacem vni Epiſcopo de hebdomadariis, & Archipresbytero, & diaconibus omnibus, & reſpiciens ad priorem ſcholæ, annuit ei vt dicat *Gloriam*: & prior ſcholæ inclinat ſe pontifici, & imponit.

Quartus vero ſcholæ præcedit ad pontificem, vt ponat oratorium ante altare, ſi tempus fuerit: & accedens pontifex, orat ſuper ipſum vſque ad repetitionem verſus. Nam diaconi ſurgunt, quando dicunt: *Sicut erat*, vt ſalutent

A altaris latera, prius duo, & duo, viciſſim redeuntes ad pontificem, & ſurgens pontiſex, oſculatur Enangelia & altare, & accedit ad ſedem ſuam, & ſtat verſus ad Orientem: ſchola vero, finita Antiphona, imponit *Kyrie eleiſon*, & continuo acolyti ponunt cereoſtata in pauimento Eccleſiæ, tria quidem in dexteram partem, & tria in ſiniſtram, vnum vero in ſpatium quod eſt inter eos. Prior vero ſcholæ cuſtodit ad pontificem, vt ei annuat quando vult mutare numerum litaniæ, & inclinat ſe pontifici: quam dum finierit, incipit pontifex, *Gloria in excelſis Deo*, ſi tempus fuerit, & non ſedet, antequam dicant poſt orationem primam, *Amen*: & tunc tolluntur cereoſtata de loco in quo prius ſteterant, vt ponantur in vna linea per mediam Eccleſiam. Interea Diaconi ſi tempus fuerit, leuant planetas in ſcapulas, & ſtant iuxta pontificem: ſimiliter & leuant ſubdiaconi, ſed cum ſinu.

Et tunc aſcendunt ſubdiaconi regionarij ad altare, ſtatuentes ſe ad dexteram ſiue ſiniſtram altaris. Tunc ponti- B ſex annuit Epiſcopis & presbyteris vt ſedeant: ſubdiaconus vero qui lecturus eſt, mox vt viderit poſt pontificem Epiſcopos & presbyteros ſedentes, aſcendit in ambonem, & legit, poſtquam legerit, cantor cum cantatorio, & dicit reſponſorium gradualem: & ſi fuerit tempus vt dicatur *Alleluia*, bene: ſin autem, tractum, ſin minus, reſponſorium tantum. Deinde diaconus oſculatur pedes pontificis, & tacitè dicit ei pontifex: *Dominus ſit in corde tuo & in labiis tuis*. Deinde venit ante altare, & oſculatis Euangeliis, leuat in manus ſuas codicem, & procedunt ante ipſum duo ſubdiaconi regionarij, leuantes thymiamateria de manu ſubdiaconi ſequentis, mittentes incenſum, & ante ſe habentes duos acolytos, portantes duo cereoſtata: & venientes ad ambonem, diuiduntur ipſi acolyti ante ambonem, & tranſeunt ſubdiaconi, & diaconus cum Euangeliis per medium eorum. Ille qui abſque thymiamaterio eſt, vertens ſe ad diaconem, porrigit ei brachium ſuum ſiniſtrum, in quo ponit Euange- C lium, vt manu ſubdiaconi aperiatur ei locus, in quo ſignum lectionis poſitum fuerit, & interpoſito digito ſuo, diaconus in loco lectionis aſcendit ad legendum, & illi duo ſubdiaconi redeunt ſtare ante gradum deſcenſionis ambonis. Finito Euangelio, dicit Pontifex: *Pax tibi, Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo.* Deſcendente autem diacono, ſubdiaconus qui prius aperuerat, recipit Euangelium, & porrigit ipſum ſubdiacono ſequenti, qui in ſilo ſtat, quod tenens ante pectus ſuum ſuper planetam, porrigit oſculandum omnibus, per ordinem graduum qui ſteterint, & poſt hoc præparato acolyto in pogio iuxta ambonem cum capſa, in qua ſubdiaconus idem ponit Euangelium vt ſigilletur. Acolytus autem erit regionis eiuſdem, cuius ſubdiaconus eſt, & reuocet Euangelium per ordinem ad Lateranas.

Cæteri vero acolyti ſumentes cereoſtata ponent ea retro altare. Deinde pergente diacono ad altare, ſtante acolyto cum calice, & corporale ſuper eum, leuat ca- D licem in brachio ſuo ſiniſtro, & porrigit diacono corporale, vt accipiat deſuper calicem, & ponit eum ſuper altare à dextris, proiecto capite altero ad diaconem ſecundum, vt expandatur. Tunc aſcendunt ad ſedem primicerius & ſecundicerius & primicerius defenſorum cum omnibus regionariis & notariis. Subdiaconus vero cum calice vacuo ſequitur archidiaconum. Pontifex deſcendit ad ſenatorium, tenente manum eius dexteram primicerio notariorum, & primicerio defenſorum ſiniſtram, & ſuſcipit oblationes principum per ordinem archium. Archidiaconus poſt eum ſuſcipit amulas, & refundit in calicem maiorem, tenente eum ſubdiacono regionario, quem ſequitur cum ſcypho ſuper planetam acolytus, in quo calix impletus refunditur.

Oblationes à pontifice ſuſcipit ſubdiaconus regionarius, & porrigit ſubdiacono ſequenti: & ſubdiaconus ſequens ponit in ſindone, quam tenent duo acolyti. Reliquas oblationes poſt pontificem ſuſcipit Epiſcopus hebdomadarius, & ipſe manu ſua mittit eas in ſindonem, quæ eum ſequitur. Poſt quem diaconus qui ſequitur archidiaconem, ſuſcipit amulas, & manu ſua refundit in ſcyphum. Pontifex vero antequam tranſeat in partem mulierum, de- E ſcendit ante confeſſionem, & ſuſcipit oblatas primicerij defenſorum. Nam & ſecundicerij & primicerij defenſores diebus feſtis poſt diacones ad altare offerunt: ſimiliter aſcendens pontiſex in partem fœminarum, ordine quo ſupra omnia explet. Tunc tenentibus primicerio & ſecundicerio manus eius, redit in ſedem. Archidiaconus ſtans ante altare, expleta ſuſceptione, leuat manus ſuas. Deinde reſpicit in faciem pontificis, annuit ei, & ille reſalutato accedit ad altare.

Tunc Subdiaconi regionarij leuantes oblatas de manu Subdiaconi ſequentis ſuper brachia ſua, porrigunt archidiacono, & ille componit altare. Nam Subdiaconi hinc inde porrigunt. Ornato vero altari, tunc Archidiaconus ſumit amulam Pontificis de Subdiacono oblationario regionario, & refundit ſuper colum in calicem; deinde Diaconorum, & in die feſto primicerij, ſecundicerij, primicerij defenſorum. Deinde deſcendit Subdiaconus ſequens in ſchola, accipit fontem de manu archi- F paraphoniſtæ, & defert ad archidiaconum, & ille infundit, faciens crucem in calicem. Tunc aſcendunt Diaconi ad Pontificem, quos videntes primicerius, ſecundicerius, & primicerius defenſorum regionarij, & notarij regionarij, & defenſores regionarij deſcendunt de aciebus, vt ſtent in loco ſuo. Tunc ſurgens Pontifex à ſede, deſcendit ad altare, & ſalutat altare, & ſuſcipit oblatas de manu presbyteri hebdomadarij & diaconorum. Deinde Archidiaconus ſuſcipit oblatas Pontificis de oblationario, & dat Pontifici: quas dum poſuerit pontifex in altare, leuat calicem archidiaconus de manu ſubdiaconi regionarij, & ponit eum ſuper altare iuxta oblatam pontificis à dextris inuolutis anſis cum offertorio, quem ponit in cornu altaris, & ſtat poſt pontificem, & pontifex inclinans ſe paululum ad altare, reſpicit ſcholam, & annuit vt ſileant. Tunc finito offertorio, epiſcopi ſtant poſt pontificem. Primus in medio, deinde per ordinem, & archidiaconus à dextris epiſcoporum, ſecundus diaco- G nus à ſiniſtris, & cæteri per ordinem diſpoſita acie. Et ſubdiaconi regionarij, finito offertorio, vadunt retro altare, aſpicientes ad pontificem, ſtantes erecti vſque dum incipiant dicere hymnum angelicum, id eſt, *Sanctus*, quem dum expleuerint, ſurgit Pontifex ſolus, & intrat in Canonem. Epiſcopi vero, diaconi, ſubdiaconi, & presbyteri in presbyterio permanent inclinati, & dum dixerit, *Nobis quoque peccatoribus*, ſurgunt diaconi. Cum dixerit, *Per quem hæc omnia Domine*, ſurgit archidiaconus ſolus. Cum dixerit, *Per ipſum, & cum ipſo*, leuat cum offertorio calicem per anſas, & tenet exaltans illum iuxta pontificem. Pontifex autem tangit à latere calicem cum oblatis, dicens: *Per ipſum, & cum ipſo*, vſque: *Per omnia ſecula ſeculorum*: & ponit pontifex oblationes in loco ſuo, & archidiaconus calicem iuxta eas, dimiſſo offertorio in anſis eiuſdem. Nam quod intermiſimus de patena, quando inchoat canonem, venit acolytus ſub humero habens ſindonem in collo ligatam, tenens patenam ante pectus ſuum in H parte dextera vſque ad medium Canonem.

Tunc ſubdiaconus ſequens ſuſcipit eam ſuper planetam, & venit ante altare, expectans quando eam ſuſcipiat ſubdiaconus regionarius. Finito vero Canone, ſubdiaconus regionarius ſtat cum patena poſt archidiaconum, quando dixerit, *Et ab omni perturbatione ſecuri*: vertit ſe archidiaconus, & oſculata patena, dat eam tenendam diacono ſecundo. Cum dixerit, *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*, mittit in calicem de ſancta: ſed archidiaconus pacem dat Epiſcopo priori, deinde cæteris per ordinem & populis. Tunc pontifex rumpit oblatam ex latere dextero, & particulam quam rumperit, ſuper altare relinquit. Reliquas vero oblationes ſuas ponit in patenam, quam tenet diaconus. Mox primicerius & ſecundicerius, & primicerius defenſorum cum omnibus regionariis & notariis aſcendunt ad altare, & ſtant in ordine ſuo à dextris à ſiniſtris. Nomenclator verò & ſacellarius, & notarius vicedomini, cum dixerint, *Agnus Dei*, tunc aſcendunt ad altare ante faciem pontificis, vt

A annuat eis ſcribere nomina eorum, qui inuitandi ſunt ſiue ad menſam pontificis per nomenclatorem, ſiue ad vicedomini per notarium ipſius, quorum nomina vt impleuerint, deſcendunt ad inuitandum, & redit ad ſedem. Nam archidiaconus leuat calicem, & dat eum ſubdiacono regionario, quem tenet iuxta cornu altaris dextrum: & accedentes ſubdiaconi ſequẽtes cum acolytis, qui ſaccula portant à dextris & à ſiniſtris altaris, extendentibus acolytis brachia cum ſacculis, ſubdiaconi ſequentes ſtant à fronte, vt parent ſinus ſacculorum archidiacono ad ponendas oblationes, prius à dextris, deinde à ſiniſtris. Tunc acolyti vadunt dextra læuaque per Epiſcopos circa altare, reliqui deſcendunt ad presbyteros, vt confringant hoſtias: patena præcedit iuxta ſedem, deferentibus eam duobus ſubdiaconibus regionariis ad diaconos, vt frangant; ſed illi adſpiciunt ad faciem pontificis, vt eis annuat frangere, & dum innuerit, reſalutato pontifice, confringunt & archidiaconus euacuato altari oblationibus, reſpicit in ſcholam, & annuit eis vt dicant, *Agnus Dei,* & vadit ad patenam
B cum cæteris. Expleta confractione, diaconus minor, leuatam de ſubdiacono patenam, defert ad ſedem, vt communicet pontifex. Qui dum communicauerit de ipſa ſancta, quam momorderat, ponit inter manus archidiaconi in calicem, faciens crucem ter, dicendo: *Fiat commixtio & conſecratio corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, accipientibus nobis in vitam æternam, Amen. Pax tecum: Et cum ſpiritu tuo:* & ita confirmatur ab archidiacono.

Deinde venit archidiaconus cum calice ad cornu altaris, & adnuntiat ſtationem, & refuſo parum de calice in ſcyphum inter manus acolyti, accedunt primum Epiſcopi ad ſedem, vt communicent de manu pontificis ſecundum ordinem ſimiliter presbyteri, vt communicent poſt eos. Epiſcopus autem primus accipit calicem de manu archidiaconi, & ſtat in cornu altaris, vt confirmet ſequentes ordines vſque ad primicerium defenſorum. Deinde archidiaconus accepto de manu illius calice refun-
C dit in ſcyphum quem ſupra diximus, & tradit calicem ſubdiacono regionario, qui tradit ei pugillarem, cum quo confirmat populum. Calicem autem accipit ſubdiaconus ſequens, & dat acolyto, quem reuocat in paratorium, qui dum confirmauerit, id eſt, quos Papa communicat, deſcendit pontifex à ſede cum primicerio notariorum, & primicerio defenſorum, tenentibus ei manus, qui eum ducunt, vt communicet eos, qui in ſenatorio ſunt, poſt quem Archidiaconus confirmat. Poſt hæc Epiſcopi communicant populum, annuente eis primicerio cum manu ſub planeta, percontato pontifice. Poſt eos diaconi confirmant.

Deinde tranſeunt in partem ſiniſtram, & faciunt ſimiliter. Presbyteri autem, annuente primicerio, iuſſu pontificis communicant populum, & ipſi viciſſim confirmant. Nam mox vt pontifex cœperit in ſenatorio communicare, ſtatim ſchola incipit Antiphonam ad communionem, & pſallunt vſque dum communicato omni po-
D pulo, annuat pontifex, vt dicat *Gloriam*: & tunc repetito verſu quieſcunt. Nam pontifex mox vt communicauerit in parte mulierum, redit ad ſedem, & communicat regionarios per ordinem, & eos qui in filo ſteterunt & in diebus feſtis de ſchola duodecim. Nam cæteris diebus in presbyterio, vbi potuerint, communicent. Poſt omnes hos redeuntes nomenclator & ſacellarius & acolytus, qui patenam tenet & qui manutergium tenet, & qui aquam dat, ad ſedem, communicant: poſt pontificem Archidiaconus eos confirmat. Adſtat autem ſubdiaconus regionarius ante faciem pontificis, vt annuat ei. Ille vero contemplans populum, ſi iam communicati ſunt, annuit ei, & vadit ad humerum, adſpicit ad primum ſcholæ, faciens crucem in fronte ſua, annuit eidem dicere *Gloriam,* Sicut erat, & verſus. Finita Antiphona, ſurgit pontifex cum archidiacono, & veniens ad altare, dat orationem ad complendum: qua finita, cui præceperit Archidiaconus de diaconibus, adſpicit ad Pontificem, vt ei annuat, & dicat ad populum: *Ite, Miſſa eſt.* Reſpondet, *Deo gratias.* Tunc ſeptem cereoſtata præcedunt pontificem, & ſubdiaconus regionarius cum thuribulo ad ſecretarium. Di- E
ſcedente autem illo in presbyterium, Epiſcopi primum dicunt: *Iube Domne benedicere*: Reſpondet, *Benedicat nos Dominus. Amen.* Poſt Epiſcopos presbyteri, deinde monachi, deinde ſchola, deinde milites diaconarij, id eſt, qui ſigna portant: poſt eos bâiuli, poſt eos cereoſtatarij, poſt quos acolyti, qui rugam conſeruant, poſt eos extra presbyterium cruces portantes: deinde manſionarij iuniores, & intrat in ſecretarium.

IN NOMINE DOMINI

Incipit Liber de Romano ordine, qualiter celebrandum ſit Officium Miſſæ.

PRimo omnium obſeruandum eſt, ſeptem eſſe regiones Eccleſiaſtici ordinis vrbis Romæ, & vnamquam- F
que regionem ſingulos diaconos regionarios habere, & vniuſcuiuſque regionis acolytos per manum ſubdiaconi regionarij diacono regionis ſuæ, cauſa officij ſubditos eſſe. Superiores autem vel diaconorum vel ſubdiaconorum ordines, archidiacono, qui vicarius eſt pontificis, obedire, ſeruato vnicuique per eum proprij gradus miniſteriali ordine.

Oportet autem, vt poſt numerum Eccleſiaſticarum regionum, ſciat qui voluerit numerum dierum per hebdomadam, quo ordine circulariter obſequantur iuxta ordinationem antiquitus conſtitutam. Prima enim feria Paſchæ miniſtrabit regio tertia. Secunda feria, regio quarta. Tertia feria: regio quinta: Feria quarta, regio ſexta: Feria quinta, regio ſeptima: Feria ſexta: regio prima: Sabbato, ſecunda regio. Ergo vnaquæque regio ordines proprios, tam in proceſſione, quam in Eccleſia habebit, vel vbicunque eos propria dies ratione ſui gradus, ſecundum priſcam conſtitutionem, ire vel miniſtrare compulerit: & nul- G
lus in aliqua deſignatus regione, à miniſterio pontificis ſine excommunicationis vel animaduerſionis ſententia deeſſe poterit.

Denuntiata ſtatione diebus feſtis, primo mane omnis clerus debet Apoſtolicum ad Eccleſiam præcedere, exceptis officialibus miniſtris, qui in obſequio illis comitantur pro pontificali dignitate, vt ſunt diacones ſtationarij, ſubdiaconi, & omnes acolyti illius regionis, quæ ipſo die pontifici debet miniſtrare. Sed cubiculario laico hæc cura eſt præſcripta, vt ſella pontificis in ſacrario ſit parata, donec ille veniat celebraturus diuina myſteria. Epiſcopi autem atque presbyteri, expectantes in presbyterio pontificem, cum his qui præparant ornatum Eccleſiaſticum atque vaſa Eccleſiæ, ſedebunt ea locali diſpoſitione, vt intrantibus Eccleſiam, Epiſcopi ſint ad ſiniſtram, presbyteri vero ad dexteram: vt quando pontifex ſederit, & ad eos reſpexerit, Epiſcopos ad dexteram, presbyteros contueatur ad ſiniſtram. Suſcipitur autem pontifex per presbyte- H
ros tituli vel Eccleſiæ, vbi indicta eſt ſtatio, vna cum maioribus eiuſdem Eccleſiæ, & offertur in obſequium illius thymiamaterium inceuſi, inclinato offerentium capite, atque petita benedictione & accepta, hinc inde pontificem præcedunt ad Eccleſiam, prout quemque contigit ſecundum ordinem militare. Sed hæc cura erit acolytorum, vt ſacri miniſterij vaſa per manum primi manſionarij, qui eſt cuſtos dominicalis veſtiarij, accepta, deferantur per baiulos de maiori monaſterio ad celebrandæ ſtationis locum, quæ ſunt aquamanile, hoc eſt, vas manuale, patenæ, calices & ſcyphi, atque pugillares aurei ſiue argentei, amulæ argenteæ, ad vina fundenda paratæ, colatorium aureum ſiue argenteum, & cantatorium. Subdiaconus autem qui lecturus eſt, ſub cura ſua habebit Apoſtolorum, & archidiaconos Euangelium. Cum vero pontifex Eccleſiam intrauerit, non continuo ad altare aſcendit, ſed prius intrat in ſecretarium, ſuſtentatus à diaconibus, qui eum deſcendentem à ſellario accipiunt obuiis, vt aiunt, manibus: vbi dum venerit, & in ſella ſua ſederit, diacones ſalutato pontifice, egrediuntur de ſecreta-

rio

A tio cum ordinabili diſciplina,& ante fores ipſius ſecretarij mutant veſtimenta ſua. Egredientibus autem diaconibus de ſecretario, remanent cum pontifice primicerius atque notarij ipſius ſtationis, & ſubdiaconi iam parati pro ſuo officio, quorum vnus pallium pontificis cum acu ſuper planetam teneat in brachio ſiniſtro. Atque pontifex per manus ſubdiaconorum regionariorum mutat & ipſe veſtimenta ſolemnia, ſicut Leuitæ faciunt in parte altera. Subdiaconi regionarij, ſecundum ordinem ſuum accipiunt ad induendum pontificem ipſa veſtimenta, alius lineam, alius ambolagium, id eſt, amictum quod dicitur humerale, alius lineam dalmaticam, quam dicimus albam, alius cingulum, alius dalmaticam, alius orarium, alius planetam, & ſic per ordinem induunt pontificem. Primicerius autem & ſecundicerius componunt veſtimenta pontificis, vt ex honorabili compoſitione exhibeatur circunſtantibus ſpectaculum reuerendæ dignitatis. Nouiſſimè autem, cui iuſſerit Dominus pon- B tifex ex diaconibus, ſumit de manu ſubdiaconi ſequentis pallium, & ſuper pontificem induit, & illud cum acu in planeta retro & ante, & in humero ſiniſtro configit, & ſalutat Dominum, & dicit: *Iube Domne benedicere:* Reſpondet: *Saluet nos Dominus. Amen.* Deinde ſubdiaconus regionarius referens ad pontificem qui debeant legere aut cantare, ponit mappulam in ſiniſtro brachio pontificis ſuper planetam, cum diſciplinali ad genua eius inclinatione, & pronuntiat talem ſubdiaconum regionarium Epiſtolam legere, & tale Reſponſorium,& tale *Alleluia* cantare: & poſtea non licet in loco lectoris vel cantoris alterum mutare: quod ſi factum fuerit, excommunicabitur archiparafoniſta, id eſt, quartus ſcholæ, qui ſemper debet pontifici de cantoribus nuntiare. Statuuntur enim per ordinem acies duæ,& parafoniſtæ quatuor à foris hinc inde,ſed infantes infra per ordinem ab vtroque latere.

Poſtquam autem pontifex ad pſallendum annuerit ar- C chiparafoniſtæ, dicit ſiue acolitis ſtantibus ante fores ſecretarij cum cereoſtatis, ſiue ſubdiacono regionario, qui ante ſe ad proceſſionem debet thymiamaterium portare. *Accendite.* Sed ille quartus ſcholæ perueniens in presbyterium, vbi chorus in quatuor, vt dictum eſt, ordinatus aſſiſtit reuerenda diſpoſitione, poſtquam dixerit inclinato capite ad priorem ſcholæ, vel ſecundum, ſiue tertium, *Domini iubete*, mox Antiphonam ad Introitum incipit prior ſcholæ. Quorum voce audita, diaconi intrant ad pontificem in ſecretarium: & ab archidiacono atque ſecundario acceptis vtrimque, & oſculatis manibus pontificis, procedunt cum ipſo, ſuſtentantes eum. Reliqui gradus procedunt in ordine ſuo, excepto quod vnus de regionariis ſubdiaconibus, debet præcedere cum thymiamaterio, quem ſequuntur ſeptem acolyti illius regionis, cuius dies fuerit, portantes ſeptem cereoſtata accenſa ante pontificem, vſque dum ad altare venerit. Sed antequam perueniat proceſſio ad ſcholam, diuiduntur cereoſtata quatuor ad dexteram partem, & tria D ad ſiniſtram. In hoc honorabili miniſterio, debet pontifex venire in tribunal Eccleſiæ, & inclinare caput contra altare, & poſtquam ſurrexerit, in fronte ſua crucem facere, & vni Epiſcoporum de hebdomadariis & Archipresbytero, & diaconis omnibus pacem dare: ac deinde reſpiciens ad priorem ſcholæ, innuit ei vt debeat *Gloriam* dicere. Qui ſe inclinans pontifici, imponit hymnum, quo datur gloria ſanctæ Trinitati. Sed pontifex concelebrat interim ſecreto orationem, ante altare inclinatus, vſque ad repetitionem verſus. Nam diaconi, quando dicitur, *Sicut erat in principio*, ſurgunt ab inclinatione, & ſalutantes altaris latera, prius duo & duo viciſſim redeunt ad pontificem, tenentes locum quiſque pro ſuo ordine. At pontifex ad repetitionem verſus, ſicut dictum eſt ſurgens ab oratione, oſculatur Euangelium & altare, ac deinde accedit ad ſedem, & ſtat verſus ad orientem. Schola vero, finita antiphona, imponit *Kyrie eleiſon*: ſed prior ſcholæ debet ad pontificem cuſtodire quando præcipiat mutare numerum litaniæ, & inuecti inclinat ſe. Quæ cum finita fuerit, pontifex inci- E pit, *Gloria in excelſis Deo*, ſi tempus fuerit. Sedere autem non oportet pontificem, antequam dicant, *Amen* poſt primam orationem. Deinde debent ſubdiaconi regionarij aſcendere, & ad dexteram altaris & ad ſiniſtram ſe ſtatuere.

Sed ille ſubdiaconus, qui lecturus eſt, poſtquam viderit Epiſcopos, ſiue presbyteros poſt pontificem ſedere, quos ipſe pontifex nutu ſuo facit ſecum conſidere, tunc aſcendit in ambonem, & legit lectionem. Poſtquam lector legerit, cantor cum cantorio aſcendit, & reſponſorium dicit, ac deinde per alium cantorem *Alleluia*, ſi tempus fuerit, ſiue tractus concinitur: ſin minus, reſponſorium tantummodo cantatur. Deinde diaconus, oſculatis pedibus pontificis, & accepta ab eo hac benedictione, *Dominus ſit in corde tuo & in labiis tuis*, venit ante altare: & oſculatis Euangeliis, leuat codicem in manibus ſuis. Prior autem de duobus ſubdiaconis, qui ſolummodo debent diaconum præcedere, incenſum mittit in thymiamaterium, ſed alter per proximæ ſtationis ſub- F diaconum accipit illud ad portandum. Procedunt ante ipſos duo acolyti cum duobus cereoſtatis, quibus acolytis ante ambonem diuiſis, tranſeunt per medium ipſorum ſubdiaconi, & diaconus cum Euangeliis. Sed ille ſubdiaconus, qui abſque thymiamaterio eſt, porrigit brachium ſiniſtrum, vt à diacono accipiat librum Euangeliorum, vt per ipſum aperiatur diacono locus, in quo ſignum lectionis fuerit poſitum. Aſcendente autem diacono ad legendum, ipſi duo ſubdiaconi redeunt ſtare ante deſcenſionis gradum: poſtquam finitum fuerit Euangelium, dicit Pontifex: *Pax tibi, Dominus vobiſcum.* Sequitur Reſponſio, *Et cum ſpiritu tuo.*

Deſcendente autem diacono, ſubdiaconus ille, qui prius aperuerat librum Euangeliorum, recipit eum, & reuerſus in presbyterium, porrigit illum vni ſubdiaconorum, vt ipſe offerat omnibus ad oſculandum, qui ſteterunt per ordinem graduum. Poſt Euangelicam ergo G lectionem, reponitur liber Euangeliorum in paratorio quodam, ſiue in ſecretario: ſed acolytus tenens calicem in brachio ſiniſtro, porrigit corporale ſuprapoſitum diacono, vt ipſe deſuper calicem accipiens, illud expandat ſuper altare, proiecto ad ſequentem diaconum capite altero. Pontifex autem ſuſtentatus hinc inde dextra læuaque à primicerio notariorum, & primicerio defenſorum, deſcendit ad ſenatorium, quod eſt locus principum, vt ſuſcipiat oblationes eorum. Archidiaconus vero poſt eum amulas ſuſcipit, & in calicem maiorem, quem ſubdiaconus regionarius ſequens portat, vacuum refundit: qui cum fuerit impletus, refunditur in ſcyphum, quem ibi tenebit ſequens acolytus. Oblationes vero principum ſubdiaconus regionarius à pontifice ſuſcipit, ac ſequenti ſubdiacono porrigit, & ipſe in ſindonem, quam tenent duo acolyti, eas ponit. Sed Epiſcopus hebdomadarius ſuſcipit poſt pontificem oblationes reliquorum, quas ipſe manu ſua mittit in ſindonem, quæ ſequitur eum. Poſt quem diaconus ſequens amulas H ſuſcipit, & in ſcyphum manu ſua poſt archidiaconum eas refundit. Similiter tranſiens pontifex in partem matronarum, explet omnia, vt ſupra. Deinde redit ad ſedem tenentibus primiceriis manus eius. Archidiaconus autem ſtans ante altare, lauat manus ſuas expleta ſuſceptione. Poſt hoc in faciem pontificis reſpicit, & cum ei annuerit, reſalutato eo per humilem inclinationem, ad altare accedit. Tunc accipiens per ſubdiacones oblatas hinc inde porrigentes eas, ponit tantas ſuper altare, quantæ poſſint populo ſufficere. Compoſito igitur altari & ornato, archidiaconus deinde ſumit amulam pontificis de ſubdiacono oblationario, & refundit in calicem ſuper colatorium: deinde diaconorum, ac deinde primiceriorum & ſecundiceriorum: poſtea autem ſubdiaconus ſequens deſcendit in ſcholam, & accipit fontem de manu archiparafoniſtæ ac defert ad archidiaconum, & ille infundit, faciens crucem in calicem. Aſcendentibus vero diaconis ad pontificem primicerius & ſecundicerius, notarij &. defenſores regionarij deſcendunt, & in

[A] loco ſuo conſiſtunt. Tunc pontifex ſurgens à ſede, deſcendit ad altare, & ſalutat altare & ſuſcipit oblatas de manu presbyteri hebdomadarij, & diaconorum atque primiceriorum. Deinde archidiaconus ſuſcipit oblatas pontificis de oblationario, & dat pontifici: quas dum poſuerit pontifex in altari leuat calicem archidiaconus de manu ſubdiaconi regionarij, & ponit eum ſuper altare iuxta oblatam pontificis à dextris, atque cum offertorio in cornu altaris poſito, inuoluens per anſas calicem, ſtat poſt pontificem. Et pontifex paululum inclinans ſe ad altare, reſpicit, ad ſcholam, & annuit vt debeant ſilere. Finito autem offertorio, Epiſcopi ſtant poſt pontificem, primus in medio, deinde per ordinem, & archidiaconus à dextris Epiſcoporum, ſecundus diaconus à ſiniſtris & cæteri diſpoſita acie per ordinem. At ſubdiaconi regionarij, finito offertorio, vadunt retro altare, adſpicientes ad pontificem, ſtantes erecti vſque dum incipiant dicere hymnum Angelicum, id eſt, *Sanctus*. Quem dum expleuerint, ſurgit pontifex ſolus, & intrat in Canonem. [B] Epiſcopi vero, diaconi, ſobdiaconi, presbyteri, permanent in presbyterio inclinati, & cum dixerit, *Nobis quoque peccatoribus* ſurgunt ſubdiaconi: cum dixerit, *Per quem hæc omnia Domine*, ſurgit archidiaconus ſolus: cum dixerit, *Per ipſum, & cum ipſo*, læuat archidiaconus cum offertorio calicem per anſas, & tenet exaltans illum iuxta pontificem. Pontifex autem tangit è latere calicem cum oblatis, dicens: *Per ipſum, & cum ipſo*: vſque, *Per omnia ſæcula ſæculorum*. Et ponit pontifex oblationes in loco ſuo, & archidiaconus calicem iuxta eas, dimiſſo in anſis eius offertorio. Ecce autem finito Canone, ſubdiaconus regionarius ſtat ante altare cum patena poſt archidiaconum, quam in medio Canone ſubdiaconus ſequens accipit per acolytum, qui ſcilicet acolytus quando inchoat pontifex Canonem, venit, ſub humero habens ſindonem in collo ligatam, & tenet patenam in dextera parte ante pectus ſuum. Quando dixerit pontifex, Et ab omni perturbatione ſecuri: vertit ſe archidiaconus, & accipicos patenam, [C] oſculatur eam, & dat diacono ſecundo tenendam. Cum dixerit, *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*, mittit in calicem de ſancta, ſubiungens hæc verba: *Fiat commixtio & conſecratio corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, accipientibus nobis in vitam æternam*. Sed interim archidiaconus pacem dat Epiſcopo priori qui & vltra dabit iuxta ſe ſtanti, ac deinde per ordinem cæteri, atque populus oſculantur ſe inuicem in oſculo Chriſti. Tunc pontifex rumpit oblatam ex latere dextro, & de ipſa ſancta quam ſuperit particulam, ſuper altare relinquit: reliquas vero oblationes ſuas in patenam, quam tunc tenet diaconus, ponit. Nam archidiaconus leuat calicem, & ſubdiacono regionario porrigit eum, vt teneat iuxta cornu altaris dextrum. Et accedentes ſubdiaconi ſequentes cum acolytis, qui ſacculos ad hæc idoneos portant à dextris & à ſiniſtris altaris: ipſi ergo ſubdiaconi extendentibus acolytis brachia, cum ſacculis ſequentes à fronte, parant ſinus ſacculorum archidiacono ad ponendum oblationes, prius à dextris, deinde à ſioiſtris. [D] Tum vadunt acolyti dextra læuaque poſt Epiſcopos ſiue presbyteros circum altare, vt ipſi ſacerdotes incipiant hoſtias confringere, patena præcedente, quam duo ſubdiaconi regionarij deferunt ad diaconos cauſa confractionis, vt ipſi quoque frangant, quando pontifex annuerit eis. Sed archidiaconus euacuato altari oblationibus, reſpicit in ſcholam, & annuit eis, vt dicant, *Agnus Dei*: ac deinde vadit ad patenam, quam tenent duo ſubdiaconi regionarij, vt ipſe etiam frangat cum cæteris diaconis iuxta cornu altaris. Expleta confractione, diaconus minor, leuata de ſubdiacono patena, defert eam ad pontificem, vt communicet corpore Dominico Sed ipſe pontifex confirmatur ab archidiacono in calice ſancto, de quo parum refundit archidiaconus in maiorem calicem, ſiue in ſcyphum quem tenet acolytus, vt ex eodem ſacro vaſe confirmetur populus: quia vinum etiam non conſecratum, ſed ſanguine Domioi commixtum, ſanctificatur per omnem modum. Accedunt primum Epiſcopi ſecundum ordinem de manu pontificis communicare, & poſt eos aſcendunt presbyteri omnes vt communicent ad altare, [E] Cum autem communicauerit archidiaconus, calicem interea tenet primus Epiſcopus. Sicut enim in Romana Eccleſia ſummo pontifici miniſtrant Epiſcopi, ſic in cæteris Eccleſiis debent Epiſcopis facere presbyteri. Recepto, calice, archidiaconus confirmat omnes ſanguine Dominico, quos communicauerit pontifex corpore Dominico. Hoc officio iuxta altare peracto, & pugillari cum quo confirmetur popolus, per ſubdiaconum regionarium iam accepto, traditur calix ab archidiacono eidem ſubdiacono perferendus acolyto, vt reponatur in paratorio. Deinde deſcendit pontifex cum primicerio notariorum & primicerio defenſorum, vt communicet principes populorum, & matres familias eorum. Et ſicut archidiaconus confirmat quos pontifex communicat: ſic reliqui diaconi confirmant quos Epiſcopi ſiue presbyteri poſt pontificem communicant. Sed cum cœperit pontifex clerum ſiue populum communicare, [F] ſchola incipit Antiphonam ad communionem pſallere, ac deinde nutu Pontificis. *Gloria Patri, Sicut erat in principio & nunc & ſemper*, ſubdiacono faciente crucem in fronte, vt ex hoc ſigno intelligat prior ſcholæ, quando poſt communionem debeat gloriam ſanctæ Trinitati dicere, paratos etiam verſum repetitionis ſubiungere. Finita Antiphona, quæ repetitur ad repetitionis verſum, pontifex ad altare dat orationem ad complendum. Qua etiam finita, diaconus, cui præceperit archidiaconus, reſpicit ad pontificem, vt annuat ei, & dicat ad populum: *Ite, Miſſa eſt*. Reſpondet populus: *Deo gratias*. Dicentibus autem Epiſcopis ſiue presbyteris, vel ſequentibus ordinibus: *Iube Domne benedicere*, Reſpondet Pontifex, *Benedicat nos Dominus Amen*. Præcedunt igitur pontificem ſeptem cereoſtata, & ſubdiaconus regionarius cum thuribulo ad ſecretarium.

[G]

ORDO ROMANVS
Antiquus de Reliquis anni totius Officiis ac miniſteriis.

IN CHRISTI NOMINE
Incipit ordo Catholicorum librorum, qui in Eccleſia Romana ponuntur.

IN vigilia Natalis Domini leguntur lectiones tres de Eſaia Propheta. Prima lectio ſic continet in capite: *Primo tempore alleuiata eſt terra Zabulon, & terra Nephtali.* Vſque, *Circumemini ſub vinculo, & cum interfectis cadatis. Super omnibus his* [H] *non eſt auerſus furor eius, ſed adhuc manus eius extenta.* Secunda lectio ſic continet in cap. *Conſolamini conſolamini popule meus, dicit Deus veſter.* Vſqoe, *Quia manus Domini fecit hoc, & ſpiritus eius creauit illud.* Tertia lectio ſic continet in capite: *Conſurge conſurge, induere fortitudine brachij Domini.* Vſque, *Quia quibus non erat narratum de eo viderunt, & qui non audierunt, contemplati ſunt.*

Poſtea legantur Homiliæ ſanctorum Patrum ad ipſum diem pertinentes. Romani hanc noctem ita celebran'. Prima die vigiliæ natalis Domini hora nona canunt Miſſam ad ſanctam Mariam. Qua expleta, canunt veſpertinalem ſynaxim. Dehinc vadunt ad cibum. In crepuſculo noctis intrat Apoſtolicus ad vigilias in præfatam Eccleſiam: tamen non cantant ibi inuitatorium ad introitum, ſed expletis vigiliis & matutinis, ſicut in antiphonario continetur, ibidem canunt primam Miſſam in nocte. Qua expleta, vadunt ad S. Anaſtaſiam canere aliam Miſſam de nocte. Dehinc pergunt ad S. Petrum, vt ibi vigilias celebrent, ab

A eo loco, vbi inuenerit eos pſallere, qui ibidem excubant. Ipſi enim intrant ad vigilias debito tempore in proceſſu noctis, & canunt inuitatorium, & proſequuntur ordinem antiphonarij. Vnde etiam dupla officia in Romanorum antiphonariis hac nocte deſcribuntur. Vigiliæ verò, quæ à paſtoribus hac nocte cuſtodiebantur, in quatuor diuiduntur, ſcilicet leges IV. ſignificantes: Primam naturalem, Secundam Moſaicam, Tertiam Prophetarum, Quartam noui Teſtamenti, in qua paſtoribus id eſt, Eccleſiaſticis Doctoribus apparuit. Et nos cum paſtoribus vigilare debemus, vt mereamur illud ſuauiſſimum harmonicum, quod hac nocte primum cantatum eſt, audire: *Gloria in excelſis Deo.* Vnde etiam S. Theleſphorus Papa peruigiles nos malens fore, Miſſas celebrare fecit, ſcilicet in recordationem Natiuitatis Chriſti ſeu concentus Angelici. Alia verò Miſſa, quæ ſequitur, ſignat nouam lucem gaudij, qua per incarnati verbi myſterium perfundimur: ſeu propter viſitationem paſtorum ad præſepè Domini, in quo inuenerunt panem viuum, qui quotidie
B à fidelibus manditur.

Ordo in Natali S. Stephani Protomartyris.

IN ipſa nocte leguntur lectiones tres de Actibus Apoſtolorum. Prima lectio ſic continet in capite: *In diebus illis, Creſcente numero diſcipulorum.* Vſque, *Factum eſt autem magnum gaudium in ciuitate.* Poſtea leguntur homiliæ Sanctorum Patrum ad ipſum diem pertinentes.

Ordo in Natali S. Ioannis Euangeliſtæ.

IN ipſa nocte leguntur lectiones III. de Apocalypſi, à capite libri, vſque, *Quia tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant & creata ſunt.* Poſtea leguntur homiliæ Sanctorum Patrum, ad ipſum diem pertinentes.

Ordo in Natali Sanctorum Innocentum.

C IN natali Innocentum leguntur lectiones III. de Apocalypſi, vbi dicitur: *Et vidi in dextera ſedentis ſupra thronum.* Vſque, *Et facta ſunt tonitrua, & voces, & fulgura, & terræmotus factus eſt magnus.* Poſtea leguntur ſermones Sanctorum Patrum, ad ipſum diem pertinentes.

Ordo in octauis Domini.

IN octauis Domini ſimiliter leguntur lectiones, quæ in vigilia natalis Domini, &, ſi fuerint, Homiliæ ad ipſum diem pertinentes, IESVS verò octaua die circumciſus eſt. Hæc circumciſio nihil aliud eſt, niſi abſciſio in carne præputij ſecundum quod à Domino in lege præceptum eſt: *Circumcidetur ex vobis omne maſculinum, & infans octo dierum circumcidetur ex vobis, Sed quia vetera tranſierunt, & ecce facta ſunt omnia noua, oportet nos circumcidi, non in carne, ſed Spiritu: vt deponamus veterem hominem cum actibus ſuis & induamus nouum, eum, qui ſecundum Deum creatus eſt.* Hæ verò octauæ ideo
D reuerenter celebrantur, quia in hac die aduentum hominum ad Chriſtum celebramus: & in natiuitate eiuſdem, aduentum illius ad homines. Sed quia imperiti homines ſecundum dementiam gentilium, hunc diem Kalendarum *Ianuarium* a principe ſuo *Iano*, quem pro Deo colebant, ita vocatum, multis diabolicis ſpurcitiis ſacrauerunt, ſtatuit vniuerſalis Eccleſia ieiunium publicum in iſto die fieri, quatenus his calamitatibus auctor vitæ finem imponeret: Sed quia, Domino largiente, hæc à fidelibus pro nihilo habentur, in eiſdem Kalendis nihil aliud noui præſumendum eſt excepto quod Octauæ Dominicæ cum eximio cultu celebrentur. Poſt octauas vero vſque in Theophaniam, ſiue nocte, ſiue die, omnia de quotidianis.

Ordo in Vigilia Theophaniæ.

IN vigilia Theophaniæ leguntur lectiones III. de Eſaia. Prima lectio ſic continet in capite: *Omnes ſitientes, venite ad aquas.* Vſque, *Erit Dominus nominatus in ſignum æternum, quod non auferetur.* Secunda lectio ſic E
continet in capite: *Surge, illuminare Hieruſalem.* Vſque, *In tempore eius ſubitò faciam iſtud.* Tertia lectio ſic continet in capite: *Gaudens gaudebo in Domino.* Vſque, *Oculus non vidit Deus abſque te, quæ præparaſti expectantibus te.* Poſtea leguntur homiliæ Sanctorum Patrum, ad ipſum diem pertinentes.

Solemnitas hæc ſacratiſſima, quæ à Græcis *Theophania* ſiue *Epiphania* nuncupatur, Latinè *apparitio* ſeu *oſtenſio* vel *manifeſtatio* interpretatur. Expletis namque Chriſtus quaſi triginta annorum curriculis, venit in Iordanem ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo, Anno videlicet quinto decimo Imperij Tiberij Cæſaris, Valeriano & Aſiatico Coſſ.

Nec hoc prætereundum eſt, quod ſecunda Natiuitas Chriſti tot illuſtrata myſteriis, honoratior ſit, quam prima. Tunc tantummodo natus eſt, & Angelus paſtores affatus eſt: hodie vero à Magis cum muneribus eſt adora- F
tus. Hodie cum in Iordanicis aquis tingeretur, Filius dilectus à Patre eſt vocatus de cœlo, & Spiritus Sanctus in ſpecie columbæ ſuper eum viſus eſt, necnon per Baptiſmi Sacramentum, caput draconis eſt contritum. Hodie ex aqua vinum factum eſt, eidemque cœleſti ſponſo Eccleſia coniuncta eſt. Inſuper & quinque millia hominum ab eo refecta ſunt. Et ideo manifeſtatio interpretatur, quia in his manifeſtare ſe hominibus dignatus eſt. Quod autem in hac feſtiuitate nemo præſumat baptizare, S. Leo in decretalibus prohibet ita: Si quis autem Epiphaniæ feſtiuitatem, quæ in ſuo debito honore veneranda eſt, ob hoc exiſtimat habere priuilegium baptiſmatis, illius ſciat Baptiſmi aliam gratiam aliam fuiſſe rationem, nec ad eam pertinuiſſe virtutem, qua per Spiritum Sanctum renaſcuntur. Dominus non indigens remiſſione peccati, nec remedio renaſcendi, ſic voluit baptizari, quomodo & circumcidi: Sed tunc regenerationia potentiam ſanxit, quando de latere illius profluxerunt ſanguis redemptionis, & aqua baptiſmatis. Vnde in ba- G
ptizandis electis, qui ſecundum Apoſtolicam regulam & exorciſmis ſcrutandi, & ieiuniis ſanctificandi, & frequentibus ſunt prædicationibus imbuendi, duo tantum tempora, id eſt, *Paſcha & Pentecoſten*, conſtat eſſe ſeruanda, excepto pro mortis periculo, in perſecutionis anguſtiis, & in timore naufragij. Triduanam enim ſepulturam, imitatur trina dimerſio: & ab aquis leuatio, inſtar eſt reſurgentis de ſepulcro.

Ordo in octaua Theophaniæ.

IN octauis Theophaniæ leguntur lectiones, quæ in Theophania, vel ſermones ad ipſum diem pertinentes. Dehinc vſque ad Septuageſimam ponuot Epiſtolas B. Pauli Apoſtoli.

Ordo in Purificatione S. Mariæ.

IN purificatione ſanctæ Mariæ leguntur Cantica Canticorum, ſiue homiliæ ad ipſum diem pertinentes. De H
hac feſtiuitate, id eſt, ὑπαντὴ Domini, & aliis feſtiuitatibus ſanctæ Mariæ, in geſtis Pontificalibus legitur, quod Sergius Papa præcepeiit litanias fieri in die præſentationis Domini in Templo. Ita enim ſcriptum eſt, Vt in diebus annunciationis Domini, dormitionis ac natiuitatis ſanctæ Dei genitricis Mariæ & S. Simeonis, quod ὑπαντὴ dicitur Græcè, cum litaniis exeant à Sancto Adriano, & ad ſanctam Mariam populus occurrat. Ipſa ergo die aurora aſcendente, procedat omnis Clerus & populus cum litania & Antiphonis ad Eccleſiam S. Adriani, expectantes Pontificem.

Ingreſſus Pontifex in ſacrarium, induat ſe veſtibus nigris, & Clerus ſimiliter: Deinde ex iuſſu Pontificis inchoat ſchola Antiphonam, *Exurge Domine.* Cùm Pſalmo, *Deus auribus noſtris.* Et egreditur Pontifex de ſacrario cum miniſtris, annuens primo ſcholæ, vt dicant *Gloriam* Deinceps vadit ad altare, & orat vſque ad expletionem

A *Gloria.* Poſt orationem oſculato altari & Diacono, ſimiliter hinc inde, dicit ſchola verſum: *Opus quod operatus eſt in diebus eorum & in diebus antiquis.* Antiphona expleta, ſtans Pontifex ante altare, dicit: *Dominus vobiſcum: Oremus.* Et Diaconus dicit: *Flectamus genua,* ſi tamen infra ſexageſimam euenerit.

Oratio ad Collectam.

EXaudi, quæſumus Domine, plebem tuam, & quæ extrinſecus annua tribuis deuotione venerari ioterius aſſequi gratiæ tuæ luce concede.

Tunc exorcizetur ſal & aqua ad reſpergendos exinde cereos.

Poſtea dicantur hæ ſequentes orationes io benedictionem eorum. Reſp. *Pretioſa eſt in conſpectu Domini.* Verſ. *Mors ſanctorum eius.*

Sequitur ſacerdos & dicit.

B SAncta Maria mater Domioi noſtri Ieſu Chriſti, & virgo perpetua, cum omnibus ſanctis intercedere digneris pro nobis peccatoribus, vt mereamur ab eo adiuuari & exaudiri, qui in Trinitate perfecta viuit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum. *Reſp.* Amen.

Benedictio cerei.

BEnedic Domine Ieſu Chriſte hanc creaturam ceræ ſupplicantibus nobis, & infunde ei per virtutem ſanctæ Crucis tuæ benedictionem cœleſtem, vt qui eam ad repellendas tenebras humano generi tribuiſti, talem ſignaculo ſanctæ Crucis tuæ fortitudinem & benedictionem accipiat, vt in quibuſcumque locis accenſa ſiue poſita fuerit, diſcedat diabolus, & contremiſcat, & fugiat pallidus cum omnibus miniſtris ſuis de habitationibus illis, nec præſumat amplius inquietare vel illudere ſeruientes tibi. Qui cum Deo Patre, &c.

Alia.

C SVpplices te quæſumus Domine, vt emittas ſanctum Angelum tuum Raphaëlem, vt qui euulſit & repulit à Tobia & Sara dæmonem mortiferum, eos infeſtantem, per huius ceræ ſanctificationem conterat illum & diſperdat de cunctis habitationibus colentium Deum, de baſilicis, de domibus, de angulis, de lectulis, de refectoriis, de vniuerſis locis, in quibuſcumque famulantes Deo habitant & requieſcunt, dormiunt, vigilant, ambulant & conſiſtunt, nec audeat ille malignus amplius inquietare, vel pauores immittere ſuper illos, quos ſancta chriſmatis tui vnctione feciſti eſſe munitos. Per, &c.

Alia.

BEnedico te cera in nomine ſanctæ Trioitatis, vt ſis vbique diaboli effugatio, atque omnium contubernalium ſuorum extermiuatio, adiuuante eadem ſancta & indiuidua Trinitate, quæ in vnitatis eſſentia viuit & regnat Deus. Per.

Benedictio cerei.

D DOmine ſancte Pater omnipotens, æterne Deus, qui omnia ex nihilo creaſti, & iuſſu tuo per opera apum, hunc liquorem ad perfectionem cerei euenire feciſti, & qui hodierna die petitionem iuſti Simeonis impleſti, te humiliter deprecamur: vt has candelas ad vſus hominum, & ſanitatem corporum & animarum, ſiue in terra, ſiue in aquis, per inuocationem tui ſanctiſſimi nominis, & per interceſſionem ſanctæ Mariæ ſemper Virginis, cuius hodie feſta deuotè celebrantur, & per preces omnium ſanctorum tuorum benedicere & ſanctificare digneris, & huius plebis tuæ, quæ illas honorificè in manibus deſiderat portare, teque cantando laudare, exaudias voces de cœlo ſancto tuo, & de ſede maieſtatis tuæ, & propitius ſis omnibus clamantibus ad te: quos redemiſti pretioſo ſanguioe filij tui, qui tecum viuit, &c.

Alia. E

OMnipotens ſempiterne Deus, qui hodierna die vnigenitum tuum vlnis S. Simeonis in templo ſancto tuo ſuſcipiendum præſentaſti, tuam ſupplices deprecamur clementiam, vt has candelas, quas nos tui famuli in tui nominis magnificentia ſuſcipientes, geſtare cupimus luce accenſas, benedicere & ſanctificare, atque lumine ſupernæ benedictionis accendere digneris, quatenus eas tibi Domino Deo noſtro offerendo, digni, & ſancto igne dulciſſimæ charitatis tuæ ſuccenſi, in templo ſancto gloriæ tuæ repræſentari mereamur. Per.

Alia.

DOmine Ieſu Chriſte, lux vera, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, effunde benectionem tuam ſuper hos cereos, & ſanctifica eos lumine gratiæ tuæ, & concede propitius, vt ſicut hæc luminaria igne viſibili accenſa, nocturnas depellunt, tenebras ita corda noſtra inuiſibili igne, id eſt, Sancti Spiritus ſplendore illuſtrata, omnium vitiorum cæcitate caueant: vt purgato mentis oculo ea cernere poſſimus, quæ ſunt tibi placita, & noſtræ ſaluti ſunt vtilia, quatenus poſt huius ſæculi caliginoſa diſcrimina, ad lucem indeficientem peruenire mereamur: Per te Chriſte Ieſu Saluator mundi, qui in Trinitate perfecta viuis & regnas Deus: Per omnia ſæcula ſæculorum. *Reſp.* Amen. *Dominus vobiſcum.* Reſp. *Et cum Spiritu tuo: Surſum corda.* Reſp. *Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo noſtro.* Reſp. *Dignum & iuſtum eſt.* F

Verè dignum & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi Deo omnipotenti, rerumque omnium creatori laudes aſſiduas perſonare, & munificentiæ tuæ iodefeſſas ſemper grates perſoluere: qui inter cæteras mundanæ conditioois creaturas, de liquore aërio per apum efficaciam, cerei pretioſam fieri voluiſti ſubſtantiam, vt tibi G inde debiti honoris famulatus exiſteret, & nobis vſus neceſſarius proueniret. Proinde immenſam clementiam tuam Domine ſuppliciter obſecramus, vt ſuper has candelas benedictionis tuæ munus infundas, vt omnes eas in Chriſti vicem manibus portantes, eiuſdem ſacri tui ſpiraminis gratia, qua B. Simeon repletus fuerat, imbui mereaotur. Qui hodierno die vnigenitum tuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, lumen æternum, à parentibus in templo præſentatum in vlnas ſuas accepit, ac reuelante Spiritu Saocto, ita prophetando benedixit: *Nunc dimittis ſeruum ſuum Domine ſecundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, quod tibi æterno Patri ſanctoque Spiritui coæternum & coæquale viuit & regnat in ſæcula ſæculorum.* Reſp. *Amen.* Qua finita, dicat Sacerdos hanc orationem.

OMnipotens ſempiterne Deus qui per Moyſen famulum tuum, puriſſimum olei liquorem ad luminaria ante conſpectum tuum iugiter accendeoda præparari iuſſiſti, benedictionis tuæ gratiam ſuper hos cereos benignus infunde, quateous ſic adminiſtrent lumen exterius, vt te donante, lumen Spiritus tui noſtris non deſit H mentibus interius. Per. Tunc aſpergantur aqua benedicta, & thure adoleantur, & illuminentur, & interim canatur à Clero Antiphona: *Hodie Beata Virgo Maria puerum Ieſum, &c.* Poſt hæc accipiunt omnes, ſingulos cereos de manu Pontificis vel æditui, & dicit Sacerdos hanc orationem.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui vnigenitum tuum ante tempora de te genitum, ſed temporaliter de Maria Virgine incarnatum, lumen verum & indeficiens ad depellendas humani generis teoebras, & ad incendendum lumeo fidei & veritatis in mundum miſiſti, concede propitius, vt ſicut exterius corporali, ita etiam interius luce ſpiritali mereamur irradiari: Per eundem, &c. Oratione hac expleta, eleuatis ſanctorum reliquiis & vexillis, Clerus circuit Eccleſiam, & inchoat ſchola primam Antiphonam.

Aue

A AVe gratia plena Dei genitrix Virgo : ex te enim ortus eſt ſol iuſtitiæ, illuminans quæ in tenebris ſunt. Lætare & tu ſenior iuſte, ſuſcipiens in vlnas liberatorem animarum noſtrarum, donantem nobis & reſurrectionem.

Alia.

ADorna thalamum tuum Sion, & ſuſcipe regem Chriſtum, amplectere Mariam, quæ eſt cœleſtis porta. Ipſa enim portat regem gloriæ noui luminis, ſubſiſtit Virgo, adducens manibus filium ante Luciferum: quem accipiens Simeon in vlnas ſuas, prædicauit populus Dominum eum eſſe vitæ & mortis, & Saluatorem mundi.

Alia.

REſponſum accepit Simeon à Spiritu Sancti non viſurum ſe mortem, niſi videret Chriſtum Domini:& cum inducerent puerum in templum, accepit eum in vl- B nas ſuas, & benedixit Deum, & dixit *Nunc dimittis ſeruum tuum in pace*. Et ingrediendo Eccleſiam, canunt Antiph. Cùm inducerent puerum Ieſum parentes eius, accepit eum Simeon in vlnas ſuas,& benedixit eum, dicens, *Nunc dimittis Domine ſeruum tuum in pace.* Qua finita dicat Sacerdos hanc orationem.

DOmine Ieſu Chriſte, qui hodierna die in noſtræ carnis ſubſtãtia inter homines apparens, à parentibus in templo es præſentatus, quem Simeon venerabilis ſenex, lumine Spiritus tui irradiatus, agnouit, ſuſcepit,& benedixit: præſta propitius, vt eiuſdem Spiritus Sancti gratia illuminati atque edocti, te veraciter cognoſcamus,& fideliter diligamus, qui cum Deo patre in vnitate eiuſdem Spiritus Sancti viuis & regnas Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Reſp. *Amen.*

Secundum Romanos autem, cum appropinquauerint atrio ſanctæ Mariæ, faciendæ ſunt litaniæ. His expletis ante altare,& ingreſſo Pontifice in ſacrarium, inchoat ſchola Antiphonam ad Introitum, *Suſcepimus Deus*. Ipſa die non C cantatur *Gloria in excelſis Deo*, ſi infra ſeptuageſimam euenerit. Deinde peragitur Miſſa ordine ſuo.

Ordo in Cathedra S. Petri.

IN Cathedra S. Petri leguntur lectiones quæ in Natalitiis omnium Apoſtolorum, ſiue homiliæ ad ipſum diem pertinentes.

Annuntiatio S. Mariæ.

IN Annuntiatione ſanctæ Mariæ leguntur lectiones III. de Eſaia Propheta. Prima lectio ſic continet in capite. *Erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini.* Vſque, *Exaltabitur autem Dominus ſolus in die illa.* Secunda lectio ſic continet in capite : *Et adiecit Dominus loqui ad Achaz, dicens : Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo.* Vſque, *A diebus ſeparationis Ephraim à Iuda, cum rege Aſſyriorum.* Tertia lectio ſic continet in capite : *Egredietur virga de radice Ieſſe.* Vſque, *Ipſum gentes deprecabuntur, & erit ſepulcrum eius glorioſum.*

D *De Septuageſima.*

IN Septuageſima Paſchæ ponunt heptaticum vſque in quintam decimam diem ante Paſcha Septuageſima videtur dici poſſe propter ſeptuaginta dies, qui ſunt ab ipſo die ad Sabbatum ante octauas Paſchæ, quo die alba tolluntur veſtimenta à nuper baptizatis. Porrò ſexageſima inde dici poteſt, quia ſexaginta ſunt dies vſque ad medium Paſchæ, quod eſt feria quarta Paſchalis hebdomadæ. Quinquageſima vero, quia decurrit vſque in diem ſanctum reſurrectionis Dominicæ. Quadrageſima etiam cum Dominica ſua currit ad myſticum Paſcha Hebræorum, quod Dominus Noſter Ieſus Chriſtus cum diſcipulis ſuis celebrauit, & nos dicimus cœnam Domini. Septuageſima ergo, vt prædictum eſt, computatur ſecundum titulationem Sacramentarij & Antiphonarij, nouem hebdomadibus ante Paſcha in ſeptimam Sabbati. Populus Dei in Babylone detentus eſt captiuus ſeptuaginta annis : quibus expletis, reuerſus eſt Hieruſalem. Ideo auctor officij noſtri, ſeptuageſimam poſuit in officiis noſtris, vt hoc tempore à deliciis abſtinendo, oſtenderemus in noſtra conuerſatione, qualiter per omne tempus ſæculi viuere debeant, qui poſt Baptiſmum peccatis ſe alienant à cœleſti Hieruſalem. Quapropter *Alleluia* illo tempore E non cantatur apud nos, ſed *Tractus*, id eſt, luctus: nec *Gloria in excelſis Deo*, quæ ſunt cantica cœleſtia:& in quibuſdam locis Dalmaticarum vſus intermittitur. Græci proximam, hebdomadam id eſt, ſexageſimam ſanctificant ſuo ieiunio : Clerici noſtri, auctore Teleſphoro Papa, ſequentem, id eſt, Quinquageſimam, qui conſtituit ſeptem hebdomadarum ieiunium ante Paſcha. Quadrageſimam vero Chriſtus ſuo nobis dedicauit ieiunio.

Ordo in quarta feria Quadrageſimæ; quæ eſt in capite ieiunij.

FEria quarta, id eſt, in capite Ieiunij, veniunt ad Collectam. Hac die, flectamus genua, pronuntiante Diacono ſuper populum cum inclinatione capitis, in primis F præmonere debet Sacerdos omnes Chriſtianos ex ſacris Scripturarum teſtimoniis, quatenus in capite ieiunij ad veram confeſſionem veramque pœnitentiam feſtinantius accedant. Denique admonendi ſunt, in cœna Domini redeant ad reconciliationem. Si verò intereſt cauſa aut itineris, aut cuiuſlibet occupationis, aut ita fortè hebes eſt, vt ei hoc Sacerdos perſuadere nequeat, iniungat ei iam quadrageſimalem quamque annualem pœnitentiam, & reconciliet eum ſtatim. Sicut autem ſacrificium offerre non debent, niſi Epiſcopi vel Presbyteri, quibus claues regni cœleſtis traditæ ſunt, ſic nec iudicia iſta alius vſurpare debet. Si autem neceſſitas euenerit,& Presbyter non fuerit præſens, Diaconus ſuſcipiat pœnitentes, ac det ſanctam communionem. Denique cum Sacerdos ſuſceperit pœnitentem, ſi Laicus, eſt, dimiſſo baculo quiſquis vero ille eſt, ſiue Laicus, ſiue Clericus, ſeu Monachus, ſuppliciter inclinet ſe ante ſacerdotem. Tunc ſacerdos dicat hanc orationem.

Oratio. G

DOmine Deus omnipotens, propitius eſto mihi peccatori vt condignè poſſim tibi gratias agere, qui me indignum propter tuam miſericordiam miniſtrum feciſti ſacerdotalis officij, & me exiguum, humilemque mediatorem conſtituiſti ad orandum & intercedendum Dominum Deum noſtrum Ieſum Chriſtum pro peccantibus,& ad pœnitentiam reuertentibus. Ideoque dominator Domine, qui omnes homines vis ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, qui non vis mortem peccatorum, ſed vt conuertantur & viuant, ſuſcipe orationem meam, quam fundo ante conſpectum clementiæ tuæ pro famulis & famulabus tuis, qui ad pœnitentiam & miſericordiam tuam confugerunt. Per.

Deinde iubeat eum ſacerdos ſedere contra ſe, & colloqui cum eo de ſupra ſcriptis vitiis ſiue exhortationibus, ne forte præ verecundia, aut ignauia, ſiue obliuione aliquid putridum in corde remaneat, per quod iterum diabolus eum ad vomitum peccati reducat. H

Conſideret etiam ſexum, ætatem, conditionem, ſtatum, perſonam, & ſecundum hoc, vt ſibi viſum fuerit, ſingula quæque diiudicet, & aliquos à cibis abſtinendo, alios eleemoſynas dando,& nonnullos ſæpius flectendo genua, ſiue in cruce ſtando, aut aliquid aliud huiuſmodi, quod ad animæ ſalutem pertinet.

Non omnibus vna eademque diſcretio ſit, vnicuique eorum hoc eſt, inter diuitem & pauperem, liberum & ſeruum, inter infantem & puerum, iuuenem & adoleſcentem, ætate ſenem, hebetem & ſtultum, ſcientem & ignarum. Laicum & Clericum, Monachum & Epiſcopum, Presbyterum & Diaconum, Subdiaconum & lectorem, in gradu in coniugio, vel ſine coniugio, inter virginem & fœminam, inter Canonicam & ſanctimonialem, inter debiles & infirmos, inter ſanos & ægros. De qualitate etiam peccatorum & hominum, inter continentem & incontinentem, vtrum voluntate vel caſu, vel in abſcondito quali

compunctio

A compunctione emendet, neceſſitate vel voluntate: loca & tempora diſcernat. Attendat etiam ſacerdos, vt ſalui ſint omnes, & non puſillanimes, quia potentes potenter tormenta patientur.

Poſt iſta omnia ſcrutata, & pœnitentem corroboratum interroget eum ſacerdos, ita dicens.

Credis in Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum? Reſp. Pœnitens, *Credo.* Item: *Credis quia iſta tres perſonæ, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, vnus ſit Deus.* Reſp. *Credo.* Item: *Credis quia in hac ipſa carne, in qua modo es, reſurgere habes, & recipere ſiue bonum ſiue malum prout geſſeris.* Reſp. *Credo.* Item: *Vis dimittere illis, qui in te peccauerunt, omnia, vt & tibi Deus dimittat peccata tua? Ipſo dicente, Si non dimiſeritis hominibus peccata eorum nec pater veſter cæleſtis dimittet vobis peccata veſtra.* Si vult dimittere, ſuſcipias eius confeſſionem, & indicas ei pœnitentiam: Si non vult, non ſuſcipias eius confeſſionem. Volens ergo dimittere omnia his qui in ſe peccauerunt, confiteatur omnia peccata ſua, quæ recordari B poteſt, in hæc verba.

Confeſſio Pœnitentis.

Confiteor tibi Domine pater cœli & terræ, tibique bone & benigniſſime Ieſu Chriſte, vna cum Sancto Spiritu coram ſanctis Angelis tuis, & coram ſanctis tuis, coram hoc altari & ſacerdote tuo, quia in peccatis conceptus, & in peccatis natus, & in peccatis nutritus, & in peccatis poſt Baptiſma vſque ad hanc horam ſum conuerſatus: Confiteor etiam quia peccaui nimis in ſuperbia, inani gloria, in extollentia tam oculorum quam veſtium, & omnium actuum meorum, in inuidia, in odio, in auaritia tam honoris, quam pecuniæ: in ira, in triſtitia, in acedia, in ventris ingluuie, in luxuria Sodomitica, in ſacrilegiis, in periuriis, in adulteriis, in furtis, in rapinis, in omni genere fornicationis, in immunditiis turpiſſimis, in ebrietatibus, in comeſſationibus in fabulis otioſis, in luxuriis, in oſculis & C amplexibus immundis, in femoribus & genitalibus meis, in homicidiis animo optatis, in Fide, Spe, & Charitate, in accipiendo corpore & ſanguine Domini ſemper indigne, in exhortationibus & adulationibus malignis, in ignorantia, in negligentia, in ſubreptionibus in dandis & accipiendis muneribus, in vſuris faciendis, in prælationibus, in diſpenſandis male rebus Eccleſiaſticis, in ſubtrahendis eleemoſynis, in pauperibus exaſperandis, in hoſpitalitatibus & receptionibus pauperum, in afflictione familiæ mihi commiſſæ, non viſitando infirmos ſecundum Euangelicum præceptum, & in carcere poſitos, non ſepeliendo mortuos, non veſtiendo pauperes, non recreando eſurientes, non potando ſitientes: ſolemnitatibus ſanctorum & Dominicis diebus ac feſtis, debitum honorem & celebrationem non impendendo, nec ſobrie ac caſte in his viuendo, conſentiendo ſeniori in malo, non adiuuando apud illum, & ſolatium non dando, indigentibus nocendo potius quam adiuuando, potentibus ſenioribus ac magiſtris ac D principibus detrahendo, & blaſphamando amicis & benefactoribus meis fidem & debita obſequia non rependendo animalium & pecudum concubitus conſcientia immunda intuendo: in Eccleſiam Dei ſuperbe intrando, ſtando, ſedendo, iacendo, & egrediendo, ac otioſis fabulis, & ſceleratis actibus turpibuſque colloquiis in eis cum aliis inſiſtendo, vaſa ſancta & miniſterium ſanctum polluto corde & manibus immundis tangendo, orationem & pſalmodiam, atque officium diuinum negligenter in Eccleſia Dei faciendo, in cogitationibus peſſimis, in meditationibus peruerſis, & ſuſpicionibus falſis, in iudiciis temerariis, in conſenſu malo, & conſilio iniquo, in concupiſcentia & delectatione immunda, in verbis otioſis, ſuperfluis, luxurioſis, atque contumelioſis, in mendaciis, in falſitatibus, in iuramentis multimodis & diuerſis, in detractionibus aſſiduis, in rixis ac diſcordiis ſeminandis, in irriſionibus, in otioſitate, in contentione, in doloſitate, in malignitate, in ſuſurrationibus, in inani lætitia, in omni malo linguæ in murmurationibus & blaſphemiis, in ſcurrilitatibus, in cachinnis, in ſomnolentiis, in maledictis, in conuitiis, in turpiloquiis, in inſultationibus, in diſſimulatione, in vigiliis Deo contrariis, in concupiſcentiis carnalibus, in cogitationibus luxurioſis, in delectationibus immundis, in conſenſu diaboli, & tranſgreſſione præceptorum Dei, in negligentia propoſiti mei, in dilectione Dei & proximi, in viſu, auditu, guſtu, odoratu, & tactu luxurioſe & immunde, & omnimodis cogitatione, locutione, voluntate & actione perditus ſum. E

Quoniam in his & in aliis omnibus vitiis, quibuſcumque humana fragilitas contra Dominum & creatorem ſuum aut cogitando, aut loquendo, aut operando, aut delectando, aut concupiſcendo peccare poteſt, me peccaſſe & reum in conſpectu Dei ſuper omnes homines eſſe cognoſco & confiteor. Ideo ſupplico vos omnes ſancti Angeli Dei, & omnes ſancti, & te venerande ſacerdos, in quorum conſpectu hæc omnia confeſſus ſum, vt teſtes mihi ſitis in die iudicij contra diabolum, hoſtem & inimicum humani generis, hæc omnia me confeſſum fuiſſe.

Obnixe etiam te ſacerdos Dei expoſco, vt intercedas pro me, & pro peccatis meis ad Dominum noſtrum, quatenus de his & de aliis omnibus ſceleribus meis, veniam & indulgentiam per merita & interceſſiones omnium Sanctorum aſſequi merear. Tunc dicat ſacerdos. F

Miſereatur tui omnipotens Deus, & dimittat tibi omnia peccata tua, liberet te ab omni malo, conſeruet te in omni bono, & perducat nos pariter Ieſus Chriſtus filius Dei in vitam æternam. Ab omni malo cuſtodiat nos omnipotens Dominus.

Præcauendum eſt tamen ſacerdoti de ſupraſcriptis vitiis vt ei exhortationis gratia ad memoriam reducat, ne quid, aduerſante diabolo occultum remaneat.

Quo facto, flexis genibus in terra, & ſuper ipſa innixus ſtans, ſupplicitet tenſis manibus, blando ac flebili vultu reſpiciens ſacerdotem, dicat his verbis.

Multa quidem & innumerabilia ſunt alia peccata mea, quæ recordari nequeo, in factis, in dictis, & in cogitationibus pro quibus omnibus miſera mens mea compungitur, & acri interdum pœnitentiam cruciatur: Ideoque conſilium, imò iudicium tuum, qui ſequeſter ac medius inter Deum & peccatorem ordinatus es hominem, ſupplex deprecor, & vt pro eiſdem peccatis meis interceſſor exiſtas, humiliter implore. G

Quo prædicto, totum ſe in terram proſternat, & gemitus atque ſuſpiria vel lacrymas, prout Deus dederit ab intimo corde producat. Sacerdos vero patiatur eum aliquantiſper iacere proſtratum, iuxta quod viderit eum diuina inſpiratione compunctum.

Deinde iubeat eum ſacerdos ſurgere. Et cum ſteterit ſuper pedes ſuos, cum tremore & humilitate præſtoletur iudicium ſacerdotis. Et indicat ei ſacerdos abſtinentiam, perpendens ſubtiliter perſonæ qualitatem, modum culpæ, intentionem animi, & corporis valetudinem vel imbecillitatem.

Percepta autem ſententia ſacerdotis, iterum proſternat ſe pœnitens pedibus illius, petens pro ſe orationem fieri, vt ſuggerat ei diuina viſitatio virtutem conſtanter obſeruandi quæ illi iniuncta ſunt, & ita reuerenter ſacerdotis iudicio obtemperare ac ſi ab ipſius diuinæ maieſtatis ore opportuna ſalutis ſuæ medicamenta ſuſceperit. H

Sed & hoc ſciendum eſt, vt cum venerint ſerui & ancillæ ad pœnitentiam, non eos cogatis ieiunare tantum, quantum diuites: quia non ſunt in ſua poteſtate. Ideoque medietatem pœnitentiæ eis imponite. Tunc imponat ſacerdos ſeptem Pſalmos pœnitentiales, *Domine ne furore tuo, Beati quorum. Domine ne in furore tuo, 2. Miſerere mei Deus. Domine exaudi, 1. De profundis, Domine exaudi. 2.* Poſtea dicat orationem Dominicam & preces iſtas: *Domine conuertere & eripe animam meam.* Reſp. *Saluum me fac propter miſericordiam tuam. Reſpice & exaudi me Deus meus.* Reſp. *Illumina oculos meos. Ab occultis meis munda me Domine.* Reſp. *Et ab alienis p. ſ. s. Delicta iuuentutis meæ.* Reſp. *Et ignorantias meas ne memineris Domine. Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo. Multum eſt enim. Delictum meum cognitum tibi feci, & iniuſtitiam meam non abſcondi. Domine, ante omne deſiderium meũ, & gemitus meus à te non eſt abſconditus. Exaudi orationem meam & deprecationem meam. Auribus percipe*

A *cipe lacrymas meas. Complaceat tibi Domine vt eruas me. Domine ad adiuuandum me reſpice. Domine miſerere mei. Sana animam, quia peccaui tibi. Miſerere mei Deus, miſerere mei. Quoniam in te confidit anima mea. Domine auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Ne memineris Domine iniquitatum noſtrarum antiquarum. Citò anticipent nos miſericordiæ tuæ, q. p. f. f.... Adiuua nos Deus ſalutaris noſter, & propter gloriam nominis tui d. l. n. e. p. eſto. p. n. p. n. t. Ne tradas beſtiis animam confitentem tibi. Et animas pauperum tuorum n. o. i. f. Domine, tu ſcis inſipientiam meam. Et delicta mea à te non ſunt abſcondita. In multitudinem miſericordiæ tuæ: Exaudi me in veritate ſalutis tuæ. Exaudi me Domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua. Secundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice in me. Ne auertas faciem tuam à puero tuo: Quoniam tribulor, velociter exaudi me. Intende animæ meæ, & libera eam. Propter inimicos meos eripe me. Domine vide humilitatem meam & laborem meum. Et dimitte omnia peccata mea. Ne perdas Domine cum impiis animam meam. Et cum viris ſanguinum vitam meam.*
B *Redime me Domine & miſerere mei: Pes enim meus ſtetit in via recta. Clamaui ad te Domine, dixi tu es ſpes mea: Portio mea in terra viuentium. Intende ad deprecationem meam. Quia humiliatus ſum nimis. Libera me à perſequentibus me: quoniam confortati ſunt ſuper me. Educ de tribulatione animam meam, & in miſericordia tua diſperdes inimicos meos. Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.*

Poſt hæc dicat Sacerdos hanc orationem.

EXaudi Domine preces noſtras, & confitentium tibi parce peccatis, vt quos conſcientiæ reatus accuſat, indulgentia tuæ miſerationis abſoluat. Per.

Alia.

DA, quæſumus Domine, huic famulo tuo continuam purgationis ſuæ obſeruantiam pœnitendo gerere, &
C vt hoc efficaciter implere valeat, gratia cum tuæ viſitationis & præueniat, & ſubſequatur. Per.

Alia.

PRæueniat hunc famulum tuum, quæſumus Domine, miſericordia tua, & omnes iniquitates eius celeri indulgentia deleantur. Per.

Alia.

ADeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, nec ſit ab hoc famulo tuo N. clementiæ tuæ longinqua miſeratio; ſana vulnera, eique remitte peccata, vt nullis iniquitatibus à te ſeparatus, tibi Domino ſemper valeat adhærere.

Alia.

DOmine Deus noſter, qui peccatis noſtris offenderis, ſatisfactione placaris, reſpice, quæſumus, ad hunc fa-
D mulum tuum, qui ſe tibi peccaſſe grauiter confitetur: tuum eſt enim, ablutionem criminum dare, & veniam præſtare peccantibus, qui dixiſti pœnitentiam te malle quam mortem: concede ergo Domine hoc, vt famulus tuus pœnitentiæ tibi excubias celebret, & correctis actibus ſuis, conferri ſibi à te ſempiterna gaudia gratuletur. Per.

Alia.

Exaudi, quæſumus, omnipotens Deus preces noſtras, quas in conſpectu pietatis tuæ effundere præſumimus, ſuppliciter deprecantes, vt famulum tuum in tua miſericordia confidentem benedicas, & omnia eius peccata dimittas, tuaque eum protectione conſerues: vt poſſit tibi dignus fieri, & ad æternam beatitudinem valeat peruenire. Per Dominum noſtrum.

Alia. E

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & huius famuli tui confeſſionem benignus adſume, vt qui auxilium tuæ miſerationis implorat, & ſanctificationis gratiam percipiat & quæ precatur obtineat.

Alia.

Precor Domine clementiæ, & miſericordiæ tuæ maieſtatem, vt famulo tuo peccata ſua confitenti, debita relaxare, & veniam præſtare digneris, & ei præteritorum criminum culpas indulgeas, qui humeris tuis ouem perditam reduxiſti, quique publicani preces confeſſione placatus exaudiſti: tu etiam huic famulo tuo N. placare, tu huius precibus benignus adſpira, vt in confeſſione placabili permaneat, fletus eius & petitio perpetuam clementiam tuam celeriter exoret, ſanctiſque altaribus & Sacramentis reſtitutus, ſpei rurſum æternæ ac cœleſti gloriæ mancipetur. Per. F

Quibus dictis, iubeat ſacerdos pœnitentem ſurgere de terra. Sed & ipſe ſurgat de ſedili ſuo: & ſi loco vel tempori congruit, Eccleſiam ingreſſi & ſuper genua vel cubitos vterque innixus, decantent Pſalmos: *Domine ne in furore tuo*, ſecundum. *Benedic anima mea*, primum: Vſque, *renouabitur. Miſerere mei Deus.* Vſque, *dele iniquitatem meam. Deus in nomine tuo ſaluum me fac. Quid gloriaris*, Vſque, *Videbunt.* Deinde *Kyrie eleiſon & Pater noſter.* Preces: *Saluum fac ſeruum tuum Domine. Illuſtra faciem tuam ſuper ſeruum tuum. Mitte ei Domine*, &c. Dehinc ſequitur oratio.

DEus cuius indulgentia cuncti indigent, memento famuli tui. N. qui lubrica terreni corporis eſt fragilitate nudatus quæſumus, da veniam confitenti, parce ſupplici vt qui ſuis meritis accuſatur, tua miſeratione ſaluetur. Per. Miſſa poſt confeſſionem. Antiphona: *De neceſſitatibus meis.* G

Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, confitenti tibi huic famulo tuo pro tua pietate peccata relaxa, vt nonplus ei noceat conſcientiæ reatus ad pœnam, quam indulgentia tuæ pietatis proſit ad veniam. Per. &c. Lectio: *Lauamini mundi eſtote* Graduale: *Saluum fac ſeruum tuum.* Tract. *Domine non ſecundum peccata.* Euang. *Duo homines aſcenderunt in templum.* Offer. *Miſerere mihi Domine ſecundum magnam.*

SECRETA.

PRæſta, quæſumus, omnipotens & miſericors Deus, vt hæc ſalutaris oblatio famulum tuum. N. & à propriis reatibus indeſinenter expediat, & ab omnibus tueatur aduer. Per. Comm. *Deus, propitius eſto mihi p.* Poſt commun.

Omnipotens & miſericors Deus, qui omnem animam pœnitentem & confitentem magis vis emendare, quam perdere, reſpice propitius ſuper hunc famulum tuum. N. & per hæc Sacramenta quæ ſumpſimus, auerte ab eo iram indignationis tuæ, & dimitte ei omnia peccata ſua. Per. Hic mittendus eſt cinis ſuper caput pœnitentis, & dicendum: H

Memento homo quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Statimque imponendum cilicium, & dicendum: *Conterere cor tuum, & humilia animam tuam in cinere & cilicio. Cor enim humiliatum Deus non deſpicit.*

Sequitur Oratio.

Adſit, quæſumus Domine, huic famulo tuo inſpiratio gratiæ ſalutaris, quæ cor eius fletuum vbertate reſoluat, ſicque macerando conficiat, vt iracundiæ tuæ motus idonea ſatisfactione compeſcat. Per. Poſt hanc eiiciendus eſt ab Eccleſia, & tali modo increpandus:

Ecce eiiceris hodie a ſinu matris tuæ ſancta Eccleſia pro-

pter

A *pter peccatum tuum,ſicut Adam primus homo eiectus eſt de paradiſo propter transgreſſionem ſuam.* Sequitur reſponſio. *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo, dixit Dominus ad Adam: cum operatus fueris terram, non dabit fructus ſuos, ſed ſpinas & tribulos germinabit tibi.* Verſ. *Pro eo quod obediſti voci vxoris tuæ plus quam mea, maledicta terra in opere tuo. Non dabit fructus ſuos.* Eodem die fit collecta ad ſanctam Anaſtaſiam. Et in primis agitur benedictio cineris.

OMnipotens ſempiterne Deus, parce metuentibus propitiare ſupplicaotibus & mittere dignare ſanctum Angelum tuum de cœlis, qui benedicat & ſanctificet hos cineres; vt ſint remedium ſalubre omnibus nomen ſanctum tuum humiliter implorantibus ac ſemetipſos pro conſcientia delictorum ſuorum accuſantibus atque ante conſpectum diuinæ clementiæ tuæ facinora ſua deplorantibus, vel ſereniſſimam maieſtatem tuam ſupplicíter obnixeque flagitantibus, & præſta per inuocatio-
B nem ſanctiſſimi nominis tui, vt quicunque eos ſuper ſe adſperſerint, pro redemptione peccatorum ſuorum, corporis ſanitatem & animæ tutelam percipiant. Per.

Alia.

DEus, qui non mortem, ſed pœnitentiam deſideras peccatorum, fragilitatem conditionis humanæ benigniſſime reſpice, & hos cineres, quos cauſa proferendæ humilitatis, atque promerendæ veniæ capitibus noſtris imponi decernimus, benedicere pro tua pietate dignare, vt qui nos cinerem eſſe, & ob prauitatis noſtræ meritum in pulueren reuerſuros cognoſcimus, peccatorum omnium veniam & præmia pœnitentibus repromiſſa, miſericorditer conſequi mereamur. Per.

Alia.

DEus qui humiliatione flecteris, & ſatisfactione placatis, aurem tuæ pietatis inclina precibus noſtris & ca-
C pitibus ſeruorum tuorum horum cinerum adſperſione attactis, effunde propitius gratiam tuæ benedictionis, vt eos & ſpiritu compunctionis repleas, & quæ iuſte poſtulauerint, efficaciter tribuas & conceſſa perpetua ſtabilitate, intactos manere decernas. Per. &c.

Alia.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui Niniuitis in cinere & cilicio pœnitentibus indulgeotiæ tuæ remedia præſtitiſti, concede propitius, vt ſic eos imitemur habitu, quateous veniæ operimentum proſequamur. Per. Sequitur Antiph. *Exaudi nos Domine: Saluum me fac Deus.* Interim ponendi ſunt cineres ſuper capita, ſicut antiphona teſtatur: Immutemur habitu in cinere & cilicio, *Ieiunemus & ploremus ante Dominum quia multum miſericors eſt dimittere peccata noſtra Deus noſter.*

Sequitur oratio.

D COncede nobis Domine præſidia militiæ Chriſtianæ ſanctis inchoare ieiuniis, vt contra ſpiritales nequitias pugnaturi, continentiæ muniamur auxiliis. Per, &c. Antiphonæ ad proceſſionem per viam cantandæ. Antiph. *Iuxta veſtibulum & altare plorabunt Sacerdotes & Leuitæ miniſtri Domini, & dicent: Parce Domine, parce populo tuo, & ne diſſipes ora clamantium ad te Domine, parce Domine, parce populo tuo, quem redemiſti Chriſte ſanguine tuo, vt non in æternum iraſcaris nobis.* Reſp. *Emendemus in melius.* Verſ. *Peccauimus cum patribus.* His finitis, ſequuntur litaniæ, de hinc Statio ad ſanctam Sabinam.

Denuntiatio menſis primi, quarti, ſeptimi, & decimi.

ANnua nobis eſt, dilectiſſimi, ieiuniorum celebranda feſtiuitas, quam menſis illius ſolemnis curſus indicat. Quarta ergo & ſexta feria ſuccedente, ſolitis eandem conuentibus exequamur. Sabbatorum die hic ſacras acturi vigilias, vt per obſeruantiam competentem, Domino purificatis mentibus ſupplicantes, beatiſſimo Petro
E Apoſtolo ſuffragante, à præſentibus periculis exui mereamur pariter & futuris.

Item inuitatio plebis de ieiunio menſis primi, quarti, ſeptimi, & decimi.

HAc hebdomada nobis menſis illius recenſenda ſunt ieiunia. Quapropter fidem veſtræ dilectionis hortamur, vt eadem quarta & ſexta feria ſolitis proceſſionibus exequentes, Sabbatorum diem vigiliis ſolemnibus expleamus, quatenus Apoſtolicis ſuffragantibus meritis, propitiationem Dei noſtri perſeuerantia debitæ ſeruitutis obtineat.

Item denuntiatio ieiuniorum menſis primi, &c.

IN anniuerſarii, fratres chariſſimi, ieiunii puritate, qua & corporis acquiritur & animæ ſanctitas, nos commonet illius menſis inſtaurata deuotio. Quarta ergo & ſexta feria ſolito conuenientes occurſu, offeramus Deo ſpirita-
F le ieiunium. Die vero ſabbati apud Beatum Petrum, cuius nos interceſſionibus credimus adiuuandos, ſanctas vigilias Chriſtiana pietate celebremus, vt per hanc inſtitutionem ſalutiferam peccatorum ſordes, quas corporis fragilitate contraximus, ieiuniis & eleemoſynis abluamus, auxiliante Domino Noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre, &c.

Alia.

ILlius menſis ieiunia in hac hebdomada nobis ſunt tenenda, ideoque oramus ſanctam fidem veſtram, vt primi, quarti, ſeptimi, vel decimi ferias ieiunemus, quatenus diuinis inhærendo mandatis, propitiationem Dei noſtri perſeuerantia debitæ ſeruitutis obtineamus.

De quatuor temporibus ieiuniorum primi, quarti, ſeptimi & decimi menſis.

G IN primo menſe, quarta & ſexta feria, vel ſabbato in prima hebdomada ipſius menſis, primum ieiunium celebratur. Secundum temporis ieiunium in quarto menſe in ſecunda hebdomada ipſius menſis, quarta & ſexta feria vel ſabbato conſummatur. Tertium temporum ieiunium ſeptimi menſis, id eſt, Septembris, tertia hebdomada ipſius menſis, quarta & ſexta feria vel ſabbato conſummatur. Quartum temporis ieiunium decimi menſis id eſt, Decembris, quarta hebdomada, quarta & ſexta feria vel ſabbato proximo ante Natalem Domini, completur. Et ſi vigilia Natalis in ſabbato euenerit, in antecedente hebdomada ſupra ſcriptum ieiunium die ſabbati celebratur. Quando duodecim lectiones leguntur, & cum Miſſis & oblationibus ipſa ieiunia conſummantur. Et tunc ſacri ordines in Eccleſia Romana de eis qui vocantur Cardinales, tradi conſueuerunt.

De Parochianis.

ET in ipſis quatuor ſupraſcriptis menſium temporibus,
H qualicumque die Dominus Apoſtolicus voluerit, ad ſacros ordines Parochianos Clericos per omnes Eccleſias, ſi neceſſitas fuerit, benedicit.

Et hic eſt ordo.

IN ſabbato, hora tertia, vel quali hora voluerint, primo ingreditur pontifex, ſeu ſacerdos, ſeu Leuitæ in ſacrarium, & induunt ſe veſtimentis religioſis, cum quibus debent celebrare Miſſarum ſolemnia, canente interim clero antiphonam ad introitum ad ipſum diem pertinente. Ipſa finita dicunt *Kyrie eleiſon.* Deinde pontifex dicit, *Oremus:* Diaconus, *Flectamus genua.* Et vt ſurrexerint, dicit: *Leuate.* Proſequitur ſacerdos orationem primam, ſicut in Sacramentario continetur. Sequitur lectio, & tunc pronuntiat lector lectionem lib. & legit. Deinde Reſpond. Inde dicat ſacerdos, *Oremus.* Diaconus vt ſupra. Et dicit orationem ſacerdos poſt primam lectionem, & ſuper vnamquamque lectionem ſicut ſuperius. Expleta autem lectione quæ eſt Danielis Prophetæ, canunt benedictionem. Et dum benedictio canitur, qui ordinandi ſunt, ſtent in pogio ſub gra-

dibus

A dibus. Et tunc deſcendens ad eos Archidiaconus reueſtit eos. Si enim diaconi ordinandi ſunt, dat eis Orarios & Dalmaticas: Si vero presbyteri, Orarios & planetas: Porro Orarij qui dandi ſunt, per illam noctem ſuper altare ſint repoſiti, & de altari ab archidiacono tollantur, & ipſe ſuper eorum colla ponat. Benedictione completa, incipit clerus litaniam, & dum ipſa canitur, qui ordinandi ſunt, ante altare ſemper proſtrati iaceant, adſtante ſuper eos pontifice inclinato capite ad altare. Litania vero finita, ſurgens pontifex aſcendit ad altare vel ad ſedem, & ſtans verſus ad Orientem, conſecrat illos. Finita conſecratione, benedictoque incenſo, diaconus imponit Euangelium. Poſt ea Miſſa celebratur ordine ſuo. Oratio poſt communionem non habetur ſuper populum in menſe primo, quia iſtud frequenter circa noctem Dominicam ſolet finiri, in qua minime genu flectitur.

Incipit ordo vel denuntiatio ſcrutinij ad electos quod tertia
B *hebdomada in Quadrageſima, ſecunda feria, nuntiatur.*

SCrutinij diem dilectiſſimi fratres, quo electi noſtri diuinitus inſtruantur, imminere cognoſcitis, ibidemque ſolita deuotione ſuccedente, ſequenti quarta feria, circa horam tertiam conuenire dignemini, vt cœleſte myſterium, quo diabolus cum ſua pompa deſtruitur, & ianua regni cœleſtis aperitur, inculpabili, Domino iuuante, miniſterio peragere valeamus. Per.

In quarta hebdomada Quadrageſimæ, & in quarta feria, varietas eſt per adiectionem vnius lectionis & vnius reſponſorij. Prima enim lectio Ezechielis Prophetæ ita inchoat. *Hæc dicit Dominus Deus: Sanctificabo nomen meum magnum.* Gra. *Venite filij.* Verſ. *Accedite.* II. Lectio Eſaiæ Prophetæ *Hæc dicit Dominus Deus. Lauamini, mundi eſtote.* Gra. *Beata gens.* Verſ. *Verbo Domini cæli firmati ſunt.* Vt autem ad eccleſiam venerint, ſicut diximus, quar-
C ta feria, hora tertia, ſcribantur nomina infantium, vel eorum qui ipſos ſuſcepturi ſunt, & diaconus clamet, dicens: Catechumeni procedant. Et vocentur ipſi infantes ab acolyto in eccleſiam per nomina vel ordinem, ſicut ſcripti ſunt, ita dicendo, Ille puer, & ſic per ſingulos ſtatuantur maſculi ſeorſum ad dextram partem: Illa virgo, & ſic per ſingulas ſtatuantur fœminæ ſeorſum ad ſiniſtram partem.

Memorata quarta feria, apud cultores eccleſiæ, In apertione aurium dicitur.

Eadem die agitur ſcrutinium tertium, quod maximum eſt inter ſeptem ſcrutinia.

Eadem die tanguntur aures & nares catechumenorum digitis presbyterorum.

Eadem die inſtruuntur de auctoribus & initiis quatuor Euangeliorum.

Eadem die percipiunt orationem Dominicam, & ſymbolum ad reddendum in ſabbato S. Paſchæ.

Item benedictio cineris ad eos, qui ſcrutinia ſunt habituri, & baptizari deſiderant.

D *EXorcizo te cinis in nomine Dei patris omnipotentis, & Ieſu Chriſti filij eius, & S. ſancti, qui te per ignem in fauillam conuerti præcepit: vt ſicut iuſſione Dei per ſanctum famulum eius Moyſen cinis vitulæ in populo adſperſus, omnem congregationem Iſraël ſanctificauit, ita tu exorcizatus in nomine S. Trinitatis adſperſus in eis, qui ſcrutinia ſunt habituri, eos ſanctifices, vt diabolus non lateat, ſed manifeſtetur atque expellatur, vt puri & ſinceri inueniantur.* Per.

Alia.

TE item petimus & rogamus omnipotens pater, vt ſicut Niniuitarum populus ad prædicationem Ionæ prophetæ miſericordiam tuam Domine exorantes, ſuorum veniam meruerunt conſequi peccatorum: ita & hi qui ad tuam gratiam percipiendam venire deſiderant, amputatis carnalibus maculis per ſacri baptiſmatis regenerationem, ſuorum finem conſtituant vitiorum. Per. Tunc ſpargat cineres ſuper eos, qui ſcrutinia ſunt habituri. Hoc expleto, tangat presbyter ſingulorum nares de ſputo oris ſui, &
E dicat vnicuique ad aurem dextram, *Epheta*, quod eſt, *adaperire*: Ad nares, *in odorem ſuauitatis*. Ad ſiniſtram, *Tu autem effugare diabole, appropinquabit enim iudicium Dei. Tunc in primis inuocato nomine infantis,* presbyter dicat.

Abrenuntias ſatanæ? Reſp. *Abrenuntio. Et omnibus operibus eius?* Reſpon. *Abrenuntio. Et omnibus pompis eius?* Reſp. *Abrenuntio.*

Deinde dicat: *Credis in Deum patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ?* Reſp. *Credo. Credis & in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum, Dominum noſtrum, natum & paſſum?* Reſp. *Credo. Credis & in Spiritum ſanctum, ſanctam Eccleſiam Catholicam, ſanctorum communionem, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, & vitam æternam.* Reſp. *Credo.*

Tunc exufflet in faciem tribus vicibus, dicens. *Exi immunde ſpiritus, & da locum Spiritui ſancto paracleto.*

Et tunc primitus faciat presbyter in ſingulorum frontibus crucem cum pollice, ita dicendo:

F *In nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti.* Et imponens manum ſuper capita eorum dicat.

Omnipotens ſempiterne Deus, pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, reſpicere dignare ſuper hunc famulum tuum N. quem ad rudimenta fidei vocare dignatus es, omnem cæcitatem cordis ab eo expelle, diſrumpe omnes laqueos ſatanæ quibus fuerat colligatus. Aperi ei Domine ianuam pietatis tuæ, vt ſigno ſapientiæ tuæ imbutus, omnium cupiditatum fœtoribus careat, & ad ſuauem odorem præceptorum tuorum, lætus tibi in eccleſia tua deſeruiat, & proficiat de die in diem, vt idoneus efficiatur accedere ad gratiam baptiſmi tui percepta medicina. Per.

Item ſuper fœminas faciat ſimiliter, & poſtea benedicat ſalem hoc modo.

Exorcizo te creatura ſalis in nomine Dei patris omnipotentis, & in charitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in virtute Spiritus Sancti. Exorcizo te per Deum viuum, per Deum verum, qui te ad tutelam humani generis procreauit, & populo venienti ad credulitatem, per ſeruos ſuos conſe-
G *crari præcepit. Proinde rogamus te Domine Deus noſter, vt hæc creatura ſalis in nomine ſanctæ Trinitatis efficiatur ſalutare Sacramentum ad effugandum inimicum: quam tu Domine ſanctificando ſanctifices, benedicendo benedicas, vt fiat omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in viſceribus eorum in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui venturus.*

Et mittat in ora infantum de ipſo ſale, per ſingulos dicendo:

Accipe ſalem ſapientiæ, propitiatus in vitam æternam.

Sequitur Oratio:

Deus patrum noſtrorum, Deus vniuerſæ conditor veritatis, te ſupplices exoramus, vt hos famulos tuos reſpicere digneris propitius, vt hoc primum pabulum ſalis guſtantes, non diutius eſurire permittas, quo minus cibo expleantur cœleſti, quatenus ſint ſemper nomini tuo ſeruientes: perduc eos ad nouæ regenerationis lauacrum, vt cum fidelibus tuis promiſſionum tuarum æterna præ-
H mia conſequi mereantur. Tunc dicat diaconus: *Catechumeni recedant.* Inde vero exeant foras eccleſiam, expectantes horam quando reuocentur. Tunc primum incipiat clerus antiphonam ad introitum? *Dum ſanctificatus fuero in vobis, congregabo vos de vniuerſis terris, & effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & dabo vobis ſpiritum nouum.* Pſal. *Confitemini Domino & inuocate.* Qua finita, dicat presbyter hanc orationem.

DA quæſumus Domine electis noſtris, vt ſanctis edocti myſteriis, & renouentur fonte baptiſmatis, & inter eccleſiæ tuæ membra numerentur. Per.

Alia.

DA quæſumus Domine electis noſtris digne & ſapienter ad confeſſionem tuæ laudis accedere, vt dignitati priſtinæ, quam originali tranſgreſſione perdiderant, per tuam gratiam reformentur. Per. Et poſtea ſedeat in ſede ſua, & dicat diaconus: *Catechumeni procedant.*

A Et vocentur infantes ab acolyto per nomina vel ordinem, vt ſcripti ſunt, & ſtatuantur vt prius. Et poſtmodum admoneantur à diacono ita: *Orate electi, flectite genua.* Et poſtquam orauerint, dicat: *Leuate complete orationem veſtram, & dicite, Amen.* Et reſpondeant omnes, *Amen.* Item dicat diaconus: *Signate illos, accedite ad benedictionem.* Et ſignent illos infantes in frontibus eorum patrini vel matrinæ cum pollicibus ſuis, dicendo: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Tunc veniat acolytus, iterum faciens Crucem in frontibus ſingulorum, ita dicendo: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Et imponat manum ſuper eos excelſa voce his verbis.

DEus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob, Deus qui Moyſi famulo tuo in monte Sinai apparuiſti, & filios Iſraël de terra Ægypti eduxiſti, deputans ei Angelum pietatis tuæ, qui cuſtodiret eos die ac nocte, te quæſumus Domine, vt mittere digneris ſanctum Angelum tuum, vt ſimiliter cuſtodiat & hunc famulum tuum, N. & perducat eum ad gratiam baptiſmi tui. Ergo maledicte diabole
B recognoſce ſententiam tuam, & da honorem Deo viuo & vero, da honorem Ieſu Chriſto filio eius, & Spiritui Sancto, & recede ab his famulis Dei quia iſtos ſibi Deus & Dominus noſter Ieſus Chriſtus ad ſuam ſanctam gratiam & benedictionem fontemque baptiſmatis vocare dignatus eſt. Et hoc ſignum ſanctæ Crucis quod nos frontibus eorum damus, tu maledicte diabole nunquam audeas violare.

Et vertat ſe ad fœminas, & faciat crucem in frontibus earum, vt ſuperius, & imponat manum ſuper capita ſingularum, dicendo.

DEus cœli, Deus terræ, Deus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Prophetarum, Deus Martyrum, Deus Confeſſorum, Deus Virginum, Deus omnium benè viuentium, Deus cui omnis lingua confitetur, & omne genu flectitur cœleſtium, terreſtrium & infernorum, te inuoco Domine, vt hanc famulam tuam N. perducere digneris ad gratiam baptiſmi tui. Per. Ergo male-
C dicte diabole.

Et annuntiat diaconus, dicens: *Orate electi, & flectite genua*, & reliqua. Et ſignant patrini vt prius, & ſequitur alius acolytus, vt ſuper maſculos faciat crucem, ſicut prius fecit, & imponens manum ſuper eos, dicit.

AVdi maledicte ſatanas, adiuratus per nomen æterni Dei & Saluatoris noſtri filij eius cum tua victus inuidia tremens, gemenſque diſcede. Nihil tibi ſit commune cum ſeruo Dei N. iam cœleſtia cogitanti, renuntiaturo tibi ac ſæculo tuo, & beata immortalitate victuro. Da ergo honorem aduenienti Spiritui Sancto, qui ex ſumma cœli arce deſcendens proturbatis fraudibus tuis, diuino fonte purgatum pectus id eſt, ſanctificatum Deo templum & habitaculum perficiat & ab omnibus penitus noxiis præteritorum criminum liberatus ſeruus Dei N. gratias perenni Deo referat ſemper, & benedicat eius ſanctum nomen in ſæcula ſæculorum. *Amen.* Item ſuper feminas ſimiliter faciens crucem, imponit manum ſuper
D eas, dicens.

DEus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob, Deus qui tribus Iſraël monuiſti, & Suſannam de falſo crimine liberaſti te ſupplex deprecor Domine, vt liberes hanc famulam tuam N. & perducere eam digneris ad gratiam baptiſmi tui. Ergo maledicte.

Item diaconus dicit: *Orate electi*, & reliqua. Et ſignant patrini vel matrinæ, vt ſuperius. Inde tertius acolytus facit crucem in frontibus puerorum, ſicut anterior fecit, & imponit manum ſuper capita eorum dicendo.

Exorcizo te immunde ſpiritus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vt exeas & recedas ab hoc famulo Dei N. Ipſe enim tibi imperat maledicte damnate, qui pedibus ſuper mare ambulauit, & Petro mergenti dexteram porrexit. Ergo maledicte. Item ſuper feminas faciens crucem vt prius imponit manum ſuper capita earum, dicendo: *Exorcizo te, immunde ſpiritus, per Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, vt exeas & recedas ab hac famula Dei N. Ipſe enim tibi imperat maledicte damnate, qui cæco nato oculos aperuit, & quatriduanum Lazarum de monumento ſuſcitauit.* Ergo maledicte. Et admonet diaconus: Orate electi, & reliqua, ſicut antea. Et ſignant patrini, ſicut prius. Tunc E
presbyter accedit faciens crucem in ſingulorum frontibus ſicut prius, & imponit manum ſuper capita ipſorum, dicens hanc orationem.

ÆTernam ac iuſtiſſimam pietatem tuam deprecor Domine ſancte, pater omnipotens, æterne Deus luminis & veritatis, ſuper hunc famulum tuum N. vt digneris eum illuminare lumine intelligentiæ tuæ. Munda eum & ſanctifica, da ei ſcientiam veram, vt dignus efficiatur accedere ad gratiam baptiſmi tui. Teneat firmam ſpem, conſilium rectum, doctrinam ſanctam, vt aptus ſit ad percipiendam gratiam baptiſmi tui. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſæculum per ignem. Item facit idipſum ſuper feminas, ſimiliter dicens ipſam orationem: Æternam ac iuſtiſſimam. Iſtis omnibus conſummatis, iterum admonentur à diacono ita: *Orate electi, flectite genua*, Et poſt paululum dicit, *Leuate: Complete orationem veſtram in vnam & dicite Amen.* Re- F
ſpondentibus autem. *Amen*, Iterum dicit. *Signate illos, ſtate cum diſciplina & ſilentio, audientes attente.* Et ſignant patrini vt prius. Inde reuertitur ſacerdos ad ſedem ſuam, & legitur lectio Ezechielis prophetæ.

Hæc dicit Dominus, Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & ab vniuerſis idolis veſtris mundabo vos. Et dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum ponam in medio veſtri. Et auferam cor lapideum de carne veſtra & dabo vobis cor carneum, & ſpiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis, & operemini, & habitabitis in terra, quam dedi patribus veſtris. Et eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum, & ſaluabo vos ex vniuerſis inquinamentis veſtris, dicit Dominus omnipotens. Sequitur reſponſorium grad. *Aſpiciam vos & creſcere faciam.* Poſtea admonentur à diacono ita: Catechumeni recedant: Si quis catechumenus eſt, recedat? Omnes catechumeni recedant G
foras. Et egrediuntur de Eccleſia ipſi electi, expectantes pro foribus vſque dum completa fuerint Miſſarum ſolemnia. Deinde legitur Euangelium ſecundum Matthæum.

IN illo tempore reſpondens Ieſus, dixit? Confiteor tibi pater, Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Ita pater, quoniam ſic fuit placitum ante te. Omnia mihi tradita ſunt à patre meo. Et nemo nouit filium niſi pater, neque patrem quis nouit niſi filius, & cui filius voluerit reuelare. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos Tollite iugum meum ſuper vos & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiē animabus veſtris. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Et offeruntur oblationes à parentibus vel ab his qui ipſos ſuſcepturi ſunt, & ponit ipſas ſacerdos ſuper altare, & dicit orationem ſecretam.

SEGRETA.

MIſeratio tua, Deus, ad hæc percipienda myſteria H
famulos tuos N. quæſumus & prouehat competenter, & deuota conuerſatione perducat. Per. Infra canonem vbi dicit: *Memento Domine famulorum famularumque tuarum, qui electos tuos ſuſcepturi ſunt ad ſanctam gratiam baptiſmi tui, recitantur nomina virorum ac mulierum, qui ipſos ſuſcepturi ſunt infantes.* Item infra agendam.

Hanc igitur oblationem ſeruitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ quæſumus Domine vt placatus accipias quam tibi offerimus pro famulis & famulabus tuis quos ad æternam vitam, & beatum gratiæ tuæ donum eligere atque vocare dignatus es. Hoc expleto, recitantur nomina electorum. Poſtquam recitata fuerint, dicat.

Hos Domine fonte baptiſmatis innouandos ſpiritus tui munere ad Sacramentorum tuorum plenitudinem poſcimus præparari iubeas, dieſque noſtros in tua pace diſponas, &c. poſt com.

A Adeſto Domine, quæſumus, noſtræ redemptionis effectibus, vt quos Sacramentis æternitatis inſtituis, eiſdem protegas dignanter aptandos. Per.

Super populum.

SVppliciter Domine ſacra familia munus tuæ miſerationis expectat, concede quæſumus, vt quod te iobente, deſiderat, te largiente percipiat. Per. Finitis vero Miſſarum ſolemniis, communicent præter ipſos infantes. Deinde annuntiat presbyter, vt in ipſa hebdomada reuertantur ad ſcrutinium, ita dicendo: Die ſabbati veniente, colligite vos temporius ad Eccleſiam illam, vel illam. Venientes autem omnes ad ipſum diem, ſicut eis denuntiatum fuit faciunt ipſum ſcrutinium, & Miſſam per omnem ordinem, ſicut ſuperius ſcriptum eſt Miſſa hebdomada quarta, quæ pro ſcrutinio ſecundo celebratur.

Omnipotens ſempiterne Deus, Eccleſiam tuam ſpiritali fœcunditate multiplica, vt qui ſunt generatione
B terreni, fiant regeneratione cœleſtes. Per Dominum noſtrum.

SECRETA.

REmedij ſempiterni munera Domine lætantes offerimus ſuppliciter exorantes, vt eadem nos & digne venerari, & pro ſaluandis congruenter exhibere perficias. Per.

Infra canonem, vt ſupra, poſt commun.

Tu ſemper, quæſumus, Domine tuam attolle benignus familiam, tu diſpone correctam, tu propitius tuere ſubiectam, tu guberna perpetua bonitate ſaluandam. Per.

Super populum.

Tu famulis tuis, quæſumus, Domine bonos mores placatus inſtitue, tu eis, quod tibi placitum ſit dignanter infunde, vt & digni ſint, & tua valeant beneficia promereri. Per.

C Interim annuntiat presbyter qualem diem voluerit in ſequenti hebdomada, quæ eſt ab initio quadrageſimæ quarta, ita dicendo. Illa feria veniente, colligite vos temporius ad Eccleſiam illam qualem eis denuntiauerit. Et vt venerint ad Eccleſiam die qua eis fuerit denuntiatum, clamat diaconus, dicens: Catechumeni procedant. Et vocantur infantes ab acolyto per nomina vel ordinem, vt prius.

Oratio ad Miſſam hebdomada quinta, quæ pro ſcrutinio tertio celebratur in aurium apertione.

Concede Domine electis noſtris, vt ſanctis edocti myſteriis, & renouentur fonte baptiſmatis, & inter Eccleſiæ tuæ membra numerentur.

Et faciunt ſcrutinium per omnia, ſicut per illos priores duos dies fecerunt, vſque ad id, vbi dicit: Signate illos, State cum diſciplina & ſilentio. Et tunc leguntur duæ lectiones in aurium apertionem.

Lectio Eſaiæ Prophetæ.

D *HÆc dicit Dominus: Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in craſſitudine anima veſtra. Inclinate aurem veſtram & venite ad me, audite, & viuet anima veſtra. Et feriam vobiſcum pactum ſempiternum miſericordias Dauid fideles. Ecce teſtem populis dedi eum, ducem & præceptorem gentibus. Ecce gentem quam neſciebas, vocabis, & gentes quæ te non cognouerunt, ad te current propter Dominum Deum tuum, & ſanctum Iſraël, quia glorificauit te. Quærite Dominum dum inueniri poteſt, inuocate eum dum prope eſt. Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas & reuertatur ad Dominum, & miſerebitur eius, & ad Deum noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum.* Sequitur Reſpon. Gra. *Venite filij.* Item alia lectio. Ad Coloſſ. cap. 3.

FRatres: Expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes nouum, eum qui renouatur in agnitionem ſecundum imaginem eius, qui creauit eum, vbi non eſt gentilis & Iudæus, circumciſio & præputium: Barbarus & Scytha, ſeruus & liber, ſed omnia & in omnibus Chriſtus. Induite vos, ſicut electi Dei ſancti & dilecti viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam, ſupportantes inuicem, & donantes vobiſmetipſis, ſi quis habet aduerſus aliquem querelam. Sicut Dominus donauit vobis, ita & vos. Super omnia autem hæc, charitatem habete quod eſt vinculum perfectionis. Et pax Chriſti exultet in cordibus veſtris, in qua vocati eſtis in vno corpore. Et grati eſtote. Verbum Chriſti habitet in vobis abundanter, in omni ſapientia docentes, & commonentes, voſmetipſos Pſalmis, Hymnis, Canticis ſpiritualibus in gratia cantantes in cordibus veſtris Domino. Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere omnia in nomine Domini Ieſu, gratias agentes Deo & patri per ipſum. Sequitur reſpon. Grad. *Beata gens cuius eſt Dominus.* Inde vero procedunt quatuor Diaconi de ſacrario cum quatuor libris Euangeliorum præcedentibus eos duobus candelabris cum thuribulo & incenſo, & ponunt ipſa Euangelia ſuper quatuor angulos altaris, & antequam aliquis eorum legat, tractet Presbyter his verbis:

F APeruri vobis filij chariſſimi Euangelia, id eſt, geſta diuina, prius ordinem inſinuare debemus, quid ſit Euangelium, & vnde deſcendat, & cuius in eo verba ponantur, & quare quatuor ſint, qui hæc ſcripſerunt, vel qui ſint ipſi quatuor, qui diuino ſpiritu annuntiante, à propheta ſignati ſunt, ne forte ſine hac ordinis ratione vel cauſa ſtuporem vobis in mentibus relinquamus. Et quia ad hoc veniſtis, vt aures vobis aperiantur, ne incipiat vobis ſenſus veſter obtundi, Euangelium dicitur propriè bona annuntiatio, quæ vtique annuntiatio eſt Ieſu Chriſti Domini noſtri. Deſcendit autem Euangelium ab eo quod annuntiet & oſtendat, quia is, qui per Prophetas ſuos loquebatur, venit in carne ſicut ſcriptum eſt: Qui loquebatur, ecce adſum. Explicantes autem breuiter quid ſit Euangelium, vel qui ſint hi quatuor, qui per Prophetam ante monſtrati ſunt, nunc ſua quæque nomina ſingulis adſignemus indiciis. Ait enim Propheta Ezechiel: Et
G ſimilitudo vultus eorum vt facies hominis, & facies leonis à dextris illius, & facies vituli, & facies aquilæ à ſiniſtris illius. Hos quatuor has figuras habentes Euangeliſtas eſſe non dubium eſt. Sed nomina eorum quæ Euangelia ſcripſerunt, hæc ſunt Matthæus, Marcus, Lucas, Ioannes. His expletis, annuntiat diaconus, dicens: State cum ſilentio audientes intente. Et tunc accipiens vnus diaconus deſuper angulo primo altaris ſiniſtro librum Euangeliorum, præcedentibus ante eum duobus candelabris cum thuribulis, aſcendit ad legendum, & dicit: *Dominus vobiſcum.* Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.*

Initium ſancti Euangelij ſecundum Matthæum.

LIber generationis Ieſu Chriſti, filij Dauid, filij Abraham. Abraham genuit Iſaac. Iſaac autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Iudam & fratres eius. Iudas autem genuit Phares & Zaram de Thamar. Phares autem genuit Eſrom. Eſrom autem genuit Aram. Aram autem genuit
H *Aminadab. Aminadab autem genuit Naaſon. Naaſon autem genuit Salmon. Salmon autem genuit Booz de Rachab. Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Ieſſe. Ieſſe autem genuit Dauid regem. Dauid autem rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ. Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abia. Abia autem genuit Aſa. Aſa autem genuit Ioſaphat. Ioſaphat autem genuit Ioram. Ioram autem genuit Oziam. Ozias autem genuit Ioathan. Ioathan autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam. Ezechias autem genuit Manaſſen. Manaſſes autem genuit Amon. Amon autem genuit Ioſiam. Ioſias autem genuit Iechoniam & fratres eius in transmigratione Babylonis. Et poſt transmigrationem Babylonis, Iechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliachim. Eliachim autem genuit Azor. Azor autem genuit Sadoch. Sadoch autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Iacob. Iacob autem genuit*

A ſuper caput eius dexteram, & interrogat eum presbyter Græce dicens: ποίᾳ γλώττῃ ὁμολογοῦσι τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν? Et reſpondet acolytus: ἑλληνιστί. Iterum dicit presbyter: ἀνάγγειλον τὴν πίστιν αὐτῶν πῶς πιστεύουσι. Et dicit acolytus ſymbolum, Græcè decantando his verbis:

Πιστεύω εἰς ἕνα θεὸν πατέρα παντοκράτορα, ποιητὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς, ὁρατῶν τε πάντων καὶ ἀοράτων: καὶ εἰς ἕνα κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, τὸν μονογενῆ, τὸν ἐκ τοῦ πατρὸς γεννηθέντα πρὸ πάντων τῶν αἰώνων, φῶς ἐκ φωτός, θεὸν ἀληθινὸν ἐκ θεοῦ ἀληθινοῦ: γεννηθέντα, οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ πατρὶ δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, τὸν δι' ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους, καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν, κατελθόντα ἐκ τῶν οὐρανῶν, καὶ σαρκωθέντα ἐκ πνεύματος ἁγίου καὶ Μαρίας τῆς παρθένου, καὶ ἐνανθρωπήσαντα, σταυρωθέντα τε ὑπὲρ ἡμῶν ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, καὶ παθόντα, καὶ ταφέντα, καὶ ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ κατὰ τὰς γραφάς, καὶ ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανούς, καθεζόμενον ἐν δεξιᾷ τοῦ πατρός, καὶ πάλιν ἐρχόμενον μετὰ δόξης κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς, οὗ τῆς βασιλείας οὐκ ἔσται τέλος: καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ κύριον, καὶ ζωοποιόν, τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον, τὸ σὺν πατρὶ καὶ υἱῷ συμπροσκυνούμενον καὶ συνδο- B ξαζόμενον, τὸ λαλῆσαν διὰ τῶν προφητῶν: καὶ μίαν ἁγίαν καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν. ὁμολογῶ ἓν βάπτισμα εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. προσδοκῶ ἀνάστασιν νεκρῶν, καὶ ζωὴν τοῦ μέλλοντος αἰῶνος, Ἀμήν.

Hoc expleto vertit ſe ad fœminas, & facit ſimiliter Iterum acolytus alter accipiens ex ipſis infantibus maſculum vnum & tenens in ſiniſtro brachio, ponit manum dextram ſuper caput ipſius, & interrogat eum Presbyter Latine, qua lingua confiteatur Dominum noſtrum Ieſum-Chriſtum. Et reſpondet acolytus, Latina. Iterum dicit presbyter: Annuntia fidem ipſorum qualiter credant. Et ponens manum acolytus ſuper caput infantis, dicit Symbolum Latine decantando his verbis:

Credo in vnum Deum patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, viſibilium omnium, & inuiſibilium: & in vnum Dominum Ieſum Chriſtum, filium Dei Vnigenitum, & ex patre natum ante omnia ſæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: ge- C *nitum non factum conſubſtantialem patri, per quem omnia facta ſunt: qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria virgine, & homo factus eſt, crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt, & reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas: Aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Patris, & iterum venturus eſt cum gloria iudicare viuos & mortuos. cuius regni non erit finis, & in Spiritum ſanctum Dominum, & viuificantem, qui non ex patre filioque procedit, qui cum patre & filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui locutus eſt per prophetas: & vnam ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam: Confiteor vnum baptiſma in remiſſionem peccatorum: & expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam futuri ſæculi. Amen.*

Hoc finito, iterum accipit alter acolytus ex ipſis infantibus fœminam, ſicut & ſupra. Et interrogat presbyter ſicut antea, & ipſe acolytus cantat ſymbolum, ſicut ſupra ſcriptum eſt. Hoc expleto loquitur presbyter his D verbis: Hæc ſumma eſt dilectiſſimi nobis fidei noſtræ, hæc verba ſunt ſymboli, non ſapientiæ humanæ ſermone facta, ſed veræ diuinitatis ratione diſpoſita. Quibus comprehendendis atque ſeruandis, nemo non idoneus, nemo non aptus. Hic Dei Patris & Filij vna æqualitas pronuntiatur atque poteſtas: Hic vnigenitus Dei de Maria virgine, & Spiritu ſancto ſecundum carnem natus oſtenditur. Hic eiuſdem Crucifixio & ſepultura, ac die tertia reſurrectio, prædicatur. Hic aſcenſio ipſius ſuper cœlos, & conſeſſio in dextera paternæ maieſtatis agnoſcitur, venturuſque ad iudicandos viuos & mortuos declaratur. Hic Spiritus ſanctus in eadem, qua pater & filius, Deitate indiſcretus accipitur. Hic poſtremo Eccleſiæ vocatio, peccatorum remiſſio, & carnis reſurrectio perdocetur. Quæ breuiſſima plenitudo ita debet veſtris cordibus inhærere, vt omni tempore præſidio huius confeſſionis vtamini. Inuicta enim eſt talium armorum poteſtas, & contra omnes vobis inſidias diaboli tan- E quam bonis Chriſti militibus profutura. Diabolus qui hominem tentare non deſiſtit munitos vos hoc ſymbolo ſemper inueniat, vt deuicto aduerſario, cui renuntiaſtis, gratiam Domini incorruptam & immaculatam vſque in finem, ipſo quem confitemur protegente, ſeruetis: vt in quo peccatorum remiſſionem accipitis, in eo gloriam reſurrectionis habeatis. Ergo dilectiſſimi præfatum ſymbolum fidei Catholicæ in præſenti cognouiſtis, nunc euntes edocemini, nullo mutato ſermone. Potens eſt enim Dei miſericordia, quo & vos ad baptiſmi fidem currentes perducat, & nos, qui vobis myſteria tradimus, vna vobiſcum ad regna cœleſtia faciat peruenire. Per eundem. His expletis, annuntiat diaconus, dicens: *State cum ſilentio & reuerentia, audientes intente.* Deinde ſubſequitur ſacerdos hanc præfationem Dominicæ orationis.

Dominus & Saluator noſter Ieſus-Chriſtus inter cætera ſacra præcepta, diſcipulis ſuis petentibus F quemadmodum orare deberent, non ſolum formam orationis conceſſit: verum etiam qua mente & puritate precarentur, oſtendit: vt in præſenti ſacra hæc lectio demonſtrabit: Tu autem cum orabis, intra in cubiculum tuum: & clauſo oſtio ora patrem tuum. Cubiculum, quod nominat, non occultam domum oſtendit: ſed cordis noſtri ſecretum, id eſt, vt à mala cogitatione pectus noſtrum myſtica fidei claue claudamus, ac labiis clauſis, incorrupta mente loquamur. Deus enim noſter, fidei non vocis auditor eſt. Ergo vnde ſermo eſt, id eſt, ſapientia Chriſtus Dominus noſter hanc orationem nos docuit, vt ita oremus:

Pater noſter, qui es in cœlis.

Hæc libertatis vox eſt, & plena fiducia. Ergo nobis his moribus eſt viuendum, vt filij Dei, & fratres Chriſti eſſe poſſimus. Nam patrem ſuum Dominum qua temeritate dicere præſumit, qui ab eius voluntate degenerat? Vnde vos dilectiſſimi dignos exhibete adoptione diuina: quoniam ſcriptum eſt: *Quotquot autem crediderunt in eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.*

G *Sanctificetur nomen tuum.*

Non quod Deus noſtris ſanctificetur orationibus; qui ſemper eſt ſanctus: ſed petimus, vt nomen eius ſanctificetur in nobis, vt qui in baptiſmate eius ſanctificamur; in eo quod eſſe cœpimus, perſeueremus.

Adueniat regnum tuum.

Deus namque noſter eſt, quando nos regnat, maxime cuius regnum eſt immortale? Sed cum dicimus, Adueniat regnum tuum, regnum petimus aduenire à Deo nobis promiſſum, Chriſti ſanguine & paſſione quæſitum.

Fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra.

Id eſt, in eo fiat voluntas tua, vt quod tu vis in cœlo, hoc nos in terra poſiti, irreprehenſibiliter faciamus.

H *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.*

Hic ſpiritalem cibum intelligere debemus. Chriſtus enim panis eſt noſter, qui dixit: Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi. Quem quotidianum dicens, ita nos ſemper immunes præcipit eſſe peccati, vt digni ſimus cœleſtibus alimentis.

Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.

Hoc pactum eſt, ſignificans non nos aliter peccatorum poſſe veniam promereri, niſi prius nos in nobis delinquentibus aliis veniam relaxemus, ſicut in Euangelio Dominus noſter dicit: *Niſi dimiſeritis peccata hominibus, nec vobis pater veſter dimittet peccata veſtra.*

Et ne nos inducas in tentationem.

Id eſt, ne nos patiaris induci ab eo, qui nos tentat

A prauitatis autore. Nam dicit ſcriptura : *Deus enim intentator eſt malorum.* Diabolus vero eſt tentator, ad quem euincendum Dominus dicit ? *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.*

Sed libera nos à male.

Hoc ideo ait, quia dixit Apoſtolus : *Neſcitis quid vobis oporteat orare:* Vnde Deus omnipotens ita à nobis orandus eſt, vt quicquid humana fragilitas cauere non præualet, hoc ille propitius nobis conferre dignetur Ieſus-Chriſtus Dominus noſter, qui viuit & regnat cum Deo Patre & Spiritu ſancto, Per omnia ſecula ſeculorum, Amen. Iſtis expletis, admoneantur à Diacono: *Stare cum ſilentio audientes intentè.* Statimque proſequitur Presbyter his verbis :

AVdiſtis dilectiſſimi, orationis Dominicæ ſacra myſteria : nunc euntes, ea veſtris cordibus innouate, vt ad exorandam ac percipiendam Dei miſericordiam, perfecti in Chriſto eſſe poſſitis. Potens eſt Dominus
B Deus noſter, vt & vos, qui ad fidem curritis, ad lauacrum regenerationis perducat, & nos, qui vobis myſterium fidei Catholicæ tradidimus, vnà vobiſcum ad cœleſtia regna faciat peruenire. Qui viuit & regnat cum Deo patre in vnitate Spiritus ſancti, Per omnia ſecula ſæculorum, Amen.

Ipſis expletis, annuntiat Diaconus : Catechumeni recedant. Si quis Catechumenus eſt, recedat : Omnes Catechumeni exeant foras. Egreſſi verò parentes cum infantibus eorum, foris relinquunt ipſos infantes in cuſtodia, & iterum ingrediuntur in Eccleſiam tam parentes, quàm & illi qui ipſos infantes ſuſcepturi ſunt cum oblationibus eorum, & offerunt eas pro ipſis.

Secreta.

Exaudi nos omnipotens Deus, & famulos tuos, quos fidei Chriſtianæ primitiis imbuiſti, huius ſacrificii tributa operatione mundari. Per.

C Ipſi verò infantes pro foribus expectent, donec conſummentur Miſſarum ſolemnia. Expleta vero Miſſa, communicent omnes, præter ipſos infantes. Poſt com.

Concurrat, Domine quæſumus, populus tuus, & toto tibi corde ſubiectus, obtineat, vt ab omni perturbatione ſecurus, & ſaluationis ſuæ gaudia promptus exerceat, & pro regenerandis benignus exoret Dominum.

Super populum.

Deus qui cum ſalutem hominum ſemper opereris, nunc tamen populum tuum gratia abundantiore multiplicas, reſpice propitius ad electionem tuam, vt paternæ protectionis auxilio regenerandos munias & renatos. Per.

Iterum annuntiat Presbyter qualem diem voluerit in ſequenti hebdomada, qua reuertantur ad ſcrutinium. Et vt celebraturi venerint, ipſum ſcrutinium faciunt per ordinem, ſicut illa duo priora ante aurium apertionem fecerunt. Poſtea annuntiat Presbyter, vt ipſa hebdoma-
D da, qua die & ad qualem Eccleſiam voluerit, reuertantur ad ſcrutinium quintum. Et vt venerint, faciunt ipſum ſcrutinium per omnem ordinem, ſicut anterius fecerunt. Hoc expleto, iterum annuntiat eis ſicut ſuperius, vt reuertantur ad ſcrutinium ſextum in ſequenti hebdomada vltima ante Paſcha, qua die vel apud quancumque Eccleſiam voluerit, & complent ipſum ſcrutinium vel Miſſam per omnia, ſicut anteriora fecerunt : Ita tamen agendum eſt, vt à primo ſcrutinio, quod incipit tertia hebdomada in quadrageſima, vſque in Sabbathum ſanctum in vigilia Paſchæ, ſeptem ſcrutinia eſſe debeant, ſecundum formam ſeptem donorum Spiritus ſancti, vt dum ſeptenario numero implebuntur, detur illis gratia ſeptiformis Spiritus ſancti. Item annuntiat Presbyter, vt ipſo ſancto ſabbatho hora tertia reuertantur ad Eccleſiam, & tunc catechizantur, & reddunt ſymbolum, & baptizantur, & complebuntur ſeptem oblationes eorum.

E *Incipit Ordo à Dominica mediana, vſque in octauas Paſche, de officiis diuinis diebus ac noctibus breuiter digeſtus.*

DOminica quinta de Paſſione Domini, ponunt Hieremiam Prophetam vſque in cœnam Domini, Igitur à Dominica, quam ſedes Apoſtolica medianam voluit nuncupari, vſum obſeruantiæ credimus imitandum. Vnde & ea quæ ipſa die dicuntur, numerum dierum oſtendunt, vt eſt iſtud: Quarta-decima die ad veſperum. Et paulo poſt, In quinta-decima ſolemnitatem celebrabitis. A quo die vſque in vigiliam ſanctæ Dominicæ reſurrectionis, in nullo reſponſorio decantatur *Gloria*, nec in *Venite.* A cœna vero Domini nec in Pſalmis, nec in vllo loco decantatur *Gloria* vſque in Paſcha.

Ordo in ſabbatho ante Palmas.

F SAbbathum ante palmas, ita prætitulatur in Sacramentario, Sabbatho vacat ; Dominus Papa eleemoſynam dat. Et quia de hac feria officium non habetur, de eiſdem feriis repetitur, id eſt, de quarta feria. Antip. *liberator meus de gentibus.*

Lectio Zacharia Propheta.

HÆc dicit Dominus : exulta ſatis filia Hieruſalem, ecce Rex tuus veniet tibi iuſtus & ſaluator. Ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ. Et diſperdam quadrigam ex Ephraim, & equum de Hieruſalem, & diſſipabitur arcus belli, & loquetur pacem gentibus, & poteſtas eius à mari vſque ad mare, & à fluminibus vſque ad fines terræ. Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua. Conuertimini ad munitionem vincta ſpei. Hodie quoque annuntians duplicia reddam tibi, quoniam extendi mihi Iudam quaſi arcum, implens Ephraim, & ſuſcitabo filios tuos ſuper Sion ſuper filios tuos Græcia, & ponam te quaſi gladium fortium. Et Dominus Deus ſuper eos videbitur, & exibit vt fulgur iaculum eius. Et Dominus Deus
G *in tuba canet, & vadet in turbine Auſtri : Dominus exercituum proteget eos. Et deuorabunt & ſubiicient lapidibus fundæ, & bibentes inebriabuntur quaſi vino, & replebuntur vt phialæ, & quaſi cornua altaris. Et ſaluabit eos Dominus Deus eorum.*

Secundum Lucam.

IN illo tempore, Cum appropinquaſſet Ieſus ad Bethphage & Bethaniam, ad montem qui vocatur Oliueti, miſit duos diſcipulos ſuos, dicens : ite in caſtellum quod contra vos eſt. In quod introeuntes, inuenietis pullum aſinæ alligatum, cui nemo vnquam hominum ſedit. Soluite illum, & adducite. Et ſi quis vos interrogauerit, quare ſoluitis ? ſic dicetis ei : Quia Dominus operam eius deſiderat. Abierunt autem qui miſſi erant, & inuenerunt ſicut dixit illis, ſtantem pullum. Soluentibus autem illis pullum, dixerunt Domini eius ad illos : Quid ſoluitis pullum ? At illi dixerunt : Quia Dominus eum neceſſarium habet. Et duxerunt
H *illum ad Ieſum. Et iactantes veſtimenta ſua ſuper pullum, impoſuerunt Ieſum. Eunte autem illo, ſubſternebant veſtimenta ſua in via. Et cum appropinquaret iam ad deſcenſum montis Oliueti, cœperunt omnes turbæ deſcendentium gaudentes laudare Dominum voce magna ſuper omnibus, quas viderant virtutibus, dicentes : Benedictus qui venit Rex in nomine Domini. Pax in cœlo, & gloria in excelſis.*

Ordo in die Palmarum.

DOminica indulgentiæ, quæ diuerſis vocabulis diſtinguitur (id eſt, Dies palmarum, ſiue florum atque ramorum : Oſanna, Paſcha petitum ſiue competentium, & Capitolauium) ſtatio ad ſanctum Ioannem in Lateranis. Hora ſecunda conuenientes omnes in Eccleſiam ſancti Ioannis ad Lateranas, primitus canunt Tertiam. Qua finita, faciunt Litaniam, & expoſitis in medio palmarum vel oliuæ, ſeu aliarum arborum ramis, primum benedicit Sacerdos ſalem & aquam, & benedi-

cendo

A cendo commiſcet. Deinde incipit cantor antiphonam: *Oſanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini Rex Iſrael, Oſanna in excelſis.* Sacerdos dicat *oremus.* Sequitur oratio:

DEus quem diligere & amare iuſtitia eſt, ineffabilis gratiæ tuæ dona in nobis multiplica, & qui feciſti nos in morte filii tui ſperare quæ credimus, fac nos eodem reſurgente, peruenire quo tendimus. Qui tec. Fm.

Lectio libri Exodi.

IN *diebus illis, Venerunt filij Iſraël in Helim, vbi erant duodecim fontes aquarum & ſeptuaginta palmæ, & caſtra metati ſunt iuxta aquas: Profectique ſunt de Helim, & venit omnis multitudo filiorum Iſrael in deſertum Sin, quod eſt inter Helim & Sinai, quinto-decimo die menſis ſecundo, poſtquam egreſſi ſunt de terra Ægypti. Et mur-*
B *murauit omnis congregatio filiorum Iſrael contra Moyſen, & contra Aaron in ſolitudine, dixeruntque ad eos filij Iſrael. Vtinam mortui eſſemus per manum Domini in terra Ægypti, quando ſedebamus ſuper ollas carnium, & comedebamus panes in ſaturitate. Cur eduxiſtis nos in deſertum iſtud, vt occideretis omnem multitudinem fame? Dixit autem Dominus ad Moyſen: Ecce ego pluam vobis panem de cælo, vt egrediatur populus, & colligat quæ ſufficiunt per ſingulos dies, vt tentem eum vtrum ambulet in lege mea, an non. Die autem ſexta parent quod inferant, & ſit duplum quam colligere ſolebant per ſingulos dies. Dixeruntque Moyſes & Aaron ad omnes filios Iſrael Veſpere ſcietis quod Dominus eduxerit vos de terra Ægypti, & mane videbitis gloriam Domini. Audiuit enim murmur veſtrum contra Dominum. Nos vero quid ſumus, quia muſſitaſtis contra nos? Et ait Moyſes, Dabit vobis Dominus veſpere carnes edere, & mane panes in ſaturitatem, eo quod audierit murmurationes veſtras, quibus murmurati eſtis contra eum. Nos enim quid ſumus? Non enim*
C *eſt murmur veſtrum contra nos, ſed contra Dominum. Dixitque Moyſes ad Aaron, Dic vniuerſæ congregationi filiorum Iſrael: Accedite coram Domino, audiuit enim murmur veſtrum. Cumque loqueretur ad omnem cœtum filiorum Iſrael, reſpexerunt ad ſolitudinem. Ecce gloria Domini in nube.*

Tunc aſcendentes in pulpitum duo ex paraſoniſtis imponant Antiphonam.

Collegerunt Pontifices & Phariſæi concilium, & dicebant: Quid facimus quia hic homo multa ſigna facit? ſi dimittimus eum ſic, omnes credent in eum: Ne forte veniant Romani, & tollant noſtrum locum & gentem. Verſ. *Vnus autem ex ipſis Caiphas nomine cum eſſet Pontifex anni illius, prophetauit, dicens: Expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Ab illo ergo die cogitauerunt interficere eum, dicentes: Ne forte.*

Deinde dicit diaconus: *Dominus vobiſcum.* Reſpon. *Et cum ſpiritu tuo.* Et legitur Euangelium ſecundum Matthæum:

D *In illo tempore, Cum appropinquaſſent Hieroſolymis,* vſque *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Finito Euangelio, faciat Epiſcopus, ſi velit, ſermonem ad populum de Euangelio, & de præſenti feſtiuitate. Quo peracto, benedicantur rami, dicatque Sacerdos: *Dominus vobiſcum.* Reſponſio: *Et cum ſpiritu tuo:*

OREMVS.

ADeſto nobis omnipotens Deus, vt quod noſtro miniſtratur officio, tuæ benedictionis potius impleatur effectu. Per.

Exorciſmus florum & frondium.

EXorcizo te omnis creatura florum & frondium in nomine Patris omnipotentis, & in nomine Ieſu-Chriſti filij eius, & in virtute Spiritus ſancti. Proinde omnis virtus aduerſarij, omnis poteſtas inimici, omnis incurſio dæmonum, eradicare & explantare ab hac crea-
E tura florum & frondium, vt ad Dei gratiam feſtinantium veſtigia non ſequaris. Per eum qui venturus.

Benedictio frondium oliuæ & palmarum.

DOmine ſancte pater omnipotens, æterne Deus, mundi conditor, omniumque creaturarum mirabilis diſpoſitor, qui inter ipſa mundi primordia cum ex nihilo cuncta conderes, ligna quoque fructifera, & diuerſo vſui congrua, terram producere iuſſiſti, ac poſt maledictum interdictæ arboris, vniuerſa nobis per obedientiam vnigeniti tui in benedictionem conuertiſti, benedic etiam hos multigenarum arborum ramos, inter quas præcipuè arbor oliuæ pinguedine cunctas præcellit, per quam etiam cum mundi crimina diluuio quondam expiarentur effuſo, columba ramum eiuſdem deferens, pacem terris redditam nuntiauit necnon & innocens turba Spiritu ſancto afflata, vnigenito ſuo Domino noſtro Ieſu Chriſto pro totius mundi ſalute paſſuro obuiam currens, palmarum & huius arboris ramos abſcindens, ac veſtigiis
F eius ſubſternens, iam quaſi triumphatorem de mortis principe oſtendebat, te Domine ſuppliciter deprecamur, vt qui annua deuotione eiuſdem redemptoris noſtri ſacratiſſimam paſſionem præuenire nitimur, ipſa adiuuante, palmam victoriæ tenentes, atque oleo miſericordiæ intrinſecus refulgentes, in eius ſancta reſurrectione præmium vitæ & immortalitatis coronam percipere mereamur. Per eundem Dominum.

Alia.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui in diluuij effuſione Noë famulo tuo per os columbæ geſtantis ramum oliuæ, pacem terræ redditam nuntiaſti, te ſupplices deprecamur, vt hanc creaturam oliuæ, ſpatulaſque palmarum, ſeu frondes arborum, quas ante conſpectum gloriæ tuæ offerimus, veritas tua ſanctificet, vt deuotus populus in manibus eas ſuſcipiens, benedictionis tuæ gratiam conſequi mereatur. Per.

Alia.

G OMnipotens ſempiterne Deus, flos mundi, odor ſuauitatis, & origo naſcentium, qui omnis legis & prophetarum oracula in filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti humilitate declaraſti, quique etiam ei venienti Hieroſolymam, deuotam cum ramis palmarum ac myſticis laudibus hodierna die obuiam feciſti turbam procedere, reſpice propitius ad debitam tui populi ſeruitutem, & huius creaturæ nouitatem tua virtute ſanctifica, vt ſicut tunc prioris populi gratus tibi fuit huius deuotionis affectus, ita nos quoque in veritate confeſſionis nominis eius, hæc eadem per reuoluta tempora frequentantes, purificatis ſenſibus dignum tibi deferamus obſequium: vt velut florum varietate piis vernantes ſtudiis, ſarcina carnis depoſita cum odore bonorum operum in cœleſti Hieruſalem eidem filio tuo Domino noſtro valeamus occurrere. Per eundem.

Benedictio foliis oliuæ.

PEtimus te Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, vt hanc creaturam oliuæ, quam ex ligni materia prodire iuſſiſti, quamque columba rediens ad arcam
H proprio obtulit ore, benedicere & ſanctificare digneris; vt quicunque ex ea receperint, accipiant ſibi protectionem animæ & corporis: fiatque, Domine noſtræ ſalutis remedium, tuæ gratiæ Sacramentum. Per.

Alia benedictio oliuæ.

AVge fidem in te ſperantium Deus, & ſupplicum preces clementer exaudi, veniat ſuper nos multiplex miſericordia tua, benedicantur & hi palmites oliuarum: & ſicut in figura Eccleſiæ multiplicaſti Noë egredientem de arca, & Moyſen exeuntem de Ægypto cum filiis Iſraël, ita nos portantes palmas & ramos oliuarum, bonis actibus occurramus Chriſto, & per ipſum in gaudium introëamus æternum. Qui tecum viuit.

A

Item benedictio oliuæ vel ramorum.

DEus qui per oliuæ ramum pacem terris columbam nuntiare iuſſiſti: præſta quæſumus, vt hos oliuæ cæterarumque arborum ramos cœleſti benedictione ſanctifices, vt cuncto populo tuo proficiant ad ſalutem. Per.

Item benedictio palmarum & oliuarum.

BEnedic, quæſumus Domine, hos palmarum ſeu oliuarum ramos, & præſta, vt quod populus tuus tua veneratione hodierna die corporaliter agit, hoc ſpiritualiter ſumma deuotione perficiat, de hoſte victoriam reportando, & opus miſericordiæ ſummopere diligendo. Per.

Item benedictio palmarum & ramorum.

DEus cuius filius pro ſalute generis humani de cœlo deſcendit ad terras, & appropinquante hora

B paſſionis ſuæ Hieroſolymam in aſino ſedens venire, & à turbis Rex appellari ac laudari voluit: benedicere dignare hos palmarum cæterarumque arborum ramos, vt omnes qui eos laturi ſunt, ita benedictionis tuæ dono repleantur, quatenus & in hoc ſæculo hoſtis antiqui tentamenta ſuperare, & in futuro cum palma victoriæ, & fructu bonorum operum tibi valeant apparere. Per eum qui venturus.

Benedictio ramorum ſiue oliuarum.

OMnipotens ſempiterne Deus redemptor, qui de cœlis ad terram deſcendere, & ad paſſionem voluntatis tuæ venire dignatus es, vt humanum genus tuo pretioſo ſanguine liberares, adeſto Eccleſiæ tuæ votis, & ſupplicationibus noſtris: Tu enim, Domine, manſuetus manſueti aſelli terga inſidens, ad paſſionem redemptionis noſtræ ſpontaneus adueniſti: cumque tibi

C ramis arboreis occurrentibus diſcipulorum turbis, certatim ſterneretur in via, & triumphatricibus palmis cum voce laudis occurrerent plurimorum cateruæ, reſultantes pariter & dicentes. Oſanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini, tibi in monte olíueti via conſtrata eſt. Tu quondam Noe in arca ſuper vndas diluuij gubernaſti, & columbæ miniſterio per oliuæ ramum pacem terris redditam nuntiari voluiſti. Sed & Iacob Patriarcha in miniſterium gloriæ tuæ erigens lapidem, ex huius arboris ramis oleum beoedictionis in cacumen tituli fudit, vnde vnxiſti Reges & Prophetas tuos. Tu enim es Chriſtus filius Dei, tibi competit fructus vnctionis & pacis, in cuius ineffabilem laudem Pſalmiſta cecinit, dicens: *Vnxit te Deus Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis.* Quapropter ſupplices te, Domine, deprecamur, vt benedicas hos ramos arborum, quos tui famuli in ſuis ſuſcipientes manibus, in occurſum tui properare, teque benedicere & glorificare deſiderant. Ecce Hieruſalem ſedens ſuper aſinam Rex manſuetus aduenisti: Adueni ergo, rogamus,

D & nobis & in medio noſtri conſiſte, vt te aduenire in noſtris cordibus ſentiamus. Et qui nos tunc reparaſti per crucem, iterum lapſos repara per eandem beatificam paſſionem. Oris noſtri confeſſionem, ac ieiunij humiliationem libens ſuſcipe, & fructum nos viriditatis habere concede, quatenus tuis imbribus irrigati, mereamur tibi ſuauium fructuum vbertate placere. Et ſicut illi tibi proceſſerunt obuiam cum arboreis frondibus egreſſi, ita nos, te redeunte in ſecundo aduentu, cum palmis victoriæ læti mereamur occurrere: Saluator mundi, qui cum patre in vnitate Spiritus ſancti viuis & regnas Deus: Per omnia ſæcula ſæculorum. Reſpon. *Amen. Dominus vobiſcum.* Reſpon. *Et cum ſpiritu tuo.* *Surſum corda.* Reſpon. *Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo noſtro.* Reſpon. *Dignum & iuſtum eſt.*

PRÆFATIO.

VEre dignum & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Te Domine, inter cætera mirabilium tuorum præcepta laudare & benedicere, qui Lamech ſemen iuſtum E dediſti Noe, cui reuelaſti per ſpiritum aquas diluuij futuras cognoſcere. Cuius arcam ad noſtram ſalutem teſtatur mater Eccleſia, de qua emiſſa columba volans, ſpiritalis oliuæ fructuoſum ſurculum retulit, quam ad ſe reuertentem Noe gaudens ſuſcepit: De cuius rami vnctione Iacob electus titulum erexit, Domino votum vouit, & oleum deſuper fudit. Hæc eſt indicio rami illius manantis de cœlis gratiæ, ſeu & populi vaſa replentis: hæc eſt gratia, quæ & viduam benedixit in oleo. Hæc eſt indicio rami illius plantati ſecus decurſus aquarum, cuius folium non defluit, per quod quotidie per lauacrum baptiſmatis Eccleſia procreatur, & noſtra delentur peccata: tua, Domine, plantatio bona valde, & tu es vita & reſurrectio mortuorum, qui quatriduanum Lazarum reſuſcitaſti à mortuis: Propterea & turba cum ramis palmarum obuians tibi clamabat, *Oſanna, benedictus qui venit in nomine Domini Iſrael.* Quapropter quæſumus Domine clementiam tuam, vt nos F famulos tuos, qui huius rei gratiam & fidem veritatis percepimus, eruas de ore inferni, & adiutorium gratiæ tuæ nobis tribuere digneris, vt iuſte & pie, ſancteque viuentes, cum electis & ſanctis tuis facias habere conſortium. Per.

Sequitur oratio in communem benedictionem omnium.

DEus qui filium tuum Ieſum-Chriſtum Dominum noſtrum pro ſalute noſtra in hunc mundum miſiſti, vt ſe humiliaret ad nos & nos reuocaret ad te, cui etiam dum Hieruſalem veniret, vt adimpleret ſcripturas, credentium populorum turba fideliſſima deuotione veſtimenta ſua cum ramis palmarum in via ſternebant, præſta quæſumus, vt illi fidei viam præparemus, de qua remoto lapide offenſionis & petra ſcandali, frondeaot apud te opera noſtra iuſtitiæ ramis, vt eius veſtigia ſequi mereamur. Qui tecum viuit. G

Hac oratione expleta, ſpargitur aqua benedicta ſuper ramos oliuarum, & aliarum arborum. Poſt adſperſam aquam & thurificationem factam, dicitur hæc oratio:

DEus; qui filium tuum vnigenitum pro redemptione noſtra dignatus es dirigere, vt populum tuum ab initio in peccati profunda demerſum, à morte ad vitam reuocares, & chirographo lethi deleto, ſanguine filij tui innouares gentibus regnum. Deus, qui diſperſa congregas, & congregata conſeruas, qui populis obuiam Ieſu ramos palmarum portantibus benedixiſti, benedic etiam & hos ramos palmæ & oliuæ, cæterarumque arborum, quos tui famuli ad nominis tui benedictionem fideliter ſuſcipiunt, vt in quemcunque locum introducti fuerint, tuam benedictionem habitatores loci illius omnes conſequantur, ita vt omni aduerſa valetudine effugata, dextera tua protegat quos redemit. Per.

Alia.

OMnipotens genitor, qui vnigenitum tuum ab Hierico monteque Olíueti ad Hieruſalem direxiſti, cui H turba mirabiliter occurrit, alij veſtimenta ſua ſternentes, alij ramos de arboribus cædentes oliuarum, alij palmas in manibus ſuis deferentes: te obnixis precibus humiliter deprecamur, vt hæc germina arborum ita ſanctificare digneris, vt hæc loca, vbi deportata fuerint, ſanctificata efficiantur, quatenus iniquitas ſeu illuſio dæmonum abſcedat, & tua nos ſemper dextera protegere dignetur. Per eundem. Finita hac oratione dat Sacerdos palmas ad populum, cantando hanc Antiphonam:

Ante ſex dies ſolemnitatis Paſchæ, quando venit Dominus in ciuitatem Hieruſalem, occurrerunt ei pueri, & in manibus portabant ramos palmarum, & clamabant voce magna, dicentes: *Oſanna in excelſis, benedictus qui veniſti in multitudine miſericordiæ, Oſanna in excelſis.*

Sequitur hæc oratio:

OMnipotens ſempiterne Deus, qui Dominum noſtrum Ieſum-Chriſtum die azymorum ſuper pullum

A aſinæ ſedere feciſti, & turbas populorum veſtimenta vel ramos arborum in via ſternere, & Oſanna decantare in laudem ipſius docuiſti, da quæſumus, vt illorum innocentiam imitari poſſimus, & eorum meritum conſequi mereamur. Per eumdem.

Deinde expanſis palmis vadunt ad Eccleſiam, vbi Miſſam debent celebrare, cantantes per viam antiphonas proceſſionales.

Cum appropinquaret Dominus Hieroſolymam miſit duos de diſcipulis ſuis dicens: Ite in caſtellum quod contra vos eſt, & inuenietis pullum aſinæ alligatum, ſuper quem nullus hominum ſedit; ſoluite & adducite mihi: ſi quis vos interrogauerit, dicite, opus Domino eſt: ſoluentes adduxerunt ad Dominum, & impoſuerunt ſibi veſtimenta, & ſedit ſuper eum, alij expandebant veſtimenta ſua in via, alij ramos de arboribus ſternebant, & qui ſequebantur, clamabant: Oſanna, benedictus qui venit in nomine Domini, benedictum regnum Patris noſtri Dauid, Oſanna in excelſis, miſerere nobis fili Dauid.

B *Cum audiſſet populus quia* IESVS *venit Hieroſolymam acceperunt ramos palmarum, & exierunt ei obuiam, & clamabant pueri, dicentes. Hic eſt, qui venturus eſt in ſalutem populi: hic eſt ſalus noſtra & redemptio Iſraël, quantus eſt iſte, cui throni & dominationes occurrunt? noli timere filia Sion, ecce rex tuus venit tibi ſedens ſuper pullum aſinæ, ſicut ſcriptum eſt: Salue rex fabricator mundi, qui venisti redimere nos.*

Item: Imponit cantor Antiphonam, Turba multa. Cum Pſalmo, *Cantate*, 1. Inſuper cæteras Antiphonas huic feſtiuitati congruas. Vt autem peruenerint cum Pſalmis, vbi ſtatio eſt ſanctæ Crucis, clerus populuſque reuerenter ſtent per turmas in ordine ſuo cum baiulis, & reliquo ornatu, & infantes paraphoniſtæ in loco competenti ſubſiſtentes, imponat antiphonam.

Fulgentibus palmis proſternitur aduenienti Domino, huic omnes occurramus cum hymnis & canticis glorificantes & laudantes, benedictus Dominus.

Reſpondet ſchola ex parte populi: Occurrunt turbæ
C cum floribus & palmis redemptori Domino, & victori triumphanti digna dant obſequia, filium Dei olim gentes prædicant, & in laude Chriſti voces tonant per nubila *Oſanna*.

Tunc ſcholaſtici è regione crucis, lento gradu veniant ante eam, & cum omni reuerentia caſulas vel cappas in terram iactantes, proni adorent Crucifixum, clero interim cantante antiphonam: *Pueri Hebræorum veſtimenta proſternebant in via, & clamabant dicentes, Oſanna filio Dauid benedictus qui venis in nomine Domini.*

His recedentibus, continuo veniant ex latere pueri laïci *Kyrie eleiſon* cantantes, & ſequendo vexillum quod ante eos portatur veniant ante crucem & annuente æditno, iactent ramos palmarum in terram, proni adorando Crucifixum, & clerus interim cantat antiphonam: *pueri Hebræorum, tollentes ramos oliuarum, obuiauerunt Domino clamantes & dicentes, Oſanna in excelſis.*

His recedentibus, ex ſchola infantes paraphoniſtæ iuxta crucem hunc hymnum canten:

D *Gloria, laus & honor tibi ſit, rex Chriſte redemptor,*
Cui puerile Decus prompſit Oſanna pium.

Clero proſequente eoſdem verſus. Eo ordine ſequuntur alij verſus.

Iſraël es tu rex, Dauidis & inclyta proles.
Nomine qui in Domini rex benedicte venis.

Reſpondet ſchola, *Gloria, laus.* Et inter omnes huius hymni verſus, adſpiciens ad ſanctum Euangelium, ſeu inclinans capita ad ſanctam Crucem.

Cœtus in excelſis te laudat cœlicus omnis,
Gloria, laus. *Et mortalis homo, & cuncta creata ſimul.*
Plebs Hebræa tibi cum palmis obuia venit:
Gloria, laus. *Cum prece, voto, hymnis adſumus ecce tibi.*
Hi tibi paſſuro ſoluebant munia laudis:
Gloria, laus. *Nos tibi regnanti pangimus ecce melos.*
Hi placuere tibi: placeat deuotio noſtra,
Gloria, laus. *Rex pie, rex clemens cui bona cuncta placent.*

His finitis, incipit ſchola cum baiulis antiphonam: *Omnes collaudent nomen tuum, & dicant; Benedictus qui venit in nomine Domini.* Pſalm. *Lauda Hieruſalem.* Adiungentes, *Gloria patri.* Et tunc proſternit omnis populus hinc inde flores ſeu frondes, clero cantante Antiphonam: Cum Angelis & pueris fideles inueniantur triumphatori mortis clamantes, *Oſanna in excelſis.* E

His ita peractis, veniat Epiſcopus vel ſacerdos ante crucem, & proſtratus in terram cum omni populo, adoret Crucifixum, clero interim cantante antiph. Scriptum eſt enim: *Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues gregis. poſtquam autem reſurrexero, præcedam vos in Galilæam: ibi me videbitis, dicit Dominus.* Tunc ſurgens Epiſcopus ſiue ſacerdos, hanc dicit orationem.

Oremus.

DEus qui miro diſpenſationis ordine ex rebus etiam inſenſibilibus diſpenſationem noſtræ ſalutis oſtendere voluiſti; da quæſumus, vt deuota tuorum corda fidelium ſalubriter intelligant, quid myſticè deſignet in facto, quæ hodie cœleſti lumine afflata, redemptori obuiam procedens palmarum atque oliuarum ramos veſtigiis eius turba ſubſtrauit, Palmarum igitur rami de mortis principe triumphos expectant: ſurculi vero oliuarum, ſpiritalem vnctionem aduenisse quodammodo clamant. Intellexit enim iam tunc illa hominum beata multitudo præfigurari, quia redemptor noſter rebus humanis condolens, pro totius mundi vita cum mortis principe, citius eſſet pugnaturus, ac moriendo triumphaturus. Et ideo talia obſequens adminiſtrauit; quæ in illo triumphos victoriæ, & miſericordiæ pinguedinem declararent. Quod nos quoque plena fide, & factum & ſignificatum retinentes, te Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſupliciter exoramus, vt in ipſo atque per ipſum, cuius nos membra fieri voluiſti, de mortis imperio victoriam reportantes, ipſius glorioſæ reſurrectionis participes eſſe mereamur. Qui tecum. Data oratione, crucem & vexilla ſequendo, honorifice progrediantur ad ciuitatem ſiue Eccleſiam, clero per viam cantante antiphonas vel reſponſoria de præſenti feſtiuitate, ſiue verſus iſtos in laudem Saluatoris compoſitos, F G

Magnum ſalutis gaudium,
Lætetur omne ſæculum:
Ieſus redemptor gentium
Sanauit orbem languidum.
Reſpondente ſchola: *Magnum ſalut.*
Sex ante Paſcha ferias
Aduenit in Bethaniam,
Vbi pie poſt triduum
Reſuſcitauit Lazarum. *Ieſus redempt.*
Nardo Maria piſtico
Vnxit beatos Domini
Pedes, rigando lacrymis,
Et detergendo crinibus. *Magnum ſalut.* H
Poſt hæc iugalis aſinæ
Ieſus ſupernus arbiter,
Pullo ſedebat, inclytam
Pergendo Ieroſolymam. *Ieſus redempt.*
O quam ſtupenda pietas,
Mira Dei clementia,
Seſſor aſelli fieri
Dignatur auctor ſæculi *Magnum ſalut.*
Olim propheta præſcius,
Prædixit almo ſpiritu,
Exulta, dicens, filia
Sion ſatis & iubila. *Ieſus redempt.*
Rex ecce tuus humilis,
Noli timere, veniet,
Pullo iugalis reſidens,
Tibi benignus, patiens: *Magnum ſalut.*
Ramos virentes ſumpſerat
Palma reciſas tenera.
Turba procedens obuiam

A *Regi perenni plurima.* *Ieſus redempt.*
Cœtus ſequens & prauius,
Sancto repletus ſpiritu,
Clamabat in altiſſimis
Oſanna Dauid filio. *Magnum ſalut.*
Quidam ſolutis propriis
Viam tegebant veſtibus,
Pluresque flore candido
Iter parabant Domino. *Ieſus redemptor.*
Ad cuius omnis ciuitas
Commota ingreſſum, tremuit;
Hebræa proles aurea,
Laudes ferebant debitas. *Magnum ſalut.*
Nos ergo tanto iudici
Curramus omnes obuiam,
Palmas gerendo gloriæ,
Mente canentes ſobria. *Ieſus redemptor.*
Honor, decus, imperium
Sit Trinitati vnica,
B *Patri, nato, paraclito*
Per infinita ſæcula. *Magnum ſalutis gaud.*

His finitis, cum intrauerint portas ciuitatis, omni populo cantante *Kyrie eleiſon*, Primus ſcholæ imponit reſponſorium, *Ingredienti Domino*, Proſequente omni clero pariter & verſum: *Cumque audiſſent*. Cum gloria. Quod ſi tanta reſtat via, dicantur antiphonæ matutinales eiuſdem diei, vſque ad Eccleſiam regiam. Ingredientibus vero Eccleſiam, imponat cantor antiphonam in Euangelio: *Cœperunt omnes turba deſcendentium, gaudentes laudare Deum voce magna ſuper omnibus, quas viderant, virtutibus, dicentes: Benedictus qui venit rex in nomine Domini, pax de cælis, & gloria in excelſis.* Cum Pſalmo, *Benedictus Dominus Deus Iſraël*: vſque in finem. Cum *Gloria*. Sacerdote proſequente hanc orationem.

Oremus.

C ADiuua nos Deus ſalutaris noſter, & ad beneficia recolenda, quibus nos inſtaurare dignatus es, tribue venire gaudentes. Per.

Deinde agatur Miſſa ordine ſuo. Miniſtri vero & clerus ac populus teneant palmas in manibus ſuis, vſque ad expletionem Miſſæ intermittunt aliqui ſalutationem in paſſione, id eſt, *Dominus vobiſcum*; quod non legitur in ordinibus, ſed in paraſceue tantum, vbi reticetur officium ſacerdotale. Ideo autem hæc hebdomada maior dicitur, quoniam in ea maxima adhibenda eſt parſimonia, ſiue quod maius officium celebretur in ea.

Ordo alius in die Palmarum, vt in quibuſdam codicibus inuenimus.

SEcunda hora diei mediante, ſacerdos & omnis clerus conueniant in Eccleſiam Miſſalibus veſtimentis induti, & expoſitis in medio palmarum vel oliuæ ſeu aliarum arborum ramis, primum benedicat ſacerdos ſalem, &
D aquam, ac commiſceat, poſtea media voce dicat hanc orationem.

Deus quem diligere & amare, &c. Tunc ſubdiaconus legit epiſtolam quaſi ad Miſſam: *In diebus illis. Venerũt filij Iſraël.* Tunc canunt Antiphon. *Collegerunt*. Hac finita, legat diaconus Euangelium quaſi ad Miſſam. *In illo tempore, Cum appropinquaſſet Ieſus Hieroſolymis.* Finito Euangelio, faciat ſi velit, Epiſcopus ſermonem ad populum. Quo peracto benedicantur rami, dicatque ſacerdos, *Dominus vobiſcum. Deus cuius filius pro ſalute generis humani.*

ALIA. Deus qui per oliuæ ramum. Omnipotens ſempiterne Deus, qui per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum die azymorum.

Omnipotens ſempiterne Deus, flos mundi, odor ſuauitatis, vt ſupra.

Sequitur Exorciſmus frondium.

Exorcizo te creatura florum vel frondium.

E

Item Oratio.

Deus qui filium vnigenitum tuum.

Præfatio vſque æterne Deus, Mundi conditor. Tunc rami adſpergantur aqua benedicta cum Antiphon. Adſperges me. Finita antiphona, dicatur oratio: Deus qui filium tuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum pro ſalute noſtra. Dicta oratione, expendantur rami publicè, & cantor dicat antiphonam, *Turba multa*: cum Pſalmo, *Cantate Domino*. 1. Deinde dicatur oratio hæc antequam de Eccleſia exeant: Auge fidem in te ſperantium Deus. Tunc exeundo has dicant antiphon. *Cœperunt omnes turba. Ante ſex dies. Cum appropinquaret Dominus. Cum audiſſet*; & cæteras antiphonas huic feſtiuitati congruas. Vt autem venerint cum palmis vbi ſtatio eſt S. Crucis, clerus, populuſque reuerenter ſtent ordine ſuo. Tunc ſcholaſtici lento gradu ambulent è regione crucis. Vt venerint ante eam, cum omni reuerentia caſulas vel cappas in terram iactantes proni adorent Crucifixum, clero
F interim cantante Antiph. *Pueri Hebræorum*. His recedentibus, continuo veniant ex alio latere pueri laici. *Kyrie eleiſon* cantantes, & ſequendo vexillum, quod ante eos portatur, veniant ante crucem, & annuente * æditiuo iactent ramos palmarum in terram, proni adorando Crucifixum, & clerus interim canat Antiphon. *Pueri Hebræorum tollentes*. His recedentibus, ſchola iuxta crucem hunc hymnum canter; *Gloria, laus & honor*. Clerus quoque inter omnes huius hymni verſus inclinato capite canat *, *Gloria, laus & honor*. His ita peractis, veniat Epiſcopus ante crucem: & proſtratus in terra, adoret Crucifixum, clero interim cantante antiphonam, *Scriptum eſt enim, Percutiam*, Tunc ſurgens Epiſcopus, dicat hanc orationem: Deus qui miro diſpoſitionis. Data oratione, crucem & * vexilla ſequendo, teneant palmas in manibus vſque ad expletionem Miſſæ.

*ædili.

*humiliter.

*vexillum.

Ordo de feria quarta hebdomada maioris. G

FEria quarta hebdomadæ maioris, quæ eſt pridie cœnæ Domini, hora tertia conueniunt omnes presbyteri tam de ciuitate, quam de ſuburbanis & omnis clerus cum populo in Eccleſia ſtatuta infra vrbem, expectantes pontificem, qui ſemper per ſe in Eccleſia maiore orationes ſolemnes ipſa die, ſicut in ſacramentorum libro continetur, complet hoc ordine: Qui dum veniens de ſacrario proceſſerit cum ordine ſuo ante altare ad orandum ſuper oratorium, mox vt ſurrexerit, dicit *Oremus*. Et diaconus: *Flectamus genua: Leuate*. Dat orationem: *Deus à quo & Iudas*. Poſt *Amen*, ſequitur: Et dicit orationes ſolemnes.

Oremus, dilectiſſimi nobis, in primis pro Eccleſia Dei. Et cæteras per ordinem. Tantummodo pro ſe intermittit. Poſtea vero dicit orationem pro rege Francorum ſiue Imperatore. Ad vltimum pro Iudæis non flectuntur genua. Quibus expletis, oſculatur altare, & egreditur. Preſbyteri vero Eccleſiarum ſiue de vrbe, ſiue de ſuburbanis, H
vadunt per Eccleſias ſuas, vt hoc ordine feria ſexta, hora tertia cuncta faciant, hoc ſcientes, vt vbi pontifex de ſe intermiſit, ipſi illum commemorent. Poſtea vero hora octaua ingrediuntur ad miſſam hoc ordine: Dicit ſchola antiphon. ad Introitum: *In nomine Domini omne genu flectatur*. Et pontifex ſiue presbyter dat orationem hanc.

Præſta quæſumus omnipotens Deus, vt qui noſtris exceſſibus inceſſanter affligimur, per vnigeniti tui paſſionem liberemur. Qui tecum.

Deinde legitur lectio Iſaiæ Prophetæ: *Hæc dicit Dominus Deus: Dicite filia Sion.* Sequitur Grad. *Ne auertas faciem tuam.* Cum vno verſu. Poſtea dicit aliam orationem; *Deus qui pro nobis filium tuum.* Legitur alia lectio de eodem proph. *In diebus illis dixit Iſaias: Domine, quis credidit?* Poſtquam legitur, cantatur Grad. *Domine exaudi*, cum verſibus quinque. Euangelium vero pronuntiat diaconus ſine ſalutatione: ita, *Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti ſecundum Lucam*: qua expleta, completur Miſſa ordine ſuo. Secreta. *Purifica nos miſericors Deus.* Poſt com-

A *Largire ſenſibus noſtris. Super populum. Reſpice, quæſumus
Domine, ſuper hanc familiam tuam.*

*Ordo de Officiis diuinis à cœna Domini vſque in
octauas Pentecoſten.*

FEria quinta maioris hebdomadæ, eadem nocte ſur-
gunt ad vigilias hora noctis octaua, & tangitur cam-
panæ ſignum ſicut aliis diebus, & poſt hæc non tangitur
ad Matutinum, niſi in nocte ſancti Paſchæ: & tunc Ec-
cleſia omni lumine decoretur. Venientibus autem omni-
bus in Eccleſiam, infra chorum more ſolito non dicatur,
Domine labia mea aperies, nec *Deus in adiutorium meum
intende*, nec *Venite*, ſed cantor incipiat in Pſalmis antiph.
Zelus domus tuæ comedit me. Et reliquas, ſicut in antipho-
nario continetur. In fine pſalmorum non dicatur *Gloria*,
nec in reſponſoriis, nec in vllo loco: nec finis ſubtraha-
tur: Poſt tres pſalmos dicatur verſus pleniter, non ſub-
B trahendo finem. Sed & in fine nocturni lector benedictio-
nem non petit, nec pontifex aut presbyter more ſolito
benedictionem complet, & quando finit lector, non dicit:
Tu autem Domine, ſed ex verbis lectionis iubetur facere
finem, aut certè exterminationem. Lectiones vero legun-
tur tres de lamentationibus Hieremiæ Prophetæ, ab eo
loco vbi dicit. *Quomodo ſedet ſola ciuitas*, cum pronuntia-
tione *Aleph*. Vſque, *Cogitauit Dominus diſſipare murum
filiæ Sion*, Tres de tractatu S. Auguſtini in Pſalmum ſexa-
geſimumtertium, id eſt, *Exaudi Deus orationem meam
cum deprecor*. Et tres de Apoſtolo. Prima, vbi ait ad Co-
rinth. cap. 11. *Ego accepi à Domino, quod & tradidi vo-
bis*. Secunda lectio ſic incipit: *Similiter & calicem, poſt-
quam cœnauit*. Tertia: *De ſpiritalibus autem nolumus vos
ignorare*. Nouem itaque Pſalmi, nouem lectiones, nouem
reſponſoria per omnia complenda ſunt: Accenduntur in
quibuſdam locis in hac nocte vigintiquatuor lumina, &
extinguntur per ſingulas lectiones & reſponſoria. Quæ ſi-
C mul per tres noctes fiunt ſeptuaginta duo. Lumen autem
Eccleſiæ apud Romanos ab initio cantus nocturni in-
choatur extingui. Hoc tamen ordine, vt ab introitu ipſius
Eccleſiæ incipiat paulatim tutari. Vt verbi gratia, peracto
primo nocturno, videatur eorum tertia pars eſſe extincta
medio nocturno, iterum, tertia. Tertio vero expleto, ex-
ceptis ſeptem lampadibus, nihil luminis relinquatur: Se-
quuntur matutini, in quibus ſimiliter non dicatur: *Deus
in adiutorium meum intende*, nec *Gloria Patri*, ſed antiph.
tantum ſuper matutinas laudes. Et in matutinis ſeptem
lampades hoc ordine extinguantur: Initio Pſalmi primi
ſit cuſtos ſemper paratus in loco dextræ partis Eccleſiæ
propè lampades: At vbi audierit primam antiphonam,
tenens cannam in manu ſua, tutat lampadem vnam. In
fine vero Pſalmi ipſius, tutat aliam ſiniſtræ partis. Sic vna
ex parte vna, alia ex alia tutentur vſque ad Euangelium.
In Euangelio vero ante *Benedictus* non dicatur lectio: ſed
tantum verſus, & ſtatim tutatur mediana lampas vel
D ſubtrahitur & ſeruatur, vt ita veniat, vt *Benedictus Do-
minus Deus Iſraël*, abſque lumine pſallatur. *Benedictus* fi-
nito cum antiphon. non dicatur *Kyrie eleiſon*, nec: *Et ne
nos inducas in tentationem*, neque preces, neque oratio
alta voce more ſolito, ſed ſecum tacite factoque ſigno à
Priore, omnes pariter ſurgant, ſicque finiantur vigiliæ no-
cturnæ atque matutini. Matutino autem completo, va-
dunt per oratoria pſalmos canendo cum antiphonis ſine
Gloria.

Eodem die altaria templi, & parietes, ſiue pauimenta
Eccleſiæ lauentur, & vaſa Domino ſacrata purificentur.
Ad primam autem non dicitur, *Deus in adiutorium meum
intende*: ſed tantum pſalmi ſine *Gloria*, & ſine *Kyrie elei-
ſon*, ac ſine precibus: ſed tamen in choro communiter
ſtent prout ſupra, & ita finiatur. Similiter eodem die Ter-
tia, Sexta, & Nona. Eadem vero die cœnæ Domini hora
nona, quando dies longiores ſunt, ſeu hora quinta, quan-
do breuiores, faciunt excuti ignem de lapide in loco fo-
ris baſilicam. Si ibidem oratorium habuerint in porta,
ibi excutiunt: Sin vero, in loco quo conſiderauerit Prior,
ita vt ex eo poſſit candela accendi. Et benedicitur ignis.

Benedictio ignis.

DEus qui per filium tuum, angularem ſcilicet lapi- E
dem, charitatis ignem tuis fidelibus contuliſti, pro-
ductum è ſilice noſtris profuturum vſibus nouum hunc
ignem ſanctifica, & concede nobis ita per hæc feſta Paſ-
chalia cœleſtibus deſideriis inflammari, vt ad perpetuæ
claritatis puris mentibus valeamus feſta pertingere.

Alia.

DOmine Deus, Pater omnipotens, lumen indeficiens;
qui es conditor omnium luminum, benedic hoc lu-
men; quod à te ſanctificatum atque benedictum eſt, qui
illuminaſti omnem mundum, vt ab eo lumine accenda-
mur, & in eo illuminemur igne charitatis tuæ: & ſicut
tuo igne illuminaſti Moyſen, ita illumines corda & ſen-
ſus noſtros, vt ad vitam & lucem æternam peruenire me-
reamur. Per.

Alia. F

DOmine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, be-
nedicentibus nobis hunc ignem in nomine tuo, &
vnigeniti Filij tui, Dei, ac Domini noſtri Ieſu Chriſti, &
Spiritus ſancti, cooperari dignare, & adiuua nos contra
ignita tela inimici, & illuſtra gratia cœleſti. Qui viuis &
regnas cum eodem vnigenito tuo & Spiritu ſancto.

Oratio poſtquam incenditur.

VEniat, quæſumus, omnipotens Deus, ſuper hoc in-
cenſum larga tuæ benedictionis infuſio, & hunc no-
cturnum ſplendorem inuiſibilis regnator attende, vt non
ſolum ſacrificium, quod hac nocte litatum eſt, arcana lu-
minis tui admixtione refulgeat: ſed in quocunque loco
ex huius aliquid ſanctificationis myſterio fuerit deporta-
tum, expulſa diabolicæ fraudis nequitia, virtus tuæ ma-
ieſtatis adſiſtat. Per.

ORDO. G

DE quo igne illuminata candela, in arundine debet
poni, & à manſionario Eccleſiæ præſente populo
portari, & de ipſo igne continuo in eadem Eccleſia, vel
in loco, vbi accenditur, lampas vna ſeruetur, vſque in
ſabbatum ſanctum ad illuminandum cereum, qui eodem
die benedicendus eſt, ordine, quo in Sacramentario con-
tinetur.

Hoc expleto, accipit manſionarius prior iam fatam
candelam in manu ſua illuminatam, vt prædiximus in
canna, proſequente eum populo cum ſupplici ſilentio: ita
vt ſummitas candelæ, quæ illuminatur, altare verſus in-
clinata, reſpiciat illam Eccleſiam, quam ſunt ingreſſuri:
Quæ tamen prius abſque lumine erit, præparatis ante al-
tare ſeptem lampadibus ita compoſitis, vt abſque vllo
impedimento cuiuſcunque retardationis, manu manſio-
narij, cum eadem candela poſſint accendi, ac deinceps
præparatis cuſtodibus omni lumine decoretur, & ita in-
grediantur ad Miſſas, ſicut in Sacramentario continetur H
vel Antiphonario. Miſſa expleta, communicent ordine
conſtituto, & ſeruent de ſancta vſque in craſtinum. Sed
& ipſa Eccleſia vſque ad vigilias illuminata permaneat, &
ſicut in iſto die taxauimus, ſic & ſexta feria faciendum
eſt: ſimiliter & ſabbato ſancto, ea tantum ratione mu-
tata, vt ad horam nonam excuſſo igne, vt diximus, à man-
ſionario quinta feria portetur: ſexta feria, ab archidiaco-
no: ſabbato vero ſancto, ab Epiſcopo iuniore portetur.
Sin autem hic ordo in monaſterio agitur, quinta feria
ipſe ignis à cuſtode Eccleſiæ, ſexta feria à præpoſito, ſab-
bato vero ſancto ab abbate portetur. Ipſa feria quinta ma-
ioris hebdomadæ, id eſt, in cœna Domini, mane pri-
manſionarij ordinent omnia, quæ ſunt neceſſaria ad con-
ſecrationem chriſmatis, ampullas tres de oleo mundiſſi-
mo plenas, ponentes in ſacrario: vnam ad oleum pro in-
firmis, alteram ad chriſma, tertiam vero ad oleum ad
catechumenos vngendos: maximam illam, quæ ad

A chriſma debet fieri, de albo ſerico, alias autem de alio ſerico coopertas,& pontifex præuideat de balſamo.

Mediante autem hora prima diei Epiſcopus concilium ſolemnibus veſtimentis indutus, cum presbyteris cæteriſque ad hoc diſpoſitis, celebret ſecundum canonum inſtituta.

Peracto autem concilio, hora tertia ſonetur ſignum,vt omnes veniant in Eccleſiam, in qua chriſma debet conſecrari. Tunc egreditur pœnitens de loco, vbi pœnitentiam geſſit, vt gremio præſentetur Eccleſiæ. Sedente autem pontifice pro foribus Eccleſiæ, pœnitentibus in atrio Eccleſiæ eminus cum archidiacono iuſſum illius præſtolantibus, antequam eos offerat,poſtulat archidiaconus his verbis.

Adeſt, ô venerabilis pontifex, tempus acceptum, dies propitiationis diuinæ & ſalutis humanæ, quia mors interitum, & vita accepit æterna principium, quando in vinea Domini ſabaoth ſic nouorum palmitum plantatio facienda eſt,vt purgetur execratio vetuſtatis.Quamuis enim B diuitiis bonitatis & pietatis Dei nihil temporis vacet, nunc tamen & largior eſt per indulgentiam remiſſio peccatorum: & copioſior per gratiam aſſumptio renaſcentium. Augemur regenerandis, creſcimus reuerſis. Lauant aquæ, lauant lacrymæ. Inde eſt gaudium de aſſumptione vocatorum,hinc lætitia de abſolutione pœnitentium.Inde eſt quod ſupplex grex tuus, poſteaquam in varias formas criminum, neglectu mandatorum cœleſtium, & morum probabilium tranſgreſſione cecidit,humiliatus atque proſtratus prophetica ad Dominum voce clamat dicens: *Peccaui, impie egi, iniquitatem feci, miſerere mei Domine,* Euangelicam vocem non fruſtratoria aure capiens, *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Manducauit, ſicut ſcriptum eſt, panem doloris, lachrymis ſtratum rigauit, cor ſuum luctu, corpus afflixit ieiunius, vt animæ ſuæ reciperet, quam perdiderat ſanitatem.* Vnicum itaque eſt pœnitentiæ ſuffragium, quod & ſingulis prodeſt,& omnibus in commune ſuccurrit.

C Hic ergo dum ad pœnitudinis actionem tantis excitatur exemplis,ſub conſpectu ingemiſcentis Eccleſiæ,venerabilis pontifex proteſtatur & dicit: *Iniquitates meas ego cognoſco, & delictum meum contra me eſt ſemper. Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui,& ſpiritu principali confirma me.*

Quo ita ſupplicante, & miſericordiam Dei afflicto corde poſcente, iterum archidiaconus ſubiungat, ſic dicens: Redintegra in eo Apoſtolice Pontifex, quicquid diabolo ſuadente corruptum eſt, & orationum tuarum patrocinantibus meritis, per diuinæ reconciliationis gratiam fac hominem proximum Deo, vt qui antea in ſuis ſibi peruerſitatibus diſplicebat, nunc iam placere ſe Domino in regione viuorum, deuicto mortis auctore, gratuletur.

Tunc dicit pontifex antiphon. *Venite.* Et diaconus ex parte pœnitentium, *Flectamus genua.* Tunc omnes adſtantes genua flectunt pœnitentes. Quo facto, dicat diaconus ex parte pontificis, *Leuate.* Similiter agatur ſecun-D do, repetente Epiſcopo. *Venite, Venite.* Subſequente diacono, *Flectamus genua:* vt antea. Et ſic ad medium vſque atrij pauimentum ſolotenus veniant. Quando autem tertio Dominus Epiſcopus annunciauerit antiph. *Venite, Venite, Venite:* Proſequatur diaconus *Flectamus genua.* Mox cum diacono pœnitentes corruant ad pedes Epiſcopi, ſicque proſtrati iaceant vſque dum Dominus Epiſcopus ſurgens, innuat alteri diacono, *Leuate:* proſequente clero antiph. *Venite filij, audite me timorem Domini docebo vos.* Cum pſalmo, *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo.* Et ad finem vſque ducente. Quamdiu vero pſalmus canitur à clero cum antiphona. *Venite,* filij ſemper manuatim pœnitentes à plebe ſanis archidiacono, & ab archidiacono reddantur Epiſcopo, & ab Epiſcopo reſtituantur Eccleſiæ gremio, proſtrato omni corpore in terram. Deinde imponat Epiſcopus antiph. *Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.* Cum pſalmo, *Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam.* E Quo finito, proſternat ſe Epiſcopus vna cum pœnitentibus in oratorio,clero interim faciente litaniam. Qua expleta, poſtquam dicatur, *Kyrie eleiſon;* erectus à terra dicat: *Pater noſter.* Et preces: *Saluos fac ſeruos tuos domine.* Reſp. *Deus meus ſperantes in te. Conuertere domine vſquequo.* Reſp. *Et deprecabilis eſto ſuper ſeruos tuos. Mitte eis domine auxilium de ſancto.* Reſp. *Et de Sion tuere eos. Illuſtra faciem tuam ſuper ſeruos tuos.* Reſp. *Saluos fac eos domine, ne confundantur, quoniam inuocauerunt te. Domine, vide humilitatem meam & laborem meum.* Reſp. *Et dimitte vniuerſa delicta mea. Exaudi me domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua.* Reſp. *Secundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice in me. Ne memineris domine iniquitatum noſtrarum antiquarum.* Reſp. *Cito anticipent nos miſericordia tua quia pauperes facti ſumus nimis. Adiuua nos Deus ſalutaris noſter.* Reſp. *Et propter gloriam nominis tui domine li-* F *bera nos, & propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum. Domine exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiſcum.* Reſpond. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

ADeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & me qui etiam miſericordia tua primus indigeo, clementer exaudi, & quem non electione meriti, ſed dono gratiæ tuæ conſtituiſti huius operis miniſtrum, da fiduciam tui muneris exequendi,& ipſe in noſtro miniſterio,quod tuæ pietatis eſt,operare.Per.

Alia.

Exaudi Domine preces noſtras, & confitentium tibi parce peccatis, vt quos conſcientiæ reatus accuſat,indulgentia tuæ miſerationis abſoluat.Per.

Alia.

G Præueniat hos famulos tuos,quæſumus Domine,miſericordia tua,& omnes iniquitates eorum celeri indulgentia deleantur. Per.

Alia.

Deus infinitæ miſericordiæ veritatiſque immenſæ, propitiare iniquitatibus noſtris, & omnibus animarum noſtrarum medere languoribus, vt miſerationum tuarum remiſſione percepta,in tua ſemper benedictione lætemur. Per.

Alia.

Deus, ſub cuius oculis omne cor trepidat, omneſque conſcientiæ paueſcunt, propitiare omnium gemitibus & cunctorum medere vulneribus, vt ſicut nemo noſtrum eſt liber à culpa,ita nemo ſit alienus à venia.Per Dominum.

Alia.

Præſta, quæſumus, Domine his famulis tuis dignum pœnitentiæ fructum, vt Eccleſiæ tuæ ſanctæ, à cuius in- H tegritate deuiarant peccando,admiſſorum veniam conſequendo reddantur innoxij. Per.

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, confitentibus tibi his famulis tuis pro tua pietate peccata relaxa, vt non plus eis noceat conſcientiæ reatus ad pœnam, quam indulgentia tuæ pietatis proſit ad veniam. Per Dominum noſtrum.

Alia.

Omnipotens & miſericors Deus, qui peccatorum indulgentiam in confeſſione * celeri poſuiſti,ſuccurre lapſis, miſerere confeſſis,vt quos delictorum catena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis abſoluat. Per.

* *ſceleris*

Alia.

Domine ſancte,Pater omnipotens, æterne Deus,reſpice propitius ſuper hos famulos tuos,qui, ab infeſta huius

ſæculi

A ſæculi tempeſtate diſperſi, flebili lamentatione ſuos accuſant exceſſus, tu fletus & gemitus eorum pie ſuſcipias, eoſque de tenebris ad lumen reuoces, & medelam confitentibus, ſalutem pœnitentibus, & vulneratis auxilium ſanitatis indulgeas, ne vltra inimicus in eorum habeat animabus poteſtatem, eorumque confeſſionem libenter admittens, Eccleſiæ tuæ purificatos reſtitue, ac tuo altari repræſenta, vt ad Sacramentum reconciliationis admiſſi, vna nobiſcum ſancto nomini tuo gratias agere mereantur. Per.

Alia.

Deus miſericors, Deus clemens, qui ſecundum multitudinem miſerationum tuarum peccata pœnitentum deles, & præteritorum criminum culpas venia remiſſionis euacuas: majeſtatem tuam ſupplices deprecamur, vt his famulis tuis longo ſqualore pœnitentiæ maceratis miſerationis tuæ veniam largiri digneris, vt nuptiali veſte recepta, ad regalem menſam, vnde eiecti fuerant, mereantur B introire. Per.

Alia.

Majeſtatem tuam, quæſumus Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui non mortem peccatorum, ſed vitam ſemper inquiris, reſpice flentes famulos tuos, attende proſtratos, eorumque planctum in gaudium tua miſeratione conuerte, ſcinde delictorum ſaccum, & indue eos lætitiam ſalutarem, vt poſt longam peregrinationis famem, de ſanctis altaribus tuis ſatientur, ingreſſique cubiculum regis, in ipſius aula benedicant nomen gloriæ tuæ ſemper. Per Dominum noſtrum.

Alia.

Famulos tuos, quæſumus Domine, ab ira tua confugientes, paterna pietate recipe, vt qui tuæ majeſtatis flagella formidant, de tua mereantur venia gratulari. Per.

Alia.

C Deus qui confitentium tibi corda purificas, & accuſantes ſuas conſcientias ab omni vinculo iniquitatis abſoluis, da indulgentiam reis, & medicinam tribue vulneratis, vt percepta remiſſione omnium peccatorum, in Sacramentis tuis ſincera deinceps deuotione permaneant, & nullum redemptionis æternæ ſuſtineant detrimentum. Per.

Alia.

Deus, qui mundum in peccati fouea iacentem miſericorditer erexiſti: Deus qui leproſos, & aliis peccatis irretitos, ſacerdotum iudicio mundari præcepiſti: Deus, qui per manus tuæ impoſitionem animarum & corporum valetudines effugaſti, idemque opus diſcipulis tuis eorumque ſucceſſoribus agere præcepiſti, exaudi preces noſtras pro his famulis & famulabus tuis, morbo criminum hactenus tabeſcentibus, & manum pietatis tuæ manui noſtræ ſuperpone, vt per manus noſtræ impoſitionem, D te cooperante, infundatur eis Spiritus ſancti gratia: deſcendat ſuper eos cœleſtis benedictio, tribuatur eis peccatorum remiſſio, cunctorumque ſcelerum piacula relaxentur, & tuorum chariſmatum munera affluentius conferantur.

Alia.

Domine ſancte, Pater omnipotens, rex regum, & Dominus dominantium, qui ſanctiſſima diſpoſitione vnicum filium tuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, Spiritus ſancti gratia cooperante, in mundum miſiſti, quo genus humanum mortalibus vinculis adſtrictum, pia redimeret morte: tibi ſupplico, quatenus orationem noſtram mundam ſuſcipias, tribulationem adimas, propitius flagella redimas, ac ſereniſſimo vultu aurem tuæ pietatis & miſericordiæ accommodes, miniſteriumque tantæ dignitatis, quod tractare indignus præſumo, ſanctificando ſanctifices, & quod te nunc opitulante verbis exequor humilibus, impleas effuſione ſancti Spiritus.

Tu enim Domine per filium tuum vnigenitum ſanctis E dilectiſque Apoſtolis dona tribuens chariſmatum, dixiſti: Quæcunq; ligaueritis in terra & ſolueritis, in cœlo ligata & ſoluta manebunt. Ergo magnæ pietatis patet, non meo tali addictus merito, ſed potiùs tuo aſſecutus dono, præſumo his famulis & famulabus tuis impertire, quod tuis fidelibus proprio conceſſiſti ore: Reſpice igitur Domine, & miſerere, & da veniam confitentibus, parce ſupplicibus: & quoniam de miſericordia benignitatis tuæ non diffidunt, non ſecundum quod egerunt hactenus, verum iuxta paternitatis tuæ clementiam amodo ſentiant, indulgentiam. Oro ergo hos ſupplex, cunctoſque mihi commiſſos, muniri tua ſancta protectione: quo tuo freti munimine, valeamus pariter inextinguibiles pœnas euadere. Per eundem Dominum.

Alia.

DEus humani generis benigniſſime conditor, & miſericordiſſime reformator qui in reconciliatione lapſorum etiam me, qui miſericordia tua primus indigeo, F ſeruire effectibus gratiæ tuæ per ſacerdotale miniſterium voluiſti, vt ceſſante merito ſupplicis, mirabilior fieret indulgentia remittentis: Deus, qui iuſtitiæ leges, miſericordiæ ſemper multiplicatione moderatis, dum delinquentibus pœnitentiam adhibes, dum etiam malis prouidentiæ tuæ dona non ſubtrahis, & vindictam miſerando ſuſpendis: Deus, qui hominem inuidia diaboli ab æternitate abiectum, vnici filij tui ſanguine redemiſti, viuifica hos famulos tuos, quos tibi nullatenus mori deſideras, &, quos non dereliquiſti deuios, aſſume correctos.

Moueat pietatem tuam fletus iſte mœrorum, tu eorum medere vulneribus, tu benignam iacentibus manum porrige, ne eccleſia tua aliqua ſui corporis portione priuata, temeretur, ne grex tuus detrimentum ſuſtineat, ne de familiæ tuæ damno inimicus exultet, ne renatas lauacris ſalutaribus animas mors ſecunda poſſideat. Tibi ergo humiliamur omnes, tibi Domine ſupplices fundimus preces, G tibi fletum noſtri cordis offerimus: tu parce confitentibus, vt in imminentes pœnas futurique iudicij ſententiam te miſerante, non incidant: neſciant quod terret in tenebris, quod ſtridet in flammis, & ab errorum via ad iter iuſtitiæ iam reuerſi, nequaquam vltra nouis vulneribus ſaucientur. Propitiare ergo Domine trementibus atq; ſupplicibus ſub ſententiæ tuæ expectatione, & ad humilitatem iacentium ſubleuandam, dexteram ſalutis extende. Nobis quoque ſeruis tuis, quos Apoſtolicæ clauis ſacerdotalique officij miniſtros non electione meriti, ſed dono gratiæ tuæ conſtituiſti, da fiduciam tanti muneris exequendi, & ipſe in noſtro miniſterio, quod tuæ eſt poteſtatis, operare. Agnoſce piiſſime paſtor oues tuæ redemptionis, & conſtrictas vinculis peccatorum, eccleſiæ tuæ precibus exoratus abſolue. Redeant ad vnitatem eccleſiæ tuæ, & poſt illam diram inopis exilij famem redeuntes, veſte ſplendida ornatæ, gaudeant ſe paterno receptas eſſe conuiuio. Nihil de honore adoptionis, nihil de hæreditatis H ſorte perdiderint: ſed integrum ſit eis atque perpetuum, & quod gratia tua contulit, & quod miſericordia reformauit. Per.

Abſolutio pluralis.

DOminus Ieſus Chriſtus, qui dignatus eſt diſcipulis ſuis dicere: Quæcunque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo: de quorum numero quamuis indignum, & peccatorum vinculis adſtrictum, me eſſe ſua dignatione voluit, ipſe vos largifluo pietatis ſuæ dono, ac meæ ſimul paruitatis miniſterio abſoluere dignetur ab omnibus fragilitatis veſtræ exceſſibus, interius exteriuſq; humanitus contractis: Amen. Et ſicut peccata totius mundi ſua traditione, atque immaculati ſanguinis effuſione dignatus eſt expurgare, ita quoque veſtrorum peccaminum maculas miſericorditer nõ dedignetur emundare eiuſdem ſancti ſanguinis interuentione, qui fuſus eſt in peccatorum remiſſionem. Amen. Deuotionem quoque veſtram ita deinceps adiutorio gratiæ ſuæ nõ dedignetur corroborare,

A quatenus & in hoc ſæculo ſubtepentium laqueos delictorum valeatis euadere, & in futuro vitam æternam Chriſti ſanguine comparatam ſine fine poſſidere. Amen. Adiuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto qui nos fecit, cum non eſſemus: & redemit, cum perditi eſſemus, ad laudem & gloriam ſancti nominis ſui, per omnia ſæcula ſæculorum. Ameo.

Item abſolutio pluralis.

PRæſta, quæſumus, Domine his famulis tuis ſecundum piiſſimam miſericordiam tuam, iuxta libitum eorum abſolutionis peccaminum ſuorum fructum, vt ſint tibi dignum habitationis tuæ templum, & mereantur deinceps cum iuſtis atque ſanctis in conſpectu tuo adſtantibus abſoluti manere ab omni criminum labe. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Nos etiam ſecundum auctoritatem nobis indignis à Deo commiſſam, abſoluimus vos ab omni vinculo delictorum veſtrorum, vt mereamini B habere vitam æternam. Per eum qui viuit.

Abſolutio ſingularis.

SIcut principali ſententia conſtat, quia in multis offendimus omnes, vnde ingemiſcimus: ita principali ſententia conſolamur, quia ſi confiteamur peccata noſtra, fidelis & iuſtus eſt Chriſtus conditor ac Redemptor ac Saluator noſter, quem habemus aduocatum iuſtum apud Patrem, & eſt propitiatio pro peccatis noſtris, & interpellat pro nobis fideliter confitentibus, & dimittit nobis peccata noſtra, & emundat nos ab omni iniquitate. Quapropter frater noſter confitenti tibi peccata tua per Eccleſiaſticæ auctoritatis poteſtatem, quam Dominus noſter Ieſus Chriſtus tradidit diſcipulis ſuis & Apoſtolis, dicens: *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata remittuntur eis:* & per eoſdem Apoſtolos ſuos ipſorum ſucceſſoribus, quorum vices licet indigni, tenemus, etſi oon merito tamen nomine atque officij ſuſceptione eandem C poteſtatem donauit, & in ſe credenti fideliter dixit. Fiat tibi ſecundum fidem tuam: gratia & potentia ſua, virtute ſancti Spiritus, qui eſt remiſſio omnium peccatorum, dimittat tibi omnia peccata, liberet te ab omni malo, conſeruet te in omni opere bono, & perducat te ad vitam æternam, & ad ſanctorum conſortium ſupernorum ciuium. Amen.

Abſolutio ſingularis.

FRater N. Dominus Ieſus Chriſtus, qui dixit diſcipulis ſuis: *Quæcunque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo:* de quorum oumero quamuis indignos nos eſſe voluit, ipſe te abſoluat per miniſterium noſtrum ab omnibus peccatis tuis quæcunque cogitatione, locutione, atque operatione negligenter egiſti, & nexibus peccatorum abſolutum perducere dignetur ad regna cœlorum. Amen.

D *Abſolutio ſingularis.*

FRater N. abſolutionem & remiſſionem peccatorum tuorum per inuocationem ſacrati nominis Dei, & per miniſterium noſtrum percipere merearis hic & in æternum. Ameo.

Hic adſpergat eos aqua benedicta, & thurificet, & poſtea dicat: Exurge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.

Poſt hæc ſurgant pœnitentes, & moneantur ab Epiſcopo, vt quod pœnitendo diluerunt, iterando non reuocent.

Item Ordo vnde ſupra.

IPſo die ſonentur campanæ ad Miſſam, & ad cæteras horas, ſicut mos eſt diebus ſolemnibus, vt omnes veniant ad Eccleſiam, in qua chriſma mos eſt conſecrari, & ſic ſileant vſque in ſabbatum ſanctum. Presbyteri vero & cæteri clerici hora tertia induant ſe veſtimentis ſolemnibus, & diaconi dalmaticis, atque ſubdiaconi albis ſericis induantur, & ſtent in ordine ſinguli in Eccleſia, expectantes vſque dum veniat pontifex cum proceſſione plenaria ad Miſſam, ſicut diebus ſolemnibus ſolet cum ſeptem diaconibus & totidem ſubdiaconibus & ceroferariis & ſeptem cereoſtatis, & duobus thuribulis cum incenſo. Cantor autem & ſchola, ſtatim vt iuſſum fuerit, imponant, introitum ad Miſſam, *Nos autem gloriari oportet.* Cum pſalmo & gloria, & verſu, & *Kyrie eleiſon.* Tunc dicat Pontifex, *Gloria in excelſis Deo.* Quo finito, dicat orationem pleniter, ſicut aliis diebus, *Pax vobiſcum.* Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oratio.

Deus à quo & Iudas reatus ſui pœnam, & confeſſionis ſui latro præmium ſumpſit, concede nobis tuæ propitiationis effectum, vt ſicut in paſſione ſua Ieſus Chriſtus Dominus noſter diuerſa vtrique intulit ſtipendia meritorum, ita nobis ablato vetuſtatis errore, reſurrectionis ſuæ gratiam largiatur. Qui tecum viuit. Tunc legatur epiſtola Pauli ad Corinthios.

F Fratres, Conuenientibus vobis in vnum vſque, Vt non cum hoc mundo damnemur. Sequitur Grad. Chriſtus factus eſt pro nobis, verſ. Propter quod & Deus. Ante Euangelium portentur candelæ, & incenſum ſicut mos eſt, & legitur Euangelium ſecundum Ioannem.

IN illo tempore, Ante diem feſtum Paſchæ. Vſque quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Perlecto Euangelio, ſanctoque ad populum ſermone, dicat Pontifex: *Dominus vobiſcum.* Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.* Et, *Oremus.* Deinde canitur offertorium: *Dextera Domini.* Offerentibus presbyteris & cæteris qui voluerint. Tunc dicatur.

Secreta.

Ipſe tibi, quæſumus Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ſacrificium noſtrum reddat acceptum, qui diſcipulis ſuis in ſui commemorationem hoc fieri hodierna traditione monſtrauit. Ieſus Chriſtus filius tuus, Dominus noſter, qui tecum.

G *Sequitur Præfatio.*

VEre dignum & iuſtum eſt, æquum & ſalutare: Nos tibi ſemper & vbique gratias agere Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, Per Chriſtum Dominum noſtrum: Per quem Majeſtatem tuam laudant Angeli, adorant dominationes, tremunt poteſtates: Cœli cœlorumque virtutes, ac beata Seraphin ſocia exultatione concelebrant: cum quibus & noſtras voces vt admitti iubeas deprecamur, ſupplici confeſſione dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus,* Et dicit Pontifex, *Te igitur, ordine ſuo.*

TE igitur clementiſſime Pater, per Ieſum Chriſtum filium tuum Dominum noſtrum, ſupplices rogamus & petimus, vti accepta habeas & benedicas hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia illibata, in primis quæ tibi offerimus pro Eccleſia tua ſancta Catholica, quam pacificare, cuſtodire, adunare & regere digneris toto orbe terrarum, vna cum famulo tuo Papa noſtro N. Memento H Domine famulorum famularumque tuarum, & omnium circumadſtantium, quorum tibi fides cognita eſt & nota deuotio, qui tibi offerũt hoc ſacrificium laudis pro ſe ſuiſque omnibus pro redemptione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis & incolumitatis ſuæ, tibiq; reddunt vota ſua æterno Deo, viuo & vero. Communicantes & diem ſacratiſſimum celebrantes, quo Dominus noſter Ieſus Chriſtus pro nobis eſt traditus. Sed & memoriam venerantes in primis glorioſæ ſemper Virginis Mariæ genitricis Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſed & beatorum Apoſtolorum ac Martyrum tuorum Petri, Pauli, Andreæ, Iacobi, Ioannis, Thomæ, Iacobi, Philippi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis & Thadæi, Lini, Cleti, Clementis, Sixti, Cornelij & Cypriani, Laurentij, Chryſogoni, Ioannis & Pauli, Coſmæ & Damiani, & omnium ſanctorum tuorum, quorum meritis precibuſque concedas, vt in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Hanc igitur oblationem

ſeruitutis

A ſeruitutis noſtræ,ſed & cunctæ familiæ tuæ,quam tibi offerimus ob diem, in qua Dominus noſter Ieſus Chriſtus tradidit diſcipulis ſuis corporis & ſanguinis ſui myſteria celebranda,quæſumus Domine,vt placatus accipias, dieſque noſtros in tua pace diſponas, atque ab æterna damnatione nos eripias,& in electorum tuorum iubeas grege numerari.Per Chriſtum Dominum noſtrum. Quam oblationem tu Deus in omnibus,quæſumus, benedictam, adſcriptam,ratam,rationabilem,acceptabilemque facere digneris,vt nobis corpus & ſanguis fiat dilectiſſimi filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui pridie quam pro noſtra omnium ſalute pateretur,hoc eſt, hodie, *accepit panem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas, & eleuatis oculis ſuis in cœlum*,ad te Deum Patrem ſuum omnipotentem,tibi gratias agens,*benedixit, fregit, deditque diſcipulis ſuis, dicens: Accipite & manducate ex hoc omnes: hoc eſt enim corpus meum.* Simili modo poſtea quam cœnatum eſt, accipiens & hunc præclarum calicem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas, item tibi gratias agens,benedixit,dedit diſcipulis ſuis,dicens: *Accipite & bibite ex eo omnes: Hic eſt*
B *enim calix ſanguinis mei noui & æterni teſtamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis.* Vnde & memores,Domine,nos ſerui tui,ſed & plebs tua ſancta, Chriſti filij tui Domini noſtri tam beatæ paſſionis, necnon & ab inferis mirabilis reſurrectionis,ſed & in cœlos glorioſæ aſcenſionis,offerimus præclarè maieſtati tuæ de tuis donis ac datis hoſtiam puram, hoſtiam ſanctam, hoſtiam immaculatam, panem ſanctum vitæ æternæ, & calicem ſalutis perpetuæ. Super quæ propitio ac ſereno vultu reſpicere digneris,& accepta habere, ſicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iuſti Abel, & ſacrificium Patriarchæ noſtri Abrahæ, & quod tibi obtulit ſummus ſacerdos tuus Melchiſedech,ſanctum ſacrificium, immaculatam hoſtiam.Supplices te rogamus omnipotens Deus, iube hæc perferri per manus Angeli tui in ſublime altare tuum, in conſpectum diuinæ maieſtatis tuæ, vt quotquot ex hac altaris participatione ſacroſanctum filij
C tui corpus & ſanguinem ſumpſerimus, omni benedictione cœleſti & gratia repleamur: Per Chriſtum Dominum noſtrum. Nobis quoque peccatoribus famulis tuis de multitudine miſerationum tuarum ſperantibus partem aliquam & ſocietatem donare digneris cum tuis ſanctis Apoſtolis & Martyribus,cum Ioanne,Stephano, Matthia, Barnaba,Ignatio,Alexandro, Marcellino,Petro,Felicitate, Perpetua,Agatha,Lucia,Agnete,Cęcilia,Anaſtaſia,& cum omnibus ſanctis tuis: Intra quorum conſortium nos non æſtimator meriti, ſed veniæ quæſumus, largitor admitte, Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Tunc offeratur Pontifici oleum de ampullis quas offerunt populi ad vngendos tam infirmos quam energumenos,& in vltimo antequam dicatur, per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas. Exorcizet & benedicat illud tam ipſe quam omnes presbyteri, qui adſunt, vt tantum poſſit à circunſtantibus audiri ita.

D

Exorciſmus olei.

EXorcizo te immundiſſimè ſpiritus,omniſque incurſio ſatanæ,& omne phantaſma,in nomine Patris,& Filij, & Spiritus ſancti, vt recedas ab hoc oleo, vt poſſit effici vnctio ſpiritalis ad corroborandum templum Dei viui, vt in eo poſſit Spiritus ſanctus habitare,per nomen Dei Patris omnipotentis, & per nomen Dei dilectiſſimi filij eius Domini noſtri Ieſu Chriſti.Et non peragatur concluſio.

Benedictio eiuſdem.

Emitte Domine ſpiritum tuum paraclitum de cœlis in hanc pinguedinem oliuæ,quam de viridi ligno producere dignatus es ad refectionem mentis & corporis,vt tua ſancta benedictione ſit omni tangenti hoc vnguentum ſalubre cœleſtis medicinæ, tutamen mentis & corporis, & ad euacuandos omnes dolores, omneſque infirmitates, omnemque ægritudinem mentis & corporis,vnde vnxiſti ſacerdotes,reges,prophetas,& martyres, chriſma tuum ſit perfectum nobis à te Domine benedictum,permanens in viſceribus noſtris in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. E
Tunc dicatur.

Per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas,ſanctificas, viuificas,benedicis & præſtas nobis per ipſum,& cum ipſo, & in ipſo eſt tibi Deo Patri omnipotenti, in vnitate Spiritus ſancti omnis honor & gloria: Per omnia ſæcula ſæculorum. Et oleum eodem ordine quo aſcendit, reportetur, & in loco ſuo conſeruetur. Miſſa vero ordinè agatur, vſque dum benedictiones Epiſcopales ſoluantur, dicente in altum Epiſcopo.

Oremus.

PRæceptis ſalutaribus moniti, & diuina inſtitutione formati, audemus dicere:

Pater noſter qui es in cœlis; ſanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita noſtra,ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem. Reſp. *Sed libera nos a malo.*

Libera nos quęſumus Domine,ab omnibus malis præteritis, præſentibus & futuris,& intercedente beata & glorioſa ſemper Virgine Maria, & beatis Apoſtolis tuis, Petro, & Paulo,atque Andrea,cum omnibus ſanctis,da propitius pacem in diebus noſtris, vt ope miſericordiæ tuæ adiuti, & à peccato ſimus ſemper liberi, & ab omni perturbatione ſecuri: Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum qui tecum viuit & regnat Deus in vnitate Spiritus ſancti: Per omnia ſæcula ſæculorum. Reſp. *Amen.* Pronuntiante diacono: *Humiliate vos ad benedictionem.* Reſp. *Deo gratias.* F

Sequantur benedictiones Epiſcopales,in hunc modum.

BEnedicat vos Deus, qui per vnigeniti ſui paſſionem vetus Paſcha in nouum voluit conuerti, concedatque vobis, vt expurgato veteris fermenti contagio, noua in vobis perſeueret conſperſio.Reſp. *Amen.* Et quia ad celebrandam redemptoris noſtri cœnam mente deuota conueniſtis, æternarum dapium vobiſcum epulas reportetis. G
Reſp. *Amen.* Quod ipſe præſtare dignetur. Et *pax Domini ſit ſemper vobiſcum.* Tunc communicet ſolus Pontifex ante altare, & diaconus offerat ei calicem, & non frangat oblatas, niſi eam ſolam, vnde ille communicat. Illo tantummodo die,poſtquam communicauerit Epiſcopus,ponat diaconus calicem ſuper altare: Deinde acceptam à ſubdiacono patenam, ponat iuxta calicem de latere ſiniſtro, & ſtatim à duobus diaconibus vtrumque cooperiant de ſindone munda, quam prius præparauerant in ora altaris è regione pontificis poſt corporalem expenſam. Tunc Dominus Epiſcopus vadat ad ſedem ſuam cum diaconibus, & expectet.

Ordo de conſecratione principalis chriſmatis.

EXpectante vero in ſede ſua pontifice,veniant ad ſacrarium duodecim presbyteri,& cæteri clerici, quantum H
opus ſit ad deferendum cum omni decore oleum chriſmale, & etiam oleum catechumenorum & neophytorum vſque in Eccleſiam ante Epiſcopum. Sint etiam parati iidem presbyteri,& cum eis cęteri clerici caſulis,& ſolemnibus veſtimentis.Tunc duo acolyti accipientes illas duas ampullas, quæ ad chriſma & ad oleum catechumenorum conſecrari debent,inuolutas cum ſindonibus de albo ſerico, ita vt videri poſſint à medio teneant in brachio ſiniſtro, proiectis ſindonibus ſuper ſcapulam ſiniſtram, ita vt pertingant ad ſcapulam dextram,quatenus poſſint dependentia retineri,& procedant. Et ordinent ſe illi presbyteri & prędicti clerici ritè,& ordinabiliter,ita vt primum ambulent duo acolyti, cum candelabris & ardentibus cereis. Deinde portentur duæ cruces,& inter illas medium chriſmale oleum:Poſt eas portentur duo thuribula cum incenſo,& inter illa,ſicut prædiximus,medium oleum catechumenorum: Deinde portetur Euangelium, vt impleatur omne bonum: Poſtea ſequantur bini & bini illi duodecim presbyteri,teſtes & cooperatores eiuſdem ſacroſancti

A chriſmalis myſterij. Tunc vero ſubſequantur pueri, in laudem eiuſdem myſterij concinentes hos verſus, ad hoc congruentes:

AVdi iudex mortuorum,
Vna ſpes mortalium:
Audi voces proferentum.
Donum pacis præmium.

Et chorus reſpondeat.

O Redemptor, ſume carmen
Temet concinentium.
Arbor fœta alma luce,
Hoc ſacrandum protulit:
Fert hoc prona præſens turba
Saluatori ſæculi. O redemp.
Stans ad aram, immo ſupplex
Inſulatus Pontifex,
Debitum perſoluit omne,
Conſecrato chriſmate. O redemp.
B *Conſecrare tu dignare,*
Rex perennis patriæ,
Hoc oliuum, ſignum viuum
Iura contra dæmonum. O redemp.
Vt nouetur ſexus omnis
Unctione chriſmatis,
Medeatur ſauciata
Dignitatis gloria. O redemp.
Lota mente ſacro fonte,
Aufugantur crimina:
Vncta fronte, ſacroſancta
Influunt chariſmata. O redemp.
Corde natus ex parentis,
Aluum implens Virginis,
Præſta lucem, claude mortem
Chriſmatis conſortibus. O redemp.
Sic dies hæc nobis feſta
Sæculorum ſæculis,
Sit ſacrata digne laude,
C *Ne ſeneſcat tempore.* O redemp.

Venientibus autem eodem ordine in chorum, & ſtantibus ad Orientem verſis, verſibuſque finitis, interea ordinent ſe lectores, oſtiarij, acolyti, & ſubdiaconi, & ſtent in ordine ſuo ſecundum eos gradus vbi aſcenditur ad altare, tanti, vt ſubdiaconus ſit ſextus in eminentiori loco: & iuxta eum archidiaconus qui legebat, ita inuolutam ampullam commixtam ſuſcipientes, per ordinem vt aſcendat. Et dum peruenerit ad archidiaconum, ille proferat eam ita inuolutam vna cum ſindone ante pontificem: Interim autem vnus ſubdiaconus deferat vaſculum cum balſamo alij diacono, & ille pontifici ante altare. Tunc ordinentur circa Epiſcopum hinc & inde eadem candelabra, & cruces, & thuribula, atque Euangelium, necnon & prædicti duodecim presbyteri, teſtes, & adiutores eiuſdem myſterij, ita vt diaconi poſt dorſum Epiſcopi ſtent; presbyteri vero à dextris & à ſiniſtris, crucea vero & cætera vtrinque inter illos media. His ita ſtatutis, conuertat D ſe Epiſcopus, aut cui ille præceperit, tam ad clerum quam ad populum, & faciat ſermonem de confectione chriſmatis congruentem. Tunc conuertat ſe ad Orientem, & intret in conſecrationem principalis chriſmatis, archidiacono tenente ante ipſum ampullam in ſiniſtro brachio inuolutam in ſindone, vt ſupra diximus, & primo miſceat balſamum cum oleo.

Benedictio in commixtione olei & balſami.

ORemus Dominum noſtrum omnipotentem, qui incomprehenſibilem vnigeniti filij, ſibique coæterni diuinitatem mirabili diſpoſitione veræ humanitati inſeparabiliter coniunxit, & gratia cooperante Sancti ſpiritus, oleo exultationis præ participibus ſuis liniuit, vt homo fraude diaboli perditus, gemina & ſingulari conſtans materia, perenni redderetur, de qua exciderat, hæreditati: quamuis hos ex diuerſis creaturarum ſpeciebus liquores

E creatos, S. Trinitatis perfectione benedicat, & benedicendo ſanctificet, concedatque vt ſimul permixti vnum fiant, & quicunque exterius inde perunctus fuerit, ita interius liniatur, quo omnibus ſordibus corporalis materiæ carens, ſe participem regni cœleſtis effici gratuletur. Per eundem Dominum. Hic commiſceantur, dicente Epiſcopo.

Hæc commixtio liquorum, fiat omnibus perunctis propitiatio & cuſtodia ſalutaris in ſæcula ſæculorum. Deinde antequam benedicatur, halat ter ſuper ipſam ampullam, & dicit lenta voce exorciſmum chriſmalis olei.

Exorciſmus chriſmalis olei.

EXorcizo te creatura olei per Deum Patrem omnipotentem, qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt, vt omnis virtus aduerſarij, omnis exercitus diaboli, omniſque incurſio, & omne phantaſma ſatanæ eradicetur & effugetur à te, vt fias omnibus, qui ex te F vngendi ſunt, in adoptionem filiorum per Spiritum ſanctum, in nomine Dei Patris omnipotentis, & in charitate Ieſu Chriſti filij eius Domini noſtri, qui cum eo viuit & regnat Deus in vnitate eiuſdem Spiritus ſancti. Tunc dicat alta voce: *Per omnia ſæcula ſæculorum.* Reſp. *Amen.* *Dominus vobiſcum.* Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.*

Surſum corda. Reſp. *Habemus ad Dominum.*

Gratias agamus Domino Deo noſtro.

Reſp. *Dignum & iuſtum eſt.*

PRÆFATIO.

Verè dignum & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: qui in principio inter cætera bonitatis tuæ munera, terram producere fructifera ligna iuſſiſti, inter quæ huius pinguiſſimi liquoris miniſtræ oleæ naſcerentur, quarum fructus ſacro chriſmati deſeruiret. Nam & Dauid prophetico ſpiritu gratiæ tuæ Sacramenta prænoſcens, vultus noſtros in oleo exhilarandos eſſe cantauit: & cum mundi crimina diluuio quondam exi- G nanirentur effuſo, ſimilitudinem futuri muneris columba demonſtrans, per oliuæ ramum pacem terris redditam nunciauit. Quod in nouiſſimis temporibus manifeſtis eſt effectibus declaratum, cum baptiſmatis aquis omnium criminum commiſſa delentibus, hæc olei vnctio vultus noſtros iucundos efficit ac ſerenos. Inde etiam famulo tuo mandatum dediſti, vt Aaron fratrem ſuum prius aqua lotum per infuſionem huius vnguenti conſtitueret ſacerdotem. Acceſſit ad hoc amplior honor, cum filius tuus Ieſus Chriſtus Dominus noſter lauari ſe à Ioanne vndis Iordanicis exegiſſet, vt Spiritu ſancto in columbæ ſimilitudine deſuper miſſo, vnigenitum tuum, in quo tibi optime complacuiſſet, teſtimonio ſubſequentis vocis oſtenderes, ad hoc illud eſſe manifeſtiſſimè comprobares, quod cum oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis vngendum Dauid propheta ceciniſſet. Te igitur deprecamur Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, per eundem Ieſum Chriſtum filium tuum Dominum noſtrum, vt huius crea- H turæ pinguedinem ſanctificare tua benedictione digneris, & Sancti ſpiritus ei admiſcere virtutem, cooperante potentia Chriſti tui, à cuius ſancto nomine chriſma nomen accepit: vnde vnxiſti ſacerdotes & reges, Prophetas & Martyres, vt ſpiritalis lauacri baptiſmo renouandis creaturam chriſmatis in Sacramentum perfectæ ſalutis vitæque confirmes, vt ſanctificatione vnctionis infuſa, corruptione primæ natiuitatis abſorpta, ſanctum vniuſcuiuſque templum acceptabilis vitæ innocens odore redoleſcat, vt ſecundum conſtitutionis tuæ Sacramentum, regio & ſacerdotali propheticoque honore perfuſi veſtimento incorrupti muneris induantur, vt ſit his, qui renati fuerint ex aqua & Spiritu ſancto, chriſma ſalutis, eoſque æternæ vitæ participes, & cœleſtis gloriæ facias eſſe conſortes: Per eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum qui tecum viuit & regnat Deus in vnitate eiuſdem Spiritus ſancti: Per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Finita benedictione, dominus Epiſcopus ſalutet chriſ-

A ma nudum, & miniſtri qui iuxta eum ſunt, & ita iterum per ordinem deſceudit ſicut aſcendit. Et tenente ampullam acolyto, deferatur omnibus cooperta ad ſalutandum per ordinem, ita vt à nemine nuda videatur. Hoc facto, ſummo honore procuretur, vſque dum altera ampulla aſcendat, & iterum deſcendat, vt ambæ honorificè ad locum ſuum redeant.

Incipit exorciſmus olei quo vngendi ſunt catechumeni.

DEſcendente autem ampulla cum chriſmate, ſtatim alia cum oleo catechumenorum cooperta, aſcendat ſicut prior, vſque ante Epiſcopum, & halat in ipſam ter, ſicut in priorem ſed tacitè ordine quo iu ſupra delatam. Et in primis faciat ei exorciſmum, & benedicat eam quaſi legens lectionem.

Exorciſmus olei catechumenorum.

B EXorcizo te creatura olei in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine Ieſu Chriſti, & Spiritus ſancti, vt in hac inuocatione trinæ poteſtatis, atque vnius virtute Deitatis, omnis nequiſſima virtus aduerſarij, omnis inueterata malitia diaboli, omnis violenta incurſio, omne confuſum & cæcum phantaſma eradicetur, & effugetur, & diſcedat à creatura huius olei ad vtilitatem hominum conſtituta, vt fiat hæc vnctio diuinis Sacramentis purificata in adoptionem carnis & ſpiritus eis, qui ex eo vngi debent in remiſſionem omnium peccatorum, vt efficiantur eorum corpora ad omnem gratiam ſpiritalem accipiendam ſanctificata. Per eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui venturus eſt. Tunc dicatur: *Dominus vobiſcum.* Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

C DEus incrementorum omnium & profectuum ſpiritualium munerator, qui virtute Sancti ſpiritus tui imbecillarum mentium rudimenta confirmas, te oramus Domine, vt venturis ad beatæ regenerationis lauacrum, tribuas per vnctionem iſtius creaturæ purgationem mentis & corporis, vt ſi quæ illis aduerſantium ſpirituum inhæſere maculæ, ad tactum ſanctificati olei huius abſcedant. Nullus ſpiritualibus nequitiis locus, nulla refugis virtutibus ſit facultas: nulla inſidiantibus malis latendi licentia relinquatur, ſed venientibus ad fidem ſeruis tuis & Sancti ſpiritus tui operatione mundandis, fiat vnctionis huius præparatio vtilis ad ſalutem, quam etiam cœleſtis regenarationis natiuitate in Sacramento ſunt baptiſmatis adepturi: Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui venturus. Tunc dominus Epiſcopus, & qui iuxta eum ſunt ſalutet eam, & deſcendat per ordinem ſicut altera, & deferatur omnibus ad ſalutandum. His ita peractis, eodem ordine & decore quo aſcenderant in Eccleſiam, redeant ambæ ad ſacrariom. Tunc pontifex lauet
D manus, & diaconi vadant ad altare, & diſcooperiant ſancta. Et pontifex veniens ad altare, diuidat oblatas ad frangendum, & communicet omnis popolus ordine ſuo, & ſumat de ipſis oblatas integras ad ſeruandum vſque mane diei paraſceues: De quibus communicent abſque ſanguine Domini. Sanguis vero eadem die penitus conſumatur. Et ſchola dicat, *Agnus Dei.* Abſque oſculo, & communionem Dominus Ieſus. Cum pſalm. & gloria. Fractis autem oblatis, communicent presbyteri primo, poſtea diaconi, & cæteri omnes. Et ita perficiatur Miſſa pleniter ordine ſuo.

Poſt communionem.

Refecti vitalibus alimentis, quæſumus Domine Deus noſter, vt quod tempore noſtræ mortalitatis exequimur, immortalitatis tuæ munere conſequamur. Per.

Super populum.

Concede quæſumus Domine, vt perceptum noui Sacramenti myſterium & corpore ſentiamus, & mente. Per.

Et pontifex deſcendat in ſacrarium, mandans presbyteris quid voluerit.

E Tunc chriſma nouum miſceatur cum veteri, ſi quid reſiduum fuerit. Similiter & oleum, & ita diuidatur per preſbyteros, & finita ſunt iſta.

Ad veſperum in cœna Domini non dicatur: *Deus in adiutorium meum intende:* ſed antiphona, *Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Pſalm. *Credidi propter quod.* Antiph. *Cum his qui oderant pacem, eram pacificus: cum loquebar illis, impugnabant me gratis.* Pſalm. *Ad Dominum.* Antiph. *Ab hominibus iniquis libera me Domine.* Pſalm. *Eripe me Domine.* Antiph. *Cuſtodi me à laqueo, quem ſtatuerunt mihi, & ab ſcandalis operantium iniquitatem.* Pſal. *Domine clamaui.* Antiph. *Conſiderabam ad dexteram, & videbam: & non erat qui cognoſceret me.* Pſalm. *Voce mea.* Lectio non dicatur, nec verſus: ſed Antiphona. *Cœnantibus autem accepit* IESVS *panem, benedixit ac fregit, dedit diſcipulis ſuis.* Pſalm. *Magnificat.* Ad veſperum oratio.

F Deus cuius cœnam ſacratiſſimam veneramur, vt ea digni inueniamur munda nos quæſumus, à ſordibus peccatorum, qui ad inſinuandum nobis humilitatis exemplum, pedes tuorum dignatus es hodie lauare diſcipulorum. Qui cum patre. Cum autem ſchola primam antiphonam dicit, *Calicem ſalutaris accipiam:* Statim duo acolyti parati cum nigris caſulis, incipiant expoliare altaria, vſque dum finitur veſpera, poſtea tollantur. A veſpera autem huius diei, nuda ſint altaria vſque in mane ſabbati.

Expletis omnibus, procedunt dominus Epiſcopus cum omni alacritate cum presbyteris & clero, ſi vult, ante vel poſt cibum, ad locum vbi mandatum perficere vult. Sintque ibi parati proceſſores, Acolyti duo cum candelabris duobus, tertius thuribulum portans: quartus cum thymiamaterio: & ſubdiaconus Euangelium portans. Et diaconus imponat Euangelium, *Ante diem feſtum Paſchæ*, ſicut ad Miſſam. Lecto Euangelio, dicat Epiſcopus hanc orationem, vt ſupra: *Deus, cuius cœnam ſacratiſſimam.*

G Data oratione, Epiſcopus ponat veſtimenta ſua, & præcinctus linteo, præparet ſe ad lauandos pedes diſcipulorum ſuorum. Et primum incipiente pontifice, mutuatim pedes lauent & diſtergant, canentes antiphonas.

Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos dicit Dominus. Pſalm. *Beati immaculati in via.* Antiph. *In diebus illis, mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quod Ieſus accubuit in domo Simonis leproſi, attulit alabaſtrum vnguenti, & ſtans retro ſecus pedes Domini Ieſu, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.* Pſalm. *Magnus Dominus.* Antiph. *Maria ergo vnxit pedes Ieſu, & extergit capillis ſuis, & domus impleta eſt ex odore vnguenti.* Antiph. *Poſtquam ſurrexit Dominus à cœna, miſit aquam in peluim, cœpit lauare pedes diſcipulorum, hoc exemplum reliquit eis,* Pſal. *Deus miſereatur noſtri.*

Ante diem feſtum Paſchæ ſciens IESVS quia eius hora venit, vt tranſeat ex hoc mundo ad patrem, & cœna facta
H ſurrexit, linteo præcinxit ſe, miſit aquam in peluim, cœpit lauare pedes diſcipulorum, venit ad Petrum. Dixit ei Simon. *Non lauabis mihi pedes in æternum.* Reſpondit IESVS. *Si non lauero te, non habebis partem mecum. Domine non tantum pedes, ſed & manus & caput.* Antiphona: *Domine, tu mihi lauas pedes?* Reſpondit IESVS: *Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet,* Antiph. *Dominus Ieſus poſtquam cœnauit cum diſcipulis ſuis, lauit pedes eorum, & ait illis: Scitis quid fecerim vobis? ego Dominus & magiſter, exemplum dedi vobis, vt & vos ita faciatis.* Antiphon. *A modo dico vobis, priuſquam fiat, vt cum factum fuerit, credatis, quia vnus ex vobis me traditurus eſt. Bonum erat illi, ſi natus non fuiſſet homo ille.* Antiphon. *Vos vocatis me, Magiſter & Domine: & bene dicitis: Sum etenim. Si ergo ego laui pedes veſtros, Dominus & magiſter, & vos debetis alter alterius pedes lauare.* Pſal. *Deus miſereatur noſtri.* Antiph. *Vos vocatis me, magiſter & Domine: & benedicitis, ſum etenim: ſi ego laui pedes veſtros, Dominus & magiſter, & vos debetis alter alterius lauare pedes.* Pſalm. *Suſcepimus Deus.* Antiphon. *Si ego Dominus & magiſter veſter laui pedes, quanto magis vos debetis alterius*

A *altarius,&c.* Pſalm. *Quam dilecta.* Antiph. *Cœna facta, dixit* IESVS *diſcipulis ſuis: Amen amen dico vobis, vnus veſtrum eſt hic, qui me traditurus eſt in hac nocte.* Pſalm. *Miſerere mei Deus.* Antiph. *Diligamus nos inuicem, quia charitas ex Deo eſt: & qui diligit fratrem ſuum, ex Deo natus eſt, & videt Deum.* Pſalm. *Ecce quam bonum.* Verſu *bi fratres in vnum glorificant Deum, ibi dabit dominus benedictionem.* Pſalm. *Ecce quam bonum.* Antiph. *In hoc cognoſcent omnes quia mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad inuicem.* Pſalm. *Laudate dominum in ſanctis eius. Laudate.* Antiph. *Congregauit nos Chriſtus ad glorificandum ſeipſum. Reple domine animas noſtras ſpiritu ſancto.* Antiph. *Fratres, Exiſtimo enim quod non ſunt condigna paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Antiph. *Fratres, Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro.* Antiph. *Vbi eſt gaudium & lætitia, ibi ſanctorum eſt congregatio: ibi nec ira eſt, nec indignatio, ſed firma charitas in perpetuum. Amen.* Antiph. *Si verè fratres diuites eſſe cupitis, veras diuitias amate.* Antiph. *Si culmen veri honoris quæritis, ad illam cœleſtem patriam quanto-*B *cyus properate.* Antiph. *Si gloriam dignitatum diligitis, in illa Angelorum curia adſcribi feſtinate.* Cum aliis antiphonis ad hoc pertinentibus. Finitis antiphonis, diaconus aut lector, cui mandatum fuerit, imponat Euangelium ſecundum Ioannem, quaſi lectionem legens, ab eo loco vbi ſcriptum eſt: *Amen amen dico vobis, non eſt ſeruus maior Domino ſuo, neque Apoſtolus maior eo qui miſit illum:* Vſque, & ego in ipſis. Preces poſt mandatum. *Suſcepimus Deus miſericordiam tuam.* Reſp. *In medio templi tui. Tu mandaſti domine mandata tua.* Reſp. *Cuſtodiri nimis. Tu lauiſti pedes diſcipulorum tuorum. Opera manuum tuarum ne deſpicias.*

Orationes poſt mandatum.

ADeſto Domine officiis noſtræ ſeruitutis, quia tu pedes lauare dignatus es tuis diſcipulis, ne deſpicias opera manuum tuarum quæ nobis retinenda mandaſti, vt C ſicut exteriora abluuntur inquinamenta, ſic à te omnium noſtrum interiora lauentur peccata. Quod ipſe præſtare digneris, qui viuis & regnas.

Alia.

DEus, qui diſcipulorum tuorum pedes abluens, pio affectu, eis exemplum præbuiſti, mandatumque dediſti; concede propitius, vt per obſequium mandatorum tuorum eorum obtentu de tuo lætemur aſpectu. Quod ipſe præſtare.

Alia.

ANnue miſericors Deus, vt qui diuina præcepta violando, paradiſi felicitate decidimus, ad æternæ beatitudinis redeamus acceſſum, per tuorum cuſtodiam mandatorum. Quod ipſe præſtare.

Oratio pro his qui ipſum mandatum adimpleuerunt.

D REſpice Domine ſuper hos famulos tuos, qui ſe inclinando, obedientiæ ſanctæ pio obſequio fratrum ſuorum expleuerunt ſeruitium, vt ſemper te habeant in auxilium, & in bonis actibus ſuperent inimicum, & inoffenſè ſemper agant ſeruitium conſuetum, vt æternum à te mereantur percipere præmium. Per.

Ab hac nocte vſque in Sabbatum ſanctum, nonnulli ſerui Dei imitantes Apoſtolos, ieiuni permanent: aliqui vero contenti ſunt pane tantum, vel herbis atque legumine, ſeu cicere.

Item benedictio olei ad omnem languorem quocumque tempore, & nulla in huius olei benedictione concluſio dicatur, antequam ſubinferatur.

Per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas. In tuo nomine Deus Pater omnipotens, & Ieſu Chriſti filij tui Domini noſtri ſigno, & in virtute Spiritus ſancti hanc creaturam olei exorcizamus, ſimulque ſanctificamus, quia ita benignus Dominus per ſuos Apoſtolos declarare dignatus eſt dicens. *Si quis infirmatur in vobis inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum, & ſi in peccatis ſit dimittentur ei.* Et iterum per ipſum omnia poſſibilia eſſe credentibus docuiſti, & vt cunctum ſæculum eius claritate ſaluares: ſic per eundem locutus es, dicens: *Petite, & dabitur vobis, quærite, & inuenietis, pulſate, & aperietur vobis.* Quapropter Domine, tua ineffabili bonitate comperta, ſubmiſſis precibus credentes nullum alium Deum niſi te Domine, qui diues es in miſericordia, celeriterque ſubuenis peritiſſimum medicum imploramus, vt apertis cœlis S. Sancti velocitate deducta, virtutis tuæ medicinam in hoc oleum propitius infundas. Deſcendat ſuper hoc oleum potentiæ tuæ donum, deſcendat claritas & origo virtutum, deſcendat benignitas, & puritas ſanitatis. Exorcizetur crucis Chriſti vexillo, benedicatur dextera maieſtatis tuæ, & corroboretur filij tui Domini noſtri ſignaculo. Præſto ſint, Domine, Angeli & Archangeli, & omnis militia Cœleſtis. Adſit Apoſtolorum ac Martyrum, & fidelium ſacerdotum, vel etiam aliorum ſeruorum tuorum di- F gniſſima oratio, ſub quorum præſentia dum in tuo nomine Domine Pater immenſe, hoc vnguentum compoſitionis, atque permixtionis dederimus liniendis corporibus infirmis, continuo peragratis viſceribus eorum, omnem euomant violentiam fellis. Proſit, Pater miſericordiarum febribus & dyſenteria laborantibus proſit, paralyticis, cæcis & claudis, ſimulque vexatitijs. Quartana, tertiana, & quotidiana excutiat frigora. Mutorum ora reſoluat, Arentia membra reficiat, Dementiam cordis ad ſcientiam reuocet, dolorem capitis, oculorum infirmitatem, manuum, pedum, brachiorum, pectoris ſimulque & inteſtinorum atque omnium membrorum tam intrinſecus, quam extrinſecus, medullarumque dolorem expellat, ſomnum quietis infundat, & ſalutem conferat ſanitatis. Si qua vero maligna vel venenoſa naſcentia in corporibus quorumcumque fuerint generata, tactus vnguenti huius omnes radicitus eorum areſaciat ſationes. Morſus vero beſtiarum, canum rabiem, ſcorpionum, ſerpentium, viperarum, atque omnium monſtruoſorum leniat dolores, & ſuperinducta ſanitate, plagarum ſopiat cicatrices. Impetum quoque dæmo- G num, vel incurſiones ſpirituum immundorum, atque legionum malignarum vexationes, vmbras, & impugnationes, & infeſtationes, artes quoque maleficorum, Chaldæorum, augurum, & diuinorum, incantationes, & venena promiſcua, quæ ſpirituum immundorum virtute nefanda & exercitio diabolico conficiuntur, iubeas Domine per hanc inuocationem tuam ab imis viſceribus eorum omnia expelli, vt exiens inimicus de corporibus famulorum, famularumque tuarum omnium, confuſus & excruciatus, & nullam in eis maculam relinquens, à tuis ſanctis Angelis conſtringatur, & in inferno, ſicut eum expectat digna ſententia gehennæ ignibus mancipetur, nec vltra ad eos habeat ingrediendi locum, ſed ſaluati famuli tui ab his omnibus malis, referant honori tuo laudes in perpetuum ſempiternas, & ſciant quia tu es Deus inſeparabilis Trinitas, regnans in ſæcula ſæculorum. Amen.

Benedictio olei Ambroſiana, ad vngendum tam infirmos quam energumenos. H

DOmine, qui ſtudio ſalutis humanæ creaturis tuis vim benedictionis indidiſti, vt ad animarum noſtrarum ſanctificationis vtilitatem, creaturarum etiam corporalium miniſterio noſtris ſalus temporibus tribueretur, infunde ſanctificationem tuam huic oleo, vt ab his quæ vnxerit membra, fugatis inſidiis aduerſariæ poteſtatis, ſuſceptione præſentis olei, Sancti ſpiritus gratia ſalutaris debilitatem expellat, & plenam conferat ſoſpitatem, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Item benedictio olei Ambroſiana, quo vngendi ſunt catechumeni.

DEus Sacramenti huius inuentor atque diſpoſitor, qui præſentis liquoris pinguedine beatorum confirmaſti corpora, cordaque pontificum, quique in hac creatura excellentis nobilitatem nominis, vt eos Chriſtos faceres,

A indidiſti, qui niuentes ac delibutos antiſtites iuſſiſti participibus anteferri, dignum æſtimans elementum, quo Innocentiæ & variarum tribueretur forma virtutum, concede infuſione Sancti Spiritus olim tibi placitam præſentis olei confirmes nobiliteſque ſubſtantiam, vt quicquid ex eo in humano genere tactum fuerit, ad naturam tranſeat mox ſupernam, nec aliquid ſibi per vnctionem eius vendicet hoſtis antiquus, ſed doleat ſe telis beatæ huius propugnationis addictum, & pacis oleo vetuſti furoris comprimi ſuperbias ingemiſcat, Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Per quem hæc omnia.

Præfatio chriſmatis Ambroſiana.

VNanimes atque concordes, Fratres chariſſimi, Dei patris omnipotentis auxilium miſericordiæ deprecemur vt hoc vnguentum, quo in regali gloria populus eius veſtiendus eſt, cœleſti benedictione, & virtutis ſuæ
B vigore corroboret, & regmine eius plebs in æternum benedicta tueatur. Præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre.

Oratio ad conſummandam chriſmatis benedictionem.

DOminator Domine Deus, rex vnctus, auctor vnguenti, ſpecioſus forma, ſpecioſior vnctione, ſacrator ipſe tuus, ipſe omnium conſecrator, qui vnguentum de poteſtate ſanctificas, poteſtatem conſecras de vnguento: de vnguento feciſti chriſma, de chriſmate nomen quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine iſto ſit regalis vnctio Chriſtianis, in tuo ergo nomine fiat hæc creatura iam chriſma, & habeatur vt chriſma, forma crucis, ſignum frontis, ſacri titulus bellatoris. In hoc chriſmate mulceatur auditus, purificetur viſus, odoratus ſuaueſcat, ſaporetur guſtus, tactus in Trinitate ſit ſolidus, vt talibus ſtipendiis Domini milites decorati, atque Ambroſio rore madidi, imperanti ſeruiant, non ſuadenti: & ſignati
C chriſmate ſancto, ſigniferi eſſe mereantur cœleſtes. Per te Chriſte Ieſu ſaluator mundi, qui viuis & regnas Deus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Ordo in nocte Paraſceues.

IN nocte Paraſceues temporariè, id eſt, media nocte, paruum ligneum ſignum ſonetur. Collectis omnibus in Eccleſia, non dicatur, *Deus in adiutorium meum*, nec *Venite*, ſed Antiphona: *Aſtiterunt reges terræ*. Ad Pſalmos non dicatur *Gloria*, nec finis ſubtrahatur. Verſus dicatur pleniter, non ſubtrahendo finem. Dicantur autem nouem Pſalmi cum totidem reſponſoriis. Lectiones legantur tres de lamentationibus Hieremiæ Prophetæ, ab eo loco vbi ait, *Cogitauit Dominus diſſipare murum filiæ Sion*: vſque, *Miſericordiæ Domini multæ*: cum pronuntiatione *Aleph*. Tres de tractatu Sancti Auguſtini de Pſal. 63. Et tres de Apoſtolo, vbi ait ad Heb. cap. 5. *Feſtinemus ingredi*. Secunda lectio, *Omnis inquam Pontifex*. Tertia, *De quo grandis nobis ſermo eſt*. Lector benedictionem non petat, nec finem ſolitum faciat, ſed de ipſa lectione finem faciat. Lu-
D minaria ad Pſalmos ſingulos extinguantur. Deinde ſequuntur matutini. Ante *Benedictus*, non dicatur lectio, ſed verſus. Finito *Benedictus*, priuatim & ſub ſilentio dicantur preces & *Kyrie eleiſon*. Sic finiantur Matutini. Primam priuatim cantent eodem die, ſimiliter Tertiam, Sextam, Nonam, & Veſperam communiter in choro ſtantes.

Ordo in die Paraſceues.

FEria ſexta Paraſceues, quæ & ſexta ſabbati dicitur, Miſſa non cantatur, ſed neque in ſabbato ſancto, vſque ad vigilias noctis. In ipſo autem die, hoc eſt, feria ſexta, hora quinta, deportatur lumen, vt ſupra, ab Archidiacono ſeu præpoſito, & illuminentur lampades ſeptem, vel (vt alius Ordo vult) illuminentur inde duæ candelæ ad altare vbi officium agitur. Conueniunt autem omnes Eccleſiaſtici, nec non & laici & procedit Dominus Epiſcopus, vel qui vicem illius tenuerit in Eccleſia ſtatuta infra vrbem, non tamen in maiore Eccleſia, vbi mos eſt ſalutiferam ſalutare crucem. Et præparent ſe Presbyteri, & Archidiaconus, & Diaconi, vel cæteri, quantum opus eſt ad miniſtrandum Domino Pontifici ad Miſſam cum cantoribus & reliquis miniſtris, veſtibus quadrageſimalibus induti, ſcilicet, planetis fuſcis, non nudis pedibus: non licet Presbyterum, Diaconum, vel acolytum ad altare miniſtrare per nudos pedes. Procedentes itaque de ſacrario vſque ad altare abſque vllo cantu, proſtrato omni corpore in terram diutius, oratione completa, atque oſculato altari, vadunt ad ſedem Pontificis more ſolito. Et mittitur paruum linteum ſuper altare nudum de ſuo Euangelio. Ante Euangelium vero non portentur candelæ vel incenſum. Et dum veniens Pontifex de ſacrario proceſſerit ante altare ad orandum ſuper oratorium, ſicut mos eſt; ſtatim vt ſurrexerit, cum ſilentio aſcendit ad ſedem. Quo
E ſedente, ſtatim vt annuerit Archidiaconus Subdiacono, Subdiaconus aſcendit ad legendum, & legitur lectio prima in Oſeæ Prophetia: *In tribulatione ſua mane conſurgent*. Et poſt lectionem cantatur canticum, *Domine audiui*: Cum quatuor verſibus ſuis. Et dicit Pontifex, *Oremus*. Diaconus, *Flectamus genua*. Poſtea, *leuate*. Et dicat orationem: *Deus à quo & Iudas reatus ſui pœnam*. Qui tecum viuit. Deinde ſequitur altera lectio in Exodo: *Dixit Dominus ad Moyſen & Aaron*. Poſt quam ſequitur tractus. *Qui habitat*. Cantant hic aliqui Tractum nuperrime compilatum. *Eripe me Domine ab homine malo*. Quo finito, legitur abſque vlla ſalutatione. *Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti ſecundum Ioannem: Egreſſus trans torrentem Cedron*. Nec incenſum ibi portatur. Hac expleta, ſtatim duo diaconi nudant altare ſindone, quæ prius fuerat ſub Euangelio poſita, in modum furantis. Aliqui vero antequam legatur paſſio Domini, præparant ſindones duas ſibi inuicem cohærentes, & in eo verſu, vbi legitur: *Partiti ſunt veſtimenta mea ſibi*, ſcindunt hinc inde ipſas ſindones deſuper altare in modum furantis; *& ſecum auferunt*. Tunc venit Pontifex ante altare, ſiue, vt in alio ordi-
G ne legitur, tranſit in dexteram partem Eccleſiæ infra thronum, & dicit: *Oremus*. Et diaconus, *Flectamus genua* & orat diutiſſime. Et diaconus, *Leuate*. Et dicit orationes ſolemnes ad Hieruſalem.

ORemus, dilectiſſimi nobis, in primis pro Eccleſia ſancta Dei. Et cæteras per ordinem, ſicut in libro Sacramentorum continetur, ſicut ſupra in quarta feria pronuntiante diacono. *Flectamus genua*, niſi pro Iudæis tantum non flectantur genua.

Oremus, *Flectamus genua*.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui gloriam tuam: *Leuate*. Per eundem.

Oremus & pro beatiſſimo Papa noſtro.

Oremus, *Flectamus*.

Omnipotens ſempiterne Deus, cuius iudicio. *Leuate*: Per Dominum.

Oremus pro omnibus Epiſcopis.

Oremus, *Flectamus*.

Omnipotens ſempiterne Deus, cuius ſpiritu: *Leuate*. H
Per Dominum.

Oremus & pro Chriſtianiſſimo.

Oremus, *Flectamus*.

Omnipotens ſempiterne Deus, in cuius manu. *Leuate*: Per Dominum.

Oremus & pro catechumenis noſtris.

Oremus, *Flectamus*.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui Eccleſiam tuam. *Leuate*. Per Dominum.

Oremus dilectiſſimi nobis.

Oremus, *Flectamus*.

Omnipotens ſempiterne Deus, mœſtorum conſolator. *Leuate*. Per Dominum.

Oremus & pro hæreticis.

Oremus, *Flectamus*.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui ſaluas omnes. *Leuate*. Per.

A Oremos & pro perfidis Iudæis, vt Deus. Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui etiam Iudaicam perfidiam. Per.

Oremus & pro Paganis, vt Deus.

Oremus, *Flectamus.*

Omnipotens ſempiterne Deus, qui non mortem peccatorum. *Leuate.* Per.

Subdiaconi autem ſtent retro altare, vertentes ſe ad altare, & ibi ſicut cæteri flectentes genua, non tamen terga vertentes altari. Quas vt finierit, omnes tacitè exeunt foras.

Notandum verò eſt, quia in Romana Eccleſia extinguitur totus ignis in hac feria hora ſexta, & reaccenditur hora nona.

Presbyteri vero Eccleſiarum, ſiue de vrbe, ſeu de ſuburbanis, vadunt per Eccleſias ſuas, vt hoc ordine hora nona cuncta vſque ad veſperum faciant, hoc tantum mutantes: vt vbi Pontifex nominat Apoſtolicum, ipſi nominent Epi-
B ſcopum ſuum.

Ad veſperum verò tam in Eccleſia, vbi Pontifex dicit orationem, quam & in cæteris Eccleſiis presbyterorum: poſt orationes præparatur crux ante altare, interpoſito ſpatio inter ipſam & altare, ſuſtentata hinc inde à duobus acolytis, poſito ante eam orario. In cuius laudem dicitur, *Agios* cum verſibus iſtis.

POpule meus, quid feci tibi? aut in quo contriſtaui te? reſponde mihi. Quia eduxi te de terra Ægypti, paraſti crucem Saluatori tuo.

Agios ò theos, Agios iſchyros, Agios athanatos, eleiſon imas.

Sanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctus & immortalis, miſere nobis.

Quia ego eduxi te per deſertum quadraginta annos, & manna cibaui te, & introduxi in terram ſatis bonam, paraſti crucem Saluatori tuo. *Agios.*

C Quid vltra debui facere tibi, & non feci? ego quidem plantaui te vineam meam fructu decoram, & tu facta es mihi nimis amara: aceto namque ſitim meam potaſti, & lancea perforaſti latus Saluatori tuo. *Agios,* & Sanctus, vt ſup.

Canunt aliqui ad ſalutandam crucem etiam hoc reſponſorium Sancti Ambroſij, ex perſona ſanctæ Mariæ: Vadis propitiator ad immolandum pro omnibus: non tibi occurrit Petrus, qui dicebat, Pro te moriar: reliquit te Thomas, qui clamabat, dicens: *Omnes cum eo moriamur, & nullus de illis, ſed tu ſolus duceris, qui immaculatam me conſeruaſti filius & Deus meus.* Verſ. *Venite & videte Deum & hominem pendentem in cruce.* Qui. Sequitur Antiph. *Ecce lignum crucis, in quo ſalus mundi pependit: venite adoremus.* Pſalm. *Beati immaculati.*

Interea venit Pontifex ſolus, & adoratam deoſculatur crucem. Deinde Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, ac cæteri per ordinem deinde populus.

D

Oratio ad Crucem Domini in prima genuflexione.

DOmine Ieſu Chriſti, Deus verus de Deo vero qui pro redemptione generis humani ſerpentina ſuaſione decepti, mundum erroribus implicatum illuminare, & crucis patibulum ſubire voluiſti, vt & lignum ligno vinceres, & peccati hæreditariam mortem, morte potentiſſima ſuperares, exaudi me miſerum & indignum proſtratum ante oculos tuæ benigniſſimæ Maieſtatis, & adorantem te, & benedicentem nomen tuum ſanctum atque terribile, & concede mihi te puro corde ſapere, te laudare, te prædicare, & per vexillum huius ſanctæ Crucis, quam hodie in tuo nomine adoraturus adueni, mentem meam corpuſque ſanctifica, ſcuto fidei tuæ me circumtege, galeam ſalutis mihi impone, gladio ſpiritali accinge, vt contra hoſtem nequiſſimum bellaturus, & tuæ muniar miſerationis auxilio, & ſalutiferæ crucis vexillo, cunctique tuo ſancto nomine inſigniti, ab hoſtis perfidi ſint incurſione ſecuri. Per te Chriſte Ieſu, qui viuis.

E

Oratio in ſecunda genuflexione.

DEus qui Moyſi famulo tuo in via ſqualentis eremi ſerpentem æneum in media populi multudine, ad liberandas lethali veneno infectas animas, exaltare iuſſiſti, vt ſi quis mortifero vulnere afflictus, ad eum reſpiceret, & venenum exitiale euaderet & optatæ ſalutis vitam adipiſceretur: ſignificans teipſum futura longè poſt curricula, pro tui ſalute plaſmatis, crucis extollendum patibulo: vt quos diabolus armis inuidiæ captiuauerat, tua deſiderabilis paſſio ad patriam reuocaret, concede tam mihi miſero & peccatori, quam omnibus tuo cruore mercatis, qui hodie ſanctam paſſionem tuam ſupplices venerantur, lignumque vitæ adorant, vt diabolicas inſidias te adiuuante vincamus, & æternæ vitæ participes eſſe mereamur. Qui cum Patre.

F

Oratio in tertia genuflexione.

DOmine Ieſu Chriſte, qui nos per crucis paſſionem hodierna die de diabolica ſeruitute liberaſti, vt quo die hominem condideras, eodem & reformares: exaudi me miſerum & peccatorem coram hoc ſignaculo crucis confiteotem, & deprecantem, vt huius venerabilis & vitalis ligni tuitione munitus, & hoſtis nequiſſimi ignea tela repellere, & ab inflictis euacuare vulneribus & ad vitam æternam valeam peruenire. Per te Saluator mundi, qui cum Patre & Spiritu Sancto. Pontifex vero redit ad ſedem, vſque dum omnes ſalutent crucem. Nam ſalutante Pontifice vel populo crucem, cantatur ſemper antiphona: *Ecce lignum crucis, in quo ſalus mundi pependit: venite adoremus.* Cùm Pſal. 118. *Beati immaculati in via,* vt ſuprà, item antiph. *Crucem tuam adoramus Domine, & ſanctam reſurrectionem tuam laudamus & glorificamus: ecce enim propter crucem venit gaudium in vniuerſo mundo.* Pſalm.
G *Deus miſereatur noſtri.* item antiph. *Dum fabricator mundi mortis ſupplicium pateretur in cruce, Clamans voce magna tradidit ſpiritum: & ecce velum templi diuiſum eſt, monumenta aperta ſunt: terræmotus enim factus eſt magnus, quia mortem filij Dei clamabat mundus ſe ſuſtinere non poſſe. Aperto ergo lancea militis latere crucifixi Domini, exiuit ſanguis & aqua in redemptionem ſalutis noſtræ.* O admirabile pretium, cuius pondere captiuitas redempta eſt mundi, tartarea confracta ſunt clauſtra inferni, aperta eſt nobis ianua regni. Vnde ſup.

CRux fidelis, inter omnes
Arbor vna nobilis:
Nulla ſilua talem profert
Fronde, flore, germine:
Dulce lignum, dulces clauos,
Dulce pondus ſuſtinet.

Clero proſequente eundem verſum.

Pange lingua glorioſi
Prælium certaminis, H
Et ſuper crucis trophæo
Dic triumphum nobilem,
Qualiter Redemptor orbis
Immolatus vicerit. *Crux.*
De parentis protoplaſti
Fraude factor condolens,
Quando pomi noxialis
Morſu in mortem corruit,
Ipſe lignum tunc notauit,
Mortis damna vt ſolueret. *Crux.*
Hoc opus noſtræ ſalutis
Ordo depopoſcerat,
Multiformis proditoris
Ars vt artem falleret:
Et medelam ferret inde,
Hoſtis vnde læſerat. *Crux.*
Quando venit ergo ſacri
Plenitudo temporis,
Miſſus eſt ab arce patris

A *Natus, orbis conditor,*
Atque ventre virginali,
Caro factus, prodiit. Crux.
Vagit infans inter arcta
Conditus præſepia:
Membra pannis inuoluta
Virgo mater alligat,
Et pedes, manus & crura
Stricta cingit faſcia. Crux.
Luſtra ſex qui iam peractis,
Tempus implens corporis,
Se volente natus ad hoc,
Paſſioni deditus,
Agnus in crucis leuatur
Immolandus ſtipite. Crux.
Hic acetum, fel, arundo,
Sputa, claui, lancea,
Mite corpus perforatur,
Sanguis vnde profluit:
B *Terra, pontus, aſtra, mundus,*
Quo lauantur flumine. Crux.
Flecte ramos arbor alta,
Tenſa laxa viſcera,
Et rigor lenteſcat ille,
Quem dedit natiuitas,
Et superni membra regis,
Mitis tendas ſtipite. Crux.
Sola digna tu fuiſti
Ferre ſecli pretium:
Atque portum præparare
Nauta mundo naufrago,
Quem ſacer cruor perunxit,
Fuſus agni corpore. Crux.
Sit patri, natoque ſummo
Gratia cum ſpiritu,
Sempiternæ Trinitati
Laus, ſalus & gloria,
C *Quæ creauit, quæ redemit,*
Quæque nos illuminat. Crux.

Iſtis vero verſiculis in finem perductis, & cruce ſalutata, & in ſuo loco repoſita, duo Subdiaconi & Presbyteri duo priores intrant in ſacrarium, vel vbi poſitum fuerit Corpus Domini, quod pridie remanſit, ponentes illud in patenam. Et Subdiaconus teneat ante ipſos calicem cum vino non conſecrato, & alter Subdiaconus patenam cum corpore Domini. Quibus tenentibus, accipit vnus presbyter prior patenam, & alter calicem, & defertur ſuper altare nudatum. Tunc deſcendens Pontifex ante altare, inclinat ſe, & iterum eleuans, dicit: *Oremus Præceptis ſalutaribus moniti.* Finita inantea, *Pater noſter,* Sequitur, Libera nos, quæſumus Domine, ab omnibus malis præteritis, præſentibus & futuris, & intercedente beata & glorioſa ſemper Virgine Dei genitrice Maria,
D & beatis Apoſtolis tuis Petro & Paulo atque Andrea, cum omnibus ſanctis, da propitius pacem in diebus noſtris, vt ope miſericordiæ tuæ adiuti, & à peccato ſimus ſemper liberi, & ab omni perturbatione ſecuri. Per Dominum noſtrum: Vſque, *Per omnia ſæcula ſæculorum.* Cum vero dixerint, *Amen*: ſumit de ſancta, & ponit in calicem nihil dicens, niſi forte aliquid ſecretè dicere voluerit. Pax Domini, non dicit, quia non ſequuntur oſcula circum adſtantium. Sanctificatur autem vinum non conſecratum, per ſanctificatum panem, & communicant omnes cum ſilentio. Et ſic expleta ſunt vniuerſa. Et poſt paululum, veſperas dicit vnuſquiſque priuatim, & ſic vadunt ad menſam.

Ordo in nocte ſabbati ſancti.

IN ſabbato ſancto ad vigilias media nocte ſurgendum eſt, & ſimiliter, vt in Paraſceue fiunt omnia. Dicantur nouem pſalmi cum reſponſoriis. Tres lectiones legantur de lamentationibus Hieremiæ prophetæ, ſine pronuntiatione Aleph, Beth, & reliquorum, ab eo loco vbi dicit: Miſericordiæ Domini multæ, vſque ad finem. Et tres de Apoſtolo, vbi ait in epiſtola ad Hebræos, *Chriſtus aſſiſtens Pontifex.* Secunda lectio, *Vbi enim teſtamentum.* Tertia, *Vmbram enim habens lex bonorum futurorum*: Deinde legantur homiliæ Sanctorum Patrum, ad ipſum diem pertinentes. Et in candelis accedendis vel extinguendis; ſicut ſuperius habetur. E

Item ordo de ſabbato ſancto in die: primum qualiter catechizantur infantes.

SAbbati vero die ſancto, ac ſolemniſſimo, primo mane ornetur Eccleſia cum omnibus vtenſilibus ſuis. Poſt tertiam denique horam ſabbati procedant ad Eccleſiam, qui baptizandi ſunt, cum patrinis & matrinis, & ordinentur ab acolyto per ordinem, ſicut ſcripti ſunt, maſculi in dexteram partem, fœminæ vero in ſiniſtram: & tunc, qui poſſunt, reddunt orationem Dominicam, & ſymbolum, ſiue patrini pro ipſis, atque matrinæ eorum, qui eos ſuſcepturi ſunt. Et faciens crucem ſacerdos cum pollice in frontibus ſingulorum, dicit: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Poſtea impoſita manu ſuper capita ſingulorum, dicit hanc orationem ad catechizandos Infantes. F

Nec te latet, ſatanas, imminere tibi pœnas, imminere tibi tormenta, imminere tibi diem iudicij, diem ſupplicij ſempiterni, diem qui venturus eſt velut clibanus ardens, in quo tibi atque vniuerſis Angelis tuis æternus veniet interitus. Proinde damnate atque damnande, da honorem Deo viuo & vero, da honorem Ieſu Chriſto filio eius, & Spiritui Sancto, in cuius nomine atque virtute præcipio tibi, quicumque es, ſpiritus immunde, vt exeas, & recedas ab hoc famulo Dei, N. quem hodie Dominus noſter Ieſus Chriſtus ad ſuam ſanctam gratiam & benedictionem, fontemque baptiſmatis dono vocare dignatus eſt vt fiat eius templum per aquam regenerationis in remiſſionem omnium peccatorum: In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos & ſæculum per ignem. Ipſa expleta, tangit presbyter ſingulorum nares & aures de ſputo oris ſui, & dicit vnicuique ad aurem dexteram, *Effeta*, quod eſt, ad aperire, in odorem ſuauitatis, Ad ſiniſtram. *Tu autem effugare diabole appropinquabit enim iudicium Dei.* Poſtea vero tangit eis pectus, & interſcapilium de oleo ſancto crucem faciendo cum pollice, & vocatis nomine ſingulis, dicit: *Abrenuntias Satanæ?* Reſpon. *Abrenuntio.* Et omnibus operibus eius? Reſpon. *Abrenuntio.* Et omnibus pompis eius? Reſpon. *Abrenuntio.* Et ego te linio oleo ſalutis in Chriſto Ieſu Domino noſtro in vitam æternam. Reſpon. *Amen.* Hoc expleto, ambulat in circuitu impoſita manu ſuper capita eorum, decantando excelſa voce: *Credo in vnum Deum patrem*, & reliqua. Deinde vertit ſe ad fœminas, & facit ſimiliter. Poſtea dicitur eis ab Archidiacono: *Orate electi, flectite genua.* Et poſt paululum dicit, *Leuate.* Complete orationem veſtram in vnum, & dicite, *Amen.* Et reſpondent omnes, *Amen.* Iterum admonentur ab Archidiacono his verbis, catechumeni recedant. Si quis catechumenus eſt, recedat. Omnes catechumeni exeant foras. Iterum dicat diaconus: Filij chariſſimi, reuertimini in locos veſtros, expectantes horam qua poſſit circa vos Dei gratia baptiſmum operari. G H

Ipſo die, hora ſeptima, ingrediuntur ſacrarium Pontifex, Sacerdotes, & Leuitæ, & induunt ſe veſtimentis ſolemniſſimis, cum quibus vigilias ſanctas celebrare debent: diaconi dalmaticis, ſubdiaconi lineis aut ſericis albis, & deportet prior manſionarium in manu ſua, vt poſſit ex eo cereus accendi. Et procedant ſimul omnes de ſacrario foris baſilicam ordinatim, & accenſo cereo in loco mundo, pontifex ſiue presbyter faciens ſuper eum crucem, benedicit eum humili voce, ita vt à circumſtantibus poſſit audiri: ſchola interim cantante ſeptem pſalmos pœnitentiæ, hoc modo incipiens: *Dominus vobiſcum.* Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

A

Oremus.

DEus mundi conditor, auctor luminis, ſiderum fabricator: Deus, qui iacentem mundum in tenebris, luce perſpicua retexiſti, Deus, per quem ineffabili potentia omnium claritas ſumpſit exordium, te in tuis operibus inuocantes, in hac ſacratiſſima noctis vigilia de donis tuis tuæ ſuppliciter offerimus Maieſtati, non adipem carnis pollutum, non profana vnctione vitiatum, non ſacrilego igne contactum: ſed cera atque ſtuppa conſtructum, in tui nominis honore ſuccenſum, obſequio religioſæ deuotionis offerimus. Magnum igitur myſterium, & noctis huius mirabile Sacramentum dignis neceſſe eſt laudibus cumulari, in quo Dominicæ reſurrectionis miraculo diem ſibi introductum tenebræ inueteratæ ſenſerunt, & mors quæ olim fuerat æterna nocte damnata, in fonte veri fulgoris & lumine, captiuam ſe trahi dominicis triumphis
B obſtupuit, & quod præuaricante protoplaſto, tenebroſa præſumptione fuerat in ſeruitutem damnatum huius noctis miraculo, ſplendore libertatis irradiat. Ad huius ergo feſtiuitatis reuerentiam feruore ſpiritus deſcendentes, quantum deuotio humana exigit, tibi fulgore flammarum placita luminaria exhibemus, vt dum hæc fide integra perſoluuntur creaturæ tuæ etiam præconia extollantur. Flammæ lux quippè dicenda eſt, per quam poteſtas deitatis Moyſi apparere dignata eſt, quæ de terra ſeruitutis populo exeunti, ſalutifero lumine ducatum exhibuit, quæ tribus pueris in camino ſententia tyranni depoſitis, vitam blandimentis mollioribus reſeruauit. Nam vt præcedente huius gratia luminis, tenebrarum horror excluditur: ita Domine luceſcente maieſtatis tuæ imperio, peccatorum ſarcinæ diluuntur. Cùm igitur huius ſubſtantiæ miramur exordium, apum neceſſe eſt laudemus originem. Apes verò ſunt frugales in ſumptibus, in procreatione caſtiſſimæ: Ædificant cellulas cereo liquore fundatas, quibus humanæ peritiæ ars magiſtra non coæquatur. Legunt pedibus
C flores, & nullum damnum floribus inuenitur. Partus non edunt: ſed ore legentes, concepti fœtus reddunt examina, ſicut exemplo mirabili Chriſtus ore paterno proceſſit. Fœcunda eſt in his ſine partu virginitas, quam vtique Dominus ſequi dignatus, carnalem ſe matrem habere virginitatis amore conſtituit. Talia igitur Domine digna ſacris altaribus tuis munera offeruntur, quibus te lætari religio Chriſtiana non ambigit. Qui viuis.

Alia.

DOmine ſancte, pater omnipotens, æterne, in nomine tuo, & filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Spiritus Sancti benedicimus hunc ignem, & eum cum cera & omnibus eius alimoniis ſanctificamus, & ſigno Crucis Chriſti Ieſu Filij tui altiſſimi ſignamus, vt intus vel foris accenſus, non quod nocet incendat, ſed omnia ad vſus hominum neceſſaria calefaciat ſiue illuminet, & quæ ex hoc igne fuerint conflata vel calefacta, ſint benedicta, & omni humanæ ſaluti vtilia, vt non cum
D Nadab & Abiu, ignem tibi offerentibus alienum, incendamur, ſed cum Aaron Pontifice & filiis eius Eleazaro & Ithamaro, hoſtias tibi pacificas, Sancti Spiritus igne afflatas, immolare valeamus, & ſemper eiuſdem Spiritus Sancti igne vitia noſtra vre, cordaque luce ſcientiæ tuæ illumina, & animas noſtras fidei calore clarifica. Per eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, in vnitate eiuſdem.

Tunc accenditur ex eo cereus poſitus in arundine, & portatur ab Epiſcopo ſeu Abbate, vel præpoſito, & procedunt ſimul omnes de loco benedictionis in Eccleſiam cum ipſo cereo ſilentio nihil cantantes, proſequente eum omni populo, ſicut ſuprà. Aliqui tamen hic cantant hymnum Prudentij.

VERSVS.

INuentor rutili dux bone luminis,
Qui certis vicibus tempora diuidis:
Merſo ſole chaos ingruit horridum,
Lumen redde tuis Chriſte fidelibus.

Schola eundem verſum proſequente.

E

Quamvis innumero ſidere regiam,
Lunarique polum lampade pinxeris.
Incuſſu ſilicis lumina nos tamen
Monſtras ſaxigeno ſemine quærere. Inuen.
Ne neſciret homo ſpem ſibi luminis
In Chriſti ſolido corpore conditam,
Qui dici ſtabilem ſe voluit petram,
Noſtris igniculis vnde genus venit. Inuen.
Pingues quos olei rore madentibus
Lychnis, ac facibus paſcimus aridis,
Quin & fila fauis ſcirpea floreis,
Preſſo melle prius collita fingimus. Inuen.
Viuax flamma viget, ſeu caua teſtula
Succum linteolo ſuggerit ebrio,
Seu pinus piceam fert alimoniam,
Seu ceram teretem ſtuppa calens bibit. Inuen.
F *O res digna, Deus, quam tibi roſcida*
Noctis principio grex tuus offerat
Lucem, qua tribuis nil pretioſius:
Lucem, qua reliqua præmia cernimus. Inuen.
Tu lux vera oculis, lux quoque ſenſibus,
Intus tu ſpeculum, tu ſpeculam foris,
Lumen, quod famulans offero, ſuſcipe
Tinctum pacifici chriſmatis vnguine. Inuen.
Per Chriſtum genitum ſumme pater tuum,
In quo viſibilis ſtat tibi gloria.
Qui noſter Dominus, qui tuus vnicus
Spirat de patrio corde paraclitum. Inuen.
Per quem ſplendor, honor, laus, ſapientia,
Maieſtas, bonitas, & pietas tua,
Regnum continuat numine triplici,
Texens perpetuis ſæcula ſæculis, Amen.

TVnc illuminentur ex eodem lumine ſeptem lampades ante altare, quæ tamen prius ſine lumine erunt,
G ita compoſitæ, vt abſque vllo impedimento poſſint accendi. Cereus verò magnus, qui benedicendus eſt, ponitur in candelabro ante altare in medio Eccleſiæ, congregato hinc inde omni clero ſeu populo.

Deinde veniens Archidiaconus facit crucem in eo, & illuminat illum de nouo igne, & humiliter inclinatus, rogat vnum de ſacerdotibus vel leuitis, qui ibidem reuerenti adſtant, pro ſe orare, atque vt ſurrexerit, completur ab eo benedictio cerei prima, quaſi in modum legentis ita.

Benedictio cerei.

EXultet iam Angelica turba cœlorum, Exultent diuina myſteria, & pro tanti regis victoria tuba inſonet ſalutaris. Gaudeat ſe tellus tantis irradiatam fulgoribus, & æterni regis ſplendore illuſtrata, totus orbis ſe ſentiat amiſiſſe caliginem. Lætetur & mater Eccleſia, tanti luminis adornata fulgoribus, & magnis populorum vocibus hæc aula reſultet. Quapropter adſtantes vos fratres chariſ-
H ſimi, ad tam miram ſancti huius luminis claritatem, vna mecum quæſo Dei omnipotentis miſericordiam inuocate, vt qui me non meis meritis intra leuitarum numerum dignatus eſt aggregare, luminis ſui gratiam infundendo, cerei huius laudem implere præcipiat. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui cum eo viuit & regnat Deus in vnitate Spiritus Sancti.

Poſtea dicit ipſe Archidiaconus eleuata in altum voce: *Per omnia ſæcula ſæculorum.* Reſp. *Amen.* Dominus vobiſcum. Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.* Surſum corda. Reſpon. *Habemus ad Dominum.* Gratias agamus Domino Deo noſtro. Reſpon. *Dignum & iuſtum eſt.* Inde v[illegible] accedit in conſecrationem cerei, decantando quaſi canonem ita.

Verè dignum & iuſtum eſt, inuiſibilem Deum omnipotentem, Patrem, Filiumque eius vnigenitum, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, toto cordis ac mentis affectu, & vocis miniſterio perſonare: qui pro nobis

A æterno Patri Adæ debitum ſoluit, & veteris piaculi cautionem pio cruore deterſit. Hæc ſunt enim feſta paſchalia, in quibus verus ille agnus occiditur, eiuſque ſanguine poſtes conſecrantur. Hæc nox eſt, in qua primum patres noſtros filios Iſraël eduxiſti de Ægypto, quos poſtea rubrum mare ſicco veſtigio tranſire feciſti. Hæc igitur nox eſt, quæ peccatorum tenebras columnæ illuminatione purgauit. Hæc nox eſt, quæ hodie per vniuerſum mundum in Chriſto credentes à vitiis ſæculi, & caligine peccatorum ſegregatos, reddit gratiæ, ſociatque ſanctitati. Hæc nox eſt, in qua deſtructis vinculis mortis, Chriſtus ab inferis victor aſcendit. Nil enim nobis naſci profuit, niſi redimi profuiſſet. O mira circa nos tuæ pietatis dignatio. O inæſtimabilis dilectio charitatis: vt ſeruum redimeres, filium tradidiſti. O beata nox quæ ſola meruit ſcire tempus & horam, in qua Chriſtus ab inferis reſurrexit. Hæc nox eſt, de qua ſcriptum eſt: Hæc nox vt dies
B illuminabitur, & nox illuminatiò mea in deliciis meis. Huius igitur ſanctificatio noctis fugat ſcelera, culpas lauat, & reddit innocentiam lapſis, mœſtis lætitiam. Fugat odia, concordiam parat, & curuat imperia. In huius igitur noctis gratia, ſuſcipe ſancte pater incenſi huius ſacrificium veſpertinum, quod tibi in hac cerei oblatione ſolemni per miniſtrorum manus de operibus apum Sacroſancta reddit Eccleſia. Sed iam columnæ huius præconia nouimus, quam in honorem Dei rutilans ignis accendit: Qui licet ſit diuiſus in partes, mutuati luminis detrimenta non nouit. Alitur liquentibus ceris quas in ſubſtantiam precioſæ huius lampadis apis mater eduxit. O verè beata nox, quæ expoliauit Ægyptios, ditauit Hebræos: nox in qua terrenis cœleſtia iunguntur. Oramus te Domine vt cereus iſte in honore nominis tui conſecratus, ad noctis huius caliginem deſtruendam indeficiens perſeueret, atque in odorem ſuauitatis acceptus, ſupernis luminaribus miſceatur. Flammas eius lucifer matutinus inueniat: Ille, inquam,
C lucifer, qui neſcit occaſum: Ille, qui regreſſus ab inferis, humano generi ſerenus illuxit. Precamur ergo te Domine, vt nos famulos tuos, omnem clerum, & deuotiſſimum populum, vna cum beatiſſimo Papa noſtro N. & glorioſiſſimo rege noſtro N. eiuſque nobiliſſima coniuge N. necnon & antiſtite noſtro in his paſchalibus gaudiis conſeruare digneris. Per eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecum viuit & regnat Deus in vnitate Spiritus Sancti. Per omnia ſæcula ſeculorum. Amen. Cereo benedicto, illico illuminentur ab eodem in duobus candelabris alij duo cerei ſtaturam hominis habentes, & de ipſo nouo & benedicto igne accendunt in omni domo, quia omnis ignis anterior, qui tunc ardebat, extingui debet. Et hic ordo cerei benedicendi in forenſibus ciuitatibus agitur. Nam in Catholica Eccleſia infra ciuitatem Romanam non ſic benedicitur: ſed mane primo ſabbato ſancto venit Archidiaconus in Eccleſiam, & fundit ceram in vas mundum maius, & miſcitat ibidem oleum, & benedicit ceram, ex ea fundit ſimilitudinem agnorum,
D & ſeruat eos in loco mundo.

Benedictio cerei.

BEnedic Domine Ieſu Chriſte hanc creaturam ceræ ſupplicantibus nobis, & infunde ei per virtutem ſanctæ Crucis tuæ benedictionem cœleſtem, vt qui eam ad repellendas tenebras humano generi tribuiſti, talem ſignaculo ſanctæ Crucis tuæ fortitudinem & benedictionem accipiat, vt in quibuſcumque locis accenſa ſiue poſita fuerit diſcedat diabolus & contremiſcat, & fugiat pallidus, cum omnibus miniſtris ſuis de habitationibus illis, nec præſumat amplius inquietare vel illudere ſeruientes tibi. Qui cum Deo Patre.

Alia. E

BEnedico te cerà in nomine ſanctæ Trinitatis, vt ſis vbique diaboli effugatio, atque omnium contubernalum ſuorum exterminatio, adiuuante eadem ſancta & indiuidua Trinitate, quæ in vnitatis eſſentia viuit & regnat Deus. In octaua vero Paſchæ, dantur ipſi agni ab Archidiacono in ipſa Eccleſia poſt Miſſam & communionem populo, & ex eis faciunt incenſum accendi ad ſuffumigandum in domibus ſuis pro quacumque tribulatione eis euenerit neceſſitas. Similiter & in forenſibus ciuitatibus de cereo faciunt. Qui cereus per octo dies neophytorum præcedit Pontificem, qui eſt caput populi. Cùm autem Pontifex ſiue presbyter fuerit paratus, expectet clerus in ordine ſuo in choro vſque dum eis iuſſum fuerit obuiam illi venire, vt in Eccleſiam intret: eoque veniente ad ſedem ſuam, vel ſi in ſacrario ſedere voluerit,
alius presbyter dicat orationes ad altare per lectiones. Antea vero quam legantur lectiones, accipiant duo notarij ſupra ſcriptos cereos accenſos, & teneant illos, vnus in dextero cornu altaris, alter in ſiniſtro vſque ad fontes. Deinde aſcendens lector in ambonem legere, non pronuntiat Lectio libri Geneſis: ſed ſic inchoat, *In principio creauit Deus cœlum & terram*, planè & omnes alias lectiones ſimiliter inchoat. Et ante. In principio, non dicit Epiſcopus orationem. Ea perlecta, dicit Epiſcopus aut presbyter abſque ſalutatione, Oremus. Et diaconus non dicit, Flectamus genua. Sequitur oratio. F

Deus, qui mirabiliter creaſti hominem, & mirabilius redemiſti, da nobis quæſumus contra oblectamenta peccati, mentis ratione perſiſtere, vt mereamur ad gaudia æterna peruenire. Per. Sequitur lectio ſecunda de l. Exodi: *Factum eſt in vigilia matutina* Poſtea *Canticum*, *Cantemus Domino*. Sequitur Sacerdos & dicit, *Oremus*: *Deus cuius antiqua miracula etiam*. Deinde tertia lectio Eſaiæ prophetæ: *Apprehendent ſeptem mulieres virum vnum*.
Sequitur Cantic. *Vinea facta eſt*. Dicit ſacerdos, *Oremus*: Deus qui nos ad celebrandum paſchale Sacramentum. Sequitur lect. quarta Eſaiæ prophetæ: *Hæc eſt hereditas Domini*. Cant. *Attende cœlum*. Sequitur oratio: *Deus qui Eccleſiam tuam per gentium vocationem*. Cant. *Sicut ceruus*. Sequitur oratio: *Concede, quæſumus, omnipotens Deus, vt qui feſta paſchalia agimus.* G

Alia oratio de eodem Pſalmo.

OMnipotens ſempiterne Deus, reſpice propitius ad deuotionem.

Interim autem dum lectiones leguntur, presbyteri catechizent infantes, qui non ſunt catechizati, & præparent ad baptizandum. Expletis autem lectionibus vigiliarum Paſchæ per ordinem cum canticis ad ipſum diem pertinentibus & cum reliquo officio, ſtatim venientes duo acolyti, tenentes ampullas in manibus ſuis de chriſmate & oleo ſancto coopertas, & ſtantes in dextro cornu altaris, procedunt pontifici ſiue presbytero obuiam, pergenti ad
fontes: Secundus vero ſcholæ, tenet vas aureum in manu ſua ſiniſtra ſuper planetam, vnde pontifex mittat chriſma in fontem. Tunc deinde ſchola deſcendit ad fontes ad litaniam, faciendam, expectantes pontificem, & iuſſi faciunt litaniam ſeptenam. Deinde procedit pontifex de Eccleſia benedicendo cum omni decore & ordine ſacerdotum, cum litania quinta proſequente cum clero, vel populo vſque ad fontes, ſuſtentatus à diaconibus præcedentibus ante eum notariis cum duobus cereis ardentibus qui ante fuerant illuminati, ſtaturam hominis habentibus in altum, cum thuribulis & thymiamatibus. Et illi duo cerei vel cereoſtata illo die ſemper ante ipſum præcedunt vſque dum omnia fuerint finita. Et vt ventum fuerit ad Agnus Dei, ſemper illud cantant, vſque dum pontifex quidem annuit eis vt ſileant. Expleta autem litania ante fontem, adſtante omni clero vel populo in circuitu fontis facto ſilentio, benedicturus fontem hora iam nona, vt [illegible] eſt, dicit pontifex orationem Dominicam. H

A *Pater noſter qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum: Adueniat regnum tuum: Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra: Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie: Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris: Et ne nos inducas in tentationem: Sed libera nos à malo. Amen.*

Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ; & in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum, Dominum noſtrum: qui conceptus eſt de Spiritu Sancto: natus ex Maria Virgine: Paſſus ſub Pontio Pilato, Crucifixus, mortuus, & ſepultus: deſcendit ad inferna, tertia die reſurrexit à mortuis: aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: inde venturus eſt iudicare viuos & mortuos. Credo in Spiritum Sanctum, Sanctam Eccleſiam Catholicam: Sanctorum communionem, remiſſionem peccatorum, Carnis reſurrectionem, & vitam æternam, Amen.

Quo finito, iſtum dicat verſum: *Quoniam apud te eſt*
B *fons vitæ.* Reſp. *Et in lumine tuo.* Deinde, *Dominus vobiſcum.* Quod nuſquam alias in iſto officio dicendum eſt. Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, adeſto magnæ pietatis tuæ myſteriis, adeſto Sacramentis, & ad creandos nouos populos, quos tibi fons parturit, ſpiritum adoptionis emitte, vt quod noſtræ humilitatis gerendum eſt miniſterio, virtutis tuæ impleatur effectu. Per Dominum, &c.

Item aliam quaſi precationem decantet.

DEus qui inuiſibili potentia Sacramentorum tuorum mirabiliter operaris effectum, & licet nos tantis myſteriis exequendis ſimus indigni, tu tamen gratiæ tuæ dona non deſerens, etiam ad preces noſtras aures tuæ pietatis inclinas. Deus cuius ſpiritus ſuper aquas inter
C ipſa mundi primordia ferebatur, vt iam tunc virtutem ſanctificationis aquarum natura conciperet: Deus, qui naſcentis mundi crimina per aquas abluens, regenerationis ſpeciem in ipſa diluuij effuſione ſignaſti, vt vnius eiuſdemque elementi myſterio, & finis eſſet vitiis, & origo virtutibus reſpice Domine in faciem Eccleſiæ tuæ, & multiplica in ea regenerationes tuas, qui gratiæ tuæ affluentis impetu lætificas ciuitatem tuam, fontemque baptiſmatis aperis toto orbe terrarum gentibus innouandis, vt tuæ maieſtatis imperio ſumat vnigeniti tui gratiam de Spiritu Sancto.

Hic primam Crucem faciat cum manu ſua, diuidens aquas in modum crucis.

QVi hanc aquam regenerandis hominibus præparatam arcana ſui luminis admixtione fœcundet, vt ſanctificatione concepta ab immaculato diuini fontis
D vtero, in nouam renata creaturam, progenies cœleſtis emergat, & quos aut ſexus in corpore, aut ætas diſcernit in tempore, omnes in vnam pariat gratia mater infantiam. Procul ergo hinc iubente te Domine, omnis ſpiritus immundus abſcedat, procul tota nequitia diabolicæ fraudis abſiſtat: Nihil hic loci habeat contrariæ virtutis admixtio, non inſidiando circumuolet, non latendo ſurripiat, non inficiendo corrumpat. Sit hæc ſancta & innocens creatura, libera ab omni impugnatoris incurſu, & totius nequitiæ purgata diſceſſu. Sit fons viuus, aqua regenerans, vnda purificans, vt omnes hoc lauacro ſalutifero diluendi, operante in eis Spiritu Sancto, perfectæ purgationis indulgentiam conſequantur.

Hinc ſecundam Crucem faciat.

VNde benedico te creatura aquæ per Deum viuum, per Deum ſanctum, qui te in principio verbo ſeparauit ab arida, cuius ſpiritus ſuper te ferebatur, qui te de paradiſo manare, & in quatuor fluminibus totam terram rigare præcepit, qui te in deſerto amaram E
ſuauitate indita fecit eſſe potabilem, & ſitienti populo de petra produxit.

Hic tertiam Crucem faciat.

BEnedico te & per Ieſum Chriſtum filium eius vnicum Dominum noſtrum, qui te in Chana Galilææ ſigno admirabili ſua potentia conuertit in vinum, qui pedibus ſuper te ambulauit, & à Ioanne in Iordane in te baptizatus eſt, qui te vna cum ſanguine de latere ſuo produxit, & diſcipulis ſuis iuſſit, vt credentes baptizarentur in te, dicens: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes, eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

Hic mutat vocem.

HÆc nobis præcepta ſeruantibus tu Deus omnipotens clemens adeſto, tu benignus aſpira, tu has ſim- F
plices aquas tuo ore benedicito, vt præter naturalem emundationem, quam lauandis poſſunt adhibere corporibus, ſint etiam purificandis mentibus efficaces.

Hic deponitur cereus benedictus in fontem, & Sacerdos dicat celſa voce.

DEſcendat in hanc plenitudinem fontis virtus Spiritus tui, totamque huius aquæ ſubſtantiam regenerandi fœcundet effectu. *Hic tollitur cereus.* Hic omnium peccatorum maculæ deleantur, hic natura ad imaginem tuam condita, & ad honorem ſui reformata principij, cunctis vetuſtatis ſqualoribus emundetur, vt omnis homo hoc Sacramentum regenerationis ingreſſus, in veræ innocentiæ nouam infantiam renaſcatur. Per Dominum noſtrum, qui venturus. His omnibus expletis, in præſentia cleri Subdiaconus ſumens vas aureum, vnde mittitur G
chriſma in fontem, & effundens in id de ampullis vtriſque, id eſt, de oleo ſancto atque de chriſmate, donat Diacono, & ille Pontifici. Pontifex vero fundit chriſma de vaſculo aureo intra fontem ſuper ipſam aquam in modum crucis, dicens lenta voce: Sanctificetur & fœcundetur fons iſte renaſcentibus ex eo in vitam æternam. Et cum vaſe aureo miſceat ipſum chriſma cum aqua, & ſpargit cum manu ſua per omnem fontem, vel ſuper omnem populum circunſtantem. Hoc facto, omnis populus, qui voluerit, accipiat benedictionem, vnuſquiſque in vaſe ſuo de ipſa aqua, antequam ibi baptizentur paruuli, ad ſpargendum in domibus, & vineis, & campis, vel fructibus ſuis. Deinde Pontifex baptizet vnum, aut duos, vel quantum ei placuerit, de ipſis infantibus: Et tenente eo infantem, à quo ſuſcipiendus eſt, interrogat Pontifex ita: *Quis vocaris?* Reſpondet ille. Item interrogat Pontifex: Credis in Deum patrem omnipotentem, Creatorem cœli & terræ? Reſp. *Credo.* Credis & in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum Dominum noſtrum, natum & paſſum? Reſp. H
Credo. Item: Credis & in Spiritum Sanctum, ſanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, & vitam æternam? Reſp. *Credo.* Interrog. Vis baptizari? Reſp. *Volo.* Tunc accipit eum, & dicit: *Et ego baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Et reddit eum patrinis vel matrinis.

Deinde Presbyteri aut Diaconi, etiam ſi neceſſe fuerit, & acolyti, induentes ſe veſtibus mundis vel candidis, ingrediuntur in fontem intro in aquam, & baptizantur primo maſculi, deinde fœminæ, ſub hac interrogatione. *Quis vocaris?* Reſp. Ille, vel illa. Credis in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ? Reſp. *Credo.* Credis & in Ieſum Chriſtum Filium eius vnicum Dominum noſtrum, natum & paſſum? Reſp. *Credo.* Credis & in Spiritum Sanctum, ſanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, & vitam æternam. Reſp. *Credo.* Vis baptizari? Reſp. *Volo.* Et acceptis infantibus à parentibus vel patrinis eorum, baptizant eos

ſub

A ſub trina merſione, tantum ſanctam Trinitatem ſemel inuocantes, ita dicendo: *Et ego baptizo te in nomine Patris.* Et mergit ſemel. *Et filij*, Et mergit iterum: *Et Spiritus ſancti*, Et mergit tertio.

Vt autem ſurrexerint à fonte, illi qui eos ſuſcipiunt, leuantes ipſos infantes in manibus ſuis, offerunt eos vni presbytero. Ipſe vero presbyter facit de chriſmate crucem cum pollice in vertice eorum, ita dicendo.

Deus omnipotens, pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui te regenerauit ex aqua & ſpiritu ſancto, quique dedit tibi remiſſionem omnium peccatorum, ipſe te linit chriſmate ſalutis in Chriſto Ieſu Domino noſtro in vitam æternam. Reſp. *Amen.* Et ſint parati qui eos ſuſcepturi ſunt, cum linteis in manibus eorum, & accipiant ipſos à pontifice & presbyteris vel diaconibus qui eos baptizant.

Pontifex ergo egreditur à fonte in ſacrarium, habens ibi compoſitam ſedem, vel in Eccleſia, vbi voluerit, & ſedeat in ea, vt cum veſtiti fuerint infantes, confirmet B eos. Et deportantur ipſi infantes ante eum, & dat ſingulis ſtolam candidam, & chriſma, & decem ſiliquas, dicens: *Accipe veſtem candidam & immaculatam, quam perferas ante tribunal Domini noſtri Ieſu Chriſti in vitam æternam. Pax tibi.* Reſpon. *Amen.* Et ſic veſtiuntur. Induti vero ordinantur per ordinem, ſicut ſcripti ſunt, in circuitu, & infantes quidem in brachiis dextris tenentur: maiores vero pedem ponunt ſuper pedem patrini ſui. Interim ſchola iuſſa facit litaniam ad fontem ante altare, primo ſeptenam, & ſpatio facto faciunt alteram quinam, ita enim inchoatur. Stat primicerius vnus in dextro choro, & dicit cum ipſo Kyrie eleiſon, & reſpondet ſecundicerius cum ſiniſtro choro, Kyrie eleiſon, vſque tot hoc ſunt ſeptem vices repetitæ, vnde & ſeptenæ dicuntur. Poſt hæc *Chriſte audi nos*, vſque ſepties, & ſic per ordinem. Hoc ordine, interuallo facto, ſequuntur, vt prædictum eſt, litaniæ quinæ, id eſt, quinquies repetitæ. Pontifex vero veniens ad infantes, tenente archidiacono chriſma, inuolutis ſcapulis & brachiis ex panno li- C neo, eleuata & impoſita manu ſuper capita omnium, det orationem ſuper eos, cum inuocatione ſeptiformis gratiæ Spiritus ſancti.

Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos & has famulas tuas ex aqua & ſpiritu ſancto, quique dediſti eis remiſſionem omnium peccatorum, emitte in eos ſeptiformem ſpiritum tuum ſanctum paraclitum de cœlis, *Amen.* Spiritum ſapientiæ & intellectus. *Amen*: Spiritum conſilij & fortitudinis *Amen*: Spiritum ſcientiæ & pietatis, *Amen*: Adimple, eos ſpiritu timoris tui. *Amen*: Et conſigna eos ſigno crucis Chriſti, in vitam propitiatus æternam. Per. *Amen.* Oratione expleta, interrogantibus diaconibus nomina ſingulorum, Pontifex tincto pollice in chriſmate, faciat crucem in frontibus ſingulorum ita dicendo: Confirmo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Reſponſ. *Amen. Pax tecum.* Reſponſ. *Et cum ſpiritu tuo.* Iterum, D confirmatis omnibus, dicit hos verſus: *Ecce ſic benedicetur homo qui timet Dominum.* Benedicat vobis Dominus ex Sion, vt videatis bona Hieruſalem omnibus diebus vitæ veſtræ. Cuſtodiat vos Dominus in timore ſuo ſanctiſſimo, qui viuit & regnat Deus in ſecula ſeculorum Reſp. *Amen.* Pax vobiſcum. Reſpon. Et cum ſpiritu tuo.

Item oratio poſt Confirmationem.

DEus qui Apoſtolis tuis ſanctum dediſti ſpiritum, & per eos eorumque ſucceſſores cæteris fidelibus tradendum eſſe voluiſti, reſpice propitius ad humilitatis noſtræ famulatum, & præſta, vt eorum corda, quorum frontes ſacro chriſmate deliniuimus, & ſigno crucis deſignauimus, idem Spiritus ſanctus adueniens, templum gloriæ ſuæ dignanter habitando perficiat. Per. in vnitate eiuſdem Spiritu ſancti.

Hoc autem omnino precauendum eſt, vt non negli- E gatur, quia tunc omne baptiſmum legitimum Chriſtianitatis nomine confirmatur. Quibus expletis, iuſſi incipiunt in Eccleſia litaniam tertiam, trinam, ordine ſupra ſcripto & campanæ tanguntur, & ingrediuntur ad Miſſam. Et cum dixerint, *Agnus Dei*, magiſter ſcholæ dicit excelſa voce. *Accendite.* Tunc primum illuminantur omnes cerei neophytorum, quos manibus tenent, & illuminatur Eccleſia. Ea vero quæ ſequuntur, id eſt, *Chriſte audi nos*, & *Kyrie eleyſon* tandiu debent moroſe repeti, vt miniſtri queant procedere. Nam miniſtri ita debent eſſe præparati ante oſtium ſacrarij, vt cum magiſter ſcholæ dixerit: *Accendite*, abſque mora procedant ad altare. Et procedit pontifex de ſacrario cum ingenti decore, cum thimiamateriis, & duobus cereis vnde ſuperius diximus, & ſtant ſicut antea à dextris & à ſiniſtris altaris. Litania expleta dicit pontifex: *Gloria in excelſis Deo.* Quo finito, dicit: *Pax vobiſcum.* Reſp. Et *cum ſpiritu tuo.*

F

Oremus.

DEus qui hanc ſacratiſſimam noctem gloria Dominicæ reſurrectionis illuſtras, conſerua noua familiæ tuæ progenie adoptionis ſpiritum, quem dediſti, vt corpore & mente renouati, puram tibi exhibeant ſeruitutem Per Deinde lect. *Si conſurrexiſtis cum Chriſto.* Allel. *Confitemini Domino.* vel Reſpon. *Laudate Dominum.* Euang. *Veſpere autem ſabbati.* Ante Euangelium non portent lumen in ipſa nocte, ſed tantum incenſum Nec cantent offertorium, neque *Agnus Dei*, nec communionem, ſed Miſſam per ordinem, & *Pater noſter. Vſque, Pax Domini ſit ſemper vobiſcum.* Et oſculum pacis inter ſe non faciunt. Poſtquam omnes communicauerint, dicitur oratio ad complendum. Deinde dicit diaconus: *Ite, Miſſa eſt*, ſecundum Romanum ordinem: ſed vſus Eccleſiæ, non vult hoc propter veſperos. In hac nocte de veſpertinali ſynaxi apud Romanos nihil agitur, neque ante Miſſam, neque poſt Miſſam. Apud nos autem vnus de ſchola cui iuſſum fuerit, pro anthiphona incipit Alleluia ad veſperum. Et dum communicauerint, cantatur pro veſpera G feſtinanter pſalmus, *Laudate Dominum omnes gentes.* Ante Magnificat vero lectio non dicitur, vel verſus, ſed Antiph. *Veſpere autem ſabbati.* Finito Magnificat, dicat ſacerdos hanc orationem.

DEus, qui renatis ex aqua & ſpiritu ſancto cœleſtis regni pandis introitum, auge ſuper famulos tuos gratiam, quam dediſti, vt qui ab omnibus ſunt purgati peccatis, a nullis priuentur promiſſis. Per. Illud autem paruulis, prouidendum eſt, ne poſtquam baptizati fuerint, vllum cibum accipiant, neque lactentur ſine ſumma neceſſitate, antequam communicent ſacramento corporis Chriſti. Et poſtea per totam hebdomadam Paſchæ omnibus diebus ad Miſſam veniant, & parentes eorum pro ipſis offerant & communicent. Item ipſa die diuturnalem curſum ſeparatim canunt. Tunc finitis omnibus deſcendat pontifex cum omni decore vſque in cubiculum ſuum cum pace & gaudio. Eodem die dominus Papa, & cæteri Romani oua manducant & formaticum, id eſt, caſeum.

H

Benedictio caſei in eodem ſabbato.

DIgnare Domine omnipotens benedicere & ſanctificare hanc creaturam caſei, quam ex adipe animalium producere dignatus es, quicumque ex populis ſuis fidelibus inde comederint, omni benedictione cœleſti, & gratiæ tuæ ſaturitate repleantur in bonis. Per.

Item in monaſteriis quomodo fiat in ſabbato ſancto.

VBi autem baptiſmum non fit, aqua benedicatur à ſacerdote, & aſpergatur in omni domo. Poſtea vt ordo eſt, ſicut manifeſtatur in ſacramentorum codice, ſic canent: Et vt finierint, abſque vllo cantu reuertatur in ſacrarium. Poſtea ingrediantur ad veſperum. Poſtea modico interuallo, vt fuerit prima ſtella in cœlo viſa ſonant ſigna, & incipiunt canere litaniam ad introitum, & ſtatim cum magno decore cum ſeptem candelabris & cereis, cum incenſo & thuribulis procedit ſacerdos, ca-

oentibus interim clericis litaniam. Poſtquam finierint, dicit ſacerdos, *Gloria in excelſis Deo* : Poſtea dicit orationem, & legitur Apoſtolus. Hic autem ſupra ſcriptus ordo baptiſmi ſicut in hoc ſabbato Paſchæ, ſic & in ſabbato Pentecoſtes omnimodis celebretur.

Ordo in vigilia ſancti Paſche in nocte.

IN vigilia Reſurrectionis Domini ante mediam noctem populus non eſt dimittendus de Eccleſia, iuxta canonum ſanctiones. In ipſa nocte matutina luce rumpente tenebras, ſurgentes, in Eccleſiam veniunt, & mutua charitate ſe inuicem oſculantes, dicunt : *Surrexit Dominus de ſepulcro.* Deinde dicit : *Domine labia mea aperies, Et os meum annuntiabit laudem tuam. Deus in adiutorium meum intende.* Super *Venite*, dicant : *Alleluia*, de Antiph. *Praeoccupemus faciem Domini.* Sequuntur tres pſalmi cum antiphonis : *Ego ſum qui ſum*, Pſalm. *Beatus vir.* Antiph. *Poſtulaui.* Pſal. *Quare fremuerunt.* Antiph. *Ego dormiui.* Pſalm. *Domine, quid multipli.* Sequuntur lectiones tres de homiliis ſanctorum patrum, ad ipſum diem pertinentes cum reſponſoriis. Sequitur Matutina cum antiph. Infra albas Paſchæ ſuper *Venite*, dicitur antiph. *Surrexit Dominus vere.* Et tres Pſalmos per nocturnum imponunt per ſingulas noctes, & ſic per omnes Pſalmos cantatur *Alleluia*, vſque in octauas Paſchæ, hoc ordine. Feria ſecunda. Pſalm. *Cum inuocarem.* Pſam. *Verba mea.* Pſalm. *Domine ne in furore tuo.* feria tertia. Pſalm. *Domine Deus meus.* Pſalm. *Domine dominus noſter.* Pſalm. *in Domino confido.* Feria quarta. Pſalm. *Saluum me fac Domine.* Pſam. *Vſque quo Domine.* Pſal. *Dixit inſipiens.* Feria quinta. *Domine quis habita.* Pſalm. *Conſerua me.* Pſal. *Exaudi Domine.* Feria ſexta. Pſal. *Cœli enarrant.* Pſal. *Exaudiat te.* Pſal. *Domine in virtute.* Sabbato. Pſ. *Domini eſt terra.* Pſ. *Ad te Domine leuaui* Pſ. *Iudica me Domine quoniam.* Item à Paſcha vſque ad octauas ad nullum curſum cantatur reſponſorius, nec lectio recitatur : ſed pro verſo & reſponſorio cantatur reſponſorios gradualis. *Hæc dies.* Et de Alleluia tantum prima.

Item ordo in die ſancto Paſche.

DIe ſancto Paſchæ induti ſolenniſſimis veſtimentis omnes clerici conuenientes ad ſtationem ad ſanctam Mariam maiorem, primitus cantent Tertiam. Qua finita, reſperſi aqua ſancta, quæ pridie collecta eſt de fonte, tam ipſi, quam & omnis populus, procedunt cum omni decore, cum crucibus & thymiamateriis, præcedentibus etiam ſanctis Euangeliis cantantes antiphonas proceſſionales

Antiphona ad Proceſſiones.

IN die reſurrectionis meæ, dicit Dominus, alleluia, congregabo gentes, & colligam regna, & effundam ſuper vos aquam mundam. Alleluia alleluia. Vidi aquam egredientem de templo à latere dextro, alleluia & omnes, ad quos peruenit aqua iſta, ſalui facti ſunt, & dicent, alleluia, alleluia.

Alia.

CVm rex gloriæ Chriſtus infernum debellaturus intraret, & chorus Angelicus ante faciem eius portas principum tolli præciperet, ſanctorum populus qui tenebatur in morte captiuus, voce lachrymabili clamauerat : Aduenisti deſiderabilis quem expectabamus in tenebris, vt educeres hac nocte vinculatos de clauſtris : Te noſtra vocabant ſuſpiria, te larga requirebant lamenta : tu factus es ſpes deſperatis, magna conſolatio in tormentis, alleluia.

Cum verſibus iſtis in laudem ſancti Paſchæ:

SAlue feſta dies, toto venerabilis æuo,
Qua deus infernum vicit, & aſtra tenet.
Ecce renaſcentis teſtatur gratia mundi
Omnia cum Domino dona rediſſe ſuo. Salue.
Namque triumphanti poſt triſtia tartara Chriſto,
Vndique fronde nemus, gramina flore fauent Salue.
Legibus inferni oppreſſis, ſuper aſtra meantem
Laudant rite Deum lux, polus, arua, fretum. Salue.
Qui crucifixus erat Deus, ecce per omnia regnat:
Dantque creatori cuncta creata precem. Salue.
Nobilitas anni, menſium, lux alma dierum,
Horarum ſplendor ſtridula cuncta fauent. Salue.
Chriſte ſalus rerum, bone conditor, atque redemptor,
Vnica progenies ex Deitate Patris: Salue.
Funeris exequias pateris vita auctor & orbis,
Intrans mortis iter, dando ſalutis opem. Salue.
Pollicitam ſed redde fidem precor alma poteſtas:
Tertia lux redit ſurge ſepulte meus. Salue.
Solue catenatas inferni carceris vmbras,
Et reuoca ſurſum quicquid ad ima ruit. Salue.
Redde tuam faciem, videant vt ſecula lumen:
Redde diem, qui nos, te moriente, fugit. Salue.
Eripis innumerum populum de carcere mortis,
Et ſequitur liber, quo ſuus auctor adit. Salue.
Hinc tumulum repetens poſt tartara, carne reſumpta.
Belliger ad cælos ampla trophæa refers. Salue

Quibus expletis, ingrediuntur Eccleſiam cum Antiphona Sedit Angelus ad ſepulchrum Domini, ſtola claritatis coopertus : videntes eum mulieres, nimio terrore perterritæ, ſubſtiterunt à longe. Tunc locutus eſt Angelus, & dixit eis : Nolite metuere, dico vobis, quia ille, quem quæritis mortuum, iam viuit, & vita hominum cum eo ſurrexit, Alleluia. Verſ. *Crucifixum in carne laudate, & ſepultum propter nos glorificate, reſurgentemque de morte adorate.* Nolite verſ. *Recordamini, quomodo prædixit, quia oportet filium hominis crucifigi, & tertia die à morte ſuſcitari.* Nolite. Antiph. Maria & Martha cum veniſſent ad monumentum, Angeli ſplendentes apparuerunt, dicentes : Quem quæritis viuentem cum mortuis, non eſt hic : venite, & videte locum vbi iacuit. Cito euntes, dicite diſcipulis eius & Petro, ſurrexit Chriſtus qui creauit omnia, miſertus eſt humano generi, Alleluia.

Et ita ingrediuntur ad Miſſam. Ad introitum imponit cantor antiph. *Reſurrexi.* Pſalm. *Domine probaſti.* Dicitur oratio prima : *Deus qui hodierna die per vnigenitum tuum.* Legitur epiſtola ad Corint. *Expurgate vetus fermentum.* Grad. *Hæc dies*, verſ. *Confitemini Domino.* Allel. Verſ. *Paſcha noſtrum.* Verſ. *Epulemur.* Euangelium ſecundum Marcum : *Maria Magdalene, & Maria Iacobi & Salome.* Inde completur Miſſa ordine ſuo. Et communicant omnes.

Item ſecundum Romanos.

DIe reſurrectionis Dominicæ, procedente Pontifice ad ſanctam Mariam cum ordinibus ſuis, notarius regionarius ſtat in loco, qui dicitur Merulanas : & ſalutato Pontifice, dicit : *In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti*, baptizati ſunt heſterna nocte in ſancta Dei genitrice Maria infantes maſculi, numero tanti, fœminæ tantæ. Reſpondet Pontifex. *Deo gratias.* Et accipit à ſacellario ſolidum vnum. Pontifex autem pergit ad ſtationem.

IN die vero ſancti Paſchæ primo omnes acolyti regionis tertiæ, & defenſores omnium regionum, conuenientes diluculo in patriarchio Lateranenſi, præcedunt pontificem pedeſtres ad ſtationem. Secunda feria, regio quarta : Tertia feria, regio quinta. Feria quinta, regio ſeptima. Feria ſexta, regio prima. Sabbato, regio ſecunda ordine proprio, tam in proceſſione, quam in eccleſia, vel vbicunque eos propria dies ratione ſui gradus priſca conſtitutione ire, vel miniſtrare compulerit, à miniſterio pontificis non poterit ſine vlla deeſſe excommunicationis ſententia, vel animaduerſionis diſciplina. Quorum miniſteria penitus ſecundum rationem ſimplicem dupliciter diebus ſingulis diuiduntur, id eſt, in proceſſione Apoſtolici ad ſtationem, & in egreſſu ſacrarij, vſque ad Miſſarum conſummationem. Sed, dum venerit pontifex prope eccleſiam, exeuntes acolyti & defenſores ex regione illa, præſtolantur eum in loco ſtatuto antequam veniat vbi deſcenſurus eſt. Similiter presbyter Eccleſiæ cum ſubdito ſibi presbytero, & manſionario

A thymiamateria deferentibus in obſequium illius dum venerit. Et acolyti quidem cum defenſoribus primum, deinde presbyter cum ſuis petita benedictione, diuiſis hinc inde partibus, præcedunt pontificem vſque ad Eccleſiam. Cum vero Eccleſiam introierit, deſcendens in ſecretarium, mutet veſtimenta ſua ſolemnia, & miniſtri ante ianuam eiuſdem ſecretarij mutent veſtimenta ſua, & paret Euangelium, qui lecturus eſt. Et dum pontifex innuit vt pſallant, mox incipit prior ſcolæ antiphonam ad introitum, & ita ingreditur pontifex ad Miſſam cum ordinibus ſuis. Celebrata autem Miſſa, & communicantibus omnibus det orationem ad complendum, & innuente eo, vnus ex diaconis dicit: *Ite, Miſſa eſt*. Reſp. *Deo gratias.* Tunc ſeptem cereoaſta præcedunt pontificem, & ſubdiaconus regionarius cum thuribulo ad ſecretarium. Deſcendente autem illo in presbyterium, epiſcopi primum dicant, *Iube Domine benedicere.* Et ſtatim pontifex dat benedictionem ita, *Benedicat nos Dominus.* Reſp. *Amen.* Poſt Epiſcopos presbyteri. Deinde B monachi, deinde ſchola, deinde milites draconarij, id eſt, qui ſigna portant: poſt eos baioli, poſt eos cereoſtatarij. Poſt quos acolyti, qui rugam obſeruant, Poſt eos extra presbyterium cruces portantes, deinde manſionarij iuniores, & intrant in ſecretarium.

Benedictio Agni in Paſcha.

Poſt celebratam Dominicæ ſancti Paſchæ ſolemnitatem, poſtque etiam tranſactos ieiuniorum dies, iam animabus ſpiritualibus dapibus refectis de menſa tuæ maieſtatis, offerimus famuli tui pro huius fragilitate corpuſculi aliquantulum reparandi, hanc vſui noſtro conceſſam creaturam agni, poſcentes vt cum ore proprio nobis ſignantibus benedicas, ac dextera tua ſanctifices, & vniuerſis ex eo ſumentibus miniſtrata munuſcula grata effici præſtes, atque his cum gratiarum actione perceptis, te Deum, qui es cibus vitæ & animæ noſtræ, magis & inhianter deſideremus, & indefeſſe fruamur. C Per.

Benedictio aliarum carnium.

Deus vniuerſæ carnis qui Noë, & filiis ſuis de mundis & immundis animalibus præcepta dediſti, quique ſicut olera herbarum humano generi quadrupedia munda edere permiſiſti, quique agnum in Ægypto Moyſi & populo tuo in vigilia Paſchæ comedere præcepiſti, in figura agni Domini noſtri Ieſu Chriſti, cuius ſanguine omnia primogenita tibi de mundo redemiſti, & in nocte illa omne primogenitum in Ægypto percutere præcepiſti, ſeruans populum tuum agni ſanguine prænotatum: dignate Domine Deus omnipotens benedicere, & ſanctificare has ouium mundarum, ſiue aliorum animalium carnes, vt quicunque ex eis de famulis tuis fidelibus comederint, omni benedictione cœleſti, & gratia ſaturati, repleantur in bonis. Per eundem Dominum.

D *Benedictio lactis & mellis.*

Benedic Domine has creaturas lactis & mellis, & pota famulos tuos fonte perenni, qui eſt ſpiritus veritatis, & enutri eos de hoc lacte & melle. Tu enim Domine promiſiſti patribus noſtris, Abrahæ, Iſaac, & Iacob, dicens: Introducam vos in terram promiſſionis, terram fluentem lacte & melle. Coniunge Domine famulos tuos ſpiritu charitatis & pacis, ſicut coniunctum eſt hoc lac & mel in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Qui tecum viuit & regnat.

Item ordo in eodem die ſancto ad veſperum, & vſque ad octauas Paſcha.

Die ſancto Paſchæ conueniente ſchola temporibus cum Epiſcopis & diaconibus ad ſanctum Ioannem in Eccleſia maiore ad locum Crucifixi, incipiunt Kyrie eleyſon, & veniunt vſque ad altare: aſcendentibus diaconibus in pogium, Epiſcopi & presbyteri ſtatuuntur in locis ſuis, & ſchola ante altare. Finito *Kyrie eleyſon*, annuit archidiaconus primo ſcholæ, & ille inclinans ſe illi, incipiat E Alleluia cum Pſalmo, *Dixit Dominus Domino meo.* Poſt hunc innuit ſecundo ſcholæ, vel cui voluerit, ſed & omnibus incipientibus hoc modo præcipit. Dicitur igitur Alleluia, cum pſal. *Confitebor.* Inde ſalutat primus ſcholæ archidiaconum, & illo innuente, dicit primus ſcholæ Alleluia cum pſalmo, *Beatus vir.* Quo finito, primus ſcholæ cum paraphoniſtis infantibus incipiat reſponſorium gradualem, *Hæc dies*, cum verſu, *Confitemini Domino.* Quo finito, incipiat primus ſcholæ cum melodiis intrantibus *Alleluia, Paſcha noſtrum.* Et reſpondent paraphoniſtæ. Sequitur verſus: *Epulemur;* Inde melodia. Hoc ordine expleto, incipit archidiaconus in Euangelio antiphonam, Et reſpicientes. Poſt hanc dicit ſacerdos orationem: & deſcendunt ad fontes cum antiphona, In die reſurrectionis meæ. Quam vt finierint, dicit primus ſcholæ *Alleluia*, cum pſalmo, *Laudate pueri Dominum.* Deinde alleluia cum pſalm. *In exitu Iſrael.* Deinde primus ſcholæ dicit cum pueris, alleluia, *Venite exultemus*, cum verſu, *Præoccupemus.* Poſt hunc F ſequitur diaconibus, & dicit antiphonam: *Cito euntes*, Deinde ſequitur Oratio. Tunc vadunt ad crucem, canentes antiph. *Vidi aquam.* Siue, Chriſtus reſurgens à mortuis. Et ſequitur oratio. Deinde deſcendunt primates Eccleſiæ ad accubita, inuitante notario vice domini, & bibunt ter, & de Græco primo, de Pactiſi ſecundo, de Procoma tertio. Poſtquam biberint omnes presbyteri & acolyti per ſingulos titulos, redeunt ad faciendos veſperos. Ipſi enim tantummodo ſuper pſalmos Alleluia dicunt, & ante Euangelium reſponſorium gradualem, *Hac dies.* ſine verſu, & Alleluia tantum primum. Deinde orationem. Et bibent de dato presbyteri. Hæc ratio per totam hebdomadam, ſeruabitur vſque in Dominicam poſt albas, *Alleluia*, & antiphonis mutatis tantum ſingulis diebus, pſalmos vero eoſdem canunt: Item: infra albas ſingulis diebus ad Matutinos leguntur homiliæ ad ipſum diem pertinentes.

De Sabbato infra albas.

G Sabbato infra albas albati, qui in ſabbato ſancto baptizati fuerint, albis veſtibus exuuntur.

Benedictio aquæ ad albas deponendas.

Domine ſancte pater omnipotens, æterne Deus, creator generis humani, nos qui per te redempti ſumus, & per gratiam pietatis tuæ in fonte aquæ baptiſmi renati ſumus; dignare quæſumus huic creaturæ per ſignum crucis ſobrietatem infundere, vt ſicut per fontem baptiſmi imbuti ſumus, ita ſuper hanc aquam poſt fontem ſacrum ad abluendas albas offerimus, veniat Spiritus Sanctus tuus, qui in fonte baptiſmi, & in confeſſione nominis tui peccata extinxit. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate eiuſdem Spiritus Sancti.

H *De obſeruanda vnctione Chriſmatis.*

Qvanto autem tempore generaliter ab Eccleſia celebratur aduentus Spiritus Sancti ſuper Apoſtolos, tanto tempore debet ſeruari vnctio chriſmatis apud vnumquemque qui accipit manus impoſitionem.

De octo officiis Neophytorum.

Octo officia, quæ fiunt in commemoratione Neophytorum, diſtinguuntur à cæteris ſequentibus vſque in Pentecoſten. *Primum habet* duas laudes, id eſt, *Alleluia, Confitemini:* Et tractum, *Laudate Dominum.* Septimum, duas ſimiliter, id eſt, duo Alleluia: *Hæc dies*, & *Laudate pueri*, quod non fit in vllo alio ſabbato vſque in Pentecoſten. Sex media habent reſponſorium & Alleluia.

De verſibus gradualibus infra albas.

Notandum eſt, verſus reſponſorij omnes eſſe de pſalmo, *Confitemini Domino*, qui ſonat confeſſionem laudis. Quæ tamen laus Alleluia concluditur. Qui

A ſunt, *Confitemini Domino.* Item, *Dicas nunc Iſraël quoniam bonus.* Item, *Dicant nunc qui redempti ſunt.* Item, *Dextera Domini.* Item, *Lapidem quem reprobauerunt.* Item, *Benedictus qui venit.* In fine autem verſuum reſponſorij. *Hac dies*, præpoſterus ordo eſt. *Benedictus qui venit*, præponitur in quinta feria verſui, *Lapidem quem reprobauerunt*, qui eſt in ordine prior: ſed ſexta feria cantatur, qui inter cæteros præcipue ſonat de paſſione Domini, quæ facta eſt ſexta feria. Item notandum, quod per illos ſex dies paſchales, in quibus reſponſorium cantamus, Alleluia ſubſequitur. Illi vero dies quinquaginta, qui ſequuntur à ſabbato Paſchali vſque ad octauas Pentecoſtes, Alleluia tantum habent & per Dominicos dies, vel feſtiuos Sanctorum dies, duo Alleluia dicuntur.

Ordo in octauis Paſcha.

IN octaua Paſchæ ponunt Actus Apoſtolorum, & ſeptem epiſtolas Canonicas, ſiue Apocalypſim Ioannis vſque in octauas Pentecoſtes.
B Tres vero pſalmi cantantur in nocturnali officio per ſeptem dies baptiſmales, & vnum diem ducimus in religione per illos ſeptem dies. Deinceps in ſequenti tempore quaſi creſcentium arborum frondes multiplicantur, & recoluntur mores boni diuerſorum operum per plures pſalmos.

In eadem Dominica poſt albas, id eſt, in octauis Paſchæ infra ciuitatem Romanam dantur Agni cerei ab Archidiacono in Eccleſia poſt Miſſam, & communionem populo & ex eis faciunt, infra domos ſuas incenſum accendi ad ſuffumigandum in domibus ſuis pro quacunque neceſſitate. Similiter in ſuburbanis ciuitatibus de cereo benedicto faciunt ad ſuffumigandum ſcilicet in domibus ſuis, ſeu ponendum in agris, vel in vineis propter illuſiones diabolicas, ſiue contra fulgura & tonitrua.

Ordo in Litania maiore.

ROmana conſuetudo vnum diem, id eſt, ſeptimum calendas Maij interponit, quem vocat Litaniam maiorem, non in ieiunio. Litania autem Græce, Latine
C Rogatio dicitur, inde & Rogationes. Poteſt enim ſerena mens, & aliena à voluntate mala, precari Deum, quamuis manducet ſobrie, Hanc autem legimus ſtatutam eſſe à ſancto Gregorio propter imminentem cæleſtis iræ mucronem. Iuſſit autem fieri in eodẽ die litaniam ſeptenam, ita præcipiens: Litania clericorum, exeat ab Eccleſia beati Ioannis Baptiſtæ: Litania virorum, ab Eccleſia ſancti Marcelli martyris: Litania monachorum, ab Eccleſia ſanctorum martyrum Ioannis & Pauli: Litania ancillarum Dei, ab Eccleſia beatorum martyrum Coſmæ & Damiani: Litania fœminarum coniugatarum, ab Eccleſia beati Petri, & martyris Stephani: Litania viduarum, ab Eccleſia beati Martyris Vitalis: Litania pauperum, & infantum, ab Eccleſia beatæ martyris Cæciliæ. Pro importunitate autem bellorum poteſt proculdubio videri Litania inſtituta eſſe, & ex æqualitate temporis colligimus, eam neceſſariam eſſe ad fruges conſeruandas. Quam Litaniam vna die obſeruare debent omnes Chriſtiani, non equitando, non precioſis veſtibus induti, cinere reſperſi,
D & cilicio induti, niſi infirmitas impediret.

De Litania minore.

TRes autem dies Rogationum, qui celebrantur ante Aſcenſionem Domini, iuxta morem Gallicanæ Eccleſiæ, conſtituit ſanctus Mamertus Vienen. Epiſcopus ob incurſionem ſcilicet malarum beſtiarum, quæ tunc temporis grauiſſime afficiebant populum Domini. Quæ conſuetudo apud nos vſque hodie pro diuerſis calamitatibus deuotiſſime recolitur. Nullus autem his diebus veſtimenta pretioſa induatur, quia in ſacco & cinere lugere debemus. Prohibeantur ebrietates, & comeſſationes, quæ fiunt in vulgari plebe. Nemo ibi equitare præſumat, ſed diſcalceatis pedibus omnes incedant. Nequaquam mulierculæ ducant choros, ſed omnes in commune *Kyrie eleyſon* decantent, & cum contritione cordis Dei miſericordiam exorent pro peccatis, pro pace, pro peſte, pro conſeruatione frugum, & pro cæteris neceſſitatibus, Dies enim abſtinentiæ ſunt, non lætitiæ. E
Per quod triduum ſerui & ancillæ ab opere relaxentur, quo magis plebs vniuerſa conueniat. Et hoc triduo omnes abſtineant, & quadrageſimalibus cibis vtantur. Antiphonæ vero ad reliquias deducendas, in libro graduali vel antiphonariu quærentibus occurrent per ſingulos tres dies.

Ordo in Inuentione ſancta Crucis.

IN inuentione ſanctæ Crucis leguntur lectiones, quæ & in natalitiis plurimorum martyrum ſiue homiliæ ad ipſum diem pertinentes.

Ordo.

In Vigilia Aſcenſionis Domini leguntur lectiones tres de Actibus Apoſtolorum. Prima lectio ſic continet in capite: Primum quidem ſermonem feci de omnibus ô Theophile. vſque, Et Mariæ matre Ieſu & fratribus eius. F
Secunda lectio ſic continet in capite. In diebus illis, Exurgens Petrus in medio fratrum, vſque, Et annumeratus eſt cum vndecim Apoſtolis. Tertia lectio ſic continet in capite. Qui ergo receperunt ſermonem eius, vſque, Qui ſalui fierent quotidie in idipſum. Poſtea leguntur homiliæ ſanctorum Patrum, ad ipſum diem pertinentes.

Ordo in ſabbato ſancto Pentecoſtes.

SAbbato in vigiliis Pentecoſtes omnes ieiunium faciunt, & omne diuinum officium vel ordinem, tam lectiones, quam & baptiſmum, ſicut in ſabbato ſancto vigiliarum Paſchæ. Tantum hora octaua ingrediuntur ad vigilias, vel Miſſarum ſolemnia, vt hora nona expleta omnia conſummentur. In eis autem leguntur lectiones quatuor, & canuntur quatuor cantica ante baptiſmi conſecrationem, ſicut in vigiliis Paſchæ. Ante enim, quam deſcendatur ad fontem ad baptizandum, legitur lectio prima, *Tentauit Deus Abraham: Canticum, Cantemus Domino.*

Oratio. G

DEus qui in Abrahæ famuli tui opere, humano generi obedientiæ exempla præbuiſti, concede nobis & noſtræ voluntatis prauitatem frangere, & tuorum præceptorum rectitudinem in omnibus adimplere. Per. Lectio ſecunda: Scripſit Moyſes. Reſp. Attende cœlum.

Oratio.

DEus qui nobis per prophetarum ora præcepiſti temporalia relinquere, atque ad æterna feſtinare, da famulis tuis, vt quæ à te iuſſa cognouimus, implere cœleſti inſpiratione valeamus. Per. Lectio: Apprehendent ſeptem mulieres virum vnum. Reſp. Vinea facta eſt.

Oratio.

DEus qui nos ad celebrandam præſentem feſtiuitatem vtriuſque teſtamenti paginis inſtruis, da nobis intelligere miſericordiam tuam, vt ex perceptione præſentium munerum firma ſit expectatio futurorum. Per. H
Lect. 4. *Audi Iſraël.*

Deus commutabilis virtus & lumen æternum, reſpice propitius ad totius eccleſiæ mirabile Sacramentum, & da famulis tuis, vt hoc quod deuote agimus, etiam rectitudine vitæ teneamus. Per. Tractus, *Sicut ceruus.*

Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui hanc ſolemnitatem aduentus Spiritus ſancti conſecraſti, da nobis quæſumus, vt cœleſtibus deſideriis accenſi, fontem vitæ ſitiamus. Per.

Finitis lectionibus, deſcendendum eſt ad fontem cum ſancto chriſmate & cereis in magna reuerentia, decantando Litaniam. Aliqui canunt Litaniam noricam: *Rex ſanctorum decus Angelorum, totum mundum aduna.* Cum ſuis verſibus.

His expletis, baptizandum eſt ſicut in vigilia Paſchæ.

Poſt aſcenſum vero fontis, ingrediendum eſt ad Miſſam publicam ad ſanctum Ioannem.

In primis autem fiunt litaniæ ter repetendo, & cum dixerint, *Agnus Dei*, dicat cantor celata voce, *Accendite.* Accenſis omnibus luminibus, procedat pontifex cum omni ornatu vſque ad altare, & dicat: *Gloria in excelſis Deo:* Et peragatur Miſſa cum Alleluia & Tractu ordine ſuo, ſicut in Sacramentario continetur.

Ordo in nocte Pentecoſtes.

IN aduentu Spiritus ſancti, id eſt, in nocte Pentecoſtes dicuntur tres pſalmi cum antiphonis, ſicut in Paſcha Domini, quia vnus ordo pſalmorum continetur & in reſurrectione Domini, & in aduentu Spiritus ſancti. Leguntur etiam lectiones tres de Actibus Apoſtolorum. Prima lectio ſic continet in capite: *Et cum complerentur dies Pentecoſtes.* Vſque, *Audiuimus eos loquentes noſtris linguis magnalia Dei.* Secunda lectio ſic continet in capite: *Stupebant autem omnes & mirabantur, adinuicem dicentes:* vſque, *Et erit, & omnis quicumque inuocauerit nomen Domini ſaluus erit.* Tertia vero lectio ſic continet in capite: *Viri Iſraelitæ, audite verba hæc: Ieſum Nazarenum, virum approbatum à Deo.* Vſque, *Quoſcumque aduocauerit Dominus Deus noſter.* Alias vero leguntur homiliæ ad ipſum diem pertinentes. Quod in Paſcha dictum eſt de ſequentibus noctibus baptiſmalibus, hoc & hic dicendum eſt, vt tres pſalmi per ſeptem dies neophytorum omnimodis canantur. Et ſicut celebramus maieſtatem Spiritus ſancti in Pentecoſte, celebremus & in octaua eiuſdem feſtiuitatis, id eſt, in nocte tres pſalmos in nocturnis, & vſque ad finem diei præſentis Dominici, *Alleluia* dicamus. In ipſis enim diebus præſentis hebdomadæ non ſtatim peracta die quinquageſima, genu ad orandum curuamus: ſed & illa adhuc ſeptimana ſtantes Domino ſupplicamus, & quamuis intermiſſa repetentes ieiunia, tamen *Alleluia* quotidie perſonamus, & per ſeptem dies laudes hymnorum debitas, ſimul & Miſſarum celebrationes Deo offerimus.

Ordo de octaua Pentecoſtes.

IN Dominica octauæ Pentecoſtes ponunt librum Regum, & Paralipomenon, vſque in Dominicam primam menſis Auguſti. Tempus autem Pentecoſtes inchoatur à prima die reſurrectionis, & currit vſque ad diem quinquageſimum poſt Paſcha. Qui dies quinquaginta celebrantur in lætitia poſt reſurrectionem Domini. Propter hoc ieiunia relaxantur, & ſtantes oramus, quod eſt ſignum reſurrectionis. Duas autem varietates habet Eccleſia de ieiunio, quod fit poſt reſurrectionem Domini. Aliqui ſecundum vulgarem vſum ſtatuunt terminum quadrageſimalis ieiunij in feſtiuitate ſancti Ioannis: aliqui volunt omnes dies habere in lætitia. Cur lætari debeamus in diebus Pentecoſtes, abundant exempla ſanctorum patrum. Cur ieiunare neceſſe ſit, vnuſquiſque ex ſuo corde cognoſcit. Sed voluntate licet vnicuique ieiunare ob deuotionem mentis. Ab hac licentia excluduntur, qui proprie pœnitentes in Eccleſia nominantur.

Denunciatio ieiunij menſis. I. IV. VII. & X.

ANnua nobis eſt, dilectiſſimi, ieiuniorum celebranda feſtiuitas, quam menſis illius ſolemnis curſus indicit. Quarta ergo & ſexta feria ſuccedente, ſolitis eandem conuentibus exequamur, ſabbatorum die hic ſacras acturi vigilias, vt per obſeruantiam competentem, Domino purificatis mentibus ſupplicantes, beatiſſimo Petro Apoſtolo ſuffragante, à præſentibus periculis exui mereamur pariter & futuris. Per.

De ieiunio quatuor Temporum.

IN quatuor Temporibus quando agimus duodecim lectiones, ſolemus ieiunare pro ordinandis, quamuis ordinatio non fiat: etiam ſi prouenerint in octauis Pentecoſtes, quando celebrantur feſtiuitates ſeptiformis ſpiritus & neophytorum. Vt autem hoc ieiunium celebretur in largitione ſacrorum ordinum, Eccleſiæ primitiuæ mos obtinuit. In quarta autem feria, quarti menſis leguntur duæ lectiones. Quinta feria deeſt officium & Miſſa, & ideo debes cantare de Dominica Pentecoſtes. Sexta feria vna tantum legatur lectio. Sabbato, quando benedictio agitur, quatuor lectiones leguntur, & ſingulas lectiones ſinguli reſponſorij decent. Proxima lectio ordinationi de camino ignis legitur. Quatuor temporibus annus voluitur, vnumquodque tempus tres menſes habet. Pro vno quoque menſe ſinguli dies ieiunio conſecrantur. Per ſingulas orationes in duodecim lectionibus genu flectimus, excepto in octauis Pentecoſtes. In ſola de camino ignis, genu non flectimus.

Item de ieiunio Pentecoſtes.

SI autem ipſa hebdomada in menſe quarto euenerit, ieiunium faciant quarta & ſexta feria, & in ſabbato vſque ad horam nonam, & hæ lectiones legantur, quæ in menſe quarto ſcriptæ ſunt, cum reſponſoriis quatuor, & *Benedicite*, & Tractu, *Laudate Dominum.* Sin autem ea non tempore ſuo agitur, cum lectiones leguntur, non pronuntiat lector, Lectio libri: ſed inchoat plane, & legit in ſenſu lectiones, ſicut epiſtolæ Pauli diebus Dominicis leguntur. Si vero tempore ſuo agitur, tunc pronuntiat, *Lectio libri*; ſimiliter & in reliquis tribus temporibus.

Ordo.

In Natali ſancti Ioannis Baptiſtæ leguntur homiliæ ſanctorum patrum, ad ipſum diem pertinentes. Item.

In natali ſancti Ioannis ideo tres Miſſæ celebrantur, id eſt, vna in vigilia eiuſdem, duæ in die natiuitatis eius, quia tribus triumphis refulſit inſignis, id eſt, officio præcurſoris, Baptiſtæ miniſterio, & quia Nazaræus ex vtero matris permanſit.

Ordo.

In natali ſancti Petri Apoſtoli leguntur lectiones tres de Actibus Apoſtolorum. Prima lectio ſic continet in capite: *Petrus & Ioannes aſcendebant in templum.* Secunda lectio ſic continet in capite: *Factum eſt autem dum Petrus tranſiret.* Tertia lectio ſic continet in capite: *Eodem tempore miſit Herodes rex manus.* Deinde leguntur ſermones & homiliæ ſanctorum Patrum ad ipſum diem pertinentes.

Ordo.

In natali ſancti Pauli Apoſtoli leguntur ſermones ſancti Auguſtini, ſiue homiliæ ad ipſum diem pertinentes.

Ordo.

In Dominica prima menſis Auguſti, ponunt Prouerbia Salomonis, & Eccleſiaſten & Cantica Canticorum, & librum, Sapientiæ, vel librum Ieſu filij Syrach, vſque in Dominicam primam menſis Septembris.

Ordo.

In Aſſumptione ſanctæ Mariæ in ipſa nocte leguntur Cantica Canticorum, vel homiliæ eiuſdem diei. In ipſa veſpera vigiliarum, præparatur quoddam portatorium in ſancto Laurentio apud Lateranas, ſuperpoſitaque tabula imagine Chriſti Domini noſtri inſignita, à medio noctis concurrente populo, exeunt cum litania ad ſanctam Mariam maiorem, mundatis per viam plateis, & ſuſpenſis per domos lucernis, ibique in gradibus S. Mariæ, depoſita aliquandiu icone, omnis chorus virorum ac mulierum, genibus humiliter ante eam flexis, pugnis etiam pectora cædentes, vna voce per numerum ... centies *Kyrie eleyſon*, centies *Chriſte eleyſon*, centies *Kyrie eleyſon*, fuſiſque lachrymis & precibus, per ſanctum Adrianum recta via vadunt ad ſanctam Mariam maiorem, auditaque Miſſarum celebritate, ad palatium reuertuntur.

Ordo.

In Dominica prima menſis Septembris ponunt librum

A Iob, & librum Tobiæ, & Iudith, ſiue Heſter, & Eſdram, vſque in Dominicam primam menſis Octobris. Menſe Septembrio, quamuis feſta Sanctorum in ieiunio euenerint, illud tamen loco ſuo celebretur.

Ordo.

In natiuitate ſanctæ Mariæ, leguntur homiliæ Sanctorum Patrum ad ipſum diem pertinentes. In ipſa die cum litaniis exeunt à S. Adriano, & ad ſanctam Mariam populus occurrit.

Ordo.

In exaltatione S. Crucis leguntur lectiones, quæ & in natalitiis plurimorum martyrum, ſiue homiliæ ad ipſum diem pertinentes. In ipſa die ſalutant in palatio Lateranenſi ſanctam Crucem & ſandalia Domini.

Ordo.

B In Dominica prima menſis Octobris ponunt librum Machabæorum, vſque in Dominicam primam menſis Nouembris.

Ordo.

In dominica prima menſis Nouemb. ponunt Ezechielem, & Danielem, ſiue duodecim Prophetas minores, vſque in dominicam de Aduentu Domini.

Ordo.

Et in ipſis Kalendis Romæ, & per totum orbem plebs vniuerſa, ſicut in die natalis Domini ad eccleſiam in honore omnium Sanctorum ad Miſſarum ſolemnia conuenire ſtudet, illud attendentes, vt quidquid humana fragilitas per ignorantiam aut negligentiam in ſolemnitatibus aut vigiliis Sanctorum minus plene peregerint, in hac obſeruatione ſancta ſoluatur.

Ordo.

C Quatuor Coronatorum nomina per incuriam neglecta, Deo reuelante hæc ſunt: Seuerus, Seuerianus, Victorinus, & Carpophorus: ſolemnitas tamen eorum, vt ſtatuta fuerat, in aliorum Sanctorum nomine celebris permanſit.

Ordo.

In Dominica prima Decembris de Aduentu Domini ponunt Iſaiam Prophetam vſque in Natiuitate Domini. Et de ipſa Dominica ad finem lectionum non dicatur: *Tu autem Domine:* Sed tantum, *Hæc dicit Dominus Deus, conuertimini ad me, & ſalui eritis,* vſque in vigiliam Domini.

MELCHIOR HITTORPIVS Lectori Beneuolo, S.

D *CVM in antiquis manu deſcriptis libris, ex quibus Ordinem Romanum antiquum de Miſſa & omni totius officii exhibuimus, aliorum item officiorum atque rituum Eccleſiaſticorum ſiue ordines ſiue formulas deſcriptas reperiſſemus, quales ſunt, Ordo ſecundum quem in Romana Eccleſia ſacri Ordines fiunt: Ordo, qualiter Epiſcopus in Romana Eccleſia ordinetur: Ordo Romanus ad dedicandam Eccleſiam, & ſimiles alij: viſum eſt mihi non alienum eſſe ab huius operis argumento, ſi cum reliquo ordine etiam hæc eruditi viri & rerum Eccleſiaſticarum ſtudioſi haberent. Non ſolum quod ſicut monui, in manuſcriptis libris cum ipſo ordine coniungerentur, ſed quod etiam qui de diuinis officiis commentarios ediderunt Iſidorus, Albinus, Amalarius, Iuo, Honorius, Durandus, de eiſdem rebus, quarum in his ordo & agendi formula præſcribitur, pertractarint: ſiquidem ſanctorum rituum, & cæremoniarum cognitio iucunda, vtilis & per quam neceſ-* E *ſaria, hac præſertim ætate quæ non deſunt, qui ſicut optima quæque & antiquam pietatem ſpirantia, ita ſanctiſſimas has cæremonias piiſſimis precibus tanquam gemmis diſtinctas & relucentes, quas maiores noſtri ſingulari pietate viri, exquiſite & ſummo cum artificio compoſitas publice in vſum acceperunt, & nobis reliquerunt, per inſignem temeritatem, ne dicam impietatem rideant, calumnientur, & priuata auctoritate abrogent. Quod quam inique faciant, vt non ſolum religioſis viris & optime erga priſcam pietatem affectis, ratio conſtare, ſed illis etiam ipſis perſpicuum eſſe poſſit, proferre hæc & omnibus inſpectanda exhibere operæ pretium eſt viſum. Earum enim præclara forma atque pulchritudine, & pietatis qua plena redolent, fragantia ſic afficientur, quorum ſenſibus ſtuporem malitia & obſtinatio non induxerit, vt eas cupide amplecti & retinere, multo ſane minus abiectas & abrogatas velint. Non ignoro autem exſtare Pontificalem librum, in quo hæc & ex eis quæ hactenus excuſa ſunt, nonnulla reperiuntur. Sed ille, quia &* F *quemadmodum nunc vſum obtinet ita eas exhibet, in quibuſdam fortaſſe ab antiquis ritibus differentia: Nobis propoſitum fuit, antiquum, ſi ita appellare placeat, Pontificalem ſeu Epiſcopalem librum, ex antiquis libris fideliter exſcriptum exhibere qualem ſuperius memoratos ſcriptores illa ſua ætate habuiſſe & eſſe interpretatos, ipſi poſt ſubiiciendi clarum efficient: vt ſicut cætera ad quæ reſpiciunt quoque exponunt Ordinis Romani, ita hæc etiam in promptu haberemus, & quibus etiamnum hodie in Catholica Eccleſia in Eccleſiaſticis rebus vtimur, agendi formulas non nouas & recentes excogitatas, ſed auctoritatem earum eſſe antiquiſſimam conſtaret. Vale & noſtrum in hiſce laborem, in tuis ad Deum piis precibus noſtri memor, animo beneuolo proſequere.*

ORATIO AD CAPILLATVRAM incidendam.

MAnda Deus benedictionem tuam, & vitam in Eccleſia tua, & vnguentum, quod deſcendit in ca- G pite Aaron, deſcendat ſuper hunc famulum tuum N. Maneat, quæſumus, in corpore Eccleſiæ tuæ paſcendus, cuius caput vnguenti tui ſuauitate dignatus es adimplere.

Alia.

OMnipotens Chriſte Saluator, innocens & innocentiæ amator, humilis & humilitatis aſſumptor, manſuetus & manſuetudinis inhabitator, qui venientibus ad te paruulis, manus tuæ benedictionem imponens, talium dixiſti eſſe regnum cœlorum, benedic hunc famulum tuum N. cuius in tuo nomine ſuperflua incidimus capillorum: da ei intellectum cum ætatis augmento, vt te timeat, te intelligat, & tua mandata cuſtodiat, & te auxiliante vſque ad canos ſenectutis cum ſumma ſanitate perueniat. Per te Saluator mundi, qui cum Deo patre.

H *Alia.*

OMnipotens ſempiterne Deus, reſpice propitius ſuper hunc famulum tuum N. quem ad nouam capillos tondendi gratiam vocare dignatus es, tribue ei remiſſionem omnium peccatorum, atque ad cœleſtium donorum concede peruenire conſortium. Per.

Oratio ad puerum tonſurandum.

DOmine Ieſu Chriſte, qui es caput noſtrum & corona omnium Sanctorum, reſpice propitius ſuper infantiam huius famuli tui N. qui in tuo nomine ſua celebrat vota, & capillos capitis ſui tonſitrat, vt per huius benedictionis copiam, ad iuuenilem venire mereatur ætatem, & cum gaudio ad futuram gloriam ſaluandus perueniat Per.

Alia.

BEnedic Domine hunc famulum tuum N. noſtri oris alloquio, & tuo eum locupleta dono, vt felici vita

A concreſcat, & ſemper tuo adiutorio floreat, vitamque ſuam honeſtiſſime perducat, & ſemper in mandatis tuis perſiſtat. Per.

Præfatio ad clericum faciendum.

OREmus dilectiſſimi fratres, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum pro hoc famulo ſuo N. qui ad deponendam comam capitis ſui, pro eius amore & exemplo B. Petri Apoſtoli feſtinat, vt donet ſpiritum ſanctum, qui habitum religionis in eo in perpetuum cuſtodiat, & à mundi impedimento vel ſæculari deſiderio cor eius defendat, vt ſicut immutatur in vultu, ita manus dextera eius ei virtutem perfectionis, & boni operis tribuat incrementum, & abiecta omni cæcitate humana, ſpirituales eius oculos aperiat, & lumen ei æternæ gratiæ concedat. Qui cum Patre.

Alia.

B ADeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & hunc famulum tuum N. benedicere dignare, cui in tuo ſancto nomine habitum religionis ſacræ imponimus, vt te largiente, & deuotus in Eccleſia tua perſiſtere, & vitam percipere, mereatur æternam. Per.

Dum tondes, tunc dices antiphonam iſtam: *Tu es Domine qui reſtitues hæreditatem meam mihi.* Verſ. *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei:* Repetatur, *Tu es. Gloria patri*, iterum repetatur. *Tu es.* Antiph. *Hic accipiet benedictionem a Domino, & miſericordiam a Deo ſalutari ſuo, quia hæc eſt generatio quærentium Dominum.* Pſal. *Domini eſt terra.* Vſque in finem, cum Gloria, & repetatur Antiphona: *Hic accipiet.*

Poſtquam tonſuratus fuerit, ſequitur oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus Chriſte Ieſu, propitiare peccatis noſtris, & ab omni ſeruitute ſæcularis habitus hunc famulum tuum N. dum ignominiam huius C mundi deponit, eruere & conſeruare dignare, vt, tua ſemper gratia perfruatur, & ſicut ſimilitudinem coronæ tuæ eum geſtare fecimus in capite, ſic tuam virtutem & hæreditatem ſubſequi mereatur in corde. Qui cum Deo patre.

Alia.

PRæſta quæſumus omnipotens Deus, vt famulus tuus N. cuius hodie capitis comam pro diuino amore depoſuimus, in tua dilectione perpetuo maneat, & eum ſine macula in ſempiternum cuſtodias. Per.

Alia.

BEnedicat te Dominus & cuſtodiat, oſtendat faciem ſuam tibi, & miſereatur tui, conuertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem. Inuocabo nomen Domini Dei ſuper te, vt ille te benedicat, qui viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

D *De gradibus Romanæ Eccleſiæ.*

PRimum in quacunque ſchola reperti pueri bene pſallentes, tollantur inde, & nutriantur in ſchola cantorum, & poſtea fiant cubicularij. Si autem nobilium filij fuerint, ſtatim in cubiculo nutriantur, & hanc accipiant poteſtatem ab archidiacono, vt liceat eis ſuper linteum villoſum ſedere, quod mos eſt ponere ſuper ſellam equi. Deinde ſicut Sacramentorum codex continet, quando, & vbi fuerit, vſque in ſubdiaconatus officium ordinentur. Diaconi vero atque presbyteri numquam niſi in publica ordinatione.

Capitulum De Canone Chalcedonenſi.

QVod non oporteat abſolute quoſlibet ordinare presbyterum aut diaconum, neque quemlibet in gradu eccleſiaſtico, niſi ſpecialiter eccleſiæ, ciuitatis, aut poſſeſſionis, aut martyrij, aut monaſterij, qui ordinandus eſt, pronuntietur. Qui vero abſolute ordinantur, decreuit ſancta ſynodus irritam haberi huiuſcemodi manus impoſitionem, & nuſquam poſſe miniſtrare, ad ordinantis iniuriam. E

Capitulum ſancti Gregorij Papæ.

SIcut qui inuitatus renuit, quæſitus refugit, ſacris eſt altaribus * remouendus: ſic qui vltro ambit, vel importunus ſe ingerit eſt procul dubio repellendus. Nam qui nititur ad altiora conſcendere indignus, quid agit, niſi vt creſcendo decreſcat? Cur non perpendit, quia benedictio illa in maledictum conuertitur, qui ad hoc, vt fiat hæreticus, promouetur?

* for. admouendus.

Caput Zozimi Papæ.

HÆc autem ſingulis gradibus obſeruanda ſunt tempora. Si ab infantia Eccleſiaſticis miniſteriis ſtudium dederit inter lectores vſque vigeſimum ætatis annum, continuata obſeruatione producet. Si maiore iam ætate acceſſerit, ita tamen, vt poſt baptiſmum ſtatim ſe diuinæ militiæ deſideret mancipari, ſiue inter lectores, ſiue inter exorciſtas quinquennio teneatur, ac deinde acolytus, ſiue ſubdiaconus quatuor annis ſtet, & ſic ad benedictionem diaconi, ſi mereatur, accedat. In quo ordine quinque annis inculpate ſi ſe geſſerit, hærere debet. Exinde ſuffragantibus meritis, per tot gradus datis propriæ fidei documentis, presbyterij ſacerdotium poterit promereri. De quo loco ſi illum exactior ad bonos mores vita perduxerit, ſummum pontificatum ſperare debebit hac tamen lege ſeruata, vt neque digamus, neque pœnitens, ad hos gradus poſſit admitti, ſane, vt etiam defenſores Eccleſiæ qui ex laicis fiunt, ſupradicta obſeruatione teneantur, ſi meruerint in ordine eſſe clericatus. F

Caput Leonis Papæ.

PAulus Apoſtolus præcepit Timotheo, *Manus cito nemini impoſueris, neque communicaueris peccatis alienis.* Quid eſt, *cito nemini manum impoſueris* niſi, ante ætatis maturitatem, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam diſciplinæ: ſicut boni operis comparat fructum, qui rectum ſcrutatur in eligendo ſacerdote iudicium, ita graui ſemetipſum afficit damno, qui in ſuæ dignitatis collegio ſublimat indignum. G

Caput Clementis de oblationibus altaris.

OBlationes, quæ veniunt in altare, panes propoſitionis appellantur. De ipſis oblationibus tantum debet in altari poni, quantum populo poſſit ſufficere, ne aliquid putridum in ſacrario remaneat.

De pallis.

Pallæ vero quæ ſunt in ſubſtratorio, in alio vaſe debent lauari, in alio corporales pallæ. Vbi pallæ corporales lotæ fuerint, nullum linteamen ibidem debet aliud lauari, ſed ipſa aqua in baptiſterium debet vergi.

De officiis ſeptem graduum.

Oſtiarium oportet percutere cymbalum, & aperire Eccleſiam, & ſacrarium, & librum aperire ei, qui prædicat. H

De Lectoribus.

Lectorem oportet legere ei qui prædicat, & lectiones cantare, & benedicere panem, & omnes fructus nouos.

De Exorciſtis.

Exorciſtam oportet eiicere dæmones, & dicere populo qui non communicat, vt det locum, & aquam miniſterio effundere.

De Subdiaconibus.

Subdiaconum oportet præparare aquam ad miniſtrationem altaris, & miniſtrare Diacono.

De Diaconibus.

Diaconum oportet miniſtrare ad altare ; & baptizare.

De Presbyteris.

Sacerdotem oportet offerre & benedicere , præeſſe & prædicare , & baptizare.

De Epiſcopis.

Epiſcopum oportet iudicare , interpretari , & conſecrare , conſummare , ordinare , offerre , & baptizare.

Ordo , qualiter in Rom. Eccleſia ſacri ordines fiunt.

MEnſe quarto , quarta feria ieiuniorum fit conuentus populi , & congregatio regionum, primum ad ſanctum Adrianum , & inde pergit pontifex vna cum populo , præcedente ſolito apparatu , id eſt crucibus , thuribulis, vel tabulis vſque ad ſanctam Mariam ad præſepe. Accedente pontifice ad altare ; ſchola cantorum repetit litaniam. Deinde introitum. Et Pontifex dicit : *Oremus.* Et diaconus. *Flectamus genua.* Poſt collectam aſcendit lector in ambonem , & eleuata voce legit breuem lectionem de quarta feria. Et ſequitur graduale. Deinde pontifex dicit. *Dominus vobiſcum.* Diaconus vbi ſupra. Poſt collectam aſcendit lector in ambonem , & eleuata voce , legit breuem in auribus populi , ſic continentem.

Cognoſcat charitas veſtra , quia ille , & ille aduocatur in tali officio , vel in tali : Si quis habet contra hos viros aliquam querelam , exeat confidenter propter Deum , & ſecundum Deum , & dicat : Quod ſi nullus contradictor extiterit , ſequitur lectio & reſponſoriom. Poſt hæc aduocantur ſurſum , & ſtatuuntur in ſiniſtra parte altaris vſque dum pontifex Miſſam compleat. Deinde aduocantur ſexta feria ad Apoſtolos eo tenore vt ſupra Sabbatho vero egreditur pontifex ad ſanctum Petrum , & vniuerſæ regiones cum eo litaniam canendo. Ingrediente Papa in ſecretarium,ipſæ præſtolantur aduentum eius in presbyterio.Scola cantorum canit introitum, & pontifex dat orationem. Subdiaconi legunt lectiones, & cantant gradualia , expectantibus illis qui benedicendi ſunt , ſub ambone , donec quinque lectiones compleantur. Deinde Apoſtolicus ille legit aduocationis breuem coram populo , & ſtant parati ſingulorum miniſtri cum indumento , donec archidiaconus veniat , & ſingulis ſingula ſua manu tribuat. Poſthæc autem deſcendit Archidiaconus innuente pontifice , & dat vni ea ipſis manum , cæteri vero ſequantur eum , & aſcendant ad altare. Et proſternit ſe pontifex cum ipſis in orationem , clero interim canente litaniam. Surgentibus autem ab oratione , ſtat pontifex in ſede ſua , ſingulatim imponens manus capitibus & benedicit eos. Accedens autem Archidiaconus , tollat orarios de confeſſione , qui heſterna die repoſiti ſunt , ibique imponet ſuper eos , & pontifex induat eos planetis , & ſtent induti diaconalia indumenta , tollanturque qui diacones eſſe debent de medio eorum. Deinde , qui Presbyteri ordinentur : Tunc deſcendant in Presbyterium , & ſtatim vnus ex nouitiis diaconibus legat Euangelium , & ad ipſam Miſſam miniſtrent vnuſquiſque ſecundum officium ſuum. Tollit vero Pontifex oblatas integras , & det ſingulis nouitiis presbyteris , & inde communicent vſque dies octo. Expletis omnibus , Miſſaque rite completa , ſtent regiones paratæ ad ſingulos titulos pertinentes , cum candelabris & thuribulis , vt proprium ſuſcipiant ſacerdotem. Pontifex autem donet eis ſacerdotalia indumenta , & miniſteria Miſſæ , aurum vel argentum , vinum , frumentum & oleum.Egredientibus autem de baſilica S. Petri præcedant vnumquemque triginta candelabra cum thuribulis, ipſe vero ſedeat ſuper equum album. Præcedens & ſubſequens populus canat ei laudem. Similiter etiam fœminæ diaconiſſæ , presbyteriſſæ , quæ eodem die benedicuntur. Plateæ autem ciuitatis , per quas tranſituri ſunt, coronentur palliis , & cum tanta gloria ad ſtatutos titulos deducant proprios ſacerdotes, & ipſe facit eis illo die conuiuium.

Menſis primi , quarti , ſeptimi , & decimi ſabbathorum die , in duodecim lectionibus ad S. Petrum , vbi Miſſæ celebrantur , poſtquam Antiphonam ad introitum dixerint , per lectiones det pontifex orationes. Deinde Archidiaconus ſine caſula ad chori vſque medium præcedens , habens præ manibus eorum qui ordinandi ſunt, nomina , & vocatis eis humiliter reſpiciens in Epiſcopum , his eum verbis alloquitur : Poſtulat hæc ſancta mater Eccleſia , reuerende pater , hos viros ordinibus aptos , conſecrari ſibi à veſtra paternitate.

Reſponſio Epiſcopi.

VIde vt natura , ſcientia , & moribus tales per te introducantur , immo per nos tales in domo Domini ordinentur perſonæ, per quas diabolus procul pellatur, & clerus Deo noſtro multiplicetur.

At Archidiaconus.

QVantum ad humanum ſpectat examen , natura , ſcientia , & moribus digni habentur , & probi cooperatores effici in his , Deo volente , poſſunt.

Tunc imponit ſchola Litaniam , proſtrato pontifice, & cæteris conſecrandis ſuper tapetia.

Qua finita , iubente Epiſcopo , Achidiaconus accedat propius , & vocentur denuo nominatim , vt benedicantur ab Epiſcopo.

Inuitatio ordinandorum.

DE domo ſanctæ Mariæ eligimus N. ad oſtiarium , ad eundem titulum. De titulo ſancti Stephani N. eligimus ad lectorem ad eundem titulum. De Eccleſia ſancti Petri N. eligimus ad exorciſtam ad eundem locum. Poſt hæc celebrabitur conſecratio ſacrorum ordinum.

Pſalmiſtæ id eſt , cantores , poſſunt abſque ſcientia Epiſcopi , ſola iuſſione Presbyteri officium ſuſcipere cantandi, dante eis Presbytero vel potius Epiſcopo antiphonarium in manus , & dicente ſibi : Videte vt quod ore cantatis corde credatis : & quod corde creditis, operibus probetis.

Ordinatio Oſtiariorum.

OStiarij cum ordinantur , poſtquam ab Archidiacono inſtructi fuerint , qualiter in domo Dei debeant conuerſari, ad ſuggeſtionem Archidiaconi tradat eis Epiſcopus claues Eccleſiæ de altari ; dicens : Sic agite, quaſi reddituri Deo rationem pro his rebus, quæ iſtis clauibus recluduntur. Et tradit eis Archidiaconus oſtium Eccleſiæ.

Præfatio.

DEum patrem omnipotentem , fratres chariſſimi , ſuppliciter deprecemur , vt hos famulos ſuos N. benedicere dignetur , quos in officium oſtiariorum eligere dignatus eſt , vt ſit eis fideliſſima cura diebus ac noctibus ad diſtinctionem horarum certarum , ad inuocandum nomen Domini , Oremus. Et diaconus : Flectamus genua. Leuate.

Benedictio eorundem.

DOmine ſancte , pater omnipotens , æterne Deus, benedicere dignare hos famulos , tuos N. in officium Oſtiariorum , vt inter ianitores Eccleſiæ pareant tuo obſequio, & inter electos tuos partem tuæ mereantur habere mercedis. Per,

Ordinatio Lectorum.

LEctores cum ordinantur , faciat de illis Epiſcopus verbum ad plebem, indicans eorum fidem ac vitam, atque ingenium , & dicat ad electos.

Allocutio.

ELegerunt vos fratres veſtri , vt ſitis lectores in domo Dei veſtri , & ideo agnoſcite officium veſtrum , vt

A impleatis illud. Potens enim eſt Deus, vt augeat vobis gratiam. Poſt hæc, expectante plebe, tradat eis Epiſcopus codicem, de quo lecturi ſunt, dicens.

Accipite, & eſtote verbi Dei relatores, habituri, ſi fideliter viriliter & vtiliter impleueritis officium veſtrum, partem cum his qui verbum Dei bene adminiſtrauerunt.

Præfatio Lectorum.

Oremus, dilectiſſimi nobis. Deum patrem omnipotentem, vt ſuper hos famulos ſuos N. quos in ordinem lectorum dignatur adſumere benedictionem ſuam clementer effundat, quatenus diſtincte legant quæ in Eccleſia legenda ſunt, & eadem operibus impleant. *Oremus. Flectamus genua. Leuate.*

Benedictio eorumdem.

Domine ſancte, pater omnipotens, æterne Deus: benedicere dignare hos famulos tuos N. in officium Lectorum, B vt aſſiduitate lectionum ſint apti pronuntiare verba vitæ, & mentis ac vocis diſtinctione populo monſtrare intelligibilia, & in vtroque ſanctæ Eccleſiæ gratiam pro ſuis modulis ſpirituali deuotione reſonent. Per.

Ordinatio Exorciſtarum.

Exorciſtæ cum ordinantur, accipiant de manu Epiſcopi libellum, in quo ſcripti ſunt exorciſmi, dicente ſibi Epiſcopo: *Accipite, commendate memoriæ, & habetote poteſtatem imponendi manus ſuper energumenos, ſiue baptizatos, ſiue cathecumenos.*

Præfatio Exorciſtarum.

Deum patrem omnipotentem, fratres chariſſimi, ſupplices deprecemur, vt hos famulos ſuos N. benedicere dignetur in officium Exorciſtarum, vt ſint ſpirituales imperatores ad eiiciendos dæmones de obſeſſis corporibus cum omni nequitia eorum multiformi. *Oremus*, Et diaconus *Flectamus genua Leuate.*

C

Benedictio eorumdem.

Domine ſancte, pater omnipotens, æterne Deus, benedicere dignare hos famulos tuos N. in officium Exorciſtarum, vt per impoſitionem manuum & oris officium, poteſtatem & imperium habeant ſpiritus immundos coercendi & probabiles ſint medici Eccleſiæ tuæ, gratia curationum, virtute confirmati Per.

Ordinatio Acolytorum.

Acolyti cum ordinantur, primum ab Epiſcopo quidem doceantur, qualiter in officio ſuo agere debeant: ſed ab Archidiacono accipiant ceroferarium cum cereo, dicente ſibi Epiſcopo: Accipite ceroferarium cum cereo, vt ſciatis vos ad accendenda Eccleſiæ luminaria mancipari. Accipiant & vrceolum vacuum, dicente ſibi Epiſcopo: Accipite vrceolum ad ſuggerendum vinum & aquam in Euchariſtiam ſanguinis Chriſti.

D

Præfatio Acolytorum.

Deum patrem omnipotentem, fratres chariſſimi, ſuppliciter deprecemur, vt hos famulos ſuos N. benedicere dignetur in ordinem Acolytorum, quatenus lumen viſibile manibus præferentes, lumen quoque ſpirituale moribus præbeant. *Oremus.* Et diaconus. *Flectamus genua, Leuate.*

Benedictio Eorumdem.

Domine ſancte, pater omnipotens, æterne Deus, qui per Ieſum Chriſtum filium tuum & Apoſtolos eius, in hunc mundum lumen claritatis miſiſti, quippe vt mortis noſtræ antiquum aboleres chirographum, glorioſiſſimæ illum crucis vexillo affigi, ac ſanguinem & aquam ex latere illius pro ſalute humani generis effluere voluiſti, benedicere dignare hos famulos tuos N. in officium acolytorum, vt ad accendendum lumen Eccleſiæ tuæ & ad ſuggerendum vinum & aquam, ad conficiendum ſanguinem Chriſti filij tui in offerenda Euchariſtia ſanctis altaribus tuis fideliter ſubminiſtrent. B Accende Domine mentes eorum & corda ad amorem gratiæ tuæ; vt illuminati vultu ſplendoris tui, fideliter tibi in ſancta Eccleſia tua deſeruiant. Per eundem.

Alia.

Domine ſancte, pater omnipotens, æterne Deus qui ad Moyſen & Aaron locutus es, vt accenderentur lucernæ in tabernaculo teſtimonij, benedicere & ſanctificare dignare hos famulos tuos N. vt ſint acolyti in Eccleſia tua. Per.

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, fons lucis, & origo bonitatis, qui per Ieſum Chriſtum filium tuum lumen verum, mundum illuminaſti, eiuſque paſſionis myſterio humanum genus redemiſti, benedicere dignare hos famulos tuos N. quos in Acolytorum officium conſecramus, F poſcentes clementiam tuam, vt eorum mentes & lumine ſcientiæ illuſtres, & pietatis tuæ rore irriges, vt ita perceptum miniſterium te auxiliante peragant, qualiter ad æternam remunerationem peruenire mereantur. Per eundem.

Benedictio ad barbam tondendam.

Deus, cuius prouidentia omnis creatura incrementis adulta congaudet, reſpice propitius ſuper hunc famulum tuum N. iuuenilis ætatis decore lætantem, & flore primi temporis attondendo clemens adeſto, vt in omnibus tuæ protectionis munitus auxilio, & æuo longiore prouectus, cæleſtem benedictionem accipiat & præſentis vitæ præſidiis gaudeat, & æternæ. Per.

Dum tondes eum, dices antiphonam iſtam, *Sicut ros Hermon qui deſcendit in Sion, ſic deſcendat ſuper te Dei benedictio.* Pſal. *Ecce quam bonum & quam iocundum.*

Sequitur oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, benedic hunc famulum G tuum. N. qui tibi primitias ſuæ offert iuuentutis. Effunde Domine ſuper eum benedictionem, & in caput barbamque eius tranſeat ſicut vnguentum quod deſcendit in barbam, barbam Aaron, vt in eadem benedictione in via mandatorum tuorum ambulet, & cum eadem ad ſummam ſenectutem perueniat. Per.

Ordo, qualiter in Romana Eccleſia Prebyteri, diaconi vel ſubdiaconi eligendi ſunt.

Menſis primi, quarti, ſeptimi, & decimi, ſabbathorum die in duodecim lectionibus ad ſanctum Petrum, vbi Miſſæ celebrantur, poſtquam antiphonam ad introitum dixerint, data oratione, annuntiat pontifex in populum, dicens: Auxiliante Domino Deo, & ſaluatore noſtro Ieſu Chriſto, eligimus in ordinem ſubdiaconij, diaconij, ſeu presbyterij, acolytum, ſubdiaconum diaconum, de titulo illo, ad titulum ſancti Martini, ad Ec- H cleſiam quæ eſt in pago illo, vel ad monaſterium N. Si quis autem habet aliquid contra hos viros, pro Deo & propter Deum cum fiducia exeat & dicat. Verum tamen memor ſit conditionis ſuæ.

Et poſt modicum interuallum proſtratis cum pontifice in oratorio, incipiat chorus litaniam. Hac expleta, aſcendant ipſi electi ad ſedem pontificis, vocante eos Archidiacono, & benedicat eos ad quod vocati ſunt. Et deſcendentes, ſtent in ordine ſuo, benedictione percepta, & Archidiaconus imponat Euangelium, & omnes qui ibi ordinati ſunt, oblationes offerant ad manus Epiſcopi, & ab eo conſecratas accipiant.

Ordinatio ſubdiaconorum.

Subdiaconi cum ordinantur, quia manus impoſitionem non accipiunt, patenam de manu Epiſcopi accipiant vacuam, & calicem vacuum. De manu vero Archidiaconi accipiant vrceolū cum aquamanili ac manutergium dicente ſibi Epiſcopo.

Videte

A Videte, cuius miniſterium vobis traditur. Et Ideo, ſi vſque nunc fuiſtis tardi ad Eccleſiam, amodo debetis eſſe aſſidui. Si vſque nunc ſomnolenti, amodo vigiles. Si vſque nunc ebrioſi, amodo ſobrij, Si vſque nunc inceſti, amodo caſti. Ideo vos admoneo, vt tales vos exhibeatis, vt Deo placere poſſitis.

Præfatio ſubdiaconorum.

Oremus Deum ac Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum fratres chariſſimi, vt ſuper hos ſeruos ſuos N. quos ad ſubdiaconatus officium vocare dignatus eſt, effundat benedictionem, & gratiam ſuam, vt in conſpectu ſuo fideliter ſeruientes, prædeſtinata ſanctis præmia conſequantur. *Oremus*, & diaconus, *Flectamus genua. Leuate.*

Benedictio eorundem.

Domine ſancte, pater omnipotens, æterne Deus, benedicere dignare hos famulos tuos, quos ad ſubdiacona-
B tus officium eligere dignatus es, vt eos in ſacrario tuo ſancto ſtrenuos, ſolicitoſque cæleſtis militiæ inſtituas excubitores ſanctiſque altaribus tuis fideliter ſubminiſtrent, & requieſcat ſuper eos ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis. Repleas eos ſpiritu timoris tui; & eos miniſterio diuino confirmes, vt obdientes, facto atque dicto parentes, tuam gratiam conſequantur. Per. in vnitate eiuſdem Spiritus ſancti.

Et Epiſcopus det eis mappulas, dicendo: In veſtitione harum mappularum ſubnixe te Domine deprecamur, vt hi famuli tui ſic operentur in temporali conuerſatione, quatenus exemplo piorum patrum, in futuro mereantur perenniter gaudere. Per.

Ordinatio diaconorum.

Diaconi cum ordinantur, ſolus Epiſcopus, qui eos benedicit, manum ſuam ſuper caput illorum ponat: quia
C non ad ſacerdotium, ſed ad miniſterium conſecrantur, & alloquatur populum his verbis.

Allocutio ad populum.

COmmune votum, communis oratio proſequatur, vt hi totius Eccleſiæ prece, qui in diaconatus miniſterio præparantur, Leuiticæ benedictionis ordine clareſcant, & ſpirituali conuerſatione præfulgentes, gratia ſanctificationis eluceant, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Benedictio ad ſtolas vel planetas, quando Leuita vel Presbyteri ordinandi ſunt.

DEus inuictæ virtutis triumphator & omnium rerum creator ac ſanctificator intende propitius preces noſtras & has ſtolas ſiue planetas Leuiticæ ac ſacerdotalis gloriæ miniſtris tuis fruendas, tuo proprio ore benedicere, ac ſanctificare, conſecrareque digneris, omneſque
D tuis myſteriis à nobis indignis conſecrandos eis vtentes, & tibi in eis deuote ac laudabiliter ſeruientes, aptos tibi & gratos effici concedas, & nunc & per infinita ſæcula ſæculorum. Reſponſ. Amen.

Præfatio Diaconorum.

ORemus, dilectiſſimi, Deum patrem omnipotentem, vt ſuper hos famulos ſuos, N. quos ad officium diaconatus dignatur aſſumere, benedictionis ſuæ gratiam clementer effundat, eiſque donum conſecrationis indulgeat, per quod eos ad præmia æterna perducat. *Oremus.* Et diaconus. *Flectamus genua. Leuate.*

Sequitur Oratio.

Exaudi Domine preces noſtras, & ſuper hos famulos tuos N. ſpiritum tuæ benedictionis emitte, vt cæleſti munere ditati, & tuæ gratiam poſſint maieſtatis acquirere, & bene viuendi aliis exemplum præbere. Per. in vnitate eiuſdem Spiritus ſancti.

E *Conſecratio eorundem in modum præfationis.*

OMnipotens Deus, bonorum dator, ordinum diſtributor, officiorumque diſpoſitor, qui in te manens innouas omnia, & cuncta diſponis, per verbum, virtutem, ſapientiamque tuam Ieſum Chriſtum filium tuum Dominum noſtrum, ſempiterna prouidentia præparans, & ſingulis quibuſque temporibus aptanda diſpenſans, cuius corpus, Eccleſiam videlicet tuam, cœleſtium gratiarum varietate diſtinctam, ſuorumque connexam diſtinctione membrorum, per legem mirabilem totius compaginis vnitatem, in augmentum templi tui creſcere, dilatarique largiris ſacri muneris ſeruitutem in tribus gradibus miniſtrorum nomini tuo militare conſtituens, electis ab initio Leui filiis, qui in myſticis operationibus domus tuæ fidelibus excubiis permanentes, hæreditatem benedictionis æternæ, ſorte perpetua poſſiderent, ſuper hos quoque famulos tuos quæſumus Domine, placatus intende, quos tuis ſacrariis ſeruituros in officium Dia-
F conij ſuppliciter dedicamus, Et nos quidem tanquam homines, diuini ſenſus & ſummæ rationis ignari, horum vitam quantum poſſumus æſtimamus: te autem, Domine, ea quæ nobis ſunt ignota, non tranſeunt, te oculta non fallunt: Tu cognitor ſecretorum, tu ſcrutator es cordium, tu eorum vitam cœleſti poteris examinare iudicio, quo ſemper præuales, & admiſſa purgare, & ea quæ ſunt agenda, concedere. Mitte in eos quæſumus Domine Spiritum ſanctum, quo in opus miniſterij fideliter exequendi ſeptiformis gratiæ tuæ munere roborentur. Abundet in eis totius forma virtutis, auctoritas modeſta, pudor conſtans, innocentiæ puritas, & ſpiritalis obſeruantia diſciplinæ. In moribus eorum præcepta tua fulgeant, vt ſuæ caſtitatis exemplo imitationem ſanctam plebs acquirat, & bonum conſcientiæ teſtimonium præferentes, in Chriſto firmi & ſtabiles perſeuerunt, digniſque ſucceſſibus de inferiori gradu per gratiam tuam capere potiora mereantur. Per eundem. in vnitate eiuſdem Spiritus ſancti.

G *Ad conſummandum Diaconi officium cum ſtola.*

ACcipe ſtolam tuam, imple miniſterium tuum, potens eſt enim Deus, vt augeat tibi gratiam, qui viuit & regnat cum Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum.

Alia.

Accipe ſtolam candidam de manu Domini, ab omnibus vitiorum ſordibus purificatus in conſpecto diuinæ maieſtatis, vt omnibus vita conuerſationis tuæ præbeat exemplum, plebſque dicata Chriſti nomine, poſſit imitando te, imitationem acquirere iuſtam. Tunc ſtola, læua eius circumdata det eis Euangelium dicens. Accipe poteſtatem legendi Euangelium in Eccleſia Dei, tam pro viuis quam pro defunctis, in nomine Domini. Repſ. *Amen.*

Sequitur benedictio.

Domine ſancte, ſpei, fidei, gratiæ & profectuum mune-
H rator, qui in cœleſtibus & terrenis Angelorum miniſteriis vbique diſpoſitis, per omnia elementa voluntatis tuæ diffundis effectum, hos quoque famulos tuos ſpeciali dignare illuſtrare aſpectu, vt tuis obſequiis expediti, ſanctis altaribus tuis miniſtri puri accreſcant, & indulgentia puriores eorum gradu, quos Apoſtoli tui in ſeptenario numero, S. Stephano duce ac præuio, ſancto Spiritu auctore elegerunt, digni exiſtant, & virtutibus vniuerſis, quibus tibi ſeruire oportet, inſtructi complaceant. Per Dominum.

Cum vero conſecrati fuerint, induantur dalmatica, & dent oſculum Epiſcopo & ſacerdotibus, & ſtent ad dexteram Epiſcopi.

Canon S. Theodori.

In ordinatione Presbyteri vel Diaconi, oportet Epiſcopum Miſſam cantare. Similiter Græci faciunt quando Abbatem eligunt vel Abbatiſſam.

A

Ordinatio Presbyteri.

Poſt lectionem & Tractum atque Litaniam, parato electo, qui Presbyter ordinandus eſt, diaconi more cum orario, præſentantibus eum atque ducentibus duobus diaconibus vſque ad Presbyteros, duo Presbyteri ducant ad ſedem pontificis. Et ipſe ſe erigens interroget, ſi iuſtus & dignus ſit, hoc modo: Eſt dignus? Reſpondeant Presbyteri: *Dignus eſt*. Epiſc. Eſt iuſtus? Reſp. *Iuſtus eſt*. Et ſic denuo ac tertio vtrumque interrogetur. Deinde Epiſcopus dicat: Dignum & iuſtum faciat illum Deus ſemper in ſuo ſeruitio manere. Reſp. *Amen.*

Poſt hæc interroget Presbyterum talibus verbis. Vis Presbyterij gradum in nomine Domini accipere? Reſp. *Volo*. Vis in eodem gradu, quantum præuales & intelligis, ſecundum canonum ſanctiones iugiter manere: Reſp. *Volo*. Vis Epiſcopo tuo, ad cuius parochiam ordinandus es, obediens & conſentiens eſſe ſecundum iuſtitiam, & miniſterium tuum? Reſp. *Volo, & hoc Deo & ſanctis eius* B *ita in præſenti promitto, prout ſcio & implere valeo: Ita me Deus adiuuet, & ſancti eius.*

Et Epiſcopus dicit: Voluntatem tuam bonam & rectam ad perfectionem ſibi beneplacitam Deus perducere dignetur. Reſp. *Amen.*

Et alloquatur populum ſequentibus verbis pro ordinando Presbytero.

QVoniam, dilectiſſimi fratres, Rectori nauis, & nauigio deferendis, eadem eſt vel ſecuritatis ratio, vel timoris; communis eorum debet eſſe ſententia, quorum cauſa communis exiſtit. Nec fruſtra à patribus reminiſcimur inſtitutum vt de electione eorum, qui ad regimen altaris adhibendi ſunt, conſulatur & populus, quia de actu & conuerſatione præſentandi, quod nonnunquam ignoratur à pluribus, ſcitur à paucis. Et neceſſe eſt, vt facilius quis obedientiam exhibeat ordinato, cui aſſenſum præbuit ordinando. C Fratrum noſtrorum & Presbyterorum N. conuerſatio, quantum mihi videtur probata ac Deo placita eſt & digna, vt arbitror, Eccleſiaſtici honoris augmento: Sed ne vnum fortaſſe vel paucos aut decipiat aſſenſio, aut fallat affectio, ſententia eſt expetenda multorum. Itaque quid de eorum actibus aut moribus noueritis, quid de meritis ſentiatis, Deo teſte conſulimus. Debet hanc fidem charitas veſtra habere, quam ſecundum præceptum Euangelij, & Deo exhibere debetis, & primo, vt his teſtimonium ſacerdotij magis pro merito, quam affectione aliqua tribuatis. Et qui deuotionem omnium expectamus, intelligere tacentes non poſſumus: Scimus tamen, quod eſt acceptabilius Deo, ſi aderit per Spiritum ſanctum conſenſus vnius omnium animorum. Et ideo electionem veſtram, debetis publica voce profiteri. Illis autem profitentibus dicat eis Epiſcopus qui ad Presbyterij gradum prouehendi ſunt.

D Qui ordinandi eſtis Presbyteri, offerre vos oportet & benedicere, præeſſe & prædicare, baptizare, & bonis operibus & Deo placitis vndique redundare. Tunc eo inclinato, imponat manum ſuper caput eius, & omnes Presbyteri, qui adſunt, manus ſuas iuxta manum Epiſcopi ſuper caput illius teneant, & ille det orationem ſuper eum.

Præfatio Presbyterorum.

ORemus, dilectiſſimi, Deum patrem omnipotentem, vt ſuper hos famulos ſuos N. quos ad Presbyterij munus elegit, cœleſtia dona multiplicet, & quod eius dignatione ſuſcipiunt, ipſius conſequantur auxilio. *Oremus*. Et diaconus. *Flectamus genua. Leuate.*

Sequitur oratio.

EXaudi nos, quæſumus Domine Deus noſter & ſuper hos famulos tuos N. benedictionem Sancti Spiritus, & gratiæ ſacerdotalis effunde virtutem, vt quos tuæ pietatis aſpectibus offerimus conſecrandos, perpetuam muneris tui largitatem conſequantur. Per.

Conſecratio eorumdem. E

ADeſto quæſumus, omnipotens Deus honorum auctor, & diſtributor omnium dignitatum, per quem proficiunt vniuerſa, per quem cuncta firmantur, amplificatis ſemper in melius naturæ rationalis incrementis, per ordinem congrua ratione diſpoſitum. Vnde & ſacerdotales gradus atque officia Leuitarum, Sacramentis myſticis inſtituta creuerunt, vt cum pontifices ſummos regendis populis præfeciſſes, ad eorum ſocietatis & operis adiumentum, ſequentis ordinis viros, & ſecundæ dignitatis eligeres. Sic in eremo per ſeptuaginta virorum prudentium mentes, Moyſis ſpiritum propagaſti, quibus ille adiutoribus vſus in populo, innumeras multitudines facile gubernauit. Sic in Eleazarum & Ithamarum filios Aaron, paternæ plenitudinis abundantiam tranſfudiſti, vt ad hoſtias ſalutares, & frequentioris officij Sacramenta, miniſterium ſufficeret ſacerdotum. Hac prouidentia, Domine, Apoſtolis filij tui, doctores fidei comites addidiſti, quibus illi orbem totum ſecundis prædicatoribus impleuerunt. F Quapropter infirmitati quoque noſtræ Domine quæſumus, hæc adiumenta largire, qui quanto fragiliores ſumus, tanto his pluribus indigemus. Da, quæſumus, omnipotens pater in hos famulos tuos N. presbyterij dignitatem, innoua in viſceribus eorum ſpiritum ſanctitatis, vt acceptum à te Deus ſecundi meriti munus obtineant, cenſuramque morum exemplo ſuæ conuerſationis inſinuent. Sint prouidi cooperatores ordinis noſtri, & luceat in eis totius forma iuſtitiæ, vt bonam rationem diſpenſationis ſibi creditæ reddituri: æternæ beatitudinis præmia conſequantur. Per eumdem. In vnitate eiuſdem Spiritus ſancti.

Hic reflectet orarium ſuper humerum eius dextrum, dicens ad eum: *Accipe iugum Domini, iugum enim eius ſuaue eſt, & onus eius leue.* Hic veſtiat eum caſula, dicens: *Stola innocentiæ induat te Dominus.*

Aliter. G

Accipe veſtem ſacerdotalem, per quam charitas intelligitur, potens eſt enim Deus, vt augeat tibi charitatem, & opus perfectum. Qui viuit.

Item Aliter.

Induere veſtibus præclaris, à cunctis commaculationum ſpurcitiis expurgatus, deſcendatque ſuper te diuinæ Trinitatis ante mundi conſtitutionem tibi benedictio data. Per omnia ſæcula ſæculorum. Reſp. *Amen.*

Item allocutio ad populum.

Sit nobis, fratres, communis oratio, vt hi qui in adiutorium & vtilitatem veſtræ ſalutis eliguntur, Presbyteratus benedictionem diuini indulgentia muneris conſequantur, & vt ſancti ſpiritus gratia ſacerdotalia dona priuilegio virtutum, ne impares loco deprehendantur, obtineant.

Item conſecratio. H

Deus ſanctificationum omnium auctor, cuius vera conſecratio, cuius plena eſt benedictio, tu Domine ſuper hos famulos tuos N. quos presbyterij honore dedicamus, munus tuæ benedictionis effunde, vt grauitate actuum & cenſura viuendi præbeant ſe ſeniores, his inſtituti diſciplinis, quas Tito & Timotheo Paulus expoſuit vt in lege tua die ac nocte, omnipotens, meditantes, quod legerint, credant: quod crediderint, doceant: quod docuerint imitentur: iuſtitiam, conſtantiam, miſericordiam, fortitudinem in ſe oſtendant, exemplo præbeant, admonitione confirment, ac purum atque immaculatum miniſterij ſui donum cuſtodiant, & per obſequium plebis tuæ, panem & vinum in corpus & ſanguinem filij tui immaculata benedictione transforment, & inuiolabili charitate virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, in die iuſti & æterni iudicij Dei, conſcientia pura, fide vera, Spiritu ſancto pleni, perſoluant. Per eundem. In vnitate eiuſdem Spiritus ſancti.

A Expleta autem oratione, accipiens oleum ſanctum, faciat crucem ſuper ambas manus eorum, dicens: Conſecrare & ſanctificare digneris Domine manus iſtas per iſtam vnctionem, & noſtram benedictionem, vt quæcunque recte conſecrauerint, conſecrentur: & quæcunque benedixerint, benedicantur, & ſanctificentur in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Reſp. *Amen.* Hoc facto accipiat patenam cum oblatis, & calicem cum vino, & det eis, dicens: Accipite poteſtatem offerre ſacrificium Deo. Miſſamque celebrare tam pro viuis quam pro defunctis in nomine Domini. Reſp. *Amen.*

Benedictio in conſummatione Presbyterorum.

Benedictio Dei Patris, & Filij, & Spiritus ſancti deſcendat ſuper vos, vt ſitis benedicti in ordine ſacerdotali, & offeratis placabiles hoſtias pro peccatis atque offenſionibus populi omnipotenti Deo, cui eſt honor & gloria, per omnia ſæcula ſæculorum. Reſp. *Amen.* Tunc oſculeB tur ſingulos, dicens: Pax Domini ſit ſemper vobiſcum: Et per manus commendet ſe orationibus eorum.

Decretum, quod clerus & populus firmare debet de electo Epiſcopo.

DOminis patribus, illis venerabilibus ſcilicet Epiſcopis diœceſeos metropolis, clerus, ordo, & plebs huic ſanctæ Eccleſiæ ſpecialiter obſequentes. Veſtræ paternitati eſt cognitum, quantum temporis eſt, ex quo accidentibus variis eminentibus, hæc ſancta eccleſia metropolis noſtro ſit viduata paſtore, ac deſtituta rectore, quod non ſulum ad noſtrum, verum ad veſtrum, ac omnis diœceſeos detrimentum pertinere dinoſcitur, cum totius prouinciæ ſolicitudinem Metropolitano conſtet eſſe commiſſam. Propterea elegimus huius diœceſeos illius Eccleſiæ Presbyterum nomine N. nobis ſufficientiſſime cognitum, natalibus & moribus nobilem, Apoſtolica & Eccleſiaſtica diſciplina imbutum, fide catholicum, natura prudentem, docibilem, patientem, moriC bus temperatum, vita caſtum, ſobrium, humilem, affabilem, miſericordem, literatum, in lege Dei inſtructum, in ſcripturarum ſenſibus cautum, in dogmatibus eccleſiaſticis exercitatum, & ſecundum ſcripturarum tramitem, traditionemque orthodoxorum, & canonum ac decretorum, ſedis Apoſtolicæ præſulum conſtitutiones ſano ſenſu Eccleſiaſticas regulas intelligentem, ſanoque ſermone docentem atque ſeruantem amplectentemque eum, qui ſecundum doctrinam eſt fidelem ſermonem, & cum modeſtia corripientem eos, qui reſiſtunt, & qui ſanæ doctrinæ aduerſantur, eis reſiſtere, & redarguere præualentem, hoſpitalem, modeſtum, ſuæ domui bene præpoſitum, non neophytum, habentem teſtimonium bonum, in gradibus ſingulis ſecundum traditionem Eccleſiaſticam miniſtrantem, ad omne opus bonum, & ſatisfactionem omni poſcenti rationem de ea, quæ in illo eſt ſpe, paratum. Quem nobis quantocyus petimus ordinari pontificem, quatenus auctore Domino regulariter nobis præeſſe valeat & prodeſſe, & nos ſub eius regimine ſalubriter Domino militare poſſimus, quia inteD gritas præſidentum, ſalus eſt ſubditorum, & vbi eſt incolumitas obedientiæ, ibi ſanæ eſt forma doctrinæ. Vt autem omnium vota in hanc electionem conuenire noſcatis, huic decreto canonico promptiſſima voluntate ſinguli manibus propriis roborantes ſubſcripſimus.

Item ſubſcriptio Epiſcoporum in electionem Epiſcopi.

ILl. illius Eccleſiæ Archiepiſcopus vel Epiſcopus, in electionem domini N. Eccleſiæ ill. Epiſcopi ſubſcripſi. Iſti illum in locum illius Eccleſiæ Epiſcopi, ipſo conſentiente, ordinari conſenſerunt, quod præſens inſcriptio manifeſtat. Iſti in ordinationem illius Eccleſiæ Epiſcopi conſcripſerunt.

Ex concilio Africano 4. Cap. 1.

1. Com. tom. pag. 512. STatuta eccleſiaſtica docent, qui Epiſcopus ordinandus eſt, ante examinetur, ſi natura prudens eſt, ſi docibilis, ſi moribus temperatus, ſi vita caſtus, ſi ſobrius, ſi ſemper ſuis negotiis vacans, ſi humilis, ſi affabilis, ſi miſericors ſi literatus, ſi in lege Domini inſtructus, ſi in ſcripturarum ſenſibus cautus, ſi in dogmatibus Eccleſiaſticis exercitatus, & ante omnia ſi fidei documenta verbis ſimplicibus aſſerat, id eſt, Patrem, & filium, & Spiritum Sanctum vnum Deum eſſe confirmans, totamque Trinitatis Deitatem coeſſentialem, & conſubſtantialem, & coæternalem, & coomnipotentem prædicans: & ſingulas quaſque in Trinitate perſonas: vnum Deum: ſi incarnationem diuinam non in Patre & Spiritu Sancto factam, ſed in Filio tantum credant, vt qui erat in diuinitate Dei patris filius, ipſe fieret in homine hominis matris filius Deus verus ex Patre, & homo verus ex matre, carnem ex matris viſceribus, & animam humanam rationalem. Si ſimul in eo ambæ naturæ, id eſt, homo & Deus vna perſona, vnus filius, vnus Chriſtus, vnus Dominus, creator, & auctor, & rector cum Patre & Spiritu Sancto, omnium creaturarum, quæ ſunt: qui paſſus vera carnis paſſione, mortuus vera corporis ſui F morte, ſurrexit vera carnis ſuæ reſurrectione, & vera animæ reſumptione, in qua veniet iudicare viuos & mortuos. Quærendum etiam ab eo, ſi credit noui & veteris Teſtamenti, id eſt, legis, prophetarum & Apoſtolorum vnum, eundemque auctorem Deum: Si diabolus non per conditionem, ſed per arbitrium factus ſit malus. Quærendum etiam ab eo, ſi credat huius quam geſtamus, & non alterius carnis reſurrectionem: ſi credat iudicium futurum, & recepturos ſingulos pro his, quæ in carne geſſerunt, vel pœnas, vel gloriam: Si nuptias non improbet, ſi ſecunda matrimonia non damnet, ſi carnium perceptionem non culpet, ſi pœnitentibus reconciliatis communicet, ſi in baptiſmo omnia peccata, id eſt, tam illud originale contractum, quam illa quæ voluntarie admiſſa ſunt, dimittantur, ſi extra Eccleſiam Catholicam nullus ſaluetur. Cum in his omnibus examinatus inuentus fuerit plene inſtructus, tunc cum conſenſu clericorum, & conuentu totius prouinciæ Epiſcoporum, maximeque Metropolitani vel auctoritate, vel præſentia ordinetur Epiſcopus, ſuſcipiens in nomine Chriſti G Epiſcopatum, nec ſuæ delectationis, nec ſuis moribus, ſed ſanctorum patrum diffinitionibus acquieſcens. In cuius ordinatione etiam ætas requiratur, quam ſancti patres exemplo Saluatoris in præeligendis Epiſcopis conſtituerunt.

Epiſtola vocatoria.

DIlectiſſimis fratribus & filiis, Presbyteris, Diaconibus, honoratis clericis & poſſeſſoribus vel cunctæ plebi ill. Eccleſiæ, ſimulque vocato Epiſcopo ill. N. auxiliante Domino, Metropolitanus ſanctæ ſedis Apoſtolicæ ill.

Dilectionem veſtram ſalubriter alloquimur, quia prædictum talem à vobis electum Epiſcopum virum venerabilem, tali Eccleſiæ ordinare compellimur, gaudemus, & honoramus Chriſtum Ieſum, vt qui vobis hanc electionis deuotionem dedit, nobis quoque perficiendi tribuat facultatem. Iam fatum virum religioſa violentia tenere, & ad ſanctam ſedem noſtram ill. perducere feſtina- H te, qui forte magis dignior erit, ſi ſe occultare voluerit. Ob quam rem, hanc direximus admonitionem, quemadmodum optime placuit ſanctæ ſynodo, Epiſcopum ſine vocatoria ſuſcipi non debere, ne obſcuritas dubiæ ordinationis incurrat.

Epiſcopi autem omni tempore benedicuntur. Nunc vero mos eſt, vt nocturno tempore benedicantur. Secunda namque inciſione, id eſt, lectione ſexta egreditur pontifex de Eccleſia Petri, & aſcendit monaſterium ſancti Martini, quod ſub tignis ipſius Eccleſiæ ſitum eſt, & ſubſequitur ipſe electus, qui benedicendus eſt, ſupplicitur cum reliquo clero incedens, & ſtat foras oſtium oratorij Schola cantorum incipit introitum. Poſtea dicit Pontifex, *Gloria in excelſis Deo.*

Sequitur oratio.

Et euntes ab altari vnus presbyter, & alter diaconus, induunt eum veſtimenta pontificalia, in primis lineam &

cingulum,

A cingulum, deinde anagolagium grande, poſtea dalmaticam minorem,& cingulum brachiale, & orarium breue, deinde dalmaticam maiorem, clero interim canente teſponſorium. *Immola Deo.* Tract. *Qui ſemnat.* Euang. *Deſignanit Dominus & alios ſeptuaginta duo & miſit illos binos ante faciem ſuam.* Tunc aduocantur in baſilicam presbyteri à dextris eius, & diaconi à ſiniſtris. Ipſe vero inclinato capite in medio incedit, vſque dum veniat ante altare. Tunc exuitur caſula, & induit eum pontifex planeta, & legit breuem, hunc modum continentem.

Ciues, inquit, noſtri elegerunt ſibi illum paſtorem. Oremus itaque pro hoc viro, vt Deus omnipotens infundat io eum gratiam ſpiritus ſui, vt dignus habeatur ad cathedram Epiſcopatus regendam. Et reſpondeatur à ſchola: *Chriſte audi nos.* Et cantat litaniam. Et tunc accedit propius ad altare ſubnixo capite. Pontifex vero ponit manum ſuper caput eius,& dicit vnam orationem in modum collectæ, alteram in eo modulamine, quo ſo-
B ler conteſtatio cantari: & ſedet pontifex in ſella ſua. Ipſe vero oſculatur pedem eius, & ſuſcipitur ad pacem, & ſic conſummatur conſecratio illius. Et ipſo die vbicunque Apoſtolicus Miſſam celebræ, de manu eius communionem accipiat.

Qualiter Epiſcopus debeat ordinari. Ex concilio Nicano, cap.4.

EPiſcopum conuenit maxime quidem ab omnibus qui ſunt in prouincia, Epiſcopis ordinari. Si autem hoc difficile fuerit,aut propter inſtantem neceſſitatem,aut propter itineris longitudinem, tribus tamen omnimodis in idipſum conuenientibus, & abſentibus quoque pari modo decernentibus & per ſcripta conſentientibus, tunc ordinatio celebretur.

Qua die ordinetur Epiſcopus.

C Eccleſiaſticorum vero ordinum conſecratio, in ieiunio quatuor Temporum die ſabbati celebretur. Epiſcopi autem conſecratio, qui eſt vicarius Apoſtolorum, immo & Chriſti, ſit in Dominica, quia in eodem die per donum Spiritus ſancti dignatus eſt illuſtrare corda Apoſtolorum. Fieri etiam ſolet aliquoties in natalitiis Apoſtolorum. Nullis inuitis detur Epiſcopus: cleri, plebis & ordinis conſenſus & deſiderium requiratur.

Ordo, qualiter Epiſcopus in Romana Eccleſia ordinetur.

EPiſcopus cum ordinatur, primo progrediatur Dominus Metropolitanus cum electo, & cuncto clero & populo ad Eccleſiam, vbi ipſam fieri vult ordinationem. Et ingreſſus ſacerium, induat ſe veſtimenta pontificalia: Poſt puſillum procedat è ſacrario cum diaconibus & reliquis miniſtris, ſicut in Dominicis diebus mos eſt pro-
D cedendi. Et electus ſacris veſtibus indutus, procedat vna cum Archiepiſcopo, & cæteris Epiſcopis è ſacrario ante altare. Factoque ibi ſcrutinio, & concrepantibus ſignis Eccleſiæ, Dominus Metropolitanus mox vt vult indicet cantori, & incipiat antiphonam ad iotroitum.

Antiphona.

Elegit te Dominus ſibi in ſacerdotem magnum,& apetiens theſaurum ſuum optimum, abundare te faciet omnibus bonis. Pſal. Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Iacob.

Alia.

Antiph. *Sicut fui cum Moyſe, ita ero tecum dicit Dominus: conforta populum meum, neque timeas, ecce Dominus Deus tuus ante te eſt, & non te derelinquet:* Pſal. *Exaudiat te Dominus.*

Alia. E

Benedixit te hodie Deus Pſalm. *Deus deorum Dominus.* Cumque finierint introitum, non dicatur *Kyrie eleiſon*, ſed Dominus Metropolitanus dicat hymnum, *Gloria in excelſis Deo.* Deinde, *Pax vobiſcum.*

Oratio.

Quæſumus omnipotens Deus, vt huic viro ad vtilitatem Eccleſiæ prouehendo, benignitas gratiæ tuæ tribuat largitatem. Per.

Hac oratione expleta, poſitaque ſella Metropolitani ante altare, cæteræ epiſcopales ſellæ ordinentur econtra, reſpicientes ſedem ordinatoris,& ordinandi cathedra collocetur in medio cæterorum. Interim electus ille ſacris veſtibus indutus, hoc eſt, alba, ſtola, cingulo, & cappa, procedat è ſacrario, ducentibus eum per manus duobus F
epiſcopis ante altare. Sedentibus quoque ordinabili ſilentio omnibus, & libros ordinationis præ oculis habentibus: Dominus Metropolitanus ita eum ſcrutando alloquatur.

Incipit examinatio in ordinatione Epiſcopi ſecundum Gallorum inſtitutiones.

ANtiqua ſanctorum Patrum inſtitutio docet & præcipit, vt is, qui ad ordinem Epiſcopatus eligitur, maxime vt legimus io canone Carthaginenſi, antea diligentiſſime examinetur, cum omni charitate, de fide ſanctæ Trinitatis, & interrogetur de diuerſis cauſis vel moribus,quæ huic regimini congruunt,& neceſſaria ſunt retinere ſecundum Apoſtoli dictum, Manus nemini cito impoſueris. Et vt etiam is,qui eſt ordinandus, antea erudiatur, qualiter ſub hoc regimine conſtitutum oporteat conuerſari io Eccleſia Dei,& vt irreprehenſibiles ſint,qui ei manus ordinationis imponunt.Eadem itaque auctoritate & præcepto interrogamus te dilectiſſime frater cha-
titate ſincera, ſi omnem prudentiam tuam, quantum tua G
capax eſt natura, diuinæ ſcripturæ ſenſibus accommodare volueris. Reſponſio ordinandi Epiſcopi.

Ita ex toto corde volo in omnibus obedire, & conſentire.
Interrogatio:

Vis ea, quæ ex diuinis ſcripturis intelligis, plebem cui ordinandus es,& verbis docere & exemplis? Reſponſio: *Volo*: Interrogatio.

Vis traditiones orthodoxorum patrum ac decretales ſanctæ & Apoſtolicæ ſedis conſtitutiones veneranter ſuſcipere, docere, atque ſeruare? Reſponſio: *Volo*: Interrogatio.

Vis beato Petro, ſuæque Eccleſiæ, cui à Deo data eſt poteſtas ligandi atque ſoluendi,eiuſque vicario, ſucceſſoribuſque eius fidem & ſubiectionem per omnia exhibere: Reſponſio. *Volo.* Interrogatio.

Vis ſanctæ ill. Eccleſiæ,mihi N. & ſucceſſoribus meis fidem & ſubiectionem exhibere? Reſponſio: *Volo*: In-
terrogatio. H

Vis mores tuos ab omni malo temperare, & quantum poteris, Domino adiuuante, ad omne bonum commutare? Reſp. *Volo*: Interrogatio.

Vis caſtitatem & ſobrietatem, cum Dei auxilio, cuſtodire & docere? *Volo*: Interrogatio.

Vis ſemper in diuinis negotiis eſſe mancipatus, & à terrenis negotiis, vel lucris turpibus eſſe alienus, quantum te humana hæc fragilitas conſenſerit poſſe? Reſponſio. *Volo.*

Vis humilitatem & patientiam in temetipſo cuſtodire, & alios ſimiliter docere? *Volo.*

Pauperibus & peregrinis, omnibuſque indigentibus vis eſſe propter nomen Domini affabilis & miſericors? Reſp. *Volo.* Tunc dicatur ei:

Hæc omnia & cætera bona tribuat tibi Dominus, & cuſtodiat te, atque corroboret in omni bonitate. Reſponſio. *Amen.*

A

Item interrogatio de credulitate.

CRedis ſecundum intelligentiam & capacitatem ſenſus tui ſanctam Trinitatem, Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, vnum Deum omnipotentem, totamque in Trinitate Deitatem coeſſentialem & conſubſtantialem, coæternam & omnipotentem, vnius voluntatis, poteſtatis & maieſtatis, creatorem omnium creaturarum: à quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, quæ ſunt in cœlo & in terra, viſibilia & inuiſibilia, & ſpiritalia. Reſp. *Aſſentior, & ita credo.* Interrogatio:

Credis ipſum Filium Dei, Verbum Dei æternaliter natum de Patre, conſubſtantialem, coomnipotentem, & æqualem per omnia Patri in diuinitate, temporaliter natum de Spiritu ſancto & Maria ſemper Virgine, cum anima rationali, duas habentem natiuitates, vnam ex patre æternam, (B) alteram ex matre temporalem, Deum verum, & hominem verum, proprium in vtraque natura atque perfectum, non adoptiuum, nec phantaſmaticum, vnicum, & vnum filium Dei, in duabus & ex duabus naturis, ſed in vnius ſingularitate perſonæ, impaſſibilem & immortalem diuinitate: ſed in humanitate pro nobis, & pro ſalute noſtra paſſum; vera carnis paſſione, & ſepultum, ac reſurgentem à mortuis tertia die, vera carnis reſurrectione, die quadrageſimo poſt reſurrectionem cum carne qua reſurrexit, & anima aſcendiſſe in cœlum, & ſedere ad dexteram Patris, inde venturum iudicare viuos & mortuos, & redditurum vnicuique ſecundum opera ſua, ſiue bona fuerint, ſiue mala?

Reſponſio ordinandi: *Aſſentior, & per omnia credo.* Interrogatio:

Credis etiam Spiritum ſanctum, plenum & perfectum, verumque Deum à Patre & Filio procedentem, coæqualem & coeſſentialem, coomnipotentem & coæternum per omnia Patri & Filio? Reſponſio: *Credo.* Interrogatio.

C

Credis hanc ſanctam Trinitatem, non tres Deos, ſed vnum Deum omnipotentem, æternum, inuiſibilem, & incommutabilem? Reſponſio. *Credo.* Interrogatio:

Credis ſanctam Catholicam & Apoſtolicam vnam eſſe veram Eccleſiam, in qua vnum datur baptiſma, & vera omnium remiſſio peccatorum? Reſp. *Credo*: Interrogatio:

Anathematizas etiam omnem hæreſim extollentem ſe aduerſus hanc ſanctam Eccleſiam Catholicam? Reſponſio. *Facio, vel anathematizo.* Interrogatio:

Credis etiam veram reſurrectionem eiuſdem carnis, quam nunc geſtas, & vitam æternam? *Credo.*

Credis etiam noui & veteris Teſtamenti legis & Prophetarum, & Apoſtolorum vnum eſſe authorem, Deum ac Dominum omnipotentem? Reſp. *Credo.* Et dicatur ei:

Hæc tibi fides augeatur à Domino ad veram & æternam beatitudinem, dilectiſſime frater in Chriſto. Et reſpondeant omnes *Amen.*

D

Hæc ſolicita mente & ſtudio vigilanti conſerua, & tibi commiſſis nota facere cura, vt vnanimes vno ore collaudetis Deum de ſuis erga vos beneficiis cui exhibendus eſt honor & gloria. Per omnia ſæcula ſæculorum. Reſp. *Amen.* Ita quoque examinato & plebe inſtructo, legatur lectio.

Epiſtola B. Pauli Apoſt. ad Timotheum. c. 3.

CHariſſime, Fidelis Sermo: Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Oportet ergo Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, vnius vxoris virum, ſobrium, prudentem, pudicum, ornatum, hoſpitalem, doctorem, non vinolentum, non percuſſorem, ſed modeſtum, non litigioſum, non cupidum, ſuæ domui bene præpoſitum, filios habentem ſubditos cum omni caſtitate. Si quis autem domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit? Non neophytum, ne in ſuperbiam elatus, in iudicium in- (E) *cidat diaboli. Oportet autem illum & teſtimonium habere bonum ab his, qui foris ſunt, vt doctrinam Dei noſtri ornet in omnibus.*

GRAD. *Immola Deo ſacrificium laudis, & redde Altiſſimo vota tua.* Verſ. *Congregate illi ſanctos eius, qui ordinauerunt teſtamentum eius ſuper ſacrificia.* Item Grad. *Memor ſit omnis ſacrificij.* Verſ. *Mittat tibi auxilium de ſancto.* Allel. *Qui poſuit fines tuos.* Allel. *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.* Tract. *Deſiderium animæ eius tribuiſti ei, & voluntate labiorum eius non fraudaſti eum.* Verſ. *Quoniam præueniſti eum in benedictione dulcedinis.* Verſ. *Poſuiſti ſuper caput eius coronam de lapide pretioſo.*

Tunc egrediatur Epiſcopus deſignatus ad ſacrarium cum duobus Epiſcopis, & Archidiacono, cum ſubdiaconibus & acolytis, & induant ipſum electum cambagos, ſandalia, manicas, dalmaticam, planetam.

F

Quando induitur cambagis & ſandaliis dicatur ab Epiſcopo.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui es initium & finis, fac iſtum famulum tuum N. fratrem ſcilicet noſtrum, tua benedictione calceari pedulibus iſtis in præparationem Euangelij pacis. Per.

Quando induitur manicis.

Immenſam clementiam tuam rogamus omnipotens & piiſſime Deus, vt manus iſtius famuli tui N. ſcilicet fratris noſtri, ſicut exterius obducuntur manicis iſtis, ſic interius adſpergantur rore tuæ benedictionis, vt quæcunque per eas ſint benedicenda vel conſecranda, per te benedicantur & conſecrentur. Qui viuis.

G

Quando induitur dalmatica.

Deus bonorum omnium author & largitor, guberna famulum tuum hunc N. fratrem noſtrum, vt ſicut hoc typico indumento, priſcorum patrum ritu, latiora veſtimenta præſentialiter conſtringuntur: ita mentis eius vanæ & vagæ cogitationes, ne in effectum periculoſum perueniant, te protegente coërceantur. Præſtante.

Epiſcopo verò deſignato ſolenniter præparato, id eſt Epiſcopi caſulis induti, deportent eum ſuperius iuxta altare. Et conuertens ſe ad populum ordinator, dicat:

Seruanda eſt, dilectiſſimi fratres, in exceſſu ſacerdotum lex & antiqua Eccleſiæ conſuetudo, vt decedentibus aliis, quique digniſſimi ſubrogentur, per quorum doctrinam fides Catholica & Religio Chriſtiana ſubſiſtat, ne ouile Domini prædo violentus irrumpat, & diſperſas abſque paſtore oues fur nocturnus inuadat. (H) Recepto itaque diſpenſatione Dei ſacerdote veſtro ſolicitè vobis agendum eſt, vt in locum defuncti, talis ſucceſſor præparetur Eccleſiæ, cuius peruigili cura & inſtanti ſolicitudine, ordo Eccleſiæ & credentium fides, in Dei timore melius conualeſcat, qui præcipiente Apoſtolo in omni doctrina formam boni operis ibi præbeat: cuique habitus, ſermo, vultus, inceſſus, doctrina, virtus ſit, qui vos vt paſtor bonus fide inſtruat, exemplo patientiæ doceat, doctrina religionis inſtituat, & in omni opere bono confirmet charitatis exemplo. Secundum ergo voluntatem Domini, in locum ſanctæ memoriæ illius nomine, virum venerabilem, illi teſtimonio presbyterorum & totius cleri, & conſilio ciuium ac conſiſtentium, credimus eligendum virum, vt noſtis, natalibus nobilem, moribus clarum, religione probum, fide ſtabilem, miſericordia abundantem, humilem, iuſtum, pacificum, patientem, charitatem habentem, tenacem in cunctis, quæ in ſacerdotibus eligenda ſunt, bonis omnibus exuberantem. Hunc ergo dilectiſſimi fratres, à

A teſtimonio boni operis electum, digniſſimum Sacerdotio, conſonantes laudibus clamare, & dicire: *Dignus eſt.*

His ita profitentibus, cum conſenſu clericorum & laicorum, ac conuentu totius prouinciæ Epiſcoporum, maximeque metropolitani vel auctoritate, vel præſentia ordinetur. Et ſtatim incipiat clerus, *Kyrie eleyſon* cum litania, & proſternat ſe ordinator electi ſimul cum electo, & cæteris Epiſcopis ante altare ſuper ſtramenta, vſquedum dicat ſchola *Agnus Dei.* Vt autem ſurrexerint duo Epiſcopi, ponant & teneant Euangeliorum codicem ſuper ceruicem eius & inter ſcapulas clauſum, & vno ſuper eo fundente benedictionem, reliqui omnes Epiſcopi qui adſunt, manibus ſuis caput eius tangant, & dicat ordinator hanc orationem?

ADeſto ſupplicationibus noſtris omnipotens Deus, & quod humilitatis noſtræ gerendum eſt miniſterio, tuæ virtutis impleatur effectu. Per.

B

Sequitur præfatio.

Oremus dilectiſſimi nobis, vt huic viro, vtilitati Eccleſiæ prouidens benignitas omnipotentis Dei, gratiæ ſuæ tribuat largitatem. Per.

Oratio.

Propitiare Domine ſupplicationibus noſtris, & inclinato ſuper hunc famulum tuum N. cornu gratiæ ſacerdotalis benedictionis tuæ in eum effunde virtutem. Per. Per omnia ſecula ſeculorum. Reſp. *Amen.* Dominus vobiſcum. Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.* Surſum corda. Reſp. *Habemus ad Dominum.* Gratias agamus Domino Deo noſtro. Reſp. *Dignum & iuſtum eſt.*

Præfatio.

Verè dignum & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & vbique gratias agere, Domine ſancte, pater C omnipotens, æterne Deus. Honor omnium dignitatum, quæ gloriæ tuæ ſacratis famulantur ordinibus. Deus qui Moyſem famulum tuum ſecreti familiaris affatu, inter cætera cœleſtis documenta culturæ, de habitu quoque indumenti ſacerdotalis inſtituens, electum Aaron myſtico amictu veſtiri, inter ſacra iuſſiſti, vt intelligentiæ ſenſum de exemplis priorum caperet ſecutura poſteritas, ne eruditio doctrinæ tuæ vlli deeſſet ætati, cum & apud veteres reuerentiam ipſa ſignificationum ſpecies obtineret, & apud nos certiora eſſent experimenta rerum, quam ænigmata figurarum. Illius namque ſacerdotij anterioris habitus, noſtræ mentis ornatus eſt, & pontificalem gloriam non iam nobis honor commendat veſtium, ſed ſplendor animarum. Quia & illa quæ tunc carnalibus blandiebantur obtutibus, ea potius quæ in ipſis erant intelligenda, poſcebant. Et idcirco huic famulo tuo N. quem ad ſummi ſacerdotij miniſterium elegiſti, hanc quæſumus, Domine gratiam largiaris, vt quidquid illa velamina in fulgore auri, in nitore gemmarum, & in multimodi operis varietate ſignabant, hoc in eius moribus D actibuſque clareſcat. Comple in ſacerdote tuo myſterij tui ſummam, & ornamentis totius glorificationis inſtructum, cœleſtis vnguenti flore ſanctifica.

Hic mittas chriſma in caput Epiſcopi in modum crucis

Vngatur & conſecretur caput tuum cœleſti benedictione in ordine pontificali, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Reſp. *Amen.* Pax tibi. *Et cum ſpiritu tuo.*

Hoc, Domine, copioſè in eius caput influat, hoc in oris ſubiecta decurrat, hoc in totius corporis extrema deſcendat, vt tui ſpiritus virtus & interiora eius repleat, & exteriora circumtegat. Abundet in eo conſtantia fidei, puritas dilectionis, ſinceritas pacis. Sint ſpecioſi munere tuo pedes eius ad euangelizandum pacem, ad euangelizandum bona tua. Da ei Domine, miniſterium reconciliationis in verbo & in factis, in virtute ſignorum & prodigiorum. Sit ſermo eius & prædicatio non in perſuaſibilibus E humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis. Da ei Domine claues regni cœlorum, vt vtatur, non glorietur poteſtate quam tribuis in ædificationem, non in deſtructionem. Quodcumque ligauerit ſuper terram, ſit ligatum & in cœlis: & quodcunque ſoluerit ſuper terram, ſit ſolutum & in cœlis. Quorum detinuerit peccata, detenta ſint: & quorum dimiſerit tu dimittas. Qui benedixerit ei, ſit benedictus: & qui maledixerit ei maledictionibus repleatur. Sit fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituas tu Domine ſuper familiam tuam, vt det illis cibum in tempore opportuno, & exhibeat omnem hominem perfectum. Sit ſolicitudine impiger, ſit ſpiritu feruens. Oderit ſuperbiam, humilitatem diligat: nec eam vnquam deſerat, aut laudibus aut timore ſuperatus. Non ponat lucem tenebras, nec tenebras lucem: non dicat malum bonum, nec bonum malum. Sit ſapientibus & inſipientibus debitor, vt fructum de profectu omnium conſequatur. F Tribuas ei Domine cathedram epiſcopalem ad regendam Eccleſiam tuam, & plebem vniuerſam. Sis ei auctoritas, ſis ei poteſtas, ſis ei firmitas, multiplices ei benedictionem & gratiam tuam, vt ad exorandam ſemper miſericordiam tuam, tuo munere ſemper idoneus, tua gratia ſemper poſſit eſſe deuotus. Per Dominum: in vnitate eiuſdem Spiritus ſancti.

Vngantur manus iſtæ de oleo ſanctificato, & chriſmate ſanctificationis: ſicut vnxit Samuel Dauid in Regem & prophetam, ita vngantur & conſummentur in nomine Dei Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, facientes imaginem ſanctæ crucis Saluatoris Domini noſtri Ieſu-Chriſti, qui nos à morte redemit, & ad regna cœlorum perduxit: exaudi nos pie pater omnipotens, æterne Deus, & præſta, vt quod te rogamus, exoremus. Per.

Completa benedictione, conſirmet pollicem conſecrati cum chriſmate, dicendo: G

DEus pater Domini noſtri Ieſu-Chriſti, qui te ad pontificatus ſublimari voluit dignitatem, ipſe te chriſmate & myſticæ delibutionis liquore perfundat, & ſpiritalis benedictionis vbertate fœcundet, vt quicquid benedixeris, benedicatur: quicquid ſanctificaueris, ſanctificetur: & conſecratæ manus iſtius vel pollicis impoſitio, cunctis proficiat ad ſalutem. Per.

Benedictio annuli.

Creator & conſeruator humani generis, dator gratiæ ſpiritalis, largitor æternæ ſalutis: tu Domine permitte tuam benedictionem ſuper hunc annulum, vt quicumque hoc ſacroſanctæ fidei ſigno inſignitus incedat, in virtute cœleſtis defenſionis ad æternam vitam ſibi proficiat. Per.

Quando datur annulus.

Accipe annulum diſcretionis & honoris, fidei ſignum, H vt quæ ſignanda ſunt, ſignes: & quæ aperienda ſunt, prodas: quæ liganda ſunt, liges: quæ ſoluenda ſunt, ſoluas: atque credentibus per fidem baptiſmatis: lapſis autem, ſed pœnitentibus, per miniſterium reconciliationis ianuas regni cœleſtis aperias: cunctis vero de theſauro dominico noua & vetera proferas ad æternam ſalutem hominibus, conſolatus gratia Domini noſtri.

Admonitio.

MEmor ſponſionis & deſponſationis Eccleſiaſticæ & dilectionis Domini Dei tui, in die qua aſſecutus es hunc honorem, caue ne obliuiſcaris illius.

Alia.

Accipe annulum pontificalis honoris, vt ſis fidei integritate ante omnia munitus, miſericordiæ operibus inſiſtens, infirmis compatiens, beneuolentibus congaudens, aliena damna propria deputans, de alienis gaudiis tanquam de propriis exultans.

A

Alia.

Accipe annulum, fidei ſcilicet ſignaculum, quatenus ſponſam Dei, ſanctam videlicet Eccleſiam, intemerata fide ornatus, illibatè cuſtodias. Per.

Benedictio baculi:

Deus ſine quo nihil poteſt benedici vel conſecrari, hunc baculum benedicere dignare, vt quotieſcunque famulus tuus illum geſtando, & te in corde tenendo per hunc ſuſtentetur, tuæ benedictionis vbertate repleatur. Per.

Quando datur baculus, dicitur.

Accipe baculum paſtoralis officij, poteſtatem ligandi atque ſoluendi, & ſis in corrigendis vitiis perſeuerans, iudicium ſine ira tenens, in fouendis virtutibus auditorum

B

animos demulcens, in tranquillitate ſeueritatis cenſuram nou deſerens.

Alia.

Accipe baculum ſacri regiminis ſignum, vt imbecilles conſolides, titubantes confirmes, prauos corrigas, rectos dirigas in viam ſalutis æternæ, habeasque poteſtatem erigendi dignos, & corrigendi indignos, cooperante Domino noſtro.

Tunc det oſculum pontifici & diaconis omnibus, & tenens eum archidiaconus, deportet in presbyterium, & det oſculum epiſcopis & presbyteris. Deinde iubeat eum dominus Pontifex in capite ſedium epiſcoporum ſedere. Dominus vero Pontifex redit ad ſedem, dum autem ſederit, lauet manus: & ponens incenſum in thymiamaterio, inclinanti archidiacono det benedictionem, & ille imponat Euangelium ſecundum Marcum.

C

IN illo tempore, Circuibat Ieſus in circuitu docens, & conuocauit duodecim, & cœpit eos mittere binos, & dabat illis poteſtatem ſpirituum immundorum, & præcepit eis, ne quid tollerent in via niſi virgam tantum: non peram, non panem, neque in zona æs: ſed calceatos ſandaliis, & ne induerentur duabus tunicis. Et dicebat eis: Quocunque introieritis, in domum, illic manete, donec exeatis inde. Et quicunque non receperint vos, nec audierint vos, exeuntes vos inde, excutite puluerem de pedibus veſtris in teſtimonium illis, exeuntes prædicabant vt pœnitentiam agerent, & dæmonia multa eiiciebant. Et vngebant oleo multos ægros & ſanabantur. Offert. *Inueni Dauid.* Alleluia. *Gloria & honor.* Secreta. *Suſcipe Domine munera quæ tibi offerimus pro famulo tuo, vt propitius in eodem tua dona cuſtodias.* Per.

Infra actionem.

D

Hanc igitur oblationem ſeruitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus pro famulo tuo N. quam ad epiſcopatus ordinem promouere dignatus es, quæſumus Domine, vt placatus accipias, & propitius in eo tua dona cuſtodias, vt quod diuino munere conſecutus eſt, diuinis effectibus exequatur. Dieſque noſtros.

Benedictio.

Deus qui populis tuis indulgendo conſulis, & amore dominaris, da ſpiritum ſapientiæ, quibus tradidiſti regimen diſciplinæ, vt de profectu ſanctarum ouium fiant gaudia æterna paſtorum. *Amen.*

Et qui dierum noſtrorum numerum, temporumque menſuras maieſtatis tuæ poteſtate diſpenſas, propitius ad humilitatis noſtræ reſpice ſeruitutem, & pacis tuæ abundantiam temporibus noſtris prætende perfectam. *Amen.*

Collatis quoque in me per gratiam tuam propitiare muneribus, & quem feciſti gradu epiſcopali ſublimem,

E

fac operum perfectione tibi placabilem, atque in eum affectum dirige cor plebis & præſulis, vt nec paſtori obedientia gregis, nec gregi deſit vnquam cura paſtoris *Amen.* Quod ipſe præſtare.

Cum autem venerit ad communicandum, Dominus pontifex porrigit ei formatam atque ſacratam oblationem integram. Suſcipiensque eam Epiſcopus, ipſe ex ea communicet ſuper altare: quod vero reſiduum fuerit, ſibi reſeruet denuo ad communicandum vnoquoque die vſque quadraginta dies expletos. Et poſtmodum iuſſus à Domino pontifice, communicat populum cum cæteris epiſcopis.

Communio.

Meſſis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo Dominum Meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuam.

F

Poſtcommunio.

Plenum quæſumus, Domine in nobis remedium tuæ miſerationis operare, & tales nos eſſe perfice propitius, & ſic foueri, vt tibi in omnibus placere valeamus. Per.

Formata Epiſcopo danda.

Dilectiſſimis fratribus & filiis, Presbyteris, diaconibus, honoratis clericis & poſſeſſoribus, vel cunctæ plebi ill. Eccleſiæ N. auxiliante Domino, Archiepiſcopus ſanctæ ſedis Catholicæ ill. Electionem veſtram Deo acceptiſſimam comprobantes, virum venerabilem N. in primo ordine vobis conſecrauimus ſacerdotem. Ideoque dilectionem veſtram ſolicitè commonemus, vt prædictum tali veneratione colatis, qua eum voluiſtis conſecrari pontificem. Quamobrem talem miſſum ſedis noſtræ direximus, vt optimè placuit S. Synodo, epiſcopum ſine formata ſuſcipi non debere, ne obſcura aut dubia nota ordinationis

G

incurrat. Ego N. recognoui, Iſt. N. in ordinatione ill. Eccleſiæ Epiſcopi conſcripſerunt. Ego N. illius Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Edictum quod dat Pontifex Epiſcopo cui benedicit.

Dilecte nobis frater ill. epiſc. ill. pontifex: Dum, vt credimus, te diuino nutu vocante, cletus vel populus ciuitatis illius vna cum ſubiectis parochiis vnanimes vnoque ore ſibi elegerunt rectorem, & ad nos vſque perducentes, petierunt conſecrari Epiſcopum, quoniam quæ auxiliante Domino teſtimonium illis reddentibus de conſcientia tua vel caſtitate, ſeu de reliquis bonis quæ Deo acceptabilia ſunt, ob vtilitatem ipſius Eccleſiæ per manus noſtræ impoſitionem te Epiſcopum conſecrauimus: A modo frater chariſſime ſcias te maximum pondus ſuſcepiſſe laboris, quod eſt ſarcina regiminis animarum, & commodis ſeruire multorum, omniumque fieri minimum atque miniſtrum, & pro credito tibi talento, in die exa-

H

minis & iudicij, rationem redditurum. Nam ſi ſaluator noſter dixit: *Non veni miniſtrari, ſed miniſtrare, & animam ſuam poſuit pro ouibus ſuis:* quanto magis non deſidioſi ſerui ſummi patrisfamiliâs debemus maximo ſudore incumbere, oues Dominicas nobis à ſummo paſtore conſignatas, ad ouile Dominicum, ſuffragante diuina gratia, abſque morbo vel macula perducere? Denique exhortari volumus dilectionem tuam, vt fidem quam breuiter lucideque digeſſimus, illibatam & inuiolabiliter cuſtodias, quæ eſt ita in his verbis deprompta.

Sermo de Fide:

Credimus in vnum Deum omnipotentem, viſibilium omnium & inuiſibilium factorem: & in vnum Dominum noſtrum Ieſum-Chriſtum Filium Dei viui, & Spiritum ſanctum Domini. Non tres Deos, ſed Patrem & Filium, & Spiritum ſanctum, vnum Deum

A colimus, confitemur & adoramus. Patrem credimus in-
genitum. Filium genitum, Spiritum vero ſanctum non
genitum, non creatum, neque factum, ſed de Patre, &
Filio procedentem, Patri & Filio coæternum, & coæqua-
lem, & cooperatorem. Et in hac Trinitate nihil eſt prius
aut poſterius, nihil eſt minus aut maius, ſed coæterni ſibi
ſunt, & coæquales. Itaque Pater & Filius & Spiritus ſan-
ctus, hi tres vnum ſunt: Tres non confuſi, nec diuiſi, ſed
diſtinctim coniuncti, & coniunctim diſtincti: æqui di-
uinitate, conſimiles maieſtate, qui ita vniti ſunt, vt tres
quoque non dubitemus: ita tres ſunt vt ſeparari à ſe non
poſſe fateamur. Diuiditur, vt ita dicam, hæc ſancta Tri-
nitas indiuiſibiliter, & coniungitur diuiſibiliter, quemad-
modum Ipſe Dei Filius Ieſus Chriſtus effatus eſt, dicens:
Ioan.10. *Ego & Pater vnum ſumus. Vnum*, quod dixit, pluralita-
tem excluſit. *Sumus*, quod addidit, perſonas manifeſte
oſtendit. Credimus & in nouiſſimis temporibus propter
nos homines, & propter noſtram ſalutem Dei Filium de-
ſcendiſſe de cœlis, & adſumpſiſſe humanam carnem ex
B Maria ſemper Virgine. In qua vero carne, quam veraci-
ter adſumpſit, paſſus eſt & flagellatus, colaphis, ſputis il-
litus, ſpineam coronam in capite geſtans, cruci cum im-
piis latronibus adfixus, vt & illud impleretur: Quia *cum
iniquis deputatus eſt, felle & aceto potatus, ſicut prædictum
fuerat: Et dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea pota-*
Pſal.53. Pſal.68. *uerunt me aceto.* Mortuus eſt, deſcendit ad inferos & ani-
mas quas voluit, quæ ex Adam vinculo ibi adſtrictæ tene-
bantur, ad ſuperos reuocauit. Tertia die reſurrexit à mor-
tuis, & per quadraginta dies poſt reſurrectionem ſuam in
terris conuerſatus, & cum diſcipulis ſuis loquens, atque
conueſcens, locutus eſt, dicens: *Videte manus meas &
pedes meos, quia ego ipſe ſum, &c.* Poſt hæc in montem
oliueti conſcendens, vocatis diſcipulis ſuis, ait illis: *Ite,
docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &
Filij, & Spiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia quæ-
cunque præcepi vobis, & ecce ego vobiſcum ſum omnibus
diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* Tunc videntibus
illis, aſcendit in cœlos, & ſedet ad dexteram Dei Patris
C omnipotentis. Inde venturum expectamus eum ad iudi-
cium, iudicaturum viuos & mortuos, & reddere vnicui-
que aut vitam æternam, præmium boni meriti, aut ſen-
tentiam pro peccatis æterni ſupplicij.

Credimus vnum baptiſma, credimus carnis reſurre-
ctionem, & in triginta annorum ætate ad iudicium ven-
turos. Credimus ſanctam Eccleſiam, Catholicam, toto or-
be diffuſam, Credimus remiſſionem omnium peccato-
rum, communionemque ſanctorum, & vitam æternam.
Amen.

Scimus namque quod ab infantia ſacris es literis eru-
ditus, & canonum inſtitutis ad liquidum edoctus: atta-
men non prolixè, ſed breuiter quidem ſtrictimque ad te
nobis dirigendus eſt ſermo.

Ordinationes ſi quas feceris, ſecundum canones atque
Apoſtolicam Eccleſiam aptis temporibus fac, id eſt, men-
ſis primi, quarti, ſeptimi, atque decimi.

Vide vt cito nemini manum imponas, ne communi-
ces peccatis alienis.

D Bigamos vel curiales, aut ſeruum cuiuſlibet ad ſacrum
ordinem nequaquam promoueas, nec neophytum, ne ſe-
cundum Apoſtoli ſententiam elatus, in laqueum vel vora-
ginem incidat diaboli, ſed eos in ſacroſancta Eccleſia or-
dinare ſtude, qui ætatem habeant maturitatis, & apud
Deum & homines fideliter vixerint, &. deinceps viuere
ſtudeant.

Et hoc cauendum eſt tibi, quaſique venenum peſtife-
rum reiiciendum, ne auaritia ſurripiat cor tuum, vt per
quodlibet munus acceptum, manus alicui tribuas, & in
ſimoniacam hæreſim, quam Saluator noſter omnimodis
deteſtatur, in præceps ruas. Memento quia gratis accepi-
ſti, gratis & da. Secundum enim vatis eloquium. Qui eii-
cit auaritiam, & excutit manus ſuas ab omni munere, hic
in excelſis habitabit, & munimenta ſaxorum, ſublimitas
eius. Panis ei datus eſt, aquæ ipſius fideles ſunt, regem in
decore videbunt oculi eius.

Temetipſum mitem, caſtumque cuſtodi. In habitacu-
lum tuum aut raro, aut numquam mulieri ſit ingreſſus. E
Omnes puellas aut virgines Chriſti, aut æquanimiter ig-
nora, aut æquanimiter dilige. Nec de præterita caſtitate
confidas, quia nec Samſone fortior, neque Salomone po-
tetis eſſe ſapientior. Quando autem ob animarum lucrum
viſitationis cauſa in collegium vel infra ſepta ingreſſus
fueris ancillarum Dei, non ſolus introeas, ſed tales tecum
adhibe ſocios, de quorum contubernio non diffameris,
quia oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, & teſti-
monium habere bonum ad omnes, vt ne quis ex eo
ſcandalum ſumat. Scandelizanti videlicet vnum ex
puſillis, ſcimus quanta animaduerſio à Domino compa-
tetur.

Prædicationi inſta, verbum Dei plebi tibi commiſſæ
affluenter milleflueque atque diſtincte, in quantum rore
cœleſti perfuſus fueris, prædicare non deſinas. Scripturas
diuinas ſæpius lege, immo ſi poteſt fieri, lectio ſancta in
manibus tuis, maximeque in pectore ſemper inhæreat.
Ipſam vero lectionem oratio interrumpat. Ad vicem F
namque ſpeculi, anima tua in ipſam ſedule reſpiciat, vt
vel quæ incorrecta ſunt, corrigat: vel quæ pulchra, am-
plius exornet. Diſce, quod ſapienter doceas, eum qui
ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, vt poſſis
exhortari in doctrina ſana, & contradicentes reuincere.
Permane in his quæ didiciſti, & credita ſunt tibi eloquia
Dominicæ diſpenſationis, Paratus ſemper eſto ad ſatisfa-
ctionem: nec confundant opera tua ſermonem tuum, ne
cum in Eccleſia loqueris, tacitus quiſlibet reſpondeat:
Cur ergo ipſe non facis quod iubes? Recognoſce magi-
ſter, qui turgidum ventrem ferre videris, ne de ieiuniis
prædices. Furta atque periuria poſſunt etiam deteſtari
latrones, & auaritiam cupidi. Vita ſcilicet tua irrepre-
henſibilis fiat: In ipſa filij tui regulam ſumant: In ipſa,
quicquid in ipſis minus correctum fuerit, corrigant: Ex
ipſa videant, quod diligant: cernant, quod imitari feſti-
nent: vt ad exemplum tuum omnes fideli ſtudio viuere
compellantur. Sit erga ſubiectos tuos ſollicitudo lauda- G
bilis. Exhibeatur cum manſuetudine diſciplina, cum
diſcretione correptio. Iram benignitas mitiget, beni-
gnitatem zelus exacuat: & ita alterum ex altero con-
diatur, vt nec immoderata vltio vltra quam oportet, af-
fligat: nec iterum frangat rectorem diſciplinæ remiſſio.
Itaque boni te dulcem praui aſperum ſentiant correpto-
rem. In qua videlicet correptione hunc eſſe ordinem no-
ueris obſeruandum, vt perſonam diligas; & vitia perſe-
quaris: ne, ſi aliter agere fortaſſe volueris, tranſeat in cru-
delitatem correptio, & perdas per remiſſam iram, quos
emendare per diſcretionem debueras. Sic enim vulnera
te conuenit abſcindere, vt non poſſis vlcerare quod ſa-
num eſſe videtur, ne ſi pluſquam res exigit, ferrum in-
ciſionis impreſſeris, noceas cui prodeſſe feſtinas. Nec di-
cimus, vt in te delinquentibus non te oſtendas vltorem,
& vitia nutrire permittas: ſed hortamur, vt in iudicio
ſemper miſericordia miſceatur, vt poſſis cum propheta
fiducialiter dicere: *Miſericordiam & iudicium cantabo* Pſal.100.
H *tibi Domine.* Sic in te paſtoris pietas amabiliſque dulce-
do, & ſecundum canonum regulas ſeuera diſtrictio, vi-
geat, vt innocenter viuentes leniter foueas, & inquie-
tos perfidoſque feriendo à prauitate compeſcas. Nullius
faciem in iudicio adſpicias, vt nec diuitem potentia ſua
apud te extollere poſſit, nec pauperem propter pauperta-
tem humilitatemque ipſius, exaſperatio tua de re quam
ſuggerer, humiliorem reddat. Subſtantiam Eccleſiæ,
quam ad diſpenſandam ſuſcipis, fideliter atque diſcrete
erogare ne diſſimules. Scias te alienum eſſe diſpenſa-
torem, vt in te Dominicum impleatur eloquium, di-
cens: *Fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit Do-* Luc.12.
*minus ſuper familiam ſuam, vt det illis eſcam in tem-
pore.*

Hoſpitalitatem ſectare: miſericordem prout vires ſup- Prou.21.
petunt pauperibus te exhibe: quia, Qui obturat aurem à
clamore eorum, vt non exaudiat: ipſe clamabit, & non ex-
audietur.

Viduæ, orphani, pupillique te benigniſſimum paſtorem,
atque tutorem ſe habere gaudeant.

A Oppreſſis defenſio tua ſubueniat. Illis autem qui opprimunt, vigor tuus efficaciter contradicat. Et ita cuncta Deo adiuuante præmunias, vt lupus ſæuiens, ſequaceſve illius, adhuc in carne vitam agentes, huc illucque debacchantes, & animas innocentium laniare cupientes, in ouile Dominicum ingrediendi, ad perdendas animas, locum non habeant.

Nullus te fauor extollat, nulla aduerſitas atterat, id eſt, vt nec in proſperis cor tuum eleuent, nec in aduerſis in aliquo deiiciatur: ſed omnia & in omnibus, cautè & cum diſcretione agere te volumus, vt abſque reprehenſione ab omnibus viuere comprobetis.

Exhortatio.

Eia dilectiſſime frater, ſatage, atque elaborare non deſinas ad perficiendum opus quod acturus es, vt oues tibi traditas tandem aliquando ad ouile Dominicum ſalubri refectionis pabulo educatas, repræſentare vna tecum merearis. Perpendamus communiter frater chariſſime, nos qui paſtores ouium Dominicarum indigne dicimur. Paſtores ſunt ouium, brutorúmque animalium, qui die noctúque peruigiles exiſtunt, & greges à Dominis ſuis ſibi commiſſos, cum maxima inſtantia fideliter cuſtodiunt. Fugit ſomnus ab oculis eorum, peruigiles in noctibus plurimis exiſtunt: æſtu vruntur & ſiti, conſcendunt cacumina montium, colles valleſque perſcrutari non deſinunt, perquirentes paſcua ouium alendarum apta. Quæ dum inuenerint in eis collocare gregem feſtinant. Quem cum in agmine ſuo omnia virentia, ac quæque delectabilia carpere conſpiciunt, aſſumptis muſicorum fiſtulis dulci modulamine iuxta ingenium ſui ſenſus aures gregum ſuorum demulcent: & ſemper vndique oculis intentis inſpiciunt, ne quælibet beſtia ex ipſis aliquam de manibus eorum rapiat, vt ad caulas dominorum ſuorum, numerum ſibi traditum perducant. Et ſi qua ex illis errauerit, aut in denſitate veprium inhæſerit, perquirendo ad ouile proprium reducunt, aut ſi feſſa ex ipſis in via defecerit, in humeris propriis imponunt & geſtant: & quod morbidum fuerit, tangere vel redintegrare non dedignantur: & maximum laborem, pluri-múmque adhibent ſudorem, vt ne vna quidem ex ouibus eorum pereat.

B

C

Si enim paſtores ouium atque animalium, pro commodo temporali, tanto ſemetipſos labore afficiunt, vt oues dominorum ſuorum abſque damno cuſtodiant & lucrum acquirere poſſint; quid nos è contra in die diſtricti iudicij dicturi ſumus, quando apparuerit paſtor paſtorum, iudex viuorum, & cœperit cum ſeruis de talentis quæ tradidit, rationem ponere, qui curam alendarum ouium Dominicarum ſuſcepimus, ſed animabus ad imaginem Dei conditis, pro quibus Chriſtus ſemetipſum tradidit, paſcua virentia non perquirimus, id eſt, eas prædicatione ſancta atque verbis delectabilibus non inſtruimus? neque montium iuga æternalium conſcendimus, hoc eſt, exempla ſublimium patrum non oſtendimus, nec dulcibus eloquiis blandimur, & errantes in peccatis veprium ſpinarúmque, non perquirimus, nec laboramus vt ad ouile proprium eas reducamus, nec laſſis manum porrigimus, atque in peccatis veprium laſſeſcentes & inclinantes, ſubleuare non conamur? Quod fractum eſt, non alligamus, neque malagma imponimus, ſed calamum quaſſatum, & lichnum fumigans quod redintegrare & illuminare debueramus, extinguimus. Beſtiis, lupiſque ſpiritualibus atque carnalibus murum non obiicimus, vt infra ſepta ouium ingredi non valeant: ſed quod peius eſt, noſmetipſos magis quam oues paſcimus: quod craſſum, iugulamus: lanas quoque ac mollia quæque induimus: aquam limpidiſſimam bibimus, & oues, quæ pedibus noſtris conculcata eſt, turbulentam ſitientes bibunt. Comeſſationibus & potationibus die noctúque inſiſtimus: & cum venter noſter replebitur eructantes dicimus: Benedictus Dominus, quia vſque ad ſatietatem ditati ſumus. Et quid aliud eſt, niſi quod nos qui paſtores dici debuimus, mercenarij ſumus?

D

E Imploranda eſt itaque, frater clariſſime, cum gemitibus, crebriſque ſuſpiriis Domini miſericordia exoranda, vt opem ferat nobis miſeris, quatenus oues quas nobis ad regendum tradidit, iuxta illius voluntatem in procella huius ſæculi regere, atque ad ouile ipſius per viam rectam incedentes, quæ via Chriſtus eſt, vna nobiſcum perducere valeamus.

Hæc, amabilis frater, inter multa alia, quæ ſacra continet lectio, ſacerdotij dignitati congrua nobis videntur, quid agendum, quidve reſpuendum ſit. Quod ſi implere non deſiueris, credimus, quod adiuuante Domino, nauim quam in huius pelagi fluctibus gubernare inchoas, ad littus tutiſſimi portus extrahere poteris, & hac fiducialiter in directum, ſpretis ventorum & aquarum ictibus, nauigaueris, ſi duobus gubernaculis vtraque manu ſuſtenteris, id eſt, humilitate quæ fundamentum dumtaxat eſt virtutum, atque charitate quæ vinculum eſt perfectionis.

F Sancta Trinitas fraternitatem tuam ſua protectione incolumem cuſtodiat, vt dum tali moderamine in Deo noſtro, onus quod ſuſcepiſti, peregeris: In die æternæ retributionis, eo dicente, audire merearis: *Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.* Matt. 25.

Ordo qualiter ordinetur Rom. Pontifex.

In ordinatione Romani pontificis pſallunt ſecundum conſuetudinem, procedit electus de ſecretario cum ceroſtatis ſeptem, & venit ad confeſſionem. Et poſt litaniam aſcendunt ad ſedem ſimul Epiſcopi & Presbyteri. Tunc Epiſcopus Albanen. dat orationem primam ſuper Pontificem. *Adeſto ſupplicationibus noſtris omnipotens Deus.* Deinde Epiſcopus Portuenſis dat orationem ſecundam. *Propitiare Domine ſupplicationibus noſtris.* Poſtmodum adducuntur Euangelia, & aperiuntur & tenentur ſuper caput electi à diaconibus. Tunc Epiſcopus Oſtienſis conſecrat pontificem ita: *Deus honorum omnium.* In qua oratione hæc addi debent ad locum.

G Et idcirco famulo tuo. N. quem Apoſtolicæ ſedis præſulem, & primatem omnium qui in orbe terrarum ſunt, ſacerdotum, ac vniuerſalis Eccleſiæ doctorem dediſti, & ad ſummi ſacerdotij miniſterium elegiſti, hanc, quæſumus, Domine gratiam largiaris.

Item poſt pauca.

Tribuas ei cathedram pontificalem ad regendam Eccleſiam & plebem vniuerſam. Poſt hoc Archidiaconus mittit ei pallium. Deinde aſcendit ad ſedem, & dat pacem omnibus ſacerdotibus & dicit: *Gloria in excelſis Deo.*

Orationes iſtæ dicendæ ſunt à domino Papa ſuper Archiepiſcopum ante pallium.

H Domine Deus omnipotens Pater, qui non propriis ſuffragantibus meritis, ſed ſola ineffabili gratiæ largitate iſtum famulum tuum N. populo tuo præeſſe iuſſiſti: tribue ei per gratiam Spiritus ſancti tui, digne tibi perſoluere miniſterium ſacerdotalis officij, & Eccleſiaſticis conuenienter ſeruire miniſteriis, plebemque commiſſam ad gloriam nominis tui, te in omnibus protegente gubernare concede. Per Dominum noſtrum, in vnitate eiuſdem Spiritus ſancti.

Alia.

Deus innocentiæ reſtitutor & amator, dirige hunc famulum tuum N. ſpiritus tui feruore, vt in fide inueniatur ſtabilis, & in operibus tuis efficax: illumina eum lumine ſapientiæ, munda eum & ſanctifica: da ei conſilium rectum, doctrinam ſanctam, vt qui eum inter ſummos ſacerdotes voluiſti numerare, concede, vt quod humano ore eum voluiſti vocare, hoc in conſpectu tuo per gratiam tuæ pietatis poſſit fieri, vt cum electis tuis æternæ vitæ beatitudinem percipere mereatur. Per.

A

Dato pallio, dicatur hæc oratio.

DOmine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, Rex regum, & Dominus dominantium, clementiam tuam humiliter exoramus, necnon & vnigeniti filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui omnes æterno pontificatu ſupereminens, ſolus ſine macula ſacerdotale miniſterium impleuit: ſimulque ſancti Spiritus, cuius ſeptiformis gratia cœleſti virtute cuncta ſanctificat, vt hunc famulum tuum N. diuinæ prouidentiæ gratia largiente, à minoribus vſque ad maiora per gradus aſcendentem, ſupernæ pietatis tuæ gremio gratanter ſuſcipias: & quia nobis indignis, quos ſedis Apoſtolicæ, ſummæque miniſtros ſeruitutis, non exigentibus meritis, ſed dono clementiæ tuæ conſtituiſti, ſalutaribus indumentis ad ſacri altaris officium foras veſtitus in præſenti apparet, ab omnibus criminum contagiis caſtigatus, perpetua ſpiritus tui ſanctificatione intus impleri mereatur, viuique fontis fluentis irrigatum, virtutum fructibus creſcere, & coram omnibus B clareſcere concedas, vt eius vita aliis poſſit exempla præbere. Sit ei honor pallij ornamentum animæ, & vnde aduenit faſtigium viſibile, inde floreſcat amor inuiſibilis: tua diuina potentia eum corroboret, tui filij virtus viſcera eius fœcundet, tui ſpiritus gratia interiora eius impleat, per te firmitatem fidei catholicæ non ſolum ſibimet ſeruandi, ſed etiam alios docendi cauſa conſeruet: per te cathedra Epiſcopalis Eccleſiæ vniuerſalis ſcutum non ſolum à ſpiritalibus, ſed etiam à corporalibus huius ſæculi aduerſitatibus habere mereatur: per te Apoſtolicæ dignitatis in cœlis & in terris ſoluendi & ligandi, non ſolum corpora, ſed & animas diuina Deitatis gratia, dominium ſuſcipiat, vt ita dignis ſucceſſibus deuotè degens, ad deſtinata * ſanctus per omnia perueniens, æternam accipiat beatitudinem. Per.

* *ſanctis.*

Incipit ordo de ædificanda Eccleſia.

C NEmo Eccleſiam ædificet, antequam ciuitatis Epiſcopus illuc veniat, & ibidem crucem figat publicè & ante perfiniat, qui ædificare vult, quod ad luminaria, & ad cuſtodiam, & ſtipendia cuſtodum, & ad ſuppletionem neceſſitatum Presbyteri, dotemque Eccleſiæ ſufficiat atque pertineat, & facta donatione, ſic demum ædificet. Poſtquam ergo Epiſcopus crucem in loco, in quo altare fabricandum eſt, fixerit, tunc adſpergat locum aqua benedicta, hanc canendo antiphonam. Antiph. *Signum ſalutis pone Domine Ieſu Chriſte in loco iſto, & non permittas introire Angelum percutientem.* Cum Pſalmo, Pſal. *Quam dilecta*, vſque in finem: Pſalmo finito cum gloria, dicat Epiſcopus hanc orationem pro conſecratione loci.

Domine Deus, qui licet cœlo & terra non capiaris, domum tamen tibi in terra fieri iuſſiſti, in qua nomen tuum iugiter inuocaretur: hunc locum, quæſumus B. Mariæ ſemper Virginis omniumque Sanctorum tuorum intercedentibus meritis, ſereno tuæ pietatis intuitu viſuata, & vide, & illum ad fabricandum elige, perque infuſionem gratiæ D cœleſtis, ab omni inquinamento purifica, purificatumque conſerua, & qui dilecti tui Dauid deuotionem, in filij ſui Salomonis opere compleſti, tu famuli tui N. in hoc opere precamur vota perfice, vt illud te inſpirante incipiat, te adiuuante perficiat, ſuique laboris præmium in terra conſequatur viuentium. Effugiant ergo hinc, iubente te Domine omnes nequitię ſpirituales, & cum fraudibus cuncta diaboli turma, tua virtute depulſa. Reſurgat hic Eccleſiæ pura ſimplicitas, & amabilis tibi innocentiæ candor: ſicque hunc locum per vnigeniti filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti dilectionem, coæterni tibi ſpiritus paracleti rore fœcunda gratiſſimo, vt quicumque hic pro ſuis neceſſitatibus auribus tuæ benignitatis ingerit vota, votorum ſuorum conſequatur effectum. Per.

De Oratorio.

Qui in domo ſua oratorium habuerit, orare ibi poteſt, tamen non audeat in eo ſacras facere Miſſas ſine permiſſu Epiſcopi loci illius. Quod ſi fecerit, domus illius E fiſci iuribus addicatur, & ab Epiſcopo diſtricta pœnitentia coërceatur. Comes qui hoc ab Epiſcopo narrante cognouit, & non prohibuit, libra auri mulctabitur, & ab Epiſcopo loci illius canonicam ſuſcipiat excommunicationem, & excluſionem.

Denuntiatio cum reliquiæ ſanctorum ponendæ ſunt Martyrum, ab Epiſcopo ad populum facienda.

DIlectiſſimi fratres, inter cætera virtutum ſolemnia, quæ ad gloriam pertinent Chriſti Domini noſtri, hoc quoque ſuis præſtitit Martyribus, qui pro nominis eius confeſſione morte ſuſcepta, cœleſtia præmia meruerunt, vt fidelium votis eorum præclaris reliquiis collocatis integritas ſancti corporis eſſe credatur. Et ideo commonemus dilectionem veſtram, quoniam illa feria N. illo loco N. reliquiæ ſancti N. Martyris collocandæ ſunt, vt veſtram præſentiam nobis admonentibus non negetis. In F præparando ſe ad diuinum officium, Epiſcopus dicat hanc orationem.

Virtutum cœleſtium Deus, de cuius gratiæ rore deſcendit, vt ad miniſteria tua purgatis ſenſibus accedamus; præſta quæſumus, vt in eorum traditione ſolemniter celebranda, tibi placitum deferamus obſequium. Per.

Item de eodem.

Deus qui ad ineffabilis obſeruantiam Sacramenti, famulorum tuorum præparas voluntates, donis tuis corda noſtra purifica, vt quod ſancta eſt deuotione tractandum, ſynceris mentibus exequamur. Per.

*Ordo ad * benedicendam Eccleſiam.*

* *Dedicandam.*

G Primum veniat Epiſcopus indutus veſtimentis ſacris, ſimiliter & clerus, ad tentorium, in quo reliquiæ præterita nocte cum vigiliis fuerunt: fiantque ibi litaniæ.

LITANIA.

KYrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Chriſte audi nos.
Saluator mundi, adiuua nos.

Sancta Maria,	Ora pro nobis.
Sancte Petre,	ora pro nobis.
Sancte Andrea,	ora pro nobis.
Sancte Iacobe,	ora pro nobis.
Sancte Ioannes,	ora pro nobis.
Sancte Thoma,	ora pro nobis.
Sancte Iacobe,	ora pro nobis.
Sancte Philippe,	ora pro nobis.
Sancte Bartholomæe,	ora pro nobis.
Sancte Matthæe,	ora pro nobis.
Sancte Simon,	ora pro nobis.
Sancte Thaddæe,	ora pro nobis.
H Sancte Matthia,	ora pro nobis.
Sancte Luca,	ora pro nobis.
Sancte Marce,	ora pro nobis.
Omnes ſancti Apoſtoli & Euangeliſtæ.	orate pro nobis.
Sancte Stephane.	ora pro nobis.
Sancte Criſpine,	ora pro nobis.
Sancte Criſpiniane,	ora pro nobis.
Sancte Line,	ora pro nobis.
Sancte Clete,	ora pro nobis.
Sancte Clemens,	ora pro nobis.
Sancte Sixte,	ora pro nobis.
Sancte Corneli,	ora pro nobis.
Sancte Cypriane,	ora pro nobis.
Sancte Laurenti,	ora pro nobis.
Sancte Chryſogone,	ora pro nobis.
Sancte Dionyſi,	ora pro nobis.
Omnes ſancti Martyres,	orate pro nobis.
Sancte Syluester,	ora pro nobis.
Sancte Hilari,	ora pro nobis.
Sancte Martine,	ora pro nobis.

A Sancte Leo, ora pro nobis.
Sancte Ambroſi, ora pro nobis.
Sancte Gregori, ora pro nobis.
Sancte Germane, ora pro nobis.
Sancte Remigi, ora pro nobis.
Sancte Hieronyme, ora pro nobis.
Sancte Benedicte, ora pro nobis.
Omnes ſancti Confeſſores, orate pro nobis.
Sancta Felicitas, ora pro nobis.
Sancta Perpetua, ora pro nobis.
Sancta Agatha, ora pro nobis.
Sancta Lucia, ora pro nobis.
Sancta Cæcilia, ora pro nobis.
Sancta Agnes, ora pro nobis.
Sancta Petronella, ora pro nobis.
Sancta Regina, ora pro nobis.
Sancta Chriſtina, ora pro nobis.
Sancta Margatera, ora pro nobis.
B Sancta Eutropia, ora pro nobis.
Sancta Brigida, ora pro nobis.
Omnes ſanctæ Virgines & viduæ, orate pro nobis.
Omnes ſancti, orate pro nobis.
Propitius eſto, Parce nobis Domine.
Ab omni malo, Libera nos Domine.
Ab inſidiis diaboli, libera nos Domine.
Ab ira tua, libera nos Domine.
Ab omni iniquitatê, libera nos Domine.
A morte perpetua, libera nos Domine.
Per Natiuitatem tuam, libera nos Domine.
Per Crucem tuam, libera nos Domine.
Per Paſſionem tuam, libera nos Domine.
Per mortem tuam, libera nos Domine.
Per Reſurrectionem tuam, libera nos Domine.
Per Aſcenſionem tuam, libera nos Domine.
Per Aduentum Spititus ſancti paracleti, libera nos Domine.
C In die iudicij, libera nos Domine.
Peccatores, Te rogamus, audi nos.
Vt pacem nobis dones, te rogamus, audi nos.
Vt aëris temperiem bonam nobis dones, te rogamus, audi nos.
Vt fruges terræ nobis des, te rogamus, audi nos.
Vt ſpatium pœnitentiæ nobis dones, te rogamus, audi nos.
Vt remiſſionem peccatorum noſtrorum nobis dones, te rogamus, audi nos.
Vt gratiam Sancti ſpiritus cordibus noſtris infundere digneris, te rogamus, audi nos.
Vt domnum Apoſtolicum & omnem ordinem Eccleſiaſticum in ſancta religione conſeruare digneris, te rogamus, audi nos.
Vt Eccleſiam tuam ſublimare digneris, te rogamus, audi nos.
D Vt domum iſtam ad honorem nominis tui factam regalem aulam tibi Deo noſtro conſecrare digneris, te rogamus, audi nos.
Vt nobis peccatoribus propitiari digneris, te rogamus, audi nos.
Vt ad promiſſum gloriæ tuæ præmium nos perducere digneris, te rogamus, audi nos.
Vt nos exaudire digneris, te rogamus, audi nos.
Vt nos cuſtodire digneris, te rogamus audi, nos.
Fili Dei, te rogamus, audi nos.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miſerere nobis.
Chriſte audi nos. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Tunc dicat Epiſcopus hanc orationem ante tentorium.

E *Oremus.*

AVfer à nobis, quæſumus Domine, iniquitates noſtras, vt ad ſancta ſanctorum puris mereamur mentibus introire. Per.

Item alia poſt ingreſſum tentorij. Oremus.

Fac nos Domine ſanctorum tuorum tibi ſpecialiter dicata membra contingere, quorum cupimus patrocinia inceſſanter habere. Per.

Sequitur exorciſmus ſalis.

Exorcizo te creatura ſalis per Deum viuum, per Deum verum, per Deum ſanctum, per Deum qui te per Heliſæum prophetam in aquam mitti iuſſit, vt ſanaretur ſterilitas aquæ, vt efficiaris ſal exorcizatus in ſalutem credentium, & ſis omnibus te ſumentibus ſanitas animæ & corporis; & effugiat atque diſcedat ab eo loco quo aſperſus F fueris omnia phantaſis & nequitia vel verſutia diabolicæ fraudis, omniſque ſpiritus immundus adiuratus. Per eum qui venturus eſt.

Benedictio ſalis. Oratio.

IMmenſam clementiam tuam omnipotens æterne Deus, humiliter imploramus, vt hanc creaturam ſalis, quam in vſum generis humani tribuiſti, benedicere & ſanctificare tua pietate digneris, vt ſit omnibus ſumentibus ſalus mentis & corporis, & quicquid ex eo tactum vel reſperſum fuerit, careat omni immunditia, omnique impugnatione ſpiritalis nequitiæ. Per Dominum.

Exorciſmus aquæ.

EXorcizo te creatura aquæ in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine Ieſu Chriſti Filij eius Domini noſtri, & in virtute ſancti Spiritus, vt fias aqua exorcizata ad effugandam omnem poteſtatem inimici, & ipſum inimicum eradicare & explantare cum Angelis G ſuis apoſtatis, per virtutem Domini noſtri Ieſu.

Benedictio aquæ. Oratio.

DEus qui ad ſalutem humani generis maxima quæque Sacramenta in aquarum ſubſtantia condidiſti: adeſto inuocationibus noſtris, & elemento huic multimodis purificationibus præparato, virtutem tuæ benedictionis infunde, vt creatura tua myſteriis tuis ſeruiens, ad abigendos dæmones morboſque pellendos, diuinæ gratiæ ſumat effectum, vt quicquid in domibus vel in locis fidelium, hæc vnda reſperſerit, careat immunditia, liberetur à noxa: non illic reſideat ſpiritus peſtilens, non aura corrumpens: diſcedant omnes inſidiæ latentis inimici: & ſi quid eſt, quod aut incolumitati habitantium inuidet, aut quieti, adſperſione huius aquæ effugiat, vt ſalubritas per inuocationem ſancti tui nominis expetita, ab omni impugnatione ſit defenſa. Per Dominum. Hic mittatur ſal in aquam. H

Benedictio. Oremus.

Deus inuictæ virtutis auctor, & inſuperabilis imperij rex, ac ſemper magnificus triumphator, qui aduerſæ dominationis vires reprimis, qui inimici rugientia ſæuitiam ſuperas, qui hoſtiles nequitias potenter expugnas: te Domine trementes & ſupplices deprecamur ac petimus, vt hanc creaturam ſalis & aquæ dignanter adſpicias, benignus illuſtres, pietatis tuæ more ſanctifices, vt vbicunque fuerit aſperſa, per inuocationem ſancti tui nominis omnis infeſtatio immundi ſpiritus abigatur, terrorque venenoſi ſerpentis procul pellatur, & præſentia ſancti Spiritus nobis miſericordiam tuam poſcentibus vbique adeſſe dignetur. Per.

Tunc eleuent ipſas reliquias in feretro cum honore & laudibus cum cruce & thuribulis ac luminaribus & exeant pſallendo iſtam antiphonam: Surgite ſancti de man-

A ſionibus veſtris, loca ſanctificate, plebem benedicite, & nos homines peccatores in pace cuſtodite, Antiph. *Cum iucunditate exibitis, & cum gaudio deducemini: nam & montes & colles, exilient, expectantes vos cum gaudio*, Alleluia.

Donec perueniat ad oſtium Eccleſiæ. Primitus vero ante quam introeat pontifex Eccleſiam, diaconus recludatur in ipſa: & illuminentur duodecim candelæ per circuitum eius, ſtante Epiſcopo vna cum cætero clero pro foribus Eccleſiæ, & impoente pſallendo antiphonam hanc: *Tollite portas principes veſtras & eleuamini portæ æternales.* Pſalm. *Domini eſt terra & plenitudo eius.* Et circumeant Eccleſiam, eandem antiphonam per ſingulos verſus repetentes, vſque dum pontifex primo aqua benedicta aſpergat forinſecus parietes Eccleſiæ. Tunc veniens ante oſtium, dicat. *Oremus.* Et diaconus. *Flectamus genua.* Poſtea. *Leuate.*

Sequatur oratio.

B Omnipotens ſempiterne Deus, qui in omni loco dominationis tuæ totus aſſiſtis, totus operaris, adeſto ſupplicationibus noſtris, & huius domus, cuius es fundator, eſto protector, nulla hic nequitia contrariæ poteſtatis obſiſtat, ſed virtute Spiritus ſancti operante, fiat hic tibi ſemper purum ſeruitium, & deuota libertas. Per.

Hoc finito, accedat pontifex ad oſtium, percutiens cum cambutta ſua ſuperliminare ſemel, & dicat: Verſ. *Tollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales & introibit rex gloriæ.* Cui diaconus de intus reſpondens, dicat: *Quis eſt iſte rex gloriæ?* Et contra pontifex reſpondens, addat hæc: *Dominus fortis, Dominus potens in prælio.* Et recedens ab oſtio, circumeat ipſam Eccleſiam cum clero, aquam ſpargendo & cantando reſponſorium.

In circuitu tuo Domine lumen eſt quod nunquam deficiet, vbi conſtituiſti lucidiſſimas manſiones, ibi requieſcunt animæ ſanctorum. Verſ. *Magnus Dominus & laudabilis nimis, in ciuitate Dei noſtri in monte ſancto eius.* Ibi requieſcunt. Tunc iterum veniens ante oſtium,
C dicat: *Oremus.* Et diaconus: *Flectamus genua.* Poſtea, *Leuate.*

Sequitur oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui per filium tuum, angularem ſcilicet lapidem, duos è diuerſo venientes ex circumciſione & præputio parietes, duoſque greges ouium ſub vno eodemque paſtore vniſti, da famulis tuis per hæc noſtræ deuotionis officia indiſſolubile vinculum charitatis, vt nulla diuiſione mentium, nullaque peruerſitatis varietate ſequeſtrentur, quos ſub vnius regimine paſtoris vnus grex continet, vniuſque te cuſtode ouilis ſepta concludunt. Per eundem.

Poſt hæc accedens, percutiat ſecundo ſuperliminare, & dicat: *Tollite portas principes veſtras.* Et diaconus reſpondet: *Quis eſt iſte rex gloriæ?* Ac deinde pontifex: Dominus fortis, Dominus potens in prælio. Deinde iterum circumeat Eccleſiam, aquam ſpargendo, & reſponſorium can-
D tando: Fundata eſt domus Domini ſuper verticem montium, & exaltata eſt ſuper omnes colles: & venient ad eam omnes gentes & dicent. *Gloria tibi Domine.* Verſ. *Benedic Domine domum iſtam, quam ædificaui nomini tuo.* Et venient. Et cum venerit oſtium, dicat: *Oremus.* Et diaconus: *Flectamus genua.* Poſtea, *Leuate.* Et ſacerdos dicat hanc orationem.

Omnipotens & miſericors Deus, qui ſacerdotibus tuis tantam præ cæteris gratiam contuliſti, vt quicquid in tuo nomine digne perfecteque ab eis agitur, à te fieri credatur, quæſumus immenſam clementiam tuam, vt quicquid modo viſitaturi ſumus, viſites, quicquid benedicturi ſumus, benedicas: ſitque ad noſtræ humilitatis introitum, ſanctorum tuorum meritis fuga dæmonum, Angeli pacis ingreſſus. Per.

Tunc accedens ad oſtium, percutiat tertio ſuperliminare Eccleſiæ, ac repetat prædictum verſum, *Tollite portas principes veſtras.* Et diaconus: *Quis eſt iſte rex gloriæ?* Et reſpondeat pontifex: *Dominus virtutum ipſe eſt rex gloriæ.* E
Adiiciens, *aperi.* Tunc ſtatim oſtio aperto intrans Eccleſiam cum miniſtris duobus vel tribus, & cum manſionario & acolyto, dicat: Pax huic domui. Reſpondent: *Amen.* Et clauditur oſtium Eccleſiæ. Deinde incipiat clerus foris litaniam, ſacerdotibus feretrum tenentibus vſque dum conſecretur altare, & omnia inſtrumenta altaris ſanctificet. Et cum venerit pontifex ante altare, proſternat ſe cum miniſtris ſuper ſtramenta, & fiat ibi litania, vſquedum dicat ſchola, *Agnus Dei, Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Chriſte audi nos.* Cum plena litania, ſicut ſupra ſcriptum eſt. Illorum ſanctorum nominibus ſimul nominatis, quorum honore dedicanda eſt Eccleſia, vel quorum reliquiæ illic ſunt recludendæ. Et inter hæc agenda verſus iſte ſubinferendus eſt: Vt domum iſtam ad honorem nominis tui factam, regalem aulam tibi Domino Deo noſtro benedicere & conſecrare digneris, *Te rogamus audi nos.* Finita litania, cum ſurrexerit pontifex ab oratione, veniens ante altare, non dicat, *Dominus vobiſcum*, ſed tantum excelſa voce, *Oremus.* Et diaconus, *Flectamus genua.* F
Poſtea. *Leuate.* Et dicat hanc orationem.

Magnificare Domine Deus noſter in ſanctis tuis, & hoc in templo tibi ædificato appare, vt qui cuncta in filiis adoptionis operaris, ipſe ſemper in tua hæreditate lauderis. Per.

Deinde incipiat pontifex de ſiniſtro angulo Eccleſiæ ab oriente ſcribere per pauimentum cum cambutta ſua totum alphabetum Græcum vſque in dextrum angulum occidentalem.

Α Β Γ Δ Ε Ζ Η Θ Ι Κ Λ Μ Ν Ξ Ο Π Ρ Σ Τ Τ Φ Χ Ψ Ω.

Incipienſque ſimiliter iterum de dextro angulo orientali, alphabetum ſcribat Latinum, vſque in ſiniſtrum angulum occidentalem.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

G
Interim cantant, qui cum eo ſunt, antiphonam: *O quam metuendus eſt locus iſte. Vere non eſt hic aliud, niſi domus Dei, & porta cœli.* Pſalm. *Benedictus Dominus Deus Iſraël, quia viſitauit & fecit redemptionem plebis ſuæ.* Vſque in finem, ſi neceſſe ſit, Cum *Gloria Patri.* Deinde veniens ante altare Epiſcopus dicat. Gen. 28. Luc. 1.

Deus in adiutorium meum intende, cum gloria, abſque Alleluia. Deinde benedicat ſalem & aquam.

Exorciſmus ſalis.

Exorcizo tè creatura ſalis in nomini Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui Apoſtolis ſuis ait, *Vos eſtis ſal terræ:* & per Apoſtolum dicit, *Cor veſtrum ſale ſit conditum:* vt ſanctificeris ad conſecrationem huius Eccleſiæ, ad expellendas omnes dæmonum tentationes, & omnibus qui ex te ſumpſerint, ſis animæ & corporis tutamentum, & ſanitas, & protectio, & confirmatio ſalutis. Per eundem. Matth. 5. Coloſſ. 4.

H

Benedictio ſalis.

Rogamus & obſecramus te Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, vt hanc creaturam ſalis, quam in vſum generis humani tribuiſti, in ſignum ſapientiæ tuæ commutare digneris, vt quicunque ex hac acceperint, omni fœtore fatuitatis carentes, ad te redeant, & in te roborentur, atque donum gratiæ tuæ inuenire mereantur. Per.

Alia.

Virtutis tuæ inuictam fortitudinem deprecamur Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui inter omnia neceſſaria, quæ per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum procreari iuſſiſti, non minimam gratiam conferre dignatus es ſali, vt ex illo poſſint vniuerſa condiri, quæ omnibus ad eſcam per eundem tuum filium Dominum noſtrum procreaſti: ideo te ſupplices exoramus, vt hoc

A ſal adſpicere digneris quatenus ex maieſtatis tuæ virtute, contra omnes immundos vigorem poſſit accipere, expellat ab omni loco, vbi ita fuerit iouocatinne adſperſum, quicquid poteſt eſſe peſtiferum, & exhibeat plenum ſalutis effectum: deterreat omnes præſtigias inimici, & omnia monſtruoſorum genera longius faciat effugari, grauedines omnes, phantaſiaſque compeſcat, & per ſignum crucis filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti tutelam fideliſſimam deſiderantibus præſtet. Qui tecum.

Alia.

Domine Deus Pater omnipotens, benedic hanc creaturam ſalis ad effugandum inimicum, & ei ſalubrem medicinam immitte, vt ad animæ & corporis ſe ſumentium proficiat ſanitatem. Per.

Exorciſmus aquæ.

B Exorcizo te creatura aquæ in nomine Dei Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, vt repellas diabolum à termino iuſtorum ne ſit in vmbraculis huius Eccleſiæ, & tu Domine Ieſu Chriſte, infunde Spiritum ſanctum in hanc Eccleſiam tuam, vt proficiat ad ſanitatem corporum animarumque adorantium te, vt magnificetur nomen tuum in gentibus, & increduli corde conuertantur ad te, & non habeant alium Deum præter te ſolum Deum. Qui viuis & regnas.

Alia.

Exorcito te creatura aquæ per Deum viuum, per Deum verum, per Deum ſanctum, & per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, vt efficiaris aqua ſancta, aqua benedicta, & vbicunque effuſa fueris vel adſperſa, ſiue in agro, ſiue in domo, effuges omnem phantaſiam, omnemque inimici poteſtatem, vt Spiritus ſanctus habitet in domo hac. Præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum
C Patre & Spiritu ſancto.

Benedictio aquæ.

Domine Deus, Pater omnipotens, ſtatutor omnium elementorum, qui per Ieſum Chriſtum filium tuum Dominum noſtrum, elementum hoc aquæ in ſalutem humani generis eſſe voluiſti, te ſupplices deprecamur, vt exauditis orationibus noſtris, eam tuæ pietatis reſpectu ſanctifices, atque ita omnium ſpirituum immundorum ab ea recedat incurſio, vt vbicunque fuerit in nomine tuo adſperſa, gratia tuæ benedictionis adueniat, & mala omnia te propitiante procul recedant. Per eundem.

Item alia, vt ſupra. Deus qui ad ſalutem humani generis, maxima quæque Sacramenta, &c. Tunc miſceatur ſal & cinis, & faciat Epiſcopus ter inde crucem ſuper aquam, & dicat.

D Hæc commixtio ſalis & cineris cum aqua benedicta ſit ſanctificata ad conſecrationem huius Eccleſiæ & altaris, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Reſpond. *Amen.*

Oratio.

Deus inuictæ virtutis auctor, & inſeparabilis, vt ſupra. Deinde ponat vinum in ipſam aquam, & dicat.

Fiat commixtio aquæ & vini, ad conſecrationem huius Eccleſiæ & altaris, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

Præfatio aquæ cum vino mixtæ.

Deum omnipotentem, fratres chariſſimi, in cuius domo manſiones multæ ſunt, ſupplices deprecemur, vt habitaculum iſtud benedicere & cuſtodire dignetur, per aſperſionem huius aquæ cum vino mixtæ, vt tenebras ab eo repellat, & lumen infundat: nullam ſæuienti aduerſario tribuat poteſtatem, ſed propria ſit domus Dei, vt nullam in ea inimicus habeat licentiam nocendi.

E *Benedictio aquæ cum vino mixtæ. Oremus.*

Omnipotens ſempiterne Deus, creator & conſeruator humani generis, & dator gratiæ ſpiritualis, atque largitor æternæ ſalutis, mitte ſpiritum tuum ſanctum ſuper hoc vinum cum aqua mixtum, vt armatum cœleſtis defenſione virtutis, ad conſecrationem huius Eccleſiæ & altaris tui proficiat. Per Dominum, in vnitate eiuſdem Spiritus ſancti. Tunc ingrediens Epiſcopus ad altare, primo cum pollice ſuo de ipſa aqua ſancta faciat crucem in medio altaris, dicens:

Sanctificetur hoc altare in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Reſp. *Amen.* Pax tecum. Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.* Deinde in dextera parte & in ſiniſtra per quatuor cornua altaris, eadem repetens quæ ſupra, videlicet, Sanctificetur hoc altare. Deinde adſpergat ipſum altare ſeptem vicibus in circuitu cum hyſſopo, canendo antiphonam: *Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor: lauabis*
F *me, & ſuper niuem dealbabor*, Cum Pſalmo, *Miſerere mei Deus*: Deinde circumeat ipſam Eccleſiam tribus vicibus aqua conſpergendo parietes, incipiens à dextra parte orientis, vſquedum redeat in orientem. Et primo circuitu canatur eadem antiph. *Aſperges me Domine hyſſopo.* Cum Pſalm. *Miſerere mei Deus.* Deinde canitur alia antiphona: *Similabo eum viro ſapienti, qui ædificauit domum ſupra petram.* Pſalm. *Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius.* Secundo autem circuitu canitur antiphona iſta: *Tu Domine vniuerſorum qui nullam habes indigentiam, voluiſti templum tuum fieri in nobis; conſerua domum iſtam immaculatam in æternum Domine*, cum verſu, *Tu Domine, cui humilium ſemper & manſuetorum placuit deprecatio.* Tertio vero circuitu antiphona, *Hæc eſt domus Domini, firmiter ædificata, bene fundata eſt ſupra firmam petra.* Pſal. *Qui habitat in adiutorio Altiſſimi, in protectione Dei cæli commorabitur.* Deinde aſpergat per medium Eccleſiæ in longum & latum, faciens crucem ſuper omne pauimentum, canendo antiphonam: *Domus mea, domus orationis vocabitur*, cum verſu: *Narrabo nomen tuum fratribus*
G *meis, in medio Eccleſiæ laudabo te.* Et cum *Gloria Patri.* Qua finita, in medio Eccleſiæ pontifex dicat. *Oremus.* Et diaconus, *Flectamus genua*, Poſtea, *Leuate*, Et ſic pontifex dicat hanc orationem: Deus qui loca nomini tuo dicanda ſanctificas, effunde ſuper hanc orationis domum gratiam tuam, vt ab omnibus hic inuocantibus nomen tuum, auxilium tuæ miſericordiæ ſentiatur. Per. Iterum dicat. *Oremus.* Et diaconus vt ſupra, & ſic ſequatur hæc oratio in conſecratione baſilicæ.

Deus ſanctificationum, omnipotens dominator, cuius pietas ſine fine ſentitur, Deus qui cœleſtia ſimul & terrena complecteris, ſeruans miſericordiam tuam populo tuo ambulanti ante conſpectum gloriæ tuæ, exaudi preces ſeruorum tuorum, vt ſint oculi tui aperti ſuper domum iſtam die ac nocte. Hanc quoque baſilicam in honorem ſanctæ & victorioſiſſimæ Crucis, & ſancti N. ſacris myſteriis inſtitutam clementiſſimus dedica, miſeratus illuſtra, proprio ſplendore clarifica, omnemque hominem venien-
H tem adorare te in hoc loco, placatus admitte, propitius reſpicere dignare, & propter nomen tuum magnum, & manum fortem, & brachium excelſum, in hoc habitaculo ſupplicantes libens protege, dignanter exaudi, æterna defenſione conſerua, vt ſemper felices, ſemperque in tua religione lætantes, conſtanter in ſanctæ Trinitatis confeſſione fide Catholica perſeuerent. Per.

Inde dicat excelſa voce, *Per omnia ſæcula ſæculorum.* Reſp. *Amen.* Dominus vobiſcum. Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.* Surſum corda. Reſp. *Habemus ad Dominum.* Gratias agamus Domino Deo noſtro. Reſp. *Dignum & iuſtum eſt*: Vere dignum & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & vbique gratias agere: Omnipotens æterne Deus: Adeſto precibus noſtris, adeſto Sacramentis, adeſto etiam piis famulorum tuorum laboribus nobiſque miſericordiam tuam poſcentibus, deſcendat quoque in hanc Eccleſiam tuam quam ſub inuocatione ſancti nominis tui in honore ſanctæ Crucis, in qua coæternus tibi filius tuus

A Dominus noſter Ieſus Chriſtus pro redemptione mundi pati dignatus eſt,& ſancti Martyris tui N. indigni conſecramus, Sanctus ſpiritus tuus ſeptiformis gratiæ vbertate redundans, vt quotieſcunque in hac domo tua ſanctum nomen tuum fuerit inuocatum, eorum qui te inuocauerint,à te pio Domino preces exaudiantur.O beata & ſancta Trinitas quæ omnia purificas, omnia mundas, omnia exornas. O beata maieſtas Dei, quæ cuncta imples, cuncta contines, cunctaque diſponis. O beata & ſancta manus Domini,quæ omnia ſanctificas,omnia benedicis,omnia locupletas. O ſancte ſanctorum Deus, tuam clementiam humillima deuotione depoſcimus, vt hanc Eccleſiam per noſtræ humilitatis famulatum, in honore ſanctæ & victorioſiſſimæ Crucis & ſancti Martyris tui N.purificare benedicere, conſecrareque perpetua ſanctificationis tuæ vbertate digneris : hic quoque ſacerdotes ſacrificia laudis offerant, hic fideles populi vota perſoluant, hic peccatorum onera ſoluantur, fideleſque lapſi reparentur. In hac ergo,quæſumus Domine, domo tua, Spiritu ſancti
B gratia ægroti ſanentur, infirmi recuperentur, claudi curentur, leproſi mundentur, cæci illuminentur, dæmonia eiiciantur. Cunctorum hic debilium incommoda,te Domine annuente, pellantur, omniumque vincula peccatorum abſoluantur, vt omnes qui hoc templum beneficia petituri, ingrediuntur, cuncta ſe impetraſſe lætentur, vt conceſſa miſericordia quam precantur, perpetuo miſerationis tuæ munere glorientur. Per.

Hac expleta, eat ante altare, dicente ſchola antiph. *Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat iuuentutem meam.* Pſalm.*Iudica me Deus.* Tunc faciat maltam de calce & tegula cum ipſa aqua benedicta ad occludendas ſanctorum reliquias in loco altaris, & reſeruetur ad tempus, & poſtea ipſam aquam,quæ remanet, fundat ad baſim altaris, & diaconibus vel presbyteris extergatur altare de linteo. Poſtea pontifex deferat incenſum ſuper altare : & dicat ſchola hunc verſum : *Dirigatur Domine.* Tunc de oleo ſanctificato faciat pontifex crucem in medio altaris, & per quatuor angulos altaris, tribus vicibus dicendo
C Sanctificetur hoc altare in nomine Patris & Filij, & Spiritus ſancti. Reſp. *Amen.* Pax tecum. Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.* In prima vnctione cantetur iſta antiph. *Erexit Iacob lapidem in titulum, fundens oleum deſuper.* Pſalm. *Quam dilecta,* Secunda autem vice,iſta,Mane ſurgens Iacob erigebat lapidem in titulum, fundens oleum deſuper,votum vouit Domino : *Vere locus iſte ſanctus eſt, & ego neſciebam.* Pſal. *Fundamenta.* Et vngat item oleo ſancto ipſum altare, dicendo vt ſupra : *Sanctificetur hoc altare.* Semper incenſum in circuitu ipſius altaris alio ſacerdote ferente. Poſt expletum Pſalmum, mittat tertio oleum,ſimiliter ſicut prius dicendo : Sanctificetur hoc altare. Et canendo antiph. *Ædificauit Moyſes altare Domino Deo.* Pſalm. *Deus noſter refugium & virtus.* Hoc facto ſumat chriſma: & faciat ſimiliter crucem ſicut ſupra,dicendo : *Sanctificetur hoc altare.* Sequitur antiph. *Vnxit te Dominus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. Eructauit cor meum verbum bonum,dico ego opera mea regi.* Poſtea dicat hanc orationem.

Conſecretur & ſanctificetur hoc altare, quæſumus
D Domine, ad laudem & gloriam nominis tui, & in honorem & venerationem omnium ſanctorum, per iſtam vnctionem & noſtram benedictionem. Qui viuis & regnas. Et interea alius ſacerdos in circuitu altaris ſemper ferat incenſum. Deinde in circuitu Eccleſiæ vadat pontifex, & faciat crucem per parietes cum pollice ſuo de ipſo chriſmate in duodecim locis, tres in oriente, tres in auſtrali, tres in occidente, tres in ſeptentrione : Primo in dextra parte, & ſic in circuitu, dicens per ſingulas cruces : Sanctificetur hoc templum in nom. Interim dicat ſchola: Antiph.*Sanctificauit Dominus tabernaculum ſuum, hæc eſt domus Dei, in qua inuocatur nomen eius, de quo ſcriptum eſt, Erit nomen meum ibi, dicit Dominus.* Pſalm. *Cantate.* Antiph. *Lapides pretioſi omnes muri tui,& turres Hieruſalem gemmis ædificabuntur.* Pſalm. *Lauda Hieruſalem Dominum.*

Tunc iterum redeat ad altare, & offerat ibidem crucem incenſi ſuper illud, & dicat : Antiphon. Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni, quem benedixit Dominus. E

Et præfationem.

Dei Patris omnipotentis miſericordiam deprecemur, dilectiſſimi fratres, vt hoc altare ſacrificiis ſpiritalibus conſecrandum, vocis noſtræ exoratus officio, præſenti benedictione ſanctificet, & in eo ſemper oblationes famulorum ſuorum, ſtudio ſanctæ deuotionis impoſitas, benedicere & ſanctificare dignetur, vt ſpiritali placatus incenſo, precanti familiæ ſuæ promptus exauditor aſſiſtat. Per. Inde dicat : *Oremus.* Et diaconus, *Flectamus genua.* Poſtea *Leuate.*

Conſecratio altaris.

Deus omnipotens, in cuius honore altare hoc ſub inuocatione tui nominis indigni conſecramus, clemens & propitius preces noſtræ humilitatis exaudi : & præſta, vt in hac menſa ſint tibi libamina accepta, ſint grata, ſint F
pinguia, & Sancti ſpiritus tui ſemper rore perfuſa, vt in hoc loco,omni tempore ſupplicantis tibi familiæ tuæ anxietates releues, ægritudines cures, preces exaudias, vota ſuſcipias, deſiderata confirmes, poſtulata concedas, vt ad donum gratiæ tuæ ſani, illibatique peruenire mereamur. Per Dominum, in vnitate eiuſdem Spiritu ſancti. Deinde dicat excelſa voce, Per omnia ſæcula ſæculorum. Reſp. *Amen.* Dominus vobiſcum.Reſp.*Et cum ſpiritu tuo.* Surſum corda. Reſp.*Habemus ad Dominum.* Gratias agamus Domino Deo noſtro.Reſp. *Dignum & iuſtum eſt.*

Præfatio.

Verè dignum & iuſtum eſt, æquum & ſalutare. Nos tibi ſemper & vbique gratias agere Domine ſancte,Pater omnipotens. Et vt propenſiori cura & attentiori famulatu,tibi ſeruitutis officia deferamus,hoc præſertim in tem- G
pore, quo religioſarum mentium habitum vltra parietum ornatum delegiſti, & in quo ſanctorum tuorum N.memoria habetur, per quorum ſacram reuerentiam & honorem ſacratiſſimo nomini tuo hoc altare dedicamus. Horum igitur Domine efflagitatus precibus dignare hoc altare cœleſti ſanctificatione perfundere & benedicere. Aſſiſtant Angeli claritatis, & Sancti ſpiritus illuſtratione perfulgeas. Sit illius quoq; apud te gratiæ,cuius fuit illud, quod Abraham pater fidei, in noſtræ figuram redemptionis filium immolaturus, extruxit, quod Iſaac in conſpectum tuæ maieſtatis inſtituit,quod Iacob Dominum magna videns viſione erexit, vt hic orantes exaudias,hic oblata ſanctifices, hicque ſuperpoſita benedicas, hinc quoque benedicta diſtribuas. Sit ergo Eccleſiæ tuæ titulus ſempiternus,ſit menſa cœleſtis, ſpiritalique conuiuio præparata. Tu ergo Domine proprio ore tuo hoſtias ſuper eam impoſitas benedicito, & benedictas ſuſcipito, atque nobis omnibus tribue,vt participatione earum, vitam acquiramus ſempiternam. Per. H

Sequitur oratio.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, clemens & propitius, preces noſtræ humilitatis exaudi, & reſpice ad huius altaris holocauſtum, quod non igne viſibili probetur, ſed infuſum Sancti ſpiritus gratia, in odorem tuæ ſuauitatis aſcendat, & legitime ſe ſumentibus Euchariſtia medicabilis fiat, & ad vitam proficiat ſempiternam.Per.

Alia oratio.Oremus.

Maieſtatem tuam Domine humiliter imploramus, vt altare hoc,ſacræ vnctionis libamine ad ſuſcipienda populi tui munera iounctum,potenter benedicere & ſanctificare digneris, & quod nunc à nobis indignis ſub tui nominis inuocatione, in honore & nomine ſancti Martyris tui N. ſacroſancti chriſmatis vnctione eſt delibutum, placeat tibi, atque altare maneat perpetuum, vt quicquid deinceps ſuper eo oblatum ſacratumque fuerit, dignum tibi

fiat

A fiat holocauſtum, atque omnium hic offerentium ſacrificia, à te pio Domino benignè ſuſcipiantur, & per ea, peccatorum noſtrorum vincula abſoluantur, maculæ deleantur, veniæ impetrentur, gratiæ acquirantur, quatenus vna cum ſanctis & electis tuis, vitam percipere mereantur æternam. Per. Deinde dicatur iſta antiphona: *Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis, a templo ſancto tuo quod eſt in Hieruſalem, alleluia, alleluia.* Deinde inungat oleo ſancto tabulam ſuper altare, dicens hanc præfationem.

Lapidem hunc, fratres dilectiſſimi, in quo vnguentum ſacræ vnctionis effunditur, ad ſuſcipienda populi ſui munera & ſacrificia oremus, vt Dominus conſecret atque benedicat, & quod eſt vnctum à nobis, ſit vnctum in nomine eius, vt plebis oblata ſuſcipiat, & altari per ſacram vnctionem perfecto dum propitiationem ſacrorum imponimus, ipſi propitiatores Dei eſſe mereamur. Per.

Benedictio tabulæ.

Dominum omnipotentem, fratres dilectiſſimi, votis
B exultantibus deprecemur, vt qui per omnem mundum fidem ſparſit, & Eccleſiam congregauit, qui & lapis exciſus ſine manibus angularem compagem ſolidauit, & hanc petram ſerenus illuſtret, eamque æterno lumine irradiatam ita multiplicibus ac diuerſis chariſmatibus locupletet, vt ſuper illam adminiſtrandam corporis ſui hoſtiam benedicat & ſuſcipiat conſecratam. Qui cum Deo Patre. Et exaudi nos Deus ſalutaris noſter, & precum noſtrarum, &c.

Alia.

Supplices tibi Domine Deus, Pater omnipotens, preces effundimus, vt metalli expolitam materiam, ſupernis imbuendam ſacrificiis, ipſe tua dotare ſanctificationis vbertate digneris, qui quondam ſcripſiſti lapideis legem in tabulis. Per. Poſtea dicat alta voce, Per omnia ſæcula ſæculorum. Reſp. *Amen.* Dominus vobiſcum. Surſum corda. Gratias agamus Domino Deo noſtro.

C

Præfatio.

Verè dignum & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper & vbique gratias agere Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui poſt offendicula lapſus primi hominis, inſtituiſti tibi offerri propitiatorij delinimenta libaminis, vt culpa quæ præceſſerat per ſuperbiam, futuris temporibus expiaretur per munera, quibus honorarentur altaria, honorificaretur & templum. Aſſit ergo miſericordiæ tuæ ineffabilis pietas, & ſuper hunc lapidem opem tuæ benedictionis infunde, vt te largiente referat præmium, quiſquis intulerit votum. Per eum qui ſe angularem lapidem, & ſaxum ſine manibus exciſum nominari voluit, Dominum noſtrum.

Gen 4.8. 12.13.22. 26.28. Pſal. 117. Matt. 21. Dan. 2.

Alia oratio.

Deus omnipotens vniuerſarum rerum rationabilis arti-
D fex, qui inter cæteras creaturarum formas, lapideum metallum ad obſequium tui ſacrificij condidiſti, vt legis libationi pararetur altare, annue dignanter, vt quicquid hic oblatum ſacratumque fuerit nomini tuo, aſſurgat religioni, proficiat ſpei, innitatur fidei, ſit honori. Per. His expletis, ſequitur oratio in medio Eccleſiæ.

Oremus.

Habitator ſanctarum mentium Deus, cui anima fidelis hoſpitium, cui mens pia templum eſt, tibi preces effundimus, tibi ſupplicamus, vt hanc domum tuam, quam per inuocationem nominis tui pio ſanctificamus officio, miſericordia tua & protectione cuſtodias. Dona habitatoribus illius, id eſt, ſacerdotibus, clero atque omni plebi, bonæ voluntatis ſtudium, & pij operis effectum. Sint in ea ſemper viri grauitate inſignes, fœminæ caſtæ, * pudentes pueri, probæ virgines, pro ſexu atque ætate lauda-

* prudentes.

E biles, vt dum ſanctificatam per inuocationem tuam domum habitant, ipſi te habitatorem mereantur habere. Per.

Item benedictio baſilicæ nouæ.

Deus qui ſuper myſticam petram Apoſtolicæ poteſtatis ædificatæ principaliter Eccleſiæ tuæ, portas inferni nunquam præualituras eſſe promiſiſti, cunctos ab eadem remoue placatus errores, vt quos aduerſus eam præſumptio falſitatis extollit, ſpiritus veritatis euincat. Dirige quæſumus eam diſpenſatione cœleſti, vt quæ ante mundi principium in tua ſemper eſt præſentia præparata, vſque ad plenitudinem gloriamque promiſſam, te moderante, permaneat, & in tuorum cordibus fidelium perpetuam tibi conſtrue manſionem, vt plebs hæc quæ deiecto in terram vultu benedictionis poſtulat donum, æternum à te percipiat præmium. Præſta quæſumus Domine, vt hæc baſilica, cuius hodie initiamus encœnis, quæ tua dedicatione ſubſiſtit ſolemnis, tua ſemper fiat habitatione præclara. Per.

Matt. 16.

Deinde teneant ſubdiaconus & acolyti linteamina, vel
F omnia ornamenta Eccleſiæ ſeu vaſa ſacra, quæcunque ad cultum Dei & Eccleſiæ pertinere videntur, & benedicat ea pontifex iuxta hunc morem.

Benedictio linteaminum.

Domine Deus omnipotens, qui ab initio hominibus vtilia & neceſſaria creaſti, veſtimenta quoque pontificalia ſacerdotibus, & Leuitis tuis ornamenta & linteamina facere famulum tuum Moyſem per quadraginta dies docuiſti, ſiue etiam ea quæ * Maria texuit, & fecit in vſum miniſterij tabernaculi fœderis, ſanctificare, benedicere, conſecrareque digneris hæc linteamina in vſum altaris tui ad tegendum inuoluendumque corpus & ſanguinem Filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti. Qui tecum.

* materia.

Alia.

Deus qui digne tibi ſeruientium deſideras famulatum, reſpice propitius ad humilitatis noſtræ ſeruitutem, & hæc linteamina tuæ ſeruitutis vſibus præparata, cœleſtis virtu-
G tis benedictione ſanctifica & conſecra, quatenus ſuper ea Spiritus ſanctus tuus deſcendat, qui & populi tui oblationem benedicat, & corda ſiue corpora ſumentium benignus reficiat. Per.

Benedictio linteaminum, aliorumque in vſum ſacri miniſterij.

Exaudi Domine preces noſtras, & linteamina hæc aliaque indumenta, necnon & vaſa ſancti altaris atque Eccleſiæ tuæ cunctaque ſacri miniſterij vſui præparata, benedicere & ſanctificare digneris. Per.

Benedictio ad omnia vaſa, linteamina & inſtrumenta in vſum Eccleſiæ.

Omnipotens ſempiterne Deus, rex regum, & Domi-
H nus dominantium, ſacerdos omnium, pontifex vniuerſorum, per quem vna cum Patre & Spiritu ſancto facta ſunt vniuerſa, Chriſte Ieſu, benedicere, conſecrare & ſanctificare digneris vaſa hæc, cum his altaris linteaminibus cæteriſque inſtrumentis, & quemadmodum officia tabernaculi teſtimonij olim cum arca oraculi, ſcilicet cherubin clauſa velis, columnas, candelabra, altare aureum, argenteas baſes, tabulas deauratas, holocauſta, hoſtias, æneum altare cum baſibus æneis, tentoria, funes, oleum vnctionis, & cætera in figuram noſtri temporis per manus ſanctorum ſanctificaſti ſacerdotum, ita nunc manens in æternum, ſumme ſacerdotum ſecundum ordinem Melchiſedech, vaſa hæc, & omnia inſtrumenta altaris huius Eccleſiæ, quæ inter noſtras palmas habentur, benedicas, purifices, conſecres, & conſummes quibus inter nos æternam vnitatem in ſupremo meatu, ſine fine conſtare credimus, per te Ieſu Chriſte, qui cum Patre in vnitate eiuſdem Spiritus ſancti viuis & regnas Deus. Per omnia ſæcula ſæculorum.

A *Benedictio ad omnia ornamenta in vſum Eccl. vel altaris.*

Omnipotens & miſericors Deus, qui ab initio vtilia & neceſſaria hominibus creaſti, templaque manu hominum facta nomini tuo ſancto dicari, tuæque habitationis loca vocari voluiſti, quique per Moyſem famulum veſtimenta pontificalia, & ſacerdotalia, ſeu leuitica, & alia quæque diuerſi generis ornamenta, ad cultum & decorem tabernaculi & altaris tui fieri decreuiſti: exaudi propitius preces noſtras, & omnia hæc diuerſarum ſpecierum ornamenta, in vſum huius baſilicæ, vel altaris, ad honorem & gloriam tuam præparata, purificare, & ſanctificare, benedicere, & conſecrare per noſtræ humilitatis ſeruitutem digneris, vt diuinis cultibus ſacriſque miniſteriis apta exiſtant, hiſque in confectione corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti filij tui Domini noſtri dignis tibi pateant famulatibus. Qui tecum.

Item benedictio veſtimentorum ſacerdotalium, ſiue leuiticorum, atque ſequentis ordinis miniſtrantium.

B OMnipotens ſempiterne Deus, qui per Moyſem famulum tuum pontificalia atque leuitica veſtimenta ad explendum in conſpectu tuo miniſterium eorum, & ad decorem ſeu laudem nominis tui fieri decreuiſti, adeſto propitius inuocationibus noſtris, & hæc indumenta ſacerdotalia famuli & ſacerdotis tui deſuper gratia tua irrigante, tua ingenti benedictione per noſtræ humilitatis ſeruitutem purificare, benedicere, & conſecrare digneris, vt diuinis cultibus & ſacris miniſteriis apta & benedicta exiſtant. His quoque ſacris veſtibus ſacerdotes vel leuitæ tui induti, defenſi ab omnibus impulſionibus ſeu tentationibus malignorum ſpirituum eſſe mereantur, tuiſque eos miniſteriis apte & condigne ſeruire & inhærere, in hiſque placide, & deuote tribue perſeuerare. Per.

Benedictio ad albas, planetas, ſtolas, & cingula.

Domine Deus, pater omnipotens, rex & magnificus triumphator, qui per ſanctos patres noſtros, qui tibi in C ſacerdotali ordine placuerunt, diuerſi generis ornamenta & veſtimenta ſacerdotalia fieri, & his ornari ſacerdotes tibi ſeruientes iuſſiſti, exaudi propitius orationem noſtram, & hanc planetam famuli tui N. ſeu poderem, ac cingulum, orariumque dextera tua benedicere, conſecrare, ſanctificareque, & purificare digneris: quatenus hæc veſtimenta miniſtris tuis, leuitis ac ſacerdotibus ad diuinum cultum ordinandum explendumque proficiant, ſanctiſque altaribus tuis mundè & ornate in his ſacris veſtibus miniſtraturi, irreprehenſibiles in actu & in victu interius exteriuſque appareant, tibique ſoli Deo puro corde, & mundo corpore omnibus diebus vitæ ſuæ irreprehenſibiliter ſanctorum patrum exempla ſequentes ſeruire valeant, hiſque ſacris miniſteriis ſecundum tuam voluntatem quando tibi placuerit expletis, cœleſtis regni gloriam cum omnibus ſibi commiſſis percipere mereantur. Per.

Benedictio ſtolæ, ſeu mappulæ vel planetæ.

D Deus inuictæ virtutis triumphator, & omnium rerum creator & ſanctificator, intende propitius preces noſtras, & hanc ſtolam ſiue mappulam, vel planetam leuiticæ ac ſacerdotalis gloriæ miniſtris tuis fruendas tuo proprio ore benedicere, ac ſanctificare conſecrareque digneris, omneſque eis vtentes, tuiſque miniſteriis à nobis indignis conſecrandos, aptos & tibi cum eis deuote & amabiliter ſeruientes, gratos efficere dignare. Per.

Benedictio Stolarum.

Domine Deus omnipotens, qui ab initio hominibus vtilia & neceſſaria creaſti, & veſtimenta pontificalia, aliaque ornamenta & linteamina ſacerdotibus ac leuitis in vſum tabernaculi fœderis fieri Moyſi famulo tuo iuſſiſti, eumque ſpiritu ſapientiæ ad id peragendum repleſti, hoc ornamentum in vſum miniſterij tui ſanctificare, benedicere, & conſecrare, atque miniſtros altaris tui, qui illud portauerint ſeptiformi Spiritu ſancto dignanter replete digneris, atque caſtitatis ſtola & indumento lætitiæ ſempiternæ, & beata facias cum bonorum fructu miniſteriis congruenti immortalitate veſtiri. Per. E

Benedictio Corporalis. Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, benedic linteamen iſtud ad tegendum inuoluendumque corpus & ſanguinem filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti. Qui.

Alia.

Domine Deus, qui iam ſanctificare dignatus es hoc genus ſpecierum, quando eo dignatus es inuolui corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti vnigeniti tui in beata paſſione concede quæſumus per eundem Dominum nobis quamquam indignis famulis tuis, vt præſens linteum cœleſti benedictione ſanctum & aptum fiat Dominico ſepulchro, altari videlicet tuo, vt placabiliter poſſit in eo imponi corpus & ſanguis eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt vita omnium fideliter ſumentium, & viuit, & regnat tecum Deus in vnitate Spiritus ſancti. F

Alia.

Clementiſſime Domine, cuius inenarrabilis virtus, cuius myſteria arcanis mirabilibus celebrantur, tribue quæſumus, vt hoc linteamen tuæ propitiationis benedictione ſanctificetur, ad conſecrandum ſuper illud corpus & ſanguinem Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti filij tui. Qui tecum.

Præfatio vaſculi, in quo Euchariſtia reconditur.

Oremus, fratres dilectiſſimi, vt Deus omnipotens hoc vaſculum corporis filij ſui Domini noſtri Ieſu Chriſti gerulum, ſuæ benedictionis tutamine, ſuique filij Domini noſtri munere, ac Sancti Spiritus virtute implere dignetur. Per. in vnitate eiuſdem Spiritus ſancti.

Sequitur benedictio.

Omnipotens Deus, Trinitas inſeparabilis, manibus noſtris opem tuæ benedictionis infunde, vt per noſtram G benedictionem hoc vaſculum ſanctificetur, & corporis Chriſti nouum ſepulchrum Spiritus Sancti gratia perficiatur. Per eundem in vnitate eiuſdem Spiritus Sancti.

Præfatio ad conſecrandam patenam.

Oremus, fratres chariſſimi, vt diuinæ gratiæ benedictio conſecret & ſanctificet hanc patenam ad conficiendum in ea corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti patientis Crucem pro ſalute omnium noſtrum.

Sequitur oratio. Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui legalium inter libatoria hoſtiarum, conſperſam ſimilaginem deferri in patenis aureis & argenteis ad altare tuum iuſſiſti, benedicere & ſanctificare digneris & hanc patenam in adminiſtrationem Euchariſtiæ Ieſu Chriſti filij tui, qui pro noſtra omnium ſalute ſeipſum tibi Deo patri in patibulo Crucis elegerat immolari. Qui tecum.

H Inde faciat ſignum Crucis de chriſmate ſancto ſuper patenam, dicens.

Conſecrare & ſanctificare digneris Domine patenam hanc per iſtam vnctionem & noſtram benedictionem in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Qui tecum viuit & regnat.

Præfatio calicis.

Oremus, dilectiſſimi fratres, vt Deus & Dominus noſter hunc calicem in vſum miniſterij ſui conſecrandum, cœleſtis gratiæ inſpiratione ſanctificet, & ei ad humanam benedictionem plenitudinem diuini fauoris accommodet.

Sequitur Benedictio.

Dignare Domine calicem iſtum in vſum miniſterij tui pia deuotione formatum, ea ſanctificatione perfundere, qua Melchiſedech famuli tui ſacratum calicē perfudiſti, & quod arte vel metalli officio nō poteſt altaribus tuis ef-

A ſe dignum, tua fiat benedictione pretioſum atque ſanctificatum. Per.

Et faciat Crucem de chriſmate ſuper ipſum calicem per latera.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, manibus noſtris opem tuæ benedictionis infunde, vt per noſtram benedictionem hoc vaſculum ſanctificetur, ac corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti nouum ſepulchrum Spiritus Sancti gratia perficiatur. Per.

Alia.

DEus qui Moyſi famulo tuo in Oreb monte ſeruanda populo tuo præcepta diſponens, templum ſanctum tuum, qualiter ædificaret inſtituiſti, ſacra quoque vaſa quæ inferri altari tuo deberent, inſtar vaſorum cæ-
B leſtium fieri docuiſti, precamur vt hunc calicem, in quo celebraturi ſumus ſacroſancta myſteria, emiſſione Sancti Spiritus tui cœleſti benedictione ſanctifices, gratumque & acceptabilem habeas, & benedicas, vt digne ſociatus vaſculis tuis & acceptabilem tibi deferat famulatum, & digne tuis myſteriis conſecretur. Per Dominum, in vnitate eiuſdem Spiritus Sancti.

Ad benedicendam Crucem primitus fiat benedictio ſalis & aquæ. Poſtea litania. Deinde ſequatur oratio.

Oremus.

BEnedic Domine Ieſu Chriſte hanc Crucem tuam per quam eripuiſti mundum à poteſtate dæmonum, & ſuperaſti paſſione tua ſuggeſtorem peccati, qui gaudebat in præuaricatione primi hominis per ligni vetiti præſumptionem. Qui cum Deo patre & Spiritu ſancto viuis & regnas.

C *Alia.*

ROgamus te domine ſancte, pater omnipotens, æterne Deus, vt digneris benedicere hoc lignum Crucis vt ſit remedium ſalutare generi humano, ſit ſoliditas fidei, profectus bonorum operum, redemptio animarum, ſit ſolamem & protectio ac tutela contra ſæua iacula inimicorum. Per. Deinde dicat alta voce. *Per omnia ſecula ſeculorum.* Reſp. *Amen.*

Conſecratio.

Domine ſancte, pater omnipotens, æterne Deus, cuius ſanctum & terribile nomen inter cæteras viſibiles creaturas, ligna quoque fructifera laudare ac benedicere non ceſſant, qui in figuram vnigenitæ ſapientiæ tuæ, ligno vitæ à principio paradiſum voluptatis ornaſti, vt eiuſdem fructus ſacro ſancto myſterio protoplaſtos parentes noſtri generis mortem cauere, & vitam admoneres cuſtodire perpetuam, quique nos vetitæ arboris attactu iuſte morti addictos eiuſdem coæternæ tibi ſapientiæ tuæ Dei
D & Domini noſtri Ieſu Chriſti innoxia morte ad vitā miſericorditer reuocare dignatus es, te ſuplices exoramus, vt hoc ſingulare ſignum, quod ad exemplum primi ſacratiſſimique vexili de pretioſo filij tui ſanguine triumphalis, fidelium tuorum deuotione compactum eſt, cœleſti tua benedictione ſanctificare digneris, vt omnibus hic genu flectentibus, ac tuæ maieſtati ſupplicantibus largior & cordis compunctio, & indulgentia concedatur admiſſorum, atque intercedente ipſa victorioſiſſima vnigeniti tui filij paſſione, & tibi placita poſtulare, & citius valeant poſtulata percipere. Da quæſumus clementiſſime pater, in quo viuimus, mouemur, & ſumus, vt quoties triumphum diuinæ humilitatis; quæ ſuperbiam noſtri hoſtis deiecit, oculis intuemur, quoties mente recolimus, & contra hoſtem ipſum fiduciam fortitudinis, & maiorem deuotæ tibi humilitatis gratiam conſequamur, quatenus in illo tremendo tuæ maieſtatis examine, cum pauentibus elementis, cælorumque virtutibus commotis, ſignum illud gloriſicum redemptionis noſtræ apparuerit in cælo, ipſi de morte ad vitam tranſire, ac perpetua beatæ reſurrectionis gaudia videre mereamur. Per eundem Dominum. E

Rogamus te Domine ſuppliciter inuocantes, vt ſignum illud ſancte Crucis, ſit ſalus credentium in te per paſſionem Crucis tuæ, & per ſignum ſanctitatis tuæ ſignum ſit Dei viui, ſignum ſalutis, ſignum beatæ Trinitatis, ſignum cœleſtis gloriæ, ſignum Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti Domini noſtri, hoc eſt, Crux Saluatoris noſtri, Crux Patriarcharum, Crux Prophetarum, Crux Apoſtolorum ſanctorum, Crux Martyrum Chriſti, Crux Eccleſiæ Dei, Crux omnium credentium in ſanctam & perfectam Trinitatem. Reſp. Amen. Alleluia.

Te Domine, quæſumus, qui das animabus ſalutem per ſignum Crucis tuæ, vt in locis ac domibus vbi Crux iſta fuerit fixa, fugentur dæmones, & immundi ſpiritus, ac peſtifer expellatur inimicus, morbiſque careant, & immunditiis, ac omnes aduerſæ poteſtates cognitione tua ſint procul depulſæ, & virtute benedictionis tuæ ſit
benedicta hæc Crux, & ſanctificata, & mundata dignanter, & in quocunque loco manſerit, in tuo nomine omnes timores meridiani atque nocturni, & omnes terrores liuoreſque ſerpentis excludantur, abſcedantque inſidiæ inimici, & phantaſmata pereant. Per. F

Alia.

DEus qui beatæ Crucis patibulum, quod prius erat ſceleſtis ad pœnam, conuertiſti redemptis ad vitam, concede plebi tuæ eius vallari præſidio, cuius eſt armata vexillo, ſit ei Crux noſtræ fidei fundamentum, ſpei ſuffragium, in aduerſis defenſio, in proſperis iuuamen, ſit ei in hoſte victoria, in ciuitate cuſtodia, in campis protectio, in domo fultura, vt paſtor per eam in futuro gregem ſerues incolumem, quæ nobis agno vincente conuerſa ſit ad ſalutem. Per.

Alia.

SAnctifica Domine Ieſu Chriſti iſtud ſignaculum paſſionis tuæ, vt ſit inimicis tuis obſtaculum, & credentibus vitæ perpetuum efficiatur victoriæ vexillum Qui cum Deo patre. Hic adſpergat eam aqua ſancta, addens odorem incenſi, ita dicendo: Sanctificetur iſtud lignum in nomine Patris, & Filij & Spiritus ſancti, & benedictio illius ligni ſit in loco iſto, in quo ſancta membra Saluatoris ſuſpenſa ſunt vt orantes inclinanteſque ſe propter Dominum ante iſtam Crucem, inueniant corporis & animæ ſanitatem. Per omnia ſecula ſeculorum Reſp. Amen. G

Benedictio Crucis metallizata.

DEus gloriæ, Deus excelſe ſabbaoth, fortiſſime Emmanuel, Deus pater veritatis pater ſapientiæ, pater beatitudinis & pulchritudinis, pater illuminationis atque vigilationis noſtræ, qui mundum regis, qui cuncta regna diſponis, qui es bonorum collator munerum, & bonorum omnium attributor, cui omnes gentes, populi, tribus, & linguæ ſeruiunt, cui omnis Angelorum
legio famulatur, qui largiris famulis tuis fidem & laudem nominis tui, vt debita tibi oblata perſoluant. Cui prius fides offerentium complacet, deinde ſanctificatur oblatio, quæſumus exorabilem miſericordiæ tuæ pietatem, vt ſanctifices tibi hoc ſignum Crucis, atque conſecres, quod tota mentis deuotione famuli tui religioſa fides conſtruxit, trophæum ſcilicet victoriæ tuæ ac redemptionis noſtræ, quod in amorem Chriſti triumphalis gloria conſecrauit, adſpice hoc ſignum Crucis inſuperabile, quo diaboli eſt exinanita poteſtas, mortalium reſtituta libertas, quæ licet fuerit aliquando in pœnam, ſed nunc verſa eſt in honorem per gratiam, & quæ quondam reos puniebat ſupplicio, nunc innoxios abſoluit à debito. Et tibi quid per hoc placere potuit, niſi id per quod tibi placuit nos redimere? nullum tibi debitum amplius munus eſt quam quod tibi tunc corporis dedicauit, affixio: nec tibi eſt magis familiaris oblatio, quam quæ familiari manuum tuarum extenſione ſacrata eſt. Illis ergo manibus hanc Crucem accipe, quibus illam amplexus es, & de ſanctitate illius hanc ſanctifica, ac ſicut, per H

illam

A illam mundus expiatus eſt à reatu, ita offerentium famulorum animæ deuotiſſimæ huius Crucis merito, & obſecrationibus huius ſancti martyris tui, cuius reliquiæ in præſenti Eccleſia contioentur, omni careant perpetrato peccato, & tuæ veræ Crucis obtectu exiteſcant ſucceſſibus aſſiduis triumphatores. Radiet hic vnigeniti tui filij ſplendor diuinitatis in auro, emicet gloria paſſionis eius in ligno, in cruce rutilet noſtræ mortis redemptio, in ſplendore cryſtalli noſtræ vitæ purificatio. Sit ſuorum protectio, ſpei certa fiducia, eos ſimul cum gente & plebe fide confirmet, ſpe & pace conſociet, augeat triumphis, amplificet in ſæculis, proficiat eis ad perpetuitatem temporis, ad vitam æternitatis, vt eos temporali florentes gloria muniat, & ad perpetuam redemptos coronam, & ad regna cœleſtia potenti virtute perducat. Præſta per propitiationem ſanguinis eius, per ipſum datorem, qui ſeipſum dedit redemptionem pro multis, qui ſe hoſtiam pro delictis offerre dignatus eſt, qui exaltatus in ligno B Crucis ſuæ, principatus & poteſtates humiliauit: qui tecum ſidereo ſedet in throno, indiſſolubili connexione Spiritus ſancti per infinita ſæcula ſæculorum. Reſp. Amen.

Benedictio Thuribuli.

Domine Deus, qui dum filios Iſraël ob rebellem ſui contumaciam, durum vaſtaret incendium, Aaron ſacerdotem tuum inter viuos ac mortuos orando ſtantem, tibique inceoſum offerentem exaudire dignatus es, populumque de incendio liberare, benedic hoc quæſumus thuribulum, & præſta, vt quoties tibi in eo offerimus incenſum, nos ipſos Chriſto tuo efficias boni odoris acceptabile templum. Qui venturus.

Alia.

Domine ſancte, pater omnipotens, æterne Deus, qui in deſerto prophanæ multitudinis murmurationem flamma mulctante, cum Aaron ſacerdos tuus, repleto de altaris igne thuribulo, tuæ maieſtati pro illius liberatio- C ne humiliter ſupplicaret, incenſo placatus, precibus eius clementer annuiſti, benedic hoc quæſumus thuribulum tua maieſtate, & præſta, vt quod in eo tibi offertur incenſum, ſit fuga dæmonum, repulſio phantaſmatum, immundarum abſceſſio cogitationum, ſitque in illius odore, noſtra tibi oratio ſemper accepta. Per.

Benedictio Incenſi vel Thymiamatis.

Deus omnipotens, Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob, immitte in hanc creaturam incenſi vel tymiamatis, vim odoris tui atque virtutem, vt ſit ſeruis vel ancillis tuis munimentum, tutelaque defenſionis, ne intret hoſtis in viſcera eorum, nec habitum ibi vel ſedem poſſit habere. Per Dominum noſtrum.

Alia.

D Domine Deus omnipotens, cui adſtat exercitus Angelorum dignare reſpicere & benedicere hanc creaturam incenſi, vt omnes languorum dæmonumque inſidiæ, odorem ipſius ſentientes fugiant, & ſeparentur à plaſmate tuo, quod filij tui precioſo ſanguine redemiſti, vt nunquam lædantur à morſu ſerpentis antiqui. Per.

Item Alia.

Deus qui Moyſi famulo tuo per Spiritum S. reuelare dignatus es, quæ ad cultum ſanctuarij neceſſaria decreuiſti, ex quibus thymiama odoris ad opus Eccleſiæ boni tuæ ob cauſam religionis iugiter permanere iuſſiſti, vt myſtica nobis ſignificatione ſpiritualium virtutum fragrans oſtenderet odorem ſuauitatis: tua ergo quæſumus omnipotens Deus immenſæ maieſtatis dextera hanc creaturam benedicere ex diuerſarum rerum commixtione confectam dignare, vt virtute ſancti nominis tui, omnes immundorum ſpirituum phantaſmaticos incurſus effugare, omneſque morbos reddita ſanitate expellere, vbicumque fumus aromatum eius efflauerit, mirabiliter poſſit, atque in odorem fragrantiſſimum tibi Domino perpetua redoleat ſuauitate. Per. E

Præfatio conſecrationis Capſarum.

Oremus, dilectiſſimi nobis, Deum patrem omnipotentem, vt qui omnia per vnigenitum filium ſuum in virtute Sancti Spiritus valde bona creauit, ipſe nobis indignis ad conſecrationem harum capſarum reliquiis ſanctorum ſuorum condendis paratarum, totam gratiæ ſuæ clementer infundere dignetur. Per.

Conſecratio in modum Præfationis.

Deus ineſtimabilis, Deus ineffabilis, Deus miſericordiarum & totius conſolationis, qui Moyſi famulo tuo præcepiſti, vt iuxta exemplar, quod ei in monte demonſtraſti, arcam de lignis imputribilibus conſtrueret, & eam auro mundiſſimo circundaret, in qua vrna aurea, manna cœleſti plena, cum tabulis teſtamenti, digito maieſtatis tuæ conſcriptis, in teſtimonium futuris generationibus ſeruari deberet, quique noſtris ſæculis eadem ſacratius intelligenda manifeſtaſti, dum corpus vnici filij tui opere Spiritus Sancti de incorrupta virgine conceptum, & anima rationali viuificatum, omni plenitudine diuinitatis impleſti, te ſuppliciter imploramus omnipotens Deus pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur, vt hæc vaſcula ſanctorum tuorum pignoribus præparata, eiſdem ſanctis tuis intercedentibus, cœleſti benedictione perfundere digneris, quatenus, qui eorum patrocinia requirunt, ipſis interuenientibus cuncta ſibi aduerſantia, te adiuuante ſuperare, & omnia commode profutura, abundantia largitatis tuæ mereantur inuenire. Et ſicut illi Domine te inſpirante, ſpiritualium nequitiarum verſutias cauere, & humanitus exquiſita tormenta non ſolum contemnere ſed etiã penitus euincere, Chriſto Domino confortante, potuerunt, ita ipſorum meritã venerantibus, & reliquias humiliter amplectentibus contra diabolum & Angelos eius, contra fulmina & tempeſtates, G contra grandines, & varias peſtes, contra corruptum aërem, & mortes hominum vel animalium, contra fures & latrones, ſiue gentilium incurſiones, contra malas beſtias, & ſerpentium atque reptantium diuerſiſſimas formas, contra malorum hominum adinuentiones peſſimas, eorundem ſanctorum tuorum precibus complacatus, dextram inuictæ potentiæ tuæ ad depulſionem non proficuorum, ſemper & vbique propitius extende. Per eundem.

Item alia oratio.

Domine Deus omnipotens, qui vt murmur inſani populi compeſceres, ſacerdotium Aaron tibi placitum comprobares, virgam eius aridam germinare & flores fructiferos producere feciſti, eandemque in arcam teſtamenti pro ſigno virtutis tuæ poni iuſſiſti: ſed nobis eodem præſagio Chriſtum in ara Crucis arefactum citiſſima reſurrectione floreſcere, & in Eccleſia nouiſſimo tempore ſuſcitanda ſiue per vitam, ſiue per mortem, die ac nocte fructificare demonſtraſti: te quæſumus indulgentiſſime generis humani prouiſor, vt hæc vaſcula ſanctorum tuorum receptaculo præparata, gratuita gratia ſanctifices, vt vbicumque in tuo nomine perlata fuerint, intercedentibus habitatorum eorum meritis, cuncta aduerſa repellas & nullifices, & omnia vtilia multiplices, atque cuſtodias, quatenus fideles tui magnitudine ſiue numeroſitate beneficiorum tuorum in parte modica reliquiarum integra ſanctorum corpora ſe percepiſſe gratulentur, & per temporalia loca ipſorum precibus impenſa, ad æterna cum eis gaudia poſſidenda fiducialius animentur. Per. Num. 17. H

Item alia oratio.

Domine ſancte, pater omnipotens, æterne Deus, qui per vnigenitum tuum beatum Paulum Apoſtolum *vas electionis* appellari voluiſti, & ipſo euangelizante, ac dicente fidelibus, *Vos eſtis templum Dei viui, & ſpiritus Dei habitat in vobis & ſciat vnuſquiſque veſtrum ſuum*

A 1. Cor. 6. 1. Theſſ. 4. *vas poſſidere in ſanctificatione & honore*; omnibus Domini noſtri Ieſu Chriſti membris eandem ſpem conceſſiſti, te humiliter imploramus, vt in hanc capſam capiendis ſanctorum tuorum membris, vel exuuiis vel pignoribus artificioſe compactam & ornatam, rorem diuinæ ſanctificationis infundas, & non ſolum ad illorum præſentiam venientes, & ibidem ſuppliciter exorantes exaudias, ſed & quippiam de memoriis eorum pro benedictione reportantes, aut fideliter accipientes, immenſæ pietatis tuæ gratia conſolari, refouere, tutari, ac remunerare digneris. Per.

Item vnde ſupra in tranſcurſu.

Quæſumus, omnipotens Deus, indefectiuam clementiam tuam, vt hoc inſtrumentum ſanctorum tuorum reliquiis honorificum, dextera maieſtatis tuæ dignanter extenſa, miſericors & placitus benedicas, vt quicunque illorum patrocinia, vel cominus expetentes, vel eminus recolentes, pietati tuæ fideli deuotione de quacunque B neceſſitate ſupplicauerint, optata citius conſolatione ac iuuamine potiantur. Per.

Præfatio ciborij, id eſt, vmbraculi altaris.

Oremus, fratres chariſſimi, Deum rectorem ac gubernatorem omnium ſæculorum, vt immemor omnium delictorum & facinorum iuuentutis & ignorantiæ ſiue temerariæ præuaricationis meæ, iſtud inſtrumentum ad honorificentiam nominis ſui compactum placitus ac miſericors illuſtratione vultus ſui benedicere & ſanctificare dignetur. Per Dominum noſtrum.

Conſecratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui fideli famulo tuo Moyſi præcepiſti, vt duos Cherubin ſuper arcam teſtamenti collocaret, quam extenſis ad alterutrum alis protegerent, verſis vultibus in propitiatorium, quæſumus ine-C ffabilem clementiam tuam vt hoc regimen venerandi altaris tui, in quo ipſe vnigenitus filius tuus Dominus noſter Ieſus chriſtus, qui eſt propitiatio pro peccatis noſtris, fidelium manibus iugiter immolatur, & ſub quo ſanctorum tuorum corpora, quæ veraciter fuerunt arca teſtamenti tui, receptacula videlicet Spiritus Sancti, per eundem conſubſtantialem tibi filium, qui factus eſt nobis à te ſanctificatio & redemptio, in virtute eiuſdem Spiritus veritatis, vniuerſa antiqui hoſtis falſitate cum ſatellitibus ſuis depulſa, cum omnibus ornamentis ad ipſum vmbraculum pertinentibus, vel ab illo dependentibus, aut eidem ſuppoſitis, tua ſancta benedictione perfundere, & conſecrare, atque ad tuitionem pignorum ſanctorum ac roboranda ſiue multiplicanda vota fidelium tuorum diutino tempore conſeruare digneris annuente eodem Domino noſtro Ieſu Chriſto filio tuo, qui tecum.

Item præfatio maioris vel itinerarij ciborij.

D Oremus dilectiſſimi indulgentiam omnipotentis Dei, vt poſtpoſitis humanæ fragilitatis admiſſis, conſuetæ miſericordiæ ſuæ munere, hoc repoſitorium ſacris vſibus præparatum, per vnigenitum verbum, virtutem ſcilicet & ſapientiam ſuam, in ſpiritu ſanctificationis conſecrare dignetur. Per.

Conſecratio.

Conſecrare & ſanctificare dignare quæſumus ſancte pater, omnipotens æterne Deus, hoc conditorium ſanctorum pignorum, ad recondenda in eo tuorum munera precioſa ſanctorum, in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Qui

Præfatio tabulæ itinerariæ.

Dan. 12. Gen. 12. Deum omnipotentem, fratres chariſſimi, votis exultantibus deprecemur, vt qui per omnem mundum fidem ſparſit, & Eccleſiam congregauit, qui & lapis exciſus de monte ſine manibus angularem compagem ſolidauit, hanc petram ſerenus illuſtret, eamque æterno lumine irrigatam, ita multiplicibus ac diuerſis chariſmatibus locupletet, vt ſuper illam adminiſtrandam corporis ſui hoſtiam benedicat & ſuſcipiat conſecratam. Qui cum Deo patre. E

Conſecratio.

Exaudi nos Deus noſter, & precum noſtrarum libenter accipe vota, & hoc altare ad celebranda diuina myſteria præparatum, odore vnguenti cœleſtis adſperge, & aromata illi diuinæ ſanctificationis infunde, & ſicut lapidem Iacob patriarchæ erectum, vnguenti perfuſione dicaſti, & angelicis viſionibus per ſcalam gradus Eccleſiæ figuraſti, ſic ſuper hunc quoque lapidem altari coaptandum, cœleſtis gratiam benedictionis immitte, vt dum tibi ſuper eum ſacri corporis & ſanguinis vnigeniti tui myſteria conſecrantur, petentibus peccata deleantur, mœrentibus influat gratia ſempiterna. Per. Et accipiens tabulam, adſpergat eam aqua benedicta, addens odorem incenſi, & confirmet eam cum chriſmate in crucem, ita dicendo: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* F Reſp. *Amen*: Pax tecum. Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oratio in dedicatione baptiſterij.

Primitus fiat aqua benedicta cum litania,

Deinde dicatur oratio. *Oremus.*

Omnipotens ſempiterne Deus, fons omnium virtutum & plenitudo gratiarum dignare hoc vaſculum ſacro baptiſmatis præparatum maieſtatis tuæ præſentia conſecrare, vt qui vbique totus es, etiam hic adeſſe te noſtris precibus ſentiamus. Per.

Alia.

PRopitiare Domine familiæ tuæ, & benignus humilitatis noſtræ vota ſanctifica, & omnes in hoc fonte regenerandos vniuerſali adoptione cuſtodi. Per. Tunc adſpergat ipſum baptiſterium aqua benedicta, addens odorem incenſi. Deinde vadant ad eum locum, in quo re- G liquiæ præterita nocte cum vigiliis fuerunt, & ibi mutet pontifex, ſi voluerit, veſtimenta ſua, & præparet ſe ad Miſſam veſtimentis aliis ſolennibus.

Deinde redeat ad oſtium Eccleſiæ, vbi litaniæ vel laudes circa feretrum celebrantur, & dicat præ foribus hanc orationem: ſignans oſtium Eccleſiæ.

Deus qui ſacrandorum tibi auctor es munerum, effunde ſuper hanc orationis domum benedictionem tuam, vt ab omnibus hic inuocantibus nomen tuum, defenſionis tuæ auxilium ſentiatur. Per. Et tunc portantes feretrum magno honore cum reliquiis ſimul & crucibus & luminaribus, circumeant Eccleſiam, ſequente clero, has antiph. vel reſp. pſallendo, & populo cum mulieribus & paruulis, *Kyrie eleyſon* decantante Antiph. *Ambulate ſancti Dei ad locum deſtinatum. quæ vobis preparatus eſt ab origine mundi.* Antiph. *Plateæ Hieruſalem gaudebunt, & omnes vici eius canticum lætitiæ dicent.* Antiph. *Cuſtodit Dominus* H *animas ſanctorum ſuorum, de manu peccatorum liberabit eas, Lux orta eſt iuſtis, & rectis corde lætitia* Antiph. *In ſanctis glorioſus es Deus noſter, quis ſimilis tibi? ſanctimonium tuum Domine, quod præparauerunt manus tuæ Domine, Domine qui regnas in æternum & in ſæculum, & adhuc.* Antiph. *Ambulate ſancti Dei, ingredimini in ciuitatem Domini, ædificata eſt enim vobis Eccleſia noua, vbi populus adorare debeat maieſtatem Domini.* Antiph. *Sanctificaui Hieruſalem, dicit Dominus, & dabo ſanctis meis regnum & tabernaculum electam, quæ præparaui in odorem vnguenti. Alleluia Alleluia.* Reſp. *Sancti tui Domine.* Verſ. *Quoniam percuſſit petram.* Reſp. *Tradiderunt corpora ſua.* Verſ. *Iſti ſunt qui venerunt*, Reſp. *Sancti mei.* Verſ. *Venite benedicti.* Reſp. *Exultabunt ſancti.* Verſ. *Epulentur.* Reſp. *Fulgebunt iuſti.* Verſ. *iuſti autem.*

His ita per ordinem geſtis, cum redierit iterum ad oſtium Eccleſiæ, facto ſilentio, habeat pontifex verbum ad populum de honore Eccleſiaſtico, de pace venientium ac redeuntium, & de decimis & oblationibus Eccleſiæ, ac de anniuerſaria ipſius dedicatione, & annuntiet tam

cleto,

A clero quam populo, in cuius honore conſtructa & dedicata ſit Eccleſia vel etiam nomina ſanctorum ibi quieſcentium. Ipſe autem Dominus & constructor ipſius Eccleſiæ, admoneatur de dote illius, & qualem honorem vel curam Eccleſiæ & presbytero exibere debeat: illo autem profitente in omnibus ita ſe velle agere, pontifex hæc à Domino postulans, ante quam intret Eccleſiam, dicat hanc orationem: Domum tuam, quæſumus Domine, clementer ingredere, & in tuorum cordibus fidelium perpetuam conſtrue tibi manſionem, & præſta, vt domus hæc quæ tua ſubſiſtit dedicatione ſolemnis, tua fiat habitione ſublimis. Per.

Deinde cum chriſmate ſignum faciat crucis in ſuperliminare, dicens: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, Porta ſis benedicta, conſecrata, ſanctificata, conſignata, & Domino Deo commendata. Porta ſis introitus ſalutis & pacis. Porta ſis oſtium pacificum, per eum qui ſe oſtium & oſtiarium appellauit Ieſus Chriſtus Do-
B minus, qui cum Patre, & Spiritu ſancto.

Tunc accipiat pontifex feretrum cum presbyteris: & ingrediendo dicat ſchola antiphonam: *Ingredimini benedicti Dei, parata eſt vobis à Domino habitatio ſedis veſtra, ſed & populus fidelis cum gaudio inſequitur iter veſtrum, vt oretis pro nobis maieſtatem Domini.* Reſp. *Sancti Dei dedit vobis dominus iſtum locum faciatis in eo mirabilia.* Verſ. *Benedicta gloria Domini de loco ſancto ſuo.* Et cum intrauerint, extenſo velo inter populum & altare, pontifex recondat reliquias in altari, & presbyteri qui cum eo ſunt cantent Antiph. *Exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis.* Pſalm. *Cantate Domino canticum nouum, laus eius in Eccleſia ſanctorum.*

Et antequam recludantur reliquia dicat Pontifex. hanc Orationem.

Deus qui omni loco dominationis tuæ clemens ac benignus dedicator aſſiſtis, exaudi nos quæſumus, & concede, vt inuiolabilis huius loci permaneat conſecratio,
C & beneficia tui muneris vniuerſitas ſanctæ Eccleſiæ, quæ ſupplicat mereatur. Per.

Hac expleta, ponat chriſma in confeſſionem per angulos quatuor in crucem, dicendo:

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Reſp. *Amen.* Pax tecum Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.* Deinde ponat tres portiones corporis Domini intro in confeſſionem, & tres de incenſo, antequam recludantur reliquiæ in confeſſione, cantent iſtam antiphonam: Sub altare Dei ſedes accepiſtis, intercedite pro nobis ad Dominum, qui vos elegit. Cum pſalm. Exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis.

Oratio ad dedicandum altare poſt impoſitas reliquias.
Oremus.

DEus qui altaria nomini tuo dicanda ſanctificas, præſta quæſumus, vt quod noſtra fragilitas non meretur interceſſione beati N. huc ſpiritus tui plenitudo deſ-
D cendat, qui & munera noſtra ſanctificet, & indulgentiam nobis tuæ pietatis obtineat. Per Dominum. in vnitate eiuſdem Spiritus ſancti.

Et accipiens tabulam de ſubtus, confirmet eam cum Chriſmate in crucem, ita dicendo. *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Reſp. *Amen.* Pax tecum. Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.*

Tunc ponat tabulam ſuper reliquias: & det orationem. hanc. Oremus.

DEus qui ex omni coaptatione ſanctorum æternum maieſtati tuæ condis habitaculum, da ædificationi tuæ incrementa cæleſtia, & præſta, vt quorum hic reliquias pio amore complectimur, eorum ſemper meritis adiuuemur. Per.

Deinde liniat eam cum calce, quæ antea fuerat præparata, & poſtquam linita fuerit, faciat crucem deſuper cum chriſmate, dicendo ſicut prius: *In nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Amen* Pax tecum Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.* Et mittat chriſma per quatuor cornua altaris ipſa ſcripta ſupra verba dicendo, & crucem faciendo, & cantent antiphonam: Corpora ſanctorum in pace ſepulta ſunt & viuent nomina eorum in æternum. Cum *gloria patri.* Tunc diaconi veſtiant altare, & ſchola dicat antiph. *Circundate Sion Leuita altare Domini veſtat veſtimentis albis eſtote & vos canentes hymnum nouum dicentes, Benedictus es Deus* Cum pſalm. *Mirabilis Deus.* Et cum *gloria.* Item aliam antiph. *In velamento clamabunt ſancti tui Domine, Alleluia, alleluia, alleluia.* Poſtea quoque offeratur incenſum, verſuſque dicatur. *Omnis terra adoret te Deus.* Deinde *Kyrie eleyſon*, & oratio Dominica, & preces. Fundata eſt domus Domini ſuper verticem montium. Reſp. *Bene fundata eſt ſuper omnes colles.* Dominus in templo ſancto ſuo. Reſp. *Dominus in cœlo ſedes eius.* Domus mea, dicit Dominus Reſp. *Domus orationis vocabitur.* Exultabunt ſancti in gloria Reſp. *Lætabuntur in cubilibus ſuis.* Exultent iuſti in conſpectu Dei F
Reſp. *Et delectentur in lætitia.* Pretioſa eſt in conſpectu Domini Reſp. *Mors ſanctorum eius.* Lætamini in Domino & exultate iuſti. Reſpon. *Et gloriamini omnes recti corde* Iuſti confitebuntur nomini tuo Reſp. *Et habitabunt recti cum vultu tuo.* Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos. Reſp. *Quemadmodum ſperauimus in te.* Exurge Domine, adiuua nos. Reſp. *Et libera nos propter nomen tuum.* Domine Deus virtutum conuerte nos. Reſp. *Et oſtende faciem tuam, & ſalui erimus.* Domine exaudi orationem meam. Reſpon. *Et clamor meus ad te veniat.* Dominus vobiſcum Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

DEſcendat, quæſumus Domine Deus noſter, Spiritus tuus ſanctus ſuper hoc altare, qui & populi tui dona ſanctificet, & ſumentium corda purificet. Per.

Alia.

OMnipotens ſempiterne Deus, altare hoc nomini tuo dicatum, cæleſtis virtutis benedictione ſanctifica, & omnibus in te ſperantibus auxilij tui munus oſtende, vt hic & ſacramentorum virtus & votorum obtineatur effectus Per. G

Deinde reuertatur pontifex in ſacrarium, donec ornetur Eccleſia, & accendantur luminaria. Et incipiat cantor, Antiph. ad introitum: *Terribilis eſt locus iſte.* Pſal. *Quam dilecta.* Et procedat pontifex cum ordinibus ſuis, ſi autem conſuetudo eſt in feſtiuitatibus, & celebretur ſolenniter Miſſa, ſicut in ſacramentario continetur. Cum gloria in excelſis Deo, & poſtea, per totam hebdomadam fiant Miſſæ publice in ipſa, vſque ad dies octo completos.

Reconciliatio violata Eccleſia.

Primum efferantur reliquiæ, & veniat Epiſcopus ante ipſam Eccleſiam cum clero & populo, dicat hanc orationem.

Oremus. H

OMnipotens & miſericors Deus, qui ſacerdotibus tuis præ cæteris tamen gratiam contuliſti, vt quicquid in tuo nomine digne perfecteque ab eis agitur, à te fieri credatur, quæſumus immenſam clementiam tuam, vt quod modo viſitaturi ſumus, viſites, & quicquid benedicturi, benedicas, ſitque ad noſtræ humilitatis introitum, ſanctorum tuorum meritis fuga dæmonum, Angelis pacis ingreſſus. Per.

Item alia oratio.

Aufer à nobis, quæſumus Domine, iniquitates noſtras, vt ad loca tuo nomini purificanda, puris mereamur mentibus accedere. Per.

Tunc intret ipſe pontifex in Eccleſiam cum clero & litaniis. His peractis, dicat *Oremus.* Et diaconus, *Flectamus genua.* Poſtea, *Leuate.* ſequitur oratio.

A

Oremus.

DEus qui peccati veteris hæreditariam mortem, in qua poſteritatis genus omne ſucceſſerat, Chriſti filij tui Domini noſtri paſſione ſoluiſti, dona propitius, vt conformes eiuſdem facti, ſicut imaginem terreni patentis naturæ neceſſitate portauimus, imaginem cœleſtis gratiæ ſanctificatione portemus. Eiuſdem Chriſti Domini noſtri. Qui. Et benedicat aquam & ſalem cum vino & cinere in terra, & circumeat tribus vicibus intrinſecus Eccleſiam ſpargendo, & cantando anthiponam. Antiph. *Adſperges me Domine.* Cum Pſalm. *Miſerere mei Deus.* Lauando ac purificando loca contaminata, dicat hanc orationem.

Oremus.

DEum indultorem criminum, Deum ſordium mundatorem, Deum qui concretum peccatis originalibus mundum aduentus ſui nitore purificauit, fratres charisſimi, ſupplices deprecemur, vt contra diaboli furientis inſidias fortis nobis propugnator aſſiſtat, vt ſi quid

B

eius viroſa calliditate quotidianis inſectationibus maculatum in iſto loco inuenitur atque corruptum, efficiatur cœleſti miſeratione purgatum: quia ſicut illius eſt, ſolidum perfectumque quaſſare, ita auctoris noſtri eſt lapſa reſtituere, nutantia ſtabilire, & corrupta purgare.

Conſecratio.

Deus cuius bonitas vt non habuit principium, ita nec terminum habebit, qui diuina naturalique pietate plenus, eligis in nobis magis reſtituere perdita, quam percutere peritura, & ſi quid aut negligentia polluit, aut ira commitit, aut ſtimulat ebrietas, aut libido ſubuertit, clementi patientia ſuſtines, vt hoc ante per gratiam purifices, quam percutias per furorem, & operis tui prouidus plaſtes, eligis potius erigere iacentia, quam punire damnanda, te ſupplices deprecamur, vt in huc huius ta-

C

bernaculi receptaculo negligentiæ plagas adſpicias, & altare tuum, quod inſectatis eſt inimici fraude pollutum, per infuſionem gratiæ cæleſtis purifices, purificatumque poſſideas. Abſint in poſterum omnes nequitiæ ſpiritales, & eliminentur. Extinguatur antiqui ſerpentis inuidia, & cum fraudibus ſuis diaboli turma propellatur. Efferat maculam ſecum quam ingeſſit, & perennibus quandoque ſuppliciis deputandus, operum ſuorum ſemina ſecum colligat peritura. Nihil in poſterum noceat præteriti culpa contagij, nihil ſit quod remaneat inimici fraude pollutum, quandoquidem per ſpiritus tui infuſionem conſtat eſſe purgatum. Reſurgat Eccleſiæ tuæ pura ſimplicitas, & candor innocentiæ hactenus maculatus dum receperit gratiam, reſurgat ad gloriam, vt populorum iſtic fidelium turba conueniens, dum petitionis ingerit vota, votorum ſe ſentiat obtinuiſſe ſuffragia. Per. Tunc cantetur antiph. *Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius, cum eodem pſalm.* Et antequam* reponentur reliquiæ, dicat pontifex: *Oremus*, Et diaconus, *Flectamus genua.*

* *recludantur.*

D

Sequitur oratio.

Deus qui omni loco dominationis tuæ clemens ac benignus dedicator aſſiſtis, exaudi nos, quæſumus, & concede, vt in poſterum inuiolabilis huius loci permaneat conſecratio, & beneficia tui muneris vniuerſitas ſanctæ Eccleſiæ quæ ſupplicat mereatur. Per. Tunc reliquiæ reponentur. Et cantent antiphon. *Confirma hoc Deus.* Cum verſ. *Narrabo nomen tuum.* Et gloria.

Oremus.

DEus qui Eccleſiam tuam ſanctam de omnibus mundi finibus congregatam, per tui lateris admirabile ſacramentum, cunctarum gentium matrem eſſe dixiſti perfectam, quam etiam populorum varietate depictam, martyrum tuorum meritis decoraſti, benedic quæſumus ſanctorum tuorum N. opitulante ſuffragio tam altare, quod eorum exornatur, te iubente, reliquiis, quam Eccleſiam atque fidelium tuorum tibi pie offerentium vota, in illa ſanctifica. Qui cum Deo patre.

E

Ordo ad benedicendum Eccleſiæ ſignum.

IN primis dicatur litania. Poſtea ſex Pſalmi veniales, *Miſerere mei Deus ſecundum magnam 1. Deus in nomine tuo. Miſerere mei Deus miſerere mei. 3. Deus miſereatur noſtri. Deus in adiutorium meum intende. Inclina Domine.*

Sequitur exorciſmus ſalis.

Exorcizo te creatura ſalis per Deum viuum, per Deum ſanctum per Deum totius creaturæ, qui diuina voce oris ſui locutus eſt, ad diſcipulos ſuos dicens: *Vos eſtis ſal terræ*, & qui per Apoſtolum ſuum Paulum dignatus eſt dicere, *ſit ſermo noſter ſapientia ſale conditus*, vt efficiaris ſal exorcizatum ad euacuandum & expellendum ab hoc Eccleſiæ ſigno inimicum, omnemque virtutem putredinis eius, & omnes qui ex te ſumpſerint, ſint ſanctificati animis atque corporibus, & vbicumque fueris adperſum, præſtes omnibus remiſſionem peccatorum, ſanitatem mentis, protectionem ſalutis in nomine Domini Ieſu Chriſti, qui venturus.

Matth. 5.

Coloſſ. 4.

F

Benedictio ſalis.

Virtutis tuæ Inuictam fortitudinem deprecantes, Domine ſancte, pater omnipotens, æterne Deus, qui inter omnia neceſſaria, quæ per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum procreari iuſſiſti, non minimam gratiam conferre dignatus es ſali vt ex illo poſſint vniuerſa condiri, quæ hominibus ad eſcam per eundem filium tuum Dominum noſtrum procreaſti, te ſupplices exoramus, vt hoc ſal digneris adſpicere, quatenus ex maieſtatis tuæ virtute contra omnes ſpiritus immundos valorem poſſit accipere. Expellat ab hoc Eccleſiæ ſigno, & ab omni loco vbi fuerit tua inuocatione adſperſum, quidquid poteſt eſſe peſtiferum, exhibeat plenum ſalutis effectum, deterreat omnia præſtigia inimici, & omnia monſtrorum genera longius faciat effugari. Grandines omnes, phantaſiaſque compeſcat, & per ſignum Crucis filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti tutelam fideliſſimam deſiderantibus præſtet. Per eundem.

G

Exorciſmus aquæ.

Diſcede Immunde ſpiritus ab omnibus quibus fides noſtra vſura eſt religioſi officij Sacramentis, nec prætendas culpam criminis, qui agnoſcis potentiam Saluatoris. Non eſt meriti confidentia, ſed præcepti, licet ipſa poteſtas miniſterij, dignitas ſit miniſtri. Te igitur per communem Dominum aquæ creatura conuenio, vt conſeruare motum ſenſibilitatis intelligens, ſubiici ſeruitio, quo placare Deum nitimur, non recuſes, omnem à te dæmonum communionem, omne collegium iniquitatis expurges, totam phantaſmatis labem, capax Dominicæ protectionis extermines, vt gratia ſanctificationis adepta, tuo noſtroque pariter creatori deſeruiens, omnem prauorum ſpirituum nequitiam ab hoc Eccleſiæ ſigno, & in quocunque loco fueris adſperſa, deiicias, & ſanctæ copiam benedictionis inducas. Præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Deo patre & Spiritu Sancto venturus eſt iudicare viuos & mortuos.

H

Benedictio aquæ.

Benedic Domine hanc aquam benedictione cœleſti, & aſſiſtat ſuper eam virtus Spiritus Sancti, vt cum hoc vaſculum ad inuitandus filios Eccleſiæ præparatum, in ea fuerit tinctum, vbicunque ſonuerit hoc tintinnabulum, longe recedat virtus inimicorum, vmbra phantaſmatum incurſio turbinum, percuſſio fulminum, læſio tonitruum, calamitas tempeſtatum, omnes ſpiritus procellarum, & cum clangorem illius audierint filij Chriſtianorum, creſcat in eis deuotionis augmentum, vt feſtinantes ad piæ matris Eccleſiæ gremium cantent, ibi in eccleſia ſanctorum canticum nouum, deferentes in ſono præconium tubæ, modulationem pſalterij, ſuauitatem organi, exultationem tympani, iocunditatem cymbali, quatenus in

templo

A templo ſancto gloriæ tuæ ſuis obſequiis & precibus inultare valeant multitudinem exercitus Angelorum. Per Dominum. in vnitate eiuſdem Spiritus Sancti Deus. Hic mittatur ſal in aquam. Fiat commixtio ſalis & aquæ in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

Oratio poſt commixtionem.

Omnipotens æterne Deus, qui nobis à te conditam * viuida. creaturam aquæ * bifide diſtinxiſti, vt liquorem ſimplicem ad lauacrum, ſalſam ſoliditatem præberes ad condimentum: quatenus & ſordida poſſent ablui, & fatua imbui: quo & noxia tollerentur, & originalis corrigeretur error ad viam ſalutis, te officij noſtri functione immeriti deprecamur, vt hæc ſalis & aquæ in tuo nomine facta permixtio, clementiæ tuæ dono ſanctificetur ad purificandum hoc Eccleſiæ ſignum: quodque myſterialiter baptiſmo commodum, culpæ traduci inimicum, ſapien-B tiæ aptum, errori præſtas aduerſum, Sancti Spiritus tui ſanctitate reddas ſanctificatum, nec vllo contagio reddatur immundum, quod tua fieri credimus maieſtate beatum, ſed ita per te plenum præbeat ſanctificationis effectum, vt vbicumque inuocato tuo nomine manu fuerit emiſſum, vel modo quolibet aſſumptum expulſis & exploſis omnibus inſidiis contrariæ poteſtatis, non ſolum diabolica machinamenta ex eodem loco fugata deficiant, ſed etiam ſanctorum Angelorum cuſtodia ſemper inibi manſura conſiſtat, te præſtante omnipotente Deo, qui cum Filio tuo, & eodem Spiritu Sancto regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Poſt hæc canantur iſti pſalmi, *Lauda anima mea Dominum, Laudate Dominum quoniam bonus eſt pſalmus. Deo noſtro. Lauda Hieruſalem Dominum. Laudate Dominum de cœlis. Cantate Domino. Laudate Dominum in ſanctis eius.* Qui dum canuntur, lauet ſignum de aqua benedicta & ſale benedicto, cum oleo ſancto cruces in eo faciendo, & dicat hanc orationem.

C *Oremus.*

DEus qui per B. Moyſem legiferum tubas argenteas fieri præcepiſti, quas dum leuitæ tempore ſacrificij clangerent, ſonitu dulcedinis populus monitus ad te adorandum fieret præparatus, quarumque clangore etiam hortatus ad bellum, tela proſterneret aduerſantium, præſta, vt hoc vaſculum tuæ Eccleſiæ præparatum, ſanctificetur à ſanctificatore omnium Spiritu Sancto, vt per illius tactum & ſonitum fideles inuitentur ad præmium, & cum melodia illius auribus inſonuerit populorum, creſcat in eis deuotio fidei, procul pellantur omnes inſidiæ inimici, fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempeſtatum, temperentur infeſta tonitrua, ventorum flabra fiant ſalubriter ac moderate ſuſpenſa, proſternat aereas poteſtates dextera tuæ virtutis, vt hoc audientes tintinnabulum, contremiſcant & fugiant ante ſanctæ Crucis in eo depictum vexillum. Per.

Tunc extergat illud cum linteo mundo, & cantetur D antiph. *Vox Domini ſuper aquas Deus maieſtatis intonuit, Dominus ſuper aquas multas.* Vſque, in finem: Cum *gloria.* Et quot vicibus in pſalmis dicit, *Vox Domini*, totidem ſigna facit cum chriſmate deforis in campana, & fiunt à foris ſeptem, intus quatuor. Deinde dicat hanc collectam.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui ante arcam fœderis per clangorem tubarum muros lapideos, quibus aduerſantium cingebatur exercitus, cadere feciſti, tu hoc tintinnabulum cœleſti benedictione perfunde, vt ante ſonitum eius longius effugentur ignita iacula inimici, percuſſio fulminum, impetus lapidum, læſio tempeſtatum, Pſal. 113. vt ad interrogationem propheticam. Quid eſt tibi mare quod fugiſti, ſuis motibus cum Iordanico retroactis fluento reſpondeant, *A facie Domini commota eſt terra, à facie Dei Iacob, qui conuertit ſolidam petram in ſtagnum aquæ, & rupem in fontes aquarum.* Non ergo nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam ſuper miſericordia tua, vt cum præſens vaſculum ſicut reliqua altaris vaſa, ſacro chriſmate tangitur, oleo ſancto vngitur, quicunque ad ſonitum eius conuenerint; ab E omnibus inimici tentationibus liberi, ſemper fidei catholicæ documenta ſectentur. Per.

Tunc ponatur in incenſorio ignis & thymiama, thus, & myrrha, & erigatur ſignum ſuper incenſorium, vt totum illum fumum colligat, & dicatur hæc antip. Deus in ſancto via tua, quis Deus magnus ſicut Deus noſter; tu es Deus qui facis mirabilia. Viderunt te aquæ Deus. vſque ad finem. cum *Gloria.*

Oremus.

OMnipotens dominator Chriſte, quo ſecundum aſſumptionem carnis dormiente in naui, dum oborta tempeſtas maria conturbaſſet, te protinus excitato & imperante diſſiluit, tu neceſſitatibus populi tui benignus ſuccurre, & hoc tintinnabulum Sancti Spiritus rore perfunde, vt ante ſonitum illius ſemper fugiat inimicus, inuitetur ad fidem populus Chriſtianus, hoſtilis terreatur exercitus, confortetur in Domino per illud populus euocatus, atque ſicut ſuper Dauidicam citharam delectatus, deſuper deſcendat Spiritus ſanctus, atque vt Samuele crinigero agnum mactante in holocauſto tuo rex æterni imperij, fragor aurarum turbam repulit aduerſantium, ita dum huius vaſculi ſonitus tranſit per nubila Eccleſiæ tuæ conuentum manus ſeruet Angelica, fruges credentium, mentes & corpora ſaluet protectio ſempiterna. Per te Ieſu Chriſte, qui cum Deo patre in vnitate eiuſdem Spiritus Sancti viuis & regnas. F

Ordo in dedicatione Baptiſterij.

Primitus fiat aqua benedicta cum litania.
Deinde dicatur iſta oratio.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, fons omnium virtutum, & plenitudo gratiarum, dignare hoc vaſculum ſacro baptiſmati præparatum, maieſtatis tuæ præſentia conſecrare, vt qui vbique totus es, etiam hic adeſſe te noſtris precibus ſentiamus. Per. G

Alia.

PRopitiare Domine familiæ tuæ, & benignus humilitatis noſtræ vota ſanctifica, & omnes in hoc fonte regenerandos, vniuerſali adoptione cuſtodi. Per.

Tunc adſpergat ipſum baptiſterium aqua benedicta; addens odorem incenſi.

Conſecratio cœmeterij.

Primitus canantur ſeptem pſalmi pœnitentiæ. Et illuminentur in circuitu quatuor candelæ. Poſtea adſpergatur cœmeterium aqua ſancta, & dicatur oratio.

Oremus.

DEus qui es totius orbis conditor, & humani generis redemptor, cunctarumque creaturarum viſibilium & inuiſibilium perfectus diſpoſitor, te ſupplici voce ac puro corde expoſcimus, vt hoc cœmeterium ſiue H Polyandrium, in quo famulorum famularumque tuarum corpora requieſcere debent, poſt curricula huius vitæ labentia ſanctificare, purgare, atque benedicere digneris, quique peccatorum remiſſionem perpetuam, magnam miſericordiam in te fidentibus præſtitiſti: corporibus quoque eorum in hoc cœmeterio quieſcentibus, & tubam primi Archangeli hic expectantibus conſolationem perpetuam largiter impertiri. Per.

Alia.

DOmine ſancte, pater omnipotens, trina maieſtas, & vna deitas, Pater, & Filius, necnon & Spiritus Sanctus, iuſtitiæ auctor, veniæ largitor, bonorum dator, ſanctitatis origo, chriſmatũ diſtributor, omniumq; ad te venientium pius receptor, præſta propitius, vt hoc cœmeterium in honore nominis tui compoſitum, benedicere & ſanctificare digneris, qui Abrahæ beati Patriarchæ famuli tui terram, à filiis Ebron comparatã cauſa ſepulturæ benedixiſti, & qui populo Iſraëlitico promiſſionis tellurem in æuum durantem conceſſiſti famulorum famularumque

A tuarum corporibus in hoc cœmeterium intrantibus, quietis ſedem,& ab omni incurſione malorum ſpirituum tutelam benignus largitor, tribuas, & poſt animarum corporumque reſurrectionem coadunatam, te donante atque concedente, beatitudinem ſempiternam percipere mereantur. Per.

Alia.

DOmine ſancte, pater omnipotens, æternæ gloriæ, lux & honor ſapientiæ, cuſtos & vigor prudentiæ, ſalus ægrotantium, valitudo potentium, mœſtorum ſolamen, vita iuſtorum, gloria humilium, te flagitamus, vt hoc ſanctorum tuorum cœmeterium, ab omni ſpurcitiæ inquinamento ſpirituum immundorum cuſtodire, mundare, benedicereque digneris, atque corporibus humanis huic loco aduenientibus ſinceritatem perpetuam tribuere non deſinas, & quicunque baptiſmi Sacramentum perceperint, & in fide catholica vſque ad vitæ terminum perſeuerantes fuerint, atque decurſo huius æui B termino, corpora ſua in hoc cœmeterio requiei commendauerint, Angelicis tubis concrepantibus, materia corporis & animæ vnita, præmia cœleſtium gaudiorum ſempiterna percipiant. Per.

Conſecratio loculi vel ſepulchri.

Rogamus te Domine ſancte, pater omnipotens, æterne Deus, vt digneris benedicere & ſanctificare hoc ſepulchrum, & loculum in eo collocatum, vt ſit remedium ſalutare in eo quieſcenti, & redemptio animæ eius atque tutela, & munimen contra ſæua iacula inimici. Per.

Alia.

SAnctificetur iſtud habitaculum Domine Deus per noſtram ſupplicationem, & fugetur ab eo immundus ſpiritus per virtutem Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt ſit placida requies corporis, quod poſtmodum in eo collo- C cabitur te protegente ac conſeruante maieſtate tua Ieſu Chriſte. Qui cum Patre & Spiritu.

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & nihil de noſtra conſcientia præſumentibus ineffabili miſeratione tua nobis ſuccurre, vt quod non habet noſtrorum fiducia meritorum, tuorum conferat largitas inuicta donorum. Per.

Ordo Romanus ad dedicandam Eccleſiam.

PRimitus vadat Epiſcopus indutus veſtimentis ſacris ad Eccleſiam, vel ad locum vbi reliquiæ ſint repoſitæ, & faciat ibi litaniam, & dicat hanc orationem.

Aufer à nobis Domine quæſumus iniquitates noſtras.

Poſtea ponat reliquias in patenam, & porrigat eas presbytero in vlnas ſuas ſuper ſindonem, quam habeat in collo ligatam, & cooperiat ipſas, & exeant pſallendo antiphonam. Cum iocunditate exibitis, & cum gaudio. Et pergant ad Eccleſiam nouam vbi recludi debent reli- D quiæ. Et antequam pontifex introeat in Eccleſiam, diaconus recludatur in ipſa, & illuminentur duodecim candelæ in circuitu Eccleſiæ, & induat ſe veſtimentis ſacris, & cum venerit ad oſtium Eccleſiæ, percutiens ter ſuperliminare cum * cambutta ſua, dicit antiphonam iſtam: *Tollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ.* Reſponſum det diaconus infra Eccleſiam: *Quis eſt iſte rex gloriæ?* Iterum pontifex ſimiliter dicit, & * diaconus vt ſupra, vſque tertio dicit: *Dominus virtutum ipſe eſt rex gloriæ.* Reſpondeat, *Deo gratias.* Et aperto oſtio, intrans Eccleſiam cum miniſtris duobus vel tribus, dicat: *Pax huic domui.* Reſp. *Amen.* Et claudiтur oſtium Eccleſiæ.

* cambuca.

* archidiaconus.

Deinde incipiat clerus litaniam. Et cum venerit ſacerdos ante altare, proſternat ſe cum miniſtris ſuper ſtramenta vſque dum dicat ſchola: *Agnus Dei qui tollis peccata mundi.* Vt autem ſurrexerint ab oratione, dicat pontifex excelſa voce: *Oremus.* Et dicat diaconus, *Flectamus genua.* Poſtquam orauerint, dicat: *Leuate.* Et tunc ſequatur iſta oratio. *Magnificare Domine Deus noſter, in ſanctis tuis.*

Deinde incipiat pontifex à ſiniſtro angulo ab oriente ſcribere per pauimentum cum cambutta ſua alphabetum E vſque in dextrum angulum occidentalem. Incipiens igitur ſimiliter de dextro angulo orientali, alphabetum ſcribat vſque in ſiniſtrum angulum occidentalem.

Deinde veniens ante altare, dicat: *Deus in adiutorium meum intende.* Cum *gloria*, abſque *Alleluia.* Inde benedicat ſalem & aquam cum cinere mixtam, & dicat hanc orationem.

Exorcizo te creatura aquæ &c.

Alia.

DEus qui ad ſalutem humani generis, maxima quæque Sacramenta &c.

Sequitur exorciſmus Salis.

Exorcizo te creatura ſalis per Deum viuum, per Deum ſanctum, per Dominum totius creaturæ, qui te per Heliſeum prophetam in aquam mitti iuſſit, vt ſanaretur ſterilitas aquæ, per Apoſtolum Paulum dignatus eſt dicere, *Sit cor veſtrum ſale conditum.* Ideoque efficere ſal Coloſſ. 4. F exorcizatum ad euacuandum & expellendum inimicum, omnemque virtutem & putredinem eius in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Qui vent.

Et miſcet ſalem cum cinere, faciens inde crucem ſuper ipſam aquam, dicens: Exorcizo te creatura aquæ, per Deum viuum.

Deinde ponat vinum in ipſam aquam benedictam, dicens hanc orationem.

Omnipotens ſempiterne Deus, creator & conſeruator human. &c.

Inde faciat crucem digito ſuo cum ipſa aqua in dextera parte altaris, & per quatuor cornua inde cum hyſſopo adſpergat altare in circuitu ſeptem vicibus canendo antiphonam iſtam: *Aſperges me Domine hyſſopo.* Cum pſalmo, *Miſerere mei Deus.* Tunc eat in circuitu Eccleſiæ per parietes ſpargendo, de dextera parte incipiens, vſque dum veniens ante altare, ſpargat iterum in circuitu Eccleſiæ, antipho. canendo, *Exurgat Deus & diſſipentur.* G Cum ipſo Pſalm. Iterum veniens ante altare, ſpargat in circuitu Eccleſiæ antiph. canendo. *Qui habitat in adiutorio Altiſſimi.* Cum ipſo Pſalmo. Et mittat ex miniſtris & clericis duos vel tres, qui extrinſecus Eccleſiæ parietes vna vice pſallentes ſpargant. Iterum ipſe pontifex eat de altari, ſpargendo per medium Eccleſiæ in longum & latum, Crucem faciendo, & per omne pauimentum ſpargendo, cum antiph. *Domus mea domus orationis.* Cum pſalmo: *Narrabo nomen tuum, & cum gloria.* Et veniens in medium Eccleſiæ, dicat: *Oremus.* Et diaconus, *Flectamus genua.* Et dicat pontifex orationem: *Deus qui loca nomini tuo dicata.* Et iterum dicat excelſa voce, *Oremus.* Et diaconus vt ſupra.

Conſecratio.

DEus ſanctificationũ omnipotẽs dominator, &c. Tunc eat ante altare, canendo antiphonam, *Introibo ad altare Dei mei.* Cum pſalm. *Iudica me Deus.* Tunc faciat H maltam de calce, & tegula cum aqua benedicta, & poſtea ipſam aquam quæ remanet, fundat, ad baſim altaris, & extergatur altare de linteo. Poſtea offerat incenſum, & mittat oleum ſuper altare; in medio crucem faciens, & ſuper quatuor cornua, antiphonam canendo, *Erexit Iacob lapidem.* Pſalmus, *Quam dilecta.* Et vngat manu ſua totum illud altare. Alius vero ſacerdos faciat incenſum in circuitu altaris. Expleto pſalm. mittat iterum oleum ſicut prius, canendo antiphonam. *Ædificauit Moyſes.* Cum pſalmo, *Deus noſter refugium.* Et mittat chriſma ſuper altare, canendo antiphonam: *Ecce odor filij mei.* Cum pſal. *Fundamenta.* Deinde in circuitu Eccleſiæ per parietes de dextro vſque in dextrum, faciat cruces cum pollice de chriſmate in duodecim locis, dicens: Sanctificetur hoc templum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Inde faciens crucem incenſi ſuper altare, dicat hanc orationem ſuper altare: Dei patris omnipotentis miſericordiam &c. Iterum dicat: *Oremus.* Diaconus *vt ſupra.* Deus omnipotens, in cuius honore altare hoc &c. Deinde dicat antiphonam iſtam:

A *Confirma hoc Deus.* Cum *gloria.* Inde benedicat tabulas his verbis, dicens: Singulare per illud propitiatorium, quod ſe in altari Crucis pro nobis redimendis obtulit Gen. 28. immolandum, cuius præfiguratione patriarcha Iacob lapidem vnxit & erexit in tumulum, quo fieret ſacrificium, & portæ cœli deſuper aperiretur oraculum, ſuppliciter tibi Domine preces fundimus, vt metalli huius expolitam materiem, ſupernis ſacrificiis imbuendam, ipſe ſuæ dotare ſanctificationis vbertate præcipiat, qui quondam lapideis legem ſcripſit in tabulis.

Alia.

Deus omnipotens, vniuerſarum rerum rationabilis artifex.

Domine ſancte, pater omnipotens, æterne Deus, clemens & propitius preces noſtras humiliter exaudi. Amen.

Poſt dicat excelſa voce: *Surſum corda. Habemus ad* B *Dominum. Gratias agamus Domino Deo noſtro Dignum.*

Præfatio.

Vere dignum & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, *vſque*, æterne Deus. Qui poſt offendicula lapſus primi hominis inſtituiſti tibi offerri propitiatorij delinimenta libaminis, vt culpa quæ præceſſerat per ſuperbiam, futuris temporibus expiaretur per munera, quibus honorarentur altaGen. 8. ria, honorificaretur & templum. Quod tibi primus Noë Gen. 22. Gen. 28. præparauit officio, rurſus Abraham immolaturus filium dehinc electus Iacob erexit & vnxit in titulum. Adſit igitur redemptionis tuæ ineffabilis pietas, & ſuper hos lapides opem tuæ benedictionis infunde, vt te largiente referat præmium, quiſquis intulerit votum: qui te ergo angularem lapidem & ſaxum ſine manibus excisum nominari ipſe voluiſti, tu lapides iſtos diuinis cultibus apparatos benedic atque ſanctifica, & ſacri huius myſterij ſicut inſtitutor, ita etiam ſanctificator appare.

Deinde tenentibus ſubdiaconis vel acolytis linteamina vel omnia ornamenta Eccleſiæ, ſeu vaſa ſacra quæ- C cunque ad cultum Dei & Eccleſiæ pertinere videntur, benedicat ea pontifex, ſicut in Sacramentario continetur. Ipſis completis, egrediatur Epiſcopus, & det orationem ante oſtium: Deus qui in omni loco dominationis tuæ. Ipſa finita, ſuſcipiat ipſas reliquias à presbytero: & portet eas cum honore laudes decantando, cum cruce, & thuribulis, & luminibus multis ad altare intus in Eccleſiam, & ponat ſuper altare nouum. Et extenſo velo, inter eas & populum, recondat eas ipſas reliquias pontifex manu ſua in loco altaris, canendo antiphonam: *exultabunt ſancti in gloria.* Cum pſalmo, *Cantate Domino.* 1. Et antequam recludantur, ponat chriſma intus in confeſſionem per angulos quatuor in crucem, ita dicendo: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Pax tibi* Reſpon. *Et cum ſpiritu tuo.* Deinde ponat tres portiones corporis Domini intus in confeſſionem, & tres de incenſo, & recludantur reliquiæ intus in confeſſione. Et dum recluduntur cantent antiphonam: Sub altare Domini ſedes accepiſtis, intercedite pro nobis ad Dominum qui D vos elegit. Et accipiens tabulam, quæ ſuper reliquias poni debet, antea confirmet eam ſubtus cum chriſmate, dicendo vt ſupra *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Et ponat tabulam ſuper reliquias, & dicat hanc orationem.

Oremus.

Deus qui ex omni coaptatione ſanctorum.

Deinde liniat eam cum calce, quæ ante fuerat præparata. Et poſtquam fuerit linita, faciat crucem deſuper cum chriſmate, dicendo vt ſupra, & faciat crucem ſimiliter cum chriſmate, per quatuor angulos altaris, deſuper dicendo vt ſupra. Et tunc velat altare, & dicit hanc orationem: Deſcendat quæſumus Domine Deus noſter. Inde vero reuertatur pontifex in ſacrarium cum ordinibus ſacris, & induat ſe veſtimentis aliis ſolemnibus, & interim veſtiantur altaria, vel Eccleſia, & accendantur luminaria. Hoc peracto, canat ſchola antiph. ad introitum, & procedat pontifex de ſacrario cum ordinibus ſacris, ſicut conſuetudo eſt. E

Et poſt *Kyrie eleyſon* dicat: *Gloria in excelſis Deo.* Et compleatur Miſſa ordine ſuo, ſicut in Sacramentario continetur.

Et per totam hebdomadam Miſſa publica in ipſa Eccleſia celebretur vſque dum octo dies completi ſunt.

Incipit ordo ad Regem benedicendum, quando nouus à clero & populo ſublimatur in regnum. Primum enim exeunte illo thalamum, Vnus Archiepiſcopus dicat orationem.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui famulum tuum ill. regni faſtigio dignatus es ſublimare, tribue ei quæſumus, vt ita in præſenti collecta multitudine cunctorum in commune ſalutem diſponat, quatenus à tuæ veritatis tramite non recedat. Per.

Poſtea ſuſcipiant illum duo Epiſcopi dextra læuaque honorifice parati, habentes reliquias collo pendentes. F Cæteri autem clerici ſolemni apparatu ornati, præcedente ſancto Euangelio & duabus crucibus cum incenſo boni odoris, ducant illum ad Eccleſiam, reſponſorium canentes: *Ecce mitto Angelum meum.* Cum Verſ. *Iſraël ſi me audieris.* Cuncta cum plebe ſequente: ad oſtium autem Eccleſiæ clerus ſubſiſtat, & dicat alius Archiepiſcopus hanc orationem.

Deus qui ſcis genus humanum nulla virtute poſſe ſubſiſtere, concede propitius, vt famulus tuus ill. quem populo tuo voluiſti præferre, ita tuo fulciatur adiutorio, quatenus quibus potuit præeſſe, valeat & prodeſſe. Per.

Introeuntes autem clerici Eccleſiam, hanc decantent antiphonam. *Domine, ſaluum fac regem, & exaudi nos in die qua inuocauerimus te.* Pſalm. *Exaudiat te Dominus.* Totum vſque introitum chori. Tunc Dominus Metropolitanus dicat hanc orationem.

Omnipotens ſempiterne Deus, cœleſtium terreſtriumque moderator, qui famulum tuum ill. ad regni faſtigium dignatus es prouehere, concede quæſumus, vt à cunctis G aduerſitatibus liberatus, & eccleſiaſticæ pacis dono muniatur, & ad æternæ pacis gaudia, te donante peruenire mereatur. Per.

Tunc deſignatus princeps pallium deponat, atque inter manus Epiſcoporum perductus in chorum vſque ad altaris gradus incedat, cunctoq; pauimento tapetibus & palliolis contecto, ibi humiliter totus in cruce proſtratus iaceat cum Epiſcopis & presbyteris hinc inde proſtratis, cæteris autem in choro litaniam breuiter pſallentibus, id eſt, duodecim Apoſtolos, totidemque Martyres Confeſſores, & Virgines. Et inter cæteras inferenda ſunt iſta.

Vt hunc famulum tuum illuſt. in Regem eligere digneris.

Te rogamus, audi nos.

Vt eum benedicere, & ſublimare digneris. *Te rogamus, audi nos.*

Vt eum ad imperij faſtigium perducere digneris, *Te rogamus audi nos.*

Et cætera huic benedictioni conuenientia. Finita litania, erigant ſe Epiſcopi, ſubleuatumque principem in- H terroget Dominus Metropolitanus his verbis.

Vis ſanctam fidem à catholicis viris tibi traditam tenere, & operibus iuſtis obſeruare? Reſp. *Volo.* Vis ſanctis Eccleſiis Eccleſiarumque miniſtris tutor & defenſor eſſe? Reſpon. *Volo.* Vis regnum tibi à Deo conceſſum, ſecundum iuſtitiam patrum tuorum regere & defendere? Reſpon. *In quantum diuino fultus adiutorio ad ſolatium omnium fidelium ſuorum valuero, ita me per omnia fideliter acturum eſſe promitto.*

Deinde ipſe Dominus Metropolitanus affatur populum his verbis.

Vis tali principi ac rectori te ſubiicere, ipſiuſque regnum firma fide ſtabilire, atque iuſſionibus illius obtemperare, iuxta Apoſtolum, *Omnis anima poteſtatibus ſu-* Rom. 13. *blimioribus ſubdita ſit, regi quaſi præcellenti.* Tunc ergo à circumſtante clero & populo vnanimiter dicatur. *Fiat. Fiat. Amen.*

Poſtea

A Poſtea vero eo deuote inclinato, dicatur ab Epiſcopo hæc oratio.

BEnedic Domine hunc Regem noſtrum illuſtr. qui regna omnia moderaris à ſæculo & tali eum benedictione glorifica, vt Dauidicæ teneat ſublimitatis ſceptrũ, & glorificatus in eius protinus reperiatur merito. Da ei tuo inſpiramine cum manſuetudine ita regere populum, ſicut Salomonem feciſti regnum obtinere pacificum. Tibi ſemper cum timore ſit ſubditus, tibique militet cum quiete. Sit tuo clypeo protectus cum proceribus, & vbique tua gratia victor exiſtat. Honorifica eum præ cunctis regibus gentium, felix populis dominetur, & feliciter eum nationes adornent. Viuat inter gentium cateruas magnanimus, ſit in iudiciis æquitatis ſingularis, locupletet eum tua prædiues dextera, frugiferam obtineat patriam, & eius liberis tribuas profutura. Præſta ei prolixitatem vitæ per tempora, & in diebus eius oriatur iuſtitia. A te robuſtum teneat regiminis ſolium & cum iocunditate & iuſtitia, æterno glorietur in regno. Per Dominum.

B Gen. 14. Exod. 17. 1. Reg. 16. 3. Reg. 3. Omnipotens æterne Deus, creator omnium, imperator Angelorum, rex regnantium, dominuſque dominantium, qui Abraham fidelem famulum tuum de hoſtibus triumphare feciſti: Moyſi & Ioſue populo prælatis multiplicem victoriam tribuiſti, humilemque Dauid puerum tuum regni faſtigio ſublimaſti, & Salomonem ſapientiæ paciſque ineffabili munere ditaſti, reſpice quæſumus ad preces humilitatis noſtræ, & ſuper hunc famulum tuum ill. quem ſupplici deuotione in regem elegimus, benedictionum tuarum dona multiplica, eumque dextera tuæ potentiæ ſemper & vbique circunda, quatenus prædicti Abrahæ fidelitate firmatus, Moyſis manſuetudine fretus, Ioſue fortitudine munitus, Dauidis humilitate exaltatus, Salomonis ſapientia decoratus, tibi in omnibus placeat, & per tramitem iuſtitiæ inoffenſo gradu ſemper incedat, Eccleſiamque tuam deinceps cum plebibus ſibi annexis ita enutriat ac doceat, muniat, & inſtruat, contraque omnes viſibiles & inuiſibiles hoſtes, eidem potenter regaliterque tuæ virtutis regimen adminiſtret, & ad veræ fidei paciſque concordiam eorum

C animos, te opitulante reformet, vt horum populorum debita ſubiectione fultus, condigno amore glorificatus, ad paternum decenter ſolium tua miſeratione conſcendere mereatur. Tuæ quoque protectionis galea munitus, & ſcuto inſuperabili iugiter protectus, armiſq; cœleſtib' circũdatus, optabilis victoriæ triumphũ fideliter capiat, terroremque ſuæ potentiæ infidelibus inferat, & pacem tibi militantibus lætanter reportet. Per Dominum noſtrum, qui virtute crucis tartara deſtruxit, regnoque diaboli ſuperato, ad cœlos victor aſcendit, in quo poteſtas omnis regumque conſiſtit victoria, qui eſt gloria humilium, & vita ſaluſque populorum qui tecum viuit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Deinde ab alio epiſcopo hæc dicatur oratio.

Deus inenarrabilis auctor mundi, conditor generis humani, gobernator imperij, confirmator regni, qui ex

D vtero fidelis amici tui patriarchæ noſtri Abrahæ prælegiſti regem ſæculis profuturum, tu præſentem regem hunc ill. cum exercitu ſuo per interceſſionem omnium ſanctorum vbere benedictione locupleta, & in ſolium regni firma ſtabilitate connecte. Viſita eum ſicut Moyſen

Exod. 3. & 17. Iudic. 7. 1. Reg. 3. in rubo, Ieſum Naue in prælio, Gedeon in agro, Samuelem in templo, Et illa eum benedictione ſidera, ac ſapientiæ tuæ rore profunde, quam B. Dauid in pſalterio, Salomon filius, te remunerante, percepit è cœlo. Sis ei contra acies inimicorum lorica, in aduerſis galea, in proſperis patientia in protectione clypeus ſempiternus, & præſta, vt gentes illi teneant fidem proceres ſui habeant pacem, diligant charitatem, abſtineant, ſe à cupiditate, loquantur iuſtitiam, cuſtodiant veritatem. Et ita populus iſte pullulet, coalitus benedictione æternitatis, vt ſemper maneant tripudiantes in pace victores. Quod ipſe præſtare dignetur qui tecum viuit.

Tunc Dominus metropolitanus vngat de oleo ſancti-

E ficato caput, pectus, & ſcapulas, ambaſque compages brachiorum ipſius ita dicendo: *Vngo te in regem de oleo ſanctificato in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Et dicant, *Amen.* Pax tibi. *Et cum ſpiritu tuo.* Deinde vngat ſibi manus de oleo ſanctificato, ita dicendo: *Vngantur manus iſtæ de oleo ſanctificato vnde vncti fuerunt reges & prophetæ, & ſicut vnxit Samuel Dauid in regem vt ſis benedictus, & conſtituas rex in regno iſto ſuper populum iſtum, quem Dominus Deus tuus dedit tibi ad regendum ac gubernandum.* Quod ipſe præſt. 1. Reg. 16.

Sequitur.

Proſpice, omnipotens Deus, ſerenis obtutibus hunc glorioſum regem, & ſicut benedixiſti Abraham, Iſaac, & Iacob, ſic illum largis benedictionibus ſpiritualis gratiæ cum omni plenitudine tuæ potentiæ irrigare atque perfundere dignare. Tribue ei de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, vini & olei, & omnium frugum opulentiam ex largitate diuini muneris longa F per tempora, vt illo regnante, ſit ſanitas corporum in patria, & pax inuiolata ſit in regno, & dignitas glorioſa regalis palatij maximo ſplendore regiæ poteſtatis oculis omnium fulgeat, luce clariſſima clareſcat, atque ſplendere quaſi ſplendidiſſima fulgura, maximo perfuſa lumine videatur. Tribue ei omnipotens Deus, vt ſit fortiſſimus protector patriæ, & conſolator Eccleſiarum, atque cœnobiorum ſanctorum maxima cum pietate regalis munificentiæ, atque vt ſit fortiſſimus regum, triumphator hoſtium, ad opprimendas rebelles & paganas nationes. Sitque ſuis inimicis ſatis terribilis præ maxima fortitudine regalis potentiæ. Optimatibus quoque atque præcelſis, proceribuſque ac fidelibus ſui regni ſit magnificus & amabilis & pius, vt ab omnibus timeatur, atque diligatur. Reges quoque de lumbis eius per ſucceſſiones temporum futurorum egrediantur, regnum hoc regere totum, & poſt glorioſa tempora, atque felicia præſentis vitæ gaudia ſempiterna, in perpetua beatitudine habere mereatur. Quod ipſe præſtare, Spiritus Sancti gratia, humilitatis noſtræ officio in te copioſa deſcendat, vt ſicut manibus noſtris indignis oleo materiali oblitus, pingueſ- G cis exterius, ita eius inuiſibili vnguine delibutus impinguari merearis interius, eiuſque ſpirituali vnctione perfectiſſime ſemper imbutus, & illicita declinare tota mente & ſpernere diſcas ſeu valeas, & vtilia animæ tuæ iugiter cogitare, optare, atque operari queas. Auxiliante Domino noſtro Ieſu Chriſto, Qui cum Deo patre & eodem ſpiritu &c.

Alia.

Deus qui es iuſtorum gloria & miſericordia peccatorum qui miſiſti filium tuum pretioſiſſimo ſanguine ſuo genus humanum redimere, qui conteris bella, & propugnator es in te ſperantium, & ſub cuius arbitrio omnium regnorum continetur poteſtas, te humiliter deprecamur, vt præſentem famulum tuum N in tua miſericordia confidentem benedicas, eique propitius adeſſe digneris, vt qui tua expetit protectione defendi omnibus ſit hoſtibus fortior. Fac eum Domine beatum eſſe & victorem de inimicis ſuis: corona eum corona iuſtitiæ & pietatis, vt ex H toto corde & tota mente in te credens tibi deſeruiat ſanctam tuam Eccleſiam defendat & ſublimet: populumque à te ſibi commiſſum iuſte regat, nullus inſidiantibus malis eum in iniuſtitiam vertat. Accende Domine cor eius ad amorem gratiæ tuæ per hoc vnctionis oleum, vnde vnxiſti ſacerdotes, reges, & prophetas, quatenus iuſtitiam diligens per tramitem ſimiliter iuſtitiæ populum ducens, poſt peracta à te diſpoſita in regali excellentia annorum curricula, peruenire ad æterna gaudia mereatur. Per eundem Dominum.

Per omnia ſæcula ſæculorum. Reſp. *Amen.* Dominus vobiſcum. Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.* Surſum corda. Reſpon. *Habemus ad Dominum.* Gratias agamus Domino Deo noſtro. Reſpon. *Dignum & iuſtum eſt.*

Præfatio.

Vere dignum, &c. *vſque* Deus. Creator omnium, imperator angelorum, rex regnantium, Dominuſque domi- Gen. 14.

A 17 Exod. 1.Reg.16. 3.Reg.3. nantium, qui Abraham fidelem famulum tuum de hoſtibus triumphare feciſti Moyſi & Ioſue populo prælatis multiplicem victoriam tribuiſti, humilemque Dauid puerum tuum regni faſtigio ſublimaſti, & Salomonem ſapientiæ paciſque ineffabili munere ditaſti: reſpice quæſumus ad preces humilitatis noſtræ & ſuper hunc famulum tuum N. quem ſupplici deuotione in regem elegimus, benedictionum tuarum dona in eo multiplica: eumque dextera tuæ potentiæ ſemper & vbique circunda, quatenus prædicti Abrahæ fidelitate firmatus, Moyſis manſuetudine fretus, Ioſue fortitudine munitus, Dauidis humilitate exaltatus, Salomonis ſapientia decoratus, tibi in omnibus placeat, & per tramitem iuſtitiæ inoffenſo ingreſſu ſemper incedat. Eccleſiam ergo tuam deinceps cum plebibus ſibi annexis ita enutriat & inſtruat, contraque omnes viſibiles & inuiſibiles hoſtes eidem potenter regaliterque tuæ virtutis regimen adminiſtret, & ad veræ fidei paciſque concordiam, eorum animos, te opitulante, reformet: vt horum populorum debita B ſubiectione fultus, cum digno amore glorificatus, ad paternum decenter ſolium tua miſeratione conſcendere mereatur. Tuæ quoque protectionis galea munitus, & ſcuto inſuperabili iugiter protectus, armiſque cœleſtibus circundatus, optabilis victoriæ triumphum feliciter capiat terroremque ſuæ potentiæ infidelibus inferat, & pacem tibi militantibus lætenter reportet. Per Dominum noſtrum qui virtute crucis tartara deſtruxit, regnoque diaboli ſuperato, ad ad cœlos victor aſcendit, in quo poteſtas omnis, regumque conſiſtit victoria, qui eſt gloria humilium, & vita ſaluſque populorum, qui tecum viuit & regnat Deus. ſ. Dei filius Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui à patre oleo exultationis vnctus eſt præ participibus ſuis, ipſe per præſentem ſacri vnguinis infuſionem, ſpiritus paraclyti ſuper caput tuum infundat benedictionem, eandemque vſque ad interiora cordis tui penetrare faciat, quatenus hoc viſibili & tractabili dono inuiſibilia percipere, & temporali regno iuſtis moderaminibus exe- C cuto, æternaliter cum eo regnare merearis, qui ſolus ſine peccato rex regum, viuit & gloriatur, cum Deo patre io vnitate eiuſdem ſpiritus ſancti Deus.

Poſtea ab epiſcopis enſem accipiat, & cum enſe totum regnum ſibi fideliter ad regendum ſciat commendatum, & dicatur: Accipe gladium per manus epiſcoporum licet indignas, vice tamen & auctoritate ſanctorum Apoſtolorum conſecratas, tibi regaliter impoſitum, noſtræque benedictionis officio io defenſionem ſanctæ Dei Ec- Pſal. 44. cleſiæ diuinitus ordinatum. Et eſto memor, de quo pſalmiſta prophetauit, dicens: *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime*, vt in hoc per eundem vim æquitatis exerceas, molem iniquitatis potenter deſtruas, & ſanctam Dei Eccleſiam eiuſque fideles propugnes ac protegas, nec minus ſub fide falſos, quam Chriſtiani nominis hoſtes execres ac deſtruas, viduas & pupillos clementer adiuues ac defendas: deſolata reſtaures, reſtaurata conſerues, vlciſcaris iniuſta, confirmes bene diſpoſita, quatenus hæc in agendo, virtutum triumpho glorioſus, iuſtitiæque cultor egregius, cum mundi ſaluatore, cuius typum geris in nomine ſine fine merearis regnare.

D Qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat Accinctus autem enſe, ſimiliter ab illis armillas & pallium & annullum accipiat, dicente metropolitano.

Accipe regiæ dignitatis annulum, & per hunc in te catholicæ fidei cognoſce ſignaculum, quia vt hodie ordinaris caput & princeps regni ac populi, ita perſeuerabis, auctor ac ſtabilitor Chriſtianitatis, & Chriſtianæ fidei, vt felix in opere, locuples in fide, cum rege regum glorieris per æuum, cui eſt honor & gloria per infinita. Poſtea ſceptrum & baculum accipiat, dicente ſibi ordinatore.

Accipe virgam virtutis atque æquitatis, quia intelligas mulcere pios, & terrere reprobos, erraoribus viam pandere, lapſis manum porrigere, diſperdaſque ſuperbos, & releues humiles, & aperiat tibi oſtium Ieſus Chriſtus Dominus noſter qui de ſeipſo *Ego ſum oſtium: per me ſi quis introierit ſaluabitur & ipſe qui eſt clauis Dauid & ſceptrum domus Iſraël, qui aperit, & nemo claudit, claudit E & nemo aperit.* Sitque tibi auctor qui educit vinctum de domo carceris, ſedentemque in tenebris & vmbra mortis, & in omnibus ſequi merearis eum, de quo Dauid propheta cecinit: *Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi, virga æquitatis virga regni tui.* & imitando ipſum. diligas iuſtitiam & odio habeas iniquitatem: quia *propterea vnxit te Deus, tuus*, ad exemplum illius, quem ante ſæcula *vnxerat oleo exultationis præ participibus ſuis*, Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Pſal. 44.

Poſtea metropolitanus reuerenter coronam capiti regis imponat, dicens: Accipe coronam regni, quæ licet ab indignis, epiſcoporum tamen manibus capiti tuo imponitur, eamque ſanctitatis gloriam & honorem, & opus fortitudinis expreſſe ſignare intelligas, & per hanc te participem miniſterii noſtri non ignores, ita vt ſicut nos in interioribus paſtores, rectoreſque animarum intelligimur, tu quoque in exterioribus verus Dei cultor, ſtrenuuſque cõtra omnes aduerſitates Eccleſiæ Chriſti defenſor, regnique tibi à Deo dati, & per officium noſtræ benedictionis vice Apoſtolorum omniumque ſanctorum F tuorum regimine commiſſi, vtilis executor regnatorque proficuus ſemper appareas, vt inter glorioſos athletas virtutum gemmis ornatus, & præmio ſempiternæ felicitatis coronatus, cum redemptore ac ſaluatore Ieſu Chriſto, cuius nomen vicemque geſtare crederis, ſine fine glorieris, qui viuit & imperat Deus, cum Deo patre in vnitate Spiritus Sancti, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen. Et ab eo ſtatim dicatur benedictio ſuper eum, quæ & tempore ſynodi ſuper regem dicenda eſt: Benedicat tibi Dominus, cuſtodiatque te, & & ſicut te voluit ſuper populum ſuum eſſe regem, ita in præſenti ſæculo felicem & æternæ felicitatis tribuat eſſe conſortem. Amen.

Clerum ac populum, quem ſua voluit opitulatione in tua ſanctione congregari, ſua diſpenſatione & tua adminiſtratione, per diuturna tempora faciat feliciter gubenari. Amen.

Quatenos diuinis monitis parentes, aduerſitatibus carentes, bonis omnibus exuberantes, tuo imperio fideli G amore obſequentes, & in præſenti ſæculo tranquillitate fruatur, & tecum æternorum ciuium conſortio potiri mereantur Quod ipſe præſtare dignetur, cuius regnum & imperium ſine fine permanet in ſæcula ſæculorum. Benedictio Dei Patris & Filij, & Spiritus ſancti, deſcendat ſuper te: Amen.

Deinde coronatus, honorifice per chorum ducatur de altari ab Epiſcopis vſque ad ſolium canente clero: Reſp. Deſiderium animæ eius tribuiſti ei Domine. Deinde dicit ſibi dominus Metropolitanus. Sta, & tene amodo locum, quem hucuſque paterna ſucceſſione tenuiſti, hæreditario iure tibi delegatum per auctoritatem Dei omnipotentis, & præſentem traditionem noſtram, ſcilicet omnium Epiſcoporum cæterorumque ſeruorum Dei Et quanto clerum ſacris altaribus propinquiorem perſpicis, tanto ei potiorem io locis congruis honorem impendere memineris, quatenus mediator Dei & hominum, te mediatorem cleri & plebis. Hoc in loco dominus Metropolitanus ſedere eum faciat ſuper ſedem, dicendo;) io hoc H regni ſolio confirmet & in regno æterno ſe cum regnare faciat Ieſus Chriſtus Dominus noſter, rex regum, & dominus dominantium, qui cum Deo patre & Spiritu Sancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Reſp. *Amen.*

Poſt hæc det illi oſcula pacis. Cunctus autem cœtus clericorum tali rectore gratulans, ſonantibus campanis, hymnum alta voce concinant, *Te Deum laudamus.* Tunc Epiſcopus Metropolitanus Miſſam celebret plena proceſſione.

Incipit benedictio Reginæ in ingreſſu Eccleſiæ.

Omnipotens æterne Deus, fons & origo totius bonitatis, qui fœminei ſexus fragilitatem, nequaquam reprobando auerſaris, ſed dignanter comprobando potius eligis & qui infirma mundi eligendo, fortia quæque confundere decreuiſti, quique etiam gloriæ virtutiſque tuæ triumphum in manu Iudith fœminæ olim Iudicæ plebi de hoſte ſæuiſſimo reſignare voluiſti: reſpice Iudith.13 quæſumus ad preces humilitatis noſtræ, & ſuper hanc fa-

mulam

A mulam tuam N. quam ſupplici deuotione in reginam elegimus, benedictionum tuarum dona multiplica, eamque dextera tuæ potentiæ ſemper & vbiq; circunda, vt ambone muniminis tui vndique firmiter protecta, viſibilis ſeu inuiſibilis hoſtis nequitias triũphaliter expugnare valeat, & vna cum Sara atque Rebecca, Lia, & Rachel, beatis reuerendiſque fœminis, fructu vteri ſui fœcundari ſeu gratulari mereatur, ad decorem totius regni, ſtatumque ſanctæ Dei Eccleſiæ regendum, necnon protegendum per Chriſtum Dominum noſtrum, qui ex intemerato beatæ Mariæ virginis aluo naſci, viſitare ac renouare hunc dignatus eſt mundum, qui tecum viuit & gloriatur Deus in vnitate Spiritus Sancti per immortalia ſæcula ſæculorum.

Item benedictio eiuſdem ante altare.

Deus qui ſolus habes immortalitatem, lucemque habitas inacceſſibilem, cuius prouidentia in ſui diſpoſitione non fallitur, qui feciſti quæ ventura ſunt, & vocas ea B quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt: qui ſuperbos æquo moderamine de principatu deiicis, atque humiles dignanter in ſublime prouehis, ineffabilem miſericordiam tuam ſupplices rogamus, vt ſicut Heſter reginam, Iſraëlis cauſa ſalutis, de captiuitatis ſuæ compede ſolutam, ad regis Aſſueri thalamum, regnique ſui conſortium tranſire feciſti, ita hanc famulam tuam N. humilitatis noſtræ benedictione Chriſtianæ plebis gratia ſalutis, ad dignam ſublimemque regis noſtri copulam, regnique ſui participium miſericorditer tranſire concedas: & vt in regalis fœdere coniugij ſemper manens pudica, proximam virginitati palmam obtinere queat tibique Deo viuo & vero in omnibus & ſuper omnia iugiter placere deſideret, & te inſpirante, quæ placita ſunt toto corde perficiat. Per.

Sacri vnctio olei.

Spiritus ſancti gratia, humilitatis noſtræ officio, in te copioſa deſcendat, vt ſicut manibus noſtris indignis, oleo materiali oblita pingueſcis exterius ita eius inuiſibili vn- C guine delibuta, impinguari merearis interius: eiuſque ſpirituali vnctione perfectiſſime ſemper imbuta, & illicita declinare tota mente & ſpernere diſcas ſeu paleas & vilia animæ tuæ iugiter cogitare, optare, atque operari queas, auxiliante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Deo patre, & eodem Spiritu Sancto viuit & regnat Deus in ſæcula ſæculorum.

Corona poſitio.

Officio indignitatis noſtræ ſeu congregationis, in reginam benedicta, accipe coronam regalis excellentiæ: quæ licet ab indignis, Epiſcoporum tamen manibus capiti tuo imponitur, vnde velut exterius auro & gemmis redimita enites, ita & interius auro ſapientiæ, virtutumque gemmis decorari contendas: quatenus poſt occaſum huius ſæculi cum prudentibus virginibus ſponſo perenni Deo noſtro Ieſu Chriſto digne & laudabiliter occurrens, regiam cœleſtis aulæ merearis ingredi, qui cum Deo patre & Spiritu Sancto viuit & regnat Deus, per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

D *Incipit ordo Romanus, ad benedicendum Imperatorem.*
Promiſſio Imperatoris.

IN nomine Chriſti promitto, ſpondeo atque polliceor ego N. Imperator coram Deo & beato Petro Apoſtolo, me protectorem ac defenſorem eſſe huius ſanctæ Romanæ Eccleſiæ in omnibus vtilitatibus, inquantum diuino fultus fuero adiutorio, ſecundum ſcire meum ac poſſe.

Orationem primam det Epiſcopus de Caſtello Albanenſi ante portam Argenteam. Oremus.

Deus in cuius manu corda ſunt regum, inclina ad preces humilitatis noſtræ aures miſericordiæ tuæ, & principi noſtro regimen tuæ appone ſapientiæ, vt hauſtis de tuo fonte conſiliis, & tibi placeat, & ſuper omnia regna præcellat. Per Dominum.

Orationem ſecundam det Epiſcopus Portuenſis intra E Eccleſiam beati Petri Apoſtoli, in medio rotæ.

Deus inenarrabilis auctor mundi, vt ſupra ſcriptum eſt in ordinatione regis.

Deinde vadat ante confeſſionem beati Petri Apoſtoli, & proſternat ſe pronus in terram, & archidiaconus faciat litaniam. Qua finita, Epiſcopus Oſtienſis vngat ei de oleo exorcizato brachium dextrum & inter ſcapulas, & dicat orationem iſtam

Domine Deus omnipotens, cuius eſt omnis poteſtas & dignitas, te ſupplici deuotione atque humillima prece depoſcimus, vt huic famulo tuo N. proſperum Imperatoriæ dignitatis concedas effectum, vt in tua diſpoſitione conſtituto, ad regendam Eccleſiam tuam ſanctam nihil præſentia officiant, futuraque non obſiſtant, ſed inſpirante ſancti Spiritus tui dono, populum ſibi ſubditum æquo iuſtitiæ libramine regere valeat, & in omnibus operibus ſuis te ſemper timeat, tibi iugiter placere contendat. Per. F

Pontifex ergo ſtet ſurſum ante altare, & imponat ei diadema ſuper caput, dicens

Accipe ſignum gloriæ in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, vt ſpreto antiquo hoſte, ſpretiſque contagiis omnium vitiorum, ſic iudicium & iuſtitiam diligas, & miſericorditer viuas, vt ab ipſo Domino noſtro Ieſu Chriſto in conſortio Sanctorum æterni regni coronam percipias. Qui cum Patre & Spiritu tuo ſancto viuit & regnat Deus, per infinita ſæcula ſæculorum. Reſp Amen.

Alia coronæ impoſitio.

Accipe coronam à Domino Deo tibi prædeſtinatam habeas, teneas, atque poſſideas, & filiis tuis poſt te futuris ad honorem Deo auxiliante derelinquas.

Exaudi Domine preces noſtras, & famulum tuum N. ad regendum Rom. imperium conſtitue, vt per te regere incipiat, & per te fideliter regnum cuſtodiat. Qui viuis & regnas.

Oremus.

PRoſpice omnipotens Deus ſerenis obtutibus hunc G gloriosum Imperatorem noſtrum N. & ſicut benedixiſti Abraham, Iſaac, & Iacob. *Require ſupra in benedictione Regis.*

Alia.

DEus pater æternæ gloriæ, ſit adiutor tuus & protector & omnipotens benedicat tibi, preces tuas in cunctis exaudiat, & vitam tuam longitudine dierum adimpleat, & ſemper in ſua voluntate cuſtodiat, thronum regni corroboret, gentes populumque tuum ad nutum tuum ſubiiciat, & à peſte & fame tuis temporibus conſeruet, inimicos tuos confuſione induat & ſuper te Chriſti ſanctificatio floreat, & ſuper cætera regna excellentiorem faciat, vt qui tribuit in terris imperium, ipſe tibi in cœlis cum electis ſuis conferat habere conſortium. Per.

Ordo ad Monachum faciendum.

COnueniente vniuerſo cætu monachorum in Eccleſiam, vbi ordinatio celebrãda eſt, proſtrato illo in terram, qui ordinandus eſt, prior ſcholæ ad nutum Abba- H tis imponet antiphonam: Hic accipiet benedictionem. Pſal. *Domini eſt terra.* Antiph. *Cor mundum crea in me Deus.* Pſalm. *Miſerere mei Deus.* Antiph. *Dicam Deo, ſuſceptor meus es Deus meus, ſperabo in eum:* Pſalm. *Qui habitat.* Deinde litaniam. Et, *Pater noſter, qui es in cælis.* Tunc Abbas imponat benedictionem veſtimentorum, dicens hanc orationem.

Oremus.

DEus æternorum bonorum, fideliſſime promiſſor, certiſſime perſolutor, qui veſtimentum ſalutare & indumentum æternæ iocunditatis tuis fidelibus promiſiſti, clementiam tuam ſuppliciter exoramus, vt hæc indumenta humilitatem cordis & contemptum mundi ſignificantia, quibus famulus tuus ſancto viſibiliter eſt informandus propoſito, propitius benedicas, vt beatæ caſtitatis habitum, quem te adſpirante ſuſcepit, te protegente cuſtodiat, & quem veſtibus venerandæ promiſſionis induis temporaliter, beata facias immortalitate veſtiri. Per.

Alia.

A *Alia.*

Domine Deus bonarum virtutum dator, & omnium benedictionum largus infuſor, te ſubnixis precibus deprecamur, vt has veſtes, quas famulus tuus N. pro indicio cognoſcendæ religionis induere vult, benedicere & ſanctificare digneris, vt inter reliquos viros tibi cognoſcatur dicatus. Per.

Tunc exuatur ab Abbate ipſe nouitius propriis veſtimentis, & interroget eum ſi propria voluntate abrenuntiet mundo & omnibus quæ ſunt mundi: & quod maius eſt, etiam voluntatibus: & ſi paratus eſt ad omnem iniuriam & opprobrium ſuſtinendum pro amore Domini noſtri Ieſu Chriſti. Et ſi omnia iſta gratuito animo promiſerit, Abbas dicat illi: Expolia te veterem hominem cum actibus ſuis, & indue nouum, Dominum Ieſum Chriſtum. Reſp. *Amen.* Et adiiciens, dicat: Accipe hoc ſalutare indumentum, quod venerabilis Pater Benedictus illæſum cuſtodiuit vt per eius imitationem ipſius cœtui
B aggregatus, ante tribunal Chriſti valeas peruenire. Et indutus ipſam melotem, toto corpore proſtratus ante altare, dicat hunc verſum: Suſcipe me ſecundum eloquium tuum, & viuam, & non confundas me ab expectatione mea. Per tres vices omnibus eundem verſum repetentibus. Et adſperſa aqua ſuper eum benedicta, dicatur hæc oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, cuius charitatis ardore ſuccenſus hic famulus tuus, ſtabilitatem ſuam tibi in hoc monaſterio promittendo, legis tuæ iugo colla ſubmittit, concede propitius, vt in vltimo die examinis cum ſanctis ouibus in dextera iudicis locatus, cuncta ſuæ deuotionis promiſſa ſe adimpleſſe lætetur. Per.

Alia.

Deus qui hunc famulum tuum, à ſæculi vanitate conuerſum, ad ſupernæ vocationis amorem accendis, pectori eius purificando illabere, & gratiam in eum qua in te
C perſeueret, infunde: vt protectionis tuæ munitus præſidio, quod te donante promiſit, impleat: vt ſuæ promiſſionis executor effectus, ad ea, quæ perſeuerantibus in te dignatus es promittere, dona pertingat. Per.

Alia.

Deus qui beatiſſimum electum tuum Benedictum abſtractum à mundi turbinibus, tibi ſoli militare iuſſiſti, tribue quæſumus huic famulo tuo, ſub eiuſdem monaſterio ad tuum ſeruitium feſtinanti, & perſeuerandi inſtantiam & perfectionis vſque in finem victoriam. Per.

Alia.

Dignare Domine, quæſumus, famulo tuo N. renuntianti ſæcularibus pompis, gratiæ tuæ ianuas aperire, qui deſpecto diabolo, confugit ſub titulum Chriſti, & venientem ad te ſereno vultu ſuſcipe, ne de eo inimicus valeat
D triumphare. Tribue ei brachium infatigabile auxilij tui, mentem eius fidei lorica circunda, vt felici muro vallatus, mundum ſe gaudeat euaſiſſe. Per.

Alia.

Clementiſſime dominator Domine, tuam inuocantes pietatem ſuper hunc famulum tuum, quem à ſæculo conuerſum, in numero ſanctorum tuorum acceſſire dignatus es, quæſumus, vt conuerſionis ſuæ fidem digne cuſtodiat, & quicquid pro ſalute animæ ſuæ fuerit deprecatus, obtineat. Sit vita probabilis, ſit ſapiens, & humilis, ſit ſcientia verus, obedientia clarus, conueniens in doctrina, in increpationibus immobilis, in grauitate decorus, in compaſſione piiſſimus, in operatione cautus, in diſpenſatione ſollicitus, in tentationibus fortis, in iniuriis patiens, in pace fixus, in eleemoſynis promptus, in orationibus frequens, in miſericordia efficax, in ſubditis pius, nec ſit immemor, quod abs te de ſuis erit factis tuo iudicio iudicandus. Huius quoque Domine deprecamur vt munera placatus ſuſcipias, & ei, quicquid à te petierit clementer impertias. Per. E

Alia.

Omnipotens & miſericors Deus; totius ſanctæ religionis origo, omniſque profeſſionis in te æterna ſaluatio; ſuſcipe propitius votum profeſſionemque famuli tui; qui in huius ſæculi vanitate & turbine ad te confugit. Sit; quæſumus te adiuuante; & ab omni negotiorum ſæcularium ſtrepitu exutus, à delectationibus ſpectaculorum præſentium auulſus, à cunctis mundi occupationibus extraneus, ab antiqui hoſtis inſidiis ereptus, mundo huic mortuus, mundi blandientis illecebris crucifixus, remotus à ſæcularibus pompis, remotus à cunctis malorum implicamentis, remotus à prauis delectationibus, remotus à præſentis vitæ contagiis, remotus ab omnibus prauorum tetinaculis, remotus à cunctis iniqui hoſtis inſidiis.

Doce eum Domine omnia huius vitæ contemnere proſpera, non timere aduerſa, iniurias tolerare; inimicos diligere, pro perſequentibus & calumniantibus ſupplici-
ter deprecari, nihil concupiſcere carnaliter vel ambire: F non ſuperborum iniuriis fatigatus deficiat: non eum ſuperbia inflet, non ardor auaritiæ ſuccendat: non incentiua luxuriæ inflammet, non vana gloria turpiter iactet, non gula aut ebrietas præpediat, non ambitio ventoſa præcipitet, non ardor animoſæ contentionis exagitet, non deſiderium humanæ opinionis eleuet, non diabolus auctor perditionis lædat aut perdat: ſed tuæ pietatis dextera, clementiſſime Deus, eum à cunctis eruat malis, atque in præſenti & in futuro ſæculo protegat, tegat, atque gubernet, vt te timeat, imitetur, & diligat. Aperi ei ſenſum; vt in diuinarum ſtudiis literarum te legat corde, & ore, & opere meditetur, & intelligat, die noctuque tibi deſeruiat, cœleſtia & æterna ſapiat, terrena & caduca reſpuat. Obediens ſit & inſtructus, amicos & inimicos pro tui nominis amore amet atque diligat. Humilitatem & vtilitatem teneat, atque exerceat. Caſtimoniam & pudicitiam corde & corpore amplectatur & teneat, patientiam & lon-
ganimitatem arripiat atque cuſtodiat. Ieiunio & abſtinen- G tiæ ſtudeat, ſimul & amet gemitum, & orationem deſideret, atque ei inuigilet. Peccata ſua inceſſanter cum lachrymis & ſuſpiriis accuſet & diluat, & te omnipotentem corde, ore, & opere circumferat ſemper atque deſideret. Suſcipe, quæſumus, Domine Pater omnipotens hunc famulum tuum, quem de huius ſæculi naufragiis & periculis eruiſti, & ad monaſticam vocari dignatus es gratiam. Concede propitius, vt arctam & anguſtam, quam profeſſus eſt viam, iugiter diligat, teneat atque ſectetur, quatenus ad æternam, quam in te perſeuerantibus promittere dignatus es, gloriam peruenire mereatur. Per.

Da famulis tuis, quæſumus Domine, ſpiritum veritatis & pacis, vt & te tota mente cognoſcant. & quæ tibi ſunt placita, toto corde ſectentur. Per Dominum.

Aliæ orationes pro monachis.

Tu famulis tuis quæſumus, Domine bonos mores placatus inſtitue, tu eis quod placitum ſit tibi, clementer H infunde, vt digni ſint, & tua valeant beneficia promereri. Per.

Alia.

Famulos tuos, quæſumus, Domine tua ſemper gratia benedicat, & inculpabiles ad vitam perducat æternam. Per.

Alia.

Da famulis tuis, quæſumus, Domine in tua æde & ſinceritate conſtantiam, vt in charitate diuina firmati, nullis tentationibus ab eius integritate vellantur. Per.

Alia.

Famulos tuos Domine benignus intende, & eis dignanter pietatis tuæ impende cuſtodiam. Per.

Alia.

Reſpice, quæſumus, Domine, famulos tuos, & in tua

A miſericordia confidentes, cœleſti protege benignus auxilio.Per.

Alia.

Famulis tuis, quæſumus Domine, in te ſperate concede,& ab omnibus eos culpis excuſa.Per.

Alia.

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris , & famulos tuos aſſidua protectione conſerua, vt qui tibi iugiter famulantur,continua remuneratione ditentur.Per.

Ordinatio Abbatis.

INcipit capitulum ex canone Theodori. In ordinatione Abbatis , Epiſcopus debet Miſſam cantare ,& eum benedicere inclinato capite cum duobus vel tribus de fratribus ſuis , & dat ei baculum & pedules. B Poſt antiphonam ad introitum,& datam orationem annuntiat Epiſcopus in populum,dicens.

Allocutio.

Eccleſiæ noſtræ fratres chariſſimi, Pater electus, ſuum adeſt ordinem ad ſuſcipiendum. Vnde Apoſtolica prius cenſemus eum auctoritate examinandum, ſuum propoſitum & ſancti Benedicti regulam ſi velit ipſe obſeruare, ſibique ſubiectos,vt idipſum faciant,diligenter inſtruere, res quoque Eccleſiæ vbique locorum hactenus diſperſas iniuſte , quantum præualet , congregare , eaſque in vſus Eccleſiæ & fratrum , pauperum etiam & peregrinorum obſeruare, ſicque dignum eſſe ad ordinem ſuſcipere.

Eo autem profitente pro viribus ſe hæc adimplere , proſternat ſe Epiſcopus ante altare , & Abbas ſacris veſtibus indutus. Fiantque ibi litaniæ. Sequitur Dominica oratio : *Pater noſter.* Et preces : *Saluum fac ſeruum tuum Domine.* Reſp. *Deus meus ſperantem in te.* Dominus conſeruet eum, & viuificet eum. Reſp. *Et beatum faciat eum in terra.* C Dominus cuſtodiat introitum tuum & exitum tuum.Reſp. *Ex hoc nunc.* Dominus cuſtodiat te ab omni malo. Reſp. *Cuſtodiat animam tuam ab omnibus malis.* Mittat tibi Dominus auxilium de ſancto. Reſp. *Et de Sion.* Nihil proficiat inimicus in eo.Reſp. *Et filius iniquitatis.* Eſto illi Domine turris fortitudinis. Reſp. *A facie inimici.* Exurge Domine,adiuua nos. Reſp. *Et redime nos.* Domine exaudi orationem meam. Reſp. *Et clamor meus.*

Sequitur oratio.

Concede, quæſumus,omnipotens Deus,affectui noſtro tuæ miſerationis effectum, & famulum tuum, quem ad regimen animarum elegimus, gratiæ tuæ dono proſequere , vt te largiente , cum ipſa tibi noſtra electione placeamus. Per.

Conſecratio Abbatis.

Cunctorum operum conſtitutor Deus , qui per Moy- D ſem famulum tuum ad gubernandas Eccleſias præpoſitos inſtituiſti,tibi ſupplices fundimus preces, teque deuotis mentibus exoramus , vt hunc famulum tuum N.quem conhibentia & electio famulorum tuorum Abbatem hodie ouium tuarum inſtituit , protectionis tuæ gratia munerare digneris, ſicque regere ſubditos, commendataſque oues concedas , vt cum illis omnibus regna cœlorum adeptus, & te Domine opitulante Apoſtolicis iugiter fultus doctrinis , cum centeſimo fructu lætus introeat portas paradiſi , atque te Domine collaudante, audire mereatur : *Euge ſerue bone & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam : intra in gaudium Domini tui.* Quod ipſe præſtare digneris , qui in Trinitate perfecta viuis : Tunc imponat ei manum ſuper caput,dicens orationem hanc in modum præfationis.

Omnipotens ſempiterne Deus , affluentem ſpiritum tuæ benedictionis, famulo tuo N. nobis orantibus propitiatus infunde, vt qui per manus noſtræ hodie impoſitionem Abbas conſtituitur , ſanctificatione tua digne à te electus permaneat vt nunquam poſtmodum de tua gratia E ſeparetur indignus. Suſcipiat, te Domine largiente, hodie in bono opere perſeuerantiam , in aduerſis conſtantiam, in tribulationibus tolerantiam , in ieiuniis deſiderium, in impietatibus miſericordiam , in humilitate principatum, in ſuperbia odium , in fide dilectionem , in doctrina peruigilantiam ,in caſtitate continentiam , in luxuria abſtinentiam, in varietatibus moderationem, in moribus doctrinam. Te munerante Domine talis in hoc miniſterio perſeueret,qualis Leuita electus ab Apoſtolis ſanctis Stephanus meruit perdurare. Totam ab hodie diabolicam conuerſationem deſpiciat ; tua Domine benedictione largiente, contemnat præſentia, diligat cœleſtia, præmia deſideret ſempiterna. Sit exemplum & forma iuſtitiæ ad gubernandam regendamque Eccleſiam fideliter , vt ſpeculator idoneus inter ſuos collegas ſemper efficiatur. Sit imago conſilij, induſtriæ, cenſuræ, efficaciæ, diſciplinæ. Ita te Domine tribuente in omnibus mãdatis tuis ſine reprehenſione tibi mundo corde deſeruiat, vt ad brauium ſupernæ F vocationis , multiplicato fœnore cum centeſimo fructu coronaque iuſtitiæ , & ad cœleſtium theſaurorum donatiua perueniat,præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto.

Alia.

Deus omnium fidelium paſtor & rector , famulum tuum , quem Eccleſiæ tuæ præeſſe voluiſti propitius reſpice, da ei quæſumus verbo & exemplo , quibus præeſt, proficere , vt ad vitam vna cum grege ſibi commiſſo perueniat ſempiternam. Per.

Tunc det ei regulam,dicens : Accipe regulam à ſanctis Patribus nobis traditam , ad regendum cuſtodiendumque gregem tibi à Deo creditum , quantum Deus ipſe te confortauerit,ac fragilitas humana permiſerit. Accipe monaſticæ conuerſationis regulam , ad quam propriam & ſubditorum corrigere debes vitam, & vide,vt non ſolum auditor , ſed etiam ſatagas eſſe illius operator.

Sequitur oratio. G

Te omnipotens & piiſſime deprecamur Domine,hunc famulum tuum propitius intuere,vt gratia tua auxiliante, in ſua & ſubiectorum conuerſatione,præcepta ſanctæ regulæ efficaciter ſtudeat adimplere , vt tranſacto villicationis ſuæ tempore , vna cum commiſſo grege perpetua potiatur beatitudine. Per.

Tunc tradat ei chirothecas & baculum,dicens:Accipe baculum paſtoralitatis , quem præferas cateruæ tibi commiſſæ,ad exemplum iuſtæ ſeueritatis & correptionis.

Aliter.

Accipe prælationis virgam , paſtoralis cuſtodiæ curam ſignificantem & diligentiam, quatenus in commiſſis tibi ouibus tam in coërcendis earum erroribus , quam in omnibus prouidendis vtilitatibus omnino ſis ſolicitus.

Sequitur oratio. H

Deus, cui omnis poteſtas & dignitas famulatur, da famulo tuo N. proſperum ſuæ dignitatis effectum , in qua te ſemper timeat , tibique iugiter placere contendat. Per.

Oratio pro adepta dignitate.

Omnium Domine fons bonorum,iuſtorumque prouectuum munerator, tribue quæſumus famulo tuo adeptam bene gerere dignitatem , & à te ſibi præſtitam bonis operibus comprobare. Per.

Sequitur.

Te Deum laudamus. Populo acclamante : *Kyrie eleiſon.*

Poſtea dicatur oratio.

Deus æterne lucis inuentor,omnipotentiam tuam ſup-

A plici prece depoſcimus, vt famulum tuum,quem ad regimen animarum elegimus, gratiæ tuæ dono proſequaris, vt te largiente, cum ipſa tibi noſtra electione placeamus. Per vnigenitum tuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, cum quo & Spiritu ſancto vnus & verus es Deus, viuens & regnans per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Conſecratio ſacræ Virginis, quæ in Epiphania Domini, vel in Albis paſchalibus, aut in Apoſtolorum natalitiis celebratur.

Virginem Epiſcopo parentes cum oblatione offerant, & ille inuolutam manum eius in palla altaris recipiat, dicendo cum adſtantibus antiphonam: Ipſi ſum deſponſata, cui Angeli ſeruiunt, cuius pulchritudinem ſol & luna mirantur. Ex canone Carthaginenſi, cap.11. *Sanctimonialis virgo cum ad conſecrationem ſui Epiſcopo offertur, in talibus veſtibus applicetur, qualibus ſemper vſura eſt, profeſſioni & ſanctimoniæ aptis. Hora ſiquidem competenti procedat Epiſcopus, ſicut mos eſt ſolemnibus diebus ad Miſſam cum proceſſoribus ſuis, & imponat cantor antiphonam ad introitum, & agatur officium Miſſæ ordine ſuo vſque ad Euangelium. Tunc veniat illa quæ conſecranda eſt, ante altare coram Eccleſia: palamque in conuentu cum adſtipulatore ſuo, cuius licentia religionis habitum eſt ſuſceptura. Et dato eius aſſenſu, offerantur veſtimenta religionis, & velamina ante altare Epiſcopo ad benedicendum, & benedicat ea publice in hunc modum.*

Eſt hic canon 3. Carth. Concil.

B

Benedictio velaminum vel veſtimentorum ſacræ virginis.

ORATIO.

Deus æternorum bonorum fideliſſime promiſſor. Domine Deus bonarum virtutum dator. Vt ſupra in ordinatione Monachi.

Deinde alia.

C Exaudi Domine preces noſtras, & hanc veſtem quam famula tua N. pro conſeruandæ caſtitatis ſigno ſe adoperiendam expoſcit, opportunæ benedictionis imbre perfunde, ſicut perfudiſti oram veſtimentorum Aaron, benedictione vnguenti profluente à capite in barbam. Et ſicut benedixiſti veſtes omnium religioſarum tibi per omnia placentium, ita etiam hanc benedicere dignare, ac præſta clementiſſime Pater, vt ſupra dictæ famulæ tuæ.N.hæc ſit veſtis ſalubris protectio,hæc cognitio religionis,hæc initium ſanctitatis, hæc contra omnia tela inimici robuſta defenſio,vt ſi continens eſt,ſexageſimi fructus donum accipiat: & ſi virgo,centeſimi muneris opulenta,in vtraque parte perſeuerante continentia, ditetur. Per.

Item ſingularis benedictio ſacri velaminis.

OREMVS.

D Caput omnium fidelium Deus, & totius corporis Saluator, hoc operimentum velaminis, quod famula tua propter tuum tuæque genitricis, beatiſſimæ ſcilicet ſemper Virginis Mariæ amorem,ſuo capiti eſt impoſitura,tua dextera ſanctifica, vt hoc quod per illud myſtice datur intelligi, tua ſemper cuſtodia corpore pariter & animo incontaminata cuſtodiat: vt quando ad perpetuam ſanctorum remunerationem venerit, cum prudentibus & ipſa virginibus præparata, te perducente ad perpetuæ felicitatis nuptias intrare mereatur. Per Dominum.

Hoc facto, ipſa virgo, veſte laicali de capite reuerenter abiecta, recipiat ab Epiſcopo ſacræ religionis indumenta, excepto velo, & ingreſſa ſecretarium veſtiatur. Poſtea ſub aſpectu Epiſcopi, & Eccleſiæ ſuppliciter proſternat ſe ante altare, dicens hunc verſum tribus vicibus: Suſcipe me ſecundum eloquium tuum, Domine, & viuam: & non confundas me ab expectatione mea. Et imponat ſchola litaniam. Finita vero litania poſtquam ſurrexerit, inclinato capite ante altare, benedicat eam Epiſcopus his verbis: *Dominus vobiſcum: Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

E Reſpice Domine propitius ſuper hanc famulam tuam N. vt virginitatis ſanctæ propoſitum, quod te inſpirante ſuſcepit, te gubernante cuſtodiat. Per Dominum.

Deinde dicat excelſa voce: *Per omnia ſæcula ſæculorum.* Reſp. *Amen.* Sequitur conſecratio in modum præfationis:

Deus caſtorum corporum benignus habitator, & incorruptarum amator animarum: Deus qui humanam ſubſtantiam in primis hominibus diabolica fraude vitiatam, ita in verbo tuo, per quod omnia facta ſunt, reparas, vt eam non ſolum ad primæ originis innocentiam reuoces, ſed etiam ad experientiam quorundam bonorum, quæ in nouo ſæculo ſunt, habendam perducas, & obſtrictos adhuc conditione mortalium, iam ad ſimilitudinem prouehas Angelorum: reſpice ſuper famulam tuam N. quæ in manu tua continentiæ ſuæ propoſitum collocans, tibi deuotionem ſuam offert, à quo & ipſa idem votum aſſumpſit. Quando enim animus mortali carne circumdatus, legem naturæ, libertatem licentiæ, vim conſuetudinis, & ſtimulos ætatis euinceret, niſi tu per liberum arbitrium hunc amorem virginitatis clementer accenderes, tu hanc cupiditatem in eius corde benignus aleres, tu fortitudinem miniſtrares? Effuſa namque in omnes gentes gratia tua, ex omni natione, quæ eſt ſub cœlo, in ſtellarum innumerabilem numerum, noui teſtamenti hæredibus adoptatis, inter cæteras virtutes, quas filiis tuis non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, ſed de tuo ſpiritu genitis indidiſti, etiam hoc donum in quaſdam mentes de largitatis tuæ fonte defluxit, vt cum honorem nuptiarum nulla interdicta minuiſſent, ac ſuper ſanctum coniugium initialis benedictio permaneret, exiſterent tamen ſublimiores animæ, quæ in viri ac mulieris copula faſtidirent connubium, concupiſcerent Sacramentum: nec imitarentur, quod nuptiis agitur, ſed diligerent quod nuptiis prænotatur. Agnouit auctorem ſuum beata Virginitatis & æmula integritatis Angelicæ, illius cubiculo ſe deuouit, qui ſic perpetuæ virginitatis eſt filius. Imploranti ergo auxilium tuum Domine, & confirmari ſe benedictionis tuæ conſecratione cupienti, da protectionis tuæ munimen & regimen, ne hoſtis antiquus, qui excellentiora ſtudia ſubtilioribus infeſtat inſidiis, ad obſcurandam perfectæ continentiæ palmam per aliquam mentis ſerpat incuriam, & rapiat de propoſito virginum, quod etiam moribus decet ineſſe nuptarum. Sit in ea Domine per donum ſpiritus tui prudens modeſtia, ſapiens benignitas, grauis lenitas, caſta libertas, in charitate ferueat, & nihil extra te diligat: Laudabiliter viuat, laudari non appetat: Te in ſanctitate corporis, te in animæ ſuæ puritate glorificet: amore te timeat, amore tibi ſeruiat. Tu ei ſis honor, tu gaudium, tu voluntas, tu in mœrore ſolatium, tu in ambiguitate conſilium, tu in iniuria defenſio, in tribulatione patientia, in paupertate abundantia, in ieiunio cibus, in infirmitate medicina. In te habeat omnia, quem diligere appetit ſuper omnia: & quod eſt profeſſa, cuſtodiat: Scrutatori pectorum non corpore placitura, ſed mente tranſeat in numerum ſapientium puellarum, vt cœleſtem ſponſum accenſis lampadibus cum oleo præparationis expectet: nec turbata improuiſo regis aduentu, ſed ſecura cum lumine & præcedentium virginum choro iocanter occurrat, & ne excludatur cum ſtultis, regalem ianuam cum ſapientibus virginibus licenter introeat, & in agni tui perpetuo comitatu probabilis manſura, caſtitate permaneat. Per eundem.

F

G

H

Benedictione expletâ, & ad interrogationem Epiſcopi de obſeruatione ſacri velaminis illa coram profeſſa, Epiſcopus mittat velamen ſuper caput ipſius Virginis, ita dicens: Accipe velum ſacrum puella, quod perferas ſine macula ante tribunal Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui flectitur omne genu cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, in ſæcula ſæculorum. Reſp. *Amen.* Tunc ipſa velata incipiat antiph. *Induit me Dominus cyclade auro texta & immenſis monilibus ornauit me.* Cæteris ſanctimonialibus, quæ circunſtant, proſequentibus. Etſi plures fuerint velatæ, per ſingulas incipiatur eadem antiphona vt ſupra.

A

Oratio poſt aſſumptum velamen dicenda.

Famulam tuam Domine tuæ cuſtodia muniat pietatis, vt continentiæ ſanctæ propoſitum, quod te inſpirante ſuſcepit, te protegente illæſum cuſtodiat. Per. Sequitur antiphona. Ipſi ſum deſponſata, cui Angeli ſeruiunt.

Oratio.

Da, quæſumus, omnipotens Deus, vt hæc famula tua, quæ pro ſpe retributionis æternæ, tibi Domino deſiderat conſectari, plena fide animoque in ſancto propoſito permaneat. Tu eam omnipotens Pater ſanctificare & benedicere, & in perpetuum conſeruare digneris. Tribue ei humilitatem, caſtitatem, obedientiam, charitatem, & omnium bonorum operum quantitatem: da ei Domine pro operibus gloriam, pro pudore reuerentiam, pro pudicitia ſanctitatem, vt ad meritum poſſit gloriæ peruenire. Per Dominum.

Tunc cantent antiphonam. *Poſuit ſignum in faciem meam, vt nullum præter eum amatorem admittam.* Et dicat
B Epiſcopus benedictionem Matthæi Apoſtoli ſuper eam.

Deus plaſmator corporum, afflator animarum, qui nullam ſpernis ætatem, non ſexum reprobas, non yllam conditionem gratia tua ducis indignam, ſed omni æqualis creator es, & redemptor: tu hanc famulam tuam, quam ex omni numero gregis bonus paſtor eligere ad conſeruandam coronam perpetuæ virginitatis, & caſtimoniam animæ dignatus es, tuæ protectionis ſcuto circuntege, & ad omne opus virtutis & gloriæ, magiſtrante ſapientia præpara, vt vincens carnis illecebras, & licita connubia recuſans, inſolubilem filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti copulam mereatur. Huic petimus Domine arma ſuggeras, non carnalia, ſed ſpiritus virtute potentia, vt te muniente eius ſenſus & membra, in eius corpore & animo non poſſit dominari peccatum atque ſub tua gratia viuere cupienti, nihil ſibi defenſor malorum & inimicus bonorum, de hoc vaſe iam nomini tuo conſecrato præualeat vendicare. Omnem etiam genuinum calorem imber gratiæ cœleſtis extinguat, lumen vero perpetuæ caſtitatis ac-
C cendat. Facies ſcandalis pudica non pateat, nec incautè occaſionem tribuat negligentia delinquendi. Sitque in ea caſta virginitas, & ornata pariter & armata fide integra, ſpe certa, charitate ſincera, vt præparato animo ad continentiam virtus tanta præſtetur, quæ ſuperet diaboli vniuerſa figmenta: atque contemnendo præſentia, futura ſectetur. Ieiunia epulis carnalibus præferat, & lectiones ſacras & orationes conuiuiis & potationibus anteponat, vt orationibus paſta, & eruditionibus expleta, illuminata vigiliis, opus gratiæ virginalis exerceat. His virtutum armis hanc famulam tuam, interius exteriuſque communiens, præſta inoffenſum curſum virginitatis implere. Per.

Ad annulum dandam iuxta Romanos.

Accipe annulum fidei, ſignaculum Spiritus ſancti, vt ſponſa Dei voceris, ſi ei fideliter ſequieris.

Ad Torquem.

D Accipe ſignum Chriſti in capite, vt vxor eius efficiaris: & ſi in eo permanſeris, in perpetuum coroneris. Interim dicatur antiphona: Annulo ſubarrauit me Dominus meus Ieſus Chriſtus, & tanquam ſponſam decorauit me corona.

Sequitur benedictio.

Benedicat te conditor cœli & terræ, Deus Pater omnipotens, qui te eligere dignatur ad ſanctæ Mariæ matris Domini noſtri Ieſu Chriſti conſortium, vt integram & immaculatam virginitatem, quam profeſſa es coram Domino & Angelis eius, conſerues, propoſitum teneas, caſtitatem diligas, patientiam ſerues, & coronam virginitatis accipere merearis. Per.

Deinde publica voce bannum Epiſcopalem imponat, ne quis eam à diuino ſeruitio ſub vexillo caſtitatis impediat, vt bona ſua cum pace & quiete poſſideat. Tunc imponatur Euangelium, & illa velato capite ad manus Epiſcopi offerat, & Miſſa ordine ſuo finita, communicet. Poſtquam communicauit, reſeruet de ipſa communione, vnde vſque in diem octauum communicet. Et ſi eſt qui E
ei teſtimonium perhibuit, mittat eam Epiſcopus in manus ſuas, dicens: Vide quomodo iſtam Deo ſacratam, repræſentes immaculatam ante tribunal Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Ordo ad Diaconam faciendam.

Epiſcopus cum diaconam benedicit, orarium in collo eius ponit. Quando autem ad Eccleſiam procedit, portat illud ſuper collum ſuum, ſic vero, vt ſummitas orarij ex vtraque parte ſub tunica ſit.

Item Miſſa ad Diaconam conſecrandam.

Antiphona. *Deus in nomine tuo.* Pſal. *Deus exaudi orationem.*

Oremus.

Deus caſtitatis amator & continentiæ conſeruator, ſupplicationem noſtram benignus exaudi, & hanc famulam F
tuam propitius intuere, vt quæ pro timore tuo continentiæ pudicitiam vouit, tuo auxilio conſeruet, & ſexageſimum fructum continentiæ, & vitam æternam te largiente percipiat. Per.

Ad Corinthios.

Fratres, Neſcitis quoniam corpora veſtra. Require *in Dominica 12. poſt Pentecoſten. Feria 4.* Graduale. *De neceſſitatibus meis.* Verſus. *Ad te Domine leuaui.* Allel. *Amauit eam Dominus.* Deinde proſtrata illa ante altare imponatur litania. Qua finita, dicat Epiſcopus ſuper illam hanc orationem.

Exaudi Domine preces noſtras, & ſuper hanc famulam tuam. N. ſpiritum tuæ benedictionis emitte, vt cœleſti munere ditata, & tuæ gratiam poſſit maieſtatis acquirere, & bene viuendi aliis exemplum præbere. Per.

Sequitur conſecratio in modum præfationis. G

Deus qui Annam filiam Phanuelis vix per annos ſeptem Luca.
ſortitam iugale coniugium, ita in annos octogintaquatuor in ſancta & intemerata viduitate ſeruaſti, vt noctibus ac diebus orationes ieiuniaque miſcentem, vſque ad prophetiæ gratiam ſub circunciſione Chriſti tui, iuſtus remunerator adduceres, quique deinceps per Apoſtolicam intentionem ſanctarum huius ordinationis manibus fœminarum, ſexus ipſius adoleſcentulas ac iuniores inſtitui cum ſancti chriſmatis viſitatione iuſſiſti, ſuſcipere dignare omnipotens piiſſime rerum omnium Deus, huius famulæ tuæ arduum & laborioſum, nec ſatis diſcrepans à perfecta virginitate propoſitum, quia tu creaturarum omnium conditor, probe noſti mundiales illecebras non poſſe vitari: ſed cum ad te venitur per te, nunquam animas ſemel viuificatas vel terribiles paſſiones, vel deliciarum blandimenta ſollicitant. Nam ſenſibus quibus ipſe dignaris infundi, nihil eſt deſiderabilius, quam regnum tuum: nihil terribilius, quam iudicium tuum. Da ergo H
Domine ad petitionem noſtram huic famulæ tuæ inter coniugatas trigeſimum, cum viduis ſexageſimum fructum. Sit in ea cum miſericordia diſtrictio, cum humilitate largitas, cum libertate honeſtas, cum humanitate ſobrietas. Opus tuum die ac nocte mediteтur, vt die vocationis ſuæ talis eſſe mereatur, quales per ſpiritum prophetiæ eſſe voluiſti. Per.

Tunc ponat Epiſcopus orarium in collo eius, dicens: Stola iocunditatis induat te Dominus. Ipſa autem imponat velamen capiti ſuo palam omnibus de altari acceptum, cum antiphona. Ipſi ſum deſponſata cui Angeli ſeruiunt.

Oratio.

Preces famulæ tuæ, quæſumus, Domine benignus exaudi, vt aſſumptam caſtitatis gratiam, te auxiliante cuſtodiat. Per.

Ad Annulum dandum.

Accipe annulum fidei, ſignaculum Spiritus ſancti, vt ſponſa Chriſti voceris, ſi ei fideliter ſeruieris. Per.

A

Ad Torquem.

Accipe ſignum Chriſti in capite, vt vxor eius efficiaris: & ſi in eo permanſeris, in perpetuum coroneris. Deinde dicat Antiphonam. Annulo ſuo ſubarrhauit me Dominus.

Sequitur oratio.

Famulam tuam, quæſumus Domine, pia deuotio te adiuuante perducat ad veniam, quatenus mereatur à cunctis mundari ſordibus delictorum, & reconciliatam tibi per Chriſtum ſereno vultu reſpicias, & omnia eius peccata dimittas, ſeueritatem quoque iudicij tui ab ea clementer ſuſpendas, & miſerationis tuæ clementiam ſuper eam benignus infundas. Per eundem.

Tunc imponat Euangelium ſecundum Ioannem: *In illo tempore, Reſpondit* IESVS, *& dixit: Non poteſt homo accipere.* Poſt Euangelium in ordine velatarum ad manus Epiſ-
B copi offerat, choro imponente, Offert. *Miſerere mei Domine.* Secret. Munera, quæſumus Domine, famulæ & ſacratæ tuæ, quæ tibi ob conſecrationem ſui corporis offert, ſimul ad eius animæ medelam proficiant. Per.

Infra agenda.

Hanc ergo oblationem ſeruitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ, quæſumus Domine, quam tibi offero pro incolumitate famulæ tuæ, ob deuotionem mentis ſuæ pius ac propitius clementi vultu ſuſcipias, tibi vero ſupplicantes libens protege, dignanter exaudi. Dieſque noſtros.

Benedictio.

Benedic Domine hanc famulam tuam, pretioſi filij tui ſanguine comparatam. Amen.

Benedictionis tuæ gratiam, quam deſiderat, conſequatur: & ſine vlla offenſione, maieſtati tuæ dignum exhibeat famulatum. Amen.

C Curſum vitæ ſuæ impleat ſine vllis maculis delictorum, & ſuperet in bonis actibus inimicum.

Quod ipſe præſtare digneris.

Communio.

Seruite Domino in timore.

Poſt communio.

Bonorum Deus operum inſtitutor famulæ tuæ cor purifica, vt nihil in ea, quod punire, ſed quod coronare poſſis, inuenias. Per.

Diacona vero illa inter myſteria ſacra communicet, & poſt Miſſam Epiſcopus ei paſtorali banno pacem confirmet, vt ſua cum ſecuritate & quiete poſſideat.

Ordinatio Abbatiſſæ canonicam regulam profitentis.

IN ordinatione abbatiſſæ, Epiſcopus debet Miſſam cantare & eam benedicere hoc modo: Poſt antiphonam ad introitum, & datam orationem & reliquum officium
D Miſſæ, vſque ad Euangelium proſternat ſe electa ante altare cum duabus vel tribus de ſororibus ſuis, fiantque ibi litaniæ. Quibus finitis, benedicat eam Epiſcopus, inclinato capite, dicens: *Dominus vobiſcum.* Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

Exaudi Domine preces noſtras, & ſuper hanc famulam tuam ſpiritum tuæ benedictionis emitte, vt cœleſti munere ditata, & tuæ gratiam maieſtatis poſſit acquirere, & bene viuendi aliis exemplum præbere. Per in vnitate eiuſdem Spiritus ſancti.

Alia.

Omnipotentiam tuam Domine humiliter imploramus, vt ſuper hanc famulam tuam, quam ad ſacrum ordinem aſſumere dignatus es, benedictionis tuæ donum dignanter infundas, eique gratiam conſecrationis tribuas, vt quod te donante percipit, te protegente in IESV cuſtodiat. Per.

Tunc dicat in altum: *Per omnia ſæcula ſæculorum.*

E Reſp. *Amen. Dominus vobiſcum.* Reſp. *Et cum ſpiritu tuo. Surſum corda.* Reſp. *Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo noſtro.* Reſp. *Dignum & iuſtum eſt.*

Præfatio.

Vere dignum & iuſtum eſt, æquum & ſalutare: Nos tibi ſemper & vbi gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus. Adeſto precibus noſtris, adeſto votis, adeſto famulationibus, adeſto conſecrationibus, qui omnia per verbum virtutis tuæ mirabiliter diſpenſas, & diſpenſanda miniſtras. Qui diuerſis floribus tuam ſemper exornas Eccleſiam, dum eam & virorum exemplis, & illuſtrium fœminarum irradias inſtitutis: Qui etiam de infirmiori ſexu hanc famulam tuam ſeruitutis tuæ applicare dignatus es famulatui, effunde quæſumus Domine ſuper hanc famulam tuam, quam in officium diuinum fideliter dedicamus, gratiam Spiritus ſancti, vt tibi omni tempore eius ſeruitus dignanter complaceat, eamque dextera tuæ potentiæ benedicere & ſanctificare ſiue conſecrare digneris in opus miniſterij tui condignum, quatenus actum miniſtrationis ſibi creditæ fideliter exequatur, &
F eiuſdem ſancti Spiritus ſeptiformis gratiæ virtute corroboretur. Requieſcat ergo ſuper eam, precamur Domine, ſpiritus ſapientiæ & pietatis, ac repleas eam ſpiritu timoris tui. Concede ei quoque grauitatem actuum, cenſuramque viuendi, vt in lege tua die ac nocte meditetur, mandata tua cuſtodiat, dictis tuis obediat, ſacris lectionibus inſiſtat, terrena & tranſitoria deſpiciat, atque omni tempore bonis operibus inſeruiat. Omnem libidinem prauæ voluptatis ſuperet, amorem honeſtæ caſtitatis teneat, vt tibi ſponſo venienti cum lampadibus ſuis inextinguibilibus poſſit occurrere, & præcedentium virginum choro iungi, & ne cum ſtultis excludatur, regalem ianuam cum ſapientibus virginibus licenter introeat. Abundet in ea totius forma virtutis, auctoritas modeſta, pudor conſtans innocentiæ puritas, & ſpiritalis obſeruantia diſciplinæ, in moribus eius præcepta tua fulgeant, vt ſuæ caſtitatis exemplo, cunctis ſibi ſubditis imitationem præbeat, purum & bonum conſcientiæ teſtimonium oſtendens, in Chriſto Ieſu firma & ſtabilis perſeueret, atque ita percep-
G ptum miniſterium te auxiliante peragat, qualiter ad æternam remunerationem te donante peruenire mereatur. Per eundem.

Tunc det ei regulam, dicens:

Accipe regulam ſanctæ conuerſationis, ſimulque gratiam diuinæ benedictionis, & vt per hanc cum grege tibi credito in ſtricti iudicij die, Domino incontaminata repræſentari valeas, ipſe te adiuuare dignetur Qui cum Deo Patre & Spirim ſancto viuit & regnat Deus.

Sequitur oratio.

Domine Deus omnipotens, qui ſororem Moyſis Mariam præeuntem cum cæteris mulieribus inter æquoreas vndas cum tympanis & choris læta mente ad litus maris venire feciſti, te ſupplices deprecamur pro fideli famula tua, quæ hodie materna in cathedra ſuper vniuerſas ſubditas ſibi abbatiſſa conſtituitur, vt ita canonica norma
H tueatur cunctas famulas tuas, quatenus ad æternam gloriam te auxiliante cum omnibus illis introeat læta, ibique exultans cum Angelis canens cantica noua, ſequatur agnum quocunque ierit, Chriſtum Dominum noſtrum. Qui tecum viuit & regnat Deus.

Alia.

Famulam tuam, quæſumus Domine, tua ſemper gratia benedicat, & inculpabilem ad vitam perducat æternam. Per.

Quod ſi ordinatio in domo ſua facta fuerit, imponatur, *Te Deum laudamus.* Populo acclamante, *Kyrie eleiſon.* Poſtea dicatur hæc oratio pro adepta dignitate.

Oremus.

Omnium Domine, fons bonorum, iuſtorumque prouectuum munerator, tribue quæſumus famulæ tuæ adeptam bene regere dignitatem, & à te ſibi præſtitam bonis operibus comprobare. Per. Item ſi alibi conſecrata fuerit, regreſſæ ad monaſterium omnis chorus virginum honorifice procedat ei obuiam, cum crucibus & aqua benedicta, incenſo & Euangelio, & in ipſo Eccleſiæ introitu

A imponant, *Te Deum laudamus.* Turba acclamante, *Kyrie eleiſon.* Et prerbytero proſequente orationem, vt ſupra. *Omnium Domine fons bonorum.*

Ordinatio Abbatiſſæ, monaſticam regulam profitentis. Capitulum ex canone Theodori Anglorum Epiſcopi.

IN ordinatione Abbatiſſæ, Epiſcopus debet Miſſam cantare, & eam benedicere hoc modo: Poſt antiphonam ad introitum, & datam orationem, & reliquum officium Miſſæ, vſque ad Euangelium, proſternat ſe electa ante altare retro Epiſcopum, cum duabus vel tribus de ſororibus ſuis, fiantque ibi litaniæ. Deinde, *Pater noſter.* Cum precibus iſtis, Saluam fac ancillam tuam Domine Deus meus ſperantem in te. Dominus conſeruet eam, & viuificet eam. Et beatam faciat eam in terra. Dominus cuſtodiat introitum tuum & exitum tuum, Ex hoc nunc & vſque in ſæculum. Dominus cuſtodiat te ab omni malo. Cuſtodiat
B animam tuam Dominus. Mittat tibi Dominus auxilium de ſancto. Et de Sion tueatur te. Nihil proficiet inimicus in ea. Et filius iniquitatis non nocebit eam. Eſto illi Domine turris fortitudinis, A facie inimici. Exurge Domine adiuua eam. Et libera eam propter nomen tuum. Domine exaudi orationem meam, Et clamor meus ad te veniat. Precibus finitis, benedicat eam Epiſcopus, inclinato capite dicens: Dominus vobiſcum: Et cum ſpiritu tuo. Sequitur oratio.

Oratio.

Concede, quæſumus omnipotens Deus, affectui noſtro tuæ miſerationis effectum, & famulam tuam quam ad regimen animarum elegimus, gratiæ tuæ dono proſequere, vt te largiente, cum ipſa tibi noſtra electione placeamus. Per Dominum noſtrum.

Alia.

C Exaudi, quæſumus Domine, preces humilitatis noſtræ, & ſuper hanc famulam tuam, gratiam tuæ benedictionis effunde, quatenus per noſtræ manus impoſitionem, inter fideles diſpenſatrices inueniatur, & cum ſubditis ſibi gregibus placere tibi mereatur. Per.

Alia.

Cunctorum operum inſtitutor Deus, qui per Moyſen famulum tuum. *Require in ordinatione Abbatis.* Deinde dicat alta voce. *Per omnia ſæcula ſæculorum.* Reſp. *Amen. Dominus vobiſcum.* Reſp. *Et cum ſpiritu tuo. Surſum corda.* Reſp. *Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo noſtro. Dignum & iuſtum eſt.* Tunc imponat ei manum ſuper caput, dicens hanc præfationem.

Vere dignum & iuſtum eſt, æquum & ſalutare: Nos tibi ſemper, & vbique gratias agere Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus.

Reſpice, quæſumus, ſuper hanc famulam tuam, quam in tui nominis vice cuſtodem monacharum ordinamus.
D Immitte ei Domine ſpiritum ſapientiæ & intellectus, ſpiritum conſilij & fortitudinis, & ſpiritum ſcientiæ & pietatis, & reple eam ſpiritu timoris tui, quatenus tua gratia præuenta, nihil contra tuum præceptum faciat, doceat, conſtituat, vel iubeat: ſed magis mentes diſcipularum tam exemplis bonorum operum, quam verbis inſtruat: & quæ diſcipulabus docuerit eſſe contraria, in operibus ſuis indicet non agenda. Sit in omnibus operibus ſuis prouida & conſiderata: ſit ſobria & caſta, ſit vita probabilis, ſit ſapiens & humilis, ſit benigna & charitatiua, ſit in pauperum peregrinorum ſuſceptione aſſidua, ſit in hoſpitalitate hilaris, ſit pia & miſericors, & ſemper miſericordiam ſuperexaltet iudicio, vt ipſa à te æquiſſimo iudice veniam conſequatur. Fac eam Domine te ſolum ex totis viribus ſuis diligere, ieiunium amare, corpus caſtigare, delicias non appetere, tribulatis ſubuenire, neminem odiſſe, zelum iniuſtum & inuidiam non habere, ſuſpicionem omnino deuitare, in tuo nomine pro inimicis exorare. Fac eam ſemper agnoſcere, quia tibi redditura eſt rationem villicationis ſuæ, & quantas ſub cura ſua animas habuerit, ipſas ſine dubio ante ſedem maieſtatis tuæ
E ſit latura. Quapropter tibi piiſſimo paſtori ſupplicamus, vt ad humilitatis noſtræ orationes, cor eius gratia tua illuſtres, quo poſſit quæque ſingula ita diſcernere atque temperare, vt fortes habeant quod cupiant, & infirmæ quod non refugiant. Da illi Domine ſpiritum compunctionis, vt cœleſtia ſemper diligat, inextinguibilem gehennæ ignem ante mentis oculos ſibi proponat, quatenus ſupernorum dulcedine gaudiorum, & infernalium amaritudine tormentorum ſemetipſam irreprehenſibilem cuſtodiat, vt cum creditis ſibi ouibus in tremendo examine gaudeat, & cum omnibus ſanctis tuis immarceſcibilem cœleſtis regni coronam accipiat: Per. Tunc det ei regulam, dicens:

Accipe regulam à ſanctis Patribus nobis traditam, ad regendum cuſtodiendumq; gregem tibi à Deo creditum, quantum Deus ipſe te confortauerit, ac fragilitas humana permiſerit.

Oratio.

F Domine Deus omnipotens, qui ſororem Moyſis Mariam præeuntem cum cæteris mulieribus inter æquoreas vndas cum tympanis & choris læta mente ad littus maris venire feciſti, te ſupplices deprecamur pro famula tua, quæ hodie materna in cathedra ſuper vniuerſas ſubditas tibi abbatiſſa conſtituitor, vt ita monaſtica norma tueatur cunctas famulas tuas, quatenus ad æternam gloriam te auxiliante cum omnibus illis introeat læta, ibique exultans cum Angelis canens cantica noua, ſequatur agnum quocunque ierit, Chriſtum Dominum noſtrum. Qui tecum viuis & regnat Deus.

Alia.

Concede, quæſumus omnipotens Deus, famulæ tuæ Abbatiſſæ, vt oſtendendo & exercendo quæ recta ſunt, & exemplo bonorum operum animos ſuarum inſtruat ſubditarum, & æternæ remunerationis mercedem à te piiſſimo paſtore percipiat. Per.

Alia.

G Omnium Domine fons bonorum, iuſtorumque prouectuum munerator, tribue quæſumus famulæ tuæ adeptam bene gerere dignitatem, & à te ſibi præſtitam bonis operibus comprobare. Per. Quod ſi ordinatio abbatiſſæ infra monaſterium ſuum facta fuerit, imponatur, *Te Deum laudamus.* Populo acclamante, *Kyrie eleiſon.* Poſtea dicatur hæc oratio pro adepta dignitate.

Deus cui omnis poteſtas & dignitas famulatur, da famulæ tuæ proſperum ſuæ dignitatis effectum, in qua te ſemper timeat, tibique iugiter placere contendat. Per. Item ſi alibi conſecrata fuerit abbatiſſa, regreſſæ ad monaſterium omnis chorus monacharum honorificè obuiam procedat, cum crucibus, aqua benedicta, incenſo & Euangelio, & in ipſo Eccleſiæ introitu imponatur, *Te Deum laudamus.* Turba acclamante *Kyrie eleiſon.* Et presbytero proſequente orationem, vt ſupra Deus cui omnis poteſtas.

Conſecratio virginum, quæ à ſæculo conuerſæ, in domibus ſuis ſuſceptum caſtitatis habitum, priuatim obſeruare voluerint.

H Benedictionem velaminum require retro in conſecratione ſanctarum virginum. Ancilla Dei virgo, cum ad conſecrationem ſui Epiſcopi offertur, in talibus veſtibus applicetur, qualibus ſemper vſa eſt profeſſioni & ſanctimoniæ aptis. Procedente ergo Epiſcopo ad officium more ſolemni, imponatur antiphona ad introitum, & cætera vſque ad Euangelium, profeſſa illa de religioſi habitus obſeruatione perpetua, proſternatur ante altare toto corpore, obſecrans intente conſecrationum largitorem, & imponat ſchola litaniam. Qua finita, eademque ancilla Dei erecta, & humiliter ante altare nudo capite inclinata, Epiſcopus dicat hanc præfationem in eius conſecrationem.

Præfatio.

Oremus, fratres chariſſimi, miſericordiam Domini: vt illud donum tribuat huic puellæ, quæ Deo votum vouit veſtem candidam perferre cum integritate coronæ in reſurrectionem vitæ æternæ, quæ futura eſt nobis. Sequitur benedictio.

Famulam

A Famulam tuam Domine tuæ cuſtodia muniat pietatis, vt virginitatis ſanctæ propoſuum, quod te inſpirante ſuſcepit, te protegente illæſum cuſtodiat. Per.

Alia.

Te inuocamus Domine ſancte, pater omnipotens, æterne Deus, ſuper hanc famulam tuam, quæ tibi vouit ſeruire pura mente, mundoque corde, vt eam ſociare digneris inter illa cētum quadraginta quatuor millia infantum; qui virgines permanſerunt, & ſe cum mulieribus ooo coinquinauerunt, in quorum ore dolus inuentus non eſt: & ita hanc famulam tuam facias permanere immaculatam vſque in finem, per immaculatum Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, cum quo viuis & regnas Deus in vnitate Spiritus ſancti, per omnia ſæcula ſæculorum. Benedictione expleta mittat epiſcopus velamen ſuper caput eiuſdem virginis, dicens. Accipe velum ſacra puella, quod perferas ſine macula ante tribunal Domini noſtri Ieſu Chriſti, coi flectitur omne genu cæleſtium, terreſtrium & infernorum in ſæcula ſæculorum. Reſp. *Amen.*
B Sequitur oratio.

Preces famulæ tuæ, quæſumus Domine benignus exaudi, vt aſſumptam caſtitatis gratiam, te auxiliante, cuſtodiat. Per.

Alia.

Deus, qui habitaculum tuum in corde pudico fundaſti, reſpice ſuper hanc famulam tuam, vt quæ caſtigationibus aſſiduis poſtulat, tua conſolatione percipiat. Per. Sequitur benedictio.

Benedicat te Deus Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, in omni benedictione ſpiritali, vt maneas ſine macula ſub veſtimento ſanctæ Mariæ matris Domini noſtri Ieſu Chriſti. Qui viuit. *Ad Miſſam.* Preces famulæ tuæ, quæſumus Domine. Vt ſupra. *Secreta.* Votiuis, quæſumus
C Domine famulæ tuæ adeſto muneribus, vt te cuſtode ſeruata, hæreditatem benedictionis æternæ percipiat. Per.

Infra agenda.

Hanc igitur oblationem famulæ tuæ N. quam tibi offerimus ob diem natalis ſui, quo eam ſacro velamine protegere dignatus es, quæſumus Domine placatus, accipias, pro qua maieſtati tuæ ſupplices fundimus preces, vt in numerum ſanctarum virginum eam tranſire præcipias, quatenus tibi ſponſo ſuo venienti cum lampade inextinguibili poſſit occurrere, atque intra regna cæleſtia gratias tibi referat, choris ſanctarum virginum ſociata. Dieſque noſtros.

Poſt communionem.

Deus qui habitaculum tuum, vt ſupra. Præfata vero ancilla Dei inter alias velatas ad manus Epiſcopi offerat,
D & ad Miſſam communicet, & poſt peracta myſteria, epiſcopalis banni ſignaculo inſignita regrediatur ad ſua.

Conſecratio viduæ, quæ fuerit caſtitatem profeſſa.

VIdua quæ ſoluta eſt à lege viri, ſi ſeipſam vult Deo dare, debet & à presbytero velari, vel etiam conſecratum ab Epiſcopo velamen de altari accipere, & ipſa ſibi, non Epiſcopus, illud debet imponere. Presbyteris vero licet viduas velare, ſolis Epiſcopis virgines, & hoc ante euangelium. Benedictio veſtimentorum viduæ, quæ fuerit caſtitatem profeſſa. *Dominus vobiſcum,* Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.* Oremus. Viſibilium & inuiſibilium creator Deus, adeſto propitius, vt hæc indumenta ſanctitatis effigiem oſtendentia, deſuper gratia tua irrigante, benedicere & ſanctificare digneris. Per.

Alia.

Aperi quæſumus Domine, oculos maieſtatis tuæ ad benedicendam hanc viduitatis veſtem, vt quæ in ordinatis

E veſtibus viri ſui viſibus placuit, in ſacris indumenta benedictionis tuæ ſeruare mereatur. Per.

Tunc induatur ipſis veſtimentis, & agatur litania, ea ante altare proſtrata. Poſt litaniam cum ſe erexerit, ſequitur hæc præfatio.

Incorruptum æternitatis Domini, & inuiolabilis naturæ Dominum, fratres chariſſimi, ſuppliciter deprecemur, poſcentes pro ſorore noſtra, quæ corpore ac mente perfectæ continentiæ & pudicitiæ ſe ſeruituram Domino deuouit, vt perenti famulæ ſuæ ipſe, qui eſt iudex viduarum, perfectam tribuat continentiam. Per.

Benedictio propria viduæ.

Conſolare Domine hanc famulam tuam, viduitatis laboribus conſtrictam, ſicut conſolari dignatus es Sareptanam viduam per Heliam prophetam. Concede & pudicitiæ fructum, vt antiquarum non meminerit voluptatum. Neſciat etiam incentiua vitiorum deſideria, vt ſoli F
tibi ſubdat propria colla, quo poſſit pro laboribus tantis ſexageſimo gradu percipere munus delectabile ſanctitatis. Per.

Alia.

Da quæſumus Domine, vt hæc famula tua, quæ pro ſpe retributionis æternæ, ſe tibi Domino deſiderat conſecrari plena fide animoque in ſancto propoſito permaneat, Tu eam omnipotens pater ſanctificare & benedicere, & in perpetuum conſeruare digneris. Tribue ei humilitatem, caſtitatem, obedientiam, charitatem, & omnium bonorum operum quantitatem. Da ei Domine pro operibus gloriam, pro pudore reuerentiam, pro pudicitia ſanctitatem, vt ad meritum poſſit gloriæ peruenire. Per.

Tunc imponat ipſa velamen capiti ſuo.

Oratio poſt aſſumptum velamen. G

Famulam tuam Domine tuæ cuſtodia muniat pietatis, vt continentiæ ſanctæ propoſitum, quod te inſpirante ſuſcepit, te protegente illæſum cuſtodiat. Per.

Alia.

Domine Ieſu Chriſte omnium Deus, qui inter cætera virtutum documenta ad ſalutem noſtram vigorem caſtitatis & pudicitiæ reparaſti, te ſupplices exoramus, vt hanc ſororem noſtram viduam, ad gratiam pietatis tuæ ex toto corde conuerſam, ab omnibus tentationibus inimicorum tutam defenſamque cuſtodias, hæc capitis velamina ad interioris hominis tutamen perſeuerare facias. Per.

Alia.

Confirma hoc Deus quod operatus es in vidua, vt fideliter cuſtodire valeat promiſſiones, quas promiſerat tibi, H
vt caſtitatem corporis & animæ exhibere Deo valeat & digne occurrat, vt ſexageſimum fructum cum electis ſociis eius participare mereatur. Per.

Alia.

Domine Deus virtutum cæleſtium æternæ dominator tibi ſupplices effundimus preces, vt hanc famulam tuam conſecrare digneris, quam de priſtina conuerſatione ad nouitatem vitæ, expolians veterem hominem, & induens nouum, conuerti feciſti, vt ſicut Anna propheteſſa multis temporibus veſtibus viduitatis induta, in templo gloriæ tuæ ieiuniis, & orationibus fideliter deſeruiuit, ſic & hæc famula tua tibi ſoli Deo in Eccleſia tua deuota mente deſeruiat. Per. Poſtea Epiſcopus auctoritate paſtorali denuntiet ei pacem, & omnibus quæ illa poſſidet, & illa Miſſam inter velatas offerat, & communicet. Oratio ad Miſſam in natali viduæ: Deus caſtitatis amator, & reliqua vt ſupra, in conſecrat. diaconiſſæ.

A

Ordo Romanus qualiter Concilium agatur generale.

Conueniente itaque vniuerſo cœtu ſanctorum Epiſcoporum, abbatum, presbyterorum, atque diaconorum, cæterorumque Eccleſiaſticorum in nomine Domini, ſiue in ciuitatem Metropolim, ſiue in eam quam Metropolitanus Epiſcopus vna cum conſenſu cæterorum Epiſcoporum decreuerit ad Concilium faciendum, poſt orationes ſolitas venientes omnes in Eccleſiam maiorem, vbi Concilium celebrandum eſt, ſedet in ordine ſuo cum ſilentio. Tunc cantet ſchola antiphonam ad introitum, Exaudi nos Domine. Et poſtea erigens ſe Metropolitanus Epiſcopus, dicat: *Oremus*. Et diaconus, *Flectamus genua*. Et poſt paululum. *Leuate*. Et ipſe Metropolitanus Epiſcopus, aut alius ex ſenioribus, dicat hanc orationem.

B

Omnipotens ſempiterne Deus, qui nos per miſericordiam tuam incolumes in hunc locum ſpecialiter aggregaſti, mentes noſtras quæſumus paracletus, qui à te procedit illuminet, inducat in omnem ſicut tuus promiſit filius, veritatem, cunctoſque in tua fide & charitate, corroboret, vt exercitatio corporalium Conciliorum, proficiat nobis ad æternæ felicitatis augmentum. Per.

Poſt collectam dicatur litania. Ea finita dicat Epiſcopus Oremus. Et diaconus, Flectamus genua. Et iterum, Leuate. Sequitur oratio.

Da quæſumus Eccleſiæ tuæ miſericors Deus vt ſpiritu ſancto congregata, ſecura tibi deuotione ſeruire mereatur. Per.

Finita oratione, & reſpondentibus omnibus. *Amen.* cum timore & diſciplina ſedeant omnes tam Epiſcopi quam presbyteri in ſilentio magno. Tunc diaconus progrediens de altari, ſacra veſte indutus, portans Euangelium vſque ad ambonem in medio choro ad legendum, dicat: *Dominus vobiſcum*, & reliqua ſicut mos eſt, & legat lectionem ad hoc pertinentem: vel ſi Euangelium

C

non legitur, librum aptam lectionem continentem, aut canonem. Lectione finita, alloquatur Metropolitanus Epiſcopus concilium, dicens: Ecce beatiſſimi & venerabiles conſacerdotes, & patres, ac fratres noſtri, præmiſſis Deo precibus ſanctitatem veſtram oportet, vt ea, quæ de diuinis officiis vel ſacris ordinibus aut etiam de noſtris moribus, & neceſſitatibus eccleſiaſticis à nobis conferenda ſunt, cum charitate & benignitate vnuſquiſque veſtrum ſuſcipiat, ſummaque reuerentia quantum valeat, Domino adiuuante percipiat, vel quæ emendatione digna ſunt, omni deuotione vnuſquiſque fideliter ſtudeat emendare. Et ſi cui forte quod dicitur diſpliceat, ſine aliquo ſcrupulo contentionis palam omnibus conferat, qualiter Domino mediante, & hoc ad optimum ſtatum perueniat, ita vt nec diſcordans contentio ad ſubuerſionem iuſtitiæ, locum inueniat, nec item in perquirenda veritate vigor noſtri ordinis vel ſolicitudo tepeſcat. Poſt allocutionem, tractent apud ſe de diuinis myſteriis & eccleſiaſticis diſciplinis, vel quibuſlibet neceſſariis, canoneſque ibi legantur, aut liber officiorum, nec

D

aliquis inde antea tranſeat, quam iſta omnia explicentur. Et ita totis tribus diebus agatur. Nam de his qui foris ſunt, ſi concilium pro qualibet cauſa appellare habent, archidiacono Eccleſiæ metropolitanæ cauſam ſuam intiment, & ille in concilio proferat, & ita introeundi detur eis licentia. Concilium autem nullus ſoluere audebit, niſi fuerint finita certamina.

Item ordo alterius diei.

CONuentione facta, dicit Metropolitanus, *Oremus*. Et diaconus, *Flectamus genua*. Et dat orationem Epiſcopus, ſicut mos eſt: Mentibus noſtris, quæſumus Domine, Spiritum ſanctum benignus infunde, quatenus in nomine tuo collecti, ſic in cunctis teneamus cum moderatione pietatis iuſtitiam, vt hic à te in nullo diſſentiat voluntas noſtra, ſed ſemper rationabilia meditantes, quæ tibi ſunt placita, & dictis exequamur & factis. Per.

E

Deus, qui nos iuſtitiam loqui, & quæ recta ſunt præcipis iudicare, tribue nobis, vt nec iniquitas in ore nec prauitas inueniatur in mente, vt puro cordi purior ſermo conſentiat. Oſtendatur in opere iuſtitia, nec appareat dolus in lingua, ſed ex corde veritas proferatur. Per.

Finita oratione, legatur lectio, ſicut ſuperius continetur. Poſt lectionem alloquatur Epiſcopus huiuſmodi: Reuerendiſſimi & ſanctiſſimi nobis Domini & patres noſtri, pia ſolicitudine vos oportet, vt ſicut heſterno die admonuimus benignam manſuetudinem veſtram de diuinis officiis, & ſacris gradibus, aut etiam de conſuetudine & neceſſitatibus Eccleſiaſticis, quæcunque emendanda vel renouanda ſunt, charitas omnium veſtrum vbicunque nouerit aliqua emendatione condigna, in medium proferre non ambigat, vt per veſtræ ſanctitatis ſtudium, Domino largiente, ad optimum perueniat ſtatum, ad laudem gloriam nominis Chriſti Domini noſtri. F

Poſt allocutionem admoneat Epiſcopus, vt ſupra, vt de diuinis ſcripturis tractent inter ſe.

Item Ordo tertia diei.

Conuentione facta, dicit Metropolitanus, *Oremus*. Et diaconus, *Flectamus genua*. Et Epiſcopus det orationem.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui ſacro verbi tui oraculo propoſuiſti, *Vbi duo vel tres in nomine tuo ſunt congregati, te in medium fore*, adeſto cœtui noſtro propitius, & cor noſtrum illumina miſericors, vt à bono miſericordiæ tuæ nullatenus aberremus, ſed rectum iuſtitiæ tuæ tramitem in omnibus teneamus. Per. Matt. 18.

Alia.

Deus qui populis tuis & indulgentia conſulis, & amore dominaris, da ſpiritum ſapientiæ, quibus dediſti regimen diſciplinæ, vt de profectu ſanctarum ouium fiant gaudia æterna paſtorum. Per. G

Finita oratione legatur lectio ſicut ſuperius continetur. Poſt lectionem alloquatur Epiſcopus huiuſmodi.

Dilectiſſimi igitur & venerabiles patres ac Domini noſtri beatitudinem veſtram oportet, vt ea quæ de Eccleſiaſticis officiis, & ſacerdotalibus gradibus, vel etiam canonicis ſanctionibus propter diuerſas occupationes, quas negare non poſſumus, & propter noſtram aliorumque deſidiam non tam pleniter, vt oportet, executa ſunt, noſtro omnium vnanimi conſenſu & voluntate requirantur & humiliter coram ſanctitate veſtra recitentur, vt & quæ digna ſunt emendatione, ad meliorem ſtatum auxiliante Domino perducantur, & cui fortaſſis aliqua diſpliceant, quæ digeſta ſunt, ea ſanctitati veſtræ cum benignitate & modeſtia intimare non differat, quatenus totum quod ſynodali conuentione noſtra ſtatutum fuerit vel renouatum, abſque omni contrarietate, concordia ſanctæ pacis ab omnibus æque cuſtodiatur, & teneatur ad augmentum æternæ omnium beatitudinis noſtræ. H

Poſt allocutionem admoneat Epiſcopus, vt ſupra, de diuinis ſcripturis tractent inter ſe, & conſtituant, quæ neceſſe fuerit emendare. Terminatis autem omnibus vltimo die concilij, eleuantibus ſe omnibus cum reuerentia de ſedibus ſuis, dicat Metropolitanus Epiſcopus, *Oremus*. Et diaconus dicat. *Humiliate vos ad orationem*. Tunc omnes proſtrati in terram, orent, non modico interuallo. Et dicat diaconus. *Leuate*, Epiſcopus det orationem.

Exaudi, quæſumus Domine, ſupplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis, vt ſi quid offenſionis in hac concilij celebritate contraximus, te miſerante indulgentiam ſentiamus. Per.

Alia.

A cunctis exceſſibus nos, Domine quæſumus, propitiatus abſolue, & quia imperfectum noſtrum oculi tui viderunt, perfectioni deputa miſericors, quod perfecto æquitatis fine concludere præoptamus. Per.

A Intende, quæſumus Domine, preces noſtras, vt qui te in principiis operum noſtrorum occurſorem adeſſe popoſcimus, te quoque in hoc fine noſtri concilij indultorem eſſe noſtris exceſſibus ſentiamus. Per.

Hac oratione finita, ille epiſcopus, in cuius ſede ipſum concilium celebratur, dicat omnibus de benedictionis verbis:

Chriſtus filius Dei, qui eſt initium & finis, complementum vobis uæ tribuat charitatis. Reſp. *Amen.*

Et qui ad abſolutionem huius fecit peruenire concilij, abſolutos vos efficiat ab omni contagione delicti. Reſp. *Amen.*

Vt ab omni reatu liberiores effecti, adiuti etiam per donum Spiritus ſancti, felici reditu veſtrarum ſedium cubilia repetatis illæſi. Reſp. *Amen:*

Quod ipſe præſtare dignetur, Tunc ſurgentes omnes cum reuerentia, incipientes à Metropolitanis, oſculum pacis ſibi inuicem dent, cum timore & amore Dei. Et dicat iterum Pontifex: *In nomine Domini Ieſu Chriſti,*
B *Ite in pace.* Et reſpondetur ab omnibus, *Deo gratias.* Et ita conuentus abſoluitur.

Item ordo, qualiter agatur Concilium prouinciale.

PRima die & ſecunda & tertia, omnes ante Miſſam ſequantur crucem cum litania, & ita ſubſcripto ordine ingrediantur ſynodum.

Ordo primæ diei.

Hora conuenienti quando Epiſcopo vel eius vicario viſum fuerit, omnes expellantur ab Eccleſia, obſeratiſque foribus cunctis, ad vnam ianuam per quam ſacerdotes ingredi oportet, oſtiarij ſtent, & ſella ponatur in medio, & ſupra eam ſacræ reliquiæ, & plenarium cum ſtola ponantur. Deinde conuenientes presbyteri omnes intrent, & ſecundum ordinationis ſuæ tempus reſideant. Poſt hos ingrediantur diaconi probabiles, quos ordo popoſce-
C rit intereſſe. Exinde introducantur laici bonæ conuerſationis, vel qui electione coniugali intereſſe meruerint; Tunc ingrediatur epiſcopus, ſi voluerit, vel ſi neceſſitas exegerit: & ſi non aderit Epiſcopus, eius vicarius eadem faciat.

Prima die quando epiſcopus vel eius vicarius ſynodum ingreditur, ſalutet ex omni parte non ſolum clerum, ſed & populum, & verſus ad orientem mediocri voce dicat: *Dominus vobiſcum.* Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oratio.

Deus humilium viſitator, qui nos fraterna dilectione conſolaris, prætende ſocietati noſtræ gratiam tuam, vt per eos in quibus habitas, tuum in nobis ſentiamus aduentum. Per.

Tunc procedens diaconus cum ſubdiacono, thuribulo & ceroferariis duobus, benedicente Pontifice, legat Euangelium in ambone. *Cum eſſet ſero die illo.* Eo autem
D deſcendente, dicat pontifex, vel eius vicarius: S. Maria, & omnes ſancti & electi Dei, intercedite pro nobis peccatoribus ad Dominum Deum noſtrum, vt mereamur ab eo adiuuari & ſanari, qui viuit & regnat in ſecula ſeculorum. Amen. Poſtmodum duabus vicibus dicat: *Deus in adiutorium meum intende.* Clero reſpondente. *Domine ad adiuuandum me feſtina.* Item tertio dicatur. *Deus in adiutorium meum intende.* Clero reſpondente. *Domine ad adiuuandū me feſtina.* Cum *gloria.* Et *Kyrie eleiſon. Et pater noſter.* Cum precibus iſtis. *Domine, ne memineris iniquitatum noſtrarum. Adiuua nos Deus ſalutaris noſter. Eſto nobis Domine turris fortitudinis. Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiſcum.* Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

Exaudi nos Deus ſalutaris noſter, & dies noſtros in tua pace diſpone, vt à cunctis perturbationibus liberati, tranquilla tibi ſeruitute famulemur. Per.

E Deinde pro vniuerſis ordinibus, necnon pro ſtatu Papæ & antiſtitis eiuſdem ſedis, decantent pſalmos hos: *Miſerere mei Deus. Deus in nomine tuo. Miſerere mei Deus; miſerere mei. Deus miſereatur noſtri. Deus in adiutorium meum. Pater noſter.* Cum precibus iſtis: *Sacerdotes tui Domine induant. Memento Domine congregationis tuæ. Saluos fac Domine Deus noſter. Vt confiteamur nomini ſancto tuo. Adiutorium noſtrum in nomine Domini. Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiſcum.*

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, cuius ſpiritu totum corpus Eccleſiæ ſanctificatur, & regitur, exaudi nos pro vniuerſis ordinibus ſupplicantes, vt gratiæ tuæ munere ab omnibus tibi gradibus fideliter ſeruiatur. Per. Deinde dicat orationem.

Deus omnium fidelium paſtor & rector, famulos tuos F
quos paſtores Eccleſiæ tuæ præeſſe voluiſti, propitius reſpice; da eis quæſumus verbo & exemplo, quibus præſunt ita * præeſſe, vt ad vitam vna cum grege ſibi credito * proſ- cerè.
perueniant ſempiternam. Per.

His expletis, ſeptem pſalmos pœnitentiæ pro peccatis decantent, cum precibus iſtis, *Kyrie eleiſon.* Et *Pater noſter. Ego dixi, Domine miſerere mei. Conuertere Domine vſquequo. Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos. Domine Deus virtutum conuerte nos. Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiſcum.*

Oremus.

Dies noſtros, quæſumus Domine, placatus intende, paritèrque nos & à peccatis abſolue propitius, & à cunctis eripe benignus aduerſis: Per. Poſt hæc egrediantur omnes, exceptis presbyteris, & cæteris idoneis clericis: factoque ſilentio, dicat Pontifex vel eius vicarius hanc orationem palam.

Oremus. G

Adeſto nobis, quæſumus, Domine ſancte Spiritus, peccati quidem immanitate detentis, ſed in nomine tuo ſpecialiter aggregatis. Veni ad nos, & dignare illabi cordibus noſtris: doce nos quid agamus, quo gradiamur oſtende, quid efficiamus operare. Eſto ſalus & ſuggeſtor & effector iudiciorum noſtrorum qui ſolus cum Deo patre, & eius Filio nomen poſſides glorioſum. Non nos pariaris perturbatores iuſtitiæ eſſe, qui ſummæ veritatis diligis æquitatem, vt in ſiniſtrum nos non ignorantia trahat, non fauor inflectat, non acceptio muneris vel perſonæ corrumpat, ſed iunge nos tibi efficaciter ſolius tuæ gratiæ dono, vt ſimus in te vnum & in nullo deuiemus à vero, quatenus in nomine tuo collecti, ſic in cunctis teneamus cum moderatione pietatis iuſtitiam, vt & hic à te in nullo diſſentiat ſcientia noſtra, & in futuro pro bene geſtis, conſequamur præmia ſempiterna. Per omnia ſecula ſeculorum. Tunc tacentibus cunctis, ex Nicæno Concilio fides Catholica à diacono legatur.

Credimus in vnum Deum patrem omnipotentem, omnium H
viſibilium, necnon & inuiſibilium, factorem, & in vnum Dominum Ieſum Chriſtum filium Dei, natum ex patre vnigenitum, hoc eſt, ex ſubſtantia patris, Deum ex Deo lumen de lumine, Deum verum de Deo vero natum, non creatum homonſion hoc eſt, eiuſdem cum patre ſubſtantia, per quem creata ſunt cœleſtia & terrena qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit, & incarnatus eſt, & homo factus eſt, & reſurrexit tertia die, aſcendit in cœlum ſedet ad dexteram Patris, venturus eſt inde iudicare viuos, & mortuos. Et in ſpiritum ſanctum. Eos autem qui dicunt, *Erat tempus quando non erat, & prius quam naſceretur, non erat, & quia ex nullis ſubſiſtentibus factus eſt, aut ex alia ſubſtantia vel eſſentia, aut dicunt eſſe trepton,* hoc eſt, *conuertibilem, aut mutabilem,* Deum hos anathematizat Catholica, & Apoſtolica Eccleſia.

Tunc diaconus alba indutus, codicem canonum in medio proferens, capitula de Conciliis agendis pro

nuntiet;

A nuntier, id eſt, de concilio Tolet. quarto: Sancta ſynodus bis in anno eccleſiaſtica, decreuit habere concilia, vnum æſtate, aliud tempore autumni. Quiſquis autem clericorum ad hæc venire diſtulerit, abſque neceſſitatis cauſa annn integro Miſſas celebrare non præſumat.

Item de eodem concilio.

Interdixit per omnia magna ſynodus, non epiſcopo, non presbitero, non diacono, nec alicui omnino, qui in clero eſt, licere ſubintroductam habere mulierem, niſi forte matrem, aut ſororem, aut amitam, vel eas tantum perſonas, quæ ſuſpiciones effugiunt. Finitiſque titulis, & cunctis in ordine cum ſilentio ſedentibus, epiſcopus vel (ſi voluerit) diaconus concilium alloquatur, cum exhortatione huiuſmodi.

Ecce ſanctiſſimi fratres, præmiſſis Deo precibus fraternitatem veſtram pia exhortatione conuenio, & per diuinum nomen obteſtator, vt ea quæ à nobis de Deo &
B ſacris ordinibus vel ſanctis moribus vobis fuerint dicta, cum ſumma reuerentia perficere contendatis. Quod ſi forſitan aliquis veſtrum aliter quam dicta fuerint, ſenſerit; ſine aliquo ſcrupulo contentionis, in noſtrum omnium collationem ea * ipſe de quibus dubitauerit, conferenda reducat, qualiter Den mediante, aut doceri poſſit, aut doceat.

* ipſa.

Deinde ſimili vos obteſtatione coniuro, vt nullus veſtrum in iudicando aut perſonam accipiat, aut quolibet fauore vel munere pulſatus, à veritate diſcedat. Sed cum tanta pietate, quicquid cœtui noſtro ſe iudicandum intulerit, retractate, vt nec diſcordans contentio ad ſubuerſionem iuſtitiæ inter nos locum inueniat, nec item in perquirenda æquitate vigor noſtri ordinis vel ſolicitudo tepeſcat.

Poſt hanc exhortationem quiſquis clericorum velit, conferat querelam. Et admonendi ſunt, vt nullus ad ſynodum veniat, niſi ieiunus, vel à cætu communi ſecedat
C ante, quam generalis ſeceſſio adueniat. Et ſic quoque ſynodus primæ diei ſoluatur,

Ordo alterius diei.

Secunda die quando ingreditur ſynodum Epiſcopus, vel eius vicarius: in loco ſuo ſtans dicat: *Dominus vobiſcum.*

Oremus.

Deus qui nobis in famulis tuis præſentiæ tuæ ſigna manifeſtas, mitte ſuper nos ſpiritum charitatis, vt in aduentu fratrum conſeruorumque noſtrorum, gratia nobis tuæ largitatis augeatur. Per.

Poſtea legatur Euangelium. *Deſignauit Dominus & alios ſeptuaginta duos.* Deinde dicat Pontifex, vel eius vicarius preces: *Sancta Maria, & omnes ſancti.* Sicut ſuperius. Tunc omnes proſtrati, pro peccatis decantent hos pſalmos. *Domine ne in furore tuo. Benedixiſti. Inclina*
D *Domine*, cum *Kyrie eleiſon*, & *Pater noſter.* Et precibus iſtis: *Ego dixi Domine: Conuertere Domine. Adiutorium noſtrum. Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiſcum.* Precibus noſtris, quæſumus Domine, aurem tuæ pietatis accommoda, & orationes ſupplicum, occultorum cognitor benignus exaudi, vt te largiente ad vitam perueniant ſempiternam. Per.

Poſtea decantent pſalmos iſtos pro regis noſtri & reginæ & aliorum ſeu regni primatum ſoſpitate: *Domine, quid multiplicati ſunt. Exaudiat te Dominus, Deus auribus noſtris.* Cum *Kyrie eleiſon.* Et *Pater noſter.* Cum precibus iſtis. *Domine ſaluum fac regem. Eſto ei Domine turris fortitudinis. Saluum fac populum tuum Domine. Fiat pax in virtute tua. Exurge Domine adiuua nos. Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiſcum.*

Oremus.

Quæſumus omnipotens Deus, vt famulus tuus Rex noſter, qui tua miſeratione ſuſcepit regni gubernacula virtutum etiam omnium percipiat incrementa, quibus E
decenter ornatus, & vitiorum monſtra deuitare, & ad te qui via, veritas & vita es, gratioſus valeat peruenire. Per.

Alia.

Deus regnorum omnium, & Chriſtiani maxime protector Imperij, da ſeruo tuo Imperatori noſtro triumphum virtutis tuæ ſcienter excolere, vt qui tua conſtitutione eſt princeps, tuo ſemper munere ſit potens.

Alia.

Guberna Domine familiam tuam, & tuis beneficiis ſemper accumula, vt & præſentis vitæ ſubſidiis gaudeat & æternæ.

Alia.

Prætende Domine famulis tuis dexteram cœleſtis auxilij, vt te toto corde perquirant, & quæ digne poſtulant, F
conſequi mereantur. Per.

Deinde pro infirmis, & ſalute totius Eccleſiæ, iſtos Pſalmos decantent: *Beatus qui intelligit. Domine Deus ſalutis mea. Domine refugium.* Cùm *Kyrie eleiſon.* Et *Pater noſter.* Cum precibus iſtis. *Caſtigans caſtigauit me Dominus. Nihil proficiet inimicus in eo. Exurge Domine, adiuua nos. Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiſcum.*

Oremus.

Deus infirmitatis humanæ ſingulare præſidium, auxilij tui ſuper infirmos famulos tuos & famulas tuas oſtende virtutem, vt ope miſericordiæ tuæ adiuti, Eccleſiæ tuæ ſanctæ repræſentari mereantur. Per.

Aſcendant ad te Domine preces noſtræ, & ab Eccleſia tua cunctam repelle nequitiam. Per. Iterum omnes laici & mulieres egrediantur, & legatur à diacono homilia S. G
Gregorij, incipiente à verſu iſto, Meſſis quidem multa. Vſque partes eſſe minime recogn. Tunc ſi clerici querelam non habeant conferendam laici intromittantur: illis etiam audientibus, lectio recitatur Niceni concilij: Iudices non niſi ieiuni & leges & iudicia decernant. Quiſquis ex laicis habeat querelam iudicibus proferat. Et ſynodus ſecundæ diei ſic ſoluatur.

Ordo tertia diei.

Tertia die cum Epiſcopus vel eius vicarius ſynodum poſt Miſſam, ſic in cæteris diebus ingreditur, dicat: *Dominus vobiſcum.*

Oremus.

Protege, Domine quæſumus, famulos tuos ſubſidiis mentis, & corporis, & ſpiritualibus enutriens alimentis propitius redde ſecuros ab hoſtibus vniuerſis. Per. Poſtea legatur Euangelium. *Circuibat Ieſus ciuitates, & caſtella.* Deinde iſtos pſal. pro defunctis, *Verba mea. Domine ne* H
in furore tuo. 1. *Ad te Domine leuaui.* Cum *Kyrie eleiſon.* Et *Pater noſter*, ac precibus iſtis. *Requiem æternam dona eis Domine.* in memoria æterna erunt iuſti. *A porta inferi. Dominus vobiſcum.*

Inueniant, quæſumus Domine, animæ famulorum, famularumque tuarum omnium in Chriſto quieſcentium, lucis æternæ conſortium, qui in hac luce poſiti, tuum conſecuti ſunt ſacramentum. Per.

Deinde cantentur iſti pſalmi pro irreligioſis. *Ad te clamabo. Benedicam Domino. Deus venerunt gentes. Voce mea.* Cum *Kyrie eleiſon.* Et *Pater noſter.* Ac precibus iſtis. *Fiat pax in virtute tua. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam. Deus tu conuerſus viuificabis nos. Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiſcum.*

Oremus.

Deus qui infideles deſeris, & iuſte indeuotis iraſceris, populum tuum quæſurhus ad te conuerte propitius, vt

qui

A qui te per duritiam irreligioſæ mentis ſemper offendunt, ad ſancta officia promerenda, tuæ miſerationis gratia inſpirante conuertas. Per.

Deus qui errantibus, vt in viam poſſint redire iuſtitiæ veritatis tuæ lumen oſtendis, da cunctis qui Chriſtiana profeſſione cenſentur, & illa reſpuere quæ huic inimica ſunt nomini, & ea quæ ſunt apta ſectari. Per. Si quæ ſint quæſtiones vel querelæ conſerantur. Et ſic ſynodus tertiæ diei ſoluatur.

Ordo quarta diei.

Quarta vero die Epiſcopus ante Miſſam ſynodum ingrediens ſic procedat. Primum portentur ante eum duo candelabra, cum cereis incenſis. Quæ ſequuntur duo acolyti cum thuribulo, & thymiamaterio. Deinde ſubdiaconus portans Euangelium, duæ cruces hincinde: deinde diaconus, poſtremum Epiſcopus epiſcopalibus veſtimentis indutus & cappa ingrediatur. Et in ſede ſua ſtans dicat: Dominus vobiſcum. B

Oremus.

Noſtrorum Domine tibi curuantes genua cordium; quæſumus, vt bonum quod in nobis à te requiritur, exequamur ſcilicet vt prompta tecum ſolicitudine gradientes, diſcretionis arduæ ſubtile iudicium faciamus, ac miſericordiam diligentes, clareamus ſtudiis tibi placitæ actionis. Per.

Poſtea legatur Euangelium ſolito more. *Reſpiciens Ieſus diſcipulos ſuos, dicit Simoni Petro. Si peccauerit in te frater tuus.* (Matt. 18.) Sequantur ſeptem pſalmi cum precibus quibus placuerit. Quibus finitis epiſcopo & cæteris in ordine ſedentibus ab ipſo epiſcopo ſiue à diacono ex ipſius perſona legatur hæc admonitio.

Fratres: & presbyteri, & ſacerdotes Domini, cooperatores ordinis noſtri eſtis. Nos quidem quamuis indigni, locum Aaron tenemus, Vos autem locum Eleazari & Ithamari. C Nos vice duodecim Apoſtolorum fungimur, vos ad formam ſeptuaginta diſcipulorum eſtis. Nos vero paſtores veſtri ſumus, vos autem paſtores animarum vobis commiſſarum. Nos de vobis rationem reddituri ſumus ſummo paſtori noſtro Domino Ieſu Chriſto: vos de plebibus vobis commendatis. Et ideo, chariſſimi, videte periculum veſtrum. Admonemus itaque & obſecramus fraternitatem veſtram, vt quæ vobis ſuggerimus, memoriæ commendetis, & opere exercere ſtudeatis. Imprimis admonemus, vt vita & conuerſatio veſtra irreprehenſibilis ſit, ſcilicet vt cella veſtra ſit iuxta Eccleſiam. & in domo veſtra fœminas non habeatis. Omni nocte ad nocturnas ſurgite. Curſum veſtrum horis certis decantate. Miſſarum celebrationes religioſè peragite. Corpus & ſanguinem Domini cum timore & reuerentia ſumite. Vaſa ſacra propriis manibus abluite, & extergite. Nullus cantet Miſſam, niſi ieiunus. Nullus cantet ſine amictu, alba, ſtola, fanone, & caſula. Et hæc veſtimenta munda ſint & ad nullos vſus alios ſint. D Nullus in alba, qua in ſuos vſus vtitur præſumat Miſſam cantare. Nulla fœmina ad altare Domini accedat, nec calicem Domini tangat. Corporale mundiſſimum ſit. Altare ſit coopertum de mundis lineis. Super altare nihil ponatur, niſi capſæ & reliquiæ, aut forte quatuor Euangelia, aut pyxis cum corpore Domini, ad viaticum infirmis. Cætera in nitido loco recondantur. Miſſalem plenarium, lectionarium, & antiphonarium, vnuſquiſque habeat. Locus in ſacrario aut iuxta altare ſit præparatus, vbi aqua effundi poſſit quando ſacra vaſa abluuntur. Et ibi vas nitidum cum aqua dependeat, vt ibi ſacerdos manus lauet poſt communionem. Eccleſiæ ſint bene coopertæ, & cameratæ. Et atrium ſit ſepe munitum. Nullus extra Eccleſiam per domos, nec in locis non conſecratis Miſſam cantet. (Iac. 5.) Omnis presbyter clericum habeat vel ſcholarem, qui epiſtolam vel lectionem legat, & ad Miſſam reſpondeat, & cum quo pſalmos cantet. Infirmos viſitate, & eos reconciliate, & iuxta Apoſtolum oleo ſancto inungite, & propria manu communicate, & nullus præſumat tradere communionem, laico aut fœminæ, ad deferendum infirmo. E Nullus veſtrum pro baptizandis infantibus, aut infirmis reconciliandis, aut mortuis ſepeliendis, præmium, vel munus exigat. Videte vt per negligentiam veſtram nullus infans ſine baptiſmo Moriatur. Nullus veſtrum ſit ebrioſus & litigioſus, quia ſeruum Dei non oportet litigare. Nullus arma ferat in ſeditione, quia arma noſtra ſpiritualia debent eſſe. Nullus canum aut auium iocis inſeruiat. Nolite in tabernis bibere. Vnuſquiſque veſtrum quantum ſapit plebi ſuæ de Euangelio, populo die dominico vel feſtis diebus annuntiet. Verbum Domini debetis prædicare. Curam pauperum, peregrinorum, & orphanorum habete & eos ad prandium veſtrum inuitate. Eſtote hoſpitales, vt à vobis alij exemplum bonum ſumant. Omni die Dominico ante Miſſam, aquam benedictam facite, vnde populus aſpergatur: & ad hoc ſolum vos habete. Sacra vaſa, & veſtimenta ſacerdotalia nolite in vadium dare negotiatori, aut tabernario. Nullus veſtrum minus digne pœnitentem, cuiuſcunque rei gratia ad reconciliationem adducat, & ei teſtimonium reconciliationis ferat. F Nullus veſtrum vſuras exigat, & conductor ſui fœnoris exiſtat. Res & facultates, quas poſt diem ordinationis veſtræ acquiratis, ſciatis ad Eccleſiam pertinere. Nullus ſine licentia & conſenſu veſtro acquirat. Nullus per poteſtatem ſæcularium, Eccleſiam obtineat. Nullus per pecuniam, alterius Eccleſiam ſupplantet. Nullus Eccleſiam, ad quam titulatus eſt, dimittat, & ad aliam quæſtus gratia migret. Nullus plures Eccleſias teneat ſine adiutorio aliorum presbyterorum. Nullatenus vna Eccleſia inter plures diuidatur. Nullus alterius parochianum, niſi in itinere, vel ſi ſibi placitum fuerit, ad Miſſam recipiat. Nullus in alterius parochia Miſſam cantet abſque proprij presbyteri voluntate & rogatu. Nullus decimam ad alium pertinentem recipiat. Nullus pœnitentem inuitet carnem manducare, & bibere vinum, niſi pro eo ad præſens eleemoſynam faciat. G Nullus præſumat baptizare niſi pro vigilia Paſchæ & Pentecoſtes, niſi in periculo mortis. Vnuſquiſque fontes lapideos habeat, & ſi non poteſt habere lapideos, habeat vas aliud ad hoc paratum, in quo nihil aliud fiat. Videte vt omnibus parochianis veſtris, ſymbolum, & orationem Dominicam inſinuetis. Ieiunium quatuor Temporum & Rogationum, & litaniæ maioris, plebibus veſtris omnimodis obſeruandum inſinuate. Feria quarta ante quadrageſimam, plebem ad confeſſionem inuitate, & ei iuxta qualitatem delicti pœnitentiam iniungite, non ex corde veſtro, ſed ſicut in pœnitentiali ſcriptum eſt. Tribus temporibus in anno, id eſt, in natali Domini, Paſcha, & Pentecoſte, omnes fideles ad communionem corporis & ſanguinis Domini accedere admonete. Certis temporibus coniugatos ab vxoribus abſtinere exhortamini. Eulogias poſt Miſſam in diebus feſtis plebi tribuite. Nullus veſtrum induatur veſtibus laicalibus. Nullus rem aut poſſeſſionem aut mancipium Eccleſiæ vendere, aut commutare, aut quocunque ingenio alienare præſumat. H Diem Dominicum, & alias feſtiuitates, abſque opere ſeruili à veſpera in veſperam celebrare docete. Cantus, & choros mulierum in atrio Eccleſiæ, prohibete. Carmina diabolica, quæ ſuper mortuos nocturnis horis vulgus facere ſolet, & cachinnos quos exercet, ſub conteſtatione Dei omnipotentis vetate. Cum excommunicatis nolite communicare. Nullus illis præſumat Miſſam cantare. Sed & plebibus commiſſis vobis, hoc annuntiate. Ad nuptias nullus veſtrum eat; omnibus notiate, vt nullus vxorem accipiat, niſi publice celebratis nuptiis. Raptum omnimodis prohibete, vt & nullus ad proximam ſanguinis ſui accedat, & vt alterius ſponſam nemo ducat. Porcarios & alios paſtores, Dominica die ad Miſſam facite venire. Patrini filiolis ſuis ſymbolum & orationem Dominicam inſinuent, aut inſinuari faciant. Chriſma, ſemper ſub ſera ſit, aut ſub ſigillo propter quoſdam infideles. Volumus autem, fratres chariſſimi, quatenus, quæ noſtra percepiſtis traditione, quantum humana patitur infirmitas, bonis ſtudeatis operibus adimplere. Præſtante

Domino

A Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre & Spiritu ſancto.

Iam tunc ſi eſt ſynodus illa in vernali tempore, ab Epiſcopo, vel Archidiacono denunciandum eſt, qualiter officia decantanda ſint vſque in aliam ſynodum autumnalem, & ſi eſt autumnalis denunciandum eſt, quantæ hebdomadæ de natiuitate Domini vſque in initium quadrageſimæ, vel qualiter officia ſint cantanda, & indictum ieiunium, & quatuor tempora, quibus temporibus ſint obſeruanda, & in quos fines Epiſcopus cauſa officij ſui ſit hoc anno iturus, vel qui anathematizati, vel anathematizandi ſint. His omnibus rite peractis, litania voce excelſa, à duobus, ſynodo reſpondente, cantetur. Ea finita, dicant, Pater noſter. Cum precibus. Et tunc Epiſcopus dicturus eſt hanc orationem.

Nulla eſt, Domine, humanæ conſcientiæ virtus, quæ inoffenſe poſſit tuæ voluntatis iudicia expedire. Et ideo, quia imperfectum noſtrum viderunt oculi tui perfectioni quæſumus deputa, quod perfecto æquitatis fine concludere præoptamus. B Te in noſtris principiis occurſorem popoſcimus, te quoque in hoc fine iudiciorum noſtrorum pro exceſſibus indultorem ſperamus, ſcilicet, vt ignorantiæ pareas, errori indulgeas, perfectis votis perfectam operis efficaciam largiaris. Et quia conſcientia remordente tabeſcimus, ne aut ignorantia nos traxerit in errorem, aut præceps forſitan voluntas impulerit iuſtitiam declinare ob hoc te poſcimus, te rogamus, vt ſi quid offenſionis in hac concilij celebritate attraximus; te condonante * remiſſibile habeamus, vt in eo quod ſoluturi ſumus, aggregati concilio, à cunctis primum abſoluamur noſtrorum nexibus delictorum, qualiter & tranſgreſſores venia, & confitentes tibi ſubſequatur remuneratio ſempiterna. Per. Deinde Gregorianam orationem dicat.

* ad remiſſibile habemus veniam.

Oremus.

Deus qui nos paſtores in populo vocari voluiſti, præſta quæſumus, vt hoc, quod humano ore dicimur, in C tuis oculis valeamus. Per. Finitis iſtis, Pontifex inde procedat, & quia omnes clerici in laudem Dei conueniunt, de omnibus ſanctis Miſſa erit ſolenniter celebranda. Et Pontifex plena proceſſione procedens more ſolito, moneat clerum, & doceat populum, atque in fine prædicationis remiſſionem peccatorum faciat, quia dies illa ſecunda, dies indulgentiæ habetur. Completa vero Miſſa, ſignis conſonantibus in laudem Dei cantor alta voce. *Te Deum laudamus*, imponat. Et cum ea laude decantetur *Kyrie eleiſon*, à populo. Finita laude ea, dicat cantor antiphonam. In viam pacis. Pſalm. *Benedictus*: Antiphona finita, diaconus ſtolam in humero habens, dicat alta voce: *Humiliate vos ad benedictionem*. Reſponſ. *Deo gratias. Sequitur benedictio.*

Chriſtus filius Dei, qui eſt initium & finis complementum vobis tribuat charitatis. Reſp. *Amen.*

Et qui nos ad expletionem huius fecit peruenire concilij abſolutos vos efficiat ab omni contagione delicti. *Amen.*

D Vt ab omni reatu liberiores effecti abſoluti etiam per donum Spiritus ſancti felici reditu veſtrarum cubilia ſedium repetatis illæſi. Reſp. *Amen.*

Quod ipſe præſtare dignetur. Reſpon. Benedictio Dei Patris, & Filij, & Spiritus ſancti deſcendat ſuper vos, ſemperque maneat vobiſcum. Reſpon. *Amen.*

Quibus expletis, dum dictum fuerit ab Archidiacono. *In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti eamus cum pace*: Omnes ilico ab ipſo primum incipientes epiſcopo, oſcula ſibi inuicem dabunt. Sicque data ſibi inuicem pace, conuentus concilij abſoluetur.

Ordo ad benedicendam ſponſam.

Poſtquam fuerit mulier viro deſponſata, & legaliter dotata, introeat cum marito Eccleſiam, & proſtratis eis dicat:

Propitiare Domine ſupplicationibus noſtris, & inſtitutis tuis, quibus propagationem humani generis ordinaſti, benignus aſſiſte, vt quod te authore iungitur, te E auxiliante, ſeruetur. Per.

Alia.

Deus qui poteſtate virtutis tuæ de nihilo cuncta feciſti, qui diſpoſitis vniuerſitatis exordiis, homini ad imaginem Dei facto ideo inſeparabile mulieris adiutorium condidiſti, vt fœmineo corpori, de viris carne dares principium, docens quod ex vno placuiſſet inſtitui, nunquam liceret diſiungi: Deus, qui tam excellenti myſterio coniugalem copulam conſecraſti, vt Chriſti Eccleſiæ ſacramentum præſignares in fœdore nuptiarum: Deus, per quem mulier iungitur viro, & ſocietas principaliter ordinata, ea benedictione donatur, quæ ſola nec per originalis peccati pœnam, nec per diluuij eſt ablata ſententiam, reſpice propitius ſuper hunc famulum tuum & famulam tuam, qui maritali iungendi ſunt conſortio, & F tua ſe expetunt protectione muniri.

Sit ergo, Domine, in hac famula tua iugum dilectionis & pacis: fidelis & caſta nubat in Chriſto, imitatrixque ſanctarum permaneat fœminarum. Sit amabilis vt Rachel viro, ſapiens vt Rebecca, longæua & fidelis vt Sara, nihil in ea ex actibus ſuis ille author præuaricationis vſurpet, nexa fidei mandatiſque permaneat, vni toro iuncta contractus illicitos fugiat, muniat infirmitatem ſuam robore diſciplinæ. Sit verecundia grauis, pudore venerabilis, doctrinis cœleſtibus erudita. Sit fœcunda in ſobole, ſit probata & innocens, & ad beatorum requiem, atque ad cœleſtia regna perueniat, vt vna videant filios filiorum ſuorum vſque in tertiam & quartam generationem, & ad optatam perueniant ſenectutem. Per Dominum.

Alia.

Quæſumus omnipotens Deus, inſtituta prouidentiæ tuæ pio amore comitare, vt quos legitima ſocietate connectis, longæua pace cuſtodias. Per.

G *Alia.*

Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob benedic adoleſcentes iſtos, & ſemina ſemen vitæ æternæ in mentibus eorum, vt quicquid pro vtilitate ſua didicerint, hoc facere cupiant. Per Ieſum Chriſtum recuperatorem hominum, filium tuum vnigenitum, qui tecum & cum Spiritu ſancto viuit & regnat. Exaudi nos omnipotens & miſericors Deus, vt quod noſtro miniſtratur officio, tua benedictione potius impleatur. Per.

Epiſtola.

Fratres, Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti, &c.

Euangelium.

Loquebatur Ieſus cum diſcipulis ſuis in parabolis, dicens: Simile factum eſt regnum cœlorum. Require in Dominica 21. poſt Pentecoſt.

H *Secreta.*

Suſcipe Domine pro ſacra connubij lege munus oblatum, & cuius largitor es operis, eſto diſpoſitor. Per.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem famulorum tuorum, quam tibi offerunt pro famula tua, illo quam perducere dignatus es ad ſtatum menſuræ & ad diem nuptiarum, pro qua maieſtati tuæ fundimus ſupplices preces, vt eam propitius cum viro ſuo copulare digneris, quæſumus Domine, vt plac. &c.

Poſt communionem.

Gratiæ tuæ, quæſumus Domine, famulo tuo, & famulæ tuæ legaliter copulatis tribue largitatem, vt mandata tua, te miſerante, ſectantes, conſolationem præſentis vitæ percipiant & futuræ. Per.

A *Ordo ad armandum Eccleſiæ defenſorem vel alium militem.*

Imprimis benedicat Epiſcopus vexillum eius hoc modo:

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui es cunctorum benedictio & triumphantium fortitudo, reſpice propitius ad preces humilitatis noſtræ, & hoc vexillum quod bellico vſui eſt præparatum, cœleſti benedictione ſanctifica, vt contra aduerſatias & rebelles nationes ſit validum, tuoque munimine circumſeptum, ſitque inimicis Chriſtiani populi terribile, atque in te confidentibus ſolidamentum, & certa fiducia victoriæ. Tu es enim Deus qui conteris bella, & cœleſtis præſidij ſperantibus in te præſtas auxilium. Per vnicum filium tuum Dominum noſtrum, qui tecum viuit & regnat.

Poſt benedicat lanceam.

Geneſ. 4. B Domine Deus omnipotens lux & vita fabricæ mundi, qui per manus Tubalcain ad vſus hominum fabrilia opera inſtituiſti, reſpice propitius noſtri deprecationem officij ad benedicendam hanc lanceam militaris inſtrumenti, qui à milite latus filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti, pro noſtra ſalute in cruce pendentis, permiſiſti lancea perforari, & per nomen eiuſdem filij tui eam ſic conſecrare & benedicere digneris, vt is qui eam tulerit, des ei proſperum ſignum tuæ defenſionis: ſicut dediſti Gedeoni, Sauli, Dauid quoque regi, vt tuis ſemper fultus auxiliis congaudeat & lætetur in te in omnibus proſperitatibus ſuis. Per eundem Dominum. Deinde alligetur vexillum lanceæ & tenente eam milite adſpergat eam Epiſcopus aqua benedicta, & dicat:

Oremus.

INclina domine Ieſu ſaluator omnium ac redemptor animarum, aures tuæ pietatis ad preces noſtræ humilitatis, & per interuentum beati Michaelis Archangeli
C tui omniumque cœleſtium virtutum, præſta huic viro auxilium dexteræ tuæ, & ſicut benedixiſti Abraham aduerſum quinque reges triumphantem, atque Dauid regem in tui nominis laude triumphales congreſſus exercentem, ità & hunc benedicere & ſanctificare digneris contra hoſtilem rabiem ob defenſionem ſanctæ Eccleſiæ vexillum iſtud deferre cupientem, quatenus in nomine tuo fideles & defenſores populi Dei illud ſequentes, per virtutem S. crucis triumphum & victoriam ſe de hoſtibus acquiſiſſe lætentur. Qui cum Deo Patre & Spiritu ſancto viuis.

Poſt hac benedicat enſem eius hoc modo:

OREMVS.

EXaudi, quæſumus Domine, preces noſtras, & hunc enſem, quo hic famulus tuus ſe circumcingi deſiderat, maieſtatis tuæ dextera benedicere dignare, qua-
D tenus protectio atque defenſio poſſit eſſe Eccleſiarum, viduarum, orphanorum, omniumque Deo ſeruentium, contra ſæuitiam aduerſariorum, aliiſque inſidiantibus ſit pauor, terror & formido. Per.

Item alia.

Benedic, Domine ſancte, Pater omnipotens, per inuocationem ſancti nominis tui, & per aduentum filij tui domini noſtri Ieſu Chriſti, atque per donum ſpiritus paracleti hunc enſem: vt is qui hodierna die, tua pietate, eo præcingitur, viſibiles inimicos conculcet, victoriaque per omnia potitus, ſemper maneat illæſus Per eundem.

Tunc benedicat militem.

OREMVS.

FAmulum tuum, quæſumus Domine, pietatis tuæ cuſtodia muniat, vt hunc enſem, quem, te inſpirante, ſuſcipere deſiderat, te adiuuante, illæſum cuſtodiat. Per.

Deinde cingat eum Epiſcopus, dicendo: E

Accipe hunc gladium cum Dei benedictione tibi collatum, in quo per virtutem Spiritus Sancti reſiſtere & eiicere valeas omnes inimicos tuos, & cunctos ſanctæ Dei Eccleſiæ aduerſarios, adiuuante domino noſtro Ieſu Chriſto. Qui cum Deo.

Quo accincto, canant clerici has antiphonas.

Speciosus forma præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis. Verſ.

Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime. Cum Gloria.

Antiphon. Specie tua & pulchritudine tua intende proſpere procede & regna.

Cum Pſalmo, Propter veritatem & manſuetudinem & iuſtitiam, deducet te mirabiliter dextera ſua. Sagitæ tuæ F
acutæ, populi ſub te cadent.

Cum gloria, & repetitione Antiphonæ, ſpecie tua.

Sequatur, Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui famulum tuum N. eminenti mucrone circumcingi voluiſti, fac illum contra cuncta aduerſantia ita cœleſtibus armari præſidiis, quo hic & in æuum nullis tempeſtatibus bellorum turbetur, nec inimicorum hominum inſidiis terreatur. Per.

Tunc benedicat ſcutum.

Domine Deus ſaloator mundi, ſine quo vana ſalus eſt hominis, intende deprecationem noſtræ humilitatis, & ſuper hoc ſcutum, humani corporis tegumentum, infunde benedictionis tuæ donum, vt qui ipſum lateri ſuo applicuerit ob defenſionem ſui, ſcutum & tutelam te ha- G
beat contra inimicos animæ & corporis, vt in vtroque vallatus & protectus, benedicat nomen gloriæ tuæ in omnibus ſuis operibus, & ad cœleſtia regna, te ducente, peruenire mereatur. Per.

Tunc det ei Epiſcopus.

Accipe ſcutum militiæ ſalutaris, obſtaculum inimicis, in nomine patris, & filij, & Spiritus Sancti: vt robore protectus ſuperni iuuaminis, non timeas populi millia te circumdantis. Per Chriſtum.

Sequatur Oratio.

Domine Deus, qui conteris bella, & adiutor & protector es omnium in te ſperantium, reſpice propitius inuocationem noſtram, & per merita ſanctorum martyrum tuorum, & militum, Mauritii, Sebaſtiani, Georgij, præſta huic viro victoriam de hoſtibus ſuis, & ſal- H
ua eum tuo gratuito munere, qui dignatus es hominem redimere pretioſiſſimo filij tui ſanguine. Qui tecum viuit.

Deinde circumſtantes dicant Antiphonam.

Scuto circumdabit te veritas Dei, non timebis à timore nocturno. Cum Pſalm. A Sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incurſu & dæmonio meridiano. Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dexteris tuis, ad te autem non appropinquabunt.

Sequitur, Oremus.

Conſerua, quæſumus Domine, famulum tuum illum & ab omnibus aduerſitatibus redde ſecurum, vt in præſenti vita gaudeat, & futura. Per.

A E

MELCHIOR HISTORPIVS LECTORI BENEVOLO.

IOANNES Cochlæus vir eruditiſſimus, & diligens Eccleſiaſticæ antiquitatis ſcrutator, cum annis ſuperioribus de Miſſæ ſacrificio antiquos & probatæ notæ ſcriptores publicaret, inter illos cuidam de Miſſa libello & breui expoſitioni, quam licet nullius auctoris nomen præferret eſſe tamen vetuſtiſſimam arguebant veneranda vetuſtatis codices, ex quibus eam deſcripſerat, locum eſſe voluit: Nobis autem, qui Doctoris Cochlæi veſtigiis inſiſtimus, & ab ipſo relictas ſpicas colligimus, aut potius ſegetes metimus, quippe quia eos auctores, ex quibus ipſe partem ſaltem aliquam & fragmenta in ſuum antiquæ deuotionis de Miſſa ſpeculum, ſiue quod ſic ſuo inſtituto conueniret, ſiue quod exemplaria ad manum non haberet, tranſtulerat, nunc integros exhibeamus, nobis inquam digniſſimus hic libellus eſt viſus, & valde conueniens, qui ad cæteros noſtros adiungeretur. Dignitatem enim eius ex argumento quod tractat, & ex antiquitate, quam ex multis indiciis colligimus, atque Doctoris Cochlæi iudicio, quod fuit exactiſſimum, aſſirmare poſſumus: noſtris vero adiungi admodum eſſe conueniens, facile nobis aſſentietur, qui eſſe eius Miſſæ expoſitionem, cuius nos Ordinem Romanum iam ante poſuimus, ex vtriuſque collatione obſeruabit. Itaque in noſtris codicibus, quos binos etiam nos valde antiquos habuimus, & cum quibus contulimus, ſtatim poſt ipſum Rom. Ord. collocatur, in quorum altero, quam notauimus ad marginem, inſcriptio etiam erat. Sed nos, quia auctor ignoraretur, hucuſque diſtulimus, non tamen inconuenienter, vt ſicut principium à Miſſa ſumptum eſt, ita quaſi Colophonem de Miſſa quoque adiiceremus. Iuuabit Eccleſiaſticæ antiquitatis ſtudioſos viros ex ipſo Ordine Romano graues & tanto ſacrificio conuenientes veterum Chriſtianorum cæremonias, ex hac autem breui expoſitione myſterium & ſignificationem earum tam ſanctarum cæremoniarum, quas alii explicarunt prolixius, breuiter cognoſcere. Et ſi nunc tanta maieſtate auguſtiſſimum illud Chriſtianorum ſacrificium non peragatur, & earum cæremoniarum, multis in hac pietatis atque religionis declinatione paulatim ſit derogatum, nihilominus iucundum erit priſcam piorum auorum venerationem erga tam ſacroſancta ſacra, ex his monumentis conſiderare. Neque tamen nullas eſſe Eccleſias, in quibus tam ſolennes ritus adhuc perſeuerent & ſuperſint, exiſtimandum eſt. Nam quamuis Colonienſis noſtra, & fortaſſis etiam aliæ hos ſic per omnia ritus non obſeruent, & Acolythorum, Lectorum, & aliorum miniſtrorum, qui hic Miſſæ aſſiſtere iubentur, & quibus hic ſua officia aſſignantur, nomina tantummodo nos retineamus, tamen alibi & apud alias nationes harum obſeruationum quamplurimas in vſu permanſiſſe, ipſe teſtari poſſim, qui in Rhemenſi illuſtriſſimi Cardinalis Caroli Lotharingi Rhemorum Archiepiſcopi & Ducis Cathedrali Eccleſia, ſiue quod ita ſemper aſſueuiſſent, ſiue ex ipſius doctiſſimi Cardinalis reformatione ac noua inſtitutione, neſcio, ſimili ſolemnitate, ornatu, cæremoniis & tanto miniſtrorum numero ea peragi, obſeruaui: Eumque ego ſolemnem ſacris operandi, & quandam maieſtatem præſeferentem modum tum ſum admiratus, & ſæpè poſtea prædicaui. Itaque ſi apud alias Eccleſias harum tam auguſtarum cæremoniarum multa, religione & pietate paulatim deficiente, & ſi hoc dicere fas eſt, Epiſcopis Miſſas rariſſime celebrantibus, in deſuetudinem venerint: tamen aliæ ſuas hic cæremonias inuenient, quæ tanto placebunt magis, quanto eas eſſe à priſcis & religioſis patribus obſeruatas & frequentatas magis intelligent: cæteris autem ipſius antiquæ pietatis contemplatio grata erit atque iucunda. Nam ſi gentilium veterum, qui mores, quæ inſtituta, qualis Reſpub. Deorum etiam quis cultus, & quæ religio apud eos fuerit, & omnis illa veterum antiquitas, ſtudioſè à multis inquiritur & cum delectatione legitur, verum certe Eccleſiaſticarum antiquitatem, & priſcam veterum pietatem, antiquos ritus atque cæremonias, & quam maiores noſtri reuerenter res ſacras tractauerint, Chriſtianos homines ſcrutari atque cognoſcere, tanto iuuabit magis, quanto eſt cum maiori voluptate & fructu coniunctum.

Porro de ſigno crucis, quoties, in quibus locis, & quomodo in ſacro Miſſæ Canone, fieri atque ſignari debeat, quia ſæpè in ſuperioribus libris explicatam rationem reperimus, & S. Bonifacium dignam quæſtionem de qua ad Zachariam Pontificem referret, & hunc non indignam, ad quam ipſi reſponderet iudicaſſe legimus, placuit quæ de ea apud ipſum quoque Romanum Ordinem in tribus MS. libris coniuncta legebantur, his quoque adiungere. Quæ vt cum reliquis ad pietatis profectum ſtudioſè legas, optamus, nec minus vt boni ea conſulas, & quem in his proferendis conferendiſque, laborem moleſtum & immenſum impendimus, fauore atque gratia, ac ſicubi vel noſtra, vel exemplarium incuria erratum ſit, venia proſequaris, rogatum te Lector volumus.

B F

EXPOSITIO MISSÆ tranſcripta ex venerandæ vetuſtatis Codicibus.

C G

MISSA pro multis cauſis celebratur. Prima, vt ſæpè rogemus Deum. Secunda, vt ſuſcipiat Deus preces & oblationes. Tertia pro offerentibus & defunctis. Quarta, pro oſculo pacis. Quinta, vt ſanctificata ſit oblatio. Sexta, vt confirmetur per Spiritum ſanctum oblatio corporis & ſanguinis Chriſti. Septima, vt cantetur *Pater noſter*: In qua oratione continentur Septem petitiones, id eſt, Tres ſpirituales, & Quatuor temporales. Hanc orationem primitus docuit Dominus diſcipulos & Apoſtolos ſuos. De qua dicit Propheta: *Quicunque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit.* P. Septem donis Spiritus ſancti, vel pro ſeptem gradibus Eccleſiæ.

In noſtrorum codicũ altero hic erat titulus. *Ordo Miſſæ à S. Petro inſtitutus i cũ expoſitione ſua.* *Cauſa celebrandi Miſſas.* Matth. 6.

H

Ioël. 1.

D

Cur quotidie iteratur iſta [oratio vel] oblatio, cum Chriſtus ſaluauit mundum per vnam paſſionem ſuam, & mors illi vltra non dominatur; Reſponſio: pro multis cauſis. Prima, eo quod peccamus quotidie. Secunda, eo quod corpus Chriſti pœnitentibus poſt peccata offerri iubeatur, vt ſalutem per corpus Chriſti Domini inueniant, atque exeant poſt pœnitentiam. Tertia, vt magnum beneficium paſſionis Domini obliuioni non tradatur. Quarta, vt ſimiliter in Eccleſia diem iudicij, in quo iuſti ab iniuſtis ſeperabuntur.

Cur ſæpius celebratur Miſſa. *In ſuproſcripto Codice hoc loco ſolũ erat epigraphe.*

Introitus Miſſæ cui conuenit? R. Patriarcharum Prophetarumque præconiis. Vnde exortus eſt? R. A choro Prophetarum, qui orantes annuntiauerunt Chriſtum venturum in mundum &, per quorum orationes prophetiaſque intrauit in eum. Exiens enim de ſecreto cœli, velut Epiſcopus aut Presbyter de Secretario [templi,] venit ad altare: orante & prophetante interim choro Clericorum. Verſus, qui cantatus ad recipiendum Introitum,

Incipit expoſitio totius Miſſæ et cũ ordia ſcripturarum diuinarum.

A

** per priorem Chriſti aduentum ſignificat prophetiam.*
** presbytero.*

tum, * priorem, Chriſti aduentum ſignificat prophetarum. Poſtquam enim Epiſcopus cum ſuis Diaconis ſeu presbyteris de ſecretario veniens, Ingreditur ad altare, poſt oſculum ſibi inuicem datum innuente Epiſcopo ſiue * Diacono, *Gloria*, à cuncto Clero decantatur, *Patri & Filio & Spiritui ſancto:* Quia pax à Chriſto in cœlo & in terra iam facta eſt, quam chorus Prophetarum, id eſt, Clericorum, ante prophetabat. Quod autem dicente Clero, *Sicut erat inprincipio, & nunc & ſemper*, Diaconi procedunt ad altare, & illud oſculantur ante Epiſcopum, ſignificat ſanctos ante aduentum Chriſti, pro eius amore multas tribulationes perpeſſos: quia corpus Chriſti vnum eſt, à ſanctis viris connexum, qui ante fuerunt in veteri Teſtamento, & qui nunc ſunt in nouo.

*al. * eos ſeptem. Miniſtri in Miſſa quot.*

Septem Diaconi procedunt, propter * eos, qui ante Natiuitatem Chriſti mortificationem in corpore ſuo portauerunt. Quinque procedunt, ſi ſeptem non habentur, propter quinque libros Moyſis. Si quinque non aſſunt, Tres procedunt, propter fidem, ſpem & charitatem.

B

Vnus procedit, propter vnitatem Eccleſiæ. Poſtea, oſculato altari, reuertuntur ad Epiſcopum ſtantes erecti: Propter quod dicitur in Euangelio: *Scio vnde veni, & quo vado.*

Ioan. 8.

Diaconi retro adſtant: quia choro Martyrum aptantur. Ipſi enim Diaconi ad altare præceſſerunt, quia in veteri Teſtamento Martyres ante Chriſti aduentum extiterunt: Et modo retro ſtant, quia poſt Domini natiuitatem, multò plures martyrio coronantur. Ex ipſis autem Diaconis ſtant quidam ad dexteram, ſed plures: alij quidam ad ſiniſtram, verum tamen pauciores: Quia per contemplatiuam vitam, quæ in dextera intelligitur, plures: alij quidam ad ſiniſtram, verum tamen pauciores: Quia per contemplatiuam vitam, quæ in dextera intelligitur, plures in æterno coronantur regno quam per actiuam, quæ accipitur in ſiniſtra. Et contemplatiuam vitam ducentes, maiore virtute vigent, quam in actiua adhuc vita manentes. Sufficit enim tibi exemplum duarum ſororum, Marthæ ſcilicet & Mariæ: quarum vna, circa plurima miniſtrans, turbata agnoſcitur: Et altera, verbis Domini ſolummodo Intendens, & in ſpe cœleſti requieſcens legitur.

Myſterii in ſtatione Diaconorum circa altare.
Cant. 2.
Luc 10.

C

Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon.

Tunc ergo Kyrie eleiſon celebratur, & de Acolytorum manibus candelæ admittuntur, quia Chriſtus Epiſcopus, ſuper omnem fulgens lucem & illuminans, aduenit. Quod ad eos Prophetas reſpicit, qui circa Domini aduentum fuerunt. Ex quibus eſt Zacharias, ciuſque filius Ioannes. Pertinet autem Kyrie eleiſon ad diuinam panis excellentiam: Ad humanitatis vero formam Ieſu Chriſti, pertinet Chriſte eleiſon. Et eſt ſenſus Kyrie eleiſon, commoda mihi Pater miſericordiſſimam aurem tuam, & miſerere mei: Interpretatur: *Domine miſerere.* Eſt autem intellectus Chriſte eleiſon: Chriſte, ne permittas humanum genus terrena deſiderare, ſed ad cœleſtia anhelare. Vel pertinet ad eos Kyrie eleiſon, qui ante Natiuitatem fuerunt Chriſti: Chriſte eleiſon vero ad eos, qui poſt paſſionem Domini ſucceſſerunt.

Luc. 10.

Gloria in excelſis.

D

Luc. 2.

Poſtea Epiſcopus ſolus: *Gloria in excelſis Deo* inchoat quia ſolus Angelus paſtoribus annuntiauit Domini Natiuitatem, per quam gloria Domini declarata eſt: deinde vero totus chorus reſpondet: Quomodo cum Angelo incipiẽte facta eſt ſubito cœleſtis multitudo militiæ Angelorum, laudantium Deum & dicentium: *Gloria in excelſis Deo: & in terra pax hominibus bona voluntatis.* Prima Collecta reſpicit ad hoc, quod Dominus agebat circa duodecimum humanitatis ſuæ annum, quando aſcendit Hieroſolymam, & ſedit in medio doctorum audiens & interrogans illos. Hæc eadem, nunc oratio, nunc Collecta dicitur. Oratio autem ideo dicitur, quia bona orantur cœleſtia venire populo. Collecta vero idcirco nuncupatur, quia incipit ſe populus in vnum colligere.

Quatuor partes Miſſæ.

Miſſe autem officium totum in Quatuor diuiditur ſpecies, id eſt, in Precationes, Orationes, Poſtulationes & Gratiarum actiones. Quicquid enim agitur in officio Miſſæ, antequam oblatæ ponantur ſuper altare: Precationes nominantur: quia precantur bona populo. Et quicquid ab hora ſit qua * *Sanctus* canitur, vſque ad *Agnus Dei*, Oratio vocatur. Quæ poſt *Agnus Dei* dicitur: Poſtulatio appellatur. Quod autem, in fine Miſſæ à populo reſpondetur, *Deo gratias*, gratiarum actio nuncupatur. Inter deprecationem autem & precationem hoc intereſt, quod precatio fit, quando optantur cœleſtia animarum præmia populo: Deprecatio autem eſt, quando Pontifex orat, vt declinet in hac vita populus à malo, & faciat bonum.

F

** Secreta canitur.*

1. Pet. 3.

Epiſtola autem ad prædicationem Ioannis Baptiſtæ pertinet: Quia ſicut Ioannes fuit præcurſor Chriſti, ita nunc Epiſtola præconatur Euangelium, quod eſt Chriſtus. Epiſtola quippe Latine ſupermiſſa dicitur, eo quod ſit miſſa ab Apoſtolis ſuper legem Moyſis, Pſalmos & prophetas: Significat autem Ioannis prophetiam, cui Chriſtum prope nuntiabat adeſſe. Poſt primam datam orationem. Pontifex ſedet tribus horis, verſus ad populum: Et presbyteri cum eo, ad nutum eius; Et Diaconi ſtant ante Pontificem; Subdiaconi autem aſcendunt, ad altare, ſtatuentes ſe ad dexteram ſiue ſiniſtram.

F

Sedet autem tribus horis, quia Chriſtus cum eſſet annorum duodecim, ſedit in templo in medio Doctorum tribus diebus. Sedens autem vertit, faciem ad populum, vt oſtendatur poteſtas ei data à Deo, vt poſſit ſuperintendere, & ſuperſpeculari, quis humilitet, quiſ-ve ſuperbe ſtet in Eccleſia; quia Epiſcopo commiſſæ ſunt animæ, pro quibus rationem Deo redditurus eſt. Subdiaconus vero, qui lecturus eſt, mox vt viderit poſt Pontificem presbyteros reſidentes, aſcendit in ambonem vt legat. Non tamen in ſuperiorem gradum quem ſolus ſolet aſcendere qui Euangelium lecturus eſt. Poſtquam legerit, Cantor in Cantorio ſine aliqua neceſſitate aſcendit, non ſuperius, ſed ſtat in eodem loco vbi & Lector, & ſolus inchoat Reſponſorium; Et cuncti in Choro reſpondent. Et idem ſolus verſum Reſponſorij cantat. Si fuerit tempus, vt dicatur Alleluia, bene: Sin autem, Tractus, ſin minus, tantummodo Reſponſorium.

G

Cantor vero, qui inchoat Alleluia, ipſe ſolus cantat verſum de Alleluia. Ipſe iterum Alleluia dicit, ſtans in eodem gradu, id eſt, in inferiore. Sequitur, Iubilatio, quam Sequentiam vocant. Reſponſorium igitur ad Chriſti vocationem, qua Apoſtolos vocauit, pertinet. Et ideo ſolus in pulpito incipit Cantor, quia ſolus Chriſtus Apoſtolos vocauit. Et cuncti in Choro reſpondent, quia reſponderunt Apoſtoli, & obedierunt Chriſto clamanti. Et ipſe ſolus poſt Inchoationem Reſponſorij verſum decantat: quia ſolus Chriſtus pernoctans poſtquam vocauit diſcipulos, orabat. Alleluia quidem (quod eſt laus Dei) cantamus, vt Chriſtum imitemur, qui lxxii. diſcipulis per ciuitates miſſis, ad quas venturus erat, vt laudem Chriſti annuntiarent, & ipſis reuerſis, Alleluia, id eſt laudem, Deo patri decantauit, dicens: *Confiteor tibi pater Domine cœli & terra * qui abſcondiſti hæc myſteria ab his, quo ſapientes ſunt & prudentes in terrenis actibus & deſiderijs carnalibus, & reuelaſti ea paruulis. Confiteor* enim, nihil aliud eſt in hoc loco, niſi, Gratias & laudes ago tibi pater. Eius autem verſum cantamus, ipſum æmulantes, qui ſolus dicebat. *Nemo ſcit qui ſit filius, niſi pater, & qui pater, niſi filius, & cui voluerit filius reuelare.* Alleluia poſt verſum iterum canimus; ipſum ſequentes: qui rurſus Alleluia dicit, dum ait: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Et paulo poſt: *Et inuenietis requiem animabus veſtris.* Vbi autem Euangelium legitur, ibi epiſtola legi non debet, ſed in ſubteriori gradu: Quia Ioannis prædicatio, ad euangelij Chriſti altitudinem aſcendere non potuit. Qui autem Epiſtolam legere vult, vbi pronuntiatur Euangelium, Ioannis prædicationem coæquare tentat Euangelio Chriſti. Nec in eodem gradu Reſponſorium, vel Alleluia cantari debet, quo recitatur Euangelium Chriſti: ne aſſimilari Apoſtolorum * vocatio vel diſcipulorum lxxii. * miſſio aut latior videatur Euangelio Chriſti.

Hebr. 13.
Luce 6.
Luce 9. & 10.
Matth. 11
** quia.*
Ibidem.
H
Ibidem.
** vocationi.*
** miſſioni.*

Euangelium autem legitur, in quo Chriſtus ore ſuo loquitur populo, vt Matthæus ait *Et aperiens os ſuum,*

Matth. 5.

A *docebat eos, dicens. Beati pauperes ſpiritu, & reliqua.* Vt ſicut Chriſtus poſt legem, pſalmos & prophetas, os ſuum aperiens locutus eſt populo: ita poſt Epiſtolam Reſponſorium & Alleluia, quæ nunc celebrantur in Miſſa, pro his tribus Euangelium in Eccleſia legatur ac ſi populo Chriſtus ipſe loquatur. Hoc autem Diaconus lecturus, ab Epiſcopo aut preſbytero benedictionem petit. At ille inquiens, ait Diacono: *Dominus ſit in corde tuo & in labiis tuis,* [Euangelium namque bonum nuncium dicitur, quod annuntiat nobis in futuro vitam poſt mortem, requiem poſt laborem, regnum poſt ſeruitium.] Tunc demum pergens Diaconus ad altare accipit Euangelium. Et non indifferenter, ſed eius partem ponens in dextero humero, * vadit ad ambonem. Et duo Acolyti eum præcedentes portant duo cercoſtata, id eſt, duas candelas accenſas, qui venientes ante ambonem, diuiduntur à ſe, & tranſeunt Subdiaconus & Diaconus cum Euangelio per medium eorum. Præcedunt autem Euangelium duæ candelæ, (B) propter geminam dilectionem, Dei videlicet & proximi: ſiue propter duo Teſtamenta, quibus illuminatur genus humanum: Seu propter duo reſurrectionis teſtes, Moyſen videlicet & Heliam, populum illuminan- (Matth. 17.) tes. Candelæ autem, Diacono Euangelium prædicante, ideo in pauimento, de manibus acolytorum iuxta ambonem] deponuntur: * *Itaque ad ambonem duabus præcedentibus candelis propter Moyſen & Heliam, qui ſunt veteres teſtes reſurrectionis viuorum & mortuorum, populum illuminantes, & duobus thuribulis vel vno, quod ſignificat corpus* CHRISTI *paſſum, eiuſdemque fumus incenſi ſanctorum orationes. Carbones autem eius, ſancti Spiritus illuminationem deſignant ſiue feruorem charitatis. Sed candela ideo in pauimento, prædicante Diacono Euang. de manibus acolytorum iuxta ambonem deponuntur:* (*Myſterii thuribuli. al ſic legitur.*) * Ne quis conetur prædicare ſuper id, quod in propheticis, Euangelicis & Apoſtolicis reperit doctrinis. Præterea thuribulum ſeu thymimaterium aſcendendo & deſcendendo ſemper præcedit Euangelium per medium pulpitum, (* *tanquã* C *euangelium.*) non tamen permanens diu in ambone. * Quia paſſio Chriſti per thuribulum ſignata eſt, quod ſignificat corpus Chriſti paſſum. Fumus incenſi, orationes ſanctorum. (*quia eius paſſio per thuribulũ ſignata eſt in cruce.*) Carbones autem eius, ſancti ſpiritus illuminationem deſignant, ſiue feruorem charitatis. Dum autem legitur Euangelium, baculi deponuntur de manibus, vt à Iudæis diſſentiamus, qui caput Chriſti arundine percutiebant. Non enim eſt baculus neceſſarius, id eſt, humanum auxilium, dum ipſum Chriſtum præſto habentes, (*Dum autem. &c. Quid baculi in manib.*) eius vocem audimus: Cum autem humano vtimur auxilio, ante vel poſt Euangelium baculos in manibus tenemus. Accedente igitur ipſo Chriſto, id eſt, Euangelio, baculos dimittimus, quia humano auxilio non egemus. Capita inſuper noſtra, dum Euangelium audimus, (*Audire euangelium detecto capite.*) ab omni velamine à Iudæis diſcutientes detegimus: quia Chriſtus proprium caput ſuum pro nobis ſpinea corona velatum habuit. Diaconus autem Euangelium legens, ad meridiem verſus, ſignificat Eccleſiam ſeruantem animo in amore Dei, eleuatam eſſe in magno culmine virtu- (Cant. 1.) tum. Vnde dicitur in cantico canticorum: *Indica mihi* D *quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie.* Poſtea vero deſcendente Diacono de ambone affertur Euangelium primum Epiſcopo aut presbytero, ad oſculandum: Deinde vniuerſo * Choro, necnon & populo: (* *clero.*) Deinde conditur in loco ſuo. [Poſt lectum vero Euangelium, candelæ in loco ſuo extinguuntur, & ab epi- (2. Cor. 2.) ſcopo, *Credo in vnum Deum*, cantatur. Thuribula per altaria portantur, & poſtea ad nares hominum feruntur, & per manum fumus ad eos trahitur.] * Cantatur autem (*Alias * Cantatur quidẽ Credo in vnum Deum patrem omnipotentem, vt quia.*) ſymbolum, vt quia populus audiuit Chriſtum in Analogio prædicantem, oſtendat, qua credulitate eius ſuſceperit doctrinam. Quod autem Offertorij celebratur officium, nulli aptius conuenit quam his, qui obuiam Chriſto Hieroſolymam properanti, ſternentes veſtimenta ſua in via, ramoſque de arboribus frangentes exierunt. Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, (Matth. 21.) clamabant: *Oſanna filio David*, &c. Illi enim veſtimenta ramoſque offerebant: nos vero panem &, vinum

E Tunc nuncque cantu celebrato. Ideoque illi hæc agebant tunc, noſque modo, Vt oſtendamus ita nos paratos eſſe pro fratribus morti ſuccumbere, ſicut Chriſtus paſſus eſt pro nobis. Quod primum quidem maſculi offerunt, ſignificat, Primitiuam Eccleſiam ſub Imperatoribus nondum Chriſtianis, multas iniurias paſſam. Ex hinc vero offerunt mulieres. Eccleſiam deſignantes nunc tranquilliorem vitam ducentem. Nouiſſime vero ſacerdotes & Diaconi offerunt, ſed ſolum panem, ſignificantes, nouiſſime plurima Eccleſiam paſſuram ſub Antichriſto tormenta. Ad vltimum vero Archidiaconus, aut quicunque vicis ſuæ ordine legerit Euangelium complens orationem cunctorum infundenſque aquam in calicem ex amula Pontificis, offert: Quod ad * robuſtionem in (* *roborationem.*) Sacerdotes & Leuitas pertinet. Quia quo magis hic patimur, eo amplius in futuro coronabimur. Tunc demum (*Statio Diaconorum & ſubdiaconorum.*) his ita geſtis ac rite ordinatis, Diaconi retro poſt epiſcopum ſtant: Et ſubdiaconi ante epiſcopum, ſed poſt altare vt ſignificent idem Diaconi, quod Apoſtoli tempore F paſſionis fugientes ad horam retro ſteterunt, poſtmodum ſecuturi Dominum poſt paſſionem. Subdiaconi autem ante epiſcopum ſtantes, deſignant eos qui licet clam, diſcipuli tamen cum Chriſto perſtiterunt in paſſione. Ex quibus erat Ioſeph ab Arimathia, & Nicodemus, nec non & Centurio confitens, & omnis turba eorum, qui (Matth. 27.) percutientes pectora ſua, Chriſtum plangendo, reuertebantur. Altare namque crux Chriſti accipitur.

Quæritur quoque, cur Euangelio lecto veniens ſubdiaconus, ferat in brachio ſiniſtro, & non in dextro, calicem & deſuper corporale. Quod facile patet, ſi Chriſti myſterium animaduertimus. Ipſe namque Subdiaconus in ſiniſtro brachio calicem fert, ſignificans præſens breueque tempus eſſe trium ſpatio dierum quo tulit calicem Chriſtus in paſſione: quia in ſiniſtra præſens intelligitur vita. Linum autem per multas exercitationes ad (*Quid corporale ſignificet.*) ſuum peruenit candorem. Sic namque Chriſtus Ipſe Subdiaconus factus, portat Corporale ſuper ſuum calicem: quia ſuorum paſſionem ſanctorum, lineas habentium G mentes, id eſt, per multos labores candidas, ſuper pro- (*Quid patena.*) priam geſtat paſſionem.

Patena namque crux ſiue ſepulcrum accipitur. In dextera enim, æterna intelligitur vita. Patena ergo geritur (*Amula genus vaſculi ad aquã geſtandã, quod religionis & expiandorum malorum gratia geſtatur.*) in dextera: quia per crucem, eam ſignificantem, Chriſtus ad æternam rediit vitam. Amulæ autem, cum quibus offerimus, noſtram deuotionem ſignificantes puram, in calice ſuſcipiuntur à Diacono: quia idem Chriſtus, factus Diaconus, ait: *Non veni miniſtrari à quoquam, ſed miniſtrare:* Cum quiſque in ſuo calice, hoc eſt, paſſione, eandem deuotionis noſtræ ſuſcipit puritatem. Oblata denique corpus Chriſti deſignans, non nu- (Matth. 20.) dis manibus, ſed fanonibus multo labore ſtudiorum can- (Gal. 5.) didis offertur: quia Chriſtus non niſi à mente carnem cum vitiis & concupiſcentiis crucifixam habente, ſuſcipitur * Offerentibus autem hominibus, Cantus celebratur, (*** *Cantus offertorij.*) vt oſtendatur, debere homines gratias & laudes Deo referre, dum manibus, cæteriſque membris agere ſatagunt opera, quibus ei placere valeant.

Prima autem oratio ſuper corpus Chriſti futurum. Se- H creta dicitur, & ſecrete * cantatur. Quia de Gentilibus, (*Secreta oratio.* * *legitur.*) qui erant venturi in corpus Chriſti, antequam idem conſecraretur in cruce, ſecreto & myſtice prophetabatur. Si ergo Chriſtus ſolitudinem quæſiuit in oratione, quanto magis nos oportet * quærere & tacite orare, qui vndi- (* *quiete Vtilitas ſecretæ orationis.*) que circumdamur tumultibus vitiorum & immanſuetudine ſæculi, Vtile eſt enim, omnem orationem ſpecialem ſacerdotum ſecretam eſſe, vt non cogitent, quomodo placeat compoſitio oris populo, ſed ſolummodo penſent, qualiter mens poſſit placere ſoli Deo, quem orant. Præfatio autem prælocutio dicitur. Hæc namque oratio, prælocutio eſt totius ſecuturæ orationis, quæ fit ſuper corpus conſecratum, à *Te igitur*, vſque *ad Agnus Dei.* In hac enim prælóquitur ſacerdos grates laudeſque Deo vt melius ad conſecrandum corpus Chriſti Ieſu poſſit peruenire: finita autem laude ſacerdotis, totus ſimul canit Chorus Angelicum hymnum, *Sanctus Sanctus San-*

A Math.6. *ſtus*: vt vna æqualiſque gloria, laus & honor, decantetur Patri & Filio & Spiritui Sancto. Cur *Te igitur*: ſecreto canitur; Vt Chriſto obediatur, dicenti: *Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum & clauſo oſtio, ora patrem tuum.* Moris namque fuit ſanctorum patrum, vt cum vellent ſpecialiter orare, primum Deo laudem agerent, & poſtmodum orationem ſecretam perficerent. Ipſe enim Chriſtus venturus ad conſecrationem corporis ſui, ſolus ſecreto orabat. Et ob id nos quoque in conſecratione corporis eius, ſecretam facimus orationem. Quoq autem diaconus calicem cum ſacerdote eleuans, partem eius fanone tegit, partemque de tectam relinquit: ſignificat ſudarium quod erat ſuper Ieſum, non totum corpus eius tegens.

Sex ordines crucum in Miſſa. Sex autem ſunt ordines Crucum in *Te igitur*. Quorum primus eſt, vbi dicitur, *Et benedicas hæc dona, &c.* Propter legem videlicet naturalem, id eſt, quod tibi fieri non vis, alii ne facias. Quæ ab Adam vſque ad Moyſen: Quia B Tob.4. Math.7. etſi illius temporis ſancti Patres non viderunt crucem Chriſti, cruciatum tamen carnis pro eius amore tulerunt. Secundus ordo crucum eſt, vbi dicitur: *Quam oblationem tu Deus &c.* Ob legem per Moyſen datam. Sub ipſa enim ſancti Patres ob Chriſti deſiderium, eius cruciatum tolerauerunt. Tertius ordo eſt, vbi narratur: *Et accipiens panem in ſanctas & venerabiles manus ſuas, &c.* Propter prophetarum præconia, qui fuerunt à Samuele Propheta vſque ad Zachariam, eiuſque filium Ioannem Baptiſtam qui etiam vnius manibus eum accipiebat. Deinceps vero ſequitur quartus ordo, vbi ſubinfertur, *Hoſtiam puram, &c.* propter Euangelium, quod Chriſtus tempore ſuo vitam euangelizauit: quia ipſis diebus cruciatum Chriſti ferentes ſancti, eius corpus adunauerunt. Quintus poſt ſequitur ordo, vbi dicitur: *Per quem hæc Domine omnia ſemper bona creas.* Rom.11. Gentilium Eccleſiam tangens, quia Chriſti corpus æmulantes, eius cruciatum perpeſſi C ſunt. Sextus denique ordo ſequitur, quando profertur: *Per ipſum & cum ipſo & in ipſo*: Propter plenitudinem in ſæculi fine gentium, & omnis Iſraël ſalutem: Qui complentes ſimul Chriſti corpus, maxime Chriſti crucem, hoc eſt, cruciatum patientur. Senarius enim numerus, partibus ſuis computatus primus perfectus eſt ſine altero. Quinque ordines crucum, qui fiunt ante ſextum, quando cum oblata calix tangitur, quinque ſunt ſæculi ætates, vſque ad Chriſti aduentum. Sextus vero ordo ſexta eſt ætas à Chriſti aduentu vſque in ſæculi finem.

Ioan.19. Quod autem Diaconus calicem tenens exaltatum coram pontifice ponit in altare, ſignificat Ioſeph Chriſti corpus de cruce deponentem, & in monumento ſuo recondentem. Cæterum quod corpus Chriſti in altari permanet, donec tres compleantur orationes, id eſt, *Præceptis ſalutaribus, moniti*, & ipſa oratio Dominica *Pater noſter*, &, *libera nos quæſumus Domine*, ſignificat corpus tribus diebus in ſepulchro quieuiſſe. Poſt tres autem orationes, corpus Chriſti aufertur de altari, quod D pro ſepulchro in hac ſignificatione accipitur, quia poſt tres dies corpus Chriſti de ſepulchro ſurrexit.

Ibid. Quod autem acolytus tenet patenam in ſindone paratam, Nicodemo conuenit, qui * ferens mixturam myrrhæ & aloes, quaſi libras centum, accepit cum Ioſeph corpus Chriſti, & vnxit illud. Ideo autem paratam tenet acolytus patenam, vt quacunque hora iuxta ordinem voluerit * Diaconus de altari Domini corpus efferre, parata habeat vaſa. Quid eſt autem, quod ſubdiaconus corpus ſuſcipiens Chriſti, à * diacono & ab Angelo qui verba Chriſti annuntiat, diſcipulis primum, id eſt, presbyteris defert ad frangendum, poſtea vero populo ad communicandum: niſi quæ mulieres, in ſubdiacono ſignificatæ, ab Angelis ſuſcipientes reſurrectionem Chriſti diſcipulis detulerunt? Quod autem * Subdiaconus quieſcit, cum oratio Dominica canitur, ſignificat mulieres, quæ ſabbato ſiluerunt. Sabbatum autem ſeptima dies eſt, ſic & ſeptem petitiones in oratione Dominica complentur. Quarum prima eſt: *Pater noſter qui es in cælis, ſanctificetur nomen tuum*: In qua petimus ſapientiam cœleſtem. Secunda eſt: *Adueniat regnum tuum*: Vbi petimus in-

*al. * ferens myrrhã & aloe.*
** Sacerdos diaconum.*
** Diaconis.*
** Subdiaconi quieſcit.*
Septem petitiones in oratione Dominica 7. dona Spiritus ſancti.

E tellectum credulitatis: quia per credulitatem venimus ad intellectum, qui in regno plenius dabitur futuro, quando non iam per ſpeculum in ænigmate, ſed facie ad faciem videbimus & intelligemus. Tertia petitio eſt, *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in terra*: Tertium Eſai.7. 1.Cor.11. ... ppe donum petimus, id eſt, conſilium: vt velut Dei prouidentia in cœleſtibus omnia per conſilium teguntur: ita noſtræ mentes ab eius conſilio in terra corporis degentes, mereantur dirigi. Quarta petitio eſt, *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* In hac vero fortitudinem petimus, cui panis conuenit. Vnde canitur; Panis viuus qui de cœlo deſcendit, cor hominis cõfirmat. Quinta eſt: *Et dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Ioan.6. Pſal.103. In hac vero poſt fortitudinem petimus ſcientiam. Merito huic petitioni ſcientia obuiat: Quia quiſquis ſcientia perfruitur, ſcit quid iuſtitia puniat, & miſericordia dimittat. Sexta eſt: *Et ne nos inducas in tentationem.* Sextum namque petimus donum, id eſt, Pietatem; vt quando trahimur à noſtra fragilitate vſque ad F immundam cogitationem, ne nos dimittat diuina pietas induci vſque ad peiorem voluntatem & peſſimam operationem ſiue à ſuggeſtione vſque ad delectationẽ & conſenſum. Septima demum petitio: *Sed libera nos à malo.* Quæ vero Dei timori congruit. Timeamus ergo, fratres dilectiſſimi, Dominum velut ſerui, & diligamus ceu filij patrem: non præſumentes eius voluntatem præterire: Et ipſe liberabit nos à timore nocturno & ab omni malo, ſcilicet, carnis delicto, vel diabolico incurſu, ſeu ab homine prauo. † Panis autem cum cruce in vinum mittitur, dicente ſacerdote, *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*, Vt oſtendat Chriſti animam ad eius corpus redeuntem, & pacificata eſſe non ſolum quæ in cœlo ſunt, ſed etiam quæ in terra. *Oſculum pacis.* Quare homines ſibi inuicem oſculum dant, quod eſt pacis ſignum, vt oſtendant ſe coniunctos in corpore Chriſti, per quem pax facta eſt in cœlo & in terra. Quare autem panis frangitur in patena? vt rememoretur panis viuus eſſe fractus nobis, qui de cœlo deſcendit per Epiph.2. G vnitatem perſonæ. *Agnus Dei* quare cantatur? Vt oremus Chriſtum nunquam deſiſtere miſereri noſtri, qui nos miſeratus eſt in paſſione. Denique orantes cantant poſt communionem cantores, vt oſtendant Chriſtum in populo eius corpore & ſanguine corroborato, manere. Ex hinc à * ſacerdote poſtulatur populo æterna benedi- *al. * Epiſcopo.* ctio, quia Chriſtus coram diſcipulis manducans & bibens, cum reſurrexiſſet à mortuis, reliquias eis dedit eleuatiſque manibus ipſis benedixit. Luc.vlt. His enim diſcipulis data benedictio intelligitur perennis. Epiſcopus autem his ita geſtis, ad propria redit: Quia Chriſtus omnibus ex ordine completis ad cœlos aſcendit. Tunc demum à Diacono dicitur: *Ite Miſſa eſt*, *Ite Miſſa eſt.* id eſt, ite cum pace in domos veſtras, quia tranſmiſſa eſt pro vobis oratio ad Dominum: Et per Angelos, qui nuntij dicuntur, allata eſt in diuinæ conſpectum maieſtatis. Reſpondens autem populus, *Deo gratias*, dicit: Quia Apoſtoli poſt aſcenſionem adorantes Ieſum, regreſſi ſunt in Hieruſalem cum magno gaudio, & erant ſemper in templo, laudantes Deum & benedicentes Dominum. H

In noſtris exemplaribus, eorum loco quæ ſuperius hoc ſigno ††† notata ſunt, legebantur ſequentia:

Poſt cantatum autem Angelicum hymnum: Subdiaconi poſt altare ante Epiſcopum vultu ſtant inclinato, donec corpus & ſanguis Domini conſecretur, & audiant, NOBIS QVOQVE PECCATORIBVS. Tunc eleuantes capita, pergunt parare vaſa, à quibus corpus ſuſcipientes ſacratum, teneant poſt diaconos ſtantes, donec ex eo populus vitæ ſumat confortationem æternæ: quia, vt dictum eſt, Subdiaconi Ieſu notos ſignificant, qui conſpicientes à longe, ſed perſeuerantes in paſſionem, tandiu ſteterunt, quandiu Chriſti corpus ſacratum & paſſum ſentirent. Inde quidam parare aromata perrexerunt, vt venientes Vngerent Ieſum. Diaconi autem, vt certum eſt, Apoſtolos ſignificant, qui quamquam ad tempus receſſiſſent, vnde poſt epiſcopum ſtant, tamen ſupplices orant, quæ in ſeptem Dominicis orationibus impleantur: quia poſt reſurrectionem promiſſum

A patris expectauerunt, donec ſeptem hebdomadæ, à Paſcha ſcil. vſque ad Pentecoſten complerentur. Conſecrato autem corpore & ſanguine Domini, poſt diaconos Subdiaconi ſtant, quia Apoſtolorum doctrinam & exempla noti eius, qui in conſecratione corporis in cruce perſtiterunt, poſt conuerſionem ſecuti ſunt. Cur Angelicus hymnus cantatur ante cãticum ſpeciale? Quia moris ſcripturarum & ſanctorum patrum eſt primum gloriam laudeſque Deo referre, deinde orationibus inſiſtere. Sex autem ſunt crucum, &c.

Pro iis quæ ſuperius notantur ſigno hoc ⁋ in exemplaribus noſtris erant ea quæ ſubiecta ſunt hic.

His ergo ſeptem petitionibus ſeptem diaconi conueniunt. Quare pares Diaconi altari non miniſtrant? Quia impar numerus diuidi non poteſt. Deus enim diuiſionem Eccleſiæ non vult, ſed vnitatem indiuiduam. Vnus enim Diaconus altari miniſtrat, quia diſcipulus vnus adoleſ-
B cens quidam, id eſt, Ioannes amictus ſindone ſuper nudo, cæteris fugientibus, ſequebatur Chriſtum. Tres autem miniſtrant: Quia Chriſtus aſcendens in montem ad transfigurandum, tres ſecum duxit, Petrum ſcilicet, Iacobum & Ioannem. Quinque ſufficiunt, propter quinque quos ſecum Dominus duxit, quando reſuſcitauit puellam, tres præfatos & patrem & matrem puellæ. Septem demum obſequuntur, ob illos ſeptem quibus Dominus poſt reſurrectionem piſcantibus ſe manifeſtauit. Quot autem ſunt Diaconi, tot debent eſſe ſubdiaconi, ne in obſequio ſacerdotis vice Chriſti fungentis, miniſtrorum numerus varietur. Acolyti miniſtri ſunt luminis. Quod panis in vinum mittitur dicendo, Pax Domini ſit ſemper vobiſcum, oſtendit animam Chriſti, pacificati cunctis in cœlo & in terra, ad eius corpus rediiſſe. Quæ vero poſtea celebrantur, id eſt, oſculatio ſignificans pacem cum ſalutationibus, & laudes cleri populique dicentis; Qui reſurrexiſti agnus Dei conſecratus & viuificatus, qui
C tollis peccata mundi, moriens & reſurgens in corpore tuo, miſerere nobis, ſignificant illa ſalutationis & pacis verba, quæ Chriſtus fecit diſcipulis ſuis poſtquam reſurrexit. Et fractio oblatarum, fractionem ſignificat illam quam Dominus in Emaus duobus fecit. Deuique orantes, &c.

HIC INCIPIT, QVALITER quædam Orationes & cruces in Te igitur, agendæ ſint.

TE *igitur clementiſſime pater*, vſque *habeas & benedicas*: hîc ſignat oblationem & calicem tribus vicibus, non tamen ſub vna cruce, ſed ſeparatim ſingulis ſingulas faciens cruces; *Hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia illibata*, vſque, *Memento Domine*. Hîc nomina viuorum memorentur, ſi volueris: Sed non Dominico die, niſi cæteris diebus. *Et omnium circumſtantium*, vſ-
D que, *Coſmæ & Damiani*: Si fuerit natalis Sanctorum, hîc dicat: *Sed & natalitij illorum beatorum, aut beati illius: Et omnium ſanctorum*, vſque, *per Chriſtum Dominum noſtrum*. Hîc inclinat ſe vſque ad altare, dicens: *Hanc igitur oblationem*, vſque, *iubeas gregi numerari per Chriſtum Dominum noſtrum*. Hîc erigit ſe ſurſum. Oblatam ſolam hîc benedicat. *Quam oblationem tu Deus in omnibus, quæſumus, benedictam, adſcriptam, ratam, rationabilemque facere digneris*. Hîc ambo ſignat, id eſt, oblatam & calicem, vſque, *omnipotentem, tibi gratias agens, benedixit, fregit, dedit diſcipulis ſuis, dicens*: vſque, *item tibi gratias agens, benedixit*: Hîc quatuor vicibus ſolam oblationem ſignat, in quinta vice ſuper calicem ſolum crucem faciens, *hoſtiam puram, hoſtiam ſanctam, hoſtiam immaculatam, panem ſanctum vitæ æternæ, & calicem ſalutis perpetuæ*, vſque *immaculatam hoſtiam*: Hîc inclinat ſe iterum iuxta altare, ita dicens: *ſupplices te rogamus, omnipotens Deus*. Hîc orat apud ſe quod voluerit. Deinde dicat: *Iube hæc perferri per manus*, vſque *in conſpectum*.

E Hîc ſe erigit, hæc verba dicens; *ut quotquot ex hac altaris participatione*, vſque, *per Chriſtum*. Hæ orationes duæ dicuntur, vna ſuper dyptychos, altera poſt lectionem nominum, & hoc quotidianis vel in agendis tantummodo diebus: *Memento etiam Domine & eorum nomina, qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis*. Et recitantur nomina: Deinde poſtquam recitata fuerint, dicat: *Ipſis Domine & omnibus in Chriſto quieſcentibus, locum refrigerij, lucis & pacis ut indulgeas, deprecamur, per Chriſtum. Nobis quoque peccatoribus*, vſque, *Sed veniæ, quæſumus, largitor admitte, per Chriſtum*. Hîc Archidiaconus erigens ſe veniet, & inuoluens calicem mappula, leuat illum * ante dominum Papam. *Per quem hæc omnia ſemper bona*. Hîc omnia ſignat, id eſt, oblatam & calicem tribus vicibus, ſingulis ſingulas faciens cruces, *Sanctificas, viuificas, benedicis, & præſtas nobis*. Hîc leuat Dominus Papa oblatas duas vſque ad oram calicis, & tangens cum de oblationibus tenente il-
F lum Archidiacono, *Per ipſum & cum ipſo, & in ipſo eſt tibi Deo Patri omnipotenti in vnitate Spiritus ſancti honor & gloria*. Tunc dicit in altum: *Per omnia ſæcula ſæculorum*. Reſp. *Amen*. Tunc reponit oblatas in altare, & dicit in altum, *Oremus*: deinde dicit; *Præceptis ſalutaribus moniti*, vſque, *Sed libera nos à malo*. Tunc dicit dominus Papa, interueniente nullo ſono, hanc orationem: *Libera nos quæſumus Domine*, vſque *Petro & Paulo atque Andrea*. Hîc nominatim quos voluerit ſanctos vel quantos, commemorat, deinde infert, *cum omnibus Sanctis da propitius pacem*, vſque, *per omnia ſæcula ſæculorum* Reſp. *Amen*. Deinde dicit: *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*. Reſp. *Et cum ſpiritu tuo*. Deinde dat pacem altari vel patenæ, & ſic populus dat ſibi pacem. Dum vero Dominus Papa dicit, *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*, non mittit partem de ſancta in calicem, ſicut cæteris ſacerdotibus mos eſt, dum confringunt. Interim vero dicitur *Agnus Dei*, & expleta confractione, quando communicat Dominus Apoſtolicus, partem ſibi mordet, &
G reliquam in calicem mittit, faciens crucem de ea tribus vicibus, nihil dicens: Et ſic confirmatur de calice, tenente eum Archidiacono. Quando vero Dominus Apoſtolicus deſcendit ab altari, & incipit communicare populos, dicitur Antiphona ad communionem: & expleta Communione & Antiphona, ſurgit Dominus Papa: & veniens ad altare, ſalutat, altius dicens: *Dominus vobiſcum*. Reſp. *Et cum ſpiritu tuo*. Deinde dicit orationem, *Quod ore ſumpſimus Domine, mente capiamus, & de munere temporali fiat nobis remedium ſempiternum. Per Dominum*.

* al. contra.

NOTA in ſequens opuſculum.

Quo tempore factum fuerit iſtud miraculum, incertum eſt. Potuit contigiſſe circa tempora hæreſis Iconoclaſtarum Deo ita permittente ad fidem ſtabiliendam circa cultum Sanctarum imaginum. De imagine porrò Saluatoris de qua hic agitur, hæc habet Baronius in notis ad
H *Martyrologium Romanum 9. Nouembris. Agunt Græci commemorationem anniuerſariam quinto Idus Auguſti, miraculi ex ſacra imagine Saluatoris, quæ Conſtantinopoli a Iudæo ferro percuſſa, ſanguinem fundens, in puteum deiecta eſt.*

ANONIMI NARRATIO.

De maximo miraculo, in ſacro magnæ Eccleſiæ puteo, ad Sanctam ac venerandam Domini noſtri Ieſu Chriſti imaginem facto, deque Patricio, ac Dei amante Nataro.

NIHIL viri Deum amantis ac religioſi animum vſque adeo recreare ſolet, vti opus potentiâ Dei mirabile mundo exhibitum, ſermonibúſque tempori conſignatum, ac iis quotidie prædicatum. Quippe, diuinæ reuerà ac beatæ illius naturæ amans ani-

A

mus, eiuſque quem amat incomprehenſâ ratione ad maius deſiderium prouehens, quærit vtique ac impensè cupit noſſe aliquid ac audire diuinorum prodigiorum, cui deſiderium ſuum lubens addixerit. Nulla animum eiuſmodi, adulterina degenerque cogitatio, ſuis ipſius modis, res librans ſuperantes naturam, omnipotentis naturæ Dei prodigiis fidem abrogare fecerit; quin nullo examine, ac nihil curioſâ mente, rei geſtæ certam mox perſuaſionem accipit. Audet ergo, ad virorum Dei amantium ita habentes animos directus ſermo, præſens memorare ac delineare miraculum, nulloque alio apparatu ad narrationem tranſit: id omnino exploratum habens, debere omnino Dei miraculis præire fidem, non probationem. Porrò noui illius miraculi narratio hunc in modum habet.

1. Cor. 3. v. 15.

B

Iudæi cæcati ac infenſi Chriſtianis.

Habet quidem gens Iudæorum, vt cum Paulo loquamur, velamen cordibus ſuis impoſitum, nec ſinens, vt ad veritatis lumen intendat oculum, atque vt miſſâ vmbrâ, veritati adhibeant animum: magis verò intabeſcentes literæ, circa eam detinet, nec ad ſublimiorem rerum exitum permittit tranſire. Quin & ſuperſtitioſum quendam zelum accenſum illum aduerſus inculpatam Chriſtianorum fidem, ac valde feruentem habet: ac ſi quis eorum nactus commodum tempus, diuinam Chriſti imaginem contumeliâ affecerit, vel aliud quid in Chriſtianæ fidei iniuriam fecerit, is demum beatus reputatur, laudemque maximam refert à contribulibus ſuis. Verùm, qui ſuperbam omnem mentem comprehendit Dominus, quique eos abominatur congregans iniquitatem in idipſum; is ipſe præſens operatus miraculum, aduerſus Iudaicæ audaciæ amentiam, aciem clementer inſtruxit.

In vrbe regiâ, nouâ inquam Româ, ac noſtrâ, in magno, ac cœlis æquiparando Dei Verbi Sapientiæ templo; quod Deus, humanâ manu ceu quâdam adminiſtrâ materiâ inuiſibiliter viſus ædificauit: in hoc vtique venerabili ac celebratiſſimo templo, quædam erat ſuis expreſſi coloribus Chriſti veri Dei noſtri imago in tabellâ depicta, ad Orientalem portam, vbi eſt putei Samaritanæ ſacrum operculum ac ora, in quâ fons veros, ſcientiæ flumen; potio illa in perpetuum ſitim extinguens Chriſtus, diſpenſatione ſermonem contulit cum muliere præfatâ. In eo venerandæ imaginis repoſita pictura, honorem habebat, fideli piorum adoratione ac cultu. Quia vero Iudæus aliquis illic ſæpiùs per tranſitum moras trahebat, videbatque quàm multi adorarent, vtque omnes diuinæ illi figuræ cultum ac honorem adhiberent, paternâ ſtimulante inuidiâ, ſollicitus erat apud ſeipſum, ac ceu magnum moliebatur, vt nanciſceretur opportunum tempus, quo manus in diuinam imaginem iniiceret, eique ad contumeliam aliquid faceret, atque ſuum in eam deſiderium impleret, audacique facinore animum oblectaret. Ac verò dum hæc animo reputat, reque ipsâ implere ſatagit, ſecuritatem operis nactus ac hominum latens oculos, ſtricto manu gladio, ſanguinariâ mente, ſanguinarium adhibens oculum, impetu quo ferebatur, velut feriret animatum corpus, diuinæ Chriſti imagini medium enſem impegit. Violento autem gladii ictu, rabidâque Iudæi in imaginem plagâ: O Dei mirabilia prodigia! copioſius ſanguinis erumpens fluor, cùm ſceleſti parricidæ tunicam abundè tinxit: tum diuinum illud purpurauit ſolum. O Dei patientiam! imò Dei in humanum genus prouidentiam ac curam! Iudæus quidem rabie aduerſus Chriſtum furens, in venerandam ac pretioſam imaginem velut animata eſſet impetu irruit: Deus autem eius furorem, viæ ad ſalutem occaſionem faciens, quibus ille iniuriam moliebatur, iis ipſe eum ad fidem ac ſalutem attraxit. Iudæus enim, ſanguinis illos de occultis copiâ fluentes ſtupens riuulos, ac terrore correptus, totus mente motus erat; eoque impetu quo agebatur, diuinam imaginem rapiens, cui adhuc gladius impactus eſſet, atque in puteum qui illic erat demittens, diuino vndique aſperſus ſanguine, feſtinè perterrefactus exibat. Palam verò obuiantibus erat, atrox aliquid, ac graue commiſiſſe ſcelus. Cùm autem reus, homicidii

C

Ora putei Samaritanæ ſeruata, Conſtantinop.

D

Imago Chriſti percuſſa Conſtantinopoli ſanguinẽ copioſum fundit.

Mittitur in puteũ.

reus ageretur, multique ad eum fideles confluxiſſent, atque à circunſtante medium coronâ diſcerperetur, inultus tandem veritatem fatetur; progreſſuſque ad opus, quod factum fuerat detegit. Atque vt mox dixiſſet videre erat magnam vndique multitudinem ſpectaculi auidam accedentem ac accurrentem, plenaſque vias, ac totam Dei domum præ tantâ illâ inacceſſam multitudine. Extrahentes verò venerandam ac diuinam imaginem, atque adhuc ſanguinis riuulos emittentem, ad Chriſti Dei noſtri gloriam, cum pſalmis ac lampadibus reportantes, in priori eius loco repoſuerunt. Cæterùm Iudæus ille cum totâ familiâ ad Chriſtum accedens, ſeque ipſum emundans per lauacrum regenerationis, toto animo ad Dominum conuerſus eſt.

B

Extracta refertur ad priorẽ locum.

Iudæus ex miraculo conuertitur.

Cùm autem diuinæ illud imaginis miraculum clarâ vbique famâ celebraretur, omneſque ad adorandum accurrerent, Patricius quidam, vir pius ac Dei timorem habens, iugiter precibus inſtabat, ac præſentis vitæ bona erogans, pro futuris ſollicitus erat. Is, vt ſero factum eſſet, ſecum aſſumens Actuarium ſuum, velut ſeſe miraculo oblectaturus, ſuumque ipſe deſiderium impleturus, ac ſolus, pro more precaturus, diuinam imaginem adoratum venit. Seſe verò ad tempus non modicum in ſolum iactans, ac lacrymarum fundens riuulos, gratias agebat inſtans precibus, ei qui è paterno ſe ſinu effudiſſet, ac noſtri cauſâ fuiſſet factus pauper, noſque ab amarâ liberaſſet morte, ac meliora ſperare dediſſet, ſuumque ipſius regnum promiſiſſet; qui denique omnia moliatur, mirabiliaque faciat, ac ad ſalutem nos reuocet. Tum ſeſe è ſolo erigens, manuſque in venerandam effigiem intendens, ac oculum in eam figens, nouum quoddam ſpectaculum videt: nimirum arridere diuinam imaginem Actuario, prorſuſque in eum lætiorem oculum iacere. Stupens ergo Patricius, iubet vt locum mutet. Verùm eodem rurſus modo habebat imago, iiſdem Notarium aſpiciens oculis. Mox ergo ſtupor horrorque comprehendit Patricium, rurſumque proſtratus humi, ſeipſum lamentabatur: *Clemens*, inquiens, *Domine, quamobrem auertiſti à me vultum tuum? Quanam verò me pollui maculâ, vt adeò indignus euaſerim? Scio ipſam Meretricem tuos amplexam pedes, atque à criminibus abſolutam: Publicanum etiam recepiſti; cum ſola ei humilitas ſuffragaretur. Nam ipſe es qui dixiſti:* Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores. *Sum igitur & ego peccator: Cæterùm grato ſum animo ac beneuolo erga Dominum: Inuoco tuam miſericordiam: Confiteor peccata. Miſerere mei, cui à naturâ eſt miſericordia, ac mihi Domine cauſam indica, cur me auerſeris.* Cùm Patricius talia precaretur, quandam ad ipſum vocem audiuit, ita dicentem: *Tibi quidem, ô Patrici, multiplex laborum tuorum repoſita eſt merces, quæque in egenos facis, tibi reconduntur in cœlis: Verùm vero huic tuo domeſtico, multam debeo gratiam: quippe qui in neceſſitatis tempore, rebus dubiis, cum rari eſſent auxiliatores, peruerſique omnino homines fœlici rerum ſucceſſu opulenti gauderent, non negauerit me; ſed virili fortique animo, Dei me Filium eſſe audacter confeſſus ſit: Et ego igitur confitebor eum coram Patre meo qui in cœlis eſt, aſtantibus Angelis in tremendo ac incorrupto iudicio.*

F

Patricii in ſacrã Imaginẽ religio.

Patricii viſio.

G

Pia ad Deũ expoſtulatio.

Luc. 7. v. 47.

Luc. 18. v. 14.

Matth. 9. v. 13.

Diuina ad eum reſponſio.

H

Matth. 10. v. 32.

Vt hæc Patricius audiſſet, orandi finem faciens manuque Actuarium prehendens, quærebat diſcere confeſſionis cauſam, rogabatque, vt facinus reuelaret. Ad quem Notarius. *Equidem*, inquit, *ô Patrici, pluris mihi erat, vt quod factum eſſet, contegerem, ac vitam totam, quod mihi accidiſſet, apud me tenerem. Quia tamen, vt video, iubet Deus vt rem eloquar, dicam ac reuelabo mali in me dæmonis machinationem. Mihi quidem, Patrici, iſta principium aduerſum fuit, malumque. Cum enim Dei mihi prouidentiâ conſtitutum eſſet vt alios ſeruirem, atque diurnum unde victum compararem, adhæſi viro, cui ſola figurâ ac corporis habitu quod humanum eſt ineſſe videretur. Erat huic nomen Meſites. Is, ex quo me ſecum habebat, volens abſtrahere à Deo conditore meo, ac ſuis dæmonibus ſeruum facere, die quadam cum ſero factum eſſet, conſcendens equum, meque ſecum pedisequum unà aſſumens,*

Notarii hiſtoria ac plenũ facinus.

A *exiuit ex vrbe: cumque ſimul in deſertis locis, aſperiſque, ac inuiis ageremus iter, propè acceſſimus ad vrbis vſquequaque munitiſſimæ ſeptum. Meſites autem deſcendens ex equo, ac arbori alligans, cùm acceſſiſſet ad vrbis portam, pulſauit. Eâ verò citius apertâ, videmus Æthiopum multitudinem, præ nimio gaudio ſalientem, circumquaque confluentem, ac Meſitæ circumfuſam. Ii eum aſſumentes, meque eius comitem, in ſpacioſam ac pellucidam duxerunt domum. Erant porrò multa in domo accenſa lumina, ingenſque prorſus ſedium numerus hinc inde ordine circa domum diſpoſitus, ornamento erat. In medio autem erat thronus reliquis ſublimior, inque eo ſedere mihi videbatur turpis quidam adſpectu Æthiops: Eum, magna quædam circumſtabat Æthiopum turba, vincens copiâ numerum. Tum ſummus ille Æthiops, cùm ſatellites à dextris ac ſiniſtris adeſſe iuſſiſſet, vocat Meſitem, vt propè accedat. Ille, vbi ſeipſum humi proſtraſſet, ac adoraſſet ſedentem in*

B *throno, in pedes ſtetit. At terribilis ille Æthiops iubens accedere, miſerabili illi circunfuſus, deoſculabatur. Mox amicum apellans, cauſam aduentûs cœpit inquirere. Ad hæc Meſites: Vt ſeruus, inquit, ad dominum veni ſeruitutem profeſſurus. Tum princeps tenebrarum: Num implentur quæ pollicitis ſumus; quæ, inquam, tibi ſunt in votis? Ait Meſites: Ita domine, implentur; eòque debitas tibi gratiarum actiones acceſſi redditurus. Sede verò, inquit Æthiops, teque adhuc virtutes à nobis comites ſequentur, qui dominum profitearè, ac nos obſerues. cùm ille dixiſſet, ſedit Meſites. Me autem, Patrici, tenebat timor, multuſque inuaſit horror; ac mentis interim oculum in meum curatorem Deum figens, apud me orabam, vt ab eà neceſſitate liberarer. Tum auctor ille nequitiæ Æthiops in throno ſedens, de me rurſus percontatur: Quiſnam verò hic inquit ad Meſitem, me indicans? Meſites ad eum: Tuus Domine ſeruus eſt, inquit, quemadmodum & ego. Ille ingenti gaudio ex eo ſermone perfuſus, quærebat: Itane verus eſt ſermo, ô adoleſcens? Noſterne es? Tunc ego diuinum quod-*

C *dam ſenſi auxilium. Metu ſiquidem ac trepidatione, inuiſibili virtute ſolutus, vocem emiſi audaciâ plenam. Seruus ſum eius Domini, qui creauit cœlum & terram; Patris, inquam, & Filij, & Spiritûs Sancti. Vixque dixeram, cum Æthiops ille immanis euanuit: thronus quoque periit; ac lampades abierunt: ſed & aſſiſtens Æthiopum turba, incondito quodam ſtrepitu edito, ac triſte quid vlulans, fugam petiit: vrbs verò, vnà cum domo, ac Meſite, nuſquam erant: Omnia enim ſublata ſunt: ego autem, Patrici, vnà cum iumentis incolumis, multum ab hinc tempus ago, ex quo nuſquam deinceps in nequiſſimum illum hominem incidi. Sunt hæc prioris vitæ meæ infortunia ac diri caſus, Incidi in neceſſitatem eiuſmodi, ſed me Deus*

Iudith. 13. *præter ſpem liberauit. Propterea magis gratias Deo habeo, qui non deſpexit ſperantes in ſe, meque ſaluauit ab in-*

Pſal. 58. v. 2. *ſurgentibus in me fortibus; ac animam meam ex inferno*

Pſal. 19. v. 4. *eruit, eduxitque de lacu miſeriæ, & de luto fæcis; exe-*

Pſal. 39. v. 2. *crandæ nimirum dæmonum malitiæ ac inuaſionis.*

His Patricius auditis, non modicum tempus mutus

D ex ſtupore manſit. Tum aſſumens Actuarium, admiratione plenus, reuerſus eſt in ſuam domum: ſeque vnà cum illo maioribus dedens laboribus, in ſpe ambo bonâ, ac repromiſsâ per imaginem fœlici remuneratione, vitam finierunt.

Epilogus. Ad hæc, qui diuinas imagines, neſcio quâ feritate, Idola nominant, confundantur: Nam illud: *Non adorabis omne quod faciunt tui digiti*, bene quidem olim Prophetæ ſuggeſſit diuinus Spiritus: Verùm nihil prorſus ſermo ille ſacras imagines reſpicit Quippe hic, ceu doctrix quædam ac viæ dux propoſita pictura, per ſubiectam oculo ſpeciem, animum dirigit ad prototypum, atque vt ei honorem adhibeamus, facit. At contrà, idola Gentilium, cùm nullum habeant primarium exemplar quod ſimilitudine referant, ſed adhibitum omnem honorem circa ſe circumſcriptum retineant, meritò abominanda ſunt ac execranda. Nos porrò Chriſti populus; eius etiamnùm hæreditas; quorum is imaginem non eſt dedignatus induere; nimirum, pauperem, qui diues erat; vilem abiectumque, qui ſublimis; inglorium atque proiectum,

F qui inacceſſibilis gloriâ: nos inquam, cum timore ac fide, ſinceroque corde eius honoremus imaginem, adorantes, ac inſatiabili oſculantes deuotione, qui eius honorem ad prototypum ipſius ſciamus tranſire; ad ipſum inquam Saluatorem noſtrum ac Dominum; qui propter nos factus eſt omnia, vt ad ſe traheret ſaluaretque, ac ſui ipſius regni faceret eſſe conſortes: quem & propitium inueniremus in die iudicij, donantem nobis repoſita iuſtis bona, gratia ac benignitate inuiſibilis Patris, diuinique ac viuifici Spiritûs, nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum, Amen.

INCERTI AVTHORIS, VTILIS NARRATIO E veteri hiſtoriâ, nouum miraculum in memoriam reuocans ac declarans, editum cùm Perſæ ac Barbari vrbem regiam obſediſſent: qui & perierunt, diuino vlciſcente Numine, vrbe interim, quam Dei Genitrix ſuis interceſſionibus ſeruauit incolumem, votis annuis gratiarum actionis cantica exinde exoluente, indictâ rei huius die anniuerſariâ, τῆς ἀκαθίστου nomine.

F ADMINISTRANTE Heraclio rem Romanam, Coſroës Perſarum Rex barbarum exercitum ſuum cum graui miſit virtute, vt Orientales omnes Romani Imperij prouincias excurreret, haud aliter ac fulgur quoddam omnia incendentem, abſumentem ac deſtruentem. Hic, ſecurè admodùm atque liberè Orientem depopulatus, ac obuiis quibuſque Romanis, nemine prohibente, eiuſue, latè procedentem impetum retardante internecioni datis: Quippe cùm Romanæ vires valde deiectæ eſſent, eius qui Imperium Romanum regebat grauiſſimâ ac ferinâ crudelitate, tyranni Phocæ viri militaris, attritæ: Chalcedonem veniens, in eâ dein-

G ceps vallum ponit, atque opportuna omnia ad magnam hanc obſidendam ciuitatem diſponit: ita enim illi conſtitutum, erat hocque modis omnibus ſtudebat Hæc videns Heraclius, qui nuper poſt tyrannum Phocam Imperij regimen ſuſceperat, valdè anxius, grauique dolore affectus, relictâ regiâ, collectis Romanis copiis, quæ ſuperſtites erant, per Pontum Euxinum, repente, cùm nihil Perſæ cognouiſſent, eorum regionem inuadit, Cognitâ autem Chaganus Scitha Imperatoris expeditione, ſtatim operi inſiſtit: ac mare quidem Scyticis replet monoxylis lintribus, ſic barbarâ voce nuncupatis, quòd ex vno prælongo ligno, tumultuario velut opere confecta ſint; terram verò equeſtri milite ac pedeſtri.

Sergius interim Patriarcha, populum in vrbe regiâ conſtitutum multis hortabatur, docebatque vt ne animis conciderent. *Confidite*, aiebat, *filij*, *inque Deum ſolum ſpem ſalutis referamus, atque ad eum, manus ac oculos ex toto animo leuemus, ipſeque mala diſſoluet quæ nos circunſteterunt, ac omnia aduerſum nos barbarorum diſſipabit conſilia.* His Sergij ſermonibus animatus populus qui Sergij Patriarchæ opera, obſeſsâ vrbe.

H erat in vrbe, manſerunt omnes, fide in intemeratam Deiparam roborati, atque in eum, qui ex Ipsâ per clementiam naſci voluit, Chriſtum Deum noſtrum perſeuerabantque forti animo, expectantes videre miſericordiam eius ſuper ipſos, quam breui poſt conſequi meruerunt, nec vacui à ſuâ ſpe exciderunt.

Is autem qui ad vrbis cuſtodiam ab Imperatore relictus fuerat, *Bonus* nomine, nihil non aduerſus barbarorum machinamenta ſedulò moliebatur, quantæ vires erant. Vult enim Deus, vt ne inertes ac otioſi deſideamus; ſed vt etiam aliquid operæ conferamus; & vt quædam quidem à nobis ipſi inueniamus, ac ſpem tamen omnem ſalutis in ipſo habeamus: Sic etiam iuſſit Ieſu filio Naue vt inſidias poneret aduerſus Gaï; Gedeonemque, hydriis ac lampadibus aduerſus Madianitas inſtruxit. Cæterùm Bonus quidem muniebat muros, omniaque bello opportuna parabat: At Sergius Pontifex, ſacras Dei Genitricis imagines, quibus maximè infans quoque Saluator in vlnis Matris repræſentabatur, aſſumens, muros circuibat; eâ ſupplicatione, cùm vrbi tu-

Boni in vrbi præfecti. Ioſ. 8. v. 1. Iud. 7. v. 16. *Supplicatio ad muros cum imaginibus.*

tamen

A tamen concilians, tum barbaris ac hoſtibus, conſternationem, interitum ac fugam, quæ breui eis illata, omnimodo exterminio tradiderunt.

Quoniam verò Perſæ ad Chalcedonis muros caſtra metati, omnia in circuitu ac vicina Chalcedoni, cœperant igni vaſtare, omniaque alia iis conſueta facere, quibus conſtitutum eſt vt vrbem aliquam expugnent; ac ſimiliter Scythæ ac barbari, eadem & ipſi atque Perſæ facere videbantur; accipiens iterum Patriarcha, Domini ac Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti imaginem non manufactam, ac veſtem pretioſam ſacratiſſimæ Mariæ; ad hæc verò, etiam viuifica ligna, vrbis muros circuibat, ac cum lacrymis, orabat dicens: *Exurge Domine, & diſſipabuntur inimici tui: & ſicut fumus deficiunt, & fluent ſicut cera à facie ignis.*

Supplicatio maiori inſtantiâ cum reliquiis.

Pſal. 67. v. 1.

Vixdum tertius dies ab ea populatione tranſierat, cùm Scytharum dux, exercitum omnem vrbi admouet. Tantæ porrò erant hoſtium copiæ, cùm & numero penè innumerabili, tum etiam armorum munitionibus apprimè inſtructo milite; vt, quò rem vniuerſam ex paucis declarem, decem Scythæ cum vno Romano conflicturi eſſent. Nihilominus tamen Chriſtianorum exercitûs præſes ipſa ac propugnatrix intemerata Deipara; illa eorum qui inuocant, celerrima adiutrix, plures excurrentium Scytharum ad diuinum ipſius templum quod in *Fonte* vocant, per leuioris armaturæ milites, necans, nedum eo ſtratagemate Scytharum ducis audaciam repreſſit, ſed & vt etiam quod acciderat, velut arrhabonem ac præludium futuri poſtmodum omnimodi eorum interitûs haberet, interim effecit. Exinde enim Romani animos aſſumentes, multâque fiduciâ aucti, manus in dies cum hoſte conſerebant; pugnante pro eis ac auxiliante Deiparâ, robuſtioreſque efficiente; confundente autem Scytharum machinamenta, eorumque virtutem ac peritiam bellicam deludente.

B

Maria auxilium, ac prima victoria.

His ita habentibus, communi Patriarchæ populique conſilio, deſtinantur quidam ex vrbe cum muneribus, qui & pacificè Schytas alloquerentur, eóſque ad pacis fœdera prouocarent. Enimuerò, non tam homo ille quàm bellua, nedum pacis illa monita non ſuſcepit, verùm etiam acceptis muneribus, quæ inferebantur, re infectâ legatos remiſit; hæc ad eos tantùm adiiciens: *Ne decipiamini in Deo, cui creditis: prorſus enim in craſtinum veſtram capiam ac deſolabo ciuitatem. Quadā nihilominus pietate, liberum facio vt nudi exeuntes, quò vultis, abeatis. Cæterùm, abite nihil à me amplioris expectaturi clementiæ.*

Obſeſſi pacē quærunt.

C

Blaſphemia Chaganiū ſeu Kagſacis.

His ciues auditis, ex iis qui legatione functi eſſent, gementes ex imo pectore, manus in cœlum tetenderunt; imbreque lacrymarum offuſi. *Protector*, inquiebant, *Domine, qui vniuerſis ſuperbus reſiſtis; cuius eſt incomparabilis potentia, & dominatio inſolubilis; Audi verba barbari illius, quæ miſit improperans tibi omnium Domino, & libera vrbem hæreditatis tuæ, ac populum, qui a te nomen habet; nequando dicant, Vbi eſt Deus eorum?* Ac quidem hæc populus: Deus autem, Perſarum ad Chaganum tranſitum prohibuit, quem meditabantur, multis eorum cæſis, quos ſubſidiò mittebant. Porrò non ceſſarunt, biduo toto ſeu triduo, velitationibus, ac paucorum per loca certaminibus pugnare. Hoc autem canis ille conſiliò moliebatur, vt terrâ quaſdam machinas admoueret diruendis muris, ac vrbi expugnandæ; mari autem, Scytharum aptaret lembos, quos habebat innumerabiles, vt vno tempore ac eâdem horâ, terrâ ſimul ac mari, pugna ciuitati ingrueret.

Humilis obſeſſorū precatio.

D

Tanto igitur inſtructo belli apparatu, accipiens quicquid equitum rectius erat venit ad partes Ponti, quibus nauigabatur, ſeque ipſum, Perſarum exercitui oſtendit; illeque viciſſim eadem facit: ſeu potiùs, alter quidem ex Aſiâ, ex Europâ alter, vti feræ beſtiæ rugiunt aduerſus ciuitatem, promptam ſibi prædam ſperantes fore. Verùm quis loquetur Dei tunc exhibita mirabilia; Quis vero Virginis in nos impenſiorem clementiam ac miſericordiam poſſit enarrare; Nam vbi Chaganus, ſinûs Cornu lintribus, ac milite impleuiſſet, ita moliens, vt per eos quidem qui terrâ pugnabant, muros ciuitatis deiiceret; per eos autem qui in ſinûs Cornu naualem pugnam erant inituri, facilè in vrbem inuaderet eique applicaret, vndequaque Deus ac Deipara Virgo, infectas eius ac vacuas expectationes fecere. Tantam enim multitudinem hoſtium ab vtrâque muri parte interfecit Romanus miles, vt qui erant ſuperſtites, minimè iam, defunctorum cadaueribus concremandis, ſufficerent. Et hoc quidem eorum facinus, qui terra repugnabant. Eos autem hoſtium, qui mari adoriebantur, vnà cum lintribus, è regione diuini Blachernarum templi Deipara Virgo, ac Domina, ſubmerſit, immanem ſubitò ac violentam in eos, vehementioris flatûs excitans tempeſtatem.

Terrâ marique adoriens

E

hoſtis; inuiſitat vtrinquè clade aſſectus.

Cùm enim propiores diuinæ huic ædi acceſſiſſent, multo tumore elatum mare, flatuque à Deo immiſſo diuiſum in diuiſiones, omnes funditus cum actuariis ipſorum lembis ſubmerſit abſorpſitque. Erat hîc videre maximum quoddam ac ineffabile prodigium, vt & fluctus montium inſtar attolleret, atque in modum feræ beſtiæ intumeſceret, fureretque, atque in hoſtes Dei Genitricis præceps irrueret, ac crudeliter deuoraret; vti olim deuorauit abſorpſitque Ægyptios perſequentes antiquum Iſraël, cùm ille nouâ quâdam ratione, pedibus iter per ipſum ageret. Sic Virgo Deipara, ſuæ propugnatrix ciuitatis atque tutrix, mirabile trophæum, inuento hoc, ac ſtratagemate, incruentum erexit; eos quidem, qui aduerſus ſuam ipſius hæreditatem implacabile bellum gererent, ac arma in ipſam tuliſſent, omnino ſubmergens; ac marinis fluctibus agendos tradens; ipſam autem ſuam ſortem, quæ in ipſâ, eâque ſolâ ſpem poſuiſſet, fluctuantem, ab immanibus malis, quæ inuaſiſſent penitùs ſeruans incolumem.

F

Exod. 14

Tunc ſanè, tunc temporis, ipſe etiam horum præfectus, exercitûs ſui cladem tantam oculis inſpectans, ſublimi quodam loco cum equeſtribus copiis conſtitutus, pectus vultumque manu percutiebat. Illi autem qui intra muros aduerſus hoſtes certamen habuerant, vt cladem didicerunt, quam Barbari in mari accepiſſent, diuinâ protinus virtute roborati, Virginiſque freti potentiâ, aperuerunt ciuitatis portas, ſublatoque clamore ac vlulatu, impreſſionem in hoſtes fecerunt. Tanta porrò vis gaudij tantaque virtus noſtros habuit, Barbaros autem tantus pauor, vt etiam pueri ac mulieres in eos irruentes, in ipſa hoſtium caſtra penetrauerint. Tunc vtique videre erat, vt, *Vnus perſequeretur mille; duoque fugarent decem millia.* Talis eſt intemerata illa, ac Virgo: talis Deipara Dominaque; potentiâ, impotentes; virtuteque, virtute deſtitutos donauit. Cæterùm vbi ſole occidente nox aduenitſſet, machinas expugnandæ vrbi comparatas, quas Barbari in curribus aduexerant, omnes igni tradiderunt: ac planè gratias Deiparæ, quæ effecerit, vt iidem ipſi ſuorum laborum ac machinarum incenſores eſſent, qui fuiſſent auctores. Patriarcha autem ac reliquus populus, manibus in cœlum expanſis, gratiarum actionis cantica, in lacrymas effuſi, in hæc verba panxere: *Dextera tua Domine magnificata eſt in fortitudine: dextera tua Domine percuſſit inimicum: & in multitudine gloriæ tuæ contriuiſti inimicos.*

G

Obſeſſorum alacritas, ac pauor hoſtium.

Deut. 32. v. 30.

Suas hoſtes machinas cremant.

Exod. 15. v. 6.

H

Sic autem inſipiens Chaganus, qui innumerabili multitudine expeditionem feciſſet, confuſus reuerſus eſt: ſimili quoque ratione, qui ducebat Perſarum exercitum, manum ori imponens, ac vultum operiens, paucos ſecum è tot millibus ducens, cum pudore in ſuam venit regionem. In hunc modum, diuinæ œconomiæ ac bonitatis miniſtra, illa ſanctiſſima prorſuſque immaculata Dei Genitrix; potens illa Chriſtianorum defenſio, ſuæ in nos defenſionis potentiam oſtendit: ſic magnâ nos ac mirabili ſalute impertiuit; in cuius beneficij memoriam, præſentem quot annis collectam totius populi conuentu ſolemnem agimus, noctemque totam celebrem habentes, eidem pro gratiarum actione offerimus canticorum laudem: Atque hæc hactenus.

Verùm, vbi iam anni ſex ſupra triginta abhinc effluxiſſent, Conſtantino Pogonato tenente Imperium, iterum Agarenorum examen ingens Conſtantinopolim claſſe petit, ſtatimque appulſi ſunt ad portum Hebdomi:

Alia obſidio, vrbis ſub Pogonato.

quotidie

A

quotidie verò committebant naualia prælia, à Vere ad Autumnum; tumque hyeme veniente transfretabant, ac Cyzici hyemabant: iterumque ineunte Vere inde reductâ claſſe, ſimili modo nauibus prælia inibant. Cùm bellum in annos ſeptem protractum fuiſſet, ac claſſis Saracenorum naues plurimas; multoſque, nec facilè numerabiles, atque in illis, bellatores viros ac ſtrenuos, amiſiſſet; ad hæc verò multa iacturâ neceſſarij commeatus fuiſſet; ipſa quoque inanis ad ſua reuerſa eſt: cumque ad Sylæi veniſſet partes, vehementi ventorum turbine iactata, per iuſtam Dei iram penitus delata eſt. Ita diuerſis temporibus hanc à Deo conſeruatam vrbem miſeri illi adorientes, furoris ſui impetum expleturi, re infectâ, ac confuſione pleni, coacti ſunt redire.

Ruſus tamen, quòd eorum dominatio vndequaque in maiora crementa promouiſſet, atque ab Ortu ad Occaſum aucta eſſet, ac multitudine diffuſa; primùm quidem ceperunt Perſarum regnum; tumque Ægyptum & Africam, iuratâ Chriſtianis fide, vt ne eos inculpatam rectamque in Chriſtum Deum noſtrum fidem, præuaricari cogerent: quam tamen nihil ſeruauerunt; imò plures affecerunt martyrio, quòd pretioſæ Crucis ſignum ſpreuiſſent pedibus conculcare. Hoc quippe Chriſtianos cogebant. At, vt dicebam terram omnem depopulantes peruaſerunt. Cùm autem Indos quoque ac Æthiopes, nec non Mauruſios, Afros item ac Hiſpanos incurſaſſent, ad extremum, aduerſus hanc quoque regiam vrbem caſtra mouerunt, quò eam caperent. Cæterùm Leone Iſauro Imperatore, conſtitutum habente vt tributa cis penderet, illi abundè etiam militem in vrbe ad præſidium cogebant recipere: freti nimium multitudine exercitûs, tum proprij ipſorum, tum quem ſub mercede merentem habebant, claſſeque ad naualem pugnam expeditâ, tantâque nauium multitudine, vt penè infinita, ad mille ac octingenta nauigia, tota accenſeretur, quemadmodum ſcripſere, qui illorum temporum hiſtoriam annaleſque texuerunt.

B *Imperij Saracenorum promotio Fraus in Chriſtianos.*

Innumerabiles Saracenorum copia ſub

C *Leone Iſauro deleta.*

Cùm itaque errones illi Chriſti hoſtes è regione vrbis milites collocaſſent, interim quidem nullam in muros impreſſionem fecerunt, quòd velut in ſuis quique laribus verſarentur, domibus extruendis vacarent: planè deſtituti prudentiâ ac ratione; ſeu, vt dicam quod res habet, Deo impediente, ac in ſuis ipſorum conſiliis, ſtultos faciente. Qui autem in ciuitate erat Chriſti amans populus, iuges cum lacrymis ſupplicationes faciens, velut ſolemne habet rerum etiam tranquillo ſtatu, venerabiliſſimumque crucis Domini ac Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti lignum ferens, nec non caſtiſſimæ Virginis ſacram imaginem, murum circuibat, tollens ad Deum manus, dicenſque: *Exurge Domine; ne repellas populum tuum in finem: Quoniam ecce inimici tui ſonuerunt, & qui oderunt te, extulerunt caput. Ne des hereditatem tuam in confuſionem, vt gentes dominentur noſtri; nequando dicant, vbi eſt Deus eorum? ſed cognoſcant quia nomen tibi Dominus Ieſus Chriſtus, in gloriam Dei Patris:*

Deuota ſupplicatio.

Diuina D *vltio in blaſphemum.*

Porrò autem, vt vnus quis hoſtium Agarenus blaſphemis vocibus, *Conſtantiam* vocaſſet, ac Eccleſiam nudo nomine appellaſſet *Sapientiam*, In quandam præceps cum equo factus foueam interiit. Sed & eorum præco, cùm aſcendiſſet in altam arborem, ad eorum execrandam precationem vocis præconio efferendam, ſimili & ipſe ratione cadens, violentâ morte impiam animam abrupit. Poſtmodum verò cùm creati duo exercitûs duces in Bulgaros mouere decreuiſſent, alter quidem relictus eſt, qui expugnaret vrbem; alter expeditionem contra Bulgaros ſuſcepit: cum quibus congreſſi, vincuntur, ac ſupra duo millia cadunt. Qui autem euaſerunt necem, multo pudore affecti ad eos à quibus diſceſſerunt, reuertuntur. Cùm autem reuerſi conarentur immiſſis nauigiis in Blachenarum partem irrumpere, extensâ catenâ à traiectûs parte alterâ ad aduerſam Garatæ partem, prohibiti ſunt id præſtare quod decreuerant.

Eo ſucceſſu animum deſpondentes, ſeſe in anguſtum ſinum receperunt; ſuáque nauigia ad portum dictum Soſthenium alioſque anguſtiſſimos appulerunt, ac pars

E

maior validâ tempeſtate ac vento contrita ſunt, quorum maiora Romani incenderunt. Ac quidem ciuitas ciborum penuriâ arctabatur: hoſtes verò cum obuia quæque nullo diſcrimine deuaſtaſſent, nihilque ad neceſſarium commeatum ſibi reliquiſſent, in eam annonæ penuriam redacti ſunt, vt neque ab humanis carnibus, aut animalium vltrò mortuorum cadaueribus abſtinuerint Quin & poſtea, humana ipſa ſtercora, exiguo fermento ſubigentes, ac clibano excoquentes, eſitarunt; vt ideò multi inter illos viri illuſtres, ac fortes bellatores, in vrbem dilapſi ſint. Ac Ægyptij quidem, perſequentes Iſraëlem, *demerſi ſunt in profundum ſicut lapis: Induxit enim Dominus ſuper eos aquas maris, & ponto operuit eos.* At Saracenis fugam à nobis arripientibus, eadem acciderunt. Obortâ ſiquidem procellâ, inſolitâque, ac magni æſtûs in mari tempeſtate, tota penè millenaria illa claſſis periit. Cùm enim pars maxima ad Ægæum mare nauigaſſet, horrenda grando è cœlo cecidit. Quemadmodum autem, ſi ignis ferro accedat, naturam frigidam in calorem ſoluit; ſic ſanè & grandinei lapides marinis fluctibus illiſi, æſtu quodam feruidum faciebant; eoque æſtu diſſolutâ pice quâ hoſtium naues obductæ erant, inſpicientibus oculis profundo mergebantur; vt tantùm decem incolumes ex eo naufragio ſuperauerint. Eratque videre, inſulis omnibus, oriſque litoribus, ac promontoriis, eorum mortuos aceruatim hinc inde congeſtos.

Exod 15. v. 5. & 9.

Saracenorum F *claſſis prorſus naufraga.*

Sanè verò vniuerſa hæc, vt loquar cum Pſalmiſtâ, *enarrentur in generatione alterâ?* oſque omne Chriſtianorum ſacrum illud oraculum cum Dauide acclamet, ac dicat: *Contribulaſti capita draconum in aquâ.* Ad hæc accedat, & canticum pro exitu Iſraëlis magnificâ voce: *Cantemus Domino; glorioſè enim magnificatus eſt.*

Pſal. 101. v. 19.

Pſal. 73. v. 13.

Exod. 15. v. 1.

Hunc loci deducto ſermone, animóque in Dei ac Domini, præſanctæque ac ſolius Deiparæ, maximorum mirabilium ſublimitatem intendens præ ſtupore elinguis fio, deficientibus verbis vt rem poſſim æquare. Quæ enim lingua magniſona Virginem ac Deiparam, dignis præconiis poſſit celebrare; Quomodò autem mirabiliter mirabilem eius laudabit gratiam, fontemque clementiæ magnificabit, ac gratias referet; Equidem par erat, vt eas Dei Genitrici gratias referremus, quæ ipſis conſtant operibus. Quippe ea, eiuſque Natus, præ tibiarum ac organorum modulatiſſimis canticis, iis delectatur. Sunt verò, vt ego pronuntio, charitas non ficta quæ, ſumma eſt legis & Prophetarum; ſincera fraterna dilectio; compaſſio non affectata ac ex animo, diuina virginitas; legitimæ nuptiæ; irreprehenſibilis caſtitas; iuſtitiæ vigor; conſtans fortitudo aduerſus vitia; compoſita prudentia; largæ eleemoſynæ; continentia non tumens; humilitas ad compunctionem facilis: Ad hæc autem, vita ſine crimine; boni mores, ac modeſti; animus prudens; os benè loquens; lingua fauens; ſermo rationabilis; oculus non impudicus; manus nihil incontinentes; ita non ſine iudicio, vel furoris impetu ſecus rationem trahens; aliaque, quibus homo ad Dei factus imaginem, ac ordinatus cum Deo, ceu pretioſo ac venuſtiſſimo mundo ambitioſè ornetur.

Moralia. G

H

Iis oportebat Deiparæ Virgini gratias referre; quando & morales Philoſophi, operibus dicunt, non verbis, gratiarum actionem definiri. Quia nihilominus imbecilli naturâ, ac animo ſegnes, ad virtutis labores pigriores efficimur, leuiuſque eam attingimus, atque vt dicunt, extremo digito, eòque referendis gratiis earumque exoluendo debito impares ſumus; vel nudis ſaltem verbis conſtantes gratias inferamus. Leuantes ergo vocem noſtram, ac mentes ſublimè erigentes, in hunc modum iubilò dicamus: Equidem Deipara Domina, inſitam à naturâ clementiam habens, haudquaquam genti noſtræ prouidentiâ defuiſti: ſed velut communis Chriſtiani generis parens, filiorum amans, ac viſceribus affluens, ſic ſemper tua nobis beneficia impertis; nos ſaluans; protegens; cuſtodiens; à periculis liberans; eruens à tentationibus. Nos autem pro eiuſmodi gratias agimus; alto vocis præconio agnoſcimus dona; beneficia non occultamus; magnificè canimus tua mirabilia; tuum in nos ſtu-

Apoſtrophe ad B. Virgin.

dium

dium ac curam glorificamus ; magnificamus prouidentiam ; protectionem laudamus ; auxilium ceu quid diuinum efferimus ; miſericordiam ſermone celebramus. Atque pro iis quidem quæ præceſſerunt, tuorum memores donorum, ac ex quàm multis tuo fauore eruti ſimus periculis, gratiarum actionis canticum hoc, ceu debitum tibi offerimus ; non velut tuis congruè beneficiis reſpondeat : Quid enim etiam iis congruum haberi poſſit; enimverò amica habes filiorum balbutimenta : Pro iis autem malis quæ ingruunt, ac nobis moleſta ſunt, obſecramus vt feſtinè auxilium impendas. Rogamus pro tuo patrocinio ac tutelâ, vt tollas offendicula in medio exiſtentia; diſpellas verò occupantem nebulam ac atram caliginem, quâ cæcati, ceu nocturnâ pugnâ, cædimus pariter, cædimurque ; vel vt meliùs dicam, vti furioſi, noſtras ipſorum carnes diſcerpimus ; non agnoſcimus cognatos, ac contribules neſcimus. Atque hæc audemus : Quinam verò ; Qui nimirum dignatione diuinâ, eundem Patrem; Chriſtum vnum ; eandem fidem, idem baptiſma ; vnam Eccleſiam ; ſacramenta communia (vt ne in longum ſermo abeat) habemus. Quamobrem ſupplices obſecramus tuam clementiam, vt tui populi, ac tuæ hæreditatis miſerearis, adſiſque intercedens apud natum ex te Deum noſtrum, ac nobis in extremo conſtitutis periculo auxilieris, atque à deploratis eripias calamitatibus. Vides, ô Domina, quot vndique malis abſumamur : *Exurge igitur, & ne repellas in finem. Cur faciem tuam auertis, & obliuiſceris inopia noſtra ?* Diſſolue incumbentes nobis timores ac tremores ; tolle contentioſas opponentium pugnas ; ſeda pugnas ac bella ; ſiſte motam in nos Dei iram, ac contritionem ; compone medias noſtrùm ſeditiones ac turbationes, tuiſque famulis tranquillitatem ac pacem concede ; vt pluribus illis beneficiis, quibus nos cumulaſti, accedente beneficio hoc, tua prodigia ſempiterno præconio celebremus.

Pſal. 4 v. 23.

Huc autem deducto ſermone, ac eius contrahentes vela, ad tutum ſilentij portum applicemus ; hoc iterum admonentes collectum cœtum, vt ne ingrati erga beneficam ac Dominam videamur ; neque, qui ipſis rebus beneficio ſumus affecti, vel ſaltem verbis gratiarum actionem offerre negligamus : in quos nimirum iterum reuertatur commodum. Si quidem enim pro prioribus bonis grati fuerimus, magnam nobis ad futura fiduciam comparabimus, ac aſſequemur inenarrabilia ac arcana bona; gratiâ ac miſericordiâ Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui gloria ac poteſtas in ſæcula, Amen.

FINIS.

3998